



Estᵉ 28
Aug 7ᵗʰ
Vol 8

THEOLOGIA
SCOLASTICO-
DOGMATICA
JUXTA MENTEM
DIVI THOMÆ AQUINATIS,
AD USUM DISCIPULORUM
ejuſdem ANGELICI PRÆCEPTORIS

ACCOMMODATA PER FR.

VINCENTIUM-LUDOVICUM GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORUM, SACRÆ THEOLOGIÆ
Magiſtrum & Doctorem Collegiatum, olim in Patria Bononienſi
Univerſitate Controverſiarum Fidei Publicum Profeſſorem, deinde
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

Tomus Tertius,

IN TERTIAM PARTEM, ET SUPPLEMENTUM D. THOMÆ.

CONTINENS TRACTATUS

I. De Deo Incarnato.
II. De Scientia Animæ Chriſti.
III. De Gratia Chriſti.
IV. De Sacramentis in Generali.
V. De Baptiſmo.
VI. De Confirmatione.
VII. De Euchariſtia, ut Sacramentum eſt.
VIII. De Euchariſtia, ut Sacrificium eſt.
IX. De Sacramento Pœnitentiæ.
X. De Cenſuris, & Indulgentiis.
XI. De Sacramento Extremæ-Unctionis.
XII. De Sacramento Ordinis.
XIII. De Matrimonio.
XIV. De ſtatu Animæ poſt hanc Vitam.
XV. De Fine Mundi.
XVI. De Judicio Univerſali, & conſequentibus ipſum.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
MDCCLXXXVI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS

THEOLOGIA
SCHOLASTICO-
DOGMATICA

IUXTA MENTEM

D. THOMÆ AQUINATIS,

AD USUM DISCIPULORUM

Quidam Angelici Pectoris

ACCOMMODATA PER FR.

ORDINIS PRÆDICATORUM, SACRÆ THEOLOGIÆ

Magistrum & Doctorem Collegiatum, olim in Urbe Tridentina

Theologiæ Cathedram Primarium Professum, demum

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

Tomus Tertius.

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
MDCCLXXXVI.

CATALOGUS EORUM,

Quæ hic Tertius Tomus in Tertiam Partem, & Supplementum DIVI THOMÆ complectitur.

TRACTATUS I.

De Deo Incarnato.

QUÆSTIO PRIMA.

De Possibilitate Incarnationis.

Dubium Primum. An Christianus adversus Gentiles, & Judæos possit demonstrare Incarnationem esse Possibilem? Pag. 1
§. I. Resolutio Dubii. 1
§. II. Ethnicorum Momenta Soluta. 2
§. III. An adversus Judæos ostendi possit non esse Impossibile Incarnationem? 3
Dubium Secundum. An Mens Creata solis Naturæ Viribus possit cognoscere, Incarnationem esse Possibilem? 3
§. I. Ponitur Resolutio. 3
§. II. Objectiones contra utrumque Assertum. 4

QUÆSTIO SECUNDA.

De Existentia Incarnationis.

Dubium Primum. An Existentia Incarnationis probari possit adversus Gentiles? 5
§. I. Argumentum Primum ex miraculis. 5
§. II. Alia pro Credibilitate Incarnationis. 6
Dubium Secundum. An Existentia Incarnationis possit contra Judæos demonstrari? 7
§. I. Exponitur vaticinium Jacob. 7
§. II. Præfatum Oraculum in Jesu fuit impletum. 8
§. III. Danielis primum Vaticinium impletum. 10
§. IV. Alterum Danielis Vaticinium. 10
Dubium Tertium. An Messias, qui venit, fuerit Jesus Nazarenus? 12
§. I. Statuitur Veritas. 12
§. II. Undenam veniat Judæorum Cæcitas. 13
Dubium Quartum. An Incarnatio Debito Tempore peracta sit? 13
§. I. Resolvitur Dubium. 13
§. II. Solvuntur Ea, quæ Obstare videntur. 14
Dubium Quintum. An Angeli cognoverint Existentiam Incarnationis? 15
§. I. De Cognitione Naturali. 15
§. II. De Cognitione per Revelationem. 15

QUÆSTIO TERTIA.

De Convenientia, & Necessitate Incarnationis.

Dubium Primum. An fuerit Conveniens, Deum Incarnari? 17
§. I. An fuerit Conveniens Deo? 17
§. II. An fuerit Conveniens Naturæ Humanæ? 18
Dubium Secundum. An Conveniens fuerit, ut assumeretur potius Humana, quam Angelica, vel alia Natura: & an Assumeret potius Filius, quam alia Persona? 18
§. I. Resolvitur Prior Pars. 18
§. II. Resolvitur Pars Posterior. 19
Dubium Tertium. An ita fuerit Necessaria Incarnatio ad Hominem Redimendum, ut non potuisset redimi, nisi a Deo Incarnato? 19
§. I. Quædam, ut cætera Prænotantur. 19
§. II. Resolutio Negativa de Potentia Ordinaria. 20.
§. III. Resolutio Negativa, etiam de Potentia Extraordinaria, maxime Attenta Gravitate Offensæ Dei, quæ est simpliciter Infinita. 20
§. IV. Probatur Assertio, dato, quod Peccatum Mortale sit in genere Offensæ Finitum. 20
§. V. Rationes Scotistarum Solutæ. 21
§. VI. Quid de Satisfactione pro Peccato Veniali? 23.
Dubium Quartum. An Satisfactio Christi habuerit Æqualitatem Justitiæ? 24
§. I. An Christus Obligatus fuerit ex Justitia Stricta? 24.
§. II. Errores, & Opiniones circa Satisfactionem Christi. 24
§. III. Resolutio Dubii. 25
§. IV. Satisfit Objectionibus. 25
Dubium Quintum. An Christus Satisfecerit cum omni Rigore Justitiæ? 26
§. I. Satisfactio Christi non potuit non acceptari a Deo. 26
§. II. Satisfactio Christi fuit ad Alterum. 27
§. III. Satisfactio Christi fuit ex Bonis propriis, & sub ejus Dominio Positis. 27
§. IV. Satisfactio Christi fuit ex Indebitis. 28
Dubium Sextum. An Satisfactio Christi fuerit valoris Simpliciter Infiniti? 28
§. I. Ponitur Resolutio. 28
§. II. Respondetur Rationibus Scotistarum. 29

QUÆSTIO QUARTA.

De Causis, & Motivo Incarnationis.

Dubium Primum. An Humanitas Christi meruerit Incarnationem? 30
§. I. Resolutio Dubii. 30
§. II. Occurritur Objectis. 31
Dubium Secundum. An Beata Virgo meruerit esse Mater Dei? 32
§. I. De Merito Condigni. 32
§. II. Resolvitur de Merito Congrui. 32
§. III. An B. Virgo aliquo modo Physice concurrerit ad Incarnationem. 32
Dubium Tertium. An Antiqui Patres Incarnationem meruerint? 33
§. I. Aliqua Præmittuntur. 33
§. II. Resolutiones Dubii. 33
Dubium Quartum. Utrum, Homine non Peccante, Verbum fuisset Incarnandum? 33
§. I. Aliqua Prænotantur. 33
§. II. Resolutio. 34
§. III. Occurritur Scotistarum Rationibus. 35
Dubium Quintum. Aliqua circa Causas Incarnationis expenduntur. 37
§. I. An Incarnatio facta sit potius ob Peccatum Originale, quam ob Actuale? 37
§. II. An Existente solo Originali, vel solis Actualibus Verbum fuisset Incarnatum? 38

QUÆSTIO QUINTA.

De Natura Assumpta.

Dubium Primum. An Caro assumpta a Verbo fuerit vera Caro? 38
§. I. Errores circa hanc Veritatem. 38
§. II. Veritas Catholica. 39
§. III. Hæreticorum Momenta. 39
Dubium Secundum. An Corpus a Verbo Assumptum fuerit Terrenum, & Corruptibile? 40
§. I. Valentini Error Rejectus. 40
§. II. An Corpus assumptum a Verbo fuerit Corruptibile? 41
Dubium Tertium. An Caro assumpta a Verbo fuerit Immaculata? 42
§. I. Statuitur Veritas Catholica. 42
§. II. Quædam Alia in Contrarium Soluta. 43
Dubium Quartum. An Maria Mater Christi in Partu, post Partum Virgo permanserit? 43
§. I. Resolutio Prioris Partis. 43
§. II. Resolutio Secundæ Partis. 43
Dubium Quintum. An Verbum assumpserit Humanam Animam, & Humanam Mentem? 45
§. I. Resolutio Primæ Partis. 45
§. II. Resolutio Posterioris Partis. 46
Dubium Sextum. An Verbum assumpserit Humanam Voluntatem? 47
§. I. Hæresis Monothelitarum. 47
§. II. Hæresis Monothelitarum rejicitur. 48
§. III. Monothelitarum Fundamenta. 49

§. IV. Explicantur aliqua de Chriſti Operationibus. 50
Dubium Septimum. An omnes defectus corporis Humani fuerint aſſumpti a Verbo? 51
§. I. De Defectibus Comunibus toti Speciei. 51
§. II. De Defectibus ex Cauſis Individualibus. 51
Dubium Octavum. An Paſſiones, & Defectus Animæ Humanæ Verbum Aſſumpſerit? 52
§. I. De Paſſionibus. 52
§. II. De Defectibus Animæ. 53
Dubium Nonum. An in Chriſto, ut Homine fuerit Potentia Peccandi? 54
§. I. De Peccato conjungendo cum unione ad Verbum. 54
§. II. De Peccato dividendo ab Unione ad Verbum. 55

QUÆSTIO SEXTA.

De Perſona Aſſumente.

Dubium Primum. An revera Perſona Divina aſſumpſerit Humanitatem Chriſti, ſeu: An Chriſtus ſit Perſona Divina, & Deus? 56
§. I. Referuntur Errores. 56
§. II. Veritas Catholica. 57
§. III. Hæreticorum Objecta Soluta. 57
Dubium Secundum. An ſola Perſona Filii aſſumpſerit Humanitatem? 58
§. I. Quid ſit Aſſumere. 58
§. II. Reſolutio Dubii. 58
Dubium Tertium. An Verbum ſit Immediate Unitum Humanitati præciſe ſecundum propriam Perſonalitatem: an vero etiam ſecundum Naturam Communem? 59
§. I. Reſolvitur Dubium. 60
§. II. Solutio Objectionum. 60
Dubium Quartum. An Plures Perſonæ Divinæ poſſint ſimul aſſumere eandem numero naturam creatam? 61
§. I. Supponitur id, quod certum eſt. 61
§. II. Reſolutio Dubii. 61
§. III. Reſpondetur Rationibus Scoti. 62
§. IV. An Caſu, quo Tres Divinæ Perſonæ Aſſumerent eandem Naturam Humanam, eſſent Unus Homo. 63
Dubium Quintum. An Una Perſona Divina poſſit aſſumere plures humanitates? 63
§. I. Reſolvitur Dubium. 63
§. II. An in dicto caſu illæ duæ humanitates eſſent dicendæ Unus Homo? 63

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Unione Verbi cum Humanitate.

Dubium Primum. In quo poſita ſit Unionis Eſſentia. 64
§. I. Quid ſit Unio Formaliter ſumpta. 64
§. II. An Unitio idem ſit, ac Aſſumptio, ſeu Incarnatio? 65
§. III. Aliqua de Chriſti Productione, & Generatione. 65
Dubium Secundum. An Unio Verbi cum Humanitate fuerit Subſtantialis, & in Perſona? 66
§. I. Errores circa Hoc. 66
§. II. Veritas Catholica. 67
§. III. Beata Virgo fuit proprie, ac vere Mater Dei. 68.
§. IV. Solvuntur Ea, quæ videntur favere Neſtorio. 68.
§. V. Quid ſit Humanam Naturam in Chriſto eſſe Unitam Hypoſtatice Verbo Dei. 69
Dubium Tertium. Aliqua Scitu Digna circa Cauſam Neſtorii. 69
§. I. An Neſtorius putus negaverit de facto Unionem Subſtantialem Humanitatis cum Verbo? 69
§. II. An S. Cyrilli Epiſtolæ, & Anathematiſmi ſint ab omni Errore Immunes? 71
§. III. An Concilium Epheſinum, in quo damnatus fuit Neſtorius, fuerit OEcumenicum? 72
§. IV. De fide Theodori Mopſueſteni, Diodori Tarſenſis, Ibæ, & Theodoreti. 73
§. V. De Fide Joannis Antiocheni, & Orientalium. 74.
Dubium Quartum. De Communicatione Idiomatum in Chriſto. 74
§. I. Prænotantur Aliqua. 74
§. II. Catholica Veritas. 74
§. III. Aliqua Quæſita Expenduntur. 77
Dubium Quintum. An Perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit Compoſita? 78
§. I. Reſolvitur Dubium. 78
§. II. Objecta Solvuntur. 79
Dubium Sextum. An ex Unione Verbi cum Humana Natura ſecuta ſit Naturarum Confuſio? 79
§. I. Eutichianæ Hæreſeos Hiſtoria. 79
§. II. Eutichianus Error profligatur. 79
§. III. Eutichianorum Objecta. 80

TRACTATUS II.

De Scientia Animæ Chriſti.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quæ Scientia fuerit in Anima Chriſti?

Dubium Primum. An Chriſtus habuerit aliquam Scientiam, præter Divinam? 82
§. I. Reſolutio Dubii. 82
§. II. Contraria Solvuntur. 82
Dubium Secundum. An Anima Chriſti potuerit ſcire, aut intelligere per ſcientiam, vel Intellectionem Increatam? 83
§. I. Reſolutio Dubii. 83
§. II. Reſpondetur Objectis. 83
Dubium Tertium. An Chriſtus habuerit Scientiam, quam habent Beati? 84
§. I. Prior Reſolutio. 84
§. II. Poſterior Reſolutio. 84
§. III. Objectiones contra utramque reſolutionem. 84
Dubium Quartum. An in Chriſto, præter Scientiam Beatam, fuerit Scientia infuſa? 86
§. I. Explicantur Aliqua. 86
§. II. Reſolvitur Dubium. 86
§. III. Contraria Solvuntur. 87
Dubium Quintum. An in Anima Chriſti fuerit etiam Scientia Acquiſita? 87
§. I. Aliqua Præmittuntur. 87
§. II. Reſolutiones Dubii. 88
§. III. Solvuntur Objecta contra Primum Aſſertum. 89.
§. IV. Objectiones contra Secundum Aſſertum. 89

QUÆSTIO SECUNDA.

De Objectio Scientiæ Animæ Chriſti.

Dubium Primum. An Anima Chriſti, per Scientiam Beatam, comprehenderit Divinam Eſſentiam? 90
§. I. Aliquibus notatis ponitur reſolutio. 90
§. II. Reſpondetur Objectis. 90
Dubium Secundum. Quid cognoverit Anima Chriſti in Verbo, per Scientiam Beatam. 92
§. I. Quædam Præmittuntur. 92
§ II. De Rebus, quæ Sunt, Fuerunt, & Erunt. 92
§. III. Reſpondetur Objectis. 93
§. IV. De Iis, quæ continentur in Potentia Creaturæ. 93
§. V. Objecta contra Præfatum Aſſertum. 94
Dubium Tertium. An cognoverit Anima Chriſti, per Scientiam Infuſam, omnia naturalia? 95
§. I. Reſolutio Dubii. 95
§. II. Solutio Objectionum. 95
Dubium Quartum. An Chriſtus, per Scientiam Infuſam, Cognoverit Secreta cordium, & Futura Contingentia? 96
§. I. Reſolutio Dubii. 96
§. II. Solutio Objectionum. 96
Dubium Quintum. Quænam Supernaturalia cognoverit Anima Chriſti, per Scientiam Infuſam. 97
§. I. Reſolutio Dubii. 97
§. II. Solutio Contrariorum. 97
Dubium Sextum. Varia circa Modum, & Actus Scientiæ Animæ Chriſti. 98
§. I. An hac Scientia uteretur, Convertendo ſe ad Phantaſmata? 98
§. II. An tali Scientia uti potuerit componendo, & diſcurrendo? 98
§. III. An dicta ſcientia fuerit Habitualis, & unus Habitus? 99

TRACTATUS III.

De Gratia Christi.

QUÆSTIO PRIMA.

De Gratia Christi, ut est Singularis Homo.

Dubium Primum. An in Anima Christi fuerit gratia habitualis. 100
§. I. Resolvitur Dubium. 100
§. II. Solvuntur Objectiones. 100
Dubium Secundum. An gratia habitualis faciat Christum Filium Dei adoptivum? 101
§. I. Quinam circa hoc erraverint. 101
§. II. Resolutio Dubii. 101
§. III. Felicis, & Elipandi momenta soluta. 101
Dubium Tertium. An Anima Christi formaliter sanctificetur, per unionem substantialem cum Verbo? 103
§. I. Aliqua Prænotantur. 103
§. II. Prior assertio. 103
§. III. Objectiones contra præfatam Assertionem. 104
§. IV. Posterior Assertio. 104
§. V. Objectiones contra præfatam Assertionem. 105
Dubium Quartum. An Gratia habitualis fuerit Christo necessaria ad merendum: Et quomodo? 105
§. I. Resolvitur Prima Pars. 105
§. II. Objectiones contra præfatam assertionem. 106
§. III. Aliæ Assertiones. 107

QUÆSTIO SECUNDA.

De Virtutibus Animæ Christi.

Dubium Primum. An in Christo fuerint virtutes per se infusæ? 107
§. I. Resolutio Dubii. 107
§. II. Contraria Solvuntur. 108
Dubium Secundum. An in Christo fuerit virtus fidei, spei, & pœnitentiæ? 108
§. I. Resolvitur de Fide Thologica. 108
§. II. Resolvitur de Spe Theologica. 109
§. III. De Virtute Pœnitentiæ. 110
Dubium Tertium. An in Christo fuerint Dona Spiritus Sancti? 111
§. I. Præmittuntur scitu digna. 111
§. II. Resolutio Dubii. 111
§. III. Objectiones Solvuntur. 112
Dubium Quartum. An in Christo fuerint Gratiæ gratis datæ? 113
§. I. Aliqua prænotantur. 113
§. II. Resolutio Dubii. 113
§. III. Resolvitur de prophetia. 114
Dubium Quintum. An in Christo fuerint virtutes morales per se acquisibiles, & quomodo? 115
§. I. Resolvitur Prima Pars. 115
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 115

QUÆSTIO TERTIA.

De Gratia Christi, ut Capitis.

Dubium Primum. An Gratia, secundum quam Christus est caput Ecclesiæ, sit gratia personalis, an habitualis? 116
§. II. Firmatur Christum esse Caput Ecclesiæ. 116
§. II. Resolvitur Dubium. 117
§. III. Solutio Objectionum. 117
Dubium Secundum. An tanta fuerit plenitudo Gratiæ in Christo, ut fuerit simpliciter infinita? 118
§. I. In Christo fuit plenitudo Gratiæ. 118
§. II. Prior Resolutio Dubii. 118
§. III. Solutio Objectionum contra dicta. 119
§. IV. Posterior Resolutio. 120
Dubium Tertium. An Christus sit Caput omnium hominum? 121
§. I. Quædam Præmittuntur. 121
§. II. Quorum hominum Christus sit Caput. 121
§. III. Resolutiones Dubii. 122
Dubium Quartum. An Christus sit Caput Angelorum. 123.
§. I. Præmittuntur quæ certa sunt. 123
§. II. Resolutio Dubii. 124
§. III. Solutio Objectionum. 125
Dubium Quintum. De Christo, ut Mediatore. 127
§. I. An esse mediatorem sit Proprium Christi? 127
§. II. An Christus sit mediator, secundum quod est Homo, an secundum quod est Deus? 128
§. III. Resolutione. 128
Dubium Sextum. An Fides in Christum mediatorem fuerit quovis tempore necessaria ad salutem: Et qualis? 130
§. I. Prior Assertio. 130
§. II. Posterior Assertio. 130
Dubium Septimum, & Ultimum. An, præter Israeliticum Populum, gentes aliquæ ante Christi adventum habuerint veram fidem? 132
§. I. Certa statuuntur. 132
§. II. Resolutio Dubii. 132
§. III. Solvuntur quæ obstare videntur. 133

TRACTATUS IV.

De Sacramentis in Generalis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sacramentorum Essentia, & Necessitate.

Dubium Primum. Quid sit Sacramentum. 135
§. I. Variæ hujus nominis acceptiones. 135
§. II. Essentia Sacramenti apud Heterodoxos. 135
§. III. Essentia Sacramenti apud Catholicos. 136
Dubium Secundum. An Sacramentorum Institutio fuerit necessaria homini ad salutem. 137
§. I. Aliqua Prænotantur. 137
§. II. Resolvitur Dubium. 138
§. III. Solvuntur Objectiones. 138
Dubium Tertium. An in statu naturæ innocentis fuerint, vel fuissent necessaria Sacramenta. 138
§. I. De Statu Innocentiæ, qui de facto fuit. 138
§. II. De Statu Innocentiæ, qui fuisset. 138
Dubium Quartum. An in Lege Naturæ fuerint Sacramenta? 139
§. I. De Remedio pro Peccato Originali. 139
§. II. An præfatum remedium, in lege naturæ institutum, fuerit revera Sacramentum? 140
§. III. An in Lege Naturæ fuerit etiam aliquod Sacramentum pro adultis? 141
Dubium Quintum. An in Lege Mosaica extiterint Sacramenta? 141
§. I. Quædam pro eruditione. 141
§. II. Resolutio Dubii. 141
§. III. Varia Resolvuntur. 142
Dubium Sextum. An in Nova Lege debuerint esse Sacramenta? 142
§. I. Resolutio Dubii. 142
§. II. Solutio Objectionum. 142

QUÆSTIO SECUNDA.

De Partibus Sacramenti.

Dubium Primum. An omnia Sacramenta constent rebus, & verbis, seu Materia, & Forma. 143
§. I. De Nominibus Materiæ, & Formæ. 143
§. II. Resolutio Dubii. 144
§. III. Solutio Objectionum. 144
Dubium Secundum. An Materia, & Forma Sacramentorum fuerit determinata a Christo? 144
§. I. Quædam præmittuntur. 144
§. II. Resolvitur præcipua quæstio. 145
§. III. An Sacramentorum Forma sit verbum concionatorium. 146
Dubium Tertium. De Mutatione, quæ in Materia, & Forma Sacramentorum potest contingere. 146
§. I. An mutatio in Materia, & Forma, invalidet Sacramentum: & quæ? 146
§. II. An mutatio Materiæ, & Formæ illicita sit, & quando? 148
Dubium Quartum. De divisione Formæ Sacramentalis. 148
§. I. Quo tempore cœperit usus Formæ conditionalis. 148
§. II. Quandonam Forma conditionalis sit adhibenda. 149

QUÆSTIO TERTIA.

De Numero, & Ordine Sacramentorum Novæ Legis.

Dubium Primum. Quot sint Novæ Legis Sacramenta. 149.
§. I. Errores Hæreticorum. 149

§. II. Statuitur Veritas Catholica. 150
§. III. Objectionibus fit ſatis. 150
Dubium Secundum. De Ordine Sacramentorum Novæ Legis. 151
§. I. De Ordine Generationis, ſeu Naturæ. 151
§. II. De Ordine dignitatis. 151

QUÆSTIO QUARTA.

De Efficacia Sacramentorum.

Dubium Primum. An Sacramenta Novæ Legis ſint Cauſa Gratiæ? 152
§. I. Varii Errores. 152
§. II. Catholicæ Reſolutiones. 152
§. III. Solutio Objectionum. 153
Dubium Secundum. Quænam ſit Gratia, quam Conferunt Novæ Legis Sacramenta? 154
§. I. Reſolutiones Dubii. 154
§. II. An Sacramenta Vivorum poſſint per Accidens conferre Gratiam Primam? 155
Dubium Tertium. An Sacramenta Novæ Legis conferant Gratiam per Modum Cauſæ non ſolum Moralis, ſed & Phyſicæ? 156
§. I. Reſolutio Dubii. 156
§. II. Rationes Contrariæ. 157
Dubium Quartum. An Sacramenta Vetera cauſarent Gratiam ex Opere Operato? 159
§. I. Reſolutio Generalis. 159
§. II. Solutio Objectionum. 159
Dubium Quintum. An ſaltem Circumciſio remitteret Peccatum Originale, & conferret Gratiam ex Opere Operato? 160
§. I. Aliqua præmittuntur. 160
§. II. Reſolutio Primæ Partis. 160
§. III. Reſolutio Secundæ Partis. 160
§. IV. Reſolutio Tertiæ Partis. 161
§. V. Reſolutio Quartæ Partis. 162

QUÆSTIO QUINTA.

De Charactere Sacramentali.

Dubium Primum. An Sacramenta Novæ Legis imprimant Characterem? 162
§. I. Veritas Statuitur. 162
§. II. Solutio Objectionum. 163
Dubium Secundum. Natura, Proprietates, & Subjectum Characteris. 164
§. I. Quid ſit Character. 164
§. II. Proprietates Characteris. 164
§. III. Subjectum Characteris. 165

QUÆSTIO SEXTA.

De Auctore Sacramentorum.

Dubium Unicum. An Chriſtus Omnia Novæ Legis Sacramenta inſtituerit, & an Omnia Immediate? 166
§. I. Certa Prænotantur. 166
§. II. Reſolutio Dubii. 166

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Sacramentorum Miniſtris.

Dubium Primum. Quinam ſit Idoneus Sacramenti Miniſter? 167
§. I. An ſit ſolus Homo? 167
§. II. An omnis Homo Viator ſit Miniſter Ordinarius Sacramentorum. 168
Dubium Secundum. An in Miniſtro Sacramenti Requiratur Intentio? 169
§. I. Quædam Prænotantur. 169
§. II. Veritas Catholica. 169
§. III. Contraria Solvuntur. 170
Dubium Tertium. Qualis debeat eſſe intentio in Miniſtro. 170
§. I. Prima Aſſertio. 170
§. II. Secunda Aſſertio. 171
Dubium Quartum. Quid debeat intendere Miniſter dum Conficit Sacramentum. 171
§. I. Reſolutiones Dubii. 171
§. II. Fundamenta Contraria. 172
Dubium Quintum. An in Miniſtro Requiratur Fides? 175
§. I. Aliqua Prænotantur. 175
§. II. Catholica Veritas. 175
§. III. Solvuntur Objectiones. 175
Dubium Sextum. An in Miniſtro requiratur Probitas? 176.
§. I. Errores circa Hoc. 176
§. II. Veritas Catholica. 177
§. III. Objectionibus fit ſatis. 177
Dubium Septimum. An in Miniſtro requiratur Sanctitas, ut Licite conferat Sacramentum? 178
§. I. De Miniſtro Solemnitatis. 178
§. II. Solutio Objectionum. 178
§. III. Aliqua inferuntur. 179
§. IV. De Miniſtro Neceſſitatis. 180
Dubium Octavum. An a malis Miniſtris liceat Sacramenta recipere, & an Miniſtris liceat ea Miniſtrare Malis? 180
§. I. Reſolvitur Prior Pars. 180
§. II. Reſolvitur Secunda Pars. 180

QUÆSTIO OCTAVA.

De Subjecto Sacramentorum.

Dubium Primum. An in Suſcipiente Sacramentum, requiratur Intentio, & Qualis? 181
§. I. De Subjecto Capaci Sacramenti. 182
§. II. Reſolvitur Prima Pars. 182
§. III. Reſolvitur Secunda Pars. 183
Dubium Secundum. An in Suſcipiente Requirantur Fides, & aliæ Diſpoſitiones? 184
§. I. Reſolvitur de Fide, quoad Validitatem: 184
§. II. De Fide, quoad Fructum Sacramenti. 184

QUÆSTIO NONA.

De Ritibus Sacramentorum.

Dubium Primum. Poteſtas Eccleſiæ circa Ritus, ac Cæremonias. 185
§. I. Quid Acatholici ſenſerint. 185
§. II. Reſolutio Dubii. 185
§. III. De Idiomate Latino in Conferendis Sacramentis. 186
Dubium Secundum. An præfati Ritus ita fuerint ab Eccleſia Præcepti, ut nemini liceat abſque peccato eos immutare? 186
§. I. Veritas Statuitur. 186
§. II. Calvini, & aliorum Rationes Contrariæ. 187

TRACTATUS V.

De Baptiſmo.

QUÆSTIO PRIMA.

De Eſſentia Baptiſmi, & Pertinentibus ad Illam.

Dubium Primum. Quænam ſit Differentia inter Baptiſmum Joannis, & Chriſti. 189
§. I. Variæ Baptiſmi Chriſti Figuræ. 189
§. II. Catholica Veritas. 189
§. III. Acatholicorum Momenta. 190
Dubium Secundum. Quid ſit Baptiſmus Chriſti. 191
§. I. Varia Baptiſmi Nomina. 191
§. II. Definitio Baptiſmi. 191
Dubium Tertium. Quænam ſit Materia Remota Baptiſmi. 191
§. I. Errores circa Hoc. 191
§. II. Veritas Catholica. 192
§. III. Solvuntur quæ faciunt contra dicta. 192
Dubium Quartum. Quænam ſit Materia Proxima Baptiſmi. 193
§. I. Quædam Prænotantur. 193
§. II. Reſolutio Dubii. 193
§. III. Solutiones Objectorum. 194
Dubium Quintum. Aliqua circa Materiam, tam Remotam, quam Proximam Baptiſmi reſolvuntur. 194
§. I. Circa Materiam Remotam? 194
§. II. De Praxi circa Materiam Proximam. 195
Dubium Sextum. De forma Baptiſmi apud Græcos, & Latinos. 196
§. I. Forma Baptiſmi apud Græcos. 196
§. II. De Forma Baptiſmi apud Latinos. 196
§. III. Solutio Objectionum. 197
Dubium Septimum. An in Baptiſmo Neceſſaria ſit Expreſſio Trium Perſonarum Sanctiſs. Trinitatis. 197
§. I. Errores circa hoc. 197
§. II. Reſolutio Dubii. 198
§. III. Solutio Objectionum. 198
§. IV. An aliquando Baptiſmus collatus fuerit in ſolo Nomine Jeſu, aut Chriſti. 199

§. V. Ulteriora circa Formam Baptiſmi reſolvuntur. 200
Dubium Octavum. An Baptiſma poſſit Iterari. 200
§. I. Errores Referuntur. 200
§. II. Reſolvuntur Dubia. 200
§. III. Aliqua inferuntur. 201

QUÆSTIO SECUNDA.

De Diviſione Baptiſmi.

Dubium Primum. An Baptiſmus Flaminis Vices ſuppleat Baptiſmi Aquæ. 201
§. I. Variæ Baptiſmi Species. 201
§. II. Reſolutio Dubii. 202
Dubium Secundum. An Martyrium ſuppleat Vicem Baptiſmi Aquæ? 202
§. I. Quædam pro Notitia Martyrii. 202
§. II. Reſolutio Dubii. 203
Dubium Tertium. Quales Diſpoſitiones requirantur in Adultis ad Martyrium. 203
§. I. Voluntaria acceptatio Mortis. 203
§. II. Ex Motivo Honeſto Supernaturali. 204
§. III. Patiens Mortis Acceptatio. 204
Dubium Quartum. De Efficacia Martyrii in ordine ad remiſſionem Culpæ. 205
§. I. Quid requiratur, ut per Martyrium Gratia Conferatur. 205
§. II. An in Martyrio Remittatur omnis Culpa, & Pœna? 205
Dubium Quintum. An Martyrium Remittat Culpam, & Pœnam ex Opere Operato? 205
§. I. Reſolutiones Dubii. 205
§. II. Objectionum Solutio. 206
§. III. Aliqua pro Intelligentia Dictorum. 207

QUÆSTIO TERTIA.

De Tempore Inſtitutionis, & Obligationis Baptiſmi Aquæ.

Dubium Primum. Quo tempore fuerit Inſtitutus Baptiſmus. 208
§. I. Quædam Præmittuntur. 208
§. II. Prior Reſolutio. 208
§. III. Reſolutio Poſterior. 209
Dubium Secundum. De Tempore, quo cœpit obligare Baptiſmus. 209
§. I. Prior Reſolutio. 209
§. II. Poſterior Reſolutio. 210

QUÆSTIO QUARTA.

De Miniſtro Baptiſmi.

Dubium Primum. An Miniſter Baptiſmi ſit ſolus Epiſcopus, an etiam Presbyter, vel Diaconus? 211
§. I. De Epiſcopo, & Presbytero. 211
§. II. De Diacono. 212
Dubium Secundum. An Miniſter Baptiſmi poſſit eſſe Laicus? 212
§. I. Reſolutio Dubii. 212
§. II. Objectiones Contrariæ. 213
§. III. De Infideli non Baptizato. 214
Dubium Tertium. De Baptiſmate ab Hæreticis dato. 214
§. I. Quinam illud Reprobaverint. 214
§. II. An Præfati Patres Errorem aliquando Depoſuerint. 215
§. III. An peccaverint Patres Suſtinentes Hæreticos eſſe Rebaptizandos? 215
§. IV. Quid in Cauſa Rebaptizationis Egerit Stephanus. 216
§. V. De Plenario Concilio, in quo Probatum fuit Hæreticorum Baptiſma. 217
§. VI. De Eccleſiæ Fide circa Baptiſma Hæreticorum. 218.
Dubium Quartum. An idem poſſit a ſe ipſo Baptizari: An Plures ab Uno: Et an Unus a Pluribus? 219
§. I. Reſolutio Primæ, & Secundæ Partis. 219
§. II. Reſolvitur Tertia Pars. 219
Dubium Quintum. De Patrino, ſeu Suſceptore Baptiſmi. 220
§. I. Reſolutio Dubii. 220
§. II. De Obligatione ſuſcipientis in Baptiſmo. 220
§. III. Qui poſſunt eſſe Patrini in Baptiſmo, & quot. 221

QUÆSTIO QUINTA.

De Neceſſitate Baptiſmi, ejuſque Subjecto.

Dubium Primum. An Baptiſmus ſit Neceſſarius Parvulis ad Salutem? 221
§. I. Quibuſdam Prænotatis Referuntur Errores, ac Opiniones. 221
§. II. Rejicitur Error Hæreticorum. 222
§. III. Reſolutio contra Cajetanum. 223
Dubium Secundum. An Baptiſmus ſit Adultis Neceſſarius ad Salutem? 223
§. I. Reſolutio Dubii. 223
§. II. Quo tempore teneantur Adulti Baptiſma Suſcipere. 224
§. III. Hiſtoria Catechumenatus Deſcribitur. 224
Dubium Tertium. An Parvuli ſint capaces Baptiſmi? 225
§. I. Errores Hæreticorum. 225
§. II. Reſolutio contra Anabaptiſtas. 226
§. III. Anabaptiſtarum, & aliorum Rationes. 226
Dubium Quartum. An Parvuli in Materno Utero adhuc Exiſtentes poſſint Baptizari? 227
§. I. Reſolutio Dubii. 227
§. II. Contraria Diluuntur. 228
Dubium Quintum. An Parvuli Infidelium ſint Invitis Parentibus Baptizandi? 229
§. I. Certa Præmittuntur. 229
§. II. Reſolutio Dubii. 229
§. III. Rationes Scoti. 230
Dubium Sextum. An Amentes, Furioſi, Dormientes, & Monſtra Baptizari poſſint? 231
§. I. De Amentibus, Furioſis, & Dormientibus. 231
§. II. De Monſtris. 231

QUÆSTIO SEXTA.

De Baptiſmi Effectibus.

Dubium Primum. An Baptiſmus Imprimat Characterem. 231
§. I. Reſolutio Dubii. 231
§. II. Aliqua Contraria Solvuntur. 232
Dubium Secundum. An Baptiſmate revera deleantur Peccata, tam quoad Culpam, quam quoad Pœnam? 232
§. I. Referuntur Errores. 232
§. II. Reſolutio Catholica. 232
§. III. An Baptiſmus deleat reatum pœnæ Peccati? 233
Dubium Tertium. An Baptiſmus conferat Gratiam, & Virtutes? 234
§. I. Aliqua Præmittuntur. 234
§. II. Reſolvitur Dubium. 234
§. III. Quædam Objiciuntur, & Inferuntur. 234
Dubium Quartum. De Fictione, quæ Contingere poteſt in Suſcipiente Baptiſmum. 235
§. I. An Fictio Impediat Effectum Baptiſmi. 235
§. II. An Baptiſmus Fictione ſublata Peccata deleat. 235
§. III. Quæ Peccata Remittantur per Baptiſmum Fictione Sublata. 236

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Ritibus, ac Cæremoniis Baptiſmi.

Dubium Primum. De Loco, & Tempore conferendi Baptiſma. 236
§. I. De Loco. 236
§. II. De Tempore. 237
Dubium Secundum. Alii Baptiſmi Ritus Explicati, & Defenſi. 237
§. I. Explicantur Baptiſmi Ritus. 237
§. II. Ritus præfati Defenduntur. 238

TRACTATUS VI.

De Confirmatione.

QUÆSTIO PRIMA.

De Eſſentia Confirmationis.

Dubium Primum. An Confirmatio ſit Sacramentum? 239
§. I. Quid ſentiant Acatholici. 239
§. II. Veritas Catholica. 240
§. III. Achatholicorum Fundamenta. 241
Dubium Secundum. Quænam ſit Confirmationis Materia. 242
§. I. Errores circa Hoc, & Opiniones. 242
§. II. Reſolutio Dubii. 242
§. III. Solutio Objectionum contra Primam Partem. 242.
§. IV. Objectiones contra Secundam Partem. 244
Dubium Tertium. Quid ſit Chriſma, & a quo Conſecrandum. 244
§. I. Reſolutio Primæ Partis. 244

§. II. Resolutio Secundæ Partis. 245
Dubium Quartum. Quænam sit forma Confirmationis. 246
§. I. Quid de ea Senserint Hæretici? 246
§. II. Forma Confirmationis apud Græcos. 246
§. III. Confirmationis apud Latinos. 247

QUÆSTIO SECUNDA.

De Ministro Confirmationis.

Dubium Primum. An solus Episcopus sit Ordinarius Confirmationis Minister. 248
§. I. De Auctore Confirmationis. 248
§. II. Resolutio Dubii. 249
§. III. Contraria Solvuntur. 250
Dubium Secundum. An simplices Presbyteri possint esse Extraordinarii Confirmationis Ministri? 251
§. I. Resolutio Dubii. 251
§. II. Solvuntur Objectiones. 252
Dubium Tertium. An Confirmatio ab Hæreticis data sit Valida? 253
§. I. Resolutio Dubii. 253
§. II. Contraria Solvuntur. 254

QUÆSTIO TERTIA.

De Subjecto, & Effectibus Confirmationis.

Dubium Primum. Quodnam sit Subjectum Capax Confirmationis. 254
§. I. Resolutio Dubii. 254
§. II. Hodierna Praxis circa Ætatem Confirmandi. 255
§. III. Dispositiones in Suscipiente Requisitæ. 255
Dubium Secundum. An confirmatio Imprimat Characterem? 256
§. I. Resolutio Dubii. 256
§. II. Diluuntur Objecta. 256
Dubium Tertium. An Confirmatio Gratiam Conferat, & quam? 257
§. I. Resolutio Prioris Partis. 257
§. II. Resolutio Posterioris Partis. 257
§. III. Objectiones contra Utramque Partem. 257
Dubium Quartum. De Necessitate, & Ritu Confirmationis. 258
§. I. Resolvitur Prima Pars. 258
§. II. Secunda Pars de Ritibus. 259

TRACTATUS VII.

De Eucharistia ut Sacramentum est.

QUÆSTIO PRIMA.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ.

Dubium Primum. An Eucharistia sit Sacramentum. Aliaque circa ejus naturam. 261
§. I. Eucharistia Sacramentum est. 261
§. II. An Eucharistia sit unum Sacramentum? 262
Dubium Secundum. An Materia Eucharistiæ sit Panis, & Vinum? 262
§. I. Referuntur Errores. 262
§. II. Veritas Catholica. 262
§. III. De Quantitate Materiæ Consecrabilis. 263
§. IV. De Quantitate Materiæ Licite consecrabilis. 263.
§. V. De Præsentia Materiæ. 263
§. VI. De Materiæ Determinatione. 264
Dubium Tertium. Qui sit Panis adhibendus pro Materia Eucharistiæ. 264
§. I. Asseritur Panis Triticeus. 264
§. II. Veteres quidam Ritus circa Panes Consecrandos. 265
Dubium Quartum. An Panis Consecrandus debeat esse Azymus? 266
§. I. De Die, qua Judæi celebrare debebant Pascha. 266.
§. II. De Die, qua Christus suum Ultimum Pascha celebravit, & in qua Eucharistiam instituit. 266
§. III. Assertio Directa contra Græcos. 267
§. IV. Contraria Fundamenta. 268
Dubium Quintum. An in Fermentato, & Azymo Pane valeat Consecratio? 270
§. I. Ostenditur valere in utroque. 270
§. II. Quis convenientior Usus. 270
§. III. An modo Latinis Fermentatum, & Græcis Azymum indifferenter Liceat Consecrare. 271
Dubium Sextum. An Vinum sit altera Eucharistiæ Materia, & Quale? 271
§. II. Quale, & quantum esse debeat Vinum Consecrabile. 272
Dubium Septimum. An Aqua sit Vino miscenda in Calice, quanta, & quo Jure? 272
§. I. Aqua Vino est miscenda. 272
§. II. Qualis, & Quanta Aqua debeat Misceri. 273
§. III. Quo Jure Vino miscenda sit. 273
Dubium Octavum. An Aqua Vino mixta Transubstantietur in Sanguinem Christi, & Quomodo? 274
§. I. An hæc controversia spectet ad Fidem? 274
§. II. An Aqua Immediate, an solum Mediate convertatur in Sanguinem? 274
§. III. Contrariæ Opinionis Fundamenta. 275

QUÆSTIO SECUNDA.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ.

Dubium Primum. An Christus Verbis Eucharistiam Consecraverit: & an iisdem, quibus Nos? 276
§. I. Quædam Prænotantur. 276
§. II. Resolutio Dubii. 276
Dubium Secundum. Per quæ Verba Sacerdotes Panem Consecrent. 277
§. I. Varii Errores Recensentur. 277
§. II. Resolvitur Dubium. 277
§. III. Contraria Fundamenta. 278
§. IV. Aliqua consectaria ad Praxim spectantia. 279
Dubium Tertium. Quænam Verba sint de Essentia Consecrationis Calicis. 279
§. I. Quibusdam præmissis referuntur Opiniones. 279
§. II. Resolvitur Dubium. 280
§. III. Argumenta contraria. 280

QUÆSTIO TERTIA.

De Re Contenta in Eucharistia.

Dubium Primum. An Chhristus sit corporaliter Præsens in Eucharistia? 282
§. I. Referuntur Errores. 282
§. II. Vera, ac Realis Christi Præsentia in Eucharistia ex Scripturis, in quibus Eucharistia promittitur. 282
§. III. Objectiones contra Prædicta. 283
§. IV. Corporalis Christi Præsentia ex Verbis Institutionis. 284
§. V. Calvinistarum Responsionibus fit satis. 285
§. VI. Præsentia Realis ex Patribus, ex Præscriptione, & omnium Ecclesiarum consensu. 286
§. VII. Realis Corporis, & Sanguinis Christi Præsentia Argumentis Philosophicis expugnari non potest. 288
Dubium Secundum. An Corpus Christi in Eucharistia sit per Impanationem, an per Consubstantiationem? 289
§. I. Rejicitur Impanatio. 289
§. II. Rejecta Consubstantiatione Transubstantiatio statuitur. 290
§. III. Lutheranorum Fundamenta Eversa. 291
Dubium Tertium. Varia circa Modum, quo Christus est in hoc Sacramento. 293
§. I. An totus Christus sit in hoc Sacramento? 293
§. II. An Christus sit totus in totis Speciebus, & totus in qualibet Parte? 294
§. III. An Corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in Loco, an sit Mobiliter? 295
§. IV. An Corpus Christi, ut in hoc Sacramento, possit Oculo corporali, aut intellectuali percipi? 295
Dubium Quartum. An Species, quæ manent in Eucharistia, sint vera Accidentia Panis, & Vini? 296
§. I. Resolutio Dubii. 296
§. II. Aliqua adversariorum Objecta. 297
§. III. Aliqua Resolvuntur. 297
Dubium Quintum. De Adoratione Eucharistiæ Debita. 298.
§. I. Quinam ei Adorationem denegarint? 298
§. II. Veritas Catholica. 198
§. III. Sacramentariorum Objecta. 299
Dubium Sextum. De Eucharistiæ Reservatione. 299
§. I. Resolutio Catholica. 299
§. II. Sectariorum Momenta. 300
Dubium Septimum. Aliqua ex dictis Resolvuntur. 300
§. I. De Eucharistiæ Delatione ad Ægrotos. 300
§. II. De Solemnitate Corporis Christi in Eucharistia. 301
§. III. De Solemni Eucharistiæ circumgestatione. 301
§. IV. De Publica Eucharistiæ Expositione. 301

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

De Miniſtro, Subjecto, & Uſu hujus Sacramenti.

Dubium Primum. Quinam ſit Ordinarius Euchariſtiæ Diſpenſator, & quinam Extraordinarius. 302
§. I. Miniſter Ordinarius. 302
§. II. Miniſter Extraordinarius. 302
§. III. An Laicis Euchariſtiæ Diſpenſatio fuerit olim commiſſa? 303
Dubium Secundum. An Euchariſtia Miniſtrari poſſit Infantibus. 304
§. I. Antiqua, & Recentior Praxis. 304
§. II. Reſolutio Dubii. 304
Dubium Tertium. An Euchariſtia Miniſtrari poſſit Amentibus, Energumenis, Reis damnatis, Mortuis, & Peccatoribus. 305
§. I. De Amentibus, & Energumenis. 305
§. II. De Reis damnatis, & Mortuis. 305
§. III. De Peccatoribus Publicis. 305
§. IV. De Peccatoribus Occultis. 306
Dubium Quartum. Quænam Diſpoſitiones requirantur ad Euchariſtiam ex parte Animæ. 307
§. I. Reſolutio Catholica. 307
§. II. Hæreticorum Momenta. 307
§. III. Aliqua Reſolvuntur Quæſita. 308
Dubium Quintum. De Jejunio ad Euchariſtiam requiſito, & aliis Diſpoſitionibus ex parte Corporis. 308
§. I. Reſolutio Dubii. 308
§. II. An Euchariſtia aliquando ſumi poſſit a non Jejuno? 309
§. III. De Mora inter ſumptam Euchariſtiam, & Cibum. 310
§. IV. An ad Euchariſtiam requiratur Somnus, & Puritas Corporis. 310
Dubium Sextum. An Communio ſub utraque Specie fuerit, quovis Tempore, etiam Laicis neceſſaria? 311
§. I. De Antiqua Eccleſiæ Praxi. 311
§. II. Reſolutio Dubii. 311
§. III. Occurritur Heterodoxis. 312
Dubium Septimum. An Eccleſia potuerit Uſum Calicis Laicis interdicere. 314
§. I. Reſolutiones Dubii. 314
§. II. Objectiones Hæreticorum. 314
§. III. An Sumenti Duplicem Speciem Major Gratia conferatur? 315
§. IV. Utrum Calix ex Diſpenſatione Concedendus ſit Hæreticis. 315
§. V. De Communione Laica, Peregrina, & Præſanctificatorum. 315
Dubium Octavum. Quando Urgeat Præceptum ſumendi Euchariſtiam. 316
§. I. Praxis circa Communionis Uſum. 316
§. II. Quid modo in Præcepto ſit de Euchariſtiæ Sumptione. 317

TRACTATUS VIII.

De Euchariſtia ut Sacrificium eſt.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia, & Eſſentia Sacrificii Miſſa.

Dubium Primum. An Euchariſtia ſit Verum Novæ Legis Sacrificium? 318
§. I. Quinam Hoc Negaverint. 318
§. II. Quædam pro Catholicæ Veritatis Intelligentia. 318
§. III. Veritas Catholica Aſſeritur, & probatur. 319
§. IV. Catholica Veritas contra Hæreticorum Sophiſmata ſtabilitur. 320
Dubium Secundum. In quo conſiſtat Eſſentia Sacrificii Miſſæ. 322
§. I. Reſolutiones Dubii. 322
§. II. Contraria Solvuntur. 323
Dubium Tertium. An Sacerdos Jure Divino utramque Speciem debeat Conſecrare? 323
§. I. Reſolvitur Quæſtio. 323
§. II. Solvuntur Objectiones. 324
Dubium Quartum. An Sacerdos Celebrans teneatur utramque Speciem ſumere? 325
§. I. Reſolutio Affirmativa. 325
§. II. An Chriſtus ſumpſerit ſuum Corpus, & Sanguinem? 326
§. III. Aliqua pro integra Reſolutione Dubii. 326

QUÆSTIO SECUNDA.

De Valore, & Subjecto Sacrificii Miſſæ.

Dubium Primum. An Fructus, ſeu Valor Miſſæ ſit Infinitus, an Finitus? 327
§. I. Quædam Prænotantur. 327
§. II. Reſolutio Dubii. 327
§. III. Solvuntur Objectiones contrariæ Opinionis. 328
§. IV. Aliqua ad Praxim ſpectantia. 329
Dubium Secundum. An Miſſa pro Omnibus in Mortali Vita degentibus Offerri poſſit? 329
§. I. Soli Deo Offertur. 329
§. II. Reſolutio Dubii. 330
Dubium Tertium. An Liceat offerre Sacrificium pro Damnatis, & Beatis? 331
§. I. De Damnatis. 331
§. II. De Beatis, quos Eccleſia credit Regnare in Cælis. 331
Dubium Quartum. Quid de Defunctis in Purgatorio detentis? 332
§. I. Certa Supponuntur. 332
§. II. Reſolutio Dubii. 333
§. III. Sectariorum Objectiones. 333
§. IV. Varia Reſolvuntur. 334

QUÆSTIO TERTIA.

De Sacrificii Miſſæ Miniſtro.

Dubium Primum, Quinam ſit Sacrificii Miſſæ Miniſter, 335
§. I. Hæreticorum Errores. 335
§. II. Catholica Veritas. 335
§. III. Heterodoxorum Momenta. 336
Dubium Secundum. An Plures, & an Mali Sacerdotes poſſint Conſecrare? 337
§. I. Reſolvitur Prima Pars. 337
§. II. Reſolvitur Secunda Pars. 337
Dubium Tertium. An liceat Sacerdoti celebrare Miſſam Privatam? 338
§. I. Aliqua Prænotantur. 338
§. II. Reſolutio Catholica. 339
§. III. Lutheranorum, & aliorum Argumenta. 339
Dubium Quartum. An Liceat Celebrare ſine Miniſtro, Veſtibus Sacris &c. 340
§. I. Reſolvitur de Miniſtro, 340
§. II. De Veſtibus Sacris. 340

TRACTATUS IX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia, & Eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.

Dubium Primum. An Pœnitentia ſit Novæ Legis Sacramentum? 341
§. I. Acatholici, qui hoc Negarunt. 341
§. II. Aſſertio Catholica contra Montaniſtas, & Novatianos. 341
§. III. Aſſertio Secunda contra Modernos Sectarios. 342
§. IV. Objectiones contra hanc Secundam Aſſertionem. 343
Dubium Secundum. De Inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, & Partibus ejus. 344
§. I. Reſolvitur de Inſtitutione. 344
§. II. Quænam ſit Pœnitentiæ Sacramenti Materia. 344
§. III. De Sacramenti Pœnitentiæ Forma. 344

QUÆSTIO SECUNDA.

De Pœnitentia ut Virtute, ejuſque Eſſentia.

Dubium Primum. Quid ſit Pœnitentia, & an ſit Virtus? 345
§. I. Reſolvitur Prior Pars. 345
§. II. Reſolvitur Poſterior Pars. 345
Dubium Secundum. Varia Examinantur circa Naturam Pœnitentiæ. 345
§. I. An pertineat ad Juſtitiam? 345
§. II. An ſit Virtus Infuſa, an Theologica, & quodnam ſit ejus Objectum? 346

QUÆSTIO TERTIA.

De Effectibus Pœnitentiæ Virtutis.

Dubium Primum. An per Pœnitentiam Internam Remittantur Peccata? 346

§. I.

§. I. Resolvitur de Peccatis quoad Reatum culpæ. 346
§. II. De Remissione quoad Reatum Pœnæ. 347
Dubium Secundum. De remissione Venialium per Pœnitentiam. 348
§. I. An peccatum Veniale remitti possit sine Pœnitentia. 348
§. II. Solvuntur Objectiones. 348
Dubium Tertium. An peccata per Pœnitentiam Dimissa Redeant per sequens Peccatum. 349
§. I. Resolutio Prior. 349
§. II. Resolutio Posterior. 349
Dubium Quartum. De aliis Pœnitentiæ Fructibus, & Effectibus. 350
§. I. An Pœnitentia Virtutes recuperet, & in quali Gradu? 350
§. II. An Opera bona, per subsequens Peccatum Mortificata, per Pœnitentiam Reviviscant? 350
Dubium Quintum. Ad quem Gratiæ, & Gloriæ Gradum Merita mortificata, per Pœnitentiam Reviviscant. 351
§. I. Resolutio Dubii. 351
§. II. Rationes pro contraria Opinione. 351

QUÆSTIO QUARTA.

De Contritione.

Dubium Primum. Quid sit Contritio, & quotuplex. 352
§. I. Quid sit Contritio. 352
§. II. Quotuplex sit Contritio. 353
§. III. Quomodo differat Contritio ab Attritione. 353
Dubium Secundum. An Contritio Charitate perfecta semper Hominem Deo reconciliet, etiam ante Sacramentum? 353
§. I. Referuntur Opiniones, & refutantur. 253
§. II. Rationes Contrariæ. 354
Dubium Tertium. An Attritio ex Metu Gehennæ concepta sit Actus Bonus, & Laudabilis? 354
§. I. Resolutio Catholica. 354
§. II. Lutheranorum Argumenta. 355
Dubium Quartum. An Attritio, concepta ex Formidine Pœnæ, sit Dispositio sufficiens ad obtinendam Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ: An vero debeat includere aliquem Amorem Dei, saltem Imperfectum, Nascentem, & Initialem? 355
§. I. Aliqua Prænotantur. 355
§. II. Resolutio Dubii, 356
§. III. Solvuntur Rationes contrariæ. 357
Dubium Quintum. An Amor Dei super omnia, & Charitatis, si Remissus sit, possit stare cum Peccato Lethali. 359
§. I. Resolutio Dubii. 359
§. II. Solutio Objectionum. 360
Dubium Sextum. An Præceptum Contritionis obliget statim post Peccatum Mortale commissum? 360
§. I. Statuitur Resolutio. 360
§. II. Solutio Objectionum. 361
§. III. De Tempore, quo obligat Præceptum Contritionis, 361

QUÆSTIO QUINTA.

De Confessione Sacramentali.

Dubium Primum. An Confessio Sacramentalis sit a Christo instituta, ut remedium ad salutem necessarium. 362
§. I. Quid sentiant Heterodoxi. 362
§. II. Veritas Catholica. 362
§. III. Heterodoxorum Objectiones Solutæ. 363
Dubium Secundum. De Tempore, quo obliget Confessio. 366
§. I. Resolutio Dubii. 366
§. II. Varia Quæsita Resolvuntur. 366
Dubium Tertium. Quas Personas obliget Confessio. 367
§. I. Resolvitur Dubium. 367
§. II. Resolvuntur Alia. 367

QUÆSTIO SEXTA.

De Qualitate, & Integritate Confessionis.

Dubium Primum. An possit dari Confessio Valida, sed informis, & in quibus Casibus. 368
§. I. Explicatur Status Quæstionis. 368
§. II. Resolutiones Dubii. 368
§. III. Solvuntur Objectiones. 369
Dubium Secundum. An Confessio semper debeat esse Integra: an vero aliquando possit Dimidiari? 370
§. I. Resolutio Primæ Partis. 370
§. II. Aliqua pro praxi inferuntur. 370
§. III. Resolutiones Secundæ Partis. 371
Dubium Tertium. An ad Integritatem Confessionis Necesse sit Explicare Circumstantias Peccatorum intra eandem Speciem Notabiliter Aggravantes? 371
§. I. Paucis Præmissis Resolvitur Dubium. 371
§. II. Solutio Objectionum. 372
§. III. De Persona Complicis. 372

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Ministro, & Sigillo Confessionis.

Dubium Primum. An Minister hujus Sacramenti sit solus Sacerdos? 373
§. I. Resolutio Dubii, 373
§. II. Solvuntur Objectiones. 373
Dubium Secundum. De Potestate Ordinis, & Jurisdictionis. 374
§. I. Potestas Jurisdictionis. 374
§. II. Quomodo hæ duæ Potestates distinguantur. 374
§. III. Aliqua ad Praxim. 375
§. IV. An Satisfaciat Præcepto, qui in Paschate Confitetur alteri, quam proprio Sacerdoti? 375
Dubium Tertium. An Confessarius in omni casu teneatur servare Sigillum Confessionis? 376
§. I. Aliqua Prænotantur, 376
§. II. Resolvitur Dubium. 376
§. III. Quæsita aliqua Resolvuntur. 376

QUÆSTIO OCTAVA.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Dubium Primum. Quæ verba sint de Essentia Absolutionis Sacramentalis. 377
§. I. Relatis Sententiis Resolutio ponitur. 377
§. II. Aliqua inferuntur. 378
Dubium Secundum. An valeat Forma Absolutionis verbis Deprecatoriis prolata? 378
§. I. Traditio Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ. 378
§. II. Resolvitur Dubium. 379
Dubium Tertium. An Absolutio Sacramentalis possit Absenti Valide impendi? 379
§. I. Resolutiones Dubii. 379
§. II. Solutio Objectionum. 379

QUÆSTIO NONA.

De Satisfactione Sacramentali.

Dubium Primum. An Homo possit satisfacere de condigno pro Pœna Temporali peccato Mortali debita. 380
§. I. Paucis Præmissis Resolvitur Dubium. 380
§. II. Conditiones Requisitæ ad Satisfactionem. 380
§. III. An possit unus pro Alio Satisfacere. 381
Dubium Secundum. An Satisfactio sit vere Pars Sacramenti Pœnitentiæ, & quem Effectum causet? 381
§. I. Aliqua Præmittuntur. 381
§. II. Resolvitur utraque Dubii Pars. 381
§. III. De obligatione Sacerdotis, & Pœnitentiis circa Satisfactionem. 382

QUÆSTIO DECIMA.

De Sacisfactione, seu Pœnitentia Publica.

Dubium Primum. Quotuplex sit Pœnitentia Publica. 382
§. I. De Pœnitentia ante Baptismum. 382
§. II. Resolvitur Dubium. 383
§. III. Qui, & quot fuerint Pœnitentium Ordines. 383
Dubium Secundum. Quænam Peccata Pœnitentiæ Publicæ subjacerent: & an solum Publica. 383
§. I. Quædam Præmittuntur. 383
§. II. Resolvitur Prima Pars. 384
§. III. Resolvitur Secunda Pars. 384

TRACTATUS X.

De Censuris, & Indulgentiis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Existentia, Essentia, Divisione, Materia, Censurarum, Ministro, Subjecto, & effectu.

Dubium Primum. De Existentia, & Essentia Censurarum. 387
§. I. De Existentia. 387
§. II. Censurarum Essentia. 387
Dubium Secundum. Quotuplex sit Censura, quæ ejus Materia, & Forma. 388
§. I. Prior Pars Resolvitur. 388

§. II. De Materia, & Forma Cenſuræ. 388
Dubium Tertium. De Auctore, Miniſtro, Subjecto, & effectibus Cenſurarum. 389
§. I. De Auctore. 389
§. II. De Cenſurarum Miniſtris. 389
§. III. De Cenſuræ Subjecto, & effectibus. 390
Dubium Quartum. De Cenſura injuſte Lata. 391
§. I. Cenſura injuſta an ſit timenda, & tenenda? 391
§. II. Caſus, quibus cenſura, injuſta, & nulla eſſe poteſt. 391
Dubium Quintum. Quæ excuſent a cenſuris incurrendis, & quis ab eis abſolvere poſſit. 392
§. I. Reſolutio Prioris Partis. 392
§. II. Reſolutio Poſterioris Partis. 393

QUÆSTIO SECUNDA.

De Cenſuris in Specie.

Dubium Primum. Excommunicatio quid, & quotuplex. 393
§. I. Excommunicationis uſus antiquus. 393
§. II. Quid, & quotuplex ſit, ejuſque effectus. 394
§. III. Reſpondetur argumentis contrariis. 395
Dubium Secundum. De Excommunicatione minori. 396
§. I. Quando incurratur. 396
§. II. An Participans cum excommunicato peccet? 397
Dubium Tertium. De Suſpenſione, & depoſitione. 397
§. I. Quid, & quotuplex ſit ſuſpenſio. 397
§. II. De Depoſitione. 398
Dubium Quartum. De interdicto. 398
§. I. Quid, & quotuplex ſit. 398
§. II. Aliqua de interdicto exponuntur. 398
Dubium Quintum. De Irregularitate. 399
§. I. Irregularitas ex defectu. 399
§. II. De Irregularitate ex delicto. 400

QUÆSTIO TERTIA.

De Indulgentiis.

Dubium Primum. An ſit in Eccleſia poteſtas ferendi Indulgentias? 401
§. I. Hæreticorum Errores. 401
§. II. Aſſertio Catholica. 401
§. III. Quibus meritis Indulgentiæ nitantur. 402
§. IV. Hæreticorum Objecta. 402
Dubium Secundum. Indulgentiarum eſſentia, & ſpecies. 403
§. I. An Indulgentia ſit ſolutio, & non abſolutio? 403
§. II. Indulgentiarum ſpecies. 403
Dubium Tertium. De valore Indulgentiarum. 404
§. I. An valeant ad remittendam culpam? 404
§. II. An valeant ad remittendam pœnam injungendam? 404
§. III. An Indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant? 405
Dubium Quartum. An Indulgentiæ valeant etiam pro defunctis? 405
§. I. Certa ſupponuntur. 405
§. II. Reſolutio Dubii. 405
§. III. Quomodo defunctis valeant Indulgentiæ. 406
Dubium Quintum. Quinam Indulgentias facere poſſint. 407.
§. I. Parochis, Abbatibus &c. 407
§. II. De Epiſcopis &c. 407
§. III. De Concilio Generali. 408

TRACTATUS XI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Eſſentia Extremæ Unctionis.

Dubium Primum. An Extrema Unctio ſit Sacramentum? 409
§. I. Quid in Re Sectarii veteres, & moderni ſenſerint. 409
§. II. Veritas Catholica ex Scripturis. 409
§. III. Eadem veritas ex traditione. 410
§. IV. Heterodoxorum objectiones. 411
Dubium Secundum. Quænam ſit Extremæ Unctionis Materia. 412
§. I. De materia remota. 412
§. II. De materia proxima. 413
Dubium Tertium. Quænam ſit forma Extremæ Unctionis. 414
§. I. Aliqua forma huic Sacramento convenit. 414
§. II. Reſolutio Dubii. 414

QUÆSTIO SECUNDA.

De Effectibus hujus Sacramenti.

Dubium Primum. An Extrema Unctio remittat peccata venialia: & an conferat ſanitatem corporalem? 415
§. I. Reſolutio Primæ Partis. 415
§. II. Reſolutio Secundæ Partis. 416
Dubium Secundum. An Extrema Unctio iterari poſſit? 416.
§. I. Prior Reſolutio Dubii. 416
§. II. Poſterior Dubii Reſolutio. 417

QUÆSTIO TERTIA.

De Miniſtro Extremæ Unctionis.

Dubium Primum. An Miniſter Extremæ Unctionis ſit ſolus Epiſcopus, vel Sacerdos? 417
§. I. Non ſunt Laici. 417
§. II. De Diaconis, & Epiſcopis. 418
Dubium Secundum. An quilibet Sacerdos; & an unus, ſit ſufficiens Extremæ Unctionis Miniſter? 418
§. I. Reſolutio Primæ Partis. 418
§. II. Reſolutio Secundæ Partis. 418

QUÆSTIO QUARTA.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

Dubium Primum. An ſolis Infirmis Extrema Unctio conferenda ſit? 419
§. I. Praxis Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ. 419
§. II. Reſolutiones Dubii. 419
Dubium Secundum. An in qualibet infirmitate, & omnibus debeat dari Extrema Unctio? 420
§. I. Sectariorum calumniæ. 420
§. II. Reſolvitur Dubium. 421
§. III. An furioſis, amentibus, pueris, &c. dari debeat Extrema Unctio? 421
Dubium Tertium. De neceſſitate, & diſpoſitione ad hoc Sacramentum requiſita. 422
§. I. Reſolutio Prioris Partis. 422
§. II. Reſolutio Poſterioris Partis. 422

TRACTATUS XII.

De Sacramento Ordinis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia, & Eſſentia Ordinis.

Dubium Primum. An in Eccleſia ſit ponendus aliquis Ordo, vi cujus Clerici a Laicis ſecernantur? 423
§. I. Quædam Prænotantur. 423
§. II. Statuitur Veritas. 424
§. III. Rationes Contrariæ. 424
Dubium Secundum. An Ordo ſit unum ex Novæ Legis Sacramentis? 425
§. I. Quid ſi Ordo. 425
§. II. Veritas Catholica. 426
§. III. Quid opponant Sectarii. 426
§. IV. An hoc Sacramentum habeat Materiam, & Formam? 427

QUÆSTIO SECUNDA.

De Sacræ Ordinationis Miniſtro.

Dubium Primum. An ſolus Epiſcopus ſit Ordinarius Sacramenti Ordinis Miniſter? 428
§. I. Reſolutio Dubii. 428
§. II. Contraria Fundamenta. 428
Dubium Secundum. An Epiſcopus Hæreticus, vel Schiſmaticus, vel Depoſitus, vel Degradatus poſſit Ordines conferre. 429.
§. I. Referuntur Opiniones. 429
§. II. Prior Reſolutio. 429
§. III. Poſterior Reſolutio. 431
Dubium Tertium. Utrum a quolibet Epiſcopo Catholico poſſit quiſque licite ordinari. 431
§. I. Quæ fuerit Antiqua Praxis. 431
§. II. Quæ ſit Recentior Praxis. 431
§. III. De Dimiſſoriis Litteris. 432
Dubium Quartum. An Aliqui, qui Epiſcopi non ſint, poſſint, ex diſpenſatione, eſſe Extraordinarii Ordinationis Miniſtri? 433

§. I.

§. I. Resolutio Dubii. 433
§. II. Contrariæ Rationes. 433

QUÆSTIO TERTIA.

De Subjecto, & Effectibus Sacræ Ordinationis.

Dubium Primum. An muliebris sexus idoneus sit Ordinationi recipiendæ? 434
§. I. Resolutio Dubii. 434
§. II. Respondetur contrariis rationibus. 434
Dubium Secundum. An omnis Masculus sit subjectum capax Ordinationis. 436
§. I. De non Baptizato, & non Confirmato? 436
§. II. De Baptizatis usu rationis carentibus. 436
§. III. Quæsita Aliqua. 437
Dubium Tertium. Quinam sint Effectus Ordinis. 438
§. I. Resolvitur de Charactere. 438
§. II. Solutiones Objectionum. 438

QUÆSTIO QUARTA.

De Distinctione Ordinum.

Dubium Primum. Utrum sint septem Ordines. 438
§. I. Ordines plures sunt. 438
§. II. Resolutio Dubii. 439
§. III. Solutio Objectionum. 439
Dubium Secundum. An Majoribus Ordinibus obligatio continentiæ annexa sit? 440
§. I. De Presbyteratu, & Diaconatu. 440
§. II. De Subdiaconatu. 441
§. III. Referuntur Argumenta contraria. 442
Dubium Tertium. Quo Jure Sacris Ordinibus annexa sit continentia: & an sit in ea dispensabile? 443
§. I. Resolvitur Prima Pars. 443
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 444

QUÆSTIO QUINTA.

De Episcopatu.

Dubium Primum. Utrum Episcopatus sit Superior Presbyterato, & quo jure. 445
§. I. Quædam Prænotantur. 445
§. II. Resolvitur Prima Pars. 445
§. III. Resolvitur Secunda Pars. 445
§. IV. Contraria rejiciuntur. 446
Dubium Secundum. An Episcopatus sit Ordo, & Episcopi Ordinatio sit verum, ac proprie dictum Sacramentum? 447
§. I. Resolutio Dubii. 447
§. II. Solvuntur Objectiones. 448
Dubium Tertium. De Materia, & Forma Ordinationis Episcopalis. 448
§. I. Resolvitur de Materia. 448
§. II. Resolvitur de Forma. 450
Dubium Quartum. Quis sit Consecrationis Episcopi Minister. 450
§. I. Prior Resolutio. 450
§. II. Posterior Resolutio. 450
Dubium Quintum. An Romanus Pontifex habet potestatem instituendi, & Ordinandi Episcopos per universum Orbem Christianum? 451
§. I. An super Episcopos sit Superior in Ecclesia. 451
§. II. Resolvitur Dubium. 452
§. III. Solvuntur Objectiones. 452
Dubium Sextum. De Chorepiscopis. 453
§. I. An fuerint veri Episcopi? 453
§. II. Quis Chorepiscopatus fuerit Auctor? 454
§. III. Chorepiscoporum Officia. 454
Dubium Septimum. An Jure Divino ad Episcopi Electionem admittendum sit Suffragium populi, & Cleri. 454
§. I. Aliqua Supponuntur. 454
§. II. Resolutio Dubii. 455
§. III. Hæreticorum Objecta. 456

QUÆSTIO SEXTA.

De Presbyteratu.

Dubium Primum. Quid sit Presbyteratus, & an sit Sacramentum. 457
§. I. Resolvitur Prima Pars. 457
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 457
§. III. Solutio Objectionum. 458
Dubium Secundum. Quænam sit materia, & forma Presbyteratus. 458
§. I. De materia, & forma aliqua notantur. 458
§. II. Resolutio Prima. 458
§. III. Resolutio Secunda. 460
§. IV. Quæ sint Officia Presbyterorum, seu Sacerdotum. 461

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Diaconatu.

Dubium Primum. An Diaconatus sit Sacramentum, 461
§. I. Resolutio Dubii. 461
§. II. Solvuntur Objectiones, 461
Dubium Secundum. Quænam sit materia, & forma Diaconatus. 462
§. I. De Materia, 462
§. II. De forma Diaconatus. 463
Dubium Tertium. De Officiis Diaconi, & Diaconissis. 463
§. I. Resolvitur Prima Pars. 463
§. II. Resolvitur Secunda Pars de Diaconissis. 464

QUÆSTIO OCTAVA.

De Subdiaconatu, & aliis Ordinibus Minoribus.

Dubium Primum. An Subdiaconatus, & quatuor Minores vere Sacramentum sint, 465
§. I. De eorum Institutione. 465
§. II. Resolutio Dubii. 465
§. III. Solvuntur Objectiones. 466
Dubium Secundum. De materia, forma, & Officiis Subdiaconatus, & Minorum Ordinum. 467
§. I. De Subdiaconatus materia, forma, & Officiis. 467
§. II. De materia, forma, & Officiis quatuor Minorum Ordinum. 467

TRACTATUS XIII.

De Matrimonio.

QUÆSTIO PRIMA.

De Matrimonio, ut Officium naturæ.

Dubium Primum. An Matrimonium sit Res bona, & licita? 469
§. I. Resolutio Dubii. 469
§. II. Solvuntur Objectiones. 469
Dubium Secundum. An Matrimonium sit naturali, ac Divino jure institutum? 471
§. I. Resolvitur Prima Pars. 471
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 471
Dubium Tertium. An Matrimonium fuerit Præceptum? 472.
§. I. Resolutio Prima. 472
§. II. Resolutio Secunda. 472
§. III. Contrariis fit satis. 473

QUÆSTIO SECUNDA.

De Matrimonio, ut Sacramentum est.

Dubium Primum. An Matrimonium sit Sacramentum? 473.
§. I. Resolutio Catholica. 473
§. II. An Matrimonium conferat Gratiam? 474
§. III. Hæreticorum Argumenta. 474
§. IV. Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii. 475
Dubium Secundum. Quando Matrimonium in ratione Sacramenti fuerit institutum. 476
§. I. Duæ Priores Resolutiones. 476
Dubium Tertium. An post Christum Matrimonium sit in omnibus, illud contrahentibus, Sacramentum? 477
§. I. De Matrimonio inter infideles. 477
§. II. De Matrimonio Fidelis cum infideli, & infidelium cum convertuntur ad Fidem. 477
§. III. De Matrimonio inter absentes. 478
Dubium Quartum. An Carnalis Commixtio sit de integritate Matrimonii? 479
§. I. Resolutio Dubii. 479
§. II. Objectionum Solutio. 579
Dubium Quintum. Quis sit hujus Sacramenti Minister. 480.
§. I. Referuntur Opiniones. 480
§. II. Resolvitur Dubium. 480
§. III. Fundamenta contrariæ opinionis. 480

QUÆSTIO TERTIA.

De Consensu ad Matrimonium requisito.

Dubium Primum. An Consensus absolute requiratur ad essentiam Matrimonii. 482

§. I.

§. I. Conſenſus Requiritur. 482
§. II. An Conſenſus ſuppleri poſſit a Deo? 482
§. III. An Conſenſus debeat exterius exprimi? 482
Dubium Secundum. Qualis debeat eſſe Conſenſus ad Matrimonium. 483
§. I. An debeat eſſe de præſenti? 483
§. II. An Conſenſus ſimulatus ſufficiat? 483
Dubium Tertium. An Conſenſus in occulto factus per Verba de præſenti faciat Matrimonium? 484
§. I. An Matrimonium clandeſtinum fuerit aliquando validum, & licitum? 484
§. II. An modo validum ſit? 485
§. III. Objectiones ſolutæ. 485
Dubium Quartum. An conſenſus coactus ſufficiat ad Matrimonium. 485
§. I. Aliqua Prænotantur, 485
§. II. Prior Reſolutio. 486
§. III. Poſterior Reſolutio. 486
Dubium Quintum. An contractus conditionatus ſufficiat ad valorem Matrimonii. 487
§. I. Reſolutio S. Thomæ. 487
§. II. Reſolutiones ex prælaudata S. Th. Doctr. 487
Dubium Sextum. An ut Matrimonium ſit validum, requiratur conſenſus Parentum? 488
§. I. Quædam Prænotantur. 488
§. II. Reſolutio Dubii. 489
§. III. Solvuntur Objectiones. 489
Dubium Septimum. Quodnam debeat eſſe Conſenſus Matrimonialis Objectum. 490
§. I. Reſolutio Dubii. 490
§. II. Solvuntur Objectiones. 490

QUÆSTIO QUARTA.

De Unitate Matrimonii.

Dubium Primum. An Polygamia ſimultanea ſit contra Legem Naturæ. 491
§. I. Reſolutio Dubii. 491
§. II. Fit ſatis Objectionibus. 491
Dubium Secundum. An aliquando licitum fuerit habere plures Uxores? 492
§. I. Quædam Præmittuntur. 492
§. II. Reſolutio Dubii. 492
§. III. Fit Satis Objectionibus. 492
§. IV. Quando, & quibus prædicta Diſpenſatio data fuerit. 493
Dubium Tertium. An poſt Legem Evangelicam licitum ſit habere plures Uxores. 493
§. I. Error Lutheri, & aliorum. 494
§. II. Catholica Veritas. 494
Dubium Quartum. An liceat Chriſtianis ducere duas, vel plures uxores ſucceſſive? 495
§. I. De Eccleſia Latina. 495
§. II. Quid ſenſerit, & ſentiat Eccleſia Græca. 496
§. III. An Bigamiæ annexa ſit Irregularitas. 496

QUÆSTIO QUINTA.

De Matrimonii Indiſſolubilitate.

Dubium Primum. An Matrimonium indiſſolubile ſit quoad vinculum, & quo jure. 497
§. I. Errores circa Hoc. 497
§. II. Veritas Catholica. 497
Dubium Secundum. Utrum aliquando potuerit ſuper Matrimonii indiſſolubilitate diſpenſari. 498
§. I. An potuerit Uxor dimitti? 498
§. II. An ſub Lege Moyſi dimiſſio Uxoris licita fuerit. 498
§. III. An Uxori repudiatæ licuerit alteri viro nubere. 499
Dubium Tertium. An Matrimonium Fidelium Profeſſione Religioſa ſolvi poſſit? 500
§. I. De Matrimonio rato, non conſummato. 500
§. II. De Matrimonio rato, & conſummato. 601
Dubium Quartum. An Matrimonium in Infidelitate contractum ſolvi poſſit per converſionem unius ad Fidem? 501
§. I. Reſolutio Prima. 501
§. II. Reſolutio Secunda. 502
Dubium Quintum. An Matrimonium Chriſtianorum conſummatum ſolvi poſſit quoad vinculum? 502
§. I. Errores, & opiniones. 502
§. II. Veritas Catholica ex Scriptura. 503
§. III. Eadem veritas ex Traditione. 503
§. IV. Solvuntur Objectiones. 504
Dubium Sextum. An inter Chriſtianos locum habeat Divortium. 505
§. I. Reſolutio Dubii. 505
§. II. Quæſita aliqua ſoluta. 505

QUÆSTIO SEXTA.

De Sponſalibus.

Dubium Primum. Quid ſint Sponſalia, ad quid Inſtituta, & quam obligationem inducant. 506
§. I. Reſolutio Prioris Partis. 506
§. II. Reſolutio Secundæ Partis. 506
§. III. Reſolutio Tertiæ Partis. 507
Dubium Secundum. Qua ætate, & a quibus contrahi poſſint Sponſalia, & an ſolubilia ſint. 507
§. I. Reſolutio Prioris Partis. 507
§. II. Reſolutio Secundæ Partis. 507
§. III. Reſolutio Tertiæ Partis. 507

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Impedimentis Matrimonii in Generali.

Dubium Primum. An Eccleſia poſſit ſtatuere impedimenta Matrimonii? 508
§. I. Aliqua Præmittuntur. 508
§. II. Catholica Veritas. 509
§. III. Contraria Solvuntur. 510
Dubium Secundum. Quis poſſit in impedimentis Matrimonii diſpenſare? 511
§. I. Reſolutiones Dubii. 511
§. II. An Epiſcopus poſſit in aliquo caſu diſpenſare? 512
§. III. Quandonam diſpenſatio obtenta ſit irrita? 512

QUÆSTIO OCTAVA.

De Impedimentis in Specie.

Dubium Primum. Quæ, & quot ſint impedimenta impedientia. 513
§. I. De Eccleſiæ vetito, & tempore feriato. 513
§. II. De aliis impedimentis impedientibus. 514
Dubium Secundum. An error, & conditio dirimant Matrimonium? 514
§. I. De Impedimento erroris. 514
§. II. De Impedimento conditionis, 515
§. III. An contractæ a ſervis nuptiæ contradicente Domino irritæ ſint. 516
Dubium Tertium. An Votum dirimat Matrimon. 517
§. I. Reſolutio Prior. 517
§. II. Reſolutio Poſterior. 517
Dubium Quartum. An Cognatio Carnalis, ſit Impedimentum dirimens? 518
§. I. Quid ſit Cognatio Carnalis. 518
§. II. De Lineis, & gradibus Conſanguinitatis. 518
§. III. In quibus gradibus Conſanguinitatis olim potuerint, & modo poſſint iniri Conjugia. 519
§. IV. Quo jure Conſanguinitas dirimat Matrimonium. 520
Dubium Quintum. De Cognatione Spirituali, & Legali. 520
§. I. Quid ſit Cognatio Spiritualis, & quomodo contrahatur. 520
§. II. De Cognatione Legali. 521
Dubium Sextum. De impedimento Criminis, & Diſparitatis Cultus. 521
§. I. De Crimine. 521
§. II. De Cultus diſparitate. 522
Dubium Septimum. An Matrimonia Fidelium cum infidelibus fuerint ſemper prohibita, & quo jure? 522
§. I. De Matrimonio Judæorum cum Gentilibus. 522
§. II. De Matrimonio Chriſtianorum cum Infidelibus non baptizatis. 522
Dubium Octavum. De Matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis. 523
§. I. Reſolvitur de Validitate. 523
§. II. Reſolvitur, an ſint Licita. 523
Dubium Nonum. De Impedimentis, Vis, Ordinis, & Ligaminis. 524
§. I. De Vi. 524
§. II. De impedimento Ordinis. 524
§. III. De impedimento Ligaminis. 524
Dubium Decimum. De impedimento publicæ Honeſtatis, & Affinitatis. 525
§. I. De publicæ Honeſtatis impedimento. 525
§. II. De impedimento Affinitatis. 525
Dubium Undecimum. De impedimentis impotentiæ, Raptus, & Clandeſtinitatis. 526
§. I. De impedimento impotentiæ. 526
§. II. De impedimento Raptus. 527
§. III. De impedimento Clandeſtinitatis. 528

TRA-

TRACTATUS XIV.

De Statu Animæ post hanc Vitam.

QUÆSTIO PRIMA.

De Receptaculis Animarum post mortem.

Dubium Primum. An dentur pro Animabus receptacula, & quot sint? 529
§. I. Resolvitur Prima Pars. 529
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 529
Dubium Secundum, Quomodo dicta Receptacula distinguantur. 530
§. I. An Limbus Inferni sit idem, ac sinus Abrahæ? 530
§. II. De Limbo Patrum, & Inferno Damnatorum, & de Limbo Puerorum. 530

QUÆSTIO SECUNDA.

De Descensu Christi ad Inferos.

Dubium Primum. An Christus revera ad Inferos descenderit? 531
§. I. Quibusdam notatis, recensentur Errores. 531
§. II. Assertio Catholica. 531
§. III. Contrariis fit satis. 532
Dubium Secundum. An Christus descenderit in Infernum Damnatorum, & quid in eis egerit? 533
§. I. Resolutio. 533
§. II. Solutiones Objectionum. 533
§. III. De Pueris in Limbo existentibus. 535
Dubium Tertium. De Sanctis Patribus, & in Purgatorio detentis. 536
§. I. Resolutio Prioris Partis. 536
§. II. Resolutio Posterioris Partis. 536
Dubium Quartum. Quanto tempore anima Christi apud Inferos manserit, & Corpus in Sepulchro. 537
§. I. Resolutio Dubii. 537
§. II. Quamdiu Corpus Christi manserit in Sepulchro. 537.

QUÆSTIO TERTIA.

De Purgatorio.

Dubium Primum. An detur Purgatorii locus post hanc Vitam? 538
§. I. Quinam circa hoc erraverint. 538
§. II. Catholica Veritas ex Scriptura. 538
§. III. Ex Traditione. 540
§. IV. Adversariorum Objectiones. 442
§. V. An dimissa culpa dimittatur semper tota Pœna. 543.
Dubium Secundum. Quali, & quanta Pœna in Purgatorio Animæ torqueantur, & quamdiu. 545
§. I. Resolutio Primæ Partis de qualitate Pœnæ. 545
§. II. Resolutio Secundæ Partis de Gravitate Pœnæ. 545.
§. III. Resolutio Tertiæ Partis de Diuturnitate Pœnæ. 545
Dubium Tertium. An in Purgatorio Animæ sint certæ de sua Salute? 546
§. I. Resolutio Dubii. 546
§. II. Respondetur Contrariis Objectis. 547

QUÆSTIO QUARTA.

De Suffragiis Mortuorum.

Dubium Primum. An aliquibus Suffragia prosint? 549
§. I. An Suffragia per unum facta, aliis prodesse possint. 549
§. II. An Suffragia vivorum mortuis prosint. Et primo: An pueris in Limbo existentibus? 549
§. III. Secunda Pars de Damnatis. 549
§. IV. Tertia Pars de Beatis. 550
Dubium Secundum. An Suffragia prosint detentis in Purgatorio? 551
§. I. Resolutio Dubii. 551
§. II. Contraria Solvuntur. 551
§. III. An Beati orent pro Animabus Purgatorii, & an istæ orent pro viventibus in hoc Mundo? 553
Dubium Tertium. An Sepultura, & cultus Exequiarum prosint Defunctis? 553
§. I. Resolutio Dubii. 554
§. II. Solvuntur Contraria. 555
Dubium Quartum. Quæsita aliqua circa Suffragia Defunctorum proponuntur, ac solvuntur, 555
§. I. An Suffragia facta pro uno, magis illi proficiant? 555
§. II. An Suffragia facta per Peccatores prosint Mortuis? 557
§. III. De Suffragiis, quibus purgabuntur in fine sæculi. 557

QUÆSTIO QUINTA.

De Sanctorum Intercessione.

Dubium Primum. An Sancti Orationes nostras cognoscant? 557
§. I. Resolutio Dubii. 557
§. II. Respondetur objectionibus, & exponitur modus, quo preces nostras Sancti cognoscant. 558
§. III. An sit de Fide, & an necessarium, quod Sancti preces nostras cognoscant? 558
Dubium Secundum. An Sancti orent pro nobis? 559
§. I. Resolutio Catholica. 559
§. II. An Sanctorum meritis adjuventur viventes? 560
§. III. An Orationes Sanctorum ad Deum pro nobis fusæ semper exaudiantur? 561
Dubium Tertium. An Sancti a nobis recte invocentur. 562
§. I. Mendacia, & calumniæ Calvini. 562
§. II. Modus quo Sancti invocandi non sunt. 562
§. III. Catholica Veritas. 564
§. IV. Adversaria Argumenta Solvuntur. 564

QUÆSTIO SEXTA.

De Sanctorum Canonizatione.

Dubium Primum. Quid sit Canonizatio. 567
§. I. Profana origo, & de Apotheosi. 567
§. II. Sacra Canonizationis origo. 567
§. III. Resolutio Dubii. 568
Dubium Secundum. An solus Papa possit Canonizare? 568
§. I. Resolutio Dubii. 568
§. II. Aliqua Resolvuntur. 569
Dubium Tertium. An Papa in Canonizatione Sanctorum non possit errare, & an hoc sit ut de fide tenendum? 569
§. I. Resolvitur Prima Pars. 569
§. II. Objectiones contra hanc Primam Partem. 570
§. III. Resolvitur Secunda Pars. 571

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Cultu Sanctorum, veneratione Reliquiarum, & Imaginum.

Dubium Primum. An Sancti sint aliquo Cultu honorandi, & quali. 572
§. I. Referuntur Errores. 572
§. II. Resolvitur Prima Pars. 572
§. III. Pro Resolutione Secundæ Partis quædam præmittuntur. 573
§. IV. Resolvitur Secunda Pars. 574
§. V. Acatholicorum objecta contra utramque partem. 575
Dubium Secundum. Qualis cultus debeatur Humanitati Christi, & B. M. V. 575
§. I. De Humanitate Christi. 575
§. II. De B. Virgine Dei Matre. 576
Dubium Tertium. De Cultu debito Cruci Christi. 577.
§. I. Errores recensentur, & quædam præmittuntur. 577.
§. II. Resolutio Catholica. De vera Christi Cruce. 579.
§. III. De Imagine Crucis. 580
§. IV. De Signo Crucis. 580
Dubium Quartum. De Cultu Sacrarum Reliquiarum. 581.
§. I. Quinam errarint circa præfatum Cultum. 581
§. II. Catholica Veritas. 581
§. III. Argumenta Hæreticorum. 582
Dubium Quintum. De Cultu Imaginum. 584
§. I. Nomen Imaginis, & Idoli. 584
§. II. Præcipui Sacrarum Imaginum Hostes. 585
§. III. An liceat formare, & habere Imagines? 585
§. IV. An liceat pingere Imagines Dei, Trinitatis, & Angelorum? 585
§. V. An liceat Imagines habere in Templis? 586

§. VI.

§. VI. An liceat Imagines colere? 588
§. VII. Quo cultu colendæ sint Imagines. 588
§. VIII. Objectiones contra cultum Imaginum. 589

TRACTATUS XV.

De Fine Mundi.

QUÆSTIO PRIMA.

De Antichristo.

Dubium Primum. De Nomine *Antichristus*, & Persona ejus. 591
§. I. Quid significet Nomen *Antichristus*. 591
§. II. An Antichristus certus quidam homo futurus sit? 592
Dubium Secundum. An Antichristus venerit? 593
§. I. Opiniones, & errores. 593
§. II. Veritas Catholica. 594
§. III. Hæreticorum mendacia detecta. 595
Dubium Terrium. De Ortu, & Patria Antichristi. 596
§. I. Resolutio Primæ Partis. 596
§. II. Resolutio Secundæ Partis. 597
Dubium Quartum. De Antichristi Educatione, Ingenio, Moribus &c. 598
§. I. Educatio. 598
§. II. Ingenium. 598
§. III. Mores Antichristi. 598
§. IV. Doctrina, & Miracula. 599
§. V. An habiturus sit Angelum Custodem? 600
Dubium Quintum. De Antichristi Regno, & Persecutione. 600
§. I. Modus quo ascendet ad Regnum. 600
§. II. Sedes Regni Antichristi. 601
§. III. Persecutio Antichristi. 602
Dubium Sextum. De Adventu Henoch, & Eliæ. 603
§. I. Henoch, & Eliam adhuc vivere. 603
§. II. Henoch, & Eliæ adventus Antichristi tempore. 604
§. III. An alii præter Henoch, & Eliam venturi sint? 604
§. IV. Acta Henoch, & Eliæ tempore Antichristi. 605.
Dubium Septimum. De Antichristi exitu, ejusque a fine Mundi distantia. 605
§. I. Duratio Regni illius. 605
§. II. Antichristi Exitus. 607
§. III. Tempus ab Antichristi morte ad finem Mundi. 608

QUÆSTIO SECUNDA.

De Signis quæ Universalem Resurrectionem percurrent.

Dubium Primum. De Signis Præcessuris in Cælo. 608
§. I. Aliqua Signa esse præcessura. 608
§. II. Obscuratio Solis, & Lunæ &c. 609
Dubium Secundum. An Mundi conflagratio sit futura per ignem, & an ante Judicium? 610
§. I. Resolutio Primæ Partis. 610
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 611
Dubium Tertium. De effectibus Igneæ Conflagrationis. 611
§. I. Quid aget circa Cælos. 611
§. II. Quid aget circa Elementa. 612
§. III. Quid aget circa alia, & præsertim circa Homines. 613

QUÆSTIO TERTIA.

De Generali Resurrectione.

Dubium Primum. An Corporum Resurrectio sit futura? 613
§. I. Quinam circa hoc errarint. 613
§. II. Veritas Catholica. 614
§. III. Fundamenta Contraria. 614
Dubium Secundum. Utrum Resurrectio futura sit omnium generaliter. 615
§. I. Quædam Præmittuntur. 615
§. II. Veritas Catholica stabilitur. 615
§. III. Objectiones Solvuntur. 616
Dubium Tertium. An Resurrectio sit Naturalis? 617
§. I. Quibusdam præmissis resolvitur Dubium. 617
§. II. An Resurrectio naturali ratione cognosci queat? 617
Dubium Quartum. An Resurrectio Christi sit causa Resurrectionis nostræ? 618
§. I. Resolvitur Dubium. 618
§. II. Solvuntur ea quæ obstare videntur. 618
Dubium Quintum. De Aliis ad Resurrectionem concurrentibus. 619
§. I. De voce Tubæ. 619
§. II. Quid agent Angeli in Resurrectione. 620

QUÆSTIO QUARTA.

De tempore, modo, loco, & termino Resurrectionis.

Dubium Primum. De tempore, quo fiet Resurrectio. 620.
§. I. An futura sit in fine Mundi? 620
§. II. An tempus Resurrectionis sit occultum? 621
Dubium Secundum. De modo, & loco Resurrectionis. 622
§. I. An Resurrectio futura sit in istanti? 622
§. II. De loco Generalis Resurrectionis. 623
Dubium Tertium. An terminus a quo Resurrectionis sit Mors? 623
§. I. An omnes omnino homines sint morituri? 623
§. II. Rationes pro contraria opinione. 624
§. III. An omnium Resurrectio futura sit ex Cineribus? 625

QUÆSTIO QUINTA.

De Conditionibus Resurgentium.

Dubium Primum. Utrum Anima idem numero Corpus resumet in Resurrectione. 625
§. I. Referuntur Errores. 625
§. II. Veritas Catholica. 625
§. III. Contraria Solvuntur. 626
Dubium Secundum. Utrum idem numero Homo resurget. 627
§. I. Veritas Catholica. 627
§. II. Objectiones aliquæ solvuntur. 627
§. III. An in Resurrectione pulveres redire oporteat ad eandem partem corporis, quæ in eos dissoluta est? 628
Dubium Tertium. An totum quod in aliquo fuit de Veritate Humanæ Naturæ Resurget in illo? 628
§. I. Resolutio Dubii. 629
§. II. An Membra humani Corporis, Capilli, Ungues, & Humores Resurgent? 629

QUÆSTIO SEXTA.

De qualitate Resurgentium.

Dubium Primum. De Ætate, & Statura. 630
§. I. An resurgent omnes in ætate juvenili? 630
§. II. An omnes in eadem statura Resurgent? 631
Dubium Secundum. An quisquisque Resurget in suo Sexu, & an in Vita Animali? 631
§. I. Resolvitur Prima Pars. 634
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 634
§. III. An post resurrectionem futuri sint actus sensuum? 634
Dubium Tertium. De qualitatibus Corporum post Resurrectionem. 634
§. I. De qualitatibus Corporum Beatorum. 634
§. II. Corpora Damnatorum futura sint Incorruptibilia? 634
§. III. An Corpora Damnatorum futura sint Impassibilia? 634

TRACTATUS XVI.

De Judicio Universali, & Consequentibus Ipsum.

QUÆSTIO PRIMA.

De Judicio Universali.

Dubium Primum. An Judicium Universale sit Futurum? 636
§. I. Veritas Catholica. 636
§. II. Eadem Veritas Rationibus Stabilitur. 636
§. III. Solvuntur Argumenta. 637

Dubium

Dubium Secundum. De Tempore, & Loco Universalis Judicii. 637
§. I. De Tempore. 637
§. II. De Loco Judicii. 638

QUÆSTIO SECUNDA.

De Judice, & Forma Judicii.

Dubium Primum. De Christi Judicis Apparatu, & Adventu. 639
§. I. De Christi Judicis Apparatu, & maxime de Crucis signo. 639
§. II. De Christi Judicis Adventu. 640
Dubium Secundum. An alii Christo Judicanti sint Assessuri? 641
§. I. Aliqua præmittuntur. 641
§. II. Resolutiones Dubii. 642
§. III. Quomodo Judicabunt, & an soli Homines. 643
Dubium Tertium? Utrum Judicium faciendum sit per vocalem Locutionem. 643
§. I. De Judicio Discussionis. 643
§. II. De Sententiæ Prolatione. 644

QUÆSTIO TERTIA.

De Judicandis.

Dubium Primum. An omnes Homines in Judicio comparebunt? 645
§. I. Resolutio Dubii. 645
§. II. Solvuntur Objectiones. 645
Dubium Secundum. An omnes, & Angeli, sive Boni, sive Mali judicandi sint? 646
§. I. De Hominibus bonis. 646
§. II. De Hominibus malis. 646
§. III. De bonis, & malis Angelis. 646
Dubium Tertium. An in Judicio quilibet cognoscet opera, sua, & aliena, & quomodo? 647
§. I. Resolutio Primæ Partis. 647
§. II. Resolutio Secundæ Partis. 648
§. III. Objectiones contra hanc Secundam Partem. 648
§. IV. Resolutio Tertiæ Partis. 649

QUÆSTIO QUARTA.

De Judicio Particulari.

Dubium Primum. An exerceatur particulare Judicium? 649
§. I. Quid aliqui de hoc senserint. 649
§. II. Statuitur Catholica Veritas. 650
Dubium Secundum. Quando fiat Judicium Particulare, & quo in loco. 651
§. I. An fiat in instanti? 651
§. II. In quo instanti fiat. 651
§. III. Quo in loco fiat. 652
Dubium Tertium. A quo Judicium Particulare fiet. 652
§. I. An a Christo ut Homine? 652
§. II. Aliqua circa hoc Examinantur. 653

QUÆSTIO QUINTA.

De Qualitate Mundi post Universale Judicium.

Dubium Primum. De statu Corporum Cælestium post Judicium. 653
§. I. De Mundi innovatione. 653
§. II. An motus corporum Cælestium cessabit? 654
§. III. An corporibus Cælestibus in illa innovatione claritas sit augenda? 654
Dubium Secundum. De Innovatione Elementorum. 656
§. I. Resolutio Dubii. 656
§. II. Explicantur dicta, & objectiones Solvuntur. 656
Dubium Tertium. An Plantæ, & Animalia in illa innovatione remanebunt? 656
§. I. Resolutio Dubii. 656
§. II. An Mundus innovatus habebit habitatores? 657

QUÆSTIO SEXTA.

De Statu Beatorum post Judicium.

Dubium Primum. An Locus Beatorum sit Cælum Empyreum? 657
§. I. Variæ Erroneæ Opiniones. 657
§. II. Resolvitur Dubium. 658
§. III. An Cælum Empyreum moveatur, & influat? 658
Dubium Secundum. De modo, quo Beati se habebunt erga Damnatos. 659
§. I. An videbunt eorum pœnas? 659
§. II. An compatiantur Damnatorum pœnis? 659

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Loco, & statu Damnatorum.

Dubium Primum. An sit Infernus, ubi sit, & quando conditus? 660
§. I. Errores circa existentiam inferni. 660
§. II. Catholica Veritas. 660
§. III. Ubi sit infernus. 660
§. IV. Quando conditus sit Infernus. 661
Dubium Secundum. De Pœnis Damnatorum. 662
§. I. De Pœna Ignis. 662
§. II. An in Damnatis erit vermis, & fletus? 663
§. III. An Damnati sint in tenebris Corporalibus? 663
Dubium Tertium. De Voluntate Damnatorum. 664
§. I. An omnis voluntas Damnatorum sit mala? 664
§. II. An Damnati demereantur, & an peccent? 664
§. III. An Damnati vellent non esse, & an Odio habeant Deum? 665
Dubium Quartum. De Intellectu Damnatorum. 665
§. I. An in eis sit Fides? 665
§. II. De quibus damnati notitiam habebunt. 666

QUÆSTIO OCTAVA.

De Justitia, & Misericordia Dei erga Damnatos.

Dubium Primum. An ex Divina Justitia inferatur Peccatoribus pœna æterna? 666
§. I. Veritas Catholica. 667
§. II. Contraria Solvuntur. 667
Dubium Secundum. An ex Divina Misericordia aliquorum Damnatorum Pœnæ finem sint habituræ? 668
§. I. De Pœna Dæmonum. 668
§. II. De Pœna Hominum Damnatorum. 668
§. III. De Pœna Damnatorum Christianorum. 669
§. IV. De Damnatis, qui Opera Misericordiæ fecerunt. 669
Dubium Tertium. An in inferno sit aliqua Pœnarum mitigatio, & an Damnati puniantur infra Condignum? 670
§. I. Resolvitur Prima Pars. 670
§. II. Resolvitur Secunda Pars. 671

TRA-

TRACTATUS PRIMUS
DE DEO INCARNATO.

DEI Incarnati nomine intelligimus divinam, & homanam naturam unitas in una perſona divina, nempe Verbi. Actio, qua hæc mirabilis unio facta eſt, communiter vocatur Incarnatio; ſeu actio, qua Verbum divinum aſſumpſit carnem ad ſuum eſſe perſonale. Licet enim non ſolam carnem Verbum aſſumpſerit, ſed etiam animam, mentem, & totam humanam naturam; frequentius tamen a carne Verbum dicitur incarnatum, quam ab humanitate inhumanatum. Primo. Quia ſæpe in S. Scriptura nomine carnis totus homo deſignatur Gen. 6. v. 12. *Omnis quippe caro* (ideſt omnis homo) *corruperat viam ſuam ſuper terram.* —— Secundo. Quia caro, quæ eſt pars viſibilis hominis, aptior eſt ad explicandum hoc Myſterium; quo Deus viſibilis factus eſt, Baruch 3. v. 38. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Et 1. *ad Timoth. 3. v. 16.* Incarnatio vocatur: *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.* Unde S. Leo, Serm. 2. de Nativit. *Inviſibilis* (inquit) *in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris.* —— Tertio. Quia ſic magis opponimur Manichæis, veram carnem aſſumptam fuiſſe a Verbo negantibus. —— Quarto. Quia ſic oſtenditur Dei bonitas, qua majeſtatem ſuam adeo humiliavit, ut ad carnem uſque depreſſerit —— Quinto. Quia tali nomine exprimitur in Scriptura, maxime Jo: 1. v. 14. *Et Verbum caro factum eſt.* Quare Concilium Nicenum primum pronunciavit: *Et incarnatus eſt.*

Explicatis ergo nominibus Myſterii; de quo acturi ſumus, ordo quæſtionum poſtulat, ut primo de ejus poſſibilitate tractemus. Secundo. De ejus exiſtentia. Tertio De neceſſitate. Quarto. De motivo. Quinto. De eſſentia, ac ultimo termino, qui ex Incarnatione reſultat. Quibus intermiſcebimus errores, qui circa hoc Myſterium variis temporibus emerſerunt, eoſque confutabimus.

QUÆSTIO I.

De Poſſibilitate Incarnationis.

INcarnationem eſſe poſſibilem Gentiles negant, & ex Judæis etiam non pauci, ut Chriſtianis, eam jam peractam aſſerentibus, toto Cælo ſe dividant. Utroſque ergo præſenti Quæſtione aggrediemur. Et primo adverſus Gentiles, ac Judæos, quæremus: An Chriſtiani ipſis demonſtrare queant, Incarnationem eſſe poſſibilem. Secundo: An, ſecluſa revelatione divina, aliqua mens creata, ſive humana, ſive Angelica poſſibilitatem Incarnationis, nempe, unionem divinæ Perſonæ cum humana natura concipere valeat.

DUBIUM I.

An Chriſtianus adverſus Gentiles, & Judæos poſſit demonſtrare Incarnationem eſſe Poſſibilem?

§. I.

Reſolutio Dubii.

1. UT omnis æquivocatio auferatur, ſuppono, Incarnationem eſſe poſſibilem, nullo argumento poſitivo a ratione, naturali ducto, poſſe demonſtrari: nullum enim eſt medium in natura poſitive ducens ad ejus poſſibilitatem. Non a priori; quia nihil pure naturale poteſt eſſe cauſa Incarnationis: nec a poſteriori; quia in rebus naturalibus nullus eſt effectus, ex quo dignoſci poſſit poſſibilitas Incarnationis; cum ſit ordinis omnino diverſi, ut infra videbimus, Dub. ſequenti. Solum ergo quærimus: An poſſit ſaltem argumento negativo demonſtrari, oſtendendo, non poſſe a Gentilibus demonſtrari, Incarnationem eſſe impoſſibilem.

II. Quare noto: triplici via poſſe nos procedere ad evincendum, demonſtrari non poſſe, Incarnationem eſſe impoſſibilem. Primo: ſolvendo omnes rationes in oppoſitum, & oſtendendo, illas eſſe ſophiſticas, aut ſaltem evidenter non concludere. Secundo: afferendo aliquas auctoritates Scripturæ, aut Definitiones Eccleſiæ, ſi Infidelis, contra quem agimus, eas admittat. Tertio: rationibus naturalibus, non quidem demonſtrativis, ſed ſuaſivis, oſtendendo, Incarnationem non eſſe contra rationem naturalem, ſed ſupra illam; ideoque ſi eam non percipiunt Gentiles, eorum ignorantiæ culpam eſſe. In caſu ergo dum contra Gentiles procedimus, qui nullas admittunt Scripturas, aut Eccleſiæ Sanctiones, non poſſumus agere contra illos ſecunda via; ſed ſolum prima, aut tertia

III. Dico ergo. Poteſt Chriſtianus oſtendere contra Gentiles, Incarnationem non eſſe impoſſibilem. Probo primo, tertia via, afferendo rationes ſuadentes, Incarnationem non eſſe contra rationem naturalem, ſed ſupra illam; ideoque non eſſe impoſſibilem. Primo. Ideo infidelis judicat, Incarnationem eſſe impoſſibilem, quia ipſi impoſſibile captu eſt, quomodo Deus poſſit incarnari: ſed hoc nihil valet; ergo &c. Min. prob. Si ruſticus, & indoctus judicaret, peritiſſimum artificem non poſſe facere aliquod opus maximum; quia ipſe ruſticus nequit percipere, quomodo illud maximum opus fieri poſſit: nonne derideretur? Ergo deridendi ſunt Gentiles, qui ſuo captui metientes potentiam Dei, apud quem poſſibilia ſunt, quæ apud homines ſunt impoſſibilia, teſte Chriſto Lucæ 18. v. 27. *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum;* ideo negant, Deum poſſe aliquid facere, quia ipſi nequeunt percipere, quomodo poſſit fieri.

IV. Secunda ratio ſumitur ex S. Aguſt. *Epiſt. 3.* modo 137. *ad Voluſianum cap. 3.* Sic. Deo non eſt negandum, quod potuit creaturæ concedi; ſed anima rationalis, quæ eſt forma ſubſiſtens, & ſpiritualis, ſibi unit corpus in unitate ſuppoſiti; ita ut ex ea, & corpore reſultet una perſona, qui modus unionis non poteſt a nobis perfecte intelligi; ergo potuit Deus unire ſibi naturam humanam (ſemotis imperfectionibus partis, mutationis, quæ in anima ſunt) in unitate perſonæ. *Sicut* (inquit Auguſt.) *in unitate perſonæ anima unitur corpori, ut homo ſit: ita in unitate perſonæ Deus unitur homini, ut Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt anima, & corporis, in hac perſona mixtura eſt Dei, & hominis: ſi tamen recedat auditor a conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam; quamquam & in ipſis corporibus aeri lux incorrupta miſceatur. Ergo perſona hominis mixtura eſt animæ, & corporis: perſona autem Chriſti mixtura eſt Dei, & hominis.*

V. Tertia ratio ſumitur exemplo inſertionis. Sicut enim ex duabus arboribus diverſæ ſpeciei, per inſertionem una arbor coaleſcit, unicum quaſi ſuppoſitum ſit, una radix, unus truncus diverſos ſpecie fructus proferens: quare non poſſunt in unum ſuppoſitum convenire natura humana cum divina, & diverſa ſpecie operationes producere? Ita S. Thom. in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. *Incarnatio* (inquit) *inſertioni comparatur. Sicut enim in inſcriptione in eodem trunco, in quo erat unus ramus per naturam, fit ramus alius per inſertionem, ita in eadem perſona, in qua naturaliter erat divina natura, eſt per unionem humana natura.*

VI. Quarto ſic. Incarnationem eſſe Impoſſibilem non poteſt evidenter demonſtrari nec ex parte divinæ perſonæ, nec ex parte humanæ naturæ, nec ex parte unionis utriuſque —— Non ex parte divinæ perſonæ: hæc

enim cum sit infinita, non apparet, cur ita sit alligata naturæ divinæ; quin possit aliam quamcumque extraneam terminare. Cumque eminenter contineat perfectionem cujuscumque personæ creatæ, non minus ac virtus divina perfectionem omnis virtutis creatæ, non apparet, cur non possit per seipsam præstare effectum, quem præstaret subsistentia creata: sicut virtus divina præstare potest per se ipsam omnem effectum præstabilem a virtute creata. — Non ex parte humanæ naturæ: nam hæc distinguitur a propria personalitate, & est prior illa: id autem, quod est distinctum ab aliquo, & est prius illo, non apparet, cur non possit privari illo, & existere sine illo. — Neque ex parte unionis naturæ creatæ cum divina: quia unio hæc non fit quasi quod natura divina transeat in humanam, vel e contra, sicut in mixtione corporum, sed per hoc, quod, salva integritate utriusque naturæ, colligitur invicem in unitatem personæ: sic, ut humana natura elevetur ad idem esse subsistentiale, quo subsistit natura divina, in quo nihil apparet repugnans: Si enim Deus est summum bonum, & summum bonum est maxime communicativum sui, cur non poterit suum esse personale communicare humanæ naturæ?

Restat, ut procedentes prima via solvamus omnes Gentilium rationes in contrarium; & ostendamus, eas esse sophisticas, vel saltem non convincere evidenter, Incarnationem esse impossibilem.

§. II.

Ethnicorum momenta soluta.

VII. Objiciunt primo. Impossibile est, Deum posse mutari: sed admissa Incarnatione, ut possibili, admitti debet, Deum posse mutari; ergo &c. Min. prob. Mutari est aliquid de novo acquirere, quod prius non habebatur: sic enim aqua dum e frigida fit calida, mutatur, quia acquirit calorem, quem non habebat: at si Deus posset incarnari, posset acquirere esse hominem, quod prius non habebat; ergo &c.

VIII. Si respondeatur, neg. min. & ad prob. distinguatur maj. Est acquirere &c. per receptionem, conc. maj. per communicationem sui, nego maj. Deus ergo in Incarnatione nihil acquirit a natura humana, quasi ab ea recipiendo, sed potius natura humana recipit a Deo, qui dum se humanitati communicat, largitur ei suum esse personale. Quare dum fit homo, & expandit suum esse personale supra naturam humanam; mutatio non est ex parte Dei, sed ex parte naturæ humanæ. Sic Deus de novo cœpit esse in mundo, quando mundum creavit; non quia Deus, sed quia mundus mutatus fuit. Sic radius sua luce aerem de novo perfundit, non quia mutetur radius; etenim radius non recepit lucem, sed communicat; sed quia mutatur aer, dum de tenebroso fit lucidus.

IX. Instant. Nova, ac realis denominatio non consurgit, nisi ex receptione alicujus formæ, quæ prius non habebatur, & proinde, nisi interveniat mutatio; in corpore enim non potest consurgere nova denominatio animati, nisi per receptionem animæ, quam prius non habebat: sed Deus, qui ante Incarnationem non erat realiter, & intrinsece homo, aut realiter unitus humanitati, per Incarnationem inciperet denominari realiter intrinsece homo unitus humanitati; ergo sicut humanitas dum incipit esse unita divinitati, vere mutatur, cur non idem dici deberet de Deo?

Rursus. Ponamus, quod Angelus incarnaretur: persona Angeli faceret id, quod facit persona divina; communicaret nempe humanitati esse, & eam ad esse personale angelicum traheret; sed in hac hypothesi inferretur mutatio, nedum in humanitate assumpta, sed etiam in Angelo assumente; ergo a pari &c.

X. Respondeo, dist. maj. Nova, ac realis denominatio absoluta, nisi &c. conc. maj. Denominatio relativa, subdistinguo. Nisi interveniat mutatio vel in subjecto, vel in termino denominationis, conc. maj. Semper in subjecto denominantis, neg. maj. Ita respondet S. Th. in 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. his verbis: *Contingit aliquando in relativis aliquid relative dici, non quia ipsum referatur, sed quia alterum refertur ad ipsum, ut dicitur in* 5. *Metaphysica, sicut scibile relative dicitur ad scientiam: & in talibus aliquid incipit de novo, quod prius non dicebatur, nulla mutatione facta circa ipsum, sed circa alterum. Nulla enim mutatione facta circa scibile, incipit esse a me scitum, per mei mutationem; & similiter dicitur res scibilis, non per potentiam passivam, quæ sit in ipsa, sed per potentiam quæ est in sciente: & sic est in proposito. Non enim potest esse, ut Creator ad creaturam referatur, nisi quia creatura ad ipsum refertur, in qua relatio realiter existit ..... & ideo Deus dicitur uniri, non per mutationem sui, sed ejus, cui unitur; & similiter cum dicitur unibilis, hoc dicitur, non per potentiam aliquam passivam in Deo existentem, sed per potentiam, quæ in creatura est, ut uniri possit.* Hæc D. Thom.

XI. Ad id, quod additur, nego absolute maj. Personalitas enim Angeli non est subsistens, & completa, sed incompleta, neque est ita in se perfecta, ut omnem perfectionem personalitatis humanæ in se contineat: unde si humanitati communicaretur, in ea deberet recipi, & ab ea dependere, novamque perfectionem recipere: sicque aliquid humanitati communicaret, & aliquid ab ea reciperet. Verum personalitas divina in se perfectissima subsistens est, & completa: id autem, *Quod est perfectum in se, non unitur alteri ad acquirendam, sed ad communicandam perfectionem. Et sic Deus homini uniri voluit, non propter se, qui non habet, quo crescat ejus perfectio; sed propter hominem, cui subveniendum erat. Sicut etiam Deus est in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam, suam bonitatem omnibus diffundendo: ex quo tamen nihil sibi accrescit.* Ita S. Thom. *in* 3. citato loco *ad* 2.

XII. Objiciunt secundo. Ad hoc, ut aliqua duo possint uniri, debet inter illa dari proportio; sed inter Deum, & hominem, qui infinite distant, nequit dari proportio, ergo &c.

Respondeo, dist. maj. Debet dari proportio ordinis, conc. maj. proportio mensurationis, nego maj. *Proportio* (inquit S. Thom. citatus ad 3.) *dicitur duplicicer. Uno modo, idem est proportio, ac certitudo mensurationis duarum quantitatum: & talis proportio non potest esse, nisi duorum finitorum, quorum unum excedit, secundum aliquod certum, & determinatum. Alio modo, dicitur proportio habitudo ordinis: sicut dicimus, esse proportionem inter materiam, & formam, quia se habet in ordine, ut perficiatur materia per formam. Et hoc secundum proportionabilitatem quamdam: quia sicut forma potest dari esse, ita materia potest recipere idem esse. Et hoc modo etiam movens, & motum debent esse proportionabilia, & agens, & patiens; ut scilicet, sicut agens potest imprimere aliquem effectum, ita patiens possit recipere eumdem. Nec oportet, ut commensuretur potentia passiva recipientis ad potentiam activam agentis, nec secundum numerum: sicut unus artifex per artem suam potest in ligno inducere plures formas ut formam arcæ, & formam serræ; sed lignum non potest recipere, nisi unam illarum. Nec etiam secundum intentionem, quia artifex per suam artem potest producere pulchram sculpturam, quam tamen lignum nodosum non potest recipere. Et ideo non est inconveniens, ut hic modus proportionis inter Deum, & creaturam salvetur, quamvis in infinitum distent: & ideo possibilis est unio utriusque.* Hactenus S. Doct. Sicut enim Deus potest creaturam assumere, ita creatura potest a Deo assumi; & in hoc proportio ordinis salvatur.

XIII. Dices. Major est distantia Dei a creatura, quam unius contrarii ab alio: quia contraria conveniunt in genere, Deus autem, & creatura plus quam genere differunt: sed duo contraria non possunt esse simul in eodem subjecto; ergo neque divina, & humana natura possunt esse in eadem persona.

Secundo. Sic distat corpus a summo spiritu, sicut malitia a summa bonitate: sed Deus, qui est summa bonitas, non potest assumere malitiam; ergo Deus, qui est summus spiritus, non potest assumere corpus.

XIV. Respondeo cum S. Thom. citato, *ad* 4. dist. min. In eodem, secundum idem, conc. min. Secundum diversa, neg. min. *Contraria nunquam possunt uniri hoc modo, quod instant eidem, secundum idem: & sic etiam nec creatura Creatori unitur; quia secundum Damascenum* (lib. 3. de Fide Orth. cap. 3.) *Quod erat increabile, mansit increabile, & quod erat creabile, mansit creabile.* Addi potest, quod, ut dictum est, inter Deum, & creaturam adest proportio ordinis; quatenus creatura potest recipere, & Deus illi potest communicare: inter contraria autem, ratione mutuæ repugnantiæ, ista proportio ordinis non datur.

Ad secundum dico cum eodem S. Thom. 3. *p. quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3, quod corpus, & quæcumque alia creatura, licet differat a Deo; a Dei tamen sapientia est facta, & ad divinam bonitatem ordinata: at malitia culpæ *Committitur per recessum ab arte divinæ sapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis. Et ideo Deo conveniens esse potuit, assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream, & pœnalitati subjectam; non autem fuit ei conveniens, assumere malum culpæ.*

XV. Objiciunt tertio. Impossibile est, ex divina natura, & humana fieri unum per se; quia impossibile est, Deum in se completum rationem partis induere; at si Deus posset incarnari, deberet posse ex divina, & humana natura fieri unum per se, ergo &c.

Respondeo, dist. maj. Unum per se unitate naturæ, conc. maj. Unitate personæ, nego maj. & similiter dist. min. nego cons. Ea ergo, quæ uniuntur ad faciendam unam naturam, sicut anima; & corpus ad faciendam unam naturam humanam, ex iis resultantem, habent omnes imperfectiones partis: secus vero cum duæ naturæ integræ, & completæ adunantur in una persona. Ex divinitate autem, & humanitate, ait D. Thom. Op. 2. c. 211. *Non constituitur una natura: sed ipsa natura, divina in se ipsa integra, & pura existens, sibi quodam modo incomprehensibili, & ineffabili humanam naturam ex corpore, & anima constitutam assumpsit* in unitatem personæ.

XVI. Sed dices. Non potest divina persona uniri humanitati ad faciendum unum per se, nisi inter personam, & humanitatem intercedat aliqua causalitas, saltem potentiæ, & actus; ita ut humanitas sit potentia reci-

recipiens, perſona vero ſit forma actuans, & communicans: ſed ea, quæ ſe invicem cauſant, ad faciendum unum per ſe, quid incompletum ſunt, & invicem dependent, quorum utrumque dedecet Deum; ergo &c. Maj. probat. exemplo perſonæ creatæ, inter quam, & naturam, quam perſonat, datur mutua cauſalitas.

Confirmatur. Id, quod in ſe eſt actus ſubſtantialiter perfectus, non poteſt alteri uniri ſubſtantialiter, ſed ſolum accidentaliter: cum ergo natura divina ſit in ſe ſubſtantialiter perfectiſſima, non poteſt uniri naturæ humanæ, niſi accidentaliter, ergo non per ſe.

XVII. Reſpondeo, neg. maj. Neque eſt ſimile de perſonalitate creata. Inter naturam enim, & perſonalitatem creatam datur mutua cauſalitas; quia utraque eſt incompleta, & perfectibilis. Natura, perſonalitate in eſſe ſubſtantiali ultimo completur: perſonalitas etiam completur a natura, in qua recipitur, & cui affigitur tamquam modus ſuo ſubjecto: Sed hoc accidit perſonæ creatæ, non quia perſona eſt, ſed quia creata eſt. Unde non ſequitur, quod hoc dici debeat de divina: quæ cum in nullo egeat humanitate, illi ſe communicat, nihil ab ea accipiendo; ſed eam ad ſuum eſſe perſonale divinum trahendo, & elevando, ut nuper dicebamus ex D. Thom. *Opuſc. 2. c. 211.* Ex quo fit, quod eſto natura humana adveniat Verbo divino; non advenit tamen illi tamquam ſubjecto, quod per eam perficiatur; ſed tamquam ſuppoſito, quod naturam ipſam perficiat, elevando eam ad eſſe ſuum.

XVIII. Ad Confirmationem, diſt. maj. Subſtantialiter conſtituendo unam naturam, conced. major. conſtituendo unum ſubſiſtens in duplici natura, nego major. Eſto enim ex duobus entibus, in eſſe ſubſtantiali completis, non poſſit conſtitui natura, quæ ſit una per ſe; poteſt tamen ex duabus naturis fieri unum ſubſiſtens per ſe: ſeu, quod una hypoſtaſis ſubſiſtat in duobus illis entibus completis; ſi unum illorum non ſit ita in acta, quin etiam ſit aliquo modo in potentia; ſicut humana natura eſt in potentia obedientiali, ut ſubſiſtat ſubſiſtentia divina naturæ. Hinc Sanct. Thom. 4. *contra Gent. cap. 49.* ait: *Non tamen ſequitur, quod humana natura accidentaliter Verbo adveniat ex hoc, quod Verbum ab æterno præexiſtit . . . Sic enim Verbum humanam naturam aſſumpſit, ut vere ſit homo: eſſe autem hominem, eſt eſſe in genere ſubſtantiæ. Quia igitur ex unione naturæ humanæ hypoſtaſis Verbi habet, quod ſit homo, non advenit ei accidentaliter: nam accidentia eſſe ſubſtantiale non conferunt.*

§. III.

An adverſus Judæos oſtendi poſſit non eſſe impoſſibilem Incarnationem?

XIX. PRæter ſuperius allata ad evincendum, demonſtrari non poſſe Incarnationem eſſe impoſſibilem; quæ æque militant contra Judæos, ac contra Gentiles: adeſt ratio peculiaris contra Judæos, quam ex eorum principiis deſumptam exhibet, ac urget Contenſonius noſter, *lib. 9. Diſſertat. præambula de vero Meſſia, cap. 1. ſpecul. 1.*

Rabbini igitur, teſte Dyantes (Epiſcopo Marciſcenſi, Ordinis noſtri) ut explicent loca Scripturæ, quibus dicitur Deus iraſci, pœnitere, deſcendere, ambulare; dicunt, hujuſmodi actiones non verificari de Deo in ſe; ſed de Deo conjuncto cum quibuſdam nobilibus creaturis, quas ipſe fecit, ut eſſent ejus miniſtræ, in iis præſertim actionibus, quas Deus per ſe exercere nequit. Has creaturas vocant *Zephiras*; iiſque virtus divina adeo intime unita eſt, ut anima conjuncta eſt membris & flamma adhæret prunæ, ut radix humorem dat arbori. Ex quo fit, ut quidquid faciunt *Zephiræ*, & de illis dicitur, faciat Deus, & de Deo dicatur, propter conjunctionem, qua Deus intime eſt in illis, ut miniſtris, & quaſi organis conjunctis divinitati, tali unione, ut ex Deo, & *Zephiris*, una, & ſimplex efficiatur. Ait enim Rabbi Chajat, *lib. Maharechet Huclaut*; quod *Quidquid dicitur de Zephiris, idem eſt, ac ſi proprie diceretur de Deo.* Et iterum: *Quia Zephiræ adhæret Enſof* (ideſt Deo) *ut flamma ad prunam alligatur: ideo earum operatio eſt operatio Creatoris proprie, & certo. Et lib. Gavodat, p. 1. cap. 12.* ait: *Quod ex Deo, & Zephiris componitur, eſt unum, & ſimplex.* His ex Rabbinorum ſchola ſtatutis.

XX. Diſcurro ſic. Ideo Judæis videtur impoſſibile, Deum incarnari; quia impoſſibile eis videtur, Deum naſci, mori, pati, cæteraſque infirmitates poſſe de Deo dici: ſed hoc non eſt impoſſibile de Deo humanitati conjuncto; ergo &c. Minor. probat. Non minus repugnat, Deum in ſe mutari, iraſci, pœnitere &c. quam naſci, mori, pati &c. ſed de Deo, ut unito Zephiris, ſine metaphora dici poteſt, quod mutatur, iraſcitur, pœnitet; quin hoc refundatur in divinitatem, ſed in Zephiras, ſeu in Deum, ut conjunctum, vel illapſum Zephiris; ergo pariter dici poterit de Deo unito humanitati, ut organo conjuncto, quod poteſt naſci, mori, pati; quin hoc refundatur in divinitatem, ſed in humanitatem, ſeu in Deum conjunctum humanitati.

XXI. Nec valet ſi dicatur, nullam eſſe repugnantiam, Deum conjungi Zephiris, quæ ſunt creaturæ puriſſimæ, ſpirituales, & perfectiſſimæ: non autem miſeræ, mortales, ac paſſibiles, ſicut eſt humanitas — Non inquam. Quia æque in infinitum diſtant Zephiræ a Deo, cum ſint finitæ, ac diſtet humanitas; ergo ſi poteſt Deus Zephiris uniri, cur non poterit uniri cuique naturæ creatæ, & etiam humanæ? Rurſus: non magis dedecet, Deum immortalem mori, quam Deum immutabilem pœnitere: ſed non dedecet, Deum conjungi Zephiris capacibus pœnitentiæ, & mutabilitatis; & ut unitum illis denominari vere pœnitentem, iratum &c. ergo non decet, Deum uniri humanitati &c.

XXII. Scio, Judæos capere nolle, quomodo Deus immenſitate ſua omnia replens coarctari poſſit intra uterum Virginis, ac Deum purum ſpiritum fieri corpus. — Sed peto ab eis: num Deus immenſus, dum Zephiris conjungitur limitatis, & finitis, coarctetur, & anguſtietur? Peto rurſus: num Deus, qui in Arca fœderis ſuam præſentiam collocaverit; intra illa duo arcæ ligna ſuam concluderet immenſitatem? Et tandem: num Deus Zephiris conjunctus, utique creaturis, fiat creatura?

Radix ergo omnis deceptionis Judæorum eſt: quia putant Chriſtianos opinari, Deum aſſumendo corpus, fuiſſe in corpus transformatum, in ſubſtantia mortuum, paſſum; & quidquid de Chriſto dicimus, ipſi divinæ naturæ cum humana permixtæ convenire: cum tamen palam, & ubique prædicent Chriſtiani, in hoc Myſterio ſalvam manere utriuſque naturæ veritatem, & Verbum non uniri converſione divinitatis in carnem, aut confuſione ſubſtantiæ; ſed aſſumptione humanitatis in unitatem perſonæ, quæ ſemper immutabilis, ſemper Deus perſeverat: ut inferius exponetur.

DUBIUM II.

An mens creata ſolis naturæ viribus poſſit cognoſcere, Incarnationem eſſe poſſibilem?

§. I.

Ponitur Reſolutio.

I. NOmine mentis creatæ intelligimus non ſolam humanam, ſed etiam angelicam, & de cognitione non tantum probabili, & conjecturali, ſed certa, & evidenti. In duplici autem ſenſu agitari poteſt quæſtio. Primo: An ſecluſa quacumque revelatione de tali Myſterio, mens creata ſolo lumine, & diſcurſu naturali ducta, poſſit ad evidentem notitiam poſſibilitatis Incarnationis pervenire. Secundo; An ſaltem ſuppoſita revelatione hoc poſſit. Qua in re omiſſis variis Auctorum placitis.

II. Dico primo. Secluſa revelatione hujus Myſterii, nulla mens creata poteſt cognoſcere, Incarnationem eſſe poſſibilem, cognitione non ſolum certa, & evidenti, ſed nec probabili, aut dubitativa. Probatur de cognitione certa, & demonſtrativa, & etiam probabili, ſic. Ut cognoſcatur, Incarnationem eſſe poſſibilem, debet cognoſci Trinitas Perſonarum, nempe, dari in Deo Verbum, ſeu Filium a Patre diſtinctum, ſed nulla mens creata poteſt ſolo rationis naturalis ductu cognoſcere, Trinitatem Perſonarum eſſe in Deo, ut habetur, Matth. 11. verſ. 27. *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

III. Hinc Apoſtolus vocat hoc Myſterium, Epheſ. 3. verſ. 9. *Sacramentum abſconditum a ſæculis in Deo.* Coloſſ. 1. verſ. 26. *Myſterium, quod abſconditum fuit a ſæculis, & generationibus: tunc autem manifeſtatum eſt Sanctis ejus.* 1. Corinth. 2. verſ. 7. *Dei ſapientiam in Myſterio, quæ abſcondita eſt.* Unde Iſaias, *cap. 53. verſ. 8.* dixerat: *Generationem ejus quis enarrabit?* Et *Apoc. 5. verſ. 3.* vocatur liber quem *Nemo poterat, neque in Cælo neque in terra, neque ſubtus terram aperire . . . . . neque reſpicere illum*, Id quovis ſæculo tenuit Eccleſia, quæ Incarnationem incomprehenſibilem, & inenarrabilem ſemper confeſſa eſt. Unde Leporius in libello exhibito Concilio Epheſino, & ab eodem approbato, dicit: quod *Verbum factum ſit caro, non ut converſione, aut mutabilitate aliqua cœperit eſſe, quod non erat: ſed, ut potentia divinæ diſpenſationis Verbum Patris, nunquam a Patre diſcedens, homo proprie fieri dignaretur: incarnatuſque ſit Unigenitus ſecreto illo Myſterio, quod ipſe novit.* Et *Concilium Toletanum XI.* ait: *Quia partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monſtratur: quod ſi ratione colligitur, non poteſt eſſe mirabile; ſi exemplo, non erit ſingulare.* Hoc ſenſerunt Patres: Athanaſius, *lib. de Incarnat.* Auguſtinus, *Epiſt. 3. modo 137. ad Voluſianum.* Chryſoſt. *Homil. 2. in Matth.* Cyrillus, *lib. 1. in Joann. cap. 15.* Leo, *Serm. 3. de Nativit. &c.*

IV. Ratio quoque præſto eſt. Nam quod eſt ſupra totum ordinem naturæ tam in eſſe entis, quam in eſſe veri, & cognoſcibilis, non poteſt ab ulla mente creata per vires ſolas naturæ evidenter, aut probabiliter cognoſci; ſed talis eſt poſſibilitas Incarnationis; ergo &c.

Major. patet. Quia lumen naturale ſolum ad ea, quæ intra ordinem naturæ ſunt extendi valet. Minor. vero prob.

prob. Id eſt ſupra totum ordinem naturæ, tam in eſſe entis, quam in eſſe veri, & cognoſcibilis, quod nedum in ſua entitate ſupernaturale eſt, ſed cum nulla cauſa, aut effectu naturali connexionem habet; hac enim de cauſa Myſterium Trinitatis etiam in ratione veri eſt ſupra totum ordinem naturæ: ſed talis eſt poſſibilitas Incarnationis; nam etſi poſſibilis non eſſet Incarnatio, res naturales, & ordo naturæ eſſent eodem modo, quo ſunt, unde Ethnici quamvis ſapientes eam reputarunt impoſſibilem; ergo &c.

Confirm. Poſſibilitas Incarnationis lumine naturali cognoſci nequit, nec immediate, & in ſe; quia in ſe eſt ſupernaturalis, neque mediate, & in alio; quia in naturalibus nil datur, quod cum Incarnatione connectatur tamquam medium; vel a priori, tamquam cauſa, vel a poſteriori, tamquam effectus; ergo &c.

V. Dices. Mens creata poteſt formare hunc diſcurſum: Deus eſt omnipotens; ergo poteſt facere nedum id, quod eſt intra ordinem naturæ, ſed etiam id, quod vires naturæ excedit, & non implicat contradictionem: ſed Incarnatio non implicat contradictionem, & ut ſupra oſtendimus, hoc poſſumus argumento negativo demonſtrare contra Gentiles; ergo ſcire poſſumus lumine naturæ, Deum poſſe incarnari.

Reſpondeo, Ex præfato diſcurſu colligi quidem, quod mens creata lumine naturæ cognoſcens Deum eſſe omnipotentem, cognoſcere poſſit etiam Deum facere poſſe in communi, & quaſi in confuſo aliquid ens ſupra naturam; non tamen poſſe facere hoc, vel illud in particulari: cum certo cognoſcere nequeat hoc, vel illud non implicare contradictionem. Et quamvis omnia contraria argumenta ſolvat, quæ ſibi ab Ethnico proponuntur, non inde ſequitur, quod judicare poſſit abſolute, non implicare contradictionem, ſed ſolum non implicare, quantum eſt ex vi illius medii. Cæterum timere ſemper poteſt, an ſit aliud principium ſibi ignotum, ex quo ejus impoſſibilitas deduci poſſit. Sed de hoc infra.

VI. Secunda vero pars: quod nec cognitione proprie dubitativa poſſit mens creata ſuis viribus concipere, Incarnationem eſſe poſſibilem, probat. Primo. Quia nemo poteſt dubitare de eo, de quo non habet ideam, aut ſpeciem; at de Incarnatione mens creata, ſeclusa revelatione, nec habet ideam, nec ſpeciem, ſicut nec de Trinitate; ergo &c. Secundo. Quid eſt proprie dubitare? Eſt habere æquales rationes pro utroque extremo contradictionis; adeo ut neutri extremo aſſentiatur determinate, ſed maneat mens quaſi pendula, & fluctuans; atqui de Incarnatione mens creata has rationes non habet, quia nullum adeſt medium naturale, vel probabiliter cum ea connexum, ut vidimus; immo rationes naturales videntur potius oſtendere, Incarnationem eſſe impoſſibilem; ergo &c.

VII. Dico ſecundo. Neque ſuppoſita revelatione poteſt ratione naturali demonſtrari poſſibilitas Incarnationis; ſed ſolum ſuaderi; & aliquibus exemplis, & congruentiis veroſimilis reddi. Prior pars videtur clara. Nam, adhuc ſuppoſita revelatione, ratio naturalis non poteſt procedere, niſi per naturales cauſas, vel ex naturalibus effectibus: ſed, ut ſupra vidimus, naturales cauſæ, vel effectus nullam connexionem habent cum Incarnatione; ergo &c.

Poſterior autem pars probatur. Nam ſuadere, & reddere veroſimilem Incarnationis poſſibilitatem, eſt aliquibus exemplis minuere difficultates, quæ circa ejus poſſibilitatem occurrunt; atqui mens creata, ſuppoſita revelatione Incarnationis, poteſt aliquibus exemplis minuere, & ſolvere difficultates, quæ circa eam occurrunt; ergo &c. Minor. probat. Difficultates ſunt Primo. Quomodo fieri poſſit, ut duæ naturæ uniantur in eadem perſona. Secundo. Quomodo natura divina, & humana in infinitum diſtantes perfectiſſime uniantur. Tertio. Quomodo quæ Dei ſunt, per idiomatum communicationem humanæ naturæ tribuantur, ac viciſſim, quæ humana ſunt, de Deo dicantur: ſed hæ omnes minuuntur, ergo &c. Minor. probat. Prima difficultas tollitur a Sancto Thoma, *in 3. diſt. 1. q. 1. a. 1. in arg.* Sed contra. Primo. Exemplo Sanctiſſimæ Trinitatis: Si enim in divinis non repugnat, quod tres perſonæ ſint in una natura; neque repugnabit, quod duæ naturæ ſint in una perſona. Item exemplo inſitionis (ibidem *in corp.*) Si enim in eodem trunco, in quo erat unus ramus per naturam, fit ramus alius per inſitionem, cur in eadem perſona, in qua naturaliter eſt divina natura, non poterit eſſe humana per unionem? —— Secunda difficultas minuitur exemplo hominis. Si enim in homine anima, quæ ſpiritualis eſt, & proinde maxime diſtans a corpore, unitur corpori, & facit cum eo unum, & eumdem hominem; cur natura humana, etſi infinite diſtans a divina, non poterit per infinitam virtutem Dei uniri in una perſona? —— Tertia difficultas minuitur exemplo eodem corporis, & animæ, ſic, Si corpus, & anima licet diverſi generis ſint, tamen propter unionem, quam habent in homine, patiuntur idiomatum communicationem; ſic ut de homine dicatur, quod ſit mortalis, quamvis iſte defectus tantum ſecundum corpus illi conveniat: cur Verbum, propter unionem cum humanitate, non patietur eamdem communicationem; ſic ut Verbum dicatur pati, & mori, quamvis hoc ei conveniat ſolum ſecundum humanitatem? Rurſus exemplo ferri candentis. Ita enim ignis pervadit partes ferri, ut totum ferrum ignitum ſit, & ignis totus in ferro, manentibus ferri, & ignis naturis, & proprietatibus abſque confuſione; ſic ut ignis communicet ferro ſuum ſplendorem, calorem &c. quæ perinde dicantur convenire igni, & ferro, & dici poſſit, quod ferrum urit, ſplendet, ardet; & e contra ignis gravitat, ſiccat, tendit deorſum; ita natura divina, & humana conjungi ſic poſſunt in uno ſuppoſito, ut per idiomatum communicationem, quæ de una dicuntur, dicantur de altera.

§. II.

Objectiones contra utrumque Aſſertum.

VIII. PRimo objicies contra primum. Qui evidenter poteſt ſolvere omnia argumenta impugnantia poſſibilitatem Incarnationis, poteſt evidenter cognoſcere, eam eſſe poſſibilem: ſed mens creata poteſt lumine naturæ ſolvere evidenter omnia argumenta impugnantia poſſibilitatem Incarnationis; ergo &c. Min. Prob. ex D. Thom. 1. p. q. 1. art. 8. *Cum enim fideles infallibili veritati nitantur: impoſſibile autem ſit, de vero demonſtrari contrarium; manifeſtum eſt, probationes, quæ contra fidem inducuntur, non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta.*

IX. Reſpondeo primo, vel negando abſolute maj. vel eam diſtinguendo. Qui evidenter evidentia poſitiva &c. poteſt &c. conc. maj. Qui evidenter evidentia tantum negativa &c. poteſt &c. nego maj. & ſimiliter, diſtin. min. Evidenter evidentia negativa; conc. min. Evidentia poſitiva, nego min. & conſeq. Aliud enim eſt poſſe evidenter ſolvere argumenta, quæ fieri poſſunt contra Incarnationis poſſibilitatem; aliud poſſe evidenter cognoſcere ejus poſſibilitatem. Primum dicit evidentiam ſolum negativam; quatenus ex omnibus argumentis, quæ contra illam fieri poſſunt, nullum videt, quod evidenter deſtruat ejus poſſibilitatem. Secundum vero dicit evidentiam poſitivam, ideſt, habere principium, ſeu medium evidenter inferens ejus poſſibilitatem. Cum ergo, ut ſupra oſtendimus, in natura nullum ſit medium connexum, & inferens poſſibilitatem Incarnationis; hinc eſt, quod non poſſit de ea vi naturali haberi evidentia poſitiva.

Neque dicas. Qui videt nullum principium naturale deſtruere poſſibilitatem Incarnationis, videt, eam eſſe poſſibilem. —— Non, inquam. Quia etſi nullum videat principium eam deſtruens: dubitare tamen poteſt, an ſit aliud principium, vel naturale, vel ſupernaturale ſibi occultum, & ſibi ignotum, ex quo impoſſibilitas ejus evidenter deduci poſſit.

X. Reſponderi poteſt ſecundo, omiſſa maj. diſt. min. Si ipſa Incarnatio prius venerit in mentem, conc. min. Si prius non venerit in mentem, nego min. Ut ergo argumenta, de quibus agitur, ſolvi poſſint, neceſſe eſt, ut Incarnationis idea prius in mentem venerit; at venire non poteſt, ſecluſa revelatione: ideoque, hac ſecluſa, non poteſt cognoſci, nec argumenta contra illam ſolvi poſſunt.

XI. Secundo objicies contra eamdem. De illo poteſt evidenter conſtare, quod ſit poſſibile, de quo evidenter conſtare poteſt, quod ſit credibile: ſed lumine naturæ evidenter conſtat, Myſterium Incarnationis eſſe credibile; quia, ut in *Tract. de Fide* docuimus, Myſteria noſtræ fidei ſunt evidenter credibilia; ergo &c. Maj. probatur primo. Qui evidenter cognoſcit, aliquid eſſe credibile fide divina, poteſt formare hunc diſcurſum: Hoc eſt evidenter credibile fide divina: ſed fides divina non poteſt docere falſum; ergo eſt evidenter verum; ergo poſſibile.

Secundo. Quod eſt evidenter impoſſibile, eſt evidenter incredibile; ergo quod eſt evidenter credibile, eſt evidenter poſſibile. Conſ. prob. Quia arguitur ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis.

XII. Reſpondeo, neg. maj. Nam evidentia credibilitatis ex aliis principiis ſumitur, quam evidentia poſſibilitatis, & veritatis. Hæc enim ſumitur ab eo, quod eſt in re: ex eo namque, quod in re eſt, ut aſſeritur, propoſitio dicitur vera. Evidentia autem credibilitatis, ſicut etiam probabilitatis, non ſumitur ab eo, quod in re eſt (multa enim falſa ſunt, quæ ſunt credibiliora, & probabiliora veris) ſed ex aliis cauſis rei extrinſecis, puta teſtimoniis, ſignis, miraculis, vel rationibus apparentibus; quibus evidenter oſtenditur, non quod res ita ſit, ſed quod ſit credibile ita eſſe, ſeu quod prudenter credenda ſit.

XIII. Ad primam probationem maj. dico, in illo diſcurſu variari appellationem. Nam quando dicitur, hoc eſt evidenter credibile fide divina, ſeu eſſe a Deo revelatum, non ſit ſenſus: evidens eſt, hoc eſſe revera a Deo revelatum; ſed ſit hic ſenſus, evidenter credibile eſt, hoc poſſe ad fidem divinam pertinere; quia argumenta, quæ afferuntur ad probandam credibilitatem hujus Myſterii, evidenter oſtendunt, quod homo poſſit prudenter moveri ad illud ut tale credendum. Ex quo

non

non potest inferri; ergo est evidenter possibile: sed solum, est evidenter credibile, hoc esse possibile, seu posse esse verum, quantum est ex vi talium motivorum. Ad evidenter enim ostendendam rei possibilitatem non sufficiunt motiva extrinseca, sed requiruntur media intrinseca, quibus natura respectu Incarnationis caret.

XIV. Ad secundam probat. major. nego conseq. Deberet enim inferri, sic: ergo quod est evidenter credibile, non est evidenter impossibile, quod quidem verum est. Ad probationem consequentiæ, nego, ibi argui ab oppositio consequentis ad oppositum antecedentis, cum tam consequens, quam antecedens sint affirmativa; propositione autem oppositæ non possunt esse ambæ affirmativæ. Ut ergo esset argumentum ab oppositio consequentis ad oppositum antecedentis, sic formari deberet: quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile; ergo quod non est evidenter incredibile, non est evidenter impossibile. Quod non est contra nos, qui dicimus de Incarnatione demonstrari non posse, neque esse possibilem, neque esse impossibilem, quia non habemus argumenta absolute concludentia, nec ejus possibilitatem, nec impossibilitatem.

XV. Tertio objicies. Saltem Angelus sua naturali perspicacia potest cognoscere Incarnationem esse possibilem. Tum ex parte subsistentiæ divinæ. Quia videt, hanc esse infinitam in terminando, sicut divina virtus est infinita in causando; ergo sicut ob hoc arguit, virtutem divinam posse omnem effectum causabilem causare: ita ex illo arguit, subsistentiam divinam posse terminare omnem naturam terminabilem —— Tum ex parte naturæ humanæ. Nam Angelus naturali virtute comprehendit naturam humanam; ergo videt omnem ejus capacitatem; ideoque etiam esse capacem subsistentiæ divinæ. Rursus: videt eam realiter distingui a priori personalitate, & esse priorem illa; ergo videt, posse separari a propria subsistentia, & existere sine illa.

XVI. Respondeo, neg. ant. pro utraque parte. Secluśa enim revelatione Angelus nec suspicari potest, subsistentiam divinam posse ad aliam naturam se extendere. Tum quia: secluśa revelatione, subsistentiam divinam relativam non cognoscit, alias cognosceret Trinitatem —— Tum quia: etiam hoc dato, Angelus suspicari potest, quod infinitas illa subsistentiæ divinæ sit absorpta a divina natura, eique adæquata, sicut plures sentiunt de existentia, & intellectione divina. —— Tum quia: suspicari potest, in hoc, quod est naturam creatam terminare, involvi imperfectionem Deo indecoram. —— Tum denique, quia terminare alienam naturam est opus supernaturale, cum nullo effectu naturali connexum; non sic virtus divina, quæ plurium effectuum naturalium causa est: ideoque ex istis, & quoad istos cognosci potest, non vero quoad effectus supernaturales, quos potest producere.

Neque id potest suspicari ex parte naturæ humanæ. Ex quo enim Angelus illam comprehendit: sequitur quidem, quod in illa cognoscat omnes modos, & capacitates naturales ad terminos naturales; non vero, quod cognoscat in illa omnes modos, quorum capax est per potentiam obedientialem; seu quod cognoscat quidquid in illa potest facere Deus sua absoluta, & infinita potentia: alias comprehenderet etiam divinam omnipotentiam. —— Ad id, quod additur, fateor, Angelum cognoscere naturam humanam realiter distingui, & esse priorem propria personalitate; non tamen proinde, secluśa revelatione, potest inferri, eam spoliari posse propria substantia, & alia supervestiri, maxime divina: nullum enim in naturalibus de hoc adest exemplum. Potest quidem indifferens esse ad varios extrinsecos existendi modos; & variis figuris potest terminari; at non est indifferens, sed determinata ad propriam subsistentiam. Dato autem etiam Angelum posse cognoscere, naturam humanam propria subsistentia spoliari posse, & vestiri alia subsistentia extranea creata: nego tamen cognoscere eam supervestiri posse subsistentia personæ divinæ: hujus enim ideam Angelus, secluśa revelatione, habere non potest.

XVII. Replicabis. Supernaturalitas non officit, quin Incarnatio possit ab Angelo concipi, ut possibilis. Nam etiam resurrectio mortui, & illuminatio cæci sunt supernaturales, & tamen has possibiles esse potest Angelus sua vi nativa cognoscere.

Deinde, non minus est supernaturale, accidens existere in se, quam naturam substantialem subsistere non in se, sed in alio: sed potest naturaliter Angelus cognoscere, accidens posse existere in se; ergo &c.

XVIII. Respondeo, nego anteced. Ad exempla de resurrectione mortui, & illuminatione cæci, dato, quod earum possibilitas posset ratione naturali cognosci, quod dubium est, do disparitatem. Nam mortuum resurgere, & cæcum illuminari, sunt effectus supernaturales solum extrinsece, & quoad modum; extrema enim naturalia sunt, nempe anima, & corpus, quæ in resurrectione reuniuntur; & visus, qui restituitur, quid naturale est, & solum modus restitutionis est supra naturæ vires. At Incarnatio est opus supra naturam, nedum quoad modum, verum quoad subsistentiam: subsistentia enim divina, & vis terminativa illius inter supernaturalia maximum est opus.

Ad exemplum de accidente negari potest, absque revelatione Mysterii Eucharistiæ, posse naturaliter Angelum suspicari, illud posse existere in se, absque subjecto. Sed hoc dato, disparitas est: quod accidens sine subjecto stare, est opus supernaturale solum quoad modum, non entitative, uti est Incarnatio.

QUÆSTIO II.

De Existentia Incarnationis.

INcarnationem fuisse peractam in Jesu Nazareno, qui fuit verus Deus, & homo, ac Messias in lege promissus, omnes Christiani Catholici confitentur. Negant Gentiles, & maxime Judæi, qui Messiam nondum venisse pertinaciter tenent. Hic ergo quærimus primo: An possit Incarnationis existentia demonstrari adversus Gentiles? Secundo: An adversus Judæos? Tertio: An debito tempore sit peracta? Quarto. An eam Angeli ante Christi mortem cognoverint?

DUBIUM I.

An existentia Incarnationis probari possit adversus Gentiles?

§. I.

Argumentum Primum ex Miraculis.

I. EXistentia Incarnationis adversus Gentiles non potest efficaciter probari ex Scripturis, quarum illi auctoritatem non admittunt. Nec etiam potest adversus illos probari ratione naturali, quia hæc non potest, solitarie sumpta, ea quæ supra naturam sunt, demonstrare. Solum ergo eis ostendi potest, quod Incarnationem esse factam sit res credibilis; & quod secundum rectam rationem oporteat ita credere, propter ea, quæ in confirmationem ejus contigerunt. Hoc modo nostræ fidei Mysteria esse evidenter credibilia, generatim ostendimus, *Tom. I. in 2. 2. Q. de Natura Fidei. D. 8.* & specialiter de Incarnationis existentia, *Tom. de Vera Religione*, nondum publici juris facto. Modo autem aliqua ex pluribus, quæ afferri solent, motiva subjiciam, & præcipue concludentia, Jesum Nazarenum fuisse verum Deum incarnatum.

II. Validum ergo testimonium credibilitatis peractæ in Christo Jesu Incarnationis perhibent miracula, quæ in ejus confirmationem Jesus ipse patravit, & proponitur sub hac forma. Jesus Nazarenus de seipso dicebat, se esse Filium Dei naturalem, ac verum Deum, & in hujus confirmationem vera edidit miracula; ergo certum est, ipsum esse Filium naturalem Dei, verumque Deum. Antec. probatur. Maximum miraculum fuit suscitatio Lazari quatriduo in sepulchro jacentis, & jam fœtentis: hoc autem feciśe Christum in confirmationem divinitatis, quam de se prædicabat, constat ex ejus verbis, Joann. 11. vers. 4. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Quasi diceret: hoc opere mea divinitas maxime est confirmanda, & ex hac infirmitate procedet argumentum ejus efficaciśimum. Unde de Augustin. tractat. 49. in Joann. *Sane* (inquit) *videte quemadmodum tamquam ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam, qui negant, Filium Deum esse. Nam sunt hæretici, qui hoc negant, quod Filius Dei sit Deus. Ecce audiant:* Infirmitas hæc (*inquit*) non est ad mortem, sed pro gloria Dei. *Qua gloria? Cujus Dei? Audi quod sequitur:* Ut glorificetur Filius Dei . . . *Per quam? Per illam infirmitatem.* Unde infra, *vers.* 42. immediate priusquam Lazarum e sepulchro vocaret, protestatus est Patri, se non ob alium finem tantum opus aggredi, nisi: *Ut credant, quia tu me misisti.*

III. Maximum item miraculum fuit illuminatio cæci nati, quæ narratur *cap. 9.* unde cæcus ipse, qui vidit, exclamaverit, v. 32. *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Hoc autem miraculum editum fuisse a Christo, ad manifestandum se esse Filium Dei, ac verum Deum, ostendunt ejusdem Christi verba, v. 3. dicentis, hominem illum natum esse cæcum: *Ut manifestentur opera Dei in illo.* Ac si diceret: ut me esse Filium Dei in eo sanando ostendam. Quare *v. 36.* incidens in illum jam sanatum: *Tu credis* (inquit) *in Filium Dei?* Et respondente ipso: *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Dixit ei Jesus: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.*

IV. Rursus: Post patratum istud miraculum, cum Judæi, *Joann. 10. vers. 24.* Dominum ita interrogassent: *Si tu es Christus, dic nobis palam;* eis respondit vers. 25. *Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Igitur Christus illud miraculum fecerat, ut probaret se esse Filium naturalem Dei, ac verum Deum. Quod magis confirmant ea, quæ addidit, vers. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Cumque Judæi sustuliśent lapides, ut eum tamquam blasphemum lapidarent, subjunxit, vers. 36. &c. *Vos dici-*

dicitis quia blaſphemas: Quia dixit Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite: ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. Quibus quid aptius?

V. Hoc idem evincunt etiam alia miracula facta per Apoſtolos, & Chriſti divinitatis aſſertores, in hujus veritatis confirmationem; quæ vel ab ipſis Ethnicis relata reperiuntur, quæque ſub eorum oculis contigerunt, & in dies adhuc contingunt. Idem teſtatur Terræmotus, Eclypſis, quæ præter naturam acciderunt in Paſſione, & Morte Chriſti, de quo Evangeliſtæ, Matth. cap. 27. v. 51. & Lucæ 23. v. 44. *Et tenebræ facta ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.* Quod etiam refert Phlegon Gentilis apud Euſebium in chronico. Quibus convicti, qui hæc viderunt: *Timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iſte* (Matth. 27. v. 54.) Quæ omnia conſiderans S. Athanaſius *l. de Incarnat.* ait: *Verum quemadmodum ex his corpus eum habere conſtabat* (quia nempe erat comedens, naſcens, patiens) *Sic ex operibus, quæ corpore agebat, ſe Filium Dei eſſe manifeſte oſtendebat. Unde & ad Judæos, qui credere renuebant, ita ipſe clamabat.* Si non facio opera Patris mei &c. Ita Athan., ibi fuſe oſtendens ex miraculis Chriſti probari ejus divinitatem.

VI. Probanda ſupereſt conſequentia, nempe, miracula facta in confirmationem Incarnationis eſſe teſtimonium irrefragabile credibilitatis ejus. Quod præſto ſic. Vera edere miracula ſolus Deus poteſt. Unde S. Thomas 1. *part. quæſt.* 114. *art.* 4. docet, Deum ſolum miracula facere poſſe; quia, ut ait quæſt. 114. *art.* 5. *Miraculum proprie dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, ſub quo ordine continetur omnis virtus creata:* Deus autem vera miracula facere nequit in confirmationem doctrinæ falſæ, ut oſtendimus, *Tom.* 1. *in* 2. 2. *Tractat. de Fide Q.* 1. *Dub.* 6. §. 6. etiam ex S. Auguſt. Immo non ſolum Deus nequit facere miracula ad confirmandam doctrinam falſam; verum neque communicare homini poteſtatem ea faciendi, eique permittere, ut abutatur ad confirmandam doctrinam falſam. Hoc enim perinde eſſet, ac permittere, ut ſeductor conſignaret mendacia ſigillo illo, quo Deus veritatem conſignat; & ut teſtimonia Dei (qualia dicuntur in Scripturis miracula) quæ ſunt teſtimonia primæ veritatis, fierent teſtimonia falſitatis & mendacii. De hoc videantur dicta citato *Dub.* 6. §. 6. Ubi §. 3. oſtendimus, Deum nec in natura aſſumpta poſſe falſum dicere; ergo miracula a Chriſto patrata in confirmationem ſuæ divinitatis, eam credibilem eſſe evidenter oſtendunt, ut nihil ſolidum reſponderi in contrarium poſſit.

VII. Frivolum enim primo eſſet dicere, miracula Chriſti fuiſſe præſtigias, & ſenſuum ludificationes, non vera miracula. —— Nam quod Lazarus vere mortuus, quatriduo tumulatus, & jam fœtens, vivus e ſepulcro prodierit, aſtante populi multitudine, & poſtea multo tempore vixerit; item quod a nativitate cæcus, ut talis a parentibus agnitus, poſtea viderit, & hoc ipſe confeſſus fuerit, neutrum certe potuit eſſe illuſio ſenſuum. Eo vel maxime, quod ſenſuum illuſiones ſtatim evaneſcunt; & ille, quem alii illuſorie exiſtimant vivere, ac videre, id in ſe non experitur, ſicut Lazarus, & cæcus experiebantur. —— Ad hæc: Scribæ & Phariſæi, qui Chriſto adeo erant infenſi, ut dicerent, eum virtute Dæmonis miracula facere: poſt diligentiſſimum examen, maxime in ſanatione cæci nati facta, nunquam auſi fuerunt effutire, præſtigia fuiſſe Chriſti miracula; cum deprehenderint, Lazarum vere vivere, manducare &c. & qui fuerat cæcus, vere videre.

VIII. Secundo, Frivolum, vel potius impium eſſet dicere; Chriſtum virtute Diaboli miracula patraſſe. —— Nam inter mirabilia, quæ faciebat Chriſtus, erat ejectio Dæmonum: hoc autem virtute Dæmonis fieri non poterat, Chriſto ipſo redarguente eos, qui hoc credebant, Lucæ 11. verſ. 16. *Si autem & Satan contra ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit Regnum ejus?* —— Deinde multa fecit Chriſtus, quæ omnem virtutem creatam excedunt, ut reſuſcitatio mortuorum, illuminatio cæci nati. Et licet aliqua fecerit, quæ quis ſuſpicari potuiſſet, Dæmonem poſſe facere, eo tamen modo fecit, quo virtute Dæmonis fieri non poterant. Fecit enim multa ſolo verbo, ſine alicujus naturalis virtutis applicatione: fecit in inſtanti, & ſine ulla mora, quod Dæmon facere nequit. Ea inſuper faciebat orando, imperando, ſecreta cordis pandendo: faciebat omnia ad manifeſtationem gloriæ Dei, ejuſque cognitionem, ad vitiorum exilium, & legis divinæ obſervantiam, & regni Diaboli everſionem: quæ profecto virtute Diaboli non feciſſet.

IX. Tertio. Stultum eſſet aſſerere, miracula fuiſſe Chriſto attributa, & ab ejus diſcipulis conficta, non ab ipſo vere patrata —— Hoc enim incredibile eſt: alias eadem ratione, omnia, quæ in iſtoria legimus, poſſemus dicere eſſe conficta. Præterea: miracula Chriſti, ab Evangeliſtis, narrata, fuerunt facta non in angulo domus, ſed in mediis Jeroſolymis, adſtante populi multitudine: ut in illuminatione cæci nati, qui oculis luto linitis, juſſus eſt per mediam civitatem ire ad oculos abluendos in natatoria Siloe: in ſuſcitatione Lazari, quam coram multis Judæis operatus fuit: in curatione repentina paralytici, quem in probatica coram languentium multitudine ſanavit (*Joan.* 5.) & alia &c. Quæ cum in publico facta narrentur, facile convinci poterant de falſitate Evangeliſtæ, ſi falſa narraſſent, & ab omnibus irrideri, tamquam fabularum inventores; ut nemini fidem, & Chriſtum perſuadere poſſent. Verum oppoſitum contigit. Nam Petrus hæc miracula prædicans, *Actor.* 2. *verſ.* 22. in eadem concione *verſ.* 41. tria circiter millia Judæorum legitur convertiſſe. Et in altera concione quinque millia, ut habetur, *Actor.* 4. *verſ.* 4. Ergo argumentum evidens eſt, Petrum narraſſe miracula vera, dum ea narrando, tamquam apud audientes nota, tantam multitudinem convertit —— Accedit: quod ſi falſa fuiſſent, Scribæ & Phariſæi ſummo odio contra Chriſti Diſcipulos æſtuantes, palam detexiſſent, quod nemo illorum facere auſus fuit.

§. II.

Alia pro Credibilitate Incarnationis.

X. Secundum argumentum ſumitur ex pœna Judæorum, ſic: Jeſus Nazarenus dicebat de ſeipſo, ſe eſſe Filium Dei naturalem; & propter hoc necem Judæi ipſi machinati ſunt: at ſi ille non eſſet Filius Dei naturalis, ſed purus homo, Judæi ipſum crucifigendo injuriam Deo non irrogaſſent; immo obſequium ipſi exhibuiſſent tantam puniendo blaſphemiam, nec pœna digni fuiſſent, ſed præmio. Cum ergo gens Judæa ob Chriſti Crucifixionem, maxima, & non amplius audita pœna divino judicio mulctata ſit, & adhuc mulctetur; ſignum eſt, quod non blaſphemia, ut ipſa dicebat, ſed ſumma veritas erat, id, quod Chriſtus dicebat, ſe nempe eſſe Filium Dei naturalem, Major. pat. Nam. Joann. 5. verſ. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non ſolum ſolvebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Et Joann. 10. verſ. 33. *Reſponderunt ei Judæi: de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Demum, Joann. 19. verſ. 7. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Quapropter noluit Deus Judæorum gentem prorſus deleri, ac ritus aboleri; ſed eos in miſera omnium Gentium ſervitute ſervari voluit; ut eorum pœna continuum teſtimonium fidei noſtræ Gentilibus præberent. Ita S. Auguſt. lib. de Fide eorum, quæ non videntur, cap. 6. *Ideo factum eſt, ne ſic deterrentur: ut eadem ſecta omnino nulla eſſet, ſed diſperſa eſt ſuper terras, at portans in nos collata gratia prophetas ad convincendos firmius infideles, nobis ubique prodeſſent.*

XI. Tertium argumentum ex mirabili mundi converſione profertur. Prædicatione enim piſcatorum converſus eſt mundus ad credendum, hominem crucifixum eſſe Deum, aliaque difficilia Myſteria; ad amplectendam legem carni, & ſanguini repugnantem, ad deferendam legem, & Religionem majorum, quod certe non minus mirum, & ſupra humanas vires eſt, quam ſi per duodecim pueros totus mundus ſubjugaretur; vel per duodecim agnos luporum exercitus vinceretur. Non eſt autem credibile, quod vilium hominum ſuaſu totus mundus (in eoque non ſolum ſimplices, & idiotæ, ſed & ſapientes, ac potentes) captus fuerit ad credendam Chriſti divinitatem; ſi vere in Chriſto non eſſet divinitas, hoc enim non fuit opus hominum illorum, ſed opus Dei. Hoc argumentum, ait Chryſoſtom. in Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus*, adeo validum eſt, ut convincere poſſit Gentilem quamvis idiotam. Unde conficitur dilemma. Vel Apoſtoli prædicantes, hominem a Judæis crucifixum eſſe Filium Dei, ac vere Deum; hoc perſuaſerunt mundo mediis miraculis, vel ſine miraculis; Si primum: evincitur, illam prædicationem eſſe veram; quia ut dictum eſt, Deus nequit facere, aut permittere, ut fiant miracula a creatura in confirmationem doctrinæ falſæ. Si ſecundum: hoc certius evincitur; quia ſolus Deus potuit dare efficaciam nudis piſcatoribus ad perſuadendam veritatem doctrinæ, quæ humanæ rationi divina luce deſtitutæ videbatur omnino incredibilis. Quod de aliis ſectis, puta, Idololatria, & Mahumetaniſmo non verificatur: hæ enim in primis, non prædicatione hominum vilium, ſed potentum armis fuerunt propagatæ: nec difficilia, & a ſenſibus remota proponunt; ſed plana, & ſenſibus conſentanea indulgent, ad quæ natura corrupta proprio pondere fertur.

XII. Quartum argumentum exhibet permanentia Eccleſiæ, ſic. Promiſit Chriſtus, Matth. 16. verſ. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Promiſit, & adimplevit. Eccleſia enim Chriſti contra omnes Inferorum conatus omni ſemper tempore prævaluit, & adhuc prævalet: atqui hoc nec promittere, nec implere poterat, niſi ſolus Deus omnipotens; cujus ſola potentia poteſt inferorum vires retundere, atque compeſcere; ergo &c. Hoc argumento utitur S. Joann. Chryſoſtom. Orat. citata: *Quod Chriſtus ſit Deus.*

XIII. Quintum ſumitur ex teſtimonio Martyrum, & mirabili converſione multorum Infidelium ad confitendam

dam Chriſti divinitatem: pro qua videbant, eos tam dura tormenta pati. Non enim potuit, niſi Deus omnipotens ita ſubito infidelium corda mutare; ut fidem Chriſti ejuſdem divinitatem confiteri inciperent, pro qua videbant, homines pœnis, & cruciatibus atrociſſimis torqueri. Cum ergo, ut acta Martyrum paſſim teſtantur, multi Infideles videntes Martyrum tormenta, repente converſi Chriſtum verum eſſe Deum confeſſi ſint, & pro eo atrox martyrium ſubjerint; clarius eſt &c.

Ex omnibus igitur ſupra expenſis, & aliis motivis infertur Myſterium Incarnationis, ſeu divinitatis Chriſti eſſe evidenter credibile, evidentia ſaltem morali. Hoc eſt, evidens eſſe Myſterium Incarnationis eſſe dignum, ut credatur, & prudenter credere, qui illud credit, & confitetur: evidens enim eſt, dignum eſſe, ut credatur, & prudenter credatur Myſterium illud, in cujus confirmationem militant tot miracula, aliaque motiva a nobis ſuperius allata. Ea enim adeo conſpicua ſunt, ut ſtupidus ſit, qui illis non convincatur; eiſque penetratis non experiatur in ſe evidens dictamen conſcientiæ, quo judicet ſe obligatum eſſe ad illud credendum, & confitendum.

Dubium II.

An Exiſtentia Incarnationis poſſit contra Judæos demonſtrari.

§. I.

Exponitur Vaticinium Jacob.

I. UT probemus adverſus Judæos Incarnationem eſſe peractam; probare debemus, Meſſiam in lege promiſſum, jam veniſſe, & hunc fuiſſe Jeſum Nazarenum. Porro Meſſiam eſſe hominem Deum, ſeu Deum Incarnatum, ex ſequentibus apparebit.

Ut autem oſtendamus, Jeſum Nazarenum, qui ſub Pontio Pilato, in Judæa pro Romanis Præſide, Crucifixus fuit, eſſe Meſſiam in lege promiſſum; demonſtrare debemus, in ipſo impleta fuiſſe vaticinia, quæ de Meſſia in Veteri Teſtamento leguntur.

II. Primum ergo Vaticinium, idque celebre, de Meſſia habetur *Geneſ.* 49. Ibi enim Jacob filiis ſuis benedicens, cum veniſſet ad Judam, inter alias, dixit verſ. 1. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec eveniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium.* Quorum verborum ſenſus litteralis eſt. *Non auferetur ſceptrum*, ideſt, Principatus, cujus inſigne ſceptrum eſt. *De Juda*, hoc eſt, aut de Tribu Juda, ut nonnulli exponunt; aut de tota Gente Judaica, ut aliis placet. *Et Dux*, ideſt, Princeps, qui leges ferendo imperat. *De fœmore ejus*, qui ſcilicet, natus ſit, aut de poſteris Judæ, aut de tota Gente Judaica. *Donec veniat, qui mittendus eſt*, ideſt, donec veniat Meſſias. Unde textus Hebraicus dicit: *Donec veniat Silo*, quod idem eſt, ac *miſſus*, ſeu *mittendus*, quod nomen Meſſiæ congruit. Hinc Paraphraſtes Chaldæus, magnæ apud Hebræos auctoritatis, reddit: *Donec veniat Rex Meſſias.* Tandem: *Et ipſe erit expectatio Gentium*, nempe ipſe erit deſideratus a Gentilibus, tamquam neceſſarius, ut credant, ſeu ut ad fidem perveniant.

III. Ex hoc Vaticinio formo hunc diſcurſum. Jacob vaticinatus eſt, ſceptrum, & Principatum non eſſe auferendum a Juda, ſeu a Gente Judaica, donec veniat Meſſias, ſeu niſi cum venerit Meſſias; ergo ablatio principatus a Juda erit ſignum, Meſſiam veniſſe: ſed Principatus tunc ſolum a Juda prorſus ablatus fuit, cum venit Jeſus Nazarenus; ergo iſte eſt Meſſias a Jacob prænuntiatus.

IV. Negant Judæi antecedens hujus diſcurſus. Primo enim contendunt aliqui, vocem hebræam, *Schevet*, quam latinus Interpres vertit *Sceptrum* ſeu *Virgam*, hoc loco non indicare virgam dominationis, ſed virgam tribulationis, & tyrannicæ oppreſſionis; ita ut ſenſus ſit: *Non auferetur a Juda vexatio, & oppreſſio, donec veniat Meſſias.*

Sed contra. Non enim vocem illam *Sceptrum* ſignificare virgam afflictionis evincitur, primo. Quia Septuaginta Interpretes de virga Principatus illam vertunt; dicunt enim: *Non deficiet Princeps ex Juda.* Et Targum Onkeloſi: *Non auferetur habens Principatum a Domo Juda.* (Deinde: ibi dicitur: *Non auferetur Sceptrum, & Dux*, ergo de virga Principatus, non tribulationis loquitur. Præterea; omnia, quæ in dicto oraculo prænuntiantur tribui Judæ, proſpera ſunt, ac fauſta, ut legenti conſtabit. —— Demum; falſum eſt, oppreſſionem non receſſiſſe a Juda uſque ad Meſſiæ adventum. Nam conſtat ex libris Regum, Tribum Juda a Davide uſque ad Sedeciam, ideſt, per annos fere quingentos ſumma rerum apud Judæos potitam fuiſſe.

V. Dicunt ergo ſecundo Hebræorum alii: prædicto Vaticinio, non fieri ſenſum, quod adveniente Meſſia ſit auferendum ſceptrum a Juda, ſed oppoſitum: ideſt poſt adventum Meſſiæ, ſceptrum, quod Meſſias Tribui Judæ reſtituet, nunquam ab ea auferendum.

Non enim ſemper ly *Donec* importat ceſſationem rei; ſed aliquando in Scriptura etiam ſumitur pro rei continuatione, aliquo poſito. Sic, 8. *Geneſ. verſ.* 7. de corvo dicitur: *Non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Ubi non ſit ſenſus, quod ſiccatis aquis corvus reverſus ſit in arcam; ſed quod ſiccatis aquis nunquam reverſus ſit. Item de Joſeph, & Maria ſcribit Matthæus. cap. 1. verſ. 25. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum.* Quibus non fit ſenſus, quod Joſephus poſt Mariæ partum eam cognoverit, ut impius Helvidius aſſeruit; ſed quod eam nunquam cognoverit, ne quidem poſt partum; ergo ſimiliter poterit exponi Jacobæum Vaticinium.

VI. Futilis tamen eſt hæc expoſitio. Ly enim *Donec* uſitato Scripturæ more, ſignificat ceſſationem, non continuationem. Dum enim. *Gen. 3. v. 19.* Adamo dicitur: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es:* non redditur ſenſus, quod homo debeat veſci pane in ſudore, etiam poſtquam reverſus ſit in terram; ſed quod labor ſibi procurandi panem in ſudore, durabit uſque ad mortem, & ſolum in morte ceſſabit. Item, *Levit.* 12. *v.* 4. de muliere, quæ ſuſcepto ſemine peperit maſculum, dicitur: *Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ.* Ubi non eſt ſenſus, quod poſtquam impleti fuerint dies purificationis, mulier non poſſit tangere omne ſanctum &c. ſed quod non tanget, quouſque impleti non fuerint dies, quibus impletis, tangere poterit. Idem dicitur, *Levit.* 22. *v.* 4. de homine, qui fuerit leproſus, aut paſſus ſit fluxum ſeminis; quod *Non veſcetur de his, quæ ſanctificata ſunt, donec ſanetur.*

Scio aliquando (ſed raro) ly *Donec* in Scriptura accipi pro continuatione rei, aliquo poſito. Sed hoc, abſque ullo fundamento, Jacobæo Vaticinio aptatur. Primo. Quia antiqui Judæi, & præcipue Chaldaicarum Paraphraſum Auctores hanc vocem *Donec* pro ceſſatione rei intellexerunt. Secundo. Quia illam ſic accepit Joſephus, cum hujus Oraculi exitum adulatorie Veſpaſiano adſcripſit, *l. 3. de Bello Judaico, t. 38. & l. 7. cap. 31.* relatus a Natali Alexandro, *T. 1. hiſt. Vet. Teſtam. diſſert. 12. propoſ. 2.* Addo: quod ſi vox *Donec* non deſignat finem imperii Judaici; nullum Jacob ſuo Oraculo demonſtraſſet ſignum, quo adventus Meſſiæ dignoſci poſſit.

VII. Judæorum alii dicunt tertio: Verbum illud *Silo*, pro quo latinus Interpres poſuit *Qui mittendus eſt*, ſignificare urbem *Silo*, in qua multo tempore fuit arca Domini, & ubi (ajunt) Saul unctus eſt in Regem. Ita ut ſenſus Vaticinii ſit iſte: *Non recedet Principatus a Tribu Juda, donec veniat Silo*, ideſt, *donec in Silo Saul, in quem transferri debet Juda principatus, in Regem ungatur.*

VIII. Sed interpretatio hæc eſt aperte falſa. Tum quia ſupponit, antequam Saul ungeretur Rex in Silo, ſceptrum, ſeu Principatum fuiſſe in Tribu Juda, & in Saule defeciſſe: hoc autem prorſus falſum eſt. Nam qui ante Saulem Principatum tenuerunt in populo Judaico, ut Moyſes, Judices, Heli, Samuel, non fuerunt de Tribu Juda, ſed potius de Tribu Levi. —— Tum quia; tantum abeſt, ut ſceptrum a Tribu Juda ad Saulem tranſierit; quin potius a Saule ad Tribum Juda translatum ſit. Poſt Saulem enim regnavit David; & a David Reges ex Tribu Juda oriundi, uſque ad Sedeciam, qui Babylonem captivus ductus eſt. —— Tum demum: falſum enim eſt, Saulem in Silo regnum obtinuiſſe. Nam in Maſpha Rex fuit renunciatus: ut legitur 1. *Reg. cap.* 9. & 10.

IX. Quarto. Volunt alii, per hæc verba: *Qui mittendus eſt*, non indicari Meſſiam, ſed Nabuchodonoſor Regem Chaldæorum, quæm, Jeremia, & Ezechiele teſtibus, Deus miſit ad caſtiganda Judæorum ſcelera. Is enim capto Sedecia, effoſſiſque ejus oculis, ſceptrum ita abſtulit a Tribu Juda; ut nemo ex ea Tribu poſt Sedeciam Judæis imperaverit: unde concludunt, ſenſum prophetiæ eſſe hunc: *Tribus Juda potietur imperio, donec veniat Nabuchodonoſor Rex.*

X. Sed hi longius a veritate aberrant, Hoc enim Oraculo indicari Meſſiam, veteres omnes, tam Chriſtiani, quam Hebræi conveniunt; eademque eſt Onkelos, Jonatham: & Targum Jeroſolymitani ſententia. Quod ſi horum Interpretum tanta eſt vetuſtas, quantam volunt Judæi, quos Chriſto Jeſu antiquiores volunt; eorum confeſſio demonſtrationis loco habenda eſt: non enim Eccleſiæ ſuæ ſententiam ignorare poterant. Si Vero Chriſto Jeſu ſunt recentiores, validius eſt argumentum: non enim tanti momenti Oraculum e manibus Chriſtianorum eripere auſi ſunt. Unde nonniſi poſt illos hanc litem contra nos intentare Judæi cœperunt.

Nullo autem fundamento Nabuchodonoſori Vaticinium aptari poteſt. Quomodo enim ille *Expectatio Gentium* dici potuit, qui potius omnium Gentium execratio fuit, ut legitur apud *Iſaiam cap.* 14. Falſum quoque eſt Nabuchodonoſoris tempore Regnum Judæorum penitus defeciſſe. Nam etiam ea captivitate durante vigebat in Judicibus, & Legislatoribus Judæorum auctoritas condemnandi reos; ut conſtat ex hiſtoria Suſannæ, *Daniel cap.* 13. Et Zorobabel non diu poſt miſſus fuit a Cyro Perſarum

ſarum Rege cum facultate reparandi Templum, ut legitur 1. *Eſdræ c.* 1. *&* 2. Perſeverabat quoque apud Judæos Senatus dictus Sanhedrin, in quo velut in Concilio decernebantur ea, quæ legis erant; ergo non fuit tunc penitus ablatum ſceptrum a Juda.

§. II.

Præfactum Oraculum in Jeſu fuit impletum.

XI. CIrca minorem ſubſumptam in diſcurſu a nobis ſupra facto, nempe, quod Principatus tunc ſolum a Juda penitus defecerit, quando venit Jeſus Nazarenus, omnes Chriſtiani conveniunt quidem contra Judæos hoc negantes; ſed in modo explicandi diſcordes invenio.

Judæi ergo aperte negant, penitus ab eis ablatum fuiſſe jus Regni, & Principatus. Volunt enim, adhuc florentiſſimum Regnum ſub Echmalotarcha e tribu Juda perſeverare in Aſia, & in aliis remotiſſimis mundi partibus habere Duces perpetua ſucceſſione, Ita ſcribunt Benjamin. Tudelenſis, in ſui *Itineris Hiſtoria*. Poſtellus, *Hiſt. Orient. part.* 1. *cap.* 5. *&* 6. qui tradit verſus Orientem diu latitaſſe decem Tribus, montium anguſtiis circumcluſas; ex quibus tamdem prognatos Tartaros, & Turcas inde erupiſſe: quod ex Aythoni Armeni hiſtoria probare conatur. Joſephus etiam *lib.* 11. *Antiquit. cap.* 5. ſcribit, decem Tribus trans Euphratem deportatas in immenſam multitudinem ſua ætate excreviſſe: ideoque fatetur Oroſius, *lib.* 2. *cap.* 7. Quod ex *lib.* 4. *Eſdræ cap.* 13. erui videtur, ubi legitur, decem Tribus in longinquas terras abiiſſe, ut ritus ſuos abſque impedimento obſervare poſſent; aquas Euphratis illi diſceſſiſſe, & poſt iter anni unius, & dimidii in regionem imperviam Arſareth perveniſſe, ibique uſque ad noviſſimum tempus erunt, quo iterum Deus aquas fluminis dividet, ut poſſint tranſire.

XII. Inter Chriſtianos quoque diſceptatio eſt circa ſenſum illorum verborum. *Non auferetur ſceptrum de Juda.* Non enim ſceptrum Judaicum continuo duravit in ſola illa Tribu a Jacobi obitu, uſque ad Jeſu Nazareni adventum; ſed per alias Tribus divagatum eſt. Quod evincitur, enarrando omnes, qui a Jacob, uſque ad Jeſum populo Judaico præfuerunt.

Populus ergo Hebræus ſtatim poſt egreſſum ab Ægypto, & legem a Deo acceptam, cœpit habere Principes, qui ex ſua eſſent Gente; non eadem tamen Principatus ſpecie. —— Qui Hebræis primo imperarunt, fuerunt Duces Moyſes, & Joſue: Neuter tamen fuit ex Tribu Juda; Moyſes enim ex Tribu Levi, Joſue ex Tribu Ephraim originem traxerant. —— Ducibus ſucceſſere Judices, qui ad Saulem uſque, hoc eſt per annos ſupra trecentos, Rempublicam Hebræorum adminiſtrarunt. Ex quindecim Judicibus, qui ſibi invicem ſucceſſere, duo tantum ex Tribu Juda orti narrantur, Othoniel, & Abeſam; qui, ut patet 1. *Reg.* 10. ſolum per annos ſexaginta ſeptem Iſraelitis jus dixerunt.

Poſt hæc Imperium fuit penes Reges, quorum primus Saul fuit ex Tribu Benjamin. Sauli ſucceſſit David ex Tribu Juda. A Davide, uſque ad captivitatem Babylonicam, hoc eſt per annos quadringentos ſeptuaginta tres, poteſtas Regia manſit in Tribu Juda. —— Poſt reverſionem autem ex captivitate Babylonica, uſque ad Herodem, hoc eſt, per annos quingentos, & viginti, Pontifices, qui erant ex Tribu Levi, principati ſunt.

His ſtantibus, quomodo impletum eſſe ſuſtinebimus Jacobi Oraculum? Nam hoc promittit, Principatum futurum in Tribu Juda uſque ad Meſſiæ adventum; & tamen conſtat, ex mille & quingentis annis, qui ab egreſſu ex Ægypto ad Chriſtum uſque fluxerunt, Tribum Juda ſolis annis quadringentis ſeptuaginta tribus rerum ſummam potitam fuiſſe: immo hanc etiam ab ea fuiſſe ablatam quingentis, & viginti annis ante Chriſti Jeſu adventum.

XIII. Antequam ab hoc nodo conemur nos extricare, diſſipanda eſt fabula Judæorum ſupra narrata de Regno, quod ſibi adhuc ſupereſſe in Aſia, vel partibus remotiſſimis confingunt. Hoc enim merum eſſe figmentum, teſtantur vel Rabbini celebriores, ingenue confitentes, Judæos Regia poteſtate, ſceptro, ac dominio penitus exciditſe, ſecundum illud Oſee Vaticinium, cap. 3. verſ. 4. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim.* Quæ, licet Hebræi exponant de tempore præterito Captivitatis Babylonicæ; Chriſtiani tamen omnes cum S. Hieronymo, in dictum caput Oſee, de tempore futuro a Chriſto uſque ad finem mundi intelligunt, Unde ait: *Poſt paſſionem Domini Salvatoris uſque in præſentem diem paulominus quadringenteſimus annus expletur; & quantum temporis reſideat uſque ad diem judicii nec Angeli noverunt, nec Filius; qui ideo ignorare ſe dicit, quia nobis non expedit diſcere. Hi ſunt ergo multi dies, quibus infelix Sinagoga, & mulier adultera hordeo paſcitur, & ſedet contracta, quia cum Chriſto ſtare non poteſt: ſine Rege . . . . . ſine Principe . . . . . & ſine Sacrificio, & ſine Altari &c.* Inde allato Jacobæo Vaticinio pergit: *Ergo poſtquam defecit Princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus, & Herodes alienigena, & Proſelytus ſuſcepit Imperium; intelligimus veniſſe, cui Regnum repoſitum eſt: & ipſe erat expectatio gentium.* Hæc, aliaque S. Hieronymus.

Præterea Regnum iſtud florentiſſimum, quod decantant Judæi, in ſola eorum phantaſia ſitum eſſe demonſtrant viri illuſtres; qui omnibus mundi partibus etiam diſſitis, ac imperviis peregrinatione luſtratis, Judæos ubique ſervos, nullibi dominos invenere. Auctores autem, qui oppoſitum referunt, vel nullius fidei ſunt, ſi ſint Judæi; vel de audito hoc dicunt; nemo enim hoc Judæorum Regnum ſe unquam vidiſſe teſtari poteſt. Quæ de decem Tribubus ultra Euphratem tranſportatis ſcribit Joſephus, Oroſius, & Auctor *libri* 4. *Eſdræ*, ut apochrypha rejicienda ſunt. Et licet hoc admitteremus, probandum eſſet, eas ibi adhuc in Judaiſmo perſeverantes habere proprios Reges habentes jus ſupremum, ac independens; & non potius Gentibus illis barbaris eſſe ſubjectas. Certe ſi alicubi Regnum hoc florentiſſimum haberent Judæi; miror, cur malint tamquam mancipia omnium nationum grave jugum ferre; quam omnes, juncto conſilio, ſeu ad novam terram Promiſſionis illuc convolare. Puto, Regnum hoc Judæorum eſſe in Orbe Lunæ ſitum, in quo Recentiores aliqui volunt eſſe habitatores; ideoque Judæi apud nos commorantes ſe excuſabunt, non poſſe illuc aſcendere.

XIV. Expediti ab his Judæorum nugis, ſuperius expoſitam difficultatem aggredimur. Ut eam ſolverent, in diverſas vias iverunt Chriſtiani Theologi. Lyranus, Toſtatus, aliique penſent, ablatum in Sedecia ſceptrum a Tribu Juda penitus non fuiſſe; ſed ſoluta captivitate, in Zorobabele Tribus illius Principe ſuſcitatum fuiſſe, deinde ad ejus poſteros derivatum, & tandem ad Aſſamonæos, qui eſto paterno genere eſſent de Levitica Tribu, materno tamen erant de Tribu Juda: quia propter nobilitatem harum duarum Tribuum mutua inter illas iniebantur conjugia. Sic, *Exodi 6. v.* 23. Aaron de Tribu Levi duxit uxorem Eliſabeth filiam Animadab Principis de Tribu Juda. Et 2. *Paralip. cap.* 22. *verſ.* 11. Joas Pontifex iniit cum Joſabet filia Joram Regis Juda.

XV. Sed huic expoſitioni acquieſcere non poſſum. Primo. Nam eſto unus, vel alter ex præfatis, qui a Zorobabele uſque ad Chriſtum principati ſunt, Virginem de Tribu Juda duxerit; credibile tamen non eſt, a Tribu ſua uxores nunquam duxiſſe, ſed ex aliena ſemper, & quidem ſemper ex eadem. Cum enim hoc nulli Scripturæ teſtimonio nitatur, merum figmentum credi poteſt. —— Secundo. Id repugnat verbis Pauli, *Hebr.* 7. *verſ.* 13. *&* 14. dicentis: *In quo enim hæc dicuntur; de alia Tribu eſt, de qua nullus Altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Nullius autem roboris eſſet Pauli argumentum, ſi Sacerdotes inter Tribules Judæ recenſeri jure potuiſſent. —— Tertio. Nulla maternæ ſtirpis apud Judæos ratio unquam habita eſt, ſecundum Thalmudicum illud ſcitum: *Familia matris non vocatur familia.* Unde in protrahenda Chriſti genealogia, a ſtirpe Joſeph, etſi verus Pater Chriſti non ſit, non Mariæ, quæ fuit vera Chriſti mater, eam *Matth. cap.* 1. producit: —— Dato demum, quod maternum genus ſufficeret; ſequeretur, quod etiam poſt Chriſti adventum in Tribu Juda ſceptrum duraverit. Nam Herodes uxorem habuit Mariadnem Hircani Pontificis filiam, quæque materno genere erat ex Tribu Juda: ex ea natus Ariſtobulus, ex quo Herodes Agrippa, qui fuit Judæorum legitimus Rex.

XVI. Propterea dicunt alii. Aſſamonæos, qui a Zorobabele uſque ad Chriſtum Principatum in Judæa tenuerunr, paternum genus ad Judam referre: quod videtur indicari, 1. *Machab.* 5. *verſ.* 63. ubi de Juda, & fratribus ejus dicitur: *Et viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael.* Ita Baronus, Genebrardus &c.

XVII. Sed hoc minus probabile eſt. Primo. Quia pugnat cum laudatis Apoſtoli verbis, *Hebr.* 7. dicentis, de Tribu Juda nullum Altari præſto fuiſſe, nullum fuiſſe Sacerdotem. Tum cum *Cap.* 15. *Numer. verſ.* 39. *&* 40. ubi Core, Dathan, & Abiron morte leguntur mulctati: quia cum non eſſent de ſtirpe Aaron, auſi ſunt offerre incenſum Domino; *Ut haberent poſtea filii Iſrael, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum incenſum Domino.* Cum ergo Aſſamonæi Sacerdotio ſimul, & Imperio potirentur, erant de ſtirpe Aaron, & de Tribu Levi, non de Tribu Juda. Debile autem eſt fundamentum ex loco *Machab.* depromptum. Judas enim, & fratres non dicuntur *Viri Juda*, quia eſſent de Tribu Juda; ſed quia Judam ducem ſequebantur. Unde Græcus textus ſic reddit: *Et vir Judas, & fratres ejus glorificatus eſt.* Verſio item Syriaca: *Juda, & fratres ejus magis laudati fuerunt.* Sane Judam, & Machabæos non ex Tribu Juda, ſed Levi propagatos fuiſſe, liquet ex *Cap.* 2. *Lib.* 1. *Machab. v.* 1. Ubi Matathias Machabæorum parens dicitur: *Filius Joannis filii Simeonis, Sacerdos ex filiis Joarib ab Jeruſalem.* Quæ in Aaraonitidas familias recenſetur. *Primo Paralip.* 24. *v.* 7. *&* 19. Demum Machabæi, ſive Aſſamonæi Regnum

Judæo-

Judæorum adminiſtrabant, non jure hæreditario, ſed electivo, ut apparet 1. *Machab.* 8. *verſ.* 28. 29. & 30. At ſi eſſent de Tribu Juda, debuiſſent hæreditario jure poſſidere Principatum.

XVIII. Alii ſubinde dicunt: Ex Tribu Juda extitiſſe Principes uſque ad Chriſtum. Quia ſupremus Judæorum Senatus a Moyſe Dei juſſu inſtitutus, *Num.* 11. *v.* 16. ex ſeptuaginta viris conſtans, quem Synedrium magnum vocabant, penes quem erat ſumma auctoritas judicandi de lege, conſtabat ex Senatoribus a Tribu Juda progenitis. Ita Paulus Burgenſis, Petrus Gelatinus &c.

XIX. At voluntaria apparet hæc meditatio. Nam dato (quod multi negant) Senatum illum ad Chriſti uſque tempora perduraſſe; ſine fundamento ſupponitur, illum ex ſolis Tribubus Juda conſtitiſſe; cum potius veroſimile ſit, ex viris ſingulis Tribubus delectis eum coaluiſſe. Par enim erat; ut e ſingulis Tribubus aſſumerentur viri, qui omnibus Tribubus jus dicturi erant. Ita nimirum factum eſſe, cum Moyſes illum primo inſtituit, legitur, Exodi 18. verſ. 25. *Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos Principes populi.* Et *Deuteron.* 1. *v.* 16. *Moyſes*, ait: *Tulique de Tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos Principes.* Non ergo de una Tribu, ſed ex ſingulis Tribubus conſtabat Senatus ille. —— Dato etiam, quod ille Senatus ex ſolis viris de Tribu Juda conſtaret, ſenſus Oraculi non ſubſiſteret. Nam ſceptrum nunquam fuit in illo Senatu; ſed vel in Duce, vel Judice, vel Rege, vel Pontifice. Se habebat Senatus ille apud Judæos, ſicut alicujus Regis Parlamentum, ſeu Concilium: quemadmodum ergo ſuprema Regni poteſtas non eſt apud Conſiliarios, ſed penes Regem; ita apud Hebræos ſuprema auctoritas erat apud Duces, vel Judices, vel Reges, non apud Senatum. —— Hinc non valet effugium quorumdam dicentium, ſaltem Principem hujus Senatus fuiſſe ſemper de Tribu Juda. Nam in primis, hoc unde probatur? Deinde: hoc etiam dato, non verificatur, penes Tribum Juda ſemper fuiſſe ſceptrum; quia jus ſceptri non fuit apud illius Senatus Principem, ut dicebamus; & ſi fuiſſet, cum multo ante Chriſti adventum Senatus ille ceſſaſſet; ſequeretur, ſceptrum a Tribu Juda multo tempore ante Chriſtum ablatum fuiſſe.

XX. Tandem alii dicunt: quod licet uſus ſceptri ablatus fuerit a Tribu Juda poſt Babylonicam captivitatem, & tranſierit ad Aſſamonæos; jus tamen, & proprietas adempta non fuit: ſed ſemper in Tribu Juda perſeveravit, cum ſpe illud recuperandi per Meſſiam de ſe naſciturum. Ita Cajetanus, & noviſſime Juenin, *Inſtit. Theol. part.* 4. *Diſſert.* 2. *Quæſt.* 1. *de Exiſtent. Incarnat. Cap.* 3. *Concluſ.* 6.

XXI. Hæc meditatio probabilitate magis pollet, quam reliquæ ſuperiores. Licet enim penes Tribum Juda uſus ſceptri non ſemper fuerit, & aliquando, nempe, a captivitate ſoluta, ad alios tranſierit: adhuc tamen ſceptri proprietas potuit perſeverare. Sicut modo dicere poſſumus, non ablatum fuiſſe a Stuartorum Familia Angliæ ſceptrum, quamvis per multos annos ſit patria, Regnoque depulſus Rex Jacobus, quia ſemper retinet jus, ac proprietatem ad Regnum Angliæ.

Verum ſuis etiam ſcatet difficultatibus. Primo. Nam Tribum Juda in Jechonia excidiſſe, nedum ab uſu, ſed etiam a jure ad Regnum, Deo ita decernente, colligitur ex Jeremiæ cap. 22. v. 30. *Hæc dicit Dominus: ſcribe virum iſtum ſterilem: virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda* —— Præterea ita Tribus Juda ſceptrum amiſit, ut nullam habuerit ſpem ipſum recuperandi aliquando per Meſſiam. Amiſit enim Regnum temporale, quod nec Chriſtus Tribui Judæ reſtituit; ſed novum inſtituit ſpirituale, & æternum, in cujus poſſeſſionem omnes nationes, & Tribus vocatæ ſunt —— Denique: admiſſa hac diſtinctione de amiſſione Regni, quoad uſum, non quoad jus, damus modernis Hebræis modum eludendi Oraculum Jacobæum dum a Chriſtianis contra illos producitur: poterunt enim reſpondere, ab ipſis modo ablatum fuiſſe ſceptrum, non quoad Jus, & proprietatem, ſed quoad uſum; ac ſibi adhuc ſupereſſe ſpem illud recuperandi, cum venerit Meſſias, quem ipſi expectant.

XXII. Probabilius ergo videtur, Jacobæum Vaticinium in illis verbis; *Non auferetur ſceptrum de Juda*, eſſe exponendum, non de ſola Tribu Juda, ſed de tota Gente Judaica; ita ut ſenſus ſit: non auferetur ſceptrum de Gente, & populo Judæorum, & Dux de fœmore ejus, donec veniat Meſſias. Ita multi, & noviſſime Natalis Alexander, *Hiſt. Vet. Teſtam. Diſſert.* 12. *Propoſit.* 3.

Hac enim expoſitione videntur melius ſalvari, quæ ad verificationem dicti Oraculi requiruntur. Nam licet a Jacob uſque ad Chriſtum ſceptrum, & Principatus non ſemper fuerit in Tribu Juda, ut ſupra vidimus; fuit tamen ſemper penes aliquem de populo Judaico ſumma poteſtas, qua ſolum in Herode Aſcalonita, qui erat Idumæus, defecit: quo tempore venit Meſſias, nempe Chriſtus Jeſus. Hæc expoſitio SS. PP. teſtimonio fulcitur. Nam Sanctus Juſtinus, *in Dialogo cum Triphone Judæo*, *pag.* mihi 271. allato Jacobæo oraculo, ſubdit; *Porro* (inquit, Judæos alloquens) *nunquam prius in Gente veſtra eſſe deſiiſſe neque Prophetam, neque Principem, ex quo Imperium accepit, ne imprudenter quidem vel dicere audetis, vel probare poteſtis... at poſt Jeſu Chriſti noſtri in genere veſtro manifeſtationem, & mortem, haudquaquam Propheta extitit, nec exſtat; ſed & ſub Rege proprio eſſe deſtitit.* Item S. Athanaſius, l. de Incarn. n. 40. *Tamdiu Reges apud illos uncti ſunt, quoad Sanctus Sanctorum ungeretur. Jacob quoque uſque ad ipſum permanſurum eſſe Judæorum Regnum, his verbis pronuntiat:* Non deficiet Princeps ex Juda &c. Idem ſentiunt Euſebius, *l.* 8. *Demonſtr. Evang.* & *l.* 1. *Hiſt. cap.* 6. ubi oſtendens manifeſtato Chriſto, Jacobi Oraculum fuiſſe impletum, ait: *Ex quo etiam tempore, cum Principes, & Duces ex Juda, id eſt, ex Judæorum Gente defeciſſent, &c.* Idem Chryſoſtomus, *Homil.* 67. *in Geneſ.* Ambroſius *l. de Benedictionibus Patriarcharum*, *cap.* 4. & Auguſt. l. 18. *de Civ. Dei*, *cap.* 45. ubi allato Jacobi Oraculo, illudque applicans ad tempora Herodis: *Non ergo* (inquit) *defuit Judæorum Princeps ex Judæis uſque ad iſtum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam Regem.*

XXIII. Reſtat modo, ut aliquas difficultates ſolvamus, quæ contrarium ſuadere videntur. Primo. Nam ea, quæ de Ruben, & aliis Jacobi filiis prolata a Jacob leguntur, *Geneſ.* 49. de ſola Tribu Ruben cum aliarum excluſione, & ſic de cæteris, intelliguntur: cur ergo ea, quæ Jacob protulit de Juda, de ſola Tribu Juda intelligenda non ſunt? Secundo. Si illa verba: *Non auferetur ſceptrum de Juda* de peculiari Tribu Juda non intelligerentur, falſum eſſet, quod ibi, *verſ.* 28. dicitur: *Benedixitque ſingulis benedictionibus propriis.* Nam in hac ſuppoſitione benedictio Regni, quam tribuit Judæ, non eſſet propria Tribui Judæ, ſed communis aliis. —— Tertio. Hæc verba: *Juda te laudabunt fratres tui:* rurſus hæc: *Ligans ad vineam pullum ſuum*, quæ ſunt verba antecedentia, & ſubſequentia iſta: *Non auferetur ſceptrum de Juda*, ad ſolam Tribum Juda pertinent: cur ergo non etiam verba media? —— Quarto. Hic loquendi modus; *Et Dux de fœmore ejus*, indicat unam perſonam ſingularem, de cujus fœmore gignendus ſit Dux: qui enim modo ex una, modo ex alia Tribu gignendi ſunt, non poſſunt dici gignendi de eodem fœmore.

XXIV. Reſpondeo, hoc Vaticinium continere aliquid ad ſolam Tribum Juda pertinens; aliquid etiam continere, ſpectans quidem principaliter ad ſolam Tribum Juda, ſed communicabile etiam aliis Tribubus. Prior, & poſterior Vaticinii pars, utpote reſpiciens Meſſiam ex ea proditurum, ad ſolam Tribum Juda proprie refertur; at media illa pars, nempe: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux &c.* ad eamdem quidem pertinet; ſed non proprie, ideſt, incommunicabiliter: nam Tribui quidem Juda eſt appropriata, ſed communicabilis aliis. Propter enim multiplicem rationem æquum fuit; ut jus ſceptri, etſi communicandum aliis Tribubus, ſpecialiter tamen ad Tribum Juda dirigeretur, eique accommodaretur.

Primo. Quia in Tribu Juda Regnum erat diutius duraturum, ſcilicet per annos ſupra quingentos: & hoc florentiſſimum ſub Davide, & Salomone.

Secundo. Quia univerſus populus Iſraeliticus a Tribu Juda accepturus erat nomen, poſt Babylonicam captivitatem, & appellandus Judæus a Juda. Unde Euſebius, l. 8. Demonſtr. Evang. *Cum* (inquit) *duodecim Hebræorum Tribus eſſent, a nulla alia, niſi ab una ipſius Juda Gentis etiam nunc appellatio uſurpetur. Quod ego quidem non ob aliud contigiſſe arbitror, quam ob ipſius prophetiæ Oraculum.*

Tertio. Quia etiam eo tempore, quo Principatus futurus erat apud homines alienæ Tribus, adhuc dici poterat, Regnum eſſe in Tribu Juda; quia regio, in qua futurum erat primo Regnum, illa futura erat, quæ in ſortem Tribui Judæ contigerat; & ſubditi (diſperſis aliis Tribubus) futuri erant de Tribu Juda. Sicut enim continuaſſe dicitur Regnum Romanorum, quouſque Regna, quibus dominabatur Romanum Imperium, ſub Romanis fuere; etſi aliquando, qui Romanis præerant, nec de Romuli, aut Remi genere, nec Romani eſſent: *Sic etiam* (inquit Euſebius laudatus, cujus eſt hoc exemplum) *in rebus Hebræorum conſtituere, intelligereque oportet, tamquam una quidem in univerſum Tribus Juda totam gentem de ſuo nomine illuſtrem reddiderit; particulares vero Duces, ac Reges ex diverſis extiterint Tribubus, qui tamen communi illa Judæ appellatione honorem acceperint.*

Quarto. Quia Tribus Juda cæteris ſingulari quadam præſtantia præire deberet. In caſtris ponendis ſuper cæteras prælationem habebit, *Num.* 10. *verſ.* 14. In ordine offerentium reliquis anteibat, *Num.* 7. *verſ.* 12. In diviſione terræ Chanaan primam ſortem tulit, *Joſue* 15. *verſ.* 1. Mortuo Joſue in bellis gerendis adverſus Chananæos, Deo jubente, ducatum accepit Juda, *Judic.* 1. *v.* 2. Judicum tempore ſingularem honoris prærogativam habuit; unde 1. *Paralip.* 2. *verſ.* 3. Tribules Judæ inter Iſraelitas primo loco recenſentur. Denique ex hac Tribu proditurus erat Meſſias; quam felicitatem prænoſcens Jacob ſubjecit: *Juda, te laudabunt fratres tui ..., adorabunt te filii patris tui.* Hanc ergo Tribus Judæ ſuper cæteras præſtantiam prævidens Jacob, Judæ nomen toti genti accomodavit; & partem Judaici populi nobiliſſimam pro toto populo poſuit. Sicut Jeruſalem, vel Sion, quæ eſt una particularis Civitas pro Judæis uſurpatur; & Samaria pro Regno Iſraelis,

nec

nec non Babylon pro Chaldæis frequenter in Sacris Litteris usurpantur.

XXV. Verum ad convincendos Hæbreos ex hoc Oraculo, nulli ex his expositionibus alligamur. Nam quomodocumque illud explicetur *Sceptrum, & Juda*: certum est, defectum regni, sive Imperii, sive penes Juda, sive Judæorum gentem, ibi prænuntiari tamquam signum adventus Messiæ: atqui hoc Regnum jam extinctum fuit, & sceptrum ablatum, tum a Juda, tum a Judæorum gente; ergo jam venit Messias. Cumque hoc acciderit, adveniente Christo Jesu; igitur iste est Messias. Hinc S. Augustinus, *in Psalm. 75.* observans Judæos Pilato dicenti. *Regem vestrum crucifigam?* Respondisse: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, exclamat: *O Judæi, qui vocamini, & non estis, si non habetis Regem, nisi Cæsarem, deficit jam Princeps ex Juda: venit ergo ille, cui repromissum est.*

§. III.

Danielis primum Vaticinium impletum.

XXVI. DUo ex Daniele habemus de adventu Messiæ Vaticinia. Primum Legitur *Danielis c. 2.* alterum, *cap. 9.* Modo primum exponemus.

Notissimum ergo ex *cap. v.* tria continet. Primum, Nabuchodonosoris somnium de statua illa celebri: quod cum ex ejus mente excidisset, ei in memoriam a Daniele revocatur, *v. 31.* Secundum, explicationem somnii factam a Daniele, *v. 36.* quod nimirum statua illa designat quatuor Imperia sibi invicem succedentia. In capite enim aureo illius statuæ figuratur Imperium Chaldæorum. *Aureum* dictum, non ratione divitiarum, aut amplitudinis; quia Imperia succedentia, nempe Persicum, Macedonicum, & Romanum ditiora, & ampliora fuerunt; sed *Aureum* dicitur, quia remotius a creta, in qua futurus erat interitus Imperiorum terrenorum. In pectore, & brachiis argenteis figuratur Imperium Persarum, qui Chaldæos debellarunt: designatum in pectore, & brachiis, vel quia duo Imperia complectebatur Persarum, & Medorum, vel quia sicut pectus, & brachia sequuntur post caput; sic dictum Imperium secutum est post Chaldaicum, in capite indicatum. Dicitur autem *Argenteum*; quia secundum ab auro, idest, a Chaldaico in auro præsignato. In ventre, & fœmoribus ex ære innuitur Imperium Græcorum, seu Macedonum sub Alexandro Magno. Comparatur *Æri*; quia post argenteum Imperii Persici successit. In Tibiis partim ferreis, partim fictilibus præsignatum fuit Imperium Romanorum quod Imperium Romanorum subsecutum est, sicut ferrum subsequitur æs in ordine metallorum; & sicut ferrum omnia domat: sic Romanum Imperium omnia alia Imperia erat subacturum. Tibias autem habiturum erat partim ferreas, partim fictiles; quia modo fortius, modo debilius, pro varia Civium concordia, sive divisione.

XXVII. Tertia autem Oraculi pars *vers. 44.* nempe, quod in diebus Regnorum illorum (scilicet, in fine) *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur* (figuratum in lapide abscisso de monte, sine manibus, & percutiente statuam in pedibus ferreis, & fictilibus) *& Regnum ejus alteri non tradetur. Comminuet autem, & consumet universa Regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Prænuntiat æternum Christi Regnum, quod Deus Cæli, non homo, aut armis, aut divitiis potens suscitabit; & hic fuit lapis abscissus de monte sine manibus: quod in æternum non dissipabitur, idest, contra quod portæ Inferi non prævalebunt; quodque non ita Gentibus, aut hæreticis tradetur, ut ab illis destruatur, sed potius inter persecutiones fortius resurgat. Hoc Regnum comminuet, & consumet priora Regna, non immediate, sed mediate, abolens a Romano Imperio idololatriam: atque Romam, quæ prius erat sedes omnium errorum, convertens in Cathedram veritatis. His pro explicatione dicti Oraculi prælibatis.

XXVIII. Dico. Ex præfato Oraculo ostenditur Judæis, Messiam venisse, & hunc fuisse Christum Jesum. Probo. Ut ex dicto Vaticinio ostendatur, Messiam venisse, & hunc fuisse Jesum, necesse est, ut probetur, primo: præteriisse quatuor Imperia, quæ quintum erant exceptura. Secundo: quintum Regnum, quod quatuor erat subsecuturum, esse Regnum Christi, seu Regnum Ecclesiæ Christi Jesu: atqui hæc duo probantur; ergo &c. Probo primum. Non quatuor Imperia, quæ præcedere debebant quintum æternum &c. sunt imperia Chaldæorum, Persarum, Macedonum, seu Græcorum, & Romanorum: sed hæc præterierunt, ut notum est. Licet enim modo duret, Imperium Romanum nomine; non tamen est illud, quod successit Imperio Macedonum, nec eadem regiminis forma, nec amplitudo dominii, sed vetus illud Imperium a multis sæculis extinctum fuit, atque consumptum.

Probo etiam secundum. Regno Christi conveniunt omnia, quæ de quinto Regno vaticinatus fuerat Daniel. Hoc enim non homo, sed Deus, nempe, Christus Jesus, Deus, & Homo suscitavit. Hoc in æternum durabit testante Angelo ad Mariam, Lucæ 1. vers. *33. Et Regni ejus non erit finis.* Fuit lapis, qui abscissus de monte sine manibus, contrivit statuam: Christus nimirum, qui de Cælo descendens, vel de Juda abscissus absque opera hominum, quia de Spiritu Sancto conceptus: a principio parvus, quia humilis paupertatem colens, duodecim vilium piscatorum opera Romanum subegit Imperium; Imperatores, ac Reges tandem vidit suis pedibus provolutos; ac Regnum Ecclesiæ suæ, toto Orbe diffusum, latius patuit Religione Christiana, quam quodcumque aliud dominatione terrena.

XXIX. Hoc modo exponunt dictum Danielis *Cap. 2.* Hieronymus, ibi dicens: *Regnum autem quartum, quod perspicue pertinet ad Romanos, ferrum est, quod comminuit, & domat omnia; sed pedes ejus, & digiti ex parte ferrei, & ex parte sunt fictiles, quod hoc tempore manifestissime comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano fortius, ac durius fuit: ita in fine nihil imbecillius .... In fine autem horum omnium Regnorum auri, argenti, æris, & ferri abscissus est lapis Dominus, atque Salvator, sine manibus, idest, absque coitu, & humano semine, de utero virginali: & contritis omnibus Regnis factus est mons magnus, & implevit universam terram. Quod Judæi, & impius Porphyrius male ad populum referunt Israel, quem in fine sæculorum volunt esse fortissimum, & omnia Regna conterere, & regnare in æternum.*

Sanctus item Augustinus; Tract. 4. in Joann. *Inde* (inquit) *præcisus est ille lapis, quia inde natus est in præsentia Dominus. Et quare sine manibus? Quia sine opere virili Virgo peperit Christum. Jam ergo erat lapis ille præcisus sine manibus ante oculos Judæorum; sed humilis erat. Non immerito, quia nondum creverat lapis ille, & impleverat Orbem terrarum; quod ostendit in Regno suo, quod est Ecclesia, quæ implevit totam faciem terræ. Quia ergo nondum creverat, offenderunt in illum, tamquam in lapidem .... Offenderunt in eum, & quassati sunt, non contriti, sed quassati: veniet excelsus, & conteret eos. Sed ignoscendum est Judæis, qui offenderunt in lapidem, qui modum creverat. Quales sunt illi, qui in ipsum montem offenderunt? Jam de quibus dicam, cognoscitis* (nempe, de Donatistis, qui negabant Ecclesiam toto Orbe diffusam, sed in parte Africæ conclusam). *Qui negant Ecclesiam toto Orbe diffusam, non in humilem lapidem, sed in ipsum montem offendunt, quod factus est in lapis, dum cresceret. Cæci Judæi non viderunt humilem lapidem: quanta cæcitas est non videre montem!* Eadem repetit, *Tract. 9. in Joann. in Psalmo 45.* & alibi.

XXX. Nec dicas. Regnum Christi non potuit esse quintum illis quatuor succedens: cum enim spirituale sit, quintum ab aliis quatuor distinctum non constituit. Nec enim Regna dicuntur diversa, vel distincta ob diversitatem religionis; alioquin Regnum Persicum, Macedonicum, & Romanum fuissent unum Imperium; eadem enim erat illis Idolorum superstitio: & mutata religione mutaretur Regnum; unde non fuisset idem Imperium Romanum sub Constantino Christiano, quod sub Diocletiano Pagano antea fuerat.

XXXI. Respondeo. Quod Mundi Regna, quæ temporalia sunt, mutantur non religione, sed armis; sicut nec religione, sed armorum potentia constituuntur. At Regnum Christi cum sit spirituale, & æternum, non terrenum, & temporale, non armis, sed religione constituitur: religio enim efficit, ut Deus in illis hominibus regnet, qui ipsi per fidem, & amorem inhærent. In quo sensu Paulus, 1. *Corinth. 15. v. 24.* ait: *Deinde finis, cum tradiderit Regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem Principatum, & potestatem, & virtutem: oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Vide S. Augustin. *lib. 83. Quæst. q. 69.* Et hoc modo Regnum spirituale Christi fuit quintum succedens, ac sibi subjiciens potentiam Imperii terreni. Unde Daniel, c. 7. v. 14. *Et dedit* (inquit) *ei potestatem, & honorem, & Regnum: & omnes populi, Tribus, & lingua ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

§. IV.

Alterum Danielis Vaticinium.

XXXII. ALterum, & quidem celeberrimum, Danielis Vaticinium sumitur ex *cap. 9. vers.* 24. & sequentibus: ubi Gabriel Angelus Danielem sic alloquitur. *Scito ergo, & animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.*

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est: & Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in medio hebdomadis deficiet Hostia, & Sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.

Ut igitur cum methodo celebris hæc Prophetia tractetur, quærendum est primo: De quibus hebdomadibus Gabriel loquatur. Secundo. Unde peti debeat dictarum hebdomadum initium. Tertio: An dicta prophetia ostendatur, Messiam

Meſſiam veniſſe. Quarto: An omnes circumſtantiæ hujus Oraculi in Chriſto Jeſu locum habuerint?

XXXIII. Quoad primum noto: nomen *Hebdomadis* in Scripturis uſurpari dupliciter. Vel pro ſpatio ſeptem dierum, quo pacto etiam a nobis vulgariter accipitur, & ſumitur *Levitici 23. verſ. 15. & 16.* ubi a Paſchate, uſque ad Pentecoſten, numerantur ſeptem hebdomades plenæ, ideſt, quinquaginta dies. Vel pro ſpatio ſeptem annorum, quo ſenſu dicitur, Levit. 25. verſ. 8. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomades annorum, ideſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem.* Certum ergo eſt, Gabrielem in ſuo Vaticinio non eſſe locutum de hebdomadibus dierum: ſeptuaginta enim hebdomades dierum continent duntaxat quadringentos, & nonaginta dies: quo temporis intervallo nihil contigit eorum, quæ Gabriel Danieli intra ſeptuaginta hebdomades eventura prædixit. Et hac eadem ratione non poſſunt intelligi de hebdomadibus menſium.

Minus autem poſſunt ſumi pro hebdomadibus decenniorum: quarum quælibet conſtat annis ſeptuaginta. Nec pro hebdomadibus Jubilæorum, quarum quælibet importat ſepties ſpatium quinquaginta annorum; ideoque conſtat annis tercentis quinquaginta. Multo minus pro hebdomadibus ſæculorum, quarum quælibet ſepties importat ſpatium centum annorum; ideoque conſtat annis ſeptingentis. Nam primo. In Scripturis non legitur hujuſmodi acceptio hebdomadis, aut decenniorum, aut Jubilæorum, aut ſæculorum. Secundo. Quia Daniel prædicit poſt ſeptuaginta hebdomades Civitatem, & Templum eſſe deſtruenda, & Sacrificia in medio poſtremæ hebdomadis eſſe abolenda: atqui hæc multo ante evenerunt, quam forent elapſæ ſeptuaginta hebdomades decenniorum, aut jubilæorum, aut ſæculorum, & quocumque tempore ſumatur harum hebdomadum initium; ergo &c.

XXXIV. Dico ergo. Hebdomades Danielis accipiendas eſſe pro hebdomadibus annorum, quarum quælibet includat ſpatium ſeptem annorum: ita ut ſeptuaginta hebdomades ſint ſpatium, quod quadringentis nonaginta annis concluditur. Et hac in re Chriſtiani Patres, & doctiores Hebræorum Magiſtri conſentiunt.

XXXV. Verum circa tempus, a quo harum hebdomadum annorum ſumi debeat initium, ſuppono, initium earum debere ſumi a tempore, quo exiit ſermo, ſed edictum de reædificanda Jeroſolyma: hoc enim oſtendunt illa Oraculi verba: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem.* Quatuor autem edicta recenſentur de hac re emanaſſe. Primum a Cyro. 1. *Eſdræ cap.* 1. Secundum a Dario (qui probabilius cenſetur fuiſſe Hyſtaſpis filius). 1. *Eſdræ cap.* 6. Tertium ab Artaxerſe, non Memorioſo, ſed Longimano (ſic dicto, quia haberet manum altera longiorem) anno Imperii ejus ſeptimo, ut habetur 1. *Eſdræ cap.* 7. Quartum ab eodem Artaxerſe, anno Regni ejus vigeſimo, ut habetur 2. *Eſdræ cap.* 2. Hinc merito dubitatur, a quo ſumi debeat dictarum hebdomadum initium: fuit enim circa hoc etiam inter veteres Chriſtianos Patres varietas, quam exhibet, inter cæteros, S. Hieronymus, *in cap. 9. Danielis.* Attamen.

XXXVI. Dico. Initium hebdomadum Danielis probabilius ſumi debere ab edicto, quod exiit ab Artaxerſe Longimano, anno Regni ejus vigeſimo. Hanc fuiſſe Julii Africani ſententiam refert Sanct. Hieronym. loco laudato. Probatur autem. Edictum, a quo debet ſumi dictarum hebdomadum exordium, debet eſſe illud, a quo inſtaurandæ Jeroſolymæ facultas Judæis data eſt: atqui hoc edictum promulgatum fuit ab Artaxerſe, anno ejus vigeſimo; ergo &c. Major. patet ex ipſis Oraculi verbis. Min. probatur. Non enim potuit eſſe edictum promulgatum a Cyro, aut Dario, aut ab Artaxerſe Longimano, anno ejus ſeptimo: hæc enim edicta ſolum poteſtatem faciunt Judæis reſtaurandi Templum, vel reſumendi Sacrificia; non vero urbis reparandæ, & muris cingendæ; ergo ſupereſt, ut ſit edictum Artaxerſis, anno ejus vigeſimo. Huic enim poſteriori Artaxerſis edicto conſonant omnia verba Danielis; ut legenti caput ſecundum libri ſecundi Eſdræ conſtabit. Nehemias enim acceptis a Rege litteris de Civitate, & muris ejuſdem reparandis, Jeroſolymam venit, manumque operi appoſuit. Verum cum multi Judæorum hoſtes conarentur opus impedire; cogebantur Judæi ſimul, & operi intendere, & prælio in ſui defenſionem. Unde ibi, *c. 4. v. 17.* dicitur, quod artifex *Una manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Brevique adeo tempore opus completum eſt; ut ſolis quinquaginta duobus diebus perfectum ſit: verificato etiam, quoad hoc, Danielis Oraculo dicentis, quod *Ædificabitur platea & muri in anguſtia temporis.*

XXXVII. Dices tamen primo. Cyrus, Darius, & Artaxerſes, anno ſeptimo, dederunt Judæis facultatem reædificandi non ſolum Templum, ſed etiam Civitatem; ergo non eſt, cur ab exitu talium edictorum non ſumatur initium hebdomadum Danielis. Prob. ant. De Cyro dicit Iſaias, cap. 45. v. 13. *Ipſe ædificavit Civitatem meam.* Et quod hoc impletum fuerit, probant querelæ datæ poſt Cyri mortem ad Aſſuerum, vel Artaxerſem Oroopaſtem ab hoſtibus Judæorum, quod Jeruſalem ædificarent, & muros ejus extruerent. —— Idem oſtenditur de Dario. Nam Aggæus, qui circa illud tempus vaticinabatur, Darii edictum de urbe reædificanda interpretatur, Judæos increpans, *cap. 1. v. 4. Numquid* (inquit) *tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?* Quaſi reſtituta jam Civitate Templi reſtaurationem negligerent. —— Idem oſtendetur de edicto Artaxerſis, anno ſeptimo. Legitur enim 1. *Eſdræ cap. 8. v. 6.* hunc Regem dediſſe Eſdræ *Secundum omnem petitionem ejus:* Eſdram autem petiiſſe non ſolum reædificationem Templi, ſed etiam urbis ad habitandum, credendum eſt.

XXXVIII. Reſpondeo ad hæc, neg. ant. Cum enim in edictis ſive Cyri, ſive Darii, ſive Artaxerſis, anno ejus ſeptimo, nulla fiat inſtaurandæ urbis mentio, ſed Templi tantum; quod omitti non debuiſſet, utpote circumſtantia magni momenti, & diverſæ inſpectionis ab inſtauratione Templi: credere par eſt, per talia reſcripta nullam reparandæ urbis fuiſſe Judæis facultatem conceſſam.

Ad primum ergo de Cyro reſpondeo, Iſaiam dicere de eo potuiſſe: *Ipſe ædificavit Civitatem meam* in lato ſenſu. Quia cum Cyrus facultatem Judæis dederit inſtaurandi Templum; credibile eſt, dediſſe etiam facultatem extruendi domos ad habitandum, & ad arcendos imbres, aliaſque temporis injurias; non autem dediſſe eis facultatem extruendi publica ædificia, mœnia, arces, quibus ſe ab hoſtibus tueri poſſent. —— Quod vero Judæorum hoſtes conqueſti ſint coram Cyri ſucceſſoribus, quod Hebræi Civitatem inſtaurarent, non probat ita fuiſſe: ſed cum viderent, domos ad habitandum per ipſos excitari, eos urbem totam inſtaurare velle ſuſpicati ſunt, & rebellionem moliri. Unde reſcriptum quidem obtinuerunt, 1. Eſdræ, cap. 4. v. 21. *Ut urbs illa non ædificetur;* ſed executio reſcripti oſtendit, ſolam perſecutionem inſtaurationis Templi fuiſſe impeditam, non urbis. Quocirca, *v. 24.* dicitur: *Tunc intermiſſum eſt opus domus Domini in Jeruſalem;* non dicitur, *Opus urbis* —— Immo ex hoc deduco, edictum Cyri non fuiſſe Judæis inſtaurandæ urbis copiam. Si enim hoc ex regia conceſſione moliti eſſent; non auſi fuiſſent illos accuſare, nec impediti a Regio reſcripto fuiſſent, ſicut contingit; ſed opus ſuum proſecuti fuiſſent. Nec in reſcripto Artaxerſes, ſeu Aſſuerus non appoſuiſſet, quod *Urbs illa non ædificetur, donec ſi forte a me juſſum fuerit;* ut legitur citato *Cap. 4. v. 21.*

Ad ſecundum de edicto Darii dico, non concludit ex verbis Aggæi, Judæos tunc urbi ædificandæ manum appoſuiſſe; ſed ſolum eos arguere, quod, neglecta Templi inſtauratione, toti eſſent in extruendis domibus ad proprium commodum, cujus culpæ revera erant obnoxii.

Ad tertium de edicto Artaxerſis, anno ſeptimo, dico, Regem Artaxerſem Longimanum, anno ſeptimo, dediſſe Eſdræ ſecundum omnem petitionem ejus, quoad ea, quæ ſpectabant ad Dei cultum, & legis obſervantiam; hoc enim, & non aliud Eſdras petierat: non vero urbis inſtaurationem, ut patet ex edicto, quod refertur 1. *Eſdræ cap.* 1. in quo tantum fit mentio de rebus pertinentibus ad cultum Dei.

XXXIX. Dices ſecundo. Artaxerſes, a quo exiit edictum de inſtaurandis Jeroſolymis, non potuit eſſe Longimanus. Quia Artaxerſes, a quo exiit edictum, vixit paulo ante tempora Alexandri Magni; ſed Artaxerſes Longimanus multo tempore præceſſit Alexandrum Magnum: nam Longimanus imperavit Perſis triginta duobus annis, Darius Nothus decem, & novem, Artaxerſes Memorioſus quadraginta tribus. Ochus tribus, & Darius Codomannus, quem Alexander ſubegit, annis ſex; ergo &c. Maj. Probatur. Temporibus Artaxerſis; qui conceſſit Nehemiæ facultatem reædificandi Jeruſalem, vivebat quidam Sanaballat Samaritanus, qui Nehemiam Civitatis mœnia reficientem impedire conatus eſt, ut legitur 2. *Eſdræ cap.* 4. atqui iſte Sanaballat fuit coævus Alexandro Magno; Joſepho enim teſte, *lib. 12. Antiq. cap.* 8. cum Tyrum oppugnaret, ad Alexandrum defecit; ergo videtur potius dicendum, Artaxerſem illum fuiſſe Memorioſum, qui paucis annis Alexandrum præceſſit.

XL. Reſpondeo, Nego maj. Ad ejus probationem dico, non eumdem fuiſſe Sanaballat, qui Nehemiæ ſeſe oppoſuit, & qui ad Alexandrum defecit. Duos enim cum Petavio, *lib. 12. de Doctr. Temporum, cap. 25.* cogimur admittere Sanaballetos: unum Nehemiæ, & Artaxerſis Longimani temporibus, qui Nehemiam a reædificanda urbe prohibere conatus eſt: alter temporibus Darii Codomanni, cui ad Alexandrum defecit. Nec obeſt quod Joſephus dicit. Nam in primis Joſephus, Sanaballetem, quem ait defeciſſe ad Alexandrum, non aſſerit eumdem fuiſſe, qui Nehemiam turbavit, immo de hoc nihil loquitur. Deinde Joſephus tantæ auctoritatis non eſt, maxime in Chronologis, quin ab eo recedere poſſimus. Addo: quod Joſepho teſte, Sanaballetes ad longævam ætatem vitam produxit. Unde bene potuit in juniori ætate Nehemiæ reſtitiſſe; in extrema vero ad Alexandrum defeciſſe: cum ab anno vigeſimo Artaxerſis, uſque ad Darium devictum, anni octuaginta tres fluxerint; & Sanaballetes ultra centeſimum decimum vixiſſe feratur, qui paucos poſt menſes a defectione mortuus eſt.

XLI. Probatur ex ſupputatione temporis, Artaxerſem, a quo exiit edictum de inſtauranda Jeroſolyma, fuiſſe Longimanum, anno vigeſimo, hoc pacto. Ab eo anno inceperunt hebdomades prænuntiatæ a Daniele, a quo ad

Chri-

Christi mortem fluxerunt hebdomades 69. cum dimidio: atqui hæ fluxerunt ab anno vigesimo Artaxersis Longimani; ergo &c. Min. prob. Annus vigesimus Artaxersis Longimani fuit annus Mundi 3550. circiter. His si adjunxeris hebdomadas 69. nimirum, annos 483. habebis annos mundi 4033. quibus adjectis alia media hebdomada, nempe, annis tribus cum dimidio, habebis annos mundi 4036. cum dimidio. Quo anno circiter, juxta plurium Chronologorum computum, occisus fuit Christus, defecit Hostia, & Sacrificium, ac subinde impleta fuit prophetia Danielis, quod post hebdomades septem, & sexaginta duas, in medio hebdomadis septuagesimæ occidetur Christus &c. Videndus de hoc Huetius, *Demonst. Evangelica, propos. 9.* Petavius, *l. 12. de Doct. temp. cap. 32. Calmet, Tabul. Cronol. Hist. Bibl. Tom. 2. Diction. Bibl. &c.* Hæc in eruditionis amatorum gratiam dicta sint.

XLII. Verum. Ne quis putet, Christianos ad evincendum adventum Messiæ, ex dicto Oraculo, chronologicis ambiguitatibus indigere; probabo, quod a quocumque tempore, vel anno sumatur initium harum hebdomadum, concludatur Messiam jam venisse, & hoc evidenter. Sic. Undecumque exordium sumpserint dictæ hebdomades, certum est, in medio hebdomadis septuagesimæ occidendum esse Christum; ita ut iis jam expletis Messias advenerit, immo & occisus fuerit: sed hebdomades illæ septuaginta jam a multis sæculis expletæ sunt. Nam hebdomades septuaginta faciunt annos 490. si sumantur pro hebdomadibus annorum, ut vidimus. Si autem sumantur pro hebdomadibus dierum faciunt solum dies 490. Qui certe dies, sive anni jam fluxere: cum a tempore, quo Gabriel Danieli loquebatur, fluxerint anni plusquam bis mille; ergo jam venit Messias. Videndum supereſt, Messiam, qui venit, fuisse Jesum Nazarenum. Quod dubio sequenti præstabimus.

DUBIUM III.

An Messias, qui venit, fuerit Jesus Nazarenus?

§. I.

Statuitur Veritas.

I. DIco. Messias, qui venit, fuit Jesus Nazarenus. Hoc non melius ostendere possumus contra Judæos; quam demonstrando illis, omnes Prophetias de Messia in Jesu Nazareno fuisse impletas.

Et quidem primo. Oraculum Jacobæum, a nobis supra Dub. præcedente expensum, in Jesu Nazareno fuisse impletum, constat; in adventu enim ejus jam totaliter a gente Judaica sceptrum ablatum fuerat, quod signum adventus Messiæ dederat Jacob. Ipse etiam fuit *expectatio Gentium*, quæ prædicatione Discipulorum ejus ad ipsum conversæ sunt. Unde Sanctus Athanasius, lib. de Incarn. *Si* (inquit) *alium Deum Gentes colerent, nec ipsum Deum Abraham, Isaac, Jacob, & Moysis confiterentur; justam sane de Dei adventu dubitandi occasionem haberent. Si vero illum ipsum Gentes colunt, qui Moysi legem, & Abrahæ promissiones dedit, & cujus Verbum Judæi indignissime tractaverunt: quare non agnoscunt, vel potius, cur ultro negligunt videre Dominum, quem Scriptura prædixerunt, Orbi terrarum illuxisse, & corpore indutum apparuisse?*

II. Quantum ad Oraculum Danielis, de quo hactenus, ponderanda sunt verba, & singula Jesu applicanda. Sensus ergo Oraculi est iste. A decreto de reædificanda Jerosolyma, usque ad Messiam (non quidem nascentem, sed in apertum prodeuntem) fluent hebdomades annorum septem, & sexaginta duæ: ita tamen, quod infra septem priores hebdomades ædificabitur murus, & platea Civitatis, & omnia ædificia ejusdem complenda sint, ut legitur 2. *Esdræ* 1. & 2. Post septem priores illas hebdomades: usque ad Christi publicationem, fluent aliæ sexaginta duæ hebdomades: quod quidem in Jesu Nazareno verificatum ostendimus. Finis enim dictarum sexaginta novem hebdomadum incidit in annum mundi 4033. qui fuit annus circiter, quo Jesus prædicare cœpit, & prædicatione, ac miraculis manifestare se esse Christum. Rursus: peractis illis 69. hebdomadibus, in medio hebdomadis septuagesimæ, ideſt, post annos tres occidetur Christus, deficiet Hostia &c. Hoc quoque in Jesu verificatur, qui post tertium suæ prædicationis annum a Judæis captus, & occisus fuit; a quo tempore cessaverunt Hostiæ, & Sacrificia offerri. Post hæc *Populus, qui eum negaturus est, non erit amplius populus.* Quis hoc post Jesus occisionem in miseris Judæis non videt impletum? Toto Orbe dispersi, ubique mancipia, nullibi unum populum sub forma proprii regiminis constituunt. *Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo.* Quis hoc impletum negabit in desolatione Jerusalem, & Templi facta post Jesus occisionem a Tito: post quam nec Jerusalem, nec Templum fuerunt unquam amplius reparata, ut in Jesu etiam ultima Oraculi verba implerentur, nempe: *Usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio?*

Veritatem hanc cogitur sincere confiteri Rabbi Samuel, in *Epistola ad R. Isaac* quam in Dionysii Carthusiani Commentariis legere est. hisce verbis: *Videtur, Domine mi, Danielis prophetia, qua scribitur nono capite, jam completa esse . . . . & non est, Domine mi, dubium, quin destructio perpetua desolationis sit hac captivitas. Nam jam sunt mille anni, & aperte dicit Dominus per Prophetam, quod erit desolatio perpetua propter occisionem Christi, sicut est desolatio nostra post occisionem Christi; non enim comminatus est desolationem perpetuam nisi post occisionem Christi. Et si voluerimus dicere, quod ante occisionem Christi fuerimus in desolatione, respondent nobis Christiani: quod ante illam mortem non fuit desolatio, nisi septuaginta annis; & post hoc fuimus reducti in terram promissionis, & fuimus apud Deum in gloria, & honore. Certe, Domine mi, non video evasionem. De facto enim probatur nobis, quod postquam a reædificatione Templi completa fuerunt septuaginta hebdomades annorum, tunc fuit Jesus occisus a Patribus nostris: & postea venit Dux, scilicet Titus & Populus, scilicet Romani, & fecerunt nobis secundum Prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, & nihilominus in ira Dei sumus &c.*

III. Prosequor ostendendo, alias Prophetias de Messia fuisse impletas in Jesu. Cumque istæ, aliæ consistant in verbis, ut sunt duæ prænarratæ Jacob, & Danielis, aliæ in factis, seu signis adumbrantibus Messiam; probabo, utriusque generis Oracula in Jesu impleta. Probo ergo de Prophetiis verborum. Messias prædictus fuit nasciturus ex semine Abraham per David, ac de Tribu Juda. Hoc impletum fuisse in Jesu, constat ex genealogia, quam de seipso contexere, *Matth. cap. 1.* & *Lucas, cap. 3.* —— Debuit nasci ex Virgine, Isaiæ 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Jer. 31. vers. 22. *Creavit Dominus novum super terram; femina circumdabit virum*, ideſt, ex Virgine manente Virgine post conceptionem, & partum. Nam Isaias, & Jeremias prænuntiant hoc, tamquam *Signum*, tamquam *Novum*, & inauditum super terram. Porro Maria Mater Jesu fuit Virgo ante partum, in partu, & post partum, ut patet ex verbis Mariæ ad Angelum, & Angeli ad Mariam, *Luc. 1.*

Rursus: Messias debuit nasci in Bethelehem. Sic Herodi, hoc scisciranti, responderunt Principes Sacerdotum, & Scribæ populi, *Matth. 1. v. 6.* interpretantes illud Michææ 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata . . . ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, Jesus autem in Bethlehem natus est.

Messias debuit Evangelizare populo, Isaiæ 61. vers. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam.* Jesus autem triennio in Judæa prædicavit: *Et erat prædicans in Synagogis Galilææ*, Lucæ 4. v. 18. & 44.

Messias debuit miracula patrare, *Isaiæ 35. vers. 4. & 5. Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus, claudus* &c. Hæc omnia fecisse Jesum, superius ostendimus. Quare Jesus ipse, *Matth. 11.* Joanni interroganti: *Tu es, qui venturus es?* Responsum misit, vers. 5. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, &c.*

Messias debebat humilis ingredi Jerusalem, Zachar. 9. vers. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super Asinam, & super pullum filium Asinæ.* Hoc idem fecisse Jesum refertur, *Matth. 21. a v. 7.*

Messias debebat vendi triginta denariis, Zachar. 11. v. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Debebat subire acerbitatem passionis, flagellis cædi, spinis coronari, inter latrones crucifigi, manus, ac pedes perforari, subsannari, ejus vestimenta partim dividi, partim in sortem dari, patiens, mansuetus; quæ omnia prænuntiarunt Isaias, *cap. 53.* & David, toto *Psalm. 21.* Insuper resurgere a mortuis, *Psalm. 15. vers. 10.* ascendere in Cælum, & alia, quæ referuntur *Psalm. 67.* Hæc autem omnia fuisse impleta in Jesu Nazareno, quis inficias ibit, si legerit Evangelia? Vel nisi sit adamante durior:

IV. Quoad Prophetias consistentes in factis, aut signis, eas quoque in Jesu impletas ostendemus: sunt enim signa quædam, quibus adumbratus fuit Messias. Primo. Serpens æneus, quem Deus erigi voluit in deserto, quem aspicientes sanabantur, *Num. 21. v. 8. &c.* Hunc sui figuram fuisse, Jesus ipse docet, *Joann. 3. v. 14.* Secundo. Nubes ignea, quæ Hebræis in deserto prælucebat per noctem, *Exod. 13. vers. 21.* Manna, quod Israelitis de Cælo pluit, *Exod. 16.* & alibi. Petra, quæ percussa a Moyse dedit aquas. Quæ omnia fuisse signa, sub quibus, ceu figuris, latuisse Christum, ostendit Paulus, *1. Corinth. 10.* Tertio. Alia sunt signa, quæ petuntur a certis personis, quarum gesta, immo tota vita figura fuit Messiæ: puta Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David, aliique, qui in variis suis operibus figurarunt ea, quæ in Messia eventura erant: quæ in Jesu impleta ostendant Patres, præcipue Augustinus, *l. 12. contra Faustum, a Cap. 27. l. 17. & 18. de Civ. Dei.* Unde si fiat diligens comparatio in toto Veteri Testamento, invenietur Christus Jesus adumbratus veluti latuisse.

§. II.

§. II.

Undenam veniat Judæorum Cæcitas?

V. CUm Jeſu Nazareno omnes veri Meſſiæ notæ conveniant, adhuc tamen Judæi increduli ſunt. Quare eorum incredulitatis cauſas placet exponere. Prima ergo Judaicæ incredulitatis cauſa eſt: quia multa de Meſſia dicta, quæ ad myſticum ſenſum trahenda ſunt, ipſi ad litteram ſumunt: Veluti cum de Meſſia, *Pſalm.* 44. *verſ.* 3. dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum*, putant, Meſſiam exteriori pulchritudine omnes homines præcellere debere. Cum. *Pſalmo* 2. *verſ.* 8. ſcriptum legunt; *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, cenſent, Meſſiam terreno Regno potiturum. Cum *Pſalm.* 44. *verſ.* 6. dicitur: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent*, ſperant, illum fore bellatorem, & populorum domatorem. Dum legunt, Iſaiæ 11. verſ. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos &c.* credunt, Meſſiam, rebus compoſitis, ſumma pace, nedum homines, ſed etiam beſtias inter ſe conciliaturum. Dum ſimiliter, *Iſaiæ* 11. *verſ.* 4. legunt: *Percutiet terram virga furoris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, putant, Meſſiam ſolius loquelæ vi homines interfecturum.

VI. Altera cauſa Judaicæ incredulitatis eſt: quia e contra myſtice exponunt, quæ ad litteram ſunt accipienda; ſicut illa verba, Pſalm. 21. v. 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Illa, Pſalm. 68. v. 22. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Illud, Zachar. 9. v. 9. *Ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam, & ſuper pullum filium Aſinæ.* Et alia multa, quæ litteraliter de Meſſia dicta ſunt, & Jeſu evidenter conveniunt, Judæi myſtice volunt intelligi.

VII. Tertia cauſa eſt: quia Judæi capere non poſſunt, ſeu verius nolunt, Meſſiam futurum, verum Deum & hominem, ſicut dicimus de Jeſu: cum tamen Scriptura aperte id aſſerat. Tum Iſaiæ 7. v. 14. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel* (ideſt nobiſcum Deus cap. 9.) *Vocabitur nomen ejus admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis.* Ubi Iſaias loquitur de Meſſia, per quem erant Gentes convertendæ. Tum Michææ 5. verſ. 2. *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Jeremiæ 13. verſ. 6. *In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter; & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Tum *Baruch* 3. *verſ.* 36. futurus Deus, & homo ſic deſcribitur: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.*

VIII. Quarta cauſa eſt; quia miracula a Jeſu edita nolunt credere; ſed dicunt, ea vel fuiſſe conficta, vel non divina virtute, ſed magicis incantationibus facta: vel iis miraculis opponunt quædam ſigna a Magis, & Idololatris quondam perpetrata, ut a Veſpaſiano, Apollonio Tyanæo &c. —— Sed miracula Chriſti Jeſu fuiſſe vera, & non meras præſtigias, ſupra, *Dub.* 1. §. 1. *n.* 7. evidenter oſtendimus. Quod vero ſimilia a Magis, & Idololatris patrata ſint, negamus.

Quod enim de Veſpaſiano legitur, in Ægypto morante, cæco viſum reſtituiſſe, hominemque calcata ejus manu curaſſe; ſimulatum, & commentitium eſſe conjicitur ex iis, quæ Tacitus, *Lib.* 4. *cap.* 81. refert. Nam primo: Cum audiſſent Ægyptii multa de Meſſia dicta, a Joſepho adulatorie Veſpaſiano accommodari; ne Joſepho in adulatione cederent, duos viros ſubornarunt, qui ſe ægros fingerent. Secundo: cum hi adducti fuiſſent ad Veſpaſianum, ſincere confeſſus fuit, ſe non habere vim ſanitatem eis reſtituendi: *Veſpaſianus* (inquit Tacitus) *primo irridere, aſpernari &c.* Quod ſi tandem adductus fuit in ſpem, ſe poſſe illos ſanare; hoc fuit ex adulantium ſuaſionibus. *Vocibus* (inquit Tacitus) *adulantium in ſpem induci.* Unde mirum non eſt, quod addit idem Tacitus: *Utrumque, interfuerant, nunc quoque memorant, poſtquam nullo mendacio pretium.*

Quod autem de Apollonio Tyanæo ſcribit Philoſtratus: quod non ſolum in Cælum elatus ſit, ſed quod tot miracula ediderit; ut Hierocles in Ægyptum profectus, & Chriſtianæ religionis hoſtis infenſiſſimus, inſtituerit comparationem inter Apollonium, & Jeſum: nullius fidei eſt. Primo: quia Apollonius ſub Domitiano, Philoſtratus centum poſt annos ſub Severo vixit; unde alieno teſtimonio geſta Apollonii contexit. Secundo prodigia Apollonio tributa paucis, & ſæpe nullis præſentibus patrata fuiſſe, narrat. Tertio: quia Hierocles religioni Chriſtianæ infenſus, ut hanc deprimeret, tot, tantaque de Apollonio confingere poterat, ut eum Jeſu æqualem oſtenderet. Quarto: quia Philoſtratus ipſe refert, Apollonium ubique pro vaferrimo Mago habitum; ideoque a Domitiano in carcerem conjectum fuiſſe, & Babylonios Magos, Brachmanos, alioſque ſimilis furfuris homines, magiſtros habuiſſe. Videatur de hoc Euſebius, in *lib. contra Hieroclem*, ad calcem *lib. Demonſtr. Evangelicæ*. Ubi, quæ de Apollonio Tyanæo, ex Philoſtrato, narrat Hierocles, vanas præſtigias, magicaſque illuſiones fuiſſe demonſtrat.

IX. Opponunt denique Judæi: multa in Scripturis ſigna de Meſſia prænuntiari, quæ Jeſu Nazareno non congruunt. Nam, *Iſaiæ* 2. *verſ.* 2. dicitur, quod *Erit in noviſſimis diebus:* Jeſus autem a multis ſæculis venit. Promittitur ibidem, quod *Fluent ad eum omnes Gentes*, v. 4. quod *judicabit Gentes, & arguet populos multos: Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Inſuper Meſſias prædicitur regnaturus ſuper ſolium David, & in Jeruſalem, *Jeremiæ* 3. *v.* 17. & alibi: quæ certe Jeſu non congruunt.

X. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum: quod Meſſias dicitur futurus in noviſſimis diebus; non quibus ceſſaturus eſt Mundus, ſed quibus ceſſatura, eſt lex Moſaica, umbræ, Prophetiæ; neque alius expectandus erit Legislator, uſque in finem mundi: quod in Jeſu impletum eſt.

Ad ſecundum dico, legem Evangelii eſſe diffuſam ad omnes Gentes, quæ prædicatione Apoſtolorum fluxerunt ad Jeſum. Ubi ly *Omnes* ſumi debent cum diſtributione, non (ut ajunt) *completa;* ita ut fiat ſenſus quod ex omnibus Gentibus omnes, & ſinguli ad Jeſum fluxerint: ſed *incompleta;* ita ut ex omnibus Gentibus aliqui. Quare Iſaias ibi dicit v. 3. *Ibunt ad eum populi multi* —— Quod autem additur, pariter in Jeſu impletum eſt. Nam eo tempore, quo natus eſt, erat pax univerſalis in toto Orbe, qualis nunquam fuit. Unde Auguſtus totum Orbem ſibi pacifice ſubjectum deſcribi juſſit.

Ad tertium dico, Meſſiam regnaturum ſuper ſolium David: quia Regnum ejus temporale tranſmutabit in ſpirituale, & æternum in Jeruſalem, ideſt in Eccleſia, quæ Regnum Chriſti eſt ſuperædificatum in fide, & charitate. Sed de his meo Candidato ſatis.

DUBIUM IV.

An Incarnatio debito tempore peracta ſit?

§. I.

Reſolvitur Dubium.

I. HOC certum eſt, Deum fuiſſe incarnatum eo tempore, quo ipſe voluit: unde in quæſtione de tempore Incarnationis, non eſt quærenda alia ratio a priori, niſi divina voluntas, vel quia Deo ſic placuit. Verum quia divina voluntas eſt rationabiliſſima, & omnia ex ſumma ſua ſapientia diſponit; ideo aſſignandæ ſunt rationes, ſeu motiva congruentia, propter quæ Deus incarnari voluerit, non ab initio, aut in fine Mundi, ſed in medio temporum: ut ſic obſtruamus os Gentilibus, qui Chriſtianis exprobrabant, quod Chriſtus veritatis Dux, & Magiſter prioribus ſæculis ſe ſubduxerit; & Judæis ipſum adhuc expectantibus in noviſſimis diebus.

II. Rurſus: ſupponimus ut certum, potuiſſe Deum, abſolute loquendo, incarnari, ſive ab initio, ſive in fine mundi: & ſi voluiſſet, convenientiſſime feciſſet. Quare dum quærimus: an Deus ſit incarnatus tempore debito, & convenienti; non loquimur de convenientia abſoluta, ſed relativa, ideſt: An inter omnia tempora, Incarnationi tempus congruentiſſimum elegerit, ſuppoſito, quod voluerit incarnari. Et in hoc ſenſu tractabimus hoc quæſitum cum Sanct. Thoma *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. & 3. *part. q.* 1. *art.* 5. & 6.

III. Dico ergo primo. Non fuit conveniens, ut Deus incarnaretur ab initio mundi, antequam Adam peccaret. Ita Sanct. Thom. hac 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 5. & in 3. *ſent. art.* 4. citato, & probat. Nam medicina dari non debet, niſi infirmis; ideoque Chriſtus, Matth. 9. verſ. 12. *Non eſt* (inquit) *opus valentibus Medico, ſed male habentibus.* Et verſ. 13. *Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores:* ſed incarnatio fuit ordinata, ut medicina in remedium peccati, ſaltem ex vi præſentis decreti, ut ſuo loco dicemus; ergo non debuit fieri, antequam humanum genus per peccatum fieret infirmum.

IV. Dico ſecundo. Non fuit conveniens, ut Deus incarnaretur ſtatim poſt Adæ peccatum. Probat S. Doctor citato loco quatuor rationibus. Prima eſt. Medicina debet ita adhiberi, ut ſit conveniens ægritudini: cum ergo hominis ægritudo ex ſuperbia proceſſerit, debuit ita Incarnationis medicina illi applicari, ut prius cognoſcendo, ſe eſſe infirmum, & egentem Medico, ſe humiliaret. Ut vero hoc cognoſceret homo, debuit prius relinqui in ſtatu naturæ, ut experiretur, ſe per vires liberi arbitrii non poſſe a peccati morbo ſanari, immo ſemper in deterius ruere. Deinde conſtitui debuit in ſtatu legis Scriptæ; ut experiretur, ſe nec per legem poſſe ab infirmitate liberari: & videns, occaſione legis morbum potius augeri (*Non legis, ſed naturæ vitio*) *cognita ſua infirmitate clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium.* Ita etiam ratiocinatur Chryſoſtomus, in *Epiſt. ad Rom. homil.* 7. dicens: *Si a principio adveniſſet, dicerent, fieri potuiſſe, ut quis per ipſam legem ſervaretur & laboribus propriis, & meritis. Hanc igitur illorum obſervans impudentiam, magnam temporis moram interpoſuit, antequam adveniret &c.*

V. Se-

V. Secunda ratio eſt. Ut paulatim a ſtatu imperfectiori naturæ homo perduceretur ad ſtatum perfectiorem legis Scriptæ, & ab hoc ad ſtatum perfectiſſimum legis Evangelicæ, & gratiæ per Chriſtum, juxta Apoſtolum, 1. Corinthios 15. v. 46. *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale: primus homo de terra terrenus: ſecundus homo de Cælo cæleſtis.* Cum igitur *Perfectiſſimum in operibus Dei ſit ipſa Incarnatio, per quam creatura Deo unitur in unitate perſonæ: ideo oportuit, ut non in principio humani generis, ſed poſtmodum verſus finem ſæculorum compleretur: ut ſic prius eſſet quod animale, deinde quod ſpiritale eſt.* Ita S. Thom. in 3. *diſt.* 1. *q. art.* 4. Qui ex S. Auguſt. *l.* 85. *Quæſt.* 44. proſequitur: *Sicut abſurdus eſt, qui juvenilem tantum ætatem vellet eſſe in homine, temporibus ſubdito. invideret enim cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus ſuas vices, atque ordinem gerunt: ſic abſurdus eſt, qui in ipſo univerſo genere humano unam ætatem deſiderat . . . . Nec oportuit venire divinitus Magiſtrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, niſi tempore juventutis. Ad hoc valet, quod Apoſtolus dicit, ſub lege tamquam ſub Pædagogo parvulos cuſtoditos, donec veniret, cui ſervabatur qui per Prophetas permiſſus erat.* Quemadmodum ergo non decet, hominem ab initio eſſe in juvenili ætate; ſed per infantiam, & pueritiam ad eam progredi: ita non decuit, hominem ab initio eſſe ſub lege gratiæ, ſed per legem naturæ, & ſcriptæ ad eam ſibi viam parare.

VI. Tertia ratio eſt. Propter dignitatem Verbi incarnati, cujus adventum præcedere debebant præconia Prophetarum, figuræ, & veteris legis Sacramenta. *Per multam ſeriem temporum, & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat prædicendus, ſemper tenendus. Quanto major Judex veniebat, tanto præconum longior ſeries præcedebat,* (ait Sanct. Auguſtin. *Tractat.* 31. *in Joann.*) & Sanctus Leo *Serm.* 13. de Paſſione. *Sic* (inquit) *congruebat, illos populos erudiri, ut quæ revelata non caperent, obumbrata ſuſciperent: & major Evangelii eſſet auctoritas, cui tot ſignis, totque Myſteriis, veteris Teſtamenti pagina deſerviſſent.*

VII. Quarta ratio eſt. Diſtantia a ſuo principio debilitatem facit in effectu; qui debilior eſt, quo magis diſtat a ſuo principio: ſi ergo Incarnatio ab initio Mundi facta fuiſſet, fervor fidei temporis diuturnitate tepuiſſet. Unde circa finem mundi *Refrigeſcet Charitas multorum*, Matth. 24. v. 12. & Lucæ 18. v. 8. *Cum filius hominis veniet* (in fine Mundi) *putas inveniet fidem in Terra?* Quod exponens Sanct. Thomas, *in 3. diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. citato, ait: *Si hoc maximum remedium Incarnationis in principio ſæculorum fuiſſet, procedente tempore, effectus ejus in homines minus charus fuiſſet, refrigerante Charitate: & ideo a principio generis humani indita eſt mentibus hominum, per quam homines Deo ſubjecti eſſent. Poſtmodum vero invaleſcente conſuetudine peccatorum, lex naturalis adeo tenebrata eſt in pluribus, ut jam non videretur ad regimen humani generis ſufficere; & ideo tunc additum eſt aliud remedium, ſcilicet, vetus lex, & ea quæ ad ipſam pertinent: Qua etiam proceſſu temporis in hominum cordibus debilitata, oportuit aliud perfectius remedium per Incarnationem apponi, uſque ad tempus illud, cum multorum charitas refrigeſceret: & tunc ſuccederet per ſecundum adventum viſio fidei, & ſtatus gloriæ ſtatui præſentis Eccleſiæ.* Hæc S. Thomas.

VIII. Dico tertio. Non fuit conveniens, Deum differre Incarnationem uſque ad finem mundi. Probat S. Thomas *3. p. quæſt.* 1. *art.* 6. primo, ſic. Ordo naturæ petit, ut id, quod eſt cauſa perfectionis, præcedat tempore; ut ſic, quod imperfectum erat, poſſit paulatim perducere ad ſtatum perfectum; ergo Verbum, quod Incarnatione ſua fuit cauſa efficiens elevans hominem a miſeria, non debuit in fine mundi venire, ſed multo ante; ut ſupereſſet tempus, quo homo ad perfectionem perduci poſſet. — Secundo. Si Incarnatio protracta eſſet ad finem mundi, inveniſſet Dei notitiam, ac reverentiam, morum honeſtatem fere penitus abolitas: non eſt autem prudentis Medici remedium differre ad id tempus, quo adeo invaluit morbus; ut ſit quaſi impoſſibilis curatio. — Tertio. Decuit, Incarnationem ita diſponi, ut homines ſalvarentur, non ſolum per fidem Chriſti præſentis, & futuri, ſed etiam præteriti; ut ſic ejus virtus magis manifeſtaretur: at ſi Incarnatio dilata fuiſſet uſque ad finem mundi, homines non fuiſſent ſalvati per fidem Chriſti præteriti; & Incarnationis effectus ſe extenderet ad præteritos, ad præſentes, ſed non ad futuros: ergo &c.

IX. Dico quarto. Incarnatio congruenter facta eſt in medio temporum. Probat S. Thom. citato *art.* 6. *in arg. Sed contra*, ex illo Habacuc, 3. v. 2. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud: in medio annorum notum facies.* Quæ de Incarnationis opere dicta intelligunt Euſebius, *l.* 6. *Demonſtr. Evang. c.* 15. Auguſtinus, *l.* 18. *de Civ. Dei c.* 32. & Hieron. in dictum caput. Nota tamen, quod hic *Medium* non ſumitur pro medio geometrico, vel arithmetico; ſed pro eo, quod nec eſt principium, nec finis, ſed eſt inter principium, & finem, etſi magis ſit propinquum uni, quam alteri, ſicut intervallum, quod eſt inter Romam, & Bononiam, dicitur eſſe medium inter illas, quamvis uni ſit propinquius, quam alteri.

Probatur ergo ſic. Illud tempus fuit conveniens Incarnationi, quo expletæ erant omnes Prophetiæ de futuro Meſſia; atqui hæ expletæ erant tempore medio, in quo facta fuit Incarnatio: expleta enim erat Prophetia Jacobi, Prophetia Danielis de quatuor Regnis, de ſeptuaginta hebdomadibus, ut ſupra oſtendimus; ergo &c.

§. II.

Solvuntur ea, quæ obſtare videntur.

X. INcarnationem debuiſſe fieri ab initio Mundi, contra ſecundum Aſſertum videtur, primo. Nam Incarnationis opus ex immenſa Dei charitate procedit: ſed charitas non tardat ſubvenire amico neceſſitatem patienti; *Prov.* enim 3. *verſ.* 28. dicitur: *Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare;* ergo &c.

Secundo. Chriſtus venit in hunc mundum *Peccatores ſalvos facere*, 1. ad Timoth. 1. verſ. 15. ſed plures ſalvati fuiſſent, ſi Incarnatio facta fuiſſet ab initio mundi: tot enim ignorantes Deum non periiſſent; ergo &c. Hoc erat argumentum Ethnicorum, apud Sanct. Auguſtin. *Epiſt.* 49. modo 102. *ad Deo Gratias, qu.* 2. dicentium: *Si Chriſtus ſe ſalutis viam dicit, gratiam, & veritatem, in ſeque ſolo ponit animis ſibi credentibus reditum; quid egerunt tot ſæculorum homines ante Chriſtum? . . . Quare Salvator, qui dictus eſt, ſeſe tot ſæculis ſubduxit? Sed ne dicant, lege Judaica vetere hominum curatum genus, longo poſt tempore lex Judæorum apparuit anguſta Syriæ regione; poſtea vero prorepſit etiam in fines Italos: ſed poſt Cæſarem Cajum, aut certe ipſo imperante. Quid igitur actum de Romanis animabus, vel Latinis, quæ gratia nondum advenientis Chriſti viduata ſunt, uſque in Cæſarum tempus?* Hæc Ethnicorum nomine Porphyrius.

Tertio. Quanto plus differtur medicina, tanto periculoſius invaleſcit morbus: ſed ſapientis Medici eſt, ut morbi periculum evitet: ergo videtur, quod acceleranda fuiſſet Incarnatio.

X. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum dico cum Sancto Thoma 3. p. q. 1. art. 5. ad 1. *Quod charitas non differt amico ſubvenire, ſalva tamen negotiorum opportunitate, & perſonarum conditione. Si enim Medicus ſtatim a principio ægritudinis medicinam daret infirmo, minus proficeret, vel magis læderet, quam juvaret. Et ideo etiam Dominus non ſtatim a principio Incarnationis remedium humano generi exhibuit; ne illud contemneret ex ſuperbia, ſi prius ſuam infirmitatem non cognoſceret.* Iiſdem fere verbis reſpondet, in 3. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2.

XII. Ad ſecundum nego abſolute min. Sicut enim facta modo Incarnatione, illi ſoli ſalvantur, qui ſunt prædeſtinati; ita etſi ab initio facta fuiſſet, illi ſoli ſalvati fuiſſent, qui fuiſſent prædeſtinati ad vitam æternam. Ita cum S. Auguſtino S. Thomas, hoc *art.* 5. *ad* 2. & *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 4. ubi ait: *Nullus eorum, qui præordinati erant ab æterno, etiam ante Chriſti Incarnationem periit; nec etiam aliquis non prædeſtinatus, quandocumque Incarnatio fuiſſet, ſalvatus eſſet.* Ad ſalutem enim & requiritur Chriſtus, ejuſque prædicatio, & requiritur gratia finalis per ipſum. Unde concludit S. Thom. *Et ideo quærere, quare Chriſtus illi non prædicavit, vel quare gratiam illi non appoſuit, eſt idem, quod quærere prædeſtinationis cauſam, quæ nulla eſt niſi voluntas Dei.*

Ad objectionem vero Ethnicorum, S. Auguſtinus, citato loco, eam primo retorquet in ipſos, ſic. Suorum Deorum Sacra, quæ certis temporibus ſunt inſtituta, profuerunt iis, quæ antea objerant, an non. Si non: quare nos arguunt, cum inſtantia militet contra ipſos? Si profuerunt: cur Chriſtus, ejuſque religio prodeſſe non potuit etiam illis; qui ante ipſum objerunt? Si dicant, Deos quidem ſuos ſemper fuiſſe; ſed pro varietate perſonarum, locorum, & temporum ſibi diverſis modis ſerviri voluiſſe: cur hanc nobis faciunt quæſtionem, cui & ipſi reſpondere tenentur? Vel ſi nos reſpondere non poſſumus, nec ipſi poſſunt reſpondere? Videatur Auguſtinus, qui ita concludit pro nobis: *Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eum utcumque intellexerunt, & ſecundum ejus præcepta pie, & juſte vixerunt; quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum procul dubio ſalvi facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: ſic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur; ideo fides ipſa variata, vel ſalus ipſa diverſa eſt.* Ex quo igitur Deus propoſuit Chriſtum paſſione ſua humani generis Mediatorem, ac Redemptorem; quotquot in eum aſpiciebant, per fidem juſtificabantur, & ſalvi fiebant. Et ideo, *Apocal.* 13. *verſ.* 8. Chriſtus dicitur agnus: *Qui occiſus eſt ab origine Mundi;* quia ab origine Mundi ejus mors, per fidem apprehenſa, cœpit efficaciam habere.

XIII. Ad tertium reſpondet S. Thom. in 3. diſt. 1. q. 1. art. 4. ad 3. *Quod aliter eſt in morbo ſpirituali, quam corporali: ad ſanationem enim corporalis morbi non exigitur, ut infirmus vim medicinæ, & periculum morbi cognoſcat: quod tamen maxime eſt neceſſarium in morbi ſpiritualis ſanatione, qui per humilitatem, & contritionem ſpiritus ſanatur. Et ideo quamvis medicina corporalis non differatur, medi-*

medicina tamen ſpiritualis differri poteſt. Nec tamen ita dilata eſt, ut a principio penitus deeſſet: quia quamdiu fuit morbus, fuit medicina morbi, ut Hugo de S. Victore dicit; quamvis illa medicina non ſit omnino ſufficiens. Sic enim & Medicus corporalis ægroto præparatoria quædam medicamenta præbet, antequam perfectam medicinam det: & hic etiam fuit proceſſus Dei in ſanatione humani generis.

XIV. Occurrunt Judæi, volentes, Meſſiam venturum in fine mundi, contra tertium Aſſertum, primo. *Gen. 49. v. 1.* Jacob convocatis filiis ſuis prædicturus adventum Meſſiæ, ait: *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis.* Et Iſaias *cap. 2. verſ. 2.* vaticinans de Eccleſia Chriſti: *Et erit* (inquit) *in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini &c.* ergo &c.

Secundo. Quod poteſt fieri per unum, non debet fieri per duo: ſed Chriſtus venturus eſt in fine mundi; ergo non debent dari duo adventus, unus in medio temporum, alter in fine mundi.

XV. Reſpondeo ad primum, primo. Ly *In noviſſimis diebus*, ut ſupra dictum eſt, intelligi de fine Legis, & Prophetarum, non vero de fine mundi —— Secundo. Dico, per noviſſimos dies Jacob, & Iſaiam intelligere ætatem, in qua ſumus; & quæ reſpectu aliarum quinque præcedentium noviſſima dicitur. Prima ſiquidem mundi ætas ab Adamo ad diluvium fluxit, Altera a diluvio ad Abrahamum. Tertia ab Abrahamo ad Moyſen, ſive, ut alii volunt, ad Davidem. Quarta a Moyſe, ſive a Davide ad captivitatem Babylonicam. Quinta a captivitate Babylonica ad Chriſtum. Sexta denique a Chriſto, uſque ad conſummationem ſæculi: & hæc noviſſima eſt; quam Prophetæ prænuntiarunt ad finem mundi duraturam.

Ad ſecundum reſpondet S. Thomas *3. part. q. 1. art. 6.* quod ſicut dicit Chryſoſtomus Hom. 27. in Joannem, *Duo ſunt Chriſti adventus. Primus quidem, ut remittat peccata: ſecundus, ut judicet mundum. Si enim hoc non feciſſet, univerſi ſimul perditi eſſent: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Unde patet, quod non debuit adventus miſericordiæ differri, uſque ad finem mundi.*

Dubium V.

An Angeli cognoverint exiſtentiam Incarnationis.

§. I.

De Cognitione Naturali.

I. Dico primo. Angeli, ſive boni, ſive deſertores non habuerunt, nec potuerunt habere viribus naturæ cognitionem exiſtentiæ Incarnationis; ſeu, non potuerunt cognoſcere, Jeſum Nazarenum eſſe hominem Deum. Probatur eiſdem rationibus, quibus ſupra oſtendimus, nullum intellectum creatum, neque Angelicum, poſſe viribus naturæ cognoſcere Incarnationis poſſibilitatem. Nam ſicut poſſibilitas Incarnationis cum nulla cauſa, aut effectu naturali connexionem habet; ita neque Incarnationis exiſtentia, cujus cauſa, & effectus ſunt omnino ſupernaturales. Unde ſic diſcurro. Quod non poteſt cognoſci, ut poſſibile, nec poteſt cognoſci ut exiſtens; quia cognitio exiſtentiæ alicujus rei ſupponit cognitionem poſſibilitatis ejus: ſed Incarnatio ratione naturali a nulla mente creata cognoſci poteſt, ut poſſibilis; ergo neque cognoſci poteſt, ut exiſtens.

Ulterius: Ut cognoſcatur vi naturali exiſtentia Incarnationis, debet etiam vi naturali cognoſci ſecunda Perſona SS. Trinitatis, quæ eſt incarnata; & conſequenter Trinitas, ſaltem quoad an eſt: ſed hoc cognoſci non poſſe in Tractatu de Trinitate oſtenſum eſt; ergo &c.

II. Dico primo. Angelus lumine naturali cognoſcebat evidenter, humanitatem Chriſti ſubſiſtere, & non ſubſiſtere propria ſubſiſtentia; atqui cognoſcebat, eum non poſſe ſubſiſtere ſubſiſtentia aliena creata, quia hoc eſt impoſſibile; ergo cognoſcebat, eam ſubſiſtere ſubſiſtentia aliena divina. Conf. prob. Quia Angelus ſcit evidenter, humanitatem Chriſti ſubſiſtere non poſſe, niſi per ſubſiſtentiam creatam propriam, vel alienam, vel per increatam; ſed evidenter cognoſcebat, eam non ſubſiſtere ſubſiſtentia creata, ſive propria, ſive aliena; ergo evidenter cognoſcebat, eam ſubſiſtere ſubſiſtentia increata.

III. Reſpondeo, neg. abſolute maj. Nam quamvis Angelus non videret in Chriſti humanitate ſubſiſtentiam propriam; non poteſt proinde dici, eum cognoviſſe evidenter, eam non ſubſiſtere propria ſubſiſtentia; & minus ſubſiſtere ſubſiſtentia divina. Sed dicendum, quod Angelus non videns in Chriſti humanitate propriam ſubſiſtentiam, & ex alia parte videns eam operantem (quod eſt proprium ſubſiſtentium) prudenter cœperit dubitare, an Deus ſubſiſtentiam propriam humanitatis illi occultaverit: unde incertus, quid factum eſſet, manſerit ſuſpenſus; non autem concluſerit, eam divina ſubſiſtentia ſubſiſtere. Quia abunde probatum eſt, Angelum ſolo lumine naturali nec ſuſpicari poſſe, poſſibilem eſſe unionem divinæ ſubſiſtentiæ cum natura creata.

IV. Dices ſecundo. Angelus etiam malus perſpicacitate ſui intellectus cognoſcit omnia, quæ corporaliter fiunt, ergo cognovit, Jeſum fuiſſe conceptum, & natum de matre, abſque viri copula, & conſequenter de matre non corrupta, ſed adhuc Virgine; ergo potuit cognoſcere, fuiſſe conceptum opera Spiritus Sancti.

V. Reſpondet S. Thomas *3. p. q. 29. art. 1. ad 3.* neg. conſeq. Nam, *Sicut Auguſtinus dicit, in 3. de Trinit.* (c. 7. & 8.) *Diabolus multa poteſt virtute ſuæ naturæ, a quibus tamen prohibetur virtute divina. Et hoc modo poteſt dici, quod virtute naturæ ſuæ Diabolus cognoſcere poterat, Matrem Dei non fuiſſe corruptam, ſed Virginem, prohibeatur tamen a Deo cognoſcere modum partus divini.* Unde ait S. Ignatius Martyr (apud Sanctum Hieronymum *in Matth. cap. 1.*) hac de cauſa fuiſſe Mariam deſponſatam Joſeph, ut ſcilicet: *Partus ejus celaretur Diabolo, dum eum putat, non de Virgine, ſed de uxore generatum.* Hac etiam de cauſa dicendum eſt, fuiſſe Diabolo celata omnia ſigna, etiam ſenſibilia, indicantia Jeſu divinitatem, quæ acciderunt in ejus, tum conceptione, tum nativitate, & infantia. Unde pergit Sanctus Thomas: *Quod autem poſtmodum eum aliqualiter cognovit Diabolus, eſſe Filium Dei, non obſtat: quia jam tempus erat, ut Chriſtus ſuam virtutem contra Diabolum oſtenderet, & perſecutionem ab eo concitatam pateretur. Sed in infantia oportebat impediri malitiam Diaboli, ne eum acrius perſequeretur; quando Chriſtus nec pati diſpoſuerat, nec virtutem ſuam oſtendere: ſed in omnibus aliis infantibus ſe ſimilem exhibebat.*

§. II.

De Cognitione per Revelationem.

VI. Angelis Sanctis revelatum fuiſſe, Myſterium Incarnationis jam eſſe peractum, etiam ante Chriſti mortem, exploratum eſt. Hoc enim, etiam a principio, ex quo beatificati fuerunt, aliquo modo cognoviſſe, docet S. Thomas *1. p. q. 64. art. 2. ad 4.* & *3. p. q. 44. art. 1. ad 2.* Cognoverunt etiam eo tempore, quo peractum eſt. Nam *Luca 1.* Gabriel Angelus illud Mariæ nuntiavit. *Luca 2.* Angeli illud paſtoribus nuntiarunt eadem nocte, qua Chriſtus natus eſt. *Matth. 4.* Angeli Sancti Chriſto miniſtrarunt. Dubium eſt de Angelis deſertoribus: an cognoverint, ante Chriſti mortem, peractum eſſe in Jeſu Myſterium Incarnationis; ſeu, an Jeſus fuerit Meſſias in lege promiſſus. Unde,

VII. Dico. Angeli deſertores, ſeu Dæmones, ante Chriſti mortem, certo non cognoverunt, Jeſum Nazarenum eſſe Filium Dei, ſed manebant ſuſpenſi: ex una enim parte videbatur illis purus homo, cum in eo omnes infirmitates carnis viderent; ex alia ſuſpicabantur etiam, eum eſſe Filium Dei, quia videbant in Chriſto opera virtutem puri hominis excedentia. Ita Sanctus Thomas, tum *1. part. quæſt. 64. art. 1. ad 4.* tum *3. part. qu. 41. artic. 1. ad 1.* his verbis: *Sicut Auguſtinus dicit; in 9. de Civit. Dei* (cap. 31.) Chriſtus tantum innotuit Dæmonibus, quantum voluit; non per id, quod eſt vita æterna, ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta: *Ex quibus quamdam conjecturam habent Chriſtum eſſe Filium Dei. Sed quia rurſus in eo quædam ſigna humanæ infirmitatis videbant, non pro certo cognoſcebant, eum eſſe Filium Dei: & ideo eum tentare voluerunt. Et hoc ſignificatur, Matth. 4. ubi dicitur, quod* poſtquam eſuriit, acceſſit Tentator ad eum. *Quia, ut Hilarius dicit* (ſuper *Matth. cap. 3.*) Tentare Chriſtum Diabolus non fuiſſet auſus, niſi in eo, per eſuritionis infirmitatem, quæ ſunt hominis recognoſceret. *Et hoc etiam patet ex ipſo modo tentandi, cum dixit:* Si Filius Dei es. *Quod exponens Ambroſius dicit* (in *Luca 4.*) Quid ſibi vult talis ſermonis exorſus: niſi quia cognoverat Dei Filium eſſe venturum, ſed veniſſe, per hanc infirmitatem corporis, non putabat?

VIII. Dices primo. Ex Evangelio conſtat, Diabolum ſæpe vocaſſe Chriſtum *Filium Dei*. Primo. Lucæ 4. v. 34. *Quid nobis, & tibi, Jeſu Nazareno? Veniſti perdere nos? Scio te, quis ſis Sanctus Dei.*

Secundo. Chriſtus ſæpe Diabolis prohibuit, ne illum palam confiterentur. Marci *3. v. 11. Et ſpiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum.* Et *Lucæ 4. v. 35.* & *v. 41. Exibant autem a multis Dæmonia clamantia, & dicentia: quia tu es Filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant, ipſum eſſe Chriſtum.*

IX. Reſpondeo, Dæmones appellaſſe Jeſum *Sanctum Dei*, *Filium Dei*, non quia certo cognoſcerent eum talem eſſe; ſed quia ipſum talem eſſe ſuſpicabantur. Unde Gregorius, *lib 3. in Job cap. 15.* ait: *Quia hæc dicens cognoſcendo Dei Filium pertimeſcit: ſed tamen vim ſuperna pietatis ignorans, nonnunquam dum poſſibilem conſiderat, hominem purum putat.* Adducebantur autem in hanc ſuſpicionem: Tum, quod cernerent adveniſſe tempus, quo Prophetæ Meſſiam venturum eſſe, prædixerant. Tum, quod miſſionem ſibi a Patre commiſſam Chriſtus prædicabat. Tum, quod a Chriſto miracula ſine ipſorum miniſterio, immo ipſis invitis, patrari experiebantur.

X. Replicabis tamen. Dæmones videbant miracula facta a Chriſto in confirmationem doctrinæ ſuæ, qua prædicabat, ſe eſſe Filium Dei, eſſe vera miracula: & ex alia

parte

parte ſciebant, non poſſe veris miraculis falſam doctrinam confirmari; ergo certo cognoſcebant, eum eſſe Filium Dei, qualem ſe prædicabat: quia argumentum, quod deducitur ex miraculis, eſt argumentum evidens.

XI. Reſpondeo, Argumentum depromptum ex miraculis fundare, ut ſupra vidimus, evidentiam, non veritatis rei in ſe; ſed credibilitatis rei, quæ miraculis confirmatur. Unde ex quo Dæmones videbant, doctrinam Chriſti veris miraculis confirmari; ſequitur, eos formaſſe judicium, quo judicarent, eſſe evidenter credibile, quod ipſe aſſerebat. Verum cum ex alia parte viderent in ipſo omnes carnis infirmitates, dubitabant, an eſſet verus Dei Filius per naturam, an vero ſolum per adoptionem; ſicque procurabant ab hoc dubio ſe expedire, ut certo noſcerent, an eſſet Dei Filius per naturam; & quia Chriſtus nolebat hoc eis manifeſtare, ideo prohibebat, & increpabat eos.

Ad ſecundum autem, ubi dicitur, quod Chriſtus increpans eos, non ſinebat ea loqui, *Quia ſciebant, ipſum eſſe Chriſtum*; dico primo. Ly *Quia* non ſumi *Cauſaliter*; ita ut cauſa, quare Chriſtus eos prohibebat loqui, eſſet, quia hoc ſciebant: ſed ſumi *Hiſtorialiter*, & recitative, in hoc ſenſu: Chriſtus non ſinebat Dæmones dicere, ſe ſcire ipſum eſſe Chriſtum. Quo ſenſu dicit Martha, Joann. 11. verſ. 27. *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei*, ideſt, credidi, te eſſe Chriſtum. Et de Maria Magdalena, Joann. 20. verſ. 14. *Et non ſciebat, quia Jeſus eſt*, ideſt, non ſciebat, eum Jeſum eſſe. Unde verſio Syriaca ita habet: *Increpabat eos; nec permittebat eis dicere, noſſe ſe, quod ipſe eſſet Chriſtus.* Et ideo Chriſtus hoc eis prohibebat, quia mentiebantur, dicentes, ſe ſcire; cum hoc certo non ſcirent, ſed dubitanter. Tum quia: id ſolum dicebant, ad explorandum, juxta illud Ambroſii: *Explorando tentabant, & tentando explorabant.* Quid enim exploraſſent, ſi certo ſciviſſent?

Verum, quia aliæ Verſiones, Arabica, Perſica, & Ethiopica ſumunt ly *Quia* in ſenſu cauſali, ideſt, *Quoniam ſciebant*: vel *Sciebant autem ipſum eſſe Chriſtum*. Dico ſecundo. Dæmones ſciviſſe quidem, Jeſum eſſe Chriſtum, ideſt, Meſſiam promiſſum: eſſe autem Deum, Deique Filium dubitaſſe quidem, ſed non ſciviſſe certo. Quare S. Thom. *3. p. qu. 44. art. 1. ad 2.* ait: *Unde ſuper illud, Marci 3.* Scio, quod ſis Sanctus Dei, *dicit Chryſoſt.* (& Auguſt. lib. QQ. Vet. & Novi Teſtam. q. 66.) *Quod non certam, aut firmam adventus Dei habebat notitiam*; ſciebat tamen, ipſum eſſe Chriſtum in lege promiſſum. *Cognoverat enim* (ſubdit Ambroſius, in Lucam, cap. 14.) *Dei Filium eſſe venturum, ſed veniſſe per infirmitatem carnis non putavit: aliter nunquam Judæos impuliſſet ad eum occidendum, ex cujus morte timere poterat ſuam ruinam.* Idem dicit Beda, in Lucam, *cap.* 14. videndus apud S. Thomam loco mox citato.

XII. Dices ſecundo. Oppoſitum demonſtrant ipſa Dæmonum Oracula in Idolis edita. Conſtat enim, ut refert Svetonius, *in Octavio cap.* 94. Nicephorus *lib.* 1. *cap.* 17. quod cum Auguſtus Apollinem Delphicum conſuliſſet, nec reſponſum obtineret, cauſamque ſilentii exquireret; hæc tandem reſponſa obtinuit:

Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans.
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Quare addunt iidem Scriptores, Auguſtum, Romam reverſum, Aram in Capitolio erexiſſe cum hac inſcriptione; *Ara Primogeniti Dei.*

XIII. Confirmatur. Plurimi Infideles aliquam Incarnationis notitiam habuerunt, præſertim Sybillæ, ut refert Sixtus Senenſis, *l.* 1. *Biblioth. Sanctæ*, Verbo *Sybilla*. Unde S. Auguſt. *lib.* 18. *de Civit. Dei*, *cap.* 23. expendit vaticinia Sybillarum, maxime Sybillæ Cumanæ, de Incarnatione Verbi: quo etiam teſtimonio uſi ſunt SS. Patres, quotquot adverſus Gentiles cauſam Chriſtianæ Religionis propugnandam ſuſceperunt. Quibus Gentiles victi, referente Lactantio, *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 15. eo confugere ſolebant, ut dicerent, carmina illa Sybillina a Noſtris eſſe ficta, quos Lactantius ipſe redarguit. Iis etiam in ſuis concionibus uſum fuiſſe Paulum Apuſtolum, refert Sanctus Clemens Alexandrinus, *leg. 6. Stromatum.* His accedit Sanctus Thomas, qui *2. 2. quæſt. 2. art. 7. ad 3.* dicit: *Quod multis Gentilium facta fuit revelatio de Chriſto, ut patet per ea, qua prædixerunt. Nam, Job 16. dicitur*, Credo, quod Redemptor meus vivit: *Sybilla etiam prænuntiavit quædam de Chriſto, ut Auguſt. dicit. Invenitur etiam in hiſtoriis Romanorum, quod tempore Conſtantini Auguſti, & Helenæ Matris ejus inventum fuit quoddam ſepulchrum in quo jacebat homo laminam auream habens in pectore, in qua ſcriptum erat: Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol, ſub Helenæ, & Conſtantini temporibus iterum me videbis.* Cur ergo non & Dæmonibus facta fuit revelatio de Chriſto?

XIV. Reſpondeo, quod ſi Dæmones in ſuis Oraculis aliqua prænuntiarunt de Chriſto, hoc non fuit ex aliqua revelatione immediate ipſis facta: ſed per revelationem factam tum per Angelos, tum per Prophetas in Sacris Litteris. Si enim Judæi ex promiſſionibus factis, & in Scripturis exaratis, noſſe poterant Chriſtum eſſe Meſſiam, multo melius Dæmones, non quidem certo evidenter, ſed conjecturaliter: præſertim quoad ejus divinitatem, circa quam eorum mens fluctuabat. Ut enim dictum eſt, miracula, quæ videbant, credibile eis reddebant, ipſum vere eſſe Filium Dei, & ad impediendam ejus mortem eos movebant; quod ex ſomnio uxoris Pilati, *Matth. 27. verſ.* 19. colligitur, quæ marito ſuo dixit: *Nihil tibi & Juſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum, propter eum.* E contra vero carnis infirmitates, quas in Chriſto, ut in aliis hominibus videbant, eum eſſe purum hominem, eis perſuadebant. Si enim eum revera cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ, a quo damnandi erant, crucifigi permiſiſſent.

XV. Ad Confirm. Admitto, pluribus Gentilibus, qui non erant de populo Judaico, collatam eſſe fidem, & revelationem, ſaltem implicitam, Incarnationis; vel ſpecialem, per donum Prophetiæ, ut Job, & Sybillis, (teſtibus Sancto Hieronymo *leg. adverſus Jovinianum*, in præmium virginitatis earum, & Lactantio *leg.* 1. *cap.* 6.) Vel generalem, traditione accepta ab Adamo, per Patriarchas ad Noe poſteros traducta: Adamo enim factam fuiſſe promiſſionem Salvatoris hominum, nemini dubio eſt. Et hujus notitiam mutuare etiam poterant ex Hebræis; qui captivitatibus apud varias nationes diſperſi, potuerunt eis denuntiare Redemptorem, quem ex ſacris Vaticiniis ſperabant. Unde Gentilium aliqui in Mediatorem, & Redemptorem fidem concipientes, potuerunt juſtificari, & per ipſum ſalvari. Uno verbo, ait Sanctus Thomas citatus, ex 2. 2. quæſt. 2. art. 7. ad 3. *Si qui ſalvati ſunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris, quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes, Deum eſſe liberatorem hominum, ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus revelaſſet.*

Ex omnibus præfatis modis Dæmones, etiam inviti, concipere potuerunt aliquam de venturo Meſſia cognitionem; ſive acceptam ante eorum lapſum, ſi cum S. Bernardo credamus, Dæmones idcirco corruiſſe, quod Deo homini, ſibi propoſito, ut omnium Capiti, ac Principi, cui omnes creaturæ parere deberent, ſeſe ſubjicere recuſaverint: ſive etiam poſt lapſum. Nam myſterium Incarnationis fuiſſe illis implicite intimatum, colligunt ſacri Interpretes ex illis verbis: *Geneſ. 3. verſ.* 15. ubi Deus Diabolum, ſub ſerpentis larva Protoparentum ſeductorem, ſic affatur: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.*

XVI. Dices tertio. Patres non raro contra Arianos urgent Diaboli teſtimonium, ut Verbi divinitatem aſſerant. Unde Hilarius, lib. 6. de Trinit. *Anne* (inquit) *hujus nominis proprietatem Dæmones neſcierunt? Dignum eſt enim hæreticos non jam Apoſtolicis doctrinis; ſed Dæmonum clamore convinci: clamant enim, & ſæpe clamant*: Quid mihi, & tibi eſt, Jeſu Filii Dei Altiſſimi? *Invitis veritas elicuit confeſſionem, & naturæ poteſtatem teſtatur dolor obediendi:* atqui hoc argumentum non valeret, ſi Diabolus certo non cognoviſſet, Jeſum eſſe Filium Dei, ergo &c.

XVII. Reſpondeo, neg. min. Valet enim contra Arianos Hilarii argumentum; quamvis in Diabolo conjecturalis tantum, & dubia divinitatis Chriſti aſſeratur notitia: in hac enim ſuppoſitione Ariani erant iniquiores Diabolo. Iſte enim divinitatem in Jeſu ex miraculis, aliiſque circumſtantiis ſaltem ſuſpicatus eſt. Illi e contra nulla ratione judicarunt; immo aperte negarunt ei divinitatem ineſſe, etiam poſtquam reſurrectione ſua id probavit. Unde Caſſianus, *leg. 3. de Incarnat. cap.* 12. eodem quo Hilarius argumento urgens Arianum: *Ille* (inquit) *eum Filium Dei eſſe, ſuſpicatus eſt, etiam cum mortem pertulit; tu negas eum, cum reſurrexit? Ille enim Deus ſuſpicatus eſt, cui ſe occuluit, tu negas, cui ſe probavit?*

QUÆSTIO III.

De Convenientia, & Neceſſitate Incarnationis.

QUamquam nobiſcum conveniant aliqui infideles, unionem hypoſtaticam Dei cum natura humana non eſſe impoſſibilem; inde tamen non eis liquet, eam fuiſſe expedientem ad humanum genus liberandum, & multo minus neceſſariam. Utrumque ergo in hac quæſtione oſtendemus; nimirum, fuiſſe convenientem, & neceſſariam, modo explicando.

Dubium I.

An fuerit Conveniens, Deum Incarnari?

§. I.

An fuerit Conveniens Deo?

I. COngruitas Incarnationis poteſt conſiderari, vel ex parte Dei, qui eſt incarnatus; vel ex parte hominis ad quem redimendum facta eſt Incarnatio. Unde poteſt quæri: An Incarnatio fuerit congrua, & conveniens Deo redimenti, & homini redimendo?

II. Dico ergo. Incarnatio fuit congrua, & conveniens Deo Incarnato, ſeu Deo redimenti. Probatur. Id eſt conveniens Deo, quo manifeſtantur ejus attributa: atqui per Incarnationem mirifice divina attributa manifeſtantur; ergo &c. Min. prob. Præcipua Dei attributa ſunt omnipotentia, ſapientia, bonitas, juſtitia, & miſericordia. Probo ergo, quod hæc omnia in Incarnatione manifeſtentur. Manifeſtatur ergo primo omnipotentia: dum extrema infinite diſtantia, Deus ſcilicet, & homo in unam copulantur perſonam: hoc enim maximum opus eſt, maximam, & infinitam demonſtrans potentiam. De hac propterea Jeremias loquens, cap. 31. verſ. 32. *Novum* (inquit) *creavit Dominus ſuper terram: femina circumdabit virum*. Eam Habacuc cap. 3. verſ. 2. vocat opus Dei: *Domine opus tuum: in medio annorum vivifica illud*. Et B. Virgo in ſuo Cantico, Lucæ 1. verſ. 51. *Fecit* (inquit) *potentiam in brachio ſuo*. Unde Bernardus, Serm. 3. in vigilia Nativ. Dom. *Tria* (inquit) *opera, tres mixturas fecit omnipotens illa majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis; ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, ut nec facta ſint, nec facienda ſint amplius ſuper terram, Conjuncta quippe ſunt ad invicem Deus, & Homo, Mater, & Virgo, fides, & cor humanum*.

III. Dices. Incarnatio infirmavit potentiam. Nam demiſit Deum ad hominis debilitatem, & miſerias: redegit Deum ad mortem, quod infirmitatis eſt; non ergo omnipotentiam manifeſtavit, ſed depreſſit.

Reſpondeo, neg. aſſumptum. Hoc enim ipſum, quo ſumma potentia, quaſi contra ſeipſam agens, & quaſi ſeipſam vincens infirmitati, ac debilitati conjungit; commendat maxime potentiam ejus, qui illud facit. Mortem autem ſubire, qua hoſtis infenſiſſimus vincatur, & ex qua glorioſe reſurgat, non moriturus, qui ſic mortuus eſt, maximam oſtendit potentiam: ſic autem in Incarnatione contigit.

IV. Secundo manifeſtatur ſapientia. Quia in Incarnatione Deus excogitavit medium aptiſſimum ad concilianda jura divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ. Rurſus: ſuperbiam humilitate, voluptates doloribus, deſideria divitiarum paupertate ſanavit. Summæ autem ſapientiæ eſt contraria ſuis contrariis ſanare.

V. Oppones. Sapientis non eſt, ſummum bonum ad malitiam uſque deſcendere, & eam induere; ergo ſapientis non eſt ad carnem ſe deprimere, & eam veſtire.

Sed nego conſequent. cum S. Thom. 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Nam caro, & corpus certe diſtat infinite a Deo ſummo ſpiritu; a Deo tamen eſt, & ad Deum ordinatur; *Deus enim propter ſuam bonitatem; cum ſit increatus, immobilis, & incorporeus produxit creaturas mobiles, & corporeas. Et ſimiliter malum pœnæ a Deo juſtitia eſt introductum propter gloriam Dei. Malum vero culpæ committitur per receſſum ab arte divina ſapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis. Et ideo Deo conveniens eſſe potuit aſſumere naturam creatam mutabilem, corpoream, & pœnalizati ſubjectam; non autem fuit ei conveniens aſſumere malum culpæ*.

VI. Tertio. Manifeſtatur divina bonitas. Quia per Incarnationem maxime ſe communicat homini, quod ſummi boni, & ardentiſſimi amoris character eſt; majeſtatem inclinavit; & infirmitatem erexit; amato opem præbuit; in beneficia ſe ſe effudit, quæ ſummæ bonitatis ſigna ſunt: exclamante Paulo, ad Titum 3. verſ. 4. *Benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei &c.* Et Chriſto ipſo atteſtante, Jo. 3. verſ. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*.

VII. Sed objicies cum Socinianis recentioribus. Prodigalitatis, & amoris inordinati vitium eſt, non liberalitatis prærogativa, Deum dare Deum homini; nimirum, rem, quæ ſupra omne pretium eſt, tradere vili, ac miſero peccatori; præſertim cum alia via ſervus redimi potuerit. Quemadmodum enim vituperabilis fuit nimia elatio, qua creatura appetiit eſſe Deus; ſic vituperanda, & Deo indigna videtur nimis depreſſio, qua Deus factus eſt homo.

Reſpondeo, neg. antec. Non enim prodigalitatis vitium eſt, ſed immenſi amoris argumentum, non ſolum neceſſaria, ſed etiam non neceſſaria pauperi, ac miſero elargiri; ut a miſeriis poſſit ſurgere. Neque illa depreſſio indecens fuit: ſiquidem Verbum divinum humana ſuſcipiens, divina non amiſit. Factum eſt enim, ut ſicut inferiorem non conſumeret glorificatio; ita nec ſuperiorem minueret aſſumptio: imo in tali humiliatione gloriam ſuam magis ſplendere fecit, in qua cum bonitate ſummam elucere fecit ſapientiam. Neque eſt ſimile de creatura, dum appetiit eſſe, ut Deus: hoc enim proceſſit ab exceſſu elationis, & ſuperbiæ; exinanitio autem Dei ad formam ſervi, prodiit ab exceſſu amoris. Sicut ſi ſubditus appeteret eſſe, ut rex, elatio præſumptuoſa, & damnabilis eſſet: at ſi Rex, ut ſervum redimeret, e throno majeſtatis deſcenderet, eſſet ſumma, & laudabilis dignatio.

VIII. Quarto manifeſtatur juſtitia. Tum reſpectu Dei Patris, cui par debito pretium exhibitum eſt; quia a Perſona, quæ non minoris dignitatis eſt, quam ſit Perſona, cui fuit exhibitum. Tum reſpectu Diaboli, qui non poteſtate, ſed juſtitiæ lege victus eſt. Unde Aug. lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 10. *Unicus* (inquit) *Dei Filius Diabolum .... homini ſubjugavit; nihil ei extorquens violento dominatu, ſed ſuperans eum lege juſtitiæ*. Et lib. 13. de Trinit. cap. 13. *Non autem Diabolus potentia Dei, ſed juſtitia ſuperandus fuit*. Et vincendus erat in carne, quam ipſe olim vicerat in Adamo; ut redintegrato certamine, ab eodem, quem vicerat, ipſe vinceretur.

IX. Oppones tamen contra primam partem. Primo. Juſtitia non eſt innocentem ſupplicio tradere pro reo, imo juſtitiæ legibus eſt adverſum.

Secundo. Non patitur juſtitia, ut per medium iniquum ſuo juri ſatisfiat: hoc autem accidit in Incarnatione, in qua electa fuit Chriſti crucifixio (quod fuit medium iniquum, quia graviſſimum peccatum) ut repararetur jus divinum læſum.

Tertio. Inter attributa Dei reſpectu hominum emicat miſericordia; ergo convenientius fuiſſet, ut miſericorditer condonaſſet homini peccatum Adæ, quam ut pro eo ſatisfactionem de juſtitia exegiſſet.

Quarto. Non decuit, ut Deus exigeret ab homine plus, quam poteſt: ſed homo non poteſt ſatisfacere pro peccato; non ergo decuit, ut Deus ſatisfactionem pro illo exigeret.

X. Reſpondeo ad primum, injuſtitiam quidem eſſe, tradere innocentem ſupplicio in pœnam, non vero ipſum tradere in ſatisfactionem; maxime ſi innocens voluntarie in ſe ſuſcipiat perſonam rei, ejuſque demeritum: ſicut fecit Verbum divinum, dum *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & peccata noſtra ipſe portavit*. Unde S. Thom. 3. part. quæſt. 47. art. 3. ad 1. *Innocentem* (inquit) *hominem paſſioni, & morti tradere contra ejus voluntatem, eſt impium, & crudele. Sic autem Deus Pater Chriſtum non tradidit, ſed inſpirando ei voluntatem patiendi pro nobis. In quo oſtenditur & Dei ſeveritas, qui peccatum ſine pœna dimittere noluit, quod ſignat Apoſtolus dicens, Rom.* 8. Proprio Filio ſuo non pepercit *s Et bonitas ejus in eo, quod cum homo ſufficienter ſatisfacere non poſſet per aliquam pœnam, quam pateretur, ei ſatisfactorem dedit; quod ſignavit Apoſtolus dicens*. Pro nobis omnibus tradidit illum. *Et Rom.* 3. *dicit*: Quem, *ſcilicet Chriſtum*, propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ſuo.

XI. Ad ſecundum dico, quod eligere quidem medium iniquum, ut iniquum, impellendo ad illud, injuſtitia, imo iniquitas eſt: at medium, cæteroquin iniquum, permittere, ut ex illo majus bonum conſurgat, injuſtitia non eſt. Sic enim Deus permittit peccata hominum, permiſit perſecutiones tyrannorum, ut exinde eliceret patientiam Martyrum; & ſic permiſit crucifixionem Chriſti: quæ iniqua quidem fuit ex parte Judæ, qui eum prodidit, Judæorum, qui ejus mortem a Pilato extorſerunt, Pilati, qui eam decrevit, & militum qui eam intulerunt; æquiſſima tamen fuit ex parte Chriſti, qui eam ſuſcepit, Dei Patris, qui eam permiſit, eamque ad hominum ſalutem ſapienter ordinavit. *Eadem actio* (inquit S. Thom. ſupra citatus ad 3.) *diverſimode judicatur in bono, vel in malo, ſecundum quod ex diverſa radice procedit. Pater enim tradidit Chriſtum, & ipſe ſemetipſum ex charitate: & ideo laudantur, Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate, Judæi autem ex invidia, Pilatus timore mundano, quo timuit Cæſarem: & ideo ipſi vituperantur*. Videantur dicta *quæſt.* 47. *art.* 6. *ad* 3.

XII. Ad tertium dico, Deum ita eſſe miſericordem, ut ſimul etiam juſtus ſit: ideoque ſic voluit ſuam miſericordiam oſtendere, ut juſtitia locum haberet; quod factum eſt, dum pro nobis factus eſt homo, ut pro nobis ſatisfaceret. Quod enim homo factus ſit, & quod peccata portaverit, quod noſtram vilitatem dedignatus non ſit, quod ſe pro nobis Mediatorem fecerit, ut pro nobis mortem pertulerit, grandis miſericordia fuit. Quod autem pro nobis Deo ſatisfecerit, juſtitia fuit. Vide S. Thom. *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 4.

XIII. Ad quartum dicit S. Thom. mox citatus, *ad* 5. quod quantitas peccati ex duobus poteſt penſari: & ex parte Dei, in quem peccatur, vel ex parte boni, quod corrumpitur: *& ideo ad ſatisfactionem debitam requiritur actio hominis, quæ proportionetur quantitati culpæ, in quantum corruptio quædam eſt gratiæ, cujus virtus quodammodo infinita eſt; cum ſufficiat ad merendum præmium infinitum; per quam ſatisfactio proportionatur quantitati culpæ, prout offenſa Dei eſt. Et ideo ex ſe non ſufficit ad ſatisfaciendum, quia ex ſe gratiam habere non poteſt. Nec tamen Deus cru-*

delis est, hanc satisfactionem exigens: quia quamvis gratiam habere non possit ex se, & ita nec satisfacere; potest tamen satisfacere per id, quod Deus paratus est dare, scilicet, per gratiam.

XIV. Oppones contra secundam partem, primo. Diabolus nullum æquum jus unquam habuit in hominem. Vel enim illud habuisset ex furto, quo sibi hominem rapuerat; vel ex homine, qui se ipsum libere Diabolo tradidisset: at neutrum dici potest; cum furi in rem ablatam nullum jus acquiratur: nec mancipium, qualis est homo respectu Dei, possit se ipsum alteri domino tradere.

Secundo. Dato, quod Diabolus aliquod jus habuisset in hominem, injuste a Christo spoliatus fuit in certamine, quod cum ipso iniit, quia fraude, ac dolo processit: siquidem Diabolo objecit carnem, in quam sæviret, sed divinitatem, qua Diabolum perimeret, occultavit.

XV. Respondeo. Ad primum dico, hunc fuisse errorem Petri Abaelardi, qui, ut refert S. Bernardus, *Ep.* 190. modo *Tract. de Errore Abaelardi*, *cap.* 5. quamvis fateretur, Patres in opposita fuisse sententia, ajebat: *Sed ut mihi videtur, non Diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, nisi forte, Deo permittente, ut carcerarius, nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit.* Post quæ Abaelardi verba exclamat Bernardus. *Quid in his verbis intolerabilius judicem? Blasphemiam, an arrogantium? Quid damnabilius? Temeritatem, an impietatem?* Et merito quidem. Docet enim Paulus, ad *Coloss. 2. vers.* 13. *&c.* Christum condonasse nobis omnia delicta, debito, quod adversus non erat, chirographo decreti, & illud sustulisse e medio, affistendo illud Cruci; expoliasse Principatus, & Potestates, de illis per semetipsum triumphando. Hinc in Scripturis sæpe Diabolus vocatur *Princeps hujus mundi, tenebrarum harum*, omnium peccantium. Idem communiter sentiunt Patres. August. *l. 3. de liber. arbitr. cap.* 10. scribit, Dæmonem *jure æquissimo* totum genus humanum sibi vindicasse, per victoriam, quam in Protoparentibus ex eo retulerat. S. Leo (*Serm. 2. de Nat. Dom.*) ait, Diabolum non indebito dominatu omnibus peccantibus præesse, & S. Bernardus, *Epist.* 190. citata, hæc habet: *Sciendum est, quod omnes Doctores nostri, post Apostolos, in hoc conveniunt: quod Diabolus dominatum, & potestatem habebat super hominem, & jure ipsum possidebat: ideo scilicet, quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, sponte Diabolo consensit. Ajunt namque, quod si quis aliquem vicerit, victus juris victoris servus constituitur.* Quibus respondetur ad instantiam; nimirum, hominem non esse merum mancipium respectu Dei, sed propriæ libertati relictum; qua cum debuisset se tradere Deo, peccando se tradidit Diabolo, qui hoc modo jus in illum acquisivit.

XV. Ad secundum dico, quod si in certamine, quod iniit Christus cum Diabolo, adfuit fraus, & dolus, fuit fraus pia, & dolus justus. Victoria enim per iniquam fraudem parta, qualis fuit ea, qua Diabolus in primos Parentes usus est; poterat per aliam (si ita loqui licet) piam, & salutiferam fraudem auferri, qualem Christus adversus Diabolum adhibuit. Quamvis verius dici possit, Diabolum non fuisse a Christo deceptum; sed se ipsum decepisse, seu decipi voluisse.

XVII. Quinto. Tandem manifestatur misericordia. Quia Verbum in Incarnatione hominem miserum sublevavit, & a pœnis, & servitute Diaboli, ac peccati sanguinis sui pretio redemit. Insignis hujus misericordiæ effectus celebrat Paulus, *ad Romanos*, toto *cap.* 5.

§. II.

An fuerit Conveniens Natura Humana.

XVIII. INcarnationem fuisse convenientem homini, non quidem attenta conditione suæ naturæ, quia hæc erat supra dignitatem, & conditionem ejus; sed secundum infinitam excellentiam bonitatis Dei, certum est. Nam per Incarnationem sublevata fuit natura hominis ad esse divinum, summoque nexu cum divinitate conjuncta, super Angelos exaltata &c. Quod hic quæritur, est: An fuerit medium conveniens ad hominem redimendum?

XIX. Dico. Incarnatio fuit convenientissimum medium ad hominem redimendum. Ita S. Thom. *3. p. q. 1. art. 2.* ubi ex S. August. l. 13. *de Trinitate*, dicit: *Non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati omnia æqualiter subjacent; sed sanata miseria nostra convenientiorem alium modum non fuisse.* Hoc pluribus rationibus probat S. Thomas, quibus addi possunt sequentes. Prima. Quia per Incarnationem homo fuit redemptus ex perfecta justitia: fuit enim, ut, cum ex parte redimentis, tum ex parte pretii exhibiti, tanti esset redemptio valoris, & dignitatis, quantæ gravitatis fuerat offensa, qua homo se constitutus erat reus; quod absque Incarnatione haberi non potuisset, ut infra ostendemus.

Secunda. Quia homini redimendo conveniebat medium, quo tolleretur cæcitas, quam contraxerat in intellectu, & propensio ad bonum commutabile, qua laborabat in voluntate: atqui ad hoc fuit aptissimum medium Incarnatio Verbi, quia per hanc Verbum, quod est veritas, sub humanitatis nube nostris veluti sub oculis positum est; ac per illud consultum est ignorantiæ, & cæcitati, qua tenebatur humanus intellectus. Per Incarnationem etiam incommutabile bonum ad homines accessit; effecitque, ne contracta per peccatum infirmitas eum impediret, quin ad illud humana voluntas progrederetur.

Tertia. Quia homo talis est conditionis, ut nonnisi per sensibilia ad cælestia procedat. Unde sicut Deus Patriarchis, quos erat edocturus, videndum olim se præbuit in humana specie; ac sese veluti Judæorum oculis subjecit, cum legem conscripsit: ita cum voluit hominem redimere, decuit, ut humanitate indutus illi appareret; conveniens ergo fuit, ut qui hominem eratre dempturus, esset Deus, & simul homo. Nam, ut dicit S. Leo, Serm. 1. de Nativ. *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non præberet exemplum.*

XX. At inquies. Convenientius medium fuisse illud, per quod omnes homines salvarentur: at per Incarnationem non omnes salvantur, imo multi tantum pretium inutile sibi reddunt; ergo &c.

Respondeo primo, ex S. August. *Ep.* 105. modo 194. *ad Sixtum*, neg. maj. Nam *Si utrique liberarentur, lateret, quid peccato per justitiam debeatur. si nemo, quid gratia largiretur.* Ut ergo patet, quid peccato debeatur, non decuit, ut omnes salvarentur; & ut appareat, quid gratia possit, nec decuit, ut nemo salvaretur.

Respondeo secundo, neg. suppositum. Defectus enim salutis aliquorum, non in Incarnationem refundendus est, quæ ad omnium salutem sufficiens est; sed in pravam hominum voluntatem, quæ pretium a Christo erogatum, & voluntatem ejus salvandi omnes reddit inefficacem.

DUBIUM II.

An Conveniens fuerit, ut assumeretur potius Humana, quam Angelica, vel alia Natura: & an assumeret potius Filius, quam alia Persona?

§. I.

Resolvitur prior Pars.

I. DIco. Convenientius fuit, ut humana natura assumeretur potius, quam alia. Ita S. Thom. *3. par. quæst. 4. art. 1.* & probat. Congruentius erat, ut illa natura assumeretur, quæ erat nedum magis congrua assumptioni, sed etiam indigens reparatione: atqui natura humana erat magis congrua, seu idonea ad unionem cum Verbo; quia, utpote rationalis, & intellectualis, potest aliqualiter attingere ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet, & amando ipsum: cumque esset maculata originali peccato, indigebat reparatione, & consequenter assumptione; ergo &c. Secunda etiam pars probatur. Naturæ enim irrationali deerat congruitas dignitatis: naturæ autem angelicæ deerat congruitas necessitatis: quia etsi Angelorum aliqui peccaverint, eorum tamen peccatum nec vitiavit totam naturam, neque capax est remedii, ut dictum est cum S. Thom. *1. part. quæst. 64. art. 2.* ergo &c.

II. Ulterius: licet Angeli peccaverint, propria tamen voluntate peccaverunt; homo vero non propria voluntate peccavit, sed aliena, nempe, Adami: convenientius autem erat, ut qui aliena voluntate peccaverat, aliena etiam voluntate redimeretur; quam qui peccarunt propria voluntate, utpote minus excusabiles. Hinc S. Bernardus. *Serm. 1. de Adventu*, ait: *Novit* (Deus) *in affectum malitiæ, & nequitiæ transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua, seu infirmitate peccasse: ideoque pariter necesse est pœnitere nolentes ..... sciebat enim, nullam Angelis patere redeundi viam: nempe novit superbiam Moab, quod superbus est valde, & superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ.* Cumque dixisset, ad reparandas Angelorum ruinas condidisse hominem, subdit: *At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam; innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem, quippe quem supplantavit aliena malitia; ideoque prodesse ei potest charitas aliena.*

III. Tandem. Erat conveniens, ut Verbum eam naturam assumeret, ex cujus assumptione verificaretur, quod Verbum quodammodo omnem naturam assumpsisset, & omnia traxisset ad se: sed hoc, assumendo naturam humanam, consecutum est. Nam hæc habet aliquid commune cum omnibus: nempe, esse cum lapidibus, ac cæteris inanimatis, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis; ergo &c.

IV. Dices tamen primo. Ea natura magis congrua est assumptionis, quæ Deo magis affinis est: atqui hæc est angelica, quæ purus spiritus est, non humana, quæ ex spiritu, & corpore constat; ergo &c.

Respondeo maj. esse veram, si cætera sint paria, quod non contingit in casu. Nam Angelus, etsi natura sublimior homine, & magis Deo affinis; minus tamen decuit, ut a Deo sanandus assumeretur: Tum quia insanabilis, quantum est ex conditione suæ naturæ firmiter adhærentis, sive bono, sive malo semel electo. Unde, Damascenus, lib. 2. de Fide cap. 4. *Quod* (inquit) *hominibus est mors, hoc Angelis est lapsus.* Tum quia: non tota natura Angelica cecidit, sicut ceciderat humana. Tum quia: Angelus

propria

propria voluntate ſine exteriori tentatione cecidit: ideoque magis libere, quam primus homo, ex quo alii per generationem peccatum trahunt: ac proinde magis miſeratione ſunt digni.

V. Dices ſecundo. Major apparet miſericordia, ubi grandior eſt miſeria; ſed grandior eſt miſeria Angelorum perditorum, cum gravius fuerit eorum peccatum, quam hominum; ergo magis decebat, ut miſericordia divina eos redimeret, quam homines.

Reſpondeo primo. Grandiorem quidem eſſe Angelorum miſeriam, quam hominum; minus tamen dignam miſeratione, quia in malo obfirmatam. —— Secundo. Miſeriam Angelorum eſſe quidem grandiorem intenſive, non tamen extenſive: quia peccato Luciferi non periit tota Angelica natura, ſicut peccato Adami periit tota natura humana.

VI. Quæres: An convenientius fuerit, ut aſſumeretur natura humana ex Adami propagine, quam aliunde formata?

Reſpondeo affirmative cum S. Anſelmo, *l. 2. Cur Deus homo, cap.* 8. Primo. Quia juſtum eſt, ut ille, qui ſatisfacit, vel ſit ille idem, qui peccavit; vel aliquis ex ejus origine; alias qui offendit, non ſatisfaceret. Secundo. Verbum divinum venit ſanare naturam humanam, quæ tota in Adamo fuit vitiata; ergo cum medicina ſit applicanda infirmo, decuit, ut aſſumeret naturam infirmam, & proinde ab Adamo ducentem originem, ſic tamen, ut naturæ aſſumeret infirmitates, non tamen peccatum. Unde dicit Apoſtolus, quod factus eſt (non caro peccati) ſed *In ſimilitudinem carnis peccati*.

§. II.

Reſolvitur Pars Poſterior.

VII. Dico. Convenientius fuit, Verbum Incarnari, quam Patrem, aut Spiritum Sanctum. Ita S. Thomas, *3. part. quæſt. 3. art.* 8. Primo. Quia per idem exemplar decuit, hominem deformatum reparari, per quod primo conditus fuit; ſicut artifex per eandem ideam artefactum producit, & collapſum reparat: ſed homo per Verbum, tamquam per ſuum divinum exemplar, conditus fuit; ergo decuit hominem lapſum per Verbum reparari.

Secundo. Incarnatio facta eſt ad reſtituendam homini filiationem Dei adoptivam, qua per peccatum ſpoliatus fuerat; ergo decuit hoc fieri per Filium naturalem: quia filiatio adoptiva filiationis naturalis participatio eſt.

Tertio. Homo peccaverat, quia receſſit a vera ſapientia; ergo decuit, ut per Verbum, quod eſt ſapientia, veræ ſapientiæ reſtitueretur, qui per inordinatum appetitum ſcientiæ receſſerat a Deo.

Congruitatem hanc ulterius oſtendo. Primo, Congruum enim fuit, ut qui ab æterno Filius Dei erat ex Patre ſine Matre, in tempore fieret filius hominis ex Matre ſine Patre —— Secundo. Ut Verbum, quo dicuntur omnia, nobis diceret voluntatem Patris —— Tertio. Ut manerent proprietates immobiles etiam apud nos; nec Patrem ingenitum genitum vocaremus, Spiritum Sanctum vocaremus Filium.

VIII. Dices tamen primo. Illi convenientius tribuitur reparatio hominis, cui tribuitur creatio ejuſdem: at hominit creatio tribuitur Patri; ergo magis decuiſſet Patrem Incarnari.

Reſpondeo cum S. Thom. 3. part. quæſt. 3. art. 8. ad 2. *Quod prima rerum creatio facta eſt a potentia Dei Patris, per Verbum. Unde & recreatio per Verbum fieri debuit a potentia Dei patris; ut recreatio creationi reſponderet, ſecundum illud. 2. Cor. 5.* Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.

IX. Dices ſecundo; Magis decet, Patrem habere aliquid, quod non habeat Filius, quam Filium habere aliquid, quod non habeat Pater; quia quidquid habet Filius, habet a Patre: ſed per Incarnationem Filius haberet aliquid, quod non habet Pater, nempe, naturam humanam; ergo &c.

Reſpondeo, majorem eſſe veram de eo, quod habet Filius per originem æternam. Per hanc enim habere debet Pater, quod non habet Filius; quia Pater habet vim generativam Filii; Filius autem viciſſim non habet vim generativam Patris. Secus autem eſt de eo, quod habet Filius per miſſionem temporalem in unione hypoſtatica. Cum enim per hanc una perſona ſubjiciatur alteri: convenientius eſt, ut id habeat Filius, quo poſſit Patri ſubjici, quam Pater inferior filio cenſeatur. Unde magis expedit, Filium habere naturam humanam, qua minor eſt Patre; quam quod Pater eam haberet, qua Filio minor, eique ſubjectus diceretur.

X. Dices tertio. Incarnatio fuit ordinata ad remittendum peccatum, ſed remittere peccata tribuitur Spiritui Sancto; ergo magis decuiſſet Spiritum Sanctum incarnari.

Reſpondeo ex S. Thom. ſupra citato, ad 3. *Quod Spiritui Sancto proprium eſt, quod ſit donum Patris, & Filii: remiſſio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum, tamquam per donum Dei. Et ideo convenientius fuit, ad juſtificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cujus Spiritus Sanctus eſt donum.* Unde Filius incarnatus miſit Spiritum Sanctum.

DUBIUM III.

An ita fuerit Neceſſaria Incarnatio ad hominem redimendum, ut non potuiſſet redimi, niſi a Deo Incarnato?

§. I.

Quædam, ut Certa, Prænotantur.

I. NOto primo: Chriſtum de facto veniſſe ut Redemptorem, & non ſolum ut Doctorem, ut ſenſit Petrus Abaelardus, quem S. Bernardus, *Epiſt.* 190. egregie impugnat. Hoc enim Scriptura teſtatur, ad Epheſ. 1. verſ. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus.* 1. ad Timoth. 2. verſ. 6. *Qui dedit redemptionem ſeipſum pro omnibus.* 1. Petri 1. verſ. 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis . . . . . ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti.* Apoc. 5. verſ. 9. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Quod expreſſit Chriſtus ipſe, Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.*

Et probatur. Redimere enim eſt, vel numerato pretio liberare captivum ab eo, qui habet ſuper illum poteſtatem: vel rem quamcumque alienatam, vel occupatam pretio recuperare: ſed homo, per peccatum, factus erat captivus ſub Diaboli poteſtate; pro ejus autem libertate Chriſtum pretium ſui ſanguinis Deo Patri erogavit, quo Diabolus a jure, quem in hominem acquiſierat, excidit: unde Paulus, 1. Cor. 6. verſ. 20. *Empti enim eſtis pretio magno.* Et ad Galat. 3. verſ. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis;* ergo &c.

Quare Concil. Trident. cum, *Seſſ. 5. Can. 1. & Seſſ. 6. cap. 1.* dixiſſet, omnes homines in prævaricatione Adæ perdidiſſe innocentiam, & fuiſſe captivos ſub poteſtate Diaboli; eadem *Seſſ. c. 2.* Dicit, Chriſtum ad hoc a Patre miſſum, ut eos redimeret.

II. Noto ſecundo, ex D. Thom. *3. part. quæſt. 1. art. 2.* quod ad finem dicitur aliquid eſſe neceſſarium dupliciter. Uno modo, ſine quo aliquid eſſe non poteſt; ſicut cibus eſt neceſſarius ad conſervationem humanæ vitæ. Alio modo, per quod melius, & convenientius pervenitur ad finem; ſicut equus eſt neceſſarius ad iter habendum. Primo modo non fuiſſe neceſſarium, ad reparandam humanam naturam, Deum incarnari, certum eſt. Deus enim ſua omnipotenti virtute poterat multis aliis modis eam reparare: vel peccatum, & injuriam gratioſe condonando; vel acceptando ſatisfactionem hominis, etſi inæqualem, & imperfectam. Unde, abſolute loquendo, ad redimendum hominem Incarnatio fuit medium tantum convenientius, ut ait Auguſtinus, l. 13. de Trinit. cap. 10. *Verum oſtendemus, non alium modum poſſibile Deo defuiſſe, cujus poteſtati omnia æqualiter ſubjacent; ſed ſananda miſeria noſtra convenientiorem alium modum non fuiſſe.*

III. Difficultas eſt: an ſuppoſito, quod Deus non voluerit alio modo hominem liberare, & abſolvere, niſi exigendo ab eo ſatisfactionem talem, quæ condigna ſit, & æqualis: ita ut, illa poſita, Deus ex juſtitia teneatur homini culpam condonare, neceſſarium fuerit hanc ſatisfactionem exhiberi a Deo Incarnato: ſic, ut a nullo homine puro, quantacumque gratia exornato, reddi æqualis non potuiſſet.

IV. Circa quod noto ſecundo, cum eodem S. Thom. *ad 2.* quod aliqua ſatisfactio poteſt dici dupliciter ſufficiens. Uno modo perfecte: quia eſt condigna, per quamdam adæquationem, ad recompenſationem culpæ commiſſæ; ad quam requiritur, non ſolum quod res, quæ exhibetur in ſatisfactionem, ſit tanta, quanta fuit res ablata per offenſam, ſed ulterius, quod perſona, quæ talem exhibet ſatisfactionem, ſit æqualis dignitatis cum perſona offenſa, & injuriata; & ulterius, quod fiat ex bonis propriis, neque ex alio titulo debitis, nec ſub dominio creditoris contentis, quod creditor illa bona acceptare teneatur, ut infra dicetur. Alio modo imperfecte; ſecundum ſcilicet acceptationem ejus, qui ea contentus eſt, quamvis non ſit condigna: & hoc modo non dubitamus, quin puri hominis ſatisfactio potuiſſet eſſe ſufficiens, ſi Deus illam, quamvis non condignam, contentus fuiſſet acceptare. Unde controverſia eſt de ſatisfactione perfecta: an hæc potuiſſet a puro homine exhiberi pro ſuo, vel alieno peccato.

V. Thomiſtæ cum ſuo Angelico Præceptore negant, Scotiſtæ vero cum Scoto diſtinguunt. Vel enim loquimur ſecundum præſentem rerum diſpoſitionem: & ſic negant, purum hominem potuiſſe ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro peccatis omnium hominum. Vel loquimur de potentia abſoluta, & ſecundum extraordinariam diſpoſitionem: & ſic affirmant, purum hominem potuiſſe Deo ad æqualitatem ſatisfacere pro peccatis humani generis.

§. II.

Resolutio Negativa de Potentia Ordinaria.

VI. DIco primo. Adeo fuit necessaria Incarnatio ad satisfaciendum Deo de condigno, & ad æqualitatem justitiæ pro peccato, tum originali, tum personali mortali; ut nulla creatura pura potuisset unquam in præsenti providentia ad æqualitatem satisfacere. Hanc Assertionem admittunt Scotistæ, ut videre est apud Frassen, de *Necessit. Incarnat. quæst. 2. Concl. 1.* qui eam probat ex SS. PP. Athanas. *in Evang. de Pass. & Cruce Domini.* S. Basilio, in *Psalm. 28.* qui exponens hæc verba: *Frater non redimet, redimet homo*, ait: *Non homo nudus, sed homo Deus Jesus Christus, quia nullus talius condignum afferre poterat pretium*, S. Damasceno, *lib. 3. cap. 15. & 19.* Chrysostomo, *Homil. 10. in Joann.* dicente: *Cecidit natura nostra eo modo, ut restitui nullo modo posset, nisi ab illa omnipotentissima manu: neque enim aliter restitui poterat, nisi, qui in principio eam effinxit, manum porrexisset.*

Græcis accedunt latini Patres Ambrosius. lib. 4. in Lucam, *Quis* (inquit) *tantus esset dux, qui prodesset omnibus, nisi ille, qui supra omnes est?* Augustin. in Enchirid. cap. 105. *Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei, & hominum Jesum Christum, nisi esset & Deus*, Quæ repetit S. Leo, Serm. 11. de Nativit. *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium.*

Probat etiam hoc discursu Frassen, non posse hominem purum rependere æquivalens pro suo, vel alieno peccato, Quia nullum est opus hominis, quantalibet gratia prædíti, quod possit tantum honoris rependere Deo, quantum ei ablatum est, per quodlibet hominis peccatum. Sicut enim per quodlibet hominis peccatum Deo fit injuria particularis; ad perfectam satisfactionem oporteret, ut etiam pro singulis peccatis fieret particularis satisfactio; vel, ut aliquis actus ita perfectus eliceretur, qui posset tantum honoris Deo impendere, quantum ei detractum est per quodlibet singulare peccatum: sed neutrum potest homo purus præstare. Non quidem primum: quia nullus homo tot actus meritorios potest elicere, quot eliciti sunt a peccatoribus actus Dei offensivi. Nec etiam secundum: sicut enim quodlibet peccatum certam, limitatam habet indignitatem: ita opus meritorium habet determinatam rationem meriti; nec tantum dignitatis habere potest, quæ æquivaleat omnibus injuriis, per singula peccata Deo irrogatis.

VII. Adest etiam S. Thomas, qui in *3. dist. 1. quæstion. 1. art. 2. ad 9.* ostendit triplici ratione, non potuisse humanam naturam a quacumque persona creata per adæquatam satisfactionem reparari. Prima. Quia creatura totum, quod potest pro se, Deo debet: unde non relinquitur sibi, ut pro alio satisfacere possit, Secunda. Quia hoc requiritur in satisfactione; ut quod satisfaciens reddit, præponderet ei, quod per culpam ablatum est, vel saltem sit æquale illi: sed nulla natura creata, posita in aliqua persona creata, potest reddere aliquid, quod sit æquale bono totius naturæ humanæ: quod per culpam originalem ablatum fuit, ergo &c. Min. prob. Licet possit dari natura creata, quæ sit melior natura humana; posita tamen in creata persona adæquare non potest bonum totius naturæ humanæ: hoc enim quodammodo infinitum est, quatenus ipsa natura pluribus suppositis in infinitum communicabilis est, ut autem ponitur in uno supposito, finitur & limitatur; ergo cum actus sint suppositorum, non potest esse, ut operatio alicujus creaturæ tantum valeat, quantum bonum totius naturæ humanæ, ut possit esse condigna satisfactio pro ejus reparatione —— Tertia. Humana natura, per peccatum, amisit plura dona supernaturalia, ad quæ per divinam liberalitatem, & gratiam fuerat elevata, in quibus per reparationem foret restituenda: sed elevare naturam ad gradum superiorem solus ille potest, qui naturas condidit, & earum gradus ordinavit; ergo solus Deus potuit naturam humanam ad æqualitatem reparare.

§. III.

Resolutio Negativa, etiam de Potentia Extraordinaria, maxime attenta gravitate offensæ Dei, quæ est simpliciter Infinita.

VIII. DIco secundo. Nec in quacumque alia, etiam extraordinaria providentia, potuisset pura creatura satisfacere ad æqualitatem Deo, pro offensa mortali; sive originali, sive personali, sive propria, sive aliena. Est communior apud Theologos sententia, exceptis Scotistis, aliisque paucis. Eam evincunt auctoritates Patrum §. præcedente allatæ; qui absolute dicunt, nullum nullo pacto potuisse hominem redimere, nisi Deum. Evincit quoque ratio ibi allata. Nec enim pura creatura satisfacere ad æqualitatem posset una actione; quia hæc in ratione meriti est determinata, & limitata, nec potest adæquare bonum ablatum ab homine per peccatum: nec pluribus operationibus; quia nemo potest tot actus meritorios elicere, quot sunt actus hominum offensivi Dei.

IX. Probatur tamen speciali ratione, desumpta ex S. Thoma, tum in *3. dist. quæst. 1. art. 2. ad 5.* tum *3. part. quæst. 1. art. 2. ad 2.* cujus hæc sunt verba: *Peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ Majestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem; ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, & hominis existens.*

Antequam autem præfata verba in forma proponam, suppono: hominem, dum mortaliter peccat, offendere Deum, eum dehonorando, ei gravem injuriam irrogando, & ejus supremum jus lædendo. Cum enim homo debeat in omni suo actu honorare Deum, eum cuicumque rei præponere, ac pluris æstimare: & Deus jus habeat titulo Creatoris, supremi Domini, & ultimi finis, ut creatura omnem suum actum ad ipsum dirigat, & ad ipsum, ut ad ultimum finem ordinet, vel saltem, ut ab eo positive non deordinet; peccator autem, peccando mortaliter, in suo affectu minoris faciat Deum, quam creaturam, Deum affective subjiciat creaturæ, auferat a Deo jus ultimi finis, & illud transferat in creaturam: propterea Deum inhonorat, & injuriatur. Quemadmodum injuriaretur, & dehonoraret graviter principem, qui ipsum ad plebejum deprimeret, plebejo substerneret, eumque Regio titulo, etiam attentando, spoliaret. His suppositis.

X. Probo sic. Ut satisfactio reparativa injuriæ, & læsionis honoris sit ad æqualitatem, & de condigno, debet tantum honoris reddere personæ offensæ, quanta fuit dehonoratio, & injuria ipsi irrogata; si enim minus reddat, non erit æqualis, nec de condigno: atqui nulla pura creatura, etsi superabundanti gratia exornata, in quacumque rerum dispositione potest deferre Deo tantum honoris, quanta fuit dehonoratio, & injuria, ipsi irrogata per peccatum mortale; ergo nulla &c. Min. prob. Honor, qui potest a creatura Deo exhiberi, quantuscumque, & in quacumque providentia sit, erit semper æstimabilitatis, & valoris finiti; injuria autem, & offensa passiva, per peccatum mortale Deo facta, in genere moralis offensæ, est gravitatis simpliciter infinitæ: sed per honorem, & obsequium æstimabilitatis finitæ nequit ad æqualitatem, & de condigno compensari offensa, & injuria gravitatis simpliciter infinitæ: ergo: &c.

Major prob. primo. Æstimabilitas honoris, & obsequii sumitur ex dignitate personæ honorem, & obsequium exhibentis; & e contra gravitas offensæ, seu injuriæ desumitur ex dignitate personæ moraliter offensæ, quæ sua dignitate gravificat offensam, seu injuriam, juxta illud commune effatum: *Honor est in honorante, & injuria, seu offensa est in persona dehonorata, vel offensa*: Sed Deus offensus per peccatum mortale, est persona infinitæ dignitatis; ergo offensa graviter illi irrogata est infinitæ moralis gravitatis.

Secundo prob. maj. Injuria crescit secundum dignitatem personæ, cui irrogatur, & vilitatem personæ, quæ eam offendit: unde injuria a plebejo irrogata Regi, major est illa, quam irrogaret Equiti, & hæc major est illa, quam irrogaret militi: at dignitas personæ divinæ, quæ per peccatum offenditur, est infinities infinita, & creatura offendens est infinities coram Deo vilissima; ergo offensa facta Deo crescit ad gravitatem infinitam.

Tertio prob. maj. Injuria facta personæ excellenti eo gravior est, quo magis per illam deprimitur, & inhonoratur: sed Deus, per peccatum mortale, infinite inhonoratur, & deprimitur, ergo &c. maj. patet, & minor prob. Depressio, & inhonoratio personæ excellentis mensuratur ex distantiæ excellentiæ illius, & vilitate rei, ad quam deprimitur, & cui subjicitur: sed Deus infinite distat a creatura, cui per peccatum subjicitur, juxta illud, Isaiæ 43. v. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*; ergo &c. Hæc dicta sint in gratiam opinionis plausibilis, quod peccatum mortale sit in genere offensæ moralis simpliciter infinitum.

§. IV.

Probatur Assertio, dato, quod Peccatum Mortale sit in genere offensæ finitum.

XI. QUia multi, & præsertim Scotistæ, contendunt, peccatum non esse simpliciter, & intrinsece infinitum, in ratione moralis offensæ; ideo contra illos ostendendum est, rationem allatam adhuc subsistere: nec posse puram creaturam, in quacumque rerum dispositione, ad æqualitatem pro offensa mortali satisfacere. Unde illam instauro sic.

Ad satisfactionem pro suo, vel alieno peccato mortali, ut sit æqualis, & de condigno, debet valor satisfactionis esse tantus, quantæ fuit gravitatis injuria: sed valor satisfactorius puræ creaturæ, quavis gratia affluenter ornatæ, non potest esse tantus, quantæ gravitatis fuit offensa, etiamsi hæc non sit gravitatis simpliciter infinitæ; ergo &c. Min. prob. Valor satisfactorius puræ creaturæ semper est ordinis creati, & inferioris ad gravitatem offensæ; quia hæc, etsi non simpliciter infinita, crescit tamen ad

incre-

incrementum perſonæ offenſæ; ita ut ſit in eo ordine, in quo eſt perſona offenſa: unde diverſi ordinis eſt injuria illata Regi, ac illata plebejo. Satisfactio vero eſt ejuſdem ordinis cum perſona, quæ illam exhibet; unde ſatisfactio a plebejo eſt inferioris æſtimabilitatis, & ordinis, ac ſit ſatisfactio exhibita ab ipſo Rege: ſed quælibet creatura, quacumque gratia cumulata, ſemper eſt in ordine in infinitum inferiori ad ordinem divinum; ergo quantumcumque creſcat in perfectione, numquam pertinget ad compenſandam gravitatem injuriæ illatæ Deo. Rex enim inferioris ordinis, quantumcumque creſcat, non poteſt adæquare perfectionem ordinis ſuperioris; ſicut nec graviſſimum peccatorum venialium unquam adæquabit malitiam peccati mortalis: nec ſubditus, quamvis a Rege elevatus, poteſt unquam facere actionem tantæ æſtimabilitatis; ut ſit condigna reparatio offenſæ factæ Regi, ut eam ex juſtitia condonare teneatur. Hanc rationem tangit Salvianus, *lib. 6. de Providentia cap.* 10. dicens: *Semper per dignitatem injuriam perferentis creſcit culpa; quia neceſſe, & quanto major eſt perſona ejus, qui injuriam patitur, tanto major ſit noxa ejus, qui facit. Quanto igitur majoris piaculi crimen eſt, injurioſum quempiam eſſe Deo.*

XII. Dices. Satisfactio exhibita a creatura, gratia abundanti ornata, eſſet in eodem ordine cum offenſa, ſuppoſito, quod hæc non ſit intrinſece infinita. Nam ſicut in hac ſententia offenſa non eſt ordinis divini; ſimpliciter, ſed tantum participative, extrinſece, & ſecundum quid: ita etiam perſona creata, ornata gratia excellenti, eſſet in ordine divino participative, & extrinſece; quia gratia eſt participatio naturæ divinæ, & conſtituit hominem in ordine divino.

XIII. Sed contra. Quamvis gratia, quæ eſt principium *Quo*. & phyſicum operis ſatisfactorii, ordinis divini participative ſit, & operationes ab ea procedentes ordinis divini in eſſe phyſico dici poſſint; perſona tamen, cujus ſint illæ operationes, ordinis divini non eſt, ſed creati: at dignitas moralis, & æſtimabilitas operationis non ſumitur ex dignitate principii *Quo*, ſed ex dignitate principii *Quod*, cujus eſt operatio; quia operationes ſunt ſuppoſitorum, & a dignitate perſonæ dignificantur: Unde dignitas, & valor ſatisfactionis Chriſti non penſatur ex principio *Quo*, nempe, a gratia capitali, quæ finita eſt, & ejuſdem ſpeciei cum noſtra; ſed ex dignitate perſonæ Verbi, quæ facit, operationes illas eſſe Theandricas, reflectendo in illas ſuam dignitatem. Addo: quod ſi operationes hominis exiſtentis in gratia eſſent ordinis divini, in eſſe valoris, & dignitatis; jam homo exiſtens in gratia poſſet de facto ponere, per ſuas operationes, æqualitatem cum offenſa: quod Scotiſtæ negant.

XIV. Secundo probatur, præveniendo aliam Adverſariorum evaſionem. Si poſſet homo ſatisfacere ad æqualitatem pro ſuo, vel alieno peccato mortali, hoc poſſet amando intenſiſſime Deum: ſed amando etiam intenſiſſime Deum, non ei dat tantum honoris, quantum abſtulit, peccando mortaliter; ergo &c. Min. probatur. Per peccatum mortale non ſolum privatur Deus prærogativa ultimi finis, quæ per actum charitatis ei redditur: ſed inſuper divina majeſtas in animo peccatoris deprimitur, & dehonoratur; dum vilis creatura tantam majeſtatem bono commutabili ſubjicere præſumit. Hoc autem non compenſatur æqualiter per actum charitatis: ſicut plebejus amando Regem, quem dehonoravit, non compenſaret ad æqualitatem injuriam. Et rurſus: quia manifeſte gravius, & atrocius eſt, Deum ſubjicere creaturæ, quam ſit honorificum, creaturam ſe ſubjicere Deo: ſicut indignius eſt, Regem ſubdito mancipare, quam ſit honorificum ſubdere mancipium Regi.

Et etiam; quia creatura, dum ſe ſubjicit Deo, non ſpoliatur jure ſuo, ſed ſatisfacit debito; nec deprimitur, aut humiliatur, ſed honoratur potius, & exaltatur: quia ſervire Deo regnare eſt.

Tandem: quia per injuriam perſona offenſa deprimitur, & inhonoratur; ut autem ſatisfiat honori læſo, non ſufficit, ut perſona offendens amet perſonam offenſam. Si enim ſubditus vilipendiſſet, & dehonoraſſet Principem, non ſat eſſet ad reparandam offenſam ad æqualitatem, ut amaret Regem, vel fieret amicus Regis; ſed ulterius, ut obſequium exhiberet Principi, ſufficiens ad reparandum ejus honorem læſum: at per actum amoris charitatis, etſi ferventiſſimæ, homo quidem redit in amicitiam Dei, ſed non per hoc injuriam reſarcit: nam etſi non peccaſſet, amorem illum Deo deberet; ergo &c.

XV. Urgeo denique. Ut homo purus poſſet, per actum charitatis, ſatisfacere Deo ad æqualitatem, deberet Deum tantum amare, quantum illum offendit: ſed purus homo non poteſt tantum Deum amare, quantum illum offendit: ergo &c. Min. prob. Purus homo offendendo Deum, illum offendit, quantum offendibilis eſt: non enim poteſt magis offendi, quam cum a vili creatura affective ſpoliatur ratione ultimi finis: ſed purus homo non poteſt tantum amare Deum, quantum amabilis eſt, quia ad hoc requiritur amor infinitus; ergo &c.

XVI. Si reſpondeas: purum hominem poſſe amare Deum quantum amabilis eſt a creatura, eſto non quantum amabilis eſt abſolute —— Contra eſt. Creatura peccando offendit Deum, quantum offendibilis eſt abſolute; non enim poteſt dari major offenſa, quam illa, qua vilis creatura offendit ſummam majeſtatem. Dato enim per impoſſibile, quod daretur alter Deus, qui Deum offenderet: talis offenſa, in prudentum æſtimatione, non eſſet majoris, ſed potius minoris gravitatis, quam ſit offenſa facta a creatura: ſicut eſſet minor offenſa, quam reciperet Rex ab alio Rege, quam ea, quam reciperet a ſuo ſubdito. Tunc ſic: ſed creatura non poteſt amare Deum, quantum Deus amabilis eſt abſolute; ergo &c.

§. V.

Rationes Scotiſtarum Solutæ.

XVII. Objiciunt primo. Homo purus, amando Deum, poteſt illi tantum honoris reddere, quantum ei abſtulit per peccatum; ergo &c.

Ant. probatur. Id, quod homo peccando abſtulit a Deo, eſt, quod dereliquit Deum pro creatura, juxta illud, Deuter. 32. verſ. 18. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti*; & ab ipſo abſtulit rationem ultimi finis, non in effectu, ſed in affectu: atqui peccator, amando Deum, derelinquit creaturam propter ipſum, & ad ipſum, ut ad ultimum finem, ſe convertit; ergo reddit &c.

Confirmatur. Teſte S. Thom. 3. part. quæſt. 48. art. 2. *Ille proprie ſatisfacit pro offenſa, qui exhibet offenſo id, quod æque, vel magis diligit, quam oderit offenſam.* Sed homo purus, offerens Deo actum amoris, vel contritionis, offert illi bonum, quod tantum diligit, & ei placet, quantum oderat, eique diſplicuerat offenſa: in tantum enim hanc Deus odit, in quantum ab ipſo avertit, ipſum dehonorat, & creaturæ poſtponit: ſed actus amoris ad Deum convertit peccatorem, Deum honorat, & præponit creaturæ: ergo &c.

XVIII. Reſpondeo primo. Hoc argumento probari, quod de facto quilibet homo, amando Deum, ſatisfaciat de condigno pro ſuo peccato, quod negant Scotiſtæ, & merito; alioquin homo non eguiſſet Redemptore.

Reſpondeo ſecundo, neg. ant. diſt. min. Actu non adæquante gravitatem offenſæ, conc. min. Actu adæquante, nego min. Homo ergo amans Deum, ex parte rei ablatæ reddit quidem id, quod a Deo abſtulerat, peccando; non tamen ad æqualitatem ſatisfacit pro offenſa. Duplex enim eſt ſatisfactio. Una pro re ablata, quæ proprie eſt reſtitutio: alia pro injuria illata, & hæc proprie eſt ſatisfactio. Ad illam ſufficit reddere æquivalens: ad hanc autem requiritur, quod actus obſequii exhibitus tanti valoris ſit, quantæ fuit gravitatis injuria, ſeu offenſa. Obſequium autem, quod exhibet homo, amando Deum, reddit quidem Deo, quod abſtulerat, ex parte rei ablatæ: quia tamen non reddit per actum tantæ æſtimabilitatis, & valoris, quantæ fuit gravitatis injuria, ideo non ſatisfacit ad æqualitatem. Sicut nec condigne plebejus reſarcit injuriam illatam Principi, cum ab illo poſtea veniam deprecatur, & obſequium exhibet.

XIX. Ad Confirm. nego min. Sicut enim Principi magis diſplicet injuriari a ſubdito, quam ei placeat honorari ab ipſo, quia talis honor eſt ipſi debitus: ita longe gravius eſt, & magis odibile Deo, creaturam audere contra ipſum, quam ſit ipſi acceptum, creaturam ſibi ſe dedere, ac ſubjicere. Nec oppoſitum ſentit Sanctus Thomas. Nam citato loco loquitur de ſatisfactione Chriſti, quam Deus magis dilexit, quam oderat offenſam; quia ei aliquid majus exhibuit, quam exigeret offenſæ recompenſatio. Tum propter magnitudinem charitatis. Tum, *Propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat, quæ erat vita Dei, & hominis.*

XX. Dices. Si magis odiſſet Deus peccatum, quam diligat actum charitatis; hoc eſſet, quia peccatum lædit honorem Dei: ſed hoc eſſe falſum, probatur. Tum in creatis: ubi ſola violatio præcepti, niſi fiat ex contemptu, non lædit honorem, aut directe facit injuriam Legislatori. Tum etiam: quia in omni peccato mortali, puta gulæ, eſt duplex malitia: una injuſtitiæ contra honorem Dei; alia intemperantiæ ratione proprii objecti.

XXI. Reſpondeo, nego min. Ad ejus primam probationem dico, honorem Legislatoris creati non lædi per quamcumque legis tranſgreſſionem, lædi tamen honorem Dei. Legislator enim creatus non habet jus, ut omnes ſubditorum actiones ad ipſum, ut ultimum finem, referantur; ideoque per tranſgreſſionem legis nullo jure ſpoliatur, nullamque injuriam patitur: & talis tranſgreſſio eſt quidem contra obedientiam, ſed non contra juſtitiam. At Deus, qui eſt ultimus omnium rerum finis, cuique, titulo creationis, omnia debentur; jus habet, ut omnia ad ipſum referantur, & ut ipſi nihil præferatur. Unde peccator poſtponens Deum creaturæ, & propter iſtam Deum derelinquens, lædit ſummum jus, & honorem illius.

Quare (& eſt reſponſio ad ſecundam probationem) in omni peccato mortali reperitur injuſtitia, quæ tamen malitiam ſpecialem non conſtituit. Duplex enim eſt dehonoratio. Una per ſe volita, alia conſecuta. Prima eſt, qua expreſſe intenditur contemptus, & contumelia, ut in blaſphemia, & indigna tractatione divinorum. Secunda, qua læditur quidem jus; ſed hæc læſio non eſt per ſe volita, ſed conſe-

consequitur ex natura actus: & hæc est læsio divini honoris, in omni peccato mortali inhibita.

XXII. Objiciunt secundo. Satisfactio ad æqualitatem solum requirit æqualitatem inter satisfactionem, & offensam; non vero inter personam satisfacientem, & personam offensam: quod probant sic. Nam si satisfactio sit æqualis, tollit inæqualitatem causatam per offensam: ideoque qui Regi furatus est centum, si restituat Regi centum, satisfacit ad æqualitatem; etsi persona satisfaciens sit inferior. Tunc sic: sed inter satisfactionem creaturæ, & offensam Dei potest inveniri æqualitas; ergo &c. Min. prob. Tunc satisfactio est æqualis, quando tanta est bonitas in actu satisfactorio, quanta fuit malitia offensæ: at in actu amoris Dei est tanta bonitas, quanta est in peccato malitia, & forte major, ergo &c. Min. prob. primo. Bonitas actus charitatis est bonitas supernaturalis; malitia autem peccati est pure naturalis, saltem intrinsece. Secundo. Præmium, quod meretur actus Charitatis, nempe, visio æterna Dei, non est minus, quam sit pœna, quam meretur peccatum, nempe, æterna privatio visionis Dei: meritum autem, & demeritum correspondent bonitati, & malitiæ.

XXIII. Respondeo, dist. ant. Satisfactio, prout est idem, ac restitutio rei ablatæ, conc. ant. Prout idem est, ac compensatio honoris læsi, nego ant. Satisfactio enim compensativa injuriæ, & honoris læsi nequit fieri ad æqualitatem, nisi a persona æqualis dignitatis. Exemplum autem furti, non est ad rem. Quia furtum non est injuria personalis, sed realis; nec crescit ex dignitate personæ, cui aufertur, sed ex quantitate rei ablatæ; & ideo si res ablata integre restituatur, a quocumque fiat restitutio, fit æqualis compensatio: nisi furto esset conjuncta contumelia, seu injuria personæ. At omni peccato mortali, ut dictum est, semper est conjuncta dehonoratio, & injuria summi juris divini, ejusque majestatis —— Ad primam autem probationem min. subsumptæ fateor, actum charitatis in bonitate physica, & specifica excedere malitiam peccati mortalis; non tamen excludit, sed exceditur a peccato, in genere morali offensæ: in quo peccatum habet gravitatem vel infinitam, vel ordinis superioris, ut vidimus. —— Ad secundam dico, plus demereri peccatum, quam mereatur actus charitatis. Nam peccatum demeretur pœnam infinitam, idest, non solum æternam privationem visionis Dei, sed etiam annihilationem peccatoris: imo demeretur ipsam incarnationem, quam nec tota collectio actuum bonorum puræ creaturæ mereri unquam posset.

XXIV. Objiciunt tertio. Potest Deus constituere unum hominem purum, qui mereatur gratiam pro omnibus hominibus; ergo pariter potest constituere unum hominem purum, illumque tanta gratia ornare, ut pro omnibus ad æqualitatem satisfaciat. Conf. prob. Non enim plus requiritur ad satisfaciendum pro aliorum culpis, quam ad merendum illis gratiam, & remissionem peccati, quia sicut meritum obligat Deum ex justitia ad conferendum præmium: ita satisfactio obligat ex justitia Deum ad remittendum debitum.

XXV. Respondeo primo, dist. ant. Qui mereatur gratiam absolute, transeat ant. Gratiam, ut remissivam peccati, nego ant. Gratia duo habet. Unum per se, quod est sanctificare, reddere gratum Deo, & dare vires ad agendum in ordine supernaturali. Aliud per accidens; & hoc est, expellere peccatum, si illud inveniat in subjecto, propter incompossibilitatem, quam habet cum illo, quod regulariter contingit. Potest ergo constitui a Deo purus homo, qui mereatur alteri primam gratiam absolute sumptam, idest, ut sanctificativam, non vero ut remissivam peccati: ad hoc enim requireretur, quod meritum illius hominis puri esset tanti valoris, non solum quanti est ipsa gratia, sed etiam quantæ gravitatis est offensa; ad quod, ex dictis, meritum puri hominis pertingere nequit.

Respondeo secundo, dato antec. neg. conf. Plus enim requiritur ad condigne satisfaciendum, quam ad condigne merendum: ad illud enim requiritur æqualitas dignitatis inter personam satisfacientem, & personam offensam, ut dictum est. Ad illud enim sufficit æqualitas operis, quamvis persona merens sit inferioris dignitatis. Imo, regulariter loquendo, requiritur in persona merente subjectio, & inferioritas cum morali proportione inter meritum, & præmium; quæ proportio inveniretur inter meritum illius puri hominis, & præmium in casu. Sic Dux strenuus potest quidem actu aliquo heroico promereri gratiam reo læsæ majestatis: at injuriam regiæ Majestati illatam de condigno compensare, & reparare non potest.

Respondeo tertio, nego absolute ant. Nam potest quidem Deus constituere hominem purum, qui mereatur aliis hominibus gratiam de congruo, non vero de condigno. Et hoc affero cum S. Thoma 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 6. ubi dicit: *Merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus. Quia unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiæ, ut ipse ad vitam æternam perveniat . . . , Sed anima Christi mota est a Deo per gratiam, non solum, ut ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ; sed etiam, ut alios in eam adduceret, in quantum est Caput Ecclesiæ* —— Sed quia hæc S. Thomæ doctrina probat quidem de facto, & in præsenti rerum ordine, in quo nemo, præter Christum, movetur, ut alios ad gloriam adducat; non tamen in alio rerum ordine, quo alicui puro homini, tamquam Capiti, daretur motio, nedum, ut ipse ad gloriam perveniret; sed etiam, ut alios ad gloriam adduceret, quod Scotistæ volunt: ideo duabus prioribus responsionibus standum esse judico.

XXVI. Objiciunt quarto. Potest homo purus, in gratia constitutus, per sua opera satisfacere de condigno pro pœnis peccatorum, non solum sui, sed etiam aliorum: & est articulus fidei de Communione Sanctorum; ergo poterit etiam satisfacere de condigno pro culpa.

XXVII. Respondeo, verum esse antecedens de pœna temporali, non vero de pœna eterna. Quia debitum pœnæ temporalis supponit jam culpam remissam; debitum vero pœnæ æternæ supponit culpam nondum remissam: pro eo autem, qui est in peccato mortali nondum remisso quoad culpam, non potest purus homo condigne satisfacere. Imo nec satisfactio pro pœna temporali fieri potest ab homine puro, nisi præsuppositis meritis Incarnationis. *Neque vero* (verba sunt Tridentini. Sess. 14. cap. 8.) *ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus.*

XXVIII. Objiciunt quinto. Patres sæpius asseruut, mortem Christi non fuisse necessariam ad condignam satisfactionem; ergo neque Incarnationem.

Respondeo, conc. ant. neg. conseq. Cum enim quodcumque opus factum a Christo fuerit pretii infiniti, quia a Persona infinite digna procedens; fuisset pretium sufficiens, & æquale gravitati offensæ: unde mors illius non fuit necessaria ad redemptionem, nisi quod hanc, & non alia sua opera voluit ad consummatam hominis redemptionem ordinare. Unde solum moriens dixit, Joan. 19. v. 30. *Consummatum est.* At si Incarnatio defuisset, nullum opus tantæ dignitatis fuisset, quod posset gravitatem offensæ æquali valore compensare.

XXIX. Objiciunt sexto. Purus homo potuisset ad æqualitatem satisfacere pro offensa gravitatis finitæ: sed offensa Deo illata est gravitatis finitæ; ergo &c. Major. videtur certa. Quia potest homo purus, Dei gratia abundanter adjutus, facere actum amoris perfectiorem, & perfectiorem in infinitum; ergo poterit tandem satisfactionem elicere, quæ sit æqualis perfectionis, & valoris cum gravitate finita offensæ: omne enim finitum per majus, & majus augmentum potest pertingere ad quantitatem alterius finiti, quamvis magni.

Confirmatur. Tum quia: potuit Deus pepigisse fœdus cum Adamo, ut si non peccaret, sed mereretur augmentum justitiæ, talem justitiam cum suo augmento, traduceret in posteros; ergo similiter potuit constituere alium purum hominem, qui per opera sua meritoria transferret justitiam in alios, ut a peccato mundarentur, & sic pro illis satisfaceret de condigno. In hoc enim nulla est repugnantia, posita acceptatione divina, & offensa gravitatis intrinsece finitæ, & solum infinitæ extrinsece: hoc enim modo infinita essent etiam opera charitatis illius puri hominis.

XXX. Min. vero probatur primo. Quia offensa fundatur in cognitione, conatu, & malitia: at cognitio peccatoris finita est, conatus finitus; & malitia quoque finita est: quia hæc vel consistit in conversione ad objectum dissonum; & hæc finita est, sicut conversio ad objectum consonum finita est: vel consistit in privatione rectitudinis; & hæc pariter finita est, sicut rectitudo, qua privat, est finita.

Secundo. Unum peccatum potest esse majus altero in ratione offensæ. Non enim omnia peccata sunt paris gravitatis, ut ostensum est, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Peccatis Quæst. 4. Dub. 2. §. 2.* contra Stoicos, & Jovinianum. Magis enim offenditur Deus per actum expressum contumeliæ, quam per actum furti: sicut magis offenditur Rex, si percutiatur fuste, quam si conviciis lacessatur: sed infinito non potest dari majus; ergo &c.

Tertio. Peccatum veniale est offensa Dei: sed peccatum veniale non est offensa infinita; ergo neque mortale.

XXXI. Huic objectioni satisfacere possumus in duplici sententia, supra exposita, utraque probabili. In sententia ergo afferente, peccatum mortale in ratione offensæ esse simpliciter, & intrinsece infinitum, respondeo, neg. min. Ad primam probationem dico, quod licet offensa activa fundetur, & correspondeat cognitioni, conatui, & malitiæ, & ex hac parte finita sit; offensa tamen passive accepta unice fundatur, suamque accipit indignitatem, & gravitatem ex dignitate Dei, quam violat: quæ respectu ejus non est purum objectum, sed subjectum, & forma gravificans. Cumque privatio semper tanta fit, quanta est forma, qua privat, & dignitas Dei sit infinita: offensa etiam, quæ, quantum ad affectum, privat Deum dignitate ultimi finis, eumque inhonorat, & deprimit, dum vili creaturæ postponit, erit infinita.

XXXII. Dices. Sicut peccatum privat affective Deum suo honore, ita actus amoris Deo reddit suum honorem: sed actus Deo affective reddens Deo honorem, etsi infinitum, non dicitur propterea in dignitate infinitus; ergo actus privans affective Deum suo honore, etsi infinito, non erit propterea infinitus.

Nego conf. & paritatem. Cum enim juxta commune axioma,

axioma, honor ſit in honorante, & offenſa in perſona offenſa; ſequitur, quod ſubjectum honoris, quod redditur Deo a creatura, ſit ipſa creatura: ipſe vero Deus honoratus ſit ſolum terminus extrinſecus honoris: ſubjectum vero morale offenſæ factæ Deo ſit ipſe Deus. Cumque creatura, quæ eſt ſubjectum, & forma dignificans honorem, ſit finitæ dignitatis; fit, ut honor ab ea exhibitus Deo ſit finitæ æſtimabilitatis: cumque e contra Deus, qui non ſolum eſt terminus extrinſecus offenſæ, ſed eſt ſubjectum morale illius, & forma gravificans offenſam, ſit dignitatis infinite; fit, ut gravificet offenſam ad menſuram ſuæ dignitatis, & conſequenter infinite —— Addo: quod actus amoris ſubjicit creaturam Deo, quod proprium eſt creaturæ finitæ, & finito modo fit. At in peccato deprimitur Deus, & ſubjicitur creaturæ; quæ cum infinite diſtet ab illo, ideo talis depreſſio eſt infinita, ſicque infinita etiam erit offenſa.

XXXIII. Ad ſecundam prob. duplici via reſpondeo. Primo, diſt. min Infinito non poteſt dari majus, formaliter, & in ratione infiniti, conc. min. Materialiter, ſeu ex parte materiæ, nego min. Sicut ergo ſi daretur infinita multitudo hominum, magis infinita foret multitudo capillorum, non formaliter in ratione infiniti, quia in ratione formali infiniti, quod eſt non habere finem, utraque multitudo eſſet æqualis; ſed ſolum ex parte materiæ; ſupra quam ratio infinitatis applicatur. Ita omnia peccata mortalia, in ratione formali offenſæ infinitæ, æqualia ſunt, nec unum eſt majus altero; ex parte tamen materiæ, ſupra quam cadit hæc infinitas, nempe, majoris, vel minoris affectionis, poteſt unum eſſe gravius altero.

Reſpondeo ſecundo. Quod in offenſa poſſumus conſiderare duo, nempe, ſubſtantiam offenſæ, & modum offenſionis. Subſtantia offenſæ conſiſtit in depreſſione divinæ majeſtatis, & dignitatis: & hæc æqualis eſt in omnibus peccatis mortalibus: ideoque omnibus correſpondet æqualis pœna, ſcilicet æterna. Modus tamen, quo Deus offenditur, cum penſetur ex majori malitia peccatoris, finitus eſt; & ſecundum hoc offenſa non eſt infinita, nec æqualis in omnibus peccatis, ſed modo gravior, modo minus gravis. Et ratione hujus, eſto omnia peccata mortalia plectantur pœna æterna, aliqua tamen plectuntur pœna graviori, quam alia.

XXXIV. Ad tertiam dico, quod peccatum veniale eſt offenſa Dei, non lædens ipſum in ratione ultimi finis, nec auferens ab eo gloriam intrinſecam; ſed ſolum diminuens gloriam ejus extrinſecam: quæ cum infinita non ſit, nil mirum ſi offenſa venialis non ſit infinita. Unde ſubjectum illius eſt quidem Deus, ſed læſus tantum in extrinſecis; ideoque non gravificans infinite offenſam. Hæc dicta ſunt in gratiam ſententiæ tribuentis culpæ mortali gravitatem infinitam.

XXXV. In ſententia vero tribuente peccato mortali gravitatem ſolum finitam reſpondeo, neg. maj. loquendo de offenſa facta Deo. Ad ejus autem probationem dico, omne finitum pertingere poſſe ad quantitatem alterius finiti, quando ſunt ejuſdem ordinis, & rationis; non vero quando ſunt diverſæ rationis, & ordinis. Solutio eſt S. Th. qui 2. 2. *qu.* 24. *art.* 7. *ad* 3. hoc modo ſalvat, quod charitas hominis viatoris, quantumcumque creſcat, non poſſit pertingere ad charitatem, quam homo habet in Patria. Cum enim ſibi objeciſſet: *Omne finitum, per continuum augmentum, poteſt pertingere ad quantitatem alterius finiti, quantumcumque majoris*; reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit in his, quæ habent quantitatem ejuſdem rationis, non autem in his, quæ habent diverſam rationem quantitatis: ſicut linea, quantumcumque creſcat, non attingit quantitatem ſuperficiei. Non eſt autem eadem ratio quantitatis charitatis viæ, quæ ſequitur cognitionem fidei, & charitatis Patriæ, quæ ſequitur viſionem apertam.*

Porro: ſatisfactio puræ creaturæ non ſolum eſt diverſæ rationis ab offenſa Deo illata, etſi finita ſit; verum etiam diverſi, & inferioris ordinis. Ut enim vidimus, offenſa ſe tenet ex parte perſonæ offenſæ; & ex dignitate illius, ſi non arithmetice, ſaltem geometrice penſatur offenſæ gravitas: ſatisfactio autem ſe tenet ex parte perſonæ ſatisfacientis, & ex hujus dignitate menſuratur ejus valor. Quis autem neſciat, dignitatem puri hominis eſſe diverſi, ac inferioris ordinis ad dignitatem majeſtatis divinæ? Ergo quamvis offenſa Dei finita ſit, non eſt adæquabilis per ſatisfactionem puri hominis. Hinc

XXXVI. Ad Confirmationem diſt. conſ. Transferret per opera ſua meritoria, tamquam per pretium ab intrinſeco ſufficiens, & æquale, nego conſ. Sufficiens ab extrinſeco, & ex acceptatione divina, conc. conſ. Ita S. Thom. 3. *p. quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. Non poteſt purus homo exhibere Deo ſatisfactionem, quæ ſit condigna, per quandam adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ; quia etſi ſolum extrinſece gravitatis infinitæ, eſt tamen gravitatis ſuperioris ad quamcumque ſatisfactionem puræ creaturæ. Poteſt tamen exhibere ſatisfactionem, quæ licet ex ſe imperfecta ſit, & inſufficiens; ſecundum tamen acceptationem ejus, qui ea contentus eſt, quamvis non ſit condigna, ſufficiens ſit. Et hoc modo ſatisfactio puri hominis a Deo conſtituti, ut eſſet Caput ad transferendam in alios, ſatisfaceret; quia etſi ſuapte natura inferior ad gravitatem offenſæ, divina tamen acceptatione præſuppoſita, ab ea efficaciam acciperet, ſicut modo ſatisfactio noſtra efficaciam habet a ſatisfactione Chriſti,

XXXVII. Dices. Poſſet Deus illi homini tantam gratiam largiri, quantam B. Virgo, & omnes Sancti habent; ut ille homo faceret opera tanti valoris, quanti ſunt B. Virginis, ac omnium Sanctorum merita: ſed hæc poſſunt eſſe condigna ſatisfactio pro offenſa mortali, maxime ſi non ponatur intrinſece infinita; & tantum poſſunt ei placere, quantum ei diſplicet offenſa; ergo &c.

XXXVIII. Reſpondeo, neg. min. Bona enim opera B. Virginis, omniumque Sanctorum, etſi per totam æternitatem multiplicata, etiam collective ſumpta, non poſſunt eſſe coram Deo tantæ æſtimabilitatis, quantæ coram ipſo eſt gravitatis unum peccatum mortale; quamvis in genere offenſæ ſimpliciter finitum. Et ratio eſt. Quia peccatum licet in genere offenſæ finitum, eſt tamen ſemper offenſa Dei, & læſio juris divini; & proinde gravitatis in ordine ſuperiori ad quamcumque puræ creaturæ compenſationem: unde nequit tantum placere Deo omnium creaturarum, etiam collective ſumptarum, perpetuus cultus, & honoratio, quantum ei diſplicet vel una offenſa ſua. Quod in humanis etiam explicari poteſt. Nam ſi aliquis ruſticus offendat Regem, & in ſatisfactionem offenſæ Regina ipſa, Principes, & Proceres Regni exhibeant ei totum honorem, quem poſſunt, plus diſplicebit Regi injuria, quam a ruſtico paſſus eſt, quam ipſi placeat honor Reginæ, & omnium Nobilium Regni: quia hunc honorem meretur dignitas regia; ſed horrendum eſt, quod vilis ruſticus contra eam inſurgere audeat. Unde, ut habetur, *Heſter* 3. plus diſplicuit Aman, ſolum Mardocheum nolle ſe adorare, quam ei placeret, ſibi ab omnibus Regni Principibus talem honorem exhiberi.

XXXIX. Sed contra dicta inſtabis. Peccatum in Deum habet malitiam moralem ſuperioris ordinis ad peccatum in proximum: & tamen plura peccata in proximum, v. gr. adulteria poſſunt æquivalere moraliter uni peccato in Deum, puta, odio Dei, & habere æqualem pœnam; ergo &c. Similiter plures actus temperantiæ, licet ſint in ordine inferiori ad charitatem, poſſunt æquivalere uni actui charitatis; ergo &c.

Reſpondeo, quod adulterium, & odium Dei, licet habeant diverſam malitiam ſpecificam, ſunt tamen ejuſdem ordinis; quia ambo ſunt contra Deum, & ipſum deprimunt ad creaturam. —— Plures autem actus temperantiæ non poſſunt adæquare unum actum charitatis, niſi quatenus informantur gratia; qua ratione ſunt ejuſdem ordinis cum charitate.

§. VI.

Quid de ſatisfactione pro peccato Veniali.

XL. AN purus homo ſatisfacere poſſit de condigno pro peccato veniali, præciſis meritis Chriſti, apud Theologos non eſt ita exploratum. Quidam enim contendunt, nec pro peccato veniali adhuc minimo poſſe hominem, etſi juſtum, condigne ſatisfacere; moti eiſdem rationibus, quibus ſupra de peccato mortali. Primo. Ex inæqualitate, quæ eſt inter creaturam ſatisfacientem, & perſonam divinam offenſam. Creatura enim eſt in infinitum inferior Deo, imo nullius dignitatis coram illo. Sicut ergo homuncio vilis, ſi honorem, & obſequium Regi exhibeat, nullius prope momenti eſt: e contra vero quod Regem vel leviter inhonoret, tanti momenti eſt, ut per ſeipſum non poſſit æqualiter ſatisfacere: multo magis hoc dicendum erit de creatura erga Deum —— Secundo. Peccatum veniale licet ſit offenſa Dei levis, eſt tamen vere, & propriè offenſa Dei; & licet non aufert a Deo rationem ultimi finis habitu, impedit tamen actualem extenſionem Dei, ut ultimi finis, ad illum actum: quod eſt aliqualis injuria Deo, qui habet jus, ut non ſolum ſit habitu, ſed etiam actu ultimus finis omnium noſtrorum actuum.

XLI. Alii vero ſentiunt: purum hominem juſtum poſſe æqualiter pro peccato veniali ſatisfacere; quia hoc non lædit Deum in intrinſecis, ſed tantum in extrinſeca extenſione ad illum actum: ideoque cum Deus non ſit læſus in prædicato infinito, non adeo gradificat culpam venialem, ut excedat omnem creatam ſatisfactionem —— Ulterius: Actus charitatis, vel contritionis magis placet Deo, quam ei diſpliceat culpa venialis. Nam in actu charitatis major eſt bonitas, quam ſit malitia in culpa veniali: actus enim charitatis hominem convertit ad Deum, culpa autem venialis hominem a Deo non avertit: & major eſt vis actus charitatis ad merendum, quam ſit culpæ venialis ad demerendum: illi enim debetur præmium æternum, iſti autem pœna tantum temporalis. Sicut ergo purus homo ſatisfacere poteſt pro pœna temporali; cur non poterit ſatisfacere pro culpa, cui pœna tantum temporalis debetur? Utriuſque opinionis momenta ſubjecimus. Eligat Studioſus ex iis eam, quæ ſibi magis placuerit: utraque enim probabilis eſt.

DUBIUM IV.

An Satisfactio Christi habuerit Æqualitatem Justitiæ?

§. I.

An Christus obligatus fuerit ex Justitia Stricta?

I. QUia diximus, peccata mortalia esse proprie injurias Deo illatas, ac pro iis, in quantum injuriæ sunt, nullam puram creaturam posse ad æqualitatem satisfacere; sequitur, ut examinemus: utrum Christus obligatus fuerit ex rigore justitiæ ad satisfaciendum pro peccato Adæ, & pro peccatis omnium hominum: & utrum potuerit satisfacere, & de facto satisfecerit satisfactione, non solum æquali, sed etiam ex rigore justitiæ. Quod per sequentia præstabimus.

II. Dico ergo. Christus ex justitia stricte tali se obligavit ad satisfaciendum pro peccatis hominum. Prob. Quando aliquis per fidejussionem, vel alium similem contractum, ex consensu, & acceptatione creditoris constituit se debitorem loco alterius; si ille obligabatur ex justitia, etiam Fidejussor ex justitia obligatur: sed homines, qui peccarunt, obligantur ex justitia ad satisfaciendum Deo, & quia non possunt satisfacere, Christus ex consensu, & acceptatione patris constituit se debitorem, loco hominum ergo &c. Min. pro secunda parte probatur ex Scriptura, in qua dicitur, primo: Christum fuisse Fidejussorem, & Sponsorem pro nobis. Ecclesiastici 29. v. 19. *Gratiam Fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam*: quæ de Christo Interpretes exponunt. Hebr. 7. vers. 22. *Melioris Testamenti Sponsor factus est Jesus* —— Secundo. Dicitur Christus peccata nostra in se sumpsisse Isaiæ 53. vers. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, vers. 11. *Iniquitates eorum ipse portabit*. vers. 12. *Cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit*. Tertio. Delicta nostra Christus vocat delicta sua, *Psal. 68. v. 5.* David in persona Christi: *Qua non rapui* (inquit) *tunc exsolvebam.... Et delicta mea a te non sunt abscondita*. Et Ps. 21. v. 2. *Longe a salute mea verba delictorum meorum*. Super quæ August. (Enarr. 2. in Ps. 21.) *Quorum* (inquit) *delictorum, de quo dictum est?* Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? *Quomodo ergo dicit delictorum meorum: nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret?*

III. Neque dicas, quod si peccata nostra fierent moraliter peccata Christi, Christus per peccata nostra esset peccator: sicut quia peccatum Adami moraliter fuit peccatum nostrum, nos per Adami peccatum constituimur peccatores.

Nam nego conf. Ideo enim per peccatum Adami constituimur peccatores; quia peccatum Adami est moraliter nostrum, quoad culpam, & voluntatem peccandi. Cum enim voluntates nostræ continerentur in voluntate Adami; ipso volente peccare, omnes nos voluimus, ipso consentiente, omnes consensimus in peccatum. At peccata nostra sunt peccata Christi, non quoad culpam, & voluntatem peccandi. Voluntas enim Christi non erat alligata, aut contenta in voluntatibus nostris, neque peccatis nostris consensit; sed voluit ea assumere, quoad pœnam, ut illa, eam in se perferendo, destrueret, & pro eis satisfaceret. Unde sunt peccata Christi, quoad debitum satisfaciendi: quatenus videns nos non posse satisfacere, fidejussit pro nobis, constituitque se debitorem ad satisfaciendum. Unde Paulus, 2. *Cor. 5. v. 22.* ait, quod Deus, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (ideſt, vel hostiam pro peccato vel debitorem pro peccato nostro) *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Vide S. Th. ibi Lect. 5.

IV Sed quæres: sponte ne, & libere constituit se debitorem Christus; an potius hæc obligatio in illo secuta est vi unionis hypostaticæ?

Respondeo, Christum sponte, & libere fidejussisse, & voluntarie constituisse se debitorem pro peccatis nostris. Nam Scriptura, & Patres commendant charitatem Christi, ut Paulus. ad *Ephes. cap.* 2. Quia cum esset innocens, voluit satisfacere, & pati pro peccatis nostris: sed si ex vi unionis hipostaticæ ad hoc fuisset ex justitia obligatus, non esset commendanda charitas Christi; ergo &c. Hinc *Isaiæ 53. vers. 7.* dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit*.

V. Neque dicas. Peccante toto Regno contra alium Regem, & non valente ei satisfacere; Rex uti Caput Regni, etiamsi esset innocens, obligaretur ex justitia ad satisfaciendum, & se humiliandum pro salute Regni: sed in Adamo peccaverat contra Deum tota Respublica humana, & non poterat satisfacere; Christus autem ratione unionis hypostaticæ est Caput humanæ Reipublicæ, & poterat Deo satisfacere, ergo ex vi talis unionis obligabatur ex justitia.

VI. Respondeo enim, disparem esse rationem inter Regem terrenum, & Christum. Reges enim terreni habent pro fine Regnum, & bonum illius, ideoque servire debent suis Regnis ex justitia, & mori, si oportuerit, pro salute illorum. At Christus ratione unionis hypostaticæ, ita est Rex, & caput hominum; ut non habeat pro fine cujus gratia homines vel illorum bonum, sed ipse est finis hominum. Unde Paulus, 1. Cor. 3. vers. 22. *Omnia* (inquit) *vestra sunt: vos autem Christi, Christum autem Dei*. Non est caput hominum, ut serviat hominibus, sed ut homines serviant ipsi. Adeoque, etiam supposita unione hypostatica, non tenebatur satisfacere, & mori pro peccatis hominum.

Imo neque tenebatur ex charitate. Quia cum vilissimus servus peccat contra alium Regem; non tenetur, neque ex charitate, Rex se humiliare, & satisfacere Regi offenso a vili servo. Cum ergo major sit Christi excellentia supra totum genus humanum, quam sit cujuslibet Regis supra vilissimum servum; fit, ut neque ex charitate, etiam stante unione hypostatica, teneretur &c. An vero obligatus fuerit ex obedientia, stante præcepto Patris moriendi pro nobis, examinabitur infra.

§. II.

Errores, & opiniones circa satisfactionem Christi.

VII. SUppositio, quod Christus se obligaverit ad satisfaciendum ex justitia, & de facto satisfecerit pro peccatis hominum, quæritur: An potuerit satisfacere, & de facto satisfecerit, ad æqualitatem, & de condigno.

Circa satisfactionem Christi pro peccatis nostris plures fuerunt Infidelium, & hæreticorum errores. Primo enim Judæi non credunt, Messiam forte Redemptorem animarum, sed corporum, nec auctorem bonorum spiritualium, sed temporalium. Contra eos tamen stat Scriptura, *Daniel 9. v. 24.* ubi dicitur Messias venturus, *Ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna*.

Secundo. Pelagiani negantes peccatum originale, ac necessitatem gratiæ, & volentes, unumquemque posse viribus propriis pro peccatis satisfacere, negarunt, Christum nos redemisse, & pro nobis satisfeciisse: asserentes, venisse solum, ut doctrina, & exemplo nos doceret: & propterea non venisse pro illis, qui ante Christum vixerunt. Sed hi rejiciuntur, tum ab August. *l. de Nat. & Gratia, c. 4, Lib. 5. contra Julian. c. 15.* & alibi. Tum ex Scrip. *Act. 4. v. 12.* ubi Petrus: *Nec enim* (inquit) *aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et Paulus, Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus Propitiatorem per fidem in sanguine ipsius... propter remissionem præcedentium delictorum*.

Tertio. Petrus Abaelardus, de quo supra, *sæculo* 12. inter alios errores, in quos impegit, asseruit, Diabolum nunquam jus aliquod in homine habuisse: nec Filium Dei carnem assumpsisse, ut hominem liberaret: nec ob aliud in carne apparuisse, nisi ob nostram verbo, & exemplo institutionem: non ob aliud passum esse, & mortuum, quam ob suæ erga nos charitatis ostensionem. Ita refert S. Bernardus, *Tract. de Error. Abaelardi, cap. 5.* alias *Ep. 190.* Damnatus tamen in Concilio Senonensi, & ab Innocentio II. Abaelardus resipuit, suorumque errorum pœnitentiam egit.

VIII. Posito ergo, quod Christus satisfecerit pro peccatis nostris, & totius Mundi, tamquam fidei articulo, ad Titum 2. v. 14. *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem*. Et *Apoc. 5. v. 9.* ubi viginti quatuor Seniores clamabant: *Redemisti nos Deo in Sanguine tuo*. Veniendum est ad opiniones Theologorum.

IX. Prima opinio fertur esse Scoti, in *3. dist. 19. & 20.* & *in 4. dist. 15. q. 1.* (quamvis Scotitæ id negent) & aliquorum, qui dicunt, quod Christus licet vere satisfecerit pro peccatis hominum: tamen opera ipsius non habuerunt ex se valorem, & condignitatem ad talem satisfactionem, sed valorem habuerunt solum ex acceptatione divina: quia nimirum, Deus voluit opera Christi sibi offerri, & promisit, illis se fore contentum, & propter illa se remissurum hominibus peccata. Hinc (ut Dub. præced. vidimus) tantum valorem, quod attinet ad justitiæ æqualitatem, potuisse esse in operibus puri hominis, ad satisfaciendum pro peccatis Mundi, quantus fuit in operibus Christi: quia potuit Deus opera puri hominis ad eumdem effectum ordinare, & acceptare. Congruum tamen, inquiunt, esto non necessarium, fuit, Deum hominem, non hominem purum pro nobis satisfacere. Primo. Quia licet dignitas personæ divinæ non augeat valorem operis, confert tamen quamdam decentiam, & dignitatem operi: eo modo, quo imago a viro Sancto depicta, licet in se non sit melior, respectu tamen ad personam, a qua fuit depicta, habet quamdam moralem æstimationem. —— Secundo. Quia decuit, ut Deum solum agnosceremus Redemptorem, & Dominum, quem solum veneramur Creatorem —— Tertio. Quia oportuit, ut universalis Redemptor a peccatis esset impeccabilis. Hinc etiam inferunt Scotus, & alii, meritum Christi non fuisse infinite dignum, de quo infra.

X. Secunda Opinio est S. Thom. *3. p. quæst. 1. art. 2. ad 2. & quæst. 48. art. 2.* S. Bonaventuræ, & communior apud

Theo-

Theologos: quæ docet, satisfactionem Christi nedum fuisse æqualem, sed superabundantem; idque non ex acceptatione divina, sed ex proprio & intrinseco valore ipsorum operum Christi. Et hanc, ut veriorem amplector.

§. III.

Resolutio Dubii.

XI. Dico. Satisfactio Christi fuit æqualis offensæ, æqualitate strictæ justitiæ, imo superabundans; non pure ex acceptatione divina, sed ex proprio valore operum Christi. Utraque pars probatur ex Apostolo, *Rom. 5. a v. 15.* dicente: *Sed non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Quibus Apostolus præfert valorem operum Christi peccato Adæ, ejusque demerito; sed peccatum Adæ ex sua natura demeruit de condigno posteris damnationem, & mortem; ergo merita Christi, ex se, & ex sua natura pro peccato satisfecerunt: alias ex sua natura major fuisset indignitas peccati Adæ, ad transfundendam condemnationem, quam dignitas operum Christi, ad transfundendam redemptionem, & gratiam. Nec bene adderet Apostolus, ibi v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

XII. Dices tamen. Si Christus ad æqualitatem, & superabundantiam satisfecit; ergo injuste Deus nostram exigit satisfactionem. Si enim quis pro me abundanter satisfecit, solvendo debitum; injuste creditor, repetet a me ulteriorem debiti solutionem.

XIII. Sed respondeo, neg. cons. Licet enim Christus superabunde satisfecerit pro peccatis nostris; ut tamen ejus satisfactio sortiatur effectum, vult illam applicari nobis per Sacramenta, & per opera nostra satisfactoria, & pœnalia. Quia, ut angelice docet S. Thom. 3. *part. q. 49. art. 1. ad 4.* Christi Passio operata est remissionem nostrorum peccatorum, tamquam causa universalis: causa autem universalis non excludit consortium causæ particularis, quia per istam ejus virtus descendit in effectum; ut patet in Cælo, aliisque causis universalibus. Et sic requiritur satisfactio nostra; ut per hanc virtus Passionis Christi in nos descendat, & remissionem peccatorum in nobis operetur.

XIV. Probatur secundo hoc discursu. Incarnatio Verbi fuit necessaria, ut Christus pro peccatis hominum offerret Deo æqualem satisfactionem, ut dictum est: at si Christi satisfactio fuit condigna ex sola divina acceptatione, ad hanc exhibendam non fuisset necessaria Incarnatio: quia sicut Deus acceptavit, tamquam condignam, satisfactionem Christi, quamvis ex proprio valore condigna non esset; ita potuisset acceptare, tamquam condignam, satisfactionem puri hominis gratia excellenti ornati, quamvis ab intrinseco esset insufficiens, & inæqualis. Hoc autem licet admittatur a Scoto, attamen est contra sensum Patrum, ut præcedente Dubio ostendimus.

XV. Probatur tertio ratione a priori. Illa satisfactio est ab intrinseco condigna, & æqualis, cujus valor in morali æstimatione adæquat gravitatem offensæ: at satisfactio Christi in valore intrinseco adæquat, imo superexcedit gravitatem offensæ; ergo &c. Min. prob. primo. Sicut offensa gravificatur a persona offensa: ita satisfactio in materia honoris valoratur a persona satisfaciente: sed sicut persona offensa Deus est, ita in Christo persona satisfaciens Deus est; ergo &c. Maj patet ex dictis. Imo magis significatur satisfactio Christi a persona infinita satisfaciente, quam gravificetur offensa a persona infinita offensa, quia satisfactio dignificatur a persona infinita, ut a principio quasi formali; dignitas enim satisfacientis formaliter dignificat satisfactionem: persona vero offensa, in sententia Scoti, gravificat offensam solum extrinsece, & per modum termini.

Prob. secundo min. ratione D. Thom. 3. *part. quæst. 48. art. 2.* Ille æqualiter, & superabundanter *Satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod æque, vel magis diligit, quam oderit offensa:* atqui *Christus ex charitate, & obedientia patiendo majus aliquid Deo exhibuit, quam exigeret recompensatio totius offensæ humani generis. Primo quidem, propter magnitudinem charitatis ex qua patiebatur.* Unde ibi *ad 2.* dicit; *Quod major fuit charitas Christi patientis, quam malitia crucifigentium: & ideo plus potuit Christus satisfacere sua Passione quam Crucifixores offendere occidendo: in tantum quod Passio Christi sufficiens fuit, & superabundans ad satisfaciendum pro peccatis occidentium ipsum. Secundo, propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei. Tertio, propter generalitatem passionis, & magnitudinem doloris assumpti:* ergo &c.

XVI. Respondent Frassen, & Henno recentiores Scotistæ, Scotum non asserere, opera Christi habere condignitatem solum ex acceptatione divina, & non ex intrinseco valore ipsorum: sed solum condignitatem talium operum non esse in actu secundo completam; nisi accedat acceptatio Dei ea acceptantis in satisfactionem, & dantis illis jus ad præmium: secluſa enim acceptatione, opera illa in actu secundo non obligarent Deum ex justitia ad condonanda peccata. Itaque dicunt, Dei acceptionem non se habere, ut dantem valorem, & sufficientiam meritis Christi, quam ex se non haberent: imo si Deus in bilance posuisset ex una parte omnia hominum peccata, ex altera Christi merita; longe præponderarent merita Christi, ut egregie docet Bernardus (seu verius *Ogerius Abbas, Serm. de duobus Discipulis euntibus in Emmaus*) dicens, pœnam Christi in statera Crucis appensam multo majoris fuisse ponderis, in ratione satisfactionis, quam promeruissent peccata nostra: sed solum se habere, tamquam in actu secundo, complentem ejus sufficientiam; eo modo, quo requiritur acceptatio creditoris sese obligantis ad remittendum debitum.

XVII. Hæc si ita sunt, facile cum Scoto, & Scotistis conveniemus: Quamvis enim dici posset, quod Deus necessitate quadam naturali, quæ fertur in Filium, teneretur satisfactionem ejus absolute accepta; & supposito, quod voluerit æqualem exigere pro peccatis satisfactionem, non potuit istam rejicere. Tamen dato etiam, quod intercesserit pactum, vel promissio acceptandi satisfactionem Christi pro peccatis, non tollitur quin ex vera justitia Christus satisfecerit. Nec enim, ut intercedat vera justitia inter aliquos, necesse est, unum teneri acceptare, quod ab altero offertur. Nam etsi Rex, aut mercator non teneatur acceptare justum pretium pro captivo, vel merce; si tamen acceptet, vera intercedit justitia, dummodo sit æqualitas rei ad rem. Si enim hæc non adesset, vera justitia non intercederet, ut si debens centum salvat nonaginta: hæ enim solutio licet pro sufficienti acceptetur a creditore, quia tamen realem æqualitatem non ponit, non salvat perfectam justitiam. Cum ergo opera satisfactoria Christi habeant condignitatem, & valorem æqualem, imo excedentem gravitatem offensæ; ex justitia satisfaciunt, quamvis Dei acceptatio interveniat.

§. IV.

Satisfit Objectionibus.

XVIII. Objicitur primo. Valor satisfactorius operum Christi non potest per se adæquare gravitatem offensæ totius generis humani; ergo &c. Ant. prob. primo. Offensa irrogatur Deo, ut Deus est: at Christus non satisfecit, ut Deus est, sed ut homo; ergo &c.

Secundo. Satisfactio Christi non tantum placet Deo, quantum ei displicet peccatum; hoc enim tantum ei displicet, quantum ei placet sua bonitas: nam quantum aliquid amatur, tantum ei displicet ejus destructivum: peccatum autem, est saltem affective, destructivum divinæ bonitatis: at opera satisfactoria Christi non possunt tantum ei placere, quantum ei placet sua bonitas; ergo &c.

XIX. Respondeo, neg. ant. Ad primam prob. dico, quod Christus non satisfecit, neque ut homo tantum, neque ut Deus tantum, sed ut Deus homo; humanitate eliciente substantiam satisfactionis, & personalitate Verbi valorante satisfactionem: quæ persona cum infinita sit, influit valorem infinitum in satisfactionem, & proinde tantum, quanta est gravitas offensæ. Unde S. Thom. 3. part. quæst. 48. art. 2. *ad 3. Dignitas* (inquit) *carnis Christi non est æstimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet, erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.*

XX. Sed instabis. Si per impossibile unus Deus offenderet alium Deum, valor satisfactionum Christi, ad summum, adæquaret gravitatem offensæ ab alio Deo irrogatæ, sed gravitas offensæ factæ Deo a creatura major est, quam esset offensa facta ab alio Deo; quia gravitas offensæ crescit ex vilitate offendentis, & dignitate offensi; ergo valor &c. non adæquat &c.

XXI. Respondeo, neg. maj. In illo enim casu impossibili major esset satisfactio Christi, quam offensa. Quia offensa in alium Deum subjiceret illum quidem alteri Deo, sed solum moraliter: at Christus satisfaciens subjiceret se ipsum, non solum moraliter, sed etiam physice; & non solum Deo offenso, sed etiam usque ad humanam infirmitatem se exinaniret. Hac eadem ratione satisfactio Christi pro peccatis hominum est æqualis, & etiam major offensa. Æqualis quidem: nam æque æstimabile est, personam infinitam humiliari, & dejici, quam sit horribile, vilem creaturam inferre injuriam Deo. Est etiam major: quia offensa licet deprimat Deum usque sub creatura; hoc tamen facit affective solum, & moraliter. At Christus satisfaciendo, non solum moraliter depressit personam infinite dignam, sed etiam physice, & realiter; & nedum hanc subdidit Deo, cui satisfaciebat, sed & hominibus propter Deum: unde in manus peccatorum tradi voluit, & occidi. Et sicut per peccatum infimum bonum elevatum fuit supra summum: ita in Christi satisfactione summum bonum deprimitur subtus infimum.

Ex quo solvitur instantia, quæ fieri posset sic. Offensa habet duplicem infinitatem, unam ex persona, quæ offenditur, aliam ex infinita distantia inter creaturam offendentem, & Deum offensum: satisfactio autem Christi non habet nisi unam infinitatem, ratione personæ satisfacientis, non vero aliam, quæ consurgit ex infinita distantia inter personam satisfecientem, & eam, cui satisfit: si quidem etiam persona, cui satisfit, est infinita —— Nam respondeo,

deo, ex dictis, hanc duplicem infinitatem fuisse etiam in satisfactione Christi: unam ratione personæ satisfacientis, aliam ratione infinitæ distantiæ inter personam, quæ se humiliavit, & eam, cui se humiliavit, nempe peccatoribus, quibus in sua satisfactione, passione, & morte se humiliavit Deus.

XXII. Ad secundam probat. ant. nego min. Ut enim docet S. Thom. citata *quæst.* 48. *3. part. art.* 2. plus placet Deo Christi satisfactio, propter rationes a S. Thom. ibi allatas, quam displiceat offensa suæ bonitati illata, per peccatum: quia hæc tantum moralis fuit, & affectiva, illa autem realis, & effectiva humiliatio fuit divinæ personæ; qua divina bonitas magis fuit exaltata, quam fuisset per peccatum depressa.

XXIII. Objicitur secundo. Plus est satisfacere Deo de condigno pro peccatis generis humani, quam reddere Deo æquivalens pro beneficiis acceptis: at Christus, per suos actus, non potuit Deo reddere æquivalens pro beneficiis sibi collatis; ergo &c. Maj. videtur certa. Quia majus est compensare debitum ex justitia, quam beneficium ex gratitudine. Min. prob. Inter beneficia collata a Deo generi humano fuit divini Verbi Incarnatio: at Christus pro ista non potuit reddere æquivalens; quia quidquid Christus potuisset reddere, fuisset finitum, saltem in genere physico; Incarnatio autem includit personam divinam, quæ in genere entis, seu physico infinita est; ergo &c.

XXIV Respondeo primo, neg. maj. Quia, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 106. *art.* 6. ad compensationem ex justitia sufficit, ut qui reddit, reddat æquale, & qui reddit, sit æqualis dignitatis: ad compensationem vero ex gratitudine requiritur, quod plus reddat, quam fuerat acceptum. In conferente enim beneficium. *Hoc commendabile, videtur, quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur. Et ideo qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, ut similiter aliquid gratis impendat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii; quia quamdiu recompensat minus, vel æquale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit.* Hæc S. Thom.

XXV. Respondeo secundo, ex quo Christus non potuerit compensare unum, vel alterum beneficium, non sequi, quod non potuerit satisfacere pro peccatis. Et ratio est: quia inter beneficia datur Incarnatio, quæ superat vim compensativam virtutis compensativæ Christi, imo etiam gravitatem offensæ. Quotiescumque autem beneficium est majus, quam offensa; ex eo, quod quis nequit compensare beneficium, non sequitur, quod nequeat satisfacere pro offensa.

XXVI. Respondeo tertio, neg. min. Christus enim compensavit etiam beneficium Incarnationis variis modis. Primo. Quia Verbum non solum obtulit humanitatem Patri in compensationem; sed etiam obtulit se ipsum, & dignitatem suæ personæ; quæ dignitas in genere entis infinita est, & in infinitum excedens omne beneficium: eo vel maxime, quia licet persona verbis aliquid in se infinitum sit; in ratione tamen beneficii collati humanitati, non est simpliciter infinita, quia ipsi non communicatur, nisi finito modo —— Secundo. Quia licet ex parte rei datæ non plus dederit Christus, quam acceperit humanitas per Incarnationem; ex parte tamen affectus plus dedit: sic enim erat affectus, ut si plus Deo reddere posset, illud redderet. Ut autem ait S. Thom. mox citatus, *ad* 1. in recompensatione beneficii magis est considerandus affectus, quam effectus. Sic filius ex parte rei, seu effectus beneficii non potest reddere patri tantum, quantum accepit, scilicet esse, & vivere: *Si autem attendamus ad ipsam voluntatem dantis, & retribuentis, sic potest filius aliquid majus patri retribuere, ut Seneca dicit in 3. de Benefic.*

XXVII. Neque dicas: ex hac responsione sequi, puram creaturam posse ad æqualitatem retribuere Deo pro beneficiis; cum possit illi reddere æquale, quoad effectum —— Nego enim sequelam. Nam cum affectus ille, quo creatura conaretur compensare beneficia Dei, sit novum beneficium Dei; fit consequens, quod purus homo semper remaneat debitor Deo, & quod nunquam compenset ad æqualitatem, neque quoad effectum; cum ipsa actione gratiarum beneficia non deleantur sed crescat: non autem sic de Christo.

DUBIUM V.

An Christus satisfecerit cum omni rigore Justitiæ.

§. I.

Satisfactio Christi non potuit non acceptari a Deo.

I. UT satisfactio impleat rigorem Justitiæ, non sufficit, ut sit æqualis, & a persona æqualis dignitatis; sed alias ulterius conditiones requirit. Quarum prima est, quod creditor teneatur illam acceptare. Secunda, quod sit ad alterum; quia justitia in perfecta æqualitate consistit: æqualitas autem debet esse inter duos, quia nihil est sibi ipsi æquale. Tertia, quod sit ex bonis propriis satisfacientis, & non ex acceptis a creditore; alias non esset ex justitia, sed ex gratia. Quarta, quod fiat ex bonis debitoris, quæ non sint sub dominio creditoris: ille enim, cui fit satisfactio, debet acquirere supra rem oblatam dominium, vel absolute, vel saltem novum. Dixi vel saltem novum: quia potest contingere, quod creditor habeat dominium altum, & supremum rei, quæ ipsi offertur: & tamen si debitor, ultra hoc, det ei dominium utile, satisfaciet de rigore justitiæ. Quinta, quod non fiat ex alias per se debitis creditori; si enim aliquis debeat alteri centum nummos, titulo venditionis, quia emit ab illo pannum, & præterea debeat illo centum nummos, ratione mutui: non satisfaceret illi de rigore justitiæ, si tantum centum nummos illi exhiberet: posset enim creditor illos acceptare pro uno solo titulo; & sic debitor maneret obligatus alio titulo ad similem summam persolvendam. Quærimus ergo: An omnes præfatæ conditiones adimpletæ sint in satisfactione, quam Christus exhibuit pro peccatis nostris? Qua in re concorditer affirmant Nostrates, Scotistæ autem discordant, plerumque tamen negant.

II. Dico. Posito, quod Christus obtulerit se fidejussorem pro nobis, & quod Deus Christum, ut Fidejussorem acceptaverit, satisfactio Christi non potuit non acceptari: & consequenter in ea impleta fuit prima conditio. Prob. Posito, quod aliquis acceptatus, ut Fidejussor, offerat satisfactionem perfectam, & æqualem, talis satisfactio non potest rationabiliter non acceptari a creditore; sed Christus acceptatus fuit a Deo, ut Fidejussor pro nobis, & obtulit Deo satisfactionem æqualem, imo excedentem, ut vidimus; ergo Deus non potuit illam non acceptare. Maj. prob. Ille, cui perfecte satisfactum est, non habet rationabile jus non remittendi debitum, seu offensam: iste enim actus, quo aliquis dicit: *Licet mihi perfecte satisfactum sit, nolo remittere offensam, vel condonare debitum*, est essentialiter irrationabilis.

III. Confirmatur. Posito pacto liberandi captivum, dummodo offeratur pretium æquale, vel tantum secundum conventionem, non potest illud pretium non acceptari, cum offertur: sed inter Deum, & Christum intercessit pactum liberandi hominem a captivitate peccati, si Christus pro eo mortem subiret; ergo posito, quod Christus pro eo mortuus sit, non potest Deus hominis liberationem denegare.

IV. Objicies tamen primo. Satisfactio Christi esto Deum obligavit ad eam acceptandam; hæc tamen obligatio orta fuit ex benigna Dei voluntate, qui contentus fuit acceptare fidejussionem Christi, ejusque satisfactionem loco hominis; ergo in hoc non fuit de toto rigore justitiæ. Conf. prob. Quia satisfactio, quæ indiget consensu creditoris, ut sit illa contentus, includit benignitatem creditoris, & ideo non est de rigore justitiæ.

V. Respondeo, neg. conf. Non enim est de essentia rigorosæ justitiæ, quod inducat in creditore obligationem absolutam, & independenter ab ejus voluntate obliget illum ad eam acceptandam; quod patet. Nam ille, cui ablatus est equus, non tenetur ex justitia acceptare compensationem in pecunia, sed potest repetere equum a fure: tamen si conveniant ex pacto, quod satisfactio fiat in pecunia, & maxime si restitutio equi impossibilis sit: solutio pecuniæ æquivalentis est satisfactio de rigore justitiæ. Sic in casu; licet absolute posset Deus repetere satisfactionem ab homine, & non sit necessitatus ad acceptandam satisfactionem Christi: ex suppositione tamen, quod illum acceptavit, ut Sponsorem pro homine, qui non poterat per seipsum satisfacere, & Christi satisfactio fuit æqualis, imo excedentis valoris; illam debuit acceptare, tamquam de rigore justitiæ persolutam —— Ad prob. conf. dico, quod licet satisfactio, quæ indiget consensu creditoris supplente inæqualitatem satisfactionis, non impleat rigorem justitiæ; non tamen satisfactio, quæ solum indiget consensu creditoris supplente conditionem personæ. Satisfactio autem Christi eguit consensu Dei ad sui acceptationem, non quia præciso tali consensu non esset æqualis debito exstinguendo: sed quia Deus poterat exigere satisfactionem ab homine, qui eum offenderat.

VI. Objicies secundo. Si satisfactio Christi non posset non acceptari a Deo, cum Christus mortuus sit pro omnibus, ut contra Jansenium statuit Ecclesia, & ad delenda omnia peccata; non posset Deus non remittere ea omnia: atqui hoc est falsum. Quia loquendo de peccato originali illud non delet in omnibus: imo, propter peccatum originale, privat multos auxilio gratiæ; & ex illis, in quibus originale delevit, multos punit morte æterna propter peccata actualia.

VII. Respondeo, satisfactionem Christi fuisse a Deo acceptatam quantum ipse voluit, ut acceptaretur, & valeret: idest, pro omnibus quoad sufficientiam pretii, pro multis vero etiam quoad efficaciam, quam alligavit cooperationi nostræ, & Sacramentis, quæ ipse instituit. Quare, quod aliqui ab originali non liberentur, non provenit ex defectu pretii a Christo erogati; sed ex libera voluntate ipsius Christi, qui ita voluit, ut sua satisfactio non prodesset, nisi iis, qui eam sibi applicant per Baptismum. Porro: voluit Christus suas satisfactiones efficaciter applicare pro peccato originali parvulorum, qui baptizantur; pro originali, & omnibus personalibus adultorum, qui debi-

debite dispositi suscipiunt Baptisma: pro peccatis vero post Baptismum commissis applicari voluit adultis, qui disposi- ti Sacramentum Pœnitentiæ suscipiunt, & pro remissione omnium, quorum habemus contritionem perfectam: ideoque, positis his conditionibus, non potest Deus, stante satisfactione Christi, non dimittere peccata. Voluit etiam Christus sua merita efficaciter applicare, ad impetranda aliquibus auxilia efficacia, & finalem perseverantiam in gratia: pro aliis noluit sua merita efficaciter applicare, ad hæc obtinenda. Si autem quæras: quare hoc? Ad inscrutabilia Dei judicia cum Paulo confugiendum est.

§. II.

Satisfactio Christi fuit ad Alterum.

VIII. Dico. In satisfactione Christi fuit alteritas sufficiens ad rigorem justitiæ. Prob. Alteritas requisita, & sufficiens ad rigorosam justitiam non requirit realem distinctionem inter personam, quæ satisfacit, & personam, cui fit satisfactio; sed licet sit una persona realiter, si habeat duas naturas, duas voluntates cum diverso jure, & libertate; in hoc casu evadit duplex persona moraliter, & potest secundum unam naturam satisfacere sibi ipsi, ut habenti aliam naturam: sed in Christo, licet non dentur duæ personæ, dantur tamen duæ naturæ cum duplici voluntate, libertate, & jure; ergo &c.

Urgetur hoc. Non magis requiritur ad satisfactionem rigorosam, quod intercedat inter personas distinctas, quam ad aliqualem satisfactionem: sed Christus habuit alteritatem sufficientem, ut Deo aliquam satisfactionem impenderet, ut nullus negat; ergo &c.

IX. Objicies primo. Christus, etiam ut homo, est Deus, ergo non est alter a Deo. —— Rursus: Christus, etiam ut homo, est Filius naturalis Dei: sed inter filium naturalem, & patrem non datur alteritas sufficiens ad justitiam, ut statuimus, in *Tract. de Justit. & Jure*, quia filius est aliquid patris; ergo &c.

X. Respondeo ad primum cum Sanct. Thom. *3. part. quæst. 16. art.* 11. ant. esse verum, si ly, *ut homo*, accipiatur pro supposito: *Quia tamen terminus, in reduplicatione positus, magis proprie tenetur pro supposito: ideo magis est ista neganda:* Christus, secundum quod homo, est Deus; *quam sit affirmanda.*

Ea tamen data, dist. cons. Non est alter a Deo, alteritate reali, & physica, conc. cons. alteritate virtuali, & morali, nego cons. Ad justitiam alteritas realis suppositorum parum refert, si alia desint. Nam filius non emancipatus est persona realiter altera a patre; idem dic de servo, & domino; & tamen inter filium, & patrem, mancipium, & dominum, non datur alteritas sufficiens, ut inter eos exerceri possit justitia. Alteritas ergo, quæ requiritur ad rationem justitiæ, est alteritas inducens diversitatem jurium, & dominii; ita ut jus personæ satisfacientis sit aliud a jure personæ, cui fit satisfactio. In hoc enim casu licet persona physice, & realiter non sit duplex; reputatur tamen duplex æquivalenter, & moraliter. Cum ergo, licet persona Christi satisfacientis sit realiter eadem cum persona offensa, & cui fit satisfactio; tamen, ut satisfaciens sit subsistens in natura humana, & ut accipiens satisfactionem sit subsistens in natura divina; & ex hac naturarum diversitate illa eadem persona habeat jura, & dominia diversa, sicut etiam diversam libertatem: fit, ut evadat moraliter, & æquivalenter duplex, & ut utens uno jure possit satisfacere, & ut utens alio jure possit acceptare satisfactionem —— Hinc respondeo ad 2. quod etsi Christus, ut homo, sit Filius naturalis Dei; ut tamen homo habet distinctum jus, ratione cujus potest Deo Patri satisfacere.

XI. Hoc totum variis exemplis comprobatur. Primo. Si eadem persona divina, ut potuit, assumpsisset duas naturas humanas; cum in qualibet istarum daretur distinctum jus, & distincta libertas, quis negaret, inter istas exerceri posse rigorosam justitiam? —— Secundo. In sententia Scoti asserentis, unam personam creatam posse duas naturas humanas personare, puta Petri, & Pauli: nonne posset voluntas Petri contradicere voluntati Pauli, eamque contumeliis afficere, & deinde ex justitia ei satisfacere? —— Tertio. Si diversitas voluntatum, quæ est in Christo, ut homine, & Deo, fundat distinctionem sufficientem; ut Christus in quantum homo obedierit, actus Religionis exercuerit, se humiliaverit, servum se exhibuerit sibimetipsi, ut Deo, seu ut subsistenti in natura divina: quæso, cur non fundavit distinctionem sufficientem, ut Christus, in quantum homo, satisfaciat sibi, ac Deo?

XII. Dices. Eadem videtur ratio de satisfactione, ac de offensa, quia contrariorum eadem ratio est: sed Verbum, ut in natura humana subsistens, non posset offendere seipsum, ut in natura divina; ergo neque poterit ut subsistens in natura humana satisfacere sibi &c.

XIII. Hanc instantiam solvere debent etiam Adversarii. Hi enim esto negent, Christum de rigore justitiæ potuisse satisfacere; admittunt tamen, aliquo modo Deo satisfecisse: cum tamen potuisse aliqualiter Deum offendere non affirment. Dico ergo, Verbum, etiam ut in natura humana subsistens, non potuisse seipsum, & Deum offendere; non ex defectu alteritatis sufficientis ad rationem offendentis, & offensi (nam si, ut vult Scotus, eadem persona creata personaret naturam Petri, & naturam Pauli; posset illa persona, ut in natura Petri, offendere seipsam, ut in natura Pauli) sed ex defectu potentiæ peccandi: nam Verbum, etiam ut subsistens in natura humana, est impeccabile.

XIV. Objicies secundo. Saltem pro peccato se crucifigentium non potuit Christus ex rigore justitiæ satisfacere. Nam peccatum crucifigentium fuit commissum contra Deum, ut hominem: si autem satisfecisset, satisfecisset ut Deus homo; ergo fuisset idem satisfaciens, & offensum identitate & suppositi, & naturæ.

XV. Non pauci hoc argumento pressi, dicunt, pro peccatis contra seipsum commissis Christum de rigore justitiæ non satisfecisse, secundum omnem rationem; sed solum quatenus erant offensa Dei in seipso, non autem, ut erant offensa ipsi Christo irrogata.

Verius tamen judico respondendum, Christum satisfecisse etiam pro peccatis contra seipsum commissis: hanc tamen satisfactionem exhibuisse, non sibi, ut subsistenti in natura humana, sed Deo in se, seu toti Trinitati. Quia sicut per peccatum in Spiritum Sanctum non offenditur sola persona Spiritus Sancti, sed tota Deitas; ita crucifigentes Christum non offendunt personam Verbi, ut distinctam ab aliis, sed totam Deitatem. Quemadmodum enim in tribus Personis unica est ratio amabilis; ita est unica ratio offendibilis: ideoque cum per illud peccatum fuerit tota Deitas, & omnes divinæ personæ in seipsis offensæ: ita toti Deitati debuit fieri satisfactio. Unde S. Paulus 2. Cor. 5. v. 19. *Deus* (inquit) *erat in Christo mundum reconcilians sibi:* Deus, *hoc est sempiterna divinitas*, ait Ambrosius, *l. 3. de fide cap. 5.* Reconciliatio ergo, sicut & satisfactio, primario facta fuit ipsi Deo, seu divinitati; ac proinde ista fuit subjectum primarium offensæ.

§. III.

Satisfactio Christi fuit ex bonis propriis & sub ejus Dominio positis.

XVI. Dico. Christus satisfecit ex bonis vere propriis, & sub dominio suo positis. Prior Asserti pars prob. Nam licet actus, quos Christus in satisfactionem obtulit Deo, accepisset a Deo; eos tamen accepit cum plena libertate utendi illis, vel in solutionem debiti, vel in alios usus: at hoc sufficit, ut si illis utatur in solutionem debiti, dicatur satisfacere ex justitia, & ex propriis; ergo &c. Min. explicatur. Si Petrus debeat Paulo centum; & Paulus donet Petro centum, ut illis utatur in quemlibet usum: si Petrus illis utatur ad solvenda centum, quæ Paulo debebat, quis dicet, Petrum, non satisfacere debito de rigore justitiæ, non minus, ac si illa centum accepisset ab alio? Similiter quis dicet, subditum, si ex acceptis liberaliter a Principe, ut illis utatur in quemcumque usum, solvat Principi debitum, non satisfacere Principi ex rigore justitiæ?

XVII. Tunc ergo solum obstat solutioni ex rigore justitiæ, quod fiat ex acceptis a creditore; cum fit ex acceptis sine libera facultate disponendi, & obligatione imposita reddendi illa creditori in solutionem debiti: ut si Paulus det Petro centum, ut sibi solvat centum, quæ debebat: tunc enim Petrus non solvit debitum, sed Paulus potius illud sponte remittit. Unde tunc solum impeditur rigor justitiæ, per hoc, quod solutio fiat ex acceptis gratiose a creditore; quando sunt accepta cum pacto, ut erogentur in solutionem debiti. Quare cum Christus, licet a Deo creditore acceperit merita, & actus, per duos satisfecit; illos tamen acceperit cum libera potestate illis utendi, vel ad satisfaciendum pro genere humano, vel non, prout ipsi libuisset: ex hoc capite non fuit impeditus, quin posset justitiæ rigorem servare.

XVIII. Secunda vero pars, quod, nempe, actiones, quibus Christus satisfecit, essent sub dominio illius, quantum sufficit ad rigorem justitiæ, probatur primo. Licet in datis, & acceptis non possit satisfieri de rigore justitiæ per id, quod est sub dominio creditoris; quia in datis, & acceptis non potest fieri perfecta æqualitas, nisi quod prius non erat sub dominio, transeat in dominium creditoris; alias creditor post satisfactionem non esset plus habens de rebus suis, quam antea, sicque adhuc maneret inæqualitas: tamen ut fiat perfecta æqualitas in materia honoris, requiritur, & sufficit, ut honor, qui fuerat ablatus, restituatur illi a persona æque digna; ad quod per accidens se habet, quod actiones, quibus honor redditur, sint sub dominio creditoris: atqui compensatio Christi fuit compensativa honoris; ergo potuit habere rigorosam æqualitatem justitiæ, per hoc, quod fuerit a persona æque digna, licet actiones ejus essent sub dominio Dei.

XIX. Probatur secundo. Esto satisfactio Christi fuerit sub supremo, & alto dominio Dei, erant tamen sub dominio particulari, & quasi utili ipsius Christi; quatenus erant libera Christo, & poterant ab ipso applicari, vel non applicari pro peccatis nostris: sed rigorosæ satisfactioni non officit, quod actus, quo satisfit, sit sub dominio supremo, & alto creditoris, dummodo sit sub dominio particulari satisfacientis; ergo &c. Minor. prob. Quia

domi-

dominium generale, & ſupremum non tollit, quin dominium particulare ſit verum dominium: ſicut cauſa univerſalis non tollit, quin cauſa particularis ſit vera cauſa —— Et explicatur. Nam eſto Reſpublica habeat altum dominium in omnia bona Civium; hoc non impedit, quin Civis poſſit cum Republica veros contractus inire: & quamvis Vaſſalus habeat tantum dominium utile ſui fundi; poteſt nihilominus, ex fructibus inde provenientibus, ſatisfacere domino directo de rigore juſtitiæ. —— Addo: quod ſi dominium ſupremum tolleret dominium ſufficiens ad ſatisfaciendum; nullus homo poſſet per ſua opera alteri homini ſatisfacere. Nam ſicut ad ſatisfactionem requiritur, quod non fiat ex bonis creditoris; ita quod non fiat ex alienis: ſed omnia opera hominis ſunt ſub dominio generali Dei; ergo nullus homo poſſet alteri homini ſatisfacere.

XX. Probatur tertio, & fortius. Licet opera Chriſti, ſpectata quoad eſſe phyſicum, ſint ſub dominio Dei, ſicut cæteræ res creatæ; ſpectata tamen ſecundum valorem moralem, cum ſub hac ratione includant ipſam perſonam verbi, tamquam formam ipſa valorantem, non ſunt ſub dominio Dei; ſicut nec ipſum ſuppoſitum, cujus ut ſic formaliter actiones ſunt, & a quo valorantur: ſed opera Chriſti ſatisfactoria ſunt, non ſecundum eſſe phyſicum, ſed ſecundum valorem moralem, quem habent a Verbo; ergo, ut ſatisfactoria, non ſunt ſub dominio Dei.

§. IV.

Satisfactio Chriſti fuit ex indebitis.

XXI. Dico. Satisfactio Chriſti etiam hanc ultimam conditionem implevit. Probo primo. Ut ſatisfactio ſit ex juſtitia, non requiritur, quod id, quod exhibetur creditori, poſſit aliis titulis ab illo exigi; ſed ſufficit, ut ob alios titulos de facto non exigatur. Nam certum eſt, dominum poſſe exigere omnes actiones a ſervo; ſi tamen aliquam actionem dominus a ſervo non exigat, poteſt per illam ſervus domino ſatisfacere: atqui Deus licet potuiſſet exigere omnes actiones Chriſti, ob alios titulos, gratitudinis, religionis &c. illas tamen, ob iſtos titulos, non exegit, ſed ſolum in ſatisfactionem pro peccatis hominum, ut habemus in Scripturis; ergo per illas potuit &c.

XXII. Probo ſecundo. Licet actiones Chriſti deberentur Deo, ob varios titulos, potuit tamen omnibus illis ſatisfacere. Nam quotieſcumque ſatisfactio talis eſt, ut ſit æqualis, & par ſatisfaciendo omnibus debitis, per illam omnia debita ſolvi poſſunt: ſed talis erat ſatisfactio Chriſti; hæc enim, utpote infinite dignificata a perſona Verbi, par erat, ut ſatisfaceret, tum debito hominum erga Deum, tum debito humanitatis, in materia cultus, gratitudinis, obedientiæ &c. ergo de facto pro omnibus ſatisfecit. —— Addo: quod quando tituli non multiplicant materiam debiti, poteſt omnibus unica ſatisfactione fieri ſatis. Si enim debeam Petro centum, ſive titulo juſtitiæ, puta, ratione contractus, ſive titulo obedientiæ, quia Superior mihi præcipit, ut ſolvam, ſive titulo religionis, quia voto me obligavi ad eam ſummam ſolvendam; poſſum unica ſolutione illorum centum omnia iſta debita extinguere; quia illi tituli non multiplicant materiam, ſed illam relinquunt unam, licet pluribus modis debitam; ſed operationes Chriſti, licet eſſent Deo pluribus titulis debitæ, tamen omnes iſti tituli cadebant ſupra eamdem materiam, ſcilicet, ſupra eaſdem actiones ſatisfactorias; ergo potuit Chriſtus moriendo ſatisfacere ex juſtitia omnibus illis titulis.

XXII. Quæres: Ex qua juſtitia Chriſtus ſatisfecit?

Reſpondeo, quod ſatisfecit ex juſtitia commutativa. Satisfactio enim, quæ tantum honoris reddit perſonæ, quantum ei fuerat ablatum per injuriam, fundat æqualitatem propriam juſtitiæ commutativæ: ſed talis fuit ſatisfactio Chriſti; ergo &c. Hinc Paulus, *Rom. 3. v. 25.* de Chriſto: *Quam* (inquit) *propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.* 1. Cor. 1. v. 30. *Factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Et Coloſſ. 2. verſ. 14. *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Sicut ergo qui ſatisfaceret, tollendo chirographum debiti, quod creditor adverſus debitorem habebat, ſatisfaceret ex juſtitia commutativa; ita Chriſtus tollendo, ac delendo &c.

Accedit, quod non fuit actus juſtitiæ legalis; quia hæc reſpicit non compenſationem offenſæ, ſed bonum commune. Nec actus juſtitiæ diſtributivæ; quia hæc, qua diſpenſantur bona Communitatis, dat unicuique ſecundum meriti proportionem, quod non fecit Chriſtus.

XXIV. Habuit, ultra hoc, ſatisfactio Chriſti honeſtatem omnium aliarum virtutum, præſertim charitatis, miſericordiæ, obedientiæ. Ex charitate enim, & miſericordia ſe tradidiſſe pro nobis, teſtatur Paulus, ad Eph. 2. verſ. 4. *Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos &c.* Ex obedientia item, ac humilitate, Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.*

XXV. Ex dictis infertur etiam (quidquid in contrarium oblatrent Proteſtantes) dici poſſe, homines, quibus merita Chriſti applicantur, ejuſque ſatisfactiones, in aliquo vero ſenſu ſatisfacere Deo de rigore juſtitiæ pro peccatis ſuis. Quia, juxta regulam primam Tichonii relatam, & approbatam ab Auguſt. *lib. 3. de Doctr. Chriſti cap. 31.* Caput, & corpus unam perſonam gerunt; ut quæ capiti conveniunt, tribui poſſint corpori, & viciſſim: Chriſtus autem eſt Caput, cujus corpus ſumus nos, nempe, Eccleſia. Rom. 12. v. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto.* Unde fit, quod ſatisfactiones Chriſti Capitis fiant quodammodo noſtræ; & quodammodo dici poſſimus per ſatisfactiones Chriſti, ut Capitis, ac Fidejuſſoris, etiam nos Deo de rigore juſtitiæ ſatisfacere. In hac tamen re habentes præ oculis verba Trid. *Seſſ. 14. cap. 8.* dicentis: *Neque vero ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum. Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis, nihil poſſumus; eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus.*

Dubium VI.

An Satisfactio Chriſti fuerit valoris ſimpliciter Infiniti?

§. I.

Ponitur Reſolutio.

I. Scotiſtæ, quos diſcordes invenimus in aſſerendo, Chriſti ſatisfactionem fuiſſe æqualem, de condigno, & de rigore juſtitiæ, concordes negant, fuiſſe valoris ſimpliciter, & intrinſece infiniti. Scotus enim *in 3. diſt. 19. & 20.* aſſeruit, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe finitam; quia acceptata fuit ſolum in ordine ad præmium finitum, id-eſt, remiſſionem finiti numeri peccatorum. Vel ſi fuerit infinita, fuiſſe infinitam ſolum ratione acceptationis divinæ; quia fuit acceptata pro infinitis peccatis Poſterorum Adæ, ſi eſſent futura. Verum S. Thom. *3. p. q. 48. art. 2. ad 3.* & alibi, cæterique Theologorum communiter aſſerunt, merita, & ſatisfactiones Chriſti fuiſſe valoris ſimpliciter infiniti. Unde

II. Dico. Satisfactio Chriſti fuit valoris ſimpliciter, & intrinſece infiniti. Colligitur ex Clemente VI. in Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit. & Remiſſ. ubi duo dicit, Unum: theſaurum Eccleſiæ acquiſitum ex meritis, & ſatisfactione Chriſti eſſe infinitum. Alterum: unam guttam Sanguinis Chriſti, propter unionem cum Verbo, potuiſſe ſufficere ad totius mundi redemptionem. Quibus apparet, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe infinitam, non ex divina acceptatione, & ſolum extrinſece, ut vult Scotus; ſed ex unione ad Verbum, & ideo intrinſece. Quare S. Thom. citato loco, *ad 3.* ait: *Quod dignitas carnis Chriſti non eſt æſtimanda ſolum ſecundum carnis naturam, ſed ſecundum perſonam aſſumentem; in quantum ſcilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.*

III. Probo ergo primo ſic. Satisfactio Chriſti erat ſatisfactio Dei, ſeu exhibita a perſona infinitæ dignitatis: ſed ſatisfactio exhibita a perſona infinitæ dignitatis, eſt infinite digna, & valoris moraliter infiniti, independenter a quacumque extrinſeca valoratione, ſeu acceptatione; ergo &c. Min. prob. Satisfactio eo dignior eſt, quo eſt dignior perſona, quæ illam exhibet: quia ſatisfactio formaliter dignificatur moraliter a dignitate perſonæ ſatisfacientis: ideoque humiliatio filii Regis eſt magis ſatisfactoria, quam humiliatio ruſtici; ergo humiliatio perſonæ infinitæ erit pretii infiniti in ratione ſatisfactionis.

Verum quia dici poſſet, ſatisfactiones Chriſti dignificari quidem a perſona, & dignitate infinita, tamen non dignificari infinite, ſed finite.

Probo dignificari infinite, primo. Quia illa perſona infinita illas ſatisfactiones dignificabat, ut faceret, eas eſſe proprie ſatisfactiones Dei; ergo eas reddebat tantæ æſtimabilitatis in ratione meriti, & ſatisfactionis, quantæ eſt perſona, cujus ſunt, ut nulla major ſatisfactio excogitari poſſit. —— Rurſus: per illas ſatisfactiones perſona infinita infinite ſe ſubmittebat, ſcilicet; uſque ad viliſſimas creaturas, uſque ad peccatores: ſed perſona infinita ſubmittens ſe in infinitum, dat ſubmiſſioni infinitam æſtimabilitatem, ut ea major excogitari non poſſit: cum enim perſona infinita in ſeipſa ſe ſubmittere nequeat; ſi ſe ſubmittat in natura ſibi hypoſtatice unita, ſubmittit ſe ſummo excogitabili modo; ergo &c.

Secundo probo. Tunc infinita dignitas perſonæ merentis, infinite dignificat merita, & ſatisfactiones, quando eas dignificat ad merendum præmium majus, & majus in infinitum; & ſatisfaciendum pro offenſis pluribus, & pluribus, majoribus, & majoribus in infinitum pro voluntate: at hoc modo perſona divina dignificavit ſatisfactiones Chriſti; ergo &c. Min. probat. Perſona infinita, ſi mereatur, digna eſt, ut per quodlibet meritum mereatur majus & majus præmium in infinitum; ſi ſatisfaciat, ſatisfaciat pro pluribus, & pluribus offenſis in infinitum, pro quibus voluerit ſatisfacere: ſed hoc poſito, quodlibet opus meritorium illius, & ſatisfactorium ab infinita dignitate perſonæ dignificatur infinite in genere meriti, & ſatisfactionis; cum dignificetur in ordine ad merendum quodlibet præmium, & ſatisfaciendum pro omnibus offenſis in infini-

finitum : hoc enim majus excogitari non poteſt ; ergo &c.

IV. Reſpondere ſolent Scotiſtæ, primo. Perſonam Verbi, etſi infinite dignam, non poſſe dignificare infinite merita, & ſatisfactiones Chriſti; quia principium quo eliciuntur, nempe humanitas, finita eſt: quæ ratione ſuæ finitatis impedit, ne actibus ſatisfactoriis communicetur infinita dignitas. Sicut Deus viſus a Beatis, licet infinitus ſit; quia tamen videtur per actum finitum, non poteſt actui viſionis tribuere infinitatem, niſi extrinſecam.

V. Reſpondere ſolent ſecundo. Ex hoc, quod ſatisfactio Chriſti potens ſit ad ſatisfaciendum pro peccatis pluribus, & majoribus uſque in infinitum, non arguit eam eſſe infinitam intrinſece; ſed ſolum eſſe altioris ordinis, quam peccatum. Sicut enim, ab oppoſito, licet peccatum ſit finitum in gravitate; quia tamen eſt altioris ordinis, quam ſint ſatisfactiones puræ creaturæ; quantumcumque illæ multiplicarentur, etiam in infinitum, numquam adæquarent, vel compenſarent unum peccatum: ita quamvis in infinitum multiplicarentur peccata, numquam adæquare poſſent vim ſatisfactivam Chriſti, quia etſi finita, eſſet tamen ordinis ſuperioris.

VI. Sed contra primam inſto ſic. Dignitas, & valor moralis operis non deſumitur a principio *Quo* phyſico, ſed a dignitate perſonæ tali principio utentis, & ſuo uſu dignificantis; faciendo, nimirum in Chriſto, ut illud opus ſit opus non puri hominis, ſed Dei; ergo cum perſona divina ſatisfaciens ſit infinitæ dignitatis, & ſatisfaciendo faciat, ſatisfactionem illam eſſe ſuam, etſi principio *Quo* finito utatur, illam infinite dignificabit —— Et inſto contra Scotiſtas. Non obſtante quod principium *Quo* eliciens ſatisfactionem in Chriſto, nempe humanitas, ſit ordinis inferioris, & ut in cæteris hominibus; ex quo tamen illa ſatisfactio eſt a perſona Verbi, evadit ordinis ſuperioris in æſtimatione, & valore, ut ipſi fatentur; cur ergo, ex quo procedit a perſona infinitæ dignitatis, non evadet valoris moraliter infiniti, etſi principium, *Quo* elicitur, ſit finitum? —— Ad exemplum allatum dico, actum viſionis Dei non reſpicere objectum infinitum, niſi ut terminum, & objectum, non vero ut formam dignificantem, ſicut ſatisfactio reſpicit perſonam Verbi.

VII. Contra ſecundam inſto ſic. Satisfactio, quæ moraliter continet remiſſionem omnium peccatorum ſine termino, non ſat eſt, ut ſit ordinis ſuperioris, ſed debet eſſe actu moraliter infinita: hac enim ratione probamus, omnipotentiam Dei eſſe virtutis ſimpliciter infinitæ; ergo cum ſatisfactio Chriſti talis ſit, ut potens ſit pro infinitis & numero, & gravitate peccatis ſatisfacere, erit valoris, & dignitatis ſimpliciter infinitæ.

§. II.

Reſpondetur Rationibus Scotiſtarum.

VIII. OBjiciunt primo. Valor ſatisfactorius operum Chriſti non poteſt eſſe major, quam ſit perfectio phyſica ipſorum; quia valor cum ſit modus actus, nequit excedere rem, cujus eſt modus: ſed hæc finita eſt; ergo & valor.

IX. Reſpondeo, neg. maj. Quæ ex dictis inſtatur. Nam entitas operum Chriſti non erat ordinis ſuperioris, ſed ejuſdem ſpeciei cum actibus puri hominis: & tamen juxta Scotiſtas valor ſatisfactorius erat ordinis ſuperioris. Ad probationem ergo diſt. Modus, qui oritur a phyſica rei entitate, nequit &c. conced. Modus, qui entitati advenit aliunde, nego. Fateor, modum, qui ex entitate rei oritur, non poſſe excedere entitatem, cujus eſt modus: modus tamen, qui entitati accedit ex alio principio, poteſt excedere entitatem, maxime ſi ſit modus, non phyſicus, ſed moralis. Valor autem ſatisfactorius advenit actibus Chriſti ex dignitate perſonæ Verbi; quæ cum in illis actibus ſeipſam ſubjiceret, & faceret, illos eſſe actus non puri hominis, ſed Dei ſeu *Theadricos*, ideſt, *Dei viriles:* illos ſua dignitate adeo dignificabat, ut evaderent ejuſdem æſtimabilitatis, & dignitatis, nempe infinitæ, ſicut perſona; quæ illos faciebat, & per illos ſeipſam offerebat. Et hoc non extrinſece ſolum, ſed intrinſece: quia cum procederent ab humanitate intrinſece hypoſtatice unita cum perſona infinita, cujus per communicationem idiomatum erant operationes; talem valorem intrinſece contrahebant, ut redderentur infinite æſtimabiles.

X. Dices tamen primo. Opera Chriſti, etſi procedentia a perſona Verbi, non contrahebant infinitam bonitatem, neque infinitam honeſtatem; ergo neque infinitum valorem, & dignitatem.

Secundo. Humanitas unita Verbo infinite ſancto infinite non ſanctificatur; ergo neque opera procedentia a perſona infinite digna infinite dignificantur.

XI. Reſpondeo ad primum, conc. ant. de bonitate, & honeſtate ſpecifica, & eſſentiali; negando tamen illud de bonitate, & honeſtate circumſtantiali, & accidentali. Actus ergo moralis duplicem bonitatem, & honeſtatem habere poteſt. Unam ſpecificam, & eſſentialem, quam ſumit ex objecto: aliam circumſtantialem, & quaſi accidentariam, quam ſumit ex circumſtantiis, inter quas eſt perſona operans. Licet ergo bonitas, quam opera Chriſti habebant ex objecto, eſſet finita; ea tamen, quam habebant ex circumſtantia perſonæ, erat infinita. Sicut obſequium licet ſit ſemper ejuſdem bonitatis, & honeſtatis eſſentialis, ſive exhibeatur a Rege ſive plebejo: attamen in bonitate &c. circumſtantiali obſequium præſtitum a Rege creſcit in æſtimabilitate ſupra obſequium præſtitum a plebejo. Et in ſententia Scoti obſequium præſtitum a Chriſto, in bonitate eſſentiali eſt ejuſdem ſpeciei cum obſequio præſtito a pura creatura; ut tamen præſtitum a Chriſto evadit ordinis ſuperioris in bonitate.

Ad ſecundum dico, humanitatem Chriſti a Verbo infinite Sancto non quidem ſanctificari infinite in genere ſanctificationis, ut ſic; ita ut fiat ſanctitas, ſeu ſancti per eſſentiam; ſanctificari tamen infinite; in genere ſanctitatis communicatæ creaturæ per unionem. Nulla enim poteſt excogitari major communicatio ſanctitatis in ordine ad merendum, quam iſta: ideoque opera, ex tali communicatione procedentia, debent eſſe omni majori merito poſſibili, & excogitabili digniora, & proinde infinita. Ut enim docet S. Thom. 3. *p. qu. 7. art.* 11. in Chriſto una eſt gratia unionis, *Qua eſt ipſum uniri perſonaliter Filio Dei . . . . & hanc gratiam conſtat eſſe infinitam, ſecundum quod ipſa perſona Verbi eſt infinita.*

XII. Objiciunt ſecundo. Circumſtantia perſonæ infinite dignæ non tribuit operibus valorem infinitum. Probant ant. primo. Indignitas perſonæ peccantis non auget demeritum actus mali: ideoque perſona indignior per peccatum æquale non meretur majorem pœnam, quam perſona minus indigna; ergo neque perſona magis digna augebit valorem actus boni.

XIII. Rurſus: perſona illa, eſto divina, & infinita, non tamen ſatisfaciebat, ut divina formaliter, quia potius, ut talis, acceptabat ſatisfactionem; ſed reduplicative ut humana, ſeu ut ſubſiſtens in natura humana; atqui ut talis nil aliud faciebat, niſi ſupplere id, quod faceret perſona humana, ſi eſſet; & proinde non poterat operibus niſi illam dignitatem conferre, quam habuiſſent, ut ab homine facta; ergo &c.

XIV. Urgetur hoc; quando dicitur, quod in humiliatione Chriſti Verbum ſe humiliabat: vel ſit ſenſus, quod Chriſtus humiliabat non ſolum ſuam humanitatem Deo, ſed etiam perſonam Verbi: vel quod humiliabat ſolam humanitatem. Primum eſt falſum: quia Verbum divinum non eſt ſubjicibile alteri; & ſi Chriſtus illud ſubjiceret, inordinate ageret. Secundum vero non arguit infinitatem in valore actus: quia ſubjicere humanitatem Deo, eſt finitæ æſtimabilitatis, non infinitæ.

XV. Reſpondeo, nego ant. Ad primam probat. dico, quod indignitas, vel dignitas perſonæ ad actiones poteſt ſe habere, vel pure concomitanter, vel per ſe & formaliter. Si pure concomitanter ſe habeat, nec indignitas perſonæ auget demeritum, nec dignitas meritum; ſed dignitas, vel indignitas penſatur ex dignitate, vel indignitate operis. Si vero dignitas, vel indignitas perſonæ per ſe, & formaliter ad opus influat; opus dignius, vel indignius eſt, quo dignior perſona eſt. Unde ſicut, quod plebejus inhonoret Regem, indignius eſt quam ſi Regem alius Rex inhonoret: ita dignius fuit, quod Sanctus Ludovicus Rex ſeſe ſubmitteret, adminiſtrando fercula pauperibus, quam ſi hoc alter privatus homo feciſſet. Cum ergo in actibus humilitatis, obedientiæ, religionis erga Patrem ipſa dignitas perſonæ Verbi per ſe, & formaliter ſe ſubjiciendo concurreret: ſicut hæc humiliatio tantum erat profunda, quantum Deus altus eſt; ita tam grata Patri, quam Filius amabilis, tantumque juris læſi reparatrix, quantum eſt pretium perſonæ divinæ, quæ ſimul erat offerens, & res oblata.

XVI. Ad ſecundam probat., nego major. Chriſtus enim non ſatisfaciebat reduplicative, ut homo: quia cauſa, cur ſatisfaceret, nonerat, quia erat homo, ſed quia Deus: licet ad hoc requireretur humanitas, tamquam conditio, ſine qua non poſſet ſatisfacere. Unde cauſa per ſe influens valorem in opera Chriſti erat perſona divina; quæ cum ſecundum totam ſuam dignitatem eſſet unita divinitati; habitabat enim in Chriſto: *Omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Coloſſ. 2. v. 9.) ideo dabat etiam ejus operibus valorem infinitum.

XVII. Ad id, quod urgetur, dico, quod divina perſona in Chriſto humiliabat, & ſubjiciebat ſe eo ſummo modo, quo poterat; cumque non poſſet ſe ſubjicere, quoad perſonam in ſe, ſubjiciebat illam in humanitate: ita ut ex perſona, & humanitate unum ſatisfaciens conflaretur, & una ſatisfactionis materia: in qua re quidem ſubmiſſa erat humanitas; ſed cum eſſet humanitas Verbi, quia illi hypoſtatice unita, ex dignitate perſonæ ſubmittentis, quod erat ita ſuum, & ei intime unitum, verificabatur etiam perſonam ſe ſubjicere. Unde Paulus, ad *Philipp. 2. verſ. 7.* ait: *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens . . . humiliavit ſemetipſum factus obediens &c.* Non dixit exinanivit, humiliavit corpus, animam, humanitatem, ſed *Semetipſum*, ideſt, ſuam perſonam divinam in forma ſervi ſubſiſtentem: ut quantum nihilum diſtat ab ente, nec aliud magis dejici poteſt, quam ſi redigatur in nihilum; tantum cogitaremus, Filium Dei ſe dejeciſſe, ut nulla major humiliatio poſſit excogitari: & inferremus, eam adeo æſtimabilem fuiſſe coram Deo, eique adeo placuiſſe; ut

nulla

nulla esset alia humiliatio excogitabilis, quam tanti estimaret. Et propterea subdit, vers. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen &c.*

XVIII. Objicies tertio, Conflatum ex duobus, quorum unum est finitum, licet aliud sit infinitum, non est simpliciter infinitum: sed hoc conflatum, *Christus satisfaciens*, constat ex humanitate, quæ finita est; ergo licet includat personam, quæ infinita est, non erit infinitum simpliciter. Maj. prob. Complexum ex natura divina infinite cognoscibili, & lumine gloriæ finitæ cognoscitivitatis, non est simpliciter infinitum: unde actus visionis ex tali complexo procedens finitum est.

XIX. Respondeo primo, neg. maj. Quia hoc complexum, *Deus homo*, est infinitum simpliciter, & tamen includit humanitatem, quæ finita est. —— Secundo dico, majorem esse veram, quando utraque pars æqualiter concurrit; secus vero si sola pars infinita per se influat: tunc enim effectus infinitus procedit. Ad valorem autem satisfactorium operum Christi, non concurrit per se humanitas finita, sed solum Verbum infinitum; unde valor, qui resultat, infinitus erit —— Ad probat. vero major. respondeo, quod ad satisfaciendum humanitas in Christo est pura conditio; unde nec auget, nec minuit valorem satisfactionis. At lumen gloriæ, ad cujus mensuram unitur Beato essentia divina, non est pura conditio ad videndum Deum, sed causa per se influens in visionem: & ideo cum hoc finitum sit, etsi divinæ essentiæ unita per modum speciei infinita sit, visio restat finita.

XX. Dices. Etsi approximatio sit pura conditio ad comburendum, tamen secundum majorem, vel minorem ignis approximationem sequitur major, vel minor combustio; ergo licet humanitas in Christo sit pura conditio ad satisfaciendum, ita modificabit satisfactionem, ut juxta quantitatem illius sit satisfactio.

XXI. Respondeo, neg. conf. Nam inter conditiones aliquæ sunt modificativæ effectus, qualis est approximatio ignis ad comburendum: aliæ vero non, ut in casu. Unio enim Verbi cum humanitate est quidem conditio necessaria, ut persona divina satisfaciat; sed ad valorem satisfactionis sola dignitas personæ infinitæ influit, & cum hac unice commensuratur, Sicut licet cognitio Dei sit conditio ad ipsum amandum: non tamen juxta mensuram cognitionis est mensura amoris: possumus enim aliquando aliquid magis amare, quod minus cognoscimus, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 2. *ad* 1.

XXII. Objicies quarto varia inconvenientia, quæ ex nostra sententia videntur sequi. Et primo. Quod si satisfactio Christi fuerit valoris simpliciter infiniti; Christus unico actu satisfecerit pro peccatis omnium hominum: & proinde alii actus satisfactorii fuerunt impossibiles, vel saltem superflui.

Secundo. Quod posito uno actu satisfactorio Christi, non potuerit dari alius dignior, & major illo; quia unum infinitum non est majus altero: quod tamen est falsum. Tum quia: actus charitatis majoris valoris est, & dignior actu jejunii. Tum quia: omnia Christi merita, simul sumpta, sunt majora, quam unum, cum totum sit majus parte.

Tertio. Quod non detur alia satisfactio, præter satisfactionem Christi, nec possit dari, nec nos debeamus pro peccatis nostris satisfacere; quod est consentire Luthero, & Calvino a Tridentino, *Sess.* 14. *Can.* 14. damnatis: & hoc, quia infinitum non est nisi unum.

Quarto. Quod cum peccatum sit probabiliter gravitatis tantum finitæ; si Deus exegit satisfactionem dignitatis infinitæ, exegerit plus, quam sibi debebatur.

Quinto. Quod meritum Christi superaverit omne præmium, cum non sit possibile præmium infinitum.

XXIII. Respondeo, neg. assumptum. Unde ad primum dico, Christum unico actu satisfeciisse quidem, quantum ad quantitatem, & sufficientiam pretii; quia unicus actus fuit sufficiens, & æquale pretium: non tamen satisfeciisse, quoad deputationem pretii. Quia Christus, ut gloriam Patris promoveret, & suam misericordiam, amoremque erga homines proderet, noluit deputare ad completam satisfactionem unum, vel alterum actum, esto sufficientem: sed omnes, usque ad mortem inclusive, voluit per modum unius integri pretii ad redemptionem ordinare. Licet autem singuli infiniti essent in valore, potuerunt tamen multiplicari; quia erant infiniti, non in genere entis, sed in genere determinato.

XXIV. Ad secundum dico, majorem esse veram, si intelligatur de valore circumstantiali, sumpto ex dignitate personæ: in hoc enim omnes actus Christi sunt æquales: non vero si intelligatur de valore specifico, & essentiali cujuscumque actus. Sic enim majoris dignitatis est actus charitatis, quam actus jejunii; quia actus charitatis ex digniori motivo procedit, quam actus jejunii.

Id, quod additur, quod unum infinitum non est majus altero, verum est in ea ratione, in qua est infinitum; non vero in ea ratione, qua est finitum. Sicut si daretur linea infinita versus Orientem, sed finita versus Occidentem: non posset dari linea major versus Orientem, posset tamen dari major versus Occidentem. Cum ergo opera Christi infinita sint ex parte dignitatis, quam habent a persona Verbi; ex hac parte non potest unum esse majus altero: cum autem finita sint ex parte dignitatis, quam habet quodlibet opus ex specie sua, ex hac parte unum potest esse excellentius altero. —— Hinc sequitur, omnia Christi merita, simul sumpta, ex parte dignitatis infinitæ, quam habent a persona Verbi, non esse quid majus singulis seorsim sumptis; cum omnia, & singula sint infinita per eamdem numero dignitatem Verbi: & sic omnia simul non comparantur ad singula seorsim, ut totum ad partem; cum eadem dignitas Verbi sit dignitas omnium, & singulorum. Ex parte autem entitatis, & dignitatis specificæ omnia simul sunt majora singulis.

XXV. Ne autem quis putet, omnia, & singula opera Christi fuisse a Verbo dignificata, supponi debet, quod sicut in Rege sunt actiones aliquæ, quæ non sunt reflexivæ super personam; ideoque non sunt majoris dignitatis in Rege, quam in rustico; ut dormire, bibere, ambulare &c. Et aliæ sunt reflexivæ supra personam, & a persona trahunt valorem, ut petitio veniæ, humiliatio &c. Sic in Christo aliæ erant actiones, quæ supra divinum suppositum non reflectebant, ut dormire, comedere &c. & istæ valorem non trahebant a persona, sed erant ejusdem dignitatis ut in nobis. Aliæ postea in divinam personam reflectebant, & in eam moraliter redundabant, ut actus obedientiæ, religionis, humilitatis, quæ a Theologis vocantur Theandricæ, seu Dei virilis, vel Dei hominis: & quia persona, quæ in istis se submittebat, erat infinita, eis communicabat dignitatem infinitam.

XXVI. Ad tertium, nego sequelam. Nam sicut virtus divina, esto infinita, non impedit, quin sint aliæ causæ particulares: sed solum facit, ut quidquid habent, habeant ab illa: ita satisfactio Christi, esto valoris infiniti, non excludit satisfactiones particulares, & finitas, sed solum facit, ut quidquid est in satisfactione particulari, seu nostra, habeatur ex valore satisfactionis infinitæ Christi.

XXVII. Ad quartum dico. Deum per accidens plus exigere, quam illi debeatur. Neque injustum est, per accidens petere aliquid excedens debitum, quando est impossibile illi reddere aliquid, quod sit æquale tantum; sicut in casu, in quo satisfactio pure æqualis non est possibilis; vel enim est inferior, si a pura creatura exhibeatur; vel excedens, si a Deo homine præstetur. Et hoc fateri debent etiam Scotistæ, qui concedunt, satisfactionem Christi, esto non infinitam, esse tamen superioris ordinis, & proinde excedentem debitum.

XXVIII. Ad quintum dico, meritum Christi non superasse omne præmium. Nam esto impossibile sit præmium in actu, & categorematice infinitum; possibile tamen est præmium infinitum sincategorematice, idest, præmium majus, & majus in infinitum: & hoc est præmium adæquatum merito infinito. Sicut terminus adæquatus omnipotentiæ divinæ non est categorematice, sed solum sincategorematice infinitus.

QUÆSTIO IV.

De Causis, & Motivo Incarnationis.

INter causas Incarnationis enumeratur causa meritoria, seu moralis illius. Meritum ergo, ex dictis suo loco, dividitur in meritum de condigno, & meritum de congruo. Primum est illud, cui stricto jure præmium debetur; ita ut sine injustitia negari non possit. Alterum est illud, cui congruum est quidem bonitati præmiantis, ut conferat præmium; sed absolute, & absque injustitia negari potest, imo aliquando negatur. Sic justi de condigno merentur augmentum gratiæ justificantis, & si finaliter perseverent, vitam æternam; de congruo autem merentur auxilia actualia ad vincendas tentationes.

Noto secundo: Incarnationem ad præsens duobus modis considerari: nimirum, secundum substantiam, quatenus dicit unionem hypostaticam Verbi cum humanitate: & secundum circumstantias, ideſt, locum, tempus, parentes, quibus Christus erat nasciturus.

Noto tertio: eos, quorum meritis fingi potest, Incarnationem fuisse concessam; esse primo, humanitatem a Christo assumptam, B. V. Mariam, & veteres Patriarchas. Quæremus ergo primo: An humanitas Christi meruerit, sive de condigno, sive de congruo suam cum Verbo hypostaticam unionem? Secundo: An B. V. aliquomodo meruerit, ut esset Christi Mater; ubi aliqua tangemus de ejus concursu physico ad Incarnationem? Tertio: An veteres Patriarchæ saltem eam meruerint quoad circumstantias? Tandem examinabimus: An unicum motivum Incarnationis fuerit Adæ peccatum, ejusque liberatio?

DUBIUM I.

An Humanitas Christi meruerit Incarnationem.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. UT quæsito locus detur, quærimus: an in Christi humanitate præcesserit aliquid meritum, ratione cujus meruerit uniri divino Verbo: non loquemur tamen de meri-

merito, quod in ea tempore, ſeu duratione præceſſerit. Supponimus enim cum S. Thom. 3. *part. quaſt.* 2. *art.* 11. ut fidei dogma, humanitatem Chriſti in eodem reali ſuæ conceptionis inſtanti fuiſſe unitam Verbo; & ideo in illa non præceſſiſſe aliquod meritum in priori tempore, quam eſſet a divino Verbo aſſumpta. Et hoc, tum contra Origenem, qui voluit, animam Chriſti fuiſſe ab initio mundi cum Angelis creatam. Tum contra Photinum Sirmienſem Epiſcopum, & Neſtorium, ponentes Chriſtum ab initio purum hominem ſuis bonis operibus meruiſſe unionem cum divinitate; accidentalem tamen, & per gratiam, non ſubſtantialem, & hypoſtaticam, ut infra dicemus. Hunc errorem proxime elapſis ſæculis excitavit Lucas Sternbenger, ſecta Lutheranus: ait enim, Chriſtum, quem negat fuiſſe verum Deum, ob vitam honeſte, & virtuoſe actam, fuiſſe a Deo in Filium adoptatum, cum a Joanne in Jordane baptizaretur, ea voce: *Hic eſt filius meus dilectus &c.* His ergo dimiſſis pro nunc, ſermo erit de merito, quod natura ſolum præceſſerit Incarnationem, videlicet: an humanitas Chriſti in ſigno priori, quo concipitur ante unionem cum Verbo, aliquod opus fecerit, quo meruerit, ut a Verbo aſſumeretur?

II. Dico cum communi Theologorum, humanitatem Chriſti nec de condigno, nec de congruo meruiſſe Incarnationem ſeu unionem ſui cum perſona Verbi. Probo ratione, quæ inter cæteras magis arridet. De facto in humanitate Chriſti prius natura, quam aſſumeretur a Verbo, nulla fuit, nec potuit concipi operatio; ergo nec ullum meritum. Ant. prob. Nulla operatio potuit eſſe, aut concipi in humanitate, antequam eſſet, aut conciperetur ſubſiſtens: at pro priori naturæ, nec erat, nec concipiebatur ſubſiſtens; ergo &c. Min. eſt de fide. Nam in Chriſti humanitate neque eſt, neque fuit unquam alia ſubſiſtentia, quam divina. Maj. probatur ex illo axiomate: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, ſive *ſubſiſtentium*. Nam cum operari fundetur in eſſe, ejus ſolius eſt operari, *ut quod*, proprium eſt ſolum ſubſiſtentium; id enim, quod eſt homo, non eſt humanitas (hæc enim eſt, *quo* eſt homo) ſed eſt Petrus, Paulus, quæ ſunt perſonæ ſubſiſtentes. Unde Joannes de Monte Nigro, Theologus Ord. Præd. in Concilio Florentino, *Seſſ.* 18. *&* 19. diſputans pro Latinis; ut redderet rationem Græcis, quare divina eſſentia non generet, Pater vero generet, hoc principio uſus fuit: quia, nempe, actiones ſunt ſubſiſtentium, ſeu ſuppoſitorum.

III. Addi poteſt alia ratio, nempe quod ſi aliqua operatio conciperetur in humanitate, pro priori ad aſſumptionem, hæc non poſſet eſſe niſi a gratia, & ſanctitate accidentali, & actualibus auxiliis finitis: hæc autem nequeunt mereri, nec ullam habent proportionem cum ſubſtantiali, & infinita ſanctitate, qualis eſt unio cum perſona Verbi. Vide S. Thom. 3. *p. q.* 2. *art.* 11.

IV. Quæres tamen: An humanitas Chriſti mereri potuerit unionem cum Verbo, meritis, quæ Deus prævidit habenda ab humanitate, poſt hypoſtaticam unionem cum Verbo?

Reſpondeo negative. Nam merita, quæ neceſſario ſupponunt exiſtentiam Incarnationis, non poſſunt mereri exiſtentiam Incarnationis; ſicut nec merita, cum neceſſario ſupponant exiſtentiam prædeſtinationis, mereri poſſunt exiſtentiam prædeſtinationis, alioquin effectus præcederet cauſam: ſed merita, quæ humanitas Chriſti habitura erat poſt unionem cum Verbo, jam ſupponebant, erantque effectus Incarnationis; ergo &c.

Tum etiam: nam principium meriti non poteſt cadere ſub merito procedente ab ipſo: at Incarnatio fuit in Chriſto principium omnis meriti; ergo non potuit cadere ſub ullo Chriſti merito.

V. Dices. Principium meriti non poſſe cadere ſub merito, quando datur abſolute; poſſe tamen cadere ſub merito, ſi detur ſub conditione meriti futuri. Sicut ſi Rex prævidens, militem ſtrenue uſurum in bello, det illi arma, quibus præliari poſſit; tunc enim ſtrenuitas prævisa erit meritum ad arma habenda: ita prævidens Deus Chriſti merita poſt Incarnationem comparanda, ex iis moveri potuit ad Incarnationem ei conferendam.

VI. Sed contra. Etſi id, quod eſt principium meriti, poſſit dari intuitu meriti ſubſequentis, ſi hoc meritum ex tali principio unice non procedat: quo pacto Rex movetur ad danda arma militi, ex ſtrenuitate ejus prævisa futura; quia ſtrenuitas non ex armis, ſed ex virtute, prudentia, & arte militis potius procedit. Non tamen ſi illud, quod eſt principium, ſit principium totale meriti, & omne meritum ab ipſo ſit, nec concipi queat meritum, quod ab illo non ſit: ſed valor meritorius in operibus Chriſti ab unione hypoſtatica unice procedit, & in aliis puris hominibus a gratia prima; ergo ſicut purus homo, per opera ſubſequentia prævisa, mereri non poteſt gratiam primam; ita nec Chriſtus, per opera ſubſequentia prævisa, mereri potuit incarnationem.

§. II.

Occurritur Objectis.

VII. PRimo argui poteſt. Non repugnat, accidens exiſtere, & operari ſine ſubjecto, ut in Euchariſtia, ergo neque humanitatem in Chriſto operari, & mereri ſine ſuppoſito. Tum etiam: humanitas eſt terminus integer productionis, etiam pro priori ad unionem cum Verbo; ergo potuit quoque eſſe principium integrum operationis.

VIII. Reſpondeo, has duas inſtantias convincere, nullam eſſe repugnantiam, quod ſicut accidens poteſt operari ſine ſubjecto; ita & humanitas pro priori ad ſubſiſtentiam. Et quod ſicut humanitas pro illo priori fuit terminus totalis generationis; ita etiam potuerit eſſe principium operationis: de quo nolumus in præſens diſputare. Sed ſolum dicimus, de facto humanitatem Chriſti, pro priori ad unionem cum Verbo, nullam habuiſſe operationem meritoriam talis unionis: Tum quia, ut diximus, ſaltem naturaliter loquendo, natura, pro priori ad ſubſiſtentiam, non eſt capax operandi. Tum etiam: quia gratia habitualis, quæ in Chriſto erat principium quo merendi, non fuit animæ ejus infuſa, niſi pro poſteriori ad unionem. Tum denique: quia cum unio hypoſtatica ſit principium omnis meriti, non poterit cadere ſub merito.

IX. Sed dices. Humanitati Chriſti debemus concedere, quod dignius eſt, & non repugnat: ſed dignius eſt obtinere aliquid propriis meritis, quam ſine illis, & non repugnat; ergo &c.

X. Reſpondeo, maj. veram eſſe, ſervata tamen connaturalitate rerum; niſi ex Scriptura aliter habeamus. Alioquin deberemus Chriſti humanitati concedere, quod omnia intelligat per ſcientiam, & ſpecies infuſas, ſicut Angeli; imo per unam tantum ſpeciem, ſicut ſupremus inter Angelos, cum hoc dignius eſſet, & non repugnet. Cum ergo naturale non ſit humanitati operari, priuſquam ſit ſubſiſtens; cum inſuper humanitati Chriſti, pro priori ad ſubſiſtentiam, non ſit infuſa gratia habitualis, & cum Incarnatio ſit totius meriti principium, ac demum cum ex Scripturis nil in contrarium afferatur, dicendum videtur, Chriſti humanitatem, pro priori ad unionem, nec meruiſſe, nec ullam operationem feciſſe.

XI. Secundo argui poteſt, afferendo Scripturæ textus. Primo. *Pſ.* 44. *v.* 8. dicitur: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus*: qua unctione ſignificari unionem hypoſtaticam, indicat Paulus, ad *Heb.* 1. *v.* 9. ergo propter meritum dilectionis juſtitiæ, humanitas Chriſti ad unctionem hypoſtaticam aſſumpta fuit.

Rurſus: *Apoc.* 5. *v.* 12. habetur: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & dignitatem.* Ubi humanitas Chriſti indicatur nomine Agni. Si ergo digna fuit accipere divinitatem, habuit ante unionem aliquod meritum, quo digna fieret.

XII. Reſpondeo ad primum textum, ex S. Auguſt. *in Pſ.* 44. ly *Propterea* non facere ſenſum, unctum fuiſſe, quia prius dilexit juſtitiam: ſed denotare cauſam finalem, ac dicere: dilexiſti juſtitiam, ad hoc enim unxit te Deus. Sive, ut ait Auguſt. *Propterea unxit te, ut diligeres juſtitiam, & odires iniquitatem.* Reſpondeo etiam cum S. Hieronym. *Epiſt.* 140. *ad Principiam*, per Unctionem lætitiæ, & exultationis intelligi gloriam corporis reſurgentis, quam certum eſt Chriſtum promeruiſſe.

Ad ſecundum eodem modo dico, Agnum ibi dici dignum: non ad primo recipiendam unionem cum Verbo, ſed per paſſionem, & mortem ſuam dignum fuiſſe, ut in reſurrectione gloria divinitatis ejus certa apud homines fieret. Unde dicitur: *Agnus, qui occiſus eſt.* Ac ſi diceretur: *Quia occiſus eſt*, dignus eſt accipere &c. manifeſtationem virtutis &c.

DUBIUM II.

An Beata Virgo meruerit eſſe Mater Dei?

§. I.

De Merito Condigni.

I. SUppono, ut certum, B. Virginem non potuiſſe mereri eſſe Matrem Dei, merito antecedente decretum Incarnationis. Quia cum non poſſit eſſe maternitas Dei ſine Incarnatione, ſi meruiſſet eam ante decretum Incarnationis, meruiſſet etiam Incarnationem ipſam: quam nullam puram creaturam mereri potuiſſe, docet S. Th. 3. *p. q.* 2. *art.* 11. nec B. Virginem. Unde ibi, *ad* 3. dicit: *Quod B. Virgo dicitur meruiſſe portare Dominum omnium, non quia meruerit ipſum incarnari.* Quare dubium procedit: an ſuppoſito, quod Deus decreverit ſe incarnare, B. Virgo meruerit, ut ex ipſa potius, quam ex alia, carnem ſumeret.

II. Dico ergo primo. B. Virgo de condigno meruit illum puritatis, & ſanctitatis gradum, ut congrue poſſet eſſe Mater Dei. Ita S. Thom. loco citato *ad* 3. & Prob. Juſtus per opera, quæ ex gratia elicit, meretur de condigno augmentum gratiæ, ut oſtendimus, *Tom. I. in* 1. *q. dub.* 3. ergo B. Virgo, per actus ferventiſſimos charitatis, quos eliciebat, meruerit de condigno talem ſanctitatis gradum, ut decentiſſime ipſa potius, quam alia, aſſumeretur a Deo in Matrem. Et hoc intendit Eccleſia, dum canit: *Quæ ſola fuiſti digna portare Regem Cælorum*, ut ex D. Thom. dicebamus. Angelus etiam, dum eam vocat *Gratia plena*. Accedit, quod B. Virgo fuit immunis ab omni prorſus peccato, & ornata omni gratia; atqui hæc erat decentiſſima diſpoſitio ad maternitatem Dei, ergo &c.

III. Di-

III. Dico ſecundo. Beata Virgo nec meruit, nec potuit mereri de condigno Maternitatem Dei. Prob. Beatam Virginem de condigno mereri Maternitatem Dei eſt mereri de condigno, quod Deus ex illa naſceretur, & carnem aſſumeret; & conſequenter mereri de condigno Incarnationem, ſecundum quod connotat talem carnem; at nec B. Virgo, nec alii SS. Patres, ut dicimus, meruerunt aut mereri potuerunt de condigno Incarnationem, etiam quoad circumſtantias; ergo &c.

IV. Secundo. Merito de condigno debet eſſe proportionatum præmio: merita autem B. Virginis, utpote ordinis gratiæ, erant inferioris ordinis, & conſequenter improportionata cum maternitate Dei: cum hæc pertineat ad ordinem hypoſtaticum, qui eſt ſuperior ordine gratiæ; ratione cujus B. Virgini debetur excellentior cultus, quam cuilibet alteri Sancto, ut notat, S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. ergo &c.

V. Nec refert, B. Virginem meruiſſe de condigno illum ſanctitatis gradum, quo ultimo fuit diſpoſita, ut eſſet Mater Dei, ut dictum eſt ex S. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. ad 3. qui autem meretur de condigno diſpoſitionem ad formam, meretur & formam.

Nam contra eſt; Quia quamvis hoc verum ſit, quando diſpoſitio habet neceſſariam connexionem cum forma recipienda; non tamen quando habet connexionem ſolum moralem, & congruitatis. Porro ille ſanctitatis gradus, quem B. Virgo promeruit de condigno, non fuit diſpoſitio phyſica ex natura rei connexa cum maternitate Dei, ſed ſolum moralis, & congrua: quia ex quo Deus decreviſſet carnem ſumere, ex nulla tam congrue, quam ex ipſa, potuiſſet hoc facere: unde S. Thom. citatus addit, ut congrue poſſet eſſe Mater Dei. Sic ergo qui de condigno meretur diſpoſitionem, non dicitur de condigno mereri formam; quando diſpoſitio eſt ad dignitatem excedentem proportionem merentis: ſed ſolum illum eſſe magis congruum, & idoneum. Sicut Doctoratus reddit hominem magis diſpoſitum ad Epiſcopatum; non tamen facit, ut illi, vi illius, debeatur Epiſcopatus: cum ad hunc requiratur collatio, & deſignatio a Romano Pontifice facienda.

VI. Neque iterum dicas. Majus eſt condigne mereri augmentum gratiæ, & gloriam, quam maternitatem Dei: cum enim, *Lucæ* 11. *v.* 27. extollens vocem quædam mulier ad Chriſtum dixiſſet: *Beatus venter, qui te portavit*; ipſe ſubjunxit. *Quin imo Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Quibus verbis, ſecundum Gloſſam, Chriſtus propoſuit ſanctitatem vitæ dignitati Matris Dei: at B. Virgo meruit de condigno augmentum gratiæ, & gloriam; ergo & maternitatem.

VII. Nam reſpondeo, vel negando abſolute maj. Quia ut vidimus, meritum maternitatis includit meritum Incarnationis, ſecundum circumſtantiam hujus carnis, quod ordinis altioris eſt gratia, & beatitudine. —— Vel diſt. maj. Majus abſolute, nego maj. Abſolute enim majus fuit eſſe Matrem Dei: quia hoc fuit aliquomodo miniſtrare materiam unioni hypoſtaticæ. Majus relative, omitto maj. Relative enim majus, ſeu melius fuit Beatæ Virginis ſanctitas ſua, & beatitudo, quam dignitas Matris; quia per illam fuit multis ſupernaturalibus donis ornata, non vero per iſtam, niſi cauſaliter; quia congruum erat, Matrem Dei abundantiori gratia, & gloria ornari ſupra alios Sanctos: & hoc voluit indicare Chriſtus.

§. II.

Reſolvitur de Merito Congrui.

VIII. Dico tertio. Poteſt dici, B. Virginem meruiſſe de congruo maternitatem Dei. Prob. Quia hic videtur eſſe ſenſus Eccleſiæ, & Patrum. Nam Eccleſia canit de B. V. *Quem meruiſti portare &c.* Et inter PP. S. Auguſt. lib. 2. de Pecc. merit. & Remiſſ. cap. 24. *Ideo* (inquit) *Virginem Matrem, non lege carnis peccati, ideſt, non carnalis concupiſcentiæ motu concipientem, ſed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam eligeret, creavit, de qua crearetur, elegit*. S. Hieronymus *Epiſt.* 22. modo 18. *ad Euſtochium*, ait: *Propone tibi Mariam, quæ tanta extitit puritatis, ut Mater Domini eſſe mereretur*. Idem dicunt S. Gregorius, *lib.* 1. *Reg. cap.* 1. Petrus Damianus, *Serm.* 2. *de Aſſumptione*, & alii. Cumque de merito condigni exponendi non ſint, ſaltem de merito congrui ſunt intelligendi cum S. Thom. citato, 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 1. *ad.* 3. dicente quod B. V. *meruit illum ſanctitatis gradum, ut congrue poſſet eſſe Mater Dei*.

IX. Dices tamen. Omne meritum eſt a Chriſto; ergo omne meritum ſupponit Chriſtum, ergo B. V. non potuit mereri maternitatem Dei, neque de congruo. Alias meritum B. V. eſſet prius maternitate, & conſequenter Incarnatione; quia eſſet cauſa moralis, & meritoria actionis, qua conceptus fuit Chriſtus: & etiam poſterius, quia eſſet effectus meritorum Chriſti, & proinde effectus Incarnationis, & ſupponens maternitatem: cum nequeat ſupponi decretum Incarnationis, quin etiam ſupponatur decretum maternitatis.

X. Propter hoc non deſunt, qui negent, B. Virginem adhuc de congruo meruiſſe, ut fieret Mater Dei; volentes, omne meritum ei fuiſſe collatum, quia jam prælecta erat Mater Dei —— Sed hæc nos non movent. Reſpondetur enim primo. Circa Incarnationem fuiſſe in Deo duo decreta. Primum, quo decrevit Incarnationem, quoad ſubſtantiam, & abſolute; quo merito Verbi incarnandi omnem gratiam, & omne meritum conferre decrevit. Aliud poſterius, quo decrevit Incarnationis circumſtantias, inter quas præcipua eſt, quod carnem ſuſciperet, & conciperetur ex tali muliere, nempe Maria Virgine. Licet ergo meritum B. Virginis ſit poſterius priori decreto, fuit tamen prius ſecundo decreto: & ideo bene potuit, per Chriſtum abſolute volitum, mereri circumſtantiam, nimirum, ut ex ipſa carnem ſumeret.

Reſponderi poteſt ſecundo. Omne meritum ſupponere Chriſtum, Incarnationem, maternitatem, ut in intentione volita: non vero eadem ſupponere, ut in executione ponenda. Et ideo potuiſſe merita Virginis eſſe poſteriora, imo effectus decreti intentivi mittendi Chriſtum, faciendi Incarnationem, electivi Mariæ in matrem: & eſſe priora, imo cauſa meritoria executionis iſtorum, & maxime, ut eſſet Mater Chriſti. Hæc doctrina congruit cum dictis in materia prædeſtinationis. Sicut enim Deus his, quos ad gloriam elegit abſque eorum merito, dat, unde ornentur ex meritis; ita ut merita Electi ſint poſteriora, & effectus electionis ad gloriam, priora tamen, imo cauſa, quare Electus de facto gloriam conſequatur: ita dico, Deum elegiſſe, abſque ullo ſuo merito, Mariam in matrem Chriſti, & ſic ejus merita fuerunt poſteriora, & effectus talis electionis. Sed quia congruum erat, ut ad hanc Dei maternitatem perveniret ornata merito, ideo illam ornavit meritis: ſicque merita in executione poſita præceſſerunt & fuerunt cauſa congrua, ut in executione fieret mater Dei.

§. III.

An B. Virgo aliquando phyſice concurrerit ad Incarnationem.

XI. PRO explicatione modi, quo B. Virgo ſe geſſit in conceptione Chriſti; placuit hoc etiam breviter tractare. Circa quod ſuppono ut certum: nec B. Virginem, nec nullam creaturam habuiſſe, aut habere potuiſſe concurſum principalem ad Incarnationem faciendam. Tum quia: extrema adeo diſtantia nullus, qui non ſit omnipotens, conjungere poteſt. Tum quia: unio Verbi cum humanitate eſt in ordine hypoſtatico ſuperiori ad ordinem ſupernaturalem; ergo poſtulat cauſam ſupra ſupernaturalem. Tum etiam: quia ſi ſolus Deus poteſt ut cauſa principalis facere miracula; multo magis ipſe ſolus potuit Incarnationem principaliter facere, quæ eſt miraculorum miraculum. Solum ergo dubitari poteſt: an B. Virgo ad hanc mirabilem unionem aliquid egerit, vel agere potuerit, concurſu ſaltem inſtrumentali.

XII. Dico. Beata Virgo de facto non habuit concurſum inſtrumentalem phyſicum ad unionem humanitatis cum Verbo. Probatur ex Scriptura. Tum *Habacuc* 3. *v.* 2. ubi Incarnatio vocatur opus Dei: *Domine opus tuum*. Tum *Jer.* 31. *v.* 32. ubi vocatur *Novum*, quod Dominus *creavit*: ſi ergo opus Dei, novum, quod creavit, Dominus fecit, B. Virgo nihil ad eam cooperata eſt. Et procul dubio hæc eſt mens S. Thomæ, qui 3. *part. quæſt.* 31. *art.* 5. & *part.* 32. *art.* 4. *in corp.* ait: *In ipſa conceptione Chriſti B. Virgo nihil active operata eſt, ſed ſolam materiam miniſtravit*. Et probatur hoc diſcurſu. Ille ſolus concurſus B. Virgini tribuendus eſt, qui requiritur, & ſufficit, ut dicatur, & ſit mater Chriſti, & Dei: ſed ad hoc nihil confert concurſus inſtrumentalis. Primo. Quia concurſus matris non eſt inſtrumentalis, ſed principalis. Secundo. Quia in ſententia S. Thomæ, & Ariſtotelis nulla femina active concurrit ad generationem, formaliter ſumptam, ſed ſolum paſſive; licet ante conceptionem aliquid operetur, active præparando materiam, ut ſit apta conceptui. Et ita ſe geſſiſſe B. Virginem in conceptione Chriſti, docet *art.* 4. ſupra laudato, ex *quæſt.* 32. 3. *part.*

XIII. Ut ergo B. Virgo dicatur Mater Dei, ſufficit, ut in conceptione Chriſti eumdem concurſum exercuerit, quem aliæ matres præbere ſolent in conceptione filiorum. Mater autem nullo modo active concurrit, concurſu immediato, ad unionem animæ cum corpore, ſed ſolum mediato; nimirum, ſua vitali actione formando materiam aptam formationi fœtus (ideſt ſanguinem bene decoctum, & ultimate diſpoſitum ad humani corporis formationem) illamque viro ſuo miniſtrando: quod corpus, ex tali ſanguine factum, virtute ſeminis virilis ultimate diſponitur ad recipiendam animam rationalem, quæ a Deo in eodem inſtanti creata infunditur: & ex ejus unione cum corpore ſic organizato, & diſpoſito reſultat ſubſiſtentia creata conſtituens perſonam, quæ eſt terminus conſummativus totius generationis.

Eundem ergo concurſum habuit B. Virgo in conceptione Chriſti. Active miniſtravit puriſſimum ſanguinem, ex quo, virtute activa Spiritus Sancti ſupplente concurſum viri, formatum fuit corpus Chriſti, & ultimo diſpoſitum, & organizatum ad recipiendam animam rationalem: ex cujus unione cum corpore reſultare debebat ſubſiſtentia creata, tamquam conſummativa totius generationis: ſed loco illius advenit ſubſiſtentia increata Verbi, quæ officium ſubſi-

ſubſiſtentiæ implere cœpit, & generationem Chriſti conſumavit. Unde Beata Virgo, quæ ſi reſultaſſet ſubſiſtentia creata, dicta fuiſſet mater hominis: accedente loco illius ſubſiſtentia divina dicitur, & eſt Mater Dei.

XIV. Hoc oſtendo, ex S. Thoma, 3. *p. q. 35. art.* 4. ubi quærens: an B. Virgo debeat dici Mater Dei, ait: *Concipi autem, & naſci perſonæ attribuitur, & hypoſtaſi ſecundum naturam illam, in qua concipitur, & naſcitur. Cum igitur in ipſo principio conceptionis fuerit humana natura aſſumpta a divina perſona .... conſequens eſt, quod vere poſſit dici, Deum eſſe conceptum, & natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicujus mater, quod eum concepit, & genuit. Unde conſequens eſt, quod B. Virgo vere dicatur Mater Dei. Non quia* (ut ait ibi ad 2.) *ſit mater divinitatis: ſed quia perſona habentis divinitatem, & humanitatem eſt mater, ſecundum humanitatem.* Sed de hoc inferius redibit ſermo.

XV. Scio, aliquibus videri S. Ambroſium, Epiſtola 82. aliquam actionem tribuere B. Virgini ad unionem carnis cum Deo. Ait enim: *Per virum autem, & mulierem caro ejecta de Paradiſo; per virginem junctа eſt Deo.* Sed his verbis non dat Ambroſius B. Virgini concurſum immediatum ad unionem cum Deo, ſed ſolum mediatum, & diſpoſitivum: quia materiam miniſtravit ad formandam illam humanitatem, quæ fuit hypoſtatice Deo unita: Vel ſolum vult, Virginitatis ſuæ merito electam fuiſſe, ut eſſet Mater Dei; quod indicat dicens: *Quid autem loquar quanta ſit virginitatis gloria, quæ meruit a Chriſto eligi, ut eſſet etiam corporale Dei templum?*

An autem B. Virgo, vel alia creatura potuerit habere hunc inſtrumentalem concurſum ad unionem cum Verbo, res eſt controverſa inter Theologos; ita ut alterutrum affirmare liceat, vel negare. Nec in hoc vacat nos immorari, cum ad utiliora vocemur.

DUBIUM. III.

An Antiqui Patres Incarnationem meruerint?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. NOmine SS. Patrum veniunt antiqui Patriarchæ, ſive tempore legis naturæ, ſive Scriptæ; quibus futuri Meſſiæ revelatio facta fuerat, & qui aſſiduis precibus Incarnationem ſollicitabant. Hos ergo certum eſt, non meruiſſe Incarnationem de condigno; quod egregie oſtendit S. Thom. *part. q. 2. art.* 11. Primo, ex Auguſt. *l. de Præd. Sanct. cap.* 15. dicente; *Quiſquis in Capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit; ipſe in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat*: ſed nulla merita præceſſerunt regenerationem noſtram, ſecundum illud, ad Titum 3. verſ. 5. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis*; ergo nec illam Chriſti generationem aliqua merita præceſſerunt.

Hoc etiam probat ſequentibus rationibus. Primo. Quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quæ conſiſtit in unione beatæ mentis cum Deo; ergo mereri non poteſt Incarnationem, quæ cum ſit unio in eſſe perſonali, tranſcendit unionem mentis cum Deo.... Secundo. Nam quia gratia eſt principium meriti, non poteſt cadere ſub merito; ergo multo minus Incarnatio, quæ eſt principium totius gratiæ. —— Tertio Incarnatio eſt reformativa totius naturæ humanæ; ergo non cadit ſub merito alicujus hominis ſingularis: quia bonum alicujus puri hominis non poteſt eſſe cauſa boni totius naturæ. Quæſtio igitur ſolum procedit de merito congrui.

II. Certum etiam eſt, nos non loqui de Incarnatione, ut primo volita. Sic enim omnes concedunt, ſub nullius perſonæ merito cadere: quia primum decretum Incarnationis præcedit prædeſtinationem, & omnia merita. Solum ergo loquimur de Incarnatione, quoad executionem.

Noto tamen primo: In Incarnatione poſſe duo conſiderari: nempe, ſubſtantiam, quæ conſiſtit in unione humanitatis cum Verbo; & circumſtantias illi extrinſecas, puta, quod facta ſit tali tempore, de tali progenie &c.

Noto ſecundo: meritum de congruo dici poſſe dupliciter. Primo, pro congruitate ſolum fundata in miſericordia Dei, ſine ullo jure, aut debito ad præmium. Secundo, pro congruitate fundata in debito amicitiæ: quia amicitia fundat aliquod debitum, eſto non rigoroſum. Quærimus ergo: An SS. Patres meruerint de congruo hoc ſecundo modo Incarnationem, quoad circumſtantias.

§. II.

Reſolutiones Dubii.

III. DIco primo. SS. Patres non meruerunt de congruo Incarnationem, quoad ſubſtantiam. Probatur. Quia principium meriti in eodem genere, & ordine non cadit ſub merito, nec de condigno, nec de congruo; quia utrumque debet eſſe cauſa moralis, & conſequenter prius præmio: atqui Incarnatio, ſecundum ſubſtantiam accepta, eſt fundamentum omnis meriti Sanctorum Patrum; quia eſt principium omnis gratiæ, a qua procedunt, & dignificantur eorum merita, in genere cauſæ moralis meritoriæ: totum enim meritum eorum fuit fundatum in meritis Chriſti apprehenſi per fidem; ergo &c. —— Urgetur. Si antiqui Patres potuiſſent mereri etiam de congruo Incarnationem, quoad ſubſtantiam; debuiſſent eorum merita eſſe prævisa ante Incarnationem: atqui non potuerunt prævideri eorum merita ante Incarnationem, alias eſſent prævisa ante eorum principium, ergo &c.

IV. Hinc quando Sanctus Thomas, 3. *part. quæſt. 2. artic.* 11. dicit, quod Sancti Patres meruerunt Incarnationem, deſiderando, & petendo; loquitur de merito Incarnationis, ſolum quoad circumſtantias, præſertim accelerationis, quomodo exponi debent preces, Iſaiæ 45. verſ. 8. *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum.* Et cap. 64. verſ. 1. *Utinam dirumperes Cælos, & deſcenderes.* Cum enim revelatione didiciſſent, ad eos liberandos Filium Dei fore incarnandum; hoc, ne diutius differretur, anxiis votis ſollicitabant, cumque eſſent amici Dei, congruum erat, ut Deus eos exaudiret; congruitate late ſumpta; nimirum, fundata in miſericordia Dei, non in aliquo ejus debito: quare potius dici debet impetratio, quam in rigore meritum. In quo autem differat meritum ab impetratione, docet S. Thomas, 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 9. *ad* 1. Hinc

V. Dico ſecundo. SS. Patres meruerunt de congruo, ſeu verius, impetrarunt a Deo aliquas circumſtantias Incarnationis, & præſertim, quod Verbum acceleraret ſuum deſcenſum, quod carnem ſumeret ex eorum populo, ac progenie; Probatur. Nam SS. Patres, merendo circumſtantias Incarnationis, non merebantur principium meriti. Nam principium meriti eſt Incarnatio, quoad ſubſtantiam ſumpta: circumſtantiæ autem Incarnationis erant quid conſequens, & decretum Incarnationis, & etiam ipſa merita Patrum. Concipimus enim, Deum primo decreviſſe ſubſtantiam Incarnationis, deinde decreviſſe, & prævidiſſe merita Patrum; & tandem decreviſſe intuitu eorum, quod Incarnatio acceleraretur, quod Verbum ex eorum gente, vel progenie carnem ſumeret. Non ita tamen, ut Patres ſuis meritis obtinuerint, quod Incarnatio, alioquin differenda, citius poneretur; hoc enim eſſet mutare divina decreta: ſed quia Deus prævidens preces, & deſideria veterum Patrum, ſtatuit ab æterno, in gratiam illorum, tali tempore mittere Filium ſuum in terras. Sicut & prævidens obedientiam, & fidem Abrahæ, ſtatuit, & juramento firmavit, ex ejus ſemine naſciturum, qui ex alia progenie potuiſſet naſci, & alio tempore,

DUBIUM IV.

Utrum, homine non peccante, Verbum fuiſſet Incarnandum?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. CErtum eſt, abſolute loquendo, Verbum divinum potuiſſe incarnari, etiamſi Adam non peccaſſet: immo etiamſi nullum in Mundo extitiſſet peccatum: nam poſſibilitas Incarnationis nullam neque eſſentialem neque connaturalem connexionem habet cum Peccato. Solum ergo difficultas eſt: An ſi Adam non peccaſſet, Verbum de facto incarnatum fuiſſet.

II. In duplici autem ſenſu quæſtio hæc agitari poteſt. Primo: An non peccante Adamo, Verbum incarnaretur, ex vi alterius decreti, quod habuiſſet Deus, ſi Adam non peccaſſet; & quidem diſtinctum a decreto, quod de facto habuit: & in hoc ſenſu non agitatur. Quis enim niſi valde temere poteſt ſcire, au: pronuntiare, quid tunc Deus eſſet facturus? —— Secundo: An ex vi præſentis decreti, nobis in Scripturis revelati, adhuc Verbum carnem fuiſſet aſſumpturum, Adamo non peccante. Seu aliis terminis: An de facto detur in Deo decretum efficax mittendi Verbum in carne, non connexum cum peccato Adami. Si enim hoc eſt verum: etiam ſi Adam non peccaſſet, Verbum de facto fuiſſet incarnatum: & in hoc ſenſu procedit quæſtio.

In qua Scotus cum ſua Schola in 3. *diſtinct. 7. quæſt. 3.* & *diſtinct. 19. quæſt. unica* affirmativam partem tuetur. Vult enim, Incarnationem duplici decreto fuiſſe a Deo volitam. Uno terminato ad ſubſtantiam Incarnationis, præſcindente ab omnibus circumſtantiis, altero terminato ad circumſtantiam poſſibilitatis. Negativam cum Sancto Thoma 3. *part. quæſt.* 1. *artic.* 3. ſuſtinent communius Theologi.

III. Priuſquam tamen ad hanc quæſtionem, inter Catholicos controverſam, accedamus; ſupponendum, vel potius recolendum eſt, ex dictis ſupra, *Quæſt. 3. dub. 2. §. 1. n. 1. & Dub. 3. §. 2. n. 7.* Verbum de facto eſſe Incarnatum, ad liberandum hominem a peccato. Nec veniſſe ſolum, ut Doctorem, aut Inſtructorem (qui fuit error Petri Abaelardi ſupra confutatus) ſed vere ut Redemptorem:

idque tamquam fide certum colligi ex Scripturis, & Traditione. His ergo præmissis, ad quæstionem resolvendam veniamus.

§. II.

Resolutio.

IV. Dico. Circa Incarnationem non fuit in Deo, nisi unum decretum efficax: & hoc fuit ita consequens prævisionem peccati, & connexum cum liberatione hominis, ut hæc fuerit unicum, & adæquatum motivum: ita ut, Adamo non peccante, cessasset totum motivum veniendi in carne, sive passibili, sive impassibili: & ideo ex vi præsentis decreti, peccato non existente, non fuisset facta Incarnatio. Probo ratione Sancti Thomæ, 3. *part. quæst.* 1. *art.* 3. citato, sub hac forma. In Sacra Scriptura pro motivo Incarnationis, & adventus Christi semper assignatur peccatum Adami, & liberatio ab illo, nec umquam, vel leviter indicatur aliud motivum; ergo unicum, & adæquatum motivum Incarnationis, & unicum decretum, quod de ea fuit in Deo, extitit remedium afferre huic peccato: sicut, isto non existente, cessasset adæquatum motivum, & consequenter Incarnatio. Cons. prob. *Quæ a sola voluntate Dei proveniunt, supra omne debitum naturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit.* Sicut enim quæ dependent a mera voluntate hominis, nemo cognoscit: *Nisi spiritus hominis, qui in ipso est* (ut ait Paulus 1. Corinth. 2. vers. 11.) *ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Et sicut ea, quæ sunt hominis intima, solum cognosci possunt per revelationem ipsius: ita decreta Dei intima a nobis cognosci nequeunt, nisi per revelationem a Deo nobis factam in Scripturis Sanctis.

V. Antecedens vero prob. Primo, ex Scripturis, in quibus cum agitur de causa adventus Christi, non alia assignatur, quam remedium peccati. Sic in novo Testamento Christus nobis exhibetur, ut Mediator, 1. Timoth. 2. vers. 5. *Unus, & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*: vel ut Redemptor, & Salvator, & Medicus, Matth. 10. vers. 11. & Lucæ 19. vers. 10. *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* 1. ad Timoth. 1. vers. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Galat. 4. vers. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Lucæ 5. vers. 31. *Non egent qui sani sunt Medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores.* Joann. 13. v. 27. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

In veteri quoque Testamento: Isaiæ 61. versic. 1. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* Daniel. 9. vers. 24. Sanctus Sanctorum indicatur ungendus: *Ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.* Zachar. 3. vers. 8. *Adducam servum meum Orientem . . . . . & auferam iniquitatem terræ in die una.* Et his ergo & multis aliis, quæ Studiosus colligere poterit, apparet, quam juste D. Thomas hic dixerit: *In Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio, ex peccato primi hominis assignatur.* Et in 3. distinctione 1. quæst. 1. artic. 3. *In Canone* (inquit) *Scripturæ, & in dictis Sanctorum Expositorum, hæc sola assignatur causa Incarnationis, redemptio scilicet hominis a servitute peccati.*

VI. Si respondeat Scotus, argumentum hoc; utpote negativum, non convincere. Nam esto Scriptura dicat, Christum venisse ob salutem nostram, & hoc unice asserat: non negat tamen, venisse etiam propter gloriam suam, bonitatem suam, & propter alias causas.

VII. Contra est. Si enim alium finem agnovisset Scriptura adventus Christi, præter humani generis redemptionem, & hunc æque præcipuum, quare prætermisisset? Cur mysterium illud de Deo, etiam homine non peccante, incarnando, nunquam aperuisset; cum hoc maxime summam Dei bonitatem, & dignationem commendaret? Sane in Scoti opinione Scriptura similis esset historico, qui quamvis certo sciret, Regem e Regno suo discessurum, ob duplicem causam, & finem æque primarium; unum tantum in sua historia recenseret. —— Esto igitur argumentum negativum non convincat in omni materia; bene tamen, quando materia tractatur ex professo; cumque aliunde tanti momenti, ut nihil circa ipsam prætermitti debuerit. Cum igitur totum novum Testamentum ordinetur ad explicationem Mysterii Incarnationis; cumque aliunde hoc Mysterium sit tanti momenti, ut in eo tota fides Christiana fundetur, cumque res magni negotii esset, si præter salutem peccatorum, esset aliud motivum æquale Incarnationis, debuisset talis motivi aliqua mentio fieri in novo Testamento.

VIII. Nec valet dicere, satis fuisse Scripturam expresse narrare finem, ob quem de facto Incarnatio facta est, nempe, in carne passibili, & ad liberandum hominem, supposito peccato, etiamsi alius finis, ob quem, peccato non existente, venisset, nempe, manifestatio gloriæ suæ, saltem expresse non indicaretur.

IX. Contra enim est. Quia hoc posito, cum non minus, immo magis bonitatem, & gloriam Dei manifestaret assumptio naturæ angelicæ, quam humanæ: cur dici pari ratione non poterit, Scripturam, dum loquitur de assumptione naturæ humanæ, loqui de eo, quod factum est, supposito peccato, non de eo, quod faciendum fuisset, si peccatum non extitisset? Ex quo Scripturæ textu dignoscitur, non stante peccato hominis, adhuc assumendam naturam carnis, etsi impassibilis; & non potius naturam angelicam Deo propinquiorem, & Deo exaltando magis idoneam?

Commendatur quidem interdum in Incarnatione bonitas, & gloria Dei; sed exprimitur semper, ut conjuncta cum misericordia, cum passione Christi, cum liberatione hominis. Lucæ 24. vers. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ad Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Hebr. 2. v. 9. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Unde ergo hæc exaltatio, quæ fuisset, non existente peccato, nec passione, aut morte? Unde charitas Dei, quia dilexisset nos, assumendo carnem impassibilem, si Adam non peccasset: cum Paulus, *Ad Ephes.* 2. *v.* 4. ex eo charitatem Dei commendet, quod peccatores venerit? *Deus* (inquit) *qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos. Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo &c.*

Non adeo autem charitas Dei esset commendanda, si etiam, homine non egente sanatione, Verbum foret in carne venturum. Sicut non adeo commendanda esset charitas Medici, eo quod ad ægrotum accesserit, aliunde, hoc est, etsi non fuisset æger, ad eum tamen accessurus fuisset.

X. Accedit S. Augustinus, qui *lib.* 1. *de Pecc. meritis, & remiss. a cap.* 27. colligit plura Scripturæ testimonia: tum veteris, tum novi Testamenti, ut contra Pelagianos ostendat, Verbum incarnatum fuisse, ad liberandos homines a peccato originali, quod ipsi negabant; & non solum propter imitationem Justorum, ut ipsi asserebant. Atqui hoc Augustini argumentum vix Pelagianos convinceret, si hoc non fuisset unicum motivum, & adæquatum Incarnationis: potuissent enim Pelagiani respondere, quod cum duo sint motiva Christo veniendi: etiamsi ab Adamo non sit contractum originale peccatum, venit ad nostram imitationem, & instructionem.

XI. Nunc probandum secundo est antec. ex traditione, & PP. unicam nimirum causam veniendi Christum fuisse salutem nostram: & primo, ex Patribus Græcis, Iræneus, lib. 5. Advers. hæres. cap. 14. *Si enim* (inquit) *non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, S. Athanasius, Orat. 3. contra Arianos: *Caterum, ut fieret homo, nunquam destinatum fuisset* Verbum, *nisi hominum necessitas ejus rei causam præbuisset.* S. Gregorius Nazianz. Orat. 36. *Qua autem humanitatis a Deo propter nos susceptæ causa extitit? Profecto, ut nobis salus pateretur. Quid enim aliud causa afferri possit?* S. Chrysost. Homil. 31. in hæc Christi verba Matthæi: *Non veni vocare Justos, sed peccatores*, ait: *Adeo procul abest, ut peccatores abominetur, ut propter ipsos advenerit.* Et Homilia 5. in Epistola ad Hebr. *Propter hæc carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, ut misereretur nostri: non est enim alia quæpiam causa dispensationis, quam hæc sola.* Et propterea Patres Nicæni Symbolo hæc verba inseruerunt: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis.*

Ex Patribus Latinis adsunt S. Ambrosius, *lib. de Incarn. Sacrament. cap.* 6. dicens; *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, qua peccaverat, per se redimeretur?* Augustin. *lib.* 1. *de Peccat. merit. & remiss. cap.* 26. Ubi spondet, se allaturum supra laudata Scripturarum testimonia: *Quibus appareat, Dominum Jesum Christum non aliam ob causam in carne venisse . . . . . nisi, ut hac dispensatione misericordissima gratia omnes . . . . . vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret &c.* Serm. 174. (alias 8. de verbis Apostoli) cap. 2. *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Et Serm. 175. (alias 9. de verb. Apostol. capit. 1. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* Leo. Serm. 3. de Pentec. cap. 2. *Si homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, in sua honore naturæ manssisset, nec diabolica fraude deceptus a lege sibi posita, per concupiscentiam deviasset? Creator mundi creatura non fieret.* Videri possunt Basilius, *Homil.* 25. Greg. in 1. *Reg. lib.* 4. *cap.* 1. aliique plures, ex quorum cum Scripturis consensione apparet, quod Scoti opinio, etsi etiam Sancti Thomæ ævo esset probabilius, ut ipse fatetur in 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 3. Traditioni tamen magis consona, & veritati nostræ; & D. Thom. sententia reputanda est.

XII. Hoc sequentibus instauro, & evasiones contrarias præcludo. Si enim Scriptura, ex qua sola nobis innotescere potest voluntas Dei, adventus Christi non aliud motivum nobis manifestat, nisi remedium peccati; ex quo forte colligi tuto potest, aliud fuisse motivum? —— Deinde: si Sacram Scripturam explicare debemus, prout illa intel-

intellexerunt SS. Patres, ut præſcribit Trident. *Seſſ. 4. de uſu Sac. Script.* cum Patres Græci, & Latini ex verbis S. Scripturæ deducant, aliud motivum non fuiſſe Chriſto veniendi, niſi, ut homini lapſo mederetur: & quod ſi homo lapſus non fuiſſet, non veniſſet: quomodo aliud motivum poſſumus effingere?

XIII. Præterea: SS. Patres dicunt, Adamo non peccante, Chriſtum non venturum, quod nulla alia cauſa veniendi fuit: ſed ſi, Adamo non peccante, adhuc veniſſet in carne impaſſibili, vere veniſſet, & fuiſſet alia cauſa veniendi, præter peccatum; ergo talis diſtinctio deſtruit ſenſum Patrum —— Rurſus: ſi Rex aliquis venturus eſſet Romam, vel in forma privata, vel in forma publica, utroque modo verificaretur Regem venturum Romam: & qui diceret, eum non venturum, quia nimirum, non eſſet venturus in forma privata, falſum diceret; ergo cum Verbum eſſet juxta Scotum venturum, vel in forma majeſtatis, & in carne impaſſibili, vel in forma ſervi, & in carne paſſibili: ſi, Adamo non peccante, adhuc eſſet venturum, licet non in carne paſſibili, falſo diceretur, non eſſe venturum. Vel ergo Patres falſum dixerunt: vel Adamo non peccante, Verbum nullo modo fuit venturum.

XIV. Sed dicunt Scotiſtæ. Quod ſicut Chriſtus, *Joannis 7.* rogatus a ſuis, ut aſcenderet ad diem feſtum, reſpondit abſolute, verſ. 8. *Non aſcendo;* licet eſſet aſcenſurus, ſed non eo modo, quo ipſi petebant: ita potuere SS. Patres dicere abſolute, Adamo non peccante, Chriſtum non venturum; licet eſſet venturus, ſed alio modo, & alio motivo.

XV. Contra tamen eſt primo. Nam ut advertit Euthymius, cum Chriſtus dixit: *Non aſcendo*, ly *non* accipiendum eſt reſtricte ad tempus præſens, ut idem valeat, ac *nondum*; ac ſi diceret: *Vos aſcendite*: ego *nondum aſcendo*. Et ad hanc interpretationem habemus fundamentum. Tum quia: Chriſtus non dixit abſolute: *Non aſcendam*; ſed: *Non aſcendo ad diem feſtum iſtum*. Tum quia: habemus, v. 10. quod poſtea aſcendit, non manifeſte, ſed *quaſi in occulto*. At ad dicendum, Chriſtum venturum, non exiſtente Adæ peccato, non habemus in Scriptura fundamentum; & modus loquendi Patrum dicentium, Chriſtum, ſi Adam non peccaſſet, non venturum, eſt abſolutus, nec ullam patitur reſtrictionem.

XVI. Tandem, nec fiat recurſus ad carnem paſſibilem, vel impaſſibilem, arguo ſic. Quando Deus voluit primo aſſumere naturam creatam; non voluit aſſumere naturam creatam, abſtrahendo ab angelica, vel humana, ſed determinate voluit aſſumere naturam humanam. Similiter cum primo voluit incarnari; hoc non voluit, præſcindendo a perſona, quæ debebat incarnari, puta a Filio, vel Spiritu Sancto; ſed determinate voluit, ut qui incarnaretur, eſſet Filius. Et hæc dicimus, quia Scriptura, & Patres quoties de hoc loquuntur Myſterio, dicunt, unionem hypoſtaticam factam fuiſſe ad naturam humanam; nihil indicantes de angelica: & perſonam divinam, quæ fuit unita, fuiſſe Verbum, ſeu Filium, nil dicendo de Spiritu Sancto. Sed Scripturæ, & Patres, quoties de Verbo facto homine loquuntur, ipſum ſemper deſcribunt paſſibilem, factura mortalem &c. ergo, niſi divinando, dici poteſt, eum venturum in carne impaſſibili, Adamo non peccante. Sicut, niſi divinando, dici poſſet, in ea hypotheſi aſſumpturum naturam angelicam: vel non Verbum, ſed Spiritum Sanctum aſſumpturum naturam humanam.

Addo: quod ſi, non corrupta natura humana per peccatum, voluiſſet Deus venire in mundum; condecentius fuiſſet, ut aſſumeret naturam angelicam, quam humanam: quia hæc eſt perfectior, & conjunctior Deo, & motivum merendi naturæ humanæ infirmæ, quo ductus modo eam aſſumpſit, defeciſſet. —— Rurſus: cum in illa hypotheſi venturus eſſet, ut auctor gratiæ, convenientius fuiſſet, ut perſona, quæ veniſſet, eſſet Spiritus Sancti, cui attribuit Juſti ſanctificatio: ſicut cum mittendum fuit ad docendos Apoſtolos, eoſque gratia replendos in die Pentecoſtes, miſſus fuit ab ipſo Chriſto Spiritus Sanctus.

§. III.

Occurritur Scotiſtarum Rationibus.

XVII. PRimo objiciunt, Adamo, antequam peccaret, fuit revelata Incarnatio futura, ut docet Divus Thomas, 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. & tamen non fuit Adamo revelatum, eam fore in remedium ſui peccati. Adamus enim non fuit præſcius ſui peccati: alioquin, ut docet D. Thom. ibi concepiſſet triſtitiam, quæ felicitatem illius ſtatus turbaſſet; ergo Incarnatio, ut decreta ante peccatum, erat præſcindens a remedio peccati.

XVIII. Reſpondet S. Thomas, 3. *p. q.* 1. *art.* 3. *ad* 5. Adamo innocenti revelatam quidem fuiſſe Incarnationem: illi tamen celatam cauſam, ſeu motivum proximum illius. Nam cum Incarnatio fuerit ordinata, & ad manifeſtationem, ac conſummationem gloriæ, & ad liberationem hominis a peccato: aliter (inquit S. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7.) revelata fuit ante peccatum, aliter poſt peccatum. Nam poſt peccatum revelata fuit, prout ordinabatur ad liberationem a peccato; ante peccatum vero ſolum prout ordinabatur ad conſummationem gloriæ, licet hæc non eſſet implenda, niſi media liberatione hominis a peccato: & ſic revelata fuit Adamo, quin inde fieret præſcius ſui peccati, & triſtitiam conciperet.

Neque ad tollendam omnem anxietatem ab Adamo, oportuit illi revelare motivum proximum, ex quo per Incarnationem conſummatio gloriæ erat implenda. Nam licet is, cui revelatur effectus, concipiat deſiderium agnoſcendi cauſam, a qua naturaliter emanat, & ſi ei non reveletur, maneat anxius, non tamen agnoſcendi cauſam, a qua ſolum ex libera revelantis voluntate dependet. Cumque Incarnatio ex ſola libera Dei voluntate remedium peccati habeat pro cauſa; & aliunde conſummatio gloriæ ſit ex ſe cauſa ſufficiens Incarnationis; nulla anxietas manere potuit in Adamo, ex eo, quod cauſa proxima, nempe, remedium peccati ipſi revelatum non fuerit. Sicut Joſepho revelata fuit ejus exaltatio ſuper fratres: non tamen fuit revelata ejus venditio, ex qua ejus exaltatio proxime naſci debebat. —— Neque obſtat, quod Adam fuerit Propheta —— Neque enim Prophetæ habent ſemper perfectam notitiam revelatorum, & omnium circumſtantiarum ejus, ut habetur ex S. Thom. 2. 2. *q.* 173. *art.* 4. Propheta enim ea ſolum noſcit, quæ Deus vult illi revelare.

XIX. Secundo objiciunt. Gratia, quam habuit Adamus ante peccatum, fuit ex meritis Chriſti; ergo merita Chriſti fuerunt prævia ante peccatum. Ant. prob. Gratia data Adamo ante peccatum, fuit illi collata ex fine ipſum prædeſtinandi: ideoque licet fuerit amiſſa, quia tamen fuit per pœnitentiam recuperata, debuit illi correſpondere aliquis gradus gloriæ. Nam, ut docent Theologi, gratia, & merita per peccatum mortificata, ſi per pœnitentiam reviviſcant, eumdem gradum gloriæ habebunt, ad quem jus habuerunt ante peccatum. Sed prædeſtinatio Adami, utpote ex meritis Chriſti, qui eſt Caput omnium prædeſtinatorum, erat effectus prædeſtinationis Chriſti; ergo gratiam illam habuit ex meritis Chriſti; & conſequenter ſupponebatur jam volitus Chriſtus, & volita Incarnatio ante peccatum.

XX. Reſpondeo, neg. ant. Gratia enim ex meritis Chriſti eſt gratia redemptionis, & reconciliationis. Ut autem ait S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia, cap. 11. *Ille* (Adam innocens) *in illis bonis Chriſti morte non eguit*. Ad probat. nego, quod gratia, ut primo collata Adamo, fuerit illi data ex fine prædeſtinandi ipſum: quia ſic cum præcederet Chriſtum, ex cujus meritis erat Adamus prædeſtinandus, præceſſit etiam voluntatem Dei prædeſtinativam Adami. Solum ergo gratia, ut recuperata per pœnitentiam, cum fuerit recuperata per Chriſtum, & ejus merita jam a Deo volita, & prævia, potuit eſſe effectus prædeſtinationis Adam; quia fuit gratia reconciliativa, & gratia Mediatoris.

An vero gratia Adami recuperata revixerit ad eumdem gradum gloriæ, quem habuiſſet, ſi ſtetiſſet: aliqui negant. Quia in tantum gratia, dum recuperatur a nobis, reviviſcit ad eumdem gloriæ gradum, quia gratia illa, eſto per peccatum ſit amiſſa, & homo peccando decederit ab omni merito apud Deum, manet tamen ſemper Chriſtus: qui cum ſit principium morale omnis noſtri meriti, illud conſervat in acceptatione divina. At reſpectu Adæ in ſtatu innocentiæ, cum Chriſtus nondum influeret in ejus meritum, utpote nondum volitus, & prævius; ſola gratia illius erat principium radicale omnis illius meriti. Unde, ea amiſſa per peccatum, periit in Adamo omne meritum: & nedum fuit mortificatum, ſed penitus mortuum: ac proinde Adamo reſurgenti non fuit illud meritum præcedens illi computatum ab gloriam. —— Quia vero alii ſentiunt, gratiam ab Adamo recuperatam reſurrexiſſe cum eodem jure ad gloriam, ac prius, dici poteſt, gratiam, & merita ſtatu innocentiæ revixiſſe cum eodem jure ad gloriam ex meritis Chriſti; quibus, hominis lapſu reparato, dicta gratia, & merita fuerunt recuperata. Ideoque gratia, ſolum ut recuperata, ſuppoſuit Chriſti merita; & ſolum, ut reparata, profuit Adamo ad gloriam.

XXI. Tertio objiciunt, & inſtant. Ab illo habuit primo gratiam Adamus innocens, qui fuiſſet Caput Adami innocentis, quia caput influit in membra: ſed Chriſtus fuit Caput Adami innocentis, cum a Deo conſtitutus ſit Caput hominum, & Angelorum, & Eccleſiæ, ut habetur ad *Coloſſenſes* 1. & 2. ergo &c.

XXII. Reſpondeo neg. abſolute min. Homine enim non peccante, ſeu ante peccatum, Deus erat Caput Eccleſiæ, ſeu Chriſtus ſecundum divinam naturam. Neque illa tunc reperiebat Caput viſibile conveniens in natura cum membris: habebat enim tunc homo naturam ad inviſibilem Dei gubernationem ſufficienter diſpoſitam. Ita ex Sancto Thoma, *quæſt.* 29. *de Verit. art.* 4. *ad* 3. his verbis: *Chriſtus ante peccatum fuiſſet Caput Eccleſiæ, ſecundum divinam naturam ſolum; ſed poſt peccatum oportet, quod ſit Eccleſiæ Caput, etiam ſecundum humanam. Nam per peccatum natura humana vulnerata eſt, & ad ſenſibilia demiſſa; ut ad inviſibilem Verbi gubernationem non ſit ſufficiente. idonea. Unde oportuit medicinam vulneri adhiberi, per humanitatem*

Christi, per quam Christus satisfecit; & oportuit, quod visibilem naturam assumeret, ut per visibilem gubernationem ad invisibilia homo revocaretur.

Respondeti potest secundo, dist. min. Caput dignitate, conc. min. Caput per influxum, neg. min. Christus enim, ut ait S. Thomas, citato loco in *cap.* est Caput omnium quoad dignitatem; sed quoad influentiam solum est caput, quia per eum placuit Deo reconciliare omnia. Et in hoc sensu dicit Paulus: *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ*, scilicet, quæ modo est constans ex hominibus lapsis, & per Christum Deo reconciliatis.

XXIII. Neque his obest, quod Tertullianus, *lib. de Resurrect. carnis cap. 6.* dicat, corpus Adami fuisse primo formatum ad imaginem Christi, dum ait: *Limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus.* —— Neque, quod matrimonium inter Adamum, & Evam, licet ante peccatum contractum, fuerit, teste Paulo ab *Ephes. 5. vers. 32.* Sacramentum Christi, & Ecclesiæ. —— Nam quamvis, & corpus Adami fuerit formatum, & conjugium inter Adam, & Evam initium ante peccatum commissum, non tamen ante peccatum a Deo prævisum, ut futurum, & consequenter nec ante Christum volitum, sed post ipsum, ideoque Deus peccati futuri præscius, & carnis per Christum redimendæ, & glorificandæ, ad imaginem corporis Christi formavit corpus Adami; & ejus conjugium voluit esse Sacramentum spiritualis conjugii Christi cum Ecclesia jam prævisi futuri. Adeo autem magnifice de corpore Adami loquitur Tertullianus; ut carnem, quam Marcion deprimebat, extolleret, quæ unione hypostatica cum Verbo erat glorificanda.

XXIV. Quarto objiciunt, ostendendo, Christum fuisse a Deo volitum, ut futurum, ante Adami, & cujusvis alterius creaturæ futuritionem, primo. Nam *Prov. 8. v. 22.* habetur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Quæ de Christo intelligunt Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus &c. Hinc, Coloss. 1. v. 15. vocatur Christus, *Primogenitus omnis creaturæ.* Cum ergo non sit *in initio*, nec *primogenitus* quoad existentiam, & ordine executionis, sit ut sit talis in intentione, & prævisione.

Secundo, Paulus. Rom. 1. v. 3. & 4. *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, nempe, Christo, dicit: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis*: sed Christus non potest dici, quod sit prædestinatus Filius Dei secundum formam Dei, quia sic est essentialiter Filius Dei; ergo secundum formam hominis.

Tertio. Idem, ad *Heb. cap. 1. a v. 1.* habet sequentia, quæ sic exponuntur: *Novissime locutus est nobis in Filio*, idest, humanitate vestito. *Quem constituit hæredem universorum, per quem* (idest, Filium humanitate vestitum) *fecit & sæcula*, idest omne id, quod in sæculis est, Angelos: Cælos, elementa, homines. Unde sic arguo. Ille fuit volitus ante omnia creata, qui in mente Dei futurus fuit, etiam ut homo, ante Cælos, elementa &c. Ille autem, per quem facta sunt sæcula, debuit, ante omnia creata, in mente Dei fuisse, tamquam exemplar illorum; ergo filius Dei, ut homo &c.

Quarto etiam ratione. Nam omnia ordinate volens prius vult finem, & ex mediis ea, quæ sunt propinquiora fini, sed manifestatio bonitatis Dei est finis operum Dei: id autem, quod huic fini magis accedit, est Incarnatio, quæ longe creaturas omnes in perfectione antecellit; ergo post suæ bonitatis manifestationem statim voluit Verbi Incarnationem, deinde ordinem gratiæ, tandem ordinem naturæ.

Quinto. Finis debet esse prius volitus iis, quæ sunt ad finem: sed Christus est finis omnium prædestinatorum. Unde in Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 7.* dicitur, causam finalem nostræ justificationis esse gloriam Dei, & Christi. Et 2. Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*; ergo &c.

XXV. Respondeo, neg. assumptum. Ad primam probationem, admitto, verba illa Proverbiorum intelligi de Sapientia incarnata, quod indicare videtur ly *Dominus*: ulterius qui Augustinus, & alii, loco *possedit me*, legunt: *Creavit me*. Unde lib. de Fide, & Symbolo, c. 4. *Eadem* (inquit) *sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari.* Explico tamen sic. In initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, spectans ad hominis lapsi salutem, concedo; spectans ad hominis existentiam naturalem, hoc est, quod Deus Christi futuritionem voluerit, antequam de hominis lapsi reparatione, quæ est secunda creatio, decreverit, nego.

Eadem ratione Christus a Paulo vocatur primogenitus omnis creaturæ, ut reparandæ, non ut primo formandæ. Et ideo, *vers.* 18. explicans quomodo Christus sit primogenitus, dicit: *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum, tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia &c.* Fundat ergo Paulus rationem Primogeniti, Capitis, Principis in Christo, in ratione Mediatoris, Reconciliatoris; quæ omnia supponunt hominem jam inimicum Dei per peccatum.

XXVI. Ad secundam prob. dico, verba Pauli reddere hunc sensum: *Ille, qui factus est ex semine David secundum carnem, ab æterno prædestinatus etiam, ut sit Filius Dei in virtute.* Licet enim persona Verbi, ratione divinæ naturæ, sit Filius Dei per naturam, non per prædestinationem; ut tamen induta carne, & natura humana, quia hanc ex se non habuit, nec semper secundum hanc dici potest prædestinata, ut sit Filius Dei. Verum ex hoc nihil contra nos. Quia Paulus non dicit, quod prius prædestinatus fuerit Filius Dei, quam prævisus esset futurus ex semine David, ut arguens intendit. Quare claritatis gratia distinguo: Christus prædestinatus est Filius Dei, antequam in tempore fieret ex semine David, concedo; Christus prædestinatus est Filius Dei, antequam ab æterno prævisus, & prædestinatus sit, ut fieret ex semine Abrahæ, nego. Immo Paulus subjiciens, hanc prædestinationem Filii Dei in virtute apparere ex resurrectione mortuorum, aperte indicat, se loqui de prædestinatione facta, supposita morte per peccatum.

XXVII. Ad tertiam probationem, dico, quod cum Christus, seu Filius, per quem Deus novissime locutus est, sit homo Deus. Apostolus, *in Epist. ad Hebræos*, de Christo loquitur, modo secundum ea, quæ illi conveniunt, ut homini; modo secundum ea, quæ illi conveniunt, ut Deo. Nil ergo mirum si dicat, Deum, per Filium carne vestitum, novissime nobis locutum; & per eumdem, non jam ut carne vestitum, sed ut in divinitate ipsi consubstantialem, fecisse & sæcula. Unde ad discursum factum distinguo; ille &c. secundum eamdem personam, conc. Secundum eamdem naturam, nego.

XXVIII. Ad quartam ex ratione productam, dist. maj. Quæ sunt propinquiora fini, ordine causalitatis, conc. maj. Ordine perfectionis præcise, nego maj. & similiter distincta min. nego conseq. Licet ergo Incarnatio sit nobilissimum inter media, quæ Deus ex dispositione suæ voluntatis, ad suum finem ordinavit; attamen, ut habemus ex Scripturis, non est medium proximius, ordine causalitatis, ita ut cætera media ab ipso dependeant: sed potius Incarnatio non conducit ad finem Dei, nisi præsupposita in ea voluntate reparationis, & salutis humanæ. Finis enim Dei fuit, ostendere misericordiam suam erga hominem lapsum: ad hunc finem elegit, ut medium ad ejus salutem restaurandam: & ad hoc obtinendum elegit Incarnationem. Unde, secundum ordinem divinæ voluntatis, salus hominum est proximior fini a Deo intento, quam ipsa Incarnatio: & proinde prius elegit, hominem lapsum erigere, & liberare, quam elegerit incarnari.

XXIX. Quod ut clarius fiat: concipi debet, Deum in salutis nostræ negotio hunc ordinem, ex parte rei volitæ, tenuisse. Primo enim voluit, suam virtutem, & bonitatem effundere, suaque attributa extra se manifestare. Secundo, ad hanc gloriam propalandam, mundum hunc suis gradibus, & naturis compaginatum ex infinitis aliis elegit. Tertio, creaturam intellectualem (Angelos, nempe, & homines) ut præcipuam hujus mundi portionem, constituit ad ordinem supernaturalem evehere, & gratiæ donis ornare. Quarto, inscrutabili judiciorum suorum abysso, hominis lapsum permittere voluit. Quinto peccato prævisо mederi decrevit. Sexto, ad hoc remedium procurandum decrevit, Filium suum unigenitum carnem assumere, & pro hominum salute pati, ac mori. Demum, Christo Redemptori omnia, quæ jam producere decreverat, subjecit: & ad ejus gloriam amplificandam elegit in ipso quosdam ad salutem, alios vero in massa perditionis reliquit.

XXX. Ad quintam, dist. conf. Ergo Christus est prius volitus, quam fuerit volita hominum prædestinatio, conc. conf. Quam fuerit volita hominum liberatio, nego conf. Prius ergo volita fuit hominum liberatio, deinde volitus Christus: postea volita fuit in Christo, & per Christum hominum prædestinatio ad ejus gloriam, ut nuper dicebamus. Unde Christus est finis hominum, non quia propter Christum homines sint primo constituti; sed quia homines jam constituti, ejus imperio, & gloriæ subjiciuntur.

XXXI. Quinto objiciunt varia inconvenientia, quæ putant sequi ex nostra sententia. Et primo. Si Deus voluit Incarnationem dependenter a peccato ponendo; sequitur, Deum voluisse peccatum, ut inde accipiat occasionem miserendi: hoc autem inconveniens est. Sicut si medicus permitteret morbum, ut inde accipiat occasionem medendi.

Secundo. Sequitur, Deum ordinasse Incarnationem ad salutem humani generis, quod est absurdum: quia ordinare id, quod perfectius est, ad id, quod est imperfectius, est inordinate velle.

Tertio. Sequeretur, nos prius fuisse prædestinatos, quam Christum. Nam voluntas liberandi nos a peccato, cum sit effectus nostræ prædestinationis, debet supponere nostram prædestinationem; ergo si decretum liberandi nos a peccato est prius decreto Incarnationis, multo magis prædestinatio nostra erit prior prædestinatione Christi.

Quarto. Sequeretur, Incarnationem esse bonam occasionatum ex peccato.

Quin-

Quinto. Sequeretur, lætari nos poſſe de Adami peccato, qui tanto bono occaſionem dedit.

XXXII. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum dico, Deum non ſolum permiſiſſe Adæ peccatum, ut illi mederetur; ſed ut inde exaltaretur ejus miſericordia, & bonitas, & amoris exundantia, quod eſt maximum bonum: & hac ratione permittit etiam cætera peccata, ut inde habeat occaſionem oſtendendi, vel ſuam miſericordiam condonando, vel ſuam juſtitiam ea puniendo, Sic etiam medicus ſi permittat morbum, non ſolum ut illum curet, ſed ut ex ejus curatione appareat ejus ars occulta, quæ pluribus ſit utilis ad ſanitatem; prudenter operabitur.

XXXIII. Ad ſecundum dico, quod ordinare perfectius ad imperfectius, tamquam ad finem ultimum, eſſet quidem inordinate agere; non tamen ordinare perfectius ad imperfectius, tamquam ad finem proximum: & maxime ſi ordinetur non ex inſtitutione naturæ, ſed ex libera ordinantis voluntate. Sic, juxta Scotum, Chriſtus, ut paſſibilis, fuit a Deo ordinatus ad noſtram ſalutem: & tamen Chriſtus, adhuc ut paſſibilis, longe perfectior eſt, quam ſit ſalus noſtra. Sic abſque ulla inordinatione celebramus Sacrificium propter ſalutem corporalem; cum tamen hac longe illud ſit perfectius. Et poteſt quis facere actum charitatis ad impetrandam caſtitatem, cum tamen charitas perfectior ſit caſtitate.

XXXIV. Ad tertium, nego antec. Voluntas enim redimendi nos a peccato, non fuit voluntas efficax dandi hominibus gloriam: alias ſicut omnes homines ſunt liberati a peccato, ita omnes eſſent efficaciter prædeſtinati: ſed fuit voluntas liberandi eos a ſervitute Diaboli, aperiendi Januam Cælorum, & dandi auxilia ſufficientia, quibus poſſent ſalvari, licet de facto non omnes ſalventur. Ut autem voluntas ſit prædeſtinativa, non ſufficit, ut aliquo modo conducat ad prædeſtinationem: ſed ulterius requiritur, quod ſit conjuncta voluntati efficaci dandi gloriam, vel ex iſta imperata: quod non contingit in præfata voluntate generali liberandi hominem a peccato, quæ, ut oſtendimus, noſtram prædeſtinationem præceſſit.

XXXV. Ad quartum, nego abſolute ant. Nam Incarnatio non eſt per ſe, & ab intrinſeco dependens; & occaſionata ex peccato, ſicut eſt pœnitentia, & punitio; cum Deus, nullo exiſtente peccato, potuiſſet incarnari. Quod autem de facto fuerit volita, ex ſuppoſitione peccati Adæ, dici poteſt occaſionata extrinſece, & per accidens a peccato: immo verius ex infinita miſericordia Dei, qui cum poſſet hominem in ſua perditione relinquere, voluit, ſe incarnando, ipſum liberare.

XXXVI. Ad quintum, nego ſimiliter ant. Quia peccatum primorum Parentum non fuit cauſa per ſe inducens Incarnationem; ſed pœnam, & perditionem, in qua eſſemus omnes pro merito culpæ. Sed unica cauſa Incarnationis fuit ſumma Dei in homines charitas: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joann. 3. verſ. 16. Dum vero canit Eccleſia: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*, ſenſus enphaticus eſt ad exprimendum, felicem fuiſſe culpam, cui tanta ex Dei bonitate ſors accidit, ut haberet Redemptorem Deum.

DUBIUM V.

Aliqua circa Cauſas Incarnationis Expediuntur.

§. I.

An Incarnatio facta ſit potius ob Peccatum Originale, quam ob Actuale?

I. SUppono, ut fide certum, Chriſtum veniſſe tum propter originale, tum propter actualia peccata delenda. Hoc enim expreſſe legitur in Scripturis. Iſaiæ 53. verſ. 5. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Matth. 1. verſ. 21. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* 1. Joann. 1. verſ. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Cap. 2. verſ. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Cap. 3. verſ. 5. *Et ſcitis, quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret.* Et verſ. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli.* Demum Apoc. 1. verſ. 5. *Lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Quod ergo quæritur, eſt: An licet Chriſtus advenerit, ut pro omni peccato ſatisfaciat; principalius tamen venerit, ut ſatisfaciat pro peccato originali.

II. Dico. Principalius venit Chriſtus ad tollendum originale, quam actuale peccatum. Ita S. Thomas, 3. *p. quæſt.* 1. *art.* 4. Et conſtat primo ex Scripturis. quæ quoties beneficium Incarnationis commemorant, toties de peccato originali mentionem faciunt. Ut Paulus, Rom. 5. verſ. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit &c.* verſ. 15. *Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Et verſ. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi &c.* Quid autem a Deo repetita peccati originalis mentio; niſi, ut indicetur, Chriſtum principalius veniſſe ad hoc tollendum?

III. Probatur etiam ratione Sancti Thomæ, citato loco. Ubi poſtquam dixit: *Certum eſt Chriſtum veniſſe in hunc mundum, non ſolum ad delendum illud peccatum, quod traductum eſt originaliter in poſteros; ſed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ poſtea ſuperaddita ſunt. Non quod omnia deleantur, quod eſt propter defectum hominum, qui Chriſto non inhærent, ſecundum illud Joannis 3.* Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: *Sed quia ipſe exhibuit, quod ſufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem*: probat principalius veniſſe, propter originale, hoc diſcurſu. Pro eo peccato delendo principalius venit Chriſtus, quod majus nocumentum intulerat humanæ naturæ, & proinde majus erat: ſed peccatum originale majus nocumentum intulerat humanæ naturæ, quam actuale, quia actuale ſolum inficit partem, nempe, perſonam, quæ illud committit; originale autem infecerat totam naturam humanam, eamque corruperat; ergo *Quantum ad hoc, Chriſtus principalius venit ad tollendum originale peccatum, in quantum* bonum gentis divinius, & eminentius eſt, quam bonum unius, *ut dicitur* 1. *Ethic. cap.* 2.

IV. Sed obſtare poteſt primo. Videtur enim peccatum originale non eſſe gravius actuali. Si enim eſſet gravius, graviori pœna puniendum eſſet; hoc autem eſt falſum: quin potius originali peccato debetur minima pœna, teſte S. Auguſtino, *lib. 5. contra Julian. cap.* 11.

Secundo. Tanto peccatum eſt gravius, quanto magis adverſatur humanæ ſaluti: ſed humanæ ſaluti magis adverſatur peccatum actuale; quia non ſolum privat viſione Dei, quæ eſt pœna damni, ſed & ulterius infert damnationem ad pœnam ſenſus: ergo &c.

Tertio. Chriſtus in ſe ſumpſit pœnam debitam peccato, pro quo venerat delendo: ſed aſſumpſit in ſe pœnam ſenſus, quam paſſus eſt, & conſummavit in Cruce, non autem pœnam damni, quia Chriſtus nunquam caruit divina viſione; ergo venerat præcipue, ut deleret peccatum, cui debetur pœna ſenſus, non autem ſola pœna damni: peccatum autem, cui debetur pœna ſenſus, non eſt originale, ſed actuale.

V. Reſpondeo. Ad primum dico, peccatum originale non eſſe quidem gravius intenſive, ſed extenſive, ſeu ut loquitur D. Thom. hoc art. 4. *Majus*. Ait enim: *Dicitur autem aliquid majus dupliciter. Uno modo intenſive; ſicut eſt major albedo, quæ eſt intenſior. Et per hunc modum majus eſt peccatum actuale, quam originale, quia plus habet de ratione voluntarii .... Alio modo dicitur aliquid majus extenſive, ſicut dicitur major albedo, quæ eſt in majori ſuperficie. Et hoc modo peccatum originale, per quod totum genus humanum inficitur, eſt majus quolibet peccato actuali, quod eſt proprium ſingularis perſonæ.* Ita S. Thomas. Pœna autem correſpondet magnitudini intenſivæ: unde cum peccatum actuale ſit majus intenſive, quia magis voluntarium; ideo majori pœna, nempe, etiam ſenſus punitur. Unde in 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 6. ait, quod actuale dici poteſt *Major culpa, & originale majus malum.*

VI. Si dicas. Regulariter omnes, qui ſunt infecti peccato originali, ſunt etiam infecti actualibus; ergo originale non eſt majus extenſive.

Reſpondeo in primis, neg. antec. Nam infantes ſunt infecti peccato originali, qui tamen infecti non ſunt actuali. Deinde dico, peccatum originale inficere omnes per ſe, actuale vero per accidens. Ratio primi eſt. Quia originale eſt per ſe peccatum naturæ; ideoque in omnibus, in quibus invenitur humana natura ab Adamo ſeminaliter traducta, qui fuit principium eam vitians, invenitur & peccatum originale: immo in infinitis hominibus inveniretur, ſi natura humana infinitis communicaretur. Et ideo per ſe tollit bonum generis humani, dum tollit bonum in natura communi generi humano. At peccatum actuale per ſe non tollit, niſi bonum unius perſonæ: & accidit peccato meo, quod alter, ſeu alii peccent; ſeu quod peccatum perſonæ in toto genere humano reperiatur, quod non accidit peccato naturæ. Immo peccatum naturæ ſe habet veluti radix, ex qua actualia peccata in homine oriuntur.

VII. Ad ſecundum dico, quod peccatum originale magis adverſatur humanæ ſaluti ſimpliciter; quia adverſatur ſaluti omnium hominum, ſeu totius naturæ. Actuale vero magis adverſatur ſolum ſecundum quid; quia licet magis intenſive noceat, per ſe loquendo uni tantum perſonæ nocet.

VIII. Ad tertium, diſt. maj. Aſſumpſit in ſe pœnam debitam in præſenti vita, conc. maj. In futura retributione, nego maj. Non enim Chriſtus futuræ vitæ pœnas aſſumpſit, ut impie blaſphemavit Calvinus, *l. 2. Inſt. c. 16.* §. 10. ubi ait: Chriſtum *In locum ſceleratorum, ſponſorem, vadem, adeoque inſtar rei ſubmiſſum, qui penderet ac perſolveret omnes, quæ ab illis expetenda erant, pœnas: uno hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Quid enim horribilius, ac injurioſius ſanctitati Filii Dei? Sed dicimus aſſumpſiſſe pœnas, ſeu pœnalitates in præſenti vita ex peccato originali conſecutas,

quas ſenſibiliter patimur, velut famem, ſitim, mortem. Ita S. Thomas, hoc *art.* 4. *ad* 2. dicens: *Peccato originali in futura retributione non debetur pœna ſenſus. Pœnalitates tamen, quas ſenſibiliter in hac vita patimur, ſicut famem, ſitim, mortem, & alia hujuſmodi, ex peccato originali proceduntˑ & ideo Chriſtus, ut plene pro peccato originali ſatisfaceret, ſenſibilem dolorem pati voluit, ut mortem, & alia hujuſmodi in ſeipſo conſumeret.*

§. II.

An Exiſtente ſolo Originali, vel ſolis Actualibus Verbum fuiſſet Incarnatum.

LOquimur in præſenti decreto. Non enim ſcire poſſumus, quid futurum eſſet ex vi alterius decreti; cum in Scripturis revelatum non ſit.

IX. Dico. Solo exiſtente peccato originali, adhuc Verbum ex vi præſentis decreti veniſſet. Probatur. Nam perſeverante primo, & principali motivo Incarnationis, etiam ceſſante minus principali, & quaſi ſecundario Verbum in carne veniſſet: ſed primum, & principale motivum Incarnationis, ut vidimus, fuit redemptio ab originali: unde Chriſtus vocatur ab Apoſtolo 1. Corinth. 15. verſ. 45. *Noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Et *v.* 22. dixerat: *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*; ergo &c. Tum etiam: nam Deus ſtatuit, carnem ſumere, ut totam naturam, quæ in Adamo perierat, repararet: at ſi nullum aliud, præter originale, peccatum fuiſſet, adhuc tota natura eodem modo periiſſet; ergo adhuc veniſſet.

An vero ſolis exiſtentibus peccatis actualibus, & non exiſtente originali, Verbum, ex vi præſentis decreti, in carne veniſſet; cum nihil certi Scriptnra nos doceat, conformiter ad ſuperius ſtatuta.

X. Dico. Probabilius videri, non fuiſſe venturum in carne Verbum, ſi ſola peccata actualia ſine originali extitiſſent. Probo hoc, primo ex dictis. Si enim liberatio a peccato originali fuit principale motivum adventus Verbi in carne: ergo, eo non exiſtente, Verbum non veniſſet; quia ceſſante motivo, & fine principaliter intento in aliqua operatione, ceſſat operatio. — Rurſus: ex vi præſentis decreti Verbum divinum venturum fuit ſolum in carne paſſibili, & mortali, ut *Dub. præced.* contra Scotum oſtendimus: ſed, peccato originali non exiſtente, caro non fuiſſet poſſibilis, & mortalis; dicente Paulo Rom. 5. v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; ergo non exiſtente originali, nec morte, Verbum in carne non veniſſet.

XI. Nec valet dicere, nos debere loqui de Myſterio Incarnationis prout magis conducit ad gloriam Dei, & expedit hominum utilitati — Hoc enim verum eſt: ſed verum eſt etiam, nos debere loqui, ſecundum quod revelatum eſt nobis in Scripturis. Cumque ex Scripturis colligamus, Chriſtum principaliter veniſſe, ut liberaret hominem ab originali, ideo hoc ceſſante arguimus, eum non venturum. Eſto enim Chriſtus tradiderit ſe pro peccatis, etiam actualibus, nec ſolum pro toto genere humano, ſed etiam pro ſingulis; unde Paulus, Galat. 2. verſ. 20. *In fide* (inquit) *vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*: ita tamen ſe tradidit pro peccatis actualibus, ut venerit ad iſta tollenda, quatenus in originali, ſeu in fonte, radicabantur: & ita tradidit ſe pro ſingulis, ut principalius intenderet reparare naturam quam perſonas. Unde vitiatis perſonis vitio perſonali, non vitio naturæ, cenſemus, ex vi decreti, quod de facto habuit, non venturum.

XII. Nec iterum dicas, de ſumma bonitate decens eſſe cogitare, quod ſummo modo ſe communicet. Et de infinita virtute omnipotentiæ, quod ſe manifeſtet, per aliquem infinitum effectum: hic autem nullus alius eſſe poteſt, quam Incarnatio.

XIII. Nam reſpondeo. Ad primum dico, quod de ſumma bonitate debemus quidem cogitare, quod ſummo modo ſit communicabilis, quia hoc eſt ejus eſſentia; non tamen quod ſummo modo actu ſe communicet: quia hoc etſi ei conſentaneum, quia tamen eſt ei liberum, non debet a nobis aſſeri, niſi ſecundum, quod nobis Deus manifeſtavit: alias dicere deberemus, quod hoc ſummo modo etiam Angelis ſe communicaverit.

Ad ſecundum dico cum S. Thom. 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 2. quod in ipſo modo productionis rerum ex nihilo divina virtus infinita oſtenditur. Ad perfectionem etiam Univerſi ſufficit; quod naturali modo creatura ordinatur in Deum, ſicut in finem: hoc autem excedit limites perfectionis naturæ, ut creatura uniatur Deo *in perſona*. Sicut ergo unio Dei cum homine, per gratiam, quia excedit capacitatem naturalem hominis, ex voluntate Dei unice pendet: ita, & multo magis, unio creaturæ cum Deo in Perſona unice ex potentia, & voluntate Dei, unice deſumenda eſt. Vide S. Doctorem *art.* 4. citato *ad* 3.

QUÆSTIO V.

De Natura Aſſumpta.

INcarnationis eſſentia, ut dictum eſt, unio eſt, qua natura divina, & humana uniuntur in una perſona: in quo importantur quatuor, nempe, natura divina, natura humana, quæ uniuntur, perſona in qua uniuntur, & modus, quo uniuntur. Hic ergo de natura humana, & aliis ad eam ſpectantibus agemus: primo, errores, qui circa hoc fuerunt, eliminantes, & quæſtiones inter Catholicos agitari ſolitas tractantes; relinquendo Quæſtionibus ſequentibus agere de perſona aſſumente, de divinitate unita, & modo unionis.

DUBIUM I.

An Caro Aſſumpta a Verbo fuerit vera Caro?

§. I.

Errores circa hanc Veritatem.

I. ECcleſia Chriſti vix lucem aſpexerat, cum veritas carnis Chriſti cœpit obſcurari. *Multi* (inquit S. Joannes Epiſtola 1. cap. 4. verſ. 1.) *Pſeudoprophetæ exierunt in Mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum* (vel ut Græce legitur: Qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe) *ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.*

II. Hæreticorum ergo, qui in Chriſto veram carnem negarunt, agmen ducit Simon Magus, Philaſtrio teſte, *de Hæreſ. cap.* 29. qui cum aſſereret ſe Chriſtum, dicebat ſe putative tantum, & in umbra a Judæis paſſum fuiſſe: quod Menander ejus diſcipulus probavit. Apertius autem Simonis blaſphemiam protulerunt Saturninus, Baſilides, eodem Philaſtrio referente, dicentes: *Chriſtum umbratiliter apparuiſſe, non carnem hominis veram, & animam accepiſſe, & omnem œconomiam Myſterii Salvatoris ita compleſſe.* His adhæſerunt, ſæculo ſecundo, Cerdo, qui ex Syria Romam venit, tempore Higinii Papæ, anno circiter 154. Marcion Ponticus genere. Is enim, ob corruptam virginem, de Eccleſia per patrem Epiſcopum ejectus, ut ſuæ conſuleret famæ, & genitoris fugeret iras, Romam properavit. Verum cum nec ibi in communionem Eccleſiæ recipi obtinuiſſet, ad Cerdonis hæreſim tranſiit adeoque profecit, ut diſcipulus ſupra Magiſtrum fieret, ſub Antonino Pio Imperatore, & Pio I. Romano Pontifice inter alias dicens: *Chriſtum putative apparuiſſe, ideſt, quaſi per umbram, & paſſum eum fuiſſe umbratiliter, non tamen in vera carne credebat.* Ita ex Philaſtrio, *Hæreſ.* 45.

III. Hunc errorem ſuum fecit Manes, ſeu *Manin* Sectæ Manichæorum parens. Hinc natione Perſa, antea ſervus, poſt hæræ ſuæ defunctæ bonorum hæres conſtitutus, adeo re, & nomine inſaniens, ut modo ſe Chriſtum, modo ſe Paracletum aſſereret: quod, ut ſuaderet, duodecim ad inſtar Chriſti elegit diſcipulos, quos ad ſua delira ſpargenda miſit, anno circiter 272. ſub Aureliano Imperatore, & Felice I. Roman. Pontifice. Inter ejus delira, hoc erat, quod Chriſtus non fuerit verus homo, ſed phantaſticus. Ductus; vel quia cum poneret duo rerum principia, unum bonorum, aliud malorum, & carnem, putaret eſſe creaturam a principio malo exeuntem; indecorum putabat concedere, Chriſtum verum corpus habuiſſe, unde ſolum apparens corpus ei aſſerebat: & omnia, quæ in Evangelio de Chriſto narrantur ad humanam naturam pertinentia, in phantaſia, non in veritate facta fuiſſe contendebat, ut refert Sanctus Thomas, *Opuſc.* 2. *cap.* 207. Vel quia: ſi Chriſtus veram carnem habuiſſet, illam traxiſſet ex utero Matris; indignum autem fuiſſet credere, tantam majeſtatem per feminæ ſordes, & ſqualores tranſire potuiſſe. Quem merito Sanctus Auguſtinus (ſeu, ut Maurini volunt, alius ſub ejus nomine) *Tract. de Quinque Hæreſibus* increpans, ait in perſona Chriſti: *Hanc, quam deſpicis, Manichee, Mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt mea: ſi potui inquinari cum eam facerem, potui in illa inquinari cum ex ea naſcerer. Sicut tranſitu meo illius non eſt corrupta virginitas, ſic mea ibi non eſt maculata majeſtas. Si ſolis radius cloacarum ſordes deſiccare novit, eis inquinari non novit: quanto magis ſplendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumque radiaverit, mundare poteſt, ipſe pollui non poteſt? Stulte: unde ſordes in Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine patre? &c.*

Manichæis ſubſcripſerunt Priſcillianiſtæ, qui, ut aſſerit Sanctus Leo, *Epiſt.* 93. modo 155. *cap.* 4. in die Natalis Domini, & Dominica, qui eſt dies Reſurrectionis, jejunabant: *Quia* (inquit) *Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt; ſed per quamdam illuſionem oſtentata videri volunt, quæ vera non fuerint, ſequentes dogmata Cerdonis, atque Marcionis, & cognatis ſuis Manichæis per omnia conſonantes.* Sed hos dimittamus.

§. II.

§. II.

Veritas Catholica.

IV. Dico. Verbum aſſumpſit veram carnem, verum corpus, veram, non phantaſticam humanitatem. Probatur. In Scriptura Chriſtus dicitur natus de Virgine, circumciſus, eſuriiſſe, comediſſe, & alia uſque ad mortem pertuliſſe, quæ ad humanam naturam pertinent; ergo vel Scripturæ nos fallunt, ſi Chriſtus, non habens veram carnem, omnia hæc fecit ſolum apparenter, non autem in rei veritate: vel Chriſtus habuit veram carnem. —— Rurſus: ipſe Chriſtus de ſe dicit, Joann. 18. verſ. 37. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati:* non fuiſſet autem veritatis teſtis, ſed magis falſitatis, ſi in ſe demonſtraſſet, quod non erat: præſertim cum prædixerit, ſe paſſurum, quæ ſine vera carne pati non potuiſſet: ſcilicet, quod traderetur in manus hominum, quod conſpueretur, flagellaretur, crucifigeretur: dicere, ergo Chriſtum veram carnem non habuiſſe, nec hujuſmodi in veritate, ſed ſolum in phantaſia fuiſſe perpeſſum, eſt Chriſto imponere falſitatem.

Adhuc: Veram opinionem a cordibus hominum removere, eſt hominis fallacis: Chriſtus autem hanc opinionem a cordibus diſcipulorum removit. Cum enim poſt reſurrectionem Diſcipuli putarent, eum ſpiritum eſſe; ad hujuſmodi ſuſpicionem de cordibus eorum tollendam dixit, tradens eis ſe ipſum, Lucæ 24. verſ. 39. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet.* Et Matth. 14. verſ. 26. putantibus diſcipulis eum eſſe phantaſma, & ob hoc in timore conſtitutis dixit: *Ego ſum, nolite timere.* Si igitur hæc opinio vera eſſet, neceſſe foret dicere, Chriſtum fuiſſe fallacem, illuſorem, impoſtorem: Chriſtus autem veritas eſt. Ita fere iiſdem terminis locuti ſumus cum S. Thom. *Opuſc.* 2. *cap.* 207. contra Manichæos diſcurrente.

V. Probatur ſecundo. Si Chriſtus verum corpus non habuit, non vere mortuus eſt; ergo nec vere reſurrexit; ergo Apoſtoli, prædicantes eum reſurrexiſſe, fuerunt teſtes falſi. —— Rurſus: Paulus 1. *Corinth.* 15. ex reſurrectione Chriſti infert reſurrectionem noſtram; ergo ſi Chriſtus vere non reſurrexit, neque nos vere reſurgemus. —— Immo *Si Chriſtus* vere *non reſurrexit*, inquit, ibi verſ. 14. *Inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra* —— Præterea: *Roman. 5. verſ. 9.* dicimur juſtificati in ſanguine ipſius, & per ipſum ſalvandi, quia pro nobis mortuus eſt: *Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Sed ſi Chriſtus non habuit verum corpus, nec habuit verum ſanguinem, nec verum ſanguinem pro nobis fudit, quia vere mortuus non eſt; ergo nec vere ſumus juſtificati, nec vere redempti, nec vere ſalvi ab ira. Quæ igitur utilitas nobis in Chriſto eſt?

VI. Probatur tertio. Si nonniſi phantaſtice intelligendus eſt adventus Chriſti in mundum, nihil novi in Chriſti adventu accidit. Nam etiam in veteri Teſtamento Deus apparuit Moyſi, & Prophetis, ſecundum varias phantaſticas formas, ut legitur in Sacris litteris; ergo dicere, quod Chriſtus verum corpus non habuerit, eſt totam novi Teſtamenti doctrinam evertere. Multa ex iis, quæ dicta ſunt, profert Tertullianus, *lib. de Carne Chriſti*, & *libris quinque contra Marcionem*.

§. III.

Hæreticorum momenta.

VII. Objiciebant primo. Mos Scripturarum eſt, ſæpe referre ea, quæ apparuerunt, ac ſi revera facta fuiſſent. Sic apud Prophetas Deo corporalia tribuuntur, quæ illi tantum ſecundum apparentiam conveniunt, ſicut & Angelis. Sic etiam Chriſtus dicitur *Petra, vitis vera*; cum tamen hæc ſolum ſecundum ſimilitudinem Chriſto, Deo, & Angelis poſſint aptari; ergo &c.

VIII. Reſpondeo, neg. conſeq. Cum enim Sacra Scriptura narrat aliqua, quæ ſolam apparentiam habuerunt; ex ipſo modo narrationis hoc intelligere facit. Sic quando, *Geneſ. 18. verſ. 2.* dicitur; *Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri.* Dixerat prius, verſ. 1. *Apparuit autem ei Dominus*, & ſubjungitur: *Et adoravit in terram.* Ex quo datur intelligi, tres illos fuiſſe viros ſolum ſecundum apparentiam, & revera Dominum ipſum, illis tribus viris perſonarum Trinitatem obumbrantem. Unde Abraham ſubjecit: *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis*; non dixit: *Domini* Quando autem Prophetæ deſcribunt Deum, vel aliqua ſub corporalibus ſimilitudinibus; hujuſmodi non hiſtorica narratione, ſed in prophetica, & imaginaria viſione ſunt accipienda. Et inſuper ſemper aliquid addunt, quod apparitionem deſignat, ut *Iſaiæ 6. Ezechielis 8. &c.* Prophetæ enim dicuntur *Videntes* ſpiritu potius, quam corpore, ut ait Auguſtin. *Epiſt. 112. modo 147. ad Paulinam cap. 21*, At quæ in Evangelio dicuntur de Chriſti humanitate, corpore, & carne, hiſtorice, non ſymbolice narrantur. Ejus enim genealogia a Matthæo, & Luca traducitur per Avos, & Proavos: ejus deſcribitur conceptio, nativitas, infantia; & omnia, quæ ſubinde de ipſo leguntur, veritatem carnis ejus confirmant. Vel ergo tota Evangelica hiſtoria fabularis eſt, & poetica: quod eſt contra illud, 2. Petri 1. v. 16. *Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem, & præſentiam.* Vel dicendum eſt, in vero, & proprio ſenſu de Chriſto ea enuntiari —— Cum vero Chriſtus dicitur *Petra, vitis, agnus*, clarum eſt, ibi ſimilitudinarie, & metaphorice Scripturam loqui. Tum quia: ſimilitudines illæ a vilibus ſumptæ nemini dubium relinquunt, quin per metaphoram uſurpatæ ſint. Tum quia: eas eſſe tales, ex aliis Scripturæ locis manifeſte comprobatur.

IX. Objiciebant ſecundo. Scriptura indicat habuiſſe carnem, & fuiſſe hominem ſolum ſecundum ſimilitudinem. Primum probant ex illo, Rom. 8. v. 3. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati.* Ex 2. Cor. 5. v. 16. *Ec ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus*; hoc eſt licet olim putaremus, Chriſtum habuiſſe veram carnem, nunc doctiores facti id non credimus.

Secundum probant ex illo, ad Philipp. 2. v. 6. *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Illa autem verba *formam ſervi, in ſimilitudinem hominum, habitu inventus, ut homo*, vero, ac ſecundum ſubſtantiam homini aptari nequeunt.

X. Reſpondeo, neg. utramque partem. Ad primam probat. prioris partis obſervo, Paulum non dicere abſolute: *In ſimilitudinem carnis.* ſed *carnis peccati.* Quia, ut ait Auguſt. Epiſt. 99. modo 164. ad Evodium, c. 7. *Sumpſit enim ex Virgine veram quidem carnis ſubſtantiam, non tamen peccati carnem, quia non ex carnali concupiſcentia, ſive nominatam, ſive conceptam: mortalem ſane, ac per ætates mutabilem, tamquam carni peccati ſine peccato ſimillimam.*

Ad alteram ſecundæ partis probationem, dico cum S. Thom. in dictum caput, *Lect.* 4. quod hoc textu abutabantur Manichæi, ita illud interpretantes: nempe, Apoſtolum fuiſſe quidem hujus opinionis, quod *Chriſtus fuiſſet ex ſemine David, & verum corpus habuiſſet; ſed poſtea hanc opinionem mutavit, & correxit ſe hic. Unde dicebat:* etſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum: *ideſt, ſi fuerimus aliquando hujus opinionis, quod Chriſtus habuiſſet veram carnem:* ſed nunc jam novimus: *ideſt, modo mutavimus illam opinionem, & non credimus ita.* Sed ut ſubdit S. Thomas, hanc intelligentiam improbat S. Aug. *lib.* 11. *contra Fauſtum cap.* 7. Primo. *Quia de eo, quod falſo putamus, nullus dicit*, novimus, *ſed* opinamur. *Cum ergo Apoſtolus utatur hoc verbo* cognovimus; *videtur quod non aliquando falſo putaverit. Secundo. Quia ſupra Apoſtolus dicit:* Neminem novimus ſecundum carnem. *Si ergo verum eſſet, quod dicit Manichæus, Apoſtolus nullum cognoſceret habere verum corpus, quod eſt falſum.* Ita S. Thom. ex Auguſtini ſupra relata doctrina.

Suam ergo, & veram ſententiam de veritate carnis non correxit Paulus hic; ſed in Epiſtolis, poſt hanc ad Corinthios ſcriptis, & maxime in 1. *ad Timoth.* 2. *v.* 8. jam confirmat, dicens: *Memor eſto, Dominum Jeſum Chriſtum ſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum.* Quare ex tribus expoſitionibus, quas exhibet S. Thomas ibi, eligo tertiam, & dico; ſenſum Pauli, dum ait: *Nunc jam non novimus*, ſecundum carnem Chriſtum, eſſe iſtum: aliquando cognovimus Chriſtum. ſecundum cognitionem, & affectum carnis, & ſenſibilem, cum nimirum corporaliter eſſet nobiſcum: ſed nunc jam non novimus eum cognitione, & affectu carnis, ſed ſpiritus per fidem. Unde S. Thomas: *Etſi* (inquit) *cognovimus, ideſt, adhæſimus Chriſto aliquando, ſcilicet, quando nobiſcum erat præſentia corporali*, ſecundum carnem, *ideſt, ſecundum carnalem effectum: ſed jam non novimus, ideſt, jam iſte affectus ceſſavit a nobis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Cui expoſitioni favet S. Auguſt. *Tract.* 94. *in Joann.* ubi expendens illa verba Chriſti: *Expedit vobis, ut ego vadam*, ait: *Expedit vobis, ut hac forma ſervi auferatur a vobis, caro quidem factum Verbum habito in vobis; ſed nolo, me carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti ſemper infantes eſſe cupiatis.*

XI. Ad probationem poſterioris partis dico primo, per ly *Formam ſervi accipiens*, non intelligere Paulum ſolam apparentiam ſervi. Nam cum dicat, Chriſtum, *Cum in Forma Dei eſſet*, accepiſſe formam ſervi; quemadmodum in forma Dei erat ſecundum veritatem, & non ſecundum apparentiam; ita ſecundum veritatem formam ſervi accepiſſe credendus eſt: & proinde etiam in ſimilitudinem hominum factus ſecundum ſpeciem, tamquam vere accipiens naturam in ſpecie ſimilem aliis hominibus. Eo plane ſenſu, quo cum in generatione viventis dicitur, quod ſit *Origo viventis a vivente . . . . . In ſimilitudinem naturæ*, omnes intelligunt de ſimilitudine in natura ſpecifica.

Secundo diſtinguo. Factus in ſimilitudinem hominum, quoad ſtatum, conc. quoad ſubſtantiam, nego. Factus ergo fuit Chriſtus in ſimilitudinem hominum, quoad ſtatum, in quo ſunt homines, nimirum ſtatum peccati; quia

quia licet non fuerit homo purus, aut peccatum habens, apparuit tamen exterius, ut ſupra dicebamus cum eodem Paulo, *In ſimilitudinem carnis peccati*: aſſumpſit enim carnem cum omnibus infirmitatibus, quæ in homine ex peccato conſecutæ ſunt. Non tamen factus fuit in ſimilitudinem hominum, quaſi ſpeciem tantum externam hominis habuerit, & non ſubſtantiam.

Neque obſtat, quod poſt illa verba ſubjiciat Paulus; *Et habitus inventus ut homo*. Quaſi, ſicut qui habitu invenitur, ut Rex, ut ſunt illi, qui geſtant habitum Regis in theatris, non vere, ſed ſolum ſecundum apparentiam ſunt Rex: ita Chriſtus non ſit vere homo, ſed *ut homo* geſtans habitum, & ſpeciem æternam hominis —— Nam in primis in Græco textu, loco *Habitus*, *Figuram* legitur, Figura autem, ſeu externa ſpecies per ſe non excludit realitatem a ſubjecto, in quo reperitur: ſicut nil magis ſimile in figura, quam ovum ovo, & tamen ovum vere eſt ovum. Nemque ly *Ut homo* eſt nota diminuens, ſed potius expreſſiva veritatis: ſicut dum dicitur, Joann. 1. v. 14. *Vidimus eum quaſi Unigenitum a Patre*: cum tamen Chriſtus ſit vere Unigenitus. Unde ibidem, *v.* 18. dicitur: *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*.

Dici etiam poteſt cum S. Thoma in *cap.* 2. *ad Philipp. lect.* 2. quod Chriſtus habitu inventus eſt, ut homo, ad deſignandum, eum nedum habuiſſe veram hominis naturam; ſed etiam naturæ humanæ defectus omnes, & proprietates concomitantes ſpeciem, præter peccatum, in exteriori converſatione: quia eſuriit ut homo, fatigatus fuit &c. Vel accepiſſe humanam naturam, quaſi habitum: quia ſicut veſtimentum mutatur quidem, ſed non mutat eum, quem veſtit; ſic naturam humanam induit Verbum, in ſe prorſus immutatum. Videatur Sanctus Auguſtinus *lib.* 83. *Quæſtion. quæſt.* 73. Ubi, ſuppoſito quod illud dicatur a nobis haberi, quod ita accidit nobis, ut habeatur, ut poſſit non haberi, dicit, quatuor modis id poſſe contingere. Primo: ut id, quod habetur, mutet habentem, ſed in ſe non mutetur: ſicut ſapientia in ſe immutata mutat habentem, dum eum de ſtulto facit ſapientem. Secundo: ut id, quod habetur, mutet habentem, & in ſe mutetur: ſicut cibus mutat comedentem, dum ei robundat, & in ſe mutatur, dum amittens ſpeciem ſuam, in corpus noſtrum vertitur. Tertio: ut id, quod habetur, in ſe mutetur, ſed habentem non mutet: ſicut veſtis, quæ induta accipit formam, quam non habebat: Quarto; ut, id, quod habetur, nec mutet habentem, nec in ſe mutetur, ſicut annulus dum inferitur digito. Dicit ergo, humanitatem fuiſſe habitam a Filio Dei, non primo, non ſecundo, non quarto, ſed potius tertio modo: *Sic enim* (homo) *aſſumptus eſt ut commutaretur in melius, & ab eo formetur ineffabiliter, excellentius, atque conjunctius, quam veſtis, cum ab homine inducitur*.

XII. Objiciebant tertio. Humana caro Deo eſt prorſus indigna. Primo. Quia infinite a Deo diſtans. Secundo. Quia adverſus ſpiritum concupiſcit. Tertio. Quia eſt a principio nequam. Ita arguebant Manichæi, & Marcionitæ, ut apud Tertull. *lib. de Carne Chriſti, cap.* 4.

XIII. Reſpondeo, neg. ant. cum eodem Tertull. Deum enim non dedecet, quod propriis manibus, & cum totius Trinitatis conſilio efformavit, quod Deus in Adamo figuram Chriſti eſſe voluit: cui in anima ſui imaginem impreſſit, quod redemit, in quo virginitas, multæque aliæ virtutes exercentur. Talis autem eſt caro.

Neque obeſt infiuita diſtantia, qua a Deo diſtat; immo potius commendatur infinitus Dei amor, cujus eſt, amantem, quantumcumque emineat, ad amatum deprimere: caro autem, quæ fuit commaculata peccato Adæ, concupiſcit quidem adverſus ſpiritum; non tamen caro a Spiritu Sancto formata, qualis fuit caro, quam Filius Dei aſſumpſit. Illud autem principium malum, a quo carnem proceſſiſſe ponebant Manichæi, eorum fuit inſania a nobis alibi confutata, & modo pura irriſione exſufflanda.

XIV. Objiciebant quarto. Plures Patres Græci, inter quos Sanctus Juſtinus ſentiunt, Verbum carne indutum antiquis Patriarchis apparuiſſe, coram eis ambulaſſe, & cætera peregiſſe, quæ unionem cum vera carne arguerent: & tamen phantaſticum erat illud corpus; ergo ex eo, quod Chriſtus hominibus cum carne viſus ſit, coram eis ambulaverit, comederit, non arguitur, veram carnem eum habuiſſe,

XV. Reſpondeo primo, opinionem illam veterum Græcorum contendentium, apparitiones illas, de quibus agitur, fuiſſe factas in perſona Verbi, probabilius non admitti. Factæ enim potius fuerunt per Angelos, qui Deum ſe dicebant, quod tunc illius partes agerent. Ita ſentit Sanctus Auguſtinus, *lib.* 1. *QQ. in Geneſ. quæſt.* 35.; dicens, Abraham, & Saram in Angelis agnoviſſe Dominum: *Serm.* 5. Angelum gerentem perſonam Domini cum Jacob fuiſſe luctatum. Et *Serm.* 7. (edit. Maurinæ) monet, cavendum eſſe, ne dicamus, eum, qui Moyſi apparuit, fuiſſe Filium Dei; quia hoc erat Arianorum argumentum, ut probarent, Filium Dei eſſe creaturam. Nam faciendo Patrem inviſibilem, Filium vero viſibilem, ſeparabant ſubſtantias. Dicit ergo Sanctus Doctor quod ſicut anima inviſibilis viſibilis fit per vocem, quæ tamen non eſt ſubſtantia animæ, ſed indicat animam: *ſic & Deus, ſi in igne apparuit, non eſt ignis: ſi in fumo apparuit, non eſt fumus, ſi in ſono apparuit, non eſt ſonus. Non ſunt hæc Deus, ſed indicant Deum*. Ita reſpondet Auguſtinus Arianis volentibus, eum, qui apparuit Moyſi, fuiſſe Filium Dei. Iis vero, qui volebant fuiſſe Angelum, incumbit reſpondere, quare dictus ſit Dominus. Pro illis ergo Sanctus Doctor reſpondet. Quod *Sicut in Scripturis Propheta loquitur, & dicitur, quia Dominus loquitur, non quia Dominus eſt Propheta, ſed quia Dominus eſt in Propheta: ſic & cum per Angelum dignatus eſt Dominus loqui, quomodo per Apoſtolum, quomodo per Propheram; recte dicitur & Angelus propter ſeipſum, & Dominus propter habitantem Deum*.

Data tamen Græcorum opinione, Filium Dei fuiſſe, qui Patriarchis apparuit in ſpecie corporali vel ignis, vel nubis, vel fumi, vel etiam hominis: dico, vel ea corpora non fuiſſe meras apparentias corporum, ſed vera corpora a Filio Dei aſſumpta, non tamen hypoſtatice; queis, licet nondum natus, Filius Dei utebatur, ut homines ad veri nati, ac paſſuri corporis fidem diſponeret: quo etiam pacto vera fuiſſe aſſumpta corpora ab Angelis docet Sanctus Auguſtinus, *Serm.* 12. alias 16. *de Diverſis*. Vel ſi fuerunt corpora phantaſtica & fictitia; dico, non ex hoc inferri poſſe, tale fuiſſe corpus Chriſti, cujus genealogia, nativitas, infantia, paſſio: mors, reſurrectio narratur, ut dictum eſt.

DUBIUM II.

An Corpus, a Verbo Aſſumptum fuerit Terrenum, & Corruptibile?

§. I.

Valentini error rejectus.

I. VAlentinus (teſte Irenæo *lib.* 3. *contra Hæreſ. cap.* 5.) Ex Ægypto Romam venit, ibique ſub Pio uſque ad Anicetum moram traxit. Ambitio Epiſcopatus, cujus repulſam paſſus fuerat, hæreſi confingendæ ei cauſa fuit, ex Tertulliano *lib. adverſ. Valentinianos, cap.* 4. Mirum, quot fabulis hæreſim ſuam repleverit Valentinus. Deos triginta effinxit, quos *Æonas*; ideſt, *Sæcula* nominavit. Docuit, *Unigenam* ex illis Æonibus unum procreaſſe Chriſtum, & Spiritum Sanctum; Jeſum autem ab Æonibus ſimul procreatum fuiſſe commentus eſt: *Hunc* (verba ſunt Epiphanii, hæreſ. 31.) *De Cælo attuliſſe corpus, ac per Mariam Virginem, velut aquam per canalem tranſiſſe, nec ex ejus utero quidquam ſumpſiſſe*, aſſerebat. Idem refert Auguſt. *Hæreſ.* 11. Contra hunc errorem.

II. Dico. Carnem, quam Verbum aſſumpſit, non attulit e Cælo, ſed ex Maria Virgine accepit; & proinde caro Chriſti fuit terrena, non Cæleſtis. Hanc veritatem oſtendunt omnia ea Scripturæ loca, quibus Chriſtus dicitur Filius hominis: Filius autem hominis non eſt, niſi qui ſit ex alterius hominis ſubſtantia. Hinc, *Matth.* 1. *v.* 16. dicitur natus non in Maria, ſed de Maria: *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Galat. 4. v. 4. dicitur factus, non *in*, ſed *ex* muliere: *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*. Et ad Rom. 1. v. 4. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*. Unde Matthæus, *cap.* 1. Chriſti genealogiam per Avos, & Atavos ducit uſque ad Abraham: Lucas vero *cap.* 3. eam protrahit uſque ad Adam. Rurſus: Maria paſſim dicitur Mater Jeſu, *Matthæi* 1. *v.* 18. *cap.* 2. *verſ.* 11. & alibi paſſim. Quomodo autem dici poſſet Mater, ſi ex ea conceptus, & natus non fuiſſet, nihilque de ea ſumpſiſſet? Certe aqua, quæ per hortum tranſit, non dicitur ex horto naſci, quia ex horto nihil accipit.

III. Hanc veritatem probat Sanctus Thomas, 3. part. quæſt. 5. artic. 2. primo. *Quia ſicut veritas humanæ naturæ non ſalvaretur in Chriſto, ſi corpus ejus eſſet phantaſticum, ut poſuit Manichæus; ita etiam non ſalvaretur, ſi poneretur Cæleſte, ut poſuit Valentinus. Cum enim forma hominis ſit quædam res naturalis, requirit determinatam materiam, ſcilicet carnes, & oſſa, quæ in definitione hominis poni oportet*. Et propterea quatuor elementis componi; quæ corpori terreno, & ſublunari, non Cæleſti conveniunt. Secundo. *Quia hoc etiam derogaret veritati eorum, quæ Chriſtus in corpore geſſit. Cum enim corpus Cæleſte ſit impaſſibile, & incorruptibile . . . . ſi Filius Dei corpus Cæleſte aſſumpſiſſet, non vere eſuriiſſet, nec ſitiſſet, nec etiam paſſionem, & mortem ſuſtinuiſſet. Tertio. Etiam derogaret veritati divinæ. Cum enim Filius Dei ſe hominibus oſtenderit, quaſi corpus carneum, & terrenum habentem; fuiſſet falſa demonſtratio, ſi corpus Cæleſte habuiſſet*.

IV. Dices tamen pro Valentino, *Joann. 6. verſ.* 38. dicit Chriſtus: *Deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me* —— Si reſpondeas, Chriſtum deſcendiſſe de Cælo, non ſecundum corpus, & animam, ſed ſecundum divinitatem,

Contra eſt. Id deſcendit de Cælo, quod aſcendit in Cælum, ad Epheſ. 4. v. 10. *Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes Cælos*: ſed aſcendit in Cælum etiam corpus, & anima; ergo deſcendit de Cælo etiam corpus & anima.

Secun-

Secundo. Secundum id Chriſtus de Cælo deſcendit, ſecundum quod illi convenit localiter moveri : ſed hoc ei convenit ſecundum corpus, non ſecundum divinitatem : nam ſecundum hanc Cælum, & terram implet : ergo &c.

V. Reſpondeo, optimam eſſe datam reſponſionem. Ad primam inſtantiam dico variari appellationem a perſona, quæ deſcendit, ad id, ſecundum quod deſcendit. Verum enim eſt, quod idem, ideſt, eadem Perſona, quæ aſcendit in Cælum, fuit ea, quæ deſcendit de Cælo; non vero ſi ly *idem* refertur ad humanitatem. Nam ſecundum hanc aſcendit quidem, ſed non deſcendit. Unde Chriſtus ipſe, *Joann. 3. v. 13.* cum diceret: *Nemo aſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de Cælo*, ſubjunxit: *Filius hominis, qui eſt in Cælo*. Quo oſtendit, ſe ita deſcendiſſe de Cælo, ut in Cælo eſſe non deſierit : quod certe ſecundum carnem dici nequit, ſed ſolum ſecundum Deitatem.

Ad ſecundam inſtantiam, nego maj. Filius enim Dei dicitur deſcendiſſe de Cælo eo modo, quo dicitur exinanitus : dicitur autem exinanitus, quia humanam naturam ſibi copulavit, & cœpit ſecundum hanc habitare, & converſari cum hominibus; cum tamen ſecundum Deitatem ſimul eſſet in Cælo. Quare S. Thom. *3. p. qu. 5. art. 2. ad 1.* Chriſtus, inquit, dicitur de Cælo deſcendiſſe, *Ratione divinæ naturæ; non ita quod natura divina in Cælo eſſe deſierit: ſed quia in infirmis novo modo eſſe cœpit, ſcilicet, ſecundum naturam aſſumptam.*

VI. Inſtabis tamen contra dicta. *1. Corinth. 15. verſ. 47.* dicitur: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de Cælo cæleſtis* : ſed primus homo fuit de terra terrenus, quia habuit corpus de terra plaſmatum; ergo ſecundus homo erit de Cælo cæleſtis, quia corpus cæleſte de Cælo attulit.

Reſpondeo primo cum S. Thom. citato, *ad 1.* Chriſtum deſcendiſſe de Cælo etiam ratione corporis : *Non quia corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam de Cælo deſcenderit; ſed quia virtute cæleſti, ideſt Spiritu Sancto eſt ejus corpus formatum. Unde Auguſtinus dicit ad Oroſium* (in *Dial. 65. QQ. qu. 4.* qui tamen Dialogus modo non cenſetur legitimus Auguſtini, & Oroſii) *Exponens auctoritatem inductam :* cæleſtem dico Chriſtum, quia non ex humano conceptum ſemine. *Et hoc etiam modo Hilarius expoſuit, in l. 10. de Trinit.*

Reſpondeo ſecundo cum eodem S. Thom. in 1. ad Cor. cap. 15. Lect. 7. *Dicit autem primum hominem de terra, ſecundum modum loquendi, quo res de illo eſſe dicuntur: quia prima pars eſt in eorum fieri, ſicut cultellus dicitur de ferro, quia prima pars, unde eſt cultellus, eſt ferrum. Et quia prima pars, unde Adam factus eſt, terra eſt; ideo dicitur de terra. Secundus homo dicitur de Cælo : non quod attulerit corpus de Cælo, cum de terra aſſumpſerit, ſcilicet, de corpore Beatæ Virginis: ſed quia divinitas, quæ natura humana unita eſt, de Cælo venit, qua fuit prior, quam corpus Chriſti.*

Reſpondeo tertio, Apoſtolum ibi loqui, non ſecundum ſenſum litteralem, ſed ſpiritualem. Unde ſubdit: *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Supponit ergo dari homines terrenos, ideſt, imitatores primi hominis; & dari homines cæleſtes, ideſt, imitatores ſecundi hominis, & concludit: *Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis:* ideſt, non terrenis adhærendo, ſed aſpirando ad Cæleſtia. Huic expoſitioni favet S. Auguſt. *in Pſalm. 136.* & videtur conformior menti Apoſtoli.

§. II.

An Corpus aſſumptum a Verbo fuerit Corruptibile?

VII. Sæculo ſexto inter Julianum Halicarnaſſi pſeudo-Epiſcopum, & Severum Monachum, non infimos Eutichianæ hæreſis ſectatores, agitata fuit quæſtio : An Chriſti caro ante reſurrectionem corruptibilis fuerit; an vero incorruptibilis ex ſua cum Verbo unione. Incorruptibilem aſſerebat Julianus; quia, ſecundum Eutichiana principia, abſorptam penitus a Verbo aſſerebat. Corruptibilem affirmabat Severus; quia licet cum Eutichete naturas in Chriſto confunderet, naturarum tamen proprietates diſtinguebat. Ex his, referente Baronio, ad ann. 563. *num. 5.* ortæ fuerunt duæ diverſæ hæreſes. Una, Incorruptibilium aſſerentium Chriſti carnem ante reſurrectionem fuiſſe incorruptibilem; qui propterea *Aphthardocitæ*, ideſt, *Incorrupto putativi* dicti ſunt : altera Corruptibilium, volentium Chriſti carnem fuiſſe corruptibilem, aliiſque defectibus obnoxiam ex neceſſitate, non ex voluntate.

VIII. Dico ergo. Caro aſſumpta a Verbo fuit caro corruptibilis, ante reſurrectionem. Probo: ea caro corruptibilis fuit, in qua Chriſtus vere paſſus eſt, paſſionem ſuſtinuit, & mortem. Caro enim non eſt occaſio doloris, niſi ratione alterationis, quæ in ea fit; alteratio autem eſt principium corruptionis: unde Chriſtus vere mortuus eſt. Alioquin ſi ſpecie tenus dolores, & mortem ſuſtinuit in carne; nullo argumento probari poterit, contra Manichæos, alioſque phantaſiaſtas, quod ſicut ſpecie tenus paſſus eſt; ita ſpecie tenus carnem non geſtaverit.

IX. Reſpondebat tamen Julianus, Chriſtum vere in carne paſſum, doloreſque veros, ſicut alii homines patiuntur, expertum eſſe in carne: ſed hæc accidiſſe divinitus, nimirum, ex divina diſpenſatione.

X. Verum inanis eſt hæc evaſio. Nam primo, ut ſupra dictum eſt, contra Valentinum, corpus, quod Verbum aſſumpſit, ex carne materna traxit; caro autem materna erat corruptioni obnoxia, & paſſibilis : neque, per unionem cum Verbo, impaſſibilis facta eſt. Cum enim Chriſti inter homines vita nil aliud fuerit, quam continua paſſionum corporalium, atque dolorum ſeries; ad quid deſerviſſet illud incorruptibilitatis privilegium, ante reſurrectionem, quo fuiſſet nunquam uſurus? Ad quid illa duo miracula, unum alterius deſtructivum : unum immutans carnis naturam, illam de corruptibili faciens incorruptibilem, aliud de incorruptibili eam corruptibilem reſtituens?

Ut igitur ait Sanctus Juſtinus, Orat. contra Gentes : *Factus homo, cum ad violationem mandati ſtatim reſpiceret, corruptionem naturaliter admiſit*. Et S. Auguſtin. lib. 2. de peccat. Merit. & remiſſ. cap. 29. *Quia* (inquit) *in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia; ut ad mortem videatur etiam ſeneſcendo illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus. Quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur, in ſimilitudine autem carnis peccati, obedientia voluntate ſuſcepta eſt.* Concinunt omnes PP. tum Latini, tum Græci, & præſertim Leontius Bizantinus, *lib. 2.* contra Neſtorium, & Eutichetem. Qui omnes utramque veritatem confirmant; nimirum, & quod Chriſtus habuerit carnem corruptibilem; & quod talem habuerit, non neceſſitate, ut Adam, & Eva, ſed voluntate.

XI. Objiciebant tamen primo. Aliud eſſe, quod corpus ſit corruptibile, aliud quod ſit paſſibile: *Patiuntur enim in cruciatu* (apud Inferos) *corpora peccatorum cum ipſis animis; non tamen patiendo, mortem, vel interitum capient;* ergo (ajebant) male colligitur corpus Chriſti fuiſſe corruptibile, quia pati potuit.

XII. Reſpondet Leontius, loco ſupra laudato, multum differre paſſiones, quibus in hac vita corpus affligitur, a Damnatorum cruciatibus. *Horum enim non eſt proprium naturam ſubjectum corrumpere. Si enim audacter dicendum eſt, conferunt etiam aliquid tortis, & cruciatis ad permanendum &c. Humanæ vero, & naturales paſſiones carnis, quas Dominus ſuſcepit, quodammodo erant naturæ aptæ ad debilitandam carnem, & defatigandum, ac dolore afficiendum, & denique ad diſſolvendum: quod quidem in Cruce factum eſſe cognovimus. Diſſolutionem vero, quantum in natura eſt, corruptio ſequitur.* Vel ergo negent, Chriſti corpus vere fuiſſe diſſolutum, & mortuum; quod eſt Manichæum. Vel concedant, Chriſti Corpus fuiſſe, nedum paſſibile, ſed corruptibile.

XIII. Objiciebant ſecundo. Chriſtus, *Pſalm. 15. v. 10.* ſic Deum Patrem alloquitur : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem;* ergo Chriſti caro incorruptibilis futura erat.

XIV. Reſpondeo, diſt. conſ. Incorruptibilis, ideſt, non ſubjecta putredini poſt mortem, conc. conſ. Non ſubjecta corruptioni in vita, & in morte, per ſeparationem animæ a corpore, nego conſeq. *Fuit quippe* Chriſti Corpus (ait Fulgentius, Epiſt. ad Reginum, de Carne Chriſti) *in corruptione mortis, ſed non in corruptione putredinis . . . . Chriſtus ergo non vidit corruptionem, quia nullam ſenſit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejuſdem carnis incorruptibilitas, ſed reſurrectionis celeritas fecit.* Ita Fulgentius : ſubinde referens verba Magiſtri ſui Auguſtini, *Epiſt. 146.* nunc *205. ad Conſentium cap. 2.*

XV. Objiciebant tertio. Chriſtus eſt novus Adam; ergo prioris Adæ innocentis carnem geſtavit: ſed hæc erat incorruptibilis; ergo &c.

XVI. Reſpondeo, negand. conſeq. Chriſtus enim novus Adam ſumpſit carnem, quam venerat ſanare : venerat autem ſanare, non carnem Adæ innocentis, ſed peccatoris. Rurſus : induit perſonam Adæ peccatoris, ejus peccatum, & noſtra in ſe ſuſcipiens, non quoad culpam, ſed quoad ſatisfactionem : unde dicitur, quod peccata noſtra ipſe portavit; ergo carnem Adæ peccatoris voluit ſuſcipere, & ideo corruptioni, & aliis infirmitatibus obnoxiam.

XVII. Objiciebant quarto. Chriſtus mortem obiit, non neceſſitate, ſed voluntate, & poteſtate : ideſt, non vi cruciatuum, ſed plena, ac perfecta voluntate, ergo non debuit habere carnem corruptibilem, & mortalem.

XVIII. Reſpondeo, nego conſequent. Chriſtus quidem poteſtate, non neceſſitate mortuus eſt; ſed hæc poteſtas ex carnis conditione repeti non debuit : repeti ergo debuit ex infinita virtute Verbi, cui caro Chriſti erat ſubſtantialiter unita. Ita Sanct. Auguſtin. tractat. 47. in Joann. *Quando* (inquit) *Chriſtus animam poſuit? Quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat: ibi poteſtas erat, quando poneret caro animam, & quando ſumeret.*

XIX. Ob-

XIX. Objiciebant quinto. Cyrillus; *lib. 9. de Adorat. in Spiritu, & verit.* habet hæc: *Incorruptibile eſt namque Chriſti corpus & divinam in ſe ipſo naturam habet.*

Rurſus: Dionyſius Alexandrinus, qui tertio ſæculo vixit, in *Epiſtol. contra Paulum Samoſatenum*, reprehendit hunc hæreticum: quia *Diceret, eſſe corruptibilem ſanguinem Jeſu, qui eſt Deus Iſrael, & Jeſus, & qui omnem paſſionem, & mortem ſolvit, qui redemit nos a ſervitute corruptionis. Sanguinem mortalis, & patibilis hominis dicis: quia dicit Dominus gloriæ Diſcipulis: Accipite, & dividite: novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: & quia dicit idem: qui pro vobis effunditur.* Ergo ſentiebat Dionyſius Chriſti ſanguinem non eſſe corruptibilem; & proinde etiam corpus.

XX. Reſpondeo ad primum, Cyrillum ſæpe docuiſſe, Chriſtum vere eſuriiſſe, paſſum fuiſſe dolores, quos occaſione corporis experiri ſolemus, ac proinde non omnem corruptibilitatem a Chriſti corpore ablegaſſe: ſed eam ſolam, quæ reſolutionem in quatuor elementa complectitur. Et merito. Cum enim, ut Cyrillus dicit, Verbum ſemper manſerit illi corpori unitum, hanc corruptionem impedivit. —— Vel dicatur, Cyrillum loqui de corpore Chriſti poſt reſurrectionem. Ait enim, in Epiſt. ad Succeſſum. *Poſt reſurrectionem vero erat quidem ipſum illud corpus, quod paſſum erat, ſed non jam humanas infirmitates in ſe habebat. Non enim jam amplius famem, aut laſſitudinem, aut aliquid hujuſmodi ſentire poterat; quin potius incorruptibile deinceps erat; neque ſolum hoc, ſed vivificum: corpus enim vitæ eſt, ideſt, Unigeniti.*

XXI. Ad ſecundum dico, Dionyſium damnare Paulum Samoſatenum, non quia ſanguinem Chriſti poneret corruptibilem, ante mortem: ſed quia illum corruptibilem aſſerebat, etiam dum in Euchariſtia ſacramentaliter propinatur. Movebatur autem Paulus duplici argumento. Primo. Quia, ut dicemus, Chriſtum aſſerebat purum hominum; & ideo nil agnoſcebat in ſanguine Chriſti, quod ejus impediret corruptionem. Secundo. Quia Chriſtus dixit: *Accipite, & dividite.* Et rurſus: *Qui pro vobis effunditur:* diviſio autem, & effuſio rem corruptibilem indicant. Non advertens impius hæreſiarcha, dividi, & effundi in Sacramento ſanguinem Chriſti, non in ſe, ſed in ſpeciebus vini, ſub quibus ſacramentaliter eſt.

XXII. Hic obſervent, velim, Calviniſtæ, apud quos Chriſti ſanguis, ſicut & corpus, nonniſi in figura adeſt in Euchariſtia: ſæculo tertio perſuaſum fuiſſe, tum Catholicis, tum etiam hæreticis, Chriſti corpus, & ſanguinem vere, & ſubſtantialiter in Euchariſtia adeſſe. Hæretici quidem. Nam ſi Paulus Samoſatenus non ſuppoſuiſſet, ſanguinem Chriſti realiter in Euchariſtia contineri; quomodo potuiſſet illi venire in mentem, jam eſſe ibi corruptibiliter: Catholicis etiam. Nam ſi Dionyſius credidiſſet, ſanguinem Chriſti eſſe in Euchariſtia ſolum in typo, & in figura; poterat Samoſateno reſpondere, & dicere: quod cum Chriſti ſanguis ſit in Euchariſtita typice, & figurative ſolum, non vero realiter; argumentum eſt de ſubjecto non ſupponente. Porro cum Dionyſius non ſit uſus hoc reſponſo; clarum eſt, perſuaſum ei fuiſſe, ſanguinem Chriſti eſſe revera corporaliter præſentem in Euchariſtia.

DUBIUM III.

An Caro aſſumpta a Verbo fuerit Immaculata?

§. I.

Statuitur Veritas Catholica.

I. EBion, Cerinthus, aliique primi ſæculi hæretici, cum, ut infra dicetur, Chriſtum fuiſſe purum hominem blaſphemarent; impudenter etiam effutierunt, eum ex carnali congreſſu Joſephi cum Maria, ac proinde ex libidine, eſſe genitum: quod affirmarunt veteres Judæi, & confirmant moderni. Contra hos ergo omnes.

II. Dico. Chriſtus genitus eſt ex puella, quæ partum cum virginitate copulavit: ac proinde caro a Verbo aſſumpta, nulla fuit labe commaculata. Hanc veritatem prænuntiavit *Iſaias, cap. 7. verſ.* 13. & 14. Ubi legimus, quod obſeſſa Jeroſolyma a Raſin Rege Syriæ, & Phacee Rege Iſrael; & detrectante Achaz Rege Juda petere ſignum a Domino: ſic Iſaias locutus eſt: *Audite ergo domus David: nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod autem hoc vaticinium impletum ſit in Chriſto, & quod Chriſtus ex Virgine viri neſcia conceptus ſit; habetur *Matthæi cap.* 1. Ubi cum Joſeph Mariæ ſponſus, videns Mariæ, ad quam ipſe non acceſſerat, uterum intumeſcere, hæreret incertus, quid factum eſſet; Angelus in ſomnis apparens omnem ab eo ſuſtulit hæſitationem, dicens, a verſ. 20. *Joſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino; per Prophetam dicentem: ecce Virgo in utero habebit: & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.*

III. Hoc idem, Lucæ primo, Gabriel prælocutus erat. Cum enim matrem futuram prænunciaſſet his verbis: *Ecce concipies in utero, & paries filium:* & illa reponeret: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Reſpondens Gabriel dixit; *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbravit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Hanc veritatem nec Mahometes ipſe negare auſus eſt. Etenim in Alcorano, *Azoara 5.* inducens præfatum colloquium Mariæ cum Angelo, Mariæ virginitatem in conceptu aſtruit, & laudat. Immo Jeſum comparat Adamo, qui ſine virili congreſſu in lucem editus eſt: addens, quod ſi quis hoc, & alia mirabilia quæ de Jeſu ibi narrat, credere detrectaverit, anathema, iramque Dei mereatur.

IV. Judæi tamen duræ cervicis homines, quæ ex Evangelio protulimus, tamquam fabuloſa contemnunt. Quæ autem ex Iſaia dicta ſunt, reſpondent; exinde non colligi, Jeſum natum fuiſſe ex Virgine. Primo. Quia verba: *Ecce Virgo concipiet*, de Matre Jeſu non debent ſumi, ſed de uxore Achaz Regis Juda, & de Ezechia ejus Filio, quem propediem erat paritura.

Secundo, Dato, quod intelligi poſſit de Matre Jeſu, non concluditur, illum fuiſſe conceptum, & natum ex virgine. Quia in Iſaia, ubi nos legimus *Virgo*, hebraice non legitur *Bethulah*, quæ proprie virgo eſt: ſed e contra legitur *Hahhalmach*, quod non virginem, ideſt conditionem, ſed puellam, hoc eſt ætatem ſignificat. Unde is eſt (inquiunt) Prophetiæ ſenſus: *Adoleſcentula concipiet, & pariet Filium.*

Tertio: Conceſſo etiam, quod *Hahhalmah* ſignificet virginem; ſignificat tamen virginem, quæ virum quidem paſſa non fuerit, uſque ad conceptum; non tamen, quæ in ipſo conceptu virginitatem ſervaverit, ſeu quæ conceperit ſine opera viri. Et ideo hic eſt Iſaiæ ſenſus: *Virgo, quæ prius abſcondita fuerat, tradetur nuptiis, & Filium pariet.*

V. Sed prima Judæorum reſponſio velut aura difflatur. Quomodo enim illa verba: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium*, referri poſſunt ad uxorem Achaz, & filium Ezechiam, quem geſtatura eſſet in utero, ſi Ezechias jam natus erat? Si jam novem ſaltem annos expleverat? Nam ſupponamus, quod hoc vaticinium factum fuerit anno primo Regni Achaz; cum iſte regnaverit ſolum annos ſexdecim 4. *Reg. cap.* 16. & eo mortuo ſtatim regnare cœperit filius ejus Ezechias, jam viginti quinque annos natus, 4. *Reg. cap.* 18. evidens eſt; quod Ezechias, cum pater ejus Achaz regnare cœpit, jam nonum ætatis ſuæ annum attigerat. Ita diſcurrit S. Hieronymus, in *cap. 7. Iſaiæ.*

VI. Secunda quoque reſponſio inanis eſt. Falſum enim eſt, hanc vocem *Hahhalmah*, ſeu *Alma*, teneram tantum ætatem puellæ ſignificare; imo ulterius ſignificat puellam, quæ nedum virum paſſa non fuerit; ſed puellam abſconditam, quæ virginitatem cuſtodiendæ zelo, abſtinuerit publico, virorum aſpectibus non patuerit, & intima domo manſerit concluſa. Hinc Rebecca, de qua, *Geneſ. 24. verſ. 16.* Vulgata ſic loquitur: *Virgoque pulcherrima, & incognita viro*, in hebræo textu *Hahhalmah* dicitur, Sic Maria ſoror Moyſis, de qua hæc habentur Exod. 2. verſ. 8. *Perrexit puella, & vocavit Matrem ſuam*, in hebræo legitur *Hahhalmah*. Hocque adeo clarum eſt; ut Judæi, ne unum quidem exemplum afferre poſſint, quo probent, vocem illam aliquando uſurpari ad ſignificandam adoleſcentulam tantum, quæ, nempe, teneræ quidem ætatis ſit; ſed cum ætate tenera virginitatem non conjunxerit.

VII. Quæ hactenus dicta ſunt, didicimus ex Sancto Hieronymo. Tum *in cap. 7. Iſaiæ:* Tum in *lib. de Quæſtion. Hebraicis in Geneſim*, ubi hæc habet: Ergo *Alma, quod interpretatur* Abſcondita, *ideſt*, Virgo, *nimia diligentia cuſtodita, majoris mihi videtur laudis eſſe, quam virgo. Virgo quippe, juxta Apoſtolum, poteſt eſſe corpore, & non ſpiritu. Abſcondita vero, qua virgo eſt, epitaſin* (præſtantiam) *virginitatis habet, ut & virgo ſit, & abſcondita. Et qua abſcondita eſt, juxta idioma linguæ hebrææ, conſequenter & virgo eſt: Qua autem virgo, non ſtatim ſequitur, ut abſcondita ſit. Hoc idem verbum, & in Exodo de Maria ſorore Moyſis virgine legimus. Oſtendant igitur Judæi in Scripturis alicubi poſitum* Alma, *ubi* adoleſcentulam *tantum, & non virginem ſonet: & concedimus eis, illud, quod in Iſaia apud nos dicitur:* Ecce Virgo concipiet, & pariet, *non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam.*

VIII. Dicunt primo. Theodotion, & Aquila in verſionibus Sacræ Scripturæ, quas ipſi adornarunt, hoc Iſaiæ Oraculum ita ſunt interpretati. *Ecce adoleſcentula in ventre habebit, & pariet Filium.* Secundo, Id confirmant, ex cap. 30. Proverb. ubi Salomon, v. 19. *Tria* (inquit) *ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam Aquilæ in Cælo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio mari, & viam viri in* Alma, *hoc eſt in puella.* Loqui autem Salomonem de puella jam experta virum, colli-

colligitur; quia, verſu ſequente, illa comparat cum muliere adultera, dicens. *Talis eſt & via mulieris adulteræ, quæ caſtitatem jactat, & non ſervat; & abſtergens os ſuum dicit, non ſum operata malum.*

IX. Reſpondeo tamen ad primum, verſiones Theodotionis, & Aquilæ non multi faciendas eſſe. Fuerunt enim, teſte S. Irenæo *lib. 3. adv. Hæreſ. cap. 24.* modo 21. *Utrique Judæi proſelyti: quos ſectati Ebionæi, ex Joſeph generatum eum* (Chriſtum) *dicunt*, Aquila gente Ponticus, urbe Synopæus, primum Gentilis, poſtea ex Chriſtiano factus Hebræus, Rabbini Akibæ, Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimi diſcipulus fuit. Verſionem ſuam conflavit ſub Hadriano Imper. circa ann. Chriſti 130. Biblia in græcam linguam transferens, referente Philaſtrio, *cap.* 138. lxx. Interpretum verſioni eam opponere in multis ſtuduit. Et præcipue in hoc Iſaiæ textu: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium.* Ubi Septuaginta duo dixerunt: *Et nomen ejus Deus nobiſcum.* Aquila autem dixit: *Ecce juvencula concipiet, & pariet filium, & nomen ejus potens cum hominibus.* Ita ex Philaſtrio. Hinc S. Hieron. *Epiſt. 33.* olim 101. *ad Pammachium*, ait: *Aquila autem proſelytus, & contentioſus interpres, qui non ſolum verba, ſed etymologias quoque verborum transferre conatus eſt, jure projicitur a nobis.*

Theodotion vero, qui ſub Commodo Imp. ſuam verſionem fecit, patria Epheſius, fidem chriſtianam profeſſus, deinde ad Ebionis, ac Marcionis hæreſes transfuga, tandem apoſtata ad Judaiſmum defecit. Unde a S. Hieronymo, *Præfat. in l. Job*, cum Aquila, & Simmacho inter *Judaizantes hæreticos* computatur. Et Epiſt. 89. modo 74. ad Auguſtinum, *homo Judæus, & blaſphemus* vocatur. Colligat hinc prudens Lector, qualem fidem talium hominum verſione mereantur.

X. Ad ſecundam, ex Salomone in *Proverb.* 1. dici poteſt, quod etſi vox *Alma* ibi deſignaret puellam corruptam (quod certe falſum eſt) non inde colligeretur, eamdem ſignificationem habere in capite ſeptimo Iſaiæ, ut dictum eſt. Secundo. In verſione lxx. Interpretum, & in noſtra Vulgata non legitur. *Viam viri in Alma*, ſeu in puella; ſed: *Viam viri in adoleſcentula*; quia vaga, verſatilis, inconſtans eſt, ac proinde difficili exploratu. —— Tertio. Salomonem ſolum ibi indicare velle, incerta eſſe virginis integræ, aut corruptæ indicia. Tum quia virgines etiam defloratæ crimen ſuum, ſtrenue mentiendo, celare ſolent. Tum quia: mille ſunt, eæque clandeſtinæ virorum artes, quibus virginibus inſidiantur; ut perdifficile ſit eas detegere, aut penetrare. —— Quarto. Dato, quod ibi debeat legi: *Vita viri in Alma*; ſuſtineo, Salomonem voluiſſe grandi, & mirabile Myſteriorum partus Virginis Mariæ pronuntiare. Hoc enim dixit difficilimum eſſe, & penitus ſe ignorare; cum nihil ſimile natura uſquam oſtenderit.

XI. Tertia vero ſupra allata Judæorum reſponſio impia eſt, ac blaſphema. Mariam enim Matrem Jeſu Virginem fuiſſe in conceptu, & in partu, imo & poſt partum, abſque blaſphemia negari non poteſt. Ex modo etiam loquendi Iſaiæ colligitur, quam vana ſit iſta reſponſio. Nam Iſaias inauditum prodigium, & maxime extraordinariam rem Regi Achaz prædicit: *Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo in profundo Inferni, ſive in excelſum ſupra:* Et deinde ſubdit: *Propter hoc dabit vobis Dominus ipſe ſignum . . . . Ecce Virgo concipiet &c.* Quod ſignum Jeremias *Novum* appellavit: *Creavit* (inquit, cap. 31. verſ. 22.) *Dominus novum ſuper terram, Femina circumdabit virum:* Atqui, ſi valeret reſponſio, quam confutamus; ſignum, quod Iſaias pollicetur, non foret prodigium inauditum, res extraordinaria, res nova: quid enim frequentius, quam quod quæ erat virgo, nuptui tradita concipiat, pariat? Quare hanc reſponſionem merito irriſerunt Juſtinus, *Dial. cum Triphone*, Tertullianus, *adverſus Judæos*, aliique Veteres.

§. II.

Quædam Alia in contrarium Soluta.

XII. OBjiciunt primo alii, præfatum Iſaiæ Vaticinium: *Ecce Virgo concipiet*, non poſſe ad Mariam referri, ſed ad uxorem Iſaiæ prophetiſſam: quod ſic oſtendunt. Urgebat Iſaias Regem Achaz, ut in auguſtiis, quibus tenebatur propter obſidionem Jeruſalem a Regibus Syriæ, & Iſrael contra ipſum fœderatis, Deo potius confideret; & ne de ejus auxilio dubitaret, dedit ei optionem alicujus ſigni, quo cognoſceret, copias illorum duorum Regum irrito conatu diſceſſuras. Sed cum Achaz hoc ſignum nollet petere, dicens: *Non petam, & non tentabo Dominum;* Iſaias videns ſe ſurdo loqui, ſermonem ſuum direxit ad domum David, eique proximæ libertatis ſignum dedit, dicens: *Audite ergo domus David . . . Dabit Dominus ipſe vobis ſignum: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium &c.* Quaſi diceret: puella, quæ nunc virgo eſt, nubet, concipiet, pariet infantem, educabit; & antequam ſciat ille infans reprobare malum, & eligere bonum, ideſt, antequam adoleverit perfecte, ab his hoſtibus, qui Judæam infeſtant, liberabimini. Propoſuit ergo Iſaias puellæ partum, & infantem ex ea prodituram, tamquam ſignum proxime liberationis Judæorum, & fugæ duorum illorum Regum, atqui hoc non poteſt congruere Mariæ, quæ ſolum ſeptem poſt ſæcula Jeſum erat paritura; cujus nativitas ſignum eſſe non poterat beneficii poſt breve tempus exhibendi Judæis: potius ergo referri debet ad Prophetiſſam Iſaiæ uxorem. Quod indicare ipſemet videtur, *cap. 8. v. 3.* ubi ſic loquitur: *Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit Filium;*

XIII. Reſpondeo, neg. aſſumptum, cum uterque Evangeliſta *Matthæus*, & *Lucas cap. 1.* illud Oraculum ad Mariæ partum referant. Ad id, quod adducitur, reſpondeo primo, partum, de quo loquitur *Iſaias cap. 7.* eſſe omnino diverſum a partu, de quo loquitur, *cap. 8.* Nam puerum ex primo partu naſciturum vocat *Emmanuelem:* & hic eſt partus Mariæ Virginis, prænuntiatus his verbis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et hunc conſtituit, ut ſignum conſervationis domus David, ex qua Jeſus Mariæ Filius erat proditurus. Unde ait: *Audite ergo domus David.* Hinc Angelus, *Lucæ 1. verſ. 32.* poſtquam Mariæ annuntiavit in ea impletum Iſaiæ Oraculum, dicens. *Ecce concipies in utero, & paries Filium;* ſubjunxit: *Hic erit Magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur: & dabit ei Dominus Deus ſedem David patris ejus &c.* Puerum autem ex altero partu, nempe Prophetiſſæ, oriturum, vocat: *Accelera, & ſpolia detrahere, feſtina prædari*, eumque conſtituit tamquam ſignum deſtructionis Regnorum Syriæ, & Samariæ: ita ut antequam ille puer a Prophetiſſa pariendus adultam ætatem attigiſſet, duo illi Reges, Syriæ, & Samariæ profligandi eſſent. Verum quia & ille puer a Prophetiſſa, & Iſaiæ concubitu oriturus, fuit typus Chriſti Filii Mariæ Virginis; quæcumque Iſaias de filio Prophetiſſæ vaticinatus eſt, in ſenſu excellentiori, & veriori fuerunt in Chriſto impleta. Hic enim, antequam adoleſceret, abſtulit fortitudinem Damaſci, & ſpolia Samariæ. Nam Jeſus in ipſa infantia Gentes Idololatriæ tenebris involutas Dæmoni eripuit, & multo majora fecit, quam filius Prophetiſſæ.

XIV. Reſpondeo ſecundo, Iſaiam de eodem partu, & puero loqui, *c. 7. & 8.* Ita S. Hieronymus, in *c. 8. Iſaiæ.* Ait enim: *Rurſum ergo ſub alia figura partus deſcribitur virginalis:* ita ut nomine *Prophetiſſæ* veniat, vel Spiritus Sanctus, ad quem Iſaias acceſſit, juxta illud, Pſal. 38. verſ. 6. *Accedit ad Dominum.* Vel ipſa virgo Maria, quæ de Spiritu Sancto concepit; cui Prophetiſſæ nomen aptatur, Luc. 1. verſ. 48. 49. *Præcipiturque* (inquit S. Hieron.) *Iſaiæ, ut ipſum puerum, qui prius vocabatur Emmanuel, nunc appellet:* Accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari. *Aſcendens enim in altum captivam duxit captivitatem, accepit dona hominibus. Et antequam humanum corpus aſſumeret, & juxta infantiam Patrem vocaret Deum, & Matrem Mariam, auferetur Damaſci fortitudo, & ſpolia Samariæ per Regem Aſſyriorum; ut nec dum natus, populum ſuum, domum David, ſola invocatione ſalvaret.* Ex quibus patet reſponſio ad id, quod objiciebatur. Nam licet partus Mariæ non eſſet, niſi poſt multa ſæcula naſciturus; poterat tamen domui David, & populo liberationem afferre. Quia eſto nondum natus, promiſſus tamen, & invocatus quovis tempore iis, qui eum invocarunt, & in eum aſpexerunt per fidem, liberationem non ſolum temporalem, ſed & ſpiritualem a Diaboli captivitate largitus eſt.

XV. Objiciunt ſecundo Ebionitæ. Paulus, ad *Galat. 4. verſ. 4.* ſic de Chriſto loquitur: *Miſit Deum Filium ſuum factum ex muliere:* quo nomine Chriſtus in Evangelio, præſertim *Joann. 2. v. 4. & cap. 19. v. 26.* vocavit Mariam Matrem ſuam: atqui mulier eſt nomen feminæ corruptæ; ergo &c.

XVI. Reſpondeo, neg. min. Nam *Mulier* eſt nomen ſignificans ſexum, non conditionem. Id autem probatur. Quia Eva ſtatim ac producta, etiam antequam cognita fuiſſet ab Adamo, *Mulier* vocatur, *Geneſ. 2. v. 22.* De hac re ingenioſe Tertullianus. *lib. de Velandis Virgin. cap. 4. 5. & 6.* a Studioſo videndus.

DUBIUM IV.

An Maria Mater Chriſti in Partu, & poſt Partum Virgo permanſerit?

§. I.

Reſolutio Primæ Partis.

I. DUbium hoc, eſto præſenti quæſtioni videatur extraneum, placuit tamen inferere; ut ex ejus reſolutione gloria & Chriſto, ejuſque puriſſimæ Matri magis accreſcat. Et quidem cum jam Hebræorum, & Ebionitarum inſaniam contuderimus, oſtendendo, B. Mariam Virginem fuiſſe in concipiendo; ſupereſt, ut modo quæramus: An etiam in partu Jeſu manſerit illibata; & an etiam poſt partum, ut perpetuo Virgo fuerit. Nunc quoad primum.

II. Dico. B. Virgo in partu Virgo fuit, ſeu peperit manens Virgo. Ita S. Thom. *3. p. q. 28. art. 2.* Et probat ex to-

ex toties laudato oraculo Isaiæ *cap.* 7. in quo non solum dicitur. *Ecce Virgo concipiet*; sed additur: *& pariet Filium*. Et hoc (subdit S. Thom.) *Conveniens fuit, propter tria. Primo quidem, quia hoc competebat proprietati ejus, qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam Verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde, ut ostenderet, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei; conveniens fuit, ut de incorrupto Virginis utero nasceretur. Unde in sermone quodam Ephesini Concilii* (qui est Theodori Ancyrani) *legitur*: Quæ parit carnem puram, a virginitate cessat: sed quia natum est in carnem Verbum Dei, custodit virginitatem, se ipsum per hoc ostendens Verbum. Neque enim nostrum Verbum cum paritur, corrumpit mentem. Neque Deus Verbum substantiale partum eligens, peremit virginitatem. *Secundo, hoc est conveniens, quantum ad effectum Incarnationis Christi. Nam ad hoc venit, ut nostram corruptionem tolleret. Unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo corrumperet. Unde Augustin. in quodam Serm. de nativitat. Domini* (Serm. 10. de tempore, modo inter suspectos, & in appendice 121.) Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. *Tertio, fuit conveniens, ne matris honorem nascendo minueret, qui parentes præceperat honorandos.*

III. Sed dices primo. In nativitate Christi nil esse debuit, per quod ejus corpus phantasticum appareret, ne daretur occasio errori Manichæorum: sed posse per clausa transire non videtur vero corpori convenire posse, sed soli phantastico; ergo non debuit ex matris utero clauso corpus Christi exire.

IV. Respondet S. Thom citatus ad 2. *Quod ita Christus voluit veritatem sui corporis demonstrare, quod etiam ejus divinitas declararetur: & ideo permiscuit mira humilibus. Unde, ut corpus ejus verum ostenderetur, nascitur ex femina: sed, ut ostenderetur ejus divinitas, nascitur ex virgine.* Talis enim partus decet Deum, *ut Ambrosius dicit, in Hymno Nativitatis.*

V. Sed instabis. Transire per clausa videtur ad corpus glorioſum spectare. Unde secundum Gregorium (*Homil. 26. in Evang.*) per hoc, quod januis clausis ad discipulos post resurrectionem intravit Dominus, *ostendit, corpus suum esse ejusdem naturæ, & alterius gloriæ:* sed corpus Christi in sua conceptione non fuit glorioſum, sed passibile, habens *similitudinem carnis peccati*, Rom. 8. non ergo exivit per Virginis uterum clausum.

VI. Respondet idem S. Thom. *ad* 3. quod *Quidam dixerunt, Christum in sua nativitate dotem subtilitatis assumpsisse; sicut quando ambulavit siccis pedibus super Mare, dicunt, eum assumpsisse dotem agilitatis: sed hoc non convenit his, quæ supra determinata sunt* (q. 14.) *Hujusmodi enim dotes corporis glorioſi proveniunt ex redundantia gloriæ animæ ad corpus.... Dictum est autem supra* (q. 14. art. 1. ad 2.) *quod Christus ante passionem permittebat carni suæ agere, & pati, quæ propria: nec fiebat talis redundantia gloriæ ab anima ad corpus. Et ideo dicendum est, quod omnia ista facta sunt miraculose, per virtutem divinam. Unde Augustin. dicit super Joann.* (Tract. 121.) Mollis corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt: ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inviolata permansit? *Et Dionysius dicit, in quadam Epistola* (3. ad Cajum) *quod* Christus super hominem operabatur ea, quæ sunt hominis. Et hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, & aquæ instabilis terrenorum pedum sustinens gravitatem.

VII. Dices secundo. In libro *de Ortu Salvatoris*, dicitur, ad Mariæ partum accurrisse obstetrices, quæ videntur necessariæ mulieri patienti dolorem in partu: atqui si Maria in partu virgo fuisset, obstetricibus non eguisset; ergo &c. —— Rursus Tertullianus, *lib. de Carne Christi, cap.* 4. Origenes, *Homil.* 14. *in Luc.* Ambrosius in *Luc. c.* 1. aliique Veteres videntur asserere, Christum nascendo aperuisse vulvam Matris; quod fieri nequit, nisi matris virginitas violetur.

VIII. Respondeo, Mariam citra dolorem Filium, quem absque libidine conceperat, peperisse. *Conceptus* enim Christi (inquit S. Bern. Serm. 4. in Vig. Nativit.) *fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ.* Quod vero dicitur in *lib. de Ortu Salvat.* accurrisse ad partum Mariæ obstetrices, putidissima fabula est, quia contrarium capiti 2. Lucæ. Ubi dicitur, *vers.* 7. quod Maria *Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.* Quibus, Mariam solam fuisse, dum peperit, demonstratur. Quapropter liber ille ad Apocryphorum classem a nobis alibi amandatus fuit. Et hæc de obstetricibus fabula rejicitur a S. Hieronymo *in lib. contra Helvidium*, his verbis: *Nulla ibi obstetrix; Nulla muliercularum sedulitas interceſſit: ipsa pannis involvit infantem: ipsa & mater, & obstetrix fuit.* Quapropter cum citati Patres videntur dicere, Christum nascendo aperuisse vulvam Matris; nolunt in hac parte apertionem aliquam, fractionem, aut reserationem factam fuisse; sed solum, virgineum claustrum divinæ virtuti fuisse pervium, nec Christi corpori exeunti obstitisse, ac si reseratum fuisset, ac apertum. *Unde* (concludit S. Thom. citat. art. 2. ad 1. *illa adpertio non significat reserationem communem claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis de utero Matris.*

§. II.

Resolutio Secundæ Partis.

IX. HElvidii putidissimus error fuit, Mariam in conceptu, & partu Virginem quidem fuisse; sed postea a Joſepho carnaliter cognitam alios filios genuisse, qui in Evangelio Fratres Domini vocantur. Fuit iste Helvidius Auxentii Ariani discipulus, homo Rusticanus, nec facundus, nec eruditus, uti & laicus, & Sacerdos, qui, ut nomen sibi compararet, libellum scripsit, quo perpetuam Mariæ virginitatem ex Scripturæ testimoniis evertere conatus fuit. Vixit temporibus S. Hieronymi, qui contra eum edidit librum: *De perpetua Virginitate Beatæ Mariæ.* Helvidio non defuere discipuli, *Helvidiani* nuncupati; sive, quemadmodum testatur Epiphanius, *Antidicomariani*, latine *Adversarii Mariæ.* Ita refert S. Augustin. *l. de Hæres. c.* 56. contra hos.

X. Dico. Maria fuit, & permansit Virgo etiam post partum, Ita S. Thom. 3. *p. q.* 28. *art.* 3. secutus S. Hieronymum, cæterosque Patres. Probat 1. ex illo Ezech. 44. v. 2. *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa;* idque perpetuæ virginitati Mariæ applicat, ex Augustino, *Serm.* 18. *de Tempore.* Sed quoniam Critici istum inter spuria S. Augustini opera ablegant; substituo S. Hieronymum, *in Ezech.* ubi prædicta verba exponens, ait: *Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, & Dux, cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ & ante partum, & post partum virgo permansit.... ad confundendos eos, qui arbitrantur, eam post nativitatem Salvatoris habuisse de Joseph filios.*

XI. Hinc *Absque omni dubio* (ait S. Thom. citato art. 3. in cap.) *detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit, Matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. Hoc enim, primo, derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam Unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia Filius ejus; ita decuit, ut esset Unigenitus Matris, tamquam perfectissimum germen ejus. Secundo. Hic error injuriam facit Spiritui sancto; cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat, quod de cætero violaretur per commixtionem virilem. Tertio, Derogat dignitati, & sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset: & si virginitatem, quæ in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Quarto. Etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam, quam revelante Angelo de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret.* Hæc Sanctus Thomas concludens: *Et ideo est simpliciter asserendum, quod Mater Dei, sicut Virgo concepit, & Virgo peperit: ita etiam & Virgo post partum in sempiternum permansit.* Hanc veritatem strenue propugnavit circa medium septimi sæculi, duobus libris S. Ildefonsus Toletanus contra quosdam, qui in Hispania hæresim Helvidii recoquebant.

XII. In contrarium tamen primo opponebat Helvidius. De Maria, & Joseph, *Matth.* 1. *v.* 18. hæc habentur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*: sed Evangelista non diceret: *Antequam convenirent*, nisi postea conventuri fuissent: sicut enim de nunquam pransuro recte non diceretur: *Antequam pranderet*: sic de nunquam conventuris bene non diceretur: *Antequam convenirent*; ergo postea carnaliter convenerunt Maria, & Joseph.

Secundo. Ibidem, *vers.* 20. ex verbis Angeli ad Joseph subditur: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: sed conjugium consummatur per carnalem copulam; ergo videtur, quod aliquando &c.

Tertio. Post pauca, *v.* 24. & 25. subditur. *Et accepit conjugem suam. Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum*: sed hoc adverbium *Donec* significat tempus determinatum, quo impleto fit id, quod usque ad illud tempus non fiebat: verbum autem *non cognoscebat* ibi ad coitum refertur, sicut cum Gen. 4. v. 1. *Adam vero cognovit uxorem suam*; ergo &c.

XIII. Respondetur ad hæc cum D. Thom. art. 3. citato ad 1. *Quod, sicut Hieron. dicit, in Lib. contra Helvidium*, intelligendum est, quod hæc propositio *ante*, licet sæpe consequentia indicet; tamen nonnumquam ea tantum, quæ prius cogitabantur, ostendit. Nec necesse est, ut cogitata fiant, cum ideo aliud intervenerit, ne ea, quæ cogitata sunt, fierent. Sicut si aliquis dicat; Antequam in portu pranderem, navigavi, non intelligitur, quod in portu prandeat, postquam navigaverit: sed quia cogitabatur in portu pransurus. *Et similiter Evangelista dicit*: Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. *Non quia postea convenerint; sed quia, dum viderentur conventuri, prævenit conceptio per Spiritum Sanctum, ex quo factum est, ut ulterius non convenirent.*

Ad

Ad secundum respondet idem S. Thomas: *Quod, sicut Augustinus dicit, in lib. 1. de Nupt. & Concupisc.* cap. 11. conjux Joseph vocatur Mater Dei, ex prima desponsationis fide; quam per concubitum non cognoverat, nec fuerat cogniturus. *Ut enim Ambrosius dicit, super Lucam* (c. 1. super illud, & nomen Virginis Maria). Non virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur —— Ut enim ostendit idem S. Thom. *3. p. q. 29. artic. 2.* inter Mariam, & Joseph verum erat conjugium quia licet inter illos non esset futura conjunctio corporum; erat tamen indivisibilis conjunctio animorum, per quam alter alteri tenebatur servare fidem: quæ secundum Sanctum Thomam est forma, ex qua Matrimonium speciem sortitur.

Ad tertium dicit idem S. Thom. *quæst.* 28. citata, *art. 3. ad 3.* aliquos velle, quod ly *Non cognoscebat eam* non sumatur pro cognitione coitus, seu carnali, sed de cognitione notitiæ: ita ut sensus sit: quod Joseph non cognoverit Mariæ dignitatem, nisi postquam peperit. Tunc enim cognovit, eam esse Matrem Dei. Ita Chrysost. *Homil. 1. Oper. Imper. in Matth.* Alii hoc *referunt ad notitiam visus. Sicut enim Moysi cum Deo colloquenti glorificata est facies, ut non possint intendere in eum filii Israel: sic Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata, cognosci non poterat a Joseph, donec pareret: post partum autem a Joseph agnita invenitur specie faciei, non tactu libidinis.*

Hieronymus autem, lib. adversus Helvidium, cap. 3. *concedit, hoc esse intelligendum de cognitione coitus. Sed dicit, quod* Usque, *vel* Donec *in Scripturis dupliciter potest intelligi. Quandoque enim designat certum tempus, secundum illud, Galat. 3.* Propter transgressionem lex posita est, donec veniret semen, cui promiserat. *Quandoque vero signat infinitum tempus, secundum illud, Psalm. 122.* Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. *Ex quo non est intelligendum, quod post impetratam misericordiam oculi avertantur a Deo. Et secundum hunc modum loquendi significantur ea, de quibus posset dubitari, si scripta non fuissent; catera vero nostra intelligentia derelinquuntur. Et secundum hoc Evangelista dicit, Matrem Dei non esse cognitam a viro usque ad partum; ut multo magis intelligamus, cognitam non fuisse post partum.* Ita Angelicus Magister.

XIV. Opponebat secundo. *Matth. 1. v. 25.* Jesus vocatur Filius Mariæ *Primogenitus*: sed primogenitus dicitur ille, post quem alius est genitus; ergo &c.

Si respondeas cum S. Thoma, ibid. *ad 4.* Christum dici Mariæ primogenitum, non quod Maria alios post Christum filios genuerit; sed quod ante Christum nullum filium genuerit: etenim secundum morem Scripturarum unigenitus vocatur primogenitus. Nam in lege primogenitus debebat offerri: & tamen si ovis unicum genuisset agnum, debuisset ille, licet unigenitus, offerri Deo tamquam primogenitus, non expectando, an alius nasceretur. Et 1. *Paralip. 23. v. 17.* dicitur: *Fuerunt autem filii Eliezer: Rohobia primus & non erant Eliezer filii alii.*

XV. Replicabat. Christus sic dicitur primogenitus, ut habuerit alios fratres, certe ex Maria Matre post ipsum genitos. Nam; *Joann. 2. v. 12.* dicitur: *Post hoc descendit Capharnaum ipse* (Christus) *& Mater ejus, & fratres ejus.* Et Matth. 13. vers. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas; Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* ergo Christus habuit fratres, & sorores.

XVI. Non me latet, aliquos Patres, ut Origenem, in *cap. 14. Matth.* Epiphan. *Hæres. 78.* Eusebium, *lib. v. histor. Ecclesiast. cap. 1.* Hilarium, *in cap. 1. Matth.* & alios existimare, eos, qui fratres Christi in Evangelio appellantur, fuisse Josephi filios ex priori uxore susceptos, quos putabant Christi germanos fratres; sicut & Josephum putabant eorum esse Patrem. Sed Sanctus Hieronymus sentit oppositum, *in cap. 12. Matth.* ubi ait: *Quidam, fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, & quamdam Melcham, vel Escham mulierculam confingentes. Nos autem sicut in libro, quem scripsimus contra Helvidium, continetur: fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Maria liberos intelligimus matertera Domini; qua esse dicitur mater Jacobi minoris, & Joseph, & Judæ, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat.* S. Hieronymus, & fusius in citato libro contra Helvidium.

XVII. Respondeo igitur, prædictos vocari fratres Christi, non quidem natura, quasi ex eodem patre, & matre progeniti; sed cognatione duntaxat, seu consanguinei ejus existentes. Ita ex Sancto Hieronymo, Sanctus Thomas, *artic. 3.* citato *ad 5.* Qui, ibidem *ad 6.* addit: *Quod Maria, qua dicitur Jacobi, & Joseph mater, non intelligitur esse Mater Domini: qua in Evangelio non consuevit nominari nisi cum cognominatione hujus dignitatis, quod sit Mater Jesu. Hæc autem Maria intelligitur esse uxor Alphæi, cujus filius est Jacob minor, qui dictus est frater Domini.*

Circa hoc est observandum: quod Cleophas, aliter dictus Alphæus, fuerit frater Joseph sponsi Mariæ Virginis. Inde factum est, ut Maria Mater Jesu, & Maria uxor Cleophæ, seu Alphæi, vocarentur sorores, non natura, sed cognatione, seu affinitate. Quatuor autem Mariæ Cleophæ filii, Jacobus, Joseph, Simon, & Judas dicuntur fratres Christi, idest, consanguinei: quia consobrini, nempe, filii fratris Joseph, qui æstimabatur pater Jesu. Et ut ait S. Augustinus, *lib. 2. de Consensu Evang. cap. 11.* & ex ipso S. Thom. *3. p. q. 28. art. 1. ad 1.* dici etiam poterat pater Christi, sicut vir Mariæ non quidem carne: *Sed copulatione conjugii, multo videlicet conjunctius, quam si esset aliunde adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi; quia non eum genuerat concumbendo: quandoquidem pater esset etiam ei, quem non ex sua conjuge procreatum aliunde adoptasset.* Ita S. August. apud S. Thom. citatum.

Opponebat etiam Tertullianum, *lib. de Monogamia, c. 8.* dicentem, Mariam post natum Jesum conjugale solvisse debitum. Ait enim: *Et Christum quidem Virgo enixa est, semel nuptura post partum.*

XIX. Respondeo, de Tertulliano non debere nos esse solicitos; cum enim librum de Monogamia conscripsit, jam a fide Catholica defecerat. Quare S. Hieron. Helvidio Tertullianum pro se afferenti, ita respondet: *De Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam hominem Ecclesiæ non fuisse.*

XX. Sed dices. D. Basilius, *Homil. 25. de Humana Christi generatione*, exponens verba: *Non cognoscebat eam donec peperit:* concludit: *Quod autem deinde* (idest post Christi partum) *secutum est, tamquam nihil ad Mysterii rationem pertinens, curiosius omittamus inquirere.*

Respondeo, S. Basilium citato loco dicere, non esse curiosius inquirendum: An Maria post partum virgo manserit, quia ad rem non erat. Tunc enim exponebat Isaiæ textum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet*: ad cujus verificationem sat erat, ut esset virgo ante partum, & in partu. Verum mentem suam aperiens Basilius, fuit perpetuæ virginitatis Mariæ assertor: exponens enim illam particulam. *Donec*, Matth. 1. v. 25. *Et non cognoscebat, donec peperit*: ait: *Etsi alicujus temporis terminum circumscribere videatur, vere tamen infinitum aliquid præfert.*

DUBIUM V.

An Verbum assumpserit humanam Animam, & humanam Mentem?

§. I.

Resolutio Prima Partis.

I. ARius, ut etiam ex hac parte insidiaretur divinitati Filii Dei (ut refert Augustinus, *Hæres. 49.*) quasi susurrando, negavit, Christum habuisse humanam animam nostræ similem; sed solam carnem fuisse a Verbo assumptam; verbum autem carni unitum stetisse loco animæ. Ex quo sequebatur, quod in Christo non fuerint duæ naturæ; sed una tantum: ex anima enim, & carne una natura constituitur. Motivum autem hoc dicendi Ario fuit istud. Cum enim sustinere vellet suam palmarem blasphemiam, quod nimirum Filius Dei sit creatura, & minor Patre; & ad hoc probandum assumpsisset illa Scripturæ loca, quæ infirmitatem ostendunt in Christo: ne aliquis responderet, dicta loca evincere quidem infirmitatem in Christo secundum naturam humanam, non vero secundum naturam divinam; quid excogitavit? Animam humanam removit a Christo, & loco ejus posuit naturam Filii Dei; ut eum quædam dicerentur de Christo, puta mirari, timere, orare &c. quæ carni aptari non possunt; necessario ista in Filium Dei, ejusque naturam infunderentur: ut nemo crederet, esse natura Deum, qui talia pateretur. Huic errori subscripsisse etiam Apollinarem, testatur idem S. Augustinus, *Hæres. 55.* Pro Catholica tamen veritate.

II. Dico. Verbum Dei assumpsit animam humanam. Hanc veritatem probat S. Thomas *3. p. q. 5. art. 3.* auctoritate S. Scripturæ, in qua Christus de sua anima facit mentionem. Matth. 26. v. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Joann. 12. v. 27. *Nunc anima mea turbata est.* Joann. 10. v. 18. *Potestatem habeo ponendi eam* (idest, animam meam) *& iterum sumendi eam.* Sed ad hoc *respondebat Apollinaris* (inquit S. Thom.) *quod in his verbis anima metaphorice sumitur; per quem modum in veteri Testamento Dei anima commemoratur, Isaiæ. 1.* Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea.

Contra tamen instat, ex S. August. lib. 83. QQ. q. 80. *Evangelista in Evangelica narratione narrant, quod miratus est Jesus, & iratus, & contristatus, & quod esurivit: quæ quidem ita demonstrant, eum veram animam habuisse: sicut ex hoc, quod comedit, & dormivit, & fatigatus est, demonstratur verum corpus humanum. Alioquin si hæc ad metaphoram referantur, cum similia legantur in veteri Testamento de Deo, peribit fides Evangelica narrationis.* Unde sic discurro. Per hoc, quod in Evangelio dicitur Christus esurisse, comedisse, dormisse, fatigatus fuisse, colligitur, eum habuisse veram carnem, & verum corpus humanum contra Manichæos; ergo per hoc, quod dicitur habuisse animam, miratus, iratus, contristatus, colligi debet, eum habuisse veram animam humanam.

Confir-

Confirmo. Ex *cap.* 10, *Joannis* citato, Christus dicit, se habere potestatem ponendi animam suam, & iterum sumendi eam: sed si Verbum in Christo esset pro anima, non posset hoc dicere. Non enim erat in ejus potestate, vel corporis ejus, dimittere Verbum, & iterum illi uniri; cum hoc naturæ vires excedat, ergo &c.

III. Secundo. Ut discurrit S. August. (apud D. Thom.) *lib. contra Felicianum, cap.* 13. Si Verbum animam humanam non assumpsit; ergo eam redemptione vacuam reliquit: *Aut ergo hoc fecit, quia innoxiam sciens, medicina indigentem non credidit; aut a se alienam putans, redemptionis beneficio non donavit; aut ex toto insanabilem judicans, curare nequivit; aut ut vilem, & qua nullis usibus apta videretur, abjecit. Horum duo blasphemiam important in Deum. Quomodo enim dicetur omnipotens, si curare non potuit desperatam? Aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? ... Si originem attendas, pretiosior est anima substantia: si transgressionis culpam, propter intelligentiam, pejor est carne. Ego autem Christum, & perfectam sapientiam scio, & piissimum esse non dubito: quorum primo, meliorem, & prudentia capacem non despexit: secundo, eam, qua magis fuerat vulnerata, suscepit.* Ita August. Illud ergo suscipere, & consequenter sanare non omisit Verbum, quod in homine erat melius, & quod magis fuerat vulneratum: sed quod in homine est melius, & magis per culpam fuerat vulneratum, est anima humana; ergo cum dici nequeat, Deum animam non fecisse, nec ipsi insanabilem fuisse, dici debet, quod eam sanandam assumpsit.

IV. Tertio, Ratio S. Thomæ est. Nam ponere, Verbum assumpsisse carnem sine anima, est destruere Incarnationis veritatem, nempe, naturam humanam vere fuisse assumptam. Detracto enim eo, quod est de essentia, & constitutivo hominis, verus homo, aut vera caro humana haberi non potest, nisi æquivoce: natura autem humana, in esse talis, constituitur per animam humanam; igitur, si hanc non assumpsit Verbum, naturam humanam vere non assumpsit.

V. Quarto etiam potest sic suaderi. Quod generatur ex aliquo vivente, non potest dici filius ejus, nisi procedat ut simile illi in specie atoma; qua ratione vermes non dicuntur filii animalis, ex quo generantur: sed si Christus animam humanam non haberet, non esset similis in specie atoma cum Maria: quia quæ secundum formam specificam differunt, ejusdem speciei esse non possunt; ergo Christus non posset dici filius Mariæ, seu Maria ejus Mater, quod est contra Evangelia.

VI. Demum: Dato etiam, secundum errorem Arii, quod Verbum divinum non esset Deus: adhuc tamen non posset uniri per modum animæ humanæ. Quod probo sic. Verbum divinum, esto non esset Deus, esset tamen spiritus perfectissimus, super omnes cælestes Spiritus eminens: atqui nullus spiritus in se perfectus, & completus potest uniri, tamquam forma animans corpus, & cum eo unam naturam constituens: unde neque Angeli, quamvis inferiores Verbo, possunt per modum formæ animare corpus; ergo &c.

VII. Dices pro Ario primo. Id assumpsit Verbum, cujus Joannes in Evangelio meminit, *cap.* 1. recensens Incarnationem: sed meminit solius carnis, v. 14. *Verbum caro factum est*: ergo &c.

VIII. Respondeo ex S. Thom. 3. *p. q.* 5. *art.* 3. *ad* 1. Joannem meminisse solius carnis, sumendo per synecdochen totum hominem; ac si diceret: Verbum homo factum est. Sicut, & Isaiæ, 40. vers. 5. *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*. Nam secundum consuetudinem Scripturarum nomine carnis totus homo intelligitur. Ideo autem potius carnem nominavit, quia per carnem Filius Dei visibilis apparuit: unde subditur: *Et vidimus gloriam ejus*. Vel ideo potius nominavit carnem, ut summam dignationem Dei commendaret; qui ad carnis humilitatem descendere voluit (secundum August. *l.* 83. *QQ. q.* 80.) Rationabile etiam fuit, ut nominaret carnem, quæ cum magis distet a Deo, quam anima, minus assumptibiliis videbatur.

IX. Dices secundo. Anima necessaria est, ut corpus vivificet: sed caro Christi, quæ erat unita Verbo, quod est fons vitæ, non egebat principio vivificante; ergo &c.

X. Respondeo ad min. Ex D. Thom. citato *ad* 2. aliter esse fontem vitæ animam, aliter Verbum. Nam *Verbum est fons vitæ, sicut prima causa vitæ effectiva: sed anima est principium vitæ corporis, tamquam forma ipsius. Forma autem est effectus agentis. Unde ex præsentia Verbi magis concludi posset, quod corpus esset animatum: sicut ex præsentia ignis potest concludi; quod corpus, cui ignis adhæret, sit calidum.* Concludo igitur cum S. Augustin. lib. de Agone Christ. c. 21. *Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum a Verbo Dei, & sic audiunt quod dictum est*: Verbum caro factum est, *ut negent, illum hominem vel animam, vel aliquid hominis habuisse; nisi carnem solam. Errant enim multum: nec intelligunt; ideo carnem suam nominatam esse in eo, quo dictum est*: Verbum caro factum est; *quia hominum oculis, propter quos facta est illa susceptio, ea sola potuit apparere. Nam si absurdum est, & valde indignum, ut humanum spiritum homo ille non habuerit .... quanto magis absurdum, & indignum est, ut nec spiritum, nec animam habuit; & hoc solum habuerit, quod etiam in pecoribus vilius est, & extremius, idest corpus? A nostra ergo fide etiam ista impietas excludatur; totumque hominem, atque perfectum a Verbo Dei susceptum esse credamus.* Hucusque Augustinus.

§. II.

Resolutio Posterioris Partis.

XI. Apollinaris, de quo supra, Laodicenæ Ecclesiæ Presbyter, una cum Apollinare filio, ejusdem Ecclesiæ Lectore, a quibus Apollinaristæ, esto ab initio cum Ario senserint, Verbum carnem solam sine anima suscepisse, temporis tamen progressu hæresim suam emollierunt, dicentes: animam quidem cum carne susceptam fuisse a Verbo; huic tamen animæ in Christo defuisse mentem, seu intellectum, sed pro mente, ac intellectu Verbum fuisse. Nimirum, assumptam quidem a Verbo animam secundum eam partem, qua vivimus, sentimus, & cætera cum animalibus communia officia præstamus; non vero secundum eam partem, qua ratione utimur, & rationales sumus; sed in locum hujus intrasse Verbum. Id constat ex S. Athanasio, *lib.* 1. *de Incarnat.* contra Apollinarem, dicente: Apollinaristæ *Inquiunt, vice interioris, qui in nobis est hominis, mentem cælestem inesse Christo.* Et infra: *Assumpsit, inquiunt, corpus absque mente, ut ipse mens in illo esset, expers omnino peccati.* Ex Sancto Gregorio Nazianzeno, *Epist. ad Nectarium*, & *Epist.* 1. *ad Cledonium*. Ex Theodoreto, *l.* 4. *Hæretic. Fabularum, cap.* 8. Ex Vincentio Lirinensi, qui in *Commonit. num.* 12. referens Apollinaris errorem, ait: *Dicit enim in ipsa Salvatoris nostri carne, aut animam humanam penitus non fuisse; aut certe talem fuisse, cui mens & ratio non esset.* Hunc errorem ex Platonicæ philosophiæ fontibus hausisse Apollinarem, testatur Nemesius, initio libri de Natura Hominis; *Quidam enim* (inquit) *e quibus est Photinus, aliud esse animam, & aliud mentem statuentes, ex tribus constare volunt hominem, e corpore, anima, & mente. Hos secutus est Apollinaris Laodiceæ Episcopus.* Episcopum Apollinarem fuisse, intelligi debet de Apollinari filio, quem Episcopum fuisse constat de Epist. Synodica Concilii, quod Alexandriæ habitum est, anno 362. Ecclesiæ quidem Antiochenæ scribit Theodoretus, *l.* 5. *cap.* 3. sed verius Laodicenæ, ut scribunt Ruffinus, *Hist. l.* 1. *cap.* 20. Hieron. *l. de Script. Eccles.* Liberatus *in Breviario, cap.* 3. Et Nemesius supra laudatus. Contra hunc errorem.

XII. Dico. Verbum assumpsit animam mente præditam. Ita S. Thomas, 3. *p. q.* 5. *art.* 4. ex S. Aug. *Hæres.* 55. dicens: *Apollinaristæ de anima Christi a Catholica Ecclesia dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem solam sine anima suscepisse. In qua quæstione testimoniis Evangelicis victi, mentem defuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt.*

XIII. Error autem iste a S. Thom. rejicitur. Primo. Nam adversatur narrationi Evangelicæ, quæ commemorat, Christum fuisse miratum, Matth. 8. *Admiratio autem absque ratione esse non potest; quia importat collationem effectus ad causam: dum scilicet aliquis videt effectum, cujus causam ignorat, & quærit; ut dicitur in* 1. *Met. c.* 2. In Christo etiam fuerunt metus, & tristitia excitatæ a facultate, quæ libera erat.

XIV. Neque dicere potes, harum passionum principium, & subjectum fuisse Verbum —— Nam in primis, ex hoc sequeretur cum Ario, Verbum non fuisse Deum: quod tamen Apollinaristæ nun dicebant. Deinde: Verbum non esse immutabile, cum per has passiones, quarum esset subjectum, mutaretur. Rursus non esse omniscium, si esset subjectum admirationis, quæ ex ignorantia causæ procedit: nec esse omnipotens, quia non posset a se avertere malum, quod timeret, & de quo tristaretur.

XV. Secundo. Verbum assumpsit animam capacem peccati; quam volebat a peccato justificare; sed anima non est capax peccati, nec justificationis a peccato, nisi per mentem; ergo oportuit, ut assumeret animam secundum mentem.

XVI. Tertio. Si Verbum assumpsit animam, non rationem, non habuit carnem humanam, sed bestialem; quia per solam mentem anima humana a bestiali secernitur. Unde August. *in lib.* 83. *qq. q.* 80. dicit, quod secundum hunc errorem sequeretur, quod Filius Dei *Belluam quamdam cum figura humani corporis susceptisset*; quod iterum repugnat veritati divinæ, quæ nullam patitur fictionis falsitatem.

XVII. Instauro hucusque dicta, sic. Si animam humanam non habuit Christus; quid igitur moriturus in cruce Patri commendavit, dum ait Lucæ, 23. v. 46. *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*? Animam sensitivam, an Verbum? Quid quæso moriens tradidit, dum, ut habetur, Joan. 19. v. 30. *Inclinato capite tradidit spiritum?* Non Verbum, quod nunquam dimisit, & a quo nunquam fuit dimissus; non animam pure sensitivam, quæ in morte non traditur, sed perit. Rursus: si ani-

mam

mam sine mente Christus habuit, quomodo de illo dicitur; *Luc. 2. vers. 52.* quod *Proficiebat sapientia, & ætate?* Non proficiebat sapientia, ratione Verbi, quia hoc est sapientiæ infinitæ: non ratione animæ sensitivæ, quæ sapientiæ incapax est; ergo ratione animæ humanæ mente præditæ, quam habebat.

XVIII. Dices primo. Ubi est præsentia rei non requiritur ejus imago: sed homo secundum mentem est ad imaginem Dei, ut dicit August. *lib. 14. de Trinit. cap. 3. & 6.* ergo cum in Christo fuerit præsentia divini Verbi, non oportuit ibi esse mentem humanam.

XIX. Secundo. Major lux offuscat minorem: sed Verbum Dei, quod est *Lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joann. v. vers. 9. comparatur ad mentem, sicut lux major ad minorem; quia ipsa mens lux quædam est, quasi lucerna illuminata a prima luce, Proverb. 10. vers. 27. *Lucerna Domini spiraculum hominis*; ergo in Christo, qui est Verbum Dei, non fuit necessarium esse mentem humanam.

XX. Tertio. Mens humana neque est caro, neque actus carnis: quia nullius corporis actus est: sed assumptio Verbi est Incarnatio: ergo non debuit mentem assumere.

XXI. Respondeo ad primum cum D. Thom. citato *art. 4. ad 1.* dist. maj. Ut suppleat rei præsentiam, conc. major. Ut perficiatur ex rei præsentia, neg. maj. *Ubi est* (inquit S. Doct.) *ipsa res per sui præsentiam, non requiritur ejus imago, ad hoc, quod suppleat locum rei: sicut ubi est Imperator, milites non venerantur ejus imaginem. Sed tamen requiritur cum præsentia rei imago ipsius, ut perficiatur ex ipsa rei præsentia: sicut imago in cera perficitur per impressionem sigilli, & imago hominis resultat in speculo per ejus præsentiam. Unde ad perficiendam mentem humanam necessarium fuit, quod eam Verbum sibi univerit.*

XXII. Ad secundum dico cum eodem S. Thom. ad 2. *Quod lux major evacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis: non tamen evacuat, sed perficit lucem corporis illuminati. Ad præsentiam enim Solis, stellarum lux obscuratur, sed aeris lumen perficitur. Intellectus autem, seu mens hominis est quasi lux illuminata a luce divini Verbi: & ideo per præsentiam Verbi non evacuatur mens hominis, sed magis perficitur.*

XXIII. Ad tertium dico cum eodem ad 3. *Quod licet potentia intellectiva non sit alicujus corporis actus; ipsa tamen essentia animæ humanæ, qua est forma corporis, requiritur, quod sit nobilior ad hoc, quod habeat potentiam intelligendi; & ideo necesse est, ut corpus melius dispositum ei respondeat.*

XXIV. Quæres: Quando, & a quo Apollinaristarum hæresis fuerit proscripta?

Respondeo, damnatam, tacito nomine Auctoris, in Alexandrina Synodo, anno Christi 362. a Sanct. Athanasio celebrata, aliisque Episcopis post Constantii mortem ab exilio reversis. Id constat ex *Epist. Synodica* illius Concilii, in qua decretum legitur: *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensus, aut mentis expers.* Secundo. Damnata est, anno circiter 373. in Concilio Romano, Damaso præside; qui in Apollinarem, ejusque primarium discipulum Timotheum depositionis sententiam tulit, & utrumque anathemate confixit. De hoc extat epistola Damasi ad Orientales, a Theodoreto descripta, *lib. 5. Hist. Eccles. cap. 10.* Tertio. Damnata est, anno 378. in Synodo Antiochena, cujus meminit Concilium Constantinopolitanum I. Generale II. anno 382. celebratum: in quo tandem hæresis præfata damnata ita præstringitur in Epist. Synodica: *Nos præterea doctrinam Dominicæ Incarnationis integram, & perfectam tenemus; neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus: sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula, omnino perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse.*

XXV. Porro: hic notandum censeo: quod Vitalis alter Apollinaris discipulus, qui Antiochiæ ab ipso Antiochiæ præfectus fuerat, cum apud Damasum in hæreseos suspicionem venisset, ut se a tali labe purgaret, Romam venit: ubi oblata Summo Pontifici subdola fidei confessione, in communionem Catholicam admissus fuit. Verum postea detecta ejus fraude, Damasus eum a Fidelium communione segregavit; ambiguamque fidei confessionem, quam Vitalis obtulerat, damnavit. De quo videndus est S. Gregorius Nazianzenus, *Epist. 2. ad Cledonium.*

Dubium VI.

An Verbum assumpserit humanam Voluntatem.

§. I.

Hæresis Monothelitarum.

I. Apollinaris qui, ut nuper vidimus, non ponebat in Christo animam rationis, & mentis compotem, sed loco mentis ponebat Verbum; consequenter, cum voluntas sit potentia animæ, ut ratione, ac mente præditæ, negabat in Christo humanam voluntatem: unam solum voluntatem in eo ponens, nempe, divinam, quæ staret pro voluntate humana, sicut divinus intellectus stabat pro intellectu humano.

Idem sensisse dicendus est Eutiches, & alii ponentes in Christo unam tantum naturam, nempe, divinam. Hi enim cogebantur in ipso etiam ponere unam solam voluntatem, & hanc divinam.

II. Verum qui hanc quæstionem celebrem reddiderunt, fuerunt Monothelitæ, sic dicti a *Monos*, idest, *Unus*, & *Thelema*, nempe, *Voluntas*: quasi unius voluntatis assertores. Hujus ergo hæresis originem, auctoris fautores, impugnatores, & statum recensebimus. Colligimus hæc ex Div. Thom. *3. part. quæst. 18. art. 1.* sic dicente: *Quidam posuerunt in Christo esse unam solam voluntatem: sed ad hoc ponendum diversimode moti esse videntur. Apollinaris enim non posuit animam intellectualem in Christo; sed quod Verbum esset loco animæ, vel etiam loco intellectus. Unde cum voluntas sit in ratione, ut Philosophus dicit in 3. de anima, sequebatur, quod in Christo non esset voluntas humana; & ita in eo non esset, nisi una voluntas. Et similiter Eutiches, & omnes, qui posuerunt unam naturam compositam in Christo, cogebantur ponere unam voluntatem in eo. Nestorius etiam, quia posuit unionem Dei, & hominis esse factam solum secundum effectum, & voluntatem, posuit unam voluntatem in Christo. Postea vero Macarius Antiochenus Patriarcha, & Cyrus Alexandrinus, & Sergius Constantinopolitanus, & quidam eorum sequaces, posuerunt in Christo unam voluntatem; quamvis ponerent duas naturas in Christo secundum hypostasim unitas: quia opinabantur, quod humana natura in Christo nunquam movebatur proprio motu, sed solum secundum quod erat mota a divinitate, ut patet ex Epistola Synodica Agathonis Papæ.* Ita Sanctus Thomas.

III. Anno igitur Christi sexcentesimo vigesimo secundo, Heraclii Imperatoris decimo tertio, Honorio Primo Rom. Pont. Monothelitarum hæresis ex Inferis erupit. Ipsi imprudens Imperator obstetricatus est in duplici, quem habuit cum hæreticis congressu: primo in Armenia cum Paulo Severiano hæretico, altero cum Athanasio Jacobitarum Catholico. Verum errorem hunc non est fabricatus Heraclius: sed illum accepit a Sergio, cui arctissima familiaritate conjungebatur.

Sergius ergo Constantinopolitanus Patriarcha hujus hæreseos, vel Auctor, vel præcipuus Patronus fuit. Sergio accessit Cyrus Alexandrinus, Macarius Antiochenus, Pirrhus pariter, & Paulus in Sede Constantinopolitana Sergio successores, & Theodorus Pharanitanus. Cui autem ex his cedere debeat infelix gloria, hæresim hanc invenisse, inter Eruditos contentio est. Primas partes habuisse Sergium in ea propaganda, ac Cyrum; certum videtur. Horum enim suasu, anno 648. sententiam de una in Christo voluntate, atque operatione publico Edicto, quam *Ecthesim*, idest, *Expositionem fidei* nominarunt, promulgavit Heraclius; quamque Sergius post coactam Constantinopoli suorum Episcoporum Synodum, Imperatoris auctoritate, & Episcoporum subscriptionibus firmatam, toto spectante populo, primarii Templi foribus affixit. In hanc tamen Ecthesi error unius tantum in Christo voluntatis, & operationis aperte quidem non statuitur: sed vetatur solum, ne quis unius, aut duarum voluntatum vocibus utatur. Quia tamen hoc modo loquendi errorem tegere, ac dissimulare intendebant: ideo *Ecthesis* illa tamquam suspecta damnata fuit.

IV. Huic errori faviisse Honorius I. Rom. Pont. in suis ad Sergium datis Epistolis, Synodi sextæ Patribus visus est. Unde & ipsi cum apertis Monothelitis anathema dictum est in eadem Synodo: *Anathematibus interfecimus* (verba sunt epistolæ Synodicæ ad Agathonem Papam) *ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata Theodorum Episcopum, Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pirrhum, & Petrum.* Deceptos tamen fuisse, quoad Honorium, errore facti prædictos Patres, infra ostendemus. Quia licet Sergius auctoritate Honorii errorem suum tueri conaretur; Honorius tamen nunquam tali errori adhæsit: sed forte solum toto officii sui zelo non se opposuit, sperans omnia pacifice componi posse. Sed de hoc egi *Tom. 1. in 1. part. Qu. 3. de Locis Theol. Dub. 5. §. 5. a num. 32.* & *Dub. 6. §. 5. n. 28.*

V. Monothelitarum præcipui impugnatores fuere, primo. Sophronius spectatissimæ vitæ Monachus, & ad Patriarchalem Jerosolymæ Sedem postea evectus; qui, suorum coacto Concilio Episcoporum, hæc nascentis Monothelismi semina pernicioſa denuntiavit, ac damnavit. Secundo. Severinus Papa Honorii successor, qui Heraclii Ecthesim damnavit. Tertio Joann. IV. qui Severino successit, & in Synodo Romæ coacta edita in Oriente Monothelitarum decreta rescidit; atque Heraclium ad communionem revocare conatus est: cæterique sequentes Romani Pontifices.

VI. Donec hortatu, consilio, & opera Constantini Pogonati, & Agathonis Romani Pontif. auctoritate indictum, & congregatum fuit Constantinopoli Concilium generale Sextum, alias Constantinopolitanum Tertium, anno 680. In eo enim, inquit Sanct. Thom. *quæst. 18. art. 1.* citato: *Determinatum est, oportere dici, quod in Christo sint duæ voluntates: ubi sic legitur* (Act. 18.) *juxta quod olim Prophetæ de Christo, & ipsa nos erudivit, & Sanctorum*

ctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes prædicamus. Post Synodum sextam Concilium Toletanum XIV. ann. 684. hoc idem Catholicum dogma confirmavit. Et tandem Eugenius IV. in Conc. Florent. anno 1441. in decreto pro Jacobitis. Ubi postquam superius dixerat, quod Ecclesia Romana anathematizat, & execratur Macarium Antiochenum, omnesque unam tantum in Christo voluntatem, & operationem agnoscentes; prope finem ait: *Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum centum, & quinquaginta Patrum; quæ sexta est in ordine Universalium Synodorum, temporibus beatissimi Agathonis Prædecessoris nostri, & Constantini IV. hujus nominis Principis congregatam: in qua Macarii Antiocheni, & sectatorum hæresis condemnata est: & definitum est, in Domino nostro Jesu Christo duas esse perfectas, integrasque naturas, & duas operationes, duas etiam voluntates; licet esset una, eademque persona, cui utriusque naturæ competerent actiones; deitate agente, quæ Dei sunt, & humanitate, quæ hominis sunt.*

§. II.

Hæresis Monothelitarum Rejicitur.

VII. Dico: verbum divinum assumpsit humanam voluntatem: ideoque in Christo fuit non una tantum, sed duplex voluntas, divina, & humana: non una tantum, sed duplex operatio. Hanc veritatem primo ostendit Scriptura. Etenim in Christo fuisse voluntatem divinam, quod non negabant Monothelitæ, imo hanc solam in eo ponebant, constat ex ipsius Christi verbis, Lucæ 13. v. 34. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas: ... quoties volui congregare filios tuos? &c.* Quæ non dixit voluntate hominis, quam recenter assumpserat, sed voluntate Dei, seu quatenus erat Deus. Item Joann. 5. v. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & Filius, quos vult, vivificat:* Filius autem non vivificat *sicut* pater, quos vult, voluntate humana; ergo voluntate divina, quæ est ejusdem naturæ cum Patre.

Fuisse vero in Christo etiam voluntatem humanam, probatur ex Christi verbis. Tum Matth. 26. v. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me Calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Tum Lucæ 22. v. 42. *Pater, si vis, transfer Calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Tum Jo: 6. v. 38. *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Quibus indicat Christus, se habere voluntatem propriam distinctam a voluntate Patris; ergo se habere voluntatem humanam: quia voluntas divina in Christo eadem est cum voluntate Patris. Paulus insuper, ad *Philip. 2. v. 8.* dicit, quod Christus *Humiliavit semetipsum; factus obediens usque ad mortem.* Volens ergo obedivit, an non volens? At si volens obedivit, non voluntate divina, quæ nemini subjicibilis est, sed humana obedivit; idest, voluit obedire, ut homo, non ut Deus, Alia Scripturæ loca congerit S. Maximus, in *Disp. cum Pyrrho.*

VIII. Probatur etiam ratione, qua utitur S. Thom. *3. p. q. 18. art. 1.* In Christo, qui erat perfectus homo, & verus Deus, nihil deerat spectans ad perfectionem humanæ naturæ, & veritatem divinæ: sed voluntas humana spectat ad perfectionem humanæ naturæ, divinæ etiam naturæ competit habere voluntatem, ut probant Theologi cum S. Thoma, *1. p. q. 19. art. 1.* ergo in Christo, sicut sunt duæ naturæ, humana, & divina: ita & sunt duæ voluntates, humana, & divina. Hanc veritatem confirmant Patres tum Græci, tum Latini.

IX. Ex Latinis S. Ambrosius, *in Luc. cap. 22.* ad illa verba: *Non mea, sed tua voluntas fiat:* ait; *Suam ad hominem retulit, Patris, ad divinitatem: voluntas enim hominis temporalis, voluntas divinitatis æterna.* Sanctus Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 20. *In hoc* (inquit) *quod ait, non quod ego volo, aliud se ostendit voluisse, quam Pater; quod nisi humano corde non posset.* Hoc idem docet S. Leo, *Epist. ad Leonem Augustum*, dicens: *Secundum quidem formam Dei ipse, & Pater unum sunt; secundum autem servi formam non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum:* Ex quibus colligit Martinus I. in Synodo Romana, S. Leonem duas Christi voluntates agnovisse secundum naturas duas, divinam, & humanam.

X. Ex Græcis unum profero Damascenum; *Orat. de duabus Christi voluntatibus cap. 11.* sic discurrentem: *Si quidem non assumpsit humanam voluntatem Christus, qua voluntate factus est Patri obediens? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate factus est sub lege? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem justitiam? Si non assumpsit humanam voluntatem, non attulit ei remedium, quod primum in morbum inciderat. Quod enim non assumptum fuit, non est curatum (ut ait Gregorius Theologus) quid enim offenderat, nisi voluntas? Quod ergo offenderat, quod peccaverat, id demum amplius curatione egebat. Quod si neges, id ab eo assumptum, quod peccaverat; fateare necesse est, nec peccatricem quidem, ac ægram naturam eum assumpsisse &c.* Hic Damasceni discursus serio pensandus est.

XI. Quod vero in Christo sint duæ operationes; quod revera negabant Monothelitæ, esto hoc tegere studerent: Prob. In eo est duplex operatio, in quo est duplex natura: nam quælibet natura explicatur propria operatione, & propria operatione dignoscitur forma, & ab aliis secernitur; *Quorum* enim *operatio una est* (ait Basilius contra Eunomium) *horum essentia una est* & e contra. *Quorum natura est diversa* (inquit Damascenus, lib. 3. de Fide Orth. cap. 15.) *horum quoque dispar est actio.* Atqui, ut adversus Eutichetem infra ostendemus, ut ipsi Monothelitæ fatebantur, duplex erat in Christo natura, etiam facta unione, ergo & in eo erat duplex operatio. Videatur S. Damascenus, *l. 3. de Fide cap. 15.* citato, ubi hanc veritatem ex professo probat.

XII. Dicebant Monothelitæ, hoc verum esse, quando utraque natura est movens, & agens; non vero quando una earum est movens, & agens, altera vero mota, & acta. Tunc enim una, & eadem operatio moventis, est etiam operatio moti: sic una eademque est operatio asciæ, & manus, quæ asciam movet. Cum ergo natura humana Christi moveretur, & esset quasi instrumentum Verbi, sequitur, quod una, & eadem operatio Verbi, esset quoque operatio humanæ naturæ.

XIII. Hanc Monothelitarum responsionem refert S. Thom. *3. part. quæst. 19. art. 1.* dicens: *Ut eorum opinio melius intelligatur, considerandum est, quod ubicumque sunt plura agentia ordinata, inferius movetur a superiori: sicut in homine corpus movetur ab anima, & inferiores vires a ratione: sic igitur actiones, & motus inferioris principii sunt magis operata quadam, quam operationes. Id autem, quod pertinet ad supremum principium, est proprie operatio; puta, si dicamus in homine: quod ambulare quod est pedum, & palpare quod est manuum, sunt quædam hominis operata; quorum unum operatur anima per pedes, aliud per manus: & quia est eadem anima operans per utrumque, ex parte ipsius operantis, quod est primum principium movens, est una & indifferens operatio: ex parte autem ipsorum operatorum differentia invenitur. Sicut autem in homine corpus movetur ab anima, & appetitus sensitivus a rationali: ita in Domino Jesu Christo humana natura movebatur, & agebatur a divina.* Et ideo in Christo unam operationem asserebant, nempe, divinitatis; plura autem operata per humanitatem.

XIV. Hanc autem responsionem evacuat S. Doct. hoc discursu. Ubicumque movens, & motum habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet, ut sit alia operatio moventis, & alia operatio propria moti; licet motum participet operationem moventis, & movens utatur operatione moti ad suum effectum, & sic utrumque agat cum communione alterius: sed in Christo humana natura habet propriam formam, & virtutem, qua operatur ea, quæ sunt hominis, & similiter divina; ergo utrique correspondet propria operatio distincta, licet divina natura utatur operatione humana, sicut operatione sui instrumenti; & humana natura participet operationem divinæ, sicut instrumentum participat actionem principalis agentis. Maj. explicatur a S. Thoma. In eo enim, quod movetur altero; duplex est operatio: *Una quidem, quam habet secundum propriam formam: alia autem, quam habet, secundum quod movetur ab alio. Sicut securis operatio secundum propriam formam est incisio; secundum autem quod movetur ab artifice, est facere scamnum. Operatio igitur, qua est alicujus rei secundum suam formam, est propria ejus; nec pertinet ad moventem, nisi secundum quod utitur hujusmodi re ad suam operationem: sicut calefacere est propria operatio ignis, non autem fabri, nisi quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum.* Unde concludit idem S. Doctor; *Quod si una tantum esset operatio divinitatis, & humanitatis in Christo, oporteret dicere: vel quod humana natura non haberet propriam formam, & virtutem (de divina enim hoc dici est impossibile) ex quo sequeretur, quod in Christo esset tantum divina operatio. Vel oporteret dicere, quod ex divina virtute, & humana esset conflata in Christo una virtus: quorum utrumque est impossibile. Nam per primum horum ponitur natura humana in Christo esse imperfecta: per secundum vero ponitur confusio naturarum.*

XV. Idipsum probatur variis auctoritatibus, quas contra Monothelitas urgebat S. Maximus in Dialogo cum Pyrrho. Primo, *Joann. 1. v. 43.* dicitur, quod Christus *In crastinum voluit exire in Galilæam.* Joann. 17. v. 24. dixit: *Volo, ut ibi sum ego, & illi sint mecum.* Joann. 7. v. 1. *Ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare.* Tunc sic Volitio, qua volebat exire, qua volebat, ut discipuli essent, ubi ipse erat, qua non volebat ambulare in Galilæam, non erat certe volitio divina, quia divinitate omnibus aderat; ergo erat volitio humana —— Rursus; operationes, quibus corpus est occasio, ut turbari, tristari, esurire, sitire; illæ quæ inferioritatem arguunt, ut orare, obedire, quomodo erant operationes divinitatis? Ab oppositio excitare mortuos, illuminare cæcos, aliaque miracula facere, quomodo poterant esse operationes humanitatis?

§. III.

§. III.

Monothelitarum Fundamenta.

XVI. OBjiciebat primo Pyrrhus. Chriſtus unus eſt, una enim eſt perſona; ergo unus erat, qui volebat; ergo una tantum voluntate.

XVII. Nego hanc ſecundam conſequentiam. Quia licet Chriſtus ſit unus unitate Perſonæ, non tamen eſt unus unitate naturæ, cum ſit Deus, & homo; ergo Chriſtus volebat, ut Deus, volebat ut homo; ergo dupliciter volebat, & non uno tantum modo, licet foret unus. Sicut ergo duplicatio naturæ non duplicat Chriſtum; ita neque Chriſtum duplicabit duplicatio voluntatis, & operationis: quia duplici naturæ debetur duplex virtus, & duplex operatio.

XVIII. Inſtabat tamen. Voluntates ſecum afferunt volentes; ergo duæ voluntates duo volentes; ergo duas perſonas.

Neg. ant. Quod inſto ſic. Si voluntates ſecum afferunt, ita ut duplicata voluntate duplicatur perſona volens; ergo a pari, ubi erit una voluntas, ibi erit una perſona volens; ergo cum in Deo ſit una voluntas, non triplex, in Deo erit una tantum perſona, non tres, ut volebat Sabellius, ergo corruit Trinitas Perſonarum. —— Dicendum ergo eſt, quod differentia voluntatum non indicat differentiam perſonæ, ſed naturæ: ideoque ſicut in Deo, quamvis ſint tres perſonæ, quia tamen eſt una natura, non eſt, niſi una voluntas: ita in Chriſto, in quo eſt quidem una perſona, ſed duplex natura, non erat una tantum, ſed duplex voluntas.

XIX. Ita S. Joann. Damaſcenus, lib. 3. de fide Orthod. cap. 15. *Si contendant* (inquit) *una cum actione perſonam induci, tum ſubjungamus: ſi una cum actione perſona inducitur, conſentaneum viciſſim eſt, ut & una cum perſona actio inferatur. Atque ita fiet, ut ſicut tres ſunt perſonæ, ſive tres Sanctæ Trinitatis hypoſtaſes; ſit tres quoque actiones ſint. Aut contra: quemadmodum una eſt actio, ita una quoque perſona, & hypoſtaſis.*

Deinde contrarium oſtendit exemplo gladii candentis, qui unus gladius eſt; & tamen duas habet actiones, ſecandi, & urendi. quia duas habet naturas ignis, & ferri. *Sed* (inquit) *& in cadenti gladio uri tum ignis, tum ferri natura ſervantur, ita & duæ actiones, & earum effecta. Nam & ferrum ſecandi, & ignis urendi vim habent: ut ſectio quidem actionis ferri opus ſit, uſtio autem ignis: ac diſcrimen tum in ferri ardentis ſectione, tum in ſecta uſtione ſervatur: tametſi poſt ejuſmodi unionem, nec uſtio citra ſectionem ſit, nec ſectio ſine uſtione. Nec quia duplex eſt naturalis actio, duos proinde candentes gladios dicimus: nec rurſus quia unus duntaxat incenſus eſt gladius, ob eam cauſam ſubſtantialem horum diſtinctionem confundimus. Eodem modo in Chriſto quoque divinitatis quidem ipſius divina, & omnipotens operatio eſt: humanitatis autem ipſius, humana, & noſtræ ſimilis. Humana porro actionis opus id fuit; quod manu puellam tenuerit, atque traxerit; divina autem, quod eam ad vitam revocaverit. Aliud enim hoc, & aliud illud eſt: tametſi id theandrica, ſeu in Dei ſimul & hominis actione nequeant disjungi. Quod ſi quia una Domini perſona, ſive hypoſtaſis eſt, una quoque operatio futura eſt; profecto etiam eo quod una perſona ſit, una quoque ſubſtantia erit.* Ita Damaſcenus, & quidem peracute:

XX. Objiciebat ſecundo. Licet in Chriſto ſit duplex natura, eſt tamen unum movens: nempe: voluntas divina, ad cujus imperium omnia humana in Chriſto movebantur: ſed moventis, & ejus, quod movetur, una eſt operatio; ergo in Chriſto una tantum erat operatio.

XXI. Reſpondeo primo, ex dictis cum S. Thom. 3. p. quæſt. 19. art. 1. min. eſſe veram, ſi ſermo ſit de actione, quam habet motum, prout ab alio movetur, ut de actione ferræ ad faciendum ſcamnum: non vero ſi ſermo ſit de actione, quam id, quod movetur, habet ex vi propriæ formæ, qualis eſt in ſerra actio ſcindendi, vel ſecandi. Sic dum Chriſtus tangendo, & expuendo illuminavit cæcum, illuminatio cæci una eademque erat actio hominis, & Dei; expuitio autem, & tactus cæci erat actio propria hominis, diſtincta ab actione Dei.

XXII. Reſpondeo ſecundo ex eodem S. Thom. 3. part. quæſt. 18. art. 1. ad 1. diſt. maj. Unum movens cauſans motum, conc. min. tollens, & impediens motum, neg. maj. *Quidquid* (inquit S. Doctor) *fuit in humana natura Chriſti, movebatur nutu voluntatis divinæ; non tamen ſequitur, quod in Chriſto non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ. Quia etiam aliorum Sanctorum pia voluntates moventur ſecundum voluntatem Dei, qui operatur in eis velle; & perficere, ut dicitur, Philip. 2. Licet enim voluntas non poſſit interius moveri ab aliqua creatura, interius tamen movetur a Deo... Et ſic etiam Chriſtus ſecundum voluntatem humanam ſequebatur voluntatem divinam, ſecundum illud Pſalm. 39. Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Ex quibus non ſequitur, nullum fuiſſe motum proprium voluntatis humanæ in Chriſto; ſeu ſolum, omnem motum voluntatis humanæ in Chriſto fuiſſe ſubjectum voluntati divinæ. Quo tendunt illa verba Chriſti, Joann. 6. verſ. 38. *Deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.*

XXIII. Hinc ſolvenda eſt alia inſtantia, qua dicebant Monothelitæ: Inſtrumentum non movetur propria voluntate, ſed voluntate moventis: atqui natura humana fuit in Chriſto ſicut inſtrumentum divinitatis; ergo non movebatur propria voluntate.

Eam enim ſolvit S. Thom. 3. *part. quæſt.* 18. *art.* 1. *citato, ad* 2. Maj. eſſe veram de inſtrumento inanimi, non autem de inſtrumento rationali: *Proprium eſt* (inquit) *inſtrumenti, quod moveatur a principali agente: diverſimode tamen ſecundum proprietatem naturæ ipſius. Nam inſtrumentum inanimatum (ſicut ſecuris, aut ſerra) movetur ab artifice per ſolum motum corporalem. Inſtrumentum vero animatum anima ſenſibili movetur per appetitum ſenſitivum, ſicut equus a ſeſſore. Inſtrumentum vero animatum anima rationali movetur per voluntatem ejus, ſicut per imperium domini movetur ſervus ad aliquid agendum: qui quidem ſervus eſt ſicut inſtrumentum animatum, ut Phil. dicit in* 1. *Polit.* (cap. 3.) *Sic ergo humana natura in Chriſto fuit inſtrumentum divinitatis, ut moveretur per proprium voluntatem.*

XXIV. Objiciebat tertio: Verbum in Incarnatione non aſſumpſit id, quod habet, alioquin aſſumpſiſſet etiam perſonam humanam, ſicut aſſumpſit carnem: ſed habet voluntatem, qua natura humana poteſt velle, ſicut habet perſonam, qua natura humana poteſt ſubſiſtere; ergo non aſſumpſit voluntatem humanam.

XXV. Reſpondeo primo, neg. maj. Nam Verbum habuit intellectum, & tamen aſſumpſit intellectum humanum. ut ipſi Monothelitæ admittebant contra Apollinariſtas. —— Reſpondeo ſecundo, data major. neg. min. Voluntas enim divina nequit naturam humanam reddere volentem: ſicut neque divinus intellectus eam reddere intelligentem: ſubſiſtentia tamen divina eam poteſt reddere, imo reddit de facto ſubſiſtentem. Et ratio eſt. Quia ſicut nulla natura poteſt intelligere alieno intellectu; ita neque poteſt eſſe libera, ſeu volens aliena libertate, ac voluntate, & maxime in Chriſto, in quo debebat eſſe libertas humana capax meriti, ſubjectionis, & obedientiæ; quorum incapax eſt libertas, & voluntas divina. In tantum autem Verbum non aſſumpſit ſubſiſtentiam humanam, quia hæc inaſſumptibilis eſt: & ſi eam aſſumpſiſſet, non fuiſſet unitus in unitate perſonæ; voluntas autem humana aſſumptibilis eſt, imo neceſſario debuit aſſumi. Tum ad integritatem humanæ naturæ. Tum quia: unio Verbi, cum non ſit facta in unitate naturæ, debuit omnia, quæ diverſitatem naturæ conſequuntur, admittere.

XXVI. Objiciebant quarto. Unam tantum eſſe in Chriſto operationem. Primo. Ubi eſt unum operatum, ibi eſt una operatio: ſed idem operatum erat divinitatis, & humanitatis in Chriſto, ſicut ſanatio cæci, & reſuſcitatio mortui.

Secundo. Operatio pertinet ad hypoſtaſim; operationes enim ſunt ſuppoſitorum: atqui in Chriſto eſt una hypoſtaſis, & perſona; ergo & una operatio.

Tertio. Sicut eſſe eſt hypoſtaſis, ita & operari; ſed propter unitatem hypoſtaſis in Chriſto eſt unum eſſe; ergo & una operatio.

XXVII. Reſpondeo ad hæc cum S. Thoma, 3. p. qu. 19. art. 1. Ad primum enim reſpondet ibi, *ad* 5. neg. min. Nam *Aliud eſt proprium operatum operationis divinæ, & operationis humanæ Chriſti: ſicut operatum proprium divinæ operationis eſt ſanatio leproſi: operatum autem proprium humanæ naturæ eſt ejus contactus. Concurrunt autem ambæ operationes ad unum operatum, ſecundum quod una natura agit cum communione alterius.* Videantur ſuperius dicta, & idem S. Doctor ibidem *ad* 2.

XXVIII. Ad ſecundum autem reſpondet S. Thomas citatus ad 3. *Quod operari eſt hypoſtaſis ſubſiſtentis, ſed ſecundum formam, & naturam, a qua operatio ſpeciem recipit: & ideo a diverſitate formarum, ſeu naturarum eſt diverſa ſpecies operationum: ſed ab unitate hypoſtaſis eſt unitas ſecundum numerum, quantum ad operationes ſpeciei. Sicut ignis habet duas operationes ſpecie differentes, ſcilicet, illuminare, & calefacere, ſecundum differentiam lucis, & coloris: & tamen eſt una numero illuminatio ignis ſemel illuminantis. Et ſimiliter in Chriſto oportet, quod ſint duæ operationes ſpecie differentes, ſecundum duas ejus naturas: qualibet tamen operationum eſt una numero in Chriſto ſimul facta, ſicut una ambulatio, & una ſanatio.* Hæc, Sanctus Thoma.

XXIX. Ad tertium dico cum eodem, ad 4. *Quod eſſe, & operari eſt perſonæ a natura: aliter tamen, & aliter. Nam eſſe pertinet ad ipſam conſtitutionem perſonæ: & ſic quantum ad hoc ſe habet in ratione termini: & ideo unitas perſonæ requirit unitatem ipſius eſſe completi, & perſonalis. Sed operatio eſt quidam effectus perſonæ ſecundum aliquam formam, vel naturam: unde pluralitas operationum non præjudicat unitati perſonali.* Nota tamen: quod *eſſe*, quatenus dicit exiſtentiam, dicitur pertinere ad conſtitutionem perſonæ, non eſſentialiter; ſed quia perſona conſtituitur per ſubſiſtentiam cum ordine ad exiſtentiam, a qua accipit ultimum terminum, & complementum,

XXX. Opponi tandem ſolet. Honorius I. Rom. Pont. unam tantum voluntatem, unam operationem docuit eſſe in Chriſto; ergo cum Pontifex Roman. non poſſit errare in fide, hoc ita eſſe tenendum eſt. Antec. prob. primo: Honorius, in *Epiſt. ad Sergium*, lecta *Act.* 12. ſexta Syno-

Synodi Generalis, laudat Sergium, quod auctor fuisset, ut Cyrus, & Sophronius sive ab unius, sive a duplicis operationis vocabulo in Christo abstineret.

Secundo. Dicet, nec Scripturam, nec Patres nunquam meminisse unius, aut duplicis operationis in Christo.

Tertio. Contendit, quæstionem hanc de una vel duplici operatione ad Theologos non pertinere, sed ad Grammaticos tantum.

Quarto, Vetat, ne quis unam, aut duas operationes dicat: ne, si unam, Euticheti faveat; aut, si duas, Nestorio.

Quinto. Aperte definit, unam tantum esse, & dici debere in Christo voluntatem, *Unde* (inquit) *& unum Voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*. Idque probat, primo. Quia alias sequeretur, in Christo fore duas contrarias voluntates. Secundo. Quia putat, metaphorice tantum accipi debere Evangelii verba; cum in Christo voluntatem humanam videntur asserere.

XXXI. Circa Honorii fidem in hac re, non una fuit Antiquorum sententia. Eum defendere conati sumus: tum in vera Ecclesia, *Tom. 1. cap. 11. §. 2. a n. 12.* tum *Tom. 1. in 1. p. q. 3. de Loc. Theolog. Dub. 5. §. 5. num. 32. &c.* ubi varia Doctorum placita retulimus; nostramque opinionem firmavimus. Quare ne inutiliter utroque loco dicta repetamus, illuc Studiosum amandamus.

XXXII. Solum ad ea, quæ superius objecta sunt, respondebimus. Quod enim primo laudat Sergium, quod auctor fuisset silentii inter Cyrum, & Sophronium, non indicat, Honorium in eodem, quo Sergius, errore fuisse: sed eum solum laudasse, quod silentio pro tunc impositio, lites sedasset. Cum enim Sophronius vir zelo ardens pernicioſa Monotheliſmi initia aperte damnaret, totusque Oriens scinderetur in partes; Sergius Monothelitarum fautor, si non Auctor, scripsit ad Honorium contra Sophronium, quod novis duarum voluntatum, & actionum in Christo nominibus totum misceret Orientem. Scripsit & Sophronius, Scripta hinc inde fuerunt varia. Hæc inter dissidia visum est nonnullis, pro bono pacis, abstinendum esse ab unius, vel duplicis voluntatis vocabulo. Non dissensit, ut cederet tempori, Sophronius; consensit per Sergii litteras apparenter sinceras Honorius etiam, scribens & ipse ad Sergium, ipsum laudans, non de falso dogmate, sed de medio excogitato: sperans, ex utriusque partis silentio ingens bonum inde futurum. Sed conventionis leges perfide transgressus Sergius, unam in Christo voluntatem, idque, sed falso, ex sententia Honorii prædicare cœpit.

Hinc ad id, quod secundo, tertio, & quarto loco objicitur, dico, Honorium solum voluisse, abstinendum pro illo tempore a nominibus unius, vel duplicis voluntatis; non autem rem significatam per nomen duplicis voluntatis damnasse. Ratio autem cur illa nomina indiscriminatim non placebant Honorio, erat: quia voces illæ nonnullis erant offendiculo, quod eas proferentes adducerentur in suspicionem, vel Nestorianæ hæresis, si duas voluntates in Christo prædicarent, vel Eutichianæ, si unam tantum.

XXXIII. Ad quintum vero dico. Honorium definisse in Christo, quatenus homo erat, unam tantum esse voluntatem humanam; non vero in Christo, quatenus Deus, & homo erat. Ratio est. Quia cum Sergius ad Honorium scripsisset, quosdam dicere, in Christo esse duas voluntates contrarias, Honorius volens hunc errorem improbare, & sancire nullam esse contrarietatem voluntatum in Christo, ad Sergium rescripsit, Christum non habere duas voluntates contrarias; nimirum, unam, qua caro concupiscit adversus spiritum, quæque concupiscentia dicitur; & alteram rationalem, qua homo vult, quæ rationi sunt consona, ut illi supposuerat Sergius aliquos sentire; sed unam tantum, eamque voluntati Patris conformem. Quod indicant illa verba, quæ sequuntur, nimirum: *Assumpta est nostra natura, non culpa: illa profecto, qua ante peccatum creata est, non qua per prævaricationem vitiata.* Quibus suadetur, Honorium sassum esse in Christo humanam voluntatem secundum quod a Deo creatam; non vero secundum quod erat peccato vitiata. Ita respondet pro Honorio Sanctus Maximus Martyr, in *Dialogo cum Pyrrho*. Et *Epist. ad Marinum*, quæ extat inter Anastasii Collectanea, & alii.

XXXIV. Sed inquies si ita est: cur in sexta Synodo a Leone Secundo confirmata, cui Patres septimæ, & octavæ Synodi adhæserunt, una cum hæreticis Monothelitis anathemate damnatur Honorius, *Actione 16.* in Edicto Imperatoris, & in Epistola Leonis II. Papæ?

XXXV. Hoc est, quod in hac materia facessit negotium, & quod in varias responsiones dividit Auctores. Has recensuimus, *Tom. 1. in 1. part. de Loc. Theol. Qu. 3. Dub. 5. §. 5.* quo Candidatum meum remitto. Ut probabiliorem tamen censeo responsionem, quam ibi elegi, nimirum: Honorium a Synodo sexta juste fuisse damnatum, non ut hæreticum formalem, & electione, seu adhæsione talem: sed, vel tamquam hæreticorum nimia conniventia fautorem, vel quia indulgentia culpabili muneri suæ Sedis defuit, & nascentem hæresim, ut debuerat, non compressit. Videantur ibi dicta. Nimirum, Honorius, qui pro munere sui Apostolatus debuisset Monothelitarum hæreum sua auctoritate statim compescere; ac ejus fautores execrari; eis nimium vel nolens indulsit; & existimans œconomicum consilium, abstinendum censuit ab una, vel duplici operatione & voluntate in Christo, ut vitaret asserta voluntatum contrarietatem; quando, cum agitur de causa fidei, œconomia locum non habet, sed veritas nullo habito respectu prædicanda est. In hoc lapsum fuisse Honorium asserit Leo II. dum ad Hispanos Episcopos scribens, de eo sic loquitur: *Qui flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Et in Epist. ad Constantinum Pogonatum: *Qui* (inquit) *hanc Apostolicam Ecclesiam non est conatus lustrare doctrina Apostolica traditionis; sed profana proditione puram maculari permisit.* Et Constantinus ipse in Edicto suo ait: *Ad hæc & Honorius, qui fuit antiqua Romæ Papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator.* Quibus apparet: Honorium etiam inter se pugnantia scribendo, locum hæresis confirmatione dedisse; & sextæ Synodi Patribus prudentem existimationem ingessisse, eum Monothelitis favisse. Simili fere modo, quo S. Petrus in mensis Gentilium a Legalibus non abstinens, abstinens autem in mensis Judæorum, fundamentum dedit credendi, eum in errore esse, quod Legalia adhuc obligarent: quare a D. Paulo, *Galat. 2. v. 14.* reprehensus fuit: *Quod non recte ad veritatem Evangelii* (Petrus, & qui eum in hoc imitabantur) *ambularent*. Cum tamen nec Petrus, nec alii errarent in fide, sed conversatione tantum; in quo tamen Judæorum errorem fovere videbantur. Concludo. Cum in eadem sexta Synodo lectæ fuissent Litteræ Agathonis Papæ, in quibus inter cætera dicebatur, neminem ex suis Prædecessoribus, inter quos erat Honorius, a fide deviasse; Synodus tantum abfuit, ut mentitum fuisse diceret Agathonem, quin potius conclamavit, non Agathonem, sed S. Petrum per ipsum fuisse locutum. Vel ergo Synodus sibi contradixit, si Honorium tamquam formalem hæreticum cum cæteris damnavit. Vel, quod verius est, Honorium damnavit quidem, sed non ut hæreticum electione, & adhæsione. Præter a nobis dicta citatis locis, videatur Pagi, *Tom. 1. Breviarii Gest. Rom. Pont. in Honorio*.

§. IV.

Explicantur aliqua de Christi Operationibus.

XXXVI. QUæri potest primo: Quotuplicis generis sint operationes in Christo?

Respondeo, triplicis. Aliquæ enim sunt operationes prorsus divinæ; seu quæ ita sunt Christi, ut Deus est, ut nullum dicant respectum ad naturam humanam: cujusmodi est creatio hujus Universi, & animarum rationalium. Aliæ sunt prorsus humanæ; & sunt illæ, quæ naturæ humanæ propriæ sunt, ut edere, bibere, flere, pati. Aliæ sunt mixtæ, in quibus agit utraque natura: ut cum Christus suo contactu curabat ægrotos. In ea enim curatione agebat natura divina per suam omnipotentiam, & humana per suum contactum. Triplicis ejusmodi operationum generis meminit S. Cyrillus Alexandrinus, in *Epist. ad Acacium*, ubi sic ait: *Aliæ sunt voces, quæ divinæ* (naturæ) *maxime conveniunt: aliæ, quæ in humanam naturam congruunt: aliæ medium quemdam ordinem tenent, ac Dei Filium pariter, & hominem simul, & eadem significatione comprehendunt.*

XXXVII. Quæri potest secundo. Quo nomine apud Patres appellentur operationes Christi mixtæ?

Respondeo operationes mixtas a Græcis vocari *Theandricas*, a Latinis autem *Dei viriles*. Vocis hujus *Theandricæ* S. Joann. Damascenus, *lib. 3. de Fide, cap. 19.* inventorem facit B. Dionysium, *Epist. 4.* ad Cajum. *Neque enim* (inquit Damascenus) *humana humanitus efficiebat, cum purus homo non esset: nec rursus divina divino duntaxat modo, quandoquidem non solum Deus erat: sed Deus simul, & homo. Nam uti naturarum tum unionem, tum naturalem distinctionem habemus: ita etiam naturalium voluntarum, & operationum.*

Hanc operationem Theandricam aliter accipiebant Monothelitæ, aliter Catholici. Apud illos enim una erat, non multiplex, ideſt, non mixta ex humana, & divina, sed pure divina. Apud istos autem non una est, sed duplex; est enim complexum ex divina, & humana operationibus unitis quidem, sed distinctis. Ratio hujus petenda est, primo: ex ipso nomine operationis Theandricæ, quod quidem sicut Deum, & hominem connectit, non confundit: ita actionem divinam, & humanam non confusas, sed copulatas declarat. Secundo: ex Martino I. Papa, in Concil. Lateranensi, *Consultatione 3.* contra Monothelitas sic loquente: *Si una est operatio, quæ Theandrica dicitur, eaque sit divina; vel simplex est, & sic Patri Deo competet; quod tamen dici non potest; cum inde sequatur, Patrem* (quod voluit Sabellius) *carnem humanam induisse. Vel est composita: & sic operatio Verbi, quæ prius erat simplex, per Incarnationem facta est composita, ut proinde* (quod tamen repugnat) *mutationes passim est. Nihil igitur aliud* (inquit Damascenus, cap. 19. laudato) *Theandrica actio declarat, quam quod Deo facto viro, hoc est incarnato, humana quoque ipsius actio divina erat, sive deificata, nec divina ipsius operationis expers: rursumque divina ipsius actio humana ipsius*

actio-

actionis exſors non erat: verum utraque una cum altera conſiderabatur. Porro modus hic loquendi Periphraſis dicitur, quando quis duo quædam una dictione complectitur. Quemadmodum enim igniti gladii inciſam unam uſtionem, atque inuſtam ſectionem dicimus; & tamen ſectionem diſtinctam ab uſtione eſſe, nec non alius, aliuſque naturæ aſſeritur, ignis propter nempe uſtionem, & ferri ſectionem: ad eumdem modum Theandricam unam Chriſti actionem dicentes, duas ambarum ipſius naturarum actiones intelligimus; divinitatis ſcilicet ipſius, divinam; humanitatis autem, humanam actionem.

XXXVIII. Quæri poteſt tertio; An omnes Chriſti operationes fuerint Theandricæ?

Dico. Operationes Theandricas in Chriſto eas fuiſſe, in quibus humanitas Chriſti ſpecialiter movebatur a divino Verbo: & proinde omnes illæ operationes, quæ erant mixtæ, & divinitate, & humanitate ſimul operantibus, quales erant illæ, quibus miracula patrabat, & illæ, quibus Verbum ſubjiciebat Chriſti humanitatem Deo, eamque ad humanam ſalutem ordinabat. In omnibus enim iſtis, etiam in motibus, qui in nobis naturales ſunt, ex nutu divinitatis gubernabatur, ideoque Chriſto liberæ erant. Unde Auguſt. Tract. 49. in Joann. *Turbari* (inquit) *tu nolens, turbatus eſt Chriſtus, quia voluit. Eſurivit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit: dormivit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit: contriſtatus eſt Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit: mortuus eſt Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit: in illius poteſtate erat ſic, vel ſic affici, vel non affici.*

XXXIX. Quia vero ſupponunt multi, omnes Chriſti operationes, non ſolum rationales, ſed ſenſitivas, imo & vegetativas, fuiſſe ab inſtanti conceptionis Chriſti, uſque ad ultimum inſtans vitæ a Chriſto volitas, & a Verbo, quod ejus voluntatem regebat, omnes, & ſingulas ordinatas ad gloriam Dei, & ſalutem noſtram; cui favere videtur S. Paulus, qui de Chriſto loquens, *Hebr. 10. v. 5.* ait: *Ideo ingrediens mundum dicit; Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi ... Tunc dixi: ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus, voluntatem tuam.* Propterea volunt, omnes Chriſti operationes fuiſſe operationes Dei hominis, & conſequenter Theandricas, & unamquamque illarum fuiſſe meriti infiniti. Ideoque dicunt, quod ſicut Apoſtolus, *1. Cor. 10. v. 31.* hortatur nos, *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* A fortiori Chriſtus, qui eſt exemplar omnium, in omnibus omnia fecit ad majorem Dei gloriam, eique nedum operationes rationales, ſed etiam ſenſitivæ, & vegetativæ voluntariæ erant, & meritoriæ: ac proinde nedum diligendo Deum, ſed etiam ambulando, manducando, dormiendo, tam bene, quam vigilando, merebatur Chriſtus: nec ſomnus impediebat, quo minus poteſtate Verbi anima vigilaret, juxta illud, Cant. 5. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

XL. Hæc propoſitio fundamentum habet in S. Thoma, *3. p. q. 19. art. 2. in Corp.* ubi dicit: *Quod in quolibet puro homine eſt tantum una operatio, quæ proprie humana dicitur; præterquam tamen ſunt in homine puro quædam aliæ operationes, quæ non ſunt propriæ humanæ. Sed in homine Jeſu Chriſto nullus erat motus ſenſitivæ partis, qui non eſſet ordinatus a ratione. Ipſæ etiam operationes naturales, & corporales aliqualiter ad ejus voluntatem pertinebant: in quantum voluntatis ejus erat, ut caro ejus ageret, & pateretur, quæ ſunt ſibi propria.* Hæc S. Thom. Unde Auguſt. citato loco: *Anima* (inquit) *& caro Chriſti cum Verbo Dei una perſona eſt, unus Chriſtus eſt. Ac per hoc, ubi ſumma poteſtas eſt, ſecundum voluntatis nutum tractatur infirmitas.*

DUBIUM VII.

An omnes defectus corporis humani fuerint aſſumpti a Verbo?

§. I.

De Defectibus communibus toti ſpeciei.

I. DEfectus humani corporis alii ſunt communes toti ſpeciei, ut eſſe corruptibile, mortale &c. Alii vero aliquibus hominibus conveniunt, ratione aliquarum particularium cauſarum, ut ſunt febris, lepra &c.

II. Dico primo. Defectus corporales communes toti humanæ ſpeciei fuerunt a Verbo aſſumpti. Ita S. Thom. *3. p. qu. 14. art. 1.* Conveniens enim fuit, ut corruptibile corpus, aliiſque humanis infirmitatibus obnoxium aſſumeret, propter tria: *Primo quidem; quia ad hoc Filius Dei carne aſſumpta venit in Mundum, ut pro peccatis humani generis ſatisfaceret. Unus autem pro peccato alterius ſatisfaciat, dum pœnam pro peccato alterius debitam in ſe ſuſcipit. Hujuſmodi autem defectus corporales, ſcilicet, mors, fames, ſitis, & hujuſmodi ſunt pœna peccati, quod eſt in mundum per Adam introductum, ſecundum illud,* Rom. 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. *Unde conveniens fuit, quantum ad finem Incarnationis, quod hujuſmodi pœnalitates in noſtra natura ſuſciperet vice noſtra, ſecundum illud, Iſaiæ 53.* Vere languores noſtros ipſe tulit —— *Secundo propter fidem Incarnationis aſtruendam. Cum enim natura humana non aliter eſſet nota hominibus, niſi prout hujuſmodi corporalibus defectibus ſubjaceret; ſi ſine his defectibus Filius Dei humanam naturam aſſumpſiſſet, videretur non fuiſſe verus homo; nec veram carnem habuiſſe, ſed phantaſticam, ut Manichæi poſuerunt. Et ideo, ut dicitur, Phil. 2.* Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. *Unde B. Thomas per aſpectum vulnerum eſt ad fidem revocatus, ut dicitur Joann. 20.* —— *Tertio propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, paſſiones, & defectus humanos fortiter tolerando Unde dicitur, Hebr. 12.* Suſtinuit a peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes.

III. Neque ex quo anima Chriſti habuerit omnem perfectionem, quantum ad gratiam, & quantum ad ſcientiam, ut ſuo loco dicetur; ſequitur, quod ejus corpus debuerit eſſe prorſus perfectum, & nullum habens defectum. —— Nam, ut dicit S. Thom. citato loco, ad primum: *Oportuit animam Chriſti eſſe perfectam, quantum ad habitus ſcientiarum, & virtutum*, ut haberet facultatem ſatisfaciendi; quia ex perfectione animæ ſatisfactio valorem, & efficaciam habet: e contra autem oportuit, *Quod corpus ejus eſſet ſubjectum infirmitatibus, ut ei ſatisfactionis materia non deeſſet.* —— Quamvis autem per hujuſmodi infirmitates abſconderetur ejus divinitas; manifeſtabatur tamen humanitas, per quam accedere debemus ad Deum, ut dicitur, Rom. 5. *Acceſſum habemus per Jeſum Chriſtum ad Deum.* Ut S. Thom. dicit *ad 4.*

IV. Ex his infertur, hujuſmodi defectus non fuiſſe neceſſario aſſumptos: poterat enim Verbum aſſumere corpus ei ſimile, quod Deus in Adamo plaſmaverat. Neque etiam, ſuppoſito quod fuerint aſſumpti, neceſſarium fuit, ut exirent in actum. Humanitas enim Verbo unita impedire potuiſſet, ne orirentur ſenſationes famis, ſitis &c. aliorumque corporalium defectuum actus. Fuerunt tamen neceſſarii, ſpectata conditione naturæ, quam aſſumpſerat; ex qua ſibi, & ſuæ conditioni relicta, hujuſmodi defectus neceſſario prodire debebant. Videas S. Th. *art. 2. qu. 14.* citatæ.

V. Dici tamen non poteſt, Chriſtum hujuſmodi defectus contraxiſſe, ſed eos propria voluntate accepiſſe. Ut enim docet S. Thom. ibi *art. 3.* in hoc verbo, *Contraho*, intelligitur ordo effectus ad cauſam; contrahitur enim id, quod ſimul cum ſua cauſa ex neceſſitate trahitur: cauſa autem horum defectuum in corpore humano eſt peccatum, quia per peccatum mors intravit in hunc mundum *Rom. 5.* Unde cum Chriſtus hos defectus non habuerit ex debito peccati; quia naturam humanam accepit abſque peccato in ea puritate, in qua erat in ſtatu innocentiæ: ideo dici nequit, hujuſmodi defectus contraxiſſe, ſed ex propria voluntate accepiſſe.

§. II.

De Defectibus ex cauſis individualibus.

VI. DIco ſecundo. Defectus, qui conſequuntur communiter totam naturam humanam, propter peccatum primi Parentis; ſed cauſantur in aliquibus hominibus ex quibuſdam particularibus, & individualibus cauſis, ſicut febris, lepra &c. non fuerunt a Verbo aſſumpti. Ita S. Thom. citatus, *art. 4.* Hi enim defectus, ait S. Thom. *Quandoque cauſantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formativæ: quorum neutrum convenit Chriſto. Quia & caro ejus de Spiritu Sancto concepta eſt, qui eſt infinitæ ſapientiæ, & virtutis, errare, & deficere non potens: & ipſe nihil inordinatum in regimine ſuæ vitæ exercuit.* Si tamen Chriſtus violenter non fuiſſet occiſus, ſed in ſenium veniſſet, naturaliter mortuus eſſet; eoque mortuo, corpus ſuum fuiſſet in cineres reſolutum niſi divina virtus obſtitiſſet. Hæc enim eſt conditio naturæ humanæ corruptibilis, quam Verbum voluit aſſumere. Cui conſonat S. Auguſt. *lib. 2. de Pecc. Merit. & Remiſſ. cap. 29.* his verbis: *Sed quia in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia; ut ad mortem videatur etiam ſeneſcendo illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus. Qua tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur, in ſimilitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate ſuſcepta eſt.*

VII. Verum quia inter hujuſmodi defectus recenſeri ſolet deformitas ſtaturæ, & faciei: ideo quærere placet: An Verbum aſſumpſerit in corpore Chriſti formam vilem, ac deformem: an vero elegantem, ac venuſtam? Seu: An Chriſtus elegantis formæ faciem habuerit, an vilis, & deformis? Circa quod apud Veteres invenio diverſitatem. Quidam enim, ut Clemens Alexandr. *lib. 6. Stromat.* Origenes, *lib. 6. contra Celſum*, Tertullianus, *lib. de Carne Chriſti, cap. 9. & lib. 3. contra Marcionem, cap. 17.* vilis, deformis, & contemptibilis ſpeciei, ac figuræ Chriſtum fuiſſe autumarunt. Alii elegantis admodum, ac ſpecioſæ. Alii tandem nec multum vilem, ac deformem, nec multum elegantem formam, faciemque habuiſſe ſentiunt: ita ut nec nimia pulchritudine faciei homines illexerit, nec nimia deformitate abalienaverit. Cum iſtis ergo.

VIII. Dico. Christus nec venusta admodum facie, ac pulchritudine fuit, nec admodum abjecta, vili, ac deformi, sed proportionata: idest, nec nimium pulchra, nec deformi. Priorem partem suadeo sic. Non decebat, ut corpus Christi, quamvis a Spiritu Sancto formatum, eam speciem haberet, quæ homines ad sui amorem alliceret, quamque despectui habendam ipse prædicabat: & in hoc sensu locutum fuisse credo Clementem Alexandr. dum, *lib. 3. Stromatum* dicit, quod Christus, *Qui est Caput Ecclesiæ, in carne quidem informis, & specie carens transit; docens nos respicere ad id, quod est divinæ causæ informe, & incorporeum*. Et etiam: quia si Christi corpus elegans, ac formosum fuisset, homines plus æquo sensibus addicti, nimium fortassis corporali ejus pulchritudini adhæsissent; & plus, quam gratiæ, & virtuti divinitatis.

Hinc cum Regius vates de Christo ait Psalm. 44. v. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum*: non ad externam corporis, sed ad internam animæ pulchritudinem aspexit, *speciosum forma dominum appellat Propheta* (inquit S. Basilius in eumdem Psalm.) *cum aciem mentis pressius intendisset in ejus divinitatem, non carnis pulchritudinem laudat*. Ita sentiunt S. Cyrillus, in *cap. 53. Isaiæ*: Theodoretus, in *Psalm. 44*, S. Irenæus, *lib. 4. adv. Hæres. cap. 65.* modo 33. Et S. August. in eumdem Psalm. *Ne hominem Christum*, inquit, *quemlibet hominem putares, ait*: Præ filiis hominum speciosus forma, *Etiam homo præ filiis hominum*. Quia nimirum, non homo purus, sed homo Deus. Et idem dicit in *Psalm. 103. Conc. 1.*

Nec obest, quod Sanctus Hieronymus, tum in *Epist. ad Principiam virginem*; tum *in cap. 9. Matth.* dicat in vultu Christi emicuisse fulgorem quemdam sydereum, quo ad se venientes attrahere poterat; & quo viso, qui ad eum comprehendendum missi fuerant, corruerunt. —— Nam Hieronymi mens non est, quod e vultu Christi fulgor ille emicuerit semper, sed aliquando. Nemini enim dubium esse debet, quin sicut in quibusdam Sanctis, ita & multo magis in Christi vultu gravitas majestatis, & sydereus fulgor in aliquibus circumstantiis emicuerit: puta, cum ad se discipulos vocavit, cum terrefecit milites, cum quæstuarios ejecit e templo. Verum eam oris majestatem, fulgorem sydereum ex natura sui corporis, & semper emicuisse, negamus.

IX. Secundam vero partem suadent sequentia: Primo. Quia Judæi Christo corporis, vel faciei deformitatem nunquam exprobrarunt; alioquin, si ita fuisset, ex odio, quo in ipsum flagrabant, illi exprobraturi: sicut de facto parentes suboscuros ei vitio vertebant: Matth. 13. v. 55. & Marci 6, v. 3. *Nonne hic est faber, & filius fabri?* Secundo. Nam quemadmodum ut supra dictum est, Christus non debuit eleganti forma hominum oculos ad se attrahere; ita nec debuit deformi, & indecora specie eos a se avertere, sed potius mediocritatem servare in corporis sui forma, ut nec nimium venustate alliceret, nec nimium deformitate averteret a se hominum oculos, & affectus.

Nec refert, quod *Isaiæ 53. v. 2.* dicatur; *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus*. Nam Isaias de Christo loquitur; non qualis a nativitate futurus erat, sed qualem plagis, & tormentis eum effecturi erant carnifices: unde statim subdit: *Despectum, & novissimum virorum, virum dolorum . . . . . Vere languores nostros ipse tulit &c.* Hinc Hieronym. in dictum caput Isaiæ; *Despectus* (inquit) *erat*, & *ignobilis, quando pendebat in Cruce: & factus est pro nobis maledictum &c.* Et S. August. *Serm. 254.* alias 151. *de Tempore*, ait: vidimus eum: *Qualem?* Non habentem speciem, neque decorem. *Quare? Alium Prophetam interroga*: Dinumeraverunt omnia ossa mea. *Dinumerata sunt ossa pendentis. Fœda species, Crucifixi species; sed ista fœditas pulchritudinem parturit. Quam pulchritudinem? Resurrectionis: quia* Speciosus forma præ filiis hominum.

Neque oppositum sentiunt Tertullianus, & Origenes. Tertullianus enim solum vult, Christum habuisse corpus passibile, vulnerabile, contumeliarum, & plagarum capax; non vero corpus sydereum, & Cæleste. In libro enim de Carne Christi agebat contra Appellitas, qui Christo corpus Cæleste tribuebant, ait enim: *Quomodo, inquam, contemni, & pati posset, sicut & dixi, si quid in illa carne de Cælesti generositate radiasset? Ex hoc ergo convincimus, nihil in illa de Cælis fuisse, propterea, ut contemni, & pati posset.* In lib. autem contra Marcionem, volentem Christum habuisse corpus solum phantasticum; ipsum de falsitate, inter cætera, convincit ex eo, quod Christus habuerit corpus usque ad passionem, & mortem contemptibile.

Origenes autem non asserit Christo corpus deforme; sed solum Celso id objicienti non respondet. Porro ex Origenis silentio nihil concluditur. Patres enim solliciti non fuerunt omnia Gentilium argumenta solvere, quæ nullam fidei labem inferunt. Satis fuit eis divinam Christi, dum in terris degeret, missionem, ejusque virtutes adversus eos vindicare, de externa corporis orisque forma parum curentes.

Fuit ergo Christus ea vultus, & corporis forma, quæ maxime virilem dignitatem deceret, & sui venerationem conciliaret; non quæ lænocinium sensuum faceret ac oculorum. Ita S. Jo: Chrysost. *Homil. 28. in cap. 8. Matth.* dicens *Repellebat igitur turbam, quoniam erant ei affixi non pauci amantes, admiranteque ipsum; videreque ipsum semper cupientes*. Idem sentire videtur S. Thom. tum *3. p. q. 5. a. 1. ad 3.* ubi exponens dictum Severiani (seu verius Petri Chrysol. Serm. 82.) *Nemo putat Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse*, ait: *Quod est intelligendum quantum ad lineamenta membrorum: quia nihil inordinatum, & deforme fuerat in corpore Christi per Spiritum Sanctum concepto, quod in resurrectione corrigendum esset. Accepit tamen in resurrectione gloriam claritatis*. Tum, *in exposit. Psal. 44.* dicens: *Pulchritudo consistit in proportione membrorum, & colorum: & ideo alia est pulchritudo unius, alia alterius: & sic hanc pulchritudinem Christus; secundum quod competebat ad statum, & reverentiam suæ conditionis, habuit*.

DUBIUM VIII.

An Passiones, & Defectus Animæ humanæ Verbum assumpserit?

§. I.

De Passionibus.

I. PAssiones animæ sunt, dolor sensibilis, tristitia, timor, admiratio, ira. Defectus autem sunt, ignorantia, peccatum, fomes peccati. De primis erit sermo in præsenti §. de secundis vero in sequenti.

II. Dico primo. Passiones fuerunt in Christo, aliter tamen, ac in nobis. Ita S. Thom. *3. p. quæst. 15. art. 4.* ubi docet: *Quod animam in corpore constitutam dupliciter contingit pati. Uno modo, passione corporali: alio modo, passione animali. Passione quidem corporali patitur per corporis læsionem. Cum enim anima sit forma corporis, consequens est, quod unum sit esse animæ, & corporis: & ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est dicere, quod anima per accidens perturbetur, scilicet, quantum ad esse, quod habet in corpore. Quia igitur corpus Christi fuit passibile, & mortale, ut supra habitum est; necesse fuit, ut etiam ejus anima hoc modo passibilis esset*.

Passione autem animali pati dicitur anima, secundum operationem, quæ vel est propria animæ, vel principalius est animæ, quam corporis. Et quamvis etiam secundum intelligere, & sentire dicatur hoc modo anima aliquid pati: tamen sicut in secunda Parte dictum est (1. 2. quæst. 22.) *propriissime dicuntur passiones animæ affectiones appetitus sensitivi; quæ in Christo fuerunt, sicut & cætera, quæ ad naturam hominis pertinent. Unde Augustinus, in 14. de Civit. Dei* (cap. 9.) Ipse Dominus in forma servi vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit: neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus; falsus erat humanus affectus.

Sciendum tamen est, quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem, quantum ad objectum; quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita: quod in Christo non fuit. Secundo, quantum ad principium; quia hujusmodi passiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Unde Augustinus dicit 14. de Civit. Dei (loco citato) *quod* Hos motus certissimæ dispensationis gratia, ita, cum voluit, suscepit animo humano, sicut, cum voluit, factus est homo. *Tertio, quantum ad effectum; quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem: quod in Christo non fuit. Quia motus naturaliter humana carni convenientes, sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant; quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quæ conveniebant. Unde Hieronym. dicit, super Matth.* (capit. 26. super illud *Cœpit contristari*) *quod* Dominus noster, ut veritatem assumpti probaret hominis, vere quidem contristatus est: sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem dicitur, quod cœpit contristari: *ut passio perfecta intelligatur, quando animo, idest, rationi, dominatur: propassio autem, quando est inchoata in appetitu sensitivo, sed ulterius non se extendit*. Hac Sancti Thomæ doctrina non solum firmatur hæc Assertio; sed omnia, quæ in contrarium objici possent, præveniuntur. Unde nihil addendum censeo.

III. Dico secundo. In Christo fuit dolor sensibilis. Ita S. Thom. *q. 15.* citata *art. 5.* probat primo ex illo Isaiæ, 53. vers. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Deinde ostendit hoc discursu. *Ad veritatem doloris sensibilis requiritur læsio corporis, & sensus læsionis: corpus autem Christi lædi poterat, quia erat passibile, & mortale, ut supra habitum est; nec defuit illi sensus læsionis, cum anima Christi perfecte haberet omnes potentias naturales: ergo nulli dubium debet esse, quin in Christo fuerit verus dolor*.

IV. Dices Subjacere necessitati doloris, est proprium carnis in peccato conceptæ: sed Christi caro non fuit in peccato concepta: ergo &c.

Respondeo, dist. maj. subjacere ex necessitate reatus peccati, est &c. conc. maj. Subjacere solum ex necessitate principiorum naturalium, neg. maj. *Caro* (inquit S. Thom. citatus ad 2.) *in peccato concepta subjacet dolori, non solum ex* neces-

neceſſitate principiorum naturalium; ſed etiam ex neceſſitate reatus peccati: quæ quidem neceſſitas in Chriſto non fuit, ſed ſolum neceſſitas naturalium principiorum. Quæ aſſumpſit, quia voluit.

V. Dices ſecundo. Hilarius *lib.* 10. *de Trinit.* negat, animam Chriſti verum ſenſiſſe dolorem, & eam comparat aquæ, dum telo perforatur. Unde ſicut aqua dum perforatur telo, dolorem non ſentit; ſic neque Chriſti anima. En ejus verba. *Unigenitus Deus hominem verum, non deficiens a ſe Deo, ſumpſit; in quem, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus deſcenderet, aut nodi concurrerent, aut ſuſpenſio elevaret; afferrent quidem hæc impetum paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent, ſicut telum aliquod aquam perforans.*

VI. Aliqui reſpondent, S. Hilarium in hoc aliquid humanum paſſum fuiſſe. Sed præſtat ipſum ad verum ſenſum trahere, ex D. Thom. citato, *ad* 1. dicendo: Hilarium a carne Chriſti non veritatem doloris, ſed neceſſitatem excludere intendiſſe, neceſſitatem, inquam, radicalem, quæ eſt ex peccato; non vero proximam, quæ eſt ex compoſitione contrariorum, quamvis hanc ſolum habuerit, quia voluit. Quare cum comparat animam Chriſti cum aqua, quæ telo perforatur, non vult indicare, quod anima Chriſti dolorem actu non ſenſerit: ſed ſolum, quod cum illud non ſenſerit ex neceſſitate, potuerit ipſum non magis ſentire, quam aqua, cum telo aliquo perfoditur —— Advertendum ulterius cenſeo, S. Hilarium loqui de Chriſto, ut eſt Verbum. Agebat enim contra Arianos; qui, ut ſupra dictum eſt, contendentes, Verbum in Chriſto ſtetiſſe loco animæ, ex dolore, metu, aliiſque paſſionibus, quæ in Chriſto fuerunt, inferebant, Verbum non eſſe Deum.

VII. Dices tertio. Anima Chriſti fruebatur delectatione beatitudinis: erat enim beata; ergo non poterat ſentire dolorem.

Reſp. neg. conſ. Eſto enim anima Chriſti frueretur beatitudine, tamen *Virtute divinitatis Chriſti diſpenſative ſicut beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus; ne ejus paſſibilitas, & mortalitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis ſic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires ſenſibiles, ne per hoc dolor ſenſibilis excluderetur.* Ita S. Thom. citatus, *ad* 3.

VIII. Dico tertio. In Chriſto fuit triſtitia, alio tamen modo, quam in nobis. Utraque pars eſt S. Thomæ, *q.* 15. laudata, *artic.* 6. Et primum probat, Tum ex illo, Matth. 26. *Triſtis anima mea uſque ad mortem.* Unde Ambroſius, *lib.* 2. *de fide ad Gratianum. cap.* 3. Ut homo inquit triſtitiam habuit: *Suſcepit enim triſtitiam meam: confidenter triſtitiam nomino, quia crucem prædico.* Probat enim, hoc diſcurſu. Nam ſicut dolor ſenſibilis eſt in appetitu ſenſitivo, ita & triſtitia, cum hac differentia: quod *Objectum, & motivum doloris eſt læſio ſenſu tactus percepta, ſicut cum aliquid vulneratur; objectum autem, & motivum triſtitiæ eſt nocivum, ſeu malum interius apprehenſum, ſive per rationem, ſive per imaginationem: ſicut cum aliquis triſtatur de amiſſione gratiæ, vel pecuniæ. Sed potuit anima Chriſti interius apprehendere aliquid, ut nocivum, & quantum ad ſe, ſicut paſſio, mors ejus fuit: & quantum ad alios, ſicut peccatum diſcipulorum, vel etiam Judæorum occidentium ipſum;* ergo *Sicut in Chriſto potuit eſſe verus dolor, ita potuit in eo eſſe vera triſtitia.*

Secundum autem probat ex triplici motivo, quod ſupra aſſignavit, eum communiter de paſſionibus animæ loqueretur. Videantur ſuperius dicta §. 1.

IX. Dices. Triſtitia eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt: ſed nihil paſſus eſt Chriſtus contra ſuam voluntatem: dicitur enim *Iſaiæ 53. verſ.* 7. Oblatus eſt, quia ipſe voluit; ergo in eo non fuit triſtitia.

Reſpondet S. Thom. artic. 6. citato, ad 4. *Quod nil prohibet, aliquid eſſe contrarium voluntati ſecundum id, quod tamen eſt volitum ratione finis, ad quem ordinatur: ſicut medicina amara non eſt ſecundum ſe volita, ſed ſolum ſecundum quod ordinatur ad ſanitatem. Et hoc modo mors Chriſti, & ejus paſſio fuit, ſecundum ſe conſiderata, involuntaria, & triſtitiam cauſans; licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui eſt redemptio humani generis.*

X. Dico quarto. In Chriſto fuit etiam timor, modo infra explicando. Ita S. Thom. *qu.* citata *art.* 7. Et probat ex illo Marci, 14. verſ. 33. *Cœpit Jeſus pavere, & tædere.* Verum advertit: *Quod ſicut triſtitia cauſatur ex apprehenſione mali præſentis: ita timor cauſatur ex apprehenſione mali futuri. Apprehenſio autem mali futuri, ſi omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Unde Philoſophus dicit, in* 2. *Rhetor. cap.* 5. *quod timor non eſt, niſi ubi eſt aliqua ſpes evadendi. Nam quando nulla ſpes eſt evadendi, apprehenditur malum, ut præſens; & ſic magis cauſat triſtitiam, quam timorem.*

Sic ergo timor poteſt conſiderari quantum ad duo. Uno modo, quantum ad hoc, quod appetitus ſenſitivus naturaliter refugit corporis læſionem, & per triſtitiam, ſi ſit præſens, & per timorem, ſi ſit futura: & hoc modo, timor fuit in Chriſto; ſicut & triſtitia. Alio modo, poteſt conſiderari ſecundum incertitudinem futuri eventus: ſicut quando nocte timemus ex aliquo ſonitu, quaſi ignorantes, quid hoc ſit: & quantum ad hoc, timor non fuit in Chriſto. Hæc S. Thomas.

XI. Nota tamen: quod timor iſte, qui ponitur in Chriſto, de malo imminenti futuro, etiamſi ſciatur certo futurum, a Damaſceno, *lib.* 3. *de Fide cap.* 23. vocatur *Naturalis*, & ab aliis ſimplex diſplicentia, quæ eſt actus animæ naturaliter malum refugientis, & ſeipſam vireſque ſuas contra illud contrahentis. Timor vero qui eſt de malo, quod non apprehenditur inevitabile, eſt actus perfectus, & efficax, & qui inducit ad conſulendum de modo evadendi. Et hic in Chriſto non fuit; qui, ſuppoſita voluntate obediendi præcepto Patris de morte, mors ab eo non erat rationabiliter evitabilis; nec poterat juſte procurare media ad eam evitandam.

XII. Dico quinto. In Chriſto fuit admiratio ſecundum ſcientiam experimentalem. Ita S. Thom. citatus, *a.* 8. Et probat ex illo Matth. 8. verſ. 10. *Audiens autem (Jeſus,* ſcilicet, verba Centurionis) *miratus eſt.* Nota tamen: *Quod admiratio proprie eſt de aliquo novo, & inſolito. In Chriſto autem non poterat eſſe aliquod novum, & inſolitum, quantum ad ſcientiam divinam, qua cognoſcebat res in Verbo; neque etiam quantum ad ſcientiam humanam, qua cognoſcebat res per ſpecies inditas. Potuit autem aliquid eſſe ſibi novum, & inſolitum, ſecundum ſcientiam exprimentalem, ſecundum quam ſibi poterant quotidie aliqua nova occurrere. Et ideo ſi loquamur de ſeipſo, quantum ad ſcientiam divinam, & ſcientiam beatam, vel etiam infuſam; non fuit in Chriſto admiratio. Si autem loquamur de eo, quantum ad ſcientiam experimentalem: ſic admiratio in eo eſſe potuit. Et aſſumpſit hunc affectum ad noſtram inſtructionem; ut ſcilicet doceat eſſe mirandum, quod etiam ipſe mirabatur. Unde dicit Auguſtinus, in* 1. *ſuper Gen. contra Manichæos cap.* 8. Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc opus eſt hic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi ſigna ſunt, ſed docentis Magiſtri.

XIII. Quatuor autem modis contingere poteſt admiratio. Primus eſt ignorantia cauſæ, quam, viſo effectu inſolito, ſcire deſideramus: & hic modus admirationis in Chriſto eſſe non potuit.

Secundus eſt ex apprehenſione rei magnæ, & inſolitæ, etſi antea cognoſceretur; ex qua, ſi bona eſt, oritur deſiderium eam laudandi.

Tertius huic affinis eſt, quando, viſo effectu inſolito, incitamur ad eum laudandum, ejuſque cauſam. Et alterutro ex his modis dici poteſt, Chriſtum admiratum fuiſſe fidem Centurionis: non quod eſſet magna, quantum ad ipſum, ſed quia erat magna quantum ad alios (inquit S. Thom. ibi *ad* 2.) & ideo eam laudavit.

Quartus eſt, quando licet effectus, & cauſa cognoſcantur, non adeſt tamen facultas effectum illum cauſandi; & hoc etiam modo potuit eſſe admiratio in Chriſto: ejus enim anima per vires naturales facere non poterat ea, quæ admiratione digna contingebant.

XIV. Dico ſexto. In Chriſto fuit ira per zelum, non per vitium. Probat S. Thom. hac quæſt. 15. art. 9. ex illo Pſalm. 98. verſ. 10. *Zelus Domus tuæ comedit me.* Deinde dicit: *Quod ira eſt effectus triſtitiæ: ex triſtitia enim alicui illata conſequitur in eo, circa ſenſitivam partem, appetitus repellendi illatam injuriam, vel ſibi, vel aliis. Et ſic ira eſt paſſio compoſita in triſtitia, & appetitu vindictæ. Dictum eſt autem, quod in Chriſto triſtitia eſſe potuit. Appetitus etiam vindictæ quandoque eſt cum peccato, quando ſcilicet aliquis vindictam quærit, abſque ordine rationis. Et ſic ira in Chriſto eſſe non potuit: hujuſmodi enim dicitur ira per vitium. Quandoque vero talis appetitus eſt ſine peccato, imo eſt laudabilis; puta, cum aliquis appetit vindictam, ſecundum ordinem juſtitiæ: & hac vocatur ira per zelum. Dicit enim Auguſt. ſuper Joann. (tract.* 10.) *Quod* Zelo Domus Dei comeditur, qui omnia perverſa quæ videt, ſatagit emendare: & ſi emendare non poteſt, tolerat, & gemit. *Et talis ira fuit in Chriſto.*

XV. Adverte tamen cum eodem S. Doctore, ibi *ad* 1. Quod ira quandoque prævenit rationem, & trahit eam ſecum ad operandum; & tunc ira dicitur operari, nam operatio tribuitur principali agenti: & ſecundum hoc intelligitur dictum Jacobi 1. *Ira viri juſtitiam Dei non operatur.* Quandoque vero ira ſequitur rationem, & eſt quaſi inſtrumentum ipſius; & tunc operatio, quæ eſt juſtitiæ, non attribuitur iræ, ſed rationi. Et hoc modo ira fuit in Chriſto. Et tunc maxime cum zelo vindicandi honorem domus Dei, facto ex funiculis flagello, ejecit vendentes; & ementes de Templo: dicitur enim, Joann. 2. verſ. 17. *Recordati ſunt vero diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt, zelus Domus tuæ comedit me.*

§. II.

De Defectibus Animæ.

DEfectus animæ, vel ſunt in parte intellectiva, ut ignorantia: vel in parte volitiva, ut peccatum, & fomes peccati.

XVI. Dico ergo primo. In Chriſto non fuit ignorantia. Eſt contra Calvinum, *lib.* 2. *Inſt. cap.* 16. §. 10. quem impugnavimus, in *Vera Eccleſia, Tim.* 1. *cap.* 4. §. 3. num. 14. quo meum Candidatum mitto. Ea tamen docet S. Thom. citata *quæſt.* 15. *art.* 3. Probatque primo. Nam ignorantia per ignorantiam non tollitur; ſed Chriſtus ad hoc venit, ut ignorantias noſtras auferret: venit enim, *Ut illumina-*

naret his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent; ergo in Chriſto ignorantia non fuit —— Deinde, ſicut in Chriſto fuit plenitudo gratiæ, & virtutis: ita in ipſo fuit plenitudo omnis ſcientiæ: ſed plenitudo gratiæ, & virtutis, excludit omne peccatum, & fomitem peccati, ut dicemus; ergo plenitudo ſcientiæ excludit ignorantiam, quæ ſcientiæ opponitur.

XVII. Dico ſecundo. In Chriſto nullo modo fuit defectus peccati, ſive originalis, ſive actualis. Ita S. Thomas, dicta *quæſt.* 15. *art.* 1. Et eſt de fide contra hæreſim Phariſæorum, contra quos Chriſtus ipſe, *Joann.* 8. *v.* 46. ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Probat S. Doct. hanc veritatem hoc diſcurſu. Chriſtus aſſumpſit defectus noſtros, *Ut pro nobis ſatisfaceret, ut veritatem humanæ naturæ comprobaret, & ut nobis fieret exemplum virtutis*: atqui ſecundum hæc tria manifeſtum eſt, quod non debuit aſſumere defectum peccati; ergo &c. Min. quantum *ad* 1. probat: *Quia peccatum nihil operatur ad ſatisfactionem; quinimmo virtutem ſatisfactionis impedit. Quia, ut dicitur, Eccleſ.* 34. Dona iniquorum non probat Altiſſimus. *Similiter ex peccato non demonſtratur veritas humanæ naturæ; quia peccatum non pertinet ad humanam naturam cujus Deus eſt cauſa: ſed magis eſt contra naturam per ſeminationem diaboli introductum, ut Damaſcenus dicit, lib.* 2. *de fide cap.* 30. Neque tertio, *peccando, exemplum virtutis præbere potuit, cum peccatum contrarietur virtuti.* Ergo &c.

XVIII. Dicitur tamen peccata noſtra portaſſe, & quaſi feciſſe ſua, non quoad culpam, ſed quoad pœnam; quam pro peccatis noſtris in ſe tamquam Fidejuſſor ſuſcepit. Dicitur etiam factus *peccatum*, ideſt, Hoſtia pro peccato, ut docet S. Thom. citatus, *ad* 4. qua ratione, *Oſee* 4. dicitur, *Peccata populi mei comedens*, ſcilicet, Sacerdotes qui ſecundum legem comedebant Hoſtias pro peccato oblatas.

XIX. Dices tamen. Omnes, qui fuerunt in Adam, peccaverunt, ut ait Apoſtolus, *Rom.* 5. ſed Chriſtus fuit originaliter in Adam, ſecundum carnem, cum ab eo genealogice deſcenderit; ergo ſaltem peccatum originale ſuſcepit.

XX. Reſpondeo cum S. Thom. citato, *art.* 1. *ad* 2. diſt. maj. Qui fuerunt in Adam, & ſecundum corpulentam ſubſtantiam, & ſecundum ſeminalem rationem peccaverunt, conc. maj. Secundum corpulentam ſubſtantiam tantum, nego maj. Hanc reſponſionem ſumpſit Angelicus Doctor ex S. Auguſt. *lib.* 10. *ſuper Gen. ad litteram, cap.* 19. *&* 20. Nos ergo fuimus in Adam ſecundum ſeminalem rationem, & ſecundum corpulentam ſubſtantiam, ideſt, non ſolum de materia, ex qua fuit Adam, ſed etiam accepta active ab Adam, ideoque ejus peccatum contrahimus. Chriſtus autem *Non fuit in Adam ſecundum ſeminalem rationem, ſed ſolum ſecundum corpulentam ſubſtantiam. Et ideo Chriſtus non accepit active ab Adam humanam naturam, ſed ſolum materialiter: Active vero a Spiritu Sancto. Sicut & ipſe Adam materialiter ſumpſit corpus ex limo terræ, active autem a Deo. Et propter hoc Chriſtus non peccavit in Adam, in quo fuit ſolum ſecundum materiam.* Hæc S. Thom.

XXI. Dico tertio. In Chriſto neque fuit fomes peccati. Ita S. Thomas, dicta *qu.* 15. *art.* 2. cujus ratione ſic probo. Virtus, quo fortior eſt, eo magis vires inferiores ſubdit rationi, & eo magis debilitat fomitem, qui eſt inclinatio ſenſualis appetitus ad id, quod eſt contra rationem; ergo in Chriſto, in quo fuerunt perfectiſſimo modo gratia, & virtutes, ita erant inferiores vires ſubditæ, & obedientes rationi, ut nullatenus ad oppoſitum inclinare poſſent; eo modo, quo in Adamo fuiſſent, ſi non peccaſſet; ergo ſicut in Adamo innocente fomes non fuiſſet, ita non fuit in Chriſto. —— Addo: quod illud, quod non conducit ad ſatisfactionem, non debuit aſſumi a Verbo: ſed fomes peccati non conducit, imo inclinat ad oppoſitum ſatisfactioni; ergo &c.

XXII. Dices. Ex eodem principio, nempe, ex ſubtractione juſtitiæ originalis, oritur fomes peccati, & paſſibilitas, ſeu mortalitas corporis: ſed Verbum aſſumpſit paſſibilitatem, & mortalitatem; ergo etiam fomitem.

XXIII. Reſpondet S. Thomas citatus, ad 1. *Quod inferiores vires pertinentes ad ſenſibilem appetitum naturaliter ſunt obedibiles rationi: non autem vires corporales, vel humorum corporalium, vel etiam ipſius animæ vegetabilis..... & ideo perfectio virtutis, quæ eſt ſecundum rationem rectam, non excludit paſſibilitatem corporis: excludit autem fomitem peccati; cujus ratio conſiſtit in reſiſtentia ſenſualis appetitus ad rationem.*

XXIV. Dices ſecundo. Tanto ſpiritus oſtenditur fortior, quanto magis ſuperat hoſtem, nempe concupiſcentiam carnis: ſed Chriſtus habuit ſpiritum fortiſſimum; debuit ergo habere concupiſcentiam, quam ſuperaret, & ſuperando dignus eſſet corona.

XXV. Reſpondeo cum S. Thom. ibidem ad 3. *Quod fortitudo ſpiritus aliqualis oſtenditur ex hoc, quod reſiſtet concupiſcentiæ carnis ſibi contrariantis: ſed major fortitudo ſpiritus oſtenditur, ſi per ejus virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra ſpiritum concupiſcere poſſit. Et ideo hoc competebat Chriſto, cujus ſpiritus ſummum fortitudinis gradum attigerat. Et licet non ſuſtinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis; ſuſtinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte mundi, & Diaboli, quos ſuperando victoriæ coronam promeruit.*

DUBIUM IX.

An in Chriſto ut Homine fuerit Potentia peccandi?

§. I.

De Peccato conjungendo cum Unione ad Verbum.

I. Poſito, quod humanitas Chriſti nunquam peccaverit, ut vidimus, quærendum ſupereſt: An potuerit peccare? Quæſtio hæc in duplici ſenſu agitari poteſt Primo: An potuerit peccare, ſimul retinendo unionem cum Verbo: hoc eſt, conjungendo peccatum cum unione hypoſtatica? Secundo: An potuerit peccare peccato dividente unionem; ita ut peccando amitteret unionem, quam habebat cum Verbo: eo pacto, quo Juſtus poteſt peccare, amittendo gratiam, quam habet?

II. Quæſtio quoque procedit de potentia proxima, & non tantum remota, & radicali; qua nempe humanitas Chriſti peccare potuiſſet, ſi non fuiſſet conjuncta cum Verbo: hanc enim potentiam ſupponimus fuiſſe in Chriſti humanitate. Nam humanitas Chriſti erat creatura, & ex nihilo; ergo defectibilis. Erat ejuſdem ſpeciei cum aliis humanitatibus; ergo illi non eſt deneganda libertas abſoluta, & radicalis, nedum contradictionis, ſed etiam contrarietatis.

III. Chriſtum fuiſſe impeccabilem, conveniunt omnes Theologi: in aſſignanda tamen cauſa intrinſeca hujus impeccabilitatis diſſendit Scotus ab aliis. Iſte enim non vult, cauſam intrinſecam hujus impeccabilitatis in Chriſto fuiſſe unionem hypoſtaticam cum Verbo: hac enim ſtante potuiſſet adhuc peccare, abſque ulla repugnantia ſaltem phyſica: ſed quia cum in primo inſtanti unionis ejus cum Deo, fuerit beatus, beatitudo abſtulit illi omnem peccabilitatem, ſeu potentiam peccandi. Cæteri tamen cum S. Thoma ſentiunt, cauſam intrinſecam impeccabilitatis in Chriſto, ut homine, fuiſſe unionem hypoſtaticam cum Verbo: quibus adhæret S. Bonaventura *in* 3. *diſt.* 12.

IV. Dico ergo. Humanitas Chriſti non poterat peccare peccato conjungendo cum unione ad Verbum: ideoque talis unio erat cauſa intrinſeca impeccabilitatis ejus, probatur. Cum ſumma ſanctitate non poteſt conjungi peccatum: ſed humanitas Chriſti erat infinite ſancta per Sanctitatem Verbi; ergo &c. Prob. maj. Cum ſanctitate accidentali per gratiam non poteſt conjungi peccatum, ex communiori ſententia, ut oſtendimus, *Tom.* 2. *q.* 1. *de Eſſ. Juſtific. Dub.* 7. contra Scotum: unde anima non poteſt eſſe in gratia, & ſimul in peccato, juxta illud 1. Joann. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: ergo a fortiori peccatum conjungi nequit cum ſanctitate ſubſtantiali, & infinita, quale eſt Verbum. Natura enim humana unita Verbo eſt ſubſtantialiter deificata, Deo digna, & Deo gratiſſima; nullum ergo vel leve peccatum, cum tali unione conjungere poteſt.

V. Secundo probatur. Si humanitas Chriſti, ſtante unione cum Verbo, peccare potuiſſet, idem potuiſſet dici de Verbo: ſiquidem, ſtante communicatione idiomatum, omnia, quæ dicuntur de humanitate, ut principio *Quo*, dicuntur quoque de ſuppoſito, ut principio *Quod*: ideo enim verum eſt, quod Deus eſt paſſus, Deus eſt mortuus, quia paſſio, & mors de humanitate, cui Verbum eſt ſuppoſitaliter unitum, dicuntur, ut de principio *Quo*; ergo ſi humana natura, ut unita Verbo, peccare potuiſſet, idem dici poſſet de Verbo: ſicut ſi de facto humanitas peccaſſet, dictum fuiſſet, quod Verbum peccaſſet. Et ratio eſt. Quia actiones ſunt ſuppoſitorum; ita ut vere, & proprie dici poſſit, quod omnes operationes, ſive bonæ ſint, ſive malæ, quarum natura eſt principium *Quo*, ſint ſuppoſiti, ut principii *quod*, eique ſive ad meritum, ſive ad demeritum tribuantur: ideoque ſupra oſtenſum eſt, actiones Chriſti eſſe valoris infiniti, quia perſona Verbi, cujus erant, eſt infinita.

VI. Scio, Scotum reſpondere, actiones tribui ſuppoſito, non effective, & motive, quia perſonalitas non eſt operativa: ſed ſolum denominative, quatenus actio quidem tota procedit a natura; ſed tamen quia ſuppoſitum naturam ſuſtinet, ideo denominatur operans, ſeu agens.

VII. Sed contra eſt. Nam ita eſt vera hæc propoſitio: *Suppoſitum, ſeu perſona operatur*, ſicut eſt falſa iſta: *Natura operatur*; ergo id, quod proprie operatur, eſt ſuppoſitum. Anteced. probat. ex Concil. Florentino, *Seſſ.* 18. ubi Doctores Latini ex hoc axiomate: *Operationes ſunt ſuppoſiti*, probant contra Græcos, quod natura non generat, ſed Pater, natura non ſpirat, ſed Pater, & Filius. Certum eſt autem, quod Pater non tantum denominative generat, ſed effective, ſicut Pater, & Filius non tantum denominative ſperat, ſed effective. Et ratio eſt. Quia licet perſonalitas non ſit activa, ſuppoſitum tamen, per eam conſtitutum, ita eſt activum, ut ſit principium, *Quod* operationem elicit, ſicut natura ejuſdem operationis principium *Quo*. Unde fit, quod ſuppoſitum cum natura ſit unum totale principium operationis productivum.

Unde

Unde in Concil. Florentin. *Sess.* 18. citata, Joannes Theologus contra Marcum Ephesium sic dicebat: *Ego affirmavi, quod dicimus: Filium a Patre generari; idem esse ac dicere, Filium generari a substantia Patris; ita ut, quod producit, sive generat, persona sit; principium vero per quod generat, sit ipsa, qua aliis communicatur . . . . . Idcirco in humanis est qui generat hic homo, hoc est, persona suppositum subsistens, substantia vere causa est . . . . In homine est humanitas: hac dicitur principium, per quod homo generat.* Cum ergo in Christo persona Verbi operaretur per humanitatem, tamquam per instrumentum sibi conjunctum: ideo quidquid operabatur Christus, ut homo, operabatur Verbum.

VIII. Neque afferatur exemplum, Scotistis familiare, de aqua calida, quæ dum aliquem calefaciat, ipsa non est propria principium calefactionis, sed solum subjectum sustentans calorem — Nam calor advenit aquæ tamquam accidens, & quidem contra naturalem ejus inclinationem, Verbo autem divino non sic advenit humana natura, sed sic, ut substantialiter, & hypostatice eam sibi uniat: & ita sustentet, sicut alia suppositа sustentare solent naturam, cujus sunt suppositа, & operari per illam.

IX. Dicunt primo Scotistæ. Unio hypostatica non habet intrinsecam incompossibilitatem cum potentia peccandi in natura assumpta: neque enim determinat voluntatem ad non peccandum, sed solum determinat naturam ad esse subsistantiale Verbi.

X. Respondeo, neg. ant. Si enim gratia accidentaliter deificans animam Justi est incompatibilis cum peccato lethali, ut conjungendo cum ipsa: multo magis gratia substantialis erit incompatibilis cum quocumque peccato ipsi conjungendo. In Incarnatione enim factum est, inquit August. *in Enchirid. cap.* 40. ut natura hominis *Verbo Deo copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui Filius hominis; & Filius hominis, qui Filius Dei: ac sic in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum peccatum posset admittere.* En Augustinum referentem impotentiam peccandi in Christo ad unionem cum Verbo, qua gratia facta est illi naturalis; cum idem sit Filius hominis, ac Filius Dei. Et proinde si Filius Dei non potest peccare, nec potest Filius hominis, qui simul est Filius Dei; alioquin peccatum Filii hominis esset peccatum Filii Dei.

XI. Neque dicant, humaniratem Christi, ejusque libertatem fuisse ejusdem rationis cum nostra, neque ullam ejus facultatem fuisse a Verbo impeditam; ergo neque facultatem peccandi.

Respondeo, nego conf. seu verius suppositum. Facultas enim, & potentia peccandi non est facultas, sed defectus facultatis, & potentiæ: unde Deus, qui omnipotens est, & summe liber, facultate, & potentia peccandi caret; & proinde hunc defectum impedire debuit in humanitate assumpta. Ideoque S. August. *lib. de Corrept. & Grat.* 11. ait: *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana susceptа, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita susceptа, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Ex quo igitur in Christo fuit voluntas ejusdem speciei cum nostra; sequitur quidem, quod in eo fuerit facultas radicalis, qua nos peccamus: sed hæc facultas in ipso per assumptionem a Verbo fuit impedita. Persona enim divina, esto in operationibus humanitatis nihil physicum immutaverit, debuit eas quantum ad esse morale sic determinare, ut in omnibus humanitas, quam ipse gubernabat, sustentabat, & fecerat suam, servaret rectæ rationis ordinem.

XII. Dicunt secundo. Ex eo, quod voluntas humana Christi peccare posset, vel etiam peccaret, non idcirco divinum suppositum peccare posset, vel peccaret; ergo &c. Ant. prob. Omnes actiones ad extra sunt communes toti Trinitati; sed eo casu posito, nec Pater, nec Spiritus Sanctus peccaret; ergo nec Filius.

XIII. Respondeo, neg. ant. Ad ejus probationem, dist. major. Sunt communes toti Trinitati, ut efficienti, conc. maj. Ut causæ velut formali, nego maj. Hoc autem modo operationes humanitatis Christi ita sunt Verbi, ut non sint nec Patris, nec Spiritus Sancti propriæ. Cum enim nec Pater, nec Spiritus Sanctus humanitatem assumpserit, sed solus Filius; operationes humanitatis illius, ut vitales, & ut mortales, sic Verbi sunt, tamquam naturæ illius suppositi; ut illud tamquam principium internum, & quasi formale respiciant. Sicut ergo ea parte, qua meritoriæ, & satisfactoriæ, ita sunt Verbi, ut non sint nec Patris, nec Spiritus Sancti; unde Filius in humanitate, & per humanitatem meruit, & satisfecit, non Pater, & Spiritus Sanctus; quia solum Verbum est suppositum illius humanitatis: ita si humanitas assumpta peccaret, non peccaret Pater, & Spiritus Sanctus, peccaret tamen Filius. Tanti ergo refert, quod operationes humanitatis Christi specialiter refundantur in suppositum Verbi; ut si hoc non dicatur, pereat veritas Incarnationis.

XIV. Dicunt tertio. Ille potuit peccare, qui potuit non obedire præcepto, quo Pater mortem imperavit; quia peccatum consistit in transgressione, seu inobservantia præcepti: atqui Christus potuit non obedire præcepto Patris de morte; ergo &c. Minor. Prob. Ille potuit non obedire præcepto, qui stante præcepto de mõrte potuit velle non mori: sed Christus, stante præcepto de morte, potuit velle non mori, quia libere, non necessario, mortuus est, juxta illud Isaiæ 53. vers. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit;* ergo &c.

XV. Varie huic argumento respondent Theologi, ut cum præcepto de morte salvent in Christo libertatem, & impeccabilitatem. Ego tamen sequens Nostrorum solutionem, respondeo, nego minor. Ad probat. dist. major. Qui potuit velle non mori, sumpta non morte privative, sive, ut conjungenda cum præcepto de morte, conc. major. Sumpta non morte negative, seu, non considerata secundum respectum ad præceptum de morte, nego maj. Velle non mori privative, fuisset conjungere negationem mortis cum præcepto de morte: & hoc modo Christus non potuit velle non mori; alias potuisset velle non obedire præcepto Patris, & proinde posse peccare. Non mori vero negative, est non mori absolute, & præciso respectu ad præceptum de morte, & hoc modo Christus poterat velle non mori: quod sufficit, ut libere mortuus sit. Quia ad libertatem non requiritur indifferentia specificationis, qua possit eligere bonum, vel malum; sed indifferentia exercitii, seu contradictionis, qua possit eligere, vel non eligere absolute. Quæ satis esse debent pro præsenti. Modo enim certum esse debet, Christum, etiam stante præcepto Patris, & sua impeccabilitate, habuisse potestatem moriendi, & non moriendi: potentiam, inquam, non *Positionis*, qua ita posset non mori, ut de facto non moreretur: sed potentiam *Possibilitatis*, qua ita posset non mori, ut non mori esset illi possibile, quamvis de facto non ponendum. Hoc ipse Christus indicavit, cum ait, Joann. 10. a v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; Hoc mandatum accepi a Patre meo.*

XVI. Dicunt quarto. Mors non minus repugnat Deo, quam peccatum; cum Deus non minus sit per essentiam ens, quam per essentiam sanctus: atqui Deus in humanitate, quam assumpsit, permisit potentiam moriendi: ergo permittere potuit potentiam peccandi.

Respondeo, instantiam hanc nimis probare. Probat enim, quod sicut Verbum in humanitate assumpta permisit non solum potentiam moriendi, sed mortem ipsam: ita permiserit, vel potuerit in ea permittere non solum potentiam peccandi, sed peccatum ipsum, quod Scotistæ non admittunt. Disparitas ergo est. Quia mors est malum pœnæ, cujus Deus potest esse auctor, licet eam non possit habere in se: unde non mirum, quod in humanitate assumpta ei tribuatur. At Deus neque directe, neque indirecte potest esse auctor mali moralis, quod est peccatum; cum sit aliquid essentialiter inordinatum, & a Deo recedens: ac proinde repugnat sanctitati per essentiam, non solum in se, sed omni illi, cui ipsa conjungitur.

§. II.

De Peccato dividendo ab unione ad Verbum.

XVII. Dico. Humanitas Christi non potuit peccare peccato dividente ipsam a Verbo; ita ut peccando amitteret unionem, quam habebat cum Verbo. Probatur. Ad perfectissimam sanctificationem spectat, ut reddat subjectum ita sanctum, ut non possit suam sanctitatem amittere: sic Deus unitus menti beatæ, ita reddit animam Beati sanctam, ut nequeat peccando amittere sanctitatem, sed humanitas Christi perfectissime, & substantialiter sanctificabatur per Verbum; ergo &c.

XVIII. Secundo probatur. Patres absolute docent, Verbum unitum humanitati reddere illam impeccabilem; ergo sentiunt, eam reddere impeccabilem, nedum peccato conjungendo cum unione, sed etiam peccato dividente ipsam ab unione. Ant. constat ex S. Augustino, locis §. præcedente allatis: & præterea *lib. 2. de Pecc. merit. & Remiss. cap. 22.* ubi de Christo, ait: *In cujus non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum.* Augustino addo Athanasium, *lib. de Incarnatione*, dicentem: *Impossibile erat, alio modo integritatem, atque impeccantiam in hominum recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse.* His adjunge Gregor. *lib. 3. Moral. cap. 13.* Basil. *Epist. 65.* Chrysost. *in cap. 16. Isaiæ &c.* Conf. prob. Nam etiam gratia accidentalis reddit animam impeccabilem peccato conjungendo cum gratia, quia gratia, & peccatum conjugi nequeunt: & tamen, quia homo in gratia existens peccare potest peccato destruente in eo gratiam: nemo unquam dixit, gratiam reddere animam Justi absolute impeccabilem; ergo &c.

XIX. Tertio probatur. Verbum divinum ratione unionis hoc sibi debet, ut in omnibus omnino actibus Christi humanitatem tamquam suam regat, ac gubernet. Nam quoties duo sunt perfecte unita, superioris est regere inferius, ita ut defectus inferioris in superius refundatur: ut in anima respectu corporis, & ratione superiori respectu inferioris; ergo peccatum, quod contingeret in humanitate Christi, deberet in Verbum refundi. Eo vel magis, quod Verbum unitur humanitati, ut suppositum faciens illam

ſuam, eamque ſuſtentans; facienſque, quod in ea faceret ſuppoſitum proprium: atqui in aliis hominibus ita ſe habent ſuppoſita propria, ut ad ea pertineat quidquid libera voluntas ipſorum agit, eiſque imputetur, ſi illa peccat; adeo ut ſuppoſitum peccare dicatur; ergo etiam ad Verbum divinum pertinet quidquid libera ejus voluntas agit: & ſi peccaret, etiam peccato deſtruente unionem cum Verbo, ipſi peccatum illud imputaretur.

Ratio hæc traditur in Sexta Synodo Generali, *Act.* 8. his verbis: *Quemadmodum corpus noſtrum regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima noſtra: ita in homine Chriſto tota hominis ejus conſperſio ab ejuſdem Verbi divinitate ſemper, & in omnibus mota, Deo mobilis fuit, ſecundum Nyſſenum Gregorium.* Si ergo humanitas a Verbo regitur, non ſolum tamquam a cauſa generali (qua ratione omnia gubernat) ſed ut a cauſa ſpeciali movente, ac dirigente; ſicut anima regit corpus, ſicut ratio ſuperior inferiorem, & ſuppoſitum naturam, quam ſuſtentat: non poterit prodire ab ea aliquid inordinatum, quod non ſtatim refundatur in rectoris vel infirmitatem, vel malitiam. Sicut dum exorbitat appetitus in ſecundis, & voluntariis motibus, accuſatur anima, & ratio, & ſuppoſitum non cohibens.

XX. Ex his prævenitur inſtantia Scotiſtis familiaris, nempe, quod Deus non ſolum gubernat humanitatem Chriſti, ſed & omnem voluntatem creatam; quin ſequatur, eum teneri impedire peccata hominum, ut, ſi non impediat, tribuantur illi.

Nam Deus gubernat quidem aliorum hominum voluntates, ſed tamquam Proviſor generalis, qui poteſt permittere defectus in cauſis particularibus, quin ei tribuantur. At humanitatem Chriſti ſuppoſitum divinum regebat, ut Proviſor particularis: ſicut anima regit corpus, & ratio appetitum, & ſuppoſitum naturam: ideoque ut tale ſibi ipſi, ac ſuæ ſanctitati debitor erat, ne in illa, tamquam ſpecialiter ſua, aliquem defectum permitteret.

XXI. Neque dicas, Verbum reſpectu humanitatis aſſumptæ non deſinere eſſe Proviſorem generalem ejus; cum ſit creatura, ſicut & cæteræ humanitates.

Nam diſt. Eſſe Proviſorem generalem, quatenus eſt Deus illam conſervans, omitto; quatenus eſt perſona illam ſuſtentans, nego. Quamvis ergo Verbum divinum, ut Deus eſt, generali concurſu conſervet humanitatem Chriſti, ſicut alia omnia creata conſervat: attamen, ut perſona terminans eamdem, eamque ſubſiſtentem reddens, ſpeciali modo ſe habet ad ipſam, quo non ad alias. Se habet enim ut ſuppoſitum ad naturam, ut anima ad corpus, ut ratio ad appetitum, ut dictum eſt. Pro majori tamen explicatione.

XXII. Oppones: Non apparet, quomodo Verbum reddat humanitatem Chriſti impeccabilem. Non enim hoc facit, ut Verbum diſtinctum a Patre: nam ſic non eſt forma ſanctificans, ſeu producens ſanctitatem. Non quatenus Deus: quia cum ea, quæ conveniunt Verbo, ut Deus, ſint tribus perſonis communia; impeccabilitas humanitatis non a ſolo Verbo, ſed a Patre, & Spiritu Sancto eſſet.

XXIII. Reſpondeo. Verbum, qua Verbum eſt, non reddere quidem humanitatem Chriſti impeccabilem per modum cauſæ efficientis; ſed eam reddere impeccabilem per modum cauſæ quaſi formalis, uniendo ſeipſum illi tamquam formam incompoſſibilem cum peccato, & exigentem, ut Deus ſua omnipotentia efficiat, ne humanitas illa peccare poſſit. Ad impeccabilitatem ergo humanitatis concurrebant tres divinæ perſonæ efficienter, dando auxilia, & dona, quibus conſtitueretur impeccabilis. At perſona Verbi formaliter ratione ſui, hoc efficiebat ponendo impedimentum peccato, & exigendo, ut tres divinæ perſonæ impeccabilitatem formalem conferrent. Unde patet, radicem impeccabilitatis in humana natura fuiſſe unionem hypoſtaticam illius cum Verbo divino.

QUÆSTIO VI.

De Perſona Aſſumente.

EGimus de iis, quæ ſolent agitari de natura aſſumpta: modo ea, quæ tangunt perſonam aſſumentem pertractabimus.

DUBIUM I.

An revera Perſona Divina Aſſumpſerit Humanitatem Chriſti, ſeu: An Chriſtus ſit Perſona Divina, & Deus?

§. I.

Referuntur Errores.

I. VIx Chriſtus in Cælum aſcenderat, cum ejus divinitatis ſurrexerunt impugnatores, aſſerentes, eum eſſe purum hominem. Inter hos primus fuit Cerinthus, Simonis Magi diſcipulus: unus ex illis, qui Neronis, & Petri temporibus, anno Chriſti circiter 69. deſcendentes ex Judæa, docebant Antiochiæ, circumciſionem, aliaque Legalia ſervanda eſſe, ut habetur, *Actor.* 15. *v.* 1. Et quique poſt reſurrectionem univerſalem mille voluptatum annos futuros aſſerebant: unde Millenarii, ſeu *Kiliaſtæ* dicti fuerunt. Is ergo inter alia, blaſphemare cœpit, teſte S. Auguſtino, *l. de Hæreſ. cap.* 8. Jeſum purum hominem fuiſſe, ex Joſepho, & Maria genitum; in eumque jam, factum adultum, Chriſtum e Cælo deſcendiſſe, quando in Jordane vox Patris audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Diſtinguens proinde Jeſum a Chriſto (ut poſtea Neſtorius) Jeſum vera paſſum, ac mortuum: Chriſtum autem ad Cælum, unde venerat, rediiſſe. Horrenda hæc de Chriſto blaſphemia, teſte S. Polycarpo apud Irenæum, *l. 3. Adv. hæreſ. cap.* 1. & ex eo Euſebius, *lib. 3. Hiſt. cap.* 22. juſto Dei judicio punita fuit. Cum enim S. Joannes Apoſtolus ad balneum aliquando veniſſet; viſo, qui tunc eo acceſſerat, Cerintho, ſtatim inde abiiſſe fertur, dicendo; fugiamus hinc, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis inimicus moratur, ſubito corruens nos opprimat. Quo dicto, & egreſſo cum ſuis Joanne, ſubito collapſa domus Cerinthum cum ſuis oppreſſit.

II. Cerinthi errorem hauſit Ebion magnæ facundiæ, ſed perverſæ mentis vir, Eccleſiæ ſæculo primo, ſub Tito Imp. & Cleto Rom. Pont. anno circiter 72. Cum Cerintho, præter alia, effutiit, Jeſum purum hominem fuiſſe, ex conſortio Mariæ cum Joſepho genitum, & proinde ante Mariam non extitiſſe. Movebatur, ex perverſa intelligentia Evangelii Matthæi, quod ſolum admittebat; ubi genealogia Jeſu temporalis per Joſeph, & Mariam texitur. In cujus erroris refutandi gratiam indicat S. Hieron. *Catal. Script. Eccl.* S. Joannem ſuum ſcripſiſſe Evangelium; in quo a Jeſu divinitate, contra Cerinthum, & Ebionem, ſumit exordium.

III. Sæculo tertio, circa annum Chriſti 262. Valeriano, & Gallieno Imp. & Dionyſ. Rom. Pont. hunc errorem excitavit Paulus Samoſatenus. Is igitur natione Syrus, Antiochenus Epiſcopus, gloriæ amantiſſimus; cumque ante Epiſcopatum pauper eſſet, ac mendicus, in Epiſcopatu ditiſſimus factus, dicere cœpit (referente S. Auguſtino, *l. de Hæreſ. cap.* 44.) Chriſtum non ſemper fuiſſe, nec ante Mariam extitiſſe; ſed ex eo, quod ex Maria natus eſt, initium habuiſſe: ac proinde non Deum, ſed purum hominem fuiſſe: Addens tamen: Verbum, & ſapientiam in eo inhabitare; ſed quæ tunc primum hypoſtaſim habere cæperint ab æterno Patre diſtinctam, cum in utero Virginis Chriſtus formatus eſt. Hac enim temporali miſſione, & externa prolatione Verbum evaſiſſe Filium: cæterum licet recens eſſet, novelluſque Deus, prædeſtinatione tamen æternum fuiſſe. Ita hunc errorem refert S. Athanaſius, *l. de Salutari adventu Filii Dei.* Quibus æternitatem, & divinitatem non ſolum Chriſto eripiebat, ſed etiam Verbo. Ad errorem iſtum ſuffocandum duo Concilia Antiochiæ ſtatim coacta fuere. Unum, anno 264. alterum anno 270. Eſto autem in priori Concilio Paulus, fidem Catholicam ſimulando, Patribus illuſerit; in poſteriori tamen de hæreſi convictus, anathemate percuſſus, a ſuo Epiſcopatu ejectus eſt impius Samoſatenus.

IV. Sæculo vero quarto, anno circiter 343. ſub Conſtantino Imper. & Julio I. Rom. Pont. Photinus, natione Galata, Sirmienſis Eccleſiæ Epiſcopus, magni ingenii vir, Pauli Samoſateni excitare cœpit errorem: nempe, Chriſtum eſſe purum hominem, nec ante Mariam extitiſſe; ſed ex quo de Maria natus eſt, initium habuiſſe, & Filium Dei eſſe cœpiſſe. Quare Verbum non conſubſtantiale, ſed prolatitium; nec hypoſtatice a Patre diſtinctum poſuiſſe, plerique autumant. Damnatus tamen fuit, cum ſua blaſphemia Photinus in Synodo Mediolanenſi, anno 347. & Sirmienſi anno 351. in quo etiam fuit exauctoratus.

V. Inter alias, jam a mille annis ſepultas, & incineratas hæreſes, hanc etiam excitarunt Lælius, & Fauſtus Socini, patria Senenſes, Sæculo 16. a quibus Socinianorum Secta, etiam modo inter Proteſtantes diffuſa nomen traxit. Hi omnia fere Chriſtianæ Religionis fundamenta evertere conati ſunt. Perſonarum Trinitatem tamquam repugnantem negarunt. Hinc Filium Dei appellari Deum metaphorice, & improprie, ob ſublimem poteſtatem ab illo uno vero Deo participatam, dixerunt. Proinde Deum in unitate perſonæ naturam humanam aſſumpſiſſe, ac Chriſtum fuiſſe verum Deum negarunt: dicentes, fuiſſe ſecundum perſonam hominem verum, non tamen purum, ſed divina filiatione ab ortu inſignitum; quatenus divini Spiritus vi, ſine viri ope, in Virginis utero conceptus, & formatus fuit: & qui, antequam prædicare inciperet, raptus fuit in Cælum ad Patrem, ibique de omnibus edoctus, quæ ſe, quæ nos ſpectarent, cum plenaria voluntatis Dei manifeſtatione ad nos fuit miſſus. Quibus, & aliis nefarii homines a Deo Trinitatem, & divinitatem a Chriſto ſuſtulerunt; volentes, eum dici Verbum Dei per hoc ſolum, quia verba Dei annuntiavit, quomodo Joannes dicitur vox. Unde enovarunt hæreſes ac blaſphemias Cerinthi, Ebionis, Pauli Samoſateni, Sabelli, Arii, & Photini. Quæ impia dogmata altas radices egerunt in Hollandia, Britannia, aliiſque partibus Heterodoxis. His præmiſſis,

§. II.

Veritas Catholica.

VI. Dico. Persona divina revera assumpsit humanitatem Christi; & proinde Christus est verus Deus, Filius naturalis Dei. Pro hac veritate militant omnia, quæ superius produximus: tum ex motivis extrinsecis contra Gentiles; tum ex auctoritatibus veteris Testamenti contra Judæos.

VII. Contra hæreticos autem probatur ex novo Testamento. Primo. S. Joannes, *cap.* 1. sui Evangelii unum, & eumdem novit Verbum Dei unigenitum, & incarnatum pro salute nostra; ait enim: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . & Verbum caro factum est.* Deinde S. Matthæus suum Evangelium sic exorditur. *Liber generationis Jesu Christi*, & v. 18. *Christi autem generatio sic erat.* Et v. 22. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet Filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Quibus diserte ostenditur contra Cerinthum, & alios Jesum non esse alium a Christo; & hunc esse Deum, & Verbum Incarnatum. *Poterat enim* (inquit S. Irenæus, *lib.* 3. Adv. hæres. cap. 18. modo 16.) *dicere Matthæus;* Jesu vero generatio sic erat: *Sed providens Spiritus Sanctus depravatores, & præmuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthæum ait:* Christi autem generatio sic erat: *& quoniam hic est* Emmanuel; *ne forte tantum eum hominem putaremus . . . Neque alium quidem Jesum alterum autem Christum suspitaremur fuisse, sed unum, & eumdem sciremus esse.* Hæc S. Irenæus. Qui deinde prolatis aliis Scripturæ textibus, præsertim, *Rom.* 1. *v.* 1. *Rom.* 9. *v.* 5. & *Galat.* 4. *v.* 5. *&* 6. subjungit *Marcum c.* 1. *v.* 1. dicens: *Propter hoc & Marcus ait:* Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum est in Prophetis: *unum & eumdem sciens Filium Dei Jesum Christum, qui a Prophetis annuntiatus est.* Quibus hæreticorum dividentium Jesum a Christo error confutatur.

VIII. Porro: Christum Jesum esse verum Deum, ostendunt Scripturæ nomen Dei illi tribuentes. Isaiæ 9. vers. 6. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Et cap. 7. v. 14. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quæ *Matthæi, cap.* 1. *v.* 23. & *Lucæ, cap.* 1. *v.* 32. Angelus Gabriel fuisse impleta in Jesu pronuntiat. Hinc, *Joann.* 20. *vers.* 28. Thomas Apostolus Christo respondens, ait: *Dominus meus, & Deus meus.* Act. 20. v. 28. Sanguis Christi vocatur Sanguis Dei: *Attendite vobis* (ait Paulus) *& universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et 1. Jo: 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*

IX. Jesus Christus dicitur quoque Filius naturalis Dei. Joann. 3. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Sed apertius Paulus, Hebr. 1. *Multifariam*, inquit, *multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ; purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Porro hæc, quæ Paulus dicit de Christo, cuinam convenire possunt nisi Filio naturali Dei, qui sit vere Deus? Eum subinde vocat Filium Dei contradistincte ab Angelis vers. 4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius pra illis nomen hæreditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Christi ergo filiatio diversa est a filiatione Angelorum: cumque ista sit adoptiva, illa erit naturalis. Prosequitur Paulus, quod cum Deus introduxisset Christum in Orbem terrarum, dixit, vers. 6. *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et ad Angelos quid dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad* Filium autem: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi.* Denique. *vers.* 13. sic concludit: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis? . . . Nonne omnes sunt administratorii spiritus?* Si ergo omnia hæc tribuit Christo, quæ negat Angelis: si Angelis purum ministerium adjudicat, Christo vero thronum, & dexteram Dei: quid illi deest, ut sit Filius naturalis, ejusdem substantiæ cum Deo?

Præterea: Verbum, quod erat in principio, in Christo Jesu caro factum est, ut ait *Joann. cap.* 1. sed Verbum, quod erat in principio, est filius naturalis Dei; ergo etiam Verbum caro factum, quod erat Christus. Deinde de Christo Paulus dicit, ad Philipp. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus.* Unde sic. Qui erat in forma Dei æqualis Deo, semetipsum exinanivit, in Christo formam servi, & hominis accipiens; sed qui erat in forma Dei æqualis Deo, erat verus Deus; ergo & qui formam servi accipiens, seipsum exinanivit.

X. Ex dictis probatum manet, Christum ante Mariam fuisse. Si enim verus Deus, ac Filius naturalis Dei, erat ante Mariam, imo ab æterno erat, & persona illa, quæ erat Christus, & quæ cum in forma Dei esset, ac æqualis Deo, exinanivit semetipsum dum humanam carnem ex Maria sumpsit, ante Mariam erat. Præterea tamen sic ostendo. Christus aperte dicit, se descendisse de Cælo, *Joann. 6. v.* 38. & quamvis Judæi de hoc murmurarent dicentes: *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit, quia de Cælo descendi?* Nihilominus Christus, se de Cælo descendisse confirmavit, *vers.* 51. sed non descendit de Cælo secundum humanitatem, ut contra Appollinarem statuimus; ergo descendit quantum ad divinitatem; ergo, ut Deus, erat ante Mariam. Quod declaravit ipse, *Joann. 8. v. 68.* dum ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Si ergo fuit ante Abraham, multo magis fuit ante Mariam. Sed nota: dum loquitur de Abraham, dicit *Fieret:* dum loquitur de se, non dicit *Factus sum*, sed *Sum.* Cum solus Deus sit, *Qui est.* Unde Moysi dixit, Exod. 3. v. 14. *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Quia Deus *a se* est, non *ab alio.* Hoc igitur verbo expressit Christus, se Deum esse. Neque dixit *Eram*, sed *Sum:* ut ostenderet æternitatem Dei propriam, cui omne tempus semper est præsens, & unico instanti omnia complectitur tempora. Super hæc verba Augustinus, Tract. 43. in Joan. *Apprehende* (inquit) *verba, & cognosce mysterium.* Antequam Abraham fieret. *Intellige*, Fieret, *ad humanam facturam;* Sum *vero, ad divinam pertinere substantiam*, Fieret, *quia creatura est Abraham. Non dixit, antequam Abraham esset, ego eram: sed* Antequam Abraham fieret, *qui nisi per me non fieret*, Ego sum. *Neque hoc dixit, Antequam Abraham fieret, ego factus sum. In principio enim fecit Deus Cælum, & terram: nam in principio erat Verbum.* Antequam Abraham fieret, ego sum. *Agnoscite Creatorem, discernite creaturam. Qui loquebatur, semen Abrahæ factus erat; & ut Abraham fieret, ante Abraham ipse erat.*

§. III.

Hæreticorum Objecta Soluta.

XI. Objiciunt primo. Qui factus est, non est Deus, sed merus homo: sed Christus factus est; ergo &c. Min. Prob. *Actor.* 2. *v.* 36. dicit Petrus: *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum illum, & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Paulus ad Hebr. 3. v. 1. *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Et Jo: 1. v. 30. Præcursor Christi ait: *Post me venit vir, qui ante me factus est, qui prior me erat.*

XII. Respondeo, dist. min. factus est, quatenus homo, conc. min. Quatenus Deus, nego min. Et in primo sensu dicit S. Petrus, quod *Deus fecit hunc Jesum;* addit enim: *Quem vos crucifixistis.* Crucifixerunt autem Jesum, ut hominem, non ut Deum. Unde Ambrosius, lib. 1. de Fide ad Gratianum, cap. 7. *Non divinitas* (inquit) *crucifixa, sed caro est. Hoc utique fieri potuit, quod potuit crucifigi.* Eodem modo exponendus est Paulus. Dicit enim, Jesum factum Apostolum, & Pontificem, ac fidelem fuisse; quod secundum hominis naturam Christo convenire notum est. Verba autem Præcursoris: *Ante me factus est*, idem significant, ac mihi antepositus est, qui post me venit. Ita Ambrosius, *l.* 3. *de Fide c.* 5. Augustinus, *Tract.* 3. *in Joannem*, & S. Cyrillus Alexandrinus, *l.* 1. *in Joan.* qui observat, Præcursorem ibi fassum fuisse Christi divinitatem, dum *Postquam dixit: Ante me factus est, necessario subjungit:* Quia prior me erat, *antiquissimam ei gloriam adscribens.* Eodem modo exponit Iy *Ante me factus est.* S. Th. *in c.* 1. *Joann. Lect.* 13.

XIII. Objiciunt secundo. Apostolus, 1. ab Timoth. 2. v. 5. *Unus enim* (inquit) *Deus: unus, & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus;* ergo Christum Mediatorem ab uno summo Deo distinguit. Et merito: Si enim Christus vere Deus esset, esset Mediator inter alios homines, & seipsum, quod absurdum est.

XIV. Respondeo, dist. conf. Christum, qua homo est, conc. conf. Christum absolute, nego conf. Christum ergo non opponit uni Deo, nisi qua homo est, quod ipsa verba indicant *Unus est Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus.* Mediatoris autem partes, & functiones secundum solam naturam humanam obire docet S. Augustinus, *l.* 10. *Confess. c.* 4. dicens: *In quantum enim homo, in tantum Mediator: in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu Sancto unus Deus.* Quare Iy *Unus Deus* excludit quidem pluralitatem Deorum Gentilium, non pluralitatem personarum in unitate essentiæ. Neque repugnat, quod in quantum homo sit Mediator inter seipsum, ut Deum, & alios homines: sicut non repugnat, quod ut Sacerdos offerat seipsum victimam sibi ipsi. Audiamus iterum S. Aug. lib. 10. de Civit. Dei c. 20. *Unde verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens, Mediator effectus est Dei, & hominum homo Christus Jesus; cum in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est. Tamen in forma servi Sacrificium maluit esse, quam sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ.*

XV. Ut

XV. Ut ergo his, & aliis similibus Scripturæ textibus respondeatur, tenenda est regula, quam præscribit S. Th. in 4. *Contra Gentes*, *c.* 4. Nimirum, quod cum in Christo, seu Verbo incarnato, sit duplex natura, divina, & humana; de ipso quandoque dicuntur, quæ Dei sunt propria, quandoque etiam quæ sunt propria hominis: ideoque cum aliquis defectus Christo applicatur, dicendum est, ei convenire secundum humanam naturam: cum vero aliquid Dei proprium ipsi tribuitur, hoc secundum divinam naturam ei convenire, dici debebit. Sic, cum Apostolus, *ad Cor.* 15. *v.* 28. de Christo dicit: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius erit subjectus ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Sic, cum ibidem, *v.* 24. de eodem dicit: *Cum tradiderit Regnum Deo, & Patri;* quibus videtur Christus accepisse regnum solum ad tempus. Cum item, *Act.* 13. *v.* 33. & 34. quod *Deus suscitavit Jesum a mortuis*, aliaque similia: hæc omnia intelligenda sunt dicta de Christo, ratione humanæ naturæ. Post universalem enim resurrectionem, de qua loquitur Paulus, quo tempore omnes Electi Christo subjecti erunt; etiam Christus ipse, qui ut homo est eorum Caput, erit subjectus Patri. Tunc tradet Regnum Deo, & Patri; quia in fine mundi collectum ex omnibus Electis Regnum Ecclesiæ, illud sistet, offeretque Patri. Eum quoque a Deo suscitatum a mortuis, ut homo est, nemo ambigere potest; cum solum, ut homo est, mori potuerit.

XVI. Objiciunt tertio. Christus, *Joann.* 17. *v.* 3. sic Patrem alloquitur: *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Si ergo Christus solum Patrem agnoscit esse Deum verum, Christus ipse non est Deus.

XVII. Respondeo, neg. conf. Ut enim dicit S. August. Tract. 105. in Joann. *Ordo verborum est ut te, & quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum verum Deum.* Quibus tantum adest, ut a vera divinitate excludatur; quin potius Jesus Christus necessario includitur. Aliter tamen, claritatis gratia, explico ant. Solum Deum verum, ad exclusionem Deorum Gentilium; conc. ant. Ad exclusionum Filii, hoc est, Jesu Christi, neg. ant. Hac ergo particula *Solus* non excluditur a vera divinitate Filius, & Spiritus Sanctus; sed excluduntur omnes illi falsi nominis Dii, quos cæca Gentilitas introduxerat. Ita S. Athanasius, *l.* 4. *Contra Arianos*, & Sanct. Epiphanius, *Hæres.* 25. Videatur S. Thomas, 1. *p. q.* 31. *art.* 4. *ad* 1.

XVIII. Objiciunt quarto. Christus ipse licet se Filium Dei Judæis diceret; non tamen se Filium Dei credi voluit per naturam, sed solum per missionem, & eminentem supra alios Justos dignitatem; ergo &c. Ant. probat. ex *cap.* 10. *Joann.* ubi cum Judæi vellent eum lapidare, eo quod se Filium Dei faceret: non alio sensu se Deum esse respondet, quam eos, qui per sanctitatem, & auctoritatem participative Dii sunt. Ecce verba, v. 33. *Responderunt ei Judæi: de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Quibus subjunxit Jesus: *Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi Dii estis: Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?* Ecce quomodo Christus ipse de se testatur, se esse Filium Dei; quia divinitatem per concessionem, & auctoritative, non vero naturaliter, habebat: eo ferme modo, quo Moyses a Deo constitutus fuit Deus Pharaonis, idest, loco Dei auctoritatem habens. Exod. 7. v. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.*

XIX. Hoc argumentum, quod erat Achilles Arianorum, & Photinianorum, & modo exaltant Sociniani, nullius roboris est. Primo. Nam Christus innumeris fere aliis in locis aperte se dicit Dei Filium esse, absque ulla restrictione, & simpliciter. Secundo. Etiam citato loco, *v.* 30. dixerat: *Ego, & Pater unum sumus:* quæ Judæi intelligentes dicta de unitate substantiali, & in natura, propterea volebant eum lapidare. Quare apte S. Aug. Tract. 48. in Joann. *Ecce* (inquit) *Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici:* Ego, & Pater unum sumus, *nisi ubi æqualitas est Patris, & Filii.*

Christus autem ibi adducit exemplum eorum, qui Dii sunt per auctoritatem, & missionem; non ut explicet modum, quo se Filium Dei asseruerat: sed, ut contra Judæos formet argumentum, quod vocant a minori ad majus, hoc modo. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*, idest, quibus eximium aliquid munus a Deo demandatum est: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?* Idest, quanto minori jure crimen affigitis mihi, qui natura sum Filius Dei; quem Pater sanctificavit, gignendo ex utero ante Luciferum; quem increata sanctitate, pulchritudine divinitatis consecravit ad munus, quod obeo Salvatoris, & Legislatoris; & a sinu suo, ubi eram in principio, in mundum me misit? Ita exponit Christi verba S. August. citato loco: *Si sermo Dei factus est ad homines, ut dicerentur Dii, ipsum Verbum Dei, quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines Dii; si participando fiunt Dii, unde participant, non est Deus? si lumina illuminata Dii sunt; lumen, quod illuminat, non est Deus? . . . Si ergo vos Deos facit sermo Dei; quomodo non est Deus Verbum Dei? Pater ergo sanctificavit Filium suum, & misit in Mundum. Forte aliquis dicat: si Pater eum sanctificavit: ergo aliquando non erat sanctus? Si sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctificatur, ante non erat sanctum; quomodo dicimus Deo Patri, sanctificetur nomen tuum?* Ita S. Augustinus.

Alia possemus huc adducere hæreticorum deliria; sed ab his modo supersedemus, quia ad hoc redituri sumus, cum hæresim Nestorianam impugnabimus.

Dubium II.

An Sola Persona Filii assumpserit Humanitatem?

§. I.

Quid sit Assumere?

I. *In verbo assumptionis* (inquit S. Thom. 3. p. quæst. 3. art. 1.) *duo importantur, videlicet, principium actus, & terminus: dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. Hujus autem sumptionis persona est & principium, & terminus. Principium quidem; quia persona proprie competit agere; hujusmodi autem sumptio carnis per actionem divinam facta est. Similiter etiam persona est hujus sumptionis terminus; quia, ut supra dictum est, unio facta est in persona, non in natura.* Hæc S. Thomas. Adverte tamen: aliter convenire personæ esse principium assumptionis, aliter esse terminum ejusdem. Nam esse principium, est commune tribus personis divinis; quia actiones ad extra toti Trinitati sunt communes. At esse terminum, convenit soli personæ Filii, ut ab aliis distinctæ: quia, ut dicemus, ipsa sola sua subsistentia relativa terminavit humanitatem Christi, eamque fecit suam. Hinc S. Augustin. (seu verius S. Fulgentius, *l. de Fide ad Petrum*, *cap.* 2.) ait: *Formam ergo servi, idest, naturam servi, in suam accepit Deus ille* (nempe Dei Filius) *personam.*

II. Quod si quæras: An persona divina, terminando humanitatem, exerceat aliquam causalitatem erga illam? —— Respondeo, dici posse; quod exerceat causalitatem quasi formalem, actuando, & perficiendo humanitatem, eamque constituendo subsistentem. Nec est, quod opponas, causalitatem ad extra esse communem toti Trinitati. Nam hoc quidem verum est de causalitate efficiente; non tamen de causalitate per modum termini, & quasi formali: hanc enim exercet non secundum communia, sed secundum sibi propria —— Nec iterum opponas, Deum non posse supplere causam formalem. Nam dico, hoc verum esse de causa formali proprie tali, nempe, informante, & constituente naturam: non vero de causa quasi formali, & complente naturam, jam in suo esse essentiali constitutam, eamque ad suum esse trahente: ut accidit in casu.

III. Sed dices primo. Illud, ad quod aliquid assumitur, communicatur quodammodo ei, quod ad ipsum assumitur; sicut dignitas communicatur ei, qui in dignitatem assumitur: sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis; ergo assumptio non est in persona.

IV. Respondeo cum S. Thom. 3. *part. qu.* 3. *art.* 1. *ad* 2. dist. minor. Ita ut ipsa non possit de pluribus suppositis prædicari, conc. min. Ita ut plura de ipsa prædicari non possint, neg. min. *Persona* (inquit S. Doct.) *dicitur incommunicabilis, in quantum non potest de pluribus suppositis prædicari: nihil tamen prohibet, plura de persona prædicari. Unde non est contra rationem personæ sic communicari, ut subsistat in pluribus naturis; quia etiam in personam creatam possunt plures naturæ concurrere accidentaliter: sicut in persona unius hominis invenitur quantitas, & qualitas. Hoc autem est proprium divinæ personæ, propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.*

V. Dices secundo. Persona constituitur per naturam: sed inconveniens est, quod constitutum assumat constituens, quia effectus non agit in suam causam; ergo &c.

Respondeo cum eodem S. Thom. citato, *ad* 3. dist. maj. Quo constituitur in esse simpliciter, conc. min. Constituens, quo constituitur solum in esse talis, nego minor. Porro (inquit S. D.) *Natura humana non constituit personam divinam simpliciter; sed constituit eam secundum quod denominatur a tali natura. Non enim ex natura humana habet Filius Dei, quod sit simpliciter, cum fuerit ab æterno; sed solum quod sit homo: sed secundum naturam divinam constituitur persona divina simpliciter. Unde Persona divina non dicitur assumere divinam naturam, sed humanam.*

§. II.

Resolutio Dubii.

VI. Sabellius, ejusque hæresis sectatores, qui unicam tantum in Deo personam admittebant, quam vocabant Patrem; Filium vero, & Spiritum Sanctum nil aliud esse dicebant, quam quasdam Dei functiones temporarias: consequenter asserere tenebantur, Patrem incarnatum fuisse in sinu Virginis, eumque passum, ac mortuum.

Pro-

Propterea Sabelliani a Veteribus *Patripassiani* dicti sunt: de quibus S. August. *lib. de Hæres. cap.* 41. & Philastrius, *Hæres.* 54.

VII. His accedit error cujusdam Clerici in Galliam, de quo S. Anselmus, *lib. de Fide Trinit. & Incarnat. cap.* 1. qui capere non valens, quomodo una persona divina potuisset incarnari, & non alia, si omnes tres divinæ personæ idem realiter essent cum divina natura: propterea dixit, tres divinas personas esse a natura divina realiter distinctas. Quem errorem, tempore S. Bernardi, excitavit Gilbertus Porretanus, quem impugnavimus, *Tom.* 1. *in* 1. *part. Tract. de Trinit. Quæst.* 3. *de Divinis relat. Dub.* 2. Damnati tamen ambo fuere in duobus Conciliis Remensibus, uno nimirum tempore S. Anselmi, altero tempore S. Bernardi celebratis.

VIII. Dico. Sola persona Filii est incarnata. Hanc veritatem expresse testatur Scriptura, & Traditio. Scriptura quidem. Nam hæc docet nos, primo: Deum Patrem nobis Filium suum dedisse per Incarnationem: *Sic*: (inquit Joannes, cap. 3. vers. 16.) *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Galat. 4. vers. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum &c.* Secundo. De Verbo tantum, non de aliis personis dicit, quod carnem sumpsit, Joann. 1. vers. 14. *Et Verbum caro factum est*, & alibi passim —— Traditio autem. Nam Concil. Toletanum VI. & XI. in Confess. Fidei. Carthagin. IV. *cap.* 1. Lateranense sub Innoc. III. *cap. Firmiter*, solum Filium incarnatum esse, & humanam naturam assumpsisse determinarunt: quod prius statutum, & declaratum fuerat in Symbolis Apostolico, & Nicæno, his verbis: *Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum... Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis. Et Incarnatus est.*

IX. Adest etiam ratio. Nam persona Filii naturam humanam assumpsit, seu naturæ humanæ unita est, non secundum id, quod habet commune cum aliis personis; sed secundum id, quod habet sibi proprium, & secundum quod realiter ab aliis personis distinguitur; nempe, secundum proprietatem personalem, & subsistentiam relativam: sed esto quod convenit uni personæ secundum ea, quæ habet communia cum aliis, debeat aliis convenire; non tamen id, quod convenit ei secundum sibi propria, & incommunicabilia aliis personis: quo pacto personæ Filii convenit esse genitam, quod nec Patri, nec Spiritui Sancto convenit; ergo ita personæ Verbi, seu Filii convenit esse incarnatam, ut sola sit incarnata, non Pater, aut Spiritus Sanctus.

X. Confirm. Ideo non posset incarnari persona Filii, quin aliæ duæ divinæ personæ incarnarentur: vel quia persona Filii non esset alia persona a persona Patris, & Spiritus Sancti; vel quia omnes tres personæ sunt eadem res cum essentia communi: sed primum est error Sabelii, suo loco impugnatus; secundum vero non obstat; quia unio humanitatis non est facta in unitate naturæ, sed in unitate personæ; ergo &c. Unde Anselmus, citato loco, *c.* 4. sic ait: *Deus non sic assumpsit hominem, ut natura Dei, & hominis, sit una, & eadem: sed ut persona Dei, & hominis una eademque sit, quod nonnisi in una persona Dei esse potest. Diversas enim personas unam, & eamdem personam esse cum uno eodemque homine, nequit intelligi.*

XI. Neque dicas, incarnationem esse opus ad extra: opera autem ad extra esse indivisa, & communia toti Trinitati, ut docet S. August. in *Enchirid. cap.* 38. —— Nam, ut docet S. Thom. 3. p. q. 3. art 4. *Assumptio duo importat, scilicet actum assumentis, & terminum assumptionis. Actus autem assumentis procedit ex divina virtute, qua communis est tribus personis; sed terminus assumptionis est persona .... Et ideo id, quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis: sed in quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personæ, quod non alii. Tres enim personæ fecerunt, ut humana natura uniretur uni personæ Filii.* Ita S. Th. a quo dissentit S. Augustinus citato loco. Ibi enim esto dicat, totam Trinitatem operatam fuisse incarnationem; dicit tamen: *Illam creaturam, quam Virgo concepit, & peperit, ad solam personam Filii pertinere.*

XII. Sed instabis primo. Sicut natura humana a Verbo assumpta est; ita homines per gratiam assumuntur a Deo, Rom. 14. vers. 3. *Deus illum assumpsit*; sed hæc assumptio communiter pertinet ad omnes personas: ergo & illa.

Secundo. Major est unio realis, & substantialis per incarnationem, quam unio intentionalis per visionem beatam: sed non potest una persona divina uniri intentionaliter menti beatæ, quin uniantur, & videantur aliæ, ut in *Tract. de Visione Dei* ostendimus; ergo &c.

XIII. Respondeo ad primam instantiam cum S. Thom. *art.* 4. citato, *ad* 3. disparitatem esse: quod *Assumptio, qua fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quamdam participationem divinæ naturæ, secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius, secundum illud* 2. *Petri* 1. Ut divinæ consortes naturæ, *& ideo hujusmodi assumptio communis est tribus personis, & ex parte principii, & ex parte termini. Sed assumptio, qua est per gratiam unionis, est communis ex parte principii, sed non ex parte termini, ut dictum est.*

XIV. Ad secundam dico, majorem quidem esse unionem hypostaticam, quam unionem intentionalem per visionem: sed unio hypostatica fit ratione propriæ personæ; unio vero intentionalis fit ratione divinæ naturæ, quæ est omnibus communis: unde non est mirum, si una persona possit uniri hypostatice sine alia, non autem videri, aut uniri intentionaliter una persona sine alia.

XV. Nec valet si iterum opponas. Non potuit immediate uniri humanitati Christi personalitas Verbi, quin saltem mediate illi uniretur natura divina, quæ est realiter idem cum persona Verbi: sed natura divina est etiam realiter idem cum persona Patris, & Spiritus Sancti; ergo non potuit mediate uniri natura divina, quin mediate fuerint uniri Pater, & Spiritus Sanctus.

XVI. Respondeo enim, nego cons. Ideo enim mediate dici potest unita, & incarnata natura divina, quia est eadem res cum persona Verbi, nec illi realiter opponitur. At Pater, & Spiritus Sanctus esto realiter sint eadem res cum natura divina, non tamen realiter idem sunt; sed potius realiter opponuntur cum personalitate Verbi: & ideo incarnata persona Verbi non sequitur, quod adhuc mediate incarnata fuerit persona Patris, & Spiritus Sancti.

Quia tamen in communi sententia Theologorum, & PP. ut dicemus, datur inter divinas personas circuminsessio, per quam quælibet trium personarum est in alia, ratione naturæ divinæ, quasi vinculi communis; ideo cum Filius sit speciali modo in humanitate per unionem hypostaticam; inde fit, quod Pater, & Spiritus Sanctus, qui per circuminsessionem sunt in Filio, speciali modo sit in humanitate Christi; non solum per immensitatem, sicut in aliis rebus, sed per quamdam mirabilem concomitantiam, ad eum modum, quo tota Trinitas per concomitantiam est in Eucharistia. Sed sicut ibi non dicuntur omnes tres personæ Sacramentatæ: ita neque hic dici possunt incarnatæ.

Dubium III.

An Verbum sit immediate Unitum Humanitati præcise secundum propriam Personalitatem: an vero etiam secundum Naturam Communem?

§. I.

Resolvitur Dubium.

I. PRo majori intelligentia præcedentis pono præsens Dubium, quod aliis terminis proponi solet, nimirum: An unio per Incarnationem facta sit immediate in relativo personæ; an vero in absoluto naturæ? Cum enim Verbum divinum includat duo, nimirum naturam, quæ est prædicatum absolutum, & commune tribus personis; & personalitatem, quæ est prædicatum relativum proprium personæ Verbi, ut distinctæ ab aliis; ideo quærimus: an Verbum unitum fuerit humanitati æque immediate secundum absolutum naturæ communis, & secundum relativum personæ: an vero secundum alterum tantum?

II. Rursus: cum juxta probabilem sententiam (de qua *Tom.* 1. *in* 1. *p. Tract. de Trinit. qu.* 4. *dub.* 2. §. 2.) in Deo præter tres subsistentias relativas, quibus distinguuntur divinæ personæ, detur etiam subsistentia absoluta communis toti Trinitati, quæritur: An Verbum unitum immediate sit secundum utramque subsistentiam, relativam, & absolutam: an vero solum secundum relativam?

III. Dico primo. Verbum divinum de facto unitum fuit humanitati, eam immediate terminando per solam subsistentiam relativam sibi propriam; non vero immediate etiam per subsistentiam absolutam, & communem. Est contra Durandum, & Capreolum volentes, humanitatem unitam fuisse Verbo duplici unione æque immediata: una subsistentiæ relativæ, altera etiam subsistentiæ absolutæ, & communis.

Nostra tamen Assertio videtur expressa a Concilio Toletano VI. *cap.* 2. (anno 638. celebrato) his verbis: *Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitatis. Nam si naturam hominis, Deique alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset: quoniam constat, naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam.* Eadem fere verba habentur in Concil. Toletano II. in confess. Fidei, anno 657. Quibus laudata Concilia distinguunt actionem operativam Incarnationis ab ipsa assumptione: & dicunt, primam factam fuisse per aliquid commune toti Trinitati; secundam vero in id, quod est proprium Filii, non in id, quod est commune. At dicere humanitatem immediate unitam etiam cum subsistentia absoluta, est dicere, unionem factam non solum in eo, quod est proprium Filii, sed etiam in eo, quod est toti Trinitati commune; ergo

Accedit sexta Synodus Generalis, *Act.* 8. ubi dicitur: quod *Pater, & Spiritus Sanctus nihil in Incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem*: at si unio immediate facta fuisset etiam in subsistentia absoluta, Pater, & Spiritus Sanctus, ultra voluntatem, habuissent communem etiam subsistentiam; ergo &c.

IV. Ex his conficitur ratio sic. Quia Verbum est principium immediate effectivum Incarnationis, & unionis secundum aliquid indivisum, & commune; non solum Verbum, sed tota Trinitas est principium effectivum Incarnatio-

nationis, & unionis; ergo si Verbum esset terminus immediatus unionis, ac humanitati immediate uniretur, non solum secundum proprietatem personalem, sed etiam secundum subsistentiam communem; non solum Verbum, sed tota Trinitas terminaret unionem, & humanitas immediate uniretur non soli Verbo, sed toti Trinitati, & tota Trinitas esset incarnata: quod est hæreticum.

Deinde ex Concilio Toletano VI. supra relato. Quia natura divina est toti Trinitati communis, infert Concilium: quod si unio humanitatis ad Verbum fuisset facta in natura, tres personæ fuissent incarnatæ; ergo si de facto unio humanitatis fuit immediate facta in subsistentia absoluta; quia hæc est communis toti Trinitati, bene inferimus nos, tres personas fuisse incarnatas.

V. Respondet Durandus, solum Verbum esse incarnatum; quia solum Verbum terminat immediate unionem, non solum secundum subsistentiam communem, sed etiam secundum subsistentiam, & personalitatem propriam.

Sed contra. Nam ex hoc sequitur quidem, Verbum duplici unione esse incarnatum: sed non sequitur, incarnatum esse solum Verbum. Sicut si Verbum fuisset principium unionis, non solum secundum subsistentiam communem, sed etiam secundum personalitatem propriam, dupliciter esset principium: & nihilominus etiam Pater, & Spiritus Sanctus essent principium effectivum unionis, ratione naturæ communis.

VI. Dico secundo. Verbum est immediate unitum humanitati solum secundum personalitatem propriam; non vero secundum naturam communem. Est contra Nominales, qui volunt, humanitatem Christi unica unione unitam fuisse immediate, & personæ Verbi, & naturæ communi. Contra eos tamen urgent auctoritates Conciliorum, & rationes, quibus præcedentem Assertionem probavimus.

VII. Respondent Nominales, humanitatem Chtisti unitam fuisse immediate Filio Dei, qui est complexum dicens naturam communem, non secundum se, sed ut in personalitatem Verbi, ideoque unionem factam fuisse in proprio.

Sed contra. Qui dicit, unionem factam esse in proprio Verbi, non debet dicere, unionem esse facta immediate in proprio, & in communi, sed in proprio, ut distincto a communi: sicut qui dicit mortem contingere homini secundum corpus, non secundum animam, non sumit complexum ex corpore, & anima; ita ut utraque pars complexi, anima, & corpus, sit subjectum mortis, sed sumit corpus, ut distinctum ab anima; ergo si Nominales volunt, unionem esse æque, & immediate factam in proprio, & in communi, sustinere nequeunt, esse factam in proprio.

VIII. Quæres tamen: An sicut de facto sola personalitas propria Filii unita est immediate naturæ humanæ; sic sola divina natura communis potuisset substantialiter uniri?

IX. Respondeo, quod si in natura divina, ultra tres subsistentias relativas, concipimus etiam subsistentiam absolutam, qua hic Deus præintellectus tribus divinis personis, seu præcisus ab illis, subsistat, quæ est subsistentia communis: sic dico, naturam divinam ita subsistentem, posse immediate uniri naturæ humanæ, vel cuilibet creatæ. Ita ex S. Thom. 3. *p. q.* 3. *art.* 3. *ad* 1. dicente: *Sicut igitur nunc positis proprietatibus personalibus in Deo, dicimus tres personas; ita exclusis per intellectum proprietatibus personalibus remanebit in consideratione nostra natura divina, ut subsistens, & ut persona. Et per hunc modum potest intelligi; quod assumat naturam humanam ratione sua subsistentiæ, vel personalitatis.* Et ad 2. *Etiam* (inquit) *circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum remanebit in intellectum una personalitas Dei, sicut Judæi intelligunt: ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus terminari ad personam Verbi.* In eo tamen casu omnes tres divinæ personæ conciperentur incarnari, quia subsistentia illa esset communis omnibus. Verum si in natura divina præcisis personalitatibus nulla concipiatur subsistentia; sic dico, naturam divinam non posse concipi ut assumentem alienam naturam. Ita ex S. Thom. laudato: ubi esto doceat, naturam abstractam a personalitate posse assumere; supponit tamen, ut diximus, quod natura sic abstracta remaneret natura divina ut subsistens, vel ut persona. Ratio autem est. Quia natura divina spoliata omni subsistentia non posset substantialiter humanæ naturæ communicari, eam complendo in esse substantiali naturæ; quia in hoc genere jam completa esset: nec ipsam substantialiter complendo in ratione subsistentis, quia supponitur natura divina omni subsistentia spoliata.

X. Hinc surgit alia ratio contra Nominales sic. Persona Verbi unita est immediate solum per id, quo poterat immediate substantialiter complere naturam humanam: sed sola personalitate, ac subsistentia propria poterat immediate naturam humanam complere; ergo &c. Min. prob. Natura humana in ratione naturæ est completa, & solum est incompleta in ratione subsistentis, cum careat propria subsistentia; ergo persona divina solum potest eam immediate complere per personalitatem, non per naturam.

§. II.

Solutio Objectionum.

XI. Objicies primo contra primum Assertum, Verbum divinum per se primo, & immediate unitum fuit humanitati per suam subsistentiam, qua subsistit in se: sed hæc non est quid relativum, sed absolutum; ergo &c. Maj. patet, quia Verbum divinum per se unitum fuit ad reddendam subsistentem humanitatem. Min. vero prob. primo. Quia S. August. *lib. 7. de Trinit. cap.* 4. *&* 6. docet, Deum subsistere ad se, non ad aliud, seu relative. —— Secundo. Quia subsistere, est in se, & per se existere, proprium enim est substantiæ: relativum autem solum est ad aliud existere.

XII. Respondeo, dist. maj. Qua subsistit in se subsistentia propria personæ, ut ab aliis distinctæ, conc. maj. Communi cum aliis personis, nego maj. Ad min. autem, nimirum, an subsistentia propria Personæ in divinis sit quid absolutum, an de genere relativo: respondeo ex dictis, *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 4. *de divin. Personis in Generali*, *Dub.* 1. §. 3. quod persona duo dicit, nimirum, subsistere in se, & subsistere incommunicabiliter alteri personæ. Ratione primi non dicit relativum: ratione vero secundi illud persona divina includere debet; quia in divinis omnia communicantur, nisi ubi obstat relationis oppositio. Unde, ut ait D. Thom. *q.* 9. *de Potentia art.* 4. persona divina non significat relationem significatione formali; eam tamen includit oblique, & significatione materiali: & in priori sensu loquitur S. August. non in posteriori. Videantur ibi dicta.

XIII. Objicies secundo contra idem. Verbum divinum prius communicavit humanitati quod prius habet in se: sed prius habet in se subsistentiam absolutam, quam relativam; quia absoluta in Deo sunt priora relativis; ergo &c. Maj. probatur. Quia forma prius communicat illum effectum, quem prius in se continent, sicut lux prius communicat aeri esse lucidum, quam esse calidum, quia illud prius continetur in luce.

XIV. Si hæc objectio convinceret, probaret, quod Verbum divinum prius communicaverit humanitati naturam divinam, quam subsistentiam, etiam absolutam; quia illam prius habet in se: quod Durandus non admittit. —— Respondeo ergo, dist. maj. Quod prius habet in se, in ratione sub qua se communicat, conc. maj. Absolute, nego maj. Sicut ergo licet prior sit natura, quam impulsus; tamen actio productiva Spiritus Sancti, non prius communicat naturam, sed primario impulsum, quia est actio per se ordinata ad producendum impulsum, non ad communicandam naturam: ita licet subsistentia absoluta sit prior in Verbo, quam subsistentia personalis, ac relativa; prius tamen hanc communicat, quam illam; quia communicavit se non in ratione adsoluti, sed proprietatis personalis, ut a Scriptura docemus. In ratione autem proprietatis personalis prior est subsistentia relativa, quam absoluta, imo, quam ipsa natura.

XV. Objicies tertio. Si Verbum per se primo communicasset humanitati personalitatem Filii, sequeretur primo: quod humanitas Christi diceretur Dei filia; cui enim communicatur filiatio, communicatur denominatio filii: hoc autem absurdum est. —— Secundo. Sequeretur, Christum formaliter esse quid relativum, neque univoce esse idem cum nobis. Sequela prob. Nam impossibile est, quod humanitati Christi communicetur aliquid relativum per se primo, & quod Christus, ut homo, aliquid relativum non sit.

XVI. Respondeo, neg. primam sequelam, quæ instatur in natura divina. Hæc enim immediate terminatur per filiationem, & tamen non dicitur filia. Ratio autem est: quia esse Filium est prædicatum conveniens, non naturæ, sed soli personæ: unde solum sequitur, quod Christus, qui supponit pro persona, sit Filius Dei, non natura humana.

Ad secundam respondeo, quod cum dicitur: *Christus ut homo*, vel sumitur reduplicative, & est aliquid pure absolutum; est enim homo per humanitatem ejusdem speciei cum aliis humanitatibus. Si vero ly *ut* sumatur specificative, idest, persona habens humanitatem; sic non est pure quid absolutum, sed includens relativum, ut nuper dicebamus.

XVII. Objicies quarto contra idem. Ratione illius personalitas Verbi terminat humanitatem, ratione cujus eminenter continet personalitatem creatam: sed hanc continet ratione subsistentiæ absolutæ; hanc enim continet quia infinita est: infinitas autem primo, & per se convenit subsistentiæ absolutæ, imo & naturæ, & ratione hujus convenit subsistentiis relativis.

Si respondeas, dist. min. Ratione subsistentiæ absolutæ, ut inclusæ in relativa: conc. min. Aliter, nego min. Ratio ergo qua personalitas Verbi continet personalitatem creatam, non est conceptus relativi, ut præcisus ab absoluto, sed ut includens omne absolutum: & ideo esto ratione expliciti relativi non contineat perfectionem subsistentiæ creatæ: quia tamen illam continet ratione absoluti in illa inclusi, ideo ratione relativi potest immediate naturam terminare.

XVIII. Contra est. Ergo ratio adæquata terminandi naturam non est præcise subsistentia personalis relativa, sed relativa, & absoluta. —— Resp. dist. conf. Et absoluta

ut

ut incluſa in relativa, conc. conſ. Aliter, neg. conſ. Sicut enim perſonalitas relativa terminat immediate naturam divinam, ita & humanam.

XIX. Sed replicatur. Subſiſtentia duo dicit, nempe, perfeitatem independentiæ ab alio, & incommunicabilitatem: ſed perſonalitas relativa licet poſſit præſtare hoc ſecundum, non tamen primum; illud enim a ſola ſubſiſtentia abſoluta etiam naturæ divinæ præſtatur; ergo &c.

Reſpondeo, quod licet ſubſiſtentia relativa, ut præciſa a ſubſiſtentia abſoluta, non poſſit præſtare perfeitatem independentiæ; hanc tamen præſtare poteſt, ut includens ſubſiſtentiam abſolutam: & de facto perſona Verbi ita fuit unita humanitati. Ex quo ſequitur, ſubſiſtentiam abſolutam unitam quidem fuiſſe humanitati, ſed ratione perſonalitatis relativæ, & ut incluſam in iſta; non vero immediate, & ratione ſui. Alias, ut dicebamus, ſi hic Deus communi tribus perſonis fuiſſet immediate unitus; omnes divinæ perſonæ eſſent unitæ, & incarnatæ, non ſola perſona Verbi.

XX. Objicies quinto contra ſecundum Aſſertum. Perſona, ut terminans humanitatem, eſt realiter idem cum natura divina; ergo ſi humanitas per ſe primo unitur cum perſona Verbi, per ſe primo uniretur cum natura divina. Conſ. probatur. Quia enim viſio beata unitur divinæ naturæ, & divina natura eſt idem cum divinis perſonis, æque primo unitur cum illa, & cum iſtis.

XXI. Reſpondeo, diſt. ant. Realiter idem, virtualiter tamen diverſa, conc. ant. Aliter, neg. antec. Hæc ergo virtualis diſtinctio, quæ eſt inter perſonam divinam, & naturam, ſicut ſufficit, ut communicetur ad intra natura, quin communicetur perſona divina; unde Filio primo, & per ſe communicatur natura, illi tamen non communicatur paternitas: ita ſufficit, ut primo, & per ſe communicetur humanitati perſona, non autem primo, per ſe natura divina. Ad probationem autem conſ. diſparitas ex dictis eſt. Quia viſio beata unitur Deo in aliquo communi, nempe, Deo, ut viſibili: unde ſequitur, ut uniatur immediate omnibus prædicatis divinis. At humanitas unitur per ſe in prædicato notionali, & proprio: unde non ſequitur, quod ex quo per ſe unitur huic, per ſe etiam uniatur naturæ.

XXII. Dices. Natura divina ſpeciali modo unita eſt carni, quam perſona Patris, & Spiritus Sancti: ſed iſtæ unitæ ſunt ſaltem mediate; ergo illa unita eſt immediate.

Reſpondeo, omiſſo ant. neg. conſ. Natura enim divina ſpeciali modo unita eſt carni; quia unita eſt mediante divina perſona, cum qua identificatur. At perſona Patris, & Spiritus Sancti, non ſunt unitæ mediante perſonalitate Filii, a qua realiter diſtinguuntur; ſed ſolum mediante natura divina communi omnibus. Et ideo remotius iſtæ uniuntur humanitati, quam illa: & dici poteſt, quod natura divina in perſonalitate Verbi ſit incarnata, quod dici nequit de perſonis Patris, & Spiritus Sancti.

XXIII. Objicies ſexto. Ideo Incarnatio non fuit immediate facta in aliquo abſoluto, quia alias tres divinæ perſonæ fuiſſent incarnatæ: ſed hæc ratio non probat; ergo &c. Min. prob. Principium, quo Pater generat, primario, & in recto eſt aliquid abſolutum, nempe, divinus intellectus: & tamen non inde ſequitur, quod omnes tres divinæ perſonæ generent; ergo &c. Maj. eſt doctrina a nobis tradita, *Tract. de Trinit.* Conſ. vero prob. Paternitas unitur intimius naturæ divinæ, quam ei uniatur humanitas: ſed ex unione paternitatis cum deitate non ſequitur, quod tres divinæ perſonæ ſint Pater: ergo licet humanitas uniatur cum aliquo abſoluto, non ſequitur, quod tres divinæ perſonæ ſint homo.

XXIV. Reſpondeo, diſparitatem eſſe. Quia generare, & eſſe Patrem dicit quidem principium *Quo* abſolutum in recto, ſed ut modificatum paternitate: quæ, utpote relative oppoſita aliis perſonis; eſt illis incommunicabilis: & ideo licet omnes perſonæ habeant naturam, & intellectum: quia tamen in illis non reperiuntur cum tali modificatione, non ſequitur, quod dicantur generare, & eſſe Patrem. At aſſumere humanitatem non eſt incommunicabile aliis perſonis, ut ſtatim videbimus: & ideo ſi de facto aſſumptio conveniret ratione alicujus communis, & abſoluti, omnes tres perſonæ dicerentur aſſumere.

DUBIUM IV.

An plures Perſonæ Divinæ poſſint ſimul aſſumere eamdem numero Naturam Creatam?

§. I.

Supponitur id, quod Certum eſt?

I. QUamlibet ex divinis perſonis poſſe diviſim ab alia humanam, vel aliam creatam naturam aſſumere, eamque ſibi hypoſtatice unire, certum eſt, ait S. Thom. 3. p. q. 3. art. 5. Nam *Aſſumptio*, ex dictis, *duo importat, ſcilicet, ipſum actum aſſumentis, & terminum aſſumptionis. Principium autem actus eſt virtus divina: terminus autem eſt perſona. Virtus autem divina communiter, & indifferenter ſe habet ad omnes perſonas. Eadem etiam eſt communis ratio perſonalitatis in tribus perſonis, licet proprietates perſonales ſint differentes. Quandocumque autem virtus aliqua indifferenter ſe habet ad plura, poteſt ad quodlibet eorum ſuam actionem terminare: ſicut patet in potentiis rationalibus, quæ ſe habent ad oppoſita, quorum utrumqae agere poſſunt. Sic ergo divina virtus potuit naturam humanam unire perſonæ Patris, vel Spiritus Sancti, ſicut univit eam perſonæ Filii. Et ideo dicendum, quod Pater, vel Spiritus Sanctus potuit carnem aſſumere, ſicut & Filius.* Ita D. Thom. in corp. In arg. autem *Sed contra* ſic diſcurrit: *Quidquid poteſt Filius, poteſt Pater, & Spiritus Sanctus, alioquin non eſſet eadem potentia trium perſonarum: ſed Filius potuit incarnari; ergo ſimiliter Pater, & Spiritus Sanctus.*

II. Sed dices. Saltem Pater non poteſt incarnari. Primo. Quia Pater eſt innaſcibilis: ſi autem incarnaretur, deberet generari, & naſci. — Secundo. Deberet dici Filius Virginis: & ſic eſſet Pater, & ſimul Filius. — Tertio. Incarnatio eſt miſſio: Pater autem cum a nullo procedat, non poteſt eſſe miſſus, ut docet S. Th. 1. p. q. 43. a. 4. — Tandem: Perſona incarnata facit homines filios adoptivos Dei: filiatio autem adoptiva, utpote participatio filiationis naturalis, per ſolum Filium naturalem dari poſſe videtur.

III. Reſpondeo, neg. ant. Ad primam probationem dico cum S. Thom. ibi, ad 3. *Quod Patri convenit eſſe innaſcibilem ſecundum nativitatem æternam, quod non excluderet nativitas temporalis.*

Ad ſecundam dico, nullam fore repugnantiam, quod Pater æternus diceretur Filius temporalis Virginis: non tamen dici poteſt Filius naturalis Dei, quia non haberet ſibi unitam filiationem naturalem; ſed potius diceretur *Pater æternus*. Neque ex hoc ſequeretur confuſio perſonarum: *Nam filiatio temporalis, qua Chriſtus dicitur Filius hominis, non conſtituit perſonam ipſius, ſicut filiatio æterna; ſed eſt quiddam conſequens nativitatem temporalem. Unde ſi per hunc modum nomen filiationis ad Patrem, vel Spiritum Sanctum transferretur; nulla ſequeretur confuſio divinarum perſonarum.* Ita S. Thom. ibi, *ad 1.*

Ad tertiam dico cum eodem S. Thom. *ad 3.* quod Incarnatio dicitur miſſio, quando perſona, quæ incarnatur, ab alia procedit: cum autem Pater a nullo procedat, ſi incarnaretur, non diceretur Miſſus.

Ad quartam dico cum eodem, ad 2. *Quod filiatio adoptiva eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis: ſed fit in nobis appropriate a Patre, qui eſt principium naturalis filiationis; & per donum Spiritus Sancti, qui eſt amor Patris, & Filii, ſecundum illud, Galat. 4.* Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater. *Et ideo, ſicut Filio incarnato, adoptivam filiationem accepimus ad ſimilitudinem filiationis naturalis ejus; ita Patre incarnato, adoptivam filiationem reciperemus ab eo, tamquam a principio naturalis filiationis; & a Spiritu Sancto, tamquam a nexu communi Patris, & Filii.*

IV. Certum etiam eſt, tres perſonas divinas poſſe eamdem naturam humanam terminare mediate. Caſu enim, quo hic Deus, abſoluta ſubſiſtentia ſubſiſtens, humanitatem immediate terminaret; eam dicerentur mediate terminare etiam omnes tres divinæ perſonæ.

Tota difficultas eſt: An tres divinæ perſonæ poſſint ſimul immediate terminare eamdem numero naturam per propriam, & perſonalem ſubſiſtentiam; eamque triplici ſubſiſtentia reddere perſonatam? Negat Scotus, in 3. *diſt.* 1. q. 2. Affirmat S. Thomas, & cum eo communius Theologi.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. DIco. Tres perſonæ divinæ poſſunt ſimul aſſumere eamdem numero naturam, eamque triplici ſubſiſtentia reddere perſonatam. Ita S. Thom. 3. *part. quæſt. 3. art. 6.* cujus ratione ſic probo. Hoc non repugnat neque ex parte divinarum perſonarum, neque ex parte humanitatis, neque ex parte principii aſſumentis. Non repugnat ex parte primi. Si enim tres divinæ perſonæ non ſe ſe excludunt a communione ejuſdem naturæ divinæ; non videtur ratio, cur ſe ſe excludere debeant a communione in eadem natura creata. Non repugnat ex parte ſecundi. Nam *In Myſterio Incarnationis*, ut ſcribit Auguſt. Epiſt. 3. modo 137. ad Voluſianum, *tota ratio facti eſt potentia facientis;* ergo magis circa hoc eſt judicandum ſecundum conditionem divinæ perſonæ aſſumentis, quam ſecundum conditionem naturæ humanæ aſſumptæ. Eo vel magis, quod ſi natura humana, eſto finita, terminatur tamen a perſona Verbi ſimpliciter infinita; cur non poterit ab aliis, etiam etſi infinitis, terminari? Neque repugnat ex parte tertii. Nam principium aſſumptionis eſt commune tribus Perſonis: *Sic ergo* (concludit S. Thom.) *non eſt impoſſibile divinis perſonis, ut duæ, vel tres aſſumant unam naturam humanam. Eſſet tamen impoſſibile, ut aſſumerent unam hypoſtaſim, vel unam perſonam humanam, ſicut & Anſelmus dicit, Lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9. Quod plures perſonæ non poſſunt aſſumere unum, eumdemque hominem in unitate perſonæ.*

VI. Dices, repugnare ex parte naturæ humanæ, quæ cum limitata ſit, terminata ab una ſubſiſtentia, non eſt amplius terminabilis ab aliis.

Sed contra. Si limitatio humanitatis non impedit, quin termi-

terminetur ab una ſubſiſtentia infinita, neque obſtabit, quin ſit terminabilis ab aliis. Si enim obſtaret, maxime quia per unam ſubſiſtentiam divinam adæquate terminatur: ſed hoc, juxta Scotum, obſtare nequit, quod probo. Nam, juxta ipſum, licet corpus ſit adæquate circumſcriptum ab uno loco, non obſtat ejus finitati, quod circa ipſum duplicetur præſentia, & ſimul ponatur in alio loco, vel etiam in pluribus; ergo a pari, licet humanitas finita ſit, & adæquate terminata una ſubſiſtentia, poterit, ſtante finitate, per potentiam Dei alia ſubſiſtentia adhuc ſimul terminari. Ideo enim apud Scotum, corpus licet habeat duplicem præſentiam localem adæquatam, non deſinit eſſe finitum, quia hoc non habet ab intrinſeco, & naturaliter, ſed ab extrinſeco, & obedientialiter: ſed etiam humanitas licet triplici ſubſiſtentia terminaretur, hoc non haberet ab intrinſeco, & connaturaliter, ſicut natura divina, ſed ſolum obedientialiter; quia, ut dicebamus ex Auguſtino: *In Myſterio Incarnationis tota ratio facti eſt potentia facientis*; ergo &c.

§. III.

Reſpondetur Rationibus Scoti.

VII. ARguit, primo. Ideo natura divina eſt capax, ut tribus ſubſiſtentiis terminetur, quia eſt infinita; ergo ideo natura humana non erit capax, quia eſt finita.

Si reſpondeas, diſt. ant. Ideo eſt capax &c. ut terminetur ab intrinſeco, connaturaliter, & ut idem cum illis, conc. maj. Ideo præciſe, neg. maj. Non enim eſſe præciſe terminabilem pluribus ſubſiſtentiis arguit infinitatem; ſed eſſe terminabilem connaturaliter, tamquam ſibi debitis, & ſibi realiter identificatis, ſicut eſt natura divina: qualis certe non eſſet natura humana, quæ ſi tribus ſubſiſtentiis divinis terminaretur, eis tamquam extraneis, a ſe realiter diſtinctis, & obedientialiter terminaretur.

VIII. Contra inſtat. Infinitas, & illimitatio non oritur ex ſola identitate unius rei cum altera, & connaturalitate, ſed ex aptitudine, qua una res poteſt infinite ſe communicare: ſi enim daretur aliqua albedo, quæ ex ſe poſſet infinitos parietes dealbare; licet ab eis diſtincta realiter, & ſolum adventitia foret, adhuc tamen eſſet infinita; ergo &c.

IX. Sed hæc inſtantia ſolvenda eſt etiam a Scoto, Primo. Nam ſi unum corpus haberet ſimul, & connaturaliter plures præſentias locales adæquatas, & ſibi identificatas, illud certe, juxta Scotum, eſſet infinitum: & tamen ſi illas habeat tamquam adventitias, & ex potentia Dei eas multiplicantis, infinitum non eſt, ſed finitum. Secundo. Sicut infinita eſſet albedo, quæ poſſet infinitos parietes afficere; ita eſſet infinita, ſi unum corpus infinitum afficeret: ſed humanitas Chriſti communicatur ſubſiſtentiæ Verbi, quæ eſt infinita, quin evadat infinita; ergo poſſet communicari etiam aliis divinis ſubſiſtentiis, quin evaderet infinita.

X. Reſpondeo igitur, neg. conſ. Aliud enim eſt, poſſe ſe communicare alicui infinito; aliud poſſe, ſe ei communicare infinite, ſeu modo infinito. Humanitas autem ſicut de facto communicatur ſubſtantiæ Verbi infinitæ, non evadit infinita; quia communicatur ei finito modo: ita nec evaderet infinita, ſi communicaretur aliis, quia eis communicaretur finito modo. Neque eſt ſimile de albedine, quæ, ſi afficeret infinita ſubjecta, deberet procul dubio eſſe infinitæ vel intenſionis, vel extenſionis, quia ea afficeret per modum cauſæ formalis, quæ in ſe habere debet quod communicat. Natura autem humana ad divinas ſubſiſtentias non ſe haberet, ut cauſa formalis communicans; ſed ut cauſa mere paſſive obedientialiter ab eis accipiens eſſe: potentia autem obedientalis non ſupponit infinitatem in recipiente, ſed ſolum in potentia activa communicantis, & dantis. Unde ſequeretur, eſſe quidem infinitam potentiam Dei triplici ſubſiſtentia aſſumentis eamdem naturam; non tamen eſſe infinitam naturam aſſumptam; ſicut non eſt infinita, quamvis aſſumpta a ſola ſubſiſtentia Verbi, quæ eſt infinita.

XI. Arguit ſecundo. Non poteſt unum, & idem a pluribus adæquate pendere: at ſi natura creata tribus perſonis divinis uniretur, a pluribus totaliter, & adæquate penderet, ergo &c. Maj. probatur. Hic enim ratione idem effectus non poteſt a pluribus cauſis totalibus, & adæquatis produci: alias quælibet earum eſſet totalis, ac adæquata, & non eſſet; quia ſupponeret aliquid non productum ab una cauſa, & producibile per aliam cauſam.

XII. Reſpondeo primo, neg. maj. Quia conſortium alterius cauſæ impedit tantum, ne alia cauſa ſit totalis; cum impedit, ne totum effectum producat. Verum in ſuppoſitione, de qua agitur, id nulla perſona impediret: nam per ſubſiſtentiam Patris humanitas ita ſubſiſteret, ut ea ſublata, ſubſiſteret adhuc per aliam ſubſiſtentiam, Filii nimirum, aut Spiritus Sancti.

Reſpondeo ſecundo, major. eſſe veram de effectu, qui ſit idem tam genere, quam ſpecie. Si enim ſit idem genere, ſpecie tamen diverſus, poteſt a pluribus cauſis totalibus produci. Sic viſio, & auditio etſi in genere ſenſationis idem ſint; quia tamen ſpecie differunt, ſic viſio eſt totaliter a potentia viſiva, ut non ſit ab auditiva: & auditio eſt ab auditiva totaliter, ut non ſit a viſiva. Cum ergo tres ſubſiſtentiæ divinæ, licet præſtent effectum genere eumdem, nempe, ſubſiſtere: eum tamen in ratione quaſi ſpecifica ſubſiſtendi diverſæ rationis ſint; ut patet in natura divina, quæ alio modo ſubſiſtit in Patre, alio in Filio, & alio in Spiritu Sancto: hinc eſt, quod ſi hæ tres ſubſiſtentiæ uni naturæ creatæ communicarentur; unaquæque redderet quidem eam adæquate ſubſiſtentem, ſed ſub una, & alia ratione ſpecie diverſa. Et ſic unaquæque expleret capacitatem illius naturæ ad ſubſiſtendum in ſua ratione, non autem in omni ratione.

XIII. Sed inſtabis primo. Una forma ſubſtantialis ita explet capacitatem materiæ; ut eam non relinquat capacem ſimul habendi aliam formam ſubſtantialem, etſi diverſæ rationis, & ſpeciei ſit; ergo a pari. —— Secundo. Unus color, puta, albus, ita explet capacitatem ſui ſubjecti; ut in illo non permittat alium colorem, licet diverſæ ſpeciei —— Tertio. Unum accidens ita eſt in uno ſubjecto, ut non poſſit in alio ſubjecto eſſe; ergo una natura ita in una ſubſiſtentia ſubſiſtit, ut non poſſit ſubſiſtere in alia.

XIV. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum diſparitas, quod præſens, eſt. Quod illa duplex forma ſubſtantialis, ſpecie diverſa, conſtitueret in eadem materia duplicem naturam ſubſtantialem ſpecie diverſam: eadem autem materia non eſt capax, ut ſimul ſit in duplici natura ſubſtantiali, puta, equi, & leonis. At ſubſiſtentia non conſtituit naturam, ſed perſonam: eadem autem natura capax eſt ſubſiſtendi in duplici perſona diverſæ rationis, ut patet in natura divina.

Ad ſecundum dico, duos colores ſpecie diverſos non poſſe eſſe in eodem v. g. pomo: non quia ſpecie diverſi; ſed quia cum ſint contrarii, puta, album, & nigrum, invicem ſe a ſubjecto excludunt. Perſonæ autem divinæ ſe quidem excludunt a communione ejuſdem perſonæ; non autem a communione in eadem natura.

Ad tertium quidam admittunt, idem accidens poſſe ſupernaturaliter poni in duplici ſubjecto. Verius tamen do antecedens, & diſparitas eſt. Quia accidens, ut docent Metaphyſici, ſumit ſuam unitatem numericam a ſubjecto: unde unum accidens numero nequit eſſe, niſi in uno ſubjecto. At natura non ſumit ſuam unitatem numericam a ſubſiſtentia. Quare natura divina una numero eſt, licet in tribus perſonis ſit.

XV. Arguit tertio. Humanitas terminata propria ſubſiſtentia nequit terminari aliena; ergo humanitas terminata una ſubſiſtentia aliena, puta, Verbi, nequit ſimul alia terminari.

XVI. Reſpondeo, neg. conſ. & diſparitas eſt. Quia humanitas, quæ habet propriam ſubſiſtentiam, per ſe, & in ſe ſubſiſtit: quæ vero alienam, per ſe, & in ſe non ſubſiſtit, ſed in alio. Humanitas autem, quæ per ſe, & in ſe ſubſiſtit, capax non eſt alterius ſubſiſtentiæ, quia per propriam ſubſiſtentiam fit proprii juris, ac proinde non poteſt fieri alieni juris: alioquin ſimul eſſet proprii juris, & non eſſet. E contra humanitas, quæ ſubſiſtit in alio, poteſt eſſe duplici titulo juris alieni, per duplicem alienam ſubſiſtentiam; ſeu per conjunctionem cum duplici perſona, quæ natura aſſumpta ſuperior ſit.

XVII. Dices tamen. Natura per ſubſiſtentiam ſive propriam, ſive alienam redditur incommunicabilis alteri ut ſuppoſito; ergo natura humana terminata una ſubſiſtentia, etiam aliena, non poteſt communicari alteri etiam alienæ.

Reſpondeo, diſt. ant. Natura reduplicative, ut ſubſiſtens, conc. ant. Natura ſpecificative, ſeu natura, quæ eſt ſubſiſtens, nego ant. Oppoſitum enim oſtendit natura divina, quæ tribus perſonis communicatur. Solum ergo incommunicabilis eſt natura, quatenus ſubſiſtens eſt. Nimirum ſequitur, quod alia divina perſona non poſſit aſſumere naturam, ut ſubſiſtentem, aſſumendo etiam ſubſiſtentiam; non vero, quod non poſſit aſſumere eamdem naturam, ſubſiſtentiam non aſſumendo.

XVIII. Inſtabis. Aſſumptio fit, & terminatur ad unitatem perſonæ; ergo tres perſonæ ita unirentur uni naturæ, ut ex iis fieret una perſona.

Nego conſ. quæ non bene infertur. Deberet enim inferri ſic; ergo tres perſonæ ita unirentur, ut ex ſingulis fierent ſingulæ perſonæ. Ut enim docet S. Thom. 3. part. qu. 3. art. 6. ad 2. *Illa poſitione facta, humana natura eſſet aſſumpta in unitate, non unius perſonæ; ſed in unitate ſingularum perſonarum: ita ſcilicet, quod ſicut divina natura habet naturalem unitatem cum ſingulis perſonis; ita natura humana haberet unitatem cum ſingulis per aſſumptionem.* Sicque ex natura, & Patre fieret una perſona ſubſiſtens in natura divina, & humana: ex natura, & Filio fieret una perſona Filii ſubſiſtens &c. Unde illa natura ſubſiſteret in tribus perſonis, non in una ſolum.

XIX. Arguit quarto. Si tres perſonalitates divinæ eſſent ſimul in eadem natura creata; de illa natura dici poſſet, primo: quod eſſet ſimul Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ac proinde ingenitum, & genitum de ea dici poſſent. Secundo: quod Pater eſſet Filius; ſicut dicitur, quod homo ſit Verbum, eo quod in perſona Verbi ſubſiſtat. Aſſumptum probatur. Nam valeret: *Hic homo eſt Pater, Filius eſt hic homo; ergo Filius eſt Pater.* Quæ abſurda ſunt.

XX. Reſpondeo, primum in eo caſu non fore abſurdum, nempe, dicere, quod idem homo eſſet ſimul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Ratio eſt. Quia in hac propoſitione: *Idem homo eſſet ſimul Pater, Filius, & Spiritus San-*

Sanctus, ſubjectum *homo* ſupponeret pro natura, prædicatum vero *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, pro perſonis: & ſenſus eſſet, quod eadem natura tribus ſubſiſtentiis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti ſubſiſteret. Poſſet etiam dici: *Hic homo*, ut ſupponit pro perſona Patris, *Eſt ingenitus*, & ut ſupponit pro perſona Filii, *eſt genitus*. *Si quis autem* (inquit S. Thom. hoc art. 6. ad 3.) *ulterius procederet: Homo eſt ingenitus: Filius eſt homo; ergo Filius eſt ingenitus: eſſet fallacia figura dictioni, vel accidentis. Sicut & nunc dicimus, Deum eſſe ingenitum, quia Pater eſt ingenitus; nec tamen poſſumus concludere, quod Filius ſit ingenitus, quamvis ſit Deus.* Eadem ratione ſicut non valet in Deo: hic Deus eſt Pater; Filius eſt hic Deus; ergo Filius eſt Pater; ſic non valeret: hic homo eſt Pater: Filius eſt hic homo; ergo Filius eſt Pater. Arguitur enim a non diſtributo ad diſtributum: non enim omne, quod eſt hic homo, eſt Pater, ſicut neque omne, quod eſt hic Deus, eſt Pater.

§. IV.

An Caſu, quo Tres Divinæ Perſonæ aſſumerent eamdem naturam humanam, eſſent Unus Homo?

XXI. REſpondeo affirmative. Ita S. Thom. 3. *part. quæſt.* 3. *art.* 6. *ad* 1. dicens: *Hac poſitione facta, ſcilicet, quod tres perſonæ aſſumerent unam naturam humanam, verum eſſet dicere, quod tres perſonæ eſſent unus homo, propter unam naturam humanam. Sicut nunc verum eſt dicere, quod tres perſonæ ſunt unus Deus propter unam divinam naturam.* Rationem autem hujus tradiderat S. Doctor, 1. *part. quæſt.* 39. *art.* 3. Quia hæc eſt differentia inter concretum ſubſtantivum, quale eſt *Homo*, & concretum adjectivum, quale eſt *Humanum*; quod concretum ſubſtantivum ſignificat natura per modum ſubſtantiæ: ſubſtantia autem ſicut per ſe habet eſſe, ita per ſe habet unitatem, vel pluralitatem, non vero a ſuppoſito in quo eſt. Unde, ut multiplicetur concretum ſubſtantivum, non ſufficit, ut multiplicentur ſuppoſita; ſed debent etiam multiplicari formæ, ſeu naturæ: ſed forma ſignificata per hoc ſubſtantivum *Homo*, eſt humanitas, ſicut forma ſignificata per hoc ſubſtantivum *Deus*, eſt Deitas; ergo, ut eſſent tres homines, non ſolum deberent eſſe tria ſuppoſita habentia humanitatem, ſed tria habentia tres humanitates: ſicut, ut eſſent tres Dii, non ſat eſſet, ut eſſent tria ſuppoſita habentia deitatem, ſed tria habentia tres deitates. At concretum, ſeu nomen adjectivum ſignificat aliquid per modum accidentis, quod inhæret ſubjecto: accidentia autem, ſicut eſſe habent a ſubjecto, ita ex ſubjecto accipiunt unitatem, vel pluralitatem. Unde, ut concretum adjectivum multiplicetur, ſufficit, ut multiplicentur ſuppoſita, vel ſubjecta, etiamſi non multiplicentur formæ. Et quia ſi tres divinæ perſonæ aſſumerent eamdem humanitatem, illa humanitas eſſet in tribus ſuppoſitis; ideo dici poſſent tres humani, ſicut in divinis dicuntur tres divini: ideſt, tres habentes humanitatem, ſicut tres habentes deitatem.

Nec dicas, hoc concretum ſubſtantivum *Homo*, eſſe idem, ac *habens humanitatem*; ergo ſi eſſent tres habentes humanitatem, eſſent tres homines. —— Nam eſto ſint idem ex parte rei ſignificatæ; in modo tamen ſignificandi diverſa ſunt. Nam *Homo* ſignificat humanitatem per modum ſubſtantiæ, & per ſe exiſtentis; *Habens* vero *humanitatem* eam ſignificat adjective, & ut in ſubjecto eam habente: & ideo dici poſſent tres habentes humanitatem, ſicut in divinis tres habentes deitatem: non vero tres homines, ſicut nec in divinis tres Dii.

XXII. Sed dices. Hoc nomen *Homo*, eſto per ſe ſit ſubſtantivum, in caſu tamen præſenti, ex modo ſignificandi eſſet adjectivum. Quod probo. Nam humanitas aſſumpta a tribus divinis perſonis non ſubſiſteret in ſe, ſed in illis: atqui nomen ſubſtantivum debet ſignificare formam per modum per ſe ſubſiſtentis; ergo &c.

XXIII. Reſpondeo, neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Sed in illis, ut habita ab illis, conc. maj. Ut adjacens illis, nego maj. Ut autem humanitas adjective diceretur de tribus divinis perſonis; deberet ſignificari per modum alicujus accidentaliter adhærentis illis, ut ſubjectum, a quibus unitatem acciperet: cum ergo humana natura aſſumpta ſignificaretur quidem ut habita, non tamen, ut accidentaliter adjacens tribus divinis perſonis, ſed eſſet ſubſtantialiter illis unita in unitate perſonæ; fieret, quod homo diceretur de illis ſubſtantive, non adjective.

XXIV. Nec valeret dicere, quod adveniret tribus divinis perſonis habentibus eſſe completum. —— Ex hoc enim non ſequitur, eam habituram rationem accidentis reſpectu illarum; quia adveniret illis in communionem illius eſſe completi. Unde S. Thom. 3. p. quæſt. 2. art. 6. ad 2. *Illud* (inquit) *quod advenit poſt eſſe completum, accidentaliter advenit, niſi trahatur in communionem illius eſſe completi. Sicut in reſurrectione corpus adveniet animæ præexiſtenti, non tamen accidentaliter quia ad idem eſſe aſſumetur, ut ſcilicet corpus habeat eſſe vitale per animam. Non eſt autem ſic de albedine; quia aliud eſt eſſe albi, & aliud eſt eſſe hominis, cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab æterno eſſe completum habuit ſecundum hypoſtaſim, ſeu perſonam: ex tempore autem advenit ei natura humana, non quaſi aſſumpta ad unum eſſe, quod eſt naturæ, ſicut corpus aſſumptum ad eſſe animæ, ſed ad unum eſſe, prout eſt hypoſtaſis, vel perſonæ. Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Verbo Dei.* Hæc S. Thom. doctrina præ oculis habenda eſt; ut tueamur, contra Neſtorium, unionem Verbi cum humanitate non fuiſſe accidentalem, ſed ſubſtantialem, De quo, Qu. ſequenti, Dub. 2.

XXV. Dices adhuc. Caſu, quo plures perſonæ divinæ aſſumerent eamdem humanitatem; illa humanitas quaſi tribueret cuilibet ſuum effectum formalem, & faceret hominem unamquamque perſonam: ſed cum aliqua forma tribuit pluribus ſuppoſitis ſuum effectum formalem, effectus ille multiplicatur, etſi forma illa non multiplicetur: caſu enim, quo duo homines haberent eamdem veſtem, dicerentur duo veſtiti: & caſu, quo duo corpora haberent eamdem ubicationem, dicerentur duo locata: ergo &c.

XXVI. Reſpondeo, neg. min. Quæ inſtatur exemplo deitatis, quæ facit Deum unamquamque perſonam; & tamen non poſſunt dici tres Dii. —— Ad exempla autem allata diſparitas eſt. Quia veſtitum, & locatum ſunt nomina adjectiva; ideoque multiplicatur ad multiplicationem ſubjecti: at homo eſt nomen ſubſtantivum, quod non multiplicatur, niſi cum ſuppoſitis multiplicentur etiam formæ.

DUBIUM V.

An una Perſona Divina poſſit aſſumere plures Humanitates?

§. I.

Reſolvitur Dubium.

I. DIco. Una Perſona divina poteſt aſſumere plures humanitates. Ita S. Thomas, 3. *p. q.* 3. *a.* 7. & Theologi communiter. Probatur autem ex eodem ſic. Quod una divina perſona aſſumat duas, vel plures naturas, nec repugnat ex parte principii aſſumptionis, neque ex parte termini. Non repugnat ex parte principii. Nam ſicut virtus divina, ex quo infinita eſt, de facto in una perſona Verbi cum naturas divina univit unam naturam humanam: ita poſſet, ſi vellet, in eadem perſona unire duas, vel plures naturas creatas. Si enim aſſumpta una natura creata, non poſſet aliam aſſumere, limitaretur ad illam virtus aſſumptiva. Quia (inquit S. Thom.) *Illud, quod poteſt in unum, & non in amplius, habet potentiam limitatam ad unum. Potentia autem divinæ perſonæ eſt infinita, nec poteſt limitari ad aliquid creatum.* Hac ratione nec repugnat ex parte termini. Quia perſona divina, quæ eſt terminus aſſumptionis, habet virtutem terminandi infinitam: & licet terminet naturam divinam infinitam, poteſt ſimul terminare, & de facto terminat naturam humanam finitam; ergo multo magis, licet terminet naturam creatam, & finitam, poterit etiam ſimul terminare aliam. Alioquin perſonalitas divina eſſet ita ab illa natura creata abſorta, & comprehenſa; ut extra illam exire non poſſet, quod dici nequit: cum increatum a creato nequeat comprehendi.

II. Quæres: An ſi una perſona divina aſſumeret duas humanitates, illæ duæ humanitates, ſaltem mediate, invicem mutuo unirentur: ad eum modum, quo natura divina, mediante perſona Verbi, mediate intrinſece unitur humanitati Chriſti?

III. Reſpondeo negative cum S. Thoma citato, *ad* 3. Quia in tantum dum Verbum unitur humanitati, natura divina, mediante illo, intrinſece mediate unitur; quia natura divina ab æterno eſt eadem cum perſonalitate Verbi, quæ humanitati immediate unitur. Sed in caſu poſito, utraque illa humanitas, unita eidem perſonæ divinæ, eſſet realiter ab ipſa perſona diſtincta; neque una aſſumeret aliam, ſed utraque uniformiter ad illam perſonam ſe haberet: & ideo una, mediante altera, non uniretur. Addo: quod una humanitas poſſet eſſe Romæ, altera Bononiæ; ergo neque mediate intrinſece unirentur, ſed una eſſet alteri extrinſeca.

§. II.

An in dicto Caſu illæ duæ Humanitates eſſent dicenda Unus Homo?

IV. REſpondeo affirmative cum S. Thoma citato, *ar.* 7. *ad* 2. Ubi implicite retractans opinionem, quæ ſibi olim placuerat, in 3. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 2. docet, quod in caſu eſſet unus homo, non duo homines. Et ratio eſt. Nam, ut concretum ſubſtantivum dicatur pluraliter, non ſufficit, ut multiplicetur forma, ſed etiam debet multiplicari ſuppoſitum: *Homo enim, qui eſt duobus veſtimentis indutus, non dicitur duo veſtiti, ſed unus veſtitus duobus veſtimentis; & quia habet duas qualitates, dicitur ſingulariter aliqualis, ſecundum duas qualitates.* Similiter ſi unus homo habeat duas artes, non dicitur eſſe duo artifices, ſed unus artifex; quia eſt unicum tantum ſuppoſitum duarum artium. Unde S. Auguſt. *lib.* 7. *de Civit. Dei, cap.* 10. irridens Paganos, qui diſtinguebant Janum a Jove, quia licet eadem perſona, diverſa tamen vis erat Jani,

ac

ac Jovis; ait: *Nunquid ſi unus homo in diverſis rebus duas habeat poteſtates, aut duas artes; quia ſingularum diverſa vis eſt, ideo duo judices, aut duo dicuntur artifices?* Cum ergo in caſu una eſſet perſona, quæ haberet duas naturas humanas; eſſet unus homo habens duas naturas, non duo homines.

V. Sed dices. Ab eo, a quo ſumitur unitas concreti ſubſtantivi, ſumitur etiam pluralitas: ſed in concretis ſubſtantivis unitas ſumitur a forma, & non a ſuppoſito, ut Dub. præced. dictum eſt; ergo ab ea ſumitur & pluralitas.

VI. Reſpondeo, diſt. maj. ab eo, a quo ſumitur adæquate &c. ſumitur &c. conc. maj. A quo ſumitur inadæquate, nego major. Unitas ergo concreti ſubſtantivi ſumitur adæquate ab unitate tum formæ, tum ſuppoſiti: ita ut, quovis ex his multiplicato, niſi multiplicetur utrumque, ſemper aderit unitas impediens pluralitatem, & numerum. Quare ſicut licet multiplicentur ſuppoſita, ſi tamen non multiplicentur formæ, non habetur pluralitas concreti ſubſtantivi: ita non habebitur pluralitas, ſi licet multiplicentur formæ, non tamen multiplicentur ſuppoſita. Et ratio horum eſt. Quia nomen ſubſtantivum affectum termino numerali, æqualiter accipitur, & ſupponit tam pro formali, ſeu natura, quam pro materiali, ſeu ſuppoſito.

VII. Dices ſecundo. Ubi ſunt plura individua naturæ humanæ, ibi ſunt plures homines: ſed in caſu, quo una perſona aſſumeret plures humanitates, illæ eſſent plura individua naturæ humanæ, quia individuum conſtituitur per naturam individuam, ſicut ſpecies per naturam ſpecificam: illæ autem humanitates haberent duas naturas individuas; ergo &c.

VIII. Reſpondeo. diſt. maj. plura individua in concreto, ibi ſunt &c. conc. maj. plura individua in abſtracto, nego major. in caſu autem illæ duæ humanitates aſſumptæ eſſent quidem duo individua in abſtracto, ſeu duæ naturæ individuæ; in concreto tamen eſſent unum: quia in unico ſuppoſito ſubſiſterent, ideoque eſſent unus homo.

IX. Dices tertio. Si perſona divina aſſumeret duas naturas diverſæ ſpeciei, puta, hominis, & columbæ, haberent idem ſuppoſitum: & tamen non eſſent unum, ſed plures. Rurſus: poſſet una mori, alia non: repugnat autem, idem ſimul mori, & non mori.

X. Reſpondeo, quod ſi perſona divina aſſumeret duas naturas diverſæ ſpeciei; illæ eſſent unum unitate ſuppoſiti, ſeu eſſet unum ſuppoſitum habens illas duas naturas: non enim repugnat, ea, quæ diverſa ſunt, prout conveniunt in aliquo uno, eſſe unum, quod reſpectu unius eſſet homo, reſpectu alterius eſſet avis: & ſic ſecundum unam naturam mori poſſet, ſecundum aliam vivere: eo modo ſimili, quo Chriſtus ſecundum naturam humanam mortuus eſt, non vero ſecundum divinam.

QUÆSTIO VII.

De unione Verbi cum Humanitate.

IN unione, qua natura humana cum perſona Verbi unita eſt, poſſumus conſiderare eſſentiam, proprietates, & conſequentia ad ipſam. Unde quæremus, primo: Quid ſit hæc unio. Secundo: An ſubſtantialis fuerit, indiſſolubilis &c. Tertio: An ex ea ſecuta fuerit naturarum confuſio, idiomatum communicatio &c.

DUBIUM I.

In Quo poſita ſit Unionis Eſſentia?

§. I.

Quid ſit Unio Formaliter ſumpta?

I. UNio humanitatis cum Verbo conſiderari poteſt active, & paſſive, Active eſt actio Dei unientis humanitatem cum Verbo, quæ alio nomine dicitur unitio. Paſſive eſt ipſa formalis unio, ſeu vinculum, aut nexus, quo formaliter humanitas dicitur unita Verbo. De Unione hoc ſecundo modo agemus in præſenti, & de ea quæremus: An ſit modus realiter diſtinctus ab humanitate, & Verbo.

II. Dico. Unio hypoſtatica, qua humanitas formaliter unitur Verbo, non eſt modus aliquis abſolutus, realiter diſtinctus ab humanitate, & Verbo; ſed eſt Verbum, & humanitas non ſeorſim, ſed ſimul ſumpta. Ita ex Sancto Thom. *in 3. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. qu. 1.* cujus hæc ſunt verba: *In unione humana natura ad divinam nihil poteſt cadere medium formaliter unionem cauſans, cui per prius humana natura conjugatur, quam divina perſona. Sicut enim inter materiam, & formam nihil cadit medium in eſſe, quod per prius ſit in materia, quam forma ſubſtantialis; alias eſſe accidentale eſſet prius ſubſtantiale, quod eſt impoſſibile: ita etiam inter naturam, & ſuppoſitum non poteſt aliquid dicto modo medium cadere, cum utraque conjunctio ſit ad eſſe ſubſtantiale: ſed ſicut adventum forma in materiam præcedunt, ordine fiendi, diſponentia formaliter, & materialiter, quibus materia redditur idonea ad ſuſceptionem formæ: ita & in humana natura inveniuntur quædam ſuperaddita, quibus redditur decens, ut aſſumatur a divina perſona, ut ſcientia, & virtutes, & hujuſmodi: unde iſta poſſunt dici quodammodo medium congruentiæ.* Ita S. Thomas. Ne autem qui exiſtimet, ſcientiam, & virtutes præceſſiſſe tamquam cauſantes unionem, addit ibi: ſcientiam, & virtutem non cadere tamquam medium unionem, vel unibilitatem formaliter cauſans, ſed ſicut medium congruitatis; decuit enim, ea naturæ aſſumptæ non deeſſe. Unde ſcientia, & virtutes potius ſunt concomitantes, vel conſequentes unionem, non vero ſunt ipſa formalis unio.

III. Probo autem ſic. Nexus ille medius non requiritur neque ex parte Verbi, neque ex parte humanitatis. Non ex parte Verbi: quia cum hoc ſit infinitæ virtutis in terminando, per ſeipſum poteſt actu terminare humanitatem. Non ex parte humanitatis: quia hæc ratione potentiæ obedientialis capax eſt terminari a Verbo, ſi Verbum velit ei ſuum eſſe communicare.

Addo: quod ille modus, qui excogitatur medius inter humanitatem, & Verbum, eſſet aliquid creatum, & ordine inferius ad Verbum; ergo non eſſet magis capax proportionandi humanitatem cum Verbo, quam ſit humanitas ſine illo.

IV. Neque nos terret, quod S. Thom. *3. p. qu. 2. art. 7.* dicat, unionem, de qua loquimur, eſſe relationem quamdam, *Qua conſideratur inter divinam naturam, & humanam, ſecundum quod conveniunt in una perſona Filii Dei.* — Nam S. Thomas non intendit, quod iſta relatio ſit ipſa formalis unio conjungens Verbum cum humanitate; ſed quid conſecutum ex hoc, quod divina natura, & humana conveniunt in una perſona Filii Dei: quæ *Relatio realiter quidem eſt in creatura, per cujus mutationem talis relatio innaſcitur; non autem eſt realiter in Deo, ſecundum rationem tantum; quia non innaſcitur ſecundum mutationem Dei. Sic ergo dicendum eſt, quod hæc unio, de qua loquimur, non eſt in Deo realiter, ſed ſecundum rationem tantum: in humana autem natura, qua creatura quædam eſt, realiter eſt.* Si ergo hæc relatio ex mutatione humanæ naturæ *innaſcitus;* jam ſupponit, eam per unionem formalem ad Verbum mutatam: & proinde unionem ſupponit. Hoc apertius demonſtrat idem S. Thom. in *3. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3.* his verbis: *Inter humanam naturam, & divinam neceſſe eſt cadere unionem mediam, non ſicut cauſam; ſed ſicut effectum conjunctionem naturarum conſequentem. Eſt enim natura relationis, ut in aliis rerum generibus cauſam habeat . . . quia ad aliquid non eſt motus, ut probatur in 5. Phyſ. Et tamen ex hoc quod motus terminatur ad aliquod ens, de neceſſitate conſequitur relatio aliqua: ſicut ex hoc, quod motus alterationis terminatur ad albedinem, conſequitur relatio ſimilitudinis ad omnia alba: ſimiliter etiam ex hoc, quod motus generationis terminatur ad formam, conſequitur hæc relatio, ſecundum quam materia ſub forma eſſe dicitur: ita ex hoc, quod motus aſſumptionis humanæ naturæ terminatur ad perſonam, conſequitur hæc relatio, qua dicitur unio. Unde unio eſt medium non ſicut aſſumptionem cauſans, ſed ſicut eam conſequens: ſicut etiam dictum eſt ſupra, quod aqua eſt medium in tactu ex hoc, quod tangentia humectata ſunt.*

V. Sed dices primo. Major eſt unio in perſona, quam unio animæ beatæ ad Deum per fruitionem: ſed anima non poteſt uniri Deo per fruitionem, niſi per aliquod medium, nempe, gratia; ergo &c.

Confirmatur. In illud, quod naturæ vires excedit, natura non poteſt pervenire, niſi aliquo medio proportionetur: ſed aſſumi in unitatem divinæ perſonæ, eſt maxime excedens facultatem naturæ creatæ; ergo &c.

VI. Reſpondeo cum S. Thom. in *3. diſt. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 2.* diſparitatem eſſe: *Quod fruitio operationem quamdam dicit: unde per fruitionem anima unitur Deo, ſicut operans operationis objecto. Hoc autem ad rationem perfectæ operationis pertinet, ut a potentia mediante habitu eliciatur . . . . Unio autem in perſona eſt ad unum eſſe perſonale; habitus autem non poteſt eſſe principium perſona ſubſiſtentis, ſed eſt ad eſſe conſequens.*

Nec refert, quod humanitas per ſui unionem cum Verbo mutetur —— Hæc enim mutatio non fit per aliquod medium adveniens humanitati, diſtinctum ab ipſa, & a Verbo; ſed fit immediate per ipſum Verbum: quod, dum illi communicatur, eamque trahit ad ſuum eſſe perſonale, eam immutat.

VII. Ad Confirm. reſpondeo cum eodem S. Doctore loco citato, ad *3. Quod quamvis aſſumi in unitatem divina perſona ſit ſupra facultatem humana naturæ; non tamen exigitur aliquid formaliter humanam naturam elevans ad talem aſſumptionem. Tum quia, quocumque addito, talis natura a perſona divina in infinitum diſtaret. Tum quia: cum aſſumi, per ſe natura conveniat, omnia autem accidentia præter rationem naturæ ſunt: ideo non poterit humana natura ſecundum id, quod aſſumptibilis eſt, elevari per aliquod accidens, additum ad hoc, ut aſſumptibilior fiat: ſed ad hoc, quod aſſumatur, exigitur benignitas divina, humanam naturam ad tantam dignitatem gratis elevans.* Quare naturam humanam eſſe unitam Verbo, non dicit neque humanitatem ſolam, neque Verbum ſolum, neque aliquid ſuperadditum; ſed dicit humanitatem, & Verbum invicem ſeipſis immediate conjuncta: illa, ut accipiens, iſtud, ut ſeipſum communicans.

§. II.

§. II.

An unitio idem sit, ac Assumptio, seu Incarnatio?

VIII. REspondeo cum S. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 8. in corp. & ad 2. *Quod uniens, & assumens non sunt omnino idem. Nam omnis persona assumens, est uniens, non autem e converso. Nam persona Patris univit naturam humanam Filio, non autem sibi: & ideo dicitur uniens, non assumens, quasi ad se sumens. Persona autem Filii, qua sibi humanam naturam univit, est uniens, & assumens. Et similiter non est idem unitum, & assumptum: nam divina natura dicitur unita, & non assumpta.* —— Similiter assumptio non est omnino idem, ac Incarnatio. Nam, ut docet S. Thom. ibi ad 3. *Assumptio determinat cui facta est copulatio, ex parte assumentis; in quantum assumptio dicitur quasi ad se sumptio: sed Incarnatio, & humanatio ex parte assumpti, quod est caro, vel natura humana. Et ideo assumptio differt ratione, & ab unione, & ab Incarnatione, seu humanatione.*

IX. Porro: cum natura actionis non melius explicari possit, quam per ordinem ad suum terminum: ideo in præsens quæremus, quinam sit terminus unitionis hypostaticæ, seu Incarnationis. At quia Incarnatio tribus præcipue modis considerari potest. Primo: quatenus est assumptio. Secundo: quatenus est communicatio. Tertio: quatenus est productio, & actio. Ideo si Incarnatio consideretur, ut assumptio, terminus illius est id, quod fuit a Verbo assumptum: & quia a Verbo assumpta fuit tota, & integra natura humana; ideo terminus per Incarnationem assumptus est tota, & integra natura humana; Verbum autem est terminus, ad quem fuit assumpta. Si Incarnatio consideretur, ut communicatio, terminus est id, quod naturæ humanæ fuit communicatum: cum autem naturæ humanæ fuerit formaliter communicata persona Verbi; propterea terminus formalis Incarnationis, ut est communicatio, est ipsa persona Verbi. Id, de quo dubitari potest, est: quis sit terminus productus, & factus per Incarnationem, seu per unionem, in quantum est actio, & productio.

X. Dico ergo. Terminus totalis per Incarnationem quatenus actio est, productus, est Christus formaliter sumptus, seu Deus homo, vel humanitas, & Verbum unita: terminus vero formalis est ipsa communicatio, & conjunctio divinæ personæ cum humanitate. Probo. Quando per aliquam actionem fit, & de novo incipit esse aliquod totum, quod antea non erat, illud totum est terminus totalis productus; forma autem, seu communicatio, qua illud totum resultat, est terminus formalis. Sic cum Statuarius facit statuam marmoream, tota statua, quæ de novo incipit esse, est terminus totalis talis actionis; figura autem, ejusque communicatio materiæ, idest, marmori, est terminus formalis; figura enim non est id, quod fit, sed id, quo totum, idest statua, fit. Sic dum fit homo terminus totalis generationis est homo, terminus vero formalis est anima, ut communicata corpori; quia in generatione anima non est id, quod fit, sed qua homo fit. Atqui per Incarnationem id, quod incipit esse de novo, est Christus, hoc est, totum constans ex verbo & natura humana hypostatice unitis: subsistentia autem Verbi, ut communicata humanitati, est id, quod fit Christus, nempe Deus homo; ergo totum, nimirum, conjunctum ex humana natura, & Verbo, est terminus totalis, ipsa vero personalitas, ut communicata, erit terminus formalis Incarnationis, ut actio est.

XI. Consonant Patres sæpe docentes, ita fieri unum ex Verbo, & humanitate per Incarnationem, sicut fit unus homo ex anima, & corpore per generationem. Ex quibus unum profero Augustinum, *Epist.* 3. modo 137. *ad Volusianum, cap.* 3. ubi ait: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In Illa ergo persona mixtura est animæ, & corporis, in hac persona mixtura est Dei, & hominis: si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam; quamquam & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur &c.* Et post multa, dicens, Deum ita proximum pietati hominum fuisse: *Ut hominem susciperet dignaretur, & cum illo uniri quodam modo, ut ei sic coaptaretur homo totus quemadmodum animæ corpus excepta concretione mutabili, in quam non convertitur Deus, & quam videmus, quod habeat & corpus & animus.*

XII. Advertendum tamen est: quod ad hoc, ut aliquod totum fiat, producatur; & de novo incipiat esse; non requiritur, ut omnes ejus partes, & constitutiva fiant. Cum enim fit homo, materia non generatur, anima etiam rationalis non generatur: sola conjunctio animæ cum corpore incipit de novo esse, non tamquam modus de novo productus, sed tamquam nova partium copulatio, & tamen totus homo dicitur generari, & fieri de novo; ergo, ut per Incarnationem totus Christus fiat, non est necesse, ut Verbum fiat, vel natura humana fiat; sed, ut sola unio hypostatica de novo fiat, seu, quod Verbum de novo factum sit caro, ut ait Jo: cap. 1. *Verbum caro factum est.*

XIII. Neque dicas, quod si Christus per Incarnationem fuisset productus, fuisset productus ab omnibus divinis personis, & proinde etiam a se ipso: cum & ipse sit persona divina, ergo esset productus a se ipso.

Nam respondeo, dist. conf. A se ipso, ut subsistente in natura divina; conc. conf. Aliter, nego conf. Sicut ergo, ut diximus, non repugnat, quod Filius Dei humanatus obediat, & satisfaciat etiam sibi; ut in natura divina subsistenti; ita non repugnat, quod Filius Dei, ut in natura divina subsistens, producat seipsum formaliter, ut in natura humana subsistentem.

XIV. Caute, tamen, & cum restrictione dici debet: *Christus est productus, Christus*, vel, *hic homo incepit esse*, demonstrato Christo. Quia, ut docet S. Thom. 3. *part. quæst. 16. art. 9.* Christus, seu hic homo, demonstrato Christo, designat suppositum. Cumque in Christo non sit, nisi unum suppositum, & hoc divinum; cujus æternitati repugnat incipere esse: dicendo absolute, Christus, seu, hic homo, demonstrato Christo, incipit esse, videretur, quod suppositum in Christo incepisset esse: & daretur ansa Arianis dicendi, personam Filii Dei esse creaturam minorem Patre, & quod inceperit esse: unde dicebant, quod Filius Dei *Erat quando non erat.*

Neque valet: Christus incepit esse homo; ergo ille homo demonstrato Christo, incepit esse. —— Nam; ut ait idem S. Doct. ibi, ad 2. *Cum hoc verbo* incipit *non sequitur argumentum ab inferiori ad superius. Non enim sequitur: hoc incipit esse album; ergo incipit esse coloratum. Et hoc ideo, quia incipere importat nunc esse, & non prius. Non autem sequitur: hoc non erat prius album; ergo non erat prius coloratum. Esse autem simpliciter est superius ad esse hominem. Unde non sequitur: Christus incepit esse homo; ergo incepit esse.*

§. III.

Aliqua de Christi productione, & generatione.

XV. INfertur primo: Christum seu Deum hominem quem ponimus terminum totalem Incarnationis, fuisse a Deo productum in utero Virginis, non ex nihilo, sed de substantia, hoc est, de purissimo sanguine ipsius Virginis, proportionaliter, ac alii homines fiunt, & generantur: ita ut B. Virgo ad generationem Christi præstiterit totam materiam, & totum illum concursum, quem cæteræ matres præstant ad generationem suorum filiorum.

XVI. Infertur secundo. Quod sicut Deus de substantia Virginis produxit totum Christum, seu Deum hominem; non quidem secundum divinitatem, sed secundum corpus, & carnem: ita B. Virgo concepit, & generatione propria matris genuit totum Christum; non quidem secundum divinitatem, neque secundum animam rationalem, sed secundum carnem, juxta illud, Rom. 1. v. 3. *Qui* (Christus) *factus est ei ex semine David, secundum carnem.* Et ratio est. Quia, docet S. Thom. 3. part. quæst. 35. art. 4. *Concipi, & nasci persona attribuitur, & hypostasi secundum naturam illam, in qua concipitur, & nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina persona .... consequens est, quod vere possit dici, Deum conceptum: & natum de Virgine.* Eum enim Virgo concepit, quem Deus de sua substantia fecit in ejus utero: sed Deus Christum totum, seu Deum hominem fecit in ejus utero; ergo B. Virgo totum Christum, Deum scilicet, & hominem genuit. Unde in capitulis Cyrilli approbatis in Ephesina Synodo (*part. 1. cap. 26. anathem. 1.*) legitur; *Si quis non confitetur, Deum esse secundum veritatem Emmanuelem, & propter hoc Dei Genitricem Sanctam Virginem* (*genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum*) *anathema sit.* Et merito (subdit S. Thom. ibi in C.) *Solum enim sic negari posset, B. Virginem esse Matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subjecta conceptioni, & nativitati, quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit; vel humanitas non fuisset assumpta in unitatem personæ, vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius. Utrumque autem horum est erroneum.* At pro majori claritate dictorum.

XVII. Quæres primo: An B. Virgo, sicut cæteræ matres, prius tempore conceperit embrionem, & corpus Christi, nondum animatum anima rationali, ac nondum unitum hypostatice Verbo: deinde conceperit hominem, cum anima rationalis corpori infusa fuit; ac demum cum corpus sic animatum assumptum fuit a Verbo, conceperit Christum, Deum scilicet, & hominem?

XVIII. S. Thom. 3. *part. quæst. 33. art. 1.* docet, in conceptione corporis Christi tria posse considerari. Primo quidem: motum localem sanguinis ad locum generationis, hoc est, ad uterum Virginis; ex quo sanguine, tamquam ex materia, formari debebat corpus Christi. Et hoc non potuit esse in instanti; quia est contra rationem motus localis corporis cujuscumque, cujus partes successive subintrant locum: hic ergo motus sanguinis ad uterum Beatæ Virginis factus fuit in tempore, brevissimo tamen. Secundo. Considerari posse argumentum corporis jam formati, quo perductum est ad quantitatem, & molem, in qua debebat nasci, & ex utero prodire: & hoc etiam factum est successive, per novem menses, usque ad tempus nativitatis: & hoc est consequens conceptionem, non vero ipsa conceptio. Tertio. Cnnsiderari posse formationem cor-

poris ex prædicta materia, ejusque animationem anima rationali, in qua formaliter consistit conceptio. His suppositis.

XIX. Respondeo cum eodem S. Thom. loco citato: formationem corporis Christi, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuisse factam in istanti; at proinde in instanti ex sanguine, qui eo modico tempore, quo Beata Virgo suum consensum protulerat his verbis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*, festinanter ad uterum confluxerat, formatum est corpus Christi a tota Trinitate, actione appropriata Spiritui Sancto: in eodem instanti creata, & corpori infusa anima rationali: & in eodem instanti corpus simul, & anima assumpta sunt a Verbo Dei: per productionem unionis hypostaticæ. Igitur Beata Virgo non prius concepit corpus carens anima, non hominem carentem unione hypostatica; sed simul corpus animatum, ac unitum Verbo, & consequenter Deum hominem.

XX. Quod corpus Christi in instanti fuit formatum animatum, & assumptum, probat S. Thom. *art.* 1. 2. & 3. loco citato. Et quidem, nam quanto agens est majoris virtutis, tanto citius potest materiam disponere; ergo si agens sit infinitæ virtutis, poterit in instanti materiam ad debitam formam disponere. Cum ergo corpus Christi fuerit formatum virtute Spiritus Sancti, quæ est infinita, fuit formatum in instanti. Tum etiam: quia si aliquod tempus conceptionem perfectam præcessisset; non posset tota conceptio attribui Filio Dei, qui non dicitur conceptus, nisi per assumptionem: non assumpsit autem Filius Dei corpus, nisi jam formatum, & anima rationali præditum. Quia assumpsit corpus mediante anima, & animam mediante spiritu, idest, intellectu, ut supra diximus, & docet etiam S. Th. hic *art.* 2. Quod autem in eodem etiam instanti, quo corpus fuit formatum, & animatum, fuerit etiam assumptum, probat S. Thom. dicta *q.* 33. *art.* 3. Nam *Proprie dicimus, Deum factum esse hominem, non autem proprie dicimus, quod homo factus sit Deus, quia scilicet Deus assumpsit sibi id, quod est hominis, non autem præexistit id, quod est hominis. quasi per se subsistens; priusquam susciperetur a Verbo. Si autem caro Christi fuisset concepta, antequam susciperetur a Verbo: haberet aliquam hypostasim præter hypostasim Verbi Dei, quod est contra rationem Incarnationis: secundum quam ponimus, Verbum Dei esse unicum humanæ naturæ, & omnibus partibus ejus in unitate hypostasis. Nec fuit conveniens, quod hypostasim præexistentem humanæ naturæ, vel alicujus partis ejus sua assumptione destrueret.*

XXI. Ex his concludit ibi S. Thom. quod *Contra fidem est dicere, quod caro Christi prius fuerit concepta, & postmodum assumpta a Verbo Dei.* Oppositum enim, ut certissimum dogma, traditur a SS. Patribus, Leone *Epist.* 25. alias 11. *ad Julianum Episc. Coensem*; qui contra Eutichen dicentem: *Ante Incarnationem duas fuisse in Christo naturas post Incarnationem vero unam*, dicit, quod *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur.* S. Augustino, *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 17. dicente: *Ex quo homo esse cœpit, ex ille est & Deus.* S. Fulgentio, *lib. de Fide ad Petrum, cap.* 18. his verbis: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, carnem Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo: sed ipsum Verbum Deum sua carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi Incarnatione conceptam.* Idem docet Sophronius relatus, & approbatus in sexta Synodo Generali. Inter multa enim, quæ profert contra Nestorium, & Paulum Samosatenum, hæc ait: *Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Verbi Dei caro animata rationalis.* Unde S. Thom. citato *art.* 1. *ad* 3. notat: *Quod in Mysteria Incarnationis non consideratur ascensus, quasi alicujus præexistentis proficientis ad unionem dignitatum, sicut posuit Photinus hæreticus; sed potius consideratur ibi descensus; secundum quod perfectum Dei Verbum imperfectionem naturæ nostræ sibi assumpsit: secundum illud, Jo:* 6. Descendit de Cælo.

XXII. Quæres secundo: In quo instanti facta sit Incarnatio, & Christus a Virgine conceptus.

Respondeo. Quod sicut in instanti terminativo verborum consecrationis: *Hoc est corpus meum*, panis convertitur in Corpus Christi, & Christus ponitur sub speciebus panis, sic in instanti terminativo consensus B. Virginis per illa verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, conceptus est Christus, & Verbum caro factum est. Ita colligo ex S. Thom. 3. *p. q.* 33. *art.* 1. *ad* 3. Illud enim instans terminativum prolationis verborum, fuit instans terminativum motus localis sanguinis ad uterum B. Virginis; & hoc fuit primum instans, in quo caro Christi fuit formata, animata, & assumpta.

XXIII. His explicatur articulus fidei contentus in Symbolo Apostolico, quo credimus, quod Filius Dei conceptus sit de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Quia Christus Filius Dei, secundum corpus, & carnem non est creatus ex nihilo; sed formatus ex substantia, idest, purissimo sanguine B. Virginis. Dicitur conceptus de Spiritu Sancto quia causa efficiens conceptionis Christi fuit, non vir, sed Spiritus Sanctus, seu tota Trinitas, actione appropriata Spiritui Sancto; qui in instanti illo terminativo verborum, & motus sanguinis ad uterum, formavit Christi corpus. Particula autem *De*, ut docet S. Thom. 3. *part. quæst.* 32. *art.* 2. dicit, & habitudinem causæ, quia Christus secundum corpus factus est a Spiritu Sancto: dicit etiam habitudinem consubstantialitatis, quia Christus secundum personam Filii Dei est consubstantialis, seu, ejusdem substantiæ cum Spiritu Sancto, & cum Patre. Notat tamen S. Thom. ibi, *ad* 1. corpus Christi proprie non dici conceptum *De* Spiritu Sancto, quia non est illi consubstantiale; sed potius de Maria Virgine *Ex*, idest, efficientia Spiritus Sancti.

XXIV. Addit tamen S. Thom. ibi, *art.* 3. quod licet Christus sit de Spiritu Sancto, ut causa efficiente quoad carnem, non tamen est filius Spiritus Sancti, neque Spiritus Sanctus est pater Christi. Et ratio est. Quia ille est filius alicujus, qui ab illo procedit in similitudinem perfectam naturæ: sed Christus non sic procedit a Spiritu Sancto. Nam secundum generationem æternam, non procedit a Spiritu Sancto, nec a tota Trinitate, sed a Patre. Secundum autem generationem temporalem procedit quidem a Spiritu Sancto, & tota Trinitate, sed non in similitudinem naturæ; caput accipit naturam humanam, in qua non est similis Spiritui Sancto, nec Trinitati. Est quidem secundum hanc filius Beatæ Virginis; quia ex vi illius accepit naturam illi similem. Neque etiam dici potest filius adoptivus Spiritus Sancti vel Trinitatis, ut homines justi. Nam cum Filiatio adoptiva cadere debeat in personam extraneam, hujus non est capax persona Christi, qui est Filius naturalis Dei, ut docet S. Thom. *art.* 5. citato *ad* 2.

XXV. Si autem quæras tertio: Cur conceptio Christi esto facta a tota Trinitate, appropriatur tamen Spiritui Sancto?

Respondeo cum S. Thom. 3. *part. quæst.* 32. *art.* 1. qui affert tres rationes. Prima est. Quod cum Incarnatio sit opus maximi amoris Dei erga homines, Jo: 3. v. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; debuit Spiritui Sancto tribui, qui ex sua proprietate personali amor est. Secunda. Quia opera gratiæ, quæ a Deo fiunt voluntate pure gratuita, inter quæ maximum est Incarnatio, tribui debent Spiritui Sancto, qui ex voluntate procedit. Tertia. Quia sicut Patri appropriatur creatio, ita Spiritui Sancto sanctificatio; per Incarnationem homo ille, qui conceptus est, fuit substantialiter sanctificatus. Videatur S. Thom. citato loco.

DUBIUM II.

An unio Verbi cum Humanitate fuerit substantialis, & in Persona?

§. I.

Errores circa hoc.

I. Nestorius e Germanicia Civitate Syriæ oriundus, in Monasterio prius ad pios, honestosque mores formatus; deinde Antiochiæ Sacerdotio initiatus, ac tandem ad Patriarchalem Sedem Constantinopolitanam evectus: ipso suæ Ordinationis anno primo hæresim suam, quam sub pietatis specie occultaverat, prodere cœpit. Dum anno circiter 428. Theodosio Juniore imperante, & Cælestino I. Rom. Pont. evulgare ausus fuit, hominem in utero Virginis formatum, alium esse ab unigenito Dei Verbo, & Incarnationem esse meram inhabitationem Dei Verbi in homine, sicut in templo: adeoque Deum non esse passum, ac mortuum, sed Christum. Ac rursus: B. Virginem *Theotocon*, idest *Deiparam* esse negaret, & *Christocon*, idest, *Christiparam* potius dicendam asseveraret.

II. Ex his erroribus sequebatur. primo: Verbum, seu potius totam Trinitatem, in Christo inhabitasse, sicut in aliis Justis. Secundo. In Christo duplicem fuisse personam; unam inhabitantem, scilicet: Deum; aliam inhabitatam, nempe Christum, seu hominem. Tertio. Verbum non fuisse unitum homini Christo unione substantiali: sed solum accidentali, & affectiva, seu morali. Quarto tandem. Ea, quæ dicebantur de Christo, ut esse natum, passum, mortuum, non posse dici de Deo, in propria saltem locutione; ideoque non dari idiomatum communicationem, quibus totum Incarnationis Mysterium evertebatur.

III. Non sine populi, & Episcoporum, præsertim Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, commotione hujusmodi impudentia accepta fuit. Rogatus Nestorius, retractare noluit; sed magis, quibusdam faventibus, eam per totum Orientem evulgavit: ubi tam altas radices fixit, ut ad Indos usque pervenerit, & nostris quoque temporibus alicubi labes illa perduret. Toto zelo, ac labore indefesso sese opposuit S. Cyrillus, sed frustra.

IV. Animam Cælestini Papæ tentavit suis epistolis occupare Nestorius, irrito tamen conatu. Nam Cælestinus a Cyrillo monitus, ac certior factus, Romæ Synodum habuit: quo excommunicationis, ac depositionis in Nestorium lata sententia fuit, anno 430. Quo eodem anno S. Cyrillus, Pontificia instructus auctoritate, ad executionem sententiæ in Nestorium Romæ latæ, nisi resipiscere, Concilium Alexandriæ ex universa Ægypti diœcesi coegit, editis contra ipsum duodecim anathematismis. Verum acceptis Cælestini literis, tantum abfuit, ut hæresim Nestorius ejuraret; quin

quin potius duodecim anathematiſmos e regione oppoſitos edidit, ſingulos ſingulas blaſphemias continentes. Inſtante igitur Cyrillo Œcumenica Synodus Epheſina coacta eſt, anno 431. cui S. Cyrillus jure ſuæ Sedis, & tamquam Sedis Apoſtolicæ Legatus præfuit: in qua Neſtorius cum ſua hæreſi damnatus, & exauctoratus eſt. Qui tandem profugus, & locum ex loco mutans, in extremis Thebarum oris rupta, ac ſciſſa coopertus terra miſere periit: ejuſque lingua in Chriſtum, & Virginem toties blaſphema, ſtatim poſt obitum, facta eſt vermium præda.

V. Neſtorium prævierunt alii, qui Chriſti divinitatem negaverant, ut Cerinthus, Ebion, Paulus Samoſatenus, Photinus, & alii, contra quos Quæſt. præcedente Dub. 1. egimus. Sed his apparenter nolebat favere Neſtorius: qui proinde vaferrime nunquam aperte negavit voce, Chriſtum eſſe Deum, Filium Dei, unam perſonam; ne videretur cum Paulianiſtis aliiſque ſentire: ſed revera hoc ejus error continebat. Et Neſtorius ipſe non alio modo Deum eſſe Chriſtum ſentiebat, quam homines, quos, vel ob eminentem aliquam dignitatem, vel excellentem auctoritatem, Scriptura nonnumquam appellat Deos: nec alia unitate Chriſtum eſſe unum Filium Dei, & unam perſonam fatebatur, quam unitate morali; nempe, in conſenſu, & concordia voluntatum poſita: ad eum modum, quo Chriſtus dixit de viro, & uxore, Matth. 10. v. *Jam non ſunt duo, ſed una Caro*. A Paulianiſtis tamen errorem ſuum non hauſit Neſtorius; ſed potius a Theodoro Epiſcopo Mopſueſteno, quem præceptorem habuit; & a quo male ſentire de Incarnatione didicit.

Ex quo deduci poteſt, Neſtorium ab iſto accepiſſe etiam Pelagianæ hæreſi vel animum, vel errorem affinem: & hanc primam ejus maculam fuiſſe. Quare Patriarchatu donatus, licet Theodoſio extirpandarum hæreſum, Arianæ præſertim, ac Macedonianæ auctor eſſet; Pelagianis tamen impenſe favit. Nam hos in toto Occidente damnatos, benigne excepit in Oriente, qui viceverſa a Neſtorii partibus conſtanter ſtetere in Conciliabulo, quod Joannes Antiochenus celebravit adverſus Cyrillum, & Synodum Epheſinam, in qua Neſtorius proſcriptus fuerat.

VI. Circa Neſtorianam cauſam multa eſſent quærenda, nimirum, primo: An revera Neſtorius negarit perſonalem, & ſubſtantialem Dei cum humanitate unionem. Secundo: An anathematiſmi, quos in eum Cyrillus intorſit, fuerint ab omni errore immunes. Tertio: An Concilium Epheſinum primum, in quo damnatus eſt Neſtorius, fuerit Œcumenicum. Quarto: An Theodorus Mopſueſtenus, & Diodorus Tarſenſis Neſtorio præluſerint. Quinto: an Theodoretus, qui Cyrilli adverſus Neſtorium anathematiſmos impugnavit, Neſtoriano errori faverit. Sexto: An Joannes Antiochenus, aliique, qui Cyrillum, ac Synodum Epheſinam damnarunt, hæretici fuerint. Hæc in Neſtoriana cauſa diſcuti ſolent. Sed prius cauſa fidei a nobis tractanda eſt in hoc Dubio: de cauſa Neſtoriana aliquid poſtea in ſequenti dicturi.

VII. Adverto igitur cum S. Thom. *3. p. q. 2. art. 3. & 6.* quoſdam fuiſſe, qui, putantes ſe vitare hæreſim Neſtorianam, dixerunt, in Chriſto fuiſſe quidem unam tantum perſonam, ſed duas hypoſtaſes, ſeu duo ſuppoſita. —— Sed; ut notat S. Thom. iſti ab hæreſi Neſtoriana immunes non ſunt. Perſona enim nil aliud eſt, quam rationalis naturæ hypoſtaſis, ſeu ſuppoſitum; ergo ponendo in Chriſto duas hypoſtaſes, & duo ſuppoſita naturæ rationalis completæ, divinæ ſcilicet, ac humanæ, revera cum Neſtorianis ponunt in Chriſto duas perſonas. Ant. pat. Quia, ut ait S. Thom. *Perſona ſupra hypoſtaſim non addit, niſi determinatam naturam, ſcilicet rationalem*. Sed de hoc infra cum Neſtorii errorem impugnabimus.

VIII. Aliis inſuper, referente eodem S. Thom. *art. 6.* citato; *Volentes ſervare unitatem perſonæ, poſuerunt, Chriſti animam non eſſe unitam: ſed hæc duo ſeparata ab invicem eſſe unita Verbo accidentaliter: ut ſic non creſceret numerus perſonarum*. —— Sed etiam hi, ut notat S. Doct. in hæreſim Neſtorianam impegerunt: in quantum dixerunt, animam & corpus uniri Verbo ſolum accidentalirer: *Non enim differt* dicere, quod Verbum Dei unitum eſt homini Chriſto, ſecundum inhabitationem, ſicut in templo ſuo (ſicut dicebat Neſtorius) & dicere, quod unitum fuit Verbum Dei homini, ſecundum induitionem, *Sicut veſtimento*. Imo aliquid pejus dixerunt, quod non dicebat Neſtorius, nempe: Verbum aſſumpſiſſe corpus non unitum animæ; quod in ſexta Synodo generali damnatum fuit, & definitum: Verbum aſſumpſiſſe carnem animatam anima rationali, & conſequenter carnem unitam animæ. Inciderunt etiam in alium errorem; dum ex præfata propoſitione ſequeretur, Verbum non aſſumpſiſſe veram, & perfectam naturam humanam, quæ ex unione animæ cum corpore coaleſcit; inſuper Chriſtum non fuiſſe mortuum, cum mors contingat per ſeparationem animæ a corpore.

IX. Catholica ergo fides eſt: unionem humanitatis cum Verbo fuiſſe, non accidentalem, ſed ſubſtantialem in perſona Filii Dei; ita ut eadem Filii Dei perſona ſubſtantialiter ſubſiſtat; tum in natura divina, tum in humana perfecta, & integra, conſtante ex corpore, & anima ſimul unitis. Quæ unio vocatur hypoſtatica, quia per illam humanitas unitur Filio Dei in unitate perſonæ, & hypoſtaſis.

§. II.

Veritas Catholica.

X. DIco. Chriſtus non eſt alius a Filio Dei: ſed eſt eadem perſona, & ſuppoſitum Filii Dei, ſubſtantialiter perſonaliter unitum humanitati. Dogma fuit ſancitum primo in Concilio Alexandrino, a S. Cyrillo coacto, relato, & approbato in Concil. Epheſino. Ibi enim *Can. 2.* dicitur: *Si quis non confitetur carne ſubſtantialiter unum eſſe Verbum Patris, unum quoque eſſe Chriſtum cum propria carne: & eumdem ipſum ſine dubio Deum ſimul, & hominem; anathema ſit*. Quod & ſequentes Canones confirmant.

Pluribus autem rationibus Neſtorianum errorem confutat S. Thom. in *4. contra Gent, cap. 34.* per totum, quarum aliquas hic ſubjiciemus. Primo. Dicere, Chriſtum eſſe hominem alium a Filio Dei, in quo nimirum Filius Dei inhabitabat, ſicut in Templo per gratiam, & affectum, non eſt Verbum incarnari; ergo poſitio Neſtoriana deſtruit Myſterium Incarnationis. Ant. prob. Deus a conſtitutione Mundi inhabitavit, & adhuc inhabitat per gratiam, & affectum in hominibus Sanctis, juxta illud, 2. Cor. 6. v. 16. *Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos*. Si autem hoc eſſet incarnari, Deus eſſet ſæpe incarnatus, & modo etiam incarnaretur. Imo cum inhabitare per gratiam non ſit proprium ſolius Filii, ſed commune toti Trinitati, juxta illud Chriſti: Jo: 14. v. 23. *Et ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: non ſolus Filius, ſed tota Trinitas eſſet incarnata. Addo: quod cum inhabitare per gratiam, & amorem, approprietur potius Spiritui Sancto, qui amor eſt, quam Filio, potius Spiritus Sanctus, quam Filius, deberet dici incarnatus.

Neque ſat eſt, ſi reſpondeat Neſtorius, Verbum in homine Chriſto abundantiore gratia inhabitaſſe, quam in cæteris Juſtis, —— Nam contra eſt. Magis, vel minus non variat ſpeciem unionis; ergo vel unio cum aliis Sanctis fuit Verbi Incarnatio, vel ſi non, neque fuit Chriſto.

XI. Confirmatur. Verbum Dei per Incarnationem *Exinanivit ſemetipſum forma ſervi accipiens*, Philipp. 2. v. 7. *Humiliavit ſemetipſum*, ibi v. 8. ſed dum inhabitat per gratiam, non ſe exinanit, non accipit formam ſervi, non ſe humiliat: alias Pater etiam, & Spiritus Sanctus ſe exinanirent &c. Præterea, manifeſtum eſt, Deum inhabitare per gratiam etiam in ſanctis Angelis: ſed non propterea dicitur Deus aſſumpſiſſe unquam naturam Angelorum, dicente Paulo: Hebr. 2. v. 16. *Nuſquam enim Angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; ergo aſſumere naturam humanam, non eſt præciſe in ea inhabitare. Demum: in illo homine, qui eſt Chriſtus, non ſolum Verbum inhabitavit, ſed & Spiritus Sanctus, Lucæ 4. v. 1. *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto*; ergo ſi incarnari, nil aliud eſt, quam inhabitare, & replere per gratiam; verum erit dicere, quod etiam Spiritus Sanctus fuerit in eo incarnatus: & in B. Virgine, de qua dicitur, Lucæ 1. v. 28. *Gratia plena*. Et v. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*: ac tandem, quod incarnatus fuerit etiam Pater, cum dicat Chriſtus, Jo: 14. v. 10. *Pater in me eſt ... Pater autem in me manens, ipſe fecit opera*; ergo ut ſalvetur, Filium Dei eſſe incarnatum, debet dici, quod fuerit unitus carni plus quam accidentali, & affectiva unione.

XII. Secundo prob. Verbum Dei eſſe incarnatum, eſt Verbum factum eſſe carnem: ſic enim exprimitur a Joanne, c. 1. v. 24. *Et Verbum caro factum eſt*: ſed Verbum inhabitare in Sanctis non dicitur Verbum fieri Sanctos: licet enim dicatur Verbum Dei factum eſſe ad Moyſem, ad Jeremiam, ad Aggæum; non dicitur tamen Verbum Dei factum eſſe Moyſem, Jeremiam, Aggæum &c. ergo &c.

XIII. Confirmatur. Si Verbum Dei factum eſt homo, vera eſt hæc propoſitio: *Deus*, ſeu, *Verbum Dei eſt homo*, quia omne, quod factum eſt aliquid, eſt illud, quod factum eſt: at ſi in Chriſto non eſt eadem perſona Dei, & hominis, verum non eſt, quod Deus, ſeu Verbum Dei ſit homo; ergo &c. Min. prob. Ut propoſitio affirmativa ſit vera, debent prædicatum, & ſubjectum ſupponere pro eodem ſuppoſito: cum enim dicitur: *Homo eſt animal*; ſignificatur, quod ſit idem ſuppoſitum, cui convenit eſſe hominem, & cui convenit eſſe animal. Et e contra non poteſt dici: *Petrus eſt Paulus*; quia ſuppoſitum, cui convenit eſſe Paulum; non eſt idem cum illo, cui convenit eſſe Petrum. *Si igitur* (inquit S. Thom. citatus) *Verbum caro factum eſt, ideſt, homo, ut Evangeliſta teſtatur, impoſſibile eſt, quod Verbi Dei & illius hominis ſint duæ perſonæ, vel duæ hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita*.

XIV. Tertio probatur. Pronomina demonſtrativa referuntur, & demonſtrant perſonam; non enim diceretur, ego curro, ſi alius loco mei curreret, niſi figurative: ſed ille homo, qui dictus eſt Jeſus, dicit de ſe: Jo: 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: Jc: 10. v. 15. *Ego & Pater unum ſumus*: ergo perſona illius hominis loquentis erat perſona Filii Dei conſubſtantialis Patri.

XV. Confirm. Si illa Perſona, quæ in Chriſto eſt homo, non eſſet etiam Deus; nonniſi præſumptuoſe voces divinitatis poſſet emittere; dicens, Jo: 6. v. 51. *Ego ſum panis*

panis vivus, qui de Cælo descendi. Ut homo autem de Cælo non descendit, sive secundum corpus, ut posuit Valentinus; sive secundum animam, ut posuit Origenes, sed secundum divinitatem; ergo si non erat eadem persona homo, & Deus, ille homo præsumptuose nimis loqueretur, dicens: ego sum, qui descendi.

Plura alia profert S. Thom. ibi, quibus evertit funditus Nestorianum errorem, ad quæ Studiosum remitto. Qui etiam huc revocare debent omnia, quæ supra dicta sunt præsertim Quæst. præcedente, Dub. 1. ad ostendendam Christi divinitatem.

XVI. Ex dictis refutatus etiam manet error eorum, qui licet in Christo duas personas non admitterent; admittebant tamen duo suppositа; & duas subsistentias. Tum quia: ut supra dicebamus, ec S. Th. *3. p. q. 2. art. 3.* cum persona non addat supra suppositum, nisi determinatam naturam, scilicet, rationalem; in Christo, qui naturæ rationalis est, ponere duo suppositа, vel duas subsistentias, est ponere cum Nestorio duas personas. Tum quia: in Conc. Constantin. II. *Gener. 5. Collat. 8. Can. 5.* damnatur: *Si quis introducere conetur in Mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas; anathema sit. Nec enim adjectionem personæ, seu subsistentiæ suscepit Sancta Trinitas ex incarnato uno de Sancta Trinitate, Dei Verbi.*

Neque dicas, personam addere supra subsistentiam, & suppositum proprietatem distinctum, ad dignitatem pertinentem; ideoque in Christo posse esse duo suppositа, ac duas subsistentias, unam tamen dignitatem: & sic factam esse unionem in persona.

Nam hoc pallio suum errorem tegere etiam Nestorius conabatur; nam & ipse utebatur unitate personæ, propter unitatem dignitatis, & honoris.

XVII. Unde contra ipsum S. Th. *art. 3.* citato, sic arguit. *Si enim facta sit unio in persona, & non in hypostasi, consequens erit, quod non sit facta unio, nisi secundum dignitatem quamdam. Et hoc est, approbante Synodo Ephesina* (p. 3. anath. 3.) *damnatum a Cyrillo sub his verbis: Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem, sola copulans eas conjunctione, quæ secundum dignitatem quamdam, vel auctoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu secundum adunationem naturalem; anathema sit.* Et art. 6. *Et si* (inquit) *fiat vis in nomine personæ, considerandum est, quod etiam Nestorius, utebatur unitate personæ, propter unitatem dignitatis, & honoris. Unde etiam quinta Synodus* (Constantin. II. Gener. Collat. 8. Can. 5.) *definit anathema eum, qui dicit unam personam secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt.*

XVIII. Ulterius: citato *art. 3.* utitur S. Th. hoc discursu: *Hypostasis, seu suppositum, illud tantum est, cui attribuuntur operationes, & proprietates naturæ, & ea, quæ ad naturam pertinent in concreto. Dicimus enim, quod hic homo ratiocinatur, & est visibilis, & est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum: quia scilicet supponitur his, quæ ad hominem pertinent, eorum prædicationem recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo, præter hypostasim Verbi, sequitur, quod de aliquo alio, quam de Verbo, verificantur ea, quæ fieri hominis; puta, esse natum de Virgine, passum, crucifixum, & sepultum. Et hoc etiam damnatum est, approbante Concilio Ephesino* (p. 3. Anathem. 4.) *sub his verbis: Si quis personis duabus, vel subsistentiis, eas, quæ sunt in Evangelicis, & Apostolicis Scripturis, partitur voces, aut de Christo a Sanctis dictas, aut ab ipso de se; & quasdam quidem velut homini, præter illud ex Deo Verbum, specialiter intellecto applicat, quasdam vero velut Deo decibiles, soli ex Deo Patre Verbo; anathema sit.*

XIX. Ex dictis infertur primo contra Nestorium, has esse propositiones veras, & catholicas: Deus est mortuus: Deus est passus. Quod probo ex S. Thoma, 4. contra Gent. cap. 34. *Omnis mutatio, vel passio conveniens corpori alicujus, potest attribui ei, cujus est corpus. Si enim corpus Petri vulneretur, flagelletur, aut moriatur; potest dici, quod Petrus, vulneratur, flagellatur, aut moritur: sed corpus illius hominis fuit corpus Verbi Dei, ut ostensum est; ergo omnis passio, quæ in corpore illius hominis facta fuit, potest Verbo Dei attribui. Recte igitur potest dici: quod Verbum Dei, & Deus est passus, mortuus, & sepultus.* Quod magis confirmatur. Nam propositio affirmativa, ut sit vera, sufficit, ex dictis ut Prædicatum, & subjectum accipiantur pro eodem suppositо, sed idem est in Christo suppositum hominis, & Dei, ut probatum est; ergo si verum est, quod homo est passus, verum quoque est, quod Deus est passus.

XX. Præterea, ex eodem S. Thom. citato, Apostolus *Hebr. 2. v. 10.* ait: *Decebat enim, eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Insuper, *1. Cor. 2. v. 8.* dicit: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent:* sed ille, propter quem, & per quem facta sunt omnia, ille, qui est Dominus gloriæ, est Deus; ergo Deus est passus, & crucifixus.

§. III.

Beata Virgo fuit proprie, ac vere Mater Dei.

XXI. INfertur secundo contra Nestorium: Beatam Virginem vere, & proprie esse Matrem Dei, seu *Theotocon*. Primo. Quia Christus dicitur Filius Mariæ, quia corpus sumpsit ex ipsa; sed corpus illius hominis, qui est Christus, est corpus Filii Dei, ut vidimus, & corpus Dei; erga Beata Virgo vere dicitur Mater Filii naturalis Dei, & Mater Dei.

Confirmatur. Ideo Beata Virgo non posset dici Mater Dei, quia Deus non sumpsit ex ipsa dignitatem: sed hoc non convincit: ergo &c. Min. prob. B. Virgo vere dicitur Mater hominis, quamvis animam rationalem, qua est homo, ab ea non acceperit, sed a Deo; ergo a pari.

XXII. Secundo. Ex Apostolo, Galat. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Ex quo sic arguo. Filius factus ex muliere, est Filius mulieris, sed Filius factus ex muliere, est Filius Dei missus a Deo, ut ait Apostolus; ergo &c. Rursus: Filius factus ex muliere, est missus a Deo: sed hic non est Filius adoptivus, quia, secundum Nestorium, Filius adoptivus non erat antequam nasceretur ex Virgine, & consequenter non poterat mitti; quia quod mittitur, prius intelligitur esse, quam sit in eo, ad quod mittitur; ergo Filius missus est Filius æternus, & naturalis Dei, sed hic est factus ex muliere, & Filius mulieris; ergo Filius naturalis Dei est Filius mulieris, & proinde B. Virginis.

XXIII. Tertio, *Jo: 1. v. 14.* dicitur: *Verbum caro factum est*: sed non est factum caro, nisi ex Maria; ergo Verbum est factum ex Maria; ergo Filius ejus. Rursus Paulus, *Rom. 9. v. 5.* dicit, quod *Christus* est ex Patribus, *secundum carnem, qui est super omnia Deus*, sed non est ex Patribus, nisi mediante Virgine; ergo Christus, qui est super omnia Deus, est Filius Virginis secundum carnem.

XXIV. Dices primo. Si Maria Dei Genitrix esset, sequeretur, ipsam esse Deum; quia Filius consubstantialis est matri.

Respondeo, neg. conf. Ut enim ait Ferrandus Diaconus, in Epist. ad Anatolium: *Frustra expavescit quisquis æstimat, consubstantialem divinitati matrem futuram, si veraciter, & proprie Maria mater fuerit Dei. Profecto enim quia veraciter, & proprie generanti semper est consubstantialis ille, qui nascitur; accepit ab ea Deus, unde ei fieret consubstantialis, & sic ex ea nasci dignatus est. Ita igitur proprie, sicut veraciter Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam; sine carne enim divinitatem sempiternam generare non posset homo mortalis.*

XXV. Dices secundo. Ex una substantia generari non possunt substantiæ duæ: atqui Deus, & homo sunt substantiæ duæ; ergo Maria non est hominis Deique Genitrix.

Respondeo, majorem veram esse, si utraque per se generetur, non vero si una generetur, alteram jam genitam ei copulando. Ita idem Ferrandus, ibi: *Nunc vero* (inquit) *in magno illo, & mirabili Sacramento quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est, quia non separatim nata est: nec humanitatem proprie natam sibi divinitas adunavit, sed adunando eam sibi proprie nata est. Dicam adhuc planius pro captu infirmitatis meæ. Proprie est nata de Patre divinitas pura: proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius Filii Dei duas generationes: quod in divina generatione nulla fuit humanitas; in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero: Maria semper Virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem; videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit: quia Verbum carnem factum proprie genuit.* Hanc veritatem noster Alexandre, *Hist. Eccl. sæculi 5. Dissert. 23. art. 2.* Patrum etiam, qui Concilium Ephesinum præcesserunt, consensum firmat.

§. IV.

Solvuntur ea, quæ videntur favere Nestorio.

XXVI. PRimo objiciebat Nestorius verba Christi, *Jo: 2. v. 19.* dicentis. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quæ postea Evangelista quasi explicans, ait vers. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui;* ergo Deus habitabat in Christo, ut in templo; ergo non erat ei substantialiter unitus: sicut neque hospes substantialiter unitus domui, quam habitat.

XXVII. Respondeo primo, hoc non favere Nestorio. Nam ipse vult, quod Deus habitaret in Christo per gratiam: Deus autem per gratiam non habitat in corpore, sed in anima.

Respondeo igitur secundo, quod loquebatur Christus de templo corporis sui, in quo habitabat anima; quod licet morte foret solvendum, tamen post tres dies sua resurrectione erat excitaturus ad vitam. Ubi nota, quod Christus dixit ibi: *Excitabo illud.* Si autem homo ille, qui loquebatur, non fuisset etiam Deus, non dixisset: *Excitabo illud*: sed Deus qui in me habitat, excitabit illud. Alias nimis præsumptuose locutus esset homo ille tribuens sibi, quod solus Deus facere poterat.

XXVIII.

XXVIII. Hinc ſolvere diſces omnes auctoritates, tum Scripturæ, tum etiam Patrum, quibus videtur dici, Verbum inhabitaſſe humanitatem Chriſti. —— Dicendum enim eſt, ſenſum eſſe, quod Verbum inhabitaverit humanitatem, non ſicut hoſpes domum, ſed ſicut anima corpus inhabitat. Sicut autem anima, corpus inhabitans, unitur ei non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter in unitate naturæ: ita Verbum inhabitans humanitatem, unitur ei non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter in unitate ſuppoſiti, & perſonæ.

XXIX. Secundo objiciebat verba Chriſti, *Jo:* 8. *v.* 29. dicentis: *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper*; ergo Deus erat cum Chriſto per affectum: quia nimirum ejus voluntatem ſemper implebat.

XXX. Reſpondeo, neg. conſ. Immo oppoſitum ex dicto loco colligitur. Nam cum Judæi quærerent a Chriſto: *Tu quis es?* Reſpondit, v. 15. *Principium, qui & loquor vobis.* Quæſo, dicat Neſtorius, quomodo hoc dicere poſſet homo, qui non eſſet Deus, niſi per affectum? Inſuper ibi dicit, v. 42. *Ego ex Deo proceſſi, & veni.* Homo autem ille, de quo Neſtorius, ex Deo non proceſſit, ſed ex muliere. Tandem, ibi v. 58. *Antequam* (inquit) *Abraham fieret, ergo ſum.* Homo autem ille, quem aſſerebat Neſtorius, antequam Abraham fieret, certe non erat. —— Reſpondeo igitur, ſenſum verborum Chriſti fuiſſe, quod Pater cum ipſo eſſet, non per ſolam gratiæ participationem, & conjunctionem affectus, ſed per conjunctionem ſubſtantialem, vel per circuminſeſſionem, eo modo, quo una perſona divina eſt in alia, ut infra dicetur.

XXXI. Objiciebat. Paulus, ad *Philipp. 2. v. 7.* de Filio Dei dicit: *Et habitu inventus ut homo*: ſed habitus unitur ſolum accidentaliter ei, cui unitur; ergo &c.

XXXII. Huic objectioni reſpondimus ſupra, *Quæſt. 5. Dub. 1. §. 3.* Modo addimus cum S. Thom. 3. part. quæſt. 2. art. 6. ad 1. *Quod ſicut Damaſcenus dicit* (lib. 3. de Fide, cap. 26.) Non neceſſe eſt omnifariam, & indifective aſſimiliari exempla; quod enim eſt in omnibus ſimile, idem utique erit, & non exemplum, & maxime in divinis: impoſſibile enim eſt ſimile exemplum invenire in omnibus, & in Theologia, *ideſt, in deitate perſonarum*, & in diſpenſationem, *ideſt, Myſterio Incarnationis. Humana ego natura in Chriſto aſſimilatur habitui, ideſt, veſtimento, non quidem quantum ad accidentalem unionem, ſed quantum ad hoc, quod Verbum videtur per humanam naturam, ſicut homo per veſtimentum: & etiam quantum ad hoc, quod ſicut veſtimentum mutatur, quia ſcilicet formatum ſecundum figuram ejus, qui induit ipſum, qui a ſua forma non mutatur propter veſtimentum. Et ſimiliter humanam natura aſſumpta a Verbo Dei eſt meliorata; ipſum autem Verbum Dei non eſt mutatum, ut Auguſtinus exponit, in lib. 83. QQ. 73.* Addere: dici poſſe, quod Verbum inventum eſt homo habitu; quia eſt homo non naturaliter, ſed per aſſumptionem, eo modo, quo homo habet veſtem, qui eam aſſumit.

XXXIII. Objicies quarto. Si unica eſſet in Chriſto perſona; Chriſtus dici poſſet; *Unus de ſancta Trinitate*, & aſſeri: *Unum de Sancta Trinitate eſſe paſſum:* ſed id eſt falſum. Nam hujuſmodi locutiones damnate ſunt erroris in Monachis Scythiæ ab Hormiſda Papa; ergo &c.

XXXIV. Reſpondeo, neg. min. Non enim Hormiſdas propoſitiones illas damnavit; ſed Scytarum Monachorum pertinaciam, qui Chalcedonenſi Concilio neceſſario addendas contendebant, repreſſit. Volebant enim, ut Synodo Chalcedonenſi adderetur, ad hæreſim Neſtorianam clarius evertendam: ſed alii putabant, hoc eos velle ab Eutichianum errorem obtrudendum. De quo videri poteſt Cardinalis Noriſius, in Diſſert. *De Uno ex Trinitate paſſo.* Cæterum hanc loquendi rationem Eccleſia poſtea recepit, ac approbavit, ut patet ex V. Synodo. *Can. 4. & 5.* & Joanne II. Rom. Pont. *Epiſt. ad Juſtinian.* in qua illud profitentem Imperatorem collaudat. Cum autem dicimus, unum ex Trinitate paſſum, crucifixum, mortuum, nihil aliud intelligimus, quam eſſe paſſum *Carne*; ne putaretur homo purus paſſionis toleraſſe injurias, ut Ferrandus Diaconus exponit, *Epiſt. ad Anatolium*: vel, ne putaretur paſſus eſſe etiam divinitate.

XXXV. Objici poteſt quinto pro Neſtorio. Humanitas Chriſti habet omnia, quæ ſpectant ad dignitatem naturæ humanæ: ſed perſonalitas propria ſpectat ad dignitatem naturæ; ergo humanitas Chriſti habuit perſonalitatem propriam.

Reſpondeo, humanitatem Chriſti habere omnia, quæ ſpectat ad dignitatem naturæ humanæ, vel formaliter in ſe ipſa, vel æquivalenter in aliquo meliori. Ita autem ſpectat ad dignitatem humanæ naturæ ſubſiſtere propria ſubſiſtentia, ut multo melius, & dignius illi ſit ſubſiſtere in Verbo, ſeu per perſonalitatem Verbi. Vide S. Thom. 3. *part. quæſt. 2. art. 2. ad 2.*

XXXVI. Objici poteſt ſexto. Omne, quod unitur alteri ſubſtantialiter completo, unitur alteri accidentaliter: ſed natura humana advenit ex tempore Filio Dei, ſubſtantialiter habenti eſſe completum ab æterno; ergo advenit &c.

XXXVII. Reſpondeo cum S. Thom. 3. part. quæſt. 2. art. 6. ad 2. *Quod illud quod advenit poſt eſſe completum, accidentaliter advenit, niſi trahatur in communionem illius eſſe completi. Sicut in reſurrectione corpus advenit anima præexiſtenti; non tamen accidentaliter, quia ad idem eſſe aſſumetur, ut ſcilicet, corpus habeat eſſe vitale per animam. Non eſt autem ſic de albedine: quia aliud eſt eſſe albi & aliud eſt eſſe hominis, cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab æterno eſſe completum habuit ſecundum hypoſtaſim, ſive perſonam: ex tempore autem advenit ei natura humana, non quaſi aſſumpta ad unum eſſe, prout eſt naturæ, ſicut corpus aſſumitur ad eſſe animæ: ſed ad unum eſſe, prout eſt hypoſtaſis, vel perſonæ. Et ideo natura humana non unitur accidentaliter Filio Dei.*

XXXVIII. Dices. Quod unitur alteri, ut non ſpectet ad naturam, ſeu eſſentiam ejus, unitur illi accidentaliter; quia omne, quod eſt, aut eſt ſubſtantia rei, aut ejus accidens, quod poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubjecti corruptionem: ſed humanitas ita unitur Filio Dei, ut non ſpectet ad eſſentiam, ſeu naturam ejus, cum non ſit unita ei in natura; ergo &c.

Reſpondeo cum eodem S. Thom. ibi *ad 3.* quod ſubſtantia dicitur dupliciter: *Uno modo pro eſſentia, ſive natura: alio modo, pro ſuppoſito, ſive hypoſtaſi. Unde ſufficit ad hoc quod non ſit unio accidentalis, quod ſit facta unio ſecundum hypoſtaſim, licet non ſit facta unio ſecundum naturam.*

XXXIX. Objici poteſt ſeptimo. Inſtrumentum ſolum accidentaliter conjungitur ei, cujus eſt inſtrumentum: ſed humana natura in Chriſto eſt inſtrumentum Verbi; ergo &c.

Reſpondeo cum S. Thoma ibi, *ad 4.* neg. maj. univerſaliter acceptam. Eſto enim inſtrumenta ſeparata, & extranea, ut ſunt gladius, ſecuris &c. uniantur accidentaliter inſtrumenta tamen conjuncta, & ad hypoſtaſim ejus, cui ſunt conjuncta, pertinentia, ut corpus, manus, pedes, quæ ſunt inſtrumenta conjuncta animæ: ei uniuntur, non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Cum ergo humana natura in Chriſto ſit inſtrumentum Verbi; non ſeparatum, ut putavit Neſtorius, ſed illi intime conjunctum in unitate hypoſtaſis: unitur Verbo, non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter.

§. V.

Quid ſit Humanam Naturam in Chriſto eſſe Unitatem Hypoſtatice Verbo Dei.

XL. SCotus, & Durandus non formidant aſſerere, humanitatis unionem cum Verbo eſſe ad modum accidentis. Sicut enim natura accidentis, quæ exigit eſſe in alio, ſi forte exiſtat per ſe, ut in Euchariſtia, dicitur exiſtere ad modum ſubſtantiæ; ita natura ſubſtantialis completa, quæ exigit ſubſiſtere per ſe, & in ſe, ſic ſubſiſtat in alio, ut accidit humanitati Chriſti, ibi erit ad modum accidentis.

XLI. Sed hoc probare non poſſum: ampla enim eſt differentia inter modum, quo accidens eſt in ſubjecto, & quo humanitas eſt in Verbo. Accidens enim ita eſt in ſubjecto, ut non ſubſiſtat per ſubſiſtentiam talis ſubjecti: humanitas autem Chriſti ita eſt in Verbo, ut ſubſiſtat eadem ſubſiſtentia, qua Verbum, nempe, ipſa Verbi ſubſiſtentia.

XLII. Dicendum ergo potius, humanitatem uniri hypoſtatice Verbo, eſſe uniri ſubſtantialiter; nimirum, trahi ad idem eſſe ſubſiſtantiale Verbi; ut ſubſiſtat quidem non propria, & creata ſubſiſtentia, ac perſonaliter, ſed ſubſiſtentia, ac perſonalitate increata Verbi divini.

XLIII. Neque hinc ſequitur, humanitatem ſubſiſtentem ſubſiſtentiam Verbi poſſe dici perſona: & ſic dari in Chriſto perſonam creatam, licet ſubſiſtentem ſubſiſtentia increata: eo maxime quod humanitas aſſumpta eſt individua. —— Nam, ut natura aliqua ſit ſuppoſitum, & perſona, non ſufficit, ut ſit individua, & ſubſiſtens quomodocumque; ſed requiritur, ut ſit ſubſiſtens per ſe primo; non vero ſat eſt, ut ſit ſubſiſtens ſubſiſtentia aliena, ſibi ſecundario communicata, ſicut ſubſiſtit humanitas Chriſti: quæ, ut docet S. Thom. *3. part. quæſt. 2. art. 2. ad 3.* ſubſiſtit, non in ſe, & per ſe, ſed in alio digniori, perfectiori, & prius ſubſiſtente. Ait enim: *Licet ergo hæc humana natura ſit quoddam individuum in genere ſubſtantiæ: quia tamen non per ſe ſeparatim exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet, in perſona Dei Verbi; conſequens eſt, quod non habeat perſonalitatem propriam.*

DUBIUM III.

Aliqua ſcitu digna circa Cauſam Neſtorii.

§. I.

An Neſtorius purus negaverit de facto unionem ſubſtantialem Humanitatis cum Verbo?

I. NON deſunt, ex Heterodoxis præſertim, qui velint, Neſtorium purum revera non negaſſe ſubſtantialem unionem humanitatis cum Verbo; ac proinde revera non fuiſſe hæreticum. Ipſum tamen arguunt partim ignorantiæ; quia in hac ſubtili quæſtione caligavit: ideoque ſcrupulo potius, quam vitio abhorruiſſe a quibuſdam vocibus Eccleſiæ, uſu receptis; quia, quod Deus ſit natus, paſſus, crucifixus, mortuus, quod Virgo ſit Deipara: partim vero inconſtantiæ, qui in explicanda ſua ſententia, alia aliis temporibus verba uſurpavit, quæ ancipitem haberent, & perplexum ſenſum. Contra iſtos nefarii hæretici advocatos.

II. Dico. Neſtorius, tum ex propriis ſcriptis, & vocibus, tum Veterum teſtimonio, & Eccleſiæ judicio convincitur, negaſſe hypoſtaticam, & ſubſtantialem unionem humanitatis Chriſti cum Verbo: & proinde hæreticus fuiſſe. Probatur prima pars. Qui ex propriis ſcriptis convincitur negaſſe Chriſtum fuiſſe naturaliter, & ſubſtantialiter Deum, ſed ſolum talem per inhabitationem; Deum eſſe natum, paſſum, crucifixum, mortuum; Virginem eſſe Deiparam, eumdemque eſſe Filium Virginis, & Filium Dei; is evincitur, negaſſe ſubſtantialem, ac hypoſtaticam unionem Verbi cum humanitate: ſed ex ſuis ſcripturis, ac vocibus Neſtorius evincitur, omnia hæc negaſſe; ergo &c.

Min. Probatur. Chriſtum eſſe vere ac ſubſtantialiter Deum negat Anathematiſmo primo, inter eos, quos Cyrillo Neſtorius oppoſuit, his verbis: *Si quis rem, qui eſt Emmanuel, Deum verum eſſe dixerit, & non potius nobiſcum Deum, hoc eſt, inhabitaſſe eam, quæ ſecundum nos eſt naturam .... quam de Maria Virgine ſuſcepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel eſt, nuncupaverit .... Anathema ſit.* Quod repetit Anathematiſmo quinto. Quaternione vero 27. libri a Neſtorio conſcripti, quem legere eſt, *Act.* 1. Concil. Epheſini, dicit: Chriſtum ea ratione dici Deum, & Filium, & Sanctum; qua Moyſes dicitur Deus Pharaonis, & Iſrael filius Dei. Jeſum autem dici Chriſtum, quod Saul in Scriptura vocatur Chriſtus, quomodo etiam Cyrus dicitur Chriſtus. Item quatern. 19. *Non per ſe* (inquit) *& ſecundum ſe Deus eſt, quod in utero formatum eſt, non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod Spiritus Sancti opera effectum eſt: non per ſe & ſecundum ſe Deus eſt, quod in monumento conditum eſt: ſic enim hominum mortuorumque manifeſti cultores eſſemus. At vero quia Deus in homine aſſumpto exiſtit, aſſumptus, ut aſſumenti conjunctus, propter aſſumentem Deus appellatur.* Rurſus, quaternione 21. *Scriptura* (inquit) *Deum ex Chriſtipara Virgine genitum eſſe nuſquam affirmat; ſed Jeſum Chriſtum Filium, & Dominum..... Angelorum vox eſt*: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus: *Atqui certum eſt Archangelos nativitatis Myſterium te longe exactius cognoviſſe: neque tamen dicunt: Surge, & accipe Deum, & matrem ejus; ſed*: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, Neſtorii etiam voces ſunt quæ referuntur, *Act.* 1. Synodi Epheſinæ: *Deum bimeſtrem, aut trimeſtrem non adoro.* Et apud Socratem, lib. 7. Hiſt. cap. 34. *Ego vero eum, qui bimeſtris, ac trimeſtris extitit, Deum appellare non poſſum.*

III. Deum eſſe natum, paſſum, crucifixum, mortuum aperte negat quater. 16. ut nuper diximus. Et rurſus in Epiſt. ad Cyrillum, quæ legitur, 1. part. Concil. Epheſ. cap. 3. *Verum* (inquit) *propter hanc appropriationem Divino Verbo adſcribere nativitatem, paſſionem, mortem, cateraſque carnis proprietates, id demum, mi frater, mentis eſt, aut Æthnicorum more vere errantis, aut certe inſani Apollinarii, & Arii, aliorumque hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis.* Et Anathemat. 12. *Si quis confitens paſſiones carnis, eas quoque tamquam Verbo Dei tribuit, quas etiam carni, in qua factus eſt, adhibuerit.... Anathema ſit.*

IV. Virginem eſſe Deiparam negaſſe jam oſtenſum eſt. Quibus addo ea quæ ſcripſit ad Cæleſtinum, *part.* 1. *Concilii Epheſ. cap.* 9. Ubi reprehendit Catholicos, quod Virginem *Chriſtotocon* auſi ſint quodammodo Deum dicere: hanc enim & *Theotocon* vocare non perhorreſcunt. Addens. Scripturas ubique Virginem Matrem Chriſti, non Dei Verbi, & per Angelos, & per Apoſtolos prædicare. Unde, *Anathemat.* 1. contra Cyrillum, ait *Si quis .... Mariam Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel eſt, nuncupaverit.... Anathema ſit.*

V. Eumdem quoque eſſe Filium Virginis, & Filium Dei negaſſe, conſtat: tum ex dictis: tum ex *Anathem.* 5. ubi ait: *Si quis, unum eſſe, poſt aſſumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cum ſit Emmanuel, Anathema ſit.* Tum anathem. 7. *Si quis hominem, qui in Virgine creatus eſt, hunc eſſe Unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus eſt.... anathema ſit.*

VI. Secunda vero pars, nempe, Neſtorium tamquam hæreticum a Patribus habitum eſſe, & judicio Eccleſiæ; conſtat ex Cyrillo, qui toto zelo ſe ſe oppoſuit, & contra ipſum duodecim Anathematiſmos conſcripſit: ex Cæleſtino I. qui in Concilio Romæ coacto Neſtorium damnavit: ex Concilio Epheſino, ubi, tamquam hæreſeos reus, e Conſtantinopolitano, quem gerebat, Pontificatu, & Fidelium communione dejectus eſt. Idem pronuntiarunt Theodoretus, *lib.* 4. *Hæretic. fabul. cap.* 12. Vincentius Lirinenſis, *in Commentario, cap.* 12. S. Leo I. *Epiſt.* 83. modo 97. *ad Monachos Paleſtinos, cap.* 2. dicens: *Anathematizatur ergo Neſtorius, qui B. V. Mariam hominis tantummodo credidit Genitricem; ut aliam perſonam carnis, aliam faceret Deitatis, nec unum Chriſtum in Verbo Dei, & carne ſentiret, ſed ſeparatim, atque ſejunctum, alium Filium Dei, alium hominis prædicaret.*

VII. Modo audiamus, qui pro Neſtorio afferant illius Patroni. Dicunt ergo primo: Neſtorium confeſſum fuiſſe, Chriſtum non eſſe hominem ſolum, non eſſe duos filios, aut dominos, naturas ambas in unam perſonam convenifſe; & B. Virginem dici poſſe Deiparam, non vero Deum. Hæc autem omnia Catholicum ſenſum præſeferunt.

VIII. Verum do illis, Neſtorium aliquando hæc aſſeruiſſe: ſed voce tenus, non in ſenſu Catholico, ſed verbis ambiguis, & hæreticum ſenſum tegentibus. Chriſtum enim non eſſe hominem ſolum confeſſus eſt: non quia eum etiam ſubſtantialiter Deum fateretur, ſed quia aſſerebat, eum habuiſſe ſemper divinitatem ſibi conjunctam unione morali, & nunquam fuiſſe ſine illa; naturas enim ambas in ipſo Virginis utero, imo & in ipſo conceptu copulatas fuiſſe fatebatur. In hoc tamen Paulo Samoſateno aſſenſus eſt: quod has naturas copulatas diceret ſolo nexu morali; quo fiebat, ut Deus eſſet quidem hominis, & homo Dei, non tamen homo Deus & Deus homo. *Ex* quo etiam ſequebatur, Deum non eſſe carnem factum, ſed carnis ſolum habitatorem. Id autem aſſerere, quid erat, niſi Chriſtum facere hominem ſolum? Eo modo, quo Moyſes, in quo Deus inhabitabat, ſicut Deus Pharaonis diceretur, ſolum homo reipſa erat; quo exemplo, ut ſupra vidimus, Neſtorius utebatur: Hæc fraus Neſtorii nota fuit S. Cyrillo, qui in expoſitione anathematiſmi 5. *Simulant* (inquit) *ſe Incarnationis vocem admittere. Verum incarnatum eſſe revera Dei Verbum non putant; hoc eſt, eſſe factum noſtri ſimilem, ita ut quod erat, maneret; verum aſſerunt, ſic tamquam in unoquoque homine ex Sanctorum numero de Maria Virgine natum habitaſſe Unigenitum Verbum.*

IX. Non minori dolo, Chriſtum eſſe unum Filium, ac Dominum prædicabat Neſtorius, duos namque Filios, eſto non verbis, re tamen volebat inducere, ut ait Facundus Hermianenſis; & ex ejus *Anathemat.* 7. contra Cyrillum, ſupra notavimus, Chriſtum eſſe unum aſſerebat, non hypoſtaſi, ſed mera conjunctione; qua conjugebatur Unigenito Dei, ſicut templum habitatori. Sic enim dicebat, Chriſtum unam perſonam unitate morali, non naturali; quia nimirum, per unitionem facta eſſet una, & eadem hominis, & Dei dignitas, auctoritas, & poteſtas. Nomen enim perſonæ ſumebat, ut eſt vox juris, qua ratione conjuges ſunt una perſona: cum tamen debuiſſet ſumere, (ſi bona fide ageret) ut eſt naturæ quiddam, atque ipſa hypoſtaſis qua ratione conjuges ſunt duæ perſonæ, ſeu duæ hypoſtaſes. Fraudem hanc detexit Synodus 5. Œcumenica, *Anathemate* 4. dum ait. *Neſtorianos Deum Verbum Filium, & Chriſtum vocantes, & hominem ſeparatim Chriſtum & Filium nominantes, & duas perſonas evidenter dicentes; per ſolam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam perſonam, & unum Filium, & unum Chriſtum confingere.* Quod Neſtorius ipſe ad Cyrillum, *lib.* 2. *contra Neſtorium*, aperte teſtatus fuerat, dicens: *Nec duos habere nos Chriſtos, nec Filios duos, ſed unum, & eumdem eſſe dignitate, non natura.*

X. Eodem ambiguo, & perfido ſenſu videbatur admittere, B. Virginem dici poſſe Deiparam; non quia concederet, eam eſſe proprie Matrem Dei: ſed quia genuiſſet hominem Deo unitum; & templum Verbi Dei. Ecce mentem ſuam confeſſione ipſius Neſtorii expreſſam. *Epiſt. ſua prima ad Cæleſtinum*, his verbis: *Ferri tamen poſſe* (hanc vocem Theotocon) *propter ipſam conſiderationem, & quod ſolum nominetur de Virgine hoc verbum propter inſeparabile templum Dei Verbi ex ipſa; non quia ipſa ſit Mater Dei Verbi: nemo enim antiquiorem ſe parit.* Quare, Serm. 1. ut apud Marium Mercatorem legere eſt, ait: *Non, vir optime, Maria peperit Deum, non peperit creatura creatorem; ſed peperit hominem Deitatis inſtrumentum.* Ac ſubinde Catholicos ſugillans, ac ſi Mariam Matrem Dei vocantes, Gentilium fabulas excitarent, ait: *Habet Matrem Deus? Ergo excuſabilis Gentilitas Matres Diis ſubintroducens.*

XI. Dicunt ſecundo Neſtorii defenſores, Socrates, lib. 7. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 32. poſtquam dixit in complurium opinionem veniſſe, Neſtorium ſimplicem hominem dixiſſe, & Pauli Samoſateni, ac Photioni dogma in Eccleſiam invexiſſe, ſubdit: *Ego vere dum ejus libros luſtro, hominem imperitum reperio .... non tamen mihi videtur imitari Paulum Samoſatenum, aut Photinum, & Dominum omnino ſimplicem hominem dicere; ſed ſolum Deipara vocem tamquam larvam reformidare.*

Addunt Jo: Antiochenum, cui, utpote Neſtorii amiciſſimo, nota erat ejus fides. Is enim Epiſt. ad Neſtorium, quæ eſt 1. *part. Conc. Epheſ. cap.* 21. teſtatur, ipſum ſolas voces reſpuere, quibus Patres uſi ſunt, eamdem autem ſententiam tenere.

Adjungunt Theodoretum, qui *in Epiſt. ad Alexandrum Hieropolitanum* conqueritur de Jo: Antiocheno, quod pace inita cum Cyrillo, & abdicationi Neſtorii conſentiens, oblique ejus ſanam doctrinam damnaſſet.

XII. Reſpondeo ad hæc. Quantum ad Socratem dico primo, ejus teſtimonium, utpote viri de foro, vel de aula, & meri hiſtorici, non eſſe tanti faciendum; ut propter ipſum non ſit potius credendum Cyrillo, Cæleſtino, Concilio Epheſino, aliiſque Patribus, qui Neſtorium hæreſis damnant. —— Secundo. Dico, ex parte verum dicere Socratem. Nam Neſtorius cum Paulo Samoſateno, & Photino in omnibus non conſenſit. Ponebat enim Neſtorius Verbum eſſe verum Deum, quod illi negabant: cum illis tamen ſentiebat, Chriſtum non fuiſſe verum Deum, ſed purum, ac ſimplicem hominem, unitum Verbo ſola morali, non hypoſtatica unione.

Ad id, quod addunt de Joanne Antiocheno, dico, quod dum hæc ſcriberet ad Neſtorium, nondum plene detexerat hære-

hæreticum dogma, quod fucatis verbis Neſtorius tegere conabatur: at poſtea inita pace cum Cyrillo fraudem detexit.

Quoad Theodoretum vero dico, eam antiquæ cum Neſtorio amicitiæ præjudiciis excæcatum, ſtatim non adverſiſſe impium dogma, quod ſub æquivocis verbis occultabat: quod cognovit tandem. Unde ei palam dixit anathema in Conc. Chalcedonenſi, & *l. 4. Hæretic. Fabul. cap. 12.* Neſtorium in catalogum hæreticorum retulit.

§. II.

An S. Cyrilli Epiſtola, & Anathematiſmi ſint ab omni errore immunes?

XIII. TRes Cyrillus ad Neſtorium Litteras dedit Prima continet purgationem illius, quam Cyrillus ſcripſerat ad Ægypti Monachos; ob quam Neſtorius maxime concitatus erat, & in Cyrillum commotus. Altera continet errores Neſtorii, & exponit Catholicam de Incarnatione fidem. Tertia non eſt ſolius Cyrilli, ſed totius Alexandrinæ Synodi; quam, acceptis a Cæleſtino Papa Litteris, queis Neſtorium, ejuſque errores Romæ damnaverat, Alexandriæ Cyrillus ad hunc finem coegerat. Huic annexa ſunt duodecim Capitula; quæ cum contineant Anathema in eos, qui cum Neſtorio ſentirent, propterea vulgo Anathematiſmi appellantur.

XIV. Neſtorius, acceptis Cyrilli, & Alexandrinæ Synodi Litteris, & Anathematiſmis, ita furens alia duodecim Capitula oppoſuit, quibus Cyrilli Anathematiſmis anathema dicebatur: quaſi Cyrillus, dum Neſtorium configere tentaverat, in errorem, quem Eccleſia in Apollinare proſcripſerat, impegiſſet. In hoc negotio Neſtorium juverunt Joannes Antiochenus, ſub quo Concilium Orientalium contra Cyrillum, & Synodum Epheſinam coactum fuerat: a quo Concilio datum eſt in mandatis Andreæ Samoſatenſium, & Theodoreto Cyrenſium Epiſcopis, ut Cyrilli anathematiſmos ſcriptis impugnarent, quod & illi executi ſunt. His prænotatis, quærimus. An revera Anathematiſmi Cyrilli Apollinaris hæreſim continerent, ut præfati Orientales exiſtimarunt?

XV. Dico. Duodecim Cyrilli Capitula, ſeu Anathematiſmi a quolibet errore immunes ſunt. Prob. primo, Quia dicta Capitula probata fuere a tota Ægyptiorum Eccleſia, quæ ſub Cyrillo ad Concilium Alexandriæ convenerat, Secundo. Quia probata fuere a Cæleſtino I. Papa. Tum litteris ad Cyrillum datis, *1. p. Conc. Epheſ. cap. 15.* ubi dicit, ſe nihil addendum Cyrilli fidei exiſtimare; quia omnia, quæ ipſe ſentiret, ac teneret, Cyrillum itidem tenere, ac ſentire proſpiceret. Tum litteris ad Neſtorium ſcriptis, *1. Conc. Epheſ. cap. 18.* ubi ait: *Alexandrina Eccleſia Sacerdotis fidem & probavimus, & probamus. Et tu admonitus per eum, eadem ſentias nobiſcum, ſi vis eſſe nobiſcum, o Frater. Si tibi ſenſus datur, damnatis omnibus, quæ hucuſque ſenſiſti, ſtatim hæc volumus prædices, quæ ipſum videas prædicare.* Hæc Cæleſtinus Neſtorio.

Tertio. Cum S. Cyrillus *Act. 1.* Concilii Epheſini, poſtulaſſet a Patribus, ut ſuam ad Neſtorium Epiſtolam expenderent, recte ne, & inculpate, ac convenienter Nicenæ fidei ſcripſiſſet: omnes, nemine dempto, pronuntiarunt, eam Nicænæ fidei recte cohærere, ac proinde ei ſe ſubſcribere, & aſſentiri. Ita ſcribunt ad Cæleſtinum, poſt Actionem 5. *Lecta deinde ſunt Littera, quas Sanctiſſimus, Deoque dilectiſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Cyrillus ad eum* (nempe Neſtorium) *ſcripſerat; quas Sancta Synodus approbavit, ut recte, inculpateque exaratas, atque in nullo diſſentaneas divinis Scripturis: traditæ videlicet fidei, & expoſitæ in magna illa Synodo a SS. Patribus, qui Nicæa Bithiniæ olim convenerunt, ſicut tua quoque Sanctitas id recte probans, teſtificata eſt.* Non eſt autem ſuſpicandum ſcatere erroribus circa fidem ea, quæ a Rom. Pontif. probata, & a Synodo Epheſina ſuſcepta, & comprobata fuerunt. Quam veritatem iidem Epheſini Patres confirmant in Litteris ad Imperatores datis, quæ leguntur in eadem Synodo poſt Actionem I.

Quarto. Eadem Cyrilli Capitula ſolemniter approbata fuere a Concilio Chalcedonenſi, *Act. 1.* Cum enim Euſebius Dorilæi Epiſcopus accuſatorium libellum adverſus Eutichetem porrexiſſet, quo profitebatur, *Se omnibus conſentire, quæ ſapuit, & expoſuit Beatiſſimus Cyrillus Alexandrinæ magnæ Civitatis quondam Epiſcopus*, Sancta Synodus exclamavit: *Semper memoria Cyrilli. Cyrillo æterna memoria. Si quis retractat: Anathema ſit. Si quis ſuper iſta inquirit: Anathema ſit. Malepictus qui addit, malepictus qui aufert, maledictus, qui innovat.* Exclamavit & Julianus Epiſcopus S. Leonis Legatus: *Apoſtolica ſedes ſic ſapit.* Sancta Synodus dixit: *Et hæc univerſalis Synodus ſic ſapit.*

Tandem quinta Synodus, nempe, Conſtantinopolitana II. anno 553. Theodoreti ſcripta quædam damnavit; non alia de cauſa, niſi quod in duodecim S. Cyrilli capitula inveheret. Quam eamdem ſententiam eadem de cauſa tulerunt in Epiſtolam Ibæ Edeſſeni ad Mari Perſam. Sic autem habet, Can. 13. *Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam Sanctam Synodum, & Sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula expoſuit ... & non anathematizat eā, & eos, qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt. Inſuper autem & omnes, qui ſapuerunt contra rectam fidem, & S. Cyrillum, & duodecim ejus Capitula, & uſque ad mortem in tali impietate permanſerunt, talis Anathema ſit.* Canone vero 14. Anathemate configit defenſores Epiſtolæ ab Iba ad Marin Perſam ſcriptæ; quod *S. Cyrillum, qui rectam fidem Chriſtianorum prædicavit, tamquam hæreticum, & ſimiliter Apollinario impio ſcripſiſſe criminetur; & inculpat primam Epheſinam ſanctam Synodum, tamquam ſine examinatione, & quæſtione Neſtorium condemnancem, & duodecim Capitula S. Cyrilli impia, & contraria rectæ fidei vocet.*

XVI. Nihilominus objicies primo. Joannes Antiochenus cum tota Orientis diœceſi duodecim Cyrilli Capitula impugnavit, damnavitque velut Apollinaris hæreſi contaminata; commiſitque ea refellendi provinciam Andreæ Samoſateno, & Theodoreto.

Theodoretus ea hæretico afflata veneno judicavit: & tamen ut Catholicus a Concilio Chalceconenſi ſuſceptus eſt: a quo etiam ſuſceptus fuit Ibas Edeſſenus, quem cum ſuæ Epiſtola ad Marin Perſam acceptavit & probavit.

Gennadius vir ſanctus in duodecim Cyrilli Capitula vehementiſſime exarſit, eaque ut hæretica execratus eſt.

S. Iſidorus Peluſiota teſtatur, Cyrillo parum orthodoxe tractaſſe, & privatæ ultionis ſtudio Eccleſiam turbaſſe.

XVII. Reſpondeo, Occidentales, Joannem Antiochenum, Theodoretum, Ibam, Gennadium, Iſidorum duodecim Capitula Cyrilli damnaſſe errore facti, non juris; quia eamdem quidem cum Cyrillo de Incarnatione fidem profitebantur: ſed vel ex cæco in Neſtorium amore, vel privata in Cyrillum ſimultate excæcati, S. Cyrilli mentem duodecim Capitulis minime aſſecuti, ea in pravum ſenſum detorſerunt, & ipſi falſo Apollinaris dogma impoſuerunt. Ita Facundus Hermanienſis. Quare Orientalium teſtimonia hac in re nullius ponderis ſunt, ſtante maxime ex adverſo Cæleſtini, & Synodorum Generalium approbatione, ut dictum eſt.

Joannes Antiochenus factus S. Cyrilli amicus, honorifice ad S. Cyrillum ſcripſit, & viciſſim S. Cyrillus ad ipſum: unde poſtea teſtimonium catholicæ fidæi ſibi invicem præbuerunt.

Theodoretus vero fuit quidem, ut Catholicus a Concilio Chalcedonenſi ſuſceptus; ſed tunc temporis iniquam, & falſam contra S. Cyrilli Capitula opinionem depoſuerat, & Neſtorio, ejuſque dogmati anathema dixerat. Imo benevolentiæ ſignis cœperat cum Cyrillo communicare, ut patet ex ejus *Epiſtola 83. ad Dioſcorum* data. Et quod magis eſt, in ſuis contra Apollinarem, & Eutichem Dialogis, eorum errores Cyrilli eriam teſtimoniis refellit, quod non feciſſet, ſi Cyrilli Capitula, & doctrinam Apollinaris errorem ſapere quovis tempore judicaſſet Theodoretus.

Quoad Ibam nego, ejus Epiſtolam a Synodo Chalcedonenſi fuiſſe approbatam. Suſceptus quidem fuit Ibas ab eadem Synodo, ſed poſtquam anathema Neſtorio dixit & ſuæ adverſus Cyrillum, & duodecim Capitula dicta excuſavit, ut habetur Act. 10. *Ego* (inquit Ibas) *poſtquam ſua Capitula interpretatus eſt, tantum abeſt, ut eum virum* (Cyrillum) *anathematizarim, ut etiam Litteras ab eo acceperim, & Litteras ei miſerim, & communicatorem me habuit, & communicatorem eum habui.* Ex ſiniſtra ergo intelligentia Ibas, & cæteri Cyrilli Capitula damnabant.

Quod de Gennadio affertur, vel dicendum, librum illum, qui Gennadio contra S. Cyrillum tribuitur, eſſe Gennadio ſuppoſitum. Vel ſi Gennadii eſt liber ille, dicendum, quod Gennadius Cyrilli mentem non ſit aſſecutus. Unde Facundus, *l. 2. Talia* (inquit) *Gennadius de Cyrillo non ſcriberet, niſi dicentis intentionem minus intellexiſſet.*

Dr Iſidorio autem, quem Cyrillus venerabatur, ut Patrem, credibile non eſt, eum Capitula Cyrilli damnaſſe; ſed potius, quod audiens Orientalium clamores a Neſtorii fautoribus in vulgus ſparſos, Cyrillum ipſum amico, & paterno affectu monuerit.

XVIII. Contra tamen hucuſque dicta, eſt. Non mirum, ſi Theodoretus, Ibas, & alii fuerint Cyrillo tandem reconciliati: Cyrillus enim ſua Capitula tacite ſaltem retractavit. Quod probo primo. Quia Cyrillus ſubſcripſit confeſſioni fidei, quam Orientales ad ipſum per Paulum Emiſſenum Epiſcopum miſerunt. — Secundo, Quia ab Orientalibus, ut ſuis ſubſcriberent Capitulis, numquam exegit. — Tertio. Quia cum Theodoretus a Concilio Chalcedonenſi admiſſus fuit, non fuit coactus revocare ſuas reprehenſiones Capitulorum Cyrilli; ſed tantum Neſtorio, ejuſque dogmati anathema dicere. — Tandem: Theodoretus ipſe, inita jam cum S. Cyrillo pace, *Epiſt. 112.* quæ eſt ad Antiochenum Patriarcham: *Nec prius* (inquit) *illi* (Cyrillo) *qui hæc Capitula ſcripſerat, communicavimus, quam iis, quæ expoſueramus, aſſentiens conſonam his doctrinam accomodavit; nullam Capitum illorum faciens mentionem.*

XIX. Reſpondeo, neg. ant. Premebant quidem Orientales Cyrillum, ut ſua Capitula retractaret, ſed ipſe conſtanter renuit. En ejus verba in Epiſt. Ad Acacium Melitenſem Epiſcopum: *Volebant, omnia aboleri, quæ vel Epiſtolis, vel tomis, vel libris evulgaveram, & ſoli fidei, quæ a Sanctis Patribus Nicæa edita fuerat, conſentire. Ego vero ad iſta ita reſcripſi. Expoſitioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes, nihil eorum, quæ in ipſa continentur, labe-*

labefactantes ..... Quæ vero recte Neſtorii blaſphemias ſcripſimus, ea ejuſmodi eſſe; ut nulla nobis ratione perſuaderi poſſit, ut recte ſcripta eſſe negamus.

Ideo autem (ut ſic reſpondeam *ad* 1.) formulæ fidei ſibi ab Orientalibus exhibitæ ſuſcripſit; quia licet iiſdem non conſtaret terminis, quibus ſua Capitula conſtabant, eumdem tamen præſeferebat ſenſum. Nam primo: Articulum de Virgine Deipara expreſſe complectebatur. Secundo: Unicum tantum in Chriſto Filium ratione factæ unionis admittebat. Tertio: Idiomatum communicationem ratione unitatis perſonæ fatebatur. Quarto: Quia damnato Neſtorio, ejus etiam loquendi modum proſcribebat.

Cum ergo conveniſſent Orientales in re cum Cyrillo (& his reſpondeo *ad* 2.) non fuit ipſe ſolicitus ab eis ſuorum Capitulorum, quæ tantæ ſeditionis occaſio fuerant, exigere ſubſcriptionem: & hoc prudentis œconomiæ cauſa, ne pacem jam naſcentem inter Orientales turbaret. Satis enim erat viro piiſſimo, ad veritatem fratres ſuos reduxiſſe, quo obtento, juri, quod juſte exigere poterat, libentiſſime ceſſit.

Quod exemplum S. Præſulis ſecuta fuit Synodus Chalcedonenſis (quibus reſpondeo *ad* 3.) quæ admiſit Theodoretum, nulla ab eo exacta retractatione eorum, quæ contra Cyrilliana Capitula ſcripſerat. Noluit quippe nova bella inter ipſum, & Cyrillum excitare; ſed pacis cauſa eadem uti diſpenſatione, qua uſus fuerat Cyrillus, quam uti jure rigoroſo.

Fateor tamen (& hinc reſpondetur *ad* 4.) Theodoretum in hoc deceptum fuiſſe, & erraſſe errore facti: dum etiam poſt initam pacem, ſed animo nondum plene ſedato, putavit, omiſſionem præfatam, quam Cyrillus, & Synodus ſolius charitatis, & pacis cauſa permiſerat, factam fuiſſe, vel quia Cyrillus tacite a ſe dicta retractaverit: vel ſaltem, quia reprehenſionibus a ſe contra illum ſcriptis fuerit deterritus.

Quæ hactenus dicta ſunt, accepimus a Leontio Byzantino, *l. de Sectis, act. 6.* Ubi reſpondet Acephalis accuſantibus Concilium Chalcedonenſe, quod a Theodoreto non poſtulavit, ut ſcripta ſua contra Cyrillum anathemate damnaret. Si enim non eſt accuſandus Cyrillus, qui hoc non poſtulavit, nec averſanda eſt Synodus: *Quod igitur ipſe Cyrillus non fecit, ob ejus intermiſſionem Synodus culpari meretur?* Et a Jucundo Hermianenſi, *l. 6. pag.* 249. editionis Sirmondianæ. Ubi dicit, S. Cyrillum maluiſſe diſpendio ſuæ famæ Eccleſiaſticam pacem ſtabiliri; quam extra Eccleſiæ communionem manere Epiſcopos recte alioqui de fide ſentientes: *Sane* (inquit) *quoniam B. Cyrillus, Orientalium legatione ſuſcepta, magis quod a Conſacerdotibus ſuis expetabatur, feſtinavit implere; quam dictorum ſuorum, in quibus offenſi fuerant, ſufficientem purgationem facere: ideo putatus eſt, velut priſtino errore damnato, Orientalium admonitione converſus. Cum ille recuperandæ unitatis cupidus, in defenſione dictorum ſuorum noluerit immorari; ne cum probare diu contendit, quod non, ut putabatur, ab eo fuerint dicta; de quibus minus intelligentes aliter ſentiebant, controverſia hac diſſenſione terminus non daretur.*

XX. Sed objicies ſecundo varia, quæ in Cyrillianis Capitulis videntur errorem ſapere. Dicebat enim Cyrillus in primo, Deiparam genuiſſe *Carnaliter* Deum Incarnatum: illa autem vox *Carnaliter*, ejus intemeratæ Virginitati obeſſe, quis non videt? —— In ſecundo utebatur voce *Unitionis ſecundum hypoſtaſim*, quæ vox aliena videtur a Scripturis, & Patribus. —— In tertio unionem illam mirabilem vocabat *Naturalem*. Si enim naturalis fuit; ergo neceſſaria; ergo non ex gratia, —— Adverſus quartum opponebant uni perſonæ Verbi tribui voces naturæ humanæ proprias; ideoque naturas confundentes: nec diſcerni ea, quæ ſunt Dei ab iis, quæ ſunt hominis —— Adverſus quintum, quod negaret, Chriſtum poſſe dici *Deiferum*; cum hac voce plures Veteres uſi fuerint. —— Sextum impugnabant, quod rejiceret, qui diceret: *Verbum Chriſti Dominum, & Deum* eſſe; cum Chriſtus, Iſaiæ 49. vocetur *Patris ſervus* —— Septimum arguebant, quod anathema diceret ei, qui aſſereret, Chriſtum, ut hominem, a Dei Verbo operante motum fuiſſe, quod pugnat cum Apoſtolo, *ad Epheſ.* 1. dicente: *Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans eum a mortuis* —— In octavo videtur in ſeipſum pugnare. Cum enim alibi dixerit, Verbum aſſidere Patri ſuo cum carne, & ſic adorari: hic negat, *Aſſumptum hominem coadorari cum Deo Verbo.* —— In nono etiam ſecum pugnare videtur. Dum enim alibi dixerat, Chriſtum ſigna feciſſe in ſpiritu; imo & ipſum mortuum, & vivificatum in ſpiritu: hic negat, Dominum in ſpiritu ejeciſſe Dæmonia, contra illud Chriſti, Matth. 12. v. 28. *Si in Spiritu Dei ejicio Dæmonia* —— Decimum Capitulum, quod anathematizat eum, qui negarit, Pontificem, & Apoſtolum noſtrum eſſe Dei Verbum; pugnat cum Apoſtolo, Hebr. 4. v. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibut noſtris, ſed tentatum per omnia &c.* Unde dicebant: quis igitur tentatus eſt? Num Dei Verbum, an potius humana natura? —— Undecimum capitulum, quod perſtringit negantes, carnem Domini ipſius Verbi propriam eſt, ſuſpectum videtur; quaſi quod caro Chriſti non ſit ſimilis noſtræ, & Apollinariſtarum errori faveat. Duodecimum tandem, quo damnatur, qui negaverit, Dei Verbum carne paſſum, crucifixum &c. reprehenditur; quia Verbo Dei tribuat paſſiones, quæ ſoli carni conveniunt. Hæc ſunt, quæ Orientales, & præſertim Theodoretus, opponebant. Sed hoc ex prava eorum intelligentia, vel malo animo adverſus Cyrillum proceſſiſſe, ſigillatim oſtendemus cum eodem S. Cyrillo.

XXI. Ad primum igitur reſpondeo, vocem *Carnaliter*, pro eodem ſumi; & *ſecundum carnem*; ſic, ut ſenſus ſit: Mariam genuiſſe Deum, non quidem ſecundum divinitatem, quia ſic expers eſt omnis initii; ſed ſecundum carnem. Ita S. Cyrillus.

Ad ſecundum reſpondeo, hac voce *Unionis ſecundum hypoſtaſim* intellexiſſe Cyrillum unionem ſecundum naturam in perſona, non ſolum moralem, ut volebat Neſtorius. Nec mirum, ſi nova hæreſi urgente, coactus ſit novo nomine uti: quemadmodum ad Arianam hæreſim profligandam, novam vocem *Omouſion* Patres uſurpare coacti ſunt. Ita S. Cyrillus.

Ad tertium cum eodem dico, Verbum hoc *Naturalem* ſumptum fuiſſe pro *reali*, ac *vera* unione, & non ſolum morali: eo modo, quo Apoſtolus: *Eramus* (inquit) *natura*, hoc eſt, revera, *filii iræ*. Et hoc loquendi modo uſus eſt Cyrillus; ut excluderet unionem ſolum moralem, & per gratiam accidentalem, ut ponebat Neſtorius.

Ad quartum idem S. Cyrillus reſpondet, omnes voces, quæ in ſcripturis dicuntur de Chriſto, convenire quidem, & adſcribi Verbo; ſed ratione diſtinctarum naturarum, quæ inconfuſæ in uno Verbo ſubſiſtunt.

Ad quintum reſpondet S. Cyrillus, ſe negaſſe Chriſtum *Deiferum* in ſenſu Neſtorii, qui contendebat, hominem geſtaſſe deitatem, eo modo, quo homo geſtat veſtem, aut templum continet habitatorem: non vero negaſſe, prout illa vox ſignificat Chriſtum habere ſibi unitam divinitatem, in quo ſenſu eam uſurparunt Baſilius, aliique Veteres. Vocem autem aliquam eſſe prudenter declinandam pro tempore, quo hæretici ea abutuntur, nemo neſcit.

Ad ſextum dicit Cyrillus, ſe rejicere, qui diceret abſolute Chriſtum ſervum Dei, aut Verbum Dominum Chriſti; quia hac locutione fiebat ſenſus: eſſe in Chriſto duas perſonas, unam hominis, & ſervi, aliam Dei, & hominis quod intelligebat Neſtorius. Si tamen intelligatur, quod Chriſtus, ut homo, ſeu ratione humanæ naturæ, quæ in Verbo ſubſiſtit, ſit ſervus Patris, libenter admittere; non tamen abſolute. Quia hæc vox Chriſtus perſonam dicit, quæ in Chriſto ſervitutem non admittit: *Non igitur* (inquit Cyrillus) *dicetur ſuimet ipſius Deus, ac Dominus Emmanuel: quandoquidem ipſe idem ſimul eſt Deus & homo, poſtquam Dei Verbum homo factum, & incarnatum eſt.*

Ad ſeptimum reſpondet Cyrillus, ſe non negare, quin Verbum operatum ſit in natura humana aſſumpta, eique vim tribuerit patrandi mira: ſed negare ſolum, quod Verbum operatum ſit in Chriſto, tamquam in altero a ſe diſtincto perſonaliter, ut volebat Neſtorius.

Ad octavum reſpondet, ſe negaſſe aſſumptum hominem coadorari cum Verbo, ſicut duas perſonas; ſicut dicerentur coadorari Petrum, & Paulum: non vero coadorari ſicut anima coadoratur cum corpore, cum quo facit unum hominem, ſeu unam perſonam.

Ad nonum reſpondet, ſe negaſſe, Chriſtum in ſpiritu a ſe alieno, & extraneo ejicere Dæmonia; non vero in ſpiritu ſibi proprio, ac ſibi ſubſtantialiter unito.

Ad decimum dicit, quod ſicut concedimus, Verbum carnem factum; ita debemus concedere, Verbum ſecundum carnem, & ut hominem, eſſe unum Pontificem: ut ſic enim obtulit pro nobis hoſtiam Deo Patri, & ſic tentatus eſt.

Ad undecimum reſpondet, quod ideo dixit; carnem eſſe Verbi propriam; ut oſtenderet, eam eſſe illi hypoſtatice unitam, non extraneam, ac ſejunctam a perſona Verbi, ut volebat Neſtorius: quæ tamen vera erat caro unita animæ rationali, & propterea ſimilis in ſpecie cum noſtra.

Ad duodecimum reſpondet, quod quando dicit, Verbum eſſe paſſum, non intelligit, id eſſe paſſum ſecundum propriam naturam, qua Deus eſt; ſed ſecundum carnem, per aſſumptionem in perſona ſibi appropriatam. Reſponſiones iſtæ excerptæ ſunt ex Cyrilli Apologetico, nec non ejuſdem defenſionibus ab impugnationibus Theodoreti.

§. III.

An Concilium Epheſinum, in quo Damnatus fuit Neſtorius, fuerit OEcumenicum?

XXII. NEſtorio cum ſua hæreſi damnato, tum Romæ in Synodo ibi habito e Cæleſtino I. tum Alexandriæ in Synodo a S. Cyrillo poſt acceptas Cæleſtini Litteras coacto; adhuc in Eccleſia Orientali error vigebat: ſpreverat enim omnia hæc Neſtorius, & anathematiſmis Cyrilli alios anathematiſmos opponebat, Theodoſium Imperatorem adverſus Cyrillum commoverat, ac Joannem Antiochenum, cæteroſque amicitia ſibi conjunctos Syriæ Epiſcopos, adverſus Cyrilli Capitula concitaverat.

XXIII. Exiſtimans itaque Theodoſius ad has turbas componendas Generali opus eſſe Concilio; quod & Cyrillus congregari poſtulabat, quod Baſilius, & Archimandritæ, ac Monachi rogabant; de illo in ſequentem annum celebrando

brando apud Cæleſtinum Pontificem egit, & de illius conſenſu, ac auctoritate ad ſequentis anni 431. Pentecoſten Epheſi celebrandum denuntiavit.

XXIV. Ad illud ſtatim poſt Paſchales ferias convolat Neſtorius, magna ſtipatus populi frequentia. Paulo poſt in Pentecoſte adfuit & Cyrillus Cæleſtini juſſu; tum jure ſui Patriarchatus, tum ut Sedis Apoſtolicæ Legatus. Convenerunt 260. Præſules, ſi Mario Mercatori credimus. Interfuiſſet quoque S. Auguſtinus, honorificis Imperatoris Litteris accerſitus; ni iſtæ ipſum jam vita functum inveniſſent. Præfuit ergo Concilio Cyrillus, ut Sedis Apoſtolicæ Legatus ad executionem ſententiæ, latæ contra Neſtorium; donec acceſſerunt Archadius, & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter a Cæleſtino, & Synodo Occidentali miſſi. Tum, ut aliqui eſſent de Occidentali Eccleſia, qui & Romanum Pontificem, & Occidentalem Eccleſiam gererent. Tum quia Theodoſio, Neſtorianorum fraudibus circumvento, ſuſpectus evaſerat Cyrillus.

Candidianum Comitem ad Concilium miſit Imperator; ut ordinem ſervari curaret, ut laicos, & Monachos, qui occaſione Concilii Epheſum confluxerant, ex urbe exire compelleret; ut ſuffragiorum conſuleret libertati, ut nullum, ante abſolutam Synodum, abire ſineret Epiſcopum, nullamque excitari ſineret controverſiam, quæ cauſam fidei non tangeret. Ipſi autem prohibuit, ne ſe quæſtionibus, quæ circa fidei dogmata inciderunt, ullatenus immiſceret. Id patet ex Litteris per ipſumet Candidianum ad Epheſinos Patres miſſis, quæ extant *1. part. Conc. Epheſ. cap. 35.* Inchoatur Synodus in Eccleſia B. Mariæ ſacra die Penteceſtes, 10. Kalendas Julias, anno 431. Theodoſii Junioris 24. Continuatur per ſeptem Actiones, ſeu Seſſiones. De hoc ergo quæritur: An fuerit Œcumenicum?

XXV. Dico. Concilium Epheſinum fuit Œcumenicum. Probo. Ad Concilium Œcumenicum, ſeu Generale multa requiruntur. Primo: ut ad ipſum vocentur omnes ex toto Orbe Epiſcopi. Secundo: ut per legitimam poteſtatem indicetur. Tertio: ut debitum habeat Præſidem. Quarto: ut adſit major Epiſcoporum pars. Quinto: ut ſi præcipua Orbis pars Epiſcoporum non adfuerit; ipſius tamen decretis omnes præbeant ſuum conſenſum. Atqui hæc omnia impleta ſunt in Concilio Epheſino. Ad illud enim primo vocati ſunt omnes Eccleſiarum Epiſcopi: *Omnes undique Epiſcopos* (inquit Socrates, l. 7. hiſt. cap. 34.) *ad Civitatem Epheſiorum* (Theodoſius) *convocavit*. Secundo. Theodoſius illud non convocavit, niſi a Cyrillo rogatus, & Cæleſtino I. annuente, ac volente; qui propterea vices ſuas Cyrillo commiſerat. Tertio. Cyrillus præfuit nomine Sedis Apoſtolicæ. *Vicem noſtram* (ait Cæleſtinus ad Clerum Conſtantinop.) *Sancto fratri meo Cyrillo delegavimus*. Qui Cyrillus, vel toti Concilio, nomine S. Sedis præfuit, ut aliquibus placet: vel ſaltem uſque ad adventum Legatorum, quos, ut ſupra, Cæleſtinus miſit.

Quarto. Supra ducentos ex Oriente Epiſcopi convenere, imo & omnes Occidentales; qui etſi corpore præſentes ſuffragium Epheſi non dederint; a Synodo tamen, quam Romæ habuit Cæleſtinus, per Legatos Pontificios votum ſuum Epheſum miſerunt: *Quia igitur viri ipſi* (ideſt, Occidentales Legati) *totius Occidentis ſententiam huic Synodo per Litteras expoſuerunt, ſenſumque de fide ac pietate nobis conſonum declararunt, & eadem, qua nos, decreverunt &c.* Verba ſunt PP. Epheſinorum in ſua ad Imperatorem relatione, quæ legitur poſt tertiam Concilii Actionem.

XXVI. Sed dices. Antiocheni Patriarchatus Epiſcopi non adfuerunt Concilio, nec in illo acta probarunt: quin potius a Joanne Patriarcha convocati celebrarunt aliud; in quo omnia ab Epheſinis Patribus ſancita reciderunt; ergo defuit quinta ex conditionibus ad Concilium Œcumenicum requiſitis.

XXVII. Reſpondeo, Epiſcopos illos, qui Epheſinæ Synodo intereſſe recuſarunt, fuiſſe numero paucos relate ad ducentos ſexaginta, qui ſive per ſe, ſive per ſuos Legatos adfuere. Illi autem fuerunt vocati, ideoque culpa illorum fuit, quod non adfuerint: ſponte enim (dicunt aliqui) moras trahebant, eo fine, ut tandem lite minime finita, Ephyſini Patres ſepararentur. Quidquid tamen de hoc fuerit, certum eſt, Epiſcopos illos poſtea tandem Concilium Epheſinum probaſſe. Nam inita inter Cyrillum, & Joannem Antiochenum pax fuit. Non enim propter dogma, ſed propter latam in Neſtorii perſonam depoſitionis ſententiam, Joanni Antiocheno inviſus erat Cyrillus. Unde Socrates, lib. 7. hiſtor. cap. 34. *Cyrillum* (inquit) *averſatus eſt* (Joannes) *tamquam totius tumultus auctorem: quippe qui temerario, ac præcipiti impetu ad depoſitionem Neſtorii prorupiſſet*. Deinde narrato, quod Cyrillus in Joannem ulciſci volens, ipſum ab Epiſcopatu depoſuit; & quod Joannes Antiochiam reverſus, convocatis pluribus Epiſcopis, Epiſcopatum Cyrillo abrogavit, ſubjungit: *Sed paulo poſt depoſitis inimicitiis, ad concordiam redeuntes, Epiſcopalem Sedem ſibi mutuo reſtituerunt*.

§. IV.

De Fide Theodori Mopſueſteni, Diodori Tarſenſis, Ibæ, & Theodoreti.

XXVIII. Theodorus patria fuit Antiochenus, S. Joann. Chryſoſtomi condiſcipulus; cujus hortatu cum prius cauſarum patronus fuiſſet, vitam cælibem, & monaſticam amplexus eſt. In Sacrarum Litterarum ſcientia famam ſingularem comparavit, qua de re ad Eccleſiam Mopſueſtenam evectus eſt. Aliquarum hæreſum, Arianæ ſcilicet, ac Apollinariæ fuit impugnator acerrimus: ſed dum nimium luxuriatur ingenio, Pelagianam, & Neſtorianam hæreſim præformavit; imo Neſtorium dicitur habuiſſe diſcipulum.

XXIX. Diodorus genere nobilis, & Archimandrita Antiochenus, a Meletio Patriarcha Antiocheno, ob ſuam pietatem, ac eruditionem Tarſenſis Epiſcopus conſtitutus eſt. Nihilominus Neſtoriano errori nimium detuliſſe deprehenſus fuit.

XXX. Ibas Nationes Syrus, Edeſſenus Epiſcopus fuit. Plures annos in Epiſcopatu tranſegerat, cum Neſtorianiſmi accuſatus fuit: a quo licet purgare ſe conatus fuiſſet, pluries tamen carcerem ſubire, ac deliteſcere coactus fuit. Ejus tamen Epiſtola ad Marin Perſam, in qua de laudibus Theodori Mopſueſteni multa dicit, malam de ejus fide auget ſuſpicionem.

XXXI. Theodoretus, ſeu Theodoritus natione Syrus, patria Antiochenus, Cyri Epiſcopatum aſſecutus fuit. Vir quidem aliarum hæreſum extirpator, ſed Neſtorii nimium amicus, eum contra Cyrillum, alioſque ejus erroris impugnatores defendit: adeo ut eodem fuligine ipſe tinctus fuerit judicatus. Adeo enim tenaciter perſonæ Neſtorii adhæſit; ut etiam inita inter Sanct. Cyrillum, & Orientales pace, a Neſtorii partibus, & amicitia non tam cito divulſus ſit: & quamvis nefaria ejus dogmata damnaret, ejus tamen nomini ambiguis ſenſibus parcere volebat. De horum ergo fide quærimus.

XXXII. Dico Diodori Tarſenſis, Theodori Mopſueſteni, & Ibæ fides fuit impia. Et quidem Diodori fidem fuiſſe impiam, conſtat ex ejus *l. 1.* contra Synuſiaſtas, ſeu contra Appollinariſtas; ubi inter alia docet: *Ne Filius Mariæ putetur Verbum ... duas generationes Deus Verbum non ſuſtinet: unam ante ſecula, alteram poſterioribus temporibus.* — Non latet, plures Patres laudaſſe Diodorum, & amicitia Athanaſii, Baſilii, & Epiphanii uſum fuiſſe — Sed laudatus eſt Diodorus, ob integram ejus de Trinitate fidem, quam ſtrenue contra Arianos tutatus eſt. Ejus vero doctrinam de Incarnatione Patres illi non attenderant; quia priuſquam hæ quæſtiones agitarentur, putaverunt hæc ab eo innocenter dicta, cum nec ea publice prædicaret, nec pertinaciter ſuſtineret. Unde Synodus Œcumenica ſecunda Diodorum inter Catholicos Epiſcopos recenſet. Cæterum Diodori doctrinam de Incarnatione fuiſſe impiam, conſtat: tum ex lege Imperiali Theodoſii, quæ extat, *Collat. 5.* Concilii Conſtant. II. his verbis: *Iterum igitur doctrina Diodori, & Theodori, & Neſtorii impiorum & peſtiferorum viſa eſt nobis abominanda eſſe*. Et alia lege ibi relata jubentur omnes, qui libros Neſtorii, aut Diodori, & Theodori habent, ut *Illos publice proferant, & in conſpectu omnium igni tradant*. Idem colligitur ex Epiſtol. S. Cyrilli ad Acacium, quæ extat ibidem.

Contra Theodori Mopſueſteni doctrinam ſtat Epiſt. Juſtiniani Imper. relata eodem *Concil. Conſtant. II. Collatione 1.* & *Collatione 8.* in qua Theodoro, & Ibæ dictum fuit anathema, ſicut ipſi Theodorito. Et *Collat. 4.* Refertur Theodorus dicens: *Si quis velit abuſive Filium Dei Deum Verbum Filium Davidi nominare, propter Dei Verbi templum, quod ex David eſt, nominet, & illum, qui eſt ex ſemine David Filium, Dei gratia, non natura appellet*. Quæ certe Neſtorianum ſpirant errorem.

Ibæ pariter in ſua Epiſt. doctrinam ut impiam, præfata Synodus, *Collat. 6.* deteſtata eſt. In ea enim dicitur: *Quomodo poſſibile eſt accipi Deum Verbum, qui ab initio eſt pro templo ex Maria nato?*

Theodoriti autem ſcripta, tamquam Neſtorio nimis faventia, ejuſque doctrinam redolentia, in quinta Synodo Œcumenica damnata fuerunt.

XXXIII. Verum, quoad Theodorum, Ibam, & Theodoretum notandum: quod cum in Concilio Chalcedonenſi, ejurato prius Neſtorio, ejuſque hæreſi, admiſſi fuiſſent Theodorus, Ibas, & Theodoretus; eorum tamen ſcripta damnata non fuiſſent: hinc factum eſt, ut illa a multis probarentur, ab aliis vero ut impia, & Neſtoriana rejicerentur. Ex qua contentione Neſtorianus reviviſcere cœperat error. Nam cum duo ſaltem ex illis, Theodoretus, & Ibas, fuiſſent in Concilio Chalcedonenſi recepti; & eorum ſcripta Neſtorianam doctrinam continentia non fuiſſent damnata: perperam ab Epheſino damnatum Neſtorium cum ſua doctrina aſſerebant. Hinc celebris quæſtio *Trium Capitulorum*, apud Hiſtoricos notiſſima, orta eſt. Quorum primum erat de Theodori Mopſueſteni libris: ſecundum de Theodoreti in Cyrillum Anathematiſmis: & tertium de Ibæ ad Marin Perſan Epiſtola. Centum fere annis viguit hæc controverſia: Juſtinianus Imperator ſolemni edicto dicta tria

Capi-

Capitula prior damnavit. Sed quia in hoc limites ſuæ auctoritatis tranſgreſſus erat, illi obſtitit Vigilius Papa. Tandem ad hanc litem dirimendam convocatum eſt Concilium Conſtantipolitanum II. anno 553. quod fuit Generale V. cui 165. Epiſcopi interfuere.

XXXIV. In hoc Theodorum, ejuſque ſcripta, *Gollat.* 8. *cap.* 12. Patres damnaverunt his verbis: *Si quis defendit prædictum impium Theodorum, & impia ejus conſcripta .... talis anathema ſit.* Cap. 13. Theodoreti ſcripta contra Cyrillum damnata ſunt, his verbis: *Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam Sanctam Synodum, & Sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula expoſuit ... talis anathema ſit.* Cap. autem 14. Epiſtola Ibæ ad Marin Perſan proſcribitur, ſic: *Si quis defendit Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marin Perſam hæreticum ſcripſiſſe .... & non anathematizat eam ... talis anathema ſit.* Quibus contentio de tribus Capitulis finita fuit.

XXXV. Adverte tamen (quod ex ipſis condemnationis verbis apparet) diſcrimen inter damnationem Theodori, & damnationem Theodoreti, & Ibæ. Primi enim tam perſona, quam ſcripta damnantur: Theodoreti autem, & Ibæ proſcribuntur quidem ſcripta; ſed perſonis, quæ in Concilio Chalcedonenſi ſuſceptæ fuerant, nulla inuritur nota.

XXXVI. Dices. Quomodo potuit Synodus iſta juſte anathematizare perſonam Theodori jam mortui, & extra Eccleſiæ forum poſiti, ab ejuſque juriſdictione exempti?

Reſpondeo, non poſſe quidem Eccleſiam excommunicare eos, qui in pace Eccleſiæ defuncti ſunt; & dum viverent, non meruerunt ab Eccleſia ſegregari; eos tamen, qui dum viverent, propter hæreſim, & Schiſma, vel alia atrociſſima crimina id meruerunt, poſſe ab Eccleſia excommunicatos declarari. Quia licet ſpecie tenus in pace Eccleſiæ defuncti ſint; fide tamen & animo ab ea divulſi revera objerunt: hoc enim Eccleſiam poſſe, validis argumentis in præfata S. Synodo, Collatione 5. probatum eſt. Et hoc ad exemplum perduellionis reorum, quorum memoria poſt mortem damnatur, & bona addicuntur fiſco; licet omnia crimina morte extinguantur, ut ex Papiniano obſervat Petrus de Marca, in Diſſert. de Vigilii Decreto pro V. Synodi confirmatione. De hoc fuſe Natalis Alexander *Hiſt. Eccl. Saculi* 4. *Diſſert.* 4.

§. V.

De Fide Joannis Antiocheni, & Orientalium.

XXXVII. Dico. Joannes Antiochenus, & cæteri Orientales, quamvis Neſtorianæ hæreſis vehementer ſuſpecti fuerint: Neſtorii tamen duntaxat perſonæ, non cauſæ, aut errori faverunt. Priorem hujus Aſſerti partem oſtendit nimius ardor, quo Jo: Antiochenus, eique adhærentes Orientales Neſtorii partes tutati ſunt: quod vel ipſos Epheſinos Patres in ſuſpicionem traxit, Joannem, & alios cum eo fœderatos in eodem, quo Neſtorius, errore eſſe. Ita habetur in Relatione Concilii Epheſini ad Imperatorem, per Palladium Magiſtranum miſſa. Ubi inter alia ſcribunt Patres: *Erat autem hæc noſtra de Joanne Epiſcopo religioſiſſimo ſuſpicio non inanis, nec vana. Nam cum primum appuliſſet, Neſtorii ſententiæ ſeſe adhærere, aperte Sanctæ Synodo declaravit: ſive hoc inde evenerit, quod amicitiæ gratificaretur: ſive inde, quod in dogmatis errore cum eo communicaret.* Idem repetunt *in Epiſt. Synodica ad Clerum Conſtantinopolitanum.* Ubi dicunt, ſe Joannem cum aliis anathematizaſſe: *Primo quidem, quod impietatis præconem Neſtorium una nobiſcum deponere noluerint; ſed & familiariter cum illo verſari, iidemque ſemper patrocinari perrexerint. Deinde, quod iniquiſſimum, & a Canonibus alienum, contumeliæ, & calumniæ conatum in prædictos ſanctiſſimos Epiſcopos piis Chriſti amantium Imperatorum auribus imponere non dubitarunt. Poſtremo, quod cum Neſtorio ſentire nequaquam ceſſent.* Quam ſuſpicionem augebant voces ambiguæ, & ſuſpectæ, quibus fidem ſuam ante initam pacem exponebant; & quibus cum Neſtorio potius, quam cum Catholicis loqui videbantur.

XXXVIII. Secundam vero partem oſtendit ejuſdem Joannis Epiſtola ad Neſtorium, quæ extat 1. *p. Concil. Epheſini, cap.* 25. cujus meminit Liberatus in Breviario, *cap.* 4. Ex ea enim apparet, Joannem fuiſſe quidem Neſtorio amiciſſimum, eique faviſſe, recte de ejus perſona ſenſiſſe; ſed exiſtimaſſe, tumultus illos ob ſolam vocem *Deipara*, quam nolebat Neſtorius admittere, excitatos, ut a quibuſdam Neſtorii Studioſis audierat, poſſe a Neſtorio ſedari libera ejus vocis pronuntiatione. Quapropter eum ad hoc adhortatur, & rogat: *Etenim* (inquit) *ſi id, quod neminis ſignificatione offertur, non recipimus, reſtat, ut in graviſſimum errorem prolabamur: imo vero, ut circa inexplicabilem illam Unigeniti Filii Dei œconomiam periculoſiſſime verſemur. Quandoquidem nomine hoc ſublato, vel potius hujus nominis notione repudiata, ſequitur mox illum non eſſe Deum.* Porro qui ita ad Neſtorium loquitur, ejus errorem non ſuſcibit, ſed deteſtatur.

Conſtat etiam ex iis, quæ Paulus Emiſſenus Epiſcopus, a Joanne, & Orientalibus Alexandriam miſſus, ad pacem cum Cyrillo conciliandam, pro concione recitavit in magna illius urbis Eccleſia, in die Natali Domini; Cyrillo ipſo præſente, ac magna populi multitudine; In qua Mariam vocat Dei Genitricem, & qui hoc non dicit, intelligit, aut ſentit, anathemate damnat; fatetur, duarum naturarum concurſu unum Filium, unum Chriſtum conſtitui, damnans qui diceret duos Filios his verbis: *Non igitur duos Filios aſſerimus, neque merum hominem Emmanuelem, qui ex Deipara Virgine natus eſt: neque gratiam veluti Prophetam, aut juſtum aliquem plus alii conſecutum. In ipſo enim complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter, hoc eſt, veluti in proprio corpore. Si quidem corpus noſtrum ſibi proprium fecit.* Quæ audiens populus Alexandrinus piis applauſibus exclamavit: *Ecce fides hæc eſt, Dei hoc donum eſt, orthodoxe Cyrille: iſtud audire quærebamus. Qui ita non loquitur, anathema ſit.* Habentur hæc 3. *p. Conc. Epheſini cap.* 31.

XXXIX. Accedit auctoritas Sixti III. Roman. Pontif. in Epiſt. ad Sanctum Cyrillum, in qua evidenter aſſerit, Joannem Antiochenum Neſtorii dogmatibus numquam adhæſiſſe, his inter alia verbis: *Non ſe Exuli veſtro* (Neſtorio ſcilicet) *ſanctus frater noſter Joannes addiderat, non ejus eſt blaſphema prædicatione deceptus: nam, quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſententiam ſuam, non negavit.* Idemque dicit Leontius, *lib. de Sectis, Act.* 4. ubi de Joanne Antiocheno ſcribit: *Cyrillum quidem oppugnabat, invicemque ſe anathemati ſubjiciebant; non tamen Neſtorium admittebat.* Ex quibus arguere licet: quod ſi aliquando S. Cyrillus Joannem ſentire, ac confiteri cum Neſtorio ſcripſit, hoc dixit deceptus errore facti. Cum enim eum videret Neſtorio ardenter favere; putavit, eum favere non ſolum perſonæ ſed etiam dogmati. Quem errorem, diſcuſſis contentionum nebulis, poſtea emendavit; ut conſtat ex ipſius S. Cyrilli Epiſt. ad Valerianum Iconii Epiſcopum, quæ legitur 3. *p. Concil. Epheſ. c.* 40.

XL. Sed dices; Joannes, & Orientales cum eo fœderati Capitula S. Cyrilli Neſtorianis erroribus directe oppoſita, immo & ſanctam Epheſinam Synodum expreſſe impugnarunt; ergo Neſtoriana dogmata vere propugnabant, ergo erant hæretici.

Reſpondeo, neg. conſ. Id enim non fecerunt errore juris, aut odio fidei Catholicæ, ſed mero errore facti; nec quia errorem Neſtorii tuerentur: ſed quia falſo putabant, Cyrilli Capitula in extremum errorem vergere, & Apollinaris errorem inducere. Epheſinam vero Synodum non cenſebant Œcumenicam, quæ ipſis abſentibus celebrata eſſet; & quæ, ut putabant, non ſatis diſcuſſa cauſa, Neſtorium damnaſſet. De hoc abunde Facundus Hermianenſis; *lib. 6. & 7. de Concilio Chulcedonenſi.*

DUBIUM IV.

De Communicatione Idiomatum in Chriſto.

§. I.

Prænotantur aliqua.

I. SEnſus dubii eſt: An ex unione hypoſtatica reſultet communicatio idiomatum in Chriſto; per quam, quæ dicuntur de homine, dicantur de Deo; & quæ dicuntur de Deo, dicantur de homine. Pro quo noto: *Idioma* græce idem ſignificare, ac latine *Proprietas*, ſeu *proprium*. Unde communicatio idiomatum idem eſt, ac communicatio proprietatum: ita ut quæ unius naturæ ſunt propria, dicantur de altera propter unionem, quam habent in ſuppoſito, ſeu perſona.

II. Dupliciter autem ex Sancto Thoma, 3. *part. qu.* 16. *art.* 5. poteſt intelligi, quod proprietates, ſeu idiomata unius naturæ dicantur de altera. Uno modo, ut una natura cum ſuis proprietatibus in abſtracto dicatur de altera, ſumpta ſimiliter in abſtracto: alio modo, ut una natura in concreto cum ſuis proprietatibus dicatur de altera in concreto.

III. Eutichiani, qui (at infra) volebant, ex duabus naturis factam fuiſſe in Incarnatione unam naturam, conſequenter dixerunt, poſt unionem dari communicationem idiomatum; qua natura divina, & humana, earumque proprietates mutuo prædicantur in abſtracto; ita ut vere dicatur: natura divina eſt natura humana, & natura divina paſſa eſt, crucifixa, mortua, & ſepulta. Contra hunc errorem fide certum eſt, non dari communicationem idiomatum, qua natura divina, & humana earumque proprietates poſſint mutuo prædicari in abſtracto. Et ratio eſt, inquit S. Thom. citatus. Quia *Ea, quæ ſunt propria unius, non poſſunt vere de alio prædicari, niſi de eo, quod eſt idem illi; ſicut riſibile non convenit, niſi ei, quod eſt homo. In Myſterio autem Incarnationis non eſt eadem natura divina, & humana: ſed eadem eſt hypoſtaſis utriuſque naturæ: & ideo ea, quæ ſunt propria unius naturæ, non poſſunt de alia prædicari, ſecundum quod in abſtracto ſignificantur.*

IV. Quæritur ergo: An natura divina, & humana, earumque proprietates poſſint mutuo prædicari in concreto, dicendo: *Deus eſt homo, homo eſt Deus: Deus eſt natus, paſſus &c.*

Et quidem certum eſt, quod ſi *Deus* ſupponat pro Patre, vel pro Spiritu Sancto, non poteſt dici: *Deus eſt homo, homo eſt Deus &c.* Senſus enim eſſet: *Deus Pater eſt homo,*

homo, Deus Spiritus Sanctus est homo. Quod est falsum: cum nec Pater sit factus homo, nec Spiritus Sanctus. Quæritur ergo solum: An si *Deus* supponat determinate pro Deo Filio, vel determinate pro una divinarum personarum, dici possit: *Deus est homo, homo est Deus; Deus Filius est passus, aliqua persona divina est homo &c.*

V. Manichæi, & alii, qui, ut supra, asseruerunt, Filium Dei assumpsisse naturam humanam, non veram, sed phantasticam, & apparentem, dixerunt, quod dum dicitur: *Deus est homo*, ly *Deus* sumitur proprie: ly vero *homo* sumitur improprie pro homine solum apparente, & phantastico; & consequenter dum dicitur: *Deus est natus, passus &c.* ly *natus, passus* sumitur improprie, & solum phantastice.

Photiniani vero, aliique, qui Christum purum hominem, & Deum solum per participationem posuerunt, in eo sensu, quo homine justi, *Ps.* 81. dicuntur Dii; asseruerunt, quod, dum dicitur: *Deus est homo, homo est Deus*, ly *Deus* sumitur improprie; non pro Deo vero, & per essentiam tali, sed pro Deo per participationem.

VI. Nestoriani autem, ut vidimus, & refert etiam S. Th. 3. p. q. 16. art. 4. *Voces, quæ dicuntur de Christo, dividere volebant hoc modo; ut ea, quæ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo; nec ea, quæ pertinent ad divinam naturam, dicerentur de homine. Unde Nestorius dixit:* Si quis Dei Verbo tentat passiones tribuere, anathema sit. *Si qua vero nomina sunt, quæ pertinere possunt ad utramque naturam: de talibus prædicabant ea, quæ sunt utriusque natura, sicut hoc nomen* Christus, *vel* Dominus; *unde concedebant, Christum esse natum de Virgine, & fuisse ab æterno; non tamen dicebant, vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse.* Quare Nestorius, in Ep. ad Cyrillum. *Rectum* (inquit) *& Evangelicæ Traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse fateamur.... Verum propter illud communicationis nomen nativitatem, passionem, mortem, cæteraque carnis proprietates divino Verbo adscribere, id demum mentis est Æthnicorum more errantis: aut certe insani Apollinarii, & Arii, aliorumque hæreticorum morbo, aut etiam alio graviori laborantis.* Quod si aliquando visus est Nestorius hujusmodi prædicationes admisisse; in sensu abusivo eas accipiebat. Nempe, Deum esse hominem, ly *est* non significante identitatem hypostasis; sed conjunctionem moralem, qua Deus sit in homine per inhabitationem, gratiam, & amicitiam, quomodo dicitur: *Amicus est alter ego.*

Catholici vero omnes semper communicationem idiomatum in Christo admiserunt; ut ea, quæ dicuntur de Deo, dicantur etiam de Christo: & quæ dicuntur de Christo, dicantur de Deo, in concreto tamen, non in abstracto, Cum quibus sit,

§. II.

Catholica Veritas.

VII. Dico primo. In Christo admitti debet vera, & realis idiomatum communicatio: unde hæ propositiones sunt veræ, & propriæ: *Deus est homo, homo est Deus*, non solum veritate terminorum, sed veritate prædicationis. Ita S. Th. 3. *p. q. 16. art.* 1. & 2. Prob. primo. Nam ex dictis Idiomatum communicatio est mutua attributio proprietatum, quæ duabus naturis secum invicem in una hypostasi conjunctis conveniunt: atqui hoc inter naturam divinam, & humanam in Christo contigit; quod prob. Primo, ex Scriptura, quæ Deo sanguinem tribuit, qui tamen soli humanitati convenit. Actor. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* 1. Joan. 3. v. 16. Anima, quæ nonnisi humanitati convenit, adscribitur ipso Deo: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille* (Deus) *animam suam pro nobis posuit.* Homini pariter adscribit ea, quæ soliùs Dei sunt propria. Descensus enim de Cælis, & existentia in Cælis dum Christus in terris ageret; Deo propria sunt: utrumque tamen hominis Filio tribuitur, *Joann. 3. v. 13.* dicente Christo: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis, qui est in Cælo.* Æternitas quoque homini tribuitur. Nam, *Joann. 8. vers. 58.* inquit Christus: *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

VIII. Secundo, ex Traditione. Symbolum Nicænum Verbo tribuit nativitatem ex Virgine, passionem, mortem, & alia, quæ humanitatis propria sunt. Unde S. Cyrillus, in *Epist. 2. ad Nestorium*, ait: *Sacra namque, & magna illa Synodus tradit, ipsum Unigenitum Dei Filium naturaliter ex Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem Pater omnia condidit, descendisse, incarnatum, & hominem factum, passum esse, tertia die resurrexisse, & ad Cælos ascendisse.* Et in suis adversus Nestorium Anathematismi totus est in statuenda hac, de qua agimus, idiomatum communicatione. Unde, Anathemat. 4. *Si quis* (inquit) *duabus personis, vel subsistentiis secernat eas voces, quæ tam in Evangelicis, quam apostolicis Litteris continentur, vel etiam eas, quæ de Christo a Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de seipso: & aliquas quidem ex his tamquam homini præter Dei Verbum specialiter intelligat, applicandas crediderit; aliquas vero tamquam Deo dignas soli Verbo Dei Patris deputaverit, anathema sit.*

IX. Tertio, ratione D. Thomæ citato loco, *art.* 1. sic: *De quolibet supposito alicujus naturæ potest vere, & proprie prædicari nomen significans illam naturam in concreto: sicut de Socrate, & Platone proprie, & vere prædicatur homo: sed persona Filii Dei, pro qua supponit hoc nomen Deus, est suppositum naturæ humanæ; ergo vere, & proprie hoc nomen homo potest prædicari de hoc nomine Deus, secundum quod supponit pro persona Filii Dei*; ergo vere, & proprie dicitur: *Deus est homo.*

Quod etiam vere, & proprie dici possit: *Homo est Deus*, probo ratione ejusdem ibi, art. 2. *Hoc enim nomen homo potest supponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ*; ergo *potest supponere pro persona Filii Dei, quam dicimus esse hypostasim humanæ naturæ:* Atqui *de persona Filii Dei vere, & proprie prædicatur hoc nomen Deus:* ergo *relinquitur, quod hæc sit vera, & propria:* Homo est Deus.

X. Confirmantur hæc. Quia lac est suppositum, ac subjectum, in quo simul sunt albedo, & dulcedo; non solum potest dici: *Lac est album, lac est dulce:* sed etiam dici potest: *Album est dulce, dulce est album*: ergo quia Filius Dei est suppositum, in quo simul est natura divina, & humana, non solum potest dici: *Filius Dei est Deus, Filius Dei est homo;* sed etiam potest dici: *Deus est homo, homo est Deus.* Et ratio est. Quia sicut hac propositione: *Album est dulce*, significo, idem esse subjectum, aut suppositum habens albedinem, & dulcedinem: ita dum dico: *Deus est homo*, significo, idem esse suppositum habens deitatem, & humanitatem.

XI. Ex dictis colligo, quod non solum dici potest: *Homo est Deus, Deus est homo*; sed etiam quæ dicuntur de Deo Filio, possunt dici de homine Christo. Et sic communicantur idiomata, seu proprietates; & quæ dicuntur de Deo, communicantur & homini, & e converso: quod, ut supra dictum est, negabat Nestorius, Et probatur. Nam, ut propositio affirmativa sit vera, debent prædicatum, & subjectum supponere pro eodem supposito: sed dum ea, quæ sunt Dei, dicuntur de homine Christo, puta, cum dicitur: *Christus fuit ab æterno, natus ex Patre ante omnia sæcula, Verbum est Patris &c.* Et dum ea, quæ sunt Christi hominis dicuntur de Deo, puta, cum dicitur: *Deus natus est ex Virgine, Deus est passus, mortuus &c.* subjectum, & prædicatum stant pro eodem supposito, seu persona Verbi, vel Filii Dei: quia in præfatis primis propositionibus sit sensus, quod suppositum humanitatis Christi fuit ab æterno, natum ante omnia sæcula, Verbum est Patris: in secundis autem sit sensus, quod suppositum deitatis est etiam homo, qui est natus de Virgine, passus, mortuus &c. ergo &c.

XII. Confirm. Eo ipso; quod potest dici: *Album est dulce*, ea, quæ dicuntur de albo, dici possunt de dulci, & e contra. Et sicut dicitur: *Album disgregat visum;* sic potest dici: *Dulce disgregat visum.* Et sicut dicitur: *Dulce delectat gustum;* sic potest dici: *Album delectat gustum.* Quia fit sensus, quod subjectum, quod est album, sit etiam dulce, & sic delectet gustum; & subjectum, quod est dulce, sit etiam album, & sic disgreget visum; ergo a pari &c.

XIII. Sed dices primo. Omnis propositio affirmativa in materia remota est falsa, ut ista: *Homo est equus*, sed istæ propositiones: *Deus est homo, mortalis &c. Homo est Deus, ab æterno &c.* sunt in materia remota, quia formæ significatæ per subjectum sunt maxime distantes; ergo &c.

Dices secundo. Magis conveniunt tres personæ divinæ invicem, quam humana natura, & divina: sed una persona divina non prædicatur de alia: non enim dicitur: *Pater est filius*: vel e contra: *Pater est genitus, Filius generat;* ergo &c.

Dices tertio, Sicut corpus, & anima sunt unus homo, ita Deus, & homo est unus Christus: sed dici nequit: *Anima est corpus*, vel e contra; ergo neque dici potest: *Deus est homo*, vel e converso.

Dices quarto. Omne absolutum, quod dicitur de Deo, dicitur de tota Trinitate; ergo si *Homo*, quod est quid absolutum, dicitur de Deo, dici debet de tota Trinitate: &, sic quod Pater sit homo, sit natus, passus &c. quod est falsum.

XVI. Respondeo ad singula. Ad primum, nego min. cum S. Th. 3. *p. q.* 1. *ad* 1. Esto enim quando formæ diversæ non possunt convenire in unum suppositum, tunc oportet, ut propositio affirmativa sit in materia remota, & falsa, ut in dicta: *Homo est equus*: quando tamen duæ formæ convenire possunt in unum suppositum, non est materia remota, sed vel contingens; ut cum dico: *Musicus est albus*; vel etiam naturalis, si prædicatum dicatur de subjecto, vel supposito non sicut accidens, sed per se, sicut species de sua hypostasi. Cum ergo natura divina, & humana licet maxime distantes; tamen per Incarnationem conveniant in unum suppositum Filii Dei, cui neutra illarum inest per accidens, sed utraque per se; ideo hæc propositio: *Deus est homo*, neque est in materia remota, nec contingenti, sed naturali, sicut ista: *Socrates est homo.*

XV. Ad secundum dicit S. Th. citatus (*ad* 2.) *Quod tres personæ divinæ conveniunt in natura, distinguuntur tamen in supposito; & ideo non prædicantur de invicem. In Mysterio autem Incarnationis naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de invicem non prædicantur in abstracto (non enim natura divina est humana) sed quia conveniunt in supposito, prædicantur de se invicem in concreto.* Sed de hoc infra.

XVI.

XVI. Ad tertium respondet eodem modo S. Thom. ibi, ad 3. *Quod anima, & caro significatur; ut in abstracto, sicut divinitas, & humanitas; in concreto vero dicuntur animatum, & carnem, seu corporeum, sicut ex alia parte Deus, & homo. Unde utrobique abstractum non prædicatur de abstracto, sed solum concretum de concreto.* Et sicut dicitur: *Corporeum est animatum, animatum est corporeum*; sic dicitur: *Deus est homo, homo est Deus.*

XVIII. Ad quartum dico, quod hoc nomen *Homo* prædicatur de Deo ratione unionis in persona, quæ includit relativum, & proprium: & ideo non sequitur regulam eorum nominum, quæ absolute de Deo prædicantur.

XVIII. Hactenus contra Nestorianos egimus, communicationem idiomatum in Christo vi hypostaticæ unionis negantes. Modo agendum est contra Lutheranos ad extremum errorem declinantes. Dicunt enim, in eo positam esse communicationem idiomatum: quod proprietates unius naturæ communicentur alteri naturæ, non tantum in concreto considerate, sed etiam in abstracto. Hincque concludunt, non solum hanc propositionem, quæ dicit formam, & subjectum simul: *Christus est ubique*, sed etiam hanc aliam, quæ dicit formam abstractam a subjecto. *Humanitas Christi est ubique*, vera esse. Et ratio eorum est. Quia immensitas, quæ est attributum divinum ratione unionis hypostaticæ communicatur humanitati. Ob id Lutherani, qui ita sentiunt, *Ubiquistæ*, aut *Ubiquetarii* vulgo appellati sunt. Catholici vero omnes sentiunt, attributa unius naturæ in Christo non communicari alteri in abstracto; hoc est, sine persona, in qua subsistit, consideratæ. Unde concludunt, immensitatem prædicari non posse de humanitate in abstracto considerata; ac proinde Christi humanitatem non esse ubique. Quare

XIX. Dico secundo. Vi unionis hypostatice attributa divinitatis communicantur quidem humanitati in concreto acceptæ, idest, ut dicit suppositum divinum: non tamen communicantur ei in abstracto sumptæ: Unde esto dici possit: *Christus est omnipotens, immensus, ubique*; non tamen dici potest. *Humanitas Christi est omnipotens, immensa, existens ubique.* Ita S. Thom. 3. p. q. 16. a. 5.

Et quidem prior pars probatur ex eodem. Nomina enim concreta stant, & supponunt pro hypostasi, in quam conveniunt duæ illæ naturæ, divina, & humana natura; ergo cum communicatio idiomatum fiat propter convenientiam duarum naturarum in unam hypostasim; ea quæ sunt propria unius naturæ, possunt indifferenter de alter prædicari, prout nomine concreto significantur. Et ideo possunt dici de homine ea, quæ sunt divinæ naturæ, tamquam de hypostasi divinæ naturæ; & de eo possunt dici ea, quæ sunt propria humanæ naturæ, tamquam de hypostasi humanæ naturæ.

XX. Hinc quidquid dicitur de Deo, de Verbo autem, vel essentialiter, vel personaliter, simpliciter potest in concreto prædicari de hoc homine, idest Christo. Et propterea verum est dicere: *Hic homo est æternus, omnipotens, immensus, Filius Dei naturalis &c.* Nam hic homo Christus est vere Deus, Verbum Dei; ergo revera illi conveniunt attributa Dei absoluta, & personalia, non vero personalia propria aliarum personarum; quia hic homo Christus neque est Pater, neque Spiritus Sanctus. Eadem ratione quidquid essentialiter dicitur de homine, vel absolute de hoc homine Christo, prædicari potest de Deo, & Dei Filio: quia Deus, & Dei Filius per Incarnationem est verus homo, & proinde verus est sermo: *Deus Dei Filius est animal rationale, natus de Virgine, mortuus &c.*

XXI. Quamvis tamen ea, quæ prædicantur de Christo, non distinguantur quantum ad id, de quo prædicantur, nempe, quantum ad suppositum; distinguuntur tamen quantum ad id, secundum quod prædicantur. Nam ea, quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur de Christo, secundum divinam naturam: ea autem, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo, secundum humanam naturam, ait S. Th. q. 16. citata, *art.* 4. Unde licet dici possit: Christus est immensus, non tamen dici potest: Christus, secundum quod homo, est immensus. Et licet dici possit Christus, vel Deus est passus; dici tamen non potest: Christus, quatenus Deus, est passus.

XXII. Secunda vero pars, nempe, attribuat unius naturæ non posse prædicari de altera in abstracto sumpta, probatur primo a S. Thom. citato, *art.* 5. Nam ea, quæ sunt propria unius, non possunt vere de alio prædicari, nisi de eo, quod est idem illi; sicut risibile non potest convenire, nisi ei, quod est homo: sed licet in Christo eadem sit hypostasis utriusque naturæ, non tamen est eadem natura divina, & humana; ergo ea, quæ sunt unius naturæ, non possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significatur: unde non potest dici: Humanitas Christi est æterna, omnipotens, immensa &c. Quare Damascenus, *lib. 3. fidei Orth. cap.* 4. ait: *Deitatem quidem dicemus, non nominamus de ea, quæ humanitatis idiomata sunt* (idest proprietates) *Non enim dicimus deitatem passibilem, vel creabilem. Nec rursus carni, sive humanitati ea tribuimus, quæ deitati proprie conveniunt: neque enim carnem, sive humanitatem increatam dicimus. At vero cum de persona sermo est, sive ab utraque parte simul, sive ab altera tantum eam appellemus, uriusque naturæ proprietates ipsi imponimus.*

XXIII. Ex his sequitur, vi unionis hypostaticæ non communicari humanitati in abstracto consideratæ immensitatem, neque vi unionis sequi, eam esse ubique, ut Lutherani *Ubiquistæ* contendunt. Contrarium enim ostendit Scriptura. Tum *Joan. 11. v.* 14. ubi Christus ait: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi: sed eamus ad eum.* Joann. 6. vers. 24. *Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non erat ibi.* Et Matth. ultimo, vers. 6. *Non est hic, surrexit enim.*

Neque dicant Adversarii, sensum præfatorum textuum esse, Christum ibi non fuisse modo sensibili, ac visibili; cum tamen modo invisibili humanitas ejus ibi, imo & ubique, esset. —— Nam cum substantia aliqua est alicubi aliquo modo reali; sive modus ille sit sensibilis, sive insensibilis, absolute, ac sine restrictione dici non potest, quod ibi non sit. Alioquin cum tam corpus Christi in Eucharistia, quam Deus in toto mundo sint modo invisibili, ac insensibili; dicere absolute possemus, corpus Christi non esse in Eucharistia, & Deum non esse ubique.

XXIV. Confirmatur insuper iis Scripturæ locis, quæ immensitatem Deo tribuunt, tamquam characterem, quo a creaturis secernitur. Jeremiæ 23. v. 24. *Numquid non Cælum, & terram ego impleo?* Et Psalm. 138. v. 7. *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in Cælum, tu illic es &c.* Unde S. Augustinus, *l.* 2. (alias 3.) *contra Maximinum Arianum, capit.* 21. probat, Spiritum Sanctum esse Deum, eo quod Scripturæ fidem faciant, eum esse ubique.

Frustra autem declinare contendunt dicendo, immensitatem quidem essentialem esse propriam Dei, non vero eam, quæ participata sit; qualem asserunt convenire humanitati Christi ex unione ad Verbum —— Nam in hac suppositione corrueret argumentum, quo Augustinus, & Patres adversus Macedonianos, & Arianos probant, Spiritum Sanctum esse Deum, quia est immensus, & ubique. Nam hæretici illi respondere potuissent, habere quidem immensitatem, non tamen essentialem, sed participatam. Dicendum ergo est cum S. Th. 3. p. q. 16. art. 5. ad 3. *Quod ea, quæ sunt divina naturæ, dicuntur de humana natura, non secundum quod essentialiter competunt divinæ naturæ; sed secundum quod participative derivantur ad humanam naturam. Unde ea, quæ participari non possunt a natura humana (sicut esse increatum, aut omnipotentem) nullo modo de humana natura dicuntur.* Idem dic de immensitate.

XXV. Hoc idem prædicat Traditio. Nam articuli positi in Symbolo de conceptione, egressu ex utero, sepultura, descensu ad inferos, resurrectione, ascensu in Cælum, evidenter supponunt, humanitatem Christi aliquando fuisse in utero, & non extra, aliquando extra uterum, & non intra: aliquando in terris, & non in Cælis, in sepulcro, & extra &c. Hinc August. *Ep.* 57. modo 187. *ad Dardanum*, qui ex quo Christus Latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, existimabat, quod sicut Deus est ubique, ita homo ille Deo unitus esset ubique; respondet, c. 3. *Recte dici potuit*: Hodie mecum eris in Paradiso, *cum juxta humanam humilitatem, per carnem in sepulcro, per animam in inferno illo die futurus esset; juxta divinam vero immutabilitatem, nunquam de paradiso, quia ubique est semper, recessisset.* Et infra, *Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus. Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur, & sumus: nec tamen, sicut ille, ubique sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam, & singulari modo. Una enim persona Deus, & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus. Ubique per id, quod Deus est: in Cælo autem per id, quod est homo.*

XXVI. Quibus evertitur præcipuum Ubiquistarum fundamentum dicentium. Quod quando duæ res sunt sibi invicem inseparabili nexu conjunctæ, ubi est una, ibi debet esse & altera: atqui persona Verbi, quæ unita est inseparabili nexu humanitati Christi, est ubique; ergo ubique pariter debet esse humanitas.

Respondeo enim, maj. veram esse, quando illæ duæ res sunt sibi invicem unitæ adæquate, & totaliter; secus vero si inadæquate tantum, & non totaliter. Hac autem ratione Verbum unitum est humanitati: unde mirum non est, quod sit alicubi, ubi non est humanitas. Sic licet nos conjuncti simus Deo, in quo vivimus, movemur, & sumus; non tamen sumus ubicumque est Deus. Sic anima conjuncta est manus; nec tamen manus est ubicumque, nempe, in aliis corporis patribus, in quibus est anima.

XXVII. Neque obest, quod Christus, *Matth.* 28. *v.* 20. promittat se futurum nobiscum *Usque ad consummationem sæculi*. Et quod Paulus, *ad Ephes.* 4. *v.* 20. dicat, quod Christus *Ascendit super omnes Cælos, ut impleret omnia.*

Nam ad primum dico, Christum promisisse, se futurum nobiscum usque ad consummationem sæculi, non præsentia corporali, sed auxilio, & virtute. Quo sensu etiam dixit, Matth. 18. vers. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Ad secundum dico cum S. Thom. *in capit.* 4. *ad Ephes. lect.* 3. Christum accendisse in Cælum, ut impleret omnia; *Idest, omne genus hominum spiritualibus donis repleret.* Vel *Impleret, idest, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me.*

§. III.

§. III.

Aliqua quæsita expenduntur.

XXVIII. PRo regulandis prædicationibus, quæ fieri possunt de Christo, varia proponit dubia S. Th. 3. *p. q.* 16. quorum solutionem Candidato meo fore perutilem existimo.

Quæres ergo primo: An Christus possit dicit homo Dominicus?

Respondeo cum S. Thoma citato loco, *art.* 3. negative. Et probat primo ex S. Augustino, qui *lib.* 1. *Retract. cap.* 19. dicit: *Non video, utrum recte dicatur homo dominicus Jesus Christus, cum sit utique Dominus.* Deinde probat hoc discursu. De eo, de quo prædicatur *Deus*, & *Dominus* essentialiter, non debet prædicari denominative: sed de Christo dicitur, quod sit Deus, & Dominus essentialiter: quia dum dicitur *Christus*, designatur suppositum æternum, quod est persona Filii Dei (de qua prædicatur *Deus*, & *Dominus* essentialiter) ut subsistens in natura divina, & humana; ergo cum *Dominicus* dicatur denominative a *Domino*, non poterit proprie Christus dici *homo dominicus*, sed Dominus: ne cum Nestorianis conveniamus, qui ponebant, Christum esse suppositum humanum assumptum ad participationem divini honoris. Unde S. Augustinus citato loco subdit: *Ubicumque hoc dixi* (scilicet, quod Christus Jesus sit homo dominicus) *dixisse me nollem: postea quippe vidi, non esse dicendum.*

XXIX. Sed dices. Sicut dominium convenit Christo, ratione divinæ naturæ, ita etiam ei convenit humanitas, ratione humanæ naturæ: sed Deus dicitur humanatus denominative; ergo Christus poterit dici dominicus denominative.

Secundo, Sicut dominicus denominatur a Domino, ita divinus denominative dicitur a Deo: sed Christus dicitur homo divinus; ergo etiam dici potest homo dominicus.

XXX. Respondeo ad primum ex Div. Thom. ibi, *ad* 2. neg. conseq. Deus enim dicitur humanatus; quia illud idem suppositum, quod habuit ab æterno divinam naturam, ex tempore per incarnationem factum est suppositum humanæ naturæ. Non tamen dici potest Christus homo deificatus, vel homo dominicus; quia suppositum humanum neque assumpsit naturam divinam; neque natura divina unita fuit naturæ humanæ, unione tantum accidentali, sed substantiali, & hypostatica.

Ad secundum respondeo cum eodem S. Th. *ad* 3. disparitatem esse: *Quod hoc nomen* Divinum *consuevit prædicari etiam de his, de quibus prædicatur essentialiter hoc nomen* Deus. *Dicimus enim quod divina essentia est Deus ratione identitatis, & quod essentia est Dei, sive divina, propter diversum modum significandi, & Verbum divinum, cum tamen Verbum sit Deus ..., sed* dominicus *non dicitur de his, de quibus Dominus prædicatur. Non enim consuevit dici, quod aliquis homo, qui est dominus, sit* dominicus: *sed illud quod qualitercumque est domini,* dominicum *dicitur; sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est dominus, non potest dici* dominicus; *sed potest caro ejus dici* caro dominica, *& passio ejus potest dici* passio dominica.

XXXI. Quæres secundo: An possit vere dici: *Deus factus est homo?*

Respondeo affirmative cum S. Thom. laudato, *art.* 6. Quia unumquodque dicitur factum esse illud, quod de novo incipit prædicari de ipso: sed de Deo in tempore, ratione assumptionis humanæ naturæ, cœpit prædicari homo; ergo vere dicitur Deus factus est homo. Unde Joannes, cap. 1. *Verbum* (inquit) *caro factum est.* —— Non tamen dici potest simpliciter, & absolute: *Deus factus est.* Nam fieri absolute, & simpliciter est ita de novo incipere esse, ut antea esse non haberet: Deus autem dicitur factus homo, homo, eo quod humana natura incœpit esse in supposito divinæ naturæ ab æterno præexistente. Ita Sanct. Thom. *art.* 6. cit. *ad* 1. —— Neque iterum sequitur, Deum esse mutatum per hoc, quod sit factus homo; sed potius mutatam esse humanam naturam, quæ assumpta est ad esse divinæ personæ. Vide S. Thom. ibi, *ad* 2.

XXXII. Quæres tertio: An possit vere dici: *Homo factus est Deus?*

Respondeo S. Thom. ibi art. 7. *Quod ista propositio:* Homo factus est Deus, *tripliciter potest intelligi. Uno modo, ita, quod hoc participium* factus *determinet absolute vel subjectum, vel prædicatum. Et in hoc sensu est falsa: quia neque homo ille, de quo Deus prædicatur, est factus, neque Deus est factus ... & sub eodem sensu hæc est falsa:* Deus factus est homo: *sed sub hoc sensu non quæritur hic de istis propositionibus.*

Alio modo potest intelligi, ut ly factus *determinet compositionem; ut sit sensus:* Homo factus est Deus, *ideſt, factum est, ut homo sit Deus: & sub hoc sensu utraque est vera: Et* homo factus est Deus, *&* Deus factus est homo. *Sed hic non est proprius sensus harum locutionum ...*

Tertio modo proprie intelligitur, secundum quod hoc participium factus *ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis. Et in hoc sensu, supposito, quod in Christo sit eadem persona, & hypostasis, & suppositum Dei & hominis, ut supra ostensum est, ista propositio est falsa: Quia cum dicitur:* Homo factus est Deus, *ly homo habet personalem suppositionem.* Unde facerent sensum; vel quod persona Filii Dei, quæ semper fuit Deus, facta esset Deus: vel quod in Christo esset alia persona, nempe humana, quæ facta esset Deus, seu conjuncta cum Deo conjunctione suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis, ut Nestoriani ponebant.

XXXIII. Addit tamen S. Thom. ibi ad 4. *Quod terminus in subjecto posito tenetur materialiter, ideſt, pro supposito: positus vero in prædicato tenetur formaliter; ideſt, pro natura significata. Et ideo cum dicitur:* Homo factus est Deus, *ipsum fieri non attribuitur humanæ naturæ, sed supposito humanæ naturæ, quod est ab æterno Deus; & ideo non convenit ei fieri Deum.* Cum autem dicitur: Deus factus est homo, *factio intelligitur terminari ad ipsam humanam naturam: & ideo proprie loquendo hæc est vera:* Deus factus est homo. *Sed hæc est falsa:* Homo factus est Deus: *Sicut si Socrates, cum prius fuerit homo, postea factus est albus, demonstrato Socrate, hæc est vera:* Hic homo hodie factus est albus: *hæc tamen est falsa.* Hoc album hodie factum est homo. *Si tamen ex parte subjecti poneretur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, posset hoc modo significari, ut subjectum factionis: puta, si dicatur, quod natura humana facta est Filii Dei.*

XXXIV. Quæres quarto An hæc propositio sit vera: *Christus est creatura?*

Respondet S. Thom. citatus, *art.* 8. non esse absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre, nisi cum determinatione, scilicet, secundum humanam naturam. Ratio est. Quia *cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur. Ariani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre: non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione divinæ Personæ. Et ideo non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre; sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam. Ea vero, de quibus suspicari non potest, quod divinæ personæ conveniant, secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo, ratione humanæ naturæ. Sicut etiam in rebus corporalibus, & humanis ea, quæ in dubitationem venire possunt, an conveniant toti, vel parti; si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, ideſt, sine determinatione. Non enim dicimus quod Æthiops est albus, sed quod est albus secundum dentes: dicimus autem absque determinatione, quod est crispus; quia hoc non potest ei convenire, nisi secundum capillos.*

Hinc concludit S. Doct. ibi, ad 2. *Quod omnes proprietates humanæ naturæ, sicut & divinæ, possunt æqualiter dici de Christo .... sed tamen illa, quæ dubitationem habent circa alterutram naturam, non sunt dicenda absque determinatione ... Sicut, & e converso, non esset dicendum sine determinatione:* Christus est incorporeus, *vel* impassibilis; *ad evitandum errorem Manichæi, qui posuit Christum verum corpus non habuisse, nec vere passum esse: sed dicendum est cum determinatione, quod Christus, secundum deitatem, est incorporeus, & impassibilis.*

Non solum autem non est admittenda hæc propositio absolute: *Christus est creatura*, ad evitandum errorem Arii, sed etiam ad vitandam falsitatem, ut docet idem Sanct. Thom. in 3. *dist.* 11. *art.* 2. 4. *Contra Gentes cap.* 48. & *Quæst.* 29. *de Verit. arr.* 1. *ad* 1. Tum quia, quod convenit soli parti, falso tribuitur absolute toti. Tum quia: dum dicitur: *Christus est creatura*, Christo, qui supponit pro persona increata, tribuitur prædicatum ei repugnans, nempe, esse creatum: eo vel maxime, quod esse creatum, est prædicatum proprium rei subsistentis; hæc enim proprie est, quæ sit.

XXXV. Quæres quinto: An hæc sit vera: *Iste homo*, demonstrato Christo, *incepit esse?*

Respondeo cum S. Thom. ibi, *art.* 9. negative, si nihil addatur. Primo. Quia in hoc, quod dicitur *Iste homo*, demonstrato Christo, designatur suppositum, quod in Christo unicum est, & æternum, cujus æternitati repugnat incipere esse. —— Neque obstat, quod incipere esse conveniat humanæ naturæ, quæ significatur hoc nomine *Homo* —— Quia terminus in subjecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed materialiter pro supposito; cujus proprium est incipere esse, ut dicebamus.

Secundo. Quia etsi esset vera, non esset ea utendum, propter hæresim Arii; quia sicut Personæ Filii Dei attribuit, quod esset creatura, & quod esset minor Patre, ita attribuit ei, quod esse inceperit, dicens, quod erat, quando non erat.

XXXVI. Quæres sexto: An hæc sit vera: *Christus, secundum quod homo, est creatura?*

Respondeo ex S. Thom. citato, *art.* 10. Quod *Cum dicitur:* Christus, secundum quod homo, est creatura, *hoc nomen* homo *potest resumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Si quidem resumatur ratione suppositi; cum suppositum humanæ naturæ in Christo sit æternum, & increatum, hæc erit falsa:* Christus secundum quod homo, est creatura. *Si vero sumatur ratione humanæ naturæ, sic est vera: quia ratione humanæ naturæ, sive secundum humanam naturam, convenit sibi esse creaturam.*

Sciendum tamen (addit S. D.) *quod nomen sic resumptum in re-*

in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura quàm pro ſuppoſito: reſumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter. Idem enim eſt dictu: Chriſtus, ſecundum quod homo, ac ſi diceretur: Chriſtus, ſecundum quod eſt homo. *Et ideo hæc eſt magis concedenda, quam neganda:* Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura. *Si tamen adderetur aliquid, per quod traheretur ad ſuppoſitum, eſſet propoſitio magis neganda, quam concedenda: puta ſi diceretur:* Chriſtus, ſecundum quod hic homo, eſt creatura.

XXXVII. Quæres ſeptimo: An hæc ſit vera: *Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt Deus?*

Reſpondeo ex eodem S. Thom. *art.* 11. quod, ut dictum eſt: *Iſte terminus* homo *in reduplicatione poſitus poteſt dupliciter accipi. Uno modo, quantum ad naturam, & ſic non eſt verum, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit Deus; quia humana natura eſt diſtincta a divina, ſecundum differentiam naturæ. Alio modo poteſt accipi ratione ſuppoſiti: & ſic cum ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto ſit perſona Filii Dei, cui per ſe convenit eſſe Deum; verum eſt, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit Deus. Quia tamen terminus in reduplicatione poſitus magis proprie tenetur pro naturâ, quam pro ſuppoſito, ut ſupra dictum eſt: ideo magis eſt iſta neganda:* Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Deus, *quam ſit affirmanda.*

XXXVIII. Quæres octavo: An hæc ſit vera: *Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt hypoſtaſis, vel perſona?*

Reſpond. cum S. Thom. citato, art. 12. *Quod ſicut ſupra dictum eſt, iſte terminus homo in reduplicatione poſitus, poteſt accipi, vel ratione ſuppoſiti, vel ratione naturæ. Cum ergo dicitur:* Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt perſona; *ſi accipiatur ratione ſuppoſiti, manifeſtum eſt, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt perſona; quia ſuppoſitum humanæ naturæ nihil eſt aliud, quam perſona Filii Dei. Si autem accipiatur ratione naturæ, ſic poteſt intelligi dupliciter. Uno modo, ut intelligatur, quod naturæ humanæ competat eſſe in aliqua perſona. Et hoc etiam modo verum eſt; omne enim, quod ſubſiſtit in humana natura, eſt perſona. Alio modo poteſt intelligi, ut naturæ humanæ in Chriſto propria perſonalitas debeatur, cauſata ex principiis humanæ naturæ: & ſic* Chriſtus, ſecundum quod homo, non eſt perſona. *Quia humana natura non eſt per ſe ſeorſum ſubſiſtens a divina natura, quod requirit ratio perſonæ.*

Dubium V.

An Perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit Compoſita?

§. I.

Reſolvitur Dubium.

I. QUæritur hic de Perſona Chriſti, non in ſe; quia in ſe non eſt compoſita, ſed ſimpliciſſima, ſicut omnia prædicata divina: ſed formaliter, ut ſubſiſtente in utraque natura, divina, & humana: an ut ſic ſit vere, & proprie compoſita: & an unio naturæ humanæ cum Verbo, & duarum naturarum in Perſona Chriſti, ſit vera, & propria compoſitio. Negant S. Bonaventura, Scotus, Richardus, aliique. Affirmat tamen S. Thom. *3. part. q. 2. art.* 4. quamvis & ipſe, in *3. diſt. 6. q. 2. art. 3.* viſus fuerit aliquibus hæſitanter locutus.

II. Dico. Unio naturæ humanæ cum Verbo, & duarum naturarum, divinæ, & humanæ in eadem perſona eſt quædam ſpecies compoſitionis: & propterea Perſona Chriſti dici poteſt compoſita. Videtur expreſſa in Conciliis, & Patribus. Nam 5. Synodus Gener. c. 4. *Confitemur* (inquit) *unitionem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali, ſecundum compoſitionem factam eſſe, ſicut Sancti Patres docuerunt: & ideo unam ejus ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus de Sancta Trinitate.* Sexta Synodus, *Actor.* 4. confitetur Chriſtum *Ex duabus naturis compoſitum.* Et Act. 11. *in Epiſt. Sophronii*, approbata a toto Concilio, Chriſtus vocatur *Perſona compoſita, ex inconfuſo conſtans temperamento.* Idem fatetur Lateranenſe I. ſub Martino I. *Can.* 8. Eodem modo loquitur Damaſcenus, lib. 3. fidei Orth. c. 3. 4. & 5. *Unius Sanctæ Trinitatis hypoſtaſis incarnatione, duas quidem naturas, divinam ſcilicet, & humanam una coiviſſe, & ſecundum hypoſtaſim unitas eſſe confitemur; ut una hypoſtaſis, & perſona ex naturis duabus compoſita facta fuerit.* Quod ſæpius repetit Sanctus Auguſtinus, maxime *Epiſt.* 3. modo 137. *ad Voluſianum, cap.* 3. ubi allato exemplo animæ, & corporis, ait: *Sicut in unitate perſonæ anima unitur corpori, ut homo ſit: ita in unitate perſonæ Deus unitur homini, ut Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt animæ, & corporis: In hac perſona mixtura* (ideſt compoſitio) *eſt Dei, & hominis.*

III. Ratio quoque in promptu eſt. Ea perſona eſt compoſita, in qua duæ naturæ realiter diſtinctæ ſubſiſtunt, ſicut truncus eſt compoſitus, cui duo rami inſunt: atqui in una Chriſti perſona duæ naturæ realiter diſtinctæ ſubſiſtunt, ut fides catholica docet, contra tum Neſtorianos, tum Eutichianos; ergo &c. Maj. probat. Nam ubi datur plurium realiter diſtinctorum unio, ibi datur compoſitio. Min. etiam conſtat. Nam hanc unionem, & compoſitionem, ex diverſis principiis, negarunt Neſtoriani, & Eutichiani. Eutichiani, quia ut ſtatim videbimus, volebant, unionem factam fuiſſe per converſionem, vel unius naturæ in aliam, vel utriuſque in tertiam: quo poſito, non erat locus compoſitioni, quæ eſt duorum diſtinctorum unio. Neſtoriani autem, quia, ut vidimus, volebant, Verbum ſolum accidentaliter uniri humanitati: negabant, inter Chriſtum, & Deum ullam eſſe ſubſtantialem compoſitionem.

IV. Nec tamen quis exiſtimet, compoſitionem duarum naturarum in Chriſto eſſe ſimilem compoſitioni animæ, & corporis in homine; & compoſitionem humanitatis cum ſubſiſtentia divina eſſe ſimilem compoſitioni humanitatis cum propria ſubſiſtentia. — Nam compoſitio animæ, & corporis in homine, eſt compoſitio duarum naturarum incompletarum ſe mutuo perficientium, & coaleſcentium in unam tertiam naturam exiſtentem, & ſubſiſtentem una ſubſiſtentia, quæ æque eſt propria animæ, ac corporis. At compoſitio duarum naturarum in Chriſto eſt compoſitio duarum naturarum completarum, & non coaleſcentium in unam tertiam naturam: quarum una perficit, & non perficitur; alia perficitur, & non perficit. Quæ licet unica ſubſiſtentia ſubſiſtant; hæc tamen eſt ſolius naturæ divinæ propria, & ab illa communicatur humanitati, eam ad ſuum eſſe perſonale trahendo. Compoſitio etiam Verbi cum humanitate non eſt ſimilis compoſitionis naturæ humanæ cum propria ſubſiſtentia. Nam hæc eſt compoſitio duorum entium ſe mutuo perficientium: compoſitio autem Verbi cum humanitate eſt compoſitio entis pure perficientis cum ente pure perfectibili, & complebili. Unde S. Auguſt. citata *Ep.* 3. modo 137. *ad Voluſianum, cap.* 3. poſt verba ſupra citata: *In hac perſona mixtura eſt Dei, & hominis*, ſubjungit: *Si tamen recedat auditor a conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam: quamquam & in ipſis corporibus aeri lex incorrupta miſceatur.* Quibus compoſitionem Dei, & hominis aſſimilat compoſitioni lucis cum aere.

§. II.

Objecta ſolvuntur.

V. PRimo objicitur. In omni compoſitione extremæ componentia habent rationem partis, ſunt minora toto compoſito, & compoſitum perfectius eſt qualibet parte. Quis autem dicat, naturam divinam eſſe partem, minorem, & minus perfectam perſona Chriſti, quæ eſt totum compoſitum?

VI. Reſpondeo primo cum S. Thom. *3. p. qu. 2. art. 4. ad 2.* neg. aſſumptum. Nam *illa compoſitio perſonæ ex naturis non dicitur eſſe ratione partium, ſed potius ratione numeri, ſicut omne illud, in quo duo conveniunt, poteſt dici ex eis compoſitum.*

Reſpondeo ſecundo cum eodem Sancto Doctore, in *3.* diſt. *6.* q. 2. art. 3. ad 1. *Quod in perſona compoſita quamvis ſint plura bona, quam in perſona ſimplici, quia eſt ibi bonum increatum, & bonum creatum: tamen perſona compoſita non eſt majus bonum, quam ſimplex: quia bonum creatum ſe habet ad bonum increatum, ſicut punctum ad lineam, cum nulla ſit proportio unius ad alterum. Unde ſicut lineæ additum punctum non facit majus: ita ne bonum creatum additum in perſona bono increato facit melius. Vel etiam, quia tota ratio bonitatis omnium bonorum eſt in Deo. Unde & ipſe dicitur omne bonum. Unde non poteſt ſibi fieri additio alicujus boni, quod in ipſo non ſit.* Hæc S. Thom. Quare licet ex Deo, & univerſitate creaturarum fiat quoddam compoſitum, quod dicitur Univerſum; hoc tamen nec eſt majus, nec perfectius Deo ſolo.

Et ibidem, *ad* 4. concludit: *Quamvis compoſitio quantum ad aliquod ſalvetur in Incarnatione Verbi; nullo tamen modo eſt ibi ratio partis. Divinitas enim pars eſſe non poteſt, propter imperfectionem, quæ eſt de ratione partis; humana autem natura ſimiliter non poteſt eſſe pars, quia compartem non habet: vel etiam quia non cauſat eſſe perſonæ, quæ dicitur compoſita.*

VII. Secundo objicies. Componentia quæcumque ſint, ſunt priora compoſito: ſed natura divina non eſt prior perſona Chriſti, cum ſit idem cum illa: multo autem minus humanitas poteſt eſſe prior perſona Chriſti; ergo &c.

Reſpondeo, neg. abſolute minor. Quia perſona Chriſti non dicit perſonam Verbi in ſe ſumptam tantum; ſed præterea dicit perſonam Verbi, ut communicatam humanæ naturæ: ſic autem poſterior eſſe poteſt ſe ipſa in ſe, & abſolute ſumpta.

VIII. Tertio objicies. Perſona Verbi eſt ſimplex, & non compoſita: ſed perſona Chriſti eſt perſona Verbi; ergo &c. — Si reſpondeas ad min. eſſe perſonam Verbi, non in ſe ſumptam tantum, quo pacto eſt ſimplex; ſed ut ſubſiſtentem in duabus naturis, eaſque in ſe conjungentem: quo pacto dicitur ex iis compoſita.

IX. Contra eſt. Ex quo perſona Chriſti dicatur compoſita, dici poterit abſolute, perſonam Verbi eſſe compoſitam; quia, ut ſupra vidimus, quæ dicuntur de Chriſto, dicuntur etiam de perſona Verbi, ratione communicationis idiomatum: ſed dici nequit, perſonam Verbi eſſe compoſitam; ergo neque perſonam Chriſti &c.

X. Reſpondeo, neg. ſequelam. Quia perſona Verbi abſolute ſumpta ſignificat ſecundam perſonam SS. Trinitatis, ut in

ut in divina natura ſubſiſtentem; quo pacto ei repugnat compoſitio. Quod autem dicitur: par communicationem idiomatum, ea, quæ dicuntur de Chriſto, dici etiam de Filio Dei, verum eſt de iis, quæ non determinant hoc ſubjectum *Chriſtus*, ad ſtandum ſolum pro compoſito ex natura divina, & humana. Cum autem hoc prædicatum *compoſitus* determinet ſubjectum, ad ſtandum ſolum pro aggregato ex divina, & humana natura, ideo non poteſt abſolute enuntiari de Verbo.

XI. Quarto objicies. Si Chriſtus eſt perſona compoſita ex deitate, & humanitate, hæc propoſitio: *Dua natura divinitas, & humanitas ſunt unus Chriſtus*, erit vera: ſed eſt falſa, & inter alias Joannis Hus in Concilio Conſtant. *Seſſ. 15.* proſcripta, num. quarta; ergo &c.

XII. Reſpondeo primo, neg. min. Damnata enim fuit illa propoſitio, ut prolata a Joanne Hus; non quia aſſereret divinam, & humanam naturam, ut unitas, eſſe identice Chriſtum (hoc enim ſæpe concedit Thomas Waldenſis, Joannis Hus hoſtis acerrimus) ſed quia putabat, naturam divinam, & humanam diviſim, ſeu ſingulas naturas eſſe Chriſtum: ita ut de ſingulis diviſim, imo de ſingulis partibus naturæ humanæ poſſet ſeorſim prædicari Chriſtus. Quem errorem a Wicleffo magiſtro ſuo hauſerat Joannes Hus.

XIII. Reſpondent alii, neg. maj. Quia hæc vox *Chriſtus* plus dicit, quam *divinitas*, & *humanitas*. Dicit enim ipſam perſonam Verbi; de qua naturarum concreta poſſunt quidem prædicari, non tamen abſtracta, ut dictum eſt Dub. præcedente.

Neque obſtat (ajunt) Auguſtinus *in Enchiridio*, *cap.* 38. *& Tract.* 78. *in Joann.* ubi concedit, quod *utrumque ſimul* (deitas, & humanitas) *non duo, ſed unus eſt Chriſtus*. Nam in priori loco loquitur in ſenſu non formali, ſed cauſali. Ait enim: *Ex qua utraque ſubſtantia Chriſtus unus eſſet*. In ſecundo autem loquitur de utraque natura in concreto, & ut unitis cum perſona Verbi, non in abſtracto, ſeu ut conceptis ſine tali unione.

XIV. Quinto objicies. Licet in natura divina ſint tres perſonæ, tamen natura divina non eſt compoſita ex illis; ergo licet in perſona Chriſti ſint duæ naturæ, tamen perſona Chriſti non erit compoſita ex illis.

Reſpondeo, neg. conſ. Ex tribus enim perſonis non poteſt fieri compoſitio, nec cum eſſentia divina, nec inter ſe. Non cum eſſentia divina; quia ſunt realiter idem cum illa: compoſitio autem eſt unio diſtinctorum. Neque inter ſe: Quia nullum compoſitum per ſe tale conſtare poteſt ex pluribus per ſe ſubſiſtentibus, & oppoſitis: ſingulæ autem perſonæ divinæ per ſe ſubſiſtunt, & relative opponuntur. At perſona Chriſti conſtat duabus naturis realiter diſtinctis, & non oppoſitis, ſed unitis in una ſubſiſtentia; & ex perſona, & humana natura realiter diſtinctis, unitis in una ſubſiſtentia.

DUBIUM VI.

An in Unione Verbi cum Humana Natura ſecuta ſit Naturarum Confuſio?

§. I.

Eutichianæ Hæreſeos Hiſtoria.

I. PResbyter erat Eutiches, & Archimandrita, ideſt, Abbas præſidens celeberrimo Monaſterio Conſtantinopolitano. Adhuc diaconus in Concilio Epheſino contra Neſtorium ſtrenue pugnavit. A Sacra Synodo (ut videre eſt part. 2. Actor. 3.) tradita ei eſt epiſtola ad Imperatorem communi Patrum nomine perferenda. Is exordio Neſtorianæ hæreſis; & ex male intellectis quibuſdam Cyrilli ſententiis, in errorem Neſtoriano penitus oppoſitum lapſus eſt. Docuit enim, in Chriſto non unam tantum perſonam, ut Concilium Epheſinum definierat; ſed unam tantum, poſt unionem, factam eſſe naturam. Dicebat enim, Chriſtum eſſe *Ex duabus naturis*, ſed non *In duabus:* Ideſt, duas quidem fuiſſe ante unitionem naturas, ſed unicam poſt unitionem. Ex quo poſtea ſequebatur, Chriſtum non fuiſſe conſubſtantialem nobis, ſecundum carnem. Hic fuit error Eutichetis, quem S. Leo Epiſt. 30. alias 18. ad Pulcheriam Auguſtam, *De imperitia magis, quam de verſutia* natum eſſe ſcribit.

II. Hæreſim ſuam inter familiares Monachos, alioſque amicitia ſibi devinctos furtim docere cœpit Eutiches. Quod cum Euſebius Dorilæi in Phrigia Epiſcopus reſciviſſet; quippe cum Eutichete amicitia conjunctus erat, privatis monitionibus eum ab errore avertere ſategit. Quod cum in caſſum tentaſſet, rem detulit ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Exorta eſt hæc Eutichiana hæreſis anno Chriſti 448. Sancti Leonis I. Pontif. IX. Theodoſii Junioris XLI. & Valentiniani XXIV. anno poſt Epheſinam Synodum XVIII.

III. Concilium in ſua Metropoli ob alias cauſas celebrabat Flavianus: ad quod; delato per Euſebium contra Eutichetem libello, primo rogatus fuit Euſebius, ut jure amicitiæ Eutichetem adiret, ipſumque ad meliora moneret. Verum cum id recuſaret Euſebius, aſſerens, ſe hoc jam tentaſſe, ſed fruſtra penitus; ad Eutichiani erroris damnationem ventum eſt. Ipſe quoque auctor Eutiches cum pertinax eſſet, e Sacerdotio, & præfectura Monaſterii, ac communione Fidelium depulſus fuit.

IV. Damnatus a Flaviano, & Conſtantinopolitana Synodo Eutiches ad S. Leonem I. Rom. Pontificem confugit, ac appellavit, ipſumque circumvenire tentavit. Verum cum a S. Leone communionem extorquere non potuiſſe, inaudito Flaviano: Chryſaphii Eunuchi, & Dioſcori Alexandrini ope Synodum a Theodoſio impetravit: quam Imperator, obſiſtente licet S. Leone, Epheſii indixit; & cui, Chryſaphio agente, Dioſcorum Alexandrinum in Præſidem deputavit. Miſſi tandem ad Concilium a S. Leone Legati non ſunt admiſſi: unde latrocinium, potius quam Concilium evaſit. In hac prædatoria Synodo, Epheſina II. dicta, Dioſcorus Eutichetis dogma impie approbavit; ipſique Fidelium communionem, Monaſterii præfacturam, ac Sacerdotii uſum reſtituit. Tandem Theodoſius acceptis a S. Leone Litteris, audienſque Romæ etiam Eutichetis hæreſim damnatam, & omnia acta Pſeudoſynodi Epheſinæ reprobata; rei veritate comperta, in eos, a quibus fuerat circumventus, animadverit, Chryſaphium malorum omnium authorem relegans, & multo poſt moritur.

V. Theodoſio ſucceſſit Marcianus qui Pulcheriam Auguſtam duxit uxorem; atque utriuſque opera, hortant S. Leone, ſuaque auctoritate excitante, cogitur anno Chriſti 451. Concilium Generale Chalcedonenſe, cui interfuerunt 630. Epiſcopi. In quo omnia, quæ in Pſeudoſynodo Epheſina Dioſcorus egerat, reſciſſa ſunt; & ea, quæ Flavianus adverſus Eutichetem, ejuſque errorem egerat, confirmata. Cumque tertio vocatus Dioſcorus Concilio ſe ſiſtere renuiſſet; Legati S. Leonis, conſentiente Synodo, ſententiam depoſitionis ab Epiſcopali, & Sacerdotali dignitate in eum pronuntiarunt.

VI. Sed hi Eutichianæ hæreſis non fuit finis: pluries revocata in lucem, pluries etiam compreſſa fuit. Multis annis Eutichianorum tumultibus agitatus fuit Oriens, de quibus videri poſſunt Eccleſ. Hiſt. Scriptores. Quos ut componeret, anno 482. Zeno Imperator, Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui clanculum Eutichianis favebat, ſuadente, promulgavit decretum, quod *Henoticon*, ſeu *Conciliatorium* appellavit; quod, ut illi videbatur, Catholicos, & Eutichianos conciliaret. In eo laudatæ fuerunt Epheſina, & Chalcedonenſis Synodi, rejecti quoque Neſtorius, & Eutiches: ſed & de una, & de duabus naturis, ne alicui parti præjudicium fieret, altum erat ſilentium. *Henoticon* admiſit Petrus Moggo, Epiſcopus Alexandrinus, & ob id Acacius ſe illi communione conjunxit. Diſplicuit tamen, & merito, Felici III. Rom. Pontifici; qui illud, anno 484. Romæ damnavit, ipſumque Acacium Sacerdotio, & communione privavit. Sed hæc parvi pendens Acacius in Eutichianorum communione permanſit; ipſiuſque Felicis nomen e Sacris Dyptichis abraſit. Quo ex tempore Apoſtolica Sedes a Conſtantinopolitanæ communione divulſa eſt; nec niſi poſt annos triginta quinque, Hormiſdæ Papæ opera, Juſtino I. Imperante, anno videlicet 519. redintegrata concordia eſt. *Henoticon* tamen, ſicut Catholicis diſplicuit; ita nec ab Eutichianis probatum eſt: eo maxime, quod Concilium Chalcedonenſe admitteret. Unde Petrus Cnaphæus, ſeu Fullo, ſede Antiochena, a qua dejectus erat, recuperata, *Henoticon* rejecit, Concilium Chalcedonenſe palam damnavit. Alexandriæ quoque inter Eutichianos diſſidium ortum eſt, propter *Henoticon*, quod Petrus Moggo Epiſcopus promulgaverat: adeo ut plures ægre ferentes, quod Concilio Chalcedonenſi anathema non dixiſſet, a Capite ſuo receſſerunt, qui proinde *Acephali* dicti ſunt.

VII. Ex Eutichianis plures Sectæ manarunt. Ex Acephalis orti ſunt *Corrupticolæ*, qui Severo adhærebant, Epiſcopo Antiocheno, admittenti in Chriſto carnem corruptibilem: & *Incorrupticolæ*, nimirum, qui, cum unam tantum naturam in Chriſto aſſererent, & hanc divinam, eam incorruptibilem fateri tenebantur. Si enim corruptibilem dicerent; cum hoc de divina dici non poſſet, alia natura in Chriſto præter divinam ponenda eſſet.

Ex *Monophyſitis*, hoc eſt, unam tantum naturam in Chriſto admittentibus, orti ſunt *Theopaſchitæ*, ideſt, qui contra Sabellianos fatentes tres in Trinitate perſonas, & unam naturam, docebant, non ſolum Filium, ſed etiam Patrem, & Spiritum Sanctum paſſos fuiſſe: unde Petrus Cnaphæus, horum dux, Epiſcopus Antiochenus, Triſagio addi juſſit: *Qui paſſus es pro nobis, miſerere nobis*, Ex eadem Monophyſitarum ſecta orti quoque ſunt *Tritheiſtæ*, ideſt tres naturas, ſunt tres perſonas in Trinitate confitentes. Hi ſunt Eutichianæ hæreſis infelices rami. Ex Monophyſitis orti ſunt Jacobitæ a Jacobo, genere Syro, Eutichianis erroribus involuto. Quibus Armeni, præ cæteris, depravati, in eis uſque ad tempora Concili Florentini permanſerunt, & forte aliqui adhuc permanent. Nec deſunt ex Proteſtantibus, qui, ſicut alios errores, ita & Eutichianum profiteantur.

§. II.

Eutichianus error profligatur.

VIII. DIco. In Chriſto ſunt duæ naturæ etiam poſt unitionem diſtinctæ. Ita pronuntiarunt Patres Chalcedonenſes in definitione fidei, his verbis: *Confitemur, Chri-*

Christum Dominum nostrum .... ante sæcula quidem de Patre genitum, secundum deitatem: in novissimis autem diebus eumdem, propter nos & propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice, secundum humanitatem, unum, eumdemque Christum, Filium Dominum, Unigenitum, inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum. Nusquam sublata differentia naturarum, propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, seu subsistentiam concurrente. Synodus etiam Constant. II. Generalis Quinta, anno 553. *Collat. 8. cap. 2. & 8.* anathemate ferit, qui duas in Christo naturas, etiam post unionem, confessus non fuerit. Et Synodus Hispalensis II. anno 619. *Can. 12. & 13.* contra Acephalos diserte probat ex Scriptura, & Patribus, non unam tantum, sed duas in Christo esse post unitionem naturas.

IX. Probo primo ex S. Th. *in 4. Contra Gent. c. 35.* sic. In Christo esse naturam divinam certum est ex omnibus, quibus ei supra asseruimus substantialem deitatem, contra Ebionem, Cerinthum, Photinum, Nestorium, aliosque. In eo quoque humanam naturam vere reperiri anima rationali mente, & corpore constantem, demonstrant ea omnia, quæ contra Arianos, Apollinaristas, & Manichæos, aliosque consimiles protulimus. Utramque vero naturam, divinam, & humanam in eo, etiam post unionem, permansisse distinctas, ostendunt jam dicta. Nam corpus Christi post unionem fuit mortale, passibile, oculis corporeis visibile; quæ a divinitate Verbi sunt aliena. Similiter ejus anima, post unionem, passionibus tristitiæ, & doloris fuit obnoxia, quæ etiam divinitati convenire non possunt. — Deinde probo ex Apostolo, *Ad Philip. 2. v. 6.* de Christo dicente: *Qui cum in forma Dei esset ... semetipsum exinanivit formam servi accipiens &c.* Ex quo sic arguo. Dici non potest, quod sit eadem forma, seu natura Dei, ac forma, seu natura servi: quia cum forma Dei jam haberet, formam servi non accepisset, quia nemo accipit, quod jam habebat. Neque etiam dici potest formam Dei, accipiendo formam servi, esse corruptam; quia Curistus jam non esset Deus. Neque dici potest formam servi esse corruptam; quia alias eam non accepisset. Neque formam servi esse permixtam formæ Dei; quia quæ miscentur, non manent integra, ut infra dicemus: sicque non esset verum, quod formam servi accepisset.

X. Probo secundo, hoc discursu. Si post unionem ex natura divina, & humana una natura conflata est; hoc debuit fieri, vel pro hoc, quod natura divina conversa sit in carnem, vel caro in divinitatem; vel ita ut duæ naturæ in una coaluerint; vel denique, ita ut ex duabus in sua specie permanentibus, tertia, quæ sit illis heterogenea, resultaverit. Non primum. Tum quia: divina natura non est mutabilis. Tum quia; Christus non fuisset Deus. Non secundum. Tum quia: divina natura mutata fuisset, si caro fuisset in ipsam conversa. Tum quia: caro, quæ fuisset in Christo, non fuisset vera caro, sed phantastica.

Non tertium. Quia duæ naturæ in unam coalescere non possunt, nisi per sui mutationem in illam: mutari autem divinæ naturæ repugnat. Rursus: facta mixtione divinæ, & humanæ naturæ, ita ut neutra illorum remaneret, sed aliquod tertium specie diversum, sicut cum miscentur liquores; hoc tertium quid esset? Neque Deus esset, neque homo, nam tertium, quod per mixtionem duarum naturarum fit, neutrum est miscibilium. Quid ergo esset Christus? Non Deus, non homo; ergo monstrum.

Non quartum. Quia cum ex duabus naturis in sua specie permanentibus tertia natura resultat; naturæ eam constituentes partes sunt, & incompletæ; ut videre est in natura hominis, quæ ex unione animæ, & corporis resultat: sed natura divina nequit esse pars constituens unam tertiam naturam, quia pars dicit esse incompletum, & inperfectum: imo neque natura humana, cum sit completa, potest hoc modo esse pars; ergo &c.

XI. Præfatus discursus, ex SS. Patribus sumptus est. Leontius, apud Euthymium, in Panoplia, *part. 2. tit. 15.* probat, quod si ex duabus naturis unica in Christo facta esset, nec humana illa foret, nec divina: adeoque Christus nec Deus esset, nec homo, nec Patri, nec Matri consubstantialis. Gelasius, *lib. contra Eutichem*, probat, quod nec divina natura in carnem mutari potuit, nec humana transire in divinam. Ephræmius, *in Biblioth. Photis, codice 229.* probat, quod uni simplici naturæ proprietates contrariæ non conveniunt: sed Christo conveniunt contrariæ proprietates Dei & hominis; ergo non una natura est in Christo, sed duplex.

§. III.

Eutichianorum Objecta.

XII. Objiciebant primo. Qui factus est caro, in sua natura non mansit; sicut aqua, quia in nuptiis Canæ facta fuit vinum, in natura, & specie aquæ non mansit, sed in naturam vini transivit; sed Verbum, dum humanam induit carnem, factum est caro, *Joann. 1.* ergo in natura propria non remansit.

Hoc argumentum evincit, divinitatem per incarnationem conversam fuisse in carnem, quod tamen non favet iis Eutichianis, qui e contra volebant carnem sic a divinitate absorptam; ut penitus evanuerit, & loco ejus alia, sed phantastica, apparuerit. Unde apud Theodoretum. Dialogo 2. *Eranistes*, seu Eutichianus, sciscitanti Catholico: *Quomodo post unitionem unicam naturam agnosceret?* Respondet: *Ego divinitatem, ajo, mansisse, ab hac vero absorptam esse humanitatem.*

XIII. Respondeo tamen, dist. maj. Qui per conversionem factus est caro, in sua natura non mansit &c. conc. maj. Qui factus est caro per unionem, & assumptionem, non mansit &c. nego maj. Verbum ergo factum est caro, non per conversionem in carnem, sed per carnis assumptionem; sicut dicitur factum pro nobis maledictum, & peccatum, quia maledictum in se susceptt, & peccata nostra quoad pœnam portavit; non quod in maledictum, & peccatum sit conversum: unde Verbum, & caro etiam post unionem in sua specie, & natura permanserunt: Ut enim ait Gelasius, in *lib. contra Eutichetem*, unitio *Est duarum naturarum, non cujuslibet alterius abolitio.* Quare Joannes post illa. *Verbum caro factum est*, subjicit hæc: *Et habitavit in nobis.* Super quæ Chrysostomus, Tract. 11. in Joann. *Tamquam* (inquit) *sic te alloqueretur, unde, ne quid absurdi suspiceris ex illa voce* Factum est. *Non enim mutationem illam immutabilis illius naturæ significavit, sed habitationem, & commorationem. Porro id, quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, sed diversum: nam alterum habitat in altero, alioquin non esset habitatio: nihil enim in se ipso habitat. Caterum alterum dixi substantia. Quippe unitione, & copulatione unum est Deus Verbum, & caro: ita ut non confusio, vel extinctio ulla substantiarum acciderit; sed inexplicabilis quædam, & omnem dicendi facultatem superans unitio.*

Quomodo autem Verbum ita factum sit caro, ut nec leviſſima quidem mutationis aura ipsum perstrinxerit; eleganti exemplo explicat S. Aug. *Serm.* 187. (alias 27. *de tempore*) his verbis: *Nemo ergo credat, Dei Filium conversum, & commutatum esse in hominis filium: sed potius credamus, & non consumpta divina, & perfecte assumpta humana substantia, manentem Dei Filium, factum hominis filium. Neque enim quia dictum est:* Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est; *sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus: quando in ipsa carne, quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est nobiscum Deus. Sicut verbum, quod corde gestamus, fit vox, cum id ore proferimus, non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in qua procedat assumitur; ut & intus maneat, quod intelligatur, & foris sonet, quod audiatur. Hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita verbum, cum fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce, procedit ad audientem, ut non deserat cogitantem.* Quid acutius, quid pulchrius, quid ad Eutichianos convincendos aptius?

XIV. Objiciebant secundo Eutichiani auctoritatem Julii I. Rom. Pont. in *Epist. ad Dionys.* Corinthiorum Episcopum, negantis duarum naturarum in Christo professionem, his verba: *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare: atque in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari.*

XV. Respondet Leontius, *lib. de Sectis, Act.* 8. Epistolam illam spuriam esse, nec genuinum Julii fœtum; sed potius, vel Apollinaris hæretici, vel alterius ex ejus Secta, cum multa Apollinaristarum errorem redolentia contineat. Quare Critici omnes duas tantum Julii Epistolas, ut legitimas suscipiunt: unam ad Orientales, alteram ad Alexandrinos, quas S. Athanasius refert, *in Apologia 2.*

Omissa tamen dicta Epistola, respondet Eulogius Alexandrinus Patriarcha, apud Photium, *Cod.* 230. nomen naturæ ibi usurpari pro *Hypostasi*; & negari, quod si in Christo ponerentur duæ hypostases (seu duas naturas duplici personatas subsistentia) divinam, & humanam, ut ponebat Nestorius, oporteret unam adorari, aliam non adorari: quia adoratio terminatur ad personam.

XVI. Objiciebant tertio S. Cyrillum Alexandrinum, *in Ep. ad Acacium Melitensem*, ubi ait: *Naturas duas unitas esse dicimus: post unitionem vero tamquam sublata in duo partitione, unam esse credimus Filii naturam, veram inhumanati, & incarnati.* Idem scribit, *In Epist. ad Successum.*

XVII. Respondeo, S. Cyrillum cum dicit, *Unam credimus Filii naturam*, non velle; post unionem esse unam unitate substantiæ, & essentiæ, sed unitate suppositi; ut Nestorio se opponeret, qui post unionem duas naturas, & duo supposita; seu duas personas in Christo ponebat, Quod autem hæc fuerit S. Cyrilli mens, constat ex verbis, quæ sequuntur, nempe, *Inhumanati, & incarnati.* Quibus significatur caro, seu humanitas unita hypostatice Verbo Dei, & sic a Verbo, & natura divina distincta: quo loquendi modo non juvatur, sed perimitur Eutichianus error confusionem asserens naturarum.

XVIII. Sed dices. Cyrillus, *Epist. 2. ad Successum*, dicit, naturarum differentiam post unitionem sola cogitatione dividi.

Verum neque hoc favet Eutichianis. His enim verbis non significat S. Cyrillus, ita confundi, & misceri naturarum proprietates; ut ex duabus facta sit per unionem in Christo una natura, quasi in abstracto; sed factum esse unam in concreto unitate suppositi: non vero esse duas separatim subsistentes, & affectivo solo vinculo conjunctas, ut vole-

volebat Neſtorius. Hinc animæ, & corporis exemplum profert Cyrillus, quæ pariter ſola ratione divina poſt unitionem aſſerit, quia ſeorſim poſt unitionem non ſubſiſtunt; quamvis reipſa compertum ſit, diſtinctas realiter eſſe corporis, & animæ ſubſtantias: aliud enim eſt *diſtinctio*, aliud *diviſio*, & ſeparatio. Et ideo non dicit, naturas in Chriſto ſola cogitatione *diſtingui*, ſed *dividi*.

XIX. Objiciebant quarto, SS. Patres uſos ſæpe fuiſſe nomine *mixtionis*, ſeu *mixturæ*, ut explicarent unionem duarum naturarum in Chriſto: ſed mixtio tollit diſtinctionem, & facit confuſionem naturarum, ut docent Philoſophi; ergo &c. Maj. probant ex Tertulliano, in *Apologetico*, *cap.* 21. dicente: *Naſcitur homo Deo mixtus*: & S. Auguſt. *Epiſt.* 3. modo 137. *ad Voluſianum*, *cap.* 3. ubi vocat perſonam Chriſti *Mixturam Dei*, *& hominis*, ſicut perſonam hominis *Mixturam animæ*, *& corporis*.

XX. Reſpondeo, SS. Patres non uſurpaſſe nomen mixtionis in eo ſenſu, quo liquores dicuntur miſceri; ut ſcilicet, eorum deſtruatur natura, ut vel unus in alterum, ſeu ambo in tertium tranſmutentur: ſed, ut ait S. Cyrillus, lib. 1. adverſus Neſtorium, cap. 3. *Ea voce ſunt abuſi, cum ſummam unionem oſtenderent*. In hoc autem ſenſu, non primo, ſe loqui teſtatur Tertullianus, indicans unionem carnis in unitate perſonæ. Unde ſubdit: *Caro ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit, affatur, docet, operatur, & Chriſtus eſt*: quibus in Chriſto fatetur carnem, & etiam ſpiritum, ſeu deitatem. Immo, *lib. adverſus Praxeam*, *cap.* 27. aperte Eutichianum errorem, antequam naſceretur, impugnat, his verbis: *Et adeo ſalva eſt utriuſque proprietas ſubſtantiæ, ut & ſpiritus res ſuas egerit in illo, ideſt, virtutes, opera, & ſigna: & caro paſſiones ſuas functa ſit, eſuriens ſub Diabolo, ſitiens ſub Samaritide, flens Lazarum, anxia uſque ad mortem, denique & mortua eſt. Quod ſi tertium quid eſſet ex utroque confuſum, ut electarum; non tam diſtincta documenta paterent utriuſque ſubſtantiæ &c.*

Sanctus etiam Auguſtinus, ut oſtendat, ſe nomine *Mixturæ* nil aliud intelligere, quam ſummam, ac ſubſtantialem unionem, utitur exemplo animæ, & corporis; Ut autem removeat ideam mixtionis, quæ in corporibus fieri ſolet, poſt præcitata verba addit: *Si tamen recedat auditor a conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam: quamquam & ipſis corporibus aeri lux incorrupta miſceatur*. Quemadmodum ergo lux unitur aeri, ſalva manente natura lucis, & aeris, nec lux tranſit in aerem, nec aer in lucem, nec ex luce, & aere tertia natura fit; in deitas unitur carni ſalva manente deitatis, & carnis ſubſtantia; ut nec deitas in carnem, nec caro tranſeat in deitatem, nec ex deitate, & carne tertia ſubſtantia fiat.

XXI. Objiciebant quinto, Juſtinus Martyr, *in Apologia* 2. Incarnationem cum Euchariſtia comparat, aſſerens: Verbum factum fuiſſe carnem eo modo, quo panis fit corpus Chriſti in Euchariſtia. *Sed* (inquit) *quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem, & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit: ad eumdem modum etiam, in qua per preces Verbi ejus ab ipſo profecti gratia ſunt acta, alimoniam, unde ſanguis, & caro noſtra per mutationem aluntur, Incarnati illius Jeſus carnem, & ſanguinem eſſe docti ſumus*. Atqui panis in Euchariſtia fit Corpus Chriſti, non per unionem, ut vult Lutherus, ſed per tranſubſtantiationem; ergo ſimiliter &c.

XXII. Reſpondeo, allatum a Juſtino exemplum in eo valere, quod ſicut Verbum per Incarnationem vere, & realiter factum eſt caro, & non apparenter ſolum: ita panis in Euchariſtia vere, & realiter, & non ſolum figurative, ut vult Calvinus, fit corpus Chriſti. Non tamen valet quoad modum, quo panis fit corpus Chriſti; ita ut Verbum fiat caro per converſionem in carnem, ſicut panis fit corpus Chriſti per converſionem in ipſum.

XXIII. Dices. Duarum naturarum una non denominatur ex altera, niſi aliquomodo invicem tranſmutentur: ſed natura divina, & humana in Chriſto invicem denominantur: dicit enim Cyrillus inductus in Concil. Chalcedonenſi, *p.* 2. naturam divinam eſſe incarnatam: & Nazianzenus, *Epiſt. ad Cledonium*, humanam naturam eſſe deificatam; ergo *&c.*

XXIV. Reſpondeo ex Sanct. Thoma. 3. part. quæſt. 2. art. 1. ad 3. *Quod ſicut Damaſcenus dicit*, lib. 3. Orthod. fidei, cap. 6. *&* 11. *Natura divina dicitur incarnata, quia eſt unita carni perſonaliter; non quod ſit in naturam carnis converſa. Similiter & caro dicitur deificata, ut ipſe dicit* (cap. 15.) *non per converſionem, ſed per unionem ad Verbum, ſalvis proprietatibus naturalibus: ut intelligatur caro deificata, quia facta eſt Verbi caro, non quia facta ſit Deus*.

XXV. Objiciebant ſexto: Duos fore Chriſtos, ſeu duas in Chriſto perſonas, ſi in eo duæ ſint naturæ.

Huic objectioni reſpondet Vigilius Tapſenſis, *lib.* 1. *contra Eutycheten cap.* 10. negando ant. & appoſitum demonſtrat duplici exemplo. Primo petito ex Sancta Trinitate. Si enim tres perſonæ divinæ habentes ſingulæ proprietates ſuas, quibus diſtinguantur, non quibus ſeparentur, ſunt unus Deus: cur Filius, ſalva naturæ utriuſque proprietate, & diſtinctione, non erit unus Chriſtus? —— Secundo, exemplo hominis. In homine enim proprietatum diſtinctio diſtinctam perſonam non infert. Conſtat homo quinque ſenſibus, qui ita officii ſui proprietatem naturaliter obtinent, ut nihil ſecum habeant commune, nihil ſibi alterius valeant vindicare. Viſus ita miniſterii ſui proprium gerit officium, ut nec audire, nec odorari, nec guſtare, nec contrectare poſſit: & ita de aliis. Et cum ſint hæ omnes membrorum ſpecies tam diverſæ, tam diſcretæ, ita naturalibus proprietatibus ſubſtitutæ, nihil communionis, nihil ſocietatis ad ſe invicem habeant, ſed privato quodam, & ſolitario jure propriæ functionis miniſterium impleant: unus tamen, idemque eſt homo, qui quomodo quinque corporalibus ſenſibus varia proprietate a ſe invicem differentibus conſtat: ita quinque, ſecundum iſtorum (Eutichianorum) deliramenta, perſonas habere debuerat, ut quantæ ſunt proprietates ſenſuum, tanta eſſet numeroſitas perſonarum. Ita Vigilius.

TRACTATUS SECUNDUS
DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI.



UM jam ſtabilitum ſit, in Chriſto poſt unionem manere duas naturas, divinam, & humanam, & utramque cum ſuis proprietatibus contra Euticheten; & contra Monothelitas in eo non unam tantum eſſe operationem, ſed duas, nempe, operationem propriam divinitatis, & operationem propriam humanitatis; & rurſus in eo fuiſſe animam, & mentem humanam, nec Verbum in eo ſtetiſſe loco animæ, & mentis, ut Arius, & Appolinariſtæ volebant, aperitur via præſenti Tractatui, in quo de præcipua animæ Chriſti operatione, quæ eſt ſcientia, & cognitio, diſputari ſolita examinabimus.

QUÆSTIO I.

An, & quæ Scientia fuerit in Anima Chriſti?

DUbitari poteſt primo: An in Chriſto alia ſcientia fuerit præter divinam. Secundo: An in eo fuerit ſcientia beata. Tertio. An infuſa. Quarto: An etiam acquiſita. De his omnibus in præſenti quæſtione ſermo erit.

DUBIUM I.

An Chriſtus habuerit aliquam Scientiam præter Divinam?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. IN Chriſto fuiſſe ſcientiam divinam certum eſt: erat enim ſubſtantialiter Deus, ut ſupra oſtenſum eſt, Tract. præced. Verum cum eſſet etiam homo, anima, & mente humana præditus, ut pariter vidimus, quærit S. Thom. 3. *p. q. 9. art.* 1. An ſicut in ipſo, præter naturam divinam, erat etiam natura humana creata; ita præter ſcientiam divinam, foret etiam ſcientia creata.

II. Dico. In Chriſto, præter ſcientiam divinam, & increatam, fuit etiam ſcientia creata. Probatur primo iiſdem rationibus, quibus ſuperius oſtenſum, in Chriſto eſſe naturam humanam perfectionibus, & dotibus ſibi naturalibus ornatam, & præcipue contra Apollinarem, mente humana præditam. Si enim in Chriſto eſt mens, ſeu anima intellectiva (ait D. Thom. citatus) ergo in ea debet eſſe cognitio intellectiva: cum enim *Qualibet res ſit propter ſuam operationem, ut dicitur in 2. de Cælo* (text. 17.) *fruſtra haberet Chriſtus animam intellectivam, ſi non intelligeret ſecundum illam: quod pertinet ad ſcientiam creatam.*

Secundo. Oſtenditur rationibus, quibus adverſus Monothelitas probatum fuit, operationes carnis, & animæ diſtinctas in Chriſto fuiſſe ab operationibus divinitatis. Unde in Sexta Synodo generali damnatur propoſitio illorum, qui negabant duas operationes in Chriſto: quod præſertim negabant de operationibus animæ intellectivæ, nempe, intellectus, & voluntatis: Unde, ut refert S. Thom. ibi, in eadem Synodo, Act. 4. *Damnata eſt propoſitio negantium, in Chriſto eſſe duas ſcientias, vel duas ſapientias.*

Tertio. Hoc idem demonſtrant locutiones Patrum, Chriſtum perfectum Deum, & perfectum hominem aſſerentium; ita ut nulla ex naturalibus humanæ naturæ perfectionibus Chriſto deeſſet; cum autem inter has potiſſima ſit ſcientia (ſcientiam enim hic ſumit S. Thom. pro qualibet intellectuali cognitione) ideo in Chriſto, præter ſcientiam increatam, debet eſſe ſcientia, ſeu cognitio intellectualis creata.

III. Hanc veritatem cenſet S. Thomas, citato loco, & *Q. 20. de Verit. art.* 1. eſſe de fide tenendam. Eſto enim forte non ſit ut immediate de fide tenendum, dari in Chriſto ſcientiam creatam ſtricte ſumptam per modum habitus demonſtrativi, ut a Logicis, & Metaphyſicis definitur: dogma tamen fidei eſt, in Chriſto fuiſſe ſcientiam creatam large ſumptam, ſcilicet, pro cognitione intellectuali. Tum quia: oppoſitum damnatum eſt in Sexta Synodo relata, ut error Monothelitarum. Tum quia: *Jo:* 1. Verbum caro factum, dicitur: *Plenum gratiæ, & veritatis*; quod abſque dubio intelligendum eſt de ſcientia creata, ſicut intelligitur de gratia creata. Tum quia: Chriſtus, *Jo:* 18. *v.* 15. dicebat: *Ego agnoſco Patrem, & mandata ejus obſervo*: at Chriſtus ſervabat Patris mandata per voluntatem, & operationes creatas: ergo etiam cognoſcebat Patrem per intellectum, & cognitionem creatam. Tum quia, in Chriſto ſecundum fidem ſunt omnia Dona Spiritus Sancti: ſed inter Dona Spiritus Sancti eſt ſcientia; ergo &c. Maj. prob. ex illo Iſaiæ 11. verſ. 2. *Requieſcet ſuper illum Spiritus Domini*. Tum denique; fide conſtat, Chriſtum, in quantum homo erat, meruiſſe, ac ſatifeciſſe pro nobis: ſed meritum intrinſece claudit actum voluntatis, & intellectus animæ rationalis. Nam meritum non eſt, niſi ubi eſt libertas; libertas autem licet in voluntate reſidet, naſcitur tamen ex intellectu. Huc revocanda ſunt, quæ ſupra contra Monothelitas produximus.

IV. Eſto autem forte, ut dixi, non ſit immediate de fide, in Chriſto fuiſſe ſcientiam per modum habitus; quia Scriptura de ſcientia actuali Chriſti videtur expreſſe loqui, ut cum dicitur, Jo: 13. v. 1. *Sciens Jeſus, quia venit &c.* & Jo: 8. v. 55. *Ego ſcio eum &c.* temerarium tamen eſſet hoc negare. Primo. Quia temerarium eſſet, negare Chriſto lumen gloriæ creatum: lumen autem gloriæ eſt habitus, ſeu qualitas permanens. Secundo. Temerarium eſſet dicere, in anima Chriſti non eſſe permanenter ſcientiam; ita ut etiam cum dormiret, non fuiſſet habitualiter ſapientiſſimus, ac prudentiſſimus. Tertio. Quia Chriſtus in actum cognoſcendi exibat, quoties volebat, prompte, ac delectabiliter; atque adeo in ejus anima erat habitus, a quo actus ille procederet.

V. Quod ſi dicatur, iſtam promptitudinem ad cognoſcendum potuiſſe provenire, non ab habitu, ſed a concurſu Dei ſpeciali, qui Chriſto infallibiliter aderat quoties volebat; veluti ex quodam pacto inito cum anima Chriſti, quando eam ſibi perſonaliter univit: ad eum modum, quo ejus anima, quoties volebat, patrabat miracula, quin in ipſa adeſſet habitus, ſeu qualitas permanens miraculorum patrativa.

VI. Reſpondeo, hoc quidem ſalvare, non eſſe errorem in fide (hoc enim modo aliquatenus videntur ſalvari Scripturæ, & Concilia) notam tamen temeritatis non effugere: quia aſſerit contra communem Theologorum conſenſum, & effingit miraculum abſque neceſſitate, & modum naturalem intelligendi invertit; qui eſt intelligere per habitum permanentem, non per auxilium, ſeu concurſum tranſeuntem. Ex quo patet diſparitas ad exemplum de patratione miraculorum. Hæc enim non erat animæ Chriſti connaturalis; & ideo ad illam non requirebatur habitus. At intelligere erat connaturale animæ Chriſti; & ideo ad hoc debet in ea poni habitus.

§. II.

Solvuntur Contraria.

VII. OBjicies primo. Chriſtus ſciebat omnia per ſcientiam increatam; ergo ſuperflue in eo ponitur ſcientia creata. —— Si reſpondeas, ſciviſſe quidem omnia per ſcientiam increatam quatenus erat Deus; non tamen ea ſciviſſe, per illam, quatenus erat homo. Vide S. Thomam 3. *part. quæſtion. 9. art.* 1. *ad* 1. ubi ait: *Si igitur non fuiſſet in anima Chriſti aliqua alia ſcientia, præter divinam, nihil cognoviſſet: & ita fuiſſet fruſtra aſſumpta, cum omnis res ſit propter ſuam operationem.*

VIII. Contra eſt. Scientia increata poterat communicari animæ Chriſti, & eam reddere intelligentem; ſicut eſſentia divina communicatur animæ Chriſti in ratione ſpeciei, & ea complet in ratione principii videntis Deum.

IX. Reſpondeo, nego ant. Pluſquam enim falſum eſt, animam Chriſti intelligere poſſe intellectione divina, ut Dubio ſequenti oſtendemus.

Secundo. Dato, pro nunc, hoc fieri poſſe; id tamen de facto accidiſſe negamus. Tum quia: de fide eſt, in Chriſto non unam tantum fuiſſe operationem, ſed duplicem; nempe increatam, & creatam, ut contra Monothelitas dictum eſt. Tum quia: cum ſcientia creata ſit perfectio naturalis animæ Chriſti, nec illi derogans non eſt a Chriſto auferenda; ſicut licet ponatur, Chriſtum ſanctificari ſubſtantialiter ſanctitate increata, non proinde negatur eum ſanctificatum fuiſſe etiam accidentaliter ſanctitate creata.

X. Inſtabis. Ex quo in Chriſto ponitur ſubſiſtentia increata, non eſt, ut ponatur in eo ſubſiſtentia creata; ergo ex quo ponitur in eo ſcientia increata, non eſt cur in eo ponatur ſcientia creata.

XI. Reſpondeo, nego conſ. Nam unio in Incarnatione facta eſt in perſona, non in natura. Et ideo licet in Chriſto ſit una perſona, nempe, increata; tamen ſicut in eo non eſt una natura, ſed duplex divina, & humana: ita in eo debet eſſe duplex operatio, divina, & humana, quia operatio ſequitur naturam, non perſonam. Quemadmodum ergo quamvis ſubſiſtentia divina fuerit ſubſtituta loco humanæ, & ita detur in Chriſto unica ſubſiſtentia: natura tamen divina non eſt ſubſtituta loco naturæ humanæ, & ita datur in Chriſto duplex natura: ſic

ſcientia divina non eſt ſubſtituta loco humanæ; & ideo non datur in Chriſto unica ſcientia, ſed duplex, increata, & creata. Unde D. Thom. 3. part. cit. loc. ad 3. *Unio* (inquit) *illa eſt ad eſſe perſonale: ſcientia autem non convenit perſonæ, niſi ratione alicujus naturæ.*

XII. Objicies ſecundo. In præſentia majoris luminis non eſt opus minori; quia lumen majus melius efficit, quam lumen minus. Tum etiam: iſtud offuſcat, ut in ejus præſentia non luceat, neque appareat: ſed ſcientia creata comparatur ad increatam, ſicut lumen minus ad lumen majus; ergo &c.

XIII. Reſpondeo cum D. Thom. cit. *ad* 2. majorem veram eſſe, quando lumen majus, & lumen minus accipiuntur in ordine illuminantis; ſicut lumen Solis offuſcat lumen candelæ: *Si vero accipiantur duo lumina, ita quod majus ſit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus lumen non offuſcatur per majus, ſed magis augetur, ſicut lumen aeris per lumen Solis.* Scientia autem creata comparatur ad increatam, ut lumen illuminatum: & ideo ad ejus præſentiam non offuſcatur, ſed augetur, & perficitur; ſicut cognitio ſenſitiva conjuncta cum intellectiva, quæ eſt lumen majus, augetur & roboratur.

Reſpondeo ſecundo. Verum eſſe, quod in præſentia luminis majoris non egemus minori. Sed ex hoc probatur quidem, quod Chriſtus, ſecundum divinam naturam, cui aderat majus lumen ſcientiæ increatæ, non egeret minori lumine ſcientiæ creatæ; non tamen, quod Chriſtus, ſecundum humanam naturam, non egeret ſcientia creata. Nam animæ humanæ Chriſti ſcientia increata non aderat, cum nihil poſſet ſcire, aut intelligere per illam. Sed, ut melius hoc percipiatur, ſit.

Dubium II.

An Anima Chriſti potuerit ſcire, aut intelligere per Scientiam, vel Intellectionem Incarnatam?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico. Impoſſibile eſt omnino, quod anima Chriſti eſſet ſciens, aut intelligens per intellectionem aut ſcientiam increatam. Ita reſolvimus etiam, *tom.* 1. *in* 1. 2. *quæſt.* 2. *de Beatitudine &c. dub.* 3. §. 3. Ubi oſtendimus, impoſſibile eſſe, aliquem eſſe formaliter beatum actione alterius, etiam divina, ipſi communicata. Quo Studioſum remitto: ubi aliqua etiam ad præſens Dubium ſpecialiter pertinentia ex Agathone Papa inveniet: & ex S. Th. *q.* 20. *de Verit. art.* 1. cujus verba tranſcribuntur. Et hoc idem eruitur ex verbis ejuſdem, 3. *p. q.* 9. *art.* 1. *ad* 1. cujus verba ſupra retulimus. Unde

II. Probatur primo, ratione ex ipſo ſumpta. Impoſſibile eſt, quod actio, ſeu operatio unius naturæ eadem numero communicetur, & reddat operantem aliam naturam, niſi natura ipſa, cujus eſt actus, communicetur; ergo, ut intellectio increata, quæ eſt actus proprius naturæ divinæ, communicaretur humanitati Chriſti, eamque redderet intelligentem; oporteret, ut humanitati Chriſti communicaretur natura divina in eſſe naturæ, & principii radicalis intelligendi: ſed natura divina eſt incommunicabilis alteri in eſſe naturæ, ut probat S. Thomas 3. *p. q.* 2. *art.* 1. ergo neque intellectio creata, quæ eſt actus illius proprius, poteſt alteri naturæ communicari, eamque reddere intelligentem. Ant. explicatur. Non enim poteſt operatio propria formæ communicari materiæ, niſi forma ipſa ei communicetur: neque enim ferro communicari poteſt operatio propria ignis; niſi ipſe ignis ſecundum ſuam naturam communicetur ferro. Hæc videtur ratio, qua, ut diximus, *tom.* 1. *in* 1. 2. cit. loc. contra Monothelitas uſus fuit Agatho Papa. Videantur ibi dicta. Ubi etiam §. 5. *n.* 20. diſcere poterit, quare natura divina poſſit communicari per modum ſpeciei intelligibilis menti beatæ; non vero poſſit uniri per modum naturæ.

III. Nec valet, ſi dicas. Quod eodem actu ſubſiſtendi, quo ſubſiſtit natura divina, ſubſiſtit etiam natura humana in Chriſto; ergo eodem actu, quo intelligit natura divina, poteſt intelligere natura humana.

Nam ad præſens dico, quod ſubſiſtentia divina poteſt communicari naturæ extraneæ, quin fiat actus ejus, hoc eſt, ab ea procedens; ſed tantum ſe habens, ut purus terminus eam complens, & ſuſtentans, ſeu aſſumens. At intellectio non poſſet communicari, niſi fieret actus naturæ, cui communicatur, & ab ea procedere. Cum ergo divina intellectio nequeat eſſe actus alterius, nec procedere ab alia natura, quam a divina; ideo non poſſet communicari alteri naturæ, niſi ei communicaretur natura divina in ratione naturæ, & principii operandi.

IV. Probatur ſecundo communi ratione, quam etiam citato *tom.* 1. *in* 1. 2. *quæſt.* 2. *dub.* 3. §. 3. expendimus. Omnis cognitio, vel intellectio eſt eſſentialiter vitalis actio; nihil enim poteſt cognoſcere, niſi ſit vivens, & inter opera vitæ principem locum obtineat intelligere: ſed de ratione eſſentiali actionis vitalis eſt, ut procedat, & producatur a vivente, & in vivente recipiatur; ergo nemo poteſt conſtitui intelligens, niſi per intellectionem a ſe productam, & in ſe receptam. Cum autem omnino repugnet, animam Chriſti producere, aut recipere in ſe divinam intellectionem; quia omne divinum improducibile eſt a creatura; & irreceptibile in illa: ideo &c.

V. Roboratur hæc ratio. Repugnat, intelligere, quod non eſt ab anima Chriſti, eſſe intelligere, quo anima Chriſti formaliter intelligit: ſed implicat, quod intelligere, quo Deus intelligit, ſit, & producatur ab anima Chriſti; ergo implicat, quod hoc ſit intelligere, quo anima Chriſti formaliter intelligit. Maj. explicatur. Impoſſibile eſt, quod Petrus vitaliter generet, & actus generandi non ſit a Petro generante; quod moveatur vitaliter motu progreſſivo animalis, & quod motus ille non ſit ab ipſo, qui movetur: quod velit aliquid, & actus volendi non ſit a volente; ergo repugnat, intelligere, quod non eſt ab anima Chriſti, eſſe intelligere, quo anima Chriſti intetligit

§. II.

Reſpondetur Objectis.

VI. Præter ea, quæ præcitato *tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 2. *dub.* 3. §. 5. propoſita ſunt, & ſoluta, ideoque videnda: Objici poteſt primo. Poteſt Deus in ſua potentia utens ſeparare intellectionem a meo intellectu, & eam ponere in intellectu Pauli, vel etiam in bruto, aut lapide; quia cum mea intellectio ſit realiter diſtincta a meo intellectu, poteſt a meo intellectu, ſaltem a Deo, ſeparari, & ſeparata conſervari in alio ſubjecto: ſed tunc Paulus foret intelligens mea intellectione; ergo a pari poſſet ſuam intellectionem communicare animæ Chriſti, eamque ſic reddere intelligentem.

VII. Reſpondeo primo, neg. maj. Cum enim actio vitalis eſſentialiter pendeat, & connectatur cum ſuo principio vitali, cujus, & a quo eſt; nulla potentia poteſt ab eo ſeparata conſervari.

Reſpondeo ſecundo, data maj. neg. min. Dato enim, quod Deus ſepararet a me meam intellectionem, & poneret in Paulo; Paulus diceretur utique conſervans meam intellectionem, ſed non intelligens per eam; & multo minus dici poſſet intelligens lapis, aut brutum: chymericum enim eſt dicere, quod lapis, vel brutum, remanente natura utriuſque, formaliter intelligant. Ratio vero eſt. Quia eſſentia intellectionis, utpote actionis vitalis, eſt eum ſolum conſtituere intelligentem, cujus eſt, & a quo eſt. Unde ſicut Deus nequit ſe conſtituere intelligentem mea intellectione: ita neque creatura poteſt conſtitui intelligens intellectione non ſua, quamvis ſit Dei. Nam actio vitalis ita eſſentialiter pendet a ſuo principio, ut ab eo ſpecificetur, & extra illud non poſſit effectum ſuum præbere: ad differentiam actionis non vitalis, qua poteſt conſtitui operans etiam id, quod non eſt proprium talis actionis principium: quia a proprio principio pendet ſolum efficienter, non tamen ab eo ſpecificatur.

VIII. Objici poteſt ſecundo. Si Deus eſſet formaliter albedo, vel quantitas, & uniretur humanitati; illam formaliter redderet albam, vel quantam, ſicut eam reddit ſubſiſtentem: ſed Deus eſt formaliter ſcientia, intellectus, ergo poterit illam reddere formaliter ſcientem, ac intelligentem.

IX. Reſpondeo, neg. maj. Si enim Deus eſſet albedo, non poſſet determinare album aliquod ſubjectum, niſi et inhærendo, quod Deo repugnat. Et eſt exemplum: nam Deus eſt formaliter vita, & unitur corpori Chriſti: & tamen ipſum non conſtituit formaliter vivum ſine anima, ut patet in triduo mortis. Neque oppoſitum fieri potuit. Nulla ergo perfectio formaliter exiſtens in Deo poteſt per ſe ipſam formaliter uniri, & denominare creaturam præter ſubſiſtentiam, & eſſe: quia omnis alia perfectio pertinet ad naturæ conſtitutionem, vel trahitur ad eſſe naturæ, non trahit naturam ad eſſe ſuum, ut ſubſiſtentia.

X. Objici poteſt tertio. Chriſtus meruit beatitudinem infinitam, cum ejus meritum fuerit ſimpliciter infinitum, ut ſupra ſtatutum eſt: ſed ſola viſio Dei increata eſt ſimpliciter infinita; ergo hæc communicata fuit animæ Chriſti.

XI. Reſpondeo, neg. maj. Chriſtus enim non acquiſivit per meritum beatitudinem animæ, ſeu viſionem claram Dei; ſed eam habuit vi unionis hypoſtaticæ, in inſtanti ſuæ conceptionis, ut Dub. ſequenti oſtendemus: eam tamen meruit nobis. Sed ex quo ejus meritum fuerit infinitum, non ſequitur, quod & correſpondeat pro præmio aliquid categorematice infinitum, ſed tantum ſincategorematice: eo modo, quo eſto potentia Dei ſit infinita, ejus tamen terminus adæquatus non eſt aliquid categorematice infinitum, ſed ſolum ſincatogorematice. Et ſic dato etiam, quod Chriſtus meruiſſet ſibi merito infinito viſionem Dei; ſolum ſequeretur, quod meruiſſet viſionem Dei infinitam ſincategorematice: ideſt non tantam, quin majorem, & majorem in infinitum mereri potuerit.

Dubium III.

An Christus habuerit Scientiam quam habent Beati?

§. I.

Prior Resolutio.

I. STatuta in Christo, ultra scientiam increatam, etiam scientia creata, videndum est, quænam ex scientiis creatis in ipso fuerit. Cum autem scientia creata triplex sit, nempe, visio beata, seu cognitio, qua Beati clare vident Deum: secundo, scientia infusa, seu cognitio per species a Deo infusa, qualis est cognitio Angelorum: & tertio, scientia acquisita, seu cognitio per species a rebus, & objectis acceptas, qualis est cognitio nostra; ideo quæremus: An triplex hæc scientia in Christo fuerit. Et primo quidem: An Christus habuerit scientiam beatorum.

Dixi autem *habuerit*, non *habeat*. Quod enim modo Christus habeat scientiam beatam, & Deum facie ad faciem intueatur, articulus fidei est; qui in Ascensione Christi proponitur ab Ecclesia, ex cap. ultimo Marci, v. 19. *Et Dominus quidem Jesus .... Assumptus est in Cælum, & sedet a dextris Dei.* Sed controversia est: An illam habuerit, dum esset in hac vita, & mortalis nobiscum conversaretur? Quod idem est, ac quærere: An Christus, dum erat viator, esset simul Comprehensor, & videret Deum?

II. Dico primo. Anima Christi eo etiam tempore, quo mortali corpori fuit unita, habuit scientiam beatam, qua Deum videbat intuitive. Hæc conclusio, ut jacet, tamquam fidei proxima, & implicite revelata in Scripturis, ac Traditione confirmata, tenenda est. In Scriptura quidem iis verbis, Jo: 1. vers. 14. *Vidimus gloriam ejus: gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Ac si diceretur: plenam cognitionem veritatis habet Verbum caro factum, & tam plenam, quantam condecet Unigenitum a Patre: sed Unigenum a Patre condecet, ut habuerit cognitionem plenam, ideſt, non abstractivam solum, sed & intuitivam, qualem nullus antea in vita mortali habuit, ergo &c. Hinc ibidem, vers. 18. subditur: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ac si diceret: Moyses, & Prophetæ tantum quæ audierunt, non quæ viderunt, nobis enarraverunt. At Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit quæ vidit, non solum ut Deus, sed ut homo; qui in sinu, ideſt, in secreto Patris, tamquam Unigenitus, quæ enarrabat, videbat. Id videtur asserere August. *Tract.* 3. *in Joann.* Et merito. Nam si Filius Dei enarravit, ut homo, quæ ut homo non vidit; quid excellentius haberet testimonium Christi testimonio Moysis, & Prophetarum?

III. Ex his conficitur ratio. Christus, quatenus homo, venerat ut Magister, Præceptor, & testis, ad inducendum nos, ut credamus Mysteria fidei, quæ nobis enarrabat; ergo decuit ad firmitatem suæ doctrinæ, suique testimonii, ut non tantum ex auditu, sed ex visu ea narraret. Esto enim alii Præceptores subalterni possint alios instruere ex iis, quæ audierunt ab aliis, non tamen primus fidei Præceptor: nullum enim fidei negotium omnino certum est, si nullus sit testis oculatus. His enim, qui audierunt, fidem habemus, quia acceperunt ab eis, qui viderunt; ergo si Christus non vidisset, ut homo, quæ nobis, ut homo proponebat, non acquievissemus Christo, quia ipse dixisset; sed quia ab alio audivisset, qui vidisset; & sic non esset primus fidei Præceptor. Merito igitur, *Jo: cap. 3. v. 31. & 32.* dicit: *Qui de Cælo venit, super omnes est: & quod vidit, & audivit, hoc testatur.* Testimonium enim ejus, qui non solum audivit, sed vidit, fortius est testimonio ejus, qui solum audivit.

IV. Accedit etiam ratio S. Thom. 3. *p. q. 9. art. 2.* sub hac forma. Christus, ut homo est Caput Electorum perducens illos ad gloriam, & beatam visionem; juxta illud, Hebr. 2. v. 10. *Multos filios in gloriam adduxit*; sicut est Caput homines ad gratiam perducens, Rom. 7. vers. 25. *Gratia Dei per Jesum Christum*: sed quia erat Caput perducens homines ad gratiam, decuit, ut in se gratiam haberet; ergo quia erat Caput ad gloriam perducens homines, decuit, ut in se gloriam, seu visionem beatam haberet. Quia, inquit S. Thomas, quod reducit aliquid de potentia ad actum, debet esse in actu: sicut ut aliquid calefaciat, debet esse calidum in se. Cum ergo Christus, ut homo, hominem, qui est in potentia ad visionem beatam, reducat ad actum visionis; debet esse in actu per visionem, sicut est in actu per gratiam.

V. Scio, aliquos obmurmurare contra hanc S. Thomæ rationem dicentes: quod esto causa principalis debeat præhabere in se effectum, ad quem perducit, non tamen causa instrumentalis: humanitas autem Christi perducit nos ad gloriam, non ut causa principalis, sed ut instrumentalis.

Sed respondeo, quod humanitas Christi, esto foret instrumentum divinitatis, erat tamen instrumentum præcipuum, excellentiæ, & conjunctum. Decet autem, ut tantum quantum sit in actu per formam, ad quem debet alium perducere; sicut decuit, ut haberet gratiam, ad quam alios perducebat. Addo: quod Christus, ut homo, esto foret instrumentum divinitatis in ratione agentis physici; fuit tamen in alio genere etiam causa principalis: etenim instruebat homines tamquam primus fidei Magister: erat etiam causa principalis meritoria.

§. II.

Posterior Resolutio.

VI. DIco secundo. Christus habuit scientiam beatam a primo suæ conceptionis instanti. Id probant primo laudata Jo: verba, *cap.* 1. Ubi postquam dixit: *Verbum caro factum est*, statim addit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Quibus ostendit, ex vi unionis hypostaticæ gloriam in animam Christi derivasse, ac fuisse in illo plenitudinem gratiæ, nempe, gratiam consummatam. Id etiam probat ratio. Nam humanitas Christi ratione unionis hypostaticæ habuit jus naturalitatis ad hæreditatem, & communicationem in bonis divinitatis: unde a Paulo, *Hebr.* 1. Christus, quatenus homo, utpote Filius naturalis Dei, dicitur *Hæres* omnium bonorum Patris. Sic ergo dico: Filio naturali Dei debetur hæreditas statim, ac nihil obstat: hæc autem hæreditas est visio Dei intuitiva; nec potest adduci ratio, cur illam a primo suæ conceptionis instanti non sit assecutus. Certe gloria corporis, quam exhibuit in monte Thabor, fuit signum gloriæ, quæ erat in ejus anima: si ergo tunc ejus anima gloriam habuit, non est ratio, cur eam non habuerit semper.

Præterea: Christus ab instanti suæ conceptionis, seu Incarnationis fuit caput Angelorum. Unde, *Hebr.* 1. *v.* 6. dicitur: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Cum ergo Angeli jam essent per visionem beati, hoc excellentius debuit frui anima Christi: absonum enim esset, si Caput in eodem ordine supernaturali, quo est Caput, esset inferius membris, maxime cum sit Caput dignitate; & monstruosum, si membra alicujus corporis perfectius, ac majus lumen haberent, quam Caput, in quo omnes sensus vigere debent. Dicendum est ergo cum S. Thom. 3. *p. q.* 34. *art.* 4. quod Christus In primo instanti suæ conceptionis accepit gratiam non ad mensuram: *Gratia autem viatoris cum sit deficiens a gratia Comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratiæ Comprehensoris. Unde manifestum est, quod Christus in primo instanti suæ conceptionis accepit non solum tantam gratiam, quantam Comprehensores habent, sed etiam omnibus Comprehensoribus majorem. Et quia gratia illa non fuit sine actu; consequens est, quod actu fuerit Comprehensor, videndo Deum per essentiam clarius cæteris creaturis.* De hoc videri potest in 3. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 6.

VII. Nec valet si dicas. Nobilius est aliquid habere per meritum, quia hoc habet quodammodo per seipsum; quam illud habere sine merito, & per aliud: atqui si Christus habuit gloriam in instanti suæ conceptionis, eam habuit sine merito; ergo &c.

VIII. Respondeo cum S. Thom. 3. *p. q.* 19. *art.* 3. majorem esse veram, cæteris paribus, ideſt, si haberet, rem per meritum, aliunde non deroget dignitati personæ. Derogaret autem dignitati Christi, si gloriam acquisiviſſet per meritum, quia aliquando ea caruisset: *Unde* (inquit S. D.) *nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit: quia cum meritum non sit, nisi ejus, quod nondum habetur, oporteret, quod Christus istis caruisset; quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat meritum. Sed gloria corporis, vel si quid aliud hujusmodi est, minus est, quam dignitas merendi, quo pertinet ad virtutem charitatis.*

§. III.

Objectiones contra utramque Resolutionem.

IX. PRimo objicitur. Scriptura, *Hebr.* 2. *v.* 9. dicit. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*; ergo ante passionem mortis Christus, ut homo, non habuit gloriam. Hinc *Jo:* 7. *v.* 29. dicitur: *Nondum enim Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et Lucæ 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

X. Respondeo, præfata testimonia, intelligenda esse de gloria accidentali, sive Ascensionis, sive manifestationis, & exaltationis nominis Christi, quæ omnia ex ejus passione consecuta sunt; vel de gloria corporis: non vero de gloria essentiali, & interna animæ. Sic propter passionem mortis, fuit Christus gloria Resurrectionis &c. coronatus. Sic, ut ait August. *Tract.* 32. *in cap.* 7. *Jo:* nondum Spiritus erat discipulis per insufflationem datus, quia Jesus per resurrectionem nondum fuerat glorificatus. Sic enim dicitur, Christum oportuisse pati & ita intrare in gloriam corporis, vel exaltationis sui nominis: hanc enim passionis suæ merito sibi comparavit. Unde Paulus postquam *Philipp.* 1. *v.* 8. dixit, quod Christus *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*: subjungit: *Propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

XI. Ob-

XI. Objicies secundo. *Luc. 2. v. 52.* dicitur: *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Atqui si Christus fuisset ab initio beatus, non fuisset amplius capax talis profectus, ergo &c.

XII. Respondeo, Christum ibi dici crevisse in gratia, non quia habitus gratiæ in eo augeretur: sed quia crescebant effectus, & opera, quæ Christus ex suscepta gratia operabatur. Ita S. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 12. ad 3. *Christus* (inquit) *proficiebat sapientia, & gratia, sicut & ætate: quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat; ut se verum hominem demonstraret, & in his, quæ sunt ad Deum & in his quæ sunt ad homines.* Illi enim dicuntur proficere in dono, qui dono bene utuntur, quamvis donum non crescat in se. Quo sensu ad *Coloss. 1. v. 6.* verbum Dei dicitur crescere; quia crescebat conversio Gentium, quæ erat effectus prædicationis verbi Dei.

XIII. Objicies tertio. Si anima Christi ante passionem fuisset beata, gloria ejus redundasset in corpus, ut fiet in Beatis post universalem resurrectionem; sed ad Christi corpus nihil gloriæ redundabat: imo erat passibile, mortale, & alias infirmitates habebat, quas nos viatores habemus: ergo &c.

Respondeo, veram esse majorem connaturaliter loquendo. Quia tamen cum statu Comprehensoris voluit Christus conjungere statum viatoris; & opera sua esse meritoria, ac corpus suum mortem subire, nosque redimere passione sua; miraculo factum est, ut gloria intra animam contineretur; nec redundaret in corpus. Ut tamen suæ internæ gloriæ testimonium exhiberet Apostolis, & a cordibus eorum scandalum de sua passione amoveret, semel permisit, ut gloria animæ ejus redundaret ad corpus: & hoc fuit, quando in monte Thabor transfiguratus est, ut asserunt SS. Patres, & S. Thom. 3. *part. quæst. 45. art. 2.* Quod si anima Christi vere non fuisset beata, Christus Apostolos tunc fefellisset.

XIV. Sed dices. Impossibile est' conjungere simul statum viatoris, & comprehensoris. Viatori enim convenit moveri ad beatitudinem. Comprehensori autem competit in beatitudine quiescere: sed non potest eidem simul convenire, moveri ad finem, & quiescere in fine; ergo &c.

XV. Respondeo, dist. min. Eidem secundum idem conc. minor. Eidem secundum diversa, nego min. Ut ergo docet S. Thom. 3. p. q. 15. art. 10. *Aliquis dicitur viator ex eo, quod tendit in beatitudinem: Comprehensor autem dicitur ex hoc, quod jam beatitudinem obtinet ... Hominis autem beatitudo perfecta consistit in anima, & corpore ... In anima quidem, quantum ad id, quod est ei proprium, secundum quod mens videt, & fruitur Deo. In corpore vero, secundum quod corpus resurget spirituale, & in virtute, & in gloria, & in incorruptione, ut dicitur 1. Cor. 15. Christus autem, ante passionem, secundum mentem plene videbat Deum: & sic habebat beatitudinem quantum ad id, quod est proprium animæ. Sed quantum ad alia deerat ei beatitudo: quia & anima ejus erat passibilis, & corpus passibile, & mortale. Et ideo simul erat Comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ: & simul viator, in quantum tendebat in beatitudinem, secundum id, quod ei de beatitudine deerat.* Subdit ergo ibi: ad 1. *Quod impossibile est moveri ad finem, & quiescere in fine, secundum idem; sed secundum diversa nihil hoc prohibet. Sicut aliquis homo simul est sciens quantum ad ea, quæ jam novit; & addiscens quantum ad ea, quæ nondum novit.*

XVI. Neque dicas, Sancti, quorum animæ sunt in Cælo, & corpora in sepulchris, esto non fruantur beatitudine secundum corpora, sed solum secundum animam, non dicuntur tamen simul viatores, & Comprehensores; ergo neque Christus &c.

Respondet enim S. Thom. ibi, ad 3. *Quod non est eadem ratio de animabus Sanctorum, & de Christo, propter duo. Primo quidem: quia animæ Sanctorum non sunt passibiles, sicuti fuit anima Christi. Secundo: quia corpora non agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant; sicut Christus secundum corporis passiones in beatitudinem tendebat, quantum ad gloriam corporis.*

XVII. Objicies quarto: & replicabis. Christus erat beatus secundum animam, & erat passibilis secundum animam; ergo erat beatus, & passibilis secundum idem. Ant. prob. Passiones animæ sunt timor, & tristitia: sed anima Christi pavebat, mœsta erat, tristabatur. Marci 14. v. 33. *Cœpit pavere, & tædere: Tristis est anima mea usque ad mortem;* ergo &c.

Confirmatur. Cum summa delectatione, & quiete beatitudinis non compatitur timor, & tristitia. Rursus: anima beata nil aliud vult, quam quod Deus vult; alioquin non esset beata, quia non haberet quidquid vellet: sed anima Christi volebat aliquid, nempe, non mori; Deus autem volebat Christum mori; ergo &c.

XVIII. Respondeo, nego conf. Christus enim erat beatus secundum animam, ideſt, secundum ea, quæ sunt propria animæ, nempe, secundum mentem: erat autem passibilis secundum animam, sed secundum ea, quæ anima habet a corpore, cui conjungitur passione, sive corporali affectione per corporis læsionem: cum enim unum sit esse animæ, & corporis, ideo corpore perturbato, necesse est, & animam per accidens perturbari: sive animari per operationem, quæ vel est propria animæ secundum partem sensitivam; vel est principalius animæ, quam corporis. De quo videndus est S. Thom. 3. *part. quæst. 15. art. 4.* Hujusmodi tamen passiones delectationem mentis in Deo non turbabant: unde anima Christi secundum aliud erat beata, nempe, secundum mentem; secundum aliud erat passibilis; nempe, secundum esse, quod habebat in corpore. Hinc ad prob. antecedentis dico, quod Jesus cœpit pavere, & tædere, non necessitate; quasi anima ejus his passionibus necessario ageretur: si enim permisisset, ut gloria, qua fruebatur secundum mentem, etiam derivaretur ad animam, ut est actus corporis; nullus in Christo fuisset pavor, nulla tristitia. Cœpit ergo pavere &c. voluntate: hac enim passiones assumpsit, quia corpus mortale, & passibile habere voluit. Unde ad indicandum, quod illæ passiones non turbarent mentem, vel rationi non dominarentur, dicitur quod *Cœpit pavere, & tædere.* Quasi diceret, quod illa passio inchoabatur quidem in parte inferiori animæ, sed ad superiorem non ascendebat. Unde Hieronymus, in cap. 26. Matth. *Ostenditur* (inquit) *quod Dominus, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus est; sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœperit contristari. Aliud est enim contristari, & aliud incipere contristari.*

XIX. Ad Confirmat. dico, quod esto timor, & tristitia non compatiantur cum summa delectatione, & quiete, si in eodem subjecto sint, & respectu ejusdem: secus tamen si sint in diverso subjecto, & respectu diversorum, sicut in Christo. Nam summa delectatio, & quies erat in anima secundum mentem, timor vero, & tristitia erant in anima, vel secundum appetitivam partem, vel secundum voluntatem per modum naturæ. Quia ab his respiciebatur passio, & mors, ut contraria, nociva, & destructiva naturæ: hæc tamen tristitia non turbabat mentem, nec voluntatem rationis: quæ cum respiceret passionem, & mortem, ut ordinatam ad nostram salutem, illam volebat, & de ea, immo & de illa tristitia, & timore gaudebat; quia ad illum finem ea assumpserat, & ordinabat,

Ad id, quod additur, respondeo cum S. Thom. 3. *p. q. 18. art. 5.* quod *Christus secundum voluntatem sensualitatis, & secundum voluntatem rationis, qua consideratur per modum naturæ, aliud poterat velle, quam Deus: sed secundum voluntatem, qua est per modum rationis, semper idem volebat quod Deus.* Quare autem per voluntatem sensualitatis, vel naturæ potuerit non velle quod volebat Deus, rationem dat ibi, *ad 1.* Quia voluntatis sensualitatis *Motus non se extendit usque ad voluntatem Dei.* Voluntas autem, quæ consideratur per modum naturæ *Fertur in aliqua objecta absolute considerata, & non in ordine ad divinam voluntatem.* Neque est simile de aliis Comprehensoribus. Nam, ut docet ibi, ad 3. *Christus fuit simul Comprehensor, & viator: in quantum scilicet, per mentem fruebatur Deo, & habebat carnem passibilem. Et ideo ex parte carnis passibilis poterat in eo aliquid accidere, quod repugnaret naturali voluntati ipsius, & etiam appetitui sensitivo.* Quod in aliis pure Comprehensoribus non accidit.

XX. Ex his sequitur, ut docet D. Thom. *3. p. quæst. 18. art. 6.* non fuisse in Christo contrarietatem voluntatum. Primo: quia contrarietas non potest esse, nisi oppositio attendatur in eodem, & secundum idem. Quod si voluntas unius sit de aliquo fiendo, secundum unam rationem, & alterius sit de eo fiendo, secundum aliam rationem; puta, si Rex velit suspendi latronem, propter bonum publicum, & aliquis ejus consanguineus nolit eum suspendi, propter amorem privatum, vel bonum ejus familiæ: non erit contrarietas voluntatis; nisi forte in tantum se extendat voluntas hominis Privati, quod bonum publicum velit impedire, ut conservetur bonum privatum: tunc enim circa idem attenditur repugnantia voluntatum. Secundo: requiritur ad contrarietatem voluntatis, quod sit circa eamdem voluntatem. Si enim unus homo vult unum, secundum appetitum rationis, & non vult, secundum appetitum sensitivum, non est hic aliqua contrarietas; nisi forte appetitus sensitivus in tantum prævaleat, quod vel immutet, vel retardet appetitum rationis: sic enim jam ad ipsam voluntatem rationis perveniret aliquid de motu contrario appetitus sensitivi. Ita, paucis mutatis, S. Thom.

Cum ergo sub alia ratione Christus non vellet mortem, ac eam volebat Deus: cum non eadem voluntate, ac appetitu eam non vellet: cum iste appetitus non repudiaret rationem, sub qua mortem volebat Deus, sed potius ab ea præscinderet; nec tali appetitu impediretur voluntas divina, aut voluntas rationis Christi; aut voluntas divina, sive voluntas rationis Christi refugeret motum voluntatis naturalis, aut appetitus sensitivi in Christo, sed potius ei placeret: patet, nullam fuisse in Christo repugnantiam, aut contrarietatem voluntatum.

XXI. Objicies quinto. Nemo, qui sit viator, potest Deum videre, nisi abstrahatur, & alienetur a sensibus: sed Christus erat viator, & sensuum operationes, ut alii homines, exercebat; ergo &c. Maj. probat. Tum Exodi 33. vers. 22. *Non enim videbit me homo, & vivet.* Ideſt, ut exponunt Patres, non videbit me quispiam, nisi anima corpus relinquat, vel quoad informationem, vel quoad usum sensuum.

Tum quia: Paulus, dum in raptu, juxta sententiam

S. Thomæ, vidit Deum, alienatus fuit a sensibus. Unde, 2. *Cor.* 12. *v.* 2. dicebat: *Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio .... audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Tum quia S. Thom. *quæst.* 13. *de Verit. art.* 3. & 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 4 affirmat, esse impossibile, aliquem in statu viæ Deum per essentiam videre sine abstractione a sensibus. Ex quibus, *Quodlib.* 1. *art.* 1. concludit, B. Benedictum nec miraculose vidisse divinam essentiam, quia non fuit a sensibus alienatus.

Tum denique ratione. Quia ad videndum Deum debet tota animi attentio, & intentio colligi; ut toto conatu tendat in Deum, quod est vehementissimum intelligibile absorbens totam potentiam: sed impossibile est, quod anima toto conatu attendat ad plurium potentiarum operationes; quia attentio circa plura minuitur, ut constat experimento. Dum enim quis ad visionem totaliter attendit, vix quidquam potest percipere auditu, vel alio sensu. Et hæc est ratio, qua utitur S. Thom. *quæst.* 13. *de Verit.* & 2. 2. citatis locis.

XXII. Respondeo, omnia præfata vim habere in homine puro viatore, qui non habet plenum dominium supra facultates animæ, & corporis: non vero in Christo, qui, utpote Deus, & homo, habebat plenariam potestatem supra omnes animæ, & corporis vires. Ita S. Thom. citata *quæst.* 13. *de Verit. art.* 3. *ad* 3. his verbis: *Dicendum, quod Christus ex hoc, quod erat Deus, & homo, habebat plenariam potestatem supra omnes partes animæ suæ, & super corpus. Unde ex virtute Deitatis, secundum quod nostræ reparationi competebat, permittebat unicuique potentiarum animæ agere id, quod est ei proprium, ut dicit Damascenus. Et sic non erat necessarium in ipso, quod fieret redundantia ex una potentia ad aliam: neque quod una potentia a suo actu abstraheretur per vehementiam actus alterius. Unde per hoc, quod intellectus ejus videbat Deum, non oportebat aliquam abstractionem a corporeis sensibus fieri. Secus autem est in aliis hominibus, in quibus ex quadam colligantia potentiarum animæ ad invicem, sequitur de necessitate, quod fiat redundantia, vel impedimentum ex una potentia in aliam.* Hæc S. Thom.

Quibus patet responsio ad exempla superius allata de Moyse, Paulo, S. Benedicto, & etiam ad rationem. Quæ evincunt solum, purum hominem in statu viæ non posse videre Deum in se, nisi alienetur a sensibus: quia cum non habeat facultatem continendi in suis officiis cæteras potentias; si permitterentur agere, impedirent visionem claram Dei: quod in Christo non contingit. Quare observo: quod cognitiones diversorum ordinum, quarum una superior est, alia inferior, si quælibet in sua statione maneat, & superior regulet inferiorem, & inferior regi se sinat a superiori; non se invicem impediunt, sed se juvant: tunc ergo solum se impediunt, & distrahunt in suis officiis, quando inferior prævenit, & non subditur superiori, nec superior potens est regere inferiorem. Hujus exemplum clarum habemus in passionibus. Passio enim rationem sequens, & a ratione excitata, non impedit rationis actum, sed potius juvat: sed si passio antecedit, & in rationem insurgit, tunc rationem turbat, & distrahit. Sic in casu: si sensus, ut in Christo contingebat, regulentur, & subjiciantur visioni Dei, & ex ejus motione in sua officia procedant; non distrahunt, nec impediunt, nec distrahuntur, aut rapiuntur.

DUBIUM IV.

An in Christo, præter Scientiam Beatam, fuerit Scientia Infusa?

§. I.

Explicantur aliqua.

I. ADverto primo: Scientiam infusam vocari etiam scientiam *Inditam*: quæ in hoc conveniunt, quod neutra ulla acquiritur industria, & labore naturæ. Si tamen proprie, & formaliter usurpentur, distinguuntur. Nam scientia indita in rigore vocatur, quæ naturam, in qua est, concomitatur veluti proprietas naturalis; quæque eadem actione comproducitur, qua subjectum, in quo est, velut complementum illius: & hoc modo species intelligibiles Angelis infusæ, inditæ nuncupantur. Scientia vero infusa formaliter dicitur illa, quæ neque propriis naturæ viribus est acquisita; sed neque naturam concomitatur; sed advenit subjecto, Deo illam infundente. Scientia primi generis est scientia Angelorum. Scientia vero secundi generis fuit scientia collata Adæ in sui conditione; quia neque sequebatur ex vi naturæ hominis, neque eadem actione, qua ejus anima est creata; sed alia distincta; qua Deus auctor gratiæ ei largitus est omnes virtutes; & dona etiam supernaturalia: talisque infusio ipsum Adamum comitata fuit.

II. Adverto secundo. Scientiam infusam esse duplicem: Unam per se infusam, alteram infusam solum per accidens. Per se infusa ea est, quæ virtute naturali creaturæ acquiri non potest, sed a solo Deo in creatura, imprimi, & causari debet: & hæc absolute, & simpliciter infusa dicitur. Infusa vero per accidens illa est, quæ viribus humani ingenii acquiri potest; de facto tamen non acquiritur, sed illam Deus infundit ex privilegio: & talis fuit scientia infusa Adamo.

III. Scientia per se infusa ordinis divini, & supernaturalis omnino est; quia viribus naturæ comparari nullo modo potest. Scientia vero infusa solum per accidens est simpliciter ordinis naturalis; quia natura habet in se sufficiens principium ad illius productionem: ideoque dicitur infusa solum per accidens, quia per se naturæ viribus est acquisibilis. Unde dicunt Theologi, scientiam per se infusam non esse ejusdem speciei cum per se acquisita, bene tamen scientiam infusam solum per accidens. — Hæc tamen scientia, per accidens infusa, dici potest aliquo modo supernaturalis ex parte principii, & modi, quo causatur. Scientia vero indita nullo modo supernaturalis est, neque ex parte objecti, neque ex parte principii: quia ex vi productionis naturæ connaturalis, & debita est.

IV. Scientia igitur infusa Christi potius dicenda est infusa, quam indita; quia non fuit debita naturæ animæ Christi; licet aliquomodo possit dici indita, quia concomitatur naturam animæ Christi; cui veluti connaturalis, & debita est, considerata unione ejus ad Verbum. Quare S. Thomas 3. *part. quæst.* 9. *art.* 3. eam modo vocat infusam, modo inditam; ut ostendat, utroque modo posse dici secundum diversas considerationes, licet uno modo proprie, alio non ita proprie.

§. II.

Resolvitur Dubium.

V. DIco. In Christo, præter scientiam beatam, fuit scientia per se infusa, qua cognovit omnia, quæ lumine naturali, & divina revelatione possunt cognosci, ut supremo hominum Capiti congruum erat: & hanc habuit ab instanti suæ conceptionis. Ita S. Th. 3. *p. q.* 9. *art.* 3. Probatur pro prima parte ex illo, ad *Coloss.* 2. ubi de Christo, *v.* 3. dcitur: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Et ex illo *Isaiæ* 11. *v.* 3. ubi de eodem dicitur: *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Quæ sensum reddunt: quod Christus non erat judicaturus secundum species acceptas a sensibus, sed secundum altiorem scientiam interius a principio superiori ei impressam.

Probatur autem ratione primo. Sicut se habet gratia ad voluntatem, ita scientia ad intellectum: sed in Christo fuit plenitudo gratiæ perficientis ejus voluntatem, non solum per ordinem ad actus Patriæ, sed etiam per ordinem ad actus viæ; ergo similiter fuit in eo plenitudo scientiæ, non solum ad actus Patriæ, nempe, visionem Dei, sed etiam ad actus viæ, qualis est cognitio rerum in proprio genere.

VI. Secundo probatur. Scientia per se infusa fuit in anima Christi possibilis: fuit pertinens ad perfectionem debitam ejus animæ, fuit illi necessaria; ergo eam habuit. Ant. quod fuerit possibilis, patet. Nulla enim ratio hujus impossibilitatis afferri potest. Scientia enim per se infusa non est incompossibilis cum scientia beata: quia in Angelis cum scientia beata, qua res cognoscunt in Verbo, adest scientia per se infusa, qua res cognoscunt in se ipsis. Non est incompossibilis cum scientia acquisita; quia per hanc cognoscuntur res per species acceptas a sensibus, & consequenter non ut sunt in seipsis: per scientiam vero infusam cognoscuntur res, ut sunt in seipsis, & per species ab infundente acceptas.

Est etiam pertinens ad perfectionem debitam animæ Christi. Ei namque, ratione unionis cum Verbo, quoad partem intellectivam, maxime circa supernaturalia, debebatur major perfectio, quam illa, quæ fuit Angelis communicata; sed Angelis fuit commuicata scientia infusa, qua viderent res, nedum in Verbo per scientiam beatam, sed in seipsis per scientiam infusam: ergo hæc debebatur animæ Christi. Addo: quod, ut docet S. Thom. loco citato, ad perfectionem animæ Christi pertinebat, ut non relinqueretur in potentia ad species intelligibiles (quod factum esset, si in ea fuisset tantum scientia acquisita) sed ut fieret in actu statim per species intelligibiles omnium; sicut factum est in Angelis, in quibus fuit duplex cognitio: una matutina, qua cognoscerent res in Verbo: alia vespertina, qua cognoscerent res in propria natura, ut docet August. *lib.* 4. *super Genes. ad litt. cap.* 22. 24. & 30. ergo ita factum fuit in Christo. Hinc in Sacris Litteris dicitur, Christum scientiam habuisse eo tempore, quo eam acquisivisse non poterat. *Luca* 2. *v.* 47. & *Jo:* 7. *v* 15. mirabantur Judæi dicentes: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?*

Quod vero scientia infusa fuerit Christo necessaria; prob. Nam Christus non solum fuit Comprehensor, sed etiam viator, & capax meriti, imo ab instanti suæ conceptionis meruit: sed in hoc statu illi necessaria erat aliqua supernaturalis cognitio, in qua ejus meritum fundaretur: quæ cum non posset esse scientia beata, neque acquisita, quam tunc non habuit; ergo relinquitur, quod fuerit scientia infusa.

VII.

VII. Ex his apparet ſecunda pars Aſſerti, nempe, quod ſcientiam infuſam habuerit ab inſtanti ſuæ conceptionis. Si enim ſcientia infuſa erat illi debita, ratione unionis cum Verbo; ergo a primo inſtanti illam habere debuit. Et ſicut a primo inſtanti debuit habere gratiam; & habuit meritum, ſic habere debuit, & habuit cognitionem, qua tale meritum regularetur. Hoc colligitur ex Apoſtolo *Hebr.* 10. *verſ.* 5. qui de Chriſto ait: *Ideo ingrediens mundum dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi .... Tunc dixi ecce venio: in Capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam Deus voluntatem tuam.* Quibus ſignificatur, in ipſo ingreſſu in mundum, qui factus eſt per Incarnationem, cognoviſſe Chriſtum voluntatem Patris, & voluntarie obtuliſſe ſuam vitam pro hominum ſalute: ſed hæc fieri non poterant a Chriſto, ut homine, niſi ſupernaturalem eorum cognitionem haberet; quæ non poterat eſſe fidei, quæ in Chriſto non erat: neque beata, quia hæc non regulat meritum: neque acquiſita, vel per accidens infuſa, quia hæc eſt ordinis naturæ; ergo erat per ſe infuſa.

VIII. Dixi *per ſe infuſa*, & non ſolum per accidens. Si enim illa cognitio, ſive ſcientia fuiſſet per ſe acquiſibilis, & infuſa ſolum per accidens: vel fuiſſet ordinis naturalis, & ſic non potuiſſet regulare ejus meritum: vel fuiſſet ſupernaturalis extrinſece, eo modo, quo cognitio Thologica, & ſic fuiſſet obſcura: ac proinde non minus repugnans in Chriſto cum evidentia, quam habebat per ſcientiam beatam; non minus ac cum illa repugnet obſcuritas fidei, ut aſſenſus Theologicus noſtro ſimilis pendeat ex articulis fidei, ut ex principiis: ſed in Chriſto non erat fides; ergo neque in eo erat cognitio ſimilis aſſenſui noſtro Theologico.

IX. Ex his ſequitur primo: quod iſta ſcientia per ſe infuſa fuerit intrinſeca, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, quatenus erat ad dirigendam voluntatem in ordine ad finem ſupernaturalem; quia inſerviebat gratiæ, & ſtabat loco fidei, & habebat motivum ſupernaturale: erat enim ad actus ſecundum ſubſtantiam ſupernaturales. Ut igitur eſſet illis proportionata, debuit eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

X. Sequitur ſecundo: ſcientiam per ſe infuſam in Chriſto fuiſſe independentem ex natura ſua a ſenſibus, & ſpeciebus a ſenſibilibus acceptis. Nam ſpecies tali ſcientiæ deſervientes non erant alligatæ phantaſiæ; nec a ſenſibilibus, mediis ſenſibus, impreſſæ, nec determinatæ ad repræſentandum objectum ſenſibili modo: ſed immediate infuſæ a Deo, ſicut ſpecies infuſæ Angelis: alioquin ſcientia illa fuiſſet per ſe infuſa, & non fuiſſet.

§. III.

Contraria Solvuntur.

XI. PRimo. Objicitur. In Chriſto erat ſcientia beata adæquate ſatians, & explens ejus potentiam obedientialem; ergo ſuperflue in eo ponitur ſcientia infuſa.

XII. Reſpondeo, retorquendo argumentum. In Angelis eſt ſcientia beata adæquate ſatians eorum potentiam obedientialem: & tamen ponitur in eis ſcientia infuſa; ergo cur, etſi in Chriſto ſit ſcientia beata, non erit locus ſcientiæ infuſæ? Dico ergo, quod ſcientia beata explet quidem capacitatem animæ Chriſti in ordine ad cognoſcendum, quantum ad numerum ſcitorum; non tamen quantum ad modum, & medium ea cognoſcendi: non enim ſolum cognoſcibilia ſunt in Deo, ut in medio ſuperiori, ſed in ſe ipſis per proprias ſimilitudines. Primum expletur quidem per ſcientiam beatam: hoc autem ſecundum per ſcientiam infuſam expleri debuit. Nam ut docet S. Thom. *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. Chriſtus *Perfectus fuit ſecundum animam, & ſecundum naturam, & ſecundum gratiam. Non autem perfectio anima quantum ad naturam eſſet in ipſo: niſi omnia cognoſceret hoc genere cognitionis, qua per talem rationem naturalem cognoſci poſſunt. Nec etiam eſſet perfectus in gratia, niſi omnia, qua ad revelationem gratiæ pertinent in hominibus, ſive in Angelis cognoviſſet: & ideo anima ejus hoc genere cognitionis omnia cognovit.*

XIII. Sed dices. Ex quo Deus cognoſcat omnia in ſe ipſo, non datur locus alteri cognitioni, qua eadem cognoſcat in ſe ipſis, ergo ex quo Chriſtus omnia cognoverit in Verbo, non datur locus, ut ea cognoſcat in ſe ipſis, & per aliud medium.

Addo: quod ſcientia beata continet eminenter ſcientiam infuſam: ſed quando duo ita ſe habent, ut unum eminenter contineat alterum, poſito illo, ſuperfluit iſtud: unde poſita anima rationali, ſuperfluit anima ſenſitiva diſtincta, quia hæc eminenter continetur in illa; ergo a pari.

XIV. Reſpondeo, neg. conſeq. Peculiaris enim militat ratio in Deo, quare non poſſit cognoſcere res in ſe ipſis, ut in medio, quod oſtendimus, in Tractatu de ſcientia Dei. Et eſt præcipua: quia ſi Deus cognoſceret res creatas in ſe ipſis, ut in medio, ejus cognitio ab aliquo creato ſpecificaretur: quod Deo quidem repugnat, ſed non repugnat cognitioni creatæ animæ Chriſti. Tum etiam: quia Deo tribui debet ſola cognitio rerum perfectiſſima; qualis eſt cognitio rerum in medio divino: alia autem, quæ cognoſcit res in medio creato, eſt imperfecta: & ideo a Deo ableganda, non tamen a Chriſto: in cujus anima non dedecet cognitio minus perfecta, dummodo ſit in ea etiam cognitio perfectior: unde, ut infra, in eo ponimus etiam ſcientiam acquiſitam.

Ad id, quod additur, dico, min. eſſe veram, quando id, quod ſuperius eſt, continet eminenter id, quod eſt inferius, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum; ſicut anima rationalis continet gradus inferiores: ſecus vero ſi contineat tantum quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum. Sic ſcientia beata continet quidem perfectionem ſcientiæ infuſæ, quoad ſubſtantiam rerum ſcitarum; quia quæ ſciuntur per ſcientiam infuſam, ſunt ſcita per ſcientiam beatam, non tamen continet iſtam quoad modum: quia ſcientia beata cognoſcit res in Verbo; ſcientia vero infuſa extra Verbum, & in ſeipſis.

XV. Secundo objicitur, & replicatur. Cognitio perfecta excludit imperfectam, ſicut viſio clara, & facialis excludit enigmaticam fidei, ut patet, 1. *Cor.* 13. *v.* 10. ſed in Chriſto fuit ſcientia perfecta, nempe, beata, reſpectu cujus ſcientia infuſa eſt imperfecta; ergo &c.

XVI. Si reſpondeatur, maj. eſſe veram de ſcientia imperfecta contrarie, qualis eſt cognitio per fidem comparata ad claram Dei viſionem; non vero de ſcientia imperfecta ſolum negative, ideſt, minus perfecta. Unde D. Thom. cit. art. 3. ad 1. *Viſio* (inquit) *imperfecta fidei in ſui ratione includit oppoſitum manifeſtæ viſionis; eo quod de ratione fidei, eſt, ut ſit de non viſis .... Sed cognitio, quæ eſt per ſpecies inditas, non includit aliquid oppoſitum cognitioni beatæ.* Unde ſi, ut ait quæſt. 20. de Verit. art. 3. ad 1. *Talem ſcientiam conſtat in Angelis remanere cum gloria viſione;* multo magis in Chriſto manebat, qui erat Comprehenſor, & ſimul viator.

XVII. Inſtabis. Imperfectior modus cognitionis diſponit ad perfectionem; ſicut opinio, quæ eſt per ſyllogiſmum dialecticum, diſponit ad ſcientiam, quæ eſt per ſyllogiſmum demonſtrativum: ſed adhibita perfectione non eſt amplius neceſſaria diſpoſitio, ſicut habito termino non eſt amplius neceſſarius motus, ergo habita cognitione perfecta, qualis eſt beata, non eſt amplius &c.

XVIII. Reſp. cum S. Thom. 3. *part. quæſt.* 9. *art.* 3. cit. *ad* 2. diſt. min. Non eſt amplius neceſſario diſpoſitio, tamquam via ad perfectionem ducens, conc. min. Tamquam effectus a perfectione procedens, neg. min. *Diſpoſitio* (inquit S. D.) *ſe habet ad perfectionem dupliciter. Uno modo, ſicut via ducens ad perfectionem: alio modo ſicut effectus a perfectione procedens. Per calorem enim diſponitur materia ad ſuſcipiendam formam ignis, qua tamen adveniente calor non ceſſat, ſed remanet, quaſi quidam effectus talis formæ. Et ſimiliter opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam; qua tamen acquiſita poteſt remanere cognitio, qua eſt per ſyllogiſmum dialecticum, quaſi conſequens ſcientiam demonſtrativam, qua eſt per cauſam, quia ille qui cognoſcit cauſam, ex hoc magis poteſt cognoſcere ſigna probabilia, ex quibus procedit dialecticus ſyllogiſmus. Et ſimiliter in Chriſto ſimul cum ſcientia beatitudinis manet ſcientia indita; non quaſi via ad beatitudinem, ſed quaſi per beatitudinem confirmata.*

DUBIUM V.

An in Anima Chriſti fuerit etiam Scientia acquiſita?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. PRo hujus intelligentia adverto: nomine ſcientiæ acquiſitæ interdum venire cognitionem ſingularium, ſive ſenſitivam, ſive intellectivam; quæ proprie ſcientia non eſt, ſed evidens quædam notitia, & experientia, ſeu judicium ex experientia ſingularium acquiſitum. Interdum vero venire habitum quemdam, ſeu facilitatem univerſalem diſcurrendi demonſtrative circa naturalia, acquiſitum viribus noſtri intellectus. Diciturque ſcientia experimentalis, non quia ſit ipſa experientia; ſed quia experientia acquiritur, & ſenſuum adminiculo per ſpecies a rebus ſingularibus acceptas comparatur. Scientia autem acquiſita hoc poſteriori modo (quæ vocatur per ſe acquiſita, quia ex ſua ratione vires humani intellectus non tranſcendit) dupliciter comparari poteſt: vel per actualem acquiſitionem experientiæ, qui eſt proprius modus, quo acquiritur: vel per infuſionem, quo pacto omnes ſcientiæ acquiſibiles fuerunt datæ Adamo: & tunc dicitur ſcientia quidem acquiſibilis per ſe, ſed per accidens infuſa.

II. Si ſermo ſit de ſcientia acquiſita priori modo, nempe, pro cognitione, ſeu experientia ſingularium; dogma fidei eſt, eam in Chriſto fuiſſe: fide enim conſtat, Chriſtum habuiſſe ſingularium experientiam, ſeu eorum judicium experimentale, tam ſecundum ſenſum, quam ſecundum intellectum, cum per ſenſus multa fuerit expertus: & hoc judicium fit ab homine intelligente ex

sensuum cognitione inseparabile. Quod Christo negari non potest: expertus enim est calorem, famem, sitim, dolores &c. Unde Paulus, Hebr. 5. v. 8. *Et quidem* (inquit) *cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* In hoc igitur sensu hæc assertio ab omnibus admittenda est, & admittitur. Tota controversia est de scientia habituali, seu pro habitu demonstrativo. Hanc S. Thom. esto, ut ipse fatetur, dum scriberet super sententias, in 3. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. aliter senserit; hac tamen 3. *p.* *q.* 9. *art.* 4. admittit in Christo: oppositum tamen sentiente Scoto, Durando, & aliis.

Rursus: admissa in Christo hac scientia habituali experimentali per se acquisita; adhuc controversia est: an eam habuerit ab instanti suæ conceptionis per accidens infusam: an vero successu temporis per proprios actus acquisierit.

§. II.

Resolutiones Dubii.

III. Dico primo. In Christo præter scientiam beatam, & infusam, fuit etiam habitus scientiæ acquisitæ, seu experimentalis. Probo, primo. In intellectu Christi ponenda est omnis scientia, & modus cognoscendi, qui est debitus naturæ humanæ, eique proprius pro statu viæ, nec dedecet unionem cum Verbo; erat enim Christus non solum Comprehensor, sed etiam viator: atqui modus acquirendi cognitionem, & scientiam per experientiam, & per species acceptas a rebus ministerio sensuum, est modus proprius debitus naturæ humanæ in statu viæ, ut patet, neque est indecens animam Christi, stante unione; ergo &c. Min. pro hac postrema parte prob. Tum quia: non fuit indecens, ut Verbum reliquerit animam Christi in statu viæ; ergo neque fuit indecens quod eam permiserit agere secundum ea, quæ conveniunt ipsi pro statu viæ. Tum quia: scientia acquisita nec dicit oppositionem cum scientia beata: nam Beati, præter scientiam beatam, habent etiam scientiam humanam, quam hic propria industria acquisierunt. Nec dicit oppositionem cum scientia infusa. Tum quia: sicut scientia infusa, quamvis imperfectior, non opponitur cum scientia beata: ita neque scientia acquisita, quamvis imperfectior in modo cognoscendi, opponetur cum scientia infusa. Imo maxima erit animæ Christi perfectio habere omnem modum cognitionis rerum; nimirum per speciem divinæ essentiæ, per species a Deo infusas, & per species a rebus ipsis acceptas.

IV. Secundo probo ratione S. Th. hoc *art.* 4. Animæ habenti intellectum non solum possibilem, & receptivum, sed etiam agentem, & factivum specierum, debetur cognitio, & scientia, quæ utatur talibus speciebus ab intellectu agente formatis, & a sensibus, ac sensibilibus acceptis; hic enim est character scientiæ acquisitæ: sed anima Christi habet intellectum, nedum possibilem, & receptivum, sed etiam agentem, & specierum formativum; ergo &c. Min. patet. Quia in anima Christi sunt omnes potentiæ, quæ sunt in aliis hominibus. Maj. vero prob. Frustra enim esset intellectus agens in anima Christi, si nullo unquam tempore reducendus esset in actum suum. Sicut hac ratione non ponitur in Angelis; quia cum in istis non sit cognitio per species acceptas a rebus sensibilibus, sed solum per species infusas, frustraneus omnino esset, atque otiosus: sed Deus nihil ponit frustra; ergo &c. Tunc sic: at si anima Christi tantum intelligeret per species infusas, & nullo modo per species acquisitas, intellectus agens nihil in ea faceret, ergo &c. Si igitur in Christo ponitur scientia infusa secundum lumen infusum, qui modus est proprius naturæ angelicæ, multo magis poni debet scientia acquisita, quæ est propria hominis utentis lumine intellectus agentis.

V. Dico secundo. Probabilius judico, scientiam acquisitam non fuisse Christo per accidens infusam, sed comparatam per acquisitionem, nempe, per inventionem humani intellectus Christi: Hæc Assertio non est ita certa, quin sint aliqui, etiam ex Nostris, qui oppositum sentiant. Eam tamen existimo esse juxta mentem S. Th. hoc *art.* 4. *in corp.* ubi dicit: *In Christo fuisse scientiam acquisitam, quæ proprie est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte recipientis, sed etiam ex parte agentis. Nam talis scientia ponitur in Christo, secundum lumen intellectus agentis, quod est animæ humanæ connaturale. Scientia autem infusa attribuitur animæ humanæ, secundum lumen desuper infusum.* Et ad primum dicit, quod *Cum duplex sit modus acquirendi scientiam, scilicet inveniendo, & addiscendo; modus qui est per inventionem, est præcipuus; modus autem, qui est per disciplinam, est secundarius .... Et ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inventionem, quam per disciplinam: præsertim cum ipse daretur a Deo omnibus in Doctorem.* Quibus aperte docet, Christum non solum habuisse scientiam acquisitam, sed eam acquisivisse per inventionem.

VI. Probo autem primo sic. Perfectior, & connaturalior est modus comparandi scientiam humanam propria acquisitione, & industria, quam illam habere ab alio per infusionem: sed Christo tribuendum est, quod perfectius est, & connaturale animæ humanæ; ergo &c. Maj. prob. Et quidem quod sit connaturale, patet: quia animæ humanæ connaturale est acquirere species, & scientias medio lumine intellectus agentis: secus autem accipere per infusionem, potius est proprium naturæ angelicæ. Quod vero etiam sit perfectius, probo. Perfectius est se movere ab intrinseco ad formam, quam eam ab extrinseco habere: sed qui comparat scientiam propria acquisitione, & industria, ex vi proprii ingenii movet se ab extrinseco ad illam: qui vero eam per infusionem accipit, movetur ab extrinseco; ergo &c.

VII. Probo secundo. Perfectius erat animæ Christi non solum habere omnes scientias; sed etiam secundum omnes scientiarum modos illis connaturales, & proprios, & non solum secundum unum, aut alterum modum: sed Christus habuit scientiam beatam ad modum scientiæ Beatorum, scientiam inditam ad modum scientiæ inditæ; ergo habere debuit scientiam acquisitam modo acquisito: ita ut, quod per se acquisibile erat, per se acquireret. Præsertim quod quando alicui infunditur scientia per se acquisibilis; hoc fit, quia ordinatur ad aliquid excedens: ac propterea debilitate luminis intellectualis eam comparare non potest. Cum ergo Christi lumen undequaque perfectissimum foret; debuit illi concedi, ut sua uteretur operatione, & sic scientiam sibi acquireret, & proprio actu compararet.

§. III.

Solvuntur Objecta contra primum Assertum.

VIII. Objicies primo. Duo habitus ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem: sed habitus scientiæ inditæ, qui fuit in Christo, est ejusdem speciei cum habitu scientiæ acquisitæ; habet enim idem objectum, nempe res naturales; ergo &c.

Si respondeatur cum S. Thoma, hoc *art.* 4. *ad* 3. neg. min. Nam habitus scientiæ acquiritur per comparationem humanæ mentis ad phantasmata. Sed habitus infusus est a superiori descendens in animam, non secundum proportionem phantasmatum; & ideo est per species diversas.

IX. Contra urget Scotus. Quæ tantum differunt ex parte causæ efficientis, non differunt specie: unde homo creatus, & homo genitus, oculus per naturam productus, & per miraculum restitutus; ejusdem speciei sunt: ergo si scientia acquisita, & infusa differunt solum ex causis illas producentibus, non differunt specie.

X. Resp. ant. verum esse, quando procedere a diversis causis contingit per accidens; ut in exemplis allatis, & scientia per se acquisibili: quæ eiusdem speciei est, sive habeatur per acquisitionem, sive per infusionem, sicut eam habuit Adamus. Non tamen quando procedere a diversis causis contingit per se, & ex natura rei: tunc enim arguere possumus, habere principia formalia specie diversa. Sic in casu Scientia per se acquisibilis petit causari per respectum ad phantasmata; quia ejus objectum est quidditas rei materialis abstracta a singularibus & relucens in phantasmatibus. Scientia vero per se infusa petit causari a superiori lumine; quia specificatur, & habet pro objecto quidditatem rei non abstractam, nec dependentem in sui cognitione a phantasmatibus. Unde fit, quod per illam directe solum universale materiale cognoscatur, non singulare, non Angeli, non supernaturalia: per istam autem cognoscantur directe substantiæ universales, & singulares; materiales, & immateriales, earumque proprietates, imo & ipsa Mysteria gratiæ. Quæ autem differunt objecto formali, differunt specie.

XI. Objicies secundo. Intellectus agens otiosus non esset, etsi in Christo non esset scientia acquisita: haberet enim alias operationes, puta, facere evidentiam principiorum. Sic in Beatis non est frustra, quamvis non abstrahat species: nec frustra fuit in Adamo, quamvis scientiam haberet infusam; ergo &c.

XII. Resp. neg. ant. Nam si scienria, quæ per se acquisita vocatur, non fuisset in Christo; intellectus agens, vel in ipso nullam habuisset operationem, vel saltem operatione præcipua caruisset; quæ est abstrahere species a phantasmatibus, easque intellectui possibili præsentare.

Neque est idem; vel de Beatis, vel de Adamo. Nam Beati non sunt viatores: & in eis jam habuit suam operationem, vel saltem consecutus est suum terminum. Adamus etiam cum esset Doctor, quantum ad naturalia: decuit, ut statim omnium naturalium haberet scientiam, quam sine infusione non poterat statim habere. Christus autem est Doctor quantum ad supernaturalia; & absque infusione scientiæ acquisitæ, habebat notitiam omnium per scientiam beatam, & infusam: unde si scientiam non acquisivisset, non erat ei necessaria operatio intellectus agentis. Sed de hoc infra.

XIII. Objicies tertio. Inconveniens est dicere, Christum doctum fuisse a sensibilibus, & ab iis didicisse: at si accepisset scientiam ab illis; & species ab illis veluti didicisset; Magister enim nil aliud videtur facere ad discipulum, quam ei species, & objecta proponere? ergo &c.

Respon-

Reſpondeo, neg. min. Nam diſcere proprie, non eſt ſolum ſpeciebus ab objecto derivatis, & per intellectum agentem abſtractis uti, ſed ab aliquo determinari ad intelligendum. Eſto autem intellectus animæ Chriſti uſus fuerit ſpeciebus a ſenſibilibus abſtractis, quia tamen a ſenſibilibus determinatus non fuit ad intelligendum, ſed a ſe ipſo, nempe, ſuo intellectu, non poteſt proprie dici doctus a ſenſibilibus.

XIV. Objicies quarto. Ei, quod eſt plenum, non poteſt aliquid ſupperaddi: ſed intellectus animæ Chriſti fuit repletus ſpeciebus divinitus infuſis; ergo non poterant ei ſupervenire aliæ ſpecies acquiſitæ.

Reſpondeo ex D. Thoma citato, ad 2. *Quod humana mens duplicem habet reſpectum. Unum quidem ad ſuperiora, & ſecundum hunc reſpectum anima Chriſti fuit plena per ſcientiam inditam. Alius autem reſpectus ejus eſt ad inferiora, ideſt, ad phantaſmata, quæ nata ſunt movere mentem humanam per virtutem intellectus agentis. Oportuit autem, quod etiam ſecundum hunc reſpectum anima Chriſti ſcientia impleretur: Non quia prima plenitudo mentis humanæ ſufficeret ſecundum ſeipſam; ſed oportebat eam perfici etiam ſecundum comparationem ad phantaſmata.*

§. IV.

Objectiones contra Secundum Aſſertum.

XV. Objicies primo. Anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfecta quoad omnes ſuas potentias: ſed ſcientia acquiſita eſt quædam perfectio humani intellectus; ergo eam habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis per infuſionem, non ſucceſſive per acquiſitionem.

Confirmatur primo. Adæ in ſui conditione fuerunt infuſæ omnes ſcientiæ, etiam ex ſuo genere acquiſibiles; ergo etiam Chriſto: quia ſicut Adam datus fuit Doctor humani generis, multo magis Chriſtus.

Confirmatur ſecundo. Melius eſt animæ Chriſti habere ſcientias acquiſitas actu, quam in potentia; quia melius eſt ſimpliciter eſſe in actu, quam in potentia: ſed Chriſto tribuendum id eſt, quod eſt melius, & optimum; ergo habuit actu omnes ſcientias ab inſtanti ſuæ conceptionis, etiam acquiſibiles.

XVI. Reſpondeo, animam Chriſti fuiſſe perfectam ſecundum omnes ſui potentias, ſervato tamen modo connaturali talium potentiarum. Modus autem connaturalis intellectus reſpectu ſcientiæ acquiſitæ eſt, illam vi ſua ſibi comparare per inventionem, non ab alio accipere: atque multo perfectius eſt, ſcientiam acquiſitam habere per inventionem, quam per infuſionem. Unde, ne hæc perfectio defuiſſet animæ Chriſti, conveniens fuit, ut non ſtatim ab initio ſcientias acquiſibiles haberet, quarum carentiam compenſatur per hanc majorem perfectionem habendi illas, vi proprii intellectus.

Neque ſequitur, pro eo tempore, quo illis caruit, fuiſſe in Chriſto ignorantiam. Nam, præterquam quod eſto ea non ſcierit modo ſcientiæ acquiſitæ; ea tamen ſciebat altiori modo per ſcientiam beatam, & infuſam: ad ſummam ſequitur, in eo pro aliquo tempore fuiſſe non ſcientiam negativam; ideſt, non ea ſciviſſe quantum ad aliquem modum ipſi non debitum, nec ipſi pro eo tempore congruentem.

XVII. Ad primam Confirm. reſpondeo primo, ex nuper dictis, Adamum datum fuiſſe Doctorem toti generi humano quoad naturalia: ideoque oportuit, ut ab initio haberet omnes ſcientias naturales, ſicut ab initio habuit perfectam corporis diſpoſitionem, & quantitatem. Sed Chriſtus datus fuit Doctor non ſcientiarum naturalium, ſed Myſteriorum gratiæ: & ideo oportuit quidem, ut horum haberet ſtatim cognitionem, per ſcientiam infuſam; non tamen ſcientiam acquiſibilem naturalium rerum, ſicut neque perfectam corporis quantitatem.

Reſpondeo ſecundo, Adamum fuiſſe ſtatim productum in ætate adulta, & in ſtatu, quo uti poterat ſcientia acquiſita: ideoque, ut ſtatim docere poſſet homines, decuit non expectari, ut illam acquireret, ſed ſtatim infundi. At Chriſtus non ſtatim, ac conceptus fuit, evaſit perfectus homo; ſed ab infantia ad pueritiam, a pueritia ad adoleſcentiam pervenit: unde ſicuti in ætate proceſſit, ita in cognitione humana per ſenſibilia decuit, ut procederet. Præterquamquod ſi Chriſto ſtatim a conceptione infuſa fuit ſcientia per ſe acquiſibilis: vel ea uſus fuiſſet ab infantia, vel non: Si non: ergo fruſtra, & otioſe ponitur hæc ſcientia in exordio conceptionis; cum non fuerit habitura actum, niſi in ætate adulta. Si ſic: in primis eſt falſum. Organa enim infantilia adhuc indiſpoſita ſunt, & inepta ad miniſtrandum intellectui agenti ſpecies. Oportebit ergo, ad hoc ſuſtinendum, ſibi fingere novum miraculum, quo organa ſenſuum, & præcipue phantaſiæ, ex ſua natura in illa ætate indiſpoſita, reddita fuerunt habilia ad operandum; & ſic, quod ſcientia illa acquiſita miraculoſe uſus fuerit.

Neque valet dicere, puero clauſo in utero matris concedi intellectum, & alias potentias etiam ſenſitivas, etſi pro tunc illis non utatur —— Nam diſparitas eſt: quia intellectus, & cæteræ potentiæ ſunt proprietates ſequentes naturam, & quaſi complementum generationis; ideoque debent in omni ſtatu convenire. At ſcientia acquiſita non eſt proprietas animæ, ſed potius perfectio ex natura ſua ſucceſſu temporis acquiſibilis.

XVIII. Ad ſecundam Confirm. dico, melius eſſe animæ Chriſti habere ſcientias acquiſitas actu, pro eo tempore, quo ipſi talis actus debetur; tunc autem melius eſt illi talem actum habere, proprio motu ſibi active acquiſitum, quam ab extrinſeco paſſive acceptum: Chriſto autem ſcientia acquiſita non debebatur pro ſtatu infantiæ. Cum autem adultus fuit; melius illi fuit, ut eam actu haberet a ſe, & ex propriis, quam ab extrinſeco. Unde actus melior eſt potentia, quando cætera ſunt paria.

XIX. Objicies ſecundo. Chriſto in ſua conceptione fuerunt infuſæ omnes virtutes morales, ex ſuo genere acquiſibiles; ne careret ea perfectione; ergo etiam omnes virtutes intellectuales, ex ſuo genere acquiſibiles, ne careret illa perfectione: cum virtutes intellectuales præſtantiores ſint ſimpliciter virtutibus moralibus, ut docet S. Thomas, 1. 2. *quæſt. 66. art. 3.*

Confirmatur. In utriuſque virtutis, tam moralis, quam intellectualis acquiſitione movet ſe, qui eam acquirit; ergo ſi dicimus, Chriſtum ſuis actibus acquiſiviſſe virtutes intellectuales, nempe, ut ſe moveat ad illarum acquiſitionem, idem deberet dici de virtutibus moralibus: cum ergo hoc non dicatur, neque dici debebit de virtutibus intellectualibus.

XX. Reſpondeo primo, neg. ant. Non deſunt enim ex Noſtris celebres viri, qui ſentiant, virtutes morales, per ſe acquiſibiles, non fuiſſe per accidens infuſas Chriſto; ſed ab illo propriis actibus acquiſitas: vel in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ut volunt aliqui: vel, ut volunt alii, decurſu temporis eas comparaſſe. Quæ ſententia non videtur diſſona a S. Thoma qui, 3. *p. quæſt. 19, art. 3.* generaliter docet, quod habere aliquod donum per ſe, eſt nobilius, quam habere illud per aliud; niſi aliunde aliquod inconveniens vitandum exigat oppoſitum. Quæ ratio militare poteſt etiam de virtutibus moralibus, abſque ullo inconvenienti. Quod enim Chriſtus aliquo tempore caruerit hiſce virtutibus, hæc carentia non fuit privativa, ſeu perfectionis, quæ eſſet illi connaturaliter debita pro illo tempore, quo ea carebat; ſed mere negativa, eo modo, quo dicimus de ſcientiis per ſe acquiſibilibus. Et etiam quia ejuſmodi virtutes non ponuntur in Chriſto, ut illum ſimpliciter rectificent, ejuſque potentias moderentur; hoc enim jam habebat a gratia unionis, a gratia habitualis, nec non a virtutibus infuſis: ſed, ut connaturali modo rectificetur. Cum autem connaturalis modus harum virtutum exigat, ut rectitudo earum ſucceſſive acquiratur; ſequitur, nullam privationem rectitudinis fuiſſe in Chriſto pro tempore, quo eis caruit. Quæ doctrina applicanda eſt ſcientiis acquiſitis.

XXI. Reſpondeo ſecundo, conc. ant. neg. conſ. Quamvis enim virtutes intellectuales ſimpliciter, ſeu in ratione ſpecifica nobiliores ſint; ut docet tamen 1. 2. *q. 66. art. 4.* in ratione virtutis, morales præcedunt: ideoque ſimpliciter virtutes dicuntur, quia faciunt ſubjectum, in quo ſunt, abſolute moraliter bonum. Quamvis autem Chriſto non ſtatim debita fuerit omnis bonitas, & perfectio phyſica; debita tamen fuit illi pro quolibet tempore omnis, & quæcumque bonitas, & perfectio moralis: cum eſſet datus ut exemplar omnis perfectionis, & virtutis moralis, non autem datus eſſet Magiſter omnis ſcientiæ naturalis, ideoque ſtatim habere debuit omnes virtutes morales, non vero ſtatim omnes ſcientias acquiſibiles. Hinc

XXII. Ad Confirmat. dico, majus bonum fuiſſe Chriſto rectificari omni modo, quo rectificabilis erat moraliter: quam eo pro aliquo tempore carere, ut rectitudinem illam ſuis actibus acquireret, propter dicta. Non tamen fuit majus bonum, ab initio habere omnem modum rectitudinis phyſicæ, ſed decuit eam acquirere; nec enim ei ab initio debebatur, ſed potius ab eo ſucceſſive acquirenda erat: ne intellectus agens omni ſuo actu careret, ac in eo otioſus eſſet, ac fruſtraneus.

XXIII. Dices. Ideo negatur, Chriſtum meruiſſe ſuam beatitudinem; quia licet ſit aliqua perfectio habere beatitudinem ex meritis, multo tamen major eſt imperfectio carentia illius, ut oſtendit S. Thomas, 3. *p. q. 9. art. 2.* ergo a pari.

XXIV. Reſpondeo, neg. conſ. Ut enim docet S. Thom. loco citato, Chriſtus eſt datus, ut perduceret homines ad beatitudinem, unde ſtatim eam debuit in ſe habere: non tamen eſt datus, ut ad rerum naturalium cognitionem homines perducat, unde eam non debuit habere ſtatim. Deinde, divinæ viſionis carentia non poterat alia majori perfectione ſuppleri: at carentia ſcientiæ acquiſitæ per breve tempus ſupplebatur ex aliis perfectioribus ſcientiis, nempe, beata, & infuſa, quæ in Chriſto fuerunt ab inſtanti ſuæ conceptionis. Unde abſque diſpendio perfectionis ea carere poterat, & ſecundum connaturalitatem naturæ eam ſucceſſive acquirere; ſicut ſucceſſive acquiſivit augmento quantitatis, & virium corporis.

XXV. Sed inſtabis. Licet in Chriſto permitti poſſit aliqua carentia perfectionis corporalis, ob finem redemptionis; ex vi tamen unionis cum Verbo ita debetur ei omnis perfectio partis intellectualis, ut nunquam illa caruerit: cum hoc ad finem redemptionis non conducat.

XXVI.

XXVI. Respondeo, neg. ant. Ad perfectionem enim, & dignitatem personæ assumentis pertinet quidem, ut natura assumpta omni ex parte sit perfecta, perfectione supernaturali, & naturali etiam, quæ pro singulis temporibus, & ætatibus est debita: scientia vero per se acquisibilis non est perfectio debita naturæ assumptæ, pro instanti suæ conceptionis. Et licet non conducat ad finem redemptionis eam habere successive; attamen eam sic habere, erat habere connaturali modo per operationem intellectus agentis, ne esset otiosus: neque obstabat dignitati Verbi, sed veritatem humanæ naturæ in statu viæ confirmabat. Unde Sanctus Thomas. 3. *part. quæst.* 12. *art.* 2. dicit, talem habitum in Christo augeri potuisse: *Ex hoc scilicet, quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas a phantasmatibus, poterat etiam alias, & alias abstrahere.*

XXVII. Objicies tertio. Ex jam admissis, in Christo fuerunt ab initio infusæ omnes virtutes morales ordinis naturalis; ergo fuit illi infusa prudentia, quæ omnium virtutum directrix, & quasi auriga est. Atqui cognitio perfecta prudentiæ, utpote practica, supponit perfectam cognitionem speculativam, non solum primorum principiorum, sed etiam universalium conclusionum, a quibus judicium prudentiale in omnibus eventibus pendet; ergo habuit ab initio scientiam horum, & consequenter etiam omnium: cum una nequeat perfecte haberi sine cæteris.

Confirm. Christus ab initio habuit usum rationis, nedum in supernaturalibus, sed etiam in naturalibus; ergo ad talem usum fuit perfecte dispositus per scientias naturales.

XXVIII. Respondent aliqui, Christum habuisse ab initio prudentiam naturalem ei infusam, sumptam pro habilitate, ac promptitudine; species vero ad usum illius requisitas propriis actibus cumparasse; ideoque non statim usum illius habuisse. Sicut nobis indita est a natura promptitudo, & facilitas ad judicandum de primis principiis; quamvis actuale judicium illorum non possimus habere, nisi per species acquisitas.

Verum stando in dictis, concedo ant. & conseq. & ad min. sumptam dico, in Christo fuisse scientiam de conclusionibus, quæ illi debita erat pro singulis temporibus, & ætatibus: ideoque ab initio habuit cognitionem speculativam, per scientiam per se infusam: per acquisitam vero non habuit ab initio, sed per species abstractas, & scientiam experimentalem, quam in dies augebat, ut diximus ex S. Thom. 3. *p. q.* 12. *art.* 2.

XXIX. Ad Confirm. etiam respondeo, Christum habuisse ab initio usum rationis per scientiam beatam, & infusam, non vero per acquisitam: quia hujus actus per se dependet a speciebus acquisitis, quas instanti conceptionis non habuit, sed progressu ætatis comparavit.

XXX. Objicies quarto. Scientia acquisita in Christo debuit esse excellentissima; ergo debuit esse illi per accidens infusa: alias si illam acquisivisset, cum Christus studio non vacaverit, & paucarum rerum experientiam habuerit, scientiam valde imperfectam habuisset.

XXXI. Hæc objectio petit, ut explicemus, quomodo Christus scientias naturales acquisierit. Duplex ergo est modus (ex S. Thom. 3. *p. q.* 9. *art.* 4. *ad* 1. ut supra indicavimus) acquirendi scientiam. Unus, per inventionem, quatenus ab experimento aliquorum aliquis in multorum notitiam venit: quo pacto antiqui Philosophi scientias comparaverunt. Qui modus est excellentior, quia nobilius est acquirere scientiam per seipsum, quam ex disciplina Magistri. Alius per disciplinam, & addiscendo; sicut discipulus acquirit scientiam, eam audiendo a Magistro, vel libris studendo.

Christum ergo scientias non acquisivisse, eas addiscendo, sive ab homine, sive ab Angelis, certum est. Non ab homine. Quia, ut docet S. Thomas infra, quæst. 12. art. 3. *In quolibet genere id, quod est primum movens, non movetur secundum illam speciem motus: sicut primum alterans non alteratur: Christus autem constitutus est a Deo Caput Ecclesiæ, quin immo omnium hominum; ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent; sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Unde ipse dicit, Joann.* 18. *vers.* 37. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. *Et ideo non fuit conveniens ejus dignitati, ut a quocumque homine doceretur.*

Quod si Christus, *Luca* 2. inventus fuit interrogans eos (Doctores) *Interrogabat* (ait Origenes apud S. Thomam ibi ad 1.) *non ut aliquid addisceret, sed ut interrogans erudiret: ex uno quippe doctrinæ fonte manat & interrogare, & respondere sapienter.* Unde & ibidem in Evangelio sequitur: *Et stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus.*

Etsi autem concedamus, Christum accepisse scientiam a sensibilibus; negamus tamen eum accepisse scientiam ab hominibus. Quia, ut ait Sanctus Thomas ibi, *ad* 2. accipere scientiam a sensibilibus, est illam accipere ab eis, ut a signis, quibus Deus manifestat suam sapientiam. Unde sensibilia sunt quasi voces, quibus Deus loquitur nobis: & sic instrui est edoceri a Deo, quod Christum non dedecet.

XXXII. Nec etiam ab Angelis Christus suam doctrinam accepit. Quia, ut docet idem S. Thom. *artic.* 4. anima Christi, quia humana, & media inter spirituales substantias, & res corporales, duobus modis nata erat perfici: vel a sensibilibus, secundum scientiam experimentalem, ad quam non requiritur lumen angelicum, sed lumen intellectus agentis.

Vel ex impressione a causa superiori, secundum scientiam infusam, quam immediate adepta est a Deo: *Sicut enim anima illa supra communem modum creaturæ unita est in Verbo in unitate personæ; ità supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia; non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentia Verbi rerum scientiam in sui principio acceperunt; sicut in* 2. *super Genes. ad litteram, cap.* 8. *Augustinus dicit.*

Hinc illa confortatio Angeli, de qua Lucas, cap. 22. *Non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandam proprietatem humanæ naturæ. Unde Beda dicit super Lucam, cap.* 92. In documento utriusque naturæ, & Angeli ei ministrasse, & eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturæ suæ non eguit præsidio: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur. *Ut scilicet in nobis fides Incarnationis ejus confirmetur.* Hæc S. Thom. ibi, *ad* 1.

Hinc pariter licet corpus Christi, quia passibile, subjectum foret impressioni corporum cælestium; anima tamen ejus, quia a Deo erat repleta scientia, & gratia, non fuit subjecta impressioni cælestium spirituum. Ita ex Sancto Thoma *ad* 3.

XXXIII. Nunc ad objectionem ab initio propositam dico, & disciplina, sed per inventionem: unde dicitur, quod proficiebat scientia, & ætate. Ætas autem opportune requiritur ad hoc, ut homo acquirat scientiam per inventionem: & ita Christus non statim, sed procedente ætate scientiam experimentalem acquirebat. Cumque ex ingenii sui perfectissimo acumine ex paucorum experimento propria inventione ad multorum notitiam deveniret; ideo perfectissimam scientiam super omnes homines assecutum fuisse, credendum est.

Nomine autem scientiæ acquisitæ in Christo intelligimus quamcumque scientiam, sive speculativam, sive practicam; immo etiam artem mechanicam; cum hæc etiam virtus intellectualis sit, & pertineat ad absolutam perfectionem intellectus; unde S. Thomas, 3. *p. q.* 13. *art.* 1. *ad* 3. ponit in Christo scientiam omnium factibilium: earum tamen usum non habuit, nisi forte artis fabrilis; cujus usum affirmant aliqui eum habuisse, moti ab illo, Marci 6. vers. 3. *Nonne hic est faber?* Hoc verum est, ait Sanctus Thomas, 3. *part. quæst.* 12. *art.* 1. quod *Sicut per scientiam inditam scivit anima Christi omnia illa, ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia: Ita per scientiam acquisitam scivit omnia illa quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis.* Sed pro horum notitia sit.

QUÆSTIO II.

De Objecto Scientiæ Animæ Christi.

STabilita in anima Christi scientia beata, infusa, & acquisita, videndum supereſt, quid hac triplici scientia cognoverit? quod præsenti quæstione præstabimus. At quia scientia acquisita satis apparet ex dictis: ideo de scientia beata, & infusa præcipuus sermo erit.

DUBIUM I.

An Anima Christi per Scientiam Beatam comprehenderit Divinam Essentiam?

§. I.

Aliquibus notatis ponitur resolutio?

I. COmprehendere aliquod objectum, illud cognoscendo, dupliciter stat: seu comprehensio dupliciter dicitur, ex D. Thoma 1. *part. q.* 12. *art.* 7. *ad* 1. Uno modo, prout idem est, ac rei *tentio*, seu assecutio. Sicut enim cum aliquem, quem insequebamur, jam assecuti sumus, & tenemus, illud comprehendere, ideſt, tenere dicimur, juxta illud Cantic. 3. vers. 4. *Tenui eum, nec dimittam*; ita homo, qui hic insequitur Deum per spem, dum in Patria illum jam videt, ac eo fruitur, Deum comprehendere, seu tenere dicitur. Quo sensu dicebat Paulus 1. *Corinth.* 9. 23. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et ad Philipp. 3. vers. 12. *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Et hoc modo animam Christi, & quemcumque Beatum comprehendere, ideſt, tenere Deum certum est. Comprehensio enim hoc modo *Est una de tribus doribus animæ, quæ respondet spei, sicut visio fidei, & fruitio charitati. Non enim apud nos omne quod videtur, jam tenetur, vel habetur; quia videntur interdum distantia, vel quæ non sunt in potestate nostra. Neque iterum omnibus, quæ habemus, fruimur: vel quia non delectamur in eis: vel quia non sunt ultimus finis desiderii nostri, ut desiderium nostrum impleant, & quietent. Sed hæc tria habent Beati in Deo: quia & vident ipsum, & videndo tenent sibi præsentem*

sentem, in potestatem habentes semper eum videre; & tenentes fruuntur sicut ultimo fine desiderium implente. Ita S. Thom. citatus.

II. Alio modo. Sumitur comprehensio magis stricte, secundum quod aliquid sic in comprehendente includitur, ut nil ejus extra comprehendentem sit: sicut aqua dicitur comprehendi a vase, quia sic totaliter in vase includitur, ut nihil aquæ sit extra vas. Unde cognitio comprehensiva hoc modo definitur a S. Thoma, loco citato *in corp.* quod sit cognitio, qua objectum *Tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile*, seu quantum petit cognosci. Et ab Augustino (Lib. de videndo Deo, Epistola 112. modo 147. ad Paulinam c. 9.) *Totum autem comprehenditur videndum, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt.* Idest, sic introspicitur, aut videantur in illo non solum omnia, quæ sunt in ipso formaliter, sed quæ etiam virtualiter, seu omnia, ad quæ se extendere potest. Et hæc est comprehensio, de qua loquimur. Hoc modo Deum comprehendi posse a Beatis negavimus, *Tom. 1. in 1. p. Q. 5. de Objecto Vis. Beatifica, Dub.* 1. Nunc de anima Christi brevi stylo hoc idem quæremus remittentes Studiosum ad ea, quæ citato loco diximus.

III. Quoad animam Christi fuit error Augustini de Roma, Archiep. Nazareni, ex ordine Eremitarum, qui ut refertur in Concilio Basileensi, *Sess.* 22. inter alia asserebat, animam Christi *Videre Deum tam clare, & intense, quantum clare, & intense Deus videt se ipsum.* Cujus error ex altero nascebatur, quo putabat, quod in Christo natura assumpta sit realiter idem cum persona assumente. Qui errores in eodem Concilio damnati fuerunt, Sessione citata, anno 1435. esto autem Concilium Basileense, quoad ea, quæ non fuerunt a Summis Pontificibus approbata, nullius auctoritatis sit; quoad censuras tamen, præsertim istas, tum quia ante Concilii translationem factas, tum ratione materiæ, approbatum ab Eugenio IV. & Nicolao V. ejus Successore censendum est. Quare

IV. Dico. Anima Christi nec comprehendit, nec comprehendere potest, aut potuit Deum, seu divinam essentiam. Probo ratione S. Thom. 3. *p. q.* 10. *art.* 1. hoc modo: *Sic facta est unio naturarum in persona Christi, quod tamen proprietas utriusque naturæ inconfusa permanserit: ita scilicet, quod increatum manserit increatum, & creatum manserit infra limites creaturæ, sicut Damascenus dicit*, lib. 3. Orthodox. fidei cap. 3. & 4. Atqui *est impossibile, quod aliqua creatura comprehendat divinam essentiam, sicut in prima parte* (quæst. 12. artic. 4. & 7.) *dictum est; ergo dicendum, quod anima Christi nullo modo comprehendit divinam essentiam.* In confirmationem præfatæ rationis recolenda sunt, quæ diximus, *Tom. 1. in 1. part.* loco citato: superfluum enim esset ea repetere.

V. Ex his infertur, Animam Christi nec cognovisse, nec cognoscere potuisse in Verbo omnes creaturas possibiles in Verbo contentas. Et ratio est. Quia, ut diximus *Tom. 1. in 1. part.* citato, *Dub.* 2. §. 2. ex cognitione omnium possibilium in Verbo, & ex vi cognitionis divinæ essentiæ, argueretur comprehensio Dei: quia tali cognitioni argueretur, divinam essentiam esse intime penetrantem, & totaliter pervasam, tum quoad apparentia, tum quoad latentia in ipsa: ita ut nihil divinæ essentiæ, sive de apparentibus, sive de latentibus, & quasi in ipsa imbibitis, & quasi clausis lateret cognoscentem, quod idem est, ac comprehendere. Sicut comprehenderet principium, qui omnes conclusiones, quæ ex ipso inferri quoquo modo possunt, in ipso cognosceret; quia modus cognoscentis adæquaret modum rei cognitæ. Cum ergo anima Christi nequeat comprehendere Deum, nequit cognoscere omnia possibilia in Deo, ex vi cognitionis Verbi. Vide Sanctum Thomam, *Q.* 30. *de Verit. art.* 4. & 5. & 3. *p. q.* 10. *art.* 2. Ubi loquens de iis quæ sunt in potentia divina, nunquam reducenda, vel reducta ad actum, ait: *Et hujusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima Christi. Hoc enim esset comprehendere omnia, quæ Deus potest facere: quod esset comprehendere divinam virtutem, & per consequens divinam essentiam. Virtus enim qualibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest.*

§. II.

Respondetur Objectis.

VI. Objicitur primo. Anima Christi comprehendit scientiam visionis Dei; ergo etiam divinam essentiam, cum non minus sit incomprehensibilis hæc, utpote divinum attributum, quam divina essentia. Antec. prob. primo. Quia anima Christi cognovit quidquid cognoscit Deus scientia visionis, ut docet Divus Thomas, hac *quæst.* 10. *art.* 2. ergo sicut qui cognosceret omnia, quæ Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ, hanc comprehenderet: ita qui cognoscit quidquid cognoscit scientia visionis &c.

Secundo. Anima Christi comprehendit potentiam generativam Patris æterni, cum cognoscat quidditative Filium, qui est terminus adæquatus: qui autem quidditative cognoscit terminum adæquatum alicujus potentiæ, cognoscit comprehensive potentiam; ergo etiam comprehendit divinam essentiam.

Tertio. Anima Christi comprehendit visionem beatificam; ergo etiam divinam essentiam: non enim potest comprehendi actus, quin comprehendatur ejus objectum specificativum.

VII. Respondeo, aliquos concedere, animam Christi comprehendere scientiam visionis Dei; quia hæc solum se extendit ad ea, quæ de facto fuerunt, sunt, & erunt. Neque scientia visionis, ut talis, est attributum Dei, sed libera terminatio ad creaturas: unde bene comprehendi potest, quin comprehendatur Deus.

VIII. Sed verius respondetur, neg. anteced. Quia cum scientia visionis in Deo, adæquate sumpta, sit idem attributum cum scientia simplicis intelligentiæ, deberet etiam comprehendi ista; & sic comprehendi etiam omnia possibilia, quæ sunt terminus illius.

Ad primam prob. ant. nego conseq. cum S. Thom. citato, *ad* 3. ubi ait: *Quod quantitas scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia animæ Christi, quam habet in Verbo, paricetur scientiæ visionis, quam Deus habet in se ipso, quantum ad numerum scibilium: scientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis; scientiam animæ Christi; quia lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quodcumque receptum in anima Christi. Licet, absolute loquendo, scientia divina excedat scientiam animæ Christi, non solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum scibilium.* Quia scientia divina omnia cognoscit, quæ Deus potest facere, quæ tamen scientia animæ Christi non cognoscit. Unde negari potest etiam antec.

Ad secundam probationem, nego ant. Ut enim comprehendatur potentia generativa Patris, debet non solum quidditative, sed comprehensive cognosci Verbum genitum; nimirum quoad omnes respectus ad creaturas etiam possibiles, quod animæ Christi repugnat.

Ad tertiam, omisso ant. nego cons. Comprehensio enim visionis Dei non arguit comprehensivam cognitionem Dei, sed ad summum quidditativam; eo nimirum modo, quo attingit illum visio creata. Dato enim, quod comprehensio cognitionis comprehensivæ, & adæquantis objectum inferat comprehensionem objecti; non tamen comprehensio cognitionis solum quidditativæ, & non adæquantis, qualis est visio creata Dei. Nam ex comprehensione ejus solum sequitur, quod cognoscantur omnia ea, ad quæ se extendit: cumque se extendat solum ad prædicata formalia, & quidditativa Dei, non vero ad omnia etiam virtualia; ideo &c.

IX. Objicies secundo. Deus, ut comprehensibilis, continetur sub objecto intellectus animæ Christi, non minus, ac Deus clare visibilis: cum ens, in quantum ens, sit objectum intellectus, sub quo Deus, ut comprehensibilis, continetur.

Respondeo, nego antec. Sub objecto enim intellectus creati animæ Christi continetur Deus, ut cognoscibilis modo finito: Deus autem, ut comprehensibilis, est cognoscibilis solum modo infinito.

X. Objicies tertio, magis est uniri Deo secundum esse personale, quam secundum esse intentionale per visionem: sed sicut Damascenus dicit, *lib. 3. fidei Orth. c. 6.* tota divinitas in una personarum unita est humanæ naturæ in Christo; ergo multo magis tota natura divina videtur ab anima Christi.

XI. Respondeo cum S. Thom. 3. *p. q.* 10. *art.* 1. *ad* 2. neg. min. in sensu arguentis. Nam *Nec etiam in unione, qua est secundum esse personale, natura humana comprehendit Dei Verbum, sive naturam divinam: qua quamvis tota unita fuerit humanæ naturæ in una persona Filii; non tamen fuit tota virtus divinitatis ab humana natura quasi circumscripta . . . . & similiter animæ Christi totam Dei essentiam videt, non tamen eam comprehendit; quia non totaliter eam videt, idest, non ita perfecte sicut visibilis est.*

XII. Objicies quarto. Id, quod convenit Filio Dei per naturam, convenit Filio hominis per gratiam, ut August. dicit, *lib. 1. de Trinit. c. 13.* sed comprehendere divinam essentiam convenit Filio Dei per naturam; ergo convenit Filio hominis per gratiam.

XIII. Respondeo ex D. Thom. *art.* 1. citato, *ad* 3. dist. conseq. Filio hominis, ratione personæ, conc. conseq. Ratione humanitatis, neg. conseq. *Verbum* igitur *illud Augustini est intelligendum de gratia unionis, secundum quam omnia, quæ dicuntur de Filio Dei secundum divinam naturam, etiam dicuntur de Filio hominis, propter identitatem suppositi. Et secundum hoc vere potest dici, quod Filius hominis est Comprehensor divinæ essentiæ, non quidem secundum animam, sed secundum divinam naturam. Per quem etiam modum potest dici, quod Filius hominis est Creator.*

XIV. Eodem modo exponendus est Isidorus, dum l. 1. *de Summo bono; c.* 3. ait: *Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto* —— Ut enim docet S. Thom. in 3. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 1. vel dicendum, quod Isidorus non æquiparat cognitionem hominis assumpti cum cognitione, quam habet Trinitas de seipsa comprehensive, & quantum

ad om-

ad omnia, tam formalia, quam virtualia; sed solum quantum ad cognitionem mere intuitiva. Ac si dicat; Trinitas sibi soli intuitive nota est, & homini assumpto. Vel si loquitur de cognitione comprehensiva, dicendum, quod convenit *Homini assumpto, non ratione humanæ, sed ratione divinæ.*

Dubium II.

Quid cognoverit Anima Christi in Verbo, per Scientiam Beatam?

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. EA, de quibus dubitari potest, an anima Christi cognoscat in Verbo, sunt, primo: omnia decreta Dei de rebus futuris, quæ in aliqua differentia temporis ponendæ sunt, sive præsentes, sive futuræ; cogitationes cordium, quas habituri sunt homines, & Angeli per totam æternitatem. Secundo; omnia possibilia contenta in virtute cujuscumque creaturæ, quæ a Christo videtur in Verbo. Omnia enim possibilia, contenta in virtute omnipotentiæ Dei, non videri ab anima Christi, suppono ex dictis præcedente Dubio.

II. Multa esse aliquando eventura, quæ Christi anima, etiam per scientiam beatam, ignoraverit, non defuere hæretici, qui dixerint. Celsus enim, referente Origene, *l. 2. contra Celsum*, negavit, Christum præsciviisse quæ fuerat passurus. Agnoitæ etiam, ideſt, Ignorantes, auctore Themistio (seu, ut alii volunt, Theophronio) patria Cappadoce, teste Gregorio, *lib. 10. Epist. 39. olim 42.* & Isidoro, *lib. 8. Ethimol. c. 9.* senserunt, Christum ignorasse saltem diem Universalis Judicii. His subscripsere Lutherus, in *Sermone de Natali Domini*: Zuinglius, ad *c. 24.* Matth. & Calvinus —— Ex Catholicis autem quidam admittentes Christum in Verbo omnia futura vidisse, quorum successioni aliquando finis imponetur; ut sunt substantiæ, quarum generatio, cessante Cælorum motu, finietur: id tamen negant de futuris, quæ sine fine successionem habebunt; ut sunt cogitationes cordium hominum, & Angelorum per totam æternitatem duraturæ. Ita Richardus, in *3. dist. 14. vers. 2. quæst. 3.* Cui favere videtur S. Bonaventura, dum docet, præfata futura non simul, sed successive cognoscenda fore ab anima Christi: & consequenter non per scientiam beatam, quæ successionem in cognitione objectorum non admittit. Sed his non obstantibus.

§. II.

De Rebus, quæ sunt, fuerunt, & erunt.

III. DIco. Omnia divina decreta circa res, quæ sunt, fuerunt, vel aliquando erunt: immo etiam res ipsæ per talia decreta dispositæ, & ordinatæ pro quavis differentia temporis, sive terminum habituræ sint, sive non, ab anima Christi per scientiam beatam plene, ac simul cognitæ fuerunt. De hoc aliqua diximus, Tractat. præcedente, ubi ostendimus, ignorantiam non fuisse assumptam a Verbo. Huic veritati fidem facit Christus ipse, dum *Joann. 5. vers. 20.* dicit: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Non demonstrat autem ei, ut Verbo, quia omnia videt eadem scientia, qua Pater; ergo demonstrat ei, ut homini, in ipso Verbo. Rursus: *Joann. 21. vers. 17.* Petrus ad Jesum dixit: *Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te.* Quibus facit sensum, quod Christus omnia nosset, & etiam ejus cor, ac internum animi sui erga ipsum amorem. Quo spectant etiam verba Lucæ cap. 9. vers. 47. *At Jesus videns cogitationes cordis eorum*: cap. 6. vers. 8. *Ipse vero sciebat cogitationes eorum.* Et Joann. 2. vers. 25. *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.*

IV. Porro, cum *Joann. 21.* dicitur, quod Christus *Omnia* noverit; non ita est extendendum, ut omnia noverit etiam possibilia, contenta in omnipotentia Dei. Nam, ut supra dictum est, & docet S. Thom. *3. p. q. 10. art. 2.* ly *Omnia*; distribuit quidem pro omnibus: *Quæ quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt: vel facta, vel dicta, vel cogitata a quocumque, secundum quodcumque tempus: & sic dicendum est, quod anima Christi in Verbo cognoscit omnia.* Non vero distribuit pro omnibus, quæ sunt in potentia Dei, & nullo modo reducenda in actum.

V. Probatur ergo hæc Assertio ratione S. Thom. dicto *art. 2.* Christus per scientiam beatam videt omnia, quæ spectant ad suum statum: sed ad statum Christi pertinent omnia supra numerata in Assertione; ergo hæc omnia videt. Maj. patet. Si enim, ut a Theologis admittitur, nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant, ejusque statum, id a fortiori non deerit animæ Christi. Et ratio: quia scientia beata cum constituat animam beatam, debet habere vim satiandi omnem ejus rationabilem appetitum; juxta illud, Psalmi *16. vers. 15. Satiabor cum apparuerit gloria tua*: anima autem rationabiliter appetere potest ea, quæ pertinent ad se, & ad statum suum. Min. autem probatur. Sicut tota una Religio, & ea, quæ successive in ea contingunt, pertinent ad statum Fundatorum; ita totum hoc Universum, & quæcumque in eo accidunt, & decreta Dei circa illa, spectabunt ad statum Christi: ipse enim, ut homo, est Caput totius Universi, hominum, & Angelorum; & ei omnia, ut supremo Rectori subduntur juxta illud Psalmi 8. vers. *7. Constituisti eum super opera manuum tuarum: Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, explicatum de Christo a Paulo, 1. Cor. 13. vers. 25. & 27. *Omnia subjecta sunt ei sine dubio, præter eum, qui subjecit ei omnia.* Et ibid. cap. 3. v. 22. *Omnia enim vestra sunt, Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Cumque Christi Regnum sit æternum, dicente Angelo Lucæ 1. v. 32. *Regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*; sequitur, quod omnia, quæ per totam æternitatem in hominibus, & Angelis evenient, ad ejus statum spectabunt. Cum ergo omnia, quæ in una Religione eveniunt, & eventura sunt, ejus Institutor beatus videat in Verbo: Christus omnia, quæ in Universo eveniunt, in Verbo videbit.

Accedit: quod Christus constitutus est Judex omnium, quia Filius hominis, Joann. 5. vers. 22. *Omne judicium dedit Filio:* & vers. 27. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est:* sed ad Judicem universalem spectat cognoscere tum actus liberos, qui ejus judicio immediate subsunt; nec non tempora, & momenta, nec non creaturas omnes, quibus homines, vel Angeli bene, aut male uti possunt; ergo &c. *Ad Christum autem* (inquit S. Thom. art. 2. laudato) *& ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subjecta sunt omnia. Ipse etiam est omnium Judex constitutus a Deo.* Quia Filius hominis est, *ut dicitur Joann. 5. Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum est Judex: ita ut quod de eo dicitur Joann. 2.* Ipse enim sciebat, quid esset in homine, *possit intelligi non solum quantum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animæ ejus, quam habet in verbo.*

§. III.

Respondetur Objectis.

VI. OBjcies primo in favorem Celsi. Si Christus præscivit quæ passurus erat: vel illa potuit vitare, vel non. Si potuit; ergo fuit imprudens, illa non præcavendo. Si non potuit; ergo impotens fuit; quod impium est affirmare de Christo; ergo dicendum potius, illa mala, quæ passurus erat, Christum non prævidisse.

VII. Respondeo, Christum præsciviisse mala quæ passurus erat. *Joannis* enim 18. *vers.* 4. dicitur: *Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, &c.* quod Discipulis suis sæpius prædixit, ut *Matth. 20. v. 18. 19. 28. Marci* 14. & alibi. Sciebat ergo Jesus mala, quæ ventura erant super eum, & poterat illa a se avertere: *An putas* (dixit Jesus Petro, Matth. 26. v. 53.) *quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Potuit ergo, sed noluit: nec fuit imprudens. Cum enim sciret voluntatem Patris sui esse, ut pateretur, prudentissime voluit illi se conformare.

VIII. Objicies secundo pro Agnoitis, Christus, *Marci 13.* loquens de die judicii ait: v. 32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*; ergo non omnia sciebat in Verbo.

Hoc textu abutebantur Arius, & Eunomius illum interpretantes, non de scientia animæ Christi, quam in eo non ponebant, ut supra vidimus, cum ponerent, Verbum stare loco mentis, & scientiæ in Christo: sed de scientia, & divina cognitione Filii, seu Verbi, quod infetius Patre, etiam quoad scientiam, ponebant. Sed hoc, ait S. Thom. hac art. 2. ad 1. *Stare non potest, quia per Verbum Dei facta sunt omnia, ut dicitur Joann. 1. Et inter alia facta sunt etiam per ipsum omnia tempora. Nihil autem per ipsum factum est, quod ab eo ignoretur.*

IX. *Dicitur ergo nescire diem* (prosequitur S. Thom.) *& horam judicii, quia non facit scire. Interrogatus enim super hoc ab Apostolis, Act. 1. hoc eis noluit revelare: sicut e contrario legitur, Gen. 22.* Nunc cognovi quod timeas Deum, *ideſt, nunc cognoscere te feci. Dicitur autem Pater scire, quia hujusmodi cognitionem tradidit Filio. Unde in hoc ipso, quod dicitur,* nisi Pater, *datur intelligi, quod Filius cognoscit; & non solum quantum ad divinam naturam, sed etiam quantum ad humanam, Quia, ut Chrysostomus argumentatur* (Homil. 78. in Matth.) *Si Christo homini datum est, ut sciat qualiter oporteat judicare, quod est majus, multo magis datum est ei scire, quod minus est, scilicet, tempus judicii.* Ita S. Thom. qui addit: *Origenes tamen* (Tract. 30. in Matth.) *hoc exponit de Christo, secundum corpus ejus, quod est Ecclesia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt, hoc esse intelligendum de Filio Dei adoptivo, non de Filio naturali.*

X. Objicies tertio. Deus perfectius videt essentiam suam, quam anima Christi, ergo plura cognoscit in Verbo, quam anima Christi: ergo anima Christi non cognoscit omnia in Verbo.

Respon-

Respondetur cum S. Thoma dicto *art. 2. ad 2.* dist. ultimum conseq. Non cognoscit omnia, quæ Deus cognoscit, tam per scientiam visionis, quam per scientiam simplicis intelligentiæ, conc. conseq. Non cognoscit omnia, quæ Deus cognoscit per scientiam visionis, neg. conseq. *Deus* ergo *in tantum perfectius cognoscit suam essentiam, quam anima Christi, quod eam comprehendit. Et ideo cognoscit omnia, non solum quæ sunt in actu, secundum quodcumque tempus, quæ dicitur cognoscere scientia visionis; sed etiam omnia, quæcumque ipse facere potest, quæ dicitur cognoscere per simplicem intelligentiam . . . . Scit ergo anima Christi omnia, quæ Deus in seipso cognoscit, per scientiam visionis: non tamen omnia, quæ Deus in seipso cognoscit, per scientiam simplicis intelligentiæ. Et ita plura scit Deus in se ipso, quam anima Christi.*

XI. Neque dicas, ex hoc sequi, quod scientia animæ Christi, esto non adæquet scientiam simplicis intelligentiæ, adæquet tamen scientiam visionis Dei: cum anima Christi sciat omnia, quæ Deus scit scientia visionis.

Nam ex dictis, *Dub. præced. §. 2. n. 8.* cum S. Thom. hoc *art. 2. ad 3.* nego sequelam. In primis enim scientia animæ Christi, esto quantum ad numerum scibilium parificetur scientiæ visionis Dei: ab hac tamen exceditur in infinitum, quantum ad claritatem: cum ista cognoscat omnia per lumen infinitum, illa vero per lumen finitum. —— Deinde, absolute loquendo, scientia visionis divina excedit scientiam animæ Christi, etiam quoad numerum scibilium, quia scientia visionis divina licet ex terminatione secundaria, & accidentaria ad sola præsentia, præterita, & futura extendatur; essentialiter tamen, & adæquate sumpta, cum idem attributum sit, ac scientia simplicis intelligentiæ, terminatur etiam ad omnia possibilia, contenta in divina omnipotentia, ad quæ anima Christi non se extendit: ideoque, nec quoad numerum scibilium, potest eam adæquare.

XII. Objicies quarto. Scientia animæ Christi finita est, & ejus lumen, quamvis perfectissimum, finitum tamen est; ergo non potest simul, & unico intuitu cognoscere saltem futura, quæ terminum non sunt habitura, nempe, cogitationes cordium, quas Angeli, & homines habituri sunt per totam æternitatem. Conf. prob. Futura, quæ terminum non sunt habitura, sunt infinita: sed non potest aliqua cognitio simul attingere objecta infinita, nisi sit infinita, & habens lumen infinitum; ergo &c. Min. prob. Tum quia: objecto infinito nequit proportionari lumen, & cognitio finita —— Tum quia: cognitio attingens in Verbo duo objecta, est perfectior illa, quæ attingit unum tantum objectum in illo; ergo cognitio attingens in illo infinita objecta erit infinite perfectior cognitione attingente unum objectum: quia sicut crescentibus objectis in determinato numero, crescit determinate cognitio; ita crescentibus objectis in infinitum, crescit infinite cognitio... Tum tertio; nam quia cognitio attingens in Verbo omnia possibilia, attingeret infinita, esset cognitio infinita, & habens lumen infinitum; ergo a pari.

XIII. Variis huic objectioni responsionibus occurrunt Theologi: nos tamen non recedimus a S. Thoma, qui hac *q. 10. art. 3.* statuit, animam Christi cognoscere in Verbo objecta infinita, & adhuc esse finitam simpliciter. Respondeo ergo, conc. ant. neg. cons. Ad prob. dist. maj. Sunt infinita, secundum numerum, conc. maj. Secundum essentiam, neg. maj. Et similiter distincta min. nego cons. Cum ergo ea, quæ ab anima Christi cognoscuntur in Verbo, licet infinita sint in multitudine, & numero, finita tamen sint in essentiali perfectione; & mensura cognitionis debeat attendi per comparationem ad essentiam; quæ est formale ejus objectum, non vero per comparationem ad alias rationes, quæ non pertinent ad quidditatem: ideo, licet scientia Christi, ex quo finita est, non possit in se comprehendere Deum, qui est in essentia simpliciter infinitus; comprehendere tamen poterit alia objecta in essentia finita, licet in genere multitudinis infinita sint, seu in infinitum multiplicentur: quia semper afferunt essentiam finitam, quæ est cognitioni finitæ objectum proprium, & proportionatum.

XIV. Hoc argumentum tractat S. Thomas, *quæst. 20. de Verit. art. 4. ad 1.* Ubi docet, quod quando aliqua ratio, seu medium sufficiens est manifestare plura, secundum suam singularitatem; tunc ista, quamvis essent infinita in illo genere, manifestarentur per illud; quia essent solum infinita materialiter, non vero formaliter, & secundum essentiam, & cognitio attingens illud medium, quamvis finita, illa omnia in illo cognosceret. Sic *Qui cognosceret per animalis naturam omnes species animalis in sua specialitate; dato, quod species animalis essent actu infinitæ, adhuc cognosceret infinitam speciem, sed finitam naturam: quia præter naturam animalis est natura lapidis. Ita cum anima Christi cognoscat Verbum, quod est sufficiens ratio cognoscendi omnia individua in sua singularitate, & omnes species in sua specialitate; nihil prohibet, quamvis sint infinita secundum esse, quin cognoscat infinita, non tamen comprehendere naturam infinitam.*

XV. Hinc ad primam prob. min. dico, quod licet objecto infinito, secundum essentiam, nequeat proportionari cognitio finita, & lumen finitum; bene tamen objecto, secundum essentiam finito, licet in aliquo genere sit infinitum.

XVI. Ad secundam dico: quod cognitio attingens in Verbo duo objecta, quorum unum excedat aliud in perfectione essentiali, debet quidem esse perfectior cognitione attingente unum tantum objectum; quia hoc arguit majorem efficaciam in cognitione: & consequenter si attingat infinita objecta, sic se invicem in perfectione essentiali excedentia, erit infinitæ efficaciæ, & proinde simpliciter infinita. Sed si attingat duo objecta, quæ sint plura pluralitate solum numerali, & materiali, non erit perfectior intrinsece, sed solum ex parte scitorum: & consequenter, si cognoscat infinita, talis excessus erit solum numeralis, & materialis, nec arguet efficaciam infinitam in cognitione. Ut enim ait S. Thom. Quæst. 20. de Verit. art. 4. ad 10. *Scientiæ quantitas, quæ attenditur penes numerum scitorum, est ei quasi per accidens, & materialis, & præcipue quando in multis scitis est una ratio sciendi: secus enim esset, si diversis rationibus cognoscerentur.* Cum ergo omnia, quæ sciuntur a Christo, etsi infinita, sint infinita numero ex parte scitorum; & una sit ei ratio ea sciendi, nempe, essentia, seu Verbum divinum; & omnia claudantur intra terminos essentiæ finitæ: non sequitur, quod sit infinitæ efficaciæ, nec simpliciter infinita.

XVII. Ad tertiam, quæ potest esse replica, contra dicta; quia etiam omnia possibilia, contenta in omnipotentia Dei, esto infinita secundum multitudinem, sunt tamen clausa intra terminos entis finiti, nempe, creabilis; & tamen cognosci nequeunt per scientiam finitam, sed requirunt cognitionem, & lumen simpliciter infinitum. —— Respondeo, quod cognitio omnium possibilium non solum diceret infinitatem ex parte numeri scitorum, sed etiam ex parte efficaciæ ipsius cognitionis. Collectio enim omnium possibilium, licet in esse rei non afferat infinitatem simpliciter, illam tamen affert in esse objecti cognoscibilis in Verbo, & ex vi cognitionis Verbi; quia cognitio talis collectionis in verbo non aliter sequi potest, nisi ex comprehensione, & totali penetratione divinæ omnipotentiæ: & proinde habere debet efficaciam, & lumen infinitum. Secus est de creaturis infinitis a Christo visis in Verbo: istæ enim neque in esse rei dicunt infinitatem, neque in esse cogniti; quia non arguunt comprehensionem Dei, secundum essentiam infiniti. Unde S. Thomas citata Q. 20. de Verit. art. 4. in corp. *Sic igitur* (inquit) *anima Christi omnes creaturas, non solum quantum ad naturales proprietates, quod & Angeli habent: sed secundum quod substant divinæ providentiæ ordinatæ in finem salutis humanæ, & donorum gratiæ. Et ideo scit omnia singularia & omnes singulares actus omnium, & cordis abscondita, quod de nulla alia creatura dicere oportet. Et quia non pertingit ad comprehendendam ipsam divinam infinitatem, ideo remanet Deo facultas adhuc multa faciendi, quam ea, quæ anima Christi cognoscit.*

XVIII. An tamen ex modo dictis inferatur, omnia possibilia, saltem extra Verbum, cognosci per lumen simpliciter finitum: quia ut sic neque sunt infinitá ratione essentiæ, neque includunt comprehensionem Dei. Aliqui admittunt —— Alii vero probabilius negant. Ex his alii putant, quod ex cognitione creaturarum in se ipsis, adhuc sequeretur comprehensio divinæ virtutis, saltem a posteriori. Alii existimant, quod licet divinæ virtutis comprehensio non sequeretur; sequeretur tamen in intellectu omnia possibilia cognoscente debere dari infinitas species: quod repugnat. Vel enim successive ea cognosceret: & sic nunquam finiretur talis omnium possibilium cognitio, quia infinitum non est pertransibile successive. Vel simul cognoscerentur: & sic requirerentur ad illa repræsentanda infinitæ species in actu: cum nec una species, nec finitus numerus specierum, etiam universalium, posset ea repræsentare, cum possibilia, in virtute Dei contenta, nedum infinita, sed infinities infinita sint; infinitus autem numerus specierum in actu repugnat.

§. IV.

De iis, quæ continentur in Potentia Creaturæ.

XIX. Dico. Anima Christi, per scientiam beatam, cognoscit omnia, quæ continentur in potentia creaturarum, quas videt in Verbo. Ita S. Thomas, *3. part. quæst. 10. art. 2.* Ubi cum præmisisset, animam Christi non cognoscere, per scientiam beatam omnia, quæ sunt in sola potentia divina, quia hoc esset comprehendere divinam virtutem, subjungit: *Quædam vero non solum sunt in potentia divina, sed etiam in potentia creaturæ; & hujusmodi omnia scit anima Christi in Verbo.*

Et probat hac ratione. Anima Christi comprehendit in Verbo essentiam omnis creaturæ, quam in Verbo cognoscit, & consequenter potentiam, & virtutem. Nam ejus lumen gloriæ, utpote summum, citra infinitum, in activitatem cognoscitivam, excedit omnem creaturam illi subjectam: sed qui comprehendit essentiam, ac virtutem causæ, cognoscit omnia, quæ in virtute talis causæ continentur, ergo &c.

§. V.

§. V.

Objecta contra præfatum Assertum.

XX. OBjicies primo. Quæ sunt in potentia Dei, non sunt plura, quam ea, quæ sunt in potentia creaturæ; cum hæc sint infinita sicut illa, unum autem infinitum non est majus altero: sed anima Christi non potest scire in Verbo omnia, quæ sunt in potentia Dei; ergo nec omnia, quæ sunt in potentia creaturæ.

XXI. Respondeo cum D. Thom. citata *q.* 10. *art.* 3. *ad* 3. neg. maj. Ad probat. dico, quod licet infinito simpliciter, & omnibus modis non possit dari majus: & ideo, quia corpus est ad omnem partem dimensionatum, si corpus esset infinitum, non posset dari corpus majus illo, nec possent dari plura corpora infinita: si tamen aliquod esset infinitum uno modo tantum, & in determinato ordine; esto non esset aliud majus in illo ordine, posset tamen accipi aliud majus extra illum ordinem. Sic si accipiamus tres lineas, secundum longitudinem infinitas: protractas in aliqua superficie, secundum latitudinem finita; in una illarum non est aliquid majus omnibus partibus infinitis illam componentibus: in alia tamen linea, & in tertia erunt plures partes infinitæ præter istas: *Et hoc etiam videmus in numeris accidere. Nam species numerorum parium sunt infinita, & similiter species numerorum imparium: & tamen numeri pares, & impares sunt plures, quam pares. Sic igitur dicendum est, quod infinito simpliciter, & quoad omnia, nihil est majus; infinito autem, secundum aliquid determinatum, non est majus in illo ordine; potest tamen accipi aliquid aliud majus extra illum ordinem. Per hunc igitur modum infinita sunt in potentia creaturæ; & tamen plura sunt in potentia Dei, quam in potentia creaturæ. Et similiter anima Christi scit infinita scientia simplicis intelligentiæ; plura tamen scit Deus secundum hunc scientiæ, vel intelligentiæ modum.* Quia scit omnia, quæ continentur in potentia creaturæ, & insuper etiam ea, quæ continentur in sola potentia sua: hæc autem anima Christi non scit.

XXII. Objicies secundo. Possibilia, contenta in potentia creaturæ, non pertinent ad statum Christi; ergo non est necesse, ut ea cognoscat per scientiam beatam. Ant. prob. Status Christi est status Judicis; sed Judici incumbit cognoscere quid fecerit judicandus dignum præmio, vel supplicio, non autem quidquid facere potuisset; ergo &c.

XXIII. Respondeo, neg. Antec. Ad prob. dico primo: statum Christi non esse statum Judicis tantum, sed etiam Capitis Universi, cui omnia sunt subjecta: ideoque omnes creaturæ, & omnia contenta in virtute illarum spectant ad statum Christi; si non ut Judicis, ut Capitis Universi,.. Dico secundo: ad statum Christi Judicis Universalis pertinere, scire non solum ea, quæ homo fecit, vel omisit; sed etiam omnia opera, quæ poterat facere, & tenebatur facere, & non fecit, & omnes insuper circumstantias etiam possibiles.

XXIV. Objicies tertio. Hæc, quæ continentur in potentia creaturæ, sunt infinita in potentia: sed infinitum in potentia adæquate cognosci nequit: sicut neque cognosci possunt partes continui, quia sunt infinitæ in potentia; ergo &c.

XXV. Respondeo, neg. min. Nam licet infinitum in potentia nequeat adæquate cognosci percurrendo, & numerando singula, & deveniendo ad ultimum; quia cum natura infiniti sit, ut quocumque dato semper dabile sit aliud, & aliud sine termino, infinitum non est pertransibile; potest tamen infinitum in potentia in aliquo uno, in cujus potentia est, unico actu, & unitim adæquari, & comprehendi, ita ut nihil illius sit extra cognoscentem. Et hoc modo anima Christi cognoscit infinita illa, in potentia creaturæ contenta; quatenus illa unitim complectitur in potentia creaturæ, quam comprehendit in Verbo.

XXVI. Objicies quarto. Quando dicitur, quod anima Christi comprehendit potentiam creaturæ, vel sermo est de potentia solum naturali, vel etiam de obedientiali: hoc secundum est falsum, primum autem non sufficit, ut dicatur cognoscere omnia; ergo &c.

Rursus: quando dicitur, quod anima Christi comprehendit potentiam creaturæ, & in ea cognoscat infinita: vel hæc sunt infinita secundum speciem, vel solum secundum numerum. Primum dici nequit: quia cum potentia creaturæ sit finita, nequit continere infinitos gradus perfectionis specie diversos. Secundum quoque est falsum: quia ad comprehendendam potentiam, non requiritur cognitio omnium effectuum in particulari.

XXVII. Respondeo ad primum. Animam Christi comprehendere potentiam naturalem creaturæ, sive activam, sive passivam, non vero obedientialem: hæc enim ad ejus statum non pertinet. Immo forte nulli creaturæ possibilis est, sed Deo soli; qui solus potentiam suam, & quidquid in quocumque ordine de creatura, & in creatura facere potest, comprehendit.

XXVIII. Ad secundum, etiamsi aliqui aliter opinentur, dico, animam Christi cognoscere in potentia creaturæ, quam comprehendit, infinitos effectus solum secundum numerum. Dato enim, quod in potentia creaturæ, puta, Cæli, & materiæ, contineantur infinitæ rerum species, quas Deus sua absoluta potentia potest ex illis educere, ac novas in infinitum species, illis utendo, creare: hæc tamen ad statum Christi non pertinerent, cum ad illum solum pertineant illæ species, quæ in potentia creaturæ naturaliter de facto continentur, quæ finitæ sunt. Et ideo ad comprehensionem sufficit, ut istas cognoscat, & omnia insuper singularia, quæ sub illis continentur, quamvis numero infinita. Quamvis enim ex vi comprehensionis, non requiratur omnium individuorum, etiam possibilium sub qualibet specie, cognitio, ut in aliis beatis Angelis, & hominibus constat; est tamen manifesta ratio in comprehensione Christi: cui cum omnes non solum species, sed etiam individua ut Capiti subjecta sint, debuit adeo excellens cognitio tribui; ut in potentia creaturæ omnia, etiam secundum individuales eorum rationes, penetraret.

XXIX. Hinc sequitur, animam Christi clarius qualibet alia creatura divinam essentiam vidisse. Ita S. Thomas hac *quæst.* 10. *art.* 4. his verbis: *Visio divina essentiæ convenit omnibus Beatis, secundum participationem luminis, derivati in eos a fonte Verbi Dei, secundum illud Ecclesiastici* 1. *vers.* 5. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. *Huic autem Verbum Dei propinquius conjungitur anima Christi, quæ est unita Verbo in persona, quam quævis alia creatura: Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quam quæcumque alia creatura. Et ideo præ cæteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia. Unde dicitur Joann.* 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum, *non solum* gratiæ, *sed etiam* veritatis. Perfectius etiam quam Angeli. Quia, ut ibi, *ad* 2. docet, cum visio divinæ essentiæ excedat naturalem potentiam cujuslibet creaturæ: *Ideo gradus in ipsa attenduntur magis secundum ordinem gratiæ, in quo Christus est excellentissimus; quam secundum ordinem naturæ, secundum quem natura Angelica præfertur humanæ.*

XXX. Quæres: An anima Christi comprehenderit vim infinitam sui meriti?

Respondeo negative. Quia cum valor, & dignitas operum Christi includat formaliter ipsum Verbum, ut formam ea moraliter afficiens; non poterat ea in esse morali, & ut infinite meritoria comprehendere, nisi etiam Verbum ipsum comprehenderet. Qua ratione nec etiam comprehendere poterat omnes gradus possibiles in visione beata: ad hoc enim necessarium fuisset, ut comprehenderet augmentum luminis gloriæ, & omnes gradus in illo possibiles in infinitum, & divinam essentiam, ut unibilem infinitis intellectibus possibilibus.

DUBIUM III.

An cognoverit Anima Christi, per Scientiam infusam, omnia Naturalia?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DIco. Anima Christi per scientiam infusam cognovit omnia entia naturalia, sive materialia, sive spiritualia; non solum secundum rationes communes genericas, vel specificas, sed etiam distincte, & secundum propriam, ac distinctam cujuslibet individuationem. Ita ex S. Thom. 3. *p. quæst.* 11. *art.* 1. cujus ratio est. Quia, ex dictis supra, *quæst.* 9. *art.* 1. conveniens fuit, ut anima Christi omnino perfecta esset per hoc, quod omnis ejus potentialitas, sive naturalis, sive obedientialis sit reducta ad actum, saltem per cognitionem objectorum naturalium: decuit enim, ut haberet scientiam excellentiorem Angelis. Si enim, teste *Dionysio, c. 7. de Cælesti Hierarch.* Christus, ut homo, docuit Angelos; debuit habere scientiam excellentiorem illis, non solum beatam, quia per hanc nullum docet; ergo sicut Angeli, per scientiam inditam, cognoscunt omnia objecta naturalia distincte, & in particulari, secundum proprias eorum individuationes; a fortiori hæc omnia cognoscere debet anima Christi, per scientiam infusam.

II. Secundo probatur, præsertim quoad singularia. Scientia singularium, ut docet S. Thom. hoc *art.* 1. *ad* 3. maxime pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ; *Secundum cognitionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in 6. Ethic. c. 7. Unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhet.* lib. 2. de Invent.) *Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ, secundum donum consilii; consequens est, quod cognoverit omnia singularia, præsentia, præterita, & futura.*

Quod vero hac scientia clare, & distincte cognoverit etiam Angelos, probo ex S. Thom. *art.* 1. citato, *ad* 2. sic. Quod anima humana in statu hujus vitæ non possit intelligere clare substantias separatas, ex eo procedit, quia est quodammodo ad corpus obligata, ut sine phantasmate intelligere non possit: cæterum, post statum hujus vitæ, soluta

ſoluta a corpore poterit per ſe ipſa ſubſtantias ſeparatas cognoſcere: ſed Chriſtus ante paſſionem non ſolum erat viator, ſed etiam Comprehenſor: ergo anima ejus poterat cognoſcere ſubſtantias ſeparatas, per ſcientiam infuſam, ſicut per ſcientiam beatam cognoſcebat Deum.

Ex quo fit, quod etiam omnia ſingularia, & quæcumque ſpeculabilia, ſcientia infuſa, cognoſceret, non minus, ſed multo melius, quam ea cognoſcant Angeli, & altiori lumine: immo & ipſos Angelos, clare, & diſtincte comprehendendo eorum naturas, & intuendo eorum exiſtentias, & operationes melius, quam ab anima ſeparata, & ab ipſis Angelis cognoſcantur. Et rationem omnium dat Apoſtolus, dum, 1. *Cor. 15. v. 26. & 27.* dicit, Deum Chriſto ſubjeciſſe omnia, præter eum, qui ſubjecit ei omnia.

III. Porro: quod ſcientia hæc infuſa ſit ſupernaturalis, non impedit, quin entia naturalia per eam cognoſcantur; immo facit, ut cognoſcantur altiori modo. Quia, ut docet S. Thom. 1. contra Gent. c. 65. *In omnibus virtutibus ordinatis communiter invenitur, quod virtus ſuperior ad plura ſe extendit, & tamen eſt unica: virtus vero inferior ſe extendit ad pauciora, & tamen multiplicatur reſpectu illorum, ut patet in imaginatione, & ſenſu. Nam una vis imaginationis ſe extendit ad omnia, quæ quinque vires ſenſuum cognoſcunt, & ad plura.* Ex quo infert, quod vis cognoſcitiva in Deo, cum ſit ſuperior, quam in homine, quidquid homo diverſis viribus cognoſcit, intellectu, imaginatione, & ſenſu, hoc Deus uno, & ſimplici intuitu cognoſcit. Servata ergo proportione, cum ſcientia infuſa ſit ſuperior ad omnes ſcientias naturales; illa unica exiſtens plura attingere poterit, quam iſtæ multiplicatæ, nimirum, omnia earum objecta, & multo plura. Licet enim ſcientia naturalis non poſſit ens ſupernaturale attingere, quia proportio inter ſcientiam, & objectum eſt, quod ſcientia non excedatur ab objecto, exceſſu ſaltem gradus, vel ordinis: ſcientia tamen ſupernaturalis cognoſcere poteſt objecta naturalia, ut patet in ſcientia beata, quæ ſupernaturalis eſt; & tamen in Verbo omnia etiam naturalia attingit, ſed altiori lumine, quam ipſa petant cognoſci: & ideo modo non ipſis connaturali, ſed ſupernaturali. Ita ſcientia animæ Chriſti attingebat objecta naturalia ſupernaturali modo, non connaturali, quia attingebat ea, non per ſpecies ipſis connaturales, & ab eis acceptas, ſed derivatas per claram revelationem a Deo: neque ordini naturali eorumdem alligatas, quia illa etiam, ut latentia in cordibus agentium liberorum, & ut contingenter futura, attingere poterat, ut dicemus; quod naturaliter fieri nequit.

IV. Ex dictis colligi poteſt, immerito aſſeruiſſe Scotum, ſcientiam infuſam animæ Chriſti, ut verſatur circa res naturales, ſolum differre ab acquiſita, ſicut viſus datus, vel congenitus a natura, vel per miraculum reſtitutus. Nam viſus, ſive congenitus, ſive reſtitutus idem eſt, quoad objectum formale; & ille modus, quo datur a Deo per miraculum, eſt illi prorſus accidentalis. At ſcientia per ſe infuſa, & acquiſita differunt in modo connaturali productionis; quia illa per ſe petit fieri per infuſionem a Deo, iſta per comparationem ab objectis. Differunt ulterius in modo procedendi, & conſequenter ex parte objecti formalis. Quia ſcientia infuſa licet eadem objecta materialia attingat, quæ ſcientia acquiſita; ea tamen attingit altiori, & eminentiori modo, & ſub altiori lumine. Sicut eadem res materialiter, ab intellectu humano, & angelico cognoſcitur per ſcientias ſpecie diverſas: quia humanus per ſpecies acceptas a rebus, & limitatas; angelicus per ſpecies infuſas, & univerſales, cognoſcunt. Videantur dicta, *Quæſt. præced. Dub. 5. §. 3. n. 10.*

§. II.

Objectionum Solutio.

V. OBjicies, maxime contra cognitionem ſingularium per ſcientiam infuſam, primo. Nam hæc eſt ſuperflua in anima Chriſti: quia ea jam cognoſcebat per ſcientiam beatam.

Secundo. Erat inutilis ejus intellectui; quia cognitio individuorum, maxime materialium, non perficit intellectum, ut docet Sanctus Thomas, 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 8. *ad* 4.

Tertio. Eſt impoſſibilis: quia argueret in intellectu Chriſti infinitas ſpecies, ſicut ſub qualibet ſpecie infinita ſunt individua ſaltem poſſibilia.

Quarto. Quia ſcientia infuſa, utpote altior, & perfectior, verſari debet circa perfectius objectum; ergo non circa ſingularia materialia, & contingentia: unde ſolet dici, quod ſcientia non eſt ſingularium.

VI. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum, nego antec. Cognitio enim objectorum naturalium, & maxime ſingularium, non fuit in Chriſto ſuperflua, immo neceſſaria ad explendam potentiam, & capacitatem animæ Chriſti; ut ſcilicet, ea cognoſceret non ſolum in Verbo, per ſcientiam beatam, ſed etiam in proprio genere; & non ſolum ſecundum ſe, qualiter ea cognoſcebat per ſcientiam acquiſitam: ſed etiam ſecundum altiorem modum, ut nempe, omni modo cognitionis ea cognoſceret.

VII. Ad ſecundum reſpondeo cum S. Thom. hac 3. *part. quæſt.* 11. *art.* 1. *ad* 3. quod licet cognitio ſingularium non pertineat ad perfectionem animæ intellectivæ, ſecundum cognitionem ſpeculativam; pertinet tamen ad perfectionem ejus, ſecundum cognitionem practicam, quæ non perficitur abſque cognitione ſingularium, in quibus eſt operatio. Cumque cognitio practica ſpectans ad prudentiam, ſupponat notitiam ſpeculativam ſingularium; ut ex memoria præteritorum, cognitione præſentium, & præſcientia futurorum procedat ad rectum conſilium, per *Syneſim*, ad rectum Judicium per *Gnome*, & ad rectum imperium, qui eſt proprius actus prudentiæ; ideo hæc notitia ad prudentiam prærequiſita, quæ in nobis habetur per ſpecies acceptas a rebus, quia in nobis eſt prudentia acquiſita, in Chriſto, in quo erat prudentia infuſa, haberi debuit per ſcientiam infuſam.

VIII. Ad tertium nego ſequelam. Nam per ſpeciem infuſam, repræſentantem naturam ſpecificam, repræſentari poſſunt omnia individua ſub ea contenta, omnes illorum affectiones, & accidentia; ut de ſpeciebus angelicis dici ſolet. Unde non eſt neceſſe, ut ſcientia infuſa animæ Chriſti utatur infinitis ſpeciebus ad cognoſcenda individua, ſi eſſent infinita. Et ratio eſt: quia ſpecies infuſæ, cum non ſint acceptæ ab objectis, ſed exemplatæ a divina eſſentia, quæ una exiſtens diſtincte res omnes, & earum conditiones repræſentat; conſonum eſt, ut ſpecies ab ea exemplatæ id ſaltem participent: ut quælibet illarum repræſentet ſpeciem cum omnibus, in quibus poteſt materialiter multiplicari.

IX. Ad quartum dico, quod ſcientia infuſa, ex quo altior eſt, debet habere altius objectum formale, & altius lumen. Sed hoc non prohibet, quin etiam poſſit attingere ſingularia, & objecta materialia: cum etiam attingantur a ſcientia beata, immo, & a divina, ut docet S. Th. 1. *p. q.* 14. *art.* 11.

X. Objicies ſecundo. Non eſt neceſſe, ut omnis potentialitas animæ Chriſti, etiam obedientialis, reducatur ad actum; ita ut carentia talis actus inducat imperfectionem. Nam in anima Chriſti erat potentia ad videndas in Verbo plures creaturas poſſibiles, quam de facto videat: & tamen eſto eas non videat, nulla in anima Chriſti eſt imperfectio: ſicut neque in Beata Virgine, eſto Deus in ea multa non operetur, ad quæ dicit potentiam obedientialem.

XI. Ad hoc, quod conatur evertere rationem S. Thomæ, reſpondeo, quod id, quod abſolute eſt mere obedientiale, facta aliqua ſuppoſitione, evadere poteſt connaturale, & debitum. Sic potentia ad cognoſcenda ſupernaturalia, media revelatione divina, nobis abſolute obedientialis eſt: ſuppoſito tamen, quod ſimul elevati ad finem ſupernaturalem, aliquo modo debita, & connaturalis nobis fit aliqua cognitio talis finis; ut ſi omni cognitione ſupernaturali careremus, eſſemus in ſtatu imperfecto. Sic a fortiori animæ Chriſti, abſolute ſumptæ, eſſet obedientiale, & prorſus indebitum cognoſcere res diſtincte extra Verbum, per ſcientiam, & ſpecies infuſas: ſuppoſito tamen, quod fuerit unita Verbo, notitia ſupernaturalium, & naturalium, per ſpecies infuſas, fit illi connaturalis, & debita, ut eſſet imperfecta, ſi ea careret. Facta enim tali ſuppoſitione, hæc omnia pertinebant ad ejus ſtatum. Cum enim conſtitutus eſſet Doctor, & Caput hominum, & Angelorum, debuit habere ſcientiam rerum omnium naturalium, & ſupernaturalium; qua uti poſſet ad illorum inſtructionem, & quæ captui illorum proportionata eſſet. Ad quod cum deſervire non poſſet ſcientia beata, in qua conceptus eſt prorſus immutabilis, ac indiviſibilis, utpote divina eſſentia unita per modum ſpeciei; debuit in illo dari alia ſcientia, per ſpecies creatas, ex quibus formare poſſet conceptus magis, ac minus univerſales; atque adeo accommodabiles captui eorum, qui erant inſtruendi. Hæc autem, nec eſſe poterat ſcientia acquiſita. Quia cum iſta non ſe extendat ad res ſpirituales quidditative; cumque etiam res naturales per iſtam modo inferiori attingantur, quam attingantur ab Angelis; non potuiſſent Angeli a Chriſto, ut homine, illuminari. Nec etiam potuit eſſe fides. Quia iſta, utpote eſſentialiter obſcura, non compatiebatur in Chriſto cum claritate viſionis Dei. Nec poterat eſſe prophetia. Nam hæc, vel eſt imaginaria, & importat dependentiam a phantaſmatibus: ſi vero eſt intellectualis, magis pertinet ad ſcientiam infuſam, quam ad prophetiam. Addo: prophetiam non conferri per modum habitus, ſed per modum tranſeuntis: ſcientia autem Chriſti infuſa, decuit, ut in eo eſſet per modum permanentis, & non per modum tranſeuntis. Unde non fuit prophetia, ſed proprie ſcientia infuſa. Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 174. *art.* 2. *ad* 3. & *q.* 171. *art.* 2.

DUBIUM IV.

An Christus per Scientiam Infusam cognoverit secreta cordium, & Futura Contingentia?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DIco. Anima Christi per scientiam infusam cognovit cogitationes cordium, & futura contingentia. Non me latet, S. Thom. in 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. & *quæst.* 20. *de Verit. art.* 6. sensisse, cogitationes cordium, & futura contingentia ab anima Christi cognosci per scientiam beatam, non vero per infusam. Verum, re forsan accuratius perpensa, nobiscum sentit, hac *q.* 11. *art.* 1. ubi a cognitione per scientiam infusam, solam divinam essentiam excludit. Prob. autem sic. Nam hujusmodi cognitio secretorum cordis, & contingentium futurorum maxime spectabat ad dignitatem Christi, ut universalis Capitis, Provisoris, & Judicis: immo necessaria ad perfectissimam prudentiam, ac providentiam, & ad perfecte exercendum munus Doctoris, & Judicis; cui omnia, etiam cogitationes occultissimæ subjectæ sunt, & ab ipso judicandæ. Et ita Christus sæpe usus est dono prædicendi futura, & revelandi hominibus cogitationes cordium.

II. Nec satis est dicere, animam Christi ea omnia per scientiam beatam cognovisse. —— Nam licet hoc sit verum; non est tamen deneganda illi cognitio horum, etiam per scientiam infusam, & in se ipsis. Unde S. Thomas, hoc art. 1. *Per hanc scientiam* (inquit) *cognovit Christus omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantius, & plenius cæteris cognovit anima Christi.*

Et ratio est. Quia cum Christus nedum esset Comprehensor, sed etiam viator; debuit anima ejus esse perfectissime disposita, nedum quoad statum Comprehensoris, per scientiam beatam, sed etiam quoad statum viatoris per scientiam infusam; ut posset ea, ad quæ venerat, perfecte implere; nimirum, docere, confirmare fidem, judicare de humanis operationibus, & prævidere, ac certo providere circa eventura; ad hoc autem requirebatur cognitio cogitationum cordis, & præscientia futurorum. Hanc autem se habuisse testatus est, ex dictis; cum secreta cordium se cognoscere indicavit, & cum futura prædixit.

Nomine autem secretorum, seu cogitationum cordis, veniunt omnes actus liberi intellectus, & voluntatis actu existentes in mente, aut corde hominis, vel Angeli: qui quidem, esto respectu luminis naturalis, possint per solam agentis liberi voluntatem occultari, nec nisi, eo volente, ab alio cognosci; sicut de facto occultantur Angelis, etiamsi habeant species, & lumen sufficiens ad illos cognoscendos: respectu tamen luminis divinitus infusi, & a divina essentia exemplati, quale erat in Christo, ex sola voluntate agentis liberi non poterant occultari: quia in tali lumine participabatur vis quædam, seu revelatio divina ad omnia intuenda, absque dependentia a voluntate operantis.

§. II.

Solutio Objectionum.

III. OBjicies primo. Secreta cordis penetrare solius Dei proprium est, Jerem. 17. vers. 9. *Pravum est cor hominum, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Similiter futura prædicere Dei solius est, Isaiæ 41. v. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum; & dicemus, quia Dii estis vos*; ergo animæ Christi non debet concedi.

Secundo. Ideo S. Thom. 1. *p. q.* 57. *art.* 4. probat, secreta cordium cognosci non posse ab Angelis; quia voluntas creata soli Deo subjacet, ut principio, quod in eam operari potest, solusque Deus est ultimus ejus finis. Unde solus Deus, ut primum movens, & sola voluntas, ut causa propria, cognoscit secreta cordis sui.

Tertio. Species, quæ serviunt animæ Christi, quoad naturalia, minus perfectæ sunt, quam species, & lumen, queis utitur Angelus: sed species, & lumen infusum Angelis, eis non repræsentant secreta cordium aliorum, nisi dependenter a voluntate ejus; qui secretum habet in corde; ergo &c.

IV. Respondetur ad primum, cognoscere secreta cordium, & futura contingentia connaturaliter, esse quidem solius Dei proprium: & hoc probant allatæ Scripturæ. Hoc tamen non tollit, quin ex dono gratiæ, & per lumen, ac scientiam naturæ creatæ indebitam, & per species exemplatas a divina essentia, cui, ut principio, plenissime subditur voluntas creata, etiam anima Christi possit illa cognoscere, penetrando cujusque voluntatis secretum, & futura prænoscendo.

V. Ad secundum dico, naturali cognitioni Angelorum solum ea subjici, quæ pertinent ad ordinem naturalem Universi: ad hunc autem non pertinent secreta in corde latentia, quæ potius entia moralia, seu intentionalia sunt, quam naturalia. Insuper naturæ Angeli non est debitum, quod est contra naturam, & exigentiam creatæ voluntatis; creata autem voluntas, & rationalis natura exigit habere tale dominium supra suos actus liberos, ut possit eos secreto custodire, & occultare cuicumque alteri creaturæ, nisi voluerit eos illi prodere. At in infundenda cognitione animæ Christi, non attendebat Deus ad ordinem connaturalem rerum, seu ad exigentiam creaturæ; sed ad debitum unionis hypostaticæ, & dignitatem, ad quam Christi humanitas assumebatur. Cum autem ratione unionis hypostaticæ, & dignitatis supremi Capitis, & Judicis Universi fieret illi connaturaliter debitum; ut tales species infunderentur, quibus posset discretione spirituum omnes Angelos, & homines etiam, quoad interna dirigere, & judicare: ideo debita illi erat cordium penetratio.

VI. Ad tertium dico, quod species infusæ animæ Christi licet sint minus perfectæ ex parte subjecti, quam species Angelicæ, quia minus universales; secus tamen ex parte objecti, quia repræsentant supernaturalia; & naturalia independenter a coordinatione hujus Universi, & exigentia rei creatæ. Unde & secreta cordium, & futura contingentia representare queunt, & de facto repræsentant.

VII. Objicies secundo, non posse animam Christi cognoscere futura contingentia. Tribus enim tantum modis possunt hæc cognosci. Primo: in sua causa, aut in effectu. Secundo: in testimonio Dei revelantis. Tertio: in seipsis, secundum esse futurum, quod habent: sed nullo ex his modis potuit anima Christi ea cognoscere; ergo &c. Min. prob. Non potuit ea cognoscere in sua causa. Ut enim docet S. Thom. 1. *part. quæst.* 14. *art.* 13 & *q.* 57. *art.* 3. futurum contingens, quamdiu consideratur in sua causa contingente, a nulla causa creata certo cognosci potest: quia causa ex se contingens est & indeterminata. Neque in suo effectu. Nam effectus futuri contingentis æque contingens est, ac ipsum futurum. Nec poterat ea cognoscere in testimonio Dei revelantis. Quia talis modus cognoscendi non spectat ad scientiam infusam, quæ attingit res in seipsis; sed ad fidem, vel prophetiam, quæ attingunt res, ut in testimonio Dei. Neque etiam poterat cognoscere, ut in se ipsis. Quia futura nullum habent esse, & consequenter nullam cognoscibilitatem in seipsis; ergo &c.

VIII. Respondeo, omissis variis dicendi modis, futura contingentia ab anima Christi probabiliter cognosci in seipsis, secundum esse futurum, quod habent, nempe, ut stant sub decreto Dei: nulla enim est implicantia, quod infundatur species sub tali modo ea repræsentans.

Neque ex hoc sequitur, necessarium fuisse, animam Christi cognoscere divina decreta, a quibus futura habent determinationem. —— Nam esto decretum divinum sit causa efficiens, radicalis, vel conditio, unde hæc futura sortiuntur determinatam veritatem; est tamen ab hac veritate distinctum: unde representari potest, illo saltem quidditative non repræsentato, sed solum indirecte, in obliquo, & quoad an est. Id probabiliter.

IX. Verum: quia forte probabilior sententia est, divinum decretum esse causam futuritionis, non radicalem tantum, & efficientem, sed formalem; ita ut futura, quatenus talia, nullam habeant in seipsis cognoscibilitatem; sed solum cognoscibilia sint in Decreto determinante illa ad esse pro tali tempore: Idcirco in tali sententia dicendum est, animam Christi non cognoscere futura in seipsis; sed clare, & evidenter in specie repræsentante illi, Deum habere tale decretum de eventu futuro: quæ scientia est participatio quædam præscientiæ Dei, cognoscens divinum decretum abstractive, & quoad an est.

X. Ex quibus infertur, animam Christi per scientiam infusam, non cognovisse futura per scientiam intuitivam: quia ad hanc, in veriori sententia, requiritur, quod res cognita sit physice præsens cognoscenti. Cognitioni autem animæ Christi futura contingentia non erant physice præsentia; quia scientia infusa non mensuratur æternitate, nec utitur speciebus mensuratis æternitate, vel repræsentantibus res, ut sunt in æternitate: hoc enim solius scientiæ beatæ proprium est. Solum ergo erant cognitioni animæ Christi objective præsentia; & proinde cognitione abstractiva cognoscebantur. Neque enim cognitio abstractiva eorum, quæ cognoscebat anima Christi extra Verbum, eam dedecet. Nam esto non esset ita perfecta, sicut scientia beata; erat tamen perfecta in suo genere, ideo clare, & distincte, cognoscens non solum futura, sed & rationes, causas, motiva, omnesque circumstantias, quæ omnia per prophetiam non cognoscuntur.

DUBIUM V.

Quænam Supernaturalia cognoverit Anima Chriſti per Scientiam Infuſam?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco. Anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognovit clare, & diſtincte effectus ſupernaturales, & etiam lumen gloriæ, ac viſionem beatam: imo, probabiliter, etiam comprehenſive. Quod anima Chriſti clare præfata cognovetit (quæ eſt prima pars) prob. Quia, ut ait Sanct. Thom. hac *quæſt.* II. *artic.* I. omnia, quæ hominibus per revelationem innoteſcunt, cognita fuerunt a Chriſto clare per ſcientiam infuſam ſupernaturalem. Cum enim Chriſtus fuerit ratione unionis Caput totius Eccleſiæ, debuit illi dari cognitio omnium, quæ pertinent ad ejus membra; ſicque etiam entium ſupernaturalium, cum cognitio horum hominibus Chriſto ſubditis detur: ſed dona ſupernaturalia hominibus innoteſcunt per revelationem; ergo multo abundantius Chriſto, ideſt, clare, & diſtincte. Hanc conſeq. probo. Tum quia: cognitio clara horum donorum ſupernaturalium in proprio genere poſſibilis eſt, & de facto eam habent Beati in Patria, ergo Chriſto neganda non eſt, cujus ſcientia infuſa, ratione unionis, excellentior erat omni ſcientia infuſa Beatorum —— Tum quia: Chriſtus per ſcientiam beatam videbat eſſentiam divinam, quatenus eſt ratio, idea, & exemplar effectuum ſupernaturalium: ergo dum utebatur ſcientia infuſa, ſcientiæ beatæ ſubalterna, poterat reducere effectus ſupernaturales ad ſuam cauſam clare cognitam, & ſic illos evidenter cognoſcere: modus enim cognoſcendi clare veritates ſcientiæ ſubalternatæ, eſt illas reducere ad veritates ſcientiæ ſubalternantis clare cognitas.

II. Quod vero cognoſcat ea quidditative (quæ eſt ſecunda pars) probatur ex eodem S. Thom. Nam omnis potentia obedientialis animæ Chriſti, per hanc ſcientiam per ſe infuſam, reducta fuit ad actum cognitionis rerum, quam extra Verbum poteſt habere: ſed præfata dona ſupernaturalia poſſunt extra Verbum quidditative cognoſci, & per ſpeciem propriam quidditative repræſentari: ſunt enim quidditates creatæ, limitatæ cognoſcibilitatis, ac proinde repræſentabiles per ſpecies creatas; ergo &c.

III. Porro; quod probabiliter dici poſſit, animam Chriſti per ſpeciem infuſam, omnia prædicta per ſcientiam infuſam cognoſcere, etiam comprehenſive (quæ eſt tertia pars) prob. Cognitio comprehenſiva alicujus objecti non requirit, ut lumen intellectuale, & ſpecies intelligibiles repræſentantes illud, ſint in entitate, & perfectione ſpecifica æquales cum perfectione entitativa, & ſpecifica objecti; ſed ſufficit, ut ſint æquales in gradu perfectionis, taliter, ut illud manifeſtent, & repræſentent adæquate, ideſt, non ſolum quoad prædicata formalia, ſed etiam virtualia, & omnes ejus connexiones: atqui hujuſmodi perfectio reperitur in lumine, & ſpeciebus ſervientibus ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti; ergo &c.

Maj. prob. Tum quia: lumen intellectuale, quo Angelus ſeipſum comprehendit, non eſt tantæ perfectionis entitativæ, quantæ eſt ipſa Angeli ſubſtantia; quia hæc eſt cauſa, & radix illius —— Fortius: lumen, & ſpecies, quibus Angelus inferior comprehendit ſuperiorem, cum ſint proprietates emanantes ab eſſentia illius; non ſunt certe tantæ perfectionis entitativæ, & ſpecificæ, quantæ eſt Angelus ipſe ſuperior. —— Tum etiam: quia ſi lumen intellectuale deberet eſſe æque perfectum, ac objectum comprehenſum; ſequeretur, nec gratiam, nec modum unionis hypoſtaticæ poſſe comprehendi per viſionem beatam. Quia unio hypoſtatica eſt ſubſtantialiter perfectior lumine gloriæ, & gratia etiam perfectior eſt lumine gloriæ: quia hoc eſt proprietas naturaliter conſecuta ad gratiam conſummatam.

Min. vero principalis prob. Lumen, & ſpecies infuſæ animæ Chriſti, erant exemplatæ ab eſſentia divina; & inſuper derivabant in Chriſto ex ſcientia beata, qua cognoſcebat comprehenſive in Verbo omnem creaturam, omnemque ejus perfectionem, virtutem, & omnia, quæ formaliter, aut eminenter ſunt in illa; ergo ex hac comprehenſione, per ſcientiam beatam, poterat, utendo lumine, & ſpeciebus infuſis illi ſubalternatis, inferre aliam cognitionem omnium eorum in ſeipſis, & in proprio genere; quæ omnia cognita, per ſcientiam beatam in Verbo, cognoſceret per ſcientiam infuſam in ſeipſis, quæ proinde foret eorumdem comprehenſiva: poteſt enim ſcientia ſubalternata cognoſcere eadem, quæ ſcientia ſubalternans, licet ex diverſo medio.

§. II.

Solutio Contrariorum.

IV. OBſtat primo, ſic. Gratia, lumen gloriæ, & viſio beata non poſſunt quidditative, & multo magis comprehenſive attingi, quin quidditative attingatur Dei eſſentia in ſe; ſed anima Chriſti per ſcientiam infuſam, non poterat attingere divinam eſſentiam quidditative, & in ſe; ergo neque &c. Maj. prob. Gratia ſanctificans eſt formalis participatio divinæ eſſentiæ in ſe; lumen gloriæ, & viſio beata formaliter ſpecificantur a divina eſſentia in ſe, ſed nequit quidditas rei cognoſci, & multo minus comprehendi, quin cognoſcatur quidditas rei, quam formaliter participat, vel a qua ſpeciem, & conſtitutivum ſumit; ergo &c.

V. Reſpondeo, neg. maj. Ut enim gratia, lumen gloriæ, & viſio beata quidditative, imo & comprehenſive attingatur, non eſt neceſſe, ut divina eſſentia quidditative attingatur; ſed ſat eſt, ut evidenter cognoſcatur quoad an eſt. Nam etiam Angeli cognoſcunt quidditative, imo & comprehenſive revelationem dependentiæ creaturæ a Deo, quæ utique ſpecificatur a Deo; & tamen per talem comprehenſionem certum eſt, quod quidditative non cognoſcunt Deum. Et ratio eſt. Quia ex comprehenſione unius relativi non ſequitur, quod neceſſario cognoſcatur aliud correlativum ſecundum eſſe, quod habet in ſe abſolutum; ſed ſufficit, ſi cognoſcatur ſecundum rationem formalem terminandi: niſi forte tale relativum ita perfecte contineret ſuum correlativum, ut perfectius contineretur in illo, quam in ſeipſo, ſicut creaturæ continentur in eſſentia divina. Unde ex cognitione comprehenſiva eſſentiæ divinæ ſequeretur cognitio quidditativa, imo & comprehenſiva omnium creaturarum; & cognita quidditative eſſentia divina, ut terminata ad hanc creaturam, neceſſario deberet cognoſci quidditative creatura, ad quam terminatur: quia cum creatura perfectius contineatur in eſſentia divina, quam in ſeipſa, in cognoſcibilitatem divinæ eſſentiæ involvitur tota cognoſcibilitas creaturæ. At gratia, lumen gloriæ, & viſio beata connectuntur quidem cum divina quidditate, ſed per modum dependentium ab illa, & cum deficientia a ſumma illius perfectione. Unde in illorum cognoſcibilitate nullo modo involvitur, aut continetur cognitio quidditativa Dei: licet ob nexum, quem habent cum divina eſſentia, cognoſci nequeant, quin quoad an eſt, divina eſſentia cognoſcatur. Et hoc eſt, quod indicat S. Th. hoc *art.* I. Ubi cum dicit, animam Chriſti per ſcientiam infuſam omnia cognoviſſe, præter divinam eſſentiam; non negat (ut male putat Vaſquez) Chriſtum per ſcientiam infuſam cognoſcere eſſentiam divinam, quoad an eſt; cum potius aſſerat, quod omnia, quæ nobis per revelationem innoteſcunt, fuerint per illam ab eo cognita; certum autem ſit, per revelationem, a nobis cognoſci divinam eſſentiam, quoad an eſt. Sed ſolum vult, animam Chriſti non cognoſcere, per ſcientiam infuſam eſſentiam divinam quoad quid eſt, ſicut cætera ſupernaturalia cognoſcit.

VI. Si autem dicas. Cognitio quoad an eſt, cum ſit complexa, ſupponit incomplexam cognitionem extremorum. Ut enim formem hac propoſitionem: *Natura humana exiſtit*; debeo apprehendere naturam humanam, & ejus exiſtentiam; ergo, ut formem conceptum de divina eſſentia quoad an eſt, & dicam: *Divina eſſentia eſt*; deberem apprehendiſſe divinam eſſentiam, de qua prædico exiſtentiam: apprehendere autem divinam eſſentiam, per ſpeciem infuſam, eſt impoſſibile.

VII. Hæc inſtantia non valet. Quia probaret, nulla cognitione creata, quæ non ſit beatifica, poſſe divinam eſſentiam cognoſci, quoad an eſt: cum tamen hoc modo cognoſci poſſit, ne dum per cognitionem infuſam ſupernaturalem, ſed etiam naturalem, ut oſtenditur, I. *part. quæſt.* I. Reſpondeo ergo, quod ſicut dum lumine naturæ cognoſcimus Deum, quoad an eſt; extremum incomplexum illius notitiæ eſt divina eſſentia negative, & abſtractive potius concepta; quia de Deo potius cognoſcimus quid non ſit, quam quid ſit: ita in præſenti ſufficit talis apprehenſio, ut a ſcientia infuſa Chriſti attingatur extremum propoſitionis allatæ.

VIII. Quod ſi replices. Cum omne negativum reducatur ad affirmativum; quid apprehendimus de Deo, cum de ejus quidditate imperfectiones omnium, quæ referimus in creaturis, negamus? —— Reſpondeo, ad fundandum conceptum negativum, quo cognoſcimus, quid non ſit Deus, ſufficere hunc conceptum poſitivum, qui apprehendat Deum, ut infinite perfectum; ita ut, quamcumque perfectionem in eo concipiat, ſemper ſibi reſtet aliquid perfectius concipiendum: quo fit, ut in quadam caligine maneat. Sed hæc ad præſentem cauſam non ſpectant. Ab anima enim Chriſti, quæ cum ſcientia beata conjuncta erat, conceptus clarior de Dei quidditate formari poterat.

IX. Obſtat ſecundo. Per lumen inferioris perfectionis nequit quidditative, & multo minus comprehenſive, attingi objectum ſuperius, & perfectius; qua ratione, per lumen naturale, nequit cognoſci objectum ſupernaturale: ſed ſcientia infuſa eſt lumen inferius ad lumen gloriæ, & viſionem Dei; ergo &c.

X. Respondeo, dist. maj. per lumen inferius generice, & in gradu, nequit &c. conc. maj. Inferius tantum in entitate specifica, æquale vero in gradu perfectionis, nequit &c. nego maj. & dist. min. nego cons. Ad quidditativam ergo cognitionem, imo & comprehensivam, non requiritur adæquatio inter cognoscentem, & cognitum in entitate, & perfectione specifica, ut supra dictum est: & ulterius patet in lumine gloriæ, & visione beata, quæ attingunt quidditative Deum in se; & tamen in perfectione specifica cum Deo non conveniunt; & in Angelo inferiori, qui etiam comprehendit superiorem: sufficit ergo convenientia in genere, & in gradu. Cumque in hoc conveniat scientia infusa animæ Christi, quæ supernaturalis est; & cujus species, a divina essentia exemplatæ, dicunt proportionem habitudinis ad ens supernaturale; in quo genere continentur lumen gloriæ, & visio beata: hinc fit, quod licet in entitate, & perfectione specifica excedatur, adhuc possit illa quidditative cognoscere, imo & comprehendere. Non sic tamen lumen naturale, quod exceditur a quocumque ente supernaturali, excessu, nedum entitativo, & specifico, sed etiam ordinis, & habitudinis, unde neque, quoad an est, potest ens supernaturale, saltem in particulari, lumine naturali attingi.

XI. Replicabis. Quidquid sit de lumine gloriæ, & visione beata, saltem unio hypostatica excedit, excessu ordinis, scientiam infusam animæ Christi; ergo saltem hanc non potuit Christus, per scientiam infusam, quidditative, & multo minus comprehensive, cognoscere. Ant. probatur. Quia unio hypostatica est in ordine hypostatico: qui ordo superior est ad ordinem supernaturalem, in quo est scientia animæ Christi infusa.

XII. Si respondeas, quod ordo hypostaticus excedit quidem ordinem supernaturalem, excessu entitativo, & specifico, non autem excessu generico, & habitudinis: quia ordo hypostaticus continetur, ut species, sub genere entis supernaturalis: & proinde scientia infusa potest illum attingere.

XIII. Contra est. Non minus elevatur ordo hypostaticus supra ordinem gratiæ, & pure supernaturalem, quam ordo gratiæ supra ordinem naturæ; neque minus unus distat ab alio, quam alter: sed quod est in ordine naturæ, nequit attingere id, quod est in ordine gratiæ; ergo neque id, quod est in ordine gratiæ, valet attingere id quod est in ordine hypostatico.

XIV. Respondeo, maj. esse veram de excessu entitativo, non vero de excessu habitudinis: excessus autem entitativus objecti, si non claudat excessum habitudinis, non impedit cognitionem sui quidditativam. Deus enim, ut est in se, est ordinis superioris ad lumen beatificum; & distantia entitativa plus distat ab illo, quam gratia a natura, & Angelus a potentia visiva: & nihilominus potest Deus quidditative cognosci per lumen gloriæ; non vero gratia per lumen naturæ, Angelus per potentiam visivam. Et ratio est: quia licet Deus plus distet a lumine gloriæ, quam gratia a natura, & Angelus a potentia visiva, non tamen distat distantia habitudinis, Quia Deus, utpote ens supernaturale, continetur intra ens, quod est objectum intellectus nostri, & luminis gloriæ: adeo ut conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ dicat ordinem, & habitudinem ad Deum, ut est in se, tamquam ad proprium objectum. Non sic gratia continetur sub objecto luminis naturalis, aut Angelus sub objecto potentiæ visivæ. Cum ergo ordo hypostaticus, licet plus distet, & excedat entitative ordinem gratiæ, quam ordo gratiæ ordinem naturæ; non tamen distat distantia, aut excessu habitudinis: quia ordo hypostaticus continetur sub ordine gratiæ, & intra objectum luminis supernaturalis. Unde fit, ut possit per scientiam infusam supernaturalem quidditative cognosci, non sic per scientiam naturalem ordo gratiæ, seu objectum supernaturale.

XV. Quæres: An anima Christi per scientiam infusam cognovisset Deum, ut Trinum, quoad an est? Respondeo affirmative. Tum quia: Christus, ut viator, habebat aliquam notitiam Sanctæ Trinitatis: hanc autem non habebat per scientiam beatam, quia hanc non habebat, ut viator; neque per fidem, quæ in illo non fuit; ergo habebat per scientiam inditam. Tum quia: Christus poterat rogare, & sæpius rogabat Patrem; ergo Patrem cognoscebat. Tum quia: merebatur per amorem, pietatem, & obedientiam erga Patrem: qui actus non dirigebantur per scientiam beatam, quæ non est regula, nisi amoris necessarii; ergo per scientiam inditam. Tum quia: ex dictis, per scientiam inditam cognoscebat quidditative lumen gloriæ, & visionem beatam, quæ respicit Deum, ut Trinum: non potest autem quidditative cognosci habitus, & actus illius, nisi cognoscatur, quoad an est, terminus, ad quem dicit habitudinem. Tum quia: ut docet S. Thom. hoc *art.* 1. anima Christi per hanc scientiam cognoscebat omnia, quæ per revelationem nobis innotescunt: inter hæc autem est Mysterium Trinitatis.

XVI. Nota tamen: quod dum dicimus, animam Christi cognovisse Trinitatem per speciem visionis, luminis gloriæ, aut etiam unionis hypostaticæ; ea non sumimus, quatenus sunt effectus Dei. Ut sic enim non repræsentant, nec ducunt in cognitionem Dei, ut Trini; quia nullus effectus a Deo, ut Trino, ad extra procedit. Sed ea sumimus in ratione specifica propria: quia cum secundum hanc dicant habitudinem ad Deum, ut Trinum, ut ad terminum, & objectum: anima Christi per scientiam inditam cognoscens lumen gloriæ, beatam visionem, & unionem hypostaticam, cognoscebat, quoad an est, Trinitatem, ad quam ut ad terminum specificativum ordinantur. Unde per horum cognitionem, licet per impossibile non dimanarent a Deo, adhuc per illa tres divinæ Personæ cognoscerentur: quia ex sua ratione specifica connexionem habent cum Deo, ut Trino, non ut a quo sint, sed ut ad quem sunt.

DUBIUM. VI.

Varia circa Modum, & actus Scientiæ Inditæ Animæ Christi.

§. I.

An hac Scientia uteretur convertendo se ad Phantasmata?

I. DIco. Anima Christi uti poterat scientia indita sine, vel cum conversione ad phantasmata, pro suo beneplacito. Priorem partem docet S. Thom. 3. *part. quæst.* 11. *art.* 2. & probat primo, in arg. *Sed contra.* Nam anima Christi, per hanc scientiam, cognovit quædam, quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet, substantias separatas; ergo potuit intelligere, non convertendo se ad phantasmata. Deinde in Corp. hanc rationem tradit. Nam licet Christus fuerit viator, fuit tamen simul Comprehensor; ergo sicut animæ beatæ; licet unitæ corpori, quia tamen non sunt subditæ corpori, quoad modum operandi, ideo possunt intelligere sine conversione ad phantasmata; ita & anima Christi.

II. Si autem dicas. Corpus Christi, dum erat viator, non habuit dotes corporis glorioſi; ergo non erat plene subditum animæ; ergo non est par ratio de Christo, ac de beatis post resurrectionem.

Respondeo, neg. cons. Id enim, ratione cujus intellectus habet tale dominium supra corpus, ut possit intelligere sine dependentia a phantasmatibus, & phantasia, est lumen gloriæ, ipsum confortans ad sublimem modum intelligendi, ut docet S. Thom. in 4. *dist.* 49. *q.* 4. *art.* 5. *quæst.* 1. *ad* 3. lumen autem gloriæ in Christo viatore fuit perfectissimum.

III. Secunda autem pars probatur. Quia anima Christi licet non fuerit corpori subdita, erat tamen corpori unita, & corpore ad nutum utebatur; ergo poterat uti specie infusa, accommodando illam ad modum corporis, & permittendo, ut cogitatio phantasiæ excitaret in intellectu cognitionem circa objectum; qua intellectus specularetur illud, ut involutum phantasmatibus: quo pacto proponitur intellectui in statu unionis ad corpus. Et hæc, quoad præsens, est conversio ad phantasmata, quæ poterat convenire Christo utenti scientia infusa.

Neque obstat, quod species scientiæ infusæ non sunt proportionatæ phantasmatibus, cum ab illis non sint acceptæ, sed a Deo —— Nam ex hoc sequitur quidem, eas non eguisse phantasmatibus ex necessitate: non tamen, quod si Christo placuisset uti illis, eas accomodando modo proprio corporis, cui anima illius erat unita; non potuerit intellectus ejus excitari a phantasia, ad utendum illis, & sic speculari objectum phantasmatibus involutum: quod esset, uti illis non perfecto, & naturali modo illarum, sed modo naturali corporis.

IV. Adverto tamen: animam Christi potuisse quidem in scientia infusa permittere conversionem ad phantasmata, cum cognoscebat res materiales: quia istæ hoc modo a nobis quidditative cognoscuntur: secus tamen dum cognoscebat res spirituales. Quia si has in phantasmatibus involutas intellexisset, non attigisset quidditative, sed abstractive, & connotative, sicut nos viatores.

§. II.

An tali Sciencia uti potuerit componendo, & discurrendo?

V. DIco cum S. Thom. 3. *part. quæst.* 11. *art.* 3. quod scientia infusa animæ Christi, quantum ad sui acquisitionem, non fuit, nec potuit esse collativa, aut discursiva: fuit enim illi divinitus per se infusa, *Non per investigationem rationis acquisita.* Quoad usum tamen potuit esse, & fuit collativa, & discursiva: *Sicut interdum scientes ex causis concludunt effectus, non ut de novo addiscant, sed volentes uti scientia, quam jam habent. Et hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collativa, & discursiva: poterat enim ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat. Sicut, Matth.* 17. *cum Dominus quæsisset a Petro, a quibus Reges terræ tributum acciperent; a filiis suis, an ab alienis: Petro respondente, quod ab alienis, concluſit:* Ergo liberi sunt filii.

VI. Si autem dicas. Hæc scientia infusa erat ad modum scientiæ Comprehensorum, qui in modo cognoscendi Angelis

gelis conformantur, ut dicitur Matth. 22. ſed Angelorum ſcientia non eſt diſcurſiva, aut collativa: ergo &c.

Reſpondeo cum S. Th. citato, art. 3. ad 3. *Beati conformantur Angelis, quantum ad dona gratiarum: manet tamen differentia, quæ eſt ſecundum naturam. Et ideo uti collatione, & diſcurſu eſt connaturale animabus Beatorum, non autem Angelis.* Quare cum animæ Beatorum erunt corpori unitæ, uti poterunt collatione, & diſcurſu in ſcientia infuſa; multo ergo magis uti poterat anima Chriſti, dum erat in via.

VII. Ex his infero cum S. Thom. citato *art.* 4. ſcientiam infuſam animæ Chriſti, quoad aliquid, fuiſſe magis perfectam ſcientia Angelorum; quoad aliquid minus perfectam. Si enim conſideretur ſecundum illud, quod habuit a cauſa influente: *Scientia indita animæ Chriſti fuit multo excellentior, quam Angelorum ſcientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad ſcientiæ certitudinem: quia lumen ſpiritualis gratiæ, quod eſt inditum animæ Chriſti, eſt multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam.* Quantum autem ad id, quod habuit ex ſubjecto recipiente: *Scientia indita animæ Chriſti eſt infra ſcientiam angelicam, ſcilicet, quantum ad modum cognoſcendi, qui eſt naturalis animæ humanæ; qui ſcilicet, eſt per converſionem ad phantaſmata, & per collationem, & diſcurſum.*

§. III.

An dicta Scientia fuerit Habitualis, & unus Habitus?

VIII. Dico primo cum S. Thoma, laudata *quæſt.* 11. *art.* 5. hanc ſcientiam inditam fuiſſe in Chriſto, non ſolum per modum actus, ſed etiam per modum habitus. Erat enim in anima Chriſti ſecundum modum ei convenientem, & connaturalem, qui eſt modo eſſe in actu, modo in potentia, ut ſibi placuerit: medium autem inter puram potentiam, & actum completum eſt habitus; ergo ſcientia indita animæ Chriſti fuit per modum habitus, & poterat ea vel uti, quando volebat, vel quando volebat, non uti. Addo: quod anima Chriſti faciliter, prompte, ac delectabiliter hac ſcientia utebatur: ergo illam habebat per modum habitus, cujus effectus eſt dare ſubjecto promptitudinem, & facilitatem ad agendum.

IX. Adverto tamen: quod eſto anima Chriſti potuerit ceſſare ab actu iſtius ſcientiæ, ſi voluerit: credibile tamen eſt, numquam ceſſaſſe, ſed ſemper fuiſſe in vigilia, & in actu, non ſolum ſecundum ſcientiam beatam, verum & infuſam; qua ſemper aliquid actu conſiderabat, & fortaſſis omnia, quæ ad ſtatum ejus pertinent, quatenus conſtitutus eſt Judex omnium. Non enim a continuo uſu hujus ſcientiæ impediebatur, per ſcientiam beatam; neque in uſu illius a corpore dependebat; ſed abſque ulla corporis defatigatione, ſi volebat uti hac ſcientia, poterat, & de facto utebatur.

X. Dico ſecundo cum eodem S. Doctore, ibi *artic.* 6. hanc ſcientiam diſtinctam fuiſſe per diverſos habitus. Nam *ſcientia indita animæ Chriſti habuit modum connaturalem animæ humanæ. Eſt autem connaturale animæ humanæ, ut recipiat ſpeciem in minori univerſalitate, quam Angeli: ita ſcilicet, quod diverſas naturas ſpecificas per diverſas ſpecies intelligibiles cognoſcat. Ex hoc autem contingit, quod in nobis ſint diverſi habitus ſcientiarum, quia ſunt diverſa ſcibilium genera; in quantum ſcilicet ea, quæ reducuntur in unum genus, eodem habitu ſcientiæ cognoſcuntur.* Ita S. Thom. Ex quibus colligo: quod ſicut in nobis non quæcumque ſpecierum diverſitas multiplicat habitum; ſed ſolum ea, quæ repræſentat plura, ut non convenientia in uno genere ſcibilitatis; quæ enim in unum genus reducuntur, ad eumdem habitum pertinent: ita & in Chriſto.

XI. Sed dices primo. Divina eſſentia univerſaliori modo communicatur animæ Chriſti, quam Angelo; cur ergo univerſaliori modo ei non communicantur ſpecies infuſæ?

Secundo. Species infuſæ animæ Chriſti ſunt, quoad ſubſtantiam, ſupernaturales: ſpecies vero infuſæ Angelis ſunt naturales; ergo illæ perfectiores, & proinde univerſaliores ſunt iſtis, quia perfectio ſpecierum in univerſalitate conſiſtit.

Tertio. Si Deus infundens tales ſpecies non ſe accommodat conditioni ſubjecti, quoad perfectionem earum; ita ut ſubjecto minus perfecto infundat minus perfectam ſpeciem: cur dicendum erit, quod ſic ſe accommodet, quoad minorem univerſalitatem?

XII. Reſpondeo ad primam inſtantiam, rationem eſſe: quia divina eſſentia in ratione ſpeciei non eſt multiplicabilis, & diviſibilis, ſicut ſunt ſpecies infuſæ, quia creatæ: & ideo illa non potuit perfectiori modo uniri animæ Chriſti, quin uniretur modo univerſaliori.

XIII. Ad ſecundam, nego conſ. Nam ſupernaturalitas ſpecierum unice ſumitur ex parte Dei infundentis: & ex hac parte ſpecies infuſæ animæ Chriſti ad plura ſe extendebant, & clariori modo ea repræſentabant, quam ſpecies angelicæ. At univerſalitas ſpecierum attenditur ex conditione ſubjecti recipientis ſpecies; cumque conditio animæ humanæ ſit, recipere ſpecies in minori univerſalitate, quam Angeli: ideo ſpecies animæ Chriſti non erant univerſaliores, nec ex hac parte perfectiores. Unde Sanct. Thom. ibi ad 1. *Scientia* (inquit) *animæ Chriſti eſt perfectiſſima, & excedens Angelorum ſcientiam, quantum ad id, quod conſideratur in ea, ex parte Dei influentis: eſt tamen infra ſcientiam angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad hujuſmodi modum pertinet, quod ſcientia illa per multos habitus diſtinguatur, quaſi per ſpecies magis particulares exiſtens.*

XIV. Ad tertiam dico; rationem eſſe, quia inter naturam, & ſupernaturalia nulla connexio eſt, quoad ſubſtantiam perfectionis ſupernaturalis: ſed iſta unice penſatur ex virtute cauſæ ſuperioris ſupernaturalis infundentis: unde naturæ inferiori poteſt Deus dona ſupernaturalia perfectiora communicare, ut patet in unione hypoſtatica. Quoad ordinem tamen, & modum communicandi, inter modum, quem Deus ſervat in communicatione talium donorum, eſt talis connexio cum natura, cui communicantur, ut, quantum fieri poteſt, illi ea accomodet; univerſalitas autem ſpeciei pertinet ad modum communicandi; & ideo accommodatur conditioni naturæ.

TRACTATUS TERTIUS
DE GRATIA CHRISTI.



Erfectiones, quæ conveniunt animæ Christi, secundum partem intellectivam; præcedente Tractatu examinavimus. Nunc eas, quæ animam ejus ornabant, secundum partem volitivam, aggredimur. Et quia harum prima radix est gratia habitualis, qua anima constituitur sancta, & Deo grata; ideo de ista speciali sermo erit: deinde de virtutibus, & donis ipsam consequentibus. Porro: quia Christus considerari potest, & ut homo particularis, & ut Caput morale nostrum; & in utroque genere habet sanctitatem, & gratiam: ideo de gratia ejus, ut singularis hominis, prius agemus: deinde de gratia ejusdem, ut Capitis nostri, tractabimus duabus sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO I.

De Gratia Christi, ut est Singularis Homo.

DUplicem in Christo, ut singulari homine, gratiam considerare possumus: nimirum, gratiam unionis, qua ejus humanitas in esse personali unita fuit Verbo divino; & gratia habitualis sanctificans ejus animam, & radicans in eo omnes virtutes. De his ergo sermo erit.

DUBIUM I.

An in Anima Christi fuerit Gratia habitualis.

§. I.

Resolvitur Dubium.

I. DUplex, ut diximus, *Tom. 1. in 1. 2.* distingui solet gratia. Una habitualiter in anima permanens, eamque reddens formaliter sanctam, & divinæ naturæ participem, quæ dicitur gratia habitualis. Alia actualis, & transiens, quæ datur hic, & nunc ad eliciendos actus supernaturales; ut gratia, quæ datur peccatori, ut eliciat actum contritionis. De hac secunda in præsens non agimus, sed de prima: quam non esse solam extrinsecam imputationem sanctitatis, qua Deus Sanctus est; sed esse sanctitatem animæ a Deo infusam, eique intrinsece inhærentem, non mere favorem Dei extrinsecum, de fide tenendum est, ex Tridentino, *Sess. 6. Can.* 10. *&* 11. & citato *Tom. 1. in 1. 2.* fuse ostendimus.

Hunc ergo gratiæ accidentalis habitum, ut superfluum in anima Christi, quidem Theologi abjecerunt; quia omnis effectus communicabilis, per hanc gratiam, perfectiori modo ei communicatur per gratiam unionis substantialis cum Verbo divino. Vera tamen, & communis sententia eam in Christo admittit; ut oppositum asserere, ad minus temerarium sit.

II. Dico ergo, In anima Christi fuit gratia habitualis. Ita S. Thom. 3. *part. quæst. 7. art.* 1. Et probat 1. ex illo Isaiæ, 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*: sed spiritus Domini dicitur requiescere in homine per gratiam habitualem; ergo &c.

Deinde probat S. Doctor triplici ratione. Primo sic: *Quanto aliquid receptivum est propinquius causæ influenti, tanto magis participat de influentia ipsius*: sed influxus gratiæ est a Deo, secundum illud, Psalm. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: anima autem Christi erat summo modo, quia hypostatice conjuncta Deo; ergo maxime participabat de influxu gratiæ. —— Confirmatur. Animæ Christi, ex vi unionis, debita erant omnia dona supernaturalia, quorum erat capax: sed primum, quod est radix omnium donorum supernaturalium, est gratia habitualis, sicut natura est radix omnium operationum naturalium, & anima Christi ejus erat capax; ergo &c.

III. Secundo. Anima Christi propinquissime attingebat Deum per cognitionem, & amorem; ergo debebat in ea esse aliquod principium eam elevans ad tales actus; sed hoc non poterat esse anima, secundum sibi connaturalia, & propria, ut certum est; neque poterat esse gratia unionis, quæ elevat quidem animam Christi ad esse personale divinum, & constituit principium *Quod* operativum; sed non elevat formaliter potentias operativas, vel proximas, vel radicalem, quæ sunt principium *Quo*: unde gratia unionis datur ad esse, non ad operari; ergo remanet, ut elevetur per gratiam habitualem, quæ est radix, & principium *Quo* operandi in ordine supernaturali.

IV. Tertio. Quia anima Christi debebat gratiam communicare aliis, per modum Capitis, *Jo.* 1. v. 16. *Et de plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia*; ergo oportebat, ut haberet gratiam in alios redundantem. Erat enim *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, 1. ad Timoth. 2. vers. 3. Sed hæc plenitudo gratiæ non fuit gratia unionis: de hac enim nos non accepimus, neque in nos redundavit; ergo fuit gratia habitualis.

V. Confirmatur. *Jo.* 1. *v.* 14. dicitur: *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis*. Et subditur: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Verbum ergo caro factum, erat plenum illius gratiæ, quam nos ex ipso, tamquam ex fonte, hausimus. Cum ergo aqua hausta a fonte ejusdem rationis sit, ac aqua, quæ est in fonte; gratia, quæ a Christo in nobis est, ejusdem rationis erit cum gratia, quæ est in Christo; & proinde gratia habitualis, sicut in nobis. Unde S. Augustinus, lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Dominus* (inquit) *ipse Jesus non solum Spiritum Sanctum dedit, ut Deus, sed etiam accepit ut homo; & propterea dictus est plenus gratia. Quia unxit eum Deus Spiritu Sancto; non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia*. Unguentum autem gratiæ, quo Ecclesia ungit baptizatos, est gratiæ habitualis creatæ; ergo hac unctus fuit Christus, homo.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

VI. OBjicies primo. Christus, ratione unionis erat Deus, & sanctus per essentiam, & non solum per participationem: sed gratia habitualis est solum participatio quædam divinitatis in creatura rationali, juxta illud, 2. Petri 1. v. 4. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*; ergo non debuit in Christo esse gratia habitualis. Conf. prob. Repugnat enim, quod aliqua perfectio habeatur per essentiam, & simul per participationem. Et ideo D. Thom. infra *quæst. 23. art.* 4. negat in Christo, etiam ut homine, filiationem adoptivam, quæ est filiatio participata; quia fuit in eo filiatio naturalis Dei, quæ est filiatio per essentiam, ut infra dicemus.

VII. Respondeo conc. præmissis neg. conf. Quia variatur appellatio a Christo absolute sumpto, & appellante supra personam, ad Christum sumptum cum addito, & restricte; seu appellantem supra humanitatem, seu animam humanam. Ad prob. dist. ant. Quod habeatur secundum idem, conc. ant. Secundum diversa, nego ant. Christus ergo, ut docet S. Thom. 3. part. quæst. 7. *art. 1. ad 1. Est verus Deus, secundum personam, & naturam divinam. Sed quia cum unitate personæ remanet distinctio naturarum*; ut contra Eutycheten ostensum est; nec natura, aut anima humana est per suam essentiam divina, aut vere sancta: *Unde oportet, quod fiat divina per participationem, quæ est secundum gratiam*. Et sic Christus, secundum diversa, est sanctus per essentiam, & sanctus per participationem.

Ad id vero, quod additur de filiatione naturali, & adoptiva, inferius dicetur. Modo dicam, quod si in Christo poneretur simul filiatio naturalis, & adoptiva, esset filius per essentiam, & per participationem secundum idem. Cum enim subjectum denominabile *Filius*, non sit natura, sed suppositum, seu persona; sequeretur, Christum secundum personam esse Filium naturalem Dei, & secundum eamdem personam esse Filium adoptivum ejusdem. Quod esset incidere in hæresim, vel Arianam, si poneremus, eamdem Verbi personam esse Filium Dei solum per participationem: vel Nestorianam, si poneremus, unam Christi personam esse Filium naturalem Dei, & aliam adoptivum.

VIII. Dices. Anima Christi sanctificatur, nedum sanctitate accidentali, & participata, sed personali etiam, & per essentiam, ut infra dicetur; ergo Christus, secundum idem, nempe, secundum animam, erit sanctus per participationem, sanctus per essentiam.

IX. Respondeo, neg. con. Aliud enim est, quod anima Christi sit sancta per sanctitatem essentialem, seu sit sancta substantialiter: aliud est, quod sit sancta per essentiam, seu essentialiter. Primum enim verum est: quia nil aliud dicit, quam habere sanctitatem per essentiam, sibi substantialiter unitam in esse personali. Secundum autem falsum est: quia faceret sensum, quod anima Christi esset ipsa sanctitas, seu per suam essentiam esset sancta. Licet enim susceperit in se sanctitatem substantialem, & per essentiam talem; hanc tamen susceptit finito modo, & ut sibi modo quodam participato communicatam; sicut etiam modo participato facta est divina, licet substantialiter. Unde adest locus, ut sicut participat sanctitatem, & divinitatem substantialem, per unionem: ita etiam participet sanctitatem accidentalem, per gratiam.

X. Objicies secundo. Qui est incapax filiationis adoptivæ, est etiam incapax gratiæ habitualis: sed Christus est incapax filiationis adoptivæ; ergo &c. Maj. probatur.

Nam

Nam facere filium adoptivum est effectus formalis gratiæ habitualis. Cum enim gratia sit formalis communicatio naturæ divinæ, est quædam regeneratio accidentalis, & imperfecta: sed in qualibet generatione fundatur filiatio: si sit substantialis, filiatio naturalis: si tantum accidentalis, filiatio adoptiva; ergo &c.

XI. Respondeo, neg. absolute maj. Ad prob. dist. ant. Effectus formalis secundario; con. ant. Primarius, nego ant. Cum enim facere filium adoptivum sit effectus gratiæ non primarius, sed secundarius, & consecutus; qui est incapax filiationis adoptivæ, potest esse capax gratiæ habitualis. Neque, ex quo gratiæ communicatio sit quædam generatio, sequitur necessario filiatio adoptiva. Nam ad relationem, præter fundamentum, requiritur etiam subjectum relationis capax, & realiter distinctum a termino. Christus autem non est subjectum capax filiationis adoptivæ; quia ejus subjectum debet esse persona extranea adoptanti: persona autem Christi non est extranea Deo, sed ei consubstantialis, & naturaliter conjuncta. Subjectum quoque non est realiter distinctum a termino. Nam relatio filiationis adoptivæ, fundata in gratiæ infusione, non est ad Patrem tantum, sed ad totam Trinitatem, quæ ad generationem per gratiam tota concurrit: persona autem Christi, quæ deberet esse subjectum talis relationis, non est realiter distincta a tota Trinitate, ut patet. Sed de hoc infra.

XII. Objicies tertio. Quod habet eminenter aliquam perfectionem, nequit illam habere formaliter; unde Sol, qui est eminenter calidus, nequit fieri calidus formaliter: sed anima Christi, ratione gratiæ unionis, habet eminenter quidquid præstari potest a gratia habituali; ergo &c. Sicut quia subsistentia divina præstat eminenter quidquid præstaret subsistentia creata; illa posita in Christo, superfluit ista.

XIII. Respondeo, neg. min. Licet enim natura divina, n. in Deo, contineat eminenter omnem effectum præstabilem a gratia habituali; ut tamen finito modo communicata animæ Christi, non potest præstare totum id, quod præstatur a gratia habituali. Quia per gratiam unionis unitur quidem animæ Christi in esse personali: sed non in ratione principii operandi, seu in esse naturæ: ideoque ad hoc est necessaria habitualis. Neque est simile de subsistentia divina: nam hæc, cum uniatur in esse personali, præstat totum id, quod præstaret subsistentia creata; ideoque ista foret ad minus superflua.

XIV. Objicies quarto. Gratia unionis reddit animam Christi Deo infinite gratam; ergo non potest fieri magis grata; ergo cum facere gratum Deo, sit effectus primarius gratiæ habitualis, ista in Christo nihil facit.

XV. Respondeo, dist. conf. Magis in eodem genere, con. conf. In diverso genere, neg. conf. Gratia unionis reddit animam Christi infinite gratam Deo, gratitudine substantiali personali: gratia autem habitualis facit illam Deo gratam in alio genere, nempe, principii operativi. Sicut esto anima Christi, ratione unionis, fuerit infinite perfecta substantialiter; adhuc tamen fuerunt virtutes, & aliæ dotes, quibus fuit ornata.

Dubium II.

An Gratia Habitualis faciat Christum Filium Dei Adoptivum?

§. I.

Quinam circa hoc Erraverint.

I. COmmune est Ecclesiæ Catholicæ dogma, Christum Dominum, etiam ut hominem; esse Filium Dei naturalem. Nihilominus, circa annum 783. Elipandus Archiepiscopus Toletanus, cum a Felice Episcopo Urgelitano per literas quæsiisset, quid de humanitate Christi sentiret: utrum, secundum quod homo est, proprius, an adoptivus Filius Dei Christus dicendus esset, & credendus: respicit Felix, Christum esse, ac dici debere Filium Dei adoptivum; & sui dicti momenta adduxit, quæ Elipandum in sui sententiam pertraxere. Vix doctrina hæc evulgari cœpit; cum tamquam nova, imo Ecclesiæ, & Patrum fidei contraria, nec non Nestoriano errori proxima, a multis male habita est. Delata primum fuit ad Hadrianum, tunc Rom. Pontificem, qui amplissimas ea de re ad Episcopos Hispaniæ literas dedit. Delata etiam fuit ad Carolum Magnum, qui causam in Francofordiensi Concilio judicari curavit, Felix errorem suum non semel ejuravit: sed Elipandus ad mortem usque in eo constans perstitit.

II. Licet certum sit apud omnes, Felicem, & Elipandum asseruisse, Christum esse Filium adoptivum Patris; non adeo tamen certus est sensus, in quo id asseruerit: quibusdam volentibus, eos id asseruisse absque addito, seu restrictione; ita ut, ita Christum Filium adoptivum Dei asseruerint, ut eum Filium naturalem negarint: qui sensus vel Arianus est, vel Nestorianus. Aliis vero communius sentientibus, eos asseruisse Christum Filium Dei adoptivum, ut hominem; ita ut duas in Christo filiationes agnoverint: unam naturalem, quatenus Deus erat, alteram adoptivam, quatenus homo. Istis assentior. Felix enim, & Elipandus nusquam accusati fuerunt, vel quod negarent: Verbum esse Filium naturalem Dei: vel quod Christi humanitas unita fuerit unione substantiali, & personali Verbo. Nec enim Beatus Asturicensis Presbyter, nec Hetherius Uxomensis Episcopus, primi hujus erroris impugnatores, id nunquam Felici, & Elipando exprobrarunt: imo neque Hadrianus Papa, nec Francofordienses Synodus id eis in crimen verterunt. Nec etiam credibile est, eos ausos fuisse negare unionem substantialem humanitatis cum Verbo. Cum enim suam doctrinam, tamquam sanam, & Catholicam tenerent; unde Elipandus a Carolo Magno petiit, ut Beatum, ac Hetherium, tamquam hæreticos damnaret: nunquam certe tanta confidentia locutus fuisset, si cum Nestorio, quem noverat esse ab Universali Ecclesia, tamquam hæreticum damnatum, unionem tantum moralem, & per affectum Verbum inter, ac humanitatem agnovisset. Nec enim sibi persuadere potuisset, Gallos, & Germanos Antistites approbaturos doctrinam, quam in Ephesino Concilio sciebat esse proscriptam, tamquam hæreticam.

Verum quidem est, quod cum doctrina de Filiatione adoptiva Christi, etiam ut hominis, videretur favere Nestoriano errori, eumque implicite arguere, & ad eum accedere: potuerunt quidem, inter quos Jonas Aurelianensis, & ipsi Francofordienses Patres dicere, Felicem, & Elipandum una cum suo auctore Nestorio damnatos fuisse. Cæterum id directe Felicem non sensisse, constat ex eodem Jona Aurelianensi, *Lib. 1. de Cultu Imaginum*, de Felice, sic loquente: *Quoniam juncto suo sceleratissimo errori Elipando Toletanæ Urbis Episcopo, Christum secundum humanitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum* Constat etiam ex Hadriano 1. *in Epist. ad Episcopos Hispaniæ*, ubi ait: *Inter cætera rejicienda* (sententia) *de adoptione Jesu Christi Filii Dei, secundum carnem*. Constat demum ex fidei professione, quam Elipandus misit ad Carolum Magnum: ubi cum de adoptione Christi loquitur, eam non absolute profert, sed cum additamento. Ait enim: *Homo interior in una eadem Dei, & hominis persona deglomeratus . . . . . Filius adoptivus humanitate, & non adoptivus divinitate, mundum redemit*. Quibus Elipandus fatetur in Christo unionem personalem cum Verbo, & filiationem adoptivam solum secundum humanitatem.

III. Ex Catholicis Doctoribus Scotus, in 3. *dist.* 10. *quæst.* 1. putat absolute dici posse Christum, ut hominem, filium adoptivum: vitandum tamen esse hunc loquendi modum, propter hæreticos, qui eo abutuntur. Cum autem ejus discipulis opponitur, Scotum in hoc Felicis, & Elipandi errorem propugnare; respondent id negando. Quia Felix, & Elipandus in sensu Nestorii id asserebant: contendentes, inter humanitatem, & Verbum solam unionem moralem intercedere, quæ adoptionem constituit: & negantes unionem personalem, quia filiatio naturalis consurgit. Sed in hoc decipi Scotistas, jam ostendimus.

Durandum vero, & post eum plures aliis docent, non posse quidem absolute dici, Christum esse Filium adoptivum Dei; posse tamen dici cum addito, nempe, *secundum humanitatem*, vel *prout est homo*. Cum vero urgetur textibus Patrum, qui Felicem, & Elipandum damnarunt; respondet Durandus: in hoc uno positum fuisse eorum errorem; quod Christum absolute, & absque addito, *pro ut est homo*, Filium Dei adoptivum dicerent.

S. Thomas autem, 3. *p. q.* 23. *a.* 4. cui fere tota Theologorum Schola subscribit, docet, Christum nec absolute, nec cum addito dici posse Filium Dei adoptivum.

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Christus, nec etiam secundum humanitatem, dicendus est Filius Dei adoptivus. Id probant omnia, quæ ex Scriptura, & Patribus Hadrianus Pontifex, & Concilii Francofordiensis Patres contra Felicem, & Elipandum protulerunt. Primo, ex Scriptura, *Joann.* 20. *vers.* 17. Ubi Christus, *Ascendo* (inquit) *ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. Non dixit, ait Hadrianus; *Patrem* nostrum, *sed Patrem* meum, *natura videlicet*; *& Patrem* vestrum, beneficio, & gratia. In quæ notandum est, quod Christus cum præcepit, ut oraremus, ait, Matth. 6. vers. 9. *Sic autem orabitis: Pater noster, qui es in Cælis*: atqui si Christus etiam prout est homo, esset Filius Dei adoptivus, dixisset: *Ascendo ad Patrem nostrum*; nec tam accurate distinxisset inter Patrem suum, & Patrem nostrum: tunc enim de se ipso, non ut Verbum, sed ut homo est, loquebatur; non enim ascendit, ut Deus, sed ut homo; ergo &c. super quæ audire præstat S. Augustinum, Tract. 21. in Joann. *Cui dicimus Pater noster? Pater Christi. Qui ergo Patri Christi dicit Pater noster: quid dicit Christo, nisi frater noster? non tamen sicut Christi Pater, ita & Pater noster. Numquam enim Christus nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos, & se. Ille enim Filius æqualis Patri . . . . . nos adoptati per unicum*.

V. Item, Joann. *capitul.* 3. *versicul.* 34. *& 35.* de Dei Filio Baptista dicit: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manu*

ejus. Quibus Baptista vocat Christum absolute *Filium*, & cui omnia dedit Pater in manu. Filius autem absolute, Filius, cui Deus Pater omnia dedit, non est Filius adoptione, sed natura. Eum autem loqui de Filio, prout est homo, demonstrant sequentia: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Ita arguit S. Augustinus, Tract. 14. in Joann. *Pater diligit Filium, non quomodo Dominus servum; quomodo unicum, non quomodo adoptatum*.

VI. Hoc idem demonstrat Paulus, *Roman. 8. v. 32.* dicens: *Qui etiam Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Filium autem proprium nemo dicet, esse adoptivum: eum vero non tradidit, nisi quatenus hominem. Ita Hadrianus: *Quia* (inquit) *non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod homo erat, illum nimirum, qui traditus est, hominem, ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur*. Et Sanct. Hilarius *l. 6. de Trinitate* super dicta Apostoli verba, ait: *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?*

VII. Accedit ad hæc: quod Christus in scripturis semper absolute, & cum distinctione vocatur Filius Dei. Matth. 7. vers. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Lucæ 3. vers. 22. *Vox de Cælo facta est: tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Et quoties Christus se Filium Dei nuncupat, semper absolute, & sine addito loquitur. Unde recte S. Augustinus, l. contra, Secundinum Manichæum, cap. 5. *Lege* (inquit) *Scripturas, nunquam invenies de Christo dictum, quod adoptivus sit Filius*. Et Concilium Francofordiense, in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, addit: *Tu vero quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum; unde ille tibi sensus veniisset, voluissem scire. Patriarchæ nescierunt, Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei nostræ non docuerunt*.

VIII. Adest etiam ratio Theologica, quam tradit S. Th. *3. p. q. 23. artic.* 4. Filiatio proprie convenit hypostasi, vel personæ, non autem naturæ; unde filiatio est proprietas personalis, sed in Christo non est alia persona, vel hypostasis, quam increata: quæ cum sit per se, & per naturam Filius, non est capax filiationis adoptivæ, quæ solum est participatio quædam filiationis naturalis: quod enim per se dicitur, non potest participative dici, secundum idem; ergo &c.

IX. Secundo probatur. Vel humanitas Christi adoptata fuisset ante unionem hypostaticam, vel post unionem: sed neutrum dici potest; ergo &c. Min. prob. Non potest dici primum. Siquidem, ut fides docet adversus Nestorium, & alios, humanitas Christi, nec brevissimo quidem instanti, fuit sine hypostatica unione cum Verbo. Non secundum. Quia humanitas Christi post unionem cum Verbo jus habet ad hæreditatem; per eam enim fit infinite sancta: qui autem jam habet jus ad hæreditatem, adoptari non potest, quia adoptio gratis tribuitur, non ex debito; ergo &c.

X. Confirmatur. Humanitas post unionem non fuit extranea, sed propria Verbi: sed qui extraneus non est, sed proprius, adoptari non potest; unde propter hanc rationem filius non potest adoptari a Patre: & liber Sacrosyllabus de adoptione Moysis in filium filiæ Pharaonis: *Hoc ideo posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptivum, qui nondum prius fuerat filius adoptantis. Unde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus Filius, semper Dominus: ac per hoc, & post assumptum hominem veri Filii vocabulum non amisit, qui numquam verus desit esse Filius*.

XI. Tertio probatur. Ille, qui adoptatur in filium, non secundum naturam, sed solo affectu conjungitur adoptanti: id enim ipsa vox *Adoptio* significare videtur, optantis enim est, & nondum habentis. Quare sibi adoptare filium, perinde est, ac desiderare habere pro filio eum, qui alioquin secundum naturam sibi conjunctus non est: atqui humanitas Christi, seu Christus ut homo, non est conjunctus Deo solo affectu, ut contra Nestorium clamat Ecclesia, verum reipsa, & substantialiter, ergo non potest esse Filius adoptivus. Hæc ratio desumpta est ex prælaudato libro Sacrosyllabo, in quo sic legitur: *Omnis adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem . . . . . habet namque ex utraque parte* Utinam *adverbium eleganter insitum; ut si dicas; utinam sis mihi in filium adoptivum; & e contra: utinam merear a te in filium adoptari. Ex affectu quidem dilectionis pars subrepit parti, ut in utraque conveniat dilectionis affectus*. Cum igitur Christus numquam fuerit sine filiatione naturali: cum numquam extraneus Deo fuerit: cum humana natura non solo affectu conjuncta fuerit Verbo: sequitur, Christum etiam cum addito, *Prout est homo*, nec esse, nec dicendum esse Filium Dei adoptivum.

§. III.

Felicis, & Elipandi Momenta Soluta.

XII. Objiciebant primo varios Scripturæ textus. Nimirum, illud *Joan. 4. v. 28.* ubi Christus dicit: *Pater major me est*. Quibus se confitetur inferiorem Patre: non filiatione naturali; ergo adoptiva.

Item, Rom. 8. vers. 17. *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* sed cohæredes non sumus Christi ut Filius est naturalis; ergo ut Filius adoptivus.

Rursus: ibidem. *v. 29.* de Christo dicitur: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, idest, in omnibus filiis Dei prædestinatis; ergo Christus est primus in omnibus filiis prædestinatis per gratiam: & consequenter adoptivis.

XIII. Respondeo ad singulos. Ad primum: Patres Francofordienses Elipando illum objicienti responderunt verba illa non fuisse a Christo dicta, propter adoptionem; sed propter formam servi, quam, ut homo, acceperat. Nam, ut ajunt: *Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat*: Ego, & Pater unum sumus; *& secundum hominem*: Pater major me est.

Sed dices. Christus, secundum quod homo, est servus, sed dignius est esse Filium adoptivum, quam servum; ergo multo magis, ut homo, est Filius adoptivus.

Respondet S. Th. 3. p. q. 23. a. 4. ad 3. *Quod esse creaturam, & etiam servitus, vel subjectio ad Deum non solum respicit personam, sed etiam naturam; quod non potest dici de filiatione: & ideo non est similis ratio*.

XIV. Ad secundum respondeo: ex quo dicamur filii Dei, & cohæredes Christi, non sequi, quod sicut nos filiationem, & hæreditatem adoptionis habemus, ita & ipse. Imo cum adoptione, & hæreditatem habeamus per ipsum; potius sequitur, ipsum esse natura Filium, & hæredem, nos autem voluntate, & participatione per ipsum.

XV. Ad tertium dico, quod sicut in humanis, si pater, de voluntate, & consensu filii naturalis, alios adoptaret in filios; isti quidem essent fratres illius, ille primogenitus inter illos, non tamen esset filius adoptivus, ut isti: sic cum beneficio, & voluntate Christi Filii naturalis Dei adoptamur in filios, sumus fratres Christi, nos quidem adoptione, sicut & ipse frater noster fit voluntate, sed ille non evadit proinde Filius adoptione, sed semper manet Filius natura.

XVI. Sed instabis. Qui est Filius Dei prædestinatione, non est filius Dei natura, sed adoptione, & gratia: sed Christus est Filius Dei prædestinatione: unde *Rom. 1. v. 4.* de eo dicit Paulus: *Qui prædestinatus est Filius Dei*; ergo Christus, ut homo, est Filius dei adoptione.

XVII. Respondeo, neg. absolute maj. Plus enim requiritur ad adoptionem, quam ad prædestinationem: ad illam enim requiritur persona extranea, & quæ per naturam filia non sit; ad istam autem sufficit, quod aliquis eligatur ad gloriam, sive persona sit extranea, sive non. Sic Christus dicitur ab Apostolo prædestinatus Filius Dei. Unde S. Th. *3. p. q. 24. a. 1. ad 2.* ait: *Relinquitur ergo, quod prædestinatio attribuatur personæ Christi, non quidem secundum se; vel secundum, quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Unde cum dixisset Apostolus*: Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem: *subjunxit*. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. *Ut daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex semine David, secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute. Quamvis enim sit naturale illi personæ, secundum se consideratæ, quod sit Filius Dei in virtute; non est tamen ei naturale, secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis*. Hæc S. Thom. qui, *artic.* 2. sequente hac propositionem, ut veram concedit: *Christus, secundum quod homo, prædestinatus est esse Filius Dei*. Quia (inquit) *Humana natura non semper fuit Verbo unita, & ei etiam hoc per gratiam est collatum, ut Filio Dei in persona uniretur. Et ideo solum ratione humanæ naturæ prædestinatio competit Christo*.

XVIII. Objiciebat secundo auctoritates Patrum. Et primo Irenæi, qui, *l. 3. Adv. hæres. c. 21.* sic loquitur: *Propter hoc enim Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, immixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, sit Filius Dei*.

Deinde Marii Victorini, qui *l. 1.* contra Candidum Arianum hæc habet: *Nos adoptione filii, ille natura etiam, & quadam adoptione filius, & Christus, sed secundum carnem*.

Tertio. Hilarius, *l. 1. de Trinit.* de Christi nativitate sic loquitur: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*.

Quarto. Ildephonsus, & Julianus Archiepiscopi Toletani ante Elipandum, sic in Missa de Cœna Domini legebant: *Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo indulsit corpori &c.* Et in Missa de Ascensione: *Hodie Salvator noster post adoptionem carnis, sedem repetivit Deitatis*; ergo secundum præfatos Patres, Christus ut homo, dici potest Filius adoptivus, seu adoptatus.

XIX. Respondeo ad primum; Irenæum ea verba, *Ut adoptionem percipiens sit Filius Dei*, non referre ad Christum, sed ad quemcumque hominem; qui dum per ipsum gratiam justificationis consequitur, fit filius Dei adoptivus. Unde Irenæi sensus est, Dei Filium factum fuisse hominem; ut homo, per ejus merita justificatus, fiat filius Dei per adoptionem.

Ad secundum dico, Victorium ly *Quadam adoptione*, ostendere, se loqui de adoptione impropria tali: quatenus nullis præcedentibus meritis humanitas electa fuit, ut ad Dei naturalem filiationem, per unionem hypostaticam, eveheretur. Vide S. Th. *3. p. q. 22. a. 4. ad 2.*

Ad tertium itidem dico, Hilarium usurpasse adoptionem impro-

impropriè, nimirum, pro assumptione, & elevatione: ut sit sensus, quod dignitas non amittitur, dum carnis humilitas assumitur, & elavatur. Ita S. Th. hac 3. *p. quæst. 23. art. 4. ad* 1. Aliqui tamen censent, verbum illud *Adoptatur* in Hilarium mendosè irrepsisse, & loco ejus ponendum esse *Adoratur*.

XX. Ad quartum dico, eam orandi formulam non fuisse ab Ecclesia probatam. Cum enim Elipandus ea se tueretur, respondit Concilium Francofordiense, in Epist. Synodica; *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildefonsi vestri: qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales Universalis, & Sancta Dei non habet Ecclesia. Et si Ildefonsius vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit; noster vero Gregorius Pontifex Romanæ Sedis, clarissimus toto Orbe Doctor, in suis orationibus semper eum Unigenitum nominare non dubitavit*.

XXI. Objicies tertio. Ille debet dici filius adoptivus qui habet in se formam adoptionis, nempe gratiam habitualem: sed hanc, *Dub. præcedente:* posuimus in Christo, ut homine: ergo &c. maj. prob. Quia forma necessario producit suum effectum.

Respondeo ex dictis, *Dub præced. num.* 11. maj. veram esse, si subjectum sit capax adoptionis; nimirum, si sit persona extranea adoptanti, eique uniatur, solum per affectum: non vero si persona sit unita substantialiter, qualiter humanitas Christi unitur Verbo in persona. Forma vero producit necessario effectum suum primarium; secundarium vero (qualis est adoptatio respectu gratiæ habitualis solum producit; quando subjectum est capax. Recolantur dicta, num. citato.

XXII. Sed dices. Eatenus Christus est Filius Dei naturalis, & incapax filiationis adoptivæ, quia est genitus a Deo Patre; at non est genitus a Deo Patre, quatenus homo; ergo, ut sic, non est Filius Dei naturalis, sed adoptivus.

Respondeo, quod licet Christus, ut homo, non sit formaliter genitus a Deo Patre; quia tamen, ut homo, est substantialiter unitus Divino Verbo, & consequenter etiam naturæ Dei Patris: ideo dici potest etiam ut homo, filius naturalis Dei. Eo vel maxime, quia ly *Ut homo* appellat non supra naturam humanam, sed supra personam.

XXIII. Quæres: Qua censuræ nota damnanda sit sententia Felicis & Elipandi asserentium, Christum esse Filium Dei adoptivum?

Respondeo, quod si, ut aliqui volunt, id asserebant intendentes excludere a Christo filiationem naturalem, eorum sententia erat hæretica; quia excludebant unionem substantialem humanæ naturæ cum Verbo, & illum faciebant purum hominem, unitum Deo solum per affectum: qui erat Nestorii error damnatus in Concilio Ephesino.

Si vero, ut multi volunt, non excluderent filiationem Dei naturalem a Christo; absolute tamen, & sine addito dicerent Christum Filium Dei adoptivum; esto expresse cum Nestorio non sentirent, ad ejus tamen hæresim accedere videbantur; quia cum nomen *Christus* supponat pro persona, videbantur asserere in Christo personam extraneam & ideo adoptatam.

XXIV. Difficultas est de hac propositione prolata cum addito; nimirum, *Christus, quatenus homo, est Filius Dei adoptivus*. Eam hæreticam esse, & oppositam esse de fide, censet Vasquez cum aliis. Verum cum non defuerint Auctores Catholici, qui eam sano sensu intellectam, etiam post Concilium Francofordiense, admiserint, ut Richardus, Durandus, a quibus dissentire non videtur Scotus: ideo ab eo gravi censura abstinendum censerem.

Dicerem tamen, eam esse temerariam, & etiam erroneam. Temerariam quidem. Quia, ut diximus, ex Augustino, & Conc. Franeofordiensi nec Scriptura, nec Patres eam unquam docuerunt. Erroneam vero. Quia unanimi fere Theologorum judicio contraria sensui Scripturæ & Patrum: & quia ex ea videtur sequi pluralitas personarum in Christo. Et quamvis contra Nestorium præsupponat unitatem personæ in Christo; damnata tamen fuit ab Hadriano, & Concilio Francofordiensi, imo & a tota Ecclesia in Felice, & Elipando: non obstante, quod, ut supra vidimus, eam solum cum addito, nempe, *Quatenus homo*, defenderent.

DUBIUM III.

An Anima Christi Formaliter Sanctificetur per Unionem Substantialem cum Verbo.

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. NOmine sanctificationis formalis non intelligimus eam, quæ provenit a forma, vel inhærente, vel informante; sed formalem communicationem omnium, quæ ad sanctitatem pertinent, præcisa tamen informatione, vel inhærentia. Sicut enim per subsistentiam Verbi anima Christi est formaliter subsistens: quin sequatur, quod subsistentia Verbi ei uniatur per informationem: ita quærimus, an per illam reddatur formaliter sancta, absque informatione? Dicimus autem *Formaliter*, ad excludendam sanctificationem solum virtualiter, & causaliter. Unde quærimus: An unio personalis cum Verbo sanctificet animam Christi, non solum, quia causat, seu infert in illam gratiam sanctificantem; sed etiam formaliter, ideſt, per se ipsam: ut, etiamsi nulla gratia habitualis in anima Christi sequeretur, adhuc per illam solam esset sancta.

II. Porro: effectus a sanctitate formaliter prodeuntes plures sunt. Primo, ex parte termini, a quo receditur: & hic est puritas, & mundities ab omni labe peccati. Unde sanctus in Scripturis idem est, ac mundus, & impollutus. Secundo, ex parte termini, ad quem acceditur per sanctitatem: & hic est unio amicabilis cum Deo: ad quam requiritur primo, aliquo modo communicare cum Deo in natura divina. Nam inter res diversæ naturæ, & speciei, ut inter brutum, & hominem, non datur unio amicabilis. Secundo, commercium habere cum Deo, per operationes proprias divinæ naturæ: unde forma sanctificans debet esse aliquo modo radix habituum rectificantium potentias in ordine ad operationes ordinis divini. Quia autem natura divina nequit participari nisi a Deo; cujus solius proprium est deificare, sicut ignis proprium est ignire: ideo ille, qui per communicationem divinæ naturæ deificatur, evadit Filius Dei, Et, si illi divina natura communicatur substantialiter, & perfecte, consurgit filiatio naturalis: si vero solum imperfecte, & accidentaliter, consurgit filiatio adoptiva.

III. His positis, quæstio præsens ad duo reducitur. Primum: An per unionem personalem reddatur anima Christi formaliter sancta; & non mere causaliter, seu virtualiter. Secundum: An talis sanctitas formalis tribuatur ab unione ipsa: seu a persona divina unita; an a natura divina media personalitate animæ Christi unita.

IV. Quoad primum: non defuere, qui absolute negarint, animam Christi formaliter sanctificatam fuisse unione personali: unde dicebant: ut esset formaliter sancta, necessariam fuisse gratiam habitualem. Alii admiserunt quidem; animam Christi per unionem personalem sanctificari; non tamen formaliter, sed solum radicaliter, seu causaliter: quatenus est causa, vel radix, unde profluit in animam Christi sanctitas formalis, nempe, gratia habitualis. Ita Alvarez, Cabrera, & alii.

Quoad secundum vero: quidam dicunt, divinitatem per se ipsam, quatenus media personalitate unitur animæ Christi, eam sanctificare; extrinsece tamen, & moraliter, non intrinsece, & physice: eo modo, quo actiones Christi dignificantur a persona Verbi per respectum moralem, non per physicam unionem. Alii volunt, personam Verbi esse formam sanctificantem, per modum moraliter dignificantis; formam vero physice sanctificantem esse modum unionis (quem distinctum ponunt) inter animam, & Verbum. Alii communius dicunt. Christi animam formaliter intrinsece sanctificari, non unione, sed ipsa persona Verbi; quibusdam asserentibus, etiam deitatem, ut mediate unitam animæ, illam sanctificare; aliis id soli personalitati concedentibus. Nos mentem nostram sequentibus exponemus.

§. II.

Prior Assertio.

V. DIco primo. Anima Christi per unionem hypostaticam cum Verbo fuit sanctificata, nedum radicaliter, & causaliter, sed etiam formaliter, & intrinsece, non tantum extrinsece, & moraliter. Est communior, & tutior. Videtur enim colligi ex illo, Ps. 44. v. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Unde Sanctus Cyrillus, *l. 4. in Joann. c. 29.* ait: *Christum unctum esse, non sicut alios Sanctos, & Reges, sed quia Verbum caro factum est*; & Synodus Francofordensis, in Epist. ad Hispaniæ Episcopos; *Christus* (inquit) *natura unctus, nos per gratiam; quia in illo fuit plene divinitas*. Quo spectant verba Isaiæ 61. vers. 1. & Lucæ 4. vers. 18. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me &c.* Quæ de unctione divinitus exponunt Gregorius Nazianz. *Orat. 36. quæ est 4. de Theologia*, dicens: *Christus vero dicitur propter divinitatem: ea enim humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis Christis, sanctificans, sed totius unguenti præsentia*. Et Athanasius, Oratione conrra Arianos, introducit Verbum ita loquens: *Ego sum Chrisma, sive unctio, Christus autem sive Unctus, est homo, qui a me assumptus est*. Et August. *l. de Prædestin. SS. cap.* 14. dicit: unctam fuisse invisibili Deo humanam naturam, quando divinæ est juncta Personæ. Quæ omnia confirmavit Gabriel. *Lucæ 1. vers. 35.* dum ait: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Ubi Christi sanctitatem, non ad aliquam specialem gratiam Spiritus Sancti ei supervenientem, sed ad ipsam conceptionem, & nativitatem Filii Dei reducit.

VI. Probatur deinde ratione, primo: sic. Ut aliquid sit forma perfecte sanctificans, sufficit ex supra notatis, quod tribuat animæ immunitatem ab omni peccato, saltem mortali; eique conferat conjunctionem amicabilem cum Deo; & exigat, aut fundet commercium in operationibus propriis divinæ naturæ: sed hoc totum perfectissime præstat unio hypo-

hypostatica animæ Christi; ergo &c. Min. prob. Quia, ex dictis, in *Tract. de Incarn.* unio hypostatica est omnino incompatibilis cum peccato: & si supponeretur in humanitate peccatum, excluderetur per unionem cum Verbo. Rursus; unio hypostatica dat summam conjunctionem cum Deo, possibilem creaturæ; quia dat substantialem in eadem persona, & physicam, non tantum moralem. Quæ unio, ex quo excludit operationes avertentes, & separantes a Deo, fit ut inferat, & per modum principii *Quod* exigat operationes proprias naturæ divinæ: quibus creatura illa, sic conjuncta, habeat commercium amicabile cum Deo potiori jure, quam illas exigat gratia habitualis, per modum principii *Quo*; ergo &c.

Hinc S. Thom. *3. part. quæst. 6. art. 6. in cap.* ait: *Gratia habitualis pertinens ad spiritualem sanctitatem illius hominis* (Christi) *est effectus quidam consequens unionem, secundum illud, Joann.* 1. Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis. *Per quod datur intelligi, quod ex hoc ipso, quod ille homo est Unigenitus a Patre* (*quod habet per unionem*) *habet plenitudinem gratiæ, & veritatis.* Et ibidem, ad 1. *Unio* (inquit) *nostra ad Deum est per operationem, in quantum scilicet, eum cognoscimus, & amamus; & ideo talis unio est per gratiam habitualem, in quantum operatio perfecta procedit ab habitu. Sed unio naturæ humanæ ad Verbum Dei est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura.*

VII. Probatur secundo. Ens intellectuale substantiale, ex vi hujus est sanctum, & gratum Deo: vi cujus præcise habet jus ad vitam æternam: non enim alia ratione quis dicitur sanctus, vi gratiæ habitualis, nisi quia, vi illius, habet jus ad vitam æternam: sed anima Christi, quæ est ens substantiale intellectuale, habet jus ad vitam æternam, ex vi unionis præcise sumptæ, quia ex ea habet Christus, ut sit Filius Dei naturalis, ratione cujus habetur jus ad hæreditatem, secundum illud Pauli, Rom. 8. vers. 17. *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei*; ergo &c.

§. III.

Objectiones contra Præfatam Assertionem.

VIII. Objicies primo. Omnia prædicta conferri quidem animæ Christi ab unione cum Verbo; sed solum extrinsece, per communicationem idiomatum, & radicaliter: in quantum ex unione, tamquam ex radice, sequitur intrinseca, & formalis sanctitas animæ per gratiam habitualem: non tamen formaliter. Sicut per unionem hypostaticam communicantur animæ Christi visio increata Dei, aliaque attributa; quin dici possit, animam Christi esse per illam formaliter beatam, omnipotentem &c. ergo similiter, licet communicetur animæ Christi sanctitas increata, non dicitur per illam formaliter sancta.

IX. Respondeo, neg. ant. Si enim ex dictis, anima Christi per unionem cum Verbo redditur formaliter munda, formaliter conjuncta Deo, formaliter objectum congruum divinæ dilectionis, & potens habere per operationes divinas commercium cum Deo; quid illi deest, ut sit formaliter sancta per illam, non quidem sanctitate accidentali, & participata, sed sanctitate substantiali, & personali ipsi communicata? Nequit tamen anima Christi per visionem increatam reddi formaliter beata, & videns Deum. Est enim discrimen inter denominationem beati, & denominationem sancti; quod illa est accidentalis, proveniens ab operatione, imo & vitalis proveniens ab operatione vitali: unde, ut diximus, *Tract. præced.* repugnat convenire formaliter animæ Christi per aliquid increatum. At denominatio sancti, in primis non provenit ab actione vitali; deinde, neque est per se denominatio solum accidentalis, sed potius substantialis (nisi per accidens ex imperfectione subjecti fiat accidentalis, ut in nobis) seu spectans ad lineam substantiæ. Unde nihil vetat, quin immediate conferatur ab aliquo increato, substantialiter perficiente humanam naturam: sicut nihil vetat, quin formaliter subsistat subsistentia increata, quia munus spectans ad lineam substantiæ, cæteris paribus, supplebile est a divino Verbo.

X. Sed instabis. Esto Verbum possit supplere munus formæ creatæ, pure terminantis naturam creatam in ratione subsistentis; non tamen potest supplere munus formæ constituentis naturam: sed munus sanctitatis simpliciter spectat ad lineam substantiæ, tamquam ejus constitutivum, non tamquam terminativum; ergo &c. Min. prob. Tum quia; in Deo sanctitas substantialis competit ei ex vi constitutivi suæ naturæ, non ex vi termini facientis ipsum subsistere. Tum quia; filiatio Dei, quæ ad sanctitatem sequitur, provenit ex communicatione divinæ naturæ; non ex communicatione subsistentiæ divinæ.

XI. Respondeo, majorem veram esse in Deo, quem facit per essentiam sanctum; in eo enim sanctitas est prædicatum ingrediens constitutivum naturæ: non tamen veram esse de creatura, cui sanctitas Dei communicatione donatur; hanc etiam sufficienter habet per intimam conjunctionem cum Deo per essentiam Sancto. Unde sicut personalitas Verbi formaliter reddit animam Christi subsistentem, quatenus ex vi suæ lineæ est subsistentia: ita eam reddit formaliter sanctam, quatenus ex vi suæ lineæ conjungit eam Deo infinite, & per essentiam sancto; & quatenus ei communicat mediate naturam divinam, quæ est ipsa sanctitas per essentiam, ut sequenti Assertione dicemus.

XII. Sed dices adhuc. Sicut persona Verbi conjungit mediate animam Christi cum divina natura, & sanctitate; ita eam conjungit cum omnipotentia, immensitate, æternitate &c. sed non proinde constituit eam formaliter omnipotentem, immensam, æternam &c. ergo neque constituet eam formaliter sanctam.

XIII. Respondeo, disparitatem esse. Quia omnipotentia, immensitas, æternitas in suo formali conceptu includunt, & sunt impræscindibiles ab infinitate; & ideo non possunt communicari creaturæ finito modo, sicut potest communicari sanctitas increata. Addo: quod omnipotentia, immensitas, omniscientia pertinent ad principium *Quo* operandi: prædicata autem divina pertinentia ad genus operandi nequeunt animæ Christi communicari: sicut nec sanctitas divina, quatenus est principium *Quo* operationum divinarum, communicatur animæ Christi; sed solum quatenus est formalis sanctitas, reddens eam gratiam, dignam amore, & conjunctam cum divina sanctitate.

XIV. Objicies secundo, & replicabis. Ad formalem sanctificationem requiritur, ut anima immutetur, & elevetur, & fiat potens ad operationes supernaturales, quibus habeat commercium cum Deo: sed hoc nequit illi præstari formaliter a persona Verbi: quia hæc elevat quidem animam ad subsistendum, sed non ad operandum; ergo &c.

XV. Respondeo, dist. maj. Elevetur, & fiat potens &c. Si sermo sit de sanctitate accidentali, conc. maj. Si sermo sit de sanctitate personali, subdistinguo; ut fiat potens proxime, & formaliter, nego maj. Remote, & in jure, conc. maj. Sanctitas enim personalis solum petit esse radicem operationum supernaturalium, per modum principii *Quod*. Sic autem anima Christi per sanctitatem personalem fit potens: quia ex vi illius accipit filiationem naturalem Dei, cum jure ad gratiam habitualem, & alios habitus supernaturales, quibus possit Deum redamare.

XVI. Objicies tertio. Effectus formalis primarius alicujus formæ, cum nil aliud sit, quam ipsa forma, ut communicata, nequit haberi formaliter sine tali forma: sed reddere formaliter sanctum, est effectus formalis primarius gratiæ habitualis: ergo &c.

XVII. Respondeo, major. verum esse de effectu formali specifico, ultimo, & modo proprio illius formæ: falsam autem de effectu, qui licet idem sit genere, specifice tamen est diversus. Facere ergo sanctum, est quidem idem effectus in genere: sed, ut præstitus a sanctitate substantiali, est specie diversus a sanctitate præstita a gratia habituali: hæc enim est sanctitas solum accidentalis, & imperfecte conjungens Deo; illa est substantialis, & conjungens Deo in eadem naturali persona. Et certe si hoc argumentum robur haberet, probaret, neque subsistentiam divinam posse supplere, & præstare effectum primarium subsistentiæ creatæ, qui est reddere naturam subsistentem: cum tamen id faciat, sed eminentiori modo.

XVIII. Objicies quarto. Si Verbum assumeret naturam irrationalem, illam non sanctificaret: sed illi omnia præstaret, quæ præstat naturæ humanæ; ergo signum est, quod Verbum se solo non sufficit ad sanctificandum, sed requiritur gratia, ut principium *Quo*.

XIX. Retorque argumentum. Si gratia habitualis poneretur in lapide; vel in natura irrationali ea præstaret, quæ præstat naturæ rationali: & tamen neque lapidem, neque naturam irrationalem sanctificaret; ergo neque gratia sufficit ad sanctificandum.

Respondeo ergo, quod si Verbum assumeret naturam irrationalem, eam redderet quidem subsistentem, sed sicut eam non faceret personam, ita neque faceret sanctam, quia essentialiter incapax est sanctitatis.

XX. Objicies quinto. Forma formaliter sanctificans debet formaliter expellere peccatum: sed hoc non potest facere unio hypostatica; ergo &c. Min. prob. Privatio formæ non potest tolli, nisi per formam, qua privat; sicut tenebræ, quæ sunt privatio lucis, non possunt tolli, nisi per lucem: sed peccatum habituale est essentialiter privatio gratiæ habitualis, & non privatio unionis hypostaticæ; ergo non potest tolli &c.

Respondeo, neg. min. Ad prob. nego absolute min. Si enim peccatum privat gratia habituali, multo magis privat gratia substantiali: sicut enim gratia habitualis excludit peccatum: quia tollit deordinationem, & rectificat potentias per modum principii *Quo*: ita gratia substantialis quæ per modum principii *Quod* rectificat animam, & omnes ejus potentias, multo magis peccatum ejiciet.

§. IV.

Posterior Assertio.

XXI. Dico secundo. Anima Christi sanctificetur formaliter a natura divina, ut a forma: a Verbo autem, ut illi communicante formam sanctificantem, seu sancti-

ctitatem. Hanc eligo inter multas opiniones, quæ in Scholis verſantur; quia videtur conformior dictis SS. PP. ſupra relatis, tribuentibus unionem ſanctitatis modo unioni cum natura, modo cum perſona divina: & etiam ratione. Unde eam ſic probo pro prima parte. Illa eſt forma animam Chriſti ſanctificans, quæ in ſe eſt formalis, ac ſubſtantialis ſanctitas, qua Deus in ſe ſanctus eſt: ſed forma, ſeu ſanctitas, qua Deus in ſe ſanctus eſt, eſt natura divina, non autem ſubſiſtentia relativa; alias in Deo non eſſet una ſanctitas, ſed tres ſanctitates; ergo &c. Maj. explicatur. Nam effectus formalis albi haberi nequit, niſi a forma, quæ albedo eſt; & effectus colorati, niſi ab ea forma, quæ color eſt; effectus ſubſiſtendi, niſi ab ea forma, quæ ſubſiſtentia eſt.

XXII. Confirmatur. Per illud redditur humanitas Chriſti formaliter ſubſiſtens, quod in ſe formaliter ſubſiſtentia eſt; non vero per id, quod ſolum identice, & realiter eſt ſubſiſtentia; ergo per id formaliter ſancta eſt, quod in ſe eſt formaliter ſanctitas; non vero per id, quod ſolum identice, & realiter ſanctitas eſt. Sed natura divina formaliter ſanctitas eſt: perſonalitas autem Verbi eſt ſanctitas ſolum realiter, & identice; ergo &c. Ruſus: Sicut humanitas formaliter ſubſiſtit per id, quod ſubſiſtit Verbum; ita debet eſſe formaliter ſancta per id, quo formaliter ſanctum eſt Verbum: atqui Verbum non eſt formaliter ſanctum per ſuam perſonalitatem, ſed per naturam divinam; ergo nec humanitas erit formaliter ſancta per perſonalitatem Verbi, ſed per naturam divinam. Et ratio eſt. Quia ſanctitas formalis debet eſſe de linea radicis, non de linea termini: unde gratia habitualis, quæ eſt ſanctitas participata, eſt participatio formalis divinæ naturæ, & e contra viſio beatifica non eſt forma ſanctificans, nec eſſe poteſt: ſed ſubſiſtentia eſt de linea ultimi, ſola autem natura divina eſt de linea principii, & radicis; ergo &c.

XXIII. Secunda etiam pars prob. Quia natura divina non communicatur animæ Chriſti immediate, & per ſe ipſam, ſed media perſonalitate Verbi; ergo licet perſonalitas Verbi non ſit formalis ſanctitas, eſt tamen medium communicans in humanitatem, eique applicans ſanctitatem: eo fere modo, quo inhærentia eſt medium deferens albedinem in parietem.

§. V.

Objectiones contra Præfatam Aſſertionem.

XXIV. OBjicies primo. Ut natura divina per modum formæ ſanctificet animam Chriſti, debet illi uniri, ut forma: ſed natura divina non poteſt ſic uniri, quia uniretur per modum formæ conſtituentis, & informantis: ergo &c.

Si reſpondeas, min. veram fore, ſi uniretur in ratione naturæ, & per ſe ipſam; non autem ſi uniatur animæ Chriſti, media perſonalitate, ut de facto unitur.

XXV. Contra eſt, Ergo natura divina unitur tantum mediate; ergo non ſufficit, ut illam reddat formaliter ſanctam. Conſequentia hæc probatur. Unio mediata ſapientiæ, omnipotentiæ, immenſitatis non ſufficit, ut ab iſtis conſtituatur ſapiens, omnipotens, immenſa; ergo ſi ſanctitas divina unitur humanitati ſolum mediate, non ſufficit, ut illam conſtituat formaliter ſanctam.

XXVI. Reſpondetur, conc. prima conſeq. negando ſecundam. Et diſparitas ex dictis eſt. Quia humanitas, vel quæcumque creatura eſſentialiter incapax eſt, ut denominetur ſapiens ſapientia increata; ſicut & omnipotens, & immenſa; niſi per formas, vel ſibi identificatas, vel ſibi inhærentes, aut informantes.

Sicut enim non poteſt Chriſti humanitas dici intelligens, aut volens intellectu, aut voluntate increata; quia iſta deberent eſſe, vel identificata cum illa, vel illam informantia: ita cum ſapientia, & omnipotentia, vel non diſtinguantur a divino intellectu, ut ſuo loco diximus: vel ſi diſtinguantur, ſint de genere operativo, quod nequit conſtituere potentem operari; niſi, vel per identitatem cum illo, ut in Deo, vel per inhærentiam, ut in creatura: immenſitas autem, dato quod non ſit de genere operativo, ſit tamen de genere eſſentiali; quod pariter nequit communicari, niſi per identitatem cum illo, vel per informationem: ideo nulla creatura a talibus denominari poteſt. At ſanctitas, ut denominet ſanctum, neque exigit identitatem cum ſubjecto ſanctificato, nec ejus phyſicam informationem; ſed ſatis eſt, ſi mediate, aut immediate illud terminet, aut phyſice dignificet. Et ratio eſt. Quia eſſe ſanctum, eſt eſſe objectum, ac terminum divini amoris amicabilis; ſicut eſſe cognitum, eſt eſſe terminum divinæ cognitionis. Quemadmodum ergo eſſe cognitum non requirit, ut cognitio identificetur, vel informet objectum cognitum, ſed ut terminetur ad illud: ſic eſſe ſanctum non petit, ut forma ſanctificans identificetur, vel informet rem, quam ſanctificat: ſed tantum, quod ad illam vel immediate, vel mediate terminetur. Eo enim ipſo, quod divina natura mediate terminet humanitatem, ſtatim hæc evadit objectum congruum divinæ dilectionis.

Quod ſi dicas: eſſe ſanctum, non eſſe præciſe objectum divinæ dilectionis amicabilis, ſed eſſe viciſſim potens proxime, vel radicaliter redamare Deum: hoc autem petit formam, a qua provenit, non pure terminantem, ſed vel realiter identificatam, vel informantem.

XXVII. Reſpondeo, diſt. major. Eſſe viciſſim potens, potentia, vel phyſica, vel morali, conc. major. præciſe phyſica, nego major. Hanc autem potentiam moralem ad redamandum Deum præſtat natura divina, unita humanitati media ſubſiſtentia: quia eo ipſo, quod humanitas eſt unita perſonaliter Verbo, & deificata; debentur ei omnia dona gratiæ, quibus fiat phyſice potens redamare Deum.

XXVIII. Objicies ſecundo. Humanitas per id formaliter ſanctificatur, cui unitur immediatius; ergo ſi unitur immediatius ſubſiſtentiæ Verbi, quam naturæ divinæ, ſanctificabitur formaliter per ſubſiſtentiam, non per naturam divinam.

Reſpondeo, major. eſſe veram, ſi id, cui unitur immediatius, ſit formalis ſanctitas: ſecus vero, ſi ſit purum medium communicans formam, quæ eſt ſanctitas. Sic autem ſe habet perſonalitas: cui licet immediatius uniatur anima Chriſti, quam divinæ naturæ: quia tamen non eſt formalis ſanctitas, ſed medium ſanctitatem applicans, & communicans; ideo illam formaliter non ſanctificat. Et ſane ſi perſonalitas divina non ſanctificat, neque eſt ſanctitas reſpectu prædicatorum divinorum; ſed ipſa potius dicitur ſancta per naturam divinam: quomodo poteſt ſanctificare & eſſe formalis ſanctitas reſpectu humanitatis?

XXIX. Dices. Perſonalitas Verbi deificat humanitatem: ergo illam facit formaliter ſanctam: quia eatenus gratia habitualis ſanctificat formaliter animam, quia illam deificat.

Ulterius: Ideo Verbum non ſanctificatur a propria perſonalitate; quia cum ſit infinite ſanctum per naturam divinam, non eſt capax ulterioris ſanctitatis: at humanitas Chriſti, cum non ſupponatur jam ſanctificata, bene poteſt ſanctificari ſanctitate propria Verbi.

XXX. Sed contra primum eſt. Nam ſanctificare non eſt utcumque deificare: nam etiam viſio beata deificat Beatum, & non ſanctificat formaliter illum. Sanctificare igitur eſt deificare per modum naturæ, & principii radicalis, vel phyſici, vel moralis donorum ſpectantium ad ordinem ſupernaturalem. Sic gratia habitualis ſanctificat, quia deificat per modum participationis naturæ divinæ, radicantis phyſice omnia dona ordinis divini. Et ſic natura divina ſubſtantialiter communicata humanitati Chriſti illam ſanctificat; quia illam deificat per modum naturæ, cui, ut radici ſaltem morali, debentur omnia dona ordinis ſupernaturalis. At divina ſubſiſtentia deificat quidem: ſed quia ſolum deificat per modum termini naturæ, non per modum naturæ, & radicis; ideo per ſe ipſam non ſanctificat.

XXXI. Contra ſecundum eſt. Quia etſi Verbum ſit infinite perfectum, ratione divinæ eſſentiæ: nihilominus, ſi Verbum ex conceptu ſuo relativo dicat perfectionem, ut volunt multi, adhuc per ipſam perficitur; ergo a pari, etſi Verbum ſit infinite ſanctum ſanctitate eſſentiæ; ſi tamen haberet ſanctitatem in propria linea relativa, ab iſta etiam ſanctificaretur. Cum ergo non ſanctificetur Verbum, niſi unice per ſanctitatem eſſentiæ; ſignum eſt, quod in conceptu relativo non adeſt ſanctitas propria hujus lineæ. Quod ſi non adeſt, quomodo poterit ex conceptu relativo ſanctificare humanitatem Chriſti?

DUBIUM IV.

An Gratia Habitualis fuerit Chriſto Neceſſaria ad Merendum: Et Quomodo?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. DUæ conditiones præcipue requiruntur, ut aliqua operatio ſit meritoria coram Deo. Prima, ut ſecundum ſe ſit condigna, ideſt, quod tantum valeat, quantum valet præmium, & ſit in eodem ordine cum illo. Quare ſi Deus promitteret vitam æternam homini in puris naturalibus conſtituto; ſi is bene operaretur intra puros limites naturæ, illa operatio non eſſet meritoria vitæ æternæ, quæ gratis, & ſine merito illi daretur, & proinde non ex juſtitia, ſed ex fidelitate: quia Deus eſt ſibi ipſi debitor, ut impleatur, quod promiſit. Secunda, quod operans referat ſaltem virtualiter, ſuam operationem, & ordinet ad præmiantem, & ad præmium. Licet enim quis magnum opus faciat, tali opere nihil merebitur; niſi illud, ſaltem virtualiter, faciat propter bonum præmiantis; vel niſi velit, propter tale opus ſibi præmium rependi. His ſuppoſitis.

II. Dico primo. Fieri non potuit, ut opera Chriſti eſſent meritoria; niſi in eo fuiſſet gratia ſupernaturalis, vel habitualis, vel ſaltem actualis, quæ eſſent principium formale, ſeu *Quo* talium operum: unde ad merendum in Chriſto ſola gratia unionis ſatis non erat. Ita S. Th. tum 3. *p. q.* 7. *art.* 1. *ad* 1. *&* 2. ubi expreſſe docet, in Chriſto pro-

propter distinctionem naturarum, præter gratiam unionis, fuisse necessariam gratiam habitualem; per quam operatio humana in eo esset perfecta, ideſt, ordinis supernaturalis & divini. Et apertius, *quæst. 29. de Veritat. art. 5. ad 4.* ubi ait: quod: *Quomodo meritum Christi quamdam infinitatis rationem habeat ex dignitate personæ; tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest.*

III. Probatur autem sic. Ut opus sit meritorium de condigno, debet esse proportionatum præmio: unde si præmium sit supernaturale, debet meritum esse ordinis supernaturalis, ut diximus, in *Tractat. de Merito*, cum Sanct. Thom. 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 2. sed si in humanitate Christi nulla esset gratia creata, neque habitualis, neque actualis, nulla esset operatio in illa, quæ foret proportionata cum fine, seu præmio supernaturali; ergo &c. Min. prob. Posita sola gratia unionis, habetur quidem principium *Quod* supernaturale, sed non habetur principium *Quo* proximum, & formale operationis supernaturalis: sed ad operationes supernaturales non satis est, quod suppositum, seu principium *Quod* sit supernaturale; ergo &c. Maj. patet: quia sola gratia unionis communicat quidem humanitati esse personale Verbi, illi tamen non dat ordinem ullum ad operandum supernaturaliter. Min. vero prob. Species essentialis cujuscumque actionis non sumitur a supposito operante, sed a principio proximo formali efficiente: v. g. species calefactionis sumitur ex calore, qui est principium proximum formale calefaciendi, quodcumque sit suppositum calefaciendi; ergo &c. consequenter posito in humanitate Christi supposito divino, nisi ulterius ponantur in illa principia formalia, & proxima opera supernaturalium; numquam faciet operationes supernaturales, sed naturales tantum.

IV. Confirmatur primo. Suppositum non operatur, nisi juxta facultatem naturæ, cujus est suppositum: Verbum divinum, quatenus suppositum hominis, non operatur, nisi juxta potentiam humanitatis: ergo si humanitas non esset elevata per gratiam habitualem, vel actualem, omne opus, quod Verbum, ut suppositum humanitatis exerceret, esset quoad substantiam ordinis naturalis.

V. Confirm. secundo. Deus in retribuendo præmio non respicit solum ad personam merentem, ac offerentem, sed etiam ad opus, quod offertur, juxta illud, Gen. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel* (ideſt, ad dignitatem personæ) *& ad munera ejus* (ideſt, ad qualitatem muneris) ergo, ut opera Christi meritoria sint præmii supernaturalis, non satis est dignitas ipsius personæ operantis; sed requiritur, ut & ejus opera sint præmio proportionata, & digna, ut accipiantur a Deo pro tali præmio: hoc autem non esset in operibus Christi, secluso omni dono gratiæ, sive habitualis, sive actualis; ergo &c.

VI. Neque dicas: operationes illas fore supernaturales moraliter, ideſt, moraliter dignificatas a persona Verbi, quæ illas faciebat.

Nam esto hoc: sed non sufficit. Tum quia: præmium non solum est supernaturale moraliter, sed etiam entitative: meritum autem debet entitative esse in eodem ordine cum præmio. Tum quia: meritum debet dicere ordinem ad præmiantem, & fieri in obsequium illius; & meritum præmii supernaturalis debet dicere ordinem ad Deum remuneratorem supernaturalem. Cumque in casu, quo anima Christi esset sola gratia unionis ornata, & omni dono supernaturali creato destituta; actiones ab ea elicitæ, utpote entitative naturales, non possent ordinem dicere ad Deum remuneratorem supernaturalem: ideo etsi forent valoris infiniti & supernaturalis moraliter, non possent esse meritoriæ præmii supernaturalis.

§. II.

Objectiones contra præfatam assertionem.

VII. Objicies primo. Christus, etiam ut homo, sine gratia habituali, esset simpliciter Deo gratus gratia infinita Verbi ei personaliter communicata; ergo ejus operationes essent simpliciter Deo gratæ. Imo cum sanctitas personalis sit simpliciter major in ratione sanctitatis, quam gratia habitualis creata: si hæc est sufficiens ad meritum, cur non illa?

VIII. Respondeo, in casu operationes illas Christi fore simpliciter gratas, gratitudine personali operantis; quia operans, utpote divina persona, esset infinite gratus: non tamen fore gratas gratitudine formali operis; quia talia opera non possent proportionari, & dicere ordinem ad Deum, ut auctorem supernaturalem, quod necessario requireretur, ut essent meritoria. —— Esto autem sanctitas personalis excedat sanctitatem per gratiam; non sequitur tamen, quod possit dare operibus rationem meriti, sicut ista: quia ex dictis non potest ea elevare, dando eis ordinem ad Deum præmiantem, cum relinquat ea in ordine naturali entitative.

IX. Objicies secundo. Opera hominis justi moraliter bona, quamvis nec actu, nec virtute referantur in finem supernaturalem, sunt simpliciter meritoria vitæ æternæ, secundum aliquos, eo præcise, quia procedunt ab homine grato, & Deo accepto: cur ergo operationes Christi non erunt Deo gratæ, & meritoriæ ex eo præcise, quod procedunt a supposito infinite grato?

Rursus: si illæ operationes a Deo productæ, essent infiniti valoris coram Deo, quia procedunt a persona infinite grata, sicut modo sunt: cur non essent meritoriæ cujuscumque præmii? Operatio enim habens infinitum valorem, non erit ex se digna cujuscumque infiniti præmii?

Tertio. Opera Christi de facto fuerunt infiniti meriti: se non quatenus erant a gratia habituali, quæ est finita; ergo quatenus erant a persona infinita.

Quarto. Ad meritum requiruntur tria. Ut sit subjecti Deo grati; ut sit ordinatum ad finem supernaturalem; & ut habeat aliquid supernaturalitatis: at humanitas Christi, secluso omni dono supernaturali creato, hæc tria haberet: si enim opera procedentia a supposito grato, gratitudine participata, habent veram supernaturalitatem, & ordinem ad finem supernaturalem; quare, ut procedentia a supposito infinite grato, hoc non habebunt?

X. Respondeo ad singula. Ad primum, neg. ant. Nam, ut supra diximus exemplo Abelis, Deus respicit nedum ad personam, sed ad opus: an scilicet sit factum in obsequium ejus, & ad ipsum ordinatum; sicut in humanis Princeps non acceptat ad meritum quodcumque opus subditi, alioquin grati; sed illud solum, quod sit in obsequium ejus, & propter præmium.

Deinde, dato ant. nego conſ. Quia homo justus, cum sit in gratia, est habitualiter relatus in finem supernaturalem: ex qua habituali relatione, secundum illos, opera ipsa dicuntur sufficienter relata in præfatum finem, ut sint meritoria. At humanitas Christi, secluso omni dono gratiæ creato, non esset ordinata ad operandum ob finem supernaturalem: atque ideo opera ejus quantum ad substantiam essent simpliciter ordinis naturalis, & non meritoria præmii supernaturalis.

XI. Ad secundum do rationem. Quia operatio, licet infiniti valoris, non potest esse digna, aut meritoria cujuscumque præmii supernaturalis; nisi fiat cum ordine ad illud, & in obsequium præmiantis. Semoto autem ab humanitate omni dono gratiæ creatæ, non posset ordinare actiones suas ad finem supernaturalem, cum illi deesset omne donum elevans: gratia enim unionis humanitatem, & ejus potentias elevare non potest ad operandum in ordine supernaturali. Quomodo ergo posset Christi humanitas suas operationes in Deum auctorem supernaturalem (quem nec, ut talem, cognoscet) ordinare, ac sic mereri?

XII. Si dicas: non oportere ad rationem meriti, quod actio referatur in finem, & obsequium præmiantis. Qui enim bene inservit Reipublicæ, meretur præmium; licet hoc non faciat in obsequium Reipublicæ, vel Ducis, a quo præmiandus est. Ratio autem videtur esse. Quia sicut actus ex sua natura, ex quo bonus, laudabilis est: ita actus ex sua natura præmiabilis est, ex quo bonus est.

Respondeo tamen, neg. ant. quando præmians est simul etiam ultimus finis operis. Ex quo patet disparitas in exemplo allato. Respublica enim, & Dux præmians non est ultimus finis operis facti in servitium Reipublicæ, cujus potius est minister: & ideo opus debet quidem ordinari in Rempublicam, sed non ad præmiantem. At Deus est præmians, & ultimus finis operis: unde, ut sit meritorium, debet in obsequium ejus fieri, & ad ipsum referri. —— Neque est idem, opus esse laudabile, ac esse præmiabile. Nam opus, ex quo in se bonum est, est dignum laude, & laudabile. At, ut sit præmiabile, & dignum præmio, cum hoc inducat debitum justitiæ in præmiante; debet esse factum in gratiam, & obsequium ejus, ut ipse vicissim teneatur illud præmiare. Obligatio enim dandi præmium pro merito, oritur ex aliquo opere præstito; quod quidem, ut hunc potius obliget, quam alterum, debet in illius gratiam, & commodum fieri.

XIII. Ad tertium dico, opera Christi a persona Verbi habuisse quidem infinitatem; sed rationem meriti habuisse a principio, quo ordinabantur in Deum præmiantem: quod vidimus, haberi non posse sine aliqua gratia creata.

XIV. Ad quartum, nego min. loquendo de dignitate, nedum morali, & operantis, sed etiam physica, & operis, seu proportionis ad præmium: hæc enim unice haberi potest a principio *Quo* supernaturali, quod est Gratia. Sicut enim actiones, etiam necessariæ Christi, ut nutritionis, & augmentationis, licet essent a persona infinite digna; tamen talis dignitas ex defectu libertatis non sufficiebat ad meritum: & actiones ejusdem mere naturales, ut ambulare, dormire, manducare, ex sua ratione meritoriæ non erant, nisi a charitate in Deum, ejusque gloriam supernaturalem ordinatæ fuissent; & tamen istæ etiam erant a persona infinite digna: ita operationes omnes factæ ab humanitate spoliata omni gratia creata, & sola gratia personali prædita, essent quidem a persona infinite digna; sed quia non essent factæ cum ordine, & in obsequium Dei supernaturalis præmiantis, non essent meritoriæ præmii supernaturalis. Imo ille valor a persona divina profluens non afficeret modo libero actiones illas Christi, neque ut talis valoris, libere elicerentur: cum fine gratia intrinseca non posset cognoscere anima Christi dignitatem suæ personæ, nec finem, ad quam deberet eas ordinare.

XV. Ob-

XV. Objicies tertio. Implicat, Christum Filium Dei naturalem offerre Patri aliquod opus, & illud non esse acceptum Patri. Si enim jejunium hominis justi, relatum ad gloriam Dei, est meritorium vitæ æternæ; multo magis jejunium Christi, qui est Filius Dei naturalis, & quod in casu esset elevatum ad ordinem hypostaticum.

XVI. Respondeo, ant. esse verum de acceptatione personali, non vero de acceptatione operis. In casu enim esset accepta Patri persona operans; non autem opus esset acceptum Patri ad vitam æternam: quia non esset ordinatum ad illam. Dici tamen posset, ad summum esse acceptum radicaliter; quia esset a gratia unionis, cui debetur gratia, quæ est principium formale merendi. Neque est simile de hominis justi jejunio: hoc enim cum procedat a gratia habituali, habet unde participat habitudinem, & ordinem ad vitam æternam; non autem in anima Christi in casu, quæ nec cognoscere posset Deum auctorem supernaturalem, nec proinde ad eum, ut talem, actus suos ordinare.

XVII. Objicies quarto contra id, quod diximus quod ut actus Christi sit meritorius, sufficiat gratia actualis, seu auxilium transiens, sic. Esto ab homine peccatore elici possint, medio auxilio gratiæ moventis, aliqui actus supernaturales fidei, spei, attritionis: quia tamen in illo non est gratia habitualis, tales actus non sunt, nec possunt esse meritorii vitæ æternæ, quia gratia habitualis est principium totius meriti; ergo licet in Christo esset auxilium gratiæ, si tamen deesset illi gratia habitualis, actiones ejus possent quidem esse supernaturales, sed non meritoriæ.

XVIII. Respondeo, disparem esse rationem de Christo, & nobis. In nobis enim, ultra auxilium gratiæ actualis, requiritur habitualis ad meritum, quia meritum debet esse a persona grata Deo. Unde Deus, *Genes.* 4. prius respexit ad Abel, ideſt, ad personam Abelis sibi gratam, deinde ad munera ejus: nos autem non habemus unde simus grati Deo, nisi ex gratia habituali nos justificante. At in Christo, etiamsi non esset gratia habitualis, foret tamen gratia unionis reddens ipsum Deo gratissimum, quia Filium ejus naturalem, in quo sibi semper complacuit. Unde ad ejus meritum nil aliud deesset, nisi ut ejus actiones ad finem supernaturalem elevarentur, quod sufficienter haberet per gratiam actualem.

XIX. Dices. Omnis inclinatio ad bonum alicujus naturæ supponere debet radicem in illa natura; ergo inclinatio in bonum naturæ divinæ, debet supponere naturam divinam participatam, in qua radicetur: at secluſa gratia habituali non datur in anima Christi natura divina, in qua radicetur; ergo &c.

XX. Respondeo, conc. ant. dist. conſ. Naturam divinam, vel accidentaliter participatam, vel substantialiter communicatam, conc. conſ. Præcise accidentaliter participatam, nego conſ. Cum ergo anima Christi, etiam in ea non esset gratia habitualis, esset tamen gratia unionis, imo ipsa natura divina in unitate hypostasi communicata; esset sancta, bona bonitate divina, & radicans saltem remote, & moraliter gratiam ipsam habitualem, & cætera dona divina: & ideo in ea esset sufficiens radix, ut media gratia actuali inclinante in bonum divinum fundatur inter Christum, & Deum amicitia sublimior, quam inter Justum, & Deum: quia Christus amaretur a Deo, & Deum reamaret ut Filius naturalis ejus, justus autem per gratiam solum, ut filius adoptivus.

§. III.

Alia Assertiones.

XXI. Dico secundo. Gratia habitualis erat necessaria in Christo, ut eliceret connaturaliter actus ordinis supernaturalis. Probatur sic. Ut anima Christi connaturaliter eliciat operationes supernaturales, debet habere in se principium, seu formam, ratione cujus connaturaliter inclinetur ad tales actus: sicut, ut aliquis operetur connaturaliter operationes sensitivas, debet habere in se formam, qua connaturaliter inclinetur in illas: sed forma, qua connaturaliter anima inclinatur in operationes supernaturales, est gratia habitualis, non minus, ac anima sensitiva sit forma, qua connaturaliter inclinatur animal ad operationes sensitivas: cum gratia sit anima animæ in tali ordine, ac principium radicale operandi in illo; ergo &c.

XXII. Nec dicas, hoc valere quidem in puris hominibus, vel Angelis, non autem in Christo, cujus anima erat elevata ad ordinem hypostaticum, per gratiam unionis continentem eminenter ordinem gratiæ.

Nam, ut docet S. Thom. *quæst.* 29. *de Verit. art.* 1. per gratiam unionis elevabatur quidem anima Christi ad esse personale divinum, non vero ad operationem divinam; cum alia sit conjunctio cum Deo secundum personam, alia secundum operationem: & ad hanc, saltem connaturaliter, requirebatur gratia.

XXIII. Dico tertio. Gratia habitualis fuit etiam necessaria Christo ad completam, & consummatam ejus sanctitatem. Prob. Ut anima Christi sit formaliter sancta sanctitate consummata, debebantur ei omnes perfectiones sibi connaturaliter convenientes ex vi sanctitatis substantialis; atqui ex vi hujus connaturaliter debebatur ei sanctitas accidentalis: si enim ex vi talis unionis debebantur animæ Christi, titulo connaturalitatis, omnes virtutes infusæ, quæ radicantur in gratia habituali; multo magis ipsa gratia habitualis ei debebatur.

XXIV. Si opponas: quod sicut Deus, quia est sanctus sanctitate substantiali, & continente eminenter omnem sanctitatem creatam, non eget alia sanctitate, ut sit perfecte, & consummate sanctus; ita anima Christi, cum sit illa eadem Dei sanctitate sancta, ulteriori non egebit gratia, ut sit consummate sancta.

Respondeo, disparitatem esse inter Deum, & animam Christi, quoad hoc: Deus possidet sanctitatem increatam adæquate, imo est ipsa sanctitas per essentiam: & ideo nihil ille deest ad consummatam sanctitatem. At anima Christi est quidem sancta illa eadem sanctitate, sed eam non plene possidet; sed ei communicatur solum quantum ad esse personale, non quantum ad esse operativum.

XXV. Dico quarto. In anima Christi fuit etiam necessaria gratia habitualis, ut principium connaturale merendi. Prob. primo ex S. Thom. 3. *part. quæst.* 7. *art.* 1. *quæst.* 29. *de Verit. art.* 5. *ad* 4. ubi ait: *Quod licet meritum Christi quamdam infinitatis rationem habeat ex dignitate personæ: tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest.* Quæ indicant saltem connaturaliter, non potuisse in Christo dari meritum sine gratia habituali. —— Probatur autem secundo, sic. Si enim, quia ex dictis gratia habitualis est vita animæ, & radix operationum supernaturalium, fuit necessaria, ut Christus connaturaliter eliceret operationes supernaturales: cum meritum sit operatio vitali modo exercita intra ordinem supernaturalem, sequitur quod ad mercedem connaturaliter necessaria sit gratia habitualis: esto in Christo non fuerit necessaria essentialiter, cum ex dictis potuisset mereri cum sola gratia actuali.

QUÆSTIO II.

De virtutibus Animæ Christi.

GRatiam habitualem consequuntur virtutes, & dona supernaturalia, Cum ergo in Christo, ex dictis, sit gratia habitualis, de virtutibus, & donis sermo consequitur: & quidem præcipue de virtutibus per se infusis, deinde etiam de acquisibilibus investigabimus.

DUBIUM I.

An in Christo fuerint virtutes per se infusæ?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. VIrtutes morales, de quibus in præsenti agimus, sicut supra diximus de intellectualibus, aliæ sunt per se infusæ; quia propriis actibus acquiri nequeunt: & ideo ex natura sua petunt haberi per infusionem, ut alia via haberi nequeant. Aliæ sunt infusæ per accidens, quatenus licet ex natura sua petant a subjecto acquiri per proprios actus: a Deo tamen speciali ex causa ei infunduntur; ut Adamo contingit, cui omnes scientiæ, quas propriis actibus acquirere potuisset, fuerunt ei ab initio suæ conditionis statim infusæ. De primis ergo in præsenti dubio loquimur, etiam de secundis aliqua dicturi.

II. Dico ergo. In Christo fuerunt omnes virtutes morales per se infusæ, quæ aliunde unioni hypostaticæ non repugnabant. Ita S. Thom. hac *quæst.* 7. *art.* 2. cujus ratione sic probatur. Virtutes per se infusæ sequuntur ad gratiam habitualem, sicut potentiæ naturales sequuntur ad animam; quia virtutes per se infusæ, cum sint supernaturales, dant tutum, & simpliciter posse ad actus supernaturales: unde sunt quodammodo potentiæ operativæ in tali ordine, in quo gratia habitualis est quasi anima, radix, & prima vita: sed in anima Christi fuit gratia habitualis, ut dictum est supra, imo plenitudo gratiæ, ut dicetur; ergo in Christo fuerunt virtutes per se infusæ, imo fuit plenitudo virtutum cum unione hypostatica non repugnantium, ut infra.

III. Confirmatur. Oportuit, ut nedum animam Christi esset elevata, & perfecta in ordine supernaturali, sed etiam ejus potentiæ operativæ: sed sicut anima in ordine illo perficitur, & elevatur per gratiam habitualem, ita potentiæ animæ perficiuntur, & rectificantur in eodem ordine per virtutes supernaturales per se infusas; ergo &c.

§. II.

Contraria Solvuntur.

IV. OBjicies primo. Non recte dicitur, virtutes per se infusas esse proprietates per se connexas cum gratia habituali. Nam fides, & spes sunt virtutes per se infusæ: & tamen non sunt proprietates gratiæ, nec cum illa connexæ; unde in Christo non fuerunt: & e contra inveniuntur etiam in peccatore non habente gratiam —— Rursus: pœnitentia est virtus per se infusa: & tamen non est proprietas gratiæ, nec convenit omni habenti gratiam: unde in Christo fuit gratia, nec tamen fuit virtus pœnitentiæ.

V. Respondeo, neg. ant. Ad prob. dico, omnes virtutes per se infusas naturaliter emanare a gratia habituali; & hanc esse principium ex natura sua illas inferens, relative tamen ad conditionem, & capacitatem subjecti. Unde, sicut licet ad gratiam naturaliter sequatur filiatio adoptiva, in Christo tamen non sequitur; quia Christus, cum sit Filius naturalis, incapax est: ita licet fides, spes, & pœnitentia infusæ sequantur ad gratiam, non est necesse, ut ponantur in Christo, quia, ut dicemus, fides est de non visis, Christus autem per scientiam beatam videbat Deum. Spes est de non habitis, Christus autem Deo jam habito fruebatur. Pœnitentia vero est detestativa proprii peccati; Christus vero erat incapax peccandi. —— Fides porro & spes, quæ in peccatore fideli manent, sunt informes, nec habent statum virtutis: & ideo, ut tales, non sunt proprietates gratiæ, & stare possunt in peccatore, in quo non est gratia.

V. Objicies secundo. Virtutes morales ponuntur ad rectificandum appetitum in suis operationibus: sed operationes Christi, ex vi unionis hypostaticæ, erant rectificatæ, ut non possent a rectitudine declinare; ergo &c.

VII. Respondeo, a gratia unionis fuisse quidem operationes Christi rectificatas: sed vel radicaliter tantum, non formaliter; vel negative tantum, in quantum impediebat, ne inclinarent in actum non rectum: non tamen positive; quia non ponebat in illis principium formale, quo supernaturaliter rectificarentur, quales sunt habitus virtutum per se infusarum —— Et licet Verbum, quod unitur (ut præcludatur replica) contineat eminenter omnem rectitudinem præstabilem a virtutibus infusis; quia tamen unitur animæ Christi, eam quidem elevans ad esse personale, non ad esse operativum; ideo non præstat potentiis ejus formalem rectitudinem, sed eam relinquit præstandam a virtutibus: & eadem ratione quamvis in Christo fuerunt plenitudo gratiæ habitualis, adhuc tamen necessariæ ei fuerunt virtutes. Quia, ut docet S. Th. 3. p. q. 7. art. 2. ad 1. *Gratia sufficit homini quantum ad omnia, quibus ordinatur ad beatitudinem. Horum tamen quædam perficit gratia immediate per seipsam, sicut gratum facere Deo, & alia hujusmodi: quædam autem mediantibus virtutibus, quæ ex gratia procedunt.*

VIII. Objicies tertio. Virtutes omnes simul habentur, sunt enim connexæ, ut docet S. Thom. 1. 2. *q.* 65. *art.* 1. & 2. sed multæ in Christo non fuerunt, nec conveniens fuit, ut eas haberet; ergo &c. Min. prob. In Christo, qui vixit pauperrimus, inutilis, & otiosa fuisset magnificentia, quæ versatur circa magnos sumptus; sicut & liberalitas, quæ versatur circa mediocres, ut docet S. Trom. 2. 2. *q.* 129. *art.* 2. Actus etiam philothymiæ, quæ versatur circa mediocres honores, ut docet idem S. Thom. citatus, Christo non congruebat; cujus actiones, utpote infinitæ dignitatis non poterant esse circa mediocres honores, sed solum circa magnos.

Actus quoque continentiæ, ex S. Th. 2. 2. *q.* 155 *art.* 1. est resistere concupiscentiis pravis, quæ in subjecto vehementes existunt: in Christo autem pravæ concupiscentiæ esse non poterant, quia ex dictis in eo non fuit fomes peccati. Actus quoque verecundiæ, qui est de actu turpi præsenti, in Christo, in quo nullus potuit esse actus turpis, locum non habuit. Demum nec actus Eutropeliæ, qui versatur circa ludos, & jocos moderate exercendos: Christus enim numquam ludis, aut jocis vacavit, quin potius flevisse quidem legitur, sed risisse non legitur. Superflue autem virtus ponitur in subjecto, in quo actum suum numquam est habitura.

IX. Respondeo generaliter, quod licet actus externus virtutis in aliquo subjecto non exerceatur; dummodo sit ei possibilis, dari potest in eo actus internus sufficiens ad hoc, ut virtus in eo non sit otiosa, vel superflua. Hinc ad primum, dico cum S. Thom. hac qu. 7. art. 2. ad 3. *Quod liberalitas, & magnificentia commendantur circa divitias, in quantum aliquis non tantum appretiatur divitias, quod velit eas retinere, prætermittendo id, quod fieri oportet. Ille autem minime divitias appretiatur, qui penitus eas contemnit, & abjicit propter perfectionis amorem. Et ideo in hoc ipso, quod Christus omnes divitias contempsit, ostendit in se summum gradum liberalitatis, & magnificentiæ. Licet* (addit S. Doctor) *etiam actum liberalitatis exercuerit, secundum quod sibi conveniens erat faciendo pauperibus erogari, quod sibi dabatur. Unde cum Dominus Judæ dixit, Joan. 13.* Quod facies, fac citius; *Discipuli intellexerunt, Dominum mandasse, quod egenis aliquid daret.*

Actus etiam Philothymiæ fuit in Christo. Actio enim digna summo honore potest servari etiam circa parvos honores, recte se, ac prudenter in illis gerendo. Sicut Christus audiens clamantes: *Hosanna filio David &c.* Matth. 21. v. 9. in tali turbarum plausu, qui æstimari poterat mediocris honoratio, se gessit actu perfectissimo, & summo honore digno. Deus enim (ait Bernardus) non pensat *Quantum, sed ex quanto operemur.* Unde si in parvis ex magna operemur charitate, multum possumus mereri. Ita Christus, licet in mediocribus ex parte objecti, summa tamen perfectione se gessit, ac proinde summo dignus erat honore.

Continentiam vero Christus non habuit, ait S. Thom. citatus ad 3. *Nec propter hoc tamen excluditur, quin habuerit temperantiam; quæ tanto perfectior est in homine, quanto magis pravis concupiscentiis caret. Unde secundum Philosophum, 7. Ethic.* (cap. 9.) *temperatus in hoc differt a continente, quod temperatus non habet pravas concupiscentias, quas continens patitur. Unde sic accipiendo continentiam, sicut Philosophus accipit, ex hoc ipso, quod Christus habuit omnes virtutes, non habuit continentiam, quæ non est virtus, sed aliquid minus virtute.* Advertit tamen idem S. Thom. 2. 2. *qu.* 155. *art.* 4. nomen continentiæ dupliciter sumi. Primo: pro ea, qua aliquis ab omni delectatione venerea abstinet; & sic principaliter convenit virginitati, secundario autem viduitati. Et hoc modo convenentia fuit in Christo, sicut etiam temperantia; quia temperantia non habet pravas concupiscentias, quas refrænet. Secundo: sumitur continentia, secundum quod importat resistentiam rationis ad concupiscentias pravas, quæ sunt in homine vehementes: & ut sic non fuit in Christo, nec est in rigore virtus, ut docet S. Thom. 1. 2. *q.* 58. *art.* 3. *ad* 2. ubi videndus.

Idem dico de verecundia, nempe, eam non pertingere ad veram rationem virtutis: quare etsi non ponatur in Christo, non infirmatur nostra Assertio. Ratio autem, quare verecundia non sit virtus, est. Primo: quia non est consecutio boni honesti, ut ad virtutem requiritur; sed potius fuga mali, seu confusio ob turpitudinem mali. Secundo: quia, ut docet S. Thom. 3. *p. q.* 85. *art.* 1. *ad* 2. licet tam pœnitentia, quam verecundia sint de malo; de quo dolet pœnitentia, & confunditur, seu erubescit verecundiari: tamen pœnitentia est de peccato malo, quod nititur satisfaciendo delere: unde supponere potest subjectum de præsenti perfectum, prout requiritur ad virtutem, quæ est dispositio perfecti ad optimum. At verecundia (ait S. Thom.) *Respicit turpe factum ut præsens, pro quo timet confundi.* Est autem contra rationem virtutis, quod aliquis habeat turpe factum, de quo oporteat illum verecundiria. Licet autem virtuosus verecundiam pati possit, si ei turpe factum, quod non commisit, objiciatur; hæc proprie verecundia non est: quia verecundia respicit turpe factum, a se revera commissum, aut de facili absque virtute cohibente committendum. Hæc in eruditionem mei Candidati sint dicta.

Quoad Eutropeliam: puto, quod actus externus talis virtutis in Christo non fuerit; potuit tamen in eo esse, nec dedecuit, ut esset, præsertim in pueritia: atque ideo virtus Eutropeliæ potuit in eo habere suam honestatem.

DUBIUM II.

An in Christo fuerit Virtus Fidei, Spei, & Pœnitentiæ?

§. I.

Resolvitur de Fide Theologica?

I. DIco. In Christo non fuit virtus Fidei. Est contra Durandum hæc Assertio: qui cum velit, habitum fidei manere in Beatis, idem dicendus est asserere in Christo, cum eadem sit ratio. Eam tamen docet S. Thom. 3. *p. q.* 7. *art.* 3. cujus est ratio. Fides, nec quoad actum, nec quoad habitum compati potest in subjecto, in quo est clara Dei visio: sed Christus, ut dictum est, a primo suæ conceptionis instanti habuit claram Dei visionem; ergo &c. Maj. prob. Fides Theologica, & clara Dei visio essentiales supponunt ex parte subjecti dispositiones oppositas. Nam fides requirit, ut credens non videat, quia, teste Apostolo, Hebr. 11. v. 1. *Est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.* Clara autem visio petit, ut videns clare intueatur divina, quæ videt: repugnat autem idem subjectum eadem non videre, & videre.

II. Confirmatur. Actus, seu habitus, quorum unus exigit subjectum esse in statu imperfecto, alter vero exigit, illud esse in statu perfecto, non possunt esse simul in eodem subjecto: sed fides, sive quoad actum, sive quoad habitum, exigit, ut subjectum, in quo est, sit in statu imperfecto circa objectum: idest, ut illud non videat, nec sit convinctum ab evidentia ejusdem, sed quod ex pia affectione erga auctoritatem dicentis libere moveatur ad assensum: visio autem clara petit, ut subjectum, in quo est, sit in statu perfecto circa objectum, quod videt: ita ut sit convictus ab evidentia ejusdem, & necessario ipsum attingat; ergo &c. Maj. explicatur. Actum enim esse imperfe-

perfectum ex parte ſubjecti dupliciter contingit. Uno modo, quod ſubjectum reddatur imperfectum ex ipſo actu: ſicut actus ſcientiæ infuſæ reddit cognoſcentem imperfectum, ideſt, non facit ipſum ita perfecte cognoſcentem, ſicut eum facit ſcientia beata: & hi duo actus non ſe invicem excludunt a ſubjecto: unde in Chriſto poſuimus ſimul cum ſcientia beata ſcientiam infuſam. Alio modo, ut actus eſſentialiter præexigat ſubjectum, in quo eſt, eſſe in ſtatu imperfecto circa objectum, ideſt, nondum poſitum in perfecta acquiſitione, & poſſeſſione objecti. Et hujuſmodi eſt actus fidei: qui cum præexigat, intellectum nondum perfecte tenere objectum, non poteſt compati cum actu viſionis claræ, qui præexigit in intellectu, tamquam diſpoſitionem eſſentialem, ut non ſit in ſtatu imperfecto, & in via ad acquiſitionem, ſed in perfecta tentione, & poſſeſſione objecti.

III. Sed dices primo. Chriſtus non potuit videre omnia poſſibilia in Verbo, alias Deum comprehendiſſet; ergo aliqua poſſibilia, ipſum latentia, poterant ei obſcure revelari, ergo poterat cum viſione beata conjungere actum fidei circa illa, ob teſtimonium Dei revelantis.

IV. Reſpondeo primo, neg. conſ. Nam ſi Deus vellet aliquod poſſibile latens Chriſto manifeſtare; poſſet hoc facere, vel confortando ejus lumen gloriæ, ut in eſſentia divina illud penetraret: vel ſi vellet illud manifeſtare extra Verbum, poſſet ei ſpeciem infundere talis poſſibilis.

Dato autem, quod Deus vellet Chriſto illud poſſibile revelatione obſcura revelare; reſpondeo ſecundo quod actus, quo Chriſtus illud crederet, non eſſet actus fidei theologicæ, ſed alterius rationis: quia fides theologica habet Deum pro primo credito, ratione cujus omnia alia credit. Cum ergo in caſu non poſſet Chriſtus credere Deum, quia illum videret; nec poſſet credere theologica fide alia credibilia creata. Quia deficiente objecto *Quod* primario, non poteſt ſtare habitus, licet adſit objectum ſecundarium; quia hoc non eſt attingibile, niſi ratione, & in objecto primario prius attacto.

Neque dicas: quod Deus revelans illud poſſibile, revelaret quoque vim contentivam divinæ omnipotentiæ reſpectu illius, quæ eſt aliquid divinum —— Nam vis contentiva hujus poſſibilis non eſt novum prædicatum formale Dei, diſtinctum a ratione factivi ut ſic. Unde revelato uno poſſibili, nil divinum, pro recto, revelaretur Chriſto de novo, ſed potius aliquid creatum in divino contentum, & cognitum: unde ſequeretur, non quod Chriſtus aliquod formale Dei de novo attingeret, ſed aliquid virtuale latens in Deo cognoſceret. Utraque reſponſio probabilis eſt: prima tamen planior.

V. Dices ſecundo. Ita Div. Paulo, quando in raptu vidit divinam eſſentiam, manſit habitus fidei, ergo etiam in Chriſto.

Reſpondeo, neg. conſeq. Paulus enim habuit quidem actum viſionis Dei, ſed non fuit poſitus in ſtatu Comprehenſionis: unde in eo potuit manere habitus fidei, quia actus per ſe non deſtruit habitum. At Chriſtus habebat viſionem Dei per modum habitus; unde cum ea non poterat ſtare habitus fidei, ſicut nec in Beatis.

VI. Dices tertio. Subſtantia habitus non tollitur per hoc, quod ſubtrahitur materia: poteſt enim homo habitum liberalitatis retinere, etiam amiſſa pecunia; ergo licet materia, ſeu objectum fidei ſit Deus non viſus, poterit, hoc remoto, ideſt, viſo Deo, adhuc manere habitus fidei.

Reſpondeo ex S. Thom. 1. 2. *qu. 67. art. 5. ad 3.* quod ille, qui amittit pecuniam, non amittit poſſibilitatem eam habendi; & ideo convenienter remanet in eo habitus liberalitatis. Sed in ſtatu gloriæ non ſolum actu tollitur objectum fidei, ſed etiam redditur abſolute impoſſibile, propter beatitudinis ſtabilitatem: & ideo fruſtra talis habitus remaneret.

VII. Dices quarto. Chriſtus non docuit virtutes, quas non habuit, ſecundum illud, Act. 1. v. 1. *Cœpit Jeſus facere, & docere:* ſed de Chriſto dicitur, *Hebr.* 12. *v.* 2. quod eſt auctor, & conſumator fidei; ergo in eo maxime fuit fides.

Reſpondeo, ex doctrina S. Thom. hac *quæſt. 7. art. 3.* in Chriſto fuiſſe ea, quæ nos docuit; non quidem ſemper formaliter, ſed eminenter: & ſic fuit in eo meritum fidei. Quia ſicut meritum fidei ſitum eſt in obedientia Deo, qua homo aſſentit his, quæ non videt; ſic Chriſtus, qui factus eſt Deo obediens uſque ad mortem, habuit excellentius meritum fidei, non quidem formaliter, ſed eminenter. Unde concludit S. Doctor: *Et ſic nihil ad meritum pertinens docuit, quod ipſe excellentius non haberet.*

§. II.

Reſolvitur de Spe Theologica.

VIII. Dico. In Chriſto non fuit ſpes theologica. Si intelligatur de actu ſpei, traditur ab Apoſtolo, Rom. 8. v. 24. *Quod videt quis, quid ſperat?* Ubi ab omnibus Beatis, qui Deum vident, excludit actum ſpei beatitudinis. Quod ſi a Beatis excludit, multo magis a Chriſto, qui ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus.

Si vero ſumatur pro habitu ſpei, eſt communis apud Theologos cum S. Thom. hac *quæſt. 7. art.* 4. Et probatur ratione ejuſdem. *Sicut de ratione fidei, eſt quod aliquis aſſentiat his, quæ non videt: ita de ratione ſpei eſt, quod aliquis expectet id, quod nondum habet: & ſicut fides in quantum eſt virtus theologica, non eſt de quocumque non viſo, ſed ſolum de Deo: ita & ſpes in quantum eſt virtus theologica, habet pro objecto ipſum Deum, cujus fruitionem homo principaliter expectat per ſpei virtutem. Sed ex conſequenti ille, qui habet virtutem ſpei, poteſt etiam in aliis divinum auxilium expectare: Sicut & ille, qui habet virtutem fidei, non ſolum credit Deo de rebus divinis: ſed etiam de quibuſcumque aliis divinitus ſibi revelatis.* Sed Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis, ſicut clare vidit Deum, ita plene habuit fruitionem Dei; ergo ſicut in ipſo non fuit fides theologica, ita neque ſpes theologica.

IX. Confirmatur. Sicut fides exigit, tamquam conditionem eſſentialem, ex parte intellectus, quod non ſit convictus de evidentia rei creditæ; ſed unice captivetur ad credendum ex pia affectione erga auctoritatem dicentis: ita ſpes, tamquam conditionem eſſentialem, exigit ex parte voluntatis, ut ſit in motu, & tendentia, & nondum in termino, ſeu acquiſitione, aut fruitione boni, quod ſperat: actus enim ſpei eſt actus ſubjecti exiſtentis in potentia ad habendum bonum, & conſequenter dicentis carentiam boni ſperati: ergo &c.

X. Quia vero S. Thom. citato *art.* 4. ſubjungit: *Habuit tamen* (Chriſtus) *ſpem reſpectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus; licet non habuerit fidem reſpectu quorumcumque. Quia licet plene cognoſceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo: non tamen plene habebat omnia, quæ ad ejus perfectionem pertinebant; puta, immortalitatem, & gloriam corporis, quam poterat ſperare.* Ideo exurgit Dubium inter S. Thomæ Commentatores, quid intelligat S. Doctor nomine hujus ſpei, quam in Chriſto ponit circa bona, quæ nondum fuerat adeptus.

Non placet opinio Suarez volentis, hanc expectationem fuiſſe actum ſpei theologicæ. Nam talis expectatio gloriæ corporis, cum fuerit expectatio alicujus boni creati; non potuit eſſe actus primarius ſpei theologicæ, ſed tantum ſecundarius. Nam actus primarius ſpei eſt circa Deum nondum adeptum; ſicut fidei actus primarius eſt circa Deum non viſum, ut ſupra, ex S. Thom. hoc *art.* 4. dicebamus. Quia virtutes theologicæ per ſe ordinant voluntatem circa ultimum finem ſupernaturalem in ſe, & non circa media ad talem finem, ut cum Sanct. Thom. 1. 2. *quæſt. 62. art.* 1. & 2. docent Theologi. Ergo cum in Chriſto eſſet impoſſibilis actus primarius ſpei circa Deum, quem ab initio ſuæ conceptionis habuit, & quo continue fruebatur; non potuit in eo eſſe actus ſecundarius ſpei theologicæ, quo bona creata expectaret: quia impoſſibili facto actu circa objectum primarium, a quo ſumit ſuam ſpeciem habitus, fit etiam impoſſibilis habitus ipſe.

XI. Melius ergo dicunt, actum, quo Chriſtus, dum adhuc erat viator, expectabat gloriam ſui corporis, non fuiſſe actum ſpei theologicæ; imo nec ſpei proprie ſumptæ, etiam acquiſitæ; ſed ſimplex deſiderium. Ad eum modum, quo actus, quo animæ beatæ expectant gloriam ſui corporis, non pertinet ad ſpem proprie dictam, ſed ad ſimplex deſiderium. Et colligitur ex Sanct. Thom. 2. 2. *quæſt.* 18. *art.* 2. *ad* 4. ubi loquens de Beatis hæc habet: *Cum ſpes ſit virtus theologica habens Deum pro objecto, principale objectum ſpei eſt gloria animæ, quæ in fruitione divina conſiſtit; non autem gloria corporis. Gloria etiam corporis etſi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam; non tamen habet rationem ardui reſpectu habentis gloriam animæ. Tum quia: gloria corporis eſt minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ. Tum etiam: quia habens gloriam animæ, habet jam ſufficientem cauſam gloriæ corporis.* Videri etiam poteſt S. Doctor hac *quæſt. 7. art. 4. ad 2.* ubi ait: *Gloria corporis non pertinet ad beatitudinem ſicut in quo principaliter beatitudo conſiſtat, ſed per quamdam reſultantiam a gloria animæ . . . . Unde, ſpes, ſecundum quod eſt virtus theologica, non reſpicit beatitudinem corporis; ſed beatitudinem animæ, quæ in divina fruitione conſiſtit.*

XII. Ex hac S. Thomæ doctrina colligitur, gloriam corporis non pertinere ad objectum principale ſpei, ut virtus theologica eſt; ac proinde in Chriſto, qui Deo jam fruebatur, expectationem gloriæ corporis, ſicut & animabus beatis expectationem gloriæ corporis, non eſſe actum ſpei theologicæ.

Deinde: nec eſſe actum ſpei, abſolute ſumptæ, ex eodem ſic probo. Gloria corporis non habuit rationem ardui reſpectu Chriſti; ergo expectatio ejus non fuit actus ſpei proprie dictæ. Conſ. prob. Ut enim docet S. Thom. 1. 2. *qu.* 40. *art.* 1. ad objectum ſpei requiritur, quod ſit bonum arduum cum difficulate acquiſibile: & per hoc diſtinguitur a deſiderio, quod eſt de bono acquiſibili abſolute: adeoque ponitur in appetitu concupiſcibili, cum ſpes ſit in iraſcibili, quia includit aggreſſionem ardui. Ant. probatur ex Div. Thoma laudato. Nam habenti plenitudinem gloriæ animæ, gloria corporis non habet rationem ardui. Tum quia: habenti gloriam animæ, gloria corporis eſt quid minimum. Tum quia: habens gloriam animæ, habet ſufficientem cauſam, unde reſultet naturaliter gloria corporis; quæ proinde reſultaret etiam in Chriſto, niſi ipſe eam voluntarie impediiſſet, ac per miraculum, gloriam

tiam intra animam compescuisset: non potuit ergo Christus sperare gloriam corporis, quam poterat habere, si voluisset. Sicut ait S. Thom. 1. 2. qu. 67. art. 4. ad 3. *Non proprie dicitur aliquis, qui habet argentum, sperare se habiturum aliquid, quod statim in potestatem ejus est, ut habeat; & similiter illi, qui habent gloriam animæ, non proprie dicuntur, sperare gloriam corporis, sed solum desiderare.*

XIII. Nec refert, quod gloria corporis esset consequenda ab alio, nempe, a Deo. —— Nam ad spem non sufficit, quod bonum, ad quod quis tendit, sit in alterius potestate; si facili negotio, & absque difficultate obtineri, imo ex justitia exigi possit. Sicut licet quod Sol eras oriatur, sit in potestate Dei, nemo tamen dixerit, id proprie a nobis sperari, licet possit desiderari: & in beatis animabus, licet gloria corporis sit habenda a Deo, non tamen ei est objectum arduum, & sperabile, ut ex D. Thom. citato 1. 2. *qu. 67. art. 4.*

XIV. Dices tamen. Christus non est consecutus gloriam sui corporis, nisi media passione, & maximis laboribus. Lucæ 24. vers. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum; & ita intrare in gloriam suam?* Fuit ergo illi ardua gloria sui corporis.

Si respondeas, Christum labores, & passionem subiisse, non quia gloria corporis esset illi intrinsece ardua: si enim voluisset, illam sine labore consecutus fuisset ex redundantia gloriæ, qua erat beatus secundum animam: sed illam sibi voluntarie arduam fecisse, in nostram utilitatem, & exemplum.

XV. Contra replicabis. Christus gloriam corporis consecutus fuit per modum coronæ, licet eam ex vi gloriæ animæ, habuisset per hæreditatem; ergo eam habuit, quia certavit: ergo fuit illi ardua. —— Neg. hanc cons. Nam etiam per modum coronæ eam poterat obtinere absque labore, quocumque actu supernaturali; cum quilibet actus in Christo infiniti valoris fuerit.

XVI. Dices secundo. Ex S. Thom. 1. 2. quæst. 42. art. 3. *Sicut objectum spei est bonum futurum arduum, quod quis potest adipisci: ita timor est de malo futuro arduo, quod non potest de facili vitari.* Sed licet Christus secundum divinitatem potuerit facile omnia mala vitare: quia tamen non poterat illa facile vitare secundum infirmitatem carnis, fuit in illo verus timor; ergo similiter potuit in illo esse vera spes.

XVII. Respondeo ad minor. ex dictis supra cum Sancto Thoma 3. *part. qu. 15. art. 7.* dum in Christo ponitur timor mali læsivi corporis, sumit timorem, ut est naturalis passio, seu propassio partis sensitivæ non ascendens ad partem superiorem; in qua sicut erat summa lætitia, ita erat summa securitas. Nos autem, dum negamus in Christo spem, loquimur de spe, ut est electio voluntatis, & ut afficit Christum absolute; & non secundum partem præcise.

Addo: timorem, quem Sanct. Thom. admittit in Christo, non fuisse verum timorem, sed protimorem: unde eodem modo dici posset in eo expectationem gloriæ corporis fuisse actum non spei rigorosæ, sed loco spei, seu prospei. Et ratio utriusque est. Quia sicut, ut ibi ait Sanct. Thom. *Apprehensio mali futuri, si omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Unde Phil. dicit, in 2. Rhetoric.* (cap. 5.) *quod timor non est, nisi ubi est aliqua spes evadendi.* Ita cum Christus erat omnino certus de malo futuro suæ passionis; ita esset omnino certus de gloria futura sui corporis: ideo sicut in illo non erat timor cum proprietate, ita neque spes. Quemadmodum tamen, quia appetitus ejus naturaliter refugiebat læsionem corporis, quam apprehendebat futuram; aliqua similitudo timoris erat in illo: sic quia affectio gloriæ corporis apprehenditur ut laboriosa, secundum infirmitatem carnis; ideo Sanctus Thomas ejus expectationem vocat interdum nomine spei late sumptæ: ad differentiam Beatorum, in quibus nullus erit labor in gloria corporis, quam expectant, adipiscenda.

XVIII. Quæres: An is actus desiderii, expectationis, & (si velis) spei late sumptæ, procederet in Christo ab aliquo habitu spei, vel a quo?

Respondeo, actum illum expectandi gloriam corporis non processisse in Christo ab aliquo particulari habitu infuso, distincto ab habitu charitatis, quo perfecte fruebatur Deo possesso. Voluntas enim Christi affecta tali dispositione, elevari poterat proxime ad eliciendum cum solo auxilio actum expectationis gloriæ etiam corporis. Erat enim illa dispositio possessio, & tentio objecti primarii, & fruitio summi boni: sed qui possidet objectum primarium spei, sufficienter est dispositus ad operandum circa objectum secundarium; non per spem, quia ista est exclusa per tentionem summi boni; ergo per charitatem, quæ est vinculum perfectionis.

XIX. Neque valet, quod etiam per visionem Beatus disponitur ad amandum Deum: & tamen ultra requiritur habitus charitatis, ut eliciat amorem Dei.

Nam (quidquid sit, an per solum Dei auxilium sine habitu possit elici actus charitatis) disparitas est. Quia amor Dei non est actus secundarius, & Deus, ut amatus, est distinctum formale objectum a Deo ut viso: at gloria corporis est quid secundario resultans ex gloria animæ. Unde eodem habitu, quo possidet gloriam animæ, potest sufficienter disponi ad gloriam corporis habendam, & expectandam, si non habeat.

§. III.

De virtute Pœnitentiæ.

XX. PAter Suarez non veretur admittere habitum, & virtutem pœnitentiæ in Christo, asserens, ad hoc sufficere, ut Christus ita sit dispositus, ut si in illo esset peccatum, de illo doleret. Sicut, ut dicatur fuisse in Christo virtutem magnificentiæ, quæ respicit magnos sumptus, tamquam materiam; non est necesse dicere, quod Christus habuerit magnas divitias: sed sat est dicere, quod ita fuerit dispositus, ut si haberet magnas divitias, illas secundum rectitudinem magnificentiæ propriam insumeret.

XXI. Sed hoc placere non potest. Si enim ad hoc, ut detur in aliquo virtus, sufficiat actus conditionatus circa materiam ei absolute impossibilem, sicut fuit peccatum in Christo: sequitur, quod in illo fuerint virtutes theologicæ fidei, & spei, quibus ita esset dispositus, ut si non videret, ac frueretur Deo, in illum crederet, & speraret. Rursus: quod in Angelis dari possent virtutes, habentes pro materia passiones appetitus sensitivi redactas ad mediocritatem præscriptam a prudentia. Nam etiam Angelus potest esse ita dispositus, ut si per impossibile haberet passiones sensitivas, eas secundum regulam prudentiæ moderaretur. Neque juvat exemplum magnificentiæ. Nam (præter dicta superius) magni sumptus non erant absolute impossibiles Christo; sed tantum ex suppositione, quod voluerit habere divitias: at peccatum æque erat impossibile Christo, ac actus fidei, & spei in Deum, & motus passionis in Angelo. Quare sicut impossibile nullam habet bonitatem; ita neque honestatem necessariam ad actum virtutis.

XXII. Dico igitur. In Christo non fuit habitus virtutis pœnitentiæ. Ita S. Thom. tum hac 3. *p. q.* 84. *art.* 7. *ad* 4. Tum in 4. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. *ad* 2. ubi dicit: *Quod Christus non potuit peccare .... Et ideo materia hujus virtutis* (Pœnitentiæ) *non competit sibi nec actu, nec potentia: & propter hoc non est simile de ipso, & de aliis.* Ex quibus probo sic. In eo, in quo est impossibile motivum formale alicujus virtutis, impossibilis est ipsa virtus: sed in Christo impossibile fuit motivum formale pœnitentiæ; hæc enim movet ad detestationem, & retractationem peccati proprii, quod erat impossibile in Christo impeccabili, ut supra diximus; ergo &c.

Rursus: habitus non potest esse in subjecto, cui ab intrinseco repugnat actus illius primarius: hac enim ratione in Beatis, & in Christo non potest esse habitus fidei. Et ratio est. Quia habitus est propter actum: atqui humanitati Christi, ratione unionis ad Verbum, repugnat ab intrinseco actus primarius pœnitentiæ, qui est detestari peccatum proprium, vel de peccato proprio dolere ex motivo emendationis; ergo &c.

XXIII. Dices tamen primo. Beati non possunt peccare, & in eis, vi status beatifici, redditur ab intrinseco impossibile peccatum, non minus ac in Christo ex vi unionis: & tamen in beatis adest habitus pœnitentiæ: ergo & in Christo.

Respondeo, quod licet in Beatis, pro statu beatitudinis, sit impossibile peccatum, fuit tamen illis possibile dum erant viatores, & pro statu viæ infusus illis fuit habitus pœnitentiæ, qui, ut docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 3. in Patria remanebit. Nam *cum pœnitentia virtus sit pars justitiæ, quæ est habitus Cardinalis; quicumque habet habitum pœnitentiæ in hac vita, habebit in futura: sed non habebit eumdem actum, quem nunc habet, sed alium, scilicet, agere gratias Deo pro misericordia relaxante peccatum.* Et ibid. ad 3. *Pœnitere, proprie loquendo, prout dicit actum pœnitentiæ, qui nunc est, non erit in Patria: nec tamen habitus frustra erit, quia alium actum habebit.* Verum in Christo semper, & omni tempore impossibile fuit peccatum; & ideo impossibilis in eo fuit actus, & habitus pœnitentiæ.

XXIV. Dices secundo. Licet materia timoris esset Christo impossibilis, in eo tamen erat donum timoris; ergo licet in Christo esset impossibilis materia pœnitentiæ, potuit in eo poni virtus pœnitentiæ.

Ad hoc respondebitur dub. sequente. Pro nunc satis est dicere quod in Christo non ponitur timor, quatenus respicit malum vel separationis a Deo, vel punitionis ob peccatum: sed quatenus respicit summam Dei eminentiam, prout nempe anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum. Quod non est simile de pœnitentia, cujus materia est tantum culpa a se commissa ut destruenda.

XXV. Dices tertio. Christus esto non potuerit detestari peccatum proprium, tamen potuit, & de facto detestatus fuit peccata nostra, pro quibus satisfecit; ergo quoad hoc potuit habere pœnitentiam.

Sed nego cons. Nemo enim pœnitere potest, nisi de malo, quod ipse commisit. Malum autem ab altero commissum non est objectum pœnitentiæ, sed potius odii, & abominationis: & hoc modo Christus detestabatur peccatum, quatenus erat offensa Dei: & hoc faciebat non per actum

actum pœnitentiæ, ſed per actum ſecundarium charitatis, quo amabat Deum.

XXVI. Dices quarto, & replicabis. Potuit Chriſtus ſatisfacere pro peccatis noſtris; cur ergo non potuit etiam pro peccatis noſtris conteri, & pœnitere?

Reſpondeo, ex Div. Thom. 3. part. quæſt. 48. art. 2. ad 1. *Quod caput & membra ſunt quaſi una perſona myſtica. Et ideo ſatisfactio Chriſti ad omnes Fideles pertinet, ſicut ad ſua membra: in quantum enim duo homines ſumat unum in charitate, unus pro alio ſatisfacere poteſt . . . . . Non autem eſt ſimilis ratio de confeſſione, & contritione. Quia ſatisfactio conſiſtit in actu exteriori, ad quem aſſumi poſſunt etiam inſtrumenta, inter quæ computantur etiam amici.* Et in Supplem. 3. *part. quæſt.* 13. *artic.* 2. *ad* 2. docet, quod contritio ordinatur contra culpam, quæ ad internam diſpoſitionem bonitatis, vel malitiæ hominis pertinet: & ideo per contritionem unius alius a culpa non liberatur. Similiter per confeſſionem homo ſe Sacramentis Eccleſiæ ſubjicit; non autem poteſt unus pro alio Sacramentum accipere; quia in Sacramento gratia ſuſcipienti datur, non aliis. At ſatisfactio non ordinatur ad delendam culpam internam, ſed ad relaxandam pœnam culpæ debitam; ideoque ſatisfactio in actu exteriori conſiſtit, ſeu æqualitatem exteriorem conſtituit. Ad æquale autem externum ſolvendum poſſunt externa quoque inſtrumenta adhiberi, inter quæ ſunt amici, non minus quam pecuniæ: ſicque patet, quare Chriſtus potuit pro nobis ſatisfacere, non autem pro nobis conteri, aut pœnitere. Accedit: in 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 5. dicit, quod: *Illud idem conteritur, quod prius durum, & integrum fuit. Unde patet, quod contritio ſit in eodem, in quo peccati duritia præceſſit: & ſic de alienis peccatis non eſt contritio.*

DUBIUM III.

An in Chriſto fuerint dona Spiritus Sancti?

§. I.

Præmittuntur ſcitu digna.

I. DE donis Spiritus Sancti egimus, *Tom. I. in* 1. 2. *Tract. de Virtutibus. Quæſt.* 4. *Dub.* 1. *&* 2. Modo de eiſdem ſermonem reſumimus, quærentes: An iſta in Chriſto fuerint, ſicut etiam gratiæ gratis datæ. Hæc enim nexum habent cum gratia: dona quidem Spiritus Sancti cum gratia particularis hominis: gratiæ vero gratis datæ, cum gratia corporis Eccleſiæ, in cujus utilitatem dantur, & cui non deſunt; licet paucis in particulari modo concedantur. Ideo poſt quæſtionem de virtutibus infuſis, quæ gratiam ſequuntur, de donis in præſenti Dubio; de gratiis vero gratis datis ſequente quæremus, an fuerint in Chriſto.

II. De donis igitur agendo, ait S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 68. *artic.* 1. quod cum in homine ſit duplex principium movens: unum quidem interius, quod eſt ratio; aliud quidem exterius, quod eſt Deus: oportet, in homine eſſe diſpoſitionem, qua proportionetur, & reddatur mobilis ab utroque movente; & quanto movens eſt altior, tanto mobile perfectiori diſpoſitione proportionetur; ſicut perfectior oportet diſpoſitum eſſe diſcipulum, ut altiorem doctrinam capiat a Doctore. Quemadmodum ergo in his, in quibus homo natus eſt moveri ſecundum rationem, & regulas communes prudentiæ, homo perficitur, & diſponitur per virtutes, ſive acquiſitas, ſive infuſas: ſic debet in ipſo poni aliquid, quo diſponatur, & ſit prompte mobilis a Spiritu Sancto in iis, quæ excedunt rationem, & regulas communes prudentiæ etiam infuſæ: & talia dicuntur dona Spiritus Sancti.

III. Hinc apparet, quod licet aliquando virtutes, & dona circa eamdem materiam verſentur, tamen inter ſe diſtinguuntur. Nam virtutes, etiam infuſæ, reſpiciunt ſuam materiam, ſecundum mediocritatem præſcriptam a prudentia infuſa, ut accommodata modo proprio rationis humanæ. At dona verſantur circa eamdem materiam, ſecundum rectitudinem præſcriptam a Spiritu Sancto ſupra communes regulas prudentiæ. Sic motus ille, quo plures Martyres, inter quos Appollonia, e Carnificum manibus proſilientes ſponte ſe projecerunt in ignem, utpote actus excedens communes regulas prudentiæ infuſæ; credendus eſt contigiſſe ex impetu Spiritus Sancti eos per ſua dona moventis; dono, ſcilicet, conſilii, quo judicarunt, id tunc pro Dei gloria expedire; & fortitudinis conferentis eis animoſitatem ad executionem.

IV. Hæc igitur Spiritus Sancti dona, ſic explicata, ſeptem eſſe colligimus, ex *Iſaiæ cap.* 11. nempe, dona Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, Pietatis, Conſilii, Fortitudinis, & Timoris. Quia ſeptem ſunt materiæ virtutum, in quibus regulari poſſumus per ſuperiorem regulam Spiritus Sancti, ſuper regulam communem prudentiæ humano modo infuſæ.

V. Donum ergo *Intellectus* movet nos ad apprehendenda, & percipienda ea, quæ fidei ſunt; ne ab iis amore præſentium retrahamur. Quia vero oportet diſcernere credibilia certa a non credibilibus, per aliquam cauſam: ſi hoc fiat per cauſas inferiores, & creatas, eſt donum *Scientiæ*: ſi vero per cauſam increatam, eſt donum *Sapientiæ*. Advertendum tamen eſt; hoc judicium diſcretivum credendorum a non credendis; prout ex donis eſt, non debere fieri per ſpeculativam penetrationem illorum, aut per diſcurſum circa rationes credibilitatis; ſic enim potius ſit per Theologiam Scholaſticam: ſed per conjunctionem, & affectionem ad res divinas, quo pacto ea putamus vera, quibus afficimur. Hinc donum *Sapientiæ*, eſto reſideat in intellectu, habet tamen in voluntate radicem, ratione charitatis; quæ cum reddat nos altiſſimæ cauſæ conjunctos, dat nobis connaturalitatem, unde habilitemur ad melius de Deo judicandum.

VI. Virtuti ſpei correſpondet donum *Timoris*, quod quaſi coercet ſpem, ne tranſeat in contemptum, & præſumptionem: ſed ita facit in Dei bonitate confidere; ut ſperantis comprimat animum, eumque in ſua teneat parvitate, & quaſi timidum reddat pro reverentia Divinæ Majeſtatis.

VII. Ne a fide divinorum terreamur periculis, aut tyrannorum minis, ac cruciatibus, opus fuit nos dono *Fortitudinis* diſponi; quo, ultra communes prudentiæ regulas, roboremur a Spiritu Sancto, ab eoque altius moveamur.

VIII. At quia prudentia carnis ſæpe, & importune nobis ingerit conſilia ab æternis nos retrahentia; ultra virtutem prudentiæ infuſæ, dari debuit in nobis donum *Conſilii*: altiori regula nos dirigens ad ea, quæ ſecundum prudentiam etiam infuſam humano modo dirigentem, minus prudentia viderentur.

IX. Demum; quia in materia Religionis expedit ſæpe, ut ſupra communem modum ſequamur potius Spiritus Sancti inſtinctum; ideo virtuti Religionis adjungitur donum *Pietatis*: cujus eſt animam diſponere ad incendium devotionis, & filialis reverentiæ erga Deum, ex motione Spiritus Sancti recipiendum. Licet autem hæc dona a tota Trinitate conferantur, dicuntur tamen appropriative dona potius Spiritus Sancti; quia hic ex ſua Characteriſtica notione *Donum* eſt.

X. Quia autem neceſſe eſt, ut Juſti ſint habitualiter diſpoſiti, & prompti, ut a Spiritu Sancto moveantur ad præfatos altiores actus; ideo, ut docet S. Thom. 1. 2. *qu.* 68. *art.* 3. præfata dona in nobis ſunt, non per modum motionis facile tranſeuntis: ſed per modum habitus permanentis, ſicut & virtutes. Conferantur hæc cum iis, quæ diximus. *Tom. I. in* 1. 2. loco ſupra citato. Quærimus ergo: An hæc dona fuerint in Chriſto?

§. II.

Reſolutio Dubii.

XI. DIco. In Chriſto fuerunt dona Spiritus Sancti, Ita Sanct. Thom. 3. *part. quæſt.* 7. *art.* 5. Et quidem Aſſertio hæc, ſi procedat de donis, quoad habitum, adeo certa eſt; ut Sanctus Bernardus, *Epiſt.* 190. (modo *Tract. contra errores Abailardi*) inter alios hujus errores hunc recenſeat, quod negaverit in Chriſto donum Timoris. Conſtat autem ex illo, *Iſaiæ* 11. ubi numerantur ſeptem dona ſpiritus, & dicitur, quod Spiritus Domini *Requieſcet* una cum illis *ſuper eum*, ideſt, Chriſtum, ut Patres exponunt. Requieſcere autem denotat ſtatum habitualem, ac permanentem. Maxime quia decuit, ut Chriſtus eſſet permanenter diſpoſitus, quo facile moveretur a Spiritu Sancto; non tantum ad actus ſecundum communem prudentiæ regulam; ſed etiam ad actus extraordinarios, hæroicos, & ſupra communem prudentiæ regulam, multo magis, quam cæteri Juſti, Cum enim Chriſtus opera hæroica, quæ nemo alius fecit, eſſet facturus, præter curſum ordinarium quadraginta diebus, & noctibus in deſerto ſine ullo cibo, ac potu jejunaturus, ibique a Dæmone tentandus; oportuit, ut hæc in ejus anima collocarentur. Unde, *Matth.* 4. *v.* 1. dicitur: *Ductus eſt Jeſus in Deſertum a Spiritu.*

XII. Si vero dona Spiritus Sancti pro actibus accipiantur, eſto Durandus, in 3. *diſt.* 34. *quæſt.* 3. dicat, ex ſeptem donis quatuor non manere in Beatis (& conſequenter nec fuiſſe in Chriſto) nimirum, *Conſilium, Fortitudinem, Pietatem, & Timorem:* tamen communis Theologorum ſententia omnia dona Spiritus Sancti, etiam quoad actus, ponit in Chriſto. Colligitque ex eo, quod, *Luc.* 4. *verſ.* 1. de eo dicitur: *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt a Jordane: & agebatur a ſpiritu in deſertum.* Ubi ly *plenus Spiritu Sancto* indicat, omnia dona ſecundum plenitudinem in Chriſto fuiſſe. Ly vero *Agebatur a ſpiritu* oſtendit, ea fuiſſe in illo etiam quoad actum: qui enim agitur a Spiritu Sancto, actu movetur ab illo, actu habet actus donorum ejus. Et merito: cum enim habitus ſint propter actus primarios, a quibus ſpeciem ſortiuntur, ſi ſemel actus primarii illorum numquam in Chriſto fuiſſent, imo fuiſſent in illo impoſſibiles, nec eſſent ponendi in illo habitus ad eos inclinantes: ſicut hac ratione in eo non ponuntur habitus fidei, ſpei, & pœnitentiæ.

XIII. Ad-

XIII. Advertendum tamen est: discrimen fuisse, quoad istos actus, inter Christum, & alios justos; quod Justi per hæc dona ita sæpe aguntur, & Spiritu Sancto instigante ita rapiuntur, ut actus illos, inconsulta ratione, & absque propria deliberatione interdum faciant: ut in Sampsone arripiente Templi columnas, & aliis Sanctis, qui se in ignem projiciebant, juxta illud Pauli, Rom. 8. v. 14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* In Christo autem dona isto modo non fuerunt: omnia enim consulto, & deliberate agebat. Et cum scientiæ plenitudinem haberet de omnibus, quæ etiam impulsu horum donorum agebat, de omnibus rationem reddere poterat.

§. III.

Objectiones Solvuntur.

XIV. Objicies primo. Dona spectantia ad intellectum non videntur fuisse in Christo. Primo. Quia regulantur per virtutes Theologicas, & maxime per fidem, ut docet S. Thom. 1. 2. *qu.* 68. quæ in Christo esse non poterat, ut dictum est. — Secundo. Donum consilii includit inquisitionem, ex S. Thom. 1. 2. *q.* 14. *art.* 1. Inquisitio autem, utpote de rebus dubiis, repugnat Christo, a cujus mente, per scientiæ plenitudinem, excludebatur omnis dubietas de rebus fidei, ad quas movebatur. — Tum etiam: quia, ex Gregorio, 1. *Moral. cap.* 15. consilium prohibet esse præcipitem: in Christo autem nullum erat præcipitationis periculum.

XV. Respondeo ex S. Thom. 1. 2. qu. 68. art. 6. *Quod de donis dupliciter possumus loqui. Uno modo quantum ad essentiam donorum: & sic perfectissime erunt in Patria .... Cujus ratio est. Quia dona Spiritus Sancti perficiunt mentem humanam, ad sequendam motionem Spiritus Sancti; quod præcipue erit in Patria, quando* Deus erit omnia in omnibus, *ut dicitur* 1. *ad Cor.* 15. *& quando homo erit totaliter subditus Deo. Alio modo possunt considerari quantum ad materiam, circa quam operantur: & sic in præsenti habent operationem circa aliquam materiam, circa quam non habebunt operationem in statu gloriæ: & secundum hoc non manebunt in Patria.* His statutis.

Respondeo ad primum. Dona Spiritus Sancti non pendere essentialiter a fide, nec ab obscuritate cognitionis; sed solum permissive, & ratione status puri viatoris, sicut nostra Theologia pendet a fide. Unde sicut evacuata fide manebit Theologia regulata lumine claro gloriæ; ita & dona Spiritus Sancti: & hoc modo in Christo erant, sicut sunt in Beatis.

Ad secundum dicit S. Thom. citatus *ad* 2. quod Gregorius *De consilio dicit, quod* prohibet esse præcipitem, *quod est necessarium in præsenti: & iterum quod* ratione animum implet, *quod est necessarium etiam in futuro.* Quare replere animum ratione essentia consilii est; prohibere autem esse præcipitem, conditio præsentis status est. Similiter essentia doni consilii est, formare judicium certum de agendis: procedere autem cum inquisitione, & dubietate imperfectio est accidens consilio, ut in nobis. Et ideo hoc donum consilii in Christo erat sine dubietate, sicut in aliis Beatis, imo & in Deo. Quamvis autem consilium, ex sua essentia, revera importet firmum, ac rectum judicium de agendis; nomine tamen *Consilii*, & non *Judicii* significatur. Quia nomen consilii melius explicat modum, quo mens passive a Spiritu Sancto movetur, quam nomen *Judicii*; quo potius exprimitur modus movendi activus.

XVI. Objicies secundo. Donum pietatis in Christo non fuit, quod probo. Donum enim pietatis, quod in nobis est, exhibet reverentiam Deo ut Patri, non naturali, sed adoptivo; ergo vel in Christo erat donum pietatis specie distinctum ab eo, quod in nobis est: vel in Christo, qui ex dictis respiciebat Deum, ut Patrem, non adoptivum, sed naturalem, donum pietatis non erat.

Respondeo, neg. ant. De essentia enim doni pietatis solum est, exhibere reverentiam Deo, ut Patri. Quod autem exhibeatur Deo, ut Patri, vel naturali, vel adoptivo, convenit pietati; non ratione objecti, sed ex conditione subjecti, in quo est; unde non variat speciem pietatis.

XVII. Objicies tertio. Actus doni *Fortitudinis* est dare fiduciam trepidanti contra adversa, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 139. *art.* 1. at in Christo trepidatio, aut timor alicujus adversi esse non potuit; quia timor est de malo arduo, quod quis non potest de facili evitare: Christus autem potuit pro suo libito omne malum vitare; ergo &c.

Respondeo, neg. absolute minor. Nam fortitudinis proprium est, dare fiduciam, & robur trepidanti contra adversantia parti sensitivæ, in qua ponitur fortitudo, scilicet, in irascibili. Trepidatio autem, & timor partis sensitivæ potuit esse, imo de facto fuit, in Christo, ut supra docuimus: non quidem timor electivus, & residens in voluntate, sed timor, qui est passio in appetitu sensitivo posita. Ut autem in parte sensitiva detur timor, satis est, ut malum apprehendatur difficiliter per partem sensitivam vitabile; licet secundum partem superiorem nec malum sit, neque inevitabile sit: ideoque secundum hanc erat in Christo securitas. Unde S. Thom. 3. p. *q.* 15. *art.* 7. *ad* 3. *Licet* (inquit) *Christus potuerit vitare mala futura, secundum virtutem divinitatis; erant tamen inevitabilia, vel non de facili vitabilia, secundum infirmitatem carnis.*

XVIII. Objicies quarto. Actus doni *Timoris* est fuga mali, vel separationis a Deo per peccatum, quod est proprium timoris casti, & filialis; vel pœnæ infligendæ a Deo propter culpam, quod spectat ad timorem servilem: sed neutrius mali potuit esse fuga in Christo. Hæc enim, prout dicit timorem, & non simplicem displicentiam, respicit malum possibile, imo aliquo modo apprehensum, ut futurum: respectu autem Christi malum culpæ, & malum pœnæ impossibilia omnino fuere, ratione hypostaticæ unionis.

XIX. Huic Respondeo, dist. maj. Actus secundarius, conc. maj. Primarius, nego maj. Actus ergo timoris elevati ad rationem doni Spiritus Sancti, est actus timoris reverentialis; quo timet, ac reveretur Deum, ejusque majestatem potentem infligere malum, saltem annichilationis, cuicumque creaturæ. Ita S. Thom. 3. part. q. 7. art. 6. *Timor* (inquit) *respicit duo objecta: quorum unum est malum terribile, aliud est illud, cujus potestate malum potest inferri: sicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi potestatem. Non autem timeretur ille, qui potest nocere, nisi haberet quamdam eminentiam potestatis, cui de facili resisti non possit: ea enim, quæ in promtu habemus repellere, non timemus. Et sic patet, quod aliquis non timetur, nisi propter suam eminentiam. Sic igitur dicendum est, quod in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis a Deo, per culpam; neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam: prout scilicet, anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum, a Spiritu Sancto acta. Unde Hebr. 5. dicitur quod* In omnibus exauditus est pro sua reverentia. *Hunc enim affectum reverentiæ ad Deum Christus, secundum quod homo, pra cæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini*, Isaiæ, nempe, 11. *Replevit eum Spiritus timoris Domini.* Hic autem timor reverentialis crescit, crescente charitate, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 19. *a.* 10. ac proinde remanet in Patria, ut ibi docet *a.* 11. ex illo, Job 26. v. 11. *Columnæ Cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.*

XX. Quod vero ex his duobus actibus timoris, nempe, timere malum imminens, & timere, seu revereri majestatem potentem malum infligere; actus, quo reveretur divinam majestatem potentem infligere quodcumque malum, sit actus principalis, & primarius timoris, ut est donum Spiritus Sancti; ostendit S. Th. in 3. Annibaldum, *dist.* 34. *q.* 2. *a.* 1. ex discrimine inter tristitiam, & timorem: quod illa respicit malum, ut præsens, vel formaliter, vel æquivalenter; unde illud respicit, ut in seipso, & extra causas: iste vero respicit malum, ut futurum, atque adeo ut contentum in potestate causæ, a qua potest induci. Unde (inquit) *Timor non respicit malum, nisi mediante causa, a qua potest provenire;* ergo timor per prius respicit potentiam causæ effectivæ mali, quam ipsum malum; & actus, quo reveretur illam potentiam, & causam, est prior actu fugæ mali; & hic mediante illo, seu ratione illius elicitur: quod est proprie esse actum secundarium. Unde concludit S. Thom. *Timor, qui est ex Spiritu Sancto, facit hominem respicere ad Deum, sicut ad causam, qua potest malum infligere, vel prohibere, quodcumque malum illud sit.* Neque requiritur, quod istud malum, sive culpæ sit, sive pœnæ, sit possibile timenti; sed sat est, ut respiciatur divina eminentia, ut potens illud cuicumque infligere, etsi non apprehendatur ut imminens: hoc enim ipso nascitur reverentia erga illam, & resilientia in propriam parvitatem.

XXI. Sed contra dicta videtur obstare, primo. Quia revereri majestatem Dei, potius spectat ad Religionem, quam ad timorem.

Secundo. Timor primario respicit malum, quia bonum non timetur, sed amatur; & timor est fuga: fugitur autem a malo, non a bono.

Tertio. S. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 9. *ad* 2. *&* 3. salvat, quod donum timoris non sit virtus theologica; quia *Principaliter respicit malum, cujus fugam importat:* virtus autem Theologica respicit bonum divinum.

Quarto. Idem S. D. eadem qu. art. 11. ponit in Beatis donum timoris, per modum fugæ mali possibilis naturæ, licet impossibilis statui beatitudinis; ergo etiam in Christo salvari potest donum timoris, per modum fugæ mali possibilis naturæ, licet impossibilis unioni hypostaticæ.

XXII. Respondeo, hæc non obstare. Nam ad 1. respondeo majestatem Dei supremam posse considerari, ut supremam in potestate benefaciendi; & sic eam revereri spectat ad Religionem: potest etiam considerari, ut suprema in potestate inflictiva mali; & sic eam revereri, actus primarius timoris est.

XXIII. Ad secundum respondeo, ex S. Th. hac q. 7. art. 6. ad 1. *Quod habitus virtutum, & donorum proprie, & per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti: pertinet enim ad rationem virtutis, ut opus bonum reddat ... & ideo de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor; sed eminentia illius boni, scilicet divini, cujus potestate aliquod malum infligi potest.* Quæ S. Th. doctrina explicatur in pœnitentia. Hæc enim licet significetur per modum fugæ, ac retractationis peccati commissi; tamen actus ejus primarius respicit bonum compensationis Deo exhiben-

bendum, pro offensa commissa. Quando vero dicitur, quod bonum non timetur, distinguo. Bonum in se, non timetur, conc. Bonum, ut potens infligere malum, nego. Unde per hunc modum Deus potest, ac debet timeri, ut S. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 1.

XXIV. Ad tertium dico, S. Thom. ibi distinguere donum timoris a virtutibus theologicis: & quoad actum secundarium fugæ a malo, & quoad primarium. Quia is non respicit in recto bonum divinum, ut petit virtus theologica, sed reverentiam creatam Deo potenti malum infligere exhibitam. Eo modo, quo pœnitentia virtus theologica non est, quia respicit non immediate Deum, sed compensationem Deo exhibendam. Quod autem Sanctus Thomas ibi dicit, principale objectum timoris esse malum; accipit timorem, non adæquate, sed inadæquate, uti eum supra distinxerat, eadem quæst. *art.* 1.

XXV. Ad quartum vero dicendum est, S. Thom. ibi, vel loqui de fuga mali inefficaci, non autem de efficaci, & absoluta: hæc enim petit, ut malum, quod fugitur, sit absolute possibile. Vel loquitur de fuga mali indirecte, in obliquo, & ex consequenti: quatenus Beati reverentes divinam majestatem potentem infligere malum, ex hoc consequitur in eis fuga mali separationis ab ipso, quod licet eorum beatitudini sit impossibile, quia tamen eorum naturæ cognoscunt esse possibile; ideo timore reverentiali moventur in Dei majestatem, timentes quidem, sed simul securi. Unde August. 14. *de Civit. Dei cap.* 9. a S. Th. ibi relatus, ait: *Timor ille castus, si erit in futuro sæculo, non erit timor exterrens a malo, quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest.*

Dubium IV.

An in Christo fuerint Gratiæ gratis datæ?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. De Gratiis gratis datis locuti sumus cum S. Thom. *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Gratia, Quæst.* 2. *Dub.* 1. Nunc pro majori instructione suppono, ex eodem, 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 1. gratiam esse duplicem. Unam, qua ipse homo Deo conjungitur: & hæc vocatur gratia gratum faciens. Alia vero, qua unus homo cooperatur alteri, ut ad Deum reducatur: & hæc vocatur gratia gratis data. Licet enim utraque gratis detur, quia utraque supra facultatem naturæ, & supra meritum personæ homini datur: quia tamen hæc secunda non datur ad hoc, ut homo ipse per eam gratus fiat (contingere enim potest, ut detur peccatori, sicut Balaam, & Caiphæ gratia prophetiæ data fuit) sed potius, ut ad gratum faciendum alterum cooperetur; ideo retinuit nomen genericum gratiæ gratis datæ.

II. Tria ergo sunt genera, in quibus homo cooperari potest (non quidem interius movendo) hoc enim solius Dei est, ex D. Thom. 1. 2. *q.* 111. *art.* 4. (sed solum exterius docendo, vel persuadendo) ad salutem, & spiritualem alterius utilitatem: & ideo sub triplici genere gratiæ gratis datæ comprehenduntur.

III. Primum genus complectitur ea, quæ necessaria sunt, ut homo consequatur plenitudinem cognitionis divinorum, & ex hoc instruere alios possit: & ad hoc tria sunt necessaria, ut apparet etiam in magisterio humano. Oportet enim, ut qui debet alium instruere in aliqua scientia, primo quidem, ut principia illius scientiæ sciat, & quidem certissime. Et ad hoc ponitur *Fides*, quæ importat quamdam supereminentem certitudinem fidei: ex qua homo fit idoneus ad instruendum alios de his, quæ ad fidem pertinent. Hæc autem non est Fides theologica essentialiter obscura; sed quædam altior certitudo, quæ si sit evidens, auget potius, non minuit utilitatem hujus gratiæ. Secundo: oportet, quod Doctor recte se habeat circa principales conclusiones scientiæ: & sic ponitur *Sermo Sapientiæ*, quæ est cognitio divinorum. Tertio: oportet, exemplis uti, & cognitione effectuum, per quos necesse est interdum manifestare causas; & quantum ad hoc datur *Sermo scientiæ*, quæ est cognitio rerum humanarum: quia invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicimus.

IV. Secundum genus complectitur ea, quæ sunt necessaria Doctori fidei; ut confirmet ea, quæ docet: alias non esset efficax ejus doctrina. Confirmatio autem in his, quæ subduntur rationi, est per argumenta: in his autem, quæ sunt supra rationem divinitus revelata, confirmatio est per ea, quæ sunt divinæ virtuti propria. Et hoc dupliciter. Uno quidem modo, ut Doctor sacræ doctrinæ faciat, quæ solus facere potest in operibus miraculosis; sive sint ad salutem corporum, & quantum ad hoc ponitur *Gratia sanitatum*: sive ordinentur ad solam divinæ potestatis manifestationem; sicut quod Sol stet, aut tenebrescat, quod mare dividatur: & quantum ad hoc ponitur *Operatio virtutum*. Secundo: ut possit manifestare ea, quæ solius Dei est scire, & hæc sunt contingentia futura, & quantum ad hoc ponitur *Prophetia*: & etiam occulta cordium; & quantum ad hoc ponitur *Discretio spirituum*.

V. Tertium genus complectitur ea, quæ juvant, ut Doctor fidei, ea quæ concepit, possit convenienter auditoribus proferre. Facultas autem pronuntiandi potest attendi, vel quantum ad idioma, in quo aliquis possit intelligi: & secundum hoc ponuntur *Genera Linguarum*. Vel quantum ad sensum eorum, quæ sunt proferenda; & quantum ad hoc ponitur *Interpretatio Sermonum*. Hæc omnia fere ad Verbum transcripta sunt ex D. Th. 1. 2. *q.* 111. *art.* 4. qui ea desumpsit ex Apostolo, 1. *Cor.* 12. *a vers.* 8. Qui divisionem gratiæ gratis datæ in novem species tradens, ait: *Alii quidem per Spiritum datur* Sermo Sapientiæ: *alii autem* Sermo scientiæ *secundum eumdem Spiritum; Alteri* Fides *in eodem Spiritu: alii* Gratia Sanitatum *in uno Spiritu; Alii* Operatio virtutum: *alii* Prophetia: *alii* Discretio Spirituum: *alii* Genera Linguarum: *alii* Interpretatio Sermonum. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult.*

VI. Quod si quæras: Cur, cum operatio sanitatum sit miraculum quoddam, ponitur a Paulo gratia gratis data, distincta ab operatione virtutum, seu miraculorum?

Respondeo cum S. Thom. citato, *ad* 3. Hoc ideo esse, quia gratia sanitatum *Habet specialem rationem inducendi ad fidem, ad quam aliquis magis promptus redditur per beneficium corporalis sanitatis, quam per fidei virtutem assequitur. Similiter etiam loqui variis linguis, & interpretari sermones habent speciales quasdam rationes movendi ad fidem: & ideo ponuntur speciales gratiæ gratis datæ.*

Ex quo patet, cur communis devotio magis excitetur erga illos Sanctos, quibus Deus specialem dat gratiam obtinendi pro hominibus temporalia beneficia. Sic enim disponuntur homines, ut concepto affectu erga illos, ob hujusmodi beneficia; etiam in spiritualibus illos imitari conentur, & speciali cultu eos prosequantur. His ergo positis

§. II.

Resolutio Dubii.

VII. Dico. In Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ; & quidem excellentissimo modo, sicut in primo, & principali fidei Doctore. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 7. *art.* 7. Licet autem Valentia neget in Christo fuisse gratiam *Fidei*, & Tostatus gratiam *Prophetiæ*; communis tamen, & vera sententia docet, omnes gratias gratis datas in Christo fuisse. Constat enim ex Paulo, *ad Coloss.* 2. *v.* 3. In Christo *Sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Ratio etiam S. Thom. id evincit. Nam hujusmodi gratiæ conceduntur hominibus in Ecclesia; ut alios instruere, & ad Deum perducere possint: *Oportet enim, eum, qui docet, habere ea, per quæ sua doctrina manifestatur, alias sua doctrina esset inutilis*: sed *spiritualis doctrinæ, & fidei primus, & principalis Doctor est Christus, secundum illud, Hebr.* 2. *vers.* 2. Cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis &c. ergo *in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo, & principali fidei Doctore.* Unde S. Augustinus, *Epist.* 57. modo 187. *ad Dardanum cap.* 6. Sicut, inquit, in capite sunt omnes sensus; ita in Christo fuerunt omnes gratiæ. Sanctum Doctorem ibi videre præstat.

VIII. Observandum tamen est primo: Hujusmodi gratias, ut in Christo, differre a se ipsis, ut sunt in aliis hominibus, tripliciter. Primo: quia in Christo sunt secundum plenitudinem; in aliis vero secundum mensuram, & donationem ipsius Christi. Secundo: in aliis non sunt omnes, sed aliquæ tantum; in Christo autem sunt omnes. Tertio: quia in Christo sunt ad modum habitus, & ita illis poterat uti, quando volebat: in aliis vero per modum actus, & ita non semper, ac volunt, illis uti possunt. Et rationem horum dat S. Thom. hic *ad* 1. Nam istæ gratiæ dantur hominibus per conjunctionem ad Deum: Christus vero, ut homo, est intime conjunctus cum Deo: *In quantum enim ejus divinitati unita erat ejus anima, plenam efficaciam habebat ad omnes prædictos actus perficiendos. Sed alii Sancti, qui moventur a Deo, sicut instrumenta non unita, sed separata, particulariter efficaciam recipiunt ad hos, vel illos actus perficiendos. Et ideo in aliis Sanctis hujusmodi gratiæ dividuntur, non autem in Christo.*

IX. Observandum secundo: quod, ut §. præcedente tetigimus, fides, quæ inter gratias gratis datas recensetur, non est fides virtus theologica formaliter, & subjective; sed vel tantum objective, nempe, excellentia cognitionis, certitudo, aut intelligentia rerum fidei, & facilitas quædam ad proponendas res fidei accommodate ad intelligentiam, & capacitatem etiam rudium, ut ex D. Thom. 1. 2. *q.* 111. *art.* 4. quæ in Christo fuisse abs dubio est. Fuit enim certissimus de rebus, quas nos fide credimus, Joannis 3. v. 31. *Qui de Cælo venit, super omnes est, & quod vidit, & audivit, hoc testatur.* Facillimus in aptandis veritatibus fidei etiam rudioribus per parabolas: unde, Matth. 7. v. 28. *Admirabantur turbæ*, ideſt, rudiores, *super doctrina ejus.* Vel fides hic dicit quamdam fiduciam operandi opera supernaturalia in alienam utilitatem. Quæ certe fuit in Christo, qui firmissimam habebat fiduciam, se posse consequi quidquid vellet facere in ordine supernaturali; profectam ex meliori dispositione, quam in aliis puris viatoribus, nempe, ex visione beata.

X. Observandum tertio circa donum linguarum, hoc fuisse in Christo, nec frustra. Quamvis enim forte usus

non sit, quod actus externos, quia ut docet S. Thomas, hac q. 7. art. 7. ad 3. *Donum linguarum datum est Apostolis, quia mittebantur ad docendas omnes Gentes. Christus autem in una sola Gente Judæorum voluit personaliter prædicare, secundum quod ipse dicit, Matth.* 15. Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. *Et Apost. dicit, Rom.* 15. Dico Christum Jesum ministrum fuisse Circumcisionis. *Et ideo non oportuit, quod loqueretur pluribus linguis. Nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia; cum etiam occulta cordium ei non essent abscondita . . . . . quorum voces quscumque sunt signa. Nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit: sicut non inutiliter habet habitum, qui eo non utitur, quando non est opportunum* —— Addo: probabile quibusdam videri, Christum usum fuisse omnibus linguis, dum in hac vita fuit. Nam loquens cum Samaritanis, Tyriis, & Sidoniis, creditur usus fuisse eorum lingua.

§. III.

Resolvitur de Prophetia.

XI. CIrca donum Prophetiæ majus dubium est: an fuerit in Christo. Et propterea S. Thom. hac *q.* 7. de ea articulum specialem instituit, qui est octavus. Rationes autem dubitandi sunt. Primo: quia videtur incompatibilis cum clara visione Dei, quia Christus semper fruebatur. Unde, 1. *Cor.* 13. *v.* 8. dicitur: *Sive prophetiæ* (in statu beatitudinis) *evacuabuntur, sive linguæ cessabunt*. Et subdit Paulus rationem, dicens: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*. Quasi diceret: modo prophetamus, quia solum ex parte cognoscimus; sed cum venerit clara visio Dei, evacuabitur prophetia. Secundo: hinc sequitur, quod prophetica cognitio exigat obscuritatem: unde 2. *Petri* 1. *vers.* 19. dicitur: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ in caliginoso loco, donec dies elucescat*. Unde tertio, videtur annumeranda prophetia notitiæ enigmaticæ, media impressione specierum facta in phantasia, seu immaginatione, juxta illud, Num. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum.*

Accedit: quod Christus longe excellentior fuit Moyse, & magis plenam, apertamque habuit notitiam: Moyses autem, ut ibidem, *v.* 8. subditur: *Palam, & non per enigmata, & figuras Dominum videt;* ergo multo magis Christus. Nihilominus

XII. Dico. Gratia Prophetiæ vere fuit in Christo. Ita S. Thom. hoc *art.* 8. & communiter omnes contra Tostatum; volentem, Christum non fuisse vere Prophetam, sed tantum secundum vulgi communis æstimationem.

Probatur tamen oppositum a S. Thoma. Tum ex illo, Deuteron. 18. vers. 15. *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris*. Quem locum ad litteram intellexit de Christo Stephanus, *Act.* 7. *vers.* 37. ad probandum Judæis, Christum fuisse Messiam in lege promissum. Et ita intellexerunt, qui, Lucæ 7. v. 16. *Magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam*. Qui sermo exivit per universam Judæam. Et qui, *Joann.* 6. *v.* 14. dixerunt. *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.*

Ratio etiam S. Thomæ, hoc *art.* 8. id ostendit. Quia duo sunt de ratione Prophetæ. Unum, ut ea, quæ prænuntiat, procul sint ab hominum sensibus. Alterum, ut sit in eodem statu viæ cum his, quibus prophetat: sed hæc duo erant in Christo. Nam ea, quæ prædixit, procul erant ab hominum sensibus, & cognitione; & simul etiam cum hominibus, quibus prophetavit, in eodem statu viæ, & vitæ mortalis degebat; ergo &c. Quæ sic possunt confirmari. Nam esse Prophetam nihil aliud est, quam supernaturali cognitione intelligere ea, quæ distant ab ordinaria viatorum cognitione, eaque hominibus annuntiare: at Christus supernaturali cognitione multa ejusmodi intellexit, & hominibus annuntiavit; ut futurum excidium Jerosolymitanum, se tertia die resurrecturum, & alia multa; igitur Christus fuit vere Propheta.

XIII. Advertendum tamen est: quod cum S. Thomas dicit de ratione veri Prophetæ esse, ut videat, & prænuntiet ea, quæ procul sunt. Hoc esse *Procul* potest contingere: vel quia prænuntiata, sint procul a cognitione prophetica, quia in seipsis non cognoscunt, sed in eorum effectis; & adhuc erunt magis procul, si hoc fiat per figuras corporalium rerum, non per intelligibiles effectus: vel quia prænuntiata, procul sint a Propheta, quando longe sunt ab illo distantia temporis, aut loci. Res ergo prophetice prænuntiatæ debent utroque modo esse procul, nimirum, & a cognitione, & a Propheta. Quare nec Deus, neque Beatus, ut talis, cum futura annuntiant, possunt vere dici Prophetæ: Quia neque Deo, neque beatificæ visioni potest aliquid esse procul; quia Deus, & Beati, ut tales, omnia cognoscunt, vel in seipsis, vel in aliquo eminentiori. Et insuper Deo, & Beatis Comprehensoribus nihil est procul nec secundum locum, nec secundum tempus.

Hinc infertur, ex utroque principio fuisse in Christo prophetiam: nimirum, quia ex parte inferiori Christus non erat beatus: & ita secundum hanc partem prænuntiata poterant esse procul suæ cognitioni; cognoscendo scilicet ea, non in seipsis, sed in effectibus, vel in figuris, in vigilia, sive in somnio. Et quia etiam, præcisa quacumque cognitione, secundum corpus erat viator; & secundum illud distabat loco, & tempore ab his, quæ prænuntiabat: ratione hujus, & quia visio beatifica erat in viatore, rationem prophetiæ habere poterat.

XIV. Advertendum insuper est: quod dum dicitur, ad veram prophetiam requiri, ut Propheta indistans sit loco, & tempore ab iis, quibus debet prophetare, seu, ut loco, & tempore cum illis communicet; debet intelligi, quando simul esse, & conversari cum his, quibus prophetat, necessarium est ad hoc, quod prænuntiata procul sint vel a cognitione Prophetæ, vel ab ipso Propheta. Secus vero, si licet Propheta non conversetur cum his, quibus prophetat; adhuc tamen res prænuntiatæ, sint procul a cognitione Prophetæ, & ab ipso Propheta. Unde si quis existens Gallia revelaret nobis existentibus in Italia ea, quæ in Syria fiunt, aut fient: etsi revelans non communicet nobis; quia tamen ea, quæ revelat, procul sunt ab ipso, & ejus cognitione, vere esset Propheta. E contra autem si existens in Gallia revelaret nobis, quæ fiunt in Gallia; quia non revelaret res, quæ sint procul ab ejus cognitione, & ab ipso, non esset Propheta: alias omnes, qui novalia amicis distantibus scribunt, essent Prophetæ. Quod autem dixi de loco, dico etiam de distantia temporis. Revelatio enim, *Isaiæ* 44. prænuntiantis Cyrum Regem Persarum reædificaturum Templum Dei, fuit propheticæ respectu posterorum; quamvis Isaias non communicaret in tempore cum illis: quia res prænuntiatæ erant procul ab illo. Revelatio autem Esdræ, cujus tempore Templum reædificatum est, qua hoc posteris manifestavit, non fuit prophetica; quia talis reædificatio non fuit procul quoad tempus, nec ab Esdra, nec ab ejus cognitione. E contra vero cum Samuel, vel Dæmon, ejus nomine, prædixit Sauli interitum suum in bello, talis prædictio fuit vere prophetica: quia licet Samuel non conversaretur tunc cum Saule, res tamen prænuntiata, procul erat ab ejus cognitione. De quo S. Thom. 2. 2. *q.* 174. *art.* 5. *ad* 4. & hac *q.* 7. *art.* 8. ex quo omnia sumpta sunt.

XV. Ad rationes autem in contrarium respondeo. Ad primam quidem, quod Apostolus asseruit in beatitudine prophetiam evacuari; quia illamet cognitio, quæ in via fuit prophetica, in Patria definit esse prophetica; per hoc, quod prænuntiata desinunt esse procul, aut a cognitione, aut a cognoscente. Secus vero in Christo, qui cum esset Comprehensor, sed simul viator, ratione hujus res prænuntiatæ poterant illi esse procul. Unde S. Thom. 2. 2. q. 174. art. 5. ad 3. *Christus* (inquit) *simul erat Comprehensor, & viator. In quantum ergo erat Comprehensor, non competit sibi ratio prophetiæ, sed solum in quantum erat viator*. Quod docet etiam hac *q.* 7. *art.* 8. *ad.* 1.

XVI. Ad id, quod secundo loco objicitur, nego, de ratione essentiali prophetiæ esse obscuritatem; sed solum prænunciationem rerum distantium & ab ipso cognoscente, & ab iis, quibus prænuntiantur. Unde S. Thom. hoc *art.* 8. *ad.* 2. ponens differentiam inter fidem, & spem, ac prophetiam ait: *Quod fides est eorum, quæ non videntur ab credente; & similiter spes est eorum, quæ non habentur ab ipso sperante: Sed prophetia est eorum, quæ sunt procul a communi hominum sensu, cum quibus Propheta conversatur, & communicat in statu viæ. Et ideo fides, & spes repugnant perfectioni beatitudinis Christi, non autem prophetia.*

Vocatur autem prophetia a D. Petro: *Lucerna lucens in caliginoso loco*. Quia status, & locus, in quo datur prophetia, est obscurus respectu audientium: qui per revelationem Prophetæ non habent cognitionem claram, sed obscuram, qualis a lucerna accipitur.

XVII. Ad id autem, quod tertio loco opponitur, nempe, prophetiam esse annumerandam inter notitias enigmaticas: Respondeo ex doctrina S. Th. 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 2. duplicem esse prophetiam. Unam, quæ fit secundum visionem imaginariam, quæ est magis frequens, & propria Prophetæ; quia magis operatur modo proprio cognitionis humanæ dependentis a sensibus, & imaginatione. Aliam, quæ dicitur prophetia intellectualis: & hæc veritatem divinam manifestat per nudam contemplationem ipsius virtutis, absque imaginaria visione, qualis forte fuit prophetia collata Moysi; qui palam, & quasi facie ad faciem, & non per somnium, & enigmata, sicut alii Prophetæ, Deum vidit. Unde de eo dicitur, Deuteron. ultimo vers. 10. *Non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses*. Et hæc prophetia altior est, quam illa, quæ fit sub similitudine corporalium rerum; *magis enim* (inquit S. Thomas citatus) *appropinquat ad visionem Patriæ, secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur . . . . & ex hoc etiam ostenditur mens Prophetæ sublimior: sicut in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem a magistro unde prolatam capere potest; quam ille, qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manuduci. Unde in commendationem prophetiæ, David dicit,* 2. *Reg.* 22. Mihi locutus est fortis Israel. *Et postea subdit:* sicut lux Auroræ oriente Sole mane absque nubibus rutilat. Ita S. Th. Dici ergo potest, hujus generis prophetiam

fuisse

fuiſſe in Chriſto: Quia ſecundum partem intellectualem divina, quæ prænuntiabat, poterat in propria veritate contemplari: *Poteſt tamen dici* (ait D. Thom. hac quæſt. 7. art. 8. ad 1.) *quod etſi Chriſtus habuit plenam, & apertam notitiam, quantum ad partem intellectivam; habuit tamen in parte imaginativa quaſdam ſimilitudines, in quibus etiam poterat ſpeculari divina in quantum non ſolum erat Comprehenſor, ſed etiam viator.*

Hinc ad id, quod poſtremo additur, dico cum eodem S. Thoma ibi: quod non inſtituitur illis verbis comparatio inter Moyſem, & Chriſtum; ſed inter Moyſem, & alios Prophetas, qui tantum per ſomnium, & enigmata prophetarunt. Chriſtus enim non ſolum poterat divina in ſeipſis contemplari; ſed ulterius alias, ſupra omnes, & ſupra Moyſen, excellentias habuit.

DUBIUM V.

An in Chriſto fuerint Virtutes Morales per ſe Acquiſibiles, & Quomodo?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. DIco primo. In Chriſto fuerunt omnes virtutes morales per ſe acquiſibiles. Probo ratione S. Thomæ ſæpius ſupra allata. Decuit enim omnem potentiam animæ Chriſti perfici, ſecundum modum ſibi connaturalem agendi: ſed ſicut modus connaturalis potentiæ obedientialis eſt perfici per virtutes per ſe infuſas; ita modus connaturalis potentiæ naturalis eſt agere per virtutes acquiſitas; ergo ſicut in Chriſto fuere virtutes per ſe infuſæ, ita fuerunt virtutes per ſe acquiſibiles.

Confirmo. D. Thom. *q.* 12. probat, in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam, ut ejus intellectus perficeretur modo ſibi proportionato, & naturali; ergo eadem ratione in eo ponendæ ſunt virtutes morales acquiſitæ, quibus modo ſibi connaturali operari poſſet: alias humana Chriſti voluntas non eſſet ſimpliciter, & omnibus modis perfecta. — Addo: quod cum Chriſtus eſſet Comprehenſor, & ſimul viator, oportuit, ut ejus voluntas perficeretur ad modum Patriæ, per virtutes infuſas, & ad modum ſtatus viæ per virtutes morales acquiſitas.

II. Sed dices primo. Omnes actus Chriſti fuerunt virtutum infuſarum; ergo omnes procedebant a virtutibus infuſis. Ant. prob. Omnes actus Chriſti procedebant ex intentione finis ſupernaturalis; ergo procedebat a virtutibus infuſis, quæ per ſe primo reſpiciunt finem ſupernaturalem, acquiſitæ vero ſolum naturalem.

III. Reſpondeo, nego antec. Chriſtus enim ad opera virtutum aliquando movebatur ex pietate naturali, & regulis humanæ prudentiæ; quamvis omnia ſua in finem charitatis dirigeret. Ad probationem dico, quod licet Chriſtus aliter non poſſet operari, quam ex intentione finis ſupernaturalis; poterat tamen ſub hac intentione uti virtutibus acquiſitis: ita ut operatio proxime, & immediate eſſet elicita ab iſtis; mediate vero, & imperative eſſet ordinata ad finem ſupernaturalem, ut ad finem extrinſecum, nimirum operantis, non operis.

IV. Dices ſecundo. Virtutes morales acquiſitæ ponuntur ad frænandas paſſiones immoderatas: ſed hæ in Chriſto non fuerunt, ſicut in illo non fuit fomes, ut diximus; ergo &c.

Reſpondeo, de ratione eſſentiali virtutum moralium acquiſibilium eſſe quidem, ut ſint aptæ ad frænandas, & compeſcendas animæ paſſiones, ſi eas in ſubjecto immoderatas reperiant; atque adeo hujuſmodi virtutes inveniri non poſſe, niſi in ſubjecto, quod ſuapte natura natum eſt hujuſmodi paſſionibus affici; ſed non eſt de earum eſſentia has paſſiones actu exorbitantes moderari. Satis enim eſt, ut diſponant appetitum ſenſitivum ad prompte, & delectabiliter in propriis materiis, conſentanee ad rationem, eligendum. Hinc S. Thom. *3. art. quæſt. 7. art. 5.* ait: *Concupiſcentias autem pravas Chriſtus omnino non habuit ... nec propter hoc tamen excluditur, quin habuerit temperantiam, quæ tanto perfectior eſt in homine, quanto magis pravis concupiſcentiis caret.* Quod ergo S. Thom. de temperantia dicit, dicatur de aliis virtutibus moralibus. Unde primis Parentibus datæ fuerunt, quamvis in eis pro ſtatu innocentiæ paſſiones omnes eſſent compoſitæ. Et in ſtatu futuræ reſurrectionis erunt in Beatis, etſi in eo ſtatu paſſiones effrænes non ſint habituri.

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

V. DIco ſecundo. Non eſt probabile, ſed valde conſentaneum, virtutes morales per ſe acquiſibiles, fuiſſe a Chriſto propriis actibus acquiſitas potius, quam illi per accidens infuſas. Eadem ratione ſuadetur. Decuit enim, ut nedum potentia obedientialis animæ Chriſti, ſed etiam potentia naturalis, tum intellectiva, tum appetitiva, ſecundum modum ſibi connaturalem perficeretur: ſed modus connaturalis potentiæ appetitivæ naturalis eſt, ut propriis actibus virtutes morales acquirat: illas enim per infuſionem habere, eſt modus proprius potentiæ obedientialis; ergo &c. Eo vel maxime: quia nobilius eſt habere perfectionem omni modo, quo conſequibilis eſt, quam uno tantummodo, & perfectius eſt habere illam proprio actu ſibi comparatam, quam habere ab alio ſibi donatam, ut generaliter docet S. Thom. infra *q. 19. art. 3.* & aliunde nullum ſequitur inconveniens, ut apparebit ex ſolutione objectionum.

VI. Ex hoc ſequitur, quod aliqua temporis ſucceſſione Chriſtus eas ſibi comparaverit. Tum quia: virtutes humanæ acquiſitæ regulantur per ſcientiam, & prudentiam humanam: ſcientiam autem, & prudentiam humanam a primo inſtanti non habuit, ſed propriis actibus per experientiam acquiſivit.

Tum quia: aliquæ virtutes morales acquiſitæ ſunt in appetitu ſenſitivo, & in corpore, ut fortitudo, & temperantia; quæ proinde ſequuntur cognitionem ſenſitivam perfectam, & ſupponunt organizationem ad certam quantitatem perductam, ſicut requiritur ad perfectæ virtutis diſpoſitionem: hanc autem non habuit Chriſtus in inſtanti ſuæ conceptionis; ſicut tunc nec habuit, ſed ſequenti tempore, exercitium omnium membrorum, & ſenſuum. Incredibile enim videtur, quod, ſecluſo omni miraculo, Chriſtus adhuc clauſus in utero matris, & adhuc infans, beneficio ſenſuum acceperit ſpecies objectorum omnium virtutum acquiſibilium; & ſimul actus maxime intenſos circa illas exercuerit: & ſcientiam experimentalem circa materias omnium in illo momento acquiſierit.

VII. Sed objicies. Primo. Perfectius eſt habere virtutes naturales modo ſupernaturali, quam naturali: ſed habere per infuſionem, eſt eas habere modo ſupernaturali; habere autem per acquiſitionem, eſt habere eas modo naturali; ergo &c.

VIII. Reſpondeo primo, perfectius quidem eſſe abſolute habere virtutes modo ſupernaturali; non tamen eſſe perfectius relative ad ſubjectum: cui, ex modo ſibi connaturali, melius eſt habere perfectionem ſibi proprio actu comparatam.

Secundo reſpondeo, perfectius quidem eſſe, habere perfectionem modo ſupernaturali *active*; non autem habere illam modo ſupernaturali *paſſive*: quia in hoc tota nobilitas ſe tenet ex parte principii agentis, quod eſt ſupernaturale, non ex parte ſubjecti recipientis. Virtutes autem habitæ per infuſionem, haberentur quidem modo ſupernaturali, ſed mere paſſive ex parte recipientis: quo pacto etiam ipſa materia prima, omnis expers nobilitatis, poteſt formas ſupernaturali modo recipere.

IX. Inſtabis. Si Chriſtus has virtutes per infuſionem habuiſſet, eas aliquo modo per ſeipſum haberet: quia haberet in ſe principium, unde illas obtineret; gratiam ſcilicet unionis illas exigentem.

Reſpondeo, quod, ut S. Thom. *3. part. q. 19. art. 3.* concludit: ſicut gloriam corporis minus perfecte habuiſſet, ſi ab alio abſque ſua cooperatione accepiſſet; etſi haberet in ſe principium exigitivum illius, nempe, gratiam unionis, & gloriam animæ: ita in præſens exigentia iſta, abſque cooperatione, non tollit modum paſſivum recipiendi, ſicut nec in materia exigentia formæ.

X. Objicies ſecundo. Eſto perfectius ſit habere virtutes propriis actibus acquiſitas, quando aliquod inconveniens non ſequitur; ſecus autem ſi hoc ſequatur, ut in caſu. Nam cum in hac ſententia illas non acquiſierit in inſtanti ſuæ conceptionis, aliquo tempore illis caruiſſet; & ſic fuiſſet in illo privatio rectitudinis, & ſanctitatis naturalis. Cum enim virtutes morales rectum, ac bonum faciant habentem; earum carentia arguit, non eſſe bonum, ac rectum ſubjectum eis carens: quod in Chriſto aſſerere pro quovis tempore abſurdum eſt.

XI. Reſpondeo, nego ant. Ut enim docet S. Thom. citata q. 19. art. 3. *Nobilius habetur id, quod habetur per meritum, quam id, quod habetur ſine merito, ... niſi ſit tale quid, cujus carentia magis dignitati Chriſti præjudicet, quam per meritum accreſcat.* Ex quo concludit, quod *Chriſtus nec gratiam, nec ſcientiam, nec beatitudinem animæ, ſed divinitatem meruit; quia cum meritum non ſit niſi ejus, quod nondum habetur, oporteret, quod Chriſtus aliquando iſtis caruiſſet: quibus carere magis diminuit dignitatem Chriſti, quam augeat meritum.* Ex eo autem, quod Chriſtus pro aliquo tempore caruerit virtutibus moralibus acquiſitis, nullum ſequitur inconveniens præponderans acquiſitioni earum per proprios actus. Non quidem fuiſſe in illo privationem rectitudinis, aut ſanctitatis etiam naturalis. Tum quia: privatio eſt carentia formæ debitæ connaturaliter pro tempore, quo deeſt; hæ autem virtutes non debebantur Chriſto pro primo inſtanti, cum naturaliter petant ſucceſſive acquiri. Sicut nec habuit carentiam privativam ſcientiarum acquiſitarum, quas Adverſarii fatentur ſucceſſive adeptum fuiſſe. — Tum quia: hæ virtutes non ponuntur in Chriſto, ut ipſum reddant ſimpliciter juſtum, & ſanctum; cum hoc habuerit ex gratia unionis, & habituali, & virtutibus infuſis: ſed, ut etiam, præter hæc, connaturali modo rectificetur. Porro cum modus connaturalis harum virtutum exigat, ut rectitudo earum per actum proprie, & ſucceſſive acquiratur; fit, ut nullius perfectionis privatio fuerit in Chriſto, ex quo aliquo tempore illis caruerit.

XII. Objicies tertio. Si Christus propriis actibus acquisivisset has virtutes, aliquando elicuisset virtutis actus absque habitu; & consequenter imperfectos, & cum difficultate: quod ejus perfectioni repugnat.

Respondeo, admittendo sequelam. Non inde tamen sequitur imperfectio, etiam physica, in potentiis animæ Christi; quæ non compensetur per majorem perfectionem illas acquirendi per proprios actus. Multo enim major imperfectio esset, perpetuo carere acquisitione virtutum acquisibilium, quam illis pro brevi tempore carere, ut illas acquirat. Cum vero dicitur, quod Christus habuisset difficultatem operandi circa illas materias pro illo tempore, quo caruit virtutibus, verum est, si intelligatur de negativa carentia facilitatis provenientis ab habitu; quod non est inconveniens, cum admittatur etiam, quoad actus scientiarum acquisibilium: falsum tamen, si intelligatur de difficultate positiva orta ex inclinatione ad oppositum talium virtutum.

XIII. Objicies demum, esse discrimen inter scientias per se acquisibiles, & virtutes morales. Primo: quia si Christus illas habuisset per infusionem, intellectus agens perpetuo caruisset sua operatione abstrahendi species, ut supra probavimus: quod non sequitur ex infusione virtutum moralium. — Secundo: quia carentia scientiarum non dicit imperfectionem moralem, sed mere physicam, quæ non inconvenit Christo, in quo admittimus plures defectus nostræ naturæ physicos: at carentia virtutum moralium dicit imperfectionem moralem, sicut & ipsæ virtutes morales perfectiones morales sunt.

XIV. Respondeo ad primum. Etiam in anima, & potentiis Christi fuisse vim acquisitivam virtutum: unde hæc vis perpetuo caruisset suo exercitio primario, si Christus virtutes habuisset per infusionem.

Ad secundum, nego min. Non enim omnis carentia perfectionis moralis est imperfectio moralis; alioquin cum Christi operationes, & B. Virginis potuerint esse in moralitate specifica intensivæ absolute intensiores; esset ponenda aliqua imperfectio moralis in Beata Virgine, & in Christo. Ad imperfectionem ergo moralem, ultra carentiam perfectionis, requiritur debitum illam habendi pro statu, & tempore, quo adest carentia. Dictum est autem supra, virtutes morales acquisibiles non fuisse connaturaliter debitas Christo, pro primo instanti suæ conceptionis: unde illarum carentia non fuit in Christo imperfectio moralis. Eo vel maxime, quia licet Christus non esset tunc perfectus moraliter per virtutes acquisibiles; erat tamen summe rectificatus, & moraliter perfectus, etiam in ordine naturali, per gratiam unionis, & habitualem, ac virtutes infusas. Unde non sequitur, Christum non fuisse moraliter perfectum, etiam in naturalibus: sed non habuisse in primo instanti omnem modum, quo moraliter perfectibilis erat: & hoc, quia talis modus petebat, non statim, sed successive comparari. Sicut a principio non habuit totam quantitatem corporalem, quia hæc petit successive acquiri, & hinc puto dedecuisse, Adamum, utpote creatum in ætate adulta, carere virtutibus, secus Christum.

QUÆSTIO III.

De Gratia Christi, ut Capitis.

DE Gratia Christi, & virtutibus, quæ animam ejus, ut peculiaris est persona, ornat, egimus hucusque. Supereſt pro complemento, ut agamus cum S. Thoma, 3. *part. quæst.* 8. de gratia ejusdem, secundum quod per modum Capitis influit in membra Ecclesiæ. Qua in re tria præcipua quærenda sunt. Primum erit. Quænam sit hæc gratia, secundum quam Christus influit, an personalis, an habitualis. Secundum: An hæc gratia habitualis sit infinita. Tertium: quænam sint ea, quorum Christus est Caput.

DUBIUM I.

An Gratias, secundum quam Christus est Caput Ecclesiæ, sit Gratia Personalis, an Habitualis?

§. I.

Firmatur, Christum esse Caput Ecclesiæ.

I. HAnc veritatem statuit S. Thom. 3. *p. q.* 8. *art.* 1. estque certa secundum fidem, ex Apostolo ad Ephes. 1. v. 22. *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius.* Cap. 4. v. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum &c.* Et cap. 5. v. 23. *Vir Caput est mulieris sicut Christus Caput Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus.* Et ad Colos. 1. v. 18. *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ.*

II. Probat autem S. Doctor hoc discursu. Tota Ecclesia dicitur unum corpus ad similitudinem corporis humani; quia secundum diversa membra habet diversos actus, ut docet Paulus, *Rom.* 12. *vers.* 4. & 5. & 1. *Cor.* 12. *v.* 12. sed Christus in corpore Ecclesiæ idem proportionaliter est, & idem præstat, quod caput in corpore humano; ergo &c. Minor. probat S. Doctor sic. In capite quia considerari possunt ordo, perfectio, & virtus. Ordo. *Quia caput est prima pars hominis, incipiendo a superiori, & inde est, quod omne principium consuevit vocari caput, secundum illud*, Ezechiel. 16. *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Perfectio autem. *Quia in capite vigent omnes sensus & interiores, & exteriores, cum cæteris in membris sit solus tactus, & inde est quod dicitur*, Isaiæ 6. *Senex, & honorabilis ipse est caput.* Virtus vero: *Quia virtus, & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus est a capite, propter vim sensitivam, & motivam ibi dominantem. Unde & Rector dicitur caput populi, secundum illud*, 1. Reg. 15. *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.*

Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim, secundum propinquitatem ad Deum, gratia ejus altior est & prior, etsi non tempore; quia omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud, Rom. 8. Quos præscivit, hos & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus. *Secundo vero, perfectiones habet, quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud, Joann.* 1. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis . . . *Tertio virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundum illud, Joann.* 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus. *Et sic patet, quod Christus dicitur convenienter Ecclesiæ caput.*

III. Quia vero, ut notat S. Thom. hoc art. 1. ad 2. *In metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas:* ideo licet Christus sit Caput Ecclesiæ ad similitudinem capitis corporis humani; in aliquibus tamen similitudo non est. Primo: quia capitis naturalis non est aliud caput: nam *Corpus humanum non est pars alterius Corporis:* sed corpus similitudinarie dictum, & mysticum, quale est Ecclesia, vel quæcumque multitudo ordinata *Est pars alterius multitudinis: sicut multitudo domestica est pars multitudinis civilis: & ideo pater familias, qui est caput multitudinis domesticæ, habet supra se caput Rectorem Civitatis. Et per hunc modum nihil prohibet, Caput Christi esse Deum, cum tamen ipse Christus sit Caput Ecclesiæ.*

IV. Secundo. Caput in naturalibus est caput, & simul membrum corporis: Christus autem ita Caput est Ecclesiæ, ut non possit dici membrum ejus: Quia caput in naturalibus communicat quidem motum, & influit in membra; sed etiam aliquid recipit a membris, scilicet, nutrimentum: & ideo, quatenus communicat, dicitur caput, quatenus recipit, dicitur commembrum. At Christus est prima origo omnibus Ecclesiæ membris influxum communicans, & ab illis nihil recipiens: unde ita est Caput Ecclesiæ, ut nequeat dici membrum ejus. Ita S. Thom. *in 3. dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 6. Qui tamen addit: *Potest autem dici membrum secundum humanitatem, secundum quod ipse est Caput Ecclesiæ, secundum divinitatem. Et sic dicit Apostolus*, 1. *Cor.* 12. *vers.* 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro;* idest, Christo ut homine: qui relate ad se ipsum, ut Deus, componit cum aliis creaturis intellectualibus unum corpus mysticum, cujus Deus est Caput.

V. Observat quoque idem S. Doctor, 3. *p. q.* 8. *art.* 1. citato, *ad* 3. quod Christus potius dicitur Caput Ecclesiæ, sicut Spiritus Sanctus dicitur Ecclesiæ Cor. Quia *Caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum: sed cor habet quamdam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat, & unit. Capiti autem comparatur ipse Christus, secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfertur.*

VI. Hinc oritur Dubium: An Christus dicendus sit Caput Ecclesiæ, secundum quod homo, an secundum quod Deus?

Respondet S. Thom. *in 3. dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *in corp.* quod secundum tres prædictas capitis proprietates Christus dici potest Caput; & secundum divinam, & secundum humanam naturam. Secundum divinam quidem: quia, ut Deus, est prior dignitate omnibus, in ipso est plenitudo divinitatis, ab ipso est nobis omnis spiritualis gratia, & ab ipso regimur, & dirigimur in finem. Secundum humanam naturam etiam, quæ in Christo est prima, altior, & dignior; quia elevata est usque ad unionem cum divina persona, in ea omnis gratia est, sicut omnes sensus in capite, & per ipsam sensum fidei, & motum charitatis accipimus: *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* Jo: 1. v. 17. Direxit nos doctrina, & exemplo, quia *Cæpit Jesus facere, & docere*, Act. 1. vers. 1. Addit tamen: quod quia, ultra præfatas, alia est etiam capitis proprietas, nimirum, quod sit conforme cum aliis membris in natura; & hæc est ratio, quæ complet ipsum in ratione Capitis, quia facit ipsum Caput univocum, & homogeneum aliis membris: ideo licet, communiter sumendo Caput, *Christus secundum quod Deus possit dici Caput Ecclesiæ simul cum Patre, & Spiritu Sancto*: tamen, *proprie loquendo, est Caput secundum humanam naturam*; secundum quam, ut conjunctam Verbo, habet omnes capitis proprietates, & convenit in natura cum aliis membris, estque Caput homogeneum, & univocum.

VII. Cum

VII. Cum tamen dicitur, quod Christus, secundum humanam naturam est proprie Caput Ecclesiæ; ly *secundum* non sumitur *reduplicative*, quasi quod natura humana esset causa formalis, quare sit Caput; alias omnes homines essent caput: sed sumi debet, *specificative*, ita ut sensus sit, Christus per humanitatem implet rationem Capitis. Quare cum dicitur: Christus est Caput Ecclesiæ; sit sensus, quod Deus homo est Caput Ecclesiæ. Tum quia: Christus non significat deitatem, aut humanitatem divisive, sed conjunctim, & collective, est enim Deus homo. Tum quia: Christus habet esse Caput Ecclesiæ, quatenus per meritum, & satisfactionem infinitam influit motum, & vitam spiritualem: sed licet Christus meruerit, & satisfecerit per humanitatem, non tamen habuit esse infinitum ab humanitate, sed a persona Verbi; a qua etiam habuit, quod satisfactio ejus esset de rigore justitiæ. Tum denique: quia, ut docet S. Thom. hac *q.* 8. *art.* 1. *ad* 1. ad influendam gratiam, & dandum Spiritum Sanctum, quod est proprium munus Capitis, concurrit Christus, secundum quod Deus, & secundum quod homo: secundum quod Deus, auctorative: secundum quod homo instrumentaliter, seu ministerialiter, quatenus fuit instrumentum conjunctum divinitati.

VIII. Hinc collige duplicem excellentiam Christi, ut Capitis, super alia capita in naturalibus. Prima est: quod officium capitis naturalis est quidem influere motum in membra jam constituta, & unita ipsi capiti per generationem: non tamen efficere, seu constituere membra, ac ea sibi unire in esse substantiali. At Christus nedum in membra sibi unita influit motum spiritualis vitæ; sed etiam efficit ipsa membra spiritualia, in ratione membri constituit, atque sibi copulat, ac unit: unde est Caput, & simul Pater —— Secunda: quia caput naturale non est principium totius vitæ animalis; sed tantum illius vitæ, ac motus, qui fit media apprehensione: unde caput non est principium motus, qui omnem apprehensionem antecedit, sed solum cor, quod ideo appellatur principium totius vitæ. At Christus est principium totius vitæ spiritualis, & primæ dispositionis ad ipsum, & secretissimæ etiam motionis; qua ratione Spiritus dicitur cor Ecclesiæ. His positis.

§. II.

Resolvitur Dubium.

IX. Dico. Ratio Capitis convenit Christo formaliter ratione gratiæ habitualis; licet radicaliter præexigat in ipso gratiam unionis, seu personalem. Ita ex Sancto Thoma hac *q.* 8. *art.* 5. Et prima pars probatur. Eo Christus constituitur formaliter in ratione Capitis Ecclesiæ, quo tamquam principio operatur influxum in membra; & ideo in ratione Capitis constitui debet per formam per se ordinatam ad operationem: unde videmus in naturalibus, caput constitui in esse capitis per potentias operativas, quibus habet vim movendi, & dirigendi alia membra: & in politicis caput Reipublicæ constituitur in esse tali per facultatem, qua habet vim directivam, & influxivam in subditos: At id, quo Christus influit in membra Ecclesiæ gratiam, & vitam spiritualem formaliter, non est gratia unionis, sed gratia habitualis; ergo &c. Min. prob. Tum ex D. Thom. *art.* 5. citato, *ad* 3. dicente: *Gratia personalis* (idest Christi, ut particularis personæ) *& gratia Capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem unionis non ordinatur ad actum, sed ad esse personale.* Tum ratione. Quia personalitas complet quidem naturam in esse substantiæ, non tamen in esse operativi: & est quidem principium, quo subsistendi, sed non operandi; quia nec est ipsa natura, nec potentia ejus operativa. Et multo minus personalitas Verbi, quæ cum sit de genere relativo, non est formaliter operativa.

X. Secunda vero pars prob. ex doctrina ejusdem S. D. citato *art.* 1. *&* 5. in C. Gratia enim Christi in tantum est gratia Capitis, in quantum est prior, non quidem tempore, sed dignitate, & eminentia; in quantum est perfectior, scilicet, cum omni plenitudine, & in quantum habet virtutem influxivam in alios: sed hæc tria non habet gratia habitualis Christi, nisi ut radicata in gratia unionis, seu ut conjuncta in esse personali cum Verbo Dei; ergo &c. Min. prob. Gratia habitualis Christi, ex se, est ejusdem speciei cum gratia habituali aliorum hominum; ergo ex hoc non habet dignitatem, & eminentiam Capitis; ergo eam habet, quatenus est gratia redemptiva, seu quatenus gratia, non puri hominis, sed hominis Dei.

Rursus: quia est gratia Dei hominis, convenit ei plenitudo omnium gratiarum, & donorum: & tandem eadem ratione habet vim influxivam in membra. Nam iste influxus oritur ex eo, quod Christus condigne satisfecit pro peccatis hominum, & condigne meruit gratiam nobis; ac proinde ejus opera sunt infinite digna; at gratia puri hominis nec potest de condigno satisfacere pro peccato, nec de condigno mereri gratiam, nec esse principium operum infiniti valoris; ergo hoc habuit, quia gratia Dei hominis, ergo gratia Capitis non est gratia, nisi ut radicata, vel conjuncta cum gratia Unionis.

§. III.

Solutio objectionum.

XI. Objicies primo contra primam partem. Ea est gratia Capitis in Christo, quæ est prior, perfectior, eumque reddit potentem influere in membra; sed talis est gratia unionis, non gratia habitualis; ergo &c. Min. prob. Gratia unionis est prior: quia præsupponitur ad gratiam habitualem, quæ quodammodo in illa radicatur. Est perfectior: quia Christus longe perfectiori modo est sanctus per gratiam unionis; & omnes perfectiones, quas gratia habitualis habet in Christo, ei a priori conveniunt ratione gratiæ unionis. Est etiam constituens Christum potentem influere. Tum quia: influxus Christi Capitis in membra est per proprium meritum, quod est infinitum: infinitatis autem ratio est gratia unionis. Tum quia: Christus, ut homo, non constituitur potens influere in alios per gratiam habitualem: nam gratia habitualis Christi est ejusdem speciei cum nostra: gratia autem nostra est alligata ad unice promerendum præmium subjecto, cui inhæret; neque ordinari potest ad promerendum de condigno aliis, ut suo loco diximus.

XII. Respondeo, gratiam illam esse capitalem, quæ est prior, ac perfectior, non in ratione principali *Quod* spectantis ad lineam essendi; sed in ratione principii *Quo* spectantis ad lineam operandi. In hac autem linea primum, & radicale principium in Christo, & perfectius, non est gratia unionis, quia hæc complet tantum in linea subsistendi; sed gratia habitualis, ut supra dicebamus; & per istam etiam, tamquam per principium *Quo*, constituitur primo potens influere in membra. Unde ad objectiones in oppositum.

Dico ad primam, quod gratia unionis est ratio infinitans merita, & operationes Christi immediate, ut principium *Quod*; quia facit illas operationes esse operationes suppositi divini infinite digni: non tamen immediate per modum principii *Quo* constituentis principium operativum: hoc enim tribuitur a gratia habituali, ut prius quidem dignificata a persona Verbi, non tamen in esse operativo, sed personali. Unde potius gratiæ habituali, quam gratiæ unionis tribui debet munus hoc constitutivum Capitis; cum, ut dictum est, spectat ad lineam operativam.

Ad secundam dico, quod gratia habitualis Christi est ejusdem speciei cum nostra; & consequenter ex se non est principium merendi gratiam, & gloriam aliis, nec satisfaciendi de condigno pro peccatis aliorum, maxime infinitorum. Tamen, ut radicata in gratia unionis, & posita in Deo homine, potest esse principium *Quo* ad meritum infiniti valoris, & nedum pro se, sed pro aliis, etiam infinitis. Neque est novum, quod aliquid, ut conjunctum, & positum in aliquo, possit aliquid, quod ex sua specie non posset. Nam calor ex sua specie non producit nisi calorem; & tamen, ut radicatus in anima sensitiva, producit carnem, ut in femina producit lac, ut in viro sanguinem. Adest etiam exemplum in Mysterio Trinitatis. Nam intellectio, quæ est in Patre, eadem est ac illa, quæ est in Filio, & Spiritu Sancto: & tamen ut in Patre, & ut connotans paternitatem producit Verbum, & in Filio, & Spiritu Sancto non producit; ergo similiter licet ejusdem speciei sit gratia in Christo, & in nobis, & ut in nobis non influat gratiam in alios; ut in Christo tamen, & ut conjuncta in persona cum Deo hoc poterit.

XIII. Objicies secundo. Si a Christo tolleretur gratia habitualis, relicta sola gratia unionis, adhuc Christus per modum Capitis posset influere in membra Ecclesiæ; quia posset ejus humanitas esse instrumentum divinitatis ad causandam gratiam in aliis: sed ad influendam gratiam in aliis non est necessaria in instrumento gratia; quia instrumentum non assimilat effectum suæ formæ, sed formæ principalis agentis; ergo &c. —— Addo, quod posset etiam mereri: quia ejus actiones, ob dignitatem personæ, evaderent infiniti valoris.

XIV. Respondeo, nego min. Si enim a Christo auferretur gratia tam habitualis, quam actualis, tunc, juxta superius dicta, *Quæst.* 1. *Dub.* 1. non posset elicere operationes meritorias præmii supernaturalis: & sic non posset esse actu, & formaliter Caput membrorum Ecclesiæ, nec in ea influere. Quia licet instrumentum separatum, & pure tale non debeat habere in se formam, quam causat; hanc tamen habere debet instrumentum conjunctum, & excellentiæ; & maxime, si in genere morali sit causa principalis, ut est humanitas Christi, ut diximus cum S. Thom. 3. *part. quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 3. Immo si ablata a Christo gratia habituali, ei conferretur gratia actualis; posset quidem mereri, & influere influxu, qui alias esset Capitis, non per modum veri capitis. Hoc enim cum sit animatum, & influat vitaliter, habere debet in se formam, & vitam permanenter; nec sufficiunt motiones transeuntes; licet instrumento separato, ac inanimi sufficiant. Quod si fingatur casus, quod Christus permanenter haberet alios habitus supernaturales, puta charitatis &c. sine gratia habituali: tunc nec proprie esset Caput; quia ex dictis caput debet habere vitam in se, quam habent alia membra, immo eis præeminere, in ipso enim vigere debent

omnes sensus, a quibus derivatur directio, ac motio in alia membra.

Ad id, quod additur, dico, quod opera Christi omni gratia destituta essent infinite digna dignitate operantis; nullam tamen dignitatem haberent ex parte operis: & dici posset Caput Ecclesiæ Christus, ut Deus, non tamen Christus, ut homo; quia, ut homo nihil influeret in membra. Nam licet Deus gratiam possit influere sine homine: non tamen influere potest eam per hominem, nisi ei communicet, quæ necessaria sunt, ut eam per modum Capitis possit influere.

DUBIUM II.

An tanta fuerit plenitudo Gratiæ in Christo, ut fuerit simpliciter infinita?

§. I.

In Christo fuit plenitudo Gratiæ.

I. IN Christo de facto fuisse plenitudinem gratiæ docet S. Thom. 3. *p. q. 7. art. 9.* Et probat, tum ex illo, Joann. 1. v. 14. *Vidimus..... plenum gratia, & veritatis.* Tum sequenti discursu: *Plene dicitur haberi, quod perfecte, & totaliter habetur. Totalitas autem, & perfectio potest attendi dupliciter. Uno modo, quantum ad quantitatem ejus intensivam, quia, si dicam, aliquem plene habere albedinem, si habeat eam, quantumcumque nata est haberi. Alio modo, secundum virtutem: puta, si aliquis dicatur plene habere vitam, quia habet eam secundum omnes effectus, vel opera vitæ. Et sic habet plene vitam homo, non autem brutum animal, vel planta.*

Utroque autem modo Christus habuit gratiæ plenitudinem. Primo quidem: quia habuit eam in summo, secundum perfectissimum modum, quo haberi potest. Et hoc quidem appareret primo, ex propinquitate animæ Christi ad causam gratiæ: dictum est enim, quod quanto aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi, quæ propinquius conjungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiæ ejus. Secundo, ex comparatione ejus ad effectum: sic enim recipiebat anima Christi gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios: & ideo oportuit, quod haberet maximam gratiam. Sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus.

Similiter etiam quantum ad virtutem gratiæ plene habuit gratiam: quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ. Et hoc ideo, quia conferebatur ei gratia, tamquam universali principio in genere habentium gratiam, Virtus autem primi principii alicujus generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis. Sicut Sol, qui est universalis causa generationis, ut Dionys. dicit in c. 4. de divinis nominibus, ejus virtus se extendit ad omnia, quæ sub generatione cadunt. Et sic secunda plenitudo gratiæ attenditur in Christo, in quantum se extendit ejus gratia ad omnes gratiæ effectus, qui sunt virtutes, & dona, & alia hujusmodi. Hæc S. Thom. quæ adeo clara sunt, ut expositione non egeant.

Noto solum: hinc non sequi, quod si in anima Christi fuerunt cum gratia omnia dona, fuerint in ipso etiam fides, & spes; aut quod cum inter effectus gratiæ operantis sit expellere peccatum, hunc etiam gratia habuerit in Christo. Nam hæc S. Thomæ doctrina intelligi debet, attenta conditione, & capacitate subjecti. Si enim subjectum sit absque omni defectu; ut erat anima Christi, quæ plene videbat, ac possidebat Deum; gratia in illa fidem, quæ est de non visis, & spem, quæ est de nondum habitis, non inferebat, sicut nec in Beatis. Et eadem ratione, quia in ea nunquam fuit peccatum, gratia eam fecit quidem justam, & sanctam, sed non ex injusta, & impia: quod enim justum faciat ex impio, non convenit gratiæ per se, sed accidit ex parte subjecti, in quo invenit peccatum. Vide S. Thom. *art. 1. cit. ad 1. & 2.*

II. Ex his infertur, tantam fuisse gratiæ plenitudinem in Christo, ut esset major cumulo omnium gratiarum collective sumptarum, quæ datæ sunt aliis Sanctis. Quia nimirum, cum gratia Christi per modum universalis principii influxerit gratiam in alios, secundum exigentiam conditionis cujuslibet; in eo debebat esse in gradu sufficienti pro omni conditione, & officio. Unde dicitur, ad Ephesios 4. v. 7. *Unicuique autem nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.* Cumque, ultra hoc, habere debuerit gratiam in gradu competenti ad officium, omnium excellentissimum, Redemptionis totius generis humani; sequitur, ejus gratiam incomparabiliter excessisse collectionem totius gratiæ aliis concessæ.

III. Licet autem aliqui, præter Christum, habuerint plenitudinem gratiæ, ut B. Virgo, quæ *Luca 1. v. 28.* ab Angelo dicitur *Gratia plena;* & Stephanus, de quo, *Act. 6. 2. 8.* habetur: *Stephanus autem plenus gratia.* Et *c. 2. v. 4.* Discipuli *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Plenitudo tamen gratiæ eo modo, quo fuit in Christo, in nullo alio fuit. Nam, ut docet S. Thom. *q. 7. citata art. 10. in corp.* in Christo fuit plenitudo gratiæ, quantum ad summum, & *Quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem; in quantum scilicet, habuit gratiam, & in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus.* Et *B. Virgo* (inquit ibi ad 1.) *dicta est gratia plena, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habebat gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ: sed dicitur fuisse plena gratia, per comparationem ad ipsam; quia scilicet, habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti ejus. Et similiter Stephanus* (idem dico de Discipulis) *dicitur plenus gratia; quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, quod esset idoneus Minister, & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de aliis. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum.*

IV. His positis, quæ certa sunt: consurgit dubium, quod agitatur a S. Thom. dicta *q. 7. art. 11.* An tanta fuerit excellentia, & plenitudo gratiæ in Christo, ut fuerit infinita. Quia igitur, ut ait S. Doctor ibi, in Christo potest duplex gratia considerari: una est *Ipsa gratia unionis, qua est ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humanæ naturæ.* Alia est gratia habitualis, quæ potest dupliciter considerari; vel *secundum quod est quoddam ens;* vel *secundum propriam rationem gratiæ;* ideo de gratia unionis, dicit S. Doctor, quod hanc gratiam constat esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. De gratia habituali, ut est *quoddam ens*, dicit, *necesse est, quod sit ens finitum. Est enim in anima Christi, sicut in subjecto: anima autem Christi est creatura quædam habens capacitatem finitam: unde esse gratiæ cum non excedat suum subjectum, non potest esse infinitum.* De gratia vero, secundum propriam rationem gratiæ hæc habet: *Et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur: quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ; & non datur ei, secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet: eo quod, secundum propositum Dei, cujus est gratiam mensurare, gratia consortur animæ Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud, ad Ephesios* 1. Gratificavit nos in dilecto Filio suo. *Sicut si dicamus lucem Solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse; sed secundum rationem lucis; quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest.*

Hæc posteriora S. Thom. verba excitant inter Theologos controversiam: An cum statuit, gratiam Christi in esse gratiæ esse infinitam, voluerit, eam esse in tali genere simpliciter infinitam; an vero solum secundum quid: & an in esse physico; an vero in esse solum modo æstimabilitatis.

§. II.

Prior Dubii Resolutio.

V. DICO primo. Gratia Christi habitualis in ratione gratiæ ita plena, & perfecta fuit; ut quodammodo dici possit in eo genere infinita: non ita tamen, ut dici possit absolute, simpliciter, & intrinsece infinita. Ita sentio, quia existimo esse conformius menti S. Doctoris: tum hoc *art. 11.* tum *Q. 29. de Verit. art. 3. & in 3. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 2.* Prima ergo pars prob. Tum quia: S. Thom. citatis locis docet, gratiam Christi in ratione gratiæ esse infinitam, & rationem dat. Nam infinitum est, quod non limitatur, sed habet quidquid pertinere potest ad suum genus, & perfectionem; sed gratia Christi non limitatur, sed habet quidquid pertinere potest ad rationem gratiæ; & non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod pertinet ad rationem gratiæ; ergo &c. Minor probatur. Gratia limitari potest, vel ex parte gratiæ: quia, nempe, non pertingit ad summum, & quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem, quia non habetur in maxima excellentia, qua potest haberi; vel in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus. Ex parte etiam subjecti limitari potest ex ejus defectu, quia non est capax habendi illam plene, vel quantum ad summam excellentiam, vel quantum ad extensionem ad omnes effectus in quocumque statu, & conditione; sed solum secundum particulares effectus sui status, & conditionis, seu officii, usque ad mensuram præfixam illi a Deo. Sed gratia Christi non erat limitata quoad essentiam: quia habuit maximam, & summam excellentiam, quæ in esse gratiæ potest haberi. Quid enim excellentius cogitari potest, quam gratia Dei hominis? Non erat limitata quantum ad virtutem, & extensionem: quia se extendebat ad omnes effectus gratiæ, secum habebat omnia dona, & gratias gratis datas. Non erat limitata ex parte subjecti, quia erat gratia universalis Capitis potentis eam in omnes diffundere; nec data ad unum tantum officium, sed ad universalem omnium salutem promerendam; & proinde continens omnem gratiam, secundum legem Dei ordinariam, possibilem; & gratia major quam gratia omnium hominum, & Angelorum, etiam collective sumptorum; ergo &c.

Hoc modo, *in 3. Sent.* loco supra citato dicit S. Thom. gratiam Christi esse infinitam, his verbis; *Possibile est, ut* (forma) *non sit limitata, quantum ad rationem illius formæ; ut scilicet, habeat illam formam, secundum omnem modum completionis ipsius, ut nihil sibi desit de pertinentibus ad per-*

ad perfectionem illius formæ : & hoc erit, si ex parte recipientis non sit defectus, vel ex parte agentis, hoc modo dicitur gratia Christi infinita : quia quidquid ad gratiæ perfectionem pertinere potest, totum in Christo fuit. Tertio, quantum ad effectus : quia non limitatur ad aliquos determinatos effectus, sed potest per gratiam infinitos operari.

VI. Secunda etiam pars ex eodem S. Thoma suadetur. Tum quia: ut ait, *art.* 11. citato. Gratia Christi in ratione gratiæ erat infinita, quia non datur secundum aliquam certam mensuram: *Eo quod secundum propositum Dei, cujus est gratiam mensurare, gratis confertur anima Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis .... sicut si dicamus lucem Solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis ; quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest.* Solum ergo vult S. Thom. gratiam Christi in ratione gratiæ dici posse infinitam; quia non datur secundum aliquam certam mensuram ex proposito Dei, sed ut cuidam universali principio gratificandi ; sicut lux data est Soli, ut universali principio illuminandi. Sicut ergo lux Solis non intrinsece, & secundum essentiam, in ratione lucis, est infinita ; sed ad summum extrinsece, & objective, quia posset infinita corpora illuminare : ita gratia Christi dici potest infinita in ratione gratiæ, non intrinsece, & secundum essentiam gratiæ; sed extrinsece, & objective, quatenus ad infinitos homines gratificandos potest se extendere : quod est esse infinitam non categorematice, & in actu, sed sincategorematice, & in potentia. Et merito: nam gratia habitualis Christi, esto conjuncta cum Deo, est tamen realiter distincta a Deo, est gratia creata, participata: sicut ergo hæc ratione in esse entis, & qualitatis est finita actu, quia est ens realiter a Deo distinctum, creatum, participatum : ita cum etiam sit talis in ratione gratiæ, actu intrinsece finita censenda est. Eo vel maxime: quod cum ratio entis, & qualitatis sit gradus genericus ad rationem gratiæ; non poterit secundum illud esse finitam, secundum istam esse actu infinitam : ex duobus enim prædicatis identificatis, quorum unum est superius, aliud inferius, non potest unum esse finitum, aliud infinitum; sicut nec potest unum esse naturale, alterum supernaturale, ut in *Tract. de Visione Dei* docent Nostrates.

§. III.

Solutio Objectionum contra Dicta.

VII. OMnes fere objectiones militant contra secundam partem nostri Asserti: unde objicitur primo sic. Gratia, quæ replet capacitatem infinitam, simpliciter finita non est : sed gratia habitualis Christi replet totam capacitatem humanitatis, quæ est simpliciter infinita ; ergo &c.

VIII. Respondeo primo, dist. major. Quæ replet, reducendo eam in actum totam simul, conc. maj. Reducendo eam in actum solum successive, nego maj. Et eodem modo, dist. min. nego cons. Cum ergo gratia Christi repleat quidem totam capacitatem humanitatis ; non tamen eam reducendo in actum totam simul, sed successive: ideo sicut capacitas ipsa esto sincategorematice, & in potentia infinita, actu tamen finita est : ita & gratia habitualis Christi erit quidem infinita in potentia, actu tamen erit finita.

IX. Respondeo secundo, dist. major. Quæ replet omni modo, conc. maj. Quæ replet uno tantum modo, nego major. & similiter ad min. Cum enim in anima Christi sit capacitas & ad extensionem gratiæ, & etiam ad intensionem; gratia replet quidem totam capacitatem ad extensionem, & hoc modo evadit infinita extensive : sed quia non replet totam capacitatem etiam ad intensionem, ideo remanet finita intensive; & consequenter non est infinita omni modo, & simpliciter adhuc in ratione gratiæ. Sicut si daretur linea infinitæ longitudinis, sed non infinitæ extensionis, non esset simpliciter infinita in genere quantitatis ; quia non esset infinita in qualibet dimensione quantitativa.

X. Sed contra hanc responsionem instatur. Gratia, quæ nullo modo potest augeri, replet omni modo capacitatem subjecti: sed gratia in Christo nullo modo potuit augeri, ut docet S. Thom. hac *q.* 7. *art.* 12. quia attingit ad ultimam perfectionem, quam gratia in ratione gratiæ potest habere. Ea *q.* 29. *de Verit. art.* 3. concludit gratiam Christi esse in perfectione gratiæ infinitam: quia cum infinitis modis possit considerari perfectio alicujus, quantum ad gratiam, nullus eorum defuit Christo.

XI. Hæc instantia tangit gravem difficultatem: An gratia Christi fuerit capax augmenti. Nec de mente Sancti Thomæ apud ejus discipulos satis constat. Ut tamen majori brevitate meum sensum aperiam, distinguo minor. Non potuit augeri de potentia Dei ordinaria, & attento ordine præsenti divinæ sapientiæ, conc. min. Spectata potentia Dei absoluta, subdistinguo. Non potuit augeri extensive, & ad altiorem finem, conc. ant. In se, & intensive, nego antec.

Supponit hæc responsio, gratiam Christo, attento ordine statuto a divina sapientia in præsenti ordine rerum, fuisse etiam intensive summam ; ut de lege ordinaria intensive augeri non potuerit — Supponit etiam, nec de potentia Dei absoluta potuisse augeri, per comparationem ad suum finem, qui est unio creaturæ rationalis ad Deum : cum non possit, neque excogitari, major unio creaturæ rationalis ad Deum, quam ea, quæ est in persona — Supponit etiam ; nec de potentia Dei absoluta potuisse augeri augmento extensivo; quia non potest amplius, & amplius extendi, nec ad plura subjecta gratificanda, quam extendatur in Christo — Supponit tandem cum S. Thoma, in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 4. ad 3. *Quod gratia Christi quamvis secundum essentiam esset finita ; tamen secundum quid fuit infinita : in quantum scilicet erat dispositio congruitatis ad unionem, & in quantum concurrebat ad operationem Christi, qui erat virtutis infinitæ ex hoc, quod erat persona divina ; & aliis modis. Et ex hoc habebat, quod non poterat augeri.*

Negat tamen constanter, gratiam Christi habitualem fuisse ita summam intensive, ut nec de potentia Dei absoluta potuerit augeri, & magis, magisque intendi. Nam gratia Christi non minus, quam charitas, quæ est ejus proprietas, est in infinitum augmentabilis secundum intensionem. Cujus rationem dat S. Thomas. Tum ex parte ejus, ad quod acceditur, qui est Deus dilectus; & qui cum sit in infinitum distans, non potest creatura ita ad eum accedere, quin ei plus, & plus supersit accedendum. Tum ex parte ejus, qui accedit, nempe, ipsa anima, quæ *Quanto plus recipit de bonitate divina, & lumine gratiæ ipsius, tanto capacior efficitur ad recipiendum: & ideo quanto plus recipit, tanto plus potest recipere.* Ita S. Thom. in 1. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 4. citato *in Corp.* Cui concordant ea, quæ docet, hac 3. *p. q.* 7. *art.* 12. *ad* 2. Ubi dicit, gratiam Christi esse terminatam, & taxatam a divina sapientia, quod est idem, ac a lege præsentis suæ providentiæ. Quod si dicit majorem gratiam neque esse, neque intelligi posse, quam gratia Christi: respondet ibi, non posse intelligi majorem per comparationem ad finem : quia Deus *Non posset facere, quod ordinaretur ad aliquid majus quam sit unio personalis ad Filium Unigenitum.* Cum hoc stat tamen, quod Deus, ad ostendendam suam virtutem, posset producere majorem, & majorem gratiam intensive: cum hoc modo augeri possit in infinitum, & virtus Dei infinita sit. Et tandem : cum anima Christi non videat Deum adæquate, & comprehensive: sequitur, quod visio ejus possit intensive augeri, consequenter lumen ejus gloriæ, & gratia habitualis. Nam crescente visione Dei, oportet, ut crescat gratia, sicut & lumen, quod in gratia radicatur. Sed hæc satis.

XII. Objicies secundo. Gratia Christi fuit summa, & sine mensura, Joann. 2. v. 34. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio :* at quod datur sine mensura in his, quæ in infinitum possunt crescere, est infinitum ; ergo &c.

Respondet S. Thom. hac *quæst.* 7. *art.* 51. *ad* 1. allegata Joannis verba tripliciter exponi: *Uno modo de dono, quod Deus Pater ab æterno dedit Filio, scilicet, divinam naturam, quæ est donum infinitum. Alio modo, potest referri ad donum, quod datum est humanæ naturæ, ut uniatur divinæ personæ, quod etiam est donum infinitum. Tertio modo, potest referri ad gratiam habitualem, in quantum gratia Christi se extendit ad omnia, quæ sunt gratiæ:* quod dicitur esse sine mensura, quia est cum plenitudine.

XIII. Si autem dicas. Christo data fuit gratia habitualis ad mensuram gratiæ unionis, sed gratia unionis est donum infinitum; ergo &c.

Respondeo, gratiam habitualem datam fuisse Christo ad mensuram proportionalem, & geometricam gratiæ unionis ; non autem ad mensuram arithmeticam, ut tanta sit gratia habitualis, quanta est gratia unionis : sed ut sicut gratia unionis est omnium maxima ; ita gratia habitualis in suo genere sit omnium maxima.

XIV. Objicies tertio. Si Gratia Christi in esse gratiæ esset finita, posset alterius hominis gratia crescere ad æqualitatem cum gratia Christi; quia omne finitum, per additionem finiti, pervenire potest ad quantitatem cujuscumque finiti: sed hoc est falsum; ergo &c.

Respondeo cum D. Thom. mox citato, ad 3. *Quod minus per augmentum potest pervenire ad quantitatem majoris, in his, quæ habent quantitatem unius rationis. Sed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Christi, sicut quædam virtus particularis ad universalem : Unde sicut virtus ignis quantumcumque crescat, non potest adæquare virtutem Solis : ita gratia alterius hominis quantumcumque crescat, non potest adæquare gratiam Christi.*

XV. Objicies quarto. Virtus potens producere infinitos effectus sine termino, debet esse infinita simpliciter, hac enim ratione fatemur esse infinitam potentiam Dei : sed gratia habitualis Christi potens est sanctificare infinitos homines sine termino, si darentur, nedum moraliter, sed etiam physice; ergo &c.

Si respondeas, dist. maj. Virtus potens principaliter, conc. maj. Potens instrumentaliter; nego maj. Hæc enim arguit infinitatem non in ipso instrumento, sed in causa principali. Cum ergo virtus gratiæ in Christo potens justificare infinitos homines, sit solum instrumentalis, non arguit, virtutem gratiæ esse infinitam ; sed esse infinitam virtutem Dei, cujus gratia est instrumentum.

XVI. Contra instatur. Si ignis esset infinitæ activitatis, calor ejus deberet esse infinitus; quia calor licet sit instrumen-

mentum ignis, est tamen instrumentum conjunctum: sed gratia Christi est quidem instrumentum divini Verbi, potentis infinitos homines justificare, sed est instrumentum ei conjunctum; ergo debet esse virtutis infinitæ, sicut est Verbum.

XVII. Respondeo, aliter connjungi calorem cum igne, aliter gratiam habitualem cum Verbo. Nam conjunctio caloris cum igne est conjunctio virtutis accidentariæ cum sua forma substantiali, cui intrinsece subordinatur, & cujus est intransitive virtus; & proprie: unde non mirum, si ab ea totam virtutem recipiat, & si ignis esset infinitus, calor quoque infinitus esset: quia posita essentia infinita, virtutes ab ea manantes, eique inservientes debent esse infinitæ. At conjunctio gratiæ cum Verbo non est conjunctio virtutis, seu proprietatis cum sua forma, seu essentia, sed est conjunctio suppositalis, seu ratione suppositi; quia nimirum gratia ponitur in anima, quæ suppositaliter est unita Verbo. Cum autem suppositum per se non det, nec augeat virtutem causativam, sed tantum compleat naturam in esse substantiali; non sequitur ex conjunctione ad Verbum infinitum, gratiam fieri virtutis actu infinitæ.

XVIII. Objicies quinto. S. Thomas in *3. dist. 12. q. 1. art. 2. q. 2. ad 2.* expresse dicit, quod gratia Christi nulla major esse possit, cujus capacitas creata sit capax: & quod licet Deus posset multa alia facere, hæc non pertinerent ad rationem gratiæ: sicut homini multas alias perfectiones naturales, & essentiales; sed hæc non essent de ratione hominis, & esset alia species, non homo.

XIX. Sed respondeo S. Thomam ibi aperte loqui, non de augmento graduali, & intensivo, sed de augmento essentiali, & specifico. Cum enim gratia in Christo omnes perfectiones habeat in specie gratiæ creatæ: tum ex parte finis, quia conjuncta est Deo in esse personali: tum ex parte virtutis, quia ad omnes effectus gratiæ potest se extendere: si Deus gratiam cum majori perfectione crearet, idest, per ordinem ad altiorem finem, vel altiori virtute; istius non esset capax creatura, quia non esset gratia creata, nec ejusdem speciei cum gratia præsenti. Sicut si homini adderetur alia perfectio essentialis, puta, ad alias ulteriores specie operationes, non esset eadem, sed alia species hominis. Vult ergo S. Thom. gratiæ Christi nil posse addi elevans ipsam ad altiorem statum, vel ipsam ordinans ad altiorem finem: quia sicut non potest esse gratia major gratia comprehensoris: ita nec gratia major (quoad elevationem, & conditionem status) quam creaturæ unitæ Deo in persona.

XX. Sed dices primo. Gratia Christi, secundum Sanctum Thomam fuit in termino; ergo non erat amplius augmentabilis.

Secundo. Perfectio non excedit capacitatem perfectibilis: sed capacitas animæ finita est; ergo non potest recipere gratiam, nisi ad perfectionem finitam, & nisi usque ad perfectionem finitam; ergo non est in infinitum augmentabilis.

XXI. Hæc Objectio pugnat contra se. Nam si gratia Christi est in termino; si capacitas animæ, quia finita non potest recipere gratiam, nisi ad certum terminum; ergo gratia animæ Christi non est actu infinita. Attamen.

Respondeo ad primum, gratiam Christi esse in termino, attenta connaturali dispositione subjecti, seu de lege ordinaria, non de absoluta potentia Dei.

Vel dicatur, esse in termino, quantum ad extensionem, & comparate ad finem: non tamen esse in termino quantum ad intensionem, seu gradualem perfectionem.

XXII. Ad secundum respondeo ex S. Thom. in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 4. ad 1. *quod quamvis capacitas animæ sit finita in actu: tamen potest plus, & plus in infinitum elongari, secundum quod plus, & plus recipit. Nunquam tamen erit infinita, nec recipiet perfectionem infinitam. Sicut etiam patet in additione numeri, qui in infinitum est possibilis, nunquam tamen est aliquis numerus infinitus in actu; quia potentia additionis numerorum . . . . non est una, sed semper ex nova additione efficitur alia potentia in numero, secundum quod efficitur nova species numeri. Unde quilibet potentia potest exire in actum; non tamen potest esse, ut omnes exeant in actum, quia in quolibet actu additur etiam potentia. Et ita est etiam hoc de capacitate animæ.* Hæc Sanctus Thomas. Ubi adverto, quod in anima respectu gratiæ duplex est capacitas. Una est remota, & radicalis: & hæc est potentia obedientialis, quæ nunquam augetur: est enim ipsa entitas animæ intrinsece, & positive finita; infinita autem negative, & terminative, idest, non ad tantum, quin ad majus. Altera est capacitas proxima: & hæc augetur per susceptionem novi gradus gratiæ; quatenus per illum quodammodo disponitur, & fit magis idonea ad ulteriorem gradum —— In Christo tamen de facto hæc proxima capacitas non crevit; quia ab initio simul jure connaturalitatis, ex unione ad Verbum, habuit omnem gratiæ perfectionem sibi competentem. Quia, ut ait Sanctus Thomas in 3. distinct. 13. quæst. 2. artic. 2. quæst. 3. ad 1. *Anima Christi fuit ab initio conceptionis sui ultimo unita, non solum per fruitionem perfectam, sed etiam communicando in persona Verbi: & ideo gratia ejus crescere non potuit;* De potentia tamen absoluta Dei crescere potuisset.

Pro quo adverto: quod esto nec de potentia Dei absoluta possit dari major unio creaturæ cum Deo, quam unio in esse personali: poterit tamen eadem potentia dari major unio cum Deo per cognitionem, & amorem, quam fuerit cognitio, & amor Christi, ideoque etiam gratia habitualis major, cum ex dictis cognitio, & amor Dei in Christo non adæquent, nec comprehendant Deum. Neque gratia habitualis connaturaliter sequitur gratiam unionis, sequela physica, per modum proprietatis, sed sola sequela decentiæ, & morali. Nam gratia unionis potuisset de potentia absoluta esse absque gratia habituali; quæ proinde non producitur eadem actione, qua gratia unionis, sed diversa: & ideo non sequitur naturam gratiæ unionis. Alioquin deberet esse simpliciter, & in genere entis infinita; sicut est ipsa persona Verbi, quæ formaliter est gratia unionis.

§. IV.

Posterior Resolutio.

XXIII. Dico secundo. Gratia habitualis Christi dici potuit infinita simpliciter in esse gratiæ, infinitate morali, & moralis dignitatis. Hoc puto voluisse S. Thom. dum ait, gratiam Christi dici posse infinitam. Non enim majoris dignitatis, & æstimabilitatis dari, aut concipi potest gratia habitualis creata, quam gratia conjuncta in persona cum Deo, seu gratia Dei hominis. Et prob. Si enim opera meritoria, & satisfactiones Christi erant infiniti valoris, & dignitatis; quia in illis merebatur, & satisfaciebat persona Verbi, unde erant operationes Dei: ergo similiter gratia habituali Christi, qua utebatur Verbum ad eliciendas tales actiones infinitæ dignitatis, tamquam principio *Quo*, debuit infinitam dignitatem accipere a Verbo in esse gratiæ, & ratione principii merendi, & gratificandi, quod est proprium gratiæ.

XXIV. Confirmatur. Humanitas Christi, ex vi unionis ad Verbum, participat infinitam dignitatem: unde, ut docet S. Thom. *3. p. q. 25. art. 1.* humanitatis Christi, & divini suppositi una, ac eadem est adoratio; ergo a fortiori una, & eadem est dignitas Verbi, & gratiæ Christi; & ipsa ex unione hypostatica participabit eamdem dignitatem Verbi, eritque in tali genere infinita.

XXV. Sed argues primo. Gratia Christi acceptatur ad finitam gloriam; sed si esset dignitatis simpliciter infinitæ, deberet acceptari ad præmium infinitum: ergo &c.

Respondeo, dist. min. Si gloria, aut præmium corresponderet ei titulo meriti, transeat min. Si ei correspondeat solum titulo connaturalitatis, nego min. Dupliciter potest quis acceptari ad gloriam, nempe, titulo meriti, & juxta meritorum proportionem, quæ acceptatio est moralis, & secundum valorem meritorum. Sed hoc modo non fuit Christus acceptatus ad gloriam: quia illam non habuit ex meritis, sed vi unionis hypostaticæ. Alio ergo modo potest quis acceptari ad gloriam, titulo connaturalitatis, & proportionis, quam habet gratia ad ipsam gloriam. Quia sicut terra per gravitatem proportionatur centro, coaptatione quadam naturali; ita Justus per gratiam connaturaliter coaptatur gloriæ, & jure connaturalitatis illi debetur: hujusmodi autem passiva acceptatio ad gloriam pertinet ad ordinem physicum, non moralem; sicut coaptatio terræ per gravitatem ad centrum est physica. Cum ergo hoc modo fuerit acceptata gratia Christi ad gloriam; & anima Christi fuerit glorificata non ex aliquo merito, sed ex physica exigentia gratiæ, & proportionabiliter ad dispositionem, qua anima Christi erat disposita per gratiam habitualem; & gratia habitualis in Christo fuerit physice finita, ut vidimus: non mirum, si ei gloria finita data fuit.

XXVI. Sed replicabis. Esto gratia Christi non fuerit acceptata ad gloriam animæ titulo meriti; fuit tamen acceptata titulo meriti ad gloriam corporis: sed gloria corporis Christi est simpliciter finita; ergo dignitas gratiæ erat finita.

Urgetur instantia. Nam de potentia absoluta Dei fieri potuit, ut animæ Christi daretur gloria ex meritis in ipsa præcedentibus: sed adhuc illi daretur gloria non infinita, sed finita; ergo gratia, neque in esse moralis meriti, erat in Christo moralitatis infinitæ.

XXVII. Respondeo, dist. min. Est simpliciter finita, quia in principio merendi non fit valor infinitus, nego min. Quia in præmio non est capacitas, ut fit infinitum, cone. min. Quod ergo gratia Christi non meruerit gloriam corporis infinitam, non fuit, quia in gratia, quæ est principium merendi, non fuerit valor, & dignitas moralis infinita; cum de facto merita Christi, quibus illam meruit, fuerint valoris simpliciter infiniti: sed fuit ex repugnantia ex parte facti, quia, nempe, repugnat gloria corporis infinita. Cæterum si posset dari gloria corporis infinita, ad hanc promerendam, valorem, & dignitatem gratia Christi habuisset. Sicut Dei omnipotentia, quamvis, ob repugnantiam ex parte facti, nequeat effectum actu infinitum producere, est tamen de se infinita simpliciter; quia hoc non est ex defectu virtutis in ipsa, sed ex defectu facti, quia non potest fieri: alias si esset infinitum, esset factum, & non esset factum.

Ad id,

Ad id, quod urgetur, dico, quod gloria animæ correſpondens meritis gratiæ Chriſti, ſi correſponderet meritis præcedentibus unionem cum Verbo, eſſet a gratia, ut finita, tam in genere phyſico, quam morali; ſicut & finita eſſent illa merita præcedentia unionem, a qua ſola hauriunt valorem infinitum. Si vero ſupponatur, quod Chriſtus potuerit mereri gloriam animæ, per merita ſubſequentia unionem; dico, quod in illo caſu mereretur gloriam finitam, non ex defectu valoris in gratia, & in merito, ſed ex repugnantia facti: quia nimirum, repugnat viſio Dei, quæ creata ſit, & infinita.

XXVII. Argues ſecundo. Non ſufficit conjunctio gratiæ Chriſti cum perſona divina, ut dicatur infinita moraliter in eſſe gratiæ; ergo &c. Ant. prob. Nam etiam albedo in Chriſto erat conjuncta cum perſona Verbi: & tamen dignitatem infinitam in eſſe albedinis non habebat.

XXIX. Reſpondeo nego ant. Ad prob. dico, omnia quidem Verbo conjuncta ex hoc induiſſe quodammodo dignitatem moraliter infinitam, non tamen infinitatem in propria linea ſortiebantur, niſi ea, quæ ex vi ſuæ lineæ erant capacia dignitatis intrinſecæ. Hæc autem fuere omnia ſpectantia ad naturam intellectualem, cujus eſt proprium habere dignitatem. Quare ratio perſonæ, quæ ſolius naturæ intellectualis eſt propria, addit ſupra rationem communem ſuppoſiti aliquid ſpectans ad dignitatem, ut docet S. Thom. 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 2. & *art.* 3. *in Corp.* Quia nimirum, eſt propria naturæ intellectualis capacis dignitatis. Cum ergo gratia ſit propria natura intellectualis, & afferat, ex vi ſuæ lineæ, dignitatem intrinſecam; ſi conjugatur cum perſona infinite digna, evadit in eſſe gratiæ infinite digna. Secus de albedine, quæ cum ex ſua linea non dicat dignitatem, ex conjunctione cum Verbo non accipit infinitatem, niſi extrinſecam, ſeu reſpectivam ad perſonam: eo modo, quo veſtes, & alia, quæ in Chriſto erant, dici poterant infinite digna.

XXX. Argues tertio. Gratia Chriſti eſt finita in eſſe phyſico, quia recipitur in anima Chriſti, quæ eſt capacitatis finitæ: ſed etiam in eſſe morali recipitur in anima Chriſti; ergo &c.

Rurſus: hæc moralis infinitas eſt quidam modus realis in ipſa gratia productus a Verbo: vel actione nova, vel ex ipſa conjunctione naturaliter reſultans; ergo eadem difficultas eſt de hoc modo infinitatis moralis, quoad infinitatem, ac de modo infinitatis phyſicæ.

XXXI. Reſpondeo, nego min. Dignitas enim moralis, non eſt in anima Chriſti ad modum formæ receptæ in ipſa; ſed eſt in illa per conjunctionem moralem ejus, & gratiæ fundatam in conjunctione phyſica cum infinita dignitate Verbi, ratione cujus eadem dignitas, & æſtimabilitas Verbi, ſit æſtimabilitas animæ, & gratiæ Chriſti: eo modo, quo ejuſdem æſtimabilitatis erant opera Chriſti, ac ipſa perſona Verbi, cujus erat: cum actiones ſint ſuppoſiti, vel perſonæ.

Ad id, quod additur, dico, diverſam eſſe rationem de modo phyſico, ac modo morali, & de infinitate modi phyſici, ac modi moralis, ſeu dignitatis. Nam modus phyſicus eſſet entitas phyſica abſoluta, non conſequens neceſſario unionem hypoſtaticam ad modum relationis; ſed egeret aliqua actione, qua Verbum, ut eſt humanum ſuppoſitum, illum neceſſario in humanitate produceret. Cumque ſuppoſitum, in ratione ſuppoſiti, ex ſæpe dictis, non ſit principium activum, ſed pure completivum naturæ; non poſſet illum producere, & maxime actione non libera, ſed neceſſaria: quia modus ille deberet neceſſario in humanitate produci. Hinc fit, quod modus ille phyſice infinitus repugnat. At moralis infinitas cum per modum relationis, neceſſario ſequatur ad actionem unitivam humanitatis cum perſona divina, ex eo enim, quod exiſtit in digniore ſe, vadit dignior, non requirit novam actionem, ſed poſita unione, ut fundamento, ſe ipſa conſequitur; & ſtatim ipſa dignitas infinita Verbi, ſequela neceſſaria, & inimpedibili, fit dignitas etiam humanitatis ipſi in perſona conjunctæ.

Dubium III.

An Chriſtus ſit Caput omnium Hominum?

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. UT certum ſuppono, rationem Capitis convenire Chriſto, ut homini; primario quidem ratione animæ, ſecundario vero etiam per corpus, ratione animæ: hoc enim docet S. Thom. 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 2. Non primario quidem pro homine poſuit animam ſuam, & ſecundario tradidit corpus ſuum; dum corporali paſſione lavit hominem, & redemit in ſanguine ſuo.

II. Certum quoque habeo, ex S. Thom. ibi, Chriſtum hominem eſſe Caput cæterorum hominum, ſumptorum nedum quoad animam, ſed etiam quoad corpus, licet principalius quoad animam. Nam in hac vita influit virtutem, & vires etiam in corpora; ut ſerviant animæ ad ſalutem, ut efficiantur organa juſtitiæ, & ut cor, & caro in ipſum exultant; ut facilius operentur virtutes, & tolerent paſſiones: & tandem omnia bona corporis, quæ ſunt media utilia ad ſalutem æternam, dantur per Chriſtum, & per ejus influxum. Item in futura vita influet Chriſtus corporum reſurrectionem, vitam immortalem, & omnes dotes corporis glorioſi. Hæc omnia S. Thomas claudit his verbis: *Tota Chriſti humanitas, ſecundum ſcilicet animam, & corpus, influit in homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus; ſed principaliter quantum ad animam, ſecundario quantum ad corpus. Uno modo, in quantum membra corporis exhibentur arma juſtitiæ in anima exiſtenti per Chriſtum, ut Apoſt. dicit, Rom. 6. Alio modo, in quantum vita gloria ab anima derivatur ad corpus, ſecundum illud, Rom.* Qui ſuſcitavit Chriſtum Jeſum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.

III. Certum etiam eſt. Chriſtum non eſſe Caput omnium creaturam, ſi hæ præciſe conſiderentur in ordine naturali, ſine ſubordinatione ad finem ſupernaturalem. Nam creaturæ in eſſe naturali non ſunt factæ propter Chriſtum, neque ex meritis Chriſti. Quia Chriſtus non fuit volitus, ut Conditor creaturarum, ſed ut creaturæ jam conditæ Redemptor, ac Reparator. Inde Gratia Chriſti, quam commendat Paulus, *Rom.*8. ait S. Auguſt. *Epiſt.* 105. modo 194. *cap.* 3. non fuit gratia, qua *Creati ſumus ut homines eſſemus;* ſed *qua juſtificati ſumus, cum mali homines eſſemus.*

IV. Quare immerito Petrus Galatinus, *lib.* 7. *de Arcanis Catholicæ veritatis, cap.* 2. ex quorumdam Rabbinorum opinione dixit: quod cum Deus prævideret peccatum Adæ, & aliorum hominum, nolebat concedere mundum. Poſtea videns eximiam Chriſti & B. Virginis ſanctitatem, decrevit creare mundum. Neque illi favent Apoſtoli verba, *ad Coloſſ.* 1. *v.* 15. ubi Chriſtus appellatur *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis, & in terra &c.* —— Non, inquam. Nam cum in Chriſto ſit duplex natura, divina, & humana; quædam ex illis, quæ ibidem aſſerit Apoſtolus, conveniunt Chriſto ſecundum naturam divinam: & ratione hujus dicitur *Primogenitus omnia creaturæ*, quia eſt ante omnem creaturam ab æterno genitus, & in ipſo coudita ſunt univerſa in tempore: quia *In principio*, ideſt, in Verbo creavit Deus in tempore Cœlum, & terram, *& omnia per ipſum facta ſunt*, ut ait Joan. *cap.* 1.

Si tamen dicatur, creaturam omnem, jam conditam, ſubjectam fuiſſe, & traditam Chriſto, ut ea uteretur, eamque ordinaret ad finem gratiæ, & gloriæ; in quo ſenſu dicebat ipſe, Lucæ 10. v. 22. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo;* & ad quem finem omnia recipiunt influxum ab ipſo; ſic concedimus Chriſto rationem Capitis reſpectu omnium.

§. II.

Quorum Hominum Chriſtus ſit Caput.

V. NOto primo, idem eſſe judicium de iis, qui pertinent ad Eccleſiam (quæ eſt corpus Chriſti myſticum) tamquam membra, ac de iis, qui pertinent ad Chriſtum, tamquam Caput: Chriſtus enim eſt Caput dumtaxat corporis, quod eſt Eccleſia, juxta illud, ad Coloſſ. 1. v. 18. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ.* Non tamen hic ſumimus Eccleſiam in ſtricta tantum acceptione, ut pertinet ad ſtatum legis novæ; quæ definitur a Catholicis, contra Lutheranos, quod ſit: *Collectio Fidelium baptizatorum ſub uno Capite Chriſto in Cœlis, & ejus Vicario in terris:* quæ definitio ſolum convenit Eccleſiæ ſecundum peculiarem legis Evangelicæ ſtatum: quia in lege naturæ, aut ſcripta, nec erat Fideles baptizati, nec unus Vicarius in terris. Sermo igitur eſt de Eccleſia, prout definitur, quod ſit; *Collectio omnium Fidelium, qui habuerunt, vel habituri ſunt fidem in Deum, & in Chriſtum.* Qua ratione dicitur eſſe una Eccleſia, quæ fuit ab initio mundi, & durabit uſque in finem. Immo Eccleſia Triumphans eſt etiam eadem cum Militante, eſto habens diviſum ſtatum; quia omnes Beati fuerunt hic juſtificati ex fide, & meritis Chriſti. Quare S. Thom. 3. *part. q.* 8. *art.* 3. dicit, quod *Hæc eſt differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Eccleſiæ myſticum: quod membra corporis naturalis ſunt omnia ſimul; membra autem corporis myſtici non ſunt omnia ſimul. Neque quantum ad eſſe naturæ: quia corpus Eccleſiæ conſtat ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi uſque in finem ipſius.*

VI. Noto ſecundo, ex eodem S. Doctore: inter membra corporis naturalis, & myſtici hanc aliam eſſe differentiam; quod iſta *Neque ſimul ſunt quantum ad eſſe gratiæ, quia eorum etiam, qui ſunt in uno tempore, quidam gratia carent, poſtmodum eam habituri; aliis jam habentibus.* Ex quibus patet, rationem membri corporis myſtici potiſſimum conſiſtere in hoc, quod aliquo modo invicem colligentur; & uniantur Capiti Chriſto, in ordine ad participandum ab eo aliquem motum, ſeu influxum actu, vel potentia; quo ad Vitam ſupernaturalem ordinentur, & dirigantur; & ideo eo modo, quo quis ſe habet in participatione ad iſtum finem, ſic ſe habet in ratione membri. Hinc fit, quod eſto Damnati aliquid accipiant a Deo ex meritis Chriſti, nempe, reſurrectionem, & immortalitatem

tatem corporum, post diem judicii, quæ supernaturalis est, & ex meritis Christi: quia tamen hæc non recipiunt in ordine ad unionem cum Christo Capite, neque ad participationem vitæ supernaturalis, a qua sunt in æternum exclusi; nullo modo, neque in potentia, dicantur membra Christi. Sicut excrementa corporis naturalis, & humores superflui, etiamsi aliquid caloris naturalis participent; nullo modo dicuntur membra, quia ad participationem vitæ totius corporis nullatenus ordinantur.

VII. Noto tertio: quod sicut in corpore naturali omnia membra uniuntur quidem cum capite, sed non omnia secundum eumdem gradum vitæ; neque omnia participant influxum in ordine ad easdem operationes; ita neque etiam omnia membra corporis mystici uniuntur eodem modo cum Christo Capite, sed secundum diversos gradus, quos S. Thomas, hac *quæst.* 8. *art.* 3. reducit ad quinque, *Primo enim* (inquit) *& principaliter est Caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam. Secundo, eorum, qui actu uniuntur sibi per charitatem. Tertio, eorum, qui actu uniuntur sibi per fidem. Quarto vero eorum, qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda, secundum divinam prædestinationem. Quinto vero eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, quæ nunquam reducetur ed actum; sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati. Qui tamen ex hoc sæculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi: quia jam nec sunt in potentia, ut Christi uniantur.* Membra primo modo sunt Beati in Cælis. Secundo, Justi hic degentes. Tertio, peccatores fideles. Quarto Infideles, qui aliquando convertentur ad fidem. Quinto, Infideles, qui ad finem nunquam convertentur. De hoc videndus est etiam S. Thom. *in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 2. quæst. 2.*

§. III.

Resolutiones Dubii.

VIII. Dico primo. Christus generali quadam ratione est Caput omnium hominum, secundum omne tempus Mundi. Probatur. Quia Christus dicitur Salvator omnium hominum, & propitiatio pro peccatis totius Mundi: *Qui dedit semetipsum pro omnibus* (1. ad Timoth. 2. v. 6.) ergo in omnes influxit Christus quovis tempore, saltem sufficientia, ut possent ipsi uniri, ut Capiti, & fieri membra ejus.

IX. Dico secundo. Christus est actu Caput omnium hominum, qui sibi uniuntur per fidem, & charitatem, & alia dona supernaturalia, quæ fidem, & charitatem consequuntur. Prob. Tum quia: hæc omnia non habent, nisi per ipsum. Unde Christo, respectu istorum, conveniunt omnes conditiones ad rationem Capitis, ut supra diximus, *Dub.* 1. requisitæ. Tum quia, ut aliquid sit actu membrum alicujus capitis, requiritur, & sufficit, ut conveniat cum illo in radice vitæ, & ab illo participet aliquem gradum vitæ proprium illius corporis: sed inter gradus vitæ hujus corporis mystici, cujus Christus est Caput, ut præcipui recensentur fides, & charitas; ergo &c.

Hoc explicat S. Thom. *in 3. dist. 13. q. 2. art. 2. q. 2. ad 1.* sic: *Sicut in corpore naturali vires diffusæ per omnia membra differunt numero, secundum essentiam, sed conveniunt in radice una, secundum numerum; &, præter hoc, habet formam unam ultimam numero, ita etiam omnia membra corporis mystici habent pro ultimo complemento Spiritum Sanctum, qui est unus numero in omnibus: & ipsa charitas diffusa in eis per Spiritum Sanctum, quamvis differat in diversis, secundum essentiam, convenit tamen in una radice, secundum numerum. Radix autem operationis proprie est ipsum objectum, ex quo speciem trahit. Et ideo in quantum est idem numero amatum, & creditum ab omnibus; secundum hoc unitur omnium fides, & charitas in una radice, secundum numerum, non solum prima, quæ est Spiritus Sanctus; sed etiam proxima, quæ est proprium objectum.* Ita S. Thomas.

X. Ex præfatis duabus Assertionibus colligitur primo: Christum, etiam antequam fieret homo, fuisse actu, & vere Caput Justorum antiquæ Legis. Omnes enim acceperunt a Christo in genere causæ finalis, & ex meritis ejus prævisis fidem, & alia supernaturalia dona. Et sic quamvis non esset Caput illorum, secundum omnem rationem; secundum quam est Caput nostrum; quia in illos effective non influebat, sicut modo in nos influit: ille tamen influxus in genere causæ finalis, & meritoriæ, quo gratia conferebatur, & fides ex Christo ut fine, & meritis ejus a Deo prævisis, sufficiens erat ad rationem Capitis.

XI. Nec valet, veteres Patres adhæsisse Sacramentis, & Ecclesiæ veteri, non tamquam rebus, sed sicut imaginibus, & umbris Ecclesiæ præsentis: sicut autem umbra non est corpus; nisi æquivoce; ita nec veteres Patres potuerunt pertinere ad Ecclesiam, & Christum, & ejus membra esse, nisi æquivoce.

XII. Nam respondetur cum Sancto Thoma, citata q. 8. art. 3. ad 3. *Quod Sancti Patres non insistebant Sacramentis legalibus, tamquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus, & umbris futurorum. Idem autem est motus in imaginem, in quantum est imago, & in rem; ut patet per Philosophum in lib. de Memoria, & Reminisc. c. 2. Et ideo antiqui Patres, servando legalia Sacramenta, ferebantur in Christum per fidem, & dilectionem eamdem, qua & nos in ipsum ferimur: & ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus.*

XIII. Colligitur secundo; ut diximus, *Tom. 1. de Loc. Theol. Quæst. 3. Dub. 4. §. 3. n. 24.* quemcumque Fidelem, etsi in peccato mortali existat, esse actu membrum Christi, sed imperfectum; quia imperfecte solum participat gradum vitæ spiritualis, nempe, *per fidem informem*, ut docet S. Thom. art. 8. citato ad 2. *qua unit Christo, secundum quid, & non simpliciter; ut scilicet, per Christum homo consequatur vitam æternam.* Fides *enim* sine operibus mortua est, *ut dicitur, Jacobi 2. Percipiant tamen tales a Christo quemdam actum vitæ, qui est credere: sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine.* Dici tamen etiam possunt membra in potentia, comparate ad perfectiorem vitam charitatis, quam non habent, sed habere possunt: sicut sanguis in animali esto actu sit pars ejus, quia tamen est in potentia, ut fiat caro, dicitur esse in potentia pars. Recolantur quæ diximus, loco supra citato, ex Div. Thom. in *3. dist. 13. q. 2. art. 2. q. 2.*

XIV. Contrarium senserunt quarto sæculo Donatistæ, & Rogatistæ volentes, Christum, & Ecclesiam solos Justos, ac Prædestinatos complecti; ceteros velut Æthnicos, & Publicanos habendos esse. Hunc errorem a Patribus illius sæculi, præsertim S. Augustino, extinctum, excitavit sæculo decimoquinto Joannes Hus; quem secuti fuerunt Joann. Wicleffus, Lutherus, & Calvinus, hoc falso principio moti, quod quolibet mortali peccato amittatur fides. Quod rejicimus, *Tom. 1. in 2. 2. Tr. de Fide Quæst. 3. Dub.* 4. Ecclesiam vero continere etiam peccatores fideles demonstrat primo: Christus, *Matth. 13. v.* 47. Ecclesiam comparans Sagenæ missæ in mari concludenti pisces bonos, & malos, solum in fine sæculi separandos. Secundo: Paulus, 2. *ad Timoth. 2. v.* 20. dicens: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quidam quidem in honorem: quidam autem in contumeliam.* Item Matth. 13. Ecclesia comparatur agro, in quo finitur crescere zizaniam cum tritico usque ad messem, idest, consummationem sæculi. Unde Chrysostomus, Homil. 22. in Matth. *Ecclesia* (inquit) *media est inter Cælum, quod est locus tantum bonorum, & Infernum, qui est locus tantum malorum: ipsa vero Ecclesia media est, qua indifferenter bonos, & malos colligit; quod figuratum est in arca Noe, ubi animalia mitia simul erant cum animalibus immitibus.*

XV. Si autem dicas primo. Apostolus, ad *Ephes. 5. v. 17.* vocat Ecclesiam *Non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi;* ergo peccatores maculati peccatis non pertinent actu ad ipsam.

Secundo, Peccatores sunt actu membra Diaboli; ergo non sunt actu membra Christi.

XVI. Respondeo ad primum, ex S. Thom. *3. p. q. 8. art. 3. ad. 2.* Apostolum loqui non de Ecclesia, quæ hic militat in terris: sed de ea, quæ triumphavit in Patria, & in Cælis. Unde Paulus dicit: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*: esse enim gloriosam, & sine macula est ultimus finis, ad quem perducetur per passionem Christi. Unde S. Augustinus adversus Donatistas, qui nolebant malos ad Ecclesiam pertinere, & præfatum Pauli testimonium opponebant, ait *Non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed qua præparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim, propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat:* Dimitte nobis debita nostra.

Ad secundum dico, peccatores fideles esse membra Diaboli, ratione peccati; sed non desinere esse membra Christi, in potentia tamen, vel etiam imperfecta, quousque retinent conjunctionem cum corpore, & cum Capite per fidem. Neque repugnat quod idem simul sit membrum unius, nempe, Diaboli, ratione unius, & adhuc non desinat esse membrum, imperfectum tamen, Christi, ratione alterius. Pro quo vivendus est S. Thom. in *3. dist. 13. q. 2. art. 2. q. 2.* ubi docet, quod sicut in corpore naturali membra quadrupliciter uniuntur. Primo, secundum conformitatem naturæ. Secundo, per colligationem ad invicem per nervos ac juncturas. Tertio, secundum quod vitalis spiritus, & vires animæ diffunduntur per totum corpus. Quarto, secundum quod omnia membra perficiuntur per animam, quæ una est in omnibus membris. Ita hæ quatuor uniones inveniuntur in corpore mystico. Prima, secundum quod omnia membra ejus sunt unius naturæ. Secunda, in quantum colligata sunt invicem per fidem, quia sic continuantur in uno credito. Tertia, secundum quod vivificantur per gratiam, & charitatem. Quarta, secundum quod in eis est Spiritus Sanctus, qui est ultima corpori mystici perfectio, & sicut anima in corpore naturali. Membra ergo, quæ tertio, & quarto modo uniuntur, sunt membra Christi in actu perfecto; quia a Capite vitæ spiritualis vires percipiunt, & in eis est Spiritus Sanctus, quasi anima vivificans: & tales sunt omnes Justi. Qui vero solum primo modo uniuntur, non uniuntur simpliciter; quia illud, in quo uniuntur, non est unum numero simpliciter; & tales sunt omnes homines etiam Infideles: Qui vero uniuntur solum secundo modo,

nempe,

nempe, per continuationem, & colligationem in uno credito, quales sunt Fideles peccatores; pertinent quidem ad corpus Ecclesiæ, in quantum continuatur per fidem, quæ facit unionem materialem: sed quia non continuantur per charitatem, quæ in hoc corpore est quasi forma, non possunt dici membra proprie, nisi sicut membrum aridum, & in potentia, actu tamen mortuum.

XVII. Ex his colligitur etiam contra Calvinum non esse distinguendam duplicem Ecclesiam: unam visibilem, in qua sint mali mixti cum bonis; aliam invisibilem, in qua sint soli Electi. Hoc enim rejecimus, *Tom. 1. de Vera Ecclesia cap. 10. §. 2.* præcipue ex doctrina S. Augustini. Ibi dictis addo ea, quæ, *Tract. 61. in Joann.* observat in Juda, de quo ait Christus: *Unus ex vobis tradet me* (Jo: 13. v. 21.) & ait: *Quomodo est verum, quod protestatus est Dominus, & dixit:* Unus ex vobis: *Si verum est, quod ait idem ipse in Epistola sua, cujus est hoc Evangelium:* Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis? (1. Joann. 2. v. 19.) Cui respondet: *Utrumque verum est, & ex nobis, & non ex nobis: secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis; secundum communionem Sacramentorum, ex nobis; secundum suorum proprietatem criminum, non ex nobis.*

XVIII. Colligitur tandem: Cathecumenos, etiam priusquam Baptismum suscipiant, si habeant fidem, & charitatem, esse actu membra Christi; quia actu receperunt ab ipso fidem, & alia dona. Licet enim ad Ecclesiam non pertineant, secundum gubernationem visibilem, ad quam necessario requiritur actualis susceptio Baptismi; spectant tamen ad Ecclesiam, secundum interiorem sanctitatem, & virtutem, qua conjunguntur Christo.

XIX. Dico tertio. Omnium viatorum, qui non habent fidem, Christus non est actu Caput, sed solum in potentia. Ita S. Thom. *in 3. dist. 13. q. 2. art. 2. quæst. 2.* his verbis: *Homines igitur Infideles non pertinent ad unionem corporis Ecclesiæ, secundum quod est unum simpliciter: & ideo respectu horum Christus Caput non est, nisi in potentia, secundum scilicet, quod sunt unibiles corpori.* Probatur. Nam, ex dictis cum S. Thoma, non est actu membrum, quod non conjungitur actu; neque cum aliis illius corporis membris continuatur aliquo ex dictis modis, nec a capite influxum vitalem recipit: at Infideles non conjunguntur cum aliis membris, neque in uno objecto amato, neque in uno credito: neque a capite Christo influxum aliquem vitæ corporis ejus recipiunt, nisi remote; ergo non sunt actu &c.

Dixi *nisi remote*. Quia licet Infideles ex meritis Christi recipiant quasdam inspirationes, & motus supernaturales, quibus interius, vel exterius vocantur ad fidem, & legem Evangelicam, ut ostendimus, *Tom. 1. in 1. part. Tract. de Volunt. Dei Q. 2. Dub. 3. §. 5.* quia tamen hæ inspirationes sunt ex eorum duritie valde remotæ ad finem supernaturalis vitæ, non faciunt membrum in actu. Ad eum modum, quo etiam in naturalibus alimentum dum calefit a stomacho, & digeritur: licet participet aliquam virtutem a calore vitali, non tamen adhuc dicitur ullo modo membrum, aut pars corporis viventis: sed solum est in via, & dispositione, ut in carnem convertatur, & fiat actu pars, seu membrum.

XX. Cum autem dixi: Infideles, esto non sint membra Christi in actu, esse tamen in potentia; non sum locutus de potentia pure logica, seu tantum obedientiali; sed morali, & secundum potentiam, & legem ordinariam Dei: quia scilicet, virtus Christi sufficiens est ad salutem totius humani generis, & nemini ex parte sua deest. Et rursus; quia in ipsis est liberi arbitrii libertas & vertibilitas, ut docet S. Thom. *3. p. q. 8. art. 3. ad 1.* qua possunt ab infidelitate ad fidem transire, & sunt in statu, quo via ordinaria possunt eis applicari Evangelii prædicatio, & Sacramenta. Hoc autem dixi, ut appareat differentia inter Infideles viatores, & Damnatos. Quia hi, esto possint de potentia Dei absoluta converti, sicut & Dæmones; tamen de lege ordinaria incapaces sunt. Tum quia: in termino, & obstinati non habent liberum arbitrium vertibile. Tum quia: illis applicari nequeunt remedia a Christo instituta.

XXI. At dices. Si infideles tantum in potentia participant influxum Christi; ergo Christus non erit actu Caput illorum, sed solum in potentia: eo modo, quo Rex Hispaniæ nullo modo dicitur Caput Turcarum, etsi Turcæ aliquando possint ad obedientiam ejus reduci.

Respondeo, concedo cons. Si sumatur caput stricte, ut dicit actualem unionem membrorum cum ipso: negando tamen, si sumatur caput sub generali ratione, prout habet quidquid ad esse, & constitutionem capitis requiritur. Esto igitur Christus non sit Caput infidelium in exercitio, quia ipsi Infideles actu non sunt uniti ipsi, ut Capiti; est tamen absolute Caput ex parte sui. Tum quia: est absolute potens influere in illos, ac eos facere sua membra; & absque ulla sui mutatione omnes sibi unire, si velint ipsi conjungi. Tum quia: interdum etiam in eos influit, immittendo cogitationes, ac motus supernaturales, quibus eos ad sui fidem, & amorem trahat. Et ideo speciali ratione potest dici Caput Infidelium, quam Rex Hispaniæ Caput Turcarum. Eo vel maxime: quod Christus pro omnibus passus est: quantum ad sufficientiam obtulit pretium pro omnibus, & quantum ex se est, vult omnes salvos fieri.

XXII. Ex hucusque dictis sequentia resolvuntur. Primo: pueros in Limbo detentos, nullo modo esse membra Christi; quia licet in illis nullus sit actus, vel affectus malus, in illo tamen statu non sunt participes effectus redemptionis Christi: neque sunt in potentia, ut secundum legem Dei ordinariam aliquid vitæ supernaturalis participent.

XXIII. Secundo resolvitur: pueros in matris utero existentes, statim ac vivere incipiunt, dici posse membra Christi in potentia; quia sunt in statu, quo illis de lege ordinaria possunt applicari effectus passionis Christi: quamvis aliquando morte, vel alia causa impediantur, ne ad hoc perveniant.

XXIV. Tertio resolvitur: Infideles amentes posse dici membra Christi in potentia; quia secundum legem ordinariam possunt baptizari, & fieri membra Christi. Unde libertas arbitrii, in qua S. Thom. hac *q. 8. art. 3. ad 1.* fundat potentiam Infidelium, ut sint membra Christi, non est necesse, ut in omnibus actu salvetur: sed sat est, ut sint in statu, in quo per se habeant arbitrii libertatem, & vertibilitatem, eique possit ab alio libere applicari Sacramentum fidei.

XXV. Quarto resolvitur: Patres, qui erant in Limbo, fuisse actu membra Christi, & participasse actu virtutem redemptionis. Idem dicendum est de animabus in Purgatorio existentibus. Istæ enim (sicut erant illi) sunt confirmatæ in gratia, & charitate. In utrisque ponit S. Thomas fidem, & spem, *in 4. dist. 45. q. 1. art. 2. q. 3.* quia hæc non excluduntur, nisi per visionem beatam, quæ utrisque deest. Patres tamen, qui erant in Limbo, quibus nihil purgandum supererat, erant quasi in termino. Animæ vero, quæ purgantur, quia non adhuc expeditæ a satisfactione, quodammodo censentur esse adhuc in statu viæ, ut docet D. Thom. citato loco, *q. 2. art. 1. q. 2. ad 3.* ideoque reduci possunt ad statum viatorum, & sunt membra Christi quodammodo sicut viatores.

XXVI. Quinto, resolvitur contra Calvinum, aliosque volentes, solos Prædestinatos esse membra Christi: Reprobos viatores posse esse membra Christi. Quia licet Deus illos oderit, ob peccata prævisa, & finalem eorum impœnitentiam; interdum tamen, secundum præsentem justitiam, possunt uniri Christo per fidem; immo etiam per charitatem: & tunc, secundum præsentem justitiam sunt actu membra Christi. Eo vel maxime, quod licet in finem sint damnandi, & reprobandi; influxus tamen vitæ supernaturalis fidei, & charitatis, quem per Christum recipiunt, per se, & ex intentione Dei, & Christi, qui vult omnes salvos fieri, ordinatur ad spirituale eorum bonum: sed ex eorum malitia convertitur illis in malum: quam malitiam, etsi Deus prævideat, non tenetur tamen eam vitare, aut impedire.

XXVII. Tandem resolvitur: Schismaticos pure tales esse adhuc membra, licet imperfecta Ecclesiæ, & Christi. Quia schisma esto destruat charitatem, per se non destruit fidem; neque est vitium pertinens ad intellectum, sed ad voluntatem.

Excommunicati quoque, quamvis ab Ecclesia separantur, quoad exteriorem communicationem cum aliis Fidelibus, & participationem Sacramentorum; quia tamen vere retinent fidem, immo aliquando etiam in gratia, & charitate interius esse possunt: ideo possunt actu recipere influxum a Christo, & membra illius esse.

Hæretici autem nullo modo sunt actu membra Christi, aut Ecclesiæ propter rationes de aliis Infidelibus supra allatas. Sed hæc meo Candidato satis.

DUBIUM IV.

An Christus sit Caput Angelorum?

§. I.

Præmittuntur quæ Certa sunt.

I. CHristum, quatenus Deus est, Caput esse Angelorum, nemo unquam dubitavit. An vero fuerit etiam Caput illorum, quatenus homo *specificative*, ideſt: An in ipsa humanitate habeat hanc dignitatem, & per eam munus Capitis exerceat; quidam dubitavere, moti hoc fundamento. Quia caput debet esse homogeneum cum membris: Christus autem, ratione humanitatis, non est homogeneus, quia non est ejusdem naturæ specifice cum illis.

II. Ut certum tamen habendum est, Christum, ut hominem, esse Caput Angelorum. Id enim colligitur ex Paulo, ad *Ephes. 1. vers. 20. & 21.* ubi dicit, quod Pater constituit eum (Christum) *Ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, & Potestatem; & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.* Quæ de Christo, ut homine, esse accipienda, constat. Primo: quia ibi loquitur de Christo a mortuis excitato, & ad dexteram Patris exaltato. Secundo: quia Christus, quatenus Deus, non dicitur constitutus a Deo Caput; sed est auctoritative,

cive, & naturaliter, ſicut eſt Pater, & Spiritus Sanctus. Idem dicit, ad Coloſſ. 2. v. 9. *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter . . . . qui eſt Caput omnis Principatus, & Poteſtatis.*

III. Ratio etiam adeſt, ex S. Thom. 3. *p. q.* 8. *art.* 4. Ubi eſt unum corpus multitudinis, ibi eſt unum Caput: ſed corpus Eccleſiæ myſticum non ſolum conſiſtit ex hominibus, ſed etiam ex Angelis: multitudo enim, quæ conſtituit corpus Eccleſiæ, ordinatur ad unum finem per diverſos actus, & officia, nempe, ad fruitionem æternæ gloriæ; ad quam manifeſtum eſt ordinari tum homines, tum Angelos; ergo huic corpori eſt aſſignandum unum Caput: ſed hoc aliud eſſe non poteſt, niſi Chriſtus; ergo &c. Min. ſubſumpta probatur. Nam Chriſtus propinquius ſe habet ad Deum, & perfectius participat dona ipſius, quam homines, & Angeli, Joann. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Conſtitutus a Deo ſuper homines, & Angelos, ut dicebamus ex Paulo, ad Epheſ. 1. & Coloſſ. 2. & inſuper, Philipp. 2. v. 10. *Ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Angeli quoque ſunt nobiles a Chriſto, in ordine ad finem ſupernaturalem: illuminat enim eos de multis, mittit eos in noſtrum miniſterium; eos judicat, & cauſat in eis gloriam, ſaltem accidentalem, ut dicemus.

IV. Fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ nullum eſt Nam, ut ait S. Thom. hoc art. 4. ad 1. *Influentia Chriſti ſuper homines principaliter quidem eſt, quantum ad animas, ſecundum quas homines conveniunt cum Angelis in natura generis; licet non in natura ſpeciei: & ratione hujus conformitatis poteſt dici Chriſtus Caput Angelorum.* Neque enim oportet, ut Caput ſpirituale, & myſticum ſit ejuſdem ſpeciei in eſſe naturæ cum omnibus membris. Nam Diabolus eſt Caput malorum hominum, & Deus, ut Deus, eſt Caput hominum, & Angelorum; & tamen non ſunt ejuſdem ſpeciei. Sufficit ergo, ut conveniant in gradu intellectuali, & in fine, nempe, beatitudine, ad quam tendunt, & hoc conveniunt naturæ Angelornm, & hominum, quæ in ordine ad ſupernaturalia quaſi ejuſdem ſpeciei ſunt: & hoc modo Chriſtus dicitur Caput hominum, & Angelorum, cum quibus convenit in vita ſupernaturali gratiæ, & gloriæ, & in quos iſtam influit modo infra explicando. Eſt autem ejuſdem ſpeciei vita gratiæ in Chriſto, & in Angelis: unde Chriſtus dici debet Caput Angelorum, quamvis non ita proprie, nec eodem modo, ſicut hominum, ut ait S. Thom. in 3. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1.

V. Suppoſito igitur, quod Chriſtus ſit Caput etiam Angelorum, reſtat inquirendum (& in hoc major eſt difficultas) quid receperint a Chriſto Capite Angeli, an ſolum gratias aliquas, & illuſtrationes accidentales: an vero etiam gratiam, & gloriam eſſentialem. Et quia eadem difficultas eſt de gratia collata Adæ in ſtatu innocentiæ; ideo de utriſque ſub eodem titulo controvertitur, non ſolum inter Diſcipulos S. Thomæ, & Extraneos, ſed etiam in eadem Schola Sancti Thomæ: ideo quid probabilius, & conformius menti Angelici Præceptoris judicemus, ſequenti Aſſertione aperiemus.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. Dico. Probabilius, & proximius menti S. Thomæ videtur, Chriſtum Caput non influxiſſe in Angelos juſtificationis gratiam, & gloriam eſſentialem: & proinde Angelos non fuiſſe juſtificatos ex fine in Chriſtum, nec gloriam aſſecutos ex meritis ejus. Item dicendum de Adamo in ſtatu innocentiæ, conformiter ad ea, quæ ſtatuimus, *Tractatu de Incarnat.* nempe, Chriſtum non venturum, ſi Adam non peccaſſet.

Unde arguo ſic. In illos tantum gratiam, & gloriam eſſentialem influit Chriſtus, ut Caput, pro quorum ſalute venit, paſſus, ac mortuus eſt: non enim gratiam habuerunt quotquot habuerunt, niſi a Chriſto, ut Mediatore pro peccato: & mediis ejus meritis, in Paſſione, Morte, & Sacrificio Crucis conſummatis, juxta illud, Hebr. 10. v. 14. *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos:* atqui Chriſtus non venit propter Angelos, nec propter Adamum innocentem; nec pro Angelis, aut pro Adamo innocente Mediator eſt factus, paſſus, mortuus &c. ergo &c. Minor prob. primo. Nam, ut ſupra citato loco, Chriſtus ita venit, ut nos redimeret a peccato originali; ut, eo non exiſtente, non veniſſet: non exiſtente autem originali peccato, adhuc Adam innocens, & Angeli juſtificati fuiſſent. Secundo. Chriſtus mortuus eſt pro mortuis, dicente Paulo, 2. Cor. 5. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt.* Angeli autem, & Adam innocens mortui non erant. Tertio. Quia Scripturæ dicunt, *Hebr.* 2. *a v.* 11. quod *Qui ſanctificat, & qui ſanctificatur, vocantur a Chriſto fratres; & quia pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipſe* (Chriſtus) *ſimiliter participavit carni, & ſanguini*: ſed Angeli non ſunt hoc modo fratres Chriſti, neque communicant carni, & ſanguini cum Chriſto: ergo non ſunt ex meritis Chriſti ſantificati.

Hinc Paulus, ibi *verſ.* 16. ſubjungit, quod quia Angeli non communicaverunt carni, & ſanguini, nec egerunt liberatore: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Is autem apprehendere dicitur, qui inſequitur fugientem, & tenet. Unde S. Thom. in dictum caput 2. Lect. 4. *Signanter vero dicit* Apprehendit; *quia illud proprie dicitur apprehendi quod fugit. Non ſolum autem ipſa natura humana fugiebat a Deo, ſed etiam ipſi Filii Abrahæ, Zachariæ* 7. Averterunt ſcapulam &c. Hanc hominis fugientis ſimilitudinem adumbravit Chriſtus ipſe, *Matth.* 18. *verſ.* 12. illa parabola paſtoris, qui relictis nonaginta novem ovibus (ideſt relictis in Cælo Angelis, ut exponunt Patres) inſecutus eſt centeſimam, ideſt, hominem, quæ perierat, ut eam apprehenderet. Et hac ratione Angelus, *Luca* 2. *v.* 11. nuntiat paſtoribus Chriſtum natum: *Evangelizo* (inquit) *vobis gaudium magnum . . . . Quia natus eſt vobis* (non nobis) *hodie Salvator.*

VII. Scio, Reſponderi, ex dictis non ſolum inferri, Chriſtum non eſſe Redemptorem, nec eſſe mortuum pro Angelis: non tamen, quod in ipſos gratiam, & gloriam non influxerit.

Sed contra primo. Nam ſi Angeli ex meritis Chriſti gratiam accepiſſent; dici deberent a Chriſto redempti, ſaltem per modum præſervationis, ne in peccatum laberentur: ſicut B. Virgo, eſto non contraxerit peccatum originale; quia tamen ex meritis Chriſti fuit præſervata, ne illud contraheret, dicitur a Chriſto redempta; at Angelos fuiſſe ullo modo a Chriſto redemptos non videtur verum. Unde male audiit apud Catholicos Origenes; quia aſſeruit Chriſtum eſſe paſſum etiam pro Dæmonibus; ergo &c. —— Secundo. In eos ſolo influit gratiam, & gloriam Chriſtus, pro quibus eſt paſſus vel per ordinem ad eos, pro quibus eſt paſſus: ergo ſi non eſt paſſus pro Angelis, ſi gratia, & gloria Angelorum nihil confert iis, pro quibus eſt paſſus; gratiam, & gloriam eſſentialem in Angelos Chriſtus non influit. Ant. probatur. Quia merita Chriſti fuerunt pœnalia, & ſatisfactoria, & redemptiva: fuerunt enim per Paſſionem, & Mortem.

VII. Quare, hac ratione ſic poſita, refellitur contrariæ opinionis inſtantia; nempe, quod Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis per Paſſionem, & Mortem ſuam; nec tamen ſe redemit, nec pro ſe eſt mortuus: —— Et rurſus: in noſtra opinione Chriſtus meruit Angelis, ſaltem quaſdam gratias accidentales: & tamen non concedimus, quod pro Angelis mortuus ſit, aut pro eis ſatisfecerit.

Refellitur, inquam. Gloriam enim ſui corporis voluit Chriſtus habere per meritum: quia licet hoc non conduceret ad redemptionem ſuam, conducebat tamen ad redemptionem noſtram, quam Paſſione ſua erat promoturus, quamque, ſi habuiſſet gloriam in corpore, non perfeciſſet. Gratiam quoque, & gloriam accidentalem meruit Angelis propter nos: creſcit enim Angelis gaudium accidentale ex glorificatione hominis, qua ruinæ Angelorum reparantur: gaudent de converſione peccatoris, Lucæ 15. verſ. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Mittuntur a Chriſto in miniſterum noſtrum, *Hebr.* 1. *verſ.* 14. ubi de Angelis dicitur: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis?* Unde hæc, quæ ad humanam ſalutem conferunt, bene potuerunt, & poſſunt eſſe ex meritis Redemptoris. At gratia, & gloria eſſentialis Angelorum, neque eſt effectus Chriſti Redemptoris, quia Angeli non ſunt redempti; neque Chriſtum ſupponit, ſed omnino antecedit, ut dicimus, neque ſervit fini redemptionis: & ideo ex meritis Chriſti eſſe non potuit.

IX. Secundo probatur Aſſertio. Si gratia, & gloria eſſentialis fuiſſet primo collata Angelis ex meritis Chriſti (idem dico de gratia primo collata Adæ) futurum utique erat meritum Chriſti ante peccatum Adæ: unde etſi ſtatus innocentiæ perſeveraſſet, & Adam non peccaſſet, Filius Dei ſupponeretur venturus in carne: ſed hoc ſupra negavimus: ergo &c. Major probatur. Si gratia fuiſſet Angelis, & Adamo innocenti data ex meritis Chriſti; ergo meritum Chriſti fuiſſet prius in mente divina in genere cauſæ efficientis moralis, quam gratia Angelorum, & Adami; ergo fuiſſet in mente divina decretum mittendi Chriſtum ante præviſionem peccati Adami, & conſequenter independens a peccato Adami. Quia id, quod eſt prius in genere cauſæ efficientis moralis, in quo genere eſt prius meritum Chriſti, eſt prius, ac independens in omni genere cauſæ.

X. Si dicas decretum Incarnationis ita præceſſiſſe decretum permiſſivum peccati; ut cum hoc habuerit indiſpenſabilem connexionem: adeo ut iſtius effectu non ſecuto, nec illius effectus ſequeretur. Cum enim decretum Incarnationis fuerit de mittendo Chriſto, ut Redemptore, neceſſario inferebat decretum permiſſivum peccati; nam abſque peccato non eſt redemptio. Quemadmodum licet decretum dandi gloriam ſit prius decreto dandi merita: quia tamen eſt decretum de danda gloria, ut corona, neceſſario infert decretum electivum meritorum; quia abſque meritis non eſt corona: *Non* enim *coronabitur niſi*, qui *legitime certaverit*, ait Paulus, 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 5.

XI. Contra inſto. Neſcio enim capere, quomodo decretum Incarnationis fuerit de Chriſto, ut Redemptore, & quod

& quod fuerint prius, quam fuerit prævisum peccatum. Decretum enim mittendi medicum ſupponere debet prævisum morbum; & decretum mittendi Redemptorem ſupponere debet prævisam captivitatem. Unde Scotus, qui ſupponit Chriſtum volitum ante peccatum, dicit, eum tali decreto fuiſſe volitum, non ut Redemptorem, ſed ut Legislatorem, Judicem, Glorificatorem: & conſequenter in carne impaſſibili, & in hac venturum, etiamſi Adæ peccatum non extitiſſet. Et ratio eſt. Quia decretum ſupponere debet ſuum motivum: atqui motivum decreti mittendi Redemptorem eſt liberatio a captivitate; ergo ſupponere debet captivitatem. Nec eſt ſimile de decreto dandi gloriam. Nam, ut docuimus, cum S. Thom. *Tract. de Prædeſt. Q. 3. Dub. 3. §. 8.* gloria eſt finis, merita autem ſunt media ad iſtum finem: omnis autem ordinate volens, prius vult finem, deinde media, quia media ſunt in intentione effectus finis: ſic in Medico voluntas dandi medicinam eſt effectus voluntatis ſanandi infirmum. At peccatum, & captivitas non eſt medium ad redemptionem, ſed materia ſupponenda, & tollenda per redemptionem: unde voluntas redimendi debet ſupponere captivum, ſicut voluntas ſanandi ſupponere debet infirmum, & infirmitatem.

Rurſus inſto. Si decretum mittendi Chriſtum fuit pro omni priori de Chriſto, ut Redemptor; ergo omnis gratia habenda per Chriſtum fuit redemptiva: ſed gratia collata Angelis, & Adæ innocenti non fuit gratia redemptiva; ergo non fuit data per Chriſtum.

XII. Nec replices: gratiam datam per Chriſtum fuiſſe quidem per ſe, & ex natura rei redemptivam; ſed ex divina inſtitutione ordinatam ſecundario ad Angelos, eſto non indigos redemptione. Sicut licet Chriſtus fuerit per ſe primo intentus, ut Redemptor, ex conſequenti tamen venit, ut Legislator, & Judex.

Nam cum Scriptura ſemper nobis proponat gratiam Chriſti, ut redemptivam; non video, quomodo detur locus, ut ſecundario fuerit ordinata ad influendum in eos, qui gratiam habuerunt ante peccatum, & ideo non egebant redemptione. Neque obſtat id, quod pro exemplo affertur. Venit enim Chriſtus ut Legislator, & Judex; ſed hominum, quos redemit, non autem Angelorum, quos non redemit: in hos enim non influit Chriſtus, niſi quatenus ſerviunt fini redemptionis.

XIII. Quod autem hæc opinio ſit magis conſona menti Sancti Thomæ, ſuadeo. Quia primo: melius concordat ejus doctrinæ, quod unicum, & adæquatum motivum veniendi Chriſto fuerit remedium peccati; & conſequenter, quod decretum veniendi ſit poſterius decreto permiſſivo peccati, & multo magis decreto dandi gratiam, & gloriam Angelis, & primam gratiam Adamo innocenti.

Secundo: quia hoc variis in locis videtur docere. Nam in *2. diſt. 9. quæſt. 1. art. 8. ad 2.* docet, quod meritum hominis eſt efficacius, quam meritum Angelorum. Et inter alias hanc rationem aſſignat: *In quantum merita noſtra efficaciam habent ex meritis Chriſti, cujus gratia eſt quodammodo infinita: Nuſquam enim Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ. Hebr. 2.* Idem docet in *3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 1.* Ubi oſtendens, Chriſtum non eſſe ita proprie Caput Angelorum, ſicut hominum, quantum ad influentiam, ait: *Quia non influit Angelis removendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro eis; quia jam beati ſunt: ſed in his, quæ ad actus hierarchicos pertinent: ſecundum quod unus Angelus illuminat alium, purgat; & perficit . . . . hoc enim multo eminentius a Chriſto recipiunt.* Item *Q. 29. de Verit. art. 7. ad 5.* cum ſibi objeciſſet: *Sicut Chriſtus eſt Caput hominum, ita & Angelorum: Angelis vero non meruit; ergo nec hominibus.* Reſpondet: *Ad quintum dicendum; quod ſicut mereri eſt viatoris; ita nonniſi pro viatore aliquis mereri poteſt; quia oportet, ut ei, pro quo quis meretur, aliquid deſit eorum, quæ ſub merito cadunt. Angeli autem non ſunt viatores, quantum ad præmium eſſentiale: & ideo quantum ad hoc nihil eis meruit. Sunt autem aliquo modo viatores reſpectu præmii accidentalis in quantum nobis miniſtrant, ad quod valet eis meritum Chriſti. Unde dicitur, Epheſ. 1. Quod per eum reſtaurantur, quæ in Cælis, & quæ in terra ſunt.*

Scio opinionis contrariæ Patronos dicere, S. Thomam in Summa mutaſſe ſententiam. Sed hoc eſſe falſum oſtendemus infra, reſpondendo ad ea, quæ objicientur.

XIV. Probatur ultimo hac ratione. Si Angeli eſſent juſtificati per Chriſtum, non eſſent glorificati ante Chriſtum; ſed Angeli fuerunt glorificati ante Chriſtum; ergo &c. Maj. prob. ex Apoſtolo, *Hebræor. 11.* qui probat, antiquos Patres ex eo, quod per Chriſtum erant adducendi in gloriam, non accepiſſe gloriam, aut gratiam conſummatam, uſque dum Chriſtus eam non fuit conſecutus.

§. III.

Solutio Objectionum.

MUlta ſunt, eaque non levia, quæ contrariæ opinionis probabilitatem oſtendunt. Ea igitur proferemus, ac ſolvemus, relinquentes cuique liberum, pro utralibet opinione judicium ferre.

XV. Primo objicitur Scriptura. Tum ex illo *ad Epheſ. 1.* ubi dicitur, *verſ. 19.* quod Deus Pater propoſuit *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo.* Et ad Coloſs. 1. v. 20. *Pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cælis ſunt. Et Apoc. 12. v. 11.* deſcripto prælio magno in Cælo inter bonos, & malos Angelos, dicitur: *Et ipſi*, ideſt boni, *vicerunt eum* (draconem) *propter ſanguinem agni.*

Rurſus, *Hebr. 2. verſ. 10.* legitur: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.* Hi autem, quos Chriſtus in gloriam adduxerat, priuſquam per paſſionem conſummaret, homines eſſe non poterant, quia ante illum nemo hominum intravit in gloriam; ergo fuerunt Angeli.

Præterea: Rom. 5. verſ. 15. *Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Sed gratia Jeſu Chriſti in plures non abundaſſet, quam delictum Adæ, ſi ad ſolos homines, & non ad Angelos ſe extendiſſet; ergo &c.

XVI. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum, ex S. Aug. *in Enchiridio, c. 61. & 62.* ubi exponens verba Pauli: *Pro nobis omnibus tradidit illum*, hæc habet: *Non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus. Sed ideo etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per ejus mortem redimitur, & liberatur a malo: quoniam cum eis quodam modo reddit in gratiam poſt inimicitias, quas inter homines, & ſanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipſa hominum redemptione ruina illius angelica detrimenta reparantur . . . . propter hoc ait Apoſtolus:* Inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in Cælis ſunt, & quæ in ipſo. *Inſtaurantur quippe, quæ in Cælis ſunt; cum id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Inſtaurantur autem, quæ in terris ſunt, cum ipſi homines, qui prædeſtinati ſunt ad æternam vitam, a corruptionis vetuſtate renovantur.*

Ac ſic per illud ſingulare Sacrificium (& per hoc reſpondet ad illud Pauli, ad Coloſs. 1.) *in quo Mediator eſt immolatus, quod unum multa in lege victima figurabant; pacificantur cæleſtia cum terreſtribus, & terreſtria cum cæleſtibus. Quoniam ſicut idem Apoſtolus dicit . . . .* Pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris ſunt, ſive quæ in Cælis, . . . *Quomodo enim pacificantur cæleſtia, niſi nobis, ideſt, concordando nobiſcum? Nam ibi ſemper eſt pax, & inter ſe univerſis intellectualis creaturis: & cum ſuo Creatore.* Ex quibus S. Auguſtini verbis patet; præfata Apoſtoli verba indicare, Chriſtum non eſſe auctorem gratiæ, & gloriæ eſſentialis Angelorum: ſed tantum Reparatorem ruinæ Angelorum per hominis redemptionem; & pacis Reconciliatorem Angelos inter ac homines.

XVII. Ad id, quod dicitur ex Apoc. 12. dico, ly *Vicerunt per ſanguinem Agni*, referendum eſſe, non ad Angelos bonos, ſed ad homines. Nam poſt deſcriptum prælium inter Angelos bonos, & malos, ſubjungit Joannes, quod Draco cum Angelis ſuis malis, qui *Seducit univerſum Orbem, projectus eſt in terram.* Inde audita eſt vox dicentium cum gaudio: *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum* (quibus Angeli vocant homines *fratres*) & poſtea ſubditur: *Et ipſi* (homines) *vicerunt eum propter ſanguinem Agni.* Nam continuo ſubditur, *& non dilexerunt* (homines in locum Angelorum prædeſtinati) *animas ſuas uſque ad mortem.* Homines autem, non Angeli, ſunt, qui moriuntur.

XVIII. Ad illud, *Hebr. 2.* dico, vel ibi loqui Paulum de Chriſto, ut Deo, & Filio Dei; præmittit enim: *Eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat.* Certum eſt autem, per Filium Dei, per quem omnia, etiam Angelos fuiſſe in gloria adductos. —— Vel ſi loquatur de Chriſto, ut homine, dico cum S. Thoma, ſuper illud caput, Lect. 3. *Qui adduxerat*, ideſt, *Qui adducendos præordinaverat.* Hos autem filios præordinatos ad gloriam adducendos, eſſe homines, Patet ex ſequentibus: ſubdit enim; *Auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Et poſtea: *Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare . . . . Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit: unde debuit per omnia fratribus aſſimilari.*

XIX. Ad ea vero, quæ idem Paulus dicit, *Rom. 5.* plures explicationes affert S. Thom. ibi, *Lect. 5* quibus oſtendit, quomodo gratia Chriſti abundaverit in plures, etſi Angelos non juſtificaverit. Eligo eam, quam dat S. Auguſtinus *l. 1. de Peccat. meritis, cap. 11.* nimirum, quod gratia Chriſti abundavit in plures, quam Adæ delictum: *Adam quippe ex uno delicto ſuo reos genuit: Chriſtus autem etiam quæ homines delicta propria voluntatis ad originale, in quo nati ſunt, addiderunt, gratia ſua ſolvit, atque donavit.*

XX. Obji-

XX. Objiciuntur secundo Patres. S. Aug. Tract. 72. in Joann. *Sed & in Cælis Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli, opera sunt Christi.*

S. Hieronymus, *ad Ephes.* 1. quærens, cur Angeli, Throni . . . & Virtutes cæteræ, quæ nunquam fuerunt contrariæ Deo, Christo subjiciantur, ait: *Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit; & sydera ipsa non sunt munda coram Deo, omnisque creatura pavet Creatoris adventum: Unde & Crux Salvatoris non solum ea, quæ in terra, sed etiam ea, quæ in Cælis erant, purgasse perhibetur.*

S. Bernardus, *Serm. 22. in Cantica*, exponens illa verba, 1. *Cor.* 1. Qui factus est nobis a Deo sapientia, justificatio, sanctificatio, & redemptio; dicit, hæc quatuor fecisse Angelis Christum Jesum: exponens autem quo pacto fuerit illis Redemptor ait: *Detinendos illo, & præservando, ne laberentur in peccatum.*

XXI. S. Thomas etiam favere videtur in illud, *Joann.* 1. De plenitudine ejus omnes accepimus; ubi dicit. Lect. 10. quod *Plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Idem asserit, in hac *quæst.* 8. tum *art.* 1. ubi sine ulla restrictione dicit, quod Christus *Virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ.* Et *Artic.* 4. docet, Ecclesiam, cujus Christus est Caput, non solum consistere ex hominibus, sed etiam ex Angelis: & quod *De ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli.* Quod repetit ibi ad primum. Tum etiam, *quæst.* 7. præcedente, *art.* 9. dixerat, datam Christo esse plenitudinem gratiæ, quia illi data est, ut universali principio, in genere habentium gratiam.

XXII. Respondetur. S. Augustinum vel loqui de Christo, quatenus Verbum Dei est: sic enim Angeli, & omnia sunt opera ejus. Vel si loquitur de Christo, ut homo est; velle, Angelos esse opera Dei, quia in illos etiam influit aliquas accidentales gratias, non tamen primam gratiam, & gloriam essentialem: hoc enim aperte negat, supra vidimus.

XXIII. Quoad S. Hieronym. probare non possum audaciam Patris Vasquez, qui ait: *Disp.* 49. *c.* 5. testimonium S. Hieronymi nihil faciendum esse, eo quod contineat manifestum errorem contra fidem. Indignum enim est talia de tanto Patre sentire; & scribere: eo vel maxime, quod eum possumus interpretari. Dum enim dicit, quod absque peccato nullus sit, non accipit peccatum pro defectu voluntatis, & culpæ, sed pro defectu naturæ; quo sensu dicit, quod sydera ipsa non sunt munda coram Deo, vel Intelligentiæ; cum etiam in Angelis coram Deo defectus appareant, puta, nescientiæ aliquorum, de quibus indigent illuminari, a quo defectu per Crucem Salvatoris purgari perhibentur. Unde super *Caput* 2. ejusdem Epistolæ, ait, eatenus sanguinem Christi purgasse quæ in Cælis sunt, quatenus *Cælestia, & terrena copulavit:* nimirum, infundendo gaudium accidentale Angelis ex ruinarum suarum paratione per hominum societatem.

XXIV. De S. Bernardo dico, eum forte fuisse in contraria opinione, a qua nos recedimus, ut aliis Patribus adhæreamus. Dici etiam potest, eum locutum fuisse de Christo, ut Dei Verbum est, non ut est homo. Sic enim dicit: *Qui a principio erat Angelis sapientia, justificatio, sanctificatio, & redemptio,* factum esse nobis ista quatuor in tempore, dum manifestatum est in carne.

XXV. Ad ea, quæ opponuntur ex S. Thom. generaliter dico, S. Doctor. citatis locis velle solum, gratiam Christi esse gratiam Capitis etiam respectu Angelorum, quod nos supra statuimus. Nunquam tamen dixisse, quod in Angelos influxerit gratiam justificationis, & gloriam essentialem sicut in Prophetas, Patres, & alios homines justos, sed solum gratiam, & gloriam accidentalem illustrationis, gaudii, ut superius dictum est.

XXVI. Ut autem appareat, hanc esse genuinam S. Th. mentem, adeatur 3. *p. q.* 59. *art.* 6. ubi statuit, Angelos subjici judiciariæ potestati Christi, etiam quatenus hominis: tum ex propinquitate animæ ejus ad Deum: tum propter humilitatem Passionis, qua humana natura in Christo meruit exaltari supra Angelos: tum ratione eorum, quæ operantur circa homines, quorum speciali ratione Christus est Caput.

Ac deinde sic prosequitur: *Subsunt autem judicio Christi. Uno quidem modo, quantum ad dispensationem eorum, quæ per ipsos aguntur. Qua quidem dispensatio fit etiam per hominem Christum, cui Angeli ministrabant, ut dicitur, Matth.* 4. *& a quo Dæmones petebant, ut in porcos mitterentur, ut dicitur, Matth.* 8. *Secundo, quantum ad alia accidentalia præmia bonorum Angelorum, quæ sunt gaudia, quæ habent de salute hominum, secundum illud, Luc.* 15. Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente: *Et etiam quantum ad pœnas accidentales Dæmonum, quibus torquentur vel hic, vel recluduntur in Inferno. Et hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Unde, Marci* 1. Quid nobis, & tibi, Jesu Nazareno? Veniisti ante tempus perdere nos. *Tertio, quantum ad præmium essentiale bonorum Angelorum, quod est beatitudo æterna, & quantum ad pœnam essentialem angelorum malorum, quæ est damnatio æterna: sed hoc* (nota) *factum est per Christum, in quantum est Verbum Dei a principio mundi.* Et ibi, *ad* 1. dicit Angelos, *Quoad præmium essentiale, & pœnam principalem* judicio Christi non subesse. Hæc si observassent opinionis adversæ Patroni, non adeo confidenter dicerent, S. Thom. *in* 3. *part.* mutasse sententiam, quam in sententiatis, & disputatis tenuerat.

XXVII. Objicitur tertio ratione. Cum Deus in principio temporis creavit Angelos, proposuit illis Christum adorandum per fidem, quem propositurus erat re ipsa colendum futuris temporibus; juxta illud, Hebr. 1. v. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Sed nemo adorat Christum, & credit in eum, qui non assequatur gratiam, & dona per ipsum; ergo &c.

XXVIII. Confirmatur primo. Secundum Sanctum Thomam, tum 3. *part. quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 3. tum 2. 2. *quæst.* 2. *artic.* 7. Adam in statu innocentiæ habuit fidem Christi, & cognovit, ipsum esse venturum. Ex eodem S. Thom. 1. *part. quæst.* 64. *art.* 1. *ad* 4. Angeli in sua prima justificatione habuerunt fidem Christi: quod docet etiam Sanctus Augustinus, *lib.* 5. *de Genes. ad litt. cap.* 19. Sanctus Bernardus; *Serm.* 27. *in Cantica*; ergo tam Adam innocens, quam Angeli fuerunt primo justificati ex fide Christi. Nam justificatio est ex fide; & si in eis erat fides Christi, ex hac justificati fuerunt. Subinfero; ergo fuerunt justificati ex meritis Christi: nam fides Christi innititur meritis Christi.

XXIX. Confirmatur secundo, specialiter de Adamo. Adamus habet modo aliquem gradum gloriæ essentialis correspondentem gratiæ, & merito status innocentis: sed omnis gradus gloriæ collatus Adæ est ex meritis Christi; alias dicere cogeremur, esse in gloria Adæ aliquem gradum in meritis Christi fundatum, & alium non; ergo &c. Maj. probatur. Nam in plausibili Theologorum sententia, gratia deperdita, & merita per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam, ad eumdem gradum, & illis idem gradus correspondebit in gloria.

XXX. Confirmatur tertio. Fides, & spes, quas habuit Adam in statu innocentiæ, perseverantur postea in statu reparationis per pœnitentiam: sed fides, & spes, quas habuit Adam postquam egit pœnitentiam, sicut alia dona, quæ tunc habebat, erant ex meritis Christi Redemptoris; ergo &c.

XXXI. Confirmatur quarto. In quo præcipitur alicui, ut fidem suam collocet, præcipitur etiam, ut in eo collocet spem, & amorem; ergo si Deus præcepit Angelis, ut in Christo fidem collocarent, præcepit etiam, ut in eo reponerent spem, & amorem; ergo ex fide, spe, & amore in Christum justificati fuerunt: quia vera justitia est in eo ponere fidem, spem, & amorem, a quo debemus justificari.

XXXII. Respondeo primo, neg. maj. Esto enim Angelis, cum erant viatores, fuerint revelata aliqua Mysteria, quibus præstiterunt assensum per fidem; revelatum tamen non fuit eis Mysterium Incarnationis: ideoque de illo non habuerunt fidem. Verum quidem est, quod a principio suæ beatitudinis fuit illis revelatum quoad generalia, non quoad omnia. Unde illud Isaiæ 63. vers. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom?* Et illud Psalm. 23. vers. 10. *Quis est iste Rex gloriæ?* Interrogatio est Angelorum inferiorum cupientium de Mysteriis Christi illuminari. Et sic exponitur textus Pauli Hebr. 1. *Cum iterum introducit Primogenitum in Orbem terræ* (idest introducendum manifestavit) *dicit, adorent eum omnes Angeli Dei*, non viatores, sed jam beati.

Respondeo secundo, juxta dicta, *Tom.* 1. *in* 1. *p. Tract. de Angelis, Quæst.* 5. *Dub.* 4. §. 2. dato, quod Angeli, etiam viatores, habuerint fidem in Christum, negando tali fide gratiam, & gloriam Angelos fuisse consecutos. Nam etiam Adamus innocens habuit fidem Christi venturi; & tamen pro illo statu ex meritis Christi gratiam non habuisse ostendemus. Hinc

XXXIII. Ad primam Confirmationem eodem modo respondeo, Adamum innocentem habuisse quidem revelationem de Christo venturo; non tamen de causa proxima sui adventus, ut supra diximus, ex D. Thom. 3. *p. q.* 1. *art.* 3. *ad* 5. & eum venturum credidisse: hanc tamen fidem nec ipsi, nec Angelis fuisse donum ex meritis Christi collatum: Sola enim fides ex meritis Christi, est, quæ est fides in Christum, ut Redemptorem, & proinde supponens Adæ peccatum; non fides illud antecedens, qualis fuit fides Adæ innocentis, & Angelorum.

XXXIV. Ad secundam Confirmationem, vel nego maj. Quia licet modo gratia deperdita, & merita per peccatum mortificata reviviscant per pœnitentiam, ad eumdem gradum; quia remanet in divina acceptatione, qua Deus Christum, ut Mediatorem, & ejus merita acceptavit: hoc tamen non verificatur de gratia collata Adæ ante ejus peccatum, & ante Christum volitum, qualis fuit gratia primo collata Adamo. —— Vel data maj. & min. nego conseq. Solum enim colligitur, quod gratia, ut recuperata ab Adamo, & ille primus gradus gratiæ ut resurgens, fuerit ex meritis Christi.

XXXV. Ad tertiam Confirmationem eodem modo respondeo. Fides enim Adami, esto ut primo illi collata, non fuerit ex meritis Christi; potuit tamen esse ex Christo ejus conservatio post peccatum: nullum enim est incon-

inconveniens, ut eadem res, variato ſtatu, inducat novam dependentiam, quam prius non habebat.

XXXVI. Ad quartam Confirmationem conceſſo, quod Angelis datum fuerit præceptum credendi in Chriſtum; non tamen datum fuit, ut in ipſum crederent, tamquam in cauſam ſuæ juſtificationis; ita ut crederent, ſe juſtificandos, & glorificandos per Chriſtum: cum enim non egerent redemptione; gratia Mediatoris non indigebant. Datum ergo fuit eis præceptum credendi in Chriſtum, ut objectum revelatum: ſicut nos multa credimus revelata, & credere præcipimur, quæ tamen non ſunt ratio noſtræ juſtificationis. Dici etiam poteſt, datum fuiſſe præceptum credendi in Chriſtum, per quem ruina Angelorum erat reparanda; gratia hominibus, & ipſis accidentalis gloria, aliaque bona erant conferenda. Sicut enim Adamo innocenti revelatum fuit Myſterium Incarnationis, non revelato ei ſuo peccato, quod futurum erat adæquatum motivum: ita hoc modo credimus fuiſſe Angelis viatoribus revelatum.

XXXVII. Objicitur quarto. Quod Chriſtus influxerit, ut Caput in gratiam, & gloriam eſſentialem Angelorum, & gratiam Adæ innocentis; pertinet ad majorem excellentiam gratiæ Chriſti, ad meliorem conſtitutionem corporis myſtici Eccleſiæ, & nullum affert inconveniens; ergo eſt admittendum. Antec. per ſingulas partes probatur. Et quidem pro prima conſtat: quia hoc reddit ejus cauſalitatem in eſſe Capitis univerſaliorem: & facit, ut omnia, & quoad omnia in eſſe gratiæ ipſi ſubjiciantur.

Pro ſecunda etiam parte prob. Cum enim Angeli, & homines componant unum corpus myſticum ordinatum ad eumdem finem, decentius eſt, ut omnes eodem modo contineatur ſub uno Capite: ſicut in naturalibus omnia membra ejuſdem corporis ſub eodem Capite naturali continentur, nec ſine deformitate, ac monſtruoſitate oppoſitum contingeret. Si enim Chriſtus non eſſet Caput influens gratiam, & gloriam eſſentialem in Angelos; jam, quoad hanc gratiam, corpus myſticum Eccleſiæ haberet Caput diſtinctum a Chriſto, licet quoad alias partes Chriſtum haberet Caput; & ſic hoc corpus habere duplex Caput non coordinatum. Tum etiam: optimus ordo, & diſpoſitio rerum petit, ut, quoad fieri poteſt, omnia, quæ ſunt unius generis, reducantur ad unam cauſam illius generis, quæ ſit prima, & per ſe talis: cum ergo gratia Angelorum, ac hominum ſint ejuſdem generis, videtur decens, ut reducantur in primam in genere gratiæ, quæ ſit talis per ſe, & non per participationem: qualis eſt gratia Chriſti, qui eſt ſanctus ſanctitate ſubſtantiali, & per eſſentiam.

Pro tertia tandem parte probatur, provocando ad oſtendenda inconvenientia, quæ ſequerentur.

XXXVIII. Reſpondeo, neg. abſolute ant. quoad omnes partes. Ad prob. primæ partis dico, perfectionem, & excellentiam Chriſti exigere, ut ejus influxus ſe extendat ad omnia, propter quæ venerat. Cum autem venerit, non ut juſtificaret, aut glorificaret Angelos; quia hi præviſi fuerant juſtificandi, & glorificandi ante prævisionem Chriſti mittendi: ſed ad juſtificandos, & glorificandos homines lapſos, ad reparandam Angelorum ruinam, ad homines Angelis reconciliandos, aliaque accidentalia Angelis conferenda: ideo perfectio Chriſto debita ſolum petit, ut ad hæc omnia ſe extendat.

XXXIX. Ad prob. ſecundæ partis dico, omnia membra alicujus corporis myſtici debere recipere influentiam a capite illius corporis ſub ea ratione, qua ſunt membra illius; non vero ſub ea ratione, quia membra illius non ſunt. Angeli autem, ut juſtificandi, & glorificandi, non ſunt membra corporis myſtici, cujus caput eſt Chriſtus; cum eorum juſtificatio, & glorificatio fuerit prævisa, & volita antequam prævisus, & volitus eſſet Chriſtus, & ejus corpus quod eſt Eccleſia: & ideo ſub hac ratione non receperunt influxum ab ipſo, ut homine: *Sed hoc factum eſt per Chriſtum, in quantum eſt Verbum Dei*, ut dicebamus, ex S. Thom. 3. *p. q. 59. art. 6.*

Addo: ad bonam diſpoſitionem corporis pertinere quidem, ut caput influat in omnia membra; ſed non in omnia eodem modo. In naturalibus enim caput in quaſdam partes perfectiorem ſenſum, & motum influit; in quaſdam vero imperfectionem, & quandoque etiam ſine ſenſu: & tamen reſpectu horum veram retinet rationem capitis, quia in omnia influit ad eumdem finem. Ut ergo tota multitudo hominum, & Angelorum dicatur unum corpus, & una Eccleſia ſub uno Capite; ſat eſt, ut docet S. Thom. hac *q.* 8. quod ordinetur ad unum finem, qui eſt gloria divinæ fruitionis; quamvis Caput diverſimode influat in partes iſtius corporis. Quia ergo redemptio hominum a peccato fuit finis per ſe intentus in Incarnatione; ideo Chriſtus gratiam, & gloriam eſſentialem influit in homines: in Angelos enim, qui jam erant beati, influit illuminationem, & alia accidentalia dona, quæ ſunt effectus conſequens Incarnationem, eique ſerviens.

Ad id, quod additur, dico, omnia quæ ſunt in genere gratiæ, reduci ad Chriſtum; quia primus eſt in tali genere, & quia propinquius ad Deum accedit; non tamen eodem modo, ſed proportionate ad ſuam conditionem. Sicque homines, & Angeli in eſſe gratiæ reducuntur ad Chriſtum; illi, ut accipiant etiam gratiam, & gloriam, eſſentialem; iſti, ut gratiam tantum, & gloriam accidentalem accipiant. Addo: ut aliquid dicatur primum in aliquo genere, ſatis eſſe, ut ſit exemplar reliquorum, quæ ſunt in illo genere, etſi in illa non influat: Chriſtus autem exemplar eſt totius gratiæ, & ſanctitatis, ad quam qui propius accedit, ſive homo, ſive Angelus, gratior eſt.

Ad prob. tertiæ partis dico, ſequi inconvenientia adducta in probationibus noſtræ Aſſertionis. Deinde cum oppoſitam opinionem relinquamus probabilem, & ſolum aſſeramus probabiliorem noſtram, non dicimus, ex illa ſequi inconvenientia; ſed ſolum magis convenientem principiis S. Thomæ, rationi, & etiam Scripturis eſſe noſtram.

DUBIUM V.

De Chriſto, ut Mediatore.

§. I.

An eſſe Mediatorem ſit Proprium Chriſti.

I. DIco. Gratia Criſti Capitis eſt gratia proprie Mediatoris. Ita S. Thom. 3. *p. q. 26. art.* 1. cujus ratione ſic probo: *Ad Mediatoris officium proprie pertinet conjungere, & unire eos, inter quos eſt mediator: nam extrema uniuntur in medio: ſed unire homines Deo perfective convenit Chriſto; per quem homines ſunt reconciliati Deo, ſecundum illud 2. ad Corint. 5.* Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi; ergo *Solus Chriſtus eſt perfectus Dei, & hominum Mediator, in quantum per ſuam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Unde cum Apoſtolus dixiſſet* (1. ad Timot. 2. verſ. 5.) Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, *ſubjunxit:* Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Hæc S. Thom.

II. Ex quibus inferri poteſt: Chriſtum fuiſſe Mediatorem, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum operationem. Secundum ſubſtantiam quidem: quia in Chriſto Deus, & homo ſubſtantialiter uniuntur: unione nimirum, non tantum affectiva, & morali, ſed & ſubſtantiali, & perſonali, ut contra Neſtorium oſtendimus. Secundum operationem vero. Primo: quia Mediator tamquam arbiter inter Deum & homines: unde Auguſt. *in Pſ.* 103. *Serm.* 4. *num.* 8. loquens de Prophetarum deſiderio: *Arbitrum* (inquit) *deſiderabant. Quid eſt arbiter? Medius ad componendam cauſam. Nonne inimici eramus Dei, & malam cauſam habebamus adverſus Deum? Quis finiret cauſam iſtam malam, niſi ille medius arbiter, qui niſi veniret, miſericordia perierat iter?*

Secundo. Quia venit, ut Internuntius ſancitas a Deo leges hominibus annuntians. Unde, Malachiæ 3. verſ. 1. *Angelus Teſtamenti;* & ad Hebr. 8. verſ. 6. *Melioris teſtamenti Mediator* nuncupatur: ad differentiam Moyſis, qui veteris Teſtamenti Mediator fuerat, ſecundum illud, ad Galat. 3. v. 19. Cui data eſt lex *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris.*

Tertio. Fuit Mediator per orationem, & ſupplicationem. Unde in Evangeliis legitur ſæpius oraſſe Patrem pro nobis: & ad *Rom. 8. v. 34.* dicitur, quod etiam ſedens ad dexteram Patris *Interpellat pro nobis:* & 1. *Jo. 2. v.* 1. dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum.*

Quarto. Fuit Mediator ſolvendo, & ſatisfaciendo, ut ſupra diximus, ex Apoſtolo 1. *ad Timot. 2.* cum S. Th. Et hoc modo ſolus Chriſtus eſt Mediator; nam triplici priori modo etiam Moyſes Mediatorem ſe dicebat inter Deum, & populum, Deuter. 5. v. 5. *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.*

III. Hinc infert S. Thom. *art.* 1. citato: Quod *Nihil prohibet, aliquos alios, ſecundum quid, dici Mediatores inter Deum, & homines; prout ſcilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo diſpoſitive, vel miniſterialiter.* Et ibi, *ad* 1. dicit: *Quod Prophetæ, & Sacerdotes veteris Teſtamenti dicti ſunt Mediatores inter Deum, & homines diſpoſitive, & miniſterialiter: in quantum ſcilicet prænunciabant & præfigurabant verum, & perfectum Dei, & hominum Mediatorem. Sacerdotes vero novi Teſtamenti poſſunt dici Mediatores Dei, & hominum, in quantum ſunt miniſtri veri Mediatoris, vice ipſius ſalutaria Sacramenta hominibus exhibentes.*

Mediator vero ſolvendo, & ſatisfaciendo ſolus Chriſtus eſſe poteſt. Et in hoc ſenſu dicit Paulus, 1. ad Tim. 2. verſ. 5. *Unus enim Deus, Unus & Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Solus enim ipſe ſolvit Deo pretium, & ſatisfactionem adæquantem offenſam, Deo ab homine irrogatam, de rigore juſtitiæ, ut ſuo loco diximus. Ut enim ait Auguſtinus, in Pſalm. 97. *Totum emit, qui tantum pretium dedit.* Quibus non excluduntur alii Mediatores, ut moderni hæretici contendunt; ſed ſolum oſtenditur, Chriſtum ſolum fuiſſe Mediatorem per ſolutionem pretii æqualis; alios vero ſe Mediatores interponere non poſſe, niſi exhibendo, & applicando pretium erogatum, & merita illius ſolius Mediatoris, per quem ſolum mereri, & exaudiri poſſunt. De quo fuſe egimus,

mus, in *Vera Ecclesia, Tom. 3. p. 2. art. 14. §. 6. a. n. 40.* Et, si Deus dederit, dicemus alibi.

IV. Infert ulterius S. Thom. 3. p. citata q. 26. art. 1. ad 2. *Quod Angeli boni, ut Augustin. dicit, l. 9. de Civit. Dei, c. 31. non recte possunt dici Mediatores inter Deum, & homines.* Cum enim utrumque habeant commune cum Deo, & immortalitatem; nihil autem horum cum hominibus miseris, & mortalibus: quomodo non potius remoti sunt ab hominibus, Deoque conjuncti, quam inter utrosque medii constituti? *Dionysius tamen dicit, eos esse medios, quia secundum gradum naturæ sunt infra Deum, & supra homines constituti: & Mediatoris officium exercent, non quidem principaliter, & perfective; sed ministerialiter, & dispositive. Unde, Matth. 4. dicitur, quod* Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.

Dæmones autem habent commune cum Deo immortalitatem, cum hominibus autem miseriam. Ad hoc enim se interponit medium Dæmon immortalis, & miser; ut ad immortalitatem beatam transire non sinat, sed perducat ad miseriam immortalem. Unde est sicut malus medius, qui separat amicos.

Christus autem habuit cum Deo beatitudinem, cum hominibus autem mortalitatem: & ideo ad hoc se interposuit medium, ut mortalitate transacta, & ex mortuis faceret immortales (quod in se resurgendo monstravit) & ex miseris Beatos efficeret, unde numquam ipse decessit. Et ideo ipse est bonus Mediator, qui reconciliat inimicos. Videndus est etiam S. D. *in 3. dist. 19. quæst. art. 5. quæst. 3. ad 2. 3. & 4.* Ubi de Angelis bonis hæc valde notanda asserit: *Illud, quod Angeli nobis a Deo deferunt, quasi medii inter nos, & Deum, non est hoc, per quod Deo conjungimur; quia gratia non est nobis ab Angelis, nec satisfactio: sed illa transfusio conjunctionem præsupponit, veh ad eam præparat. Et ideo ipsi non sunt Mediatores, sed eorum officium sequitur, vel disponit ad officium Mediatoris. Et ideo ipsi sunt ministri Mediatoris.*

De Sanctis vero; *ad 5.* ait: *Quod aliquis Sanctorum non potest esse Mediator conjungens totam humanam naturam Deo, quamvis unam specialem personam Deo possit conjungere: non quidem merendo ei gratiam ex condigno, sicut Christus fecit; sed ex congruo tantum, inducendo ad bonum.* Quibus patet, quantum a mediatione Christi distet mediatio cujuscumque creaturæ. Vel enim mediatio proprie non est: vel non est mediatio per se ipsam conjungens hominem Deo, sicut mediatio Christi.

§. II.

An Christus sit Mediator secundum quod est Homo, an secundum quod est Deus.

V. QUidam ex Veteribus putaverunt, etiam ante Incarnationem, Filium Dei Mediatoris officium exercuisse Deum inter, & homines. Unde Tertullian. l. 2. contra Marcionem, c. 27. *Profitemur* (inquit) *Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis, & Prophetis Filium Creatoris.* Quod repetit, *lib. contra Praxeam, cap. 14.* Existimabant igitur, quoties in Sacris Litteris Deus locutus esse, aut egisse quidpiam legitur, vel Angelus missus, aut legatione functus; hoc a Dei Filio sub Angeli persona, & aspectabili, externaque forma peractum fuisse. Contra istos,

VI. Dico. Dei Filius ante Incarnationem nullum Mediatoris officium exterius exercuit. Probo. Tum quia: illi, qui in veteri Testamento Dei nomine locuti sunt, seu spectabili forma apparuerunt, non fuit Dei Verbum; sed fuerunt Angeli, qui Dei nomen sibi usurparunt, quia Dei nuntii. Tum quia: Verbum ante Incarnationem Deum pro hominibus orare non potuit; quia oratio supponit in orante inferioritatem, quæ in Verbo ante Incarnationem esse non poterat. Tum quia: nec potuit pro hominibus satisfacere, aut pretium solvere Deo Patri: non enim erat hostia, quam posset offerre, sicut post Incarnationem offerre potuit humanitatem assumptam. Unde Augustinus, *in Psal. 103. Serm. 4. n. 8.* ait. *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est, inter duos Mediator; ergo Christus Mediator inter hominem, & Deum, non quia Deus, sed quia homo. Ut autem sit Mediator, descendat a superiore ad inferiorem, ab æqualitate Patris; faciat, quod ait Apostolus: Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens... Fundat sanguinem suum, deleat chirographum nostrum, componat inter nos, & Deum &c.* Cum ergo nihil horum fecerit Verbum ante Incarnationem, ante istam non exercuit Mediatoris officium.

VII. Circa rationem vero, sub qua fuit post Incarnationem Mediator: an scilicet, quia Deus, an quia homo, an quia homo Deus, triplex est sententia.

Franciscus Stancarus, patria Mantuanus, in Academia Regiomontana Lutheranæ hæreseos Professor, sæculo decimosexto jam adulto, dum Christi humanitatem contra Osiandrum defendit, per quam justificamur; in contrarium incidit errorem (ait Palladius) & Christi divinitatem persecutus est. Docuit enim, Christum ita sub ratione solius humanitatis esse Mediatorem, ac justificatorem, ut nihil suppositum, seu persona Verbi ad hoc contulerit.

Calvinus autem duas Epistolas ad Polonos scripsit, adversus Stancarum: in quarum utraque scripsit, contendens, Christum, secundum utramque naturam divinam, & humanam, Mediatoris officio functum fuisse.

Catholici e contra docent, Christum esse mediatorem, prout est homo, Deo tamen substantialiter conjunctus: ita ut humanitas fuerit principium *Quo* operationum, quibus Mediatoris officio perfunctus est: Verbum vero fuerit earumdem operationum principium *Quod*, eis dignitatem, valorem, ac pretium conferens.

§. III.

Resolutiones.

VIII. DIco primo. Christus non est Mediator, prout homo a persona Verbi præcisus. Probo. Si Christus sit Mediator, prout homo a persona Verbi præcisus; sola humana natura egit opera, quibus officium Mediatoris implevit, nihil in ea conferente Verbi persona: atqui hoc est falsum; ergo &c. Min. probo primo. Si sola humana natura egit opera Mediatoris, ut præcisa a persona Verbi; cum agere sit subsistentis; ergo humanitas in Christo subsistebat in se substantia sibi propria, & distincta a persona Verbi; ergo in Christo erat duplex subsistentia, & persona: qui fuit error Nestorii supra impugnatus.

Secundo. Christus fuisset Mediator, & satisfecisset, ut purus homo; ergo nec plene satisfecisset, ac ad æqualitatem: purum enim hominem ad æqualitatem non satisfacere de facto omnes docent, immo nec posse, nos superius docuimus.

Tertio. Scriptura Mediatoris opera non soli humanitati, sed & ipsi Deo tribuit. Unde 1. ad Cor. 2. v. 8. *Dominus gloriæ* dicitur *crucifixus*. Act. 20. v. 28. Deus dicitur *Sanguine suo Ecclesiam acquisivisse*. Ad Philipp. 2. v. 6. & 8. Qui *In forma Dei erat æqualis Patris*, dicitur, quod *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*.

Quarto. Unanimiter Patres docent, necessarium fuisse, hominem Deum, qui Mediatoris partes impleret: *Namque per ipsum liberaremur* (inquit Augustinus in Enchrid. c. 108.) *Unum mediatorem Dei, & hominum hominem Jesum Christum, nisi esset & Deus.*

IX. Sed dices primo. Persona non influit in actiones, per quas Christus Mediatoris partes egit: nihil enim aliud persona divina fecit in Christi humanitate, quam quod persona humana fecisset, si adfuisset: hæc autem nil aliud fecisset, quam quod naturam humanam terminasset, ac sustentasset; ergo &c.

X. Resp. dist. ant. Non influit per modum principii *Quo*, conc. ant. Per modum principii *Quod*, & per modum significantis operationes, eisque valorem conferentis, neg. ant.

Cum enim persona, ex S. Thom. 1. p. q. 29. art. 3. ad 2. sit *Hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinens*; operationes, quæ alias ejusdem speciei sunt, si fiant a persona digniori, evadunt digniores: & quia persona divina est dignitatis infinitæ, ideo operationes humanitatis Christi, quæ ab ea, ut subsistente, per personam Verbi fiebant, acquirebant valorem, & æstimationem infinitam; vel talem, qualem factæ a pura persona hominis non habuissent.

XI. Dices secundo. Nemo potest esse Mediator sui ipsius: at si Christus non esset Mediator, ut homo præcisus a persona Verbi, idem esset Mediator sui ipsius; ergo &c.

Insuper dici posset, Deum orasse, satisfecisse, mortuum fuisse pro nobis, sunt enim hæc Mediatoris officia: sed hæc in divinitatem cadere non possunt; ergo &c.

XII. Respondeo, ex sæpe dictis, quod licet nemo in propria natura possit esse Mediator sui ipsius; potest tamen esse, ut subsistens in alia natura. Unde Christus in humana natura subsistens, poterat esse sui ipsius in divina natura existentis Mediator: quia ubi sunt duæ naturæ, ibi sunt duæ voluntates, & duo diversa jura; ut diximus de satisfactione Christi.

Ad id, quod additur, dictum fuit supra, quod stante communicatione idiomatum, ea, quæ dicuntur de homine in Christo, dicuntur etiam de Deo, ratione unitatis suppositi. Unde ex usu Scripturarum, & Patrum recte dicitur, Deum orasse, satisfecisse, mortuum fuisse &c. Quamvis hæc non cadant supra naturam divinam, sed supra humanam in eodem supposito subsistentem.

XIII. Dico secundo, Christus non est Mediator, in quantum Deus præcisus ab humanitate. Est contra Calvinum: conformis tamen Scripturæ, 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus; unus & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ubi illa vox *homo* significat, Christum esse Mediatorem in humana natura, in qua dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, non in Divina. Et probo. Tum quia: si Christus esset Mediator in quantum Deus ab humanitate præcisus, fuisset ab initio Mediator, etiam antequam incarnaretur, quia ab initio fuit Deus: hoc autem falsum esse ostendimus. Tum quia: esset Mediator sui ipsius in Deitate subsistentis. Immo nec esset Mediator, quia non esset medius inter Deum, & hominem, sed æqualis Deo.

Nam

Nam (inquit Augustinus Serm.) (modo 293.) *in quantum Deus, non Mediator, sed æqualis Patri, hoc idem, quod Pater, cum Patre unus Deus . . . Ut medius sit, aliquod assumat, quod non erat; sed, ut perveniamus, maneat quod erat. Ecce enim Deus super nos, ecce nos infra illum, & multa interjacent spatia; maxime peccati intervallum longe nos distinguit, atque abjicit. In hac tanta distantia, cum veniendum esset ad Deum, qua venturi eramus? Ipse Deus, Deus manet: accedit homo Deo, & fit una persona, ut si non Semideus, quasi parte Dei Deus, & parte hominis homo, sed totus Deus, & totus homo: Deus liberator, homo mediator, ut per illum ad illum, non per alium; nec non ad illum, sed per id, quod in illo nos sumus, ad illum per quem facti sumus.* Sane quid acutius, quid pulchrius? Conferantur quæ ex eodem, in *Ps.* 103. supra, *n.* 6. retulimus.

XIV. Probatur insuper. Sub ea ratione Christus est Mediator, sub qua est Sacerdos; eisdem enim officiis fungitur Sacerdos, quibus Mediator: sed Christus non est Sacerdos, prout Deus præcisus ab humanitate: Christus enim sibi ipsi, & Patri offert Sacrificium: sub eadem autem ratione non est idem offerens, & is, cui offertur. Rursus: Christus fuit Sacerdos, & simul victima, obtulit enim se ipsum in Sacrificium Patri pro nobis: sed non fuit victima, nisi ratione humanæ naturæ, cujus sanguinem obtulit: unde S. Paulus, ad *Hebræos 9.* comparans sanguinem hircorum, & taurorum, & vitulæ cum sanguine Christi, ait, v. 14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit &c. Et ideo novi Testamenti Mediator est*, nempe, ratione sanguinis, quem obtulit, & proinde ratione humanæ naturæ. Hinc S. Augustinus l. 2. de Civit. Dei c. 20. *Unde* (inquit) *Verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens Mediator effectus est Dei, & hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus: tamen in forma servi Sacrificium maluit esse, quam sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio.*

XV. Sed dices primo cum Calvino, Epist. ad Polonos. Hæc verba, Jo. 10. v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*, sunt verba Mediatoris: atqui non sunt hominis, sed Dei solius; ergo &c.

Rursus: Ea ratione est Mediator, qua nos reconciliavit, & sancivit pacem: at hoc facit, ut Deus ab humanitate præcisus. Unde 2. Cor. 5. v. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis . . . . Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et de Deo dicuntur etiam ista, ad Colossenses 1. *Pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt*; ergo &c.

XVI. Respondeo primo, illa verba: *Ego pono animam meum*, probare contra Calvinum. Nam ille solus poterat ea proferre, qui habebat animam, quam poterat ponere, & iterum sumere: sed hic certe non erat Deus ab humanitate præcisus, sed Deus, ut homo; ergo &c.

Respondeo secundo, neg. min. Homo enim ille in Christo, potestate accepta a Verbo, cui substantialiter unitus erat, arbiter erat vitæ, & mortis: & poterat animam ponere, eamque iterum sumere. Responsio hæc est S. Augustini. *Tract.* 47. *in Jo.* ubi fuse ea verba exponens concludit: *Ponere ergo animam, mori est . . . . carni hoc tribue. Caro ponit animam suam, & caro iterum sumit eam; non tamen sua potestate caro, sed potestate inhabitantis carnem.* Hæc Augustinus qui etiam superius observat: quod *Si dixerimus, quia Verbum Dei posuit animam suam, & iterum sumpsit eam*, inferri posset: *Ergo aliquando anima illa separata est a Verbo, & aliquando Verbum illud ex quo suscepit animam illam, fuit sine anima.* Hoc autem absurdum esset dicere. Nam licet in morte Christi anima fuerit separata a carne; numquam tamen, ex quo assumpta fuit, fuit separata a Verbo.

XVII. Alia tamen testimonia ex Paulo, neg. min. & dico, Paulum velle, Deum quidem reconciliasse sibi in Christo mundum, & pacificasse omnia per sanguinem ipsius, exaudiendo, probando, & acceptando oblationem carnis, & sanguinis Christi; hæc enim Deo ab humanitate præciso facta est: non tamen Deum, ratione Deitatis, reconciliasse sibi mundum orando, offerendo, sacrificando se. Hoc enim fecit Christus, non qua Deus, sed qua homo: & cum hoc sit officium Mediatoris, sequitur, eum fuisse Mediatorem, non ut Deus in se, sed ut habens humanitatem,

XVIII. Neque obest, quod Patres dixerint, Irenæus scilicet, l. 3. adv. Hæres., c. 20. modo 18. Augustinus in Enchir. c. 108. *Nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei, & hominum hominem Jesum Christum, nisi esset & Deus.*

Non obest, inquam. Nam ad Mediatorem duo requiruntur: unum, ut faciat opera, per quæ impetret reconciliationem, ac liberationem ejus, cujus sit Mediator: alterum, ut in operibus sit tanta condignitas, & tantus valor, ut moveant ad reconciliationem, & pacem dandam. Primum faciebat Christus per humanitatem, nempe, pati, mori, crucifigi: & hæc erant opera Mediatoris. Secundum vero præstabat persona Verbi: cum enim opera illius humanitatis essent opera personæ divinæ, in qua illa humanitas subsistebat; ab ea moralem dignitatem accipiebant. Pro quorum majori declaratione.

XIX. Dico tertio. Christus est Mediator, prout homo conjunctus Deo in persona. Probo. Ad rationem Mediatoris duo requiruntur, ex dictis: nimirum, ut faciat opera, quæ Mediatoris propria sunt, hoc est, orare, intercedere, satisfacere; alterum, quod hujusmodi opera dignitatem & efficaciam habeant ad finem Mediatoris; sed primum habent opera Christi, ut ab humanitate procedentia: secundum vero habent, ut procedentia ab eadem, quatenus conjuncta Verbo; ergo &c.

Unde in mediatione Christi humanitas se habet, ut causa media efficiens, & meritoria, tamquam principium *Quo*: Verbum vero, per modum principii moralis, a quo in operationes illius humanitatis emanat valor, & dignitas, & ut principium *Quod*. Quia tamen Verbum partes Mediatoris implere non posset, nisi in humana natura subsisteret: ideo magis proprie Christus dicitur Mediator, ut est homo, quam ut est Deus.

XX. Rationem dat S. Thom. *3. part. quæst. 26. art. 2. Et in 3. dist. 19. quæst. 1. art. 5. quæst. 2.* his verbis: *In medio est duo considerare, scilicet, rationem, quare dicatur medium, & actum medii: dicitur autem aliquid medium ex hoc, quod est inter extrema; actus autem medii est extrema conjungere. Mediator igitur dicitur aliquis ex hoc, quod actum medii exercet in conjungendo disjunctos. Non potest autem actum medii exercere, nisi aliquo modo natura medii in ipso inveniatur, ut scilicet, sit inter extrema. Esse autem inter extrema convenit quantum ad duo: scilicet, quantum ad hoc, quod medium participat utrumque extremorum: & secundum ordinem, in quantum est sub primo; & supra ultimum: & hoc exigitur ad rationem medii proprie dicti. Quia medium dicitur secundum respectum ad primum, & ultimum, qua ordinem dicunt.*

Christo autem, secundum humanam naturam, hæc tria conveniunt. Ipse enim, secundum humanam naturam, pro hominibus satisfaciens homines Deo conjunxit. Ipse enim ab utroque extremorum aliquid participat, in quantum homo: a Deo quidem beatitudinem, ab hominibus autem infirmitatem. Ipse etiam, in quantum homo, supra homines fuit per plenitudinem gratiarum, & unionem; & infra Deum, propter naturam creatam assumptam. Et ideo, proprie loquendo, ratione humanæ naturæ est Mediator.

Ratione autem compositæ personæ potest etiam dici Mediator, quantum ad duas dictarum conditionum: scilicet, in quantum conjunxit homines Deo; & in quantum utrique extremorum communicat in natura plenarie, & non participative: sed tertia conditio deficit; quia, secundum personam, non fuit minor Patre.

Sed quantum ad divinam naturam nullo modo convenit sibi ratio Mediatoris; quia secundum divinam naturam, neque est inter extrema participative, neque secundum ordinem; neque iterum conjungit, ut causa proxima, sed ut causa prima. Ut enim docet ibi, ad 3. *Quamvis nos Deo conjungere non potuisset, nisi Deus fuisset; quia humana natura ex divina sibi conjuncta in persona majorem efficaciam habebat: tamen satisfactionem, qua Deo reconciliati, & conjuncti sumus, non exhibuit, nisi per humanam naturam: & ideo secundum ipsam est proxima causa conjunctionis.*

XXI. Ex qua S. Præceptoris doctrina colligo tria. Primum: quod ratio Mediatoris, proprie loquendo, convenit Christo, secundum humanam naturam; quia secundum istam communicat cum Deo in beatitudine, cum homine in infirmitate; secundum istam, per unionem, & plenitudinem gratiarum est supra nos, & secundum naturam creatam est infra Deum: & tandem quia secundum istam satisfecit, & proxime nos conjunxit Deo. Secundum: quod etiam ratione personæ compositæ ex divina, & humana natura: & quia persona sic composita, & subsistens in utraque natura, utrique extremo, Deo, nempe, & homini in natura substantialiter communicat: & quia de persona sic accepta verificatur, quod proxime nos conjunxit Deo: persona enim erat, quæ exhibebat Deo satisfactiones humanitatis. Tertium; quod ratione divinæ naturæ nullo modo dici potest Mediator. Tum quia: secundum hanc non est medius communicans cum extremis, neque proxime conjungit nos Deo. Tum quia: ut docet *3. p. q. 26. art. 2.* citato, de ratione medii est, quod distet ab utroque extremorum, & quod conjungat deferendo ad alterum ea, quæ unius sunt. Neutrum autem horum convenit Christo, secundum quod Deus, *Nam, secundum quod Deus, non differt a Patre, & Spiritu Sancto in natura, & potestate dominii. Nec etiam Pater, & Spiritus Sanctus aliquid habent, quod non sit Filii; ut sic possit id, quod est Patris, vel Spiritus Sancti, quasi quod est aliorum, ad alio deferre.*

XXII. Et hac ratione negant Patres, Christum, qua Verbum, vel Deus est, idest, ratione divinæ naturæ, Mediatorem esse. Augustinus lib. 9. de Civit. Dei, cap. 15. *Nec tamen* (inquit) *ob hoc Mediator est, quia Verbum; maxime quippe immortale, & maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseriis: sed Mediator, per quod homo.* In *Psal.* 103. verbis supra relatis, §. *præced. num.* 6. & ex *Serm.* 293. §. *præsenti, num.* 13. Unde S. Thom. *3. p. q. 26. art. 1. ad 3.* dicit: *Quod Spiritus Sanctus, cum sit per omnia Deo æqualis, non potest dici medius, vel Mediator inter Deum & homines; sed solus Christus, qui licet secundum divinitatem æqualis sit Patri, tamen secundum humanitatem minor est Patre ... Dicitur autem*

autem Spiritus Sanctus interpellare pro nobis, quia ipse interpellare nos facit.

DUBIUM VI.

An Fides in Christum Mediatorem fuerit quovis tempore Necessaria ad Salutem: Et Qualis?

§. I.

Prior Assertio.

I. ANdreas Vega, *l. 6. in Concil. Trident. c.* 20. sensit, etiam post promulgatam legem Evangelicam, in aliquo casu sine fide in Deum, & Christum posse hominem salvari: si nimirum, per vires naturæ declinet a malo, & faciat bonum. Ex quo sequitur, hoc multo magis contingere potuisse in lege naturæ, vel scripta. Huic opinioni ex parte adhæsisse visus fuit noster Soto, *l. 2. de Natura c.* 11. qui tamen voluit, fidei defectum suppleri debere per auxilium supernaturale, quod ad justificationem præpararet; & hoc maxime in statu legis naturæ. Verum in altera editione expresse retractavit hanc opinionem his verbis: *At vero ne meditatius perpensa, abjiciendam existimo opinionem hanc, & alteram amplectendam; videlicet, quod neque in lege naturæ satis fuerit naturale lumen ad illam cognitionem fidei, quæ necessaria est ad salutem.*

Huic opinioni adhæsisse visi sunt nuperimi Scriptores, qui de Sinarum Monarchia, Religione, & cultu, antequam Christus venisset, scribentes, contendunt: Sinas, qui nihil umquam de Christo futuro audierant, per duo annorum millia ante Christum natum, integram servasse Dei cognitionem, purissima charitate donatos fuisse; ac servasse verum Dei cultum omnis superstitionis expertem. Quam opinionem Facultas Parisiensis, una cum aliis similibus propositionibus similem doctrinam continentibus, acri censura proscripsit 1. Julii 1700.

II. Dico ergo primo. Fides in Christum quovis tempore necessaria fuit ad salutem, necessitate medii. Hæc assertio ab omnibus vere Catholicis tenenda est; ut opposita tamquam hæretica habeatur: id enim aperte Scriptura testatur. In primis enim quotquot a Mundi initio accepti fuerunt Deo, & salvi facti sunt, hoc consecutos per fidem testatur Paulus, *ad Hebr.* toto *c.* 11. ubi *v. 6.* dicit; *Sine fide autem impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum &c.* Et ideo, ad Rom. 4. vers. 3. *Credidit* (inquit) *Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, & v. 5. *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Loqui autem Paulum de fide in Christum, patet. Tum quia: fides Patrum, de qua, in *c.* 11. *ad Hebræos*, loquitur, est fides *repromissionum* de Mediatore Christo; quod de fide Moysis præcipue exprimit, dicens, v. 6. *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Inde arguit: quod si omnes illi *Testimonio fidei probati, non* tamen *acceperunt repromissionem*, nempe, Christi adventum: quia hic nobis consummandus reservabatur: quanto magis (c. 12.) *Nos tantam habentes impositam nubem testium . . . per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum &c.* Id omnes spirant Pauli Epistolæ, quas, ne nimius sim, Studioso percurrendas relinquo.

III. Hoc addo: quod, ad *Rom. 3. v.* 21. cum dixisset: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei?* addit: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Et S. Joann. Ep. 1. c. 2. v. 2. *Et ipse* (inquit) *est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed pro totius Mundi.*

Cum ergo genus humanum ab initio in Adam peccaverit, & eguerit Propitiatore ad hoc, ut coram Deo justificetur; & solus Christus propositus sit propitiatio per fidem pro peccatis totius Mundi: sequitur, quotquot ab initio Mundi justificati, & salvati fuerunt, per fidem in hunc unicum Mediatorem, ac Propitiatorem gratiam & salutem consecutos fuisse. Unde S. Petrus, *Act. 4. v.* 12. de Jesu Christo ait: *Et non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quæ verba S. Augustin. *Serm.* 294. alias 14. *de Verb. Apost. c.* 4. applicans parvulis, ait: *Si autem salvos fieri oportet nos in hoc nomine, sine hoc nomine procul dubio salus erit, quæ sine Christo promittitur parvulis. Pace eorum* (Pelagianorum) *dicam: qui cuiquam salutem promiserit Christo, nescio, utrum ipse salutem habere possit in Christo.*

IV. Hoc idem confirmat Traditio. Irenæus, *l.* 4. *contra Hæres. cap.* 21. alias 38. unam, & eamdem dicit fuisse Abrahæ fidem, & nostram. Et ex Paulo, *Galat. 3.* ostendit, in fide Abraham prænuntiatam fuisse fidem nostram, eumque vocat *Patriarcham*, & veluti *Prophetam fidei nostræ:* Et *cap.* 22. sequente, al. 39. dicit, Christum non venisse propter eos solos, qui tempore Tiberii Cæsaris crediderunt ei; nec propter eos solos, qui nunc sunt: sed propter omnes omnino homines, qui ab initio timuerunt Deum, sicut omnes in secundo adventu judicabit. Unde, cap. sequente ostendit, Patriarchas, & Prophetas Christi adventum præsignificantes, viam posteris ad Christi fidem muniisse.

V. S. August. *Epist.* 102. olim 49. *de sex quæst. contra Paganos, q.* 2. ait: *Itaque ab exordio generis humani quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & secundum ejus præcepta pie & juste vixerunt, quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. Sicut etiam nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit. Sic credebant in eum Antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur; ideo fides ipsa variata, vel salus ipsa diversa est.* Quod repetit, *Ep.* 157. olim 89. *ad Hilarium, cap.* 3. ubi eamdem fuisse fidem omnes justificantem per Christum tunc, sicut modo, ex dicto Apost. 1. Cor. 15. vers. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.*

Porro sine ista in Christum fide neminem umquam potuisse salvari, ostendit, *l. de Natura, & gratia c.* 2. ubi cum sibi hoc argumentum proposuisset: *Quid facies humana natura, vel quod fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non competit factum; nisi credendo in Deum, qui fecit Cælum, & terram, a quo & se factam naturaliter sentit, & recte vivendo ejus impleat voluntatem; nulla fide Passionis Christi, & Resurrectionis imbuta?* Huic argumento ita respondet: *Quod si fieri potuit, aut potest; hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus:* Ergo Christus gratis mortuus est. *Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit una gens Judæorum; quanto justius dicetur de lege naturæ, quam accipit universum genus humanum, si per naturam justitia: ergo Christus gratis mortuus est? Si autem non gratis Christus mortuus est; ergo omnis humana natura justificari, & redimi ab ira Dei justissima, hoc est a vindicta, nullo modo potest, nisi per Fidem, & Sacramentum sanguinis Christi.*

Item, enarrat in *Psalm.* 104. *n.* 10. ait: *Non enim quisquam præter istam fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus Incarnationem, sive postea, reconciliatus est Deo:* cum sit ab Apostolo veracissime definitum, *Unus enim Deus, & unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Et *lib. de Peccat. Orig. contra Pelagium, & Cælestium, c.* 24. Inter quæstiones, in quibus Christiana fides consistit, ponit istam, nimirum: *Sine fide Incarnationis, & Mortis, & Resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas Christiana non dubitat.* Hoc argumento utebatur Augustinus ad probandum contra Pelagianos contendentes homines in statu legis naturæ, sine ulla fide in Christum justificatos fuisse. Eodemque usus fuit ipse, & cum eo quatuor priorum sæculorum Patres; ut ostenderent contra Paganos, legem Christianam non esse novam. Hoc præstat S. August. *Epist.* 102. *qu.* 2. supra laudata, Tertullianus, *Apolog. adv. Gentes cap.* 21.

VI. Sed dices primo. Chrysostomus, *Hom. 37. in Matth.* scribit: *In veteri Testamento non fuisse requisitam confessionem Christi, verum sufficisse fidem in Deum.* S. Cyrillus, *lib. 3. de Adorat. in Spiritu, & Verit.* docet, Deum per anfractus legis Judæos ad terram promissam deduxisse; cum e contra novi Testamenti fideles brevi compendio, nimirum, per fidem in Christum deducat; ergo &c.

Respondeo, Chrysostomum loqui de externa confessione fidei, quam Sancti ante Christi adventum coram tyrannis facere tenebantur: & hoc, quia de hoc solum, quod unum Deum crederent, coram eis accusabantur: tum quia, Idololatris ignotum erat, quod Justi ante legem Evangelicam in Christum crederent; ideoque sat illis erat, fidem in Deum coram tyrannis confiteri: non vero de interna fidei professione requisita ad justificationem. Immo, *in Exposit. Psalm.* 115. dicit, eumdem fuisse spiritum fidei in veteri, ac in novo Testamento.

Cyrillus autem solum vult, Judæis non fuisse clare revelatam Christi dispensationem, ut nobis, sed solum sub legis umbra, ideoque, ut dicemus, fides eorum de Christo non fuit adeo expressa.

VII. Dices secundo. Nazianzenus, Orat. 22. sententiam: *Neminem videlicet eorum, qui ante Christi adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra fidem Christi esse consecutum;* proponit, tamquam *sibi, ac omnibus Dei amore præditis admodum probabilem;* ergo non est fide tenenda.

Respondeo, nego cons. *Orat. enim* 3. aperte supponit Religionem Christianam unam & eamdem esse; ac veterem: & consequenter unam & eamdem fidem utriusque. Vocat autem hoc sibi esse *probabile*: non quia non certum, sed quia vel admodum sibi probatum, vel quia ex motivis etiam credibilitatis efficitur, ut veritas illa, alioquin certa, persuadeatur. In hoc enim sensu nomen *Probabilis* usurpabant Patres, dum contra Ethnicos agerent.

§. II.

Posterior Assertio.

VIII. STabilito, neminem in lege veteri fuisse justificatum, & salvatum, nisi per fidem in Christum Mediatorem, quod firmavit etiam Tridentinum, *Sess. 6. cap.* 7. dicens: *Sine qua ulli unquam contigit justificari:* viden-

videndum ſupereſt, quænam, & qualis fides fuerit, eo tempore neceſſaria. Fides autem paſſim dividitur in implicitam, & explicitam. Prima eſt ea, per quam aliquid creditur in alio, tamquam univerſali, in quo continetur: ſicut qui neſciens diſtincte, quæ, & quot ſint Sacramenta, credideret, ea tot eſſe, & ea, quæ proponit Eccleſia. Altera eſt ea, qua quis diſtincte, & in particulari aliquid credit; ſic fides ejus, qui credit Myſterium Incarnationis, dicitur explicita fides de tali Myſterio.

IX. Ex dictis, §. præcedente eruitur, fidem, ſaltem implicitam, in Chriſtum fuiſſe neceſſariam pro omni tempore ad ſalutem. Verum quia nomine fidei implicitæ intelligi poteſt fides in Deum, ut præciſe Remuneratorem, aut fides de Dei providentia; in hac enim videtur includi fides Remiſſionis peccatorum: & in hac fides in eum, per cujus merita fit ejuſmodi peccatorum remiſſio: vel nomine fidei implicitæ intelligi poteſt fides, qua explicite non ſolum credatur Deus, ut Remunerator, vel ut Proviſor, ſed ulterius explicite credatur, Deum proviſorem peccatis hominum per aliquem Mediatorem, ac Redemptorem, abſtrahendo tamen a modis, quibus Redemptionem operaturus eſſet: ideo quid de hoc ſentiamus, ſequentibus aperiemus.

X. Dico ergo primo. Fides in Deum, ut præciſe Remuneratorem, aut Proviſorem nullo unquam tempore, poſt Adæ peccatum, ſufficiens fuit ad juſtificationem, & ſalutem. Probo. Nam fides in Chriſtum, ſaltem implicita, fuit quovis tempore poſt peccatum neceſſaria; hunc enim poſuit Deus Mediatorem, & propitiationem pro peccato: ſed fides in Chriſtum non includitur, adhuc implicite, in fide Dei præciſe Remuneratoris, aut Proviſoris. Nam fides in Deum Remuneratorem, & Proviſorem fuiſſet in homine, etiamſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet. In eo autem ſtatu non habuiſſet fidem in Chriſtum, adhuc implicitam; quia, Adamo non peccante, Chriſtus venturus non fuiſſet; ergo &c. Idem dico de fide in Deum; ut Proviſorem; hæc enim ex natura rei non claudit fidem in Chriſtum, ut Propitiatorem. Tum quia: hæc fides fuiſſet etiam ſi Adam non peccaſſet, in quo ſtatu non includeret fidem in Chriſtum. Tum etiam: quia, abſolute loquendo, Deus potuit providere peccato hominis, abſque Mediatore, ac Redemptore, puta, peccatum generi humano condonando; ergo, nec etiam ſuppoſito peccato, ex fide in Deum Proviſorem naturaliter ſequitur in Chriſtum.

Neque officit, quod Paulus, *Hebr.* 11. *v.* 6. dicat: Accedentem ad Deum oportet credere, *Quia eſt & inquirentibus ſe remunerator fit* —— Nam ibi Paulus loquitur de fide indefinite, & præſcindente a quocumque hominis ſtatu: alioquin dici poſſet, ſolam fidem explicitam in Deum, ut Remuneratorem, ſufficere etiam pro ſtatu legis Evangelicæ. Unde S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 8. *ad* 1. dicit, quod *Illa duo* (quod Deus ſit, & Remunerator ſit) *explicite credere de Deo omni tempore, & quoad omnes neceſſarium fuit; non tamen eſt ſufficiens omni tempore, & quoad omnes.*

XI. Dico ſecundo. Quovis tempore neceſſaria fuit ad ſalutem fides explicita in futurum aliquem Redemptorem; non autem in modos, quibus ille Redemptor redemptionem eſſet operaturus. Prior pars ſequitur ex antecedente Aſſertione. Cum enim quovis tempore fides in Chriſtum poſt peccatum fuerit neceſſaria; & hæc non includatur in fide Dei Remuneratoris abſolute, aut Proviſoris; ſequitur, debere eſſe fidem explicitam Redemptoris ſaltem in genere. Non enim, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. poteſt homo ad ſalutem credere per fidem, niſi ſciat viam, per quam venitur ad beatitudinem: *Via autem hominibus veniendi ad beatitudinem eſt Myſterium Incarnationis, & Paſſionis Chriſti. Dicitur enim, Actorum* 4. Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

Poſterior etiam probatur, ex D. Bernardo, *Epiſt.* 77. modo *Tract. de Baptiſmo, cap.* 3. ſic dicente: *Quod ſi Prophetæ, & qui illuſtriores videbantur in illo populo, non omnes omnia liquido æqualiter agnoſcere valuerunt; ſed alii plus, alii minus, prout eis ſpiritus dabat, dividens ſingulis prout volebat; idque abſque præjudicio ſuæ ſanctitatis atque perfectionis: quanto magis ſimpliciores quique juſti, ſine detrimento ſaluzis, ſalvationis tempus, modum, & ordinem neſcire potuerunt, quæ tamen certa ſpe, & fide uti promiſſa fuerant, certiſſime tenuerunt?* Et poſt aliqua: *Ita ergo multi, ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes, & diligentes ſuæ ſalutis gratuitum Promiſſorem, credentes in promiſſiones fidelem, ſperantes certiſſimum Redemptorem, in hac fide, & expectatione ſalvati ſunt; licet quando, & qualiter, & quo ordine ſalus repromiſſa fieret, ignorarent.*

Ita etiam loquitur S. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 3. his verbis: *Si qui tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris; quia etſi non habuerunt fidem explicitam* (de modis, quibus redemptio fieri debebat) *habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia; credentes, Deum eſſe liberatorem hominum, ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus revelaſſet, ſecundum illud, Job.* 35. Qui docet nos ſuper jumenta terræ. Ubi [S. Doctor loquitur de Gentilibus, qui ſalvi facti ſunt.

XII. Loquendo autem de Iſraelitis, quibus ſpeciales factæ fuerant de Chriſto repromiſſiones, dicit: *Poſt peccatum autem fuit explicite creditum Myſterium Incarnationis Chriſti, non ſolum quantum ad Incarnationem, ſed etiam quantum ad Paſſionem, & Reſurrectionem, quibus humanum genus a morte, & peccato liberatur: aliter enim non præfiguraſſent Chriſti paſſionem quibuſdam Sacrificiis, & ante legem, & ſub lege. Quorum quidem ſignificatum explicite Majores cognoſcebant, minores autem ſub velamine illorum Sacrificiorum; credentes ea divinitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem. Et ſicut ſupra dictum eſt* (q. 1. art. 7. in Corp. & ad 1. v. 4.) *ea, quæ ad Myſteria Chriſti pertinent, tanto diſtinctius cognoverunt, quanto Chriſto propinquiores fuerunt.*

XIII. De hoc etiam differens, in 3. diſt. 25. q. 2. art. 2. q. 2. *Ad fidem* (inquit) *Redemptoris tripliciter ſe habet humanum genus, ſecundum diverſa tempora. In primo enim ſtatu, ante peccatum, non oportebat ab aliquo homine haberi fidem explicitam de Redemptore, quia nondum ſervitus erat inducta; ſed ſufficiebat habere fidem implicitam in cognitione Dei; ut ſcilicet, homo crederet, quod Deus ei provideret in eis, quæ eſſent ad ſalutem neceſſaria. In ſecundo autem ſtatu, poſt peccatum, ante adventum Chriſti, quidam habebant fidem explicitam de Redemptore, quibus revelatio facta erat, qui Majores dicebantur. Quidam autem, ut minores, fidem implicitam habebant in fide Majorum, unde & eis Sacramentum redemptionis ſub ſignis Sacramentorum proponebatur. In tertio autem ſtatu, poſt adventum Chriſti, quia jam Myſterium redemptionis impletum eſt, & corporaliter, & viſibiliter, & prædicatum omnes tenentur ad explicite credendum.* Quibus patet, poſt peccatum, ante Chriſti adventum, omnes quidem, de neceſſitate ſalutis, obligatos fuiſſe ad habendam fidem explicitam in Redemptorem; ſed non omnes ad habendam fidem explicitam de circumſtantiis redemptionis. At poſt Chriſti adventum etiam de circumſtantiis, & Myſteriis, quæ redemptionem comitata ſunt, ab omnibus fides de neceſſitate habenda eſt. Sed de hoc locuti ſumus, *tom.* 1. *in* 2. 2. *tract. de Fide, q.* 2. *dub.* 4.

XIV. Dices tamen primo. Fides explicita in Redemptorem ſupponit fidem de lapſu Adæ, & de peccato originali: ſed fides de lapſu Adæ, & peccato originali non fuit quovis tempore neceſſaria, neceſſitate medii: ergo &c.

Reſpondeo, neg. min. Alias nec fides implicita Mediatoris fuiſſet neceſſaria quovis tempore ad ſalutem. Miſeriæ ergo, in quibus naſcitur, & vivit homo, excitant in omnibus fidem peccati originalis. Ita S. Aug. l. 3. Op. imperf. contra Julian. cap. 77. *Quoniam* (inquit) *Dei non eſt iniquum judicium; ideo in miſeria generis humani, quæ incipit a fletibus parvulorum, agnoſcendum eſt peccatum originale.*

XV. Dices ſecundo contra ſecundam partem. Judæi paſſim credebant, Meſſiam futurum Filium Dei; ait enim Martha, Jo. 11. v. 27. *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.* Item Joan. 1. *v.* 49. *Reſpondit ei* (Chriſto) *Nathanael & ait: Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Et *Matth.* 24. *v.* 62. Princeps Sacerdotum dixit: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei*; ergo etiam ipſi vulgo Judæorum neceſſaria fuit fides explicita, non tantum in Redemptorem in genere, ſed etiam in modos præcipuos; maxime, quod ſimul futurus eſſet homo, & Deus.

XVI. Reſpondeo, diſt. ant. Filium Dei per gratiam, co. ant. Per naturam, nego ant. Immo, cum *Jo.* 10. ſuſpicati fuiſſent, Chriſtum aſſerere ſe Filium Dei per naturam; ipſum tamquam blaſphemum lapidare volebant, dicentes: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Vulgo ergo exiſtimabant, Meſſiam futurum Filium Dei, & Deum eo modo, quo in *Pſ.* 81. *v.* 6. dicitur: *Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Nec eſt credibile, Nathanaelem, cum ab initio confeſſus eſt Filium Dei, tantam fidem habuiſſe, quantam habuit Petrus; cum, propter ſimilem confeſſionem, totius Eccleſiæ paſtor deſignatus a Chriſto fuit.

Dato tamen, quod Marthæ, & Nathanaeli, & aliquibus aliis revelata fuerit Chriſti divinitas, & filiatio naturalis Dei; nego tamen, omnibus promiſcue explicite fuiſſe revelatam. Sed cum S. Th. 2. 2. *q.* 2. *art.* 8. dico, quod *Eodem modo, quo Myſterium Incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicite creditum a Majoribus, implicite autem, & quaſi obumbrate a minoribus: ita etiam, & Myſterium Trinitatis.* Unde non omnes tenebantur explicite credere, Meſſiam fore Filium naturalem Dei. Et in hoc ſenſu exponendus eſt S. Auguſtinus, cum, *l. de Peccato Originali, c.* 24. dicit: *Sine fide ergo Incarnationis, & Mortis, & Reſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari; & Dei gratia juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat.* Loquitur enim de fide, ſive explicita, ſive implicita illorum Myſteriorum; non autem de ſola fide explicita, niſi de eis, quibus facta fuiſſet ſpecialis revelatio; ceteri enim in fide illorum ea credere tenebantur, nimirum, explicite quidem Redemptorem, implicite autem modos, quibus facienda erat redemptio.

DUBIUM VII. & Ultimum.

An præter Israeliticum Populum, Gentes aliquæ ante Christi Adventum habuerint Veram Fidem?

§. I.

Certa Statuuntur.

I. UT certum habeo, homines, qui ante Noemum vixere, unum ac verum Deum coluisse; nec enim in Scripturis legitur, quod aliquis eorum inanes Deos veneratus sit, publico saltem alicujus Gentis cultu. Quod dico, propter aliquos volentes, tempore Enos aliquam idololatriæ speciem ortam fuisse. Corruptio autem universæ carnis, propter quam Deus homines diluvio mersit, quæ legitur, *Gen. 6. v.* 12. fuit corruptio in moribus, præsertim libidinis, non in cultu veri Dei.

II. Ut certum habeo etiam, eos, qui a diluvio ad Abraham usque vixerunt, post turris Babylonicæ constructionem, & post suam in universum Orbem dispersionem, ita successu temporis a veri Dei cultu recessisse, ut hic in sola familia Thare patris Abraham remanserit: immo & aliquando etiam ex ea evanuerit. Ita August. l. 16. de Civit. Dei cap. 12. *Una igitur Thare domus erat, de qua natus est Abraham; in qua unius veri Dei cultus, & quantum credibile est, in qua jam sola etiam Hebræa lingua remanserat; quamvis & ipsa, sicut jam manifestior Dei populus in Ægypto, ita in Mesopotamia servisse Diis alienis, Jesu Nave narrante, referatur ... proinde sicut per aquarum diluvium una domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum; sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum una remanserat domus Thare, in qua custodita est plantatio Civitatis Dei.*

Quandiu vero a diluvio unius veri Dei cultus apud homines permanserit, difficile est statuere, inquit S. August. citato l. 16. de Civ. Dei. c. 1. *Post diluvium procurrentis sanctæ vestigia civitatis, utrum continuata sint, an intercurrentibus impietatis interrupta temporibus, ita ut nullus hominum veri unius Dei cultor existeret; ad liquidum, Scripturis loquentibus, invenire difficile est: propterea quod in Canonicis libris, post Noe, qui cum conjuge, ac tribus filiis totidemque nuribus suis meruit per Arcam a vastatione diluvii liberari, non inventimus usque ad Abraham cujusquam pietatem evidenti divino eloquio prædicatam, nisi quod Noe duos filios suos Sem, & Japhet prophetica benedictione commendat, intuens, & prævidens quod longe post fuerat futurum.*

III. Non minus etiam certum est, privatos aliquos homines, ex speciali Dei privilegio, extra populum Israeliticum, ab Abrahæ temporibus, verum Deum coluisse; fidemque, saltem implicitam, in Christum, vel Mediatorem futurum habuisse. Certo enim certus est, Melchisedecum, Regem Salem, qui Abrahæ revertenti ex prælio occurrit, unum ac verum Deum coluisse: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, ut dicitur, *Gen. 14. vers.* 18. obtulitque Sacrificium, quod typus fuit incruenti Sacrificii a Christo in ultima Cœna instituti: quique benedicens Abrahæ, ait: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit Cælum, & terram.*

Certissimum quoque est, Jobum vera tum in Deum, tum in Christum fide donatum fuisse, ejus enim verba sunt c. 19. v. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Unde Sanctus Augustinus, lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. *Nec ipsos* (inquit) *Judæos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum, præter Israelitas, ex quo propago Israel esse cœpit, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera, qui populus Dei diceretur, nullus alius fuit; homines autem quosdam, non terrena, sed Cælesti societate ad veros Israelitas supernæ cives patriæ pertinentes, etiam in aliis Gentibus fuisse, negare non possunt. Quia si negant, facillime convincuntur de Sancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, idest, advena populi Israel fuit: sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur:* Deinde tempora, quibus vixit Job supputans, dicit: *Quæ tempora ejus quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro ejus ... tertia generatione posteriorem fuisse, quam Israel.* De quo videri potest Eusebius, *l. 1. Demond. Evang. c. 5. & 6.*

Potuisse autem apud alias Nationes alios viros pios, & sanctos esse, subjungit his verbis: *Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias Gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Jerusalem.* Si quis vero roget: qui fieri potuerit, ut aliqui inter Gentes veram in Christum, Deumque fidem habuerint? Respondendum erit, homines illos, vel ex Majorum suorum per Sem, & Japhet traditionem, aut ex Abrahæ familia, vel ex revelatione, ut ait August. *quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus; qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.*

IV. Hoc idem docet S. Th. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. dicens: *Multi Gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet per ea, quæ prædixerunt. Nam Job 19. dicitur,* Scio, quod redemptor meus vivit. *Sybilla etiam prænuntiavit quædam de Christo, ut Augustinus dicit* (l. 13. contra Faustum cap. 15.) *Invenitur etiam in historiis Romanorum, quod tempore Constantini Augusti, & Irene matris ejus inventum fuit quoddam sepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat:* Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol sub Irene, & Constantini temporibus iterum me videbis. (Vid. *Baron. ad An. Christi* 780.)

V. Non est quoque dubium de Populis, ad quos Prophetæ, tempore legis Mosaicæ missi sunt. Ninivitæ enim, qui ad prædicationem Jonæ pœnitentiam egerunt, ante Christum, qua subversionem civitatis eorum effugerunt, veram in Deum, & Christum fidem a Jona edocti fuisse credendi sunt: ac similiter ex illis Gentibus, apud quas Judæi vel conversati, vel captivi fuere, pium est credere, quod ab eis aliqui veram fidem imbuerint. Sed quæstio est de integra aliqua Natione, de aliquo Populo in unum Reipublicæ corpus adunato, ad quem nulli Prophetæ missi sint. Et quæritur: Utrum apud eam Nationem, apud eum Populum, qui extra gentem Judaicam fuerit, verus ac sincerus unius Dei cultus, tum interior, tum exterior, ante Christum natum, extiterit; ita ut Populus ille vera fide in Deum, & Christum, vera charitate fuerit præditus, & sanctis ritibus usus sit.

VI. Huic quæstioni causam dedere quidam libelli, qui circa finem elapsi sæculi, & sub initio præsentis prodiere, quibus asserebatur. primo: Sinarum Gentem, per duo circiter annorum millia ante Christum natum, puram & integram conservasse unius veri Dei fidem, & ab ea toto eo tempore Deum verum adoratum fuisse; adeo ut Christianis in exemplum, & instructionem esse potuerit. Secundo: Eamdem Sinarum Gentem uni, ac vero Deo sacrificasse in templo omnium antiquissimo. Tertio per amplissimum illud temporis spatium apud Sinas fuisse Fideles, vera sanctitate præditos, Dei spiritu plenos, regularum purissimæ charitatis observantissimos: ita ut eorum sanctitatem miraculis Deus confirmaverit. Quarto: nulli cumulatius, quam Sinarum Genti Deum beneficia, & gratiarum dona contulisse. Quæremus ergo: An hoc cum fundamento asseri possit.

§. II.

Resolutio Dubii.

VII. DIco. Extra Abrahami posteros nulla Gens, Populus, aut Natio ante Christum natum veram fidem, aut religionem professa est: ac proinde id, quod de Sinarum Gente asseritur, merum commentum est. In primis enim contrarium est Sacræ Scripturæ, quæ omnes ubique terrarum Gentes extra populum Israeliticum servisse Diis alienis pronuntiat. Ps. 95. v. 5. *Omnes Dii Gentium Dæmonia* Ps. 113. v. 4. *Simulatra Gentium argentum, & aurum.* Deuteron. 13. vers. 6. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus ... Clam dicens, eamus, & serviamus Diis alienis ... Cunctarum in circuitu Gentium, quæ juxta, vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, non acquiescas ei.* Et Paulus, *Act.* 14. volens avertere turbas, ne sibi & Barnabæ, uti Diis immolarent, dixit, *v.* 15. se mortales esse, & veniisse annuntiantes, ab his vanis converti ad Deum vivum: *in præteritis generationibus dimisit omnes Gentes ingredi vias suas.* Cur ergo Scriptura ex Gentibus non excipit Sinas; si in eis unius veri Dei fides adeo pura erat, ut Israelitis, & Christianis exemplo esse potuisset? Sane, si Christus Ninivitas, Tyrum, & Sidonem opposuit in probrum Judæis, *Matth. 12. v. 41. & Matth. 11. vers. 21.* quia si apud illos facta fuissent signa, quæ ipse faciebat, pœnitentiam egissent; & proinde surgent in judicio contra Judæos, & mitius cum illis agetur: fortius eis opposuisset Sinarum exemplum, qui absque prædicatione, & signis verum Deum tanta pietate, ac religione colebant, aut coluerant. Cur ergo id non fecit? An quia hæc Sinarum fides Christum latebat?

Hinc eadem Scripturæ Idololatris solos Israelitas, aut Christianos opponunt; dicentes, in his solis verum Dei cultum fuisse, in illis autem cultum Dæmoniorum, & Idolorum, 2. ad Cor. 10. v. 20. *Quæ immolant Gentes, Dæmoniis immolant: & non Deo.* Et ad Eph. 2. v. 11. *Memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne ... quia eratis in illo tempore sine Christo alienati a conversatione Israel .... promissionis spem non habentes &c.* Rursus: eædem Scripturæ æternam mortem minantur Gentibus, quod Deum ignorent. Psalm. 78. v. 6. *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt, & in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Quod repetit *Jeremias, c. 10. v.* 25. Immerito autem soli Christiani, & Israelitæ in cultu veri Dei Gentibus opponerentur; si ex Gentibus aliqua Natio verum Deum coluisset.

Imme-

Immerito diceretur ſine Chriſto, quia alienati a converſatione Iſrael; ſi aliqua Natio alienata a converſatione Iſrael habuiſſet Chriſtum, & ſpem in ipſum. Immerito tandem omnibus Gentibus mortem æternam Scripturæ eominarentur, quod Deum ignoraſſent; ſi ex Gentibus aliqua Natio Deum cognoviſſet, ac ei vera fide ſerviſſet.

VIII. Rurſus. *Pſ.* 147. David, poſtquam *v.* 19. dixit, quod Deus *Annuntiat verbum ſuum Jacob, & juſtitias, ac judicia ſua Iſrael*; ſubjungit, v. 20. *Non fecit taliter omni Nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis:* Atqui falſum dixiſſet, ſi alii Nationi ab Iſraelitis extraneæ, puta, Sinarum, verbum ſuum, juſtitias, & judicia ſua manifeſtaſſet; ergo &c. Unde S. Auguſt. in præfatum Pſalmum: *Nemo* (inquit) *vos fallat: non nuntiatum eſt alicui Genti hoc judicium Dei, quomodo patiantur, & juſti, & injuſti, quomodo pro merito omnes: quomodo in gratia Dei, non ſuis meritis liberentur ipſi juſti. Non annuntiatum eſt hoc univerſa Genti, ſed tantum Jacob, tantum Iſrael.*

IX. Hiſce omnibus accedit: vocationem Gentium ad fidem nonnullis Chriſti Diſcipulis incredibilem ab initio viſam fuiſſe. *Et obſtupuerunt* (ait Lucas, Act. 10. verſ. 45.) *ex Circumciſione Fideles, qui venerant cum Petro, quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effuſa eſt.* Et c. 11. v. 2. *Cum autem aſcendiſſet Petrus Jeroſolymam, diſceptabant adverſus illum, qui erant ex Circumciſione, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes?* Quibus non reſpondit Petrus; factum ſuum confirmans alicujus Gentis, in quam effuſus eſſet Spiritus Sanctus, aut quæ ante Chriſtum veram fidem ſuſcepiſſet; ſed unice reſpondit, ſe ex revelatione ſibi facta hoc feciſſe; addens v. 17. *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?* Tunc ergo ſolum vocatæ ſunt Gentes ad fidem, eiſque gratia data fuit: nimirum, Chriſto paſſo, non ante Chriſtum.

Immo tantum abeſt, ut Apoſtoli in ſui defenſionem protulerint exemplum alicujus Gentis, quæ extra populum Judaicum antea credidiſſet; quin potius affirmarint, vocationem Gentium eſſe Myſterium, quod tunc primo eis revelatum fuit. Ita Petrus, citato loco, & Paulus, ad *Epheſ.* 3. *v.* 5. ubi aſſerit, per revelationem ſibi notum factum eſſe Sacramentum: *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in ſpiritu;* nimirum: *Gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium.*

X. Reſpondent Adverſarii, Gentes omnes, & ipſos etiam Sinas, quingentis ante Chriſtum annis defeciſſe a ſincero Dei cultu, quem antea per annos bis mille integrum ſervaverant: & ideo mirum non eſſe, quod Apoſtoli in confirmationem vocationis Gentium eo exemplo uſi non ſint.

XI. Sed inanis eſt hæc evaſio. Utrumque enim ſine ullo fundamento, & prorſus temere dicitur. Nam cum conſtans ſit, poſt diſperſionem generis humani in univerſam terram, cognitionem veri Dei in ſola familia Abrahæ perſeveraſſe; quo medio, quo Propheta deportata fuit ad Sinas, & in eis per annos bis mille integra conſervata? An fingenda eſt hic aliqua ſpecialis revelatio, vel alicujus Angeli miſſio, ut Sinas inſtrueret; & ſpecialis gratia, ut eam tanto tempore integram conſervarent? Cur autem poſt bis mille annos fidem, quam conſervaverant, amiſerunt? Verius ergo dicerent cum aliis, ex libris, & hiſtoriis Sinarum colligi, veteres Sinas aut Atheos fuiſſe, aut materiam primam pro Deo coluiſſe, aut Manichæiſmo, quod poſtea prodiit, infectos fuiſſe.

Deinde: illud bis mille annorum ſpatium, ipſum eſt tempus, quo Prophetæ ſcribebant, omnes omnino Gentes eſſe Idololatras, unumque Judaicum populum verum Deum colere; ergo, vel mentiti ſunt Prophetæ, ſi Gens Sinica verum Deum tunc colebat, vel, quod verum eſt, oppoſiti Auctores decipiuntur. Tandem: dato, quod Sinæ a vera Religione quingentis ante Chriſtum annis defeciſſent; cur Apoſtoli ad confirmandum antiquam eſſe vocationem Gentium ad fidem, exemplo Sinarum, qui per annos bis mille in ea perſeverarunt, uſi non ſunt; ſed eam potius, ut novam, propoſuerunt? An Apoſtolis Spiritu Sancto edoctis ignotum erat, quod Recentiores iſti prodiderunt?

XII. Probatur ſecundo noſtra Aſſertio, ex traditione. Primo enim cum Pagani objicerent Chriſtianis noſtræ Religionis novitatem, ac ſi ſub Tiberio incepiſſet; Veteres, ut ſe ab hoc argumento liberarent, nunquam confugerunt ad Gentem aliquam extra Judaicam, quæ Deum verum coluiſſet, & Chriſtum expectaſſet: ſed ad unum Judaicum populum confugerunt, oſtendentes, in eo prænuntiatam, & præfiguratam fuiſſe. Ita Juſtinus, *Apolog. 2. ad Antoninum.* Tertullianus, *Apologetico, Adv. Gentes, cap. 21.* & quotquot alii contra Paganos ſcripſere.

XIII. Aſſeruerunt inſuper, omnes populos, uno excepto Iſraelitico, ab unius Dei cultu defeciſſe: *Deſerta enim omnes Gentes* (ait Juſtinus, Apolog. citata) *a Deo vero erant, quod manuum operibus ſervirent.*

Lactantius, *lib. 4. de Divin. Inſtit. cap. 2.* ſcribit: Pythagoram, & Platonem amore veritatis accenſos ad Ægyptios, & Magos, & Perſas uſque penetraſſe: *Ut earum Gentium ritus, & ſacra cognoſcerent*, ſed ad Judæos tantum non acceſſiſſe, *penes quos tunc ſolos erat.* Et ſubdit: *Sed averſos eſſe arbitror divina providentia, nec ſcire poſſent veritatem; quia nondum fas erat, alienigenis hominibus, Religionem Dei veri, juſtitiamque cognoſcere. Statuerat enim Deus, appropinquante ultimo tempore, Deum magnum talitus mittere, qui eam perfido ingratoque populo ablatam, exterius Gentibus revelaret.* Quo ſpectare videntur verba illa Jacob, *Geneſ.* 49. ubi de Meſſia loquens, ait: *Et ipſe erit expectatio Gentium.* Quaſi quod Gentes, quæ in tenebris ignorantiæ jacebant, ipſum expectarent; ut ab eo lucem veritatis acciperent, qua ante caruerant.

Euſebius quoque, *lib. 2. Demonſt. Evang. Demonſt. 1.* ſcribit: *Myſterium de benedictione Gentium in ſemine Abrahæ ideo olim latuiſſe; quod Abrahæ temporibus omnes Gentes infando ſuperſtitionis errore tenerentur.* Idipſum fatetur S. Auguſtinus ſupra laudatus, tum *lib. 16. de Civit. Dei cap. 21.* dicens: *Proinde ſicut per aquarum diluvium una domus Noe remanſerat, ad reparandum genus humanum: ſic in diluvio multarum ſuperſtitionum per univerſum mundum una remanſerat domus Thare, in qua cuſtodita eſt plantatio Civitatis Dei.* Tum lib. 18. cap. 47. *Populus enim revera, qui proprie Dei populus diceretur* (præter Iſraelitas) *nullus alius fuit.*

Sanctus item Cyrillus, *lib. 3. contra Julianum*, opponenti Juliano, quod ſi Deus ad ſolum Iſraelis populum coercetur, non erit omnium Deus, ſed locus erit aliis Diis. Non negat Cyrillus, Deum ſolum populum Iſraelis, tamquam ſuum deſtinaſſe; non dicit, fuiſſe Deum etiam Sinarum, aut aliarum Gentium, a quibus religioſe cultus fuerit: ſed totus incumbit, ut oſtendat Juliano, Deum Iſraelis eſſe Deum, qui ſicut omnia creavit, ita omnibus dominatur. Et quamvis olim ſoli Iſraeli lumen ſuæ cognitionis fuerit impartitus: ſtatuto tamen tempore Gentes etiam omnes ad lucem vocavit, ſecundum quod ſua providentia ſtatutum fuerat.

Hoc idem tandem confirmat Auctor libri de Vocatione Gentium, olim S. Proſpero adſcripti. Nam, *lib. 1. cap. 13.* Ad quæſtionem: *Cur anterioribus ſæculis dimiſſa eſſent omnes Gentes ingredi vias ſuas, uno tantum Iſraele, qui divinis eloquiis erudiretur, excepto.* Et infra: *Quomodo ipſarum Gentium, quarum prius non eſt facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo.* Reſpondet, ſe malle horum judiciorum, ac Myſteriorum cauſas *Ad altitudinem divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſuſpendere... quam temeraria inquiſitione diſcutere.* Et cap. 21. *Illud abſconditum eſt, cur antea, omnibus Gentibus prætermiſſis, unum populum ſibi, quem ad veritatis cognitionem erudiret, exceperit.* Et lib. 2. cap. 14. *Quoniam* (inquit) *etſi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illuſtrare dignata ſit: tamen tam pauci fuerunt, ut vix cogneſcatur, an fuerit.* Hoc autem verum non eſſet, ſi tunc veritas dignata eſſet illuſtrare integras nationes Gentium; & maxime Gentem Sinicam multitudine cæteras forte ſuperantem.

§. III.

Solvuntur quæ Obſtare videntur.

XIV. CONtra veritatem, tot teſtimoniis munitam, vix objici poteſt aliquid ſolidum.

Objiciunt tamen primo. *Pſal.* 104. *v.* 22. dicitur Joſeph conſtitutus a Pharaone: *Ut erudiret Principes ejus ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret.* —— Melchiſedech Abrahæ temporibus in urbe Salem *Sacerdos erat Dei altiſſimi* (Gen. 14. v. 18.) ergo ſaltem urbs Salem, quæ erat alienigena, ideſt, non de familia Thare, Deum verum colebat.

Tertio. Sybillæ, ut ex D. Thom. *2. 2. q. 2. art. 7. ad 3.* diximus, de Chriſto prophetarunt.

Quarto. Euſebius, *lib. 6. Præparat. Evangelica, cap. 10.* ſcribit ſuo tempore Brachamanes extitiſſe ſoli Deo attendentes. Ait enim: *Apud Indos, & Bactros multa ſunt eorum millia, quos Brachmanes vocant. Ii tam Majorum, quam legum traditione, ab omni cæde, cultuque Simulacrorum abſtinent, animantium nihil guſtant... dumque uni Deo vacant, nullius umquam ſceleris communione polluuntur.*

XV. Reſpondeo ad primum. Prudentiam, quam ſenes ſuos a Joſeph doceri Pharao voluerunt, fuiſſe œconomicam, & politicam; qui adverſus famem, quæ vexarat Ægyptum, aliaque pericula, quibus Joſeph conſuluerat, Regnum ſuum præſervaret in poſterum: non vero prudentiam, ſeu, ut alii volunt, ſapientiam cultu Dei reſpicientem. Quod indicant verba præcedentia: *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ, ut erudiret &c.* Quare S. Auguſt. in dictum Pſalm. num. 14. *Sed unde* (inquit) *fieri poſſet, ne vir tantus unius Dei cultor, in Ægypto alendis tantummodo corporibus, & rebus tantum corporalibus eſſet intentus; & quo eos meliores redderet, curam non gereret animorum?* Cui reſpondet, Sacrum Scriptorem ea tantum retuliſſe, quæ ad finem hiſtoriæ pertinebant.

XVI. Ad ſecundum de Melchiſedech, ſcribit Aug. *lib. 1. quæſt. in Geneſ. q. 72.* a nonnullis dubitari, an fuerit homo, vel Angelus. Origenes, & Didymus, apud Hieronymum. *Epiſt. 126. ad Evagrium*, ſeu *Evangelium*, modo *inter Epiſt. criticas, t. 1. pag. 570.* ſenſerunt, eum fuiſſe Angelum. Auctor *quæſt. veteris, & novi Teſt.* (olim falſo exiſtimatus S. Auguſt.) *qu.* 109. contendit, Melchiſedech fuiſſe Spiritum Sanctum. Catholica tamen veritas eſt,

Melchisedechum verum hominem fuisse. Unde S. August. *l. de Hæres. c. 34.* Melchisedechianos recenset inter hæreticos, quod Melchisedech *Non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.* Firmato autem, Melchisedech hominem fuisse, senserunt aliqui, eum fuisse Sem filium Noe. Sed hæc opinio verisimilis non est. Partim, quia Palæstina, in qua Salem (sive fuerit oppidum quoddam, ut vult Hieronymus citatus, sive ipsa civitas, postea dicta Jerusalem, ut fert opinio communior) posita erat, non fuit occupata a filiis Sem, sed a filiis Cham, nimirum a Chananæis. Partim, quia nulla ratio suadet, Sem Sacerdotio functum fuisse extra suam familiam. Partim, quia Melchisedech describitur fuisse sine patre, sine matre, & sine genealogia. *Hebr. 7. v. 3.* quod de Sem dici nequit; cum Scriptura, tum in Genesi, tum in Paralipomenon ejus genealogiam describat. His pro eruditione præmissis.

Dico. Melchisedech fuisse alienigenam, gente Chananæum: sed hoc non obstante Dei altissimi cultorem, & Sacerdotem; qui Sacrificio panis, & vini, quod obtulit Abrahæ, & offerre consueverat, typus & figura fuit Sacrificii incruenti Christi in Eucharistia, ut notant Cyprianus, *Epist. 63. ad Cæcilium*; & August. *l. 16. de Civ. Dei c. 22.* Ex hoc autem solum colligitur: aliquos privatos homines, extra Abrahæ familiam, fuisse veros Dei cultores (quod non negamus) non vero aliquam totam Gentem. Licet enim Melchisedech dicatur Rex illius Populi (qui tunc temporis erat modicus) non tamen dicitur illius Populi, aut Gentis Sacerdos: unde non sequitur, etiam Populum illum verum Deum coluisse.

XVII. Ad tertium dato (quod non pauci negant) Sybillas de Christo prophetasse; colligitur solum, privatas aliquas personas habuisse, ex Gentibus, revelationem de Christo; &, si velis, etiam ejus fidem, ut supra diximus cum S. Thom. *2. 2. q. 2. art. 7. ad 3.* Quamquam ex eo, quod Sybillæ prophetaverunt de Christo, non sequitur, eas, vel eos, quibus prophetabant, purum ac sincerum cultum vero Deo exhibuisse, ac fidem in Christum habuisse: nam Balaam, & Caiphas prophetarunt de Christo, qui tamen fidem Christi non habebant. Erant ergo Prophetæ de Christo, sed non erant Prophetæ Christi. Sic inquit S. August. in expos. inchoata, Epist. ad Rom. *Fuerunt enim, & Prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inveniuntur, quæ de Christo audita cecinerunt, sicut de Sybilla dicitur.* Et lib. 18. de Civit. Dei, cap. 47. *Quapropter* (inquit) *quisquis alienigena, idest, non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in canonem Sacrarum Litterarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo; si in nostram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum nobis commemorari potest: non quod necessarius sit, etiamsi desit; sed quia non incongrue creditur, fuisse & in aliis Gentibus homines, quibus hoc Mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt: sive participes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes, sed per malos Angelos docti sunt, quos etiam præsentem Christum, quem Judæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos.*

XVIII. Ad quartum de Brachmanibus, dico, eos non fuisse aliquam unam Gentem, sed plurium Gentium Philosophos, ut refert Clemens Alexandrinus, *l. 1. Stromat.* vitam austeram, ac ab omni humana voluptate, ac deliciis alienam, & continentem profitentes, nec aliorum Barbarorum impietatibus, saltem exterius, inquinatos. Leges, ac ritus Mosaicis similes, aliaque cum Judæis convenientia habuisse, scribit doctissimus Huetius, *Demonst. Evangelic. Proposit. 4. c. 6. n. 1. & 2.* Quamvis autem simulacra non tollerent, non proinde arguitur, eos Idololatras seu alicujus falsi Numinis adoratores non fuisse: sine Simulacris enim falsorum Numinum cultum cœpisse, alibi ostendi. Et ut scribit idem Eusebius, *l. 9. Præpar. Evang. c. 6.* Numa Romanis prohibuit, ne ullam imaginem in Templis erigerent: unde annis centum & septuaginta nullam imaginem, neque sculptam in Templis, Romani habuerunt. Quis autem dicet, eo tempore Romanos sua falsa Numina, licet sine Simulacris, non coluisse? Idem de Brachmanibus dico. Simulacra quidem non colebant, sed adorabant vel Cælum, vel stellas, vel aliud non verum Numen. Hæ autem voces: *Soli Dei attendentes*, exponendæ sunt de Deo, quem colebant; nimirum, intenti, ne quid agerent, quod suo inani Deo displiceret, & ab eo puniri possent.

Demum: dato Brachamanes verum agnovisse Deum, quem solo lumine naturæ multi Philosophorum cognoverunt: quia tamen, ut ait Apostolus, Rom. 1. v. 21. *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut ei gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis:* ideo indignos se præbuerunt, ut lumine fidei, sine quo nullum est verum pietatis & charitatis opus ad salutem, illustrarentur.

XIX. Objici potest secundo. Indignum videtur Deo, *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (ut ait Apostolus, 1. *ad Timoth. 2. v. 4.*) quod per tot sæcula tot Gentes, ac Nationes in massa perditionis reliquerit.

Respondeo, hac objectione Sinarum etiam Advocatos premi. Nam dici potest, indignum Deo fuisse, qui omnes homines vult salvos fieri, relictis omnibus aliis Gentium Nationibus, solos Sinas fidei & gratiæ suæ luce perfuderit. Respondeo igitur, quod, ut statuimus, *t. 1. in 1. p. tract. de Volunt. Dei, q. 2. dub. 3. §. 5.* nemine etiamsi Infideli, & Barbaro deesse, aut defuisse umquam auxilium aliquod supernaturale, saltem remotum; cui, si obicem non poneret prava voluntate, alia ulteriora & fortiora succederent: & ita se gessisse Deum erga omnes Gentes. At quia *Evanuerunt in cogitationibus suis, Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam &c.* ut ait Paulus, *Rom. 1. v. 23. 24. &c.* Cæterum tanta est Dei bonitas erga homines; ut si qui eorum feciissent, quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis Prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, *Act.* 10. Macedonibus Paulum, ut habetur, *Act. 16.* Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, Threnorum 5. *Converte te, nos Domine ad te & convertemur.* Ita S. Thom. *in Ep. ad Rom. c. 10. Lect. 3.* Sed hæc suis locis tractavimus. Hæc sufficiant de Gratia Christi Capitis nostri pro mei Canditati instructione, & doctrinæ nostri Angelici Præceptoris, ab eodem Christo probatæ, declaratione &c.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS
DE SACRAMENTIS IN GENERALI.



Acramentorum notitia omnibus, ſive Chriſti Miniſtris, ſive Chriſti Populo utilis, immo neceſſaria eſt. Illis quidem: nam cum Eccleſiaſtici miniſterii præcipua pars ſita ſit in ſacramentorum adminiſtratione; dicente Paulo, 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*: debeantque Fideles ad divina ſacramenta rite, & digne ſuſcipienda adornare, plena ſacramentorum notitia imbutos eſſe oportet. Iſti autem: nam cum fidelis Populus per ſacramentorum ſuſceptionem pervenire debeat ad gratiam, & ad ſalutem; ad ea ſuſcipienda mire excitatur, dum eorum admirabilem virtutem, efficaciam, ac utilitatem eximiam noverit. Quare mente tota huic Tractatui, & ſequentibus bene addiſcendis ad laborandum erit. Primo ergo de Sacramentis in generali: deinde de ſingulis in particulari ſermo erit.

De Sacramentis ergo in generali octo ſunt expendenda. Primo, eſſentia. Secundo, neceſſitas. Tertio, partes. Quarto, numerus, & ordo. Quinto efficacia. Sexto, inſtitutio. Septimo, Miniſter. Octavo, Ritus, & ceremoniæ.

QUÆSTIO I.

De Sacramentorum Eſſentia, & Neceſſitate.

SAcramentorum eſſentiam cum eorum neceſſitate conjungimus; quia ſacramentorum eſſentia explicata, ſtatim eorum neceſſitas ad ſalutem incipit apparere.

DUBIUM I.

Quid ſit Sacramentum?

§. I.

Varia hujus Nominis Acceptiones.

I. SAcramenti nomen, a *Sacro* ſuam trahit originem, ac Etymologiam. Unde fit, quod ex varia relatione ad rem ſacram, quam violare nefas eſt, varia oriatur ſacramenti ſignificatio. Primo ergo apud Veteres ſacramentum ſumebatur pro pignore, quod olim a litigantibus in loco ſacro deponebatur, ea lege, ut illud amitteret, qui caderet lite: qui vero cauſam obtineret, illud recuperaret. Sic apud Varronem, *l. 4. de Lingua Latina*.

II. Secundo. Sacramentum ſumebatur pro juramento, quo rem ſacram, Deum ſcilicet, vocamus in teſtem. Sic uſurpatur ſacramenti nomen, nedum apud profanos Auctores, ſed etiam iu Jure Canonico, Cauſa 22. q. 4. cap. *Qui Sacramento*. Et hac de cauſa qui juramento rei militari nomen dabant, *Sacramentarii* dicebantur. In hoc ſenſu accipit nomen ſacramenti Tertullianus cum, 1. *ad Martyres*, c. 3. dicit: *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in ſacramenti verba reſpondimus*. In quo ſenſu loquitur etiam, *l. de Spectaculis, c.* 24. & *l. de Corona Militis, c.* 3. & Iſidorus, *l. 9. Originum, c.* 3. ubi inter militiæ partes primo loco recenſet ſacramentum, quo miles poſt electionem jurat, ſe a militia non receſſurum.

III. Tertio. Sacramentum ſumitur pro re ſecreta, quæ quaſi ſacra cuſtodiri debet. Sic, *Tob.* 12. *v.* 7. dicit Angelus Raphael: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*.

IV. Uſu tamen ſacrarum Scripturarum ſacramenti nomen uſurpatur, primo: pro re aliqua arcana, & ſublimi: ſic Myſteria fidei noſtræ, quia arcana, & ſublimia, ſacramenta dicuntur. Unde, Sap. 2. v. 22. *Neſcierunt ſacramenta Dei*. Et 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 16. Paulus vocat Incarnationem *Magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne*. Et S. Ambroſius l. de Incarnatione ſic inſcripſit: *Liber de Incarnationis Domini Sacramento* —— Secundo pro ſigno rei ſacræ: Unde Auguſt. *Ep.* 5. modo 138. ad Marcellinum. *Signa* (inquit) *cum ad res divinas pertinent, ſacramenta appellantur*. Aliquando etiam pro ſigno rei ſacræ, non cujuſcumque, ſed hominem Deo conſecrantis, & initiantis: & hæc eſt propria ſacramenti acceptio, & ea de qua Theologi Catholici in præſens diſputant.

V. Dico igitur. Sacramenti nomen, ut a Theologis in hoc tractatu uſurpatur, eſt; eſſe ſignum rei ſacræ hominem Deo conſecrantis, & initiantis. Ita eum accepit Theologorum parens Auguſtinus, *lib. 15. de Civit. Dei c.* 26. ubi oſtium in latere Arcæ Noemicæ apertum comparans Chriſti lateri, quod lancea aperuit, ait: *Et quod oſtium in latere accepit; profecto illud eſt vulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum eſt: hac quippe ad illum venientes ingrediuntur; quia inde ſacramenta manarunt, quibus credentes initiantur*. Et Fidelis ejus diſcipulus S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. *Sacramenta* (inquit) *proprie dicebantur illa: quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam conſecrationem, per quam ſcilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei*.

VI. Non placet tamen modernis Sectariis, Melanctoni, Carloſtadio, Zuinglio, aliiſque ſimilis furfuris hæc ſacramenti nominis uſurpatio; immo & ipſum diſplicet ſacramenti nomen, ut Chriſtianæ Religionis Myſteria, nempe, Baptiſmus, Euchariſtia, Ordo, & ſi quid aliud apud ipſos eſt, explicentur. Magis (quia ſuæ doctrinæ conſonum, ut videbitur) purum nomen *Signi* eis arridet: unde ſuos Tractatus de ſacramentis inſcribere ſolent, de *Signis*, ſeu de *Symbolis*. Ajunt enim, nullibi reperiri in ſacris Codicibus ſacramenti nomen, prout nunc a Scolaſticis uſurpatur, nempe, pro ſigno rei ſacræ, quæ homines ſanctificet.

VII. Sed contra iſtos ſic arguo. Ea nomina retinere debemus, quibus Eccleſia a ſui exordio ad hæc uſque tempora uſa eſt, ut doceret populum fidei noſtræ Myſteria; & hæc velle immutare, non minus abſurdum eſſet, quam velle immutare nomina, quæ in idiomate latino, vel gallico hactenus in uſu fuere: atqui Eccleſia a ſui exordio, ad exprimenda ea, quibus Deo ſacramur, juſtificamur, nomine Sacramenti uſa fuit: ut videre eſt apud Tertullianum, *lib. de Præſcr. adverſus hæreticos, cap.* 40. Cyprianum, *Epiſt.* 75. ubi Baptiſmum vocat *Baptiſmi ſacramentum*, Apud S. Aug. *Epiſt.* 118. modo 54. *ad Januarium, cap.* 3. ubi Euchariſtiam vocat *Saluberrimum Sacramentum*, quod in ſuis, contra Donatiſtas libris de Baptiſmo, Auguſtinus paſſim uſurpat. Et tandem apud S. Gregorium, qui librum, in quo ritus adminiſtrandorum ſacramentorum tradit, *Sacramentarium* inſcripſit.

Nec quod in hoc ſenſu in ſacris Codicibus hoc nomen non inveniatur, obeſt. Quis enim umquam Scripturas evolvens reperit nomina *Trinitatis*, *Conſubſtantialis*, *Ingeniti*, *Incarnationis*, *Euchariſtiæ*: quæ tamen, quia uſu Eccleſiæ receepta ſunt, etiam a præfatis Sectariis recipiuntur? Non ergo eſt cur illis ſtomacho ſit *Sacramenti* nomen adhibere, quamvis in ſenſu Eccleſiæ in Scripturis non legeretur; cum tamen legatur, *Epheſ.* 5. *v.* 32. ubi de Matrimonio dicitur: *Sacramentum hoc magnum eſt*. Quia nimirum ſignum eſt ſpiritualis conjugii Chriſti cum Eccleſia. Sed nominis quæſtione relicta, veniamus ad rem.

§. II.

Eſſentia Sacramenti apud Heterodoxos.

VIII. CIrca Sacramentorum eſſentiam non unus eſt apud hæreticos ſenſus, eſto ſemper Catholicæ veritati contrarius. Quidam, ut Kemnitius, & plerique Lutheranorum, volunt, ſacramentum nil aliud eſſe, quam *Signum materiale præceptum in novo Teſtamento, abſignans inſtar ſigilli promiſſionem gratiæ*. Quæ deſcriptio conſiderat ſacramentum, tantum per ordinem ad promiſſiones divinas de juſtificatione credentibus conferenda. Sicut enim Regiæ Litteræ, quibus Rex aliquid promittit, Regio ſigillo obſignari ſolent, & confirmari ut eas exhibentibus res promiſſa conferatur: ita Chriſtus ea, quæ promiſit in Scripturis Sanctis circa reconciliationem peccatoris, voluit ſacramentis, tamquam ſigillis confirmare.

IX. Sed hujuſmodi falſa ſunt. Ut enim Sacramenta ad inſtar ſigilli obſignarent, & confirmarent promiſſiones Dei factas in ſuis Scripturis, deberent eſſe notiora, & efficaciora ad perſuadendam fidem, quam ſint Scripturæ ipſæ divinæ: ſigillum enim, quo obſignantur, & confirmantur Regiæ Litteræ, notius eſt, ac efficacius ad perſuadendum, Litteras illas eſſe Regias, quam ſint per ſe ipſæ Regiæ Litteræ; ſigillum enim omnes norunt, Litteras vero non omnes. Et quia miraculum eſt confirmativum veritatis doctrinæ, quæ prædicatur, miraculum notius eſt ipſa doctrina. Ad quid enim unum adhiberetur ad confirmandum aliud, ſi eo non eſſet notius? At ſacramenta non ſunt notiora divinis Scripturis; ergo &c. probo min. Si ſacramenta notiora eſſent, & certiora Sacris ſcripturis, certitudo, & veritas Scripturarum poſſet probari ex ſacramentis; ſicut ex ſigillo probamus Litteras eſſe Regias, & ex miraculo doctrinam eſſe veram; ſed accidit oppoſitum, cum potius veritas, & certitudo ſacramentorum ex Scripturis hauriatur; ita ut, ſi Scripturæ deſint, deſit certitudo ſacramentorum, ut ipſi etiam hæretici fatentur. Nam unde ſcimus, aquæ in Baptiſmo annexam eſſe promiſſionem gratiæ; niſi quia Scriptura dicit, Joan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei?*

Ex his urgeo magis. Si ſigillum Regis eſſet ignotum, & ſolum poſſet cognoſci ex Litteris, quibus eſt appenſum, erit plane ſuperfluum. Nam qui vident, aut credunt, Litteras eſſe Regias, ſecluſo ſigillo; aut non credunt. Si credunt: quid faciet ſigillum? ſi non credunt: neque credent ſigillum eſſe

esse Regium, si hoc non potest cognosci, nisi ex Litteris. Si ergo non credimus sacramenta esse sigilla divinarum promissionum, nisi quia Scriptura hoc dicit: Si credimus Scripturæ sine sacramentis, sacramenta quid faciunt? si non credimus, nec credimus sacramenta esse Dei sigilla &c. si ea esse talia non cognoscimus, nisi ex Scriptura.

X. Rursus: si non aliud sunt sacramenta, quam testimonia divinæ promissionis, & gratiæ; vel superflua, vel parum necessaria etunt: habemus enim alia testimonia, & sigilla longe certiora. Nam bona opera sunt testimonia longe certiora, quod in nobis adimpleta sit divina promissio de justitia conferenda, quam sit ablutio aquæ in Baptismo, aut sumptio Eucharistiæ. Multi enim impii baptizantur ficto corde, & sumunt Eucharistiam indigne; qui certe promissiones gratiæ non consequuntur, sed sacrilegii rei efficiuntur: & tamen sacramentum accipiunt. Quomodo ergo dici potest, in istis esse sigillum adeptæ repromissionis?

XI. Tandem: si sacramenta essent sigilla, vel testimonia ad excitandam fidem divinarum promissionum, frustra infantes, & amentes baptizarentur, in his enim fides excitari non potest, cum incapaces sint: sed Lutherani omnes contra Anabaptistas pugnant pro Baptismo infantium; ergo &c.

Dicunt tamen primo. Patres non raro docent, sacramenta esse signa, & sigilla gratiæ.

Secundo. Deus in omnibus pactis, quæ cum hominibus iniit, usus est signis, quibus ea confirmaret, *Genes. 9. v.* 12. de Iride dicitur, quod sit signum fœderis initi inter Deum, & Noemum. *Gen. 17. v. 10.* Circumcisio vocatur signum fœderis inter Deum, & Abrahæ posteritatem; ergo a pari necesse fuit, ut Deus præcipuam suam promissionem de justificatione credentibus conferenda signis exterioribus confirmaret: cum humano modo, nostræque infirmitati aptato fœdus, per Christum, nobiscum contraxerit.

XII. Respondeo ad primum: Patres vocare signa sacramenta, vel etiam sigilla; non quia divinam de justificatione promissionem obsignent, sed quia vel per ea Fideles ab infidelibus distinguuntur: vel quia rem sacram, nempe, gratiam significant, & continent.

Ad secundum dico: Exempla adducta probare quidem, Deum usum fuisse signis commemorativis fœderis initi. Nam per fidem, & Circumcisionem voluit Deus ob oculos ponere hominibus fœdus initum cum Noe, & cum Abraham; non vero probare signum confirmatorium fœderis, ut Adversarii volunt esse sacramentum.

XIII. Alii alias sacramenti definitiones statuunt. Zuvinglius vult, sacramentum nil aliud esse, quam *Oppignorationem, qua se homines obligant Christo, ejusque Religioni dant nomen.*

Alii, ut Phanatici, volunt sacramenta nihil aliud esse, quam *Signa quædam instituta ad discernendum populum Christianum a Pagano, & Judæo*, quomodo Romanis olim toga erat signum, quo discernebantur a Græcis.

Alii, ut Anabaptistæ, volunt, sacramenta esse instituta, ut signa sint bonorum operum, quæ pro Christo debent facere Christiani, nempe, sustinere adversa, immo, & mortem ipsam pro eo.

XIV. Verum ista partim vera, partim falsa sunt. Vera: quia verum est, per sacramenta nos Christo initiari; ei nomen dare, & Christianos esse attestari. —— Verum est quod sacramenta usum habent discernendi Christianos a non Christianis: Baptismo enim populus Christianus a Judæis, & Paganis secernitur. Ut enim ait Augustinus, l. 19. contra Faustum, cap. 11. *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* —— Verum quoque est, sacramenta nos admonere, quid facere pro Christo debeamus: baptismalis enim mersio, & emersio admonet nos debere mori peccato, & Christo resurgere.

Attamen falsi sunt. Quia in his tantum naturam, & finem sacramenti constituunt; & omittunt finem sublimiorem, & principaliorem, ob quem sacramenta instituta sunt: nempe, ut homines per ea justificationis gratiam consequantur. Marci enim ultimo, *v.* 16. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Actor. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*, & *cap. 22. vers. 16.* dixit Ananias Paulo: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Unde Augustinus, qu. 84. in Levit. *Sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia sacramenta quid prosunt?*

XV. Calvinus tandem, *l. 4. Inst. c.* 14. §. 1. dicit: *Sacramentum, externum esse Symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo, & Angelis, quam apud homines testamur.* Vel brevius: *Divinæ in nos gratiæ testimonium externo signo confirmatum, cum mutua nostra erga ipsum pietatis testificatione.*

Verum neutra hæc definitio probari potest. Tum quia, facit sacramentum nudum, & merum signum justificationis nostræ; nullam participans efficaciam activam ad illam, sed ad summum objectivam, quatenus potens est objective in nobis excitare fidem. Tum quia: facit sacramentum esse signum confirmativum divinarum promissionum, & attestativum nostræ pietatis; quod supra contra Lutheranos rejecimus. Et rejecerat S. August. *l. 19. contra Faustum, c.* 12. his verbis: *Veruntamen quia visibilia sacramenta pietatis inesse possunt etiam impiis, sicut habuisse sanctum Baptismum etiam Magum Simonem legimus; fiunt tales, quales Apostolus ait: Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Virtus autem pietatis est finis præcepti, id est, charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Unde Apostolus Petrus cum de sacramento Arcæ, in qua Noe domus liberata est, loqueretur: sic & vos, inquit, similiformæ baptismus salvos facit. Et ne sibi sufficere putarent visibile sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per malos mores perdite vivendo virtutem ejus abnegarent; continuo subjecit: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Potest ergo aliquis, ut Simon Magus recipere Baptismum impie, & sine effectu promissionis gratiæ. Si autem baptismus esset sigillum confirmativum promissionis gratiæ, sicut miraculum est confirmativum veritatis doctrinæ; non posset esse verus Baptismus sine gratia, sicut nec potest esse verum miraculum, quin sit vera doctrina, quam confirmat; ergo &c.

XVI. Nec valet dicere, Circumcisionem fuisse acceptæ justificationis signum, seu sigillum; dicente Paulo, ad *Rom. 4. v.* 11. quod Abraham *Signum accepit Circumcisionis signaculum justitiæ fidei*; ergo idem dicendum est de aliis sacramentis.

Nego enim ant. Nam Circumcisionem Abraham non accepit, ut sigillum confirmativum acceptæ justitiæ per fidem; sed ut signum præfigurativum, quod futurus esset pater omnium credentium; unde subdit: *ut sit pater omnium credentium.* Quia enim Abraham credidit sui seminis multiplicationem; ideo in præmium dedit ei signum Circumcisionis, quo indicaretur pater omnium credentium.

Sed dimissis definitionibus hæreticorum, quæ omnes in hoc conspirant, quod statuant sacramenta, pura, & nuda signa omni virtute, & efficacia vacua ad justificationem nostra operandam; videamus, quid Catholici sentiant.

§. III.

Essentia Sacramenti apud Catholicos.

XVII. SAcramentum sumi potest, vel in genere, ut scilicet, abstrahit a sacramentis Legis novæ, ac veteris: vel in specie pro sacramentis Legis novæ.

Sacramentum ergo in genere est: *Signum rei sacræ hominis sanctificantis, seu in quantum est sanctificans homines.* Hanc sumo ex S. Thoma, *3. part. q. 60. art.* 2. Bonam esse hanc definitionem ostendo. Constat enim ex genere. Nam per ly *Signum rei sacræ* convenit cum omnibus Scripturæ Sacræ figuris: cujusmodi erant Manna, quo adumbrata fuit Eucharistia: Transitus per mare rubrum, qui ex Paulo Baptismum præfiguravit: & alia multa Patriarcharum facta, sub quibus non pauca Mysteria latebant, quæ tamen sacramenta non erant, cum non essent instituta ad significandam rem sacram, in quantum sanctificantem homines. Ponitur ly *sanctificantis*; seu *in quantum est sanctificans*, quia propria differentia, seu notio sacramenti est esse signum rei sacræ, non præcise ut est sacra in se, sed ut est sanctificans alios.

Hinc S. Thomas, citato loco, *ad* 1. dicit: *Quod creatura sensibilis significat aliquid sacrum, scilicet, sapientiam, & bonitatem divinam in quantum sunt in se ipsis sacra; non autem in quantum nos per eas sanctificamur: & ideo non possunt dici sacramenta.* Et ad 2. *Quædam* (inquit) *ad vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est: quædam vero significabant sanctitatem ejus, in quantum per ea nos sanctificamur; sicut immolatio agni paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur proprie veteris Legis sacramenta.*

XVIII. Ex his infertur: Sacram Scripturam, etsi sit instituta, ut per sui prædicationem homines perducantur ad sanctitatem, non esse sacramentum; quia non est instituta, ut per eam sancti immediate efficiamur, & per se ipsam; sed solum ad excitandos in nobis actus fidei, & pietatis: quibus homo per media instituta, & maxime per sacramenta, ad justitiam perveniat. Eadem ratione a ratione sacramenti excluduntur Imagines, Cruces &c. aqua benedicta, aliaque sacramentalia, Et causam dat S. Thom. citato loco, *ad* 3. Quia *Res denominatur a fine, & complemento: dispositio autem non est finis, atque perfectio. Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta, sed solum ea, quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.*

XIX. Si vero definire velimus sacramentum determinate, & in specie, ut est sacramentum Legis novæ; illud possumus sic describere ex Catechismo Conc. Tridentini: Sacramentum *Est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Quibus patet differentia inter sacramenta vetera, & nova; quod illa significabant gratiam, sed vim eam conferendi non habebant: ista gratiam significant, & vim eam conferendi habent, ut infra suo loco dicetur.

XX.

XX. Ex allatis ſacramenti definitionibus conſtat, ſacramentum eſſe in genere ſigni, ut docet S. Thom. 3. *part. q. 60. art.* 1. Pro cujus intelligentia ſciendum ex S. Aug. *lib.* 1. *de Doctr. Chriſt. cap.* 2. quod rerum, quæ ſenſibus percipiuntur, aliæ ſui tantum cauſa effectæ ſunt, nimirum, ut ſint, quales ſunt omnes pene res, quæ natura conſtant. Aliæ adinventæ ſunt, ut aliud ſignificent; quales ſunt rerum vocabula, ſcripturæ, nutus, vexilla, imagines, tubæ, & ſimilia. Non quia ſignum res aliqua non ſit; quod enim res non eſt, nihil eſt (ait Auguſt. citatus) ſed quia ſunt res, quæ ad ſignificandum aliud adhibentur. Signum autem ex eodem Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 1. eſt *Res, præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cognitionem venire: ſicut veſtigio viſo, tranſiſſe animal, cujus veſtigium eſt, cogitamus; & fumo viſo, ignem ſubeſſe cognoſcimus; & voce animantis audita affectionem animi ejus advertimus: & tuba ſonante, milites, vel progredi ſe, vel regredi, & ſi quid aliud pugna poſtulat, oportere noverunt.* Hæc S. Auguſtinus.

Qui proſequitur: *Signorum igitur alia ſunt naturalia, alia data. Naturalia ſunt, qua ſine voluntate, atque ullo appetitu ſignificandi, præter ſe, aliquid aliud ex ſe cognoſci faciunt.* Sic fumus ſignificat ignem latentem; ſic veſtigium cognoſcere facit animal, quod tranſivit; ſic vultus irati, ſeu triſtis, animi affectionem indicat; hæc enim omnia ex ſe oſtendunt, etſi nos nihil agamus, aut velimus, ut manifeſtent.

Data vero ſigna ſunt, qua ſibi quæque viventia invicem dant, ad demonſtrandos, quantum poſſunt, motus animi ſui, vel ſenſa, aut intellecta qualibet. Nec ulla cauſa eſt nobis ſignificandi, ideſt, ſigni dandi; niſi ad depromendum, & trajiciendum in alterius animam id, quod animo gerit is, qui ſignum dat. Ita S. Aug. laudatus. Hæc autem ſi prodeant, & fundentur, non in natura (ut cantus galli gallinacei reperto cibo; columbi gemitus dum columbam vocat; vultus dolentis, aut clamor) ſed in mera inſtitutione, & voluntate, & ad aliquid determinate ſignificandum ſint impoſita, quod ex ſua natura non ſignificarent; vocantur ſigna ad placitum: quorum quædam dantur oculis, ut vexilla, quæ oculis militum oſtendunt voluntatem Ducis: alia auribus, ut tubæ ſonitus, qui defert ad milites Ducis animum, milites vel invitantis ad prælium, vel a prælio revocantis. Et communiter verba ad aures alterius animi noſtri conceptum transferunt.

Hujuſmodi autem ſigna, ut idem Auguſt. ibi docet, alia ſunt data, & inſtituta ab hominibus, alia a Deo. Horum quædam ſunt ſpeculativa, quæ ſolum ſignificandi gratia ſunt inſtituta. Sic fuit Iris a Deo inſtitutus, ut oculis hominum manifeſtaret fœdus initum inter Deum, & homines. Alia ſunt practica, quæ inſtituta ſunt, ut aliquid ſignificent, & ſimul efficiant quod ſignificant. His prælibatis, ad rem noſtram.

XXI. Sacramenta eſſe ſigna, & quidem ſenſibilia, admittunt omnes, tum Catholici, tum etiam hæretici. Quis enim negare poteſt, Baptiſmum, Euchariſtiam &c. eſſe rem ſenſibilem aliquid inſenſibile ſignificantem? Unde ſacramentum dici ſolet *Inviſibilis gratia viſibilis forma.* Et S. Auguſtinus, *quæſt.* 84. *in Leviticum*, dicit quod Moyſes ſanctificabat, & Deus: *Moyſes viſibilibus ſacramentis per miniſterium ſuum, Dominus autem inviſibili gratia per Spiritum Sanctum.* Cujus rationem ad ſuavem Dei providentiam, quæ omnia diſponit accommodate ad naturam ſuam, inducit S. Thom. 3. part. quæſt. 60. art. 4. *Eſt autem homini connaturale, ut per ſenſibilia perveniat ad cognitionem intelligibilium. Signum autem eſt per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde cum res ſacræ, qua per ſacramenta ſignificantur, ſint quædam ſpiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo ſanctificatur; conſequens eſt, ut per aliquas res ſenſibiles ſacramenti ſignificatio impleatur: ſicut etiam per ſimilitudinem ſenſibilium rerum in divina Scriptura res ſpirituales nobis deſcribuntur.*

XXII. An autem ſint ſigna practica, hæretici negant. Nos cum diſtinctione loquimur. Vel enim ſermo eſt de ſacramento, ut abſtrahit a ſacramentis, ſive veteris, ſive novæ Legis: & ſic dico, quod abſtrahit a ratione ſigni, vel practici, vel ſpeculativi: unde neutrum determinate eſt de eſſentia illius ſic conſiderati. Si vero ſermo ſit de ſacramentis veteris Legis: ſic dico, eſſe ſignum mere ſpeculativum, ſignificans quidem interiorem gratiam, ſed eam non cauſans. Nec refert, quod cauſaret aliquam ſanctitatem, & munditiam legalem, & externam. Nam ſacramentum eſt per ſe inſtitutum ad ſignificandam veram animæ ſanctitatem, qualis eſt ſanctitas, & juſtitia interior; non vero ſanctitatem imperfectam, & quæ eſt quaſi diſpoſitio ad veram ſanctitatem, qualis eſt ſanctitas legalis: alias aqua luſtralis, Clericalis tonſura, abſolutio a cenſuris, quæ aliquam extrinſecam ſanctitatem conferunt, eſſent inter ſacramenta recenſenda. Si vero ſermo ſit de ſacramentis novæ legis determinate: ſic dico, eſſe ſigna practica; quia gratiam non ſolum ſignificant, ſed etiam conferunt, ut ſuo loco dicetur.

XXIII. In hoc ergo ſita eſt differentia inter ſacramenta veteris legis, ſive naturæ, ſive Moſaicæ; quod illa ſignificabant quidem, ſed non dabant gratiam, iſta gratiam, quam ſignificant, conferunt. Unde Auguſtin. in Pſalm. 73. *Alia* (inquit) *ſunt ſacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Teſtamenti dant ſalutem, ſacramenta veteris Teſtamenti promittebant Salvatorem.* Quod ſancitum fuit a Concil. Florent. in Inſtruct. Armenorum. Ubi de Sacramentis novæ Legis loquens: *Qua* (inquit) *multum a ſacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per Paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.* Quod ſub anathemate confirmavit Trident. *Seſſ. 7. de Sacram. in genere, Can. 6. & Can. 2.* anathema dixit ei, qui dixerit: *Ea ipſa nova legis ſacramenta a ſacramentis antiqua legis non differre, niſi quia cæremonia ſunt alia, & alii ritus externi.*

XXIV. Hoc tamen non obſtante probabilius cenſeo, Sacramenta vetera fuiſſe vera ſacramenta; & in ratione generica ſacramenti univoce convenire cum novis. Conveniunt enim in ratione generica ſacramenti, nimirum in ratione ſigni veræ & intrinſecæ ſanctitatis. Porro quod ratio ſigni perfectiori differentia contrahatur in novis, non tollit univocationem in ratione communi ſacramenti; ſicut non tollit univocationem in ratione communi animalis, quod perfectiori differentia, nempe, rationalitate contrahatur ad hominem, quam ad bruta.

Et propterea: Patres tum Florentini, tum Tridentini ſacramenta vetera abſolute ſacramenta vocant; quod non feciſſent, ſi æquivoce tantum, vel analogice ſacramenta eſſent. Sicut ergo Sacrificia vetera erant vera Sacrificia, quamvis eſſent figura Sacrificii Chriſti: ita vetera ſacramenta, quamvis figurarent noſtra, erant vera ſacramenta.

XXV. Advertendum tamen eſt: quod ut aliquid ſit ſacramentum, non ſufficit, ut ſit ſymbolum ſemel, aut iterum aſſumptum ad ſanctitatem ſignificandam: ſed oportet, ut ſit ordinarium, & permanens ſignum inſtitutum ad ſanctitatem ſignificandam, vel etiam conferendam. Hac ratione nec tranſitus maris Rubri, quamvis ſignum eſſet ſanctitatis conferendæ in Baptiſmo, & Serpens æneus a Moyſe exaltatus; dato quod fuerit alicujus ſanctitatis conferendæ ſignum (quod tamen S. Thom. *in 5. diſt. 1. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3.* non admittit, volens illum tantum fuiſſe adhibitum ad corporalem tantum ſanationem) adhuc tamen non fuerunt veteris Legis ſacramenta: quia ſtabili, & fixa lege ad hoc non fuerunt inſtituta, ſicut fuerunt data Circumciſio, panis azymus, Agnus paſchalis, Sacrificia &c.

Hac ratione eſto Chriſtus fuerit uſus quibuſdam ſymbolis ad homines ſanctificandos; ut in mundationibus leproſorum, illuminationibus cæcorum &c. quia tamen ſtabili lege inſtituta non fuerunt ad homines ordinarie ſanctificandos, ideo inter ſacramenta non recenſentur.

XXVI. Advertendum etiam eſt cum S. Thom. *3. p. q. 60. art. 3.* quod cum ſacramentum ordinetur *Ad ſignificandam noſtram ſanctificationem, in qua tria poſſunt conſiderari: videlicet, ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ, qua eſt Paſſio Chriſti: & forma noſtræ ſanctificationis, qua conſiſtit in gratia, & virtutibus: & ultimus finis ſanctificationis noſtræ, qui eſt vita æterna; & hæc omnia per ſacramenta ſignificantur. Unde ſacramentum eſt, & ſignum rememorativum ejus, quod præceſſit, ſcilicet, paſſionis Chriſti, & demonſtrativum ejus, quod in nobis efficitur per Chriſti Paſſionem, ſcilicet gratia, & prognoſticum, ideſt, prænuntiativum futuræ gloriæ.* Hæc S. Thom. Quæ tria ſacramentis novæ legis conveniunt.

DUBIUM II.

An Sacramentorum Inſtitutio fuerit neceſſaria Homini ad Salutem?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. IN duplici ſenſu agitari poteſt hoc dubium. Primo: abſolute, & generaliter abſtrahendo a ſtatibus, in quibus fuit homo. Secundo: relative ad ſtatus, in quibus fuit. In quadruplici autem ſtatu fuit humanum genus. In ſtatu innocentiæ fuit Adam ante peccatum: in ſtatu legis naturæ fuerunt homines ab Adamo lapſo, uſque ad Moyſen: in ſtatu legis Scriptæ a Moyſe, uſque ad Evangelium: in ſtatu denique legis Evangelicæ ab Evangelio, uſque ad ſæculorum conſummationem permanebunt. Præſens ergo Dubium procedet generaliter: de ſingulis vero ſtatibus ſequentia tractabunt.

II. De hoc agit Sanct. Thom. *3. part. qu. 61. art. 1. & in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1.* Pro quo noto primo: quod aliud eſt agere de neceſſitate uſus ſacramentorum, inſtitutione eorum ſuppoſita: aliud vero agere de neceſſitate inſtitutionis. S. Thomas hic non agit de neceſſitate uſus ſacramentorum ſuppoſita eorum inſtitutione; de hoc enim agit inferius de ſingulis ſacramentis: ſed agit de neceſſitate inſtitutionis, nimirum: An ad hominum ſalutem fuerit neceſſarium inſtituere ſacramenta?

III. Noto ſecundo: nos hic ſupponere cum S. Thom. *in 4. Sent.* loco ſupra citato: *Quod ſacramenta non erant neceſſaria neceſſitate abſoluta, ſicut neceſſarium eſt, Deum eſſe, cum ex ſola divina bonitate inſtituta ſint: ſed neceſſitate qua eſt ex ſuppoſitione finis. Non ita tamen, quod ſine his Deus hominem ſanare non poſſet, qui ſacramentis virtutem*

ſuam

Juam non alligavit; ſicut cibus nneceſſarius eſt ad vitam humanam. Solum ergo de neceſſitate congruentiæ requiritur: nimirum: An *Per ſacramenta magis congrue fiat hominis reparatio; ſicut equus dicitur neceſſarius ad iter, quia in equo facilius homo evadit.*

IV. Noto tertio: nos hic etiam ſupponere, quod cum de fide certum ſit, Deum inſtituiſſe ſacramenta; & eadem fide certum ſit, Deum non poſſe operari, niſi convenienter: ſequitur, quod de fide etiam certum ſit, ſacramenta eſſe convenienter inſtituta. Quia tamen non defuere ex Ethnicis, ut Porphyrius, & ex hæreticis quidam, ut Manichæi, & alii, qui ſacramenta execrati ſunt; indignum judicantes, hominem animal nobiliſſimum ſubdi in ſua ſpirituali ſanctificatione rebus inanimatis, & viliſſimis: ideo præſenti quæſtioni aperuerunt viam.

§. II.

Reſolvitur Dubium.

V. Dico. Neceſſarium fuit, neceſſitate convenientiæ, ſacramenta inſtitui ad hominum juſtificationem, & ſalutem. Ita Sanct. Thom. citatis locis, & Tridentinum, Seſſ. 7. de Sacram. in genere, Can. 4. *Si quis* (inquit) *dixerit, ſacramenta novæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua .... anathema ſit.*

Triplici ratione probat hoc Catholicum Aſſertum S. Thomas. Primam petit ex conditione humanæ naturæ; quæ eſt, ut per ſenſibilia, & corporalia in intelligibilia, & ſpiritualia deducatur: ſed ad divinam providentiam pertinet, ut unicuique rei provideat ſecundum conditionem ſuæ naturæ; ergo *Convenienter divina ſapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus, & ſenſibilibus ſignis, quæ ſacramenta dicuntur.* Hæc ratio ſumpta eſt ex Chryſoſtomo, *Hom. 83. in Matthæum*, ubi: *Si tu* (inquit) *incorporeus eſſes, nuda tibi Deus & incorporea dona tradidiſſet: ſed quoniam corpori adjunctum ſpiritum habes, in rebus corporeis ſpiritualia tibi traduntur.*

VI. Secundam rationem petit ex ſtatu hominis, qui peccando ſe ſubdidit per affectum corporalibus rebus. Sapiens autem Medicus ſtudet medicinam exhibere ægroto in iis rebus, quibus ægrotus per affectum adhæret, ut libentius ab ægroto ſumatur, & etiam ibi ei medicinale remedium præbere, ubi patitur morbum; ergo *Conveniens fuit, ut per quædam corporalia ſigna homini ſpiritualem medicinam adhiberet. Nam ſi ſpiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non poſſet, corporalibus deditus.*

VII. Tertiam rationem ſumit ex ſtudio actionis humanæ. Homo enim libenter exercetur circa ſenſibilia, & ægre ab illis divellitur: *Ne ergo eſſet homini durum, ſi totaliter a corporalibus actibus diſtraheretur; propoſita ſunt ei corporalia exercitia in ſacramentis, quibus ſalubriter exerceatur ad evitanda ſuperſtitioſa exercitia.* Unde concludit: *Sic igitur per Sacramentorum inſtitutionem homo convenienter ſuæ naturæ eruditur per ſenſibilia; humiliatur, ſe corporalibus ſubjectum cognoſcens: dum ſibi per corporalia ſubvenitur, præſervatur etiam a noxiis per ſalubria exercitia ſacramentorum.*

§. III.

Solvuntur Objectiones.

VIII. Objicitur primo. Apoſtolus 1. *ad Timoth. 4. v. 8.* ait: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt:* ſed uſus ſacramenti eſt exercitatio quædam corporalis; ergo &c.

Reſpondeo ex Div. Thom. hac quæſt. 61. art. 1. ad 1. *Quod corporalis exercitatio, in quantum eſt corporalis, ad modicum utilis eſt, ſed exercitatio per uſum ſacramentorum non eſt pure corporalis, ſed quodammodo ſpiritualis, ſcilicet, per ſignificationem, & cauſalitatem.* Vel, ut ait in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 4. *Quod corporalis exercitatio, ſecundum ſe accepta, ad modicum utilis eſt, in comparatione ad pietatem, ut ibi Apoſtolus intendit: ſed ſi ei pietas adjungatur, ſicut fit in ſacramentis, quæ ad Religionis pietatem pertinent, eſt valde utilis.*

IX. Objicitur ſecundo idem Apoſtolus, 2. *ad Cor. 12. v. 9.* cui Dominum roganti, ut ſpiritum Satanæ ab ipſo amoveret, dictum fuit: *Sufficit tibi gratia mea:* at non ſufficeret, ſi eſſent neceſſaria ſacramenta; ergo &c.

Reſpondeo ex S. Thom. *quæſt. 61. citata art. 1. ad 2.* neg. minor. Deus enim dat hominibus gratiam ſecundum modum eis convenientem: modus autem eis conveniens, ut vidimus, eſt, quod eis detur per ſenſibilia, ideſt, per Sacramenta.

X. Objicitur tertio. Poſita cauſa ſufficiente nil aliud eſt neceſſarium ad effectum: ſed Paſſio Chriſti eſt cauſa ſufficiens noſtræ ſalutis: dicit enim Paulus Rom. 5. verſ. 10. *Si cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius;* ergo &c.

Reſpondeo ex eodem ibi ad 3. *Quod Paſſio Chriſti eſt ſufficiens cauſa humanæ ſalutis. Nec propter hoc ſequitur, quod ſacramenta non ſint neceſſaria ad humanam ſalutem, quia operantur in virtute Paſſionis Chriſti: & paſſio Chriſti quodammodo applicatur hominibus per ſacramenta, ſecundum illud, ad Rom. 6.* Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.

XI. Objicies quarto. Inconveniens eſt adhibere media inepta ad finem: ſed ſacramenta media inepta ſunt ad juſtificationem: ablutio enim corporis per aquam, quam proportionem habet, ut animam mundet? ergo &c.

Reſpondeo, diſt. major. Media inepta relate ad agens principale, conc. maj. Relate ad alios, nego maj. Immo agens aſſumens medium cæteroquin ineptum, & illud reddens aptum ad finem, oſtendit potentiam ſuæ virtutis, & convenientiſſime agit. Sic Sampſon, cum maxilla Aſini occidit mille hoſtes, potentiam ſuæ virtutis maxime oſtendit: quia licet reſpectu aliorum eſſet inepta ad tantam occiſionem, in manu tamen ipſius facta fuit aptiſſima. Eodem ſimili modo ablutio aquæ reſpectu aliorum inepta ad noſtram juſtificationem, aſſumpta tamen a Deo aptiſſima redditur; & ſic infinitam ejus virtutem oſtendit.

XII. Objicies quinto. Non fuit conveniens, ut homo per peccatum debilitatus novis præceptis, & oneribus gravaretur: ſed ſacramenta nova præcepta ſunt, & nova onera; ergo &c.

Reſpondeo cum S. Bonaventura, *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1.* quod duplex eſt onus, aliud onerans, quod difficultat motum; alterum allevans, quod facilitat motum. Hujuſmodi ſunt rotæ in curribus, alæ in avibus, quæ ſunt onera alleviantia, & facilitantia motum. Præcepta ergo ſuſcipiendi ſacramenta, ſunt onera alleviantia motum, & propterea in ſenſibilibus collocantur: quia per hæc ad ſpiritualia facilius homo aſcendit, & via ſalutis ipſi redditur planior, ac facilior.

DUBIUM III.

An in Statu Naturæ Innocentis fuerint, vel fuiſſent Neceſſaria Sacramenta?

§. I.

De Statu Innocentiæ, qui de Facto fuit.

I. Dico. Homini in ſtatu illo breviſſimo, quo in originali innocentia permanſit, non fuerunt præſcripta, nec neceſſaria ſacramenta. Ita S. Thom. *3. part. q. 61. art. 2.* & in *4. diſt. 1. qu. 1. art. 1. qu. 2.* & ſic probo. In illo enim ſtatu homo ex omni parte rectitudine fruebatur: in eo enim ſuperiora inferioribus dominabantur: *Sicut enim mens ſuberat Deo: ita menti ſuberant inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus:* ſed contra hunc ordinem eſſet, ſi anima perficeretur, quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in ſacramentis, in quibus ad recipiendam gratiam anima ſubjicitur corporalibus rebus; ergo in eo ſtatu homo ſacramentis non indigebat: non ſolum iis, quæ ordinantur in remedium peccati, quod tunc in homine non erat, ſed nec iis, quæ ordinantur ad perfectionem animæ.

II. Confirmo. Nos egemus ſacramentis propter duo, & propter curationem, & propter eruditionem: ſed Adam ex neutro capite ſacramentis indigebat; ergo &c. Minor. probatur. Non egebat ut per ſacramenta curaretur, quia infirmus non erat. Ut autem dicitur, Matth. 9. verſ. 12. *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus.* Non egebat, ut per ea erudiretur: ſpiritualium enim, & ſupernaturalium cognitionem non ex ſenſibilibus, ſed a Deo per ſpecies immediate ipſi infuſas acceperat. Quod ſi in aliqua cognitione uſus fuit phantaſmatibus, illis uſus fuit, ut inferioribus, ſicut anima utebatur corpore ſubdito; ergo ex nullo capite fuit conveniens, ut Adam innocens per ſacramenta ſenſibilibus ſubjiceretur. Vide S. Thom. *in 4. ſent.* citato loco.

His addo: quod nec Scriptura, nec Traditio aliqua ſtatus innocentiæ ſacramenta recenſet. Major dubitandi ratio eſt: An ſi Adam, & Eva in illo felici ſtatu perſeveraſſent, pro illis, & poſteris ejus fuiſſet conveniens aliqua ſacramentorum inſtitutio? Pro quo

§. II.

De Statu Innocentiæ, qui fuiſſet.

III. Dico. Veroſimilius eſſe, quod ſi Adam, & Eva in Innocentiæ ſtatu perſeveraſſent, fuiſſent quidem vera Sacrificia, oblationes, & ritus ſenſibiles; non tamen fuiſſent, ſive pro ipſis, ſive pro eorum poſteris vera ſacramenta. Dico *Veroſimile eſſe.* Quia cum revelatum non ſit, quid Deus, ex cujus beneplacito pendet ſacramentorum inſtitutio, in illa hypotheſi facturus fuiſſet; non poteſt certo ſtatui, quid futurum fuiſſet, ſed ſolum ex congruentiis deduci.

Prior ergo pars ſuaderi poteſt ſic. Nam in illo ſtatu homo coluiſſet Deum, non ſolum cultu interno, ſed etiam externo: homo fuiſſet etiam tunc compoſitus ex anima, & corpore; ergo coluiſſet Deum, & colere debuiſſet, non ſolum anima, & per actus ſpirituales, & internos; ſed etiam corpore, & per actus ſenſibiles, & externos, ut ſic per utramque ſui partem Deum auctorem, & Dominum ſuum recognoſcere, ac proteſtari poſſet.

Se-

Secunda quoque pars colligitur ex rationibus, seu congruentiis supra allatis. Credibile est enim, quod divina providentia provisura fuisset homini de mediis illi statui convenientibus; sicut modo providet ei de mediis præsenti ejus statui congruis: atqui sicut præsenti statui, in quo homo per peccatum subjecit se sensibilibus, congruum est, ut dependenter a sensibilibus ad spiritualia perducatur, & curationem a morbo, quo laborat, obtineat: ita statui innocentiæ, in quo summa rectitudine potiebatur, superiora perfecte dominabantur inferioribus, incongruum fuisset, ut ad inferiora deprimeretur, & eis fieret subjectus in assequenda, vel conservanda, aut augenda gratia; ergo fuisset incongruum, ut pro eo statu ad hunc finem sacramenta instituerentur.

IV. Sed dices primo: In illo statu, ut concedimus, fuissent vera Sacrificia, ac cæremoniæ externæ, & sensibiles: cur ergo non etiam vera sacramenta licet in sensibilibus posita?

Confirmatur. Homines tunc constituissent veram Ecclesiam visibilem: sed, ut docet S. August. l. 19. contra Faustum, c. 11. *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*, ergo &c.

V. Respondeo: aliam esse rationem de Sacrificiis, oblationibus &c. ac de sacramentis. Nam Sacrificia instituta sunt ad cultum & protestationem divinæ majestatis; nempe, ut creatura per illa recognoscat Deum, ut Dominum rerum omnium tum spiritualium, tum corporalium: ideoque homo, qui natura sua constat non solo spiritu, sed etiam corpore, debuisset Deo litare ritibus non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus, in quocumque statu positus. At sacramenta inventa sunt, ut homo, qui spiritualium oblitus, ad sensibilia per peccatum se depressit, per eadem sensibilia sanctus ad Deum erigatur, & gratiam recuperet. Hoc autem in statu innocentiæ, in quo homo ad sensibilia depressus non foret, non decuisset.

VI. Ad Confirm. dico, S. August. vel loqui de Ecclesia, & Religione, quæ modo est, vel esse potest, nimirum, aut vera, aut falsa; quæ in statu innocentiæ non fuisset. Vel, si velis, eum loqui de Ecclesia cujuscumque status; observa, eum loqui non *copulative*, sed *disjunctive*, nempe, *signaculorum, vel sacramentorum*: ut noveris, ad hoc, ut homines in una aliqua Ecclesia, vel religione adunentur, alterutrum requiri: nempe, ut vel in signaculis, nempe, Sacrificiis, & externis ritibus, vel in sacramentis conveniant: non tamen utrumque requiri.

VII. Dices secundo. In statu innocentiæ homines peccassent, vel saltem potuissent peccare; ergo indiguissent sacramentis, ut a peccatis sanarentur.

Respondeo, de hac quæstione nos egisse, *Tom. 1. in 1. part. Tr. de Homine, & ejus statibus. Q. 3. D. 5. §. 2.* Ubi cum S. Th. 1. *p. q.* 100. *art.* 2. & *in 2. dist.* 20. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. sententiam affirmativam sustinuimus. Quare con. ant. neg. conf. Dato enim, quod in eo statu aliquis peccasset; peccatum illud purgandum non fuisset dependenter a sensibilibus, & sacramentis, sed per actus pœnitentiæ, & amoris Dei &c.

VIII. Dices tertio. In statu innocentiæ posteri Adami acquisivissent scientiam per species a rebus sensibilibus acceptas; ergo etiam accepissent gratiam mediis sacramentis sensibilibus,

Respondeo, neg. conf. Accipere enim species a sensibilibus in cognitione, naturale est animæ conjunctæ corpori: & ideo talem modum cognitionis admisimus etiam in Christo. At accipere gratiam dependenter a sensibilibus, provenit ex defectu integritatis naturæ, in qua superiora inordinate dependent ab inferioribus; qui defectus in illo statu non fuisset.

IX. Dices quarto. In statu Innocentiæ fuit verum matrimonium inter Adam & Evam, & fuisset inter eorum posteros, si in eo statu perseverassent: sed matrimonium fuit verum sacramentum, dicente Paulo, ad Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est*; ergo &c.

Respondeo, neg. min. Cum S. Thom. 3. *p. q.* 61. *art.* 2. *ad* 3. Matrimonium enim in statu innocentiæ, immo & post peccatum, ante Christum, non fuit institutum, ut sacramentum; sed secundum quod est in officium naturæ. Esto enim tunc aliquomodo adumbraret conjugium spirituale, quod futurum erat inter Christum & Ecclesiam, quia tamen non fuit tunc institutum, ut per illud homines tunc sanctificarentur, sed ut per illud multiplicarentur; ideo sacramentum non erat, nisi in latissima significatione: sicut in hoc sensu omnia vetera sacramenta erant, idest, signa, & figuræ omnium, quæ in nova Lege futura erant. Et in hoc sensu loquitur Apostolus. Unde matrimonium ad esse sacramenti, & collativi gratiæ solum ex Christi institutione elevatum est, ut suo loco dicetur.

X. Dices quinto. Esto homo in statu innocentiæ nondum peccasset, fuit tamen ab initio mundi productus ignis Inferni ut pœna. Item esto in illo statu nullus esset morbus; fuerunt tamen productæ herbæ medicinales. Similiter esto in Adamo nullum fuerit pro illo statu peccatum, & proinde nullum actum pœnitentiæ exercuerit, fuit tamen in eo habitus pœnitentiæ; ergo pariter fuissent sacramenta in illo statu, quamvis pro eo nullus futurus esset usus.

XI. Respondeo, con. ant. neg. conf. Nam ignis Inferni, & herbæ medicinales ad ordinem creationis pertinent: & ideo initio mundi, quo consummata fuit rerum omnium creatio, producenda erant. At sacramenta non ad ordinem creationis spectant, sed potius ad ordinem recreationis, & reparationis: & propterea non a mundi exordio erant instituenda, sed expectandum erat, ut homo caderet; & fieret indigens reparatione. Immo sicut si Adam non peccasset, Christus Reparator non venisset: ita si non caderet, media reparationis non fuissent providenda. —— Ad id, quod additur de pœnitentia, dico, quod cum habitus pœnitentiæ sit proprietas consequens gratiam in subjecto capaci peccati; & Adamus in statu innocentiæ capax esset peccandi: idcirco cum gratia debuit in illo infundi habitus pœnitentiæ, quo esset habilis ad dolendum de peccato, si peccaret. At Sacramenta non sunt proprietates gratiæ, sed exteriora remedia inventa a divina misericordia, ad hominem a peccato per sensibilia, ad quæ se dejecerat, relevandum. Misericordia autem supponit miseriam, & relevatio lapsum, & reparatio per sensibilia supponit conversionem ad sensibilia per peccatum originis.

DUBIUM IV.

An in Lege Naturæ fuerint Sacramenta?

§. I.

De Remedio pro Peccato Originali.

I. UT tollatur æquivocatio, noto: statum Legis naturæ posse dupliciter intelligi. Uno modo pro statu, quo homines ordinarentur ad solum finem naturalem; & solis præceptis naturalibus, non vero supernaturalibus obligarentur. Et in hoc sensu status Legis naturæ esto fuerit possibilis (ut contra Lutherum, Jansenium, & alios ostendimus, *Tom. 1. in 1. p. Tract. de Homine, & statibus ejus, Quæst. 11. Dub. 1.*) nunquam tamen fuit. Homo enim statim ac conditus, elevatus fuit ad ordinem supernaturalem; ac proinde obligatus servare præcepta non solum naturalia, sed etiam supernaturalia credendi, sperandi, & amandi Deum auctorem gratiæ, & gloriæ.

Secundo. Status Legis naturæ accipi potest pro statu, in quo homo obligetur solis præceptis connaturaliter competentibus naturæ elevatæ; nulli autem præcepto positivo divino adstringatur. In hoc autem statu fuerunt homines ab Adamo lapso ad institutam usque circumcisionem. Postquam enim Deus Adæ lapsum per promissionem Christi venturi reparare decrevit; reliquit Adam, & posteros ejus sub lege naturæ; nullaque eis imposuit præcepta, quam quæ naturaliter sequuntur naturam rationalem, & statum elevationis: & quia statum elevationis naturaliter sequuntur præcepta credendi, sperandi, & amandi Deum super omnia, & proximum, sicut nos ipsos; in quibus includuntur præcepta Religionis circa Deum, temperantiæ circa nos ipsos, & justitiæ, & charitatis erga proximum; ideo his solis præceptis alligabantur. Præcepta tamen hujusmodi non fuerunt tradita hominibus aliqua lege a Deo promulgata, aut scripta; sed præcepta fidei, spei, & charitatis innotescebant posteris per traditionem ab Adamo, sicut & fides in promissum liberatorem, Præcepta vero colendi Deum, honorandi parentes &c. scripta erant in cordibus cujusque, & lumine rationis cuilibet monstrabantur: quo spectat interrogatio illa, Ps. 4. v. 6. *Qui ostendit nobis bona?* Cui respondetur; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* De hoc ergo statu quærimus: An pro eo tempore, quo homines in eo vixerunt, fuerint aliqua sacramenta, quibus justificarentur?

II. Dico. Certum est, lapso Adamo, & natura per peccatum vitiata, a Deo provisum fuisse de aliquo remedio, quo ipse, ejusque posteritas repararetur. Et probo. Nam post Adæ lapsum omnes homines nascebantur spoliati gratia, & donis gratuitis, infecti peccato originali, vulnerati in naturalibus, excluſi a cælesti beatitudine; quæ fuit inflicta Adamo pœna: atqui per vires naturæ non poterat homo ab originali culpa mundari, multo minus dona gratuita deperdita recuperare. Immo cum liberum arbitrium ita esset attenuatum ad bonum per peccatum; ut nec moraliter posset, solis naturæ viribus, totam legem naturalem implere; quin in nova peccata actualia, quibus debetur etiam pœna sensus, incideret: actum penitus fuisset de humani generis salute, nisi divina providentia præparasset illi aliquod remedium supernaturale, quo reparari posset, & non totum periret, ac damnaretur.

III. Hoc remedium credibile est, statim post Adami peccatum a Deo inspiratum fuisse. Nam Adam de facto liberatus fuit a peccato. Nam, *Sap.* 10. *v.* 1. dicitur: *Hæc* (idest, Sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo.* Rursus: Abel, Enoch, Noe justificati fuerunt a culpa originali: describuntur enim, sicut & alii non pauci, tamquam justi, perfecti, & Amici Dei. At hi justificari non potuerunt, nisi Deus inspirasset eis remedium, quo possent justificari; ergo &c.

IV. Et quamquam, ut ait August. lib. de Pecc. origin. cap. 39. *Ante Abraham, utrum aliquo corporali, & visibili sacra-*

ſacramento juſti, vel eorum parvuli ſignarentur, Scriptura non exprimit: quia tamen, ut ibi docet: *Nemo prorſus inde liberatus eſt, aut liberatur, aut liberabitur, niſi gratia Redemptoris:* propterea credendum eſt, iſtud remedium nil aliud fuiſſe, quam fidem in Chriſtum venturum: quæ fides cum dari non poſſet, quin a Deo revelaretur Adamo adventus Chriſti Mediatoris: idcirco Deus revelavit ei, ſe miſſurum Chriſtum ut Redemptorem, ſimulque promiſit per merita, & gratiam illius, ſe ei, & poſteris ejus, qui in Mediatorem venturum crederent, ſperarent, & Deum toto corde diligerent, ac peccata deteſtarentur, peccata remiſſurum, redditurum gratiam ſuam: &, ſi in ea uſque ad finem perſeverarent, ſuo tempore daturum etiam gloriam. Hoc factum fuit, *Geneſ. 3. verſ. 15.* cum pene ſtatim poſt Adæ peccatum converſus Deus ad ſerpentem, dicit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius, ipſa* (ſeu, ut alii legunt, *ipſe* vel *ipſum*) conteret caput tuum. Quibus verbis promiſit Deus Adamo ſemen ex muliere, quod, vel per quod mulier contereret caput ſerpentis, hoc eſt, vinceret Diabolum, & humanum genus a peccato liberaret. Hoc autem ſemen mulieris, per quod talia promittebantur, quid aliud erat, niſi Chriſtus Mariæ Virginis Filius?

V. Credidit ergo Adam Deo, ſicque credens, & per Chriſtum, & ſperans, ejus ope ſe remiſſionem ſui peccati, & æternam ſalutem conſecuturum, diligens Deum ſuper omnia, & perfecta contritione deteſtatus peccatum, recuperavit gratiam, & a peccato fuit juſtificatus. Hæc revelatio annuntiata eſt ab Adamo filiis, & nepotibus, perpetua traditione ad poſteros tranſmiſſa, & a Deo ſæpius confirmata: & hac cœperunt homines juſtificari, & ſalvari ab initio Mundi.

VI. Hinc patet, ut ſupra diximus, Religionem Chriſtianam, hoc eſt, fundatam in fide Chriſti, incepiſſe ab initio mundi, ſtatim poſt Adæ lapſum, ante omnes alias Sectas, licet habuerit diverſos ſtatus. Nam qui fuerunt ante Chriſti adventum, credebant in Chriſtum venturum; nos credimus in Chriſtum, qui jam venit. Unde, *Apoc. 13. verſ. 8.* Chriſtus dicitur Agnus, *Qui occiſus eſt ab origine Mundi.* Unde S. Auguſt. l. 1. Retract. cap. 13. *Res ipſa* (inquit) *quæ nunc Chriſtiana Religio nuncupatur, erat apud Antiquos, nec defuit ab initio generis humani: quouſque ipſe Chriſtus veniret in carne; unde vera Religio, quæ jam erat, cœpit appellari Chriſtiana.... Propterea dixi;* Hæc eſt noſtris temporibus Chriſtiana Religio. *Non quia prioribus temporibus non fuit, ſed quia poſterioribus hoc nomen accepit.* Videantur quæ dicimus, *Tom. præced. Tractatu de Gratia Chriſti.*

§. II.

An Præfatum Remedium, in Lege Natura Inſtitutum, fuerit revera Sacramentum?

VII. Reſolutio hujus difficultatis pendet ab hac altera, nempe: An remedium pro peccato originali in lege naturæ inſtitutum, eſſet pura fides interna Chriſti venturi; an vero aliquo ſigno ſenſibili exprimeretur. Cum enim, ut ſupra vidimus, Sacramentum debeat eſſe ſignum ſenſibile, & externum; ſi fides illa fuiſſet mere interna, non poſſet dici, quod fuerit ſacramentum.

VIII. In hoc diviſos invenio Doctores: dicentibus quibuſdam, remedium præfatum fuiſſe ſolum fidem internam, nec oportuiſſe, eam aliquo ſenſibili ſigno manifeſtare; aliis contrarium ſentientibus, ac volentibus, ſignum illud externum adhibendum, vel fuiſſe determinatum a Deo; vel pro libito parentum applicantium ſuam fidem parvulis juſtificandis. Verum cum circa hoc profundum ſilentium ſit in Scripturis; nihil certi poſſumus ſtatuere, ſed ſolum probabilibus conjecturis inniti. Nihilominus.

IX. Dico. Remedium illud pro parvulis in lege naturæ non fuit fides mere interna, ſed aliquo ſigno ſenſibili manifeſtata; & proinde fuit verum ſacramentum. Prima pars Colligitur ex S. Thom. 3. *p. q. 60. art. 5. ad 3.* ubi ait: *Sicut Auguſt. dicit, lib. 19. contra Fauſtum, cap. 16. diverſa ſacramenta diverſis temporibus congruunt, ſicut etiam diverſis verbis ſignificantur diverſa tempora, ſcilicet, præſens, præteritum & futurum. Et ideo ſicut in ſtatu Legis naturæ homines nulla Lege exterius data, ſed ſolo interiori inſtinctu movebantur ad Deum colendum: ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur.* Et eadem, 3. *p. q. 70. art. 4. ad 2.* poſtquam dixit, quod ante Circumciſionem *Non requirebatur aliquod ſignum proteſtativum hujus fidei* (nimirum determinatum pro omnibus) *quia nondum homines fideles ſeorſum ab Infidelibus cœperunt adunari ad cultum unius Dei;* ſubjungit: *Probabile tamen eſt, quod parentes Fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo exiſtentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent* (*quod erat quoddam ſignaculum fidei*) *ſicut adulti pro ſe ipſis preces, & ſacrificia offerebant.* Quemadmodum ergo tunc temporis adulti precibus, & Sacrificiis ſenſibilibus fidem ſuam manifeſtabant; ſic etiam a parentibus factum fuiſſe pro parvulis eorum, credendum eſt.

X. Scio, S. Th. in 4. *diſt. 1. q. 2. art. 6. q. 2.* videri oppoſitum ſenſiſſe: nempe, quod parvulis ſufficiebat motus fidei parentum erga ſalutem filii *Sine omni exteriori ſigno.* —— Sed præterquamquod, ut vidimus, in Summa oppoſitum docet; exponendus eſt, eum excludere omne exterius ſignum legislativa poteſtate pro omnibus ſtatutum, ſicut poſtea factum eſt per Circumciſionem; non vero omne ſignum exterius pro libito parentum adhibendum. Vel excludere ſignum exterius, quod eſſet aliquod Sacrificium, vel oblatio victimæ, ſicut admittit pro adultis; non vero motum fidei parentum voce, vel alio exteriori ſigno expreſſum. Unde *Q. 4. de Malo, art. 8. ad 12.* ait: *Fides ergo Antiquorum cum aliqua proteſtatione fidei valebat parvulis ad ſalutem.*

XI. S. Thomæ prævit Magiſter ejus Auguſtinus qui *l. 5. contra Julian. c. 11.* ait: *Nec ideo tamen credendum eſt, & ante datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eos opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: quamvis, quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa, Scriptura latere voluerit. Nam & Sacrificia eorum legimus, quibus utique ſanguis ille figurabatur, qui ſolus tollit peccata mundi.*

XII. Probatur etiam hoc diſcurſu. Si ad juſtificandos parvulos in Lege naturæ ſola fides interna, nullo adhibito ſenſibili ſigno, ſuffeciſſet; potuiſſent juſtificari ab originali pueri non ſolum nati, ſed etiam nondum nati, & in utero matris concepti: quia motus mentis æqualiter ſe extendere poteſt ad nondum natos, & ad natos: ſed ſecundum Legem ordinariam nemo poteſt ab originali mundari priuſquam naſcatur, quia debet prius naſci, quam renaſci; ergo &c.

XIII. Ex dictis ſequitur ſecunda pars, nempe, quod illud remedium fuerit verum, pro illo ſtatu, Sacramentum. Nam illud remedium adplicabatur aliquo ſigno ſenſibili, quo poſito parvuli per Chriſtum mundabantur. Aderat etiam inſtitutio Divina, eſto non ſcripta, ſaltem interius inſpirata. Et licet non eſſet determinatum in ſpecie, quo ſigno eſſet fides parentum applicanda parvulis, ſed hoc eorum arbitrio relinqueretur; ut ſcilicet, vel prece, vel benedictione hoc facerent; ſat erat, ut eſſet determinatum in genere: ſicut etiam in aliquibus novæ Legis ſacramentis, materiæ eorum fuerunt determinatæ a Chriſto non in ſpecie, ſed ſolum in genere, ut multi Theologi primi ordinis ſentiunt.

Probatur etiam. Quia Aug. ſupra laudatus *l. 5. contra Jul. c. 11.* Illud remedium vocat ſacramentum. Unde ſic diſcurro. Si remedium illud non fuiſſet ſacramentum, male arguiſſet contra Julianum Auguſtinus: nam cum Julianus objeciſſet Auguſtino, quod poſita exiſtentia peccati originalis, ſequeretur antiquos Patres filios genuiſſe damnandos, cum nondum eſſet inſtitutum Baptiſma; reſpondet: *Hoc de Baptiſmate verum dicis. Nec ideo tamen credendum eſt, ante datam Circumciſionem famulos Dei . . . nullo ſacramento eos opitulatos parvulis ſuis.* Falſum autem dixiſſet, ſi remedium illud ſacramentum non fuiſſet.

XIV. Neque obeſt primo: quod in eo ſtatu, præter præcepta fidei, ſpei, & charitatis, nullum eſſet præceptum cæremoniale, primum enim fuit præceptum Circumciſionis: præfatum autem remedium ſenſibile, ſeu ſacramentum pro parvulis fuiſſet præceptum cæremoniale.

Nam eſto in eo ſtatu nullum eſſet præceptum cæremoniale per legem exterius traditam, fuit tamen ut interius inſpiratum: ſicut fuiſſe etiam interius inſpiratas cæremonias pro Sacrificiis, precibus, & benedictionibus, quas juſti faciebant, pro ſe ipſis, nemo, ut puto, negabit.

XV. Neque obſtat ſecundo: quod ſacramentum conſtare debeat rebus, & verbis: in præfato autem remedio nulla adhibebantur verba.

Nam in primis ſecundum S. Thom. citatum *q. 70. art. 4. ad 3.* probabile eſt, quod parentes uſi fuerint aliquo ſenſibili ſigno cum quibuſdam precibus. Deinde dico, quod eſto ſacramenta novæ Legis, quia in ſui ſignificatione clariora, debeant perfici verbis ſignificatum ſacramenti exprimentibus; hoc tamen non requirebant ſacramenta vetera, utpote obſcuriora, & in umbris poſita. De hoc vide S. Thom. *in 4. diſt. 2. q. 1. art. 3. in Corp.*

XVI. Neque obſtat tertio: quod fides parentum poſſet eſſe informis, & conſequenter, ex parte operantis inepta ad conferendam gratiam: neque etiam ex opere operato, quia hoc eſt proprium ſacramenti novæ Legis.

Nam reſpondeo, remedio illo mundatos fuiſſe parvulos, non ob meritum fidei Miniſtri operantis; ſed ob meritum Chriſti, per fidem ejus operantis. Ita S. Th. *Q. 4. de malo art. 8. ad 12.* dicens: *Fides ergo Antiquorum cum aliqua proteſtatione fidei valebat parvulis ad ſalutem, non prout erat quidam actus meritorius credentium; unde non requirebatur, quod eſſet actus fidei formata: ſed ex parte rei creditæ, ſcilicet, ipſius Mediatoris. Sic enim, & ſacramenta, qui poſtea ſunt inſtituta, valent, in quantum ſunt quædam fidei proteſtatione. Unde non ſequitur, quod infidelitas parentum filiis noceret, niſi per accidens, ſicut removens remedium peccati.* Hæc in S. Thom. bene notanda.

§. III.

An in Lege Naturæ fuerit etiam aliquod Sacramentum pro Adultis.

XVII. Gaspar Juvenin, in *Comm. hist. dogm. de Sacram. Dissert. 1. qu. 2. cap. 2.* negative respondet, & affert pro se S. Thomam, & addit: Patres agentes de sacramentis antiquis naturæ Legis, solius remedii pro parvulis meminisse.

Verum, quod attinet ad S. Thom. contrarium evinco ex eodem, *in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 3.* ubi hæc lego: *In statu illo* (Legis naturæ) *non tantum erant necessaria opera, quæ sunt de dictamine legis naturalis; sed etiam alia, quæ essent protestationes, & signa eorum, quæ ad reparationem pertinebant: & hæc erant illius temporis sacramenta, sicut Sacrificia, decimæ, oblationes, & hujusmodi.* Et ibi, *ad 2.* Ante Legem Mosaicam dicit, quod *Erant quidem sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati, & similiter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem* actualis &c. *& dist. 2. q. 1. art. 2. ad 4.* probat dictum Ugonis ponentis in Lege naturæ tria sacramenta, idest, sacrificia, oblationes, & decimas. Ne autem dicatur, quod postea retractavit sententiam, legatur, *3. p. q. 70. art. 4. ad 3.* ubi admittit, quod parentes parvulis natis quoddam signaculum fidei adhiberent, *Sicut adulti pro se ipsis preces & Sacrificia offerebant.* Cum igitur Juvenin fateatur signaculum fidei, quod parentes pro parvulis exhibebant, fuisse verum illius temporis sacramentum, idem dicere oportebit de precibus, & oblationibus, ac Sacrificiis, quæ adulti pro se ipsis faciebant. Cur enim illa Sacrificia, oblationes, sacramenta non erant? An quia, qui offerebant nulla ordinatione insigniti erant? At in Lege naturæ, in qua nulla adhuc data erat lex cæremonialis, ad Sacrificia offerenda, nulla requirebatur ordinatio; sed interna inspiratio sufficiebat, qua quisque Sacerdos fiebat, & quæ sibi videbantur Deo grata esse, illi pro se ipso poterat offerre.

XVIII. Scio, hac in re nihil certi statui posse; præsertim dicente Augustino, lib. de pecc. Origin. cap. 30. *Et ante Abraham quidem utrum aliquo corporali & visibili sacramento justi, vel eorum parvuli signarentur, Scriptura non exprimit.* Admisso tamen, quod ante Abraham fuerit sacramentum pro parvulis, non videtur negari posse pro adultis: nam eædem congruentiæ suadent utrumque. Siquidem Deus sapientia sua convenienter ad naturam hominis non minus adultis, quam parvulis providisse credendus est: at quia natura in parvulis post peccatum Adæ conversa erat ad sensibilia, & sensibilibus subjecta, providit pro eis remedium in sensibilibus; ergo quia eodem modo corrupta erat in adultis, conveniens fuit, ut illis, quoque ex sensibilibus remedia pro peccatis actualibus provideret, qualia erant Sacrificia, oblationes, decimæ &c.

DUBIUM V.

An in Lege Mosaica extiterint Sacramenta?

§. I.

Quædam pro Eruditione.

I. A Mundi exordio usque ad Abraham solius Legis naturæ ductui, nulla lege forinsecus insonante, sed solo interiore instinctu movente reliquit homines Deus. Hoc tempore neque fuerunt exteriori lege præcepta ac præscripta sacramenta, ut vidimus. Verum processu temporis, tum propter obscuratam ex peccatis hominum naturæ Legem, tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus reparatur, & a peccato sanatur, necesse fuit exterius etiam Legem dari, & determinare, quibus homines uti deberent in sacramentis: Ita ex S. Thom. *3. p. q. 70. art. 2. ad 1.*

II. Hoc præcipue contigit post diluvium, circa tempora Abrahæ; cum omnes pene homines obliti veri Dei, in falsorum Numinum adorationem incidissent, & in alia peccata contra Legem naturæ corruissent. Hac enim generali humani generis corruptione Lex naturæ pene obliterata fuerat a cordibus hominum; & in oblivionem abierat etiam lex fidei fundata in revelatione, & promissione Christi Mediatoris. Ut ergo Deus legem fidei repararet, elegit Abraham, cui revelatione particulari, & clariori promisit de semine suo nasciturum Christum: *Et benedicentur* (inquit, Gen. 22. vers. 18.) *in semine tuo omnes gentes terræ:* eique, ac posteris ejus imposuit præceptum Circumcisionis, ut in carne haberent signum sensibile fidei, qua credebant ex semine Abrahæ nasciturum Christum. Ut autem Legem naturæ restitueret, post quadragentos circiter annos, Abrahæ posteris in magnum populum multiplicatis, per Moysen e Sina monte promulgavit Legem naturæ, descriptam in Decalogo in duabus tabulis lapideis; cui addidit maximum ac fundamentale præceptum de Deo, & proximo diligendo.

III. Quia vero Lex naturæ sola apparuerat moraliter insufficiens ad arcendos populos a peccato, maxime idololatriæ, quo maxima humani generis pars detinebatur: ideo ex posteris Adæ elegit sibi populum peculiarem, cui ultra Legem naturæ dedit per Moysen Legem scriptam; quæ præceptis fidei, & naturalibus Decalogi superaddit præcepta Cæremonialia, & Judicialia. Cæremonialia quidem determinantia modum colendi Deum, & profitendi etiam exterius ac sensibiliter fidem Mediatoris venturi: Judicialia vero determinantia legem naturalem, & modum se habendi erga proximum, maxime in materia justitiæ.

IV. Si autem quæratur: quinam obligarentur lege Mosaica? —— Respondeo. Quod Lege fidei, & præceptorum naturalium Decalogi obligabantur omnes Gentes. Lege autem præscribente Cæremonias, & Judicia, tenebatur solus populus Israelis, quem ut peculiarem sibi Deus elegerat, nempe, posteros Abrahæ, qui ex ipso per Isaac, & Jacob erant nascituri. Hi omnes, & soli lege Mosaica tenebantur, per se loquendo. Obligati tamen fuerunt Lege Circumcisionis, saltem per accidens, Ismael, aliique Abrahæ filii, quos genuit ex Cetura; sed quandiu in familia Abrahæ perstiterunt, sicut etiam Esau, quandiu in familia Isaac permansit.

At postquam Ismael e familia Abrahæ ejectus fuit, præcipiente per Saram Domino, Gen. 21. vers. 10. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus;* & filii Ceturæ separati sunt a familia Isaac (*Gen. 25. v. 6.*) & Esau sejunxit se a Jacob (*Gen. 36. v. 6.*) non amplius ipse cum suis posteris obligati fuerunt præcepto Circumcisionis. Ideoque Ismaelitæ, seu Agareni, qui descenderunt ex Ismaele, dicti sunt: Idumæi, qui descenderunt ex Esau, dicto etiam Edom. Populique alii, qui ex Abraham quidem, sed per filios Ceturæ descendentes a posteris Isaac separati fuerunt, exempti erant tum a Lege Circumcisionis, tum ab aliis Mosaicis præceptis; sed sola naturæ Lege tenebantur, in eaque per fidem Mediatoris charitate formatam salvari poterant; ut contigit Job; quamvis gente Idumæus ex stirpe Esau esset. Si tamen illæ, aut aliæ gentes (ut poterant) fuissent aggregatæ populo Israelitico; tunc obligatæ fuissent Legi Circumcisionis, totique Legi Mosaicæ: & hujusmodi vocabantur *Proselyti*, ut de Achior Duce Ammonitarum legitur, *Judith. 14. vers. 6.*

V. Hinc patet differentia inter Circumcisionem, & Baptismum, Legem Mosaicam, & Evangelicam. Ut enim ait D. Thom. 3. p. qu. 70. art. 2. ad 3. *Baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat, secundum illud, 1. ad Timoth. 2.* Qui vult omnes homines salvos fieri. *Et ideo Baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam, ut dandam per Christum, qui erat ex Judæorum populo proditurus. Et ideo illi soli populo data est Circumcisio.* Cæterum cur lex Mosaica soli populo Judæorum data fuerit, eumque solum obligaverit; ostendimus, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Legibus, Q. 4. D. 3. §. 1. & 2.* ubi etiam §. 3. convenienti tempore datam fuisse demonstravimus. Videantur ibi dicta. Quod autem Lex Evangelica omnibus sit proposita, & omnes obliget ad salutem; ostendit Christus, dum præcipit Apostolis, Marci 16. vers. 15. & 16. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.*

VI. Igitur Lex naturæ pro Israelitis duravit ab Adamo, usque ad promulgationem Legis Mosaicæ in Monte Sina: pro cæteris vero Gentibus ab Adamo, usque ad Christum, & promulgationem Legis Evangelicæ in die Pentecostes. Intervallum autem, quod duxit inter institutam Circumcisionem, & promulgationem Legis Mosaicæ, non spectavit ad legem Mosaicam, nisi tamquam inchoamentum ejus; ideoque etiam illud tempus ad Legem naturæ pertinebat. Dicitur tamen Lex Circumcisionis ad legem Mosaicam pertinere; quia in Lege Mosaica, esto non fuerit instituta, fuit tamen confirmata. His ad eruditionem statutis.

§. II.

Resolutio Dubii.

VII. Dico. In Lege Moysis vera Sacramenta fuerunt. Id fatentur Concilia: nam Florentinum in Lege Mosaica vera recognoscit sacramenta; & solum ponit differentiam, quod sacramenta veteris Legis non causabant gratiam. Tridentinum etiam de sacramentis in genere, *Sess. 7. Can. 2.* ait: *Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis sacramenta a sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.* Utrumque ergo Concilium supponit in antiqua Lege fuisse vera sacramenta; & solum vult, ea non causasse gratiam, sicut sacramenta Legis novæ.

VIII Probatur primo. Apud Judæos erant Cæremoniæ externæ a Deo institutæ, ad significandam gratiam in quantum sanctificantem; ergo erant vera sacramenta: quia, ut supra diximus, sacramentum in genere nil aliud est, quam signum rei sacræ in quantum sanctificantis animam.

Secundo. Ut superius dictum est, in omni statu hominis post Adæ lapsum conveniens fuit, ut homo per sensibilia protestaretur fidem suam in Christum Mediatorem, per quem solum justificari potest coram Deo; ergo etiam in statu Legis Mosaicæ fuerunt proposita ejusmodi sensibilia: hæc autem erant illius temporis sacramenta.

IX. Hæc

IX. Hæc autem Mosaica sacramenta ad quatuor reducebantur, quatuor ex nostris figurantia: nimirum, ad Circumcisionem figuram nostri Baptismi; unde Augustinus de anima, & ejus origine, l. 2. 11. *Circumcisio* (inquit) *fuit illius temporis sacramentum, quod præfigurabat nostri temporis Baptismum*: ad Agnum Paschalem figuram nostræ Eucharistiæ, in qua Christus agnus occisus reficit spiritualiter animam: ad Ordinationes Sacerdotum, figuras nostri Ordinis: ad varias lustrationes, & expiationes, figuras nostri sacramenti Pœnitentiæ.

Masculi post octavum diem a nativitate Circumcisioni subdebantur, nec poterat anticipari. Iis vero, qui ante octavum diem morerentur, sicut etiam feminis, pro quibus data non erat Circumcisio, eodem sacramento succurrebatur, quod, ut supra vidimus, a veri Dei cultoribus, tempore Legis naturæ, & etiam post datam Circumcisionem usurpabatur apud Gentes ex Abramo per Isaac non progenitas.

V. Nullum tamen in Lege Mosaica fuit sacramentum correspondens Confirmationi, & Extremæ unctioni, Quia ut docet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 5. *ad* 3. Confirmatio confert plenitudinem gratiæ; & Extrema unctio est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ: in Lege autem Mosaica nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod neminem ad perfectum adduxit Lex. Nec etiam dabatur ultima præparatio ad introitum gloriæ: nam eo tempore aditus ad eam nondum patebat, pretio per Christum nondum soluto. Matrimonium autem in lege Mosaica fuit quidem prout erat in officium naturæ, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta, unde & in veteri lege dabatur libellus repudii, quod est contra rationem sacramenti. Hæc ex S. Thoma, ibi.

XI. Dices primo. Ante Medici adventum non sunt adhibenda remedia; ergo ante Christi adventum, qui est medicus a peccato, non erant adhibenda remedia, qualia sunt sacramenta.

Confirmatur. Passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum; sed effectus non potest esse prius tempore, quam causa; ergo ante Passionem Christi non fuerunt sacramenta.

XII. Respondeo, dist. ant. Ante Medici adventum tam in re, quam in fide non sunt &c. conc. ant. Ante adventum præcise in re, nego ant. Si enim sola fides in Medicum venturum sanare posset infirmum; etiam ante ejus adventum haberi posset per remedia sanitas. Talis medicus fuit Christus, qui ob infinitatem suorum meritorum, non solum per suam præsentiam realem, sed etiam per intentionalem, & per fidem, qua credebatur venturus, potuit homines sanare: ideoque congruum fuit, ut etiam ante ejus realem adventum essent sacramenta, quibus qui carne fidem profiterentur, vi fidei, & intentionalis præsentiæ Christi Medici sanarentur.

XIII. Ad Confirm. eodem modo respondeo cum S. Thoma 3. *p. q.* 61. *art.* 3. *ad* 1. dist. maj. Sicut causa finalis, conc. maj. Efficiens præcise, nego maj. Igitur *Passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum, quæ scilicet, ad ipsam significandam sunt instituta: causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideo non est inconveniens, aliqua sacramenta ante Christi Passionem fuisse.*

XIV. Dices secundo. Idem fuit status humani generis ab Adamo usque ad Christum; ergo eadem debuerunt esse sacramenta.

Respondeo, dist. antec. Idem fuit status, quoad fidem Christi venturi, conc. ant. quoad corruptionem per peccatum: nego ant. Ita ex Div. Thom. mox citato, *ad* 2. Cum enim procedente tempore processisset in homine peccatum, & obscuratio Legis naturæ; adeo ut ex consuetudine peccandi peccatum magis dominaretur, Lege naturæ neglecta: cumque oporteret, ut per incrementa temporum in Christum fides explicatius proponeretur; ideo conveniens fuit, ut adderentur alia remedia magis determinata, quibus Christi adventus clarius præfiguraretur, & obscuratio inducta per peccatum apertiori fidei significatione tolleretur.

XV. Dices tertio, Sacramenta Legis Mosaicæ fuerunt umbræ & figuræ sacramentorum novæ Legis; ergo non fuerunt vera sacramenta: sicut figura hominis non est verus homo; & umbra corporis non est vere corpus, sed æquivoce.

Respondeo ex dictis, *Dub.* 1. *num.* 20. dist. ant. Umbræ simul, & res; conc. ant. Umbræ tantum, neg. ant. Sacramenta vetera erant umbræ, quia in umbra & figura Christum continebant; sed etiam erant res, quia veræ Cæremoniæ illius status institutæ ad homines Deo mancipandos. Sic Circumcisio non solum erat figura Baptismi; sed Cæremonia homines adjungens populo Dei. Ordinatio Aaronica nedum erat figura ordinationis nostræ; sed vera Cæremonia sacrans homines divino servitio. Sacrificia, purgationes &c. non solum erant figuræ nostræ Pœnitentiæ; sed erant Cæremoniæ ad hominum emendationem institutæ: quæ omnia fidei in Christum conjuncta homines ad justitiam non solum Legalem, sed etiam internam perducebant. Sicut populus Judaicus figura erat populi Christiani, 1. *Cor.* 10. & tamen eum fuisse verum populum quis negabit? Recolantur superius dicta.

§. III.

Varia Resolvuntur.

XVI. Quæres primo: An sacramenta Mosaica fuerint omnibus Judæis necessaria?

Respondeo: fuisse necessaria necessitate, non medii, sed præcepti. Prior pars suadetur. Erant enim instituta ad significandam gratiam, non ad eam causandam: unde, absolute loquendo, sine eorum usu poterat per fidem internam in Christum Judæus justificari, & consequenter etiam salvari.

Posterior pars prob. Nam eorum usus per Moysem posteris Abrahami sub pœna mortis præcipiebatur: Lex enim morte mulctabat ea non recipientes: secundum Patres autem, quæ Lex damnabat temporali morte, Deus olim puniebat æterna; igitur &c.

XVII. Quæres secundo: Quandonam Judæi a debito recipiendi sacramenta Mosaica liberati sunt?

Respondeo: Judæos ab illo debito liberatos fuisse, cum instituta per Moysem synagoga abrogata fuit. Hoc quando contigerit, late ostendi, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Legibus, Q.* 4. *Dub.* 6. Illuc ergo remitto studiosum. Solum hic dico, tunc penitus fuisse extincta, quoad obligationem, sacramenta Mosaica, quando Christus mortuus fuit. Tunc enim figuræ sunt adimpletæ, & sacramenta vetera una cum tota lege mosaica cessarunt. Qua ratione Christus moriens dixit; *Consummatum est* (Jo. 19. vers. 30.) & ut referunt Matthæus, *cap.* 27. *v.* 51. Marcus, 15. *v.* 38. & Lucas, 23. vers. 45. *Velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum.*

XVIII. Quæres tertio: An postquam sacramenta vera fuerunt abrogata, licitum fuerit eis aliquando uti?

Hujus quæsiti resolutio (de quo inter Augustinum olim & Hieronymum acris contentio fuit) haberi potest ex dictis fuse, citato *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Legibus. Q.* 4. *Dub.* 7. eadem enim non sunt hic repetenda. Solum dico, sacramenta vetera, etsi in Christi morte abrogata, & mortua; non tamen cœpisse esse mortifera, nisi usque ad sufficientem Evangelii evulgationem: adeoque eo intervallo potuisse Judæos licite eis uti, dummodo non ponerent spem in eis, tamquam ad salutem necessariis. Ita loco citato resolvimus, & argumenta obstantia solvimus: quæ omnia ibi videri possunt.

XIX. Quod si, præter ibi objecta, dixeris: adhuc Evangelio sufficienter promulgato licuisse Judaicas Cæremonias usurpare. Nam primo: Asiatici usque ad tempora Victoris Papæ sine ulla peccati labe ritum judaicum in celebratione Paschæ observasse; eam luna quartadecima mensis Martii, quacumque die incideret, celebrantes.

Secundo. Ecclesiam Æthiopum servare etiam in præsens consuetudinem baptizandi, & simul circumcidendi pueros; qui mos ab Ecclesia Latina toleratur.

XX. Respondeo ad primum: Asiaticos usque ad tempora Victoris Papæ ritum illum observasse in celebratione Paschatis; non, ut ritum Judaicum servarent, sed quia id ab Antiquis, maxime a S. Joanne Apostolo, qui Ecclesias Asiæ fundaverat, acceptum existimabant: ideoque licite, quia bona fide existimabant, id esse faciendum, ut refert Eusebius, *l.* 4. *Hist. cap.* 23. *&* 24. Verum postquam a Victore, & aliarum Episcopis Ecclesiarum edocti de contraria traditione, adhuc in suo ritu persistere contenderunt; quapropter Victor eos excommunicare parabat, nisi S. Irenæus studio pacis eum detinuisset, non amplius bona fide, & licite se gerebant. Cæterum quia eum ritum nunquam servarunt, ut Judaicum, sed ut ab Apostolis traditum putantes; ex hoc non infertur, Evangelio evulgato licuisse adhuc Mosaicos ritus servare.

XXI. Ad secundum item dico, Æthiopes illos, seu Abyssinos circumcidere pueros; non ut imitentur Circumcisionem legalem, qua circumcisus fuit Christus, sed ob devotionem: ut imitentur, nempe, dolorem, quem Christus in Circumcisione passus est. Verum certum non est, Abyssinos illos vivere in obedientia Romano Pontifici: quin immo eos censeo Schismaticos, & aliis multis erroribus contaminatos, ut videre est apud Jobum Ludolphum, *Hist. Æthiop.*

Dubium. VI.

An in nova lege debuerint esse Sacramenta?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico Conveniens omnino fuit, in nova Lege institui a Christo sacramenta. Probo primo ex S. Augustino, *lib.* 19. *contra Faustum art.* 13. (allato a S. Thoma 3. *part. quæst.* 61. *art.* 4. *in arg.* Sed contra) dicente: *Sacramenta veteris Legis sunt ablata, quia impleta: & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

Secundo probo discursu ejusdem S. Thomæ, citato loco. Sicut homines ante Christum justificabantur per fidem Chri-

Christi venturi; ita & post Christum justificantur per fidem Christi jam nati, & passi: sed aliis signis oportet significari futura, & præsentia, ut enim August. dicit, *l. 19. contra Faustum, c. 16.* eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta, sicut ipsa verba *passurus*, & *passus* non similiter sonant; ergo cum sacramenta sint quædam signa, quibus fidem suam protestatur homo; oportet alia sacramenta fuisse in veteri, & alia esse in nova Lege, quibus significantur ea, quæ præcesserunt in Christo. Videndus est August. *Epist. 5.* modo 138. *ad Marcellinum, cap. 1.*

II. Neque ex hoc inferas, sacramenta novæ Legis solo modo significandi, aut fidem excitandi a veteribus differre, ut asserunt Novatores. —— Nam in primis Augustinus supra relatus dicit, sacramenta nova esse *Virtute majora, utilitate meliora &c.* Deinde S. Th. citato loco, *ad 2.* dicit quod *Sacramenta veteris Legis Apostolus* (*Galat. 4.*) *vocat* Egena, & infirma elementa; *quia gratiam nec continebant, nec causabant: & ideo utentes illis sacramentis, dicit Apostolus, sub elementis mundi Deo servisse; quia scilicet nihil aliud erant, quam elementa hujus mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent, & causant.* Unde Tridentinum, *Sess. 7. Can. 5.* Damnavit anathemate: *Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse.* Quamvis enim adultis, qui suæ mentis compotes sint, fides necessaria sit ad gratiam per sacramenta recipiendam; dicente Apostolo, Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo:* non tamen soli fidei tribuenda est hominis per sacramenta justificatio, quasi sacramenta nil aliud præstent, quam fidei alimentum: sed ipsis sacramentis inest vis derivata a Passione Christi homines justificandi, ut infra dicemus. Fides autem, & spes, aliique actus, solum requiruntur tamquam dispositiones, quibus homo se præparare debet ad gratiam, per sacramentum recipiendam, ut exponit Trid. *Sess. 6. cap. 6.* Alias parvulis, qui actu credere per ætatem non possunt, non posset conferri, & inutilis esset Baptismus. Sed de hoc inferius.

Sequitur etiam ex hoc, sacramenta nova a veteribus non differre sola rituum externorum, & cæremoniarum diversitate: hoc enim, ut supra diximus, a Tridentino, *Sess. 7. Can. 2. de Sacr. in genere*, sub anathemate damnatum est.

§. II.

Solutio Objectionum.

III. Objicies primo. Præsente veritate debent auferri signa, & figuræ: sed sacramenta signa sunt Christi, & Passionis ejus; ergo præsente Christo non debuerunt esse sacramenta.

IV. Respondeo ex S. Thom. *3. p. quæst. 61. art. 4. ad 1.* dist. maj. Præsente veritate, & clare manifestata, debere &c. conc. maj. Nondum clare manifestata, neg. major. Esto igitur post adventum Christi veritas sit præsens, non tamen est totaliter clare manifestata, siquidem adhuc ambulamus per fidem, adhuc videmus per speculum in ænigmate, & adhuc egemus sensibilibus, ut ad spiritualia accendamur. At cum veritas, nempe Christus in statu beatitudinis totaliter manifestabitur, & faciem ad faciem videbitur, evacuabitur fides, & usus sacramentorum tolletur. Quare, ut ex Dionysio, *cap. 5. Celest. hierarch.* notat S. Thom. *Status novæ Legis medius est inter statum veteris Legis, cujus figura implentur in nova Lege, & statum gloriæ, in qua omnis nude ac perfecte manifestabitur veritas.* Unde in statu novæ Legis adhuc egemus sacramentis, licet clarioribus.

V. Objicies secundo. Fides Christi sive venturi, sive jam nati una & eadem est, ut dicit August. *Ep. 157.* alias 89. *ad Hilar. cap. 3.* ergo eadem debent esse sacramenta.

Confirmatur. Deus non mutatur: sed quod Deus modo exhibeat alia sacramenta, quam ante, quamdam Dei mutationem sapere videtur; ergo &c.

VI. Respondeo, neg. cons. Esto enim una & eadem fides sit in veteri, & novo Testamento; alia tamen debuerunt esse sacramenta in uno, ac in altero, ut ibidem docet Augustinus. Nam alia sunt signa congrua gratiæ prænunciandæ, alia sunt congrua gratiæ demonstrandæ; & alia sunt signa promittentia Salvatorem, alia dantia salutem.

Nec sequitur, Deum mutatum esse (quibus ad Confirmationem respondeo) sed mutatas esse res, & tempora mutata. De quo videndus est Sanct. Augustin. *Epist. 138.* alias 5. *ad Marcellinum, cap. 1.* & S. Thom. *3. p. quæst. 61. art. 4. ad 3.* ubi ait: *Quod sicut pater familias non ex hoc monstratur habere mutabilem voluntatem, quod diversa præcepta familiæ suæ proponit pro temporum varietate, non eadem præcipiens hyeme, & æstate: ita non ostendetur aliqua mutatio esse circa Deum ex hoc, quod alia sacramenta instituit post Christi adventum, & alia tempore Legis: quia illa fuerunt congrua gratiæ præfiguranda; hæc autem sunt congrua gratiæ præsentaliter demonstranda.* Sicut nec mutatur ratio agriculturæ, cum agricola uno tempore aliud jubet, aliud in alio: nec cum alia Magister tradit præcepta adolescenti, quam puero tradidit, non mutatur doctrina, sed status subjecti doctrinam recipientis.

QUÆSTIO II.

De Partibus Sacramenti.

PArtes sacramenti sunt ea, ex quibus sacramentum componitur. Quæ duo sunt, nimirum res sensibilis, & verba, juxta illud: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Res autem Theologi vocant nomine *Materiæ*; Verba autem nomine *Formæ*: quia sicut forma dat speciem, & determinat materiam: ita verba determinant significationem rerum, & dant eis speciem sacramenti.

DUBIUM I.

An omnia Sacramenta constent rebus, & Verbis, seu Materia, & Forma.

§. I.

De Nominibus Materiæ, & Formæ.

I. UT dicebam, nomine materiæ, in sacramentis sumitur res, vel actus sensibilis; nomine autem formæ accipiuntur verba in sacramentorum consecratione solemniter adhiberi solita.

Olim quidam, nempe, prioribus Ecclesiæ sæculis, partes, quibus sacramenta componuntur, materiæ, & formæ nominibus exprimi non solebant: dicebant ergo, sacramenta constare *Ex signo, & re sacra, seu, invisibili.* Nomine *Signi* intelligebant id, quod postea per materiam, & formam significatum est, nempe, quidquid sensibus percipitur: nomine *Rei sacræ, seu invisibilis*, effectum sacramenti, seu gratiam. Dicebant præterea, in omni sacramento reperiri *Sacramentum, & rem.* Per sacramentum intelligebant id, quod sensibus ingeritur, sub cujus specie sacramentum instituitur; per rem autem id, quod sacramento confertur, nempe gratia. Vulgo etiam dicebant sacramenta constare ex rebus, & verbis; rebus, ut aqua, oleo &c. verbis, ut invocatione Sanctissimæ Trinitatis. Asserebant etiam, sacramenta constare ex elemento, & verbo, juxta celebre S. Augustini dictum, Tract. 80. in Joann. *Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum . . . Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Quæ S. Augustini sententia præ oculis, nedum in præsens, sed & in sequentibus habenda est.

II. Hæ erant voces, quibus prisci Theologi utebantur in re sacramentaria. Scio, non deesse, qui putent, usum nominum materiæ, & formæ in hac re tunc cœpisse quando Christiani Doctores Philosophiam colere cœperunt: teste autem Eusebio Cæsarienſi, hoc tertio sæculo contigit. Quod conantur ostendere ex S. Augustino, *l. 1. de Peccat. merit. cap. 34.* ubi ait: *Quid de ipsa forma sacramenti loquar?* Et ex Conc. Milevitano, cui S. Augustinus interfuit: in quo hæc leguntur de Pelagianis, qui negantes peccatum originale, infantes suos baptizabant: *Unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur.* —— Verum Augustinum, & Concilium non sumere *Formam* in eo sensu, in quo modo sumitur, nempe, pro verbis consecratoriis aquæ invocatione Trinitatis, sed potius pro ritu, & cæremoniis, maxime exorcismo, constat: quia ex eo Patres existentiam peccati originalis probabant, & præsertim Augustinus ipse.

III. Verius ergo judico, usum nominum materiæ, & formæ in sacramentis multo recentiorem esse; nec ante annum 1200. in Scholas Theologorum intrasse. Nam nihil eorum legimus apud Lantfrancum, Guitmundum, Anselmum, Bernardum; imo & ipsum Petrum Lombardum Magistrum sententiarum, & Scolasticorum Principem, qui circa annum 1150. scripsit: Solum ergo tunc cœpisse creditur, cum Philosophia Peripatetica apud Theologos invaluit. Cum enim hæc res artificiales imitata, in quibus materia, & forma oculis inspiciuntur, rerum naturas sub materiæ, & formæ nomine examinare consueverit; Theologi ea nomina etiam ad sacramenta transferre cœperunt. Primus fuisse creditur Guillelmus Antisiodorensis, circa ann. 1215. cum ante vix legatur.

IV. Hunc tamen loquendi modum, ut planum ac facilem adoptavit Ecclesia tam Græca, quam Latina. De Græca constat ex Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani responso a Wittembergenses, *cap. 7.* ex Gabriele Philadelphio Metropolita, in libello de sacramentis. Materiæ quoque Baptismi fit mentio in Synodo Jerosolymitana sub Dosithæo, anno 1672. De Latina vero ex Concilio Florentino, ubi Eugenius IV. in Decreto ad Armenos dicit, omnia sacramenta tribus perfici, videlicet: *Rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.*

§. II.

§. II.

Resolutio Dubii.

V. DIco. In omnibus sacramentis novæ legis reperitur aliquid gerens munus materiæ, aliquid gerens munus formæ; nempe, res, seu actio sensibilis se habens ut materia, verba autem se habentia tamquam forma. Ita loquitur Eugenius IV. in Decreto ad Armenos nuper relato; ac simili modo loquitur Tridentinum agens de sacr. Pœnitentiæ *Sess.* 14. *cap.* 3. & colligitur ex supra laudato Augustini axiomate, Tract. 80. in Joann. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Ubi Sanctus Doctor *Elementi* nomine idipsum intelligit, quod Theologi materiam vocant, nomine autem *Verbi* id, quod formam vocare consueverunt.

VI. Probatur autem hoc discursu. In omni composito, sive physico, sive morali dari debet una pars, quæ sit determinabilis; alia, quæ sit determinativa illius ad speciem talis compositi, ut patet discurrendo generaliter: sed sacramenta sunt quædam composita saltem moralia; ergo &c. Tunc sic: Sed id, quod est determinabile in sacramentis, sunt res sensibiles; id autem, quod se habet ut determinativum sunt verba, ergo &c. Min. subsumpta prob. In Baptismo aqua, & ejus ablutio de se est indifferens, & determinabilis ad significandum refrigerium, ob aquæ frigiditatem, vel humefactionem, propter ejus humiditatem, aut ablutionem sordium corporis: sed quando super aquam, & ejus ablutionem proferuntur hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* determinatur ad hoc, ut significet animæ sanctificationem, & ablutionem a sorde culpæ, sicque trahitur ad speciem Baptismi. Unde inquit S. Thom. 3. p. q. 60. art. 6. ad 2. *Ex verbis, & rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma, & materia; in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum. Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta, ablutio, inunctio, & alia hujusmodi; quia in his eadem ratio significandi, & in rebus.*

§. III.

Solutio Objectionum.

VII. OBjicies primo. Sacramenta novæ Legis successerunt sacramentis veteris Legis: at in his nulla requirebatur forma verborum; ergo nec in sacramentis novæ Legis?

Respondet Sanct. Thom. *art.* 6. citato, *ad* 3. quod verba adhibentur ad expressiorem significationem rerum; *Sacramenta autem veteris Legis prænuntia erant Christi venturi: & ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta novæ legis, quæ ab ipso effluunt, & quamdam similitudinem ipsius in se habent.* Quia, ut dicit in corpore illius art. *Sacramentum, ei quodammodo conformatur in hoc, quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in Mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum.* Addit S. Doctor: *Utebantur tamen in veteri Lege aliquibus verbis in his, quæ ad cultum Dei pertinent, tam Sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum Ministri, secundum illud Numer. 6.* Sic benedicetis filiis Israel: & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus &c. *quam etiam illi, qui illis sacramentis utebantur secundum illud Deuter. 26.* Profiteor hodie coram Domino Deo tuo &c.

VIII. Objicies secundo. In nova Lege aliquod est sacramentum, in quo nulla datur res sensibilis, seu elementaris; & e contra datur aliud, in quo nullum profertur verbum, saltem de necessitate. Primum patet in Sacramento Pœnitentiæ, in quo nulla est res, sed pura verba sunt; tum ex parte Pœnitentis, qui confitetur, & dolet, tum ex parte Sacerdotis, qui absolvit. Secundum apparet in sacramento Matrimonii, in quo contingere potest nulla adesse verba, ut si fiat inter mutos; ergo &c.

IX. Respondeo, neg. ant. absolute pro utraque parte. Ad probationem utriusque partis dico, quod cum diximus, in omni sacramento inveniri res, & verba; non sumimus res elementares proprie, sicut neque verba formalia, & stricta: sed vel rem proprie elementarem, vel aliquam rem, seu actum sensibilem, qui se habeat, ut determinabilis ad esse sacramenti per significationem verborum: vel verba formalia, aut aliquid loco verborum expressivum, & determinativum rei sensibilis ad esse sacramenti. In sacramento igitur Pœnitentiæ non sunt res, aut elementa proprie, sed actus ipsi Pœnitentis sunt quasi materia; ut docet Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* 3. qui tamen vere sensibiles sint, & determinabiles per absolutionem Sacerdotis. Similiter in Matrimonio licet contingere possit, non esse verba formalia, sunt tamen nutus, aliaque signa sensibilia mutuum consensuum exprimentia; ideoque locum verborum tenentia.

X. Objicies tertio, & replicabis. Potest dari casus, in sacramento pœnitentiæ nil sensibile reperiri ex parte Pœnitentis; ut cum absolvitur vir Catholicus, qui subito correptus morbo, nec voce, neque signo aliquo suum de peccatis dolorem probare valet; ergo &c.

XI. Respondeo, dist. ant. Nil sensibile formaliter, conc. ant. Virtualiter, ac moraliter existens, neg. ant. Ille enim, qui subito correptus morbo, incapax redditur cujuscumque actus sensibilis expressivi doloris &c. vel antequam corriperetur, viva voce, aut alio signo advocavit Sacerdotem, aut dolorem suum contestatus est; vel non. Si non: censetur non habere materiam capacem absolutionis, neque potest absolvi, saltem absolute. Si sic: signa illa præcedentia censentur moraliter permanere; ideoque materiam sufficientem exhibere, ut possit a Sacerdote absolvi.

XII. Objicies quarto. Ex materia & forma debet constitui unum: sed ex rebus, & verbis non potest fieri unum. Nam, ut ex duobus fiat unum, tamquam ex materia, & forma, debent illa duo simul manere; quia compositio est duorum simul positio: sed sæpe contingit in sacramentis, res, & verba non esse simul. In sacramento enim Pœnitentiæ confessio Pœnitentis, quam diximus locum tenere materiæ, quando Sacerdos verba absolutionis profert, jam transiit. Et in matrimonio maxime cum contrahitur per Procuratores, consensus unius partis per longum tempus antecessit consensum alterius, & consensus utriusque sæpe antecedit benedictionem Parochi; ergo &c.

XIII. Respondeo, dist. major. Juxta modum partium componentium, conc. maj. Aliter, nego maj. Si ergo materia, & forma physice componant, debent physice simul existere; quia unum physicum constituunt. At si sint materia, & forma constituens unum tantum morale, sufficit ut moraliter tantum existant. Sic ergo in sacramento Pœnitentiæ, esto confessio Pœnitentis physice, & formaliter transierit, cum Sacerdos absolvit; moraliter tamen manet, & virtualiter in Pœnitente, dum coram sacerdote permanet. Nisi enim Sacerdos crederet, & quidem prudenter, Pœnitentem in eadem dispositione manere, in qua erat, dum peccata confitebatur, non posset eum absolvere. Sic etiam in Matrimonio esto consensus unius partis per longum tempus formaliter, & physice in se transierit: censetur tamen moraliter, & in effectu suo, nempe, in Procuratoris delegatione perseverare. Si enim prudenter non existimaret, partem in consensu præstito permanere, Parochus conjungere partes non posset.

XIV. Objicies quinto. In Eucharistia nulla prorsus est materia. Nam eo in instanti, quo Eucharistia sacramentum est, nulla est amplius res sensibilis, quæ materiæ loco sit, cum per transubstantiationem panis & vinum in corpus Christi conversa sunt: corpus autem & sanguis Christi quibus ibi sensibiliter non sunt, locum materiæ habere non possunt.

XV. Respondeo, sacramentum Eucharistiæ habere aliquid singulare præ cæteris sacramentis. Omnia enim alia sacramenta consistunt in usu, seu susceptione; ac proinde transeuntia sunt, solumque durant, quandiu durat usus: quo transacto sacramentum non remanet, nisi quoad effectum. Verbi gratia: Baptisma consistit in usu, seu ablutione; qua transacta, sicut & peracta verborum prolatione, Baptisma transit, neque remanet, nisi quoad effectum, gratiam nimirum, & characterem. Idem dicito de Confirmatione, & reliquis. At Eucharistia sacramentum est ante usum, & sumptionem, ut de fide est contra Lutherum, ex Trident. *Sess.* 13. *Can.* 4. & prolatis verbis consecrationis permanet, ac conservatur quousque durant panis & vini species. Quare in Eucharistia distingui debet fieri, & factum esse. His suppositis pro nunc.

Nego ant. Nam si Eucharistia sumatur in fieri, & in actu prolationis consecrationis; materia illius sunt panis, & vinum, forma autem verba consecratoria. Si vero sumatur in facto esse, sacramentum sunt species panis, & vini, ut consecratæ: sic, ut species sint materia sacramenti, consecratio autem moraliter manens sit forma determinativa specierum ad esse sacramenti. Sed de his suo loco.

DUBIUM II.

An Materia, & Forma Sacramentorum fuerit determinata a Christo.

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. MAteria, & forma tribus modis determinari possunt: in genere, in specie, & in individuo. In genere, quando designatur quidem aliqua materia; sed non determinatur, cujus speciei esse debeat. Sic qui fabro lignario diceret: confice mihi mensam, nec obsignaret, an ex quercu, an ex nuce, an ex abiete, aut ex ejusmodi aliqua materia; determinaret solum materiam in genere; neque enim mensa, cum sit res corporea, potest esse sine aliqua materia. Similiter si diceret: fac mihi mensam, & non adderet rotundam, quadratam, oblongam, designaret solum formam in genere; quia mensa sine aliqua figura, aut forma esse non posset. In specie autem, quando materiæ, aut formæ in specie designantur; ut si dicat: fac mihi mensam ex abiete, & formæ rotundæ. In individuo autem, quando non sola materiæ species, sed hæc, aut illa numerice designatur; ut si dicat: fac mihi mensam ex hoc abiete.

II. Cer-

II. Certum eſt, materiam, ſeu res, & formam ſacramentorum fuiſſe determinatas a Chriſto. De materia probat S. Thom. *3. part. quæſt. 60. art. 5.* hoc diſcurſu. Id, quod non eſt in poteſtate hominis, ſed Dei, non pertinet ad hominem determinare, ſed ad Deum: atqui ſanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei, non hominis, & ad hanc ſacramenta aſſumuntur; ergo non pertinet ad hominem aſſumere res, quibus ſanctificetur, ſed hoc debet Dei inſtitutione accipere.

De forma autem, *art. 7.* prælaudatæ Quæſt. ſic. Prob. Principium determinationis in rebus eſt forma; ergo cum determinata a Deo debeat eſſe materia, ſeu res ſacramentorum; multo magis ab eo determinata eſſe debet forma, quæ materiam determinat ad eſſe ſacramenti.

Rurſus: de fide eſt, Chriſtum ſacramenta inſtituiſſe, ergo & eorum materias, & formas præſcripſiſſe: nimirum, ut quibuſdam ſignis uterentur, analogiam habentibus cum effectu ſacramentorum, quæ ex illius mandato erant collaturi.

III. Nec dicas: in Lege naturæ fuiſſe ſacramenta, quibus homines ſanctificabantur, nec tamen legis ante Circumciſionem inſtitutam fuiſſe a Deo determinatas res, aut verba, quibus uti deberent.

Nam reſpondet S. Thom. *3. p. q. 60. art. 5. ad 3.* quod diverſis temporibus diverſa congruunt: *Et ideo ſicut in ſtatu Legis naturæ homines nulla Lege exterius data, ſed ſolo interiori inſtinctu movebantur ad Deum colendum: ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur.* (Quibus patet, etiam tunc determinatas a Deo fuiſſe res, quibus ad ſanctificationem uterentur, licet alio modo) *Poſtmodum vero neceſſe fuit etiam exterius Legem dari: tum propter obſcurationem Legis naturæ ex peccatis hominum; tum etiam ad expreſſiorem ſignificationem gratiæ Chriſti, per quam humanum genus ſanctificatur. Et ideo etiam neceſſe fuit res determinare, quibus homines uterentur in ſacramentis. Nec propter hoc arctatur via ſalutis, quia res, quorum uſus eſt neceſſarius in ſacramentis, vel communiter habentur, vel parvo ſtudio adhibito haberi poſſunt.*

IV. Certum etiam eſt, Chriſtum non determinaſſe materiam, & formam ſacramentorum in individuo: neque enim præſcripſit, ut in collatione Baptiſmi hæc numero aqua adhiberetur. Nec minus certum eſt, determinaſſe ſaltem in genere materiam, & formam cujuslibet ſacramenti. Cum enim nullum ſit ſacramentum, quod ab eo non fuerit inſtitutum, conſtare debet etiam, ipſum aliquando deſignaſſe partes eſſentiales illius, quæ nihil aliud ſunt, quem res, quæ ſunt materia, & verba, quæ ſunt forma.

V. Certum tandem eſt, materiam, & formam ſacramenti Baptiſmi, & Euchariſtiæ fuiſſe a Chriſto determinatas in ſpecie. Aquam enim eſſe materiam Baptiſmi determinavit, Jo. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* formam vero Baptiſmi, Matth. ultimo v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Similiter materiam Euchariſtiæ determinavit, *Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.* cum panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuum conſecravit, & Apoſtolis tradidit: formam vero cum citatis locis dixit: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus;* præcepitque Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut facerent quod ipſe fecit. *Hoc facite in meam commemorationem.*

VI. Tota difficultas eſt de aliquibus ſacramentis; an illorum materias, & formas determinaverit Chriſtus ſolum in genere, an vero etiam in ſpecie atoma. In hoc duæ ſunt ſententiæ. Prima aſſerit. Chriſtum non in genere tantum, ſed in ſpecie atoma deſignaſſe omnium, & ſingulorum ſacramentorum materias, & formas, ſicut fecit in Baptiſmate, & Euchariſtia. Secunda dicit, Chriſtum non in ſpecie atoma omnium ſacramentorum materias, & formas determinaſſe, ſed aliquorum tantum in genere, ſeu ſpecie ſubalterna. Ita cenſent Petrus Cantor Pariſienſis, in Sum. de Sacr. Alexander Halenis 4. parr. Sum. S. Bonaventura, Bellarminus, & alii.

§. II.

Reſolvitur præcipua quæſtio.

VII. Dico. Probabile videtur, Chriſtum aliquorum ſacramentorum materias, & formas non in ſpecie atoma determinaſſe, ſed ſolum in genere, vel ſpecie ſubalterna. Probo primo. Si Chriſtus determinaſſet in ſpecie omnium ſacramentorum materias, & formas; determinate aſſignaſſet pro materia Confirmationis, aut impoſitionem manuum, aut chriſmationem; & pro materia Ordinis, aut impoſitionem manuum, aut porrectionem inſtrumentorum: atqui neutrum ſive in Scriptura legitur, ſive ex Traditione habetur, a Chriſto fuiſſe præſcriptum; ergo &c.

VIII. Confirmo hoc. Si Chriſtus omnium ſacramentorum materias in ſpecie atoma determinaſſet; eadem materia in omnibus ſacramentis eſſet modo, ac fuit, prioribus Eccleſiæ ſæculis: quæ enim juris divini ſunt, Eccleſia variare non poteſt: ſed non eſt eadem in aliquibus ſacramentis modo, quæ prioribus Eccleſiæ ſæculis adhibebatur: ergo &c. Min. prob. Apoſtolorum tempore materia Confirmationis erat nuda manuum impoſitio, Act. 8. v. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Septem prioribus ſæculis manuum impoſitio, non autem inſtrumentorum porrectio erat Ordinis materia: neque enim ejuſmodi inſtrumentorum porrectionis reperire eſt aliquod veſtigium in libris, qui iis ſæculis de ſacramentis egerunt; ut probat Morinus, *Part. 3. de Sacris Ordinationibus, exercit. 7. cap. 1. & Exercit. 9. cap. 1.* & conſtat ex ſacramentariis S. Gregorii Magni. Atqui nunc impoſitio manuum, nec Confirmationis, neque Ordinis videtur eſſe materia: nam Eugenius IV. in Decreto pro Armenis docet, materiam Confirmationis eſſe chriſmationem in Neophiti fronte; materiam Ordinis eſſe inſtrumentorum porrectionem; ergo &c.

IX. Rurſus: Si dicamus, materiam Ordinis eſſe determinate, vel manuum impoſitionem, vel porrectionem inſtrumentorum; vix conciliare poterimus Eccleſiam Græcam, quæ, approbante Latina, ſolam manuum impoſitionem adhibet in ſuis Ordinationibus, ut videre eſt apud Goar. *Ritual. Græcor. de Diacon. Ordinat.* cum Latina, quæ tamquam materiam adhibet porrectionem inſtrumentorum.

X. Sed dices primo. Si Chriſtus non determinaſſet in ſpecie materiam, & formam ſingulorum ſacramentorum, feciſſet Eccleſiæ poteſtatem eas in ſpecie determinandi: ſed hanc non fecit; ergo &c. Min. prob. primo. Nam nec Scriptura, nec Traditione hoc probari poteſt. —— Secundo. Nam ſi hanc feciſſet, Eccleſia poſſet mutare in ſpecie materias, & formas aliquorum ſacramentorum: ſed hoc non poteſt; ergo &c. Maj. patet, nam quod Eccleſia conſtituit, poteſt reſcindere. Min. prob. Nam Eccleſia mutare quidem poteſt ſacramentorum ritus, ſed non ſubſtantiam, ut docuit Tridentinum, *Seſſ. 21. cap. 2.* dicens: *Hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva eorum ſubſtantia, ea ſtatuerit, vel mutaret, quæ ... pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* At ſi mutare poſſet materiam, & formam ſacramentorum, poſſet quoque mutare ſubſtantiam eorum, ergo &c.

XI. Reſpondeo, neg. min. Ad primam probationem dico, retorqueri poſſe inſtantiam. Nam nec Scriptura, nec Traditione probari poteſt, Chriſtum non feciſſe Eccleſiæ hanc poteſtatem. Silentium ergo, quo Scriptura præterit materiam, & formam aliquorum ſacramentorum, dat fundamentum arguendi, Chriſtum noluiſſe eas in ſpecie determinare: ſi enim voluiſſet, eas in ſpecie determinaſſet, ut fecit de materia Baptiſmi, & Euchariſtiæ. Quod valde comprobatur ex varietate, quæ proceſſu ſæculorum facta eſt circa materias aliquorum ſacramentorum: ut dicebamus.

Ad ſecundam probationem, neg. min. Ad prob. diſt. min. Si poſſet mutare materiam, & formam eſſentialem, conc. min. materiam, & formam ſolum accidentalem, nego min. Eſto igitur Eccleſia in iis ſacramentis, pro quibus non legitur a Chriſto inſtituta materia, niſi in genere, poſſit materiam ſpecie mutare; hoc poteſt facere, ſalva eorum ſubſtantia, ut ait Tridentinum. Subſtantia enim rei ſalvatur, quouſque manet ejus materia eſſentialis, quamvis accidentalis varietur. Materia autem eſſentialis in iis ſacramentis non eſt hæc, vel illa res ſenſibilis in ſpecie, ſed aliquod ſenſibile aptum ad exprimendum effectum, qui per illud ſacramentum confertur: unde dummodo hoc ſalvetur; ſive per hoc, ſive illud ſpecie ſignum fiat, ſalvatur rei ſubſtantia. Secus ſi quis dicat: fac mihi menſam; ut ſalvetur ſubſtantia menſæ, ſufficit, ut fiat in aliqua materia capaci, ut ſit menſa: per hoc autem quod fiat ſive ex marmore, ſive ex quercu, ſive ex abiete, variatur ſolum id, quod eſt accidentale menſæ, & voluntati ejus; qui menſam præcepit. Sic Chriſtus inſtituit, ac præcepit, ut ſacramentum Ordinis conferretur per manuum porrectionem; & hæc eſt materia eſſentialis, ſine qua non ſalvaretur ſubſtantia Ordinis, neque voluntas Chriſti impleretur. Quod autem hoc fiat ſolum porrectione manuum, quæ dum imponuntur, porriguntur; vel porrectione manuum cum aliquo inſtrumento expreſſivo actus illius Ordinis omnino accidentale eſt ſacramento, & voluntati Chriſto.

XII. Dices ſecundo, & replicabis. Si ita eſt, quod materia hæc, vel illa in ſpecie, ſit ſolum materialis, & accidentalis ſubſtantiæ ſacramenti, poſſet indifferenter utraque adhiberi, ſicque & Græcus porrectione vaſorum, ſeu librorum ſacrorum ordinatus, & Latinus ſola manuum impoſitione, eſſent rite ordinati. Similiter cum materia eſſentialis Matrimonii, ſecundum Chriſtum, ſit conſenſus mutuus; ſive fieret publice, ſive clandeſtine, Matrimonii ſubſtantia ſalvaretur: ſed utrumque eſt falſum; ergo &c.

XIII. Reſpondeo, ad primum. Probabile eſſe Græcum ordinatum per vaſorum porrectionem, & Latinum per ſolam manuum porrectionem, eſſe valide ordinatos. Quemadmodum enim, quia Chriſtus inſtituit, ut materiam Euchariſtiæ, panem triticeum, & vinum de vite; nec determinavit, an panis debeat eſſe azymus, an fermentatus, an vinum de vite debeat eſſe album, vel rubrum, poteſt valide conſecrari, ſive in azymo, ſive in fermentato, dummodo triticeo, & ſive vinum album ſit, ſive rubrum, dum-

dummodo de vite, ita quia instituit porrectionem manuum pro materia Ordinis; nec determinavit, an porrigenda sit manus vel cum aliquo instrumento, utroque modo valida est Ordinatio. Verum quidem est, quod qui sic esset ordinatus, deberet ad cautelam, & sub lethali, Cæremoniæ illi, quæ secundum ritum suæ Ecclesiæ defuisset, se subjicere: quia; ut statuit Innoc. XI. 2. Martii 1679. in sacramentis conferendis illicitum est sequi opinionem probabilem, relicta tutiore, dum agitur de valore sacramenti.

Ad secundum, nego id, quod infertur. Materia enim essentialis Matrimonii est mutuus consensus legitime datus: legitimitas autem contractus a Legislatore præscribenda est. Cumque Ecclesia pro legitimitate contractus matrimonialis, sicut & cæterorum, præscripserit solemnitatem, & publicitatem; ideo materia essentialis contractus matrimonialis non est quilibit consensus, sed consensus cum solemnitatibus; quas ad Ecclesiam præscribere pertinet, sicut pro contractibus mere civilibus ad Principes.

§. III.

An Sacramentorum forma sit verbum concionatorium.

XIV. HUic quæsito causam dederunt moderni hæretici Lutherus, & Calvinus. Lutherus enim dicit, formam sacramentorum esse verbum promissorium; Calvinus, esse verbum Concionatorium. Et hoc, quia volunt sacramenta esse mere sigilla divinarum promissionum, excitantia in nobis fidem de illis, quod supra rejecimus. Catholici vero omnes sustinent, verba sacramentorum, seu formam sacramenti esse verbum consecratorium.

XV. Dico ergo. Forma sacramentorum non est verbum promissorium, nec concionatorium, sed consecratorium. Prima pars probatur contra Lutherum. Hæc enim verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sola sufficiunt ad validum Baptisma: at clarum est in hisce verbis nullam exprimi promissionem; ergo &c.

Secunda pars prob. contra Calvinum, qui, *lib. 4. Inst. cap. 14. §. 4.* ait: *Verbum intelligere debemus, non quod sine sensu, & fide insusurratum solo strepitu, velut magica incantatione, consecrandi elementi vim habeat; sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit.* Et subinde subsannat Ecclesiam Romanam, eo quod latino idiomate verba proferat super idiotas nihil intelligentes, quid significent.

Sed inepte fallitur Nebulo iste. Licet enim in adultis talis instructio præmitti debeat; in hac tamen sacramenti essentia, & forma non consistit. Primo: quia præfata Verba: *Ego te baptizo &c.* quibus Baptisma conficitur, nullam concionem, aut instructionem continent. Secundo: Baptismus collatus infantibus valet, ut ipse contra Anabaptistas probat: verba autem, quæ super ipsos proferuntur; dum baptizantur, concionatoria non sunt, cum ea non intelligant: ideoque si ipse damnat nostros Parochos, eo quod ea verba latine proferant super idiotas ea non percipientes; multo magis damnare deberet ea proferentes super infantes, qui incapaces sunt eos percipiendi, quocumque idiomate proferantur. Tertio: concio neque est necessaria, ut eam adstantes intelligant; cum Baptisma infantis valeat etiamsi nulli testes adsint, qui Ministrum audiant concionantem.

XVI. Præterea: ubi legit Calvinus hoc, de concione præmittenda ad Baptismi valorem Christi præceptum? Ubi id ab Apostolis, aut veteri Ecclesia factitatum? Contrarium quidem evincitur. Tum ex ipsius Calvini confessione fatentis, Baptismum in Ecclesia Catholica latinis verbis, sive adultis, sive parvulis collatum sine concione, esse validum, & non reiterandum cum ab Ecclesia ad suam Sectam deficiunt; quod tamen faciendum esset, si ut ipse dicit, verbum concionatorium esset de essentia Baptismi; eo modo, quo olim SS. Patres Baptismum sine forma verborum *In nomine Patris &c.* collatum, reiterandum judicarunt. Tum etiam: quia sequeretur, Baptismum hæreticorum falsam fidem prædicantium eo ipso irritum esse: cujus oppositum Ecclesia statuit, quæ numquam inquisivit, an qui fuerunt baptizati, fuissent vera fide recte instructi, & maxime de Trinitatis Mysterio: sed etiamsi contrarium illi constaret, dummodo tamen in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati fuissent, eorum Baptismum admisit.

XVII. Tertia pars probatur. Nam per verbum consecratorium nos Catholici intelligimus verbum ex Christi institutione efficax, seu effectus spirituales productivum, tam respectu materiæ, supra quam profertur, quam respectu personæ, ad quam dirigitur: atqui forma sacramentorum est hujusmodi: nam materiam, supra quam cadit, de profana facit sacram: *Non est* (inquit August. lib. 3. de Baptismo cap. 10.) *aqua profana, & adultera, supra quam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis, & adulteris invocetur: quia nec ipsa creata, nec ipsum nomen adulterum est, Baptismus vero Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est &c.* Et insuper illa eadem verborum forma in iis, qui sacramentum recipiunt, characterem, aut gratiam, vel utrumque simul producitur, ut inferius dicemus.

XVIII. Dices tamen primo. Si nec concio, nec promissio ad sacramentum requiruntur; cur Antiqui concionem, & promissionem præmittebant?

Secundo. Qua ratione Augustinus, *Tract. 80 in Joannem*, asserit, verbo sacramentali vim inesse, non ex eo, quod dicatur, sed tantum ex eo, quod credatur; si verbum sacramentale concionatorium non sit, aut promissorium?

XIX. Respondeo ad primum: Majores nostros præmisisse ante collationem sacramenti concionem, seu instructionem non ut partem constituentem valorem sacramenti. Cum enim de valore alicujus sacramenti dubium exortum est, non quæsierunt Patres, an habita fuisset concio, vel data promissio; sed utrum verbis Evangelicis fuisset a Ministro collata, vel debita materia adhibita. Solum ergo catechismum, vel concionem adhibebant, tamquam præambulum; ut suscipiens sciens, quid reciperet, devotius ad illud accederet: vel sacramento jam suscepto eam subjiciebant, ut in accepta gratia confirmaretur. Cæterum quemadmodum sine ulla concione parvulis Baptismum, & olim Eucharistiam conferebant: ita & adultis, in casu præsentim necessitatis, sine concione utrumque sacramentum administrabant; ut patet in Serapione sene, ad quem in lectulo decumbentem, ut narrat Eusebius, Eucharistiam Presbyter per puerum misit, qui sine ulla concione eam ori illius infudit.

Ad secundum modo dico, Augustinum solum velle sacramentali verbo vim abluendi animam inesse; non quatenus est sonus materialis, sed, ut fidei Mysterium significat, & invocationem divini nominis continet: nam post verba in objectione indicata subjungit: *Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei.*

DUBIUM III.

De mutatione, quæ in materia, & forma Sacramentorum potest contingere.

§. I.

An Mutatio in materia, & forma, invalidet Sacramentum: & quæ?

I. MUtatio in materia, aut forma sacramenti potest esse, vel substantialis; ita ut tollat materiæ substantiam, aut formæ significationem, vel sensum corrumpat: vel accidentalis; sic ut nec materiæ substantiam, nec formæ sensum tollat. Sic si quis vi artis chimicæ vinum in alium liquorem mutet, tollet substantiam materiæ Eucharisticæ: neque enim in illo casu vinum manet vinum. Si vero e contra quis levem aliquam alterationem in vino faciat; vinum accidentaliter solum mutat: & remanet materia apta Eucharistiæ.

Mutatio accidentalis in materia potest etiam contingere, ex diverso modo illam applicandi subjecto: sic aspersio, immersio, effusio sunt diversi modi accidentales, quibus aqua, quæ est materia Baptismi, potest applicari baptizando. Quare Baptismus sive per trinam immersionem, ut olim fiebant, sive per aspersionem, ut creditur aliquando factum, sive per effusionem aquæ ut modo in Ecclesia Latina fit, valide confertur.

II. Mutatio accidentalis in forma contingere potest: vel quia terminis, quibus Ecclesia utitur, alii æquivalentes substituantur; vel quia addantur alii, vel subtrahantur, quorum additio, vel subtractio formæ sensum non mutat ac tollit: vel ex intentione ministri, qui aliquem errorem in prolatione verborum intendat, ut si Lutheranus dum dicit: *Hoc est Corpus meum*, intelligat non conversionem panis in corpus Christi, sed Christi præsentiam in pane.

III. Dico. Mutatio substantialis aut in materia, aut in forma reddit sacramentum irritum. Probatur. Quod enim variat substantialiter ritum a Christo in sacramentis institutum, ac præscriptum, variat substantiam sacramenti illudque destruit, ac nullum facit: sed qui substantialiter variat materiam, & formam, variat substantialiter ritum a Christo in sacramentis institutum; ergo &c.

IV. Sed quæres: Quot modis possit in materiam, & formam sacramenti induci mutatio substantialis?

Respondeo. In materiam regulariter induci mutationem substantialem, cum loco materiæ institutæ a Christo substituitur alia specie diversa: ut si quis alio liquore, quam aqua baptizaret; vel alio pane, quam triticeo, aut vino, quam de vite Eucharistiam consecraret. Unde irrita erat consecratio, quam quidam (referente S. Cypriano, *Epist. 63. ad Cæcilium*) in aqua sola tentabant: sicut & irritum esset Baptisma, si non in aqua, sed in vino conferretur, Quia, ut Sanctus Cyprianus ibi dicit, Christus Baptisma in aqua instituit, non in vino; & e contra Eucharistiam non in aqua, sed in vino consecravit; & ita a nobis fieri præcepit.

V. In formam vero invehi potest substantialis mutatio, primo: si verba alium sensum efficientia adhibeantur. Talis erat mutatio, quam (referente Eusebio *lib. 4. Hist. cap. 11.*) quidam Valentiniani in Baptismo invexerant dicentes: *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate*

omnium

omnium matre, in eo, quod deſcendit in Jeſum. Pariter ſi non ſit eadem ſignificatio explicita, & communi uſu, mutatio ſubſtantialis ſaltem timeri poteſt; ut ſi quis dixerit: *Ego te baptizo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*, quia non exprimitur diſtincta invocatio perſonarum, quæ ex inſtituto Chriſti ad perficiendum Baptiſmum eſt neceſſaria. Unde S. Thom. 3. p. q. 66. art. 5. ad 7. *Sicut* (inquit) *aqua ſumitur ad Baptiſmum, quia ejus uſus eſt communior ad abluendum: ita ad ſignificandum tres perſonas in forma Baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communius conſueverunt nominari perſonæ in illa lingua: nec in aliis nominibus perficitur Sacramentum.* Cumque his verbis reſpondeat argumento, quod intendebat probare, etiam aliis nominibus, puta, Innaſcibilis, Genitoris, Geniti, Verbi, Doni, & Amoris poſſe exprimi tres perſonas in forma Baptiſmi; ſequitur in ſententia S. Thom. quod ſi quis dixerit; *Ego te baptizo in nomine Innaſcibilis*, vel *Genitoris*, & *Verbi*, ſeu *Geniti*, & *Doni*, ſeu *Amoris procedentis*, invalide baptizaret. Si tamen intra eamdem ſignificationem nomina mere ſinonyma quis uſurparet; ut ſi loco hujus verbi *baptizo*, diceret *abluo*, pro verbo *abſolvo* diceret *remitto*, *condono*, mutatio eſſet ſolum accidentalis, & adhuc perficeretur ſacramentum.

VI. Secundo. In forma contingere poteſt mutatio ſubſtantialis, ratione tranſpoſitionis verborum, quæ formæ ſenſum corrumpat. Ut ſi quis diceret: *Patris te ego baptizo in nomine, & Filii, & Spiritus Sancti;* aut: *Filii ego baptizo te in nomine Patris, & Spiritus Sancti.* Quia hic violatur debitus ſenſus verborum. Si vero tranſpoſitio talis non ſit, quæ violet ſenſum, ut ſi quis dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ego baptizo te.* Si conſecrans dicat; *Hoc corpus meum eſt*, non mutatur ſubſtantialiter forma, & ſacramentum perficitur. Ita S. Thom. 3. p. q. 60. art. 8. ad 3.

VII. Tertio. In forma contingere poteſt mutatio ſubſtantialis, ratione interruptionis verborum; ſi tanta ſit, ut intercipiatur intentio pronunciantis, & verborum ſenſus tollatur, & per conſequens veritas ejus. Ut ſi quis inter hæc verba: *Hoc eſt corpus*, & iſtud, *meum*, ageret aliquid aliud, ratione cujus non eſſet moraliter eadem locutio. Si vero parva eſſet interruptio: ut moraliter cenſeretur intendiſſe continuare locutionem, valorem formæ non auferret. Ut ſi Sacerdos Euchariſtiam conſecrans, poſtquam dixit: *Hoc eſt*, ſternutaret, vel tuſſiret, moxque ſubjungeret: *Corpus meum*. Vel poſtquam dixit: *Ego te baptizo*, fabulantibus diceret, ſilete, ſtatimque ſubjungeret: *In nomine Patris &c.* hæc interruptio valori Sacramenti non officeret. Ita S. Thom. mox citatus *ad 3.*

VIII. Quarto. In forma accidere poteſt mutatio ſubſtantialis, per omiſſionem alicujus termini, qui ſit de ſubſtantia; ita ut eo ablato tollatur, vel minuatur eſſentialis ſignificatio. Ut ſi quis baptizans, omittat unam ex perſonis SS. Trinitatis: vel diceret: *Ego baptizo in nomine Patris*, non exprimendo *te*, vel nomen baptizandi ut faciunt Græci. Similiter ſi conſecrans, omiſſo *Hoc*, diceret, *eſt Corpus meum* vel diceret: *Hoc eſt corpus*, omittens meum. *Si autem* (ait S. Thom. citatus in corp.) *ſubtrahatur aliquid, quod non ſit de ſubſtantia formæ; talis diminutio non tollit debitum ſenſum verborum, & per conſequens nec ſacramenti perfectionem: ſicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt:* Hoc eſt enim corpus meum, *ly* enim *ſublatum non tollit debitum ſenſum verborum: & ideo non impedit perfectionem ſacramenti. Quamvis poſſit contingere, quod ille qui prætermittit, peccet ex negligentia, vel contemptu.* Idem dic de baptizante, qui diceret? *Baptizo te*, omittens *ly ego*.

IX. Quinto. In forma contingere poteſt mutatio ſubſtantialis, per additionem verbi, quod corrumpat debitum ſenſum. *Puta ſi aliquis dicat.* Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, *ſicut Ariani baptizabant: & ideo talis additio tollit veritatem ſacramenti.* Ita S. Th. *art. 8. citato in corp.* Vel ſi diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto.* Baptiſma enim ita collatum, irritum eſſe miraculo comprobatum eſt. Cum enim quidam nomine Barba ab Epiſcopo Ariano ita baptizaretur, aqua, quæ ibi erat, evanuit: Barba vero confeſtim inde effugiens rem cunctis declaravit. Hoc refert Theodorus Lector, *lib. 2. Hiſt. Eccleſ.* Similiter ſi quis baptizans diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & B. Virginis Mariæ*, non eſſet Baptiſmus. Quia dicitur, 1. ad Cor. 1. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Sed hoc verum eſt, *Si ſic intelligatur in nomine B. Virginis baptizari, ſicut in nomine Trinitatis, quo Baptiſmus conſecratur; talis enim ſenſus eſſet contrarius veræ fidei, & per conſequens tolleret veritatem ſacramenti. Si vero intelligatur quod additur*, & in nomine B. Virginis, *non quaſi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptiſmo, ſed, ut ejus interceſſio proſit baptizato ad conſervandam gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio Sacramenti.* Hæc S. Thom. *art. 8. citato.* Quare in hoc caſu interrogandus eſſet de intentione ſua; vel ſi de intentione non conſtaret, ad minus Baptiſmus, tamquam dubius, ſub conditione iterandus eſſet. Notat tamen S. Thom. ibi: quod ſi *Sit talis additio, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur ſacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio, vel in medio, vel in fine. Ut ſi aliquis dicat:* Ego te baptizo in nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii ejus Unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti. *Erit verum baptiſma. Et ſimiliter ſi quis dicat:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beata Virgo te adjuvet, *erit verum Baptiſma.*

X. Nota tamen: quod Miniſter habens aliquem errorem, & illum intendens inducere; ſi illum exprimat in forma ſacramenti, ita ut ſenſum catholicum corrumpat; certe facit ſacramentum nullum: quia videtur velle inducere novum ritum ab Eccleſia non receptum, nec intendere facere, quod facit Eccleſia. Si vero, vel non exprimat, vel ſi exprimat, debitum ſenſum formæ non tollat, aut formam non afficiat, & in eam non refundatur: ſacramenti veritas conſiſtit. Ratio primi eſt. Nam error verbis non expreſſus relinquit intactum debitum formæ ſenſum; qui non ex intentione loquentis, ſed ex uſu communi loquendi ſignificationem habet. Unde valebat datum ab Arianis Baptiſma, qui proferebant formam; eſto mente intelligerent errorem ſuum, nempe, Filium eſſe diverſum in ſubſtantia a Patre. Sic etiam irritum non erat Baptiſma datum per trinam immerſionem, quamvis (ut ſcribit Gregorius Magnus ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum) per eam intenderent in Hiſpania proteſtari ſuum de triplici ſubſtantia in divinis errorem. — Ratio etiam ſecundi eſt. Nam error expreſſus, qui formæ ſenſum non tollit, neque illam afficit, relinquit intactam ſubſtantiam formæ. Sic valide conſecraret, qui poſt hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, errorem Calviniſticum ſubjungeret, dicens: *Et illud in Cælis ad dexteram Patris poſitum adoramus, cujus figuram tantum in terris nobis præbet;* non quaſi partem formæ ſacramentalis proferens, ſed ut errorem ſuum aliis proderet, eoſque ad illum pertraheret.

Eadem ratione docet S. Auguſt. *lib. 6. de Baptiſm. contra Donat. cap. 25.* ſi quis preces aliquas falſas diceret ſuper aquam; dummodo tamen verba Evangelica proferret, valide baptizaret: *Quia* (inquit) *certa illa Evangelica verba, ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari, tantum valent, ut per illa ſic evacuentur quæcumque in prece vitioſa contra regulam fidei dicentur: quemadmodum Dæmonium, Chriſti nomine, excluditur.* Hinc ſi Calviniſta diceret: *Auctoritate mihi per Calvinum facta, Ego te baptizo &c.* valide baptizaret. Quia additio illa non afficit ſacramenti formam, ſed baptizantis poteſtatem: quæ licet falſo aſſeratur a Calvino accepta, verbis tamen Evangelicis evacuatur. E contra vero ſi conſecrans, poſt hæc verba: *Hic eſt Sanguis meus*, diceret: *qui pro vobis effundetur;* invalide videretur conſecraſſe. Quia cum in probabili ſententia illa verba pertineant ad ſubſtantiam formæ, & in communi, ſaltem ad integritatem, ut ſuo loco dicetur, errorem ſuum verbis Evangelicis miſceret, & debitum ſenſum tolleret.

XI. Sexto. In forma contingere poteſt mutatio ex corrupta prolatione; quam ſi ex induſtria Miniſter adhibeat, non videtur ſacramentum perficere. Quia non videtur habere intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia; niſi forte adeo parva eſſet, ut ſenſum verborum non læderet. Si autem hoc faciat ex imperitia, vel lapſu linguæ; nec corruptio ſit tanta, ut ſenſus deſtruatur (qualis eſſet, ſi loco *In nomine Patris* diceret: *In nomine Matris*; vel loco *Baptizo* diceret: *Baptizor*) ſacramentum valeret. Quia verba ſic corrupte prolata, eſto vi impoſitionis nil ſignificarent; acciperentur tamen, ut ſignificantia ex accommodatione uſus. Ita ſentit Zacharias Papa ſcribens ad Bonifacium Epiſcopum. cap. *Retulerunt*, de Conſecr. Diſt. 4. Cum enim quidam latinæ linguæ imperitus baptizaret ſub hac forma: *In nomine Patria, Filia, & Spiritua Sancta;* cenſuit Pontifex, ſic baptizatum non eſſe rebaptizandum, dicens: *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam baptizans dixiſſet: non poſſumus conſentire, ut denuo baptizetur.* Et ita fuiſſe arguitur ex hoc, quod non dixerat: *in nomine Patriæ, Filiæ, &c.* quod ratio Grammaticæ exigebat, ſi de induſtria formam corrumpere voluiſſet; ſed: *Patria, Filia &c.* quæ cum ſic conſtructa nihil ſignificent, indicant, illum habuiſſe intentionem dicendi, quod Eccleſia dicit. De hoc videndus eſt S. Thom. 3. p. q. 60. art. 7. ad 3. Similiter cum alius Preſbyter hunc in modum baptizaret: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus Sancti mergo;* indicavit Stephanus II. Papa, ſic baptizatos in eo permanere baptiſmo, quia in nomine SS. Trinitatis baptizatos.

XII. Ad judicandum vero quandonam corruptio mutet ſenſum; & quandonam facta ſit ex induſtria, & quando ex ſimplicitate: pro primo regulam dat S. Th. 3. p. q. 60. art. 7. ad 3. Si enim corruptio fiat in principio dictionis; ut ſi loco ejus, quod eſt *In nomine Patris* dicat *In nomine Matris*, videtur corruptio varians ſenſum. Si vero corruptio fiat in fine dictionis; puta, ſi aliquis dicat: *In nomine Patria, & Filia*, non videtur variare ſenſum. Et ratio eſt: *Quia apud nos variatio dictionis ex parte finis dictionis, ut plurimum non mutat ſignificationem.* Addit S. D. *Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis: quia ex utraque parte poteſt eſſe tam parva, quod non auferat ſenſum verborum, & tam magna, quod auferat. Sed unum horum facilius accidit ex parte principii, & aliud ex parte finis.* Abſolute tamen loquendo etiam corruptio ex parte finis poteſt variare ſenſum; ut ſi pro *Baptizo* dicat: *Baptizor.* — Pro

ſecundo vero idem S. Doctor, ibidem, *art.* 8. *in cap.* dicens: *Si intendat per hujuſmodi additionem, vel diminutionem* (aut corruptionem) *alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici ſacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Eccleſia.* Dicit *non videtur:* quia hujuſmodi ſignum non eſt certum, ſed ſolum probabile. Poteſt enim ex induſtria formam ſic corrumpens habere intentionem generalem faciendi, quod facit Eccleſia Chriſti.

§. II.

An mutatio materiæ, & formæ illicita ſit, & quando?

XIII. SAcramentorum formas, & materias mutare nemini licet. Unde qui ex induſtria, vel craſſa negligentia materiam, vel formam ſic immutaret, ut ſacramentum irritum redderet, peccaret lethaliter peccato ſacrilegii, faceret maximam injuriam Deo ſacramentorum auctori, cujus inſtitutio, & lex contemneretur: gravem etiam inferret injuriam ſuſcipienti, qui ſacramenti fructu privaretur.

XIV. Lethaliter etiam peccaret, qui quacumque materiæ, vel formæ mutatione ritus novos, aut errores ab Eccleſia damnatos inducere intenderet; aut ritus in ſacramentorum adminiſtratione ab Eccleſia præſcriptos temere omitteret. Unde Tridentinum, *Seſſ. 7. de Sacr. in genere, Can.* 13. ait: *Si qui; dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni adminiſtratione ſacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Quare mutatio notabilis, etſi non variet ſubſtantiam materiæ, vel formæ, non excuſat a peccato lethali Miniſtrum ſolemnitatis, & ex officio, Neque excuſare eum poteſt juris ignorantia; quia neceſſaria ad officium, munuſque ſuum rite obeundum ſcire tenetur. Excuſari tamen poſſet laicus a mortali, ſi in neceſſitate baptizans, in materia, vel forma aliquomodo deficeret; non tamen obſtetrix jurata, quæ ad obſtetricandi munus admitti non debet, niſi Baptiſmum ſub præſcripta forma verborum conferendum inveniatur probe inſtituta.

Hinc peccaret lethaliter Sacerdos Latinus, qui cum Græcis ſic baptizatet: *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cum a Florentino in Decreto unionis injungatur, ut quiſque Miniſter, ſive Latinus, ſive Græcus ſuæ Eccleſiæ ritus obſervet.

Peccaret etiam lethaliter Sacerdos Latinus, qui in ſolemni Baptiſmi adminiſtratione formam illius alio idiomate, quam latino proferret. Quidquid enim reclament Proteſtantes, volentes, ut alibi diximus, formas ſacramentorum ſecundum uniuſcujuſque idioma eſſe proferendas; ſervandus eſt mos, & uſus Eccleſiæ Latinæ, volentis Sacerdotem Latinum formas ſacramentorum latino idiomate proferre: uno excepto Matrimonio, quod, utpote contractus humanus, lingua vernacula confici ſolet. Si tamen Miniſter neceſſitatis ſit, & linguam Latinam non calleat, ut ſunt obſtetrices; poſſunt, imo ſatius eſt, eas patria lingua formam Baptiſmi pronuntiare. Eadem ratione peccaret Sacerdos Latinus, qui in pane fermentato Græcorum more vellet conſecrare.

XV. An vero liceat in collatione ſacramenti uti materia, & forma dubia?

Reſpondeo primo. In caſu extremæ neceſſitatis licere uti materia, & forma dubia ad confectionem ſacramentorum, quæ ſunt neceſſaria ad juſtificationem, neceſſitate medii. Probo. Nam Chriſtus, præ ſumma ſua erga homines charitate, vult, ut hominum ſaluti etiam cum ſuorum ſacramentorum periculo, quando alia via provideri non poteſt, conſulatur: inſtituit enim ſacramenta propter hominem, non hominem propter ſacramenta. Huic principio nixus S. Auguſtinus *lib.* 1. *de Adulterinis conjugiis c.* 28. docet, Baptiſmum, & Pœnitentiæ reconciliationem impendi debere jam morituro, nec pro ſe reſpondere valenti; quamvis ob iniquam ejus anteactam vitam dubium maxime ſit, an ſit bene diſpoſitus: *Nec ipſos enim* (inquit) *ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.* Et Sacri Canones Pœnitentiæ Miniſtris injungunt, ut cuilibet Fideli in extremis poſito, & reconciliationem vel nutu, vel aliquo ſigno petenti, abſolutionis beneficium impendant; quamvis aliquibus pietatis operibus ſuam contritionem non probaverit; ac proinde dubium ſit, an adſit debita ſacramenti Pœnitentiæ materia.

Reſpondeo ſecundo. Quod extra caſum neceſſitatis extremæ non licet uti materia, aut forma dubiis, etiam in ſacramentis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii. Probo ex illa morali regula S. Auguſtini *lib.* 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas:* ubi de eo, qui cum certus eſſet, apud Catholicos Baptiſmum recte accipi, apud Donatiſtas dubius eſſet, dicit: quod *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret.* Immo etiamſi probabile ſit, hanc materiam, ſeu formam valere ad eſſentiam ſacramenti; eo uti non poteſt extra caſum neceſſitatis, in concurſu probabilioris, & tutioris: quia tunc probabile quidem erit ſpeculative, non tamen in praxi, ita ut eis uti liceat extra caſum neceſſitatis, maxime poſt decretum Innocentii XI. anno 1679. 2. Martii proſcribentis hanc propoſitionem: *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

Reſpondeo tertio. In aliis, a Baptiſmo, & Pœnitentia, ſacramentis non licet uti materia, & forma dubiis, etiam in caſu neceſſitatis. Probo. Nam in iis ſacramentis, extrema urgente neceſſitate, uti poſſumus materia, & forma dubiis; quæ, ſi non conferantur, anima hominis exponitur periculo æternæ damnationis: in eo enim caſu, potius quam anima tali periculo exponatur, permittit Chriſtus, ut ſuum ſacramentum nullitatis periculum ſubeat: at excepto Baptiſmo, & Pœnitentia, ſi reliqua ſacramenta non conferantur, cum non ſint neceſſaria neceſſitate medii, anima non exponitur periculo æternæ damnationis; ergo &c. —— Hinc ſequitur primo, non licere Præsbytero conſecrare hoſtiam, de qua prudenter dubitat, an ſit verus panis; etſi faciat, ut hominem jam moriturum communicet. Secundo: ſequitur, eidem non licere uti liquore, de quo prudenter dubitat, an ſit verum oleum, ut hominem in extremis agentem inungat.

XVI. An vero uti poſſit materia dubia adhibens formam conditionatam. —— Reſpondeo negative. Quia Jus Canonicum, Ritualia, & probati Theologi in ſolo caſu neceſſitatis concedunt uſum materiæ dubiæ; ut nempe ſubveniatur periculo proximi. Quare lethaliter peccaret, qui extra caſum neceſſitatis, hoc eſt, periculum mortis, abſolutionem ſub conditione impenderet ei, de quo prudenter dubiraret, an eſſet contritus.

Dubium IV.

De diviſione formæ Sacramentalis.

§. I.

Quo tempore cœperit uſus formæ conditionalis.

I. TRita ac celebris eſt formæ ſacramentalis diviſio in abſolutam, & conditionalem. Prior actionem ſacramentalem abſolute enuntiat, ut hæc verba: *Baptizo te.* Poſterior eamdem actionem ſub conditione enuntiat, ut: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* De hac, omiſſa priori, duo quæremus. Unum: an quovis Eccleſiæ ſæculo adhibita fuerit. Alterum: quibus in circumſtantiis eam liceat Miniſtro uſurpare.

II. Dico ergo primo. Septem prioribus Eccleſiæ ſæculis non apparet uſum fuiſſe conferendi ſacramenta cum forma conditionali. Prob. Quia in monumentis illorum ſæculorum nullum legitur, in caſu dubii illius uſum fuiſſe; cujus tamen ampliſſima fuiſſet occaſio temporibus, quibus vigebat lis inter Stephanum Papam, & Cyprianum, alioſque Epiſcopos Africanos. Cum enim tunc nondum eſſet certum, ſed in quæſtione, ac dubio poſitum, an baptizati ab hæreticis eſſent denuo baptizandi; ſtante hoc dubio, nullus legitur rebaptizatus ſub conditione. Immo interrogatus S. Cyprianus a Magno, *Epiſt.* 76. an Baptiſmus datus per aſperſionem valeret, & eſſet ejuſdem virtutis cum Baptiſmo per immerſionem collato, de quo erat dubium; multi enim illum ratum habebant: reſpondit, Baptiſmum per aſperſionem in neceſſitate collatum ſibi probari. Quod *Si aliquis exiſtimat, eos nihil conſecutos, eo quod aqua ſalutari tantum perfuſi ſunt; non decipiantur, ut ſi incommodum languoris evaſerint, & convaluerint, baptizentur.* Non dicit *ſub conditione*; quod tamen in hoc caſu, dicendum videbatur. Item Cæcilianus Archiep. Carthaginenſis, cum a Donatiſtis ejus Ordinatio tamquam nulla impeteretur, ſtatim ſe paratum exhibuit, ut denuo ordinaretur: nec tamen alicujus conditionis meminit: cujus tamen facienda fuiſſet mentio, ſtante dubio de validitate prioris Ordinationis, quod Schiſmati occaſionem dederat. Signum ergo eſt, tunc temporis non fuiſſe in uſu miniſtrare ſacramenta ſub conditione, etiam ſtante dubio. Immo aſſerebant non eſſe periculum iterandi ſacramentum, quamvis in dubio, an valeat, ſub forma abſoluta conferatur. Unde S. Leo Papa, *Epiſt.* 37. modo 135. de eo qui facto debito examine adhuc non reperit, ſe fuiſſe baptizatum, quamvis ab initio dubitarit; ſentit eſſe baptizandum, dicens: *Quoniam non poteſt in iterationis crimen venire, quod factum eſſe omnino neſcitur.* Et S. Gregorius, *Epiſt.* 32. *ad Felicem Meſſan. Epiſc.* (modo *lib.* 14. *Epiſt.* 17.) in dubio de Baptiſmo, Confirmatione, & Eccleſiæ dedicatione, ſi non appareat ea fuiſſe peracta, ſtatuit: *Ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Eccleſiæ Canoni dedicentur, ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat: quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum;* nihil dicens de iiſdem ſub conditione peragendis.

III. Dico ſecundo. Circa octavum ſæculum forma conditionalis a quibuſdam cœperat adhiberi, a quibuſdam non. Probatur. Quia Capitularia Caroli Magni certis in caſibus formæ conditionalis uſum præſcribunt. Nam *lib.* 6. *cap.* 181. hæc leguntur: *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimodis abſque omni ſcrupulo baptizan-*

prizentur, hic tamen verbis præmiſſis. Non te rebaptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et ibidem, *lib. 7. cap. 391.* legitur ſic: *Placuit, ut infantes, quando non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos ſine dubitatione baptizatos eſſe teſtentur; neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi ſacramentis reſpondere: abſque ullo ſcrupulo, tempore legitimo baptizentur .... quoniam quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut dicatur iteratum* (quod ex Conc. Carth. 5. ſub Aurelio, cap. 6. ſumptum videtur) quod repetitur, c. 305. *Si qui dubitant, an ſint baptizati, an non ... ut baptizentur, præceptum eſt.* Ubi nulla formæ conditionalis mentio fit. Ergo In eiſdem Galliis apud aliquos in uſu eſſe cœperat, apud alios non.

IV. Dico tertio. Forma conditionalis apud omnes Latinorum Eccleſias, ſaltem a ſæculo 13. adhiberi cœpit. Probatur. Nam ſæculo 13. Omnes Eccleſiæ Latinæ amplexæ ſunt Jus Canonicum auctoritate Gregori IX. S. Raymundi opera promulgatum: ſed in iſto formæ conditionalis praxis injungitur, *Cap. de quibus*, ſit de Baptiſmo: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmiſſis: ſi baptizatus es, non te baptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Eſto autem hæc Decretalis ſit Alexandri III. qui ſæculo Gregorium IX. præceſſit, non evincitur tamen, quod ad omnium Eccleſiarum notitiam, & uſum devenerit; niſi poſtquam a Gregorio fuit cum jure Canonico promulgata. Sicut etiam quod Odo Pariſienſis Epiſcopus, qui Alexandri III. tempore vixit, hoc idem ſenſerit, ſolum probat, tunc in Galliis uſum formæ conditionis fuiſſe receptum, ut ex Capitularibus Caroli Magni vidimus. Immo nec ab omnibus Galliarum Eccleſiis fuiſſe receptum conſtat. Tum quia: Petrus Cantor, Doctor Pariſienſis, qui vixit ante Gregorium, contrarium ſenſit dicens: *In Confirmatione, aut in Baptiſmo, de quo dubitatur, an ſit collatus, non approbamus conditionem appoſitam ſic*: Si non es baptizatus &c. *Quia ſacramenta non ſunt conditionaliter conferenda.* Temporibus tamen S. Thom. in uſu fuiſſe apparet ex 3. *p. q.* 68. *art.* 7. *ad* 2. *&* *art.* 11. *ad* 4.

§. II.

Quandonam forma conditionalis ſit adhibenda.

V. DIco primo. Qui antiquis temporibus uſque ad ſæculum Tridentini forma conditionali utebantur, videntur ea uſi fuiſſe ſolum in ſacramentis imprimentibus characterem, videlicet, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. Prob. Quia qui circa octavum ſæculum forma conditionali uti cœperunt, ea utebantur circa baptizandos, ut Capitularia ſupra relata oſtendunt. Alexander III. auctor Decretalis ſupra enuntiatæ loquitur de baptizandis: qui poſt Alexandrum III. ſcripſere, formæ conditionatæ ſolum neminerunt in ſacramentis, quæ iterari non poſſunt, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis: de aliis non loquuntur, cum tamen loqui debuiſſent, ſi in eis etiam formæ conditionalis uſus invaluiſſet.

VI. Dico ſecundo. A ſæculo Tridentini formæ conditionalis uſus obtinuit, etiam in ſacramentis, quæ iterari poſſunt. Prob. Nam noſtris temporibus invaluit uſus formæ conditionalis, etiam in collatione abſolutionis ſacramentalis (quæ tamen iterabilis eſt) quando dubia eſt, vel ex parte ſubjecti, cum ſcilicet prudenter dubitatur, an ſubjectum ſit capax, ut fidelis ſubito morbo obmuteſcens; vel ex parte miniſtri, quando dubitat, an omnia verba eſſentialia protulerit: idque tum ob debitam ſacramento reverentiam; tum, ne qui ad eum bona fide acceſſit, ſacramenti fructu forte privetur.

VII. Dico tertio. Miniſter tunc ſolum forma conditionali uti poteſt, quando facto diligenti examine, adhuc dubitat, an ſacramentum fuerit vere collatum? Probatur. Nam ſacramentum non debet, etiam ſub conditione, iterari, niſi prudens dubium ſit, an revera illud fuerit collatum; at prudens dubium prævium, ac diligens examen ſupponit; ergo &c. Ita etiam ſenſerunt quotquot ſupra citati uſum formæ conditionalis admiſerunt. Verum tamen eſt (ait Dominicus Soto) in ſacramentis, quæ characterem non imprimunt, non eſſe opus tanto examine, ut forma conditionalis adhibeatur, quanto in iis, quæ ex vi ſua iterari non poſſunt: nam in pœnitentia minus dubium, dummodo ſit fundatum, ſufficit, ut ſub conditione forma poſſit iterari.

VIII. Quæres: Quibus in caſibus prudens oriatur dubium, ſufficiens ad iterandum ſub conditione ſacramentum initerabile?

Reſpondeo, prudenter dubitari. Primo: cum infans expoſitus fuit, etſi ſchedulam præferat teſtantem eum baptizatum fuiſſe: poſſet enim fieri, ut qui baptizarunt, neſcierint baptiſmi formam. Addo: quod non ſint fide digni, qui tantum ſcelus patrant, & infantem exponunt: ita Conc. Aquenſe, ann. 1558. —— Prudenter dubitatur, ſecundo: cum ruſtica mulier, etſi ex officio obſtetrix, urgente neceſſitate, & mortis periculo, baptizavit. Nam etſi ſupponatur callere formam Baptiſmi, prudenter tamen timeri poteſt, ne ex animi turbatione aliquid in forma Baptiſmi omiſerit; niſi alia ſit perſona fide digna, quæ auferat dubium. Unde Conc. Rothomagenſe, 1581. ſtatuit, nec uni mulieri, nec alteri privatim baptizanti credi debere. Et Conc. Rhemenſe ann. 1583. antequam, inquit, baptizet infantem, inquirat, ſi jam baptizatus fuerit; de quo ſufficienter duorum ſaltem teſtimonio Sacerdoti conſtare debet. —— Prudenter dubitatur, tertio: cum teſtes fide digni aſſerunt, adhibitam non fuiſſe legitimam materiam. Hinc Lugduni, non multis ab hinc annis, ſub conditione baptizatus eſt Monachus; qui poſtquam factus fuit Monachus, a viris fide dignis audivit, ſe, cum in hæreſi Calviniana eſſet, aqua roſacea baptizatum fuiſſe; ideoque Calviniſtarum Baptiſmus ſuſpectus eſt; adeo ut ab ea hæreſi revertentes, interrogandi ſint de modo, quo in hæreſi baptizati fuere.

IX In ſacramentis vero iterabilibus, præter caſus jam expoſitos, dubium prudens eſſe poteſt, cum dubitatur: an ſubjectum ſit capax ſacramenti: ideoque abſolvi debet forma conditionalis, de quo dubitatur, an vivens, vel mortuus ſit. —— Secundo, cum Miniſter aut ob mentis evagationem, aut alias cauſas non eſt certus, ſe verba vel abſolutionis, vel conſecrationis protuliſſe. Monendi tamen ſunt ſcrupuloſi, non ſemper eſſe rationem dubitandi, an forma omiſſa fuerit, ex hoc præciſe, quod Miniſter non meminerit, ſe eam protuliſſe: præſertim, ſi aliis vacet, quæ ex Ritualium præſcripto recitari, aut fieri ſolent poſt prolatam formam. Quare Sacerdos, qui recitat orationes conſecrationis formam conſequentes, non debet adhuc ſub conditione conſecrationis verba repetere, quamvis tunc non meminerit, ſe ei protuliſſe; ſed potius ut ſuæ conſulat quieti, quærat a miniſtrante, an hoſtiam, & calicem elevaverit.

QUÆSTIO III.

De numero, & ordine Sacramentorum novæ Legis.

NUmerum, & ordinem Sacramentorum novæ Legis quæſitum præſens examinabit.

DUBIUM I.

Quot ſint novæ Legis Sacramenta?

§. I.

Hæreticorum errores.

I. MIrum, quam varii fuerint, & in ſe inconſtantes noſtri temporis hæretici in ſtatuendo ſacramentorum novæ Legis numero: eſto enim omnes numerum ſeptenarium ab Eccleſia ſtatutum rejiciant; in ſtabiliendo tamen numero non conveniunt, ut dicemus. Prius tamen indicare placet quid de hoc ſenſerunt antiqui hæretici; ut ex hoc pateat, quales Magiſtros habuerint moderni.

II. Quidam ergo *Archontici* nuncupati, teſte S. Epiphanio, *Hæreſi* 40. ſæculo 2. nulla prorſus ſacramenta in Eccleſia admittenda eſſe, nec Baptiſmum, nec Euchariſtiam aſſerebant, nullis ſignis utendum eſſe putantes. Hos ex Lutherano grege ſecuti ſunt Schvvenckfeldiani, qui ſpirituales ſe eſſe gloriantes, omnia ſenſibilia, & proinde ſacramenta repudiabant, tamquam ad ſalutem inutilia. *Cajani* quoque, ut refert Tertullianus, *lib. de Bapt. cap.* 13. Baptiſmum neceſſarium negabant, eo quod fides ſatis eſſet. *Pauliciani* verbotenus quidem ſacramenta admittebant: ſed in iis nulla re ſenſibili, pane, aqua, oleo, ſed ſolis verbis utendum eſſe volebant, & in Baptiſmo hæc aſſumebant: Ego ſum aqua viva, ut refert Euthymius, 3. *part. Panoplia tit.* 21. *Seleuciani*, & *Herminiani* Baptiſmum in aqua non recipiebant; dicentes, Joannem quidem baptizaſſe in aqua, ſed Chriſtum in ſpiritu & igne, teſte Auguſt. *Hæreſ.* 59. Hoc adoptaſſe videntur quidam hæretici in Anglia, dicti *Quakeri*, Baptiſmum in aqua repudiantes, quem repudiarunt olim, ceu inutilem, *Manichæi*, Auguſt. teſte, *Hæreſ.* 46. *Meſſaliani* ſacramenta recipiebant, ſed ea nihil ad ſalutem conferre exiſtimabant.

Bogomili Euchariſtiæ Sacramentum nil aliud eſſe putabant, quam ſolum *Pater noſter*. Pœnitentiæ ſacramentum negabant *Novatiani*, quibus conſentiebant *Montaniſtæ*, aſſerentes, hominem per pœnitentiam poſſe renovari. Matrimonium ſacramentum eſſe *Manichæi* negabant. Extremam unctionem *Armeni*. Confirmationem rejiciebant *Novatiani*, & etiam *Ariani*. Hæc ſunt veterum hæreticorum deliria.

III: Nunc videamus, in quibus hæretici recentiores in hoc eos imitati ſint. Lutherus ab initio rigidus, unum tantum ſacramentum, nempe Baptiſma, faſſus fuiſſe videtur. Poſtea mollior factus duo cœpit confiteri, Baptiſmum, & Euchariſtiam; quibus demum addidit Pœnitentiam, quamvis ſibi ſemper inconſtans, duo tantum tandem admiſerit, nempe, *Baptiſmum*, & *Panem*. Inconſtantiam Magiſtri, Lutherani imitati ſunt. Aliqui, ut Melanchton in *locis com. cap. de Signis*, duo tantum, Baptiſmum, & Euchariſtiam

ſacramenta eſſe fatentur. Aliqui tria, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam. Ita *in Confeſſ. Auguſt. cap. 13.* & hæc eſt communior ſententia, quam Lutherani in ſuis Catechiſmis docent. Lutherani tamen dicti *Molles* in Concilio ſuo Lipſienſi ſeptem ſacramenta agnoverunt; quibus cum adhæſerit etiam Melanchton cum aliis, propterea reprehendentur ab Illirico in libro, quem inſcripſit; *Adhortatio Illirici ad conſtantiam in Auguſtana Confeſſione.*

IV. Zuinglius duo tantum aperte fatetur, nempe, Baptiſmum, & Cœnam; quibus tamen videtur addere Matrimonium, ſed ægre: non quia putet ſacramenti definitionem ei adaptari non poſſe; ſed quia timet dignitatem conjugii ſacramenti nomine obſcurari. Audiſtis atrociorem blaſphemiam?

V. Calvinus vero, *lib. 4. Inſt. cap. 18. §. 19.* duo tantum agnoſcit ſacramenta, Baptiſmum, nempe, & Euchariſtiam; quorum uſum a primordio novi Teſtamenti uſque ad conſummationem ſæculi, dicit fuiſſe traditum. Et §. 20. *His ergo* (inquit) *duobus contenta ſit Chriſtiana Eccleſia.* Verum cap. 14. §. 22. ubi duo tantum admittit ſacramenta, Baptiſmum, & Euchariſtiam, fatetur ſe non invitum pati Ordinationem miniſtrorum vocari poſſe ſacramentum; ſe tamen inter ordinaria ſacramenta illam non numerare. *Cap.* tamen 19. §. 31. poſt multa, more ſuo improperia contra Ordinationes, prout ab Eccleſia exercentur, concludit: *Fœtet igitur eorum unctio: ſupereſt impoſitio manuum, quas ut in variis legitimiſque ordinationibus ſacramentum eſſe concedo, ita nego locum habere in hac fabula;* aſſerens, unctionem ex Chriſtianiſmo, Judaiſmo, & Paganiſmo religionem unam conficere. Hæc ſunt, quæ ſibi confixerunt, qui a fidei veritate aberrarunt.

Catholica tamen Eccleſia tenet, ac tenuit ſacramenta novæ Legis, nec plura, nec pauciora eſſe, quam ſeptem, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, ac Matrimonium. Unde

§. II.

Statuitur veritas Catholica;

VI. Dico. Sacramenta novæ Legis, nec plura ſunt, nec pauciora, quam ſeptem nuper enumerata. Eſt dogma fidei ſancitum in Florentino, in inſtructione Armenorum, & confirmatum in Tridentino, *Seſſ. 7. Can. 1.* his verbis: *Si quis dixerit ſacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere ac proprie ſacramentum, anathema ſit.*

VII. In hoc ſeptenario ſacramentorum numero utraque Eccleſia Latina, & Græca conſenſit. Conſenſum iſtum probat perpetuum ſilentium Græcorum in Conciliis, quibus cum Latinis adfuerunt: Græcos enim latere non poterat, quid Latini de numero ſacramentorum ſentirent. Quod ſi in hoc non conſenſiſſent, litem ſuper hoc moviſſent, ſicut moverunt de proceſſione Spiritus Sancti etiam a Filio, de Purgatorio in Florentino ſub Eugenio IV. Immo ſeptenarii numeri ſacramentorum aperta Eccleſiæ Græcæ etiam Schiſmaticæ confeſſio conſtat. Primo ex cenſura, qua Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus Auguſtanam Lutheranorum confeſſionem perſtingit: expreſſe enim definit, Eccleſiam Græcam nec plura, nec pauciora, quam ſeptem admittere ſacramenta. —— Secundo conſtat: tum ex Synodo Conſtantinopolitano anno 1642. contra Calvini dogma, ubi reprobatur *Num. 15.* Eo quod *Negat ſacramenta quinque, Sacerdotium, ſacram Unctionem, ſacrum Oleum, Confeſſionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias; quæ omnia, ut ſacra, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis Traditio reliquit.* Tum ex Synodo Jeroſolymitana ſub Doſitheo Patriarcha Conſtant. coacta anno 1672. contra Cyrillum Lucari, olim Patriarcham Conſtant. qui Calvini errores amplexus fuerat. Ibi enim proteſtat Synodus ſe damnare Calvini dogmata, tanquam Eccleſiæ Orientalis doctrinæ directe contraria, *Cap. 5.* ait: *Cyrillo dogmatizanti, & credenti non eſſe ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Ordinem, Extremam unctionem, & Matrimonium, juxta Chriſti diſpoſitionem, Apoſtolorumque traditionem, nec non & Eccleſiæ conſuetudinem: ſed mentienti duo tantum a Chriſto in Evangelio fuiſſe tradita, Baptiſma ſcilicet, & Euchariſtiam .... Anathema.* Et rurſus in confeſſione fidei Eccleſiæ Græcæ, *Cap. 15.* ait: *Credimus eſſe in Eccleſia Legis novæ ſacramenta, eaque ſeptem: nec minorem, majoremve in Eccleſia ſacramentorum numerum admittimus: ſi quidem hæreticorum dementia fœtus eſt alius ſacramentorum numerus, quam ſeptenarius.* Quod ſubinde ex Sacris Scripturæ locis ſigillatim oſtendit. Quibus apparet manifeſte, hunc errorem Calvini, aliorumque Proteſtantium damnatum eſſe ab utraque Eccleſia Latina, & Græca.

VIII. Eſto autem in Scripturis non legatur nomen ſeptenarii numeri ſacramentorum; adeo tamen aperte ex eis colligitur præfatis ſeptem ſacramentis rationem convenire; ut utraque Eccleſia in ſuis Conciliis ea ad ſeptenarium numerum reduxerit. De Baptiſmo enim legitur, *Matth. 28. v. 19. Marci 16. v. 16.* & *Jo. 3. v. 5.* De Confirmatione, *Act. 7. v. 17.* De Euchariſtia, *Matth. 25. v. 26. Marci 14. v. 22. v. 19.* De Pœnitentia, *Jo: 20. v. 23.* De Extrema Unctione legitur, *Jacobi 5. v. 14.* De Ordine, *Luca 22. 19. Joannis 20. v. 23.* De Matrimonio, ad *Epheſ. 5. v. 32.* Quæ loca ſigillatim expendentur, cum de ſingulis ſacramentis ſermo erit.

IX. Septenarium ſacramentorum numerum confirmat Traditio. Eccleſia enim ſemper e ſuo ejecit ſinu eos, qui aliquod, ex ſeptem enumeratis, ſacramentum eſſe negavit; ut patet ex ſupra recenſitis hæreticis. Sæculo tertio ejecit Novatianos, qui Confirmatione Neophytos non muniebant. Sæculo IV. Manichæos, qui damnabant nuptias. Sæculo XIV. Wicleffiſtas, qui extremam Unctionem deſpiciebant. Et tandem utraque Eccleſia Latina, & Græca damnat Lutheranos, Zuinglianos, & Calviniſtas duo ſolum, vel tria ſacramenta admittentes.

X. Huic veritati favet egregia congruentia, quam tradit S. Thom. *3. p. q. 65. art. 1.* Et *4. contra Gent. cap. 58.* ſub hac forma. Per ſacramenta providet Deus homini quoad vitam ſpiritualem, ſicut per naturam providet ei, quoad vitam corporalem: ſed ſeptem modis providet homini, quoad vitam corporalem; ergo ſeptem modis per ſacramenta ei providet ad vitam ſpiritualem, modis, inquam, proportionaliter correſpondentibus iis, quibus providit, quoad vitam naturalem. Min. prob. Ad vitam corporalem, primo neceſſe eſt naſci. Secundo, augeri. Tertio, ali. Quarto, ſi in morbum incidat, ſanari. Quinto, imbecillitatem ex morbo relictam refici. Sexto, Magiſtratum dari, quo regatur. Septimo, ad humani generis conſervationem filios procreari. Porro: quod hæc ſeptem per ſeptem ſacramenta homini præſtentur, probo. Nam per Baptiſmum in Chriſto renaſcimur, unde vocatur lavacrum regenerationis. Per Confirmationem creſcimus, & in gratia roboramur. Per Euchariſtiam ſpiritualiter nutrimur. Per Pœnitentiam, amiſſam animæ ſanitatem recuperamus. Per extremam Unctionem vires per peccatorum reliquias enervatas, colligimus. Per Ordinem gubernamur, qui Miniſtros, Patres, Judices, ſpirituales Medicos nobis parit. Denique quia Reſpublica Chriſtiana, ſtante hominum caducitate, Chriſto, ac Dei cultui non poteſt in eiſdem individuis diu conſervari, Matrimonium requiritur, quo homines procreentur: & quia homines Chriſtiani ad vitam ſpiritualem procreantur, in remedium concupiſcentiæ gratia eis conferatur.

§. III.

Objectionibus ſit ſatis.

XI. Objiciunt primo. Scriptura de hoc ſeptenario ſacramentorum numero nunquam fuit locuta. —— Deinde: Antiqua Eccleſia ſeptem ſacramentorum catalogum nunquam contexuit.

XII. Reſpondeo primo, hoc retorqueri poſſe. Nam nec Lutherani, nec Calviniſtæ ex Scriptura poſſunt oſtendere, neque ex antiquæ Eccleſiæ Canonibus, ſacramenta non eſſe ſeptem, ſed tantum duo, vel tria.

Reſpondeo ſecundo. Scripturam non tradere nobis Catechiſmum, ideoque non curaſſe numerum ſacramentorum collective, & unitim nobis tradere: ſed ſolum, data opportunitate, de ſingulis variis in locis teſtimonium nobis relinquere. Sic Scriptura tradit articulos fidei, non tamen enumerat, quot ſint: ſed Apoſtoli poſtea duodecim articulorum Symbolum ediderunt: quibus ad majorem explicationem in ſymbolis ſubſequentibus, Nicæno, Conſtantinopolitano Eccleſia aliqua adjunxit. Ita Scripturæ ſatis fuit variis in locis ſingula indicare; ut Eccleſia poſtea iis edocta colligeret, quot ſint, & eorum Catalogum Fidelibus proponeret. Sicut ex Scriptura nec poteſt ſciri, quot ſint libri Canonici; ſed Concilia poſtea ediderunt Canonem, & certum numerum, ut ex Traditione didicerant.

Eſto autem Eccleſia antiqua non ſtatim Canone aliquo numerum ſeptenarium ſacramentorum expreſſe declaraverit; habuit tamen ſemper tamquam hæreticos eos, qui aliquod ex dictis ſeptem negaverunt, ut ſupra oſtenſum eſt. Deinde, ſi hoc valeret, probaret, ante Laodicenam Synodum, in qua librorum Canonicorum catalogus primo contextus fuit, Eccleſiam nullos ſive novi, ſive veteris Teſtamenti libros pro Canonicis habuiſſe: & proinde etiam ſacramenta apud Eccleſiam antiquam nec fuiſſe duo, nec tria: quia ſi non dixit ſacramenta eſſe ſeptem, nec dixit, ea eſſe tantum duo, vel tria.

Dico ergo, Eccleſiam veterem non texuiſſe catalogum ſacramentorum ſeptem: vel quia hæreſes huic occaſionem non dederunt, ſicut hiſce ultimis ſæculis accidit. Vel quia timebant, ne in Gentilium notitiam perducta, deſpectui eſſent: idque initio naſcentis Eccleſiæ non omnia fidei Myſteria Neophytis ſtatim aperiebantur; ſed ſigillatim, & progreſſu temporis, quando jam compotes facti fuiſſent; ut erudite probat Emmanuel a Schelestrato, in ſua Diſſertatione *de Diſciplina Arcani.*

XIII. Objiciunt ſecundo. Patres antiqui ſeptem ſacramenta non agnoverunt, ſed duo tantum, vel tria. Nam Juſtinus Martyr, in ſua pro Chriſtianis Apologia. duorum tantum, Baptiſ-

Baptismi, & Eucharistiæ meminit. Cyrillus Hierosolym. *in suis Catechesimus*, Ambrosius, *lib. de Sacramentis*, duobus relatis addunt solum Chrisma. Augustinus, *lib. 19. contra Faustum cap. 13.* dicit, sacramenta nova esse numero paucIora, quam vetera, sed in veteribus nullum erat respondens Confirmationi, & extremæ Unctioni; ergo &c. Alias essent numero plura &c. Durandus tandem, *Saculo* 14. Matrimonium ex albo sacramentorum expunxit.

XIV. Respondeo: neg. ant. Ad probationes dico S. Justinum solius Baptismi, & Eucharistiæ meminisse speciali ratione. Meminit enim Baptismi, ut querelis profanorum obviam iret: querebantur enim, quod a cæteris sacramentis arcerentur: Unde Justinus eis proponit Baptismum, ut scirent, hunc esse prius suscipiendum, quia in eo cætera suscipiendi jus tribuitur. Loquitur etiam de Eucharistia, ut calumnias Gentilium dissiparet; qui ex iis, quæ de ea obscure audierant, improperabant Christianis, quasi occisi infantis sanguine, & carne vescerentur. —— Cyrillus autem, & Ambrosius solum de Baptismo, Eucharistia, & Confirmatione loquuntur; quia docent Catechumenos, quibus tria illa sacramenta simul conferebantur; Ad id, quod additur de S. Augustino, respondet S. Thomas 3. part. quæst. 65. art. 1. ad 4. *Quod in sacramento Confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur: in extrema Unctione præparatur homo, ut recipiat immediate gloriam: quorum neutrum competit veteri Testamento. Et ideo nihil potuit his sacramentis in veteri Lege respondere. Nihilominus tamen sacramenta in veteri Lege plura fuerunt numero, propter diversitatem Sacrificiorum, & Cæremoniarum.*

Quoad Durandum nil aliud dicam; nisi eum in illis, quæ de Matrimonio dicit, mentem Ecclesiæ, & Traditionem non fuisse assecutum.

XV. Objicies tertio, plura esse, quam septem. Primo: Baptismus triplex est, fluminis, flaminis, sanguinis. —— Secundo. Pœnitentia duplex est, publica, & secreta. —— Tertio: Ordo dividitur in septem, quatuor minores, ac tres majores. —— Quarto: Professio Monastica a Græcis sacramenti loco habetur. —— Quinto: Aqua benedicta, ac cætera benedictione Sacerdotis consecrata, loco sacramentorum contra venialia haberi possunt. —— Sexto: De lotione pedum extat Christi mandatum, & gratiæ promissio. Unde illam Ambrosius, *lib. 3. de Sacrament. c. 1.* Mysterium vocat, & comparat cum Baptismo. Et Bernardus Serm. 1. de Cœna Domini, eam vocat *Sacramentum remissionis quotidianorum peccatorum.*

XVI. Respondeo, neg. ant. Ad primum dico, Baptismata flaminis, & sanguinis esse Baptismata solum per analogiam: solum enim Baptisma aquæ vere, & proprie est sacramentum. Martyrium enim non fuit a Christo institutum, ut actio sacra; cum ex parte inferentis illud gravissimum peccatum sit; ex parte autem patientis actus fortitudinis est, & maximæ charitatis, ut suo loco dicemus: & hac ratione illud Christus voluit, non tamen ut sacramentum.

Ad secundum dico, Pœnitentiam publicam solo ritu, ac externa disciplina a secreta differre, tamquam ejus appendicem, ideoque ad idem sacramentum reduci.

Ad tertium respondet S. Thom. 3. *part. quæst. 37. suppl. art. 2. ad 2.* quod divisio Ordinis in minores, & majores est *Totius potestativi: cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem secundum participationem ipsius: Et ita est hic. Tota enim plenitudo sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit num. 11. Moysi:* Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustineant onus populi. *Et ideo omnes Ordines sunt unum sacramentum.*

Ad quartum Monasticam professionem licet ab uno, vel altero Græco auctore sacramenti nomine fuerit insignita; ab Ecclesia tamen Græca inter sacramenta proprie dicta numquam fuisse relatam. Et merito: quia nec a Christo fuit instituta, nec per se sanctificat Monachum; sed solum ratione bonæ dispositionis pœnitentis, qua dicitur incipere novam vitam, & propterea secundum Baptisma vocatur.

Ad quintum respondet S. Thom. 3. part. quæst. 65. artic. 1. ad 6. *Quod aqua benedicta, & alia consecrationes non dicuntur sacramenta; quia non procedunt ad sacramenti effectum, qui est gratia consecutio: sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta: vel removendo prohibens; sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias Dæmonum, & contra peccata venialia: vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perfectionem, & perceptionem, sicut consecratur altare & vasa, propter reverentiam Eucharistiæ.* Dici etiam potest, aquam benedictam, aliasque consecrationes non esse a Christo institutas, sed ab Ecclesia; ideoque non esse sacramenta, sed sacramentalia, neque ad remissionem venialium valere per se, & ex opere operato; sed solum ex opere operantis, idest, fide, pietate, ac devotione ejus, qui illis utitur.

Ad sextum nego, lotionem pedum sacramentum esse. Nec enim fuit institutum ad gratiam conferendam, sed ad humilitatem, & charitatem profitendam, quam Christus ipse in lotione pedum discipulorum professus est. Dixit autem Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, quasi eum de suæ salutis periculo exterrens; ut ait Aug. *Tract. 56. in Jo:* Pedes enim sunt humani terrenique affectus; quos nisi lavarit homo, quamvis mundus, & sanctus, in periculo salutis est, ne a paucis ad graviora dilabatur. Quare subdit: *Qui lotus est* (a gravioribus) *non indiget; nisi ut pedes lavet*, ideest, ut studeat se purgare a levioribus. Et hoc est sacramentum, ideest, Mysterium, quod Ambrosius, & Bernardus in lotione pedum contineri commendant: Non quia inter ordinaria Ecclesiæ sacramenta eam recenseant; cum constet, nec eorum temporibus inter ea enumeratam fuisse.

Dubium. II.

De Ordine Sacramentorum novæ Legis.

§. I.

De Ordine generationis, seu naturæ.

I. Duplicem ordinem in hac re attendere possumus, nempe, generationis, seu naturæ, & dignitatis. Nunc autem de priori agemus cum S. Thom. 3. *p. q. 65. art. 2.* ubi ait: Quod *Sicut unum prius* (natura *est: quam multitudo: ita sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur Ordo, & Matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis perfectionem. Matrimonium tamen post Ordinem; eo quod minus participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur sacramenta.*

Inter ea vero, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter sunt priora illa, quæ per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitæ, quam illa, quæ ordinantur per accidens, scilicet ad removendum superveniens: cujusmodi sunt Pœnitentia, & Extrema unctio. Posterior tamen est naturaliter Extrema unctio, quæ consummat sanationem, pœniteutia, quæ inchoat. Inter alia vero tria, manifestum est, quod Baptismus, qui est spiritualis regenenatio, est prius: & deinde Confirmatio, quæ ordinantur ad formalem perfectionem virtutis: & postmodum Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finis. Hæc S. Thom. quæ clara sunt.

§. II.

De Ordine dignitatis.

II. Unum sacramentum altero esse dignius statuit Tridentinum contra Heterodoxos Recentiores, Sess. enim 7. can. 3. *Si quis* (inquit) *dixerit, hæc septem sacramenta esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Hoc igitur statuto.

III. Dico, Inter omnia sacramenta novæ legis dignissimum, & potissimum est Eucharistia. Ita Trident. *Sess. 13. cap. 3.* post S. Th. citata *q. 65. art. 3.* cujus triplex est ratio. Prima. *Ex eo, quod in eo continetur ipse Christus substantialiter: in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata a Christo.* Et insuper, ut ait Tridentinum citato loco: *Illud in ea excellens, & singulare reperitur; quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse Sanctitatis auctor ante usum est.*

Secunda: *Ordine sacramentorum ad invicem. Manifestum est enim, quod sacramentum Ordinis ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem: sacramentum vero Baptismi ordinatur ad Eucharistiæ receptionem: in quo etiam perficitur aliquis per Confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento. Per pœnitentiam etiam, & extremam unctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam, saltem sua significatione, attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi, & Ecclesiæ, cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur.*

Tertia: *Ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in Eucharistia consummantur .... Sicut patet quod ordinati communicant, & etiam baptizati, si sint adulti.* Hæc S. Thom.

IV. Nec obstat primo. Quod cum bonum commune præferatur bono particulari; videantur digniora ea sacramenta, quæ ad bonum multitudinis ordinantur, ut Ordo, & Matrimonium. —— Nam hoc verum est, nisi bonum unius contineat bonum nobilius bono multitudinis. Cum autem Eucharistia contineat Christum, qui est bonum nobilius, immo bonum commune totius multitudinis, nempe, totius Ecclesiæ: fit, ut sit inter omnia præstantissima. Vide S. Thom. hoc *art. 3. ad 1.*

V. Neque obstat secundo. Videri digniora ea sacramenta, quæ requirunt ministrum digniorem, qualia sunt Confirmatio, & Ordo, quæ a solo Episcopo conferri possunt. —— Non inquam. Nam dignitas sacramenti non a ministro conferente petenda est; sed a re, quam continet, & a fine. In tantum autem per solum Episcopum conferri possunt Confirmatio, & Ordo; quia per hæc Fideles deputantur ad aliqua specialia officia: & ideo hoc pertinet ad eum, qui in Ecclesia est quasi Princeps. Per sacramentum autem

Eucharistiæ homo non deputatur ad aliquod officium; sed magis hoc sacramentum est finis omnium officiorum. Ita S. Thom. citatus ad 2.

VI. Neque obstat tertio. Digniorem videri Baptismum, a quo omnia, etiam Eucharistia, pendet: nemo enim nisi prius baptizetur, illius sacramenti capax est. —— Nam ex hoc sequitur, Baptismum cæteris præferendum esse, ratione necessitatis; non simpliciter, & ratione dignitatis. Unde.

VII. Dico secundo. In via necessitatis *Baptismus est potissimum sacramentorum. Ordo, & Confirmatio habent quamdam excellentiam ratione ministerii, & matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet, aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter.* Ita S. Thom. citatus ad 4. *Sacramentum vero Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis sunt inferioris gradus a prædictis sacramentis, quia .... ordinantur ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet, in remedium supervenientis defectus .... Pœnitentia vero est majoris necessitatis, sed Extrema unctio est majoris perfectionis.* Ita S. Thom. citatus in corp.

QUÆSTIO VII.

De efficacia Sacramentorum.

Effectus sacramentorum duplex esse potest, gratia nempe, & Character. Videndum ergo est, quam efficaciam habeant in ordine ad utrumque.

DUBIUM I.

An Sacramenta novæ Legis sint causa gratiæ?

§. I.

Varii errores.

I. Quidam (inquit S. Thom. 3. part. quæst. 62. art. 2.) *Dicunt, quod non sunt causa gratiæ, aliquid operando; sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex Regis ordinatione; non quod denarius ille aliquid operetur, ad habendam prædictæ pecuniæ quantitatem: sed hoc operatur sola voluntas Regis. Unde & Bernardus dicit, quodam sermone de Cœna Domini* (qui est 1. & inscribitur. De Baptismo, *cap.* 2. Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum; sic divisiones gratiarum diversæ sunt traditæ sacramentis. *Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est, nisi quoddam signum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto: similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio Canonicatus. Secundum hoc igitur sacramenta novæ Legis nihil plus essent, quam signa gratiæ, cum tamen ex multis Sacrorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novæ Legis non solum significant, sed causant gratiam.*

II. Hæretici nostri temporis Lutherus, Zuinglius, Calvinus, voce quidem videntur asserere, sacramenta novæ Legis dare gratiam; unde Lutherus, Homilia 1. De Baptismo edita anno 1526. sic loquitur: *Ad hoc institutus est Baptismus, ut nobis serviat, nobis prosit, nobis donet, non aliquid carnale, vel corporale; sed æternam gloriam; æternam munditiem, & sanctitatem.* Et Calvinus in Antidoto adversus Canonem 5. Sess. 3. Tridentini: *Semper* (inquit) *memoria repetendum est, sacramenta nihil, quam instrumentales esse conferenda nobis gratia causas*, Deinde: *Si qui sint, qui negent sacramenta continere gratiam, quam figurant, illos improbamus.* Revera tamen sacramentis nullam causalitatem attribuunt, nisi ad summum mediatam; quatenus in suscipiente excitant fidem divinarum promissionum, qua fide in ipsis posita immediate justificatur. Unde juxta ipsos peccata remittuntur per fidem, qua credunt, peccata sibi remissa esse per Christi promissionem; sacramenta vero esse signa, & sigilla hoc attestantia, & fidem excitantia. Quapropter eodem modo discurrunt de sacramentis, ac de prædicatione Evangelii, cum hoc solo discrimine: quod concio adhibetur auribus, & excitat fidem per auditum; sacramenta vero adhibentur oculis, & excitant per visum.

Hinc inferunt primo: verba sacramentorum esse concionatoria, ut vidimus, non consecratoria. Secundo: esse proferenda vernacula lingua: quia ut possint in suscipiente excitare fidem, debent ab eo intelligi. Tertio: valere sacramenta a quolibet collata: siquidem a quocumque collata excitare possunt fidem. Quarto: non requiri in Ministro intentionem ullam; quia etsi conferantur sine illa, immo animo jocandi, possunt in suscipiente excitare fidem, & etiamsi non adhibeatur materia debita. Quinto: ex hoc inferunt Anabaptistæ, parvulos, usum rationis nondum habentes, valide non baptizari: cum enim in ipsis fides excitari nequeat, incapaces sunt effectus baptismi. Unde Lutherus, & Calvinus, cum non sint ausi negare, parvulos valide baptizari, ad has angustias redacti sunt; ut dicant, etiam in infantibus dum baptizantur, fidem excitari.

III. Catholica tamen Ecclesia semper sensit, per sacramenta novæ Legis immediate conferri, & causari gratiam. Quia tamen (inquit S. Thom. art. 1. citato) *Duplex est causa agens, principalis, & instrumentalis: principalis quæ operatur per virtutem suæ formæ, cui assimiliatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit .... Instrumentalis* vero, quæ *non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sicut lectus non assimilatur fecuri, sed arti, quæ est in mente artificis.* Ideo indubitatum est, sacramenta non esse causam principalem gratiæ, sed solum Deum; cujus naturæ gratia est participata similitudo, eumque solum hoc modo delere peccata, Isaiæ 43. v. 25. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*: & Rom. 3. v. 30. *Unus est Deus, qui justificat.* Solum ergo quæstio est: An Deus gratiam operetur in nobis per sacramenta, tamquam per instrumenta.

§. II.

Catholicæ resolutiones.

IV. Dico primo. Sacramenta novæ Legis causant instrumentaliter immediate gratiam in suscipiente. Sancita fuit veritas hæc a Tridentino, *Sess. 7. Can. 6. & 7.* anathema dicente ei, qui oppositum sentit. Clare autem habetur in Scripturis. Et primo de Baptismo: Jo: 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ubi ly *ex aqua*, & *Spiritu* denotat causalitatem principalem Spiritus, & instrumentalem Sacramenti. Unde August. Tract. 12. in Jo: *In Spiritu* (inquit) *nascimur verbo, & sacramento.* Paulus, ad Titum, 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Unde ly *per* denotat causam instrumentalem. Quare August. *lib. 9. contra Faustum, cap. 16.* ait: *Hæc omnia*, scilicet sacramentalia, *fiunt & transeunt, virtus tamen*, scilicet Dei, *qua per ista operatur, jugiter manet.* Marci etiam, 1. v. 8. dicit Joannes: *Ego baptizavi vos aqua; ille vero* (Christus) *baptizavit vos Spiritu Sancto.* Quod si baptismus Christi nil aliud faceret, quam excitare fidem in suscipiente; non bene diceret Joannes, Baptismum Christi esse in Spiritu Sancto, suum vero esse tantum in aqua: cum etiam Baptismus Joannis posset excitare fidem, & pœnitentiam, & sic accipere Spiritum Sanctum. Et immerito Apostoli, *Act. 19.* eos, qui baptizati Baptismo Joannis fuerant, & crediderant in eum, qui venturus esset post ipsum, hoc est in Jesum, Baptismo Christi iterum baptizassent, ut acciperent Spiritum Sanctum.

V. Quod vero etiam alia sacramenta, a Baptismo, conferant gratiam, ostenditur. De Confirmatione enim dicitur, act. 8. v. 17. *Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum.* De Eucaristia, Jo: 6. v. 5. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo*; hæc autem mansio non fit, nisi per gratiam sanctificantem; juxta illud Jo: 14. v. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* De Pœnitentia, Jo: 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* De Extrema Unctione, Jacobi 5. v. 15. *Si in peccatis sit* (infirmus, qui ungitur) *remittuntur ei.* De Ordine, 1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* De matrimonio tandem (interpretibus Cyrillo, & aliis Patribus) dicitur, in nuptiis Cana, quibus Christus se præsentem exhibuit, sanctificatum, & ad gratiæ productionem elevatum fuisse. Sed de his suis locis.

VI. Probanda est Catholica veritas etiam ex Patribus. Primus occurrit August. qui in *Ps. 73.* loquens de nova, & veteri Lege: *Alia* (inquit) *sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem; sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Si autem Sacramenta novi Testamenti darent salutem, solum excitando fidem, non subsisteret hæc differentia; quia hoc modo etiam vetera dabant salutem. Ideo subjunxit: *Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, faciliora*, & (lib. 19. contra Faustum, cap. 11.) *quorum vis inenarrabiliter valet plurimum.* Et Tract. 80. in Jo: ait: *Unde tanta virtus aquæ; ut corpus tangat, & cor abluat*; Cor autem non abluitur, nisi per gratiam. Item S. Ambrosius, *lib. 2. de Pœnitentia, cap. 2.* ait: *Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit, sed quod impossibile erat, fecit Deus possibile esse, qui tantam nobis donavit gratiam. Similiter impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* Et lib. 1. de Sacram. cap. 1. de eodem Naaman ait: *Vidisti aquam, sed non aqua omnis sanat: sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio .... Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, & aquam illam consecraverit &c.*

Rursus S. Leo. *Serm. 4. de Nativ.* Comparat aquam baptismi utero Virginis, & dicit: *Aqua Baptismatis instar est uteri Virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & Virginem: ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conce-*

conceptio, hic myſtica tollat ablutio: quod repetit, *Serm. 5.* Item Patres docent, ſacrilegos eſſe, qui cum affectu ad peccatum ad ſacramenta novæ Legis accedunt: hinc Catechumenos, niſi prius diu probatos, ad Baptiſmum, & Fideles lapſos, niſi prius purgatos, ad reconciliationem non admittebant: at e contra infantes peccati originalis remiſſionem conſequi aſſerebant. At ſi ſacramenta nil aliud facerent, quam excitare fidem, ſicut concio, aut prædicatio Evangelii; quare impios, ut ſacrilegos, a ſacramentorum perceptione repellerent? Sane ſicut etiam impios ad concionem admittimus, ut ejus auditu excitetur in illis fides, ac dolor, & ſic juſtificentur; nec eos accedentes reputamus ſacrilegos, immo potius impellimus, ut accedant: ita etiam deberemus eos ad ſacramenta impellere, ut iis viſis, ac ſuſceptis, in iis excitaretur fides, qua juſti fierent. Quare inſuper infantes ad ſacramentum Baptiſmi admitterent, eoſque ab originali mundatos crederent; cum incapaces ſint, ut in eis excitetur fides?

VII. Dico ſecundo. Sacramenta novæ Legis inſtrumentaliter cauſant gratiam ex opere operato. Ita Tridentinum, Seſſ. 7. Can. 8. *Si quis dixerit, per ipſa novæ Legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam ... anathema ſit.* Diſplicet hic loquendi modus hæreticis: ideoque Calvinus, in Antidoto Tridentini, vocat monſtrum verborum *cauſare gratiam ex opere operato.* Et eo magis, quia peccat contra grammaticam: cum enim *Operor* ſit verbum deponens, imperite uſurpatur paſſive. —— At quamvis verbum *Operor* a Grammaticis ſolum active uſurpetur, vitio verti non debet Tridentinis Patribus, quod illud paſſive uſurpaverint; ut Eccleſiæ fidem ab omni æquivocatione immunem Fidelibus traderent; imitati S. Auguſtinum, qui *in Pſalm.* 138. ut ab auditoribus æquivocationem tolleret de eo, quod eis proponebat, maluit dicere *oſſum oſſi*, quam *os oſſis.* Ideoque cum illo adverſariorum ora poſſunt obſtruere, dicentes: *Melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi.*

VIII. Verum hæc diſplicentia hæreticorum oritur ex pravo intellectu horum verborum, *Ex opere operato.* Putat enim Lutherus, & cum eo Calvinus, ac Kemnitius, Catholicos ſignificare his verbis, quod ſacramenta cauſent gratiam ex merito operis, quod exercet is, qui ſacramentum confert, vel is qui ſuſcipit; quod falſum eſt. Imo dicimus, ſacramentum Baptiſmi, dum confertur parvulo, conferre gratiam abſque ullo merito ſive dantis, ſive ſuſcipientis. —— Putant ſecundo, Catholicos eo modo loquendi aſſerere, ſacramenta cauſare gratiam in peccatore abſque fide, aut ullo actu bono peccatoris ſuſcipientis ipſum: quod falſiſſimum eſt. Imo dicimus, ſacramentum in adulto non poſſe cauſare gratiam; niſi ad illud digne ſuſcipiendum ſe præparet per fidem, alioſque actus; quos de eo qui accedit ad Baptiſmum, recenſet Tridentinum, *Seſſ. 6. cap. 6.* Sicut enim ignis non poteſt calefacere materiam non diſpoſitam; ſic ſacramentum gratiam conferre non poteſt ſubjecto indiſpoſito. Unde Tridentinum, *Seſſ. 14. c. 6.* monet pœnitentem, ne ſibi blandiatur ſe conſecuturum abſolutionis effectum, ſi ei deſit contritio. —— Cauſare ergo gratiam *Ex opere operato* in ſenſu Catholicorum eſt, ſacramenta per ſe ipſa, ex vi actionis a Chriſto inſtitutæ, efficaciam habere ad gratiæ productionem; non vero totam vim ad illam cauſandam habere ex fide, aut probitate Miniſtri, vel fide, aut diſpoſitione ſuſcipientis.

IX. Veritas ergo Catholica probatur ſic. Conferre gratiam ex opere operato eſt, illam conferre ex vi, & efficacia actionis, & operis a Chriſto inſtituti: atqui ſacramenta novæ Legis hac ratione gratiam conferunt; ergo illam conferunt ex opere operato. Min. prob. primo. Illam enim non conferunt ex vi fidei, aut ſanctitatis Miniſtri. Nam, ut docent Patres contra Donatiſtas, Miniſtri nec probitas prodeſt, nec iniquitas nocet integritati, aut virtuti ſacramenti. Secundo. Illam non conferunt vi diſpoſitionis, puta, fidei, aut pietatis ſuſcipientis. Nam aliquando ſacramenta nullas ſupponunt in ſuſcipiente diſpoſitiones, ut cum Baptiſma confertur parvulo, ſive amenti. Si quæ vero in adulto, & ratione utente diſpoſitio requiritur, hæc eſt pura præparatio ad gratiam, non cauſa gratiæ; Se habet nimirum diſpoſitio ſuſcipientis reſpectu gratiæ producendæ, ſicut ſiccitas in ligno reſpectu flammæ, quæ ex eo erumpit: ſicut ergo ſiccitas eſt quidem diſpoſitio ad flammam; at ultra ſiccitatem datur cauſa, quæ facit ex ligno flammam erumpere: ſic fides ſuſcipientis eſt quidem diſpoſitio ad gratiam, & præparatio; at ultra illam datur cauſa, quæ in tali ſubjecto gratiam cauſat.

§. III.

Solutio Objectionum.

X. OBjicit primo, contra primam aſſertionem Lutherus. Homo juſtificatur per fidem, Rom. 1. v. 17. *Juſtus autem ex fide vivit.* Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, Rom. 10. v. 10. *Fide enim creditur ad juſtitiam*; ergo homo immediate juſtificatur per fidem; per ſacramentum vero ſolum mediate, in quantum excitat fidem. Ita Lutherus, *de Captivit. Babyl. c. de Baptiſmo.*

Confirmabat ibidem. Marci ultimo v. 16. *Qui credide-rit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* ergo qui non credit, damnatur, etſi baptizetur; ergo non Baptiſmus, ſed fides cauſat ſalutem, & gratiam.

XI. Hæc objectio fundatur in alio errore Lutheri, & aliorum Acatholicorum, nimirum, quod ſola fides ſit quæ juſtificet. Quem impugnavimus, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Juſtificatione. Quæſt. 2. Dub. 3.* Ubi hæc, & ſimiles objectiones ſolutæ fuerunt, quo Lectorem remitto.

Modo tamen reſpondeo, conc. antec. nego conſ. Non enim valet: homo juſtus eſt per fidem; ergo per ſolam fidem. Alias ſequeretur: quod nec per Paſſionem, & merita Chriſti juſtificaremur. Juſtificamur ergo per fidem, per Paſſionem Chriſti, & per ſacramenta: per fidem, tamquam per initium juſtificationis; per Paſſionem Chriſti, tamquam per cauſam meritoriam: per ſacramenta, tamquam per media a Chriſto inſtituta ad conſequendam juſtificationem. Vide dicta loco citato, *n. 8. & 9.*

XII. Ad Confirm. primo retorqueo objectionem. Si enim dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit;* ergo nedum ſalvamur, & juſtificamur per fidem, ſed etiam per Baptiſmum. Unde nego ſecundam conſ. Nam ſicut ſi adultus baptizetur, non credat, condemnabitur: ita ſi credat, & non baptizetur, condemnabitur: Ad ſalutem ergo adulti utrumque requiritur, & fides, & Baptiſmus: quia bonum ex integra cauſa. Ad damnationem, alterutrius defectus ſufficit, quia malum ex quocumque defectu. Scriptura autem potius meminit defectus fidei, quam ſacramenti: quia ſi quis careat fide, etſi ſacramentum ſuſcipiat (ſi ſit rationis capax) damnabitur: ſi vero habeat fidem, nequeat in re ſuſcipere ſacramentum, dummodo illud habeat, & ſuſcipiat in voto, ſalvabitur.

XIII. Secundo objicit Melanchton, in *Apolog. Confeſſ. Auguſtanæ art. 13.* Apoſt. *Rom.* 4. & alibi docet, Abraham juſtificatum fuiſſe, non ex Circumciſione, ſed ex fide; ergo homo non ex Baptiſmo, ſed ex fide juſtificatur.

Reſpondeo, neg. conſ. Non enim valet paritas a Circumciſione, & aliis ſacramentis veteris Legis ad Baptiſmum, & ſacramenta Legis novæ, ut vidimus ex Auguſtino, in Pſalm. 73. *Illa enim* (ut ait Florentinum in Decr. pro Inſtruct. Armenorum) *non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per Paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.* Immo, & Apoſtolus, qui ſacramenta vetera vocat *Infirma, & egena elementa* (ad Galat. 4. v. 9.) & ad Coloſſ. 2. v. 17. *Umbram futurorum.* Qui inſuper ad *Galat. 6. v. 15.* dixit: *Circumciſio nihil valet:* loquens poſtea de Baptiſmo, ad *Epheſ. 5. v. 2.* dicit, Eccleſiam, ut ſanctificetur, mundari *Lavacro aquæ.* Et ad Titum 3. *v. 5.* ſalvos nos fieri per lavacrum regenerationis.

XIV. Objicit tertio Kemnitius, & replicat. Paulus, ad *Epheſ. 5.* dicit quidem, Eccleſiam mundari *Lavacro aquæ*, ſed addit *in verbo vitæ;* ergo in tantum lavacrum aquæ mundat, in quantum verbo vitæ excitat fidem. —— Rurſus: 1. *Petri 3. v. 21.* dicitur: *Salvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium; ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti;* ergo Baptiſmus cauſat ſalutem, non quatenus abluit carnem, ſed quatenus excitat fidem reſurrectionis Chriſti.

Confirmatur ex eodem (In exam. Conc. Trid. *p. 2. c. de efficacia ſacram.*) *Rom. 1. 12.* Evangelium dicitur *Virtus Dei* in ſalutem omni credenti: ſed etſi Evangelium dicatur virtus Dei in ſalutem, hanc tamen immediate non cauſat, ſed ſolum mediate, nimirum, excitando fidem; ergo ſacramenta licet dicantur cauſæ ſalutis, & gratiæ, eam tamen non cauſant, niſi mediate, excitando fidem.

XV. Reſpondetur ad primum, explicando Apoſtolum. In Verbo vitæ conſecratorio aquæ, conc. ant. Mere concionatorio, neg. ant. Verbum ergo vitæ, quod dicit Apoſtolus ſanctificari Eccleſiam, & mundari lavacro aquæ, non eſt verum mere concionatorium excitans fidem, ut putat Kemnitius; ſed verbum vitæ conſecratorium, ideſt, invocatio Trinitatis, qua conſecratur aqua, eique traditur vis abluendi animam a ſordibus: ita ut aqua ſit materia, verbum autem ſit forma, ut ſupra dictum eſt, materiam conſecrans.

Ad ſecundum, dico, S. Petrum ſolum velle, hominem non ſanctificari ablutione externa carnis, niſi cum interrogatione bonæ conſcientiæ, ideſt, cum renuntiatione Diaboli, quæ ex animo fiat, conjuncta ſit. —— Seu velle, quod ſicut aquæ diluvii ſalvarunt homines a morte corporali, elevando arcam cum Noe, & ſuis: ita aqua Baptiſmi nos ſalvos facit a morte ſpirituali, non ut eſt ablutio eluens ſordes carnis; ſed ut meritis, ac vi Reſurrectionis Chriſti reddit conſcientiam bonam, & ſanctam coram Deo illam interrogante, & explorante.

XVI. Ad Confirmat. neg. conſ. Licet enim Evangelium, & ſacramentum conveniant in hoc, quod ſint virtus cauſativa ſalutis; differunt tamen in eo, quod Evangelium eam non cauſat, niſi quatenus prædicatur, & intelligitur, & creditur, unde fruſtra prædicaretur non intelligenti: at ſacramentum eam cauſat immediate. Unde non fruſtra Baptiſmus confertur infantibus, & amentibus, eſto non intelligant ſignificationem ſacramenti.

XVII. Objicit, quarto Zuinglius, *l. de vera & falſa Relig. cap. de ſacram.* Scribæ, *Marci 2. verſ. 7.* dixerunt:

Quis

Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Ergo cenſebant, hæc non poſſe dimitti per ſacramenta, juxta illud Iſaiæ 43. verſ. 25. *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me.*

Reſpondeo, ſolum Deum poſſe dimittere peccata principaliter, & propria auctoritate, in quo ſenſu locutus fuit per Iſaiam citatum. Hoc tamen non tollit, quin ad hoc munus elegerit homines, ut Miniſtros, Jo. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* & etiam inſtituerit ſacramenta, tamquam inſtrumenta, queis ad remittenda peccata Deus ipſe utatur.

XVIII. Objiciunt quinto omnes, Auguſtinus, *Tract. 80. in Joann.* cum admirans dixiſſet: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Subjungit: *Niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur.* Putat ergo Auguſt. verbum juſtificare per fidem. Hinc *l. Quæſt. veteris, & novi Teſtament.* ait: *Nec donum cæleſte poterit conſequi, qui ſe per aquam, non per fidem commutari credet.*

Secundo. Hieronymus, in Caput 4. Iſaiæ: *Homo* (inquit) *aquam præbet, Deus autem Spiritum Sanctum:* ſed dum datur Spiritus Sanctus, datur gratia; ergo hanc Deus ſolus dat, non Baptiſmus.

Tertio. Bernardus, *Serm. de Cœna Domini ſupra relato, n. 1.* dicit, ſic ſacramenta gratiam conferre, ſicut annulus, baculus, liber conferunt Epiſcopatum, Abbatiam, Canonicatum: hæc autem ſunt mera ſigna. Item Epiſt. 77. (modo) *Tract. de Baptiſmo capitul. 2.* dicit, parvulos baptizatos, per fidem, non ſuam, ſed alienam ſalvari: ergo ſentit, fidem, non Baptiſmum gratiam, & ſalutem conferre.

XIX. Reſpondeo ad primum, retorquendo inſtantiam. Auguſtinus enim dicit, quod aqua Baptiſmi non ſolum corpus tangit, ſed cor abluit; ſentit ergo, aquam Baptiſmi animam mundare. Sed quia dubitari poterat, quomodo id fiat, addit: *Faciente verbo.* Quia autem adhuc dubium eſſe poterat, an verbum hoc faciat ex ſono materiali vocis, an ex aliqua virtute ipſi collata, adjungit: *Non quia dicitur, ſed quia creditur;* ideſt, a Chriſto Baptiſmi auctore obtinuiſſe hanc virtutem: & ideo ſtatim ſubjungit: *Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens* (ex inſtitutione Chriſti) *Hoc eſt Verbum fidei, quod prædicamus.* Ita reſpondet S. Thom. *3. p. q. 60. a. 7. ad 1.* his verbis: *Sicut Auguſtinus dicit ſuper Joan.* (tract. 8.) *Verbum operatur in ſacramentis,* Non quia dicitur, *ideſt, non ſecundum exteriorem ſonum vocis,* Sed quia, creditur, *ideſt, ſecundum ſenſum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem ſenſus eſt idem apud omnes, licet non eadem voces ſint quantum ad ſonum: & ideo cujuſcumque linguæ verbis proferatur talis ſenſus, perficitur ſacramentum.*

Ad id, quod additur ex *lib. Quæſt. vet. & novi Teſt.* dico, librum illum non eſſe Auguſtini, immo aliquos errores continere: ut *quæſt. 21.* quod Eva non ſit creata ad imaginem Dei. *Quæſt. 190.* quod Melchiſedech fuerit Spiritus Sanctus. *Quæſt. 123.* quod Adam non habuerit Spiritum Sanctum. —— Dici tamen poteſt, verba relata ſolum probare, quod adultus, qui reciperet Baptiſmum putans, eum ſufficere ſine fide ad hominem mundandum, nec mundaretur, nec juſtificaretur per illum: quia fides, eſto non ſit quæ juſtificat, eſt tamen diſpoſitio requiſita ad digne ſuſcipiendum Baptiſma.

XX. Ad ſecundum ex S. Hieronymo dico, eum ſolum velle, Miniſtrum ſolum aquam præbere; eam tamen non ſanctifieare, ſed ſolum Deum. Cæterum aquam Baptiſmi verbo Dei ſanctificatam peccata dimittere, aperte dicit in *Caput. 1. Iſaiæ,* Ubi ad illa verba: *Lavamini, & mundi eſtote,* in perſona Dei dicit: *Evangelii mihi placet religio, ut baptizemini in ſanguine meo per lavacrum regenerationis, quod ſolum poteſt peccata dimittere.*

XXI. Ad tertium ex S. Bernardo, dico, eum comparare ſacramenta annulo, baculo, & libro in ratione ſigni; non autem velle, quod ſicut illa ſunt nuda ſigna, ita & ſacramenta. Imo ibi contra querelas, cur poſt Baptiſmum adhuc maneant effrænes motus. *Confidite* (inquit) *quia in hac gratia ſubvenit; & ut ſecuri ſitis, ſacramentum Dominici corporis, & ſanguinis pretioſi inveſtituram habetis.* Et infra: ſi quis motus concupiſcentiæ &c. tam acerbos, ut ante, non ſentit, *Gratias agat corpori, & ſanguini Domini, quoniam virtus ſacramenti operetur in eo.*

XXII. Demum Objicitur contra ſecundam Aſſertionem. Voces iſtæ *Ex opere operato* ſunt novum inventum Recentiorum Scholaſticorum, cum nec in Patribus, nec in antiquis Theologis reperiantur: ergo ineptæ ſunt ad explicandam antiquam fidem de efficacia ſacramentorum.

XXIII. Reſpondeo, diſt. ant. Novum inventum, quoad ſonum, & ſyllabas, tranſeat ant. Quoad ſenſum, & rem ſignificatam, nego ant. Senſum enim, & rem ſignificatam per has voces, a duodecim, & ultra ſæculis tradidit S. Auguſtinus, *l. 4. contra Creſconium, cap. 16.* his verbis: *Non eorum meritis, a quibus miniſtratur, nec eorum, quibus miniſtratur, conſtare Baptiſmum; ſed propria ſanctitate, atque veritate, propter eum, a quo inſtitutus eſt, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad ſalutem.* Nil autem aliud ſignificare intendimus hiſce verbis *Ex opere operato.* —— Nec etiam iſtæ voces adeo novæ ſunt, ut hæretici putant. Eis uſi ſunt a quadringentis & ultra annis famoſiores Theologi. Illarum meminit S. Thomas, in *4. diſt. 1. q. 1. art. 5.* & ante eum Innocentius III. *lib. 3. de Officio Miſſæ cap. 5.* ſed quid? Numquid non conſuevit Eccleſia pro caſibus occurrentibus, ad præcludendas hæreticorum artes, novas uſurpare voces? Patres Nicæni vocem *Omouſion* primo uſurparunt, ut Verbi divinitatem ab Arianorum involucris, & tergiverſationibus puram confiterentur. Cur ergo Patribus Tridentinis, ut efficaciam ſacramentorum clare & aperte contra Lutherum, Calvinum, alioſque veritatis Catholicæ hoſtes tuerentur, voces *Ex opere operato* antea a Theologis adhibitas, non licuit uſurpare?

DUBIUM II.

Quænam ſit Gratia, quam conferunt nova Legis Sacramenta?

§. I.

Reſolutiones Dubii.

I. GRatia dividitur a Theologis in actualem, & habitualem. Prior eſt motio tranſiens, qua anima ad pietatis opus excitatur. Poſterior vero eſt forma animæ permanenter inhærens, quæ ipſam ſanctificat, Deoque gratam reddit.

Forma hæc, quæ gratia habitualis, ſeu ſanctificans dicitur, vel eſt prima, vel ſecunda. Prima dicitur, quando confertur ſubjecto gratiam non habenti; ſicut ſi conferatur homini in peccato mortali prius jacenti. Secunda vero dicitur, cum gratia in ſubjecto ſupponit: ſicut cum confertur nova gratia homini juſto.

Adverto: dari gratiam omnibus ſacramentis communem, quæ alia non eſt, quam gratia ſanctificans, & ab omnibus ſacramentis confertur. Datur tamen, præter hanc, gratia particularis, & ſpecialis cuique ſacramento; nimirum, Jus quoddam ad habenda auxilia actualia, quæ neceſſaria ſunt ad conſequendum cujuſque ſacramenti finem. His præmiſſis.

II. Dico primo. Gratia, ad quam conferendam ſunt inſtituta ſacramenta, non eſt gratia actualis, ſed habitualis, & ſanctificans. Prior pars probatur. Quod enim præcedit, & eſt præparatio ad ſacramentum ſuſcipiendum, non poteſt eſſe effectus per ſacramentum productus; quia effectus non poteſt præcedere ſuam cauſam: ſed gratia actualis præcedit, & præparat hominem ad ſacramentum, & ejus effectum recipiendum: illi enim pii motus, qui excitantur in homine, & quibus ſe præparat ad ſacramentum, a gratia actuali ſunt; & ut ait Tridentinum, *Seſſ. 6. cap. 6.* ſunt effectus Spiritus Sancti moventis, nondum tamen inhabitantis; ergo &c. Addo: quod Baptiſmus confert gratiam parvulis, in quibus certe hujuſmodi pii motus, quæ ſunt effectus gratiæ actualis, non excitantur.

Secunda vero pars prob. Illa eſt gratia habitualis, quæ permanenter manet in ſubjecto, illudque reddit Deo gratum, quouſque per peccatum mortale illam non expellat: ſed talis eſt gratia, quæ per ſacramenta confertur: homo enim, qui accipit gratiam, & juſtificatur per ſacramentum, in ea manet, quouſque peccando lethaliter ea ſe indignum efficiat. —— Quia autem ſicut ab eſſentia animæ fluunt potentiæ naturales, nempe, intellectus, & voluntas; ſic a gratia ſanctificante efluunt habitus virtutum, & donorum, quibus præfatæ potentiæ in ordine ad finem ſupernaturalem rectificantur: ideo in homine per ſacramentum producuntur ſimul cum gratia etiam virtutes, & dona ſupernaturalia, a gratia emanantia; & quando augetur gratia, proportionaliter & ipſa augentur.

III. Dico ſecundo. Aliqua novæ Legis ſacramenta per ſe, & ex ſua inſtitutione conferunt primam gratiam: alia vero ex ſua inſtitutione, & per ſe conferunt ſolum ſecundam. Probo, Nam prima gratia, ex dictis, eſt illa, quæ confertur homini gratiam non habenti, ſed in peccato jacenti; eumque transfert de ſtatu injuſti, & inimici Dei ad ſtatum juſti, & amici Dei: ſed aliqua ſacramenta ſunt per ſe ad hunc finem inſtituta, nimirum Baptiſmus ad transferendum hominem a ſtatu peccati originalis ad ſtatum juſti; & Pœnitentia a ſtatu peccati perſonalis ad ſtatum amicitiæ Dei: quare ob id a Theologis nuncupantur ſacramenta mortuorum; ergo &c.

Ex alia parte ſecunda gratia ea eſt, quæ datur homini jam juſtificato, & grato: ob id enim dicitur ſecunda, quia gratiam in ſubjecto ſupponit, & ſolum eam auget: ſed dantur in noſtra Lege ſacramenta etiam ad hunc finem inſtituta, nimirum, Confirmatio, Euchariſtia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ ob id *Sacramenta vivorum* nuncupantur: ergo &c. An vero hæc ſacramenta poſſint aliquando producere primam gratiam, dicemus ſtatim.

IV. Dico tertio. Ultra gratiam ſanctificantem, & dona ei annexa, quodlibet ſacramentum producit gratiam ſpecialem, & ſibi propriam; quæ idcirco vocatur gratia ſacramentalis. Probo. Nam per quodlibet ſacramentum debet conferri gratia conveniens fini, ad quem confertur: quia ut ait Bernardus, Serm. de Cœna; *Diviſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ Sacramentis:* ſed unumquodque ſacramentum ordinatur ad aliquem finem ſpecialem; ergo &c. Videndus eſt S. Thom. *3. p. q. 62. art. 2.*

V. Si

V. Si autem quæras: In quo posita sit hæc gratia specialis, ultra gratiam habitualem, & dona ei annexa? Dico cum Sanct. Thoma citato, & Theologis communiter, quod gratia sacramentalis, seu specialis supra gratiam sanctificantem, & dona supernaturalia gratiam consequentia, addit jus ad specialia auxilia pro diversis opportunitatibus obtinenda a Deo, ad finem specialem sacramenti. Sic quia Baptismus pro fine habet dare homini vitam novam, qua moriatur vitiis, & fiat membrum Christi; ideo Baptismo acquirit jus ad auxilia obtinenda, quibus digne possit talia peragere. Et sic de aliis. Confirmatio enim dat jus ad auxilia necessaria, ut data occasione fidem Christi coram tyrannis exterius confiteatur. Eucharistia dat jus ad auxilia, quibus nutriatur, & augeatur vita spiritualis, quæ est charitas. Pœnitentia dat jus ad auxilia, quibus homo peccata, & occasiones fugiat, & Deo pro præteritis satisfaciat. Extrema unctio dat jus ad auxilia, quibus juvemur ad vincendas tentationes, in articulo mortis occurrentes. Ordo dat jus ad auxilia, quibus juvemur ad sacras functiones rite & sancte obeundas, & cultum Dei propagandum. Matrimonium denique dat jus ad auxilia, quibus conjugum concupiscentia temperetur, mutuam sibi fervent fidem, patienter tolerent onera conjugii, & filios pie educent. —— Ex quo colligitur, gratiam hanc sacramentalem, quoad effectus suos, non dari totam simul quando sacramentum recipitur; sed tunc dari jus ad illam habendam successive, pro singulis opportunitatibus per totam vitam occurrentibus.

§. II.

An Sacramenta Vivorum possint per accidens conferre Gratiam primam.

VI. Diximus, sacramenta, quæ dicuntur vivorum, per se, & ex sui institutione non primo justificare hominem; & proinde non producere gratiam, quæ prima sit, & gratiam in eo non supponat: sed solum in homine jam justificato gratiam secundam producere, idest, gratiam in eo existentem augere. Modo quærimus: An in aliquo casu, per accidens, & ratione subjecti possint gratiam primo justificantem conferre.

VII. Suppono, sacramenta mortuorum posse per accidens secundam gratiam producere. Si enim homo accedat ad sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ jam justificatus per actum contritionis, & amoris Dei: in tali casu sacramenta illum non justificabunt primo, sed solum gratiam jam acceptam augebunt: sicque non primam, sed secundam gratiam per accidens illi conferent.

VIII. Dico igitur. Sacramenta vivorum possunt aliquando conferre per accidens homini primam gratiam. Est expressa mens S. Thom. 3. *p. qu. 79. art.* 3. Ubi loquens de Eucharistia, postquam dixit, hominem habentem conscientiam peccati mortalis, quia non vivit spiritualiter, non esse dispositum ad illam suscipiendam: quia cum sit alimentum spirituale, non potest conferri nisi viventi spiritualiter; tum quia, dum est in affectu peccati mortalis, non potest spiritualiter uniri Christo, qui est effectus Eucharistiæ; subjungit: *Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati . . . . cum perceptum est ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote, & reverenter accedens, consequitur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati* —— Unde arguo sic. Si quis existens in peccato mortali, cujus tamen conscientiam & affectum non habet, immo de eo habet inculpabilem ignorantiam: & consequenter de eo vel non conteritur; vel non conteritur perfecte; sub hac bona fide devote, & reverenter ad Eucharistiam accedat, is gratiam sacramenti consequetur: esset enim durum dicere, quod cum tali ignorantia, & bona fide accedens, indigne accedat, & effectum sacramenti Eucharistiæ non percipiat. At iste talis per Eucharistiam consequetur primam gratiam eum mundantem a peccato: non enim potest supponi justificatus, cum de illo peccato incognito supponatur non sufficienter contritus: ergo &c. Idem dicerem de eo, qui existimans se esse absolutum, cum non fuerit; tali bona fide, & ignorantia habens attritionem supernaturalem, ad Eucharistiam accederet. Idem de eo, qui conscius peccati mortalis, non habens copiam Confessarii, habens tamen attritionem, quam invincibiliter existimat contritionem perfectam, urgente necessitate, accederet ad sacramentum vivorum.

IX. Sed dices primo. Sacramentis nullum effectum tribuere possumus ex opere operato, nisi aut Definitione Ecclesiæ, aut SS. Patrum Traditione, aut Scriptura constet; vel saltem ex illorum natura, & institutione deducatur: sed sacramenta vivorum primam gratiam aliquando conferre, ex nullo horum capitum habemus; ergo &c.

X. Respondeo, dist. maj. Nullum effectum certo, aut tamquam de fide, vel theologice demonstrabilem, nisi &c. conc. maj. Probabiliter, & conjecturaliter, neg. maj. Hoc enim solum probat, hanc nostram sententiam non esse dogma fidei, aut conclusionem certam, ac demonstrabilem: non vero non esse conclusionem probabilem. Ad hoc enim sufficit, ut non sit contraria Scripturæ, aut Definitioni Ecclesiæ, aut Patribus; & vero similiter ex sacramentorum natura, & eccellentia deducatur. Talis autem est nostra hæc Assertio: contra quam Adversarii nec opponunt ullum locum Scripturæ, nec Definitionem Ecclesiæ, nec textum Patrum. Imo eam nos ex sacramentorum fine arguimus: cum enim ea Christus instituerit, ut organa suæ gratiæ, propter eos, qui ei non ponunt obicem; & qui in allatis casibus ad Eucharistiam accedit, nullum voluntarie ponat obicem: probabiliter credimus, gratiam justificantem per eam consequi.

XI. At instas. Sacramenta eam gratiam conferre possunt, quam significant: sed sacramenta vivorum non significant gratiam remissivam peccati, nempe, regenerativam, ut Baptismus, revivificativam, ut Pœnitentia: sed vel roborativam, ut Confirmatio; vel nutritivam, ut Eucharistia; ergo &c.

Hinc confirmatur. Sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ sunt in vita spirituali, sicut vis augmentativa, & nutritiva in vita naturali: sed vis augmentativa, & nutritiva essentialiter supponunt vitam naturalem: adeo ut mortuus vita naturali capax non sit augeri, seu nutriri, nec per ista ad vitam revocari possit: ergo Confirmatio, & Eucharistia &c.

XII. Retorqueo argumentum. Sacramenta eam gratiam conferre solum possunt, quam significant; Sed sacramenta mortuorum significant gratiam primam, nimirum, regenerativam, aut vivificativam; ergo non possunt causare gratiam secundam, & augmentativam —— Rursus: sacramentum Baptismi est in vita spirituali, sicut potentia generativa in vita naturali: sed potentia generativa potest quidem dare primo vitam naturalem, non tamen illam augere, aut conservare; ergo Baptismus potest quidem dare vitam spiritualem, non tamen illam jam datam augere, aut conservare. Si ergo apud Contrarios, imo apud omnes, non valent consequentiæ adductæ; cur valebunt similes contra nostram sententiam deductæ?

Respondeo ergo, maj. illam valere quidem de causalitate, quam habent sacramenta per se, & ex sua institutione; non vero de ea, quam habent solum per accidens, & ratione subjecti: hoc enim excedere posse suam significationem tenentur fateri ipsimet Adversarii, ut vidimus.

XIII. Ad Confirm. dico, similitudinem in aliquibus valere, sed non in omnibus. Et discrimen est: quod potentia augmentativa, & nutritiva non continent in se primum vitæ naturalis principium, sed illud essentialiter supponunt. At Confirmatio, & Eucharistia, quæ in spiritualibus augendi, & nutriendi vim habent, continent ipsam gratiam, quæ vitæ spiritualis est radix: continent vel Christum ipsum, ut Eucharistia; vel merita ipsius, qui est fons totius vitæ spiritualis; ideoque si non inveniant vitam in subjecto, quod cæteroquin non sit positive indispositum, illam ei primo per accidens dabunt.

Et ex hoc etiam nascitur aliud discrimen, quare cibus naturalis dare non possit vitam naturaliter mortuo; bene tamen cibus spiritualis spiritualiter mortuo. Nam primo cibus naturalis est in se mortuus, & in alitum convertitur, a quo accipit vitam: unde si subjectum, cui applicatur, vitam non habeat, agere in cibum, eique vitam conferre nequit. At cibus spiritualis est vivus: *Ego sum panis vivus.* (Joann. 6. v. 51.) Et convertit nos in se, & ideo si non inveniat vitam, illam dare potest: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (ibid. v. 59.) —— Rursus: mortuus corporaliter nullum habet in se principium vitæ, quo possit convertere in se cibum: mortuus autem spiritualiter habet plures actus supernaturales fidei, spei, attritionis; quibus ille possit prodesse cibus spiritualis, illum in se convertere, ac vivificare, si non resistat.

XIV. Dices secundo. Qui solum attritus putat se esse contritum, non est magis dispositus ad sacramenta vivorum, quam qui solum attritus putat, se esse attritum: quod enim putet, se esse contritum, oritur ex ignorantia, quæ hominem non facit magis dispositum: sed qui sciens se esse solum attritum, accedit ad sacramentum vivorum, non est sufficienter dispositus ad recipiendam gratiam per illud; ergo neque qui est attritus, putans se esse contritum.

Confirmatur. Qui non est dispositus, licet invincibiliter credat, se esse dispositum, non est sufficienter dispositus ad recipiendam gratiam per sacramentum Pœnitentiæ, esto sit sacramentum mortuorum; ergo multo minus erit dispositus ad gratiam recipiendam per Eucharistiam, quæ est sacramentum vivorum.

XV. Respondeo, dist. major. Non est magis dispositus positive, conc. maj. Negative, nego maj. Ignorantia enim si sit invincibilis, quia causat involuntarium, facit, ut non indigne accedat ad sacramentum; quæ si non esset, indigne accederet.

XVI. Ad Confirmat. omitto ant. nego cons. & disparitas est. Nam in sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis se habent, ut materia; qui autem non esset vere attritus, licet putaret se esse, non exhiberet veram ac sufficientem materiam: & ideo nec gratiam reciperet, nec sacramentum faceret. At in sacramentis vivorum actus, & dispositio suscipientis, non est materia: & ideo sicut, licet indispositus accedat, tamen recipit sacramentum; ita si bona fide credat, se esse dispositum, percipiet sacramenti gratiam: maxime quia sacramenta vivorum vel Christum continent,

tinent, qui est fons gratiæ, ut Eucharistia, vel gratiæ plenitudinem, ut Confirmatio.

XVII. Ex dictis infertur, privilegium causandi per accidens gratiam specialiter tribui Eucharistiæ, Confirmationi, & Extremæ unctioni, propter abundantiam gratiæ, quam conferunt. Quod de Eucharistia docet S. Thom. *3. p. q. 79. art. 3.* ut vidimus. De Confirmatione, *3. part. qu. 72. art. 7. ad 2.* dicens: *Si quis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non ficius accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum.* De Extrema unctione, in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. q. 1. *Quia* (inquit) *hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum: ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale quoad culpam, tollit ipsum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis: sicut etiam de Eucharistia* (dist. 12. qu. 2. art. 1. qu. 2. ad 1.) *& Confirmatione* (dist. 7. qu. 2. art. 2. qu. 1. ad 3.) *supra dictum est. Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens:* Si in peccatis sit, dimittuntur ei, *quoad culpam. Non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit: sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt.*

Dubium III.

An Sacramenta novæ Legis conferant gratiam per modum causæ non solum Moralis, sed & Physicæ?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Fides Catholica, ut vidimus, est, sacramenta novæ Legis causare gratiam, non quidem per modum causæ principalis (sic enim eam causat solus Deus) sed per modum causæ instrumentalis divinæ virtutis. Hinc exurgit quæstio, quæ Scholas Scoti, & S. Thomæ inter se divisit: An scilicet, eam causent per modum instrumenti pure moralis, ut vult Scotus cum aliis Exteris: An vero etiam per modum instrumenti physice influentis, ut vult S. Thomæ Schola.

Causa ergo potest duobus modis operari. Vel moraliter, non quidem immediate producendo effectum; sed movendo aliam causam ad illum producendum. Sic schedula dicitur operari moraliter solutionem pecuniæ; quia illa visa movet mercatorem ad solvendam pecuniam. Sic Litteræ Regis lectæ operantur victoriam; quia movent animos militum ad pugnam. Vel physice effectum immediate tangendo, & operando. Sic ignis operatur physice in appositum sibi pulverem; quia ipsemet immediate pulverem accendit; & serra physice tabulam secat, quia in eam immediate agit. His stantibus quæritur: An sacramenta nova causent in nobis gratiam, ut instrumenta solum moralia movendo Deum ad gratiam conferendam: An, ut instrumenta physica reali influxu immediate concurrendo ad efficientiam gratiæ, instrumentario tamen, non principali.

II. Dico. Sacramenta novæ Legis concurrunt ad causandam gratiam, tamquam instrumenta divinæ virtutis, non solum moralia, sed etiam physica, seu quasi physica. Videtur primo conformior modo loquendi Scripturarum. Nam, Joann. 3. v. 5. *Nisi quis* (inquit Christus) *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest &c.* super quæ S. Thom. 1. 2. qu. 112. art. 1. ad 2. *Sicut* (inquit) *in ipsa persona Christi humanitas causat salutem nostram per gratiam, virtute divina participaliter operante: ita etiam in sacramentis novæ Legis, quæ derivantur a Christo, causatur gratia; instrumentaliter quidem per ipsa sacramenta, sed principaliter per virtutem Spiritus Sancti in sacramentis operantis, secundum illud, Joann. 3.* Nisi quis renatus fuerit &c. Ex quibus sic primo. Eo modo, quo humanitas Christi operatur instrumentaliter virtute divina per gratiam, operantur & ipsa sacramenta a Christo derivata: sed humanitas Christi operatur salutem nostram, ut instrumentum non pure morale; ergo nec sacramenta. Secundo. Sicut ex aqua Baptismi, ut instrumento, renascimur; ita ex Spiritu Sancto, ut causa principali: sed ex Spiritu Sancto, ut causa principali physica, renascimur; ergo & ex aqua, ut instrumento physico: quia instrumentum causæ principalis physicæ debet esse instrumentum physicum. His consonat Paulus, *Eph. 5. v. 26.* scribens: *Mundans* (Ecclesiam) *lavacro aquæ.* Et ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

III. His permoti Patres dicunt, quod aquæ Baptismi virtute Spiritus Sancti fœcundantur; ita ut sicut aquæ se habuerunt ad generationem reptilium, sic aquæ ad regenerationem. Et Chrysost. *hom. 25. in Joann.* expendens præfata verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ait: *Dictum est: Producant aquæ reptile animæ viventis: Ex quo autem Jordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animalium viventium, sed animas rationales, & spirituales aqua producit.* Idem dicit S. Ambrosius, *lib. 3. de Sacram. cap. 1.* his verbis: *De aquis legisti: Producant aquæ animantia, & nata sunt animantia. Illa quidem in principio creaturæ: sed tibi reservatum est, ut aqua te regeneret ad gratiam, sicut illa generavit ad vitam.* S. Leo, ut supra diximus, *Serm. 5. de Nativit. Domini*, aquam Baptismi comparans utero Virginis: *Originem* (inquit) *quam posuit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis: dedit aqua, quod dedit matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, ut Mariam pareret Salvatorem; eadem facit, ut regeneret unda credentem.* Nyssenus aquam Baptismi comparat semini, *lib. de Baptismo.* Et Cyrillus, *lib. 2. in Joann. cap. 42.* eam comparat aquæ, quæ calefacta calefacit. Sed aquæ in mundi initio physice produxerunt reptile: uterus physice concurrit ad generationem; semen est causa physica hominis, & aqua calefacta physice calefacit; ergo &c.

Præterea, proposita quæstione: Quo pacto fieri possit ut aqua sanctificet animas? Patres recurrunt ad supremam Dei omnipotentiam: quæ sicut aliis causis dedit virtutem ad effectus mirabiles producendos, ita aquis dat virtutem sanctificandi. Unde illa celebris exclamatio admirantis Augustini, tract. 80. in Joann. *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* At si aqua esset causa tantum moralis, non esset, cur hoc, tamquam rem mirabilem proponerent, & captu difficilem: puerilis etiam foret exclamatio Augustini. Quid enim mirabile est, quod in virtute chirographi, sigilli, aut Litterarum conferantur pecuniæ, gratiæ, dignitates? Hoc enim commune & usitatum est apud homines. Quare si quis exclamaret: unde tanta virtus chirographi, ut ad ejus exhibitionem statim numerentur pecuniæ? Merito risum moveret. Hinc Catechismus Rom. p. 2. c. 1. qu. 18. *Quo pacto* (inquit) *tanta res, & tam admirabilis per sacramentum efficiatur, quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, aqua corpus tangat, & cor abluat; id quidem humana ratione, & intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam possit. At fidei lumine cognoscimus, Omnipotentis Dei virtutem in sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsa naturales præstare non possunt.*

IV. Nostra quoque sententia videtur magis adsequi mentem Concilii Tridentini, contra Sectarios. *Sess.* enim 7. *Can. 6.* statuit, sacramenta novæ Legis continere gratiam, quam significant (quod prius in Florent. *Decreto ad Armenos*, ab Eugenio IV. statutum fuerat) *Can. 8.* eadem ex opere operato conferre gratiam. De Baptismo, *Can. 1.* statuit, Baptismum Christi majorem habere vim, quam Baptismum Joannis. Hæc autem verba continere gratiam, eam ex opere operato conferre, Baptismum Christi majorem vim habere in sensu magis proprio aptantur causæ physicæ, quam morali. *Sess. 13. cap. 3.* dicit, sacramenta ab Eucharistia diversa *Tunc primum vim sanctificandi habent, cum quis illis utitur;* ergo sentit, sacramentis illis in usu inesse vim, quam ante usum non habebant: quæ certe de vi solum morali vix explicari possunt. Quis enim dicet, schedulam pecuniariam tunc solum habere vim pecuniam exhibendi, cum quis ea utitur? Rursus. *Sess. 6. c. 7.* ubi assignat causas justificationis, dicit, instrumentalem esse Baptismum, principalem vero esse Deum: sed Deus est causa efficiens, non moralis, sed physica: ergo & sacramentum erit causa instrumentalis, non moralis, sed physica. Addo: quod *Sess. 13. c. 3.* docet solum corpus Christi esse sub specie panis, & solum sanguinem sub specie vini *ex vi Verborum;* ergo verba operantur illam conversionem aliqua efficientia majori, quam morali. Si enim moraliter eam operantur, idest, ad debitam eorum prolationem Deus facit corpus, & sanguinem Christi ibi præsentialiter esse; difficile videtur explicatu, cur sub specie panis potius faciat esse corpus, & sub specie vini sanguinem: cum ad horum prolationem verborum æque infallibiliter corpus & sanguis adesse debeant.

V. Neque desunt pro nostra sententia congruentes rationes. Nam primo: melius salvamus excellentiam sacramentorum novæ Legis super sacramenta vetera. Ea enim dici possunt causasse gratiam moraliter: habebant enim vim quamdam moralem, ad excitandum Deum ad dandam gratiam, ob merita Christi futura, quæ figurabant, sicut nostra ob merita Christi præterita. Unde differentia inter vetera & nostra non esset, quia illa non causabant gratiam, ista causant: sed solum ex parte rei causatæ, quatenus ista abundantiorem gratiam conferunt, quam illa. Unde S. Thom. *Quodlib. 2. art. 14.* relata contraria opinione, ait: *Sed hoc non est sane dictum; quia sic non esset aliqua prærogativa sacramentorum novæ Legis ad vetera; quia etiam in illis virtus consistens fidei credentium in Christum venturum justificabat.* Unde statuit: *Quod cum duplex sit virtus, scilicet propria, & instrumentalis, sicut patet in serra: sic sacramenta habent virtutem instrumentalem ad spiritualem effectum: quia cum sacramentum adhibetur cum invocatione divina, efficit hunc effectum. Et hoc est conveniens. Quia Verbum, per quod omnia sacramenta virtutem habent, habuit carnem, & fuit Verbum Dei. Et sicut caro Christi habuit virtutem instrumentalem ad faciendum miracula, propter conjunctionem ad Verbum: ita sacramenta per conjunctionem ad Christum Crucifixum & passum.*

VI. Secundo. Hoc dicendi modo magis elongamur a modernis Sectariis. Isti enim dicunt, sacramenta non habere aliam vim, quam excitandi in nobis fidem, qua justificemur. Adversarii dicunt, non habere aliam vim, quam Deum movendi ad gratiam nobis dandam. Nos vero dici-

mus,

mus, ea non ſolum habere hoc, ſed inſuper eſſe inſtrumenta, per quæ Deus phyſice in nobis gratiam producit.

VII. Tertio. Commendamus miſericordiam Dei, quæ non minus efficax ſit ad miſerendum, quam ſit juſtitia ad puniendum. Unde ſicut inſtrumenta, quibus utitur divina juſtitia ad torquendum, nempe ignis Inferni, phyſice agit in Dæmones, & Damnatos, dicente Auguſtino *lib. 21. de Civit. Dei, cap.* 10. quod igne illo torquebuntur Spiritus *miris, ſed veris modis*. De quo locuti ſumus, *Tom.* 1. *in* 1. *p. Tract. de Angelis, Quæſt. 9. Dub.* 4. præſertim §. 3. Ita congruum eſt, ut inſtrumenta divinæ miſericordiæ qualia ſunt ſacramenta, non moraliter ſolum, ſed immediate, & phyſice agant in animam, in ea gratiam producendo *miris, ſed veris modis*.

VIII. Quarto. Melius etiam explicamus verba ſacramentorum, & præſertim verba ſacramenti Pœnitentiæ: Ibi enim dum Sacerdos dicit: *Ego te abſolvo*, facit ſenſum, ſe auctoritate Dei & Chriſti vere peccata remittere. Si autem ſolum moraliter hoc faceret, nempe, movendo Deum ad peccata remittenda, minus proprie loqueretur: quia fieret ſenſus, quod non ipſe abſolveret, ſed Deus, a quo abſolutionem impetraret. Unde ſicut qui exhibet chirographum, quo oblato alter debitum ſolvit, non dicitur ſolvere debitum, niſi improprie: ita Sacerdos, ſi ſolum exhiberet actus pœnitentis Deo, quibus exhibitis, Deus abſolveret, abuſive diceret: *Ego te abſolvo*; ſed potius dicere deberet: *Deus te abſolvat*. Ideoque magis propria eſſet forma, qua in collatione ſacramentorum utuntur Græci, nimirum, in tertia perſona, quam in prima, qua utuntur Latini.

IX. Hoc magis urgeo. Si ſacramentum eſſet inſtrumentum ſolum moraliter movens Deum ad gratiam dandam, eſſet inſtrumentum potius Miniſtri illud conferentis, & eo moventis Deum ad gratiam dandam, quam inſtrumentum Dei. Si enim quis offerat pretium redemptionis, vel chartam continentem pretium movens alterum ad concedendam redemptionem: pretium illud, vel charta erit inſtrumentum offerentis pretium, vel charta excitantis; non autem ejus, qui per hæc movetur ad relaxandum captivum. Atqui ſacramenta ſunt proprie inſtrumenta Dei gratiam per illa conferentis; ergo non ſunt cauſæ inſtrumentales ſolum morales.

§. II.

Rationes Contrariæ.

X. SUpereſt, ut ſolvamus ea, quæ contra noſtram ſententiam (& quidem non pauca) opponi ſolent. Primo objiciunt Scripturam, & Patres dicentes, nec ſacramenta, nec homines juſtificare, ſed ſolum Deum —— Sed ad hoc reſpondeo, ſenſum eſſe, nec ſacramenta, nec homines juſtificare, ſed ſolum Deum auctoritate propria, & principaliter; non vero miniſterialiter, & inſtrumentaliter: ſeu Deum non juſtificare per homines ut miniſtros, & per ſacramenta ut inſtrumenta. Alioquin ſequeretur, ſacramenta non ſolum non cauſare gratiam phyſice, ſed nullo modo ex opere operato adhuc moraliter.

XI. Sed dices. Juſticatio eſt opus nobilius creatione, ut dicit Auguſtinus, *Tract. 72. in Joann.* ſed nihil poteſt eſſe inſtrumentum phyſicum ad creandum; ergo neque ad juſtificandum. Addo: quod in ſententia multorum gratia per creationem producitur.

XII. Reſpondeo, diſt. maj. Opus nobilius ex parte termini producti, conc. maj. Ex parte modi producendi, neg. maj. Juſtificatio, per quam datur animæ quoddam eſſe ſupernaturale, ex parte termini producti opus nobilius eſt creatione, per quam datur ſolum eſſe naturale: & in hoc ſenſu loquitur Auguſtinus. Ex parte tamen modi producendi, cum creatio ſit productio totius entis ex nihilo, nullo exiſtente ſubjecto, nobilior eſt juſtificatione. Ratio autem, cur creatura non poſſit inſtrumentaliter phyſice concurrere ad creationem, eſt, propter modum actionis, qua res producitur ex nihilo, ut oſtendimus, *Tom.* 1. *in* 1. *p. Q.* 1. *de Deo Creatore, Dub.* 3. §. 2. *n.* 14. Ex quo non ſequitur, non poſſe eſſe inſtrumentum phyſicum ad juſtificationem. Quia, ut dictum eſt *Tom. cit. in p. Q.* 3. *de Gratia Habituali, Dub.* 8. gratia non de creatura, ſed de potentia obedientiali animæ educitur.

Data tamen opinione Scoti, & aliorum volentium, gratiam fieri per creationem: adhuc dico, ſacramenta concurrere, ut inſtrumenta phyſica, non quidem ad producendam entitatem gratiæ; ſed ad communicandam gratiam animæ, ſeu ad eam reddendam gratam Deo. Sicut Deus etiam creat animam rationalem; & homo phyſice agit, tum ponendo diſpoſitiones, tum communicando animam corpori, & ſic generando hominem. Et ita ſolus Deus gratiam cauſat; ſacramenta autem ſunt inſtituta, per quæ gratia communicatur animæ, & anima fit grata Deo.

XIII. Objiciunt ſecundo. Baptiſmus, qui in puncto ſuæ receptionis propter fictionem recipientis, ſeu obicem gratiam illi non contulit, recedente poſtea fictione, ſeu obice, eam confert, ut docet S. Thom. 3. *p. q.* 69. *a.* 10. cum S. Aug. *l.* 1. *de Baptiſm. contra Donat. c.* 12. & Theologi communiter: ſed tunc eam non cauſat phyſice, cum Baptiſmus tunc non ſit, ſed tranſierit: quod autem phyſice non eſt, phyſice cauſare nequit; ergo cauſat ſolum moraliter.

XIV. Mitto Noſtratum ſolutionem, qui diſtinguunt inter ſacramenta, quæ imprimunt characterem, & ea, quæ non imprimunt. Loquentes de primis dicunt, ſacramenta ficte ſuſcepta, recedente obice, & fictione, cauſare gratiam phyſice, ratione characteris in anima relicti: qui cum impediretur a fictione, ne gratiam, ad quam diſponit, poneret in ſubjecto; hac remota, eam producit. Cui favere videtur S. Thom. loco citato in objectione. Loquentes vero de ſecundis (dato, quod etiam iſta, recedente fictione, reviviſcant) dicunt, ſacramentum, puta Extremæ unctionis, ficte ſuſceptum, recedente fictione, producere gratiam phyſice, ratione determinationis relictæ in voluntate; qua verificatur, eum voluntarie ſuſcepiſſe ſacramentum, & hanc ſufficere, ut, recedente obice, gratiam phyſice producat. Probabilia quidem hæc ſunt, ſed cum difficultatibus ſcateant,

Reſpondeo, concedendo, quod in allato caſu, Baptiſmus, & alia ſacramenta cauſent gratiam ſolum moraliter. Rationi enim conſentaneum videtur, ut ſacramentum cauſet gratiam ſecundum modum eſſendi, quem habet: ita ut illam phyſice cauſet, quando phyſice eſt, & moraliter ſolum, quando exiſtit ſolum moraliter & in divina acceptatione, ut contingit in caſu. —— Neque hoc officit ſententiæ ſupra ſtatutæ. Quia hæc loquitur de ſacramento exiſtente; cum exiſtentia ſit una ex conditionibus ad phyſice cauſandum. Et ſicut ex eo, quod aliquando per accidens ſacramentum cauſet gratiam, quando non eſt; non ſequitur, quod per ſe, & ſemper cauſet illam, quando non eſt: ſic ex eo, quod aliquando cauſet gratiam ſolum moraliter, non ſequitur, quod per ſe, & ſemper illam cauſet ſolum moraliter.

XV. Objiciunt tertio, & poteſt eſſe replica. Non poteſt aſſignari, quandonam ſacramentum cauſet phyſice gratiam, maxime ſacramentum, quod conſiſtit in uſu, & ſucceſſive perficitur. Non enim cauſare poteſt, quando actu miniſtratur, quia tunc nondum completum eſt, neque dum eſt completum, quia tunc amplius non eſt: entia enim ſucceſſiva quando deſinunt, & complentur, amplius non ſunt: deſinunt enim per primum inſtans ſui non eſſe, ut ex 6. *Phyſicorum*; ergo &c.

XVI. Reſpondeo, hanc difficultatem communem eſſe omnibus actionibus ſucceſſive cauſantibus. Actio enim, quæ alterando lignum producit ignem in ligno, non poteſt cauſare ignem, dum actu alterat lignum; quia tunc motus alterationis nondum completus eſt: neque dum motus eſt completus, quia tunc motus alterationis amplius non eſt. Dico ergo, gratiam per Sacramentum produci in inſtanti ultimo terminativo prolationis verborum, dummodo non ponatur obex. Hoc enim, quod S. Thomas, 3. *p. qu.* 75. *art.* 7. *ad* 1. dicit de converſione panis in corpus Chriſti nempe: *Ultimum inſtans prolationis verborum eſſe primum inſtans, in quo in ſacramento eſt corpus Chriſti*; dicimus nos de effectu omnium ſacramentorum, quæ in uſu conſiſtunt, nempe, ultimum inſtans prolationis verborum, quo ſacramentum completum eſt, eſſe primum inſtans, in quo gratia in anima eſt. Ad id vero quod dicitur, quod ſacramentum in eo inſtanti amplius non eſt, diſtinguo. Non eſt intrinſece, & in fieri, conc. ant. Extrinſece, & in eſſe completo, neg. ant. Tunc ergo ſolum gratia primo producta eſt, quando ſacramenti actio ultimo completa eſt. Hæc autem eſt natura actionis ſucceſſivæ, ut non compleatur, aut deſinat per ultimum ſui eſſe, ſed per primum ſui non eſſe. Et ſic quemadmodum forma ſubſtantialis, tunc primo eſt, quando alteratio deſinit, & primo non eſt; ſic gratia tunc primo eſt, quando actio ſacramentalis completa eſt, deſinit, & primo non eſt. Sed hæc ad Philoſophos.

XVII. Objiciunt tertio. Ad rationem inſtrumenti phyſici requiritur, ut immediate attingat paſſum: ſed ſacramenta ſæpe localiter diſtant ab homine, in cujus anima eſt producenda gratia, ut patet in ſacramento Pœnitentiæ: verba enim Sacerdotis abſolventis ſæpe in locali diſtantia proferuntur, nec pœnitentem phyſice contingunt; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, inſtrumentum phyſicum debere quidem contingere paſſum contactu virtutis derivatæ a cauſa principali: non tamen contactu ſuppoſiti, & locali, maxime ſi ſit inſtrumentum divinæ virtutis: cujus duplex eſt ratio. Prima: quia propinquitas localis agentis ad patiens, in quod agit, eſt conditio, quæ a Deo ſupplebilis eſt. Secunda: quia divina virtus cum ratione ſuæ immenſitatis ſit intime cuique ſubjecto præſens, poteſt aſſumere inſtrumentum, & illud efficax reddere, etiam in rem localiter diſtantem. Sic Chriſtus, *Matth.* 8. ſola voce ſanavit puerum Centurionis abſentem, *Joann.* 4. ſanitati reddidit filium Reguli diſtantem: & *Joann.* 11. voce revocavit animam Lazari in Limbo exiſtentem. Hinc S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 1. *ad* 1. infert, Deum poſſe elevare interiorem animi actum ad phyſice patranda miracula in re exteriori. Et habemus exemplum etiam in naturalibus. Nam æſtimativa licet ſit in capite, operatur tamen inſtrumentaliter in pede, & movet ipſum; quia anima, cui conjungitur, & cui ut cauſæ principali ſervit in tali motu, in pede eſt. Sic etiam ſacramentali abſolutio, licet in abſolvente ſit, poterit inſtrumentaliter operari remiſſionem peccatorum in pœnitente; quia divina virtus, cui ut cauſæ

principali in tali effectu ſervit, nedum in abſolvente, ſed etiam in pœnitente eſt.

Nec tamen hinc inferas: quod cum divina virtus ubique ſit; poſſit ſacramentum in quacumque diſtantia operari. —— Nam licet abſolute *hoc* poſſet, ſi Deo placuiſſet: voluit tamen Chriſtus, ut ſacramenta applicarentur humano modo; ideoque in verbis ſacramentorum voluit, ut adhibeatur illa particula *Te*, ut deſignaretur ſubjectum, cui confertur, debere eſſe præſens, ut ſacramenti effectum ſortiatur: licet noluerit præſentiam ita eſſe neceſſariam, ut requirat ſemper contactum immediatum, & ſuppoſiti, ſed ſufficiat contactus virtutis, ut in caſu abſolutionis.

XIX. Objiciunt quarto. Inſtrumentum phyſicum debet habere aliquam actionem ſibi propriam, qua diſpoſitive operetur ad effectum principalis agentis. Qua ratione S. Thom. *1. p. q. 45. art. 5.* docet, nullam creaturam poſſe, adhuc inſtrumentaliter, aſſumi ad credendum, quia contra naturam creationis eſt habere aliquid, quod diſpoſitive operetur ad effectum ejus, qui eſt totum ens ex nihilo prorſus: at ſacramenta non habent actionem propriam, qua poſſint diſpoſitive operari ad effectum Dei, nempe ad gratiam; ergo &c.

XX. Reſpondeo, conc. maj. de cujus veritate egimus, *Tom. 1. in 1. part. Quæſt. de Deo Creatore. Dub. 3. §. 2. & 3.* nego minor. Sicut enim dum quis utitur ſerra ad faciendum ſcamnum, adeſt actio propriæ ſerræ, nempe, ſecare, & actio propria artificis, nempe, facere ſcamnum: ita proportione ſervata in ſacramentis adeſt aliqua actio propria circa corpus, ut in aqua Baptiſmi corporis ablutio; & actio quam habet, ut inſtrumentum divinæ virtutis, nempe, animæ ablutio per gratiam: & hoc eſt quod Auguſt. dicit, *Tract. 80. in Joann.* quod corpus tangit, & cor abluit.

Ad id vero, quod in contrarium objicitur, diſt. minor. Qua poſſint diſpoſitive operari ex parte rei operatæ, conc. min. Ex parte modi operandi, neg. min. Ut enim diximus citato loco, *n. 16. & 17.* cum inſtrumenta a Deo aſſumantur, ut cum eo communicent, eique ſerviant in operando, ſicut interpres ſervit Principi in loquendo; debent & ipſa aliquid operari miniſteriali, & præparatorio modo: non tamen ſemper operando aliquid, quod ſit diſpoſitio ad effectum Dei, ſicut actio ſerræ producit ſectionem, quæ eſt diſpoſitio ad effectum artificis: ſed diſpoſitive ex parte modi operandi, ideſt, ut operatio propria inſtrumenti ſit talis; ut illud reddat proxime capax, ut a cauſa principali aſſumatur ad effectum ſuum potius, quam ad aliud. Sic aqua Baptiſmi abluendo corpus certe non producit aliquid, quod ſit diſpoſitio ad ablutionem animæ: illam tamen reddit capacem, & congruam, ut a Deo aſſumatur, & elevetur ad abluendam etiam animam. Et hoc modo res ſenſibiles in ſacramentis diſpoſitive concurrunt, ut inſtrumenta Dei, ad phyſice producendam gratiam.

XXI. Objiciunt quinto. Ut ſacramenta eſſent inſtrumenta phyſica ad cauſandam gratiam, deberent intrinſece a Deo elevari aliqua motione, aut virtute; alias eſſent impotentia, & inepta ſicut antea: ſed explicari non poteſt qualis ſit iſta vis, ſeu motio. Non enim eſt corporea; quia eſt improportionata ad effectum ſpiritualem, qualis eſt gratia. Neque ſpiritualis; quia eſt improportionata ſacramento, quod eſt ſubjectum corporeum & ſenſibile.

XXII. Reſpondeo, conc. maj. Et ad min. dico, motionem, & vim, qua ſacramenta elevantur, eſſe ſpiritualem. Eſto autem virtus ſpiritualis non poſſit recipi in ſubjecto corpore, per modum habentis eſſe completum, & permanens in illo; bene tamen in eo poteſt eſſe per modum habentis eſſe incompletum, viale, & motionis tranſeuntis. Et ratio eſt: quia accidens incompletum habet eſſe ſolum viale, & ad modum motus, licet ex ea parte, qua eſt accidens, dependeat a ſubjecto; ex ea tamen parte, qua eſt viale, & per modum motus, magis debet commenſurari agenti, & termino a quo eſt, & ad quem datur, quam ſubjecto in quo recipitur. Nam via, & motus, qua tales, reſpiciunt utrumque terminum, & a quo, & ad quem ſunt. Unde ſi cauſa, a qua producuntur, & terminus, ad quem ordinantur, ſpirituales ſunt, ut contingit in præſenti; tale accidens ſpirituale eſſe debet. Accidens vero habens eſſe permanens, & completum, ſolum eſt ſubjecti, cui ineſt; non vero alterius, vel a quo ſit, vel ad quod ordinetur: unde debet ſubjecto proportionari, & corporeum eſſe, ſi ſubjectum corporeum ſit. Quare axioma illud: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, explicari debet de accidente in ſubjecto eſſe permanens, & completum, quia tale accidens eſt propter ſubjectum; non autem de accidente habente in ſubjecto ſolum eſſe viale; hoc enim non recipitur in ſubjecto propter ſubjectum: & ideo eſt ſupra modum recipientis, illud elevans, ut ſerviat agenti ad productionem effectus ab ipſo intenti.

Hæc reſponſio aperte traditur a S. Thoma, *3. p. qu. 62. art. 4. ad 1.* his verbis: *Virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ . . . Nihil tamen prohibet, in corpore eſſe virtutem ſpiritualem inſtrumentaliter; in quantum ſcilicet, corpus poteſt moveri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum: ſicut & in ipſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis ſpiritualis eſt in ſacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum ſpiritualem.* Et inferius: *quæſt. 63. art. 5. ad 1.* oſtendit, quod quia character eſt in anima, ſicut quædam virtus inſtrumentalis habens eſſe incompletum, poteſt eſſe in anima immutabiliter, quamvis anima ſit mutabilis: e contra gratia, quia eſt in anima, ſicut forma habens eſſe completum, eſt mutabiliter in anima, quia anima eſt mutabilis, ut infra dicitur.

Nec valet, quod nihil corporeum poſſit adhuc vialiter, & per modum motus recipi in ſubjecto ſpirituali —— Nam in tantum virtus ſpiritualis poteſt recipi in ſubjecto corporeo; in quantum corpus poteſt moveri a ſpiritu, eique ſubjici ad aliquem effectum ſpiritualem producendum: ſpiritus autem non poteſt moveri, aut ſubjici corpori.

XXIII. Objiciunt ſexto, & replicant. Virtus illa ſpiritualis neſcitur in quanam parte ſacramenti recipiatur, an in materia, an in forma, nempe, verbis.

Reſpondet S. Thom. 3. p. qu. 62. art. 4. ad 4. *Quod ſicut eadem vis principalis agentis inſtrumentaliter invenitur in omnibus inſtrumentis ordinatis ad effectum, prout ſunt quodam ordine unum: ita etiam eadem vis ſacramentalis invenitur in verbis, & rebus, prout ex verbis, & rebus perficitur unum ſacramentum.* Ita ut totaliter ſit in materia, & forma ſimul: ſicut enim ex illis duabus conficitur unum ſacramentum; ita ex partialibus earum motionibus conficitur una totalis motio.

XXIV. Sed contra eſt. Non poteſt explicari, quomodo hæc motio, ſeu virtus recipiatur in verbis. Vel enim recipitur in omnibus verbis, immo & ſyllabis formam ſacramenti componentibus; vel ſolum in ultimo verbo, aut ſyllaba. Non primum: quia cum verba, & ſyllabæ ſucceſſive proferantur, virtus illa eſſet diviſibilis in partes, quarum una eſſet poſt aliam, & non eſſet tota ſimul: & ſic gratiam, quæ tota ſimul producitur, cauſare non poſſet. Nec ſecundum: ſi enim in ultimo verbo, ſeu ſyllaba virtus gratiæ productiva recipitur; gratia non adſcribetur toti ſacramento, ſed illi ſoli ultimæ ſyllabæ.

XXV. Reſpondeo primo, retorquendo inſtantiam. Nam, ut ſupra diximus ex Div. Thom. in voce ſenſibili eſt aliqua ſpiritualis vis ad excitandum intellectum hominis ei impreſſam ab anima. Item in motu alterationis, quo ignis agit in lignum, eſt vis productiva formæ ignis. Quæro igitur: Hæc virtus recipitur ne in omnibus partibus, nempe, ſyllabis illius vocis, aut dictionis, & in omnibus partibus illius motus; an ſolum in ultima ſyllaba illius dictionis, & in ultima parte illius motus? Quidquid dicent Adverſarii, dicemus nos in præſenti.

Miſſis ergo variis loquendi modis, probabilius cenſeo, vim ſanctificandi poni ſolum in ultima parte completiva ſacramenti, ſeu in ultima prolatione formæ ſacramentalis. Sicut enim tunc ſolum quando ultima ſyllaba formæ profertur, ſacramentum primo completur; ſic tunc primo vim ſanctificandi habere debet. —— Ad id vero, quod objicitur, nego illatum. Omnes enim partes anteriores ſanctificant phyſice per illam ultimam ſyllabam, in qua conſummatur locutio, in qua virtualiter continentur, & cum qua omnes faciunt unum ſacramentum. In ea enim parte, quæ immediate ſanctificat, remanet aliquis effectus partium præcedentium, ſicut in ultima parte motus remanet aliquid partium, quæ præceſſerunt. In electione mediorum manet intentio finis, ex qua, licet tranſierit, habet efficaciam; ut tota arbor, & omnes partes arboris generant aliam arborem; & tamen illam generant ſolum per ſemen.

XXVI. Objiciunt ſeptimo. Compoſitum morale non cauſat, niſi moraliter: ſed ſacramenta ex dictis ſunt compoſita tantum moralia: ergo &c.

Rurſus: ſacramentis debemus dare modum cauſandi digniorem, & nobiliorem: ſed modus cauſandi ſolum moraliter dignior ac nobilior eſt modo cauſandi phyſice: Reges enim & Principes cauſant ſolum moraliter, præcipiendo, monendo, adhortando, relinquentes Miniſtris, ut phyſice exequantur; ergo &c.

Tertio. Sacramenta cauſant gratiam applicando merita, & Paſſionem Chriſti: ſed merita, & Paſſio Chriſti, cum jam præterierint, cauſant gratiam ſolum moraliter, movendo Deum; ergo etiam ſacramenta.

XXVII. Reſpondeo ad primum, nego abſolute major. Nam eſto partes ſacramenti, nempe, materia, & forma, moraliter ſolum uniantur; tamen aliquid phyſicum ſunt, ac vere, & phyſice adhibentur. Aqua enim phyſice abluit, & verba formæ phyſice proferuntur: unde capaces ſunt, ut aſſumantur ad phyſice gratiam producendam.

Ad ſecundum negari poteſt major. Quid enim nobilius Deo, qui tamen cauſat non ſolum moraliter, ſed etiam phyſice ipſam gratiam: ex quo ſequitur, quod ſacramenta, quæ ſunt ipſius Dei inſtrumenta, eam cauſent phyſice —— Attamen dico, nobilius eſſe cauſare moraliter, & non phyſice effectus viles & abjectos, non autem effectus digniores & nobiliores: hos enim Reges per ſe ipſos faciunt. Quid autem inter effectus nobilius eſt, quam gratia? Sicut ergo hanc Deus phyſice principaliter cauſat; ita eam cauſat per ſacramenta, tamquam per inſtrumenta, quibus phyſice ſuam virtutem largitur.

Ad tertium, nego min. Nam ut docet S. Thom. *3. part. q. 62.*

q. 62. art. 5. Christus sua Passione non solum meritorie, sed *Efficienter* liberavit nos a peccatis nostris: igitur etiam nunc physice remissionem per sacramenta operatur. Non quidem ipsa Passio in se; sic enim jam præteriit: sed ratione subjecti, in quo fuit, nempe, Christi humanitas, & caro. Cum enim humanitas Christi sit instrumentum conjunctum divinitati, & sacramentum sicut instrumentum separatum: *Oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi, per ejus humanitatem, in ipsa sacramenta derivetur.* Ita Sanct. Thom. citatus, in corp. qui ibidem *ad 1.* ait, quod *Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas, sicut agens principale: caro tamen ejus, & Mysteria in ea perpetrata operantur instrumentaliter ad animæ vitam.* —— Dato etiam, quod Passio Christi nunc operetur solum moraliter, non sequitur, hoc modo operari sacramenta; sed potius operari eo modo, quo Christus sua Passione meruit, ut operentur: meruit autem, ac merendo impetravit, ut sacramenta haberent vim conferendi gratiam.

XXVIII. Tandem objiciunt. Oculus corporeus nobilior est aqua Baptismi: sed oculus corporeus elevari non potest ad videndum spiritum; ergo nec aqua Baptismi ad producendam gratiam: plus enim est producere, quam videre.

Respondeo, conced. præmissis, neg. conf. De hoc egimus, *Tom. 1. in 1. part. Tract. de Visione Dei. Quæst. 1. Dub. 5. §. 4. num. 25.* & discrimen assignavimus. Quod oculus, cum sit potentia vitalis, deberet videre spiritum per modum causæ ab intrinseco se moventis, & non motæ ab alio; & proinde per modum causæ principalis. Cum autem ad videndum spiritum, qui est supra spheram essentialiter sui objecti, deberet assumi ut instrumentum, agens ut motum, non ut se movens, quod est contra essentiam actus vitalis; non potest assumi ad videndum spiritum, sicut nec actus intellectus ad producendam gratiam. Aquæ vero Baptismi, utpote rei inanimi non repugnat instrumentaliter agere; ideoque etsi gratia sit supra spheram suæ activitatis; quia tamen est intra spheram divinæ virtutis, a qua movetur, potest elevari ad eam instrumentaliter producendam.

DUBIUM IV.

An Sacramenta Vetera causarent Gratiam ex Opere Operato.

§. I.

Resolutio Generalis.

I. Dico, Sacramenta vetera, etiam Mosaica (excepta Circumcisione, de qua Dubio sequenti) conferebant gratiam solum ex opere operantis, non vero ex opere operato. Prior pars prob. Nam omnia opera bona Justorum facta ex fide in venturum Messiam, non solum in Lege Mosaica, sed etiam Lege naturæ erant meritoria augmenti gratiæ; & in iis, qui in peccato erant, disponebant ad justificationem: unde, *Rom. 2. vers. 13.* dicitur: *Factores legis justificabuntur.* Et Jacobi 2. v. 21. *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est? . . . . Vide quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est.* Sed susceptio sacramentorum veterum a Deo institutorum erat opus bonum spectans ad Religionem, & obedientiam, & erat quædam protestatio fidei in Christum venturum; ergo qui cum tali fide ea suscipiebant, justificabantur ex opere operantis. Unde S. Thom. *3. p. qu. 62. art. 6.* ait: *Et tamen per fidem Passionis Christi justificabantur antiqui Patres, sicut & nos. Sacramenta autem veteris Legis erant quædam illius fidei protestationes, in quantum significabant Passionem Christi, & effectus ejus. Sic ergo patet, quod sacramenta veteris Legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem; sed solum significabant fidem, per quam justificabantur.* Ex his ultimis verbis.

II. Probatur secunda pars. Conferre enim gratiam ex opere operato est, eam conferre vi actionis sacramentalis a Christo institutæ, a quo hanc efficaciam accepit: sed actiones sacramentorum veteris Legis hanc virtutem in se non habebant; ergo &c. Min. prob. Nam Apostolus *ad Galat. 4. vers. 9.* vocat ea egena & infirma: *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis?* Hebr. 7. vers. 18. ea vocat inutilia: *Reprobatio fit præcedentis mandati* (idest mandatorum Cæremonialium) *propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* Quare S. Thom. 3. p. q. 61. art. 4. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quod sacramenta veteris Legis Apostolus vocat*, egena & infirma elementa; *quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo utentes illis sacramentis, dicit Apostolus, sub elementis mundi Deo servisse; quia scilicet, nihil aliud erant, quam elementa hujus mundi.*

Secundo probatur. Ut sacramenta possint ex opere operato justificare, debent habere annexam operi promissionem gratiæ, & remissionis peccatorum: at sola sacramenta nova hanc habent. Unde Paulus, *Hebr. 10. vers. 3.* ait: *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Et cap. 8. v. 6. de Christo: *Nunc autem* (inquit) *melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Et v. 12. exponens quænam sint istæ meliores repromissiones, affert illud Jeremiæ 13. v. 34. *Quia propitius ero iniquitatibus eorum.*

Hæc omnia confirmant Patres, Augustinus, Tract. 41. in Joann. *In illis* (inquit) *Sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum.* Et in Psalm. 73. *Alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.* Conformiter loquitur, *Q. 25. in Numeros*, ubi de Sacrificiis Legis, ait: *Quæ si per seipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi: si autem res ipsæ, quarum hæc sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.* Consentiunt his Basilius, *lib. de Spiritu Sancto, cap. 14.* Chrysostom. *Hom. 14. in Epist. ad Hebræos.* Et Ambrosius, *lib. 1. de Sacram. c. 4. & 6.* Quare merito Concil. Florentinum, in Decreto pro Armenis, hanc inter vetera & nova sacramenta statuit differentiam: quod *Illa non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant: hæc autem & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.*

III. Pulchram hujus congruentiam affert S. Thomas, *3. p. q. 62. art. 6.* Congruebat enim, ut, quia omnis justificatio semper fuit per Christum; aliter justificaret Christus futurus, ac justificat Christus præsens. Christus enim præsens debet justificare eo modo, quo operantur res præsentes: Christus autem futurus debuit eo modo justificare, quo causant res futuræ: sed res præsentes possunt operari physice, agendo etiam per res externas, quibus utuntur, ut instrumentis: res autem futuræ non possunt operari, nisi in quantum sunt intentionaliter per actum animæ, eo modo, quo finis movet, in quantum est in cognitione; ergo Christus præsens debuit nos justificare active per sacramenta, quibus ipse communicat vim ad causandam gratiam: Christus autem futurus debuit justificare, ut apprehensus per fidem. Unde Sacramenta vetera erant quædam protestationes fidei, qua credebatur in Christum venturum.

§. II.

Solutio Objectionum.

IV. PRimo objici potest. *Levitici 4. 5. & 6.* cæremoniis Mosaicis legitur annexa promissio remissionis peccatorum. Et *cap. 8.* Sacrificia vetera sanctificasse leguntur: per ea enim Aaron, & filii ejus sanctificati sunt.

Respondeo ad hæc, & similia, cæremoniis Legalibus promissam fuisse remissionem peccati externam, & Legalem, non internam, & veram: similiter per Sacrificia, & alia sanctificabantur sanctitate, & munditia externa, non interna animæ quæ solum haberi poterat, cum illis cæremoniis jungebatur fides in Christum, qua, & non illis, coram Deo justi erant. Remissio autem Legalis a peccato erat illa, qua fiebat, ut peccatum homini non imputaretur ad pœnam Lege comminatam; ideoque illi, qui præscriptis a Lege, Sacrificio, & cæremoniis se purgabant, exempti erant a pœna temporali, & maledictionibus, *Deuteron. 18.* comminatis. Peccatum etiam Legale dicebatur immunditia quædam corporis; quæ etsi fieret sine culpa, reddebat Judæos ineptos ad colendum Deum per Legales cæremonias: quæ immunditia erat quædam irregularitatis species, qua a divinis obeundis arcebatur. Sic qui sine culpa tangebat mortuum, censebatur legaliter immundus, & irregularis, ac ineptus ad Sacrificia, panes sanctos comedendos &c. Sanctificatio pariter Legalis erat mundatio ab irregularitate contracta, & habilitatio ad cultum Dei; quo modo etiam sanctificabant altaria, vestes, &c. & hoc modo dicuntur sanctificati Aaron, & filii ejus. Ad hoc ergo instituerat Deus sacramenta, & alias cæremonias, quibus annexa erat promissio illa de sanctitate, & remissione peccati, non vera, & interna, sed corporali, & externa; ut docet S. Th. *1. 2. quæst. 103. art. 2.* ubi hoc ex professo tractat, ad quem Studiosum remitto.

V. Objici secundo potest, *1. Petri 3. v. 20.* ubi legitur: *Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc simili formæ salvos facit Baptisma:* Aqua igitur, quæ salvavit Noe, & alios septem, similis formæ est aqua Baptismi, quæ nos salvos facit; ergo æqualis utrique virtus inest.

Respondeo, neg. secundum illatum. Aquæ enim, quæ salvavit Noe, dicitur similis aquæ Baptismi, non eadem. Similis ergo fuit: quia sicut aqua salvavit Noe a morte, ita Baptismus salvat nos a morte. Sed illa salvos fecit a morte corporali tantum, ista a morte spirituali animæ, nempe, a peccato: quod illa quidem figurabat, sed non dabat, ista significat, & facit.

VI. Objicitur tertio. Paulus, *1. Cor. 10.* ostendit, quod populus Judaicus comedens manna, & bibens aquam de petra, manducavit eamdem escam spiritualem, & bibit eumdem spiritualem potum, quæ nos manducamus, & bibimus in Eucharistia; ergo si idem est cibus, & potus, idem erit effectus, & modus causandi.

VII. Hoc

VII. Hoc argumento gloriatur Calvinus: inde concludens, quod eodem modo in conferenda gratia ſe habeant nova ſacramenta, ac vetera, ſoloque externo ritu differentia ſint. Et inſuper, quod ſicut manna, & aqua de petra erant quidem figura Chriſti, ſed eum realiter non continebant: ita Euchariſtia ſit quidem figura, & ſignum Chriſti, ejuſque mortis, Chriſtum autem revera non contineat. —— Sed inepte diſcurrit Acatholicus iſte. Nam Paulus dicens, Hebræos in deſerto comediſſe eamdem eſcam ſpiritualem, & bibiſſe aquam ex eadem petra; facit quidem comparationem Hebræorum inter ſe, quia omnes comederunt illud Manna, & aquam ex eadem petra biberunt: non tamen facit comparationem inter Hebræos, & nos, qua diceret: Hebræos comediſſe eamdem eſcam, & bibiſſe eumdem potum in deſerto, quæ nos comedimus, & bibimus in Euchariſtia. Vocat autem Apoſtolus manna, & aquam ſcaturientem de petra cibum, ac potum ſpiritualem, non propter effectum, ſed propter ſignificationem: ſignificabant enim Chriſtum, qui in Euchariſtia daturus erat ſe ipſum in cibum, & potum.

Porro: quod Paulus non inſtituerit ibi comparationem inter Manna, & aquam de petra, & noſtram Euchariſtiam, oſtendo. Tum quia: nec manna, nec aqua illa ſcaturiens de petra, imo nec tranſitus maris rubri, de quo etiam ibi loquitur, fuerunt veteris Legis ſacramenta. Tum quia: erant data etiam pro beſtiis: Nam etiam beſtiæ tranſierunt mare, biberunt aquam ex petra, comederunt manna ex inſtituto, & voluntate Dei. Tum denique: quia nulla legitur facta promiſſio gratiæ comedenti manna, bibenti aquam, & tranſeunti mare, ſicut legitur facta ſumenti Euchariſtiam. Solum ergo comparatio ſtat in hoc: quod omnes quidem Judæi tranſierunt mare, omnes biberunt ex petra, omnes comederunt manna; & tamen non omnes Deo placuerunt. Sed de hoc in *Tract. de Euchar.* Deo favente, ſermo erit.

VIII. Objiciunt quarto. Sacramenta nova cauſant gratiam ex opere operato, quia per illa applicatur Paſſio Chriſti præterita: ſed per ſacramenta vetera applicabatur Paſſio Chriſti futura; ergo &c.

Reſpondeo, ex doctrina S. Thomæ, §. *præced.* tradita, neg. conſeq. Nam modo Chriſtus eſt præſens, qui ad modum rei præſentis operatur phyſice etiam rebus exterioribus utens, & virtutem eis communicans. In veteri autem Lege Chriſtus erat futurus, & ideo operabatur ad modum rei nondum præſentis; nempe, ut apprehenſus per actum internum fidei, cujus ſacramenta vetera erant proteſtationes, & qua quis ea ſuſcipiebant, juſtificabantur. Videnda ſunt quæ diximus, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Legibus, Quæſt. 5. Dub. 3. §. 2.*

DUBIUM V.

An ſaltem Circumciſio remitteret Peccatum Originale, & conferret Gratiam ex Opere Operato?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. Licet quæſitum hoc videatur ex dictis Dubio præcedente reſolutum; quia tamen de Circumciſione ſpecialis eſt difficultas, ideo ſpecialiter tractandam eſſe exiſtimavimus.

Suppono igitur totum ex Geneſi, *Cap. 17. verſ. 10.* &c. Deum præcepiſſe Abrahæ, ut circumcidendo auferret a ſe, filiis, ac ſervis ſuis præputium, hoc eſt pellem illam extremam, quæ partis verendæ glandem tegit; & hoc in ſignum fœderis, quod cum eo pepigerat. Quo ſigillo in carne voluit Deus ſignare Abrahamidas, ſeu ex Abraham progenitos ab aliis, ſicut paſtores ſignant proprias oves. Hac circumciſionis lege tenebatur quiſquis fiebat de populo Dei, & particeps ſacrorum: nullus enim incircumciſus admitti poterat in atria Templi Iſraelitis reſervata; aut comedere de victimis Deo immolatis, puta, de Agno paſchali; nec tenebatur Legibus, quæ per Moyſen ſolis Iſraelitis præſcriptæ erant. Die octavo poſt ortum pueri maſculi circumcidebantur: & hoc a quocumque fiebat, etiam in privatis domibus (feminæ circumciſionis expertes erant). Dum circumcidebatur puer, nomen ei imponebant, non inane, ſed aliquid ſignificans; & in eo ſæpe exprimebatur nomen Dei.

II. Circumciſio, ut ſupra vidimus, in aliquo ſenſu fuit ſacramentum Moſaicum. Eſto enim data Abrahæ, quæ fuit longe ante Moyſen; fuit tamen inſtituta ad finem ſignandi populum, cui tradenda erat Lex Moſaica, & fuit per Legem Moyſis confirmata. Circa hanc ergo quæremus primo: An fuerit primo inſtituta ad auferendum peccatum originale. Secundo: An auferret peccatum originale, & conferret gratiam, tum quoad effectus privativos, tum poſitivos. Tertio: An conferret gratiam ex opere operato, an operantis. Quarto: An eſſet per ſe neceſſaria ad remittendum peccatum originale parvulis.

§. II.

Reſolutio Primæ Partis.

III. Multi non improbabiliter dicunt, Circumciſionem non fuiſſe primario & per ſe inſtitutam ad delendum peccatum originale; ſed ad ſignandum populum Dei, eumque a cæteris Gentibus diſtinguendum. Et probant primo. Quia in Scriptura Deus, *Geneſ. 17.* tradens Abrahæ præceptum Circumciſionis, præcipit eam dicens, *verſ. 2. Ponamque fœdus meum inter me & te:* & nomine fœderis, ſeu pacti multiplicandi Abrahæ ſemen ſæpius illam appellat; numquam peccati per illam tollendi mentionem faciens. Paulus etiam, *Roman. 3. verſ. 1.* loquens de utilitate Circumciſionis dicit, ut eo ſigno diſtincti acciperent Legem divinam: *Quid ergo amplius Judæo eſt? Aut quæ utilitas Circumciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Id confirmant Sanctus Juſtinus, *Dialogo cum Triphone Judæo, pag. 234.* ubi eum ſic alloquitur; *Circumciſio, quam ab Abramo accepiſtis ſecundum carnem, in ſignum, notamque data eſt, ut ſitis ab aliis Gentibus, & a nobis diſcreti.* Et pag. 241. de Abraham dicit: *Circumciſionem autem in ſignum, non ad juſtitiam accepit, quemadmodum & Scriptura, & res ipſa nos fateri cogunt.* Quod repetit ibidem, pag. *366.* Sanctus Irenæus, lib. 4. contra Hæreſ. cap. 30. modo 16. *Quoniam autem* (inquit) *& Circumciſionem non quaſi conſummatricem Juſtitiæ, ſed in ſigno eam dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ, ex ipſa Scriptura diſcimus:* quod oſtendit ex *Geneſ. 17. verſ. 9.* & *Exodi 31. verſ. 11.*

Probatur quoque hoc argumento, quod inſinuat Juſtinus, loco allato, *pag. 360.* Remedium pro originali debuit eſſe commune omnibus Gentibus, ſicut Baptiſmus; debuit eſſe commune maſculis & feminis; non debuit neceſſario differri uſque ad octavum diem, & in deſerto non debuiſſet quadraginta annis omitti: at Circumciſio non erat communis omnibus gentibus; non erat communis maſculis & feminis, ſed maſculorum propria: debebat omnino differri uſque ad octavum diem: & ut habetur, *Joſue 5.* in deſerto fuit omiſſa quadraginta annis; ergo &c.

IV. Nihilominus, tamquam probabilius, dico, quod circumciſio fuit etiam principaliter data, ut in ejus ſuſceptione qui credebant in Chriſtum, ſive per ſe, ut adulti, ſive per alios, ut parvuli, mundarentur a peccato originali. Probo. Nam inſtitutio Circumciſionis facta fuit in ſignum gratiæ dandæ per Chriſtum, ad liberandum homines a peccato originali; ergo &c. Ant. prob. Nam Circumciſio data fuit, ut ſacramentum veteris Legis figurans interiorem renovationem ac regenerationem faciendam per Baptiſmum. Ut enim obſervat S. Auguſtinus, *lib. 16. de Civitate Dei, cap. 26.* in ea *Apertiora promiſſa ſunt de vocatione Gentium in Iſaac, ideſt in filio promiſſionis, quo ſignificatur gratia . . . . Et quia hoc* (nempe vocatio Gentium) *non per generationem, ſed per regenerationem futurum erat; ideo nunc imperata eſt Circumciſio, quando de Sara promiſſus eſt filius.* Et addit: *Et quod omnes non ſolum filios, verum etiam ſervos, vernaculos, & emptitios circumcidi jubet, ad omnes iſtam gratiam pertinere teſtatur.* Et cap. 27. ſuper illa verba: *Maſculus, qui non circumciditur . . . . interibit anima illa de genere ejus; quia teſtamentum meum diſſipavit;* poſt multa dicit: *Ac per hoc, quod Circumciſio ſignum regenerationis fuit, non immerito parvulum propter originale peccatum, quo primum Dei diſſipatum eſt teſtamentum, generatio diſperdet, niſi regeneratio liberet: ſic intelligenda ſunt hæc divina verba tamquam dictum ſit: Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de populo ejus, quia teſtamentum Dei diſſipavit: quando in Adam cum omnibus etiam ipſe peccavit.*

Idem docet, *lib. 1. Oper. imperf. contra Julian. cap. 50. lib. 2. de Anima & ejus origine,* ubi ait: *Circumciſio quippe fuit illius temporis ſacramentum, quod præfigurabat noſtri temporis Baptiſmum.* Et lib. 2. de Nept. & Concep. cap. 11. *Ex quo enim* (inquit) *inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei! ita ad ſignificationem purgationis valebat, & in parvulis originalis, veteriſque peccati; ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo eſt inſtitutus. Non quod ante Circumciſionem juſtitia fidei nulla erat . . . Sed ſuperioribus temporibus omni modo latuit ſacramentum juſtificationis ex fide.* Quam Sancti Auguſtini doctrinam ſecutus Sanct. Thom. 3. *part. quæſt. 70. rarticul. 4.* tamquam communem omnium ſententiam ſtatuit: *Quod in Circumciſione peccatum originale remittebatur.* Hoc ergo ſuppoſito.

§. III.

Reſolutio Secundæ Partis.

V. Circa ſecundum quæſitum ait S. Thom. tum loco mox citato, tum *3. p. q. 62. art. 6. ad 3.* quod quidam dixerunt, quod in Circumciſione non conferebatur gratia, ſed ſolum auferebatur peccatum: quod ponit Magiſter, in 1. diſt.

1. dist. 4. *Sed hoc* (inquit S. Thom.) *non potest esse quia culpa non remittitur, nisi per gratiam, secundum illud Roman.* 3. Justificati per gratiam ipsius.

Et ideo alii dixerunt, quod per Circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotivos culpæ, sed non quantum ad effectus positivos —— *Sed hoc etiam positio* (ait S. D.) *stare non potest. Primo quidem; quia per Circumcisionem dabatur pueris facultas suo tempore perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Secundo: quia priores sunt naturaliter, in genere causæ formalis, effectus positivi, quam privativi; licet secundum ordinem causæ materialis sit e converso: forma enim non excludit privationem, nisi informando subjectum*, & præstando illi effectum suum positivum: sicut lux non excludit tenebras, nisi aerem illuminando.

Et ideo alii dixerunt, quod in Circumcisione conferebatur gratia, quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna; sed non quantum ad omnes effectus; quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec etiam ad implendum mandata Legis. Quod si aliquando (nempe in 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 4. *q.* 3.) sibi visum fuisse dicit —— *Sed diligentius* (inquit) *consideranti apparet, hoc non esse verum. Quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum Legis: minime enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti.* Quare:

VI. Dico cum eodem S. Doctore. Quod in Circumcisione conferebatur gratia, quoad omnes effectus formales suos, tam privativos, quam positivos, quos poterat in subjecto causare. Patet ex jam dictis a S. Thoma contra modos dicendi præfatos. Et etiam probari potest. Agens enim producens aliquam formam, primo & per se intendit, ut forma illa communicet omnes suos effectus formales, & perfectiores magis intendit: sed Deus in Circumcisione dabat gratiam; ergo primo, & per se intendebat &c. Verum quidem est, quod gratia, quæ in Circumcisione dabatur, erat minus intensa ea, quæ datur per Baptismum: quia illa dabatur intuitu fidei in Christum venturum: hæc autem datur vi meritorum Christi jam præsentis: *Major autem est effectus rei jam præsentis, quam spei.* Ita S. Thom. *art.* 4. citato.

§. IV.

Resolutio Tertiæ Partis.

VII. Circa tertium quæsitum, Scotus docet, Circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato; Verum S. Thomas, ejusque Discipuli tenent, Circumcisionem non justificasse ex opere operato, & vi sua, sed solum ratione fidei. Verba S. Thomæ, *quæst.* 70. citato *art.* 4. sunt: *In Circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei Passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio: ita scilicet, quod homo, qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis.* Unde.

VIII. Dico. Circumcisio non justificabat, neque conferebat gratiam ex opere operato, ex vi sua. Adducit in probationem S. Thom. citatus Apostolum, *Rom.* 4. *v.* 5. ubi de Abraham dicit: *Et signum accepit Circumcisionis signaculum justitiæ fidei.* Addit S. Thomas: *Quia scilicet, justitia erat ex fide significata, non ex circumcisione justificante.* Rursus; idem Apost. Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo:* sed Circumcisio erat opus præcipuum legis; ergo &c. & ibidem v. 30. *Unus est Deus, qui justificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*; ergo non Circumcisioni tribuitur vis justificandi, sed fidei. Et Galat. 5. v. 6. *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.*

IX. Respondet Scotus, Paulum loqui de Circumcisione postquam per Christum abrogata fuit; tunc enim erat plane inutilis: at antequam abrogaretur, justificabat.

Sed contra Primo. Apostolus loquitur de circumcisione, ut data Abrahæ, eamque vocat *Signaculum Justitiæ fidei*; erat ergo signum justitiæ conferendæ vi fidei, non autem causa justitiæ. De quo videri possunt Justinus, & Irenæus supra relati. Secundo. Apostolus tunc reprehendebat Judæos, qui de Circumcisione, etiam antequam abrogaretur, gloriabantur, quasi per illam justificati fuissent; ostendens illis inanem esse hanc gloriationem: quia ex operibus Legis non justificabitur omnis homo coram Deo, quia Circumcisio nihil est, quia sacramenta vetera erant infirma, & egena, & inutilia, ut supra diximus; ergo loquitur de Circumcisione antequam abrogaretur. Tertio. Ut diximus, *Dub. præced.* sacramenta Legis veteris per se non justificabant; ergo nec Circumcisio. Quamvis enim fuerint ante Legem Mosaicam instituta, fuit tamen in ista a Moyse præcepta, *Levit.* 12. unde Christus, *Joh.* 7. *vers.* 22. *ait: Propterea Moyses dedit vobis Circumcisionem.* Hinc Patres loquentes de sacramentis veteris Legis, Circumcisionem semper includunt, quæ erat professio Legis istius, & janua aliorum sacramentorum.

X. Probatur secundo ex Concilio Florentino, *in Decr. ad Armenos*, ubi tradens differentiam veterum sacramentorum a novis: *illa* (inquit) *non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & causant gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Quod sumpsisse crediderim ex August. in *Ps.* 73. dicente: *Sacramenta novi Testamenti dant salutem; sacramenta veteris testamenti promittebant Salvatorem.* Sed Circumcisio erat unum, & quidem præcipuum, ex sacramentis veteris Legis; ergo gratiam præfigurabat quidem dandam per Christum, sed eam vi sua non dabat. Alias non bene extulisset sacramenta nova supra vetera, si aliquod ex istis, nempe, Circumcisio (quam non excipit causasset gratiam ex opere operato. Sicut non bene proponeretur rationalitas, tamquam excellentia propria hominis supra bruta, si inter bruta vel unum daretur, quod rationale esset.

Item Trident. *Sess.* 7. *Can.* 2. anathema dicit ei, qui dixerit novæ Legis sacramenta a sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi. At si Circumcisio, quæ erat unum ex illis veteribus, conferebat gratiam ex opere operato, non differret a Baptismo, nisi in ritu & cæremonia: maxime in sententia Scoti, qui facit Baptismum causam solum moralem; ergo &c.

XI. Hoc idem testantur nedum prælaudati Patres, sed & Tertullianus, *lib. ad Judæos*, *cap.* 2. & 3. Cyprianus, *lib.* 1. *adv. Judæos*, *cap.* 8. Grægor. Nyssen. Tract. de Trinit. adv. Judæos: *Neminem Circumcisio justificat.* Chrysost. Homil. 27. in Genes. *Attende* (inquit) *quomodo .... voluerit Circumcisionem pro lege statui; non quod ad animæ salutem perficere hæc possit aliquid: sed, ut hoc grati animi indicium, quasi signum, & sigillum circumferrent Judæi: & ne liceret eis commisceri Gentium congressibus.* Inde advertens Abraham justificatum fuisse per fidem ante Circumcisionem, *Rom.* 4. *vers.* 3. ait: *Quid igitur superbis Juda in Circumcisione?* Ambros. Epist. 72. *Signum igitur Circumcisio corporalis, veritas autem Circumcisio spiritualis: illa membrum amputat, ista peccatum.* Hoc idem asserit Cyrillus Alex. *lib.* 10. *contra Jul.* non procul a fine.

Ratio etiam, quam supra adduximus ex S. Thom. pro reliquis veteribus sacramentis, Circumcisioni congruit. In ea enim Christus venturus operabatur, sicut in aliis: res autem futura, & non præsens, non operatur communicando rebus exterioribus virtutem; sed operatur ut apprehensa per actum internum animæ; ergo Christus in Circumcisione operabatur gratiam, non communicando ei virtutem ad causandam gratiam, sed gratiam operabatur, ut apprehensus per fidem. Unde S. Thom. 3. *p. quæst.* 70. *art.* 4. citato, ait: *In Circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute Circumcisionis; sed ex virtute fidei Passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio: ita scilicet, quod homo, qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis.*

XII. Ex his patet responsio ad argumenta Scoti. Non enim negamus nos, in Circumcisione collatam fuisse gratiam: sed dicimus, quod hæc non conferebatur per Circumcisionem, quasi Circumcisio haberet vim, & efficaciam per se gratiam conferendi; sed virtute fidei in Christum, cujus Circumcisio signum & protestatio erat.

Quod si aliqui Patres videntur dicere, Circumcisionem ad remissionem originalis fuisse loco Baptismi; fecisse, quod facit Baptismus —— Solum intendunt, quod sicut in Baptismo remittitur peccatum originale, ita remittebatur in Circumcisione, non tamen, quod eo modo, quo remittitur nunc per Baptismum, remitteretur etiam per Circumcisionem. Cum enim, ut ajunt Patres, Circumcisio esset tantum figura Baptismi, non poterat habere vim, quam habet figuratum: ideoque significabat quidem gratiam Baptismi, sed eam per seipsam non dabat.

XIII. Sed dices. Quod conferebat gratiam sine ullo opere operantis, conferebat illam ex opere operato, & vi sua: sed Circumcisio conferebat gratiam remissionis peccati originalis parvulis, in quibus certe nullum erat opus, vel fidei, vel devotionis &c. ergo &c.

Respondeo ex dictis, neg. min. Licet enim dum Circumcisio conferebatur parvulo, nullum esset opus suscipientis; erat tamen opus Ministri circumcidentis, qui tali actu profitebatur pro illo fidem in Christum: erat pactum Dei, qui promiserat, ad positionem talis operis, se remissurum parvulo peccatum originale. Quare probabiliter aliqui dicunt, in Circumcisione parvulos gratiam accepisse ex opere operato; non active vi illius operis ad hoc valentis efficienter, sed passive: quia Deus illam dabat ad positionem illius operis, ex pacto inito cum Abrahamo. Ex quo manet soluta ratio Scoti. Etsi enim Deus non daret Circumcisioni vim remittendi originale; nullo unquam tempore reliquit genus humanum sine remedio a tali morbo: quia sicut ante Circumcisionem subveniebat parvulis aliquo signo nobis ignoto, sicut etiam feminis; quo exhibito, etsi nulla justificandi vis ei inesset, illas ab originali mundabat: ita etiam post datum determinate signum Circumcisionis, eo posito, gratiam remissionis conferebat.

XIV. Hinc ſolutum manet aliud Scoti argumentum, ſumptum, ex Gen. 17. v. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Ex quo S. Auguſt. *lib. 16. de Civit. Dei cap. 27.* colligit exiſtentiam peccati originalis.

Nam cum iniiſſet pactum cum Abrahamo, & præcepiſſet, ut qui vellent ab originali mundari, tali ſigno uterentur; conſequenter qui illud omittebant, interire debebant: & in peccato mori: non quia in tali ſigno eſſet virtus aliqua, ſed quia non ſervaverant pacti conditionem; unde additur: *Quia pactum meum irritum fecit.*

§. V.

Reſolutio Quarta Partis.

XV. DIco. Circumciſio fuit per ſe neceſſaria ad juſtificandos parvulos maſculos Hebræorum: ita ut, excepto caſu neceſſitatis, & ſecluſa diſpenſatione Dei, non poſſent ab originali mundari, niſi fides in Chriſtum applicaretur illis per Circumciſionem. Hoc eruitur ex mox citato textu, Gen. 17. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, interibit anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Licet enim Bellarminus, & aliis cenſeant, per hæc verba ſolum imponi pœnam mortis corporalis adultis, qui ſe circumcidere, vel filios ſuos neglexiſſent; vel parvulis non circumciſis pœnam cujuſdam ſeparationis a populo Dei: Auguſtinus tamen *lib. 16. de Civitate Dei cap. 27. Lib. 3. contra Julian. cap. 18.* Et *lib. 6. contra eumdem c. 7.* quem ſequitur Innocentius III. cap. *Majores*, de Baptiſmo exiſtimant per illa verba imponi parvulis, & adultis pœnam mortis æternæ, ob peccatum originale.

XVI. Dices, Ante inſtitutam Circumciſionem ſola fides ad juſtificationem ſufficiebat. Dicit enim Gregorius, lib. 4. Moral. cap. 3. *Quod apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc egit apud Veteres pro parvulis ſola fides;* ergo ſola fides eos poterat juſtificare ſine Circumciſione.

Reſpondeo cum S. Thom. quæſt. 70. art. 4. citato, ad 2. *Quod ſicut ante inſtitutionem Circumciſionis ſola fides Chriſti futuri juſtificabat tam pueros, quam adultos; ita etiam Circumciſione data. Sed antea non requirebatur aliquod ſignum proteſtativum hujus fidei; quia nondum homines fideles ſeorſum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei. Probabile tamen eſt, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo exiſtentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam ſignaculum fidei) ſicut adulti pro ſe ipſis preces & Sacrificia offerebant.*

XVII. Dices ſecundo. *Joſue 5.* legitur, quod Populus, qui natus eſt in deſerto, per quadraginta annos incircumciſus fuit. Si ergo Circumciſio neceſſaria erat ad ſalutem, omnes, qui in deſerto nati, tam pueri, quam adulti, & mortui fuerunt incircumciſi, fuerunt damnati: quod dici deberet de maſculis morientibus ante octavum diem.

Reſpondeo cum eodem S. Thoma citato, ad 3. quod Populus in deſerto prætermittens mandatum circumciſionis excuſatur. Tum quia: neſciebant, quando caſtra movenda eſſent. Tum quia: ut Damaſc. dicit (*l. 4. Orth. fid. cap. 26.*) non neceſſe erat, eos aliquod ſignum diſtinctionis habere, cum ſeorſim ab aliis populis habitabant. Et tamen, ut Auguſt. dicit (*lib. QQ. in Joſue, quæſt. 6.*) inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen, quod nulli incircumciſi mortui fuerint in deſerto: quia, ut in *Pſ. 104.* dicitur, non erat in tribubus eorum infirmus: ſed illi ſoli videntur mortui in deſerto, qui fuerant in Ægypto circumciſi. Si tamen aliqui incircumciſi mortui ſunt, eadem ratio eſt de his, ut de his, qui moriebantur ante circumciſionis inſtitutionem; quod etiam intelligendum eſt de pueris, qui moriebantur ante octavum diem tempore Legis.

QUÆSTIO V.

De Charactere Sacramentali.

POſtquam egimus de gratia, qui eſt effectus primarius, & dignior ſacramenti, agendum eſt cum S. Thoma de charactere, qui eſt alter effectus dignitate ſecundus.

DUBIUM I.

An Sacramenta Novæ Legis imprimant Characterem.

§. I.

Veritas Statuitur.

I. COmmuniter characteris nomine intelligitur ſignum quoddam, quo ſolet res aliqua ſignari, ut dignoſcatur, vel ſecernatur ab aliis; ſicut ſignari ſolet ſervus, vel ovis, vel res uſui publico deputata: ſicut pecunia ſignatur Regia effigie, vel ſigillo: vel, ut olim, qui militiæ nomen dabant nota aliqua inſigniebantur, quæ character militaris dicebatur. Unde Character proprie ſupponitur pro re ſenſibili. A Theologis tamen transfertur ad ſignificandum ſignaculum quoddam ſpirituale, quo Chriſtiani in ſuſceptione quorumdam ſacramentorum cultui divino deputantur. De hoc ergo quærimus: An per ſacramenta vere imprimatur, & an per omnia.

II. Wiccleffus primo, deinde Lutherus, Zuinglius, Calvinus, aliique Novatores characterem ſacramentalem aperte inficiantur, tamquam quid novum in Scriptura, & Patribus. Catholici tamen omnes, per aliqua novæ Legis ſacramenta imprimi characterem ſuſtinent. Cum quibus

III. Dico. Aliqua ſacramenta novæ Legis imprimunt characterem, nempe tria, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Eſt dogma Fidei ſancitum in Cap. *Majores* de Baptiſmo: in Conc. Florent. in Decreto unionis, & in Tridentino. *Seſſ. 7. Can. 9.* his verbis: *Si quis dixerit, in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

IV. Prima autem pars, nempe, aliqua ſacramenta imprimere characterem, probatur ex Apoſt. 2. *Cor. 1. v. 21. & 22.* ubi de Confirmatione dicit: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto; & qui unxit nos Deus* (videlicet gratia, quæ recepta in Baptiſmo per confirmationem roboratur) *Qui & ſignavit nos* (charactere nimirum, quo veluti ſigno, novo quodam ac ſpeciali jure anima a Deo poſſeſſa conſecratur) *& dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Eumdem loquendi modum ſervat de Baptiſmo, *ad Epheſ. 1. v. 13.* dicens: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto*, & cap. 4. v. 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis.* Super quæ Chryſoſtomus, Homil. 2. *Porro* (inquit) *character Spiritus Sancti nos inſignivit.* Et infra: *Signati ſunt Iſraelita, ſed Circumciſionis nota, ut pecora: nos autem ut filii, ſignati ſumus Spiritu Sancto.*

V. Accedunt alii Patres. Cyrillus Jeroſolym. *in Procatecheſi* (ſeu in prologo Catecheſeon) *Magna* (inquit) *res eſt ſane, quod nobis proponitur Baptiſma . . . ſignaculum ſanctum indiſſolubile.* Et Catecheſi 17. Baptizato dicit: *Si gratia dignatus fueris, illuſtrabitur anima tua . . . Arma ſumes Dæmonibus terribilia: quæ ſi non habueris, habebis autem in anima ſignaculum . . . . &c.* Ambroſius, *lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 6.* ad verba Pauli mox relata, Epheſ. 1. *Sancto igitur* (inquit) *Spiritu ſignati ſumus, non natura, ſed a Deo, quia ſcriptum eſt:* Qui ſignavit nos Deus, qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris, *Signati ergo ſpiritu a Deo ſumus . . . Spiritu ſignamur ut ſplendorem, atque imaginem ejus, & gratiam tenere poſſimus, quod eſt utique ſpirituale ſignaculum. Nam etſi ſpecie ſignemur in corpore: veritate tamen* (nota) *in corde ſignamur.*

VI. Apertius autem Auguſtinus characterem in tribus præfatis ſacramentis imprimi docuit. De Baptiſmo quidem: tum *Epiſt. 23. num. 98.* ad Bonifacium Epiſcopum, ubi aſſerit, Baptiſmum ab impiis in Eccleſia datum ideo valere, quod imprimat *Characterem*: idque probat ex eo, quod illum imprimat & apud hæreticos datum. Tum, *l. 6. de Bapt. contra Donat. c. 1.* dicens: *Plenarii Concilii auctoritate originalis conſuetudo firmata eſt, etiam ovem, quæ foris errabat, & Dominicum Characterem a fallacibus prædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad chriſtianæ unitatis ſalutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere ſanari; characterem tamen in ea Dominicum agnoſci potius, quam improbari.* Item, *Tr. 6. in Jo:* de baptizato extra Eccleſiam dicit: *Tene ergo quod accepiſti, non mutatur, ſed agnoſcitur. Character eſt Regis mei, non ero ſacrilegus; corrigo deſertorem, non immuto characterem. Et lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 13.* adducta ſimilitudine de charactere militari, ſubjungit: *An forte minus hærent ſacramenta Chriſtiana, quam corporalis hæc nota? Cum videamus, nec apoſtatas carere Baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur; & ideo amitti non poſſe judicatur.* Videndus etiam eſt, *l. 2. contra Epiſt. Parmeniani, c. 13.* ubi eodem exemplo deſertoris militiæ, cui cum revertitur non repetitur character; oſtendit, nec apoſtatas cum revertuntur, novo Baptiſmate tingi debere. —— De Confirmatione etiam, l. 2. contra lit. Petiliani, c. 104. *Sacramentum* (inquit) *Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* —— De Ordine etiam, *lib. 2. contra Epiſtol. Parmeniani, c. 13.* illum comparans Baptiſmo ait: *Utrumque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, iſtud, cum ordinatur: ideoque in catholica utrumque non licet iterari.* Videant ergo Novatores, quam temere effutiant, doctrinam de charactere ſacramentali novam eſſe, nec haberi in Scriptura, & Patribus.

VII. Ex dictis colligit S. Thom. *3. p. quæſt. 63. art. 1.* congruentiam hoc modo: *Quicumque ad aliquid certum deputatur, conſuevit ad illud conſignari: ſicut milites, qui adſcribebant ad militiam, antiquitus ſolebant quibuſdam*

dam characteribus corporalibus inſigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Sed homines per aliqua ſacramenta deputantur ad aliquid ſpirituale agendum, vel recipiendum pertinens ad cultum Dei; ergo conſequens eſt, ut per ea Fideles aliquo ſpirituali charactere inſigniantur.

VIII. Probatur etiam ratione, quam indicat Tridentinum citato loco ſic. Baptiſmus etiam indigne ſuſceptus, etiam in Novatorum doctrina non poteſt iterari; ergo ſignum eſt, quod relinquit characterem in anima. Si enim nullum relinquit, non eſt, cur non poſſit iterari; ut effectum, quem primo non produxit, denuo producat: ſed hic effectus non poteſt eſſe gratia, aut fides juſtificans, quia indigne ſuſcipienti Baptiſmum, etiam juxta ipſos, hæc non conferuntur; ergo erit character.

IX. Reſpondent, Baptiſmum iterari non poſſe, non quia producat characterem, ſed ob quadruplicem rationem. Primo: quia ſignificat Chriſti mortem: Chriſtus autem ſemel mortuus eſt. Secundo: quia Baptiſmus eſt ſacramentum fidei: fides autem eſt una. Tertio: Quia Deus in Baptiſmo fœdus init cum homine: fœdus autem divinum perpetuum eſt. Quarto: quia Baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis: nemo autem generatur plus quam ſemel.

X. Sed contra primum, ſic. Etiam Euchariſtia ſignificat Chriſti mortem, 1. Cor. 11. v. 26. *Quotieſcumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*: Et tamen Euchariſtia, etiam per ipſos iteratur. —— Contra ſecundum, ſic. Sicut eſt una fides, unum Baptiſma, ita dicitur Euchariſtia unus panis: & tamen iteratur. Rurſus: eſto fides ſit una, poſſumus illam ſæpius proteſtari: immo ad Eccleſiam redeuntes catholicæ fidei profeſſionem iterum edere jubentur, quos tamen iterum baptizare foret ſacrilegum. —— Contra tertium. Pactum divinum in aliis ſacramentis adeſt, immo, juxta Novatores, nil aliud ſunt quam ſigilla hujus pacti: & tamen iterantur. Deinde; pactum Dei eſt perpetuum, ſi homo ſervet conditiones pacto appoſitas: at fieri poteſt, ut homo non ſervet id, quod promiſerat in Baptiſmo; ergo pactum non impediet, quin iteretur. Contra quartum. Recipiens indigne Baptiſmum non regeneratur ſpiritualiter, cum non juſtificetur; & tamen adhuc iterari non poteſt. Item: eſto via naturæ non poſſit homo produci, niſi ſemel; poteſt tamen in vita gratiæ pluries reproduci: cur ergo non poterit etiam ſemel ſpiritualiter genitus regenerari? Quod ergo Baptiſmus iterari non poſſit, ex eo procedere poteſt, quod in anima notam, & characterem relinquat. Unde S. Aug. lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 13. a S. Thoma relatus, hoc art. 1. *Si militiæ characterem in corpore ſuo non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fuſa, & imperata jam venia, militare cœperit; numquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus hærent ſacramenta Chriſtiana, quam corporalis hæc nota?*

XI. Secunda vero pars, quod nimirum alia ſacramenta, præter tria recenſita, non imprimant characterem, probatur a S. Thom. 3. *p. qu. 63. art. 6.* Sic. Per illa ſola ſacramenta character imprimitur, per quæ homo ſpecialiter deputatur ad agendum, vel recipiendum aliquid pertinens ad cultum Dei: ſed non omnia ſacramenta ſic diſponunt hominem, ſed ſola tria; ergo &c. Maj. explicatur pulchra analogia. Illi ſoli apud homines conſueverunt ab Imperatoribus charactere inſigniri, qui ſuſcipiunt poteſtatem vel ſuſcipiendi, vel exercendi aliquod officium publicum in Civitate, vel Regno. Attamen non omnes, qui in menſa Regis comedunt, aut qui Regi reconciliantur, aut qui homines in Regno multiplicant, charactere inſigniuntur; ſed ſoli illi, qui ad familiam Regis admittuntur, qui militant in ejus exercitu, & quibus committitur aliquod officium ſpeciale ad gubernium Regni. Min. vero prob. Quamvis enim omnia ſacramenta ſint cæremoniæ & cultus ſacri; & omnia exhibeant aliquod remedium contra peccatum, quia omnia conferunt gratiam: non tamen omnia, ſed ſola tria ordinantur directe ad hominem bene diſponendum, & conſecrandum circa cultum Dei. Pœnitentia enim ſolum reſtituit hominem in gradum priſtinum: Extrema unctio ſolum removet reliquias peccatorum: Matrimonium ſolum datur ad refrænandas concupiſcentiæ vires. Euchariſtia, eſto ſit eſſentialiter cultus, quia Sacrificium Eccleſiæ, non tamen ordinat, vel deputat hominem ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum in ſacramentis; cum potius ſit finis, & conſummatio omnium ſacramentorum. At per Baptiſmum confertur homini facultas ſuſcipiendi cætera ſacramenta; & datur introitus in familiam Chriſti. Per Confirmationem adſcribitur militiæ Chriſti, & accipit robur ad pugnandum pro Chriſto: per Ordinem datur facultas offerendi Sacrificium, aliaque ſacramenta ad Dei cultum miniſtrandi; ergo &c.

§. II.

Solutio objectionum.

XII. OBjiciunt primo contra primam partem Novatores. Nomen characteris in Scripturis non legitur.

Reſpondeo, quod eſto nomen characteris in Scripturis non legatur, legitur tamen res ſignificata per nomen; nempe, nos Spiritu Sancto *Signari*, ut oſtendimus ex Paulo. Neque enim neceſſe eſt, ut omnia nomina, quibus in re fidei utimur, expreſſe in Scripturis inveniamus. Nomina quippe *Hypoſtaſis*, & *Perſona* expreſſe Scriptura non habet, ut ex Hieron. *Epiſt.* 14. alias 17. *ad Damaſum*. Patrem eſſe Ingenitum, Scriptura non dicit, teſte Aug. *Epiſt.* 175. modo 239. & tamen hæc nec ipſi hæretici inficiantur.

XIII. Dices. Character ſignificare debet aliquid ſenſibile; ſed nil ſenſibile poteſt imprimi in anima; ergo &c. Maj. probatur. Nam per nos character eſt diſtinctivus baptizati a non baptizato: ſi autem ſenſibile non eſt, unde dignoſci poterit?

Reſp. Satis eſſe, ut ſit ſenſibile in ſua cauſa; quia imprimitur per ſacramentum ſenſibile; & etiam in ſuis effectibus: datur enim ad effectus ſenſibiles, quod ſatis eſt. Hoc enim ipſo, quod externo ſenſu cognoſcimus, aliquem eſſe baptizatum, videmus eum ad alia ſacramenta promoveri; cognoſcimus etiam, interius in ejus anima eſſe characterem.

XIV. Objiciunt ſecundo, & inſtant. Sicut per ſacramenta novæ Legis diſtinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per ſacramenta veteris Legis, ſed hæc non imprimebant aliquem characterem in anima; ergo &c.

Reſpondeo ex S. Thom. 7. p. qu. 63. art. 1. ad 3. *Quod ſacramenta veteris Legis non habebant in ſe ſpiritualem virtutem, ad aliquem ſpiritualem effectum operandum; & ideo in illis ſacramentis non requirebatur aliquis ſpiritualis character: ſed ſufficiebat ibi corporalis Circumciſio, quam Apoſtolus ſignaculum nominat, Rom. 4.* —— Immo ex hoc conficio argumentum pro nobis ſic. Sacramenta vetera, quæ conferebant vi ſua ſola ſanctitatem externam, corporalem, & legalem, relinquebant characterem in corpore, ut conſtat in Circumciſione; quæ corporali nota diſtinguebat Judæos ab aliis, eoſque idoneos efficiebat ad alias cæremonias legales; ergo Baptiſmus cujus figura fuit Circumciſio, & qui ſanctitatem veram & ſpiritualem confert, & Chriſtianos ab aliis diſtinguit, eoſque reddit idoneos ad alia ſacramenta, relinquit characterem ſpiritualem in anima.

XV. Objiciunt tertio. Character ſignificat diſtinctionem membrorum Chriſti ab aliis: ſed hoc fit per æternam prædeſtinationem, quæ nil ponit in anima; ergo &c.

Sed reſpondeo, diſt. Maj. Diſtinctionem, quoad actus præſenti Eccleſiæ convenientes, conc. maj. Quoad præmium futuræ gloriæ, nego maj. & ſimiliter diſt. min. nego conſ. Ita S. Th. citatus ad 1. dicens: *Fideles Chriſti ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur ſignaculo prædeſtinationis divinæ; ſed ad actus convenientes præſenti Eccleſiæ deputantur quodam ſpirituali ſignaculo eis inſignito, quod character dicitur.*

XVI. Objiciunt quarto. Dum homo militiæ adſcribitur, ſufficit, ut verbotenus admittatur a Duce, aut in aliquo libro deſcribatur, abſque eo quod corporali ſigilletur charactere; ergo, ut homines adſcribantur militiæ Chriſti, nullus requiritur in anima character.

Reſp. omiſſo ant. (nam ut ex Aug. vidimus, olim milites aliqua nota diſtinguebantur, & modo, ſi non in corpore, ſaltem in veſtibus, aut alio externo charactere diſtinguuntur) neg. conſ. Major enim eſt efficacia voluntatis & operationis divinæ, quam humanæ. Unde ſicut amor humanus nihil producit in amato; amor tamen divinus gratia aliiſque donis ſupernaturalibus intrinſece ornat quem amat: ſic eſto Dux humanus ad militiam adſcribat homines nihil in eis efficiendo; Deus tamen eos, quos ſuos facit, charactere donat interno, quo a non ſuis ſecernantur.

XVII. Objiciunt ultimo contra ſecundam partem. Per omnia ſacramenta fit homo particeps Sacerdotii Chriſti; ſed character ſacramentalis nil aliud eſt, quam participatio Sacerdotii Chriſti; ergo &c.

Confirmatur. Character eſt quædam conſecratio hominis Deo; ſed quolibet ſacramento homo dicatur & conſecratur Deo, cum ſanctificetur; ergo &c.

Reſpondeo ex S. Thom. 3. p. quæſt. 63. art. 6. ad 1. *Quod per omnia ſacramenta ſit homo particeps Sacerdotii Chriſti, ut participans aliquem effectum ejus: non tamen per omnia ſacramenta deputatur ad agendum aliquid, vel recipiendum, quod pertineat ad cultum ſacerdotii Chriſti: quod quidem exigitur ad hoc, quod ſacramentum Characterem imprimat.*

Ad confirm. reſpondeo ex eodem, ibidem ad 1. *Quod per omnia ſacramenta ſanctificatur homo, ſecundum quod ſanctitas importat munditiem a peccato, quæ fit per gratiam: ſed ſpecialiter per quadam ſacramenta, quæ characterem imprimunt, homo ſanctificatur quadam conſecratione, utpote deputatus ad divinum cultum: ſicut etiam res*

inanimata ſanctificari dicuntur, in quantum divino cultui deputantur.

Dubium II.

Natura, Proprietates, & Subjectum Characteris.

§. I.

Quid ſit Character.

I. Dico cum S. Th. 3. *p. q. 63. art. 2.* quod character eſt ſpiritualis poteſtas ordinata ad recipiendum, vel tradendum ea, quæ ſunt divini cultus. Probat S. Thomas. Quia charactere homo fit aptus ad divina: ſed hæc aptitudo conſiſtit in poteſtate, partim paſſiva recipiendi divina, partim activa tradendi divina aliis; ergo &c. Hinc character Baptiſmi conſiſtit in quadam aptitudine paſſiva recipiendi alia Sacramenta. Character Confirmationis in aptitudine partim paſſiva diſponente ad alia ſacramenta, partim activa profitendi exterius fidem. Character Ordinis in aptitudine activa conficiendi & miniſtrandi divina.

II. Addit tamen S. Thom. quod hæc ſpiritualis poteſtas, *In qua conſiſtit character, eſt inſtrumentalis: ſicut etiam ſupra dictum eſt de virtute, quæ eſt in ſacramentis. Habere enim ſacramenti characterem competit Miniſtris Dei: Miniſter autem ſe habet per modum inſtrumenti, ut Philoſophus dicit in 1. Politic.* (cap. 3.) —— Eſt virtus inſtrumentalis derivata a Sacerdotio Chriſti tamquam participatio ejus. Nam ut ait S. D. ibi art. 3. *Character proprie eſt ſignaculum quoddam, quo aliquid inſignitur, ut ordinatum in aliquem finem: ſicut charactere inſignitur denarius ad uſum commutationum; & milites charactere inſigniuntur, quaſi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primo quidem & principaliter ad fruitionem gloriæ: & ad hoc inſignitur ſignaculo gratiæ, ſecundum illud Ezech. 9.* Signa Thau ſuper frontes vivorum gementium & dolentium. *Et Apocalypſis 7.* Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum. *Secundo autem deputatur quiſque fidelis ad recipiendum, vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei: & ad hoc proprie deputatur character ſacramentalis. Totus autem ritus Chriſtianæ Religionis derivatur a Sacerdotio Chriſti. Et ideo manifeſtum eſt, quod character ſacramentalis ſpecialiter eſt character Chriſti, cujus Sacerdotio conſignantur fideles, ſecundum ſacramentales characteres: qui nihil aliud ſunt, quam quædam participationes Sacerdotii Chriſti ab ipſo Chriſto derivatæ.* Hæc S. Thom. Cum enim, ut ait ibi, ad 2. propria ratio characteris ſit eſſe ſignum configurativum alicui principali, apud quem reſidet auctoritas ejus; & Chriſtus ſit Auctor Chriſtiani cultus: ideo qui deputantur ad hunc cultum, & charactere inſigniuntur, Chriſto configurantur.

III. Si autem quæras: In quo genere ſit character?

Reſpondeo cum S. Thom. cit. art. 2. Quod *Sicut virtus, quæ eſt in ſacramentis, non eſt in genere per ſe, ſed per reductionem; eo quod eſt quiddam fluens, & incompletum: ita etiam character non proprie eſt in genere, vel ſpecie; ſed reducitur ad ſecundam ſpeciem qualitatis.*

Ex quibus deducitur primo: characterem non reduci ad genus relationis, ut vult Scotus. Nam ut docet S. Thom. art. 2. citato, ad 3. *Relatio, quæ importatur in nomine ſigni, oportet, quod ſupra aliquid fundetur. Relatio autem hujus ſigni, quod eſt character, non poteſt fundari immediate in eſſentia animæ; quia ſic conveniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, ſuper quod fundetur talis relatio: & hoc eſt eſſentia characteris. Unde non oportebit, quod ſit in genere relationis, ſicut quidam poſuerunt.* Addo: quod relatio per ſe non producitur, ſed poſito fundamento reſultat, juxta tritum axioma: *Ad relationem non datur per ſe motus*: ſed character per veram actionem a ſacramentis producitur; ergo non eſt relatio. Debet ergo aliquid abſolutum prius produci in anima quo in ſe immutetur, & hoc erit character.

IV. Deducitur ſecundo: characterem reduci ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quæ eſt potentia. Nam character ad eam ſpeciem qualitatis debet reduci, quæ per ſe eſt immobilis, & qua poſſit quis bene, aut male uti: ſed qualitas per modum paſſionis non eſt immobilis, cum cito tranſeat: habitu vero non poteſt homo bene, aut male uti; ſed vel determinate bene, ſi ſit bonus, vel determinate male, ſi ſit malus: potentia autem utrumque habet; ergo &c.

Maj. patet. Character enim ex una parte eſt immobiliter in anima, cum ſit indelebilis: ex alia, charactere poteſt homo uti, & bene, & male: poteſt enim uti charactere Baptiſmi ad recipienda alia ſacramenta, & fructuoſe, & etiam ſacrilege. Charactere Confirmationis ad profitendam fidem coram Tyranno ex motivo Religionis, & ſic bene: & etiam ex motivo inanis gloriæ, & ſic male. Charactere Ordinis ad religioſe conſecrandum, & ſic bene: & etiam ſacrilege, & ſic male. Si enim character dicta omnia reſpiceret, ut determinate religioſe & ſancte exercenda: nuſquam valide exercerentur, ſi irreligioſe.

V. Dices. Character non eſt indifferens ad bonum, & malum, ſed determinatus ad bonum; ergo ad habitum reducitur, non ad potentiam. Ant. prob. primo, Character determinate inclinat ad bonum, ſcilicet, ad verum Deo cultum per ſacramenta exhibendum. —— Secundo. Character eſt qualitas ſupernaturalis a Deo, ut Auctore gratiæ participata. —— Tertio. Character eſt participatio Sacerdotii Chriſti, quod eſt determinatum ad bonum —— Quarto. Character agit, ut motus a Chriſto; ergo determinate movetur ad bonum: alias ſi malum ageret, hoc refunderetur in Chriſtum. —— Quinto. Ut qualitas ſit determinata ad bonum, ſufficit, quod ſit deteminata ad bonum in propria materia, eſto non ſit determinata ad bonum in alio genere. Sic character determinatus eſt ad phyſice conficienda ſacramenta, quod ſemper bonum eſt: quod autem in genere moris conficiantur, aut recipiantur male, hoc ex charactere non eſt.

VI. Reſpondeo, neg. ant. Ad primam prob. diſt. ant. Ad bonum objective, conc. ant. Ad bonum ſubjective, nego ant. Differentia ergo inter habitum & potentiam non eſt, quod habitus inclinet ad bonum objectum; potentia vero ad objectum indifferenter bonum, & malum: ſed quod habitus determinet ſubjectum, ut eo non poſſit uti, niſi bene ſi ſit bonus, vel niſi male ſi ſit malus. Potentia autem relinquit ſubjectum indifferens, ut ea poſſit uti & bene, & male, ut de charactere vidimus: & ideo ad ſpeciem potentiæ reducitur.

Ad ſecundum dico, quod licet id, quod eſt a Deo auctore ſupernaturali, ſemper inclinet ad bonum objective; non tamen, ſemper facit ſubjectum determinate bonum, quin eo poſſit male uti. Donum enim prophetiæ eſt a Deo auctore gratiæ, & tamen, eo Balaam, & Caiphas male uſi fuerunt.

Ad tertium ſimiliter dico, quod character, ex quo eſt participatio Sacerdotii Chriſti, determinat ad bonum objective, nempe, ad verum cultum, non tamen ad bonum ſubjective; ita ut ſubjectum faciat bonum, & bene utens illo.

Ad quartum, nego conſ. & id, quod infertur. Eſto enim character ſit virtus inſtrumentalis non agens niſi ut mota a Chriſto: quia tamen in modo operandi ſubditur operantis arbitrio in caſu quo quis male utatur, puta, ſi Sacerdos conſecret ad ſortilegium, illud non reducitur in Chriſtum, ſed in malitiam Miniſtri, ea abutentis. Sicut licet mens Caiphæ moveretur a Spiritu Sancto tamquam inſtrumentum, quando prophetavit; peccavit tamen, quin illud peccatum in Spiritum Sanctum refunderetur, ſed in Caipham Spiritus Sancti dono abutentem, & ex prava intentione verba a Spiritu Sancto inſpirata proferentem.

Ad quintum dico, proprium characteris objectum eſſe verum practicum; & materiam ejus eſſe cultum religioſum, ut in praxi faciendum: unde indifferenter illum reſpicit ſive religioſe, ſive irreligioſe præſtandum.

VII. Deducitur tertio: characterem ſacramentalem eſſe potentiam phyſicam, & non pure moralem, ut putat Suarez. Et probatur. Tum quia: poteſtas Sacerdotii Chriſti, cujus eſt participatio, & virtus inſtrumentalis, phyſica eſt, & phyſice operans. Tum quia: Miniſter inſtrumentaliter phyſice concurrit ad converſionem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, & non ſolum moraliter; ergo virtus, qua ad hoc faciendum concurrit, nempe, character, phyſica eſt, & non tantum moralis. —— Et ex hoc apparet differentia inter deputationem factam ab homine, & a Deo. Nam homo, dum deputat aliquem ad officium, non dat illi virtutem ad dictum officium idonee exercendum; ſed idoneitatem, & virtutem in eo ſupponit, & ſolum extrinſece, & voluntate deputat. At Deus non ſupponit in Miniſtris idoneitatem; ſed illam potius facit, eoſque deputando facit idoneos, qui prius idonei non erant: ideoque ſimul eis dat virtutem per impreſſionem alicujus virtutis ſupernaturalis, quam characterem nominamus.

§. II.

Proprietates Characteris.

VIII. Duæ videntur eſſe Characteris proprietates. Prima, quod ſit indelebilis. Secunda, quod conferat ſubjecto quamdam idoneitatem.

Circa primam ergo ſuppono duo. Primum: characterem non eſſe ita indelebilem, ut per potentiam extraordinariam Dei deleri non poſſit. Certum enim eſt, poſſe Deum abſolute ſuum concurſum conſervativum characteris ſuſpendere; quo ſuſpenſo rueret, ac deleretur character. —— Secundum eſt: characterem eſſe indelebilem; non quidem ab intrinſeco, & ex natura ſua; quia cum, ut diximus, ſit virtus communicata ad agendum inſtrumentaliter, ex natura ſua habet eſſe fluens, & proinde delebile: ſed ab extrinſeco, quatenus ſtatuit Deus ſemper illum conſervare. Unde

IX. Dico. Character ineſt animæ indelebiliter. Eſt dogma fidei ſancitum in Florentino, *Dec. ad Armenos.* & Trident. *Seſſ. 7. Can. 9.* Traditurque S. Thom. *3. part. q. 63. art. 5.* Et probat primo, *in arg. ſed contra*, ex Aug. *l. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 13.* dicente: *Non minus hærent ſacramenta Chriſtiana, quam corporalis nota militiæ: ſed character militaris non repetitur, ſed agnitus approba-*

probatur in eo, qui veniam meretur ab Imperatore, post culpam; ergo nec character ſacramentalis deleri poteſt. —— Probat ulterius *in Corp.* hac ratione: *Character ſacramentalis eſt quædam participatio Sacerdotii Chriſti in fidelibus ejus, ut ſcilicet, ſicut Chriſtus habet plenam ſpiritualis Sacerdotii poteſtatem; ita fideles ejus ei configurentur in hoc, quod participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu ſacramentorum, & eorum, qua pertinent ad divinum cultum .... Sed Sacerdotium Chriſti eſt æternum, ſecundum illud Pſalm.* 109. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: *& inde eſt, quod omnis ſanctificatio, qua fit per Sacerdotium ejus, eſt perpetua, re conſecrata manente; quod patet etiam in rebus inanimatis. Nam Eccleſiæ, vel Altaris manet conſecratio ſemper, niſi deſtruatur*; ergo &c.

X. Sed dices primo. Gratia perfectior eſt charactere, cum ſit participatio naturæ divinæ, quæ æterna eſt, & immortalis: & tamen gratia non ineſt indelebiliter & inamiſſibiliter; ergo nec character.

Reſpondeo cum S. Thom. art. 5. citato, ad 1. *Quod aliter eſt in anima gratia, & aliter character. Nam gratia eſt in anima ſicut quædam forma, habens eſſe completum in ea: character autem eſt in anima, ſicut quædam virtus inſtrumentalis, ut ſupra dictum eſt. Forma autem completa eſt in ſubjecto ſecundum conditionem ſubjecti: & quia anima eſt mutabilis, ſecundum liberum arbitrium, quamdiu eſt in ſtatu viæ, conſequens eſt, quod gratia inſit anima mutabiliter. Sed virtus inſtrumentaria magis attenditur ſecundum conditionem principalis agentis: & ideo character indelebiliter ineſt animæ, non propter ſui perfectionem, ſed propter perfectionem Sacerdotii Chriſti, a quo derivatur character, ſicut quædam inſtrumentalis virtus.*

Hac ratione dicit S. Thom. ibi, *ad* 2. quod licet aliquis prava voluntate amittat fidem Baptiſmatis per apoſtaſiam a fide, non amittit tamen Characterem; quia hujus conſervatio non ex motu voluntatis humanæ dependet, ſed ex motione Dei. Et ideo *Quantumcumque humana voluntas moveatur in contrarium, character non removetur, propter immobilitatem principalis moventis.* Et adducit S. Auguſt. *lib.* 1. *de Bapt. contra Donat. cap.* 1. dicentem: *Nec ipſos apoſtatas videmus carere Baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur; & ideo amitti non poſſe judicatur.*

XI. Dices ſecundo. Quidquid ſit de charactere Baptiſmatis, character tamen Ordinis delebilis eſt per hæreſim, aut excommunicationem. Unde Ordinationes factæ ab hæreticis, excommunicatis, ſuſpenſis, quamvis antea legitime ordinatis, fuerunt (ſaltem olim) reprobatæ & iteratæ.

Reſpondeo, quod de hoc (ſi Deus annuerit) dicemus de ſacramento Ordinis. Modo nego abſolute ant. Eſto enim Ordinati ab hæreticis, ſuſpenſis, excommunicatis, vel alio modo contra formam ſacrorum Canonum, fuerint ſemper judicati ſuſpenſi, & irregulares; nunquam tamen fuerunt tamquam irritæ reprobatæ, ac iteratæ tales Ordinationes; dummodo factæ a Miniſtro legitime ordinato, & ſecundum formam ex Chriſti inſtitutione præſcriptam. De quo ſuo loco dicetur.

XII. Infertur ex his, cum S. Thom. *art.* 5. citato, ad 3. characterem remanere etiam poſt hanc vitam in Beatis, & Damnatis. Nam *Quamvis poſt hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen character: & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam: & in his qui vicerunt, ad gloriam, & in his, qui ſunt victi, ad pœnam.*

XIII. Circa ſecundam characteris proprietatem, dico, Character confert ſubjecto quamdam idoneitatem ad ea, quæ ſunt divini cultus. Probo ex dictis. Id enim ad externum Dei cultum dat idoneitatem, quod reddit objectum aptum ad alia ſacramenta, ſive recipienda, ſive miniſtranda: hoc autem facit character; nam in Baptiſmo reddit hominem aptum ad reliqua ſacramenta recipienda, ita ut (una excepta Euchariſtia, quæ non conſiſtit in uſu) irrita ſint, ſi non baptizato conferantur. In Confirmatione Neophytum reddit idoneum ad fidem coram quocumque publice confitendam. In Ordine reddit Miniſtrum aptum ad conficienda, & miniſtranda aliis ſacramenta.

§. III.

Subjectum Characteris.

XIV. SUppono, ſubjectum capax characteris eſſe ſolam creaturam, quia ſolum illud eſt capax characteris, quod eſt capax miniſterii, nempe, participandi poteſtatem: character enim non eſt ipſa ſubſtantialis & plena poteſtas, ſed ſolum participatio ejus. Sola autem pura creatura eſt capax miniſterii, per modum participationis. *Et propter hoc* (inquit S. Th. hac q. 63. art. 5.) *etiam Chriſto non competit habere characterem; ſed poteſtas Sacerdotii ejus comparatur ad characterem, ſicut id, quod eſt plenum & perfectum ad aliquam ſui participationem.* Character autem eſt ſolum quædam participatio Sacerdotii ipſius; & qui poteſtate in Eccleſia fruuntur, ſunt Miniſtri ipſius, & pro ipſo legatione funguntur, ut ait Apoſtolus 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Et 1. Cor. 5. v. 20. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Igitur in Chriſto non eſt character: hic enim eſt teſſera militis, non Ducis; ſignaculum ovis, non paſtoris, ſubditi, non Principis.

XV. Quod in quæſtionem venit, eſt: in qua parte hominis recipiatur character, ut in ſubjecto. Et quidem certum eſt, ſubjectum, ſaltem radicale, & ut *Quod*, characteris ſacramentalis eſſe animam. Primo: quia Florentinum, & Tridentinum Concilia definiunt, characterem in anima imprimi. Secundo: quia character eſt ſignum ſpirituale; ergo petit ſubjectum ſpirituale. Tertio: quia eſt indelebile; ergo petit ſubjectum, quod immutabiliter perſeveret; non ergo in compoſito humano, quod eſt corruptibile, ſed in anima immortali recipitur. Quærendum ergo ſolum reſtat: an recipiatur in anima immediate, & proxime: An vero ſubjectum immediatum, & *Quo* characteris ſit aliqua animæ potentia, nempe, intellectus, aut voluntas?

XVI. Dico. Subjectum proximum & immediatum characteris non eſt eſſentia animæ, ſed intellectus practicus. Ita S. Thom. 3. *part. quæſt.* 63. *art.* 4. Qui hoc diſcurſu probat priorem partem, *Character eſt quoddam ſignaculum quo anima inſignitur ad ſuſcipiendum, vel aliis tradendum ea, qua ſunt divini cultus: divinus autem cultus in quibuſdam actibus conſiſtit.* Sed *ad actus proprie ordinantur potentiæ animæ, ſicut eſſentia ordinatur ad eſſe*: ergo *character non eſt ſicut in ſubjecto in eſſentia animæ, ſed in ejus potentia.*

Poſterior pars colligitur ex eodem, ibid. ad 3. ſic: Cultus Dei, ad quem ordinatur character, *Eſt quædam fidei proteſtatio per exteriora ſigna*; ergo character in ea potentia recipi debet, in qua eſt fides; ergo intellectu practico.

XVII. Dices tamen contra primam partem, primo. Character, ex dictis, eſt quædam potentia ſupernaturalis; ergo debet recipi immediate in anima, in qua recipiuntur aliæ potentiæ naturales.

Reſpondeo, neg. conſ. cum S. Thom. citato, ad 2. Et diſparitas eſt inter potentias naturales, & ſupernaturales, qualis eſt character, quod illæ procedunt immediate ex principiis ipſius eſſentiæ, & ideo eſſentia animæ eſt ſubjectum immediatum earum. At character eſt quædam ſupernaturalis potentia ab extrinſeco adveniens, non ipſi animæ immediate, ſed ejus potentiæ, nempe, intellectui, elevando ipſum; ut ſuo imperio poſſit alias potentias movere, & applicare ad actiones, & paſſiones ad cultum Dei pertinentes. Unde ſicut gratia, quæ eſt prima radix vitæ ſupernaturalis, immediate recipitur in anima, quæ eſt prima radix vitæ naturalis: ita character, qui eſt potentia ſupernaturalis, debet immediate recipi in potentia naturali, cujus actum elevat: omne enim, quod ad actum ordinatur, eſt potentiæ tribuendum.

XVIII. Dices ſecundo. Idem eſt ſubjectum immediatum formæ, & diſpoſitionis ad illam: ſed ſubjectum immediatum gratiæ, ad quam diſponit character, eſt anima; ergo hæc erit ſubjectum immediatum Characteris.

Reſpondeo primo, neg. maj. Nam contritio eſt diſpoſitio ultima ad gratiam: & tamen gratia eſt in anima, & contritio eſt in voluntate. Rurſus: ex D. Th. 1. 2. *q.* 74. *art.* 4. *ad* 3. bonitas imaginationis, quæ eſt in ſenſu, eſt diſpoſitio ad ſcientiam, quæ eſt in intellectu: & ſimiliter peccatum veniale, quod eſt in ſenſualitate, poteſt eſſe diſpoſitio ad peccatum mortale, quod eſt in ratione —— Secundo, ex eodem S. D. in 4. *diſt.* 4. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. dico, maj. veram eſſe de diſpoſitione, quæ tranſit in formam; falſam vero de diſpoſitione, quæ non tranſit in formam: *Diſpoſitionem* (inquit) *eſſe in eodem cum eo, ad quod diſponit, non eſt neceſſe; niſi quando diſpoſitio poſtea fit perfectio: ſicut ſcientia diſpoſitio, & ſcientia habitus ſunt in eodem ſubjecto proximo. Non autem hoc oportet, quando diſpoſitio, & perfectio differunt per eſſentiam, ſed poſſunt eſſe in diverſis ſubjectis; & præcipue quando illa diverſa habent ordinem ad invicem: ſicut operatio ſenſibilis eſt diſpoſitio ad intelligibilem operationem: & ſimiliter character eſt diſpoſitio ad gratiam.* —— Tertio, diſtingui poteſt maj. & concedi, vel omitti de diſpoſitione phyſica; negari autem de diſpoſitione ſolum morali, & congruitatis, qualis eſt character: qui dicitur diſpoſitio ad gratiam, non quia inter unum, & alterum ſit ordo cauſalitatis, cum unum poſſit ſine alio manere; ſed tantum quædam congruitas. Cum enim uſus characteris ſit Deum colere; & hoc digne, ac religioſe fieri non poſſit ſine gratia; congruum eſt, ut Deus, qui dat characterem, det ex conſequenti etiam gratiam. Hæc notanda ſunt; poſſunt enim pluribus materiis deſervire.

XIX. Dices tertio contra eamdem. Abſolvere a peccatis, cantare Evangelium, profiteri fidem contra tyrannos, qui finguntur actus characteris, non ſunt actus characteris, ſed vel fidei, vel religionis, vel potentiarum externarum; ergo character non eſt principium alicujus operationis.

Confirmatur. Character Baptiſmi, utpote potentia mere receptiva, nihil agit, ſed ſolum diſponit ad recipienda alia ſacramenta; ergo &c.

XX. Reſpondeo, præfatas operationes non eſſe quidem actus characteris ab ipſo *elicitos*; eſſe tamen actus ab ipſo *imperatos*. Nam character Diaconi imperat, ut cantetur Evangelium, Sacerdotalis, ut abſolvatur a peccatis, ut

verba conſecrationis proferantur. Imperium autem eſt actus potentiæ animæ, nempe, intellectus.

Ad Confirm. fateor, characterem Baptiſmi eſſe potentiam non activam, ſed paſſivam: ſed cum ſit potentia paſſiva in ſe recipiens characterem Confirmationis, & Ordinis; ſi iſti non ſubjectantur immediate in eſſentia animæ, nec ille immediate in ea recipi poterit. Dici etiam poſſet, characterem Baptiſmi eſſe aliquomodo activum; imperat enim receptionem aliorum ſacramentorum.

XXI. Dices contra ſecundam partem. Character per ſe ordinatur ad actus divini cultus: ſed actus divini cultus exhibentur a voluntate, non ab intellectu; ergo in voluntate, non in intellectu eſt character.

Reſpondeo, characterem ordinari ad actus divini cultus, eos imperando, non eos eliciendo. Eſto autem elicere actus cultus ad voluntatem ſpectet, eos tamen imperare intellectus eſt.

QUÆSTIO VI.

De Auctore Sacramentorum.

DE cauſa efficiente ſacramentorum quæſtio eſt. Triplicem autem cauſam efficientem conſiderare poſſumus. Unam principalem, & omnino independentem, in qua eſt poteſtas auctoritatis. Aliam inſtrumentalem, in qua dicitur eſſe poteſtas excellentiæ. Aliam inſtrumentalem, ſed inſtrumenti ſeparati, in qua dicitur eſſe poteſtas miniſterialis. De cauſa efficiente ſacramentorum primo & ſecundo modo agemus hac in quæſtione. De cauſa autem tertio modo, nempe, miniſteriali, in ſequenti.

DUBIUM UNICUM.

An Chriſtus Omnia Novæ Legis Sacramenta inſtituerit: & an Omnia Immediate?

§. I.

Certa prænotantur.

I. CErtum eſt, ut docet S. Thom. 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 1. *&* 2. cauſam principalem ſacramentorum eſſe ſolum Deum: ipſe enim ſolus eſt, qui ex auctoritate gratiam dare poteſt: ipſe ſolus, qui principaliter operatur inferius ad effectum ſacramenti: Tum quia: ſolus ipſe eſt, qui illabitur animæ, in qua ſacramenti effectus exiſtit. Tum quia: gratia, quæ interior ſacramenti effectus eſt, a ſolo Deo principaliter venit, cujus naturæ eſt formalis participatio (* ut oſtendimus, *Tom.* 1. *in* 2. *quæſt.* 3. *de Grat. Habituali, dub.* 7. *)* Character autem, qui eſt interior quorumdam ſacramentorum effectus, virtus inſtrumentalis eſt a Deo manans: quæ reddit hominem capacem, vel recipiendi, vel tradendi aliis ſacramenta. Hinc fit, ſolum Deum poſſe ſacramenta principaliter inſtituere.

II. Quia vero Chriſtus eſt Deus, & homo: aliter eſt inſtitutor ſacramentorum, ut Deus, aliter ut homo: ſicut aliter in eis operatur, ut Deus, aliter ut homo. Quod exponit S. Thom. citata *quæſt.* 64. *art.* 3. ſequentibus verbis: *Interiorem ſacramentorum effectum operatur Chriſtus, & ſecundum quod eſt Deus, & ſecundum quod eſt homo: aliter tamen, & aliter. Nam ſecundum quod eſt Deus, operatur in ſacramentis per auctoritatem: ſecundum autem quod eſt homo, operatur ad interiores effectus ſacramentorum meritorie, & efficienter, ſed inſtrumentaliter. Dictum eſt enim, quod Paſſio Chriſti, qua competit ei ſecundum humanam naturam, cauſa eſt noſtræ juſtificationis, & meritorie, & effective: non quidem per modum principalis agentis, ſive per auctoritatem, ſed per modum inſtrumenti; in quantum humanitas eſt inſtrumentum divinitatis ejus .... Sed tamen quia eſt inſtrumentum conjunctum divinitati in perſona, habet quamdam principalitatem, & cauſalitatem reſpectu inſtrumentorum extrinſecorum, qui ſunt Miniſtri Eccleſiæ .... Et ideo ſicut Chriſtus, in quantum Deus, habet poteſtatem auctoritatis in ſacramentis: ita in quantum homo, habet poteſtatem miniſterii principalis, ſive poteſtatem excellentiæ.*

Hæc autem poteſtas excellentiæ, ut ibi proſequitur, conſiſtit in quatuor. Primo: quod ſacramenta habeant virtutem ſanctificandi, non ſolum meritorie, ſed efficienter a meritis & Paſſione Chriſti. Secundo: quod ſacramenta ſanctificentur in nomine Chriſti, & per invocationem nominis ejus conferri debeant. *Quem*, ut ait Apoſt. Rom. 3. *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ejus.* Tertio: quod Chriſtus potuit inſtituere ſacramenta, determinando materias, & formas ipſorum. Quarto: quod potuit etiam ſine ſacramentis gratiam conferre, & peccata remittere, ſicut legitur in Evangeliis erga multos feciſſe.

III. Poteſtatem auctoritatis, quam habuit Chriſtus, ut Deus, nulli creaturæ potuit communicare; poteſtatem autem excellentiæ *Potuit* (verba ſunt S. Thom. ibidem art. 4.) *Miniſtris communicare; dando ſcilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad ſacramentorum effectus; ut ad invocationem nominum ipſorum ſanctificarentur ſacramenta, & ut ipſi poſſent ſacramenta inſtituere, & ſine ritu ſacramentorum effectum ſacramentorum conferre ſolo imperio. Poteſt enim inſtrumentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem ſuam inſtrumento ſeparato tribuere; ſicut manus baculo.*

IV. Verum eſto potuerit, prætermiſit tamen (addit S. D. ibi, ad 1.) poteſtatem excellentiæ Eccleſiæ Miniſtris communicare: non ex invidia, *Sed propter fidelium utilitatem; ne in homine ſpem ponerent, & ne eſſent diverſa ſacramenta, ex quibus diviſio in Eccleſia oriretur, ſicut apud illos, qui dicebant.* Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, *ut dicitur* 1. *ad Cor.* 1. Hanc rationem hauſiſſe crediderim S. Thomam ex S. Auguſtino. *Tract.* 5. *Jo:* dicente: *Potuit autem Dominus Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicujus ſervo ſuo, ut daret Baptiſmum ſuum tamquam vice ſua; & transferre a ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare Baptiſmo traaslato in ſervum, quantum vim haberet Baptiſmus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo ſpes eſſet baptizatorum, a quo ſe baptizatos agnoſcerent. Noluit ergo ſervum ponere ſpem in ſervo. Ideoque clamabat Apoſtolus, cum videret homines volentes ponere ſpem in ſeipſo:* Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? .... *Intendite. Et potuit hanc poteſtatem ſervis dare, & noluit. Si enim daret hanc poteſtatem ſervis, ut ipſorum eſſet, quod Domini erat; tot eſſent Baptiſmi, quot eſſent ſervi: ut quomodo dictum eſt Baptiſma Joannis, ſic diceretur Baptiſma Petri, ſic Baptiſma Pauli &c. Ergo ne tot Baptiſmata dicerentur quot eſſent ſervi, qui baptizarent accepta poteſtate a Domino; ſibi tenuit Dominus baptizandi poteſtatem, ſervis miniſterium dedit.* Hæc Auguſtin. Quibus præmiſſis.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. DIco, Sacramenta novæ Legis omnia fuerunt a Chriſto inſtituta, & quidem immediate. Prior pars eſt dogma fidei. Unde Tridentinum, *Seſſ.* 7. *Can.* 1. *de Sacr. in Com.* anathemate ferit eum, qui *Dixerit ſacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta.* Et quidem: nam ſacramenta inſtituere, eſt rebus ſenſibilibus conjungere virtutem producendi gratiam: ad quam, cum res ſenſibiles nullam ſeipſis habeant proportionem, oportet, ut hanc accipiant ab Auctore gratiæ Chriſto.

VI. Probatur etiam, percurrendo ſingula. De Baptiſmo enim exploratum eſt, *Matth. ultimo, verſ.* 18. *&* 19. ubi Chriſtus ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* —— De Euchariſtia, *Matth.* 26. *v.* 26. ubi Chriſtus: *accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus &c.* Item, *Marci* 14. *Luca* 22. *&* 1. *Cor.* 11. —— De Pœnitentia, *Joann.* 20. *a v.* 21. ubi Jeſus diſcipulis ait: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis Ordinem quoque inſtituiſſe creditur. Quem præterea inſtituiſſe credendum eſt, cum, *Luca* 22. Euchariſtiam inſtituens, eam conficiendi Apoſtolis tradidit poteſtatem, dicens, v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*

VII. Tria autem reliqua ſacramenta, Confirmationem, Extremam unctionem, & Matrimonium, a Chriſto inſtituta fuiſſe Scriptura expreſſe non loquitur. Id tamen docet Eccleſia, Traditione fulta, in Tridentino, *Seſſ.* 7. *Can.* 1. citato. Id etiam docuit Sanctus Ambroſius, lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Auctor Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Jeſus? De Cælo iſta ſacramenta venerunt.* Et ſane: cum hæc tria, Confirmatio, Extrema unctio, & Matrimonium in Scripturis Canonicis commendentur, nec eorum inſtitutio expreſſa legatur; tunc ea fuiſſe a Chriſto inſtituta æquum eſt credere, cum, ut refert Sanctus Lucas, *Act.* 1. Chriſtus poſt Paſſionem, ac Reſurrectionem ſuam per dies quadraginta Diſcipulis apparens, loquebatur eis *de Regno Dei*, ideſt de Eccleſia ædificanda, & adminiſtranda; ad cujus ædificationem, & adminiſtrationem & fides & ſacramenta pertinent. Neque enim omnia, quæ fecit Jeſus, ſcripta ſunt, ut ait Joannes, *cap. ultimo, v.* 25. ea tamen a Chriſto indicata, vel promiſſa fuiſſe, ſuis locis oſtendetur.

VIII. Secunda vero pars non adeo explorata quovis tempore fuit. Veteres enim Scholaſtici quidem, ſacramenta Confirmationis, & Extremæ unctionis, mediate tantum a Chriſto, nimirum per Apoſtolos fuiſſe inſtituta docuerunt: quam opinionem expreſſe Eccleſia non damnavit. Quapropter Tridentini Patres, *Can. citato*, dum ſtatuerunt, omnia ſacramenta fuiſſe a Chriſto inſtituta, a voce *per ſe*, ſeu *immediate* conſulto abſtinuerunt. Et *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. loquens de Extremæ unctionis inſtitutione dicit, eam fuiſſe *Apud Marcum quidem* (cap. 6.) *inſinuatam, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fra-*

ni fratrem fidelibus commendatam, & promulgatam. Cavit enim Sacra Synodus, ne opiniones inter Catholicos agitari ſolitas proſcriberet; qualis erat opinio Hugonis a S. Victore, & Magiſtri Sent. qui Extremam unctionem a Jacobo Apoſtolo inſtitutam ſcripſerunt: & Halenſis, ac S. Bonaventuræ, qui Confirmationem poſt Apoſtolorum tempora in Concilio Meldenſi inſtitutam docuere. Sed unice intenta fuit, ut Lutheranos, ac Sectarios damnaret, qui negabant, aliqua ſacramenta eſſe divino jure inſtituta.

IX. Verum omnia ſacramenta fuiſſe a Chriſto Domino immediate inſtituta omnino tenendum eſt; & qui oppoſitum ſentiret, temeritatis notam non effugeret: cum Concilium Tridentinum in ſententiam affirmantem potius propendat, & nemo poſt ipſum oppoſitum tenere auſus fuerit. Quæ enim ab Eccleſia ex inſtinctu Spiritus Sancti inſtituta ſunt, non ea dicere ſolemus a Chriſto eſſe inſtituta: ſicut nec illa, quæ immediate ab Eccleſia ſolum præcepta ſunt, quamvis ea Deus mediate præceperit, dum Eccleſiæ parendum decrevit, dicuntur a Deo fuiſſe præcepta. Unde dici debet, Concilium Meldenſe Confirmationem non inſtituiſſe, ſed a Chriſto inſtitutam promulgaſſe; ſicut & Tridentinum *Seſſ.* 14. dicit, Extremam unctionem a Chriſto inſtitutam, fuiſſe a Jacobo promulgatam.

X. Hujus etiam urgens ratio eſt. Nam ſacramenta veteris Legis a Deo fuerunt immediate inſtituta, a Moyſe autem ſolum promulgata; ut patet ex libris Exodi, & Levitici, in quibus cum aliquid novi inſtituitur, ſemper legitur: *Locutus eſt Dominus ad Moyſem*: ergo multo magis decuit, ut ſacramenta novæ Legis, quæ præſtantiora ſunt, ab ipſo Deo immediate inſtituerentur, & ab homine, vel Eccleſia ſolum promulgarentur. Unde Apoſtolus, 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos* (inquit) *exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, non dixit *Inſtitutores*, ſed *Miniſtros*, *Diſpenſatores*. Et hoc, ut ſupra dicebamus ex Auguſtino, ne homines ſpem reponerent in homine.

XI. Hanc meram diſpenſandi ſacramenta poteſtatem, ac ritus in eis adminiſtrandi, præſcribendi pro rerum, ac temporum varietate; ſalva tamen ſemper eorum ſubſtantia, fatetur Tridentinum, *Seſſ.* 21. *Cap.* 2. Cujus pulchram rationem dat S. Thom. in *Supplem.* 3. *part. quæſtion.* 6. Et in 4. diſt. 17. quæſtion. 3. art. 1. quæſtion. 1. *Quia Miniſtri Eccleſiæ inſtituuntur in Eccleſia divinitus fundata. Et ideo inſtitutio Eccleſiæ præſupponitur ad operationem Miniſtrorum, ſicut opus creationis præſupponitur ad opus naturæ. Et quia Eccleſia fundatur in fide, & in ſacramentis; ideo ad Miniſtros Eccleſiæ novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova ſacramenta inſtituere, aut inſtituta removere, non pertinet; ſed hoc eſt poteſtatis excellentia, quæ ſoli debetur Chriſto, qui eſt Eccleſiæ fundamentum.*

XII. Si dicas. Non omnium ſacramentorum inſtitutio eſt ſcripta, ſed aliquorum eſt tantum tradita; ſed ut Auguſtinus docet, *Epiſt.* 118. modo 54. ad Januarium: *Illa autem* (inquit) *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri*; ergo &c.

XIII. Reſpondeo in primis falſam eſſe maj. Ut enim diximus: eſto aliquorum ſacramentorum inſtitutio expreſſa non legatur in Scripturis, in eis tamen inſinuatur. Deinde Aug. ibi de ſacramentis non loquitur, ſed de ritibus, ac cæremoniis, & præſertim Feſtis: ſicut quod *Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cælum, & Adventus de Cælo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur*. Cæterum de ſacramentis loquens, ea omnia a Chriſto Domino inſtituta fuiſſe ſuperius dixerat.

QUÆSTIO VII.

De Sacramentorum Miniſtris.

DE Miniſtris, ſeu diſpenſatoribus ſacramentorum quæremus primo. Quis ſit miniſterii capax. Secundo: An in Miniſtro requiratur intentio, & qualis. Tertio: An in eo requiratur fides. Quarto: An probitas.

DUBIUM I.

Quinam ſit idoneus Sacramenti miniſter.

§. I.

An ſit ſolus Homo.

DOcuit Scotus, Angelum in corpore aſſumpto poſſe eſſe, de Lege ordinaria, Miniſtrum Baptiſmi. Attamen cum S. Thoma 3. *part. q.* 64. *art.* 7.

I. Dico primo. Solos homines, non autem Angelos, de Lege ordinaria poſſe eſſe Miniſtros Baptiſmi, & aliorum ſacramentorum. Probo primo ex Apoſtolo, ad Heb. 5. verſ. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum*. Sed Angeli non ſunt ex hominibus; ergo non ſunt conſtituti ordinarii Miniſtri ſacramentorum.

Secundo, ratione S. Thom. Tota Virtus ſacramentorum a Paſſione Chriſti derivatur, quæ eſt Chriſti, ſecundum quod homo: ſed Chriſto, ſecundum quod homo conformantur homines, non Angeli; ergo ſoli homines ſunt ſacramentorum Miniſtri.

Tertio. Illi ſoli poſſunt eſſe ordinarii ſacramentorum Miniſtri, quibus Chriſtus ſacramentorum inſtitutor contulit hanc poteſtatem: ſed hanc contulit ſolis hominibus; ergo &c. Min. prob. Solis hominibus, *Matth.* 28. dixit: *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos*. Solis hominibus, *Luc.* 22. dictum eſt: *Hoc facite in meam commemorationem*. Solis hominibus, *Jann.* 20. dicitur: *Quorum remiſeritis peccata &c.* Dicta enim hæc ſunt Apoſtolis, qui erant homines.

II. Sed dices. Si iſte diſcurſus robur habet, evincit etiam, ſolos homines viatores, non vero comprehenſores eſſe ſacramentorum ordinarios Miniſtros: nam ſicut Chriſtus citatis locis ſolos homines alloquebatur, ita etiam alloquebatur ſolos viatores: ſed hoc eſt falſum. Tum quia: in Beatis adhuc manet character ſacerdotalis. Tum quia: nullus Patrum, inter conditiones requiſitas ad Miniſtrum, poſuit ſtatum viatoris.

III. Hæc inſtantia tangit difficultatem hic agitari ſolitam: An ordinarius Miniſter ſacramentorum ſit ſolus homo viator, an vero etiam Comprehenſor. In hac duæ ſunt opiniones. Una negans, homines Comprehenſores, ex vi inſtitutionis Chriſti, eſſe conſtitutos Miniſtros ordinarios ſacramentorum: quia licet in illis adhuc maneat character, quem acceperunt in via; non manet tamen ad uſum, ſed ad diſtinctionem ſolum, & ornatum. Immo ſtatus viatoris recenſetur inter conditiones, quas Paulus Apoſtolus, *Hebr. 5. verſ.* 2. prærequirit in ordinario Miniſtro, nempe: *Qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam, & pro ſemetipſo offerre pro peccatis*. Et rurſus: cum ſacramenta inſtituta ſint pro ſtatu viæ, & pro Eccleſia hic militante: conſentaneum eſt, quod ordinarius eorum Miniſter ſit pars ejuſdem Eccleſiæ, & de corpore viatorum; qui ſoli, ſicut poſſunt ſacramenta recipere, ita & poſſint ea ordinarie conferre.

Altera eſt affirmans. Ita ut ſi Comprehenſor in corpore glorioſo appareret, aut miraculoſe reſurgeret; abſque novo miraculo, & commiſſione ſpeciali Chriſti poſſet uti charactere jam ſuſcepto, & ſacramenta conficere, ac miniſtrare. Cui videtur ſuffragari Sanctus Thomas, *artic.* 7. ſupra citato, *ad* 2. ubi dicit: quod *Sancti, qui ſunt in Cælo, ſunt ſimiles Angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem quantum ad conditionem naturæ; & per conſequens neque quantum ad ſacramenta*. Cumque Angeli, ſaltem via extraordinaria, poſſint miniſtrare ſacramenta, ut dicemus; homines Comprehenſores id poterunt via ordinaria; ſuppoſito tamen, quod per miraculum, vel aſſumerent corpus, vel iterum corpori unirentur.

Huic opinioni adhærerem, in caſu tamen, quo anima beata iterum corpori uniretur, ut in Reſurrectione fiet. Nam tunc eſſet homo: & ſi adhiberet omnia ad valorem ſacramenti neceſſaria, cum habeat characterem, poſſet ex vi inſtitutionis Chriſti, abſque nova commiſſione, verum ſacramentum conficere, ut Miniſter tamen extraordinarius. Nam miniſter ordinarius, præter hoc, debet eſſe viator, & converſari cum hominibus, & cum illis infirmitate circumdari, ut ait Apoſtolus.

IV. Sed dices primo. Si quis ex Pontificibus mortuis, & beatis reſurgeret, non eſſet habendus ut Pontifex; ergo neque ut ſacramenti miniſter —— Reſpondeo, neg. conſ. Quia dignitas Pontificia dicit poteſtatem juriſdictionis, quæ morte expirat: non ſic poteſtas Ordinis, cum remaneat character.

V. Dices ſecundo. In hac opinione fieret, ut Sacerdos anima & corpore in Inferno damnatus, ſi haberet ibi panem, & vinum, poſſet illa ibi conſecrare; Et ſi fuiſſet Epiſcopus, ab eo ibi poſſent ordinari Sacerdotes: quæ abſona ſunt —— Reſpondeo, conc. totum, abſolute loquendo, & quantum eſt ex vi characteris. Sed Deus neque hoc permiſit, neque permittet unquam, ut quis in Inferno, aut etiam in Cælo exerceat poteſtatem ſacerdotalem, eſto hæc in eo remaneat.

VI. Dico ſecundo. Poſſunt Angeli facultate extraordinaria accepta a Chriſto fieri Miniſtri ſacramenti. Loquor autem de miniſterio, quo conficitur ſacramentum, non quo ſacramentum jam confectum pure exhibetur, ut cum alicui Euchariſtia porrigitur. Neque enim eſt dubium, quod quicumque daret Euchariſtiam jam conſecratam, ſive homo, ſive Angelus ſit, valide daret. Hoc docet S. Thom. *artic.* 7. citato, his verbis: *Sciendum tamen, quod ſicut Deus virtutem ſuam non alligavit ſacramentis, quin poſſit ſine ſacramentis effectum ſacramentorum conferre: ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ Miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in ſacramentis*. Unde narrat Nicephorus, *lib.* 11. *Eccleſ. cap.* 20. Sanctum Amphilochium in deſerto ab Angelis conſecratum fuiſſe in Epiſcopum;

ejusque consecrationem ratam a cæteris Episcopis habitam fuisse.

Addit tamen S. Thomas: quod *Quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum; quia deberet constare hoc fieri voluntate divina: sicut quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata* (ut Templum S. Michaelis in Monte Gargano, & D. Dionysii in Gallia prope Parisios erectum, de quo Gaguinus, lib. 3. cap. 2. & 3.) *Si vero Dæmones, qui sunt Spiritus Mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.*

VII. Quare impie desipuit Lutherus, *leg. de Missis privatis, & Unct. Sacerd.* dum asseruit: *Si Diabolus ipse veniret, & ego postea rescirem, Diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ specie hominis vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, celebrasse Missam & absolvisse a peccatis, & tali munere functum esse juncta institutione Christi: tunc cogeremur fateri, sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis & sanguinis Christi nos accepisse.* Mirum tamen non est, Lutherum tantam fidem Diabolo habere; cum ejus suasu etiam ad abrogandam Missam permotus fuerit, ut ipse testatur, *l. de Missa Angulari.* Impie tamen, inquam, non enim esset credendum, Diabolum tantam potestatem a Deo accepisse. Idcirco cum mulier obsessa multos baptizasset in oriente, Episcoporum judicio, ii omnes iterum abluti fuerunt, ut scribit Firmilianus Cæsarienfis Episcopus ad Sanctum Cyprianum.

VIII. Si autem dicas: Quomodo Angeli etiam boni possunt sacramenta conficere, quæ vera sint; si ad hoc requiritur verborum prolatio, quæ in Angelis, etiam corporibus assumptis, esse non potest, ut docet S. Thom. 1. *part. quæstion.* 51. *art.* 3. *ad* 4.

Respondeo, in Angelis quidem etiam assumptis corporibus, non posse dari veram verborum prolationem; si per ly *veram* intelligatur prolatio vitalis, seu vitaliter prolata: posse tamen esse in eo veram verborum prolationem, si per ly *veram* intelligantur verba significativa. Nam hæc verba *Ego te baptizo* non minus vere significant, ut a Deo elevata, internam animæ ablutionem, prolata ab Angelo, quam prolata ab homine.

§. II.

An Omnis Homo Viator sit Minister Ordinarius Sacramentorum?

IX. MArtinus Lutherus, qui, ut nuper retulimus, ratum habuit sacramentum, etsi confectum foret a Diabolo; dicit etiam, omnes, & solos homines baptizatos habere potestatem omnia sacramenta ministrandi; etsi ad vitandam confusionem non oporteat ea omnes uti, sed solum eos, qui legitime sunt vocati; exceptis tamen tribus casibus. Primus: si esset in loco privato, puta domi. Secundus: si esset solus, & nullus alius adesset. Tertius: si alius adesset, & non tam bene faceret, sicut ipse. Hunc errorem passim expressit, & præsertim, *lib. de Captivit. Babylon. cap. de Ordine.* Ubi ait: *Esto certus, & sese agnoscat, quicumque se Christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse Sacerdotes; hoc est, eamdem in verbo, & sacramento quocumque habere potestatem. Verum non licere quemquam hac ipsa uti sine consensu Communitatis, vel vocatione majoris.*

X. Exploratum tamen in Ecclesia Catholica semper fuit non omnes esse sacramentorum ordinarios Ministros; neque in omnibus hominibus, sive masculis, sive feminis, residere potestatem ea administrandi. Unde Leo X. hanc Lutheri propositionem damnavit: *Ubi non est Sacerdos, æque potest quilibet Christianus* (ministrare sacramenta) *etiamsi mulier, aut puer esset. Qui enim baptizatus est, spiritum Christi habet: ubi autem Spiritus Christi, ibi omnium potestas, & libertas.* Quem errorem proscripsit postea etiam Tridentinum, Sess. 7. Can. 10. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

XI. Dico ergo. Verus Minister sacramentorum (Baptismo, & Matrimonio exceptis) non est quilibet homo, etiam baptizatus; sed is solum, qui in Ecclesia rite ordinatus est. Dixi Baptismo, & Matrimonio exceptis; Quia etiam laici Ministri Baptismi sunt, in casu necessitatis: & contrahentes Matrimonium esse illius sacramenti Ministros, plerique Theologorum docent.

Nostra Assertio ex Scripturis probatur. *Rom.* enim 12. *v.* 4. dicit Paulus: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo .... Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes... sive ministerium, in ministrando, sive qui docet, in doctrina.* Patet autem, in corpore physico unum membrum non habere facultatem ad omnia munera in corpore obeunda; ergo nec quilibet Christianus ad omnia ministeria.

Secundo. 1. Cor. 12. vers. 5. *Divisiones ministrationum sunt &c.* quod repetitur, *ad Ephes. 4. vers. 12.* —— Nec dicat Lutherus, Paulum negare usum, non potestatem. Nam eodem modo ibi loquitur de ministerio, ac de prophetia, & aliis gratis datis: horum autem non omnes habent non solum usum, sed nec potestatem. Sicut ergo nec Apostoli habebant potestatem apostolicam, nec Prophetæ prophetiam, antequam eam specialicet acciperent: ita nec fideles potestatem ministrandi &c.

XII. Hinc idem Paulus, ad Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Nec locus iste potest intelligi de exercitio. Nam Aaron, antequam vocaretur a Deo ad Sacerdotium, non habebat neque usum, neque potestatem. Addo; quod assumere honorem, non est exequi potestatem, sed eam accipere; unde de Christo, qui hac potestate fruebatur, subdit, *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.*

XIII. Ex quibus confirmantur dicta. In veteri Lege, in qua erant sacramenta imperfectiora, non omnes circumcisi poterant ea ministrare, sed soli Sacerdotes, immo nec sacra tangere: qui enim hoc ausi fuerint, pœna etiam mortis a Deo mulctati fuerunt, ut Core, Dathan, & Abiron, *Num.* 16. & Oza 2. *Reg.* 6. *vers.* 7. Ergo nec omnes baptizati in nova Lege, in qua sacramenta sunt sanctiora.

Scio, Lutherum dicere, Christianos omnes in Baptismo factos esse Sacerdotes, dicente Petro, Epist. 1. cap. 2. vers. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium &c.* Et Joanne, Apoc. 5. vers. 10. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.*

XIV. Sed contra est primo. Quia illa verba debent intelligi de Sacerdotio improprie & generaliter dicto; quo quisque Christianus offerre potest spirituales hostias Deo, nempe, Dei laudes, & gratias illi persolvere. Unde subdit S. Petrus: *Ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Addo: id, quod S. Petrus tribuit Christianis, legitur a Deo per Moysem dictum de Hebræis, Exod. 19. v. 6. *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale.* Et tamen non omnes habebant sacerdotalem potestatem, sed soli filii, & posteri Aaron; alias si quis eam ex alia stirpe usurpasset, Dei indignationem subibat, ut nuper dicebamus. Et insuper Ozias Rex lepra percussus est, quia munere sacerdotali fungi voluit, ut legitur, 2. *Paralip.* 26. Eademque de causa, 1. *Reg.* 13. Saul reprobatus fuit. Neque aliquid evincit, quod ex Apocalypsi addit Lutherus. Ibi enim conjungitur cum Sacerdotio Regnum; ergo sicut non omnes Christiani habent potestatem regalem; ita nec omnes habent potestatem sacerdotalem.

XV. Probandum modo est, falsum esse, omnes in Baptismo ordinatos esse Sacerdotes. Primo Apostoli baptizati fuerunt ante Christi Passionem. Nam cum *Jo:* 4. *v.* 2. legitur, quod baptizabant, credendum est eos fuisse prius baptizatos, ut observat Augustinus. *Epist.* 108. modo 265. *ad Seleucianum.* Nec est credibile, Christum per non baptizatos servos baptizasse; sed tunc nondum erant Sacerdotes. Nam ad conficiendam Eucharistiam instituti fuerunt in ultima Cœna, per illa verba, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ad absolvendum autem potestatem acceperunt, *Jo:* 20. cum dixit: *Quorum remiseritis peccata &c.* ergo &c.

Secundo. Si Christiani omnes fierent in Baptismo Sacerdotes; hoc ideo esset, quia ibi unguntur gratia Spiritus Sancti; ergo qui in Baptismo non recipit hanc unctionem, quia illum indigne suscipit; vel post eam acceptam amittit per peccatum, utpote hac unctione gratiæ privatus, non erit Sacerdos, nec vere sacramenta conferet; quod tamen Lutherus contra Anabaptistas negat. Neque poterit dicere, in eo remanere characterem; hunc enim, ut vidimus, Lutherani negant.

Tertio. Si omnes in Baptismo instituuntur Sacerdotes, nemo posset privari usu, nisi in pœnam magni criminis —— Nec valet dicere, non permitti omnes Sacerdotio fungi, ne oriatur confusio —— Nam contra est. Hæc enim confusio tolli potest, si omnes non simul, sed per vices Sacerdotio fungerentur; ut olim inter Levitas fiebat. Vel saltem non posset juste repelli, qui vellet fungi ministerio suo; maxime quando sunt pauci Ministri, etiamsi non vocaretur a magistratu.

XVI. Multa coacervat Scripturæ loca Lutherus, & discurrit sic, Officia Sacerdotis sunt concionari, baptizare, consecrare, absolvere, sacrificare, orare pro aliis, & judicare de doctrinis, sed omnes Christiani hæc omnia possunt; ergo &c. Min. prob. primo. Quod omnes possint concionari, probat ex illo. 1. Petri 2. v. 9. *Ut virtutes annuntietis ejus;* & ex illo, 1. Cor. 14. v. 26. *Unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet;* & v. 31. *Potestis autem omnes per singulos prophetare.*

Secundo. Quod omnes possint baptizare, probat ex usu Ecclesiæ Catholicæ, quæ concedit etiam mulierculis, ut baptizent, & proinde, ut ministrent verbum: nec enim Baptismus sine verbo constat.

Tertio. Quod omnes possint Eucharistiam consecrare, probat; quia, *Luca* 22. omnibus Christus dixit: *Hoc facite &c.* Et Paulus, 1. *Cor.* 11. *v.* 23. totam Ecclesiam alloquitur, cum dicit: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis.*

Quar-

Quarto. Quod omnes poſſint abſolvere, probat ex illo, Matth. 18. v. 28. *Quæcumque alligaveritis &c.*

Quinto. Quod omnes poſſint ſacrificare probat: quia nullum in Eccleſia eſt ſacrificium, niſi iſtud: Roman. 12. verſ. 1. *Ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam &c.*

Sexto. Quod omnes poſſint orare, probat: quia oratio Dominica omnibus eſt communis.

Septimo. Quod omnes poſſint judicare de doctrinis, probat ex Joann. 10. verſ. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et Matth. 7. verſ. 15. *Attendite a falſis Prophetis.*

XVII. Reſpondeo, nego min. quoad omnes partes. Ad primam probationem, nego, omnibus competere officium concionandi. Locus enim Petri, 1. c. 2. *Ut virtutes annuntietis &c.* intelligitur de laude privata, ideſt, ut laudetis virtutes Dei, non autem de publica concione. Locus autem Pauli: *Unuſquiſque veſtrum Pſalmum habet &c. Poteſtis omnes prophetare*, non intelligitur de omnibus Chriſtianis, ſed de omnibus illis, qui habebant ea dona: non autem omnes habebant donum linguarum, nec omnes prophetiam.

XVIII. Ad ſecundam dico, mulieres apud nos baptizare in caſu neceſſitatis, ex permiſſione, non ex officio; eo modo, quo permittitur etiam Judæis & Turcis ob ſummam Baptiſmi neceſſitatem. Sicut ergo non ſequitur: Turca poteſt baptizare; ergo poteſt omnia ſacramenta miniſtrare; ergo eſt verus Sacerdos; ita nec valet: Femina poteſt baptizare; ergo omnia ſacramenta conferre; ergo eſt verus Sacerdos.

XIX. Ad tertiam dico, ly, *Hoc facite* dictum fuiſſe, non omnibus, ſed ſolis Apoſtolis, & Sacerdotibus: alias & feminæ, & pueri tenerentur conſecrare Euchariſtiam, non ſolum accipere. Verba autem Pauli: *Hæc tradidi vobis:* non indicant, omnibus traditam poteſtatem conſecrandi: ſed omnibus traditum, ideſt, explicatum, ac declaratum, quod Dominus inſtituerat.

XX. Ad quartam dico, illa verba dicta fuiſſe Eccleſiæ, quæ ligat, & ſolvit, non per quoſcumque, ſed per ſuos Præſules. Sic corpus loquitur, ſed per linguam, non per manum; non enim omnia corporis membra eumdem actum habent, ut ait Paulus, *ad Rom. 12. v. 4.*

XXI. Ad quintam nego, in Eccleſia non eſſe aliud Sacrificium, quam mortificationis vitiorum. Ad hoc enim non requiritur Altare: in Eccleſia autem, Hebr. 13. v. 10. *Habemus Altare, de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deſerviunt;* nempe, Euchariſtiam, quam verum eſſe Sacrificium infra dicemus.

XXII. Ad ſextam dico, ſacerdotis eſſe orare, non abſolute, ſed ut publicam perſonam, pro ſe, & pro populo, *Hebr. 5.*

XXIII. Ad ſeptimam dico, in omnibus eſſe poteſtatem quidem judicandi, an doctrina, quam audiunt, ſit conformis doctrinæ ipſis traditæ per Paſtores: judicare tamen de doctrina, eam revocando ad Scripturam, & de ea ſententiam ferre, non omnium eſt, ſed Præſulum, & Eccleſiæ.

XXIV. Arguit inſuper Lutherus. Qui baptizatus eſt, habet ſpiritum Chriſti, ubi autem ſpiritus Chriſti eſt, ibi omnium poteſtas, & libertas.

Rurſus: Chriſtus eſt Sacerdos in æternum: ſed omnes Chriſtiani ſunt fratres Chriſti, qui, *Rom. 8. v. 29.* dicitur *Primogenitus in multis fratribus;* ergo &c.

XXV. Reſpondeo, maj. non eſſe univerſaliter veram. Multi enim baptizantur, qui nec fidem habent, nec pœnitentiam, & non accipiunt ſpiritum Chriſti: multi etiam recipiunt, qui poſtea amittunt, & tamen non amittunt Baptiſmum —— Deinde, nego etiam min. Nam multi in Baptiſmo habent ſpiritum Chriſti, qui non habent omnium poteſtatem: nec enim poſſunt variis linguis eloqui, futura prædicere, miracula facere; ergo neque poterunt ſacramenta omnia conferre.

Ad ſecundum dico, diſcurſum nihil concludere. Nam Chriſtus eſt Sacerdos, ſecundum ordinem Melchiſedech. Dato autem, in Sacerdotio Aaronico omnes fratres fuiſſe Sacerdotes: in ſacerdotio tamen Melchiſedech ſolus primogenitus erat Sacerdos: hic autem eſt ſolus Chriſtus —— Secundo. In Sacerdotio Aaronico ſoli fratres naturales erant Sacerdotes, non adoptivi; quales ſumus nos relate ad Chriſtum —— Tertio. Si, quia fratres Chriſti, omnia haberemus, quæ Chriſtus; cur non omnes prophetamus, cur non facimus miracula, ſicut ipſe?

DUBIUM II.

An in Miniſtro Sacramenti requiratur Intentio?

§. I.

Quedam Prænotantur.

I. INtentio, de qua hic loquimur, eſt actus voluntatis libere ſe moventis in finem. Hæc autem triplex eſt. Actualis, virtualis, & habitualis. Actualis intentio eſt præſens rei volitio cum mentis attentione: puta, cum quis conferens ſacramentum, in actu, quo confert, cogitat de eo conferendo, & actu intendit illud conferre. Ea autem attentio poteſt eſſe, vel ad rem volitam, vel ad actum, quo voluntas rem ipſam vult. Si primum: actualis intentio dicitur directa: ſi ſecundum, dicitur reflexa. Virtualis intentio dicitur, quæ, licet actu tranſierit, manet tamen, & continuatur in actu ex illa ſecuto. Sic eſto qui ſacramentum confert, non habeat tunc actualem intentionem; quia tunc actu non cogitat de ſacramenti adminiſtratione, cum ſit diſtractus; ſi tamen prius illam habuit, & ex ea ſe movit ad agendum, dicitur intentio prior virtualiter manere in actu, quem facit, & in virtute illius agere quod agit. —— Habitualis vero eſt promptitudo quædam ad volendum aliquid ex habitu proveniens, quam nulla præceſſit intentio; vel ſi præceſſit, jam eſt moraliter interrupta: atque adeo nec per ſe, nec per virtutem a ſe relictam cenſetur influere in actionem: puta, cum quis ſolitus baptizare, abſque ulla præcedente intentione, aut reflexione baptizat: vel volens heri baptizare, abſque alia intentione, aut reflexione hodie baptizat.

II. Lutherus ſuis inſaniis hanc etiam addidit: nullam in Miniſtro intentionem requiri. Quare etſi Miniſter joco, aut irriſorie, vel ficte ſacramentum conferat; dummodo materiam apponat, & verba proferat ex præſcriptis Chriſti, dicit, perficere Sacramentum. In Articulo enim 12. ex damnatis a Leone X. ait: *Sacerdos etiam levis, ac ludens, vere tamen baptizat, & abſolvit.* Et in Concionibus: *Eſto confeſſus non ſit contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat, ſi tamen credat ſe abſolutum, vere eſt abſolutus.*

Omnes tamen Catholici Doctores conſentiunt, in Miniſtro requiri intentionem, ut valide conferat ſacramentum: quamvis in aſſignando, qualis debeat eſſe talis intentio, & quales ejus objectum (de quo Dubio ſequenti erit ſermo) diſſideant.

§. II.

Veritas Catholica.

III. DIco. Ad valorem ſacramenti requiritur in Miniſtro aliqua intentio ſeria & ſincera. Eſt dogma fidei ſancitum primo a Concilio Florent. *in Decreto pro Armenis*, his verbis: *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur ſacramentum.* Secundo. A Tridentino. Tum *Seſſ. 7. Can. 11.* his verbis: *Si quis dixerit, in Miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; anathema ſit.* Tum *Seſſ. 14. Can. 9.* ubi directe contra Lutherum eidem anathemati ſubjicit, qui dixerit, pœnitentem eſſe abſolutum, modo ſe eſſe abſolutum credat, etiamſi *Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat.* Cum enim Lutherus velit, ut ſupra, ſacramenta ſolum excitare fidem, & in hac excitanda non pendeant a ſeria, vel ludicra intentione Miniſtri; dummodo in ſuſcipiente fides excitetur, nihil refert, ſi Miniſter agat per jocum.

IV. Catholica hæc Aſſertio ſic probatur. Ad valorem ſacramenti requiritur, ut actio, qua fit, ſit actio humana, & deliberata; & proinde ſacramentum collatum a dormiente, ab ebrio, ab amente nullum eſt: Et Baptiſmus ab Energumenis collatus, in quibus lucidum intervallum non apparebat, ab Antiquis iteratur, ut ex *Epiſtola Firmiliani ad S. Cyprianum* ſupra relata, *Dub. præcedente*, in qua reprobatur Baptiſmus ab Energumenis datus: atqui ut actio ſit humana, requiritur, ut ex intentione, ac libera electione procedat: ergo &c.

Rurſus: ſi ad vere baptizandum nulla requireretur in baptizante intentio, ſed mera prolatio verborum ſuper materiam ſufficeret, ſequeretur, quod ſi peſitacus edoctus aqua aliquem ablueret, ſimulque diceret: *Ego te baptizo &c.* valide baptizaret. Nam materiam adhiberet, formam proferret, & in eo, qui ſic baptizaretur, poſſet excitari fides: ſed hoc Lutheranus, puto, non admittet; ergo &c. Si dixeris, validum non fore, quia Baptiſmus conferri debet ab homine, non a bruto: Contra. Sed quare ab homine, niſi quia conferri debet humano modo; & conſequenter cum intentione, & voluntarie libere?

§. III.

Contraria Solvuntur.

V. PRimo objiciunt. Auguſtinus *Tract. 5. in Joann.* Admittit validum eſſe Baptiſmum ab ebrioſo datum: at in ebrioſo nulla eſt intentio, cum nulla ſit libertas; ergo &c.

Confirmatur. Idem Auguſtinus *ibidem*, ait: *Sic ergo quos baptizavit ebrioſus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, ſi Baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic eſt qui baptizat* (hæc Auguſtini verba referuntur, *De conſecratione, diſtinct. 4. capit. Baptiſmus*) ergo ſimiliter quicumque ſit qui baptizat, ſive intendat, ſive non: dummodo baptizet Baptiſmo Chriſti, Chriſtus eſt, qui baptizat.

Rur-

Rursus: idem, *lib. 7. de Bapt. contra Donatistas cap. 53.* (relatus cap. solet de consecrat. *dist. 4.*) dicit, quod si in Baptismo *Totum ludicre, & mimice ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus, implorandum esse censerem*; ergo non est exploratum, Baptismum absque intentione, & mimice collatum nullum esse.

VI. Respondeo, nego min. Aliud enim est *Ebrius*, aliud *Ebriosus*. Ebrius est, qui vino actu madens sui compos non est: ebriosus, qui vino frequenter se ingurgitat. In illo nulla est libertas: in isto potest esse, cum actu ebrius non est. Et ab isto Baptismum collatum asserit Augustinus valere.

Ad Conf. nego conseq. Facile enim conjicitur ex verbis S. Doctoris, & ex eo, quod ibi probare volebat, contra Donatistas asserentes validitatem sacramenti pendere a sanctitate Ministri, eum nil aliud intendere, quam quod sanctitas Ministri non sit attendenda ad validitatem sacramenti. —— At si dicas. Si ad validitatem sacramenti non requiritur sanctitas in Ministro; quia ut ait Augustinus, *Christus est, qui baptizat*: cur non dicetur, nec Ministri intentionem requiri, quia Christus est, qui baptizat? Respondeo, hoc ideo esse, quia Christus voluit, sacramenta sua ministrari per homines; & consequenter humano modo, cum libertate, & electione, ad quam requiritur agere ex intentione finis: alioquin etiam creaturæ irrationales, immo & Dæmones, possent valide sacramenta ministrare, etsi illæ libertate incapaces sint: isti autem supponuntur non habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Ad id, quod additur, dico, jam advenisse oraculum, quod desiderabat Augustinus, nempe, definitiones Conciliorum Florentini, & Tridentini, quibus statuitur, sacramenta sine intentione, vel mimice, ac joco collata non valere. Quare hæc controversia, quæ Augustini temporibus judicium expectabat, modo finita est. Dico etiam, Sanctum Augustinum non desideasse oraculum, ut sciret, an Baptismus ludicre, & sine ulla intentione datus valeret: sed, ut sciret, an qui ludens baptizavit, intenderit vere Baptismum conferre, an illusorie tantum; ut exponit Sanctus Thomas, in *4. distinct. 6. in fine in expos. textus*.

VII. Secundo objiciunt varia exempla. Primo. Novatianus Antipapa tertio Ecclesiæ sæculo a tribus Episcopis vino temulentis ordinatus fuit: & tamen talis ordinatio valida fuisse videtur.

Rursus: Alexander Episcopus Alexandrinus ratum habuit Baptisma a Sancto Athanasio adhuc puero sociis suis pueriliter jocando collatum, ut refert Sozomenus, *lib. 2. Histor. Eccles. cap. 17.* ergo valet sacramentum collatum per jocum.

Tertio. S. Genesius (ut in Martyrologio ad diem 24. Augusti) Romæ in Theatro ludens coram Diocletiano, ab uno ex mimis sodalibus suis ad irrisionem religionis Christianæ baptizatus fuit: & tamen Baptismus ille validus fuit. Immo Angelus ante ablutionem Genesio apparens, promisit ei per illam aquam remissionem peccatorum.

VIII. Respondeo ad primum, nego minor. Novatiani enim (seu Novati) ordinationem fuisse nullam scribit Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium *lib. 6. Hist. cap. 43.* Ubi loquens de tribus illis Episcopis, a Novatiano vocatis: ait: *Qui cum advenissent .... eos ille a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos & crapula oppressos, adumbrata quadam & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit: eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat.*

IX. Ad secundum, aliqui factum illud S. Athanasii revocant in dubium. Tum quia: Sozomenus illud referens dicit: *Adhuc impuberi* (Athanasio) *istud ei accidisse fertur.* Tum quia: quomodo Athanasius impuber erat, qui non multo post ab eodem Alexandro consecratus est Diaconus, qui cum eo Synodo Nicænæ interfuit, & duodecim post annos Alexandrinus Patriarcha electus est? —— Sed his assentiri non possum. Quod enim Sozomenus dicat *fertur*, non indicat, rem, quam narrat esse dubiam, sed quod ex aliorum testimonio eam referat. Neque ex narratione colligitur, S. Athanasium non potuisse esse impuberem, quia paulo post ordinatus fuerit Diaconus &c. Nam ex modo narrationis colligitur, inter factum Athanasii impuberis, & ejus ordinationem in Diaconum, sufficiens tempus influisse: dicitur enim, quod Alexander post factum illud Athanasium cum aliis pueris: *Qui in eo ludicro Presbyterorum, aut Diaconorum partes egerant, sub divino testimonio parentibus ipsorum tradidit, quo ipsos ad Ecclesiæ ministerium educarent informarentque ad ea officia quæ fuerant imitati.* Quod *non multo post Athanasium in contubernium suum, eumque notarium deinceps habuit &c.* Quæ omnia temporis tractum indicant sufficientem ad ea, quæ postea secuta sunt. Eo vel maxime: quod Athanasius, dum hæc ageret, esto non esset adhuc vir adultus; erat tamen grandiusculus, & saltem duodennis. Admissa igitur historia, quæ admittitur, *Causa 1. q. 1. Can. Spiritus Sanctus*, dico, Athanasium licet per jocum se fingeret Episcopum, revera tamen intendisse baptizando facere, quod per Episcopum faciebat Ecclesia. Unde ait Sozomenus, quod Alexander, eo facto viso, pueros illos ad se adduci jussit, eosque interrogare cœpit, quid in eo ludo dicerent, quidve agerent. Et *Cum quæstioni instaret, confessi sunt, Episcopum, ac Præsulem fuisse ipsis Athanasium; & quosdam pueros, qui nondum mysteriis initiati fuissent, ab illo esse baptizatos. Hos Alexander accurate interrogavit, quidnam illis dixisset feciseve ludi illius Episcopus, & quid ipsi respondissent, quidve edocti essent. Cumque omnia juxta ordinem Ecclesiasticum exacte in illis servata esse deprehendisset; communicato consilio cum Sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit, non baptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel percipere meruissent.* Unde S. Thom. in 4. *dist. 6.* in fine, in Exposit. Textus: *Dicitur* (inquit) *quod puer Athanasius ludendo simulans se Episcopum baptizavit quosdam; & judicatum est ab Alexandro Episcopo, ut non rebaptizarentur: quia inventum est, quod ipse intentionem baptizandi habuit. Quod etiam patet ex hoc, quod non baptizabat, nisi Catechumenos.* Itaque in facto S. Athanasii duo mihi videntur distinguenda: & actio, qua se simulabat Episcopum: & actio, qua baptizabat. In primo ergo jocose, & ludens se gerebat, non vero in secundo. Quare interrogatus ab Alexandro, quid voluisset facere? Respondit, se intendisse facere, quod faciebat Episcopus.

X. Ad tertium de facto S. Genesii dubium est, an baptizatus fuerit ipso actu irrisorio, an non? Nam in Martyrologio laudato legitur *Cum in theatro spectante Diocletiano Imperatore mysteriis Christinorum illuderet, a Deo inspiratus, repente conversus ad fidem, & baptizatus est.* Ut ut autem sit, dico, quod sicut Genesius ipse; licet ab initio jocaliter & histrionice Baptismo se subjecerit; attamen in actu ipso suscipiendi, Deo cor ejus tangente, serio illi se subjecit. Sic ille, qui fuit ad eum baptizandum evocatus, posito, quod ab initio intentionem habuerit irrisorie illum baptizandi, vel Baptismo irridendi; in ipso tamen actu baptizandi subita pietate commotus, habuit veram ac sinceram intentionem eum baptizandi. Quoquo autem modo res se habuerit, S. Genesius baptizatus fuit, vel Baptismo fluminis, si Minister intendit facere quod Christiani in tali actione faciebant; vel flaminis, nempe, Baptismi voto: & tandem sanguinis, cum Christi fidem amplexus illustre pro ea martyrium subjerit.

DUBIUM III.

Qualis debeat esse Intentio in Ministro.

§. I.

Prima Assertio.

I. DIco primo. Intentio habitualis satis non est in Ministro, ut sacramentum perficiat. Prob. Illa intentio non sufficit, quæ non sufficit, ut sacramentum conferatur modo humano, nempe cum advertentia & deliberatione: sed talis est intentio mere habitualis: hæc enim invenitur etiam in dormiente; in ebrio, qui alias sacramentum ministrare consuevit; ergo, ne dicamus, sacramentum a dormiente, ebrio, vel alio mentis impote valere, dicendum est, non sufficere intentionem pure habitualem.

II. Sed dices primo. Sanctus Thomas, *3. part. quæst. 64. artic. 8. ad 3.* dicit, quod *Ille, qui aliud cogitat, licet non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti*: ergo &c.

Respondeo, S. Thom. ibi non sumere intentionem habitualem quatenus distinguitur a virtuali, sed quatenus distinguitur ab actuali: subdit enim: *Puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum.*

III. Dices secundo. Intentio mere habitualis sufficiens est ad valide recipiendum sacramentum: Qui enim voluit baptizari, nec propositum mutavit, valide tam in somno, tam in ebrietate, tam in amentia baptizatur; ergo etiam erit sufficiens ad sacramentum conferendum.

Respondeo, disparitatem esse: quia intentio in suscipiente solum requiritur, ut dispositio subjecti; intentio autem Ministri requiritur ut principium determinativum actionis ad esse sacramentale, ut docet S. Thomas, citata *quæst. 64. art. 8. in corp.* Dispositio autem in subjecto solum petit, ne subjectum obicem ponat receptioni, nullo autem modo debet influere in actionem: & ideo sufficit, ut subjectum sit habitualiter dispositum ad receptionem, idest, ut eam voluerit, eamque non retractaverit volitionem. At intentio conferentis, utpote principium actionis, debet sic existere; ut possit influere in actionem: nimirum, vel in se, vel in aliquo a se relicto, qui ejus virtute, ac imperio influat in actionem.

IV. Dices tertio. Qui hodie applicat Petro omnia Sacrificia, quæ per annum oblaturus est, per totum annum Petro utilia sunt; quamvis per totum annum de Petro amplius

amplius non cogitet, etſi in ſic applicante ſit intentio mere habitualis; ergo qui hodie intendit baptizare per totum annum, aut etiam totam hebdomadam, valide baptizabit, etſi de baptizando non amplius cogitet, & ſic habeat intentionem mere habitualem.

Reſpondeo, diſparitatem eſſe. Primo: quia actus, per quem hodie applicantur Petro Sacrificia per totum annum celebranda, non eſt volitio tantum, ſeu nudum applicandi propoſitum; ſed eſt ipſa realis & actualis applicatio pro toto anno. E contra actus, per quem Joannes vult craſtina die baptizare, non eſt actualis baptizatio, ſeu Baptiſmi actualis confectio, ſed purum propoſitum Baptiſmum cras conferendi. —— Secundo: quia applicatio Sacrificii eſt donatio fructuum Sacrificii, quæ non debet exiſtere, nec influere, ut ſortiatur effectum ſuum: ſicut qui donat alicui librum a ſe imprimendum, impreſſo libro, donatio illa ſortitur effectum ſuum, etſi de illa donatione donator amplius non cogitarit. At ſacramenti confectio, puta, conſecratio, eſt actio diſtincta a voluntate conficiendi; quam cum debeat quis peragere hic & nunc modo humano & libero, & ſic cum intentione manente, vel in ſe, vel in alio ratione cujus operetur: ſi hoc non adſit, actio illa non perficitur.

V. Addo tamen: in ſolo Matrimonii ſacramento, quod habet naturam contractus, & in quo contrahentes, qui Miniſtri ſunt, contrahere poſſunt in abſentia, videtur intentionem habitualem ſufficere; ſicut ſufficit ad validitatem aliorum contractuum: niſi forte dicatur, dum Matrimonium contrahitur in abſentia, adeſſe intentionem principalis virtualiter in mandato, & Procuratore.

VI. An vero ad validitatem ſacramenti ſufficiat intentio conferentis interpretativa, ſeu præſumpta. —— Reſpondeo negative. Nam hæc intentio non eſt, ſed eſſet ſi agens adverteret, ut in ebrio, aut dormiente, qui prius conſuevit ſacramentum conficere. Et ratio eſt: quia hæc non ſufficit, ut ſacramentum humano modo conferatur.

VII. Si autem dicas, eam ſufficere ad peccandum. Si enim quis prævidens, ſe in ebrietate peccaturum, ſeſe inebriet, & peccet; tale peccatum ratione voluntatis interpretative illi imputatur: cur ergo hæc non ſufficiet ad ſacramentum valide conferendum?

Reſpondeo, diſparitatem eſſe: quia ſacramenti adminiſtratio per modum actionis humanæ & Eccleſiaſticæ exerceri debet; ac proinde actu, vel virtute intendi: ſola autem intentio interpretativa, quam habet dormiens, vel ebrius, non facit actionem eſſe humanam, & libera applicatione influente exercitam. At peccatum, ut inficiat animam, non debet neceſſario intendi per modum actionis, ſed per modum objecti; a quo voluntas malitiam haurit, quomodocumque tandem illud amet. Unde qui ita eſt diſpoſitus, ut libere peccaret, ſi ſciret ibi eſſe peccatum, continuo peccati reus efficitur.

§. II.

Secunda Aſſertio.

VIII. Dico ſecundo. Ad validitatem ſacramenti ſufficit in Miniſtro intentio virtualis: actualis vero, etſi optima ſit, non tamen neceſſario requiritur. Prior pars prob. primo. Nam intentio virtualis, ratione actus ab ipſa ſecuti, & imperati, ſufficienter, ac vere influit in actum ſacramentalem, ut fiat libere & humano modo. Secundo. Sufficit intentio virtualis ad alios actus humanos, puta, ad orationem; ergo &c.

Poſterior quoque pars probatur. Nam eſto actualis intentio ſit ſtudioſe procuranda a Miniſtro, dum confert ſacramentum; illam tamen habere non eſt totaliter in noſtra poſitum poteſtate: immo ſæpe dum res ſanctiſſimas tractamus, & tota mentis & cordis intentione eas peragere conamur, ad alias involuntarie mens noſtra rapitur, ut experientia notum eſt; ergo ſi actualis explicita intentio requireretur ad valorem ſacramenti, ſemper, vel ſaltem ſæpe poſſemus de valore dubitare; quia ſæpe rapitur mens noſtra ad alia, etiam nobis non volentibus; rapitur ſecundum diverſitatem viſorum, & objectorum, quæ nobis præſentantur. Non eſt autem credibile, Chriſtum voluiſſe ſua ſacramenta cum tanta incertitudine miniſtrari.

Hoc expreſſit S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 8. *ad* 3. Ubi poſtquam (ut §. præcedente retulimus) dixit: *Cum ſacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia: ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur ſacramentum.* Quibus verbis ſtatuit, intentionem virtualem ſufficere. Poſtea ſubjungit: *Quamvis ſtudioſe curare debeat ſacramenti Miniſter, ut etiam actualem intentionem habeat. Sed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate: quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, ſecundum illud, Pſalm. 39.* Cor meum derelinquit me.

IX. Hic tamen notandum cenſeo cum noſtro Natali Alexandro, *Tom. 1. Theol. moral. l. 2. de Sacram. in genere, cap. 7. art. 3. propoſit. 3.* pro majori quiete animi, caute diſtinguendum eſſe inter attentionem, ſeu intentionem mentis, & intentionem voluntatis: ſæpe enim contingit, ut ceſſet actualis attentio mentis, & adhuc ſecrete perſeveret intentio voluntatis. Cum enim voluntas propenſione ſua feratur ad rem aliquam, etiamſi mens non attendat, dici poteſt, eſſe in eo, qui agit actualem ſaltem exercitam rei agendæ intentionem. Ita qui ambulat, & cum alio colloquitur, mente advertit ad ea de quibus loquitur; & ſæpe de ambulatione non cogitat, cum tamen ambulare actu velit. Sic Sacerdos, verbi gratia, qui poſuit particulas conſecrandas in altari, & Miſſam proſequitur; mente advertit ad ea, quæ in Miſſa facit, & etiam ad verba conſecrationis; & tamen ſæpe contingit, quod de illis particulis conſecrandis non cogitet: cum tamen eas conſecrare velit, & de facto conſecret.

DUBIUM IV.

Quid debeat intendere Miniſter dum conficit Sacramentum.

§. I.

Reſolutiones Dubii.

I. MOdo ad objectum intentionis requiſitæ ad validitatem ſacramenti progredimur, de quo controverſia eſt etiam inter Catholicos. Ambroſius enim Catharinus, & alii putarunt, requiri quidem intentionem faciendi quod facit Eccleſia; ſed faciendi materialiter, non formaliter; ideſt, requiri intentionem adhibendi ritus ac cæremonias externas ab Eccleſia præſcriptas; non tamen intentionem conferendi ſacramentum nomine Chriſti principaliter operantis. Addentes, quod dummodo Miniſter ſerio hanc habeat intentionem faciendi exterius, & ſerio faciat de facto, quod facit Eccleſia; etiamſi interius habeat intentionem illudendi, & ſacramentum non conficiendi: dummodo hæc intentio non prodeat exterius, adhuc valide conferat Sacramentum. Quam opinionem hiſce temporibus multi ex Gallis tenent, & præſertim Juenin, noſter Serry in Vindiciis, & Vindiciarum Vindiciis Ambr. Catharini. Ut tamen ordinate procedamus;

II. Dico primo. Ad validitatem ſacramenti non eſt neceſſaria in Miniſtro intentio conferendi effectum ſacramenti, puta gratiam, aut characterem. Prob. primo. Nam Conc. Florentinum, & Trident. relata, & referenda, in Miniſtro poſtulant quidem intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; non tamen faciendi propter finem, quem intendit Eccleſia, & effectum quem actione ſacramentali intendit producere; ergo hæc intentio non eſt neceſſaria.

Secundo prob. Si ejuſmodi intentio requireretur, ſequeretur, Miniſtros hæreticos. Lutheranos, Calviniſtas, & etiam Paganos, qui negant ſacramenta gratiam & characterem producere, dum conferunt Baptiſmum, invalide ipſum conferre: & conſequenter baptizatos ab eis, etiam ſecundum inſtitutionem Chriſti, eſſe iterum baptizandos: ſed hoc eſt contra praxim Eccleſiæ, quæ revertentes a præfatis hæreſibus, & Baptizatos a Paganis non rebaptizat; ergo &c. Maj. patet. Nam præfati Hæretici, aut Pagani non habent certe voluntatem conferendi per Baptiſmum gratiam, aut characterem, cum negent, hos effectus per Baptiſmum produci. —— Hoc idem confirmat S. Auguſt. *Epiſt. 98.* olim *23. ad Bonifac. Epiſc.* his verbis: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam . . . . Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione efferuntur.* Hinc Concilia Rhotomagenſe anno 1581. & Aquenſe anno 1585. vetuerunt, ne etiam ſub conditione iteretur Baptiſma datum a Calviniſtis; quamvis non habeant intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum, hoc eſt, ut per Baptiſmum peccata deleantur.

III. Nec dicas, Miniſter, qui non vult conferre effectum Baptiſmi, non videtur habere intentionem, quam habet Eccleſia. Nam hæc habet intentionem Catechumenos per Baptiſmum juſtificandi: ſed qui non habet intentionem Eccleſiæ, non facit ſacramentum validum, cum, ut dicemus, hoc indiſpenſabiliter requiratur: ergo &c.

Nam reſpondeo, diſt. maj. Intentionem ultimam Eccleſiæ, conc. maj. Intentionem proximam, nego maj. Intentio proxima Eccleſiæ eſt conferre, & applicare ſacramentum, ſecundum inſtitutionem Chriſti; & hoc intendere debet qui baptizat. Intentio ultima Eccleſiæ eſt, per Baptiſmum, Catechumenum regenerare: & hoc non dependet ab intentione Miniſtri. Nam ſi ſemel volens legitime baptizat; ex Baptiſmo debite collato, velit, nolitve Miniſter, ſequitur ex divina inſtitutione productio characteris, & gratiæ ſanctificantis (niſi ex parte ſuſcipientis ei ponatur obex) ſicut cum ignis admovetur pulveri, velit nolitve miles, pulvis abit in flammam.

IV. Dico ſecundo. Ad validitatem ſacramenti requiritur in Miniſtro intentio faciendi, quod facit Eccleſia, non mere materialiter; ideſt, faciendi actionem illam externam, quam facit Eccleſia: ſed formaliter, ideſt, faciendi actionem illam, ut ſacramentalem, ſeu conferendi ſacramentum. Unde ſi quis exterius ſerio peragere omnia, quæ ad Baptiſma conferendum peragenda ſunt;

sunt; interius tamen contrariam intentionem haberet, ac intra se diceret, ac statueret, nolo hac actione facere, quod facit Ecclesia, puta, nolo baptizare: irritum redderet sacramentum.

Hanc sententiam eligo tamquam tutiorem ac probabiliorem, maxime postquam Alexander VIII. die 7. Septembris 1690. inter alias damnavit hanc propositionem, n. 28. *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat, intus vero in corde suo resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

V. Non latet, contrariæ sententiæ Patronos, ut hanc condamnationem declinent, asserere, eam propositionem damnari, quia nimis universaliter loquitur; cum comprehendat illum, qui jocose, ac mimice ponit totum ritum externum Baptismi sine intentione, qui certe nihil conficit: cum quo tamen stat, quod sit vera, & non proscripta, si intelligatur restricte ad eum, qui ritum externum serio peragit, —— sed cur non potius dicemus; mentem Pontificis, damnando illam propositionem universaliter, voluisse damnare asserentes, Baptismum valere, sive ritus exterior serio, sive mimice, ac jocose peragatur: si Minister intra se resolvat, non intendo facere quod facit Ecclesia? Eo vel maxime, quod Baptismum jocose collatum non valere, contra Lutherum jam statuerat Concilium Tridentinum supra citatum. Credendum ergo potius est, ibi condemnari Assertum quorumdam Catholicorum, qui dicebant valere talem Baptismum, dummodo res serio perageretur: etiam contraria stante intentione faciendi rem sacram, seu id quod facit Ecclesia.

VI. Prior ergo pars, nempe, requiri intentionem in Ministro faciendi, quod facit Ecclesia, probatur ex Martino V. qui conceptis terminis, anno 1418. in fine Concil. Constant. eam tradidit. Ex Eugenio IV. qui anno 1439. eam pariter docet in Conc. Florent. *Decret. de Un. Arm.* & tandem ex Concil. Trident. *Sess. 7. de Sacr. in genere, Can.* 11. quæ superius, *Dub.* 1. §. 2. retulimus.

Prob. autem sic. Ut sacramentum valide conferatur, debet, qui administrat, se gerere ut Christi, & Ecclesiæ Ministrum, juxta illud Pauli, 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: sed nisi quis velit facere quod facit Ecclesia, & Christus instituit, non se gerit, ut Christi, & Ecclesiæ Minister. Is enim se gerit ut Ecclesiæ Minister, & Christi, qui Christi, & Ecclesiæ legibus obtemperat: is autem obtemperat, qui facere vult, quod præcipit Christus, & Ecclesia. E contra vero qui non vult facere quod Christus instituit, & facit Ecclesia, legibus Ecclesiæ non se subjicit, nec ut Christi ministrum se gerit; ergo &c.

VII. Dices. Hæreticus dum baptizat, non intendit facere quod facit Ecclesia Christi, nempe, Romana, quæ sola vera Christi Ecclesia est; sed intendit facere id, quod fit in sua Ecclesia, quæ Ecclesia Christi non est, sed Antichristi; & tamen valide baptizat: ergo &c.

Respondeo, neg. absolute maj. Hæreticus enim baptizans intendit facere quod facit Ecclesia vera, & Christi: & in tantum non intendit facere, quod fit in Ecclesia Romana, sed in sua; quia suam, non Romanam, existimat esse Ecclesiam veram, & Christi, Unde ejus intentio dirigitur ad faciendum id quod facit Ecclesia Christi: licet decipiatur in judicando, quænam in particulari sit vera Christi Ecclesia: qui error non obest validitati sacramenti; cum sit error in conceptu materiali Ecclesiæ tantum, non in formali.

VIII. Secunda vero pars, in qua est difficultas, prob. primo ex dictis. Nam qui se gerit ut Minister Christi, & Ecclesiæ, debet suam intentionem conformare intentioni Christi, & Ecclesiæ; agit enim nomine utriusque: sed intentio Christi, & Ecclesiæ in conferendis sacramentis non est facere actionem externam utcumque, sed sacram, & sacramentalem, non profanam; ergo ut Minister gerat se, ut Ministrum Christi, & Ecclesiæ, debet velle facere actum externum, ut sacrum, & sacramentalem; alias non aget in nomine Christi, & Ecclesiæ, sed nomine proprio: nec se geret, ut Minister. Sicut si eleemosynarius Principis stipem eroget, non intendens eam erogare nomine Principis, sed suo; eam non erogat de pecunia Principis, sed de propria, quamvis exterius se gerat ut Ministrum.

IX. Respondebis, Ministrum intendentem ponere actum externum, velle actum a Christo institutum; ac proinde actum sacrum, non profanum.

Sed contra. Nam Minister, ponendo actionem externam, vel respicit ad institutionem, vel non. Si respicit; ergo ponit illam, ut a Christo institutam; ergo ut sacramentalem. Si non respicit, sed potius, ut Contrarii supponunt, apud se resolvit, se nolle ponere actionem illam, ut a Christo institutam; ergo eam non ponit, ut sacram, sed ut profanam.

X. Si dicas: quod esto in tali casu ad esse sacramentale non determinetur a Ministro, determinatur tamen a circumstantiis; ut a fonte baptismali, a præsentia Patrini: & si fiat domi super infante nondum baptizato, cui mors imminet. Tunc enim, juxta hominum existimationem, censetur fieri absolutionem, non ad corpus abluendum, sed animam, & sacramentalem.

Contra. Nam si circumstantiæ sufficiunt ad determinandam lotionem illam ad esse sacramentale; jam etsi Minister nullam habeat intentionem, lotio illa erit sacramentalis. Quare si quis serio puerum balneo lavaret, sanitatis causa, & ad obtinendam sanitatem invocaret Personas Sanctissimæ Trinitatis, hancque intentionem intra se retineret; qui adessent, existimarent, eum baptizare: & tamen non crederem, Adversarios velle actionem illam baptismalem fore: ergo circumstantiæ, si desit Ministri intentio, non valent determinare actionem ad esse sacramentale. Unde

XI. Secundo probo ratione S. Thom. 3. *part. quæst.* 64. *art.* 8. citato. Sicut certa forma verborum requiritur necessario in sacramento, ut determinetur indifferentia materiæ; ita requiritur aliquod, quo determinetur indifferentia formæ: nam hæc verba: *Ego te baptizo* varias habere possunt significationes. Baptizat enim, seu abluit, qui lavat sordes, qui refrigerat, qui lavando medetur; nec satis determinantur per sequentia: *In nomine Patris &c.* Nam, ut dicebamus, hæc verba proferri possunt etiam ab eo, qui ablueret aliquem ad corporis sanitatem: at non aliunde determinari possunt, quam ab intentione Ministri; ergo &c. Min. prob. Non enim determinari possunt ad esse sacramentale ab institutione Christi præcise, absque ullo ordine ad intentionem dicentis; alias etiam prolata absque ulla intentione faciendi actum externum, ut a dormiente, vel ebrio, vel jocante, vel psittaco, sacramentaliter proferrentur, & operarentur. Nec etiam possunt determinari ab intentione suscipientis sacramentum. Tum quia in pueris, qui baptizantur, hæc intentio esse non potest. Tum quia actio unius ab intentione alterius determinari non potest. Tum tertio: Quia sequeretur, quod si absolvens absque intentione & animo absolveret, & pœnitens crederet, ac intenderet se esse absolutum, vere esset absolutus: cujus oppositum statuit Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* 6. his verbis: *Atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi . . . . Sacerdoti animus serio agendi, aut vere absolvendi desit, putet tamen, se propter suam solam fidem vere, & coram Deo esse absolutum.* Ubi Concilium in absolvente duo requirit; nempe, animum serio agendi, & vere absolvendi; quorum alterum si desit, etsi pœnitens fide credat se absolutum, non est vere, & coram Deo absolutus.

XII. Tertio probatur ex inconvenientibus. Nisi enim in Ministro requireretur intentio faciendi actum sacramentalem; sequeretur (ait Hugo de S. Victore, *lib.* 2. *de Sacram. p.* 2. *cap.* 13.) primo. Quod cum mulier lavat infantem ex intentione lavandi, & dicit. *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* baptizaret illum —— Secundum, Cum Sacerdos in mensa sui Prælati legens Evangelium, & pronuntians illa verba: *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus*; etiamsi interius habeat intentionem non consecrandi, consecraret totum panem, & totum vinum, quod est in mensa —— Tertio. Cum quis ancillam conducens dicit: *Accipio te in meam*, intelligens ancillam: & ancilla respondet: *Accipio te in meum*, intelligens dominum, faceret matrimonium cum ancilla.

Sequeretur etiam: quod intendens consecrare has decem tantum particulas de præsentibus, non vero illas alias pariter præsentes, omnes consecraret, si super omnes exterius formam consecrationis proferret —— Rursus: quod qui sincere volens baptizare puerum moribundum, non manifestando se esse Christianum, si exterius fingeret se joco abluere puerum, & proferret formam Baptismi, addens, sic baptizant Christiani, non valeret Baptismus: quod tamen nemo dixerit.

§. II.

Fundamenta Contraria.

XIII. IN favorem sententiæ asserentis ad validitatem sacramenti non requiri intentionem internam faciendi sacramentum; ita ut si ista desit, immo Minister interius habeat contrariam intentionem, adhuc valeat sacramentum.

Objicitur primo, sic: Scriptura, Traditio, & Patres loquendo de sacramentis nunquam de intentione interna requisita ad validitatem eorum meminerunt. Immo Patres in dubiis, quæ circa validitatem sacramenti oriebantur, soliti fuerunt inquirere; an fuisset cum debita forma, & materia collatum: an Minister serio se gessisset, an tantum ludicre: an vero habuisset intentionem faciendi sacramentum, vel illam retinuisset, nunquam quæsiverunt; ergo signum est, eos non existimasse, intentionem Ministri esse necessariam.

XIV. Respondeo, quantum ad Scripturam: colligi necessitatem intentionis ad validitatem sacramenti. Tum *Matth. ultimo*, ubi Christus Apostolos mittens ad prædicandum, & baptizandum dixit: *Euntes docete . . . . baptizantes eos in nomine Patris &c.* Tum Lucæ 22. ubi præcipiens Apostolis, ut Eucharistiam conficerent, ait *Hoc facit in meam commemorationem*. Ex quibus sic. Quando præcipitur fieri aliquid in nomine, aut in commemorationem alterius, non præcipitur solum opus externum, sed animus, & intentio: nempe, ut non solum agat, sed ut velit agere nomine, & tamquam Minister ejus.

Quan-

Quantum vero ad Traditionem, & Patres, adhuc ex hoc capite colligimus necessitatem intentionis in Ministro. Primo ex facto Athanasii supra relato. In quo exorto dubio in altero Alexandrino de validitate Baptismi ab Athanasio ludente collato; Alexander Episcopus solicitus fuit de intentione Athanasii: cumque is respondisset, se intendisse facere quod faciebat Episcopus Alexandrinus, quievit. —— Non tamen fuerunt Patres, in omni casu dubii circa validitatem sacramenti soliciti quærere de intentione; sed an adhibita esset legitima materia, & forma; & an serio, an joco: quia his positis, arguitur, illum, quia omnia hæc adhibuit, habuisse veram, sic sinceram intentionem faciendi quod Christus instituit. Cæterum apud Veteres de intentione Ministri dubitatum fuisse, testis est Augustinus, *l. 7. de Bapt. contra Donat. c. 53.* supra relatus, *Dub. 2. §. 3.* ubi non audet definire: an Baptismus ludicre ac mimice collatus valeat, nec ne (quod idem fuit, ac dubitare an Minister sic conferens habuerit intentionem baptizandi) sed expectandum esse, dicit, ac implorandum revelationis oraculum. Hoc autem oraculum habuit Ecclesia in Florentino, & Tridentino adunata, quibus accessit Alexandri VIII. decretum. Unde non est amplius de hoc dubitandum, quamvis Antiquis licuerit dubitare.

XV. Objiciunt secundo. S. Thom. qui *3. p. q. 64. art. 8. ad 2.* relata opinione eorum, qui volebant mentalem intentionem in Ministro requiri, ut sacramentum valeat; eaque rejecta, sic ait: *Et ideo alii melius dicunt, quod Minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis sacramentum.* —— Clarius hoc expresserat idem Sanctus Thomas, *in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 1. ad 2.* In *Baptismo, & in aliis sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio; sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.* Quibus Auctores contrarii pro se stare S. Thomam gloriantur.

XVI. Immerito tamen. Nam primo S. Doct. *3. p. q. 64.* instituit articulum 8. in quo quærit: an intentio Ministri requiratur ad perfectionem sacramenti: quod etiam quærit, in *4. sent.* loco ab Arguente citato; & utrobique resolvit affirmative. Et ratio, quam adducit, eadem est, ac qua usi sumus supra: nimirum, ex necessitate determinandi formam ad esse sacramentale. Qua etiam utitur, in 4. loco citato, q. 1. ubi dicit: ad sacramentum concurrere *Ministrum, formam verborum, & materiam: hæc autem non possunt colligari ad invicem, ut sint una causa, nisi per intentionem baptizantis; qui scilicet formam ad materiam applicat, suum vero ministerium ad utrumque, & totum hoc ad sacramenti collationem; & ideo requiritur intentio baptizantis.*

Secundo. *3. p. q. 64. a. 8.* citato, *ad 1.* dicit, Ministrum, quia est instrumentum animatum, debere se ipsum per intentionem movere, *Qua se subjiciat principali agenti; ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia.* Quod dicit etiam, in *4. dist. 6. q. 1. ar.. 2. q. 1. ad 1.*

Tertio. *3. p. q. 64. art. 8.* citato, *ad 3.* dicit, non esse necessariam intentionem actualem, sed eam sufficere, qua initio operis: *Puta, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia.* Idem docet *art. 6. ad 1.* nempe, verum esse sacramentum, etsi Minister non credat aliquid valere; dummodo intendat facere, quod facit Ecclesia. Et *art. 10.* dicit, tolli veritatem sacramenti, cum aliquis *Non intendit sacramentum conferre, sed deridere aliquid agere . . . præcipue quando intentionem suam exterius manifestat.* Hæc enim posteriora verba indicant, a fortiori sacramentum esse nullum; quando intentio jocandi exprimitur exterius, quam cum retinetur interius. Nam hoc modo sacramentum est nullum solum coram Deo: illo autem modo est nullum, & coram Deo, & coram hominibus.

XVII. Respondendum est ad ea, quæ ex S. Doctore objiciuntur, advertendo: S. Doctorem respondere, locis citatis, objectioni, qua probabat: quod si ad veritatem sacramenti requiritur intentio Ministri; cum hæc, utpote interna, nobis nota non sit, semper anxii essemus de veritate ac validitate sacramenti. Cui argumento respondet: ad nos certificandos sufficere quod Minister in persona totius Ecclesiæ proferat verba; quorum prolatione, nisi contrarium exprimat, credere debemus eum habere intentionem Ecclesiæ, nimirum, tali actu faciendi, quod facit Ecclesia: Unde Sanctus Thomas citatis locis, loquitur de certitudine & veritate sacramenti non absolute, & in se, sed quoad nos; quasi dicat; quotiescumque per verba Ministri serio prolata exprimitur intentio Ecclesiæ, & contrarium exterius non exprimitur; sumus moraliter certi, in Ministro intentionem non deesse, & verum nobis conferri sacramentum. Sicut, qui videt hostiam publicæ adorationi expositam, est moraliter certus, eam esse consecratam, & tenetur eam adorare; quamvis contingere possit, eam non esse revera consecratam. Ita mentem Sancti Thomæ exponunt Cajetanus, Soto, Suarez, Becanus, aliique.

Ne autem quis amplius de S. Doct. mente dubitare possit legat ipsam *Opusc. 8.* quod est de Ecclesiæ Sacram. ubi hæc habet: *Requiritur etiam in quolibet sacramento persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione conferendi & faciendi quod facit Ecclesia; quorum trium si aliquid desit, deest, si non sit debita forma verborum, & si non sit debita materia, & si Minister sacramenti non intendit sacramentum conficere, non perficitur sacramentum.* Ubi Sanctus Doctor expresse requirit intentionem, non mere faciendi actum externum, sed *conferendi sacramentum.*

XVIII. Tertio objiciunt Innocentium IV. in Cap. *Si quis puerum*, de Baptismo, dicentem, Baptismum esse ratum, etsi Minister *Contrarium gereret in mente, scilicet non faceret quod facit Ecclesia.*

Respondeo; Innocentium solum significare, quod non sit necesse, ut Minister intendat idem quod Ecclesia, quantum ad effectum sacramenti. Nam quod requirat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quantum ad actum sacramentalem, ex verbis ejus patet. Ait enim: *Non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia . . . nec quod gerat in mente, facere quod facit Ecclesia: immo si contrarium gereret in mente, scilicet, non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat.* Vult ergo Innocentius, ut Baptismus valeat, necesse esse, quod Minister baptizare intendat, hoc est, facere actionem ut sacramentalem: quidquid sit; an velit ea actione gratiam Baptismi conferre, sicut vult Ecclesia.

XIX. Quarto objiciunt. Si requireretur intentio mentalis & interna Ministri ad perficiendum sacramentum, semper essemus incerti, an valide simus baptizati: & salus hominibus penderet ab arbitrio Ministri sæpe impii: quod est valde durum.

Confirmatur ex Chrysostomo, *Homil. 85. in Joann.* dicente: *Non est justum propter alterius malitiam ad salutis nostræ sacramenta cum fide accedentes, offendi* —— Si dicas, Chrysostomum solum velle, sacramenta in sui efficacia, & valore non pendere a probitate Ministri.

Contra. Ergo neque ab intentione ejusdem. Probo conf. Ratio enim Chrysostomi est: quia non est justum, ut alterius malitia alteri noceat: at noceret malitia Ministri intentionem retinentis, si ista requireretur ad validitatem sacramenti: ergo &c.

XX. Respondeo, dist. antec. certi certitudine metaphysica, vel physica, conc. antec. Morali, nego ant. Posita enim necessitate mentalis intentionis in Ministro ut valide conferat, adhuc habemus certitudinem moralem, (qua majorem in hac vita habere non possumus) de validitate sacramenti, ut supra dicebamus. Quod enim Minister sit ita impius, ut dum serio peragit quod peragit Ecclesia in Baptismo, ita retineat intentionem, ut intra se efficaciter statuat se nolle baptizare; rarissime accidere potest. Immo cum etiam contingere possit, ut dum serio peragit actionem externam, interius intendat jocari, ac ludere, quid in hoc casu dicent Adversarii: Valebit ne sacramentum? Si sic; ergo valebit sacramentum absque omni prorsus intentione collatum, sed pure jocando, ut voluit Lutherus. Si non: ergo etiam data eorum sententia, salus nostra posita est in arbitrio Ministri sæpe impii.

XXI. Ad Confirmat. ex Chrysost. bene responsum est. Cum enim Sacerdos instrumentalis causa sit, unde ibi dicit, quod *manus & linguam præbet*: sequitur, eum non agere in nobis sanctitatem vi propriæ sanctitatis; sed vi sanctitatis Christi, cujus est instrumentum, & a quo movetur —— Neque est simile de intentione. Nam primo: si ad validitatem sacramenti requireretur sanctitas Ministri; cum plurimi mali sint, immo nemo in hac vita certus sit, an bonus, vel malus sit; omnia sacramenta essent in incerto posita: at intentio omnibus adest, neque ulla est ratio, cur quis, dum agit, intentionem agendi habere nolit. —— Secundo quia justum est, ut sacramenta non pendeant ab ea qualitate, quæ non est necessaria ministerio; sanctitas autem ministerio necessaria non est: cui quidem necessaria est intentio, ut Minister humano modo operetur, ut supra dictum est.

XXII. Quinto objiciunt, & potest esse replica. Minister sacramenti agit ut instrumentum: sed in instrumento non requirirur intentio propria, sed satis est intentio sui principalis: quia instrumentum non agit, ut se movens, sed ut motum ad finem principalis agentis; ergo, &c.

Confirmatur. Ministri Ecclesiæ se habent, ut alicujus Reipublicæ Legati, Judices, & Ministri: sed hi possunt implere valide munus suum, dummodo illud exterius serio agant; etsi interius non intendant id facere nomine suæ Reipublicæ. Legatus enim missus ad accipiendum dominium nomine Reipublicæ; vere accipit, si exterius omnia faciat, quæ facienda sunt, nec exterius contrarium exprimat: quamvis interius apud se contrarium mente statuat. Idem de Judice ferente sententiam. Idem de publico Notario. Cur ergo non idem dicatur de Ministro Ecclesiæ? Eo vel maxime, quod Christus, *Matth. ult.* sic constituit Apostolos Ministros Baptismi; ita eos constituit Ministros prædicationis: *Euntes docete, Baprizantes:* sed valet prædicatio absque intentione prædicantis serio agentis; ergo valebit etiam Baptismus, &c.

XXIII. Re-

XXIII. Respondeo ex S. Thom. *3. p. q. 64. art. 8. ad 1.* & in *4. dist. 6. q. 1. art. 2. part. 1. ad 1.* quod Minister sacramenti est instrumentum, non qualecumque, sed animatum & rationale. Quamvis autem in instrumentis inanimatis, & irrationabilibus non requiratur intentio producendi effectum, cum non se moveant, sed tantum moveantur a principali agente; in instrumento tamen animato & rationali, præter motionem principalis agentis, requiritur propria intentio, qua se subjiciat tali motioni ad finem, ad quem movetur: ideoque quod intendat facere id, quod faciendum assumitur a Christo, & ab Ecclesia.

XXIV. Ad Confirm. dico, multis modis posse hominem assumi, ut instrumentum alterius. Primo: quoad sola membra corporalia; ut si quis utatur manu alterius ad aliquid faciendum, aut cogat illum ferre pondus: & hoc potest fieri absque ulla ejus voluntate. Secundo: quoad membra corporalia, & potentias sensitivas: ut si quis jubeat servum aliquid legere, aut scribere, aliquid alteri significare, aut renuntiare quid viderit, aut excubare, vel respicere: & ad hoc sufficit voluntas, qua velit actum exteriorem facere. Nam etsi non intendat legere significanter, aut scribere, vel nomine domini sui renuntiare, excubare, adhuc muneri impositio satisfacit; quia non utitur Dominus, nisi ejus lingua ad loquendum, vel manu ad scribendum, & hoc modo assumitur a Republica Legatus, Interpres, Notarius. Quare etsi desit eis intentio, adhuc implent munus suum, faciendo actum externum præceptum. —— Tertio: Minister assumi potest, ut agat etiam secundum rationem; sic, ut potestate a Domino accepta, vices ejus gerat, suo tamen utens judicio, & arbitrio: & hoc modo constituuntur Præsides, & Judices, ut Reipublicæ nomine jus dicant, & justitiam administrent. In istis autem assumitur non solum corpus, & sensus, sed etiam prudentia, & voluntas; & in his requiritur necessario non solum potestas, & actus exterior, sed etiam intentio, & voluntas, sine qua absolutus a Judice, licet exterius videatur absolutus, vere tamen absolutus non est. Ministri ergo sacramentorum ad hoc tertium genus pertinent. Unde *Matth. 24. v. 45.* in Ministro fidelitas, & prudentia requiritur: *Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam.* Eorum etiam arbitrio reliquit Christus particulares actiones, Joann. 20. *Quorum remiseritis &c. Quorum retinueritis &c.* Cum ergo sint instrumenta per voluntatem & intentionem; si hæc desit, desinunt esse Ministri.

Neque est idem de Ministro prædicationis. Nam prædicatio de se talis est, ut, velit nolit, qui eam effundit, auditorem instruat. At actio exterior, ut sit sacramentalis potius quam indifferens, debet determinari per intentionem Ministri. Verba enim non determinarent materiam ad significandam rem sacram, si deesset intentio: hæc enim est, quæ proxime formam determinat, & mediante forma materiam. —— Noto autem, hanc instantiam, quæ est Lutheri, habere quidem vim apud ipsum, qui, ut vidimus, vult, verba sacramentorum esse verba concionatoria, apta solum ad excitandam fidem in audiente, & suscipiente: non vero in sententia Catholicorum tribuentium verbo sacramentali vim & efficaciam. Hanc autem ut habeant, requiritur in Ministro potestas & voluntas, sine quibus non operantur.

XXV. Sexto Objiciunt. Si ad validitatem sacramenti requireretur intentio interna conficiendi sacramentum; contingere posset casus, quod Ecclesia deficeret: quia in ea nullus esset Sacerdos, seu Minister legitimus. Quod probant, sic: Detur casus, quod Joannes amplissimæ Diœcesis Episcopus, fuerit ordinatus in Presbyterum, & in Episcopum a non habente intentionem ipsum ordinandi; non erit vere ordinatus, nec vere Episcopus in nostra sententia. Si autem iste per longum tempus Ecclesiæ suæ præsit; ita ut omnes illius Diœcesis Sacerdotes ab ipso sint ordinati: fiet, ut omnes illius Diœcesis Sacerdotes sint chimerici Sacerdotes, sicut ille chimericus est Episcopus. Cumque eadem suppositio, quæ pro una Diœcesi fit, non implicet, ut fiat pro uno Regno, immo pro toto orbe Christiano; fieri poterit, ut non sit impossibilis casus, quod nulli in Ecclesia sint Pastores, & proinde nulla sit Ecclesia.

Rursus: in hac sententia vix potuerit contra hæreticos perpetua Ecclesiæ visibilitas demonstrari. Cum, si requiratur intentio mentalis in Ministro, nil certi de Ministrorum consecratione, & Fidelium Baptismate statui possit.

XXVI. Hoc argumentum, cui maxime fidit eruditissimus Juvenin, retorqueri, ut puto, in ipsum potest. Ipse enim, ut a Luthero recedat, aliquam intentionem in Ministro ponere debet faciendi saltem illum ritum externum serio. Ponamus ergo, quod Minister, qui baptizavit, aut ordinavit dictum Joannem in Episcopum, licet exterius serio se gesserit, interius tamen jocandi animum habuerit. Joannes ille nec erit vere baptizatus, nec vere ordinatus. Quo posito, si Joannes longo tempore præsit suæ Ecclesiæ, ut omnes illius Sacerdotes ordinaverit; omnes ab ipso ordinati erunt chimerici Sacerdotes, sicut ipse est chimericus Episcopus. Cumque hæc suppositio fieri possit pro tota Ecclesia, nullus esset Sacerdos —— Retorqueri etiam potest in casu, quo dictus Joannes, dum fuit ordinatus, non habuisset intentionem suscipiendi Ordinem; quam tamen in suscipiente, esto non in conferente sacramentum, Adversarii requirunt.

XXVII. Dico ergo: quod esto dicta suppositio metaphysice & absolute impossibilis non sit; redditur tamen impossibilis, stante promissione Christi, qua promisit suam Ecclesiam non defecturam, & portas inferi contra ipsam non prævalituras. Quare licet posset dari casus, quod permittat Deus, unum aut alterum Sacerdotem invalide, quia sine intentione, ordinatum fuisse; non tamen hoc permittet in tota Ecclesia, omnibusque ejus Sacerdotibus.

Ad id, quod additur, respondeo, invicte nos posse contra hæreticos Ecclesiæ visibilitatem demonstrare. Quia esto nil certi, plusquam moraliter, possimus statuere de hujus, vel illius Sacerdotis ordinatione; certi tamen sumus de collectione omnium Sacerdotum: nempe, in nostra Ecclesia veros esse Sacerdotes, eosque in ea nunquam defecturos.

XXVIII. Septimo objiciunt. Valet Baptismus ab Atheo collatus: sed is non intendit facere, neque quod facit Ecclesia, neque quod facit Christus, aut Deus; cum hæc omnia ipse pertinaciter neget, putetque hæc nomina, *Ecclesia*, *Christus*, *Deus*, *Sacramentum*, esse chimerica: nullus autem agit sincere, ut Minister, aut nomine alterius, quem credit non esse, sed esse commentum, aut chimeram.

Respondeo, dist. min. Non intendit intentione particulari, inefficaci, conc. minor. Generali, & in illo actu efficaci, nego minor. In Atheo ergo, dum serio vult baptizare, duæ voluntates, seu intentiones sunt. Una, qua nec Ecclesiam, nec Christum, nec Deum vult agnoscere: & hæc est voluntas particularis. Altera, qua de facto hic & nunc vult baptizare, & qua in hoc actu vult se subjicere intentioni Ecclesiæ, & institutioni Christi, & de facto se subjicit: & hæc est intentio generalis. Quia vero intentio generalis prævalet particulari, & in Atheo baptizante, intentioni particulari ejus prævalet intentio faciendi quod facit Ecclesia. Ex quo fit, quod particularis intentio, in concursu hujus, redditur inefficax: & licet videatur isti contradicere, illi tamen cedit, & quodammodo mentitur iniquitas sibi. Dum enim intra se dicit, se nolle facere; revera vult, ac deliberate facit, quod facit Ecclesia, & Christus. Qui discurrendi modus videtur ad bonum sensum trahere contrariam sententiam, dicendo: quod ille, qui non intendit baptizare, serio tamen ac deliberate vult baptizare, & exterius baptizat, licet intentione particulari nolit: dum tamen exterius agit, quod agit Ecclesia, censetur efficaciter velle intentione generali, se subjicere intentioni Ecclesiæ in illo actu, & sic velle baptizare. Quod si Adversarii hoc dicant, non multum ab eis diffidebimus. Et hoc multum juvabit ad pacandos piorum animos de certitudine sacramentorum anxios.

XXIX. Octavo objiciunt. Episcopus antequam ordinet, protestatur, se non habere intentionem ordinandi eos, qui debita requisita non habent: & tamen si inter ordinandos aliquis sit qui debitis requisitis careat, remanet vere ordinatus, quamvis suspensus ab exercitio sui ordinis; ergo &c.

Respondeo, Episcopum, esto prius dixerit, se nolle ordinare eos, qui debitis requisitis carent: attamen postea absolute & efficaciter vult omnes & singulos ordinare: unde illa protestatio non est efficax & absoluta, sed inefficax & comminatoria. Quare non est mirum, si omnes sint ordinati.

XXX. Nono objiciunt. Implicat ponere materiam, & formam artefacti, quin resultet artefactum, etsi in artifice nulla adsit intentio; ergo implicat, Ministrum ponere materiam, & formam sacramenti, & non ponere sacramentum; etsi in Ministro nulla adsit intentio.

Si hæc similitudo valeret, probaret etiam, quod sicut etsi artifex per jocum ponat materiam, & formam artefacti, adhuc vere resultat artefactum; ita etiam resultaret sacramentum, si Minister per jocum, & non serio materiam, & formam sacramenti poneret, quod tamen Adversarii contra Lutherum negant. —— Respondeo igitur, nego conseq. Nam artefactum resultat naturaliter, posita materia, & forma: & ideo dummodo hæc ponantur, habetur artefactum. At sacramentum non resultat naturaliter ex rebus, & verbis, sed mediante Christi institutione: quæ cum fuerit, ut non quomodocumque ponatur, sed per verba, ut significativa, non significatione naturali, vel profana, sed ut significativa rei sacræ, ut ipse instituit; cumque ad hanc significationem proxime determinentur per intentionem Ministri, si hæc desit, non habetur sacramentum.

DUBIUM V.

An in Miniſtro requiratur Fides?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. DUo hic diſcutienda proponi poſſunt. Unum: An Miniſter, ut idoneus ſit ſacramento conferendo, debeat eſſe fidelis, ideſt, non Paganus, vel hæreticus, aut non ſchiſmaticus. Alterum: An Miniſter debeat eſſe juſtus: & in gratia conſtitutus; non autem in ſtatu peccati mortalis.

Rurſus: diſcutiendum proponi poteſt primo: An fides: & probitas ita requirantur in Miniſtro, ut ſine illis ſacramentum nullum ſit. Secundo: An dato, quod ſacramentum collatum a Miniſtro non fideli, aut non ſancto validum ſit; adhuc licite ab eo conferatur, & licite recipiatur: In præſenti dubio quæremus: An fides Miniſtri ſic ad ſacramentum conferendum requiratur; ut ſi conferatur a Miniſtro infideli nullum ſit. Reliqua ſequentibus dubiis ſucceſſive diſcutiemus.

II. Circa præſentem quæſtionem: Baptiſmum ad hæreticis, aliiſque infidelibus collatum, nullum eſſe, primus omnium docuiſſe fertur Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis, S. Cypriani Deceſſor. habito ea de re Concilio, quod refertur ad ann. 215. Cujus meminit S. Cyprianus, *Epiſt.* 71. ad Quintum; & teſtatur S. Auguſt. *lib.* 2. *de Bapt. contra Donaſt. c.* 7. & Vincentius Lirinenſis in Commonitorio, *cap.* 9. Qui error ex Africa in Oriente cito propagatus, magni nominis & ſanctitate inſignes viros ſecutores habuit: inter quos Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, & S. Dionyſium Alexandrinum, duobus etiam Conciliis, nempe, Iconienſi, & Synadenſi, circa annum 256. firmatus fuit. Quo eodem anno a S. Cypriano, tribus habitis Synodis in Africa, confirmatus fuit. De quo dicemus infra, in *Tract. de Baptiſmo*.

III. Hunc eumdem errorem excitarunt ac pertinaciter auxerunt Donatiſtæ: quorum hæreſis initium ſumpſit a quadam Lucilla Hiſpana, quæ ſæpius a Cæciliano tunc Carthaginenſis Eccleſiæ Archidiacono reprehenſa, quod ante ſacram Communionem deoſcularetur reliquias alicujus, etſi Martyris, nondum tamen aut talis ab Eccleſia agniti, & approbati; odium contra Cæcilianum ingens concepit. Quare cum is poſtea ad ſedem Carthaginenſem evectus fuiſſet, hanc promotionem ferre non valens una cum Botro, & Cæleſtio eadem ſedem ambientibus, & vaſa Eccleſiæ ex avaritia detinentibus, nihil omiſit, ut Cæcilianum a ſede, & Epiſcopatu dejiceret. Quod, ut præſtaret, pretio, 70. Epiſcopos corrupit, qui Cæciliani ordinationem irritam eſſe pronuntiarunt; quia factam a Felice Aptungitano, ab eis accuſato, quod tempore perſecutionis ſacros codices infidelibus tradidiſſet: in ejuſque locum Majorinum ſubſtituerunt.

Hinc ortum habuit ſchiſma, deinde hæreſis Donatiſtarum, a Donato a caſis nigris ſic dicta. Quorum palmaris error fuit: Baptiſmum extra Eccleſiam collatum nullum eſſe. Et quia Eccleſiam a toto Orbe terrarum defeciſſe, & intra ſuam ſectam unice concluſam comminiſcebantur; ideo Catholicos a ſe deceptos, & ad ſuam ſectam venientes rebaptizabant. Contra quos Sanctus Auguſtinus ſcripſit ſeptem libros de Baptiſmo, aliaque opera paſſim. His prænotatis.

§. II.

Veritas Catholica.

IV. DIco. In Miniſtro, ut ſacramentum valide perficiat, non requiritur fides: Unde etiam ab infideli Baptiſmus valide conferri poteſt; dummodo peragat omnia, quæ ex Chriſti præſcripto peragenda ſunt. Primus, qui hanc veritatem ſtrenue defendit, fuit S. Stephanus Papa, contra Cyprianum, alioſque Africanos; potiſſime uſus hoc argumento ex Traditione, & conſuetudine ſumpto, ſic. Eccleſia a temporibus Apoſtolorum uſque ad Agrippinum, nunquam rebaptizavit ab hæreticis baptizatos; ergo non ſunt rebaptizandi. Verba Stephani ab eodem Cypriano quamvis animo impugnandi relata, hæc ſunt: *Si quis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur per pœnitentiam; cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum.* Eodem argumento ſæpe utitur Auguſtinus, præſertim, *l.* 2. *de Baptiſmo cap.* 9. dicens: *Conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum; & hac ſola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Propterea Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonit. *c.* 6. Stephanum laudat, dicens: *Denique in epiſtola, qua tunc ad Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit: Nihil novandum, niſi quod traditum eſt.*

V. Probatur ergo primo. Miniſter ſacramentorum operatur virtute & auctoritate divina, non propria: ſed Deus non aufert a Miniſtro virtutem, & auctoritatem ob hæreſim, ſive infidelitatem; ergo &c. Maj. prob. Tum ex illo, Joann. 1. verſ. 33. *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Unde Auguſtinus, *Tractat.* 5. *ſuper Joann.* dicit, Chriſtum baptiſmum ſuum alicui dare noluiſſe: *Non ut nemo baptizaretur Baptiſmo Domini, ſed ut ſemper ipſe Dominus baptizaret . . . . ideſt, ut quos Miniſtri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud enim eſt baptizare per miniſterium, aliud baptizare per poteſtatem &c.* Et poſt multa acute notat, neminem Apoſtolorum dixiſſe: Baptiſmus meus: *Quamvis unum omnium eſſet Evangelium: tamen invenis dixiſſe, Evangelium meum: non invenis dixiſſe Baptiſma meum.* Tum quia: ſi Miniſtri ſuæ virtute baptizarent; eſſent diverſa, magiſque ac minus efficacia Baptiſmata, ſecundum majora, vel minora merita baptizantium.

Min. autem probatur primo. Auctoritas conferendi aliqua ſacramenta habetur per conſecrationem & characterem; quod autem alicui acquiritur per conſecrationem, perpetuo in eo manet. —— Secundo. Quia dicta auctoritas non eſt gratia gratum faciens, ſed gratia gratis data; quæ a maximis peccatoribus non aufertur: ſicut a Caypha, etiamſi nequiſſimo, non fuit ablata prophetia, cum eſſet Pontifex. —— Tertio. Quia auctoritas conferendi ſacramenta datur in utilitatem, non eam habentis, ſed aliorum; ergo ne puniantur alii, ob peccatum illius, in eo etſi impio manere debet. Quarto. Deus a Principibus terrenis non aufert juriſdictionem, & poteſtatem ob eorum infidelitatem; ne ſcilicet Reipublicæ ſtatus aut œconomia turbetur; ergo neque a Miniſtris Eccleſiæ, ob infidelitatem, aufert facultatem; ne fideles hac utilitate priventur.

VI. Prob. ſecundo, præcipue de baptiſmo, a ſimili, Circumciſi a Samaritanis, qui a Judæis ut Hæretici habebantur, non iterum circumcidebantur, ſed admittebantur ut rite circumciſi. Ita arguit S. Auguſt. l. 1. contra Creſconium Donatiſtam, c. 31. *Circumciſionem certe præputii in figuram futuri Baptiſmi Chriſti ab Antiquis obſervatam eſſe, negare, ut arbitror, non audetis. Numquid apud Samaritanos circumciſus, ſi fieri tunc vellet Judæus poſſet iterum circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur; ſignaculum autem fidei agnitum probaretur;* Idem repetit, *Epiſtola* 103. modo 23. *ad Maximinum Epiſc. Donat.* ubi addit; *Quod ſi in carne circumciſi hominis non invenirem locum, ubi circumciſionem repeterem, quia unum eſt illud membrum; multo minus invenitur locus in corde, ubi Baptiſmus Chriſti repetatur. Ideo qui duplicare Baptiſmum vultis, neceſſe eſt omnino, ut corda duplicia requiratis.*

VII. Variis etiam figuris idem S. Auguſt. probat hanc veritatem. Primo in fonte illo, qui de Paradiſo ſcaturiens irrigabat totum Paradiſum; ſed inde egrediens irrigabat etiam terram extra Paradiſum poſitam: cujus aqua erat aqua Paradiſi, quamvis non eſſet in ſolo Paradiſo, ſed æque etiam inde manaret. Sic aqua Baptiſmi eſt aqua Paradiſi, hoc eſt, Eccleſiæ; ſed extra Eccleſiam quoque fluit. Ita *lib.* 2. *contra Creſcon. c.* 13. & *lib.* 6. *de Baptiſm. cap.* 40. eam comparat aquæ diluvii, quæ *Conſtitutis intra arcam ſalubris fuit extra arcam vero mortifera fuit, eadem tamen fuit;* Et *lib. de Unitate Eccleſiæ, cap.* 24. aquam Baptiſmi comparat aquæ, quæ de corpore Domini profluxit, hoc eſt de Eccleſia; & manavit etiam ad eos, qui in Eccleſia non ſunt, ſed ab Eccleſia exierunt. Totus ergo Auguſtinus eſt, ut oſtendat, Baptiſmum extra Eccleſiam datum eſſe verum Baptiſmum; quamvis non valeat ad ſalutem, niſi intra Eccleſiam collatum: vel niſi is, qui extra Eccleſiam Baptiſmum ſuſcepit, Eccleſiam ingrediatur.

VIII. Hinc Baptiſmum datum a Judæis, Paganis, Hæreticis, Schiſmaticis validum eſſe, habetur ex Decretis Concilii Florentini, in Compendium fidei; & Tridentini, *Seſſ.* 7. *de Bapt. can.* 4. & etiam Canonibus antiquioribus. *De Conſecr. diſt.* 4. de Paganis, & Judæis, *Can.* 23. & 24. De Hæreticis, & Schiſmaticis, *Can.* 30. 44. 45. & 51. Quod autem dicitur de Baptiſmo, de aliis etiam ſacramentis conformiter intelligendum eſt: modo aliunde non ſit defectus eſſentialis, puta, in ordine, juriſdictione, intentione &c. & ſerventur ea, quæ ex inſtituto Chriſti ſervanda ſunt.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

IX. OBjicies primo. Nemo dat quod non habet: ſed hæretici non habent, ſicut nec alii infidelos, remiſſionem peccatorum; ergo illam non poſſunt dare per ſacramenta. Dicitur enim, Eccleſiaſtici 34. verſ. 4. *Ab immundo quis mundabitur?* & verſ. 30. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?*

Reſpondeo. Maj. veram eſſe de eo, qui dat virtute propria, & principaliter; non vero de eo; qui dat virtute alterius, & per modum inſtrumenti. Sic manus Medicis, eſto ſit infirma, virtute artis medicæ poteſt dare infirmo ſanitate. Cum ergo Miniſter Baptiſmi non det Spiritum Sanctum, & remiſſionem peccatorum virtute propria, ſed virtute, tum ſacramenti, quod miniſtrat, tum Chriſti, cujus ipſe eſt inſtrumentum; ideo poteſt dare, quod

quod in se non habet. Quare dum, *Eccles.* 34. dicitur: *Ab immundo quis mundabitur;* intelligi debet, neminem mundari posse ab immundo, operante virtute propria. Quæ vero ex eodem lib. Ecclesiastici subjiciuntur, significant, nihil prodesse mandari ab immunditia legali contracta per contactum cadaveris; si iterum tangens illud, iterum maculetur; ex quo infertur, nihil prodesse ablui a peccatis, & iterum peccatis maculari.

X. Objicies secundo. Patres contrarium sentiunt. Athanasius, *Serm. 3. contra Arianos*, Baptisma ab illis collatum vocat speciem, & inane simulacrum, & quia rectam fidem non retinentes inanem possident aquam.

Secundo. Ambrosius *lib. de his* qui initiantur, cap. 4. *Non sanat* (inquit) *Baptismus perfidorum; non mundat, sed polluit.*

Tertio. S. Leo, *Epist.* 75. modo 125. dicit, per impietatem Dioscori omne sacramentorum lumen esse extinctum in Ecclesia Alexandrina (refertur, Causa 1. q. 1. *c. Manifestum est*).

Quarto. S. Gregorius ibidem relatus, *c. Supervniente*, Eucharistiam ab Ariano Episcopo confectam vocat sacrilegam consecrationem.

Quinto. Urbanus II. in *cap. Daibertum*, & Damasus, *cap. Per illicitam*, 1. *q.* 7. ex integro ordinaverunt, & reiteraverunt ordinationem factam ab hæreticis.

Sexto, 24. q. 1. *cap. Schisma*, non est Christi corpus, quod Schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur. Et cap. *Audivimus:* quicumque ab unitate Ecclesiæ fuerit alienus, execrare potest, consecrare non potest.

XI. Respondeo ad singula. Ad primum, dico, Athanasium vocare Baptismum Arianorum inane simulacrum, inanem aquam; non quia putaret eorum Baptisma, si alias rite collatum foret, esse nullum. Cum enim in primo Concil. Arelatensi *c.* 8. aperte fuerit declaratum; Baptisma ab Arianis in Patre, Filio, ac Spiritu Sancto datum validum esse; non est putandum, diversum sensisse Sanctum Athanasium. Vocat ergo Baptisma Arianorum *inane*, quoad effectum, qui est sanctificatio, quam adulti ab Arianis baptizati non consequebantur; quia communicantes cum illis peccabant. Dici etiam potest periculum fuisse, ne Ariani invalide baptizarent: nam cum errarent in fides Trinitatis, facile poterant in eo ministrando errorem suum miscere, puta, dicendo: *In nomine Patris majoris &c.*

XII. Ad secundum dico, S. Ambrosium dicere, Baptisma perfidorum non sanare, non mundare, sed polluere; quia qui scienter ab illis accepit Baptisma, mortaliter peccat. Nisi velis, Baptisma perfidorum dici, non quia datur a Ministris perfidis, sed quia ab indignis suscipitur. Præcedit enim: *Est in aliquibus aqua mendax*, quia nimirum in eos non sortitur effectum.

XIII. Ad tertium dico, S. Leonem solum velle, Dioscori, & hæreticorum sævitia in Civitate Alexandrina cessasse usum sacramentorum; non vero, quod ea, rite administrata ab hæreticis, essent quoad essentiam nulla.

XIV. Ad quartum dico. S. Gregorium non negare, corpus Domini esse in Eucharistia per Episcopum Arianum consecrata; sed quia non potuit, nisi sacrilege Arianus consecrare, ideo vocat ejus consecrationem sacrilegam. Ideoque S. Hermenegildus sancte eam recusavit; ne eam ab Ariano accipiendo, cum Arianis communicaret.

XV. Ad quintum dico, Urbanum, & Damasum eas Ordinationes irritas declarasse, non quia ab hæreticis præcise factas: sed quia factas ab hæreticis nullam habentibus ordinandi potestatem: quia vel non rite ordinatis, ut de ordinationibus factis a modernis Angliæ pseudopiscopis dicendum est: vel non rite baptizatis, ut erant ordinati a Paulianistis, qui necessarium in Baptismo ritum non servabant; ut habetur, *Can.* 19. Concil. Nicæni I. & ex Innocentio I. 1. *q. c.* 52. & 53.

XVI. Ad sextum respondeo in c. *Schisma* dici, non esse verum Christi corpus, quod Schismaticicus conficit, veritate fructus, licet sit verum veritate sacramenti. Ad eum modum, quo dicit S. Th. 3. *p. q.* 82. *art.* 7. *ad.* 1. quod *Extra Ecclesiam non potest esse spirituale Sacrificium, quod non est verum veritate fructus, licet sit verum veritate sacramenti.* Sic S. Hieronymus, *in c.* 4. *ad Ephesios* negat, Hæreticos habere verba Baptismi; quia Baptisma, quod conferunt adultis, eos non abluit propter communionem hæreticam. Unde S. Thom. 3. *p. q.* 65. *art.* 9. *ad* 2. de hæreticis dicit: *Quidam in collatione sacramentorum formam Ecclesiæ non servant; & tales neque sacramentum non conferunt, neque rem sacramenti. Quinam vero servant Ecclesiæ formam; & tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sint manifeste ab Ecclesia præcisi: quia ex hoc ipse, quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat, & per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur. Unde Agustinus* (verius Fulgentius) *lib. de fide ad Petrum, cap.* 3. *dicit:* Firmissime tene, & nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, Baptismo cumulari perniciem.

Ad id, quod dicitur ex cap. *Audivimus*, respondeo, quod ab unitate Ecclesiæ alieni, cum sint suspensi, non possunt consecrare, excommunicare, reconciliare; non tamen amittunt potestatem Ordinis, sed solum jurisdictionis. Unde si actus aliquos sui Ordinis exerceant, quamvis illicite, valide tamen exercent: quia licet amittant licentiam utendi potestate, potestatem tamen non amittunt, ut docet S. Thom. citato loco, *ad* 3. Actus tamen jurisdictionem supponentes, nec licite, nec valide exercere possunt. De quo S. Thom. *quæst.* 38. *Supplem. art.* 2.

XVII. Objicies tertio. Illi valide non conferunt sacramenta, qui personam Ecclesiæ gerere non possunt: sed qui carent fide, personam Ecclesiæ gerere non possunt, ergo &c. Min. prob. primo. Ut quis possit Ecclesiæ personam gerere, debet esse cum Ecclesia conjunctus, & de Ecclesia: sicut ut quis possit gerere personam Regis, debet esse de domo & familia Regis: sed hæretici non sunt de Ecclesia, neque de domo, & familia Christi; ergo &c. —— Secundo. Christus influit in suos fideles gratiam per Ministros, tamquam per membra sua, & Ecclesiæ: sed infidelis membrum Christi, & Ecclesiæ non est; ergo &c. —— Tertio. Instrumentum debet esse conjunctum causæ principali: at hæretici præcisi a Christo sunt; ergo, &c.

XVIII. Respondeo, neg. min. Ad primam probat. dist. maj. Debet esse conjunctus, vel per fidem propriam, vel per fidem Ecclesiæ, conc. major. Præcise per fidem propriam, nego maj. Responsio est S. Thom. *q.* 38. *Supplem. art.* 2. *ad* 4. ubi docet, quod Infideles dum ministrant sacramentum: *Per fidem Ecclesiæ continuantur Passioni Christi: quia quamvis in ea non sint secundum se*, idest, per fidem propriam; *sunt tamen in ea secundum formam Ecclesiæ quam servant.* Idest, in Ecclesia se ponunt, dum in collatione sacramenti faciendo, & intendendo illo actu facere, quod Ecclesia facit, quodammodo se in illo actu Ecclesiæ subjiciunt, & Christo, a quo virtutem participant. Unde intulit Cajetanus, hæreticum non conferre sacramentum, ut præcisum ab Ecclesia; sed ut ipsi aliquomodo conjunctum, saltem per intentionem —— In hoc autem, quod non soli illi, qui sunt intra Ecclesiam, sed & qui sunt extra, assumi possint ad ministerium sacramenti; apparet amplitudo & efficacia virtutis Christi, & amplior via nostræ salutis: dum illa omnes ex toto Orbe potest continere, ac virtuosos efficere: ista ab omnibus fidelibus, & infidelibus, bonis, & malis, potest nobis pandi, & aperiri.

XIX. Ad secundum respondeo ex S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 5. *ad* 2. neg. absolute maj. *Potest* enim *aliquis operari per instrumentum carens vita, & a se separatum, quantum ad corporis unionem; dummodo sit conjunctum per quamdam motionem: aliter enim operatur artifex per manum, & aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis, & per bonos tamquam per membra viventia, & per malos tamquam per instrumenta carentia vita.*

Hinc ad 3. dist. maj. instrumentum debet esset conjunctum causæ principali, conjunctione virtutis recipiendo a causa principali motionem ac virtutem, conc. min. Conjunctione membri vivi cum capite, neg. antec. Responsio patet ex dictis.

Dubium VI.

An in Ministro requiratur Probitas.

§. I.

Errores circa Hoc.

I. Supposito ex dictis, quod ad valide ministrandum sacramentum non requiratur in Ministro fides; sequitur, multo minus requiri in eo vitæ probitatem, ac sanctitatem, quæ sine fide haberi non potest. Quia tamen non defuere, qui in Ministro ad valide sacramentum ministrandum requirerent, præter fidem, etiam morum probitatem, & vitæ sanctitatem: ideo præsenti Dubio locus datur.

II. Donatistæ ergo, de quibus supra, tamquam suæ Sectæ fundamentum jecerant: nimirum, sacramenta a Ministris malis ac peccatoribus accepta, nulla esse ac invalida: & quia tales esse omnes extra suam Sectam existimabant, ad se venientes rebaptizabant. Quæ hæresis tanto furore propugnata fuit; ut in extirpanda, nedum Ecclesiæ Pastores, sed & Imperatores ipsi Constantinus Magnus, Constans, & Honorius plurimum laboraverint.

III. Errorem instaurarunt temporibus S. Bernardi Henriciani, qui se Apostolicos appellati volebant, asserentes; peccatores idoneos non esse sacramentis dandis, ac suscipiendis, ut refert S. Bernardus, Serm. 66. in Cant. n. 11. *Peccatores, inquiunt, sunt Apostoli, Archiepiscopi, Episcopi Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis sunt idonei sacramentis.* Quos S. Abbas ita perstringit: *Falsum est. Episcopus erat Caiphas: & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas, Episcopum, arguet te testimonium Joannis, qui eum in testimonium sui Pontificatus, etiam prophetasse refert. Apostolus erat Judas? & licet malus & sceleratus, electus tamen a Domino. At tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit?* Nonne ergo, *inquit*, vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est? *Audis eundem electum Apostolum, & extitisse Diabolum, & negas posse esse Episcopum, qui peccator est? Super Cathedram Moysi sederunt Scriba, & Pharisæi; & qui*

& qui non obedierunt eis tamquam Epiſcopis, inobedientia rei fuerunt, etiam in ipſum Dominum præcipientem, & dicentem: Quæ dicunt facite &c. Quibus apparet, hoſce hæreticos ideo negaſſe, malos Miniſtros valide conferre Sacramenta, quia falſo putabant, per peccatum eos excidiſſe a poteſtate miniſtrandi, nimirum, ab Epiſcopatu, preſbyteratu &c.

IV. In hunc errorem ſucceſſerunt Albigenſes, teſte S. Antonino, in *Sum. p. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.* ſacramenta ab exiſtentibus in peccato mortali collata, ut irrita rejicientes. Albigenſibus præiverant Waldenſes, ſæculo 12. volentes, corpus Chriſti a quolibet etiam laico confici poſſe; dummodo juſtus ac probus cenſeretur: quia per malos Sacerdotes confici poſſe negabant.

Qui vero errorem hunc audacius & apertius profeſſus eſt, fuit Jo. Wicleffus; cujus eſt articulus a Concilio Conſtantienſi, Seſſ. 8. damnatus, num. 4. *Si Epiſcopus, vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat:* Cui adhæſiſſe Joannes Hus cenſent non pauci. De hoc aliqua diximus, *Tom. 1. in 1. 1. Q. 6. de Lege humana, Dub. 6. §. 2.*

§. II.

Veritas Catholica.

V. DIco. Miniſter Eccleſiæ, etſi peccator & malus, non deſinit eſſe verus Eccleſiæ Miniſter: ideoque in eo non requiritur ſanctitas, ut valide conferat, & conficiat ſacramentum. Sequitur ex dictis, Dub. præcedente. Nam ſi non officit valori ſacramenti infidelitas Miniſtri, quæ maximum peccatum eſt: multo minus officient cætera peccata, quæ peccatorem extra Eccleſiam non ponunt, ut facit infidelitas, ſed eum intra Eccleſiæ gremium relinquunt; Præſertim, quia ex ibi dictis poteſtas conficiendi ſacramenta non eſt ex iis donis, quæ ſubjectum Deo gratum faciat, vel neceſſario ſupponant; ſed quæ ad aliorum utilitatem ac ſalutem ordinantur, quæ gratiæ gratis datæ dicuntur.

VI. Probo ergo primo. Peccatum mortale non efficit, ut quis a ſua poteſtate, juriſdictione, aut præfectura cadat. Peccatores enim erant Scribæ, & Phariſæi: unde monuit Chriſtus, Matth. 23. v. 3. *Secundum opera eorum nolite facere:* & tamen ibidem dixit: *Quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Si ergo verbum Dei ab impio prædicatum efficaciam habet: cur non & ſacramentum? Recolantur quæ §. præcedente, ex S. Bernardo, diximus.

Confirmatur, ex S. Auguſt. *Tract. 5. in Joann.* ſic Donatiſtas urgente. Baptiſmum *Dedit Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam: dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem. Quia ſi datus eſt a Juda Baptiſmus, Chriſti erat: qui autem a Joanne datus eſt, Joannis erat. Non Judam Joanni: ſed Baptiſmum Chriſti, etiam per Juda manus datum, Baptiſmo Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus.* Quia a quocumque conferatur, dummodo ſit Baptiſmus Chriſti, *Chriſtus eſt qui baptizat.* Virtus enim, & merita Chriſti ſunt, quæ efficaciam dant Baptiſmo, non meritum Miniſtri.

VII. Veritatem hinc probat S. Thom. 3. part. queſt. 64. art. 5. in corp. *Miniſtri* (inquit) *Eccleſiæ inſtrumentaliter operantur in ſacramentis.... Inſtrumentum autem non agit ſecundum propriam formam, aut virtutem, ſed ſecundum virtutem ejus, a quo movetur. Et ideo accidit inſtrumento, in quantum eſt inſtrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id, quod exigitur ad rationem inſtrumenti: ſicut quod corpus Medici, quod eſt inſtrumentum anima habentis artem, ſit ſanum, vel infirmum: & ſicut quod fiſtula, per quam tranſit aqua, ſit argentea, vel plumbea. Unde Miniſtri Eccleſiæ poſſunt ſacramenta conferre, etiamſi ſint mali.* Hæc S. Thom. Quare S. Aug. *Tract. 5. in Joan.* ait: *Quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus?*

VIII. Aliis rationibus a ſimili oſtendunt SS. Patres Gregorius Nazianzenus, Orat. 40. de Baptiſmo: *Sicut* (inquit) *duo annuli, etſi unus aureus ſit, alter ferreus; ſi tamen ambo eamdem Imperatoris imaginem inſculptam habeant, eamdem impreſſionem in cera relinquunt:* quia diſcrimen *in materia eſt, non in ſigno.* Sic quamvis *alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen Baptiſmi vis eſt.*

S. Auguſt. *lib. 3. contra Creſconium, cap. 8.* illo Pauli, 1. Cor. 3. v. 7. *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus:* infert, quod vis ſeminis ad propagandos fructus plantatorem, vel rigatorem operarium non expectat: *Qua mente operetur, qua laboret intentione, utrum Dominum agri fideliter diligat, an ſua, vel illius lucra conquirat. Et tract. 5. in Joan.* ducta ſimilitudine ab aqua, quæ in canali lapideo nihil producit, bene tamen in terra fertili; & a luce, quæ etſi per immunda tranſeat, non inquinatur, dicit: *Qui vero fuit ſuperbus Miniſter, cum Zabulo computatur: ſed non contaminatur donum Chriſti, quod per illum fluit purum, quod per illum tranſit liquidem ad fertilem terram. Puta quia ipſe lapideus eſt, quia ex aqua fructum ferre non poteſt: & per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas: in canali lapideo nihil generat, ſed tamen hortis plurimum fructum affert, Spiritualis enim virtus ſacramenti ita eſt, ut lux, & ab illuminandis pura excipitur; & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur.*

Ex his poteſt ſic diſcurri: Iniquitas Miniſtri ſe habet reſpectu ſacramenti, aut conficiendi, aut conferendi, ſicut corporis habitudo in Medico reſpectu curationis; ſicut animus pravus operarii reſpectu agri, quem colit; ſicut metallum ſigilli reſpectu effigiei, quam imprimit: ſicut materia, ex qua conſtat canalis, per quem aqua in hortum vehitur; & ſicut ſordidus locus, per quem tranſit lux: ſed nec infirmitas corporalis Medici, nec metallum, ex quo ſigillum confectum eſt; nec malus animus operarii, nec materia ex qua conſtat canalis, neque medium, per quod tranſit lux, nocumentum afferunt aut curationi infirmi, aut fertilitati agri, aut imagini, aut aquis, aut luci; ergo neque Miniſtri iniquitas nocet ſacramento, quando ab eo conficitur, ſecundum ritum a Chriſto inſtitutum.

IX. Probo ſecundo, ex S. Thom. in 4. Contr. Gen. cap. 77. *De bonitate, vel malitia alterius hominis homo judicare non poteſt: hoc enim ſolius Dei eſt, qui occulta cordis rimatur.* Si igitur malitia Miniſtri impedire poſſet ſacramenti effectum; homo ſemper dubius eſſet de validitate ſacramenti, & conſequenter de ſua ſalute. —— Hæc ratio maxime urget contra Wicleffum volentem, Miniſtros debere eſſe de numero prædeſtinatorum. Si enim hoc requireretur ad validitatem ſacramenti; quis eſſet certus, ſe illud recepiſſe? Quis enim certus eſſe poteſt, Miniſtrum eſſe de numero prædeſtinatorum, qui ſoli Deo eſt notus: & dicit Eccleſiaſtes; cap. 9. verſ. 1. *Sunt juſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.* Si igitur homo hoc de ſe ipſo non ſcit; multo minus ſciet de altero.

Neque eſt idem de intentione Miniſtri. Nam de ea certitudinem prudentialem habere poſſumus: dum enim vidimus, eum, quæ ab Eccleſia præſcripta ſunt, ſerio peragere; certi ſumus moraliter de ejus intentione faciendi, quod facit Eccleſia. At eum eſſe prædeſtinatum, quo colligere poſſumus, quod deceptioni non ſubſit? Quamvis enim appareat juſtus & innocens; quis nos certos facit, eum coram Deo eſſe talem; & rurſus, eum perſeveraturum uſque in finem, & ſalvum fore?

X. Dicebant Donatiſtæ, ſe non excludere Miniſtrum latenter malum, ſed malum publice ac notorie —— Sed reſpondeo. Si malitia interius latens Miniſtri, ſanctitati, ac veritati ſacramenti non nocet; cur nocebit ſi in publicum prodeat? Ita arguebat Creſconium S. Auguſt. lib. 3. cap. 5. *Nam ecce cum Miniſter iniquus occultus eſt, a quo tamen datum Baptiſmum non reſcindis, nonne omnia tibi verba tua iſta replicari poſſunt: quia & purificat maculoſus, & abluit ſordidus, & mundat immundus, & dat infidelis fidem, & criminoſus efficit innocentem.* Quia vero reponebat Creſconius: *Non ipſe, ſed fama ejus bona quamvis inanis & falſa.* Exclamat Auguſtinus, *Oh ſcelus, oh portentum!.... Ita ne ad mundandum hominem, quando boni Miniſtri defuerit vera vita, tum mali Miniſtri falſa ſufficit fama quæ hoc efficiet, quod efficeret bona vita; ut ad hominem ſanctificandum, quando Miniſtri latet iniquitas, miniſtro Deo militet falſitas? Hoc totum ideo, ne dicatis, quod dicimus: ſive a fideli, ſive a perfido diſpenſatore ſacramentum quiſque percipiat, non ſanctificat, niſi Deus.* Ita S. Auguſtinus.

XI. Probatur tertio, eodem S. Thoma loco citato: *Inconveniens videtur, quod ſpem ſuæ ſalutis in bonitate puri hominis ponat; dicitur enim, Jerem. 17.* Maledictus homo, qui confidit in homine. Sed *ſi homo ſalutem conſequi per ſacramenta non ſperaret, niſi a bono Miniſtro diſpenſata, videretur ſpem ſuæ ſalutis aliqualiter in homine ponere. Ut ergo ſpem noſtræ ſalutis in Chriſto ponamus, qui eſt Deus & homo; confitendum eſt, quod ſacramenta ſunt ſalutaria ex virtute Chriſti, ſive per bonos, ſive per malos Miniſtros diſpenſentur.* Hanc rationem mire illuſtrat S. Auguſtinus, *Tract. 5.* fere toto, in Joannem.

§. III.

Objectionibus ſit Satis.

XII. PRimo objiciunt. Saltem in Miniſtro abſolutionis eſſe debet ſanctitas. Et probant ſic. Qui non habet Spiritum Sanctum, non poteſt remittere peccata, dicit enim Chriſtus, Jo. 20. v. 21. *Accipite Spiritum Sanctum;* deinde: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur iis.* Ubi pro fundamento poteſtatis remittendi peccata, ponit habere Spiritum Sanctum.

Reſpondeo, diſt. conſ. Habere Spiritum Sanctum operantem per ipſum ad ſalutem alterius, con. conſ. Inhabitantem in ipſo per gratiam, nego conſ. Ita S. Auguſtin. *lib. 2. contra Ep. Parmeniani, c. 11.* dicens: *Spiritus autem Sanctus in Eccleſia Præpoſito, vel Miniſtro ſic ineſt, ut ſi fictus non eſt, operetur per eum Spiritus, & ejus mercedem in ſalutem ſempiternam, & eorum regenerationem, vel ædificationem, qui per eum ſive conſecrantur, ſive evangelizantur. Si autem fictus eſt.... deeſt quidem ſaluti ejus... Miniſterium tamen ejus non deſerit, quo per eum ſalutem operatur aliorum.*

XIII. Sed dices. Actio ſacramentalis Miniſtri in peccato exiſtentis eſt peccaminoſa; ergo non poteſt eſſe a Spiritu San-

Sancto, ut ſpecialiter movente; ergo neque valida. Conſ. prob. Actio enim peccaminoſa eſto poſſit eſſe a Deo motore generali; non tamen a Spiritu Sancto motore ſpeciali; alias peccatum illud refunderetur in Deum. Sicut diximus de prima Angeli operatione quæ cum ſit a Deo ſpeciali motore, ſi eſſet peccaminoſa, peccatum in Deum refunderetur.

Reſpondeo, diſt. ant. Eſt peccaminoſa, quatenus actio ſacramentalis, & applicans formam materiæ ſecundum ritum ab Eccleſia ſtatutum, nego ant. Quatenus eſt actio humana ab homine, ut cauſa principali morali præcedens, conc. ant. Actio igitur Miniſtri indigne ſacramentum conficientis, & poteſt ſumi quatenus eſt actio Miniſtri ut talis, & ſic eſt actio inſtrumenti aſſumpta a Deo ſpecialiter movente: & ſic eſt actio bona nulla inquinata malitia. Poteſt vero etiam ſumi, quatenus eſt actio humana procedens ab homine, ut cauſa principali morali, & ei correſpondet ſicut & cæteræ humanæ actiones, & ſub hac expreſſione, ſi procedat a Miniſtro indigno, eſt mala, ſed non eſt a Deo ſpeciali motore. —— Neque eſt ſimile de prima operatione Angeli: ad hanc enim cum non poſſit Angelus deliberate ſe movere, debuit ſub omni formalitate a Deo ſpeciali motore applicari; ideoque non potuit eſſe peccaminoſa.

XIV. Secundo objiciunt. Si debita forma, aut materia, aut intentio Miniſtri deſit, non conficitur ſacramentum; ergo nec ſi deſit debitus Miniſter, ac legitimus. Hinc autem eſt, qui mundus eſt ab omni peccato juxta illud Levit. 21. verſ. 17. *Omnis qui habuerit maculam . . . . non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus*: ergo &c.

Reſpondeo, diſting. conſ. Si deſit defectu eſſentiali, puta, ſi non ut Miniſter conſecratus, conc. conſ. Defectu congruitatis, & decentiæ, nego conſ. Hic autem eſt defectus probitatis in Miniſtro. Unde Auguſt. Tract. 5. in Joann. *Omnes dicimus, quia juſtos oportet eſſe tanti Judicis Miniſtros. Sint Miniſtri juſti ſi volunt; ſi autem noluerunt eſſe juſti, qui cathedram Moyſi ſedent, ſecurum me fecit Magiſter meus, de quo ſpiritus ejus dicit*: Hic eſt, qui baptizat. *Quomodo ſecurum me fecit? Scribæ, inquit, & Phariſæi ſuper cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt.* Videatur ibi S. Auguſt. Quod affertur ex Levitico non eſt ad rem. Ibi enim arcentur a miniſterio qui habent maculam in corpore; unde ſequitur: *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torto naſo &c.*

XV. Neque dicas, quod pravi Miniſtri ſacramenta profanant —— Nam reſpondeo, quod ſacramenta profanant ex parte ſua, ea indigne, & profano modo tractantes; non ex parte ſacramenti, illud privando virtute: *Non eſt* (inquit S. Auguſt. lib. 3. de Bapt. cap. 10.) *aqua profana, & adultera, ſuper quam nomen Dei invocatur, etiamſi a profanis, & adulteris invenitur: quia nec ipſa creatura, nec ipſum nomen adulterum eſt. Baptiſmus vero Chriſti verbis evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici & immundi: quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt: & ſacramento ſuo divina virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem bene utentium, ſive ad perniciem male utentium. An vero Solis, vel etiam lucerna lux, cum per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordidum contrahit: & baptiſmus Chriſti poteſt cujuſquam ſceleribus inquinari?* Multa alia Donatiſtæ opponebant, quæ omitto: cum ex iis, quæ dicta ſunt, reſpondere poſſit meus Candidatus. Quem moneo, in hoc Donatiſtas fuiſſe deceptos quod confunderent indignam ſacramenti collationem cum veritate ſacramenti, exiſtimantes, ſacramentum ab indigno collatum nullum eſſe, ideoque iterandum. Videri poteſt etiam Sanct. Thom. 3. part. Tum *quæſt. 64. artic. 5.* Tum *quæſt. 92. artic. 5. 6. & 7.* Tum *quæſt. 38. Supplem. artic. 2.*

Dubium VII.

An in Miniſtro requiratur Sanctitas, ut Licite conferat Sacramentum?

§. I.

De Miniſtro Solemnitatis.

I. Miniſter ſacramenti alius eſt ex officio, ſeu ſolemnitatis; alius neceſſitatis. Primus eſt, qui conficit ſacramenta, ad id ſpeciali conſecratione deputatus; qualis eſt Sacerdos Miſſam celebrans, abſolvens a peccatis, & cum ritu ac ſolemnitate baptizans. Secundus autem eſt, qui ſine aliqua ſpeciali conſecratione & deputatione ſacramentum miniſtrat. Talis Miniſtri uſus viget in Baptiſmo. Cum enim neceſſarius ſit ad ſalutem, neceſſitate medii, etiam in re ſuſceptus reſpectu parvulorum; nec poſſit ſemper haberi Miniſter conſecratus, qui cum ritu & ſolemnitate baptizet: voluit Chriſtus, ut iis in caſibus, quibus urgeret neceſſitas, nec poſſet haberi Miniſter conſecratus, poſſit a quolibet ſive Clerico, ſive laico, ſive viro, ſive femina (ut *in Tract. de Baptiſmo* dicetur,) abſque ſolemnitate Baptiſma conferri. In aliis autem ſacramentis, quæ tantæ neceſſitatis non ſunt, vel quorum effectus alia via haberi poſſunt: noluit Chriſtus, alium eſſe Miniſtrum; quam ſolemnitatis & ſpeciali conſecratione deputatum: excepto tamen Matrimonio, quod cum ſit contractus, non exigit Miniſtrum conſecratum; ſed ipſi contrahentes probabilius Miniſtri ſunt. Quærimus: An uterque Miniſter debeat eſſe ita juſtus & ſanctus, dum ſacramentum conficit, ut peccet ſi talis non ſit?

II. Dico ergo primo. Miniſter ſolemnitatis adminiſtrans, in peccato mortali exiſtens, peccat: & quidem mortaliter. Prior pars, nempe, quod peccet, probatur ex S. Thom. 3. *p. q. 64. a.* Tum quia: D. Dionyſ. *c. 1. de Eccleſ. Hierarch.* dicit, quod *Malis non eſt fas nec tangere Symbola*, ideſt, ſacramenta alia ſigna. Tum etiam quia: *Aliquis in agendo peccet ex hoc, quod operatur non ſecundum quod oportet*: ſed conveniens eſt, *ut ſacramentorum Miniſtri ſint juſti: quia Miniſtri debent Domino conformari, ſecundum illud, Levit. 19.* Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. *Et Eccleſiaſtic. 10.* ſecundum Judicem populi, ſic & Miniſtri ejus: *Et ideo non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros Dei, & Eccleſiæ, in diſpenſatione ſacramentorum peccent.* Hæc S. Thom.

Hoc idem docent Patres; Auguſt. l. 2. contra Ep. Parmen. cap. 10. *Omnia* (inquit) *ſacramenta cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus*, Concil. 1. in Pſalm. 103. *Videant, qualem rationem habituri ſint cum Deo, qui ſanctis non ſancte utuntur.* Et Tract. 5. in Joann. *Et ego dico, & omnes dicimus: quod juſtos oportet eſſe tanti Judicis Miniſtros.*

Videri etiam poteſt Hieronym. ſuper illud Sophon. 3. *Sacerdotes polluerunt*, relatus Cap. *Sacerdotes*, 1. q. 1. cujus ſenſum optime explicat S. Thom. infra *q. 82. a. 5. ad* 1. dicens: *qui Hieronymus per illam verba improbat errorem Sacerdotum, qui credebant ſe digne poſſe Euchariſtiam conſecrare, ex hoc ſolo, quod ſunt Sacerdotes, etiamſi ſint peccatores: quod improbat Hieronymus per hoc, quod maculoſi ad Altare accedere prohibentur; non tamen removetur, quin ſi acceſſerint, ſit verum Sacrificium, quod offerunt.*

Habetur etiam in Jure, Tit. de temp. Ordinandorum, *c. Quæſitum*. Ubi decernitur, Clericos inique viventes eſſe admonendos, & ſub interminatione divini judicii obteſtandos, ſi non pœnituerint, ut in ſuſceptis Ordinibus non miniſtrent. Et c. *Neceſſe eſt*, 1. q. 1. ubi Gregorius dicit: *Neceſſe eſt, ut munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat.* Et adducit illud, Iſaiæ 52. *Mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini.*

III. Poſterior autem pars, quod peccet mortaliter, habetur ex eodem S. Thom. 3. *p. q. 64. a. 6.* citato, ubi ſic proſequitur: *Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem ſacramentorum, quantum eſt ex parte peccatoris (licet ſacramenta ſecundum ſe ipſa incontaminabilia ſint) conſequens eſt quod tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.* —— Ex quibus hæc ratio conficitur. Peccatum, quod quantum eſt ex ſe, irrogat irreverentiam Deo, & ſacramenta contaminat, eſt peccatum mortale: ſed peccatum Miniſtri conſecrati ſacramentum indigne, quia in mortali, conficientis, irrogat irreverentiam Deo, cui, ut deberet, non ſe conformat; & contaminat ſacramentum, quod ſancte tractari debet: ad hoc enim fuit ſpecialiter conſecratus, ut ſciret, ſe ſancte ſancta tractare debere; ergo &c.

IV. Confirmatur. Majori culpa ſe implicant, qui novæ Legis ſacramenta in ſtatu mortalis culpæ ſolemniter miniſtrant, quam olim Miniſtri Aaronici Legalia in illo ſtatu obeuntes; quia illa ſanctiora ſunt, quam fuerint iſta: at, ut habetur, *Levit.* 22. Miniſtri Aaronici accedentes cum immunditia ad ea, quæ conſecrata erant, & quæ oblata Deo, peribant coram Domino: & *Exod.* 19. v. 22. dicitur: *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* Pœna autem mortis non infligebatur, niſi ob peccatum mortale; ergo multo magis Miniſtri Legis Evangelicæ &c. Unde Nicolaus I. in reſponſ. ad conſulta Bulgarorum: *Mali* (inquit) *bona miniſtrando ſe tantummodo ludunt, ut cerea fax accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis vero lumen in tenebris adminiſtrat: & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet.* Videatur S. Thom. etiam in 4. *diſt. 5. q. 2. a. 2. q. 4.* & *diſt. 24. q. 2. a. 3. q. 5.*

§. II.

Solutio Objectionum.

V. Objicies primo. S. Thom. 3. *p. q. 64. a. 5. ad 3.* dicit, bonitatem Miniſtri eſſe debitam ſecundum quamdam decentiam: at quod eſt debitum condecentiæ, ſi deficiat, non conſtituit peccatum, præſertim mortale: cum etiam ſit debitum ad decentiam, ut Miniſter ſit mundus corporaliter; & tamen ſi corporaliter immundus accedat, non peccat, ſaltem mortaliter; ergo &c.

Reſpondeo primo ad maj. S. Thomam velle, bonitatem miniſtri eſſe debitam ſecundum quamdam decentiam; non quod non ſit neceſſaria neceſſitate præcepti divini, ſed quod non ſit neceſſaria neceſſitate ſacramenti, *ſicut ſi deſit debita forma, vel debita materia.*

Secundo, dico ad min. quod ſi indecentia ſit talis, quæ cedat in irreverentiam Dei, & violationem ſanctitatis ſacramenti,

menti, constituit peccatum mortale: talem autem esse indecentiam Ministri indigne solemniter ministrantis, aperte dicit S. Thomas ibi, *in Corp.* Talis autem non est immunditia corporalis.

VI. Objicies secundo. Qui ex necessitate ministrat Baptismum, ut dicemus, non peccat, saltem mortaliter, quia intendit actum charitatis erga proximum exercere; peccator autem opus charitatis exercens non peccat novo peccato: sed etiam baptizans, ut Minister solemnitatis, intendit opus charitatis exercere; ergo &c.

Respondeo; discrimen esse. Nam qui baptizat in casu necessitatis, se habet ut persona particularis, ex charitate proximo suo subveniens: persona autem particularis proximo ex charitate subveniens, quamvis in peccato sit, novo peccato non se maculat. Qui vero, ut Minister solemnitatis baptizat, non se gerit ut personam particularem, sed ut ministerium Dei, & Christi agentem opus illud ex officio, & ex justitia. Minister autem Dei, & Christi tenetur in ministerio se conformare Deo, & Christo; tractans sacra ex officio, debet ea sancte tractare; alias deest muneri suo, & peccat.

VII. Objicies tertio. Ut quis digne suscipiat sacramenta mortuorum, non requiritur, ut sit in statu gratiæ: sed quamvis sit in statu peccati mortalis (ut in eo, qui est solum attritus) adhuc digne suscipit; ergo a pari, ut quis digne ministret, non requiritur, quod sit in statu gratiæ, cum non major requiratur dispositio in isto quam in illo.

Confirm. Si minister deberet esse in statu gratiæ quoties ministrat; esset semper perplexus & anceps, an licite ministraverit.

VIII. Respondeo, neg. conf. & discrimen est. Quia suscipiens sacramentum mortuorum se habet per modum subjecti, tendentis ad recipiendam primam gratiam: subjectum autem tendens ad habendam aliquam formam, debet quidem esse dispositum ad illam, sed illam in se habere non debet. Et ideo suscipiens sacramentum mortuorum debet quidem se disponere ad gratiam, sed gratiam habere non debet; alias eam primo non acquireret. At Minister se habet per modum agentis, conferentis gratiam nomine Christi: ut autem ea nomine Christi digne conferat, debet se auctori gratiæ conformare. Quapropter Minister in sui consecratione specialem accipit gratiam, ut sacramenta ministret in statu gratiæ.

Ex quo infero: præceptum hoc ministrandi in statu gratiæ esse non solum Ecclesiasticum, & divinum, sed etiam naturale. Minister enim, qui in consecratione accipit gratiam, ut digne & in statu gratiæ ministret; ex natura sui muneris obligatur ad ea in statu gratiæ ministranda.

IX. Ad Confirm. nego cum S. Thom. 3. *p. quæst. 64. art. 6. ad 3.* Ministrum fore semper perplexum. Nam vel non est in necessitate ministrandi; & sic potest se abstinere a ministrando, & interim a peccato se purgare. Vel est in circumstantia, in qua ei ex officio incumbit ministrare; *& sic potest pœnitere de peccato, & licite dispensare.*

X. Objicies quarto. Sicut per Ordinem deputatur Sacerdos ad conferenda sacramenta, & exercendos actus sui Ordinis; ita quilibet fidelis per Confirmationem deputatur ad fidem protestandam coram tyranno, & conjuges per matrimonium ad reddendum mutuo sibi debitum & ad hunc finem recipiunt gratiam in præfatis sacramentis: sed qui in peccato mortali existens protestaretur fidem coram tyranno, aut redderet debitum, non peccaret novo peccato, neque abuteretur gratia, per illam sacramenta sibi collata, ergo neque Minister &c. — Idem dici potest de Concionatore verbum Dei ex officio nuntiante in statu peccati mortalis, qui rem sacram ministrat, nec tamen videtur mortaliter peccare.

XI. Respondeo, dist. maj. Cæteris paribus, con. maj. Si cætera non sint paria, neg. maj. Ut enim advertit Cajetanus, hoc *art. 6. q. 64. 3. p.* ut peccet mortaliter Minister, & abutatur gratia, aut potestate sibi tradita specialiter, requiritur, ut eam habuerit per specialem consecrationem, & ea male utatur in ordine ad actionem, quæ vel sit activa sacramenti, vel saltem sacramentalis: idest, vel ordinata ad conficiendum sacramentum, vel distributiva sacramenti jam facti. Protestatio autem fidei coram tyranno, sicut & redditio conjugalis debiti, neque actiones activæ sacramenti sunt, neque sacramentales, neque sunt a Ministro specialiter consecrato: unde non mirum si non peccent lethaliter, qui eas in peccato lethali exercent. — Idem dico de Concionatore. Concionator enim, quia talis, non est Minister speciali consecratione deputatus; nec concionando exercet actionem activam sacramenti; aut sacramentalem.

Non desunt tamen, qui velint, Concionatorem ex officio concionantem in peccato mortali, peccare mortaliter: quia rem justam & sanctam tractat injuste & inique; utpote recedens a sanctitate tum Evangelii, tum Christi, cujus vicem ac ministerium gerit. Unde contra eum stant Verba Dei, Psalm. 49. vers. 16. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per eos tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum?*

XII. Objicies quinto. Fidelis, qui in peccato lethali existens hostiam consecratam tangeret, præciso contemptu rem sanctissimam indigne pertractaret: & tamen non peccaret lethaliter; ergo neque Minister malus, qui eam populo dispensaret.

Respondeo disparitatem ex dictis esse; Quia fidelis non Sacerdos tangens hostiam consecratam, eam non tangit tamquam Minister ad hoc consecratus, neque facit actionem sacramentalem; bene tamen Sacerdos malus eam populo dispensans; & ideo iste lethaliter peccat, non ille.

§. III.

Aliqua Inferuntur.

XIII. EX dictis infertur primo: Sacerdotem celebrantem in mortali, duplex lethale peccatum committere. Unum quia indigne conficit sacramentum: alterum, quia illud recipit. Addunt aliqui & tertium, quia nimirum, illud sibi ministrat (peccare enim, qui Eucharistiam jam confectam in peccato mortali dispensat, probabilius esse, infra dicetur) Hæc tamen duo, vel tria peccata sufficienter explicabit in confessione, si dicat, se in mortali celebrasse. Potest tamen contingere, quod Sacerdos peccet Eucharistiam conficiendo, non tamen eam sumendo, sibique ministrando; si nimirum, qui in mortali consecravit, ante sumptionem habeat contritionem perfectam: tunc enim justificatur, sicque eam recipiendo, ac sibi ministrando non peccat. Si tamen hoc contingat, debet in confessione explicari.

XIV. Infertur secundo: ministrantem sacramentum Pœnitentiæ, etiam moribundo, in peccato mortali peccare mortaliter: immo etiamsi periculum ita subitum sit, ut ad contritionem Sacerdoti vix tempus suppetat. Prior pars prob. Tum quia: Pœnitentia conferri nequit, nisi a Ministro consecrato, atque adeo semper obligato conformari Deo, cujus est Minister, & sanctitati sacramenti. Tum quia: S. Th. 3. *p. q. 64. a. 6. ad 3.* postquam excusavit a peccato baptizantem in mortali, urgente necessitate, quia non se gerit ut minister, subdit: *Secus est autem in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus.* — Posterior etiam pars probatur. Non enim potest esse periculum ita subitum, ut adimat Sacerdoti tempus faciendi actum contritionis, qui in instanti fieri potest, aut saltem brevissima mora. Quare vocatus Sacerdos ad absolvendum in periculo subito; si conscium se reperiat peccati mortalis, primum, quod facere debet, est conteri de peccatis suis. Et sane si moribundus non potest esse in tam subito periculo, ut non teneatur (si non adsit Sacerdos) actum contrictionis elicere; ita ut non eliciat, peccet, & si hic moriatur, damnetur: ita nec Sacerdos potest excusari ab habenda contritione, propter brevissimam moram temporis.

XV. Infertur tertio: probabilius dicendum esse, quod sit peccatum mortale ministrare Eucharistiam in peccato mortali. Quia licet hæc actio non sit confectiva sacramenti, est tamen distributiva illius, & consequenter actio sacramentalis. Tum etiam quia ut ait S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ad 4. *Quandocumque* (in mortali existens) *exhibet se in aliquo actu ut ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat; & toties mortaliter peccat, quoties ejusmodi actum facit... Unde quando tangunt res sacras quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem esse, si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingeret, vel exequeretur in eo casu, in quo etiam laicis liceret: sicut si baptizaret in articulo necessitatis, vel si Corpus Christi in terram projectum colligeret.* Ex quibus sic: Atqui Sacerdos ministrans Eucharistiam exhibet se ex officio Ministrum Ecclesiæ ad munus, ad quod est consecratus; ergo mortaliter peccat. Unde idem S. Th. hac 3. p. q. 64. art. 6. in cap. *Non est* (inquit) *dubium, quin mali exhibentes se Ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum peccent.*

XVI. Sed quid? Tot ne peccata committet Sacerdos in mortali distribuens Eucharistiam, quot sunt personæ, quibus eam distribuit?

Respondeo. Quod si Sacerdos post communionem suam in peccato mortali factam, alteri similiter in peccato existens tradat Eucharistiam, novum peccatum mortale committit: cum ista administratio sit actus a celebratione, suaque propria communione distinctus & diversus — Si tamen administraret Eucharistiam centum aut mille personis, modo hoc faciat continuando administrationem; dici recte potest, quod non committat, nisi unum peccatum indignæ administrationis. Quia etsi tot sunt actus numero distincti, quoad entitatem, quot sunt personæ communicantes; moraliter tamen loquendo reputatur una actio continuata, & ex pluribus illis actibus integrata. Ita probabiliter sentiunt Sylvius, & alii, non desunt tamen qui aliter sentiant.

Eadem ratione existimo loquendum de Sacerdote in mortali plures absolvente continuato ministerio, sedente, aut breviter se elevante, & deinde sacramentum ministrare pergente: moraliter enim una est illius sacramenti administratio pluribus facta.

Neque est simile de homine stante in ostio domus parato occidere omnes transeuntes; qui certe tot homicidia committit, quot homines occiderit — Nam ibi non potest moraliter censeri unum homicidium, sicut in præsenti materia est unum ministerium: cum ibi adsint injustitiæ distinctæ contra diversas personas, diversam moralem malitiam constituentes.

XVII. Infertur quarto; Diaconos, & Subdiaconos solemni-

lemniter, & ex officio cantantes Epistolam, aut Evangelium in peccato mortali, peccare mortaliter, colligitur ex S. Thoma, *in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 5.* sic loquente: *Lex præcipit, ut homo juste ea quæ sunt justa, exequatur: & ideo quicumque homo quod sibi competit ex ordine, facit indigne, quod justum est injuste exequitur, & contra præceptum legis facit: ac per hoc peccat mortaliter.* Sed Diaconus, & Subdiaconus in lethali solemniter exequentes munia sua, faciunt indigne quod sibi competit ex ordine, ergo peccant mortaliter. Et ratio est. Quia Ministri dum ordinantur, & consecrantur, una cum gratia contrahunt obligationem exercendi actiones sacras sui officii digne, qualiter docet Ministrum Dei. Propterea Paulus, 1. *ad Timot. 3. v.* 10. de Diaconis, dicit, quod *Probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Et Gregorius IX. Cap. *Quæsitum*, dicit, monendos esse Sacerdotes, & alios Clericos, & sub interminatione divini judicii obtestandos; ut si non pœnituerint, *In susceptis Ordinibus non ministrent.*

XVIII. An vero initiati solum minoribus Ordinibus lethaliter peccent, si actus suorum Ordinum solemniter exerceant in mortali: quidam affirmant, plures negant, quibus assentior. Nam eorum ministerium esto sit actus Ordinis, est tamen imperfectum, & valde remotum ab Eucharistiæ confectione; nec dici possunt Ministri Deo consecrati. Eadem ratione sacramentalia, quæ sunt actus Ordinis, facere in mortali, ut tonsurare, jurisdictionem fori exterioris exercere, Virginis, & vestes consecrare, non est mortale.

Quoad Concionantes vero in mortali, quamvis supra admiserimus, eos non peccare mortaliter; non tamen, ut diximus, usque adeo certum est, ut oppositum non sit probabile. Eo vel maxime, quod S. Thom. in 4. *dist. 19. q. 1. art. 2. q. 2. ad* 4. docet, quod qui ex officio prædicat, si hoc faciat in mortali, etsi occulto, adhuc mortaliter peccat. Hanc tamen sententiam implicite emolliisse creditur, in *cap. 6. 2. ad Cor. Lect.* 1. ubi de solo peccatore publice dicit, quod prædicando peccet. Cum enim actus prædicandi non sit actus Ordinis (nisi forte in Episcopo) poterit licite fieri per alium, etsi non sit in sacris constitutus. Et sic de Concionatore non valet regula generalis S. Thomæ, quod qui exercet indigne ea, quæ sibi competunt ex Ordine, mortaliter peccat.

§. IV.

De Ministro Necessitatis.

XIX. Dico secundo. Minister necessitatis, & non consecratus, etsi sacramentum ministret in statu mortalis peccati, non peccat mortaliter. Ita S. Th. 3. *part. q. 64. art. 6. ad.* 1. cujus discursum sub hac forma propono. Qui ministrat sacramentum ut Minister necessitatis, ministrat Deo in opere charitatis, ut scilicet subveniat saluti proximi periclitantis: sed qui se exhibet Deo ut Ministrum in opere charitatis: si sit peccator, non peccat, sed disponit se ad sanctitatem; ergo &c. Ecce verba S. Thomæ: *Opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad justitiæ sanctitatem, sicut quædam justitiæ partes. Et ideo homo, qui se exhibet Deo Ministrum in operibus charitatis, si sit justus, amplius sanctificatur; si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur.* Et clarius ibidem, *ad* 3. ait: *In articulo tamen necessitatis* (Sacerdos) *non peccaret baptizando* (in mortali) *in casu, in quo etiam posset laicus baptizare. Sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti.* Ex quibus patet, quod Minister, etsi alias consecratus, cum sacramentum ministrat, non ex officio, sed ex charitate, ut periclitanti subveniat, quamvis sit in statu peccati; dummodo reverenter id faciat, & ob finem salutis proximi: in quo casu consecratio in illo existens; per accidens, & de materiali se habet; quia in illo casu etiam laicus facere posset, quod ipse facit.

Minister ergo necessitatis dispensatur ab obligatione dispensandi in statu gratiæ; quia in eo casu non se exhibet ut Ministrum Christi in sacramentis conferendis, cujus sanctitati debeat conformari; sed solum per se exhibet seipsum, ut Ministrum Dei in opere charitatis pro salute spirituali proximi. Qui autem in opere charitatis ministrat, etsi in gratia non sit, non solum non peccat, sed ad gratiam se disponit, ut cum S. Thoma diximus.

XX. Sed quæres: An qui contrahit Matrimonium in statu peccati mortalis, peccet; non solum quia indigne recipit sacramentum, sed etiam quia illud ministrat; cum contrahentes sint ordinarii Ministri Matrimonii.

Respondeo, peccare mortaliter præcise, quia recipit indigne, non vero quia indignus ministrat: esto enim contrahens sint ordinarius, ac proinde Minister ex officio; attamen ad hoc non est deputatus ex vi alicujus consecrationis, quod requiritur, ut sit vere Minister ex officio.

DUBIUM VIII.

An a Malis Ministris liceat Sacramenta recipere, & an Ministris liceat ea ministrare Malis?

§. I.

Resolvitur prior Pars.

I. MAli Ministri nomine intelligimus eum, quem non temerario, sed prudenter judicamus esse in statu peccati mortalis. Huic autem dispensatio sacramenti vel convenit ex officio, ut Parochis; vel solum ex commissione, ut est Presbyter, approbatus quidem, sed curam animarum non habens; & hic, aut est paratus ad ministrandum, vel non. Rursus: impius ille Minister, aut est suspensus, aut excommunicatus, aut degradatus, vel non. Si est excommunicatus: vel fuit expresse denuntiatus, vel non fuit. Quærimus ergo: An a malo Ministro, sub quolibet ex his respectibus considerato, licitum sit sacramenta recipere.

II. Dico primo. Cuique licitum est, etiam extra casum necessitatis, sacramentum petere a proprio Parocho, immo & a quolibet Sacerdote parato ad ministrandum: etiamsi prudenter uterque credatur esse in peccato mortali, dummodo tamen alius Minister non adsit. Tres habet partes hoc Assertum.

Prima probatur. Licet cuique uti jure suo, in re maxime, quæ ex se bona est: at fidelis petens sacramenta a Parocho, vel alio, cui ex officio id incumbit, utitur Jure suo (Parochus enim, vel alius ex officio deputatus, tenetur sacramenta suis ovibus ministrare) in re quidem ex se bona & sancta; ergo licite &c.

Confirmatur. Ideo non liceret, quia stante præscientia, quam habet, eum in tali actu ministrandi peccaturum; videretur eum inducere ad peccandum, & communicare peccato ejus: sed hoc est falsum; ergo &c. Min. prob. Actio peccaminosa, alia est talis per se, quæ nimirum non potest ab altero exerceri sine peccato hic & nunc: alia est talis per accidens, quæ nimirum exerceri potest sine peccato; licet de facto exerceatur cum peccato: Cum quis ergo petit sacramentum a Ministro, qui est in peccato mortali, & maxime a suo Parocho; communicat in actione per se bona, & ad quam habet jus. Quod hic & nunc sine peccato non exercetur, id est per accidens, nimirum ex parte Ministri; qui cum posset præmissa contritione licite actionem illam exercere, & sic non peccare, hoc negligit: ideoque ipsi imputatur peccatum, non petenti, qui solum petit, quod sibi debetur, & quod sanctum est.

III. Hac eadem ratione probatur secunda pars. Quia videns Ministrum paratum ad ministrandum, primo ipsum non inducit ad peccatum, cum jam ipse ad actionem illam expositus sit; immo videns illum paratum, pie ac prudenter judicare debet eum, a suo peccato, saltem per contritionem, purgatum. Quod si non: sed adhuc prudenter judicare possit, eum in statu mortalis peccati permanere, adhuc licite potest petere; quia petit rem ex se bonam, quam si Minister exercet male, ex ejus malitia est. Hoc exemplis confirmari potest, ex D. Th. 2. 2. *q. 78. art. 4.* cujus verba refero, faciunt enim ad rem præsentem. Ibi enim quærens: an liceat pecuniam mutuo petere ab Usurario, dicit: *Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est. Quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum: ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, ut dicitur in Enchiridio* (Augustini, cap. 11.) *Et ideo Augustinus* (Epist. 154. modo 46.) *Publicolæ quærenti: Utrum liceret uti juramento ejus, qui per falsos Deos jurat, in quo manifeste peccat, eis divinam reverentiam adhibens: respondet, quod* Qui utitur fide illius, qui per falsos Deos jurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per Dæmonia juravit, sed pacto ejus bono, quo fidem servavit. *Si tamen induceret eum ad jurandum per falsos Deos, peccaret: Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo; ad hoc, quod non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Israel:* Noli occidere nos; quia Thesauros habemus in agro, *ut dicitur, Jerem.* 41.

Si ergo licet uti juramento per falsos Deos a parato ad jurandum, ut veritas habeatur; si licet, manifestando bona sua, uti peccato latronum ad salvandam vitam: si licet uti peccato usurarii parati ad usuras, ad subvenendum necessitati propriæ, vel alterius: licebit uti peccato Ministri parati ad ministrandum sacramentum, ut saluti animæ propriæ consulatur; quamvis licitum non sit, eum inducere ad ministrandum. In hoc enim casu sicut mutuatarius per se solum intenderet mutuationem, non usurarum acceptionem: sic petens sacramentum per se intenderet sacramenti receptionem, non indignam Ministri collationem.

Excipe tamen casum, quo malus Minister non vellet sacramen-

cramentum conferre, niſi ſoluto pro eo ſibi pretio; & proinde ſimoniace. Tunc enim non eſſet locus præfatæ præciſioni, nempe, qua ſuſcipiens intenderet ſacramenti ſuſceptionem, non peccatum Miniſtri pretium exigentis: ſed deberet a ſacramento ſic recipiendo abſtinere; perinde, ac ſi nullus eſſet Miniſter, ut docet idem S. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.* 2. Quia ſimoniaca acceptio, & pretii ſolutio pro ſacramentis, & gratia per ea accipienda, quæ ſpiritualis eſt, directe deſtruit naturam ſacramenti, & gratiæ, quæ pretio æſtimari non poteſt.

IV. Tertia quoque pars prob. Quia quiſque ex lege charitatis tenetur jure ſuo non uti, cum grave damnum proximo inde prævidit inferendum: præſertim ſi rem ſibi debitam alia via ſine periculo & detrimento proximi conſequi poſſit. Sic jusjurandum ab infideli juraturo per falſos Deos exigere non liceret, cum contractui cum eo inito aliunde tanta firmitas adeſſe poſſet, quanta ſeparetur ex juramento.

V. Totum hoc tradit S. Thom. hac 3. *part. q.* 64. *art.* 6. *ad* 2. his verbis: *Ille, qui ad ſacramenta accedit, ſuſcipit ſacramenta a Miniſtro Eccleſiæ, non in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum eſt Miniſter Eccleſiæ. Et ideo quamdiu ab Eccleſia toleratur in miniſterio, ille, qui ab eo ſuſcipit ſacramentum, non communicat peccato ejus; ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tamquam Miniſtrum exhibet.* Quod magis explicans, in 4. diſt. 24. q. 1. *art.* 3. q. 3. ad 3. *Quamdiu* (inquit) *Miniſter Eccleſiæ, qui eſt in mortali, ab Eccleſia ſuſtinetur, ab eo ſacramenta recipere ejus ſubditus debet, quia ad hoc eſt ei obligatus: ſed tamen præter neceſſitatis articulum non eſſet tutum, quod eum induceret ad aliquid ſui Ordinis exequendum, durante tali conſcientia, quod ille in peccato mortali eſſet, quam tamen deponere poſſet, quia in inſtanti homo a divina gratia emendatur.* Quæ bene notanda ſunt.

VI. Dico ſecundo. A malo Miniſtro ab Eccleſia non tolerato, ut ſi eſſet hæreticus, ſchiſmaticus, ſuſpenſus, excommunicatus &c. ſacramenta recipere non licet, niſi in caſu neceſſitatis, ſecluſo ſcandalo. Prima pars colligitur ex iis, quæ ſubjungit S. Thom. citatus, ex 3. *part. q.* 64. *art.* 6. *ad* 2. nimirum: *Si vero ab Eccleſia non toleratur, puta, cum degradatur, vel excommunicatur, vel ſuſpenditur, peccat, qui ab eo accipit ſacramentum; quia communicat peccato ipſius.* Ita etiam S. Auguſt. *lib.* 1. *de Bapt. cap.* 1. dicens: *Si quis autem, cum poſſit in ipſa Catholica accipere, per aliquam mentis perverſitatem eligit in ſchiſmate baptizari . . . procul dubio perverſus & iniquus eſt: & tanto pernicioſius, quanto ſcientius.*

VII. Secunda etiam pars ex eodem S. Auguſt. laudato, *cap.* 2. colligitur. Ait enim: *Si quem forte coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem acciplat, non invenerit, & in animo pace catholica cuſtodita, per aliquem extra unitatem catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa catholica unitate acceptarus, ſi ſtatim etiam de hac vita emigraverit, non eum, niſi Catholicum reputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus . . . non ſolum non improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſimeque veriſſimeque laudamus &c.* Eamdem doctrinam circa Pœnitentiam habemus ex Tridentino, *Seſs.* 14. *cap.* 7. his verbis: *Pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut ulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes a quibuſvis caſibus, & cenſuris abſolvere poſſunt.*

VIII. Tertia pars etiam certa eſt. Quia nullus tenetur, aut ſacramenta ab aliquo petere, vel ſuſcipere; quando ex hoc prudenter timet ſcandalum populorum, & Eccleſiæ damnum. Quare ſi ex ſuſceptione ſacramenti ab hæretico, aut ſchiſmatico præberetur occaſio non temere credendi per talem ſumptionem approbari hæreſim, aut ſchiſma; aut Miniſtris hæreticis hac ratione prævideretur conciliandа auctoritas, & plures Catholici ad eos defecturi eſſent; non liceret adulto, etiam in periculo vitæ conſtituto, ab ipſo petere, aut ſuſcipere ſacramenta, quia alia via Baptiſmi voto, & contritione de peccatis poſſet conſulere ſaluti ſuæ. Et potius quam, cum fraternæ ſalutis diſpendio, & Eccleſiæ, ſacramentum ab hæretico ſuſcipere, deberet imitari celebre S. Hermenegildi factum: ad quem cum pater Arianus per Epiſcopum Arianum Euchariſtiam miſiſſet, potius Martyrium ſubire voluit, quam ſacrilegæ Communionis particeps fieri; ne tali actu apud populum appareret, cum Arianis ſentire. Si vero baptizandus eſſet infans in vitæ diſcrimine poſitus, nec alius præter hæreticum adeſſet, qui Baptiſmi ritum noſſet, illum tali Miniſtro baptizandum offerre oporteret: nullus enim offenſionis, & ſcandali in hypotheſi occaſio præberetur.

IX. Sed dices. Non vertit crimini Conſtantino Magno, quod Nicomediæ, inſtante morte, ab Euſebio Epiſcopo Ariano baptizatus fuerit: ſed illud factum Arianæ ſectæ magnam auctoritatem conciliare poterat; ergo &c.

X. Reſpondeo, neg. maj. Primo: quia Conſtantinum baptizatum fuiſſe, non Nicomediæ, inſtante morte, ſed Romæ a S. Silveſtro, conſtans & verior Traditio eſt, quam defendit Baronius ad ann. Chriſti 324. n. 43. &c.

Verum quia moderni Critici in oppoſitum inclinant, nec ad rem præſentem ſpectat in hanc arenam deſcendere; Euſebii hiſtoriam, qualiſcumque ponderis ſit, admitto: ſed nego iterum maj. Nam Euſebius, *l.* 4. *de vita Conſtantini, c.* 61. *&* 62. dicit quidem, quod Conſtantinus *Convocatis Epiſcopis* ſolenni ritu ab eis baptizatus fuit; nullam tamen Euſebii Ariani mentionem facit. — Deinde Euſebius, ſi Conſtantinum baptizavit, eſto tunc ſecreto eſſet Arianus, non tamen talem ſe eſſe palam adhuc profitebatur: imo videbatur Catholicus, & Nicænæ Synodo adhærere. — Tertio tandem: dato quod Euſebius ibi adeſſet, ac palam Arianus Conſtantinum baptizaſſet, nego min. Nemo enim ſibi ſcandalum aſſumere poterat, aut Arianiſmo auctoritatem ullam ex hoc conciliatam prudenter exiſtimaret; ſed potius id ex neceſſitate factum, quiſque vir probus credere debuit. Cum enim Conſtantinus toto vitæ ſuæ tempore fuerit maxime Catholicus, & Arianorum hoſtis infenſus; & hoc hominibus, tum Catholicis, tum Arianis notum eſſet, ita ut, quamdiu vixit, conſubſtantialitatem Verbi in Nicæno definitam publice auſi non ſint impugnare: ex hoc facto nec Ariani ſibi quidquam arrogare poterant, nec Catholici ſcandalum ſumere.

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

XI. Dico primo. Miniſter ſacramenti, per ſe loquendo, tenetur non miniſtrare ſacramenta indignis; ac proinde ſi ſciens ac certus hoc facit, mortaliter peccat peccato ſacrilegii; quia violat præceptum Chriſti, Matth. 7. v. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.*

Ratio autem eſt. Tum quia: Miniſter debet eſſe diſpenſator fidelis, & prudens: non eſſet autem ſi bona Domini diſpenſaretur indignis. — Tum quia: tenetur Miniſter non violare ſanctitatem ſacramenti: eam autem ſicut violat, dum ſciens miniſtrat indigne, ut diximus: ita dum eam ſciens miniſtrat indigno. — Adde, qui communicat peccato proximi, reus fit peccati: at Sacerdos, qui ſciens miniſtrat indigno, communicat ſacrilegio recipientis; ergo &c.

XII. Dico ſecundo. Miniſter ſacramenti poteſt, per accidens ad vitandum ſcandalum, & injuſtam proximi infamationem, miniſtrare ſacramentum etiam indigno. Hoc docent omnes: & oſtendit exemplum Chriſti, qui miniſtravit Euchariſtiam etiam Judæ, etſi ſciret eum eſſe indignum. Et ratio eſt. Quia cum concurrunt duo præcepta, prævalet illud, quod magis urget; & pro eo caſu ceſſat obligatio alterius præcepti: ſed magis urget præceptum vitandi ſcandalum, & non infamandi injuſte proximum, quam præceptum non miniſtrandi ſacramentum indigno; ergo &c.

XIII. Hinc ſequitur, peccatori occulto non eſſe negandam Euchariſtiam, ſi publice ad eam accedat: ſecus ſi ſolus, ita ut poſſet illi negari ſine ſcandalo, & infamatione. Miniſter enim porrigens Sacramentum indigno ad vitandum ſcandalum, non cooperatur peccato indigne ſuſcipientis; ſed facit ex juſta cauſa actionem ex ſe indifferentem: ſiquidem ſuſcipiens poteſt ſumere digne, & per ipſum ſtat, quod ſumat indigne.

XIV. Quapropter S. Thom. *Quolib.* 5. *art.* 12. graviter peccaturum dicit Sacerdotem, qui occulto peccatori Euchariſtiam petenti, ut ex una parte ejus vitet infamiam, ſi deneget; & ex alia, ne reus fiat indigne ſumptionis, ſi concedat; Hoſtiam non conſecratam ei tribuit (quod ab aliquibus factitatum comperi) Iſte enim Sacerdos adhiberet remedium pejus morbo: pejus enim eſt inducere fictionem in ſacramento, in quo totus Chriſtus, qui veritas eſt, continetur; quam porrigere verum ſacramentum indigno. Addit S. Thom. quod *Etiam, Sacerdos, quantum in ſe eſt, populo fieret idololatrandi occaſio; qui quamvis peccatum idololatriæ non incurreret, æſtimans probabiliter, Hoſtiam eſſe conſecratam: tamen Sacerdos in hoc ipſo, quod Hoſtiam non conſecratam populo exhiberet adorandam, idololatriæ crimen incurreret. Unde hoc in nullo caſu eſt faciendum, ut Hoſtia non conſecrata exhibeatur uni, vel pluribus, tamquam conſecrata. Debet ergo Sacerdos peccatorem occultum primo quidem monere, ut pœnitentiam agat, & ſic ad ſacramentum accedat. Quod ſi pœnitere noluerit, debet ei occulte inhibere, ne aliis excommunicantibus in publico ſe immiſceat: quod ſi ſic immiſcuerit, debet ei dare Hoſtiam conſecratam.* Hæc S. Thom.

QUÆSTIO VIII.

De Subjecto Sacramentorum.

CUM relativa ſimul ſint cognitione, & Miniſter relative dicatur ad ſuſcipientem; ideo quæſtioni de Miniſtro ſubjicienda quæſtio eſt de ſubjecto ſuſceptivo ſacramenti: nimirum, quas conditiones habere debeat ſubjectum, ut valide ſacramentum ſuſcipiat. De conditionibus enim ad licite & digne ſuſcipiendum, ſuis locis ſigillatim ſermo erit.

Dubium I.

An in Suscipiente Sacramentum, requiratur Intentio, & qualis?

§. I.

De Subjecto Capaci Sacramenti.

I. PRæmitto tamquam certum, solum hominem, & hunc viatorem, non Angelum, aut hominem vel jam beatum, vel damnatum, esse subjectum capax sacramenti. Et hoc constat ex voluntate Christi, qui ita disposuit. Sacramenta enim sunt media ac remedia, quæ Christus Passione sua ac redemptione instituit; ut eorum applicatione ipsius merita operarentur in suscipiente effectum redemptionis, nempe, liberationem a peccato tum originali, tum actuali, ac sternerent viam ad salutem æternam. Christus autem factus est redemptio pro hominibus, non pro Angelis: soli homines viatores sunt capaces morbi, ac remedii, & in via ad salutem æternam. Nam Beati ita eam possident; ut eam amittere, vel augere nequeant. Damnati vero ita eam amiserunt, ut eam nulla via sperare possint; ac ita in peccato immobiles, ut ab eo nequeant dimoveri. Non quilibet tamen homo cujuslibet sacramenti capax est: nam sacramenti Ordinis sexus femineus capax non est. Hoc ergo præmisso.

§. II.

Resolvitur Prima Pars.

II. CErtum est, in parvulis rationis usum nondum attingentibus, & adultis, qui illum numquam habuerunt, nullam requiri intentionem, aut dispositionem ad valide recipiendum Baptismum, aut alia sacramenta, quorum capaces sunt. De adultis dubitatur, qui habent, aut habuerunt usum rationis. De his Cajetanus, in *3. part. q. 68. art. 7.* docuit, per se loquendo, non exigi ad valide recipiendum Baptismum intentionem, seu voluntatem; sed sufficere non inveniri obicem voluntatis contrariæ. Glossa autem, *C. Solet* de Consecr. dist. 4. dicit, quod *Si Baptizans intendit Baptizare, qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipit sacramentum.*

III. Dico tamen cum S. Thoma, *3. p. q. 68. a. 7.* In Adultis, qui habent, vel habuerunt usum rationis, ad valide suscipiendum sacramentum requiritur aliqua voluntas, seu intentio illud suscipiendi. Colligitur primo ex illo, Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Ad quid enim requirit Christus præviam ad Baptismum doctrinam; nisi quia vult, ipsum voluntarie suscipi ab adultis? Et sane: sicut fides debet voluntarie suscipi, ita & Baptismus, quo homines fidei initiatur, & quo Christi fidem profitentur. Propterea S. Th. citatus sic ait: *Per Baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ novitatem, secundum illud, Rom. 6.* Consepulti sumus Christo per Baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: *Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur* (secundum Aug. Hom. ultimo inter 50. c. 2.) *in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat: ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum.*

IV. Hinc cum non minus susceptio sacramenti, quam ejus ministratio debeat fieri modo humano voluntario & libero: sicut in Ministerio requiritur intentio, ut vidimus; ita proportionaliter in suscipiente. Unde præscribunt Canones, ut illorum voluntas exploretur, antequam Baptismati initientur, sive per se ipsos, si possunt, sive aliorum testimonio: ut statutum fuit, anno 398. in Conc. Carthag. 3. *cap.* 34. & anno 441. in Arausic. 1. *cap.* 12. Quæ confirmat August. *l.* 4. *de Bapt. contra Donat. cap.* 24. & Innoc. III. *Cap. Majores* de Bapt. ubi ait: *Ille vero, qui numquam consensit, sed penitus contradicit; nec rem, nec characterem suscipit sacramenti.*

V. Dices primo. Qui recipit sacramentum, habet se sicut patiens: at intentio non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis; ergo &c.

Respondeo cum S. Thom. 3. p. q. 68. art. 7. citato ad 1. *Quod in justificatione, qua fit per Baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria, & ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.* Nam *Deus* (addit idem S. Th. q. 69. art. 9.) *non cogit hominem ad justitiam. Et ideo ad hoc, quod aliquis justificetur per Baptismum, requiritur, quod voluntas hominis amplectatur Baptismum*, Subdit Dominicus Soto, quod cum Deus omnia suaviter disponat; id maxime de fide, & Lege Evangelii constituit, ut nemo, nisi consentiens, Christianus fiat.

VI. Dices secundo. Nonnulli prorsus inviti ac reluctantes fuerunt sacramento Ordinis initiati; & tamen valide. Ut enim refert Theodoretus, *Hist. PP. cap.* 13. Macedonius solitarius fuit consecratus in Presbyterum a Flaviano invitus & reluctans. Res ita cessit. Cum Macedonii virtus in ore omnium esset, Flavianus Episcopus, tamquam si in eum ad se delata esset accusatio, eum a vertice montis, quem incolebat, abducit: cumque haberet ibi Altare paratum, adducit ad Altare Macedonium inscium quid fieret, eumque in numerum Sacerdotum coaptavit. Finito sacro Officio, cum quidam significasset Macedonio, eum ordinatum fuisse Presbyterum; is primum omnes maledictis & conviciis cœpit lacessere: postea accepto baculo, cui propter senium innitebatur, & ipsum persequebatur Pontificem, & quotquot aderat &c. Hæc, & alia, quæ subinde fecit, nonne indicant, eum prorsus nolentem fuisse ordinatum? & tamen valide: cum dicta Ordinatio rata fuerit habita a Flaviano Canonum peritissimo: & insuper ab omnibus Ecclesiis habitus fuerit ut verus Presbyter, Macedonius.

Item S. Epiphanius Paulinianum S. Hieronymi fratrem invitum ac nolentem, primo quidem Diaconum, postea Presbyterum inauguravit. Eum enim per multos Diaconos apprehendi jussit, & teneri os ejus; ne forte liberare se cupiens adjuraret eos per nomen Jesu Christi: & sic eum ordinavit Diaconum. Presbyterum autem ordinavit hoc modo. Cum Paulinianus ministraret in sanctis Officiis: rursum cum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinaverunt Presbyterum. Duplex hoc factum demonstrat, quarto sæculo nulla requisitam fuisse intentionem in suscipiente Ordinem Sacrum.

Quare S. Aug. Tract. 26. in Joann. *Intrare* (inquit) *quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens.*

VII. Respondeo, Macedonium, & Paulinianum, utpote viros omni virtute præditos, animumque in omnibus Ecclesiæ subditum habentes, virtualem & absolutum consensum in Ordinationem ipsius datam præstitisse: quod ostenderunt suæ Ordinationis officia, absque ulla reluctantia postea exercentes. Illa vero obsistentia, qua obnitebantur, non indicabat, in eis fuisse absolutam contrariam intentionem recipiendi Ordinationem; sed eorum summam humilitatem, qua se indignos judicantes, secluso absoluto Ecclesiæ præcepto, ac etiam vi coactiva, non fuissent in suam Ordinationem consensuri. De Pauliniano enim S. Epiphanius refert: *Valde quippe obtinebatur, indignum se esse contestans.* Eumque tandem fuisse persuasum, adeoque consentientem, indicant sequentia S. Epiphanii verba: *Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus* (nempe, ut consentiret in Presbyteratum) *testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei . . . . iisdem verbis, quibus ante suaseramus* (nempe, ut consentiret in Diaconatum.) *Os quidem ejus tenuerunt assistentes in utraque Ordinatione; non tamen ne contradiceret, sed ne ipsos adjuraret per nomen Christi*, ut liber dimitteretur.

Macedonius item non fuit inscius actionis, quam circa se fieri videbat, nec repugnabat; sed potestatis, quæ sibi ea actione tradita fuerat: qua cognita, conviciis, maledictis, & baculo adstantes lacessere cœpit: non quia susceptæ Ordinationi in se repugnaret, sed quia timebat, *Ordinationem eum esse privaturam & cacumine montis, & ea, quam desiderabat, vivendi ratione.* Cæterum, quod absolute consenserit, ex eo patet; quod Macedonius Dominica sequenti invitatus ad celebritatem respondit: *Non sufficiunt vobis ea, quæ facta sunt, sed me rursum vultis efficere Presbyterum?*

VIII. Neque nobis contrarius est S. August. citato loco. Nam vel ibi loquitur de sacramento Eucharistiæ, ad quod potest aliquis, sicut & ad Ecclesiam, & ad Altare coactus, & nolens accedere; unde ait: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens.*

Vel non loquitur de eo, qui per vim coactus baptizaretur omnino, & absolute invitus & repugnans: sed de eo, qui prius nolens, minis & terroribus inductus ad Baptismum accedit. Is enim licet secundum quid sit nolens; hic & nunc tamen absolute vult baptizari; ut enim talia mala evitet, voluntas ejus eligit Baptismum suscipere. Et de talibus Innocentius III. Cap. *Majores*, intelligit decretum Concilii Toletani, in quo qui ad fidem coacti venerunt, eam retinere coguntur.

IX. Pro quo advertenda est S. Thomæ doctrina, in *4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3.* ubi ait: *Sciendum, quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert; sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis, ut dicitur in 3. Ethicorum, cap. 2. Et ideo si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extraneo, nihil conferente vim passo, ut cum aliquis reclamans immergitur violenter: tunc nec sacramentum suscipit, nec rem sacramenti. Si autem sit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat Baptismum suscipere, quam talia pati, tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti* (idest gratiam) Hæc S. Thom. Et merito. Quia, ut diximus agentes de voluntario, ea, quæ fiunt ex metu, licet conditionate & secundum quid sint involuntaria, quia si posset quis vitare flagella, aut alia, quæ metuit, nollet: tamen absolute eligit, & vult. Sicut qui metu tempestatis projicit merces in mare, vult absolute & simpliciter alias projicere; quamvis secundum quid, & sub conditione vellet illas retinere.

X. Ex-

X. Excipe tamen ſacramentum Matrimonii, ad cujus validitatem non ſufficit conſenſus, aut voluntas metu extorta. Nam quæ fiunt ex metu, licet jure naturæ voluntarie fiant, & proinde tali jure teneant: jure tamen poſitivo declarantur involuntaria, & nulla. Et quia Matrimonium, utpote contractus, ſubjicitur juri poſitivo, ſicut & cæteri contractus humani: ideo poſtquam tali Jure decretum fuit contractum ex metu factum non eſſe validum; ſacramentum Matrimonii non habet, quod requiritur ad ſui valorem, ſi fiat ex metu.

§. III.

Reſolvitur Secunda Pars.

XI. Dico primo. Ad valorem ſacramenti non ſufficit in adulto, ut mere indifferenter, aut negative ſe habeat, illi nec conſentiens, nec diſſentiens; ſed requiritur neceſſario intentio, ſeu voluntas illud ſuſcipiendi, ſive præſens, ſive præterita. Eſt contra Cajetanum, conformior tamen menti S. Thom. Nam 3. *p. q. 68. a. 6. ad 2.* Expreſſe dicit: *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi ſacramentum, eſſet rebaptizandus* — — Nec valet reſponſio Cajetani dicentis, S. Thom. loqui de eo, cui deeſſet intentio per intentionem contrariam; non vero per ſtatum neutrum, & indifferentem ad ſuſcipiendum, vel non ſuſcipiendum.

Nam primo. S. Thom. citatus, *art.* 12. loquens de amentibus, & furioſis, qui uſum rationis aliquando habuerunt: dicit, quod *Judicandi ſunt ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent . . . alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi.* Et ibidem *ad 3.* de dormientibus dicit; quod *Dormientes non ſunt baptizandi, niſi periculum mortis immineat; in quo caſu baptizari debent, ſi prius in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum, ſicut & de amentibus dictum eſt* (in corp.) *ſicut Auguſt. narrat in 4. lib. Conf. capitul. 4. de amico ſuo, qui baptizatus eſt neſciens, propter periculum mortis;* ergo non ſufficit non contradicere Baptiſmo, ſed requiritur poſitivus conſenſus ſive præſens, ſive præteritus non retractatus.

XII. Ulterius: In iis, in quibus non requiritur voluntas, aut conſenſus, voluntas contraria nihil obeſt, ſed impertinenter ſe habet. Quia enim ad venditionem captivi non requiritur ejus conſenſus, valide venditur captivus, etſi ſuæ venditioni repugnet; ergo ſi ad ſuſcipiendum ſacramentum non requiritur voluntas, & conſenſus ſuſcipientis; ita neque ejus contraria voluntas obſtabit, quin valide ſuſcipiatur: ſed hoc negat Cajetanus; ergo debet fateri, ad valide ſuſcipiendum, aliquam requiri ſuſcipientis voluntatem.

XIII. Probatur inſuper, præſertim de Baptiſmo. Non poteſt adultus contrahere obligationem ad novam Religionem, & fidem, niſi poſitive id velit: ſed ſuſcipiens valide Baptiſmum contrahit obligationem ad novam Religionem, & Fidem, ita ut poſſit cogi ab Eccleſia ad ſuam fidem ſervandam; ergo &c. —— Si dicas: ſatis eſſe ad contrahendam obligationem, non habere voluntatem contrariam; ut patet in pueris, qui poſitivam voluntatem non habuerunt, quando ſuſceperunt Baptiſma, cum incapaces eſſent; quia tamen tunc non habuerunt voluntatem contrariam, poſſunt cogi ad ſervandam fidem, cum pervenerint ad ætatem adultam.

XIV. Contra eſt. Nam eſto in iis, qui propriæ voluntatis ſunt incapaces, ad contrahendam obligationem ſufficiat voluntas alterius reſpondentis pro ipſis, ut in pueris: qui tamen propriæ capaces ſunt voluntatis, non poſſunt obligationem contrahere ſine poſitivo propriæ voluntatis conſenſu. Unde licet pupillus, qui propriæ voluntatis civiliter eſt incapax, poſſit obligari per voluntatem Judicis; Major tamen obligari non poteſt, niſi propria voluntate. Quod docuit S. Aug. qui, *l. 4. de Bapt. cap. 4.* de pueris ait; *Ideo cum alii pro eis reſpondent, ut impleatur erga eos celebratio ſacramenti; valet utique ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet.* Qua ratione Conc. Carthag. 3. *cap.* 34. & Araufic. 1. *cap.* 12. ſupra laudata ſtatuunt: quod ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, ut baptizari poſſint, requiritur voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum. Et Catechiſmo Rom. S. Pii V. *Tit. de Baptiſmo adultorum.* Tum etiam in Romano Rituali, Pauli V. juſſu edito, cavetur, ne baptizetur adultus, qui fruens rationis uſu non petit, antequam in amentiam, aut ſubitum morbum, quo fuit correptus, & præ cujus acerbitate nec loqui, nec poteſt ſignum aliquod dare, inciderit. Alioquin Gentilibus, qui nihil numquam audierunt de Evangelio, ſaltem ſi ſubito correpti morbo obmuteſcerent, Baptiſma conferre liceret. Quod eſſe contra Canones, nemo non novit.

XV. Objicies primo Innocentium III. qui cap. *Majores*, ſic concludit: *Tunc ergo characterem ſacramenti imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſtentem;* ergo ad validitatem ſacramenti ſufficit non habere voluntatem contrariam.

Reſpondeo, neg. conſeq. Innocentius enim de iis loquitur, qui præ infirmitate ſubita obmuteſcentes, *Prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum Baptiſmatis;* unde ſupponit in eis non meram indifferentiam, ſed voluntatem poſitivam, ſaltem præteritam.

XVI. Objicies ſecundo. Idem eſt Baptiſmus, qui confertur adultis, ac qui confertur parvulis: ſed in his non requirit propriam voluntatem; ergo nec in illis.

Si dicas, eſſe quidem eumdem Baptiſmum, ſed non eſſe idem ſubjectum. Unde in pueris, qui ſunt ſubjectum incapax propriæ voluntatis, hanc non requirit, quam tamen requirit in adultis, qui ſunt capaces. Sicut ad producendam gratiam in pueris, nullam requirit in ipſis diſpoſitionem, quam tamen in adultis requirit.

XVII. Inſtabis. Peccatum originale, ad quod delendum per ſe eſt inſtitutus Baptiſmus, ſive in pueris, ſive in adultis, eſt non propria, ſed aliena voluntate contractum; ergo in utriſque poteſt ſine propria voluntate remitti.

Reſpondeo, neg. conſ. Peccatum enim originale, quamvis ſit abſque propria voluntate contractum; voluntarium tamen eſt voluntate capitis; ideo, licet in pueris, qui propriæ voluntatis incapaces ſunt, remittatur abſque propria voluntate; non tamen in adultis, qui ejuſdem ſunt capaces. Tum etiam, quia adulti baptizantur in remiſſionem peccatorum, etiam actualium, quæ propria voluntate commiſerunt. Tum denique: quia Baptiſmus non ſolum delet peccatum originale, ſed inducit obligationem ad novam Religionem, & fidem: hæc autem, ut dicebamus, ab adulto nonniſi propria voluntate contrahi poteſt.

XVIII. Objicies tertio. Concilium Florentinum enumerans ea, quæ ad valorem ſacramenti ſunt neceſſaria, recenſet materiam, & formam, & intentionem Miniſtri, nihil loquens de intentione ſuſcipientis; ergo cenſuit, hanc ad valorem non requiri.

Reſpondeo, Conc. Florentinum non meminiſſe intentionis neceſſariæ ex parte ſuſcipientis, primo, quia intentum ejus erat recenſere ea, quæ in perficiendo quolibet ſacramento neceſſaria ſunt, & in quolibet ſuſcipiente. Intentio autem recipientis, non eſt neceſſaria ad perficiendum ſacramentum Euchariſtiæ, quia ſine ſuſcipiente perficitur: nec etiam ad illud recipiendum. Neque eſt neceſſaria in omni ſuſcipiente: nam in parvulis, ut vere ſuſcipiant Baptiſmum, non requiritur intentio. —— Secundo: quia Concilium enumerare intendit ſolum ea, quæ requiruntur ad perficiendum ſacramentum, ex parte miniſtrantis, ſeu agentis: non vero ea, quæ requiritur ex parte ſuſcipientis. Nam ad valide ſuſcipiendum cætera ſacramenta, præter intentionem, requiritur Baptiſmus; & ad valide recipiendam Ordinationem requiritur ſexus maſculinus: quæ tamen Concilium ibi non recenſet.

XIX. Objicies quarto. S. Thomas, *in 4. diſt. 6. q. 1. a. 2. q. 3.* dicit: quod *Non requiritur aliquid cauſans, ex parte recipientis; ſed ſolum impedimentum removens: quod quidem impedimentum nihil aliud eſt, quam voluntas contraria.* Ergo ſufficit, ut non adſit voluntas contraria.

Reſpondeo, neg. conſ. Nam S. Thomas ibi explicans quomodo debeat hoc impedimentum contrariæ voluntatis ab adulto tolli; dicit, quod requiritur *Intentio, vel voluntas ad recipiendum ſacramentum*; non ergo ſufficit indifferentia. Recolantur ſuperius dicta, pro mente S. Thomæ aſſequenda.

XX. Dico ſecundo. Intentio, quæ requiritur ad valide ſuſcipiendum ſacramentum, non debet neceſſario eſſe vel actualis, vel virtualis, ſed habitualis, & interpretativa. Probo. Nam Canones docent, ex dictis ſupra, valere ſacramenta dormientibus, amentibus, & præ ſubita infirmitate, linguæ uſum, & cujuſvis alterius ſigni amittentibus, ſi appareat, eos antea ſacramenta deſideraſſe; atque in talibus intentio actualis non adeſt: nam tunc de ſacramentis non cogitant. Nec adeſt virtualis: non enim in eis permanet aliquis motus, vel operatio ab intentione præcedente relicta, in qua intentio præterita dici poſſit virtualiter permanere; ergo ſola adeſt habitualis intentio, nempe præterita, non retractata. Quare Extrema unctio valet, collata fideli præ ſubita infirmitate omnium ſenſuum uſu deſtituto. Quia is, qui dum ſua frueretur ratione, ad mortem uſque Catholicam Fidem profeſſus eſt; cenſetur velle, ut ſibi ratione deſtituto ſacramenta in eo ſtatu neceſſaria conferantur.

XXI. Si dicas. Intentio habitualis non ſufficit in Miniſtro ad conficiendum ſacramentum, ut diximus: ergo neque ad recipiendum —— Nego conſ. Nam Miniſter active ſe habet ſua intentione influens; at ſuſcipiens ſe habet paſſive. Plus autem requiritur ad agendum, quam ad patiendum.

XXII. Si iterum dicas. Intentio habitualis ad recipiendum ſacramentum Matrimonii non ſufficit: neque enim dormientes, aut amentes nubere poſſunt; ergo neque ſufficit in aliis ſacramentis. —— Nego conſ. Nam contrahentes Matrimonium non pure ſuſcipientes ſunt, ſed etiam Miniſtri ſacramenti, ut probabilius docent Theologi: ad Miniſtrum autem intentio habitualis non ſufficit, eſto ſufficiat ad recipientem.

XXIII. Quæres: An valeant ſacramenta exterius ſerio recepta, quamvis recipiens ſuam intentionem interius retinuerit; apud ſe dicens: *Nolo recipere ſacramentum?*

Reſpondeo negative. Sicut enim ſupra diximus, non ſufficere ad validitatem ſacramenti, quod Miniſter ſerio exte-

rius applicet materiam, & formam; si interius non intendat facere, quod facit Ecclesia: ita nec sufficiet ad validitatem, quod suscipiens serio quidem exterius recipiat, ac se subjiciat Ministro conferenti sacramentum, sed interius retineat intentionem, apud se dicens: nolo recipere quod Ecclesia recipiendum instituit. In utroque enim casu, tam in Ministro, quam in recipiente intentio contraria obest valori sacramenti. Unde S. Thom. 3. p. q. 65. art. 7. ad 2. *Si* (inquit) *in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum: si non es baptizatus, Ego te baptizo.* Et in Corp. ejusdem art. *Ex parte* (inquit) *baptizati requiritur voluntas, sine intentio suscipiendi sacramentum.* Et q. 45. *Supplem. art.* 4. hæc scribit. *Si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere sacramentum, sed ludum, vel dolum facere, non esset baptizatus.*

XXIV. Si dicas. Innocentium III. Cap. *Majores*, statuere: valuisse Baptisma, quo mortis ac suppliciorum metu Judæi in Hispania, regnante Sisebuto Rege Christiano, fuerunt baptizati: quamvis iidem Judæi postea, tempore Conc. Toletani IV. contestati fuerint, se interius receptioni Baptismatis contradixisse. Idemque eumdem Pontificem statuere de Saxonibus, qui metu tormentorum Baptismo se subjecerunt corpore, non voluntate;

Respondeo, hæc confirmare, quæ supra diximus: nempe, validum esse Baptismum susceptum ex metu; quia id, quod fit ex metu, absolute & simpliciter voluntarie fit. Unde ad facta relata dico: Judæos illos, & Saxones baptizatos ex metu contradixisse receptioni, non efficaciter, & absolute; sed inefficaciter & conditionate, quatenus si potuissent evitare tormenta, noluissent recipere Baptisma: at positi in circumstantia tormentorum, simpliciter & efficaciter voluerunt.

DUBIUM II.

An in Suscipiente Requiratur Fides, & alia Dispositiones?

§. I.

Resolvitur de Fide, quoad Validitatem.

I. QUæsitum procedit de adultis. Certum enim est, parvulos absque ullo fidei motu, cujus incapaces sunt, baptizari: quidquid in contrarium fingat Lutherus. In duplici autem sensu agitari potest. Primo: An in suscipiente fides sit necessaria ad valide suscipiendum sacramentum. Secundo: An sit necessaria ad percipiendam rem sacramenti, nempe, gratiam. In primo sensu hic loquimur.

II. Dico. Ut valeat sacramentum, non requiritur in suscipiente fides. Probo. Non enim requiritur fides generalis, quæ omnes, aut saltem præcipuos articulos credat. Nam Ecclesia admisit Baptisma, quod in sua hæresi susceperant Ariani, Macedoniani, Nestoriani; quos ut dictum est, ad Catholicam fidem venientes, non rebaptizabat: immo, nec rebaptizaret Paganum, sive Atheum, si absque ulla fide, cum intentione tamen suscipiendi sacramentum Christianorum, Baptisma in Paganismo, aut etiam Atheismo suscepisset. —— Neque etiam requiritur fides specialis alicujus articuli; illius scilicet, qui concernit sanctitatem, aut efficaciam Baptismi, aut saltem Trinitatis, sub cujus invocatione confertur. Nam Ecclesia Catholica admittit Baptisma Lutheranorum, & Calvinistarum &c. qui in multis circa efficaciam Baptismi, & sacramentorum discredunt, ut vidimus. Et admisit Baptisma Arianorum, quamvis suscipientes errarent in fide Trinitatis; dummodo error in forma Baptisma non fuisset expressus.

Hinc S. August. *l. 3. de Bapt. contra Donat. cap.* 14. ait: *Nec interest, cum de sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam; sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum, & perversam fidem: sicut fieri potest, ut integra teneat verba Symboli; & tamen non recte credat, sive de ipsa Trinitate, sive de Resurrectione, vel aliquid aliud.* Hanc veritatem docet quoque S. Thom. *in 4. dist. 6. quæst. 6. art. 3. quæst. 1. & 3. part. quæst. 68. art. 8.* ubi ait: *Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad Baptismum, sine quo character Baptismatis imprimi non potest. Et sic recta fides baptizati non requiritur, ex necessitate, ad Baptismum; sicut nec recta fides baptizantis: dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum; sed per virtutem Dei.*

III. Sed primo objicies S. Aug. *lib. 7. de Bapt. cap. 55.* dicentem, valere Baptismum receptum sine simulatione, & cum aliqua fide.

Respondeo, de mente S. Augustini satis constare ex dictis nuper. Ne ergo sibi contradicat, dicendum est, illis verbis, *& cum aliqua fide*, sumere fidem late sumptam, nimirum, quia credat, & intendat sumere Baptismum tamquam a Christo institutum. Unde Sanct. Thom. *3. part. quæst. 68. art. 8. ad 3.* ait: *Etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa Sacramentum Baptismi: & ita non impeditur, quin possit habere intentionem suscipiendi Sacramentum Baptismi: Si tamen etiam circa hoc Sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perfectionem Sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere Baptismum, sicut Christus instituit, & sicut Ecclesia tradit.*

IV. Secundo objicies. Ad valorem Baptismi requiri in suscipiente saltem fidem Trinitatis. Nam Conc. Arelatense 1. can. 8. statuit, quod Afri ad Ecclesiam redeuntes novo consecrentur Baptismate: *Si interrogati non responderint Trinitatem.* Et Arelatense 2. *canon.* 17. decrevit: *Bonosiacos baptizatos in Trinitate, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint; cum Chrismate & Manus impositione in Ecclesia recipi sufficit:* ergo in subjecto Baptismi fides Trinitatis necessaria videtur.

Confirmatur. Nihil enim frustra in sacramentis Ecclesiæ agitur: sed secundum ritum Ecclesiæ ille, qui accedit ad Baptismum, de fide interrogatur, cum dicitur: *Credis in Deum Patrem &c.?* ergo fides ad Baptismum requiritur.

V. Respondeo, prioris Concilii Arelatensis Patres, iis verbis: *Si interrogati responderint Trinitatem*, solum voluisse, quod Afri revertentes ad Ecclesiam interrogarentur, non an crederent Trinitatem: sed an baptizati essent in Trinitate, idest, in Patre, Filio, & Spiritu Santo, ut laudatus Canon expresse dicit: *Et si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.* —— Alterum autem Arelatense Concilium solum præscripsit, ut Bonosiaci in Ecclesiæ sinum non admitterentur; nisi prius omnes articulos fidei se ex animo credere palam testati fuissent: non autem, quod si non crederent, iterum baptizarentur.

VI. Ad Confirm. respondet Sanct. Thom. citato *artic.* 8. *ad 2.* quod Ecclesia intendit homines baptizare, ut emundentur a peccato, quod sine fide haberi non potest. Ex quo sequitur quidem, quod qui sine fide baptizatur, non percipiat Baptismum ad salutem: non autem, quod illum vere non percipiat. Vide Sanctum Thom. citatum.

Neque obest, quod Baptismus dicatur sacramentum fidei —— Nam, ut ait Sanct. Thom. in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad 1. *Baptismus dicitur fidei sacramentum, quia per eum homo cœtibus fidelium aggregatur: & ideo, qui accipit Baptismum, ostendit, se fidem habere: & si non habet, reputatur fictus, & rem sacramenti cum sacramento percepto non percipit.*

§. V.

De Fide, quoad Fructum Sacramenti.

VII. DIco. Ad percipiendum fructum, seu rem sacramenti, nempe, gratiam necessaria est fides. Ita Sanct. Thom. *3. part. quæst. 68. art. 8.* ubi dicit: aliquid ex necessitate requiri ad Baptismum dupliciter, *Uno modo, sine quo gratia haberi non potest; quæ est ultimus effectus Sacramenti. Et hoc modo recta fides, ex necessitate, requiritur ad Baptismum; quia sicut dicitur, Rom. 3.* Justitia Dei est per fidem Jesu Christi. Idem docet, in 4. *dist. 6. quæst. 1. art. 3. quæst. 1.* Ubi cum doceat, quod in suscipiente Baptismum duplex sit finis, nempe perceptio sacramenti, & perceptio rei sacramenti; addit: *Quod in adultis requiritur fides etiam personalis necessitate, quæ est ex supposito finis secundi; quia nisi credat, reputatur fictus . . . . Et ita non consequitur rem Sacramenti.* Quare ibidem *ad 2.* super illa verba Christi, Marci ultimo versic. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit,* ait: *Dominus in verbis illis ostendit quid requiritur in baptizando, ad salutem consequendam, quæ est res Sacramenti.* Quare cum Dominus subjecerit: *Qui vero non crediderit, condemnabitur;* aperte indicavit, quod etsi quis acceptet Baptismum, si tamen non habeat fidem, *condemnabitur*: idest, sacramenti fructum, qui est æterna salus, non percipiet: ad hanc enim utrumque requiritur, & Baptismus & fides.

VIII. Ex his apparet, & fidem esse primam & fundamentalem dispositionem, quam secum ferre debet homo, ut rem sacramenti percipiat, nempe, gratiam justificationis.

Ut enim docet Tridentinum, Sess. 6. capite 8. *Cum Apostolus dicit, justificari hominem per fidem . . . . ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit: ut scilicet, per fidem ideo justificari dicamur; quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo; & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

IX. Nec tamen putes, ad gratiam per sacramentum consequendam, solam fidem sufficere. Hic enim est error Lutheri, Calvini, aliorumque ejusdem furfuris hominum, ab Ecclesia damnatus, & a nobis rejectus, *Tom. 1. in 2. Tract. de Justificat. Quæst. 2. de Dispositionibus de Justificat. Dub. 3. & 4.* sed, ut ibi ostendimus, plures alii actus, per quos homo ad gratiam, Spiritu Sancto eum

eum movente, ſe præparat: unde illuc Candidatum meum remitto.

Pro præſenti autem: quia ſacramenta, alia ſunt mortuorum, per quæ homo gratiam, quam prius non habebat, conſequitur: alia vivorum, per quæ gratia jam accepta augetur, & roboratur; ideo, non in omnibus eædem diſpoſitiones requiruntur.

Nam, ut quis fructum per ſacramenta vivorum percipiat, debet habere fidem formatam per charitatem, & eſſe in gratia juſtificante; ita ut ſi in gratia non ſit, nequeat ad ea digne, & cum fructu accedere, niſi prius a peccato purgetur, Deoque reconcilietur, ſive per ſacramentalem Confeſſionem, ut accedat ad Euchariſtiam, ſive ſaltem per contritionem perfectam, ut ad alia vivorum ſacramenta recipienda diſponatur. Non enim ad gratiæ augmentum recipiendum eſſet diſpoſitus, niſi prius eſſet quoquo modo in gratia conſtitutus.

Ut vero ad gratiam primo conſequendam per ſacramenta mortuorum ſe diſponat; debet actus illos præmittere, quos recenſet Tridentinum, *Seſſ. 6. cap. 6.* nempe, fidei, timoris, ſpei, dilectionis Dei juſtificantis, odii, ac deteſtationis peccati, cum propoſito illud in poſterum non admittendi. His enim a Spiritu Sancto movente quaſi manuductus, ad gratiam per ſacramenta ſive Baptiſmi, ſive Pœnitentiæ capiendam diſpoſitus eſt. De his fuſe egimus, *Tract. de Juſtific. quæſt. 2.* citata, Tridentini doctrinam ſequentes. An vero deteſtatio peccati requiſita tamquam diſpoſitio ad gratiam, ſive per Baptiſmum, ſive per Pœnitentiam obtinendam, debeat aliquem Dei amorem, qui charitatis ſit, includere; in Tractatu de Pœnitentia reſolvetur.

QUÆSTIO IX.

De ritibus Sacramentorum.

DE ritibus, ac cæremoniis in ſacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitis primo quæremus: an Eccleſia eas inſtituere potuerit, ac recte inſtituerit. Secundo: An eas ſervare ex præcepto fideles teneantur.

DUBIUM I.

Poteſtas Eccleſiæ circa ritus, ac cæremonias.

§. I.

Quid Acatholici ſenſerint.

I. QUamvis ipſa ſacramenta a Chriſto inſtituta dici poſſint cæremoniæ, ac ritus externi ſacri ad gratiam conferendam ordinati: in communi tamen uſu, cum de ritibus ſacramentorum ſermo eſt, ſolum accipiuntur cæremoniæ ab Apoſtolis, & Eccleſia ſuperadditæ in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione; quæ non ad gratiam conferendam, ſed ad alios pios fines adhibentur.

II. Eccleſiæ ritus fere omnes hæretici deſpexerunt. Omiſſis Veteribus, veniam ad recentiores. Waldenſes, circa ann. 1180. deridebant omnes benedictiones, quas Eccleſia uſurpat ſuper panem, oleum; ut refert Eneas Sylvius, *Hiſt. Bohem. cap. 35.* Wicleffiſtæ quoque, circa ann. 1480. benedictiones ſalis, vini, olei, aquæ nullius roboris eſſe aſſerebant.

Ritus autem, præcipue circa ſacramentorum uſum, impie ſubſannat Lutherus, *lib. de viſione Danielis contra Catharinum*, omnes creaturarum benedictiones damnans, & alibi omnia ejuſmodi libera eſſe dicens. Et Calvinus, lib. 4. Inſtitut. cap. 15. §. 19. *Quaſi* (inquit) *res eſſet contemptibilis ex Chriſti præcepto aqua baptizari: inventa eſt benedictio, vel potius incantatio, qua veram aquæ conſecrationem polluereat. Additus poſtea cereus cum Chriſmale: exſufflatio vero januam ad Baptiſmum aperire viſa eſt. Et ſi autem me non latet, quam vetuſta ſit adventitia hujus farraginis origo: reſpuere tamen mihi, & piis omnibus fas eſt quidquid ad Chriſti inſtitutionem addere auſi ſunt homines.* Ubi vides miſeri homuncionis temeritatem, qui ſacros ritus, quos vel ipſe antiquiſſimos fateri cogitur, reſpuere audet, ac aſpernari, tamquam a Satana inventos. Subdit enim: *Quum autem videret Satan, ſtulta mundi credulitate abſque negotio fere inter ipſa Evangelii exordia receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſſiora ludibria prorupit: hinc ſputum, & ſimiles nugas palam in Baptiſmi probrum effrani licentia invectas.* Verius dixiſſet, hæc impia contra ſacros antiquoſque ritus, ſuggerente Satana, ſe protuliſſe, Calvinum imitantur ejus Gregales: inter quos Jacobus Piceninus, quem in *Vera Eccleſia, Tom. I. toto cap. 15.* impugnavimus, ubi fere omnia hanc materiam tangentia, pertractata Studioſus inveniet.

§. II.

Reſolutio Dubii.

III. DIco. Eccleſia potuit ritus, ac cæremonias in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione præſcribere; ac de facto juſte præſcripſit. Prima pars probatur primo. Non minoris auctoritatis eſt Eccleſia Chriſti, quam Synagoga Judæorum: ſed hæc potuit aliqua circa ritus præcipere, quæ non præceperat Deus; ergo etiam Eccleſia &c. Min. prob. Tum, *Eſther 9.* ubi Synagoga Judæorum, ſuadentibus Eſther, & Mardochæo, novum diem ſolemnem *Phurin* celebrandum præceperat, quem non præceperat Deus. Tum, *Judith 16.* ubi alter ſolemnis dies perpetuo obſervandus legitur inſtitutus in memoriam victoriæ, quam Judith de Holopherne reportaverat. Tum, 1. *Machab. 4.* ubi novum feſtum dedicationis Altaris ab anno in annum per dies octo præſcribitur obſervandum; quem Chriſtus ipſe approbavit, dum ad illud celebrandum aſcendit, *Joann. 10.*

IV. Probatur ſecundo. Apoſtoli initio naſcentis Eccleſiæ poteſtate ordinaria, quam habebant, multa poterant in Eccleſia diſponere, de quibus Chriſtus nihil in Scriptura ſtatuerat: ſed poteſtas ordinaria, quæ in Apoſtolis erat, manſit ſemper in Eccleſia, & adhuc manet; ergo &c. Maj. probatur. Paulus, 1. *Corinth. 11.* cum multa de Euchariſtia digne ſumenda dixiſſet, concluſit, verſ. 34. *Cætera cum venero, diſponam.* Ex quibus verbis Sanctus Auguſtinus, *Epiſt. 118.* modo *54. ad Januarium, cap. 6.* ſupponit, quod Chriſtus Apoſtolis dederit poteſtatem ordinandi ea, quæ ad debitum ſacramentorum ritum, & uſum ſpectant. Et quidem in ſpeciali: quod licet ipſe poſt communem cœnam inſtituiſſet Cœnam Euchariſticam, eamque Apoſtolis præbuiſſet; & hic uſus in Eccleſiæ initio fuerit: dicit tamen Auguſtinus, quod Chriſtus *Non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur; ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alii ſemper acciperentur, credo quod eum morem nemo variaſſet. Cum vero ait Apoſtolus de hoc ſacramento loquens:* Propter quod, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate &c. *Statim ſubtexuit:* Cætera cum venero, diſponam. *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia) ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.* Quibus cenſet Auguſtinus, ordinem, quem in Euchariſtia miniſtranda, ritumque tenemus, a Paulo Apoſtolo fuiſſe diſpoſitum.

Inſuper, 1. *Corinth. 7.* loquens de Matrimonio, aliqua proponit, ut diſpoſita, non a ſe, ſed a Domino, verſ. 10. *Iis autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere:* quia hoc tangit ſubſtantiam Matrimonii. Alia vero proponit, ut diſpoſita a ſe, non a Domino, verſ. 12. *Nam cæteris ego dico, non Dominus: ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Quibus indicat, non dimittere uxorem infidelem volentem cohabitare cum viro fideli, ordinatum eſſe, non a Domino, ſed a ſeipſo.

Apoſtoli item, *Act. 1.* Jeroſolymis congregati, novam cæremoniam inſtituerunt, nempe, ut Gentiles converſi abſtinerent a ſuffocato, & ſanguine, quod certe Deus non præceperat, niſi Judæis; immo Dei Lex etiam circa Judæos erat jam abrogata per Chriſti mortem. Quod autem Apoſtoli hoc fecerint, non ex ſpeciali revelatione, ſed ordinaria poteſtate, patet: quia hoc ſtatuerunt in Concilio congregato, ubi collatis ſententiis decreverunt, quod utile eſſe pro illo tempore judicarunt.

V. Secunda autem pars, quod Eccleſia tales ritus pie, ac juſte ſtatuerit, ac proinde ſervandi ſint: Probatur ex duplici Regula S. Auguſtini, laudata *Epiſt. 118.* modo *54. ad Januarium.* Quarum primam tradit, *cap. 1.* nempe: *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus: quæ quidem toto terrarum Orbe ſervantur: datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri: ſicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cælum, & Adventus de Cælo Spiritus Sancti, anniverſaria ſolemnitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrit, quod ſervatur ab univerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia.* — Alteram tradit ibi, *cap. 5.* Ubi interrogatus, quid feria quinta ultimæ hebdomadæ Quadrageſimæ faciendum eſſet. An ſcilicet, offerendum mane, & rurſus poſt cœnam: an jejunandum, & poſt cœnam tantummodo offerendum: an etiam jejunandum, & poſt oblationem cœnandum? Ad quæ ſic ait; *Ad hæc itaque reſpondeo: quid horum ſit faciendum, ſi divina Scriptura præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus.... Similiter etiam ſi quid horum tota per Orbem frequentat Eccleſia. Nam & hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Sed ritus, quos in ſacramentorum diſpenſatione adhibemus, licet a Chriſto in Scripturis inſtitutos non legamus, traditos tamen antiquitus cuſtodimus, eoſque univerſa per totum Orbem ſervat Eccleſia; ergo eos, vel ab Apoſtolis,

lis, vel plenariis Conciliis inſtitutos eſſe credere debemus : ut, quin ita faciendum ſit diſputare (ut faciunt hæretici) inſolentiſſimæ inſaniæ ſit.

VI. Quod autem *Minor*, de rituum antiquitate, vera ſit, teſtantur Patres. Juſtinus Martyr, in *Apolog. ſecunda pro Chriſtianis*, multorum rituum meminit, quæ ad Euchariſtiæ tum confectionem, tum diſpenſationem pertinent. Tertull. *lib. de Bapt. c. 7.* unctionis in Baptiſmo mentionem facit, dicens ; *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione, de priſtina diſciplina.* Olei, & Chriſmatis Sanctus Auguſtinus *lib. 15. de Trinitate cap. 26.* Salis, & ſigni Crucis, *lib. 1. Confeſſion. cap. 11. de Catechiz. rudibus, cap. 20.* & *Tract. 26. in Joan.* Sputi, Sanctus Ambroſius, *lib. 1. de Sacram. cap. 1.* & *de iis, qui Myſteriis initiantur, cap. 1.* Sed quid plura? Calvinus ipſe ſupra relatus fateri cogitur : *Fere inter ipſa Evangelii exordia ortum* habuiſſe præfatos ritus ; ergo non Satan auctor fuit, ut ipſe blaſphemat ; ſed vel Apoſtoli, vel Concilia, in quibus eſt Eccleſiæ ſaluberrima auctoritas, eos ſanxerunt. Quia tamen inter ritus, qui modernis hæreticis diſplicent, eſt rituſ miniſtrandi Sacramenta idiomate latino ; ideo ſit

§. III.

De idiomate Latino in conferendis Sacramentis.

VII. Dico. Inter alios Eccleſiæ ritus, is ſapientiſſime inſtitutus eſt, ut in Eccleſia Latina, Latino idiomate ſacramenta ſolemniter adminiſtrentur. Dico *Solemniter* : quia Baptiſmus in neceſſitate miniſtrari poteſt idiomate, ipſi baptizanti noto. Excipitur etiam Matrimonium, quod cum perfici debeat mutuo conſenſu, requirit verba, aut nutus, qui a contrahentibus percipiantur. Eadem ratione peccatorum Confeſſio debet fieri a pœnitente idiomate ipſi noto : Confeſſio tamen non eſt ſacramentum, ſed materia ſacramenti.

VIII. Hoc evincitur primo ex antiqua Eccleſiæ Latinæ conſuetudine, quæ latine ſemper ſacramenta adminiſtravit ; etiam poſtquam Latina lingua deſiit eſſe vulgaris. Teſtantur hoc quotquot de divinis Officiis ſcripſerunt, & Ritualia confecerunt. Unde Moravi, teſte Ænea Sylvio, *De Origin. Bohemorum*, a Pontifice impetrarunt, ut poſſent lingua Sclavonica divina Officia celebrare : quod tamen Bohemis idem petentibus negavit Gregorius VII. Si autem uſus fuiſſet lingua vulgari ſacramenta, & divina celebrandi ; licentiam id faciendi certe non poſtulaſſent. —— Hoc ex eo etiam conſtat : quod divinis Officiis, & ſacramentorum adminiſtrationi miſcentur ſæpe verba Sacræ Scripturæ : ſed Sacra Scriptura antiquitus non extabat, niſi Hebraice, Græce, & Latine : Editiones enim aut Germanicæ, aut Gallicæ, ut Hiſpanicæ, aut Italicæ nonniſi ab uno, vel altero ſæculo prodierunt. —— Quod ſi objicias editionem Gothicam, quam Ulphilas Gothorum Epiſcopus adornaſſe fertur : dicam, id factum non fuiſſe, niſi cum Epiſcopus ille cum ſuo populo cœpit eſſe Arianus ; ea plane ratione, qua Editiones Vernaculæ Sacræ Scripturæ proxime lapſis ſæculis tunc ebullire cœperunt, cum Lutherus, aliique ab Eccleſia Catholica defecerunt.

IX. Evincitur ſecundo. Nam ex una parte nulla eſt neceſſitas utendi lingua vulgari in ſacramentorum adminiſtratione : ex alia autem multa incommoda ſequerentur, ſi ea uteremur. Nulla eſt neceſſitas. Nam ſi hæc eſſet, maxime foret, ut qui ſacramenta recipiunt, etſi idiotæ ſint, percipiant id, quod dicitur : hæc autem neceſſitas non eſt. Nam verba ſacramentorum aut diriguntur ad elementa, ut conſecratio Euchariſtiæ, aut benedictio aquæ &c. elementa autem nullam linguam intelligunt. Vel diriguntur ad Deum, ut formæ verborum deprecatoriæ, quales ſunt in extrema unctione : Deo autem omnes linguæ ſunt notæ. Vel diriguntur ad perſonam ſuſcipientem ; ſed hæc nihil refert, an intelligat, quia diriguntur ad illam non inſtruendam, & docendam, ut ſunt verba concionis (quod ſupra vidimus) ſed ad eam Deo conſecrandam, ut ſunt verba Baptiſmi ; vel abſolvendum a peccatis, ut ſunt verba abſolutionis. Sive autem verba hæc intelligantur, ſive non, habent effectum ſuum : quia non ex fide, aut devotione ſuſcipientis, ſed ex opere operato efficaciam habent, ut vidimus. Hinc Baptiſmi verba proferimus etiam ſupra infantes, ſupra amentes, & abſolutionis ſupra ægrotos etiam a ſenſibus alienatos.

Dices. Quod ſi lingua vulgari proferrentur, & intelligerentur verba Baptiſmi ad adulto, cum baptizatur : majori devotione Baptiſmum ſuſciperet : excitaretur enim in eo Fides. —— Nam reſpondeo, devotionem, & fidem excitari poſſe in illo, etſi verba latine, & non vulgariter proferantur. Tum quia : etſi Latina ſint, adeo tamen vulgari linguæ ſunt proxima, ut a nullo quantumvis rudi, non percipiantur. Tum quia : cum adultus ad Baptiſmum non admittatur, niſi prævio Catechiſmo, & inſtructione, dum Baptiſma ſuſcipit, jam bene intelligit, quid ſibi conferatur : ideoque habet, unde fidem ac devotionem poſſit in ſe excitare.

X. Incommoda autem, quæ ſequerentur ex uſu linguæ vulgaris, in ſacramentorum adminiſtratione, ſunt. Primum : quod impediretur commercium Eccleſiarum : non enim poſſent convenire in Eccleſiis Germanorum, Anglorum, Polonorum, Itali, Galli, Hiſpani, neque e contra : quod multum noceret communicationi, quæ debet eſſe inter membra ejuſdem corporis ; ſicque extra ſuas regiones divinis Officiis carerent. Præſtat ergo hac lingua omnibus communi, qualis eſt Latina apud Latinos, ſicut Græca apud Græcos celebrare ; ut ſic poſſint omnes invicem communicare.

Secundum : non tam bene ſervaretur divinorum majeſtas, quam ſi lingua non vulgari, & non omnibus trita celebrentur, ſervatur. Sicut enim ſacramentorum majeſtati congruit, ut celebrentur in alia domo, aliis veſtibus, quam ordinariis, & communibus : ita eidem congruit, ut alia lingua, quam ordinaria perficiantur.

Tertium, quia non adeo bene caveretur verborum mutationi. Si enim a quolibet patria vulgari lingua proferrentur, facile poſſet in verbis ſacramentalibus induci mutatio ; quæ non ita facile accidere poteſt, ſi ab omnibus eadem lingua proferantur. Propterea uſu totius Eccleſiæ Primitivæ conſtat, quod Liturgiæ nullæ fuerunt in alia lingua uſurpatæ, quam in Hebraica ſeu Chaldaica, Græca, & Latina ; quæ tamen non erant ſingulis populis vulgares & notæ : & modo etiam Eccleſia Græca Orientalis in ſola Græca lingua divina perſolvit, quæ vulgaris non omnibus Orientalibus eſt. De hoc egimus, in *lib. de vera Religione* nondum publici juris facto ; ubi etiam Adverſariorum ratiunculis fecimus ſatis.

DUBIUM II.

An præfati ritus ita fuerint ab Eccleſia præcepti, ut nemini liceat abſque peccato eos immutare?

§. I.

Veritas ſtatuitur.

I. Negant pertinaciter Heterodoxi volentes, Eccleſiam deſtitutam eſſe omni poteſtate imponendi præcepta, & maxime obligantia in conſcientia. Sed hunc errorem generaliter confutavimus *Tom. I. in 1. 2. Tract. de Legibus, q. 6. dub. 1.* modo ad præſens dubium.

II. Dico. Nemo, etiam ſecluſo contemptu, poteſt abſque peccato ritus ab Eccleſia ſtatutos immutare, & alios inducere. Ita Trid. *Seſſ. 7. Canon. 13.* his verbis : *Si quis dixerit, ſacros & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe : anathema ſit.*

Et probo primo. Quia hanc ſuam fuiſſe mentem perpetuo teſtata fuit Eccleſia. Aſiatici, ſæculo ſecundo, mutare tentarunt ritum celebrandi Paſcha, volentes illud celebrare Luna 14. Martii ; in quamcumque diem hebdomadæ caderent, ut Judæi celebrant : Victor Papæ eos redarguit, comminatus excommunicationis pœnam, ni reſipiſcerent. Et quamvis Sanctus Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus Victorem a ferenda excommunicationis pœna dehortatus ſit ; id fecit ſtudio pacis, & vitandi ſchiſmatis gratia : non quia crederet, Aſiaticos potuiſſe ritum illum mutare. Immo Concilium Nicenum primum eos, qui Victoris decreto parere recuſaverant, ſub nomine Quatuordecimanorum, hæreticis accenſuit.

Rurſus : Canon. 50. ex iis, qui Apoſtolici dicuntur, tria merſio in Baptiſmo præcipitur ; & qui unica tantum merſione baptizaverit, depoſitionis pœna mulctatur, ſi Presbyter, vel Epiſcopus fuerit. Quare Leander Epiſcopus Hiſpalenſis, ineunte ſeptimo ſæculo, conſuluit Gregorium Magnum de Miniſtris quibuſdam Catholicis, qui una tantum merſione in Hiſpaniis baptizabant ; ne darent locum Arianis, qui trinam adhibebant, ut trinam exprimerent in Trinitate ſubſtantiam. Depoſitionis autem pœna ſupponit rigoroſum præceptum : Conſilium autem per Leandrum a Gregorio petitum, ſupponit obligationem ritum illum ſervandi ; non autem liberum cuique eſſe illum mutare.

III. Porro, quod præceptum Eccleſiæ de ritibus ſervandis obliget in conſcientia, ut qui illud fregerit, reus culpæ mortalis fiat : conſtat ex citato *Tom. I. in 1. 2.* Ubi probavimus, in Eccleſia eſſe poteſtatem condendi præcepta obligantia Fideles in conſcientia. Quod ſi hanc poteſtatem habet Eccleſia ; quandonam juſtius ea uti poteſt, quam cum præcipit ea, quæ pertinent ad ordinem, & ritum ſervandum in cultu Dei ? Si teſte Auguſtino, de ritu ſervando in ſumptione Euchariſtiæ, ſive a jejunis ſive a non jejunis Chriſtus nihil *Præcepit, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum* : quis negabit, eis contuliſſe poteſtatem præcepta faciendi de ta-

de tali ordine ſervando, obligantia in conſcientia? Hinc Apoſtolus, 1. *Corinth.* 14. poſtquam præſcripſit, quo ordine ſe continere deberent Fideles in Eccleſia, concluſit, verſ. 40. dicens: *Omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant.* Supponebat ergo in ſe, & in Eccleſiæ Præpoſitis eſſe poteſtatem, qua honeſtum ac decentem ordinem Fidelibus præcipiat; & maxime in iis, quæ cultum Dei, & ſacramentorum adminiſtrationem concernunt. Nam ſine hanc poteſtate, cum quot ſint capita, tot ſint ſententiæ; quomodo ordo ac uniformitas in Eccleſia, quoad cultum Dei, ſervaretur?

IV. Hoc volens nolens, fateri coactus eſt Calvinus, *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 10. §. 30. Ubi loquens: *De geniculatione, qua ſit, dum ſolemnes habentur preces*, de qua conſtat, quod in Sacris Scripturis expreſſe non habetur: quærit: *An ſit humana traditio, quam repudiare, vel negligere cuivis liceat?* Cui reſpondet: *Dico, ſic eſſe humanam, ut ſimul ſit divina. Dei eſt, quatenus pars eſt decoris illius, cujus cura & obſervatio nobis per Apoſtolum commendatur: hominum autem, quatenus ſpecialiter deſignat, quod in genere fuerat indicatum magis quam expoſitum.* Quia autem in externa diſciplina & cæremoniis noluit Deus ſigillatim præſcribere quid ſequi debeamus: *Confugere hic oportet ad generales, quas dedit regulas, ut ad eas exigantur quæcumcumque ad ordinem, & decorem præcipi neceſſitas Eccleſiæ poſtulabit.* Ecce Calvinum confitentem, Deum ſolum generaliter indicaſſe ea, quæ ritum externum & cultum ejus concernunt: modum autem in particulari non deſignaſſe, ſed deſignandum Eccleſiæ reliquiſſe. Hoc eſt, quod Eccleſia Catholica docet de ritibus, præſertim ſacramentorum. Deus inſtituit, in qua materia, & quibus verbis confici debent Baptiſmus, & Euchariſtia: quo autem ordine, quibus ritibus exterius miniſtrari deberent, ſtatuendum ac præcipiendum reliquit Eccleſiæ: cum autem, Calvino teſte, Eccleſia in determinandis ejuſmodi ritibus procedat auctoritate & poteſtate non pure humana, ſed & divina; neſcio, cur Calvinus neget, Fideles in conſcientia teneri Eccleſiæ ſic ſtatuenti, ſive determinanti in particulari, id quod Deus in genere indicavit, obedire.

§. II.

Calvini, & aliorum rationes contrariæ.

V. PRimo objiciunt. Imponere neceſſitatem eorum, quorum a Chriſto relicta eſt libertas, eſt laqueum injicere conſcientiis; unde Paulus, 1. *Corinth.* 7. *verſ.* 35. ne una quidem in re laqueum injicere auſus eſt: ſed ritibus circa ſacramenta a Chriſto relicta eſt libertas; ergo &c. Ita Calvinus, *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 10. citato.

Confirmatur. Apoſtolus ad *Coloſſenſ.* multa docet. Primo: Chriſtum nos ad plenum inſtruxiſſe de vero Dei cultu. —— Secundo: non eſſe petendam ab hominibus doctrinam de vero Dei cultu. —— Tertio: damnat omnes fictitios cultus, quos homines ſibi comminiſcuntur, vel ab aliis accipiunt.

VI. Reſpondeo, neg. abſolute maj. Chriſtus enim, ut nuper Calvinus fatebatur, multa in genere ſolum indicavit, quæ in particulari ab Eccleſia ſtatuenda reliquit: quæ certe dum Eccleſia ſtatuit, laqueum conſcientiis non injicit. Optime autem Paulus ibi dicit, ſe nolle laqueum injicere: puta cum ibi ageret de virginitate, quam Deus abſolute ſub conſilio reliquerat; ſi Paulus eam abſolute præcipiſſet, laqueum conſcientiis injeciſſet. Idem tamen Apoſtolus, qui virginitatem imperare noluit, alia multa imperavit. Unde 2. Theſſalonic. 3. verſ. 14. *Quod ſi quis* (inquit) *non obedit verbo noſtro per Epiſtolam; hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.* In ea autem Epiſtola etiam de Traditionibus locutus fuerat.

VII. Ad Confirmationem ſigillatim reſpondeo. Ad primum dico, Chriſtum nos inſtruxiſſe de vero Dei cultu in genere, & quoad ſubſtantiam; non vero de omni externo ritu in particulari, ut Calvinus ſupra fatetur. —— Ad ſecundum dico, velle ibi Paulum, doctrinam de vero Dei cultu non eſſe petendam ab hominibus, qui contraria Chriſto doceant; ut faciebant ii, contra quos ſcribebat. Et ideo —— Ad tertium dico, eum damnare cultum mere humanum, quique non ſit conformis fidei, & doctrinæ Chriſti; non autem cultum ab Eccleſia præſcriptum, hic enim eſt determinatus cultus a Deo in genere indicatus. Hinc idem Paulus, 1. *Corinth.* 7. diſtinguit inter præcepta Dei, dicens, verſic. 10. *Præcipio non ego, ſed Dominus;* & præcepta propria, verſicul. 12. *Ego dico, non Dominus.* Unde in eadem Epiſtol. *capit.* 14. multa circa ordinem in Eccleſia ſervandum locutus eſt, de quibus nihil Dominus mandaverat: puta, de ordine loquendi, quod mulieres taceant &c.

Ut autem ſcopus Apoſtoli in citata Epiſtola ad Coloſſenſes percipiatur, ſciendum: quod cum ab Epaphra, qui Coloſſenſes traxerat ad Chriſti fidem, didiciſſet, quoſdam ſeductores irrepſiſſe, qui eis perſuadebant, per Angelos quoſdam, non per Filium, nempe Chriſtum, oportere accedere ad ſummum Deum: & præterea eis obtrudebant cæremonias quaſdam partim Judaicas, partim Ethnicas ab eis obſervandas: propterea Paulus, ut ab ejuſmodi erroribus Coloſſenſes averteret, præfatam Epiſtolam ad eos dedit.

VIII. Secundo objiciunt, Chriſtus, *Matthæi* 25. *verſ.* 9. reprehendit Traditiones hominum (quod prius dixerat Iſaias, (cap. 29.) his verbis: *Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* —— Rurſus Auguſtinus, *Epiſt.* 119. modo 55. *cap.* 19. conqueritur, quod multitudine cæremoniarum aliqui Eccleſiam ita oneraverint, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum.

Tertio. Hoc diſcrimen poſuit Deus inter nos & Judæos: quod illos tamquam pueros docuit per ſigna ſenſibilia; nos tamquam viros ſine talibus ſignis erudivit. Unde Paulus, ad Galatas 4. verſ. 3. *Et nos* (inquit) *cum eſſemus parvuli, ſub elementis Mundi eramus ſervientes.* Et Chriſtus, *Joann.* 4. *verſ.* 23. ait: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.*

IX. Reſpondeo ad hæc Calvini commenta. Nempe, ad primum, Chriſtum reprehendere Traditiones Phariſaicas, & mandata hominum. Primo: quia multa ex illis pugnabant cum mandatis Dei, ut ipſe exprimit citato *cap.* 15. *Matthæi.* Et *Marci* 7. —— Secundo. Quia multæ ex illis traditionibus inutiles erant, ut toties lavare manus. —— Tertio. Quia licet aliquæ bonæ eſſent, atque utiles, peccabant tamen in modo eas obſervandi: conſtituentes in illis ſummam Religionis, & pluris illas facientes, quam mandata Dei. Unde Chriſtus, Matthæi 23. verſ. 23. *Væ vobis* (inquit) *Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Cæremoniæ autem Eccleſiæ nec pugnant cum mandatis Dei, nec vanæ, aut inutiles ſunt; neque pluris eas facit Eccleſia, quam mandata Dei: quidquid ſit, an aliqui rudiores in hoc errent, ideo tamen corrigendi.

X. Ad ſecundum dico, Auguſtinum ibi non conqueri de cæremoniis ab Eccleſia ſtatutis, quas, ut vidimus, vult obſervandas: ſed de illis, quas ſibi privati homines imponunt, & mulierculæ plurimi faciunt. Verba S. Doctoris ſunt: *Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt; ſed pro diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur; ita vix, ut omnino numquam inveniri poſſunt cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt: ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.*

XI. Ad tertium dico, differentiam inter Judæos & Chriſtianos non ſtare in hoc, quod a Judæis ſolum cultum externum exigeret Deus, non internum & ſpiritualem: a Chriſtianis autem ſolum exigat cultum ſpiritualem & internum, non autem externum ac ſenſibilem: Primum enim falſum eſt, cum *Iſaiæ* 29. reprehendat Deus Judæos, quod ſolo cultu externo illum colerent: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Secundum quoque falſum eſt. Nam Chriſtus ipſe pro Chriſtianis inſtituit ſacramenta, tamquam media ad ſalutem; quæ nihil aliud ſunt, quam ſigna externa cultus, ac ſenſibiles cæremoniæ. Diſcrimen ergo in hoc ſtat: quod cultus Judaicus, qua talis, erat figurativus, & proinde principaliter in ſignis ac figuris ſenſibilibus ſitus erat, nec non in corporalibus exercitiis. At cultus Chriſtianus eſt principaliter internus ac ſpiritualis, utpote a ſpiritu fidei & charitatis procedens. Hinc Sanctus Paulus, 2. *Corinth.* 6. *verſ.* 6. Vetus Teſtamentum vocat *Litteram*, novum autem vocat *Spiritum:* ita qui in veteri Teſtamento Deo præſtabant cultum, nedum corporalem, ſed ſpiritualem & internum per fidem; id non ex Veteri, ſed ex Novo Teſtamento habebant, ad quod jam tunc pertinere incipiebant.

XII. Tertio objiciunt. Legi Dei non eſt facienda additio, aut detractio. Deuter. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas:* quibus de modo colendi Deum præſcribitur. Et Prov. 30. v. 6. *Ne addas quidquam verbis illius, ne arguaris, inveniariſque mendax.*

Confirmatur exemplis. 4. *Regum* 17. Qui incolebant Samariam, a feris diſcerpti ſunt; quia novis cæremoniis Deum colerent, quas Deus non inſtituerat. Ibidem, *cap.* 16. reprehenditur Achaz, quod novum Altare poſuerit in Templo. Qua ratione etiam ibi, *cap.* 21. aggravatur crimen Manaſſe, quod novum Altare extruxerit in Jeruſalem. Hæc Calvinus.

XIII. Reſpondeo, citatis locis non prohiberi omnem prorſus additionem, ſed ſolum additionem corrumpentem verbum Dei, eique contrariam: quod præcipue conſtat ex capite citato Deuteronomii, & rurſus: quia poſt

Deute-

Deuteronomium multæ factæ sunt additiones verbo Dei, In primis enim scriptis sunt omnes alii libri sacri, tum Historici, tum Prophetici, & eorum Novum Testamentum. Multa moralia præcepta addita sunt in libris Salomonis, & Prophetis. David addidit judiciale præceptum de dividenda æqualiter præda iis, qui in prælio pugnabant, & iis, qui sarcinas custodierant, 1. *Regum* 30. Posterius quoque Judæi addiderunt novas leges cæremoniales de novis festis diebus, *Hester. 9. Judith, ultimo*, 1. *Machab.* 4. de quibus supra. Prohibentur ergo additiones verbo Dei, ejusque mandatis contrariæ; non additiones in particulari explicativæ, aut determinativæ eorum, quæ Deus in genere solum indicavit: quales esse cæremonias Ecclesiæ, Calvinus ipse fateri cogitur, ut supra vidimus. Contrarii quidem verbo Dei sunt ritus hæreticorum, qui de verbo Dei plures libros Canonicos detrahunt: & quinque sacramenta delent e numero sacramentorum.

XVI. Ad Confirmationem dico, mala fide (more suo) procedere Calvinum. Samaritani enim illi non fuerunt puniti, quia novis præcise cæremoniis Deum colerent; sed quia simul Deum colere cœpissent, & sua Idola. Achaz reprehenditur, non quia Altare novum jusserit erigi in Templo; sed quia illud jusserit erigi ad similitudinem altaris Idolorum, quod erat in Damasco; & jusserit, Altare Dei removeri de loco suo, ut Altare Idololatricum in optimo loco collocaret. Manasses autem, non solum novum Altare in Templo posuit; sed Altare, in quo sacrificaretur Idolis: alioquin Altare novum erigere in Templo ad sacrificandum Deo nullum crimen fuisset. Nam, 3. *Regum* 8. *versicul.* 64. legimus, medium atrii Templi, jussu Salomonis, sanctificatum, ibique, Holocausta & Sacrificia oblata: *Quoniam Altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat Holocaustum, & Sacrificium, & adipem Pacificorum.*

XV. Objicit quarto Calvinus. Cæremonias, quibus nos subesse magna Mysteria spargimus, nihil esse, quam mera ludibria, quia partim ex Gentium deliriis exemplata, partim similarum more veteres Judaicæ legis ritus imitantia: qui nihilo magis ad nos pertinebant, quam pecudum victimæ.

XVI. Respondeo, has quoque calumnias contra ritus Ecclesiæ protulisse Manichæos. Unde Faustus, apud Sanctum Augustinum *l.* 20. *contra Faustum, cap.* 4. ita Catholicis improperabat: *Solemnes Gentium dies cum ipsis celebratis, ut calendas, solstitia . . . Quare constat, vos, atque Judæos, schismata esse Gentilitatis &c.* Quas tamen dissipat Sanctus Augustinus lib. citato, præcipue ostendens, quod esto in quibusdam rebus similes videantur ritus Catholicorum cum Gentilium & Judæorum cæremoniis, longe tamen differunt, qui rebus similibus, earumque usum ad alium finem referunt. Gentiles enim suum cultum ad falsa Numina referebant; immolabant Dæmoniis, & non Deo: Christiani autem ad unum verum Deum suum cultum referunt. Judæi colebant verum Deum, ei victimas, & alia offerebant; sed tamquam Prophetam futurorum: *Christiani autem* (ait cap. 15.) *peracti ejusdem Sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione Corporis & Sanguinis Christi.* Videndus toto illo libro Augustinus; ut appareat eadem contra ritus Catholicorum, Manichæos tunc objecisse, quæ modo contra nos Calvinus, ac ejus gregales objiciunt: & eadem, quæ non respondemus, ea esse, quæ Augustinus respondet.

Sed Calvinum rogo: Quid respondebit de Baptismo, qualem quoad externum ritum habebant Judæi, immo & Gentes servarunt? De Judæis constat ex Lege abluationes multas habuisse, & baptismata: sacras etiam ablutiones Gentiles habebant; de quibus Trismegistus, & Sybillæ decreverant, ut non aliis, quam adultis fierent. Quid insuper Calvinus respondebit de Cœna Domini? Judæi enim panes Propositionis in mensa appositos, & Gentiles suas sacras Cœnas habebant. Pascha etiam, & Pentecosten Judæi celebrabant. Cur ergo hæc etiam Calviniste observant? Non alia via esse potest; nisi quia Judæi, & Gentiles ea omnia ad unum finem faciebant: ad alium finem Christiani faciunt. Unde illa rejicienda; ista servanda: *Sicut* (inquit Sanctus Augustinus citato loco, cap. 1.) *non ideo contemnenda, & detestanda est virginitas Sanctimonialium, quia & Vestales virgines fuerunt . . . quamvis nihil aliud distet, nisi qui, cui voveatur, atque reddatur.* Sic inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum multum distat: eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata, & oblata &c. Quibus Tractatui de Sacramentis in genere finem imponimus.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS
DE BAPTISMO.



Conſideratione ſacramentorum in genere expediti, ad ſacramenta in particulari deſcendimus. Inter hæc primum omnium occurrit Baptiſma, quia ordine generationis cætera præcedit; dictum propterea *Janua ſacramentorum*. De hoc ergo primo examinabimus eſſentiam, & pertinentia ad illam. Secundo: cauſam efficientem ſive principalem, ſive miniſterialem. Tertio: ſubjectum. Quarto: effectus.

QUÆSTIO I.

De eſſentia Baptiſmi, & pertinentibus ad illam.

AD eſſentiam Baptiſmi pertinet examinare ejus differentiam, partes ipſum componentes, ejuſque proprietates, ac ſpecies. De his omnibus ſermo erit.

DUBIUM I.

Quænam ſit differentia inter Baptiſmum Joannis, & Chriſti.

§. I.

Variæ Baptiſmi Chriſti figuræ.

I. VAria in antiqua Lege Baptiſma Chriſti adumbrantia præceſſerunt: inter quæ Catechiſmus Romanus primo recenſet Diluvium, quo Noemi ætate Orbis corruptus priſtinæ reſtitutus fuit integritati. Secundo: tranſitum maris Rubri, cujus beneficio Populus Iſraeliticus Egyptiacæ ſervitutis jugum excuſſit. Veteres Theologi Baptiſma adumbrarunt in ablutione Naamanis Syri, lepra mundati in Jordane ex Eliſei præſcripto: & in Probatica, de qua in Evangelio. His adjungi merito ſolent Circumciſio, de qua aliqua ſuperius dicta ſunt, & inferius dicentur; & Baptiſma Joannis, de quo modo.

II. Anno igitur quintodecimo Imperii Tiberii Ceſaris, Chriſto quidem nato, ſed nondum per prædicationem manifeſtato; Joannes Baptiſta e deſerto, in quo aliquo tempore moratus fuerat, egreſſus, venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ. Plurimi Judæorum audita Joannis voce, ad eum confluere cœperunt, quos ille baptizabat, aqua eos abluendo. Quo Baptiſmo & ablutione eos admonere volebat; ut ablutis ſordibus corporis, ſordes animæ diſcerent mundare per pœnitentiam; ne imminens Meſſiæ adventus eis eſſet infauſtus. Hic erat Baptiſmus Joannis.

III. Circa quem, varie variis temporibus erratum eſt. Primo enim Petilianus Donatiſta unum eſſe voluit Joannis, & Chriſti Baptiſma, tribus tamen gradibus conſecratum. Nimirum: dedit aquam Joannes ſine nomine Trinitatis: dedit Spiritum Sanctum Chriſtus: Spiritus Sanctus ignis in Apoſtolos ſupervenit; ſed hæc tria unum conſtituunt ſacramentum. Sic apud S. Auguſtinum, *lib. 2. Contra litt. Petiliani, cap. 32.* Quem errorem S. Doctor ibi, *cap. 34.* confutat ſic: *Cur ergo aquam repetiverunt Apoſtoli in eis, quibus jam Joannes aquam dederat, pertinentem ad unum Baptiſmum tribus gradibus conſecratum?*

IV. Acatholici moderni (plerique ſaltem) non alium volunt fuiſſe Baptiſmum Joannis a Baptiſmo Chriſti. Lutherus enim, licet ab initio oppoſitum ſcripſiſſet: poſtea vero nullam inter utrumque differentiam confeſſus eſt, & neutrum juſtificare, ſed ſolam Fidem. Unde Melanchton, unus ex præcipuis Lutheri diſcipulis, in locis commun. *ann. 1555. tit. de Bapt.* ſic ait: *Etſi differentia erat in hoc articulo, Joannis de paſſuro Chriſto, Apoſtoli de paſſo & reſuſcitato: tamen Miniſterium fuit idem, & effectus eoſdem habuit in credentibus.*

V. Idem ſenſerunt Zuinglius, & Calvinus. Hic enim, *lib. 4. Inſt. cap. 14. §. 7.* ait: *Quo etiam certiſſimum ſit, idem fuiſſe prorſus Joannis Miniſterium, quod Apoſtolis poſtea delegatum eſt. Non enim alium Baptiſmum faciunt diverſæ manus, quibus adminiſtratur: ſed eumdem eſſe, eadem doctrina oſtendit. In unam doctrinam Joannes, & Apoſtoli conſenſerunt: utrique in pœnitentiam, utrique in remiſſionem peccatorum: utrique in nomen Chriſti, a quo pœnitentia, & peccatorum remiſſio eſſet, baptizarunt.* Unde §. 18. baptizatos a Joanne, fuiſſe ab Apoſtolis rebaptizatos negat; *Ego autem concedo, fuiſſe illud verum Joannis Baptiſma, & unum idemque cum Chriſto Baptiſmate, ſed rebaptizatos nego.*

VI. Magiſter Sent. *in 4. diſt. 2.* duo genera baptizatorum a Joanne diſtinxit: unum eorum, qui ſpiritum ſuum in Baptiſmo Joannis collocabant, nullamque de Chriſto notitiam habebantur: & hos dixit fuiſſe denuo baptizandos Baptiſmo Chriſti. Alterum eorum, qui juſtitiam ex Baptiſmo Joannis non ſperabant, quique in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credebant: & hi non fuerunt poſtea baptizati, ſed impoſitione manuum ſuper eos facta Spiritum Sanctum receperunt. Ita refert S. Thom. *3. part. quæſt. 38. art. 6.*

§. II.

Catholica veritas.

VII. DIco. Baptiſma Joannis non erat idem, ſed in multis, & quidem eſſentialiter, diverſus a Baptiſmo Chriſti. Erat diverſus. Primo: ratione auctoris: Baptiſmi enim, qui dicitur Chriſti, Chriſtus ipſe Auctor fuit. Baptiſmus vero, dictus Joannis, ab ipſo Joanne, quamvis ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu inſtitutus fuit. Unde Scriptura nuſquam vocat illum, Baptiſmum abſolute, ſed cum addito, nempe, Baptiſmum Joannis. Ex hoc ſequitur, quod

Diverſus erat, Secundo: Quia Baptiſmus Joannis non erat proprie ſacramentum, ſed: *Quaſi quoddam ſacramentale diſponens ad Baptiſmum Chriſti: & ideo aliqualiter pertinebat ad legem Chriſti, non autem ad legem Moyſi.* Ita S. Thom. *3. part. quæſt. 38. art. 1. ad 1.* Et ibidem *art. 2.* docet, in Baptiſmate Joannis duo poſſe conſiderari: nempe ritum, & effectum Baptiſmi. Licet autem ritus eſſet a Deo, qui familiari revelatione Joannem miſit ad baptizandum; effectus tamen illius fuit ab homine: quia *Nihil in eo Baptiſmo efficiebatur, quod homo facere non poſſet. Unde non fuit a ſolo Deo, niſi in quantum Deus in homine operatur.* Sacramenta autem a ſolo Deo effectum habere debent. Hinc

Diverſus erat, Tertio: Ratione effectus, ſeu virtutis, & efficaciæ. Quia Baptiſmus Chriſti per ſe ipſum dat gratiam, & Spiritum Sanctum, & ex opere operato facit renaſci ad novam vitam: Baptiſmus autem Joannis ex ſe ſolum dabat aquam abluentem corpus; ut ea ablutione excitaretur in ſuſcipiente fides in eum qui daturus erat Baptiſmum in Spiritu Sancto. Pro hac veritate nullum fortius teſtimonium exquirere poſſumus, quam ab ipſo Joanne. *Matthæi 3. verſ. 11. Marci 1. verſ. 8. Lucæ 3. verſ. 16. & Joann. 1. verſ. 25.* Ubi cum quidam ex Phariſæis interrogarent eum: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Reſpondit: *Ego baptizo in aqua. Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Et poſt multa, verſ. *32. Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem; hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Fatebatur ergo Joannes ipſe Baptiſmum ſuum eſſe tantum miniſterium, exhibens aquam omni ſpirituali effectu ex ſe deſtitutam; & Spiritus Sancti gratiam per ſolum Chriſti Baptiſma eſſe conferendam. Si enim eamdem vim contuliſſet Chriſtus Baptiſmo Joannis, quam confert Baptiſmo ſuo: non dixiſſet, Baptiſmum ſuum eſſe *in aqua*, Baptiſmum vero Chriſti *in Spiritu Sancto*: uterque enim fuiſſet in aqua, & uterque in Spiritu Sancto. Quapropter Concilium Trident. Seſſ. 7. de Bapt. Can. 1. *Si quis* (inquit) *dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.*

Diverſus erat quarto: ratione ſigni, & ritus ſenſibilis. Nam licet uterque conſtaret aqua; ille tamen, qui Chriſti dicitur, præterea includit formam, nempe verba: ubi Joannis Baptiſmus verborum expers erat. Nec enim Joannes, dum baptizabat, ullis determinatis verbis utebatur; ſed ſolum hortabatur populos, ut Pœnitentia ſe præpararent, & crederent in eum qui venturus eſſet. Hoc enim indicant Pauli verba, Actor. 19. verſ. 4. *Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum.* Dato etiam, Joannem baptizando aliquibus verbis uſum fuiſſe: certum eſt, eum uſum non fuiſſe invocatione SS. Trinitatis, vel in nomine Jeſu, quæ Baptiſmo Chriſti eſſentialis eſt. Quare Paulus ibi eos, qui a Joanne baptizati fuerant, juſſit baptizari *In nomine Domini Jeſu.*

VIII. Ex hoc conficitur ratio. Si idem fuiſſet Baptiſmus Joannis & Baptiſmus Chriſti quoad eſſentiam, & efficaciam; Apoſtoli eos, qui baptizati fuerant Baptiſmo Joannis, non juſſiſſent iterum baptizari Baptiſmo Chriſti; ſed de facto Paulus eos juſſit baptizari, ut ſupra dictum eſt; ergo &c.

Scio, Calvinum, *lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 18.* docere, eos non fuiſſe iterum baptizatos: ſed ſolum accepiſſe Spiritum Sanctum, per impoſitionem manus. Verum quam

aliena

aliena ſit a ſacro textu hæc interpretatio, legenti patet. Ibi enim poſt ſupra laudata Pauli verba, ſubjungitur, v. 5. *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu.* Deinde v. 6. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Hæc autem verba *Baptizati ſunt;* & hæc alia: *Cum impoſuiſſet illis manus Paulus*, demonſtrant duas actiones, nempe, unam Baptiſmi, alteram impoſitionis manus; unam baptizantis eos in nomine Jeſu, alteram diverſam Pauli poſt Baptiſmum imponentis ſuper eos manus. Scriptura enim multum diſtinguit impoſitionem manus a Baptiſmo: ut videre eſt, *Act.* 8. Ubi cum Philippus Diaconus multos in Samaria baptizaſſet in nomine Jeſu; nec quiſquam illorum accepiſſet Spiritum Sanctum: *Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu;* Apoſtoli id reſcientes miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Quibus manifeſte apparet, quod impoſitio erat quid diſtinctum & ſeparabile a collatione Baptiſmi: Baptiſmo enim Chriſti mundabantur a culpa; impoſitione autem manus, gratias datas, donum ſcilicet Linguarum Prophetiæ &c. accipiebant.

IX. Merito autem baptizati a Ioanne debebant Chriſti Baptiſmo iterum baptizari. Nam, ut docet S. Thom. 3. part. quæſt. 38. art. 6. *Quando in ſacramento omittitur aliquid, quod eſt de neceſſitate ſacramenti, non ſolum oportet ſuppleri quod fuerat omiſſum, ſed oportet totaliter innovari. Eſt autem de neceſſitate Baptiſmi Chriſti, quod fiat, non ſolum in aqua, ſed etiam in Spiritu Sancto, ſecundum illud Joan.* 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. *Unde illis, qui tantum in aqua baptizati erant Baptiſmo Joannis, non ſolum ſupplendum erat quod deerat (ut ſcilicet, daretur eis Spiritus Sanctus per impoſitionem manuum) ſed erant iterato totaliter baptizandi in aqua, & Spiritu.* Quibus Sanctus Thomas Calvinum proſternit, volentem baptizatos a Joanne Baptiſmo ſuo, non alio indiguiſſe, quam manuum impoſitione. Porro, quod Joannes in ſuo Baptiſmate ſpiritum non nominaret, patet, quia baptizati a Joanne interrogati, an accepiſſent Spiritum Sanctum, reſponderunt, Act. 19. verſ. 2. *Sed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus.*

X. Huic veritati ſuffragantur Patres, a quorum teſtimoniis referendis abſtineo. Unum refero pro omnibus, Auguſtinum. Tum, *Tract. 5. in Joann.* ubi ait: *Poſt Joannem ideo baptizatum eſt, quia non Chriſti Baptiſmum dabat, ſed ſuum: quia ſic acceperat, ut ipſius eſſet.* Et *Epiſt.* 48. modo 93. *cap.* 11. oſtendens, cur illi, qui ab hæreticis baptizati ſunt, non iterum baptizentur, cum ad Eccleſiam redeunt; & tamen qui a Joanne baptizati fuerant, ab Apoſtolis iterum baptizati fuerunt, rationem dat: quia Baptiſmus Joannis non erat Baptiſmus Chriſti; Baptiſmus autem, quem hæreticus dat, eſt Baptiſmus Chriſti: *Sed baptizavit, inquis, poſt Joannem Paulus Apoſtolus: numquid poſt hæreticum?* Et ſubinde oſtendens, Baptiſmum valere eis; *Quibus datur, quamvis imparis ſint meriti, pro quo datur; quia Chriſti eſt, non eorum a quibus miniſtratur;* ſubjungit: *Puto, quod jam intelligas, ideo Paulum dediſſe quibuſdam Baptiſmum Chriſti: quia Joannis Baptiſmo fuerunt baptizati, non Chriſti.*

XI. Hoc argumentum ex profeſſo tractat, *lib. 5. de Baptiſm. contra Donat. cap.* 9. dicens: *Jam nunc de Baptiſmo Joannis videndum eſt, quid dicatur: Baptizatos enim a Paulo eos, qui jam Baptiſmo Joannis baptizati fuiſſent, legimus in Actibus Apoſtolorum, non ob aliud, niſi quia Joannis Baptiſmus non fuit Chriſti Baptiſmus; ſed Joanni a Chriſto conceſſus, qui Joannis proprie diceretur .... Accepit autem hoc Joannes, certa diſpenſationis gratia, non diu manſurum: ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domino, cujus eum eſſe Præcurſorem oportebat:* & poſt multa, iterum diſtinguens Baptiſmum Chriſti a Baptiſmo Joannis; *Sed* (inquit) *Dominus Jeſus Chriſtus tali Baptiſmo mundat Eccleſiam, quo accepto, nullum alterum requiratur: Joannes autem tali Baptiſmo pratingebat, quo accepto, eſſet Baptiſma etiam dominicum neceſſarium: non ut illud repetatur, ſed ut eis, qui Baptiſmum Joannis acceperant, etiam Chriſti Baptiſmus, cui viam præparabat ille, traderetur.* Hæc fuſius exhibere operæ pretium duxi. Videant Acatholici, quam ſenſui Antiquæ Catholicæ Eccleſiæ contradicant? Anabaptiſtæ quidem, qui exemplo Pauli, qui a Joanne baptizatos baptizavit; omnes in alia Eccleſia baptizatos rebaptizare cum Donatiſtis volunt. Alii autem, ut Calvinus, qui hoc quidem negant, volunt tamen, Baptiſma Joannis non fuiſſe a Baptiſmo Chriſti diverſum: ac proinde, Paulum a Joanne baptizatos, Baptiſmo aquæ Chriſti rebaptizandos, non curaſſe, ſed ſolo Baptiſmo ſpiritus.

§. III.

Acatholicorum momenta.

XII. Objicit primo Calvinus, *lib. 4. cap. 15. §. 17.* Idem fuit Miniſterium Joannis, & Apoſtolorum; ergo idem Baptiſmus. Ant. probat. Non enim alium Baptiſmum faciunt diverſæ manus, quibus adminiſtratur; ſed diverſa doctrina: at in unam doctrinam Apoſtoli, & Joannes conſenſerunt: utrique etiam in nomine Chriſti, a quo pœnitentia, & remiſſio peccatorum eſt, baptizarunt; ergo &c.

Reſpondeo, neg. idem fuiſſe miniſterium Joannis, & Apoſtolorum. Nam miniſterium Joannis fuit pure præparatorium populi ad adventum Chriſti; & Chriſto manifeſtato, ceſſaturum; miniſterium autem Apoſtolorum fuit conſequens Chriſti manifeſtationem, & uſque ad conſummationem ſæculorum duraturum. Sicut ergo miniſterium Sacerdotum veteris Legis non fuit idem cum miniſterio novæ Legis; quia præparatorium ad iſtud, & iſto adveniente ceſſaturum: ita & miniſterium Joannis.

Neque eadem fuit doctrina Joannis cum doctrina Apoſtolorum, ut poſſet cum iſta unum miniſterium, & unum Baptiſma facere. Nam licet doctrina Joannis non eſſet contraria; erat tamen ſolum præparatoria ad illam, quam Apoſtoli clare erant promulgaturi, præſertim de Chriſti Paſſione, & Reſurrectione, de qua Joannes nihil locutus eſt. Cæterum hoc etiam dato, quid ad identitatem Baptiſmi confert? Nam etiam Prophetæ clare de Chriſti adventu locuti ſunt, ejuſque Paſſione ac Morte: tota doctrina, & Miniſterium veteris Legis ad miniſterium novæ Legis ordinabatur: & tamen nec Calvinus dicit, eadem fuiſſe ſacramenta, & miniſterium veteris Legis cum ſacramentis novæ Legis, & ejus miniſterio: quia cum eſſent præparatoria, hiſce advenientibus, erant ceſſatura. Addo, quod ſicut etiam in Calvini ſententia contrarietas in doctrina non tollit unitatem Baptiſmi; quia quæcumque ſit doctrina Miniſtri, Baptiſmus ſemper eſt Baptiſmus Chriſti, qui eſt qui baptizat; ideoque Baptiſmus ab hæreticis datus, quamvis in doctrina Chriſto contradicentibus, valet: ita ab oppoſito, unitas doctrinæ præciſe, non faciet, ut Baptiſma Joannis ſit idem cum Baptiſmo Apoſtolorum, quia Baptiſmus Apoſtolorum erat Baptiſmus Chriſti; Baptiſmus autem Joannis non erat Chriſti, ſed Joannis.

XIII. Objiciunt ſecundo alii. Ex Apoſtolo, ad Epheſ. 4. v. 4. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma;* ergo ubi eſt unum corpus, unus ſpiritus, una ſpes vocationis, & una fides, ibi erit unum baptiſma: ac tempore prædicationis Joannis, diſcipulorum ejus, & Chriſti erat unum corpus, unus ſpiritus, una ſpes, una fides; ergo erat omnibus idem Baptiſma.

Reſpondeo, neg. conſeq. Alioquin etiam inferri poſſet primo: quod ſicut omnes Fideles ab initio Mundi habuerunt eamdem ſpem, ac eamdem fidem, fueruntque unum corpus habens Chriſtum, ut Caput: ita habuerint idem ſacramentum, vel eumdem Baptiſmum. Secundo: inferri poſſet e contrario, quod ubi non eſt unum corpus, una ſpes, una fides, unus ſpiritus, ibi non ſit unum Baptiſma: quod tamen eſt falſum. Nam hæretici non ſunt unum corpus, unus ſpiritus, nec unius fidei cum Catholicis; & tamen unum & idem eſt apud utroſque Baptiſma. Vult ergo ibi Apoſtolus hortari Fideles, ut eſſent ſoliciti ſervare unitatem pacis: & ſicut eſſent unum corpus, unum Dominum haberent, una fide, una ſpe, uno Baptiſmate colligitur: ita etiam hanc unitatem charitate, & pace invicem confirmarent.

XIV. Objiciunt tertio. Baptiſmus Joannis fuit in remiſſionem peccatorum; ergo gratiam ſuſcipientibus conferebat. Ant. probant primo. Tum ex Marci 1. verſ. 4. *Joannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Secundo; Alioquin Baptiſmus Joannis fuiſſet prorſus inutilis, ſi omni effectu ſpirituali caruiſſet.

Reſpondeo, negando ant. Ut enim docet S. Thom. 3. p. *quæſt.* 38. *art.* 3. Baptiſmus, ſicut *Tota doctrina & operatio Joannis præparativa erat in Chriſtum: ſicut Miniſtri, & inferioris artificis eſt præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat hominibus per Chriſtum, ſecundum illud, Jo:* 1. Gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. *Et ideo Baptiſma Joannis gratiam non conferebat, ſed ſolum ad gratiam præparabat tripliciter. Uno quidem modo, per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Chriſti. Alio modo, aſſuefaciendo homines ad ritum Baptiſmi Chriſti. Tertio modo, per Pœnitentiam præparando homines ad ſuſcipiendum effectum Baptiſmi Chriſti. Ex hac S. Thoma doctrina*

Patet primo: quod Joannes *prædicabat Baptiſmum pœnitentiæ, ideſt, inducentem ad pœnitentiam: quæ quidem pœnitentia ducit homines in remiſſionem peccatorum.* Ita S. Th. citatus *ad* 1. Quare iſta verba *In remiſſionem peccatorum*, non ſunt conjungenda cum iſta voce *Baptiſmum;* ſed cum hac altera *Pœnitentiæ;* ut ſenſus verborum Marci germanus ſit: Prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ, quæ penitentia eſt in remiſſionem peccatorum, ideſt, ad eam obtinendam per Chriſtum, diſponit.

Patet ſecundo: Joannis Baptiſma, etſi per ſe ipſum gratiam non conferret, profuiſſe plurimum, triplici ratione a S. Thoma tradita.

XV. Objiciunt quarto. Apoſtoli fuerunt baptizati Baptiſmo Joannis: cum quidam eorum fuiſſent ejus diſcipuli, ut patet, *Jo:* 1. ſed Apoſtoli non videntur fuiſſe baptizati

Baptiſ-

Baptiſmo Chriſti: dicitur enim, *Jo: 4. v. 2.* quod *Jeſus non baptizabat, ſed diſcipuli ejus*; ergo &c.

Confirm. Ipſe Joannes non legitur baptizatus Baptiſmo Chriſti; ergo multo minus qui ab eo baptizabantur, egebant Baptiſmo Chriſti.

Reſpondeo cum S. Thom. citata *q. 38. art. 6. ad 2.* neg. min. Nam ſicut Auguſt. dicit Epiſt. 108. (modo 265.) ad Seleucianum: *Intelligimus diſcipulos Chriſti fuiſſe baptizatos, ſive Baptiſmo Joannis (ſicut nonnulli arbitrantur) ſive, quod magis credibile eſt, Baptiſmo Chriſti. Neque enim miniſterio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos ſervos, per quos cæteros baptizaret; qui non defuit memorabilis illius humilitatis Miniſterio, quando eis pedes lavit.*

Ad Confirm. reſpondet idem S. D. *ad 3.* ibi: *Quod ſicut Chryſoſtomus dicit* (hom. 4. op. imperf.) *ſuper Matthæum, per hoc, quod Chriſtus Joanni dicenti:* Ego a te debeo baptizari, *reſpondet:* Sine modo; *oſtenditur, quod poſtea Chriſtus baptizavit Joannem.... Certum tamen eſt, ut Hieronymus dicit ſuper Matth. cap. 3. ſuper illud:* Sine modo: *quod ſicut Chriſtus fuit baptizatus in aqua a Joanne: ita Joannes a Chriſto erat in ſpiritu baptizandus.* Addo: quod Nazianzenus, *Orat. 39.* dicit Chriſtum dixiſſe Joanni *ſine nunc* certo conſilio, & diſpenſatione: *Sciebat namque, paulo poſt futurum, ut ipſe Baptiſtam baptizaret.*

DUBIUM II.

Quid ſit Baptiſmus Chriſti.

§. I.

Varia Baptiſmi nomina.

I. NOmen *Baptiſmus* Græcum eſt, a verbo *Bapto*, id eſt, *immergo, lavo*: unde Baptiſmus latine redditur *immerſio, lotio, ablutio*. Immerſionis autem nomine frequentius Antiqui uſi fuerunt; eo quod ex vetere diſciplina per immerſionem celebraretur. Eſto autem apud Scriptores Sacros Baptiſmi nomen pro immerſione, vel lotione ſordium animæ, quæ cum ſacramento conjuncta eſt, uſurpetur: non raro tamen, etiam pro ablutione ſordium corporis in ſacris Scripturis legitur ſumpta. Sic *Marci 7.* de Phariſæis, *v. 4.* dicitur: *Et a foro, niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum, & urceorum.* De quorum nimia obſervantia, *v. 8.* Chriſtus eos reprehendit: cum propter illas traditiones ſervandas mandata Dei negligerent. De *Judith. cap. 12. v. 7.* legitur: *Et baptizabant ſe in fonte aquæ.* Et *2. Eſdræ 4. v. 23.* Nehemias, ait: *Ego autem, & fratres mei, & pueri mei, & cuſtodes, qui erant poſt me, non deponebamus veſtimenta noſtra: unuſquiſque tantum nudabatur ad Baptiſmum.* Nos tamen baptiſmum hic ſumimus ſolum, prout ſignificat ablutionem ſacramentalem animæ a ſorde peccati.

II. In hoc ſenſu uſurpatus Baptiſmus, variis nominibus in Scripturis inſignitur. Primo enim, *ad Titum 3. v. 5.* vocatur; *Lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Quia homo carnaliter natus, per Baptiſmum ſpiritualiter regeneratur, & renovatur. —— Secundo. *Hebr. 6. v. 5.* dicitur ſacramentum illuminationis, quia fide, qua imbuitur in Baptiſmo Catechumenus, illuminatur. —— Tertio. *Rom. 6. v. 4.* ſepultura dicitur: *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Per immerſionem enim Catechumeni in aquam Chriſti ſepultura adumbratur. —— Quarto. Ab antiquis, maxime Auguſt. *Epiſt. 23.* modo 98. *ad Bonifacium*, vocatur *Sacramentum Fidei.* Quia in Baptiſmo Catechumeni fidem publice profitentur, & in Fidelium numerum primo cooptantur. —— Quinto. Primum ſacramentorum nominari ſolet, juxta illud Cypriani ad Jubajanum. *Inde* (ex Baptiſmo) *incipit omnis fidei origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſio.* —— Sexto. Vocatur *Circumciſio ſpiritualis* ab Apoſtolo, *ad Coloſſ. 2. v. 11.* In quo (Chriſto) *Circumciſi eſtis in Circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis; ſed in Circumciſione Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem &c.* —— Septimo demum vocatur *Indumentum*; quia per illum expoliantes veterem hominem, induimus novum hominem, nempe, Jeſum Chriſtum, ut ait Paulus, *ad Coloſſ. 3. v. 9.* Hucuſque de nominibus, quibus donari ſolet Baptiſmus. Nunc ad ejus eſſentiam exponendam veniamus.

§. II.

Definitio Baptiſmi.

III. BAptiſmus definiri poteſt metaphyſice, hoc eſt per genus, & differentiam; & phyſice, hoc eſt, per partes, ex quibus quaſi phyſice componitur. Metaphyſice definitur ſic: *Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo.* Phyſice autem, *Ablutio corporis exterior, ſub præſcripta forma verborum.* Ex quibus duabus definitionibus poteſt una formari, dicendo: Baptiſmus eſt *Sacramentum ex divina inſtitutione ſignificans & cauſans internam regenerationem hominis, per externam corporis ablutionem ſub præſcripta forma verborum.*

Explico utramque definitionem. Per ly *Sacramentum &c.* indicatur, quod ſit ſignum ſenſibile a Deo permanenter inſtitutum ad gratiam tum ſignificandam, tum efficiendam: in quo ratio generica ſacramenti novæ Legis exprimitur. Additur: *Cauſans internam regenerationem hominis.* Quia Baptiſmus cauſat gratiam regenerativam, ad differentiam Pœnitentiæ, quæ cauſat gratiam ſuſcitativam. Unde Chryſoſtomus, *Homil. ad baptizandos*, ait: *Ob quam cauſam, inquit, ſi lavacrum nobis omnia peccata dimittit; non lavacrum remiſſionis peccatorum dicitur, nec lavacrum purificationis, ſed lavacrum regenerationis?* Reſpondet Chryſoſtomus: *Quia non nobis ſimpliciter peccata dimittit, nec ſimpliciter nos puros a delictis oſtendit. Nam denuo nos condit, & conficit: non de terra componens iterum, ſed ex alio elemento, aquarum natura nos procreans.* Subjungitur: *Per aquam in verbo*, ſeu *per exteriorem ablutionem ſub præſcripta forma verborum.* Quia aqua, & exterior corporis ablutio ſub præſcripta forma verborum, ſunt duæ res ſenſibiles, per quas in Baptiſmate Deus hominem regenerat, juxta illud Apoſtoli, Epheſ. 5. v. 26. *Mundans eam* (Eccleſiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et Jo. 5. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.*

IV. Adverto tamen ex S. Thoma, *3. part. quæſt. 66. art. 1. ad 1.* In Baptiſmo tria eſſe conſideranda. Primo. Id, quod eſt ſacramentum tantum, ideſt, quod eſt ſignificans, & non ſignificatum: & hoc totum ſenſibile, & viſibile, quod eſt in Baptiſmo: videlicet, aqua, uſus aquæ, ſeu ablutio, & prolatio verborum. Hæc autem non permanent, ſed collato Baptiſmo tranſeunt: quia Baptiſmus eſt unum ex ſacramentis in actione & uſu conſiſtens, ac proinde cum actione tranſiens. Secundo. Id, quod eſt res tantum, ideſt, quod eſt ſignificatum, & non ſignificans: & hoc in Baptiſmo eſt interior animæ renovatio, ſeu juſtificatio, quæ ſignificatur per ſacramentum Baptiſmi, & ipſa nil aliud ſignificat. Et hæc collato Baptiſmo in baptizato permanet, amiſſibiliter tamen, ideſt, quandiu non expellitur per peccatum. Tertio. Id, quod eſt res, & ſacramentum ſimul, ideſt, quod ſignificatur, & etiam ſignificat, & hoc eſt character, quod ſignificatur per Baptiſmum, & exteriorem ablutionem, & eſt ſignum ſacramentale interioris juſtificationis: & hoc permanet indelebiliter, ut ſupra *Tract. præcedente* dictum eſt.

V. Ex his ſequitur: ſacramentum tantum eſſe aliquid viſibile exterius; & hoc in Baptiſmo eſſe aquam, & ejus uſum, qui eſt ablutio. Unde Baptiſmus, ut ſacramentum, non in ſola aqua perficitur; ſed in applicatione aquæ ad hominem, quæ eſt ablutio; nec in ſola applicatione aquæ, ſed in applicatione aquæ cum præſcripta forma verborum: juxta illud Auguſtini, Tract. 80. in Jo: *Accedit verbum ad Elementum, & fit ſacramentum. Non quidem in ipſo elemento, ſed in homine, cui adhibetur elementum, per uſum ablutionis. Et hoc etiam ſignat verbum, quod accedit ad elementum, cum dicitur:* Ego te baptizo &c. ut dicit S. Th. *art. 1.* citato *ad 3.*

DUBIUM III.

Quanam ſit materia remota Baptiſmi.

§. I.

Errores circa hoc.

I. DUplex in quolibet ſacramento conſiſtente in uſu aſſignari ſolet materia. Una remota, & eſt res illa ſenſibilis, quæ in ſacramento aſſumitur. Alia proxima: & eſt uſus, ſeu applicatio rei ſenſibilis ſubjecto, cui ſacramentum confertur. De utraque in hoc dubio ſermo erit: & primo de materia remota.

II. Circa hanc plures ex antiquis hæreticis erraverunt. Cajani enim, ſeu Cainani, ſæculo ſecundo, ſic dicti, quod fratricidam Cainum venerarentur, & colerent teſte Tertulliano, *lib. de Baptiſm. adverſus Quintillam, cap. 1.* Baptiſmum aqua conſtare negarunt. Manichæi putantes, aquam eſſe a principio nequam, abhorrebant a Baptiſmo collato in aqua; non ſolum tamquam a fictitio, ſed ut a noxio. Unde Auguſtinus, Hæreſ. 46. *Baptiſmum* (inquit) *in aqua nihil cuiquam perhibet ſalutis afferre: nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Seleuciani, & Hermiani, ſæculo quarto, non ſolum eodem motivo, quo Manichæi aquam a Baptiſmo rejecerunt; unde Auguſt. *Hæreſ. 59.* de iis, ait: *Baptiſmum in aqua non accipiunt:* ſed ulterius putantes, animas hominum ex igne & ſpiritu conſiſtere; igne, non aqua eas baptizandas cenſebant: moti ex his Joann. de Chriſto verbis, Luc. 3. v. 16. *Ipſe vos baptizavit in Spiritu Sancto, & igne.* Pauliciani quoque, teſte Euthymio (*2. p. Panopl. tit. 21.*) Baptiſmum nulla materia conſtare volebant, putantes, eum confici ſola prolatione horum verborum: *Ego ſum aqua viva:* huic nixi principio, quod Chriſtus aquam vivam ſe eſſe dixiſſet.

II. Ex hæreticis autem recentioribus Lutherus, *in Colloquiis Sympoſiacis, cap. 17.* primus, vel docuit, vel ſaltem ut probabile judicavit, Baptiſmum in caſu neceſſitatis quovis liquore, ſive aqua, ſive oleo, ſive vino, aut alio apto ad abluendum conferri, & perfici poſſe. Quod tandem

dem ut certum habuit Theodorus Beza; dum voluit in caſu neceſſitatis in quolibet ſigno ſenſibili poſſe perfici ſacramentum: quem errorem, *in 2. ad Thomam Tillium* Epiſtola tradidit.

§. II.

Veritas Catholica.

IV. Dico primo. Materia remota Baptiſmi eſt ſola aqua. Probo. Ea ſola eſt neceſſaria Baptiſmi materia, cujus uſum in Baptiſmo Chriſtus præcepit, quamque in eo conferendo adhibuerunt Apoſtoli, & qua ſemper uſam fuiſſe Eccleſiam, docet Traditio: ſed Chriſtus aquæ uſum præcepit in Baptiſmo, Jo: 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Chriſtus ipſe Baptiſmo ſuo aquas ſanctificare voluit, *Luc. 3.* Apoſtoli ſolam aquam in Baptiſmo adhibuerunt, *Actorum* enim 10. *v.* 47. ait Petrus: *Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos?* Et, *Act.* 8. cum Philippus, & Eunuchus Reginæ Candacis veniſſent ad quamdam aquam, *v.* 36. ait Eunuchus; *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?* Quo dicto, *Juſſit ſtare currum* (v. 38.) *& deſcenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Traditionem de continuo uſu aquæ docet communis conſenſus Patrum, & Eccleſiæ; quæ in hoc ſemper conſtans fuit: ac propterea, ut ſupra dicebamus, tamquam hæreticos rejecit Cainitas, Manichæos, Seleucianos, Paulicianos; quod contenderent, Baptiſmum in aqua perfici non debere.

V. Dico ſecundo. Aqua, quæ eſt materia Baptiſmi neceſſaria, eſt ſola aqua naturalis. Probatur. Nam aqua, quam pro Baptiſmo aſſignat Scriptura; qua, locis relatis, uſi ſunt Apoſtoli, præſertim Philippus, in baptizando Eunucho, fuit aqua naturalis. Et cum *Act. 2. v.* 41. Petrus una die baptizavit circiter tria millia hominum; non alia, quam aqua naturali uti potuit: quomodo enim præſto illi poterat tanta aquæ artificialis copia eſſe, ut tantæ multitudini baptizandæ ſatis eſſet? Accedit: quod Scriptura quoties loquitur de materia Baptiſmi, dicit, eam eſſe aquam abſolute: aqua autem abſolute ſtat pro aqua naturali, quæ ſola eſt vera aqua. Præterea: figuræ omnes, quæ in veteri Lege Baptiſmum adumbrarunt, fuerunt in aqua naturali. Figuræ enim Baptiſmi, fuerunt aquæ, ſuper quas, initio Geneſis, ferebatur Spiritus Sanctus, teſte S. Auguſtin. *lib. 2. de div. Quæſt. ad Simplicianum, quæſt. 1.* Fuerunt aquæ diluvii, teſte eodem, *lib. 12. contra Fauſtum*, c. 17. Fuerunt aquæ maris rubri, earumque tranſitus. Ubi idem S. Aug. Tr. 45. in Jo: *Mare* (inquit) *rubrum ſignificat Baptiſmum.* Fuerunt etiam aquæ, ſuper quas Chriſtus ambulavit, teſte eodem, *Serm. de Catechiſmo ad Catechumenos cap. 3.* Omnes autem præfatæ aquæ fuerunt aquæ naturales. Et tandem omnia loca novi Teſtamenti, in quibus de aqua Baptiſmi ſermo eſt, de aqua naturali Patres interpretati ſunt: ut Juſtinus, in *2. Apolog. pro Chriſtianis*, Tertullianus, *lib. de Baptiſmo.* Et ſpecialiter S. Ambroſius, *lib. de his, qui Myſteriis initiantur, cap. 3. & 4.* Ubi ex ſupradictis figuris concludit, Baptiſmum conſiſtere in aqua naturali. Quapropter a Tridentino, *Seſſ. 7. de Bapt. Canon. 2.* juſto anathemate configitur: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi; atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti:* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, *ad metaphoram aliquam detorſerit.*

VI. Cur autem Baptiſma in aqua potius, quam in alia materia conficiendum ſit: eſto ratio a priori non alia eſſe poſſit, quam Dei, & Chriſti ſic volentis: quare tamen ſic voluerit, congruentias quatuor affert S. Thom. 3. part. quæſt. 66. art. 3. *Primo quidem quantum ad ipſam rationem Baptiſmi, qui eſt regeneratio in ſpiritualem vitam, quod maxime congruit aquæ. Unde & ſemina, ex quibus generantur omnia viventia, ſcilicet, planta, & animalia, humida ſunt, & ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philoſophi, poſuerunt aquam omnium rerum principium.*

Secundo. Quantum ad effectus Baptiſmi, quibus competunt aquæ proprietates, qua ſua humiditate lavat; ex quo conveniens eſt, ad ſignificandam, & cauſandam ablutionem peccatorum: ſua frigiditate etiam temperat ſuperfluitatem caloris; & ex hoc competit ad mitigandam concupiſcentiam fomitis: ſua diaphaneitate eſt luminis ſuſceptiva; unde competit Baptiſmo, in quantum eſt fidei ſacramentum.

Tertio. Quia convenit ad repræſentanda Myſteria Chriſti, quibus juſtificamur, ut enim dicit Chryſoſtomus ſuper illud Jo: 3. Niſi quis renatus fuerit (*Homil. 24.*) *ſicut in quodam ſepulchro, in aqua ſubmergentibus nobis capita, vetus homo ſepelitur, & ſubmerſus deorſum occultatur, & deinde novus rurſus aſcendit.*

Quarto. Quia ratione ſuæ communitatis & abundantiæ, eſt conveniens materia neceſſitati hujus ſacramenti: poteſt enim ubique de facili haberi. Hæc S. Thom.

§. III.

Solvuntur quæ faciunt contra dicta.

VII. Objicies primo. Baptiſmus Chriſti in hoc opponitur Baptiſmo Joannis, quod iſte datus ſit in aqua, ille vero dandus eſſet in igne, Matthæi 3. & Lucæ 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*; ergo ignis, non aqua, eſt materia Baptiſmi Chriſti. Ita diſcurrebant Seleuciani.

Reſpondeo cum S. Hieron. in *cap. 5. Matth.* Joannem illis verbis non indicare Baptiſmum materialem; ſed vel Spiritum Sanctum, qui ſuper Apoſtolos, quaſi ignis deſcenſurus erat, ut habetur, *Act. 2.* ſive quia in præſenti ſpiritu baptizamur, & in futuro igne. Utramque reſponſionem dat S. Thom. citatus *ad 1.* Et huic ſecundæ conſonant Hilarius *ſuper Matth.* & Ambroſ. *in cap. 3. Luc.*

VIII. Replicabis. Baptiſmus, ſecundum Damaſcenum, *lib. 4. Fidei, c. 10.* & Dionyſ. *c. 2. Eccl. Hier.* habet vim illuminativam: ſed illuminare maxime convenit igni; ergo &c.

Reſpondeo cum S. Thom. citato, *ad 1.* quod illuminatio pertinet ad ignem active: qui autem baptizatur, non efficitur illuminans, ſed illuminatus per fidem. Unde in Baptiſmo aptior eſt aqua, quæ, ratione ſuæ diaphaneitatis, aptior eſt ad recipiendum lumen Fidei.

IX. Objicies ſecundo ex Traditione. Joannes Moſchus qui circa ann. 630. floruit, in ſuo PratoSpirituali narrat: quemdam Judæum ad extremas redactum anguſtias, aquæ defectu a ſuis Sociis arena baptizatum, mox convaluiſſe; ergo hoc miraculo comprobatur, Baptiſma etiam ſine aqua collatum valere.

Secundo. Stephanus Papa, circa ann. 764. *Epiſt. ad Monachos, cap. 11.* ſtatuit duo. Unum, Miniſtrum, qui in caſu neceſſitatis vino uſus fuerat ad baptizandum, nullam admiſiſſe culpam. Alterum, infantem ſic baptizatum non debere iterum baptizari. Verba ejus ſunt: *Si in vino quis propterea, quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit; nulla ei exinde adſcribitur culpa: infantes ſic permaneant in ipſo Baptiſmo. Si aqua adfuit præſens, ille Presbyter excommunicetur*; ergo judicio Stephani licite, & valide in neceſſitate poteſt in vino conferri Baptiſma.

X. Reſpondeo ad primum, neg. conſ. Hebræus enim ille (ſi vera eſt hiſtoria, de quo non pauci dubitant) mox convaluit; non quia verus fuerit ille Baptiſmus (unde perductus ad Dionyſium, ſive Alexandrinum, ſive Corinthium, ut placet Baronio, ad ann. 161. Baptiſmo aquæ baptizari juſſus fuit) ſed propter maximam ejus fidem, ac votum Baptiſmi, ſeu Baptiſmum flaminis, quo juſtificatus fuit.

Ad ſecundum nego, Stephanum ſtatuiſſe illa duo, quæ ab Arguente ſupponuntur. Statuit ergo id tantum, de quo conſultus fuerat, nempe, Miniſtrum, qui ex ſimplicitate vino baptizaret, non peccaſſe; & dat rationem: quia cum aliam non haberet materiam, non fuit in cauſa, quod infantes illi abſque Baptiſmo aquæ mortui fuiſſent. Neque ſtatuit, infantes ſic permanere in illo Baptiſmo per vinum dato: ſed debet hoc conſtrui cum antecedente ſic: *Nulla ei deſcribitur culpa, ſi infantes ſic permaneant.* Quod oſtendunt ejus verba ſequentia; dicit enim: *Si aqua adfuit præſens, ille Presbyter excommunicetur, quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſit.* Unde non approbat Baptiſmum in vino datum, fuiſſe validum; ſed ſolum conferentem a peccato excuſat, ſi ex neceſſitate, non exiſtente aqua, ignoranter id fecit.

Addunt aliqui, ejuſmodi Stephani reſponſum eſſe ſuppoſititium. Tum quia: ex tribus manuſcriptis, quæ illud continent, duo ipſum Stephano Secundo tribuunt; tertium vero Stephano Tertio. Tum quia, qui poſt Stephanum Tertium ſcripſere, hujus reſponſi non meminerunt. Tum quia: credibile non eſt, Romanum Pontificem ignoraſſe, quod nec minores Clericos latet, nempe, Baptiſmum ſola aqua perfici poſſe.

XI. Objicies tertio cum Manichæis. Aqua vile eſt elementum; ergo par non fuit, ut a Deo animæ ſanctificandæ deſtinaretur. —— Si reſpondeas, aquam, etſi vile elementum, placuiſſe Deo ſublimare ad tantum opus, in oſtenſionem potentiæ ſuæ; quæ ſtulta, & infirma mundi eligit, ut mundi ſapientiam confundat: cui non defuerunt congruentiæ, ſuperius ex S. Thom. adductæ.

XII. Contra eſt. Nullo modo decuit a Deo aſſumi ad ſanctitatem id, quod a principio nequam & impurum eſt: ſed talis eſt aqua. Si enim pura eſt, & ea utentes non contaminat; cur peculiari benedictione conſecratur, antequam Catechumeno applicetur? Cur precibus præſanctificatur? Niſi, ut ea, quam traxit a principio nequam, immunditia liberetur? Ita Manichæorum aliqui.

XIII. Reſpondeo, neg. min. Quod vero additur, tangit Eccleſiæ cæremoniam adhiberi ſolitam circa aquam Baptiſmi; quæ, extra caſum neceſſitatis, alia non debet eſſe, niſi ea, quæ pridie Paſchatis, aut Pentecoſtes conſecrata fuerit; qui ritus non apud Orientales modo, ſed & apud Occidentales, etiam ab Eccleſia incunabulis viguit. Cum hoc diſcrimine: quod Græci aquam baptizandis Catechumenis in aliam diem non ſervant; ſed toties conſecrant, quoties quis

quis baptizatur: Latini vero bis tantum in anno, nimirum, Sabbatis ante Paſcha, & Pentecoſtes, eam ſanctificare conſueverunt; nec cuiquam Sacerdoti, extra caſum neceſſitatis, alia ad baptizandum aqua uti licet.

Ad objectionem ergo dico, aquam non ideo ſanctificari, ut immundities, quam fingunt Manichæi, detergatur: ſed Myſterii, & doctrinæ cauſa adhiberi. Ea enim ſacramento reverentia conciliatur, ac recolitur ſanctiſſimus carnis Chriſti contactus; quo Chriſtus, dum baptizatus eſt a Joanne, fluenta Jordanis conſecravit, & Cathecumeni mirabilem Baptiſmi effectum edocentur.

DUBIUM IV.

Quænam ſit Materia Proxima Baptiſmi.

§. I.

Quædam Prænotantur.

I. MAteriam proximam Baptiſmi eſſe ablutionem, ſeu applicationem aquæ corpori baptizandi, nemo eſt qui neget. Si quis enim verba *Ego te baptizo* ſuper aquam proferret, vel ſupra baptizandum, & aqua baptizandi corpus non tangeret, ipſum non baptizaret: quia, ut virtus aquæ agat in Baptiſmo, debet contactu fluido tangere corpus: nec enim aqua ablueret ſordes corporis, niſi fluido motu corpus afficeret. Quare Auguſt. *Tract.* 80. *in Joann.* poſt illa verba. *Accedit Verbum ad elementum, & fit ſacramentum*; ut oſtendat, verbum accedere ad elementum non immotum, ſed ut corpori applicatum, ſubdit: *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Ablutio autem, qua aqua corpus tangit, eſt motio aquæ liquidæ ſupra corpus.

Quia vero lotio, ſeu ablutio, alia eſt activa, & eſt aquæ motio, quatenus fit a baptizante in baptizatum: alia paſſiva, & eſt ipſamet motio ſuper baptizatum, quatenus ipſum ſucceſſive tangit, & percurrit; aqua enim immota exiſtens in vaſe, quamvis omnes partes illius tangat, illud tamen abluere non dicitur: ideo materiam Baptiſmi proximam in ablutione tam activa, quam paſſiva conſiſtere rectius exiſtimo. Quia ablutio, cum ſit motus, neceſſario reſpicit agens, ſeu movens, & paſſum, ſeu motum.

II. Hæc autem lotio, ſeu ablutio tribus modis fieri poteſt. Vel per immerſionem corporis in aqua, vel effuſionem aquæ ſupra corpus, vel per aſperſionem. Quia vero a Chriſto non legitur determinatus modus, quo hæc ablutio facienda eſſet; inde triplex ille baptizandi modus ab Eccleſia, diverſis temporibus, ſecundum circumſtantiarum exigentiam fuit uſurpatus.

Duodecim ergo prioribus Eccleſiæ ſæculis, Baptiſma per immerſionem, etiam apud Latinos, collatum fuit. Hoc ita conſtans erat tertio ſæculo; ut Magnus, ad quem Cyprianus ſcripſit, dubitaverit, an Baptiſma per infuſionem datum valeret. Gregorius Magnus, qui Romæ ſedit ſæculo ſexto deſinente, eumdem ritum in ſuo Sacramentario præſcribit. Et apud Magiſtrum Sententiarum, qui anno 1164. obiit, altum eſt de perfuſione ſilentium; & immerſionem duntaxat recenſet. Quoad Eccleſiam vero Græcam, immerſionem fuiſſe ſemper in uſu, conſtat ex Cyrillo Jeroſolymitano, qui, *Catecheſi* 2. Myſtagogica, quæ eſt de cæremoniis Baptiſmi, *num.* 3. eam Cathecumenos docet. Ex Chryſoſtomo, *Homil. 6. in Epiſt. ad Coloſſ.* & ex Euchologiis (ideſt Ritualibus) quibus Græci a mille annis, & amplius utuntur. Cujus praxis adeo ſunt tenaces; ut ex illis aliqui in crimen verterint Latinis, quod dimiſſa immerſione, perfuſionem in Baptiſmo adoptaverint.

Trina immerſio ab Eccleſiæ exordis in uſu fuit: unde *Canon.* 50. ex Apoſtolicis, Miniſtrum, qui unam tantum in baptizando merſionem adhibuerit, depoſitione mulctat: Euchologia etiam ſupracitata id præſcribunt. Quem ritum apud ſuam Eccleſiam uſque modo ſervari teſtatus fuit, ſæculo 16. Jeremias Patriarcha Græcus; dum Latinos ſugillans in altero ſuæ cenſuræ capite, ait: *Nos quidem ſub trina merſione baptizamus.* In Eccleſia quoque Latina trinæ merſionis uſum quondam fuiſſe, teſtes ſunt Tertullianus, *lib. de Corona Militis, cap.* 3. dicens: *Deinc ter mergitamur.* S. Ambroſius, *lib.* 2. *de Sacrament. cap.* 7. S. Gregorius, *in Sacramentario.* Et demum S. Th. 3. *p. q.* 66 *art.* 8. ubi ait: *Communiter obſervatur trina immerſio: & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans.*

In hoc tamen trinæ immerſionis ritu ſervando, non fuit ſemper conſtans Eccleſia Latina. Sicut enim, ut ait S. Th. citatus, Eccleſia Primitiva, quia aliqui de Trinitate male ſentientes, nec in nomine Trinitatis baptizabant; trina, non una tantum immerſione baptizandum eſſe decrevit: ita poſtea, quia alii trina merſione abutebantur ad exprimendam Trinitatem, non in Perſonis tantum, ſed etiam in ſubſtantia, quales erant Ariani; ideo unica tantum merſione baptizari, in Concilio Toletano IV. præceptum eſt, *Canon.* 6. ut infra dicetur.

III. Ineunte autem ſæculo 13. effuſionis uſus in aliquibus Eccleſiis Latinis obtinere cœpit. Unde S. Thom. qui anno 1274. obiit, quamvis, ex dictis, ſentiat, communiorem Eccleſiæ uſum eſſe, trina immerſione baptizare *art.* tamen 7. præcedente, cum dicat, tutius eſſe baptizare per immerſionem: *Quia hoc habet communior uſus*; videtur ſupponere, eo tempore, licet non ita communiter, aliquos non per immerſionem baptizare. Circa ſæculum vero 14. uſus effuſionis in baptizando adeo crevit, ut paucis in locis immerſio adhiberetur: nam quæ ab eo tempore edita ſunt Ritualia, effuſionem plerumque præſcribunt.

IV. Plures autem cauſæ Eccleſiam Latinam moviſſe creduntur, ad mutandum baptizandi per immerſionem ritum. Prima fuit Miniſtrorum inopia: ubi enim deſiit in Eccleſiis Diaconorum copia, difficulter poterant ſic baptizari, maxime adulti. Secunda: cum parvuli majorem conſtituerint baptizandorum numerum; periculum fuit, ne ex immerſione labes aliqua eorum valetudini inferretur. Tertia: voluit ſic Eccleſia, ut baptizandorum pudori conſuleretur, & etiam Miniſtri. Cum enim tam alta eſſet immerſio, ut totum corpus baptizandi mergi deberet, ut ait Auguſt. *Hom.* 3. *ad Neophytos*; adeoque totum corpus, ne levi quidem faſciola coopertum, nudari oporteret; ut, ne infantes, immo nec feminæ, etſi adultæ, ea lege eximerentur, de qua feminarum denudatione, Chryſoſtomus, ſæculo quarto deſinente, ſcribit ad Innocentium I. quod perſecutionis tempore coactæ fuiſſent nudæ aufugere e Baptiſterio. Licet autem, ut pudori, præſertim feminarum, conſuleretur, cautum eſſet primo: ut aliquibus in locis ſuum eſſet feminis, & ſuum maribus Baptiſterium: alicubi, ut alia hora maſculi, alia feminæ baptizarentur. Secundo: ut mulieres per ſeipſas veſtes exuerent, & per ſeipſas e lavacro egreſſæ induerent; vel id eis officii præſtarent Diaconiſſæ. Attamen quia mulieribus nudatis in Baptiſterio Miniſtri, vel Miniſter, qui eas baptizabat, præſentes eſſe debebant; & ob alias difficultates, quæ procedente tempore emerſerunt, ſtatuit Eccleſia Latina, ritum immerſionis in effuſionem convertere, utpote faciliorem, & magis utrique ſexui accommodatum. His ad eruditionem præmiſſis.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. DIco. Valet Baptiſmus, ſive per unam, vel trinam immerſionem, ſive per effuſionem, ſive per aſperſionem collatus. Prob. primo. Nam Baptiſmus ſive una, ſive trina immerſione, ſive effuſione, ſive aſperſione conferatur, ſervat ſubſtantiam Baptiſmi a Chriſto inſtituti: Chriſtus enim ſolum præcepit, ut baptizarent Apoſtoli: *Doceto omnes Gentes, baptizantes eos.* Baptizare autem idem eſt, ac abluere; quod quolibet ex tribus relatis modis fieri poteſt. —— Secundo. Quolibet ex iis modis in baptizando uſi fuerunt Apoſtoli. Immerſione enim, Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis. Legitur enim, Act. 8. verſ. 38. *Et deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Et poſtea: *Cum autem aſcendiſſent de aqua.* Petrum autem, vel effuſione, vel aſperſione baptizaſſe, ex *Act.* 2. & 4. colligitur: ex quibus conſtat, eum una die tria millia, altera quinque millia hominum baptizaſſe: tantum autem numerum ſola immerſione, una die baptizare potuiſſe, difficile creditu eſt.

Rurſus: id nos docet Traditio. Et quidem quantum ad trinam immerſionem; uſum ſic baptizandi per tredecim priora ſæcula communem fuiſſe Eccleſiæ tam Orientali, quam Occidentali; & in Eccleſia Orientali adhuc perſeverare, ſupra oſtendimus etiam ex S. Thom. 3. *p. q.* 66. *art.* 8. —— Unica etiam merſione olim baptizatum fuiſſe, docet idem S. Thomas, citato loco, dicens, quod *Quantum eſt ex ſe, utrumque licite fieri poteſt, ſcilicet, & ſemel & ter immergere. Quia unica immerſione ſignificatur unitas mortis Chriſti, & unitas deitatis: per trinam autem immerſionem ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti, & etiam Trinitas perſonarum; ſed diverſis ex cauſis ſecundum ordinationem Eccleſiæ quandoque inſtitutus eſt unus modus, quandoque alius.* Unde ſicut ab initio Eccleſia unam immerſionem reprobavit: non quia per ſe illicitam, ſed quia aliqui ea abutebantur, ut exprimerent mortem Chriſti, quem verum Deum non putabant; & proinde male de Trinitate ſentientes, ſuum errorem unica merſione exprimere volebant: ita cum procedente tempore Ariani præcipue trina merſione abuterentur ad exprimendum Trinitatem nedum perſonarum, ſed eſſentiæ; unam tantum merſionem approbavit. Unde Sanctus Gregorius Magnus, *Ep.* 41. quæ eſt ad Leandrum, Hiſpalenſem Epiſcopum, probat quorumdam Miniſtrorum uſum; qui, ut ab Arianis trina merſione triplicem in Trinitate ſubſtantiam exprimere intendentibus ſe deſcernerent, unica merſione baptizabant, dicens: *Si nunc uſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertio mergebatur, faciendum apud vos eſſe non cenſeo; ne dum merſiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, mortem veſtrum ſe viciſſe glorientur.*

Sed cum monitum Gregorii non ſtatim apud omnes Hiſpaniarum Eccleſias obtinuiſſet; immo quæ unica merſione utebantur male, apud alias audirent: Concilium Toletanum IV. an. 633. habitum, *c.* 5. propoſito omnibus Eccleſiis S. Gregorii decreto de una tantum merſione, ſic ait:

Quapropter quia de utroque ſacramento, quod ſit in ſancto Baptiſmo, a tanto viro (Gregorio) *reddita ratio eſt; quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia habeatur: propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus Baptiſmi merſionem, ne videantur apud nos qui tertio mergant, hæreticorum approbare aſſertionem, dum ſequuntur & morem.*

VI. Circa Baptiſmum autem ſola effuſione collatum, conſtat, Eccleſiam ſemper probaſſe Baptiſmum *Clinicis*, hoc eſt infirmis in lecto jacentibus, vel in articulo mortis conſtitutis datum: quibus certe per immerſionem conferri non poterat, ſed ſola effuſione, aut aſperſione. Confirmat hoc S. Th. *q. 66.* citata, *art. 7.* Ubi poſtquam dixit, quod baptizare per modum immerſionis eſt communior uſus, ſubjungit: *Poteſt tamen fieri Baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis, ſecundum illud, Ezech. 36.* Effundam ſuper vos aquam mundam: *Sicut Beatus Laurentius legitur baptizaſſe. Et hoc præcipue propter neceſſitatem. Vel quia eſt magna multitudo baptizandorum, ut patet, Actor. 2. & 4. ubi dicitur, quod crediderunt una die tria millia, & alia die quinque millia. Quandoque autem poteſt imminere neceſſitas propter paucitatem aquæ: vel propter debilitatem Miniſtri, qui non poteſt ſuſtentare baptizandum: vel propter debilitatem baptizandi, cui poteſt imminere periculum mortis ex immerſione.*

Hoc idem ſentit S. Cyprianus, *Epiſt. 76. ad Magnum*. Ubi licet relinquat liberum aliis judicandum, an Baptiſma per aſperſionem, ſeu effuſionem collatum eſſet validum; ipſe tamen affirmat, dicens: *Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In ſacramentis ſalutaribus, neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia.* Ubi per *divina compendia* intelligit modicam ablutionem; qualis comparate ad immerſionem eſt ea, quæ perfuſione fit, vel aſperſione. Et ad hoc probandum aſſumit argumenta ex Scripturis petita, & maxime ex purificationibus Judæorum, quæ per aſperſionem fiebant; quibus vult præfiguratum fuiſſe Baptiſmum.

§. III.

Solutiones Objectionum.

VII. OBjicies primo. Baptiſmus idem ſignificat, ac *immerſio*: ſed Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut baptizarent: *Baptizantes eos*; ergo voluit, ut conferretur per immerſionem.

Confirmatur. Voluit Chriſtus, Baptiſmum ſuum ſic conferri, ut per illum configuraremur morti, ac ſepulturæ ejus, ut ex Apoſtolo, *Rom. 6. v. 3. & 4.* at ſolo Baptiſmo per immerſionem dato configuramur ſepulturæ ejus: nam, ut ait Chryſoſt. *Hom. 24.* in Joan. *Sicut in quodam ſepulchro, in aqua ſubmergentibus nobis capita, vetus homo ſepelitur, & ſubmerſus deorſum occultatur, deinde novus rurſus aſcendit*; ergo &c.

VIII. Reſpondeo, aliud eſſe id, a quo nomen impoſitum eſt; aliud id, ad quod ſignificandum eſt impoſitum. Nam *lapis* nomen eſt a *lædendo pedem* impoſitum: & tamen ad læſionem pedis ſignificandam non eſt impoſitum. Sic nomen Baptiſmi eſto ab immerſione impoſitum ſit; ad ſignificandum tamen omnem ablutionis modum Chriſtus illud impoſuit. Unde, *Actor. 22. v. 16.* ſibi dictum ab Anania refert Paulus: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua.*

Ad Confirm. dico, Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum primario, ut ejus ablutione moreretur in nobis vetus homo peccati, & reſurgeret novus: ex quo conſequitur configuratio morti, ſepulturæ, ac reſurrectioni ejus. Dato autem, hoc ſecundum expreſſius ſignificari per immerſionem; primum tamen quocumque modo ablutionis habetur. Vide S. Thom. hac. *q. 66. art. 7. ad 2.*

IX. Objicies ſecundo. Quæ tradiderunt Apoſtoli, ſunt divini juris: unde ex hoc principio probamus parvulorum Baptiſma, ſuffragia pro mortuis, aliaque multa; quæ non ex Scriptura, ſed ex Apoſtolorum Traditione, tamquam juris divini ſuſcipimus: atqui merſionem, eamque trinam, in Baptiſmate adhibendam Apoſtoli tradiderunt: unde, *Can. 50.* ex Apoſtolicis, Miniſtrum, quia una tantum merſione baptizaverit, depoſitione caſtigat; ergo &c.

X. Reſpondeo, neg. maj. generaliter acceptam. Non enim omnia, quæ Apoſtoli tradiderunt, ac præceperunt, juris divini ſunt. Aliqua enim Apoſtoli tradiderunt, tamquam meri promulgatores; & ſunt ea, quæ tamquam dogmata ad fidem, ac mores pertinent: & hæc tamquam juris divini habenda ſunt. Alia vero tradiderunt, tamquam inſtitutores, cujus generis ſunt ritus omnes, & alia ad diſciplinam ſpectantia: & iſta juris tantum Eccleſiaſtici habenda ſunt. Unde quamvis, quod Euchariſtia ſumenda ſit a jejunis, ſicut & alia multa ad Traditionem Apoſtolorum referat Auguſtinus, *Ep. 118.* modo 54. *ad Januarium*: nemo tamen dicet, Euchariſtiam a jejuno ſumendam, eſſe juris divini, quin poſſit non jejuno tradi. Hujus ergo generis eſt trina immerſio in Baptiſmo; quæ licet ex Traditione Apoſtolorum fuerit introducta; quia tamen ſpectans non ad dogma, ſed ad ritum, & cæremoniam, non ſic obligat, ut ſine illa valide non conferatur Baptiſmus; & Eccleſia, in qua reſidet ordinaria poteſtas, non potuerit ſalva Baptiſmi ſubſtantia, pro temporum circumſtantiis, vel una tantum merſione uti; vel merſionem in effuſionem, vel aſperſionem convertere. Eo vel maxime quod Apoſtolos ita aliquando feciſſe, ex *Actibus, cap. 2. & 4.* colligere poſſumus.

Nec huic contradicit, *Canon. 50.* oppoſitus. Is enim depoſitionis quidem pœna caſtigat Miniſtrum una tantum merſione baptizantem: utpote inducentem novum ritum contrarium ei, quod eo tempore univerſa frequentabat Eccleſia: non tamen declarat, Baptiſmum ſic collatum eſſe nullum, & ſic baptizatum eſſe rebaptizandum: quod tamen declarare debuiſſet; ſi trina immerſio ita eſſet neceſſaria, ut ea omiſſa, ſubſtantia Baptiſmi non remaneret.

XI. Objicies tertio Pelagium Papam, Epiſt. ad Gaudentium, relatum de Conſecrat. diſt. 4. Can. *multi ſunt* ubi ait: *Evangelicum vero præceptum, ipſo Deo, & Domino Salvatore noſtro Jeſu Chriſto tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam merſione ſanctum Baptiſma unicuique tribuere, dicente Domino diſcipulis ſuis:* Ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris &c. Ergo ſicut Baptiſmus in nomine Trinitatis Evangelico præcepto eſt tribuendus, ita etiam trina merſione.

XII. Reſpondet S. Thom. *3. p. q. 66. art. 8. ad 2. Quod Pelagius Papa intelligit trinam immerſionem eſſe de mandato Chriſti in ſuo ſimili: in hoc ſcilicet, quod Chriſtus præcepit baptizari* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *non tamen eſt ſimilis ratio de forma, & de uſu materiæ.* Quia, ut pulchre docet ibi, ad 1. *Trinitas eſt ſicut agens principale in Baptiſmo: ſimilitudo autem agentis pervenit ad effectum ſecundum formam, & non ſecundum materiam: & ideo ſignificatio Trinitatis fit in Baptiſmo per verba formæ: nec eſt ex neceſſitate, quod ſignificetur Trinitas per uſum materiæ, ſed hoc fit ad majorem expreſſionem. Similiter etiam mors Chriſti figuratur ſufficienter in unica immerſione. Triduum autem ſepulturæ non eſt de neceſſitate ſalutis noſtræ: quia etiamſi uno die fuiſſet ſepultus, vel mortuus, ſufficiſſet ad perficiendam noſtram redemptionem: ſed triduum illud ordinatur ad manifeſtandam veritatem mortis ..... Et ideo patet, quod trina immerſio, nec ex parte Trinitatis, nec ex parte paſſionis Chriſti eſt de neceſſitate ſacramenti.* Hæc S. Thomas.

DUBIUM V.

Aliqua circa Materiam, tam Remotam, quam Proximam Baptiſmi Reſolvuntur.

§. I.

Circa Materiam Remotam.

I. CIrca materiam ſive remotam, ſive proximam aliqua pro praxi reſolvenda eſſe optimum cenſeo; & præcipue ex iis, quæ hac in re docet S. Th. *3. p. q. 66. art. 4.* Cum enim ex dictis certum ſit, materiam idoneam Baptiſmo, debere eſſe aquam puram, & ſimplicem; obſervat S. Thom. quod aqua ſuam puritatem, & ſimplicitatem poteſt amittere dupliciter. Uno modo, per mixtionem alterius corporis: alio modo, per alterationem. Utrumque autem horum contingit fieri dupliciter, ſcilicet, per artem, & per naturam. Et quia ars regulariter non inducit formam ſubſtantialem, ſed ſolum accidentalem; niſi forte applicando agens naturale propriæ materiæ; per quem modum a quibuſdam quædam animalia per putrefactionem generantur. Unde *quæſt. 6. de Pot. artic. 5. ad 8.* dicit, Magos Pharaonis virgas in ſerpentes convertiſſe arte Dæmonum, *Per aliqua ſemina collecta, qui habebant vim putrefaciendi virgas, & in ſerpentes convertendi.*

Ex quibus infert ſic: *Quæcumque igitur tranſmutatio circa aquam facta eſt per artem, ſive commiſcendo, ſive alterando, non tranſmutatur ſpecies aquæ. Unde in tali aqua poteſt fieri Baptiſmus, niſi forte aqua admiſceatur per artem, in tam parva quantitate alicui corpori, quod compoſitum magis ſit aliud, quam aqua: ſicut lutum magis eſt terra, quam aqua, & vinum lymphatum magis eſt vinum, quam aqua.*

II. Proſequitur autem S. Doctor: *Sed tranſmutatio, quæ fit a natura, quandoque quidem ſpeciem aquæ ſolvit: & hoc fit, quando aqua efficitur per naturam de ſubſtantia alicujus corporis mixti; ſicut aqua converſa in liquorem uvæ eſt vinum; unde non habet ſpeciem aquæ. Aliquando autem fit per naturam tranſmutatio aquæ, ſine ſolutione ſpeciei, & hoc tam per alterationem: ſicut patet de aqua calefacta a Sole: quam etiam per mixtionem, ſicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terreſtrium partium. Sic ergo dicendum eſt: quod in qualibet aqua qualitercumque tranſmutata, dummodo non ſolvatur ſpecies aquæ, poteſt fieri Baptiſmus: ſi vero ſolvatur ſpecies aquæ, non poteſt fieri Baptiſmus.*

III. Ex hac ergo S. Thom. doctrina conficitur regula generalis, quod Baptiſma poteſt valide conferri per quamlibet aquam naturalem, alteratam quomodolibet, ſive per naturam, ſive per artem, aut aliis corporibus mixtam; dummodo alteratio non diſſolvat ſpeciem aquæ, & mixtio non ſit tanta, ut, quod reſultat, ſit potius aliud corpus, quam aqua.

IV. Hinc

IV. Hinc *ad* 1. reſolvit, quod Baptiſmus valide conferri poſſit in aqua marina; quia admixtio ſalis non ſolvit ſpeciem aquæ; neque ſal eſt in tanta copia, ut, quod reſultat, ſit potius ſal, vel aliud corpus, quam aqua. Et idem dicit de aliis aquis, quæ apud nos ſunt; quamvis non ſint ita puræ, quin aliorum corporum particulæ eis miſceantur.

V. Reſolvit ſecundo, *ad* 2. valide baptizari per aquam, cui ſit admixtum Chriſma, ut ſit in Baptiſmo ſolemni; quia admixtio Chriſmatis non ſolvit ſpeciem aquæ. Valde etiam baptizari in aqua coctionis carnium, ſeu jure, aut aliorum hujuſmodi. *Niſi forte ſit facta tanta reſolutio corporum lixatorum in aqua; quod liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de aqua, quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt. Si tamen ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua ſubtilis, poteſt in ea fieri Baptiſmus: ſicut & in aqua, quæ exprimitur ex luto, licet in luto Baptiſmus fieri non poſſit.*

VI. Reſolvit tertio, *ad* 4. poſſe baptizari valide in lixivio, hoc eſt, in aqua colata per cineres; & in aquis balneorum ſulphureorum, ſeu aliis aquis mineralibus: *Quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis; ſed ſolum alterationem quamdam recipiunt ex hoc, quod tranſeunt per aliqua corpora.*

VII. Reſolvit quarto *ad* 5. non valide baptizari aqua roſacea, quia hæc eſt liquor ex roſis reſolutus. Et idem eſt de alio liquore, qui ſit ſuccus florum, aut herbarum, ſive alterius corporis mixti; quia tales ſucci ſpeciem aquæ non habent. Eadem ratione valide baptizari non poteſt in aqua alchimicis, ſicut nec in vino.

Dices. Aqua, quæ ex latere Chriſti fluxit, fuit ſignum Baptiſmi: ſed hæc non fuit aqua pura, ſed humor ex Chriſti corpore expreſſus, in quo, utpote corpore mixto, elementa actu non erant; ergo &c.

Reſpondet S. Thom. *ad* 3. nego min. *Aqua* enim *fluens de Chriſti Latere pendentis in Cruce non fuit humor phlegmaticus: in tali enim humore non poſſet fieri Baptiſmus, ſicut nec in ſanguine animalis, nec in vino, aut quocumque liquore alicujus plantæ. Fuit autem aqua pura miraculoſe egrediens a corpore mortuo, ſicut & ſanguis, ad comparandam veritatem Dominici corporis contra Manichæorum errorem: ut ſcilicet, per aquam, quæ eſt unum quatuor elementorum, oſtenderetur, corpus Chriſti vere fuiſſe compoſitum ex quatuor elementis; per ſanguinem vero oſtenderetur eſſe compoſitum ex quatuor humoribus.*

VIII. Reſolvit tandem ibi, *ad* 5. non eſſe eamdem rationem ac de aqua roſacea. *De aquis pluvialibus, quæ generantur ex majori parte ex ſublimatione vaporum reſolutorum ex aquis; minimum autem eſt ibi de liquoribus corporum mixtorum; qui tamen per hujuſmodi ſublimationem virtute naturæ, quæ eſt fortior arte, reſolvuntur in veram aquam: quod ars facere non poteſt. Unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti: quod de aquis roſaceis, & aquis alchimicis dici non poteſt.* Quod de aquis pluvialibus dictum eſt, dici etiam debet de aqua expreſſa ex nive, glacie, pruina: hanc enim veram eſſe aquam, eadem ratione conſtat.

IX. Quamvis autem quælibet aqua naturalis ſit materia ſufficiens ad Baptiſmum, attamen extra caſum neceſſitatis non licet alia uti aqua, quam ea, quæ pridie Paſchatis, aut Pentecoſtes fuerit conſecrata. Id enim primo vetant Patrum ſtatuta, ut patet ex Gregorio Nazianzeno. *Orat. de Baptiſmo*, & ex vetere Ordine Romano in officio Sabbati Sancti. Secundo: quia omnia Concilia Provincialia, & Diœceſum ſtatuta poſt Tridentinum hoc idem prohibent: & hoc, ut majori decore, ac reverentia Baptiſmus ſolemne celebretur, & recipiatur.

X. Quæram autem circa ſacrum fontem ſervari debeant, præſcribit Sanctus Carolus in ſuis inſtructionibus. Et ſunt, primo: ut ſi caſu aliquo baptiſmalis aqua corruptionem contraxerit, projiciatur in ſacrarium, & ſacer fons nitida aqua purgetur. Secundo: ut ex alia Parochiali Eccleſia quam primum deferatur aqua, quæ debito tempore fuerit conſecrata. Tertio: ut ſi hæc in modica fuerit quantitate, admiſceatur non conſecrata, ſed in longe minori quantitate. Quarto: ut ſi præ frigore fuerit congelata, aut nimis frigida, alterius aquæ naturalis calidæ permixtione liquefiat; & fiat apta ad baptizandum infantem, ſine aliquo ſanitatis periculo. Quinto tandem: ut fons baptiſmalis ſera claudatur, cujus clavium Presbyter perpetuo apud ſe cuſtodiat.

§. II.

De Praxi circa Materiam Proximam.

XI. PRimo. Unuſquiſque Eccleſiæ ſuæ ritum in baptizando ſequi debet; nec ab eo recedere ſine peccato poteſt, niſi neceſſitas cogat. Quare ſicut peccaret modo Miniſter Latinus, qui per immerſionem, ut olim, non autem per effuſionem, ſecluſa neceſſitate baptizaret: ſic Miniſter Græcus, qui non per immerſionem, ſed per effuſionem, vel aſperſionem abſque neceſſitate baptizaret, peccaret; quia ſuæ Eccleſiæ ritum non ſervaret: & hoc; etſi uterque faceret, ſecluſo contemptu. Uterque tamen valide baptizaret: quia, ut dictum eſt, neutrum eſt de ſubſtantia Baptiſmi, cui ſufficit ablutio, quomodocumque fiat.

XII. Secundo. Miniſter Baptiſmi debet corpus baptizandi immediate aqua contingere, ut moraliter cenſeatur ablutum, Hinc una, vel altera gutta aquæ corpus baptizandi contingere non cenſetur ſufficiens: quia hoc moraliter non eſt abluere. Similiter nec ablutio cenſetur ſufficiens, quæ infantis aut veſtes, aut crines tantum attingit, & non immediate cutem, aut carnem. Unde Ritualia præſcribunt, ut cum crinitus baptizatur; Miniſter crines manu hinc inde vertat, ut aqua ad cutem uſque pertingat.

XIII. Tertio. Non eſt neceſſe, ut totum corpus baptizandi aqua perfundatur: ſed ſatis eſt, ut abluatur aliqua pars principalis, & ſufficiens, ut totus homo moraliter dici poſſit baptizatus. Quare caput ſemper eſt abluendum, ſi commode fieri poſſit; quia eſt pars potiſſima, in qua vigent omnes ſenſus: ac proinde qui extra caſum neceſſitatis, relicto capite, aliam partem abluerет, peccaret mortaliter; quia in re gravi ageret contra communem Eccleſiæ conſuetudinem. In caſu autem, quo abſque periculo gravis nocumenti caput ablui non poſſet: ſufficeret ablutio in pectore, aut in ſcapulis; vel ſi iſtæ partes etiam commode ablui non poſſunt, in aliqua alia parte integrali, quæ ſit tanta, ut ſine ea anima in corpore conſervari non poſſit. Unde Baptiſmus datus in aliis partibus, puta, in ſolo pede extracto ex utero, vel in manu, aut brachio, ſaltem dubius, redditur apud Theologos. Ita S. Thom. 3. p. q. 68. art. 11. ad 4. *Expectanda eſt* (inquit) *totalis egreſſio pueri ex utero ad Baptiſmum, niſi mors imminеat: ſi tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari periculo imminente, & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi eum perfecte naſci contigerit. Et videtur idem faciendum quacumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite: videtur quibuſdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis ablata, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma:* Si non es baptizatus, ego te baptizo. Hanc eamdem regulam tradit S. Carolus *in Inſtructionibus*, titulo *de Baptiſmatis Adminiſtratione.*

XIV. Quæres tamen primo: An ubi in Baptiſmo adhibetur immerſio, neceſſaria ſit emerſio?

Reſpondeo, probabilius non eſſe neceſſariam. Nam poſſunt eſſe materia, & forma per Miniſtrum adhibita, etiamſi contingat puerum, qui baptizatur, elabi e manibus immergentis, & poſt prolationem formæ ſuffocari: in quo caſu eſſet puer vere baptizatus. Sicut eſſet, ſi baptizatus per effuſionem ſubmergeretur, & ſi baptizans per immerſionem, finita prolatione verborum, adhuc puerum in aqua detineret. Emerſio igitur non videtur neceſſaria ad ſubſtantiam Baptiſmi.

XV. Sed quid dicendum, ſi quis ſponte projiceret puerum in fluvium, vel puteum; & ſic projiciens proferret ſuper eum formam Baptiſmi; Eſſet ne validus Baptiſmus?

Reſpondeo, dubium fore Baptiſmum. Tum propter diſſidium Doctorum; multi enim, iique celebres, eum validum fore negant. Tum propter rationes, quas afferunt. Quia talis ex modo agendi non videretur eum velle abluere, vel immergere; ſed ſubmergere, & occidere. Nec valet dicere, quod ex intentione projicientis ad finem baptizandi, actio illa eſſet materia ſufficiens Baptiſmi. Nam ſi ſemel illa projectio, vel immerſio de ſe non eſt ablutio; non poteſt ex intentione Miniſtri fieri, ut ſit ablutio; ſicut id, quod eſt ablutio, non poteſt ex intentione Miniſtri fieri, ut non ſit ablutio —— Tum quia: non eſt credibile, Deum voluiſſe, eſſe legitimam materiam Baptiſmi actionem illam, cui neceſſario, & per ſe annexum eſt homicidium, & peccatum mortale.

Qui tamen ſentiunt, Baptiſmum illum valere, dicunt, actionem illam abſolute fore ablutionem. Nam in tantum non eſſet, quia eſſet immerſio ſine emerſione; emerſionem autem non eſſe neceſſariam ad ſubſtantiam Baptiſmi, diximus ſupra. —— Neque quod ſit occiſiva, & fiat animo etiam occidendi, tollit, quin actio illa ſit ſacramentalis; & Deus Auctor Baptiſmi ad eam, ut ſacramentalem, licet non ut pravam, concurrat. Nam licet Miniſter conſecret ex intentione utendi ad ſacrilegium, valide conſecrat: & licet baptizet aqua fervida, aut venenata, unde puer ſtatim moriatur, adhuc valide baptizat, etiam apud Auctores contrarios: & ſi quis oleo venenato ungeret infirmum, unde moreretur, valide inungeret.

XVI. His tamen non obſtantibus: ſtante dubio, ſi ſic baptizatus ſuperviveret, eſſet ſub conditione baptizandus: tamen ſi moreretur, ſacra ſepulchura donandus eſſet; quia qui ſic baptizavit, intendit baptizare, & probabiliter operatus eſt.

Ex his ſequitur, nec licere puerum jam jam moriturum projicere in fluvium, vel puteum, ut ſic baptizetur, & ſalvetur, etiamſi non eſſet alia via eum baptizandi; non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona; innocentem vero occidere, malum eſt. Utrum autem ſit omittendus Baptiſmus pueri, qui timetur celerius, propter ablutionem, moriturus? Dico, quod ſi ablutio vel eſſet mortem allatura, vel notabiliter acceleratura, omittendus eſſet Baptiſmus. Quia tamen caſus iſte

vix apparet in praxi poſſibilis, maxime in Baptiſmo per effuſionem dato; cum modica aſperſio aquæ tepidæ, quæ poteſt adhiberi, moraliter loquendo non poſſet eſſe tam noxia; & etiam quia nimia mortis acceleratio nihil facienda videtur: ideo propter hoc non videtur Baptiſmus omittendus.

An vero valide baptizaret, qui puerum per calathum, vel aliquid ſimile, proferendo ſuper eum verba, in aquam demitteret? Reſpondetur affirmative. Quia non eſt neceſſe, ut baptizans tangat aquam, dummodo illa per ipſum adhibita tangat baptizatum. De his videri poſſunt Gabriel, Richardus, Scotus, *in* 4. *diſt.* 4. *&* 5. Paludanus, Silveſter. Et ex Recentioribus Silvius, *in* 3. *p. q.* 66. *art.* 7. Fraſſen, *q.* 5. *de Materia proxima Bapt.* Henno. *De Bapt. diſp.* 2. *quæſt.* 3.

DUBIUM. VI.

De Forma Baptiſmi apud Græcos, & Latinos.

§. I.

Forma Baptiſmi apud Græcos.

I. Licet ſubſtantialiter eadem forma baptizent Græci, & Latini; aliis tamen terminis concipitur una, ac altera. Nunc de forma apud Græcos adhiberi ſolita agemus. Hæc autem his terminis concipitur: *Baptizatur Servus* (vel ſerva) *Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Ita Joannes Moſchus, qui ſæculo ſeptimo vixit, *c.* 176. ſui Prati Spiritualis. Eamque tradunt Arcudius, & noviſſime Goar noſter de officio Baptiſmatis. Ubi totum ritum, quem in eo conferendo ſervant Græci, accurate deſcribit: & talem eſſe confirmavit Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis. Quamvis autem apud præfatum Concilium, ſicut & apud S. Th. 3. *p. q.* 66. *art.* 5. loco *Baptizatur*, ponamus *Baptizetur*: Conſtans tamen eſt in Græcorum Euchologiis legi *Baptizatur*; ſed res facti, eſt, quæ nihil officit.

II. Antiquiſſimum eſſe apud Græcos hujus formulæ uſum in Baptiſmo conferendo, teſtantur eorum Euchologia a mille, & amplius annis exarata, in quibus refertur, Chryſoſtomi etiam ætate, nimirum, quarto ſæculo, apud Orientales in uſum jam veniſſe colligitur ex ipſius Chryſoſtomi verbis. *Hom.* 1. *in Act. Apoſt.* Ubi ſuper illa verba: *Baptizabimini Spiritu Sancto*, ait: *Non dixit Chriſtus:* Vos vero ego baptizo in Spiritu Sancto, *ſed* Baptizabimini: *nos docens, ut modeſte de nobis ſentiamus.*

III. Hinc colligi poteſt ratio, qua moti fuerunt Græci ad non exprimendam perſonam Miniſtri in forma Baptiſmi, nec illam in prima perſona *baptizo*, ſed in tertia *baptizatur* proferendam: ne ſcilicet Miniſter, vel quiſquis alius exiſtimaret, auctoritate Miniſter Baptiſma conferri, & ab eo virtutem habere. Unde S. Th. 3. p. q. 66. art. 5. ad 1. *Græci autem* (inquit) *non attribuunt etiam Baptiſmi Miniſtris, ad evitandum Antiquorum errorem, qui virtutem Baptiſmi baptizantibus attribuebant, dicentes* (1. Cor. 1.) Ego ſum Pauli, & ego Cephæ: *& ideo dicunt.* Baptizetur ſervus Chriſti talis, in nomine Patris &c.

Id etiam factum dici poteſt, ne Novatiani, quorum hæreſis per Orientem ſerperat, ex Miniſtri expreſſione in forma Baptiſmi ſuum impium errorem concluderent; nempe, fidem Miniſtri requiri ad ejus validitatem. Quemadmodum Ariani in Hiſpania ex triplici immerſione in Baptiſmo, tunc fieri ſolita, ſuam hereſim de triplici in divinis perſonis ſubſtantia concludebant. —— Addi demum poteſt, Græcos id feciſſe, quia propius accedere putarunt ad exemplum Apoſtolorum, & Chriſti; quos ita baptizaſſe opinati ſunt.

IV. Dico ergo. Valet, quæ a Græcis adhibetur, Baptiſmi forma. Prob. ex S. Th. loco nuper citato, ſic. Dicta Græcorum forma exprimit actum, quem exercet Miniſter, dum dicit *Baptizatur*, nempe, ablutionem. Exprimit perſonam, quæ baptizatur, dum dicit *ſervus Dei N.* Exprimit cauſam præcipuam, quæ interius baptizat, & abluit, nempe Trinitatem, & per diſtinctam trium Perſonarum invocationem ejuſdem Trinitatis fidem explicitam complectitur; ergo &c. Quapropter Eugenius IV. in Decreto pro inſtructione ad Armenos, eam approbat; afferens, per dicta verba verum perfici Baptiſma. Sic enim habet: *Non negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris &c. Vel baptizatur monibus meis talis in nomine Patris &c. Verum perficiatur baptiſma.*

V. Sed quæres: Cum, ex dictis, aliqui contendant, Græcos ſub forma conferre Baptiſma, dicendo: *Baptizetur*; ſumiturne ly *Baptizetur* imperative, an deprecative?

Reſpondeo, quod ſi admittamus cum S. Th. & Eugenio IV. Græcos indifferenter dicere *Baptizatur*; & *Baptizetur*; hoc verbum *Baptizetur* debet ſumi imperative, non deprecative. Tum quia: ut docet S. Th. *q.* 29. *Supplem. art.* 8. in ſola Externa unctione forma modo deprecativo profertur. Tum quia: ſi ſumeretur deprecatorio modo, orando ſcilicet Deum, ut Cathecumenum abluat; jam per illa verba, externa, & ſacramentalis ablutio, quæ eſt actio Miniſtri baptizantis, nullatenus exprimeretur. Neque enim Miniſter Deum deprecaretur, ut Cathecumenum exterius abluat; hoc enim facit ipſe Miniſter: ſed Deum deprecaretur, ut ipſum interius, & ſpiritualiter abluat; ergo in forma Græcorum deprecative prolata, actus externus, & ſacramentalis Miniſtri non exprimeretur; quod tamen in forma ſacramenti exprimi debet.

§. II.

De Forma Baptiſmi apud Latinos.

VI. De forma apud Latinos adhiberi ſolita tria quæremus. Primum: quænam ſit. Secundum: an termini, quibus ablutio externa exprimitur, ſint neceſſarii ad valorem. Tertium: an neceſſaria ſit etiam expreſſa trium Perſonarum SS. Trinitatis invocatio. Duo priora in præſenti tractabimus. Tertium vero in ſequenti dubio.

VII. Dico primo. Conveniens, & legitima Baptiſmi forma, qua utuntur Latini, eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita præſcriptum legitur in Concilio Lateranenſi IV. cap. *Firmiter*: Florentino in Decreto Eugenii: & Tridentino, *Seſſ.* 7. *de Bapt. can.* 4. & in Rituali Romano juſſu Pauli V. ac nulla alia Eccleſia Occidentalis utitur. Et quidem conformis eſt verbis Chriſti Matth. 15. 28. *Docentes omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Et convenientem eſſe tradit S. Th. 3. *p. q.* 66. *art.* 5. Ea enim eſt conveniens forma baptizandi, in qua exprimuntur omnia, quæ exprimenda ſunt: talis autem eſt prælaudata Latinorum forma. Nam quæ in forma Baptiſmi exprimi debent, ſunt primo: cauſa principalis, a qua Baptiſmus virtutem habet, quæ eſt ſancta Trinitas. Secundo: cauſa inſtrumentalis, quæ eſt Miniſter, qui tradit exterius ſacramentum. Tertio: ſubjectum, cui traditur: atqui hoc totum exprimitur in præfata forma: Miniſter enim tangitur, cum dicitur: *Ego baptizo.* Subjectum tangitur, cum additur ly *te*: cauſa autem principalis, cum dicitur: *In nomine Patris &c.*

VIII. Porro pervetuſtam eſſe hanc formam, colligitur ex Sacramentario S. Gregorii, *tit.* 66. ex Ordine Romano, qui paulo poſt Gregorium in lucem prodiit; quibus apparet, ante ſæculum ſeptimum in uſu fuiſſe, cum S. Gregorius eam non imperet quaſi rem recentem; ſed eam tamquam ritum communi uſu apud Latinos receptum deſcribat. Eum quoque videre eſt in Liturgiis Gallicanis antiquis, quas P. Mabillonius in lucem dedit. Difficultas tamen eſt quoad illa verba: *Ego te baptizo* in prima perſona expreſſa, quæ in veterum Patrum ſcriptis non reperiuntur. Immo S. Auguſt. *l. Quinquaginta Homil. Homilia* 23. (nunc ſerm. 99.) obſervans Chriſtum mulieri peccatrici dixiſſe: *Dimittuntur tibi peccata tua;* non autem: *dimitto tibi peccata tua*; dicit: *Medicus bonus agros non ſolum præſentes ſanabat; ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſano quemcumque baptizo;* Videtur ergo conformior forma Græcorum dicens: *Baptizatur*, & antiquior, quam forma Latinorum, dicens: *Ego te baptizo*,

Sed hæc non obſunt. Loquebatur enim S. Auguſtinus ibi adverſus Donatiſtas, qui volebant, ſanctitatem Miniſtri aliquomodo influere ad veritatem ſacramenti; quaſi meritis hominum peccata dimitterentur. Hos ergo redarguit oſtendens, non homines, ſeu Eccleſiam, ſed Spiritum Sanctum per Eccleſiam, ſeu per homines peccata dimittere: & utitur verbis Chriſti, Joan. 20. v, 22. *Si quis dimiſeritis peccata, dimittuntur ei;* addens, hoc eſt: *Spiritus dimittit, non vos.* Quia tamen Spiritus non ſemper per ſeipſum peccata dimittit, ſed via ordinaria vult ea dimittere miniſterio hominum, per ſacramenta: ideo & homines dicuntur peccata dimittere, externo ſcilicet miniſterio, actum ſacramentalem exhibendo: & rurſus peccata dicuntur a Deo dimitti auctoritate interius operante. Unde ſive dicatur cum Græcis: *Baptizatur:* ſive cum Latinis: *Ego baptizo*: utroque modo idem exprimitur, nimirum Miniſtrum ponere actionem externam a Deo inſtitutam, per quam Deus, non homo peccata dimittit, & baptizat. Hoc idem S. Auguſtinus explicavit, *Tract. 6. in Joannem*, his verbis: *Ut quamvis multi Miniſtri baptizaturi eſſent, ſive juſti, ſive injuſti, non tribueretur ſanctitas Baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba; de quo dictum eſt:* Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. *Petrus baptizat, hic eſt, qui baptizat; Paulus baptizet, hic eſt, qui baptizat.* Quæ doctrina in hac materia præ oculis habenda eſt.

IX. Dico ſecundo. Expreſſio actus externi ſacramentalis, nempe, ablutionis, ſive in prima, ſive in tertia perſona neceſſario requiritur, ut Baptiſmus valeat. Unde qui hæc verba: *Ego te Baptizo*, aut hæc alia Græcorum: *Baptizatur ſervus Dei*, vel alia æquivalentia non proferret; ſed his tantum: *In nomine Patris &c.* uteretur, verum, ac integrum Baptiſma non conferret.

Probatur ex Alexandro Papa III. *Extra. de Bapt. & ejus effectu, Cap. ſi quis.* Ubi ſic loquitur: *Si quis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen: & non dixerit, Ego te baptizo, puer non eſt baptizatus.* Unde Alexander VIII. 7. Decembris anno 1690. inter alias propoſitiones, hanc, *n.* 27. proſcripſit: *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In nomine Patris &c. & prætermiſſis illis: Ego te baptizo.*

Ratio-

Rationem autem dat S. Thom. 3. *p. q. 66. art. 5. ad 2.* dicens: *Quod, quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri poteſt: oportet, quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat: Quod quidem non fit per hoc, quod dicatur:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloſſ. 5. Et ideo, ſi non exprimatur actus Baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum, non perficitur ſacramentum.* Ita S. Th. qui deinde affert Decretalem Alexandri III. ſupra laudatam. Cum enim Sacramentum ſit ſignum exterius, ac viſibile; debet in ejus collatione exterius exprimi id, ad quod ſignificandum eſt inſtitutum.

X. Neceſſarium quoque eſſe in forma Baptiſmi exprimere perſonam ſuſcipientem Baptiſmum, vel per pronomen *Te*, vel alio æquivalenti nomine, ut faciunt Græci: colligitur ex verbis Chriſti, *Matt. 28. Baptizantes eos.* Quibus ex communi Eccleſiæ intelligentia, & praxi indicavit, in conferendo Baptiſmate utrumque exprimi debere: nimirum, & actum baptizantis, & perſonam, in quam cadit ille actus. Eo modo, quo cum Chriſtus, *Joan. 20.* dixerit: *Quorum remiſeritis peccata &c.* colligimus, ad valide abſolvendum, non ſufficere dicere: *Abſolvo*; vel, *Datur abſolutio in nomine Patris &c.* niſi exprimatur perſona abſolvenda: ſic cum Chriſtus dixerit *Baptizantes eos*, non ſatis erit dicere vage: *Baptizo*; ſed exprimi debet perſona, ſupra quam cadit. Eo vel maxime, quod actus ille ſuam individuationem accipit potiſſime ex perſona, quæ baptizatur.

§. III.

Solutio Objectionum.

XI. OBjicitur primo. Actus debet attribui principali agenti magis, quam Miniſtro; ergo actum baptizandi incongrue ſibi tribuit Miniſter, dicens: *Ego baptizo*; ſed melius diceret cum Græcis: *Baptizatur.*

Reſpondet S. Th. citata *q. 66. art. 5. ad 1.* neg. conſ. Nam *Actio attribuitur inſtrumento, ſicut immediate agenti: attribuitur autem hujuſmodi actio principali agenti, ſicut in cujus virtute inſtrumentum agit. Et ideo, in forma Baptiſmi convenienter ſignificatur Miniſter, ut exercens actum Baptiſmi, per hoc quod dicitur:* Ego te baptizo; *ſicut & ipſe Dominus baptizandi actum attribuit Miniſtris, dicens* (Matth. ultimo) Baptizantes eos. *Cauſa autem principalis ſignificatur, ut in cujus virtute ſacramentum agitur, per hoc quod dicitur:* In nomine Patris &c. *Non enim Chriſtus baptizat ſine Patre, & Spiritu Sancto.* Quare autem Græci non attribuant actum Baptiſmi Miniſtro, diximus cum eodem S. Th. §. *n. 3.* unde hic non eſt repetendum.

XII. Objicies ſecundo. Non oportet, ut qui actum aliquem exercet, de actu exercito faciat mentionem; ſicut ille, qui docet, non oportet, ut dicat: *Ego vos doceo.* At Chriſtus ſimul dedit præceptum docendi, & baptizandi: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* ergo ſicut Miniſter dum docet, non debet dicere: *Ego vos doceo*; ita nec dum baptizat, debet dicere *Ego vos*, vel te *baptizo*; ſed ſatis eſt, ut in exercitio baptizet.

Reſpondeo primo, ex dictis ſupra, §. 2. *num. 7.* cum D. Thom. *art. 5. ad 2.* quod quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri poteſt; oportet, quod determinetur in verbis formæ propter quid fiat. Quod non fit per hoc, quod dicitur: *In nomine Patris &c.* quia in hoc nomine omnia facere debemus. Unde ad determinandum finem, propter quem fit, dici debet: *Ego te baptizo*, vel *baptizetur.*

Reſpondeo ſecundo cum eodem S. Th. in 4. *diſt. 3. q. 1. a. 2. q. 1. ad 4.* quod ad validitatem Baptiſmi requiritur in Miniſtro intentio faciendi id, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit, quæ non requiritur in doctrina: & ideo oportet exprimi omnia, quæ determinant intentionem ad actum illum. Et ideo licet in docente non requiratur, ut exprimat ſe docere, ſed ſatis ſit, ut de facto doceat; requiritur tamen in Miniſtro Baptiſmi, ut exprimat, ſe baptizare, ideſt, ſe velle facere actum illum, ut Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit.

Vel dicendum (inquit S. Doctor) *quod alii actus habent efficaciam ex ſuo exercitio tantum: ſed actus baptizandi habet efficaciam ex forma verborum: & quia talis efficacia eſt ſacramentalis, idcirco oportet, quod verba ſignificando, efficaciam actui prabeant; & ideo oportet, baptizantem actum ſuum verbo ſignificare, quamvis in aliis actibus non reperiatur.* Accedit: quod antiqua Eccleſiæ tum Latinæ, tum Græcæ praxis ita nos ſemper docuit; ut in forma Baptiſmi actus baptizantis exprimatur.

XIII. Sed contra hæc ultima verba inſtabis. Si hæc fuiſſet perpetua Eccleſiæ praxis, innotuiſſet omni ſæculo: atqui hoc non innotuit; ergo &c. Min. prob. Petrus Claromontenſis Epiſcopus, qui circa annum 1159. floruit, videns, in ſua Diœceſi, qui in neceſſitatis articulo baptizabant, nil aliud facere, quam infundere aquam dicendo: *In nomine Patris &c.* dubius de valore talis Baptiſmi, conſuluit per Litteras Mauritium Epiſcopum Pariſienſem, & Stephanum Tornacenſem Epiſcopum. Mauritii autem ſententia, fuit Baptiſmum non valere; Stephani autem, valere. Eorum tres Epiſtolæ leguntur, *Tomo 3. Bibliotheca Patrum*; ergo tunc temporis non erat compertum, hanc formam eſſe in praxi per univerſam Eccleſiam.

XIV. Reſpondeo, neg. min. Contrarium enim oſtendit S. Gregorius in ſuo libro *Sacram.* Ubi in forma Baptiſmi reperiuntur hæc verba: *Ego te baptizo* & Euchologia Græcorum a mille, & amplius annis habent, *Baptizatur ſervus Dei &c.* Neque de hoc dubitavit Petrus Claromontanus; ſed an omiſſio illius redderet Baptiſmum invalidum; quod indicat ex Eccleſiæ univerſalis Traditione fuiſſe notum, Baptiſmum ſic eſſe conferendum: alias dubius de illius valore Petrus non fuiſſet, nec Mauritius in ſua reſponſione adeo conſtanter reſpondiſſet: *In quem modum forma Baptiſmi tradi, & accipi debeat, Scripturarum divinarum auctoritatem, & SS. Patrum teſtimonium habemus, in hunc modum ſcilicet:* Ego te baptizo in nomine Patris &c. *Et tanta eſt verborum vivacitas, ut nihil immutari, nihil innovari oporteat. Niſi vero tota hæc verba ſimul a quocumque, & quacumque lingua proferantur, Baptiſmum eſſe non credimus.*

Neque rationes, quibus Stephanus Tornacenſis tueri nititur oppoſitum, ſunt gravis momenti. Non quidem prima, quam his verbis affert: *Nondum legi, baptizantes eos, & dicentes: Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Hoc enim argumentum eſt negativum; quod nullius roboris eſt, quando maxime Eccleſiæ Traditio oppoſitum ſua praxi demonſtrat.

Neque urget ſecunda ratio, quam ex eo petit: quod Innocentius I. & S. Auguſt. agentes de Baptiſmo hæreticorum dicant, illum eſſe validum, dummodo fuerint baptizati ſub expreſſa invocatione trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis; nec umquam meminerunt hujus particulæ *Baptizo te* — Nam in primis Innocentius, & Auguſtinus loquuntur de verbis, quibus Baptiſmus conſecratur; hæc autem ſola ſunt verba exprimentia Trinitatem: verbum enim *Te baptizo*, ſolum ponitur ad exprimendum actum Miniſtri. Hujus autem ideo non meminerunt: quia Hæreticorum error non in hoc ſitum erat, quod omitterent has voces *Baptizo te*: has enim omnes ex inſtituto Chriſti proferebant: ſed in hoc, quia plures circa expreſſionem trium perſonarum Trinitatis errabant: ideoque de hoc ſolliciti erant Auguſtinus, & Patres. Sed quid moror? Alexander enim III. qui eodem ſæculo deſinente ſedit, dubium omne circa hoc ſuſtulit Decretali, ſupra a nobis relata, quam etiam affert S. Thomas, hac *qu. 66. art. 5. ad 2.* qua ſtatuit: quod *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen, & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Non eſt puer baptizatus.* Quare in hoc laudare non poſſum P. Juenin: qui hanc difficultatem ſibi proponit, & quaſi anceps inſolutam relinquit.

XV. Objicies tertio. Qui baptizatur, ſæpe non intelligit, puta, ſi ſit ſurdus, aut puer: fruſtra autem ad tales ſermo dirigitur, cum *Eccleſiaſtici 32.* dicatur: *Ubi non eſt auditus, ne effundas ſermonem*; ergo &c.

Reſpondet S. Th. art. 5. citato ad 3. *Quod verba, qua proferuntur in formis ſacramentorum, non pronuntiantur ſolum cauſa ſignificandi, ſed etiam cauſa efficiendi; in quantum habent efficaciam ab illo verbo, per quod facta ſunt omnia. Et ideo convenienter diriguntur non ſolum ad homines non intelligentes, ſed etiam ad creaturas inſenſibiles; ut cum dicitur:* Exorcizo te, creatura ſalis.

DUBIUM VII.

An in Baptiſmo Neceſſaria ſit Expreſſio Trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis.

§. I.

Errores circa hoc.

I. PRimis Eccleſiæ ſæculis quoſdam hereticos, ignoti nominis, in tribus principiis, ac in tribus Filiis, & in tribus Paracletis Cathecumenos baptizaſſe, apparet ex *Can. 49.* Apoſtolico, in quo damnantur. Quem errorem ſæculo ſexto nondum penitus extinctum damnavit quoque Vigilius Papa, *Epiſt. 2. c. 6.* ſcribens: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ſed in una perſona Trinitatis, aut in duobus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis: projiciatur de Eccleſia Dei.*

II. Marcitæ a Marco Valentini diſcipulo, teſte Irenæo, *l. 1. Adverſus hæreſ. c. 21.* alias 18. baptizandos ad aquas ducebant, dicentes: *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu ad unctionem, & redemptionem, & communionem virtutum.* Hanc eamdem Marcitarum inſaniam refert Theodoretus, *lib. 1. Hæretic. fabularum.*

III. Paulianiſtæ a Paulo Samoſateno, qui perſonas in SS. Trinitate non diſtinguebant, vana quadam, ac irrita in baptizando forma utebantur: quapropter ab eis baptizati, iterum baptizari juſſit ſunt *Can. 19.* Sinodi Nicænæ Primæ. Item in *Can. 8.* Concilii Laodiceni Cataphrygæ (Montani quædam ſpecies in Phrygia) rebaptizari jubentur. Quod confirmavit Conc. Conſtantinopolitanum 1. *Can. 7.* his verbis:

Montanistas, quos nunc Phrygas dicimus . . . ut paganos recipimus. Hos verisimile est Baptismum contulisse: *In nomine Patris, & Filii, & Montani*, quem Paracletum esse dicebant. Quod colligo ex S. Greg. Magno, *l. 9. Epist. Ep.* 61. (modo *l. 11. Epist. 67. ad Quiricum Episc.* dicente: *Hi hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiaci, & Cataphryga: quia & illi Christum Dominum non credunt; & isti Spiritum Sanctum perverso sensu esse pravum quemdam hominem Montanum credunt... Cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur.*

IV. Photinianos quoque in forma Baptismi errasse, ostendunt verba Concilii Arelatensis 2. Can. 16. *Photinianos, & Paulianistas secundum Patrum statuta baptizari oportet.* De Arianis etiam quibusdam fertur, hac formula baptizasse *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium* (quasi instrumentum & creaturam) *in Spiritu Sancto.* Eunomianos etiam in forma Baptismi Trinitatis personas non expressisse, notat Theodoretus, *l. 4. Hæretic. fab. c. 3.* de Eunomio scribens: *Idem sancti etiam Baptismatis legem olim a Domino, & Apostolis traditam evertit, & contrariam sanxit: non oportere dicens, ter illum immergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem; sed semel baptizare in Christi mortem.*

V. Apud Modernos hæreticos Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas &c. servatur quidem forma Evangelica; unde ex iis ad Ecclesiam Catholicam venientes non rebaptizantur. Sed Lutherus, *l. de Capt. Babylon. cap. de Baptismo*, valere dixit Baptisma quibuscumque verbis conferatur; modo tamen non in nomine hominis, sed in nomine Domini detur, aut recipiatur; ita ut si baptizans in nomine Dæmonis conferret, & baptizatus in nomine Domini reciperet, valeret Baptismus. Zuinglius vero, *in libro de Vera, & falsa religione*, dicit, certam verborum prolationem non requiri, ut sacramentum valide conferatur.

§. II.

Resolutio Dubii.

VI. CIrca necessitatem expressionis omnium trium personarum in collatione Baptismi ad ejus validitatem, etiam inter Doctores Catholicos, aliquam diversitatem invenio. Magister enim sententiarum censuit, unius tantum e personis Trinitatis invocationem satis esse ad valorem Baptismi. Ita, *in 4. sent. dist. 3. Littera E.* S. Th. admittit, ut probabile, cum Apostolis divinitus dispensatum fuisse, ut in nomine solius Christi baptizarent; quo Christi nomini, quod tunc apud Hebræos odio erat, honor conciliaretur. Sic *3. p. q. 66. a. 6. ad 1.* Cajetanus vero scripsit, hisce quoque temporibus validum fore Baptisma, si in nomine solius Christi, omissis aliis personis, conficeretur.

VII. Dico. Invocatio trium personarum SS. Trinitatis expressa adeo necessaria est ad valorem Baptismi; ut si conferatur cum expressione unius tantum, & etiam solius Christi, Baptismus nullus sit. Probo ratione S. Thomæ contra Mag. sent. & Cajetanum: *Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi;* ergo *Si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret; nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam sacramento non alligavit:* sed *Christus instituit, sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis;* ergo *quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi.*

Nec obstat (inquit S. D.) [*quod in nomine personæ intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille, qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus: quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis; ita & forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde & in Baptismo Christi, ubi origo sanctificationis nostri Baptismi, affuit Trinitas in sensibilibus signis: scilicet, Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.*

VIII. Adfert insuper S. Th. in arg. *Sed contra*, auctoritatem Pelagii Papæ relati c. *Si revera*, de Consecr. dist. 4. qui scribens Gaudentio Episcopo ait: *Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur: sed solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscumque dubitationis ambiguo, eos ad fidem catholicam venientes, in sancta Trinitatis nomine baptizabis.* Ubi Pelagius pro eodem accipit *in nomine Domini*, ac in nomine *Christi*. Tum quia: nemo umquam legitur usus in baptizando hac formula: *In nomine Domini.* Tum quia: idem Pontifex in eodem decreto de illis loquitur, de quibus dicit, multi sunt, qui in nomine solummodo Christi se asserunt baptizare.

IX. Ad hæc si bene attendisset Cajetanus, non dixisset, etiam hisce temporibus validum fore Baptismum in solius Christi invocatione collatum. Circa enim validitatem sacramentorum, debemus discurrere secundum Christi institutionem, perpetuam Ecclesiæ Traditionem, & Patrum consensum; nisi appareat aliqua dispensatio a Deo: atqui secundum Christi institutionem, Ecclesiæ perpetuam Traditionem, & Patrum consensum ad valorem Baptismatis requiritur expressa trium personarum Trinitatis invocatio: nulla legitur facta a Deo dispensatio; ergo &c. min. quant. tum ad Christi institutionem, apparet ex Christi verbis, *Matth. 28. v. 19.* quibus trium personarum Trinitatis expressam invocationem Apostolis, eorumque in Baptismi administratione successoribus præcepit, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quantum vero ad perpetuam Traditionem Ecclesiæ & Patrum, testes sunt Irenæus, qui, ut §. præcedente observavimus, Marcosiorum Baptisma rejicit; eo quod Trinitatis personas non exprimerent. Tertullianus, qui *l. de Baptismo c. 6.* dicit primo, Cathecumenos, dum baptizarentur, solitos fuisse edere professionem fidei in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Secundum: hanc fidem in Baptismo Patris, Filii, & Spiritus Sancti invocatione obsignari.

Concilium Arelat. I. anno 314. in causa Donatistarum habitum districte præcipit, *Can.* 8. de hæretico ad fidem catholicam redeunte, ut interrogetur: an in trium Personarum invocatione extra Ecclesiam baptizatus fuerit. Quod *Si providerint, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus, non responderit hanc Trinitatem, baptizetur*: Ergo huic Synodo Baptismus datus sine invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ratus non fuit. Unde Augustinus, l. 6. de Baptismo contra Donat. cap. 25. *Quis nesciat* (inquit) *non esse Baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.* Quænam autem sint evangelica verba, *l. 3. de Bapt. contra Donat. c. 15.* aperit his verbis: *Si Evangelicis verbis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion Baptisma consecrabat, integrum erat sacramentum.*

X. Innocentius I. quarto sæculo desinente, *Ep. ad Macedonia Episcopos, cap.* 5. docet, ideo Concilium Nicænum jussisse, ut iteraretur Baptisma a Paulianistis datum, non autem datum a Novatianis; quia illi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti suos Cathecumenos non abluerent: hi vero inter baptizandum his sanctissimis nominibus uterentur.

Demum Scriptores, qui a sexto sæculo usque ad præsens de forma Baptismi egerunt (si Magistrum sent. & Cajetanum excipias) præfatæ Traditioni obsequentes, trium personarum Trinitatis expressam, ac distinctam invocationem ad valorem Baptismi necessariam esse agnoverunt: sequentes S. Gregorium Magnum in suo Sacramentario, & *l. 9. Epist. Ep. 61. ad Quiricum*, ut superius retulimus. Quæ omnia confirmarunt sæculo XV. Eugenius IV. *in Decreto Armenorum*, & sæculo XVI. Tridentinum, *sess. 7. de Bapt. Can. 4.*

Non fuisse autem a Deo dispensatum, ut aliter Baptisma conferretur, apparet: quia hujus dispensationis nullum monumentum afferri potest, excepto tempore Apostolorum, de quo infra.

§. III.

Solutio Objectionum.

XI. PRimo objici potest. In nomine unius personæ intelligitur alia, & qui unam exprimit, habere potest fidem de aliis; ergo qui in nomine unius tantum personæ baptizaret, baptizaret in nomine omnium, & proinde valide —— Sed ad hoc respondimus, §. præced. cum S. Th. Videantur ibi dicta.

XII. Secundo objicitur. S. Ambrosius, *l. 1. de Spiritu Sancto c. 3.* asserit, Eunuchum Reginæ Candacis baptizatum in Christo, integrum sacramentum, verumque illius effectum consecutum fuisse: *Denique* (inquit) *& Ephiopt Candacis Reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.* Objectioni autem, quæ fieri poterat ex omissione aliarum Trinitatis personarum, occurrit dicens: *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, plenum est fidei sacramentum.* Et subinde ostendens, fore etiam validum Baptismum in Spiritu Sancto tantum (sicut est in Christo) collatum, dicit: *Qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum, qui unctus est, designasti;* ergo Ambrosio probatus erat baptismus in una tantum Trinitatis persona collatus.

XIII. Responderi potest primo. S. Ambrosium locutum fuisse solum de Baptismo collato tempore Apostolorum (loquitur enim de Baptismo Eunuchi Reginæ Candacis) qui probabiliter collatus fuit in solius Christi nomine, ut infra dicetur.

Respondeo secundo, S. Ambrosium ibi non loqui de Baptismo, quantum ad essentiam: ad quam requiri, ut essentialem, formalem expressam trium personarum invocationem affirmamus: sed loqui de effectu sacramenti. Hic enim esto aliquando uni personæ tribuatur; ab hac tamen ita procedit, ut etiam procedat ab aliis: quia operationes ad extrema sunt toti Trinitati communes, ut fert Theologorum axioma. Porro, hanc esse suam mentem exprimit S. Ambrosius his verbis: *Ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus designatur; non solum ad Sanctum Spi-*

Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur, & Filium: nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, & Spiritum. Et hujus principii veritatem ostendit in Baptismo Eunuchi Candacis Reginæ; qui licet fuerit baptizatus in Christo, idest, justificatus a Christo Baptismi institutore, seu operatione Christi: non sic tamen ab eo justificatus fuit, quin illa operatio esset etiam Patris, & Spiritus.

XIV. Objicies tertio. Nicolaus I. Cap. *A quodam*, de Consecr. dist. 4. consultus de multis a quodam Judæo baptizatis, respondit: *Qui in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt (unum quippe, idemque est, ut Sanctus ait Ambrosius) rebaptizari non debent;* ergo &c.

XV. Respondeo, Nicolaum in illo responso duo dicere: unum ex professo, de quo a Bulgaris consultus fuerat: aliud obiter. Consultus autem fuerat, non, an valeret Baptismus sola Christi invocatione collatus; sed an valeret Baptismus a Judæo datus. Cumque responsa Pontificum in Jus non transeant quantum ad id, quod obiter tangunt; sed solum quantum ad id, quod ex professo statuunt: ideo ex dicto colligi debet, Baptismum, sic a Judæo datum, valere. Quod autem valeat, etsi collatum solius Christi invocatione; particularis sententia fuit Nicolai, non ut Pontificis, sed ut privati Doctoris, quam ipse putavit esse Ambrosii: ideoque non tanti ponderis esse debet, ut communem Ecclesiæ, & Patrum sententiam oppositam asserentium, Baptisma collatum in solius Christi nomine non valere, quidquid sit, an tempore Apostolorum validus fuerit, valeat infirmare. Eo vel maxime, quod extant Decreta contraria: tum Pelagii Papæ supra relati: tum Zachariæ de Consecratione, dist. 4. cap. *In Synodo*. Ubi probans decretum cujusdam Concilii Anglicani ait: quod *Si quis unum de Trinitate personarum in Babtismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset*: ad quæ Nicolaus forte non respexit, quia sub oculis non habuit.

XVI. Objicies quarto. S. Bern. *Ep.* 340. modo 403. *ad Henricum Archidiaconum*, expresse dicit, valere Baptismum collatum *In nomine Dei, sancta ac vera Crucis*. Eo quia *In nomine Dei unam expressit substantiam Trinitatis... Neque enim cum juxta communem Ecclesiæ constitutionem dicimus*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *aliud intelligendum est, quam in Confessione Trinitatis .... Legimus sane in Actibus Apostolorum, non modo*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *verum & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.*

XVII. Respondent aliqui, Epistolam non esse genuinum S. Bernardi fœtum sed suppositum. Verum his assentiri non possum: maximæ quia accuratissimus P. Mabyllon in sua editione eam ut genuinam recognoscit, ac se cum probatis codicibus contulisse dicit.

Respondeo ergo, S. Bernardum ibi privatam suam opinionem protulisse. Ait enim: *Vobis de proposita quæstione respondemus, sine præjudicio tamen sanius sapientis.* Quod autem Bernardi ætate probabile erat, hodie non recipitur. Ad id vero, quod subjungit de Baptismo in nomine Christi per Apostolos collato, statim dicemus.

XVIII. Objicies quinto. Constat ex multis Actorum locis Apostolos in nomine Christi Baptismum contulisse. Caput enim 2. v. 38. *Baptizetur* (inquit Petrus) *unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. cap. 8. v. 12. de iis, qui Philippo Diacono evangelizanti crediderant, dicitur: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres*. cap. 10. v. 48. Gentiles, qui crediderant, Petrus *Jussit eos baptizari in nomine Jesu Christi*. Et cap. 19. v. 5. Paulus aliquos quos Joannes baptizaverat, voluit iterum baptizari; sed unius Christi invocato nomine. Dicitur enim: *Et baptizati sunt in nomine Domini Jesu*; ergo valet Baptismus in nomine Jesu collatus. Ut rem hanc pro dignitate tractemus, sit,

§. IV.

An aliquando Baptismus collatus fuit in solo Nomine Jesu, aut Christi?

XIX. Dico. Probabilis est utraque pars. Affirmativam enim visus est probabilem reputasse S. Thom. motus ex iis, quæ ex Actibus Apostolorum recitata sunt; censens, ex speciali dispensatione, Apostolos in nomine solius Christi tunc baptizasse, ut Christi nomen, quod erat odiosum, honorabile, & existimatione dignum Judæis, & Gentibus redderetur, si ad solam invocationem ejus daretur remissio peccatorum. Ita 3. *p. q. 66. art. 6. ad* 1. dicens: *Quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant; ut nomen Christi quod erat odiosum Judæis, & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo.* Et in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3. *Forma* (inquit) *quam Dominus tradidit, non fuit ab Apostolis mutata quantum ad intellectum; quia in Christi nomine tota Trinitas intelligitur... Sed solum quantum ad vocem: & hoc est, quod quidam dicunt, quod est mutata forma sensibilis, sed non intelligibilis: nec hoc ipsum potuissent, nisi ex familiari consilio Spiritus Sancti. Ratio autem mutationis fuit; ut nomen Christi amabile redderetur, si in ejus nomine Baptismus fieret. Et hoc etiam Ecclesia nunc posset, si speciale præceptum a Spiritu Sancto haberet, non autem propria auctoritate: & quia illius mutationis causa fuit conveniens illi tempori, ideo cessante causa cessat effectus. Et modo non esset Baptismus, si quis in Christi nomine baptizaret, ut communiter dicitur, quamvis quidam contrarium dicant.* Quibus S. Th. admittit quidem, ut probabile, Apostolos in nomine solius Christi Baptizasse; sed hoc dicit factum ex speciali revelatione & consilio Spiritus Sancti pro illo tempore: modo tamen Baptismus sub tali forma collatus non valeret.

XX. Eamdem sententiam tenent Sanctus Bonaventura, Scotus, & universa ejus schola. Scriptura enim in sensu literali intelligenda est, ubi inde nullum sequitur inconveniens, aut contradictio: sed Scriptura variis in locis, ut supra vidimus, in Actibus Apost. asserit, Apostolos baptizasse in nomine Jesu, vel Christi, & hinc nullum sequitur inconveniens. Mutatio enim illa formæ erat solum sensibilis, & quoad vocem, non intelligibilis, & quoad sensum. Fiebat speciali Spiritus Sancti instinctu: non enim a generali regula Apostoli discessissent, nisi hoc eis inspiratum fuisset. Aderat causa istud faciendi, nempe, nomen Jesu honorificum reddere. Sicut ergo Christi nomine invocato dabantur Spiritus Sanctus, ejusque dona visibiliter, ut in eisdem Actibus refertur, quæ tamen modo non dantur: ita eadem ratione potuit in ejus nomine Baptisma dari, quamvis modo dari non possit.

XXI. Huic opinioni accedere videntur Patres: Ambrosius supra relatus, *l.* 1. *de Spiritu Sancto, c.* 3. Hilarius, *lib. de Synodis*, circa finem, Theophilatus, *in caput ultimum Luca*. Quorum auctoritate freti Nicolaus I. Mag. Sent. & Cajetanus crediderunt, non solum valuisse initio nascentis Ecclesiæ, sed etiam postea, quamvis immerito. Hoc idem supponere videtur S. Augustinus, *l.* 2. *contra Maximinum, cap.* 17. Cum enim Arianus iste, quia de Filio legebat Jo: 1. *Omnia per ipsum facta sunt*; admitteret, Filium quidem dici posse Creatorem, non vero Spiritum Sanctum, quia ibi non nominatur nisi Filius; eum arguit sic: *Si autem, quia non est nominatus, quod etiam per illum facta sit creatura, quando de Filio dictum est*: Omnia per ipsum facta sunt; *ideo putas, Dei Spiritum non esse creatorem: procul dubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus: Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi; quia non ait: & Spiritus Sancti: nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem, etiam non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; & tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: cur non sic audis de Filio Dei* Omnia per ipsum facta sunt, *ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?* Quod Augustini argumentum certe non convinceret, si in Baptismo tunc collato in nomine Christi, nominati expresse fuissent Pater, & Spiritus Sanctus; ut attente consideranti apparebit.

XXII. Verum quia sententia negans, etiam aliquando Baptismum in solius Christi nomine fuisse collatum, multis arridet ex Recentioribus; utpote conformior verbis Christi, qui Apostolos ad baptizandum mittens dixit, ut baptizarent *In nomine Patris &c.* nec apparet ex Scriptura facta super hoc ulla dispensatio; & conformior etiam videtur Traditioni, & Patribus: ideo, salva superioris sententiæ probabilitate, probabile etiam censeo opinari in oppositum.

Neque in hoc recedo a S. Thoma locis laudatis. Nam S. Thomas, qui ibi absolute statuerat, non valere Baptisma in solius Christi nomine collatum, ut vidimus; dum postea hoc admittit in responsione ad argumenta, non loquitur asserendo, & absolute statuendo, Apostolos aliquando in solius Christi nomine baptizasse: sed *Hypothetice*, idest, quod si Apostoli aliquando solius Christi nomine invocato baptizarunt, hoc ex speciali revelatione, aut consilio Spiritus Sancti feciisse credendum est. Ita enim eum intellexit Catechismus Concilii Tridentini, *Tit. de Baptismo*, cujus hæc sunt verba: *Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli in nomine tantum Domini Jesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatus eos fecisse, exploratum nobis esse debet: ut initio nascentis Ecclesiæ Jesu Christi nomine prædicatio illustrior fieret, divinaque & immensa ejus potestas magis celebraretur —— Quamquam dubium fortasse videri potest, an hujusmodi formula Apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii, & Basilii gravissimorum Patrum auctoritatem sequi volumus: qui ita Baptismum in nomine Jesu Christi interpretati sunt; ut dixerint, iis verbis significari Baptismum, non qui a Joanne, sed qui a Christo traditus esset; tametsi a communi, & usitata forma, qua distincta trium personarum nomina continet, Apostoli non discederent.*

XXIII. Ex his habetur responsio ad loca, quæ ex Actibus Apostolorum objecta sunt. Dum enim dicitur, Apostolos baptizasse *In nomine Jesu*, illis verbis non significatur, Apostolos solum nomen Jesu, exclusis aliis Personis, in formula Baptismi adhibuisse: sed in nomine Jesu baptizasse, Baptismo nimirum, non qui a Joanne, sed qui a Jesu Christo traditus esset in remissionem peccatorum. Hæc responsio traditur a D. Ambrosio, *lib.* 1. *de Spiritu Sancto, cap.* 12.

Vel dicatur ſecundo. Quod cum in Actibus Apoſtolorum quidam dicuntur baptizati *In nomine* Jeſu Chriſti, intelligitur *in fide* Jeſu Chriſti, quam profiteri tenebantur antequam baptizarentur: vel in ipſo Baptiſmo, juxta illud, Act. 16. v. 31. *Crede in Dominum Jeſum*; & *cap.* 8. cum Eunuchus diceret Philippo, v. 36. *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?* Reſpondit Philippus, verſ. 37. *Si credis ex toto corde, licet.* Cumque Eunuchus reſpondiſſet: *Credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*; Philippus *baptizavit eum.*

Vel dicatur tertio. Per hoc, quod dicuntur Apoſtoli baptizaſſe in nomine Jeſu, non excludi invocationem aliarum Trinitatis perſonarum: cum aliunde, *Matth. ultimo*, haberent præceptum Chriſti baptizandi in nomine omnium, Unde S. Cyprianus, Epiſt. ad Jubajanum: *Jeſu Chriſti* (inquit) *mentionem facit Petrus* (Act. 2. dum ait: Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti) *non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur.*

§. V.

Ulteriora circa Formam Baptiſmi Reſolvuntur.

XXIV. QUæres primo: An ad valorem Baptiſmi debeant exprimi tres divinæ perſonæ conſuetis nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?

Reſpondeo ex dictis ſupra, in *Tract. de Sacr. in Gen. q. 2. dub. 3. §. 1. n. 5.* debere exprimi tres perſonas iis nominibus, quibus uſitatius & communius in qualibet lingua Pater, Filius, & Spiritus Sanctus exprimi ſolent. Ita S. Th. 3. *p. q. 66. art. 5. ad 7.* his verbis: *Sicut aqua ſumitur ad Baptiſmum, quia ejus uſus eſt communior ad abluendum: ita ad ſignificandum tres perſonas in forma Baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communius conſueverunt nominari perſona in illa lingua: nec in aliis nominibus perficitur Sacramentum*: Accedit: quod Chriſtus ſub his nominibus *Patris, Filii, & Spiritus Sancti* præcipit, *Matth. ultimo*, baptiſma conferri. Unde Epiphanius, Hæreſi 73. *Non dixit* (inquit) *baptizantes eos in nomine Geniti, & Ingeniti, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et Athanaſ. Orat. 2. contra Arianos, circa medium: *Non juſſit nos baptizare in nomine Geniti, & Ingeniti, ſed in nomine Patris, & Filii &c.*

XXV. Hinc infertur primo: ſecundum Div. Thomam, & Scotum non valere Baptiſmum collatum *In nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, ſeu procedentis ab utroque.* Quia licet idem materialiter ſonent, non tamen formaliter: quia hæ voces Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſignificant relationes Paternitatis, Filiationis, & Spirationis paſſivæ, quibus conſtituuntur, & diſtinguuntur in divis perſonæ; Genitor vero, Genitus, ſignificant fundamentum talium relationum.

XXVI. Infertur ſecundo: Invalidum fore Baptiſma collatum ſub hac forma: *In nomine Patris, & Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti*; quia non exprimitur ſecunda perſona nomine Filii: Eadem ratione invalidus eſſet, ſi loco *Filii* poneretur nomen *Verbi*. E converſo autem validus eſſet ſub hac forma: *In nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti*: quia jam exprimitur nomen conſuetum. Immo his verbis in exordio naſcentis Eccleſiæ baptizari conſueviſſe, ſcribunt Abdias Babylonicus, & alii.

Infertur tertio: Invalidum a fortiori fore Baptiſmum collatum: *In nomine Dei unius, & Trini.* Aut: *in nomine Trinitatis*, Vel: *In nomine primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ.* Non enim exprimuntur clare, diſtincte, & propriis nominibus divinæ perſonæ.

XXVII. Quæres ſecundo: An Baptiſma collatum ſub hac forma: *In nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, validus ſit.

Reſpondeo negative. Ly enim *In nomine* deſignat ſubſtantiæ unitatem, ideſt, unam Trinitatis ſubſtantiam, & divinitatem. Ly enim *In nomine* refertur, non ad perſonas, ſed ad divinam ſubſtantiam, virtutem, & poteſtatem, quæ una eſt in tribus. Unde Athanaſius, Hilarius, Nazianzenus, ex eo, quod dicatur: *In nomine Patris &c.* non *In nominibus*, probarunt contra Arianos trium perſonarum divinitatem, æqualitatem, & conſubſtantialitatem. Qui autem diceret: *In nominibus* deſignaret ſubſtantiæ diverſitatem. Ideo S. Hieron. in cap. 4. ad Epheſ. *Non baptizamus* (inquit) *in nominibus Patris, & Filii &c. ſed in una nomine, quod intelligitur Deus.* Et Pelagius 1. *Ep. 16. ad Chidelbertum*, ait, *In nomine, non nominibus, ut & unum Deum per indiſtinctam eſſentiæ naturam oſtenderet; & perſonarum diſcretionem ſuis demonſtratum proprietatibus edoceret: Quia dum tribus unum deitatis nomen eſt, æqualitas oſtendit perſonarum.*

Eadem ratione irritus eſſet Baptiſmus collatus: *In nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti.* Quia talis multiplicatio vocis non deſignaret unitatem naturæ, eſto forte eam non multiplicaret.

XXVIII. Quæres tertio: An irritus eſſet Baptiſmus, ſi quis omittens particulam *In*, diceret: *Ego te baptizo nomine Patris, Filii &c.*

Reſpondeo affirmative. Tum quia: talis omiſſio inſinuat, miniſtrum baptizare vice Patris, non auctoritate Patris &c. Tum quia: præpoſitio *In* non deſignat ſolum auctoritatem, ſed virtutem, & operationem Trinitatis; quæ ſignificatio non ſtaret, omiſſa particula *In*.

DUBIUM VIII.

An Baptiſma poſſit Iterari.

§. I.

Errores Referuntur.

I. MArcioniſtæ, referente Epiphanio, *Hæreſ.* 42. docuerunt, poſſe hominem ter baptizari; ſi poſt primum Baptiſma in alia peccata fuerit lapſus. Additque Epihanius, hanc reiterationem Baptiſmi Marcionem adinveniſſe; quia poſt Baptiſmum deprehenſus fuerat in ſtupro. Donatiſtæ, referente Auguſtino, *l. 2. contra lit. Petiliani, cap.* 27. viſi ſunt admittere duo Baptiſmata: unum pro juſtis; aliud impiorum. Revera tamen ſolum Baptiſmum ab ipſis datum verum Baptiſmum eſſe credebant: Ideoque baptizatos a Catholicis iterum baptizabant, quia exiſtimabant, ſolum apud ſe eſſe verum Baptiſma, ſicut & veram Eccleſiam. Eadem quoque ratione Anabaptiſtæ baptizatos in ætate infantili, cum venerint ad ætatem adultam, rebaptizant, quia cenſent, Baptiſmum in ætate infantili collatum eſſe nullum. Quidam tamen ex iis, qui redeunt ad fidem, quam deſeruerant, audent rebaptizare. Contra quos ſtat Canon 11. Conc. Trident. Seſſ. 7. de Bapt. *Si quis dixerit, verum, & rite collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema ſit.*

§. II.

Reſolvitur Dubium.

II. DIco. Baptiſmus ſemel valide, & rite collatus, nec licite, nec valide poteſt eidem ſubjecto iterari. Dogma fidei in Concilio Viennenſi ſancitum, ut habetur in Clementinis, cap. unico, §. ultimo *de ſumma Trinitate*: In Conc. Florentino, *Decreto pro Armenis*: & in Tridentino, *Seſſ. 7. Can. 9. de Sacram. in genere*: & eadem Seſſ. *de Baptiſmo Can.* 11. ſupra citato. Conſtanſque ac perpetua fuit Eccleſiæ traditio. Unde S. Leo, Epiſt. 135. alias 37. ad Neonam Epiſc. Ravennatem: *Scimus quidem* (inquit) *inexpiabile eſſe facinus; quoties juxta hæreticorum dogma contra Sanctorum Patrum inſtituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, Apoſtolica reclamante ſententia, quæ nobis unam prædicat in Trinitate deitatem, unam in fide confeſſionem, unum in Baptiſmate ſacramentum.*

III. Hanc veritatem Catholicam docuit Paulus, ad Hebr. 6. v. 4. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.* —— Neque enim, ut quidam hæretici (præſertim Novatiani) exiſtimarunt, & cum eis Tertullianus jam fidei Catholicæ deſertor, & ad Montaniſmum transfuga, *lib. de Pudicitia, cap.* 20., citatis verbis Paulus docet, eos; qui per Baptiſmum fuerunt illuminati, & juſtificati; ſi poſtea in peccatum prolapſi ſint, non poſſe iterum reſurgere per pœnitentiam ſecundam —— Non inquam. Nam ut recte notat Ambroſius, lib. 2. de Pœnit. cap. 2. *Numquid Paulus adverſus factum ſuum prædicare potuit? Donavit Corinthio peccatum per pœnitentiam: Quomodo hic potuit ſententiam ſuam reprehendere?* Unde concludit, Paulum ibi locutum de non iterando Baptiſmo: *Etenim quia de remittenda prædicavit pœnitentia: debuit & de his, qui iterandum putant Baptiſmum, non ſilere &c.* Et Philaſtrius, *Hæreſi* 89. ait: *Nam in ipſa Epiſtola* (ad Hebræos) *rebaptizatores excludit, non Baptiſmum pœnitentiæ abnegat.* Aſſerit ergo Paulus, eos, qui Baptiſmum fuerunt illuminati, & renovati, ſi peccando gratiam amittant baptiſmalem, non poſſe iterum per Baptiſmum renovari. Sicut enim Criſtus ſemel tantum crucifixus, & mortuus eſt: ſic homo ſemel tantum poteſt per Baptiſmum mori peccatis: quique rebaptizaretur, in ſeipſo repræſentative iterum crucifigeret Filium Dei. Ita Paulum interpretantur Patres. Unde Jonas Aurelianenſis, lib. 1. contra Claudium Taurinenſem: *Impoſſibile eſt* (inquit) *peccata, quæ poſt Baptiſmum admittuntur, Baptiſmatis iteratione purgari. Quia ſcilicet, Chriſtus ſemel moriuus eſt carne in Cruce, ſic & nos ſemel morimur in Baptiſmate, non carne, ſed peccato. Ac per hoc, ſicut ille crucifigi non poteſt, ita & nos baptizari nequimus. Peccata porro, quæ poſt Baptiſmum committuntur, pœnitentiæ lacrymis, & eleemoſynarum largitionibus diluuntur.*

IV. Probat autem S. Thomas hanc eamdem veritatem, *3. p. q. 66. art. 9.* rationibus ex Patribus acceptis: quarum prima eſt. *Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, prout ſcilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit novam vitam agere. Unde dicitur, Joan. 3.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei: ſed *unius non eſt niſi una generatio; ergo nec poteſt Baptiſmus iterari, ſicut nec carnalis generatio. Unde Auguſt. ſuper illud, Joan. 3.* Numquid poteſt homo in ventrem matris

tris suæ iterato introire, & renasci? dicit *tract. 11. in Joan.* Sic tu intellige nativitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis: quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec Baptismus.

V. Secunda ratio est. *Quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ: sed Christus semel tantum mortuus est;* ergo *Baptismus iterari non debet. Propter quod, Hebr. 6. contra quosdam rebaptizari volentes, dicitur*: Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei. *Ubi Glossa dicit:* Una Christi mors unum baptisma consecravit.

VI. Tertia ratio est. *Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur. Unde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia: ita nec Baptismus.* Et adducit S. Aug. *l. 2. contra Parmenianum, c. 13.* dicentem: quod *Character militaris non repetitur:* & quod *Non minus hæret sacramentum Christi, quam corporalis hæc nota: cum videamus, nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur.*

VII. Quarta ratio est. *Quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum;* ergo *sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec Baptismus iteratur. Quia, ut dicitur Rom. 5.* Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.

VIII. Sed dices contra secundam rationem. Etiam Eucharistia est repræsentatio mortis & passionis Christi, 1. Cor. 11. v. 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat:* & tamen Eucharistia sæpe iteratur; ergo &c.

Resp. disparitatem esse ex D. Th. citato loco, ad 5. *Nam in Baptismo commemoratur mors Christi, in quantum homo Christo commoritur, ut in novam vitam regeneratur. Sed in sacramento Eucharistiæ commemoratur mors Christi; in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi Paschale convivium, secundum illud,* 1. *Cor. 5.* Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur. *Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur; semel tantum datur Baptismus, multoties autem Eucharistia.*

§. III.

Aliqua inferuntur.

IX. EX dictis inferes: esse peccatum, & quidem gravissimum, tam ex parte baptizantis, quam baptizati scienter iterare Baptismum. Tum quia: repugnatur institutioni Baptismi, dum adhiberi tentatur subjecto incapaci. Tum quia: agitur contra reverentiam sacramenti, tamquam semel datum esset insufficiens: Tum quia, repugnat significationi Baptismi, per quem Christo commorimur, ut cum eo renascamur; nasci autem semel tantum contingit.

X. Infertur etiam: quod qui scienter iteraret Baptismum, pœnam incurreret capitis quidem secundum Jus Civile; Irregularitatis autem, secundum Jus Ecclesiasticum. Et colligitur ex cap. 1. *de Apostatis, l. 5. Decr.* ubi Alexander III. irregularem declarat Acolytum, quod astiterit, & ministerium adhibuerit Presbytero baptizanti eum, qui jam fuerit baptizatus. Ex quo colligunt communiter Juris interpretes, & Theologi, multo magis irregularem decerni Presbyterum baptizantem jam Baptizatum.

An autem hæc irregularitas impediat usum Ordinis suscepti, an vero solum ascensum ad Ordines superiores, controvertitur. Suarez, & Cabrera posterius rationabiliter amplectuntur: quia prædictum caput de Apostatis solum decernit, quod *ad superiores Ordines promoveri non valebit:* Et quia etiam subjungitur: *Si crimen sit occultum, poterit promoveri*, inferunt etiam, quod ex vi illius textus non contrahatur irregularitas, nisi crimen sit publicum. Ob receptam tamen consuetudinem verius videtur, ipso facto incurri, etiam dum crimen est occultum. Ita Sylvius in hunc *art. 9.* S. Thomæ.

XI. Hæc tamen intelligenda sunt de eo, qui scienter, & absolute, quantum quidem in ipso est, rebaptizat. Nam qui post adhibitam moralem diligentiam, eum, de quo dubitatur, an legitime sit baptizatus, bona fide baptizat sub conditione; nec culpam committit, nec irregularitatem contrahit, quæ propter culpam hac in re decreta est. Immo obsequitur decreto Alexandri III. de Baptismo, cap. 2. *De quibus dubium est, an baptizati fuerint; baptizentur, his verbis præmissis. Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum es baptizatus, ego te baptizo &c.* De usu formæ conditionalis videri possunt ea, quæ diximus, *Tract. de Sacr. in Gen. q. 2. Dub. 4. §. 2.*

XII. De illis, qui scienter se rebaptizari faciunt, vel permittunt, certo dici debet, eos esse irregulares, etiam, ut susceptis Ordinibus fungi non possint. Sic in c. *Confirmandum*, dist. 50. cap. *Qui in Qualibet*, 1. q. 7. c. *Eos* de Consecr. dist. 4.

XIII. An vero Baptismus ab hæreticis datus possit sub conditione iterari?

Dico. Quod esto Baptismus etiam ab hæreticis collatus sit validus, si omnia faciant, quæ ad substantiam Baptismi necessaria sunt, ut infra dicetur; justissima tamen ratio dubitandi est de veritate Baptismi ab hæreticis nostri temporis administrati: quia ex odio, quo feruntur in Ecclesiam, & sacramenta, & eorum doctrinam, quod dummodo qui baptizatur credat se esse baptizatum, valeat Baptismus, quacumque forma, & materia collatus: prudenter timeri potest, ne aliquid essentiale, sive ex parte materiæ, sive ex parte formæ omiserint, & maxime, quod habuerint intentionem alienam. Ideo, ut refert Sylvius citatus, *Quæsito 3. Synodus 2.* Mechlinienſis, per Paulum V. approbata anno 1608. & Pastoralia ejusdem Diœcesis præscribunt, ab hæreticis baptizatos, sub conditione baptizari; nisi aliunde certo constaret, omnia servata fuisse, quæ servanda sunt.

QUÆSTIO II.

De Divisione Baptismi.

EXplicata Baptismi essentia, illius species, vel quasi species examinandas præsenti quæstione suscipimus.

DUBIUM I.

An Baptismus Flaminis Vices suppleat Baptismi Aquæ.

§. I.

Variæ Baptismi Species.

I. TRia Baptismata distingui solent, Baptismus fluminis, seu aquæ: Baptismus flaminis, & Baptismus sanguinis, seu martyrium. Baptismus *Fluminis*, seu aquæ, est sacramentum cujus naturam hactenus examinavimus. Baptismus *Flaminis* est contritio ex perfecta charitate includens votum Baptismi. Vocatur autem Baptismus flaminis, ideſt spiritus: quia homo ad hunc actum contritionis, cum voto Baptismi non movetur, nisi a Spiritu Sancto, qui dicitur etiam *Flamen*. Baptismus vero sanguinis est Martyrium, quatenus in non baptizato supplet defectum Baptismi aquæ. Ut autem martyrium in adultis suppleat defectum Baptismi aquæ, & hominem justificet, debet includere Baptismum Flaminis, ut docet S. Thom. hac *q. 66. art. 12. ad 2.* Et ratio est. Quia effusio sanguinis, si fiat sine charitate, quæ est Baptismus flaminis, nec justificat, nec Baptismi rationem habet, dicente Paulo, 1. Cor. 13. v. 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

II. Convenientem esse hanc divisionem ostendi S. Thomas, citata *q. 66. art. 11.* hoc discursu. Baptismus aquæ suam efficaciam habet a Passione Christi, cui homo configuratur per Baptismum; & ulterius sicut a prima causa, a Spiritu Sancto: licet autem effectus dependeat a causa, causa tamen, maxime prima non dependet ab effectu sed eum superexcedit; ergo sine Baptismo aquæ potest aliquis consequi effectum Baptismi ex Passione Christi, conformando se illi: vel pro Christo patiendo, vel quatenus Spiritu Sancto tangente cor ejus movetur ad credendum, & diligendum Deum, & de peccatis pœnitendum.

Unde infert S. Th. utrumque horum duorum in tantum dici Baptismum, in quantum supplet vicem Baptismi aquæ. Quod probat ex S. Augustino, *l. 4. de Bapt. contra Donat. c. 22.* dicente: *Baptismi fane vicem aliquando adimplere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est:* Hodie mecum eris in Paradiso, *non leve argumentum idem beatus Cyprianus assumit: Quod etiam, atque etiam considerans, invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi Crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat, etiam sine visibili sacramento Baptismi, quod ait Apostolus, Rom. 10. v. 10.* Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, *in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum Mysterium Baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Quibus S. Doctor ostendit, in illo latrone fuisse duo Baptismata, sanguinis, & Flaminis.

II. Inter prædicta tria Baptismata plura sunt discrimina. Primum: quod Baptismus fluminis est sacramentum, non vero Baptismus flaminis, aut sanguinis. Nam sacramentum debet esse, inter alia, cæremonia sacra externa facta a Ministro ex intentione faciendi rem sacram: sed contritio nullam externam cæremoniam requirit: Martyrium autem non confertur a Tyranno ex intentione faciendi rem sacram; ergo &c. Quare S. Th. *art. 11.* citato, ait: *Sacramentum habet rationem signi: alia vero duo conveniunt cum Baptismo aquæ, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum Baptismatis.*

Ex hoc sequitur secundum discrimen: quod Baptismum aquæ imprimit characterem, & iterari non potest; secus vero Baptismus flaminis, & sanguinis.

Tertium: quod Baptismus aquæ in præcepto est: est enim medium necessarium ad salutem. At Baptismus sangui-

guinis in præcepto non eſt, niſi in caſu neceſſitatis ad fidem tuendam.

IV. Quis autem ex his tribus Baptiſmis potiſſimus ſit Reſpondit S. Thom. citata *q. 66. art.* 12. Baptiſmum ſanguinis ſimpliciter & abſolute eſſe potiſſimum, & aliis duobus præeminere; quia per iſtum Chriſti Paſſio, & Spiritus Sanctus, a quibus Baptiſma efficaciam habet, perfectius operatur. Nam *Paſſio Chriſti operatur quidem in Baptiſmo aqua per quamdam figuralem repræſentationem, & in Baptiſmo flaminis, vel pœnitentia, per quamdam affectionem; ſed in Baptiſmo ſanguinis per imitationem operis. Similiter virtus Spiritus Sancti operatur in Baptiſmo aquæ, per quamdam virtutem latentem; in Baptiſmo autem pœnitentiæ* (flaminis) *per cordis commotionem: ſed in Baptiſmo ſanguinis per potiſſimum dilectionis & affectionis fervorem, ſecundum illud, Jo:* 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

V. Si dicas. Baptiſmus ſanguinis non valet ſine Baptiſmo flaminis, ſecundum illud, 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt*: Baptiſmus autem flaminis valet ſine Baptiſmo ſanguinis poteſt enim quis juſtificari ſine martyrio, immo & ſine Baptiſmo aquæ; ergo &c.

Reſpondet S. Thom. loco allato, *ad* 3. quod *Effuſio ſanguinis non habet rationem Baptiſmi, ſi ſit ſine charitate, Ex quo patet, quod Baptiſmus ſanguinis includit Baptiſmum flaminis, & non e converſo. Unde ex hoc ipſo probatur perfectior.*

Noto tamen; nos non dicere, quod Baptiſmus ſanguinis habeat præmijnentiam ſecundum rationem ſacramenti; ſed quantum ad ſacramenti effectum. S. Thom. *ad* 1.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. Dico. Baptiſmus flaminis ſupplet vicem Baptiſmi aquæ: ita ut cum is haberi non poteſt, votum ac ſincerum deſiderium habendi illum, ſufficit ad ſalutem. Aſſertio hæc pertinens ad fidem eſt. Scripturæ enim, *Ezech.* 18. *Pſalm.* 50. *Iſaiæ* 28. *Actor.* 2. & *Rom.* 10. promittunt ſalutem pœnitentibus, credentibus, Deum invocantibus: tales autem ſunt, qui a ſacramento Baptiſmi excluſi, ex animo ipſum deſiderant. Unde Cornelius, & alii, *Actor.* 10. Spiritum Sanctum acceperunt, antequam baptizarentur; igitur per votum Baptiſmi poteſt Spiritus Sanctus haberi. Et ideo S. Auguſt. *lib.* 4. *de Bapt. cap.* 22. ſupra citatus. *Invenio* (inquit) *non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere; ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt*: & oſtendit in Latrone, qui ſalvus factus eſt, non Baptiſmo ſanguinis; non enim *quia credidit, paſſus eſt*; ſed Baptiſmo flaminis, quia dum pateretur credidit.

VII. Nec dices S. Auguſt. *lib.* 2. *de Peccat. meritis, & remiſſ. c.* 26. dicit: *Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in Regnum Calorum, aut ad peccatorum remiſſionem.*

Nam, quidquid aliter alii reſpondeant, ſentio Auguſtinum ibi non loqui de ſanctificatione interna, & cordis per charitatem; ſed de quadam ſanctificatione exteriori, quam vocat ſacramentum Catechumenorum: qua ſpecie quadam benedictionis, puta, ſigno Crucis, & ſale ſanctificabantur Catechumeni illo tempore, ut refert ipſe, *lib. de Catechizandis rudibus, c.* 26. & *l.* 1. *Confeſſ. c.* 11. de ſe Catechumeno; *Et ſignatus ſum* (inquit) *ſigno Crucis ejus & condiebar ejus ſale.* Hæc certe ſanctificatio ſola, ſine cordis contritione, & Baptiſmi voto, non valebat ad intrandum in Regnum Cælorum, & ad Remiſſionem peccatorum.

VIII. Cæterum Baptiſmum flaminis ſufficere ad ſalutem, docet Ambroſius de obitu Valentiniani. Et ex inſtituto S. Bernardus, *Tract. de Bapt. cap.* 20. olim *Epiſt.* 77. ubi obſervans, quod Chriſtus cum diceret, Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, non repetierit: *Qui vero baptizatus non fuerit*; ſed tantum: *Qui vero non crediderit condemnabitur*; dicit, innuere voluiſſe, *Solam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil*, neque ipſum martyrium. Unde infert: ſi fides dat martyrio, ut vices Baptiſmi ſuppleat; *Ipſa iſta infirma & imbecilli per ſe erit, ut quod dare alteri valet, ſola non valeat obtinere*; Deinde poſito caſu, quod homo recordatus, ſe non accepiſſe Baptiſmum, & dolens, pœnitenſque toto deſiderio expetierit, ſed aſſequi, mortis celeritate, nequiverit, quærit: *Damnabit fidelem ſuum Deus? Damnabit hominem pro ſe etiam paratum mori? Paulus dicit*: Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto: *Hunc ergo, qui in articulo mortis non ſolum invocat dominum Jeſum, ſed ipſius quoque toto deſiderio expetit ſacramentum dicemus, aut non loqui in Spiritu Sancto; & ſic falſus erit Apoſtolus: aut & cum Spiritu Sancto damnari?* Ita vere ſubtiliter, & fortiter S. Abbas.

IX. Merito igitur Conc. Trident. *Seſſ. 6. cap.* 4. docet, *Poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis* (ecce Baptiſmum aquæ) *aut ejus voto* (ecce Baptiſmum flaminis) *fieri non poteſt* (adoptione filius Dei) *ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto* (id eſt, vel ſacramentaliter per ſumptionem Baptiſmi aquæ, vel ſpiritualiter per ejus votum) *non poteſt introire in Regnum Dei.*

Dubium II.

An Martyrium ſuppleat vices Baptiſmi Aquæ?

§. I.

Quædam pro notitia Martyrii.

I. *Martyr* Grece, Latine idem reddit, ac *Teſtis*. Unde ex priſco Eccleſiæ uſu quicumque Chriſto teſtimonium reddebant, Martyres dicebantur; ſtricte tamen loquendo ſolus is Martyr dicitur, qui teſtis ſtat, pro Chriſto mortem acceptans.

II. In Martyrio ergo duæ perſonæ requiruntur. Una eſt perſecutor, qui ſit agens pro Chriſto mortem inferens: altera Martyr, qui pro Chriſto mortem ſuſtineat, & patiatur. Adeo autem neceſſarium eſt ad veram rationem martyrii mortem pati a perſecutore, qui ſit perſona diſtincta; ut qui, etiam pro Chriſto, ſeipſum occideret, Martyr non eſſet. Quare merito Auguſtinus Petilianum, alioſque Donatiſtas confutavit dicentes: Martyres eſſe etiam eos, qui male admiſſorum pœnitentes ſeipſos occidunt. Quo eodem errore procedebant ex Secta Donatiſtarum quidam dicti *Circumcelliones:* qui ex quodam furore ſeipſos occidebant, inſilientes in ignem, in mare, in ſaxa præcipites ruebant; occurrebant armatis, eis minantes mortem, niſi ab ipſis occiderentur; mortemque hoc modo ſibi illatam vocabant martyrium, ſed inſane: non enim martyrium, ſed ſacrilegium ſui ipſorum hoc erat homicidium.

III. Neque eſt ſimile, quod legitur de aliquibus viris ſanctis, quos Eccleſia colit ut martyres, qui inſtante perſecutore, & necem inferre parato, ut chriſtianæ conſtantiæ ſpecimen præberent, ſponte in ignes, & aquas ſe projecerunt. Quo nomine celebrantur quædam præclare virgines, quæ ad fugiendum dedecus contra caſtitatem, ſeſe in aquas projecerunt, ut refert Baronius, ad *ann.* 309. *a num.* 24. Ambroſius etiam, *lib.* 3. *de Virgin. & Epiſt.* 7. *ad Simplicianum*, Euſebius item, *lib.* 8. *Hiſt. Eccleſiaſt. c.* 24. & narrat S. Auguſtinus, *lib.* 1. *de Civitat. Dei c.* 26. Non inquam eſt ſimile. Nam, ut ait Auguſt. *ibi*: ſi hoc factum verum eſt, eas hoc Dei juſſu feciſſe credendum eſt, ſicut de Sampſone dicitur: *Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat: quis obedientiam in crimen vocet? Quis obſequium pietatis accuſet?* Cæterum, concludit S. Doctor: *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſe incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter qua magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari: neminem vult deſiderio vitæ melioris, qua poſt mortem ſperatur: quia reus ſuæ mortis meliorem poſt mortem vitam non ſuſcipit.* Videantur quæ diximus, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 3. *de Act. hum. Moralit. Dub.* 7. §. 3.

IV. Perſecutor autem dicitur is, qui Chriſtianum exagitat, quia Chriſtianus eſt; vel aliquid ad Chriſti doctrinam pertinens verbo, aut opere profitetur. Ut perſecutor martyrem faciat, duo requiruntur. Primum: ut re ipſa mortem inferat: aut ſaltem ponat cauſam neceſſariam mortis. Unde ſi quis in odium fidei crucietur, ſed non occidatur; eſt quidem affectu martyr, ſed reipſa martyr non eſt. Hinc non aſſentior Gerſoni, qui *P.* 4. *ſermone de S. Antonio*, dicit, S. Antonium fuiſſe martyrem, propter ærumnas, quas a Dæmone in odium Chriſti paſſus fuit: cum neque paſſus fuerit mortem, nec cauſam neceſſariam mortis.

Minus aſſentior illis, qui volunt, Job fuiſſe vere martyrem. Cum enim Deus præcepiſſet Satanæ, *Job* 2. *v.* 6. ut animam Job ſervaret; paſſus fuit citra mortem, & citra cauſam neceſſariam mortis. Hac etiam ratione B. Virgo non fuit martyr, niſi per quamdam ſimilitudinem, ut dicit S. Th. 2. 2. *q.* 124. *art.* 4. *ad* 1. (quo ſenſu, ob ingentes dolores Filii ſui cauſa toleratos, pie a Patribus dicitur martyr) quia mortem paſſa non fuit, neque in ſe, neque in ſua neceſſaria cauſa.

Ex oppoſita autem ratione vere martyr fuit S. Jo: Chryſoſtomus, cum obierit ex vexatione, & perpeſſionibus itineris, & exilii; quamvis, ut honori Arcadii conſuleretur, martyris nomen illi datum non fuerit. Martyres cenſendi ſunt tres pueri in fornacem miſſi. Daniel in lacum leonum demiſſus. S. Joannes Evangeliſta in olei ſerventis dolium injectus; aliique omnes, qui, vel lethalia vulnera perpeſſi, a Deo miraculoſe fuerunt ſanati: vel qui paſſi cauſam neceſſariam mortis, a Deo in vita conſervati fuerunt, vere martyres dicendi ſunt —— Martyres quoque habendi ſunt, qui in carcere moriuntur, morte cauſata ab ærumnis carceris; cum talis mors ſit a perſecutore illata; ſi vero moriantur in carcere quidem, ſed non ex ærumnis, martyres non ſunt. Similiter ſi quis perſecutionem fugiens, ex laboribus

ribus itineris, aut exilii confectus moriatur, martyr erit; ſecus vero ſi mors ex alia cauſa ipſi contingat.

V. Sicut autem ad materiale martyrii requiritur, ut mors a perſecutore inferatur, vel ſaltem cauſa neceſſaria mortis: ita ad formale martyrii requiritur, ut inferatur in odium fidei, vel alicujus ad fidei doctrinam ſpectantis. Sic martyr fuit Sanctus Thomas Cantuarienſis, qui occiſus eſt propter fidei jura, quæ tuebatur. Hæc autem conditio adeo neceſſaria eſt, ut ſi deficiat, ceſſet martyrium; receptum eſt enim illud proloquium, quod ex Cypriano laudat Gregorius, *lib. 2. Epiſt. 36.* & ante ipſum Auguſt. *lib. 3. contra Creſconium cap. 47.* & alibi: *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.*

Ridicule ergo olim Montaniſtæ, & Donatiſtæ, dum ob ſua ſcelera, vel ſuas hæreſes tradebantur, ſe martyres jactabant. Et injuſte Ammianus Marcellinus Ethnicus ſcriptor dixit, apud Chriſtianos, quoſcumque injuſte interfectos, martyrum loco habitos: Nam S. Eduardus Britanniæ Rex Novercæ artibus trucidatus eſt: ſed quia factum fuit, ut regnum alteri obveniret, non in odium fidei, ut martyr, non colitur. Hac ratione qui ab infideli necaretur, ut aurum proderet, aut quia pretium pro redemptione non ſolvit, martyr non eſſet, niſi forte perſecutione in odium fidei excitata, ac deinde imperata redemptione, non ſolventes occiderentur: quia ſic talis mors, ſaltem radicaliter, ex odio fidei proveniret.

Eadem ratione cum perſecutio vere in odium fidei excitatur: licet alii prætextus inferendæ mortis quærantur, qui ſic moriuntur, vere martyres ſunt: Sic Conſtantius, teſte Hilario, *l. contra Conſtantium*, & Julianus apoſtata, teſte Nazianzeno, *Orat. 3.* cum vere in odium fidei Catholicos, & Chriſtianos perſequerentur, licet eos qui occidebant, variis criminibus inſimularent, vere martyres efficiebant. Quod in Anglia proxime lapſis ſæculis factum fuiſſe, narrat Sandarus, *lib. 3. de Schiſmate Anglicano.*

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. Dico. Martyrium ſupplet vicem Baptiſmi in adultis, & etiam in parvulis. Ita Sanct. Thom. 2. 2. *quæſt. 124. art. 1. 3. p. quæſt. 66. art. 11.* & in 4. *diſt. 4. qu. 3. art. 3. qu. 3.* & 4. Nec deſunt Patres; Aug. enim, lib. 13. de Civit. Dei, cap. 7. *Quicumque* (inquit) *etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis. Qui enim dixit:* Si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum cælorum; *alia ſententia iſtos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dicit.* Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt (Matth. 10. v. 32.) *Et alio loco.* Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam (Matth. 16. verſ. 25.) Et lib. 1. de origine Animæ, cap. 9. *Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto.*

Similia docent Cyrillus Jeroſolymitanus, Catecheſi 3. *Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos martyres, qui vel ſine aqua regno Cæleſti potiuntur.* Fulgentius, lib. de fide ad Petrum, cap. 3. *Abſque ſacramento Baptiſmatis, præter eos, qui in Eccleſia Catholica ſine Baptiſmo pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec regnum Cælorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam.* Eadem legere eſt apud Tertullianum, *lib. de Bapt. cap. 16.* Cyprianum, *in præfat. ad exhort. ad Martyres*, alioſque Patres.

VII. Probatur autem ratione Sanct. Thom. *3. p. quæſt. 66. art. 11.* & *in 4. diſt. 4.* ſupra citata. Baptiſmus aquæ in tantum efficaciam habet, in quantum fit in ſimilitudinem Chriſti mortis; ſed Baptiſmus ſanguinis expreſſiorem ſimilitudinem gerit mortis Chriſti: nam ubi ille gerit ſimilitudinem in figura ſolum, & repræſentatione, iſte eam gerit per realem imitationem; ergo ſi Baptiſmus aquæ confert effectum Paſſionis Chriſti, multo magis illum conferet Baptiſmus ſanguinis. Indignum enim videretur, ut gratiam ſuam Chriſtus exhiberet iis, qui mortem ſuam repræſentant; eamque negaret iis, qui mortem ſuam opere imitantur moriendo pro ipſo, quod eſt maximum amoris teſtimonium; dicente ipſo, Joann. 15. verſ. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

VIII. Nec refert, quod Concil. Trident. *Seſſ. 6. cap. 4.* dicat, neminem poſſe juſtificari ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, nil dicendo de martyrio. —— Nam Tridentinum agit de mediis ad primam juſtificationem neceſſariis, inter quæ non eſt martyrium. Hoc enim ſi quis ſponte ſubeat, ſalvabitur, etiamſi non incidat cogitatio de Baptiſmo, & deſiderium illius; quia qui ponit animam ſuam pro Chriſto, inveniet eam.

IX. De parvulis vero (quæ eſt ſecunda Aſſerti pars) refert S. Thomas 2. 2. qu. 124. art. 1. ad 1. *Quod quidam dixerunt, quod Innocentibus acceleratus eſt miraculoſe liberi arbitrii uſus: ita quod etiam voluntarie martyrium paſſi ſunt.* Et voluntarie acceptarunt mortem pro Chriſto, ut requiritur ad martyrium: quod de aliis infantibus pro Chriſto occiſis dici non poteſt. —— Verum cum hoc privilegium auctoritate Scripturæ non comprobetur, gratis configitur. Quod ſi Innocentibus conceſſum fuiſſe creditur; cur non dicitur conceſſum cuique infanti, qui pro Chriſto occidatur?

Dixerunt alii, Innocentes fuiſſe martyres, quia erant circumciſi. —— Sed rejicitur. Quia inter infantes, ab Herode occiſos, moraliter certum eſt, fuiſſe aliquos filios Gentilium, qui verſabantur inter Judæos, aliquos etiam fuiſſe occiſos ante octavum diem, ante quem non poterant circumcidi.

Aliqui demum dicunt, Innocentes fuiſſe martyres ſpeciali privilegio Chriſti, tunc primo mundum ingreſſi, quod ad alios non extenditur. —— Sed hoc ſine fundamento negatur. Nunquid enim Chriſti virtus eadem modo non eſt, ac tunc erat?

X. Dicendum ergo eſt cum Sancto Thoma ibi; *Quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occiſi per Dei gratiam ſunt aſſecuti. Nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit Baptiſmatis. Unde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occiſis propter Chriſtum meritum martyrii Chriſti operatur ad palmam martyrii conſequendam.*

XI. Ex hoc infertur: quotquot etiam ante Chriſtum propter juſtitiam occiſi fuerunt, veros fuiſſe martyres. Nam Fides noſtra eſt eadem, ac fides antiquorum juſtorum; quia ſicut nos credimus in Chriſtum, qui jam venit, ita & illi credebant in Chriſtum venturum; ergo antiqui qui in veteri Lege pro juſtitia, & in odium veræ fidei occiſi fuerunt, fuerunt occiſi pro fide Chriſtiana, ideoque martyres Chriſti fuerunt. Horum enim Catalogum texit Paulus, *ad Hebr. 11. a v. 35.*

Hinc primum martyrem fuiſſe Abelem teſtatur S. Auguſtinus, *in Pſalm. 113. Serm. 29.* vocans primitias Eccleſiæ Abelem immolatum: *In teſtimonium futuri ſanguinis Mediatoris.* Et *lib. 6. Operis Imperf. contra Julian. cap. 27.* dicit; quod Abel *Martyrium dedicavit.* S. Zeno, *Sermo de Patientia.* Rupertus, *lib. 3. de Divin. Offic.* Cyprianus. *Epiſt. 56.* Immo Targum Jeroſolymitanum aſſerit, ideo Abelem a Caino occiſum, quia ei obſtiterat neganti divinam providentiam, & animæ immortalitatem. Porro Abelem fuiſſe occiſum propter juſtitiam, colligitur ex illo, 1. Jo: 3. v. 12. *Propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, juſta.*

Iſaiam etiam, per medium diſſectum impii Manaſſis juſſu, martyribus accenſet Sanctus Zeno, *Serm. de Martyrio Iſaiæ* —— Machabæos fuiſſe martyres docet Nazianzenus, *Orat. de Machabæis*, Cyprianus, *lib. exhort. ad Mart. c. 11.* Auguſt. *lib. 1. contra Gaudentium, cap. 3.* &c.

DUBIUM III.

Quales Diſpoſitiones requirantur in Adultis ad Martyrium.

§. I.

Voluntaria acceptatio Mortis.

I. Quemadmodum licet in parvulis ad Baptiſmum nullæ requirantur diſpoſitiones, requirantur tamen in adultis: ſic licet ad martyrium in parvulis nullæ requirantur diſpoſitiones; ſed ſatis ſit, ut occidantur in odium fidei, ut dictum: in adultis tamen habentibus uſum rationis aliquæ diſpoſitiones tum poſitivæ, tum negativæ requiruntur.

II. Dico ergo. Prima diſpoſitio ad martyrium in adulto requiſita, eſt voluntaria acceptatio mortis illatæ in odium fidei, eſt præſens Aſſertio contra aliquos, qui volunt, juſtum, qui pro fide occiditur, martyrem fore, etſi nullo actu acceptaverit mortem: quorum aliqui addunt, martyrem fore, etſi morti contradicat, & repugnet; dummodo fidem ſervet uſque ad mortem. Eam tamen docet S. Th. 2. 2. *quæſt. 124. art. 2.* Quia martyrium eſt actus fortitudinis a charitate imperatus; ergo debet voluntarie eligi.

Rurſus; ea, quæ gratiam conferunt, etiam ipſa ſacramenta, nulli adulto ſunt fructuoſa, niſi voluntarie acceptentur, & ſuſcipiantur; unde nec Baptiſmus aquæ adulto prodeſt, niſi voluntarie illum ſuſcipiat: ſed martyrium, ut dicetur, gratiam confert; ergo nulli adulto poteſt prodeſſe, & gratiam conferre, niſi voluntarie acceptetur —. Deinde; ſi mors, etiam non voluntarie acceptata a juſto, poteſt ei eſſe utilis; cur non etiam erit utilis peccatori ſolum attrito, etſi illam voluntarie non acceptet? At Contrarii dicunt, mortem non fore utilem peccatori, etſi attrito, ſi eam voluntarie non acceptet; ergo neque erit utilis juſto &c.

III. Hinc infertur primo: quod qui nil ſuſpicando de morte, pro fide Chriſti obeunda, dormiens a perſecutore occideretur, non eſſet martyr —— Secundo. Nec eſſet martyr, qui perſecutionem fugiens, a perſecutore inſequente occideretur, ita ut martyrium nunquam acceptaſſet: adultus enim, qui ita occideretur, ut mortem non acceptaret, proprie non traderet animam ſuam propter Chriſtum. Licet enim S. Cyprianus videatur, *Epiſt. 55.* in perſecutione fugientes martyribus æquare, proprie tamen

mar-

martyres non dicit: loquitur enim de iis, qui persecutionem fugientes, non a persecutore, sed a latrone, vel fera, vel siti, vel fame, vel naufragio pereunt.

IV. Illa tamen acceptatio mortis sufficit ad martyrium, quæ sufficit ad valide suscipiendum sacramentum: cumque ad hoc sufficiat acceptatio per voluntatem habitualem, hoc est, quæ antea extiterit, & non fuerit retractata, ut supra diximus, talis etiam sufficiet ad martyrium. Unde si aliquis, qui jam martyrium, & mortem pro Christo obire fuit paratus, & hanc voluntatem non retractavit; in odium fidei, dormiens, aut etiam fugiens occidatur, erit vere martyr. Verum quidem est, ut constet de voluntate martyrii, cum sit actus difficillimus, plus requiri, quam ut constet de voluntate Baptismi; quæ cum sit facillima, in omni Catholico præsumitur.

§. II.

Ex Motivo Honesto Supernaturali.

V. Dico secundo. Secunda dispositio ad martyrium est, ut mors acceptetur ex motivo honesto, & supernaturali, ac per fidem proposito. Quod debeat esse ex motivo honesto, patet; quia est actus virtutis fortitudinis: quæ non nisi ad bonum honestum fertur, & a fine honesto moveri debet. Hinc qui mortem acceptaret ex motivo inhonesto, aut indifferente, martyr non foret. Sicut nec etiam qui mortem appeteret, & subiret, ut laudem apud homines consequeretur, ejusque memoria in tabulis Ecclesiasticis scriberetur; quia mortem non acceptaret ex motivo honesto: nam inhonestum est vitam pro laude humana prodigere. Hinc S. Hieronymus, in cap. 5. ad Galat. *Si ita* (inquit) *martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias honorari: si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus: huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ.*

VI. Quod autem debeat acceptari mors ex motivo supernaturali, & per fidem proposito, probatur. Tum quia: ad martyrium requiritur, ut quis moriatur pro fide Christi, vel alicujus honesti per fidem Christi propositi, & ex charitatis amore; actus enim martyrii debet a charitate imperari: at fides solum supernaturalia proponit; & si proponit naturalia, ea proponit, ut ad supernaturalem finem ordinata: charitas est ad Deum auctorem supernaturalem; ergo &c.

Tum etiam: nam voluntas acceptans martyrium est meritoria præmii supernaturalis: sed, ut sit meritoria præmii supernaturalis, debet habere motivum supernaturale, & per fidem propositum; ergo &c.

Hinc voluntas acceptans mortem viribus naturæ; seu ex naturali honestate virtutis tantum, voluntas martyrii non est: hæc enim & solis viribus gratiæ, & charitatis imperio, ac proinde ex motivo supernaturali esse potest; juxta illud, 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quare si quis cruciatus, & mortem pateretur, ne proderet secretum amici, ex motivo naturalis honestatis, martyr non esset: si vero motivum honestum proponatur per fidem, & ut ad religionem spectans, eo ipso evadit supernaturale, & ad martyrium sufficiens. Qua ratione S. Joann. Nepomucenum, ut martyrem veneramur; quia mori potius voluit, quam secretum confessionis sacramentalis prodere.

VII. Hanc veritatem egregie, de morte tractat S. Th. 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 5. ubi ait: *Martyres dicuntur quasi testes: quia scilicet corporalibus suis passionibus, usque ad mortem, testimonium perhibent virtutis; non cuicumque, sed veritati, quæ secundum pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit: unde & martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius. Hujusmodi autem est veritas fidei; & ideo cujuslibet martyrii causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis; sed etiam exterior protestatio: quæ quidem fit, non solum per verba, quibus aliquis confitetur fidem; sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illum Jacobi 2.* Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. *Unde & quibusdam dicitur, ad Titum* 1. Confitentur, *verbis*, se nosse Deum, factis autem negant. *Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei; per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat. Et secundum hoc possunt esse martyrii causa. Unde & Beati Joannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.*

Ex his infert ibidem, *ad* 1. quod *Ut Christianus patitur non solum, qui patitur pro fidei confessione, quæ fit per verba; sed etiam quicumque patitur pro quocumque bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato vitando, propter Christum: quia hoc totum pertinet ad fidei protestationem.* Et *ad* 2. infert: quod quamvis veritas aliarum scientiarum, puta, geometriæ non sit veritas secundum pietatem; unde ejus confessio non potest esse martyrii causa: vitatio tamen mendacii, quod peccatum est, *Contra quamcumque veritatem sit, in quantum mendacium est peccatum divinæ legi contrarium, potest esse martyrii causa.* Et eadem ratione infert, *ad* 3. quod bonum humanum, puta, Reipublicæ, si efficiatur divinum, ut si ad Deum referatur, potest esse sub hac ratione causa martyrii.

VIII. Ab oppositio autem mortes Ethnicorum, Hæreticorum, ac Schismaticorum, esto contingere possint ex motivo honesto, puta, servandi patriam, vel fidelitatem, vel pudicitiam: quia tamen hoc motivum non potest eis esse propositum per fidem supernaturalem, quæ in Ethnicis, & Hæreticis non est, non sufficit, ut eos faciat martyres. Sic martyr non fuit Socrates, esto passus sit mortem, quia docuit dari unum Deum, ut tradit Justinus, *Apol.* 1. Sic nec fuerunt Martyres quidam Ethnici, qui, ut refert Athanasius (*Epist. ad Solitarios*, seu ad Monachos) multa passi sunt: quia naturali quadam pietate moti, in persecutione Maximiani Christianis subveniebant.

Nec etiam erit martyr hæreticus, si patiatur mortem etiam pro aliquo vero dogmate; puta, si Calvinista pro defensione consubstantialitatis ab Ariano occidatur; quia non moritur propter fidem supernaturalem, quam ipse non habet, nec ex cujus motivo credit. Unde Irenæus, *lib.* 4. *contra Hæres. cap.* 64. modo 33. hæreticum in sua hæresi permanentem, martyrem esse posse negat. Cyprianus *l. de Unitat. Ecclesiæ*, ait: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ . . . . Occidi talis potest, coronari non potest.* Et S. Augustin. *lib.* 3. *contra Epist. Parmeniani, cap.* 6. Donatistas increpans: *Audient* (inquit) *etiam sacrilega schismata, vel hæres impia, si quando in flagella, ut se corrigant, admonentur, pœnas furoris sui etiam inter martyria deputare.*

Schismatici etiam dum in Schismate perseverant, quamvis pro articulo vero moriantur, martyres dici non possunt. *Ubi* enim *charitas non est, non potest esse justitia*, ait Augustin. *lib.* 2. *de Serm. Dom. in monte, cap.* 5. Schismaticus autem contra charitatem Ecclesiam scindit: igitur martyrii capax non est, quod in justitia & charitate fundatur. Quare Sanct. Augustin. *Epist.* 173. (alias 204.) scribens Donato Presbytero schismatico Donatistæ, hortans ipsum, ut ad unitatem Ecclesiæ revertatur, ex illo Pauli: *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest*, ait: *Foris autem ab Ecclesia constitutus, & separatus a compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris.*

§. III.

Patiens Mortis Acceptatio.

IX. Dico tertio. Ad martyrium requiritur, quod martyr non repugnet, sed patienter mortem acceptet. Hæc est tertia dispositio, & probatur. Nam alias sequeretur, quod milites, & præsertim Crucesignati, pro fide contra infideles pugnantes, & in prælio occumbentes, in martyrum albo forent describendi, sed hoc est falsum; ergo &c.

Min. prob. primo. Nemo dicendus est Christi martyr, nisi in patiendo imitetur Christum in sua Passione martyrum exemplar: Christus autem testimonium perhibuit veritati patiendo, non armis pugnando, aut tyranno obsistendo, vel repugnando. Nam, ut habetur, 1. Petri 2. vers. 23. *Cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste.* Et ut ex Isaia, cap. 53. vers. 7. legitur Actorum 8. v. 33. *Tamquam ovis ad occisionem ductus est; & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Hinc Tertullianus, *l.* 4. *contra Marcionem, cap.* 39. martyres appellans *oves*, ait: *Nemo oves appellat eos, qui in bello armati, & ipsi ex eadem feritate certantes, cadunt: sed qui in sua proprietate, atque patientia dedentes potius semetipsos, quam vindicantes, trucidantur.* Ita martyres nemo dixerit milites, qui in bello contra infideles occumbunt; quia non in patientia dant semetipsos, sed potius vindicantes cadunt.

Confirmatur. Martyris est mortem in patientia tolerare; non infidelem provocare, offendere, ac de illo ulcisci: sed actus proprius militis est infidelem provocare, offendere, ac de illo ulcisci; ergo &c.

X. Secundo prob. min. Martyr non est, qui non moritur voluntate, sed necessitate, quia scilicet non habet vires, quibus hosti resistat: at qui moritur pugnans contra infideles, non moritur voluntate, sed necessitate, quia scilicet non habet vires, quibus eis obsistat; ergo &c. Ex quo fit, quod nec infidelis ipsum occidat, quatenus Christianum; nec ipse moriatur, ut Christianus, sed ut miles.

XI. Hac ratione ex tot militibus, præsertim Ordinis Jerosolymitani, in bello, pro Reipublicæ Christianæ defensione, ab hostibus fidei interfectis, nullum unquam Ecclesia martyrum albo adscripsit. Immo, ut refert Zonaras, *T.* 3. ex eoque Baronius *ad anno* 964. *num.* 35. cum Nicephorus Imperator Constantinop. legem tulisset, qua sanciebatur, ut milites in bello contra infideles cæsi, tamquam martyres haberentur; Policetus Constant. Patriarcha, cæterique Antistites Græci illi restiterunt: quod irrito eventu tentasse Phocam, Mauritii successorem, idem Baronius, *ad anno* 620. testatur.

XII. Hinc infero, quod Fidelis esto paratus esse debeat ad

ad mortem sustinendam, si illi a tyranno in odium fidei inferatur; non tamen potest, aut debet illum provocare. Ut enim observat S. Thom. 2. 2. q. 124. *art.* 1. *ad* 3. sicut *Quædam præcepta Legis divinæ tradita sunt secundum præparationem animi; ut scilicet homo sit paratus hoc, vel illud facere, cum fuerit opportunum: Ita etiam & alia pertinent ad actum virtutis secundum præparationem animi, ut scilicet superveniente tali casu, homo, secundum rationem agat. Et hoc præcipue videtur observandum in martyrio, quod consistit in debita sustinentia passionum injuste inflictarum. Non autem debet homo occasionem dare alteri injuste agendi: sed si alius injuste egerit, ipse moderate tolerare debet.*

XIII. Quare si quis temere, ac sine gravi causa provocaret Tyrannum ad sibi mortem inferendam, graviter peccat. Primo: quia ex Div. Thom. daret occasionem alteri injuste agendi. Secundo: quia alium provocando ad se occidendum, moraliter seipsum occideret. Tertio: quia daret occasionem blasphemandi Deum: sicque peccaret peccato scandali contra Religionem. Quarto demum: quia exponeret se periculo deficiendi in persecutione, & in tormentis; sicque intraret in tentationem, contra præceptum Christi, *Marci* 14. *v.* 38. nos monentis, ut non intremus in tentationem: ideoque talis forte etiam peccaret peccato præsumptionis, tentando Deum.

Hæc fuit etiam sententia Patrum. Clemens Alexandrinus, *lib.* 4. *Strom.* parum ab initio ait: *Dicimus autem nos quoque, eos, qui de industria mortem quærunt... seipsos e vita exire absque ullo martyrio, ac testificatione.* S. Athanasius, Apolog. de Fuga sua num. 22. *Neque* (inquit) *ita præcipites, & temerarii simus, ut tentemus Dominum: sed expectemus, ut supra dixi, donec definitum mortis tempus adveniat: aut judex ipse id de illis statuat, quod sibi visum fuerit: sintque parati, ut vocante eos statuto tempore apprehensi, ad usque mortem decertent pro veritate. Hæc observarunt Sancti martyres in persecutionibus, quæ suis occurrere temporibus: in persecutione scilicet fugere solebant, in latebrisque permanere, deprehensi autem martyrium fortiter subiere. Quod si ex illis quidam persecutoribus sese offerrent, non temere illud agebant; martyrium quippe statim præferebant, palamque omnibus erat eam alacritatem, eumque ad persecutores accessum, Spiritum Sanctum auctorem habere.* Hæc Athanasius. Quibus patet responsio ad exemplum eorum martyrum, qui ultro se persecutoribus obtulerunt. Id enim speciali Spiritus Sancti impulsu fecerunt; justa etiam causa id exigente provocarunt persecutores: quia nimirum ex eorum fuga, vel silentio fides maxime periclitabatur, & scandalum patiebantur pusilli. Citra tamen has circumstantias non licet spiritu privato, aut Ethnicorum Idola, aut templa, aut aras evertere. Unde Concil. Eliberitanum, *anno* 313. *Canone* 60. statuit: *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus; quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.*

Dubium IV.

De efficacia Martyrii in ordine ad Remissionem Culpæ.

§. I.

Quid requiratur, ut per Martyrium Gratia Conferatur.

I. Præter dispositiones ad martyrium requisitas, quas Dubio præcedente recensuimus, controversia est inter Doctores Catholicos: an, ut martyrium valeat ad vitam æternam consequendam, prærequiratur, si nondum sit justificatus, sive per Baptismum, cum sit Cathecumenus, sive sit baptizatus, in peccato tamen sit, ut vel per confessionem sacramentalem, si possit, vel per formalem, & perfectam contritionem prius coram Deo justificetur: an vero sufficiat, vel attritio supernaturalis, vel virtualis inclusa in actu dilectionis, quo quis vult martyrium pati pro Christo; si dum subito rapitur, partim ex fervore dilectionis Dei, partim ex oblivione suorum peccatorum non recordetur, vel ad ea non advertat. In quo divisos invenio Doctores Catholicos.

II. Censeo ergo primo. Per se loquendo, eum, qui sibi conscius est peccati mortalis, teneri instante martyrio se præparare per eas dispositiones, quæ requiruntur ad se præparandum ad sacramenta Baptismi, vel Pœnitentiæ: & si est commoditas, præmittere debet Baptismum, si sit cathecumenus, & confessionem si sit baptizatus. Cum enim martyrium suppleat vicem sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ; debet ad illud deferre eas dispositiones, quas ad hæc duo sacramenta deferre debet. Insuper cum occasio martyrii non tollat obligationem, vel implendi præcepta, vel adhibendi media ordinaria, per se instituta ad tollendum peccatum; non debet ea negligere, cum possit. Hinc parentes graviter peccarent, si filios suos non curarent baptizari, cum possent; etiamsi scirent, instare pro eis martyrium. Quapropter S. Romanus ad S. Laurentium dixit: *Festina me baptizare*, etiamsi non ignoraret, se sicut illum, statim pro Christo occidendum.

III. Censeo secundo. Probabile esse, aliquando sufficere contritionem virtualem inclusam in fervore dilectionis, quo quis pro Deo, & Christo elegit animam suam ponere, tunc enim, si subito a persecutore rapiatur, nec illi occurrat suorum peccatorum memoria; illo actu, quo vult ex amore Christi vitam suam prodigere, censetur virtualiter detestari quidquid Deo, & Christo displicere potest: non enim quis majorem charitatem habere potest, quam pro Christo animam suam ponere.

§. II.

An in Martyrio remittatur omnis culpa, & pœna?

IV. Dico, Martyrio remittuntur peccatum originale, & omnia etiam peccata actualia, quoad culpam, & pœnam. Probo primo. Martyrium non baptizatis *Tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.* Ita S. August. *lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 7. Immo ibidem subjungit, majoris esse meriti martyres, qui moriuntur ante Baptismum, quam qui post Baptismum statim moriuntur: sed Baptismo dimittuntur omnis culpa, & pœna, ergo multo magis martyrio.

Secundo. Patres de Martyribus tria docent. Primum: eos statim a morte cælestem consequi beatitudinem. Unde Tertullianus licet in hoc errore esset, ut putaret, animas Sanctorum non statim a morte in Cælum assumi, sed ad Abrahæ sinum deduci; ut notat Pamelius, *Paradoxo* 9. de Martyribus tamen loquens, *lib. de Resurrect. carnis, cap.* 43. eos excipit, dicens: *Nemo peregrinatus a corpore statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrii prærogativa.* Et *lib. de Pœnitentia, cap.* 13. martyrium vocat secundam intinctionem *Ad ipsum divinæ sedis ascensum* S. Cyprianus, *de Exhort. ad mart.* dicit, martyrem *statim* cum Christo gaudere, præmia divina percipere, concludens: *Quanta est dignitas, & quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras, & angustias gloriosum; claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur, & Christus?* Secundum: martyres securos ex hoc sæculo discedere. Ita Origenes, Homil. 7. in Judic. *Si* (inquit) *concederet Deus, ut Baptismum secundum, morte pro Christo susceptæ, percipere, securus ex hoc sæculo exirem.* —— Tertium pro martyribus non esse orandum. Hoc docet S. August. Serm. 159. (alias 17. de verb. Apost.) c. 1. *Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Et Serm. 297. (alias 107. de diversis) cap. 2. *Distincti a defunctis loco suo martyres recitantur; nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur.* Soluti ergo ab omni pœna statim ad beatitudinem advolant martyres, nec nostris amplius orationibus indigent; ergo martyrium culpam, & pœnam omnem solvit.

V. Nec dicas: Cyprianum, *Epist.* 34. Chrysost. *Hom.* 22. *in Acta*, aliosque dicere pro martyre offerri Sacrificia, & orationes.

Ad hoc enim respondet Innocentius III. cap. *Cum Martha* de celebrat. Missarum. Cum enim Episcopus Lugdunensis ab eo quæsiisset: quare cum in secreta beati Leonis secundum antiquiores, contineatur, *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit ablatio:* in modernis sacramentariis: habeatur *Annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio.*

Dicit Innocentius: quod cum injuriam faciat martyri, qui orat pro martyre; idem de Sanctis aliis, qui sunt perfecte beati, nec nobis miseris indigent, dicendum est. Quod ergo in aliquibus orationibus dicatur prosit, vel proficiat huic Sancto talis oblatio, debet sic intelligi, ut ei prosit magis ad gloriam, & honorem: seu, ut magis, ac magis a fidelibus glorificetur in terris. Esto enim Sanctorum gloria essentialis augeri nequeat; gloria tamen accidentalis augeri potest.

Dubium V.

An Martyrium remittat culpam, & pœnam ex opere operato?

§. I.

Resolutiones Dubii.

I. In hac quæstione dissident etiam nostræ scholæ Doctores. Quidam enim dicunt, Baptismum sanguinis remittere culpam, & conferre gratiam solum ex opere operantis; nempe, ratione contritionis, & dilectionis, quam si non includat, nihil prodest. Alii distinguentes inter parvulos, & adultos, dicunt, martyrium conferre quidem parvulis ex opere operato emundationem ab originali; adultis tamen solum ex opere operantis. Ita Cano *in relect. de Pœnitentia, p.* 3. Soto *in* 4. *dist.* 4. *quæst. unic. art.* 11. Bannez aliique. Alii demum existimant, martyrium tam adultos, quam parvulos justificare. Quæ sententia communior est.

II. Dico primo. Martyrium ex opere operato justificat parvulos. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 1. *ad* 1. ubi de parvulis ab Herode occisis dicit; quod *Sicut in*

pueri

pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occiſis propter Chriſtum, meritum martyrii Chriſti operatur ad palmam martyrii conſequendam. Ex quibus ſic diſcurro. Baptiſmus aquæ confert gratiam infantibus ex opere operato, merito Paſſionis Chriſti, quæ operatur in Baptiſmo aquæ: ſed virtus Paſſionis Chriſti, excellentius, immo excellentiſſime operatur in Baptiſmo ſanguinis, quia in hoc operatur per imitationem operis, in illo autem operatur ſolum per figuralem repræſentationem, ut ſupra diximus ex D. Thom. *3. p. q. 66. art.* 12. agentes de excellentia martyrii ſanguinis, ergo ſi Baptiſmus aquæ confert gratiam ex opere operato, multo magis Baptiſmus ſanguinis. Hoc idem docet in 4. *diſt.* 4. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 3.

III. Dico ſecundo. Martyrium confert gratiam ex opere operato etiam adultis. Hoc docet S. Thom. *in* 4. loco citato; *ad* 1. his verbis: *Baptiſmus ſanguinis non habet hoc tantum ex operante, neque quantum ad pœnam, qua aliquis martyrium explicet; quam contingit non eſſe ſufficientem ad ſatisfaciendum pro peccato, neque quantum ad devotionem juſtæ voluntatis; quia contingit, quod voluntate majori charitate formata aliquis ſine martyrio non poteſt ab omni pœna liberari: ſed hoc habet ex imitatione Paſſionis Chriſti. Unde de martyribus dicitur, Apoc.* 7. Laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Et in 4. ad Annibaldum diſt. 4. q. unic. art. 4. ad 3. *Baptiſmus ſanguinis* (inquit) *non habet ſupplere effectum Baptiſmi fluminis ex opere operante, ſicut objiciebatur, ſed ex imitatione Paſſionis Chriſti.*

IV. Ex his probo ratione primo. Producere gratiam ex opere operato, eſt vi ſibi intrinſeca illam producere; hac enim ratione Baptiſmus aquæ gratiam ex opere operato producere dicitur: ſed Baptiſmus ſanguinis gratiam ſic producit; ergo &c. Min. prob. Ideo Baptiſmus aquæ etiam in adulto operatur gratiam, & remiſſionem peccatorum ex opere operato, quia eam operatur per quandam figuralem repræſentationem Paſſionis Chriſti, quæ in aquam Baptiſmi agit, eam ſibi conjungit, & ei communicat virtutem ad abluendum animam ab omni ſorde culpæ, & reatu pœnæ: ſed Baptiſmus ſanguinis etiam in adulto operatur &c. per realem imitationem Paſſionis Chriſti, qua martyr Chriſto patienti conjungitur, & pœna martyris a Paſſione Chriſti virtutem accipit, & roboratur; ergo pœna illa cauſat in martyre remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ, vi Paſſionis Chriſti in eam operantis, & conſequenter ex opere operato. Si enim hoc habet aqua, quæ eſt paſſionis Chriſti tantum figuralis repræſentatio; cur a fortiori non habebit pœna, & paſſio martyris, quæ eſt Paſſionis Chriſti realis imitatio?

V. Confirmatur ex doctrina S. Thom. *3. p. qu. 66. art.* 12. Virtus Paſſionis Chriſti, & motio Spiritus Sancti a qua Baptiſma efficaciam habet, excellentiſſime operatur in Baptiſmo ſanguinis; nam ubi in Baptiſmo aquæ operatur per figuralem repræſentationem, & per virtutem latentem, & in Baptiſmo flaminis per internam cordis commotionem, in Baptiſmo ſanguinis operatur per potiſſimum dilectionis, & affectionis fervorem, quo realiter, & cum affectu, Spiritu Sancto movente imitatur Paſſionem Chriſti; ergo Baptiſmus ſanguinis non ex vi contritionis, & affectionis tantum, ut Baptiſmus flaminis, ſed vi operis, & realis imitationis Paſſionis Chriſti gratiam producit.

VI. Probatur ſecundo, & urgentur dicta. Martyrium remittit parvulis peccatum originale ex opere operato, ut ſupra diximus cum Sancto Thoma; ergo hoc etiam facit in adultis. Conſ. prob. Promiſſio de danda gratia, & gloria his, qui pro illo moriuntur, ut Matth. 10. v. 32. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt.* Et v. 39. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam:* non ſolos parvulos, ſed omnes pro Chriſto morientes complectitur. Tum etiam quia: non minus adulti, quam parvuli moriendo pro Chriſto, conformantur Paſſioni ejus per realem imitationem. Tum etiam quia: ſi Baptiſmus aquæ, qui eſt ſolum figuralis repræſentatio Paſſionis Chriſti, ex opere operato gratiam confert & parvulis, & adultis; multo magis hoc faciet Baptiſmus ſanguinis, qui ejuſdem Paſſionis eſt realis imitatio.

VII. Probatur tertio. Quod ſolum ex opere operantis gratiam confert, non poteſt eam conferre ſupra meritum operantis: ſed martyrium ſæpe confert gratiam ſupra meritum operantis, ut cum aliquis, gravium criminum reus, in odium fidei ex improviſo occiditur: tunc enim pœna, quam ſuſtinet, non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum pro reatu culpæ, & pœnæ, & vix poteſt in illis circumſtantiis actum elicere, cui tanta gratia debeatur, ergo &c.

VIII. Probatur quarto. Ex vi martyrii remittitur infallibiliter tota pœna, etiam temporalis; ita ut martyr adultus a cruciatibus recte ad cælum advolet, ut ſupra vidimus: quare injuria fit pro martyre orare; ergo etiam ex vi martyrii remittitur ei omnis culpa. Conſeq. evidens eſt. Non enim eſt aſſignabilis ratio, cur primum, & non ſecundum. Ant. vero prob. Pœna non poteſt infallibiliter martyri remitti ex vi contritionis, & dilectionis Dei: nam parvulis remittitur, in quibus nec contritio, nec dilectio Dei eſſe poteſt. Dato etiam, in quocumque adulto, dum ſubit martyrium, adeſſe contritionem, & dilectionem expreſſam, non eſt infallibile, actus illos eſſe in tanta intenſione, & fervore, ut ſufficiant ad totius pœnæ remiſſionem: immo contingit ſæpe in aliis viris juſtis intenſiorem, & ferventiorem charitatem, & contritionem adeſſe, quam in martyribus, quæ tamen non ſit ſufficiens ad tollendam omnem pœnam. Neque etiam poteſt omnis pœna infallibiliter dimitti per paſſionem, & cruciatus, quos patitur martyr. Contingere enim poteſt, ut peccata ſint graviſſima in malitia, & numero plura, dolores vero martyrii valde breves, & voluntas patientis adeo remiſſa, ut ex ſe non ſufficiant ad condignam ſatisfactionem pro tota pœna peccatis debita. Dimiſſio ergo totius pœnæ tribuenda eſt operi, nempe, martyrio, quatenus eſt realis imitatio Paſſionis Chriſti, quæ in eo operatur, & conſequenter ex opere operato, non operantis. Hinc Tertullianus in Apolog. adverſus Gentes, ſub finem: *Quis* (inquit) *non ubi requiſivit, accedit? Ubi acceſſit, pati exoptat? Ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam compenſatione ſanguinis ſui expediat: omnia enim huic operi delicta donantur.*

§. II.

Objectionum Solutio.

IX. Objiciunt primo contra primum Aſſertum. Eſt generalis regula, *Jo:* 3. quod *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei;* ergo ſine fundamento aſſerimus, parvulos ſine Baptiſmo aquæ mortuos, morte pro Chriſto tolerata, ſalvari.

Reſp. neg. conſ. Ab hac enim regula excipi infantes pro Chriſto occiſos docet S. Aug. l. 13. de Civ. Dei, c. 7. *Qui enim dixit:* Si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum, *alia ſententia iſtos* (martyres) *fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit:* Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt. Et *alio loco.* Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quæ confeſſio eſto ab infantibus non fiat verbo, fit tamen opere, & facto, de Innocentibus canente Eccleſia: *Deus, cujus præconium Innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, &c.* Tum etiam quia: ex ſuperius dictis efficacius operatur Paſſio Chriſti imitata per martyrium, quam repræſentata per Baptiſmum. Uno verbo: ſicut in Baptiſmo aquæ, ſic in Baptiſmo ſanguinis infantium cor opere, & facto in Chriſtum credit, dum pro ipſo patitur: unde etſi non habeant fidem, & amorem active, habent tamen paſſive, & executive.

X. Dices. Eſto martyrio annexum ſit privilegium juſtificandi, hujus tamen ſunt incapaces parvuli, cum ſint incapaces martyrii: martyrium enim eſt actus virtutis fortitudinis: parvuli autem, utpote carentes uſu rationis, actus virtutis incapaces ſunt.

Reſpondeo tamen, martyrium poſſe conſiderari, & quatenus actus virtutis eſt, & quatenus eſt realis imitatio paſſionis Chriſti, & non ſolum repræſentativa, ſicut eſt Baptiſmus. Primo modo juſtificat ſolum ex opere operantis, & non habet locum in infantibus, qui actus virtutis incapaces ſunt. Secundo modo, quatenus eſt actualis mors pro Chriſto tolerata, & realis imitatio Paſſionis ejus, juſtificat ex opere operato non minus, immo magis, quam Baptiſmus aquæ, etiam infantes. Ita S. Thom. 2. 2. *qu.* 124. *a.* 1. *ad* 1. Ubi de Innocentibus martyribus loquens, *Martyrii* (inquit) *gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occiſi per Dei gratiam ſunt aſſecuti. Nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit Baptiſmatis. Unde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem, meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occiſis propter Chriſtum, meritum martyrii Chriſti operatur ad palmam martyrii conſequendam.* Unde S. Auguſt. *Serm. 66. de Diverſis* (modo *Serm. 373.*) *cap.* relatus a S. Thom. ibi Innocentes ſic alloquitur. *Non habebatis ætatem, qua in paſſurum Chriſtum credere tis; ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis.*

XI. Objiciunt ſecundo contra idem. Si martyrium juſtificaret parvulos ex opere operato, eſſet ſacramentum novæ Legis: eſſet enim ſignum ſenſibile practicum gratiæ in uſu illius conferendæ: ſed hoc eſt falſum, ut docet S. Th. *3. p. qu. 66. art.* 11. *ad* 2. alias eſſent plus, quam ſeptem ſacramenta, quod eſt contra Trident. *Seſſ.* 7. *Can.* 1. *de Sacram. in gen.* ergo &c.

Reſpondeo, nego maj. Primo. Quia martyrium non eſt ſignum ſacrum conſtans materia ſimul, & forma. Secundo. Quia ſacramenta ſunt cauſa gratiæ, ut ſunt actiones Dei per ſuos Miniſtros: at martyrium ex parte inferentis eſt actio Diaboli, per ſuum ſatellitem mortem Confeſſoribus Chriſti inferentis. Unde S. Thom. ab Arguente citatus, *ſacramentum* (inquit) *habet rationem ſigni: alia vero duo* (nempe Baptiſmus flaminis, & ſanguinis) *conveniunt cum Baptiſmo aquæ, non quidem quantum ad rationem ſigni, ſed quantum ad effectum Baptiſmatis: & ideo non ſunt ſacramenta:* quod etiam dicit in *4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 3. quæſt.* 1. *ad* 3. Unde martyrium convenit cum ſacramento, quantum ad rem, & effectum ſacramenti: non vero quantum ad rationem ſigni a Deo inſtituti ad homines (maxime via ordinaria) juſtificandos.

XII. Ob-

XII. Objiciunt tertio contra ſecundum Aſſertum. Martyrium nil prorſus valet ſine charitate, ut ait S. Th. tum hac 3. *part. quæſt. 66. art.* 12. *ad* 2. tum 2. 2. *q.* 124. *art.* 2. *ad* 2. ad illa verba 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; Ubi dicit, quod martyrium eſt a charitate, ut imperante, & a fortitudine, ut eliciente: *Quod autem ſit meritorium, hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus.* At ſi martyrium juſtificaret ex opere operato, valeret ſine charitate; ſicut ſine charitate valet Baptiſmus in eo, qui ſolum attritus accedens ad Baptiſmum, per Baptiſmum juſtificatur; ergo &c.

XIII. Propter hoc non deſunt, qui judicant, S. Thom. eſſe in ſententia, martyrium adultis gratiam conferre ſolum ex opere operantis, & quamvis aliter docuerit, ſcribens ſuper ſententias, in ſua tamen Summa ſententiam retractaſſe. —— Sed immerito. Nam ex eiſdem principiis, quibus ſuper Sententias probaverat efficaciam martyrii; quia nimirum virtus Paſſionis Chriſti in eo operatur, per realem ſui imitationem: probat etiam in Summa ejuſdem efficaciam, & excellentiam ſuper Baptiſmum fluminis, & flaminis, ut videre eſt citatis locis, & maxime 3. *p. q. 66. art.* 11. & 12.

XIV. Reſpondeo ergo diſt. maj. Sine charitate, vel antecedente, vel concomitante, con. maj. Sine charitate antecedente, nego maj. Senſus ergo Apoſtoli, & S. Thomæ non eſt, quod ſine charitate antecedente, quæ imperet, & ſit motivum ad ſubeundum martyrium, martyrium nihil proſit: ſed ſolum, quod ſine charitate, neque antecedente, neque concomitante nihil proſit martyrium. Si ergo qui mortem pro Chriſto patitur, eſto non moveatur ex charitate antecedente ad illam ſubeundam, qui non ſit perfecte contritus, attamen ſupernaturaliter attritus, Deumque juſtitiæ fontem diligere incipiens, mortem pro Chriſto acceptet: in actu martyrii illi infunditur gratia, & cum gratia charitas, & proinde non patitur ſine charitate. Unde Apoſtolus non ait: *Si tradidero corpus meum &c. ex charitate autem non tradidero*; ſed *Charitatem autem non habuero*. Charitatem autem habet, qui eam habet, ſive antecedenter, ſive concomitanter. Quare ſicut qui accedit ad Baptiſmum ſolum attritus, per Baptiſmum ex attrito fit contritus; ideſt, ex attrito actu, fit contritus habitu, quia infunduntur illi habitus pœnitentiæ, & charitatis: ita qui ſolum attritus (ſupernaturaliter tamen) accedit ad martyrium; per martyrium ex attrito actu fiet contritus habitu. Et hoc eſt, quod intendit S. Thom. 3. *p. q. 66. art.* 12. *ad* 2. dum ait, quod *Baptiſmus ſanguinis includit Baptiſmum flaminis*.

Dum vero S. Thomas dicit, martyrium eſſe imperatum a charitate, expreſſe loquitur de martyrio, ut eſt actus fortitudinis, ſic enim meritorius eſſe non poteſt, niſi ut imperatus a charitate; non vero de martyrio, ut eſt realis imitatio Paſſionis Chriſti: quo pacto ſicut ſine imperio charitatis juſtificat parvulos, ſic etiam juſtificare poteſt adultos.

XV. Sed inſtabis. Præceptum charitatis obligat ſub mortali in articulo mortis; ergo ſi quis rapiatur ad martyrium, & actum charitatis omittat, peccabit mortaliter, nec martyrium illi proderit.

Reſpondeo, diſt. ant. Obligat ad actum, vel ad opus charitatis, conc. ant. Ad actum expreſſum ſemper, nego ant. Eſto autem qui rapiatur ad martyrium ſolum attritus, actum charitatis expreſſe non eliceret; moriendo tamen pro Chriſto opus facit intenſiſſimæ charitatis: *Majorem enim charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: ſicque tali opere implet præceptum dilectionis. Sicut enim martyrium ſupplet defectum Baptiſmi aquæ; ita ſupplet defectum actus dilectionis Dei ſuper omnia, cum illum includat.

XVI. Hæc dixi, quaſi ſpeculative loquendo, & quantum eſt ex natura martyrii. Cæterum in praxi vix poſſibile judico, aliquem acceptare mortem pro Chriſto, & ex ejus amore non moveri; ac Spiritum, ſine cujus motione mortem pro Chriſto acceptare non poteſt, eum movere ad deſiderium gloriæ cæleſtis, & non movere ad actum dilectionis Dei, & Chriſti: dum enim mavult mori, quam Chriſtum negare, plus diligit Chriſtum, quam ſe ipſum, & cætera omnia.

XVII. Objiciunt quarto. S. Cyprianus ad Cornelium Papam ſcribens aſſerit, lapſos reconciliatione debere donari, antequam ad martyrium prodeant: *Nec quiſquam* (ait Epiſt. 54.) *dicat, qui martyrium tollit, ſanguine ſuo baptizatur: nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt habituro gloriæ ſuæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem.* At fruſtra lapſis martyrium adituris reconciliatio conferretur, ſi martyrio peccata ex opere operato delerentur; ergo &c. Reſpondeo, diſt. min. Tamquam neceſſaria, conc. min. Tamquam expediens, & utilis, neg. min. Judicabat ergo Cyprianus non neceſſarium, ſed tamquum expediens, eos, quibus martyrium imminet, ſi non baptizatos, baptizari prius, ſi lapſos, reconciliari; ut muniti ſacramentis ſecurius pugnarent. Et hoc aperte apparet; quia Cyprianus ibi volebat etiam, eos, qui martyrio exponebantur, prius Euchariſtia muniri: nemo tamen hinc colliget, Baptiſmo vim non ineſſe, niſi dependenter ab Euchariſtiæ ſumptione. Docere ergo voluit Cyprianus, Baptiſmum, abſolutionem ſacramentalem, & Euchariſtiam; utpote jure divino præcepta præmittenda eſſe a Cathecumenis, ac pœnitentibus (ſi fieri poſſit) antequam ad fidem coram tyranno confitendam ſe ſiſtant ut dicemus.

§. III.

Aliqua pro intelligentia Dictorum.

XVIII. Quæres primo: Quandonam martyrium cauſet gratiam, & remiſſionem peccatorum?

Reſpondeo, martyrium gratiam martyri conferre in eo inſtanti, ſeu momento, poſt quod eſt immediate moriturus, ſeu non poteſt naturaliter amplius vivere: eo enim momento martyrium conſummatum cenſetur, & martyrem perſeveraſſe uſque in finem, & accepturum coronam gloriæ ſtatim, ac anima ejus fuerit ſeparata a corpore.

XIX. Sed dices primo. In illo momento ante mortem, martyr habet adhuc libertatem, & poteſt peccare etiam in ſenſu compoſito; ergo nondum eſt conſummate martyr; alias martyr poſſet damnari.

Secundo. Poteſt Deus poſt illud inſtans mortem impedire, & martyri miraculoſe vitam conſervare; ergo gratiam martyrii non accepit: alias poſt gratiam martyrii acceptam, ſi ſuperſtes eſſet, peccare poſſet, & damnari.

XX. Reſpondeo, quod martyr in inſtanti immediato ante mortem non retinet amplius libertatem: vel ſi eam habeat, Deus ſpeciali privilegio eum ſic in gratia firmat; ut eum reddat impotentem ad peccandum in ſenſu compoſito.

Ad ſecundam ſimiliter dico, quod caſu, quo martyri in tormentis neceſſario morituro, miraculoſe a Deo conſervaretur vita, ſicut accidit Joanni Evangeliſtæ; Deus illum in gratia confirmaret pro reliquo vitæ tempore uſque ad mortem. Ratio eſt. Quia ille abſque novo martyrio eſſet martyr, ut conſtat de Joanne Evangeliſta, quem Eccleſia, ut martyrem colit, licet abſque novo martyrio poſt multos annos in Domino obdormierit. Ideoque debita illi eſſet perſeverantia in gratia, & aſſecutio gloriæ, quam meruit per martyrium: alioquin vita illi miraculoſe conſervata cederet in detrimentum, ſi eum peccando exponeret periculo amittendi coronam gloriæ, quam per martyrium adeptus fuerat.

XXI. Quæres ſecundo: An martyrium cauſet gratiam ſupra meritum patientis?

Reſpondeo affirmative. Tum quia: illam cauſat, non ex opere operantis, ſed ex opere operato, ut vidimus: ergo ſicut gratiam confert abſque ullo merito patientis, ut patet in Innocentibus; ſic poterit etiam eam cauſare ſupra meritum ejuſdem. Tum quia: martyrium, ut vidimus, habet virtutem auferendi omnia peccata quoad culpam, & pœnam: ſed hæc ablatio ſæpe eſt ſupra meritum patientis, ut cum quis, alioquin plurium peccatorum reus, in odium fidei ex improviſo occiditur, vel dormiens &c. ergo &c.

XXII. Quæres tertio: An martyrium cauſet majorem gratiam, quam Baptiſmus aquæ?

Reſpondeo affirmative. Et colligo ex S. Thoma, 3. *part. qu.* 66. *art.* 12. ubi docet, in Baptiſmo ſanguinis efficacius operari, tum Paſſionem Chriſti, quæ operatur per imitationem operis: tum etiam Spiritum Sanctum, qui in martyrio operatur per potiſſimum dilectionis fervorem; cum in Baptiſmo aquæ Paſſio Chriſti operetur ſolum per figuralem repræſentationem, & Spiritus Sanctus ſolum per virtutem latentem. Hinc merito Eccleſia Innocentibus in odium Chriſti ab Herode occiſis tribuit cultum, quem infantibus baptizatis, & mortuis ante rationis uſum non tribuit. Signum ergo eſt, quod Baptiſmus aquæ non perducit ad tantum gratiæ gradum, & gloriæ, quantum martyrium. Hinc ſequitur etiam, quod adulti in æquali diſpoſitione poſiti, majorem gratiam recipiant per martyrium, quam per Baptiſmum aquæ, & alia ſacramenta.

XXIII. Quæres quarto: An qui in proximo eſt, ut martyrium ſubeat, & non eſt baptizatus, habet tamen opportunitatem, ut baptizetur, debeat ante martyrium baptizari: & ſi baptizatus ſit in peccato mortali, debeat, ſi commode poteſt, ante martyrium accedere ad ſacramentum pœnitentiæ?

Reſpondeo affirmative cum S. Cypriano ſupra laudato, *num.* 17. Quia cum martyrium deleat omnem culpam, & pœnam, non ex inſtitutione ſua, ſed ex privilegio, & in ſupplementum Baptiſmi, & pœnitentiæ; ideo eam delet, quando via ordinaria per Baptiſmum, aut pœnitentiam deleri non poteſt. Tum etiam: quia licet martyrium dicto privilegio potiatur; non liberat tamen ab obſervantia divinorum præceptorum, ſi hæc eſt poſſibilis; at impoſitum eſt omnibus præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum; & illis, qui a Baptiſmo ſuſcepto lapſi ſunt in mortale, præcipitur, ut reconcilientur per ſacramentum pœnitentiæ; ergo ſi datur commodum ſumendi alia ſacramenta ante martyrium, peccaret, qui ea omitteret. Immo notat Soto, *lib. 2. de Natura, & gratia, cap.* 16. quod ſi martyr non baptizatus revocaretur ad vitam, deberet Baptiſmo aquæ baptizari.

QUÆSTIO III.

De Tempore Inſtitutionis, & obligationis Baptiſmi Aquæ.

REvertimur ad Baptiſmum aquæ, qui ſolus eſt ſacramentum, cujus eſſentiam, & cauſas intrinſecas ſupra examinavimus. Nunc cauſam ejus extrinſecam, & efficientem inveſtigandam aſſumimus, nempe, auctorem, qui eum inſtituit, & ad eum obligavit. Hunc ſuppono fuiſſe Chriſtum, quem *in Tract. de Sacram. in gen.* oſtendimus fuiſſe omnium ſacramentorum auctorem. Quare ſolum de tempore, quo Baptiſmum inſtituit, & quo ad eum homines obligari voluit, hic ſermo erit.

DUBIUM I.

Quo Tempore fuerit Inſtitutus Baptiſmus.

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. CHriſtum non inſtituiſſe Baptiſmum prius, quam a Joanne ipſe baptizaretur, exploratum eſt. Chriſtus enim non inſtituit Baptiſmum, antequam incepiſſet Evangelium prædicare, & novam Legem condere: atqui priuſquam a Joanne baptizaretur, nec cœperat Evangelium prædicare, nec novam Legem condere; ergo &c. Difficultas eſt: an ſolum poſt Reſurrectionem, quando diſcipulos ad prædicandum mittens, dixit, Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* an cum ipſe a Joanne baptizatus fuit: an medio aliquo tempore ante Paſſionem, Baptiſmum inſtituerit.

II. Albertus Magnus, Alenſis, & alii videntur inſtitutionem Baptiſmi rejicere ad illud tempus, quo poſt Reſurrectionem aſcenſurus in Cælum dixit: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Alii ante Paſſionem inſtitutum volunt, ſed in aſſignando tempore diſſident. Scotus enim vult, inſtitutum fuiſſe, non cum Chriſtus a Joanne baptizatus fuit, nec cum Nicodemum alloquebatur; ſed paulo poſt initium prædicationis, cum *Joann.* 3. diſcipulos miſit ad prædicandum, & baptizandum. Verum S. Thom. *3. p. q. 66. art. 2. & in 4. diſt. 3. q. 1. art. 5.* quem ejus Diſcipuli, & alii ſequuntur, cenſet, Baptiſmum fuiſſe a Chriſto primo inſtitutum, cum in Jordane ipſe baptizatus fuit.

§. II.

Prior Reſolutio.

III. DIco primo. Chriſtus ante ſuam mortem Baptiſmum inſtituit. Probatur. Chriſtus ante Paſſionem, & mortem, eſto non manibus propriis, manibus tamen diſcipulorum legitur baptizaſſe. Joann. 3. verſ. 22. *Venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*, & Joann. 4. verſ. 2. *Quamquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus:* atqui Baptiſmus, quo per diſcipulos Chriſtus baptizabat, erat Baptiſmus Chriſti, non Joannis; ergo jam Chriſtus Baptiſmum ſuum inſtituerat. Minor. probatur. Baptiſmus, quem Diſcipuli conferebant, erat talis, ut verificaretur, Chriſtum manibus eorum baptizare: *& baptizabat;* ergo non erat Baptiſmus Joannis, ſed Chriſti, cujus nomine, & mandato conferebatur. Quare Auguſtinus, Epiſt. 265. (alias 108.) ad Seleucianum: *Utrumque* (inquit) *de Domino ſcriptum eſt: & quia* baptizabat plures, quam Joannes: *& quia* ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli ejus; *ut intelligeremus, & ipſum quidem baptizaſſe præſentia majeſtatis, non tamen ipſum baptizaſſe manibus ſuis. Ipſius erat Baptiſmi ſacramentum, ad Diſcipulos autem baptizandi miniſterium pertinebat.*

Confirmatur. Inter diſcipulos Joannis, & Chriſti orta eſt æmulatio, *Joann. 3. v. 25. & 4. v. 1.* occaſione Baptiſmi ab utriſque collati; quod plures ad Baptiſmum Diſcipulorum Chriſti confluerent: ſed hæc orta non fuiſſet, ſi utrique, nempe, Diſcipuli Chriſti, & Joannis idem Baptiſma contuliſſent: debuiſſent enim gaudium potius, quam æmulationem ſumere, videntes, quod Chriſtus Joannis Baptiſma approbaret; ergo &c. Unde Auguſt. Tract. 13. in Joann. *Baptizatus* (inquit) *baptizabat, non eo Baptiſmo baptizabat, quo baptizatus eſt.* Et poſt multa loquens de quæſtione inter diſcipulos Joannis, & Judæos ſuper baptiſmate Joannis, & Diſcipulorum Chriſti, ait: *Baptizabat Joannes, baptizabat Chriſtus, moti ſunt diſcipuli Joannis, concurrebatur ad Chriſtum, veniebatur ad Joannem. Qui enim veniebant ad Joannem, mittebat illos ad Jeſum baptizari; non mittebantur ad Joannem, qui a Chriſto baptizabantur;* ergo alius erat Baptiſmus, quem dabat Chriſtus, a Baptiſmo, quem dabat Joannes.

IV. Sed dices: Apoſtoli tunc baptizabant Baptiſmo Joannis, quo ipſi baptizati erant, non vero Baptiſmo Chriſti quo ipſi nondum initiati erant: neque ab ipſo Chriſto, quia Chriſtus non baptizabat; neque ab aliquo alio, cum hoc in Scriptura non legitur. Ita ſentiunt Tertullianus, *lib. de Bapt. cap.* 11. S. Joann. Chryſoſtom. *Homil. 3. in Joann.*

Reſpondeo, Tertullianum, & Chryſoſtomum ita ſentire. Verum probabilius, juxta alios Patres, tenendum eſt ex dictis, Apoſtolos baptizaſſe Baptiſmo Chriſti, atque Baptiſmo Chriſti tinctos fuiſſe, ſive ab ipſo Chriſto: qui licet quoſcumque de populo non baptizaret, ſed hoc Diſcipulis faciendum relinqueret: credere tamen par eſt, quod ſaltem ſuos Diſcipulos propriis manibus baptizaverit. Ita S. Auguſt. *Epiſt. 165.* citata, *ad Seleucianum*, his verbis: *Baptizabat, non perſeipſum, ſed per Diſcipulos ſuos: quo intelligimus, jam fuiſſe baptizatos, ſive Baptiſmo Joannis, ſicut nonnulli arbitrantur; ſive, quod magis credibile eſt, Baptiſmo Chriſti. Neque enim miniſterium baptizandi defugeret, ut haberet baptizatos ſervos, per quos cæteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis miniſterium, quando eis lavit pedes: & petenti Petro, ut non tantum pedes, verum etiam manus, & caput ei lavaret, reſpondit:* Qui lotus eſt, non indiget; niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: *ubi intelligitur, quod jam Petrus baptizatus fuerat.*

Dato tamen, Diſcipulos non fuiſſe a Chriſto manibus ſuis baptizatos; baptizatos tamen fuiſſe credendum eſt. Pertinebant enim ad Eccleſiam Chriſti, & de ejus corpore erant, ad quam ſoli baptizati pertinere poſſunt. Ita S. Auguſt. *Epiſt. citata.* ubi addit: *Sed non omnia quæ facta ſunt, etiam ſcripta inveniuntur; verumtamen facta eſſe, ex cæteris documentis probantur. Scriptum eſt, quando baptizatus eſt Apoſtolus Paulus, & ſcriptum non eſt, quando baptizati ſint alii Apoſtoli; veruntamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus: quemadmodum ſcriptum eſt, quando baptizatæ ſint plebes Eccleſiarum in Jeruſalem, & Samaria, quando autem baptizatæ ſunt aliæ plebes Gentium, quibus Apoſtoli Epiſtolas miſerunt, non eſt utique ſcriptum: & tamen etiam ipſas Baptizatas utique minime dubitamus, propter illam Domini ſententiam.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum. Hæc Auguſtinus.

Addo: Apoſtolos ante Paſſionem ordinatos fuiſſe Sacerdotes, & Euchariſtiæ participes factos: hoc autem fieri non potuiſſet, niſi prius baptizati fuiſſent Baptiſmo Chriſti. Unde.

V. Probatur ſecundo Concluſio. Baptiſmus ex Chriſti lege debet alia ſacramenta præcedere, & ſuo charactere ad cætera ſuſcipienda diſponere: ſicut enim Circumciſio fuit ante omnia antiquæ Legis ſacramenta inſtituta, nec licebat niſi circumciſis agnum paſchalem edere, ac Sacerdotio fungi: ita Baptiſmus debuit ante omnia novæ Legis ſacramenta inſtitui, nec licebat, niſi baptizatis, Euchariſtiam Agno paſchali figuratam ſumere, & Sacerdotio novæ Legis inſigniri. Cum ergo ex dictis Apoſtoli in nocte Cœnæ fuerint ad Euchariſtiam tunc inſtitutam admiſſi, & Sacerdotio donati; eos jam baptizatos, ac proinde Baptiſmum jam inſtitutum fuiſſe, firmiter credendum eſt.

VI. Sed contra objicies primo. Sacramentum Confirmationis præcedit, & diſponit ad ſacramentum Ordinis, & tamen Chriſtus prius ordinavit Apoſtolos, & poſtea confirmavit: ordinati enim fuerunt ante ejus mortem in Cœna: confirmati autem fuerunt, non ſolum poſt ejus mortem, ſed etiam poſt aſcenſum ejus in Cælum, in die Pentecoſtes.

VII. Si reſpondeas, ex S. Thom. *3. p. quæſt. 72. art. 1. ad 1.* rationabile fuiſſe motivum, ut confirmatio debuerit differri uſque poſt Reſurrectionem, immo & aſcenſum Chriſti: nam *In hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Chriſti reſurrectionem; & aſcenſionem, ſecundum illud, Joann. 7.* Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus. Motivum autem differendi Baptiſmum nullum erat. Unde cum ex alia parte naturaliter præcedat alia ſacramenta; ante illa inſtitutum, & Apoſtolis collatum credimus.

VIII. Inſtabis afferendo motivum. Cauſa enim debet præcedere effectum: ſed cauſa Baptiſmi, aliorumque ſacramentorum eſt Paſſio Chriſti, quæ operatur in illo, & maxime in Baptiſmo, de quo dicit Apoſtolus, Roman. 6. v. 3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus;* ergo Paſſio Chriſti debuit præcedere Baptiſmum, ejuſque inſtitutionem, non e contra.

Addo: quod inſtitutio Baptiſmi colligitur ex mandato Chriſti, a quo efficaciam habet: ſed mandatum baptizandi dedit Chriſtus poſt Paſſionem, & Reſurrectionem illis verbis, Matth. ultimo: *Euntes docete &c. Baptizantes &c.* ergo &c.

IX. Reſpondeo cum S. Thom. *3. part. qu. 66. art. 2. ad 1.* conc. præmiſſis, neg. conſeq. Cauſa enim Baptiſmi, & Sacramentorum eſt meritum Paſſionis Chriſti, non ſolum ut exiſtens, ſed etiam ut figuratum, & fide apprehenſum; quomodo operatum fuit ab initio mundi, & in omnibus veteris Legis ſacramentis. Et ſic *Etiam ante Paſſionem Chriſti Baptiſmus habebat efficaciam a Chriſti Paſſione, in quantum eam præfigurabat: aliter tamen* (nota) *quam ſacramenta veteris Legis. Nam illa erant figuræ tantum; Baptiſmus autem ab ipſo Chriſto virtutem habebat juſtificandi; per cujus virtutem ipſa etiam Paſſio ſalutifera fuit.* Ex quibus dici poteſt, quod inſtitutio Baptiſmi licet præceſſerit con-

conſummationem Paſſionis Chriſti, non tamen præceſſit inchoationem ejus: Paſſio enim eſto in morte Crucis conſummata fuerit; ab exordio tamen conceptionis Chriſti, quo humanitatis pœnalitates aſſumpſit, fuit inchoata.

Ad id, quod additur, dico, diſtinguendam eſſe Baptiſmi inſtitutionem, & efficaciam ab ejus mandato, & obligatione. Nos enim dicimus, fuiſſe quidem ante Paſſionem inſtitutum: ſed non cœpiſſe obligare, niſi poſt Paſſionem ut dicemus. Hoc autem dico (inquit S. Th. cit. ad 2.) *Quia homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Chriſtum, qui venerat ſua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante Paſſionem ſuam Baptiſmum inſtitutum non poſuit ſub præcepto: ſed voluit ad ejus exercitium homines aſſuefieri, & præcipue in populo Judæorum, apud quem omnia facta figuralia erant, ut dicit Auguſtinus contra Fauſtum* (lib. 4. cap. 2.) *Poſt Paſſionem vero, & Reſurrectionem non ſolum Judæis, ſed etiam Gentilibus neceſſitatem Baptiſmi impoſuit, dicens:* Euntes docete omnes gentes.

X. Sed ad hoc replicabis. Tunc non ſolum præceptus, ſed & primo inſtitutus Baptiſmus credendus eſt, quando primo Chriſtus inſtituit formam Baptiſmi; & Apoſtolos docuit Trinitatis myſterium, ſub cujus invocatione conferendus erat Baptiſmus: ſed hoc ſolum fecit poſt Reſurrectionem, *Matth.* 28. cum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quod in Baptiſmo per Apoſtolos ante Paſſionem dato non legitur factum; ergo &c.

Reſp. neg. min. Eſto enim non legatur, Apoſtolos ante Paſſionem ſub invocatione Trinitatis baptizaſſe; hoc tamen eos feciſſe credendum eſt. Tum quia: ſi, ut dictum eſt, baptizabant Baptiſmo Chriſti, non alio modo baptizare poterant. Tum quia: non ignorare debebant, quid in Chriſti Baptiſmo contigerat, ubi tres divinæ perſonæ viſibiliter apparuerant. Falſum proinde eſt, Apoſtolos ante Paſſionem myſterium Trinitatis non fuiſſe edoctos; cum Chriſtus ſæpe in Evangelio Patris, Filii, & Spiritus Sancti mentionem fecerit; & Petrus, *Matth. 16. v. 16.* Aperte Chriſtum Filium Dei vivi confeſſus ſit.

XI. Objicies ſecundo. Ex Aug. *Tract. 15. in Jo:* ſacramenta de latere Chriſti in Cruce fluxerunt; ergo a Paſſione Chriſti ortum habuerunt, non ante.

Reſp. primo, quod ſi hæc conſequentia vim habet, ſequitur, quod nec Euchariſtia, nec Ordo fuerint ante paſſionem inſtituta: quod tamen falſum eſt.

Reſp. ergo ſecundo, omnia ſacramenta e latere Chriſti fluxiſſe. Quædam, quoad ſui initium, ut Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam unctionem, & Matrimonium. Quædam vero, quoad ſui perfectionem, ut Baptiſmum, Euchariſtiam, & Ordinem. Baptiſmus enim eſto initium a morte Chriſti non acceperit, accepit tamen ſuam conſummationem: nam januam Cæli aperire cœpit, quam antea non aperiebat. Euchariſtia habuit rationem Viatici, quod antea non habebat: & Ordo ad Euchariſtiam cœpit ordinari. Vim tamen gratiæ productivam a Chriſto in Jordane baptizato acceperat; Baptiſmus; & Euchariſtia, ac Ordo in ultima Cœna. Quod autem dicitur, quod e latere Chriſti exivit *ſanguis, & aqua*, non indicat, aquam Baptiſmi tunc habuiſſe primo vim ſanctificandi, ſed conſummationem.

§. III.

Reſolutio Poſterior.

MOdo quærimus de tempore, quo ante Paſſionem inſtitutus fuit Baptiſmus. Unde.

XII. Dico ſecundo. Tunc fuit inſtitutus Baptiſmus, quando in Jordane Chriſtus baptizatus fuit. Ita S. Thom. *3. p. q. 62. art. 2.* cujus ratio hæc eſt. Tunc ſacramenta inſtituta videntur, quando primo acceperunt virtutem ſanctificandi; ſacramenta enim ex ſua inſtitutione ſanctificandi vim habent: ſed aqua Baptiſmatis primo recepit virtutem ſanctificandi: quando Chriſtus in Jordane baptizatus fuit; ergo &c. Min. prob. Aqua ſanctificatur per præſentiam Trinitatis, cujus nomine Baptiſmus confertur: atqui dum Chriſtus baptizatus fuit, tota Trinitas adfuit; Pater in voce: *Vox de Cælo facta eſt, tu es Filius meus*, Filius aderat in humanitate, & Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ, *Matth. 3. v. 17.* & *Luc. 3. v. 22.* ergo &c.

XIII. Id rurſus teſtantur Patres, Ambroſius, lib. 2. in Luc. cap. ult. *Baptizatus eſt ergo* (inquit) *Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas; ut abluta, per carnem Chriſti, qua peccatum non cognovit, Baptiſmatis jus haberent.* Unde Catechiſmus Conc. Trid. 2. p. de Bapt. n. 19. *Tunc a Domino hoc ſacramentum inſtitutum eſſe perſpicitur, cum ipſe a Joanne baptizatus ſanctificandi virtutem aqua tribuit. Teſtantur enim Gregorius Nazianzenus, & Auguſtinus, eo tempore aqua vim generandi, in ſpiritualem ſcilicet vitam, datam eſſe. Et alio loco ita ſcriptum reliquit: ex quo Chriſtus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua. Et alibi: baptizatur Dominus non mundari indigens, ſed tactu munda carnis aquas mundans, ut vim abluendi habeant. Atque ad eam rem illud maximo argumento eſſe potuit, quod hanc Sanctiſſima Trinitas, in cujus nomine Baptiſmus conficitur, numen ſuum præſens declaravit: Vox enim Patris audita eſt, Filii perſona aderat, & Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie deſcendit: Cæli aperti ſunt, quo nobis jam per Baptiſmum licet aſcendere*: quod etiam docuerat S. Th. *3. p. q. 35. art. 5.* quod baptizato Chriſto aperti ſunt Cæli: ut oſtenderetur, per Baptiſmum Chriſti homini patere aditum ad Cælum, quod Adæ peccatum præcluſerat.

Immerito proinde oppoſitum ſentientes dicunt, tunc promiſſum quidem Baptiſmum, ſed non inſtitutum. Si enim Baptiſmus efficaciam accepit ad abluenda peccata, ut diximus; ergo tunc fuit inſtitutus: efficaciam enim habere non potuit, antequam eſſet inſtitutus.

XIV. Secundo probatur, excludendo alias opiniones. Si Baptiſmus, eſto inſtitutus ante Paſſionem, non fuit inſtitutus in Jordane, maxime quia fuit inſtitutus, Jo: 3. quando Chriſtus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* vel cum Apoſtolos ad baptizandum miſit, ſed non primum. Nam ſicut ex his verbis, jo: 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, probari non poteſt, tunc Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam: ita neque ex his aliis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* colligi poteſt, Baptiſmum tunc fuiſſe inſtitutum; ſed ſolum futuram Baptiſmi, ſicut & Euchariſtiæ, neceſſitatem fuiſſe indicatam. Non ſecundum. Nam ex hoc, quod miſit Diſcipulos ad baptizandum, indicatur quidem, tunc primo Apoſtolis delegatum fuiſſe miniſterium, & exercitium baptizandi; ſed non quod tunc primo fuerit inſtitutus Baptiſmus; immo potius, quod ſupponeretur jam inſtitutus: alias dici poſſet inſtitutus poſt Reſurrectionem, cum *Matth.* 28. ſolemniter eis tale baptizandi miniſterium delegavit, dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* quod tamen Auctores oppoſiti negant.

XV. Porro ut Candidatus meus hæc omnia diſtinguere valeat, audiat S. Th. in 4. *diſt. 3. q. 1. art. 5. q. 2.* ſic dicentem: *Multiplex fuit Baptiſmi inſtitutio. Fuit enim primo inſtitutus quantum ad materiam in Baptiſmo Chriſti. Tunc enim vim regenerativam aquis contulit, & aliquo modo fuit forma figurata per præſentiam trium perſonarum in ſigno viſibili: quia Pater apparuit in voce; Filius in carne, Spiritus Sanctus in columba. Et ſimiliter fructus Baptiſmi ibi præfigurasus fuit, quia Cæli aperti ſunt ſuper eum. Sed neceſſitas ejus fuit declarata, Jo: 3. ubi dicit:* Niſi quis renatus &c. *Sed uſus fuit inchoatus, quando miſit Diſcipulos ad prædicandum, & baptizandum, ut patet, Matth. 10. Sed efficaciam habuit ex Paſſione Chriſti, quantum ad ultimum effectum, qui eſt aperitio Janua. Sed divulgatio ejus quantum ad omnes nationes præcepta fuit, Matth. ult. ubi dixit:* Euntes docete omnes gentes. Quibus bene perpenſis omnis tollitur æquivocatio.

XVI. Sed dices. Chriſtus, dum a Joanne baptizaretur, non inſtituit ſuum Baptiſma. Non; in actu exercito; quia tunc neminem baptizavit, ſed potius ipſe baptizatus fuit Neque in actu ſignato; cum nil ibi præſcripſerit circa Baptiſmum.

Rurſus: inſtituere ſacramenta eſt actus Legislatoris: ſed ibi Chriſtus non geſſit perſonam Legislatoris, ſed potius pœnitentis; ergo tunc Baptiſmum non inſtituit.

XVII. Reſp. ad primum, Chriſtum tunc inſtituiſſe Baptiſmum in ſtatu ſignato, facto nimirum, eſto non verbo; deſignando, & conſecrando materiam, & ſtatuendo formam, non expreſſione, ſed præſentia Trinitatis. Utimur enim vocibus in defectum rerum, quas præſentes non habemus: cæterum cum res ipſæ præſentes ſunt, voces non ſunt neceſſariæ.

Ad ſecundum dico primo, quod præcipere quidem actus legislatoris eſt, ſed non inſtituere. Secundo dico, quod Chriſtus in toto ſuæ vitæ decurſu utramque perſonam geſſit, & pœnitentis, quia peccata noſtra ipſe portavit; & Legislatoris, quia Legem antiquam abrogavit, & novam condidit. Unde D. Thom. 3. p. q. 39. art. 1. ad 2. *Chriſtus* (inquit) *non ſolum debebat implere ea, quæ erant veteris Legis, ſed etiam inchoare ea quæ ſunt novæ Legis, & ideo non ſolum voluit circumcidi, ſed etiam baptizari.*

DUBIUM I.

De tempore, quo cœpit obligare Baptiſmus.

§. I.

Prior reſolutio.

I. CIrca tempus, quo cœpit obligare Baptiſmus, diſſentiunt D. Quidam enim, referente S. Bernardo *Epiſt. 77.* (modo *Tract. de Bapt.*) aſſerebant, cœpiſſe obligare Baptiſmum ab eo tempore, quo Chriſtus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Scotus, Eſtius, & alii ſentiunt, non cœpiſſe obligare, niſi poſt ſufficientem Evangelii promulgationem; quæ, inquit Scotus, cœpit in die Pentecoſtes. Sotus, Vaſquez, & alii volunt, obligare cœpiſſe ſtatim poſt Paſſionem, & Reſurrectionem; cum nimirum Chriſtus Diſcipulis apparens legem Baptiſmi promulgavit, dicens, Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Quod autem nobis magis arrideat, ſequentibus exponemus.

II. Dico primo. Baptiſmus non cœpit obligare ante Paſſionem, & Reſurrectionem Chriſti. Ita S. Th. 3. *p. q.* 62. *art.* 2. ubi poſtquam ſtatuit, Baptiſma, quantum ad eſſe ſacramenti, fuiſſe inſtitutum in Jordane, addit: *Sed neceſſitas utendi hoc ſacramento indicta fuit hominibus poſt Paſſionem, & Reſurrectionem.* Et probat duplici ratione. Primo. Quia tunc cœpit obligare Baptiſmus Chriſti, & nova Lex, quando Lex vetus, & figuralia ſacramenta fuerunt terminata; quibus ſuccedere debebant Baptiſmus, & alia ſacramenta novæ Legis: at hæc ſolum terminata fuerunt in morte Chriſti. Quare Chriſtus moriens dixit: *Conſummatum eſt.* Et Chriſtus ipſe ante mortem ipſa legalia obſervavit: non enim ſolum circumcidi voluit, ſed & agnum paſchalem, morti proximus, ex præſcripto Moyſis comedit: & leproſo mundato præcepit, ut oſtenderet ſe Sacerdoti: *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes* (Matth. 8. v. 4.) ergo &c.

Secundo. Per Baptiſmum configuratur homo Paſſioni, & Reſurrectioni Chriſti: *In quantum moritur peccato, & incipit novam juſtitiæ vitam*; ergo oportuit prius Chriſtum pati, & reſurgere, quam hominibus indiceretur neceſſitas ſe conformandi morti, & Reſurrectioni ejus.

III. Dices primo. Judæus audiens doctrinam Chriſti tenebatur illi credere, etiam ante paſſionem, ut ſi non crederet, peccaret: ergo tenebatur Legem Chriſti ſuſcipere; ergo & Baptiſmum, cum hic ſit fundamentum, & janua ad Chriſti legem introducens.

Reſp. neg. conſ. Eſto enim Judæus (idem dic de Gentili) dum Chriſtus adhuc mortalis viveret, & prædicabat, teneretur ei credere; quare Scribæ, & Phariſæi Chriſti doctrinam ſpernentes, toties reprehenduntur: non tamen adhuc tenebatur Legem Evangelii ſuſcipere; cum ad neutrum Chriſtus obligaret: ſed tenebatur ſolum credere, Chriſtum eſſe Meſſiam, & ad ejus Legem, quam promulgaturus erat, ſe præparare. Unde his, qui ad eum veniebant, imponebat quidem, ut crederent; non tamen ut baptizarentur.

IV. Dices ſecundo. Chriſtus ante Paſſionem dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei* (Jo: 3.) ergo voluit Baptiſma ſuum obligare ante Paſſionem.

Reſp. neg. conſ. ex D. Th. loco cit. ad 3. Quod enim Chriſtus dixit Nicodemo: *Niſi quis &c. Magis videtur ad futurum reſpicere, quam ad præſens tempus.* Sicut cum, *Jo: 6.* dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis*, ut ſupra expendimus. Ratio autem eſſe poteſt. Quia tunc erat colloquium privatum Chriſti cum Nicodemo: præceptum autem Baptiſmi non debuit dari in colloquio privato, ſed in publico.

V. Ex dictis infero; obligationem Baptiſmi nec cœpiſſe in triduo mortis Chriſti, ante ejus Reſurrectionem. Tum quia: Chriſtus ſolum poſt Reſurrectionem Baptiſmum publice promulgavit. Tum quia: Baptiſmus eſt figura non ſolum mortis, ſed & Reſurrectionis Chriſti, ut docet S. Th. cit. —— Nec obſtat, quod Chriſtus moriens dixerit: *Conſummatum eſt*: Unde S. Th. 1. 2. *q.* 103. *art.* 3. *ad* 1. dicit; quod *Tunc totaliter debuerunt ceſſare Legalia, quaſi jam veritate eorum confirmata.* Nam hoc non debet ſic ſumi, quaſi Lex vetus totaliter ceſſaverit in morte Chriſti, ut ſejuncta a Reſurrectione; ſed ut cum ea conjuncta, tamquam cum ea integrante unum motum noſtræ redemptionis; qui a morte incipit, ut a termino, a quo, & in Reſurrectione, ut in termino ad quem conſummatur; dicente Paulo, 1. Cor. 15. v. 17. *Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides veſtra; adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.*

VI. Neque dicas. In morte Chriſti translatum eſt Sacerdotium ab Aaron ad Chriſtum; Chriſtus enim in ara Crucis ſeipſum offerens, Hoſtia fuit, & Sacerdos, ut ait Apoſtolus, *Hebr. 9.* & in morte ejus velum templi in duas partes ſciſſum eſt: ſed *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & Legis translatio fiat* (Hebr. 7. v. 12.) non enim poteſt Lex ſine Sacerdotio manere; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Priuſquam enim Sacerdotium Aaron transferretur, & aboliretur, debuit Sacerdotium Chriſti eſſe completum, & in perfectione ac indefectibilitate conſtitutum; quod non habuit uſque ad ejus Reſurrectionem, in qua Chriſtus aſſumpſit vitam indefectibilem, & immortalem. Tunc enim ſolum impleta eſt Davidis prophetia, Pſ. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* De qua Paulus, *Hebr. 5. v. 6.* Unde illa oblatio in ara crucis nonniſi ut conjuncta Reſurrectioni plene evacuavit antiquum Sacerdotium. Unde addit Paulus, v. 9. *Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Super quæ S. Th. Lect. 2. *Conſummatus* (inquit) *quia poſt Paſſionem habuit impaſſibilitatem. Et ideo quia ſecundum hoc ex toto perfectus eſt, convenit ſibi alios perficere.* Neque hic contradicere intendimus iis, quæ in *Tract. de Leg. q.* 4. *dub.* 6. §. 3. diximus in Chriſti morte ceſſaſſe Legem Moſaicam; ſed ſolum intendimus, conſummate ceſſaſſe in Chriſti morte, ut cum ejus Reſurrectione conjuncta.

§. II.

Poſterior reſolutio.

VII. Dico ſecundo. Probabilius cenſeo, Baptiſmi obligationem cœpiſſe ſtatim poſt Chriſti Reſurrectionem; nimirum cum Chriſtus, *Matth. ult. v.* 18. & 19. dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Ideoque ab illo puncto cœpiſſe obligare Legem Baptiſmi, modo tamen infra explicando.

Probatur. Nam, ex nuper dictis, in Chriſti Reſurrectione Lex antiqua fuit penitus extincta, & Sacerdotium vetus translatum in novum; ergo Lex nova cœpit obligare: defitio enim Legis antiquæ fuit inchoatio novæ, & *translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut Legis translatio fiat*, ut S. Paulus ſupra citatus, ait, *Hebr. 7. v. 12.* Hinc Hieronymus, & Auguſtinus in magna illa controverſia, quæ diu inter illos exarſit, circa obſervantiam Legalium, licet diſſentirent in quæſtione: an eſſent poſt Reſurrectionem mortifera; conveniebant tamen in hoc, quod erant penitus extincta, & mortua. De quo videnda ſunt quæ diximus, *Tom. I. in* 1. 2. *Tract. de Leg. q.* 4. *dub.* 7.

VIII. Reſpondent Contrarii, quod eſto a die Reſurrectionis Lex vetus fuerit evacuata; nondum tamen Baptiſmus fuit in præcepto, niſi uſque ad ſufficientem Evangelii promulgationem: quo medio tempore totus mundus redactus fuit ad ſtatum Legis naturæ; & remedia ſalutis, quæ in eo ſtatu erant, ſuam utilitatem non amiſerunt: non enim erant umbræ futurorum, ſicut Moſaica, ſed quaſi connaturalia, & media per ſe talia ad ſalutem.

IX. Sed contra. Nam ſi extincta Lege moſaica, non ſtatim cœpiſſet Lex evangelica; Chriſtus veniſſet legem moſaicam ſolvere, non adimplere; quia Legem implere, eſt Legem figurativam in figuratam convertere: atqui Chriſtus proteſtatur, Matth. 5. v. 17. *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere*; ergo &c. Quemadmodum igitur in naturalibus unius corruptio eſt alterius generatio: ita Legis antiquæ abolitio fuit Legis novæ productio, nec illa deſiit obligare, niſi per obligationem iſtius. Hinc S. Leo, *Serm. 7. de Paſſione*, ait: *Ut ergo umbra caderent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis; antiqua obſervantia novo excluditur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis auferetur, & legalis feſtivitas dum mutatur, impletur.*

X. Secundo prob. Concluſio ſic. Si Baptiſmus non cœpiſſet obligare ſtatim poſt Reſurrectionem, hoc ideo fuiſſet, quia Lex poſitiva non obligat, niſi poſtquam venit in notitiam ſubditorum: ſed hoc eſt falſum: licet enim excuſentur ab ejus tranſgreſſione, qui eam invincibiliter ignorant; tamen nunc per ſe obligare incipit, cum publico edicto a Principe in aula ſua ſtatuitur, & promulgatur, ut diximus *Tom. I. in* 1. 2. *Tract. de Leg. q.* 6. *dub.* 4. *& q.* 1. *dub.* 3. §. 3. Immo ſi Lex neminem obligaret, quouſque in ejus notitiam deveniret; improprie diceretur, ignorantiam legis excuſare a tranſgreſſione, quia excuſatio non eſt, niſi ab eo, ad quod homo obligatur. Cum ergo ſtatim poſt Reſurrectionem Chriſtus apparens Diſcipulis Legem Baptiſmi publice promulgaverit, dicens: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* ex tunc Baptiſmus cœpit eſſe in præcepto; licet daretur locus ignorantiæ invincibili excuſanti eos, qui de Evangelio non audierant, uſque ad ſufficientem Evangelii promulgationem.

XI. Sed argues primo. Præceptum Baptiſmi non potuit obligare ante ſufficientem ſui promulgationem. Ut enim docet S. Th. 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. *Ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis; oportet quod applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione*; Sed hæc non fuit facta ante Pentecoſten; ergo ante non obligavit. Min. prob. Tum quia: Apoſtoli non propoſuerunt publice Legem Evangelii, niſi in die Pentecoſtes. Tum quia: ut docet S. Leo, *Serm. 1. de Pentecoſte*, promulgatio Legis Moyſis figura fuit promulgationis Legis evangelicæ: ſed lex Moyſis promulgata fuit non prius, quam die quinquageſimo a Paſchate Judæorum; ergo & Lex evangelica non prius debuit promulgari, quam die Pentecoſtes, quæ eſt quinquageſima a die Paſchatis.

XII. Reſpondeo, diſt. maj. Ante ſui promulgationem ſufficientem ad rationem legis, conc. maj. Sufficientem ad tollendam ignorantiam invincibilem ejus, & reddendum inexcuſabilem ab ejus tranſgreſſione, neg. maj. & diſt. min. Non fuit facta ſufficienter ad tollendam ejus ignorantiam &c. conc. min. Sufficientem ad obligationem, & rationem legis, nego min. Ut enim dixi, citato *Tract. de Legibus quæſt.* 1. *dub.* 3. §. 3. *num.* 20. *& quæſt.* 6. *dub.* 4. §. 1. *n.* 5. ut lex ex ſe incipiat obligare, ſat eſt, ut publicetur in ſuprema civitate Regni, vel coram ſupremo corpore politico: & licet facta hac publicatione non peccent ii, quibus nondum innotuit; hoc non eſt ex defectu legis, ſed ex defectu notitiæ: ignorantia enim eos excuſat a peccato. Sic Leges pontificiæ, ex quo Romæ ſunt publicatæ, cenſentur

vim

vim obligativam acquiſiviſſe. Cum ergo Chriſtus ſupremus Eccleſiæ Princeps Legem Baptiſmi coram Apoſtolis, qui erant ſupremum Eccleſiæ corpus politicum, præceperit, ac promulgarit, dum dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas &c. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Probabilius credo, ab eo tempore Baptiſmum cœpiſſe habere vim Legis obligantis; quamvis illi, ad quorum notitiam nondum devenerat, ratione ignorantiæ, quæ in illis erat invincibilis, excuſarentur. Quæ ignorantia ſublata poſtea fuit, magna ex parte, in die Pentecoſtes, quo Baptiſmus & Lex evangelica fuit omnibus gentibus, quæ tunc in Jeruſalem convenerat, promulgata.

Hinc ad primam min. prob. reſpondeo, ſolum evincere, non fuiſſe Baptiſmum ante diem Pentecoſten promulgatum, promulgatione ſufficiente ad tollendam ignorantiam invincibilem; non vero promulgatione ſufficiente ad rationem legis obligantis. Unde S. Auguſt. Tract. 7. in Jo: *Audiſtis* (inquit) *quomodo a Sion prodiit Lex, & verbum Domini ab Jeruſalem. Ibi enim audierunt Diſcipuli. Ite baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Ad ſecundam etiam dico, Legem Moyſis tunc cœpiſſe habere vim legis, quando a Deo fuit tradita Moyſi in Monte Sina. Cum vero a Moyſe fuit annuntiata populo; illa non fuit promulgatio neceſſaria ad rationem Legis, ſed ſolum declaratio; ne homines ab ejus obſervantia, poſſent ignorantia excuſari.

XIII. Argues ſecundo. Si ſtatim poſt Chriſti Reſurrectionem, & ante publicationem ejus populo cœpit Lex evangelica obligare; Judæi ipſam ignorantes caruerunt remedio originalis peccati pro ſuis parvulis: quandoquidem Circumciſio ab eo puncto, quo Baptiſmus, & Lex evangelica cœpit obligare, amiſit totam vim emundandi ab originali: at hoc divinam bonitatem non decebat; ergo &c.

XIV. Huic inſtantiæ reſpondere tenentur, puto, etiam Contrarii. Nam & ipſi dicunt, ni fallor, & ſaltem dicere tenentur, Circumciſionem in morte, & Reſurrectione Chriſti inutilem evaſiſſe; ergo toto illo tempore, a Reſurrectione Chriſti ad Pentecoſten, caruerunt remedio originalis pro parvulis ſuis. Idem dicere debebunt poſt diem Pentecoſtes de Judæis, & Gentilibus Jeroſolymis non exiſtentibus; ad quos non ſtatim pervenire poterat notitia Legis evangelicæ.

Reſpondeo, vel concedendo, toto illo tempore a Chriſti Reſurrectione ad Pentecoſten, ſive ad Evangelium promulgatum, pueros Hebræorum, & Gentilium caruiſſe remedio pro peccato originali; non quia tunc non eſſet, ſed quia ab eis ignorabatur: ſicut modo pueri, qui naſcuntur ex infidelibus, ad quos notitia Evangelii non pervenit, tali rimedio carent.

Vel tempore illo intermedio, ex miſericordia Dei, profuiſſe parvulis Circumciſionem. Decuit enim, ut toto illo tempore, quo divina bonitas ſuſtinuit Legem moſaicam, non auferret, ſaltem pro parvulis tunc morientibus, ejus utilitatem; eo modo, quo, ut ſupra vidimus, Contrarii volunt, pro eo tempore valuiſſe pro parvulis remedium Legis naturæ.

XV. Argues tertio. Obſervantia quorumdam Legalium fuit, *Act. 15. v. 18.* ab Apoſtolis præcepta: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato*: At ſi Legalia per Chriſti mortem fuiſſent penitus extincta, non potuiſſent ea Apoſtoli præcipere; ergo &c.

XVI. Reſpondeo, quod ſi hoc evincit, probat, quod nec etiam poſt publicationem Evangelii Legalia fuerint extincta: Decretum enim illud fuit ab Apoſtolis editum in primo Concilio Jeroſolymitano; quod certe coactum fuit multo poſt promulgationem Evangelii factam in die Pentecoſtes.

Dico ergo cum S. Th. 1. 2. *q. 103. art. 4. ad 3.* ubi rejectis aliis reſponſionibus: *Iſta* (inquit) *ſunt prohibita, non ad obſervandum cæremonias Legis; ſed ad hoc, quod poſſet coaleſcere unio Gentilium, & Judæorum ſimul habitantium. Judæis enim, propter antiquam conſuetudinem, ſanguis, & ſuffocatum erant abominabilia: comeſtio autem immolatorum ſimulacris poterat in Judæis generare circa Gentiles ſuſpicionem reditus ad Idololatriam. Et ideo iſta fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles, & Judæos. Procedente autem tempore; ceſſante cauſa ceſſavit & effectus &c.* De abrogatione Legalium fuſe locuti ſumus, citato *Tract. de Legib. q. 4. dub. 7.* quo Studioſum remittimus.

QUÆSTIO IV.

De Miniſtro Baptiſmi.

POST examinatam inſtitutionem Baptiſmi, ad ejus miniſterium gradum facimus. Hic examinabimus, quinam poſſit eſſe Baptiſmi Miniſter: An ſolus Sacerdos, an etiam Diaconus, an laicus, ſive maſculus, ſive mulier: An Hæreticus, an etiam Infidelis non baptizatus: An idem a ſeipſo; & alia, quæ ad miniſterium pertinent.

DUBIUM I.

An Miniſter Baptiſmi ſit ſolus Epiſcopus, an etiam Presbyter, vel Diaconus?

§. I.

De Epiſcopo, & Presbytero.

I. MIniſter Baptiſmi duplex eſſe poteſt. Unus ordinarius, & ſolemnitatis; qui nimirum in conventu Eccleſiæ ſolemni ritu baptizat: alter extraordinarius, & neceſſitatis; qui nimirum urgente neceſſitate in quocumque loco baptizat.

II. Dico ergo primo. Miniſter ordinarius, & ſolemnitatis Baptiſmi primo eſt Epiſcopus. Probatur ex antiqua Eccleſiæ praxi, cujus teſtes ſunt Tertullianus, *lib. de Bapt. cap. 17.* ubi de dando Baptiſmo loquens, ait: *Dandi quidem habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus.* S. Hilarius *in Pſ. 67.* vocans munus baptizandi officium Sacerdotale, & Apoſtolicum. Theodoretus, *lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 24.* refert, Conſtantinum Magnum miſiſſe veſtem auream ad Macarium Jeroſolymæ Epiſcopum, qua indutus ſolemniter baptizaret. Solebant enim Epiſcopi quondam conferre Baptiſmum diebus feſtivis, maxime in vigilia Paſchatis, & Pentecoſtes, de quo more ſcribit Hincmarus. *Opuſc. 5.*

Ratio etiam id ſuadet. Nam Epiſcopi ſunt ex officio ſuo diſpenſatores Myſteriorum Dei; & habent poteſtatem expeditam, & completam ſuper corpus Chriſti myſticum. Ideoque Chriſtus, *Matth. ult.* Apoſtolis, qui Epiſcopi erant, munus docendi, & baptizandi injunxit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

III. Dico ſecundo. Non ſolus Epiſcopus, ſed etiam Presbyter eſt Miniſter ordinarius, & ſolemnitatis Baptiſmi. Ita Conc. Florent. in Decreto Eugenii, ubi agens Pontifex de Miniſtro Baptiſmi, ait: *Miniſter hujus ſacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Probatur etiam ratione S. Th. *3. part. quæſt. 67. art. 2.* ſub hac forma. Sacerdotes ad hoc conſecrantur, ut ſacramentum corporis Chriſti conficiant, quod eſt ſacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, ſecundum illud Apoſtoli, 1. Cor. 10. v. 17. *Unus panis, & unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus:* ſed per Baptiſmum aliquis fit particeps Eccleſiaſticæ unitatis, & accipit jus ad menſam Domini accedendi: ergo *Sicut ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam (ad quod principaliter Sacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare: ejuſdem enim videtur eſſe operari totum, & partem in toto diſponere.*

IV. Sed dices primo. Sub eodem præcepto injungitur, *Matth. ult.* officium docendi, & baptizandi; ſed docere ex officio pertinet ad ſolum Epiſcopum; ergo & baptizare pertinet tantum ad officium Epiſcopi.

Reſpondet S. Th. cit. ad 1. *Quod utrumque officium, ſcilicet, docendi, & prædicandi, Dominus Apoſtolis injunxit; quorum vices gerunt Epiſcopi: aliter tamen, & aliter. Nam officium docendi commiſit eis Chriſtus, ut ipſi per ſe illud exercerent, tamquam principaliſſimum: unde & Apoſtoli dixerunt, Act. 6.* Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. *Officium autem baptizandi commiſit Apoſtolis, ut per alios exercendum. Unde & Apoſtolus dicit,* 1. *Cor.* 1. Non miſit me Chriſtus baptizare, ſeu evangelizare: *Et hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur meritum, & ſapientia Miniſtri, ſicut in docendo, ut patet ex ſupradictis* (q. 64. art. 5. 6. & 9.) *in cujus etiam ſignum nec ipſe Dominus baptizavit, ſed Diſcipuli ejus, ut dicitur, Jo: 4. Nec tamen per hoc excluditur, quin Epiſcopi poſſint baptizare: quia quod poteſt poteſtas inferior, poteſt & ſuperior. Unde Apoſtolus* ib. (1. Cor. 1. v. 14.) *dicit, ſe quoſdam baptizaſſe.*

V. Dices ſecundo. Per Baptiſmum annumeratur aliquis populo Chriſtiano, quod videtur ad officium ſolius Principis pertinere: ſed Principatum in Eccleſia tenent Epiſcopi; ergo videtur, quod baptizare pertineat ſolum ad officium Epiſcopi.

Reſpondet S. Th. ad 2. ibid. *Quod in qualibet Republica, ea, quæ ſunt minora, pertinent ad minores: majora vero majoribus reſervantur, ſecundum illud, Exodi 18.* Quidquid majus fuerit, referant ad te, & ipſi tantummodo minora judicent. *Et ideo ad minores civitatis Principes pertinet diſponere de infimo populo: ad ſummos autem Principes pertinet diſponere ea, quæ pertinet ad majores civitatis. Per Baptiſmum autem non adipiſcitur aliquis, niſi infimum gradum in populo Chriſtiano: & ideo baptizare pertinet ad minores Principes Eccleſiæ, ideſt, ad Presbyteros, qui tenent locum ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Chriſti, ut dicit Gloſſa, Luca 10.*

VI. Si dicas. Conſecrare Baſilicas, ungere Altaria, Chriſma conficere ſolius Epiſcopi officium eſt: ſed his major eſt Baptiſmus, quo homines conſecrantur Deo; ergo ad Epiſcopum magis, quam ad minorem Presbyterum videtur pertinere.

Reſpondeo cum S. Thom. ibid. ad 3. quod ſacramentum Baptiſmi potiſſimum quidem eſt neceſſitate: *Sed quantum ad perfectionem ſunt quædam alia potiora, quæ Epiſcopis reſervantur,*

VII. Adverto tamen, quod licet Presbyteri ex vi suæ ordinationis potestatem habeant, solemniter baptizandi, ideoque sint ministri ordinarii; hoc tamen munus exercere non possunt licite, nisi cum subordinatione, & dependentia ab Episcopo, ejusque deputatione. Eo enim proportionali sensu, quo quilibet Sacerdos, ex vi suæ ordinationis, ex officio potest absolvere a peccatis, potest etiam ex officio baptizare; sed sicut quilibet Sacerdos non potest quemcumque, & a quibuscumque peccatis absolvere, nisi vel a Pontifice, vel ab Episcopo ad id exponatur; ita nec potest quilibet Sacerdos quemlibet solemniter, & ex officio baptizare; sic ut supra quoscumque, in quibuslibet Diœcesibus, vel Parœciis possit id muneris ex officio exercere: sed, ut id possit, vel ubique, vel in certis locis, ex designatione Superioris pendet. Ratio est. Quia per Baptismum fideles introducuntur in Ecclesiam; & constituuntur in hac, vel illa Diœcesi, vel Parœcia; ideoque ad Pastores Ecclesiæ spectat disponere, quinam Sacerdotes debeant baptizandos in Ecclesiam inducere: eosque in hac, vel illa Diœcesi, aut Parochia constituere: Quapropter Ecclesia statuit, ut hoc officium regulariter a solis Parochis exerceatur. Est tamen differentia inter facultatem absolvendi, & baptizandi: quod Sacerdos non deputatus ad absolvendum, invalide absolvit; Sacerdos tamen non deputatus ad baptizandum solemniter, baptizans, baptizat quidem illicite, sed tamen valide.

§. II.

De Diacono.

VIII. Dico tertio. Diaconus, vel alius, Sacerdote inferior, non potest esse ordinarius Baptismi Minister. Ita S. Thom. 3. *part. quæst. 67. art.* 1. his verbis: *Sicut Cælestium Ordinum proprietas, & eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ut Dionysius dicit, cap. 7. Cæles. Hierarch. ita etiam ex nominibus Ecclesiasticorum Ordinum accipi potest, quid ad unumquemque pertineat Ordinem. Dicuntur autem Diaconi quasi Ministri: quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere; sed adhibere ministerium aliis Majoribus in sacramentalem exhibitionem. Et sic ad Diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio, tradere Sacramentum Baptismi; sed in collatione hujus sacramenti, & aliorum assistere, & ministrare Majoribus* (Episcopo scilicet, & Presbytero) Ex quo colligitur multo minus Subdiaconos, & alios in inferioribus Ordinibus constitutos posse esse Ministros ordinarios Baptismi.

IX. Sed dices. Christus simul injunxit officium prædicandi Evangelium, & baptizandi: sed Diaconi officium est evangelizare, & Evangelium prædicare; ergo & baptizare.

Resp. neg. min. cum S. Thom. cit. ad 1. Ad Diaconum enim pertinet quidem recitare Evangelium in Ecclesia, & prædicare ipsum per modum Catechizantis: sed docere, & exponere Evangelium, quod est perficere, proprie officium Episcopi est.

X. Dico quarto. Diaconus ex commissione potest solemniter baptizare. Id enim legitur in Scriptura, *Act.* 8. de Philippo Diacono, qui cum Samaritanis prædicasset Christum, dicitur, v. 12. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* Et *v.* 38. Idem Philippus baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis. Hanc fuisse sui temporis praxim Tertullianus testatur, *lib. de Bapt. cap.* 17. ubi post Presbyteros in ministerio Baptismi ponit Diaconos: *Non tamen* (inquit) *sine Episcopi auctoritate,*

XI. Sed inquies: Sicut Diaconus non potest solemniter baptizare sine Episcopi licentia, ita neque Presbyter, ut diximus; ergo vel uterque baptizat ex commissione, vel si Presbyter baptizat ex officio, cur non Diaconus?

Resp. Presbyterum jure ordinario, & ex vi sui ordinis habere officium baptizandi: sicut enim ex vi Ordinis habet actionem supra Corpus Christi verum: ita habet ex vi ejusdem potestatem supra Corpus Christi mysticum: in exercitio tamen hujus potestatis, ut ordo in Ecclesia servetur, ab Episcopo dependet. At Diaconus, ex vi sui Ordinis, nullius sacramenti conficiendi potestatem habet; sed solum Sacerdoti illa conficienti ministrandi: ideoque si aliquando baptizat, non ex officio, sed ex commissione id facit. Unde Gelasius I. 93. dist. cap. *Diaconus*, relatus a S. Th. præfato *art.* 1. ait: *Absque Episcopo, vel Presbytero* (Diaconi) *baptizare non audeant; nisi prædictis Ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat.* Et hoc modo, absentibus Apostolis, Philippus Diaconus evangelizabat, & baptizabat. Et ut ait S. Th. cit. ad 3. in absentia Majorum B. Laurentius baptizavit.

XII. Noto tamen: quod licet Diaconus ordinaria potestate baptizandi careat; cum tamen ex vi sui Ordinis prope accedat ad Presbyterum, inchoatam quamdam potestatem habet, ut in absentia illius, nedum in casu necessitatis extremæ (in qua eam habet quivis Diacono inferior, etiam laicus) sed etiam gravis baptizare, & nedum private, sed etiam solemniter in Ecclesia & patet ex glossa super dictum cap. *Diaconos*. Ubi dicitur, Diaconum Presbytero justam ob causam, in Ecclesia, adeoque solemniter baptizare posse, etiam in præsentia ipsius Presbyteri. Justa autem, & gravis causa censetur, si verbi gratia Parochus ægrotet, & non sit alius Sacerdos, cui possit committi: si multi sint, qui Baptismo indigent, & Parochus non potest omnibus sufficere: (Quod probabile est, fuisse factum, cum ad prædicationem Petri uno die tria, alio quinque hominum millia baptizati sunt) & hoc maxime si absque aliquo notabili incommodo Baptismus differri non possit.

XIII. Quæri solet: Utrum aliquando soli Episcopi Baptismum ministrarint.

Respondendum videtur affirmative. Prioribus enim Ecclesiæ sæculis, quibus solemnis Baptismus ad longum tempus (nisi urgeret vitæ periculum) differebatur: solebat Episcopus diebus solemnibus, maxime in Sabbato Paschatis, & Pentecostes, Baptisma conferre. Unde Dionysius, *lib. de Eccl. Hier. cap.* 2. ritum Baptismi describens dicit, ab Episcopo assistentibus ei Presbyteris, hoc sacramentum ministrari. Huc spectant verba Tertulliani, *lib. de Bapt. cap.* 17. cit. dicentis: *Dandi quidem* (Baptismi) *habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, deinde Presbyter, & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem.* Et S. Paulini in S. Ambrosii vita scribentis: *In rebus etiam divinis implendis fortissimus labor: in tantum, ut quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi, a tempore, quo decessit, vix implerent.* Unde Catechismus Conc. Trid. *part.* 2. *de Sacr. Bapt. num.* 23. ait: *Quod si aliquando Patres Sacerdotibus sine Episcopi venia baptizandi jus permissum non esse dixerint; id de eo Baptismo, qui certis anni diebus solemni cæremonia administrari consueverat, intelligendum videtur:* Quamquam dubitari posset, an hic solemnis Baptismus, qui a solo Episcopo ministrabatur, esset substantia Baptismi; an vero solemnitas quædam, quæ circa baptizatos aqua ab Episcopo celebrabatur; aut sacramentum Confirmationis, quod olim conjunctim cum Baptismo conferebatur. Ait enim S. Hieronymus adversus Luciferianos: *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiæ consuetudinem; ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem S. Spiritus manum impositurus excurrat.* Hoc tamen dicit factitatum: *Ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis.* Ut ut tamen sit, post quintum sæculum, cum maxime mos invaluerit, pueros statim natos, etiam non imminente vitæ periculo baptizandi, cœperunt Presbyteri, etiam in Episcopalibus urbibus baptizare: & sensim obtinuit, ut soli, præsertim Parochi, baptizarent, reservata Episcopis Confirmatione.

Dubium II.

An Minister Baptismi possit esse Laicus?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Laicum non esse Ministrum Baptismi ex officio, & solemnitate, exploratum est. Dubium solum est: an sit saltem minister necessitatis; & an solus masculus, an vero etiam mulier: Mulierem enim præcipue excludit Calvinus, *lib.* 4. *Inst. cap.* 15. §. 20. & 21. contra quem egi in *Vera Ecclesia, Tom.* 1. *cap.* 15. §. 9.

II. Dico ergo. Laicus in casu necessitatis non solum valide, sed etiam licite potest sacramentum Baptismi ministrare, sive masculus, sive femina sit. Assertio hæc quoad singulas partes probanda est.

Quod enim a laicis collatus validus sit Baptismus, constare videtur. Nam si, ut infra dicetur, ratum est Baptisma ab hæreticis, immo & infidelibus datum; a fortiori ratus erit a laicis catholicis datus. Quare, a Christo ad hæc usque tempora, de Baptismo ita collato nemo dubitavit. Datus a non baptizato nonnullis quidem Patribus, inter quos Augustinus, incertus visus est: datum ab hæreticis veteres quidem Patres aliqui improbarunt; sed an valeat a laicis catholicis collatus, nemo dubitavit unquam. Immo id expresse Tertullianus affirmat, *lib.* 1. *de Bapt. cap.* 17. his verbis: *Dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi .... Alioquin etiam laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest .... Proinde & Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest.* Merito igitur Conc. Later. IV. *cap. Firmiter*, statuit, Baptisma a quocumque rite collatum, valere ad salutem, & Eugenius IV. *in Decreto ad Armenos*, loquens de Ministro Baptismatis, ait: *In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus & mulier, immo etiam paganus, & hæreticus, baptizare potest; dummodo formam servet Ecclesia, & facere intendat, quod facit Ecclesia.*

Ratio autem S. Thom. 3. *part. quæst.* 67. *art.* 3. est: *Ad misericordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maxime necessitatis est Baptismus, qui est regenerio hominis in vitam spiritualem. Quia pueris aliter subvenire non potest, & adulti non possunt aliter, quam per Baptismum, plenam remissionem consequi, & quantum ad cul-*

culpam, & quantum ad pœnam. Et ideo, ut homo circa remedium tam neceſſarium defectum pati non poſſit, inſtitutum eſt, ut & materia Baptiſmi ſit communis, ſcilicet, aqua, quæ a quolibet de facili haberi poteſt, & Miniſter Baptiſmi etiam ſit quicumque non ordinatus: ne propter defectum Baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur. Quæ S. Thomæ verba compendio referens Catechiſmus Concil. Trident. *part. 2. de Bapt. num. 24.* ait: *Nam cum hoc ſacramentum neceſſario ab omnibus percipiendum ſit: quemadmodum aqua ejus materiam (* Chriſtus *) inſtituit, qua nihil magis commune eſſe poteſt; ſic etiam neminem ab ejus adminiſtratione excludi voluit. Quamvis, ut dictum eſt, non omnibus liceat ſolemnes cæremonias adhibere: non quidem, quod ritus, aut cæremoniæ plus dignitatis, ſed quod minus neceſſitatis, quam ſacramentum habeant.*

III. Quod vero laici tam mtſculi, quam feminæ licite Baptiſma in caſu neceſſitatis miniſtrare poſſint; eſto ex dictis appareat; ſi enim in caſu neceſſitatis neminem excludi Chriſtus voluit, ſequitur, quod omnes etiam laici Baptiſma licite miniſtrare queant. Nihilominus, ſi Arcudio, in ſuo Tract. *de Bapt. cap. 2.* fides eſt, Rutheni, Moſcovitæ, aliæque Provinciæ, quæ fidem Chriſti ritu Græco profitentur, in hoc errore, ſcrupulo, ac religione verſantur, ut abſente Presbytero malit permittere, ut infantes ſine Baptiſmo e vita decedant, quam eos ſalutari lavacro abluere: quod exiſtiment, ſibi laicis ne in neceſſitate quidem licere hoc munere fungi. His adhæret Calvinus, loco ſupra citato, aſſerens: peccare omnes, qui cum non ſint ordinarii Eccleſiæ Miniſtri, Baptiſma etiam in neceſſitate conferre audent. Cumque negare non poſſit, oppoſitum quovis ſæculo in praxi fuiſſe, dicere non veretur: *Quod autem multis ab hinc ſaculis, adeoque ab ipſo fere Eccleſiæ exordio uſu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet; non video, qua firma ratione defendi queat.* Ita citato §. 20. Et hoc præcipue denegat mulieribus. Hunc autem alio errore tuetur, dicens, infantes fidelium, etſi abſque Baptiſmo decedant, adhuc in regnum Cælorum admitti ex vi pacti, & promiſſionis Dei. Ita ibidem, §. 22. ſed de hoc infra.

IV. Nihilominus hujus Catholicæ veritatis teſtes ſunt Tertullianus citatus, *lib. de Bapt. cap. 17.* his verbis: *Sufficiat ſcilicet in neceſſitate, ut utaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum neget circumſtantia periclitantis.* Concilium Eliberitanum, can. 38. *Peregre* (inquit) *navigantes, aut ſi Eccleſia ins proximo non fuerit, poſſe fidelem baptizare in neceſſitate.* Hieronymus de hac praxi contra Luciferianos ſcribens, ait, *Baptizare, ſi neceſſitas cogat, ſcimus, etiam licere laicis.* Cui totius Eccleſiæ uſui robur addidit Gelaſius Papa, in *Epiſt. ad univerſos Epiſcopos, cap. 9.* ubi loquens de Baptiſmate. *Quod* (inquit) *& laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſæculo evocetur.* Cum ergo conſtans hæc, & perpetua Traditio nonniſi ab Apoſtolis ortum ducere potuerit; Calvinus eam erroris inſimulans Apoſtolos erroris damnet neceſſe eſt.

V. Quoad mulieres, nimirum, eis licere in caſu neceſſitatis Baptiſma conferre, eadem Traditio indicat, quæ numquam a tali miniſterio eas excludit. Rationem autem dat S. Thom. *2. part. quæſt. 67. art. 4.* Nam *Chriſtus eſt qui principaliter baptizat, ſecundum illud Jo: 1.* Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt qui baptizat. *Dicitur autem ad Coloſſ. 3. quod* in Chriſto non eſt maſculus, & femina: *Et ideo ſicut maſculus poteſt baptizare, quaſi miniſter Chriſti, ita etiam & femina.*

Addit vero: *Quia tamen* Caput mulieris eſt vir, & caput viri, eſt Chriſtus, *ut dicitur 1. Cor. 11. non debet mulier baptizare, ſi adſit copia viri; ſicut nec laicus præſente Clerico, nec Clericus præſente Sacerdote: qui tamen poteſt baptizare præſente Epiſcopo, eo quod hoc pertineat ad officium Sacerdotis.*

VI. Rurſus: ſi mulier in caſu neceſſitatis baptizare non poſſet, hoc foret, vel quia invalide baptizaret, vel quia illicite. Sed non primum: nam etiamſi extra caſum neceſſitatis, & præſente viro baptizaret; peccaret quidem, ſed valide baptizaret. Neque ſecundum: nam hoc nulla lege ei prohibetur. Non naturali; quia hac potius tenetur ſuccurrere proximo ſpiritualiter periclitanti. Non poſitiva divina; cum legis hujus nullum veſtigium ſit in Scriptura, ut dicemus. Non eccleſiaſtica; cum hæc potius illi hoc permittat, dum eas non excludit, ut videmus; ergo &c.

§. I.

Objectiones contrariæ.

VII. OPpones primo; Baptiſmum a laicis datum non valere, ſic. Nullus laicus in Scriptura legitur baptizaſſe, ſed vel Epiſcopus, aut Sacerdotes, quales erant Apoſtoli; vel Diaconus, ut Philippus, qui baptizavit Samaritanos, & Eunuchum; ergo &c.

Reſp. primo, neg. ant. Oſtendimus enim ſupra, Apoſtolos ante Paſſionem baptizaſſe Baptiſmo Chriſti; qui tamen tunc nullo erant ordine initiati. Rurſus: Ananias baptizavit Saulum, quem tamen laicum tunc fuiſſe probabile eſt; cum hoc acciderit primo anno a Paſſione Chriſti: quo tempore nulli erant ordinati Sacerdotes, præter Apoſtolos, neque erant ulli Diaconi, præter ſeptem.

Reſp. ſecundo, dato ant. neg. conſ. Non enim omnia, quæ ritum concernunt, in Scriptura contineri neceſſe eſt: multa enim Traditione ab Apoſtolis accepta tenemus, quæ in præſenti caſu præſto eſt. A Chriſto enim ad hæc uſque tempora, nemo de validitate Baptiſmi a laico dati dubitavit.

VIII. Oppones ſecundo. Chriſtus ſolus Apoſtolos allocutus eſt, cum facultatem baptizandi dedit, Matthæi 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*: Apoſtoli autem Sacerdotes erant.

Confirm. Ex quo ſolos Apoſtolos allocutus eſt Chriſtus, *Jo: 20. v. 23.* cum dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* eoſque ſolos alloquebatur, *Luc. 22. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem*; inferimus, ſolos Sacerdotes, & non laicos poſſe abſolvere a peccatis, & conficere Euchariſtiam; ergo &c.

IX. Reſp. quod ſi allato textu aliquid evincitur, evincitur etiam Baptiſma collatum ab Apoſtolis ante ſuam Ordinationem, & a Philippo, qui cum eſſet ſolum Diaconus, evangelizabat, & baptizabat, fuiſſe nullum. —— Dico ergo, illis verbis ſolum indicari, Miniſtros ordinarios, ſolemnitatis, & ex officio Baptiſmi eſſe ſolos Sacerdotes; non vero excludi a validitate Baptiſmi Miniſtros neceſſarios, & extraordinarios; ita ut Baptiſmus a laico etiam in neceſſitate collatus ſit iterandus; contrarium enim perpetua Eccleſiæ praxis oſtendit.

X. Ad Confirm. diſparitas eſt. Quia abſolvere a peccatis, & Euchariſtiam conficere ſunt actus potiſſimi, qui in Eccleſia exerceri poſſint; nec ſunt tantæ neceſſitatis, quin alia via ſuppleri poſſint: ideoque valide exerceri poſſunt ab iis ſolum, qui ſunt in Eccleſia majores, quales ſunt Sacerdotes. At baptizare; cum non ſit aliud, quam introducere aliquem in infimo populo Eccleſiæ, eſt actus minimus. Cumque ſit maximæ neceſſitatis, nec alia via plerumque ſuppleri poſſit: ideo licet ex officio ſolis Sacerdotibus competat; permittitur tamen, ne ſalus æterna hominis periclitetur, ex indulgentia Chriſti, & Eccleſiæ, ut in neceſſitate a quocumque etiam laico exerceatur.

XI. Nec dicas. Majus eſt baptizare, quam alia ſacramentalia perficere in Baptiſmo, quæ ad ſolemnitatem pertinent: ſed hoc laicis non conceditur; ergo &c. —— Reſpondetur enim ex dictis, ea, quæ ſolemnitatis ſunt in Baptiſmo, non eſſe neceſſitatis; ideoque a ſolo Sacerdote peragi poſſunt, vel a Diacono ex commiſſione. Quæ autem ad ſubſtantiam Baptiſmi pertinent, quia neceſſaria ſunt ad ſalutem, a quocumque peragi poſſunt.

XII. Oppones tertio cum Calvino, ſaltem non eſſe licitum laicis baptizare, ex S. Aug. *lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 13.* dicente: *Quamquam etſi laicus aliquis pereunti dederit* (Baptiſmum) *neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, quomodo dandum eſſet, addidicit, neſcio, an pie quiſquam dixerit repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate, ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat; aut nullum, aut veniale delictum eſt.* Ubi Auguſt. videtur dubitare primo: An Baptiſmus a laico collatus validus ſit. Secundo: an etiam urgente neceſſitate, ſine peccato collatus ſit.

XIII. Reſp. neg. ant. Nec oppoſitum eruitur ex S. Aug. Nam primo: verba illa *neſcio an pie* non ſunt dubitantis, ſed aſſerentis; continent enim hunc ſenſum, *nonniſi impie* affirmari poteſt; loquitur enim ibi de laicis hæreticis, de quibus dixerat: *Habent in Baptiſmo quod per eos dari poſſit.* Cum vero ſecundo dicit: *Aut nullum, aut veniale delictum eſt*; indicat, nullum eſſe delictum, ſi in perquirendo Sacerdote diligentia moralis adhibita fuit: eſſe autem veniale, cum non omni diligentia præmiſſa baptizat.

XIV. Oppones quarto contra idem, Concilium Eliberitanum, *Can. 38.* ſupra citatum concedere ſolum baptizatis, vel iis, qui Baptiſmi innocentiam ſervaverunt, & non ſunt bigami, facultatem baptizandi in neceſſitate; nempe in periculo naufragii. Ait enim: *Qui lavacrum ſecure integrum habet, nec ſit bigamus*, Ergo non omnibus laicis licitum eſt in neceſſitate baptizare.

XV. Reſp. Canone illo abſolute non præſcribi, ut Baptiſmum in neceſſitate miniſtrare poſſit ſolus baptizatus, qui baptiſmalem juſtitiam ſervarit, & qui bigamus non ſit: ſed præſcribi, ut, ſi plures laici ſint in illo periculo, pro Baptiſmo conferendo is præferatur, qui ſit baptizatus pœnitentiæ publicæ nondum addictus, nec bigamus: quia talis ſecundum diſciplinam illius temporis debebat eſſe Sacerdos baptizaturus, cujus vices in eo caſu debet aſſumere; non vero præſcribi, quod ſi ſolus ſit baptizare licere non poſſit.

XVI. Oppones quinto, de mulieribus. Tertull. *lib. de Bapt. cap. 17.* qui laicis maſculis facultatem baptizandi indulget, hoc execratur in feminis, dicens: *Petulantia autem mulierum, quæ uſurpavit docere, utique non etiam tingendi jus ſibi pariet.* Indeque rejecta tamquam apocrypha hiſtoria Theclæ (ſub nomine Pauli Apoſtoli ſuppoſita) qua Theclam docuiſſe, & baptizaſſe, narrabatur, dicit: *Quam enim fidei proximum videretur, ut is* (Paulus) *docendi, & tingendi daret feminæ poteſtatem, qui ne diſcere quidem conſtanter mulieri permiſit. Taceant* (inquit) *& domi maritos ſuos conſulant.* Quod dicit etiam, *lib. de Velandis Virg. c. 9.*

Confirmatur ex Concil. Carthagin. IV. *Can.* 100. Ubi dicit: *Mulier baptizare non præsumat.*

XVII. Respondeo, Tertullianum ibi arguere petulantiam quarumdam mulierum ex hæresi Marcionistarum; quæ, exemplo Theclæ, etiam citra necessitatem, jus baptizandi non solum privatim, sed & solemniter, sicut etiam docendi, cæteraque officia, quæ Sacerdotis sunt, publice peragendi sibi arrogabant. Hæc enim habet cit. lib. de Velandis Virg. cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, non tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris; nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vindicari.*

XVIII. Ad Confirm. similiter dico, Concilii mentem esse, solum excludere mulieres a ministrando Baptismate solemniter, & in conventu, seu Ecclesia. Ait enim, Can. 99. *Mulier quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere non præsumat.* Deinde subdit: *Mulier baptizare non præsumat*, nimirum, in conventu, & publice. Cæterum sicut potest domi privatim, & ex charitate docere; ita potest imminente periculo, si alius non adsit, privatim baptizare.

XIX. Sed dices. Qui baptizat videtur in spirituali regeneratione habere officium patris: sed hoc mulieri non competit; ergo &c.

Resp. ex D. Th. 3. *p. q. 67. art.* 4. *ad* 3. neg. min. Quia *In generatione carnali masculus, & femina operantur secundum virtutem propriæ naturæ: & ideo femina non potest esse principium generationis activum, sed passivum tantum. Sed in generatione spirituali neuter operatur in virtute propria, sed instrumentaliter tantum, per virtutem Christi: & ideo eodem modo potest vir, & mulier in casu necessitatis baptizare.*

§. III.

De Infideli non baptizato.

XX. Dico: Infidelis non baptizatus potest, si utatur debita materia, & forma intendens facere quod facit Ecclesia, valide baptizare. Ita S. Thom. cit. loco, *art.* 5. cujus verba referre placet: *Respondeo dicendum; quod hanc quæstionem Augustinus indeterminatam reliquit. Dicit enim, lib. 2. contra Epist. Parmeniani* (cap. 13.) Hæc quidem alia quæstio est: utrum & ab his, qui numquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.

Postmodum vero per Ecclesiam determinatum est, quod non baptizati, sive sint Judæi, sive Pagani, possunt sacramentum Baptismi conferre; dummodo in forma Ecclesiæ baptizent. Unde Nicolaus I. Papa respondet, de Consecr. dist. 4. *cap.* 24. *ad consulta Bulgar.* A quodam Judæo, nescitis an Christiano, an Pagano, multos in patria vestra asseritis baptizatos, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctæ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent: si autem forma Ecclesiæ non fuerit observata, sacramentum Baptismi non confertur. *Et sic intelligendum est, quod Gregorius III. scribit Bonifacio Episcopo* (cap. 52. de Consecr. dist. 4.) quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, *scilicet Ecclesiæ forma non servata*, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.

Et hujus ratio est. Quia sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quæcumque aqua; ita etiam sufficit ex parte Ministri quicumque homo. Et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest: ut si duo non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem, & consequeretur uterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans, & baptizatus, & per hoc impediretur Baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum. Hæc S. Thomas, quæ expositione non indigent.

XXI. Plura de hac quæstione produci possent. Sed quia eam examinavimus in *Tract. de Sacr. in gen. q. 7. dub. 5.* ubi statuimus in Ministro, ut valide perficiat sacramentum, non requiri fidem; ideo conferantur ibi dicta.

Solum adverto cum S. Thom. loco citato *ad* 1. quod cum homo baptizans adhibeat tantummodo ministerium exterius, sed Christus sit qui interius baptizat; qui potest uti hominibus ad quodcumque voluerit; consequenter etiam uti potest non baptizatis ad dandum Baptismum. Quia, ut Nicolaus Papa dicit, Baptismus *Non est illorum*, scilicet baptizantium, *sed ejus*, scilicet Christi. Quod docet etiam August. *lib.* 3. *contra Crescentium, cap.* 6. Licet autem loco a S. Thoma superius relato dicat, se quæstionem hanc Concilio definiendam relinquere; attamen, *lib.* 7. *de Bapt. contra Donat. cap.* 53. dicit: *Si quis forte me in eo Concilio constitutum, ubi talis quæstio versaretur .... cogeret ut dicerem, quæ ipse sentirem ... Nequaquam dubitarem, habere eos Baptismum: qui ubicumque, a quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione; & cum aliqua fide accepissent.*

XXII. Adverto insuper cum eodem, ad 2. *Quod ille, qui non est baptizatus, quamvis non pertineat ad Ecclesiam re, vel sacramento; potest tamen ad eum pertinere intentione, & similitudine actus; in quantum scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, & formam Ecclesiæ servat in baptizando, & sic operatur, ut minister Christi, qui virtutem suam non alligavit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.*

XXIII. Adverto tandem cum eodem, *ad* 3. quod licet non baptizatus non possit alia sacramenta suscipere, quia non sunt tantum necessitatis, sicut Baptismus; conceditur tamen, ut etiam non baptizatus possit dare Baptismum, propter ejus summam necessitatem ad salutem.

DUBIUM III.

De baptismate ab hæreticis dato.

§. I.

Quinam illud reprobaverint.

I. QUamvis hac de re aliqua dixerimus in *Tract. de Sacr. in gen. q. 7. dub.* 5. agente de fide Ministri; quia tamen quæstio hæc de Baptismo ab hæreticis collato magna contentione olim exarsit; virum studiosum de iis, quæ circa illam contigerunt, non abs re erit plene imbuere. Primo ergo recensebimus eos, quibus Baptisma ab hæreticis collatum, tamquam inane improbatum fuit. Secundo: an illi suum errorem aliquando deposuerint. Tertio: an peccaverint rebaptizando ab hæreticis baptizatos. Quarto: quid circa hoc Stephanus Papa egerit, ac senserit. Quinto: de plenario Concilio, in quo hæc controversia finita fuit. Ultimo: Ecclesiæ catholicæ fidem exponemus.

II. Quoad primum, dico: primo. Agrippinus, qui desinente sæculo secundo Carthaginensem rexit Ecclesiam, primus fuisse censetur, qui Baptismum ab hæreticis datum abdicavit. Hoc colligitur ex S. Cypriano, qui Agrippino in Episcopatu, & in errore successit: Cyprianus enim nullum Agrippino antiquius pro sua opinione laudat monumentum. Epist. enim 73. quæ est ad Jubajanum: *Apud nos* (inquit) *non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt: quando multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi* (nimirum in Concilio habito anno 115. cujus meminit idem Cyprianus, Epist. 71. ad Quintum) *hoc statuerunt, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in Provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, non aspernati sint, neque cunctati: immo & rationabiliter, & libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis, & salutaris Baptismi gratiam consequerentur.* Quibus verbis indicatur, nedum primi dicti erroris auctorem fuisse Agrippinum; sed & Arippinum multis annis Cyprianum in sede Carthaginensi præcessisse, ideoque non fuisse immediatum ejus successorem.

Idem ex Cypriano S. Aug. *lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap.* 7. affirmat, dicens: *Hanc ergo saluberrimam consuetudinem* (de rebaptizandis hæreticis) *per Agrippinum prædecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est; verius creditur; per Agrippinum cœpisse corrumpi, quam corrigi.* Eadem scribit, *lib.* 3. *de Bapt. cap.* 12.

Nec refert, quod Tertullianus sæpe testetur, se Baptisma hæreticorum improbare. —— Nam cum Tertullianus eodem tempore quo Agrippinus Carthagine vixerit, hanc de Baptismo doctrinam ab Agrippino hausisse credendus est.

Error iste ab Agrippino in Africa præformatus, in Orientem cito propagatus fuit; ibique magni nominis viros propugnatores habuit, Firmilianum Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, & S. Dionysium Alexandrinum. Stabilitus etiam fuit in Conciliis Iconiensi, & Synadensi in Asia, quorum meminit Eusebius, *lib.* 7. *Hist. cap.* 6.

III. Dico secundo. Medio tertio sæculo S. Cyprianus cum aliis Episcopis Africanis errorem supra relatum Agrippini acriter defendendum suscepit. Cum enim Januarius, aliique Numidiæ Episcopi de hac re ad S. Cyprianum litteras dedissent, aliosque Episcopos in Synodo coacta anno 258. post multa sancitum fuit, neminem foris extra Ecclesiam baptizari valide posse: quam definitionem Januario, aliisque Numidiæ Præsulibus per litteras notam fecerunt.

Ut autem ea, quæ in præcedente Concilio statuta fuerunt, pleniore sententia confirmarentur, eodem anno aliud Concilium convocavit: cui supra septuaginta Episcopi nedum ex Africa, sed ex Numidia adfuerunt. In hoc Acta prioris Synodi confirmata sunt, nempe, Baptisma extra Ecclesiam datum irritum esse. Hujus Concilii Epistolam Synodicam S. Cyprianus ad Stephanum tunc Romanum Episcopum direxit; qua de rebus in Concilio actis eum certiorem reddit.

Eodem anno 258. Kalendis Septembris tertium Concilium Carthagine habuit S. Cyprianus (cujus Acta in operibus ejus leguntur) constans 87. Episcopis ex Africa, Mauritania, & Numidia. In eo lectæ fuerunt litteræ Jubajani ad Cyprianum, & Cypriani ad Jubajanum rescriptæ de hæreticis baptizandi, Lectæ etiam creduntur litteræ Stephani Papæ Cypriano rescribentis, nihil innovandum circa Baptismum hæreticorum: Harum tamen nulla ratio in eo Concilio habita est: sed unanimi consensu ea, quæ in duo-

duobus prioribus ſtatuta fuerant de hæreticorum Baptiſmate, confirmata ſunt.

§. II.

An præfati Patres errorem aliquando depoſuerint.

IV. Dico. Incertum omnino eſt, an S. Cyprianus aliique cum eo ante mortem depoſuerint errorem ſuum de hæreticis iterato baptizandis. Probatur. Nam eos errorem ſuum depoſuiſſe incertum eſt, quos nec propria ſcripta, nec antiqua monumenta illum depoſuiſſe teſtantur: at neque ex propriis Cypriani ſcriptis, neque ex monumentis antiquis colligi poteſt, an Cyprianus, aliique tum Africani, tum Aſiatici errorem ſuum depoſuerint; ergo &c. Min. probatur. De S. Cypriano dubius hæſit S. Auguſtinus, *lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 4.* dum ait de Cypriano: *Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno poſteriore collega patienter, concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum Concilio Provinciæ ſuæ univerſi Orbis auctoritati patefacta veritate ceſſiſſet; quia & uni verum dicenti, & demonſtranti poſſet facillime conſentire tam ſancta anima, tam pacata, & fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus.* Item, *Epiſt. 48.* (modo 93.) *ad Vincentium, cap. 10.* ait: *Correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit; & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Quibus Auguſtinus incertum ſe eſse prodit; licet ex pietate propendat, quod Cyprianus errorem depoſuerit. Unde poſt multa ibi: *Cyprianus* (inquit) *aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis; aut hoc poſtea correxit in regula veritatis.*

V. Scio, S. Hieronymum, *Dial. contra Luciferianos*, aſſerere, Africanos errorem depoſuiſse: *Conatus eſt* (inquit) *beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & idcirco hæreticorum Baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Epiſcopum, qui a beato Petro viceſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit: ſed conatus ejus fruſtra fuit. Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revoluti, novum emiſere Decretum.*

VI. Verum eſto id Hieronymus, qui extra Africam erat, protulerit; non ſufficit tamen ad firmandam certitudinem de depoſitione erroris aliorum cum Cypriano ſentientium: maxime cum non proferat monumentum, ex quo id hauſerit: & S. Auguſtinus, qui in Africa erat, & coævus, dubius ſit de hac re, & aſſerat, nullis monumenti hoc poſse probari. Addo: Donatiſtas gloriatos fuiſse, ſe auctoritate illius Concilii a Cypriano coacti, rebaptizare: inanis autem fuiſset eorum gloriatio, ſi eos, qui cum Cypriano hæreticos rebaptizandos ſtatuerant, errorem depoſuiſse, certo conſtitiſset.

VII. De Aſiaticis, ab errore eos reſipuiſse cenſet Baronius. Sed hoc pariter eſse incertum, probatur. Nam ex una parte Dyoniſius Alexandrinus ſcribens ad Xiſtum Papam Stephani ſucceſsorem, aperte ſuffragatur iis, qui collatum ab hæreticis Baptiſma irritum eſse cenſebant, cui opinioni fatetur ſe adhærere, propter maximam Conciliorum (Iconii nempe, ac Synadis) auctoritatem. Quod certe non dixiſset, ſi illi ipſi Antiſtites, qui præfatis Conciliis interfuerunt, Decreta ibi edita de rebaptizandis hæreticis recidiſsent. —— Rurſus. S. Baſilius, *Ep. 1. ad Amphilochium*, Can. 1. teſtatur, Cyprianum, & Firmilianum in ea fuiſse ſententia, ut Catharos, Encratitas, alioſque hæreticos cenſeret rebaptizandos. Et *Epiſt. 2. Can. 47.* de iiſdem hæreticis dicit: *Nos eadem ratione eos rebaptizamus.* Vigebat ergo tempore Baſilii Magni in Cappadocia mos rebaptizandi plures hæreticos, etſi in forma Eccleſiæ baptizatos: at ſi Firmilianus illum errorem olim ejuraſset, hoc non potuiſset latere Baſilium; qui & ipſe Cappadox erat, & Ceſareæ in Cappadocia Epiſcopus: immo ex Eccleſiæ illius monumentis recantatam palinodiam compertam habuiſset; ergo, &c.

VIII. Ex alia autem parte hoc incertum faciunt ſequentia, quæ pro oppoſita ſententia adducit Baronius. Primo, quia idem Dionyſius Alexandrinus, apud Euſebium, *lib. 7. Hiſt. cap. 5.* ſcribens Stephano Papæ, ei gratulatur, quod omnes Orientales Eccleſiæ, quæ antea fuerant diſſenſione diſtractæ, ad concordiam ſint reductæ. —— Sed quia hanc gratulationem. non propter extinctum errorem rebaptizantium, ſed proper extinctam hæreſim Novatianorum fuiſse factam, conſtat ibi ex *cap. 4.* ideo ex hoc nihil certum erui poteſt. Potius colligi poſset, Dionyſium opinionem mutaſse ex iis, quæ apud Euſebium, *lib. 7. cap. 9.* refert Xiſto Papæ: quod cum occurriſset ſibi quidam homo ab hæreticis baptizatus, ipſum cum lacrymis obſecrans, ut baptizaretur; non auſus fuit id præſtare: quem ſcrupulum certe non habuiſset, ſi in errore rebaptizantium perſeveraſset. Verum his, & ſupra allatis bene penſatis, nil certi in hac re haberi poſse cenſeo.

§. III.

An peccaverint Patres ſuſtinentes hæreticos eſſe rebaptizandos.

IX. Dico primo. Probabiliter ſuſtineri poteſt, nec Africanos neque Orientales Patres peccaſse in hoc præciſe, quod faverint rebaptizationi baptizatorum ab hæreticis. Probatur. Quia Patres illi, tum Africani, tum Orientales cauſam de baptiſmate hæreticis iterando judicabant, non ad fidem, aut mores, ſed ad meram diſciplinam ſpectare: ideoque arbitrabantur licere unicuique Eccleſiaſticæ Provinciæ hac in re leges condere, quibus hæretici inhabiles fierent ad baptizandum. Maxime cum hac in re nil ab Eccleſia Univerſali ſtatutum eſset; & Stephanus Papa, & Occidentales alii nonniſi Traditionem, & conſuetudinem pro ſe allegarent: cui Traditioni, & conſuetudini, quam exiſtimabant mere humanam, refragari ſe poſse credebant, vel, ea non obſtante, liberam eſse unamcumque Eccleſiam ad faciendum, quod ipſa melius judicaret; ergo in hoc præciſe, quod dictam opinionem defenderent, non peccabant. Sicut non peccaret, qui ritus ac diſciplinam particularem in aliqua Provincia nondum ab Eccleſia damnatam tueretur ac obſervaret; etſi aliarum Eccleſiarum ritibus contraria ſit.

X. Porro: quod hoc animo tuerentur rebaptizationem hæreticorum ſupradicti Patres, probatur. Nam Firmilianus ex Oriente reſcribens ad Cyprianum, id teſtatur his verbis: *Circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei ſacramenta, videat quis, eſſe apud Romanos aliquas diverſitates; nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Jeroſolymis obſervantur; ſecundum quod in cæteris quoque pluribus Provinciis multa pro locorum, & nominum diverſitate variantur: ne tamen propter hoc ab Eccleſia Catholica pace, atque unitate aliquando diſceſſum eſt. Quod nunc facere Stephanus auſus eſt, rumpens adverſum vos pacem, quam ſemper Anteceſſores ejus vobiſcum amore, & honore mutuo cuſtodierunt.* Si ergo Firmilianus cauſam de Baptiſmate comparat cum conſuetudinibus, quæ diverſis in locis variantur, & diverſimode obſervantur; ſignum eſt eam non fidei, aut morum, ſed mere diſciplinæ cauſam reputaſse.

XI. Quod Firmilianus in Oriente, idem ſentiebat in Occidente Cyprianus. Is enim ad Jubajanum ſcribens, Epiſt. 73. *Hæc tibi* (inquit) *breviter pro noſtra mediocritate reſcripſimus, Frater charissime, nemini præſcribentes, aut prædicantes quo minus unuſquiſque Epiſcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii ſui liberam poteſtatem.* Non relinqueret autem Cyprianus liberam poteſtatem faciendi quod ſibi libuerit in cauſa, quam exiſtimaret, ad fidem, aut mores pertinere.

Idem ſentit S. Baſilius, qui in ſua prima *Epiſt. ad Amphilochium*, licet iterandum duceret Encratitarum Baptiſma; attamen, an in praxi iterato conferri debeat, Provinciarum conſuetudini permittit. —— S. Aug. etiam de rebaptizantium hæreticos more loquens, *conſuetudinis* nomine pluries illum nuncupat; cum e contra rebaptizationem Catholicorum, nefandum ſcelus vocet: *Ego autem* (inquit lib. de unico Baptiſmo contra Petilianum c. 13.) *ut quod de hac re ſentio, dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi feciſſe dicuntur, tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc iſti faciunt, ſemper eſt diabolicæ præſumptionis.*

XII. Denique probo ſic. S. Aug. *lib. 2. de Bapt. cap. 4.* excuſat S. Cyprianum, quod morem Africanum de rebaptizandis hæreticis, etiam poſt Decretum Stephani Papæ ſuſtineret, quia nondum erat celebratum plenarium Concilium: at ſi res fidei fuiſſet, neceſſarium non fuiſſet univerſæ Eccleſiæ Concilium, ut inexcuſabiles eſſent, qui rebaptizabant: non enim excuſantur, qui errorem contra fidem a Sancta Romana Sede damnatum pertinaciter propugnant, etiam ante Concilii generalis celebrationem; ut in cauſa Pelagianorum videre eſt, quibus ſpem Concilii generalis adimit idem Auguſtinus; ergo &c.

XIII. Dico ſecundo. Si ſpectetur modus, quo rebaptizantes opinionem ſuam tuiti ſunt, & quo adverſus Stephanum Papam ſe geſſerunt: vix a peccato excuſari poſſunt. Hinc S. Auguſtinus, in ſuis contra Donatiſtas libris, non raro aſſerit, S. Cyprianum in hoc peccaſſe. *Lib. enim 1. de Bapt. cap. 18.* illam praxim vocat *Humanæ infirmitatis errorem*; quem abundante charitate, qua flagrabat, dicit redditum fuiſſe venialem. Rurſus contendit, Cyprianum ad martyrii palmam perveniſſe, *Ut ſi qua in ejus lucidam mentem humanam conditionis nebula irrepſerat, glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur.* Quod vero in modo Cyprianus exceſſerit; indicat S. Aug. *l. 5. de Bnpt. c. 25.* Studio enim cauſæ, quam propugnabat, abreptus, acerbioribus dicteriis laceſſivit Stephanum; immo & affecit contumeliis. Legite eumdem Cyprianum *Ep. 74. ad Pompejum Sabratenſem in Africam Epiſcopum*, ubi de Stephano ſic loquitur: *Nam inter cætera vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperite atque improvide ſcripſit, etiam illud adjunxit: ſi quis ergo a quacumque hæreſi veniens &c.* Deinde Stephanum arguit præſumptionis: *Quæ iſta obſtinatio eſt, quæque præſumptio humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere?* Hæc, & alia Cyprianus in Stephanum effun-

effundebat, falso existimans, eum quodcumque hæreticorum Baptisma admittere, etsi verbis Evangelicis non collatum: Eum enim sic carpit: *A quacumque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, idest, omnium hæreticorum Baptismata justa esse, & legitima judicavit.* Hinc patet, in eo Cyprianum peccasse, quod irreverentius, quam par esset, Stephani decretum exceperit. Unde S. Aug. lib. 5. de Baptism. cap. 25. *Jam illa* (inquit) *quæ in Stephanum irritatus Cyprianus effudit* (nimirum in Ep. ad Pompejum) *retractare nolo, quia & non opus est. Ea præterire melius est, quæ periculum pernicioſæ dissensionis habuerunt.*

XIV. Hinc esto ab omni nævo purgari nequeat Cyprianus Stephani decreto obsistens; aliquam tamen excusationis speciem, tum ipse, tum alii habuerunt. Tum quia: ut dicebant, existimarunt, Stephanum vetantem baptizari in Ecclesia *ab omni hæresi venientem*, admisisse, ut ratum omne Baptisma hæreticorum, etsi datum absque debita forma. Tum quia: cum Stephanus nil aliud opponeret ipsis, quam consuetudinem, & Ecclesiæ praxim; hoc illis videbatur falsum. Cum enim opposita consuetudo, & praxis esset in omnibus Ecclesiis Africæ, & multis etiam Orientis; arbitrabantur, hanc infringi non posse solo Stephani decreto uni Ecclesiæ Romanæ consuetudini innixo. Cæterequin paratus erat S. Cyprianus cum aliis se, suarumque Ecclesiarum consuetudinem submittere; si consuetudo opposita Universalis Ecclesiæ consensione firmaretur. Ita S. Augustin. lib. 2. de Baptism. cap. 4. *Quapropter S. Cyprianus tanto excelsior, quanto humilior ... Satis ostendit, facillime se correcturum sententiam suam, si quis ei demonstraret, Baptismum Christi sic dari posse ab iis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent. Unde multa jam diximus. Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nos universa Ecclesia concordissima auctoritate firmati: cui & ipse sine dubio cederet, si jam ille tempore quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata, per plenarium Concilium solidaretur.*

XV. Sed dices primo. Cyprianum excusavimus, quia existimabat, causam, de qua agebatur, ad fidem non pertinere: hoc autem esse falsum indicat ipse, *Epist.* cit. *ad Pompejum*, Ubi sententiam Stephani errorem vocat, hæreticorum causam contra Christianos, & contra Dei Ecclesiam defendere dicit, & divinæ dispositioni humanam traditionem anteponere: quæ omnia indicant, Cyprianum existimasse causam illam non ad disciplinam meram, sed ad fidem pertinere.

XVI. Dices secundo. Esto cum Augustino excusari possit Cyprianus, qui rebaptizationi favit ante plenarium Concilium; excusari tamen non possunt Athanasius, Basilius, & Cyrillus Jerosolymitanus, qui ei pertinaciter adhæserunt, etiam post plenarium Concilium. Sive enim hoc fuerit Arelatense I. sive Nicænum I. celebratum fuit antequam Basilius, & Cyrillus Episcopatu fungerentur, & antequam Athanasius esset Alexandrinus Patriarcha.

XVII. Respondeo ad primam instantiam, neg. min. Nam Cyprianus appellavit sententiam Stephani errorem contrarium divinæ dispositioni, non quia putaret, eam esse immediate contra revelata in Scripturis, & contra fidem: nullum enim Scripturæ textum unquam Stephano Cyprianus directe opposuit: sed quia forte putabat, suam opinionem humano ratiocinio inferri, vel magis accedere ad dispositiones divinas. Immo cit. *Epist. ad Jubajanum* indicat Cyprianus, eam rationibus esse firmiorem, dicens: *Proinde frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate.* — Dici etiam potest, existimasse, sententiam Stephani esse contrariam divinæ dispositioni; quia putabat Stephanum quodcumque hæreticorum Baptisma probare, etiamsi debita forma non conferretur.

XVIII. Ad secundum dico, quod si plenarium Concilium fuit Arelatense I. cum hoc fuerit celebratum in Occidente; vel ad notitiam dictorum Patrum in Oriente degentium non pervenit; unde illius nunquam, cum de hæreticorum Baptismo sermonem facerent, meminerunt: Vel si in eorum notitiam devenerit; putarunt, Definitionem illius Concilii ad œconomiam solum pertinere. Et sicut non errabant, qui hæreticos sine novo Baptismo admittebant, quia sic moris erat apud illos; ita non esse damnandos, qui suum morem tenentes, eos rebaptizabant. Hinc Basilius ipse sic unum approbat, ut non reprobet alterum: ideoque *Epist.* 1. *Canonica ad Amphilochium*, ait: *Quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam, & dispositionem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.*

XIX. Si vero plenarium illud concilium fuit Nicænum I. dici etiam potest, eos credidisse, Concilium illud œconomice tantum fuisse locutum; ac proinde non abrogasse rebaptizationem iis in regionibus, in quibus jam invaluerat.

Addo: quod cum Nicænum id expresse non definierit, sed tantum implicite, & illative: quatenus scilicet Paulianistarum Baptisma improbavit, quia datum absque invocatione Trinitatis, probavit autem Baptisma Novatianorum, qui verbis Evangelicis abluebant; dici potest, præfatos Patres ad hanc illationem non attendisse, qua indirecte inferebatur, baptizatos verbis Evangelicis, etiamsi ab hæreticis, esse valide baptizatos, ideoque iterum non baptizandos.

§. IV.

Quid in causa rebaptizationis egerit Stephanus.

XX. Stephanus Papa in causa rebaptizantium multa egit Primo: anno 258. ad Synodicam Epistolam Concilii Africani de hæreticis rebaptizandis respondit. Secundo: Missos ad se ex Concilio Carthaginensi Legatos, in quo rebaptizatio fuerat definita, nec audire voluit, nec pati, ut apud fideles hospitarentur. Tertio: Orientalibus, & Africanis, nisi a sententia recederent, excommunicationem minatus est.

De his nemo est, qui non conveniat. Dissensio est inter Doctores. Primo: quia aliqui contendunt, Stephanum potestatis suæ limites transiliisse, cum in rebaptizantes excommunicationis minas intentavit. Secundo: alii asserunt, non comminatoria tantum, sed & actuali, & quidem debita excommunicatione sibi adversantes Episcopos de facto multasse. Tertio: alii sentiunt, dictum Papam in hoc errasse, quod omnium hæreticorum Baptisma æque probaret: sicut ab oppositio Cyprianus, & sibi adhærentes omnium improbabant.

XXI. Dico tamen primo. Stephanus Papa excommunicationis pœnam rebaptizantibus jure minatus est. Probo primo. Potuit Stephanus stricto jure minari, quod a Tridentino Concilio proxime lapsis sæculis peractum est: at Tridentinum anathemate percussit eos, qui Baptismum ab hæreticis datum cum invocatione Trinitatis invalidum esse assererent, *Sess. 7. de Bapt. Can.* 4. ergo &c. — Secundo. Sententia, quæ hæreticos essa rebaptizandos tuebatur, quinquaginta solum Orientales, & 70. Africanos Episcopos, patronos habebat: e contra vero pro Stephano stabant totius fere Orbis Antistites, ut Augustinus, *lib. 3. contra Cresconium*, his verbis: *Proinde si omnino jam credendum sit, quinquaginta Episcopis Oeientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus is error in toto Orbe displicuit &c.* ergo exiguam illam partem, quæ suo toti non cohærebat, poterat separationis minis terrere Stephanus, ni suo toti concineret.

XXII. Dices primo. Statutum est a nobis §. præcedente, Patres tum Orientales, tum Africanos non peccasse, etsi ad mortem usque errorem suum tenuerint: at si jure excommunicationis minas intentasset Stephanus, jam peccassent; neque cum pietate e vivis excessissent, quia mortui pertinaces; ergo &c.

Respondeo, neg. absolute min. Quod enim excommunicationem minatus sit Stephanus, arguit quidem futurum peccatum lethale errorem rebaptizandi post plenarium totius Orbis Concilium, in quo res ultimo tamquam dogma ad fidem spectans definita fuisset; non vero ante; quia nec Stephanus id definire voluit, sed solum contrariam consuetudinem opponere. Cumque tunc res disciplinæ, non fidei putaretur; inculpabiliter saltem quoad substantiam existimari poterat, licere cuique suam sequi sententiam, animo tamen semper parato eam deponendi, cum contrarium declaratum fuisset.

XXIII. Dices secundo. Res, quæ disciplinæ sunt, non fidei, aut morum, ad causam anathematis trahi non possunt: nam penes unamquamque Ecclesiam est suis stare ritibus, suisque usibus adhærere; ergo cum ad disciplinam causa rebaptizantium spectaret, jam non potuit minis anathematis coerceri.

Respondeo primo, neg. ant. Praxis enim Asiæ celebrandi Pascha quartadecima luna Martii, quacumque incidisset die, ritus, ac disciplinæ erat: & tamen qui illi adhærebant, sub nomine *Quartodecimanorum*, tamquam hæretici in Nicæno I. proscripti fuerunt: & nostris temporibus quot anathemati subjecta sunt, quæ fidem non tangunt, sed disciplinam: Potuit ergo Stephanus ad minas devenire; quia res illa, si non fidem, pacem, & uniformitatem lædebat.

Respondeo secundo, quod licet causa rebaptizantium suis Patronis, causa meræ disciplinæ visa sit: revera tamen fidem ac dogma tangens Stephano, & aliis videbatur tamquam evertens hoc principium: nempe, Baptisma conferri non posse secundum formam a Christo præscriptam, quin valide conferatur, & characterem relinquat. Unde Tridentinum hunc errorem damnans, non in Reformationis capita, sed in canonem fidei rejecit; ut legere est, *Sess. 7. de Baptism. Canon.* 4.

XXIV. Dico secundo. Stephanus Papa Episcopos *sibi* repugnantes de facto non excommunicavit. Probatur. Quia Veteres, qui de controversia inter Cyprianum cum aliis, & Stephanum scripsere, de hoc fulmine vibrato non meminerunt; sed solum dixerunt, quod Stephanus in eos fuit commotus. Eusebius enim, lib. 7. Hist. cap. 3. *Verum*, inquit, *Stephanus nihil adversus Traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit.* Idem testatur Cyprianus ipse, qui ad Jubajanum, *Epist. 73.* hæc scribit: *Nos quantum in nobis est propter hæreticos, cum Collegis, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam, & dominicam pacem tenemus ... servatur a nobis patienter, & firmiter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii.*

Augu-

Augustinus etiam id firmat, *lib. 1. de Baptism. cap. 7.* dicens: *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres Episcopos, ita inter se compulit salva pace disceptare; atque fluctuare; ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutaverint: donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Lib. 5. cap. 25. de Stephano loquens, ait: *Iste autem quæstionis istius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in unitate cum eis manendum (censuit) qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignaretur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum; ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* Et *lib. 6.* cap. 1. Donatistas increpat, quod ab unitate se separaverint, quando Cypriani, & aliorum temporibus *Ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus, salva charitate, atque unitate, altercantibus discutiebatur.* Hæc autem dicturus non fuisset Augustinus, si Cyprianus, & alii anathemate ab Ecclesia fuissent præcisi.

XXV. Nec reponas. Hoc evincere quidem, inter Stephanum, ac Cyprianum pacem viguisse semper, non vero inter Stephanum, & Firmilianum, aliosque Orientales.

Nam primo. Augustinus de omnibus Stephano adversantibus, etiam Firmiliano, locutus est. —— Secundo. Eadem causa erat Stephani cum Cypriano, & cum Firmiliano: uterque Stephani decretum de non rebaptizandis hæreticis flocci fecerat: uterque latam ab eo sententiam ignorantiæ, temeritati, præsumptioni adscripserat: uterque magnum Episcoporum numerum in sui præsidium adsciverat: utriusque in hoc errore tuendo pertinaciam Stephanus noverat. Cur ergo dici debet, Stephanum in Firmilianum potius sæviisse, quam in Cyprianum? In Firmilianum, inquam, qui sicut Cyprianus in Ecclesia Latina, in Ecclesia Græca pro sancto colitur? An Ecclesia hominem excommunicatum, de cujus pœnitentia & retractatione non constat, Sanctorum Fastis inseruisset?

XXVI. Dices. Hoc ex ipso Firmiliano colligi, qui de Stephano conquerens, ad Cyprianum scribit, eum pacem rupisse, ab aliis se scidisse &c. at quod aliud est pacem rumpere, scindere se ab aliis, quam vinculum communionis anathemate solvere? Accedit: quod Dionysius Alexandrinus in Epistola, quam ad Sixtum Stephani successorem dedit, testatur, se pro Firmiliano aliisque rebaptizantibus apud Stephanum deprecatorem fuisse.

Respondeo Firmilianus Cypriani mentem forsan non fuisse assecutum: & excommunicationis minas, quas in Episcopos rebaptizantes a Stephano intentatas. Cypriani litteris acceperat, de actuali scissione, & separatione interpretatum fuisse. Et in hoc maxime confirmatum fuisse, cum accepisset, Legatos a Carthaginensibus Romam missos, ad colloquium a Stephano non fuisse admissos; immo interdictos fuisse Catholicos, ne quis domi suæ eos hospitio reciperet. Cum tamen Stephanus id egerit, ut hoc duriusculo agendi modo rebaptizantes ad resipiscentiam induceret: scirentque, ni hoc facerent, se paratum esse id rumpendam pacem cum ipsis, eosque ab unitate per anathema separandos. —— Quod vero additur de Dionysio, potius confirmat quod dicimus. Ostendit enim, quod sicut præcedente sæculo Irenæus Lugdunensis precibus, & argumentis dimovit Victorem Papam a ferenda excommunicatione in Quartodecimanos: ita Dionysius deprecatione Stephanum detinuerit, ne excommunicationem, quam contra Firmilianum, & alios ferre paratus erat, de facto fulminaret.

XXVII. Dico tertio. Stephanus Papa non omne promiscue hæreticorum Baptisma admisit, sed illud tantum, quod verbis Evangelicis fuisset collatum. Probo primo. Quia controversia inter Stephanum, ejusque adversarios erat de fide Ministri baptismatis, non autem de forma ejusdem. —— Secundo. Si Stephanus omne Baptisma ab hæretico collatum, etiam sine debita forma, probasset; magnam hoc argumento Stephani, ac Romanorum causæ invidiam conflavisset; & Firmilianus contra illum eo usus esset: at Firmilianus hoc Stephano numquam opposuit, immo ad Cyprianum rescribens aperte intellexit, Stephani decretum de Baptismate, quod in hæresi cum distincta, ac expressa Trinitatis invocatione collatum fuisset; ergo &c. Verba Firmiliani sunt: *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idem supponit S. Cyprianus *Epist. ad Pompejum.*

XXVIII. Sed dices pro Marco Antonio de Dominis, Blondello, aliisque Acatholicis hunc errorem Stephano impingentibus. Stephanus terminis generalibus Baptismum ab hæreticis datum approbavit. Ait enim: *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos &c.* sed aliqua hæresis baptizat sine debita forma verborum; ergo venientium ab hac hæresi Stephanus Baptisma approbavit.

Respondeo primo, ly *ex quacumque hæresi venerit*, poni a Stephano, ut se opponeret Cypriano, & aliis; qui baptismum in quacumque hæresi datum reprobabant. Sicut ergo isti reprobant Baptismum hæreticorum, non ex defectu formæ, quia de hoc non erat controversia; sed ex defectu fidei, quam putabant esse in Ministro necessariam: ita Stephanus admittit Baptismum eorum ex quacumque hæresi venerint, sic ut defectus fidei in Ministro Baptismo non præjudicet. Hac generalitate loquendi usus est in hac re, nedum Stephanus, sed & Augustinus, *l. 5. de Bapt. cap. 5.* Eusebius, *lib. 7. hist. cap. 2.*

Respondeo secundo, ly *Si quis a quacumque hæresi &c.* sumi a Stephano relate ad ea, quæ subjecit, nempe: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Quare restringitur ad Baptisma, quod Traditio probaverat: Traditio autem illud tantum probabat, quod verbis Evangelicis collatum erat.

§. II.

De Plenario Concilio, in quo Probatum fuit Hæreticorum Baptisma.

XXIX. HUic quæstioni argumentum præbet S. Augustinus in suis libris contra Donatistas, ubi Cyprianum, aliosque, qui hæreticos rebaptizabant, sæpe defendit; eo quia res hæc nondum fuisset in plenaria Synodo definita: asserens, sanctum martyrem a praxi, quam contra Stephanum defendebat, recessurum, si eam Œcumenicum aliquod Concilium proscripsisset. Ita præsertim, *lib. 2. de Baptismo contra Donat. c. 4.* Cumque idem Augustinus Donatistas suos quoque rebaptizantes sæpissime adhortetur, ut plenariæ illi Synodo, cui se subjecisset Cyprianus, si suo tempore celebrata esset, se subjiciant; indicat causa rebaptizantium in plenaria Synodo jam finitam fuisse. Porro cum [nullibi dixerit], quænam fuerit ista plenaria Synodus; ideo reliquit dubium, quod modo proponimus, & in quo discordes sunt Auctores quodnam fuerit hoc plenarium Concilium; quibusdam volentibus fuisse Arelatense I. quibusdam Nicænum I.

XXX. Hac in re mihi certum est, rebaptizantium causam ad Concilium Arelatense primum fuisse delatam, & oppositum ejus statum, ac Cypriani, aliorumque rebaptizantium errorem fuisse proscriptum. In eo enim. *Can. 8.* legitur: *De Afris, quod propria sua lege utantur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum: & si perviderint, eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Quibus expresse constat, causam hanc fuisse in dicto Concilio tractatam, ac de ea latum judicium. Difficultas est: an hoc intellexerit Augustinus, dum ait prædictam causam fuisse in plenario Concilio finitam. Nam, *lib. 2. de Baptism. cap. 9.* postquam retulit verba S. Cypriani dicentis, se morem rebaptizandi hæreticos sequi, quia illum invenerat ab Agrippino, & cæteris Africæ, & Numidiæ Episcopis communi examinatione, firmatum; subjungit: *Hac attestatione satis ostendit, se multo magis fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum: & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur: non solum inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus.*

Ex quibus infertur: Concilium illud, de quo Augustinus loquitur, non potuisse esse, nec Alexandrinum sub Athanasio habitum, anno 362. Nec Constantinopolitanum I. sub Damaso anno 381. celebratum; nec Capuanum, anno 389. coactum: quia hæc post Augustini ortum, qui fuit anno 355. celebrata fuere.

XXXI. Dico. Quamvis probabile sit, Concilium plenarium, de quo loquitur S. Augustinus, & in quo finita fuit causa rebaptizantium, fuisse Arelatense I. probabilius tamen censeo, fuisse Nicænum I. Prior pars apparebit ex momentis infra adducendis. Posterior modo probatur ex Augustino. Concilium enim, in quo dicit, finitam fuisse causam rebaptizantium, ut ejusdem verbis loquar, fuit *Plenarium totius Orbis, plenarium universæ Ecclesiæ, sanctum cunctarum Gentium Concilium*, celebratum post Cypriani passionem, & ante ortum Augustini: sed hoc probabilius fuit Nicænum I. ergo &c. Min. prob. Plenaria concilia ex Augustino, *lib. 2. de Baptism. cap. 3.* ea sunt, quæ fiunt *ex universo Orbe Christiano*, ac proinde sunt Concilia universæ Ecclesiæ, & Œcumenica, non pure Nationalia, aut Provincialia; alias non essent Concilium Orbis terrarum, & universæ Ecclesiæ, sed solum Nationis, aut Provinciæ; nec talia, ut quæ in Conciliis Nationalibus, vel Provincialibus statuta sunt, possent judicare. Atqui hæc verius conveniunt Concilio Nicæno primo. Hoc enim fuisse plenarium totius Orbis, & vere Œcumenicum, nemo vertit in dubium. Huic interfuere 318. Episcopi ex toto Orbe Christiano. Legatis Romani Pontificis præsidentibus. Celebratum fuit post Cypriani passionem: nam hic passus fuit anno 259. Nicænum autem Concilium coactum fuit anno 325. & triginta annis ortum Augustini, qui natus est anno 355. præcessit.

E contra vero Concilium Arelatense I. esto coactum fuerit post Cypriani passionem, & ante ortum Augustini, quia

quia anno 314. celebratum: Plenarii tamen, ac univerſæ Eccleſiæ, immo totius Orbis Concilii prærogativa non potuit ab Auguſtino donari. Nam inter Œcumenica non recenſetur; immo illi deferunt Œcumenici Concilii notæ. Non enim illi præfuit Romanus Pontifex, neque per ſe, neque per ſuos Legatos: ad ipſum ſexcenti quidem Epiſcopi convenere, at non ex totô terrarum Orbe, ſed ex aliquibus tantum Provinciis Occidentalibus.

XXXII. Confirmantur dicta. Concilium, quod plenarium vocat Auguſtinus, debuit tantæ auctoritatis eſſe, cui & Cyprianus, & alii credere debuiſſent; & procul dubio ceſſiſſent, ut ait ipſe Auguſtinus, *lib. 2. de Bapt. c. 3. & 4.* at Cyprianus cum ſuis Synodis Africanis nullo Concilio Nationali, & non Œcumenico ceſſiſſet; dicente eodem Auguſtino, lib. 2. citato, cap. 3. *Ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere;* ergo &c.

Rurſus: Concilium, de quo Auguſtinus, fuit Concilium, in quo rebaptizantium cauſa finita fuit, ut nil amplius quærendum cenſeat: at cauſæ ultimo non finiuntur niſi in Concilio Œcumenico. Nam a ſtatutis conciliorum Nationalium, & Provincialium adhuc poteſt ad Concilium Œcumenicum appellari; ergo &c.

XXXIII. Eſto autem in Concilio Nicæno I. nullus Canon legatur, in quo cauſa rebaptizantium fuerit expreſſe finita; colligitur tamen argutive ex *Can. 19.* Ubi cum ſancitum fuerit, Paulianiſtas ad Eccleſiam confugientes baptizandos eſſe, quia formam Baptiſmi legitimam non ſervabant; per conſequentiam legitimam ſancitum eſt, omnium hæreticorum, qui baptizandi formam ſervabant, quales erant Novatiani, Baptiſma ratum eſſe, nec uſquam repetendum.

XXXIV. Non latet, Auguſtinum Concilia quædam appellaſſe plenaria, quæ tamen non agnovit Œcumenica. Concilium enim Bagajenſe a Donatiſtis celebratum, ut ortum inter eos ſchiſma ſedaretur, cui 310. ejuſdem ſectæ Epiſcopi interfuerunt, vocari plenarium, *lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 5. lib. 2. de Baptiſm. cap. 7.* & alibi. Et Concilia Nationalia totius Africæ vocari plenaria in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, *num. 19. 28. 116. & 128.* & Patres Concilii Carthaginenſis III. *cap. 38.* Concilium Capuanum appellaſſe plenarium.

Hæc tamen non obſtant. Primo. Quia dum Auguſtinus vocat plenariam Donatiſtarum Synodum, loquitur ironice, & ex Donatiſtarum ſententia; qui totam Eccleſiam in parte ſua incluſam contendebant, & alienos ab eorum ſecta ad Eccleſiam non pertinere dicebant. —— Concilia autem Africana, & Capuanum vocantur plenaria cum addito, nempe, vel totius Africæ, vel Provinciæ; non totius, ac univerſæ Eccleſiæ ſimpliciter, vel Orbis terrarum: quomodo Auguſtinus dicit, plenarium fuiſſe Concilium, in quo rebaptizantium cauſa finita fuit, & cui Cyprianus ceſſiſſet: unde de ſolo Œcumenico Concilio poteſt intelligi.

XXXV. Sed dicunt pro Concilio Arelatenſi. Concilium, de quo loquitur Auguſtinus, fuit tranſmarinum, ut ipſe ait, *lib. 2. de Bapt. cap. 8. & 9.* ſed Afris Concilium tranſmarinum non poterat eſſe Nicænum, ſed potius Arelatenſe: ergo &c.

Rurſus: Arelatenſe I. potuit a Sancto Auguſtino plenarii nomine, & totius Orbis appellari Concilium. Ad illud enim, ut habetur in Arelatenſi II. *Canone 18.* ex omnibus Mundi partibus Epiſcopi convenerunt, numero ſexcenti, ut diximus; & Conſtantinus Magnus, apud Euſebium, *lib. 10. cap. 5. in Epiſt. ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum*, ſcribit: *Quoniam igitur plurimos ex diverſis, ac prope infinitis locis Epiſcopos in Urbem Arelatenſem intra Kalendas Auguſti juſſimus convenire &c.*

Tertio. S. Auguſtinus, *lib. 3. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 4.* de Concilio Arelatenſi dicit. quod Donatiſtæ *Totius Orbis judicio ſuperati ſunt*; ergo Concilium, quod Auguſtinus vocat totius Orbis, fuit Arelatenſe I.

XXXVI. Hæc ſunt, quæ ſatis probabile reddunt, Concilium plenarium, quo rebaptizantium cauſa finita eſt, fuiſſe Arelatenſe I. Verum ad ea reſponderi poteſt. Ad primum quidem neg. min. cum S. Auguſtinus, *lib. 2. contra Creſconium cap. 37.* inter Eccleſias tranſmarinas, quorum auctoritatem urget adverſus Donatiſtas, Bithyniæ Eccleſias recenſeat; in qua Provincia eſt Nicæna, quæ Concilio Nicæno nomen dedit.

Ad ſecundum reſponderi poteſt, Arelatenſe I. dici coactum ex omnibus mundi partibus, per quamdam exaggerationem. Revera tamen fuit coactum ſolum ex diverſis Provinciis Occidentis, ut Patres ipſi ejuſdem Concilii, *Ep. Synodica* ad Silveſtrum Papam teſtantur, dicentes: *Et cum diverſa ſint Provincia, ex quibus advenimus &c.*

Verba autem Conſtantini indicant quidem numerum maximum, & diverſitatem regionum, ex quibus ad Arelatenſe Epiſcopi convenerant; non tamen illud fuiſſe plenarium totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ, ut Auguſtinus dicit. Immo ſi fuiſſet plenarium totius orbis, & Œcumenicum, quare Conſtantinus appellationem Donatiſtarum ab eo ſuſcepit? Quare illud ab omnibus recipi non præcepit, ſicut de magno Nicæno Concilio id mandavit? Scribens enim ad Eccleſias: *Quod* (inquit) *in Epiſcoporum Conciliis ita generaliter decernitur, divinæ voluntati tribui debet, ac veluti cæleſte, divinumque præceptum æſtimari.* Si ergo poſt Arelatenſis ſententiam ad ſuum tribunal Donatiſtas appellantes Conſtantinus admiſit, illud non judicavit generale, ac plenarium totius Orbis.

Ad tertium dico Auguſtinum (ſi loquitur ibi de Arelatenſi) dicere Donatiſtas totius Orbis judicio condemnatos eſſe; non quia judicaret, judicium Arelatenſe eſſe totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ judicium: ſed cum jam eſſent in omnibus Catholici Orbis partibus condemnati, dici poterant totius Orbis judicio ſuperati.

§. IV.

De Eccleſiæ Fide circa Baptiſma Hæreticorum.

XXXVII. Dico. Eccleſiæ univerſalis fides ſemper fuit, Baptiſma, etſi ab hæretico, verbis tamen Evangelicis, datum validum eſſe, ac ratum. Conſtat tum ex decurſu præſentis Dubii: nam a tempore Apoſtolorum, uſque ad tempora Stephani hæc fides fuit. Unde Cypriano, & aliis nil aliud opponebatur, niſi nihil innovandum, niſi quod traditum eſt, utique ab Apoſtolis. Unde Auguſt. lib. 2. de Bapt, cap. 7. *Saluberrimam* (inquit) *conſuetudinem tenebat Eccleſia in ipſis quoque ſchiſmaticis, & hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum eſt: ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt. Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica Traditione venientem (ſicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, nec in Conciliis poſteriorum: & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur) Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum predeceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit, qua poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt; verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, quam corrigi.* Hanc univerſalem Eccleſiæ, & rubuſtam conſuetudinem ubique Auguſtinus etiam Donatiſtis opponit, *lib. 2. de Baptiſ. cap. 8. & cap. 9. lib. 4. cap. 6. & cap. 24.*

XXXVIII. Eamdem poſt Stephanum Papam propugnavit Siricius Romanus Pont. qui *Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem*, hæc ſcripſit: *Prima itaque pagina tua fronte ſignaſti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem Catholicam feſtinare; & quoſdam de Fratribus noſtris, eoſdem denuo baptizare velle, quod non licet; cum hoc fieri, & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant.* Confirmat Innocentius I. ad Victricium Rothomagenſem, *Can. 8.* ſcribens: *Ut venientes a Novatianis, vel Montenſibus per manus tantum impoſitionem ſuſcipiantur; quia quamvis ab hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati.*

XXXIX. Hanc ab Eccleſiæ exordiis varia Orbis Concilia probarunt, ac firmarunt. Laodicenum quarto ſæculo, ſub Silveſtro Papa, *Can. 7.* decernit, ut Novatiani, & Photiniani ad Eccleſiam redeuntes per ſancti Chriſmatis inunctionem admittantur: Arelatenſe I. ut vidimus, ſicut & Nicænum I. robur addiderunt. Capuanum anno 389. quibus acceſſerunt Concilii Carthaginenſis III. Patres. Dogma hoc, per ſequentium ſæculorum fidem roboratum, ultimo ſub anathemate tenendum decrevit Tridentinum. *Seſſ. 7. de Bapt. Can. 4.* his verbis: *Si quis dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit.*

XL. Rationes pro hoc dogmate probando ſuperius allatæ ſunt, in *Tract. de Sacram. in Gener. Quæſt. 7. Dub. 5.* Ubi etiam Cypriani, aliorumque rebaptizantium momenta attulimus, & ſolvimus. Illuc ergo Studioſum remitto.

Hic ſolum recolendum cenſeo: duo præcipue fuiſſe, quæ Cyprianum, alioſque moverunt, ad arbitrandum ſacramenta non poſſe ab hæreticis conferri. Primum: quia apud hæreticos nullum eſt jus in ſacramenta. Secundum: quia Spiritum Sanctum dare non poſſunt, ac proinde nec Baptiſma, cujus hic eſt effectus. Sola enim Eccleſia Catholica, quæ vera Chriſti ſponſa eſt, non hæretica, quæ eſt adultera, poteſt Chriſto ſponſo ſuo filios generare.

XLI. Ad hæc tamen dico. Ad primum cum Aug. nihil vetare, quin res aliqua in uſurpatoris manu integra, ac vera perſeveret. lib. 5. de Bapt. c. 7. *Nos autem* (inquit) *Baptiſma eos non juſte, ac legitime poſſidere concedimus: non poſſidere autem non poſſumus dicere, cum ſacramentum Dominicum in Evangeliis verbis cognoſcimus, Baptiſmum ergo legitimum habent, ſed non legitime habent. Quiſquis enim eum & in unitate Catholica, & eo digne vivens habet, & legitimum, & legitime habet: quiſquis autem vel in ipſa Catholica, ſicut palea commixta frumento, vel extra, ſicut paleavento ſublata habet; hunc Baptiſmum legitimum quidem habet, ſed non legitime.*

XLII. Ad ſecundum dico, ſolum ſequi, quod qui ab hæretico ſciens, vel in hæreſi manens Baptiſmum ſuſcipit, non accipiat rem, ſeu effectum ſacramenti; non tamen, quod non accipiat Baptiſmi ſacramentum. Cæterum ſicut parvulis, qui extra Catholicam unitatem abluuntur, datur Spiritus Sanctus; ita & dabitur adulto, qui, quolibet affectu ad peccatum liber, in extremæ neceſſitatis articulo ab eo,

eo, quem hæreticum eſſe novit, Baptiſma ſuſcipit. Sic Auguſtin. lib. 6. de Baptiſm. cap. 5. *Ille autem, cui tradit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat: ſicut plerique accidit, ut Catholico animo, & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua neceſſitate mortis urgentis in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Chriſti Baptiſmus ſine illius perverſitate perciperent: & ſive defuncti, ſive liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos nunquam corde tranſierant.*

Cum autem aliqui extra Eccleſiam regenerantur, Eccleſia Chriſti ſponſa eſt, quæ illos regenerat; utero tamen ancillarum, non ſuo: ſicut Sara genuit Abrahæ filios, Iſaac utero ſuo, Iſmaelem vero utero ancillæ. Ita S. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſm. cap. 16. *Sed cum tales* (inquit) *a ſpiritualibus evangelizantur, & ſacramentis imbuuntur; tamquam per ſe ipſam Rebecca eos parit, ſicut Eſau; cum autem per illos, qui non caſte annuntiant Evangelium, tales in Dei populo generantur; Sara quidem, ſed per Agar. Item boni ſpirituales, quando evangelizantibus vel baptizantibus carnalibus generantur; Lia quidem, vel Rachel jure conjugali eos, ſed per ancillarum uterum parit. Cum vero per ſpiritales in Evangelio generantur boni fideles, qui vel evadunt in ſpiritalis ætatis affectum, vel eo tendere non deſiſtunt, vel ideo non faciunt, quia non poſſunt: ſicut ex utero Sara Iſaac, vel Rebecca Jacob, in novam vitam, & novum teſtamentum naſcuntur.* Ita ingenioſe S. Auguſtinus.

DUBIUM IV.

An Idem poſſit a ſe ipſo Baptizari: An Plures ab Uno: Et an Unus a Pluribus?

§. I.

Reſolutio Prima, & Secunda Partis.

I. DIco primo. Nemo poteſt baptizare ſe ipſum. Ita S. Thom. 3. p. q. 65. art. 5. ad 4. his verbis: *Nullus poteſt baptizare ſe ipſum. Propter quod & Chriſtus a Joanne voluit baptizari, ut dicitur Extr. de Baptiſmo, & ejus effectu* (cap. Debitum) ubi conſultus Innocentius III. de quodam Judæo, qui in mortis articulo conſtitutus, cum inter Judæos tantum exiſteret, in aquam ſe ipſum immerſit dicendo: *Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Reſpondet: *Quod cum inter baptizatum, & baptizantem debeat eſſe diſcretio, ſicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apoſtolis:* Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *memoratus Judæus eſt denuo ab alio baptizandus: ut oſtendatur, quod alius eſt qui baptizatur, & alius qui baptizat.* Ad quod etiam deſignandum, ipſe Chriſtus non a ſe ipſo, ſed a Joanne voluit baptizari. Et licet dicat, quod ſi Judæus ille ſtatim deceſſiſſet, ad cæleſtem patriam ſtatim evolaſſet, hoc tamen fuiſſet *Propter ſacramenti fidem*, ideſt, Baptiſmum flaminis, *etſi non propter fidei ſacramentum*, ideſt, Baptiſmum aquæ.

Aliam rationem addit Innocentius. Nam in Baptiſmo *Spiritualis generatio celebratur, de qua veritas ait*, Jo: 3. Oportet vos naſci denuo: quia niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cælorum. *Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro, & femina naſcitur, alius eſt qui carnaliter gignit, & alius, qui carnaliter gignitur: ſic & in ſacramentali generatione, qua ſoboles ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcitur, alius debet eſſe, qui ſpiritualiter generet, & alius, qui ſpiritualiter generetur. Sane cum corpus exterius, ſive cor interius baptizatur, oportet, ut utrobique paternitas, & filiatio valeat inveniri, quibus baptizans, & baptizatus ad invicem referantur.* Hæc Innocentius.

II. Hinc patet diſcrimen, cur poſſit idem ſibi Euchariſtiam miniſtrare, non vero Baptiſmum. —— Nam Euchariſtia ſe habet per modum nutrimenti; Baptiſmus vero per modum generationis: idem autem non ſe ipſum generat, ubi tamen nutrimentum miniſtrat, ac ſe ipſum nutrit.

III. Dico ſecundo. Plures ſimul poſſunt ab uno baptizari, in caſu tamen neceſſitatis, nedum valide, ſed & licite. Ita S. Thom. 3. p. tum q. 66. art. 5. ad 4. ubi ait: *Poſſunt autem, ſi neceſſitas exigit, plures ſimul baptizari, quia nullus eorum reciperet niſi unum Baptiſmum. Sed tunc oportebit dicere*, Ego baptizo vos. *Nec erit mutatio formæ, quia* vos, *nihil aliud eſt, quam* te & te. Tum q. 67. art. 6. ad 2. *In caſu* (inquit) *neceſſitatis unus poſſet ſimul plures baptizare ſub hac forma*: Ego vos baptizo. *Puta ſi imminaret ruina, aut gladius; aut aliquid hujuſmodi, quod omnino moram non pateretur. Nec per hoc diverſificaretur forma Eccleſiæ, quia plurale non eſt, niſi ſingulare geminatum: præſertim cum pluraliter dicatur, Matth. ultimo:* Baptizantes eos &c. Quibus S. Thom. hoc Aſſertum docet, & probat. Ita ſe geſſiſſe S. Petrum credibile eſt, cum *Act. 2.* uno die plura hominum millia baptizavit: non enim credibile eſt, omnes ſigillatim immergere (ut tunc moris erat) potuiſſe.

§. II.

Reſolvitur Tertia Pars.

IV. AN a pluribus conferri poteſt Baptiſmus, vel dicendo: *Nos te Baptizamus*? Vel dicendo: *Ego te Baptizo*, Vel denique, ut unus abluat, & alter proferat formam.

Dico primo. Si plures ſimul concurrerent ad eumdem hominem baptizandum, illicite agerent. Ita S. Thom. 3. *part. q. 67. art. 6.* dicens, quod iſti *Eſſent puniendi de inordinato modo baptizandi*; quia Chriſtus voluit, Baptiſma ab uno tantum conferri. Eſto autem non ſit univerſaliter illicitum, quod plures Sacerdotes ſimul concurrant ad conſecrandam eamdem hoſtiam; ideoque Sacerdotes in ſui Ordinatione ſimul conſecrent cum Epiſcopo: hoc ideo eſt, quia Euchariſtia eſt ſacramentum unionis, & unitatis, quæ conſurgit ex pluribus adunatis; ſicut ex pluribus granis fit panis, & ex pluribus racemis fit vinum; quæ ratio non concurrit in Baptiſmo.

V. Dico ſecundo. Si plures ſimul ad baptizandum concurrant, ita ut uterque abluens, & verba proferens; dicendo: *Ego te baptizo &c.* habet intentionem baptizandi adæquate, & ſeorſim, & independenter ab alio quod poſſet contingere in eo caſu, in quo contentioſe uterque aliquem baptizare conaretur: tunc qui prius verba profert, & abluit, ille ſolus baptizat, ſecundus vero quantumcumque jus habeat, nihil faciet; quia jam baptizatus non poteſt iterum baptizari. Hinc ſequitur, quod ſecundus, qui forma a primo integre prolata conaretur baptizare, puniendus eſſet tamquam rebaptizator. Ita S. Thom. citato *art. 6. in Corp.*

Si autem omnino ſimul verba proferant, & ſimul immergant, ſeu abluant, non eſſent puniendi de iteratione Baptiſmi; quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque quantum in ſe eſt baptizaret: non enim eſt ratio, cur unus potius baptizet, quam alter, cum uterque ponat ſufficientia ad Baptiſmum: *Nec traderent aliud, & aliud ſacramentum, ſed Chriſtus, qui eſt unus interius baptizans, unum ſacramentum per utrumque conferret.* Ita S. Thom. citato loco.

VI. Hinc non ſequeretur, quod eſſent duo baptizantes, ſed unus baptizans; nec duæ cauſæ totales, aut quod idem numero effectus a duabus cauſis totalibus penderet. Primo. Quia uterque ageret virtute unius, nempe Chriſti, qui eſt principalis baptizans; ideoque, ut ſunt unum in illo, non ut ſunt duo. Deinde: quia in illo caſu eſto uterque miniſter eſſet cauſa inſtrumentalis totalis in actu primo; nam uterque ſeorſim ab alio poſſet ſacramentum illud perficere: in actu tamen ſecundo, dum unus alteri ſe adjungit ad baptizandum, ſunt ſicut duo equi, dum junguntur ad trahendum eumdem currum. Eſto enim quilibet eorum ſeorſim poſſet illum currum trahere, ac proinde in actu primo ſit cauſa totalis; dum tamen in actu ſecundo vires jungunt, & attemperant, quilibet eorum fit cauſa partialis. Sic in caſu. Nam quilibet eorum non haberet intentionem efficiendi ſacramentum, niſi conjunctim cum alio; & Chriſtus principalis agens ordinaret illas duas materias, & duas formas ad ſignificandum per modum unius unam generationem ſpiritualem.

VII. Dico tertio. Si plures concurrentes ad baptizandum eumdem hominem dicerent: *Nos te baptizamus &c.* baptiſma illud nullum eſſet. Ita S. Thom. citato *art. 6.* Eo quod *Ex tali forma:* Nos te baptizamus, *exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum Baptiſmum conferendum: quod quidem videtur eſſe contra rationem miniſterii. Homo enim non baptizat, niſi ut Miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens: unde ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet eſſe unum Miniſtrum, qui Chriſtum repræſentet. Propter quod ſignanter Apoſtolus dicit*, Eph. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma. *Et ideo contraria intentio videtur excludere Baptiſmi ſacramentum:* Ex quibus format rationem ſub hac forma. Ut Baptiſmus ſit validus, debet apponi forma legitima, & non exprimi intentio contraria intentioni Chriſti, & Eccleſiæ: at ſi plures ſimul abluentes dicerent: *Nos te, Baptizamus*, non apponerent legitimam formam, & exprimerent intentionem contrariam intentioni Chriſti; qui ſicut unus eſt, ita in uno Baptiſmo exigit unum Miniſtrum, & non plures; ergo &c.

VIII. Dico quarto. Si plures ita unum baptizarent, ut unus ablueret, & alter proferret verba; etiamſi id facerent in caſu neceſſitatis, Baptiſmus eſſet nullus. Eſt contra Cajetanum, ad hunc *art. 6.* qui putat, quod ſi duo tantum adeſſent Catechumeno in mortis articulo conſtituto; quorum unus eſſet mutus, ideoque non poſſet proferre formam; alter vero eſſet membris omnibus captus, adeoque non poſſet abluere; in tali caſu, ſi mutus ablueret: & membris captus proferret formam Baptiſmi, Baptiſmus eſſet validus.

Aſſertio tamen noſtra traditur a S. Thoma. Tum 3. *p. q. 66. art. 5. ad 4.* ubi expreſſe ait: *Si convenirent duo, quorum unus eſſet mutus, qui non poſſet proferre verba, & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum; non poſſent ambo ſimul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum.* Tum hac *q. 67. art. 6. ad 3.* his verbis:

Inten-

Integritas Baptiſmi conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ: & ideo neque ille, qui tantum verba profert, baptizat, neque ille, qui immergit. Et ideo ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens, Neque enim poterit dici: Ego te baptizo *; cum ipſe non immergat, & per conſequens non baptizet. Neque etiam poterit dici:* Nos te baptizamus *: cum neuter baptizet. Si enim duo ſunt; quorum unus unam partem libri ſcribat, & alius aliam, non erit propria locutio*; Nos ſcripſimus librum iſtum, *ſed ſynecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.* Ex quibus formo hanc rationem. Ilii duo non poſſunt verificare formam Baptiſmi; ergo non poſſunt baptizare. Ant. prob. Non enim poſſunt dicere; *Ego te baptizo*, quia qui ea verba profert, cum non abluat, non verificatur, quod baptizet. Nec poſſunt dicere: *Nos te baptizamus*; hæc enim verba faciunt ſenſum, Ego, & ille alter te baptizat: hoc autem non verificatur, ſi ille, qui profert verba, non abluat.

IX. Dices primo. Hoc inconveniens vitari; ſi diceretur: *Nos baptizamus*; ſumendo illam propoſitionem *complexive*, ideſt, *ego*, & *iſte* unitim, & conjunctim per modum unius cauſæ totalis *te baptizamus*; ego nimirum proferendo verba, ille abluendo. Sicut ſi duo traherent uniti navem, quam nullus ſeorſim trahere poſſet; non poſſet quidem quilibet ſeorſim dicere: *Traho navem*; poſſent tamen conjunctim dicere: *Trahimus navem*.

Reſpondeo, hoc potius confirmare noſtrum Aſſertum. Nam ideo trahentes navem poſſunt dicere: *Trahimus navem*; quia verificatur, quod quilibet trahit navem, ſaltem partialiter. Atqui tantum profert verba, & non abluit, non poteſt dici, quod abluat etiam partialiter: & ideo dicendo, nos te baptizamus, falſum diceret.

X. Sed inſtas: *Ego baptizo te*, non eſt idem ac *Abluo te*; ſed eſt idem, ac ſacramentum Baptiſmi tibi confero: at in caſu poſito uterque ſacramentum vere conferret, unus ponendo materiam, alter formam; ergo poſſent dicere &c.

Confirm. In ſacramento Matrimonii, & pœnitentiæ, materia exhibetur ab uno, & forma profertur ab alio; ergo idem contingere poteſt in Baptiſmo.

XI. Reſpondeo, neg. min. Nam ſacramentum Baptiſmi confertur per ablutionem; ergo non poteſt dici ſacramentum conferre, qui non poteſt dici abluere: ly enim *baptizo* ſignificat primo, & per ſe uſum materiæ, qui non alius eſt in Baptiſmo, quam ablutio ſeu immerſio.

XII. Ad Confirmationem, nego conſ. & diſparitas eſt. Nam ſacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum judicii; in quo confeſſio, quæ eſt materia, debet poni a reo, & abſolutio, ſeu ſententia, quæ eſt forma, a Judice. Similiter matrimonium eſt contractus, qui debet eſſe inter mutuo tradentem, & acceptantem. At non ſic baptiſmus: immo ejus forma ſignificat, quod qui eam profert, ponat etiam materiam proximam, quæ in Baptiſmo eſt ablutio, dum dicit *ego te baptizo*.

XIII. Dices ſecundo. In caſu poſito, ſaltem ſi uteretur forma Græcorum: *Baptizatur ſervus Chriſti*, forma non falſificaretur; ergo &c.

Reſpondeo primo cum S. Thom. hoc *art. 6.* neg. ant. Quia ſemper agit contra intentionem Chriſti, & rationem miniſterii: Chriſtus autem ſicut unus eſt, ita unum voluit miniſtrum. Secundo: dico, quod forma Græcorum idem exercite ſignificat, ac forma Latinorum, ideoque reddit hunc ſenſum: baptizatur ſervus Chriſti hac actione baptizandi a me exercita. Si autem proferens verba non ablueret, hoc non verificaretur: non enim faceret eum actum, qui per formam ſignificatur.

XIV. His omnibus addo: quod ſi duo poſſent valide baptizare, uno proferente formam, alio exhibente materiam; eadem ratione poſſent plures valide baptizare, uno proferente primam partem formæ: *Ego te baptizo*; altero proferente ſecundam partem: *In nomine Patris &c.* & tertio aqua abluente: ſed hoc eſt abſurdum, dicere; ergo &c.

XV. At inquies. Si puer ſit moriturus, nec alii ibi ſint, quam duo; quorum unus ſit mutus, alius membris captus, quid agendum?

Dicerem, in tali caſu mutum illum poſſe alligare capiti alterius vaſculum aquæ; ut ille ſubmittendo caput verſaret eum ſupra caput pueri proferendo formam. Quod ſi nullus eſſet abluendi modus, niſi manibus; idem ſentiendum eſſet, ac ſi nullus ibi eſſet Baptiſmi Miniſter.

DUBIUM V.

De Patrino, ſeu Suſceptore Baptiſmi.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. ANtiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo eſt, cujus meminerunt antiqua Concilia, & Patres, ut in Baptiſmo ſolemni, non autem in privato, præter baptizantem, & baptizatum, requiratur aliquis, qui baptizatum levet e ſacro fonte; qui vocatur ſuſceptor, ſponſor, ſeu fidejuſſor, & Patrinus. Hujus præcipuus, & neceſſarius actus eſt, baptizatum ſuſcipere de manu baptizantis; eſto poſſit in Baptiſmo alios actus exercere, nimirum tenere baptizatum, reſpondere pro illo &c. Quod Eccleſiaſticum præceptum graviter obligat: ideoque ſi abſque tali ſuſceptore Baptiſmus ſolemniter celebraretur, validus eſſet quidem, ſed graviter peccaretur. Hac cæremonia ſuſcipiendi baptizatum de manu baptizantis ſignificat ſuſceptor, ſe baptizatum ſuſcipere ſub cura ſua; & promittit, ſe habiturum curam ſalutis, & inſtructionis ſpiritualis illius: ideoque ſuſceptor vocatur etiam fidejuſſor, & ſponſor, nec non Patrinus quia in hoc ſubſtituitur loco patris.

II. Rationem dat S. Thomas *3. p. q. 67. art. 7.* cur Eccleſia hunc ſuſceptorem in Baptiſmo ſolemni inſtituerit, his verbis: *Spiritualis regeneratio, qua fit per Baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali. Unde dicitur*, 1. *Petri* 2. Sicut modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite. *In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo. Unde & in ſpirituali generatione Baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & inſtruendo eum, quaſi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam chriſtianam: ad quod Prælati Eccleſiæ vacare non poſſunt, circa communem curam populi occupati. Parvuli enim, & novitii indigent ſpeciali cura præter communem.* Et ad ſecundum ibi oſtendens, hoc non fuiſſe inſtitutum tanquam de neceſſitate ſacramenti, ait: *in generatione carnali non requiritur ex neceſſitate niſi pater, & mater: ſed ad facilem partum & educationem pueri convenientem requiritur obſtetrix, & nutrix, & pædagogus: quorum vicem implet in Baptiſmo ille, qui puerum de ſacro fonte levat. Unde non eſt de neceſſitate ſacramenti: ſed unus ſolus poteſt in aqua baptizare; neceſſitate imminente.* Juxta hanc S. Thomæ doctrinam loquitur Catechiſmus Romanus. *P. 2. Tit. de Baptiſm. num. 26.*

III. Vetuſtatem hujus ritus probat S. Thom. ex S. Dionyſio, *cap. ult. de Eccleſ. Hierarch.* ubi ait: *Divinis noſtris Ducibus* (ideſt Apoſtolis) *ad mentem venit, & viſum eſt, ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctum modum; quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis pædagogo, & reliquum ſub ipſo puer ageret, ſicut ſub divino patre, & ſalvationis ſancta ſuſceptore.*

IV. Quid porro neceſſarium ſit, ut quis ſit Patrinus: an ſcilicet neceſſe ſit, ut puerum, vel alium baptizandum corporaliter tangat, vel tenendo, afferendo, levando? Varia de hoc Eccleſiarum eſt conſuetudo. Alicubi enim moris eſt, ut Patrini apponant manus puero, cum baptizatur: alibi ut nonniſi poſt Baptiſmum. Rituale Romanum etſi Baptiſmum, ubi datur per effuſionem, miniſtrari velit Patrino, vel Matrina, vel utroque, ſi ambo admittantur, infantem tenente: ubi tamen eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, jubet, ut poſt collatum Baptiſmum alteruter, vel uterque ſimul infantem de ſacro fonte levent. Veroſimile tamen judico, etiam abſque contactu, ſive in Baptiſmo, ſive poſt, corporali infantis, officium, & obligationem Patrini contrahi; ſi is, qui a Parocho ad ſuſcipiendum eſt admiſſus, declaret verbo, & aſſiſtentia, ſe illum offerre ad Baptiſmum, ſeque officium ſuſceptoris erga eum acceptare, & de Confirmatione ſimiliter.

§. II.

De Obligatione Suſcipientis in Baptiſmo.

V. DOlet (ac merito quidem) Catechiſmus Romanus citatus, *num.* 28. quod hoc Patrini, ſeu ſuſceptoris munus adeo negligenter in Eccleſia tractetur; ut nudum tantum hujus functionis nomen relictum ſit: ideoque ibi ſub oculis ponere conatur, quid cogitare debeant, & quo debito ſe ſe obſtringant, qui tale munus ſuſcipiunt.

VI. Id præſtat S. Thom. *3. p. q. 67. art.* 8. ubi hæc habet: *Unuſquiſque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dictum eſt autem, quod ille, qui ſuſcipit aliquem e ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pædagogi: & ideo obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſſitas immineret: ſicut eo tempore, & loco, in quo baptizati inter fideles nutriuntur.* Ex quibus patet, hoc debito maxime teneri, qui ſuſcipiunt filios Catholicorum in partibus infidelium, ſive hæreticorum degentium: ſi enim cum inter fideles educentur, ſpeciali cura indigent, ne fides, quam in Baptiſmo acceperunt, in eis corrumpatur. Quapropter S. Th. *ad* 1. dicit; *Quod ubi immineret periculum, oporteret eſſe aliquem doctum in divinis, qui Baptizatum de ſacro fonte ſuſciperet.*

Sed ubi (proſequitur S. Thom. in corp.) *nutriuntur inter Catholicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, præſumendo; quod a ſuis parentibus diligenter inſtruantur. Si tamen quocumque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundum ſuum modum ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere.* Et ideo ſubjungit, ad 1. *Propter hoc, quod pueri nutriuntur inter Catholicos, admittuntur quicumque ad hoc officium; quia ea, quæ pertinent ad Chriſtianam vitam, & fidem, publice omnibus nota ſunt.*

VII. Hæc autem obligatio fundatur in ipſamet hujus muneris inſtitutione, & charactere: quo, dum aliquem a ſacro

ſacro fonte ſuſcipiunt, fiunt ſponſores, & fidejuſſores, & promittunt Deo pro ipſo, facti Patres Spirituales ipſius; ac ſi dicat (verba ſunt S. Dionyſii, de Eccl. Hierarc. c. 7.) *Profiteor, me huic puero, cum per ætatem intelligere ſacra poterit, divinis meis inſtitutionibus perſuaſurum, ut adverſariis nuntium omnino remittat, & divina promiſſa proſiteatur, & exſolvat.* Et apud Gratianum. diſt. 4. de Conſecrat. cap. *Vos ante*, hæc, velut Auguſtini, ſerm. 163. de tempore, referuntur: *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in Baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere.* Id confirmatur in Conc. Pariſienſi VI. *lib. 1. capit.* 19. Mediolanenſi ſub Sanct. Carolo, & in Inſtructionibus Baptiſmi, Senonenſi 1574. & aliis.

§. III.

Qui poſſunt eſſe Patrini in Baptiſmo, & quot.

VIII. REſpondet S. Thomas *3. p. q. 67. art.* 8. citato *ad* 1. Non baptizatum non poſſe ſuſcipere Baptizatum e ſacro fonte, *ut eſt declaratum in Concilio Moguntino* (cap. *In Baptiſmate*, de Conſecrat. diſt. 4.) *licite non baptizatus poſſit baptizare, quia perſona baptizantis eſt de neceſſitate ſacramenti, non autem perſona ſuſcipientis.* Et ratio eſſe poteſt. Quia non baptizatus non eſt membrum Eccleſiæ, cujus typum gerit in Baptiſmo ſuſcipiens. Qua ratione Catechumenus, quamvis ſit fidelis, quia tamen non baptizatus, Patrinus eſſe non debet.

IX. Non debent etiam admitti ad ſuſcipiendum baptizatum hæretici. Cum enim ex dictis hæc cæremonia inſtituta ſit, ut baptizatus inſtruatur a ſuſcipiente in fide catholica in qua certe hæreticus non inſtrueret; idcirco deſignare hæreticum in Patrinum, eſſet deſignare, non inſtructorem baptizati, ſed corruptorem. Hinc ſi in terris hæreticorum Patrinus Catholicus commode haberi non poteſt, tenetur Parochus baptizare potius abſque ullo patrino: quia cæremoniæ Eccleſiæ ſunt omittendæ in Baptiſmo, quando rite, & modo debito adhiberi non poſſunt.

X. Rurſus: parentes pueri baptizandi in Patrinos aſſumi non debent. Ita cap. *Pervenit* & cap. *Dictum eſt*, 30. q. 1. & rationem dat S. Thom. laudatus art. 8. ad 2. *Quod ſicut eſt alia generatio ſpiritualis a carnali: ita etiam debet eſſe alia diſciplina, ſecundum illud, Hebr.* 12. Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus, *Et ideo alius debet eſſe pater ſpiritualis a patre carnali, niſi neceſſitas contrarium exigat.*

XI. Præterea Abbates, Monachi, Sanctimoniales non poſſunt eſſe Patrini in Baptiſmo. Ita cap. *Non licet*, de Conſecratione, diſt. 4. quod ex Concilio Antiſiodorenſi ſumptum eſt: *Non licet Abbati, vel Monaco de Baptiſmo ſuſcipere filium, nec Commatrem habere.* Et in c. *Placuit*, 16. q. 1. inter alia vetatur Monachis, ne filios de Baptiſmo ſuſcipiant. Et S. Gregorius, *l. 4. Epiſt.* 42. alias 40. mandat Valentino Abbati, ne Monachi ſibi Commatres faciant. Quam prohibitionem ad Religioſos omnes, etiam Mendicantes, extendi, tenet communis omnium ſententia. Unde Paulus V. in Rituali de Patrino loquens: *Ad hoc* (inquit) *munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, vel alii cujuſvis Ordinis Regularis a ſæculo ſegregati.* Clericos etiam ſæculares ſacris initiatos excludit S. Carolus in ſuis inſtructionibus Synodi Aquenſis, anno 1685. & Remenſis 1583. Hæc tamen diſciplina, quod ſpectat ad Clericos ſæculares ſacris initiatos, non eſt uſu recepta, & obſervata: ſaltem generaliter.

XII. Circa numerum autem ſuſcipientium variæ diverſis temporibus fuere conſuetudines. Olim enim unus ſolus admittebatur. Sic enim refertur ſtatutum ab Higino Papa, c. *In Catechiſmo*, de Conſecr. diſt. 4. Poſtea admiſſi fuere plures, ut cap. *Quis*, de cognatione ſpirituali, in 6. Demum Tridentinum, *Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 2. ſtatuit, *Ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant.* Ex quo aliqui colligunt, duos viros etiam ſolos, aut duas mulieres aſſumi non poſſe, ſed unum virum, & unam mulierem. Rationem autem, cur Patrinorum numerus ſit reſtrictus, dat Catechiſmus Romanus, loco cit. de Bapt. num. 30. *Tum quia diſciplina, atque inſtitutionis ordo a multitudine Magiſtrorum perturbari poterat. Tum quia, providere oportebat, ne inter plures hujuſmodi affinitates conjungerentur; quæ impedirent, quo minus legitimo matrimonii vinculo hominum inter homines ſocietas latius diffunderetur.*

XIII. De cognatione autem ſpirituali, quæ ex hac ſuſceptione contrahitur, breviter dico; quod eſto ſecundum jus antiquum extenderetur ad plures; ex decreto tamen Tridentini, loco ſupra citato, ſolum contrahitur inter ſuſcipientes, & *baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem; nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantum.* Ita ut legitima nuptiarum fœdera inter iſtos iniri non poſſint atque inita dirimantur, ex Catech. Rom. citato, *num.* 27. Quæ cognatio contrahitur, ſive in Baptiſmo ſolemni, ſive etiam privato; modo patrini dignati puerum obtulerint baptizandum, vel etiam in caſu neceſſitatis baptizaverint. Unde laicus, qui puellam domi in articulo neceſſitatis baptizavit, nec ipſi, nec ejus matri nubere poteſt. Ex S. Antonino, *p. 3. tit. 1. c.* 15.

XIV. An vero ſi pater, & mater vel ex ignorantia, vel neceſſitate filium proprium ſuſcipiant, contrahant inter ſe cognationem ſpiritualem impedientem Matrimonii uſum inter eos: Antiqui, inter quos Sanct. Thom. *quæſt.* 56. *ſuppl. art.* 4. affirmativæ ſententiæ ſubſcribunt, quia ſic diſciplina illius temporis ferebat. Nunc vero res aliter ſe habet, maxime poſt Bullam S. Pii V. incipientis *Cum illius vicem*. Unde ſi maritus, & uxor aliquem ex ſacro fonte ſimul ſuſcipiant, jure conjugii uti poſſunt, ſicut prius. Immo Alexander III. Cap. *Si vir*, de cognatione ſpirituali Archiepiſcopo Salernitano eum conſulenti, ſic reſpondet. *Conſultationi tuæ ſic reſpondemus, quod quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari* (nimirum, ſi vir, vel mulier ſcienter, vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit) *Quidam tamen humanius ſentientes, aliter ſtatuerunt. Ideoque nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi; nec alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci; quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorontia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Nec ſolum poſſunt debitum petenti reddere, ſed etiam mutuo exigere, ſive ignoranter, ſive ſcienter id fecerint, ait Gloſſa ibi.

QUÆSTIO V.

De neceſſitate Baptiſmi, ejuſque Subjecto.

CUm agens, & patiens ſint relativa, quæ ſimul cognitione eſſe debent; a quæſtionibus concernentibus Miniſtrum Baptiſmi, recto ordine ad ea, quæ concernunt ſubjectum, quod in Baptiſmo ſe habet, ut patiens, gradum facimus. Et primo quidem, de neceſſitate illum ſuſcipiendi, ſive reſpectu parvulorum, ſive adultorum: deinde de aliis hanc materiam tangentibus ſermonem inſtituemus.

DUBIUM I.

An Baptiſmus ſit Neceſſarius Parvulis ad Salutem?

§. I.

Quibuſdam Prænotatis Referuntur Errores, ac Opiniones.

I. NOto breviter primo: ad ſalutem poſſe aliquid eſſe neceſſarium dupliciter, nimirum, vel neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti. Id eſt neceſſarium primo modo, ſine quo nullo modo finis haberi poteſt; ſic, ut nec ignorantia, nec impoſſibilitas excuſet. Id vero dicitur neceſſarium ſecundo modo, de quo extat præceptum; ſine eo tamen poteſt finis, ideſt ſalus, obtineri: ſi nimirum inculpabiliter, ideſt, vel ex ignorantia, vel impoſſibilitate omittatur.

II. Noto ſecundo: quod præſens quæſtio præcedit ſecluſo privilegio. Nam certum eſt, poſſe Deum ſpeciali privilegio ſine Baptiſmo parvulos ab originali mundare; vel per martyrium, ut de Innocentibus ſupra dictum eſt: vel eos adhuc in utero matris exiſtentes juſtificare, ut legitur de Jeremia, & Joanne Baptiſta. His poſitis.

III. Primus, qui circa hoc erravit, fuit Pelagius, qui, Auguſtino teſte, *lib. de Hæreſibus, cap.* 87. aſſeruit: parvulos ſic *Sine ullo peccati originalis vinculo naſci, ut prorſus non ſit; quod eis oporteat ſecunda nativitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati, admittantur ad regnum Dei; de bono in melius translati, non illa renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiamſi non baptizentur, promittit eis, extra quidem regnum Dei, ſed tamen æternam, & beatam quamdam vitam ſuam.* Sed hunc errorem jam pridem damnatum confutavimus, *Tom. 1. in 1. q. 7. de Peccati Originalis exiſtentia. Dubio* 1.

IV. Secundus, qui circa hoc erravit, fuit Vincentius Victor, contra quem S. Auguſtinus ſcripſit libros quatuor de anima. Dicebat enim, præter alia; quæ S. Auguſt. refert, lib. 3. de anima c. 15. *Infantes antequam baptizentur, morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum... & aliquos eorum, qui ſine Baptiſmo ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum, ſed in Paradiſum. Poſtea vero in reſurrectione mortuorum, etiam ad regni Cælorum beatitudinem pervenire.*

V. Tertius eſt Wicleffus, qui, teſte Waldenſi, *tom. 2. de Sacr. c. 96.* exiſtimavit, etiam de lege ordinaria, pueros decedentes abſque Baptiſmo juſtificari, & ſalvari per Paſſionem Chriſti, & Baptiſmum flaminis, & aquam, quæ exivit de latere Chriſti; de qua intelligebat illa Chriſti verba, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

VI. Quartus fuit error Zuinglii, & Buceri volentium, Baptiſ-

Baptismum esse tantum æternum quoddam symbolum, ideoque parvulos prædestinatos; etiam sine Baptismo salvari: non prædestinatos autem, etiam cum Baptismo damnari.

VII. Quintus demum fuit error Calvini, qui cum legisset apud Apostolum, Filios fidelium vocari sanctos; docuit, etiam sine Baptismo, esse sanctos, illis non imputari peccatum originale in gratiam parentum; ideoque etiam sine Baptismo salvari. Ita lib. 4. Inst. c. 15. §. 20. *Infantes nostros antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus; cum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos. Hoc verbo continetur eorum salus ..... Quantum damni invexerit dogma illud male expositum, Baptismæ esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt.*

VIII. Ex Catholicis vero Cajetanus, ad *art. 2. q. 68. 3. part.* S. Thomæ docet, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum Baptismi a parentibus, aut aliis conceptum esse sufficiens ad eorum salutem; præcipue cum aliquo exteriori signo, puta crucis, & invocatione Trinitatis Deo offerunt morientem. Quod idem, ad *art.* 11. dictæ quæstionis, dicit de parvulis in maternis uteris periclitantibus. In quam sententiam propendere videtur Jo: Gerson. *Serm. de Nativ. B. V.* habito in Conc. Constant. *Consideratione* 2. & aliqui etiam Recentiores.

§. II.

Rejicitur Error Hæreticorum.

IX. Dico. Baptismus est necessarius omnibus pueris, etiam ex parentibus fidelibus natis, necessitate medii ad salutem. Est præcipue contra Calvinum. Prob. primo. Omnes pueri, nati etiam ex parentibus fidelibus contrahunt peccatum originale, quo eis clauditur regnum cælorum: sed unicum remedium ad delendum peccatum originale, & aperiendum regnum Cælorum est Baptisma; ergo &c. Min. probatur ex illa generali Christi propositione, Joan. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Maj. etiam prob. Tum ex Apostolo, ad Ephes. 2. vers. 3. *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.* Nos inquit Judæi, licet fideles, & ex fidelibus nati, æque, ac cæteri nati ex infidelibus, eramus natura, idest, ab origine, & naturali generatione, filii iræ, & damnationis æternæ. Quæ exponens S. August. Tract. 44. in Joan. *Apostolus* (inquit) *natus in gente Prophetarum dicit, fuimus & nos aliquando filii iræ, sicut & cæteri. Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo natura, nisi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit?* David etiam, esto natus de parente fideli, deplorat suæ conceptionis immunditiem, Psal. 50. v. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Unde Paulus, Rom. 5. v. 12. de Adamo: *in quo* (inquit) *omnes peccaverunt.* Et 2. Cor. 5. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.*

X. Probo secundo, ex Augustino, *Ep.* 28. modo 166. ad Hieron. c. 7. ubi ait: *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabunt etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt; hic profecto, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizadis parvulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* Si ergo, ut vult Calvinus, fidelium filii, jam filii Dei pronunciati sunt, erunt igitur, antequam nascantur, sanctificati, & ab originali mundati: ergo Baptisma eis superfluum; & inutile erit. Si enim Deus pronuntiat, & adoptat, ut suos, fidelium filios, quamvis sine Baptismo moriantur, salvi erunt. Quid ergo ad eos baptizando festinat Ecclesia? Quæ necessitas hujus sigilli sensibilis, cum jam divino pacto, ac promissione sigillati sunt? Dicat quod velit Calvinus. Augustinus epistolam suam ita concludit, *Hoc me non temere sentire profiteor, eam, qua vera est, non adversari robustissimæ, ac fundatissimæ fidei; qua Christi Ecclesia nec parvulos homines recentissime natos a damnatione credit, nisi per gratiam nominis Christi, quam in suis sacramentis commendavit, posse liberari.*

XI. Dicit tamen Calvinus primo. Verba illa Christi, Jo: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, non deberi sumi pro vera aqua Baptismi; sed pro Spiritu Sancto mundante ad instar aquæ. Sicut cum dicitur, Lucæ 3. vers. 16. *Ipse vos baptizavit, in Spiritu Sancto & igne;* per ignem, non ignis, sed Spiritus Sanctus accipitur.

XII. Si ita est, respondeat Calvinus Augustino, Serm. 294. (alias 14. de Verbis Apost.) cap. 7. *Christianus es; Christianus inquit. Audi Evangelium, qui vis non baptizatos parvulos mittere in regnum Calorum, audi Evangelium:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; non intrabit in regnum Cælorum: *Domini sententia est: huic non resistit, nisi non Christianus.* Vel ergo Calvinus est non Christianus, si non obstante hac Domini sententia parvulos Baptizatos vult mittere in Regnum Cælorum: vel si se Christianum asserat, fateatur, illis verbis de vera, & Baptismali aqua, sine qua nec pueri intrabunt in Regnum Cælorum, Christum ibi loqui. Unde merito Tridentinum *Sess. 7. de Bapt. Can. 2.* anathemate ferit eum, qui verba Christi ad Nicodemum de vera, & naturali aqua non intellexerit, sed ad metaphoram detorserit. Neque Calvinum juvant verba illa, Lucæ 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Quia hæc non referuntur ad Spiritum Sanctum mundantem in Baptismo: sed ad eumdem, qui sub specie ignis dandus erat Apostolis in die Pentecostes.

XIII. Dicit secundo. Etiam. *Jo: 5. v. 54.* dicit Christus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* & tamen non sequitur, Eucharistiam esse necessariam etiam parvulis: ergo licet dicatur: *Nisi quis renatus fuerit &c.* non sequitur &c.

XIV. Respondeo, disparitatem esse. Quia Baptismi qui est regeneratio spiritualis, omnes sunt capaces: qui enim generatur, nihil cooperatur suæ generationi, quæ est fundamentum, & principium totius vitæ. Et ideo dicit Christus: *Nisi quis renatus fuerit*, quod idem reddit, ac nemo, sive parvulus, sive adultus, qui renatus non fuerit. Eucharistiæ autem, quæ est nutritio spiritualis, non omnes sunt capaces: cum enim nutritio necessaria sit ad reparandum deperditum; & in pueris nihil supponatur deperditum de viribus spiritualibus: ideo eis Eucharistia necessaria non est. Quare Christus non dicit: *Nisi quis manducaverit*, sed: *Nisi manducaveritis*. Nimirum, vos adulti, qui calore concupiscentiæ de viribus spiritualibus quotidie deperditis, nisi manducaveritis, vitam non habebitis. Addo: hoc non favere Calvino, qui verba illa: *Nisi manducaveritis*, intelligit non de manducatione sacramentali, & Eucharistica; sed de manducatione spirituali per fidem, cujus certe infantes sunt incapaces.

XV. Dicit tertio. Fideles omnes, eorumque filii semen Abrahæ sunt, cui Deus promisit, se fore Deum ipsius, & seminis ejus per gratiam, Gen. 17. v. 7. *Ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*; ergo fidelium filii non sanctificantur per Baptismum; sed Baptismus est signum, quo ostenditur, eos esse sanctos, & in Dei pacto inclusos: eo modo, quo olim Circumcisio, cui Baptismus successit. Dicitur namque, Genes. 17. vers. 12. *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.*

Confirmatur. Ante Christum poterant sine Baptismo fidelium filii salvari; ergo etiam post Christum: alias arctata esset via salutis, & durior esset conditio Christianorum, quam Judæorum.

XVI. Ad hæc, quæ Calvini fundamentum sunt, respondeo primo, petendo ab ipso: Filii fidelium, quos dicit nasci sanctificatos, & adoptatos in filios Dei, nascuntur ne peccato originali mundati, vel ejus sorde adhuc maculati? Si dicat primum, sentit cum Pelagianis. Si vero secundum; ergo infantes fidelium nascuntur simul filii Dei, & filii iræ, ac gehennæ; ergo Calvinus duo contradictoria statuit. Cumque etiamsi baptizentur, Baptismus nil aliud sit, quam signum, eos esse jam filios Dei; Baptismus vel esset signum testificans falsum, vel duo contradictoria testificans.

XVII. Secundo respondeo, falli Calvinum, dum putat ex vi promissionis factæ a Deo, omnes filios Abrahæ, per propagationem, ab ipso fuisse sanctificatos, & Deum fuisse illorum Deum, per gratiam: & hanc ad solos Abrahæ filios fuisse restrictam. Promissio enim illa fuit, ut qui ex Abraham carnali propagatione nascerentur, essent de populo Dei, & hæredes terrenarum promissionum, si autem soli, qui Abrahami fidem (dicti propterea Pater credentium) imitarentur; hæredes essent spiritualium promissionum gratiæ. Ideoque cum non soli ex Abraham carnaliter progeniti, sed aliis etiam ex Gentibus filii Abrahæ fuerint, per fidem; hi etiam filii fuerunt spiritualis promissionis, per gratiam. Unde Paulus, ad *Rom. 4. v. 12. & ad Galat. 3. v. 7.* ostendit, quod illi sunt filii promissionis, qui sunt filii fidei Abrahæ, sive ex Israelitis, sive ex Gentibus: & ideo dixit Deus, se posuisse Abraham patrem multarum gentium.

XVIII. Respondeo ergo directe, quod sicut in veteri Lege generatio secundum carnem ex parentibus fidelibus non constituebat filios Dei, aut Christi, vel gratiæ hæredes; sed hæc dabatur, vel intuitu fidei in adultis, vel in Circumcisione, quæ erat signum, quo pueri Dei oblati virtute Christi justificabantur: ita in Lege Evangelica parvuli constituuntur filii Dei, non quia ex parentibus fidelibus carnaliter geniti; sed quia spiritualiter regenerati in Baptismo per Christum: unde si non baptizentur, non sunt filii Dei, sed manent filii iræ, & gehennæ. Audiat propterea Calvinus *Joannem cap. 1. v. 12.* dicentem: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, neque ex voluntate carnis ....sed ex Deo nati sunt.* Unde Christus postea, *Joan. 3. v. 3.* ait: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei.* His enim totum ejus fundamentum evertitur.

XIX. Ad Confirm. nego ant. Non enim ex eo præcise in veteri Lege pueri, & adulti salvabantur, quia ex parentibus fidelibus nati essent; sed quia vel fidem profitebantur, vel signum fidei accipiebant; nempe, Circumcisionem, quæ a Paulo, *Rom. 4. vers. 11.* vocatur *Signaculum justitiæ fidei.* Audiatur S. Thom. *3. part. quæst. 64. artic. 1. ad 1.* Calvini argumento sic respondens: *Numquam homines potuerunt salvari, etiam ante Christi adventum,*

rum, niſi fierent membra Chriſti; quia, ut dicitur, Actor. 4. Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. *Sed ante adventum Chriſti homines Chriſto incorporabantur per fidem futuri adventus; cujus fidei ſignaculum erat Circumciſio, ut Apoſtolus dicit, Rom.* 4. *Ante vero, quam Circumciſio inſtitueretur, ſola fide, ut Gregorius dicit* (lib. 4. Moral. cap. 3.) *cum Sacrificiorum oblatione, quibus ſuam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Chriſto incorporabantur. Poſt adventum etiam Chriſti homines per fidem Chriſto incorporantur ſecundum illud Epheſ.* 3. Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. *Sed alio ſigno manifeſtatur fides rei jam præſentis, quam demonſtraretur, quando erat futura: ſicut etiam aliis verbis ſignificatur præſens, præteritum & futurum. Et ideo, licet ipſum ſacramentum Baptiſmi non ſemper fuerit neceſſarium ad ſalutem; fides tamen, cujus Baptiſmus ſacramentum eſt, neceſſaria fuit.*

§. III.

Reſolutio contra Cajetanum.

XX. Dico. Falſum eſt aſſerere, quod ſecundum legem communem, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ſufficiat ad eorum ſalutem votum Baptiſmi a parentibus, ſive ab aliis conceptum cum aliquo ſigno exteriori, vel cum aliqua benedictione prolis, ſive oblatione ipſius ad Deum cum invocatione Trinitatis. Sententia enim Domini eſt, cui nemo Chriſtianus refragari poteſt, ut §. præcedenti, ex Auguſt. dictum eſt, *Quod niſi renatus fuerit ex aqua . . . non poteſt introire in regnum Dei*. Quæ omnes Patres, tum de parvulis, tum de adultis intelligunt; ita ut ſentiant, parvulos, niſi re ipſa baptizentur, ſalvari non poſſe. Hinc Eccleſia parvulos ſine Baptiſmo decedentes, ad Eccleſiaſticam ſepulturam non admittens, cenſet, eos ſalvos non eſſe.

XXI. Si dicas, quod ſicut adultis ſufficit Baptiſmus, ſive in re, ſive in voto proprio; ſic parvulis, qui incapaces ſunt voti proprii, ſi non poſſint in re ſuſcipere Baptiſmum, ſufficiet votum emiſſum a parentibus, vel aliis.

Contra eſt. Nam ſi hoc verum eſſet, quod fides parentum fidelium, & Catholicorum applicata filiis aliquo ſigno, ſuppleret in neceſſitate defectum Baptiſmi, eadem ratione dici poſſet, quod fides hominis Catholici applicata puero nato ex parentibus Turcis, illi prodeſſet, ac ſi ei daretur Baptiſmus: quod enim puer ex parentibus fidelibus natus ſit, nihil plus habet, quo ei in neceſſitate ſuccurri poſſit, quam ſi ex parentibus infidelibus natus eſſet. Immo cur dici etiam non poſſet, quod Deus ipſe, qui omnium ſalutem vult, per ſe ipſum ſuppleret hujus cæremoniæ defectum in infantibus innumeris ex infidelibus natis, & quod omnes infantes ſine Baptiſmo decedentes, ex miſericordia Dei ſupplente defectum Baptiſmi, ſalvarentur? Hoc autem abſque ingenti temeritate non poſſet affirmari: *Neque* enim *credi fas eſt, eos, qui regenerationis non adepti ſunt ſacramentum, ad ullum beatorum pertinere conſortium*, ait Ambroſius, *lib.* 2. *de Vocatione Gentium, cap.* 8. ubi rem iſtam fuſe pertractat. Et Auguſtinus, *lib.* 1. *de Peccat. meritis, cap.* 23. concludit: *Nulla igitur ex noſtro arbitrio præter Baptiſmum Chriſti, ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis ingeniis præferenda.*

XXII. Hinc alia ratio pro Aſſertione conficitur. Quandocumque conſtat de ipſa lege, niſi conſtet de privilegio derogante legi, tale privilegium cenſetur nullum; at non conſtat de privilegio a Cajetano aſſerto, neque ex Scriptura neque ex Traditione, immo potius oppoſitum evincitur, ut hucuſque vidimus; ergo &c.

His addi poſſunt S. Auguſtini verba, *leg.* 3. *de Origine animæ cap.* 13. quibus Vincentium Victorem, qui cum Catholicis admittebat, parvulos naſci peccato originali infectos, & aſſerebat poſtea, ſine Baptiſmo poſſe ſalvari; ſic adhortatur. *Noli credere, nec dicere nec docere, aliquos eorum, qui ſine Baptiſmo Chriſti ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum Calorum, ſed in Paradiſum, poſtea vero in reſurrectione mortuorum etiam ad regni Calorum beatitudinem pervenire, ſi vis eſſe Catholicus. Hoc enim eis dare nec Pelagiana hæreſis auſa eſt, qua opinatur, parvulos non trahere originale peccatum: quos tu, quamvis ſicut Catholicus, cum peccato naſci fatearis, neſcio qua tamen perverſioris novitate opinionis, ſine Baptiſmate ſalutari, & ab hoc peccato cum quo naſcuntur, abſolvi, & in regnum Calorum aſſeris introduci.*

XXIII. Dices tamen, pro Cajetano. Primo. Non obſtante præcepto Circumciſionis in Lege veteri, dum urgebat neceſſitas ante octavum nativitatis diem, ſufficiebat puero ad ſalutem fides parentum illi applicata aliquo ſigno ſenſibili; ergo a fortiori nunc in Lege gratiæ, in qua apertior eſt via ſalutis, non obſtante præcepto Baptiſmi, ſufficiet parvulo, qui non poteſt baptizari, applicatio fidei cum ſigno, & invocatione Trinitatis.

XXIV. Reſpondeo, neg. conſ. Et diſcrimen eſt. Quia Lex vetus prohibuerat ante octavum diem pueros circumcidi; ideoque æquum fuit, ut daretur aliud remedium, quo illis periclitantibus ante illud tempus poſſet ſubveniri: quale ante inſtitutam Circumciſionem erat pro hominibus, & poſt Circumciſionem inſtitutam perſeverabat pro feminis. At Baptiſmus ſtatim natis poteſt applicari: ideoque rationabiliter non poteſt aliud remedium excogitari: maxime quia in Scriptura non legitur, & Patres oppoſitum ſentiunt, ut vidimus. Adhuc tamen apertior eſt via ſalutis in lege nova. Quia ſacramenta noſtra licet pauciora, ſunt tamen efficaciora, & faciliora: quia Baptiſmus & miniſtratur in materia communi, & ubique obvia; nempe aqua, & facilius eſt abluere adjungendo aliqua verba, ſicut nos in Baptiſmo facimus, quam ſigno ſenſibili adjungere actum fidei ſupernaturalis, qui ad illud remedium legis naturæ requirebatur.

XXV. Dices ſecundo. Deus habet voluntatem ſalvandi omnes homines, ſaltem antecedentem, per quam omnibus dat auxilia ſufficientia ad ſalutem: at ſi non eſſet aliquod remedium, quo in parvulis deleretur peccatum originale; dum baptizari non poſſunt, illis nullum daret Deus remedium ſufficiens ad ſalutem; ac proinde voluntas ſalvandi omnes ad eos non ſe extenderet, immo Chriſtus Redemptor eorum dici non poſſet; ergo &c.

XXVI. Reſpondeo, diſt. maj. Omnibus dat, ideſt, præparat, & offert omnibus in communi, con. maj. Dat, ideſt, de facto ſingulis applicat, nego maj. Et eodem modo diſt. min. nego conſ. Ut enim voluntas antecedens, qua Deus omnium ſalutem deſiderat, & Chriſti redemptio ad parvulos omnes, etiam illos, qui vel in utero matris præfocantur, vel ſtatim nati ſine Baptiſmo moriuntur, ſe ſe extendat, non requiritur, ut Deus omnibus, & ſingulis de facto applicet remedium, quo in ipſis originale deleatur: ſed ſufficit, ut univerſaliter pro omnibus inſtitutus fuerit Baptiſmus, omnibus oblatus, & præparatus, ac per merita Chriſti pro omnibus quoad ſufficientiam obtentus. Alias ſi puero jam morituro deberet de facto applicari, non eſſet remedium ſufficiens, ſed efficax, & effectus voluntatis, non mere antecedentis, ſed conſequentis. *Hæc* autem *gratia, cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta eſſe cauſa poteſt, injuſta non poteſt. Sed prius ſanctarum Scripturarum auctoritatibus colla ſubdenda ſunt, ut ad intellectum per fidem quiſque perveniat* (Sanctus Auguſtinus, *lib.* 1. *de peccat. meritis, cap.* 21.) Vide Sanct. Ambroſ. *lib.* 2. *Voc. Gent. cap.* 8.

Dubium II.

An Baptiſmus ſit Adultis Neceſſarius ad Salutem?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico: Baptiſmus in re, vel in voto neceſſarius eſt omnibus adultis, neceſſitate medii, ad ſalutem. Patet ex dictis *Dub. præced.* Eadem Script. loca, & Patres, quæ evincunt Baptiſmi neceſſitatem ad ſalutem parvulorum, evincunt etiam pro adultis. His adjungere poſſumus rationem Sancti Thomæ 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 1. Id enim eſt medium neceſſarium ad ſalutem, per quod homo incorporatur Chriſto, ſitque ejus membrum; quia nullus ſalutem conſequi poteſt, niſi per Chriſtum, & niſi Chriſto incorporetur: unde & Apoſtolus, Rom. 5. v. 18. *Sicut* (inquit) *per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*: ſed homo per ſolum Baptiſmum Chriſto incorporatur, unde dicitur, *Galat. verſ.* 27. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; ergo &c.

II. Quod vero adultis aliquando ſufficere poſſit ad ſalutem Baptiſmus in voto, oſtendit Sanct. Thom. citatus, *art.* 2. ubi docet: quod *Sacramentum Baptiſmi dupliciter poteſt alicui deeſſe. Uno modo & re, & voto; quod contingit illis, qui nec baptizari volunt, quod manifeſte ad contemptum ſacramenti pertinet, quantum ad illos, qui habent uſum liberi arbitrii. Et ideo hi, quibus hoc modo deeſt Baptiſmus, ſalutem conſequi non poſſunt: quia nec ſacramentaliter, nec mentaliter Chriſto incorporantur, per quem ſolum eſt ſalus.*

Alio modo poteſt ſacramentum Baptiſmi alicui deeſſe re, ſed non voto: ſicut cum aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu prævenitur morte, antequam Baptiſmum ſuſcipiat. Et talis ſine Baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt, propter deſiderium Baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem ſanctificat, cujus potentia ſacramentis viſibilibus non alligatur. Unde Ambroſius dicit (lib. de obitu Valentiniani) *de Valentiniano, qui Cathecumenus mortuus fuit*: Quem regeneraturus eram, amiſi: verumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amiſit.

In iſto autem verificantur Chriſti verba. Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*. Nam, ut ait S. Thom. ibi ad 1. *Ille, qui deſiderat per Baptiſmum regenerari ex aqua, & Spiritu Sancto, corde quidem regeneratus eſt, licet non corpore*. Sicut & Apoſt. dicit. Rom. 2. *Quod Circumciſi. cordis eſt in ſpiritu, non in littera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt*. Unde & *ad* 3. dicit, quod voluntas Baptiſmi *Apud Deum reputatur pro facto.*

III. Qua-

III. Qualis autem debeat eſſe voluntas, ſeu votum baptiſmi, ut cenſeatur reputari a Deo pro facto, nempe, pro Baptiſmi ſacramento; & quo homo fiat incorporatus Chriſti mente, & corde, licet non corpore: controvertitur apud Auctores. Aliqui enim cenſent, ſufficere voluntatem Baptiſmi implicitam, puta, voluntatem ſervandi totam legem Chriſti, vel ingrediendi Eccleſiam, vel vitam æternam conſequendi per media a Chriſto inſtituta, ut in eo, qui audito nomine Chriſti accenditur ad amplectendam ejus fidem, ejuſque legem, eique ſe tradere per media neceſſaria; nihil cogitans de Baptiſmo in ſpeciali, quia de Baptiſmo nunquam audivit.

Alii vero cenſent, votum Baptiſmi ſufficiens ad ſalutem debere eſſe votum explicitum Baptiſmi, ideſt, formale propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum. Nam poſt Evangelii promulgationem, in eo, qui baptizari non poteſt, eadem ratio videtur de voto Baptiſmi, ac de fide Trinitatis, ac Incarnationis; fidem autem Trinitatis, & Incarnationis neceſſariam eſſe neceſſitate medii, ut probabilius cenſuimus. *Tom. 1. in 2. 2. Queſt. 2. de Actu fidei, Dub. 4.* & non implicitam ſolum, ſed explicitam: idem ergo videtur dicendum de voluntate Baptiſmi. Sententia tamen aſſerens ſufficere voluntatem Baptiſmi implicitam, probabilis eſt; ut citato loco diximus.

IV. Ex dictis infertur, Baptiſmum eſſe neceſſarium, etiam neceſſitate præcepti: nil enim poteſt magis cadere ſub præcepto, quam illud, ſine quo vita æterna haberi nequit, ſi tamen ſit in noſtro arbitrio. Hoc præceptum obligat omnes habentes copiam, ut baptizentur; quamvis ſint baptizati Baptiſmo flaminis, ſive alio modo ante Baptiſmum juſtificati. Nicodemus enim jam erat juſtificatus, quia erat illis, qui jam crediderant in Jeſum, ut notat S. Auguſtinus; *Tract. 11. in Joannem*: & tamen Chriſtus dixit ei: *Niſi quis renatus fuerit*. Immo addit S. Thom. citata q. 68. *art. 1. ad 3.* quod *Si aliqui nunc ſanctificarentur in utero, neceſſe eſſet eos baptizari; ut per ſuſceptionem characteris, aliis membris Chriſti configurarentur.*

V. Neque dicas, in tali caſu, quo conferretur Baptiſmus homini jam juſtificato, non verificarentur verba: *Ego te baptizo*; quia jam eſſet a peccato ablutus, & emundatus — Nam verba illa: *Ego te baptizo*, nil aliud ſignificant, quam hæc: *Ego tibi ſacramentum ablutionis impendo*; ſeu: *Sacramentum de ſe ablutivum a peccato originali, & actuali*; quod verificatur, etſi per accidens homo ille ſupponatur jam ablutus, & emundatus. In quo caſu, eſto Baptiſmus non producat in illo gratiam primo mundantem a peccato; producit tamen augumentum gratiæ in illo. Sicut enim exiſtens in gratia, capax eſt ablutionis ſacramentalis: ita capax eſt ſacramentalis abſolutionis.

§. II.

Quo Tempore teneantur Adulti Baptiſma Suſcipere.

VI. REſpondeo. Adultos per ſe teneri ad ſuſcipiendum Baptiſma ſtatim, ac commode poſſunt; licet ex rationabili cauſa poſſint illud differre. Ratio primæ partis eſt. Quia homo, ſicut ſtatim tenetur credere, ita ſtatim tenetur profiteri fidem ſuam, Chriſto incorporari, & illius, ac Eccleſiæ membrum fieri, & capax omnium ſacramentorum: at hoc ſolum habere poteſt per Baptiſmum; ergo ſtatim ac poteſt &c. Unde S. Auguſtinus, *Tract. 11. in Joann.* Advertens, quod cum Nicodemus, & alii credidiſſent in Jeſum, Jeſus tamen ſe non credebat eis: *Si ergo* (inquit) *Nicodemus de illis multis erat, qui crediderant in nomine ejus, jam in iſto Nicodemo attendamus, quare Jeſus non ſe credebat eis.* Reſpondit Jeſus, & dixit ei, amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit denuo; non poteſt videre regnum Dei. *Ipſis ergo ſe credit Jeſus, qui nati fuerint denuo; ecce illi crediderant in eum, & Jeſus non ſe credebat eis. Tales ſunt omnes Cathecumeni, ipſi jam credunt in nomine Chriſti, ſed Jeſus non ſe credit eis. Intendat, & intelligat, charitas veſtra. Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſtum? Reſpondet, credo, & ſignat ſe: jam Crucem Chriſti portat in fronte, & non erubeſcit de Cruce Domini ſui. Ecce credidit in nomine ejus. Interrogemus eum: manducas carnem filii hominis & bibis ſanguinem Filii hominis? Neſcit quid dicimus, quia Jeſus non ſe credidit ei.* Nimirum per ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui, quod ſolis per Baptiſmum renatis traditur: immo Auguſtini tempore ipſis ſolis notum fiebat.

VII. Ex his redditur ratio, cur peccator, poſt Baptiſma, non ſtatim obligetur ad ſacramentum Pœnitentiæ, Catechumenus autem ſtatim, ac commode poteſt, obligetur ad ſuſcipiendum Baptiſmum. Nam Pœnitentia ſolum neceſſaria eſt ad obtinendam remiſſionem peccatorum; quam non tenetur homo ſtatim poſt peccatum, ſaltem per ſacramentum, procurare. At Baptiſmi ſacramentum neceſſarium eſt, ut Chriſtus ſe credat nobis; nobis ut membris ſuis uniatur; & participes ſimus corporis, & ſanguinis ſui: ideoque ſtatim ac poſſumus, illud ſuſcipere tenemur.

VIII. Propterea laudari non poteſt antiqua praxis differendi ad longum tempus, immo etiam uſque ad finem vitæ Baptiſma; ſicut plures ſanctos viros feciſſe legimus, & Martinum, & Ambroſium, qui illud præ humilitate ad longum tempus protraxere; hoc enim non eſt trahendum in exemplum. Immo, ut notat Baronius, ad annum 377. *n.* 14. S. Ambroſius *In eo multus fuit, ut pravam illam conſuetudinem, qua tam in Occidente, quam etiam in Oriente uſu temporis coaluerat, qua fideles quamplurimi uſque ad provectiorem ætatem Baptiſmum differrent; penitus, ut malum germen ex agro Dominico evelleret, & quod ſe feciſſe doluit, ab aliis ne in poſterum fieret, vehementer admonuit; præſtiteruntque hoc ipſum apud Orientales Baſilius, atque Gregorius Nazianzenus, nec non Gregorius Nyſſenus, ut ipſorum de Baptiſmo edita Orationes ſignificant.* Hæc Baronius.

Et merito quidem. Nam ſi Baptiſmo adſcribimur militiæ Chriſti: irrationabile eſſet, aliquem tunc adſcribi militiæ, quando ceſſat, vel prope eſt, ut ceſſet bellum in morte. Addit S. Thom. in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 2. ad 2. *Quod in Baptiſmo confertur gratia ad bene vivendum, & peccata tolluntur præterita, & impediuntur futura: & ideo, quamvis Baptiſmus in fine vitæ ſuſceptus plura peccata preterita tolleret; tamen pauciora impediret, & ad pauciora bona promoveret; & ideo minus eſſet utilis.* Accedit: quod, ut ait ibi ad 3. Quia *Multis caſibus ſubjacet humana vita; poſſet contingere, ut qui Baptiſmum in fine vitæ accipere expectaret, morte ſubita præventus, expectatione ſua fraudaretur.*

IX. Nec opponas exemplum Chriſti, qui in triceſimo anno vitæ ſuæ Baptiſmum accipere voluit. Nam, ut ait S. Thom. citato loco; ad 1. *Chriſtus ſuſcepit Baptiſmum, quaſi ipſum inſtituens, vel conſecrans: hoc autem ad Doctoris, vel Sacerdotis officium pertinere nuntiare viam ſalutis. Et ideo ante tempus perfectæ ætatis, quod competit eſſe in Doctore, vel Sacerdote, baptizari non debuit: nec eſt ſimile de aliis, qui Baptiſmum ſuſcipiunt, ut ab eo juventur.*

X. Circa ſecundam vero partem notat S. Thom., 3. *p. q. 58. art. 3.* quod quantum ad dilat. Baptiſmi *diſtinguendum eſt, utrum baptizandi ſint pueri, vel adulti. Si enim pueri ſint baptizandi, non eſt differendum Baptiſma. Primo quidam: quia non expectatur in eis major inſtructio; aut etiam plenior converſio. Secundo: propter periculum mortis; quia non poteſt eis alio remedio ſubveniri, niſi per ſacramentum Baptiſmi.*

Adultis vero ſubveniri poteſt per ſolum Baptiſmi deſiderium, ut ſupra dictum eſt. Et ideo adultis non ſtatim, cum convertuntur, eſt ſacramentum Baptiſmi conferendum: ſed oportet differre uſque ad aliquod certum tempus. Primo quidem, propter cautelam Eccleſiæ, ne decipiatur, ſacramentum ficte accedentibus conferens, ſecundum illud 1. Joann. 4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. *Qua quidem probatio ſumitur de accedentibus ad Baptiſmum, quando per aliquod ſpatium eorum fides, & mores examinantur. Secundo: hoc eſt neceſſarium ad utilitatem eorum, qui baptizantur: quia aliquo temporis ſpatio indigent, ad hoc, quod plene inſtruantur de fide, & exerciteutur in his, quæ pertinent ad vitam Chriſtianam. Tertio: hoc eſt neceſſarium ad quamdam reverentiam ſacramenti; dum in ſolemnitatibus præcipuis, ſcilicet, Paſcha, & Pentecoſtes, homines ad Baptiſmum admittuntur; & ita devotius ſacramentum ſuſcipiunt.*

Hæc tamen dilatio (pergit S. Thom.) *prætermittenda eſt duplici ratione. Primo quidem, quando illi, qui ſunt baptizandi apparent perfecte inſtructi in fide, & ad Baptiſmum idonei. Sicut Philippus ſtatim baptizavit Eunuchum, ut habetur, Actor. 8. & Petrus Cornelium, & eos, qui cum eo erant, ut habetur, Act. 10. Secundo: propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis. Unde Leo Papa dicit* (de Conſecr. diſt. 4. c. Si qui) hi qui neceſſitate mortis, ægritudinis, obſidionis, perſecutionis, & naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari.

XI. *Si tamen aliquis morte præveniatur, articulo neceſſitatis ſacramentum excludente, dum expectat tempus ab Eccleſia inſtitutum, ſalvatur, licet per ignem, ut ſupra dictum eſt* (ideſt Baptiſmi votum). *Peccat autem ſi ultra tempus inſtitutum ab Eccleſia differat accipere Baptiſmum; niſi ex cauſa neceſſaria, & licentia Prælatorum Eccleſiæ. Sed tamen & hoc peccatum cum aliis deleri poteſt per ſuccedentem contritionem, quæ ſupplet vicem Baptiſmi.* Hæc Sancti Thomæ doctrina adeo clara eſt, ut expoſitione non egeat. Solum pro ea parte, qua docet, ad pleniorem probationem, & inſtructionem differendum eſſe Baptiſma adultis, placet Eccleſiæ tum Veteris, tum Recentioris praxim circa Catechumenos meo candidato pro ejus eruditione ſubjicere.

§. III.

Hiſtoria Catechumenatus Deſcribitur.

XII. CAtechumenatus a Chriſto ortum dicit, cum *Matt. 28.* injunxit Apoſtolis, ut prius docerent Gentes, deinde eas baptizarent. Initio tamen hoc paucis abſolvebatur, ut ex Actibus Apoſtolorum colligitur, ubi poſt unam, aut alteram prædicationem, ſive inſtructionem, *c. 2. & 4.* plura hominum millia Sanctus Petrus baptizavit, & *cap. 10.* Cornelium *cap. 8.* Philippus vix de Myſteriis

ſteriis edoctum baptizavit Eunuchum : & *cap.* 17. Paulus Lydiæ domum, aliique, qui vix audito Chriſti nomine crediderant, baptizabantur. Nec mirum cuiquam hoc videri debet. Tunc enim viſis Apoſtolorum, & Diſcipulorum miraculis, in fide adeo firmabantur credentes, tantaque in Chriſtum charitate ferebantur ; ut pro eo ſanguinem tradere non formidarent. Immo ſanguis ipſe martyrum, qui a Chriſto deterrere debuerat, vel ipſos Paganos eorum conſtantiam admiratos repente trahebat ad Chriſtum, & ad martyrium pro ejus fide ſtrenue ſuſtinendum, quod martyrum acta teſtantur ; adeo ut, Tertulliano teſte, ſanguis martyrum foret ſemen Chriſtianorum.

XIII. Creſcente fidelium numero, deſinente ſæculo ſecundo, & tertio ineunte, cum fides, & charitas paululum refrigeſcere cœpiſſet, ac terrenorum amor in multis dominari : quo fiebat, ut aliqui ſuppliciis perterriti, vel fidem ſimularent, vel perſecutionibus cederent, fidem abnegantes, ac ſacra Myſteria Paganis proderent : accuratior diſciplina in probanda, & examinanda Catechumenorum fide neceſſaria fuit. Tunc cœperunt Patres Catecheſes texere, quibus Myſteria fidei explicabantur ; nec omnia ſimul omnibus tradere, ſed paulatim, & per gradum, ut quiſque capax videbatur, diſtribuere, & diſpenſare.

XIV. Hinc triplex erat Catechumenorum agmen, nimirum *Audientium*, *Catechumenorum*, *& Competentium*. Audientes dicebantur illi, qui deſiderio quidem Chriſtianæ Religionis tenebantur ; ſed nomen nondum dederant, ut in albo Catechumenorum deſcriberentur. Vocabantur *Audientes*, quia lectiones Scripturæ, & conciones audire eis licebat ; ſed cum Paganis, & pœnitentibus tempore Sacrificii ejiciebantur : de his S. Gregorius in ſuo Sacramentario. *Catechumeni* proprie illi erant, qui nomen ſuum militiæ Chriſti inſcribendum dederant : his lectionem utriuſque Teſtamenti, & Myſteria in eis latentia quibuſdam terminis myſticis, & quaſi ſub cortice concluſa audire fas erat, non tamen quid in eis contineretur, adhuc exponebatur. Id tum ex Cyrillo Jeroſolymitano in præfatione ad Catecheſes : & Auguſtin. *lib. de Catechizandis rudibus*, *c.* 3. colligitur. *Competentes* erant illi, qui expleto Catechumenatu primi, & ſecundi ordinis, baptiſmati in proxima Paſchatis, aut Pentecoſtes ſolemnitate ſuſcipiendo idonei judicati, & parati erant. His altiſſima Fidei Chriſtianæ principia, Symbolum quo Trinitatis, & Incarnationis Myſteria continentur, Oratio Dominica, nec non ea, quæ ad Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ ſacramenta pertinent, aperte tradebantur. Ita ex Concilio Laodiceno, *c.* 46. S. Auguſt. *lib. de fide & operibus*, *c.* 10. & Martino Bracarenſi, *c.* 46.

XV. *Audientes* pie recipiebantur, teſte Sancto Gregorio citato. Eis fides modo dicto exponebatur, ab eis melioris vitæ propoſitum exigebatur, in eorum ora inſufflabatur, frons crucis ſigno muniebatur, ſal eis deguſtandum præbebatur. His, ſicut & Catechumenis ſecundi ordinis, nulli labores, nullæ pœnitentiæ erant ſubeundæ : non ſic de Competentibus, ſeu electis : iſti enim canonicæ pœnitentiæ incumbebant : publico enim fidelium cœtui nudis pedibus, tonſo capite, cilicio coopertos, vel etiam ſacco indutos ſe præſentare tenebantur : immo a vino, carnibus, & uxoribus ſe temperare eo tempore jubebantur. *Sine dubio* (inquit S. Auguſt. lib. de Fide, & operibus, c. 6.) *non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis, & veris uxoribus ſe concubituros, paucis ipſis ſolemnibus diebus nullam continentiam ſervaturos profiterentur*. Hoc indicat Concilium Carthagin. IV. *can.* 85. Quam diſciplinam tradiderat Tertullianus, *lib. de Bapt.* ſub finem dicens : *Ingreſſuros Baptiſmum, orationibus crebris, & jejuniis, geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum*.

XVI. Quantum vero temporis in qualibet ex tribus claſſibus permanere deberet Catechumenus, non eadem pro omnibus, aut ubique fuit diſciplina. Pro Catechumenis primæ claſſis, nimirum, Audientibus, nullum lege ſtatutum tempus. Pro Catechumenis vero ſecundæ claſſis, qui vere Catechumeni dicebantur, ſpatium trium menſium Clemens I. præſcripſiſſe fertur, *in Epiſtola* 3. Concilium Eliberitanum, *Can.* 32. ab iis, qui in gentilitate honeſte vixerunt, biennii probationem requirit. Synodus Agathenſis, *cap.* 34. *anno* 506. a Judæis, quos ſupponit in Sacris Scripturis verſatos, & fidem unius Dei Creatoris habere, ſpatium octo menſium exigit. Concilium tamen Nicænum I. ſpatium, quo in unoquoque gradu Catechumenus ſtare debet, Epiſcoporum prudentiæ taxandum relinquit ; & protrahendum, vel contrahendum ſecundum diſpoſitionem, quam in Catechumeno perviderit. Pro *Competentibus*, qui ſunt in tertia claſſe, ſpatium quadraginta dierum præſcribunt Græci, ut Cyrillus Jeroſol. in *præfat. ad Catech.* teſtatur, & Latini etiam, pro quibus teſtis eſt Auguſtin. *Serm.* 13. *ad Neophytos* ; & Siricius Papa ad *Himerium Tarraconenſem*. Circa tamen ſæculum ſextum ſtatio *Competentium* contracta fuit, nempe, a feria quarta tertiæ hebdomadæ Quadrageſimalis, ad ſabbatum Paſchæ. Pro hac rigoroſa Catechumenorum probatione duplicem cauſam aſſignat Tertullianus, *lib. de Bapt.* nimirum : ne temere ſacra Myſteria prodigerent : deinde, ut baptizandorum ſaluti conſulerent, quos aperto ſceleri exponeret, qui nequaquam probatis ſanctiſſima Myſteria elargiretur.

XVII. Catechumeni de vita periclitantibus etiamſi præfixum cuique ſtationi tempus non impleviſſent, Baptiſma conferebatur, teſte S. Cypriano, *Epiſt.* 13. Eoſdem etiam (etiamſi præ ſubito morbo obmuteſcerent) Baptiſmate donatos fuiſſe, teſtis eſt S. Auguſt. *lib.* 1. *de Adulterinis conjugiis*, *cap.* 25. Immo etiamſi deditam ſceleribus vitam duxiſſent uſque ad ſubitum morbum, præ cujus gravitate vocis, & rationis uſum amiſiſſent ; eos baptizandos cenſet Auguſtinus laudato loco, cap. 28. Quia vero opponi poterat, quis ſcit, an ille affectum peccati tunc depoſuerit, & an tunc Baptiſmum velit ? Reſpondet, cap. 26. *Sed non ſolum incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle ; verum etiamſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare : ubi velit, an nolit ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit eum, ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dicturum & ſacramenta percipere, ſine quibus jam credidit, non ſe oportere de corpore exire*. Ita ſentit S. Auguſtinus, ea tamen modeſtia, ut oppoſitum ſentientes damnare non audeat.

Sed non ſolos Catechumenos, ſed & Ethnicos quoque, ſi in mortis articulo Baptiſmi deſiderium, vel per ſe, vel per alios declaraſſent, baptizare ſolebant. Colligitur ex Canone 6. Arelatenſis lib. *De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit his debere manum imponi*, ideſt, Confirmationis ſacramentum dari ; ergo multo magis Baptiſma, quod Confirmationem, ac cætera ſacramenta debet præcedere. Quod confirmat Siricius Papa, *Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem*, his verbis : *Quicumque etiam in diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis expetita regenerationis præmia conſequantur*.

XVIII. Energumenis etiam Majores noſtri conſuluerunt. Hi enim ſi ſani eſſent, non baptizabantur ; niſi cum aliquibus lucidis intervallis ſibi permitterentur : at ſi infirmi, jubebantur baptizari, etiamſi rationis uſu non fruerentur. Ita, *Can.* 37. Concilium Eliberitanum. *Eos, qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti ; baptizari placet*. Et Arauſicanum I. anno 440. can. 15. *Energumenis Catechumenis, quando vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de Baptiſmo conſulendum*.

Ex his patet, nemini unquam negatum fuiſſe Baptiſma, ſive ſano, ſive in ultima vitæ periodo conſtituto illud petenti ; ſive aliquando fuiſſet Catechumenus, ſive non ; ſive propria voce, aut ſigno, ſive aliorum teſtimonio illud efflagitaſſet ; ſive probis moribus ſe commendaſſet in Catechumenum, ſive in Catechumenatu prave, & ut ait Auguſtinus citato loco, uſque ad mortem adulterina retinuiſſet conjugia : cum Baptiſmum, quem prius voluit, præſumatur multo magis in morte velle.

XIX. Hac noſtra ætate eſto antiqua Canonum diſciplina quoad Catechumenos non ſervetur ; nec amplius triplex Catechumenorum ſuperius expoſita claſſis in uſu ſit : adhuc tamen in domibus Catechumenorum pro Judæis, ſive Turcis, qui Chriſtiani fieri petunt, quoad ſubſtantiam viget. Ibi enim certo tempore detinentur, a piis Sacerdotibus de Myſteriis præcipuis Religionis Chriſtianæ inſtruuntur, nec niſi plene imbuti ad Baptiſmum admittuntur. Hoc attendere maxime debent Miſſionarii ad Indos, vel alios populos Idololatras, & barbaros ; ne de numero a ſe baptizatorum magis glorientur, quam de virtute : nec obvium quemque, & ſine ullo fere delectu, dummodo Baptiſmum petat, baptizent. Quadraginta ſaltem diebus inſtruendi, atque formandi ſunt Catechumeni ; & interim eorum conſtantia probanda, obſervanda etiam eorum vita : an priſtinis vitiis, ac criminibus renuntiaverint ; an ſpes concipi poſſit, fidem, quam in Baptiſmo promittent, eos ſervaturos. Hoc ſi præſtiterint, antiquæ Eccleſiæ diſciplinam, eſto non quoad externum ritum, quantum ad ſubſtantiam tamen, & veritatem obſervabunt.

DUBIUM III.

An Parvuli ſint capaces Baptiſmatis ?

§. I.

Errores Hæreticorum.

I. IRritum eſſe Baptiſma parvulorum ſenſerunt aliqui : Alii vero eſſe ſaltem inutile, & inexpediens.

Primum duodecimo ſæculo Waldenſes dixerunt : cui errori, anno 1524. Anabaptiſtæ, duce Balthaſſare Parimentano, propterea tamquam hæretico Viennæ in Auſtria combuſto, ſubſcripſerunt. Hi enim nulla habita ratione Baptiſmi in infantia recepti, adultos iterum baptizabant dicti propterea *Anabaptiſtæ*, ideſt, *Rebaptizatores*. Tales ſunt quoque Sociniani in Tranſilvania, qui anno 1568. referente Bellarmino, contra Baptiſmum parvulorum triginta ſex argumenta protulerunt. Quorum præcipuum erat,

quod cum parvuli ſint incapaces inſtructionis, & fidei, ſunt etiam incapaces Baptiſmi.

Secundum excitavit Fidus in Africa Epiſcopus; qui, an liceret infantes baptizare ante octavum diem, ſubdubitare cœpit; dubiumque hoc Patribus, anno 257. Carthagine congregatis ad Concilium propoſuit. Tertullianus, ineunte ſæculo tertio, auctor erat, ut infantium Baptiſmus differretur, donec rationis compotes eſſent, ut ex libro ejus de Baptiſmo conjicitur. Gregorius Nazianzenus optabat, ut ante triennium pueri non offerrentur Baptiſmo, niſi in mortis periculo. Eraſmus demum viſus eſt in eam propendere opinionem, quæ parvulos, niſi urget neceſſitas, arcet a Baptiſmo: addens, quod ſi baptizati in infantia, cum ad rationis uſum pervenerint, & Chriſtianæ Religionis profeſſionem, ſuo nomine a ſuſceptoribus factam, confirmare noluerint, proprio arbitrio ſint permittendi. Quid tamen Catholica ſentiat fides, ſequentibus exponemus.

§. II.

Reſolutio contra Anabaptiſtas.

II. DIco. Parvuli capaces Baptiſmi ſunt, & Baptiſmus illis collatus validus eſt; eiſque confert gratiam, & originalis peccati remiſſionem. Ita contra Anabaptiſtas ſtatuit Tridentinum, Seſſ. 7. de Bapt. Can. 12. *Si quis dixerit, neminem eſſe Baptizandum, niſi in ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, anathema ſit.* Can. 13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habeant, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe; ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio Credentes baptizari in ſola fide Eccleſia; anathema ſit.* Et Can. 14. contra Eraſmum: *Si quis* (inquit) *dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, dum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt; & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos: nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant: anathema ſit.*

III. Probatur autem hujus dogmatis veritas ſic. Pueri capaces ſunt Regni Cælorum dicente Chriſto, Lucæ 18. v. 16. *Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos; talium eſt enim regnum Dei:* at ſi non eſſent capaces Baptiſmi, & remiſſionis peccati originalis, non eſſent capaces regni Cælorum, ſecundum aliud Chriſti dictum Joann. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Solus enim Baptiſmus eſt, quo velut janua Cælum peccato clauſum nobis aperitur; ergo &c.

Et confirmatur. In Lege veteri circumcidebantur etiam infantes, & in Circumciſione ab originali mundabantur; quamvis tunc actum fidei habere non poſſent; ergo in Lege nova poſſunt baptizari. Conſ. prob. Tum quia. Circumciſio figura erat Baptiſmi. Tum quia; infantes Chriſtianorum deterioris eſſent conditionis infantibus Judæorum; ſi pro his datum eſſet remedium, pro illis non.

IV. Probatur ſecundo, ex praxi Apoſtolorum. Nam *Act. 16. verſ. 15.* Lydia dicitur baptizata, & domus ejus, ibid. *verſ. 33.* Cuſtos carceris baptizatus eſt, & omnis domus ejus. Et Paulus 2. Cor. 1. verſ. 16. *Baptizavit* (inquit) *& Stephana domum;* ſed in familiis regulariter ſunt parvuli, ergo &c.

Traditio quoque id ſemper docuit. S. Cyprianus, *Epiſtola 59.* ad Fidum, quam ſcripſit nomine Patrum in Concilio congregatorum ſuper hac re, ait: *Quantum vero ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti intra ſecundum, vel tertium diem, quo nati ſint, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam eſſe legem Circumciſionis antiquæ: ut intra octavum diem eum, qui natus eſt, baptizandum, & ſacrificandum non putares; longe aliud in Concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit: ſed univerſi potius judicavimus, nulli hominum nato miſericordiam Dei, & gratiam denegandam.* Et poſt multa Fidum urget hoc argumento: *Porro autem ſi etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſa peccatorum datur; & a Baptiſmo, atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit; niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remiſſam peccatorum accipiendum, hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur, non propria, ſed aliena peccata?* Et concludit, ſententiam ſuam & Concilii eſſe, infantes in primo nativitatis ſuæ ortu plorantes, ac flentes nihil aliud facere, quam deprecari, ut ſtatim Baptiſmatis gratia liberentur.

V. Hanc Cypriani Epiſtolam referens S. Auguſt. *Epiſt.* 28. modo 166. *ad Hieronymum, c.* 8. ait: *Beatus quidem Cyprianus non aliquod decretum condens novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſervans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non eſſe parvulum baptizandum . . . . mox natum rite baptizari poſſe cum ſuis quibuſdam Coepiſcopis cenſuit.* Quam eſſe Apoſtolicam Traditionem docet, *l. 10. de Geneſ. ad litt. cap.* his verbis: *Conſuetudo tamen matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda niſi Apoſtolica eſſet Traditio. Habet enim & illa parva ætas magnum teſtimonii pondus, quæ prima pro Chriſto meruit ſanguinem fundere.* Quæ conſuetudo radices adeo altas fixerat ſæculo quinto, ut Pelagiani ipſi, qui pueros naſci peccato originali maculatos inficiabantur, eos baptizari voluerint, & de facto baptizarent; ut per Baptiſmum pateret eis aditus in regnum Cælorum.

VI. Ratio S. Thomæ, *in 4. diſt. 5. q. 3. art. 1. q. 1.* talis: *Diverſi ſtatus mundi comparantur diverſis ætatibus unius hominis ſicut Auguſtinus dicit in lib. 83. Quæſt.* (q. 53. & 58.) *Unde ſicut nullus ſtatus mundi fuit, in quo eſſet humano generi præcluſa via ſalutis: ita nulla ætas hominis unius eſt, in qua ſibi via ſalutis præcludatur. Unde cum in pueris ſit peccatum originale, per quod a conſecutione æternæ ſalutis impediuntur; oportet, quod eis adhiberi poſſit aliquod remedium ad removendum prædictum impedimentum: hoc autem eſt Baptiſmus. Unde divinæ miſericordiæ contradicit, qui negat, Baptiſmum parvulis poſſe exhiberi. Et propter hoc hæreticum eſt hoc dicere.*

VII. Ex his infertur, parvulos ante uſum rationis baptizare ſatius eſſe, quam uſum rationis expectare. Primo: quia parvuli per Baptiſmum præveniuntur, ne repentinis caſibus obrepti, perpetuo pereant; ſicque eorum ſalus in tuto ponitur. Secundo: quia ſic armantur contra Dæmones. Tertio: quia, ut ait S. Thom. *3. p. q. 68. art. 9.* ſic a pueritia nutriti in his, quæ Chriſtianæ vitæ ſunt, firmius in ea perſeverant, ſecundum illud Proverb. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Quam rationem aſſignat Dionyſius, *c. ult. Eccl. Hierarch.*

Nec refert, quod Fidus, Tertullianus, & Nazianzenus, & aliqui alii oppoſitum ſenſerint. Nam in primis dico, quod Fidi opinio ſuo, & Carthaginenſis Concilii nomine a Cypriano ſupra relato reprobata fuit: Tertulliani etiam, & Nazianzeni conſilium Eccleſia non probavit, neque alii Patres amplexi ſunt. Non enim tanti ſunt fructus, quos præfati Patres ex Baptiſmi dilatione ſperarunt; quanta ſunt pericula, quæ infantibus ex tali dilatione poſſunt timeri.

§. III.

Anabaptiſtarum, & aliorum Rationes.

VIII. OBjiciunt primo. In eo, qui baptizatur, requiritur intentio ſuſcipiendi ſacramentum; ſed hanc habere non poſſunt pueri uſu rationis carentes; ergo &c.

Reſpondeo cum S. Thom. *3. p. quæſt. 68. art. 9. ad* 1. ad ſuſcipiendum Baptiſmum requiri intentionem, ſive propriam, ſive alienam; parvuli autem eſto non ſuſcipiant Baptiſmum intentione propria, immo quandoque contrahantur, & plorent: ſuſcipiunt tamen intentione aliorum, a quibus offeruntur, & Eccleſiæ eorum matris. Nam, inquit S. Thom. *Regeneratio ſpiritualis, quæ fit per Baptiſmum, eſt quodammodo ſimilis nativitati carnali, quantum ad hoc; quod ſicut pueri in maternis conſtituti non per ſe ipſos nutrimentum accipiunt, ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur; ita etiam pueri nondum habentes uſum rationis, quaſi in utero matris Eccleſiæ conſtituti, non per ſe ipſos, ſed per actum Eccleſiæ ſalutem ſuſcipiunt. Unde Auguſtinus dicit,* in lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 25. *Mater Eccleſia os maternum parvulis præbet, ut ſacris myſteriis imbuantur; quia nondum poſſunt corde proprio credere ad juſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem.*

IX. Objiciunt ſecundo. Ad Baptiſmum rite ſuſcipiendum duo requiruntur ex præcepto Chriſti. Primum, Catechiſmus, & doctrina, Matth. ult. *Docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* Secundum, Fides, Marci ultimo, v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur:* At parvuli nec doctrinæ, nec fidei ſunt capaces; ergo non Baptiſmi.

X. Non deſunt ex modernis hæreticis, præſertim Lutheranis, qui ex ſuo magiſtro Luthero aſſerant, parvulis in puncto, quo Baptiſmum recipiunt, divinitus uſum rationis concedi, ut credant, & velint; & hac fide, & voluntate valide baptizari. A qua opinione non abhorret Calvinus, *l. 14. Inſt. c. 16. §. 18.* dicens, non ſatis tutum eſſet: *Hoc adimere Domino, ne ſe illis quoque modo exhibere cognoſcendum queat:* quod repetit, §. 19. Quibus aliquam ſui cognitionem a Deo infantibus dum baptizantur, infundi, non abnuit Calvinus. Quamvis poſtea aſſerat, non per hanc fidem, ſeu cognitionem infantes juſtificari; ſed ex pacto, & promiſſione Dei, ut ſupra vidimus.

Hoc tamen gratis fingunt. De tali enim uſu rationis, ſeu cognitionis acceleratione in pueris, dum baptizantur, nihil legitur in Scripturis, nihil ex Traditione, & Patribus, qui potius aſſerunt, parvulos baptizandos, etiamſi proprio actu nec velint, nec credant. Reſiſtit quoque experientia: videmus enim pueros, dum abluuntur, contraniti, plorare, & ſigna renuentis dare. Si ergo rationis uſum tunc haberent, concludere deberemus, illis deeſſe Baptiſmi ſuſcipiendi, & credendi voluntatem, conſequenter invalide baptizari.

XI. Di-

XI. Directe ergo reſpondeo cum Sancto Thoma citato, ad 2. *Quod ſicut Auguſtinus ſcribens Bonifacio* (lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianor. cap. 22.) *dicit:* In Eccleſia Salvatoris parvuli per alios credunt, ſicut ex aliis, quæ in Baptiſmo remittuntur, peccata traxerunt. *Nec impeditur eorum ſalus, ſi parentes ſint infideles, quia ſicut idem Auguſtinus dicit eidem Bonifacio ſcribens* (Epiſtola 23. modo 98.) Offeruntur parvuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus (quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſint) quam ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offerantur, & quorum charitate ad communionem Sancti Spiritus adjunguntur: *Infidelitas autem propriorum parentum, etiamſi eos, poſt Baptiſmum, Damoniorum Sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet; quia, ut Auguſtinus ibidem dicit.* Puer ſemel generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum ſemel regeneratus fuerit per aliorum ſpiritualem voluntatem, deinceps non poteſt vinculo alienæ iniquitatis obſtringi, cui nulla ſua voluntate conſentit. *Secundum illud Ezechiel.* 18. Sicut anima patris mea eſt, ita etiam anima filii. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Sed ideo ex Adam traxit, quod ſacramenti illius gratia ſolveretur, quia nondum erat anima ſeparatim vivens. *Fides autem unius; immo totius Eccleſiæ parvulo prodeſt per operationem Spiritus Sancti, qui unit Eccleſiam, & bona unius alteri communicat.* Hæc S. Thomæ, & S. Auguſtini doctrina in hac materia præ oculis habenda eſt.

Ad id vero, quod additur, de doctrina, reſpondet S. Thom. ibi, ad 3. *Quod ſicut puer cum baptizatur, non per ſeipſum, ſed per alios credit; ita non per ſeipſum, ſed per alios interrogatur: & interroganti confitentur fidem Eccleſiæ in perſona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei ſacramentum. Conſcientiam autem bonam conſequitur puer etiam in ſe ipſo; non quidem actu, ſed habitu per gratiam juſtificantem.* Ex quibus infertur, quod ſicut, ut per generationem carnalem ex Adamo contrahant pueri peccatum originale, non requiritur conſenſus ipſorum; ſed ſat eſt conſenſus præſtitus ab Adamo, cum quo initum fuit pactum: ita ad regenerationem ſpiritualem in Chriſto, non requireretur voluntas, aut fides ipſorum; ſed ſat erit voluntas Chriſti, cum quo Deus pactum iniit. Alioquin plus valeret Adæ peccatum, quam Chriſti meritum: ſi illud poſſet pueros inficere, iſtud autem non poſſet illos ab infectione mundare. Nec verum eſſet dictum Apoſtoli, Rom. 5. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Et v. 20. *Ubi autem abundavit delictum; ſuperabundavit gratia.*

XII. Ad verba autem Chriſti allata, reſpondeo cum D. Thom. *in 4. diſt. 5. cap. 3. art. 1. q. 1. ad 1.* referenda eſſe *Ad illos tantum, qui per doctrinam Apoſtolorum inducendi erant, de quibus prædixerat, prædicate Evangelium omni creaturæ: nulli enim eorum, quibus Evangelium prædicandum erat, Baptiſmus dari debebat, niſi crederet* —— Vel etiam dico, quod eſto illis verbis præcipiatur utrumque, cum fieri poteſt; non præcipitur tamen, ut alterum omittatur, cum unum fieri non poteſt. Sicut ergo licet Gentilis jam moriturus, defectu aquæ, baptizari non poſſit; non prohibetur tamen edoceri fidem Chriſtianam: ſic licet pueri non poſſint edoceri fidem Chriſtianam, non tamen prohibentur baptizari.

XIII. Objiciunt tertio. Iniquum videtur inſciis, & ratione deſtitutis parvulis per Baptiſmum jugum imponere, quod cum adoleverint, velint, nolint portare debeant: æquitati enim contrarium eſt, ut quis inſcius, & mentis inops debitum contrahat. Hoc videtur eſſe Eraſmi argumentum.

Reſpondeo, equidem iniquum fore, inſcio, ac mentis impoti jugum imponere; quod cum ſui compos factus eſſet, portare non teneretur. At cum homo, poſt promulgatum Evangelium, teneatur Chriſti jugum ſubire; non eſt iniquum, quod ei adhuc puero imponatur; ut ſic etiam fructus, qui ex talis jugi portatione ſequitur, poſſit percipere. Hinc merito, ut ſupra retulimus, oppoſitum a Tridentino, *Seſſ. 7. de Bapt. can.* 14. anathemate damnatum eſt.

XIV. Objiciunt quarto. Saltem decentius eſt, ut quis fidem proprio, quam alieno nomine, propria quam aliena fide profiteatur; ergo decentius eſt, ut baptizentur adulti homines, quam parvuli. Eo maxime, quod cum Baptiſmo homo fiat particeps communionis divinorum; divinis communicare poſſunt adulti, non parvuli.

Reſpondeo, neg. ant. Ut enim ait S. Auguſt. ſerm. 14. de Verbis Apoſt. (modo 299.) *Decet, ut ad aliena verba ſanentur, qui ad factum alienum vulnerantur.*

Ad id, quod additur, reſpondeo cum S. Thom. in 4. diſt. 4. q. 3. art. 1. q. 1. ad 3. *Quod ſicut ille, qui adſcribitur ad militiam, non oportet, quod ſtatim, in pugnam vadet; ſed quando opportunitas imminet: nec ille, qui in Baptiſmo adſcribitur ad divinas actiones, oportet, quod ſtatim ad eas admittatur, ſed quando tempus opportunum fuerit.*

XV. Demum objiciunt, verba illa, Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* non probare Baptiſmum eſſe dandum parvulis: ſicut verba illa, Joann. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* non probant Euchariſtiam dandam eſſe parvulis.

Deinde proferunt exempla Sanctorum virorum; qui diu Baptiſma diſtulerunt, immo ad mortem: ut de Conſtantino Magno, qui, ſi fides Euſebio habenda eſt, Nicomediæ moriturus baptizatus eſt: ut de Valentiniano Juniore, qui ſubita præoccupatus morte Catechumenus e vivis exceſſit, de cujus funere orationem habuit S. Ambroſius.

Tertio exhibent exemplum Chriſti, qui anno triceſimo ætatis ſuæ baptizatus eſt.

XVI. Ad hæc tamen reſponſum eſt ſuperius. Ad primum *Dub. 1. §. 2. n.* 14. Ubi diſcrimen ſtatuimus inter Baptiſmum, qui eſt ad modum generationis, & Euchariſtiam, quæ eſt per modum nutritionis: quod ad illum non requiritur per ſe cooperatio ejus, qui generatur; bene tamen per ſe requiritur ad iſtam actus ejus, qui nutritur. Unde de Euchariſtia loquens dixit: *Niſi manducaveritis*, quaſi dirigens ſermonem ad adultos; de Baptiſmo vero dixit: *Niſi quis*, quaſi ad omnes, ſive adultos, ſive parvulos ſermonem dirigens.

Ad ſecundum, dictum eſt etiam ſupra, *Dub. 2. §. 2. num.* 8. non eſſe laudandam antiquam praxim differendi Baptiſma ad ætatem adultam, immo & ad mortem. Dato tamen, eos potuiſſe excuſari; excuſandi tamen non eſſent parentes puerorum Baptiſma differentes; quia eorum ſalutem manifeſto periculo expoſitam relinquebant, quod non valebat in adultis. Hi enim etſi non baptizati Baptiſmo aquæ, poterant per ardens Baptiſmi deſiderium ſalvari: ac interim per pietatis, & Pœnitentiæ opera ad Baptiſmum ſeſe diſponere.

Ad tertium, ibidem, *n.* 7. diſcrimen allatum eſt inter Chriſtum, & nos, ex S. Thom. *in 4. diſt. 4. q. 3. art. 1. q. 1. ad 1.* Qui etiam videri poteſt *3. p. q. 39. art. 3.* Ubi *ad 1.* ex Nazianzeno, *Orat. 40. de Bapt.* dicit, quod *Chriſtus non eſt baptizatus, quaſi indigeret purgatione, nec quod aliquod ei immineret periculum, differendo Baptiſmum: ſed cuivis alii non in parvum redundat periculum, ſi exeat ex hac vita non indutus veſte incorruptionis, ſcilicet gratia.*

XVII. Si quæras: Quale ſit præceptum pueros baptizandi?

Reſpondeo. Quod ſi pueri ſint in periculo mortis conſtituti, lex generalis charitatis, qua tenetur ſubvenire proximo in extrema neceſſitate poſito, obligat nos ad eos baptizandos. Extra vero neceſſitatis caſum non invenio ullum præceptum naturale, aut divinum parvulos baptizandi ante rationis uſum. Non naturale: quia tale præceptum fundari debet in periculo, ne pueri moriantur ſine Baptiſmo: hoc autem abſolute loquendo, non eſt periculum morale, quod peccator moriatur abſque ſacramento Pœnitentiæ; ergo ſicut ſtando in lege naturæ, abſolute poteſt peccator ſacramentum Pœnitentiæ differre; ita poterit pueris differri Baptiſma. Non etiam divinum: quia hoc non legitur in Scriptura, aut Patribus, nec colligitur ex Traditione.

Datur tamen præceptum Eccleſiaſticum, non quidem ſcriptum, ſed conſuetudine antiqua, & continuata Eccleſiæ firmatum. Unde eſto produci non poſſet aliquod jus ſcriptum imponens tale præceptum; ſi tamen quis nollet filios ſuos baptizari ante uſum rationis; & hoc quia exiſtimaret pueros eſſe incapaces Baptiſmi, eſſet hæreticus Anabaptiſta: ſi tamen credens eos eſſe capaces, vel ex negligentia, vel alio titulo differret, ſcandalum pareret apud fideles. Ex quo ſequitur, fideles cenſere dari obligationem baptizandi filios Chriſtianorum ante uſum rationis; ideoque ſi parentes ſint negligentes, vel inviti, a Paſtoribus Eccleſiæ debent corrigi: immo & cogi ad pueros baptizandos; etiamſi nolint.

DUBIUM IV.

An Parvuli in Materno Utero adhuc exiſtentes poſſint Baptizari.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco, Parvuli in maternis uteris adhuc exiſtentes baptizari non poſſunt. Ita S. Auguſt. *Epiſtola* 57. (modo 187.) *ad Dardanum, c. 9.* Ubi rem iſtam tractans: *Nec renaſci* (inquit) *quiſquam poteſt, antequam natus ſit.* Cum ergo per Baptiſmum homo renaſcatur, & dum eſt in utero, nondum ſit natus; dum eſt in utero baptizari, non poteſt.

Ad exempla vero Joannis Baptiſtæ, & Jeremiæ, qui ſanctificati fuerunt in utero matris, dicit, *c.* 10. hoc factum fuiſſe ſpeciali Spiritus Sancti operatione. *Tamen illa ſanctificatio, qua efficimur & ſinguli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non eſt niſi renatorum, quod niſi nati homines eſſe non poſſunt.*

Quod ſi quiſquam dicit, jam eſſe natum hominem etiam cum adhuc eſt in utero matris; teſtimoniumque adhibet ex Evangelio, quia dictum eſt ad Joſeph de prægnante Virgine Domini Matre: Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.

Reſpondet: *Nunquid nam huic nativitati accedit ſecunda nativitas? Alioquin non erit jam ſecunda, ſed tertia, dominus autem cum hinc loqueretur;* Niſi quis (*inquit*) renatus fuerit denuo; *eam ſcilicet, computans primam nativitatem, qua fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante; qua fit ex ea, non qua fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit; tamquam iterum natus ſit, qui jam ſemel natus fuerat in utero: ſed illa nativitate non computata, qua gravidam fecit, natus dicitur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua, & ſpiritu; ſecundum quam ex matre nativitatem, etiam ipſe Dominus in Bethlehem Juda dicitur natus. Si igitur homo regenerari per gratiam ſpiritus in utero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci; renaſcitur ergo antequam naſcitur quod fieri nullo modo poteſt.* Hæc, attente conſideranda, dicit Sanct. Auguſtinus.

II. Hinc S. Thom. *3. p. q. 68. a. 11.* poſtquam prælaudatum Auguſtini teſtimonium indicavit, ratiocinatur ſic. De neceſſitate Baptiſmi eſt, ut corpus baptizandi aliquo modo abluatur, cum Baptiſmus ſit quædam ablutio: ſed corpus infantis antequam naſcatur ex utero, nullo modo poteſt ablui aqua; ergo &c. Min. prob. Si corpus infantis in utero poſſet aliquomodo ablui; maxime ablutione baptiſmali, qua corpus matris abluereturr, quæque ad filium in ventre exiſtentem perveniret: ſed hoc, non poteſt; ergo corpus infantis antequam naſcatur ex utero, non poteſt aliquo modo ablui aqua. Min. prob. *Tum quia: anima pueri, ad cujus ſanctificationem ordinatur Baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris. Tum quia: corpus pueri animati jam eſt formatum, & per conſequens a corpore matris diſtinctum; ergo Baptiſmus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris exiſtentem.*

III. Aliter diſcurrit S. Thomas ibi, ex eodem S. Auguſtino, *lib. 6. contra Julian. cap. 14.* Si baptizata matre baptizaretur infans in utero ejus exiſtens, ſequeretur, quod matre gravida baptizata in mortis periculo, puer ex illa egrediens non deberet amplius baptizari; quia Baptiſmus, ut ſupra vidimus, iterari non poteſt: at baptizata matre, adhuc baptizatur puer ex utero natus; ergo &c. Verba Sancti Auguſtini ſunt: *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertineret, ita ut ejus pars deputaretur; non baptizaretur infans, cujus mater baptizata eſt, aliquo mortis urgente periculo, cum eum geſtaret in utero: Nunc vero, cum etiam ipſe baptizatur; non utique bis baptizatus habebitur.*

IV. At aliam rationem indicat S. Thom. *in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1.* his verbis: *Baptiſmus eſt actio hierarchica ſecundum Dionyſ.* (de Eccleſ. Hierarch. cap. 4.) *Unde per Miniſtros Eccleſiæ conferendus eſt, vel per eos, qui in neceſſitate vicem Miniſtrorum obtinent. Puer autem quamdiu eſt in utero matris exiſtens, non poteſt ſubjici operationi Miniſtrorum Eccleſiæ, nec eſt hominibus notus: & ideo baptizari non poteſt.*

§. II.

Contraria Diluuntur.

V. OBjicitur primo. Efficacius eſt donum Chriſti ad ſalutem, quam peccatum Adæ ad damnationem, ut Apoſtolus dicit. *Rom. 5.* ſed pueri in maternis uteris damnantur propter peccatum Adæ; ergo multo magis ſalvari poſſunt per donum Chriſti, quod fit per Baptiſmum.

Confirmatur. Nulli ſtatui hominum præcluditur via ſalutis ab eo, qui vult omnes homines ſalvos fieri: ſed ſi pueri, dum ſunt in utero matris, eſſent incapaces Baptiſmi, eis in illo ſtatu exiſtentibus præcluderetur via ſalutis; ergo &c.

VI. Reſpondeo, conc. præmiſſis, neg. conſeq. Si enim valeret hæc conſequentia, inferri etiam deberet: quod ſicut puer ſtatim, ac eſt conceptus, & animatus ſola actione generativa, nullo alio accedente contrahit peccatum originale: ita, ut eſſet efficacius donum Chriſti, deberet illum ab originali ſtatim mundare, nullo adhibito exteriori remedio; & conſequenter etiam ſine Baptiſmo applicare matri. Et rurſus, quod ſicut omnes contrahunt per Adam damnationem, ita omnes per Chriſtum de facto ſalvarentur.

Dico ergo ex S. Thom. hoc, *art. 11. ad 1.* neg. iterum conſeq. Quod enim pueri, dum adhuc ſunt in utero matris, remedio ordinario Baptiſmi ſanctificari nequeant; non eſt ex defectu efficaciæ in dono Chriſti, ejuſque meritis (poteſt enim eos adhuc in utero exiſtentes, via extraordinaria, ſanctificare, ut de facto cum aliquibus fecit) ſed ex defectu ipſorum infantium, qui dum in utero ſunt, nondum capaces ſunt, ut ſibi applicetur tale donum. Quod cum debeat applicari actione Miniſtri Eccleſiæ, & homini, qui jam ſit humanæ Reipublicæ civis: puer autem, dum eſt in utero matris, nec ſubjiciatur actioni Miniſtri, nec ſit adhuc humanæ Reipublicæ civis; quia nondum prodiit in lucem; nec cum aliis hominibus vitam ducit: ideo incapax eſt, ut pro illo ſtatu ei applicetur Baptiſmi donum.

VII. Ad Confirm. eodem modo dico cum S. Thom. in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. q. 1. ad 1. *Quod non eſt ex defectu divinæ miſericordiæ, quod in maternis uteris exiſtentibus remedium non exhibetur; ſed quia non ſunt capaces illius remedii, per quod ſecundum legem communem, participes Paſſionis ejus efficiantur, a qua eſt remiſſio peccatorum, quia non poſſunt ſubjici operationi Miniſtrorum Eccleſiæ, per quos talia remedia miniſtrantur.*

VIII. Objicitur ſecundo. Puer in utero matris eſt aliquid matris: ſed baptizata matre baptizatur quidquid eſt matris; ergo &c.

Reſpondeo cum eodem S. Thom. citato, *art. 11. ad 2.* diſt. min. quidquid eſt matris, tamquam pars corporis ejus, conc. min. Tamquam corpus ab ea diſtinctum, & ſolum cum ea colligatum, nego min. Baptizata ergo matre, baptizatur quidquid eſt ejus per continuationem, & unionem partis naturalis ad totum, cujus anima vivit. Puer autem in utero matris eſt aliquid ejus, non per continuationem, ſicut pars cum toto; ſed ſicut totum ab ea diſtinctum, diſtincta anima vivens, & ſolum cum ea colligatum: & ideo non ſequitur, quod baptizata matre baptizetur. Unde in 4. ſent. loco citato ad 2. *Puer* (inquit) *in materno utero exiſtens, quamvis ſit conjunctus matri, ſecundum corpus, quod ab ipſa traxit; tamen eſt omnino diſtinctus ſecundum animam rationalem, quam ab exterinſeco habet: & ideo ſecundum corporalem immutationem matris, immutatur corporaliter; ſed non oportet, quod ſanctificata matre per Baptiſmum, ſpiritualiter ſanctificetur.*

Ex hoc ſolvitur inſtantia fieri ſolita: Cur ſi eodem cibo, quo nutritur mater, nutritur & infans, dum in ejus utero manet; non itidem eodem Baptiſmo, quo baptizatur mater, baptizetur & filius?

Reſpondeo enim, ideo eodem cibo, quo alitur mater, ali etiam filium; quia corpus, quod ex ea traxit, dum in ejus utero manet, eſt cum corpore matris colligatum: & ideo traſmutata corporaliter matre, corpus filii tranſmutatur. Ut autem poſſet Baptiſmo matris baptizari filius, deberet anima pueri eſſe unita, & colligata animæ matris, & eſſe aliquid animæ matris. Cum ergo anima pueri nec ſit anima matris, nec aliquid pertinens ad animam matris, quomodo; dum baptizatur mater, dicendo: *Ego te baptizo*, baptizabitur filius, qui eſt perſona a matre diſtincta? Addo ex ſupradictis: quod ſi baptizata matre, baptizaretur infans, quem geſtat in utero; infans ille poſtea natus, non poſſet baptizari, alias bis baptizaretur. Non ergo infans poteſt baptizari, dum baptizatur mater, quia diverſa perſona a matre eſt; ideoque deſignari non poteſt per *ly te baptizo*: applicato matri, nec poteſt baptizari Baptiſmo proprio, quia ut vidimus non poteſt ablui aqua, ſicut neque poteſt cibo proprio nutriri. Igitur nullo modo baptizari poteſt.

X. Objicies tertio. Impium videtur dicere, hominem abſque ſua culpa eſſe in tali ſtatu, in quo ſi moriatur, abſque ſuo demerito neceſſario damnetur: ſed ſi pueri in utero eſſent incapaces Baptiſmi, dum in tali ſtatu morerentur, infallibiliter abſque ſua culpa damnarentur, neque pro illis ullum eſſet remedium; ergo &c.

XI. Reſpondeo, neg. abſolute min. Nam pueri in utero matris eſto ſint abſque ſua culpa actuali; non tamen ſine culpa originali, quæ illis fuit voluntaria, eſto non propria, aliena tamen voluntate, nempe, Capitis: *In quo omnes peccaverunt* ut ait Paulus, *Roman. 5. verſ. 12.* Unde S. Auguſt. *lib. de Corrept. & gratia, c. 6.* ait: *Peccata quidem iſta originalia ideo dicuntur aliena, quod ea ſinguli de parentibus trahunt: ſed non ſine cauſa dicuntur & noſtra, quia in illo uno omnes, ſicut dicit Apoſtolus, peccaverunt.* Sicut ergo hac ratione pueri ſunt filii iræ, & ita objectum juſtæ indignationis Dei: ita poteſt, abſque injuria, in illo ſtatu poſitos relinquere abſque remedio ordinario ad ſalutem, ſi in tali ſtatu moriantur. Sicut enim iis, quibus concedit naſci, baptiſmo ablui, miſericordiam facit: ita eis, quos tali miſericordia privat, injuriam non facit. Cur enim quibuſdam concedat, aliis non; noli judicare, ſi non vis errare, ſed dic: Dominus eſt.

XII. Objicies quarto. Non eſt aſſignabilis locus, ad quem perducatur infans in utero matris ſine Baptiſmo mortuus. Nam in Cælum ſine Baptiſmo, vel ullo remedio Chriſti, quamvis Calvinus ſupra refutatus aſſerat de pueris fidelium, Pelagiani ipſi non admittebant. In Infernum detrudi abſque demerito proprio, nimis eſſet crudele. In tertium autem locum, voluntarium eſſet aſſerere: cum nullus detur locus poſt hanc vitam, niſi vel Cælum, vel ſupplicii æterni Barathrum.

XIII. Hæc objectio difficultatem tangit, quæ hujus loci non eſt. Dico ergo breviter. Pelagius, ut refert S. Auguſtinus, eſto negaret, peccatum originale contrahi a parvulis; aſſerebat tamen, ſi Baptiſmo inexpiati decederent, ad regnum cælorum perduci non poſſe, ſecundum Domini ſententiam: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Quo autem adducerentur; ſe ignorare fatebatur. Unde hæc Pelagii verba erant (apud Auguſt. lib. de Peccato origin. c. 21.) *Sine Baptiſmo parvuli morientes quo non eant, ſcio: quo eant, neſcio.*

S. Auguſtinus autem perpetuus eſt in ea opinione, quod pueri decedentes ſine Baptiſmo, mitttantur in gehennam ignis; ibique torqueantur pœna non ſolum damni, ſed etiam pœna ſenſus, mitiſſima tamen. Ita, *lib. 1. de Peccat. meritis, cap. 28. lib. 3. Oper. imperf. contra Julian. cap. 97.* & alibi

& alibi locum medium, quem vocamus Librum puerorum, rejiciens, utpote hominum ſimplicium excogitatum, nec unquam in Sacris Litteris indicatum. Quæ Auguſtini opinio Conciliorum, & Patrum auctoritatibus roboratur, ut videre eſt apud Noris, *in Vindiciis Auguſtiniani, cap.* 1. §. 5.

Communior tamen ſententia eſt, hujuſmodi pueros, ſine Baptiſmo decedentes, mitti in Limbum dictum puerorum; qui, ut ait S. Thomas, *in* 3. *diſt.* 22. *q.* 2. *artic.* 1. *quæſt.* 2. eſt locus ſupra infernum damnatorum, & infra Purgatorium: *In quo ſunt tenebræ propter carentiam divinæ viſionis, & propter carentiam gratiæ; ſed non eſt ibi ulla pœna ſenſibilis.* Ibique hujuſmodi pueri in æternum manebunt; non autem, ut aliqui commenti ſunt, terras iſtas poſt univerſalem reſurrectionem obtinebunt, in eis naturali quadam felicitate fruituri. Hæc ſufficiant. Totam enim hanc controverſiam fuſe tractavimus, *tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 10. *De Effect. peccat. origin. dub.* 3. per totum, quo Studioſum remitto.

XIV. Notat tandem Sanctus Thomas, 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 11. *citato ad* 3. quod cum *Non ſint facienda mala, ut veniant bona*; ut dicitur, Roman. 3. *Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater moriua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.*

XV. Notat etiam ibi, ad 4. *Quod expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad Baptiſmum, niſi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari periculo imminente; & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi eum perfecte naſci contigerit. Et videtur idem faciendum, quacumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite; videtur quibuſdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Idem dicit *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. & nos ſupra aliqua tetigimus.

Dubium V.

An Parvuli Infidelium ſint invitis Parentibus Baptizandi?

§. I.

Certa Præmittuntur.

I. CElebris eſt controverſia inter Diſcipulos S. Thomæ, & Scoti: an filii infidelium poſſint licite invitis Parentibus baptizari; his affirmantibus, illis vero cum Sancto Thoma, 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 10. & 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 12. negantibus. In hoc, ut certa ab incertis ſeparentur,

II. Suppono primo, ut certum apud omnes, Baptiſma collatum parvulis infidelium, etiam invitis Parentibus, validum eſſe; dummodo ſit collatum cum omnibus requiſitis ad valorem, & eſſentiam Baptiſmi.

III. Suppono ſecundo, ut certum, pueros parentum infidelium, qui directe ſunt ſubditi poteſtati ſpirituali Eccleſiæ, ſicut ſunt illi, qui cum ſint baptizati, per apoſtaſiam defecerunt ad Judaiſmum, ſeu ad Mahumetaniſmum, aut alias Sectas, poſſe invitis etiam parentibus baptizari. Et ratio eſt. Quia ſicut poteſt Eccleſia parentes ad fidem ſervandam cogere, ac pertinaces etiam morte punire: ita poteſt eos privare poteſtate paterna, quam habent in filios, eoſque etiam ante rationis uſum, ipſis etiam invitis, baptizare. Porro ſi Eccleſia ſuo utens jure, talium parentum filios, ipſis invitis, baptizaret, non deberet eos relinquere ſub cura parentum; alioquin remanerent expoſiti periculo apoſtaſiæ: ſed deberet eos apud ſe retinere, eoſque alere, & educare.

IV. Quæſtio ergo procedit de filiis infidelium; qui nec ſunt, nec fuerunt Eccleſiæ ſubditi. Hi autem in duplici ſunt differentia. Vel enim tales infideles ſunt mancipia Chriſtianorum; quia vel capti in bello, vel empti. Vel, licet civiliter ſubjecti ſint Principibus Chriſtianis; tamen potiuntur libertate ſua, & vivunt tamquam accolæ in urbibus Chriſtianorum, ſicut ſunt Hebræi, & Turcæ in aliquibus Chriſtianorum urbibus.

V. Hinc ſuppono tertio: filios infidelium, qui ſunt mancipia Chriſtianorum, licite poſſe invitis parentibus baptizari; cum mancipia, eorumque filii ſint totaliter ſub dominio, ac poteſtate domini; & abſque injuria ſpoliari poſſunt jure retinendi filios ſub ſua poteſtate, eoſque educandi; ſicut etiam, ipſis invitis, poſſunt a domino eorum filii vendi. Poſito tamen quod Dominus eos baptizet, cavere debet, ut ſupra, a periculo apoſtaſiæ; ideoque illos ante uſum rationis a parentum cura eripere. Nam relicti uſque ad rationis uſum ſub cura eorum, vix periculum apoſtaſiæ poſſent evadere. Quæſtio igitur procedit de filiis infidelium Principibus Chriſtianis ſola ſervitute civili, & politica ſubditorum.

Et procedit quæſtio de filiis talium infidelium, antequam rationis uſum attigerint. Nam certum eſt, quod pueri cum primo rationis uſum attigerunt *Quantum ad ea, quæ ſunt juris divini, vel naturalis, incipiunt ſuæ poteſtatis eſſe; & ideo propria voluntate invitis parentibus poſſunt Baptiſmum ſuſcipere, ſicut & Matrimonium contrahere: & ideo tales licite moneri poſſunt, & induci ad ſuſcipiendum Baptiſmum.* Ita S. Thom. 3. *p. quæſt.* 68. *art.* 10. His ſuppoſitis.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. DIco. Filii infidelium Principibus Chriſtianis civiliter tantum, & politice ſubditorum, non poſſunt, invitis parentibus, ante uſum rationis licite baptizari, niſi imminente mortis periculo. Duas habet partes hoc Aſſertum. Et quidem ſecunda pars non controvertitur. Nam poſito puero in imminenti periculo mortis; de ejus ſalute æterna deſperatum eſſet, niſi Baptiſmo ei conſuleretur. Tum quia: in tali caſu mors potius eripit puerum a parentibus, quam Miniſter Baptiſmi; ergo in tali circumſtantia, etiam invitis parentibus, licite poteſt baptizari.

VII. Prior ergo pars prob. primo a S. Thoma, 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 12. ſic: Licitum non eſt agere contra Eccleſiæ conſuetudinem: ſed baptizare filios infidelium ante uſum rationis, invitis parentibus, eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem; ergo non licet &c. Maj. probat S. Doctor, his verbis: *Maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, qua ſemper eſt in omnibus æmulanda: quia & ipſa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet. Unde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris.* Minorem vero probans ait: *Hoc autem Eccleſiæ uſus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentiſſimi, ut Conſtantinus, Theodoſius; quibus familiares fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi, ut Silveſter Conſtantino, & Ambroſius Theodoſio: qui nullo modo prætermiſiſſent ab eis impetrare, ſi hoc eſſet conſonum rationi. Et ideo periculoſum videtur hanc aſſertionem de novo inducere; ne præter conſuetudinem in Eccleſia hactenus obſervatam, Judæorum filii invitis parentibus baptizentur.* Hac eadem ratione utitur, *Quodlib.* 2. *art.* 7. Quod autem dicitur de filiis Judæorum, pari ratione dicendum eſt de filiis aliorum infidelium non baptizatorum.

VIII. Secundo probat. Filii talium parentum, vel ſic, ipſius invitis, baptizantur; ut per vim auferantur a cura, & ſubjectione parentum; vel, ut relinquantur ſub cura, & ſubjectione illorum. Si primum: fit injuria parentibus, quorum curæ jus naturale commiſit filios, quamdiu ſibi providere non poſſunt; ergo violaretur juſtitia naturalis, ſi, eis invitis, eriperentur, non minus, ac ſi, domino invito, aliquod ſuum eriperetur, etiamſi hoc fieret ad bonum finem: non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona: *Filius enim* (inquit S. Thom. citatus) *naturaliter eſt aliquid patris. Et primo quidem a parentibus non diſtinguitur ſecundum corpus, quamdiu in matris utero continetur: poſtmodum vero, poſtquam ab utero egreditur, antequam uſum liberi arbitrii habeat, continetur ſub parentum cura, ſicut ſub quodam ſpirituali utero; quamdiu enim uſum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Unde ſicut bos, vel equus eſt alicujus, ut utatur eo cum voluerit, ſecundum jus civile, ſicut proprio inſtrumento: ita de jure naturali eſt, quod filius, antequam habeat uſum rationis, ſit ſub cura patris. Unde contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi puer antequam habet uſum rationis, a cura parentum ſubtrahatur; vel de eo aliquid ordinetur, invitis parentibus.*

Si vero ſecundum: fit injuria Baptiſmo, & religioni Chriſti. Siquidem eſt moraliter impoſſibile, filios invitis parentibus infidelibus baptizatos, ſub eorum cura in fide Chriſtiana educari, potius quam eorum erroribus imbui, ac a fide ſuſcepta non deviare, cum ad uſum rationis devenerint. Unde S. Thom. ait: *Cum ad ætatem perfectam devenirent, de facili poſſent a parentibus induci, ut relinquerent, quod ignorantes ſuſceperunt.* Et, ut ait 3. p. q. 68. art. 10. *De facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes.*

IX. Confirmatur. Idem, proportionaliter, jus habet Eccleſia baptizandi filios infidelium ante uſum rationis, quod habet baptizandi, & trahendi ad fidem quoſcumque infideles etiam adultos: ſed Eccleſia non accepit a Chriſto jus, & poteſtatem cogendi infideles adultos ad fidem, eoſque invitos baptizandi; ſed potius ſervandi ordinem naturalis juſtitiæ, illos alliciendo, & perſuadendo, juxta illi Chriſti verba: *Docete omnes Gentes*: non autem ordinem naturalis juſtitiæ pervertendi, cogendo videlicet illos vi armorum ad Baptiſmum; ergo pariter non accepit a Chriſto jus & poteſtatem, per vim auferendi filios a cura, & ſinu parentum, in quorum voluntate voluntas infantis continetur; ſed hortandi eos, & perſuadendi, ut conſentiant Baptiſmo filiorum, & eorum inſtructioni in fide.

§. III.

Rationes Scoti.

X. OBjicies primo pro Scoto. Unuſquiſque licite poteſt vindicare proximum ab injuria, quam patitur: ſed filii infidelium injuriam patiuntur a ſuis parentibus, dum impediunt, ne Baptiſmum ſuſcipiant; ergo &c. Si enim licitum eſſet, filium eripere a cura parentis volentis illum occidere corporaliter; quanto magis licebit illum eripere a cura parentis volentis illum occidere ſpiritualiter, & vita æterna privare?

XI. Si hæc objectio valeret, evinceret, poſſe eripi filios infidelium a cura parentum, nedum auctoritate publica Principis, vel Reipublicæ, ſed etiam privata a quolibet: immo non ſolum poſſe; ſed ex lege charitatis teneri id facere: ſicut quilibet etiam privatus poteſt, & tenetur ex charitate vindicare proximum, quem videt pati injuriam: Unde ſi videret patrem volentem necare filium, poſſet, ac teneretur quilibet privatus eum a cura ejus eripere. Hoc autem in caſu non concedunt Scotiſtæ, qui ſolum volunt hoc fieri licite poſſe auctoritate Principis, nec quemlibet etiam privatum teneri: alias peccarent Principes Chriſtiani, peccaret quilibet, dum filios a cura parentum infidelium non eriperet.

Secundo. Si valeret, probaret, quod poſſet, immo teneretur quilibet cogere etiam adultum ad ſuſcipiendum Baptiſma. Quia ſi tenetur quilibet, etiam cum violentia, detinere etiam adultum volentem ſe occidere corporaliter; ſi exemplum valet, multo magis tenebitur quilibet impedire, etiam vi, ne ſe interimat ſpiritualiter, nolendo fieri Chriſtianum.

Reſpondeo igitur, allatum axioma valere in injuriis, quæ fiunt contra legem naturalem; non vero in iis, quæ fiunt contra legem ſupernaturalem, ſuppoſita fide. Ad impediendam enim injuriam intentatam contra fidem, & legem ſupernaturalem, ſuppoſita fide, non eſt licitum violare jura legis naturalis; quia fides naturam non deſtruit, ſed firmat; nec Chriſtus voluit, ut in promovenda fide violentia adhiberetur: alioquin prætextu fidei poſſent innumeræ fieri injuriæ legi naturali, cum magna humanæ Reipublicæ turbatione. Poſſent enim infideles recuſantes fidem Chriſti amplecti, dominio, & bonis temporalibus ſpoliari, Reges, ac Principes ſuis regnis privari, aliaque multa, quæ nemo hactenus fecit, nec fieri poſſe aſſeruit. Cum ergo parentes impedientes filios ſuos, ne baptizentur, etſi faciant illis injuriam, hanc tamen faciunt ſolum contra legem ſupernaturalem, & ſuppoſita fide: ideo non poſſunt Principes, aut Eccleſia ſic defendere infantes infidelium, ut eos a parentibus auferant, & jus naturale parentum in filios violent. Hoc enim eſſet fidem Chriſti odioſam Gentibus reddere; eoſque potius, quam inducere, ab ea amplectenda retrahere.

XII. Hinc patet diſparitas; cur ſi parentes vellent filiis ſuis mortem corporalem inferre, poſſent hi licite eripi ab eorum cura; non vero, ſi velint eis mortem ſpiritualem, educando illos in infidelitate ſua. Quia in primo parentes facerent injuriam filiis contra legem naturalem: in ſecundo autem caſu faciunt illis injuriam, ſolum ſpectata fide, & ordine ſupernaturali —— Rurſus: etſi parentes velint educare filium in infidelitate, adhuc ſpes eſſe poteſt, ut ad uſum rationis veniens fidem amplectatur: unde non ponitur in periculo morali mortis ſpiritualis; quod ſi poneretur, jam ipſum baptizare liceret, ut diximus. At cum pater vult occidere corporaliter filium ſuum, in morali periculo eſt vita ipſius: & ideo licet, immo tenetur, qui videt, eum de manu ejus eripere.

XIII. Objicies ſecundo. Pueri ante uſum rationis magis ſunt ſub dominio Dei, quam parentum; ergo poteſt Princeps facere, ut magis obediatur Deo, quam parentibus: *Magis* enim *oportet obedire Deo, quam hominibus*, Actor. 5. v. 29. Sed Deus jubet, ut tales pueri baptizentur; ergo ſi parentes repugnent, poterit Princeps pueros illos baptizari facere; ut ſic magis Dei lex, quam parentum voluntas impleatur.

Confirm. primo. Quando ſunt duo domini, unus ſuperior, alius inferior; ſi inferior dominus velit facere contra id, quod ſuperior jubet, Princeps poteſt, immo debet ordinare, & cogere, ut fiat id, quod jubet ſuperior dominus, renitente etiam inferiori domino: ſed dominium paternum in filios eſt inferius dominio Dei in illos; ergo dum Deus jubet baptizari parvulos prædictos, & parentes repugnant, poteſt ac debet Princeps ordinare, ut baptizentur: & ſic fiat, quod Deus jubet, non quod parentes contra voluntatem Dei diſponunt.

Confirmatur ſecundo. Si quis judex aliquem injuſte damnaret, ita ut conſtaret de injuſtitia judicis, & innocentia damnati; non fieret contra ordinem Juris civilis, ſi a morte violenter eriperetur; ergo cum manifeſte conſtet de injuſtitia parentum, filios ſuos ad mortem æternam damnantium, dum ſecundum ritus infidelitatis eos inſtruunt; ſine fractione Juris naturalis poterunt eis eripi, & baptizari.

XIV. Reſpondeo, nego min. ſubſumptam. Deus enim non jubet, ut infantes extra periculum mortis baptizentur, ut vidimus; ſed hoc ex conſuetudine Eccleſiæ. At tamen diſt. eamdem min. Deus jubet, ut baptizentur ſalvis naturæ juribus, quæ parentes habent in filios, conc. min. His non ſalvis, nego min. Etenim dum parentes renuunt baptizari filium ſuum, lex Dei non dictat, eum eſſe baptizandum. Sicut dum adultus propria voluntate renuit baptizari, lex Dei non dictat, ut baptizetur, immo prohibet ipſum baptizari. Quia in ordine ad ſuſcipiendam fidem divina lex ab omni violentia abhorret; vultque admitti volentes, non invitos. Quare cum Siſebutus Hiſpaniæ Rex Judæos Chriſtianam fidem amplecti antea coegiſſet, Concilium Toletanum IV. anno 633. ſub Siſenando Rege coactum, *cap.* 57. hæc ſtatuit: *De Judæis præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre*: Cui enim vult Deus, miſeretur, & quem vult, indurat: *Non enim tales inviti ſalvandi ſunt: ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit; ſic vocante gratia Dei propria mentis converſioni homo quiſque tradendo ſalvatur. Ergo non vi, ſed libera arbitrii voluntate, ut convertantur ſuadendi ſunt, non potius impellendi.*

XV. Ad primam Confirmat. dico primo, quod ſi ratio illa valeret, Principes nedum poſſent, ſed tenerentur filios infidelium, etiam invitis parentibus, baptizare; adeoque peccaſſe religioſiſſimos Principes, immo & Eccleſiam, quæ hanc Domini juſſionem non implevit, nec implet. Igitur diſtinguo maj. Si ſuperior dominus jubeat aliquid fieri, non obſtante etiam jure inferioris domini, conc. major. Si jubeat, ſalvo tamen jure inferioris domini, nego major. Jubet ergo Deus, pueros Infidelium baptizari, non velint, nolint parentes eorum, eos etiam reluctantes, ac invitos paterno jure privando, ſed ſalvis naturæ juribus: *Puer* enim (inquit S. Th. 2. 2. quæſt. 10. art. 12. ad 4. & 3. p. qu. 68. art. 10. ad 3.) *antequam uſum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum cura naturaliter ſubjacet: & ſecundum eorum diſpoſitionem ſunt circa ipſum divina agenda.* Sicque Princeps non debet ita ſtare pro lege Dei, ut cogat parentes ad puerum baptizandum, & ſi nolint, eum ab eorum cura eripiens; ſed eos hortari, ut velint: ſi autem nolint, ultra non progredi: odioſa enim lex Chriſti reddi non debet.

XVI. Ad ſecundam Confirmat. nego maj. cum D. Th. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 12. *ad* 2. & 3. *p. quæſt.* 68. *art.* 10. *ad* 1. Nam *A morte corporali non eſt aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis: puta, ſi aliquis a ſuo judice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter a morte eripere. Unde nec aliquis debet rumpere ordinem juris naturæ, quo filius eſt ſub cura patris; ut eum liberet a periculo mortis æternæ.* Solus enim ſupremus Princeps, a quo judex inferior habet judicandi poteſtatem, poteſt eum de manu illius eripere: qui vero ſupra talem judicem poteſtatem non habet, Jus Civile violaret, ſi eum eriperet. Cum ergo Princeps Civilis ſupra Jus paternum poteſtatem non habeat, ſed ſolus Deus; qui, ut diximus, non vult eos paterno jure ob infidelitatem privare; non poſſet ſine fractione Juris naturalis puer a parentibus invitis, ut baptizetur, auferri.

XVII. Hinc patet ſolutio ad aliam inſtantiam fieri ſolitam, nempe, quod qui abutitur Jure, aut privilegio, meretur eo privari —— Nam reſpondeo, quod meretur privari ab habente auctoritatem. Princeps autem Civilis hanc non habet ex ſe, nec a Deo accepit; qui ſuaviter homines trahi ad fidem jubet, non violenter. Infideles autem, qui Baptiſmo initiati non ſunt, eſto in naturalibus ſubditi ſint Principibus a quibus civiliter reguntur, in quantum poſſunt ad leges civiles, & legem naturalem ſervandas cogi: in his tamen, quæ fidem, & religionem ſpectant, nemini hominum adhuc ſubditi ſunt. Quare eſto Principes poſſint cogere hæreticos, vel Apoſtatas ad ſervandam fidem, quam in Baptiſmo promiſerunt, quomodo Conſtantinus coegit Donatiſtas: nullus tamen Princeps cogere poteſt infideles non baptizatos, ad amplectendam fidem Chriſti.

XVIII. Addo ad præfatam ſecundam Confirmat. diſparem eſſe rationem de Judice injuſte damnante hominem ad mortem corporis, & de parentibus negantibus filium baptizari. Nam injuſte damnatus, infallibiliter morietur corporaliter. At puer, cui parentes negant Baptiſmum, non moritur infallibiliter morte æterna: quia ſeparari poteſt, ut cum ad rationis uſum devenerit, Baptiſmum voluntarie ſuſcipiat. Quod ſi puer ille in morali *periculo* mortis ſit, poterit, etiam invitis parentibus, baptizari. Quod valde notandum eſt.

XIX. Ex dictis infertur primo: quod ſi puer Infidelium, nondum ſeptennis fugiat a paterna domo, & ad Chriſtianos veniens, Baptiſmum petat, ac parentes opponant, eum non habere perfectum rationis uſum, ac propterea ſibi eſſe reſtituendum: in hoc caſu puer ille reponendus eſt, & cuſtodiendus in loco tuto, donec ad perfectum rationis uſum devenerit. Quod ſi in propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum perſeveraverit, baptizandus erit. Interim tamen reſtituendus non eſt: quia in dubio favendum magis eſt innocenti filiolo, quam nocentibus genitoribus.

XX. Infertur ſecundo. Quod, ut puer Infidelium licite baptizetur, ſufficit conſenſus unius ex parentibus, etiamſi

etiamſi alter repugnet. Cum enim ejuſmodi conſenſus datus ſit ab eo, qui jus habet, cedatque in favorem religionis, & ſpiritualem pueri utilitatem: eo abſque hæſitatione itendum eſt. Ita ex Concil. Toletano III. ſub Recaredo Rege, anno 589. *cap.* 14. ubi ſtatuitur: ſi qui filii ex Judæo, & Chriſtiana, ſive uxore, ſive concubina nati ſint, *Aſſumendos eſſe ad Baptiſmum*. Quod ſtatutum etiam fuit in Concilio Tolet. IV. *c.* 63. anno 633. Et Gregorius IX. ad Epiſc. Argentinenſem, cap. *Ex litteris*. Extra de *Converſione Infidelium*, de puero quadrienni, quem pater ad Chriſtum ex Judaiſmo converſus, ſibi tradi fide Catholica imbuendum in Judicio poſtulaverat, uxor vero in Judaiſmo pertinax repugnabat; reſpondit: *Patri eumdem aſſignamus*.

XXI. Infertur tertio: pueros Infidelium ſive jure, ſive injuria a parentum cuſtodia, & præſentia diſtractos, & tanta locorum intercapedine diſſitos, ut nulla ſpes reditus illorum ſuperſit moraliter; ſicut pleriſque accidit, quos mercatores ex regionibus remotis afferunt, hos Eccleſiam, inconſultis parentibus, baptizare conſueviſſe. In illo enim caſu nulla parentibus fit injuria; quia reſpectu talium puerorum cenſentur deperditi, & velut mortui, & in bonum illorum prudenter captatur occaſio.

DUBIUM VI.

An Amentes, Furioſi, Dormientes, & Monſtra Baptizari poſſint?

§. I.

De Amentibus, Furioſis, & Dormientibus.

I. CIrca amentes, & furioſos diſtinguendum eſt, ait S. Thom. 3. *p. qu.* 68. *art.* 12. Vel enim ſunt *A nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet. Et de talibus quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem videtur eſſe idem judicium, quod de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ* —— Neque dicas, hujuſmodi amentes, in quibus nec eſt, nec fuit, nec ſperatur unquam fore uſus rationis, in nullo differre a brutis; ideoque non videri baptizandos, ſicut nec iſta.... Nam reſpondet S. Thom. ad 2. *Quod furioſi, vel amentes carent uſu rationis per accidens, ſcilicet, propter aliquod impedimentum organi corporalis; non autem propter defectum animæ rationalis, ſicut bruta animalia. Unde non eſt de his ſimilis ratio.* —— Nec refert, ſi iterum dicas, in baptizandis, ſi ſint adulti, requiri intentionem ſuſcipiendi ſacramentum; quæ in caſu præſenti nec eſt, nec unquam fuit —— Reſpondit enim idem S. Thomas ad 1. *Quod amentes, qui nunquam habuerunt, nec habent uſum rationis, baptizantur ex intentione Eccleſiæ; ſicut & ex actu Eccleſiæ credunt, & pœnitent, ſicut ſupra de pueris dictum eſt.*

II. Alii ſunt amentes, *qui ex ſana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt: & tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent. Et ideo ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debet eis exhiberi in furia, & amentia conſtitutis, etiamſi tunc actu contradicant.* Quia non contradicunt mente, ſed phantaſia ducti, ut ait S. Thom. in 4. diſt. 4. q. 3. art. 1. q. 3. ad 2. *Alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent: non ſunt baptizandi.*

III. Alii vero ſunt: *Qui etſi a nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti poſſunt: unde ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt, etiam in amentia conſtituti; & debet eis tunc ſacramentum conferri, ſi periculum timeatur. Alioquin melius eſt, ut tempus expectetur, in quo ſint ſanæ mentis, ad hoc, quod devotius ſuſcipiant ſacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum; baptizari non debent in amentia conſtituti.*

Quidam vero ſunt: *Qui etſi non omnino ſanæ mentis exiſtant; in tantum tamen ratione utuntur, quod poſſunt de ſua ſalute cogitare, & intelligere ſacramenti virtutem: & de talibus idem eſt judicium, ſicut de his, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.*

IV. Circa dormientes autem dicit idem S. Thomas ibi *ad* 3. Quod *Non ſunt baptizandi, niſi periculum mortis imineat: in quo caſu baptizari debent, ſi prius in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum, ſicut & de amentibus dictum eſt: ſicut Auguſtinus narrat, in* 4. *lib. Confeſſ. c.* 4. *De amico ſuo, qui baptizatus eſt neſciens, propter periculum mortis.*

Hæc eadem ſtatuerat Innocentius III. C. *Majores*, de Baptiſmo, his verbis: *Dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in eis intelligitur, contradictionis propoſitum perdurare, & ſi fuerint ſic emerſi, characterem non ſuſcipiunt ſacramenti: ſecus autem ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare. Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.* Idem colligitur ex Concilio Carthaginenſi III. capit. 34. relato, diſtinct. 4. de Conſecrat. Cap. *Ægrotantes*; & ex Concilio Arauſicano I. Can. 12. & 13.

§. II.

De Monſtris.

V. MOnſtrum exiſtimatur eſſe effectus naturalis a recta, & ſolita, ſecundum ſpeciem, diſpoſitione inſigniter deflectens, ut homo habens quatuor crura; duos ventres &c. De his quæri ſolet a Theologis: an Baptiſmi capacia cenſenda ſint. Multa congerit circa hoc Clericatus, de Baptiſm. *a quæſt.* 40. Unde emi poſſunt ſequentes regulæ.

VI. Prima. Quando certo conſtat, monſtrum ſub humana forma, etſi monſtruoſa, eſſe præditum rationali anima, baptizari poteſt, & debet, ex quacumque cauſa conceptum ſit, etiamſi ex muliere ſuccuba, & Dæmone incubo. Si vero dubitatur, an anima rationali donatum ſit, baptizari poteſt ſub hac conditione: *Si es homo, ego te baptizo;* ut docet S. Carolus: *In Inſtruct. Baptiſmi.*

VII. Secunda. Cum monſtrum eſt bicorporeum, vel dubium eſt, an ſint duo; utpote quia duo capita non habet, nec pectora bene diſtincta: & in hoc caſu, unus intentione certa, & non vaga ſimpliciter baptizabitur. Alter vero ſub conditione: *Si non es baptizatus &c.* Si vero quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam diſtincta in monſtro apparent, homines duos eſſe perſpicuum ſit; ſinguli ſimpliciter baptizentur. Quod ſi mortis periculum moram non patiatur, numero plurali baptizentur: *Ego vos baptizo &c.* Ita S. Carolus ſupra laudatus, addens: quod ſi una tantum perſona eſt, utpote unum tantum caput habens; tamquam unus baptizetur, etſi alia membra plura, geminataque habeat.

VIII. Tertia. Ermaphroditæ abſque dubio baptizandi ſunt, ſicut etiam naſcentes cum monſtruoſitate aliqua corporis in aliqua ejus parte, puta caudati, auriti, elingues, monoculi, *aſtomi*, ideſt, ſine ore (quales feruntur eſſe quidam Indiæ populi anhelitu tantum viventes, & odore, teſte Plinio) ſine brachiis, ſine cruribus &c.

IX. Quarta. *Acephali*, ideſt, ſine capite, dubium eſt, an ſint baptizandi: ideoque in caſu conſulendi eſſent Epiſcopus, medici, & obſervandi motus, & ſigna, ad dignoſcendum, an ſit in eis anima rationalis.

X. Quinta. Monſtra in humano corpore habentia belluinum caput, ſi appareat in cæteris eſſe veros homines, baptizanda ſunt; ſi vero dubium ſit, baptiſmus detur ſub conditione,

XI. Sexta. *Centauri, Hippocentauri, Onocentauri*, ſive monſtra in ſuperiori parte ſpeciem hominis, in inferiori autem ſpeciem equi, aut aſini referentia, baptizanda non ſunt; niſi, facta adulta, talia dent ſigna rationis, ut poſſidere animam rationalem videantur, quo caſu adhuc ſub conditione baptizanda videntur. Idem de Satyris, Tritonibus, Syrenibus: ſi tamen vera, & non potius fabuloſa, ut arbitror, ſunt, quæ de eorum exiſtentia narrantur.

XII. Septima. Partus prodiens a viro copulato cum beſtia, vel muliere copulata cum bruto, non videntur baptizandi; quia ob diverſitatem ſeminum non videtur poſſe hominem generari. Aliqui tamen volunt, partum a beſtia, cum qua homo nefande ſe commiſcuit, editum, ſi ſpeciem humanam pueri, vel puellæ referat, eſſe baptizandum ſub conditione: quia in hoc caſu ſemen ab homine in beſtiæ uterum immiſſum, videtur quoad virtutem prævaluiſſe ſemini beſtiæ. Partum etiam editum a muliere commixta cum bruto, ſi humana referat lineamenta, baptizandum ſub conditione cenſent: quia contingere poſſet, Monſtrum illud non pure a ſemine bruti fuiſſe conceptum; ſed vel ex præcedente ſemine humano forte recepto, vel alia ex cauſa. Sed de his ſatis.

QUÆSTIO VI.

De Baptiſmi Effectibus.

DUplex eſt Baptiſmi effectus. Unus gratia remiſſiva peccati originalis, & actualis: alter Character. De his in hac quæſtione ſermo erit: & prius de ſecundo.

DUBIUM I.

An Baptiſmus imprimat Characterem?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco. Baptiſmus imprimit characterem, ratione cujus iterari non poteſt. Prima pars conſtat ex dictis, *Tract. de Sacr. in genere. Quæſt.* 5. *dub.* 1. Unde ibi dicta recolenda ſunt, maxime ex Patribus, & potiſſime ex S. Auguſtino, cujus hic unicum teſtimonium addam. Nam Tract. 3. in 1. Epiſt. Joann. *Ecce* (inquit) *accepit ſacramentum nativitatis homo baptizatus, ſacramentum habet,*

& magnum ſacramentum divinum, ſanctum, ineffabile .... videat, ſi habet charitatem, & tunc dicat, natus ſum ex Deo. Si autem non habet, characterem quidem impoſitum habet, ſed deſertor vagatur.

II. Secunda autem pars conſtat ex præſenti *Tract. q. 1. dub. 8.* ubi ex Traditione, ac uſu Eccleſiæ oſtendimus, Baptiſma iterari non poſſe, quæ propterea etiam baptizatos ab hæreticis non eſſe rebaptizandos cenſuit. De hac re luculenter ſcripſit S. Auguſtinus, in libris contra Donatiſtas, præſertim vero, *lib. 5. de Bapt. cap. 5.* ubi dicit, homines occulta quadam inſpiratione Dei adeo execrari iterationem Baptiſmi, ut cum Donatiſtæ ad eos accedentes rebaptizare vellent, multi ob horrorem talis rebaptizationis retraherentur, ne ad eos accederent: & alii, quodam ſuo temporali commodo tracti, ad eos accedentes, toto conatu agerent; ut hoc ab eis beneficium conſequerentur, ne rebaptizarentur. Quod videntes Donatiſtæ, coeperunt aliorum Baptiſma recipere, ſicque ab aliis baptizatos non amplius baptizare. Unde, *Tractat. 11. in Joann.* ad illa verba, Joann. 3. *Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* ait: *Sic tu intellige nativitatem ſpiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis: quomodo enim uterus non poteſt repeti, ſic nec Baptiſmus.* Hoc adeo ſemper Eccleſiæ cordi fuit; ut atroces pœnas contra rebaptizantes in ſuis Canonibus indixerit. Quas ſupra citato loco recenſuimus; ſicut etiam rationes, quibus S. Thom. 3. *p. q. 66. art. 9.* probat, Baptiſmum non eſſe iterandum, expendimus: quæ huc ſunt revocanda, non repetenda.

§. II.

Aliqua Contraria Solvuntur.

III. OBjici poteſt primo. Sicut Baptiſmus in commemorationem mortis Chriſti inſtitutus eſt, ſic & Euchariſtiæ Sacrificium; hoc eſt enim quædam Dominicæ mortis repræſentatio, & commemoratio: ſed hoc poteſt iterari; ergo & Baptiſmus.

Reſpondeo ex S. Thoma, in 4. diſt. 6. q. 2. art. 1. q. 1. ad 1. *Quod ſicut in Euchariſtia ſacramento ſanctificatur materia; ita in Baptiſmo ſanctificatur recipiens characteris impreſſionem. Unde ſicut fieret injuria Euchariſtiæ, ſi hoſtia conſecrata conſecraretur iterum: ita fit injuria Baptiſmo, ſi aliquis ſemel baptizatus, iterum baptizaretur. Quia ſicut ſanctificatio refertur ad materiam; ita hic ad ſuſcipientem ſacramentum.* Unde paritas pro nobis facit. Aliam reſponſionem dedimus ſupra, citato loco, ex Sanct. Thom. 3. *p. q. 66. art. 9. ad 5.* videndam.

IV. Objici poteſt ſecundo. Baptiſmus videtur inſtitutus ad ablutionem peccatorum: ſed peccata iterantur; ergo multo magis Baptiſmus, quia miſericordia Dei tranſcendit hominis culpam.

Reſpondeo primo, Baptiſmum principaliter dari ad abluendum peccatum originale: hoc autem non iteratur. Reſpondeo ſecundo, ex S. Thom. in 4. *diſt. 6. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 2.* quod contra peccata commiſſa poſt Baptiſmum ſuccedit pœnitentia; quæ iterari poteſt, & per quam amiſſa gratia poteſt recuperari: unde miſericordia Dei ſuperat culpam hominis.

V. Objici poteſt tertio. Si Baptiſmus iterari non poſſet, hoc eſſet ratione characteris, quem imprimit: ſed character non datur; ergo &c. Min. prob. Si enim daretur, vel daretur tamquam diſpoſitio ad gratiam; & hoc eſt falſum, quia Baptiſmus in voto ſuſceptus dat gratiam, & non imprimit characterem. Tum quia: cum in quolibet ſacramento conferatur gratia, in quolibet ſacramento requireretur impreſſio characteris: ſi eſſet diſpoſitio; & multi characterem Baptiſmi recipiunt, qui gratiam non acquirunt.

Vel daretur, ut diſtingueret baptizatum a non baptizato: & hoc non. Non enim reſpectu Dei, qui abſque ullo prorſus ſigno novit homines, qui, & quales ſint: non reſpectu noſtri; quia cum ſignum ſenſibile non ſit, a nobis percipi non poteſt. Non reſpectu Dæmonum, & damnatorum; quia cum ſit ſignum ſupernaturale, ſola naturali cognitione percipi nequit. Non denique per ordinem ad officia, & miniſteria, ad quæ Baptiſma ſuſcipiens admittitur; ad hæc enim ſola extrinſeca deputatio ſufficit.

Confirmatur. SS. Patres nomine characteris, & ſignaculi nil aliud intelligunt, quam ipſum ſacramentum; ergo, &c.

VI. Reſpondeo, characterem non eſſe diſpoſitionem, quaſi per ſe connexam, ſed dantem idoneitatem ad officia, ad quæ Chriſtiani deputantur, & quibus a non Chriſtianis diſtinguuntur. Sicut enim milites quondam in corpore charactere notabantur, & modo in veſtibus: ita homo, qui militiæ Dei per animam deputatur, aliqua nota in anima debet inſigniri, qua dignoſcatur, non quidem a Deo, qui omnia novit: ſed, vel a nobis, quibus character innoteſcit, non quidem in ſe, ſed in ſua cauſa, nempe, in Baptiſmo ſemel ſuſcepto; vel etiam a Beatis, & damnatis. Nam character in beatitudine ſubſiſtit ad majorem Dei gloriam, & Beati honorem: in damnatione autem apparebit Deo illum manifeſtante ad majorem damnatorum confuſionem, & ignominiam.

VII. Ad Confirm. negò aſſumptum. Nam ſacramentum tranſit; character vero ſemper manet. Sacramentum exhibetur foris, character intus infigitur: unde Baptiſmatis potius effectus eſt. Unde Cyrillus, Catechеſ. 16. *Spiritus Sanctus* (inquit) *obſignat animas in Baptiſmo.* Et S. Ambroſius, lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 6. ait: *Nam etſi ſpecie ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur.* Sed de his ſatis ſupra dictum eſt.

DUBIUM II.

An Baptiſmate revera deleantur Peccata, tam quoad Culpam, quam quoad Pœnam?

§. I.

Referuntur Errores.

I. ORigeniſtæ nonnulli docuerunt, peccatum ſopiri quidem per fidem, & Baptiſmum; at per eum omnino tolli inficiati ſunt. Unde Proclus Origeniſta, apud Epiphanium, hæreſ. 64. *Conſtat* (inquit) *contrahi quidem, ac ſopiri per fidem nunc peccatum, ut ne fructus noxios producat; non tamen radicitus tolli.* Solum ergo tolli per mortem aſſerebat: unde mortem ſingulare Dei beneficium eſſe ajebat: *Proinde in auxiliaris medicamenti modum ab auxiliatore noſtro, & vere medico Deo, ad eradicationem peccati, ac deletionem aſſumpta eſt mors; ut ne perpetuo durans, in nobis immortale ſit peccatum.*

II. Meſſaliani contenderunt, unicuique hominum, cum naſcitur, mox adeſſe Dæmonem, qui ei ita dominetur; ut non Baptiſmate, ſed ſola oratione depelli poſſit: unde concludebant, Catechumenos ex Baptiſmate nullum referre fructum. *Meſſaliani* (inquit Theodoretus, lib. 4. hæret. fabularum, hæreſi 11.) *Baptiſma dicunt ſuſcipientibus nihil prodeſſe .... Malum Dæmonem, qui ab initio datus eſt, nec Baptiſma, nec aliud quidquam poteſt ab anima exigere, præter ſolam orationem.* Qui propterea vocabantur etiam *Euchites*, ſeu orantes; quia totum orationi tribuentes, dicebant, oportere ſemper orare.

III. S. Gregorii Magni ætate nonnullos reperire erat, qui accuſarentur, quaſi aſſererent, Baptiſmo peccata non dimitti. De his S. Gregorius, *l. 11. Epiſt. 45. alias 39.* fuſe agit, eoſque arguens dicit: *Si qui vero ſunt, qui dicunt, peccata in Baptiſmate ſuperficie tenus dimitti; quid eſt hac prædicatione infidelius, in qua ipſum fidei ſacramentum feſtinant ſolvere?*

IV. Hunc errorem excitarunt moderni hæretici, dicentes, per Baptiſmum peccata dimitti: non quod penitus tollantur, ſed quod in gratiam Chriſti non imputentur, & quaſi tegantur. Unde Lutherus, *Art. 2.* ex iis, quos Leo X. damnavit: *Aliud eſt* (inquit) *omnia peccata remitti, aliud omnia tolli: Baptiſmus omnia remittit; ſed nullum penitus tollit:* cui ſubſcribit Calvinus in Antidoto Conc. Trid. *Seſſ. 5.* dicens: *Manet vere peccatum in nobis, neque per Baptiſmum ſtatim uno die extinguitur; ſed quia deletur reatus, imputatione nullum eſt.* Sed his dimiſſis.

§. II.

Reſolutio Catholica.

V. DIco primo. Per Baptiſmum vere delentur omnia peccata, tum originale, tum actualia; non ſolum teguntur, ſeu non imputantur. Hoc tamquam dogma fidei ſtatutum fuit a Florentino in Decreto unionis, ubi de Baptiſmo dicitur: *Hujus ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis.* Conſtat enim ex Scripturis: tum, *act. 2. v. 38.* ubi Petrus dixit: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.* Tum ad Epheſ. 5. v. 26. ubi Eccleſiam dicitur Chriſtus ſanctificare: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quem Baptiſmi effectum prædixerat *Ezechiel c. 36. v. 15.* dicens: *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Quæ Hieronymus ibi, Cyprianus *Epiſtola 70.* & *Epiſt. 76.* Athanaſius, *Epiſt. ad Serapionem*, & alii, de aqua Baptiſmi exponunt.

VI. Id a primis Eccleſiæ ſæculis docuit ſemper Traditio. Tertullianus enim, aliique Patres inter Baptiſma Joannis, & Chriſti hoc diſcrimen ſtatuerunt: quod iſte, non vero ille, peccata deleret. Cyprianus, *Epiſt. ad Fidum*, ideo decernit, Baptiſmate parvulis conſuli debere; quod peccatum, cujus rei ſunt, abſtergat. Conſtantinus Magnus a Sanctis tertii ſæculi Epiſcopis edoctus, ita ad Sanctorum Cœtum, *cap. 20.* apud Euſebium, concionabatur: *Patefacta eſt hominibus reſurrectionis fides: & ſi qua labes humanorum ſcelerum remanſerat, ſacroſancto lavacro penitus abſterſa eſt.* Adeoque trita erat apud Chriſtianos hæc veritas; ut cum ad Gentilium aures deveniſſet, contenderent, fide noſtra immania ſcelera foveri; eo quod balneum quoddam jactaret ſibi proprium, quo omnia omnino flagitia abſtergerentur.

VII. In hoc dogmate perpetui fuerunt Patres. Inter quos Auguſtinus, lib. 1. de Peccat. meritis c. 15. *Generante* (inquit) *carne illud tantummodo trahitur, quod eſt originale peccatum: regenerante autem Spiritu, non ſolum originalis, ſed*

ſed etiam voluntariorum ſit remiſſio peccatorum. Quibus oſtenditur, plus acquirere hominem regeneratione Spiritus per Baptiſma, quam deperdiderat carnali generatione ex Adam: cum autem ex Adam vere maculatus generatur homo, regeneratus per Chriſtum, macula vere tollitur. Ut enim ait S. Thom. 3. *p. quæſt. 69. art.* 1. referens prælaudata Auguſt. verba, dicit ex Apoſtolo, Rom. 5. *Peccatum Adæ non tantum poteſt, quantum poteſt donum Chriſti, quod in Baptiſmo percipitur*. Quod non eſſet verum, ſi in Baptiſmo ſolum peccata tegerentur.

Libro ergo 12. *contra Fauſtum, cap.* 29. peccata eorum, qui baptizantur, comparans Ægyptiis inſequentibus Hebræos, ac in mari rubro ſubmerſis: ait: *Nubes, & mare rubrum; Baptiſmus utique Chriſti ſanguine conſecratus; hoſtes ſequentes a tergo: moriuntur peccata præterita*. Quam ſimilitudinem urgens S. Gregorius, *l.* 11. *Epiſt.* 45. ſupra citata: *Qui ergo* (inquit) *dicit peccata in Baptiſmate funditus non dimitti, dicat, in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fatetur neceſſe eſt, peccata in Baptiſmate funditus mori: quia nimirum plus valet in abſolutione noſtra veritas, quam umbra veritatis*.

VIII. Ratio autem S. Thom. 3. *p. q. 69. art.* 2. eſt talis. Per Baptiſmum moritur homo vetuſtati peccati, & incipit vivere novitati vitæ, ex Apoſt. Rom. 6. verſ. 11. *Vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu*; ergo nil pertinens ad vetuſtatem, cui homo moritur in Baptiſmo, remanet in regenerato. Sed omnia peccata pertinent ad vetuſtatem vitæ; ergo omnia peccata moriuntur in Baptiſmo, non mere teguntur, raduntur, aut non imputantur. Merito igitur Tridentinum, *Seſſ. 5. de Pecc. Originali, Can.* 5. ſtatuit: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: ſed illud dicit, tantum radi, aut non imputari: anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem &c.*

IX. Dices primo. Concupiſcentia, & peccatum originale idem ſunt: atqui in baptizatis remanet concupiſcentia; ergo remanet peccatum originale.

Reſpondeo, neg. maj. Ut enim diximus, *tom.* 1. in 1. *p. q.* 8. *de Pecc. Origin. dub.* 2. peccatum originale non eſt formaliter ipſa concupiſcentia. Hæc enim licet aliquando peccatum dicatur; hoc non eſt, quia ipſa formaliter peccatum ſit: ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Videantur ibi dicta. Solum addo: Tridentinum, *Seſſ. 5. Can.* 5. citato, ubi dicit: *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari; quod vere, & proprie in renatis peccatum ſit: ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit*.

X. Dices ſecundo. Pœnitentia eſt ſufficiens cauſa remiſſionis peccatorum actualium, ſed ante Baptiſmum in adultis requiritur pœnitentia, ſecundum illud, Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*; ergo Baptiſmus non remittit peccata actualia.

Reſpondeo pœnitentiam eſſe cauſam remiſſionis peccatorum actualium, ſi tamen ſit cum Baptiſmo, vel ſaltem ejus voto. Unde ſi quis conteratur, & Baptiſmi ſaltem propoſito careat, remiſſionem peccatorum non obtinebit: hæc enim unice obtinenda eſt per fidem in Chriſtum, ejuſque merita, & media ab ipſo inſtituta. Vide S. Thom. citato loco *ad* 2. & *ad* 3.

§. III.

An Baptiſmus deleat Reatum pœnæ Peccati.

XI. Dico ſecundo. Per Baptiſmum, ſimul cum omni culpa aufertur etiam omnis reatus pœnæ, non ſolum æternæ, ſæd etiam temporalis. Eſt dogma fidei ſancitum a Florentino, in Decr. Unionis, his verbis: *Sacramenti* (Baptiſmi) *effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ*. Quod confirmatum fuit a Tridentino, *Seſſ. 5. citata, Can.* 5. dicente, quod in renatis *nihil* eſt *prorſus*, quod *eos ab ingreſſu Cæli remoretur*.

Hoc teſtatur antiqua Eccleſiæ praxis, quæ Cathecumenis baptizatis nullam unquam pœnam ſatisfactoriam impoſuit. Immo ſi quis in mortis periculo baptizatus, poſtea convaluiſſet, nulli labori, aut ſatisfactioni ſubjiciebatur; quamvis Catechumenatus ſpatium non percuriſſet. E contra pœnitentes in ultima vitæ periodo reconciliati, recuperata valetudine tenebantur decurrere ſtationem ſuam, ſeu in eam reverti pœnitentiæ claſſem, in qua eos morbus deprehenderat. Signum ergo eſt, exiſtimaſſe Eccleſiam Baptiſmate ſolvi omnem pœnam, Unde Auguſt. *l.* 2. *de Peccat. meritis, cap.* 28. ait: *Si continuo* (poſt Baptiſmum) *conſequatur ex hac vita migratio; non eſt omnino, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant*.

XII. Et rationem dat S. Thom. hac *quæſt. 69. art.* 2. Nam omni baptizato communicatur Paſſio Chriſti ad remedium, ac ſi ipſe cum Chriſto paſſus eſſet, & mortuus; ſecundum illud Rom. 6. v. 8. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto*: ſed Paſſio Chriſti, niſi ponatur obex, ſufficiens eſt, immo efficax remedium pro omni culpa, & pœna; ergo qui baptizatur Chriſto, liberatur ab omni reatu culpæ & pœnæ, ac ſi ipſe plene ſatisfeciſſet pro peccatis ſuis.

XIII. Quod ſi dicatur: quam ſimilitudinem habet aqua Baptiſmi cum ſubtractione totius pœnæ?

Reſpondeo cum S. Thom. citato, ad 2. *Quod aqua non ſolum abluit, ſed etiam refrigerat; & ita ſuo refrigerio ſignificat ſubtractionem reatus pœnæ, ſicut ſua ablutione ſignificat emundationem a culpa*.

XIV. Si iterum dicatur: Reatus pœnæ ordinate non dimittitur, niſi qui culpam commiſit, pœnam ſubſtineat; ergo cum baptizatus nullam pro peccatis pœnam ſubierit, ordinate illi non remittitur reatus.

Reſpondeo, reatum pœnæ ordinate remitti per pœnam, vel a ſe in ſe ipſo toleratam, vel ſibi communicatam ab alio, qui eam pro illo toleravit. Licet ergo baptizatus pœnam ſuis peccatis debitam in ſe ipſo non ſuſtinuerit; tamen pœnam ſuſtinuit in ſuo Capite Chriſto, cujus dum baptizatur, fit membrum, & illi communicatur, ac ſi illam baptizatus in ſe ipſo ſuſtinuiſſet, ita ex S. Thom. *ad* 1.

XV. Advertendum tamen eſt cum eodem, *ad* 3. quod Baptiſmus aufert quidem omnem pœnam cujus homo reus eſt apud Deum; non tamen omnium pœnam cujus homo reus eſt apud homines. Ideoque *Licet homicida, per Baptiſmum, liberetur a reatu pœnæ, quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines; quos juſtum eſt adificari pœna, ſicut ſunt ſcandalizati de culpa. Pie tamen talibus Princeps poſſet pœnam indulgere*.

XVI. Dices adhuc, Fames, ſitis, morbi, mors, concupiſcentia &c. Sunt pœnæ homini propter peccatum originale inflictæ: ſed tales humanæ vitæ calamitates, & pœnæ reperiuntur, nedum in Cathecumenis, ſed ex jam in baptizatis, ergo Baptiſmus non tollit omnem pœnam. Propter hanc inſtantiam.

XVII. Dico tertio. *Quod Baptiſmus habet virtutem auferendi pœnalitates præſentis vitæ: non tamen eas aufert in præſenti vita: ſed ejus virtute auferentur a juſtis in reſurrectione, quando* Mortale hoc induet immortalitatem, *ut dicitur*, 1. *Cor.* 15. Ita S. Thom. 3. *p. q. 69. art.* 3. & quidem convenienter. Primo. Quia per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & fit membrum ejus; ergo conveniens eſt, ut id agatur in membro, quod actum fuit in Capite; ſed Chriſtus Caput ab initio ſuæ conceptionis fuit plenus gratia, & veritate; habuit tamen corpus paſſibile, quod ſolum poſt Paſſionem, & mortem factum fuit glorioſum, & impaſſibile; ergo &c. —— Secundo. Fuit conveniens propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contra concupiſcentiam, & alias paſſibilitates pugnans homo victoriæ coronam acciperet, in cujus figuram *Judicum* 3. *v.* 1. dicitur: *Hæ ſunt Gentes, quas Dominus derelinquit, ut erudiret in eis Iſraelem; & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi* —— Tertio. Hoc fuit conveniens, ne homines ad Baptiſmum accederent propter impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Unde & Apoſtolus dicit, 1. cor. 15. verſ. 19. *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*.

Sicut ergo (inquit) S. Thom. ibi *ad* 1. ſupra illud, Rom. 6. *Ut non ſerviamus peccato* (ex Gloſſa Petri Lomb.) *Aliquis capiens hoſtem atrociſſimum, non ſtatim interficit eum: ſed patitur, eum cum dedecore, & dolore aliquantulum vivere: ita & Chriſtus pœnam prius alligavit, in futuro autem perimet*.

XVIII. Nec dicas: Remota cauſa removeri debet effectus: ſed cauſa harum pœnalitatum eſt peccatum originale, quod tollitur per Baptiſmum; ergo hæ pœnalitates debent auferri.

Reſpondeo enim cum S. Thom. *ad* 3. maj. veram eſſe ſecundum modum, & ordinem, quo remota eſt cauſa. *Peccatum* ergo *originale hoc modo proceſſit, quod primo perſona infecit naturam, poſtmodum vero natura infecit perſonam. Chriſtus vero converſo ordine prius reparat id, quod perſonæ eſt; & poſtmodum ſimul in omnibus reparabit id, quod naturæ eſt. Et ideo culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ viſionis divinæ, quæ reſpiciunt perſonam, ſtatim per Baptiſmum tollit ab homine: ſed pœnalitates præſentis vitæ* (*ſicut mors, fames, ſitis, & alia hujuſmodi*) *reſpiciunt naturam, ex cujus principiis cauſantur, prout eſt deſtituta originali juſtitia: & ideo iſti defectus non tollentur, niſi in ultima reparatione naturæ, per reſurrectionem glorioſam*.

DUBIUM III.

An Baptismus Conferat Gratiam, & Virtutes?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. GRatiam hic non sumimus pro gratia actuali, seu auxilio transeunte; sed pro gratia habituali, & permanente animam justificante: quam non esse merum favorem Dei extrinsecum, sed donum intrinsecum a Deo animæ infusum reddens illam sanctam, Deoque gratam, ostendimus, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de divina Gratia. Q. 3. Dub. 1.* De hac ergo quærimus, an conferatur per Baptismum; ita ut Baptismus non solum, ut vidimus, tollat reatum culpæ, & omnis pœnæ; sed etiam ornet animam habitu gratiæ, quo Deo grata fiat, & virtutum, quibus fiat expedita ad actus supernaturales fidei, spei, charitatis &c. & hoc nedum in adultis, sed etiam in parvulis.

II. Gratiam hanc, qua justi, & Deo grati efficimur, quovis sæculo Ecclesia Christi, quoad rem, confessa fuit. Quoad nomen vero *habitualis*, seu *habitus* infusi, censent Iuvenin, *Comm. Hist. & Dogm. de Sacram. cap. 4. de Bapt. art. 3.* gratiam habitus nomine solum desinente sæculo 12. explicari cœpisse; nimirum ab Innocentio III. qui, Cap. *Majores*, talium habituum mentionem fecit; quem postea Theologi, ad explicandam gratiam, & virtutem, quæ in Baptismo conferuntur, secuti sunt.

Verum nomen *habitus*, quantum ad virtutes, fuisse prisci temporibus notum, testis est S. Augustinus, qui *Lib. de bono conjugali, cap. 21.* agnoscit habitum continentiæ, dicens: *Continentia quippe, non corporis, sed animi virtus est. Virtutes autem animi aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent.* Et ponit exemplum in Job; in quo semper fuit habitus patientiæ, sed non semper emicuit actus: & in Timotheo: in quo fuit semper virtus continendi a vino, quam ei moderatus est Paulus, dum monuit eum; ut modico vino uteretur. Quare subjungit: *Ipse est enim habitus, quo aliquid agitur, cum opus est; cum autem non agitur, potest agi, sed non opus est.* Cum vero Justitiam, qua homo ex impio fit pius, & templum Dei, ab actibus justitiæ sæpe distinguit, quid aliud, quam inhabitantem indigitat?

III. Ut ut autem sit: gratiam habitualem in justificatione conferri, fatentur omnes Theologi, quibus favet Tridentinum, *Sess. 6. cap. 7.* Ubi causas justificationis describens, ac loquens de causa formali, dicit: *Formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati . . . non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam &c.* Et infra: *Id in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito, per Spiritum Sanctum, charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* His prænotatis,

§. II.

Resolvitur Dubium.

IV. DIco. Præter remissionem peccatorum confert Baptisma etiam gratiam habitualem, qua renovati justificamur, & cæteras virtutes ei annexas. Quod conferat gratiam habitualem, jam ostendimus de omnibus Sacramentis, *tract. de Sacr. in Genere quæst. 4. dub. 2. §. 1.* & apparet ex Tridentino nuper allato. Si enim omnia sacramenta digne suscipientibus gratiam sanctificantem conferunt; multo magis Baptismus, qui est sacramentum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti: sed homo non regeneratur, ac renovatur spiritu, nisi per gratiam, nec Spiritus Sanctus effunditur in nos, nisi per virtutes, & dona; ergo &c. Hinc Paulus, 1. *Cor. 6. vers. 11.* ait: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Galat. 3. vers. 6. *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Idest, facti estis, quod Christus est: ille natura Filius Dei, vos per adoptionis gratiam filii Dei facti estis.

V. Hanc veritatem probat S. Thom. *3. part. quæst. 69. art. 4.* primo, ex Apostolo, *ad Titum, 3. vers. 5.* dicente: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, idest, per Baptismum, *& renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde*, idest, *ad remissionem peccatorum, & copiam virtutum*, ut Glossa ibi exponit. In Corpore autem probat sic. Homo per Baptismum incorporatur Christo, & sit membrum ejus: sed a Christo Capite in omnia membra ejus gratiæ, & virtutum plenitudo derivatur, secundum illud, Joann. 1. vers. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Sicut autem (inquit S. Doct. art. 5.) *a Capite naturali derivatur ad membra sensus, & motus: ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritualis, qui est per gratiam instinctum. Unde, Joann. 1. dicitur:* Vidimus: eum plenum gratiæ, & veritatis: *Et:* De plenitudine ejus nos omnes accepimus.

VI. Secundum etiam partem de pueris docet idem S. Thom. dicta *q. 69. art. 6.* ubi prius supponit: *quod quidam antiqui posuerunt, quod pueris in Baptismo non dantur gratia, & virtutes, sed imprimitur eis character Christi; cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, consequuntur gratiam, & virtutes.* In qua opinione forte erant aliqui, temporibus Innocentii III. Unde, in C. *Majores*, dicit: Aliis asserentibus. *Per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri.*

Sed hoc (inquit S. Thom.) *patet, esse falsum dupliciter. Primo quidem: quia pueri, sicut & adulti, in Baptismo efficiuntur membra Christi: unde necesse est, quod a Capite recipiant influxum gratiæ, & virtutis. Secundo: quia secundum hoc pueri decedentes post Baptismum, non pervenirent ad vitam æternam: quia ut dicitur, Rom. 6.* Gratia Dei est vita æterna. *Et ita non profuisset eis ad salutem baptizatos fuisse.*

Causa autem erroris fuit (pergit S. Thom.) *quia nescierunt distinguere inter habitum, & actum; & sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt, eos post Baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali: sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus, propter somnum.* Hæc S. Thom. Quibus nihil addendum puto.

§. III.

Quædam Objiciuntur, & Inferuntur.

VII. OBjiciunt contra primam partem. Nemo consequitur, quod jam adeptus est: sed aliqui accedunt ad Baptismum jam habentes gratiam, & virtutes, ut de Cornelio, *Act. 10.* legitur, ergo &c.

Respondeo ex S. Thom. *art. 4. ad 2.* Quod nemo quidem consequitur id, quod jam adeptus est, eo modo, quo illud adeptus est; nihil tamen prohibet, quod id, quod quis jam adeptus est uno modo, consequatur alio, & pleniori modo. Sic Cornelius, & alii similes ante Baptismum adepti erant per fidem Christi, & desiderium Baptismi justificationis gratiam: per realem tamen Baptismi susceptionem adepti fuerunt pleniorem remissionem, quantum ad liberationem ab omni pœna, & majorem copiam tum gratiæ, tum virtutum.

VIII. Objicitur secundo contra eamdem. Si in Baptismo daretur habitus gratiæ, & virtutum; cum habitus sit facilitas ad operandum, deberent baptizati faciliter, & delectabiliter operari opera virtutis; & consequenter tolli pronitas, & facilitas ad malum: sed contrarium experientia testatur; ergo &c.

Respondeo, ex S. Thom. dicto *art. 4. ad 3.* argumentum procedere cum fallacia secundum non causam, ut causam. Putat enim, causam pronitatis ad malum, & difficultatis ad bonum, esse carentiam habitus gratiæ, & virtutum; cum tamen sit alia causa, nempe, concupiscentia, quæ in Baptismo non tollitur. *Sicut tamen per Baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam diminuitur utrumque dictorum* (nempe, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum) *ne homo ab his superetur;* sed potius vi gratiæ, & virtutum ea comprimere possit.

IX. Pro secunda parte adverto: parvulos, etsi proprio actu non credant, adhuc justificari. Quia, *ut ait Augustinus* (*Serm. 10. de Verb. Apost. cap. 2.*) parvulis mater Ecclesia aliorum pedes accommodat, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut fateantur. *Et ita pueri credunt, non per actum proprium, sed per fidem Ecclesiæ, quæ eis communicatur; & hujus fidei virtute, conferuntur eis gratia & virtutes.* Sic S. Thom. art. 6. ad 2. —— Neque eis nocere potest carnalis intentio offerentium. Nam, ut ait S. Thom. ibi ad 3. *Carnalis intentio deferentium pueros ad Baptismum, nihil eis nocet; sicut nec culpa unius nocet alteri, nisi consentiat. Unde sicut Augustinus dicit*, in Epist. ad Bonifacium (quæ est 23. modo 98.) *Non illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam; sed hoc eos putant remedio corporalem retinere, vel recipere sanitatem: non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hæc intentione offeruntur.*

X. Inter effectus Baptismi recensetur etiam aperitio Regni Cælorum, de quo S. Thom. relatus, *art. 7.* Aperire enim Regnum Cælorum, est removere ea, quæ impediunt ingressum in Regnum Cælorum; hæc autem sunt culpa, & pœna: unde cum ex dictis utraque per Baptismum tollatur, ideo per Baptismum Regnum Cælorum aperitur. Passio igitur Christi Cælum aperuit omnibus:

bus: ſed Baptiſmus de facto incorporans hominem Paſſioni Chriſti, virtutem ejus applicat; ſicque dicitur Cælum jam univerſaliter apertum, huic, vel illi aperire: Cælum autem aperire proprium quidem fuit quovis tempore Paſſionis Chriſti, ſed aliter. Nam cum nondum erat in re perfecta, ſed ſolum in fide credentium; cauſabat Cæli aperitionem, non quidem in re, ſed ſolum in ſpe: modo autem baptizatis in gratia decedentibus aperit in re. Neque obeſt, baptizatos adhuc obnoxios eſſe pœnalitatibus; nemini autem, quandiu obnoxius eſt pœnæ, apertus eſt aditus in Regnum Cælorum, ut patet in animabus Purgatorii — Nam dico, quod baptizatus eſt obnoxius morti, & aliis pœnalitatibus; non propter reatum perſonæ, ut ſunt qui in purgatorio detinentur, ſed ob ſtatum naturæ. Et ideo non impeditur ab introitu in Regnum Cæleſte, cum anima ſeparatur a corpore per mortem; quaſi jam perſoluto eo, quod naturæ debebatur. Hæc ex S. Thom. *art.* 7. citato.

Dubium IV.

De Fictione, quæ contingere poteſt in ſuſcipiente Baptiſmum.

§. I.

An fictio impediat effectum Baptiſmi.

I. Fictio in genere ea eſt, qua quis exterius oſtendit, ſe interius eſſe diſpoſitum, cum tamen non ſit. Quia igitur adultus, dum Baptiſmum ſuſcipit, actione illa exteriori ſignificat, ſe eſſe interius ita diſpoſitum, ut Baptiſmum ſuſcipere velit, ut credat, ut ſperet, ac ut deteſtetur peccata commiſſa cum propoſito efficaci non amplius peccandi mortaliter: ideo, ſi quis baptizetur abſque interna voluntate, aut ſuſcipiendi Baptiſmum, aut credendi, aut ſperandi, aut deteſtandi peccata cum propoſito non peccandi amplius; dicitur fictus, ſeu cum fictione accedere ad Baptiſmum.

II. Aliter tamen, & aliter poteſt eſſe fictus. Nam ſi ita fictus accedat, ut licet exterius ſimulet, ſe velle ſuſcipere Baptiſmum, revera tamen interius Baptiſmum ſuſcipere nolit, iſte talis, nedum non percipit effectum Baptiſmi, ſed neque ipſum Baptiſmi ſacramentum: quia, ex dictis ſupra, *Tract. de Sacr. in Gen.* Baptiſmus adulti invalidus eſt, ſi deſit ſincera voluntas ipſum ſuſcipiendi. Si vero fictus accedat, ut licet exterius, & exterius velit Baptiſmum ſuſcipere; interius tamen indiſpoſitus eſt, quia vere nec credit, nec ſperat, nec peccata deteſtatur: iſte talis, ut ait S. Thom. 3. *part. quæſt.* 69. *art.* 9. non contradicit Baptiſmo, contradicit tamen ejus effectui, nempe, gratiæ. Et ideo Baptiſmi quidem recipit ſacramentum, ſed fructum ſacramenti non recipit. Et de homine cum tali fictione accedente loquimur in præſenti. Quare qui in hæreſi, vel ſchiſmate perſiſtens, vel in quocumque mortali peccato Baptiſmum ſuſcipit, fictus accedere dicitur; quia non talis eſt interius, qualem ſe oſtendit exterius.

III. Hæc certa ſunt. Nimirum, accedentem ad Baptiſmum cum tali fictione Baptiſmum quidem recipere; non tamen gratiam, & remiſſionem peccatorum obtinere. Quod controvertitur, eſt, an ſi talis poſtea per pœnitentiam deponat ſuam fictionem, vel recedendo ab hæreſi, aut ſchiſmate, vel deteſtando peccata, vel quocumque modo ſe diſponendo ad gratiam juſtificationis, hanc acquirat ex vi Baptiſmi jam ſuſcepti; ita ut Baptiſmus, qui ratione obicis non produxerat effectum ſuum, remoto obice illam producat: & ne dum quoad peccata ante Baptiſmum, & in ſuſceptione Baptiſmi commiſſa; ſed etiam quoad ea, quæ poſt Baptiſmum perpetravit. De quo.

§. II.

An Baptiſmus, fictione ſublata, Peccata deleat.

IV. Partem negantem tenet Scotus, in 4. *diſt.* 4. *q.* 5. Alii concedunt quidem, ſublata fictione, vi Baptiſmi remitti peccatum originale; cum ad hoc remittendum nullum aliud ſacramentum inſtitutum ſit: negant tamen, vi Baptiſmi remitti peccata actualia, etſi ante Baptiſmum commiſſa. Alii putant, peccata ante Baptiſmum commiſſa remitti quidem per Baptiſmum, ſublata fictione; non tamen peccata commiſſa in actuali ſuſceptione Baptiſmi, nempe ipſam fictionem, ſicut nec commiſſa poſt Baptiſmum. Alii demum negant recedente fictione, ullum vi Baptiſmi peccatum remitti. Quid nos ſentiamus, ſequentia aperient.

V. Dico primo. Baptiſmus cum fictione ſuſceptus, & conſequenter impeditus, ne producat in ſuſcipiente gratiam, & remiſſionem peccatorum, ſublata per pœnitentiam fictione, eam producit. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 69. *art.* 10. Quod docuerat S. Auguſt. *l.* 1. *de Bapt. contra Donat. cap.* 12. ubi de Baptiſmo in ſchiſmate, aut hæreſi ſuſcepto dicit, quod *Tunc valere incipiat ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit*, & l. 3. cap. 13. *Tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerit; non ut jam vere dimiſſa non retineantur; neque ut ille Baptiſmus, quaſi alienus, aut alius improbetur: ſed ut idem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem.*

VI. Prob. autem diſcurſu S. Aug. loco ſupra laudato, ex *l.* 1. *de Bapt. c.* 12. Remiſſio peccati originalis obtineri non poteſt, niſi per Baptiſma in re, vel voto, ſed in eo, qui fictus, aut indiſpoſitus baptizatus fuit, puta, quia in hæreſi, aut ſchiſmate baptizatus, recedente fictione, hæc obtineri non poteſt per Baptiſmum de novo in re ſuſceptum; quia baptizati in hæreſi, aut ſchiſmate non ſunt rebaptizandi, cum ad Eccleſiam veniunt: neque per Baptiſmum in voto, quia jam baptizatus non poteſt habere votum iterum ſuſcipiendi Baptiſmum, cum Baptiſmus iterari non poſſit: & votum ſuſcipiendi iterum Baptiſmum ſacrilegum eſſet; ergo remiſſio originalis in hoc caſu obtinetur per Baptiſmum jam ſuſceptum; alias iſte nulla via poſſet juſtificari, & de ejus ſalute actum eſſet. Dicere enim, poſſe juſtificari per pœnitentiam, falſo dicitur; quia per pœnitentiam peccatum originale tolli nequit, ſed ſola actualia poſt Baptiſmum commiſſa. Hinc S. Auguſt. laudato loco; *Dum ſe correxerit* (inquit) *& ad Eccleſiæ ſocietatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus eſt: quia ipſa ei reconciliatione ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum ejus in unitate jam prodeſſe incipiat ſacramentum* (Baptiſmi) *quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat.*

VII. Ratio autem S. Thomæ, dicta *q.* 69. *art.* 10. ſub hac forma proponitur. Quando cauſa de ſe productiva effectus, ſi impediatur, remoto impedimento, eum poſtea producit: ſicut quia generatio corporis gravis de ſe eſt productiva motus deorſum: ſi motus iſte impediatur, reſultat ex vi ejuſdem, impedimento ſublato: at Baptiſmus valide collatus ex ſe poteſt producere gratiam remiſſivam omnium peccatorum, ante ipſum commiſſorum, ut vidimus; ergo ſi impediatur, ne illam producat, producet poſtea, per pœnitentiam fictione ſubmota.

VIII. Dices primo. Aſſumptum S. Thomæ verum eſſe, quando cauſa, cujus effectus fuit impeditus, adhuc phyſice permanet; non vero ſi jam tranſiit, & amplius non eſt: at Baptiſmus non permanet, ſed jam præteriit, cum fictio removetur; ergo non poteſt gratiam in ſubjecto producere. Quia quod non eſt, non poteſt cauſare, maxime efficientia phyſica, ſicut docuimus, ſacramenta gratiam cauſare.

IX. Reſpondeo primo, quod cum docuimus, ſacramenta gratiam cauſare phyſice; locuti ſumus de ſacramento actu phyſice exiſtente: unde Baptiſmus jam præteritus tempore, quo removetur fictio, cum non exiſtat phyſice, ſed ſolum moraliter in divina acceptatione, in tali caſu per accidens cauſat gratiam ſolum moraliter.

Reſpondeo ſecundo, diſt. min. Jam præteriit in ſe, conc. min. in ſua virtute, neg. min. Baptiſmus enim ficte ſuſceptus, eſto cum removetur fictio, jam præterierit, & non exiſtat amplius in ſe; exiſtit tamen in charactere a ſe relicto, qui tunc elevatur ad cauſandam gratiam, quam Baptiſmus in puncto ſuæ receptionis cauſaſſet, niſi obicem inveniſſet. Sicut, licet generatio gravis tranſierit in ſe, cum removetur impediens motum deorſum: quia tamen virtute remanet in forma gravis a ſe relicta, ideo vi hujus producit motum deorſum. Ita S. Thom. citata quæſt. 69. art. 10. & in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 2. q. 3. *In Baptiſmo* (inquit) *imprimitur character, qui eſt immediata cauſa diſponens ad gratiam: & ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, qua effectum characteris impediebat, character, qui eſt præſens in anima, incipit habere effectum ſuum: & ita Baptiſmus, recedente fictione, effectum ſuum conſequitur.*

X. Dices ſecundo. Opus mortuum, hoc eſt in peccato factum, reviviſcere nequit: ſed ſuſceptio Baptiſmi ficte, quia in peccato mortali facta, eſt opus mortuum; ergo reviviſcere non poteſt, nec conſequi effectum ſuum.

Reſpondeo cum D. Thom. *quæſt.* 69. citata *art.* 10. *ad* 1. diſt. min. Eſt opus mortuum, quatenus eſt opus hominis, conc. min. Quatenus eſt opus Dei, neg. min. Ipſa ergo ficta ſuſceptio, quæ eſt opus hominis, & fuit opus mortuum, non reviviſcit: effectus tamen Baptiſmo ex opere operato reſpondens, ſub qua ratione eſt opus Dei, reviviſcit: quia non eſt mortuum in ſuſcipiente, quamvis ficto, licet impeditum.

XI. Dices tertio. Fictio videtur eſſe fortior, quam Baptiſmus, cum impediat effectum Baptiſmi: ſed fortius non tollitur a debiliori; ergo peccatum fictionis non tollitur per Baptiſmum.

Reſpondeo cum Sancto Thoma citato, *ad* 2. quod *Fictio non removetur per Baptiſmum, ſed per pœnitentiam conſequentem; qua remota, Baptiſmus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo .... Et ſic ad Baptiſmi effectum conſequendum concurrit Baptiſmus, & pœnitentia; ſed Baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens; pœnitentia ſicut cauſa per accidens, ideſt, removens prohibens.*

XII. Ex

XII. Ex dictis infertur: quod qui removet fictionem, majorem, vel minorem gratiam recipit, quo magis, vel minus eſt intenſus actus, qui fictionem tollit. Gratia enim major, vel minor datur ad menſuram diſpoſitionis, qua ad illam recipiendam, ſubjectum ſe diſponit; at per actum, quo tollitur fictio, ſubjectum ſe diſponit ad gratiam habitualem (quam fictio impedierat) conſequendam; ergo tantus erit gradus gratiæ, quantus erit gradus fervoris, vel conatus, quo quis fictionem ſuam deponit, ac deteſtatur. Stabilito igitur, recedente fictione, Baptiſmum producere effectum ſuum, videndum ſupereſt:

§. III.

Quæ Peccata remittuntur per Baptiſmum Fictione ſublata.

XIII. Dico ſecundo. Omnia peccata, ante Baptiſmum commiſſa, recedente fictione, remittuntur per Baptiſma, quoad culpam, & omnem pœnam; non autem per pœnitentiam. Ita S. Thom. nuper citatus, ad 2. & in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 3. ad 2. *Baptiſmus* (inquit) *recedente fictione, habet illum effectum, quem prius habuiſſet, ſi fictio non fuiſſet: & ideo peccata præcedentia Baptiſmum remittit, & quoad culpam, & quoad pœnam.* Probatur. Peccata ante Baptiſmum commiſſa non pertinent ad juriſdictionem Eccleſiæ, ſicut nec homo ante Baptiſmum ſub diſpoſitione Eccleſiæ cadit; ergo non poſſunt remitti per pœnitentiam: quæ, cum ſupponat in Eccleſia juriſdictionem ſupra reum, & culpas, quas punit, non poteſt delere peccata, quæ homo commiſit, dum ſub ejus juriſdictione non erat: ergo relinquitur, ut remoto obice deleantur per Baptiſmum, cujus proprius effectus eſt delere peccata ante ipſum commiſſa.

XIV. Sed dices. Si Baptiſmus remitteret peccata ante ipſum commiſſa, ea non remitteret, niſi remota fictione, & obice per contritionem, vel attritionem cum ſacramento pœnitentiæ; at ſi hoc eſt verum, jam Baptiſmus non remittit illa, ſed ſupponit ea jam remiſſa per pœnitentiam, nimirum, vel per contritionem, vel ſacramentum pœnitentiæ; ergo &c. Min. prob. Per contritionem remittitur fictio; ergo remittuntur omnia peccata, quia non poteſt remitti unum peccatum ſine alio. Rurſus: per contritionem ponitur in anima gratia ſanctificans: ſed hæc, cum nequeat componi cum peccato, omnia peccata expellit; ergo &c.

XV. Reſpondeo, neg. min. Ad primam prob. dico, per contritionem ſubſequentem Baptiſmum, remitti omnia peccata ante Baptiſmum commiſſa, non ſolam, ſed ut conjunctam cum Baptiſmo; ſicut per contritionem antecedentem Baptiſmum remittuntur omnia peccata, ut conjunctam cum Baptiſmo in voto. Hinc ad ſecundum probat. dico, quod gratia ſanctificans, dum removetur fictio per contritionem, vel pœnitentiæ ſacramentum, ad remiſſionem peccatorum, & gratiæ productionem utrumque concurrit & pœnitentia, aut contritio, & Baptiſmus: nec ſolum tranſfertur gratia, quæ debetur contritioni, ſed etiam quæ debetur Baptiſmo, ita ut gratia correſpondens contritioni, ſit ſolum remiſſiva peccati fictionis, prout vero correſpondens Baptiſmo, ſit regenerativa, ideſt, remiſſiva peccati originalis, & omnium actualium ante Baptiſmum commiſſorum; nedum quod culpam, ſed etiam quoad pœnam omnem temporalem. Et hoc indicat S. Thom. hoc *art.* 10. *ad* 2. dum ait, quod *Ad Baptiſmi effectum conſequendum concurrit Baptiſmus, & pœnitentia: ſed Baptiſmus, ſicut cauſa per ſe agens; pœnitentia ſicut cauſa per accidens, id-eſt, removens prohibens.*

XVI. Dico tertio. Peccata, quæ committuntur in inſtanti initiativo Baptiſmi, remittuntur per Baptiſmum, ſublata fictione: quæ vero committuntur in inſtanti terminativo Baptiſmi, remittuntur per pœnitentiam. Prior pars traditur a S. Thoma citato *art.* 20. *ad* 2. ubi ait, quod remota fictione *Baptiſmus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo.* Et probat ex S. Auguſtino, lib. 1. de Bapt. cap. 12. *Solvitur heſternus dies, & quidquid ſupereſt, ſolvitur; etiam ipſa hora, momentumque ante Baptiſmum, & in Baptiſmo. Deinceps autem continuo reus eſſe incipit.*

Secunda vero pars prob. Nam peccata, quæ ſpectant ad Baptiſmum, & ad ſacramentum pœnitentiæ, diſtinguuntur; ſic, ut omnia commiſſa ab homine nondum baptizato, & non habente characterem, ſpectent ad Baptiſmum; commiſſa vero ab homine baptizato, ſpectant ad pœnitentiam: ſed homo in inſtanti, quo completus eſt Baptiſmus, primo eſt baptizatus, & primo habet characterem: tunc enim verificatur, quod Baptiſmus primo non eſt, ſed immediate antea fuit; ergo peccata in eo inſtanti commiſſa delenda ſunt per pœnitentiam.

XVII. Hinc peccata in actuali ſuſceptione Baptiſmi commiſſa, quia non ſupponitur Baptiſmus ultimo completus, non ſunt confitenda; ſi tamen nullatenus ipſum conſequantur: & propterea ſufficiet, ut qui Baptiſmum ficte ſuſcepit, in confeſſione dicat, ſe Baptiſmum in peccato mortali ſuſcepiſſe; quod eſt fateri fictionem formaliter, etiamſi non dicat cujus ſpeciei fuerit peccatum. Verum quia plerumque accidit, qui in peccato mortali ſunt, dum baptizantur, continuare in affectu ad illud, uſque poſt miniſtratum Baptiſmum; ideo ordinarie peccata in ſuſceptione Baptiſmi commiſſa, ſunt ſigillatim in confeſſione aperienda: quia vix contingere poteſt, ut affectus ad illa, aliquo ſaltem momento, poſt Baptiſmum non perſeveret. Unde

XVIII. Dico quarto. Peccata commiſſa, vel perſeverantia in affectu poſt Baptiſmum ficte ſuſceptum, recedente fictione, non delentur per Baptiſmum, ſed per pœnitentiam. Ita S. Thom. *art.* 10. citato, *ad* 3. dicens: *Et ideo recedente fictione, peccata ſequentia remittuntur quidem, ſed per pœnitentiam, non per Baptiſmum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia Baptiſmum.* Quod dicit etiam, in 4. *diſt.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 2. Et ratio eſt. Quia peccata, quæ poſt Baptiſmum committuntur, vel perſeverant, ſunt peccata hominis baptizati; & conſequenter ſubjecti Eccleſiæ, & ſacramentis ejus: ſacramentum autem Eccleſiæ contra peccata poſt Baptiſmum commiſſa, eſt pœnitentia, non Baptiſmus. Addo, quod ſicut pœnitentia eſto delere poſſit peccata, quæ ante ipſam commiſſa ſunt, ſive directe, ſive indirecte: non tamen delere poteſt peccata, quæ poſt ipſa commiſſa ſunt; ita Baptiſmus eſto peccata ipſum præcedentia deleat, peccata tamen ipſum ſubſequentia delere non poteſt.

XIX. Quæri ſolet: An ſacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Euchariſtiæ, Matrimonii ficte ſuſcepta, recedente fictione, reviviſcant quoad effectum?

Reſpondeo negative. Nam primo: Patres reviviſcentiæ ſolius Baptiſmi meminerunt. Deinde dato, quod etiam Confirmatio, & Ordo reviviſcere poſſint, ſicut Baptiſmus; hoc ideo eſt, quia eorum virtus permanet in charactere, quem licet fictus recipit: quod de aliis ſacramentis non verificatur. Et hoc probabilius cenſeo.

QUÆSTIO VII.

De Ritibus, ac Cæremoniis Baptiſmi.

HOC ſupereſt pro completa Baptiſmi notitia, nimirum, examinare ritum in Baptiſmo ſolemni ſolitum adhiberi, ſive antiquis, ſive modernis temporibus, de loco, tempore, & aliis, tum circa aquam, tum circa baptizandum.

DUBIUM I.

De Loco, & Tempore conferendi Baptiſma.

§. I.

De Loco.

I. EXtra dubium eſt, Apoſtolorum tempore quovis in loco baptizatum fuiſſe. Philippus Diaconus Eunuchum Candacis Reginæ in via baptizavit. Ita Act. 8. v. 36. *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam . . .*, v. 38. *Et juſſit* (Eunuchus) *ſtare currum; & deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Cornelius Centurio, in domo propria a Petro baptizatus fuit, *Act.* 10. *v.* 48. Petrum quoque Romæ in Tiberi baptizaſſe, teſtis eſt Tertullianus, *lib. de Bapt. cap.* 4. his verbis: *Nulla diſtinctio eſt, mari quis, an ſtagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo diluatur; nec quiſquam refertur inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

II. Cum Chriſtianis nondum erecta eſſent templa, privatis in fidelium domibus baptiſteria erecta fuiſſe, extra quæ Cathecumenos abluere non licebat, niſi in caſu neceſſitatis, omnes conveniunt: quæ ſubinde ſæviente perſecutione extra urbes in locis abditis, in antris, in cœmeteriis extructa fuerunt. Data tamen Chriſtiani per Conſtantinum pace, baptiſteria, vel præ templorum foribus, vel etiam in ipſis ſacris ædibus erigi cœperunt. Unde Conſtantinopolitanum baptiſterium intra templi ambitum poſitum fuiſſe, teſtatur Chryſoſtomus, *Epiſt.* 1. *ad Innocentium I.* narrans, quod cum milites ad veſperam ingreſſi fuiſſent Eccleſiam, Clerum omnem vi ejecerunt: *Mulieres quoque, per illud tempus ſe exuerant, ut baptizarent, metu graviorum inſidiarum nuda aufugerunt.*

III. In ſolis Eccleſiis Cathedralibus, data fidelibus pace, primum creata baptiſteria aliqui autumant: deinde in minoribus urbibus, poſtea in pagis. Sed quarto ſæculo in omnibus Parochiis extra urbes poſitis baptiſteria extitiſſe conſtat. Tum ex Cyrillo Jeroſol. *Catecheſi* 17. dicente: *Omnibus namque locis datur gratia, & in pagis, & in urbibus.* Tum ex Hieronymo contra Luciferianos, ubi ait: *Non quidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem; ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impoſiturus excurrat.*

IV. Adeo autem ritus in ſacris ædibus ſolemnis Baptiſmi miniſtrandi apud Eccleſiam, tum Græcam, tum Latinam obti-

obtinuit; ut domi, vel alibi illum conferre, ſevere prohiberetur. Hinc Trullana Synodus, Can. 31. *Deponatur* (inquit) *Clericus, qui ſine licentia Epiſcopi intra domum, in oratoria domo ſanctificat, vel baptizat.* Et Can. 19. *In Eccleſia, non in domibus*, aut *privatis Oratoriis, Baptiſma celebretur.* Et Conc. Meldenſe, *anno* 845. *cap.* 48. ſtatuit: *Ut nemo Presbyterorum baptizare præſumat, niſi in vicis, & Eccleſiis baptiſmalibus, atque temporibus conſtitutis, niſi cauſa ægritudinis, vel certa neceſſitatis.* Quibus patet, caſum neceſſitatis ſemper exceptum fuiſſe: pluris enim facienda eſt proximi ſalus, quam ritus Eccleſiaſtici obſervantia.

§. II.

De Tempore.

V. CIrca tempus, quo Baptiſmus ſolemnis adminiſtrari deberet, non una fuit quovis ſæculo, & apud omnes, Eccleſiæ conſuetudo; Eccleſia Romana, & aliæ, ſabbatis, quæ Paſcha, & Pentecoſten immediatæ præcedunt, Baptiſmum ſolemnem conferre ſolebant. Hunc ritum a Chriſto præſignatum, ineunte tertio ſæculo, ſenſit Tertullianus, *lib. de Bapt. cap.* 19. ait enim: *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, cum & Paſſio Domini, in qua tingimur, adimpleta eſt. Nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Paſcha Dominus eſſet actturus, miſſis diſcipulis ad præparandum: Invenietis, inquit, hominem aquam bajulantem; Paſcha celebranda locum de ſigno aquæ oſtendit. Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt: quod & Domini Reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & ſpes adventus Domini ſub oſtenſa; quod tunc in Cælos recuperato eo, Angeli ad Apoſtolos dixerunt, ſic venturum, quemadmodum & in Cælos conſcendit, utique in Pentecoſte.*

VI. Eumdem morem, ſæculo quarto, confirmat, & probat Siricius Papa *ad Himerium Tarraconenſem.* Qui damnat praxim baptizandi in Natalitiis Domini, Epiphania, Natalitiis martyrum; & prohibet, ne aliis, quam Paſchatis, & Pentecoſtes diebus, ſolemnis Baptiſmus celebretur. Eamdem diſciplinam, ſæculo quinto, S. Leo Papa præſcripſit, *Epiſt. ad Epiſcopos Siciliæ.* Dicit enim, eos, qui in die Epiphaniæ baptizabant, ab Apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, contenditque, ſolos Paſchatis, & Pentecoſtes dies baptizandis eſſe ab Apoſtolicis præſcriptos. Quod, ineunte ſæculo ſeptimo, S. Gregorius Magnus in ſuo Sacramentorum libro firmat.

VII. Sexto tamen ſæculo in Galliis, etiam die ſacra Natalis Domini Baptiſma conferebatur. Hac enim die, baptizatum fuiſſe primum Francorum Regem Chriſtianorum Clodoveum, indicat Avitus Epiſcopus Viennenſis. Eumdem ritum, præfato ſæculo, in Natali Domini & Cœna Domini, probat miraculum, quod ſingulis annis præfatis diebus, Ebreduni circa baptiſterium S. Marcellini contingebat (teſte Gregorio Turon. *cap.* 6.) ibi enim aqua divinitus oriebatur, quæ ad aliud lavacrum Baptiſmi conferendi gratia deferebatur. Hanc tamen praxim, ſexto labente ſæculo, abrogavit pro Galliis Concilium Matiſconenſe, anno 581. Quæ tamen abrogatio pro Galliis tantum robur habuiſſe colligitur; quia S. Gregorius Magnus, *lib.* 7. *Epiſt.* 30. ſcribit ad Eulogium Epiſc. Alexandrinum, quod in Anglia die Natalis Domini, pluſquam decem millia Angli baptizati ſunt.

VIII. In Eccleſia Orientali Paſchatis, Pentecoſtes, & Epiphaniæ diebus ſolemne Baptiſma miniſtrandi morem olim fuiſſe, aſſerit Goarius noſter in ſuis ad Euchologium Græcorum notis. Et quidem, quantum ad Epiphaniæ diem, teſtis eſt Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 39. *in Sancta lumina*, ubi ait: *Tempus regenerationis eſt, enaſcamur deſuper. Tempus reſtaurationis, primum Adam deponamus. Chriſtus illuminatur, ſimul fulgeamus, Chriſtus baptizetur, deſcendamus cum eo, & una cum eo aſcendamus.* Teſtis quoque eſt Chryſoſtomus, *Orat. de Baptiſmo Chriſti*, ubi conſuetudinem baptizandi in die Epiphaniæ, quia in ea baptizatus eſt Chriſtus, recenſet.

IX. Circa horam, qua Baptiſmus ſolemniter miniſtrabatur; apud Latinos hora nona, ſeu tertia pomeridiana, teſte Alevino, Baptiſmi collatio inchoabatur; quæ tamen, ob multitudinem baptizandorum, ad intempeſtam noctem non raro protrahebatur; qua ratione multi Latini Patres dixerunt, noctu antiquitus collatum fuiſſe Baptiſma. Apud Græcos vero, quarto ſæculo peractam fuiſſe Baptiſmatis cæremoniam profunda nocte, teſtis eſt Chryſoſtomus ſupra citatus, dicens: *ſub media nocte* tamen pro ea noctis parte, quæ huic vicinior eſt. Mutata poſtea fuit praxis, & redacta ad veſperam pervigilii a Gnaphæo Conſtant. Patriarcha; nempe, Paſchatis, Pentecoſtes, & Epiphaniæ.

X. Quæ hactenus dicta ſunt, tam quoad dies, quam quoad horam, quibus antiquitus in utraque Eccleſia conferebatur Baptiſmus, intelligenda ſunt extra caſum neceſſitatis. Nam imminente vitæ periculo, ſive in infantibus, ſive in adultis voluere Patres, ut ſtatim ſubveniretur; ne animæ in diſcrimen ſalutis æternæ adducerentur. Ita pro omnibus teſtatur Siricius Papa ad Himerium Tarraconenſem, *cap.* 2.

XI. Conſuetudo certis tantum anni diebus, & horis, Baptiſma conferendi, ab aliquot ſæculis, in utraque Eccleſia Græca, & Latina ceſſavit: qualibet enim anni die, tam Orientales, quam Occidentales Baptiſmum ſolemnem conferunt: quod de Græcis affirmat Arcudius, & de Latinis Rupertus Abbas, qui anno 1135. obiit, lib. 4. de Divinis Officiis, capit. 18. *Poſtquam* (inquit) *Chriſtianitas crevit, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre; propter occaſiones mortis viſum eſt Sanctæ Eccleſiæ, paſſim baptizandi indulgentia conceſſa, immo oblata, cuncta antevenire pericula.* Solemnes tamen dies Paſchæ, & Pentecoſtes pro aqua Baptiſmi conſecranda retinuit.

DUBIUM II.

Alii Baptiſmi Ritus explicati, & defenſi.

§. I.

Explicantur Baptiſmi Ritus.

I. PRO Explicandis ritibus, qui in Baptiſmo ſolemni adhibentur, adire placet Catechiſmum Conc. Trident. *part.* 2. *de Sacramento Baptiſmi, num.* 62. & ſequentibus.

Primo ergo afferuntur, ſive adducuntur, qui initiandi ſunt ad Eccleſiæ fores; atque ab ejus introitu omnino prohibentur tamquam indigni, qui domum Dei ingrediantur, antequam turpiſſimum Diaboli jugum excuſſerint.

Tum accedens Sacerdos ab eis exquirit, quid petant ab Eccleſia Dei: & reſpondentibus illis, vel per ſe, ſi adulti; vel per alios, ſi infantes ſint, ſe petere Baptiſmum; ut ſciant, quod petant, & ad quæ ſeſe obligent, præcedere facit Catechiſmum. Sequitur poſtea exorciſmus ad expellendum Diabolum, ejuſque vires enervandas. Proinde Sacerdos ter in faciem ejus, qui initiandus eſt, ſpirat; ut ſerpentis antiqui flatu expulſo, amiſſæ vitæ ſpiraculum conſequatur.

Exorciſmum ſequitur ſalis infuſio in os baptizandi; qua ſignificatur, eum a putredine peccatorum liberandum, & ſapore bonorum præceptorum, ſi fidei doctrinam corde teneat, perfundendum. Subinde ſigno crucis obſignantur frons, oculi, pectus, humeri, aures baptizandi; ut ejus ſenſus aperiantur, & roborentur ad Deum excipiendum, præceptaque ejus intelligenda, & ſervanda.

Poſtea vero illi nares, & aures ſaliva liniuntur, qua ſicut cæcus, cui Dominus oculos luto liniit, & aquis Siloe abluere juſſit, lumen recuperavit; ſic etiam intelligat ſacræ ablutionis vim eam eſſe, ut menti ad Cæleſtia lumen afferat.

His peractis, ad Baptiſmi fontem veniunt, ubi initiandum Sacerdos ſic eum interrogat: *Abrenuntias Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus?* Quo, vel Patrino pro eo, reſpondente: *Abrenuntio*: rurſus interrogatur: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Et deinceps de aliis Symboli articulis: & reſponſo, *Credo*; quærit a baptizando, vel ejus Patrino Sacerdos; num baptizari velit: & annuentem, ſtatim in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizat.

II. Abſoluto Baptiſmo, ſummum baptizati verticem Chriſmate perungit; ut intelligat, ſe ab eo die Chriſto Capiti tamquam membrum conjunctum eſſe. Poſtea eum veſte alba induit; ſi vero ſit infans, qui veſte non utitur, ſudariolum ei imponit; quo ſignificatur innocentia, & integritas, quam in Baptiſmo accipit, & quam tota vita baptizatus ſervare debet. Subinde ardens cereus ei traditur in ſignum fidei charitate ardentis, quam in Baptiſmo acceptam cuſtodire ſemper debet. Tandem baptizato nomen alicujus ſancti viri imponitur; ut illius ſtudeat geſta imitari, cujus nomen gerit. Quare reprehendendi ſunt, qui Gentilium, & maxime eorum, qui ſceleſtiſſimi fuerunt, vel quæcumque prophana nomina baptizatis imponunt. Hic apud Latinos baptizandi eſt ritus.

III. Apud Græcos vero in aliquibus diſſimilis eſt. Nam primo: Græci totum Cathecumeni corpus inungunt. Secundo: præmiſſo triplici exorciſmo, expetita a baptizando conſueta abrenunciatione, recitato Symbolo, variiſque præmiſſis orationibus, Sacerdos rectum tenet Cathecumenum, & converſum ad Orientem, per immerſionem Baptizat: dicens, *Baptizatur ſervus Dei N. in nomine Patris &c.* ſingulis appellationibus deducens eum, & educens. Tertio: invocata Spiritus Sancti virtute ad robur, Neophyto ſtatim poſt Baptiſmum Confirmationis ſacramentum exhibetur. Quarto: Confirmato Neophyto, ſive adultus ſit, ſive infans, Euchariſtia ei porrigitur: unde Jeremias Patriarcha Conſtant. *cap.* 2. *Cenſure* in Auguſtanam Lutheranorum confeſſionem, *Mox* (inquit) *is, qui baptizatus eſt, ſacro unguento debet inungi: ſed & illud conſequens eſt, baptizandum tremendæ Communionis participem fieri.* Hanc conſuetudinem viguiſſe etiam olim apud Latinos, *in Tract. de Euchariſtia* oſtendimus.

§. II.

Ritus præfati Defenduntur.

IV. COntra ritus in adminiſtratione ſacramentorum, & præcipue Baptiſmi, in Eccleſia Catholica ſervari ſolitos arma movent moderni hæretici ; & ex iis contra eos inſane debacchatur Calvinus, *l.* 4. *Inſtitut. cap.* 15. §. 19. Et licet negare non audeat, horum rituum uſum vetuſtiſſimum eſſe in Eccleſia : eos tamen rejicere, ac damnare non pudet. De hoc locuti ſumus, in *Tractatu de Sacram. in Gen. Qu.* 9. *Dub.* 1. ubi Eccleſiæ poteſtatem inſtituendi ritus adjudicavimus, ritus Baptiſmi defendimus ; & Calvinum, alioſque hæreticos impugnavimus, quæ huc revocanda ſunt. Interim aliqua breviter adjiciemus Baptiſmum tangentia.

V. Primo. Quod aqua Baptiſmi benedicenda ſit, teſtantur Cyprianus, *Ep.* 70. dicens : *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam prius a Sacerdote, ut poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*, Baſilius, l. de Spiritu Sancto, cap. 7. *Conſecramus aquam Baptiſmatis, & oleum unctionis : præterea ipſum, qui Baptiſmum accipit, nonne tacita, ſecretaque Traditione ;* Ambroſius, l. 1. de Sacr. cap. 5. *Ubi primum ingreditur Sacerdos, exorciſmum facit ; ſecundo, ſuper creaturam aquæ invocationem : poſtea & precem defert, ut ſanctificetur fons.* Et l. de his, qui myſteriis initiantur ; *Cum ſalutaris fuerit Crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritualis lavacri, & ſalutaris poculi temperatur.* Auguſtinus, *l.* 6. *contra Donat. capit.* 25. ſupponit etiam a Donatiſtis ſervari, quod aqua Baptiſmi per certas preces conſecretur.

VI. Secundo. Quod baptizandus abrenuntiet Diabolo, fidem faciunt Clemens Alexandrinus, *l.* 1. *Pedagogi :* Origenes, *Homil.* 12. *in Numeros.* Tertullianus, l. de corona Militis, cap. 3. *Aquam* (inquit) *adituri ibidem, ſed aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus.* Cyprianus, Epiſt. 7. *Sæculo renunciavimus, cum baptizati ſumus.* Idem expreſſe Cyrillus Jeroſolym. *Catech.* 1. *Myſtag.* Baſilius *l. de Spiritu Sancto, c.* 27. Chryſoſt. *in Pſalm.* 14. Ambroſius, *l.* 1. *Hexameron cap.* 4. Hieron. *ad c.* 6. *Amos.* Et tandem Auguſt. *Serm.* 2. *de Symbolo, cap.* 1. *Serm.* 4. *c.* 1. Quam renuntiationem etiam in Baptiſmo parvulorum fieri ſolitam ſupponit, *l. de Peccat. merit. & remiſſ. c.* 19.

VII. Tertio. De exorciſmo, & inſufflatione loquuntur Juſtinus martyr, *dial. cum Triphone :* Cyrillus Jeroſolym. *Catech. myſt.* 2. Ambroſius *l. de Sacram. c.* 5. Et Auguſt. *l. de Nupt. & concupiſc. c.* 20. *l.* 2. *c.* 18. *& c.* 19. ubi pro exorciſmo, & exſufflatione, citatis Cypriano, & Ambroſio, ait : *Hos audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſia traditionem iſte nefario crimine aſpergat, qua exorcizantur, & ut dixi exſufflantur parvuli, ut in regnum Chriſti a poteſtate tenebrarum, hoc eſt, Diaboli, & Angelorum ejus, eruti tranferantur.* Et lib. 1. *de Peccat. merit. cap.* 34. ab exorciſmo, quo parvuli in Baptiſmo exſufflantur, arguit in eis peccatum originale eſſe, dicens : *Quid in illo agit exorciſmus meus, ſi in familia Diaboli non tenetur ?*

VIII. Quarto. De tactu narium, & aurium tamquam de antiqua Traditione loquitur Ambroſius, *l.* 1. *de Sacram. capit.* 1. Et *lib. de his, qui Myſteriis initiantur, cap.* 1. ubi hoc fieri dicit ad imitationem Chriſti ; qui cum ei oblatus eſſet ſurdus, & mutus, tetigit aures ejus, & os ejus : aures, quia ſurdus erat, os quia mutus : ſputum etiam adhibetur, quia ſputo linivit oculos cæci nati Chriſtus. Scio hæc irrideri a Calvino. Sed irrideat etiam Chriſtum, ad cujus imitationem fiunt.

IX. Quinto. Baptizandus oleo benedicto ungitur, & poſt Baptiſma, etiam chriſmate in vertice capitis. Hujus teſtes ſunt Patres Eccleſiæ antiquiores. Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 7. *Exinde* (inquit) *egreſſi de lavaro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant . . . . Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit, quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritualis effectus, quod delictis liberamur.* Cyprianus, Epiſt. 70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit ; ut accepto Chriſmate, ideſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* Baſilius lib. de Spiritu Sancto, capit. 27. *Conſecramus aquam Baptiſmatis, & oleum unctionis, præterea ipſum ; qui Baptiſmum accepit. Ex quibus Scripturis ? Nonne a tacita Traditione ? Ipſam porro olei inunctionem, quis ſermo ſcripto proditus docuit ? Nonne ex arcana hac Traditione ?* Idem Cyrillus Jeroſolym. *Catecheſi* 2. *Myſtagog.*

X. Sexto. Ante Baptiſmum Sal in os baptizandi immittebatur, & Crucis ſigno muniebatur. Hoc teſtatur Aug. *lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 11. de ſeipſo dicens : *Signabar jam ſigno Crucis ejus, & condiebar ejus ſale.* Cui conſonat Conc. Carthag. III. *Can.* 5. Item, *lib. de Catechizandis Rudibus, cap.* 20. ſupponit morem Eccleſiæ de ſigno crucis baptizando imprimendo, dicens : *Cujus paſſionis, & Crucis ſigno in fronte hodie, tamquam in poſte, ſignatus es.* Quod repetit, *Tract.* 5. *& 36. in Joann.* Hæc ſatis ſint Candidato meo ; ad dignoſcendam rituum Baptiſmi antiquitatem, & ad confundendam Calvini & aliorum temeritatem : quī ipſis, tamquam incantationibus, nugis, ſcurrilitatibus, Baptiſmum contaminatum fuiſſe, effutiunt.

TRA-

TRACTATUS SEXTUS
DE CONFIRMATIONE.

POST ſacramentum Baptiſmi ſequitur ſacramentum Confirmationis, quod olim etiam parvulis immediate poſt Baptiſmum conferebatur; modo vero etiam adultis, ſi in ætate jam matura baptizentur. Hoc ſacramentum ſub variis nominibus apud Patres legitur. *Confirmatio* enim dicitur, quia baptizatos in fide confirmat; eiſque robur addit ad eam exterius coram quocumque confitendam. Vocatur etiam *Impoſitio manuum*, eo quod impoſitione manuum tamquam materia, ſive eſſentiali, ſive accidentali, ſive adæquata, ſive partiali conferatur, ut dicemus. Vocatur etiam *Sacramentum unctionis*, quod per Chriſmatis unctionem conferatur. In hoc ergo Tractatu ea, quæ ad hujus Sacramenti notitiam neceſſaria ſunt, tradere curabimus.

QUÆSTIO I.

De Eſſentia Confirmationis.

IN hac Quæſtione ſtabiliemus, Confirmationem eſſe verum novæ Legis Sacramentum; eique materiam, & formam, quibus eſſentia ſacramenti conſtare debet, aſſignabimus.

DUBIUM I.

An Confirmatio ſit Sacramentum.

§. I.

Quid ſentiant Acatholici.

I. IN expungenda a numero ſacramentorum, & dignitate ſacramenti ſpolianda Confirmatione, omnes recentiores Acatolici conſpirant; eam ad puram cæremoniam, eamque, ut ajunt, inutilem, redigentes.

Lutherus, *Lib. de Bapt. Babyl. Catholicos ſubſannans*, hæc ſcribit: *Mirum eſt, quod in mentem illis venerit, ut ſacramentum Confirmationis facerent ex impoſitione manuum, qua legimus Chriſtum parvulos tetigiſſe, Apoſtolos dediſſe Spiritum Sanctum .... Satis eſt pro ritu quodam Eccleſiaſtico, ſeu cæremonia ſacramentali Confirmationem habere, ſimilem cæteris cæremoniis conſecrandæ aquæ, aliarumque rerum.*

Magiſtrum ſuum Lutherum ſuperans Philippus Melanchton in locis communibus: *Ritus* (inquit) *Confirmationis, quem retinent Epiſcopi, eſt prorſus otioſa cæremonia.* Hoc Lutherani omnes poſt Colloquium Ratisbonæ habitum, *anno*, 1541. adoptarunt.

II. Calvinus ultra progrediens, confirmationem vocat fictitiam, eamque inter Satanæ præſtigias rejicit. Nam, *lib. 4. Inſtit. cap. 19. §. 5.* ait: *Poſterior autem ætas, re prope obliterata, fictitiam neſcio quam Confirmationem pro Dei Sacramento poſuit.* Et in antidoto Concilii Trident. *ad Canon. 1. de Confirm.* hæc ſcribit: *Ex eorum numero me nequaquam eſſe profiteor, qui otioſam Confirmationis cæremoniam eſſe putant, qualis ſub Papatu Romano obſervatur: utpote qui eam inter maxime exitiales Satanæ præſtigias numerem.* Vides, quomodo ſemper in deterius procedat error. Lutherus Confirmationem negat quidem ſacramentum eſſe, ſed ſacram cæremoniam eſſe fatetur; Melanchon eam otioſam reputat: Calvinus autem inter Satanæ exitiales præſtigias numerat.

III. Controvertitur inter Eruditos: an præfati hæretici primi fuerint, qui Confirmationem ex albo ſacramentorum expunxerint. Videtur enim, eam antiquo tempore deſpectam fuiſſe. De Novato enim ſcribit Theodoretus, *l. 3. Hæretic. fabul. cap. 5.* quod *In lecto decumbens baptizatus eſt; poſtea dum convaluit, ea, quæ omiſſa erant, adimplere non curavit, nec ſignaculo Spiritus Sancti confirmatus fuit. Hinc ejus ſectatores, eos quos tingunt, Chriſmate non obſignunt.*

De Donatiſtis etiam Optatus Milevitanus, l. 2. *contra Parmenianum, cap. 19.* ſcribit; *Jufſerunt Euchariſtiam canibus fundi .... Ampullam quoque Chriſmatis per feneſtram, ut frangerent, jactaverunt.*

Arianos quoque, & Apollinariſtas Confirmationis ſacramentum deſpexiſſe, ex eo colligitur, quod ex can. 7. Concilii Coſtantinop. I. cum ad Eccleſiam redirent, inungi jubebatur.

Waldenſes quoque, teſte Raynero (prius hæretico, poſtea noſtri Ordinis hæreticorum hoſte acerrimo) Libro contra Waldenſes edito, *anno* 1254. *cap. 5.* Confirmationem ſacramentorum eſſe negarunt. Scribit enim. *Item ſacramentum Confirmationis reprobant. Mirantur etiam: quare ſolis Epiſcopis liceat confirmare.* Quod confirmare videtur Innocentius III. *l. 2. Epiſt. Epiſt. 78.* dum, a Waldenſibus, ad Eccleſiam redeuntibus, jubet, ut confiteantur: *Confirmationem ab Epiſcopo factam, ideſt, impoſitionem manuum ſancte, & venerande, accipiendam eſſe.*

Tandem in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* hic Wicleffi articulus proſcriptus legitur: *Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum conſecratio reſervantur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis.*

Quod de Huſſitis ſentire videtur Æneas Sylvius in Epiſt. ad Cardinalem Carvajal ſcribens, eos de Confirmatione nihil ſentire.

IV. Reſpondent tamen qui ſentiunt, nullum ex hæreticis, ante modernos, negaſſe Confirmationem eſſe revera ſacramentum, hoc ex allatis in contrarium non evinci. Novatus enim, & Novatiani neglexerunt uſum Confirmationis, non quod eam putarent non eſſe ſacramentum; ſed potius, quia non exiſtimarent, eam eſſe jure divino omnibus præceptam, quamvis eam crederent a Chriſto inſtitutam. Quod confirmari poteſt ex eo, quod nec Philaſtrius, nec Epiphanius, nec Auguſtinus, nec ipſe etiam Theodoretus, libris ſuis *de Hæreſibus*, cum Novatianorum errores recenſent, iſtius meminerit: quod nimirum Confirmationem pro ſacramento non haberent.

Quoad Donatiſtas dici poteſt, eos non negaſſe abſolute Confirmationem eſſe ſacramentum, ſed Confirmationem a Catholicis datam. Cum enim negarent, Baptiſma a Catholicis datum eſſe validum; conſequens erat ut id negarent de cæteris ſacramentis a Catholicis collatis. Quare Optatus non ſolum dicit, Donatiſtas projeciſſe ampullam Chriſmatis; ſed etiam juſſiſſe, Euchariſtiam in Eccleſiis Catholicis repertam dari canibus: cum tamen nemo dixerit, eos negaſſe, Euchariſtiam eſſe ſacramentum.

De Arianis, & Apollinariſtis quidam dicunt: unctionem illam, qua ſignabantur dum redirent ad Catholicos, non fuiſſe Confirmationem; ſed quamdam cæremoniam meram, quam Orientales, dum admitterent quoſdam hæreticos, adhibebant. Alii volunt, ideo revertentes a præfatis hæreſibus fuiſſe a Catholicis unctos Confirmationis Chriſmate, quia ex decreto Eccleſiæ Confirmatio apud illos data invalida erat. Dici demum poteſt, hæreticos, de quibus agit Canon ille, ideo fuiſſe inunctos; quia, ut de Novatianis dictum eſt, a ſuis inuncti non erant, quia hoc ſacramentum, eſto non negarent, tamen negligebant; & ideo in præfato canone cum Novatianis conjunguntur.

Waldenſes autem ſacramentum Confirmationis quoad ſubſtantiam non rejiciebant; ſed improbabant, quod a ſolis Epiſcopis conferri deberet: quod indicant illa verba: *Mirantur etiam, quod ſolis Epiſcopis liceat, confirmare.* —— Nec Innocentius III. aliud exigit a Waldenſibus, quam ut Confirmationem, ab Epiſcopis collatam religioſe ſuſciperent. Cum enim in fidei confeſſione, quam Uladislao Hungarorum Regi miſerunt, ſeptenario numero ſacramenta concluſa eſſe profeſſi ſint; clarum eſt, eos ab hoc numero confirmationem non rejeciſſe.

Wicleffus autem, cujus articulum Concilium Conſtantienſe damnavit, non veritatem ſacramenti negavit; ſed erravit circa miniſtrum Confirmationis; putavit enim, illius miniſterium Papam & Epiſcopos ſibi ſolis reſervare, propter cupiditatem lucri temporalis.

Idem dico de Huſſitis. Cum enim ſuos errores a Wicleffo hauſiſſent, dicentes, teſte Ænea Sylvio, *In libris VVicleffi omnem veritatem contineri*; eadem, quæ Wicleffus, de Confirmatione ſenſerunt.

Quidquid tamen ſit, an alii ante Lutherum, & Calvinum Confirmationem eſſe ſacramentum negaverint, nec ne; hoc certum eſt, eos ab Eccleſia habitos ſemper fuiſſe tamquam hæreticos: nec niſi apud hæreticos inveniri poſſe, qui eam eſſe ſacramentum negaverit. Hinc merito Trid. *Seſſ. 7. Can. 1. de Confirmat.* ait: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizandorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium ſacramentum: aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quamdam, qua adoleſcentia, proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant: anathema ſit.*

§. II.

Veritas Catholica.

V. DIco. Confirmatio eſt verum, ac proprium novæ Legis ſacramentum. Probo primo. Ad veram, & propriam rationem ſacramenti, ipſis Acatolicis conſentientibus, tria requiruntur. Primo, ut ſit aliquod ſignum ſenſibile, ſeu cæremonia externa a Chriſto inſtituta. Secundo; ut illa in Eccleſia uſu ordinario uſurpetur. Tertio: ut detur Chriſti promiſſio de gratia juſtificante per illam danda: ſed hæc tria habet Confirmatio; ergo eſt &c. Min. pro prima parte probatur. Impoſitio enim manuum, ſeu chriſmatis unctio, eſt ſignum ſenſibile, & cæremonia externa: quod vero habuerit Chriſtum auctorem, infra oſtendemus — Pro ſecunda vero parte probo ex conſuetudine totius Eccleſiæ, quæ a tempore Apoſtolorum baptizatis manus imponere conſuevit, ut acciperent Spiritus Sancti robur, vel etiam ſacro chriſmate munire conſuevit, ut Concilia, & Patres infra adducendi teſtantur.

VI. Tertia vero pars de promiſſione gratiæ a Chriſto factæ prob. ex illo Joann. 16. v. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Quibus verbis: ait D. Thom. 3. p. quæſt. 72. art. 1. ad 1. *Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum non exhibendo, ſed promittendo.* Lucæ ult. v. 49. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in Civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto.* Et Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem.* Apoſtoli ergo, jam per Baptiſmum juſtificati, egebant adhuc gratia Spiritus Sancti, qua in Chriſti confeſſione roborarentur. Ubi enim ante Spiritus Sancti miſſionem timidi ſeſe abſcondebant: foreſque eſſent clauſæ: *Ubi erant Diſcipuli congregati, propter metum Judæorum,* Joann. 26. v. 19. accepta Spiritus Sancti gratia, publice excuſſo metu, Chriſtum coram Principibus Sacerdotum profiteri cæperunt, ut habetur *Actorum* 2.

VII. Gratiam Sancti Spiritus, quam ex Chriſti promiſſo acceperant, Apoſtoli baptizatis fidelibus miniſtrabant, ſignum viſibile impoſitionis manuum adhibentes. De Petro enim, & Joanne miſſis in Samariam dicitur, Act. 8. v. 15. *Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos &c.* & Act. 19. v. 5. de quibuſdam, qui baptizati fuerant a Joanne, dicitur: *Baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et cum impoſuiſſet manus ſuper eos.* Quibus apparet, promiſſionem hanc non ſolis Apoſtolis, ſed Eccleſiæ, ac baptizatis omnibus factam fuiſſe. Quod oſtendit, *Act.* 2. *v.* 17. Petrus ex prophetia Joelis *In noviſſimis diebus effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem,* v. 18. *ſuper ſervos meos & ſuper ancillas meas in diebus illius effundam de Spiritu meo* & v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti: Vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus, qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.*

VIII. His omnibus reſpondet Calvinus, *lib.* 4. *Inſtitut. c.* 19. §. 6. his verbis: *Audio quid Apoſtoli fecerint, nempe ſuum miniſterium fideliter executi ſunt. Viſibiles illas, & admirabiles Spiritus Sancti gratias, quas tunc in populum ſuum effundebat, voluit Dominus a ſuis Apoſtolis per manuum impoſitionem adminiſtrari, & diſtribui. Huic autem impoſitioni manuum non altius ſubeſſe myſterium cogito: ſed hujuſmodi cæremoniam adhibitam ab illis interpretor, ut ipſo geſtu ſignificarent, ſe Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebant. Hoc miniſterium, quo tunc Apoſtoli fungebantur, ſi adhuc in Eccleſia maneret, manuum quoque impoſitionem oporteret ſervari: ſed ubi gratia illa conferri deſiit, quorum pertinet manuum impoſitio .... Qua igitur in parte hiſtriones iſti Apoſtolos ſe imitari dicent? Hoc agendum erat manuum impoſitione, ut evidens Spiritus Sancti virtus ſtatim ſe exereret. Id non efficiunt. Quid igitur pro ſe jactant manuum impoſitionem, quam Apoſtolis quidem in uſu fuiſſe legimus, ſed prorſus in alium finem?* Hæc Calvinus.

IX. Sed cui ſtomachum non moveat hujus homuncionis impudentia? Ubi cum illo agendum eſt, vult afferri Scripturam. Ubi Scriptura affertur, dicit, non eſſe ad rem. Impoſitionem manuum datam fuiſſe quidem Apoſtolis, quia viſibiliter Spiritus Sanctus dabatur; non vero pro quovis tempore, quia viſibilia ſigna ceſſarunt. At quo fundamento hoc dicit? Quia, inquit, ego ſic *cogito*, ſic *interpretor*. Tuæ cogitationi, o Calvine, tuæ interpretationi ſtandum eſſe vis; & non Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ praxi, quæ uſque ad tua tempora impoſitione manuum uſa eſt, ſtandum eſſe non vis? An in errore tot ſæculis fuit Eccleſia, & non potius tu impie deciperis? *Gratia illa* (inquit) viſibilis *conferri deſiit*. At numquid deſiit gratia inviſibilis? *Effundam*, ait Deus *ſuper ſervos meos, & ancillas meas de ſpiritu meo. Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.* Tu quis es, qui Dei promiſſiones pro omni tempore, ad ſola tempora Apoſtolorum audes reſtringere? Prædicationem quoque Evangelii, fidem primorum Diſcipulorum, ſigna, & prodigia tunc comitabantur: modo deſierunt, ut tu vis, qui omnia miracula, quæ ſuccedentibus ſæculis contigerunt, & adhuc contingunt, ficta, & illuſoria eſſe contendis. Numquid ergo ceſſare debuit prædicatio Evangelii, & fides in Chriſtum? Nequaquam dices: quia etſi ceſſarint viſibiles illi effectus, qui in Eccleſiæ exordiis manifeſtabant gratiam Spiritus Sancti; non tamen ceſſavit; nec ceſſat gratia inviſibilis. Cur ergo dicis, ceſſare debuiſſe impoſitionem manuum, quia ceſſarunt viſibilia dona? Tum impoſitione manuum cum gratia inviſibili juſtificante conjugebantur gratiæ gratis datæ viſibiles in utilitatem aliorum; quia propagationi fidei tunc expediebant: poſtea fide propagata ceſſarunt viſibiles gratiæ, ſed gratia inviſibilis perſeverat. Nam Spiritus Sanctus, quem Apoſtolis promiſit, non pro certo tempore in Eccleſia manſurus erat, ſed ſemper juxta verbum Chriſti, Joann. 14. v. 17. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum... apud vos manebit, & in vobis erit.* Porro Spiritus Sanctus in nobis manet per gratiam inviſibiliter juſtificantem.

X. Praxim hanc dandi Spiritus Sancti gratiam roborantem per impoſitionem manuum, ab Apoſtolis acceptam, perpetuo ſervavit Eccleſia tam Græca, quam Latina: quod oſtendunt ſequentia. Primo enim, ut ſupra dictum eſt de Novato, & Novatianis, qui ſacramentum Confirmationis vel negabant, vel ſaltem in uſu non habebant; ſicut & Ariani, Apollinariſtæ, cum ad Eccleſiam Catholicam veniebant, ſacro Chriſmate inungebantur. Ita concilium Laodicenum, *anno* 372. *Can.* 7. jubet, ut his, qui ex Novatianis, aut Photinianis &c. veniunt, *doceantur fidei Symbolum, & uncti ſancto Chriſmate, ſic myſteriis communicent ſacroſanctis.* Et Canon. 48. *Oportet* (inquit) *baptizatos, poſt baptiſmum chriſmatis quoque cœleſtis, & regni Chriſti participes fieri.* Et Conc. Conſtantinopolit. I. anno 381. Canon. 7. vult Novatianos, alioſque recipi: *Signat eos unctos ſancto Chriſmate.*

XI. Cyrillus Jeroſolymitanus, *Catecheſi* 3. *Myſtagogica*, quæ eſt de ſacro Chriſmate: *Vide* (inquit) *ne nudum, & vile ſuſpiceris unguentum hoc eſſe. Nam ſicut panis Euchariſtiæ poſt invocationem Sancti Spiritus nec eſt communis panis, ſed Corpus Chriſti: ita & ſanctum iſtud unguentum, non amplius nudum, neque, ſi quis ita appellare malit, commune unguentum eſt poſt invocationem, ſed Chriſti donarium, & Spiritus Sancti, præſentia divinitatis ejus, efficiens factum. Quod quidem ſymbolice fronti, aliiſque ſenſibus tuis illinitur. Ac dum unguento viſibili inungitur corpus, ſancto & vivifico Spiritu anima ſanctificatur.* Quibus nihil clarius pro veritate ſacramenti Confirmationis. Primo: quia Cyrillus primam, & ſecundam catecheſim de Baptiſmo; quartam, & quintam de Euchariſtia inſtituit, & tertiam de Chriſmate, ſeu Confirmatione. Sicut ergo Baptiſmus, & Euchariſtia Cyrillo vera ſacramenta ſunt; ita & Chriſma, ſeu Confirmatio. Secundo: quia dicit, quod per Chriſma benedictum ſancto, & vivifico ſpiritu anima ſanctificatur: quod eſt proprius ſacramenti effectus... Nota tamen, quod vere, & prudenter dixit Cyrillus, panem poſt invocationem eſſe Corpus Chriſti. Sed non dicit de Chriſmate, quod poſt invocationem ſit ipſe Spiritus Sanctus; ſed quod factum ſit *Chriſti donarium* ſanctificans animam: quo donario, anima digna fit, ut vere vocetur chriſtiana. Unde paulo poſt ſubdit: *Hoc ſancto Chriſmate digni habiti, vocamini Chriſtiani, veritatem quoque nominis hujus per generationem aſſequentes. Prius enim, quam vobis hæc gratia collata eſſet, eo nomine proprie digni non eratis; ſed eo contendebatis, ut eſſetis Chriſtiani.*

XII. Accedit S. Joannes Chryſoſtomus, *in cap.* 7. *Act. Apoſtol.* ubi dicit: *Quare non acceperunt Spiritum Sanctum ii, qui baptizarentur? Vel forſan quia Philippus in hoc Apoſtolos brevi venturos honorabat: vel quod hoc donum non habebat; erat enim ex ſeptem illis: quod magis videtur dicendum .... Ideo baptizans Spiritum Sanctum non dabat: neque enim facultatem habebat; hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat ..... Nam virtutem quidam acceperant faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum.* Ecce quomodo Chryſoſtomus diſtinguit virtutem faciendi ſigna, a virtute dandi Spiritum Sanctum (cujus oppoſitum putat Calvinus, ut vidimus) & ne dicatur, hoc donum datum Apoſtolis poſtea ceſſaſſe; ſubjungit, de uſu Eccleſiæ loquens: *unde & præcipuos* (ſcilicet Epiſcopos) *& non alios videmus hoc facere.*

XIII. Hanc fuiſſe Eccleſiæ Græcæ ſententiam, & adhuc eſſe poſt Schiſma, teſtatur Jeremias Conſtantinopol. Patriarcha, *in ſua Reſponſ.* 1. *cap.* 2. ubi Eccleſiæ Græcæ conſuetudinem referens, ait: *Mox is, qui baptizatus eſt, ſacro unguento ungendus eſt: Chriſma enim hoc ſigillum, & ſignum Chriſti eſt; noſque inde gratiam adepti in unguento, Chriſtiani appellamur. Unguens autem baptizatum Sacerdos, ſignaculum inquit donum Spiritus Sancti. Amen.* Hoc idem in Synodo Jeroſolymitana, *anno* 1672. ſanxit Eccleſia Græca, ubi *cap.* 5. Cyrillo Lucari Calviniſtæ anathema dixit, quod a ſacramentis excluderet Confirmationem. Tum, *c.* 15. ubi probat Confirmationem eſſe ſacramentum.

XIV. Con-

XIV. Consensit semper Græcæ Latina Ecclesia: prætermissis autem Rom. Pontificibus Fabiano, Cornelio, Eusebio, & Melchiade (cujus tamen auctoritate utitur Sanctus Thomas hac *quæst. 72. art. 1.*) quia eorum scripta, quæ apud nos extant, a modernis Criticis censentur suppositia. Consentit Innocentius I. qui in *Epist. ad Decentium, cap. 3.* ex eo, quod in Actibus Apost. legitur, Petrum, & Joannem directos fuisse, ut jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum; infert, quod *Presbyteris, dum baptizant, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Quod ex eodem facto Petri, & Joannis infert etiam Cyprianus, *Epist. ad Jubajanum.* dicens: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur; & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Hoc autem esse sacramentum a Baptismo distinctum docet, *Epist. 72.* ubi mentione prius facta Baptismi, & manuum impositionis, dicit: *Tunc demum plane sanctificari, & filii Dei esse possunt, si sacramento utroque nascantur.*

Tertullianus etiam, *l. de Resurrect. carnis, cap. 8.* tria sacramenta, eorumque effectus, nempe Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, quæ suo tempore simul conferebantur, paucis clare explicat, dicens: *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur* (in Baptismo) *caro signatur, ut & anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur* (in Confirmatione) *caro Corpore, & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur* (in Eucharistia).

S. Ambrosius, lib. de iis, qui mysteriis initiantur, c. 7. *Signavit* (inquit) *te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* Idem, *l. 3. de Sacr. cap. 2. & l. 6. c. 2.* dicens: *In Baptismate autem quasi specialiter crucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter, quando accipis Spiritale signaculum.* Et lib. 1. de Spiritu S. cap. 6. ait: *Sicut in Christo morimur, ut renascamur; ita etiam spiritu signamur, ut splendorem, atque imaginem ejus, & gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur.* Ecce quam clare duo sacramenta Baptismi, & Confirmationis distinguit.

S. Hieronymus, in dialogo *adv. Luciferianos*, ostendit ex Actibus Apostolorum derivatam esse consuetudinem; ut baptizatis postea manus imponatur per Episcopum, & invocetur Spiritus Sanctus. Et quod etiamsi Scriptura non subesset, consensus totius Orbis in hac parte vim præcepti obineret. Forte enim Luciferiani negabant, a solis Episcopis manus esse imponendas, volentes, hoc etiam Presbyteris concessum fuisse.

XV. Præ omnibus Calvinum ac Sectarios perstringit S, Augustinus. Calvinus enim, ut supra vidimus, dicit, impositionem manuum Apostolis in usu fuisse, ut per eam darentur dona linguarum &c. quibus cessantibus, cessare debuit manuum impositio. S. Augustinus dicit, non ob hoc cessasse per impositionem manuum Spiritum Sanctum dari. Ita Tract. 6. in 2. Epist. Joann. *Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant . . . Signo erant tempori opportuna . . . Significatum est illud, & transiit. Numquid modo quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? Aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur; & cum videret, eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret, non acceperunt isti Spiritum Sanctum: nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum est?* Non ergo cessare debuit in Ecclesia impositio manuum, quamvis cessaverit per eam dari dona visibilia: nec quamvis hæc cessaverint, propterea cessarit dari Spiritum Sanctum per eam. Rursus si impositio manuum dabatur etiam infantibus; non ergo erat quædam catechesis, ut somniatur Calvinus, *lib. 4. Inst. cap. 19. §. 4.* dicens: *Quando fidelium filii, infantes baptizati fuerant, postea ineunte adolescentia ab Episcopo examinati de fide, benedictionem ab Episcopo accipiebant, ita ut manuum impositio, simpliciter loco benedictionis foret.*

Insuper idem August, cum *l. 2. contra litteras Petiliani, c. 104.* ait: *In hoc unguento sacramentum Chrismatis vultis interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis.* Nonne impostura damnat Calvinum citato loco §. 5. dicentem: *Quod posterior ætas fictitiam Confirmationem pro Dei sacramento posuerit?* Audiat ergo Augustinum sic post multa dicentem: *Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis, & in malis potest . . . ab invisibili unctione charitatis, qua propria bonorum est.* Vides ergo quam turpiter a perpetua totius Ecclesiæ consensione aberrent Heterodoxi, a numero sacramentorum sacramentum Chrismatis, seu Confirmationis expungentes.

XVI. Ex his omnibus definiri potest Confirmatio, quod sit: *Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis, propter gratiam sanctificantem, datur jus ad auxilia specialia, quæ necessaria sunt, ut quis firmiter credat, & fidem publice confiteatur.* Quæ definitio explicatur. Quod enim sit sacramentum novæ Legis, patet ex dictis; & clarius apparebit infra, cum de ejus auctore Christo sermo erit. Quod conferat gratiam sanctificantem, constat ex dictis, *Tract. de Sacrament. in genere*, ubi omnia novæ Legis sacramenta gratiam conferre ostendimus. Quod præter hanc conferat jus ad specialia auxilia &c. colligitur; quia hoc sacramento Neophyti muniuntur, ut in eis fides in Baptismo suscepta firmetur. Ut enim docet S. Th. 3. *p. qu. 72. art. 1.* sicut præter generationem, qua quis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem: sic & vitam spiritualem, quam homo accipit per Baptismum, qui est Spiritualis regeneratio, in Confirmatione homo accipit quasi quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ.

§. III.

Achatolicorum Fundamenta.

XVII. PRimo objiciunt. Apostoli per impositionem manuum non dederunt gratiam justificantem, sed solum gratias gratis datas, puta, donum linguarum, aut miraculorum; ergo ex hoc non evincitur, impositionem manuum esse sacramentum: cum hoc detur ad gratiam justificantem conferendam.

XVIII. Respondeo, neg. ant. cujus oppositum probatur primo: quia impositione manuum Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus: hic autem non dicitur dari ei, cui solum dantur gratiæ gratis datæ; cum hæc dari possint etiam peccatoribus, in quibus certe Spiritus Sanctus non est, cum data fuerit prophetia etiam Balaam, & Caiphæ. Secundo: quia donum Spiritus Sancti, quod Apostoli acceperunt in die Pentecostes, reddidit eos in fidei confessione robustiores, cum antea timidi essent: per solum autem donum gratis datum sine gratia justificante aliquis non fit robustior in fidei confessione. Tertio: quia id dabatur per impositionem manuum, quod Christus promiserat Apostolis, & omnibus fidelibus. *Joann. 14. vers. 16. & 17.* hoc autem erat gratia apud illos in æternum mansura, quod de gratiis gratis datis non verificatur. Quarto; quia per impositionem manuum dabatur Spiritus Sanctus promiscue omnibus; gratiæ autem gratis datæ non dabantur omnibus. Unde Paulus 1. *Cor. v. 39.* ait: *Numquid omnes habent gratiam curationum? Numquid omnes linguis loquuntur?*

XIX. Secundo objiciunt. Apostoli per impositionem manuum dabant gratias gratis datas, ut dictum est: sed nunc per impositionem manuum non datur talis effectus; ergo non habemus impositionem manuum, quam habuerunt Apostoli.

Respondeo, quod ut supradictum est, *num. 15.* ex S. Augustino, per impositionem manuum tempore Apostolorum duo dabantur. Unum invisibiliter: & hæc erat gratia justificans, & corroborativa fidei. Alterum visibiliter, & hoc erant gratiæ gratis datæ. Prius per impositionem manuum adhuc perseverat: posterius, quia datum solum pro illo tempore, cessavit. Neque hinc sequitur, non esse modo eamdem impositionem manuum quæ tunc erat. Sicut fidem primorum credentium gratia miraculorum comitabatur, quæ fidem credentium modo non comitatur; nec tamen sequitur non esse eamdem fidem modo, ac tunc. Et ratio est, quia, ut dicit S. August. *l. 3. de Bapt. c. 16.* tunc Ecclesiæ adhuc rudi in fide, & dilatandæ miracula necessaria erant, quæ jam edoctæ, & dilatatæ necessaria non sunt.

XX. Objiciunt tertio. Apostoli conferebant Spiritum Sanctum sine unctione, sola impositione manuum: nos autem e contra facimus per unctionem Chrismatis sine impositione manus; ergo &c.

Respondeo primo, falsum esse, nos id facere sine impositione manus: ut enim Pontificale Romanum præscribit, Episcopus bis imponit manum confirmando: semel cum super eum manus extendit, & orat; & iterum cum signat eum in fronte, & ungit. Ipsa namque unctio, & signatio, cum manu fiat, recte manus impositio dicitur. Sic Christus, *Matth. 2. v. 32.* rogatus, ut homini surdo, & muto imponeret manum, misit digitos in auriculas ejus, & tetigit linguam ejus.

Respondeo secundo cum S. Th. *3. p. q. 72. art. 2. ad 1.* quod *Ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorum prædicationem descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut & a principio descenderat super Apostolos. Unde Petrus dicit. Actor. 11.* Cum cœpissent loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut & in nos in initio. *Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. Utebuntur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius, 4. cap. Eccles. Hierarch.* Est quædam perfectiva operatio, quam Duces nostri (*ideest Apostoli*) Chrismatis hostiam nominant. —— Nec obstat quod de hoc in Scriptura nihil legatur. Nam, ut ait Augustinus. *l. de fide & operibus cap. 9.* cum Scriptura affirmat aliquid factum esse circa Baptismum, debemus intelligere cætera non fuisse omissa, quæ ad eumdem

Baptiſmum ſpectant. Cum ergo ſcriptura dicat, Apoſtolos dediſſe Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem, intelligere debes, unctionem Chriſmatis eos adhibuiſſe: maxime quia eorum ſucceſſores in Eccleſia Chriſmatis unctionem facere cœperunt, ut dictum eſt.

DUBIUM II.

Quanam ſit Confirmationis Materia.

§. I.

Errores circa hoc, & Opiniones.

I. HÆretici, contra quos agimus, non ſolum veritatem ſacramenti Confirmationis impugnarunt, ſed & ejus materiam irriſionibus, & dicteriis laceſſerunt. Lutherus, *l. de cap. Babyl.* Theologos ſubſannat, quod manuum impoſitionem Confirmationis materiam conſtituant: *Mirum eſt* (inquit) *quod in mentem illis venerit, ut ſacramentum Confirmationis fecerint ex impoſitione manuum .... Cur non ex ſacramento panis etiam confirmationem fecerunt, quando ſcriptum eſt actorum 9.* Et cum accepiſſet cibum, confortatus eſt. *Et Pſ.* 164. Panis cor hominis confirmet, *ut ſic confirmatio tria complectatur ſacramenta, Panem, Ordinem, & ipſam Confirmationem?* Sed quis inſtantiam hanc non rideat?

II. Calvinus item, *l.* 4. *Inſt. c.* 19. §. 7. dicit, noſtram Confirmationem nihil ſimile habere cum impoſitione manuum Apoſtolorum: *Unde* (inquit) *oleum quod vocant ſalutis? Quis eos in oleo ſalutem quærere docuit? Qui vim roborandi illi attribuere . . . Quia oleum vocant oleum ſalutis, ſalutem quæ in Chriſto eſt, abjurant, Chriſtum abnegant, partem in Regno Dei non habent.* Hæc ille. Qui ſi hac ratione Chriſma abjicit a Confirmatione, poterit etiam aquam a Baptiſmate, & panem ab Euchariſtia rejicere; ne videatur in aqua, & in pane ſalutem ponere, & non in Chriſto.

III. Ex Catholicis vero Theologis aliqui docent, ſolam impoſitionem manuum eſſe Confirmationis materiam eſſentialem; chriſmationem vero pertinere potius ad Baptiſmum, ideoque a ſimplici Presbytero peragi poſſe.

Alii cum S. Th. 3. *p. q.* 72. *art.* 2. docent, unctionem Chriſmatis eſſe materiam eſſentialem; ita ut Chriſma ſit materia remota, unctio vero ſit materia proxima. Nec obſtat, inquiunt, Apoſtolos impoſitione manuum, non chriſmatione uſos fuiſſe. Nam, ut ſupra ex S. Thoma, *ad* 1. dictum eſt, vel id fecerunt ex ſpeciali diſpenſatione, quando nimirum pro materia ſacramentali ſtabat viſibilis S. Spiritus ſuper confirmatos adventus; vel aliquando etiam extra hos caſus Chriſma adhibuerunt.

IV. Alii ſequentes doctrinam apud multos probabilem, nimirum, Chriſtum aliquorum ſacramentorum materias determinaſſe tantum in genere, non in ſpecie atoma, id dicunt feciſſe Chriſtum in hoc ſacramento, relinquendo Eccleſiæ judicio pro locorum, ac temporum varietate aſſumere pro materia Confirmationis ſive nudam manuum impoſitionem, ſive impoſitionem cum Chriſmate.

Alii tandem utramque, nimirum, impoſitionem manuum, & unctionem pro materia adæquata conſtituunt; ita ut ex utraque vis & efficacia hujus ſacramenti procedat.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. DIco. Materia adæquata Confirmationis ex impoſitione manuum, & chriſmate conſtituitur. Hanc eligo, quia omnes præfatas opiniones conciliare videtur. In primis enim impoſitionem manuum fuiſſe ſemper partem eſſentialem Confirmationis, probatur primo. Ex ſcrip. act. 8. v. 17. *Tunc* (inquit Lucas) *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et c. 19. v. 5. *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu; & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos.* Si enim hæc manuum impoſitio facta ab Apoſtolis non fuit Confirmationis ſacramentum: non poterit ex Scriptura probari, eos aliquando hoc Sacramentum contuliſſe. Nullibi enim ſacræ paginæ teſtantur, Apoſtolos alio ritu, quam impoſitione manuum Neophytis dediſſe Spiritum Sanctum; ac proinde Confirmationis veritas ex Scriptura contra hæreticos probari non poterit.

Proinde eam manuum impoſitionem ab Apoſtolis datam, de Confirmationis ſacramento interpretati ſunt Patres. Cyprianus Epiſt. 73. *Tantummodo* (inquit) *quod deerat, id a Petro, & Joanne factum eſt; ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur: & per noſtram orationem, cum manus impoſitione Spiritum Sanctum conſequantur, ac ſignaculo Dominico conſummentur.* Chryſoſtomus *in Actorum, c.* 8. aſſerit: *Hoc nunc facere Epiſcopos, quod Apoſtoli manuum impoſitione & oratione ſuper Neophytos faciebant.* Et Auguſtinus, *l.* 15. *de Trinit. cap.* 26. eodem ſenſu ſumens manuum impoſitionem, quæ *Act.* 8. legitur, ait: *Neque enim aliquis Diſcipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum: orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.*

Hoc nomine per multa ſæcula expreſſerunt Confirmationem Patres, tum Latini, cum Græci. Ex Latinis Tertullianus, *l. de Bapt. cap.* 7. ait: *Dehinc manus imponitur* (egreſſis de lavacro) *per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* Et lib. de Reſurr. carn. cap. 6. *Caro* (baptizati) *manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.* S. Hieronymus Dialog. adv. Luciferianos: *Hæc eſt* (inquit) *conſuetudo Eccleſiæ, ut ad eos, qui in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impoſiturus excurrat:* Hilarius Arelat. Homil. de Pentec. *Quod nunc* (inquit) *in confirmandis Neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis: hoc tunc Spiritus Sancti deſcenſio in credentium populo donavit univerſis.* — Ex Græcis vero, præter Chryſoſtomum jam laudatum, ſtat Firmilianus in ſua ad Cyprianum Epiſtola, & ulterius Orientalia Concilia dubio præcedente allata, quæ ſtatuunt, ut Novatiani, aliique hæretici, qui hoc ſacramentum deſpiciebant, vel omittebant, venientes ad Eccleſiam Catholicam manuum impoſitione reciperentur.

VI. Quod vero etiam Chriſmatis unctio ſit pars eſſentialis hujus ſacramenti, probat Eccleſiæ Orientalis antiquus ritus; quæ ſuos Neophytos Chriſmatis unctione ſemper confirmavit, & docuit, ea unctione Spiritum Sanctum dari ad robur, & Chriſtiani hominis perfectionem: adeo ut Græci recentiores in ſua Confirmatione ſola unctione contenti, videantur, quaſi manus impoſitionem omiſiſſe, ut dicemus. Prob. ex Concilio Laodiceno, *c.* 48. ſtatuente, quod *Oportet eos, qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi ſuperceleſti Chriſmate, & eſſe regni participes.* Qui Canon cum latus ſit contra Novatianos, qui ſuos Confirmatione non perficiebant; patet, quod de Chriſmate Confirmationis loquitur. Id confirmant S. Cyrillus Jeroſolym. *Catechеſi* 3. *Myſt.* Dub. præcedente relatus. Theodoretus; *l.* 4. *in Cantica* dicens: *Reminiſcere ſacra Myſtagogia, in qua qui initiantur, poſt tyranni abnegationem, & regis confeſſionem* (in Baptiſmate) *velut ſigillum quoddam regium ſuſcipiunt ſpiritalis unguenti Chriſma, recipientes gratiam inviſibilem Sanctiſſimi Spiritus unguento tamquam in typo.* Cyrillus etiam Alexandr. *Comment. in Joel*, oleo confirmationis eamdem vim tribuit, quam aquæ baptiſmali, & pani Euchariſtico. Ad illa enim verba: *Et replebuntur area tritico, & redundabunt torcularia vino, & oleo*, hæc habet: *Sciendum præterea, etiam ſecundum myſticum eventum promiſſionem veram eſſe. Data eſt nobis, ſeu pluvia, aqua vivens ſacri Baptiſmatis, & tamquam in frumento panis vivus, & tamquam in vino ſanguis. Acceſſit item uſus olei, qui per ſacrum Baptiſma in Chriſto juſtificatis ad conſummationem confert.* Id fatentur antiqua, & hodierna Græcorum Euchologia, ut de hoc dubitandi locus non ſit.

Uſum quoque Chriſmatis in Confirmatione apud Latinos fuiſſe ſemper, teſtatur Tertullianus, qui l. de Bapt. cap. 7. *Exinde* (inquit) *egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione . . . ſic, & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit: quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quia in aqua mergimur, ſpiritalis effectus, quia delictis liberamur.* Cyprianus, Epiſt. 70. ad Januarium, ait; *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit; ut accepto Chriſmate, ideſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Si ergo unctio ſpiritualiter proficit quomodo Baptiſmus, ſi gratiam Chriſt confert, pars eſſentialis eſt hujus ſacramenti. Suum quoque præſtat ſuffragium Optatus, *l.* 7. *Schiſ. Donat. cap.* Ubi reprehendens Macarium quemdam Epiſcopum; quod in Confirmatione Chriſmationem omiſiſſet, ait: *Oleum enim ſimplex eſt . . . confectum jam Chriſma vocatur, in quo eſt ſuavitas, quæ tutem conſcientiæ mollit, excluſa duritia peccatorum; qua animum innovat lenem, qua ſedem Spiritu Sancto parat &c.* Conſentit S. Ambroſius *l. de his, qui Myſteriis &c. c.* 6. Et S. Auguſtinus, *l.* 2. *contra lit. Petiliani c.* 404. dicens: *In hoc unguento ſacramentum Chriſmatis vultis interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.*

Merito itaque Conc. Florentinum, in Decreto pro Armenis, pro materia Confirmationis ſtatuit Chriſma: & Trident. *Seſſ.* 7. *de Confirm. c.* 2. anathema dicit ei, qui dixerit: *Injuriоſos eſſe Spiritui Sancto, qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt*, cui ſubſcribunt Theologi præeunte S. Th. 3. *p. q.* 72. *art.* 2. quem tamen non excludere impoſitionem manus infra oſtendemus.

§. III.

Solutio Objectionum contra Primam Partem.

VI. PRimo objicitur. Valet ſacramentum Confirmationis in Eccleſia Orientali collatum. Eccleſia enim Romana Græcos in ſua communione etiam ſchiſmatica confirmatos, cum ad unitatem redierunt, nuſquam alio Confirmationis ſignaculo muniri juſſit; neque cum eos in ſuum admiſit ſinum, ſacris initiavit Ordinibus, quod tamen non omiſiſſet, ſi recepta in ſchiſmate Confirmatio

ei

ei rata non fuisset; cum ex sacris Canonibus Confirmatio Ordinationi, & ipsi etiam clericali Tonsuræ præmitti debeat. Immo Catholici Doctores agentes contra Lutheranos, & Calvinistas illis objiciunt summum consensum Græcorum etiam schismaticorum cum Ecclesia Latina in septenario numero sacramentorum; nec de materia, aut forma eorumdem in Concilio Florentino unquam a Latinis mota fuit lis. At si impositio manuum esset essentialis, etiam inadæquata, materia Confirmationis, hoc sacramentum a Græcis collatum non valeret. Nam dum illud dispensant Neophytis, manus non imponunt, ut apparet ex antiquissimis, ac modernis eorum Euchologiis. In eis enim tantum habetur: *Hac recitata oratione* (qua in confirmandum Sancti Spiritus gratia invocatur (*ungit*) Sacerdos *baptizatum sancto unguento, signum crucis faciens in fronte, oculis, naribus &c.* ergo manuum impositio, cum non sit communis omnibus Ecclesiis, non est materia essentialis &c.

VIII. Huic argumento occurri potest respondendo, quod ut diximus, *Tract. de Sacram. Q. 2. Dub. 2. §. 2.* Christum pro hoc sacramento non determinasse materiam in specie, sed solum in genere: nimirum, vel manuum impositionem, vel unctionem Chrismate, relinquens utrumlibet arbitrio Ecclesiæ. Unde fit, quod licet Ecclesia Græca utatur unctione, & non manus impositione, Latina vero utraque; tamen apud utramque idem est Confirmationis sacramentum. Quia tamen hac in re hujusmodi effugio non indigemus.

IX. Respondeo secundo, neg. min. Falsum enim est impositionem manus a Græcis in Confirmatione fuisse omissam, & modo omitti. Non fuisse antiquitus omissam colligitur, tum ex Firmiliano, *Epist. ad Ciprianum*, ubi asserit, quod sicut Paulus manum imposuit, ut acciperent Spiritum Sanctum; sic suo tempore in Neophytis confirmandis Episcopi manus impositione utebantur. *Qui* (inquit) *præsident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem.* Tum ex antiquis Conciliis Orientalibus, quibus præscribitur, ut redeuntibus ab hæresi, in qua Confirmatio negligebatur, manus imponantur. Constat etiam ex Euchologiis antiquis, uno Gallico, altero Barberino, ab octingentis annis conscriptis, quibus describitur ritus, quo redeuntes ad unitatem ex hæresi Novatiana, Macedoniana &c. recipi deberent. Ibi enim dicitur: *Postea Sacerdos manum imponens super caput conversi inclinati hanc fundit orationem ..... post hæc ungit eum unguento, sicut Neophytos.* Ubi patet, manus impositione recitatam fuisse super confirmandum orationem; deinde altera actione unctum fuisse sacro Chrismate. Oratio autem super confirmandum recte manus impositio dici potest: teste enim August. *l. 15. de Trinit. cap. 26.* Apostoli *Orabant ut* (Spiritus Sanctus) *veniret super eos, quibus manus imponebant.* Quod si modo Græci non separant orationem, seu impositionem manus ab unctione, hinc non sequitur, quod manus impositionem omittant; sed quod ex duabus actionibus distinctis unam fecerint.

X. Secundo objicitur. Innocentius III. cap. *cum venisset*, de sacra unctione scribit: *Per frontis Chrismationem designari manus impositionem Apostolorum.* Cui concordat Eugenii IV. sententia, in decreto pro instructione Armenorum dicentis: *Loco manus impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum Sanctum, in Ecclesia dari Confirmationem*, idest chrismationem. Quasi dicat: loco impositionis manuum, per quam Apostoli, & antiqui Patres Confirmationis sacramentum conferebant, a multis sæculis successit Chrismatio, per quam idem sacramentum dispensatur.

Addo: quod in Rituali Romano nulla fit manuum impositionis mentio, sed solum hoc legitur: *Tunc extensis versus confirmandos manibus.* Extensio autem, & impositio manuum duo sunt omnino diversa: ista enim contactum dicit, illa nullum includit.

XI. Respondeo, eamdem esse Innocentii, & Eugenii mentem, nempe, loqui tantum de nomine: unde sensus decreti utriusque, hic est: sacramentum, quod tempore Apostolorum vocabatur impositio manuum, successu temporis relative ad effectum, quem operatur, dictum est Confirmatio. Unde in Decreto Eugenii non dicitur, quod impositioni manuum successerit *unctio*, seu *Chrismatio*, sed *Confirmatio*.

Ad id, quod additur, nego min. His enim terminis *Extensis versus confirmandos manibus*; seu ut in Gregorii Sacramentario legitur, *levata manu*, idem redditur, ac si diceretur, *Impositis super confirmandos manibus*. Iis namque tribus formulis, idem ritus designatur, nempe, oratio, quam quis fundit pro eo, quem manu indicat. *Quid est enim aliud manus impositio* (ait August. l. 3. de Bapt. cap. 16.) *quam oratio super hominem?*

XII. Tertio objicitur S. Th. *3. p. q. 72. art. 2.* ubi docet, materiam hujus sacramenti esse Chrisma; impositionem autem manuum (ait ibi *ad 1.*) adhibitam fuisse ab Apostolis tunc solum, quando visibiliter dabatur Spiritus Sanctus; tunc enim non erat necessaria materia sacramentalis; ergo impositio manuum non est materia hujus sacramenti, sed solum Chrisma.

XIII. Respondeo, S. Thomam ibi velle, Chrisma esse materiam hujus sacramenti non adæquatam, & totalem, sed inadæquatam visibiliter expressivam effectus, quem Spiritus Sanctus donat in hoc sacramento invisibiliter; quæ non erat necessaria, quando sensibilia signa miraculorum exterius exhibebantur divinitus. Unde mens D. Th. est, quod cum visibilibus signis dabatur ab Apostolis Spiritus Sanctus, sola impositione manuum hoc sacramentum conferebatur. Cum vero cessarunt signa, Apostoli ipsi & impositione manuum, & Chrismate utebantur. Porro impositionem manuum adhuc partem esse hujus sacramenti, infra *q. 84.* docet: quod *Impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur quodammodo continuantur Ministri, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio, fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, & in sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis.*

XIV. Quæres: Cum in Confirmatione Episcopus bis manum imponat Neophyto: semel quidem cum extensis versus eum manibus orationem fundit, qua invocat Spiritum Sanctum ad robur; iterum autem, cum ejus frontem Chrismate ungit: quænam ex his duabus impositionibus ponenda est pro materia inadæquata Confirmationis?

Respondeo, probabilius esse, quod impositio manuum constituens materiam inadæquatam Confirmationis sit ea, quæ distinguitur a contactu, quo Episcopus Neophytum oleo inungit. Ratio est. Quia veteres Tertullianus, Cyprianus, Ordo Romanus, hodiernum Pontificale describunt impositionem manus, qua datur Spiritus Sanctus tamquam ritum distinctum a Chrismatione. Tertullianus, enim, *lib. de Bapt. c. 8.* utrumque sejungit dicens: *Caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur, ut & anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* Cyprianus Ep. 72. ad Jubajanum: *Nam quoque* (inquit) *apud nos geritur; ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Signaculum autem illud est sacrum Chrisma, quod ibi distinguit ab impositione manuum.

Hoc idem docet Alcuinus, c. de Sabbato Paschæ, ex more Romano, his verbis: *Dat Pontifex super eos orationem imposita scilicet manu super capita eorum ... finita oratione facit crucem de Chrismate cum pollice in singulorum frontibus.* Accedit Rabanus Maurus, *l. de Inst. Cler.* Et tandem confirmat S. Gregorius in suo Sacramentario, ubi de Episcopo confirmante scribit: *Et levata manu supra capita eorum .... Pontifex tincto pollice in Chrismate facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim.*

XV. Nec dicas. Ab octavo sæculo plerosque Scriptores impositionem manuum per unctionem designare; ut Bedam, in *Psal. 26.* Amalarium, Haymonem, Rupertum, *lib. 5. de Divinis Officiis, c. 16.* Hugonem a Sancto Victore, *lib. 2. p. 15.* & Innocentium III. supra relatum — Quod ex Scriptura videtur confirmari: ubi tangere, benedicere, manus imponere pro synonimis usurpantur. Rogatus enim Christus, *Matt. 9.* ut imponat manus super filiam; ibidem, *v. 25.* narratur, quod *Tenuit manus ejus & surrexit puella.*

Respondeo enim, frustra adhiberi testimonia octavi sæculi, cum certo certius sit, illis temporibus impositionem manuum fuisse ab unctione distinctam, ut nuper ostendi, & ex ordine Romano, ubi sic legitur: *Pontifex veniens ad infantes elevata, & imposita manu super capita eorum; dicit orationem super eos; deinde oratione expleta, tincto pollice in Chrismate facit crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te.* Cum ergo memorati Scriptores ajunt, per manus impositionem baptizatos consignari; nomine impositionis sumunt integrum Confirmationis ritum, quasi a præcipua parte illud sacramentum denominantes.

Ad locum ex Scriptura allatum dico, non evinci, impositionem manus idem esse, ac contactum. Nam verum quidem est, Jairum Principem rogasse Christum, ut imponeret manum super filiam: sed Christus æquum non duxit, filiam eodem modo sanare. Sic, *Marci 7. v. 32.* adducun ei surdum, & mutum, & rogant, ut imponat manum super illum; & tamen Christus *Misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus.*

XVI. Quæres ulterius: An utriusque manus impositio requiratur, ut sacramentum Confirmationis valeat?

Respondeo, satis esse, ut altera imponatur. Tertullianus enim, loco relato, numero singulari loquitur, dicens: *Dehinc manus imponitur.* Cyprianus, Epist. 73. ad Jubajanum: *Id* (inquit) *a Petro, & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita &c.* S. Hieronymus, Dialog. adv. Luciferianos, *Episcopus, si imponit manum &c.* & S. Gregorius in Sacrament. *Levata manu super capita eorum.* Quod si Scriptores alii numerum pluralem adhibent; ideo hoc est, quia ordinarie utraque manus imponitur.

XVII. Si quæras tandem. Cur Christus manuum impositione Confirmationem conferri voluerit?

Respondeo ex S. Thom. *3. p. quæst. 84. art. 4.* supra num. 13. citato, hoc ideo Christum voluisse, ut designaretur copiosus gratiæ effectus, qui hoc sacramento tribuitur; nempe, descensus Spiritus Sancti in robur adversus

Dei, & fidei hoſtes. Vel, ut indicaretur. eo ſacramento baptizatos perfecte Deo voveri, ſecundum illud Auguſt. Epiſt. 149. alias 59. ad Paulinum, cap. 2. *Tunc enim Antiſtites, velut advocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſime offerunt poteſtati.*

§. IV.

Objectiones contra Secundam Partem.

XVIII. OBjicies primo pro Sirmondo, & aliis volentibus, ſolam impoſitionem manuum eſſe materiam Confirmationis; Scriptura, dum meminit hujus ſacramenti, ſub nomine impoſitionis manuum ſemper illud proponit, nunquam vero ſub nomine Chriſmationis; ut legitur, *Actor. 8. v. 17. & cap. 19. v. 6.* ergo ſola impoſitio manuum eſt materia Confirmationis.

XIX. Reſpondeo, neg. conſ. Nam quamvis Scriptura ſolius impoſitionis manuum in Confirmatione meminerit, Chriſmationem tamen non excludit; unde ex illius ſilentio nihil contra unctionis uſum concludi poteſt. Immo Concilia, & Patres Apoſtolorum ævo viciniores, quamvis ſolo impoſitionis manuum nomine uſi fuerint; hoc nomine Chriſmationem etiam intellexerunt, teſte Theodoreto, *lib. 3. Hæret. fabul.* qui exponens, *Canon.* 8. Concilii Nicæni I. & *Can.* 7. Conſtantinopolitani I. de Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus, ait: *Iis, qui ab ipſis tinguntur; ſacrum Chriſma non præbent; quocirca eos etiam, qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi Patres ungi juſſerunt.* Et Concilium Arelatenſe II. *Can.* 17. explicans *Canonem* 8. Concilii Arelat. I. ait; *Cum Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Et Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, ex quibus ſupra oſtendimus, manus impoſitionem eſſe Confirmationi eſſentialem, Chriſmatis quoque mentionem faciunt.

Rationem autem, cur Scriptura unctionis Chriſmate non meminerit, ſed ſolius impoſitionis manuum, dedimus ſupra ex S. Th. 3. *p. q. 72. art. 2. ad* 1. Quia nimirum, cum loquatur de Confirmatione, in qua viſibiliter in ſuis donis deſcendebat Spiritus Sanctus; non oportuit Chriſmationem indicare; quæ ſolum ſignificat inviſibilem ejuſdem Spiritus in ſacramentis deſcenſum: *Utebantur tamen Apoſtoli communiter Chriſmate in exhibitione ſacramenti, quando hujuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur. Dicit enim Dyoniſ. 4. cap. Eccleſ. Hierarch.* eſt quædam perfectiva operatio, quam Duces noſtri (*ideſt Apoſtoli*) Chriſmatis hoſtiam nominant. Hæc S. Thomas. Cum enim Chriſmatio initium a nullo Concilio accepiſſe legatur, ſemperque in utraque Eccleſia in uſu fuerit, ſuper eam cadit regula S. Auguſt. lib. 4. de Bapt. c. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

XX. Objicies ſecundo Canonem primi Conc. Arauſicani, *anno* 441. ubi hæc habentur: *Nullum Miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine Chriſmate uſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in Baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet Chriſmatis ipſius nonniſi una benedictio eſt; non ut præjudicans quidquam, ſed ut non neceſſaria habetur repetita Chriſmatio.* Ex quibus ſic arguit Sirmondus. Si unctio eſſet eſſentialis Confirmationis pars, in eo, qui Chriſmate unctus fuit in Baptiſmo, repetenda eſſet Chriſmatio in Confirmatione, & quidem neceſſario; ſed Concilium ſtatuit, ut qui in Baptiſmo chriſmatus eſt, non ſit iterum chriſmandus in Confirmatione, quia neceſſaria non eſt repetita Chriſmatio; ergo &c.

XXI. Reſpondeo, circa intelligentiam præfati Canonis varie ſentire Eruditos. Quidam volunt, Editionem, qua uſus eſt Sirmondus, ſinceram non eſſe; & opponunt antiquiores, quibus uſi fuerunt Gratianus, Merlinus, Surius, Binius, quæ ab illa his verbis differt: *Placuit ſemel in Baptiſmate Chriſmari ...* Deinde: *Inter nos Chriſmatis ipſius nonniſi una eſt benedictio; non ut præjudicans quidquam dico, ſed ut neceſſaria habeatur Chriſmatio repetita.* Quæ editio in duobus differt a prima: ubi enim illa ſimpliciter dicit (*placuit ſemel Chriſmari*) hæc addit (*in Baptiſmate*) & ubi illa dicit (*non neceſſaria*) iſta particulam (*non*) excludit.

Cæterum utraque editione admiſſa; dico, ſenſum Canonis eſſe: quod ſi Miniſter baptizans omiſerit ex aliqua neceſſitate Chriſmationem verticalem, quæ una eſt ex cæremoniis Baptiſmatis, ut diximus; moneatur Epiſcopus, ut eam ſuppleat ante Confirmationem, ſeu antequam Neophytum chriſmet in fronte; quia; ut ſtatuit Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, & Cornelius Papa, *Ep. ad Fabium Antiochenum*, cæremoniæ, quæ in Baptiſmo omiſſæ fuerunt, ſuppleri debent ante Confirmationem. Quia vero non eſt neceſſarium, ut Chriſmatio omiſſa in Baptiſmo ſuppleatur (quia ſolum de præcepto, non de neceſſitate) ideo ſi Epiſcopus eam ante Confirmationem omittat, nimirum chriſmando Neophitum in fronte non præmiſſa Chriſmatione baptiſmali in vertice; nihil præjudicat validitati Confirmationis. Unde in forma, diſt. min. Non ſit iterum chriſmandus Chriſmatione baptizandi in vertice, conc. min. Chriſmatione confirmationis in fronte, nego min.

XXII. Objicies tertio. Manus impoſitio ſola etiam multis ſæculis fuit in uſu; immo labente ſæculo ſexto Chriſmatio, ſaltem apud Occidentales, non cenſebatur materia eſſentialis Confirmationis: quandoquidem ſola impoſitione manuum Ariani ad Confirmationem admittebantur, teſte S. Gregorio Magno, *l. 11. Ep. 57.* (alias 61.) *Ad Quiricum*, & alios Iberiæ Epiſcopos: *Arianos per impoſitionem manus, Occidens per unctionem vero ſancti Chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat.*

XXIII. Reſpondeo, nego ant. Neque S. Gregorius obſtat. Nam vel ibi loquitur de impoſitione manus reconciliativa, qua Ariani pœnitentes recipiebantur; non vero de impoſitione manuum confirmativa: hæc enim etiam in Occidente quovis tempore Chriſmationi conjuncta fuit, ut oſtenſum eſt. Vel non excludit unctionem: ſed ſolum indicare voluit, quod eſto idem ritus in Occidente, & Oriente eſſet quoad ſubſtantiam: in Oriente appellari ſolebat unctio, & in Occidente manus impoſitio. Patet enim ex Conc. Arelatenſi II. *anno* 452. *Can.* 17. Arianos cum impoſitione manus, & Chriſmate fuiſſe ſuſceptos, his verbis: *Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos, baptizari in Trinitate manifeſtum eſt; ſi interrogati, fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.*

XXIV. Sed dices. Synodus Moguntina, *anno* 1569. *c.* 17. hæc habet: *Hoc ſacramentum ab initio ſola manus impoſitione exhibitum; mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum, & ex eorumdem Traditione, adhibita Chriſmatis unctione cœpit conferri.*

Reſpondeo, Moguntinam Synodum amplexam fuiſſe S. Thomæ doctrinam a nobis ſupra relatam, ex *q. 72. a. 2. ad* 1. nempe, quod cum impoſitione manuum dabatur viſibilibus donis Spiritus Sanctus; hæc erant loco materiæ ſacramentalis. Cum quo tamen ſtat, quod ubi non aderant ejuſmodi ſigna ſenſibilia, etiam Apoſtoli Chriſmate in hoc ſacramento uterentur.

DUBIUM III.

Quid ſit Chriſma, & a quo Conſecrandum.

§. I.

Reſolutio Primæ Partis.

I. CHriſmo vox Græca eſt a verbo *Crio*, quod latine idem eſt, ac *Ungo*: unde *Chriſma* idem eſt, ac *Unguentum*, ſeu *Unctio*. Chriſmatis materia præcipua eſt oleum, cui miſceri debet Balſamum, vel alia ſimul aromata, ſecundum varium Eccleſiæ ritum, ut dicetur. Oleum autem, ex quo debet confici Chriſma, debet eſſe ex olivis expreſſum. Et rationem dat S. Thom. 3. *p. q. 72. art. 2. ad* 3. Quia *Proprietates olei, quibus ſignificatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo: Unde & ipſa oliva ſemper frondibus vires virorem, & miſericordiam Spiritus Sancti ſignificat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in uſu, ubi haberi poteſt: quilibet autem alius liquor ex ſimilitudine hujus oleum nominatur: nec eſt in uſu communi, niſi in ſupplementum apud eos, quibus deeſt oleum olivarum. Et ideo hoc oleum ſolum aſſumitur in uſum hujus, & quorundam aliorum ſacramentorum.*

Nec oportuit materiam hujus ſacramenti talem eſſe, ut ubique de facili inveniri poſſit, ſicut eſt aqua in Baptiſmo. —— Nam, ut ait S. Th. ibi ad 4. *Baptiſmus eſt ſacramentum abſolutæ neceſſitatis, & ideo ejus materia debet inveniri ubique. Sufficit autem, quod materia hujus ſacramenti, quod non eſt tantæ neceſſitatis, poſſit de facili ad omnia loca terrarum deferri.*

II. Chriſma apud Occidentales ex oleo tantum, & balſamo conficitur. Probatur primo ex S. Gregorio Magno, *lib. Sacr. in Cœna Domini*, ubi quando Chriſma benedicitur, ait, *Præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici; ut accepto balſamo, & commixto cum oleo, manu ſua impleat eam.* Secundo: ex Ordine Romano, qui in eamdem diem hæc habet: *Primo miſceat balſamum cum oleo.* Tertio: ex Alcuino, lib. de divinis Offic. *Conficitur* (Chriſma) *ex oleo mundiſſimo, & optimo balſamo.* Quarto: ex Amalario, *l. de Eccl. Offic. c.* 12. ubi de conſecratione Chriſmatis dicitur: *Hic non ſolum oleum, ſed & balſamum conſecratur.* Et tandem Eugenius IV. in decreto pro inſtructione Armenorum de Confirmatione loquens: *Cujus* (inquit) *materia eſt Chriſma confectum ex oleo, & balſamo per Epiſcopum benedictum.* Et hoc omnia Latinorum Ritualia præſcribunt.

Quare Græci immerito ſæculo nono Latinis objecerunt, quod ex aqua fluminis Chriſma conficerent. Quam calumniam depulit Nicolaus I. *Ep. 70. ad Epiſcopos Gallis*, dicens; *Quod Chriſma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur.*

III. Apud Græcos vero, ut eorum Euchologia teſtantur, præter oleum, & balſamum, triginta quinque aromatum, ſeu herbarum fragrantis odoris ſpecies Chriſmati admiſcentur. Species autem illas omnes infra Quadrageſimam coacervant: & primo per Miniſtros ad hoc deſtinatos tundunt, & cribrant; tum compoſitionem, deinde decoctionem

ctionem faciunt: & confectum unguentum servant usque ad feriam quintam in Cœna Domini, qua illud consecrant ritu solemni. Ita ex antiquo Euchologio Barberino ante octingentos annos conscripto. Ita Justinus Martyr, Dialogo cum Triphone qui licet in particulari non explicet, quænam sint illæ aromatum species; in genere tamen asserit, Chrisma ex plurium aromatum simplicium mixtione coalescere. Has tamen species ex Græcorum Euchologiis distincte refert Goarius noster, de officio unguenti. Quod constat etiam ex Cyrillo Jerosolymitano, *Cateh. Mystag.* 3. illud comparante unguento Mosaico, quo unctus fuit Aaron, & quo ungebantur Sacerdotes, & Reges, quod ex variis aromatibus confectum erat. Tandem Dionysius, *cap. 4. de Eccles. Hierarchia*, ait: *Dicimus igitur unguenti confectionem, esse collectionem quamdam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum continet; cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se afflant, proportione fragrantis communionis, quæ eis inest.*

IV. Non solum autem in modo confectionis Chrismatis, sed etiam in modo unctionis Orientales ab Occidentalibus discrepant. Nam in Occidentali unctio Chrismatis confirmatoria fit tantum in fronte: in Orientali, primo quidem ungitur frons, deinde vero unguntur oculi, nares, os, utraque manus, pedes, Ita *ex Can. 7.* Conc. Constant. I. *anno* 381. *Can. 95.* Concilii Trullani: & Cyrillo Hierof. *Catech. 4. Mytag.* Immo, Syros, Alexandrinos, & Ethyopes omnia prorsus corporis membra inungere scribit Severus, in fine ritus Baptismi.

V. Quæres primo: An admixtio balsami, sive aromatum cum oleo perantiqua sit in Ecclesia.

Ante sextum sæculum admixtionem balsami, sive aliorum aromatum apud Orientales, sive Occidentales vix in usu fuisse: sed puro oleo inungere confirmandos consuevisse, sentit Ivenin. Probabile enim est, Apostolos, eorumque successores iis sæculis, quibus persecutio vigebat, copiam balsami non habuisse, quod oleo miscerent, ad Neophytos confirmandos. Probat etiam ex silentio Patrum Græcorum Justini, Basilii, Cyrilli Jerosolym. Latinorum vero Tertulliani, Cypriani, Innocentii I. Augustini, qui de Chrismate sermonem habentes, balsami non meminere.

VI. Verum, quoad Græcos attinet, putarem perantiquam esse mixtionem, sive balsami, sive aliorum saltem odoramentorum cum oleo in Chrismate conficiendo. Id enim colligo ex Justino, *Dial. cum Triphone, pag. mihi* 313. ubi Chrisma, & unguentum vocat *Omne sive olei, sive aloe, sive aliorum ex unguentorum compositione unctionem.* Cui concinit Dionysius, c. 4. *de Eccl. Hier.* nuper relatus, vocans illud rerum redolentium coacervationem in unum collectam. Cyrillum item Jerosolymit. *Catech.* 3. qui illud assimilat oleo, quo, *Exodi* 30. ungi debebant Sacerdotes; quod ex plurium odoramentorum mixtura confici debebat, Insuper Dionysius citatus dicit, hoc unguentum significare Christum *Fontem copiosum, e quo suavitates divinorum odorum, variarum scilicet gratiarum efflant*: quod non exprimeret, si ex una specie tantum rei bene olentis constasset. Fateor tamen, non iisdem quovis sæculo odoramentis apud Græcos confectum fuisse Chrisma; sed alia sequentibus temporibus, prout necessitas, vel voluntas postulavit, adinventa fuisse.

Usum quoque balsami in Ecclesia Occidentali antiquiorem esse sæculo sexto, mihi suadeo; quia S. Gregorius in suo Sacrament. in Cœna Domini, ubi mixtionem balsami cum oleo in chrismate præscribit, non tamquam ritum novum illum proponit. Unde S. Gregorius Turon. *de Gloria Martyrum, c.* 41. refert, quod cum Idolorum Sacerdos (ut optabat Julianus Apostata) solita incantamenta peragere non posset, & existimaret, se alicujus Christiani præsentia cohiberi; sic Imperatorem affatus est: *Require sacratissime Imperator, quis adest ablutus, balsamo unctus, & abscedat.* Quibus Imperator commotus, ait; *Quis hic Numinibus nostris contrarius ac Religionis Christianæ socius, qui frontem Chrismati inscriptione signatam ferat?* Ergo sæculo quarto oleo confirmatorio balsamum miscebatur. Sed hoc dimisso.

VII. Quæritur secundo: Qua necessitate admixtio balsami cum oleo requiratur; an necessitate sacramenti, an vero solum præcepti?

Respondeo, quod admixtio olei cum balsamo in Confirmatione non est de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate præcepti; non quidem divini, sed ecclesiastici tantum. Prior pars, supposita opinione supra relata, quod aliquo tempore Confirmatio in utraque Ecclesia sine balsami cum oleo mixtura fuerit valide administrata, extra dubium est. Quibus accedit: quod Patres sacramentum Confirmationis vocant sacramentum olei, nil dicentes de Balsamo, inter quos S. Augustinus, *l. 16. de Trinit. c.* 26. & *l. 17. de Civit. Dei, c.* 10. ubi comparat Chrisma cum eo, quo Reges in veteri Testamento ungebantur: certum est autem, quod Reges solo oleo ungebantur.

Hinc Innocentius III. c. *Pastoralis*, Extr. de Sacram. non iterandis, consultus: Confirmatio data cum solo oleo esset valida; respondit: *In talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat omissum.* Si autem in casu, de quo agebatur, sacramentum fuisset nullum, debuisset dicere esse iterandum, sicut itera... ...mus di... cimus Baptisma, quod absque aliquo, quod sit de ... ...tate sacramenti, fuerit collatum.

VIII. Secunda etiam pars eadem ratione probatur. Nam si balsami admixtio cum oleo esset de præcepto divino, Patres hoc tradidissent: & rursus in hoc Pontifices dispensare non potuissent: at Patres hoc non tradiderunt; & Romani Pontifices super hoc dispensarunt. Paulus enim III., & Pius IV. permiserunt Missionariis in India, ubi balsamum syriacum non crescit, illius regionis aromata, balsamo non multum absimilia, oleo miscere, ad hoc sacramentum conficiendum. Cujus dispensationis fidem faciunt Henriquez, *l. 3. de Conf. c.* 2. & Suarez *de Conf. a.* 5. *sect.* 1. ergo &c.

§. II.

Resolutio Secundæ Partis.

IX. HÆc secunda pars tria complecti solet. Primum an benedictio Chrismatis antiqua sit. Secundum, an necessaria. Tertium, a quo facienda sit hæc benedictio.

Circa primum dico, Ritum Chrisma per benedictionem consecrandi antiquissimum esse. Pro Ecclesia Græca testes sunt, Dionysius, *cap. 4, de Ecc. Hier.* antiquum ejus consecrandi ritum describens, Basilius, *l. de Spiritu Sancto, c.* 27. dicens: *Benedicimus Baptismatis aquam, & unctionis oleum.* Cyrillus, *Catechs. 3. Mystagogica*, hæc scribens: *Sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est, post invocationem, sed Christi donarium, & Spiritus Sancti præsentia divinitatis ejus efficiens factum.*

Pro Ecclesia Latina afferri potest S. Augustinus, *lib. 2. contra litt. Petiliani, c.* 104. Chrisma vocans sanctum, & in genere visibiliter signaculorum, sicut Baptisma. Liber Sacram. S. Gregorii Magni, Ordo Romanus, & omnes libri, qui de ritibus agunt. Unde cum hujus consecrationis initium, vel auctorem reperire non sit, ad traditionem apostolicam refundendam esse existimo: juxta S. Augustini regulam *Epist.* 118. nunc 54. *ad Januarium cap.* 1. ut revera illam refudit Basilius, *lib. de Spiritu Sancto, cap.* 17. dicens: *Benedicamus Baptismatis aquam, & unctionis oleum. Quibus vero Scripturis edocti? Nonne a secreta, & silente Traditione?*

X. Circa secundum dico. Probabilius esse, Chrismatis consecrationem non esse de necessitate sacramenti, sed præcepti tantum; & quidem solum Ecclesiastici. Ex nullo enim documento Ecclesiæ, vel Patrum colligi potest, oleum confirmatorium, etsi præventive non consecratum, si cum impositione manuum conjunctum sit, non sufficere ad valide conficiendum hoc sacramentum. Nec enim ex antiquitate hujus consecrationis colligi potest divinum præceptum. Nam, ut dicit Basilius supra laudatus, æque antiquum est benedicere baptismatis aquam, & unctionis oleum; miscere aquam cum vino in altaris Sacrificio semper, & ubique observatum est: & tamen nemo inferet, Baptismum collatum aqua non benedicta nullum esse: aut nullam esse consecrationem vini aqua non permixta; ergo neque dici debet, unctionem Confirmativam factam Chrismate non prius consecrato invalidam esse. Consecratio igitur, quæ requiritur ad necessitatem sacramenti est illa, qua in actu unctionis Chrisma sanctificatur per verba formæ sacramentalis; sicut per hanc consecratur aqua Baptismi, & fit potens effectum sacramentalem producere. Consecratio autem illa, qua sive aqua, sive oleum prævie ad usum consecratur, est ritus purus ecclesiasticus; quæ præparantur, ut sacramento major reverentia concilietur.

XI. Circa tertium vero dico, Chrisma confirmatorium consecrare solis Episcopis quovis tempore licuit, & modo licet, nunquam tamen simplicibus Presbyteris. Constat ex Conc. Carthag. II. *anno* 390. ubi, *can.* 3. hæc habentur: *Chrismatis confectio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant.* Et Carthag. 3. *anno* 397. ubi, *canon* 36. statuitur: *Ut Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, Chrisma vero nunquam conficiat.* Quod etiam in Toletano I. *anno* 400. sancitur. *can.* 20. his verbis: *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis, Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit, ex hac die nullum alium, nisi Episcopum Chrisma facere, & per Diœcesim destinare.* Hoc autem etiam modo exacte præscribi, & observari constat ex Euchologiis, quibus Ecclesia, tam Græca, quam Latina hisce temporibus utitur.

Nec obest, quondam in Ecclesia Latina, & Græca etiam modo sacramentum Confirmationis a simplici Presbytero administrari, ut dicetur. Hoc enim concesso, non sequitur, quod possint Chrisma consecrare; sed solum, quod possint Chrismate ab Episcopo jam confecto, uti in confirmatione administranda; eo modo, quo Presbyteri etiam Latini, esto sint ordinarii ministri, tum Baptismi, tum Extremæ unctionis; non possunt tamen ungere sive Neophyti verticem, sive fidelis infirmi corpus, nisi oleo ab Episcopo consecrato. Unde Eugenius IV. in Instruct. Armen. *Legitur* (inquit) *aliquando, per Apostolicæ Sedis* ... *dispen-*

dispensatione ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc admisce sacramentum. Quod ex hodierno Græcorum usu improbatur: apud quos, teste Arcudio, Patriarcha Constantinopolitanus consecratum ab ipso semel in anno Chrisma mittit ad Metropolitanos, isti ad Episcopos, hi vero ad Presbyteros.

XII. An vero jure tantum Ecclesiastico, an etiam divino Presbyteri prohibeantur Chrisma consecrare.

Verius judico, id eis jure tantum Ecclesiastico prohiberi: Nam Concilia supra relata consecrationem Chrismatis simplicibus Presbyteris vetantia, divini præcepti nullam faciunt mentionem: immo olim valuisse factam per Presbyteros talem consecrationem, colligitur ex Conc. Toletano I. *Can.* 20. super relato. Quo irrita non declaratur consecratio Chrismatis a Presbyteris peracta; & quamvis eam in posterum prohibeat, pro hoc tamen præcepto non adducit auctoritatem juris divini, sed solam praxim contrariam pene universalem Ecclesiæ: *Quamvis* (inquit) *pene ubique custodiatur &c.* Idem colligitur ex Epistola Montani Episcopi Toletani annexa Concilio Toletano II. *anno* 531. ubi instaurans præceptum jam factum de Chrismate a Presbyteris non consecrando, pro ratione adducit Veterum contrariam ab initio Ecclesiæ consuetudinem dicens: *Nova namque præsumptio Præsidentium vobis Presbyterorum nostrorum pulsavit auditus: si tamen nova tantum, & non detestabilis dici possit; qua ab initio fidei Catholica nunquam prater nunc, subrepisse probatur; ut id, quod per manus Summi Pontificis trina divinitatis invocatio sanctificare consuevit, Presbyter ignarus disciplina conficere sibi Chrisma præsumeret.* Et post multa: *An forsitan Sanctorum Patrum regulas, & constitutiones Synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur parochinenses Presbyteri, non per viliores personas, sed aut per semetipsos, aut per Rectores sacrariorum annuis vicibus Chrismata Præsidente sibi Episcopo petant? Credo, quod qui petere jusserunt, potestatem consecrandi penitus abstulerunt.* Solis ergo Patrum regulis, ac constitutionibus Synodicis, ac proinde Ecclesiæ præcepto, adempta est simplicibus presbyteris Chrismatis consecrandi potestas.

DUBIUM IV.

Quænam sit Forma Confirmationis.

§. I.

Quid de Ea Senserint Hæretici?

I. MOderni hæretici, qui Confirmationem e numero sacramentorum dejecerunt, etiam formam Confirmationis carpunt. Kemnitius enim, in *Examine Conc. Tridentini*, contendit primo: formam, qua utimur in Confirmatione, nulla nisi Scriptura. Secundo: hæc verba *Signo te &c.* nedum ab Apostolis usurpata non fuisse: sed neque in vetustis Scriptoribus, nec Canonibus expressa. Tertio: asserit, eam formam fabricatam, immo adulteratam fuisse a posteris, ex Ambrosii sententia, de his, qui initiantur.

Calvinus dicit primo: in nostra Confirmatione non adesse verbum, quod ex Augustino, cum ad elementum accedit, facit sacramentum. Secundo, in Scripturis nihil legi, quod faveat isti formulæ: *Consigno te &c.* Ita l. 4. Inst. c. 19. §. 5. *Peragitur* (inquit) *hac Confirmatio unctione, & hac verborum formula*: Consigno te signo sanctæ Crucis &c. *Pulchre omnia, & venuste: sed ubi Dei verbum quod Spiritus Sancti præsentiam hic promittat? Ne jota quidem, obtendere possunt. Unde ergo nos certiores facient; Chrisma suum esse vas Spiritus Sancti? Videmus oleum, crassum scilicet, & pinguem liquorem: præterea nihil. Accedat, inquit Augustinus, verbum ad elementum, & fiet sacramentum. Hoc, inquam, verbum proferat; si quidquam nos intueri in oleo volunt aliud, quam oleum.* Ita Calvinus.

Marcus Antonius de Dominis, alias Spalatensis, hic duo scribit. Primum: in Scriptura nihil haberi, sive certum, ac definitum, quibus verbis sit utendum, vel ubi sint Apostoli in danda Confirmatione: sive certum, & indefinitum, puta, orandum esse, vel benedicendum. Secundo: orationem non posse esse formam sacramenti; quia oratio impetrat gratiam ex opere, quod ajunt operantis, & forma sacramentorum eam conferunt ex opere operato.

Similia profert Dallæus Calvinista, qui postquam ait, nihil in omnibus Scripturis legi simile verbis istis: *Consigno te &c.* addit: quod etiam ab Evangelii majestate tantum distant, quantum Cælum a terra abest. Hæc Acatholici supponentes, apud Catholicos fide certum esse, formam essentialem Confirmationis apud Latinos esse determinate hæc verba; *Consigno te &c.*

II. Hoc tamen verum non est. Cum ex Doctoribus Catholicis plures non ignobilis notæ sentiant, formam olim fuisse, & nunc esse orationem, qua Episcopus Neophyto manum imponens spiritum ad robur advocat. Aliqui, ut pluribus placet, utrumque ritum, nempe, impositionis manuum, & unctionis Chrismate ad Confirmationis substantiam pertinere, volunt, adæquatam illius formam constare ex oratione, quæ impositionem manuum comitatur, & verbis, quæ proferuntur, dum Neophyti frons inungitur.

Quia vero non solum de forma Confirmationis apud Latinos, sed etiam apud Græcos controversia est; idcirco de utraque hic sermo erit: & quid probabiliter sentiamus, aperiemus.

§. II.

Forma Confirmationis apud Græcos.

III. CIrca formam essentialem Confirmationis, apud Græcos, discordant Auctores. Gabriel enim Philadelphius, in *Tract. de Sacram.* putat, hanc esse orationem, qua Chrisma consecratur. Alii; ut Arcudius, & Goarius volunt, formam esse hæc verba: *Signaculum donationis, sive doni Spiritus Sancti.* Alii, ut Sambonius, Natalis Alexander cum pluribus sentiunt, eam esse orationem, quæ unctionem Neophyti præcedit, quæque sic incipit: *Benedictus Dominus Deus Omnipotens.*

IV. Dico igitur primo. Forma essentialis Confirmationis, apud Græcos, non potest esse oratio, qua Chrisma consecratur.

Probo. Nam per verba illa Pontifex solum consecrat unguentum, quod est materia, non autem efficit Confirmationis sacramentum. Sicut dum aqua Baptismi benedicitur, constituitur quidem materia Baptismi; sed non efficitur Baptismus, nisi cum verba a baptizante super corpus, quod abluitur, proferuntur: benedictio autem aquæ est quidem præparatoria materiæ, sed non est forma Baptismi; ergo similiter verba, quibus a Pontifice consecratur unguentum, sunt quidem præparatoria materiæ, non tamen determinativa materiæ ad esse sacramenti.

V. Confirmatur. Nam Confirmatio non est sacramentum permanens, sed transiens, ac in usu consistens; nec de facto est, nisi cum materia debita per verba actu subjecto applicatur: solius quippe Eucharistiæ proprium est, ut licet nemo ea utatur, sive quamvis nemo eam sumat, veri sacramenti rationem habeat; atqui si verba, quibus unguentum consecratur, essent forma, jam Confirmatio esset sacramentum permanens: adesset enim ante usum materia, nempe Chrisma, adesset forma, nempe oratio, qua consecratur; ergo adesset sacramentum ante usum, nempe ante unctionem.

VI. Urgetur magis. Confirmatio data a Simplici Sacerdote apud Græcos nunc valet, & antiquitus valuit: at in sententia opposita non valeret. Ut enim valeat administrata a Presbyteris Confirmatio, oportet, ut illius formam proferant: quemadmodum, ut quis baptizet, requiritur, ut ipsemet formam Baptismi proferat; ergo cum in suppositione Adversariorum Presbyteri Græci non proferrent Confirmationis formulam: nam ipsi Chrisma, quo Neophytos inungunt, non consecrant, sed a suis Patriarchis consecratum accipiunt, quod ab antiquo in praxi fuit, & etiam modo est: sequitur, quod ipsi sacramentum Confirmationis non conficiant, neque conferant.

VII. Nec valet, si cum aliquibus respondeas, Presbyteros Græcos eo sensu dici Ministros Confirmationis, quod sacramentum jam confectum recenter baptizatis dispensent; unde fit, non oportere, ut ipsimet illius formam proferant: sicut nec oportet, ut formam Eucharistiæ proferant sacerdotes, dum jam ab alio confectam populo dispensant.

Nam hoc posito sequitur primo: quod sacramentum Confirmationis non consistat in usu, sed sit permanens, sicut Eucharistia. Secundo: quod dispensata etiam a laico Confirmatio valeret, quemadmodum valet Eucharistia: sacramentum enim, quod jam confectum permanet, valet a quocumque distribuatur. Valere autem a laicis datam Confirmationem nemo hactenus dixit, nec ut puto, dicet.

VIII. Sed dices. Cyrillus Jerosolymitanus, *Catechesi 3. Mystagica* dicit, quod quemadmodum *Panis Eucharistia post invocationem Sancti Spiritus non est communis panis, sed Corpus Christi: ita & sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque .... commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium, & Spiritus Sancti præsentia divinitatis ejus efficiens factum;* ergo sicut panis consecratione fit Corpus Christi: ita oratione Chrisma fit sacrum, & accipit virtutem conferendi Neophytis Spiritum Sanctum.

IX. Respondeo, S. Cyrillum non loqui de benedictione Chrismatis facta a Pontifice, quæ solum unguentum reddit idoneum, ut assumatur ad Confirmationem, tamquam materia, sicut aqua benedictione redditur idonea ad Baptismum: sed loqui de invocatione Sancti Spiritus, quæ immediate unctionem præcedit, & cum ea conjungitur: quam probabiliter dicemus, esse formam inadæquatam sacramenti Confirmationis. Loqui autem de ista indicant Cyrilli verba sequentia, nempe: *At dum unguento visibili inungitur corpus, Sancto, ac vivifico Spiritu anima sanctificatur.*

Nec valet dicere, Confirmationis formam esse verba quæ a Pontifice super Chrisma proferuntur, Græcos passim asserere —— Nam dico nullius esse momenti Recentiorum Græcorum opinionem, propter rationes superius allatas.

Hac

Hac enim in cauſa (ſicut in aliis) ab avita Patrum, & veteri Traditione receſſiſſe Recentiores Græci dicendi ſunt.

X. Dico ſecundo. Forma Confirmationis Græcorum adæquate conſiſtit in oratione immediate præcedente unctionem, quæ incipit; *Benedictus te Domine Deus omnipotens*; & in verbis, quæ Miniſter ungendo profert, nimirum: *Signaculum donationis, & doni Spiritus Sancti:* ita ut ex utraque conflatur eſſentialis forma Confirmationis. Ita probabiliter ſentio. Tum quia: ſic conciliantur variæ Doctorum ſententiæ. Tum quia: eodem modo in Euchologiis ſeguntur. Tum quia: per priora verba Miniſter expreſſe invocat a Deo Confirmationis effectum; per poſteriora vero ſignificat, ſe illum Neophyto conferre.

§. III.

Forma Confirmationis apud Latinos.

XI. NOn una eſt apud Doctores ſententia de eſſentiali apud Latinos Confirmationis formula. Qui enim docent, ſolam impoſitionem manuum eſſe adæquatam hujus ſacramenti materiam; docent illius formam olim fuiſſe, & nunc eſſe orationem, qua Epiſcopus manum imponens, Spiritum Sanctum ad robur invocat. Alii, quibus ſola unctio Chriſmatis videtur eſſe materia, volunt, formam eſſentialem his ſolis verbis contineri: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Aliqui vero, quibus uterque ritus, impoſitionis ſcilicet manuum, & unctionis Chriſmatis, videtur ad Confirmationis ſubſtantiam pertinere; volunt, adæquatam illius formam coaleſcere ex oratione, quæ in Pontificali Romano impoſitionem manuum comitatur, & verbis, quæ proferuntur, dum Neophyti frons inungitur.

XII. Dico. Quamvis probabile admodum ſit, immo fere commune apud Scholaſticos, Latinorum formam in Confirmatione eſſe hæc verba: *Signo te ſigno Crucis &c.* cenſeo tamen, non ea ſola, & ut ſejuncta ab oratione, & impoſitione manuum, ſed ut cum ea conjuncta, & illam includentia, eſſe formam adæquatam, & eſſentialem Confirmationis.

Prior pars traditur communiter in Scholis, eamque docere videtur S. Thom. 3. *p. q. 72. art.* 4. his verbis: *In hoc ſacramento datur Spiritus Sanctus ad robur ſpiritualis pugnæ. Et ideo in hoc ſacramento tria ſunt neceſſaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum eſt cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sancta Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur.* In nomine Patris &c. *Secundum eſt ipſum robur ſpirituale, quod homini confertur per ſacramentum materia viſibilis ad ſalutem, quod quidem tangitur, cum dicitur:* Confirmo te Chriſmate ſalutis. *Tertium eſt ſignum, quod pugnatori datur: ſicut & in pugna corporali milites inſignia Ducum inſigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur,* Confirmo te ſigno Crucis, *in quo ſcilicet Rex noſter triumphavit, ut dicitur, Coloſſ.* 2. S. Thomæ conſentiunt S. Bonaventura, Scotus, Suarez, & communius Scholaſtici. Quibus favere videtur Eugenius IV. in decreto pro Armenis.

Secunda autem pars ponitur a nobis tum ad conciliandas Recentiorum varias opiniones, tum, ut cohærenter loquamur ad ſupradicta, *Dub.* 2. §. 2. Cum enim ibi dixerimus, materiam adæquatam Confirmationis ex impoſitione manuum, & chriſmatione conſurgere; conſequens eſt, ut etiam forma Confirmationis adæquata conſurgat ex verbis, quæ profert Pontifex imponendo, ſeu extendendo manus ſuper confirmandos, & ex iis, quæ pronuntiat, eos Chriſmate inungendo.

XIII. Hac via componimus etiam ritum, quem hodierno tempore ſervat Eccleſia in Confirmatione, cum ritu, quem ſervarunt Apoſtoli: qui, ut habetur, *Act.* 8. orantes imponebant manus. Quamvis autem, ut docet S. Th. 3. *p. q. 72. art.* 2. *ad* 1. & *art.* 4. *ad* 1. tunc non uterentur alia materia, & forma; quia Spiritus Sanctus per ſua dona viſibiliter ſuper confirmatos deſcendebat; tamen quia, ceſſantibus talibus donis viſibilibus, credibile eſt, ut docet idem S. Thomas citatus, cœpiſſe in Confirmatione Chriſma, & verba adhibere; ita credibile eſt, eos ritum orandi, & manus imponendi ſuper Neophytos non omiſiſſe, cum illum etiam nunc ſervet Eccleſia.

Hac dicendi ratione evitamus etiam difficultates, quas proponunt, qui ſentiunt ſolam orationem, quæ manuum impoſitionem comitatur, fuiſſe, & eſſe formam Confirmationis. Conantur enim oſtendere, ante ſæculum ſeptimum, cum de Confirmatione ſermo fuit, nullius formæ mentionem factam fuiſſe, quam invocationis Sancti Spiritus. Ita Cyprianus, qui tertio ſæculo vixit, Ep. 73. ad Jubajanum: *Tantummodo* (inquit) *quod deerat, id a Petro, & Joanne factum eſt; ut oratione pro iis habita, & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus, quod nunc quoque apud nos geritur.* Hieronymus, Dialogo contra Luciferianos; *Hæc eſt conſuetudo Eccleſiarum, ut Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impoſiturus excurrat.* Ambroſius, qui eodem quarto ſæculo vixit, *lib.* 3. *de Sacram. c.* 12. ait: *Sequitur ſpirituale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi: quia poſt frontem* (ideſt Baptiſmum) *ſequitur, ut perfectio* (per Confirmationem) *fiat, quando ad invocationem Sacerdotis* (ideſt Epiſcopi, qui eminenter Sacerdos eſt, vel ſimplicis Presbyteri, qui Miniſter extraordinarius eſſe poteſt) *Spiritus Sanctus infunditur, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus.*

Invocatio autem orationem indicat. Auguſtinus etiam, qui quinto ſæculo vixit, l. 15. de Trinit. cap. 26. *Neque enim* (inquit) *aliquis Diſcipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum: orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non niſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis, etiam nunc ſervat Eccleſia.*

Item S. Gregorius Magnus, qui deſinente ſæculo ſexto Romæ ſedit, in ſuo libro Sacrament. ſic Confirmationis ritum deſcribit: *Levata manu ſua ſupercapita omnia dicit:* Omnipotens ſempiterne Deus &c. *Et interrogantibus Diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in Chriſmate facit crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſingillatim. Quibus expletis, juſſi incipiunt in Eccleſia Litaniam ternam.* Quibus nulla exprimuntur verba dicenda a Pontifice, dum Chriſmate ſignat in fronte.

XIV. Accedit: quod ante ſæculum ſeptimum nullum monumentum afferri poteſt, quod de his verbis, *Signo te &c.* mentionem fecerit, Solus Antiquus Ordo Romanus, qui ſæculi octavi ætatem ſapit, primus fuit, qui eas voces: *Signo te*, vel *Confirmo te*, adhibere cœpit. Ait enim. *Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex Chriſmate in ſingulorum frontibus. ita dicendo: Confirmo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ante illum Ordinem de illis verbis altum eſt ſilentium. Immo nec ritus in Ordine Romano præſcriptus, ſtatim fuit ab omnibus Eccleſiis receptus. In Eccleſia enim Trevirenſi, cui præerat Amalarius, ſæculo nono, verba præfata non adhibebantur. Libro enim 1. *de Officiis, c.* 17. hæc ſcribit: *Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex Chriſmate in ſingulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Alcuinus etiam, qui ſcribebat circa annum 778. aſſerit, ſua ætate ſolam SS. Trinitatis invocationem prolatam fuiſſe ab Epiſcopo, dum Neophytum chriſmaret. Ait enim: *Hac finita* (Oratione) *facit crucem de Chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Pax tibi; Reſpondent omnes: Et cum ſpiritu tuo.* A ſæculo igitur ſolum duodecimo ritus iſte, ſaltem ubique, in Eccleſia Occidentali uſurpari cœpit; cum in Pontificalibus ab eo tempore exaratis præfata verba reperiantur: ut in Rothomagenſi, circa ann. 1150. in Turonenſi, & Toloſano, anno circiter 1250. Ait enim Toloſanus codex, verba Confirmationis indicans: *Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo.* Quæ forma cum ea conſonat, quam Eugenius IV. ann. 1440. pro eorum inſtructione Armenis propoſuit; & quam poſtea omnes Occidentales Eccleſiæ amplexæ ſunt. Cæterum neque iiſdem verbis ab omnibus Eccleſiis proferebatur, teſte Alexandro de Hales, 4. *p. ſuæ Summæ, q.* 9. *membro* 1. ubi ait: *Hujus ſacramenti* (Confirmationis) *ſecundum conſuetudines diverſarum Eccleſiarum diverſæ ſunt formæ verborum. Habet enim quædam Eccleſia formam.* Confirmo te ſigno Crucis, & charactere ſanctificationis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *Alia eſt iſta:* Confirmo, conſigno te ſigno Crucis, & Chriſmate ſanctificationis, in nomine Patris &c.

XV. Cum ergo tam varius fuerit in forma Confirmationis ritus: nam, ut vidimus, prioribus ſæculis reperire non eſt, quod Eccleſia Occidentalis inungens Neophyti frontem pronuntiaverit hæc verba: *Signo te ſigno Crucis &c.* immo potius appareat, nulla in tali actu pronuntiaſſe verba; & iis inſuper temporibus, quibus verba uſurpare cœpit, non omnes Eccleſiæ eadem uſurparent: nam aliæ ſola invocatione Trinitatis contentæ, actum confirmantis exprimere cœperunt, non omnes iiſdem verbis eum præſtabant. Cumque ex alia parte oratio, quæ manuum impoſitionem comitatur, ſemper, & ubique ab initio Eccleſiæ, & ab ipſis Apoſtolis pronuntiata fuiſſe legatur: propterea recentiores aliqui, inter quos Natalis noſter Alexander, in *Hiſt. Eccleſ. Saculi* 2. *Diſſert.* 10. §. 22. Iuenin. *de Sacr. Confirm. Q.* 3. *cap.* 2. *art.* 3. & alii cenſent, ſolam orationem, quæ impoſitionem manuum comitatur, & quæ antecedit unctionem, eſſe formam eſſentialem Confirmationis adæquatam: verba autem quæ unctionem comitantur, ſpectare tantum ad ritum accidentalem, ac diſciplinam. E contra autem alii communius ſuſtinent, formam eſſentialem eſſe hæc ſola verba, quæ inungendo Pontifex pronuntiat: *Signo te ſigno Crucis &c.*

XVI. Poteſt hæc controverſia finiri, utendo doctrina, quam, in *Tract. de Sacr. in gen.* probabilem judicavimus; nempe, quod non omnium ſacramentorum materias, & formas Chriſtus in ſpecie atoma præſcripſit, ſed aliquorum ſolum in genere: & ſic in hoc ſacramento determinavit ſolum verba expreſſiva præſentiæ Sancti Spiritus roborantis, & confirmantis in fide per baptiſmum ſuſcepta. Quod autem hæc verba exprimerentur optativo, & deprecatorio modo in manus impoſitione, vel modo indicativo in actuali unctione; Eccleſiæ ſuæ pro temporum, & circumſtantiarum varietate determinandum reliquit. Cum autem Eccleſia, licet per multa ſæcula agnoverit pro forma eſſentiali Confirmationis orationem, quæ manus impo-

impositionem comitatur, determinaverit postea pro forma verba absoluta, quæ a Pontifice, dum inungit, super Neophytum proferuntur : ideo hæc modo pro forma hujus sacramenti habenda sunt. Et hoc quidem probabiliter dici potest.

XVII. Verum non minori probabilitate sustineri posse censeo assertionem nostram, quæ nec excludit a forma Confirmationis orationem conjunctam cum manus impositione; & sic salvat ritum antiquum, quo vel ipsi Apostoli usi fuisse leguntur; & ritum, quo in præsens Ecclesia Latina utitur: dum a forma non excludit verba, quæ in actuali unctione proferuntur; & utraque verba asserit concurrere ad unam hujus sacramenti formam adæquatam constituendam. Hac enim via componimus etiam, nedum discordes Latinorum opiniones; sed etiam Ecclesiam Græcam cum Latina; nam Græci & orant, dum manus imponunt, & dum inungunt, hæc proferunt verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti*. Cohærenter etiam loquimur ad superius dicta: cum enim pro materia adæquata statuerimus & manus impositionem, & unctionem; congruum est, ut pro forma adæquata hujus sacramenti ponamus verba, quæ & manum imponendo, & ungendo Minister profert.

Salvamus etiam decretum Eugenii IV. Non enim probare possumus expositionem illorum, qui dicunt, Eugenium proposuisse Armenis hæc verba: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris &c.* non tamquam formam huic sacramento essentialem: sed quod solemne esset Romanæ Ecclesiæ illa verba proferre post orationem invocantem Septiformem Spiritum. Non, inquam. Nam primo Eugenius verbis laudatis præmittit: *Forma autem est: Signo te &c.* Secundo: quia nimis diminutus fuisset in sua instructione, si amissa forma essentiali, contentus fuisset solum ea, quæ ad ritum accidentalem, & disciplinam pertinent, Armenos edocere. Sicut ergo dum de Baptismo eos instruens dicit, formam esse: *Ego te baptizo &c.* indicavit eis formam essentialem; ita etiam dum ait: *Signo te &c.* indicavit formam essentialem Confirmationis.

XVIII. Sed dices primo. Eugenius ita indicavit pro forma Confirmationis hæc verba: *Signo te*; ut non meminerit orationis, quæ impositionem manuum comitatur; ergo ita illa verba statuit pro forma essentiali, ut eam judicaverit esse unicam & adæquatam.

Dices secundo. Etiam Baptismi collationem præcedit oratio, sicut etiam oratio præcedit absolutionem; sed nemo dixerit, eam orationem esse formam adhuc inadæquatam, sive Baptismi, sive pœnitentiæ; ergo nec dici poterit orationem, quæ præcedit unctionem, esse formam adhuc inadæquatam Confirmationis.

XIX. Respondeo ad primum, Eugenium non meminisse orationis, quæ cum impositione manus super Neophytos fit: vel quia hoc jam erat in usu apud Armenos; ideoque super hoc instrui non indigebant. Vel quia memorando verba, quæ unctionem comitantur, tacite indicavit orationem præcedentem, quam includunt, veluti consummativa, & completiva illius sacramentalis actionis; & significantia Spiritum Sanctum oratione invocatum illa unctione adesse præsentem. Ex quo fit, quod licet oratio sit pars essentialis: pars tamen, & forma dans ultimam speciem sacramento sint hæc verba, *Signo te signo Crucis &c.*

XX. Ad secundum respondeo, aliter ad Baptismum, & pœnitentiam prærequiri benedictionem, & deprecationem, ac requiratur ad Confirmationem oratio advocatoria Spiritus Sancti; unde ista potest esse essentialis sacramento, illa autem solum præparatoria, & pertinens ad ritum. Et ratio est. Quia Christus Baptismi auctor nullam in collatione Baptismi orationem, aut benedictionem præscripsit; sed solum dixit: *Baptizantes eos, in nomine Patris &c.* Unde hac sola invocatione conferri voluit; & de facto sive pueris, sive adultis hac sola collatus valet Baptismus, omni alio ritu omisso. Similiter cum Apostolis dedit absolvendi potestatem, nullam eis deprecationem præscripsit: sed tantum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Unde deprecatio, quæ a Sacerdote absolvente fit, est ritus, non substantia sacramenti. At de Confirmatione aliter res est. Ad asserendum enim orationem S. Spiritus esse de substantia sacramenti, fundamentum sufficiens habemus. Primo: ex facto Apostolorum, qui orantes imponebant manus, utique ex mandato Christi; & statim veniebat Spiritus S. super Neophytos. Secundo: ex continua praxi Ecclesiæ, quæ ab Apostolorum tempore semper hoc servavit; nec umquam legitur, sine oratione, ac manus impositione sacramentum hoc dispensasse. Unde quemadmodum ex eo, quod de Extrema Unctione dicat Jacobus, c. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*; inferimus formam essentialem illius sacramenti esse deprecatoriam: ita quia in conferenda Confirmatione habemus, Apostolos orantes eam contulisse; & rursus Ecclesiam ungendo Neophytum verbis absolutis uti, colligere possumus, formam essentialem hujus sacramenti adæquatam esse partim deprecatoriam, partim absolutam.

XXI. Dices tertio pro opinione, quæ asserit, verba comitantia unctionem non esse formam, sed meram Ecclesiæ disciplinam. Omissis, seu variatis verbis pertinentibus ad formam essentialem sacramenti, non habetur sacramentum: sed verba *Signo te signo Crucis &c.* per plura sæcula fuerunt omissa; & cum cœperunt pronuntiari; non eodem, sed diversis modis fuerunt prolata, ut supra dictum est; ergo Confirmatio illis temporibus collata, vel fuit nulla, vel verba illa non sunt de substantia formæ.

XXII. Respondeo, nego min. pro prima parte. Ex silentio enim per septem sæcula harum vocum: *Signo te signo Crucis &c.*, non arguitur, eas illis sæculis non fuisse in Confirmatione prolatas: sicut esto non legatur, prioribus sæculis usam fuisse Ecclesiam in Baptismo his vocibus: *Ego te baptizo &c.* non bene inferretur, illis sæculis voces illas in Baptismo Ecclesiam non adhibuisse: & sicut esto solum legatur, quod vergente sæculo sexto Ecclesia Romana baptizabat his verbis: *Ego te baptizo &c.* ut in *l. Sacr.* S. Gregorii, non arguitur hunc ritum tunc primo incepisse; ita esto solum circa sæculum octavum in Ordine Romano legantur hæc verba: *Confirmo te &c.* prolata in Confirmatione, non infertur, tunc primo cœpisse proferri. Multa enim perpetua Traditione in Ecclesia semper servata sunt, quæ ab initio scripta non fuerunt, ut ex S. Dionysio docet S. Th. 3. *p. q. 72. art. 4. ad 1.*

Ad secundam vero partem min. nego, formam Confirmationis fuisse successu temporum substantialiter variatam. Quamvis enim variis temporibus diversis terminis legatur concepta: semper tamen concepta fuit vocibus significantibus consignationem, & robur cum invocatione Trinitatis, quod requiritur ad substantiam formæ Confirmationis. Eo vel maxime: quia cum hæc verba non accipiantur ut solitarie prolata, sed ut relata ad antecedentia deprecatoria, & cum illis conjuncta; id, quod aliquando istis defuit, suppleri poterat, ac subintelligi ex antecedentibus.

Addo: quod forma, qua utuntur Græci, nempe: *Signaculum doni Spiritus Sancti*: diversis terminis concipitur, ac forma hæc: *Signo te signo Crucis*, qua utuntur Latini: & tamen quia idem substantialiter significat, Confirmatio Græcorum valida est. Ratio autem hujus variationis esse potest. Quia cum Christus non determinaverit, quibus verbis conferenda esset Confirmatio, sicut determinavit verba, quibus conferendus esset Baptismus, & conficienda Eucharistia, nec Apostoli hoc indicaverint; arbitrio Ecclesiæ his, vel illis verbis, idem tamen significantibus, relictum fuisse, secundum temporum diversitatem, credendum est. Hæc dicta sint opinando potius, quam asserendo.

QUÆSTIO II.

De Ministro Confirmationis.

CAusis intrinsecis, & essentialibus Confirmationis, materia scilicet, ac forma statutis, de causa extrinseca, præsertim ministeriali, agere intendimus, aliqua etiam de causa principali, seu institutore dicturi.

DUBIUM I.

An solus Episcopus sit Ordinarius Confirmationis Minister?

§. I.

De Auctore Confirmationis.

I. AUctorem Confirmationis fuisse Christum, negant aperte Lutherus, Calvinus, Socinus, & omnes istorum gregarii: contendentes, ritum, quem Confirmationis dicimus sacramentum, non esse sacramentum, nec Christum habere auctorem; sed otiosam esse cæremoniam, ut supra, *Dub. 1. Q. præced.* vidimus: chrismationem autem humanum esse figmentum omni effectu nudum. Contrarium autem tenet, tenuitque semper utraque Catholica Ecclesia Latina, & Græca: immo hæc, quantumvis modo schismatica, adhuc hanc veritatem custodit.

Dico igitur. Christus fuit Confirmationis vere auctor. Constat ex dictis. Nam cum citato *Dub. 1.* statuerimus, Confirmationem esse verum novæ legis sacramentum: cumque, in *Tract. de Sacram. in gen. Q. 6. Dub. unico* ostenderimus, Christum fuisse omnium sacramentorum novæ Legis immediatum institutorem; consequens est, fuisse etiam Confirmationis auctorem. Constat etiam, quod cum Ecclesia vel ab ipso Apostolorum tempore hunc ritum administraverit, ac Traditione continua illum servaverit; & per Apostolos adhibitus quidem legatur, sed non ab eis institutus: illum a Christo auctore accepisse credere par est,

III. De tempore autem, quo Confirmatio fuit a Christo instituta, non una Catholicorum Doctorum sententia est. Quidam enim pridie mortis eam institutam credunt; quidam post Resurrectionem, quidam in die Pentecostes. Nobis placet sententia S. Thomæ, 3. *p. q. 72. art. 1. ad 1.* dicentis: *Quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo; secundum illud, Jo. 16.* Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam

mittam eum ad vos, *Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundum illud, Jo: 7.* Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Ubi advertendum, illa S. Thomæ verba, *non exhibendo, sed promittendo*, non facere sensum, quod Christus promiserit institutionem quidem ante Passionem, sed non instituerit, nisi post Ascensionem, ut falso putat Dallæus Calvinista; sed quod instituerit ante Passionem, vel Ascensionem, sed non dandum, & exhibendum, nisi post Ascensionem. Esto autem ante Passionem hoc sacramentum instituerit; potestatem tamen illud ministrandi credimus Apostolis non contulisse, nisi post Resurrectionem, cum ante Resurrectionem nec Episcopi essent, nec jurisdictionis potestatem accepissent, sed solum, *Joann.* 20. cum eis insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur;* ergo &c.

IV. Nec refert, quod nec materia, nec forma legantur a Christo instituta pro hoc sacramento. Cum enim Ecclesia ab initio impositione manuum, & chrismatione, & verbis in confirmandis Neophytis semper usa fuerit: a quo hunc ritum accepit, nisi a Christo, vel ab Apostolis a Christo edoctis, eo maxime tempore, quod a Resurrectione fluxit ad Ascensionem: quo tempore, scribit Lucas, *Act.* 1. *v.* 3. quod erat per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno Dei? Huc pertinet illa S. Leonis sententia, Sermone de Ascensione: dicentis: *Hi dies, qui inter Resurrectionem, Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu; sed magna in eis confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria.* Causam hujus silentii in Scripturis assignat S. Thom. in 4. *dist.* 7. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 1. his verbis: *Nec obstat, quod in Evangelio, vel in Actibus Apostolorum non fit mentio de materia, & forma hujus sacramenti, quia forma sacramentales, & alia, quæ in sacramentis exiguntur, occultanda erant in primitiva Ecclesia propter irrisiones Gentilium, ut Dionysius dixit: Unde etiam in fine Eccl. Hierarchiæ excusat se a determinatione formarum sacramentalium. Secus autem est de Baptismo, quod erat sacramentum necessitatis, & statim cuilibet offerebatur.*

V. Nec pariter obest, quod in die Pentecostes, in quo Apostoli confirmati fuerunt, nulla adhibita fuerit materia, aut forma. Nam tunc confirmati non fuerant modo ordinario, & sacramentali; sed extraordinario a Deo immediate sensibilibus, sed mirabilibus signis; ex quo non licet trahere argumentum ad Confirmationem modo ordinario collatam, ut supra diximus ex S. Th. 3. *p. q.* 72. *a.* 2. *ad* 1.

§. II.

Resolutio Dubii.

VI. Circa ordinarium Confirmationis Ministrum variis temporibus errarunt Sectarii. Photius Pseudo-patriarcha Constantinopolitanus, sæculo nono, Confirmationis administrationem eodem jure Presbyteris simplicibus adscripsit, quo Baptismatis administrationem.

Waldenses indigne ferebant, ut jus ordinarium confirmandi solis Episcopis tribueretur. *Mirantur* (inquit de illis Reynerus) *quare solis Episcopis liceat confirmare.* Eidem errori subscripsere Wicleffistæ, & Hussitæ: Wicleffi enim hic articulus a Concil. Constantiensi damnatus est: *Confirmatio juvenum .... reservatur Papæ, & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis.* Qui error in Waldensibus, Wiccleffistis, & Hussitis ex alio errore procedebat. Nam post Aerium censebant, nullum inter Episcopum, & Presbyterum interesse discrimen.

Lutherus etiam, *lib. de Capti. Babylonica*, distinctionem Presbyterorum ab Episcopis subsannans, istos arguit, quod sibi solis jus confirmandi tribuant. *Postquam* (inquit) *sacramenta illa negotiosa una cum verbo aliis inferioribus, ut vilia reliquerunt; justum fuit, ut facile aliquod tam delicatis, & magnis Heroibus non esse molestum inveniremus ... Nam quod humana statuit sapientia, oportet, ut hominibus sit honoratum.*

In hoc etiam totus est Calvinus. Nam, *l.* 4. *Inst. c.* 19. invehitur in Episcopos, quod Baptismum ab omnibus, & Eucharistiam a Presbyteris confici sinant; sibi autem solis confirmandi jus reservarint. Subdens: *Si quis ab illis sciscitetur, unde tanta prærogativa Episcopis delata fuerit, quam rationem afferent præter suam libidinem?* Sed his rejectis.

VII. Dico. Solus Episcopus est ordinarius Confirmationis Minister. Veritas Catholica est. Quam primo accipimus ex Scriptura, *Act.* 8. *vers.* 14. ubi legitur, quod cum audissent Apostoli, Philippum Diaconum multos in Samaria baptizasse; miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui utpote Apostoli erant Episcopi, ut baptizatis a Philippo imponerent manus, & robur Spiritus Sancti manus impositione conferrent: quam impositionem manus sacramentum Confirmationis esse diximus. Si enim Philippus, sicut erat Minister Baptismi, fuisset etiam Minister Confirmationis, cur sicut Samaritas baptizavit, ita eis baptizatis manum non imposuit? Cur ad hoc opus mittendi fuissent Petrus, & Joannes? Signum ergo est, evangelizare, & baptizare etiam Diaconorum officium fuisse; baptizatis autem robur Spiritus Sancti conferre, solis Apostolis fuisse reservatum. Unde etiam, *actor.* 19. iis, qui jam fuerant baptizati, solus Paulus manum imposuit. Tunc sic: atqui soli Episcopi Apostolis in munere Apostolatus, nimirum, in Ecclesiæ regimine succedunt: his enim eam regendam Spiritus Sanctus credidit, teste Paulo, Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo;* ergo &c.

Hanc expositionem confitmat Chrysostomus, *Hom.* 18. *in Acta*, his verbis: *Mea sententia hæc: Philippus unus e septem erat, secundus a Stephano, ideo & baptizans Spiritum Sanctum non dabat: neque enim facultatem habebat, hoc enim donum solorum Apostolorum erat. Nam virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare: unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.*

VIII. Traditione etiam id probatur. Cujus testes sunt Cyprianus, *Ep.* 73. *ad Jubajanum*, scribens; *Ut qui baptizantur, Præpositis Ecclesiæ* (ideſt Episcopis) *offerantur, ut per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Et ad hunc finem dicit, missos fuisse Petrum, & Joannem, ut a Philippo baptizatis manus imponerent. Concilium item Eliberitanum, medio sæculo post Cypriani martyrium coactum, nempe, *anno* 313. *Can.* 38. de baptizato in casu necessitatis, statuit: ut *Si supervixeris, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit* Et Can. 17. *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus per benedictionem eos perficere debebit.* Idem docet S. Hieronymus, *Dial. adv. Lucifer.* S. Augustinus *l.* 15. *de Trinit. cap.* 26. supra laudati.

IX. Id etiam quovis sæculo Romani Pontifices testati sunt. Cornelius enim Papa, medio sæculo 3. *Epist. ad Fabianum Antiochenum*, apud Eusеb. *l.* 6. *Hist. Eccl. c.* 43. de Novatiano, qui ut vidimus, Confirmationem aspernabatur. *Neque* (inquit) *ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?*

Innocentius I. sæculo 5. cum in Diœcesi Eugubina quidam Presbyteri id sibi muneris arrogarent, *Epist. ad Decentum Eugubinum Episcopum, cap.* 3. ita scribit: *De consignandis vero infantibus, manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum Sanctum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat; verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.*

X. Ex his redditur ratio, tum Photio, qui in Epist. Encyclica ad Patriarchales sedes Orientis, sæculo 9. petebat; unde veniret hæc, nempe, non licere Sacerdotibus confirmare, his verbis: *Non licet Sacerdotibus, ajunt,* (Occidentales) *eos, qui sacro Baptismate initiantur, unguento sanctificare: solis enim Pontificibus hoc datum esse. Unde venit ista lex? & quisnam hujus legis conditor?* Tum Calvino supra citato, hoc idem impudenter postulanti. Respondemus enim, hoc Ecclesiam perpetua consensione, & consuetudine statuisse; quia sic per Apostolos factum legit, ut testantur Chrysostomus, & Innocentius, & ante omnes, Cyprianus supra laudati.

XI. Quod si cur ita factum sit, adhuc efflagitent: exhibetur eis ratio congruens, quam dat S. Th. 3. *p. q.* 72. *art.* 11. sub hac forma. Sicut ad artifices pertinet ligna struere pro ædificatione domus, ad Architectum vero eam complere, ac perficere, & ad Notarium scribere, sed ad Dominum epistolam subsignare: ita inferioribus Ministris competit spirituale ædificium inchoare per Baptismа, & illud Ecclesiæ adscribere; perficere vero, & subsignare ejus est, qui Ecclesiæ præsidet, qualis est Episcopus; ergo licet simplicibus Presbyteris conveniat baptizare, confirmare autem, quod est quasi opus perficere, & obsignare, conveniet Episcopo.

Verba S. Thomæ sunt: *In quolibet opere ultima consummatio suprema arti, aut virtuti reservatur; sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam; supremus autem est, ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum. Unde epistola, quæ a Notario scribitur, a Domino Papa firmatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud* 1. Cor. 3. Dei ædificatio estis: *Sunt etiam quasi quædam* Epistola Spiritu Dei scripta, *sicut dicitur,* 2. *Cor.* 3. *Hoc autem Confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti Baptismi; ita scilicet, quod per Baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam Spiritualis epistola; sed per sacramentum Confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo Crucis. Et ideo collatio hujus sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinet summam potestatem in Ecclesia. Sicut & in Primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Act.* 8.

§. III.

§. III.

Contraria Solvuntur.

XII. OBjiciunt primo. Cum Apoſtoli ſimul Epiſcopi, ac Presbyteri eſſent, vix dignoſci poteſt, eos non tamquam Presbyteros, ſed tamquam Epiſcopos ſacramentum Confirmationis adminiſtraſſe; ergo ex facto Apoſtolorum non concluditur magis, Miniſtros eſſe Epiſcopos, quam Presbyteros.

Reſpondeo, neg. ant. Id enim colligitur ex eo, quod inferiores Miniſtri alia munera ſæpius obierint. Philippus Diaconus Cathecumenos baptizavit, & infidelibus Evangelium prædicavit; licet Apoſtolis hæc diſpenſatio ſpecialiter eſſet concredita, juxta illud Pauli, 1. Cor. 1. v. 17. *Non miſit me* (Chriſtus) *baptizare, ſed evangelizare.* Contra inferiores Miniſtri, licet ab eis baptizati, nunquam manus imponere Apoſtolorum ætate auſi ſunt, ut obſervat Chryſoſtom. in *c. 8. Actorum*, dicens, quod alii ab Apoſtolis *Poteſtatem quidem acceperant faciendi ſigna, non tamen Spiritum Sanctum aliis dandi. Hoc erat in Apoſtolis ſingulare.* Unde Philippus Petrum, & Joannem in Samariam evocavit, ut a ſe, abſentibus Apoſtolis, baptizatis manum imponerent.

XIII. Dices. Ananias non erat Epiſcopus: nullus enim ante Pauli converſionem ordinatus fuerat Epiſcopus; & tamen Paulo manus impoſuit. Dicitur enim. Act. 9. v. 17. *Et imponens eis manus, dixit. Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via; qua veniebas ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Impoſitio autem manus, qua dabatur Spiritus Sanctus, erat confirmativa, quam dabant Apoſtoli; ergo hanc, præter Apoſtolos, alii dare poterant.

XIV. Reſpondeo, neg. maj. Ananias enim forte erat Epiſcopus, ut oſtendemus infra, *Q. 3. D. 2. n. 4.* diſting. min. Manus impoſuit impoſitione curativa, conc. min. confirmativa, nego min. Impoſitio ergo manuum Ananiæ ſuper Saulum fuit ſanativa ejus a cæcitate corporis, & mentis, nimirum, ab infidelitate; & hoc eſt, quod dicit: *Ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Non autem confirmativa, & roborativa; quia ante Baptiſmum facta, homo Confirmationis capax non eſt: prius enim debet vitam ſpiritualem per Baptiſmum accipere, deinde per confirmationem roborari. Quod autem ita fuerit, Scriptura dicit: impoſitis enim ab Anania ſuper Saulum manibus: *Confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquamæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt.* Illam etiam impoſitionem manus ſecuta eſt repletio Spiritus Sancti in Saulo non ad robur, ſed ad vitam; regeneratus enim fuit in novam creaturam per Baptiſmum, non per impoſitionem manus.

Quamvis autem non legatur, Paulum alias fuiſſe confirmatum, nihil obſtat. Nam nec legitur fuiſſe ordinatum Epiſcopum, cum tamen fuerit ordinatus: non autem ab Anania, qui hoc peragere non poterat, cum non eſſet Epiſcopus: ergo ab alio, qui eſſet Sacerdos, & Epiſcopus; & ab eodem ſimul potuit confirmari, ſive hic fuerit Petrus, ſive alius Apoſtolorum: non enim omnia ſcripta ſunt.

XV. Objicies ſecundo, & iterum dices. Imponere manus eſt actus proprius Presbyteri, dicente Paulo, 1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*, ergo munus Presbyteri eſt manus imponere, & ſubinde confirmare.

Reſpondeo, neg. ant. Nec enim eo loci Paulus agit de Confirmatione Timothei, ſed de ejus Ordinatione in Presbyterum, & Epiſcopum; fuerat enim ab ipſo Paulo Epheſiorum Epiſcopus ordinatus. Unde non dicit Paulus cum impoſitione manuum *Presbyteri*, ſed *Presbyterii*: quo deſignatur conventus Epiſcoporum, qui in ordinatione Epiſcopali fit: Epiſcopus enim per plures, non per unum Epiſcopum ordinatur. Vel ſi loquatur de Ordinatione Sacerdotali, ly *Presbyterii* non deſignatur perſona Miniſtri, ſed ſpecies Ordinationis. Vel ſi legatur *Presbyteri* (ut olim legebatur) dico cum S. Thom. hic *Lect. 3.* quod *Nomina Presbyteri, vel Epiſcopi ſunt promiſcua; quia Sacerdotes, & Presbyteri, ideſt, Epiſcopi erant, qui recipiebantur cum manus impoſitione.*

XVI. Objicies tertio. S. Hieronymus, *Dial. adv. Luciferianos*, dicit: *Quod ſi in hoc loco quæris; quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui? Diſce, hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini, Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit; & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotis, quam ad legis neceſſitatem.*

Item *Epiſt. c. 101.* (alias 85.) *ad Evangelium* (ſeu Evagrium) ait: *Quid enim facit, excepta Ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?*

Chryſoſtomus etiam, *Hom. 18. in Acta*, ait: Philippum noluiſſe dare Spiritum Sanctum Samaritanis, ut iſtud honoris Apoſtolis deferret.

XVII. Reſpondeo, S. Hieronymum in priori loco ſupponere, ſolum Epiſcopum eſſe Miniſtrum Confirmationis; dum ait, baptizatum niſi per manus impoſitionem Epiſcopi non accipere Spiritum Sanctum: ideoque nobis favere. Dum vero ait, hoc eſſe ad honorem Sacerdotii potius, quam ad legis neceſſitatem; ſolum indicat, hoc non eſſe ex natura rei, cum aliis modis dari poſſit Spiritus Sanctus, ſed ex voluntate, & inſtitutione Chriſti, qui ſummum Sacerdotium ſpecialiter honorare voluit, dando ei ſpecialem prærogativam, quam ſimplici Presbytero dare noluit; quia ſi in ſummo Sacerdotio dignitas ſpecialis non ſit, & poteſtas eminens: *Tot* (inquit) *in Eccleſiis efficientur chriſmata, quot Sacerdotes.*

Ad id, quod poſteriori loco dicit Hieronymus, dico, verba illa ſumenda eſſe cum diſtributione accomoda, non excludendo manus impoſitionem. Neque enim Presbyter Chriſma conficere, altaria conſecrare, aut in fronte chriſmare poteſt. Solum enim ibi intendebat; quod licet Presbyteri non poſſint ordinare, poſſunt tamen Epiſcopum nominare; ſicut exercitus nominare poteſt Imperatorem, non tamen omnia, quæ Imperator poteſt, exercitus poteſt.

Sanctus Chryſoſtomus vero in aliena ſententia loquitur; ſubdit enim, ut ſupra diximus: *Unde mea ſententia hæc Philippus unus ex ſeptem, ſecundus a Stephano, ideo & baptizatis Spiritum Sanctum non dabat: hoc enim donum ſolis duodecim Apoſtolis datum erat:* Addo: quod honor iſte, quem Philippus deferebat Apoſtolis, voluntarius non erat, ſed neceſſarius; quia ſoli tali poteſtate fungebantur.

XVIII. Sed inſtabis ex Calvino, *lib. 4. Inſtit. cap. 16. verſ. 10.* Velle, quod ſacramenta pendeant a dignitate Miniſtri, eſt ſentire cum Donatiſtis: *Nonne* (inquit) *ſe Donatiſtas produnt, qui vim ſacramenti a Miniſtri dignitate æſtimant?*

Reſpondeo, Calvinum de more, vel falli, vel fallere velle. Error enim Donatiſtarum, ut in *Tract. de Sacr. in gen.* diximus, non in eo ſitus erat, quod vis ſacramenti a ſpeciali poteſtate, charactere penderet, ſed in eo, quod volebant, eam pendere a fide, & probitate Miniſtri: unde Sacramentum a malo Miniſtro collatum nullum eſſe aſſerebant. Cæterum, quod in Miniſtro aliquorum ſacramentorum requiratur ſpecialis poteſtas, ita ut non a quolibet conferri poſſint; Eccleſia Catholica ſemper docuit. Immo Calvinus ipſe nec Baptiſmum a quolibet conferri vult; ideoque nos increpat, quod Baptiſma in caſu neceſſitatis conferri permittamus a laicis, etiam feminis.

XIX. Objicies quarto. Non ſoli Epiſcopi Apoſtolis ſuccedunt, ſed etiam, & non minus, ſimplices Presbyteri; ergo ex quo Apoſtoli Confirmationem dederint, non arguitur, ſolos Epiſcopos, & non Presbyteros, eſſe illius Miniſtros. Ita Calvinus citatus, his verbis: *An ſoli Epiſcopi Apoſtoli? Immo an omnino Apoſtoli?*

Reſpondeo, diſt. antec. In aliquibus, conc. ant. In omnibus, neg. antec. Presbyteri in aliquibus quidem ſuccedunt Apoſtolis; non tamen in omnibus, in quibus illis ſuccedunt Epiſcopi. Apoſtoli enim fuerunt primi Chriſtiani, primi Sacerdotes, primi Eccleſiæ rectores. Apoſtolis, ut primis Chriſtianis, ſuccedunt omnes Chriſtiani. Eiſdem, ut Sacerdotibus, ſuccedunt omnes ſimplices Sacerdotes, ſeu Presbyteri. Eiſdem vero, ut Rectoribus Eccleſiæ, ſeu Epiſcopis, ſoli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ſuccedunt. Cum ergo manus imponere baptizatis conveniret Apoſtolis, ut Eccleſiæ Præſidibus, ſeu Epiſcopis, tum quia, ut diximus, baptizatis ab aliis ipſi ſoli manus imponebant; tum quia confirmare eſt quaſi templum ſpirituale ædificatum per Baptiſmum dedicare Spiritui Sancto, & fideles quaſi ſicut epiſtolam obſignare, quod ſolius ſupremi in illo ordine munus eſt, ut diximus ex S. Thom. ideo ſoli Epiſcopi, ſeu Eccleſiarum Præſides in hoc illis ſuccedunt.

XX. Sed opponit Calvinus: *Demus & iſtud. Cur non eodem argumento contendunt, ſolis Epiſcopis ſacramentum ſanguinis in Cœna Domini attingendum eſſe, quod laicis ideo denegant, quia ſolis Apoſtolis a Domino datum fuit?*

Quæ confirmari poſſunt. Apoſtolis dictum fuit, ut Euchariſtiam conficerent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Apoſtolis dictum fuit, ut baptizarent, docerent: *Docete omnes gentes baptizantes:* ſed Euchariſtiam conficere etiam Presbyteri munus eſt, ſicut & baptizare; immo in neceſſitate quicumque baptizare poteſt: cur ergo non etiam Confirmare Presbyteris conceditur? Si Sacramentum Euchariſtiæ, quod dignius eſt, conficere presbyteri poſſunt, cur non & Confirmationis?

XXI. Reſpondeo, reddendo rationem, cur non ſolis Epiſcopis concedatur ſacramentum Sanguinis, & licet laicis denegetur, non denegetur Presbyteris. Quia non ſolis Epiſcopis, ſed & Presbyteris datum eſt conficere Euchariſtiam, ut Sacrificium eſt. Cumque de ratione Sacrificii ſit ſeparatio ſanguinis a corpore victimæ, ut ſuo loco dicetur; ideo Presbyteri poſſunt, & debent utrumque ſeparatim & conſecrare, & ſumere, nempe, Corpus, & Sanguinem Chriſti. Laicus autem, qui non conficit Sacrificium, ſed tantum ſumit ſacramentum, contentus eſſe debet ſumere Corpus, quia cum eo ſumit etiam Sanguinem.

Ad Confirmat. dico, non omnia, quæ Chriſtus dixit Apoſtolis, dicta ſunt illis, ut Apoſtolis, ſeu ut Eccleſiæ Præſidibus; ſed ſolum ea, quæ ſpectant ad officia in Eccleſia

cleſia diſtribuenda. Talia autem ſunt Confirmatio, qua fidelis ſignatur, ut tamquam miles Chriſti fidem ejus publice profiteatur. Et Ordo, quo homo deputatur ad cætera ſacramenta fidelibus diſpenſanda. In quorum numero non ſunt Euchariſtia, & Baptiſmus: per Euchariſtiam enim homo non deputatur ad aliquod officium, ſed ipſa eſt finis omnium officiorum. Nec officit, quod ſit præſtantiſſimum ſacramentum. Nam hæc dignitas non eſt petenda a Miniſtro conferente, ſed a re, quam continet, nempe, Chriſtum, ut diximus in *Tract. de Sacram. in Gen. Q. 3. D. 2. §. 2. n. 5.* & dicemus infra *in Tract. de Euch.* Quoad Baptiſmum vero dicit S. Th. hac q. 72. art. 11. ad 2. *Quod ſacramentum Baptiſmi eſt efficacius, quam hoc ſacramentum, quantum ad remotionem mali; eo quod ſpiritualis generatio, qua eſt mutatio de non eſſe in eſſe. Hoc autem ſacramentum eſt efficacius ad proficiendum in bono; quia eſt quoddam ſpirituale augmentum de eſſe imperfecto ad eſſe perfectum. Et ideo hoc ſacramentum digniori Miniſtro committitur.*

XXII. Objicies quinto, ſaltem divino Jure non competere ſolis Epiſcopis ordinarium Confirmationis miniſterium.

Primo. Sanctus Ambroſius; *in Cap. 4. ad Epheſ.* dicit: *Apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus.*

Secundo. Concil. Hiſpalenſe II. anno 619. Canon. 7. *Quamvis* (inquit) *cum Epiſcopis plurima illis* (Presbyteris) *Myſteriorum communis ſit diſpenſatio; quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis, & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint* (Presbyteri) *ſicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum conſecratio . . . Si quidem nec liceret eis . . . per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare &c.*

XXIII. Reſpondeo, negand. aſſumptum. Ad primum, dico primo, Commentarios in Epiſtolas Pauli, non eſſe Sancti Ambroſii, ſed Hilarii Sardi Eccleſiæ Romanæ Diaconi. Secundo: ſuppoſititium illum Ambroſium, conſuetudinem illam, ſeu abuſum Ægyptiorum referre quidem, ſed non probare. Tertio: ſolum ſequi, Presbyteros Ægyptios ob inopiam Epiſcoporum, tamquam Miniſtros extraordinarios ex diſpenſatione quarto ſæculo confirmationem adminiſtraſſe.

Ad ſecundum reſpondeo, Concilium Hiſpalenſe illum Canonem hac occaſione edidiſſe. Cum enim Agapitus Cordubenſis Epiſcopus ad Epiſcopatum ex militia translatus, ex ignorantia Canonum, Presbyteris inter multa, quæ ſolis Epiſcopis conveniunt, etiam Confirmationem adminiſtrare permiſiſſet; id ægre ferentes illius Concilii Patres, probant, id non licere. Tum ex Veteri Teſtamento, tum ex Novo, & Eccleſiaſticis etiam regulis; quod indicant illa verba: *Quædam auctoritate Veteris legis, quædam novellis, & Eccleſiaſticis Regulis.* Ubi *Novellas Regulas* Veteri Teſtamento opponentes; Novum Teſtamentum veteri opponunt, & faciunt ſenſum: quod concedere Presbyteris ea, quæ munera Epiſcopi ſunt, eſt contra regulas Veteris, & Novi Teſtamenti, & Eccleſiaſticas, & conſequenter contra Jus, tum divinum, tum Eccleſiaſticum.

Dubium II.

An ſimplices Presbyteri poſſint eſſe Extraordinarii Confirmationis Miniſtri?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico. Poſſunt ſimplices Presbyteri ex diſpenſatione Summi Pontificis eſſe extraordinarii Confirmationis Miniſtri. Ita S. Thom. 3. *p. qu.* 72. *art.* 11. *ad* 1. his verbis: *Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam, quæ ſunt ſuperiorum ordinum, committere quibuſdam inferioribus: ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem. Et ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit S. Gregorius Papa, quod ſimplices Sacerdores hoc ſacramentum conferrent, quandiu ſcandalum tolleretur.*

Factum autem S. Gregorii tale fuit. Monitus S. Pontifex, ſimplices Sacerdotes in Sardinia jus miniſtrandæ Confirmationis ſibi arrogaſſe; data ad Januarium Epiſcopum Calaritanum Epiſtola, quæ eſt modo, *lib. 4. Ep. 9.* id eis vetuit. Verum cum poſtea reſciſſet, hanc prohibitionem multis fuiſſe ſcandalo, id conceſſit, quod antea negarat. Data enim altera ad Januarium Epiſtola, quæ eſt ejuſdem libri vigeſima ſexta, hæc ſcripſit: *Pervenit quoque ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros Chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati* (alias baptizandi) *ſunt probavimus. Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur; ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos* (alias baptizandos) *Chriſmate tangere debeant, concedimus.*

Neque obeſt, quod, loco *Baptizatos*, aliqui legant *Baptizandos*, ac ſi loquatur de nuda cæremonia, quæ ante Baptiſmum, ſive in Baptiſmo fieri ſolebat. Nam S. Gregorius loquitur de unctione Chriſmatis, & in fronte. Unctio autem, quæ præcedebat Baptiſma, oleo fiebat, non Chriſmate: Unctio etiam, quæ in Baptiſmo fiebat, non in fronte, ſed in vertice erat. Deinde eam unctionem conceſſit Presbyteris, quam antea prohibuerat, ſecundum morem antiquum ſuæ Eccleſiæ: ſed mos antiquus Eccleſiæ Romanæ erat, quod ſoli Epiſcopi ſignarent in fronte ſignaculo Confirmationis; non vero quod ungerent, ſive oleo, ſive Chriſmate verticem in actu baptizandi, ſive ante Baptiſmum: hoc enim Presbyteris ſemper licuit, ergo &c.

II. Neque dicas, S. Gregorium hoc permiſiſſe vitandi ſcandali cauſa, non approbaſſe; ſciebat enim, hoc eſſe contrarium Traditioni —— Nam contra hoc ſtat illud verbum *concedimus*, quod non nudam tolerantiam ſignificat. Cumque ex adverſo dicat, ſe antea prohibuiſſe *ſecundum uſum veterem Eccleſiæ*; ſciebat, utpote in Traditione peritiſſimus, ſibi in hoc diſpenſandi facultatem non deeſſe: alioquin ſi aliquorum in Sardinia ſcandalum timuit ex prohibitione; cur ſcandalum in toto Orbe non timuiſſet ex tali conceſſione, ſive indulgentia, ſi de ſua poteſtate certus non fuiſſet? Potuit ergo id concedere Gregorius, nec quiſquam ex quovis ſæculo poſteriore hoc improbavit. Immo tamquam regula inſerta fuit a Gratiano in Decreto, diſt. 95. Cap. *Pervenit.*

III. Hanc Gregorii conceſſionem tacite approbavit Eugenius IV. *In Decreto pro Armenis.* Ubi poſtquam dixit, ordinarium Confirmationis Miniſtrum eſſe Epiſcopum, ſubjungit: *Legitur tamen, aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum.* Accedit etiam Tridentinum, quod *Seſſ. 7. Canon. 3.* ſolum damnat eum, qui dixerit; *Sancta Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum.* Ex quo inferre licet, poſſe extraordinaria poteſtate Miniſtrum fieri etiam ſimplicem Presbyterum. Quod confirmant variæ conceſſiones factæ a Summis Pontificibus, qui, ut refert Arcudias, Miſſionariis apud Indos ex Epiſcoporum penuria facultatem chriſmandi dederunt; ut de Miſſionariis Societatis apud Braſilem teſtatus eſt P. Ludovicus Foncea, anno 1563. & de Miſſionariis Minoritis Adrianus VI. cujus authenticum ſervatur in Monaſterio Hiſpalenſi S. Franciſci. Quamvis autem Adrianus, dum eſſet Theologus, oppoſitum tenuerit *in 4. Sent.* factus tamen Pontifex opinionem ſuam retractaſſe credendum eſt.

IV. Probatur ſecundo ex praxi Græcorum. Nam Græci Presbyteri (ſaltem a multis ſæculis) Confirmationem, ut extraordinarii, non ordinarii Miniſtri conferunt. Atqui valide conferunt; ergo &c. Maj. probatur ex Euchologiis, quibus a multis ſæculis utuntur: hæc enim habent in Officio Sancti Baptiſmatis: *Unctio toto corpore baptizat eum* (Cathecumenum) *Sacerdos, erectum illum tenens, & ortum ſolis reſpicientem, & dicit:* Baptizatur Servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen. *Et poſtquam eductus fuerit, adjicit Sacerdos orationem hanc:* Benedictus es Domine Deus Omnipotens .... Qui recens illuminatum regenerare voluiſti ... Signaculum doni Sancti Spiritus ... ei largire, in ſanctitate tua cuſtodi illum; in vera fide confirma. *Et oratione hac terminata, baptizatum ſancto unguento ungit, Crucis ſignum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus dicens:* Signaculum Sancti Spiritus. Amen.

Hunc Græcorum ritum eſſe ipſummet Confirmationis ſacramentum ex eo patet, quia complectitur Orationem: *Benedictus Deus &c.* & hæc verba: *Signaculum &c.* ex quibus coaleſcere adæquatam Confirmationis formam diximus; & inſuper unctionem, ſeu materiam, cum intentione ex parte Miniſtri eum confirmandi.

V. Minor vero probat. primo. Græcos ſchiſmaticos in ſua Eccleſia confirmatos, dum ad unitatem redeunt, Eccleſia Romana nunquam iterato confirmavit. Nec enim afferri poteſt tempus, locus, ſubjectum in quibus data a Presbyteris Græcis Confirmatio, ab Eccleſia Latina fuerit iterata. Secundo. Nunquam Romani Pontifices Presbyteris Græcis prohibuerunt, ne hoc ſacramentum, juxta ſuorum Euchologiorum veterum uſum, infantibus immediate poſt Baptiſma conferrent. Tertio. Soluta Florentina Synodo Eugenius IV. inter varia quæſita, quæ Græcis propoſuit, hoc fuit: *Quare Pontifices non inungunt ſacro Chriſmate, ſed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus ſit datum?* Cui, & aliis quæſitis Epiſcopum Milenenſem ſatisfeciſſe, oſtendunt hæc verba ad calcem Concilii Florentini poſita, nempe: *Qua a Latinis objecta Mitylenenſis Præſul legitime, & ſecundum Canones omnia diſſolvit, præterquam duo; videlicet, ſeparationem matrimonii quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Conſtantinopolim.*

VI. Non diffiteor tamen, aliquos Latinorum extitiſſe, qui confirmatos a Præsbyteris Græcis, redeuntes ad unitatem iterato confirmarent; de quibus Marcus Epheſius, *Epiſt. ad omnes Orbis Chriſtianos* data conqueritur: *Latini* (inquit) *noſtros ungebant: & chriſmatos appellabant* —— Sed hæc quorumdam praxis ab Eccleſia Romana nuſquam probata fuit. Gregorius enim protoſyncellus in Epiſtola, qua confutavit Marci Epheſi præfatam Epiſtolam, aperte teſtatur, uſum illum a Florentinorum Patrum mente alienum fuiſſe: ait enim poſt concordiam: *Cum Orthodoxi eſſemus, ab Orthodoxis Orthodoxi judicati ſumus.*

VII. Sed

VII. Sed quid dicemus de Nicolao Primo, qui juſſit iterum inungi ſacro Chriſmate, a Photio, per Presbyteros in Bulgariam miſſos, confirmatos?

Reſpondeo hoc fuiſſe, primo: quia Photius utpote Pſeudo-patriarcha Conſtantinopolitanus, qui dolo, ac vi Ignatium e Conſtantinopolitana ſede detruſerat, omni prorſus Eccleſiaſtica auctoritate vacuus erat; ac proinde Presbyteros delegare non potuit ad confirmandos Bulgaros, qui nuper Chriſtianæ fidei nomen dederant. Hoc apparet ex Epiſt. Adriani II. ad Ignatium, cujus fragmentum refertur in 8. Synodo Œcumenica. *Quod ſi dicas* (inquit Adrianus Ignatium alloquens) *prius a nobis Presbyteros ab ea regione*, (Bulgarorum) *expulſos, haud inficias imus. Erant Photiani, illiuſque ſymmiſta, quibus non ſolum Bulgarorum in terris, ſed ubique gentium ſacris Ordinibus interdiximus, interdicimuſque.*

Secundo. Quia de Bulgaria recenter ad fidem converſa gravis erat inter Romanum, & Conſtantinopolitanum Epiſcopum contentio. Eam ſuo Patriarchatui vindicare conabatur Conſtantinopolitanus; ſuo eſſe ſubjectam Romanus contendebat, nec in eamdem illum exercere poſſe juriſdictionem, ac proinde nec mittere Presbyteros, qui Bulgaros Neophytos confirmarent.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

VIII. OBjicies primo. Confirmare jure divino ſolis Epiſcopis convenit; ergo non poteſt Presbyteris ſimplicibus committi.

Si reſpondeas, ſolis quidem Epiſcopis jure divino competere Confirmationem conferre immediate, & per ſe tamquam Miniſtris ordinariis, quemadmodum eis competit prædicare, & omnes ordines conferre: cæterum ſicut ex diſpenſatione, vel ut miniſtri extraordinarii, aliqui, qui Epiſcopi non ſint, poſſunt prædicare & minores ſaltem Ordines conferre: ita poterit non Epiſcopus ex diſpenſatione, & ut Miniſter extraordinarius confirmare.

IX. Contra eſt primo. Nam confirmare eſt actus Ordinis, & characteris: ſed quæ ſunt Ordinis, & characteris non poſſunt fieri a non habente Ordinem, & characterem, nec quidem ex diſpenſatione Pontificis, ſicut nec fieri poteſt, ut non Sacerdos conſecret; ergo &c.

Secundo. Si confirmare, qui eſt actus Ordinis Epiſcopalis, poteſt committi ſimplici Sacerdoti, cur non & Diacono; cum neuter habeat Ordinem Epiſcopalem?

Tertio. Sicut Confirmare eſt actus proprius Ordinis Epiſcopalis; ita abſolvere ſacramentaliter a peccatis eſt actus proprius Ordinis ſacerdotalis: ſed nemo non Sacerdos poteſt adhuc ex diſpenſatione abſolvere a peccatis; ergo nemo non Epiſcopus poteſt &c. Et ratio eſt. Quia non habens Ordinem non habet potentiam: actus autem ſupponere debet in agente potentiam: poteſtas autem, quæ eſt Ordinis, non poteſt communicari; niſi cui communicatur Ordo.

Quarto. Pontifex nihil poteſt immutare circa illa, quæ ex inſtitutione Chriſti ſunt de neceſſitate ſacramenti, qualis eſt perſona Miniſtri: ſed ex inſtitutione Chriſti Miniſter hujus ſacramenti eſt ſolus Epiſcopus; ergo non poteſt facere, quod non Epiſcopus illud valide conferat.

X. Reſpondendum eſt ad ſingula. Ad primum, vel nego min. Aliquis enim actus Ordinis poteſt interdum committi ſine Ordine, ita tamen, ut ejuſmodi commiſſione is, cui committitur, non fiat Miniſter ordinarius, ſed extraordinarius. Qua ratione committitur Abbatibus conferre minores Ordines, & etiam Subdiaconatum, ut colligitur ex Gelaſio. *Ep. 5. cap. 6.* ubi de Presbyteris dicit: *Nec ſi meminerint, ulla ratione concedi ſine Summo Pontifice Subdiaconum, aut Acolytum jus habere faciendi* —— Vel dico, quod licet actus Ordinis committi non poſſit non habenti Ordinem, nec inchoatum, nec completum; committi tamen poteſt habenti ordinem, eſto non complete, ſaltem tamen inchoate, & remote, qualiter ſe habet Presbyteratus Ordo ad Ordinem Epiſcopalem. Hic enim, ut colligitur ex S. Th. *3. p. Suppl. q. 40. a. 5.* non eſt ordo proprie a Sacerdotali diſtinctus, ſed ordinis Sacerdotalis extenſio.

Fieri tamen non poteſt, ut non Sacerdos conſecret; quia non Sacerdos caret poteſtate etiam remota, & inchoata ſupra Corpus Chriſti.

XI. Ad ſecundum dico, facultatem confirmandi eadem ratione non poſſe committi Diacono: quia hic cum non habeat poteſtatem ſupra Corpus Chriſti verum, non eſt capax poteſtatis ſupra Corpus Chriſti myſticum.

XII. Ad tertium ſimiliter reſpondeo, quod cum nemo non Sacerdos habeat poteſtatem ſupra Corpus Chriſti verum, & myſticum; nemo, etſi Diaconus, capax eſt, ut diſpenſatione quacumque, etiam in caſu neceſſitatis, abſolvere poſſit a peccatis; ſimplex autem Sacerdos, cum præfata poteſtate gaudeat, accedente diſpenſatione, & commiſſione poteſt valide confirmare.

Pro hoc attendenda eſt doctrina, quam tradit S. Thom. *in 4. diſt. 7. q. 3. art. 1. quæſt. 3.* his verbis: *Sciendum eſt, quod cum Epiſcopatus non addat aliquid ſupra Sacerdotium per relationem ad Corpus Domini verum, ſed ſolum per relationem ad corpus myſticum: Papa per hoc, quod eſt Epiſcoporum ſummus, non dicitur habere plenitudinem poteſtatis per relationem ad Corpus Domini verum, ſed per relationem ad corpus myſticum. Et quia gratia ſacramentalis deſcendit in corpus myſticum a capite: ideo omnis operatio in corpus myſticum ſacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione ſacramentali ſuper Corpus Domini verum. Et ideo ſolus Sacerdos poteſt abſolvere in foro pœnitentiali, & baptizare ex officio. Et ideo dicendum, quod promovere ad illas perfectiones, quæ non reſpiciunt Corpus Domini verum, ſed ſolum corpus myſticum, poteſt a Papa, qui habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, committi Sacerdoti, qui habet actum ſummum ſuper Corpus Domini verum; non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere Corpus Domini verum, ſicut nec abſolvere in foro pœnitentiali. Non autem poteſt ſimplici Sacerdoti committere promovere ad perfectionem, quæ reſpicit aliquo modo Corpus Domini verum. Et ideo ſimplex Sacerdos ex mandato Papæ non poteſt conferre Ordinem Sacerdotii, quia Ordines ſacri habent actum ſupra Corpus Domini verum, vel ſupra materiam ejus. Poteſt autem concedere ſimplici Sacerdoti, quod conferat minores Ordines, quia iſti nullum actum habent ſupra Corpus Domini verum, vel materiam ejus, nec etiam ſupra corpus myſticum actum, per quem gratia conferatur: ſed habent ex officio quoſdam actus ſecundarios, & præparatorios. Et ſimiliter poteſt concedere alicui Sacerdoti, quod confirmet; quia Confirmatio perficit eum in actu corporis myſtici, non autem habet aliquam relationem ad Corpus Domini.* Ex hac S. Thomæ doctrina radicitus ſolvuntur plures in hac, & ſimilibus materiis difficultates.

Neque neceſſe eſt, ut cui committitur facultas confirmandi, conferatur Ordo, & character. Hoc enim verum eſt, quando confertur facultas ordinaria, perfecta, abſoluta, & independens; non autem in caſu præſenti, in quo ſimplici Presbytero committeretur facultas dependens, & revocabilis confirmandi; unde ſufficit facultas inchoata, quam Presbyter habet vi characteris ſacerdotalis, quæ accedente diſpenſatione fit completa.

XIII. Ad quartum nego conſ. Nam Pontifex nihil divinæ inſtitutionis mutat. Nam ſecundum hanc ſolus Epiſcopus eſt ordinarius Miniſter Confirmationis, & non purus Sacerdos. Non facit autem Pontifex, ut ſimplex Sacerdos evadat Miniſter ordinarius, ſed extraordinarius; declarando divinam inſtitutionem potius, quam eam immutando, vel in ea diſpenſando.

XIV. Ex dictis apparere poteſt diſcrimen, quare ſimplex Sacerdos poſſit, etſi non approbatus, in caſu neceſſitatis valide abſolvere; & Epiſcopus etſi degradatus, vel depoſitus poſſit, eſto non licite, valide Chriſmare, & Sacerdotes ordinare; non tamen ſimplex Sacerdos poſſit valide ſine expreſſa diſpenſatione confirmare.

Nam ſimplex Sacerdos ad abſolvendum habet vi characteris poteſtatem ordinis completam, & in caſu neceſſitatis Eccleſia confert ei poteſtatem juriſdictionis. Epiſcopus etiam, etſi degradatus, vel depoſitus, non amittit per cenſuram characterem, & poteſtatem completam Ordinis conferendi ſacramenta, ſed ſolum ei ligatur. Simplex autem Sacerdos ad confirmandum non habet poteſtatem, niſi inchoatam, quæ ſola diſpenſatione poteſt compleri, & in actum valide exire.

XV. Objicies ſecundo. Quod eſt Romanus Pontifex in tota Eccleſia, hoc eſt unuſquiſque Epiſcopus in ſua Diœceſi: ſi ergo Summus Pontifex poteſt in hoc diſpenſare, hoc poterit Epiſcopus in ſua Diœceſi.

Reſpondeo, ant. eſſe verum ſolum in iis, quæ poteſt Pontifex ratione Ordinis, ſeu conſecrationis Epiſcopalis: committere autem officium confirmandi, non Ordinis, ſed juriſdictionis eſt, quam ſolus Romanus Pontifex habet in totam Eccleſiam. Alioquin ſi hoc eſſet univerſaliter verum; poſſet Epiſcopus pro ſua Diœceſi decreta fidei, & morum condere, quod tamen eſt falſum. Solus ergo Romanus Pont. ut dicebamus cum S. Thoma, *habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis* ſupra totum Corpus Chriſti myſticum.

XVI. Objicies tertio. Varios Romanos Pontifices in ſententia fuiſſe, quod Confirmatio perfici non poſſit, niſi a ſolis Pontificibus. Ita Euſebius. *Epiſt. 3. ad Epiſc. Tuſciæ, & Campaniæ.* Melchiades, *ad Ep. Hiſpaniæ.* Et Damaſus, *Ep. ad Epiſc. Numidiæ*, ubi ſic loquitur: *Presbyteris non licet Sacerdotes conſecrare, nec Diaconos, nec Subdiaconos, nec Virgines, nec altare erigere, nec ungere, & ſacrare, nec Eccleſias dedicare, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare &c.* additque, hoc ipſum ſolis Apoſtolorum ſucceſſoribus Epiſcopis competere. Ex quibus ſic, Damaſus eodem modo loquitur de Sacerdotibus conſecrandis, Eccleſiis dedicandis, Chriſmate conficiendo, ac de Chriſmate in fronte ſignando: ſed propria ſolus Epiſcopus peragere poteſt, nec ſimplex Sacerdos poteſt, etiam per diſpenſationem, ea conficere: ergo nec iſtud poſtremum.

XVII. Reſpondeo, præfatas Pontificum Decretales modernis Criticis ſuppoſititias eſſe. Illis tamen admiſſis dico, eas ſolum velle, quod Confirmatio perfici non poſſit, niſi a ſolis Pontificibus tamquam Miniſtris ordinariis, ex officio, & ſecluſa diſpenſatione: non vero quod, hac poſita, non poſſit ſimplex Presbyter eſſe illius Miniſter extraordinarius, & ex commiſſione. Damaſus autem intelligendus eſt cum diſtributione accomoda, nimirum quod Sacer-

Sacerdotes, & Diaconos conſecrare, Eccleſias dedicare, Chriſma conficere &c. ita ſolis Epiſcopis competat, ut non liceat ſimplici Presbytero: an vero aliquid eorum eis licere poſſit, ut Miniſtris extraordinariis, Damaſus ibi præſcindit. Eis autem ex commiſſione, & ut Miniſtris extraordinariis licere, oſtendimus ex factis. Reperimus enim ſimplices Presbyteros aliquando in fronte chriſmaſſe, numquam tamen Sacerdotes, aut Diaconos conſecraſſe, Chriſma confeciſſe &c.

XVIII. Objicies quarto. Innocentius III. Cap. *Quanto* de Conſuetudine, vetuit, ne ſimplices Sacerdotes Conſtantinopoli degentes, non obſtante conſuetudine, ſacramentum Confirmationis audeant conferre; quod ab Apoſtolorum tempore ſit ſolis Pontificibus reſervatum: ſtatuitque, tutius eſſe illud etiam in neceſſitate omittere, quam *ex temeritate* miniſtrare cum periculo, ne inaniter conferatur.

Innocentius etiam IV. conſultus de praxi Græcorum, apud quos Presbyteri ſimplices confirmant, in ſuis litteris ad Epiſcopum Tuſculanum, in Regno Cypri S. Sedis Legatum, ita ſcripſit: *Soli autem Epiſcopi conſignent Chriſmate in fronte baptizatos. Quia hujus unctio non debet, niſi per Epiſcopos exhiberi. Quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vicem gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam confirmatio, vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum Sanctum tribuiſſe leguntur.* Ecce Innocentium damnantem uſum Græcorum, per ſimplices presbyteros Chriſma in fronte conferentium.

XIX. Reſpondetur, Innocentium III. vel damnare abuſum ſimplicium Presbyterorum, qui id muneris ſibi arrogabant, tamquam ordinario jure, non ex conceſſione; quod indicat illud verbum *ex temeritate*: ſic enim nulliter confertur. Vel, ut notat Arcudius, Innocentium id ſolum vetuiſſe Presbyteris Latinis, qui non in exiguo numero Conſtantinopoli tunc degebant: cum enim iſti Græcorum morem ſequentes, nec a S. Sede ad hoc delegati (cui ſubjecti erant) Chriſmare temere auderent, indixit eis Innocentius, ne talia de cætero ſua temeritate præſumerent. Colligitur ex Litteris ipſius Innocentii ad Lucium, qui tunc Conſtantinopoli Romanæ Sedis partes agebat, ubi ait: *Mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis diſtricte prohibeas &c.*

Innocentius autem IV. tentavit quidem morem hunc a Presbyteris Cypriis eradicare; ſed cum Epiſcopus Tuſculanus, videns eum morem altiſſimas radices egiſſe, timuiſſet, ne grave ſcandalum pareret, a decreti promulgatione abſtinuit: cumque Innocentius contra hoc non reclamavit, par eſt credere, tacite factum approbaſſe, & Sancti Gregorii exemplum imitatum fuiſſe: qui reſciens, Sardos Preſbyteros ex ſimili prohibitione ſcandalizatos fuiſſe, eam, ut vidimus, revocavit. Ideo autem crediderim apud Græcos ſimplicibus Presbyteris delegatum fuiſſe ab Epiſcopis munus chriſmandi in fronte; quia cum ſecundum eorum ritum Confirmatio miniſtrari debeat immediate poſt Baptiſmum etiam infantibus; nec Epiſcopus ſemper, & ubique præſto eſſe poſſit: ideo Presbytero, qui eſt ordinarius Baptiſmi Miniſter, munus etiam Chriſmandi delegatum fuit.

XX. Si quæras; **A** quo tempore cœperit uſus miniſtrandi Sacramentum Confirmationis per ſimplices Presbyteros ex diſpenſatione, tum apud Latinos, tum apud Græcos.

Reſpondeo; apud Latinos cœpiſſe ſexto ſæculo deſinente: ac primum, qui in hoc diſpenſavit, fuiſſe S. Gregorium Magnum, qui ut vidimus, Presbyteris Sardiniæ id conceſſit. Nam ante, ſimilis conceſſionis nullum documentum invenire eſt.

Quoad Græcos autem cenſeo, aſſignari non poſſe certum tempus. Nam eſto S. Chryſoſtomi tempore, ut diximus, ſoli Epiſcopi id præſtarent; certum tamen videtur, Græcos confirmare per Presbyteros cœpiſſe ante Photianum ſchiſma. Nam cum Nicolaus I. illum morem auferre conatus fuiſſet, & Presbyteris inunctos iterum ungi præcepiſſet; Photius, *Epiſt. ad omnes Epiſcopos*, acriter ei reſtitit, neque Ignatius Patriarcha Catholicus de eo uſu conqueſtus fuit: cujus ſignum eſt, talem uſum ſæculo nono jam obtinuiſſe. Cumque modo adhuc perduret, nec chriſmati a Græcis ab Eccleſia Latina iterato chriſmentur, credendum eſt, Romanos Pontifices ſuper hoc tacite ſaltem diſpenſaſſe, & adhuc diſpenſare.

DUBIUM III.

An Confirmatio ab Hæreticis data ſit valida?

§. I.

Reſolutio dubii.

I. QUi Baptiſma ab hæreticis datum validum eſſe negabant, ut ſupra de Baptiſmo dictum eſt, ſicut revertentes ab hæreſi iterum baptizabant; ſic etiam eos ſacro Chriſmate iterato inungebant. Quare S. Cyprianus, qui Baptiſma hæreticorum invalidum, & proinde iterandum eſſe cenſebat, *Epiſt.* 74. reprehendit eos Antiſtites; qui cum baptizatos ab hæreticis non rebaptizarent, confirmatos tamen ab eis iterum confirmabant; quia aut utrumque ſacramentum ab hæreticis collatum repudiandum eſt; aut utrumque ratum habendum: *Cur* (inquit) *eadem ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in Baptiſmi ſanctificatione?*

II. In eodem errore ſunt recentiores Græci, teſte Arcudio, cui cum Baptiſmum etiam ab hæreticis datum, ut ratum habeant; hæreticos tamen quoſcumque, ſive in hæreſi natos, & educatos, ſive in eam lapſos, ſi ſe convertant, Chriſmate conſignare in more habent. Quocirca Armenopolus, in ſuo compendio Canonum, *ad Canonum* 47. ex dictis Apoſtolicis hoc addit Scholium: *Baptizatum rebaptizare, prohibitum id quidem eſt, ſed unguento inungere, nequaquam; licet hoc quoque ſacri Baptiſmatis pars eſſe videatur.* Hunc mentem approbant Job Monachus, *in Tract. de Sacram.* Gabriel Philadelphienſis, *in Tract. de Sacram.* ſed hic Græcorum error ex alio deſcendit, nimirum quia putant, ſacramentum Confirmationis eſſe iterabile. Sed his omiſſis.

III. Dico. Confirmatio ab hæreticis data ſub legitima forma æque valida eſt, ſicut Baptiſma ab eiſdem datum. Hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ fidem, teſtes ſunt primo: Cyprianus ſupra laudatus, qui licet teneret Baptiſmum ab hæreticis datum eſſe nullum; reprehendebat tamen eos, qui Baptiſmum quidem hæreticorum admittebant, eorum tamen rejiciebant Confirmationem. Secundo: Optatus Milevitanus, *lib. 7. contra Parmenianum, cap.* 4. Cum enim Donatiſtæ Catholicos per contemptum vocarent *Muſcas morituras*, eis applicantes dictum Salomonis, Eccleſ. 10. *Muſcæ morituræ exterminant olei ſuavitatem*, oleum nominantes illum liquorem, quod Chriſma vocatur, eos ita redarguit: ſi nos exterminaremus a vobis confectum oleum, merito nos muſcas morituras *appellare poſſetis: ſed dum, quod a vobis unctum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus, muſcæ morituræ eſſe non poſſumus.* Quibus aperte demonſtrat, Catholicos non rejeciſſe Confirmationem datam a Donatiſtis, qui tamen erant hæretici, teſte S. Auguſtino, *lib. de Hæreſ. c. 69. de Donatiſtis* dicente: *Pertinaci diſſenſione firmata in hæreſim ſchiſma verterunt.*

Tertio. Teſtis eſt S. Auguſt. Tum *lib. 5. de Baptiſm. contra Donat. cap.* 10. dicens: *Quomodo aquam mundat, & ſanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus adeſt ſacramentis ſuis* (Baptiſmo, & Confirmationi) *per qualeslibet adminiſtrentur, & ſacramenta Dei ubique recta ſunt, & mali homines, quibus nihil proſunt, ubique perverſi ſunt.* Et *cap.* 20. *ad Hæreticos tranſiens*, ait: *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ poſſit Deus oleum ſanctificare, & in altari, quod hæretici poſuerunt, non poſſit, neſcio.* Ubi S. Auguſtinus ex eo, quod Deus ſanctificet aquam, & oleum etiam ad verba homicidæ, qui intus Eccleſiam eſt, arguit, Deum etiam eadem ſanctificare ad verba hæretici, qui extra Eccleſiam eſt: quia Deus eſt, qui intus baptizat, Deus eſt, qui intus confirmat, & intus dat Spiritum Sanctum. Tum lib. 3. de Bapt. c. 15. *Sacramenta ſi eadem ſunt, ubique integra ſunt, etiamſi prave intelligantur, & diſcordioſe tractentur: ſicut Scriptura ipſius Evangelii, ſi eadem ipſa eſt ubique integra eſt, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur.* Sicut ergo eadem, ac vera Scriptura eſt apud hæreticos, quamvis multis falſis opinionibus ab eis aſſeratur; ita vera, ac eadem ſunt apud ipſos ſacramenta aquæ, & olei, etiamſi ab illis prave intelligantur, & tractentur. Unde lib. 2. contra litt. Petiliani, c. 105. *Sacramentum* (inquit) *Chriſmatis ..... in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus; ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis.*

IV. Teſtis quarto eſt Alcimus Avitus, Viennenſis Epiſcopus quinto ſæculo deſinente, qui a Stephano Epiſcopo conſultus de quodam hæretico Donatiſta ad Eccleſiam redire cupiente: an ſcilicet eſſet recipiendus cum Chriſmatis conſignatione, quo pacto aliqui hæretici recipiebantur; an ſola manus impoſitione reconciliatoria? Reſpondit: *Manus impoſitionem perſona, de qua ſcribitis, adhibete .... quam conſtat ſi revera in ſupradicti ſchiſmatis profeſſione verſata eſt. cum miniſterio Baptiſmatis etiam Chriſmate conſignatam. Hoc certe eos* (Donatiſtas) *in regione illa obſervare manifeſtum eſt.* Ratam ergo habebat Eccleſia vetus Confirmationem ab hæreticis datam cum ritu a Chriſto inſtituto. Unde cum Donatiſtæ hæretici hoc ſervarent; qui ex illis ad Eccleſiam confugiebant, ſicut denuo non baptizabantur, ita nec denuo confirmabantur, ſed ſolum manus impoſitione Eccleſiæ reconciliabantur. Immo Catholici acriter reprehendunt Donatiſtas, quod ad eorum caſtra tranſeuntes iterum baptizare vellent, ac confirmare. Unde Optatus ſupra laudatus: *Vos* (inquit) *exterminaſtis in rebaptizatione ſuavitatem olei illius, quod in nomine Chriſti confectum eſt ... Seduxiſtis homines, rebaptizaſtis, iterum unxiſtis &c.*

V. Ratio autem eſt. Eodem modo diſcurrendum eſt de Confirmatione ab hæreticis data, ac de Baptiſmo ab eiſdem dato; cum evidens ſit, nullum eſſe fundamentum judicandi aliter de uno, ac de altero ſacramento; & rationes, quibus Cyprianus, & alii cenſebant Baptiſmum ab hæreticis collatum eſſe nullum, valere etiam contra Confirmationem; immo Cyprianus, ut vidimus, *Ep.* 74. reprehendit eos, qui volebant Baptiſmum ab hæreticis datum, eſſe validum, non autem confirmationem ab eiſdem da-

datam: ſed Eccleſia Catholica ſemper ſenſit, Baptiſma ab hæreticis ſub debita materia, & forma collatum eſſe validum, ergo idem ſenſit de Confirmatione ab eiſdem data.

§. II.

Contraria Solvuntur.

VI. OBjicies primo. Eccleſia prioribus ſæculis appoſuit ſchiſma, & hæreſim tamquam inhabilitantia ad conferendam Confirmationem; ergo &c.

Reſpondeo, neg. antec. Neque enim afferri poteſt decretum, vel Romani Pontificis, vel Concilii talem inhabilitationem ſtatuentis. Immo nec potuit Eccleſia eam ſtatuere. Nam Epiſcopus quandiu retinet Characterem Epiſcopalem, tandiu retinet poteſtatem perfectam, & abſolutam confirmandi: character enim Epiſcopalis eſt eſſentialiter poteſtas ordinandi, & confirmandi. Cum ergo per ſchiſma, vel hæreſim characterem Epiſcopus talem non amittat, neque amittit confirmandi poteſtatem. Neque hoc jure Eccleſiaſtico privari poteſt; cum ſit mera poteſtas Ordinis nullam requirens adjunctam juriſdictionem ſicut jam habet poteſtatem abſolvendi. Unde licet irregularitas contracta per ſchiſma, vel hæreſim privet poteſtate abſolvendi: attamen ſicut non privat Sacerdotem poteſtate conſecrandi, ita ut irregularis invalide conſecret; ita nec privat Epiſcopum poteſtate, vel uſu confirmandi, ſive ordinandi, ſic ut invalide conſecret, vel ordinet.

VII. Dices. Concil. Conſtantinop. I. *Canon.* 7. Siricius. *Ep.* 1. *ad Himmerium c.* 1. S. Leo *Epiſt.* 37. ad Leonem Ravennatem, & S. Gregorius Magnus, *l.* 11. *Ep.* 61. modo 67. ad Quiricum, cenſent, venientes ab hæreſi eſſe confirmandos; ergo cenſent Confirmationem in hæreſi datam eſſe nullam.

VIII. Reſpondeo, neg. conſ. Ex hæreticis enim aliqui in antiqua Eccleſia valide non baptizabant, quia non conferebant Baptiſmum in nomine SS. Trinitatis; & hos venientes ad Catholicam fidem Eccleſia baptizabat, & confirmabat. Aliqui in ſua Secta valide quidem baptizabant, ſed baptizatos non confirmabant, ut Novatiani, Ariani, Macedoniani &c. Et hi venientes ad Eccleſiam non baptizabantur, ſed confirmabantur: & de his loquuntur præfati Patres, & Concilium Conſt. Unde S. Leo *Epiſt. citata* 37. modo 135. *ad Leonem* (ſeu Neonam) *c.* 2. his verbis: *Quod ſi ab hæreticis baptizatum quemquam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur, ſed hoc tantum quod huic, defuit conferatur; ut per Epiſcopalis manus impoſitionem virtutem Sancti Spiritus conſequatur.* Alii tandem in ſua Secta baptizabant, & confirmabant, ut erant Donatiſtæ: & hos Eccleſia venientes non confirmabat, ſed eis tantum manus ad reconciliationem imponebat.

IX. Hinc cum audis manus impoſitionem, non ſtatim intelligere debes confirmationem, ſeu impoſitionem manus ſacramentalem, quæ includit unctionem Chriſmatis. Dabatur enim manus impoſitio deprecatoria, & pure reconciliativa, quæ erat pura cæremonia, qua ſuper hominem, cui manus imponebatur, invocabatur Spiritus Sanctus in ſignum reconciliationis cum Eccleſia; quæ ex opere operantis tantum, non ex opere operato Spiritum Sanctum, ejuſque gratiam advocabat, & hæc repeti poterat. De qua loquens S. Auguſtinus, *lib.* 3. *de Bapt. c.* 16. ait: *Manus autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt. Quid eſt enim aliud, niſi oratio ſuper hominem?*

X. Objicies ſecundo. S. Cyprianus in ea ſententia fuit, quod Confirmatio ab hæreticis data non valeret. Sic enim *Ep.* 70. *ad Januarium*, ſcribit: *Porro autem Euchariſtia, & unde baptizati unguntur, oleum in altari ſanctificatur. Sanctificare non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Unde nec unctio ſpiritualis apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omnino non poſſe ... Quis autem poteſt dare quod ipſe non habeat? Aut quomodo poteſt ſpiritualia agere, qui ipſe amiſerit Spiritum Sanctum?* ergo &c.

Reſpondeo, concedendo, Cyprianum, alioſque negaſſe, apud hæreticos veram eſſe unctionem, ac Confirmationem: negabat enim, ut, *Tract. de Baptiſmo*, oſtenſum eſt, apud hæreticos eſſe etiam verum Baptiſma. Sed hoc non negabat cum Stephano Papa univerſa Eccleſia; quæ ſicut ratum habuit Baptiſma, etſi ab hæreticis datum, ita etiam ratam habuit Confirmationem: utriuſque enim eadem ratio eſt, ut ſupra dictum eſt.

XI. Inſtabis. Confirmatio ab hæreticis data irrita cenſebatur etiam ab illis, qui Baptiſma ab illis datum admittebant. Unde *Ep.* 74. ſupra laudata eos redarguit ſic: *Si effectum Baptiſmi majeſtati nominis tribuunt ... Cur non in ejuſdem Chriſti nomine illic, & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum? Cur eadem ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in Baptiſmi ſanctificatione?*

Reſpondeo, neg. ant. ibi enim S. Cyprianus non redarguit Catholicos, quaſi cum Baptiſma hæreticorum reciperent, eorum Confirmationem reprobarent, & ab eis confirmatos iterum confirmarent. Sed videns, hæreticos illius temporis baptizare quidem, ſed non imponere manum baptizatis, ſeu illos non conſignare Chriſmate; ex hoc ſumit argumentum, & dicit: Si Baptiſmum ſuum valere contendunt, quia majeſtas divini nominis eſt, quæ in eo operatur ſanctificationem: cur eadem majeſtas nominis non operabitur in manus impoſitione? Ex quibus infertur quidem, hæreticos illius temporis baptizaſſe, ſed non confirmaſſe, ideoque venientes ad Catholicos fuiſſe confirmatos: non autem quod ab ipſis confirmati, a Catholicis denuo confirmarentur, ac ſi eorum quidem admitterent Baptiſma, ſed Confirmationem rejicerent.

QUÆSTIO III.

De ſubjecto, & effectibus Confirmationis.

IN hac quæſtione inveſtigabimus quinam ſint hujus ſacramenti capaces, & quinam ſint ejus effectus, nimirum, an gratia, & inſuper character.

DUBIUM. I.

Quodnam ſit ſubjectum capax Confirmationis.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco. Omnes, & ſoli homines baptizati Confirmationem valide recipere poſſunt. Prima pars colligitur ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ per duodecim fere priora ſæcula apud Latinos viguit; & quæ his etiam temporibus apud Græcos, & Orientales obtinet, nimirum, quod omnibus, ipſis etiam infantibus, immediate poſt Baptiſma Confirmatio adminiſtretur. Antiquæ praxis, apud Latinos teſtes ſunt Innocentius I. *Epiſt.* 1. *c.* 3. & S. Greg. *lib. Sacr.* de Sabbato Sancto, qui etiam refert, quod ſtatim confirmati, etiam infantes, ad communionem Euchariſticam admittebantur. Antiquæ vero, & modernæ Grecorum praxis infantes ſtatim poſt Baptiſmum confirmandi fidem faciunt antiqua, & moderna eorum Ritualia, ſeu Euchologia.

II. Porro omnes homines etiam infantes, ſtatim poſt Baptiſmum, vel ante rationis uſum hujus ſacramenti capaces eſſe, oſtendit S. Thomas 3. *p. q.* 72. *art.* 8. hoc diſcurſu. Intentio Dei eſt, hominem baptizatum perducere ad ſpiritualem perfectionem; hæc autem non dependet a corporali perfectione corporis per ætatem, ſicut dependet perfectio corporalis; ſed quemadmodum ſpiritualis *nativitas* ab anima, quæ eſt immortalis, dependet, ita & ſpiritualis perfectio: anima autem tam in pueritia, & infantia eadem eſt, ac in adulta ætate; ergo ſicut in ſenectute, in qua corpus languet, anima poteſt ſpiritualiter naſci, & roborari, ita in pueritia, & infantia, in qua corpus nondum ad perfectionem, & robur pervenit, anima poteſt ſpiritualiter perfici, & roborari. Et *ad* 2. dicit: *Inde eſt, quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus Sancti perceptum uſque ad ſanguinem fortiter certaverunt pro Chriſto.* Et ad 4. *Unde* (inquit) *etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam.* Se autem loqui etiam de pueris in infantili ætate conſtitutis, explicat, *in* 4. *diſt.* 7. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 2. dicens: *Confirmatio poteſt puero tradi, & convenienter traditur; quia infantis ætas non patitur fictionem, qua effectus ſacramenti in traditione impediatur. Et ideo quamvis tunc non competit ei confiteri, vel pugnare: certum tamen eſt quod effectum ſacramenti plene recipit, per quem erit idoneus ad pugnam, & confeſſionem ad perfectam ætatem veniens, niſi gratiam acceptam per peccatum amittat.* Ac ſi dicat: Quamvis parvuli non ſint capaces pugnæ, ſunt tamen apti, tum ut armentur ad pugnam; tum ut per characterem conſignentur in milites Chriſti, ac perfectionem gratiæ habitualis accipiant: ratione cujus habituri ſint tempore ad profeſſionem fidei opportuno auxilium actuale.

III. Quod vero ſoli baptizati capaces ſint Confirmationis prob. primo. Tum quia: Baptiſma ad omnia ſacramenta, quæ in uſu conſiſtunt, janua eſt, ac via. Tum quia; per Confirmationem adoleſcit quis in vita Chriſtiana: non poteſt autem adoleſcere qui nondum natus, ac in lucem editus, ſeu qui nondum Chriſtianus eſt. Ita S. Th. 3. *p. q.* 72. *art.* 6. his verbis: *Character Confirmationis neceſſario præſupponit characterem baptiſmalem: ita ſcilicet, quod ſi aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, ſed oporteret, ipſum iterato confirmari poſt Baptiſmum. Cujus ratio eſt: quia ita ſe habet Confirmatio ad Baptiſmum, ſicut augmentum ad generationem .... Manifeſtum eſt autem, quod nullus poteſt promoveri ad ætatem perfectam, niſi primo fuerit natus &c.* Id tamen *ad* 3. dicit: *Quod audientes prædicationem Petri* (Actor 10.) *acceperunt effectum Confirmationis miraculoſe, non autem Confirmationis ſacramentum. Dictum eſt autem, quod effectus Confirmationis poteſt alicui conferri ante Baptiſmum, non autem Confirmationis ſacramentum. Sicut enim effectus Confirmationis, qui eſt robur ſpirituale, præſupponit effectum Baptiſmi, qui eſt juſtificatio: ita ſacramentum Confirmationis præſupponit ſacramentum Baptiſmi.* Poteſt ergo recipi effectus Confirmationis ante ſacramentum

tum Baptiſmi, non autem ante effectum Baptiſmi, qui eſt juſtificatio.

Secundo. S. Bonifacius altera ad Zachariam Epiſt. conqueſtus fuerat, quod quidam Presbyter Scotus doceret, poſſe homines ſine Baptiſmo fieri Chriſtianos per Epiſcopalem manuum impoſitionem. Inauditum hoc dogma damnans Zacharias, Bonifacio reſcribit: *Hic, qui dixit hoc, vacuus eſt Spiritu Sancto, & alienus a gratia Chriſti, atque a conſortio ſacerdotali abjiciendus. Qui enim, niſi baptizatur juxta præceptum Domini, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ſic per manus impoſitionem conſecretur, poteſt eſſe catholicus? Hunc nequiſſimum virum talia prædicantem, ab Eccleſia ſancta Dei condemnatum expello.*

IV. Aliquibus tamen baptizatis cenſent Eruditi, aliquando, & in aliquibus Eccleſiis Occidentalibus negatam fuiſſe Confirmationem, nimirum, Gentilibus, qui in infirmitate tantum Baptiſma poſtulaſſent. His enim, niſi prius in gentilitate probi fuiſſent, ſeu moribus fidei Chriſtianæ conſimilibus ſeſe commendaſſent, confirmationem non fuiſſe conceſſam, colligunt ex *Can.* 39. Concil. Eliberitani, ubi ſtatuitur: *Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit eis manus imponi, & fieri Chriſtianos.*

Nec eſt, quod quis reponat, Eliberitanos Patres per manus impoſitionem ſumere Baptiſmum. Nam primo: nullibi Baptiſmum manuum impoſitionis nomine legimus appellatum. Secundo: quia iidem Patres, *Can.* 45. a Baptiſmo in vitæ periculo neminem Gentilium excludunt. — Neque obſtat, Concilium loqui de impoſitione manus, qua fiat Chriſtianus. Nam per Confirmationem eſto non fiat homo primo Chriſtianus, fit tamen Chriſtianus perfectus.

Quidquid tamen ſit de præfato Canone: certum eſt, in aliis Occidentalibus Eccleſiis, & Orientalibus, iis, quibus Baptiſma conceſſum fuit, Confirmationem nunquam fuiſſe denegatam.

§. II.

Hodierna Praxis circa Ætatem Confirmandi.

ECcleſiæ Græcæ, vidimus ritum antiquum confirmandi ſtatim poſt Baptiſmum non ſolum adultos, ſed etiam parvulos, ac infantes. De praxi igitur moderna Eccleſiæ Occidentalis ſermo erit.

V. Dico. Quamvis infantes poſſint valide, & licite, ut olim confirmari, in Eccleſia tamen Occidentali convenienter inſtitutum eſt, ut differatur Confirmatio uſque ad uſum rationis. Tum quia: hoc ſacramentum ad ſalutem neceſſarium non eſt neceſſitate medii; unde infantes ſine illo ſalvari poſſunt. Quare expediens fuit, ut differretur, quo actuali devotione, cujus ante uſum rationis nemo capax eſt, & etiam cognitione ſuſciperetur, & conſequenter cum majori utilitate. Tum quia: ſic periculum iterationis certius vitatur; facilius enim ſe illud recepiſſe recordari poſſunt, ſi illud rationis uſum habentes ſuſceperint. Tum quia: cum hoc ſaacramentum ſit quaſi ultima conſummatio ſacramenti Baptiſmi, & velut ſecunda fidei profeſſio; conveniens fuit, ut qui primam fecerunt per alios, ſecundam per ſe ipſos faciant.

Quare Catechiſmus Romanus, *Tit. de Sac. Confir. n.* 18. ait: *Omnibus quidem poſt Baptiſmum Confirmationis ſacramentum poſſe adminiſtrari; ſed minus tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc ſacramentum differre maxime convenit. Neque enim Confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt: ſed ut ejus virtute optime inſtructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet: ad quod ſane pugna genus pueros, qui adhuc uſu rationis carent, nemo aptos judicarit.* Ex quibus apparet, quod licet Eccleſia in confirmandis uſum rationis requirat, non vult tamen ad longum tempus differri, ſed in ea ætate ſuſcipi, in qua regulariter homo innocentiam baptiſmalem conſervat ab omni lethali culpa immunem, ut eam bene inſtructus majori reverentia, & puritate ſuſcipiat, ac inſuper ut per gratias actuales huic ſacramento annexas juvari, ac roborari poſſit ad graves tentationes, quæ cum adoleverit, ei ſupervenire poſſunt, ſuperandas, & graviora peccata vitanda.

VI. Non adeo tamen ſtricta eſt obligatio expectandi uſum rationis in collationem hujus ſacramenti; quin Epiſcopus ex aliqua juſta ratione, puta, ob defuturam commoditatem, ob longam ſui abſentiam, ob mortem imminentem, poſſit puerum necdum ratione utentem abſque peccato confirmare. Immo neque in hoc ſcrupuloſe nimis ſe gerere debet: quandoquidem Romanum Pontificale id ejus relinquit arbitrio, ut poſſit nedum pueros confirmare, ſed & infantes his verbis: *Pontifex infantes, pueros, vel alios ſacri Baptiſmati unda perfuſos confirmare volens, paratus . . . . . accedit*, &c. Et infra; *Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem, teneantur in brachiis dextris.*

VII. Quoad perpetuo amentes, cum in eis non expectetur uſus rationis, ſicut in pueris, nec tempus, quo melius diſpoſiti futuri ſint; ſtatim ac eſt commodum, confirmari debet: capaces enim ſunt gratiæ, & majoris gloriæ per hoc ſacramentum, quam alioquin non eſſent habituri. Idem dici poteſt de eo, qui prius ſui compos in perpetuam amentiam inciderit, dummodo tamen præſumatur, eum ante amentiam intentionem hoc ſacramentum ſuſcipiendi habuiſſe; nec conſtet, eum ſtatim poſt grave peccatum in amentiam incidiſſe. Si tamen ſpes eſſet, eum ad ſanam mentem aliquando rediturum, differenda eſſet confirmatio; ut cum majore reverentia, & devotione ſumere poſſet.

VIII. *Etiam morituris hoc ſacramentum dandum eſt* (inquit S. Thom. 3. part. quæſt. 72. art. 8. ad 4.) *ut in reſurrectione perfecti appareant, ſecundum illud, Epheſ.* 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum in menſura ætatis plenitudinis Chriſti. *Et ideo Hugo de S. Victore dicit* (l. 2. de Sacr. p. 7. cap. 3.) Omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contigeret. *Non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum; ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Quia, ut ibi ait, confirmati decedentes majorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam. Quod autem non ſit in uſu, non eſt, quia non expediat; ſed quia non poteſt commode, & cum debita ſolemnitate fieri: quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt, ut ait Innoc. I. *Epiſt.* 1. *cap.* 8.

§. III.

Diſpoſitiones in Suſcipiente Requiſita.

IX. DIco. In adulto, qui eſt in ſtatu gratiæ, nil aliud requiritur, quam voluntas ſuſcipiendi ſacramentum. In adulto vero peccatore, præter hanc, prærequiritur contritio charitate perfecta, vel attritio cum inchoata Dei dilectione, & Sacramento Pœnitentiæ. Hoc enim ſacramentum, cum ſit vivorum, & datum non ad conferendam primam gratiam, ſed ad eam augendam; debet, ut digne recipiatur, ſuſcipientem ſupponere in ſtatu gratiæ.

Porro quamvis in adulto peccatore ſufficere poſſit contritio perfecta, quia hæc includit amorem Dei perfectum; & ideo infallibiliter juſtificat extra ſacramentum in re; nec adſit præceptum, ſive Divinum, ſive Eccleſiaſticum, quo quis teneatur confirmationi præmittere confeſſionem ſacramentalem; in praxi tamen tutius eſt, & ideo curandum ab eo, qui conſcientiam peccati mortalis habet, ut ab eo per confeſſionem ſe purget, priuſquam Confirmationem accipiat: quia contritio vere perfecta incerta, & difficilis eſt in pleriſque. Unde in Conc. Aurelian. c. 3. relato diſt. 5. de Conſecr. c. *Ut jejunii*, dicitur: *Moneantur* (Adulti, qui ad Confirmationem veniunt) *confeſſionem facere prius, ut mundi donum Sancti Spiritus valeant accipere.*

X. An vero requiratur etiam, ut accipiant jejuni: dico. In antiqua Eccleſia Confirmationem adultis datam non fuiſſe, niſi jejunis. Patet ex citato, cap. *Ut jejuni*, ubi ſtatuitur: *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfecta ætatis* (ideſt adulti) quod injungitur etiam Epiſcopo confirmaturo, ibidem, cap. 4. *Ut Epiſcopi*, ubi ſtatuitur ex Concil. Meldenſi, cap. 4. *Ut Epiſcopi nonniſi jejuni per impoſitionem manuum Spiritum Sanctum tradant, exceptis infirmis; & morte periclitantibus.* Magiſter etiam ſentent. *in* 4. *diſt.* 7. teſtatur, ſua ætate ſacramentum hoc nonniſi a jejunis accipi. *Hoc ſacramentum* (inquit) *tantum a jejunis accipi, & jejunis tradi debet, ſicut & Baptiſmus, niſi aliter cogat neceſſitas.*

XI. Hanc tamen obligationem, ſæculo decimo ſexto, ob rationabiles cauſas ſublatam fuiſſe ſcribit S. Thom. 3. *p. q.* 32. *art.* 12. *ad* 2. ubi ait: *Propter multitudinem fidelium & propter pericula imminentia ſuſtinetur, ut hoc ſacramentum, quod nonniſi ab Epiſcopis dari poteſt, etiam a non jejunis detur, vel accipiatur. Quia unus Epiſcopus, præcipue in magna Diœceſi non ſufficeret ad tot homines confirmandos, ſi eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue obſervari poteſt, convenientius eſt, ut a jejunis detur, & accipiatur.* Huic monito ſubſcribens Catechiſm. Roman. tit. de Conf. n. 10. *Admoneantur* (inquit) *laudabilem illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem renovandam eſſe, ut nonniſi jejuni hoc ſacramentum ſuſciperent. Quod quidem fidelibus facile perſuaderi poſſe exiſtimandum eſt, ſi hujus ſacramenti dona, mirabileſque effectus intellexerint.*

XII. Eumdem etiam uſum antiqua Eccleſia ſervavit in infantibus; ut nonniſi jejunis, extra caſum neceſſitatis, hoc ſacramentum traderetur. Et ratio erat. Quia eadem die etiam infantibus cum Baptiſmo, & Confirmatione dabatur Euchariſtia, ad quam non ſolum adultos, ſed etiam quantum poterat, infantes jejunos accedere volebat Eccleſia. Unde S. Gregorius, l. Sacr. de infantibus, *Qui etiam* (inquit) *non prohibentur lactari ante ſacram communionem, ſi neceſſe fuerit.* Et Ordo Romanus: *Illud autem parvulis providendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur, ne ſumma neceſſitate, antequam communicent ſacramento Corporis Chriſti.*

DUBIUM II.

An Confirmatio imprimat characterem?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DE effectibus, quos in anima hoc sacramentum producit, agendum est, nempe charactere & gratia. Hic de primo agemus: deinde de secundo sequenti Dubio. Quia tamen in *Tract. de Sacram. in Gen.* hæc magna ex parte resoluta sunt, ideoque ibi dicta recolenda: propterea breviter nos expediemus.

II. Dico ergo. Sacramentum Confirmationis debita forma, & materia, nec non a legitimo Ministro collatum, characterem imprimit, ideoque iterari non potest. Est contra modernos hæreticos Lutherum, Zuvinglium, Socinum, Calvinum, qui cum negent ullum sacramentum characterem imprimere, ut supra vidimus: id quoque de Confirmatione, quam negant sacramentum esse, fortius inficiantur.

III. Probatur tamen primo ex Paulo, *Hebr. 6.* ubi hæc habet: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum ... impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum Cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Hic S. Paulus loquitur de fundamentis fidei, quæ dicit, se nolle rursum jacere: hæc autem esse Baptismata, ac Confirmationem indicat his verbis: *Baptismatum doctrinæ, & impositionis manuum*, quæ impossibilia sunt renovari, seu repeti his verbis: *impossibile enim est, eos, qui semel sunt illuminati* per Baptismum, *& participes facti sunt Spiritus Sancti* per impositionem manuum, *iterum renovari*, repetendo scilicet in eis Baptisma, & impositionem manuum.

Ita intellexit Paulum Sanctus Chrysostomus ibi dicens: *Non licet dicere, si dissolute, & negligenter vixerimus, rursus baptizabimur, catechesi rursus instituemur, accipiemus Spiritum Sanctum: & si a fide non exciderimus, rursus baptizati poterimus peccata abluere. Erratis: impossibile enim est, eos, qui semel illuminati sunt &c.* Cum ergo impositio manuum sit ipsa Confirmatio, eam repeti impossibile est, sicut & Baptisma.

Ita quoque Paulum intelligit S. August. *in exposit. inchoata Epist. ad Romanos.* Ubi exponens prælaudatum textum, de lavacro Baptismi, & manus impositione, quæ Paulus dicit esse fundamenta, non iterum jacienda, ait: *Ista omnia in baptismo traduntur, qua negat esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus. Nam in verbi Dei tractatione, atque doctrina, non iterum tantum, sed sæpius dicenda sunt, sicut rerum de quibus disseritur, opportunitas flagitat.* Quibus docet, Baptismi, & impositionis manuum doctrinam esse quidem sæpius prædicandam, sed consecrationem non repetendam. Dicit autem, hæc duo in Baptismo tradi; quia suo tempore, sicut modo apud Græcos, Confirmatio simul cum Baptismate tradebatur.

IV. Idem sentit S. Cyrillus Jerosolymit. in Procatechesi circa finem dicens; Deus *Spiritus Sancti concedat signaculum indelebile in sæcula.* Tum *Catechesi 17.* ubi dicit, quod Ananias *Tum obcæcatos Pauli oculos ad reparati luminis usum traduxit. Tum ejus animæ sigillum impertiens vas electionis effecit, ut Domini, qui ipsi apparuerat, nomen coram Regibus & filiis Israel ferret.* Quæ de sigillo Confirmationis exponi debent: Ananias enim, & tunc temporis fere omnes Presbyteri Episcopi erant. Eo vel maxime, quod Ananias se Christo missum refert ad Paulum, ut impleretur Spiritu Sancto.

V. Confirmationem vero non esse iterandam, nisi in casu dubii, aperte docet Sanct. Gregorius, *lib. 14. Ep. 17.* alias *32. ad Felicem Messanensem Epist.* his verbis: *De dedicationum Ecclesiarum dubitatione .... hoc vos rite tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus, idest: ut quoties, tum de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint: ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat. Quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.* Quibus Confirmationem parificat cum Ecclesiæ consecratione, & Baptismo: sed Ecclesiæ consecratio, & Baptismus absolute iterari non possunt; ergo nec Confirmatio.

VI. Quod Confirmatio imprimat characterem, ostendit Sanct. Thom. *3. part. quæst. 72. art. 5.* Character est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata: *in Baptismo autem accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se ipsum vivit: sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei: sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione: postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimici fidei christiani. Et ideo manifestum est, quod in sacramento Confirmationis imprimitur character.*

§. II.

Diluuntur Objecta.

VII. PRimo objicies. Si Confirmatio imprimeret characterem, non foret iteranda, quando debite fuit administrata etiam ab hæreticis: atqui Stephanus I. Papa Confirmationem ab hæreticis datam nullam esse censuit. Unde S. Cyprianus, *Epist. 74. ad Jubajanum*, eum redarguit, quod Baptismum ab hæreticis datum ratum haberet, Confirmationem vero ab eisdem datam rejiceret, & ab hæresi revertentibus manum iterum imponeret.

VIII. Respondeo primo: hanc objectionem non militare contra nostrum præsens assertum. Dum enim dicimus, Confirmationem imprimere characterem, & non esse iterandam, loquimur de Confirmatione valide collata. Quia vero superius statuimus, Confirmationem, sicut & Baptismum sub debita forma, & materia administratum validum esse: ideo

Respondeo secundo, nego minor. Stephanus enim, sicut ratum habuit Baptisma ab hæretico collatum, ita & Confirmationem: pro validitate enim utriusque stabat Ecclesiæ traditio, cui Stephanus innitebatur. Quod vero Sanctus Cyprianus oppositum imaginatus fuerit, mirandum non est. Nam studio suæ partis abreptus, atque præventus contingere potuit, ut mentem Stephani non plene assequeretur: & sicut existimabat, quod Stephanus ratum habens hæreticorum Baptisma, probaret Baptisma eorum, quomodocumque etiam non Evangelicis verbis collatum, cum tamen id Stephanus nunquam senserit: ita contingere potuit, ut putaret, Stephanum Confirmationem ab hæreticis etiam rite collatam rejicere; cum tamen solum rejiceret eam, quæ fuisset collata sine debita, ac legitima forma.

Æquivocatio autem Cypriani ex eo oriri potuit, quod cum resciviſſet, Stephanum manus imponere hæreticis ad Ecclesiam Catholicam venientibus, existimarit, eam manuum impositionem esse confirmatoriam, & chrismativam; cum tamen esset solum reconciliatoria. In quo sensu dicebat Sanctus Augustinus, lib. 3. de Baptism. cap. 16. *Manus impositio* (nimirum Reconciliatoria) *non sicut Baptismus, repeti non potest.* Quod si aliquibus hæreticis redeuntibus manus impositio etiam confirmatoria præscripta legitur: hoc ideo factum fuit, quia illi in sua secta, vel Confirmationem omittebant; vel non secundum Ecclesiæ ritum conferebant. Sed de his superius diximus, *Q. præced. D. 3.*

IX. Secundo objicies. Character est signum distinctivum: sed Confirmatio non relinquit signum distinctivum. Nam per Confirmationem homo non distinguitur ab infideli; ad hoc enim distinguitur per Baptismum. Non distinguitur ab aliis fidelibus: nam Confirmatio non ordinat ad aliquid speciale, sicut Ordo, sed ad pugnam spiritualem, quæ omnibus fidelibus competit.

X. Respondeo. Confirmationem esse signum distinguens fidelem confirmatum, a fideli non confirmato, seu adscriptum militiæ Christi a nondum adscripto. Ut enim ait S. Thom. cit. qu. 72. art. 5. ad 1. *Pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit: sed contra hostes visibiles, idest, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est Confirmatorum, qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem, secundum quod dicitur 1. Jo: 2.* Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum. *Et ideo character Confirmationis est signum distinctivum non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur, 1. Petri 2.* Sicut modo geniti infantes.

XI. Si dicas: Confirmatio non dat specialem potestatem distinctam a Baptismo.

Nego antec. Nam, ut diximus cum Sancto Thoma, per Baptismum spiritualiter nascimur, & accipimus potestatem exercendi munia, quæ recens natorum propria sunt. Per Confirmationem quasi in vita spirituali jam adulti, & provecti accipimus potestatem exercendi munia hominis provecti, quale est pugnare. Unde per Baptismum adscribimur in familiam Christi, per Confirmationem vero in ejus militiam: & ideo charactere, & tessera militis consignamur.

XII. Tertio objicies. In Euchologio Græco, cujus auctor est Methodius Patriarcha Constantinopolitanus, refertur modus recipiendi transfugas a Religione Christiana. Ibi inter alias habetur, conversos baptizatorum instar unguento ungi debere; & relatis locis, in quibus unctio fieri debet, legitur forma Confirmationis; ergo saltem apud Græcos Confirmatio est iterabilis.

XIII. Respondeo, omisso ant. neg. conſ. Methodius enim ille non est tantæ auctoritatis, ut sit præferendus Scripturæ, & Patribus Confirmationem non esse iterandam pronuntiantibus. Immo iste Methodius non est vir ille Sanctus, qui circa annum Domini 840. dire fuit vexatus a Photio: sed alter Schismaticus, qui anno 1240. vivebat. Addunt alii, inter quos Arcudius, Methodii Euchologium a posterioribus Græcis fuisse vitiatum, addendo formam

Con-

Confirmationis *Signaculum*, quæ in multis antiquis Codicibus, & præcipue in manuſcripto Cryptæ ferratæ, deſideratur. Dicunt alii, titulum Euchologii mutatum: cum de ſolis hæreticis (non de apoſtatis) intelligendum ſit, juxta *Canonem 7.* Conſtantinop. I. quo præſcriptum fuit, ut hæretici, qui in ſua ſecta confirmati non fuerant, venientes ad Eccleſiam Catholicam confirmarentur. Ut ut res ſit, dici debet, Græcos modernos, qui ſentiunt characterem a Confirmatione non imprimi, ſed poſſe iterari, in hoc, ſicut in aliis, ab Eccleſia Catholica recedere.

DUBIUM III.

An Confirmatio gratiam conferat, & quam?

§. I.

Reſolutio prioris Partis.

I. Dico. Confirmatio confert gratiam peculiariter ſanctificantem. Eſt contra modernos Sectarios, præſertim Calvinum, qui *lib. 4. Inſt. capit. 10. §. 8. vult*, quod dicere, Confirmatione, ſeu manuum impoſitione gratiam ſpecialem a gratia baptiſmali diſtinctam conferri, ſit obſcurare Baptiſmum. Aſſertio noſtra tamen ad fidem pertinens eſt. Cum enim jam oſtenſum ſit, Confirmationem eſſe Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum; conſequens eſt, ut gratiam ſpecialem conferat a gratia baptiſmali diſtinctam.

Probatur autem ſpecialiter. Nam, *Actor. 8.* legitur: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* At nomine Spiritus Sancti intelligitur Spiritus Sanctus inhabitans, ſeu ſanctificans animam, non autem præciſe dona Spiritus Sancti, ſeu gratiæ gratis datæ, nimirum, genera linguarum &c. hæc enim potius ſunt effectus Spiritus Sancti. Unde. *Act. 2. verſ. 4.* dicitur: *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto* (Apoſtoli) *& cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Et Act. 19. verſ. *6. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur variis linguis, & prophetabant.* Loqui ergo variis linguis &c. erat effectus Spiritus Sancti, qui veniebat ſuper illos. Quapropter inepte Calvinus ex eo, quod modo impoſitione manuum non loquamur variis linguis &c. infert, eam eſſe cæremoniam otioſam, & inutilem. Impoſitione enim manuum datur etiam modo Spiritus Sanctus ſanctificans; ſed non datur omnes illius effectus viſibiles, qui tunc dabantur; quia illi tempori erant opportuna. Quæ notanda ſunt.

II. Hujus veritatis teſtis eſt Traditio. Tertullianus enim, lib. de Bapt. cap. 7. *Egreſſi* (inquit) *de lavacro perungimur benedicta unctione . . . & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit; quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritalis effectus, quia delictis liberamur.* En quomodo diſtinguit gratiam unctionis confirmativæ a gratia Baptiſmatis. Cyprianus quoque. *Epiſt. 73. ad Jubajanum*, loquens de Petro & Joanne miſſis in Samariam, dicit, quod Baptizatos *Baptizari eos ultra non oportebat; ſed tantummodo quod deerat, id a Petro, & Joanne factum eſt: ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus. Quod tunc quoque apud nos geritur: ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſumentur.* En quomodo Cypriani tempore baptizatis manu impoſita dabatur Spiritus Sanctus, & tamen viſibilia illa dona jam ceſſaverant.

III. Sed clarius id exponit S. Auguſt. *Tract. 6. in 1. Epiſt. Joannis.* Ubi poſtquam dicit, quod primis temporibus qui accipiebant Spiritum Sanctum, loquebantur variis linguis; Quia Evangelium Dei per omnes linguas toto orbe terrarum effundendum erat, hæc autem omnia tranſierunt, ſubjungit: *Numquid, modo quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? Aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit unuſquiſque veſtrum utrum linguis loquerentur; & cum videret, eos linguis non loqui, ita perverſo corde aliquis veſtrum fuit, ut diceret: non acceperunt iſti Spiritum Sanctum, nam ſi accepiſſent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum eſt? Si ergo per hæc miracula non fiat modo teſtimonium præſentiæ Spiritus Sancti; unde fit, unde cognoſcit quiſque ſe accepiſſe Spiritum Sanctum? interroget cor ſuum, ſi diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Videat, probat ſe ipſum coram oculis Dei &c.* Ex his Auguſtini verbis apparet primo: Eccleſiam ſua ætate Confirmationem etiam infantibus miniſtraſſe. Secundo: credidiſſe per Confirmationem dari Spiritum Sanctum, quamvis eam viſibilia dona non amplius comitarentur. Tertio: nomine Spiritus Sancti intellexiſſe gratiam ſanctificantem, cum infantes alterius capaces non ſint.

§. II.

Reſolutio poſterioris Partis.

IV. Dico. Gratia, quam Confirmatio per ſe confert, non eſt prima, ſeu juſtificans peccatorem; ſed ſecunda, quæ præhabitam juſtitiam roboret. Hoc vel ipſum nomen Confirmationis demonſtrat; exprimit enim firmitatem, perfectionem, conſummationem, & corroborationem in bono jam accepto: ideoque etiam antiquitus conferebatur, ut in Baptizatis, ac ſpiritualiter recens natis, gratia, & vita ſpiritualis in Baptiſmo accepta, & fides per Confirmationem firmaretur, augeretur, roboraretur. Unde S. Thom. 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. *Sicut* (inquit) *ex ipſo nomine apparet, hoc ſacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit; & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam: & propter hoc ſicut non datur non baptizatis, ita nec debet dari adultis peccatoribus, niſi per pœnitentiam reparatis . . . . . & tunc per hoc ſacramentum perficitur pœnitentiæ effectus; ſicut & Baptiſmi: quia per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequitur pœnitens pleniorem remiſſionem peccati.*

V. Colligitur ex modo loquendi Patrum, qui illam appellant nominibus perficientis, augmenti, Confirmationis, roboris; & docent, ea nos vere Chriſtianos fieri. Sic Eliberitani Patres, Canon. *38. Ut* (inquiunt) *per manus impoſitionem perfici poſſit.* Et Canon. *77. Eos per benedictionem perficere debebit.* Et Ambroſius, lib. *3.* de Sacr. c. *2. Poſt frontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* —— Gratiam augmenti appellant Hilarius Arelatenſis, Homilia de Pentecoſte, dicens: *In Confirmationem augmentum præſtat ad gratiam.* Et S. Thom. infra referendus —— Gratiam conſummationis vocat S. Cyprianus. Epiſt. *73.* ad Jubajanum: *Et ſignaculo Dominico conſummentur.* Gratiam roboris appellat Hilarius Arelat. laudatus, his verbis: *Paracletus regeneratis in Chriſto cuſtos, & conſolator, & tutor eſt. Poſt Baptiſmum confirmantur ad pugnam. Poſt Baptiſmum roborantur.* Quod explicans in forma Confirmationis S. Thom. 3. part. quæſt. 72. art. 4. *In hoc ſacramento* (inquit) *datur Spiritus Sanctus ad robur ſpiritualis pugnæ. Et ideo in hoc ſacramento tria ſunt neceſſaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum eſt cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sancta Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur*: In nomine Patris &c. *Secundum eſt ipſum robur ſpirituale . . . . . quod quidem tangitur, cum dicitur*: Confirmo te Chriſmate ſalutis. *Tertium eſt ſignum, quod pugnatori datur; ſicut & in pugna corporali milites inſigniis Ducum inſigniuntur: & quantum ad hoc dicitur*: Conſigno te ſigno Crucis, *in quo ſcilicet Rex noſter triumphavit, ut dicitur, Coloſ. 20.* Hæc Sanct. Thom.

Confirmatione tandem fieri nos perfecte, & vere Chriſtianos, dicit Cyrillus Jeroſolymitanus, *Catecheſi 3. Myſtagogica*, dicens: *Hujus Chriſmatis dono accepto merito appellamini Chriſtiani . . . ante enim, quam hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis proprie digni eo nomine; ſed pergentes eo uſque progreſſi eſtis, ut efficeremini Chriſtiani.*

VI. Ex hactenus dictis conficitur hæc ratio. Eam gratiam ſacramentum confert per ſe, ad quam conferendam eſt a Chriſto inſtitutum: ſed ſacramentum Confirmationis non eſt a Chriſto inſtitutum ad conferendam gratiam primam, ſeu a peccato juſtificantem: quin potius ad gratiam, & vitam ſpiritalem jam acceptam magis perficiendam, augendam, roborandam; ergo iſtam per ſe confert. Et ideo Sanct. Thom. *3. part. quæſt. 71. artic. 1.* ait: *Sic igitur & vitam ſpiritualem homo accipit per Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio. In Confirmatione autem homo accipit quaſi quamdam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ.*

VII. Non ita tamen Confirmatione homo per ſe accipit perfectam ætatem in vita ſpirituali; quin etiam aliquando contingere poſſit, ut per accidens ipſam primam vitam ſpiritualem Confirmatione accipiat. Nam (inquit S. Th. citata q. 72. art. 7. ad 2.) *Si aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet; vel ſi etiam non perfecte nutritus accedat: dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequetur remiſſionem peccatorum.* Unde *in Tract. de Sacrament. in Gen.* oſtenſum eſt, ſacramenta vivorum poſſe per accidens primam gratiam producere.

§. III.

Objectiones contra Utramque Partem.

VIII. Objicies primo contra primam partem. Confirmatio correſpondet impoſitioni manuum, quæ fiebat ab Apoſtolis, ſed hæc erat mera cæremonia pertinens ad Baptiſmum, tamquam ejus complementum; ergo non dat gratiam ſpecialem a gratia Baptiſmi diſtinctam.

Reſp. neg. min. Si enim impoſitio manuum ſuper baptizatos erat nuda cæremonia pertinens ad Baptiſmum; cur illis, qui baptizabantur ab aliis, ſoli Apoſtoli manus imponebant? An Philippus Diaconus, qui Baptiſmi ſubſtantiam

conferebat, hanc cæremoniam per seipsum supplere, & sic consummate, ac perfecte baptizatos suos facere Christianos non poterat? Cur hæc cæremonia, si nihil speciale confert, post Apostolos solis Episcopis Ecclesia perpetuo reservavit; & simplices Presbyteri, qui baptizare ex officio possunt, chrismare, seu confirmare ex officio non possunt?

IX. Dices. Cæremonia impositionis manuum dabat, & dat Spiritum Sanctum: hic autem dabatur, & datur etiam in Baptismo, cum in Baptismo etiam invocetur. Dabatur, & datur, ut quis fiat perfecte Christianus: numquid autem non fit perfecte Christianus per Baptismum?

X. Respondeo, in Baptismo dari Spiritum Sanctum, quia in Baptismo datur gratia; & dari etiam in Confirmatione: sed quamvis idem Spiritus sit, qui datur, non tamen est idem donum, & effectus Spiritus. Nam in Baptismo Spiritus Sanctus dat primo vitam spiritualem, & baptizatum adscribit familiæ Christi facitque eum filium Dei adoptivum. In Confirmatione autem idem Spiritus vitam spiritualem auget, perficit, & roborat, & confirmatum adscribit militiæ Christi, eumque armat ad pugnam contra hostes ejus visibiles: quæ gratiæ, & dona sane diversa sunt. In Baptismo etiam fit perfecte Christianus; quia per Baptismum nascitur vita spirituali, & ex filio iræ fit filius Dei. Sed Confirmatione dicitur fieri perfecte Christianus; quia non solum Christi fidem induit, ut eam habeat in se; sed ut Christum, ejusque fidem publice confiteatur exterius, & contra hostes ejus exterius tueatur. Uno verbo: in Baptismo accipit plenitudinem gratiæ ad salutem; & ideo ungitur in vertice, quo designatur, partem superiorem gratia baptismali muniri contra partem inferiorem; nempe, contra concupiscentias, quæ sunt invisibiles hostes. In Confirmatione autem ungitur, & signatur in fronte; ut fidem, quam profitetur interius, non erubescat etiam exterius profiteri, & contra visibiles ejus impugnatores eam strenue decertando defendere. Quæ duo valde diversa sunt, ideoque spiritualem gratiam requirunt.

XI. Neque obest, quod S. Thom. *3. p. q. 71. art. 3. ad 4.* dicat: *Quod eorum, quæ aguntur post Baptismum circa baptizatum, aliquid est, quod non solum significat, sed efficit; puta unctio, quæ fit in vertice, quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis* — Nam vult quidem unctionem verticalem, quæ fit post Baptismum, operari conservationem gratiæ in baptizato; non tamen operari robur, quo fidem, quam in se habet, possit contra hostes exterius propugnare: hoc enim sola unctio in fronte, quæ in Confirmatione fit, operatur.

XII. Secundo objicies contra eamdem partem. Etiam Panis Eucharisticus cor hominibus roborat, & confirmat, tribuitque vires ad resistendum fortiter hostibus fidei — Si respondeas ex S. Thoma, *3. p. q. 79. a. 1. ad 1.* quod licet per Eucharistiæ sumptionem *Gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur, Aliter tamen quam per sacramentum Confirmationis, in quo augetur, & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in seipso perfectus existat, per conjunctionem ad Deum.* Et eadem quæst. *art. 6.* quod Eucharistia *In quantum est quoddam signum Passionis Christi, per quam victi sunt Dæmones, repellit omnem Dæmonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit super Joan.* (Hom. 45.) Ut Leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti Diabolo.

XIII. Contra est. Eucharistia munit nos, nedum contra Dæmones, sed etiam contra fidei hostes visibiles. Hinc Cyprianus, *Epist. 54.* jubet, Eucharistiam a Diaconibus deferri ad confessores roborandos contra tyrannos, ne inermes descendant ad prælium. Sic enim ait: *Ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione corporis, & sanguinis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus.*

Respondeo, Cyprianum velle quidem Eucharistia roborari Christianum, ut sustinere possit prælium adversus fidei hostes; non tamen per modum armaturæ, sed per modum alimenti fortificantis. Duo enim requiruntur in milite: alimentum, quo possit prælii labores sustinere: & hæc est conditio, sine qua præliari non posset. Alterum est armatura, & gladius, quo possit hostem configere, aut resistere. Primum dat Eucharistiæ, quæ est spirituale alimentum; & hoc volebat Cyprianus, dum ait: *Munimento dominicæ saturitatis armemus.*

Secundum vero dat Confirmationis gratia, quæ est tamquam armatura, & gladius, quo baptizatus sustinet, & rejicit infidelium impetus. Unde gratia, quam dat Eucharistia, est in suo effectu diversa ab ea, quam dat Confirmatio.

XIV. Tertio objicies contra secundam partem. In veteri Ecclesia hæretici apud suos baptizati, sed non confirmati, ad fidem catholicam venientes nulla præmissa confessione, & absolutione sacramentali confirmabantur. Concilium enim Constantinop. I. *Can. 7.* Siricius, & S. Leo, qui dicitur, hæreticos illos esse manus impositione confirmandos, nullam absolutionis sacramentalis mentionem faciunt. Censebant ergo, Confirmationem primam gratiam justificantem per se conferre.

XV. Respondeo, neg. conf. Ex eo enim, quod non legatur, hæreticos ad fidem conversos prævia erroris confessione, & sacramentali absolutione, fuisse ad Confirmationem admissos, non concluditur, eam de facto non præmisisse. Concilium enim, & Patres citati solum loquuntur de publico, & solemni ritu, quo hæretici ad Ecclesiam venientes recipiebantur; non vero de iis, quæ privatim præmittere debebant, & in foro sacramentali. Nam certum est, quod hæretici venientes ad fidem, prius de fide instruebantur, & errores detestari debebant: & tamen de his nulla fit mentio.

Dubium IV.

De Necessitate, & Ritu Confirmationis.

§. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. Confirmationem non esse necessariam absolute necessitate medii, exploratum est; cum sine ea possit homo æternam salutem consequi. Æque tamen certum est, ait Catechismus Roman. *tit. de Confirmat. num. 16.* quod *A nemine prætermitti debet: sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.* Omnibus autem hoc sacramentum esse propositum ostendit. Tum ex eo quod contigit in die Pentecostes, in quo Spiritus Sanctus *Replevit totam Domum*. Cumque illa domus totius Ecclesiæ figuram gereret, & ab eo die initium sumpserit hoc sacramentum; datur intelligi, ad totam Ecclesiam, & ad omnes fideles pertinere. Tum ex ipsius sacramenti ratione: quæ cum sit perducere fidelem ad statum perfectum, & quasi adultum in vita spirituali; eo modo, quo natura dictat, ut qui in lucem editus est, curet, ut adolescat, & quantum potest ad perfectam ætatem perveniat: sic omnium mater Ecclesia vult, ut omnes, quos Baptismate regeneravit, studeant per hoc sacramentum adolescere, & ad perfectum Christiani hominis statum perduci. Quod hic quæri solet, est: an sit aliquod præceptum, sive divinum, sive ecclesiasticum obligans omnes ad hujus susceptionem: sive tantum aliquos, puta, eos, qui Sacris initiari volunt; sive in aliquibus circumstantiis, puta, persecutionis. Quæ breviter expediemus.

II. Dico ergo primo. Qui Clericali Tonsuræ initiari volunt, tenentur præcepto, saltem Ecclesiastico, præmittere Confirmationem. Probatur. Quia hoc, tamquam rem magni momenti, quovis sæculo Ecclesia injunxit iis, qui Clericali statui nomen erant daturi. Quod patet primo ex Cornelio Papa, qui in sua Epistola ad Fabium Antiochenum Novatiano crimini vertit, quod secundum Ecclesiæ regulam Ordinationi Confirmationem non præmisisset. Patet secundo ex Conc. Nicæno I. quod Clericis Novatianis ea lege Ecclesiasticum Ordinem concessit, ut reciperent Confirmationem, quam in sua secta neglexerant. Patet tertio ex Tridentino Synodo, *Sess. 23. cap. 4. de reform.* vetus præceptum innovante his verbis: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperunt.* Ratio etiam id suadet. Cum enim qui prima Tonsura initiantur, statui Clericali dent nomen, qui status inter omnes perfectior in Ecclesia est; ex eo enim assumuntur Reipublicæ Christianæ Duces, ac Pastores: oportet, ut qui illum ingreditur, in vita spirituali perfectus sit, adultus, & fortis; ideoque quod gratia Confirmationis, quæ est gratia roborans, sit præmunitus.

III. Hinc crederem, peccare mortaliter, qui sciens, etiam secluso contemptu, non prævie confirmatus, Tonsuram Clericalem susciperet. An vero fieret irregularis, seu ineptus ad Ordines suscipiendos, esto sint qui affirment: probabilius tamen opinioni neganti adhærendum existimo. Nam esto primis Ecclesiæ sæculis id forte obtineret, ut ex Epistola Cornelii Papæ, & Nicæno I. supra relatis colligi videtur; hoc tamen multis ab hinc sæculis in desuetudinem abiisse colligere licet: cum nec in Decreto Gratiani, neque in Decretalibus Rom. Pont. neque in Conciliis recentioribus, irregularitas statuatur. In pœnis enim Ecclesiasticis statuendis standum est Juri, non meris conjecturis a simili deductis.

IV. Dico secundo. Urgente persecutione contra fidem tenentur, etiam præcepto divino, sub morali fideles nondum confirmati Confirmatione muniri. Hoc probabilius judico. Tum quia: hanc fuisse antiquæ Ecclesiæ mentem, ut persecutionis tempore mox a Baptismo Neophyti confirmarentur, si adesset Episcopus, vel data prima opportunitate. Sic cum audissent Apostoli, quod Samaria ad prædicationem Philippi fidem Christi Baptismo professa esset; miserunt statim Petrum, & Joannem, qui baptizatis manus imponerent (*Actor. 8.*) Concilium etiam Eliberitanum, *Can. 77.* præcepit, ut baptizatos sine Episcopo, Episcopus per benedictionem perficere debeat. Et S. Cyprianus, Epistola 70. ad Januarium: *Ungi quoque* (inquit) *necesse esse eum, qui baptizatus sit; ut accepto Chrismate,* ideſt

ideſt unctione eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.

Teneri autem etiam præcepto divino, probo. Nam tunc præcepto divino obligat ſuſceptio ſacramenti, quando urget finis, ob quem inſtitutum eſt: ſed inſtante perſecutione urget finis, ob quem Chriſtus Confirmationem inſtituit; nempe, ut fideles armentur, & fores fiant pro confeſſione ſui nominis coram tyrannis, & idololatris, hæreticis, aut ſchiſmaticis, & in Catholicam fidem, & unitatem palam ſævientibus obſiſtant; ergo præcepto divino &c. Sicut enim imminente Civitatis obſidione omnes Cives arma ſumere pro ejus defenſione tenentur; ita urgente perſecutione fidei, omnes fideles armatos eſſe in ejus defenſionem Chriſtus voluit.

V. Nec valet, quod aliqui dicunt, robur, quo fideles indigent, ut fidem coram tyranno profiteantur, aliunde quam ex Confirmatione, haberi poſſe, nempe, ab Euchariſtia, quam ob id Cyprianus pugnaturis concedi volebat, *Epiſt.* 54. Dub. præced. num. 13. relatus.

Nam hoc effugium ex hæreticorum officina prodit; qui ut vim Confirmationis eludant, hac reſponſione utuntur. Deinde, in quo diverſus ſit effectus Euchariſtiæ ab effectu Confirmationis, oſtenſum eſt citato loco ad dictum Cypriani. Certum autem eſt, abſque ſacramenti ſive receptione actuali, ſive ejus voto, neminem via ordinaria poſſe conſequi effectum illius. Ita S. Thom. *3. p. q. 72. a. 6. ad 1.* dicens: *Virtus divina non eſt alligata ſacramentis. Unde poteſt conferri homini ſpirituale robur ad confitendum publice fidem Chriſti, abſque ſacramento Confirmationis; ſicut etiam poteſt conſequi remiſſionem peccatorum ſine Baptiſmo. Sicut tamen nullus conſequitur effectus Baptiſmi, ſine Baptiſmi voto: ita nullus conſequitur effectus Confirmationis, ſine voto ipſius, quod poteſt haberi etiam ante ſuſceptionem Baptiſmi.* Sicut autem inſtante perſecutione tenetur homo, ſi poteſt, actu ſuſcipere Baptiſmum: ita & tenebitur Confirmationem, ſi poteſt, recipere. Nam is, cui neceſſarius eſt effectus ſacramenti, tenetur, ſi poteſt, uti ſacramento, quod ad eum effectum Chriſtus inſtituit; qui enim viam ordinariam deſerit, aut contemptus, aut præſumptionis peccatum incurrit.

VI. Dico tertio. Probabilius cenſeo, etiam non inſtante perſecutione teneri præcepto divino, & Eccleſiaſtico fideles hoc ſacramentum non negligere; ſed illud ſive in re, ſi poſſunt, ſive ſaltem in voto ſuſcipere. Prob. Nam unuſquiſque divino præcepto tenetur, ut Chriſtianæ vitæ perfectionem aſſequatur: hæc ſiquidem Dei voluntas eſt, quemadmodum ea eſt intentio naturæ, ut omnis, qui corporaliter naſcitur, ad perfectam ætatem perveniat: per hoc autem ſacramentum homo ſpiritualiter ad ætatem perfectam promovetur. —— Rurſus: Tenetur quilibet jure divino conſulere quantum poteſt ſuæ ſecuritati; ne a fidei hoſtibus ſuperetur, & armis ad eis reſiſtendum muniri: ad hoc autem hoc ſacramentum eſt inſtitutum. Incredibile enim eſt, Chriſtum inſtituendo ſacramenta, quæ ſingulorum ſalutem ſpectant, noluiſſe ſingulos obligare ad ea ſuſcipienda.

Nec refert, quod Confirmatio non ſit medium ad ſalutem neceſſarium: etenim nec Euchariſtia eſt inſtituta ut medium ad ſalutem neceſſarium; & tamen ſumptio Euchariſtiæ jure divino præcepta.

VII. Hinc Jonas Aurelianenſis, *lib.* 1. de Inſtit. Laicali, cap. 7. *Nequaquam* (inquit) *a fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda; ſed potius remoto corpore negligentiæ, cum magna animi aviditate, & devotione petenda, & percipienda: ne ſine ipſius doni munere quis rebus humanis eximatur.* Quod Confirmat Hugo a S. Victore, *lib. de Sacrament. p. 2. cap. 3.* dicens: *Quid prodeſt, ſi a lapſu erigeris, niſi etiam ad ſtandum confirmeris? Propterea timendum eſt eis, qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ne forte propterea damnentur: quia feſtinare debuerunt dum potuerunt.* Quæ verba ex eodem laudans S. Th. 3. p. q. 72. a. 8. ad 4. *Omnino* (inquit) *periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret. Non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum; ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Ubi S. Th. dicit, quod moriens ſine hoc ſacramento *non damnaretur*, nimirum, ob puram ejus omiſſionem; quia hoc ſacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii. Si tamen non curaret, immo negligeret illud ſumere, cenſeretur illud contemnere: ſicut ſi Epiſcopus eſſet præſens, paratus dare, & perſona hoc ſciens, negligit, aut deſpicit recipere. Unde Concilium Senonenſe, *anno* 1524. & S. Carolus *in Inſtructionibus de Sacrament. Confirm.* monet Parochos, ut ſi quos negligentes animadverterint, paterne objurgent; ut data præſentia Epiſcopi Confirmationem celebrantis, feſtinent: alioquin illis valde timendum eſſet, quod cum potuerint, in re ſalutari tam negligentes extiterint. Neque dicas, S. Th. *3. p. q. 65. a. 4. ad 3.* dicere: *Non tamen eſt contemptus ſacramenti in hoc, quod aliquis non curat accipere ſacramentum, quod non eſt de neceſſitate ſalutis.* Nam S. Doctor de illis ſacramentis loquitur, quæ non ſunt neceſſaria neceſſitate nec medii, nec præcepti ſingulis Chriſtianis, ut Ordo, & Matrimonium. Unde ſubdit: *Alioquin omnes, qui non accipiunt Ordinem, & qui non contrahunt Matrimonium, contemnerent hujuſmodi ſacramenta.* Alia autem eſt ratio de Confirmatione, Euchariſtia, &

Unctione Extrema: quæ ſpectatis perſonarum, ac temporum circumſtantiis, neceſſaria ſunt ſingulis neceſſitate præcepti, tum divini, tum eccleſiaſtici: ideoque qui negligit ea ſuſcipere, cum poſſit, videtur contemnere, & peccare lethaliter. Videatur Catechiſmus Romanus ſupra relatus, *de Sacr. Conf. num. 16. & 17.*

VIII. Et quidem de ſuſcipienda Confirmatione dari præceptum Eccleſiaſticum oſtendunt Concilia, quæ id omnibus adeo ſtricte imponunt: & Mediolanenſe IV. ſub S. Carolo addit, quod qui hoc neglexerit, *Canonicis ſubjaceat diſciplinis.* Præceptum autem divinum licet non legatur expreſſe in Scripturis, colligitur tamen ex ejus inſtitutione, ut ſupra. Tum ex Traditione, & praxi Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolorum tempore, ſollicita fuit non ſolum adultis, ſed & parvulis baptizatis, hoc ſacramentum ſtatim conferre; quæ hæreticos illud in ſua ſecta negligentes, in ſuum ſinum non admiſit, niſi prius eodem munitos. Quod argumento eſt, eam credidiſſe, hanc eſſe Chriſti voluntatem; ut quilibet vel illud in re ſuſcipiat, cum poſſit, vel ſaltem votum habeat illud ſuſcipiendi. Licet autem de hoc voto interrogare non conſueverit eos, qui hoc non ſuſcepto moriuntur; hoc ideo eſt, quia cum non ſit neceſſarium neceſſitate medii; & cum aliunde ſupponat moriturum paratum illud ſuſcipere, ſicut omnia ante mortem præſtare, quæ Chriſtus inſtituit: conſequenter ſupponit in eo votum implicitum, niſi aliunde illi de oppoſito conſtaret.

§. II.

Secunda Pars de Ritibus.

IX. Ritus conferendi Confirmationem, alius eſt apud Græcos, alius apud Latinos. Apud Græcos, qui adhuc ſervant morem hoc Sacramentum ſimul conferendi cum Baptiſmo, hic eſt ritus. Primo. Ubi Sacerdos Baptiſmum complevit, recitat orationem, per quam in baptizatum invocat Spiritum Sanctum ad robur, quæ incipit: *Benedictus es Domine Deus Omnipotens.* Secundo *Hac oratione completa, baptizatum* (inquiunt Euchologia) *ſancto unguento inungit, Crucis ſignum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus, dicens ſignaculum doni Spiritus Sancti.* Tertio. Sacerdos, ut ex Euchologio Patriarchali Cryptæ ferratæ apparet: *Una cum ſuſceptore, ac infante facit figuram circuli, & tercanit. Quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, Alleluja.* Quarto. Nonnullis perfectis ex Epiſtola ad Romanos, & Matthæi Evangelio, recitantur preces, quibus Deus oratur, ut gratiam in Baptiſmate, & Confirmatione receptam conſervet.

X. Verum apud Latinos alii ritus Confirmationem præcedunt, alii eam comitantur, aliqui conſequuntur. De his ſigillatim agemus.

Antequam ergo Neophytus confirmetur, primo: Chriſma, quod inungi debet, ſolemniter ab Epiſcopo conſecrari debet. Secundo: a Patrinis Neophytus offerendus eſt, hujus ritus meminerunt S. Gregorii Magni ſacramentarium, & Ordo Romanus; ac rationem dat S. Th. 3. *p. q. 72. a. 20.* his verbis: *Hoc ſacramentum exhibebatur homini ad robur pugnæ ſpiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſervationem vitæ.... ita illi, qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus conſtituuntur Duces, & Centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc ſacramentum, ab alio tenetur, quaſi per alium in pugna ſpirituali erudiendus. Similiter etiam quia per hoc ſacramentum confertur homini perfectio ſpiritualis ætatis; ideo ille, qui ad hoc ſacramentum accedit, ſuſtentatur, quaſi adhuc ſpiritualiter imbecillis, & puer.*

IX. In Patrinos autem aſſumi non debent, qui nondum confirmati ſunt, ut docet idem S. Thom. citatus, *ad 2.* Quia *Licet baptizatus ſit effectus membrum Eccleſiæ, nondum tamen eſt adſcriptus militiæ Chriſtianæ. Et ideo Epiſcopo, tamquam Duci exercitus, per alium exhibetur jam militiæ Chriſtianæ adſcriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum eſt confirmatus.* Eadem ratione a S. Carolo excluduntur, qui decimum quartum ætatis annum nondum attigerunt, etiam jam confirmati. Quia cum, ut ipſe tradit, *part. 4. act. Eccl. Mediolanenſ.* Patrinus adhibeatur in Confirmatione, ne confirmatus ſibi fidat, *Sed aliorum, qui vel ætate, vel diſciplina provectiores ſunt, monita, conſiliaque libenter audiat, atque amplectatur:* huic certe muneri impares ſunt, qui adhuc impuberes, & proinde in doctrina Chriſtiana minus eruditi, potius, quam alios docere, ab aliis indigent edoceri.

A munere Patrini in Confirmatione excluduntur ii omnes, quos ſuperius, *Tractat. de Bapt. Quæſt. 4. Dub. 5. §. 3.* ab hoc eodem munere in Baptiſmo excluſimus, nimirum, parentes ejus, qui confirmandus eſt, *numer.* 10. Abbates, Monachi, Sanctimoniales, *numer.* 15. Immo qui Patrinus fuit in Baptiſmo, in Confirmationem ejuſdem Patrinus eſſe non poteſt. Similiter, quia adultus, qui confirmatur, debet ponere pedem ſuum ſuper pedem dexteram Patrini ſui: *Ideo* (ut præſcribit Pontificale Romanum) *neque maſculi feminis patrini, neque femina maſculis matrina eſſe deberent.* Quod ſtatuit etiam S. Carolus, in 5. Concil. Me-

diolanenſi, qui addit: *Neque ſenioribus adoleſcentes, cum minime hoc per ætatem conveniat .... niſi id neceſſitas aliquando poſtulet.*

XII. Nonnumquam etiam in Confirmatione confirmando nomen immutatur. Vel ad pium votum, ac deſiderium confirmandi: unde Synodus Carnotenſis, anno 1525. *Si voluerint* (inquit de confirmandis) *poſſunt nomina ſua mutare, dum tamen fraus, & dolus abſint.* Vel ſi nomen prius ſuſceptum turpe eſſet, aut ridiculum, vel indignum homine Chriſtiano. Ita S. Carolus in Conc. Mediol. *Ut* (inquit) *novo, ac ſancto ſuſcepto nomine, virilem in ſancte agendo conſtantiam perpetuo deinceps præſtet.*

XIII. Quondam veſtibus albis confirmandi induebantur antequam offerrentur Epiſcopo. Tunc enim (ut modo apud Græcos) Confirmatio conferebatur ſtatim poſt Baptiſma: quo quidem abſoluto, mox albas veſtes baptizatus induebat. His vero temporibus, quibus mos invaluit Confirmationem ſeparandi a Baptiſmo, ſufficit, ut veſtes mundæ ſint, ac modeſtæ.

XIV. Ritus vero, qui Confirmationem comitantur, primo: eſt tempus. Et antiquitus quidem illis anni temporibus miniſtrabatur, quibus Baptiſmus ſolemnis, nempe, in Paſchate, & Pentecoſte: ubi enim Epiſcopus aderat, duo illa ſacramenta ſimul conferri conſueverant. Sed creſcente fidelium multitudine, ſicut oportuit, ut Baptiſma quavis die, & a ſimplicibus Presbyteris conferretur; ita oportuit, ut Confirmatio a Baptiſmo ſepararetur, & in alia tempora, ut Epiſcopo commodum fuerit, differretur. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 72. *a.* 12. *ad* 1. dicens; *Eadem tempora ſunt præfixa Baptiſmo ſolemniter celebrando, & huic ſacramento* (Confirmationis) *ſed quia hoc ſacramentum a ſolis Epiſcopis datur, qui non ſunt ſemper præſentes: oportuit, quantum ad communem uſum, ſacramentum Confirmationis etiam in alia tempora differri.*

Laudabilis tamen eſt eorum Epiſcoporum praxis, qui die ſacra Pentecoſtes, & quidem hora tertia præcipue confirmant: tunc nempe, Spiritus Sanctus in Diſcipulos deſcendit. Unde antiquitus, teſte Alcuino, hora tertia ad nonam apud Latinos conferebatur: ſicut apud Græcos, tempore S. Chryſoſtomi, Baptiſmi, & Confirmationis ritus profundæ noctis ſilentio peragi ſolebat.

XV. Hunc autem morem in confirmando ſervare ſolebant, ut mares primum, deinde feminæ confirmarentur, quod in ordine Romano videre eſt.

Qua vero ætate, ac tempore ſinguli confirmarentur, nihil antiqui Canones ſtatuerunt: an ſtatim poſt Baptiſmum, an multo poſt. Hodiernam praxim deſcribit S. Carolus *in Concil. 5. Mediolanenſ.* his verbis: *Mares in Eccleſia a parte ſua, femina ab altera ſint. Sicque ſeparatim diſtincti, genibus flexis; manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine pie, ac religioſe orent .... Et quod veteris ritus eſt, primum mares, deinde femina confirmentur: niſi aliquando aliter fieri Epiſcopus cenſuerit.*

XVI. De loco vero, in quo Confirmatio celebrari debeat, non idem fuit ritus. Quovis in loco Apoſtoli Neophytos confirmabant, ſicut & baptizabant. In baptiſteriis deinde baptizari, & confirmari cœptum eſt, quæ paulo poſt Apoſtolorum tempora erecta fuerunt; ſive in domibus privatorum, ſicut in cœmeteriis, aut antris, aliiſque abditiſſimis receſſibus vigente perſecutione. Data autem Eccleſiæ pace, in Cathedralibus: deinde ſingulis in Parochialibus, ac Templis: denique ſi urgeat neceſſitas, in locis etiam prophanis, & Epiſcopus adſit.

XVII. Omnibus ergo diſpoſitis, Pontifex ad confirmandos genuflexos, & manus junctas ante pectus tenentes converſus, extenſis verſus eos manibus, prius exorat Sanctum Spiritum, ut in eos deſcendat ad robur; deinde illorum frontem Chriſmate per Crucis ſignum inungit, hæc proferens verba: *Signo te ſigno Crucis &c. Convenienter* (inquit S. Th. 3. p. q. 72. art. 9.) *ſignatur Chriſmate ſigno Crucis in fronte, propter duo. Primo quidem: quia inſignitur ſigno Crucis, ſicut miles ſigno Ducis, quod quidem debet eſſe evidens, & manifeſtum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifeſta eſt, qua quaſi nunquam obtegitur: & ideo linitur confirmatus Chriſmate in fronte, ut in manifeſto demonſtret, ſe eſſe Chriſtianum: ſicut & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum ſe manifeſtaverunt, qui prius in Cœnaculo latebant. Secundo: quia aliquis impeditur a libera confeſſione nominis Chriſti, propter duo, ſcilicet, propter timorem, & propter verecundiam. Utriuſque autem horum ſignum maxime manifeſtatur in fronte, propter duo, ſcilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc, quod ſpiritus a corde directe ad frontem aſcendunt: unde* verecundati erubeſcunt, timentes autem palleſcunt, *ut dicitur in 4. Ethic.* (cap. ult.) *Et ideo in fronte ſignatur Chriſmate; ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat.* Ita S. Th.

XVIII. In fronte, inquam, ſignari debet Confirmandus, non in toto corpore. Quia, ut ait S. Th. ad 1. *In Confirmatione roboramur ad pugnam, cujus ſignum ferendum eſt in fronte, quaſi in evidenti loco.* — Non ſupra cor. Quia ut ait ad 2. *Principium fortitudinis eſt in corde, ſed ſignum apparet in fronte. Unde dicitur, Ezech. 3.* Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum *Et ideo ſacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſe ipſo confirmatur, pertinet ad cor, ſecundum illud Pſ.* 103. Panis cor hominis confirmet. *Sed ad ſacramentum Confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios; & ideo exhibetur in fronte,* quaſi in evidenti loco. Neque tandem ſignari debet in ore, quamvis ore fiat *confeſſio ad ſalutem.* Rom. 10. Nam (inquit ad 3.) *Hoc ſacramentum datur ad libere confitendum, non autem ad confitendum ſimpliciter, quia hoc fit etiam in Baptiſmo. Et ideo non debet dari in ore, ſed in fronte, ubi apparent ſigna paſſionum, quibus libera confeſſio impeditur.*

XIX. Peracta tandem frontis inunctione, Epiſcopus confirmatum leviter in maxilla manu cædit, nimirum, (ait Catechiſm. Rom. de Sacr. Conf. n. 26.) *Ut meminerit, ſe tamquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda.* Ritum autem hunc non eſſe admodum antiquum, ex eo colligitur, quod nec in Gregorii Magni ſacramentario, nec apud eos, qui ſæculo nono de ritibus ſcripſerunt, legatur.

XX. Subinde Epiſcopus pacem impertitur Confirmato; quem ritum in ordine Romano legere eſt: *Ut* (inquit Catechiſm. Rom. laudatus) *intelligat, ſe gratia cæleſtis plenitudinem, & pacem, qua exſuperat omnem ſenſum, conſecutum eſſe.*

XXI. Tandem prece fuſa Epiſcopus confirmati frontem vitta linea, quam quilibet confirmandus ſecum deferre debet, circumligat; quia ad duodecimum uſque ſæculum per ſeptem dies deferri ſolebat. Sic Ordo Romanus, & Hugo a S. Victore, *lib. 2. de Sac. part. 7.* dicens: *Solent quidam quærere, quanto tempore debeant unctionem Chriſmatis obſervare in capite .... quibus reſponderi poteſt conveniens eſſe ut ... ſeptem diebus &c.* Poſtea in aliquibus Eccleſiis per triduum tantum ejuſmodi vitta deferebatur: *Vittas poſt Confirmationem* (ait Synodus Senonenſis, anno 1614.) *per triduum die, ac nocte deferant.* Tandem Pontificale Romanum: *Confirmato* (inquit) *debet ligari frons, & ſic manere, quouſque Chriſma deſicatur, vel extergatur.* Quid autem faciendum ſit de præfata vitta, poſtquam a Confirmato circumgeſtata fuerit: dicit Concilium Bituricenſe, *anno* 1584. quod *Terſa a Sacerdote diligenter fronte, faſcia in veſtiario cremetur: ejus cineres in primum diem Quadrageſimæ ſerventur.* Sed hæc de cæremoniis, & toto Tractatu Sacramenti Confirmationis ſint ſatis.

TRA-

TRACTATUS SEPTIMUS

DE EUCHARISTIA,

UT SACRAMENTUM EST.



QUia Euchariſtia non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam Sacrificium Novæ Legis, de illa ſub hac duplici conſideratione agendum eſt: de prima quidem in hoc Tractatu; in ſequenti vero de altera.

Euchariſtia ergo variis inſigniri nominibus conſuevit a Patribus. A Cyrillo enim Alexander. Epiſtol. contra Neſtorium, *Eulogia*, ſeu *Benedictio* dicitur; quia benedictione, hoc eſt, conſecratione conficitur. A Paulo, 1. *Cor.* 11. & Tertulliano, *lib. de Spectaculis*, dicta fuit *Cœna Domini*; quia Chriſtus, poſt cœnam habitam cum ſuis Apoſtolis, eam inſtituit. Hoc nomine communiter eam appellant Lutherani, & Calviniſtæ. Vocatur præterea *Sacra Synaxis*, ſeu *Communio*: ſive quia hoc ſacramento Fideles ſpecialiter communicant Chriſto, ut Capiti, non ſolum voluntate, & affectu, quod & amantibus commune eſt, ſed etiam realiter Chriſto commiſcentur, & fiunt cum ipſo una caro; & ſibi ipſis invicem communicant per charitatem, ut membris ejus. Inſuper *Euchariſtia* nuncupatur a verbo Greco *Euchariſtia*, quod Latine redditur *Bona gratia*, ſeu *Gratiarum actio*: quia, ut ait Juſtinus, *Apolog.* 2. in illius uſu Deo gratias agamus. *Viaticum* etiam appellatur; quia ex hac vita ad æternam profecturis datur in ſubſidium adverſus hoſtes. Deinde *Sacrificium* dicitur; quia in illo hoſtia Chriſtus quotidie Deo Patri immolatur.

Horum rationem dat S. Thomas 3. *part. q. 73. art.* 4. Quia hoc Sacramentum triplicem habet ſignificationem. Unam quidem reſpectu præteriti; in quantum eſt commemorativum Dominicæ Paſſionis, quæ fuit verum Sacrificium: & ſecundum hoc *Sacrificium* dicitur. Aliam reſpectu rei præſentis, ſcilicet, Eccleſiaſticæ unitatis, cui homines hoc ſacramento aggregantur; & ſecundum hanc *Communio* dicitur, vel *Synaxis*: quia (ait Damaſc. *lib.* 4. *Orth. Fid. cap.* 14.) communicamus per ipſam Chriſto, & participamus ejus carne, & divinitate, & communicamus, & unimur ad invicem per ipſum. Tertiam reſpectu futuri, quatenus hoc ſacramentum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in Patria; & ſecundum hoc dicitur *Viaticum*; quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi. Et dicitur etiam *Euchariſtia*, ideſt, *Bona gratia*; quia gratia Dei vita æterna, ut dicitur, *Rom.* 6. vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia. Dicitur etiam in Greco *Metalepſis*, ideſt, *Aſſumptio*; quia per hoc Filii Dei Deitatem aſſumimus: ſive *Tranſumptio*, quia in Filio Dei tranſumatur.

De hoc Sacramento agit S. Th. 3. *p. a. q.* 73. uſque *ad q.* 83. incluſive. Cujus veſtigiis inhærentes, hoc idem præſtabimus, aliqua tum ſcholaſtica, tum moralia, tum dogmatica, & polemica intermiſcentes.

QUÆSTIO I.

De Materia Sacramenti Euchariſtiæ.

AD eſſentiam Euchariſtiæ, utpote Sacramenti, pertinet conſtare ex materia, & forma. Hic de ejus materia agemus, acturi de ejus forma in ſequenti. Aliqua tamen præmittenda ſunt, ad naturam Euchariſtiæ bene percipiendam neceſſaria.

DUBIUM I.

An Euchariſtia ſit Sacramentum, aliaque circa ejus Naturam?

§. I.

Euchariſtia Sacramentum eſt.

I. INter alias Albigenſium blaſphemias hæc recenſetur, quod ſacramentum Euchariſtiæ ſpernerent, & Deum in Euchariſtia non adeſſe potiori modo, quam in aliis rebus effutirent. Albigenſibus longe ante præiverant Archonivi, Epiphanio teſte, *Hæreſ.* 40. Meſſaliani, referente Theodoreto, *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 11. Petro Pruſiani, de quibus Petrus Cluniacenſis, *Epiſt. contra eoſdem*, & Bagomili dicentes, Euchariſtiam nil aliud eſſe, præter orationem, & Evangelium, teſte Euthymio, Panopliæ, *part.* 2. *t.* 23. *cap.* 17. An vero præfatorum hæreticorum mens fuerit, Euchariſtiam a ſacramentorum albo penitus delere, an vero ſolum ejus veritatem obſcurare; certum non eſt, nec noſtri inſtituti hic decidere.

II. Dico ergo. Euchariſtia verum novæ legis ſacramentum eſt. Hoc non negant noſtri temporis hæretici, quamvis illud obſcurare conentur, ut in progreſſu videbimus. Eſt dogma fidei ſancitum in Florent. *Decr. Unionis*, in Trident. *Seſſ.* 7. *de Sacram. in Gener. Can.* 1. & *Seſſ.* 13. ac 21. Et antea in Concil. Later. IV. ſub Innoc. III. Cap. *Firmiter*. In Concil. Carthagin. III. anno 397. cap. 24. & 29. Cap. *Cum Martha*, de Celebr. Miſſ. C. *In Sacramentorum*. C. *In Sacramento*, de Conſecr. diſt. 2.

Aperte hoc tradit Scriptura. *Matth.* 26. & *Luca* 22. Chriſtus Euchariſtiam inſtituit conſecrando panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem ſuum; deinde Apoſtolis hoc idem faciendi contulit poteſtatem dicens, Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Rurſus, Joan. 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ex quibus diſcurro ſic: Tria requiruntur ad ſacramentum. Primum: quod ſit aliquid ſenſibile. Secundum: quod ſit a Chriſto inſtitutum. Tertio: quod ſanctificandi via ordinaria vim habeat. Sed hæc tria habet Euchariſtia, nam ſpecies panis, & vini quid ſenſibile ſunt: eam Chriſtus inſtituit, ut ex Matthæo, & Luca diximus: ſanctificandi vim habet, ſeu annexam habet promiſſionem gratiæ, ut diximus ex *Joan.* 6.

III. Convenientiſſime autem aliis ſacramentis Chriſtus addit Euchariſtiam (inquit S. Th. 3. *p. q.* 73. *a.* 1.) Sacramenta enim ordinantur ad ſubveniendum homini in vita ſpirituali proportionaliter, ac homini ſubvenitur in vita corporali: ſed vitæ corporali ſubvenitur primo, per generationem, qua homo accipit vitam. Secundo, per augmentum, quo homo accipit perfectionem, & robur vitæ. Tertio, per alimentum, quo vita nutrimento conſervatur; ergo & vitæ ſpirituali, præter Baptiſmum, quo homo ſpiritualiter generatur, & præter Confirmationem, qua ſpiritualiter augetur, & roboratur, debuit ſubveniri per Euchariſtiam, qua per modum cibi ſpiritualiter nutriatur, & reparetur damnum, quo ex calore nimio appetitus, & paſſionum vita ſpiritualis ſæpe debilitatur.

IV. Adverte tamen ex S. Thom. citato, *ad* 1. quod aliter auget, & perficit Confirmatio, aliter Euchariſtia. Nam *Duplex eſt perfectio. Una, qua eſt in ipſo homine, ad quam perducit per augmentum: & tali perfectio competit Confirmationi. Alia autem eſt perfectio, quam homo conſequitur ex adjunctione alicujus extrinſeci hominem conſervantis, puta, ex adjunctione cibi, vel indumenti, vel alicujus hujuſmodi: & talis perfectio competit Euchariſtiæ, qua eſt ſpiritualis refectio*. Sicut ergo vita naturalis alia virtute in ſe augetur, & alia appoſitione cibi nutritur: ita vita ſpiritualis alio ſacramento in ſe augetur, alio per conjunctionem cum Chriſto, qui eſt animæ cibus, nutritur.

V. Ex his deduci poteſt definitio ſacramenti Euchariſtiæ, nimirum: *Eſt ſacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, per ſpecies panis, & vini, præſcripta forma verborum conſecratas in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſignificans, & cauſans per modum cibi, & potus internam, & ſpiritualem nutritionem hominis* —— Vel brevius: *Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti ad ſpiritualem fidelium alimoniam a Chriſto inſtitutum*. Ex his enim duabus definitionibus, quarum prima quaſi phyſica eſt, ſecunda vero metaphyſica, exprimitur omnis cauſa tum conſtitutiva, & intrinſeca, tum extrinſeca, nempe, efficiens, & finalis ſacramenti Euchariſtiæ, ut Studioſus deprehendere poterit.

VI. In hoc autem ſacramento, ſicut in cæteris, invenire eſt ſacramentum tantum, ideſt, id quod ſignificat, & non ſignificatur; & hoc ſunt ſpecies panis, & vini legitime conſecratæ: rem tantum, ideſt, quod ſignificatur, & non ſignificat; & hoc eſt ſpiritualis nutritio per gratiam ſanctificantem: & rem, ac ſacramentum ſimul; & hoc eſt corpus, & ſanguis Chriſti, quæ ſignificantur per ſpecies conſecratas, & ulterius ſignificant internam animæ nutritionem.

VII. Notat inſuper S. Thom. hac *q.* 73. *art.* 1. *ad* 3. in tribus Euchariſtiam a cæteris ſacramentis differre. Primo. Quia cætera ſacramenta continent aliquid ſanctum ſolum in ordine ad aliud, hoc eſt virtutem ſanctificandi hominem; Euchariſtia vero continet aliquid in ſe, & abſolute ſanctum, ſcilicet, Chriſtum. Secundo. Alia ſacramenta habent eſſe ſacramenti in ſolo uſu, & applicatione: aqua enim Baptiſmi habet eſſe ſacramenti tunc ſolum, cum per illam homo abluitur; quia tunc ſolum, per formam a baptizante prolatam accipit vim ſanctificandi. At Euchariſtia habet eſſe ſacramenti ante uſum, ipſa conſecratione materiæ: quia ſpecies panis, & vini ſtatim ac conſecrantur,

continere incipiunt corpus, & sanguinem Christi; quibus in esse sacramenti, etiamsi nemini applicentur, constituuntur. Tertio. In Baptismo, Confirmatione, & Ordine non solum res tantum, nempe gratia, sed etiam res, & sacramentum simul, nempe, character, est in recipiente, non autem in materia sacramenti. At in Eucharistia licet gratia spiritualis nutritionis, quæ est res tantum, in suscipiente sit: id tamen, quod est res & sacramentum simul, nempe, corpus, & sanguis Christi, in ipsa materia proxima est, nempe, in speciebus consecratis.

VIII. Ex his colligitur, ut supra dictum est, Eucharistiam esse inter omnia sacramenta præstantissimum: ideoque Trid. *Sess.* 13. sæpe illud vocat divinum, & mirabile, ac sanctissimum. Et *cap.* 3. rationem assignans dicit: *Illud in ea* (Eucharistia) *excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse Sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant; cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat. Et semper hac fides in Ecclesia Dei fuit &c.* Sed de hoc infra. Et *Sess.* 7. *de Sacr. in Gen. Can.* 3. anathema dicit ei, qui dixerit, omnia sacramenta *Ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius.*

IX. Eccellentia hujus sacramenti fuit in veteri lege præfigurata, ait S. Thom. dicta *q.* 63. *art.* 6. his verbis: *in hoc Sacramento tria considerare possumus: scilicet: id quod est Sacramentum tantum, quod est panis, & vinum: & id, quod est res, & Sacramentum, scilicet corpus Christi verum; & quod est res tantum, scilicet, effectus hujus Sacramenti —— Quantum igitur ad id, quod est Sacramentum tantum, potissima figura fuit hujus Sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem, & vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc Sacramento, figura fuerunt omnia sacrificia Veteris Testamenti; præcipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua ejus figura manna, quod habebat in se omnis saporis suavitatem, ut dicitur Sap.* 16. *sicut & gratia hujus Sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. —— Sed Agnus paschalis quantum ad hæc tria præfigurabat hoc Sacramentum. Quantum enim ad primum: quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud Exodi* 12. Edent carnes, & azymos panes. *Quantum vero ad secundum: quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna; quod fuit figura Passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus. Quantum vero ad effectum; quia per sanguinem Agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante Angelo, & educti de Ægyptiaca servitute. Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura hujus Sacramenti Agnus paschalis; quia secundum omnia ipsum repræsentat.* Hactenus S. Thom.

§. II.

An Eucharistia sit Unum Sacramentum?

X. Dico cum S. Th. hic *q.* 73. *art.* 2. Eucharistiam, seu species panis, & vini consecratas esse unum specie sacramentum. *Unum enim* (inquit S. Thomas) *dicitur, non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur una domus, & unus homo. Est autem unum perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum.* Sed ad perfectionem, & integritatem hujus sacramenti, quod est institutum per modum refectionis, requiruntur species panis, & vini: nam ad refectionem requiritur cibus, qui est alimentum siccum, & potus, qui est alimentum humidum, & ex his duobus refectio integratur; ergo Eucharistia formaliter unum sacramentum est.

XI. Confirmatur. Convivium constans ex cibo, & potu dicitur unum, unitate non indivisibilitatis, aut continuitatis, sed perfectionis, & integritatis; ergo Eucharistia, quæ est convivium spirituale constans ex speciebus panis, & vini continentibus sub se corpus, & sanguinem Christi, erit unum sacramentum. —— Porro: ad unum unitate perfectionis, & integritatis non requiritur, ut constet partibus physice unitis, sed solum moraliter, seu ad eumdem finem; ut patet in cibo, & potu, quæ integrat unum convivium: cum tamen solum ad eumdem finem, scilicet, ad unam refectionem ordinetur. Neque requiritur, hujusmodi partes esse ejusdem speciei in esse physico, & materiali; ut patet in cibo, & potu, & in partibus ejusdem domus: sed sufficit, ut sint ejusdem speciei in esse formali partis, ut scilicet ordinentur ad unum convivium, & eamdem domum constituendam.

XII. Sed dices. Qui sub una tantum specie communicat, non mutilum, sed integrum recipit sacramentum; ergo qui sub duplici specie recipit non unum, sed duplex recipit sacramentum.

Respondeo, dist. ant. Integrum integritate rei contentæ, & effectus, conc. ant. Integritate sacramenti tantum, nego ant. Qui enim unicam tantum speciem sumit, recipit quidem integrum sacramentum, integritate rei contentæ in illo, quia recipit totum Christum; nam sub una specie non solum est corpus, sed etiam sanguis, & integer Christus: integritate etiam effectus; quia æque spiritualiter nutritur, qui unam tantum speciem sumit, ac qui utramque, ut dicetur suo loco. Nequaquam tamen recipit integrum sacramentum, integritate sacramenti tantum: cum illud non recipit secundum integram, & adæquatam illius significationem, nempe, spiritualem refectionem, quæ per unicam speciem perfecte non repræsentatur.

XIII. An vero Eucharistia unum numero sacramentum dicendum sit —— Respondeo. Quod si sumatur pro re in ipso contenta, nempe pro Christo, unum numero sacramentum est; cum sit unus numero Christus. Si vero sumatur pro eo, quod est sacramentum tantum, hoc est, pro speciebus consecratis, physice loquendo duplex est, quia ex duobus constans: sed quia illa duo ad unum ordinantur, moraliter, & adæquate unum numero sacramentum est.

DUBIUM II.

An Materia Eucharistiæ sit Panis, & Vinum?

§. I.

Referuntur Errores.

I. Duplex in Eucharistia distinguenda est materia. Una transiens, & non manens in hoc sacramento: & hæc est panis, & vinum, qui consecratione transubstantiantur in corpus, & sanguinem Christi. Utraque enim hac materia usum fuisse Christum, cum hoc sacramentum instituit, fidem faciunt Matthæus, *cap.* 26. Marcus, *cap.* 14. Lucas, *cap.* 22. & Paulus, 1. *Cor.* 11. Alia vero permanens, & proxima, quæ sunt accidentia panis, & vini; quæ facta consecratione manent, & sub quibus, loco substantiæ panis, & substantiæ vini, succedit corpus, & sanguis Christi. Hic ergo de priori materia, nempe, de transeunte, & transmutanda sermo erit.

II. Circa hanc turpiter erratum fuit. *Gnostici* enim Simonis Magi misera soboles, referente S. Epiphanio, *Hæresi* 26. fœdissima materia, quam pudet exponere, in sua Eucharistia utebatur; eam enim in sordidis libidinibus celebrabant. His successerunt *Ophitæ*, sic dictis ab *Ophis*, quod latine dicitur serpens, in quo figurabant Christum, & quem venerabantur: ejusque contactu oblationes sanctificatas, & Eucharistiam vocabant. De his S. Augustinus, lib. de Hæres. cap. 17. *Habent* (inquit) *verum colubrum assuetum eorum panes lambere, atque ita eis velut Eucharistiam sanctificare.* Alii de quibus S. Thom. 3. part. quæst. 74. art. 1. (*Artotiryta* dicti, referente S. August. lib. de Hæres. cap. 28. *Offerunt panem, & caseum in hoc sacramento, dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas.* Alia (eodem S. Thom. referente ex Aug. *lib. de Hæres. cap.* 26. & 27.) nempe, *Cataphrygæ, & Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur; miscentes eum farinæ, panemque inde facientes.* Quidam vero dicti *Aquarii* (ait S. Th.) *aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento afferunt.* Unde teste Theodoreto, *Encratitæ*, seu abstinentes, se vocitabant: contra quos S. Cyprianus scripsit Epistolam 63.

§. II.

Veritas Catholica.

III. Dico. Materia necessaria Eucharistiæ est panis, & vinum. Probo primo. Ea est necessaria materia in conficienda Eucharistia, in qua Christus institutor eam confecit, & confici mandavit; sicut aquam diximus esse materiam necessariam Baptismi, quia Christus sic instituit, & sic mandavit fieri: sed Christus in pane, & vino Eucharistiam instituit, & sic mandavit fieri, ergo &c. Min. colligitur ex *Matth.* 26. *v.* 26. ibi enim habetur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum —— Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. —— Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum &c.* Ergo Christus Eucharistiam confecit ex pane, & ex genimine vitis, hoc est, vino. Sic autem fieri Apostolis mandavit, *Luc.* 22. 19. dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod repetit Paulus 1. *Cor.* 11. *v.* 24. & *v.* 25. dicens: *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.*

IV. Hoc perpetuo senserunt Patres. Justinus *in Apologia* 2. *pro Christianis, pag. mihi* 97. Clemens Alexandrinus, *l.* 4. *Stromat. pag.* 539. Eucharistiam figuratam dicens in pane, & vino sanctificato, quod obtulit Melchisedech. S. Cyprianus, *Epist.* 63. omnesque subsequentium sæculorum Patres, & concilia, a quibus referendis, tamquam a re superflua, abstineo.

V. Congruentissime autem in pane, & vino Eucharistiam instituit Christus (ait S. Thom. 3. part. quæst. 74. art. 1.)

Primo

Primo quidem: quantum ad usum hujus sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento Baptismi ad usum spiritualis ablutionis; quia corporalis ablutio communiter fit in aqua: ita panis, & vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo: quantum ad Passionem Christi, in qua sanguis est a Corpore separatus. Et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale Dominicæ Passionis, seorsim sumitur panis ut sacramentum corporis, & vinum ut sacramantum sanguinis. Tertio: quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium .... Et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur. Quarto: quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis conficitur ex diversis granis, & vinum fluit ex diversis uvis (ut ait August. *Tract. 26. in Joan.*)

VI. Quare esto alii sint cibi, quibus homines ali possunt; & animalium cæsorum corpora expressius repræsentare videantur Christi Passionem: minus tamen competunt ad communem usum hujus sacramenti, & ad Ecclesiasticam unitatem significandam (ut ait Sanct. Thom. citatus *ad* 1.) Et ideo in pane potius instituere voluit Christus, & vino. Et licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum; tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficiat ad usum hujus sacramenti (ut ait S. Thom. *ad* 2.)

§. III.

De Quantitate Materiæ Consecrabilis.

VII. QUatuor hic, & in sequentibus considerandæ sunt. Primum: quanta debeat esse materia, ut consecratio valeat. Secundum: quanta debeat esse, ut ex parte Ministri sit licita. Tertium: an debeat esse præsens Ministro, & qua præsentia. Quartum: an materia, quæ consecratur, debeat esse certa, & determinata.

VIII. Circa primum refert S. Th. hac *q.* 74. *art.* 2. & in 4. *dist.* 11. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 3. quod aliqui dixerunt, Sacerdotem non posse consecrare immensam quantitatem panis, aut vini, puta, totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio; sed sub tanta quantitate, quanta sufficere possit usui fidelium: sic enim intentio consecrantis conformabitur intentioni Ecclesiæ. Non enim credendum est, quod Christus dederit potestatem Ministro ad agendum cum irrisione fidei, & sacramenti, juxta illud 1. Cor. 10. v. 7. *De potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem*. Esset autem ad destructionem, & irrisionem, si Sacerdos consecrare vellet totum panem, qui venditur in foro, vel totum vinum, quod est in cellario. Sicut ergo si aliquis in mari hominem baptizet; illa tantum aqua verbo vitæ sanctificatur, quæ ad usum ablutionis cedit, & non tamen mare: ita tantum de pane, & vino consecrari potest, quantum venire potest in usum fidelium. His tamen non obstantibus.

XI. Dico cum S. Th. locis citatis. Quamcumque panis, & vini, etsi maximam quantitatem, posse valide consecrari. Et ratio est. Quia (inquit) *in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur in ordine ad finem: sicut materia serræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem hujus sacramenti est usus fidelium. Unde oportet, quod quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium*. Sed non ad usum fidelium, qui nunc occurrunt: *Alioquin Sacerdos paucos Parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur, quod materia hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus sacramenti sit determinata*. Addo: quod quantacumque sit materia panis, & vini, per hoc pronomen *hoc*, vel *hic* designari potest; ac proinde dici, quod sit corpus, vel sanguis Christi.

X. Neque obstant allata superius. Nam *ad* 1. Respondeo cum S. Thom. tum 3. part. citato loco, ad 2. tum in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. q. 3. ad 1. *In sacramentis esse duplicem intentionem. Unam, quæ ordinatur ad perfectionem sacramenti; & hæc est essentialis sacramento: unde ea prætermissa non est sacramentum. Alia, quæ ordinatur ad finem sacramenti; & hæc consequitur sacramentum, ut ea posita, vel remota, nihilominus perficitur sacramentum. Sicut si aliquis intendat baptizare aliquem, ut lucrum temporale consequatur, sacramentum Baptismi verum est; quia secundum primam intentionem conformatur intentioni Ecclesiæ, quamvis non quantum ad secundam. Et similiter in hoc sacramento, si aliquis Sacerdos intenderet consecrare, non ad sumendum, sed ut in veneficiis uteretur, verum Corpus Christi esset. Unde etsi aliquis Sacerdos intenderet consecrare magnam quantitatem panis, & vini, non ad usum fidelium, sed ad irrisionem* (dummodo intenderet consecrare) *esset consecratum*. Hæc S. Thom. Licet autem potestas data sit ad ædificationem ex parte dantis, potest tamen Minister ea abuti ad destructionem. Ita S. Th. *in* 4. *loco citato ad* 2.

Neque obstat exemplum de Baptismo, Nam, ut docet S. Th. laudatus 3. p. q. 74. art. 1. ad 3. *Baptismi sacramentum perficitur in usu materiæ: & ideo per formam Baptismi non plus de aqua sanctificatur, quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ*, & usus est consequens ad hoc sacramentum. Unde perfectio hujus sacramenti non dependet ab usu, sicut in Baptismo. Ita ex 4. citato loco, *ad* 3.

XI. An autem in quacumque minima quantitate valida consecratio sit. Dico, quod quantitas panis, & vini, quamvis minima, si tamen per se sensibilis sit, & in ea species panis, & vini conservari possit, materia consecrabilis erit. Sicut si ex hostia consecrata auferatur fragmentum ita parvum, ut licet per accidens non sentiatur, per se tamen sensibile sit, & in ea parvitate conservari posset substantia panis: adhuc sic separatum retineret corpus Christi.

§. IV.

De Quantitate Materiæ licite consecrabilis.

XII. CIrca secundum vero: Dico. Quod eam tantum materiam consecrare licet, quam Sacerdos prudenter judicat, a fidelibus posse sumi, antequam species computrescant. Sacerdos enim, qui contrario modo se gereret, & relinqueret species putrefactionis periculo expositas, gravis sacrilegii reus evaderet: gravemque injuriam inferre sacramento, ni eas absumeret, antequam in sacra pixide computrescere incipiant.

XIII. Quod si edoceri cupias, quid fieret apud veteres de panibus consecratis, qui fidelium communioni superarant,

Respondeo cum viris eruditis Alexandre nostro, & Juenin, Communionis reliquias consuevisse pueris jejunis ad id specialiter in templum vocatis distribui. Hujus consuetudinis in Ecclesia Orientali fidem facit Evagrius, *lib.* 4. *hist. cap.* 36. his verbis: *Vetus est Constantinopoli consuetudo, ut quoties ex sacris partibus immaculati corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit; pueri impuberes ex iis, qui Gramaticorum scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent*. Inde referens miraculum, quod hac in re accidit, subjungit: *Id igitur eo tempore cum accidisset, una cum aliis pueris convocatus est filius vitrarii cujusdam, qui secta erat Judæus. Hinc puer parentibus causam mora ab eo sciscitantibus, id quod factum fuerat, exposuit; & quid ipse una cum reliquis pueris degustasset. Pater ira, atque indignatione succensus, illico filium correptum in fornacem ardentem conjicit, in qua vitrum formare consueverat. Mater vero puerum quæritans, cum reperire non posset, per totam urbem circumibat plorans, atque ejulans. Tertio demum die ad ostium officinæ mariti stans, filium nominatim inclamare cœpit flens, ac se ipsam lacerans. Tum puer agnita matris voce ei respondit ex fornace. Statimque mater perfractis foribus introgressa puerum inter carbones stantem videt, quem ignis nullatenus ambusserat. Qui postea interrogatus quonam modo illesus permansisset; mulierem quamdam purpurea indutam veste crebro ad ipsum ventitasse dixit, & aquam ipsi porrexisse, & carbones, qui circa ipsum erant, restinxisse, cibum quoque esurienti præbuisse. Quæ cum nunciata essent Justiniano, Imperator puerum simul, ac matrem regenerationis lavacro initiatos, Clero adscripsit. Patrem vero Christiana Religionis sacramenta percipere penitus recusantem, tamquam proprii filii interfectorem in Sycensi suburbio Cruci suffigi præcepit*. Hæc Evagrius. Hanc consuetudinem sua etiam ætate permansisse testatur Nicephorus, *l.* 17. *c.* 25. seque dum puer esset, & frequenter in Ecclesiis versaretur, partes eas accepisse scribit.

XIV. Eamdem disciplinam servatam fuisse etiam saltem apud aliquas Occidentales Ecclesias, colligitur ex Concilio Matisconensi, anno 588. habito. Ubi, *Canon.* 6. hæc habentur. *Quæcumque Sacrificiorum reliquiæ post peractam Missam in sacrario superfuerint, quarta, vel sexta feria innocentes pueri ab eo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur; & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant*.

Quod si Sacerdotis incuria reliquiæ Eucharistiæ computruissent; eas igni comburere, & earum cineres ad altare sepeliri consuevisse, colligit P. Juenin ex quodam Aurelianensi Concil. *p.* 2. *Canon.* 59. Quem morem ad ætatem suam usque perduravisse scribit Algerus sæculi undecimi Scriptor.

§. V.

De Præsentia Materiæ.

XV. CIrca tertium. Dico: Materia, ut valide possit consecrari, debet esse sensibiliter præsens. Ita S. Th. *in* 4. *dist.* 11. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. his verbis: *Non tamen dico, quod* (Sacerdos) *posset consecrare totum panem, qui est in Civitate simul, vel qui est in foro: quia ipsa forma pronomine demonstrativo utens ostendit, quod materia consecranda debet esse coram Sacerdote. Unde Sacerdos existens in domo sua non posset consecrare panem, qui est in altari; quod etiam non potest de toto pane, qui est in foro, neque de toto vino, quod est in cellario: sed quantacumque sit quantitas panis, & vini, quæ coram Sacerdote proponitur, credo, quod possit consecrari ab ipso*. Ex quibus patet, talem præsentiam requiri, quæ per pronomen demonstrati-

strativum *Hoc*, vel *Hic* possit enuntiari, ac demonstrari; non ad intellectum tantum (alias Sacerdos domi existens consecrare posset totum panem, ac vinum positum nedum in foro, sed in quacumque Orbis parte) sed ad sensum: ita ut materia consecrabilis præsentia illi sensibili adsit, & coram eo posita, saltem secundum prudentem æstimationem, & præsentia morali. Ut autem censeatur moraliter præsens, non est necesse, ut eam aliquo sensu contingat, seu vox ad illam perveniat; sed satis est, ut sit illi modo sensibili præsens, eamque præsentem esse Sacerdos cognoscat, & consecrare velit. Quare Sacerdos cæcus hostias, quas testimonio fide digno in altari coram se positas, etsi in pixide clausas, sciret, procul dubio consecraret, dummodo eas consecrandi haberet voluntatem. Et eadem ratione consecraret ingentem hostiarum cumulum: quia quamvis hostiæ in illo latitantes sensu non perciperentur; sensu tamen perciperetur cumulus ille, qui Sacerdoti sensibiliter præsens esset, & se haberet per modum unius totius singulas Sacerdoti præsentantis.

XVI. Hinc hostias in pixide clausa coram Sacerdote posita Doctores censent communiter consecrari; quamvis non licite fieret. Nam ex præcepto Ecclesiæ tenetur Sacerdos Pixidem, in qua sunt particulæ, & calicem, in quo est vinum, discooperire; & insuper majorem hostiam, & calicem manu tenere, dum verba consecrationis profert. Hostiam vero tabernaculo inclusam quidam putat posse valide consecrari: sed tutius est non posse, quia tabernaculum illud, ut alterum cubiculum censetur; & hostia tabernaculo clauditur, ut hominum sensibus, & præsentiæ subtrahatur. —— Hostia pariter a tergo Sacerdotis posita, nisi ab ipso digito, vel alio signo demonstretur, non potest designari per hoc pronomen *Hoc*, nec valide consecrari. Sicut neque si inter Sacerdotem, & hostiam intercedat paries; bene tamen, si solum velo sit cooperta, quia sic potest demonstrari præsens.

XVII. Hinc etiam sequitur, quod licet quis videns a longe Civitatem aliquam dicere possit: *Hæc est Civitas*, non tamen videns a longe panem, posset illum valide consecrare, & verificare: *Hoc est Corpus meum*. Quia ly *Hoc*, ut in consecratione adhibetur, sumitur in significatione stricta, prout significat objectum in tali distantia positum; ut censeatur coram positum, physice præsens, & quasi manu contrectabile. Sicut enim in sacramento Baptismi, dum dicitur: *Baptizo te*; significatur subjectum esse sensibiliter præsens baptizanti; & sic in aliis omnibus sacramentis, Matrimonio excepto; quia hoc sequitur naturam contractuum, qui etiam inter absentes iniri possunt: ita dum dicitur in consecratione: *Hoc est &c.* significatur materia non solum intelligibiliter, sed & sensibiliter præsens.

§. VI.

De Materia Determinatione.

XVIII. CIrca quartum. Dico. Quod materia, quæ consecratur, debet esse certa, & determinata per intentionem consecrantis. Et ratio est. Quia actiones circa determinatum subjectum exerceri debent, non circa vagum: idque in præsenti materia postulat vis pronominis demonstrativi *Hoc*, vel *Hic*; quod indicat materiam determinatam; sed hæc non aliunde potest determinari, nisi ex intentione consecrantis, qui super hanc potius materiam, quam super aliam verba proferre velit; ergo &c.

Quare si quis Sacerdos dimidiam tantum hostiæ partem consecrare vellet, nec eam ullo modo designaret, non consecraret: si vero designaret potius dexteram, quam sinistram partem, dexteram consecraret. —— Similiter si habens ante se plures hostias, vellet consecrare quasdam tantum ex illis, non determinando, quas; nullam consecraret: & eadem ratione si haberet ante se decem hostias, & vellet consecrare novem tantum, illas tamen sua intentione non determinans; nullam consecraret. Si autem putans esse decem, cum sint undecim, tamen habuit intentionem consecrandi omnes coram se positas: consecrat omnes undecim: quia error privatus circa numerum hostiarum non aufert ab illo intentionem consecrandi omnes illi propositas. Quamobrem Sacerdos semper habere debet intentionem consecrandi eas omnes, quas ante se propositas habet.

XIX. Infertur etiam, regulariter Sacerdotem non consecrare fragmenta disperſa in corporali, & ab hostiis separata; sicut nec guttas vini in calice dispersas, & a vino in ipso contento discontinuatas: quia in neutro casu præsumitur habere intentionem illas consecrandi, sed solum hostiam, quam habet in manibus, & solas particulas ante se in pixide, vel extra positas: sicut & solum vinum, quod est in calice per modum unius continui.

XX. Sed quid, si Sacerdos habens coram se decem hostias, haberet intentionem consecrandi solum illas, quas Deus, vel homo determinaret?

Respondeo, quod nullam consecraret (nisi fore illi esset notum quænam essent illæ hostiæ; quas Deus, vel homo determinaret consecrandas; quia in hoc casu posset illas designare pronomine demonstrativo *Hoc*) Ratio autem est. Quia pronomen demonstrativum *Hoc* designat materiam certam, & determinatam, supra quam cadat: sed si Sacerdos non determinaret, sed relinqueret eas determinandas a Deo, vel homine, nesciens, quas Deus, vel homo determinasset; verba ab ipso prolata non proferrentur cum intentione cadente supra determinatam materiam; ergo &c.

XXI. At dices. Si Sacerdos applicet Sacrificium pro illa anima purgatorii, quam Deus determinat, valide applicat. Rursus: si Sacerdos ex duobus peccatis venialibus velit absolvere ab illo tantum, quod Deus determinat, valide absolvit; ergo a pari &c.

XXII. Respondeo primo, dato ant. neg. conſ. & disparitas est. Quia in applicatione Sacrificii non debet designari pronomine demonstrativo anima cui applicatur: sic nec in absolutione debent designari peccata, a quibus fit absolutio. At materia consecrationis designari debet pronomine demonstrativo *Hoc*: non potest autem sic designari, quod est determinandum a Deo, & consecranti est ignotum. Unde ex paritate absolutionis sic instauro argumentum. Quia enim in absolutione sacramentali debet designari persona, quæ absolvit, dicendo: *Ego absolvo te*; si quis ex duobus sibi confessis illum tantum intenderet absolvere, quem Deus determinaret, invalide absolveret; ergo a pari.

Respondeo secundo, neg. ant. Probabile enim est, invalide applicari Sacrificium pro anima, quam Deus determinaverit. Et ratio est. Quia applicare Sacrificium pertinet ad Sacerdotem, non ad Deum, ad quem pertinet acceptare potius applicationem: & sic determinare materiam consecrandam ad Sacerdotem pertinet, non ad Deum. Si tamen Sacerdos sic applicaret; ego volo offerre Sacrificium pro illa anima, quæ magis eo indiget, vel quam Deus per illud liberare decrevit, sive pro qua teneor applicare, valeret: quia caderet supra materiam determinatam. Idem dico de absolvente, qui cum exerceat actum jurisdictionis, debet determinare materiam, idest, peccata, quæ absolvit: & ideo si ea relinquit determinanda a Deo, nihil efficiet.

Dubium III.

Qui sit Panis adhibendus pro Materia Eucharistiæ.

§. I.

Asseritur Panis Triticeus.

I. DIco. Solus panis ex tritico confectus est materia idonea Eucharistiæ conficiendæ. Ita omnes post S. Thom. tum 3. *p. q. 74. art. 3.* tum *in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. q. 1.* ubi ait: quod hoc sacramentum *Non potest confici, nisi de pane triticeo; cujus causa est divina institutio, quia ipse hoc pane confecit. Ratio autem institutionis potest triplex assignari. Prima ex effectu. Quia talis panis melius nutrimentum præstat: unde competit ad significandam excellentiam gratiæ, quæ in hoc sacramento confertur. Secunda ex usu sacramenti. Quia panis triticeus est, qui communius in usum cibi venit: alii autem panes non fiunt, nisi propter defectum tritici: unde & panis simpliciter dictus intelligitur de tritico, sicut & oleum de olivis: unde competit huic sacramento, cujus usus est in manducando, ut supra dictum est. Tertia ex re contenta, quæ est Christus, qui se grano frumenti comparavit, dicens:* Nisi granum frumenti cadens in terram &c. *Joan. 12.*

II. Hoc statuit Eugenius IV. *in Decreto pro Armenis*, ubi de Eucharistia loquens, ait: *Cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite* —— Neque audiendi sunt, qui dicunt, Eugenium locutum fuisse, non de materia necessaria, sed de materia præcipua, & communiori —— Nam Eugenius eodem modo assignat panem triticeum esse materiam corporis, ac vinum de vite esse materiam sanguinis: sed constat, vinum de vite esse materiam necessariam sanguinis; ut solum vinum de vite possit valide consecrari, ut dicetur; ergo etiam panis triticeus erit materia necessaria. Nam sicut idem Eugenius assignans aliorum sacramentorum materiam, loquitur de materia necessaria: ita & loquens de materia Eucharistiæ. Hinc in eodem Concil. Florent. *Sess. ultima* interrogati Græci de materia Eucharistiæ, responderunt. De pane, sive azymus, sive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet. Tum *in Litteris Unionis* dicitur: *In azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter conficitur.* Cui consonat Catechismus Rom. *de Eucharistia, n. 12.*

III. Dices. In omni aqua perfici potest Baptismus, ut nemo ob defectum materiæ beneficio sacramenti fraudetur: similiter etiam in omni vino, sive albo, sive nigro Eucharistia conficitur; ergo similiter in omni pane usuali ex quibuscumque granis confecto.

Respondeo, neg. conſ. Ut enim docet S. Thom. citatus ex 4. sent. q. 1. ad 2. *Omnis aqua omni aquæ est eadem specie, secundum Philosophum; & ideo non differt in quacumque aqua Baptismus fiat* (idem de vino sive albo, sive rubro, aut nigro ex vite) *sed non omnia grana, ex quibus panis consuevit confici, sunt ejusdem speciei.* Sicut ergo non omne vinum est materia sufficiens, sed tantum ex vite: ita nec omnis panis, sed tantum ex tritico confectus.

Quamvis autem triticum, sicut & vinum ex vite, non in omnibus Orbis partibus nascatur; ad omnes tamen mundi par-

partes poteſt aſportari, maxime quantum ſufficit pro uſu Euchariſtiæ. Eo vel maxime: quia, ut dicit S. Thom. citatus: *Sacramentum iſtud non eſt tantæ neceſſitatis, ſicut ſacramentum Baptiſmi.*

IV. Propterea falſa eſt opinio Gabrielis, volentis, panem confectum ex qualibet ſpecie frumenti poſſe valide conſecrari. Frumentum autem vocat, in quo ſit ariſta: & quia etiam hordeum habet ariſtam, cenſuit, etiam panem ex hordeo poſſe valide conſecrari. Nam licet apud prophanos auctores frumentum vocetur omne, quod habet ariſtas; ex uſu tamen Scripturæ frumentum pro ſolo tritico uſurpatur. Unde, *Gen.* 44. frumentum, quod dedit Joſeph fratribus ſuis, vocatur triticum. Cui adhærentes Patres, nomine frumenti ſolum triticum intellexerunt.

V. Falſa inſuper eſt opinio Halenſis, Alberti, Paludani, Soti, volentium, Euchariſtiam poſſe confici ex ſpelta, & farre; immo Cajetani addentis, ex quacumque frumenti ſpecie, dummodo ſimpliciter poſſet dici panis. Falſa inquam eſt. Nam, ut ait S. Thom. 3. part. quæſt. 74. art. 3. ad 2. *Generans generat ſibi ſimile in ſpecie: ſit tamen diſſimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ. Et ideo ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo) ex tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia hujus ſacramenti. Quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in ſpelta, neque etiam in farre, quod inter omnia eſt grano tritici ſimilius. Similitudo autem figuræ in talibus magis videtur ſignificare propinquitatem, quam identitatem ſpeciei: ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quod canis, & lupus ſunt propinqua ſpeciei, non autem ejuſdem. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo poſſunt ex ſemine tritici generari, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia hujus ſacramenti.* Idem dicit *in* 4. citato, *ad* 3. —— Ex quibus apparet, Sanctum Doctorem hanc regulam figere, quod grana, quæ licet ſimilia tritico ſint, ex tritico tamen generari non poſſunt, ut ſunt ſpelta, hordeum, far &c. non poſſunt eſſe, etiam redacta in panem, materia hujus ſacramenti. Siliginem autem, cum ex grano tritici generetur, poſſe adhiberi, ſi ex ea fiat panis, tamquam materiam.

Circa hoc tamen nota cum Sylvio in nunc art. quod ſi accipiatur ſiligo, ut accipitur a Plinio, *lib.* 18. *cap.* 8. ab Iſidoro, *lib.* 11. *Ethimolog. cap.* 3. Seneca, & aliis, ut ſignificat candidiſſimum tritici genus, dicta propterea *Siligo*, quaſi *Selecta*; ſic poteſt eſſe materia Euchariſtiæ: & de hac forte loquitur S. Thom. Si vero accipiatur, ut communiter, quæ vulgo *Segala* vocatur; non eſt cenſenda idonea; ut ex ea confectus panis, ſit materia. Ratio enim, qua utitur S. Thom. quod nimirum ſiligo generari poſſit ex tritico, probabilis tantum eſt, non neceſſaria. Nam ex tritico in malis terris ſeminato, oritur etiam avena; quæ tamen non poteſt eſſe materia: cum contingere poſſit, ut ex cauſa unius ſpeciei generentur effectus alterius ſpeciei, ob defectum virtutis, materiæ, vel diſpoſitionis. Hoc autem ſtante dubio, non liceret panem ſiligineum pro materia aſſumere ad Euchariſtiam: quia cum agitur de valore ſacramenti, non licet ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore. Unde oppoſitum damnavit Innocentius XI.

VI. Eadem ratione non licet ad conſecrandum aſſumere paſtam, ſeu panem igni non coctum; aut qui non ſit aqua naturali, ſed artificiali delibutum. Quidquid enim ſit, an paſta dici queat materia ſufficiens; quia tamen certum non eſt, immo, uſitato loquendi more, maſſa confecta ex farina, & aqua ante coctionem nondum eſt panis, nec panis uſum habet: ſicut nec panis confectus ex farina, oleo, lacte, aut aqua roſacea panis uſitatus eſt: ideoque qui hæc conſecraret, exponeret ſacramentum periculo nullitatis, & graviter peccaret.

VII. Quoad panem vero corruptum dico. Si panis adeo corruptus ſit, ut jam ſpeciem panis amiſerit, non poteſt valide conſecrari: ſicut nec panis confectus ex tritico adeo corrupto, ut jam amiſerit ſpeciem tritici. Hinc S. Thom. hoc *art.* 3. *ad* 4. ait: quod *Quia amylum eſt ex tritico corrupto* (nunc ex tritico madefacto, & male olenti) *non videtur, quod panis ex eo confectus poſſit fieri corpus Chriſti, quamvis quidam contrarium dicant.* Si vero non ſit tanta corruptio panis, aut tritici, quæ ſpeciem ſolvat; ſed ſolum ad corruptionem diſponat (quod declarat aliqualis mutatio ſaporis in pane) ex tali pane, aut tritico poſſet confici ſacramentum: peccaret tamen conficiens, propter irreverentiam ſacramenti. Ita ex S. Thoma.

VIII. Idem dicito de permixtione alterius frumenti cum farina triticea. Verum quia vix invenitur farina triticea, quæ alterius frumenti mixtionem non habeat; niſi forte de electis granis ſtudioſe fiat: ideo modica permixtio, cum non ſolvat ſpeciem. *Quod* enim *eſt modicum, quodammodo abſumitur a plurimo: ideo ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia hujus ſacramenti. Si vero ſit magna permixtio, pura, ex æquo, vel quaſi, talis permixtio ſpeciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus ſacramenti.* Ita S. Thom. citatus *ad* 3.

§. II.

Veteres quidam ritus circa Panes conſecrandos.

IX. PAnis conſecrandus ex fidelium oblatis olim ſeligebatur. Mos enim erat, ut omnes, qui ad Sacrificium conveniebant, panem, & vinum afferrent: ex quo pane, & vino a fidelibus oblato nonnulli panes ſeligebantur, atque ab Archidiacono imponebantur altari pro Euchariſtia conſecranda. Id præſcribitur in Ordine Romano, ſæculo ſeptimo circa octavum: ubi inſuper injungitur, ut ex vino, quod oblatum fuit, ea ab Archidiacono copia vini calici infundatur, quæ Sacerdotis, & populi communioni ſufficiat.

X. Circa vero præparationem panis, & vini, non idem ritus quovis tempore ſervatus fuit. Primis enim ſæculis, ſæviente nimirum perſecutione, panem communem credimus fuiſſe conſecratum; immo & Apoſtolos eos uſos fuiſſe, cum, ut ſcribit Lucas, *Act.* 2. *v.* 46. eſſent quotidie *Frangentes circa domos panes.* Eumdem quoque adhibuiſſe Apoſtolorum ſucceſſores, cum in antris celebrabant, probabile eſt; cum alium panem eis habere ſæpe non liceret.

XI. Data tamen Eccleſiæ pace, cœperunt panes ſtudio præparari. Id colligitur ex Concilio Toletano XVI. anno 693. ubi ad corrigendam quorumdam irreverentiam, qui de panibus, propriis uſibus præparatis, fruſtulum rotundum conficiebant, illudque cum vino, & aqua ſuper altare offerebant pro Sacrificio, *Can.* 6. ſancitum legimus: *Ut non aliter panis in altari ſanctificandus proponeretur, niſi mundus, & nitidus, & qui ſtudio præparatus fuiſſet.* Quanta autem reverentia hoſtiæ olim præpararentur, conſtat ex S. Udalrico, *lib.* 3. *Conſuetudinum Cluniacenſium*, relato ab Alexandre, *Tom.* I. *Theol. Dogm. de Sacr. Euch. lib.* 2. *regula* 13. Ex quo deducitur, conveniens fore, ut a Clericis, vel ſacris Virginibus hoſtiæ conficerentur: ſicut olim factum fuiſſe a S. Radegunde Regina, quæ panem, propriis confectum manibus, conſecrandum Eccleſiis diſpenſabat: auctor eſt Fortunatus in ejus vita.

XII. Circa modum, quo panis jam confectus præparatur proxime cum inſtat Sacrificii celebratio; quoad Occidentales legenda ſunt Ritualia de Miſſa celebranda. Quoad Græcos autem, iſte eſt ritus. Primo: Sacerdos Græcus lotis manibus ad altare minus poſitum ad lævam altaris majoris ſe confert. Secundo: Diaconus diſcum parat, quem in ſiniſtra minoris illius altaris parte collocat, calice ad dexteram poſito. Tertio: Sacerdos læva panem accipit, dextera vero gladiolum, qui in brevioris lanceæ figuram definit; panemque gladiolo diviſum in partes reponit in diſco. Quarto: Diaconus vinum, & aquam in calicem infundit; multæque interea recitantur orationes in Chryſoſtomi Liturgia contentæ. Quinto: facta majoris hoſtiæ oblatione, plures particulæ, quas *Meridas* vocant, ſigillatim offeruntur, varios Sacrificii fines deſignantes. Quarum prima offertur in honorem Chriſti: ſecunda ad B. V. cultum: tertia in memoriam S. Jo: Baptiſtæ, Apoſtolorum, & aliorum, quorum nomina recenſentur: quarta pro ſalute viventium, quos nominatim appellant: quinta demum pro defunctis nominatim expreſſis.

XIII. Figura panis conſecrandi non eadem ſemper fuit. Nam vigente perſecutione ſolidos, & integros panes, quales habebantur præ manibus, conſecratos fuiſſe credimus; & comminutos in fruſta fidelibus diſtributos, cujuſcumque eſſent figuræ. Ex quo crediderim ortum fuiſſe, ut hoſtiæ parvæ, quæ hodie diſtribuuntur fidelibus, *Particulæ* nomen retinuerint. Hoc certum eſt, orbiculares hoſtias, quibus Latini fideles communicant, non eſſe apud Græcos; qui integrum panem dividunt in fruſta, quemque inter Miſſarum ſolemnia de manu Sacerdotis accipiunt. Immo, referente Umberto Cardinali (qui vixit ſæculo XI.) *Epiſt. pro azymor. defenſ.* adverſus Michaelem Cærularium, Conſtant. Patriarch. colligitur, circa ann. 1054. panem ingentis magnitudinis in Eccleſia Occidentali conſecratum fuiſſe. Hæc enim habet: *Sicut Sancta Romana Eccleſia uſque nunc obſervat, panem integrum benedicit, & fractum ſingulis particulatim diſtribuit dicens: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.*

Labente tamen eodem ſæculo XI. Panem Euchariſticum ad breviorem illam formam, qua nunc Occidentales utuntur, redactum fuiſſe, evidens eſt ex teſtimonio Bernardi Conſtantienſis Presbyteri, qui circa ann. 1089. Ordinem Romanum illuſtravit notis; nec non ex Ernulpho Epiſcopo Roſſenſi, qui obiit circa annum 1124. qui in Epiſt. ad Lambertum relata, *Tom.* II. Spicilegii ſic loquitur: *Illi* (Apoſtoli) *panes quotidianos comederunt, nos in forma nummi panem accipimus.* Quo eodem ſæculo breviores hoſtias pro communicando populo adhiberi cœpiſſe, cenſet Juenin, *Hiſt. Dogm. de Euchar. quæſt.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. ex quo ſupradicta deſumpſimus.

DUBIUM IV.

An Panis conſecrandus debeat eſſe Azymus?

§. I.

De die, qua Judæi celebrare debebant Paſcha.

I. PRo hujus dubii reſolutione duo ſunt ſtabilienda. Primum, qua die Judæi ſecundum legem deberent Paſcha celebrare: ſecundum, qua die Chriſtus celebraverit Paſcha, quando in ultima Cœna Euchariſtiam inſtituit. Ex hoc enim apparebit, an eam inſtituerit in azymo, an vero in fermentato.

Circa primum ergo ſciendum, Judæos menſibus lunaribus uſos fuiſſe; ac menſes computare ſecundum lunas conſueviſſe: ita ut prima dies menſis eſſet prima dies lunæ, quæ *Neomenia* dicebatur. Initium vero anni ſumebant a prima luna, ſeu a novilunio propinquiori ad æquinoctium Veris; & ab iſta incipiebat primus menſis anni, dictus *Niſan* correſpondens Martio noſtro, juxta illud Exod. 12. v. 2. *Menſis iſte vobis principium menſium erit primus in menſibus anni*. Et hoc ideo, quia hoc menſe Deus a ſervitute Pharaonis Judæos eduxerat.

II. Sciendum inſuper, tres dierum differentias Judæos agnoviſſe, nimirum, legalium, naturalium, & artificialium. Legales incipiebant a veſpera unius diei ad veſperam ſubſequentis: & hi maxime in uſu erant apud ipſos, præſertim in legalibus obſervationibus, & Feſtis, juxta illud Levit. 23. v. 32. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata* (ideſt Feſta) *veſtra*. Quem morem adhuc ſervat Eccleſia in Feſtorum ſolemnitatibus, veſperis ad veſperas perdurantibus. Naturales (qui uſui erant apud Græcos, & Latinos) accipiebantur a media nocte ad mediam noctem; vel, ut aliis placet, ab ortu Solis unius diei ad ortum Solis diei alterius. Dies autem artificiales, ſicut modo, comprehendebant tantum illud ſpatium, quo lux Solis orbem noſtrum perfundit: quo pacto dies a nocte ſecernitur.

III. Sciendum tertio, duas apud Hebræos fuiſſe celebritates. Unam Paſchatis, ſeu Tranſitus, in memoriam beneficii, quo Angelus vaſtator tranſiens per Ægyptum, & primogenitos Ægyptiorum interimens, ſolos Hebræos, quorum domorum poſtes ſanguine agni linitæ erant, ſalvos reliquerat. Alteram Azymorum in recordationem alterius beneficii, quo eadem nocte poſt interemptos Ægyptiorum primogenitos, Judæi adeo feſtinantes fugæ ſe dederunt; ut cum non poſſent panes fermentare, azymos panes præpropere coxerint.

IV. Igitur Paſchatis celebratio luna quartadecima menſis primi ad veſperam, ideſt, ante occaſum Solis incipiebat celebrari. Poſt occaſum Solis incipiente jam luna quintadecima ſequebatur ſolemnitas azymorum, quæ ſeptem dies legales complectebatur: ita tamen, ut prima dies, & ſeptima eſſent ſolemniſſimæ: atque hiſce ſeptem diebus azymorum dictis, panis fermentatus in Hebræorum domibus non inveniebatur. Totum hoc legitur, Exodi 12. a 2. *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni .... Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas*. v. 6. *Et ſervabitis eum uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus. Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.... Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus.... Et comedetis feſtinanter: eſt enim Phaſe, ideſt, Tranſitus Domini .... Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus veſtris .... a primo die uſque ad diem ſeptimum. Dies prima erit ſancta, atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: Nihil operis facietis in eis, exceptis iis, quæ ad veſcendum pertinent*. Et verſ. 18. *Primo menſe quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma, uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam*.

V. Ex his ſupra laudatis verbis deduco: quod licet Paſcha celebrari inciperet ad veſperam diei decimæ quartæ ad veſperam; abſolvebatur tamen jam ingreſſa die decima quinta, quæ erat dies prima azymorum: & ſic conjungebantur ſimul Paſcha, & prima dies azymorum. Quod oſtendo. Nam celebratio Paſchatis includebat immolationem agni, ejuſdem aſſationem, & comeſtionem: ſed immolatio agni fiebat ad veſperam diei decimæ quartæ, ideſt, inclinante jam ad occaſum Sole: & quia non parum temporis inſumi debebat in immolatione, aſſatione, & comeſtione agni: comeſtio illius non poterat fieri, niſi poſt occaſum Solis; a quo occaſu incipiebat dies decima quinta, quæ erat prima dies azymorum, a qua die Judæi ſolis azymis veſci poterant; ergo celebratio Paſchatis incipiebat quidem in fine diei decimæ quartæ, ſed decima quinta jam inchoata abſolvebatur. Unde in Exodo verbis ſupra relatis, dum præcipitur immolatio agni, dicitur: *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam* diei, nempe decimæ quartæ. Dum vero præcipitur comeſtio ejuſdem, dicitur, *Et edent carnes nocte illa aſſas igni*, nempe, die decima quinta legali jam inchoata.

VI. Propterea advertit Maldonatus (& legitur apud Waltonum *in Bibliis Poliglottis*) quod ubi in noſtris Vulgatis celebratio Paſchatis dicitur fieri ad *veſperam* diei decimæ quartæ; textus hebræus dicit: *Inter veſperam, & veſperam*. Duas enim veſperas diſtinguebant Hebræi. Primam ab hora nona, ſeu tertia poſt meridiem, ſeu cum Sole vergente ad occaſum, aer palleſcere incipit, & hoc tempore agnus immolabatur: qua hora Chriſtus expiravit. Alteram ab occaſu Solis ſeu a ſexta poſt meridiem, jam nocte inchoata: & hoc tempore agnus comedebatur, unde dicitur: *Et edent carnes nocte illa*, qua jam prima dies azymorum inceperat. Et hac ratione Scriptura aliquando dicit, Paſcha celebrari die quarta decima, aliquando prima die Azymorum. Ut Matth. 26. v. 17. Marci 14. v. 12. *Prima die azymorum, quando Paſcha immolabant*, & Lucæ 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*.

§. II.

De die, qua Chriſtus ſuum ultimum Paſcha celebravit, & in qua Euchariſtiam inſtituit.

VII. OBſervandum eſt, quatuor circa hanc quæſtionem extare ſententias. Prima eſt Græcorum, qui aſſerunt, Chriſtum anno, quo mortuus eſt, agnum paſchalem non comediſſe die a lege præſcripta, ideſt, die decima quarta in ſecundis veſperis; ſed die integra anticipaſſe; agnumque paſchalem comediſſe, nec non Euchariſtiam inſtituiſſe die decima tertia, qua Judæis pane fermentato adhuc veſci licebat. Unde colligunt, Chriſtum in conficiendo Euchariſtiæ ſacramento uſum fuiſſe pane non azymo, ſed fermentato.

Altera fuit quorumdam, quos referunt Thephylactus, & Euthymius *in cap. 26. Matth.* quos noviſſime ſecutus eſt P. Lamy, contendentes, Chriſtum anno, quo in Crucem actus eſt, Paſcha non peregiſſe, nec agnum paſchalem comediſſe, ſed ſolum Auguſtiſſimum Sacramentum inſtituiſſe in Cœna, quam habuit decima tertia die in ſecundis veſperis; & Cruci affixum fuiſſe die decima quarta, qua die ad veſperam ſecundum legem immolari, & comedi debebat agnus paſchalis.

Tertia eſt aliquorum Recentiorum, inter quos recenſentur Paulus Burgenſis, Janſenius, Maldonatus, & noviſſime P. Maduit, qui licet fateantur, Chriſtum anno, quo paſſus eſt, Paſchalem agnum comediſſe die Jovis, nempe, quarta decima die in ſecundis veſperis, juxta Moſaicæ legis præſcriptum: cenſent tamen, Judæos eo anno Paſchæ non celebraſſe eadem die, qua Chriſtus, ſed illud in ſequentem diem diſtuliſſe, ſeu in diem Veneris; quæ licet eſſet dies decima quinta, tamen ex decreto Synedrii, quando Paſcha incipiebat in die Jovis, & prima dies azymorum in diem Veneris, ne ſibi duo feſti dies immediate ſuccederent, nempe, prima dies Azymorum, & Sabbatum, cautum erat, ut Paſcha differretur ad diem Veneris, ſeu decimam quintam in veſpere, & Sabbatum immediate ſequens eſſet ſimul prima dies Azymorum.

Quarta tandem ſententia eſt omnium fere Latinorum cum S. Thoma 3. *parr. quæſt. 45. art. 9. ad 1. & quæſt. 74. art. 4.* qui docent, Chriſtum eo anno, quo paſſus eſt, Paſcha peregiſſe, agnumque paſchalem comediſſe eadem die, qua illum Judæi comedere debebant; nempe, quarta decima luna primi menſis, in ſecundis veſperis. Cum his ergo

VIII. Dico primo. Chriſtus anno, quo paſſus eſt, celebravit Paſcha, & comedit agnum paſchalem, non autem ſolum cœnam fecit, in qua Euchariſtiam inſtituit. Id conſtat ex *Matth. cap. 26. Marco, cap. 14. & Luca, cap. 22.* Cum enim Apoſtoli Chriſtum rogaſſent: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Chriſtus oſtendit eis ubi pararent; & additur: *Et fecerunt Diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha*.

Nec valet reſponſio P. Lamy dicentis, Diſcipulos acceſſiſſe ad Chriſtum rogantes: *Ubi vis paremus?* & Paſcha de facto paraſſe, non in fine diei quartæ decimæ, ſed in principio ejuſdem, hoc eſt, poſt occaſum Solis diei tertiæ decimæ; & eodem veſpere Chriſtum in loco parato diſcubuiſſe, agnum tamen paſchalem non comediſſe: quia hic, non in exordio, ſed ſub finem diei quartæ decimæ debebat ſecundum legem immolari, & comedi. Cum igitur Chriſtus ſub finem diei decimæ quartæ in Cruce pependerit; non potuit hoc anno legale Paſcha anteriori die paratum comedere, morte impeditus, ſed tantum cœnam Euchariſticam peragere.

IX. Non inquam valet. Nam contra eſt primo. Quia Matthæus, Marcus, & Lucas diem, qua Diſcipuli acceſſerunt ad Chriſtum, ut pararent Paſcha, appellant primam diem azymorum, *In qua neceſſe erat occidi Paſcha; quando Paſcha immolabant* Judæi: ſed prima dies azymorum non a principio, ſed a fine diei decimæ quartæ incipiebat, ut omnes teſtantur: agnus itidem Paſchalis immolari, & occidi debebat ſub finem diei decimæ quartæ; ergo Diſcipuli non ſub initio, ſed ſub fine diei decimæ quartæ, acceſſerunt ad Jeſum ad parandum Paſcha. Miſſi ergo

ergo Petrus, & Joannes ad parandum Paſcha hora circiter prima poſt meridiem (non hora ſexta, ut putat P. Lamy) paraverunt agnum paſchalem circa horam ſextam immolandum, & ſucceſſive comedendum. Quo parato, Evangeliſtæ confeſtim exhibent nobis Chriſtum diſcumbentem cum diſcipulis: *Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim cum eo, & ait illis. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar* (Lucæ 22. v. 14.) Quid ergo his ultimis verbis indicavit Chriſtus, niſi ſe manducaſſe paſchalem agnum, quem Diſcipuli paraverant? Non enim Diſcipuli juſſi parare agnum paſchalem, paraſſent communes cibos.

X. Secundo. Si Chriſtus, ut vidimus, prima die azymorum hanc cœnam peregit, quando comedebatur agnus paſchalis, ſi juſſit, ut eum pararent, ſi diſcubuit cum eis: cur non comedit? Cur juſſit, ut pararent, ſi prævidebat; quod morte præventus, non foret comeſturus? Cur juſſit, ut dicerent ei, apud quem cœnam erant paraturi: *Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* (Marci 14. v. 14.) ſi poſtea non manducavit? ergo illi illuſit. Immo ſi juſſiſſet parari Paſcha, non ea die, qua Judæi, non permiſiſſet homo ille, ut Diſcipuli domi ſuæ pararent.

XI. Tertio. Si Chriſtus non in fine decimæ quartæ diei, ſed in principio, hoc eſt, exeunte decima tertia Euchariſtiam inſtituit; eam non in azymo, ſed in fermentato inſtituit, ut volunt Græci: Judæi enim in principio decimæ quartæ diei, ſeu exeunte decima tertia pane fermentato adhuc utebantur, a quo ſolum abſtinere incipiebant exeunte decima quarta: tunc enim dies azymorum incipiebant. —— Dicere autem cum P. Lamy, initio diei decimæ quartæ ædes Judaicas ab omni fermento fuiſſe expurgatas, gratis dicitur: quia ex Scriptura habetur, ſolis diebus azymorum, non ante, interdictum Judæis uſum fermentati. Nam, *Exodi 12. v. 15.* dicitur: *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris.* Quod ſi Chriſtus in fermentato conſecravit, quo argumento poſſumus Græcos evincere?

XII. Quarto. Si Chriſtus morte præventus eo anno non comedit agnum paſchalem, nec Apoſtoli eo anno illum comediſſent. Non enim credibile eſt, die decima quarta ad veſperam, qua Chriſtum ſupponit Lamy fuiſſe mortuum, potuiſſe Apoſtolos fervente adhuc Judæorum rabie diſperſos, in unum coire locum, vel ſeparatim, vel cum Judæis Paſcha peragere: violaſſent ergo Apoſtoli eo anno legem de Paſchate celebrando, pœnamque incurriſſent latam, *num. 9. verſ. 13.*

XIII. Quinto. Opponitur hæc ſententia Patribus, tum Latinis, tum Græcis. Immo & Tridentino, *Seſſ. 22. cap. 1.* ubi Traditioni perpetuæ Eccleſiæ Catholicæ inhærens: *Celebrato* (inquit) *veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat; novum inſtituit Paſcha, ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum &c.*

XIV. Dico ſecundo. Judæi eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, non diſtulerunt Paſcha ſuum ad diem quintam decimam primi menſis, ideſt, uſque ad veſperam feriæ ſextæ: ſed celebrarunt illud die a lege præſcripta, nempe, quarta decima deſinente ad veſperam. Probo primo. Quia ſi eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, Judæi Paſcha diſtulerunt uſque ad veſperam diei quintæ decimæ; ergo tunc ſolum cœpit prima dies, & conſequenter uſus azymorum; ergo Chriſtus, qui Paſcha ſuum celebravit die præcedente, nempe, die quarta decima, non celebravit in azymo, ſed in fermentato. Quomodo igitur in hac opinione Latinus Doctor poterit arguere Græcos?

XV. Secundo. Si ſolum quinta decima die Judæi illo anno Paſcha celebrarunt; ergo agnus paſchalis, qui debebat prius in templo Jeroſolymis immolari eadem die, qua manducabatur, non fuit immolatus, nec mactatus, niſi die quinta decima; ergo Chriſtus qui ſecundum hos Auctores pridie agnum comederat, comedit agnum in templo non immolatum: dies enim immolationis, & mactationis a privato homine anticipari non poterat; ergo legem hoc facto violavit.

XVI. Tertio. Offendiſſet Chriſtus Judæos, ſi differentibus ipſis Paſcha ſuum ad diem quintam decimam, ipſe celebraſſet ad veſperam diei quartæ decimæ; utpote operaretur contra legem Synedrii, cui omnes Judæi, ceu legitimo Concilio parere tenebantur: indeque ipſum accuſare potuiſſent, ut infra dicetur.

XVII. Quarto. Ideo hujus ſententiæ patroni aſſerunt anno, quo Chriſtus mortuus eſt, diſtuliſſe Paſcha Judæos ad diem quintam decimam; ut hoc pacto prima azymorum dies, quæ apud Judæos feſtiva erat, incideret in Sabbatum, nec duo feſta immediate ſibi ſuccederent: ſed hoc medio non effugiunt difficultatem; ergo &c. Minor probatur. Si anno, quo Chriſtus mortuus eſt, prima azymorum dies translata eſt in Sabbatum; ſequitur quod ſeptima azymorum dies incideret in diem Veneris, & quod ſequenti Sabbato fuerit continuus; ergo cum ſeptimus azymorum dies feſtus fuerit, perinde ac primus, ſequitur, duo feſta fuiſſe continua. Quid ergo reſpondebunt?

XVIII. Propterea hanc opinionem rejicit S. Thom. *3. part. quæſt. 46. art. 9. ad 1.* his verbis: *Et ideo quidam dicant, quod Chriſtus die convenienti, ideſt, quarta decima luna Paſcha cum Diſcipulis ſuis manducavit;* demonſtrans, quod uſque ad ultimum diem non erat contrarius legis, *ut Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum* (Homil. 82.) *ſed Judæi occupati circa procurationem mortis Chriſti contra legem, celebrationem Paſchæ in craſtinum diſtulerunt .... Sed nec iſtud videtur eſſe conſonum verbis Marci dicentis:* Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant. *Simul ergo Chriſtus & Judæi vetus Paſcha celebraverunt.*

§. III.

Aſſertio directa contra Græcos.

XIX. Dico tertio. Chriſtus anno, quo mortuus eſt, non luna tertia decima deſinente, & quarta decima inchoante celebravit Paſcha, & Euchariſtiam inſtituit; ſed luna quarta decima deſinente, & quinta decima inchoante, quo tempore non erat in domibus Hebræorum fermentatum: & conſequenter in Azymo conſecravit.

Probo. Chriſtus celebravit Paſcha prima die azymorum ineunte: ſed initium primæ diei azymorum ducebatur ab occaſu Solis diei decimæ quartæ: quia Judæi, ut dictum eſt, legales dies ab occaſu Solis ad occaſum ducebant, quo tempore in eorum domibus fermentatum habere vetitum erat; ergo &c. Maj. prob. Teſtimonio trium Evangeliſtarum. Nam S. Matth. *cap. 26. verſ. 17.* hæc habet: *Prima autem die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Marcus, c. 14. v. 12. *Et primo die Azymorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha?* Lucas, cap. 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha; & miſit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.* Ergo ex his ſole clarius apparet, Chriſtum cum Diſcipulis ſuis comediſſe Paſcha legale, innuente jam ſolemnitate primæ diei azymorum; & ea inſtante acceſſiſſe Diſcipulos ad eum ut pararent Paſcha: quod contingere non poterat, niſi inclinante jam ad veſperam die quarta decima, ut obſervatum eſt.

XX. Neque reponas cum Euthymio: Evangeliſtas vocare primum diem azymorum diem præcedentem, nempe decimam tertiam. —— Nam in primis eſſet valde impropria locutio, ſicut ſi quis ultimam diem bachanalium votaret primam die Quadrageſimæ. Deinde dicunt: *Prima die azymorum: quando immolabant Paſcha: in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Dies autem, in qua immolabant, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, non erat tertia decima, ſed quarta decima inclinans ad veſperam. Rurſus dicit Lucas: *Venit autem dies azymorum.* Dies autem venire non dicitur, niſi cum immediate inſtat; quod ſolum verificari poterat die quarta decima vergente ad veſperam: in qua poſt Solis occaſum dies quintadecima, & prima azymorum incipiebat.

Multo minus audiendi ſunt Græcorum quidam, qui referente S. Thoma in 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. *In tantam inſaniam proruperunt, ut dicerent, Evangeliſtas illos falſum ſcripſiſſe, & a Joanne fuiſſe correptos; qui ante diem Paſcha dicit Dominum cœnaſſe cum Diſcipulis. Sed quod hoc non contradicat, oſtendetur.*

XXI. Prob. ſecundo. Agnus Paſchalis, ut omnibus notum eſſe debet, juxta Legis præſcriptum immolari, & comedi debebat die decima quarta primi menſis, in ſecundis veſperis; ergo Chriſtus hac die illum comedit eo etiam anno, quo paſſus eſt.

Conf. prob. primo. Credibile enim non eſt, Chriſtum, qui in omnibus legis Moſaicæ fuit zelantiſſimus cuſtos, voluiſſe in ſupremi Paſchatis celebratione eam tranſgredi, antevertendo diem legitimum. Secundo. Si hoc feciſſet, omni procul dubio Sacerdotes Judæorum, qui criminationum cauſas ad eum perdendum undique quærebant, ipſum ſuper hoc violatæ legis palam accuſaſſent; quod quidem a Juda proditore, qui a cœna ad ipſos diſceſſit, facile reſcire potuiſſent: quod tamen Chriſto non objecerunt. Tertio. Ille Pater familias, ad quem Chriſtus, ut Paſcha pararent, Diſcipulos miſit, ſuum cœnaculum certe non permiſiſſet: juſte ſiquidem timuiſſet ne intempeſtiva illa legis in re tam gravi tranſgreſſione Judæorum odium in ſe concitaret. Tandem Chriſtus juſſit parari Paſcha ad inſtantiam diſcipulorum: atqui diſcipuli, qui bene ſciebant tempus Paſcha celebrandi, non petiiſſent a Chriſto, ubi vellet parari Paſcha, niſi legitimum tempus inſtaret; ergo &c.

XXII. Similiter loquebatur Leo IX. *Epiſt. ad Michaelem Cerularium, Patriarcham Conſtant.* his verbis: *Qui non venerat ſolvere legem, ſed adimplere, juxta ipſius legis præceptum ex azymis, & vino vetus Paſcha adimplevit: & protinus ex azymis, & vino novum, ſicut aperte Lucas narrat, Diſcipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Iſrael, & apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo ſuo. Quod ſi in cœna Domini Jeſu apparuiſſet, aut Diſcipuli ejus quoque modo guſtaſſent; juſte ſicut prævaricatores legis perirent. Nec ipſe Dominus diceret ſuis inſidiatoribus:* Quis ex vobis arguet me de peccato? *Nec eſſet opus falſos teſtes ad perdendum eum quærere, cum hoc ſolo perderetur juſte.*

§. IV.

§. IV.

Contraria fundamenta.

XXIII. QUæ contra superiores resolutiones adduci solent, vel eo tendunt, ut ostendant, Christum eo anno, quo passus est, legale Pascha non comedisse; vel non eadem die, qua Judæi: & hoc dupliciter. Vel quia ipse anteverterit esum agni paschalis comedendo illum die tertia decima, ut volunt Græci. Vel quia eo anno Judæi distulerint paschalis agni esum ad diem quintam decimam.

XXIV. Arguitur ergo primo. Si Christus eo anno, quo mortuus est, legale Pascha comedisset; hoc feciset vespere; quo habuit ultimam cœnam, in qua Eucharistiam instituit: sed hoc non; ergo &c. Min. probat. primo. Cum Apostoli una cum Christo cœnam fecerunt, erat jam prima dies Azymorum, ut Matthæus, Marcus, & Lucas supra allati testantur: sed Pascha juxta legem celebrari debebat ante primam diem azymorum; ergo &c. — Secundo. Agnus paschalis secundum legem debebat a stantibus comedi. sed Christus in cœna non stetit, sed recubuit cum Discipulis suis, ut habetur *Matth. 26. vers.* 20. — Tertio. Juxta legem agnus debebat adduci in domum decima die mensis: sed Christus non potuit id facere, cum ipsa die decima quarta nec dum haberet locum paratum; ergo &c.

XXV. Respondeo, neg. min. Ad primam probationem dico, quod, ut supra notatum est, dies decimus quartus, in cujus secundis vesperis debebat celebrari Pascha, erat simul initium primæ diei azymorum, quæ post Solis occasum incipiebat: & propterea vocatur prima dies azymorum, idest, ingrediens, quo tempore ut dictum est, agnus paschalis comedebatur.

Ad secundam dico: vel discumbere significare absolute accedere ad mensam, sive stando, sive non. Vel quod Christus, & Apostoli comederunt quidem agnum paschalem stantes, sed postea discubuerunt ad cœnam ordinariam; & de hac cœna loquitur Evangelista.

Ad tertiam dico, fuisse Jerosolymis homines, qui hospitibus ex universa Judæa venientibus ad celebrandum Pascha, parabant cœnacula, agnos immolatos, & omnia necessaria; eaque illis præbebant vel pretio, vel gratis.

XXVI. Dices primo. Hæc verba Christi ad Judam post absolutam cœnam, Jo: 13. v. 27. *Quod facis, fac citius*, fuerunt a quibusdam ex Discipulis intellecta, ut per ea Christus præceperit Judæ emere, quæ necessaria erant ad celebrandum Pascha: atqui hoc non potuissent sibi imaginari, si ante cœnam Pascha celebrassent; ergo de facto Pascha non celebraverant. — Secundo. Non desunt plurium Patrum monimenta asserentium, Christum eo anno, quo passus est, Legale Pascha non comedisse.

XXVII. Respondeo ad primam instantiam, Apostolos ex verbis Christi ad Judam imaginatos fuisse ei præcepisse, non ut pararet necessaria ad agni paschalis celebrationem; hoc enim jam præceperat Petro, & Joanni, ut supra vidimus; immo & ipsi agnum jam comederant; sed, ut pararet ea quæ ad diem festum Paschatis, seu primæ diei azymorum, & Sabbati subsequentis erant necessaria. Ut enim mox observatum est prima die azymorum, seu Paschatis cuique licitum erat ad festum necessaria, & ad Sabbatum subsequentem providere. Quare *Jo: citatus*, *v.* 29. dicit, putarunt: *Quod dixisset ei Jesus: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum*; non dicit ad celebrandum Pascha.

XXIII. Ad secundam, non eo inficias, aliquos fuisse Patres, præsertim Græcos, qui Christum eo anno, quo passus est, Legale Pascha prætermisisse affirmarint: sed nos non movent. Nimis enim ex verbis Evangelicis, & aliis Patribus aperte habetur oppositum. Constat enim, eadem die, qua Christus cœnam instituit, discipulos ad eum accessisse quærentes, ubi vellet sibi parari Pascha; & responso a Christo eis dato locum designante, ad locum designatum accessisse: ex quo concluditur inibi Pascha paratum comedisse.

XXIX. Arguitur secundo. Christus ad celebrandum Pascha eo anno, quo mortuus est, diem a lege præscriptum antevertit; nempe, Pascha manducavit, & Eucharistiam instituit die tertia decima Martii desinente, qua Judæi nondum azymo, sed adhuc fermentato utebantur. Prob. ant. primo *Jo:* 13. *v.* 1. agens de lotione pedum, quæ immediate cœnam Domini subsecuta est, ait: *Ante diem festum Paschæ.*

Secundo. Idem *Jo: cap.* 18. *v.* 28. asserit, Judæos die Veneris, quæ immediate secuta fuit noctem, qua Christus Eucharistiam instituit, nondum comedisse Pascha. Ait enim: *Erat mane: & ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ergo Christus, qui eam manducaverat, diem statutum anteverterat.

Tertio. Dies Veneris, qua Christus crucifixus est, *Jo:* 19. *v.* 14. dicitur: *Parasceve Paschæ*, idest, pridie ante Pascha; ergo cum Christus crucifixus est, Judæi nondum Pascha celebrarunt; ergo vel Judæi distulerunt, vel Christus antevertit Paschæ celebrationem.

Quarto. Diem Sabbati, quæ diem mortis Christi subsecuta est, vocat Joannes magnum. Ait enim cap. 19. v. 31. *Erat magnus dies ille Sabbati.* At cur magna erat, nisi quia in eam conveniebant & solemnitas Sabbati, & solemnitas Paschalis, seu prima dies Azymorum?

XXX. Respondeo, neg. assumptum. Ad primam probationem dico, quod cum apud Judæos, ut supra observatum est, alii essent dies legales incipientes a vespera unius diei ad vesperam sequentis; alii naturales, ab ortu Solis ad ortum, vel a media ad mediam noctem, qui etiam dies usuales vocantur: optime conciliatur Evangelista Joannes cum aliis tribus. Nam cum alii tres Evangelistæ dicunt Christum ultimam cœnam habuisse prima die azymorum, sumunt diem pro die legali: primus enim dies legalis azymorum incipiebat a secundo vespere diei quartæ decimæ primi mensis, post occasum Solis. Dum vero Joannes ait, Christum cœnam habuisse ante diem festum Paschæ, sumit diem pro die naturali, & more communi; secundum quem dies crastinus solum incipit, vel a media nocte, vel ab ortu Solis. Cum ergo Christus cœnam fecerit in vespere, & post occasum Solis diei quartæ decimæ, sed ante mediam noctem, & ortum Solis diei quintæ decimæ; potuit Joannes dicere, quod eam fecit ante diem festum Paschæ, idest, ante primam diem azymorum, sumendo diem pro die naturali: & alii tres Evangelistæ potuerunt dicere, quod eam fecit prima die azymorum, sumentes diem pro die legali. Unde S. Thom. *3. part. q. 46. art. 9. ad 1.* ait: *Eumdem diem, quem Joannes nominat ante diem festum Paschæ propter distinctionem naturalem dierum, Matthæus nominat primum diem azymorum; quia secundum ritum Judaicæ festivitatis solemnitas incipiebat a vespera præcedentis diei.* Eosdem autem Evangelistas, qui in citatis locis diem legalem usurparunt, alibi diem naturalem adhibuisse constat: tum ex Lucæ 23. v. 54. *Et dies erat parasceves, & Sabbatum illucescebat.* Ubi loquitur de die naturali: nam dies legalis parasceves desiisset præcedenti die sub vesperam, & tunc dies legalis Sabbati incepisset. Tum ex Marci c. 15. v. 42. *Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante Sabbatum) venit Joseph ab Arimathæa &c.* Et tamen illud *Sero* legaliter non erat amplius parasceve, sed initium Sabbati. Erat ergo Parasceve naturaliter, secundum quem modum, Sabbatum solum in ortu Solis inchoabat.

XXXI. Ad secundam dico, ly *Pascha* ex usu Scripturæ non semper, agnum Paschalem significare; sed aliquando etiam alias victimas, quas diebus azymorum immolabant, & quibus vesci poterant. De quibus *Deuter. 16. v. 2.* dicitur: *Immolabisque Phase* (idest Pascha) *Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus.* Vel ut ait S. Thom. citatus: cum *Dicitur, eos comesturos esse Pascha in quinta decima luna, intelligendum est, quod ibi Pascha non dicitur agnus paschalis, qui immolatus fuerat decima quarta luna; sed dicitur cibus paschalis; idest, azymi panes quos oportebat comedi a mundis. Unde Chrysost.* (Homil. 82. in Jo:) *aliam expositionem ponit: quod Pascha potest accipi pro toto festo Judæorum, quod septem diebus agebatur.* Idque colligitur ex *Actibus Apost.* ubi *cap.* 12. *v.* 3. & 4. S. Lucas narrat, quod Herodes captum Petrum detrusit in carcerem, *Volens post Pascha producere eum populo.* Quid autem per *Pascha* intelligat, S. Lucas aperit, ibidem dicens: *Erant autem dies azymorum.* Ex quo patet, omnes septem azymorum dies sub nomine Paschatis comprehendi. Hinc

XXXII. Ad tertiam dico, diem Veneris, quæ fuit quinta decima luna, vocari a Joanne *Parasceve Paschæ*: non quia esset præparatio ad esum agni paschalis; sed dies Paschatis, seu prima dies azymorum, quæ erat præparatio ad Sabbatum. Ita enim intelligendum esse S. Joannem apparet, si conferatur eum verbis aliorum Evangelistarum, hanc ipsam temporis circumstantiam exprimentium; Marcus enim cap. 15. v. 52. *Erat* (inquit) *parasceve, quod est ante Sabbatum:* & Lucas cap. 23. v. 54. *Et dies erat parasceves, & Sabbatum illucescebat.* Poterat autem illa dies vocari *parasceve Paschæ.* Tum quia erat parasceve, idest præparatio ad Sabbatum, & simul prima dies Paschatis seu azymorum; tum quia, ut vidimus, singuli azymorum dies nomine Paschatis insigniri consueverant. Joannem autem de parasceve ad Sabbatum, non vero ad Pascha, fuisse locutum, fidem facit ipse inferius dicens cap. 19. v. 31. *Quoniam parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato: erat enim magnus dies ille Sabbati.* Et merito. Nam parasceve, pro die Paschatis, nullum legitur in Scriptura fuisse institutum: quia licet esset solemnis, ipso tamen Paschatis die licebat Judæis cibos, & alia ad victum necessaria parare, quod Sabbato non licebat; ergo dari quidem debuit dies parasceves, idest, præparatorius ad Sabbatum, sed non ad Pascha.

XXXIII. Ad quartam dico, diem illum Sabbati subsequentem mortem Christi vocari *Magnum*; non quia Pascha, seu prima dies azymorum in illum diem eo anno concurreret, vel translata esset: sed vocabatur magnus, quia erat immediate sequens festum Paschatis, seu primam diem azymorum, & clausum intra septem azymorum dies, ac proinde majori solemnitate celebrabatur.

XXXIV. Tertio arguitur. Si Christus Pascha, & cœnam Eucharisticam instituisset luna quarta decima in secundis vesperis; cum sequenti die traditus fuerit, sequeretur, eum in die festo, nempe prima die azymorum in Crucem actum fuisse: sed hoc stare nequit: ergo &c.

Min.

Min. Prob. primo. Quia in Concilio Judaico circa Chriſti occiſionem a Caipha inito ſtatutum fuerat, *Matth.* 26. *v.* 5. & *Marci* 14. ne die feſto teneretur: *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.*

Secundo. Ea die, qua Chriſtus occiſus eſt, multa legimus facta a viris piis, quæ in die feſto fieri non potuiſſent. Joſeph enim Arimatheus emit ſindonem, qua Corpus Chriſti involveret. SS. Mulieres emerunt aromata, & unguentum, quo illud ungerent. Simon Cyrenæus veniens de villa Crucem portavit. Quæ omnia die prima azymorum ſolemniſſima fieri non potuiſſent; neque enim inveniſſent, qui talia venderent.

Tertio. Diebus feſtis non licebat Judæis accuſare, & jus dicere, atque exercere alias actiones forenſes: Præſides autem, licet Gentiles, in his legi Judæorum ſe conformabant.

XXXV. Reſpondeo, conc. maj. neg. min. Ad primam prob. dico, ſtatutum quidem fuiſſe in illo impio Concilio, Chriſtum non comprehendendum, aut occidendum in die feſto; non ob reverentiam feſti, aut quia putarent, id non licere, ſed ob timorem tumultus in populo, cui Chriſtus erat acceptus: maxime cum ea die ingens fieret concurſus populi. Verum cum Judas ſpopondiſſet, ſe noctu, ac ſine tumultu traditurum Chriſtum; timore depoſito conſilium mutavere, & oblatam occaſionem acceptantes, Chriſtum ea nocte comprehenderunt; & die ſequenti concitato adverſus eum populo extorſerunt a Pilato, ut Chriſtum crucifigeret.

XXXVI. Ad ſecundam dico, non fuiſſe prohibitum Judæis diebus feſtis mortuos ſepelire, & alia pietatis opera circa illorum cadavera exercere. Colligitur præcipue ex *Tobiæ, cap.* 2. *a v.* 1. ubi legitur: *Cum eſſet dies feſtum Domini*, & nuntiatum illi eſſet, *Unum ex filiis Iſrael jugulatum jacere in platea.... relinquens prandium jejunus acceſſit ad corpus, tollenſque illud portavit ad domum ſuam occulte, ut dum Sol occubuiſſet, caute ſepeliret eum.* Potuit ergo Joſeph, etſi in die feſto, corpus Chriſti e Cruce deponere; & ſepelire. Præſertim quia Deus, *Deut.* 21. *v.* 23. præceperat, ut qui appenſus fuerat in patibulo, ſepeliretur eadem die. —— Dici etiam poteſt, primum diem azymorum, & ultimum, eſſe quidem dies feſtos, non tamen in illis rigoroſam ab opere ceſſationem exigi, ut in Sabbatis, & ut ſicut parare poterant cibos, ita parare non poſſent ea, quæ pietatis officia erant: immo hæc ſolliciti fuerunt parare illa die, quia inſtabat magnus Sabbatus, quo parare non potuiſſent, & Chriſtum ſepelire. Ideoque illo die, licet feſto, mulieres emere potuerunt aromata, & Joſeph mercari ſindonem. —— Quod vero tangit Simonem Cyrenæum, SS. PP. Auguſtinus, Hilarius, & Leo eum putarunt Gentilem. Sed ſi, ut alii volunt, fuerit Judæus, dicendum, Crucem cum Chriſto portaſſe non volentem, ſed angariatum, & coactum violentia militum Romanorum.

XXXVII. Ad tertiam dicit Abulenſis, nullibi in Scripturis legi vetitum Judæis, die primo azymorum accuſare, jus dicere, ſententiam pronuntiare: & ideo, quando noluerunt Chriſtum die feſto comprehendere, non adduxerunt pro cauſa, quia vetitum eſſet, ſed quia timebant plebem. —— Aliter dici poteſt, quod licet eis vetitum eſſet tali die judicia exercere; Principes tamen Sacerdotum, vel legem interpretantes, vel ſcienter tranſgredientes, arbitrati ſunt, Chriſtum ea die capere, & occidere, ne tota gens periret: ſicut etiam die Sabbati fecerunt aliqua, quæ eis non licebant, nempe, accepta cuſtodia a Pilato accedere ad ſepulcrum, & poſitis cuſtodibus, illud ſigillo munire.

XXXVIII. Quarto arguitur. Anno, quo Chriſtus paſſus eſt, dies Pentecoſtes incidit in diem Dominicum, ſeu in diem Solis, ut Eccleſiæ traditione compertum eſt: at ſi Chriſtus luna quarta decima deſinente, cœnam paſchalem habuiſſet, non in diem Solis, ſeu Dominicæ incidiſſet, ſed in diem Sabbati; ergo &c. Min. Prob. dies Pentecoſtes a Judæis celebrabatur die quinquageſimo a ſecunda die azymorum, ut patet *Deuter.* 16. at ſi dies Sabbati, qui immediate mortem Chriſti ſecutus fuit, ſecundum nos fuiſſet ſecunda dies azymorum; dies quinquageſimus non incidiſſet in diem Dominicum, ſed in diem Sabbati, ut ſupputanti patebit; ergo ſecunda dies azymorum non incidit in Sabbatum eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, ſed potius in diem Dominicum; ergo prima dies azymorum non fuit dies Veneris, in quo Chriſtus mortuus eſt, ſed dies Sabbati ſequens: & conſequenter, cum Chriſtus pridie quam pateretur, celebravit cœnam, eam non celebravit ineunte prima die azymorum, ſed die antecedenti, nempe tertia decima luna.

XXXIX. Reſpondeo, maj. non eſſe prorſus certam. Nam ſi excipias S. Clementis Conſtitutiones, & *Serm.* 154. *de tempore S. Auguſtini*, quæ ſcripta ut legitima non admittuntur; nemo, qui id aſſerat, citatur antiquior S. Leone, qui rexit Eccleſiam ſæculo ultra dimidium quinto.

Secundo. Reſpondeo, omiſſa maj. neg. min. Quando enim ſecunda azymorum dies incidebat in Sabbatum, ſolemne erat Judæis quinquaginta dies ad Pentecoſten numerare, non a ſecunda azymorum die, ſed a tertia. Et ratio eſt. Quia, ut habetur, *Deuter.* 16. *v.* 9. dies ad Pentecoſten numerari debebant ab illo die, quo primo falcem in ſegetem mittebant: *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris*, cujus manipulus eadem die offerri debebat, ut habetur, *Levit.* 23. Cumque quando ſecunda azymorum dies incidebat in Sabbatum, non liceret Judæis falcem mittere in ſegetem, ideo eo anno, ut accidit in eo, quo Chriſtus mortuus eſt, non a ſecunda, ſed a tertia azymorum die ſeptem hebdomadæ computari debebant.

Addunt alii, quod quinquaginta dies ad Pentecoſten numerari debebant a ſecunda die azymorum, in qua offerebatur manipulus, non incluſive, ſed excluſive; ita ut ſenſus fiat; poſt ſecundum diem azymorum, in quo oblatus erat manipulus, inciperent numerari ſeptem hebdomadæ ad Pentecoſtes. Et hoc indicari videtur, Levit. 23. v. 15. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati* (id eſt ſeptimanæ) *in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas.* Quibus apparet, quod ſupputatio dierum quinquaginta ad Pentecoſten ſemper a tertia die azymorum incipiebat; ita ut die ſecunda fieret oblatio manipuli, & die tertia ſeptem hebdomades inchoarentur.

XL. Quinto arguitur. Agnus Paſchalis typus fuit mortis Chriſti, qui tamquam verus agnus immolari debebat: ſed agnus paſchalis immolabatur, & comedebatur die quarta decima primi menſis deſinente; ergo Chriſtus eadem die mortuus eſt; & ſic, vel non celebravit legale Paſcha, vel anticipavit, vel Judæi diſtulerunt.

XLI. Reſpondeo, neg. conſ. non minus enim figura erat agnus paſchalis Chriſti in Euchariſtia immolati, quam Chriſti immolati in Cruce: ab ea enim immolatio in Cruce ſumpſit exordium. Unde Beda a S. Thom. relatus, 3. p. quæſt. 46. art. 9. ad 1. *Licet* (inquit) *Chriſtus ſit crucifixus ſequenti die* (hoc eſt quinta decima luna) *tamen nocte, qua Agnus immolabatur, corporis, ſanguiniſque ſui Diſcipulis tradens myſteria celebranda, & a Judæis tentus, ac ligatus ipſius immolationis, hoc eſt, Paſſionis ſuæ ſervavit exordium.*

XLII. Sed dices. Chriſti mortem fuiſſe luna quarta decima, docet Traditio. Irenæus enim, *lib.* 4. *cap.* 10. (alias 23.) diem mortis Chriſti lunæ quartæ decimæ conſignat, dicens, eum morte ſua Paſcha adimpleviſſe. Idem S. Epiphanius, *hæreſi* 50. & S. Jo: Chryſoſt. *Homil.* 82. *in Jo:* aſſerit, Chriſtum prævenisſe unum diem in cœna manducanda, ut die paraſceve moreretur, quando etiam olim, erat Paſcha. Et ex Latinis S. Auguſt. *Tract.* 120. *in Jo:* ſcribit, acceleratam fuiſſe Domini ſepulturam, propter paraſceve Judæorum; quod ea nocte *Cœnam puram* comeſturi eſſent. Nondum igitur ea die, qua Chriſtus mortuus eſt, paſchalem cœnam fecerant Judæi.

XLIII. Reſpondeo, neg. abſolute ant. Nam ſi Traditio id docuiſſet, invictum argumentum habuiſſent Patres contra Quartodecimanos. Contendebant enim iſti, ideo Chriſtianos teneri celebrare Paſcha luna quarta decima Martii, quacumque die incidiſſet; quia ea die Chriſtus celebravit ſuum: at ſi Chriſtus non ea die, ſed præcedente ſuum celebraſſet Paſcha, debuiſſent Patres oſtendere falſum eſſe eorum ſuppoſitum; quia Chriſtus non luna quarta decima, ſed tertia decima Paſcha ſuum celebravit; quod tamen nemo, nec Victor Papa, nec Nicænum Primum, a quo proſcripti ſunt, contra eos produxit. Signum igitur eſt, perſuaſum fuiſſe Patribus, quatuordecimanos in hoc falſum non dicere.

Neque allati Patres contrarium ſentiunt. Nam Irenæus non dicit, Chriſtum luna quarta decima paſſum; ſed omnia, quæ ſtatuta fuerant de agno paſchali, veritatem habuiſſe in Chriſto, quod verificatur, etſi luna quarta decima cœnam fecerit. Quia Paſcha a quartadecima quidem luna incipiebat; ſed ejus ſolemnitas tota quinta decima perdurabat.

Epiphanius non loquitur de immolatione Chriſti in ſe, ſed in typo, nempe, agno paſchali: & hoc unum aſſerit, oportuiſſe (non Chriſtum) ſed agnum, quo Chriſtus adumbrabatur, immolari luna quarta decima ad veſperam.

Chryſoſtomus autem citato loco dicit, Chriſtum prævenisſe unum diem; quia forte prævenit, non diem, qua populus Judaicus ex præſcripto legis manducavit Paſcha; nam, *Homil.* 81. & 85. *in Matth.* expreſſe aſſerit, Chriſtum die per legem præſcripta agnum paſchalem manducaſſe; ſed diem, qua illum manducaverunt Sacerdotes. Putavit enim fore Chryſoſtomus, Sacerdotes neci Chriſti inhiantes eſum paſchatis diſtuliſſe: cum tamen Chriſtus ſicut & reliquus populus, ſtata die comediſſent.

Auguſtinus vero *Cœna pura* nomine non ſumpſit agnum paſchalem, ſed cœnam quamdam ſolemnem, qua Judæi in Sabbati pervigilio ad veſperam ſe reficere ſolebant. Quæ ideo dicebatur cœna pura; quia juxta legis præſcriptum puros veſtimentis, cibis, corporibus, & animis eſſe deceret, qui Sabbatum ſequens celebraturi eſſent. De qua Irenæus, *lib.* 1. *cap.* 14. alias 10.

XLIV. Arguitur denique. Hebræi in exitu de Ægypto non manducarunt agnum paſchalem luna quarta decima ad veſperam, ſed luna tertia decima exeunte. Nam cum, ut legimus, *Exodi* 12. profecti ex Ægypto fuerint die quinta decima illuceſcente; ſi die quarta decima in veſpere agnum comediſſent, vix intelligi poſſet, quod in tam anguſto temporis ſpatio, a veſpere unius ad diluculum diei ſequentis, congregari potuerint in unum locum: erant enim ſexcenta millia bellatorum, præter ſenes, mulieres, parvulos, & promiſcuum vulgus: maxime quia eodem cap. ve-

tuerat

tuerat Moyſes, ne ullus egrederetur ab oſtio domus ſuæ uſque mane; ergo veroſimilius eſt, comediſſe agnum die tertia decima deſinente, ac per diem quartam decimam integram ſe ad iter accinxiſſe, dona ab Ægyptiis accepiſſe; & tandem Ægyptiorum ſpoliis onuſtos, die quinta decima illuceſcente, urgentibus Ægyptiis itineri ſe dediſſe.

XLV. Reſpondeo tamen, neg. aſſumptum. Etenim agnum immolatum, & comeſtum fuiſſe luna quartadecima ad veſperam nimis aperte dicitur, *Exodi* 12. Modus etiam manducationis hoc teſtatur. Non enim ad menſam ſedentes, ſed ſtantes, calceatis pedibus, baculos tenentes, accincti renibus manducare juſſi fuerunt, more eorum, qui jamjam iter ſunt arrepturi. Ad quid autem tanta feſtinatio, ſi integra dies illis ſuppetiiſſet ad iter? Quomodo autem innumera Judæorum multitudo tam anguſto temporis ſpatio potuerit congregari, facile conſpiciet, qui advertet, eos retroactis diebus fuiſſe a Moyſe præmonitos, ut ſe ad iter pararent; ideoque temporis anguſtias diligentia ſuppleviſſe. Licet autem juſſi eſſent Hebræi tota nocte concluſi domi manere; hoc tamen implere non potuiſſent: nam urgentibus Ægyptiis, ut exirent, ſuorum primogenitorum clade attritis, etiam noctu egredi e domibus compulſi fuere; ſicque in locum a Moyſe indictum convolare potuerunt.

Igitur ex dictis ſatis ſuperque conſtat, Chriſtum Euchariſtiam, non in fermentato, ſed in azymo inſtituiſſe; cui Eccleſia Latina in azymo conſecrans conformatur. Verum quia Græca Eccleſia adhuc in fermentato conſecrat, varia ſuperſunt inquirenda; quod ſequenti dubio præſtabimus.

DUBIUM V.

An in fermentato, & azymo pane valeat conſecratio?

§. I.

Oſtenditur valere in utroque.

I. MIchael Cærularius, ſæculo XI. in Latinos furore percitus ſcripſit, non illicitam modo, ſed & irritam eſſe conſecrationem in azymo; Latinos proinde per irriſionem *Azymitas* vocans. Id conſtat ex duplici ejus epiſtola: una ad Joannem Thranenſem in Apulia Epiſcopum: altera ad Petrum Antiochenum Patriarcham. Hunc Leo Papa IX. qui tunc Eccleſiæ Catholicæ præerat, & Humbertus Cardinalis egregie confutarunt. Humberti *Dialogum Tomo XI.* Annalium ad calcem refert Baronius. Sæculo autem XVI. Jeremias Pſeudopatriarcha Conſtantinopol. in Cenſura Confeſſ. Auguſtanæ contendit, irritam eſſe benedictionem in azymo.

II. Dico tamen. Valet conſecratio ſive in pane azymo, ſive in fermentato. Ita ſentit Leo IX. laudatus, qui propterea Cærularium redarguit quod Latinos Conſtantinopoli morantes non permitteret conſecrare in azymo, ſecundum ritum ſuæ Eccleſiæ, quando Latini id non facerent in Græcos Romæ exiſtentes. Hinc in hiſtoria Conc. Lugdun. II. ſub Gregorio X. cui Synodo Græci cum Latinis adfuerunt, refertur, quod Græci permiſſi ſunt in Eccleſia Sancti Joannis celebrare in fermentato, adſtantibus Latinis. Non permiſiſſent autem, ſi conſecratio in fermentato non valeret. Hæc veritas in Concilio Florentino ſtatuta eſt his verbis: *Definimus, in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti corpus veraciter confici.*

III. Probatur autem. Nam quod valeat conſecratio in pane azymo, conſtat ex dubio præcedente; ubi oſtendimus Chriſtum in azymo conſecraſſe. Quod autem etiam in fermentato valeat, probo. Ut conſecratio valeat, debet fieri in pane triticeo, ut dictum eſt: ſed panis, ſive azymus ſit, ſive fermentatus, ſemper eſt quoad ſubſtantiam panis triticeus; ergo &c. Unde Sanct. Thom. 3. *part. quæſt.* 64. *artic.* 4. ait: *Circa materiam hujus ſacramenti duo poſſunt conſiderari: ſcilicet, quid ſit neceſſarium, & quid conveniens. Neceſſarium quidem eſt, ut ſit panis triticeus.... Sine quo non perficitur ſacramentum. Non eſt autem de neceſſitate ſacramenti, quod ſit azymus, aut fermentatus, quia in utroque confici poteſt. Conveniens autem eſt, ut unuſquiſque ſervet ritum ſuæ Eccleſiæ in ſacramenti adminiſtratione.*

IV. Sed objiciunt Græci, conſecrationem in azymo non eſſe in vero pane, ideoque non valere, primo. Quia panis dicitur *Artos* a verbo *Attolio*: ideoque debet eſſe a fermentato elevatus. —— Secundo. Conſecratio debet fieri in pane communi: hic autem eſt panis fermentatus.

V. Sed reſpondeo ad primum, ex nominis ethymologia nihil concludi pro ſubſtantia rei: nomina enim ad ſubſtantiam quidem ſignificandam ſunt poſita; ſed plerumque ab accidentali rei conditione, ſeu proprietate ſumuntur. Addo: panem dici *Artos*, non quod per fermentum elevetur; ſed potius quod elevet naturam, eam in corpore nutriendo.

Ad ſecundum dico, conſecrationem faciendam eſſe in pane, qui erat communis, quando Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit: tunc autem panis communis erat azymus, non fermentatus, ut oſtenſum eſt. Deinde quod azymus, vel fermentatus ſit; illum panem a ratione communis panis non extrahit. Nam *Levit.* 7. *v.* 12. & 13. panes dicuntur, tam qui ſine fermento ſunt, quam qui cum fermento. Et *Luca ultimo v.* 30. dicitur, quod Jeſus coram duobus diſcipulis in caſtello Emmaus accepit *Panem*; qui tamen cum eſſet ſecunda dies azymorum, azymus erat, non fermentatus.

VI. Quod ſi quæras: An Eccleſia Græca ſemper adhibuerit panem fermentatum, & Latina ſemper azymum uſurpaverit?

Circa hoc varii ſunt Auctores. S. Thomas, *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. ſentit, ab initio Apoſtolos, & totam Eccleſiam conſecraſſe in azymo. Poſtea vero inſurgente Ebionitarum hæreſi, *Qui dicebant, ſimul cum Evangelio Legalia obſervanda; Sancti Patres, ne eis conſentire viderentur, voluerunt ad tempus, inſtinctu Spiritus Sancti; ex fermentato confici ſacramentum. Poſtea ceſſante illa hæreſi, Eccleſia Romana ad priſtinum morem rediit: Græci autem ſervare voluerunt morem ad tempus a Patribus introductum, ulterius addentes, non poſſe confici, niſi de fermentato.*

His S. Thomæ dictis quoad eam partem, qua aſſerit ab initio Eccleſiæ Græcos etiam uſos fuiſſe azymis, refragantur recentes Eruditi: ajunt enim, hujus Traditionis nullum eſſe teſtem, nullum Concilium, nullum Pontificem; immo inveroſimile videri, quod Patres derelinquendum, etiam ad tempus, duxerint id, quod ab Apoſtolis, ut a Chriſto factum, acceperant. Cenſent igitur, Græcos, ſeu Orientales ſemper fermentato uſos fuiſſe; cum Patres Græci panem conſecrandum vocarint ſemper panem communem, uſitatum &c. Et contra eos, qui azymis utuntur, appoſuerint ſemper antiquum morem. Sed quidquid ſit de Græcis.

VII. Quoad Eccleſiam Latinam cenſent multi, eam non ſemper azymis uſam fuiſſe. Immo quidam (ut Sirmondus) volunt, Eccleſiam Latinam, & Græcam per novem priora ſæcula ſolum fermentatum panem conſecraſſe; & azymorum uſum ſolum irrepſiſſe eo tempore, quod a Photiano ſchiſmate ad Cærularium effluxit, nempe, ab anno 886. ad annum 1053. Aliis vero placet, utrumque panem indiſcriminatim per ſex priora ſæcula etiam a Latinis uſurpatum fuiſſe; & ſolum poſt Octavum ſæculum azymum remanſiſſe. Veroſimile enim eſt, Apoſtolos poſt Chriſti Aſcenſionem fermentatum ſæpius adhibuiſſe; cum furtim urgente perſecutione myſteriis quotidie operam dabant; & ut habetur *Act. 2. v.* 42. fideles erant communicantes cum eis *in fractione panis*. Nec enim in promptu eſſe poterant tot azymi panes, qui tantæ multitudini ſufficere poſſent. Hoc idem factum par eſt credere, urgentibus aliis perſecutionibus; cum in antris Euchariſtiam conficere cogebantur. Oblationes etiam, quas fideles quarto, quinto, & ſexto ſæculo mos erat afferre iis, qui ad Synaxes conveniebant, nimirum, panem, & vinum: illum etiam, quem e Diaconorum manibus receptum ad privatas domos deferebant; ut cum facilis ad Templum aditus eſſe non poterat, eo domi quotidie ſe reficerent, azymum panem non fuiſſe, ſed communem ac fermentatum credibile eſt. Hæc licet probabilia ſint, mire tamen confirmant uſum tum azymi, tum fermentati indiſcriminatim validam ſemper confeciſſe conſecrationem; quidquid obſtrepant Græci.

§. II.

Quis convenientior uſus.

VIII. DIco. Ritus Eccleſiæ Orientalis conſecrandi in fermentato rationabilis quidem eſt: ſed ritus Eccleſiæ Occidentalis conſecrantis in azymo convenientior ac rationabilior eſt. Prima pars probatur: Græci conficiunt in fermentato ſuis rationibus ducti. Primo: quia putant, Chriſtum in fermentato Euchariſtiam confeciſſe, ut ſupra retulimus. Secundo, ut hoc oſtendant, quantum deteſtentur Judaizantes, & Ebionitas, qui legem cum Evangelio miſcebant; dum nec azymorum uſum cum Judæis communem habere volunt. Tertio: ut ſignificent, Chriſtum induiſſe carnem mortalem, & miſeram, velut quoddam miſeriæ fermentum.

IX. Secunda vero pars prob. primo. Quia ut dub. præcedente oſtendimus, probabilius eſt, Chriſtum in azymo conſecraſſe. Secundo: quia azymus melius ſignificat corpus Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt. Tertio: quia hoc magis competit ſinceritati fidelium, quæ ad dignam hujus ſacramenti manducationem neceſſaria eſt, ſecundum illud, 1. Cor. 5. v. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur.... In azymis ſinceritatis, & veritatis.* Ita S. Thom. 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 4. Unde S. Anſelmus in reſponſ. ad Valeranum cap. 2. *Apertiſſimum* (inquit) *eſt, quia melius ſacrificacur de azymo, quam de fermentato. Tum quia valde aptius, & purius, & diligentius fit. Tum quia Dominus hoc fecit.* Videndus eſt Innocentius III. *lib.* 4. *de Myſteriis Miſſæ, cap.* 4.

X. Hinc ad rationes Græcorum reſpondetur. Ad primam enim ex dictis conſtat, Chriſtum conſecraſſe in azymo. —— Ad ſecundam dicit S. Thom. laudatus, ad 2. *Quod conficientes ex azymo non intendunt cæremonias legis ſervare, ſed conformare ſe inſtitutioni Chriſti: & ideo non judaizant.* Alie-

Aliàquin & celebrantes in pane fermentato judaizarent: quia Judæi panes primitiarum fermentatos offerebant. — Ad tertiam dico, Chriſtum habuiſſe quidem carnem mortalem, & miſeram, ſed ſine fermento corruptionis conceptam; ideoque melius azymis ſignificantibus puritatem repræſentatur.

XI. Nec dicas, panem fermentatum aptiorem eſſe, quia uſualem: & hunc obtuliſſe Melchiſedech, qui typus fuit Chriſti in Euchariſtia.

Nam panis uſualis eſt panis triticeus: quod vero ſit fermentatus, vel azymus, accidentale eſt pani. Potius tamen utimur azymo, quia aptiori ad ſignificandum ſacramenti hujus effectum; & quia eò uſum fuiſſe Chriſtum arbitramur. Sacrificium autem Melchiſedech figura fuit Euchariſtici quantum ad ſubſtantiam materiæ; ſed non quantum ad omnia accidentalia. Alias Græcorum rationes proponit, & ſolvit Innocentius III. *lib.* 4. *de Myſt. Miſſa cap.* 4. citatus.

§. III.

An modo Latinis fermentatum, & Græcis Azymum indifferenter liceat conſecrare?

XII. LIcere contendunt Lutherani, & Calviniſtæ utrumque pro libito conſecrare; quia Chriſtus neutrum in ſpecie præceperit, ſicut nec vinum album, aut rubrum. Græcorum tamen praxim Latinorum conſuetudini præferentes, fermentatum aptius eſſe dicunt; & hoc in ſua cœna utuntur.

Catholici vero ſentiunt, Latinis non alium licere panem conſecrare, quam azymum, nec Græcis alium quam fermentatum. Unde Latini etiam in Orientalium Eccleſiis, & Græci in Occidentalium Eccleſiis conſecrantes, patrio more, aut azymum, aut fermentatum adhibere debent.

XIII. Dico. Nec Latinis fermentatum, nec Græcis azymum in conſecratione adhibere licet. Ita S. Th. 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 4. dicens: *Conveniens autem eſt, ut unuſquiſque ſervet ritum ſuæ Eccleſiæ in celebratione ſacramenti.... Unde ſicut peccat Presbyter in Eccleſia Latinorum celebrans de pane fermentato: ita peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ritum.* Quod docuerat etiam *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. & hoc cohærenter ad ea, quæ ſcripſerat Leo IX. contra Michaelem Cærularium. Unde in Concil. Florent. ſtatutum fuit: *Sacerdotes in altari ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis, conſuetudinem.*

XIV. Hinc ſi Græcus azymo, aut Latinus utatur fermentato, graviter peccat; pœniſque canonicis plectendus eſt. Neque ulla ipſum diſpenſare poterit neceſſitas, etiam Viatici pro infirmo conſecrandi, aut Miſſæ die ſolemniſſimo celebrandæ. Quia præceptum communionis moribundi, & auditionis Sacri in die feſto, eſt affirmativum, non obligans, niſi in debitis circumſtantiis; inter quas eſt, ut Euchariſtia conficiatur juxta ritum Eccleſiæ; qua ratione nec ſine ſacris veſtibus conſecrari poteſt. Quare Honorius III. C. *Litteras*, extra de celebr. Miſſ. cum ex confeſſione cujuſdam Presbyteri Eccleſiæ S. Birgittæ Brixienſis cognoviſſet, eum, cum calicem, & hoſtiam non haberet, in pane fermentato, & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſiſſe, hanc in eum tulit ſententiam: *Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia deſipientia peccaſſe probetur; mandamus, quatenus officio, & beneficio perpetuo ipſum prives.*

XV. Neque idem eſt de vino rubro, & albo, quo indifferenter uti quis poteſt ſive Græcus, ſive Latinus.

Nam primo reſpondet S. Th. 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 4. *ad* 4. quod *Quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto nequit confici hoc ſacramentum.... ideo magis attenditur circa panem differentia azymi, & fermentati, quam circa aquam Baptiſmi differentia calidi, & frigidi, & circa vinum differentia albi, & rubri.* — Secundo reſpondeo. Inter fermentatum, & azymum reperiri quidem ſolam differentiam accidentalem, ſicut inter vinum album, & rubrum; ſed fermentatum aptum non eſt ad ſignificanda ea myſteria, quæ ſecundum Latinos azymus ſignificare poteſt; ſicut nec azymus ad ſignificanda ea, quæ Græci ſignificare volunt: quo fit, ut uno, non autem altero in diverſis Eccleſiis uti liceat. Unde in Levitico azymi uſus ſub gravis peccati reatu Judæis præcipitur, hac ratione; quod eo potius, quam fermentato, varia, quæ illis in deſerto contigerant, ſignificarentur.

XVI. Quapropter Sacerdos Latinus apud Græcos commorans ſi in loco ſit, ubi adſit Eccleſia, vel Monaſterium, in quo ſervatur ritus Latinus; tenebitur ſervare ritum Latinum, conſecrando in azymis: & ſimiliter Sacerdos Græcus ibi commorans, ubi ſit Græcorum Eccleſia, tenetur ritu Græco in fermentato conſecrare. Quod idem dico, etſi Latinus celebret in Eccleſia Græcorum, aut Græcus in Eccleſia Latinorum; quia talia privilegia non ſunt localia, ſed perſonalia.

XVII. Neque objicies. S. Auguſtinum, *Epiſt.* 118. modo 58. *ad Januarium*, *cap.* 2. dicere, quod circa ritus, qui per regiones variantur, nulla eſt melior diſciplina gravi, prudentique Chriſtiano, *Quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt.* Cum ergo præceptum de conſecrando azymo pane, vel fermentato merus ſit ritus ad diſciplinam ſpectans, nec tangens fidem, aut bonos mores; videtur poſſe Presbyterum ſive Latinum, ſive Græcum ſervare in conſecrando ritum Eccleſiæ, ad quam devenerit.

XVIII. Nam reſpondeo, Sanctum Auguſtinum loqui de ritibus Eccleſiarum, locorum, vel urbium particularibus: ut ſi in una urbe, vel loco jejunetur, vel dies feſtus agatur, tunc enim hoſpes ad illum locum deveniens jejunare debet, ac diem feſtum agere; quamvis in ſua patria illa die nec jejunetur, nec dies feſtus agatur: & hoc, ne ſcandalo ſit. Non vero loqui de ritibus Eccleſiæ, in qua quis Baptiſmate initiatus eſt, aut cui per miniſterium eſt addictus; ut pro iis locis, in quibus ſine ſcandalo patrias leges ſervare poteſt. Cum ergo Sacerdos, ſive Latinus, ſive Græcus, ſit ſuæ Eccleſiæ Baptiſmate initiatus, & miniſterio addictus, neque ſcandalo ſit, ſi ritum ſuæ Eccleſiæ ſervet; quin potius ſcandalo eſſet, ſi illum omitteret: debet quocumque ritum ſuum ſervare.

XIX. Hanc tamen doctrinam plures Doctores reſtringunt ad ea loca, in quibus Sacerdos, ſive Latinus, ſive Græcus habet Eccleſiam, vel Monaſterium ſui ritus. Si tamen eſſet in locis, in quibus Eccleſia, vel Monaſterium ſui ritus non eſt; cenſent, poſſe conformare ſe in miniſterio ritui Eccleſiæ, ad quam devenerit. Huc enim videntur ſpectare verba Sancti Auguſtini ſupra relata, & præſertim ſequentia: *Faciat ergo quiſque, quod in ea Eccleſia, ad quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc, vel inde meliores.* Si tamen velit ritu ſuæ Eccleſiæ celebrare, Epiſcopum illius urbis adire debet, ab eoque licentiam poſtulare Sacris operandi ſecundum Eccleſiæ ſuæ ritum, ac morem; ſeamque obtentam Præpoſito Eccleſiæ, in qua vult Sacrum facere, oſtendere.

DUBIUM VI.

An vinum ſit altera Euchariſtiæ materia, & quale?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. DE *Ebionitis*, ait Epiphanius, Hæreſ. 50. *Myſteria faciunt ad imitationem Sanctorum in Eccleſia.... per azymos panes, & alteram Myſterii partem per aquam ſolam.* Idem refert, Hæreſi 46. de *Tatiano*, Juſtino Martyri coævo, qui *Myſteriis ſimiliter uſus eſt ad imitationem Sanctæ Eccleſiæ, verum aqua ſola uſus eſt in eiſdem Myſteriis.* Hi autem aquam ſolam adhibebant vano ſobrietatis prætextu.

Impie vero pietatis ſpecie a vino in Sacrificiis temperabant *Encratitæ*. Qui, referente eodem Epiphanio, Hæreſ. 47. *Vino vero omnino non utuntur, diabolicum eſſe dicentes, bibentes, ac utentes iniquos eſſe peccatores.... Unde ſane Myſteria, quæ apud ipſos per aquam ſolam fiunt, neque Myſteria ſunt, ſed ad imitationem verorum falſo fiunt.* Manichæi ſimiliter eodem nixi principio, teſte Leone Magno, *Serm.* 4. *de Quadrageſima*, communioni ſub vini ſpecie ſe ſubtrahebant. Hos omnes hæreticos *Aquarios* appellarunt Patres. Unde Auguſt. Hæreſ. 64. *Aquarii* (inquit) *ex hoc appellati ſunt, quod aquam offerunt in peculo ſacramenti, non illud, quod omnis Eccleſia.*

Ex fidelibus autem quidam, quos refert, ac reprehendit S. Cyprianus, *Epiſt. ad Cæcilium*, quæ eſt 63. licet Sacrificia, quæ ſerotinis horis celebrabant, in pane, & vino conficerent; ea tamen, quæ horis antelucanis peragebant; in pane, & aqua perficiebant: ducti ad hoc, quod velle vinum ſumere illis horis, quibus nulli vinum biberent, indecens arbitrabantur: vel ne ex vini odore detegerentur ab Ethnicis tamquam Chriſtiani. His tamen relictis.

II. Dico. Vinum eſt altera Euchariſtiæ pars, quæ neceſſario in ea conficienda adhiberi debet. Hanc veritatem tota illa Epiſtola probat S. Cyprianus, ad quem Studioſum remitto. Omiſſis ergo figuris, & typis Euchariſtiæ, nempe, inebriatione Noe, Sacrificio Melchiſedech, Benedictione Jacob, ex quibus deducit Cyprianus, in Euchariſtia figuratam per illa vini neceſſitatem; venio ad id, quod urget ex Chriſti facto, qui vinum in hujus ſacramenti inſtitutione adhibuit: ut præcipue habetur, *Marci* 14. *v.* 25. & mandavit, ut quod ipſe fecit, faceremus, Lucæ 22. *v.* 19. & 1. Cor. 11. *v.* 25. *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.* Unde ſic arguo. In neceſſario debemus adhibere in Euchariſtia conficienda, quod Chriſtus adhibuit, & adhibendum præcepit: at Chriſtus in Euchariſtiæ inſtitutione, non aquam, ſed vinum adhibuit, & quod ipſe adhibuit, in ſui exemplum adhiberi præſcripſit; ergo &c.

III. Quia vero Chriſtiani *Aquarii* ſuam praxim exemplo Veterum tuebantur; vanum eſſe hoc præſidium S. Cypria-

nus

nus ostendit, dicens: *Si in Sacrificio, quod Christus est, nonnisi Christus sequendus est; utique & nos obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit.* Cumque reponerent, numquid aliqua habenda non est consuetudinis ratio? Nequaquam, respondet S. Martyr. Nam *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quod aliquis ante nos faciendum putaverit; sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit: neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.*

IV. Cum autem se in tuto esse existimarent, quia ad Christi exemplum, & mandatum in Sacrificio vespertino vinum consecrabant; hanc evasionem difflat Cyprianus hoc discursu. Nusquam Eucharistiam celebrare licet sive vespere, sive diluculo, quin Christi Passio per illam exprimatur: at numquam, saltem clare, exprimitur Christi Passio, nisi Calix cum vino offeratur: aqua enim sola Christi sanguinem non potest exprimere; quia non aquam, sed vinum instituit Christus ad significandum suum sanguinem, sicut panem ad suum corpus exprimendum; ergo &c.

V. Eos vero, qui in Antelucanis Sacrificiis aquam, non vinum adhibebant, ne odore vini Christiani ab Ethnicis deprehenderentur, dicit esse in periculo negandi fidem: *Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?* Si postea coram tyrannis evocentur, eisque Christi minas opponit, *Qui in Evangelio suo dicit: Qui confusus me fuerit, confundet eum Filius hominis.*

§. II.

Quale, & quantum esse debeat vinum consecrabile.

VI. Dico. Vinum, quod est materia consecrabilis, debet esse vinum de vite. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.* 74. *art.* 5. Et probat primo. *Quia sicut Dominus se comparavit grano frumenti, ita etiam se comparavit viti,* dicens Jo: 15. Ego sum vitis vera: *Sed solus panis de tritico est materia hujus sacramenti*; ergo & solum vinum de vite. —— Secundo. *Propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit, ut patet ex eo, quod ipse dicit, Matth. 26. circa institutionem hujus sacramenti:* Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Tertio. Quia *ad materiam sacramentorum assumitur id, quod proprie, & communiter habet talem speciem: proprie autem vinum dicitur, quod de vite sumitur. Alii vero liquores vinum dicuntur secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis.* Quarto. Quia *Vinum vitis magis competit ad effectum hujus sacramenti, qui est spiritualis lætitia, quia scriptum est* (Ps. 103.) *quod* Vinum lætificat cor hominis.

VII. Sicut autem quantitatem panis consecrandi Christus non determinavit, ita nec quantitatem vini. Unde tantum vini Sacerdos consecrare potest, quantum sibi præsens habet, & sua intentione consecrandum determinat. Regulariter tamen tantam solum quantitatem consecrare debet in Ecclesia Latina, quantam solus Sacerdos in uno Sacrificio absumere potest.

Porro cum, ex dictis, solum vinum de vite sit materia apta Eucharistiæ conficiendæ; infert S. Thom. citatus ad primum, alios liquores, puta, vinum malorum granatorum, mororum, cervisiam, mulsum, & similia non esse materiam aptam: quia *Hæc non dicuntur proprie vinum, sed secundum quamdam similitudinem. Potest autem verum vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non crescunt, quantum sufficit ad hoc sacramentum.*

VIII. Circa qualitatem vini consecrandi, dummodo sit de vite, sive album sit, sive rubrum, sive dulce, sive non, sive calidum, sive frigidum, erit apta consecrationi materia. Pro claritate tamen sequentes regulæ tradi solent.

Quarum prima est. Vinum jam factum acetum non est materia apta consecrationi. Quia, ut ait S. Thom. citatus, ad 2. *Vinum fit acetum per corruptionem: unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur* 8. *Metaph.* (text. 14.) *& ideo, sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum; ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem; licet peccet conficiens.* Et hoc in sensu exponendus est Innoc. III. *lib.* 4. *de Myst. Missæ, cap.* 3. cum ait: *Vinum acidum, quod vocatur acetum,* posse consecrari: de vino namque acescenti quidem, sed nondum plene facto acetum, & corrupto, locutum esse credendum est.

Eadem proportionali ratione spiritus vini, vulgo *Aqua vitæ,* vinum non erit, neque aptum consecrationi. Et ratio est. Quia sicut si homini, qui constat corpore, & spiritu, unum horum desit, non est amplius homo: ita vinum, quod constat ex corpore crasso, ac subsistente, & spiritu subtili, & volatico, si alterutrum seperetur, non erit amplius vinum. Sicut ergo acetum, quod est corpus crassum vini, seperatum a spiritu, non est amplius vinum; sic & spiritus vini (qualis est aqua) seperatus a corpore crasso non erit vinum.

IX. Secunda regula est ex S. Thom. citato, ad 3. *Quod agresta est in via generationis: & ideo nondum habet speciem vini. Et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum.* Ab opposito: *Mustum autem jam habet speciem vini: nam ejus dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio a naturali calore, ut dicitur in* 4. *Meteor. cap.* 4. *& ideo de musto potest confici hoc sacramentum. Non tamen debent uvæ integræ huic sacramento misceri; quia jam esset ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam, ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri.* Et ideo Julius I. Can. *Cum omnino,* dist. 2. de consecrat. approbato in Lateranensi III. *cap.* 1. esto reprehendat quosdam, qui consecrabant mustum expressum una cum botris, & granis; permittit tamen, quod *Si necesse fuerit, botrus in Calice comprimatur.*

Eadem ratione probabiliter sustineri potest, valide consecrari posse succum expressum ex uvis passis; eumque ipsis uvis passis admixtum consecrari. Quia succus uvæ passæ adhuc retinet speciem vini, ut testatur ejus dulcedo, quæ in vino jam corrupto non remanet.

Mustum autem ex uvis maturis nondum expressum, sed adhuc inclusum in granis, probabilius consecrari non potest; quia materia consecrabilis in sanguinem debet habere rationem potus, non cibi: at liquor ex uvis nondum expressus non habet rationem potus, sed cibi: nam pro eo statu potest quidem comedi, sed non potari: ergo &c.

X. Tertia est. Vinum congelatum aliqui pro materia idonea statuunt, alii rejiciunt; ideoque inter materias dubias ponendum censeo: nec in illo consecrandum, nisi prius gelu solvatur: dum enim manet congelatum, non est materia potabilis. Quare si ante, vel post consecrationem vinum congeletur in calice; involvendus est calix pannis calidis. Si id non proficiat, ponendus est calix in aqua ferventi prope altare; sic tamen, ut calicem aqua non intret, donec liquescat vinum. Ita ex Rubricis Miss. *tit. de Defectibus,* in Missa occurrentibus.

DUBIUM VII.

An aqua sit vino miscenda in Calice: quanta & quo jure?

§. I.

Aqua vino est miscenda.

I. Armeni septimo sæculo praxim *Aquariis* oppositam amplexati fuere. Ubi enim hi, ex dictis, in sola aqua consecrabant; illi e contra vinum purum nulla aquæ mixtione adhibuerunt. Hujus autem causam, refert Nicephorus, *lib.* 18. *Hist. cap.* 53. fuisse, ne illa unione vini cum aqua significare viderentur unionem naturarum in Christo, quam ipsi cum Eutychianis negabant. Hos tamen Synodus Trullana *anno* 692. primo damnavit, *Can.* 32. deinde Concil. Florentinum in Decreto Eugenii correxit his verbis; *Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo Orbe Christiano conforment; eorumque Sacerdotes in calicis oblatione parum aquæ admisceant vino.*

II. Armenorum disciplinam imitati sunt Lutherani, & Calvinistæ, purum vinum nulla, nec modica, aqua permixtum in suis pseudomysteriis adhibentes: dicentes, talem mixtionem sola humana traditione niti, & Evangelicæ puritati penitus contradicere.

Ecclesia tamen Catholica eam quovis tempore, & ubique gentium in usu habuit. Et Ecclesiam Græcam his etiam temporibus servare hunc ritum, testatur Arcudius, *lib.* 3. *de Sacram. Eucharistiæ.* Quare

III. Dico. Vinum consecrandum aqua misceri debet. Hoc expresse quidem in Scriptura non legitur; sed omnium sæculorum, & Patrum traditione factum, & faciendum accepimus. In Liturgia enim Jacobi antiquissima legitur: *Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, & permixto ex vino, & aqua &c.* Et in Liturgia S. Marci: *Similiter & calicem postquam cœnavit, accipiens, & facta vini, & aquæ permixtione &c.* Id asserunt Patres Græci quidem: nam Justinus secundi sæculi Scriptor in secunda Apologia pro Christianis testatur, fideles in Synaxibus solitos fuisse *Participare de pane Eucharistico, & vino, & aqua.* Irenæus, *lib.* 4. *cap.* 53. modo 33. vocans Eucharistiam *Temperamentum calicis.* Et lib. 5. cap. 1. & 2. *Mixtionem calicis, mixtum calicem.*

Hinc Trullana Synodus, *anno* 692. *Can.* 32. depositione mulctavit Episcopum, vel Presbyterum, qui *Non secundum traditum ab Apostolis ordinem aquam vino non miscens, sic immaculatum offert Sacrificium.*

Ex Patribus Latinis disciplinam hanc aperte defendit S. Cyprianus, *Epist.* 63. *ad Cæcilium.* Unde super illa verba Proverb. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis,* hæc ait: *Vinum mixtum declarat, ideſt, calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce pranuntiat.* Ita autem fecisse Christum superius dixerat, his verbis: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit: ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Quæ verba S. Augustin. *lib.* 4. *de Doctr. Christ. cap.* 21. refert, & approbat. Cum ergo ibi ageret Cyprianus contra eos, qui offerebant aquam puram; si in sententia fuisset, aquam non esse vino miscendam, debuisset dicere, calicem offerendum esse pure vino, *non aqua, & vino mix-*

mixtum Accedit Conc. Carthag. III. cui S. Auguſtin. interfuit, *Canone* enim 24. ſtatuit: *Ut in ſacramento corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit; hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum.* Quod confirmat S. Ambroſius, *lib. 4. de Sacram. cap. 5.* his verbis: *Vinum cum aqua in calice mixtum, fit ſanguis conſecrationis Verbi cæleſtis.*

Videat modo Lutherus; quam ſtolide in primo ſcripto adverſus Henricum VIII. Angliæ Regem, *anno 1522.* exaravit: *Melius, & tutius foret aquam non miſcere vino, cum ſit merum figmentum humanum.* Non enim figmentum humanum ſenſerunt Patres, ſed traditionem ex facto Chriſti deſcendentem.

IV. Multiplici autem ratione id congrue fieri, oſtendit S. Thom. 3. part. quæſt. 74. art. 6. *Primo quidem, propter inſtitutionem. Probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc ſacramentum inſtituerit in vino aqua permixto, ſecundum morem illius terræ .... Secundo, quia hoc convenit repræſentationi Dominicæ paſſionis. Unde dixit Alexander I. Papa* (Epiſt. ad omnes Orthodoxos) non debet in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aquam ſolam offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus in paſſione ſua profluiſſe legitur. *Tertio, quia hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus ſacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Quia ut Julius I. Papa dicit*: Videmus in aqua populum intelligi; in vino vero oſtendit ſanguinem Chriſti: ergo cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur. *Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus ſacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam. Unde Ambroſius dicit; in lib. 5. de Sacram. cap. 1.* Redundat aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.

V. Hæc approbans Conc. Trident. *Seſſ. 22. cap. 7.* ait: *Monet deinde S. Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent. Tum, quod Chriſtus Dominus ita feciſſe credatur. Tum etiam: quia: e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod ſacramentum hac mixtione recolitur: & cum aqua in Apocalypſi Beati Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum Capite Chriſto unio repræſentatur.* Et *Can. 9.* anathema dicit ei, qui dixerit. *Aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem.*

VI. Nec refert, ſi dicas primo. Melchiſedech in ſuo Sacrificio, quo adumbratum fuit Euchariſticum, non obtuliſſe niſi panem, & vinum. —— Nam dico cum S. Thom. citato *ad 1.* Sacrificium Euchariſticum fuiſſe adumbratum non ſolum in Sacrificio Melchiſedech; ſed & in aqua, quæ in eremo fluxit de petra, ſecundum illud, 1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra.*

Neque obſtat ſecundo, quod aqua, quæ fluxit a latere Chriſti, non fuit mixta, ſed ſeparata a ſanguine; alias diſcerni non potuiſſet —— Nam fateor ſanguinem, & aquam dum fluxerunt e latere Chriſti, impermixta fuiſſe. At ſi in aliquo vaſe recepta fuiſſent, nonne permixta in illo extitiſſent? Nos ergo repræſentamus in calice id, quod ibi factum eſt, non vero modum, quo factum eſt.

§. II.

Qualis, & quanta aqua debeat miſceri,

VII. Dico primo. Aqua calici miſcenda debet eſſe aqua naturalis. Primo: quia Chriſtum aquam naturalem miſcuiſſe credimus. Secundo: Quia Patres dicunt, miſcendam eſſe vino aquam; aqua autem abſolute ſtat pro aqua naturali: aqua enim artificialis non dicitur aqua abſolute, ſed cum addito, puta, roſacea. Tertio: quia ex latere Chriſti aqua naturalis prodiit: unde ad eam ſignificandam, ſicut aqua naturalis ſumitur in Baptiſmo ad abluendum; ita hic aqua naturalis ſumi debet ad reficiendum. Quia tamen mixtio aquæ de neceſſitate ſacramenti non eſt, non referret ad ejus ſubſtantiam, & integritatem, quæcumque aqua miſceretur, etſi artificialis: graviter tamen peccaret, qui aliam, quam naturalem calici immiſceret.

VIII. Dico ſecundo. Permodicum aquæ vino in calice miſcendum eſt: Ita S. Thom. 3. *p. q. 74. art.* 8. & probat ex Honorio III. cap. *Pernicioſus*, de celebr. Miſſ. Ubi nonnullos, qui ſæculo XII. plus aquæ, quam vini calici immiſcebant, ita reprehendit, *Pernicioſus inolevit abuſus videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino: cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum.* Et Julius I. corripit quoſdam, qui pannum lineum, muſto intinctum, per totum annum ſervabant, & in tempore Sacrificii aqua lavabant partem ejus, & ſic offerebant. Nono etiam ſæculo Concilium Tiburienſe ſtatuerat, ut *Saltem duæ ſint partes vini, tertia aquæ*, ideſt ut aqua tertiam calicis partem non excedat. Quod tandem Eugenius IV. ſæculo XV. in inſtructione Armenorum expreſſit, dicens. *Vino ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri ſolet.*

IX. Ratio autem hujus eſt. Quia in calice, quem Chriſtus conſecravit, major fuit vini quam aquæ copia: alioquin non vini calix, ſed aquæ dici debuiſſet. Secundo: quia aqua populus fidelis eſt, vinum vero Chriſtus: decet autem, ut expreſſius ſignificetur Chriſtus, quam populus, qui ei adunatur. Tertio tandem: quia excitata in ſcholis controverſia de converſione mediata, vel immediata illius aquæ in ſanguinem Chriſti, de qua infra; majori ſtudio cautum eſt, ne plus aquæ miſceatur, quam poſſit ante conſecrationem in vinum tranſmutari; ut ne vinum corrumpatur, ſi major quantitas aquæ, quam vini infundatur: & ne dubia evadat conſecratio, ſi aqua vino æquali miſceatur. Quare eſto antiquiora Concilia tertiam partem aquæ admitterent; poſteriora tamen poſt Innocentium III. modiciſſimam aquæ portionem volunt apponi.

X. Porro licet determinari non poſſit proportio, quam debet aqua habere ad vinum: ſufficit tamen aſſerere, debere eſſe valde modicam, adeoque non poſſe peccari per defectum, dummodo aqua, quando apponitur vino, ſentiatur, licet ſenſibilis non ſit poſt mixtionem. Ita docet S. Thom. art. 8. relato *ad 1.* Poſſet tamen peccari per exceſſum, ſi tantum aquæ infunderetur, ut non poſſet dici modiciſſima reſpectu vini. Ad quod præcavendum in Hiſpania mos eſt (quo ipſe quoque uſus fui) aquam vino miſcendam parvo cochleari argenteo excipe tres, aut quatuor guttas capiente, & ex eo in calicem fundere.

XI. Aqua etiam vino miſceri debet tempore Sacrificii. Neque enim ſufficit; ut antea miſceatur. Quare ſi aqua apponatur in dolio, a quo extrahendum eſt vinum; non ſufficiet ad ſignificationem ſacramenti, ut advertit S. Thom. laudatus, *ad 3.* Et hoc quia Chriſtum circa actualem hujus ſacramenti inſtitutionem, non ante, aquam miſcuiſſe credimus. Et etiam quia hæc mixtio debet eſſe cæremonia facienda a ſolo Sacerdote in Miſſis privatis, ſecundum ritum proprium, ante conſecrationem tamen ſemper: in Miſſa autem ſolemni per ſubdiaconum, aqua tamen per Sacerdotem prius benedicta.

Dixi ante conſecrationem. Quia ſi poſt conſecrationem advertat Sacerdos, ſe aquam non miſcuiſſe non debet eam miſcere; quia aqua non debet miſceri ſanguini, ſed vino conſecrando: & quia hujuſmodi mixtio ad ſubſtantiam ſacramenti non pertinet, ut ait S. Thom. hac *quæſt. 74. art. 7. ad 3.* Si tamen ante conſecrationem advertat; ſe tempore debito aquam non miſcuiſſe, ante conſecrationem miſcere debet.

XII. Poſt conſecrationem autem nec aquam, nec alium liquorem calici miſceri poſſe, docet S. Thom. *3. part. q. 77. art. 8.* videndus. Hoc tamen valet pro Eccleſia Occidentali: nam in Orientali Sacerdos paulo ante communionem aquam fervidam in calice immittit. Cujus praxis adeo tenaces ſunt Græci, ut Latinis verterint crimini, quod ea non utantur. Hoc autem intendunt ſignificare ſanguinem, qui fervidus, ac vivificus e Chriſti corpore exivit. E contra autem Latinorum aliqui hunc Græcorum ritum cenſura dignum exiſtimant; moti, ex diſcurſu S. Thom. citata, *quæſt. 77. art. 8.* dicentis; *Si fiat tanta permixtio liquoris cujuſcumque; quod pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti. Si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio, quod non poſſit diffundi per totum, ſed uſque ad aliquam partem ſpecierum; deſinet eſſe ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia.* Verum cum in Concilio Florentino Græci de hoc ritu interrogati, abſque ulla cenſura dimiſſi ſint; non videtur ulla cenſura notanda ejuſmodi praxis: qua tamen notandus eſſet, qui in Eccleſia Occidentali hunc ritum ſervare vellet.

§. III.

Quo jure aqua vino miſcenda ſit.

XIII. Dico. Mixtio aquæ cum vino calici conſecrando non eſt de neceſſitate ſacramenti, nec de præcepto divino, ſed ſolum Eccleſiaſtico. Prima pars aſſeritur contra quoſdam, quos improbat S. Bernardus. *Epiſt. 69.* his verbis: *Nec nego panem, & vinum aqua quidem mixtum, ſimul debere apponi, quin potius aſſero, haud aliter debere fieri: ſed aliud eſt culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, eſt quod cauſamur, non bene quippiam fieri, & aliud, quod mentimur, nec fieri.* Et quidem concors eſt omnium ſententia, immo & Eccleſiæ in Concilio Florentino, quæ Armenos non miſcentes aquam vino reprehendit; non quod invalide conſecrarent, ſed quod ab Eccleſiæ conſuetudine diſcederent. Concilium etiam Tridentinum, *Seſſ. 13.* agens de Euchariſtia mentionem facit panis, & vini, nihil de aqua dicens. Immo *Seſſ. 22. cap. 7.* agens de ſacrificio Miſſæ dicit: *Præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent.*

XIV. Ratio autem hujus eſt, ex S. Thom. *3. p. q. 74. art. 7.* Quia appoſitio aquæ ad vinum refertur ad ſignificandam adunationem populorum cum Chriſto, in participando effectum hujus ſacramenti, & ſignificandam aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti: neutrum horum pertinet ad eſſentiam ſacramenti, ſed potius ad uſum, & effectum, quæ ſunt quid conſequens ſacramentum; ergo appoſitio aquæ &c. Et hoc indicavit S. Cyprianus, *Epiſt. 63. ad Cæcilium*, quando dixit: *Si vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis*: ideſt

Chriſtus eſt quidem in ſacramento, ſed non ſignificatur adunatio noſtra cum Chriſto, quæ hujus ſacramenti effectus eſt.

XV. Sed objicies S. Cyprianus, Epiſt. laudata duo dicit. Unum quod, *Sic in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt.* Alterum: *Sic vero calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſimul miſcetur: quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage ſolidatum.* Cum ergo vinum, & aqua mixta farinæ ſint de neceſſitate materiæ, ita aqua mixta vino.

XVI. Reſpondeo. S. Cyprianum priori loco velle quidem utrumque, vinum nempe, & aquam requiri ex neceſſitate medii in ſanctificatione calicis; ſed ad diverſos fines. Nam vinum neceſſarium eſt abſolute, ut ſanguis Chriſti præſens ſit in calice; aqua vero vino mixta neceſſaria eſt, ut populi fidelis unio cum Chriſto repræſentetur. Unde ait: *Si vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.*

Ad id, quod dicit poſteriori loco, reſpondeo ex S. Thom. *art.* 7. citato, *ad* 1. & 3. bene dicere Cyprianum, utrumque eſſe neceſſarium; non tamen eodem modo. Nam aqua mixta farinæ eſt neceſſaria ad ſubſtantiam panis, & ideo etiam ad ſubſtantiam ſacramenti; at mixtio aquæ cum vino, eſt quidem neceſſaria ad ſignificandam adunationem populorum cum Chriſto; non tamen eſt neceſſaria ad ſubſtantiam Sacramenti: cum non ſit neceſſaria ad ſubſtantiam vini. Unde idem Cyprianus (relatus a S. Thom. in argum. ſed contra) ibidem dicit: *Si aliquis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſervavit* (ut ſcilicet, aquam miſceret in ſacramento) *poteſt ſimplicitati ejus venia contedi:* quod non eſſet, ſi aqua eſſet de neceſſitate ſacramenti, ſicut eſt vinum, vel panis.

XVII. Secunda pars probat. Quia Chriſtus miſcuit quidem vinum aqua; non tamen aut in Scriptura, aut Patribus legitur hoc præcepiſſe, ut fieret. Nec enim omnia, quæ ipſe fecit, facienda mandavit: conſecravit enim in azymo, & tamen hoc non mandavit. Alias Græci conſecrantes in fermentato facerent contra præceptum Domini, nec poſſent ab Eccleſia tolerari. Conſecravit etiam poſt cœnam, & Euchariſtiam tradidit Diſcipulis jam cœnatis: quis autem inde inferret, nonniſi poſt cœnam debere ſacrificium offerri, & ad ſacra Myſteria jejunium naturale non requiri?

XVIII. Tertia tandem pars conſtat ex Tridentino ſupra relato, *Seſſ.* 2. *c.* 7. & Eugenio IV. in decreto pro Armenis. Ubi hos reprehendit, quod non miſcentes aquam vino ab univerſali Eccleſiæ conſuetudine diſcordarent. —— Quis autem primus hoc præceptum impoſuerit: ſentiunt aliqui fuiſſe Alexandrum I. ſed cum & ipſe aſſerat. *Epiſt.* 14. *cap.* 3. ſe hoc a Patribus accepiſſe, verius crediderim, ab initio Eccleſiæ, ad Chriſti exemplum, univerſali conſuetudine introductum, per Alexandri I. decretum confirmatum, & ad obſervantiam redactum fuiſſe.

Ex hoc infertur, præceptum hoc eſſe diſpenſabile ab Eccleſia: non tamen crediderim, Sacerdotem etiam in caſu neceſſitatis, abſque diſpenſatione poſſe conſecrare vinum purum: ſicut nec in caſu neceſſitatis poteſt Sacerdos ſine veſtibus ſacris celebrare, quamvis hoc præceptum pure Eccleſiaſticum ſit.

DUBIUM VI.

An aqua vino mixta tranſubſtantietur in Sanguinem Chriſti, & quomodo?

§. I.

An hæc controverſia ſpectet ad Fidem.

I. DUodecimo labente ſæculo quæſtio hæc ſumma animi contentione agitari cœpit. Aſſerebant nonnulli, aquam revera mutari in Chriſti ſanguinem. Alii in aquam, quæ aperto Chriſti latere manavit. Alii in propria ſpecie, & natura, etiam poſt conſecrationem manere. De hoc S. Thom. 3. *p. q.* 74. *art.* 8. Tria ergo quæremus. Primo: An controverſia hæc, utrum aqua mixta calici tranſmutetur, in ſanguinem Chriſti, ſpectet ad fidem. Secundo: An dicendum ſit, eam mutari in ſanguinem. Tertio: An hoc ſuppoſito mutetur immediate in ſanguinem, an vero ſolum mediate: ita ut prius mutetur in vinum, deinde in ſanguinem Chriſti.

II. Dico primo, Dicere, aquam calici mixtam non converti in ſanguinem Chriſti, ſed vel manere in propria ſpecie, vel tranſmutari in aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti, eſto immediate contra fidem non ſit, cenſura tamen dignum exiſtimo. Prima pars prob. ex Innocent. III. cap. *Cum Martha*, de celebr. Miſſ. Ubi cum retuliſſet opinionem, & eorum, qui volebant, aquam illam tranſmutari in aquam, quæ fluxit e latere Chriſti, & eorum, qui volebant, eam non tranſire in ſanguinem, ſed manere prioris vini accidentibus circumfuſam; neutram damnat, ut fidei Catholicæ repugnantem. Cum ergo ab Innocentio III. ad hæc uſque tempora nullum Concilium, nullus Pontifex hac de re judicium definitivum expreſſe protulerit; videtur, eam in eodem ſtatu manere; ac erat ſæculo tertiodecimo, dum viveret Innocentius III.

III. Secunda vero pars. Colligitur ex Concilio Trident. *Seſſ.* 13. *Can.* 12. definiente, poſt conſecrationem ſolas ſpecies panis, & vini manere: *Manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini.* Eſto autem directe hoc ſtatuerit contra Lutherum, qui volebat, poſt conſecrationem ſubſtantiam panis, & vini adhuc manere; indirecte tamen indicaſſe videtur, nil ſubſtantiæ, quæ prius erat in calice, ut materia, facta conſecratione manere.

Rurſus: ſi aqua maneret, non verificarentur plene verba conſecrationis calicis: *Hic eſt ſanguis meus*, nempe: *Hoc contentum in Calice eſt ſanguis meus.* Nam aqua illa eſſet in calice contenta; quæ tamen in illa opinione non eſſet ſanguis Chriſti. Addit S. Thom. *art.* 8. citato, quod ſi aqua illa in ſanguinem non verteretur, ſed maneret; non totum, quod eſt in calice, adorari poſſet adoratione latriæ.

IV. Similiter: ſi aqua mixta calici conſecratione verteretur in liquorem, qui exivit e latere Chriſti; jam facta conſecratione non remanerent duntaxat ſpecies panis, & vini, & corpus, & ſanguis Chriſti; ſed ulterius ibi eſſet liquor ille: nec verificarentur verba *Hic eſt ſanguis meus.* Nam in calice præter ſanguinem adeſſet liquor ille. Præterea, Euchariſtiæ materia in id ſolum convertitur vi verborum conſecrationis, quod per illa verba exprimitur, & ſignificatur; efficiunt enim, id quod ſignificant: ſed verba conſecrationis calicis nec exprimunt, nec ſignificant converſionem in liquorem, qui fluxit e latere Chriſti, ſed ſolam converſionem in ſanguinem; ergo &c.

V. Dico ſecundo. Aqua mixta vino, per conſecrationem, convertitur in ſanguinem Chriſti. Hæc aſſertio eſt communis apud Doctores Catholicos. Magis enim cohæret modo loquendi SS. Patrum, quorum dicta refert, & laudat Gaufredus Monachus S. Bernardi, *anno* 1188. *in Epiſt. ad Cardinalem Albaneſem:* & quorum aliqua hic ſubjiciemus. Cyprianus enim, Epiſt. 63. *Calix* (inquit) *Domini non eſt aqua ſolum, vel vinum ſolum: niſi utrumque miſceatur.* Rurſus: *Non poteſt vero nobis ignoſci, qui nunc a Domino inſtructi ſumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Cum autem Chriſtus Deo Patri non aliquam creaturam, ſed ſuum ſanguinem obtulerit; obtulit aquam in ſuum ſanguinem converſam. Hieronymus etiam, *in c.* 14. *Marci*, ait: *Formar ſanguinem ſuum in calice, vino, & aqua mixtis.* S. Ambroſius, l. 4. de Sacr. c. 3. *Sic ex pane fit corpus Chriſti, & vinum cum aqua in calice mixtum fit ſanguis conſecratione Verbi cæleſtis.* Et S. Auguſt. Serm. 227. alias 83. de diverſis: *Panis ille, quem videtis in altari ſanctificatus per verbum Dei, corpus eſt Chriſti. Calix ille, immo quod habet calix, ſanctificatum per verbum Dei, ſanguis eſt Chriſti.*

VI. Sed dices primo. Aqua non eſt Euchariſtiæ materia, ſed, ut ait Eugenius, vinum de vite; ergo non poteſt verti in ſanguinem —— Reſpondeo primo, aquam ſolam non eſſe quidem materiam calicis: ſi tamen vino permiſceatur ad exemplum Domini, ſimul cum vino tranſire in ſanguinem: quia ſimul cum vino conflat dominicum calicem —— Reſpondeo, diſt. conſ. Non poteſt verti in ſanguinem immediate, conſeq. mediate, quia prius converſa fuit in vinum, nego conſ. De hoc autem infra.

VII. Dices ſecundo contra primam reſponſionem. Chriſtus non præcepit, aquam eſſe vino apponendam. ſed Eccleſia, ut vidimus; at Eccleſia non poteſt præſcribere materiam hujus ſacramenti. Reſpondeo, Chriſtum determinaſſe quidem materiam neceſſariam; ſed materiam liberam, qualis eſt aquæ mixtio, prudenti Eccleſiæ ſuæ judicio reliquiſſe. Ita probabiliter. Sed ut mentem noſtram in hac re exponamus, ſit.

§. II.

An aqua immediate, an ſolum mediate convertatur in Sanguinem?

VIII. HOC eſt tertium, quod reſtat in præſenti dubio examinandum. Innocentius III. cap. *Cum Martha*, referens opinionem, quæ dicit, aquam in ſanguinem converti, refert etiam fundamentum, cui nititur, aquam ſcilicet in vinum tranſire: *Cum aqua* (inquit) *in vinum tranſeat mixta vino.* Deinde relatis aliis duabus opinionibus, ſubdit: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, qua aſſerit, aquam cum vino tranſmutari in ſanguinem*, ideſt; aquam prius factam vinum, ut aſſerebat illa opinio, quam approbavit. Rurſus: *l.* 4. *de Myſteriis Miſſæ, cap.* 30. Idem Innocentius ait: *Quis enim ambigat, aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aqua?* Propter hanc Innocentii auctoritatem S. Thom. 3. p. q. 74. *art.* 8. *Aliorum opinio* (inquit) *probabilior eſt, qui dicunt, aquam converti in vinum, & vinum in ſanguinem.* Quod repetit, *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 2. Idem quoque ſentit Scotus cum aliis.

IX. Dico igitur. Probabilius videtur, aquam mixtam calici non immediate tranſire in ſanguinem, ſed prius debere converti in vinum; deinde in ſanguinem per conſecrationem. Noſtra hæc aſſertio non placet Recentioribus quibuſdam, qui philoſophice negant poſſibilem eſſe

eſſe aquæ in vinum converſionem. Attamen illis in ſua probabilitate relictis, præter auctoritatem Innocentii, & S. Thomæ, eam probo ex Florentino, in decreto pro Armenis. Ubi Eugenius IV. corrigens ſententiam Concilii Triburienſis, qua tertiam partem aquæ vino admiſcendam decreverat, dicit modiciſſimum aquæ eſſe apponendum: hoc autem non alia ratione, niſi ut aqua facilius tranſire poſſit in vinum, deinde in ſanguinem. Nam ſi aqua in ſua ſpecie remaneret, vel in aquam quæ fluxit e latere Chriſti, converteretur; indifferens foret parum, vel multum aquæ apponere. Voluit ergo Concilium, modiciſſimam aquam calici apponi; quia ſenſit, aquam debere prius in vinum converti, ut tranſire poſſit in ſanguinem; & ideo etiam S. Thom. citatus poſtquam dixit, probabiliorem ſibi videri opinionem, quod aqua prius convertatur in vinum, concludit: *Et ideo ſemper tutius eſt parum de aqua apponere, & præcipue ſi vinum ſit debile.*

Accedit Concilium Tridentinum, Seſſ. 13. Can. 2. ubi anathema dicit ei, qui negaverit, *Singularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini.* Porro ſi aqua immediate verteretur in ſanguinem, nec prius eſſet converſa in vinum; dixiſſet, manentibus ſpeciebus panis, & vini, *& aquæ* non *duntaxat ſpeciebus panis, & vini.* Ita interpretatur ejuſdem Concilii Catechiſmus, de Euchariſtia; *n.* 17. dicens: *Illud autem Sacerdotibus animadvertendum eſt, quemadmodum in ſacris Myſteriis aquam vino adhibere oportet, ſic etiam modicam infundendam eſſe. Nam Eccleſiaſticorum ſententia, & judicio aqua illa in vinum convertitur.*

X. Prob. ratione primo. Aqua non eſt materia, neque partialis calicis. ergo non convertitur immediate in ſanguinem, Ant. prob. Tum quia, ſi aqua eſſet materia, deberet vino apponi ex inſtitutione Chriſti, qui ſolus materias ſacramentorum determinare poteſt; & non ex præcepto Eccleſiæ tantum, ut Adverſarii fatentur. Tum quia aqua mixta farinæ non eſt materia, ſed ſolus panis; ergo neque aqua mixta vino, ſed vinum ſolum. Nam ſicut Scriptura loquens de materia corporis dicit, hanc eſſe panem: loquens de materia calicis dicit, hanc eſſe vinum de vite. Concilia quoque, & Patres, dum loquuntur de hujus ſacramenti materia, dicunt, eam eſſe panem, & vinum nulla facta mentione aquæ. Unde Hieronymus, l. 2. contra Jovinianum, *In typo* (inquit) *ſanguinis ſui, non aquam obtulit, ſed vinum.* Et S. Auguſt. Tract. 26. in Joann. 1. 17. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus corpus, & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquod rediguntur ex multis: Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.*

XI. Dicunt. Concilia, & Patres ſolum meminiſſe vini, non aquæ; quia ſolum vinum eſt materia neceſſaria ex Chriſti inſtitutione, & præcepto; non vero aqua, quæ eſt materia ſolum libera, & ex præcepto Eccleſiæ.

XII. Sed hoc valde mirum eſt, quod Concilia, & Patres, qui toties meminerunt mixtionis aquæ cum vino, numquam dixerint, aquam mixtam vino pertinere ad materiam, & fieri ſanguinem Chriſti, ſed unice id de vino dixerint, Id autem, quod additur, aquam eſſe materiam liberam ex præcepto Eccleſiæ, deſtruit ſe ipſum. Eccleſia enim non habet facultatem addendi ad materiam a Chriſto inſtitutam aliquid per modum materiæ, ſed ſolum per modum ritus. Sicut quia Chriſtus pro materia Baptiſmi inſtituit aquam, eſto Eccleſia aliqua addiderit, non addidit tamen ut materiam, ſed ſolum ut ritus: alias poſſemus dicere, quod Chriſma, quod addidit aquæ in Baptiſmo, & oleo in Extrema Unctione, eſſet materia libera horum ſacramentorum.

Probo inſuper. Materia libera in aliquo caſu ſufficere poteſt ſe ſola ad valorem ſacramenti; ut patet in peccatis venialibus, quæ ſunt materia libera ſacramenti Pœnitentiæ: quæ ſola ad valorem Pœnitentiæ ſufficiunt in eo, qui ſola venialia confitetur; ergo ſi aqua eſſet materia libera conſecrationis, ſe ſola ſufficeret ad conſecrationem: quod in Aquariis ſupra reprobavimus.

Si dicas, aquam non eſſe materiam liberam, ut ſeparatam a vino, ſed ut vino mixtam; ideoque ſeparatam a vino conſecrari non poſſe.

XIII. Contra eſt primo. Quia Chriſma additur ſolum ex præcepto Eccleſiæ, nec mixtum oleo evadit materia: ergo &c. —— Secundo. Sicut aqua ante conſecrationem poteſt, juxta Adverſarios, a vino ſeparari: ita facta conſecratione poterunt ſpecies aquæ per chymicam ſeparari a ſpeciebus vini. Vel ergo ſub ſpeciebus aquæ a ſpeciebus vini ſeparatis adhuc remaneret ſanguis Chriſti; vel non, Si non: ergo ſub illis ſpeciebus erit aqua; ergo non fuit in ſanguinem Chriſti converſa. Si enim fuiſſet in illud mutata, non poſſet naturaliter eadem numero redire aqua, quæ mutata fuit; neque aqua numero diverſa: quia ſub eiſdem numero accidentibus non poteſt eſſe alia numero ſubſtantia. Si ſic: cur aqua ſola conſecrari non poteſt, ſi ſub illius ſpeciebus a vini ſpeciebus ſeparatis Chriſti ſanguis remanet? Si enim ſub illis ſolis poteſt conſervari, cur non poteſt ſub illis ſolis poni?

XIV. Probatur tertio, ſic. Ideo aqua immediate tranſiret in ſanguinem; quia, ut ajunt Chymici, non poteſt in vinum converti: ſed hoc videtur falſum; ergo &c. Min. prob. tum auctoritate Ariſtotelis, *lib. 1. de Gen. c. 5. text. 34. & c. 10. text. 88.* Tum ratione. Nam pauxillum aquæ vino copioſiori infuſum dividitur a vino in partes minimas, & minores minimis: aqua etiam in vinum projecta interſecatur a partibus vi, & dividitur: ſi vero vinum copioſius, & fortius ſit, ita partes aquæ debiliores interſecabit, & dividet; ut eas redigat ad partes ita parvas, ut ſint minores minimis; & ſic vel in illis non poterit amplius ſubſtantia aquæ conſervari; vel a vi fortiori vini ita alterabitur, ut non valens illi reſiſtere, tandem ei cedat, corrumpatur, & in ejus ſubſtantiam tranſeat: ut ſimile eſt in igne utente lignum, & in alimento, vel cibo dum a calore naturali decoquitur. Quare vel univerſaliter negandum eſt, quod aliquid poſſit in alterius ſubſtantiam tranſmutari, maxime de fluidis; vel concedendum, aquam vino copioſiori, & fortiori mixtam, poſſe in illud tranſire.

XV. Tandem prob. Si aqua mixta vino non poteſt tranſire in vinum, ſed manet in ſua aquæ natura; dari ratione aqua mixta muſto, dum vinum conficitur, in ſua ſpecie manebit. Cumque in aliquibus regionibus ob uvæ generoſitatem etiam medietas aquæ meditati muſti infundatur: dum eo vino utimur in conſecratione, vel non adhiberemus materiam convenientem, vel faceremus contra præceptum Eccleſiæ volentis, quod vino conſecrando modiciſſima aqua apponatur.

§. III.

Contrariæ opinionis fundamenta.

XVI. PRimo arguunt, aquam non poſſe tranſire in vinum. Tum experientia, qui Chymicis compertum eſt, aquam quovis tempore, poſt mixtionem, poſſe a vino ſeparari per immiſſionem medullæ junci, aut ſpongiæ oleo infuſæ; quod alii dicunt de vino aquæ mixto infuſo vaſi ex hedera; ſtatim enim aqua vino ſeparatur.

Tum ſecundo. Quia explicabile non eſt, quomodo vinum poſſit agere in aquam; aut qua vi illam corrumpat, ac in ſe vertat.

Tum tertio. Quia aqua, cum ſit corpus ſimplex, non poteſt in mixtum converti, quale eſt vinum.

Tum quarto. Quia ſi aqua verteretur in vinum, immunes eſſent ab omni culpa vinitores: qui tertiam partem aquæ cum duabus aliis vini, quod ſunt venditurі, miſcerent. Quia tertia pars aquæ cum duabus vini permixta, probabile eſt, quod in vinum tranſeat, ſi ſit generoſum? quod tamen ſibi fieri nollent illi, qui aquæ in vinum converſionem propugnant.

XVII. Reſpondeo ad ſingula. Primum ab experientia prævidit Innocentius III. Cap. *Cum Martha*: cum ait: *Licet Phyſici contrarium aſſeverent*: qui tamen ſententiam noſtsam ut probabiliorem judicat. Prævidit quoque S. Thom. in 4. diſt. 12. *in Expoſit. Litteræ*, dicens: *Alchymiſtæ dicunt, quod per immiſſionem junci decorticati poteſt ſeparari.* Cui tamen reſpondet: *Dicendum, quod a vino aufertur ſubſtantia aquæ, quæ ibi eſt, propter ſimilitudinem junci, quod etiam poroſum eſt; non tamen illa aqua, quæ fuit appoſita, ſeparatur, quia jam facta eſt vinum.* Dico ergo non aquam a vino ſeparari, ſed aqueum quemdam humorem aquæ ſimilem, ſeu vini flegma: vel, ut ajunt chymici, caput mortuum, partes nimirum, vini craſſiores, & debiliores; vel quia male decoctæ, utpote expreſſæ ex uvis, aut non pene maturis, aut debilis virtutis. Cujus ſignum eſt, quod etſi ſumatur vinum, cui nihil aquæ ſit admixtum; ſimilis liquor aquens, etſi non in tanta quantitate extrahetur.

Ad ſecundum dico, vinum agere in aquam, vel ratione virtualis caloris quem in eo reperiri arguimus ab effectu: nam vinum recens pleraque in ſe injecta calefacit: & calx eſto non formaliter calida, abſumit tamen, & calefacit. Vel ratione acrimoniæ, qua aquam alterando ſenſim corrumpit.

Ad tertium dico, aquam quidem elementarem eſſe corpus ſimplex; non tamen aquam uſualem, quæ habet mixtas qualitates, & ideo nutrire aliquomodo poteſt. Addo: me non videre urgentes rationes, quibus corpus mixtum in ſe convertere non poſſit corpus ſimplex.

Ad quartum nego ſequelam. Nam vinum etſi aquam vincat, & in ſe convertat, dum agit, repatitur, & in ſe debilitetur. Nam mixtum, cum non una tantum conſtet qualitate, ſed pluribus invicem temperatis, inter quas una prævalet alias: ideo dum agit ſecundum unam, repatitur a ſuo contrario ſecundum aliam; & vincit quidem ſecundum unam, ſed ſecundum aliam infirmatur, & alteratur ejus temperamentum. Unde qui venderet vinum pro tertia parte, aqua mixtum, venderet vinum debile; & ideo peccaret, ſi ut generoſum illud exhiberet.

XVIII. At dices. Si vinum aquam ſibi appoſitam in ſe converteret, deberet potius fieri fortius, & vegetius, non vero debilitari: quemadmodum corpus converſione alimenti in propriam ſubſtantiam fortius, & vegetius evadit.

Sed nego ſequelam, & ratio diſparitatis in eo eſt. Quod animal ſolvit cibum per calorem, qui ab eo naturaliter emanat, & ideo licet aliquantulum agendo repatiatur, cito tamen ferveſcit, & convertendo alimentum in ſe fortius evadit: quod non currit de vino, cui

aqua non est alimentum illud nutriens, Et ideo licet aquam, si modica sit, vincat, ac in se convertat; tali tamen actione ab aquæ contrariis qualitatibus repatitur, ac aliquo modo debilitatur: esto, si vinum sit generosum; & aqua sit modica, talis debilitatio vix percipiatur.

XIX. Secundo arguunt. Patres communiter dicunt, aquam vino mixtam consecrari, & in Christi sanguinem verti: at si aqua tempore consecrationis non esset aqua, sed facta vinum, non posset dici, quod vertatur in sanguinem; quia quod non est, dici nequit, quod consecretur, aut convertatur.

Respondeo, Patres velle, quod aqua consecretur, & convertatur in sanguinem, non immediate, sed mediante vino, in quod transiit. Ut autem aliquid dicatur converti in aliud mediate, non requiritur, ut tempore conversionis sit in se; sed ut antea fuerit, licet pro eo tempore in aliam naturam sit translatum. Sic cibus dicitur in substantiam aliti converti; & tamen tempore, quo fit hæc conversio, cibus non est amplius in natura cibi: nam per præcedentes alterationes formam cibi, puta carnis, piscis amisit. Sic etiam, *Exod 7. v. 12.* dicitur: quod, *Virga Aaron devoravit virgas eorum;* non quæ tunc essent virgæ, erant enim versæ in colubros; sed quæ antea fuerant virgæ.

XX. Tertio arguunt. Christus cum Eucharistiam instituit, creditur in vino aqua mixto consecrasse, ut ait Tridentinum, *Sess. 22. c. 7.* at tam brevi tempore non est credibile, aquam illam potuisse prius converti in vinum. Tum quia Christus aquam miscuit immediate antequam consecraret. Tum quia; aquam non miscuit in modicissima quantitate, sed in tanta, quanta consueverat, propter observantiam temperantiæ; ergo &c.

Confirmatur. Si Sacerdos paulo ante consecrationem advertat, se aquam calici non infudisse, eam infundere debet, & consecrare: sed tunc non datur tempus, ut aqua illa transeat in vinum; ergo vel remanet in specie aquæ; & sic dabitur occasio idololatriæ, cum simul vino elevatur adoranda; & Sacerdos eam sumens non remaneret jejunus, nec posset, si hoc in prima Missa Natalis Domini contingeret, alias duas missas celebrare: vel immediate transit in sanguinem.

XXI. Respondeo, non esse certum, Christum miscuisse vino Eucharistico aquam temperantiæ causa; sed potius id fecisse ad significationem mysticam. Quare esto solitus esset vinum multa aqua diluere, vino tamen consecrando modicam apposuit. Alias si multam Christus apposuisset; cur Ecclesia præciperet modicissimam esse apponendam contra factum Christi? Modicam ergo & Christus apposuit, & tunc apposuit, quando prævidit tempus sufficiens, ut fieret vinum. Non enim statim, ac miscuit, consecravit; sed prius miscuit, deinde mora facta consecravit. Unde durante cœna consecravit panem, ut ait Matthæus, c. 46. calicem vero nonnisi finita cœna consecrare voluit; ut daret tempus conversioni, quam ipse sua comprehensione cognoscebat. Et certe si Christus statim ac miscuit, consecravit, cur Ecclesia hunc ritum non observat?

XXII. Ad Confirmationem dico, quod si Sacerdos immediate ante consecrationem infunderet aquam calici; aqua illa non verteretur in vinum, sed neque in sanguinem: maneret enim in specie aqua. Neque daretur populo occasio idololatriæ: quia adoratio fidelium dirigitur ad sanguinem Christi latentem sub speciebus; non ad ea, quæ per accidens illi conjuncta sunt. Sicut si vino calici infuso misceretur alius liquor, vel in calicem caderet musca, vel hostiæ consecratæ mixtus esset pulvis, palea, aut granum hordei; hujusmodi certe populus non adoraret: sic in casu —— Quod si dicas, S. Thom. pro inconvenienti habere, quod aqua vino mixta maneat in specie aquæ, quia non totum adoraretur adoratione latriæ. Ita *3. p. q. 74. art. 8.* —— Respondeo, S. Thomam reputare inconveniens, si nunquam totum, quod est in calice, posset adorari adoratione latriæ; esset enim contra intentionem Ecclesiæ; quod accideret, si nunquam aqua in sanguinem posset converti: non autem si id contingat in aliquo casu per accidens, ut in præsenti.

Ad id, quod additur, dico, Sacerdotem sumentem vinum consecratum cum illa aqua, jejunium naturale non lædere; quia totum sumeret, quod est in calice, per modum unius sacramenti; neque aquam illam sumeret per modum potus, sed ad mysterium. Sicut si hostiæ consecratæ esset admixta aliqua particula farinæ hordeaceæ, quæ certe in corpus Christi non esset conversa; aut vino liquor alius; Sacerdos sumens talem hostiam, & vinum tale, jejunium non frangeret —— Nec dicas, S. Thomam, *in 4. dist. 11. q. 2. art. 4. q. 1. ad 2.* dicere: *Si aqua in propria natura remaneret, sic calix non esset tantum potus spiritualis, sed etiam corporalis; nec liceret post primam sumptionem sanguinis iterum sumere.* Nam dico, S. Thomam arguere eos, qui volebant, aquam nunquam converti in sanguinem, sed semper vinum remanere; & quam pro tertia parte apponebant: non autem nos, qui dicimus, aquam regulariter converti in vinum, ac deinde in sanguinem; & solum per accidens, & per ignorantiam contingere, quod non fit in vinum conversa. Ita probabiliter.

XXIII. Si quæras pro complemento: Cum hoc sacramentum sit permanens, nec substantia panis, & vini maneant, sed in corpus, & sanguinem Christi transeant: quænam erit materia permanens hujus sacramenti?

Respondeo, hanc esse species panis, & vini, ut connotantes, & continentes corpus, & sanguinem Christi. Probo. Non in hoc sacramento debemus distinguere sacramentum, idest, signum sensibile; & rem sacramenti, idest, rem significatam latentem, & invisibilem: sed signum sensibile in hoc sacramento manens sunt species visibiles panis, & vini; res autem significata, & sub eis contenta est corpus, & sanguis Christi; ergo species panis, & vini, ut connotantes corpus, & sanguinem Christi constituunt sacramentum Eucharistiæ. Unde Concil. Trident. *Sess. 13. c. 3.* docet, hoc sacramentum habere aliquid commune cum cæteris, hoc est, symbolum esse rei sacræ, & visibilem formam gratiæ invisibilis; alterum speciale, & hoc est, continere ipsum gratiæ auctorem Christum.

QUÆSTIO II.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ.

CUM forma hujus sacramenti, sicut & aliorum consistat in verbis, quibus materiæ significatio determinatur; ideo agere de forma idem est, ac agere de verbis, quibus essentialiter hoc sacramentum conficitur. Porro, quia ut vidimus, duplex est hujus sacramenti partialis; materia: nempe panis, & vinum; ita & duplicem debet habere formam: unam, qua consecretur panis, alteram, qua consecretur vinum.

DUBIUM I.

An verbis Eucharistiam consecraverit: & an iisdem quibus nos?

§. I.

Quædam prænotantur.

I. NOto cum S. Thom. q. 78. 3. p. (in qua agit de forma Euchar.) art. 1. *Quod hoc sacramentum ab aliis sacramentis differt in duobus. Primo quidem quantum ad hoc: quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ; alia vero sacramenta perficiuntur in usu materiæ consecratæ. Secundo. Quia in aliis sacramentis consecratio materiæ consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quamdam spiritualem virtutem, qua per Ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere: sed in hoc sacramento consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conversione substantiæ* (ut dicetur) *qua a solo Deo perfici potest, Unde Minister in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum, nisi prolationem verborum.*

Et quia forma debet esse conveniens rei: ideo forma hujus sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus. Primo quidem. Quia forma aliorum sacramentorum important usum materiæ, puta, baptizationem, vel consignationem: sed forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, qua in transubstantiatione consistit; puta, cum dicitur: Hoc est corpus meum. *Vel* Hic est Calix Sanguinis mei. *Secundo. Quia forma aliorum sacramentorum proferuntur ex persona Ministri, sive per modum exercentis actum; sicut cum dicitur.* Ego te baptizo. *Vel:* Ego te confirmo &c. *Sive per modum imperantis; sicut cum in sacramento Ordinis dicitur:* Accipe potestatem &c. *Sive per modum deprecantis: sicut cum in Sacramento Extremæ Unctionis dicitur;* Per istam unctionem, & nostram intercessionem &c. *Sed forma hujus sacramenti profertur, quasi ex persona ipsius Christi loquentis; ut detur intelligi, quod Minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi,* Ita S. Thomas.

II. Circa Dubium vero propositum, ut refert idem S. Thom. ibi ad 1. *Quidam dixerunt, quod Christus, qui habebat potestatem excellentiæ in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit: & postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent. Quod videntur sonare verba Innocentii III. dicentis, l. 4. de Mysteriis Missæ, cap. 6.* Sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit; & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent .... *Quidam autem dixerunt, quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis .... Alii dixerunt: quod illa benedictio eisdem etiam verbis facta est, quibus modo fit; sed Christus ea bis protulit: Primo quidem secrete ad consecrandum: secundo manifeste, ad instruendum.* Sed istæ opiniones modo abolitæ sunt, & ab omnibus derelictæ: nec desunt, qui existiment, eas post Tridentinum non carere nota temeritatis.

§. II.

Resolutio Dubii.

III. DIco. Christus consecravit verbis, & eisdem verbis, quibus Sacerdotes in Ecclesia consecrant; semel tantum, non iterum prolatis, ponitur contra omnes præ-

præfatas opiniones. Et prob. primo ex Patribus. Tertullianus enim, lib. 1. contra Marcionem, cap. 40. *Acceptum* (inquit) *panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo.* S. Ambroſius, l. de his, qui Myſteriis initiantur, cap. 9. *ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt Corpus meum: Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur &c.* Huc trahi poſſunt ejuſdem verba, *l. 4. de Sacr. c. 4.* Damaſceni, *lib. 4. de Fide cap. 13.* Chryſoſtomi, *Homil. 60. ad Pop. Antioc.* Paſchaſi, *Epiſt. ad Fredegardum*, Sed de his inferius.

Propterea Tridentinum, Seſſ. 13. cap. 1. *Majores* (inquit) *noſtri omnes .... apertiſſime profeſſi ſunt, hoc tam admirabile ſacramentum in ultima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe; cum poſt panis, vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.* Quænam autem fuerunt illa verba, quibus ſe ſuum corpus, & ſanguinem tradere diſcipulis perſpicue teſtatus eſt, niſi iſta: *Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum: Bibite, Hic eſt ſanguis meus*, quæ nos quoque proferimus?

IV. Rejiciuntur autem præfatæ opiniones ſigillatim, rationibus S. Thom. loco citato, *ad 1.* Dicere enim, Chriſtum ſine verbis conſecraſſe, eſt expreſſe opponi verbis Evangelicis. *In quibus dicitur, quod Chriſtus benedixit: qua quidem benedictio aliquibus verbis facta eſt* —— Dicere quod facta fuerit verbis ignotis, falſum eſt: *Quia benedictio conſecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, qua tunc acta ſunt: unde ſi tunc per hæc verba non eſt facta conſecratio, nec modo fieret* —— Dicere tandem, Chriſtum ea bis protuliſſe, ſtare nequit. *Quia Sacerdos conſecrat proferens hæc verba, non ut a Chriſto in occulta benedictione dicta, ſed ut publice prolata. Unde cum non habeant vim hujuſmodi verba, niſi ex Chriſti prolatione; videtur, quod etiam Chriſtus manifeſte ea proferens conſecraverit.*

V. Sed dices: Videtur Chriſti prius conſecraſſe, deinde dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*; ergo videtur, aut non conſecraſſe verbis, aut ſaltem non iſtis, Ant. prob. primo. Ut Chriſtus vere diceret: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, debebat, id quod deſignabat, jam eſſe corpus, & ſanguis Chriſti; ergo debebant alia prævia conſecratione panis, & vinum in corpus, & ſanguinem tranſiiſſe.

Secundo. Ut colligitur ex *Matth. 26. Marci 14.* & *Luca 22.* Chriſtus prius benedixit panem, deinde dixit: *Hoc eſt corpus meum:* ſed illa benedictione conſecravit: ergo &c. Tertio. *Marci 14. v. 23.* dicitur: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes: & ait illis, hic eſt ſanguis meus*, ergo prius conſecravit, deinde dedit calicem conſecratum Diſcipulis, deinde dixit: *Hic eſt ſanguis meus.*

VI. Reſpondeo, neg. ant. Ad primam prob. diſt. ant. debebat jam eſſe corpus, & ſanguis Chriſti, ſi ly *jam* ſignificet tempus ante prolationem verborum, nego ant. Debebat *jam*, hoc eſt, in ultimo inſtanti completivo prolationis verborum, conc. ant. & neg. conſ. Ut enim verba illa eſſent vera, ſat erat, ut in ultimo inſtanti completivo prolationis verborum eſſent primo corpus, & ſanguis Chriſti, ut poſita per illa verba. Nam verba illa practica ſunt, & efficiunt quod ſignificant. Porro poteſt Rex aliquem creare Ducem exercitus per hæc verba: *Tu es Dux exercitus mei.* In quo caſu illa verba ſunt vere practica, & faciunt, quod ille in ultimo inſtanti prolationis primo ſit Dux exercitus Regis.

Ad ſecundam nego min. Illa enim benedictione Chriſtus non conſecravit, ſed panem, & vinum præparavit ad conſecrationem; ſicut benedictione præparatur aqua, antequam Catechumenus baptizetur: & ſicut Sacerdotes prius benedicunt panem, & vinum, deinde conſecrant. Dici etiam poteſt, verba illa ſic conſtrui poſſe: *Accipiens panem benedixit dicens, hoc eſt corpus meum: deinde fregit, & dedit diſcipulis ſuis*; ut ait S. Th. citatus ad 1. vel, ut ipſe ibidem, ait: *Poteſt intelligi concomitantia reſpectu totius præcedentis, ut ſit ſenſus: dum benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit*: Accipite &c.

Ad tertiam ſimiliter dico, verba Marci debere ſumi concomitanter. Mos enim eſt Evangeliſtarum per anticipationem narrare prius, quod poſterius, vel ſimul factum eſt; ut dicit Auguſtinus, *l. 2. de conſenſu Evangeliſt. cap. 30.* & 44. Videri de hoc poteſt S. Thom. citatus, *ad 1.*

DUBIUM II.

Per quæ verba Sacerdotes Panem conſecrent.

§. I.

Varii errores recenſentur.

I. WAldenſes duodecimo Eccleſiæ ſæculo graſſantes, cum aliam orationem non admitterent, præter Dominicam, horas canonicas, ceteraſque Eccleſiæ præces aſpernantes; feruntur, etiam Euchariſtiæ ſacramentum abſque Eccleſiæ forma celebraſſe; & loco illius ſepties *Pater noſter &c.* recitare conſueviſſe.

II. Nonnullis ſchiſmaticis Græcis viſum eſt, verba: *Hoc eſt corpus meus: Hic eſt ſanguis meus*, non eſſe Euchariſtiæ conſecrativa; ſed iſtam orationem, in quæ liturgia Chryſoſtomi præfata verba ſubſequitur, nimirum: *Et fac panem iſtum quidem pretioſum corpus Chriſti tui: & quod eſt in calice iſto, pretioſum ſanguinem Chriſti tui.* Quam Græcorum opinionem, ut explicat Nicolaus Cabaſilas, tria dicit. Primum: Sacerdotem recitative tantum proferre evangelica verba: ideoque omni virtute ad tranſmutandum panem, & vinum eſſe vacua. Secundum: tranſmutationem fieri per eadem numero verba, per quæ Chriſtus in ultima cœna conſecravit; quæ licet actu tranſierint, manent tamen in virtute. Tertium: verba, in quibus Sacerdos præcatur, ut ſuum ſortiantur effectum. Hoc idem aſſerit Marcus Epheſius, qui poſt Florentinam Synodum multa contra Latinos ſcripto congeſſit. Alii tamen, etiam ex Græcis, conſentiunt quidem, verba quæ a Sacerdote proferuntur, concurrere ad conſecrationem, ſed non ſufficere, ac ulterius requiri præallatas preces, ut ex Arcudio, *l. de Sacr. Euchariſtia.*

III. Martinus Bucerus aſſeruit, verba, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, ſive ut prolata fuerunt a Chriſto, ſive ut a Sacerdote, nullo modo ad conſecrationem concurrere: cum nulla Scriptura doceat, opus eſſe, ut ea verba ſupra panem recitentur; Dominus enim (inquit) *c. 26. Matth.* juſſit panem frangere, manducare; ſed non juſſit dicere ſuper panem: *Hoc eſt Corpus meum.*

IV. Calvinus fatetur quidem, verba, de quibus agitur, proferenda eſſe a Sacerdote; ſed per modum concionis, vel inſtructionis ad excitandam fidem populi: non vero per modum conſecrationis, qua dona ſanctificentur. Quare, *lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 39.* præſcribit, in hujus ſacramenti confectione habendam eſſe populo lectionem, ex *cap: 11. prima ad Cor.* ubi narratur inſtitutio Euchariſtiæ; & ſubinde a Miniſtro concionem, ac certas quaſdam præfatiunculas.

V. Lutherus tandem, *l. de abroganda Miſſa privata*, & alibi ſentit, non modo verbis evangelicis, ſed tota liturgia opus eſſe, ut dona conſecrentur.

Ex Catholicis autem Scotus opinatur, omnia illa verba: *A pridie quam pateretur*, uſque ad finem conſecrationis, eſſe, non quidem de eſſentia, ſed ita neceſſaria ad formam conſecrationis; ut ſi quis ea omitteret, effectum conſecrationis non haberet. His tamen non obſtantibus,

§. II.

Reſolvitur Dubium.

VI. DIco. Fidei Catholicæ dogma eſt, panem his ſolis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, conſecrari. Duo dicit hoc Aſſertum. Unum, his verbis: *Hoc eſt Corpus meum*, haberi conſecrationem. Alterum, his ſolis, ut non oporteat, ad ejus validitatem, addere alia: nec ſubſequentia per modum precum, ut volunt Græci, neque antecedentia, ut putat Scotus: quamvis hoc ultimum de fide non ſit.

VII. Prima pars prob. Nam, *Luca 22. v. 19.* Chriſtus conſecrato pane, & calice, dixit Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo dedit eis poteſtatem faciendi Euchariſtiam eo modo, quo ipſe fecit: ſed Chriſtus, ut Dub. præced. diximus Euchariſtiam his verbis: *Hoc eſt corpus meum* confecit; ergo Apoſtoli, & Sacerdotes eiſdem verbis eam conficiunt. Propterea Eugenius Quartus in Decreto pro inſtruct. Armen. Sic loquitur: *Forma hujus ſacramenti* (Euchariſtiæ) *ſunt verba Salvatoris, quibus hoc ſacramentum conficitur: Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit ſacramentum: nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia in corpus &c.* —— Et Tridentinum, *Seſſ. 13. cap. 3.* ſtatuit, exiſtere *Corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborum:* Verba autem eſſe ea, quibus ſuum corpus, & ſanguinem Diſcipulis ſe præbere Chriſtus teſtatus eſt, Concilium aſſerit; quæ alia non ſunt, quam iſta: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Ratio autem eſt. Nam illis verbis panis, & vinum conſecrantur, quibus perſpicue conſubſtantiatio declaratur, & ſignificatur: formæ enim ſacramentorum influitivæ ſunt, ut id operentur, quod ſignificant. Verba autem iſta: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, aperte ſignificant, eſſe corpus, & ſanguinem id, quod antea erat panis, & vinum; ergo hoc efficiunt.

VIII. Secunda autem pars, non oportere ad validitatem conſecrationis addere preces, ut Græci autumant, probat. primo. Quia Chriſtus vere conſecravit: & tamen poſt illa verba nullas preces ſudit, neque fundere nobis præcepit: cum ergo juſſerit, ut fieret a nobis, quod ipſe fecit; ideo nec nos egemus alia prece, ut conſecramus... Et ſane, quemadmodum enim in Euchariſtia preces adhibentur, ita in Baptiſmo: ſed preces in Baptiſmo non ſanctificant aquam, quæ ſolum ſanctificatur per verba Chriſti: *Ego te baptizo*; ergo preces in Euchariſtia non conſecrant panem, ſed unice verba Chriſti.

IX. Hoc teſtantur Liturgiæ omnes antiquæ, etiam Græcæ; quæ licet in aliquibus variæ ſint, concordes tamen ſunt in aſſignandis pro vera, & eſſentiali conſecrationis forma laudatis Chriſti verbis: & præcipue vero Liturgia

S. Baſilii, apud Orientales magni ponderis, & Liturgia S. Joann. Chryſoſtomi. Patres etiam Græci, Juſtinus in Apologia 2. *Apoſtoli* (inquit) *in commentariis ſuis, qua Evangelia dicunt, ita ſibi Jeſu præcepiſſe tradiderunt. Eum enim, pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe:* Hoc facite in mei recordationem: Hoc eſt corpus meum: *Et poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis, dixiſſe:* Hic eſt ſanguis meus. S. Chryſoſtomus, Serm. de proditione Judæ: *Hoc eſt*, ait, *corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox, qua dixit*, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, *ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ad generationem operante natura: ita & vox illa ſemel dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad ejus adventum præſtat Sacrificio firmitatem.* Idem fere eiſdem verbis dicit Damaſcenus. *l. 4. de Fide, c. 13.*

Idem confirmant Patres Latini: Tertullianus, *lib. 4. contra Marc. cap. 40.* Ambroſius, *l. de iis qui Miſteriis &c. cap. 9.* Dub præced. relati; aliique, a quibus referendis abſtineo.

X. Hoc debere ab ipſis Græcis concedi, probat eorum praxis, & ritus. Nam poſtquam protulerunt hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*: populus reſpondet *Amen*. Quæ confirmatio eſſet falſa, niſi panis, & vinum jam in corpus, & ſanguinem Chriſti eſſent converſa. Inſuper poſt dicta verba prolata, Euchariſtiam proponunt populo adorandam: non proponerent autem eam populo adorandam, niſi ex antiqua traditione accepiſſent, ſtatim illis verbis prolatis adeſſe ibi corpus, & ſanguinem Chriſti: alias populum inducerent ad idolatrandum.

XI. Tertia autem pars, nimirum, verba illa præcedentia, *Qui pridie &c.* non eſſe neceſſaria ad validitatem conſecrationis, ut putat Scotus, prob. Ea ſola verba ſunt neceſſaria ad valide conſecrandum corpus Chriſti, quæ Sacerdos profert, ut gerens perſonam Chriſti, ut ex Conc. Florentino dictum eſt: *Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit ſacramentum*: Sed hæc verba: *Qui pridie &c.* non proferuntur a Sacerdote ex perſona Chriſti, cum Chriſtus ea non dixerit; ergo &c.

XII. Si dicas, neceſſaria eſſe, ut appareat; & fiat ſenſus, Sacerdotem in verbis ſequentibus loqui ex perſona Chriſti — Sed contra primo. Sacerdos poteſt ſignificare, ſe loqui in perſona Chriſti, quamvis hoc ſe facere, verbo non exprimat: ſicut Angelus, qui *Exodi 3.* apparuit Moyſi, ſignificavit ſe loqui ex perſona Dei: & tamen non dixit Moyſi Deum verba illa protuliſſe. Sicut ergo dum quis in theatro Regiis indutus veſtibus loquitur in perſona regis, non eſt neceſſe, ut dicat, ſe loqui in perſona Regis; quia omnes ex tali circumſtantia id facile intelligunt: ſic Sacerdos in altari ſacris indutus veſtibus loqui poteſt in perſona Chriſti, etſi voce non dicat, in perſona Chriſti ſe loqui.

XIII. Contra ſecundo. Verba illa præcedentia determinant quidem id, quod Chriſtus habebat in manibus fuiſſe corpus ſuum: non autem corpus Chriſti eſſe id, quod habet in manibus Sacerdos; ergo determinativum non a verbis præcedentibus, quæ quaſi hiſtorice narrant id quod fecit Chriſtus, ſed aliunde petendum eſt, nempe, ab intentione Sacerdotis; qui vult illa verba proferre ſuper id, quod habet in manibus in perſona Chriſti, ſeu intendens facere, quod fecit Chriſtus. Quam intentionem habere poteſt etiam omiſſis verbis: *Qui pridie &c.* Ita ſentit S. Th. *3. p. q. 78. art. 1. ad 4.* ubi rejecta opinione quorumdam, volentium non poſſe ſacramentum hoc perfici ſolis præfatis verbis, illis prætermiſſis, quæ ſunt in Canone, dicit: quod *Si Sacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc ſacramentum, perficeretur hoc ſacramentum; quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret Sacerdos ſic conficiens hoc ſacramentum, utpote ritum Eccleſiæ non ſervans.*

§. III.

Contraria Fundamenta.

XIV. PRimo objicies pro Græcis. Ex Liturgiis, quæ adſcribuntur SS. Clementi, Jacobo, Baſilio, Chryſoſtomo, conſtare videtur, per hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, panem, & vinum non tranſmutari in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed per preces ſubſequentes. Nam illis verbis prolatis Sacerdos Deum precatur, ut panem, & calicem faciat corpus & ſanguinem Chriſti ſui: *Et fac* (inquit Chryſoſtomus) *panem iſtud quidem pretioſum corpus Chriſti tui, & quod eſt in calice iſto, pretioſum ſanguinem Chriſti tui*. Ut quid autem hujuſmodi immutationem ex liturgiarum præſcripto poſtularet Sacerdos, ſi jam per Chriſti verba ab ipſo prolata, peracta fuiſſet? Idem dicunt Cyrillus Jeroſ. *Catacheſi 19.* & Nyſſenus, *Orat. Catechetica 37.*

XV. Reſpondeo (omiſſis aliis) quod Græci ipſi Ruſſiæ, Nicææ, Trapezuntii, & Mitylenes Epiſcopi, Eugenii nomine in concilio Florentino interrogati, dixerunt, nimirum; Sacerdotem Græcum non petere, ut panis Corpus Domini fiat abſolute, ſeu ut ipſum tranſubſtantietur: ſed tantum ut fiat relative, ſcilicet, nobis quoad effectus nutriendi, & paſcendi ſpiritualiter, & gratiam augendi. Ita Seſſ. ultima Conc. Florent. legitur: *Latinis quærentibus de panis tranſmutatione, cur Græcis poſt hac dominica verba*: Accipite, & manducate, &c. Bibite ex hoc omnes &c. *quibus profecto verbis ſacramentum confici viderur; hac etiam utuntur oratione:* Fac panem hunc &c. *Reſponderunt Græci, ſe ſimiliter credere, verbis illis dominicis ſacramentum fieri: ſed quemadmodum Latini confecto hoc ſacramento, hac ſolent uti oratione:* Jube hæc perferri &c. *Ita quoque Græcos illa verba proferre ſolum, ut ſacratiſſimum Chriſti corpus, & ſanguis peccatorum noſtrorum remiſſioni, ac noſtris animabus ſaluti fiat.*

Dici poteſt ſecundo cum Cardinali Beſſarione, non peti, ut tranſubſtantiatio fiat; ſed ea ratione fidelibus oſtendi tres perſonas SS. Trinitatis ad eam concurrere: unde cum jam Filii perſona orationibus verba dominica præcedentibus, fuerit expreſſe invocata; decuit, ut Patris, & Spiritus Sancti actio ad fidelium inſtructionem, in tranſubſtantiationem expreſſe deſignaretur. Et ſane, ſi illa petitio, qua Sacerdos petit, ut panis fiat corpus, panem de facto conſecraret; cum etiam antequam proferat verba dominica, & antequam hanc precem fundat: *Fac panem &c.* ſæpius jam poſtulaverit panis tranſubſtantiationem, ut patet in liturgia, tum Baſilii, tum Chryſoſtomi; jam panis eſſet conſecratus, & ante verba dominica, & ante precem illam: *Fac panem hunc &c.* quod nemo dixerit.

XVI. Neque obeſt, quod Sacerdos Græcus vocet panem, dicens: *Fac panem hunc;* ſi autem eſſet jam conſecratus, non eſſet panis. — Nec etiam, quod in liturgia Baſilii poſt verba: *hoc eſt Corpus meum*, panis, & vinum vocentur *antytipa*, hoc eſt, imagines, ac figuræ corporis Chriſti, & ſanguinis; ſi autem eſſent conſecrata, eſſent realiter ipſum corpus Chriſti.

XVII. Nam ad primum dico, vocari *panem*, non ut qui eſt panis, fiat corpus Chriſti; ſed ut panis, qui jam eſt corpus Chriſti, qui *Joan. 6. v. 51.* de ſe ipſo dixit: *Ego ſum panis vivus*, fiat ſumentibus in remiſſionem peccatorum, & gratiæ augmentum. — Ad ſecundum dico, panem & vinum etiam conſecrata dici poſſe *Antitypa*, ſeu figuras, & imagines corporis Chriſti. Tum quia, ſpecies illæ panis, & vini, quæ poſt conſecrationem ſunt ſacramentum tantum, ſignificant corpus Chriſti, & ſanguinem, & ſimul continent. Tum quia: corpus, & ſanguis, ut ſunt ſub ſpeciebus panis, & vini, ſunt figura, & repræſentatio ejuſdem corporis, prout in Cruce immolati, & ejuſdem ſanguinis, ut in Cruce effuſi. Sed de hoc infra.

XVIII. Secundo objicies. Patres Græci, & Latini dicunt, Euchariſtiam confici præcibus Sacerdotis. Ex Græcis enim Juſtinus, Apolog. 2. *Per precem* (inquit) *Euchariſtiam factum cibum ſumimus.* Niſſenus Orat. Catechet. 37. *Hic panis per verbum Dei, & orationem ſanctificatur.* Cyrillus item Jeroſol. *Catecheſi 3. Myſtag.* — Ex Latinis Hieronymus, Epiſt. 85. modo 101. ad Evagrium (ſeu Evangelium) arguens Diaconos, qui ſe Sacerdotibus æquabant: *Quis* (inquit) *patiatur menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur?* Auguſtinus etiam, *l. 3. de Trinitate cap. 4.* Euchariſtiam id eſſe affirmat, *Quod prece myſtica conſecratum ſumitur ad ſalutem*, & lib. 5. de Bapt. cap. 20. vocat Sacerdotem *Deprecantem* ſuper Euchariſtiam: verba autem hæc: *Hoc eſt corpus meum*: nullam precem, aut invocationem important.

XIX. Reſpondeo, prælaudatos Patres, dum dicunt Euchariſtiam confici prece, aut invocatione Sacerdotis; ſumere conſecrationem non eſſentialiter, aut formaliter pro ſolis verbis, quibus formaliter conficitur; ſed pro tota ſerie verborum quæ a Sacerdote conſecrationi annectuntur, ſive ante ſive poſt; ſub quibus etiam comprehenduntur hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, cum inter preces Canonis proferantur. Unde hoc argumento probaretur, ad Euchariſtiam conficiendam totam liturgiam neceſſariam eſſe; quæ ab initio ad finem nil aliud continet, quam orationes, invocationes, & gratiarum actiones.

XX. Tertio objicies pro Scoto. Si omiſſis verbis illis: *Qui pridie &c.* Sacerdos ſolum dicat: *Hoc eſt corpus meum* non ſignificaret, hoc eſt corpus Chriſti, ſed corpus ipſius Sacerdotis: ſed ad valide conſecrandum requiritur, ut Sacerdos deſignet id, quod demonſtrat, eſſe corpus Chriſti: ergo &c.

XXI. Reſpondeo, nego maj. Jam enim ſupra dictum eſt ex S. Thoma, verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, ex intentione, & modo agendi Sacerdotis demonſtrare; Sacerdotem ibi agere, & loqui in perſona Chriſti, & ſignificare, id quod deſignatur, eſſe corpus Chriſti non Sacerdotis. Pro quo noto: Sacerdotem in liturgia, ſeu actione Miſſæ agere aliquando perſonam ſuam, & aliquando perſonam ſuam, & Chriſti ſimul. Cum enim confitetur, cum orat, cum laudes fundit, agit perſonam ſuam, non Chriſti: cum vero conſecrat, agit perſonam Chriſti, & ſimul etiam ſuam. Longe tamen aliter Sacerdos agit perſonam Chriſti in Euchariſtia, ac in aliis ſacramentis. Nam in aliis agit quidem, ut Chriſti Miniſter; loquitur tamen in perſona propria, ut cum dicit; *Ego te baptizo*: *Ego te abſolvo*. Sicut Prætor, licet ſit miniſter Regis, tamen in perſona ſua loquitur, cum ſententiam profert e tribunali. At in Euchariſtia Sacerdos nedum agit, ut Chriſti Miniſter, ſed

ſed induit omnino perſonam Chriſti, & loquitur, ac ſi eſſet ipſe Chriſtus: eo modo, quo Angelus, qui loquebatur Moyſi, loquebatur, ut ſi eſſet Deus, dicens: *Ego ſum Deus Patris tui*. In actione ergo Canonis uſque ad illa verba: *Qui pridie &c.* Sacerdos agit perſonam ſuam, non Chriſti; Ab illis autem verbis uſque ad conſecrationis finem agit perſonam ſuam, & Chriſti ſimul: & ideo nedum recitative, ſed ſignificative verba profert. Seu, nedum intendit recitare quid Chriſtus egerit, vel dixerit, ſed ſimul ea imitari in perſona Chriſti, ac ſi Chriſtus per ejus miniſterium faceret viſibiliter, ſicut vere inviſibiliter facit. Hinc eſt, quod dum dicit: *Accepit panem*, ipſe accipit panem. Cum ait: *Elevatis oculis in Cælum* ipſe ſimul elevat. Dum dicit: *Benedixit*, ipſe ſimul benedicit, & dum dicit: *Hoc eſt corpus meum*, intendit, quod ſicut Chriſtus dicendo ea verba fecit, ut panis vere eſſet corpus ſuum; ſic ipſe ea verba proferens ſuper panem, dicendo, intendit facere panem corpus Chriſti.

XXII. Quarto objicies. Per formam exprimi debet effectus ſacramenti: ſed effectus conſecrationis panis, nempe, converſio panis in corpus Chriſti melius exprimitur per hoc verbum *fit*, quam per hoc verbum *eſt*; ergo &c.

Urgetur ex Ambroſio, *l.* 4. *de Sacram. cap.* 4. Sermo Chriſti, quo conficit hoc ſacramentum, eſt ille, quo fecit omnia, ſed omnia fecit imperando; ergo forma hujus ſacramenti melius exprimetur verbo imperativo, dicendo, *Hoc fit*, vel fiat corpus meum.

XXIII. Reſpondeo ex S. Thom. 3. *part. quæſtion.* 78. *artic.* 2. *ad* 1. & in corp. quod hæc converſio cum non ſit ſucceſſiva, ſed inſtantanea, habet ſimul fieri, & factum eſſe; unde eodem momento, quo converſio fit, facta eſt. Quia vero hic debet exprimi potius factum eſſe, quam fieri, melius dicitur: *Hoc eſt*, quod ſignificat factum eſſe; quam: *Hoc fit*, quod ſignificat tantum fieri. Vide S. Thom. *in corp.*

Ad id quod urgetur, reſpondeo ex eodem ad 2. quod *Sermo Dei operatus eſt in creatione rerum, qui etiam operatur in conſecratione: aliter tamen, & aliter. Nam hic operatur effective, & ſacramentaliter, ideſt, ſecundum vim ſignificationis: & ideo oportet in hoc ſermone ſignificari ultimum effectum conſecrationis per verbum ſubſtantivum indicativi modi, & præſentis temporis. Sed in creatione rerum operatus eſt ſolum effective; quæ quidem efficientia eſt per imperium ſuæ ſapientiæ. Et ideo in creatione rerum exprimitur ſermo divinus per verbum imperativi modi ſecundum illud. Gen.* 1. Fiat lux; & facta eſt lux.

XXIV. Quinto objicies. Sicut terminus, ad quem fit converſio, eſt quid determinatum, nempe, corpus Chriſti; ita ſubjectum, quod convertitur, determinatum quidquam eſt, nempe, panis; ergo ſicut ex parte prædicati hujus locutionis ponitur corpus, ita ex parte ſubjecti debet poni panis, & ſic dici: *Hic panis eſt corpus Chriſti*.

Rurſus quia terminus converſionis eſt quid determinatum, nempe, corpus, ideo exprimitur in forma conſecutionis; ſed hoc corpus eſt etiam determinatæ perſonæ, nempe Chriſti; ergo hoc etiam debet exprimi, & dici: *Hoc eſt corpus Chriſti*.

XXV. Reſpondeo ad primum ex eodem S. Thom. *ad* 3. nego conſ. Quia *terminus* a quo *converſionis* (nempe panis) *in ipſo facto eſſe converſionis, non retinet naturam ſuæ ſubſtantiæ, ſicut terminus* ad quem, (qui eſt corpus) *& ideo non eſt ſimile*.

Ad ſecundum reſpondeo ex eodem S. Doctore, ad 4. *Quod per hoc pronomen* meum, *quod includit demonſtrationem primæ perſonæ, quæ eſt perſona loquentis, ſufficienter exprimitur perſona Chriſti, ex cujus perſona hæc proferuntur*.

XXVI. Quæres; Dum dicitur: *Hoc eſt corpus meum*, quid demonſtrat illud pronomen *Hoc*?

Reſpondeo ex S. Thom. hac 3. part. quæſtion. 78. ly *Hoc* non demonſtrare ſubſtantiam panis; alias eſſet idem dicere *Hoc eſt corpus meum*, ac dicere, *Panis eſt corpus meum*. Neque demonſtrare corpus Chriſti, alias eſſet idem, ac dicere: *Corpus Chriſti eſt Corpus Chriſti*. Neque ſpecies panis; quia neque ſpecies ſunt corpus. Sed demonſtrare ſubſtantiam contentam ſub illis ſpeciebus indeterminate, & in generali. Unde idem eſt dicere: *Hoc eſt corpus meum*, ac dicere: *Hoc contentum ſub his ſpeciebus eſt corpus meum*. Id enim per ly *hoc* demonſtratur, quod per illud efficitur; illa enim locutio non eſt ſpeculativa, & ſupponens id, quod ſignificat, ſed practica, & factiva ejus, quod ſignificat; ergo id demonſtrat, quod per illam fit. Per illam autem non fit, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti; neque quod panis ſit corpus Chriſti: ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, fit corpus Chriſti. Et ideo, concludit S. Thom. dicit Chriſtus *In generali*: Hoc eſt corpus meum, *nullo nomine appoſito a parte ſubjecti, ſed ſolo pronomine, quod ſignificat ſubſtantiam in communi ſine qualitate, ideſt, forma determinata*. Vide S. Thomam toto illo *art.* 5. citato.

§. IV.

Aliqua Conſectaria Praxim ſpectantia.

XXVII. EX dictis inferes primo. Quod licet Evangeliſta ad verba conſecrationis præmiſerit iſta: *Accipite & manducate*; ad conficiendum tamen ſacramentum neceſſaria non ſunt: quia illa verba ſolum ſignificant uſum ſacramenti, non vero conſecrationem materiæ: uſum autem ad eſſentiam Euchariſtiæ non pertinere, ſuperius dictum eſt. Graviter tamen peccaret, quia verba illa ſcienter omitteret.

Idem dico de illa conjunctione *Enim*; quæ licet ad conſecrationem corporis, & ſanguinis Domini neceſſaria non ſit; ſed ſolum indicet continuationem formæ cum verbis præcedentibus: tamen quia verbis formæ inferta eſt ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ a B. Petro Apoſtolo derivatam, teſte S. Thoma, 3. *part. quæſtion* 78. *art.* 2. *ad* 5. ideo peccaret lethaliter, qui eam omitteret.

XXVIII. Inferes ſecundo. Quod ſi verbum *Eſt* omitteretur dicendo: *Hoc corpus meum*, graviter quidem, & ſacrilege ſcienter omitteretur: valida tamen eſſet conſecratio, quia verbum *Eſt* ſubintelligitur. Immo familiare eſt Hebræis, & Syris illud in propoſitione ſubticere. Unde cum Chriſtus hebraice, vel ſyriace locutus ſit, non conſtat, an illud addiderit.

XXIX. Inferes tertio. Quod ſi quis loco *Hoc* diceret *Iſtud*: peccaret quidem, ſed valide conſecraret; non tamen ſi diceret: *Illud eſt corpus meum*; quia ly *Iſtud* demonſtrat rem præſentem, non vero ly *Illud* —— Item ſi diceret: *Hic eſt corpus meum*, ſumendo *hic* ut adverbium, nulla eſſet conſecratio; quia non exprimeretur tranſubſtantiatio. Si autem ex ignorantia grammaticæ, loco *Hoc*, diceret *Hic*, ſicut ſi loco *meum* diceret *meus*, videtur rata conſecratio, quia ex communi uſu videretur voluiſſe dicere idem. Pariter ſi pronomini *Hoc* adderet aliquid non mutans ſenſum, ut diceret: *Hoc contentum ſub his ſpeciebus eſt corpus meum*, quæ eſſet explicatio ſignificati illius pronominis *Hoc*; peccaret quidem, ſed valide conſecraret. Si vero quis diceret. *Ecce corpus meum*, videretur non conſecrare, aut certe dubia eſſet conſecratio; quia ly *Ecce* non videtur ſignificare mutationem ſubſtantialem panis in corpus Chriſti.

XXX. Inferes quarto. Quod ſi Sacerdos demonſtrato pane diceret: *Hæc eſt caro mea*, quidem putant', ſacramentum nullum fore, quia caro non æquivalet corpori, cum corpus amplius ſignificet, quam caro. Refert tamen Card. de Lugo, *Diſp.* 21. *Sect.* 4. *n.* 6. ſe vidiſſe Lithurgiam Sancti Matthæi, in qua legitur: *Hæc caro mea eſt*. Si quis autem diceret: *Hoc eſt corpus Chriſti*, non conſecraret. Primo: quia Chriſtus his verbis non conſecravit, nec conſecrari juſſit. Secundo: quia conſecratio fieri debet in perſona Chriſti, quod certe non faceret, qui diceret: *Hoc eſt Corpus Chriſti*.

XXXI. Inferes quinto. Quod ſi quis diceret: *Fiat hoc Corpus meum*, non conſecraret. Primo: quia Chriſtus ſic non conſecravit. Secundo: quia illis verbis non denotaret converſionem mirabilem ſtatim factam eſſe. Tertio: quia conſecratio fieri debet in perſona Chriſti.

XXXII. Moneo denique Sacerdotem, ut ſi non meminerit, ſe verba conſecrationis protuliſſe, quando alias fecit, quod in ſe eſt; non propterea perturbetur, ſed Sacrum proſequatur, & perficiat. Qui enim multa ex uſu dicit, non recordatur ſemper omnium, quæ dixit. *Si tamen* (inquit S. Thom. 3. part. quæſt. 83. art. 6. ad 5.) *Sacerdoti probabiliter conſtet, ſe aliqua omiſiſſe, ſi quidem non ſunt de neceſſitate ſacramenti, non exiſtimo, quod propter hoc debeat reſumere, immutando ordinem ſacramenti, ſed debet ulterius procedere. Si vero certificetur, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſcilicet, formam conſecrationis: cum forma conſecrationis ſit de neceſſitate ſacramenti, ſicut & materia, idem videtur faciendum quod dictum eſt* (ibi ad 4.) *in defectu materiæ, ut ſcilicet, reſumatur a forma conſecrationis & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo Sacrificii*. Sed de his ſermo erit infra, cum agemus de Euchariſtia ut Sacrificio.

DUBIUM III.

Quænam verba ſint de Eſſentia Conſecrationis Calicis.

§. I.

Quibuſdam præmiſſis referuntur Opiniones.

I. IN conſecratione calicis hæc in Eccleſia Latina a Sacerdote proferuntur verba: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti; myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. In qua, ut adverto cum S. Thom. 3. *p. q.* 78. *art.* 3. *ad* 1. ly *calix* ſecundum metonymiam uſurpatur, qua ponitur continens pro re contenta. Sicut enim ſi dicerem: *bibi calicem vini*, fieret ſenſus, *bibi vinum contentum in calice*: ſic dum dicitur: *Hic eſt calix ſanguinis mei*,

idem est, ac si dicatur: *Hic est Sanguis meus contentus in calice*. Debuit autem, ait S. Thom. in consecratione sanguinis exprimi calix: quia cum in hoc sacramento sanguis Christi consecretur in quantum est potus fidelium, sicut corpus per modum cibi; hoc melius exprimitur, designando vas huic usui accomodatum, quia sanguis extra vas, non est idoneus potui. Potest etiam, addit S. D. sumi calix, secundum metaphoram, pro Passione Christi, quæ ad similitudiem calicis inebriat, quam Christus calicis nomine expressit, Matth. 26. v. 39. dum ait: *Transeat a me calix iste*: & Joann. 18. v. 11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Ut sit sensus: *Hic est calix Passionis meæ*. Fit autem mentio Passionis in sanguine seorsim a corpore consecrato, quia separatio corporis a sanguine fuit per Passionem.

II. Verba autem, quæ sequuntur, ponuntur, ait S. Thom. laudatus *in corp.* ad exprimendos tres effectus, quos virtus sanguinis in passione effusi operatur. Quorum primus, & præcipuus est ordinare, & disponere hominem ad adipiscendam æternam beatitudinem, tamquam testamento nobis legatam secundum illud, Hebr. 10. vers. 19. *Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*. Et ad hoc designandum dicitur: *Novi, & æterni testamenti* — Secundum est ordinare hominem ad justitiam gratiæ, quæ est per fidem. Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorem pro fide in sanguinem ipsius*. Et quantum ad hoc ponitur *Mysterium fidei*. Tertius est removere impedimenta ad consecutionem tum gratiæ, tum gloriæ, scilicet peccata, secundum illud. Hebr. 9. v. 14. *Sanguis Christi . . . emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*: idest peccatis. Et quantum ad hoc subditur: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Vocatur autem testamentum *novum, & æternum*. Novum *Ratione exhibitionis*. Æternum, tum *Ratione æternæ Dei præordinationis*; Tum etiam *Ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc testamentum disponitur, ipsa etiam persona Christi, cujus sanguine testamentum disponitur, æterna est*. Ita S. Thom. citato loco, *ad 4.* — Dicitur etiam *Mysterium. Non quidem ad excludendam rei veritatem: sed ad ostendendam occultationem: quia & ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento: & ipsa Passio Christi occulte fuit figurata in veteri testamento*, Ita idem S. Thom. ad 5. — Dicitur etiam *Mysterium fidei, quasi fidei objectum: quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur*. Ita ad 6. — Dicitur: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*. Pro vobis, scilicet, Judæis, & pro multis, scilicet, Gentilibus. Quia *Sanguis Christi non solum efficaciam habet in Judæis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris testamenti, sed etiam in Gentilibus*. Vel *Pro vobis*, idest Sacerdotibus conficientibus hoc sacramentum, aut aliis manducantibus, sed *Pro multis*, idest, etiam illis, pro quibus offertur, ita ex eodem S. Thom. *ad 8*.

Hæc certa sunt, & omnibus explorata. Quod in controversiam vocatur, est: an omnia prædicta verba sint de essentia consecrationis, ut aliquo ex illis omisso, invalida censenda sit calicis consecratio. An vero sola illa priora: *Hic est calix sanguinis mei*; vel: *Hic est sanguis meus*, sint de essentia.

III. Prima sententia asserit, sola illa verba: *Hic est sanguis meus*, esse de essentia consecrationis; reliqua autem ad majorem tantum explicationem pertinere, & esse pure accidentaria. Ita Suarez, Vasquez, de Lugo, & alii. Secunda fatetur; omnia verba esse de essentia, exceptis illis: *Æterni Mysterium fidei*. Sic Petrus Cornejo, & Philippus a SS. Trinitate. Tertia, omnia prorsus affirmat esse de essentia. Sic Capreolus, S. Antoninus, Sylvester, pluresque alii ex antiquis, ac recentioribus S. Thomæ Discipulis. Quarta tandem opinatur, sola quidem priora verba esse de essentia, reliqua tamen non esse pure accidentalia, sed pertinere ad substantiam, seu ad integritatem formæ; sic, ut qui prolatis prioribus sequentia verba omitteret, valide consecraret.

§. II.

Resolvitur Dubium.

IV. Dico. Probabilius censeo, sola priora verba. *Hic est Calix sanguinis mei*; vel: *Hic est sanguis meus*, esse de essentia formæ consecrationis calicis, reliqua vero esse quidem de integritate, non tamen de essentia. Prima pars probatur 1. Traditione. Nam Patres cum scribunt, vinum fieri sanguinem Christi, asserunt, id fieri Christi verbis, nec alia laudant, quam ista: *Hic est sanguis meus*. Justinus Apolog. 2. ad Antonium Imp. pro Christianis: *Apostoli* (inquit) *in commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Jesum præcepisse tradiderunt, eum accepto pane, cum gratias egisset dixisse: hoc facite in memoriam mei: Hoc est corpus meum: dixisse etiam accepto poculo: Hic est sanguis meus; ipsisque solis dedisse*. S. Ambrosius, *l. de iis* qui Mysteriis initiantur, *cap. 9.* ait: *Ipse clamat Dominus Jesus*: Hoc est corpus meum: *Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis* Amen. *Hoc est; verum est*: L. etiam 4. de Sacr. cap. 5. *Inde* (inquit) *verba sunt Christi*: Accipite, & bibite ex eo omnes: Hic est enim sanguis meus... *Et ante verba Christi calix est vini, & aqua plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit*.

Item dicit Auctor *Serm. de Cœna Domini* apud S. Cyprianum. S. Gaudentius, *Tract. de Exodo*. Si igitur per hæc verba: *Hic est sanguis meus*, ponitur Christi sanguis in Eucharistia; ergo hæc sola ad essentiam consecrationis sufficiunt.

V. Secundo. Evangelistæ omnia verba, quæ sunt de essentia consecrationis, expresserunt: at expresserunt quidem omnes priora verba, non autem omnia cætera, quæ modo proferimus, ut legenti apud *Matth. c. 26. v. 22. Marcum, cap. 14. v. 24. Lucam, cap. 22. v. 20.* constabit; ergo &c. Similiter Græci valide consecrant calicem, nec tamen omnia recitant quæ nos, ut patet ex Missa Chrysostomi, quam exhibet Goarius noster; omittunt enim ly *Æterni*, & *Mysterium fidei*. Immo in liturgiis Maronitarum, asserente Cardinale de Lugo, non habentur, nisi hæc verba: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*.

VI. Nec valet dicere Christum non omnia verba sigillatim, & in specie determinasse; sed aliqua judicio Ecclesiæ determinanda reliquisse, ideoque verba, quæ in una Ecclesia necessaria non sunt ad essentiam, in alia esse necessaria — Non inquam. Nam etsi hoc probabile judicaverimus (*Tract. de Sacr. in Gen.*) in aliquibus sacramentis, quorum materiam, aut formam Christus non expressit: in Eucharistia tamen, cujus materiam, & formam Christus adeo aperte declaravit, sicut & in Baptismo, nihil quoad essentiam pertinens Ecclesiæ determinandum reliquisse credendum est. Immo de facto Ecclesia nunquam determinavit, omnia verba, quæ in consecratione calicis proferuntur, esse de essentia.

VII. Verum quia contrariæ opinionis Patroni pro se habere gloriantur S. Thomam, probanda est assertio ex eodem sic. Illa sola verba sunt de essentia consecrationis calicis, per quæ efficitur conversio vini in sanguinem sicut ea sola sunt de essentia consecrationis panis, per quæ efficitur conversio panis in corpus Christi: sed per sola priora verba efficitur conversio vini in sanguinem; ergo &c. Min. prob. Per illa sola verba efficitur conversio, per quæ conversio significatur; quia sacramenta id efficiunt, quod significant: sed per sola priora verba *Significatur ipsa conversio vini in sanguinem* (inquit S. Thom. 3. p. q. 78. art. 3.) *eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi Passione, qua operatur in hoc sacramento*; ergo &c.

VIII. Secunda etiam pars, quod verba posteriora pertineant ad integritatem locutionis, seu formæ; ad eum scilicet modum, quo digiti, esto non pertineant ad essentiam hominis, pertinent tamen ad ejus integritatem etiam substantialem, probatur ex eodem S. Thoma, *art. 3. citato*. Ubi rejiciens eos, qui dicebant, verba sequentia non esse de substantia formæ, idest prorsus accidentaria, eo modo, quo ista: *Hæc quotiescumque feceritis &c.* quæ pertinent ad usum, ait: *Sed hoc videtur inconveniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, idest, sanguinis Christi: unde pertinent ad* integritatem *locutionis*.

IX. Ratio autem, quare verba, quæ sequuntur conversionem, debeant esse de integritate formæ consecrativæ sanguinis, non autem verba hæc: *Quod pro vobis tradetur*, quæ sequuntur conversionem panis in corpus; traditur a S. Thom. *art. 3.* laudato, *ad 2.* Quia, nimirum; *Sanguis seorsim consecratus expresse Passionem Christi repræsentat, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu Passionis, quam in consecratione corporis, quod est Passionis subjectum*. Et consequenter effusio sanguinis debet pertinere ad integritatem consecrationis calicis; non autem traditio corporis ad integritatem consecrationis corporis. Immolatio enim non statim intelligitur, intellecto subjecto, seu victima, sed secuta effusione, & separatione sanguinis. Unde exprimi debet, quod *Fundetur*. Et in 4. *dist. 8. qu. 2. art. 2. qu. 1. ad 2.* ait: *In consecratione corporis Christi non repræsentatur, nisi Passionis substantia: sed in consecratione sanguinis repræsentatur Passionis mysterium*.

§. III.

Argumenta Contraria.

X. Objicies primo. Si verba, quæ in consecratione calicis subsequuntur ista: *Hic est calix sanguinis mei*, non sunt essentialia; cur eorum prolatio Sacerdotibus injuncta fuit? Cur si Sacerdos aliquod ex illis omittat, vult Ecclesia totam consecrationem esse ex integro repetendam? Cur omnia eodem ritu, ac modo a consecrante proferuntur; iisdemque characteribus majoribus, quibus & verba priora, scripta sunt? Cur Sanctus Pius V. ex Cajetani commentariis deleri jussit eam partem, quæ stabat pro sententia asserente consecrari his solis verbis: *Hic est calix sanguinis mei*.

XI. Ad

XI. Ad ſingulas haſce interrogationes reſpondeo. Eccleſiam primo præcipere, ut omnia proferantur, ſicut Sacerdotem abſolventem jubet, ut recitet hæc verba: *Abſolvo te a peccatis tuis;* cum tamen hæc ultima de eſſentia non ſint. Jubet etiam omnia verba Canonis recitari, quæ tamen de eſſentia conſecrationis non ſunt —— Ratio autem quare ſi Sacerdos unum ex illis omittat, præcipiatur totam repetere conſecrationem, non eſt; quia Eccleſia cenſeat, omnia ad eſſentialia ſpectare: ſed quia cum de hoc quæſtio ſit, & in concernentibus valorem ſacramentorum tutiorem partem tenendam eſſe doceat in praxi: ad majorem cautelam, & ſecuritatem omnia vult repeti, ut nulli dubium ſupereſſe poſſit de validitate conſecrationis —— Ex quo autem omnia eadem methodo, & eodem ritu proferri velit, non evincitur, omnia æqualiter ad ſubſtantiam conſecrationis requiri, nam hæc verba: *Quod pro vobis fundituꝛ*, uno tenore proferuntur a Sacerdotibus Græcis; quæ tamen nec apud ipſos neceſſaria ſunt neceſſitate ſacramenti ad conſecrationem panis. Vult ergo Eccleſia, omnia illa verba eadem methodo, ac ritu proferri, nec non eiſdem characteribus ſcribi; quia pertinent ad integritatem illius locutionis, & ſunt determinationes ſanguinis, ut eſt in hoc ſacramento; de ſubſtantia integrali conſecrationis ſunt, ac requiruntur, ut conſecratio integra ſit, & completa.

Cauſa autem, quare S. Pius V. expungendam voluit ex Commentariis Cajetani ſententiam aſſerentem, hæc verba: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, eſſe ſola de eſſentia conſecrationis, non fuit, quia S. Pius eam opinionem reprobaverit: nam eam multi poſtea docuerunt, & adhuc docent, quos tamen eam docere Eccleſia nec vetuit, nec vetat, Multiplex ergo potuit eſſe cauſa eam ex Cajetani Commentariis expungendi; nimirum: vel quia Cajetanus eam tuebatur, tamquam contrariam Sancto Thomæ. Vel quia de iis, quæ Sanct. Thomas ſcripſerat in eo articulo, quem Cajetanus impugnat, non ſatis honorifice, ut decebat Commentatorem, locutus fuiſſet. Nam, ut legitur in editione S. Pio antiquiore, ibi audet dicere Cajetanus: quod *Etſi S. Thomæ intentio contraria ſit, non eſt curandum.* Vel quia (ut ibi obſervavi) ſuam ſententiam non tamquam opinionem aſſerit, ſed ut omnino certam. Ait enim ibi ad art. 1. *Licet Scotus cum multis aliis dubitet, mihi tamen nulla apparet dubitandi ratio probabilis; ſed indubie ſentiendum eſt, ut diximus.* Quibus ſententiam contrariam tamquam improbabilem rejiciens, cenſura expunctionis notari meruit Cajetanus.

XII. Secundo objicies. Ratio Sacrificii debet neceſſario exprimi in verbis, quibus Euchariſtia conficitur, quæ eſſentialiter Sacrificium eſt, ergo exprimatur oportet ſanguinis effuſio, in qua Sacrificii ratio conſiſtit: atqui, ſi omittuntur hæc verba: *Qui pro vobis effundetur*, ſanguinis Chriſti effuſio in ritu Euchariſtico non exprimitur; ergo &c.

XIII. Reſpondeo primo, non eſſe adeo certum, Euchariſtiam conſecrari non poſſe, quin celebretur Sacrificium. Theologos enim non ignobiles reperire eſt qui velint, ad eſſentiam Euchariſtiæ non pertinere conſecrare ſub utraque ſpecie, & conſecrationem ſub una tantum ſpecie valere; quamvis in una tantum ſpecie Sacrificium non exprimatur —— Reſpondeo ſecundo, rationem Sacrificii, ſeu effuſionis Sanguinis Chriſti, etſi non exprimatur verbo, exprimi tamen facto, dum vinum ſeorſim a pane conſecratur. Hoc enim ritu ſignificatur ſanguis Chriſti myſtice ſeparatus a corpore, & conſequenter effuſus; cum ex vi converſionis vini ſolus ſanguis ponatur.

XIV. Tertio objicies. S. Thomas cenſuit, omnia verba, quæ a Latinis proferuntur, eſſe de eſſentia. Nam hic *q. 78. art. 3.* Primo, confutat opinionem, quæ aſſerit, non ſpectare ad eſſentiam. Secundo: dicit, omnia verba, quæ in conſecratione calicis recitantur, eſſe de ſubſtantia formæ; quoties autem agit de eſſentia ſacramenti, pro eodem accipit ſubſtantiam, & eſſentiam, ut patet *3. part. quæſt. 60. art. 8.*... Tertio: dicit, quod verba, quæ ſequuntur: *Sunt eſſentialia ſanguini, prout in hoc ſacramento conſecratur*, ut in *4. diſt. 8. q. 2. art. 2. q. 1. ad 3.* At quæ ſunt eſſentialia ſanguini, ut in hoc ſacramento conſecratur, ſunt de eſſentia formæ, qua fit talis conſecratio; ergo &c.

XV. Reſpondeo, nego ant. Ad primam, & ſecundam prob. dico, aliud eſſe, aliquid eſſe de ſubſtantia rei, aliud eſſe de eſſentia illius.

Poteſt enim aliquid eſſe de ſubſtantia, quin pertineat ad eſſentiam, ſed ſolum ad ſubſtantialem rei integritatem. Sic ſatisfactio eſt pars ſubſtantialis pœnitentiæ, non tamen eſſentialis, ſed integralis. Sic naſus, digitus, ſunt de ſubſtantia hominis, non tamen de ejus eſſentia; quia homo ſine naſo, aut ſine digito eſt eſſentialiter homo, licet non ſit homo integer, & perfectus. Sic in forma abſolutionis hæc verba *A peccatis tuis* cenſentur eſſe de ſubſtantia, ſed non eſſentia; cum ſine illis vera ſit abſolutio, eſto non integra. Licet ergo Sanct. Thomas aliquando nomen *Subſtantiæ* uſurpaverit pro eodem, ac *Eſſentia;* attamen hic cum dicit, verba illa *Novi, & æterni*, & ſequentia, quæ in conſecratione calicis proferuntur, eſſe *De ſubſtantia formæ*, nomine ſubſtantiæ intelligit non eſſentiam, ſed ſolum integritatem. Et hoc colligo, tum ex verbis, tum ex ratione illius. Ex verbis quidem: quia in hoc *art. 3.* dicit: *Verba, quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationis prædicati, ideſt, Sanguinis Chriſti. Unde pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis.* Ex ratione etiam: quia dicit, quod ſolum per priora verba ſignificatur converſio vini in ſanguinem, non vero per ſequentia. Verba autem, quæ non ſignificant eſſentiam ſacramenti, eſto de integritate ſint, non ſunt de eſſentia. Patet etiam ex intento Sanct. Doctoris, quod erat confutare eos, qui dicebant, priora verba ita eſſe de ſubſtantia conſecrationis, ut ſequentia eſſent illi omnino accidentaria, non magis pertinere ad locutionem illa, quam iſta: *Hæc quotieſcumque feceritis*, quæ conſecrationi extranea ſunt. Ad hoc autem ſatis erat oſtendere verba ſequentia eſſe de ſubſtantia, ideſt, non extranea, ſed ad integritatem locutionis pertinentia.

Ad tertiam diſt. min. Quæ ſunt eſſentialia ſanguini, ut ſanguis ſit abſolute in hoc ſacramento, ſunt etiam &c. conc. minor. Sanguini, quantum ad expreſſionem virtutis ejus, vel ſanguini, reduplicative ut effuſo, ſunt &c. nego minor. Illa ergo verba: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, dicuntur a S. Thoma eſſentialia ſanguini, non ut abſolute vinum convertatur in ſanguinem, & ſanguis ſit in hoc ſacramento (oppoſitum enim ex eodem oſtendi) ſed ſanguini, ut exprimatur virtus Paſſionis Chriſti, quæ operatur in hoc ſacramento; ſeu, ut explicite ſanguinis, ut effuſi, memoria celebretur. Quod apparet ex S. Thomæ vocibus: non enim dicit, verba, de quibus agitur, eſſe conſecrando calici ſimpliciter neceſſaria, ſed neceſſaria ſanguini, prout conſecratur, ſeu prout exprimitur, ut effuſus, & ſeparatus. Hæc autem expreſſio videtur quidem ſpectare ad integritatem conſecrationis, & locutionis, non vero ad eſſentiam ejus.

XVI. Dices primo. Sicut eſſe expreſſivum virtutis Paſſionis Chriſti eſt de ſubſtantia ſanguinis, ut conſecrati; ita eſſe expreſſivum Trinitatis eſt de ſubſtantia Baptiſmi: ſed expreſſio Trinitatis eſt eſſentialis formæ Baptiſmi, non ſolum integralis; ergo expreſſio virtutis Paſſionis Chriſti eſt eſſentialis formæ conſecrationis.

Confirm. S. Thomas in *4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. ad 8.* idem dicendum aſſerit de ſubtractione, vel additione verborum, quæ in conſecratione calicis proferuntur; ac dicitur de forma Baptiſmi: at verbis, quæ in forma Baptiſmi proferuntur, nulla poteſt fieri additio, aut ſubtractio, quin eſſentia formæ tollatur; ergo ſic in caſu &c.

XVII. Reſpondeo, nego abſolute major. Nam per illa verba: *Ego te baptizo*, niſi addatur expreſſio Trinitatis, non ſignificatur ablutio ſpiritualis. At per ſola iſta verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificatur converſio vini in ſanguinem, ut aſſerit S. Thom. & ideo iſta ſola ſufficiunt ad eſſentiam conſecrationis, non autem illa ad eſſentiam Baptiſmi. Addo: quod expreſſio Trinitatis eſt expreſſio ejus, in cujus nomine confertur Baptiſmus; ideoque illi eſt eſſentialis. At expreſſio effuſionis ſanguinis eſt expreſſio effectus operati a ſanguine, Chriſti expreſſio autem effectus, non eſt de eſſentia cauſæ, licet ſit de ejus ſubſtantia. Sicut enim, quia aqua apponitur vino in calice; ut ſolum exprimat unionem fidelium cum Chriſto, quæ eſt effectus, non autem aliquid ad eſſentiam materiæ pertinens; habetur materia calicis, etſi non apponatur aqua: ita proportionaliter in caſu.

XVIII. Ad Confirm. dico S. Thom. ibi velle, eodem modo dicendum de ſubtractione, aut additione in forma calicis, ac in forma Baptiſmi: cum autem tollatur veritas Baptiſmi ſolum ex ſubtractione alicujus, quod ſit de eſſentia formæ; ita veritas conſecrationis tollitur ſolum per ſubtractionem alicujus, quod ſit de eſſentia. Verba autem, quæ ſequuntur, eſto ſint de neceſſitate formæ ad ejus integritatem, non ſunt tamen de neceſſitate ad ejus eſſentiam. Hæc probabiliter dicta ſufficiant.

QUÆSTIO III.

De Re Contenta in Euchariſtia.

RES in Euchariſtia contenta Chriſtus eſt, ſeu Chriſti corpus, & ſanguis. Hoc enim perſpicue docuit, ac ſanxit Tridentinum, *Seſſ. 13. c. 1.* & oppoſitum ſub anathemate proſcripſit eadem *Seſſione*, *Can. 1.* Verum quia circa hoc errarunt multi, & maxime circa modum, quo Chriſtus ſit in hoc ſacramento; ad hujus catholicæ veritatis declarationem præſens inſtituitur quæſtio: in qua exiſtentiam realem corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia firmabimus; modum talis præſentiæ exponemus, ea, quæ ejus præſentiam conſequuntur, & tandem accidentia, quæ illam in ſacramento comitantur.

DUBIUM I.

An Chriſtus ſit Corporaliter Præſens in Euchariſtia?

§. I.

Referuntur Errores.

I. SAnctus Thomas *3. p. q. 75. art. 1.* ait verum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe in hoc ſacramento; neque ſenſu, neque intellectu naturali lumine deprehendi poteſt, ſed ſola fide, quæ divinæ auctoritati innititur. Unde ſuper illud, Lucæ 22. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, dicit Cyrillus: *Non dubites, an hoc verum ſit; ſed potius ſuſcipe verba Salvatoris in fide: cum enim ſit veritas, non mentitur.* Conveniens autem hoc fuiſſe, oſtendit S. Thom. ibi. Primo, ex perfectione novæ legis. Nam ſi Sacrificia veteris legis illud verum Sacrificium Paſſionis Chriſti continebant ſolum in figura; oportuit, ut aliquid plus haberet Sacrificium novæ legis a Chriſto inſtitutum: ſcilicet, ut contineret ipſum Chriſtum paſſum, non ſolum in ſignificatione, & figura, ſed etiam in rei veritate. — Secundo: ex charitate Chriſti. Cum enim ex amore erga nos corpus verum noſtræ naturæ aſſumpſerit, & amicitiæ proprium ſit convivere amicis ſecundum præſentiam corporalem: ideo hanc, quam viſibilem exhibuit, dum cum hominibus converſaretur, decuit, ut relinqueret occultatam in hoc ſacramento — Tertio: ex perfectione fidei. Quia ſicut divinitatem ſuam Chriſtus exhibet nobis inviſibiliter: ita & in hoc ſacramento carnem ſuam exhiberet inviſibili modo.

II. Ab hac tamen fide multi receſſerunt. Sæculo enim primo Simon Magus, & Menander ejus diſcipulus negarunt, Chriſtum in Euchariſtia corporaliter eſſe præſentem: *Euchariſtias, & oblationes non admittunt* (inquit Ignatius, Epiſt. ad Smyrnenſes apud Theodoretum) *quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Is autem error ex alio procedebat, quo putabant, Verbum, non veram, ſed phantaſticam carnem aſſumpſiſſe. Ex quo arguere licet, in hoc errore Phantaſiaſtas omnes fuiſſe.

III. Ex iis autem, qui verum Chriſto corpus tribuerunt (omiſſis aliis minoris notæ) Iconomachi octavo ſæculo corporalem Chriſti in Euchariſtia præſentiam negaſſe viſi ſunt; cum in Conciliabulo Conſtantinopol. (quod ſeptimæ Synodi titulo donarunt) contra ſacras Imagines coacto, *anno 754.* de Euchariſtia dixerunt; *Imaginem materiam præcipuam, ideſt, panis ſubſtantiam* (Chriſtus) *præcepit offerri*. Quos proinde Nicæni II. Patres confutarunt — Non deſunt tamen, qui ab hoc nævo Iconomachos liberare conentur. Nam Iconomachi, qui deteſtabantur cultum rerum, quæ puræ imagines eſſent; cum non deteſtarentur, ſed magis exhibendum cenſerent cultum Euchariſtiæ, tamquam veræ (non falſæ, ut cenſebant alias) imaginis carnis Chriſti; arbitrantur, eos cenſuiſſe veram Chriſti carnem, non ſolam repræſentationem carnis Euchariſtiam continere. — Reprehenduntur autem a Concilio Nicæno II. non de ſententia, quam tenebant, ſed de modo duntaxat loquendi, & de novitate illius vocis *Figura* & *Imaginis*; qua nemo uſque ad illa tempora loquens de Euchariſtia uſus fuerat.

IV. Sæculo autem nono Joannes Scotus (non ille vulgo dictus Doctor Subtilis) Erigena nuncupatus, male de Euchariſtia ſenſiſſe viſus eſt, ejuſque veritatem obſcuraſſe. Ita Patres Concilii Vercellenſis, habiti *anno 1050.* in cauſa Berengarii, cenſuerunt; dum librum Scoti Erigenæ de corpore, & ſanguine Chriſti, tamquam veritatem Euchariſtiæ tollentem, damnarunt.

V. Sæculo XI. *anno 1035.* Berengarius Archidiaconus Andegavenſis, vir ſufficienter quidem humanioribus litteris, ſed divinis parum inſtructus, annuente Brunone ejuſdem urbis Epiſcopo, evulgavit, Euchariſtiam merum eſſe corporis Chriſti ſignum, negans verum Chriſti corpus in ea ſubſtantialiter contineri; volens Euchariſtiam dici corpus Chriſti, ſicut Crucifixus in ligno ſculptus dicitur Chriſtus. Hunc errorem ipſemet teſtatus eſt, in *Epiſtola ad Lanfranchum*, ſe a Scoto Erigena Caroli Magni Præceptore habuiſſe. Unde Erigena primus hujus erroris præformator cenſendus eſt; licet primus, qui eum contentioſe in Eccleſiam invexit, fuerit Berengarius.

His permotus Leo IX. primo in Concilio Romano, deinde in Vercellenſi, cui ipſe præſens fuit, Berengarii hæreſim damnavit, quæ damnatio in Concilio Turonenſi ſub Victore II. repetita fuit: in quo apparenter correctus Berengarius clementer ſuſceptus eſt. Sed in errorem ſuum relapſus, in Concilio Romano ſub Nicolao II. *anno 1059.* iterum ejuravit, ac formam, cui ſubſcriberet, poſtulavit, cui ſubſcripſit, incipitque: *Ego Berengarius &c.* ut refert Lanfrancus, & habetur: *de Conſecrat. diſt. 2.* Libere dimiſſus Berengarius, tantum abfuit, ut promiſſis ſteterit; quin potius in alium errorem declinavit, aſſerens: in Euchariſtia ſimul cum corpore & ſanguine Chriſti remanere ſubſtantiam panis & vini; quem errorem, ut dicemus, Lutherus poſtea renovavit. Vocatus Romam a Gregorio VII. Berengarius, *anno 1079.* tunc octogenarius, adfuit. Ibi in Concilio contra ipſum coacto utrumque errorem deteſtatus fuit: atque in fide Catholica ad obitum uſque permanſit. Dogma contra hæreſim præfatam ſanxerunt Concilia, Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. Viennenſe ſub Clemente V. & refertur in Clementina unica, de Reliq. & venerat. Sanctorum.

VI. Subſequentibus annis præfatum errorem quidam excitare conati ſunt. Anno ſcilicet 1126. Petrus de Buis, unde Petrobuſiani. Circa *anno 1146.* Henricus quidam, Monachus olim, deinde vilis Apoſtata, qui Tholoſanis Petrobuſianorum errorem propinavit. Petrus deinde Waldo, a quo Waldenſes, eidem patrocinatus ab aliquibus creditur; quamvis alii autument, eum ſolum contempſiſſe Euchariſtiam, quam mali Sacerdotes conſecraſſent, ut olim Donatiſtæ.

VII. Quarto decimo ſæculo, *anno 1359.* eandem hæreſim publicare cœpit Joann. Wicleffus, natione Anglus, profeſſione Presbyter, officio Parochus. Is inter 45. propoſitiones, quas Concilium Conſtantienſe in ejus ſcriptis, *anno 1414.* damnavit, hanc habet, ordine tertiam: *Chriſtus in hoc ſacramento non eſt realiter, & in propria præſentia.*

VIII. Quamvis autem Catholicam veritatem iterum definierit, *Seſſ. 8.* Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis; anno tamen 1524. Carolus Carloſtadius Archidiaconus Wittembergenſis, & Huldricus Zuinglius hunc errorem profeſſi ſunt. Zuinglium ſecuti poſtea fuere Œcolampadius, Bullingerus, Ochinos, Petrus Martyr, & Bucerus.

IX. In Calvino tandem, ejuſque gregalibus quievit, & adhuc quieſcit exitialis hæc peſtis. Is Joannes nomine, Gerardi Chaurini viri Catholici filius, natione Picardus, patria Noviodunenſis, Pariſii imbutus litteris, reverſus in Patriam Ordines, ac beneficium Eccleſiaſticum a ſuo Epiſcopo conſecutus fuit. Verum diſſolutis ſuæ gentis moribus depravatus, exulare coactus, inter hæreticos celeberrimus poſt Lutherum evaſit, *anno* ſcilicet 1554. Suiſque erroribus plures, tum Sabaudiæ partes, tum Galliæ Provincias infecit; inter quos hic palmaris eſt: quod Chriſtus non ſit in hoc ſacramento per præſentiam realem, ſed tantum per quamdam vim, & energiam; & carnem Chriſti in ſacramento non manducari, niſi per fidem: ut legere eſt, *lib. 4. Inſtit. cap. 17.* per totum. In hunc errorem conſentiunt Anabaptiſtæ, Sociniani, aliæque ſectæ, quæ hiſce temporibus Eccleſiam Chriſti contaminant: quæ omnes veram, ac realem corporis, & ſanguinis in Euchariſtia præſentiam negant, ſolam tropicam, & figurativam admittentes.

X. Veram tamen, & realem corporis, & ſanguinis Chriſti præſentiam veneratur, & ſemper venerata eſt Eccleſia univerſalis tam Occidentalis, ſeu Latina, quæ ultimo eam profeſſa eſt in Tridentino, *Seſſ. 13.* quam etiam Orientalis, ſeu Græca, quæ a ſui initio ad hæc uſque noſtra tempora pari conſenſu, & continua traditione hoc dogma ſuſcepit. Utriuſque Eccleſiæ perpetuam conſentionem fuſe demonſtrat Juvenin comment. hiſt. dogm. de Sacram. Euchar. *q. 4. c. 1. art. 5.* & Leo Allatius de perpetuo conſenſu Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis, *lib. 3. c. 11.* Quam veritatem in Eccleſia Græca eſto ſchiſmatica adhuc perſeveranter retineri, teſtatur Synodus Jeroſolymitana, *anno 1672.* habita (*cap. 17.*) adverſus Calviniſtas.

Cum ergo hoc unum ſit ex præcipuis fidei noſtræ Myſteriis, adeoque Chriſtianis viris ſcitu neceſſarium, ut juxta ſaniores Theologos, neque viri ruſtici, ac idiotæ ab ejus explicita fide diſpenſentur. Cum enim omnes etiam rudes teneantur Miſſam audire, Euchariſtiam adorare, & ſumere; ſcire debent, quod Chriſtum in Euchariſtia adorant, & ſumunt, & quod ibi eſt realiter præſens. Quare grave non ſit, ut præter ea, quæ in *Vera Eccleſia tom. 2. part. 2. artic. 12.* contra Piceninum Calviniſtam pro hac veritate diximus, huc etiam ſtilo aliquatenus fuſiori eam ſtatuamus.

§. II.

Vera, ac Realis Chriſti Præſentia in Euchariſtia ex Scripturis, in quibus Euchariſtia promittitur.

XI. DIco primo. Vera, & realis corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentia demonſtratur ex verbis, quibus a Chriſto, ante ejus inſtitutionem, promiſſa eſt. Chriſtus enim, *Joann. 6.* Euchariſtiam pollicitus eſt his verbis: *Ego ſum panis vivus, qui de Cælo deſcendi: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* — Quia tamen Calviniſtæ reſpondent: Chriſtum vel vocare carnem ſuam factam panem per Incarnationem, quæ manducata per fidem Paſſionis, & mortis ejus eſt mundi vita: non vero de manducatione Euchariſtica: vel ſi de hac loquatur, dicunt, Chriſtum vocaſſe panem carnem ſuam tropice, & figurative, non realiter, & vere: ideo.

XII. Probo, Chriſtum ibi non loqui de Incarnatione. Primo: nam panis, quem Chriſtus ibi promittebat, præſens non erat, ſed futurus: *Panis* (inquit) *quem ego dabo*: Incarnatio autem non erat futura, ſed jam peracta, & præſens. Fidem etiam in ipſum non erat daturus, ſed etiam

etiam tunc dabat; tunc enim multi in eum credebant, & per fidem eum manducabant —— Secundo: Christus ibi distinguit inter panem, qui est donum Patris, & qui est donum suum. Nam de Patre dicit de præsenti: *Pater meus dat vobis panem de Cælo verum*. De se autem, seu de dono suo dicit de futuro: *Panis quem ego dabo*. Licet ergo donum Patris, quod a Christo pronuntiatur ut præsens, sit Filius incarnatus manducandus per fidem; donum tamen Filii, quod de futuro promittit, quid aliud esse poterat, quam panis Eucharisticus sacramentaliter manducandus? Tertio: Christus ibi distinguit carnem a sanguine: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem .... Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*. Si autem locutus fuisset de pura manducatione spirituali per fidem Incarnationis, & mortis; quid faceret repetita distinctio carnis a sanguine, actus manducationis carnis, ab actu potionis sanguinis? Facit quidem ad Eucharistiam. Nam si conferantur hæc cum verbis, quæ Christus dixit in Cœna; videbimus in Cœna impletum, quod hic exhibetur promissum. Videbimus ibi carnem suam traditam ad comedendum: *Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum*. Videbimus sanguinem suum traditum ad bibendum: *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus*. —— Accedit: quod cum S. Joannes de institutione Eucharistiæ non sit locutus, par est credere, id quod *c. 6.* dicit de usu carnis Christi, & potu sanguinis ad Eucharistiæ promissionem, quam cæteri Evangelistæ prætermiserant, retulisse: quis enim credat, Joannem de tanto sacramento nullum verbum fecisse?

Verba ergo præfata de perceptione corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia intellexerunt Concilia: Ephesinum *in sua ad Nestorium Epist.* Nicænum II. *a. 6.* Tridentinum, *Sess. 13. cap. 2.* Patres etiam: Cyprianus, *lib. de Orat. Dominica*. Cyrillus Jerof. *Catechef. Mystag. 4.* Ambrosius, *lib. de initiandis, c. 8.* Chrysost. *Homil. 45. in Joan.* & alii.

XII. Probo secundo. Christum ibi promisisse carnem suam dandam in cibum, & sanguinem suum in potum, realiter, & non mere tropice, & figurative. Primo sic. Christus ibi panem, quem se daturum promittit, comparat cum Manna, quo Judæi cibati fuerant in deserto, illum isti anteponens: at si panis Eucharisticus esset caro Christi solum figurate, & tropice, nil excellentius promisisset: nam etiam veteres justi, qui in fide Christi venturi manna manducabant, carnem ejus, & sanguinem figurate comedebant; ergo &c. —— Rursus: Judæi poscebant a Christo miraculum, ei objicientes manna, quod Patribus eorum pluerat in deserto; Christus autem respondet, se daturum eis panem de Cælo: sed panis figurate solum exhibens Corpus Christi, nec esset magnum miraculum, immo minus, quam manna, quod omnem saporem reddebat gustui; nec esset id, quod ipsi petebant: postulabant enim id, quod nondum habuerant; carnem autem Christi tropice, & figurate jam habuerant —— Promisit ergo Christus, se daturum suam carnem vere in cibum, & sanguinem vere in potum: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Sed quod est cibus tantum spiritualis, & tropice, non est vere cibus; nam sicut anima non habet os, & guttur, nisi metaphorice; ita nisi metaphorice cibo vescitur; ergo &c.

XIV. Probo insuper, & efficaciter. Prælaudata Christi verba grave murmur in Judæis excitarunt: *Litigabant ergo Judæi ad invicem: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Dubium autem, & murmur non excitasset Judæa de danda carne tropice solum, ac metaphorice —— Rursus: hoc Judæorum dubium Christus non correxit, immo adhibito etiam juramento dicta confirmavit, *Amen amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Christus autem, qui veritatis testis advenerat, non debuisset illos in hoc errore confirmare, sed potius corrigere; asserendo, se non loqui de manducatione per os, sed per fidem, & signum. Immo, cum quidam etiam ex discipulis offensi dicerent: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Tantum abfuit, ut jam dicta emolliret, subjiciens, se in figurato sensu loqui; quin potius futuræ suæ Ascensionis miraculo confirmarit dicens: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* Et cum propter hæc multi ex Discipulis abirent; nihil de hoc sollicitus, conversus ad eos, qui remanserant: *Numquid*, ait, *& vos vultis abire?* Cum ergo potuisset abeuntes unico verbo revocare, dicens, se loqui de manducatione spirituali per fidem, vel tantum figurativa suæ carnis, & non fecerit; signum est, quod mens Christi erat loqui de reali manducatione suæ carnis in Eucharistia.

His maximum accedit robur, quod quoties Christus locutus est in parabolis, & ex illis male intellectis aliqua oriebatur ambages, aut dubitatio; statim eam tollere fuit sollicitus, veram, & propriam sui dicti significationem exponens. Sic cum Christi dictum, Joan. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, difficile videretur Nicodemo: qui falso putavit hominem debere in ventrem matris iterum introire, & inde renasci: statim ei exposuit mysterium declarans, hanc nativitatem non esse faciendam ex ventre matris, sed ex aqua, & Spiritu Sancto. Rursus: cum parabolam seminantis quam *Matthæi 13.* proposuerat, Discipuli non percepissent, rogantibus eis copiose explicavit: quod ibidem præstitit etiam de parabola Zizaniorum. Quod si in his, & similibus præstitit, quis credat ipsum id facere omissurum in hac re gravissima; si sensus verborum Christi alius fuisset ab eo, quem litteraliter sonabat?

§. III.

Objectiones contra prædicta.

XV. Objiciunt primo. Christus non omisit, ad tollendum murmur exponere se locutum fuisse de manducatione suæ carnis, non reali, sed spirituali tantum. Nam, *Joan. 6.* citato, videns, quod discipuli murmurarunt, subjunxit, v. 64. *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam; Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*. Quasi diceret: caro realiter sumpta inutilis est ad vitam spiritualem; ac proinde carnem spiritualiter debuistis intelligere, non carnaliter. Carnem enim meam vero manducare possunt canes, & mures, immo & homines impii; iis tamen non prodest, quia eam spiritu non manducant.

Hoc confirmant auctoritate S. August. *Enarrat. in Ps. 98.* ubi exponens hæc verba: *Spiritus est, qui vivificat*, inducit Christum loquentem sic: *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus est, & vita. Spiritualiter intelligite, quod locutus sum: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis; & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendabit, spiritualiter intellectum vivificabit vos; etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi*.

Si ergo ad Eucharistiam accedentes non manducant corpus, quod subjacebat oculis, nec bibunt sanguinem, quem fusuri erant: non est ibi corporaliter, ac realiter Christi corpus, & sanguis, sed spiritualiter solum, nimirum, ut apprehensa per fidem in illo pane, & vino, tamquam typis, & figuris suæ carnis, & sanguinis.

XVI. Hoc est unum ex potissimis Calvinistarum momentis; quod tamen in illos retorqueri potest sic. Si caro non prodest quidquam; ergo inutiliter Verbum caro factum est; ergo Christus veram carnem non assumpsit, ut Manichæi volebant, & incarnatio spiritualiter accipienda est. Si hoc Calvinistæ non concedent, dicant, quod sicut caro Christi in Cruce nos redemit; ita caro Christi realiter in Cœna existens nos sanctificat.

XVII. Respondeo primo, dist. ant. Caro non prodest quidquam, ut intelligebant Capharnaitæ, idest, caro carnaliter sumpta, ut sensu percipitur, conc. ant. Caro sacramentaliter, & ut fide percepta, quo sensu Christus eam proponebat, nego ant. Responsio est S. Augustini *Tract. 27. in Joan.* his verbis: *Quid est ergo non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam: sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur; non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est:* Caro non prodest quidquam, *quomodo dictum est:* Scientia inflat. *Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est:* Scientia inflat? *Sola, sine charitate; ideo adjunxit:* Charitas vero ædificat ... *Sic etiam nunc: caro non prodest quidquam: caro, accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis* ... Spiritus ergo est, qui vivificat, caro non prodest quidquam, *sicut illi intellexerunt carnem: non sic ego do ad manducandum carnem meam*, Ita S. Augustinus.

XVIII. Responderi potest secundo dist. aliter ant. Caro sumpta pro sensu, aut cognitione carnali, non prodest quidquam, conc. ant. Sumpta pro carne Christi, nego anteced. Sensus ergo verborum Christi est: caro, ideſt, carnalis intelligentia eorum, quæ dixi, nihil prodest, sed solum intelligentia per fidem: & quia vos adhuc carnales, hæc carnaliter, & cognitione sensuali intelligitis, ideo murmuratis. Porro nomine carnis usurpatæ a Christo carnalem cognitionem ipse testantur, Tum, *Matth. 16. v. 17.* dicens: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi*. Tum Joan. 3. v. 6. *Quod natum est ex carne, caro est*: ubi nomine carnis cognitionem carnalem intelligit.

XIX. Ad Confirm. nego id, quod infertur. Christus enim illa verba protulit, ut corrigeret falsam imaginationem Capharnaitarum; quæ non erat circa realem præsentiam corporis; & sanguinis ejus, sed solum circa usum, & manducationem, & proinde improbat non realem sui corporis existentiam in sacramento, sed solum modum eam manducandi, quod ipsi imaginabantur: nempe, quo aliæ carnes more communi, eas nempe, dentibus atterendo, comeduntur. Unde dicebant: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Quibus, ait, nomine Christi, Augustinus: *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum*. Spiritualiter dabo carnem meam, & sub sacramento, id est invisibiliter, & sub aliena specie, si eam digne cum fide, & dilectione manducaveritis, vivificabit vos.

Nec obest, quod Augustinus dicat: *Non hoc corpus, quod*

videtis, manducaturi eſtis &c. —— Nam, ut ait S. Thom. *3. p. qu. 75. art. 1. ad 1.* Auguſtinus *Non intendit excludere veritatem corporis Chriſti; ſed quod non erat manducandum in hac ſpecie, in qua ab eis videbatur.* Neque hoc audet impugnare Calvinus. Nam *l. 4. Inſtit. c. 17. §. 34.* poſt relata eadem Auguſtini verba, ait: *Negare certe noluit, quin idem corpus, quod in Sacrificium Chriſtus obtulit, in cœna porrigatur; ſed manducationis modum notavit.* Idem autem, ſed ſub diverſo modo, ac ſtatu poteſt dici: *Hoc, & non hoc, idem, & non idem:* idem quoad ſubſtantiam, non idem quoad modum, & ſtatum. Sic corpus in reſurrectione erit idem, ac modo, & non idem: idem, quia erit verum corpus: non idem, quia non reſurget mortale, ut modo, ſed ſpiritale, dicente Apoſtolo 1. Cor. 15. verſ. 44. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Quæ verba exponens Sanct. Auguſtin. *leg. contra Adimantum, cap. 12.* cum dixiſſet: Cum induerit incorruptionem, & immortalitatem, jam *non caro, & ſanguis erit*, ſed in corpus cæleſte mutabitur; *l. 1. Retract. cap. 22.* ſeſe explicat his verbis: *Quod autem dixi . . .* jam non caro, & ſanguis erit, *ſecundum corruptionem carnalem dictum eſt carnem non futuram, non ſecundum ſubſtantiam, ſecundum quam Domini corpus etiam poſt reſurrectionem caro appellata eſt.* Similiter ergo cum dixit: *Non hoc corpus, quia videtis, manducaturi eſtis*, explicare eam poterimus, voluiſſe, nos non manducaturos illud corpus in Euchariſtia, ſecundum modum carnalem; non vero illud non manducaturos realiter, quoad ſubſtantiam.

Nec pariter, quod Auguſtinus dicat carnem Chriſti dari *in ſacramento*, tollit quin detur in veritate. Nam, ut ait Sanct. Thom. loco citato: *Per hoc autem, quod ſubdit*, Sacramentum, quod vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos; *non intendit, quod corpus Chriſti ſit in hoc ſacramento ſolum ſecundum myſticam ſignificationem;* ſed ſpiritualiter *dicit, ideſt*, inviſibiliter, *& per virtutem Spiritus Sancti.*

XX. Neque dicas; quod dare aliquid in ſacramento, nempe, in ſigno, non eſt illud dare in re, ſeu in ſubſtantia. Nam hoc quidem verum eſt de ſigno mere repræſentativo; non vero de ſigno, quod ſimul repræſentat, & continet rem, quam repræſentat. Hoc ergo ſenſu, ait Auguſtinus, Chriſtus dedit corpus, & ſanguinem ſuum in ſacramento; quia non viſibiliter ſub propria ſpecie, ſed inviſibiliter ſub ſpecie panis, & vini illa nobis tradiderit: ita tamen, ut ſub utraque reipſa contineatur vere corpus, & ſanguis Chriſti: Ac ſi, ut tolleret horrorem ab animis audientium, Chriſtus dixerit. Horruiſtis ubi pollicitus ſum, carnem meam me daturum vobis in cibum, & ſanguinem in potum? Sed deſinet horror iſte, ſi attenderitis, me daturum quidem carnem meam, & ſanguinem, ſed in ſacramento; ideſt, non in propria ſpecie, ſed ſub ſpeciebus panis, & vini.

XXI. Objiciunt ſecundo. In illo *c. 6. Joannis* non agit de Euchariſtia, ſed de fide Incarnationis, aut Chriſti mortis, ſentiunt Patres non pauci: inter quos S. Auguſt. *l. 1. de Peccat. merit. c. 20.* & *l. 1. contra Julian. c. 4.* verba illa: *Niſi manducaveritis &c.* extendit etiam ad parvulos, qui carnem Chriſti manducare non poſſunt, niſi fide Baptiſmate accepta. Tum etiam: quia ſi illa verba: *Niſi manducaveritis &c.* intelligerentur de Euchariſtia; jam ſequeretur, præceptam ibi fuiſſe a Chriſto communionem ſub utraque ſpecie omnibus, etiam Laicis, quod hæreſi Huſſitarum nimis faveret.

XXII. Reſpondeo, me non diffiteri, aliquos Patres verba illa Chriſti *Joan. 6.* intellexiſſe etiam de manducatione per fidem; ſed non per hoc excluſerunt manducationem ſacramentalem, & oralem. Immo Patres, qui data opera expoſuere dictum *cap. 6. in Joann.* illud de Euchariſtica manducatione intellexerunt. Et maxime Auguſt. *Tract. 26. & 27. in cap. 6. Joannis*, cujus verba ſupra retulimus: & etiam locis ab arguente citatis. Quod ſi manducare carnem Chriſti, & bibere ejus ſanguinem extendit etiam ad parvulos; hoc dicit juxta ſui temporis diſciplinam, qua etiam parvulis ſtatim poſt Baptiſma Euchariſtia conferebatur. Vel quia per Baptiſmum fiebant capaces in Euchariſtia carnem, & ſanguinem Chriſti manducandi; quod ſine Baptiſmo non poterant. Videatur etiam, *l. 1. de Peccat. Merit. cap. 24.*

Nec ſequitur, hanc doctrinam favere hæreſi Huſſitarum. Nam dicimus quidem præceptum fuiſſe a Chriſto omnibus manducare carnem ſuam, & bibere ſanguinem; ſed negamus fuiſſe a Chriſto omnibus præceptum manducare, & bibere ſeparatim, & ſub utraque ſpecie, de quo infra erit ſermo. Interim videri poteſt Tridentinum, *Seſſ. 21. cap. 2.*

XXIII. Objiciunt tertio contra idem. Dominus ibi loquebatur de manducatione, quæ fieri poterat ab illis, quos alloquebatur: ait enim de præſenti; *Qui manducat meam carnem &c.* manducatio autem Euchariſtica fieri tunc non poterat. Tum quia: Euchariſtiam nondum inſtituerat. Tum quia: multi eorum nondum erant baptizati, & forte morituri, antequam inſtitueret. Reſtat ergo, ut de ſola manducatione per fidem loqueretur.

XXXIV. Reſpondeo: quod cum Chriſtus ibi loquatur partim de præſenti, partim de futuro, verba illius de manducatione per fidem, tantum de manducatione Euchariſtica ſumenda ſunt. Relate enim ad tempus ante Euchariſtiæ inſtitutionem, ſat erat manducare Euchariſtiam per fidem; & votum illius. Relate autem ad tempus ſubſequens inſtitutionem, requirebatur manducatio ſacramentalis; ut qui eam renuiſſent, vitam non haberent. Neque obſtat, aliquos ante Euchariſtiæ inſtitutionem fuiſſe morituros. Nam in Judæis, & diſcipulis, quos alloquebatur, totam Eccleſiam Chriſtus reſpiciebat; & in eorum perſonis cuique etiam impoſterum præceptum imponebatur. Addo, uſitatum eſſe in Scripturis res in proximo futuras verbo præſentis temporis ſignificari.

§. IV.

Corporalis Chriſti Præſentia ex Verbis inſtitutionis.

XXV. Dico ſecundo. Verba, quibus Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, invicte probant realem corporis, & ſanguinis ſui in ea præſentiam. Probo. Verba inſtitutionis Euchariſtiæ, ex conſenſu trium Evangeliſtarum, *Matth. 26. Marci 14. Luca 22.* & *Pauli 1. Cor. 11.* ſunt hæc: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Unde ſic arguo. Verba hæc demonſtrant præſentiam realem corporis, & ſanguinis Chriſti, ſi accipiantur in proprio, & vero ſenſu, & non tantum improprio, & metaphorico: ſed accipi debent in ſenſu proprio, & non tantum in metaphorico; ergo verba &c. Min. probatur. Verba Chriſti ſacramentum inſtituentis, fidei dogma tradentis, legem Eccleſiæ ſuæ in præceptum dantis, teſtamentum condentis, fœdus ſancientis, accipi debent, & intelligi in ſenſu proprio, non metaphorico, perſpicuo, non obſcuro, vero, non figurato. Si enim unquam homines ſincere, & aperte loquuntur; tunc eſt, quando fœdus ineunt cum amicis, quando teſtamentum condunt, quando leges ferunt, quando alloquuntur amicos: at Chriſtus Apoſtolis dicens, accipite, & comedite: *Hoc eſt corpus meum:* bibite: *Hic eſt ſanguis meus*; ſacramentum inſtituit, dogma fidei condidit, legem perpetuam in Eccleſia tulit, teſtamentum condidit, non exteros, ſed amicos allocutus eſt, quibus in fœderis ſignum, & amoris teſſeram ſe ipſum in donum tradebat: ergo non ſub ſignis, & metaphoris, ſed ſincere, & ſub proprietate ſermonis loquebatur: & proinde dum dixit, ſe dare corpus ſuum, & ſanguinem, non ſub typo, & figura, ſed realiter, & cum veritate hoc eis dabat: Si enim Apoſtolis dicebat, Joan. 15. v. 15. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos ... Vos autem dixi amicos, quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, Et cap. 16. v. 25. *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis.* Si Lucæ 8. v. 10. dicebat eis: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis*, credimus, dum illis dedit in finem corpus ſuum, & ſanguinem: dicens: *Accipite, hoc eſt corpus meum: bibite, hic eſt ſanguis meus*, non ſecundum veritatem locutum, ſed per tropum, figuras, & parabolas dixiſſe?

XXVI. Quis eſt Calviniſtas, aut Zuinglianus, cui ſi aliquis vel teſtamento, vel pacto dicat, ſe illi dare agrum, vineam, aut aliud, arbitretur impletam erga ſe dantis voluntatem, ſi ſolum tabella agrum, aut vineam repræſentans ſibi tradatur? Nonne, ut verba teſtatoris, aut donantis impleantur, agrum, aut vineam ſibi vere tradendam urgebit? Cur ergo dum Chriſtus pacto, dono, vel teſtamento nobis corpus ſuum, & ſanguinem ſe dare affirmat; ſignum duntaxat, & ſymbolum ſui corporis, & ſanguinis dediſſe contendunt? Si ſinceram humani teſtatoris, vel donatoris mentem non indicaret, qui dum diceret, accipe, hic eſt ager meus; ſolum intenderet, ſe donare tabellam repræſentativam agri, non autem vere agrum: ſi hoc irriſorium reputaret teſtamentum, vel donationem, cur non irriſorium eſſet Chriſti legatum, ſi poſt tantum verborum apparatum dicens ſe tradere corpus ſuum, nil aliud traderet, quam panem, cui affixiſſet typicam ſui corporis repræſentationem?

XXVII. Fortaſſis quia Chriſtus non dixit expreſſe: *Hoc eſt* vere *Corpus meum*, putabit quis, figurate eum fuiſſe locutum? At numquid non dixerat jam, Joan. 6. v. 56. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus?* Rurſus: etſi hoc non dixerit, neſciunt Calviniſtæ propoſitiones abſolute prolatas accipi ſemper in proprio ſenſu? Unde ſi quis diceret, accipe, hic eſt ager meus; quiſque intelligeret, eum vere dare agrum: & ſi quis dicat: hic eſt homo, nemo non crederet, eum loqui de homine vero. Ulterius: ſi hoc evinceret; pariter quando æternus Pater dixit deſignando Chriſtum: *Hic eſt Filius meus dilectus*; quia non dixit *Vere*, dici poſſet Chriſtum non eſſe vere Filium Dei naturalem. Secundo. Quando ſimpliciter dicitur: *Verbum caro factum eſt* quia non additur ly *Vere*, dici poſſet cum Manichæis, Verbum aſſumpſiſſe ſolam apparentiam, & figuram carnis, non carnem veram. Mariam non eſſe vere Matrem Dei cum Neſtorianis; quia Angelus dixit: *Ecce concipies in utero*, & non dixit *Vere*, Cum Arianis Verbum unum cum Patre metaphorice tantum: quia cum Chriſtus dixit: *Ego, & Pater unum ſumus*, non addidit *Vere*. Cum hoc non dicant Calviniſtæ, quo animo contendent, Chriſtum dicendo: *Hoc eſt Corpus meum*, figurate eſſe locutum, quia non addidit vere?

Demum, apud Evangeliſtas hic mos eſt, ut quod alio uno obſcurius, id alius enarret clarius. Sic Joannes Baptiſta a Mar-

a Matthæo vocatur *Elias* : ſed in quo ſenſu accipiendum ſit, exponit Lucas, dum ait : *In virtute, & ſpiritu Eliæ.* Sic Joſeph *Pater Chriſti* quandoque dicitur; ſed, ne deciperemur, Sanct. Lucas addit: *Ut putabatur.* Atqui ubi eſt ſermo de inſtitutione Euchariſtiæ, nullus eorum interpretatus eſt dictum alterius, utendo verbo figuræ, aut ſigni; ſed unanimi conſenſu uſi ſunt verbo *Eſt*, & vocibus *Corporis*, & *Sanguinis*; igitur verba inſtitutionis non ſunt figurate accipienda.

§. V.

Calviniſtarum Reſponſionibus ſit ſatis.

XXVIII. DIcunt primo. Signis plerumque rerum ſignificatarum nomina tribuuntur, ut ait S. Auguſtinus, *Epiſt.* 169. alias 102. *ad Evodium, cap.* 2. & *quæſtion.* 57. his verbis: *Solet autem res quæ ſignificat ejus rei nomine, quam ſignificat, nuncupari; ſicut ſcriptum eſt: ſeptem ſpicæ ſeptem anni ſunt* (Geneſ. 41.) *non enim dicit, ſeptem annos ſignificant: & ſeptem boves ſeptem anni ſunt; & multa hujuſmodi. Hinc eſt quod dictum eſt. Petra erat Chriſtus. Non enim dicit Petra ſignificat Chriſtum, ſed tamquam hoc eſſet; quod utique per ſubſtantiam hoc non erat, ſed per ſignificationem.* Hæc Auguſtin. ſic etiam, *Geneſ.* 17. *v.* 11. Circumciſio dicitur *Fœdus*, ideſt, ſignum Fœderis. Agnus dicitur Paſcha, Exod. 12. *Eſt enim Phaſe*, 1. Cor. 11. calix *Novum teſtamentum*, quod dicitur etiam, *Luca* 22. *verſ.* 10. Eodem ergo modo, quo ly *eſt* in præallatis locutionibus pro eodem ſumitur, ac *ſignificat*; quia cum prædicatum ſit diſparatum a ſubjecto, omnes intelligunt, non eſſe eſſentialem, & veram, ſed figurativam locutionem: ita, cum dicit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*, cum Chriſti corpus ſit res diſparata ab eo, quod Chriſtus gerebat in manibus, Apoſtoli ſtatim intellexerunt, eum locutum fuiſſe in ſenſu figurato, ſciebant enim, Chriſti corpus non eſſe ſubſtantialiter panem, ſicut nec vitem, nec petram, nec agnum.

XXIX. Quod confirmant. Nam Patres ſæpe vocant Euchariſtiam, *Signum*, *Figuram*, *Typum*, *Myſterium* corporis Chriſti. Inter quos idem Auguſtinus, *Enar. in Pſalm.* 3. *num.* 1. & *lib.* 3. *de Doctr. Chriſti cap.* 16. hanc regulam ſtatuens: *Si præceptiva locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficientiam vetare, figurata eſt.* Niſi manducaveritis (*inquit*) carnem Filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: *Facinus, vel flagitium videtur jubere: figura eſt ergo præcipiens Paſſioni Dominicæ communicandum, atque utiliter recolendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit.*

XXX. Reſpondeo, nego conſ. Eſto enim interdum meris ſignis rerum ſignificatarum nomina tribuantur; & verbum *eſt* aliquando ſumatur pro ſignificat: non tamen hoc contingit, niſi quando proferens verbo, aut facto, aut in circumſtantia tali hoc dicit; ut audientes prudenter intelligant, eum nomen rei tribuere mero ſigno. Ut ſi accipiens imaginem Chriſti dicat: *Hic eſt Chriſtus;* vel tabellam geographicam Europæ oſtendens diceret: *Hæc eſt Europa.* Et in hoc ſenſu locutus fuit Joſeph cum dixit: *Septem ſpicæ, aut ſeptem boves ſunt ſeptem anni* Cum enim tunc explicaret ſignificationem ſomnii; Pharao, & omnes, qui audiebant, ſi prudentes erant, debebant capere, eum loqui non de ſpicis, aut bobus, ut res quædam ſunt, ſed ut ſunt ſigna —— Eadem ratione dum circumciſio dicitur *Fœdus*, omnes capiunt, non eſſe, niſi conditionem, aut ſignum fœderis; præſertim quia, *Geneſ.* 17. *verſ.* 11. dicitur inſtitui, *ut* ſic *ſignum fœderis* —— Agnus etiam Paſcalis dum dicitur: *Eſt Phaſe*, ideſt, *Tranſitus*, omnes capiunt, eum eſſe ſignum tranſitus Domini, non ipſum tranſitum: quia omnes norunt, fuiſſe victimam, quæ in ſignum talis tranſitus conſueverat immolari —— Cum autem Chriſtus dicitur *Petra*, Sole clarius apparet, eum dici ſecundum metaphoram talem, ſicut cum dicitur vitis, ovis, agnus &c. —— Eodem modo cum calix *Novum teſtamentum* vocatur, nemo neſcit, ibi ſumi pro figura. Tum quia: ſignum fœderis fœdus ſolet appellari. Tum quia: alii duo Evangeliſtæ Matthæus, & Marcus hoc explicant dum dicunt: *His eſt ſanguis meus novi teſtamenti.* —— At in caſu noſtro, nec ullus unquam Evangeliſtarum teſtatur, Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt figura corporis, vel ſanguinis mei.* Neque Chriſtus propoſuit Apoſtolis panem, ut ſignum; ſed ut rem quamdam, quomodo ſpectari ſolet panis: Unde cum illum oſtendens illis dixit: *Hoc eſt corpus meum*, & addidit: *Quod pro vobis tradetur:* cum oſtendens calicem dixit: *Hic eſt ſanguis meus*, addens: *Qui pro vobis effundetur*: non aliud imaginari potuerunt, quam id quod illis exhibebatur, continere vere, ac realiter corpus, & ſanguinem ſuum; alias Chriſtus artificioſa reſtrictione utens diſcipulos decepiſſet: oportebat enim, ut ſi illis dabat tantum ſignum & non rem, id expreſſe explicaret. Nam etſi rerum ſignificatarum nomina aliquando conſueverint ſignis applicari: in prima tamen rerum inſtitutione fieri non debet, niſi vel cum ſenſus verborum notus eſt iis, quibus cum loquitur; vel mens inſtitutoris ipſo loquendi modo exprimatur. Cum ergo nec Apoſtolis notum aliunde eſſet, Chriſtum dicentem: *Hoc eſt corpus meum*, nomine ſui corporis intelligere tantum ſignum, non rem ipſam; neque ipſo loquendi modo hoc indicaret: dicendum, voces illas in propria ſignificatione uſurpaſſe, & proinde non ſignum ſui corporis, ſed corpus ipſum revera tradidiſſe. Hinc Auguſtin. Serm. 1. in Pſalm. 33. *Manibus* (inquit) *aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur ... ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait:* Hoc eſt corpus meum: *ferebat autem illud corpus in manibus ſuis.* Signum autem ſui corporis, homo portare poteſt.

XXXI. Ad Confirm. dico, optime Patres Euchariſtiam vocare ſignum, quia ſacramentum. Sed ſecundum doctrinam S. Aug. *l.* 3. *q. ſuper Levit. q.* 57. notandum ſigna eſſe duplicis generis. Alia enim pure ſignificant, & non continent rem, quam ſignificant. Et hoc modo, ait Aug. *Petra ſignificat Chriſtum, ſed tamquam hoc eſſet, quod utique per ſubſtantiam hoc non erat, ſed per ſignificationem.* Alia ſunt, quæ etiam continent, & realiter exhibent quod ſignificant. *Quarenda etiam locutiones* (inquit S. Doctor) *quibus per id, quod continent, ſignificatur id, quod continetur.* Quod explicat in ſanguine, qui eſt ſignum animæ, & eſt id, quo anima continetur in corpore: & in Eccleſia, quæ non ſolum ſignificat congregationem fidelium; ſed etiam eſt locus continens Eccleſiam, ſeu quo fideles, qui ſunt Eccleſia, congregantur. Explicari etiam poteſt in crumena, ſeu loculo, quod ſignificat, & ſimul continet pecuniam: & in dolio, quod eſt ſignum vini, & ſimul continet vinum. Euchariſtia ergo eſt ſignum corporis Chriſti, & ſanguinis: ſignum, inquam, non pure ſignificans, ſed realiter continens rem, quam ſignificat: ſignum, & figura ſecundum ſpecies, quæ exterius ſenſibus exhibentur; at ſecundum id, quod continet, veritas eſt.

Ad externam autem tantum figuram, attendit Auguſtinus, cum ait, Chriſtum dicentem: *Niſi manducaveritis &c.* figurate, non proprie fuiſſe locutum; quia proprie, ideſt, in propria ſpecie manducare, flagitium eſt: non vero attendit ad manducationem carnis ſub aliena ſpecie contentæ, qualiter caro Chriſti a nobis in Euchariſtia manducatur. Hoc enim flagitium non eſt, ſed Myſterium: quia manducantes ſpecies Euchariſticas manducamus carnem Chriſti, ſub illis contentam, non ore ſolum, ſed fide in memoriam Paſſionis ejus. Et hoc eſt, quod idem Auguſtinus intendit, dum explicans hunc manducationis modum dicit; quod Paſſioni dominicæ communicamus, recolentes, quod caro illa pro nobis ſit crucifixa: non quia carnem in ſacramento vere non percipiamus; ſed quia illam ad hunc finem manducamus, juxta Chriſti præceptum; *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

XXXII. Dicunt ſecundo. Ex modo, quo Chriſtus locutus fuerat, & tunc loquebatur, Apoſtoli debebant accipere in ſenſu figurato, non reali verba illa: *Hoc eſt corpus meum.* Et quidem primo. Nam Chriſtus paulo ante, *Matth.* 26. *verſ.* 11. dixerat: *Semper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Cum ergo teſtatus fuerit, ſe poſt mortem cum eis non futurum; quomodo ſibi perſuadere poterant, cum eis realiter futurum in Euchariſtia?

Secundo. Eo modo accipere debebant hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, quo accipiebant hæc ſequentia: *Quod pro vobis datur;* ſeu ut in textu Græco legitur: *Quod pro vobis frangitur:* ſed ly *datur*, aut ly *frangitur*, non poterat accipi, niſi figurate, & metaphorice: quia Chriſti corpus tunc vere non dabatur illis, nec vere frangebatur, immo neque modo in ſacramento vere frangitur, ergo &c.

Tertio. Verba, quæ ſequuntur: *Hoc facite in meam commemorationem*, ſatis indicabant, Chriſtum non fore ibi præſentem; quia non fit commemoratio rei præſentis, ſed jam præteritæ, & abſentis.

Quarto. Verba, quæ ſubdidit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, prolata ſunt calice jam conſecrato: ſi autem in Calice conſecrato non eſſet vinum, ſed ſanguis Chriſti, non vocaret illud genimen vitis.

Quinto. Dum Chriſtus accipiens panem dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, demonſtrabat id, quod acceperat: ſed panis erat, quod acceperat, fregerat, & diſtribuebat; ergo panis erat, quod demonſtrabat, figura tamen corporis ſui.

Sexto. Si quis diceret: *Pauperes ſunt ipſe Chriſtus*, fundatus in illis Chriſti verbis in perſona pauperis, Matth. 25. v. 35. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare &c.* omnes figurate dictum acciperent; quia pauperes Chriſtum repræſentant; ergo cum dixit ſupra panem: *Hoc eſt Corpus meum*, Apoſtoli intelligere poterant, panem illum eſſe tantum figuram corporis ſui.

XXXIII. Hi ſunt Calviniſtarum cavilli. Ad primum retorqueo idem contra illos. Chriſtus, ait Joann. 14. v. 28. *Vado, & venio ad vos*, v. 18. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Et Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Hæc autem falſa eſſent, ſi Chriſtus in Euchariſtia non eſſet realiter nobis præſens. —— Dico ergo, quod, ſicut *Luca* 24. *verſ.* 44. dixit: *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum;* quia licet adhuc cum Apoſtolis eſſet, non erat modo paſſibili, quo erat ante mortem,

& re-

& resurrectionem: ita potuit dicere post mortem, se non futurum cum illis; quia licet semper cum illis futurus esset, non erat tamen futurus sensibili eo modo, quo erat tunc, cum a Magdalena unguento ungebatur, & quo pauperes semper futuri erant.

XXXIV. Ad secundum, vel nego maj. Non enim est novum, quod in uno Scripturæ textu prius membrum sumatur in sensu litterali, & posterius tantum in metaphorico. Ut in hoc Symboli Articulo: *Ascendit ad Cælos* (quod litteraliter accipitur) *& sedet ad dexteram Patris* (quod nonnisi metaphorice potest explicari) Vel omissa majori, nego minor. Cum enim verba, quæ in Evangelio proferuntur de præsenti, a Paulo, 1. *Corinth.* 11. proferantur de futuro: *Quod pro vobis tradetur*; Apostoli ea non intellexerunt de præsenti traditione, aut fractione, sed de proxime futura in passione, & morte. Addo: hanc instantiam esse merum sophisma, ut si dicam: *Homo iratus est leo: sed non est leo nisi metaphorice; ergo non est homo nisi metaphorice.* Sicut ergo hæc consequentia nulla est; ita & ista: *Eucharistia est corpus Christi, quod frangitur pro nobis; sed non frangitur, nisi metaphorice, ergo non est Corpus Christi nisi metaphorice.* Est enim fallacia accidentis.

XXXV. Ad tertium; nego ant. Nam commemoratio alicujus non excludit ejus præsentiam, sed sensibilem tantum: jubemur enim Dei meminisse, licet nobis intime præsens sit, invisibiliter tamen. Sic Christus, esto in Eucharistia præsens futurus esset; quia tamen præsentia invisibili futurus erat præsens, potuit dicere, ut eam conficerent in memoriam ejus. Addo: Eucharistiam esse memoriam Christi passi, seu Passionis ejus: quamvis autem Christus sit præsens, ejus tamen Passio jam transiit.

XXXVI. Ad quartum dico, verba illa: *Non bibam amodo &c.* non esse referenda ad calicem consecratum, sed ad calicem communem, quem in cœna Paschali biberat. Verba enim, quæ Matthæus, & Marcus de calice dicta referunt: *Non bibam &c.* Lucas de agno paschali etiam dicta enarrat: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobis cum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei* —— Deinde etsi de calice consecrato sumatur, dico, sanguinem suum vocare *genimen vitis*, non quia post consecrationem vinum sit, sed quia de vino consecratus, sub vini specie eum Apostolis propinabat.

XXXVII. Ad quintum neg. maj. Acceperat enim purum panem; id autem, quod demonstrans porrigebat dicens: *Hoc est corpus meum*, non erat panis, nisi in externa specie, quia vi verborum factus erat corpus suum. Sicut quod ministri nuptiarum Canæ infuderunt in hydrias, aqua erat; sed quod ex iisdem hydriis infuderunt in calices, vinum erat. Sic Christus panem accepit, sed dicendo: *Hoc est corpus meum*, corpus suum fecit: locutio enim illa speculativa non fuit, sed factiva. Neque hoc Calvinistæ ipsi negare possunt. Nam id, quod Christus accepit, purus panis erat: quod autem Discipulis porrexit, purus panis non erat, sed juxta illos figura corporis sui.

XXXVIII. Dices. Ista locutio: *Hoc est corpus meum*, fuit in mente Christi vera, antequam proferretur: sed in mente Christi non demonstrabat corpus Christi, sed panem; ergo etiam postea.

Hæc instantia ipsos etiam Calvinistas premit. Nam locutio illa, ut erat in mente Christi, purum panem, & non figuram corporis ejus demonstrabat; ergo etiam, ut prolata, purum panem demonstrabat. Dico ergo, quod sicut cum Christus dixit leproso: *Volo, mundare;* sanitatem cognoscebat, eamdemque exprimendo producebat: hæc est natura cognitionis practicæ, ut quod in priori natura cognoscit, cognoscendo faciat. Vel in eodem instanti, si actio productiva exterior sit instantanea: sicut eodem instanti, quo Deus mente dixit: fiat lux, facta est lux. Vel in ultimo instanti prolationis verborum. Sic hæc locutio: *Hoc est corpus meum*, in mente Christi existens vera erat; quia designabat corpus suum in ultimo instanti prolationis verborum ex pane ponendum.

XXXIX. Ad sextum nego cons. Ex dicto enim Christi nullum esse poterat fundamentum, vel leviter suspicandi, pauperes aliter, quam sola representatione esse Christum. At ex dicto, & facto Christi, Apostoli concipere poterant, eum loqui de corpore suo reali, & non solum figurato, ut dictum est.

XL. Dicunt tertio. S. Paulus, 1. *Cor.* 10. comparat Eucharistiam Mannæ dicens: quod Hebræi *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt*, de petra, quæ erat Christus: sed manna erat tantum figura Christi: Hebræi autem manducaverunt Christi corpus, & biberunt ejus sanguinem solum spiritaliter, & per fidem; ergo similiter Eucharistiam &c.

XLI. Respond. Paulum ibi comparare Manna, & aquam de petra cum Eucharistia, non tamquam figuram cum figura, sed tamquam figuram cum figurato. Quod enim Judæis fuit spiritalis cibus, & potus; quia in eo manducaverunt, & biberunt tamquam in signo, & figura corpus & sanguinem Christi: nobis est cibus, & potus spiritalis, quia in eo reipsa corpus, & sanguinem Christi manducamus, & bibimus. Unde Sanct. Thom. ibi lect. 1. *Omnes* (inquit) *eamdem escam manducaverunt spiritalem, ideſt, corpus Christi, in signo spiritualiter intellecto: ... Et omnes eundem potum biberunt, scilicet. Christi sanguinem in signo.* Sicut ergo, ait Augustinus, lib. 2. contra litt. Petiliani, cap. 37. *Aliud est Pascha, quod adhuc illi* (nempe Judæi) *de ove celebrant; aliud autem quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus:* ita aliud est, quod Hebræi in manna, & aqua de petra manducaverunt, & biberunt: non esset autem aliud, si corpus, & sanguinem Christi solum in signo acciperemus, quod acceperunt, & illi, si per fidem spiritaliter manducaverunt, & biberunt. Comparatio ergo Pauli solum stat in hoc: quod sicut omnes Judæi eumdem cibum spiritalem manducaverunt, & eumdem potum spiritalem biberunt; multi tamen eorum perierunt, quia fuerunt concupiscentes malorum: ita & Christiani, licet omnes eumdem cibum, & potum, corpus, & sanguinem Christi in Eucharistia accipiant, si tamen concupiscentiis indulgeant, peribunt.

§. VI.

Præsentia Realis ex Patribus, ex Præscriptione, & omnium Ecclesiarum Consensu.

XLII. Dico primo. Patres quovis sæculo, etiam ante Berengarium, realem Christi præsentiam in Eucharistia docuerunt. Probo hoc discursu. Patres, qui per varia sæcula floruerunt, docent primo: Christum vere, & realiter in Eucharistia nobis commisceri, & non fide tantum: ut Chrysostomus, *Hom. 3. in Matth.* Cyrillus Alexandrinus, *l. 10. in Joann. c. 13.* Nyssenus, *Orat. Catechetica cap. 37.* —— Secundo: Eucharistiam propter Christum in ea existentem esse adorandam ab hominibus, immo & ab Angelis: ut August. *Ep.* 120. nunc 140. *ad Honoratum, cap. 27. Enarrat. in Psalm. 98. n. 9.* Ambrosius, *l. 3. de Spiritu Sancto, cap. 13.* Chrysostomus *lib. 6. de Sacerdotio* —— Tertio: Æquiparant præsentiam Christi sub speciebus Eucharisticis præsentiæ, quam habuit in locis, in quibus non dubitatur fuisse substantialiter: Chrysostomus, *Hom. de S. Philogonio*, Christum in Eucharistia comparat Christo in præsepio *hom. 24. in 1. ad Cor. versus finem*, comparat præsentiam Christi in Altari cum ea, quam habet in Cælo; & sanguinem, qui est in calice, dicit esse illum, qui fluxit ex latere. —— Quarto: Eucharistiam proponunt, ut plenam miraculis, videlicet, quod corpus Christi toties manducatum non sit consumptum. Ita Nyssenus, *Orat. Catech. cap. 27.* quod corpus Christi simul in Cælo sit, & in variis locis terræ, Chrysost. *homil. 2. ad Populum Ant.* Nyssenus *orat. de Paschate.* De hoc multa Cyprianus, *Serm. de Cœna Domini;* & Chrysost. *l. 3.* de Sacerdotio: *Oh miraculum!* (inquit) *Oh Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, seseque volentibus dat complectendum, & accipiendum,* Nullum autem in prædictis esset miraculum, si in Eucharistia esset corpus, & sanguis Christi in typo solum, & figura. Quæ omnia Calvinus ipse cognoscens, cogitur, *lib. 4. Inst. cap. 17. §. 10.* fateri: *Nisi qui fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso Symbolum proponi numquam dicere audeat ... Atque omnino isthæc piis tenenda regula est; ut quoties symbola vident a Domino instituta, illic rei signata veritatem adesse certo cogitent, ac sibi persuadeant.* Optime quidem loqueris Calvine; sed quomodo fallacem Deum non vocabit, qui, dicente ipso, hoc esse corpus suum, audiet a te, id non esse secundum rei veritatem? Quomodo certo sibi persuadebit, adesse ibi rei veritatem, si tu dicis: corpus Christi ibi non esse secundum substantiam, sed solum secundum energiam, & virtutem?

XLIII. Secundo probo hoc alio discursu. Si Patres credidissent, verba hæc: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, non demonstrare vere corpus Christi, & sanguinem, sed symbolice solum, & metaphorice; hoc palam explicare debuissent. Tum quia: hæc metaphora non statim veniat in mentem. Tum quia: aliqui erant, qui ea verba in sensu litterali accipientes, hoc Christianis, tamquam carnis humanæ voratoribus, improperabant. Sed Patres licet expostulati, numquam ad sensum metaphoricum confugerunt; sed aut veritatem illorum verborum coram fidelibus propugnarunt; vel Catechumenis nondum capacibus in confuso tradere, vel occultare studuerunt; ergo &c.

Maj. videtur certa. Nam quoties dubitatum fuit, an aliqua Scripturæ verba in proprio, aut metaphorico sensu essent accipienda, solliciti fuerunt Patres dubium explicatione tollere. Hanc enim sententiam: *Petra autem erat Christus*, esto facilem, Ambrosius, Hieronymus, aliique dederunt operam, ne quis ad litteram eam sumeret. Hanc: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, explicaverunt Chrysostomus, *Hom. 14. in Joann.* hac voce *Peccatum* intelligi *Peccatorem*: quia sub hac forma, sic volente Patre, traditus fuit a Judæis Christus. Ambrosius autem ly *Peccatum* explicat *Victimam pro peccato.* Vivente Augustino nonnulli ad litteram sumebant hoc Pauli dictum de Christo: *Factus est pro nobis maledictum.* S. Doctor litteralem illum sensum confutavit, *lib. 14. contra Faustum cap. 2. & 3.* Si ergo putassent, verba hæc: *Hoc est corpus meum*, non in litterali, sed metaphorico, vel figurato sensu accipienda, id exposuissent.

Min.

Min. autem probatur. Dubitarunt olim nonnulli fideles, an Chriſtus eſſet præſens in Euchariſtia: *Aliud video* (inquiunt apud Ambroſium I. de iis qui initiantur, cap. 9.) *quomodo tu mihi aſſeris, quod Chriſti corpus accipiam?* Dubitantes Ambroſius ibi provocat ad virgam Moyſi, quæ in ſerpentem mutata, in virgam eſt reverſa: ad Eliam, qui voce ignem de Cælo advocavit: ad vocem Dei, quia dixit, & facta ſunt, addens: *Sermo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, qua ſunt, in id mutare, quod non erant? . . . . Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum Cæleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.* Et Chryſoſtomus, Hom. 83. in Matth. *Credamus* (inquit) *ubique Deo, nec contradicamus ei; etiamſi quod dicit, contrarium videatur cogitationi, & oculis noſtris . . . Sermo quippe ejus decipere nequit, ſenſus autem noſter deceptus facilis eſt. Ille numquam aberrat, hic vero ſæpius fallitur. Quandoquidem igitur ſermo ait:* Hoc eſt corpus meum, *perſuaſi ſimus, & credamus, & oculis intellectualibus id aſpiciamus.* Quod vero Catechumenis, & Paganis, aliiſque incapacibus hoc myſterium occultaverint; teſtis, inter cæteros, eſt S. Auguſt. *Serm.* 132. *Serm.* 46. *de verb. Dom.* modo *Serm.* 2. *de verbis Apoſt.* modo 131. & *Serm. in Pſalm.* 80. Quo fiebat, ut veteres Chriſtiani myſteria ſua in ſecreto celebrantes a Paganis *Clancularii* vocarentur. Cur autem hoc myſterium occultaſſent Catechumenis, & Paganis, ſi nil aliud eſſet, quam typus, & figura, illudque tale Patres exiſtimaſſent? De hoc videndus Scheleſtrate, in ſuo libro *de Diſciplina Arcani*.

XLIV. Sed dicunt. Tertullianus, *l.* 4. *contra Marcionem, cap.* 40. ait: *Accepto pane corpus ſuum illum fecit: Hoc eſt corpus meum dicendo, ideſt, figura corporis mei.* S. Auguſt. *in Pſalm.* 111. vocat Euchariſtiam: *Corporis, & ſanguinis ſui figuram;* l. 2. contra Adimantum, cap. 12. *Signum corporis ſui* —— Tract. 25. in Joann. ait: *Quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducaſti.* Item, l. 2. de Peccat. merit. cap. 26. *Quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum tamen eſt, quoniam Sacramentum.*

XLV. Reſpondeo, Tertullianum ibi loqui per tranſpoſitionem, & debere explicari ſic: *Hoc, ideſt, panis, qui in veteri lege figura erat corporis mei, eſt corpus meum.* Arguebat enim contra Marcionem, probando legem Moſaicam non fuiſſe malam, ſic. Illa lex non fuit mala, cujus figuram Chriſtus adimplevit in nova lege: ſed Chriſtus hanc adimplevit, nam panem, qui in antiqua lege figura corporis ſui, *corpus ſuum illum fecit.* Addit enim: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* Cum alioquin dicere debuiſſet: *Figura autem non eſſet*, ſi in nova lege figuram ſui corporis agnoſceret.

S. Auguſtinus vero Euchariſtiam vocans figuram, & ſignum corporis ſui, eam ſumit pro eo, quod ſenſibiliter apparet, nempe, pro ſacramento; figuram tamen, & ſignum vocat, non vacuum, ſed plenum, & continens rem, quam ſignificat, ut ſupra ex eodem dictum eſt. Ideo autem eam hiſce nominibus appellabat exteriores ſolum ſpecies experimentibus; quia frequenter ſermonibus, quos habebat, aderant Cathecumeni, quibus myſterium hoc exponere diſciplina illius temporis non ferebat —— Ad aliud dico, S. Doctor. ibi loqui de cibo ſpirituali, non de ſacramentali Euchariſtiæ, quem dicit eſſe manducandum per fidem, quæ per dilectionem operatur; ut legenti Auguſtinum ibi apparebit. —— Ad ultimum dico, Auguſtinum ibi manifeſte loqui de pane Catechumenorum, quem improprie vocat ſacramentum, ideſt, ſignum ſacrum, vel unionis inter fideles, vel Euchariſtiæ, & corporis Chriſti. Plura alia Patrum teſtimonia afferunt pro ſe Calviniſtæ, quæ videre eſt apud Alexandre, *Hiſt. Eccl. ſæcul.* 11. & 22. *diſſert.* 12. Juenin, & Boucat *de Sacr. Euch.* & apud nos, *in Vera Eccleſ. Tom.* 1. *p.* 2. *art.* 12. & 13. a quibus afferendis abſtineo. Hoc unum moneo, quod ſicut Patres, qui ante exortam hæreſim Arianam non adeo ſtricte de conſubſtantialitate Filii cum Patre loqui fuerunt ſolliciti, quamvis eam profiterentur, ita Patres, qui ante exortam hæreſim Berengarii vixerunt, de veritate Corporis Chriſti, quam nemo negabant, adeo accurate ſcribere non ſtuduerunt.

XLVI. Dico ſecundo. Realis Chriſti præſentia in Euchariſtia ex præſcriptione demonſtratur. Sumo hic Præſcriptionem in ſenſu Juriſtarum, nempe, pro uſucapione, ſeu acquiſitione dominii per continuationem poſſeſſionis tempore a lege præſcripti (de qua egi *Tom.* 1. *in* 2. 2. *de Juſt. & Jure, Q.* 6. *de Modo acquir. Dominium, Dub.* 6. & 7.) Illud ergo dogma per præſcriptionem probari poteſt, cujus poſſeſſio a tempore Apoſtolorum, uſque ad certum tempus non interruptum in Eccleſia continuavit; ſed profeſſio dogmatis de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, ſerie non interrupta, a tempore Apoſtolorum continuavit in Eccleſia uſque ad ſæculum undecimum, quo illud impugnare cœpit Berengarius, ergo &c. Min. prob. Nullus Scriptor afferri poteſt, qui ſaltem ante ſæculum Berengarii, Chriſtum realiter ab Euchariſtia abſentem eſſe, in Eccleſiam invehere conatus ſit. Cujus ſignum eſt, quod cum Berengarius ſuam de reali Chriſti abſentia protulit opinionem, omnes Eccleſiæ nedum Occidentales, ſed & Orientales in eum inſurrexerunt: eumque damnarunt; provocaruntque eum, ut in toto Orbe, vel unam Civitatulam laudaret, quæ cum eo abſentiam hanc corporalem profiteretur, ut in Guitmundo, & Lantfranco legere eſt, Si autem ab Apoſtolorum tempore aliqua circa hoc dogma fuiſſet alicubi interruptio, aut Eccleſia ex non credente facta fuiſſet credens; afferri potuiſſet, ac poſſet Doctor, qui primus tale dogma invexiſſet; & aſſignari tempus, quo tanti momenti mutatio contigiſſet; ac via, qua fides de reali præſentia in Eccleſias omnes irrepſerit.

XLVII. Dices: hanc doctrinam de reali præſentia primo excogitatam fuiſſe, vel ab Anaſtaſio Sinaita, anno 636. in libro, quem *Via Dux* inſcripſit: vel ab Epiphanio Diacono in ſecundo Concilio Nicæno: vel a Paſchaſio Corbejenſi Monacho, circa anno 818. in libro *de Corpore, & Sanguine Domini*.

Sed Contra. Nam præfati Patres de reali præſentia locuti ſunt, ut de re omnibus explorata, ac principio certo, non tamquam de novo excogitato. Ita enim Anaſtaſius urgebat Gajanitam, quem impugnabat, quod Gajanita non negavit, ſed aperte confeſſus eſt; negaſſet autem, ſi aliquid novum, & contra fidem illius, & præcedentium ſæculorum Anaſtaſius protuliſſet. Immo Eccleſiæ omnes contra illum, ſicut & contra Epiphanium, & Paſchaſium inſurrexiſſent: ſicut de facto inſurrexerunt contra Berengarium, quando novam de reali abſentia opinionem invehere conatus eſt. Cum ergo nec Scriptores præfatis Patribus coævi, nec ſequentes uſque ad Berengarium damnarint, quod ipſi docuerant; ſed omnes in eadem fuerint fide: dicendum eſt, eos non novam doctrinam prodidiſſe, ſed antiquam fidem ab omnibus acceptam tenuiſſe.

XLVIII. Dices ſecundo. Multæ novitates ſenſim in Eccleſiam contra Veterum ſenſum irrepſerunt, nemine contradicente. Primo enim: prioribus ſæculis Eccleſia Latina utebatur fermentato, modo utitur azymo. —— Secundo: Majores noſtri jejunium ad occaſum Solis protrahebant, aliquibus ab hinc ſæculis poſt meridiem ſolvimus — Tertio: Per duodecim priora ſæcula communio ſub utraque ſpecie etiam laicis concedebatur; modo ſolis Sacerdotibus: hiſque ſolum cum celebrant quatuor, ab hinc ſæculis conceditur —— Quarto: Imaginum uſum Eccleſiæ initia vix agnoverunt; Nicæni II. Patres admiſerunt. Potuit ergo etiam doctrina de reali præſentia contra Veterum ſenſum in Eccleſiam irrepere.

XLIX. Reſpondeo, diſt. ant. Multæ novitates circa diſciplinam, & ritum, quales ſunt ab arguente memoratæ, tranſeat ant. Circa doctrinam fidei, neg. ant. & conſ. Immo de præfatis mutationibus aſſignatur tempus, quo fuerunt factæ; quod de mutatione doctrinæ circa præſentiam realem nemo hucuſque aſſignare cum fundamento valuit.

L. Dico tertio. Ex conſenſu omnium Eccleſiarum demonſtrari poteſt corporalis Chriſti præſentia in Euchariſtia. Probo ſic. Fieri non poteſt, ut omnes Eccleſiæ receptam ab Apoſtolis doctrinam corruperint; cum in fide univerſalis Eccleſia non poſſit deficere, in eo maxime, quod omnes Eccleſiæ unanimi conſenſu recipiunt: ſed omnes Eccleſiæ ab Apoſtolis uſque ad Berengarium, & a Berengario uſque ad Sacramentarios, unanimi conſenſu corporalem Chriſti in Euchariſtia præſentiam profeſſæ ſunt, & eam negantes tamquam a fide extorres ſunt deteſtatæ; ergo &c. Min. probant Alexandre, *Hiſt. Eccleſ. ſæculo* 10. & 11. *diſſert.* 12. & Juenin, *de Euch.* omnia ſæcula percurrendo. Quod autem mihi majus eſt, Eccleſia Orientalis, quæ in tot aliis ab Occidentali, neſcio qua emulatione, diſcors fuit, & adhuc eſt; in aſſerenda reali Chriſti præſentia in Euchariſtia ſemper quovis ſæculo conſenſit, quod duo prælaudati Doctores proſequuntur. Unde Jeremias Conſtantinopolitanus Patriarcha, circa *anno* 1574. rogatus a Lutheranis, de Auguſtana ſua confeſſione in ſua cenſura reſpondit: *Docere Eccleſiam Catholicam, operante Spiritu Sancto, panem* (*modo tamen fermentatus ſit*) *mutari in ipſum corpus, & vinum in ipſum ſanguinem Domini.* Quæ fides modo apud omnes Orientales perdurat. Quare in Concil. Jeroſolymitano, *anno* 1672. ſub Doſitheo coacto, *cap.* 17. ſic Græci, quamvis Schiſmatici, ſtatuerunt: *In hujus itaque celebratione ſacramenti Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum credimus eſſe præſentem; non quidem ſecundum figuram, aut imaginem; neque etiam ſecundum quandam, uti cæteris in ſacramentis, gratia excellentiam . . . . Neque penes conjunctionem, qua propoſito Euchariſtiæ pani Verbi divinitas ſubſtantialiter* (*hypoſtatice*) *uniatur; quemadmodum inſcite juxta, ac miſere Lutherani arbitrantur; ſed vere, realiterque, quatenus panis, & vini facta conſecratione, tranſmutetur, tranſubſtantietur, convertatur, tranſeat panis quidem in ipſum corpus Domini verum, quod natum eſt Bethlehem ex ſemper Virgine . . . . Vinum vero in ipſum Domini ſanguinem verum converti, ac tranſubſtantiari, qui ex illo in Cruce pendente pro mundi vita defluxit. Idem facta panis, & vini conſecratione, nec panis, nec vini manere amplius ſubſtantiam credimus, ſed ipſum corpus & ſanguinem Domini, ſub panis, & vini ſpeciebus, ideſt, ſub panis accidentibus.* Hæc fides Eccleſiæ Græcæ modernæ, etſi ſchiſmaticæ, nonne eadem eſt cum fide Eccleſiæ Catholicæ Latinæ? Hanc fuiſſe ſemper Eccleſiæ Græcæ fidem teſtati ſunt Græci; qui tum ad Concilium Lugdunenſe primum, tum ad Florentinum convenere.

§. VII.

Realis Corporis, & Sanguinis Chriſti Præſentia Argumentis Philoſophicis expugnari non poteſt.

LI. HÆc reſolutio probatur hoc diſcurſu. Id non poteſt argumentis Philoſophicis expugnari, quod tueri poſſumus contra omnes philoſophicas difficultates, omniaque contra ipſum argumenta ex philoſophia petita enervare: ſed omnia argumenta, ex philoſophia deprompta, contra veritatem corporalis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia enodamus, ac Patres ſemper ſolverunt, nec iis territi veritatem catholicam numquam dimiſerunt; ergo &c. Min. prob. proponendo, & ſolvendo ea, quæ in contrarium ex Philoſophia objici poſſunt.

LII. Contra ergo objiciunt Sacramentarii, Euchariſtiam, ut a Romanæ fidei Profeſſoribus aſſeritur, plurimas involvere inſolubiles difficultates. Primo: Ex parte corporis Chriſti, quod in hac ſuppoſitione ſimul exiſteret in pluribus locis: totum ſub exigua hoſtia contineretur, & in qualibet ejus parte: ſpeciebus in fruſta diviſis, ipſum tamen integrum ac indiviſum permaneret. Quæ ſunt contra naturam corporis.

Secundo: ex parte accidentium, quæ ſupponuntur exiſtere ſine ſubjecto, quod contra naturam accidentis eſt.

Tertio: ex parte ſenſuum, quos panis conſecratus eodem modo afficit, ac prophanus. Mirum autem, quod de his Patres, qui ſex prioribus ſæculis ſcripſerunt, altiſſimum habuerint ſilentium.

Quod confirmant. Æthnici, qui alias longe minoris momenti difficultates Chriſtianis objecerunt, realem hanc præſentiam, & tranſubſtantiationem Euchariſticam numquam objecerunt. Signum ergo eſt, quod eam primitivi Chriſtiani non profitebantur; eam enim certe Chriſtianis exprobraſſent; & maxime Julianus Apoſtata in ſuo libro, quem contra Chriſtianos edidit. Cum ergo nullum verbum contra hoc Myſterium protulerit, ſignum eſt, eadem de illo non ſenſiſſe Veteres, ac Romani ſentiunt.

LIII. Reſpondeo, Patres propoſitas difficultates vidiſſe, eaſque præviſſe, ac fideles monuiſſe, ut, illis contemptis, ad Chriſti verba attenderent; ſecuti Gabrielis monitum, Lucæ 1. Qui Mariæ quærenti: *Quomodo fiet iſtud?* Reſpondit: *Quia non eſt impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Quod autem Patres eas difficultates viderint, ac ſpreverint, oſtendo. Primam enim, quomodo Chriſtus ſimul in Cælis, ac in terris ſit, ſenſit ac ſprevit Chryſoſtomus, l. 3. de Sacerdotio, ſupra laudatus exclamans: *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe tradit volentibus ipſum excipere, & complecti.* Vidit Nyſſenus, *Orat. Catech.* 37. ubi ait: *Oportet conſiderare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo Orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat?* — Secundum de accidentibus ſine ſubjecto ibi exiſtentibus ſolvere tenentur omnes, qui Incarnationis credunt myſterium. Si enim in hoc fateri tenentur, humanitatem, cui, utpote ſubſtantiæ debetur ſubſiſtere per ſe, & in ſe ſubſiſtere in alio, & per aliud, nempe in, & per perſonam Verbi: cui accidentia, quibus debetur eſſe in alio, non poterunt in Euchariſtia ſubſiſtere in ſe, & per ſe? Tertium attigit Chryſoſtomus, *Homil.* 83. *in Matth.* ſupra laudatus, dicens: *Credamus ubique Deo, nec contradicamus ei; etiamſi quod dicit, contrarium videatur cogitationi, & oculis noſtris: ſed ipſius ſermo ſuperet & cogitationem noſtram, & oculos ... Quandoquidem igitur Sermo ait:* Hoc eſt corpus meum, *perſuaſi ſimus, & credamus, & oculis intellectualibus id aſpiciamus.*

LIV. Reſpondeo ſecundo. Quod ſi difficultatibus philoſophicis deterreri debebimus; nec fatebimur Trinitatis Myſterium, quo fides docet, tres eſſe perſonas realiter diſtinctas inter ſe, cum eadem tamen eſſentia realiter identificatas; quia huic opponitur illud philoſophicum principium: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Et modus inextricabilis videtur pluralitas perſonarum cum unitate eſſentiæ, & naturæ; maxime cum una perſona realiter producat aliam. Negare etiam oportebit Incarnationis Myſterium, quia percipi nequit, quomodo Deus uniri de novo poſſit naturæ creatæ abſque ſui mutatione: quomodo duplicis naturæ creatæ, ac divinæ poſſit eadem eſſe perſona, & hæc divina: quomodo ille, qui ſenſibus erat homo paſſibilis, credi etiam debeat per naturam Deus. Si ergo credunt, quia Deus dixit, cur non credent Deo, dicenti ſuper panem: *Hoc eſt corpus meum?* — Non multa quidem priorum ſæculorum Patres (quamvis aliqua, ut vidimus) de hoc Myſterio dixerunt. Tum quia, ut diximus, illud quantum poterant Ethnicis occultare, immo & ipſis Catechumenis, ſtudebant. Tum quia: ſicut de Verbi conſubſtantialitate Patres ante Arium ſobrie locuti ſunt; quia nemo eam impugnabat: cum vero ab Ario contra eam fuit lis intentata, omnes fere Patres pro ea calamum acuerunt: ita de exiſtentia reali Chriſti in Euchariſtia Patres ante Berengarium, qui primus contra eam inſurrexit, pauca dixerunt: ex tunc tamen quotquot ſcripſerunt de hoc myſterio, fuſius, & apertius loqui cœperunt.

LV. Ne autem putent Sacramentarii, dogmata catholica, quæ profitemur, Chriſtianæ Philoſophiæ eſſe contraria, omnia, quæ objecta ſunt, enodare placet. Ad primum ergo dico, fere omnes extra Scholam S. Thomæ admittere, poſſe per miraculum eſſe idem corpus ſimul in pluribus locis: unde in hac opinione ceſſat difficultas. In ſententia vero S. Thomæ negatur quidem, unum corpus poſſe ſimul eſſe in duplici loco circumſcriptive: ſeu modo quantitativo, & extenſo: quia (dicunt) deberet in illo corpore duplicari extenſio, & quantitas, ac proinde eſſet unum corpus, & non eſſet unum. Non negatur tamen, poſſe idem corpus eſſe in uno loco circumſcriptive, & modo extenſo; in alio vero, immo & in pluribus modo inextenſo, & non ratione quantitatis, ſed converſionis ſacramentalis, quomodo corpus Chriſti eſt in una, vel pluribus hoſtiis — Hac etiam ratione explicant, quomodo corpus Chriſti totum ſub parva hoſtia ſit, & ea diviſa non dividatur. Nam cum ibi ſit, non ad modum corporis quanti, extenſi, & diviſibilis, ſed ad modum ſubſtantiæ, & modo inextenſo, & indiviſibili; ſicut ſubſtantia panis eſt in accidentibus, & anima in corpore: hinc, ſicut in qualibet parte panis eſt tota ſubſtantia panis, & in qualibet parte corporis tota anima; nec diviſo corpore dividitur ſubſtantia, vel anima; ſic dicunt de corpore Chriſti in ſacramento.

Ad ſecundum jam dictum eſt. Noto autem, quod eſſentia accidentis non eſt actualiter eſſe in alio, ſed eſſe id, cui ex natura ſua debetur, ut ſit in alio. Sicut ergo licet ſubſtantiæ debeatur eſſe per ſe; poteſt tamen eſſe in alio, ut in humanitate aſſumpta a Verbo patet; & ſicut licet igni debeatur, quod comburat, potuit tamen per miraculum ignis Bahylonicus actu non comburere tres pueros: ita licet debeatur accidenti, ut ſit in alio, poterit in Euchariſtia actu eſſe per ſe.

Ad tertium dico, in Euchariſtia ſenſus non falli: quia ſenſus ibi percipit accidentia panis, & vini, quæ vere ibi ſunt; judicare autem de ſubſtantia, quæ ſub illis accidentibus latet, ad ſenſus non pertinet, ſed ad intellectum, qui eſto, ſecluſa fide ex accidentibus panis, judicet, ibi eſſe ſubſtantiam panis; cum tamen audit Chriſtum dicentem: *Hoc eſt corpus meum*, judicare debet, loco ſubſtantiæ panis ſubrogatum eſſe ipſum corpus Chriſti.

LVI. Ad Confirm. dico, mirum non eſſe, quod Ethnici contra realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, & tranſubſtantiationem nihil Chriſtianis objecerint; cum hoc myſterium eis occultare ſumma diligentia conarentur Veteres. Qua de praxi Opuſculum edidit Scheleſtrate, *De Diſciplina arcani* nuncupatum. Hinc Patres, qui primis quinque ſæculis floruerunt, obſcure loqui de Euchariſtia conſueverunt, ubi Pagani, vel Judæi, aut etiam Catechumeni adeſſent; vel periculum erat, ne in eorum manus ſua ſcripta inciderent. Id conſtat ex Alexandrina Synodo apud S. Athanaſium, *Apolog.* 2. ex S. Cyrillo Jeroſol. *Catech. 6. Illuminatorum.* S. Baſilio, *lib. de Spiritu Sancto.* S. Ambroſio, *lib. de Iis qui initiantur, cap.* 1. & S. Auguſtino *locis ſupra citatis.* Cujus diſciplinæ, quam univerſalem fuiſſe conſtat, cum originem non videamus, nec ab ullo Concilio noverimus inſtitutam; Auctores ipſos Apoſtolos fuiſſe colligere poſſumus.

Quod vero additur de Juliano apoſtata, qui cum fuiſſet Chriſtianorum myſteriorum particeps, immo & Lector in Eccleſia, optime noverat, quid Chriſtiani de Euchariſtia crederent; & tamen hoc factus apoſtata non objecit: dico, hoc eſſe incertum, cum ex tribus ſaltem libris Juliani contra Chriſtianam Religionem unum duntaxat, nec illum etiam integrum a S. Cyrillo Alexand. confutatum habeamus. In illo certe libro, qui extat, doctrinam de Euchariſtia non ſuſcipit impugnandam; quod forte præſtitit in ſecundo, ad quem (ait impius ille) falſa Evangeliorum prodigia, & præſtigias erat impugnaturus. Veroſimile etiam eſt, quod licet aliquando Julianus contra Euchariſtiam dixiſſet; hæc ſilentio eſſet præteriturus S. Cyrillus, ne Ethnicis tantum Myſterium proderet. Sic cum Julianus Chriſtianorum Baptiſma multis ſugillaſſet, S. Cyrillus, non explicat, quid de Baptiſmo Eccleſia credat; idque ſilere ſe ait, quia Myſteria prophanis aperire nefas ſit.

LVII. Verum hoc, quod ex Ethnicorum ſilentio objiciunt nobis Calviniſtæ, in ipſos retorqueri poteſt. Dicam enim. Si Eccleſia primis ſæculis credidiſſet, Euchariſtiam eſſe figuram corporis, & ſanguinis Domini, virtute ejuſdem repletam; & Chriſtianos dum manducarent panem illum, & vinum biberent. Chriſti corpus, & ſanguinem in figura manducare & bibere; nonne Pagani id Chriſtianis objeciſſent, qui cum ab Idolis omnem virtutem adimerent, faterentur poſtea pani, & vino tamquam imagini Dei ſui, & ejus ore conſecratæ talem adeſſe virtutem, ut in ea ſpem reponerent? Nihil autem ejuſmodi objectum fuiſſe a Paganis teſtatur ſilentium Patrum, qui iis ſæculis floruere; ergo &c.

LVIII. Secundo Objiciunt. Superflua eſt hæc realis præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. Nam Chriſtus exiſtens in Euchariſtia, tamquam in ſymbolo, typo, aut figura, non minus fidelium animas paſceret; quam ſi adſit realiter.

Quid enim impedit, quin fides, & charitas ſic complectantur Chriſtum in Cælis exiſtentem, ac ſi realiter in Euchariſtia eſſet præſens?

Urgetur. Sicut communis cibus ordinatur ad refectionem corporis; ita cibus Euchariſticus ad refectionem animæ: ſed

ſed abſurdum eſſe cibum communem ſumere per os animæ, nempe, per fidem: ergo abſurdum erit cibum Euchariſticum ſumere per os corporis.

LIX. Reſp. ſi hæc inſtantia valet, probaret etiam, eſſe ſuperfluam Incarnationem: quia ſine hac potuit etiam hominem perditum liberare aſſumendo figuram carnis, ut volebant Manichæi: immo & ſuperfluam eſſe Euchariſtiam, quia potuit Chriſtus abſque tali typo animam paſcere. Sicut ergo dicimus, in Chriſto fuiſſe veram carnem, quia dicit Jo: *Verbum caro factum eſt*: ita credimus, in Euchariſtia vere corpus Chriſti eſſe, quia ipſe dixit: *Hoc eſt corpus meum*. Hoc autem voluit Chriſtus: tum, ut ſui amoris argumentum nobis relinqueret: tum ob alios ſuæ ſapientiæ fines, quos expendit Chryſoſtomus *Hom. 45. in Jo:*

Ad id, quod urgetur, reſpondeo, hoc eodem argumento premi adverſarios. Si enim cibo Euchariſtico, ut typo corporis Chriſti, reficienda anima eſt, cur per os corporis ſumitur?

Dico ergo, quod eſto cibus animæ per ſe non debeat ſumi per os corporis; ex inſtitutione tamen divina id convenit. Nam ſicut voluit Deus carnem ſumere, ut animas noſtras ſanaret; ſic voluit ſub corporeo cibo latere, ut eaſdem reficeret. Quia ergo voluit verbum Dei, eſto ſpirituale, aure corporea percipi, & carnem ablui in Baptiſmo, ut anima emundetur; voluit etiam ſpiritualem cibum per os corporis ſumi, ut anima nutriretur. Tandem: ſi res corporeæ, ut ſunt corpus Chriſti, & ſanguis ore ſpirituali percipi poſſunt, ut Calviniſtis placet; cur cibus ſpiritualis ore corporis ſumi non poterit?

LX. Tertio objiciunt. Ex corporali Chriſti præſentia in Euchariſtia aliqua abſurda ſequuntur; nempe, Chriſti corpus in humum aliquando cadere, dentibus atteri, in ventrem, & in feceſſum ire, a muribus corrodi, putreſcere, aceſcere, concremari: cum enim hæc omnia ſpeciebus Euchariſticis aliquando accidant, accident etiam corpori Chriſti latenti ſub ipſis.

LXI. Hujuſmodi cachinis ſubſannabant veritatem Incarnationis, Tertulliano teſte, *lib. de carne Chriſti, c. 4. &c.* Marcionitæ: eam proinde negantes, quia Deum indecens judicabant concludi in utero, reclinari in præſepio, colaphis cædi, Cruci affigi &c. Et Neſtorius ipſe non ſine ſtomacho excepit Cyrilli anathematiſmos: quia ex illis arbitrabatur ſequi, dici poſſe Deum *Bimeſtrem, trimeſtrem*. Si ergo his non obſtantibus a veræ fidei confeſſione Patres non ſunt deterriti: ſi non obſtante, quod Chriſti Crux Judæis eſſet ſcandalo, & Gentibus ſtultitia, Chriſtum, & hunc Crucifixum, prædicare Apoſtoli non deſtiterunt: ſic nec nos ob Hæreticorum irriſiones a corporali Chriſti præſentia in Euchariſtia profitenda ceſſare debemus, Auguſtini monitu, Epiſt. 49. nunc 102. ad Deo gratias, q. 6. *Nec in Chriſtum crederemus .... ſi fides Chriſtianorum cachinnum metueret Paganorum*, tricas hæreticorum.

LXII. Reſp. tamen, nihil eorum, quæ opponuntur, ſequi. Cum enim Chriſtus in Euchariſtia ſit modo inextenſo, indiviſibili, ac impaſſibili; quidquid contra Euchariſtiam fit, in ipſis ſpeciebus ſiſtit, & nullatenus corpus Chriſti lædere poteſt. Ipſique peccatores indigne corpus Chriſti ſumentes, non magis nocent Chriſti corpori, quam noceant Deo, quando peccant, vel ipſum blaſphemant; nec magis inficitur in locis obſcenis, quam inficiatur radius ſolis in cœno.

Dubium II.

An Corpus Chriſti in Euchariſtia ſit per Impanationem an per Conſubſtantiationem?

§. I.

Rejicitur Impanatio.

I. SUppoſita ex præcedenti Dubio reali, & corporali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; modus talis præſentiæ inquirendus eſt. Tribus ergo modis hæc ſubſtantialis præſentia concipi poteſt. Primo: per impanationem. Secundo: per conſubſtantiationem. Tertio: per tranſubſtantiationem: *Impanationis* nomine intelligitur unio hypoſtatica Verbi cum pane, ſicut Incarnationis nomine intelligitur unio hypoſtatica Verbi cum carne humana. Ita ut hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, reddant hunc ſenſum: hic panis per unionem hypoſtaticam eſt meum corpus. Per conſubſtantiationem intelligitur coexiſtentia ſubſtantiæ carnis Chriſti cum ſubſtantia panis; ita ut ſubſtantia carnis Chriſti, & ſubſtantia panis in Euchariſtia vere ſimul exiſtant. Tandem per tranſubſtantiationem intelligitur converſio ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti: ita ut facta conſecratione ſubſtantia panis, & vini amplius non ſit, ſed in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti converſa. Ex his ergo tribus modis inquiremus, quinam ſecundum fidem Catholicam corpori, & ſanguini Chriſti tribuendus ſit: an impanationis, an conſubſtantiationis, an tranſubſtantiationis. Et primo de Impanatione.

II. David Blondellus Calviniſta audaciſſimus primum Impanationis auctorem facit Paſchaſium Rathbertum lib. de corpore, & ſanguine Domini, nono ſæculo edito. Hanc eamdem impanationis ſententiam affingit Conciliis omnibus, quæ contra Berengarium celebrata ſunt, aſſerens, auctores omnes, qui a Berengario ad Waldenſes (qui duodecimo ſæculo pullularunt) libros conſcripſere, docuiſſe: divinum Verbum panem aſſumpſiſſe.

Sed hanc putidiſſimam calumniam deprehendet quiſque qui legerit, tum Paſchaſii librum, tum præfatorum acta Conciliorum, Paſchaſius enim panis, & vini ſubſtantiam non remanere docuit; & variis Patrum textibus, in Epiſt. ad Frudgardum, aſſerere conatur panis, & vini converſionem in corpus, & ſanguinem Chriſti: neque eſſe habendam rationem ſenſuum, qui panem in Euchariſtia conſecrata percipiunt; ut videre eſt, laudato libro de corp. & ſang. Domini cap. 1.

Concilia pariter contra Berengarium coacta fuere. Vel Romanum ſub Leone IX. & iſtud nil aliud fecit, quam damnare doctrinam Jo: Eridiani, & approbare ſententiam Paſchaſii; quæ, ut diximus, non impanationem propugnabat, ſed tranſubſtantionem. Alterum, quod fuit Vercellenſe, *anno* 1050. ſub eodem Leone IX. teſte Lantfranco, impanationem non aſtruit, ſed tranſubſtantiationem. Tertium quod fuit Turonenſe, *anno* 1055. ſub Victore II. teſte eodem Lantfranco, damnat Berengarium, quod ſententiam contra communem fidem tueretur: communis autem fides impanationem nunquam admiſit. Cætera vero, nempe, Romanum ſub Nicolao II. nil aliud fecit, quam confirmare ea, quæ in præcedentibus capitulis ſtatuta fuerunt: Romanum, *anno* 1079. ſub Gregorio VII. cap. *Ego Berengarius*, expreſſe Berengarium coegit, ut fateretur *Panem, & vinum, quæ ponuntur in altari, per ... verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificatricem carnem, & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri &c.*

III. Cardinalis Bellarminus impanationis auctorem facit Rupertum Abbatem Tuitienſem, qui obiit circa annum 1111. Sed licet Auctor iſte prorſus pius, & Catholicus aliqua dixerit, quæ prima facie impanationi favere videantur; ut cum Euchariſtiam comparat Incarnationi: poteſt tamen ad Catholicum ſenſum trahi, dicendo: comparationem tenere quidem quantum ad aliquod, nimirum: quod ſicut humana caro unita hypoſtatice Deo, caro Dei vocatur, & eſt; ita panis converſus in carnem Chriſti caro Verbi appellatur, & eſt: non vero, quod ſicut in Incarnatione manet duplex natura, divina, & humana; ita in Euchariſtia maneat natura panis, & carnis Chriſti. Cum autem videtur dicere, panem in carnem Chriſti non mutari, ſicut per Incarnationem caro non mutatur in Verbum: exponi poteſt de mutatione, qua panis vel deſtruatur, vel mutetur in pejus: cum alioquin dicat, panem ea ratione mutari in corpus Chriſti, qua aqua in nuptiis cana mutata fuit in vinum. Cum tandem dicit, in impium, præter viſibiles ſpecies, nihil de Sacrificio pervenire; loquitur de fructu; non de ſubſtantia Sacrificii. Cæterum veram panis converſionem in corpus Chriſti Rupertum admiſiſſe, apparet ex ejuſdem Epiſt. nuncupatoria ad comment. in Jo: Ubi aſſerit, Euchariſtiam continere Chriſti corpus, quod pro nobis traditum eſt, & ſanguinem qui pro nobis effuſus eſt; ergo continet carnem corpus, cum corpus panaceum in cruce pro nobis traditum non ſit. Unde ibi addit. *Credamus fideli ſalvatori Deo in eo, quod non videmus, ſcilicet panem, & vinum in veram corporis, & ſanguinis Domini tranſiſſe ſubſtantiam*, & lib. 2. de divinis Officiis, cap. 2. *Panis* (inquit) *& vinum in verum corpus, & ſanguinem Domini transferuntur*. Hæc in gratiam pii illius viri dicta ſint. Contra ergo hunc errorem, cujuſcumque ſit auctoris, ſive fuerint Berengarii diſcipuli, ut quidam putant, ſive alii,

IV. Dico. Chriſtus non eſt in Euchariſtia per impanationem. Probo ex Scriptura. Nam verba Evangelica, quæ habentur, Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum*, de corpore carneo, non de panaceo intelliguntur: illud enim corpus demonſtrant, quod erat in Cruce tradendum, unde ſequitur, *quod pro vobis tradetur*: corpus autem pro nobis traditum carneum erat, non panaceum.

V. Si dicas: quod ſicut de humana natura aſſumpta a Verbo dici poteſt: *Hic homo eſt Deus*, ita etiam de pane aſſumpto dici poſſet: *Hic panis eſt corpus Chriſti* —— Contra eſt. Nam licet ſtante unione hypoſtatica Verbi cum humana natura ſit vera iſta: *Deus eſt homo; hic homo eſt Deus*; non tamen eſt vera hæc, *Deus eſt corpus, Deus eſt anima*. Quia non valet naturarum de ſe invicem prædicatio; niſi in iis, quæ ſe habent, ut tota, ac integra ſuppoſita; ergo data etiam unione hypoſtatica Verbi cum pane, non erit verum dicere: *Panis eſt corpus Chriſti*, niſi forte per figuram metonymiæ, quæ hic locum non habet: nam verba conſecrationis formaliter, & immediate corpus, & non totum Chriſtum ſignificant, niſi per concomitantiam.

VI. Si replices: Corpus Chriſti carneum eſſe ſimul in Euchariſtia cum panaceo, ſaltem per concomitantiam; & hac ratione corpus panaceum fuiſſe pro nobis in cruce traditum. —— Contra eſt primo. Quia conſecrationis verba exprimunt formaliter corpus, quod formaliter traditum eſt; non vero id, quod eſt traditum ſolum per concomitantiam. Secundo. Unio hypoſtatica unius naturæ cum alia concomitantiam ſecum non trahit: alias oporteret

subscribere errori Ubiquistarum asserentium, Christi humanitatem esse in omnibus locis; ubi adest Verbum cum sua divinitate.

VII. Secundo probo ex Patribus. Patres enim docent primo: fideles in Eucharistia recipere Christi corpus, quod natum est ex Virgine, quod Cruci affixum, sepultumque postea resurrexit; hujusmodi autem panaceum non est, sed carneum. Secundo Christi corpus, quod in Eucharistia recipitur, corruptioni non esse obnoxium, in secessum non abire, non lacerari, non dividi; hæc autem soli corpori carneo, non panaceo conveniunt: hoc enim corrumpitur, in secessum abit &c. Tertio. Neminem debere fidere sensibus, qui panem, & vinum in Eucharistia, etiam post consecrationem remanere testantur.

VIII. Tertio probo ratione. Nulla enim omnino causa reddi potest, cur Christus hypostatice panem assumpserit; & unio, quæ semel cum homine facta fuit, quotidie cum pane fiat, & destruatur. Quid enim mirabilius creaturæ Deus donavit, quam suam personalitatem, dum Verbum caro factum est? Quis autem ferat, donum adeo singulare quotidie pani communicari, & paulo post auferri? Insuper quod verbum naturam humanam assumpserit, ratio fuit, ut illam a peccato liberaret: ideo enim non Angelum, aliamve naturam assumpsit, quia hæc liberatione non indigebat. Quorsum ergo panem nullius liberationis indigum quotidie assumeret, ac dimitteret, contra Theologicum axioma: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit?*

Dices. Damascenus, *lib. 4. de fide Orthod. cap. 13.* hæc habere: quod *Conjuncta cum illis* (pane, & vino) *sua divinitate, hæc corpus, & sanguinem suum facit &c.* —— Respondet S. Thom. *3. p. q. 75. art. 2. ad 1. Quod Deus conjugavit divinitatem suam, idest, divinam virtutem, pani & vino, non ut remanerent in hoc sacramento, sed ut faciat inde corpus, & sanguinem suum.* Ita S. Thom. quod Damascenus ipse indicat, addens: *Quia panis ipse, & vinum in corpus, & sanguinem Dei transmutantur.*

§. II.

Rejecta Consubstantiatione Transubstantiatio statuitur.

IX. NEmini dubium est, quin consubstantiationis doctrina, idest, quod in Eucharistia substantia panis, & vini simul existat cum corpore, & sanguine Domini, ex officina Berengarii primo prodierit. Convictus enim ipse, ejusque sectarii Catholicorum argumentis, confessi sunt, ibi esse quidem verum corpus, & sanguinem Christi, sed una cum pane, & vino. Ita Guitmundus, *lib. de corp. & sang. Domini.*

X. Hunc errorem suo tempore extinctum excitavit Lutherus, libro, quem de captivitate Babylonica inscripsit, *anno* 1520. asserens primo: panem una cum Christi corpore post consecrationem in Eucharistia manere. Secundo: transubstantiationem, aut non transubstantiationem parum, vel nihil ad fidem pertinere: Licet paulo post, sibi de more inconstans, tum rescribens ad Henricum III. Angliæ Regem, tum, *Epist. ad Waldenses* aperte transubstantiationem rejecerit, tamquam fidei eversivam. Attamen

XI. Dico. Fide Catholica certo tenendum est, Christum in Eucharistia esse præsentem per transubstantiationem, qua tota substantia panis, & vini convertitur in illius corpus, & sanguinem. Hanc Catholicam veritatem in pluribus Conciliis definitam sanxit Tridentinum, *Sess. 13. c. 4.* his verbis: *Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hac Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus: qua conversio convenienter, & proprie a Sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.* Et *Can. 2.* oppositum sub anathemate damnat.

XII. Probatur ex verbis institutionis, sic. Si panis, & vinum facta consecratione manerent, & non transubstantiarentur in corpus, & sanguinem Christi, non verificarentur verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Ut enim verificentur, debet subjectum propositionis, nimirum, *Hoc*, vel *Hic* supponere, & idem esse in supposito corporis, & sanguinis Christi: at si panis, & vinum facta consecratione manerent, ly *Hoc*, aut *Hic* non designarent suppositum: nam designarent suppositum panis, & vini, quod est realiter distinctum a supposito corporis, & sanguinis Christi; ergo &c. Maj. probatur ad hominem contra Lutheranos. Si in Christo aliud esset suppositum humanum, & divinum, non verificarentur verba, Jo: 1. *Verbum caro factum est.* Nec dici posset demonstrato Christo: *Hic est Deus.* Nam & ipsi contra Nestorianos dicunt, ut verificetur Deum esse hominem, & ut Christus proprie dicatur, & sit Deus; debere propriam hominis personalitatem quasi absorberi, & loco illius subrogari personalitatem divinam: ita ut idem sit suppositum hominis, & Dei; ergo a pari &c. Unde ait S. Thom. 3. p. q. 75. art. 2. proprie non posset dici: *Hoc est corpus*; sed potius dicendum esset: *Hic est corpus.*

XIII. Scio, aliquos hanc rationem judicare inefficacem, maxime si præfata verba speculative, & non practice accipiantur. Quia licet panis non transiret in corpus Christi; cum tamen contineret illud, ostendendo panem, dici posset. *Hoc est corpus Christi.* Sicut ostendendo crumenam continentem pecuniam, & dolium continens vinum, dici potest: hæc est pecunia, hoc est vinum, licet nec crumena sit pecunia, nec dolium sit vinum. Ita respondent etiam Lutherani. Unde Scotus putat, ex verbis Christi, ut significativa præcise sunt, non probari efficaciter transubstantiationem, & Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracensis addidit, nedum ex Scriptura id efficaciter non colligi, sed nec ex definitione Ecclesiæ; sed solum esse magis consentaneum doctrinæ Patrum.

XIV. Sed contra. In primis enim Concilium Tridentinum citato loco, ex eo probat conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi; quia ipse *vere* dixit esse corpus suum: ergo requirit conversionem ad verificandum dictum Christi in sensu proprio, & non tantum secundum metonymiam, sumendo continens pro re contenta. Deinde: licet anima rationalis sit intra corpus, nemo tamen ostendendo corpus dicit: *Hoc est anima.* Quia anima licet corpori unita, non tamen est loco corporis constituta. Similiter si quis a Dæmone possideatur, licet Dæmon sit intra ipsum, non tamen dici potest demonstrando hominem illum: *Hic est Dæmon.* Quia id, quod apparet in homine, neque ex natura, neque ex substitutione Dæmon est. Et tandem si Persona divina non esset substituta loco humanæ, quamvis illi fuisset intime unita, non potuisset dici: *Hic* (demonstrato Christo) *est Deus*; ergo pariter si substantia corporis Christi non substituatur loco panis, non poterit dici: *Hoc est corpus Christi.*

XV. Ratio autem, quare demonstrata crumena dici potest: *Hæc est pecunia*; & demonstrato dolio dici potest: *Hoc est vinum*, ea esse potest: Vel quia ex natura sua, vel ex usu communi crumena instituta est ad continendam pecuniam, & dolium ad continendum vinum. Unde, si sub pane absconderetur argentum, vel homo clauderetur in quercu, vel in arca, dici non posset: *Hoc est argentum*; sed: *Hic est argentum.* Neque: *Hic est homo*; sed: *Hic est homo.* At panis neque ex natura sua, neque ex usu communi hominum continet corpus Christi, nec habet figuram vasis illud capientis; ergo non verificarentur verba Christi, nec Christus tenens panem in manibus potuisset vere dicere: *Hoc est corpus meum.*

XVI. Confirmantur dicta. Si verba: *Hoc est corpus meum*, verificantur per hoc, quod panis contineat *corpus meum*, possent etiam verificari per hoc, quod panis figuret, & significet *corpus meum*: quod Lutherani contra Calvinistas negant. Et probo. Si enim verba Scripturæ verificantur per hoc, quod a proprio sensu detorqueantur uno modo, cur non alio? Immo magis verificarentur in sensu Calvinistico, in quo panis, esto non transmutetur realiter, & proprie in corpus Christi; transmutatur tamen significative: unde similes locutiones habemus in Scripturis, quas Calvinistæ pro se afferunt, ut vidimus: In sensu autem Lutherano panis, nec proprie, nec figurative, aut typice evadit corpus Christi.

XVII. Secundo probatur ratione, quam ex S. Thoma, citata *q. 75. art. 2.* desumpsit Catechismus Romanus, sic. Ut corpus, & sanguis Christi per consecrationem incipiat esse præsens in Eucharistia, in qua præsens non erat: oportet, ut fiat vel per loci mutationem, vel per creationem, vel per conversionem alterius in ipsum: non enim potest aliquid incipere esse, ubi prius non erat, nisi quia vel de novo illuc localiter transit, vel quia ibi de novo creatur, vel quia aliquid de novo convertitur in ipsum; sicut ignis non potest incipere esse de novo in domo aliqua, nisi quia, vel illuc defertur, vel quia ibi creatur, vel quia ibi ex combustibili generatur; sed corpus Christi non potest incipere esse in Eucharistia per motum localem. Primo quia sequeretur, quod desineret esse in Cælo: non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo: quia omne corpus, quod localiter movetur, pertransit omnia media, quod hic dici non potest. Tertio: quia impossibile est, quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca; cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse possit. Multo minus credibile est, corpus Christi in Eucharistia de novo creari, aut generari quoad substantiam. Restat ergo, quod ibi incipiat esse per hoc, quod panis convertatur in ipsum: *Quod autem convertitur in aliquid, facta conversione non manet. Unde relinquitur, quod salva veritate hujus sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non possit.* Ita concludit S. Thom.

XVIII. In hanc transubstantiationis fidem conspirarunt Patres Cyrillus Jerosol. Cateches. Mystag. 4. *Aquam* (inquit) *aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutaverit!* Et post multa: *Hoc sciendum, & pro certissimo habendum, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum, quod a nobis conspicitur, tametsi sensui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* Et Damascenus, l. 4. de Fide Orth. c. 13. ait: *Corpus est divinitati vere unitum, quod*

quod ex Sancta Virgine ortum habuit; non ut illud, quod in Cælos receptum est, corpus descendat: sed quia panis ipse, & vinum in corpus, & sanguinem Dei transmutatur ... Illud vero dicere alienum non est: quemadmodum naturaliter panis per comestionem, vinumque, & aqua per potionem in corpus, & sanguinem comedentis, & bibentis transmutantur; ut nec corpus fiant aliud a corpore ejus, quod prius extabat: sic panem, qui in Prothesi præparatus fuit, vinum item, & aquam per Spiritus S. invocationem, & adventum, modo, qui naturæ viribus, & conditione sublimior est, in Christi corpus, & sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum & idem.

S. Ambrosius item, *lib. de iis, qui initiantur, c. 9.* probat ex professo; Eucharistiam esse Christi corpus, quia consecratione panis in illud mutatum est: & hanc transmutationem non esse impossibilem variis exemplis persuadet. Primo: in virgam Moysis, quæ in serpentem mutata fuit, & rursus in virgam reversa. Secundo: in aquis fluvii Ægypti, quæ in sanguinem, & rursus in aquas transmutatæ sunt. In petra deserti, quæ fuit in aquas soluta: *Quod si* (inquit) *tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? ... Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est, novas rebus dare, quam mutare naturas.* Hæc erat Ecclesiæ fides IV. Sæculo, immo & antecedentium sæculorum. Pro tertio enim testem habemus Tertullianum jam laudatum, *lib. 4. contr. Marcionem, cap. 46.* dicentem, quod Christus dicendo. *Hoc est corpus meum, corpus suum illius fecit.* Et pro secundo Justinum, *Apolog. 2.* ubi dicit, panem, qui ponitur in altari, non esse amplius panem communem, sed corpus Christi per transmutationem panis in ipsum; & addit, ab Apostolis traditum, & acceptum fuisse.

XIX. Hinc apparet, quam in studio antiquitatis, & littera Patrum sint jejuni Lutherani, aliique dicentes, transubstantiationis dogma ab Innocentio III. in Concil. Lateranensi IV. primo in Ecclesiam invectum fuisse: quia in eo Concilio *Transubstantiationis* vox antiquitus inaudita, primo cœpit usurpari. Nam quidquid sit de voce, certum est, quod res significata per illam, nempe, *Mutatio, Transmutatio, conversio*, & quidem substantialis, apud prælaudatos Patres expresse legitur. Quid autem aliud est transubstantiatio, quam substantialis mutatio? Unde Lutheranos vocem transubstantiationis refugientes alloqui placet iisdem verbis, quibus Arianum vocem *consubstantialis* carpentem alloquebantur. *Nominisne offenderis novitate, an etiam rei ipsius veritate, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo nova rei veritas accessit.* Fateantur ergo Lutherani rei veritatem, quod consecratione panis, & vinum transmutetur, convertatur substantialiter in corpus, & sanguinem Christi; & vocem hoc significantem non rejicient: quod si vocem rejiciunt, signum est, quod rejiciunt etiam rei veritatem.

XX. Ecclesia igitur vocem hanc transubstantiationis potius, quam conversionis, aut mutationis adoptavit; ut exprimeret, per consecrationem substantiam panis & vini sic totam transmutari; ut nec remaneat forma, aut materia panis, aut vini, sed solæ species, seu accidentia utriusque. Ita Trid. *sess. 13. cap. 4.* & *Can. 2.* unde Catechismus ejusdem, tit. de Euch. num. 42. *Hac itaque* (inquit) *admirabilis conversio convenienter & proprie a Sancta Catholica Ecclesia* Transubstantiatio *est appellata, quemadmodum sacra Tridentina Synodus docuit. Ut enim generatio naturalis, quod forma in ea mutetur, proprie* Transformatio *dici potest: ita etiam, quod in sacramento Eucharistiæ tota unius rei substantia in totam alterius rei substantiam transeat, verbum* Transubstantiationis *recte, & sapienter a Majoribus nostris inventum est.*

Hac voce etiam rejicitur tum opinio (ne dicam error) Durandi; qui in 4. *dist. 11. q. 3.* asseruit, formam quidem panis, & vini converti in corpus, & sanguinem Christi, sed non materiam. Tum aliorum, qui, referente S. Th. 3. *p. q. 45. art. 6.* e contra posuerunt, quod facta consecratione non solum remanerent accidentia; sed etiam forma substantialis panis, & vini: unde concedebant, materiam quidem converti in corpus, & sanguinem Christi, sed non formam. Utraque autem hæc opinio tollit veritatem verborum consecrationis: *Hoc est corpus meum.* Nam, nec sola materia, nec sola forma est corpus. Addit S. Th. cit. loco: *Quod si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest: quia si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret, quod est contra predicta. In alia autem materia remanere non posset: quia propria forma non est, nisi in propria materia. Si autem remaneret a materia separata, jam esset forma intelligibilis actu, & etiam intelligens: nam omnes formæ a materia separatæ sunt tales.*

XXI. Ex dictis rejicienda est aliorum opinio, seu verius, error: qui, ut refert Guitmundus, citato loco, volebant, panem, & vinum quoad eam partem, quæ sumenda est a dignis, converti quidem in corpus, & sanguinem Christi: verum quoad partem, quæ ab indignis sumenda est, in substantia panis, & vini remanere. Item aliorum, qui, eodem referente Guitmundo, asserebant, totum quidem panem, & vinum altaris in carnem, & sanguinem Domini converti: sed cum indigni ad communionem veniunt, in ipso actu sumendi reverti in substantiam panis, & vini. Rejiciendus, inquam, est error iste: quia ex hoc sequeretur, quod nemo sumeret corpus, & sanguinem Domini indigne, quod est contra Apostolum, qui *1. Cor. 11. v. 29.* ait: *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

§. III.

Lutheranorum Fundamenta Eversa.

XXII. PRimo Objiciunt. Scriptura, & Patres pani, vino consecratis nomen panis relinquunt, Paulus, 1. Cor. 10. v. 16. *Panis* (inquit) *quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Irenæus, *lib. 4. cap. 34.* modo 18. adversus Valentinianos, ait: *Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini Dei sui?* Idem dicit Cyrillus Jerosolymit. *Cateches. Mystag. 3.* & habetur in liturgiis Græcorum, in quibus Sacerdos peracta consecratione sic Deum Patrem precatur: *Mitte Spiritum Sanctum tuum, qui hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui efficiat.* At nomen panis, & vini substantiam utriusque significat, ergo &c.

XXIII. Retorqueri potest hæc objectio. Virga Moysis conversa in serpentem non erat amplius virga, & tamen *Exod. 7.* appellatur *Virga*. Aqua in nuptiis Canæ mutata in vinum, non erat amplius aqua; & tamen, *Joc. cap. 2. v. 9.* ait: *Et cum gustasset Architriclinus aquam vinum factam.* Homo non est terra, & pulvis; & tamen, *Gen. 3.* dicitur *Pulvis*; & *Terra* vocatur, *Ecclesiastici 10.*

Resp. ergo, propter multiplicem rationem: Eucharistiam post consecrationem panem, & vinum dici. Primo, quia ex pane, & vino facta est. Mos autem est Sacr. Scripturarum, res ex aliis factas earum, ex quibus factæ sunt, rerum nominibus appellare, ut in allatis exemplis vidimus. — Secundo: Quia post consecrationem, esto non maneat substantia panis, & vini, remanent tamen eorumdem accidentia, seu species: id autem, quod speciem alterius habet, solet in Scripturis illud dici. Sic tres Angeli visi ab Abraham dicuntur *Viri*, Genesi 18. v. 2. Angelus qui luctabatur cum Jacob vocatur *Vir*, Genesi 32. v. 24. Et tamen Angeli viri non sunt, sed solum apparentiam viri, & speciem habebant. — Tertio; quia post consecrationem eadem vis in illis speciebus adest, quæ aderat in pane, & vino, cum nutriant, & alant: in Scripturis autem unum dicitur aliud, quando habet virtutem alterius. Sic Manna, *Exod. 16. v. 15.* dicitur panis: *Iste est panis.* Non quod esset panis, sed quod panis haberet saporem, & vim nutriendi, ut panis. — Addo; res consuevisse a nobis appellari, non ut in se sunt; sed ut nobis, ac nostris sensibus apparent. Sic Lunam luminare majus respectu stellarum dicimus; quia licet non sit omnibus stellis mole majus, tale tamen nostris sensibus sese offert. Cum ergo panis, & vini consecrati species nostris sensibus objiciantur; & erga illos gerant quidquid faceret substantia panis, & vini: eas vocare possumus nomine panis, & vini. Et in hoc sensu eas Patres vocant panem: cum tamen, ut vidimus, panis substantiam in corpus Christi transiisse credebant. Unde Irenæus ibi, ex quo Verbum esse verum Dei Filium incarnatum Apollinaristæ negarent; arguit, eos verum Sacrificium non habere.

XXIV. Secundo Objiciunt, Gelasius Papa, *lib. de duabus naturis in Christo*, expresse dicit, panis, & vini substantiam in Eucharistia remanere. *Et tamen* (inquit) *esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini.* Theodoretus, *Dialogo 1.* quem inscripsit *Impacibilis*, de pane, & vino hæc ait; *Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri, tangique possunt, sicut prius.*

Baronius, ad ann. 496. probabile existimat, Opusculum *de duabus in Christo naturis*, quod nunc habemus, non esse Gelasii Papæ fœtum. Tum quia, ex Gennadio, *lib. de Script. Eccl. cap. 14.* opus, quod Gelasius Papa adornavit contra Eutichetem, ingens erat volumen; &, ut ait Anastasius Bibliothecarius, quinque libros complectebatur: opus autem, de quo agitur, perbreve est, ac exiguum, & unius libri periodo terminatur. Potius creditur esse opus, cujusdam alterius Gelasii, Cyziceni dicti, Cæsareæ in Palæstina Episcopi, cujus Photius in sua Bibliotheca meminit; qui Acta Nicenæ I. Synodi, seu verius historiam conscripsit. Hic enim scripsisse se ait, cum Eutichiani, a quibus fuerat exagitatus, tempore Basilisci Imperatoris invalescerent.

XXV. Dato tamen, illud opusculum esse Gelasii Papæ, qui sæculo quinto Romanæ præfuit Ecclesiæ: dici potest cum eodem Baronio, Gelasium intellexisse nomine substantiæ id, quod aliquibus abhinc sæculis nomine specierum, aut accidentium intelligitur. Nam eodem libro de pane Eucharistico loquens ait; quod *in divinam transeunt, Sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen in sua proprietate natura:* quæ verificantur manentibus panis, & vini proprietatibus, etiamsi eorum substantia in divinam Christi transeat. Stat enim erat Gelasio Eutichianis ostendere; quod sicut Eucharistia constat duabus,

rebus, corpore scilicet Christi, & accidentibus, seu proprietatibus panis; ita & in Incarnatione duo sunt, divina scilicet, ac humana natura realiter distinctæ.

Ideo respondeo ad locum ex Theodoreto. Nam is non quamcumque naturam, & substantiam panis asserit remanere, sed eam tantum, quæ videri, tangique possit: hæc autem est natura accidentalis panis, seu species, qua nos fatemur; nam hæ solæ videri possunt, & tangi. Impugnant ergo tum Gelasius, tum Theodoretus Eutichianos contendentes, in Christo post unionem naturarum, distinctionem non remansisse. Ut ergo probarent in Christo, post unionem, duas naturas, seu duas res remansisse; satis ipsis fuit afferre exemplum Eucharistiæ, in qua post consecrationem manent duæ res, & naturæ invicem realiter distinctæ, nempe, accidentia panis, & vini in propria natura accidentis, & corpus, & sanguis Christi, hoc enim nomen essentia, seu usia indifferenter significat naturam, sive substantialem, sive accidentalem.

XXVI. Tertio objiciunt. Non est majus signum alicujus substantiæ, quam accidentia, quæ videntur, & palpantur; unde Christus volens probare, se post resurrectionem esse verum hominem, & non phantasma, dixit, Lucæ 24. v. 39. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*: sed in Eucharistia experimur omnibus sensibus accidentia panis, & vini, ergo ibi est etiam vera utriusque substantia; alias argumentum Christi non probaret.

XXVII. Respondeo primo; retorquendo argumentum dupliciter. Non enim est majus signum personæ humanæ, quam omnibus sensibus experiri humanæ naturæ operationes; sicut enim accidentia indicant subjectum, sic natura, & operationes indicant personam: sed omnes sensus experiebantur in Christo humanam naturam, & operationes, ergo in Christo erat persona humana. Negabat certe consequentiam Lutherus. Deinde Angeli, qui antiquis Patriarchis apparuerunt, omnibus sensibus ostendebant se esse homines; & tamen in substantia homines non erant, sed Angeli. —— Distinguo igitur maj. Per se, & naturaliter loquendo, conc. maj. Per accidens, & supernaturaliter, neg. maj. Neque hoc infirmat argumentum Christi ex sensibus probantis, se esse hominem. Nam præter testimonium sensuum aderat testimonium Christi confirmantis verum esse, quod sensus ostendebant. At in Eucharistia dum demonstrans accidentia panis dicit: *Hoc est corpus meum*, attestatur potius contrarium ejus, quod sensus ostendunt.

XXVIII. Dices. Licet unus, vel alter sensus in uno, vel altero decipi possit, non tamen omnes, & in omnibus; quia sensus ad hoc dati sunt a Deo, ut nos certificent de rerum existentia, atqui omnes sensus in omnibus deciperentur, si in Eucharistia non esset substantia panis, quam ostendunt; ergo &c.

Respondeo, nego min. Ut enim ait S. Thom. Serm. de Corpor. Christi: *Sensus non decipiuntur, qui de accidentibus judicant sibi notis*. Cum ergo facta consecratione remaneant vera accidentia panis, & vini, quæ sensum revera eodem modo movent, & causant in anima eamdem sensationem, ac si eorum substantiæ permanerent: in hoc sensus externi motu, in hac animæ perceptione nulla deceptio est, quia revera objectum illius adest, ut prius. Sed error esset, si anima ex illo sensuum motu, ex illa animæ perceptione judicaret, substantiam panis, & vini vere ibi esse, quemadmodum de aliis rebus judicat. Quia Christus dicendo: *Hoc est corpus meum* fideles monuit, saltem implicite, ne ex illo sensuum testimonio, aut illa animæ perceptione sensibili inferrent, panem, & vinum in Eucharistia permanere. Quod idem Patres explicite monuerunt, *Hoc sciens* (inquit Cyrillus Jerosol. Cateches. Mystag. 4.) *& pro certissimo tenens, panem hunc, qui a nobis videtur, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat*. Quod si quis testimonium sensuum magis, quam Christi sequi vellet, erraret, non sensu, sed intellectu. Sicut quando Maria vidit Christum, & putavit eum esse Hortulanum; deceptio fuit in mente, non in oculo, qui vere figuram Hortulani videbat. Ex quo fit, Deum fideles non inducere in errorem: quia eodem tempore, quo sensibus ostendit accidentia panis, monet mentem per fidem, ne inferat, ibi esse substantiam panis, sed corpus suum.

XXIX. Quarto objiciunt. Ad verificanda verba consecrationis, si substantia panis deberet transubstantiari in corpus Christi, deberent etiam accidentia illius transaccidentari in accidentia corporis Christi; alias si hæc remanerent, cum, dicendo: *Hoc est corpus meus*, ly *Hoc* supponat pro accidentibus, fieret sensus, quod *hoc accidens*, puta, hoc album, *est corpus meum*: sed hoc est falsum; ergo &c.

Resp. neg. maj. Ut enim patet sensibus, facta consecratione accidentia remanent. Ad probat. autem dico, quod ly *hoc* non supponit pro accidentibus, sed pro substantia sub illis contenta. Sicque dicere: *Hoc est corpus meum*, non est idem ac dicere; *Hoc album est corpus meum*; sed: *Hoc*, demonstrato illo, quod est sub illis accidentibus, *est corpus meum*.

XXX. Quinto objiciunt. Bene potest diversum de diverso prædicari sine transubstantiatione; ergo &c. Ant. prob. primo: cum dicimus de Christo: *Homo est Deus*, nulla fit transubstantiatio hominis in Deum. —— Secundo: ex eo, quod Christus *Jo. 6.* dixerit: *Ego sum panis*, non infertur, quod Christus conversus fuerit in panem; ergo ex eo, quod de pane dixerit: *Hoc est corpus meum*, non sequitur, quod panis fuerit conversus in corpus Christi. —— Tertio: si facta consecratione manentibus accidentibus substantia panis, & vini illis spoliaretur, & in alium locum transferretur, verum etiam esset id, quod est sub accidentibus, non esse panem, & vinum, sed esse corpus, & sanguinem Christi; ergo ex veritate verborum infertur tantum, substantiam panis, & vini non remanere sub accidentibus, non vero transmutari in corpus, & sanguinem Christi.

XXXI. Resp. dist. ant. Si pro eodem supponant, conc. ant. Si pro eodem non supponant, neg. ant. Hinc ad primum dico, verissimam esse hanc propositionem: *Homo* seu *hic*, demonstrato Christo, *est Deus*. Quia licet humanitas non transubstantietur in Deum, ut volebat Eutiches; attamen tam ly *Homo*, quam ly *Deus* pro eadem persona supponunt, & accipiuntur. At in hac propositione: *Hoc*, demonstrato pane, *est corpus meum*, extrema pro diversis supponerent: nam ly *Hoc* supponeret pro supposito panis, ly *Corpus meum* pro supposito Christi; & ideo propositio verificari non posset.

Ad secundum dico, ideo ex eo, quod Christus dixerit: *Ego sum panis vivus*, non infertur, quod fuerit conversus in panem; quia addendo ly *vivus*, manifeste significavit, se loqui de pane metaphorico, & se esse cibum, & panem pure spiritualem. At dicendo: *Hoc est corpus meum*, & addendo, *quod pro vobis tradetur*, ostendit, se loqui in sensu proprio, ut supra vidimus.

Ad tertium, omisso ant. dist. conc. Infertur tantum illatione formali, & immediata, transeat conc. Illatione tantum mediata, & materiali, nego conc. Illud infertur illatione formali, & immediata ex veritate verborum, sine quo verba non possunt esse vera: illud autem infertur illatione tantum materiali, & mediata, sine quo verba quidem possent absolute esse vera; sed ut essent vera, deberent fieri nova miracula præter naturæ ordinem, sicut in casu. Nam ut substantia panis, & vini, suis spoliata accidentibus, deferretur in alium locum, & conservaretur in rerum natura; deberet fieri novum miraculum deferendi instantanee motu locali panis, & vini substantiam, & rursus conservandi utramque substantiam sine suis accidentibus, præter illud conservandi accidentia sine suis substantiis; ergo ex veritate verborum inferunt potius Patres supra laudati, substantia panis, & vini transmutari in corpus, & sanguinem Christi.

XXXII. Sexto objiciunt varias difficultates in hac conversione. Primo. Explicari non potest, quid fiat de pane, & vino, quæ in Christi corpus, & sanguinem convertuntur: non enim alio transferuntur, ut nuper diximus, neque annichilantur. —— Secundo. Explicari non potest, qua actione corpus Christi producatur: an physica, an morali tantum, an actione adductiva, an productiva. —— Tertio. Non constat, an transubstantiatio fiat in instanti, an successive.

XXXIII. Respondeo, optime enodari posse præfatas difficultates. Ad primam enim concedo, substantiam panis, & vini non alio transferri, neque annichilari. Tum quia: aliquid panis, & vini remanet, nempe, accidentia utriusque; quod est contra annichilationem, qua totum debet redigi in nihilum. Tum quia: actio, qua substantia panis, & vini desinit, non habet nihilum pro termino, sed corpus, & sanguinem Christi. Vide S. Thom. 3. *p. quæst. 75. art. 3.* —— Respondeo ergo ex S. Thom. citato, *art.* 4. totam substantiam panis & vini transmutari in corpus, & sanguinem Christi. Dico *totam*: non enim sicut in generationibus naturalibus fit sola conversio formæ, remanente materia, & subjecto transmutationis: sed tota substantia, idest, tam materia, quam forma panis, & vini transmutantur in corpus, & sanguinem Christi. Licet autem virtute agentis finiti non possit fieri, ut tota substantia unius convertatur in totam substantiam alterius; sed solum ut diversæ formæ sibi in eodem subjecto succedant: virtute tamen agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, fieri potest, ut tota entitas unius convertatur in totam entitatem alterius: *Et hoc agitur* (ait S. Thom. citatus) *divina virtute in hoc sacramento. Nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi. Unde hæc conversio non est formalis, sed substantialis; nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transubstantiatio.*

XXXIV. Ad secundum variis omissis solutionibus, dico, actionem conversivam panis in corpus Christi esse ex sua natura productivam corporis Christi: sed cum inveniat illud jam productum, de facto non producere ipsum absolute, sed cum addito, idest, sub novo modo essendi sacramentali. Ad eum modum, quo actio conservativa ex sua natura esset rei creativa; sed quia rem jam creatam invenit, & positam in esse, ideo in esse tantum conservat. Ita Ambrosium sensisse colligimus, *lib. 4. de Sacr. cap. 5.* dum ait: *Ante verba Christi calix est vini, & aqua plenus. Ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.*

XXXV.

XXXV. Ad tertium dico: transubstantiationem unico momento peragi, eo nimirum, quo ultimæ syllabæ prolatio desiit. Sicut enim eo momento, quo horum verborum; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, prolatio desiit, quo motus sanguinis ad uterum Virginis terminatus fuit, Verbum Dei primo cœpit esse in carne: ita in instanti, quo desiit prolatio verborum consecrationis, incipit esse primo Christus in Eucharistia: sic, ut ultimum instans, quo verborum prolatio terminata est, sit primum instans, in quo est in sacramento corpus Christi, ratio autem ex S. Th. cit. *q. 75. art. 7.* quare conversio fiat in instanti est. Primo: *Quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur, non suscipit magis, nec minus.* Secundo: *Quia in hac conversione non est aliquod subjectum, quod successive præparetur.* Tertio: *Quia agitur Dei virtute infinita.*

XXXVI. Quæres: An proprie dici possit: *Ex pane fit corpus Christi.*

Resp. ex S. Th. sæpe laudato, *art.* 8. Primo: Posse vere, ac proprie dici: *Ex pane fit corpus Christi.* Quia ly *ex* dicit ordinem, quo unum post aliud fit; sicut ex non ente in creatione fit ens, ex aere per generationem fit ignis: sed post panem fit corpus Christi; ergo &c. —— Secundo. Non potest dici: *Panis potest esse corpus Christi.* Quia ly *potest* designat aliquod commune subjectum, quod possit esse sub utroque; ut cum dicitur: *Album potest esse nigrum*, indicatur, subjectum, quod est sub albedine, posse esse sub nigredine. In conversione autem, qua tota substantia panis transit in corpus Christi, nullum est commune subjectum; neque fit per potentiam passivam creaturæ, sed per solam potentiam activam Creatoris. —— Tertio. Nec potest proprie dici: *De pane fit corpus Christi*, quia præpositio *De* designat causam consubstantialem; quæ consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes convenientiam in subjecto. Sic, nec proprie dici potest: *Panis erit*, aut *fiet corpus Christi.* Quia in hac conversione nullum est commune subjectum, ratione cujus possit verificari; sicut ratione ejus verificatur hæc: *Album erit nigrum*: *Album fiet nigrum.* Quia tamen in hoc sacramento facta conversione aliquid idem manet, nempe, accidentia panis, secundum aliquam similitudinem quædam prædictarum locutionum possunt concedi, scilicet: quod panis sit, vel erit corpus Christi, vel de pane fit corpus Christi; ut nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in universali hoc, quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continetur substantia panis, & postea corpus Christi. Ita fere de verbo ad verbum S. Thom. qui videndus est etiam ibi in responsionibus ad opposita argumenta.

Dubium III.

Varia circa Modum, quo Christus est in hoc Sacramento.

§. I.

An totus Christus sit in hoc Sacramento?

I. Dico cum S. Thoma, *3. part. quæst. 76. art.* 1. Necesse omnino est confiteri secundum fidem Catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento; *Sciendum tamen est* (inquit S. D.) *quod aliquid est in hoc sacramento dupliciter. Uno modo quasi ex vi sacramenti; alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus hujus sacramenti id, in quod directe convertitur substantia panis, & vini præexistens.* In id autem per se, & directe convertitur substantia panis, & vini, quod exprimitur per verba formæ, quæ sunt effectiva in hoc sacramento. Cumque per hæc verba: *Hoc est corpus meum*, directe significetur corpus; ideo ex vi horum verborum formaliter ponitur corpus Christi: cumque per hæc verba. *Hic est sanguis meus* directe significetur sanguis: ideo ex vi horum formaliter ponitur sub speciebus sanguis. —— *Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud, quod realiter est conjunctum ei, in quod prædicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet & aliud esse. Sola enim operatione animæ discernuntur, quæ realiter sunt conjuncta.* Cum ergo corpus Christi ita sit unitum animæ, sanguini, ac divinitati, ut exigat ea habere secum, ubicumque est; & similiter sanguis Christi ita uniatur corpori, ut exigat corpus habere ubicumque sit; ideo ubi est corpus, ibi est per concomitantiam sanguis, & viceversa.

II. Explicatur hoc. Corpus Christi post resurrectionem in nullo loco est sine anima, & sanguine: nam, Rom. 5. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, alioquin corpus Christi esset exanime, & exangue; ergo neque in Eucharistia est sine anima, & sanguine. Cum autem corpus Christi subsistat per subsistentiam Verbi; ubi est corpus Christi, & anima, ibi est subsistentia Verbi, & consequenter divinitas, quæ cum subsistentia Verbi identificatur: & demum tota Trinitas, quæ cum divinitate idem est. Sicque, anima, subsistentia Verbi, divinitas, tota Trinitas speciali quodam modo Christum in Eucharistia concomitantur.

III. Hujus Catholicæ doctrinæ testem habemus Tridentinum, *Sess. 13. cap. 3.* dicens: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie una cum ipsius anima, & divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.* Et Can. 1. *Si quis negaverit in sanctissima Eucharistia sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum ... Anathema sit.*

IV. Ex his cum S. Thoma infertur, *art.* 2. relatæ *quæst. 76.* sub qualibet specie sacramenti esse totum Christum: *Aliter tamen, & aliter. Nam sub speciebus panis, est quidem corpus Christi ex vi sacramenti; sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supradictum est. Sub speciebus vero vini, est quidem sanguis Christi, ex vi sacramenti; corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima, & divinitas: eo quod nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus, sicut fuit tempore passionis, & mortis. Unde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine; & sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate.*

V. Ut autem bene penetretur, quid sit esse in sacramento ex vi sacramenti, & ex vi verborum; quid vero sit esse per solam concomitantiam, dico; illud ex vi sacramenti, & ex vi verborum in sacramento esse, quod formaliter significatur per verba; ita ut eo ipso, quod in sacramento, & sub speciebus non esset, verba falsificarentur. Sic quia verba: *Hoc est corpus meum*, significant, sub speciebus panis esse corpus; ita ut si corpus sub illis non esset, verba illa essent falsa: ideo, ex vi illorum verborum ponitur sub illis speciebus corpus. Et idem dic de illis verbis: *Hic est sanguis meus.* Id vero solum per concomitantiam est in sacramento, quod formaliter non significatur per verba esse in sacramento; sed solum ponitur, quia est connexum cum eo, & comitatur illud, quod verba significant. Sic quia corpus significatum per verba: *Hoc est corpus meum*, comitantur sanguis, anima, & divinitas; hæc omnia ponuntur per concomitantiam. Et quia sanguinem significatum per verba: *Hic est sanguis meus*, concomitantur corpus, anima, divinitas; hæc pariter per concomitantiam veniunt in consecratione sanguinis. Quare si sanguis, & anima non essent unita corpori Christi, ut in triduo mortis, vere diceretur: *Hoc est corpus meum*; & tamen ibi non esset sanguis, & anima. Sicut & vere diceretur: *Hic est sanguis meus*; & tamen ibi non esset corpus, & anima: quia pro illo tempore nec sanguis, & anima unita essent corpori, nec corpus sanguini; tum illo triduo essent a corpore sanguinis & anima separata.

VI. Adverti etiam debet: quod, ut verificetur, posito uno debere per concomitantiam poni etiam alterum, non sufficit, ut sit unitum cum illo; nam anima est unita capiti in homine, & tamen non ubicumque est anima, est caput; anima enim est in pede, & tamen ibi non est caput: & similiter Verbum divinum est unitum humanitati; & tamen non exigit, ut ubicumque est Verbum, ibi etiam sit humanitas. Debet ergo ita esse alteri unitum, ut exigat illud habere ubicumque est: sic enim caput hominis ita unitur animæ, ut exigat animam habere ubicumque caput est. Et hoc modo corpus Christi est unitum Verbo, ut exigat istud habere ubicumque Christi corpus est. Quare ad probandum, totum Christum esse sub utraque specie, debet sic assumi. Cum aliquid unitur ita alteri, ut exigat illud habere ubicumque est; si alicubi ponitur, debet illud aliud secum deferre, ac ibi habere: sed corpus Christi ita unitur animæ, sanguini, ac divinitati, ut manente unione, debeat ea habere ubicumque Christi corpus est; ergo &c.

VII. Quod si quæras: Quid veniat nomine corporis, quod ponitur in sacramento vi verborum.

Respondeo, quod nomine corporis, quod ponitur vi verborum consecrationis panis, intelligitur corpus humanum Christi constans ex carnibus, & ossibus, aliisque potentiis organicis; abstrahendo ab hoc, quod sit corpus vivum constitutum per animam, vel corpus mortuum constitutum per formam cadavericam, quæ est constitutiva corporis mortui. Unde corpore Christi existente, sive vivo, sive mortuo, adhuc verificarentur verba consecrationis; & proinde ratio vivi, vel mortui non ponitur ex vi verborum, & per se, sed solum ratione naturalis concomitantiæ: quia nimirum modo corpus Christi est vivum. Cæterum si in triduo, quo fuit mortuum, consecrata fuisset Eucharistia, positum ibi fuisset Christi corpus, non vivum, sed mortuum.

VIII. Quod si iterum quæras: An ex vi verborum ponatur corpus Christi cum sua quantitate; an vero quantitas in sacramento ponatur solum per concomitantiam?

Certum est, corpus Christi (idem dico de sanguine) esse

in Eucharistia cum sua quantitate. Nam singulæ corporis Christi partes in Eucharistia sunt extra se invicem; alioquin nulla esset membrorum inter se invicem distinctio, sed mera confusio, ac proinde nec caput, nec brachia, nec pedes remanerent, sicque nec corpus humanum, ac demum nec Christus.

Ad quæsitum non desunt qui velint, quod cum quantitas sit de ratione corporis humani, & organizati, sicut per se, & ex vi verborum ponitur corpus; ita etiam ejus quantitas per se ponatur.

Verum S. Thomas, hac *q. 76. art. 4.* asserit, quantitatem corporis Christi non esse in hoc sacramento ex vi verborum. Licet enim quantitas sit de substantia corporis humani, & organici secundum modum, quo absolute, & in se est; non tamen corporis, ut in hoc sacramento ponitur; *Ex vi enim sacramenti* (inquit S. Thom.) *est in hoc sacramento illud, in quod directe conversio terminatur. Conversio autem, quæ fit in hoc sacramento, directe terminatur ad substantiam corporis, non autem ad dimensiones ejus: quod patet ex hoc, quod quantitas dimensiva panis remanet, facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva, & ab aliis accidentibus; inde est, quod ex vi realis concomitantiæ est in hoc sacramento quantitas dimensiva corporis Christi, & omnia accidentia ejus.*

§. II.

An Christus sit totus in totis Speciebus, & totus in qualibet Parte?

IX. CErtum est secundum fidem, quod si facta consecratione panis, frangantur, & dividantur species panis, facta divisione, totus Christus sub singulis speciebus separatis continetur. Ita ex Florentino in Decret. pro instructione Armen. & Tridentino, *Sess. 13. Can. 3.* dicente: *Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Quæ veritas ex ipso facto Christi probatur. Nam, ut habetur *Luca 22. v. 17.* ubi calicem consecratum tradidit Apostolis dicens: *Accipite, & dividite inter vos*, Apostoli autem sub qualibet earum specierum parte totum Christum sumpserunt.

X. Dubium est ergo: an etiam cum hostia consecrata est continua, & nondum divisa in partes, totus Christus sit in tota hostia, & totus in qualibet hostiæ parte: an potius totus in tota hostia, & pars in parte. *Sicut quidam dicunt* (ait S. Thom. hac q. *76.* art. *3.*) *ponentes exemplum in imagine, quæ apparet in speculo, quæ apparet una in speculo integro, in speculo autem fracto apparent singula in singulis partibus. Quod quidem non est omnino simile. Quia multiplicatio hujusmodi imaginum accidit in speculo fracto, propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi. Hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento.* Quapropter

XI. Dico cum eodem S. D. ibi. Quod Christus est totus in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ, etiam cum hostia est continua, & nondum divisa in partes. Probo ratione ejusdem. *Corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, ideſt, per modum quo substantia est sub dimensionibus: non autem per modum dimensionum, ideſt, non per modum illum, quo quantitas dimensiva alicujus corporis est sub quantitate dimensiva loci.* Atqui *Natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur. Sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis; & hoc indifferenter, sive sint dimensiones actu divisæ (sicut cum aer dividitur, vel panis secatur) vel etiam sine actu divisæ, divisibiles vero potentia*; ergo *totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur.*

XII. Secundo probo. Ex dictis de fide est, quod cum hostia consecrata dividitur, totus Christus est in singulis partibus separatis; ergo etiam ante divisionem totus erat in singulis partibus. Cons. prob. Quia per divisionem Christus non mutatur, nec acquirit novam præsentiam, aut unionem, quam prius non haberet; hanc enim solum acquirit per conversionem; hinc etiam cum species vini consecrati in duobus calicibus conjunguntur in uno calice, nulla pars specierum amittit præsentiam Christi: sed ante Christus erat totus in singulis partibus separatis: ergo totus remanet in eisdem factis continuis.

XIII. Tertio. Vix potest percipi, quomodo Christus sit divisibiliter in hostia totus, & pars in singulis partibus. Primo: quo enim pacto divisa hostia in particulas minimas, corpus Christi ita quasi condensaretur, ut esset totus divisibiliter in ea minima particula? Quo pacto, si consecraretur hostia maxima, Christi corpus rarefieret, ut esset divisibiliter in illa tota hostia? Quo pacto, si consecraretur hostia longissima, & subtilissima ad modum fili, corpus Christi divisibiliter extenderetur in figuram fili? Deberet certe corpus Christi multis modis alterari contra ejus impassibilitatem.

XIV. Objicies tamen primo. Corpus majoris quantitatis non potest contineri sub minoris quantitatis mensura: sed mensura panis, & vini consecrati multo minor est, quam propria mensura corporis Christi; ergo &c.

XV. Resp. dist. maj. Si corpus ibi contineatur ratione dimensionum, conc. maj. Si ibi contineatur ad modum substantiæ, nego maj. Responsio est S. Thomæ, hac, *q. 76. art. 1. ad 3.* Nam *Substantia corporis Christi, vel sanguinis, est sub hoc sacramento ex vi sacramenti; non autem dimensiones corporis, vel sanguinis Christi. Unde patet, quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, & non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substantiæ continetur indifferenter in parva, vel magna quantitate; sicut tota natura aeris in parvo, vel magno aere, & tota natura hominis in parvo, vel magno homine. Unde & tota substantia corporis, & sanguinis Christi continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis & vini.*

XVI. Hoc exemplis explicari potest. Primo: Anima nostra tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis; & ita magna in solo digito, sicut in toto corpore; ita magna in corpore infantis, sicut in corpore gigantis: nec propter corporis augmentum, vel diminutionem, aut alicujus membri mutilationem, anima augetur, minuitur, vel truncatur; sed remanet semper eadem tota in toto, & tota in qualibet parte. —— Secundo: Longa, & lata turris tota comprehenditur, & realiter intentionaliter est in tam parvo oculo; alioquin non posset per aspectum de illius longitudine, latitudine, & grossitie judicare, quod est contra experientiam. Sic dici potest de uno monte, de Sole, Cælo, & aliis: quorum quantitas, cum sit quasi immensa, ab oculo tam parvo capitur, & in eo continetur intentionaliter; quia in eo non est secundum quantitatem. Cur ergo non poterit tota corporis Christi quantitas sacramentaliter capi a parte minima hostiæ; cum in ea non sit ad modum quantitatis, sed ad modum substantiæ? Hæc ex Venerabili Porrecta super, *art. 1.* hujus *q. 76. ad 3.* Adverto tamen cum S. Th. *Opusc. 59. cap. 1.* ab eodem Porrecta relato: hæc, & similia ex humanis accepta, translata ad Mysteria fidei nimium claudicare. Unde idem S. Th. ibi, *cap. 7.* ait: non debet aliquis de his rebus assumere materiam, vel occasionem calumniæ, vel erroris, cum protestati fuerimus, suprascripta proposito nostro ita adaptari; quod in ipsorum similitudine, & proprietatum comparatione, multiplex dissimilitudo, & improprietas invenitur. Videat Studiosus S. Thom. *toto illo Opusculo.*

XVII. Objicies secundo. Non potest capi, quomodo singulæ partes humani corporis extensæ, & extra se invicem positæ, sub minima panis quantitate contineantur; quia una extensio aliam expellit, ne eundem locum occupare queat: sed partes corporis Christi extensæ sunt, & quantitate; ergo &c.

XVIII. Respondeo, maj. esse veram, quando corpus est in loco ratione extensionis. Tunc enim est in loco divisibiliter, totum, nempe, in toto, & pars in parte, secus autem quando est in aliquo ad modum, quo substantia est sub accidentibus, quo modo corpus Christi est in hoc sacramento, ut dictum est. Unde S. Thom. q. *76.* citata, art. *3.* ad *2. Illa* (inquit) *determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitatem dimensivam ipsius: ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam quantitatem dimensivam. Et ideo, quia conversio substantiæ panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cujus modum proprie, & directe est in hoc sacramento corpus Christi: talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero; sed non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secundum modum suæ substantiæ.*

XIX. Objicies tertio. Si totus Christus esset sub singulis partibus specierum; cum hæ sint minores, & minores in infinitum, deberet esse totus sub infinitis partibus; & proinde infinities esset in hoc sacramento; & infinitis unionibus talibus partibus, ac speciebus uniretur.

Urgetur. Deberet Christus esse quoque sub indivisibilibus: sed cum species dividuntur, loco indivisibilium continuativorum, resultant indivisibilia terminativa, ut docent physici; ergo sine nova consecratione inciperet esse de novo sub talibus indivisibilibus terminativis, quod est absurdum.

XX. Resp. neg. maj. cum S. Th. hac *q. 76. a. 3. ad 1.* Nam *Numerus sequitur divisionem. Et ideo, quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, & per consequens neque infinities, sed toties, in quot partes dividitur* —— Addo ex eodem S. Th. Opusc. *59. c. 6.* quod *Licet sub qualibet parte sensibili hostiæ servetur perfecte tota essentia Christi; non tamen propter hoc debet dici infinities ibi esse: quia licet continuum sit divisibile in infinitum secundum partes aliquotas, non tamen secundum partes essentiales, in quibus conservari potest ratio speciei. Caro enim secundum Philosophum, in lib. de anima, bene potest dividi in partes ita minutas, quod in eis non remaneat ratio carnis: & panis, & vinum similiter: & sub talibus partibus corpus Christi non remaneret, nisi videlicet essent partes ita sensibiles, quod in eis panis, & vini ratio essentia posset conservari.*

XXI. Ad id, quod urgetur, admitto totum. Nam sicut sub-

ſubſtantia panis, & vini facta diviſione, abſque nova generatione incipit eſſe ſub indiviſibilibus terminativis, ſub quibus licet non eſſet prius actu, erat tamen potentia: ita ſubſtantia Corporis Chriſti abſque nova conſervatione, facta diviſione ſpecierum, incipit eſſe ſub indiviſibilibus terminativis: eſt enim ſub ſpeciebus conſecratis panis, vel vini eo modo, quo prius erat ſubſtantia utriuſque, Hæc dicta ſint, ut appareat, doctrinam fidei, philoſophicæ non eſſe contrariam. Cæterum *Si forte* (inquit S. Th. Opuſc. 59. cap. 6. cit.) *videatur alicui iſtud, quod dicitur de corpore Chriſti, non eſſe ſibi perfecte intelligibile: quomodo ſcilicet poſſit eſſe in diverſis locis, vel aliquid aliud de prædictis; attendat, quod dicit Jo: Damaſc. Quomodo fiet iſtud, dicit Virgo, quia virum non cognoſco? Cui reſpondit Angelus: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Et nunc tu interrogas, qualiter panis ſit corpus Chriſti, & vinum, & aqua ſanguis. Dico tibi & ego: Spiritus Sanctus ſuperveniet hic, & hæc facit, quæ ſunt ſupra naturam, & ſupra intelligentiam. Sufficere debet tibi exemplum de Beata Virgine, quæ per fidem, quam verbis Angeli adhibuit, Dei Filium concepit.*

§. III.

An Corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento ſicut in Loco, & an ſit Mobiliter.

XXII. AD primum Quæſitum reſpondeo cum S. Th. hac *q. 76. art. 5.* negative. Dum enim contingat aliquid eſſe in loco, vel definitive, quia, nempe, ita eſt hic, ut non poſſit ſimul eſſe: vel circumſcriptive, nempe, per commenſurationem propriæ quantitatis ad quantitatem loci: *Corpus autem Chriſti* (inquit S. Th. cit. ad 1.) *non eſt in hoc ſacramento definitive, quia ſic non eſſet alibi, quam in hoc altari ubi conficitur hoc ſacramentum; cum tamen ſit & in Cælo in propria ſpecie; & in multis aliis altaribus ſub ſpecie ſacramenti. Similiter etiam patet, quod non eſt in hoc ſacramento circumſcriptive; quia non eſt ibi ſecundum commenſurationem propriæ quantitatis*, ideſt non ad modum, quo corpus quantum eſt in loco, ſed ad modum, quo ſubſtantia panis eſt ſub ſuis accidentibus. —— Quod autem non ſit extra ſuperficiem ſacramenti, nec in alia parte altaris: *Non pertinet ad hoc, quod ſit ibi definitive, vel circumſcriptive, ſed ad hoc, quod incepit eſſe ibi per conſecrationem, & converſionem panis, & vini.*

XXIII. Neque dicas primo. Quod ſicut ſubſtantia panis ratione ſuarum dimenſionum erat localiter ibi: ita corpus Chriſti, loco ejus ſub dimenſionibus panis ſuccedens, dici poterit eſſe in loco ſpecierum. —— Nam, ut ait S. Thom. cit. *art. 5. in Corp.* ſimilitudo valet quidem, quod *Sicut ſubſtantia panis non erat ſub ſuis dimenſionibus localiter, ſed per modum ſubſtantiæ: ita nec ſubſtantia corporis Chriſti. Non tamen ſubſtantia corporis Chriſti eſt ſubjectum illarum dimenſionum, ſicut erat ſubſtantia panis. Et ideo ſubſtantia panis, ratione earum dimenſionum, localiter erat ibi; quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimenſionibus: ſubſtantia autem corporis Chriſti comparatur ad locum illum mediantibus dimenſionibus alienis: ita quod e converſo dimenſiones propriæ corporis Chriſti comparantur ad locum illum mediante ſubſtantia, quod eſt contra rationem corporis locati.*

XXIV. Nec dicas ſecundo. Locus ſpecierum panis non eſt vacuus; ergo ſicut prius replebatur a ſubſtantia panis, dum aderat, ita poſt repletur a ſubſtantia corporis Chriſti quæ in locum ejus ſuccedit —— Reſp. enim cum S. Th. ibi, *ad 2.* neg. conſ. Etenim *Locus ille, in quo eſt corpus Chriſti, non eſt vacuus: neque tamen proprie eſt repletus ſubſtantia corporis Chriſti, quæ non eſt ibi localiter. Sed eſt repletus ſpeciebus ſacramentorum, quæ habent replere locum, vel propter naturam dimenſionum; vel ſaltem miraculoſe, ſicut & miraculoſe ſubſiſtunt per modum ſubſtantiæ.*

XXV. Neque dicas tertio. Corpus Chriſti eſt in ſacramento cum ſua quantitate, & aliis accidentibus: ſed inter hæc eſt localis extenſio, & ubicatio in loco; ergo &c. —— Nam reſpondet S. Thomas citatus *ad 3.* quod *Accidentia corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento; ſicut ſupradictum eſt, per realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento, quæ ſunt ei intrinſeca. Eſſe autem in loco eſt accidens per comparationem ad extrinſecum continens. Et ideo non oportet, quod Chriſtus ſit in hoc ſacramento ſicut in loco.*

XXVI. Ad ſecundum Quæſitum reſpondeo cum S. Th. *q. 76.* citata *art. 6.* Chriſtum per ſe loquendo eſſe immobiliter in hoc ſacramento. Probatur diſcurſu S. Th. Chriſtus ſecundum quod eſt in hoc ſacramento, neque per ſe movetur ſecundum locum; cum non ſit in hoc ſacramento, ut in loco, ex jam dictis. Neque per ſe movetur quacumque alia mutatione: quia Chriſtus de ſe habet eſſe indeficiens, & incorruptibile, ſecundum illud Rom. *6. v. 9. Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur.*

Ratione tamen ſpecierum, ſub quibus ſacramentaliter eſt, poteſt per accidens moveri. Tum ſecundum locum, ad motum enim ſpecierum dici poteſt, per accidens corpus Chriſti ſub illis contentum moveri; eo modo, quo anima movetur per accidens moto corpore. Non tamen movetur etiam per accidens ad motum ſpecierum, eo modo, quo movetur homo per accidens ad motum vehiculi (ut obſervat S. Th. *Opuſc. 11. art. 34.*) Nam aliter comparatur corpus Chriſti ad ſpecies ſacramentales, quam corpus hominis ad vehiculum. Concludit ergo S. D. quod *Eo modo, quo convenit corpori Chriſti eſſe in loco ratione dimenſionum ſacramentalium, convenit ſibi moveri in loco.* Et hac ratione Conc. Trid. *Seſſ. 13. cap. 5. & Canon. 6.* dicit, Chriſtum in proceſſionibus circumgeſtandum: quæ circumgeſtatio, ſeu ad infirmos delatio, non ſine aliqua ſpecie motus localis, ſaltem per accidens, fieri poteſt.

Tum etiam ſecundum mutationem, non quod Chriſtus ullo modo deſinat eſſe in ſe; ſed per hoc, quod dum ſpecies deſinunt eſſe, aut corrumpuntur, Chriſtus abſque ulla ſui mutatione deſinat eſſe in ſacramento. *Sicut Deus, cujus eſſe eſt indeficiens, & immortale, deſinit eſſe in aliqua creatura corruptibili, per hoc, quod creatura corruptibilis deſinit eſſe.* Ita S. Thom. & ad 3. dicit: quod *Corpus Chriſti remanet in hoc ſacramento, non ſolum in craſtino, ſed etiam in futuro, quouſque ſpecies ſacramentales manent; quibus ceſſantibus deſinit eſſe corpus Chriſti ſub eis: non quia ab eis dependeat, ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies: per quem modum Deus deſinit eſſe Dominus creaturæ deſinentis.*

§. IV.

An Corpus Chriſti, ut eſt in hoc Sacramento, poſſit Oculo corporali, aut Intellectuali percipi?

XXVII. OCulus duplex eſt, ſcilicet, corporalis proprie dictus; & intellectualis, qui per ſimilitudinem oculus dicitur. Oculus corporalis, vel ſumitur pro ſenſu externo, vel pro ſenſu interno, puta, pro imaginativa, vel pro oculo, ut in nobis, vel ut erit in corpore glorificato. Intellectualis oculus ſumi poteſt, vel ſecundum ſua naturalia, vel prout lumine ſupernaturali confortatus hic in via per fidem, in Patria vero per lumen gloriæ. His præmiſſis

XXVIII. Dico primo. Oculus corporeus ſive accipiatur pro externo, ſive pro interno; ſive non glorificatus, ſive glorificatus, non poteſt videre, aut percipere corpus Chriſti, ut eſt in hoc ſacramento. Ita S. Thom. hac *q. 76. art. 7.* & probat primo. Corpus viſibile, ut videatur, debet per ſua accidentia immutare medium; ſed accidentia corporis Chriſti, ut ſunt in hoc ſacramento, non poſſunt immutare medium; ſunt enim in hoc ſacramento mediante ſubſtantia; ita ſcilicet, ut non habeant immediatam habitudinem, neque ad hoc ſacramentum, neque ad corpora, quæ ipſum circumſtant: ergo &c. —— Probat ſecundo, quod nec ſenſus internus poſſit videre. Nam corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per modum ſubſtantiæ; ſed ſubſtantia ratione ſui neque ſubjacet imaginationi, ſed ſoli intellectui, cujus objectum eſt *quod quid eſt*, ut dicitur 3. de Anima, ergo &c.

XXIX. Dices tamen primo. Oculus noſter impeditur, ne videat corpus Chriſti in hoc ſacramento exiſtens, propter ſpecies ſacramentales ipſum circumvelantes, ſed oculus glorificatus impediri non poteſt, quin corpora quælibet videat, non obſtante velamine ipſa tegente; ergo &c. —— Secundo. Corpora glorificata erunt configurata corpori claritatis Chriſti, ut dicitur, *Philipp. 3.* ſed oculus Chriſti videt ſe ipſum, ut eſt in hoc ſacramento; ergo etiam oculus glorificatus.

XXX. Reſpondeo ad primum, ex S. Th. art. 7. cit. ad 1. *Quod oculus noſter corporeus per ſpecies ſacramentales impeditur a viſione corporis Chriſti ſub eis exiſtentis, non ſolum per modum tegumenti ſicut impedimur videre id, quod eſt velatum quocumque corporali velamine, ſed quia corpus Chriſti non habet habitudinem ad medium, quod circumſtat hoc ſacramentum, mediantibus propriis accidentibus, ſed mediantibus ſpeciebus ſacramentalibus.* Quod autem per propria accidentia non poteſt immutare medium, per ſe videri non poteſt.

Ad ſecundum dico cum eodem S. Thom. ibid. ad 2. *Quod oculus corporalis Chriſti videt ſe ipſum ſub ſacramento exiſtentem, non tamen poteſt videre ipſum modum eſſendi, quo eſt ſub ſacramento, quod pertinet ad ſolum intellectum. Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo: quia etiam ipſe oculus Chriſti eſt ſub hoc ſacramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorioſus.*

XXXI. Dico ſecundo. Nec intellectus creatus quicumque ſit, niſi lumine ſupernaturali perfundatur, ſive gloriæ, ſive fidei, poteſt percipere corpus Chriſti, ut in hoc ſacramento exiſtens. Probo ex Thom. art. 7. cit. Quia modus, quo corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento, eſt penitus ſupernaturalis; ergo non poteſt percipi niſi ab intellectu lumine ſupernaturali perfuſo, vel claritatis participatæ, ut in Beatis; vel fidei, ut in nobis, quo cætera ſupernaturalia attingimus. Quare concludit S. Thomas *Nec etiam intellectus angelicus ſecundum ſua naturalia ſufficit ad hoc intuendum. Unde Dæmones non poſſunt videre per intellectum Chriſtum in hoc ſacramento, niſi per fidem, cui non voluntarie aſſentiunt: ſed ad eam evidentiam ſignorum convincuntur, prout dicitur, Jacobi 2.* Dæmones credunt, & contremiſcunt.

XXXII. Quæres: An quando in hoc sacramento appareat miraculose Caro, vel puer sit ibi vere Corpus Christi? Respondet S. Th. laudata *q. 76. art. 8.* dupliciter talem apparitionem contingere posse. Vel solum ex parte videntium, quorum oculi tali immutatione immutantur. *Ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum; nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando uni videtur sub specie carnis, vel pueri; aliis tamen videtur, sicut & prius, sub specie panis: vel quando idem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri, & postmodum sub specie panis.* Et tunc certe non definit esse corpus Christi in hoc sacramento. —— Quandoque vero contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed etiam aliqualiter ex parte specierum. Et hoc videtur esse: *Quando sub tali specie ab omnibus videtur, & non ad horam, sed per longum tempus ita permanet.* Quinimmo legitur, hoc, quod sub specie carnis, vel sanguinis in sacramento apparuit, fuisse asservatum, & Episcoporum consilio in pixide inclusum. In tali autem casu: vel immutatio, quæ in speciebus sacramentalibus fit, est solum circa figuram, colorem, aliaque exteriora; ut videatur caro, vel puer, manentibus tamen dimensionibus panis, quæ prius erant, & quæ sunt fundamentum aliorum accidentium: & tunc etiam manet corpus Christi in hoc sacramento. Si vero tanta fieret mutatio, ut non solum immutaret figuram, colorem &c. sed etiam dimensionem, quæ prius erant: tunc non manerent amplius species panis, quibus solis manentibus Corpus Christi in hoc sacramento est: & consequenter Christus ibi esse desineret.

DUBIUM IV.

An Species, quæ manent in Eucharistia, sint vera Accidentia Panis, & Vini.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. A Deo exploratum fuit apud cujuscumque scholæ Theologos, in sacramento Altaris, corpus, & sanguinem Christi sub accidentibus panis, & vini manere, ut oppositum asserere proxime contrarium fidei, aut saltem temerarium judicaverint. Verum Philosophiæ (ut ajunt) modernæ professores, cum accidentia physica realiter distincta a substantia athomorum, ex quibus omnia componi volunt, negare cœpissent; consequenter asserere non timuerunt, nihil reale physicum ex pane, & vino in Eucharistia remanere, species autem, quæ secundum Tridentinum, *Sess. 13. Can. 2.* manent, nihil aliud esse, quam apparitiones, & similitudines accidentium. Quare, licet ibi videatur figura, & color panis, & vini, & sentiatur odor, ac sapor; ea tamen autumant nil aliud esse, nisi carnem, & sanguinem Christi ita modificantem apparentiam sui, mediis particulis, seu corpusculis sic formatis; vel in corpore ipso Christi, vel in aere, vel etiam in ipsis sensibus, ut referant apparentiam panis, & vini: cæterum in Eucharistia revera nil physicum adesse. Quæ opinio hac ætate ab aliquibus plenis ulnis excipitur; & a pluribus etiam exciperetur; nisi, ut suspecta, Romanæ Sedis prohibitione, ne aperta licentia prodeat in publicum, contineretur.

II. Dico ergo. In Eucharistia, facta consecratione, remanent vera, & physica accidentia panis, & vini, & non tantum intentionalia. Probo primo sic: De speciebus panis & vini, quæ in Eucharistia, facta consecratione, sunt, verificari debet, quod definivit Tridentinum, *Sess. 13. can. 2.* ut nempe sint aliquid panis manens, facta conversione totius substantiæ panis in corpus, & substantiæ vini in sanguinem Christi: ut sint aliquid, quod possit frangi, dicente Paulo 1. Cor. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Quod possit dividi, dicente Tridentino, eadem *Sess. 13. Can. 3.* facta specierum separatione, sub qualibet parte specierum remanere totum Christum. At si species illæ non sunt vera accidentia, sed solum apparitiones, vel species de novo formatæ, sive circa corpus Christi, sive in aere, sive in sensibus, non posset dici, quod manent, id enim solum manere dicitur, quod prius erat; sed potius dici deberet, quod sicut substantia panis convertitur in corpus Christi, ita accidentia panis transeunt in apparentias, seu species panis. Neque posset dici, quod frangantur, aut dividantur, nam id, quod pure apparens, & intentionale est, nec frangi potest, neque dividi; ergo &c.

III. Confirmo. In hostia consecrata, testimonio omnium sensuum, experimur eadem accidentia, quæ erant in pane, eamdem figuram, colorem, saporem, odorem; neque ulla per sensus percipitur mutatio. Rursus, species illæ, omnes operationes, ac virtutes habent, quas habebat panis: nutriunt enim, ex iisdem generantur vermes, ut ex pane; tantum conservantur, quantum conservaretur panis; ergo sunt aliquid panis. Non substantia; ergo quantitas, & cætera accidentia panis. Conf. prob. Quia si juxta Contrarios testimonium sensuum in aliis rebus irrefragabile est, cur non hic? Si operatio, & virtus indicat esse rem, cujus est operatio, & virtus: cur hic non indicat, saltem esse quantitatem, & accidentia panis, dum fides docet non adesse substantiam? Si eumdem saporem habet; si mures hostiam consecratam corroderent, ac si esset panis; si vermes ex ea generantur, sicut ex pane, & ibi non est accidens verum panis, sed solum apparens; ergo ibi intervenit duplex miraculum. Unum, quo formantur illæ apparentiæ, seu species: alterum, quo talibus apparentiis datur virtus, operatio cum omnibus proprietatibus panis: miracula autem absque fundamento non sunt multiplicanda.

IV. Secundo probo. In Concilio Constantiensi, *Sess. 8.* damnatur hæc propositio, quæ erat Wicleffi: *Accidentia panis non remanent sine subjecto in Sacramento Altaris*, ergo ejus contradictoria; nempe ista: *Accidentia panis remanent sine subjecto in Sacramento Altaris*, ab opposito definita est. Quando enim aliqua propositio ab Ecclesia damnatur, ejus contradictoria definitur. Sicut quando damnatur propositio asserens: *Christum non esse realiter in Sacramento*, ejus oppositа nempe ista: *Christus est realiter in Sacramento*, definitur. Tunc sic: Sed accidentia, quæ remanent sine subjecto sunt, accidentia realia prædicamentalia, realiter a subjecto distincta, non mere prædicabilia, & relativa a substantia indistincta, qualia sunt, quæ ab Adversariis admittuntur; ergo &c.

Rursus: in eodem Concilio, *Sess. 15.* damnatur hæc propositio Joannis Hus, qui dicebat: quod non esset determinatio Ecclesiæ, quod accidentia starent in sacramento altaris sine subjecto. Quæ damnatio confirmatur in Bulla Martini V. relata, *Sess. ult.* ejusdem Concilii. Unde arguo sic: Concilium damnat id, quod Joannes Hus asserebat: sed Hus, ut refertur eadem Sessione; eodem modo loquebatur ac Recentiores: dicebat enim: *Fingere accidens sine subjecto fore blasphemare in Deum, & illudere Ecclesiæ per verba accidentis:* ergo damnavit asserentes, in Eucharistia non esse accidentia sine subjecto.

V. Si dicatur, Concilium præfatum locutum fuisse, non absolute, sed conditionate; nempe, supposita sententia Peripateticorum admittentium realia accidentia.

Sane si hæc responsio admittatur: quænam Ecclesiæ definitio non eludetur? Omnes fere Ecclesiæ definitiones poterunt hæretici ita interpretari, & sic eludere. Unde Abbas Joachim ad definitionem Concilii Lateranensis, *C. Firmiter*, definientis, Deum esse incorporeum, summe simplicem, respondere potuisset: Concilium locutum fuisse ex suppositione opinionis Peripateticæ de corpore distincto a spiritu, quod ipse negabat. Et Ariani ad definitionem Concilii Nicæni de consubstantialitate, dicere potuissent, illam intelligi ex suppositione Peripateticæ opinionis de substantia. Unde Arius opponebat Catholicis, quod illud nomen *Homousion* non ex Scriptura, sed ex Philosophia erutum esset. Immo ita respondebant Wicleffistæ, ut eluderent definitionem Constantiensis. Nam ut refert Waldensis, *Tom. I. cad. 26.* dicebant: *Si oportet, fidelem credere ut fidem Catholicam, quod in Sacramento altaris sit accidens sine subjecto, & Porphyrius, & Aristoteles in hoc pertinentissime laborarunt; oportet in isto canonizare suas sententias.*

VI. Tertio probo. Patres, qui contra Eutichianos disputarunt, supponebant, in Eucharistia remanere aliquod physicum, & reale a Christi corpore distinctum; & non totum, quod erat, fuisse in ipsum Christi corpus conversum; & ex hoc principio argumentabantur, ut probarent, naturam humanam non esse conversam in divinam, sed duplicem in Christo naturam, etiam post unionem, remansisse: ergo cum non vellent, in Eucharistia remanere substantiam panis, ut supra ostendimus, supponebant aliquid panis physicum, ac reale, & non solum apparens remanere: alioquin nihil contra Eutichianos concludisset. Nam hi etiam apparentiam humanitatis in Christo agnoscebant.

VII. Urgetur hoc primo. Ex quo in Christo essent omnes operationes humanitatis, colligunt Patres, tum contra Eutichianos, tum contra Manichæos esse in Christo non phantasticam, sed veram naturam hominis, esto non personam; ergo ex quo species sacramentales operationes faciunt, ac faceret panis, colligi debet, ibi esse veram naturam panis. Non substantialem, hæc enim conversa est in corpus Christi; ergo accidentalem.

VIII. Urgetur secundo. Sicut incarnari est assumere carnem; ita sacramenti est sub aliquo sensibili panis contineri: seu tolleretur veritas Incarnationis, si Deus carnem non vere, sed tantum apparenter sensibilem assumpsisset; ergo tolleretur etiam veritas sacramenti, si Christus sub speciebus panis non vere, sed tantum apparenter sensibilibus contineretur; quia sacramentum essentialiter quid sensibile est. —— Præterea, si ad rationem sacramenti sufficeret sub specie, vel apparentia rei sensibilis oculis præsentari; Christus apparens Joanni sub specie agni in altari cælesti, sub specie Solis discipulis in Monte Tabor, sub specie peregrini offerentis panem euntibus in Emmaus, & Hortulani Magdalenæ, sacramentatus fuisset: quod non est dicendum —— Tandem. Non obstante, quod Christus dicatur: *In similitudinem hominum factus, formam servi accipiens, & habitu inventus, ut homo* (Philipp. 2. v. 7.) adhuc tamen dicitur, Verbum veram assumpsisse humanitatem

tatem contra Manichæos; ergo non obſtante, quod dicatur Chriſtum ſub ſpeciebus panis contineri, non infertur, eum ſub apparentibus, & non veris ſenſibilibus panis in ſacramento eſſe.

IX. Quarto probo. In multorum Recentiorum opinione accidentia panis, quæ in Euchariſtia apparent, non ſunt aliquid exiſtens ex parte objecti, ſed tantum modificationes in ſenſibus factæ immediate a Deo: qui ad occultandum tranſubſtantiationis miraculum, eodem modo per ſe ipſum movet organa, ac ſi panis, & vini ſubſtantia adeſſet: ad eum modum, quo cum miraculoſe in hoſtia conſecrata apparuit puer, vel caro, docet S. Thomas, plerumque id contigiſſe ſola immutatione facta in ſenſu, non in hoſtia. Hinc autem videntur ſequi plura inconvenientia. Et primo quidem infertur: ſacramentum Euchariſtiæ non eſſe ſacramentum permanens, ſed tranſiens, ut alii; cum non conſiſtat in re, quæ permaneat, ſed quæ tranſeunte actione ſenſus, tranſeant.

Ex quo, ſecundo infertur: hoſtia conſecrata in pixide clauſa, vel alibi, ut actu a nemine videatur, ibi amplius non fore corpus Chriſti: & conſequenter hoſtia in tabernaculo clauſam non eſſe adorandam, nec ante eam lampades accendendas. Corpus enim Chriſti in Euchariſtia tamdiu eſt, quamdiu actu manent ſpecies panis: ſpecies autem panis, ſi ſint meræ apparitiones, ſeu motiones factæ in ſenſibus, non ſunt, niſi quando ſenſus actu moventur. Cum autem dum hoſtia eſt clauſa, ut actu non videatur, nulla ſit motio in ſenſu; ideo &c. Unde etiam ſequeretur, ſacramentum non eſſe, niſi quando actu videtur; & ſacramentum eſſe potius in ſenſibus videntis; immo & ipſum corpus Chriſti, quod eſt ſub ſpeciebus, eſſet in oculo videntis, in quo ſunt ſpecies, potius quam in Altari; immo & in oculo bruti, ſi brutum Euchariſtiam videret.

Tertio infertur: quod ſi ſpecies ex parte hoſtiæ conſecratæ nihil ſunt, ſed tantum in ſenſu, cum hoſtia conſecrata in partes frangitur, non frangerentur ſpecies quæ nil reale ſunt, ſed frangeretur ipſum Chriſti corpus: nil enim reale eſſet, in quod cadere poſſet fractio; ac proinde ipſum Chriſti corpus dentibus atteri, dilaniari, quod in Capharnaitis ita verba Chriſti intelligentibus Patres damnarunt, ut ſupra diximus. Et eſt contra Paulum, 1. *Cor.* dicentem: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Et c. 11. *Sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quibus ſupponit Paulus, quod editur, & frangitur immediate, non eſſe corpus Chriſti, ſed ſpecies panis. Videant ergo Adverſarii, ſi hæc a viris Catholicis admitti poſſunt.

§. II.

Aliqua Adverſariorum Objecta.

X. PLura, quæ a Modernis contra exiſtentia accidentium in Euchariſtia afferuntur, ſunt philoſophica, & oſtendentia eſſe impoſſibilia accidentia realiter a ſubſtantia diſtincta, ut a Peripateticis aſſeruntur. Sed hæc Philoſophis relinquimus.

Contra exiſtentiam accidentium Euchariſticorum inſurgunt. Primo: Ex Conciliis habetur, in Euchariſtia ſolum manere ſpecies panis, & vini, ut ex Tridentino, *Seſſ.* 13. *Can.* 2. *&* 3. At nomine ſpeciei nil aliud proprie intelligitur, quam apparens ſimilitudo, ut Ezechielis, 1. *Danielis*, 10. & alibi; ergo &c.

XI. Reſpondeo primo, neg. maj. Ut enim ſupra vidimus, in Concilio Conſtantienſi, *Seſſ.* 8. *&* 18. contra Wicleff. & Joan. Hus ſtatuitur, facta conſecratione manere accidentia ſine ſubjecto, & oppoſitum damnatur. —— Secundo, nego min. Nam Concilium Colonienſe, p. 7. c. 15. *Quid* (inquit) *panis, & vini ſpecies ſunt, niſi ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubjecto?* Rurſus, dato, alicubi nomen ſpeciei uſurpari pro apparente ſimilitudine, ut in locis citatis; non tamen hoc modo illud uſurpavit Conc. Tridentinum. Nam ſpecies, de quibus loquitur, ſunt ſpecies, quæ facta conſecratione manent, non de novo apparent: quæ franguntur, dividuntur, comeduntur, nutriunt, & omnia faciunt, quæ faceret panis: ergo non ſunt meræ apparentiæ panis, ſed aliquid phyſicum ejuſdem. Non ſubſtantia; ergo accidentia. —— Dicuntur autem a Concilio ſpecies, ſeu ſimilitudines: non quia ſint apparentes, & non realia accidentia panis; vere enim accidentia ſunt, ſed ſimilitudines ſubſtantiæ panis, quæ ſub eis latebat. Cum enim accidentia ſint affectiones ſubſtantiæ, dicuntur ſpecies ſenſibiles ſubſtantiæ; quia qui videt accidentia, ut ex ſigno venit in cognitionem ſubſtantiæ.

XII. Secundo inſurgunt. Patres nomen ſpeciei ſacramentalis expoſuerunt pro ſimilitudine apparente panis. Ita Ambr. *l. 7. de Sacr. c.* 1. Anſelmus, in *Matth. c. 26.* Cyprianus, *Serm. de Cœna.* Paſchaſius, *l. de Corp. & ſang. Domini.* Et S. Thomas in Sequentia Feſt. corp. Chriſti dicens: *Sub diverſis ſpeciebus, ſignis tantum, & non rebus latent res eximia.*

XIII. Reſpondeo, Patres ſpecies ſacramentales vocaſſe ſimilitudinem apparentes, non accidentium ſenſibilium panis, ſed ſubſtantiæ panis. Ita Ambr. *lib. de Sacram.* vocans *Veras ſpecies viſibiles panis, præter ſubſtantiam ſuam.* Et Anſelmus, lib. de corp. & ſang. Domini: *Veram* (dicens) *ſpeciem viſibilem panis, ſed abſque ſubſtantia ſua.* Quoad S. Thom. autem miror, quod pro ſe illum audeant allegare: cum paſſim, & præcipue 3. *p. q.* 77. *art.* 1. & *Serm. corporis Chriſti*, qui habetur *Opuſc.* 57. accidentium permanentiam in ſacramento ex profeſſo ſtatuat. Dum ergo dicit remanere ſigna tantum, & non res, ſolum intendit remanere accidentia, quæ ſunt ſigna ſubſtantiæ, non ſubſtantiam ipſam, quæ ſola proprie vocatur *Res*: accidentia enim, cum ſint *entis ens*, potius ſunt *res rei*, quam ipſa *Res*.

XIV. Sed quia provocati ſumus ad Patres, Patres audiendi ſunt accidentia realiter a ſubſtantia diſtincta expreſſe aſſerentes. Anſelmus, *lib. de Sacrament. altaris, c.* 5. (quo Concilium Conſtantienſe contra Vicleffum valide uſum fuiſſe Walvenſis obſervavit) ait: *Licet Albedo ſit in ſacramento, non facit album*, nec rotunditas rotundum: ſed hujuſmodi omnia ſic Deus reſervavit. Auguſtinus, *l. 7. de Trinit. c.* 1. poſtquam oſtendit, potentiam, & cætera Dei attributa eſſe ſubſtantiam ejus, & Deum non tam eſſe potentem, quam ipſam potentiam, non ſic in creatis, ſubdit: *Aliud enim ibi forma, & aliud color; & utrumque, non in ſe ipſo, ſed in aliqua mole: quæ moles nec forma, nec color eſt, ſed formata, & colorata.* Quo nil clarius pro accidentibus phyſicis. Unde Anſelmus, citato loco contra dictum cujuſdam Clerici Galliæ, *c.* 2. ait *Qui colorem non aliud quærunt intelligere, quam corpus, neque ſapientiam hominis aliud, quam athomos, a ſpiritualium quæſtione exſufflandi ſunt* —— Præſertim vero, negata veritate accidentium, tolli veritatem ſacramenti, oſtendit Ambroſius relatus a Mag. ſent. in 4. *diſt.* 12. dicens: *Nihil falſi putandum eſt in Sacrificio veritatis: vel ſicut fit in Magorum præſtigiis, ubi deluſione quadam falluntur oculi, ut videant eſſe, quod non eſt.* Et Hieron. Epiſt. 71. c. 13. *Si falſum* (inquit) *quomodo res falſas oſtendere voluit, ut veritatem probaret? Nemo enim falſo verum probat.* Unde concludit Algerus, lib. 1. c. 7. *Abſurdum enim revera eſt, ut quod vere non eſt, veritatem approbet; & quod de ſe fallit æſtimationem, de alio veram exhibeat fidem.*

XV. Inſurgunt tertio. Oſtendendo, in Euchariſtia immediate tangi corpus Chriſti, & non medio aliquo accidente, & proinde ibi nil eſſe reale, niſi corpus. Tum ex Chryſoſt. *Hom.* 83. *in Matt.* dicente: *Quot modo dicunt; vellem formam, & ſpecies ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem coloramenta videre; ipſum comedis. Veſtimenta ejus deſideras videre; ipſe vero ſe ipſum tibi tradit, non ut videas ſolum, ipſum, verum etiam, ut tangas, & in te habeas.* Tum ex Berengarii confeſſione in Conc. Romano ſub Nicolao II. qua profeſſus eſt Berengarius, *Verum Chriſti corpus, & verum ejus ſanguinem ſenſualiter manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.*

XVI. Reſpondetur, hæc non eſſe magni ponderis. Nam ob intimam, & mirabilem accidentium, ſeu ſpecierum cum corpore Chriſti conjunctionem, communicatio idiomatum locum aliquo modo habet etiam in Euchariſtia: ita ut actiones externæ, quæ fiunt circa ſpecies, tribui aliquo modo poſſint corpori Chriſti ſub ipſis contento. Sicut (ſervata proportione) quæ humanæ naturæ ſunt in Chriſto, dicuntur etiam de Filio Dei, ut ſuo loco diximus.

§. III.

Aliqua Reſolvuntur.

CUm ex dictis in Euchariſtia maneant vera accidentia panis, & vini, de his quæri poteſt primo: An maneant omnia. Secundo: An maneant ſine ſubjecto, & quomodo. Tertio: An poſſint corrumpi. Quarto: An ex eis poſſit aliquid generari. Quinto: An poſſint nutrire.

XVII. Circa primum dico. Remanere in Euchariſtia omnia prorſus accidentia panis, & vini, nempe, quantitatem, & omnes qualitates, quæ ſubſtantiam panis, & vini afficiebant. Et ratio eſt. Tum quia non eſt major ratio de uno, ac de aliis. Tum etiam: quia ex vi conſecrationis ſola ſubſtantia panis, & vini converti debet, non vero aliquod accidens: alias non eſſet tranſubſtantiatio tantum; ſed etiam tranſaccidentatio.

XVIII. Circa ſecundum dico. Accidentia in hoc ſacramento manere ſine ſubjecto ſubſtantiali. Ita S. Thom. 3. p. q. 77. art. 1. Quia accidentia panis, & vini, quæ remanent, non ſunt in ſubſtantia panis, & vini; hæc enim tota, nempe, quoad materiam, & formam, in corpus, & ſanguinem Chriſti converſa eſt, ut diximus. Non ſunt in corpore, & ſanguine Chriſti. Tum quia: ſubſtantia humani corporis non poteſt affici accidentibus panis, & vini. Tum quia: corpus Chriſti glorioſum non eſt poſſibile, ut alteretur ad hujuſmodi qualitates ſuſcipiendas. Non ſunt in aere circumſtante. Eo quia aer hujuſmodi accidentium ſuſceptivus non eſt. Et quia hujuſmodi accidentia non ſunt, ubi eſt aer, quin immo ad motum illorum aer depellitur. Et quia accidentia non migrant de ſubjecto in ſubjectum. Et tandem, cum aer non ſpolietur accidentibus propriis, haberet ſimul accidentia propria, & aliena. —— *Et ideo relinquitur* (concludit S. Thom.) *quod accidentia in hoc ſacramento manent ſine ſubjecto: quod quidem virtute divina fieri poteſt. Cum enim effectus magis dependeat a cauſa prima, quam a cauſa ſecunda, Deus, qui eſt prima*

prima causa substantiæ, & accidentis: per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam. Sicut etiam alios effectus naturalium potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero virginis sine virili semine. Quod autem præstabat substantia in genere causæ materialis, præstat Deus in genere causæ efficientis.

XIX. Inter accidentia tamen Eucharistica sola quantitas immediate per se subsistit, ut non inhæreat ulli subjecto: cætera vero accidentia sunt in quantitate, sicut in subjecto. Ita S. Thom. *q.* 77. relata. *art.* 2. Et primo: quia ad sensum apparet, in Eucharistia dari molem aliquam, sensibilem, quantam, ac penetrationi resistentem; quæ est colorata, & aliis accidentibus affecta, qua divisa per accidens dividatur color, sapor &c. qua localiter mota, moveatur color &c. Hæc autem moles est quantitas. Secundo: Quia inter accidentia corporea, quod maxime accedit ad materiam, quæ in genere subjecti consideratur prima, est quantitas; ergo omnia accidentia referuntur ad materiam media quantitate; ergo sublata materia, cætera accidentia suum esse fundabunt in quantitate, tamquam in eorum proximo subjecto. Unde fit, quod miraculum quidem sit, quod quantitas existat sine substantia: Sed quod alia accidentia in ipsa maneant, novum miraculum non est; sed sicut prius in quantitate sustentabantur, & ea mediante a substantia; ita separata quantitate a substantia, in quantitate ut prius manent, & sustentantur.

XX. Circa tertium dico. Species Eucharisticas posse corrumpi. Ita ex S. Thoma, ibidem, *art.* 4. Nam species Eucharisticæ retinent idem esse, quod prius substantia panis, & vini existente habebant: sed tunc corrumpi poterant, ut patet ad sensum; ergo &c. Unde alterari possunt: quod si alteratio sit tanta, sic, ut sub illis substantia panis, & vini conservari non posset; tunc corrumpi dicentur, & sub iis desinet esse corpus Christi; cum tandiu corpus, & sanguis Christi maneat sub speciebus panis, & vini, quamdiu horum substantia sub illis maneret.

XXI. Circa quartum dico. Ex speciebus panis, & vini posse aliquid generari. Si enim corrumpi possunt, ut vidimus, cum non redigantur in nihilum, ut patet, sequitur, quod ex earum corruptione aliud generetur: ut cum ex humidis panis speciebus generantur vermes: ex iisdem combustis superstites sunt cineres. —— An autem tales productiones veræ generationes sint? Quidam volunt, esse conversiones, quibus quantitates accidentium per miraculum convertuntur in substantiam vermis, cineris, aceti &c. Alii volunt, esse proprie generationes, per hoc, quod forma, puta vermis educatur, vel ex materia, quam corruptis speciebus Deus de novo creat, & in locum corporis Christi substituit: vel ex ipsamet quantitate, cui in ipsa consecratione miraculose datur, ut sit primum subjectum subsequentium formarum, quod est proprium materiæ. *Et ideo quidquid posset generari ex materia panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis, vel vini: non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.* Ita sentit S. Thom. laudatus, *art.* 5.

XXII. Circa quintum dico. Species sacramentales vere nutrire. Assertio hæc ex præcedenti sequitur, ait S. Thom. *art.* 6. Cibus enim nutrit, quia convertitur in substantiam nutriti: at species sacramentales, ex dictis, converti possunt in substantiam aliam, quæ ex eis generetur, puta, in cineres: cur ergo eadem ratione non poterunt converti tamquam cibus corporalis in substantiam humani corporis? Videatur S. Thom. *q.* 77. *dicto art.* 6.

DUBIUM V.

De Adoratione Eucharistiæ debita.

§. I.

Quinam ei Adorationem denegarint?

I. COrporalem Christi in Eucharistia præsentiam, quam asseruimus, sequitur ejusdem adoratio. Ita enim declaravit Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* 5. & sub anathemate statuit, *Can.* 6. Nunc qui eam negaverint, videamus.

II. Gentiles, quibus confusa tantum, non aperta erat cognitio de fide Christianorum circa Eucharistiam, adorationem, quam ab illis exhiberi audierant, ipsis vertebant crimini; quod non in publico, ut Pagani Diis suis faciebant, sed clanculum eam exhiberent. Ita Maximus Madaurensis idololatra apud S. August. *Ep.* 43. modo 16.

III. Philosophis Christi cultus in Eucharistia displicuit. Unde Averoes testatur quidem, sibi præ omnibus sectis placere Christianam: *Sed quoniam* (inquit apud Espenœum) *Christiani Deum suum, quem adorant, etiam devorant, moriatur anima mea cum animabus Philosophorum.*

IV. Ariani licet faterentur, Christum in Eucharistia realiter esse præsentem; quia tamen Christum creaturam putabant, eum ibi adorandum esse negabant. Vasa tamen sacra, & altaris supellectiles tanto in pretio habebant; ut Athanasium depositione mulctarint, quod calicem sacrum effregisse (licet falso) accusatus sit.

Nestoriani, item, qui de dominica Incarnatione male sensérunt, Christum purum hominem, non substantialiter Deum asserentes, latriæ cultum Eucharistiæ inficiati sunt.

V. Donatistis cultum Eucharistiæ denegasse quibusdam visum est: eo quod apud Optatum, *l.* 2. eam canibus projecisse legantur. Sed immerito: non enim Eucharistiam esse adorandam absolute negabant; sed eam tantum, quam Catholici confecissent: putabant enim, nullum ab iis, qui extra suam sectam viverent, verum confici sacramentum —— Idem dico de Græcis Schismaticis. Licet enim aliquando nec assurgere visi sint, dum ad ægrotos Eucharistia a Latinis deportaretur; hoc non fuit; quia eam non esse adorandam censerint: sed quia Eucharistiam a Latinis in azymo confectam, erronee putarent inanem, & nullam esse; quia secundum illos solus fermentatus panis est materia idonea Eucharistiæ.

VI. Berengarius vero, Zuinglius, Calvinus, aliique omnes Sacramentarii realis Christi præsentiæ in Eucharistia hostes aperti, Catholicos tamquam idololatras traduxerunt, & respective adhuc traducunt, quod Eucharistiam adorent —— Lutherum Eucharistiæ adorationem primo indifferentem, deinde piam, & necessariam arbitratus est. Eam tamen tantum adorationem probavit, quæ exhiberetur a consecratione ad communionem usque fidelium; quia toto illo tempore, & non alio, Christum in ea corporaliter esse præsentem docuit.

Melanchton autem post Lutheri obitum, ut Eucharistiæ adorationem tolleret, somniavit, Christum non esse realiter præsentem in pane, sed in fidelibus tantum; & quidem dum actu communionem sumunt. Et hæc est, quæ in Conventu Dresdensi, ann. 1561. firmata sententia apud Lutheranos ubique ferme servatur.

§. II.

Veritas Catholica.

VII. DIco Eucharistiæ debetur cultus, & adoratio latriæ. Probo. Ubicumque substantialiter adest divinum Verbum, illi debetur cultus latriæ; sed Verbum in Eucharistia substantialiter, & modo speciali est: ibi enim est substantialiter Christi corpus Verbo hypostatice unitum ut vidimus; ergo &c. Hinc Concilium Tridentinum, *Sess.* 13. *art.* 5. cultum latriæ, qui soli vero Deo debetur, Eucharistiæ tribuendum hac ratione docet: quia ibi *Illum eumdem Deum præsentem esse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit:* Et adorent eum omnes Angeli Dei. *Quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.*

VIII. Hujus adorationis testimonium infallibile præbet perpetua utriusque Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis praxis; quæ semper, & ubique Eucharistiæ consecratæ adorationem exhibuit. Quod prioribus Ecclesiæ sæculis apud Ecclesiam Orientalem in usu fuisse testatur Chrysostomus: cum *Hom.* 28. *ad populum Antioch.* tum *Hom.* 1. *in Isaiam:* tum *lib. de Sacerdotio, cap.* 4. quibus in locis inducit Angelos Sacræ Mensæ venerabundos, adstantes: & hoc virorum fide digniorum, qui eos viderant, testimonio confirmat. Cui rei certe fidem Chrysostomus non præbuisset, nec in sua Ecclesia Constantinopolitana credendum proposuisset, nec fideles hoc credidissent, immo de suo Præsule scandalum sumpsissent; si ob oculos eis poneret Angelos adorantes id, quod scirent non esse adorandum. —— Cyrillus Jerosolymit. *Cateches. Mystagogica* 5. *jubet;* ut reficiendus accedat *Pronus, & adorationis in modum.* —— Nazianzenus, Oratione funebri in honorem germanæ suæ Gorgoniæ, eam inter alia celebrat, quod cum fide coram altari procumbere solita fuisset: *Ipsumque qui super ipso honoratur cum ingenti clamore invocasse:* —— Theodoretus etiam. *Dialogo* 2. quem *Inconfusus* inscripsit ait: *Symbola mystica* (idest species sacramentales) .... *intelliguntur esse ea, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur.*

Sed nedum priscis, verum & hodiernis temporibus Græcos Eucharistiæ cultum latriæ exhibere, constat ex eo, quod diebus solemnibus Chrysostomi liturgia utuntur: in qua observare est Sacerdotem, & Diaconum capitibus in terram inclinatis tremenda hæc mysteria sæpius adorare, & præscribere fidelibus, ut idem faciant. Et ut superius diximus, Sacerdotes Græci, prolatis verbis, *Hoc est corpus meum*, hostiam populo exhibent adorandam.

IX. Pro Ecclesia autem Occidentali, prioribus sæculis cultu latriæ Eucharistiam adorari a fidelibus consueviſse, testatur S. Ambrosius, *lib.* 3. *de Spiritu Sancto, cap.* 12. Qui in hæc Psalmi *verba: Adorate scabellum pedum ejus*, hæc habet: *Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt*, S. item August. *Epist.* 120. modo 140. *ad Honoratum de gratia novi Testamenti*, super illa verba: *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ*, quæ ab Ambrosio acceperat, docens: *Ipsi quippe* (ait cap. 27. de divitibus superbis) *adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore, & sanguine ejus; sed adorant tantum, non etiam saturantur, quia*

quia non imitantur. Et in Psalm. 98. *Nemo* (inquit) *illam carnem manducat, nisi prius adoraverit*. Hoc idem confirmant liturgiæ omnes Latinæ, etiam veteres, quibus sacra dona, ubi consecrata fuerunt, fidelibus adoranda proponuntur.

X Nec dicat Lutheranus, hæc omnia intelligi debere de Eucharistia, sive in usu, sive a consecratione, usque ad sumptionem: tunc enim est adoranda, non autem post. — Nam hoc Dubio sequenti: falsum esse ostendimus; unde proscriptum fuit a Tridentino *Sess.* 13. *Can.* 5. his verbis: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.*

§. III.

Sacramentariorum Objecta.

XI. Objiciunt primo. Christus usum quidem Eucharistiæ præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; adorationem tamen non præcepit.

Rursus: Apostoli Eucharistiam a Christo consecratam acceperunt: eam tamen non adorantes, sed in latus inclinati, & more Judaico mensæ accumbentes acceperunt.

XII. Respondeo, Christum expresse quidem adorationem Eucharistiæ non præcepisse; eam tamen implicite voluisse colligitur ex eo quod illis verbis: *Hoc est corpus meum*, panem in suam carnem conversum fuisse illis indicat. Sciebant autem carnem Christi, quia substantialiter Verbo unitam, esse adorandam ubicumque esset; quamvis nec hoc expresse unquam Christus præceperit.

Ad id quod additur, dico, ab externo situ, quo ad Eucharistiam acceditur, non posse fieri argumentum. Cum Eucharistia fidelibus modo in genua provolutis, modo stantibus, modo etiam sedentibus, aut decumbentibus porecta fuerit pro temporum, ac rituum diversitate: cum semper omnes adorantes eam susceperint.

XIII. Objiciunt secundo. Cyrillus Alexandr. ut Idololatram habuit Nestorium, quod humanitatem Christi adoraret, quamvis aliquomodo Verbo unitam; ergo idololatriæ crimen erit adorare Eucharistiam, quamvis Christum continentem.

Respondeo neg. conf. Cyrillus enim idololatram habuit Nestorium, quia ex una parte Christi humanitatem dicebat esse suppositaliter a Verbo distinctam, ac sola unione accidentali, & affectiva ei unitam; & ex alia cultu latriæ esse adorandam dicebat. Non tamen damnaret Catholicos, qui corpus Christi realiter in Eucharistia existens, & suppositaliter unitum Verbo adorant. Caro enim Christi suppositaliter Verbo unita, ubicumque sit, adoranda est.

XIV. **Sed dices.** Catholicis nedum præcipitur adoratio corporis Christi, sed etiam adoratio sacramenti: sed sacramentum non supponit solum pro corpore Christi, sed pro speciebus panis, & vini, quæ quid creatum sunt, neque hypostatice Verbo unitæ; ergo ab idolalatria immunes non sunt. Maj. probatur ex Trident. 23. *cap.* 23. *c.* 5. dicente: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione adhibeant.*

XV. Respondeo, dist. maj. Ultimo terminata ad sacramentum, ut signum est, neg. maj. Ultimo terminata ad rem signatam, & sub illo contentam, nempe, Christi corpus, conc. maj. Et in hoc sensu dicitur a Tridentino adorandum esse sacramentum cultu latriæ; quia ut ibi subdit: *Illum eumdem Deum præsentem credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum &c.* Sacramentum ergo, seu species sacramentales venerandæ quidem sunt, sed cultu minori, quo omnia sacramenta veneramur; verum tamen Deum, quem continent, cultu latriæ. Præstat hanc præclaram S. Athanasii contra Arianos explicationem, *Epist. ad Adelphium*, proponere: *Non creaturam* (adoramus inquit) *absit. In Ethnicos, & Arianos istiusmodi delirium competit: sed Dominum rerum creatarum incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum; attamen Dei corpus effecta est: neque hujusmodi corpus seorsum discriminatim a Verbo adoratione prosequimur; neque Verbum adoraturi, Verbum a carne longe seponimus: sed cum sciamus* (*ut dictum est.*) *Verbum caro factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus.* Ita Deum in carne adorabant Catholici, ita & nos Deum adoramus in sacramento.

XVI. At replicabis. Adest saltem idololatriæ periculum, ne dum quis coram pane consecrato procumbit, cultum referat, aut ad species, aut ad panem; si, ut voluit Lutherus, ibi cum Christi corpore adesset.

XVII. Respondeo nego ant. Sciunt enim Catholici, cultum, quem Eucharistiæ exhibent, ad Christum, non ad species terminari: quæ se habent, sicut fasciæ, quibus Christus in præsepio involvebatur, & sicut vestes, quibus induebatur. Sicut ergo nemo Magos, qui Christum in præsepio adoraverunt, aut leprosum, qui veniens adorabat eum, dixerit, adorasse pannos, aut fascias, aut vestes, sed Christum: sic Catholicus, Eucharistiam, seu Christum in Eucharistia adorans, non dicitur adorare species, sed Christum. Audiendus est Chrysostomus, *in* 1. *ad Cor.* ubi, adducto Magorum exemplo, fideles hortatur, ut Christum sub speciebus panis, & vini latentem adorent: *Hoc corpus* (inquit) *in præsepe reveriti sunt Magi, & viri barbari, longo itinere confecto, cum timore, & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur ergo barbaros, nos Calorum cives. Illi cum præsepe tantum, & tugurium, nec eorum quidquam, quæ tu nunc intueris, viderent, summa cum reverentia, & honore accesserunt. Tu vero id non in præsepe, sed in Altari: non mulierem, quæ in ulnis teneat; sed Sacerdotem præsentem, & Spiritum perabunde super propositio diffusum Sacrificio vides. Nec simplex, aut simpliciter, ut illi, corpus intueris; sed & ejus potentiam, & omnem cognoscis administrationem &c.* Et Orat. de B. Philogonio: *Tu vero, ne breve quidem spatium emetiri sustineas, ut hoc felici spectaculo perfruaris. Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus eum in præsepio jacentem: Hæc siquidem mensa explet præsepis. Nam & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis, sicut tunc, sed undequaque Spiritu Sancto vestitum. Qui mysterii initiati sunt, intelligunt, quæ dicuntur.* Ita loquebatur quarto sæculo, tamquam de re omnibus comperta, Chrysostomus.

DUBIUM VI.

De Eucharistiæ Reservatione.

§. I.

Resolutio Catholica.

I. Sacramentarii post Zuinglium, & Calvinum, Eucharistiam non magis reservari posse autumant, quam aquam Baptismi, seu qua confertur Baptismus. Lutherus, Melanchton, & alii, qui volunt in Eucharistia esse Christum tantum, vel a consecratione usque ad communionem, vel in actu solius communionis, peracto Sacrificio, Eucharistiam non esse servandam contendunt: ideoque, nec publice exponendam, nec ad ægrotos deferendam, nec in processionibus circumgestandam. Contra hos gradatim procedemus.

II. Dico. Eucharistia, peracto Sacrificio, seu peracta consecratione, & usu, vere, ac pie reservari potest, ac reservatur. Probo. Nam Scriptura nos docet, Eucharistiam independenter ab usu esse verum sacramentum; ergo ante usum, & post reservari potest. Ant. prob. Eo instanti; quo Christus protulit hæc verba: *Hoc est corpus meum: Hic est sangnis meus*, eodem momento corpus, & sanguis Christi existere cœpit sub speciebus; alioquin, ut dictum est, Christi locutio non fuisset vera: quippe qui asseruit, corpus suum, & sanguinem esse, quod exhibebat; cum tamen ex Adversariis non fuissent, nisi postea cum Apostoli sumpserunt.

Dicere autem cum Adversariis, Christum ea verba protulisse, dum actu Apostoli sumerent, inane est. Primo: nam Christus illis verbis invitavit Apostolos ad manducandum, & bibendum; quia ille cibus est corpus suum, ille potus est sanguis suus: id quippe denotat illa particula *enim*; quam *Matthæus*, *c.* 26. *v.* 28. refert, dicens: *Hic est enim sanguis meus*; ergo prius erat ille cibus *Corpus*: & ille potus *Sanguis* Domini, quem Apostoli manducarent, & biberent, & prius debuit a Domino explicari, quod esset, & ab Apostolis cognosci, ut scirent quid acciperent. — Secundo: Apostoli ex eodem calice sanguinem biberunt, ac proinde alter post alterum; ergo necesse fuit, ut verba Evangelica fuerint prolata, antequam Apostoli bibissent; ergo oportuit Christi sanguinem esse in calice, antequam hauriretur; alias Christi verba falsa fuissent. — Tertio: Panis Eucharisticus prius frangitur, quam manducetur: sed quando frangitur, est corpus Christi: ergo est corpus Christi antequam manducetur. Min. prob. ex Apostolo, 1. Cor. 10. v. 6. *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Alias non diceret *est*, sed *erit*.

III. Quare Concilium Tridentinum, *Sess.* 13. *c.* 3. docet, quod id in Eucharistia *Excellens*, *& singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie . . . . existere.* Hanc excellentiam Eucharistiæ super reliqua sacramenta exponit Catechismus ejusdem Concilii, *Tit. de Euch. num.* 9. dicens: *Cetera sacramenta materia usu perficiuntur, dum scilicet alicui administrari ea contingit: Baptismus enim sacramenti naturam tunc adipiscitur, cum re ipsa homo aqua abluitur. Ut vero ad Eucharistiæ perfectionem satis est ipsius materiæ consecratio: verum enim sacramentum esse non desinit, quamvis in pixide asservetur.* Et S. Thom. 3. part. q. 73. art. 1. ad 3. *Potest* (inquit) *aliquid*

aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet, absolute, & in ordine ad aliud. Hæc autem est differentia inter Eucharistiam, & alia sacramenta habentia materiam sensibilem: quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, scilicet; ipsum Christum: aqua vero Baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet, virtutem ad sanctificandum . . . Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum. Si ergo hoc sacramentum materiæ consecratione perficitur, sequitur, ipsum tali actione fieri; ut postquam illa facta est, sacramentum subsistat, ac permaneat etiam extra usum.

IV. Alterum pro Eucharistiæ reservatione argumentum sumitur ex antiquissima Ecclesiæ praxi, eam peracto Sacrificio reservandi. Cujus testes sunt, S. Justinus secundo sæculo asserens (*Apolog. 2. pro Christianis*) morem fuisse, sacram Eucharistiam præsentibus distribui, & ad absentes per Diaconos, ac Ministros perferri. S. Irenæus Arch. Lugdunensis, *Epist. ad Victorem Papam apud Euseb. lib. 5. Hist. cap. 24.* scribens, prædecessores suos a communione sua non rejeciisse Episcopos, quia luna 14. Paschæ celebrabant, & ad eos Eucharistiam misisse. Eucharistiam asservatam in templis, domum asportatam, ac reconditam, ut, sæviente persecutione, ea fideles quotidie reficerentur, testis est Cyprianus tertio sæculo. *lib. de Lapsis.* Narrans: quod cum quædam mulier arcam, in qua Eucharistia conservabatur, manibus indignis ausa esset aperire, repente igne exorto exterrita fuit. Et alter, qui & ipse maculatus Sacrificii a Sacerdote peracti partem cum aliis ausus est latenter accipere; sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit. Eam quoque a peregrinantibus deferri solitam in præsidium, colligitur ex Ambrosio, *Orat. funebris pro Satiro fratre.* De quo narrat, quod in naufragio constitutus, ab initiatis divinum poposcit sacramentum; quo in orario ligato, & orario collo involuto, ita se in mare dejecit: nec ulla tabula requisita, cui supernatans se tueretur, sed solis fidei armis munitus, primus omnium servatus fuit ex undis, & incolumis ad Præsulem se præsentavit suum. Perantiquæ etiam consuetudinis servandi in sacris ædibus Eucharistiam, fidem facit Chrysostomus, *in prima ad Innocentiam Epist.* Narrans factum quorumdam militum, qui locum, in quo Sancta condita servabantur, ingressi, viderunt omnia, quæ intus erant; quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est. De Donatistis quoque refert Optatus, *lib. 2. contra Parmen.* quod inventam in templo Eucharistiam, canibus projecerunt. Ex his ergo testimoniis apparet, modernos Sectarios Eucharistiam, extra usum, sacramentum esse negantes, utriusque antiquæ Ecclesiæ fidei contradicere; & proinde merito a Tridentino, *Sess. 13. Can. 4.* anathemata fuisse confixos.

§. II.

Sectariorum Momenta.

V. PRimo objiciunt. Ex contextu Evangelii haberi, Christum in actuali manducatione verba protulisse. Nam, *Matt. 26.* legitur: *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis; & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum.* Quibus apparet, Christum protulisse verba post distributionem panis, quam immediate secuta est comestio.

Respondeo, Evangelistas non semper fuisse sollicitos exprimere ordinem, quo res gesta est: quod hic eos feciisse apparet. Nam cum Marcus etiam, *c. 14. v. 23.* dicat: *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes; & ait illis: Hic est sanguis meus*; si ordo verborum attenderetur, dicendum esset, quod prius Apostoli biberint, & quod postea verba Christus protulerit. Quod nemo admittet.

VI. Secundo objicit Calvinus. Sicut verba hæc, Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, continent promissionem salutis æternæ iis, qui sumpserint Baptismum: ita verba hæc, Jo: *6. v. 59. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, continent promissionem, qua carnis suæ virtutem largiturus sit illis, qui panem Eucharisticum sumpserint, & manducaverint: atqui sacramentum Baptismatis in usu consistit, & extra usum non est; ergo & Eucharistia in usu & sumptione consistit, & extra hanc non est.

Respondeo, nego conf. Discrimen enim inter Eucharistiam, & Baptismum, ac reliqua sacramenta supra ex S. Thoma, & Catechismo Romano assignatum est: & eo maxime, quia ut ex Tridentino diximus, Christus pronuntiavit esse corpus suum, antequam Apostoli sumerent. Unde verba hæc: *Accipite, manducate, bibite, hoc facite*, significant quidem Eucharistiæ usum, sed non essentialem. Nam sicut essentia cibi communis non in sola manducatione, sed extra illam habetur; sic essentia cibi Eucharistici.

VII. Tertio objicit Melanchton. Christus voluit, corpus suum esse realiter in Eucharistia ad usum fidelium; ergo in ea non est nisi in actuali usu: Præterea decit, Christum alligari pani, antequam fideles communicent; cum tali enim alligatione liberum Christi arbitrium non stat.

Respondeo neg. conf. Si enim aliquid concluderet, probaret etiam, quod cum aquis *Mara* dulcedo, collata est, ut populus Israel inde potaretur; dulcedo illa non in aquis, sed in usu, & ore potantium fuerit. Et quod in nuptiis Canæ aqua versa fuit in vinum, ut convivæ inde biberent, vinum non fuisset, nisi in usu, & ore bibentium; quia utrumque miraculum non minus editum fuit ob usum hominum, quam Christus ob usum fidelium Eucharistiæ fiat præsens. —— Secundum quoque nihil probat. Nam si probaret, etiam evinceret, Christum e libertate sua excidisse, cum aut fasciis involutus fuit a Matre, aut funibus a Judæis ligatus, aut cruci affixus a militibus. Sicut igitur & in fasciis, & in funibus, & in Cruce liberrimus permansit, quia hæc non necessitate, sed voluntate pertulit: ita in Eucharistia liber est, quia in ea se statuit vi promissi, quo libere hominibus se devinxit.

VIII. Quarto objiciunt. Apud Veteres mos erat, ut hostiæ communioni fidelium superstites consumerentur; & ad hoc advocarentur pueri, ut supra observavimus. Tum ex Evagrio, *l. 4. Hist. cap. 35.* referente miraculum filii Judæi, quod narrat etiam Greg. Turon. *lib. 1. de Gloria martyr.* Tum ex Nicephoro, *l. 17. de Hist. Eccl. cap. 25.* testante, se dum puer esset, sæpius in Ecclesia Constantinopolitana Eucharistiæ reliquias comedisse. Tum ex Conc. Matisconensi, *anno 588.* præcipiente, reliquias parvulis innocentibus tradi.

Hesychii etiam tempore vigebat mos in quibusdam Orientalibus Ecclesiis comburendi hostias, quæ peracto Sacrificio supererant. Ita, *l. 2. cap. 8.* in Levitic. Veteres ergo Eucharistiam in altari non servabant.

IX. Respondeo, neg. conf. Satis enim superius oppositum ostensum est. Dico tamen, persecutionum quidem tempore nil reservatum de Eucharistia fuisse in cœmeteriis, aut locis, quo Christiani conveniebant; ne ad Gentilium manus deveniret: sed cuivis fidelium fuisse distributam, quam domum secreto deferebat, eaque se ante omnem cibum quotidie reficiebat. Data tamen Ecclesiæ per Constantinum pace, Eucharistia reservari cœpta est; ea cautela, ut non plus reservaretur, quam fidelium, & ægrotorum communioni necessarium foret: unde ad superabundantes reliquias consumendas vocabantur pueri, ut supra dictum est, ne scilicet periculum esset putrefactionis. Quare non statim, nec singulis diebus, sed quarta, vel sexta feria pueri vocabantur, ut sanxit Concilium Matisconense relatum; quando videlicet sacramentum in *pixide* asservatum renovabatur.

Hesychius autem expresse asserit, in altari reservatum fuisse Sanctum Sanctorum. Ait namque: *Est locus sanctius Altare, ibi enim Sanctus Sanctorum requiescit.* Unde Eucharistia apud Græcos etiam Schismaticos, more ab Ecclesia Catholica sumpto, etiam nunc asservatur. Qua ratione autem apud eos fiat, legere est apud Arcudium, *lib. 3. de Sacr. Eucharist. cap. 17.* —— Comburi autem consueverat Eucharistia, quando ob negligentiam Sacerdotis, species, aut computruissent, aut marcidæ factæ fuissent; ut sancitum fuit in quodam Concilio Aurelianensi, ex quo Ivo Carnotesis hunc canonem describit (Decretis p. 2. c. 59.) *Omne Sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis juxta altare sepeliendum.* Hac eadem responsione simili argumento occurrit Algerus, l. 2. de corp. & sang. Domini.

DUBIUM VII.

Aliqua ex dictis Resolvuntur.

§. I.

De Eucharistiæ Delatione ad Ægrotos.

I. DIco. Sancta est consuetudo deferendi Eucharistiam ad absentes, præsertim ægrotos. Probo sic. Si Christi corpus realiter præsens sit in Eucharistia, ut contra Sacramentarios ostensum est; si independenter ab usu, & etiam completo Sacrificio in ea permanet, ut contra Melanchtonem, & Lutherum evicimus; si Canones vetant, ne in privatis domibus aut conficiatur, aut reservetur, ut olim: si Jure Ecclesiastico, & Divino quisque fidelis rationis compos, tenetur ad communionem, antequam exeat ex hac vita: oportet, ut pius, ac necessarius sit usus, qui ab Ecclesiæ incunabulis exordium habuit, deferendi nempe Eucharistiam ad absentes, & infirmos.

II. Istius moris fidem facit Justinus Martyr, in Apologia, quam *anno 150.* Antonino Imperatori pro Christianis obtulit. Ibi enim priscum hunc morem sic describit: *Distributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ actæ sunt cuique præsenti; absentibus autem per Diaconos mittitur.* Quoad infirmos vero testis est Dionysius Alexandrinus, qui sæculo tertio floruit. Is in Epist. ad Fabium Papam (quæ extat apud Eusebium, *lib. Hist. c. 44.*) narrat de quodam Serapione sene, qui prius nulli culpæ obnoxius, sed postea in persecutione lapsus, & proinde ab Eccle-

Eccleſia ſegregatus, cum in extremum morbum incidiſſet, puerum miſit, ut unum ex Presbyteris pro abſolutione accerſeret. Ivit puer: ſed cum Presbyter, ad quem acceſſerat, ægrotaret, exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit; jubens, ut in aqua intinctam ſeni in os inſtillaret. Rediit puer: quod juſſus erat, perfecit, buccellam intinxit, & in os ſenis infudit; qui, ea paulatim abſorpta, continuo animam exhalavit.

§. II.

De Solemnitate Corporis Chriſti in Euchariſtia.

III. Dico. Pie, ac religioſe Urbanus Papa IV. feſtivitatem corporis Chriſti inſtituit. Supponit hoc, Urbanum IV. fuiſſe primum hujus feſtivitatis Auctorem. Nullum enim de hoc feſto legitur editum decretum ante annum 1262. quo præfatus Urbanus, octavo Septembris, Bullam promulgavit, quam videre eſt, *l. 3. Clement. tit. 16. cap. Unico de reliq. & vener. ſanctorum*. Occaſionem huic dedit, tum miraculum, quo ſacramentales ſpecies in ſanguinem verſæ ſub hoſtiæ forma corporale intinxere; cum in illud gutta vini conſecrati negligentia Sacerdotis eſſet effuſa. Tum revelatio olim facta Julianæ Virgini Leodienſi, ſecundum quam, prævio graviſſimorum Theologorum examine, & ipſius Urbani approbatione, Leodienſis Eccleſia tale feſtum celebrandum ſuſceperat. Officium pro hac celebritate demandatum ab eodem Urbano fuit S. Thomæ Aquinati tunc viventi: qui illud ordinavit, quale in Eccleſia univerſali modo recitatur; eſtque inter S. Thomæ Opuſcula quinquageſimus octavus.

Eſto tamen ab Urbano IV. inſtituta fuerit hæc ſolemnitas, non obtinuit tamen uſum univerſalem, niſi poſt Concilium Viennenſe, *anno 1311.* ſub Clemente V. celebratum. Eo nimirum in Concilio Urbani IV. Conſtitutio fuit promulgata, & a Clemente in corpus Juris Canonici relata. Martinus V. & Eugenius IV. eam poſt confirmaverunt, & auxerunt Indulgentias, quas Urbanus conceſſerat iis, qui divinis Officiis per hujus feſti octavas eſſent interfuturi.

IV. Piam porro, ac religioſam fuiſſe hujus feſti inſtitutionem produnt momenta, quibus motus fuit Urbanus. Nimirum primo: gratitudinis debitum, quo omnes Catholici tenentur recolere immenſam Chriſti charitatem, quam in Euchariſtiæ inſtitutione oſtendit, ut indicant verba Bullæ. Secundo: ut victoriæ, quam Eccleſia undecimo, & duodecimo ſæculo de hæreticis Berengarianis reportaverat, permanens aliquod ſignum remaneret. Tertio: ut quotidiana erga Euchariſtiam reverentia, peculiari unius Dei conſecratione repararetur. Quæ affert ipſe Urbanus in Bulla.

V. Sed inquiunt Proteſtantes. Numquid ſapientior fuit Urbanus prædeceſſoribus, qui ab initio Eccleſiæ nil de hoc feſto cogitaverunt? —— At dicam ego. An ſapientiores fuerunt Pſeudoreformatores, qui feſta, & alia perpetuo Eccleſiæ uſu conſecrata abrogarunt? Si hoc Urbano non licuit, nec licuit quarti ſæculi Patribus feſtum Nativitatis Domini, aliaque inſtituere, quæ initio Eccleſiæ inſtituta non fuerant. Eſto igitur nihil in fide, & moribus ſtatuendum ſit, quod antiquitate non commendetur; in ritibus tamen, locorum, & temporum, variis circumſtantiis urgentibus, aliquid de novo ſtatui poteſt, quod antea ſtatutum non fuerat: cum prioribus ſæculis nullus fuerit Euchariſticæ veritatis impugnator, de quo reportata victoria inſtitutionis hujus feſti potiſſima ratio fuit.

§. III.

De Solemni Euchariſtiæ Circumgeſtatione.

VI. Dico. Solemnis Euchariſtiæ in proceſſionibus circumgeſtatio pia eſt, & religioſa. Contra hanc, tamquam idololatricam pompam, blaterare non ceſſant Calviniſtæ, & Lutherani. Sed eorum murmur ex alio errore procedit. Nam Calviniſtæ contendunt, Chriſtum non eſſe corporaliter in Euchariſtia præſentem, ſed ſolum in figura: figuris autem, ac imaginibus omnem cultum denegant. Lutherani autem aſſerunt, Chriſtum eſſe in Euchariſtia præſentem, vel ſolum in uſu, vel ad ſummum durante liturgia, & non poſt. Unde non mirum, ſi tamquam idololatras traducunt eos, qui illam populo adorandam cum pompa ſolemni circumgeſtant.

Catholici vero, qui fide credunt, facta conſecratione, Chriſtum eſſe in Euchariſtia præſentem; ac ſub ſpeciebus vere manere etiam extra uſum, & Sacrificium; non eſt dubium, quin pie, ac religioſe ſe gerant: cum Chriſtus, ubicumque præſentialiter eſt, adorandus ſit.

VII. Solemnis hujus circumgeſtationis originem detegere difficile eſt. De tali conſuetudine Gregorius Turonenſis Gregorio Magno coævus aliquid indicat, *lib. 1. de gloria Mart. c. 86.* Narrans factum cujuſdam Diaconi, qui cum Euchariſtiam ferre cœpiſſet ad oſtium Eccleſiæ, ingreſſuſque templum, ut eam altari ſuperponeret, elapſa de manu ejus ferebatur in aera; & ſic ad aram accedentem nunquam manus Diaconi aſſequi potuit, eo quod pollutus foret in conſcientia. Aliquid etiam de hoc eruitur ex *Canone 5.* Synodi Bracarenſis, habitæ paulo poſt Gregorii Turonenſis tempora, *anno* ſcilicet 654. ubi de antiqua conſuetudine circumferendi non Reliquias Martyrum, ſed Euchariſtiæ reliquias, vocat *Arcam Dei, & divina Myſteria*, ſermo habetur. Sed hæc nimis obſcura ſunt.

VIII. Putant aliqui, ſolemnis hujus circumgeſtationis inſtitutorem fuiſſe eumdem Urbanum IV. ſed immerito. Nam in ejus Bulla, quæ incipit *Tranſiturus*, mentio quidem fit de feſtivitate, & de Indulgentiis conceſſis iis, qui horis Canonicis interfuerint; nil tamen de Proceſſionibus dicitur: & Auctores Urbano ſuppares, de feſtivitate corporis Chriſti ab eo inſtituta locuti ſunt, at de Proceſſione nec verbum habuere.

Cenſent propterea alii, inſtitutores fuiſſe vel Martinum V. vel Eugenium IV. ſed falſo. Nam Martinus, & Eugenius de proceſſione loquuntur quidem: ille in Bulla, quæ incipit: *Ineffabile ſacramentum*, 26. Maii 1420. Iſte in ſua conſtitutione *Excellentiſſimo* 26. Maii 1433. ſed non tamquam de re nova, & ab ipſis in Eccleſia invecta.

IX. Veroſimile ergo eſt, ritum illum poſt Urbanum, & ante Martini, ac Eugenii tempora prius apud aliquas Eccleſias particulares, ex Epiſcoporum, & Fidelium pietate fuiſſe introductum; quem ſenſim aliæ, & demum tota Occidentalis Eccleſia ſuſcepere. Nec mirum. Ea enim, quæ ad diſciplinam pertinent, aliquando a privatis Eccleſiis uſurpata, promovente pietate, ſine ſcriptis legibus aliquando apud omnes invaleſcunt. Eſpenceus, *l. 2. de Euch.* conjicit, Proceſſionis illius uſum *anno* 1404. decem, plus minus annis ante Concil. Conſtant. in Papiæ Civitate cœpiſſe: addens, Martinum V. in eo Concilio electum Indulgentias ab Urbano conceſſas pro feſto, ad ſequentes eodem die, & tota octava ſacramenti extendiſſe. Hæc ex hiſtoria Mediolanenſi, Auctore Donato Baſſio. Videatur Tridentinum, *Seſſ. 13. cap. 5. & Can. 6.*

§. IV.

De Publica Euchariſtiæ Expoſitione.

X. Dico. Pia, & religioſa eſt conſuetudo, quæ modo viget apud omnes Occidentales, qua venerabile ſacramentum publice exponitur adorandum. Non enim niſi ſancta eſſe poteſt conſuetudo, quæ promovet cultum, & adorationem Chriſti Domini in eo exiſtentis: quæ conſuetudo ſuam debet originem proceſſioni, qua corpus Domini publice geſtari cœptum fuit. Antequam enim proceſſio corporis Chriſti uſui eſſe cœpiſſet, nullibi legitur Euchariſtia omnium oculis expoſita fuiſſe: immo Catechumenis, & pœnitentibus fuiſſe ſubductam neminem latet, quamdiu claſſes illæ Catechumenorum, & pœnitentium fuerunt in uſu: jubebantur nimirum e templis diſcedere, antequam Miſſa fidelium inchoaretur. Ipſi quoque fideles apud Græcos nuſquam illam intuentur, niſi cum facta conſecratione a Sacerdote proponitur adoranda. Quare apud Græcos, neque publicæ expoſitionis, neque proceſſionis corporis Chriſti uſus eſt. Publica ergo corporis Chriſti expoſitio in uſu eſſe cœpit, cum primo adhiberi cœperunt tabernacula portatilia, vulgo *Oſtenſoria*, quæ ante trecentos ab hinc annos in uſu non fuiſſe, omnes conveniunt.

XI. Ad publicam Euchariſtiæ expoſitionem non quævis cauſa ſufficiens eſt: debet enim eſſe cauſa gravis ad publicum bonum pertinens. Unde S. Carolus in XI. ſua Synodo Diœceſana. *Ne* (inquit) *quavis cauſa Euchariſtia palam, & aperte proponatur, ſed publica tantum, atque gravi; aliis vero de cauſis orationem licebit inſtituere, ſed non ſacramento aperte expoſito*. Idem in Synodo Provinciali Mechlinenſi ſub S. Pio V. *c. 7.* quoad corporis Chriſti Proceſſionem his verbis: *Sacroſancta Euchariſtia, pie, & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis ſupplicationibus defertur: potiſſimum vero in feſto ſacro Chriſti corpori proprie conſecrato, ejuſque octava. Sed, ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra predicta tempora id fiat; & non niſi in arduis cauſis pacis, aut publicæ neceſſitatis. In illis autem proceſſionibus, ad quas populus non tam orandi, quam ſpectandi gratia confluere ſolent, abſtineatur. In communibus autem ſupplicationibus circumgeſtari poterunt Reliquiæ Sanctorum:* Ex his deducet prudens: an adeo frequentes, quales hiſce temporibus obtinuerunt, Euchariſtiæ expoſitiones, & circumgeſtationes in majorem, minoremque cedant reverentiam ſacramenti.

Quare Euchariſtiæ publica expoſitio nonniſi de licentia Ordinarii fieri poteſt; neque a Regularibus ipſis etiam in eorum Eccleſiis, ut pluries decrevit S. Congregatio tum Epiſcoporum, & Regularium, tum Rituum. Cum enim talis expoſitio fiat ad convocandum populum, ut publice oret; ad Epiſcopum ſpectat publicas orationes indicere, & populum ad orandum convocare, ut docet Clericatus, de Euchariſt. *Deciſ. 60. n. 9. &c.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Ministro, Subjecto, & Usu hujus Sacramenti.

MInister Eucharistiæ alius est consecrationis, seu confectionis, alius puræ dispensationis. De primo agitur in Tract. de Eucharistia, ut sacrificium est. Hic ergo solum agemus de Ministro, penes quem sit Eucharistiam jam confectam dispensare; sive tamquam ordinario, sive tamquam extraordinario dispensationis Ministro. Subjecti autem nomine intelligimus eum, cui Eucharistia potest ministrari, & quas dispositiones habere debeat, & tandem de iis quæ ejus usum concernunt.

DUBIUM I.

Quinam sit Ordinarius Eucharistiæ Dispensator, & quinam Extraordinarius.

§. I.

Minister Ordinarius?

I. DIco. Soli Episcopi, & Sacerdotes sunt ordinarii Eucharistiæ dispensandæ Ministri. Probo ex S. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 3. Primo. Nam Sacerdos *Conficrat in persona Christi*, ut dictum est: *Ipse autem Christus, sicut consecravit corpus suum in cœna, ita & aliis sumendum dedit.* Ergo *sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio Corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio.* Secundo. *Quia Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum*: Ergo *sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre: ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere* —— *Tertio. Quia in reverentiam hujus sacramenti a nulla re contingitur, nisi consecrata; unde & corporale, & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum; ergo nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta, si caderet in terram, vel in alio necessitatis casu.*

II. Hinc Paulus, 1. *Cor.* 3. & 4. postquam de Episcopis, & Presbyteris, tamquam de Christi Ministris, qui per illos operatur, locutus fuit *v.* 1. ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Licet autem nomine mysteriorum Dei omnia sacramenta possint intelligi, præcipue tamen venit Eucharistia, quæ inter cætera *Mysterii* nomen, & rem sibi vindicat.

III. Merito igitur Tridentinum, Sess. 13. cap. 8. *Semper* (inquit) *in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicent. Qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens jure, ac merito retineri debet.* Et *Sess.* 23. *c.* 1. docet a Domino Salvatore *Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem suum.* Sicut ergo ex Christi institutione, & proinde divino jure solis Sacerdotibus convenit potestas consecrandi, & offerendi; ita & ministrandi corpus, & sanguinem Christi: solos enim Apostolos, & in eis Episcopos, & Sacerdotes alloquebatur in cœna, cum dicebat: *Hoc facite in meam commemorationem*, quasi dixisset: quod ego feci consecrans, & distribuens corpus meum, & sanguinem, vobis demandatum est, ut faciatis erga alios: idest, ut corpus, & sanguinem meum conficiatis, ac dispensetis.

IV. Si quæras: Cur Chrisma conficere, & conferri soli Episcopo convenit; non autem soli Episcopo convenit Eucharistiam conficere, & ministrare? —— Respondeo cum S. Thom. *q.* 82. *art.* 1. citato *ad* 4. & *art.* 3. *ad* 8. rationem esse: quia per Eucharistiam *Perficitur homo secundum se per comparationem ad Christum.* Et ideo ordinario jure eam conficere, & ministrare convenit etiam Sacerdoti; quia ex vi Ordinis habet potestatem supra corpus Christi verum; per Chrismationem autem, & Ordinem perficitur homo per comparationem ad alios, seu ad corpus Christi mysticum: perfectiones autem: *Quibus homo perficitur per comparationem ad alios, Episcopo reservantur.*

§. II.

Minister Extraordinarius.

V. DIco primo. Diaconi quondam tum in Ecclesia Græca, tum in Latina, tamquam extraordinarii Ministri Eucharistiam dispensarunt. Nam constat ex Traditione septem Diaconos, quos Apostoli. *Act.* 6. constituerunt ministrare mensis, præpositos fuisse vice Apostolorum Eucharistiæ mediis in conviviis ministrandæ, quia hoc officio a munere prædicandi Verbum Dei Apostoli impediebantur, ut habetur, ibidem *v.* 2. Morem hunc continuasse apud Græcos, testantur Justinus Martyr, *Apolog.* 2. pro Christianis, ubi de Eucharistia, ait: *Absentibus autem, per Diaconos mittitur.* Item ineunte quarto sæculo Nicænum I. *Can.* 18. ubi prohibetur quidem Diaconis, ne Eucharistiam porrigant Presbyteris; & præcipitur, ut in præsentia Presbyterorum de eorum manu Eucharistiam Diaconi accipiant: sed cum eis non prohibeatur in absentia Presbyterorum corpus Domini laicis, aliisque inferioribus dispensare, credendum est, hunc morem Concilium non improbasse.

VI. Hanc fuisse etiam in Ecclesia Occidentali consuetudinem colligitur. Tum ex *l.* 8. *Constit.* quæ S. Clementi Papæ tribuuntur, *cap.* 28. ubi hæc leguntur: *Oblatione vero ab Episcopo, aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris.* Tum ex S. Cypriano, *lib. de lapsis*, dicente: *Ubi vera solemnibus adimpletis, calicem Diaconus afferre præsentibus cœpit &c.* Dum ex S. Ambrosio, *lib.* 1. *Officiorum*, *c.* 41. ubi habet. S. Laurentium dixisse Xisto Pontifici: *Cui* (sibi qui Diaconus erat) *commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Et S. Leo de eodem Sancto Levita, *Serm.* 83. idem sensit. Tum ex Conc. Carthag. 4. cui S. Augustinus intererat, *Can.* 38. quo statuitur: *Ut Diaconus presente Presbytero Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, jussus eroget.*

VII. Quamvis autem prioribus sæculis tam dispensatio sanguinis, quam corporis Domini indifferenter Diaconis committeretur, procedente tamen tempore, solam sanguinis dispensationem Diaconis commissam fuisse colligo ex S. Thoma, 3. *p. q.* 82. *art.* 3. *ad* 1. dicente: *Quod Diaconus, quasi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de ejus officio; ut scilicet dispenset sanguinem, non vero corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel Presbytero.* Et rationem dat. *Primo quidem: quia sanguis Christi continetur in vase, unde non oportet, quod tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundo: Quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam; unde & sanguini admiscetur aqua, qua significat populum. Et quia Diaconi sunt inter Sacerdotem, & populum, magis convenit Diaconis dispensatio sanguinis, quam dispensatio corporis.* Ex quibus videtur colligi, apud Occidentales, Diaconos dispensasse sacrum calicem etiam extra necessitatem, & sine speciali Episcopi, vel Presbyteri mandato. Et in hoc sensu idem S. Thom. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. *q.* 2. dicit, Diacono competere ex officio sanguinem Domini dispensare, sed non corpus, quasi habitualiter ad sanguinem Domini dispensandum delegato.

VIII. Rursus: licet in utraque Ecclesia Græca, & Latina Diaconi Eucharistiam dispensare ex commissione consuevissent; non tamen æqualis in utraque eis concedebatur potestas. Nam in Ecclesia Græca Diaconi solemniter & in publicis Synaxibus Eucharistiam Fidelibus distribuere solebant, ut colligitur ex Justino citato. In Latina vero eam in publicis conventibus non dispensasse indicavit Tertullianus, *lib. de Corona Militis*, dicens: *Eucharistiæ sacramentum nec de aliorum manu, quam de præsidentium sumimus.* Diaconi autem e numero præsidentium non erant, sed soli Episcopi, vel Presbyteri —— Secundo: apud Orientales, Diaconos, etiam præsentibus Episcopis, & Presbyteris, Eucharistiam inferioribus ministrasse colligitur, & *Canone* 18. Conc. Nicæni I. citato, & ad absentes deportasse, ut ex Justino supra laudato. Apud Occidentales autem solum cum Episcopi, vel Presbyteri essent absentes, vel impediti, saltem Domini corpus dispensabant. Unde Concilio Arelat. II. *anno* 452. cap. 15. *Corpus Domini* (inquit de Diacono) *presente Presbytero tradere non præsumat.* Hinc apud Græcos passim, apud Latinos vero solum urgente necessitate, & ex jussione Episcopi, vel Presbyteri illud Diaconi dispensabant. *Si necessitas evenerit* (ait Alcuinus) *Diaconus det sanctam communionem.* Et Concilio Carthag. Canon. 38. *Præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat* (Diaconus) *jussus eroget.*

IX. Porro: Diaconi, aliique ministri cum Eucharistiam dispensabant, eam olim, non ut modo in os fidelium infundebant, sed in manus illis tradebant; ut vel ibi statim sumerent, vel domum deportarent, ut dicemus. Ita ex Cyrillo Jeros. *Cateches.* 5. *Mystag.* dicente. *Accedens ad communionem non expensis manibus volis accede, neque disjunctis digitis: sed sinistram veluti sedem quamdam subjiciens dextræ, quæ tantum regem susceptura est; & concava manu suscipit Corpus Christi, dicens. Amen.* Ex Basilio, qui in Epist. ad Cæsariam Patriciam hæc ait: *Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum omni libertate is qui accepit, & sic ori admovet propria manu.* Et apud Occidentales Cyprianus, Epist. 56. *Armemus* (inquit) *& dexteram gladio spirituali; ut Sacrificia funesta fortiter respuat; & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur.* Et Theodoretus, *l.* 5. *hist. cap.* 18. refert, & Ambrosium sic Theodosium increpantem post cædem Thessalonicensem: *Qui quæso manus injusta cæde, & sanguine respersas extendere audes, & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? aut quomodo venerandum ejus sanguinem ori admovebis, qui furore ira jubente tantum sanguinem tam inique effudisti?*

X. Non eodem autem modo Eucharistia tradebatur in manus viris, ac mulieribus. Nam viri in Occidente nuda manu, mulieres vero subjecto linteolo, quod *Dominicale* vocabatur, eam accipiebant: *Non licet mulieri* (inquit Concilium Antisiodorense, Can. 16.) *nuda manu Eucharistiam accipere*, & S. August. *Serm.* 252. *de* tempore (modo 229. in Appendice) ad hunc morem respiciens, ait: *Mulieres quando mundum exhibent lienteolum, ubi corpus Christi acci-*

accipiant, ſic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant. Hinc quoque fuiſſe praxim apud Orientales, teſtis eſt S. Maximus, Catholicæ veritatis contra Monothelitas propugnator egregius: Hæc enim ait apud Baronium, ad *anno* Chriſti 51. *Omnes viri, qui communicare deſiderant, prius lavent manus ſuas, ut mente pura & nitida conſcientia Chriſti ſacramenta ſuſcipiant. Similiter & mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Chriſti accipiant pura mente, & munda conſcientia.* Immo cum quidam ſub pietatis ſpecie vaſcula quædam pretioſa deferrent, quibus Euchariſtiam exciperent; Epiſcopi Orientales, qui Trullanæ Synodo adfuerunt, *Can.* 101. illos increparunt dicentes, *Eos, qui ex auro, vel ex alia materia quadam, loco manus, receptacula efficiunt ad divini muneris ſuſceptionem, & per ipſa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus; ut qui inanimatam ſubjectamque materiam Dei imagini præferant.* Unde præcipit, ut quiſque manus in modum Crucis figurans accedat, & ſic accipiat. Sacerdotes autem, qui accedentes cum vaſculis communicarent, & ipſi ſegregentur, & illi, qui ſic accedunt.

XI. Ex hucuſque allatis patet, ex antiqua praxi permiſſum fuiſſe, immo volitum, ut omnes etiam laici viri nuda manu propria, mulieres autem medio linteolo Euchariſtiam acciperent: modo tamen interdictum eſt viris laicis, ac mulieribus Euchariſtiam manu, ſed ore tantum tangere, & ſumere, aut eam domum deferre, in Cap. *Pervenit 27. de Conſecr. diſt.* 2. Immo ut dicebamus etiam Diaconis proceſſu temporis vetitum fuit diſpenſare corpus Chriſti, niſi in neceſſitate, ne illud tangerent. Unde concludit S. Thom. *art.* 3. citato: *In reverentiam hujus ſacramenti a nulla re contingitur, niſi conſecrata; unde & corporale, & calix conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis ad tangendum hoc ſacramentum. Unde nulli alii tangere licet, niſi in neceſſitate; puta, ſi caderet in terram, vel in aliquo alio neceſſitatis caſu.* —— Immo apud aliquos Auctores adeo circa hoc ſcrupuloſa religio eſt; ut facto caſu, quo Sacerdote diſpenſante corpus Chriſti Monialibus intra clauſuram exiſtentibus, aliqua, vel aliquæ particulæ vento flante, vel aliqua cauſa alia intus clauſuram deciderent, non deberet permittere, eas colligi, & elevari a terra a monialibus, neque ab Abbatiſſa; ſed deberet ipſe ad eas colligendas clauſuram intrare. Si tamen particulæ conſecratæ deciderent in terram, & nullus adeſſet Sacerdos, qui eas colligeret, poſſet nedum Monialis, ſed quilibet laicus eas colligere. Quo in caſu ait S. Thom. *in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 3.* tangi poſſe etiam a peccatore Euchariſtiam, illam elevando a terra, ſi jaceret in loco immundo. —— Si tamen unica particula caderet in terram intus clauſuram, & præſens eſſet Monialis communicanda; poſſet ipſa genuflexa reverenter linguam eam ſumere, & communicare. Nedum autem laicis viris, ac mulieribus interdicitur tangere corpus Chriſti: ſed etiam vaſa, & alia, quæ immediate contingunt Chriſti corpus, & ſanguinem, ut ſunt calix, corporale, pixis &c. ut habetur, Cap. *Sacratas Deo feminas, 25.* diſt. 3.

XII. Dico ſecundo. Si neceſſitas urgeret, non eſt improbabile, Diaconum etiam hodierno tempore Fidelibus Euchariſtiam miniſtrare poſſe. Probo. Quia Diacono olim diſpenſatio Euchariſtiæ commiſſa fuit; poſtea ad ſolam diſpenſationem ſanguinis reſtricta; tandem licet fuerit ei abſolute ablata; Canones tamen prælaudati, maxime Arelatenſis II. Carthaginenſis IV. Alcuinus, & S. Thomas caſum neceſſitatis cum abſentia Epiſcopi, vel Presbyteri excipiunt. Ergo cum præfati Canones nullo poſteriore ſint abrogati, nullaque contraria conſuetudine in deſuetudinem abierint; videtur dicendum, Diaconos urgente neceſſitate, antiqua delegata facultate adhuc potiri.

§. III.

An Laicis Euchariſtiæ Diſpenſatio fuerit olim commiſſa?

XIII. Dico. Ex Eccleſiæ indulgentia minores Clerici, & etiam laici quondam aliis, & ſibi Euchariſtiam miniſtrarunt. Prior pars colligitur ex Martyrologis Bedæ, Adonis, & Uſuardi, in quibus refertur S. Tharſitium Acolythum, & martyrem (qui octava perſecutione ſub Valeriano, & Gallieno paſſus eſt) deprehenſum fuiſſe a Paganis deferentem ſacramentum corporis Domini. Cumque cœpiſſent diſquirere, quid gereret; is indignum ratus margaritas porcis, hoc eſt diſcuſſoribus, prodere; ab eis tamdiu fuſtibus, & lapidibus mactatus eſt, donec ſpiritum exhalavit. At evoluto ejus corpore ſacrilegi nihil ſacramentorum Domini in ejus manibus, aut veſtibus invenientes, eo relicto, fugerunt cum terrore. Contigit hoc Romæ via Appia: ergo vigente perſecutione etiam Acolythi, deficientibus Prebyteris, & Diaconis, Euchariſtiam diſpenſabant.

XIV. Altera autem pars, nempe Laicos olim Euchariſtiam, præſertim urgente neceſſitate, aliis diſpenſaſſe, conſtat ex facto ſupra relato ex Dionyſio Alexandrino: qui, apud Euſebium, *l. 6. Hiſt. c.* 44. refert, Euchariſtiam Serapioni ſeni traditam fuiſſe a puero, quem Presbyter, cum detentus infirmitate ipſe non poſſet, ad eum miſerat; aſſeritque, puerum illum Serapionis ori Euchariſtiam, prius quidem aqua intinctam, manu propria infudiſſe.

XV. Tertia quoque pars, nempe, laicos ſibi ipſis olim ſacram communionem impartitos fuiſſe, ex jam dictis apparet. Si enim Euchariſtia viris dabatur in manus, feminis autem in linteo; conſequens eſt, ut ibi ſtatim, vel domi eam ſibi ſumerent. Hoc maxime conſueviſſe, ſæviente perſecutione; teſtantur Patres. Tertullianus, *l.* 2. *ad Uxorem c.* 5. de muliere Chriſtiana uxore viri Gentilis: *Non ſciet* (inquit) *maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes; & ſi ſciverit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur.* Cyprianus, *lib. de Lapſis*, de muliere quadam refert, quod cum arcam ſuam, in qua Domini Sanctum ſervabat, manibus indignis tentaſſet aperire: igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et de alio, qui & ipſe maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere; Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cineres ferre ſe apertis manibus invenit.

Pro Eccleſia Græca clariſſimus teſtis eſt Baſilius, *Ep. ad Cæſariam Patriciam*, his verbis: *Si non adſit Sacerdos, communionem propria manu ſumere, minime eſſe grave, eſt ſupervacaneum oſtendere. Propterea quod longa conſuetudine etiam per res ipſas probetur. Omnes enim, qui ſunt in deſertis Monachi, ubi non eſt Sacerdos; illic habentes communionem, ex ſeipſis eam ſumunt. Alexandriæ autem, & in Ægypto unuſquiſque ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habent communionem domi ſuæ. Nam cum Sacerdos ſemel conſecerit hoſtiam, & dederit; eam accipiens, & communicans, tamquam a Sacerdote ſumptam, participare ſe debet credere. Etenim in Eccleſia Sacerdos tradit particulam; & cum omni poteſtate, ac libertate eam tenet, qui accipit, & ſic ſua manu ad os eam adducit.* Nil clarius.

XVI. Conſuetudo hæc, quæ urgentibus perſecutionibus, quaſi neceſſitate, fuerat introducta, adeo altas radices egerat; ut iis ceſſantibus multis opus fuerit Conciliis ad eam eradicandam. Prohibita primo fuit apud Hiſpanos. Tum in Synodo Cæſarauguſtana ſub Hormiſda Papa, ſeculo ſexto, *Can. 6. Euchariſtiæ gratiam, ſi quis probatur, acceptam non conſumpſiſſe, anathema ſit.* Tum in Toletano I. *Can.* 14. *Si quis acceptam a Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* Lata hæc ab Hiſpanis Synodis decreta omnes Eccleſiæ Occidentales amplexæ ſunt; ita ut nulli laico poſteà fas fuerit, nec ſibi nec aliis Euchariſtiam, ſaltem extra neceſſitatem, impartiri.

Sed quid afferendum hiſce temporibus? Liceret ne, abſentibus Presbyteris, Clerico, aut laico miniſtrare Euchariſtiam Fidei morituro, eamque enixe poſtulanti?

XVII. Dico. Apud Latinos non licet laicis, aut etiam Clericis, Diacono inferioribus, ſibi, aut aliis communionem porrigere, etiam urgente mortis periculo; id tamen aliquando apud Græcos factitatur: immo & apud Latinos quoque fieri poteſt, ſi diſpenſatio Pontificia accedat. Tres habet partes hoc aſſertum. Prima pars colligitur ex Concilio Remenſi, quod refertur, de Conſecratione, diſt. 2. C. *Presbyter*, ubi habetur: quod cum in infirmitatis articulo Presbyteri quidam, aut laico (ut de Serapione vidimus ex Dionyſio Alexandrino) aut feminæ ſacrum Domini corpus ad deferendum infirmis traderent; ita parvipendentes Myſteria, ut quibus prohibetur, ne vel in ſacrarium ingrederentur, nec accederent ad altare, iis tamen ſancta ſanctorum committerentur; Synodus id quam eſſet turpe cujuslibet privati prudentiæ expendendum permiſit: interdixit vero, ne quid ſimile Presbyteri deinceps præſumerent. Enim vero ſi, ut habetur Cap. *Pervenit*, & aliis Eccleſiaſticis legibus, ſancitum eſt, quod nemo, niſi ſit Subdiaconus, queat ſacra vaſa contingere; multo minus poterit Euchariſtiam miniſtrando tangere, ex qua vaſa ſacra ſuam habent conſecrationem. Quare & ipſi Subdiaconi, qui tamen vaſa ſacra poſſunt contingere, ab octingentis annis prohibentur Chriſti corpus manibus attrectare, ut habetur in ordine Romano; ergo multo magis laici, qui nec ſacra vaſa tangere poſſunt.

XVIII. Secunda pars, quod, nempe apud Græcos etiam nunc aliquando factitetur, ut laici ſibi communionem miniſtrent: colligitur ex Arcudio, *l. 3. de Sacram. Euchar.* his verbis: *Et vere Græcorum populus non eam, ut olim, in manibus accipit, neque defert amplius domum; ſed Monachi tantum, idque in itineribus longioribus. Quod ſane in locis Chriſtianorum fieri abſurdiſſimum videtur, propter parvam reverentiam erga tantum ſacramentum. At vero in locis Turcarum, & Barbarorum infidelium alia habenda eſt hujus conſuetudinis ratio.*

XIX. Tertia vero pars probatur. Si enim quondam Eccleſia permiſit, ut ſæviente perſecutione laici ſibi ipſis Euchariſtiam impartirentur, cur in ſimili caſu Fideli inter Barbarorum, aut hæreticorum perſecutionem poſito Eccleſia hoc indulgere modo non poterit? Immo S. Pium V. *Sæculo* 16. conſtat hoc permiſiſſe Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ, cum ab Eliſabetha Regina Anglorum Catholicis infenſiſſima, in carcere detineretur. Unde fertur, antequam capite plecteretur, SS. Sacramento, quod ex S. Pontificis indulto apud ſe ſervabat, in extremo illo agone ſeſe muniiſſe.

XX. Aliquibus tamen, etiam Modernis, probabile videtur, laicum, præciſa diſpenſatione, in neceſſitatis articulo poſſe ſibi, aut aliis Euchariſtiam miniſtrare. Dicunt enim,

enim, præceptum de Communione ſumenda in mortis articulo eſſe divinum, præceptum autem de accipienda Communione a Sacerdote tantum, aut Diacono, eſſe pure Eccleſiaſticum, ut patet: præceptum autem Eccleſiaſticum in concurſu præcepti divini non obligat: immo creditur, in eo caſu Eccleſiam diſpenſare. Sicut licet ſolus Sacerdos approbatus poſſit abſolvere; in mortis tamen articulo quilibet ſimplex Sacerdos abſolvere poteſt.

XXI. Verum ſtandum cenſeo in ſupra ſtatuta opinione. Ad rationes autem in contrarium dico, in mortis articulo obligare quidem omnes, & ſemper præceptum divinum manducandi corpus Chriſti ſpiritualiter; ſeu habendi deſiderium percipiendi hoc ſacramentum, præceptum tamen divinum ſumendi corpus Chriſti ſacramentaliter non obligat, niſi in circumſtantia, in qua ſit præſto Miniſter idoneus, a quo poſſit illud accipere. Cumque ex diſpoſitione Eccleſiæ, ob reverentiam ſacramenti Miniſter idoneus debeat eſſe conſecratus, qualis non eſt laicus; perinde eſt, ac ſi nullus eſſet Miniſter. Poterit quidem in illo caſu laicus morientem hortari ad ſumendum ſpiritualiter Chriſtum, & ad excitandum in ſe votum ſuſcipiendi ipſum, etiam ſacramentaliter, ſi poſſet. Neque ulla eſt Epicheja, qua interpretari poſſimus, legem Eccleſiaſticam tunc non obligare; quia tunc ſolum per Epichejam corrigenda eſt lex, cum alioquin eſſet iniqua, & crudelis: hoc autem non contingeret in caſu, quia alia via ſalus morientis haberi poſſet. Ut enim ait S. Th. in 4. diſt. 13. quæſt. 1. artic. 3. quæſt. 1. ad 3. *Receptio hujus ſacramenti non eſt neceſſitatis: unde ei, qui non poteſt ſacramentaliter manducare, dicendum eſt: crede, & manducaſti.* Unde exemplum de ſimplici Sacerdote abſolvente, vel etiam de laico in articulo mortis baptizante, non eſt ad rem. Nam Confeſſio ſacramentalis, ſicut etiam Baptiſmus, quia ſunt ſacramenta mortuorum, ſunt majoris neceſſitatis, quam ſit ſuſceptio Euchariſtiæ; nec ita facile eſt habere actum perfectæ contritionis, qua homo juſtificetur, ſicut habere votum Euchariſtiæ: ideoque, urgente mortis articulo, cenſetur Eccleſia quemlibet Sacerdotem admittere ad abſolvendum, & quemlibet hominem ad baptizandum. Addo: quod ſimplex Sacerdos eſt Miniſter conſecratus, & habet poteſtatem Ordinis; & ſolum ei deeſt poteſtas juriſdictionis, quam Eccleſia pro illo caſu benigne indulget: non ſic Laicus &c. in ordine ad Euchariſtiam diſpenſandam.

DUBIUM II.

An Euchariſtia Miniſtrari poſſit Infantibus?

§. I.

Antiqua, & Recentior Praxis.

I. A Miniſtro hujus ſacramenti procedimus ad ſubjectum, nimirum, ad ſubjectum, quod Euchariſtiæ ſuſcipiendæ concipiatur idoneum. Et primo occurrunt infantes, ſeu pueri, qui ad rationis uſum nondum pervenerunt.

Circa hoc, ſi conſulamus antiquitatem, invenimus, tum apud Græcos, tum apud Latinos antiquitus praxim fuiſſe infantibus Euchariſtiam miniſtrandi. De Græcis fidem faciunt Dionyſius (vel quiſquis alius, quem certo habetur quinto deſinente ſæculo ſcripſiſſe) Is enim, *l. de Eccleſ. Hierarch. cap. 3.* expreſſe teſtatur. *Quod pueri quoque, qui non poſſunt intelligere divina, ſacri Baptiſmatis, altiſſimorumque communionis ſacroſancta ſignorum participes fierent.* Id quoque Gennadius, *de Eccleſ. Dogm. cap. 52.* Nicephorus, *lib. 17. Hiſt. cap. 15.* & Euchologia, ſeu Ritualia, ad quorum regulam Græci ſæculo nono ſacramenta conferebant, cuique Miniſtro Baptiſmatis præcipiunt; ut infantes mox a Baptiſmate confirmatos Euchariſtiæ ſacramento paſcant.

II. Quoad Latinos vero teſtis, inter multos, eſt S. Cyprianus, *lib. de Lapſis* narrans factum, cui ſe præſentem fuiſſe aſſerit. Parentes quidam timore forſan perſecutoris, dum fugiunt, Parvulam filiam ſub nutricis alimento relinquunt. Relictam filiam nutrix detulit ad Magiſtratus, qui prophanum, ac idololatricum panem mero intinctum parvulæ ori impoſuerunt. Recepit filiam poſtmodum mater, quæ hujus facinoris neſcia (nec enim puella loqui, & indicare potuit, ſicut nec prius intelligere, & arcere) ad Eccleſiam tempore Sacrificii eam ſecum intulit. Hic puella ploratu concuti, & mentis æſtu fluctuabunda jactari cœpit, veluti tortore cogente. Ubi vero, Solemnibus per ipſum Cyprianum adimpletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit; ut ad puellam acceſſit, iſta faciem ſuam avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare: *Præſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus, & vomitus. In corpore, atque ore violata Euchariſtia permanere non potuit: ſanctificatur in Domino ſanguine potus de pollutis viſceribus erupit. Tanta eſt poteſtas Domini, tanta majeſtas.* Hæc Cyprianus. Hujus praxis meminerunt Auguſtinus, cæterique Patres.

III. Hanc ſeptimo ineunte ſæculo fuiſſe Romæ etiam ſervatam, indicat S. Gregorius in *Sacramentario, Tit. de Sabbato ſancto*, his verbis: *Qui enim* (loquitur de infantibus) *non prohibentur lactari ante ſacram Communionem, ſi neceſſe fuerit.* Ordo etiam Romanus, liber Sacramentario Gregorii poſterior, qui in omnibus fere Eccleſiis Latinorum ſervabatur, aſſerit, eodem die parvulos Baptiſmate, Confirmatione, & Euchariſtia ſolitos fuiſſe donari; utque ſint jejuni, cum Euchariſtia reficiendi ſunt, providetur: *Ut poſtquam baptizati fuerint, neque lactentur, ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent ſacramento corporis Chriſti.* Quæ conſuetudo etiam undecimo ſæculo vigebat; quamvis jam tunc alicubi cœpiſſet prætermitti, ut aſſerit Hugo a S. Victore, qui objit circa annum 1049.) *lib. 1. de Sacram. c. 20.*

IV. Quadringentis vero ab hinc annis apud Latinos Euchariſtia infantibus non porrigitur. Nam libri conſcripti, & Ritualia Latinorum a duodecimo ſæculo nullibi indicant parvulorum Communionem. Unde S. Thoma, qui ſæculo tertiodecimo floruit, de Communione parvulorum, tamquam de re jam ab Eccleſia abrogata, loquitur *in 4. diſt. 23. q. 2. art. 2. q. 4.* Ubi loquens de Extrema Unctione dicit: *Hoc ſacramentum exigit actualem devotionem in ſuſcipiente, unde ſicut Euchariſtia non debet dari pueris, ita nec hoc ſacramentum.*

V. Apud Græcos tamen adhuc fuiſſe in praxi, indicat, *3. p. q. 80. art. 9. ad 3.* Ubi poſtquam dixit, quod pueris recenter natis non ſunt ſacra Myſteria danda, addit: *Quamvis quidam Græci contrarium faciant.* Et de facto Græcos adhuc in ea praxi perſiſtere affirmat Arcudius, *l. 3. de Sacr. Euch. cap. 11.* dicens: *Communicare pueros, & infantes, quod Græci faciunt, antiquum valde eſt, atque id Veteres in uſu habebant.* Id præſcribunt Euchologia, eadem enim ſunt, quibus ante annum milleſimum utebantur: adeo ut Latinis vitio verterint Græci, præſertim Schiſmatici, quod antiquum morem reliquerint.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. Dico. Neque damnandi ſunt Veteres Latinorum, qui Euchariſtiam miniſtrabant infantibus; neque Recentiores, qui ab ea infantes arcent. Hujus aſſerti fundamentum dat Tridentinum. *Seſſ. 21. cap. 4.* ubi hæc habet: *Denique eadem Synodus docet, parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ Communionem . . . Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.* Rationes autem, quæ moverunt Patres ad permittendam infantibus Euchariſtiam, eſſe potuerunt. Tum, ut ab Idolorum Sacrificiis homines abſtraherentur, in quibus pars idolothytorum etiam infantibus ſolebat diſtribui; ut ex facto nuper relato ex Cypriano. Tum, ut fortiores evaderent in adoleſcentia contra perſecutiones tunc frequentes.

VII. Neque cum Heterodoxis dicas, Apoſtolum, *1. Cor. 11.* a manducaturis Euchariſtiam exigere, ut ſe ipſos probent, antequam accedant, & diſcernant ſacrum illum a cibis prophanis: neutrum infantes poſſunt. —— Præterea: vel infantes olim ex Euchariſtia percipiebant fructum, vel non. Si non; ergo ad quid eis dabatur? Si ſic; ergo injuſte Euchariſtia a Romanis privantur.

VIII. Reſpondeo enim ad 1. Apoſtolum verba illa ad adultos dirigere, quos, utpote lethalis culpæ capaces, monet, ut nemo cum lethali culpa ad Euchariſtiam accedat, ut nemo ea paſcatur, qui prius veſtem nuptialem non induerit, & ornatus non ſit charitate: quæ omnia, cum infantes per Baptiſmum acceperint, nec dubium ſit, an amiſerint, ideo ad eos talis monitio non dirigatur —— Ad ſecundum dico, Euchariſtiam parvulis contuliſſe fructum, nempe, gratiæ augmentum. Eccleſia tamen juſte patitur, ut ſine eo moriantur: quod debitæ ſacramento reverentiæ conſultum ſit.

IX. Quoad alteram aſſerti partem: inter Pelagii errores is etiam recenſetur a Cajetano, quod aſſereret, ſi infans non poſſet ſacramentalem panem manducare, debere in os infantis panem contritum infundi; & ſi quidquam relictum eſſet, illud eſſe comburendum, juxta præceptum de agno paſchali, Exod. 12. v. 10. *Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis.* Qui error apud Bohemos renovari cœpit, quodam Jacobello illum excitante.

X. Sed contrarium probatur ſic. Infantibus Euchariſtiam porrigere neque neceſſe eſt, neque conveniens. Non eſt neceſſe: quia fide certum eſt, pueros baptizatos habere vitam gratiæ; & quod ſi deceſſerint in illa ætate cum ſolo Baptiſmo, habebunt vitam gloriæ: *Siquidem* (ait Tridentin. Seſſ. 21. cap. 4.) *per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Non eſt conveniens: quia cum Euchariſtia detur per modum cibi ſpiritualis, non eſt conveniens, ut detur parvulis, qui nullam adhuc habent operationem ſecundum vitam ſpiritualem.

Nec tamen inferas, parvulos, ex hac ratione ſequi eſſe inca-

incapaces cibi ſpiritualis Euchariſtici: ſicut qui eſt incapax actionis naturalis, eſt incapax cibi naturalis. Nam diſpar eſt ratio. Quia cibus naturalis cum debeat converti in ſubſtantiam aliti; neceſſario requirit in comedente actionem vitalem, qua in ipſum agat. At cibus Euchariſticus potius alitum immutat, & convertit in ſe, juxta illud Auguſtini: *Non tu mutaberis in me, ſed ego mutabor in te.* Unde abſolute habere poteſt effectum ſuum abſque cooperatione ejus, qui nutritur, quamvis conveniens ſit, ut qui nutritur ſpiritualiter, ſua cooperatione ad ſui ſpiritualem nutritionem ſe diſponat.

XI. Dices tamen primo. Chriſtus, *Jo: 6.* dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ſed quia, Jo: 3. dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, infertur, Baptiſmum eſſe neceſſarium etiam infantibus, ergo ex prioribus verbis inferri debet, eis quoque eſſe neceſſariam Euchariſtiam.

XII. Reſpondeo, nego conſ. Quia Chriſtus Jo: 6. alloquebatur ſolos adultos, quod patet ex illis verbis: *Niſi manducaveritis*. Immo neque omnes adultos, ſed ſolos Sacerdotes, quos in Apoſtolis prænuntiabat. At dum, *Jo:3.* dixit: *Niſi quis renatus fuerit*, comprehendit omnes, ſive adultos, ſive non: etenim *Niſi quis*, idem eſt, *ac nemo*. Et ideo Baptiſmus neceſſarius eſt etiam infantibus, Euchariſtia vero non.

XIII. Dices ſecundo. Licet infantes vitales ſpiritus operationes, ut credere, abrenuntiare Satanæ, non habeant ſpiritu proprio; quia tamen illas habent ſpiritu alieno, nempe Eccleſiæ, ideo ab Eccleſia infantes baptizantur; ergo licet non habeant operationes illas ſpiritu proprio, ſatis erit illas habere ſpiritu Eccleſiæ, ut Euchariſtiam recipiant.

XIV. Reſp. neg. conſ. & paritatem. Nam per Baptiſmum regeneratur infans in Filium Dei; generatio autem non exigit cooperationem ejus, qui generatur. At per Euchariſtiam homo ſpiritualiter nutritur: nutritio autem ſaltem convenienter exigit, ut ille, qui ſumit cibum, proprio actu cooperetur, nec convenit, ut ab alio ſupleatur.

DUBIUM III.

An Euchariſtia miniſtrari poſſit Amentibus, Energumenis, Reis damnatis, Mortuis, & Peccatoribus.

§. I.

De Amentibus, & Energumenis.

I. AMentibus in extrema vitæ periodo laborantibus, ſi non eſſet irreverentiæ periculum, Euchariſtia porrigebatur. Colligitur, tum ex praxi: quæ, ut vidimus, olim ferebat, ut etiam infantibus Euchariſtia præberetur, & quæ apud Latinos per duodecim fere ſæcula viguit, & modo etiam viget apud Græcos. Tum ex Concilio Arauſicano I. *Canon 13.* ubi dicitur *Amentibus quacumque ſunt pietatis, conferenda ſunt.*

II. Secundum vero praxim hodiernam diſtinguendum eſt cum S. Thom. *3. p. q. 80. art. 9.* Aut enim amentes ſunt, & furioſi a nativitate, qui nullum unquam uſum rationis habuerunt: & his nec in mortis articulo danda eſt Euchariſtia, ſicut nec parvulis. Vel poſt uſum rationis in amentiam inciderunt: & his danda eſt Euchariſtia in mortis articulo, ſi tamen quando mentis ſuæ compotes fuerunt, piam, ac religioſam animi devotionem erga hoc ſacramentum oſtenderunt; dummodo non timeatur periculum vomitus, vel expultionis, aut alterius incommodi. Ita etiam Concilio Carthaginenſ. IV. *Can. 76.* a S. Thoma relatus.

III. Circa Energumenos vero, ſeu arreptitios, ſecundum antiquam diſciplinam in utraque Eccleſia Euchariſtia eis non concedebatur, niſi in ultimo vitæ diſcrimine conſtitutis. Cum enim peragendæ erant publicæ orationes, & ſacra Myſteria conficienda, ab Eccleſia ejiciebantur. Id colligitur, ex *lib. 8. Conſt.* quæ vulgo Apoſtol. dicuntur, *cap. 7.* Ex Dionyſio (vel alio, ut quibuſdam placet) *lib. de Eccl. Hierarch. cap. 3.* Ex Chryſoſtomo, *Homil. 3.* de incomprehenſibili natura Dei, dicente, Energumenos una cum fratribus orare non licere. Et ex Concilio Eliberitano, *Can. 29.* prohibente, ne nomen quidem Energumenorum in Altari recitetur. Excipiebatur tamen caſus mortis; eis enim Euchariſtia tradebatur. *Eos* (verba ſunt Concil. Eliberitani, Can. 37.) *qui a ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet: ſi vero fideles fuerint, dandam eſſe eis communionem.*

IV. Sæculo tamen quinto, quo Synodus Arauſicana I. celebrata eſt, uſus, qui hiſce temporibus viget, prima fundamenta jacta ſunt, & auſterior Eliberitanorum Patrum diſciplina temperata eſt. Sancitum enim fuit, *Can. 4.* ſic: *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omnimode communicent*, etiam extra mortis articulum, eo tamen tempore, quo ſui compotes ſunt. Unde S. Thom. *3. p. q. 80. art. 9. ad 2.* De Energumenis (inquit) *Baptizatis, qui corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur, eſt eadem ratio, ac de aliis amentibus.*

§. II.

De Reis damnatis, & mortuis.

V. REIS ultimo ſupplicio damnatis, etiam debite confeſſis, Euchariſticam Communionem in Galliis, & Hiſpanis denegari, refert Juenin, *Comm. Hiſt. Dogm. de Sacr. Euch. q. 6. c. 4.* Quamvis autem hoc audiam apud Hiſpanos amplius in uſu non eſſe; elapſis tamen ſæculis in uſu apud ipſos fuiſſe, apparet ex Dominico Soto, qui & ipſe Hiſpanus, in *4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 11.* eam refert conſuetudinem, & improbat; magiſque laudabilem, ac piam cenſet Germanorum, ac Italorum praxim, qui reis ultimo ſupplicio damnatis, ac debite diſpoſitis, ſacram Euchariſtiam concedunt.

VI. Uſum denegandi reis damnatis ſacram Euchariſtiam, puto derivatum ex Antiquorum praxi; qui reos quorumdam graviorum criminum, nimirum, idololatriæ, adulterii, homicidii, etiam in vitæ exitu, non ab Euchariſtiæ modo, ſed etiam abſolutionis perceptione arcebant. Vel etiam, ut ait Dominicus Soto, laudato loco, *Fortaſſis ortus hujuſmodi conſuetudinis fuit, quod cum damnati ad mortem a communione Reipublicæ abſcindantur; in ſignum hujus abſciſſionis negatur eis ſacramentum communionis, tamquam Reipublicæ hoſtibus.* Forte etiam moveri poſſunt ad denegandam eis Euchariſtiam; quia exiſtiment, propter ſcelera damnatos, non amore juſtitiæ, ſed timore pœnæ mere ſervili crimina ſua deteſtari: & quamvis ſtante hoc dubio eos admittant ad pœnitentiam, ad Euchariſtiam tamen, quæ ſacramentum charitatis eſt, eos non cenſent admittendos. Quidquid tamen ſit.

VII. Magis pia eſt conſuetudo quibuſcumque morituris, etiam ultimo ſupplicio damnatis, debite diſpoſitis, & humiliter petentibus, non ſolum abſolutionem, ſed etiam Euchariſtiam impertiendi. Si enim, tamquam nimis rigida, relaxata veteri diſciplina, quæ quorumdam criminum reis, etiam in fine vitæ, reconciliationem negabat, cujuſcumque graviſſimi criminis reis petentibus, ſaltem in fine, reconciliatio per abſolutionem conceditur: non eſt cur eiſdem Euchariſtica Communio denegetur. Nam quamvis olim etiam illis, quibus poſt exactum pœnitentiæ curſum abſolutio impendebatur, adhuc Euchariſtiæ gratia ad tempus differretur; eiſdem tamen urgente vitæ exitu ſtatim concedebatur. Hanc diſciplinam clare expreſſit Gregorius II. ſæculo ſeptimo, ad Bonifacium ſcribens: *De his, qui patrem, matrem, fratrem, aut ſororem occiderunt, ut toto vitæ ſuæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi tempore exitus pro Viatico.* In hoc cum Jure antiquo concordat novum. Hæc enim habet Innocentius III. Extra, de Pœnit. & remiſſ. cap. Quod in te: *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipſum decedentibus denegetur.* Eſto autem Viatici, & communionis nomine in Jure antiquo non ſemper veniret Euchariſtia; in novo tamen Jure ſemper intelligitur. Accedit pro damnatis ad mortem ratio, quam affert laudatus Soto, nimirum: *Cum ſæpe per hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *fiat homo ex attrito contritus, & ſuſcipiat gratiam, quam non recepit in pœnitentia; uſu ſæpe evenire poſſet, ut defectu Euchariſtiæ anima ejus periret, qui alioquin ſalvus fieret.*

VIII. Circa mortuos morte naturali, clarum eſt, eis Euchariſtiam diſpenſari non poſſe. Hæc enim manducare volentibus danda eſt, dicente Chriſto: *Accipite, & manducate*; mortui autem manducare non poſſunt. Unde cum invaluiſſet abuſus, quo aliquibus in locis cadaverum ori. Euchariſtia infundebatur; variis Conciliis obviarunt Patres In Africa quidem Carthaginenſi III. Can. *6. Placuit, ne corporibus defunctorum Euchariſtia non detur.* In Oriente Synodo Trullana, Can. 83. *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet. Scriptum eſt enim:* Accipite, & comedite. In Galliis quoque abuſus ille damnatus eſt Concilio Antiſiodorenſi, *Can. 12.*

IX. Neque valet, quod id aliquando factum referatur. Tum a Santo Baſilio, qui moriturus ſumpta Euchariſtiæ parte, aliam ſibi ſervavit, quam ſecum ſepeliri mandavit: ut refert Amphilochius in ejus vita. Tum a Sancto Benedicto, qui juſſit, Euchariſtiam ſuper pectus pueri jam defuncti poni, & cum ea ſepeliri, ut refert S. Gregorius *lib. 2. Dialog. cap. 24.*

Non, inquam. Nam, quidquid ſit de illorum factorum veritate, obſervo, Sanctos illos viros non juſſiſſe, ut mortuo Euchariſtia communicaretur; ſciebant enim mortuum ſacramentorum eſſe incapacem: ſed, ut cum mortuo Euchariſtia ſepeliretur. Quod quidem ad pietatem factum fuiſſe dici poteſt: ſicut ſi aliquis cum Roſario, vel cum Sanctorum Reliquiis velit ſepeliri. Sed hoc non eſt contra præſens aſſertum.

§. III.

De Peccatoribus publicis.

PEccatores, ait S. Thom. 3. part. quæſt. 80. art. *6. Quidam ſunt occulti. Quidam vero manifeſti, ſcilicet, per evidentiam facti; ſicut publici uſurarii, aut publici raptores:*

vel etiam per aliquod judicium Ecclesiasticum, aut saculare convicti, atque damnati, publici etiam concubinarii, adulteri, meretrices,

X. Dico ergo cum S. Thom. Manifestis peccatoribus non debet etiam petentibus sacra Communio dari. Minister enim tenetur Eucharistiam, sicut & cætera sacramenta prudenter dispensare: posito enim quod Ministri sint constituti dispensatores mysteriorum Dei; tenentur Jure naturali, & divino ad illa dispensanda solis dignis, dicente Christo, Matth. 7. v. 6. *Nolite Sanctum dare canibus &c.* & cap. 15. v. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Unde S. Cyprianus, relatus a S. Thom. consultus de quodam Histrione, an deberet ad Communionem admitti, Ep. 10. ad Euchratium, scribit: *Pro dilectione tua... consulendum me existimasti Frater charissime, quid mihi videatur de Histrione quodam; qui apud vos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat; & magister & Doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id, quod male didicit, cæteris quoque insinuat; an talis debeat communicare nobiscum. Quod puto ego nec Majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere; ut pudor, & honor Ecclesiæ turpi, & infami contagione fœdetur*. Si hæc Cyprianus de publico Histrione, quid de publico usurario, fornicario, adultero &c. dixisset? Si communione cum Fidelibus indignum judicavit, multo magis communione cum Christo per Eucharistiam,

Chrysostomus, *Hom. 83. in Matth.* hortatur Sacerdotes, ut infracto animo repellant indignos: *Non* (inquit) *parva vobis imminet pœna; si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittatis*, Et August. *Serm. 392.* monet tales peccatores his verbis: *A Communione se cohibeant, qui sciunt, quia novi peccata ipsorum; ne de cancellis projiciantur*. Ratio autem est. Quia publici peccatores, neque re ipsa, neque externa specie habent jus petendi Eucharistiam; & ex eo, quod denegetur, non sequitur illis ulla infamia, cum potius infamia supponatur; neque sequitur ullum scandalum, immo potius sequeretur, si Eucharistia eis concederetur. Hinc S. Carolus in suis Instruct. ad Parochos: *Neminem* (inquit) *peccatis publicis irretitum ad Communionem excipiat, nisi prius scandalo publice satisfecerit*. Loquitur autem S. Carolus, ut publice ad Communionem admittatur; quia non præmissa publica satisfactione, sine scandalo non posset admitti. Cæterum si secreto satisfecerit, & hoc Parocho notum sit; poterit secreto eum ad Communionem admittere, dummodo hoc secretum maneat, priusquam satisfactio evadat publica. Licet enim publicus peccator peccatum præteritum animo detestetur; conversus tamen non judicatur, nisi Ecclesiæ, cui fuit scandalo, palam satisfecerit.

XI. Suspectis etiam de aliquo crimine similiter neganda est Communio, si sit suspicio publica, vehemens, seu violenta; sive si publica infamia laborent: non item si suspicio sit solum probabilis, aut præsumptuosa. Ita S. Thom. *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. quæst: 1.* dicens: *Triplex est suspicio. Quædam violenta, ad cujus contrarium non admittitur probatio: sicut si inveniatur solus cum sola, nudus in lecto, loco secreto, & tempore apto ad commixtionem. Alia est probabilis; sicut si inveniatur solus cum sola colloquens in locis suspectis, & frequenter. Tertia est præsumptuosa, quæ ex levi conjectura ortum habet. Hæc autem ultima deponenda est. In secunda non debet denegari; quia pœna non infligitur, ubi culpa ignoratur. Sed de prima est idem judicium, quod de peccato. Unde si sit suspicio procedens ex fama publica, non debet ei dari neque in occulto, neque in manifesto. Si autem sit singularis ipsius Sacerdotis, sic debet dari in publica, sed non in occulto*.

Porro si peccator in uno loco publicus, communionem publice petat in loco, ubi non est publicus, repelli non potest; præsertim si fama criminis non videtur facile perventura.

§. IV.

De Peccatoribus occultis.

XII. Dico. Si peccator occultus publice petat Eucharistiam, non est ei deneganda: si vero in occulto petat, neganda est, monendus, ne publice petat. Probo ex S. Thom. loco ex 3. *part.* citato: *Cum enim quilibet Christianus ex hoc ipso, quod est baptizatus sit admissus ad Dominicam mensam; non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta*. Et licet peccator quamvis occultus non habeat jus petendi, & Eucharistiam accipiendi, utpote indignus; habet tamen jus, ne illi petenti publice, denegetur scientia tantum privata ministri; ideoque minister sic denegans peccaret contra hoc jus, & contra justitiam. Ad eum modum, quo peccaret Judex damnans reum ex scientia tantum privata; & publicus dispensator bonorum Reipublicæ, quæ nulli, nisi ex delicto, denegari possunt, peccaret, si ex privata notitia delicti hæc bona denegaret delinquenti: non quia reus habeat jus ne damnetur, aut delinquens habeat jus, ut illi præfata bona conferantur; sed quia habet jus, ne damnetur ex scientia tantum privata, & ne privetur bonis communibus ex notitia solum privata sui criminis.

XIII. Id exemplo suo Christus docuit, qui Judam licet traditionis scelus animo agitantem, & facto furem, sibique bene notum, ad corporis tamen, & sanguinis sui communionem admisit. Nam *Quia* (inquit S. Th. 3. p. q. 81. art. 2. in cap.) *Christus in nobis debuit esse exemplum justitiæ: non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum peccatorem sine accusatore, & evidenti probatione ab aliorum communione separaret: ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi, & ipse dans exasperatus, inde sumeret occasionem peccandi*. Et illud ad 2. ait: *Quod Christo nota erat Judæ iniquitas, sicut Deo; non autem erat sibi nota per modum, quo hominibus innotescit: & ideo Christus Judam non repulit a communione, ut daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab aliis Sacerdotibus expellendos*. Quia, ut docet in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. q. 1. *pro peccato occulto publicam inferens pœnam, revelator est confessionis, aut proditor criminis. Secundo: quia quilibet Christianus habet jus in perceptionem Eucharistiæ, nisi illud per peccatum mortale amittat: unde cum in facie Ecclesiæ non constet, illum amisisse jus suum, non oportet ei in facie Ecclesiæ denegari: alias daretur facultas malis Sacerdotibus pro suo libito punire maximæ pœnæ quos vellent. Tertio: propter incertitudinem status sumentis, quia spiritus ubi vult spirat: unde subito potest esse compunctus, & divinitus a peccato purgatus, & divina inspiratione ad sacramentum accedere. Quarto: quia esset scandalum; si denegaretur*. Hæc S. Thom.

XIV. *Licet* autem, subjungit idem S. Doctor. 3. p. q. 80. art. 6. ad 2. *pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo corpus Christi, quam infamari: tamen Sacerdoti ministranti corpus Christi, pejus est peccare mortaliter, infamando injuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato. Unde Augustinus dicit in lib. qq. super Genes. q. 42.* Periculosissime admittitur hæc compensatio: ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat. *Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad mensam Domini accedere*. Et in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. q. 1. ad 3. *Secundum Innocentium III.* (inquit) *cum nemo debeat unum mortale committere, ut proximus aliud non committat; eligendum est potius Sacerdoti non prodere peccatorem, quam ut ille non peccet: sed peccator debet potius eligere, ut abstinendo credatur suspectus, quam communicando manducet indignus*.

XV. Nec vero par est ratio, si dicatur. Sicut non potest Medicus ægroto volenti, & petenti dare pharmacum, quod prævidet, ei fore mortiferum: ita nec Sacerdos Eucharistiam dare poterit peccatori; cui ex indigna sumptione prævidet mortem animæ esse allaturam. —— Nam primo: Pharmacum per se, & ex natura sua mortiferum est, Eucharistia vero non per se, sed ex culpa indigne sumentis, mortifera sit. —— Secundo: ait S. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. q. 1. ad 1. *Quod potius deberet eligere Medicus medicinam esse mortiferam infirmo quam sibi, si alterum oportet. Et similiter Sacerdos potius deberet eligere, quod peccator assumat ad perditionem suam; quam ipse deneget in perditionem propriam, scandalizando, & peccatum occultum revelando. Et præterea non est certum: utrum sit ei mortifera, quia subito homo Spiritu Dei mutatur; & iterum in ipsa petitione peccavit mortaliter, in peccatum mortale consentiens*.

XVI. Neque etiam par est ratio de gladio, qui reddi non debet homini furioso petenti, ut sibi, vel aliis mortem inferat. —— Primo: quia subtractione gladii vitatur homicidium: subtractione autem Eucharistiæ vitatur quidem actus exterior peccati, sed non peccatum. Quia, ut ex D. Thom. modo dictum est: *Ipsa petitione peccavit mortaliter, in peccatum mortale consentiens*. Secundo: quia negando gladium, nulla infamiæ labe aspergitur proximus. At negando sacramentum publice petenti, fama læditur proximi. —— Tertio: quia vita proximi reparari non potest. At damnum animæ reparari potest a Deo voluntatem mutante. —— Quarto: quia Sacerdos agit ut publicus bonorum communium dispensator: ille autem, apud quem alter gladium deposuit, privata persona est, cujus proinde actio privata scientia regi debet. Sicut ergo parere teneretur homo sententiæ Judicis gladium homini reddere jubenti; quem furiosum quidem nosset, sed certis documentis probare non posset; ita peccatori, quem publicis testimoniis non constat talem esse, jus suum reddendum est circa sumptionem sacramenti, quod in foro exteriori ei debetur.

XVII. Propterea iniqua fuit quorumdam Sacerdotum excogitatio, qui conventione habita cum occulto peccatore, ut ex una parte videatur cum aliis Eucharistiam sumere, & ex alia sacrilegium illam indigne sumendo non contrahat; hostiam non consecratam ei porrigebant. Quia (ait S. Th. 3. p. q. 80. art. 6. ad 2. & in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. q. 1. ad 4.) *Nullo modo debet dari hostia non consecrata pro consecrata: Tum quia: in sacramento veritatis non debet esse aliqua fictio: Tum quia: cum manducans adoret quod manducat, ut dicit August. daret Sacerdos ei* (& aliis præsentibus) *occasionem idololatrandi. Unde Decretalis dicit* (de celebr. Miss. c. de homine) *in casu consimili falsa sunt abjicienda remedia, quæ sunt veris periculis graviora*. Et Quodlibeto 5. q. 6. art. 12. ad 3. *Stultus* (inquit) *esset medicus, qui cum majori suo periculo minus periculum infirmi vellet impedire: puta, si vellet ipse venenum bibere, ne infirmus biberet vinum*,

vinum. Multo autem magis peccat Sacerdos fictionem faciens in ſacramento Chriſti, quam peccator indigne ſumens. Unde ſtultus eſſet Sacerdos, ſi, ut vitaret peccatum ſubditi, ipſe gravius peccaret, fictionem faciens in ſacramento veritatis. Quia, ut obſervat Innocentius III. relata Decretali, ſubditus peccaret, quia irreverenter accederet, Sacerdos vero peccaret, quia non ſolum illuderet Deo, ſed populo, quem decipit.

XVIII. Secunda vero pars: nempe peccatori occulto occulte petenti eſſe denegandam Euchariſtiam, & monendum, ne publice petat: traditur a S. Thom. locis hactenus relatis. Nullum enim eſt ſcandalum, vel infamiæ periculum, ſi occulte negetur; Communio autem indigno neganda eſt, quando ex hoc ſcandalum, vel infamia non oriatur. Si tamen ſolum ex auditis in confeſſione ſciret Sacerdos, aliquem eſſe indignum; cenſerem, in praxi ei etiam occulte petenti non eſſe denegandam: quia uti ſcientia habita in confeſſione ad communionem denegandam videtur conjunctum cum periculo revelandi confeſſionem.

XIX. Concludo cum S. Thom. *3. p. q. 80. a. 6. ad 3.* Judici non licere probare ſuſpectos de crimine per traditionem Euchariſtiæ; quia hoc eſſet tentare Deum, cum ſit petere, ut extraordinario ſigno declaret veritatem. Hinc contrarius uſus abrogatus eſt 2. q. 5. Cap. *Conſuluiſti*. Et Cap. *Ex tuarum*, de purgatione canonica. —— Sponte quoque ſumere Euchariſtiam ad innocentiæ ſuæ declarationem, quod de Gregorio VII. quidam ſcribunt; niſi fiat peculiari Spiritus Sancti inſtinctu, non videtur licere. Cur enim æſtimabitur innocens ex eo, quod Deus nihil miraculorum facit erga eum; cum nec Deus id operari promiſerit, nec neceſſarium ſit?

DUBIUM IV.

Quanam diſpoſitiones requirantur ad Euchariſtiam ex parte Animæ.

§. I.

Reſolutio Catholica.

I. NEmo, ſaltem Catholicus, ambigit, quin ad Euchariſtiam accedenti neceſſaria ſit fides, ſeu moralis certitudo ſe eſſe in ſtatu gratiæ. Lutherus tamen inauditum impietatis portentum in medium protulit aſſerens, conſcientiam peccati lethalis nequaquam obeſſe ſacramenti effectibus. Immo ex Euchariſtia contendit, eo uberiorem recipi effectum, quo plurium, & graviorum criminum quis reus accedit. Ita *in Concione de præpar. ad Euch.* quam habuit, *anno* 1518. & *lib. de Captivit. Babylonica*, quem conſcripſit, *anno* 1520. Calvinus autem fatetur quidem, voluntatem peccandi obeſſe Euchariſtiæ effectibus; contendit tamen lethalis peccati conſciencientiam non obeſſe. Ita, *lib. 4. Inſt. cap.* 18. Quod cohæret cum alio ipſios errore, quo docet, omnia opera etiam juſtorum eſſe peccata lethalia; quæ tamen Prædeſtinatis Deus non imputat ad pœnam: unde ſequitur fieri non poſſe, quin homo, quantumvis juſtus, cum conſcientia peccati mortalis non accedat. Contra hos ergo.

II. Dico. Ad Euchariſtiam cum fructu ſumendam per ſe requiritur ſtatus gratiæ; unde nemo cum conſcientia peccati mortalis ad eam accedens percipere poteſt ſacramenti fructum. Sequitur ex Dubio præcedenti, quo ſtatuimus: Euchariſtiam peccatoribus dandam non eſſe. Et probatur primo ex Apoſtolo, 1. *Cor.* 11. *v.* 28. dicente: *Probet autem ſe ipſum homo*, ideſt examinet ſe ipſum, non an ſolum fidem habeat, ſed an ullius peccati conſcius ſit; & cum ſibi probatus fuerit, *Sic de pane illo edat, & de calice bibat: Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.*

Secundo ex Traditione. Nam olim mediis in Sacrificiis hæc Diaconorum verba aſtantibus inſonabant: *Sancta Sanctis.* In quæ Chryſoſt. *Homil. 17. in Epiſt. ad Hebræos*, ait: *Quando dicit Sacerdos* (ore Diaconi) Sancta Sanctis, *hoc dicit: Si quis non eſt Sanctus, non accedat, non ſolum a peccatis purus, ſed etiam Sanctus. Sanctum enim non facit ſolum liberatio a peccatis, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum ubertas, & opulentia.* Hinc non Catechumeni modo, & Energumeni, ſed etiam pœnitentes tunc ejiciebantur e templis, cum tremendum offerendum erat Sacrificium. Quod ſi ejiciebantur pœnitentes a conſpectu Euchariſtiæ; multo magis ab ejus participatione excludebantur ii, qui nondum erant pœnitentes. Cum juxta illorum ſæculorum diſciplinam neminem admitterent ad ſacram Synaxim, quin ſcelera diuturnis, & graviſſimis pœnitentiæ laboribus eluiſſet.

Antiquam hanc Eccleſiæ fidem explicavit Tridentinum, *Seſſ. 13. cap. 7.* his verbis: *Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte; certe quo magis ſanctitatem, & divinitas hujus ſacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat: præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus:* Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit &c. *Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum*: Probet autem ſeipſum homo. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis .... accedere debeat.*

III. Hujus rationem dat S. Thomas, *3. part. quæſt. 80. art. 4.* Falſificare enim ſignificationem ſacramenti, grave peccatum eſt: ſed qui accedit ad Euchariſtiam in peccato lethali, falſificat ſignificationem ſacramenti: ſignificat enim ſe eſſe intime per amicitiam conjunctum, & incorporatum Chriſto per gratiam, & charitatem, ideoque jam eſſe ejus amicum; ergo qui accedit in ſtatu ſeparationis, & inimicitiæ, falſificat ſignificationem ſacramenti. Maj. patet. Quia falſificare ſignificationem ſacramenti eſt mentiri Deo: ideoque peccat contra religionem, quod grave ſacrilegium eſt comparatum peccato Judæ, qui cum eſſet inimicus Chriſti, ipſum oſculando, ſe eſſe amicum ejus falſo ſignificavit: vel ſaltem peccato illius, qui non habens veſtem nuptialem acceſſit ad nuptias.

§. II.

Hæreticorum momenta.

IV. PRimo dicit Lutherus. Chriſtus quando verſabatur in terris, numquam peccatores a ſe ſubmoviſſe legitur: immo reprehendit Phariſæos, & alios, qui de eorum familiaritate, & contactu ſcandalizabantur dicentes, quod reciperet peccatores, & manducaret cum illis: at peccatores ad ipſum ſic accedentes, nedum non peccabant, ſed ſalutem conſequebantur; cur ergo accedentes ad ipſum ſub ſpecie panis, ſi peccatores ſint, in peccato ſacrilege agent.

V. Sane ſi hæc ſimilitudo probat, evincit etiam, non Chriſtianis peccatoribus tantum, ſed & Ethnicis, Euchariſtiam porrigi debere: Ethnicis quippe Chriſtus dum in terris viveret affatus eſt, & illis ſui contactum nonnumquam permiſit.

Reſpondeo cum S. Thom. art. 4. citato, ad 1. *Quod Chriſtus in propria ſpecie apparens, non exhibebat ſe tangendum hominibus in ſignum ſpiritualis unionis ad ipſum; ſicut exhibetur ſumendo in hoc ſacramento. Et ideo peccatores eum in propria ſpecie tangentes non incurrebant crimen falſitatis circa divina; ſicut peccatores ſumentes hoc ſacramentum. Et præterea Chriſtus adhuc gerebat ſimilitudinem carnis peccati: & ideo convenienter ſe peccatoribus tangendum exhibebat. Sed remota ſimilitudine carnis peccati per gloriam reſurrectionis, ſe tangi prohibuit a muliere, qua defectum fidei circa ipſam patiebatur, ſecundum illud, Jo: 20.* Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, *ſcilicet*, in corde tuo, *ut Aug. exponit* (tract. 121. in Jo:) *& ideo peccatores, qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Chriſtum, repelluntur a contractu hujus ſacramenti.* Hæc S. Thom. —— Addi poteſt. Quod humano modo oportet Chriſtum inter peccatores converſari, ut eos ad fidem, & juſtitiam vocaret. At in Euchariſtia cum per modum cibi, & potus ſpiritualis ſe tradat; ut homines ex ea fructum accipiant, oportet, ut vivant vita gratiæ.

VI. Secundo dicit. Sicut hoc ſacramentum ſentitur guſtu, & tactu, ita & viſu: ſed peccator non peccat, cum videt hoc ſacramentum: unde Eccleſia omnibus illud videndum, & odorandum proponit; ergo neque peccat illud manducando. —— Rurſus: Hoc ſacramentum, ſicut & alia, eſt medicina ad ſalutem; ergo dari debet infirmis: quia *Non eſt opus valentibus Medico, ſed male habentibus.* Matth. 9.

VII. Reſpondeo cum S. Thom. citato ad 4. *Quod per viſum non accipitur ipſum corpus Chriſti, ſed ſolum ſacramentum ejus; quia ſcilicet non pertingit viſus ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ſolum ad ſpecies ſacramentales. Sed ille, qui manducat, non ſolum ſumit ſpecies ſacramentales, ſed etiam ipſum Chriſtum, qui eſt ſub eis. Et ideo a viſione corporis Chriſti nullus prohibetur, qui ſit ſacramentum Chriſti conſecutus, ſcilicet, Baptiſmum. Non baptizati autem non ſunt admittendi etiam ad inſpectionem hujus ſacramenti .... ſed ad manducationem, non ſunt admittendi, niſi ſoli illi, qui non ſolum ſacramentaliter, ſed etiam realiter ſunt Chriſto conjuncti.* Hæc S. Th. Unde nego conſ.

Ad ſecundum reſpondeo cum eodem ibi, ad 2. *Quod non quælibet medicina competit ſecundum quemlibet ſtatum infirmitatis. Nam medicina, quæ datur jam liberatis a febre ad confortationem, noceret, ſi daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: hoc autem ſacramentum eſt medicina confortativa, quæ non debet dari, niſi liberatis a peccato.* Hæc eadem docet *in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 2.*

VIII. Tertio dicet Calvinus. Nullus eſt homo, qui innumerorum peccatorum ſordibus coram Deo non ſcateat; ergo ſi peccata prohibent fideles ab Euchariſtia ſumenda, quis poterit ad Euchariſtiam accedere?

IX. Reſpondeo, nullum quidem eſſe hominem, qui innumerorum peccatorum venialium ſibi conſcius non ſit: unde docuit Aug. neminem fore Epiſcopatu Idoneum, ſi Epiſcopum, ut ſine crimine, ita ſine peccato eſſe debere Paulus ſtatuiſſes. A peccatis tamen mortalibus, quæ animam,

interimunt, speciali per Christum auxilio immunis quis per totam vitam esse potest, quæ sola fructum hujus sacramenti impediunt, eique obicem ponunt. Et si in ea inciderit, potest per Christum liberari, & sic mundus ad Eucharistiam accedere. Igitur justi hominis officium duo postulat. Primum: ut a peccatis illis abstineat, quæ etiam crimina (hoc est mortalia) vocantur. Deinde: ut illa peccata, sine quibus hic non vivitur, idest, venialia, mundare operibus misericordiæ, & piis operibus non negligat.

§. III.

Aliqua resolvuntur quæsita.

X. QUæres primo: Num peccata lethalia, ignorata tamen, obicem ponant fructui hujus sacramenti? Respondet S. Thom. quæst. 80. art. 4. citato, ad 5. *Hoc, quod non habet aliquis conscientiam sui peccati* (seu ignorat) *potest contingere dupliciter. Uno modo per culpam suam:* vel quia *Per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum; puta, si aliquis fornicator reputaret, simplicem fornicationem non esse peccatum mortale: vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, contra id, quod Apostolus dicit* 1. *Corinth.* 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Et sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati; quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest contingere sine culpa ipsius; puta, cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus: & in tali casu non peccat sumendo corpus Christi: quia homo per certitudinem scire non potest, utrum sit vere contritus. Sufficit enim in se signa contritionis inveniat, puta, si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris. Si vero ignorat, hoc, quod fecit, esse actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excusat: puta, si accessit ad non suam, quam credebat esse suam, non est ex hoc dicendus peccator. Similiter etiam, si est totaliter peccatum oblitus, sufficit ad ejus deletionem generalis contritio ... Unde non est dicendus peccator.* Hæc S. Thom. quibus nil addendum existimo.

XI. Quæres secundo: An qui in peccato mortali est, ut digne accedat ad sacramentum Eucharistiæ, debeat præmittere confessionem sacramentalem; an sufficiat, ut actu contritionis se purget.

Post tempora Tridentini, certum esse debet, ante sumptionem Eucharistiæ præmittendam esse confessionem sacramentalem, tum a quolibet fideli, quam a Sacerdote celebraturo, si adsit copia Confessarii. Ita enim præcepit, *Sess. 13. cap. 7.* idem Concilium. Quod controvertitur, est: An præceptum hoc sit novum a Tridentino impositum, an vetus; & an divinum, an vero pure Ecclesiasticum. Circa primam partem, relicta opinione Cajetani, & aliorum volentium, præfatum præceptum esse novum a Tridentino impositum.

XII. Dico. Præceptum de præmittenda confessione sacramentali ad Eucharistiæ sumptionem, est antiquum. Colligitur ex præfati Concilii verbis. Ait enim: *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus* (Pauli) *præceptum:* Probet seipsum homo: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit copia Confessoris. Quod si, necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.* Quibus verbis declarat Concilium, consuetudinem, ac præceptum præmittendi ad Eucharistiam sacramentalem confessionem ortum habuisse a Paulo eam sub nomine *Probationis* præscribente; adeoque ab initio Ecclesiæ originem traxisse. Patet etiam ex illo verbo *Declarat*, quo utitur Concilium, tum citato, *cap. 7.* tum *Can. 11.* Per declarationem autem non imponitur novum præceptum; sed explicatur præceptum jam impositum, & consuetudine præcedentium sæculorum firmatum. Prioribus enim sæculis, quibus severior disciplina vigebat, Ecclesia peccatores ad Eucharistiam non admittebat; nisi prius ei per pœnitentiam satisfeciissent: quæ satisfactio, ob peccata publica, pœnitentia publica; ob peccata vero occulta, per pœnitentiam secretam, & auricularem confessionem implebatur, ut suo loco dicetur.

XIII. Nec dicas pro Cajetano: Paulum solum velle, quod accessurus ad Eucharistiam probet seipsum: ergo non requirit, ut deinde probetur a Confessario. —— Nego enim conf. Immo ex quo Paulus requirat, ut homo probet seipsum examinans, an aliquo lethali sit adstrictus; si inveniat se reum esse, censetur velle, ut servet Ecclesiæ consuetudinem sacramentali confessione sese expiando.

XIV. Circa secundam vero quæsiti partem: an scilicet præceptum præmittendi ad Eucharistiam sacramentalem confessionem sit divinum, an solum Ecclesiasticum.

Dico cum communiori sententia esse divinum. Nam Paulus traditurus doctrinam de Eucharistia, & ejus usu præmittit: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*; ergo præceptum, quod deinde sequitur: *Probat autem seipsum homo*, sacramentali Confessione, proponitur a Paulo ut acceptum a Domino: & proinde, ut a promulgatore procedit a Paulo, non ut a Legislatore.

Censeo tamen, esse divinum mere positivum, non naturale, & a Christo Ecclesiæ traditum specialiter pro sacramento Eucharistiæ. Unde licet accedens ad Eucharistiam teneatur præcepto divino esse in gratia, & esse confessus: aliter tamen. Nam esse in gratia tenetur ex natura sacramenti; quod cum sit sacramentum vivorum, exigit ex natura sua, ut illud suscipiens sit in gratia. Non tamen ex natura sacramenti vivorum tenetur esse confessus; alias omnia sacramenta vivorum hoc exigerent, ut non possent sumi, nisi a confessis, si in mortali culpa sint ad ea accedentes; quod tamen est falsum: satis enim est, ut sumantur a contritis, esto non confessis. Quod ergo accedens ad Eucharistiam, si lethalis culpæ conscius sit, teneatur esse confessus; non est ex præcepto divino naturali, orto ex ratione sacramenti vivorum; sed particulari, & positivo pro Eucharistia.

XV. Hinc cum præcepta positiva, si affirmativa sint, non obligent pro semper, sed pro debitis circumstantiis, potest dari casus, quo præceptum præmittendi confessionem non obliget: ut si desit copia Confessarii, & urgeat necessitas sumendi Eucharistiam, quod indicavit verbis nuper relatis Tridentinum. Plures autem censentur casus, quibus necessitas sumendi Eucharistiam ita gravis judicetur; ut si desiit copia Confessarii, possit Eucharistia sumi, non præmissa confessione. Primo: cum quis est in periculo mortis. Si enim non habeat copiam Confessarii, potest, non præmissa confessione, sed contritione tantum cum voto confessionis, Eucharistiam sumere. Secundus casus est; cum alter est in periculo mortis, & Sacerdos non possit illum communicare, nisi celebret. Tunc Sacerdos, si non habeat copiam Confessarii, celebrare potest, & Eucharistiam sumere confessione non præmissa. Tertius est: si non possit quis ommittere Communionem sine infamia, vel sine scandalo. Quartus: necessitas continuandi Sacrificium jam inchoatum. Si enim post consecrationem recordetur Sacerdos, se commisisse peccatum lethale; potest, ac debet Sacrificium continuare, & Eucharistiam sumere, sola contritione præmissa, ne Sacrificium interrumpatur. Si vero ante consecrationem inchoato jam Sacrificio, recordetur, & sine scandalo, aut infamia facere posset; deberet Sacerdotem vocare, & confiteri: sed hoc vix sine infamia fieri potest. Quintus casus est: Si Sacerdos teneatur ex officio celebrare, & non adsit Confessarius, potest non præmissa confessione: & de hoc casu specialiter loquitur Tridentinum. Si tamen ex officio non teneatur, & non adsit alius Sacerdos, & adsint multi, qui eo die teneantur Sacrum audire; adhuc celebrare non posset confessione non præmissa, nisi scandalum, vel infamia sequeretur.

DUBIUM V.

De jejunio ad Eucharistiam requisito, & aliis dispositionibus ex parte corporis.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. PRæcipua dispositio, quæ ex parte corporis in sumente Eucharistiam requiritur, est jejunium, de qua agit S. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art.* 8. ubi *ad* 4. docet, quod duplex est jejunium. Primum est jejunium naturæ, quod importat privationem cujuscumque præassumpti per modum cibi, vel potus. Inde sive aqua, sive vinum, sive medicina in quacumque minima quantitate, sive nutritiva, sive non nutritiva, sive per se, sive cum aliis cibis; dummodo sumatur per modum cibi, vel potus solvit jejunium naturæ, seu naturale. Ille ergo dicitur jejunus jejunio naturali, qui eadem die naturali nihil omnino sumpsit, sive per modum cibi, sive potus. Quia autem dies naturalis incipit a media nocte; ideo ut quis sit naturaliter jejunus, debet a media nocte illius diei initiativa esse jejunus, seu nihil omnino sumpsisse. Vide Sanct. Thom. hoc *art.* 8. *ad* 5.

II. Jejunium autem Ecclesiæ, seu Ecclesiasticum, quod fuit ab Ecclesia ad macerationem corporis institutum, non dicit privationem omnis cibi, & potus; sed talis, aut talis cibi, seu in tanta, vel tanta quantitate; unicam tantum in eadem die naturali comestionem permittens. Quare hoc jejunium non solvitur, si ultra unicam comestionem, quis potum sumat; quia potus magis sumitur ad alterationem, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquomodo nutriat, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 2. his præmissis.

III. Dico. Ut quis dispositus ad Eucharistiam accedat, requiritur ex parte corporis, ut sit jejunus jejunio naturali, modo supra explicato. Hanc esse Apostolicam traditionem ostendo. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum; certissime creditur* (regula est Sancti Augustini, *lib.* 4. *de Bapt. contra Donat. cap.* 24.) sed

ſed praxis de præmittendo ſacræ Communioni jejunio naturali in univerſa Eccleſia, & ſemper retenta eſt, nec ejus inſtitutio in aliquo Concilio primo facta reperitur, ergo &c. Min. probatur. Eccleſiam Orientalem ſolis jejunis Euchariſtiam quarto ſæculo porrigere conſueviſſe, oſtendunt verba S. Jo: Chryſoſtom. Homil. 27. in 1. ad Cor. *Tu prius, quam communices, jejunas, ut quomodocumque communione dignus appareas.* Immo Eccleſia Occidentalem ſecundo ſæculo hanc praxim habuiſſe, fidem facit Tertullianus, *lib. 2. ad Uxorem.* Ubi agens de Euchariſtia, quam quiſque in privatam domum tunc deferebat: *Non ſciet* (inquit) *maritus* (infidelis) *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes.* Idem teſtatur Cyprianus ſæculo tertio contendens, aptius matutinis horis, quam ſerotinis Euchariſticum offerri Sacrificium. *Epiſt. ad Cæcilium*, reprehenditque aliquos, qui ne ex odore vini a Gentilibus Chriſtiani deprehenderentur, mane aquam ſolam, ſero autem vinum aqua mixtum, & proinde non jejuni offerebant. Cumque apud aliquas Eccleſias contraria praxis, ut a non jejunis Euchariſtia ſumeretur, cœpiſſet invaleſcere, correcta fuit per certium Concil. Carthaginenſe *anno 397. Can. 29.* his verbis: *Ut ſacramenta Altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur: excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum, pomeridiano tempore, defunctorum, ſive Epiſcoporum, ſeu Clericorum, ſive caterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiant; ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur.* A jejunis ergo etiam Sacrificia pomeridiana offerenda erant, unica die anniverſaria Cœnæ Domini excepta. Et Sozomenus, *lib. 7. Hiſt. cap. 19.* improbat morem, qui apud aliquas Ægypti partes obtinuerat, quo pranſi Myſteria ſumebant, tamquam *Præter conſuetudinem apud omnes conſervatam.*

IV. Sed objicies. Quæ Chriſtus fecit, licite a nobis fieri poſſunt; ſed Chriſtus, non jejunis, ſed jam cœnatis Apoſtolis Euchariſtiam diſpenſavit; ergo his quoque temporibus ita fieri licebit.

Aliquando (referente S. Thom. hoc. *art. 8. ad 3.*) conſuetudo apud aliquas Eccleſias obſervata fuit. *Ut in repræſentationem Dominicæ Cœnæ illo die a non jejunis corpus Chriſti ſumeretur; ſed nunc hoc abrogatum eſt.* Hujus conſuetudinis, ut obſervavi, meminit Conc. Carthag. III. ſupra laudatum.

V. Reſpondet ergo S. Thom. ibi, *ad 1.* ex S. Auguſt. *Epiſt. 118.* (nunc 54.) *cap. 6. ad Januarium.* Ubi ſibi propoſita objectione, de qua agitur, his terminis. *Liquido apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli corpus, & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur?* —— Cui Auguſt. ita reſpondet: *Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti ſacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum convenire debent: aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit, & emendat, menſis ſuis iſta miſcere.* Cur autem poſt cœnam Chriſtus Euchariſtiam dederit, rationem affert dicens: *Namque Salvator, quo vehementius commendaret Myſterii illius altitudinem; ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ Diſcipulorum, a quibus ad Paſſionem digreſſurus erat.* Cumque hæc ratio non eſſet futuris temporibus valitura, ſubjungit: *Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur: ut Apoſtolis, per quos Eccleſiam diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variaſſet.* Hac autem data a Chriſto facultate uſum fuiſſe Paulum, & jejunium Euchariſtiæ præmittendum ſtatuiſſe, colligit Auguſtinus addens: *Cum vero ait Apoſtolus, de hoc ſacramento loquens: Propter quod fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis; ſtatim ſubtexit: Cætera cum venero, ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epiſtola totum illam agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.* Hæc Auguſtinus.

Ubi Sanctus Doctor primo dicit: quod licet Chriſtus Apoſtolos non jejunos pane Euchariſtico cibarit; non tamen hoc ab Eccleſia monuit faciendum. Secundo: diſpoſitionem hanc præmittendi jejunium ad Euchariſtiam credit, ortum habuiſſe a Paulo. Tertio: hoc motivo aſſerit, Chriſtum Apoſtolos communicaſſe poſt cœnam. Cum enim a cœna digreſſurus eſſet ad Paſſionem, voluit hoc ultimum ſui amoris eſſe pignus, quo cum ipſis in ſacramento maneret. At Spiritus Sanctus alio motivo per Eccleſiam voluit, ut in os Chriſtiani Dominicum prius corpus intraret, quam cæteri cibi: nempe in honorem, & reverentiam ſacramenti. Et ideo Chriſtus ſapientiſſime Apoſtolos communicavit poſt cœnam; Eccleſia prudenter Fideles ante omnes cibos communicat. Sicut & ſapienter Chriſtus diſtulit Baptiſmum ſuum ad annum trigeſimum; & prudenter Eccleſia baptizat infantes ſtatim natos. Quare merito Gregorius Nazianzen. *Orat. in S. Baptiſma*, multis invehitur adverſus eos, qui Baptiſma ſuum in annum trigeſimum differebant; eo quod ad annum trigeſimum Chriſtus diſtulit ſuum.

VI. Hinc S. Thom: citata *quæſt. 80. art. 8.* congruentiam jejunii præmittendi ad Euchariſtiam oſtendit. Primo ex Auguſt. laudato: *In honorem hujus ſacramenti; ut ſcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundo: propter ſignificationem: ut ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus, qui eſt res hujus ſacramenti, & charitas ejus debet primo fundari in cordibus noſtris, ſecundum illud, Matthæi 6.* Quærite primum regnum Dei. *Tertio: propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines inordinate cibis utuntur; ſicut & Apoſtolus dicit, 1. Cor. 11.* Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.

VII. Ad avertendum ſcrupulum, qui circa jejunium naturale inſurgere poſſet, advertit S. Thom. *art. 8.* citato, *ad 4.* quod *Reliquiæ cibi remanentes in ore, ſi cauſaliter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus ſacramenti: quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Et eadem ratio eſt de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur; dummodo non trajiciantur in magna quantitate, ſed permixta ſalivæ; quod vitari non poteſt.*

§. II.

An Euchariſtia aliquando ſumi poſſit a non jejuno?

VIII. QUIA, ut obſervat S. Thom. *art. 8.* prælaudato, aliquid impedire poteſt ſumptionem hujus ſacramenti dupliciter: uno modo ſecundum ſe; ſicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad ſignificatum hujus ſacramenti, ut ſupradictum eſt, præced. Dubio. Alio modo, propter prohibitionem Eccleſiæ; & ſic impeditur aliquis a ſumptione Euchariſtiæ poſt cibum, & potum aſſumptum: ideo licet paſſim, & ordinarie jejunium naturale ad Euchariſtiam præmitti debeat; nonnulli tamen caſus ſunt, quibus Euchariſtia a non jejunis ſumi poteſt.

Mitto conſuetudinem, quæ olim in Africa invaluerat, Euchariſtiam ſerotinis horis conficiendi, & ſumendi; de qua ſupra, & quam Auguſtinus, *Epiſt. 118.* prælaudata, *cap. 7.* damnare auſus non eſt, utpote in memoriam Dominicæ Cœnæ introductam. Mitto, inquam; quia Trullana Synodus, *anno 692. Can. 29.* eam ſuſtulit: & hiſce temporibus univerſali contraria conſuetudine eſt abrogata.

IX. Cauſæ igitur, quibus non jejuno ſumere Euchariſtiam licet, poſſunt reduci ad duo capita, nimirum: ad neceſſitatem ſumentis, & ad reverentiam ſacramenti.

Ex capite neceſſitatis ſumentis, ait S. Thom. laudato loco: *Ab hac generali regula excipiuntur infirmi, qui ſtatim communicandi ſunt, etiam poſt cibum, ſi de eorum periculo dubitatur, ne ſine Communione decedant: quia neceſſitas legem non habet. Unde dicitur, de Conſecrat. diſt. 2. cap. 93.* Presbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine Communione moriatur. Tunc enim urget præceptum divinum ſumendi Euchariſtiam, ut viaticum; ideoque præceptum Eccleſiaſticum de jejunio præmittendo non obligat.

X. Quæres primo: An in eadem infirmitate poſſit quis pluries Euchariſtiam ſumere non jejunus?

Reſpondeo. Quod vel poſt ſumptam Euchariſtiam parvo tempore ſupervivit, puta, ſolis duobus, vel tribus diebus; & tunc non licet iterum ſumere Euchariſtiam non jejuno: quia non ſupponitur neceſſitas, quæ ſola diſpenſat a jejunio præmittendo. Si vero poſt primo ſumptam Euchariſtiam diutius ſupervivat, & varietur ſtatus ægritudinis; tunc ſi in novo periculo mortis infirmus conſtituatur, poteſt Euchariſtiam denuo ſumere jejunus; quia novo periculo mortis urgente, denuo ceſſat præceptum de jejunio præmittendo.

XI. Quæres ſecundo: An Sacerdos poſſit celebrare non jejunus, ut Euchariſtiam conficiat; eamque det ægroto in articulo mortis poſito, qui alioquin Euchariſtiam ſumere non poſſet?

Reſpondeo, probabilius eſſe quod non poſſit. Et ratio eſt. Quia præceptum divinum dandi Euchariſtiam ægroto, cum ſit affirmativum, non obligat pro ſemper, ſed pro debitis circumſtantiis; hoc eſt, cum poteſt confici Euchariſtia, ſervando ritum Sacrificii: ad quem requiritur, ut Sacerdos celebret jejunus, ſicut & indutus ſacris veſtibus. Quemadmodum ergo non poſſet celebrare non indutus ſacris veſtibus, ut daret Euchariſtiam ægroto, licet moriturо; ita neque poterit non jejunus. Addo: quod cum Euchariſtia regulariter aſſervetur pro infirmis; vix dari poteſt caſus, quo, niſi Sacerdos celebraret non jejunus, infirmus abſque Euchariſtia decederet. Daretur autem frequenter caſus, quo infirmus decederet abſque Euchariſtia, ſi eam non poſſet ſumere non jejunus; & ideo prudenti uſu datur Euchariſtia infirmis non jejunis: non autem permittitur Sacerdoti, ut celebret non jejunus, quod ægroto Euchariſtiam porrigat.

XII. Si dicas. Præceptum præmittendi confeſſionem ſacramentalem mortalium, quia divinum, majus eſt præcepto præmittendi jejunium ad Miſſæ celebrationem: ſed poteſt, non præmiſſa confeſſione, cum ſola contritione, neceſſitate urgente, celebrare; ergo etiam non præmiſſo jeju-

nio. —— Nego conſ. & diſparitas eſt. Quia ex conſuetudine præceptum ſervandi ritum debitum in Euchariſtia conficienda obligat univerſaliter, & pro ſemper; non autem præceptum de præmittenda confeſſione, quod non obligat, niſi cum adeſt copia Confeſſarii.

XIII. Caſus vero, in quibus ob reverentiam ſacramenti licet Sacerdoti non jejuno ſumere Euchariſtiam, poſſunt reduci ad tria capita. Primum eſt neceſſitas perficiendi, & conſumendi Sacrificium. Secundum, neceſſitas conſumendi reliquias Sacrificii. Tertium, neceſſitas vitandi aliquam irreverentiam ſacramenti.

XIV. Ex primo ergo capite, nempe, perficiendi Sacrificium, poteſt Sacerdos non jejunus ſumere Euchariſtiam. Primo; ſi Sacerdos loco vini aquam, vel aliam materiam conſecrationi ineptam calici infundiſſet; eumque errorem non advertiſſet, niſi hauſta jam illa aqua, & conſequenter jejunio ſoluto. In hoc caſu ad perficiendum Sacrificium; quod ex præcepto divino debet eſſe in utraque ſpecie; debet Sacerdos iterum conſecrare vel utramque ſpeciem, vel ſaltem ſpeciem vini, & ſumere non jejunus: quia præceptum divinum de integritate Sacrificii prævalet præcepto Eccleſiaſtico de jejunio. —— Secundo: ſi ex oblivione, vel malitia Sacerdos non jejunus conſecraſſet unam, vel utramque ſpeciem: tunc enim, quia ad integritatem Sacrificii pertinet, nedum conſecrare, ſed etiam ſumere, debet unam, vel utramque ſpeciem ſumere non jejunus. —— Tertio: ſi Sacerdos celebrans, poſt conſecrationem repente vel moriatur, vel aliquo ſubito correptus morbo, non poſſit Sacrificium perficere: tunc, ſi non adſit Sacerdos jejunus, poteſt Sacerdos non jejunus, imo debet Sacrificium perficere, & conſumere.

Si vero quæratur: An ſi Sacerdos celebrans recordetur ante conſecrationem, ſe non eſſe jejunum, debeat Sacrificium omittere; an vero proſequi? —— Reſpondet S. Th. *3. p. q. 83. art. 6. ad* 2. Se tutius reputare, quod Miſſam inceptam deſereret, niſi grave ſcandalum timeretur.

XV. Ex ſecundo capite, nempe, conſumendi reliquias Sacrificii, Sacerdos poſt ſumptam ablutionem, etiamſi non ſit jejunus (per ipſam enim ablutionem jejunium ſolvitur) ſi tamen advertat, reliquias Sacrificii ſuperfuiſſe, poteſt illas ſumere. Et addit Suarex, non ſolum parvas, ſed etiam magnas: & etiamſi fuerit multo tempore occupatus in Euchariſtia Fidelibus diſpenſanda. Quia tales reliquiæ pertinent ad idem Sacrificium, & eandem moraliter ſumptionem; & ſic eamdem Communionem, quam cœperat jejunus, conſummaret non jejunus.

XVI. Ex tertio vero capite, nempe, vitandi aliquam irreverentiam ſacramenti, poſſet Sacerdos non jejunus Euchariſtiam ſumere: ſi periculum eſſet, ne Euchariſtia perveniret in manus Infidelium, aut Hæreticorum, qui eam contumelia afficerent. Et ratio eſt. Quia præceptum jejunii ob reverentiam ſacramenti inſtitutum eſt; ergo in caſu, quo major irreverentia ſacramenti timeretur, non amplius obligat.

XVII. Ex dictis ſequitur, quod extra præfatos caſus, qui communicaret non jejunus, gravi, lethalique peccato ſe devinciret. Communicare namque jejunum eſt ritus ab univerſa Eccleſia præſcriptus, & omnium ſæculorum uſu conſecratus, ut dictum eſt; atqui in uſu ſacramentorum recedere a ritibus ab univerſa Eccleſia præſcriptis peccatum lethale eſt: unde Aug. *Epiſt.* 118. modo 54. *cap.* 5. citata: *Similiter* (inquit) *Si quid horum* (ideſt Euchariſtiæ ritum) *tota per Orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc, & quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.*

§. III.

De mora inter ſumptam Euchariſtiam, & cibum.

XVIII. QUæri ſolet: An communicantes aliqua temporis mora a cibo, & potu, poſt ſumptionem Euchariſtiæ, debeant abſtinere, ſicut abſtinere debent ante ſumptionem?

Reſpondet S. Thom. *3. part. quæſt.* 80. *art.* 8. ſæpe citatus, *ad 6.* magis requiri jejunium ante ſumptionem Euchariſtiæ, quam poſt. Nam maxima devotio, quæ requiritur ad percipiendum fructum in ipſa ſumptione, *Magis impeditur per præcedentia, quam per ſequentia. Et ideo magis eſt inſtitutum, quod homines jejunent ante ſumptionem hujus ſacramenti, quam poſt. Debet tamen eſſe aliqua mora inter ſumptionem hujus ſacramenti, & reliquos cibus. Unde & in Miſſa oratio gratiarum actionis poſt Communionem dicitur; & communicantes etiam ſuas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos Canones ſtatutum fuit a Papa Clemente I. ut habetur, de Conſecr. diſt:* 2. *cap.* 23. Si mane Dominica portio editur, uſque ad ſextam jejunent Miniſtri, qui eam ſumpſerunt: Et ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperum: *Antiquitus enim rarius Miſſarum ſolemnia celebrabantur, & cum majori præparatione. Nunc autem quia oportet frequentius ſacra Myſteria celebrare, non poſſet de facili obſervari. Et ideo per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum.* Hæc S. Thom. —— Verum, ut bene obſervat Juenin, decretum illud non eſſe Clementis I. ſuſpicari licet: quia conſtat, priſcæ ætatis Chriſtianos mox ab Euchariſtiæ ſumptione conſueviſſe celebrare charitatis convivia, quæ *Agapæ* vocabantur.

XIX. Pro quo ſciendum: quod *Agapæ* idem eſt, ac *Dilectio:* quo nomine vocata fuit cœna quædam communis, ſeu convivium, quod primi Chriſtiani in charitatis ſignum pauperibus exhibebant. De quo Tertullianus, *in Apologetico, cap. 39.* An vero ante, vel poſt ſacram Synaxim exhiberetur, inter Eruditos agitatur. Multi volunt, fuiſſe exemplo Chriſti ante ſacram Communionem exhibitum; alii vero poſt. Cœnam hanc ob varios abuſus, qui ſtatim irrepſerant, reprehendit Paulus, 1. *Cor.* 11. *v.* 21. & ſequentibus: *Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum &c.* Illius tamen uſus uſque ad tempora Auguſtini perſeverabat, ut colligere licet, *lib.* 20. *contra Fauſtum, cap.* 20. Quamvis autem *Agapæ* exhiberentur; aliæ, occaſione nuptiarum, quæ *Connubiales* dicebantur; aliæ in feſtis Martyrum, *Natalitiæ* vocatæ; aliæ in funeribus defunctorum, *Funerales* dictæ, ut Nazianzenus teſtatur, aliæ etiam, Gregorio aſſerente, in Eccleſiarum dedicatione; celebriores tamen erant, quæ occaſione ſacræ Communionis exhibebantur.

XX. Ex hoc nomine *Agapæ*, *Agapetæ* dictæ ſunt, ideſt, *Dilectæ*: quo nomine Sorores ſpirituales, & devotæ vocitatæ fuerunt. Viri enim ſpirituales mulieres ſibi in pietate ſocias familiares, & domeſticas (forte exemplo Chriſti, & Apoſtolorum) habere cœperunt. Sed quia quæ ſpiritu cœpta ſunt, in carnem plerumque degenerant: brevi in tam periculoſam perſonarum etiam piarum cohabitationem nequitia irrepſit. Unde a Sancto Hieronymo, Epiſt. 22. ad Euſtoch. *Novum concubinarum genus* dictum eſt: unde apoſtolico zelo exclamans: *Unde* (inquit) *in Eccleſia Agapetarum peſtis introivit?* Hinc ſecta Agapetarum ante Hieronymi tempora exorta; quia, licet enormibus implicarentur libidinibus, cælibes tamen ſeſe jactabant, eo quod uxores non haberent. *Cælebs* enim, ait Auguſtinus (vel alius ejus nomine) *lib. de Gramatica*, dicitur, qui non habet uxorem, vel quæ non habet maritum; qualia ſunt Numina in Cælo, quæ abſque conjuge ſunt, ſi Agapetas non attendamus: Hæc quamvis forte aliena, placuit indicare ad Studioſi eruditionem.

§. IV.

An ad Euchariſtiam requiratur ſomnus, & puritas corporis?

XXI. INter cœnam, & Communionem, quæ ſummo mane facienda ſit, ſomnum meditare debere cenſent aliqui: niſi Decreto Alexandri III. lib. 5. Decretal. de Accuſat. tit. 1. Cap. *Si Conſtiterit*. Sed valde abſunt mente Alexandri. Nam Sacerdos, quem ibi ſuæ Eccleſiæ privatione mulctare intendit, vino deditus erat; quippe qui noctem, quæ Miſſam præceſſerat, duxerat in Tabernis: *Si conſtiterit* (inquit ....) *de vinolentia, & quod in taberna pernoctavit: ita quod altera die, nulla præmiſſa dormitione. Miſſam cantaſſet &c.* Ubi puniri mandatur: non quia præciſe poſt moderatam cœnam non dormierit; ſed quia poſt vinolentiam pernoctavit in tabernis. —— Verius ergo dicit S. Thom. cit. art. 8. ad 5. *Nec refert, utrum poſt cibum, vel potum aſſumptum dormierit, aut etiam digeſtus ſit, quantum ad rationem præcepti. Refert autem, quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines, propter inſomneitatem, vel indigeſtionem: ex quibus ſi mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad ſumptionem hujus ſacramenti.*

XXII. Corporis etiam puritas, & mundities ſacræ Communioni præmittenda eſt. Id declaravit exemplo ſuo Chriſtus, qui in Cœna illa ſuprema, in qua Euchariſtiam inſtituit, linteo lumbos præcinxit: *Lumbos enim præcingimus* (ait Gregorius Homil. 13. in Evang.) *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Lumborum enim nomine luxuria deſignatur.* Accedit etiam ratio. Par enim non eſt, ut qui Agnus eſt ſine macula, qui virginem gerit carnem, qui ex Matre virgine genitus eſt, ſubeat corpus, quod fœdavit impuritas. Ideoque miniſtri, qui ad hoc ſacramentum conficiendum deputantur, ſtatum cælibatus profiteri tenentur.

XXIII. Non omnis tamen carnis impuritas æqualiter huic ſacramento obeſt, ut ait S. Thom. laudata *quæſt.* 80. *art.* 7. Quædam enim obeſt ex neceſſitate, ejuſque effectum totaliter impedit: quædam ſolum obeſt ex congruentia. Si enim carnis impuritas cum animæ impuritate, & lethali peccato conjuncta ſit, impedit ex neceſſitate: ſi autem abſque peccato lethali, vel cum ſolo veniali ſit, ſic impedit tantum ex congruentia. Hinc carnalis actus, aut nocturna pollutio voluntate habita, ſive in ſe, ſive in ſua cauſa, utpote lethale peccatum, ex neceſſitate impedit acceſſum ad Euchariſtiam, niſi prius confeſſione purgata ſit. Immo etſi confeſſione, & contritione purgata animæ macula; quia tamen relinquit fœditatem corporis, & mentis turbationem, ex convenientia a ſacra Communione, ſaltem eadem die, retrahit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruentia provenit, ait S. Thomas laudatus, poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem. Puta, ut Gregorius dicit, *lib.* 11. *Regiſtri Epiſt. Epiſtola* 64. quæ eſt Auguſt. Anglorum Epiſcopi (alias. lib. 12. Epiſtol. 31.) ad interrogat. 11. *Cum fortaſſe, aut feſtus dies exigit, aut exhibere miniſterium, pro eo, quod Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſſitas compellit.*

XXIV.

XXIV. Eadem ratione pollutio in ſomnis, quæ vel ſine culpa omnino, vel cum culpa veniali tantum contingit, eſto de neceſſitate ab Euchariſtia non retrahat; retrahit tamen ex quadam congruentia, niſi aliunde urgeat neceſſitas, ut dictum eſt. Impedit autem (ait S. Thom.) *Quantum ad duo: Quorum unum ſemper accidit, ſcilicet, quædam fœditas corporalis, cum qua, propter reverentiam ſacramenti, non decet ad altare accedere: unde & volentes tangere aliquod ſacrum, manus lavant, niſi forte talis immunditia ſit perpetua, vel diuturna; ſicut eſt lepra, vel fluxus ſanguinis, vel aliud hujuſmodi. Aliud autem eſt evagatio mentis, quæ ſequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit.*

XXV. Addo tamen cum eodem S. Thom. quod pollutio nocturna quandoque accidit ex illuſione Dæmonum: quæ *Quandoque provenit ex negligentia præparationis ad devotionem, quæ poteſt eſſe mortale, & veniale peccatum. Quandoque vero provenit ex ſola nequitia Dæmonum volentium impedire hominem a ſumptione hujus ſacramenti. Unde legitur in Collationibus Patrum* (Collat. 22. cap. 6.) *quod cum quidam frater pateretur pollutionem ſemper in feſtis, in quibus erat communicandus; Seniores, comperto, quod nulla cauſa ab ipſo præceſſerat, decreverunt, quod propter hoc a Communione non ceſſaret, & ita ceſſavit illuſio Dæmonum.*

XXVI. Circa vero copulam conjugalem, ait S. Thom. ibi *ad 2.* quod, *Si ſit ſine peccato (puta ſi fiat cauſa prolis generandæ, vel cauſa reddendi debitum) non alia ratione impedit ſumptionem hujus ſacramenti, niſi .... propter immunditiam corporalem; & mentis diſtractionem .... Si vero non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere, ut ibidem Gregorius ſubdit* (nempe, Epiſt. ad Aug. citata) *tunc prohiberi debet, ne accedat ad ſacramentum.* Quare hortantur Patres, ut a copula conjugali temperent Fideles, accedentibus feſtivitatibus, quibus ad Euchariſtiam ſunt acceſſuri. Ita Hieron. *Epiſt. 50. Apologetica, pro ſuis libris adv. Jovinianum.* S. Aug. *Serm. de Dom. 2. Adventus*, & Catechiſmus Rom. *part. 2. de Euch. num. 27.*

DUBIUM VI.

An communio ſub utraque ſpecie fuerit, quovis tempore, etiam laicis neceſſaria?

§. I.

De antiqua Eccleſia praxi.

I. Dico. Ab exordio Eccleſiæ, uſque ad ſæculum duodecimum Fideles, etiam laici ordinarie in publicis conventibus ſub duplici panis, & vini ſpecie Euchariſtiam ſumebant. Probatur primo. Quia certum eſt, Chriſtum in ultima cœna duplicem panis, & vini ſpeciem Apoſtolis porrexiſſe. —— Secundo. Poſt Chriſti in Cælos aſcenſum utramque ſpeciem paſſim uſurpatam ſupponit Paulus, 1. *Cor.* 11. cum enarrata hujus ſacramenti inſtitutione, ait: *Probet autem ſe ipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* S. Juſtinus Martyr, ſæculo ſecundo. Apolog. 2. pro Chriſtianis: *Qui apud nos* (inquit) *vocantur Diaconi, atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium; ut participent eum, in quo gratia acta ſunt, panem, vinum, & aquam.* Quarto. Cypriani ætate (nimirum tertio ſæculo) hoc idem in uſu fuiſſe teſtatur ipſe S. Martyr, *lib. de Lapſis.* Ubi primo enarrans miraculum, quod contigit, ait: *Et quidem alius, & ipſe maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris latenter accipere, Sanctum Dei edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre ſe apertis manibus* (quibus tunc excipiebatur panis ſpecies) *invenit.* Oblatum quoque fuiſſe calicem, recenſens de puella, quam nutrix inſciis parentibus ad Idolorum Sacrificia detulerat, ait: *Ubi vero Solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit; & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare &c.*

Quinto. Conſueviſſe hoc, ſæculo quarto, teſtatur Ambroſius; dum, ut legitur, *lib. 9. Hiſt. Tripartita, cap. 30.* Theodoſium poſt cædem Theſſalonicenſium ſic allocutus eſt: *Quomodo hujuſmodi manibus recipies ſanctum Domini corpus? Qua temeritate ſacrati ſanguinis poculum ore tuo ſuſcipies?*

Sexto. Leo I. ſæculo quinto. *Serm. 4. in Quadrageſ.* ut Fideles a Manichæis, qui ſub unica tantum ſpecie communicabant ſecerneret, præcepit, ut in publicis conventibus Fideles duplicem ſpeciem ſumerent. Quod Leonis decretum eodem ſæculo confirmavit Gelaſius I. apud Gratian. de Conſecr. diſt. 2. Cap. *Comperimus*, his verbis: *Aut integra ſacramenta recipiant, aut ab integris arceantur.*

Septimo. Ordo Romanus, ad cujus præſcriptum totus fere Occidens ſeptimo, octavo, nono, & decimo ſæculo divina peragebat; variis in locis meminit Communionis ſub utraque ſpecie, quæ a Clericis non modo, ſed & a Laicis inter Miſſarum ſolemnia fieret. Et *tit. Qualiter celebrandum ſit officium Miſſæ*, ait: *Recepto calice Archidiaconus confirmat omnes ſanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico.*

II. Imo ſæculo tertiodecimo dum viveret S. Thom. in aliquibus (paucis quidem) Occidentalibus Eccleſiis adhuc obtinebat uſus publicis in cœtibus communicandi ſub utraque ſpecie. Nam *3. part. quæſt. 80. art. 12.* quærit: *Utrum liceat ſumere corpus Chriſti ſine ſanguine.* Et licet teneat ſententiam affirmativam; non tamen tenet, tamquam univerſalem, & ubique ſervatam, ſed tantum in multis Eccleſiis. Unde, in arg. *Sed contra*, ait: *Sed contra eſt multarum Eccleſiarum uſus, in quibus populo communicanti datur corpus Chriſti ſumendum, non autem ſanguis.* Et concludit in corpus articuli ſic: *In quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolum a Sacerdote ſumatur*; ergo in aliquibus aliis, tempore S. Thomæ, populo dabatur non ſolum corpus Chriſti, ſed etiam ſanguis.

III. Antiqua hæc praxis ſumendi utramque ſpeciem aboleri, apud Occidentales Catholicos, univerſaliter cœpit ſæculo quintodecimo, poſt Concilium Conſtantienſe; cui occaſionem dederunt hæretici inferius referendi aſſerentes: ritum illum ſub utraque ſpecie communicandi eſſe jure divino præceptum. Quapropter modo apud Latinos nemini laico, abſque ſpeciali diſpenſatione, licet ſub utraque ſpecie communicare.

VI. Apud Orientales vero Græcum ritum ſervantes praxis communicandi ſub utraque ſpecie adhuc perſeverat. Apud ipſos enim non Clerici tantum, ſed etiam laici, qui communicant, dum liturgia celebratur, utramque ſpeciem ſumunt. Unde Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Epilogo Cenſuræ, quæ Auguſtanam Confeſſionem perſtringit, ita Orientalium uſum in hac materia deſcribit: *Primum utriuſque ſpeciei participes eſſe oportere dicitis* (Lutheranos alloquitur) *& recte quidem. Nam & nos hoc idem tremenda Myſteria participantes facimus; illi, inquam, qui his digni ſumus.*

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. Dico. Nemo inter Chriſtianos ante ſæculum quartum decimum aſſeruit, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe laicis divino jure neceſſariam. Probo primo, argumento negativo. Nullus enim afferri poteſt Auctor, qui ante præfatum ſæculum hoc dixerit. —— Secundo, argumento poſitivo. Nam primus, qui aſſerere cœpit, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe omnibus, etiam non ſacrificantibus, jure divino neceſſariam, vixit deſinente ſeculo quarto decimo, Petrus nimirum Dreſdenſis, Pragæ in Bohemia Ledi magiſter. Is cum incidiſſet in ſententiam Domini, Joann. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: miratus eſt, quod contra tam apertam Domini ſententiam laici calicis uſu defraudarentur. Itaque, Ænea Sylvio teſt. *Hiſt. Bohem. cap. 35.* Jacobello Miſnenſi tunc Pragæ Concionatori auctor fuit; ut populum doceret, eum ſalutem conſequi non poſſe, niſi etiam de calice Domini biberet.

VI. Deinde probatur hoc diſcurſu. Id non judicarunt veteres neceſſarium neceſſitate præcepti, quod nec Chriſtus ſemper fecit, nec fieri præcepit; nec Apoſtoli, nec primi Fideles ſub ipſis Apoſtolorum oculis ſemper fecerunt; nec traditione habetur fuiſſe ſuccedentibus ſæculis ſemper, & ubique ſervatum: ſed neque Chriſtus ſemper fecit, nec præcepit ſemper faciendum: neque Apoſtoli, neque Fideles ſub ipſis, neque Fideles, qui tredecim prioribus ſæculis vixerunt, communicarunt ſemper ſub duplici ſpecie; ergo &c. Neque enim credi poteſt, quod ſi præceptum divinum fuiſſet de Communione ſub utraque ſpecie ſemper facienda; hoc non fuiſſet ſumma religione prioribus illis ſæculis, & ſucceſſive cuſtoditum. Minor vero per ſingulas partes probatur.

VII. Et primo, de facto Chriſti. Nam ipſe duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus ſeipſum dedit ſolum ſub ſpecie panis, ut habetur *Luca* 24. —— Scio, non eſſe certum, panem illum fuiſſe Euchariſticum: alias ſequeretur, nec eſſe præceptum divinum conſecrare ſub utraque ſpecie, cujus oppoſitum infra oſtendetur. Multi tamen cenſent fuiſſe; nam ibidem habetur, *v.* 31. quod *Cognoverunt eum in fractione panis:* quod certe non fuiſſet, ſi eis fregiſſet tantum communem panem. Accedit, quod *v.* 30. dicitur: *Accepit panem, ac benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Quo ritu conſtat, eum conſecraſſe panem, ut in ultima cœna: ſolum autem panem eis porrexiſſe conſtat, quia eis porrecto pane, ſtatim *Evanuit ab oculis eorum.* Quidquid autem ſit, an etiam ibi conſecraverit calicem; certum eſt ſolum panem eis porrexiſſe. Quod ſi ſolum panem conſecravit, id, ſicut poterat, ex diſpenſatione Chriſtus fecit; quia ſolum intendebat eorum oculos aperire. Deinde, dato, quod panis ille non fuerit Euchariſticus, fuit tamen, Auguſtino teſte, *lib. 3. de conſenſu Evang. cap. 25.* figura panis Euchariſtici; ergo Chriſtus eo typo docuit, nullum ſe de duplici ſpecie ſumenda dediſſe præceptum.

VIII. Hoc autem ulterius probo ex eodem Chriſto, *Jo: 6.* ubi manducantibus carnem ſuam, nulla facta mentione ſanguinis, vitam æternam pollicetur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis quem ego dabo, caro*

mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Immo, ut observat Joannes de Ragusio, qui veritatem hanc in Concilio Basileensi contra hæreticos propugnavit, in dicto capite Christus undecies mentionem facit de hoc sacramento sub specie panis; & sub nomine carnis, & sanguinis solum quatuor. Ex quo colligitur, ad salutem sufficere solam speciem panis.

IX. Neque ex facto Apostolorum, ac Fidelium pro eo tempore oppositum colligitur. Nam, *Act.* 2. habetur mentio Communionis sub una tantum specie, v. 42. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus:* quem locum de Eucharistia Calvinus ipse intelligit. Et Act. 20. v. 7. *Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem &c.* Cum ergo ibi nulla fiat mentio calicis; colligitur, Apostolos primis illis Christianis Eucharistiam sub sola specie panis concessisse. Et quidem, cum non pauci eorum Nazareatus voto essent obstricti, quo abstinentiam a vino profitebantur; credibile est, Sanctum Lucam ideo solam fractionem panis nominasse, quod a sumenda Eucharistia sub specie panis nulli abstinerent.

X. Id confirmat modus loquendi Pauli, 1. *Cor.* 10. qui loquens de Corpore Christi sub specie panis, *v.* 16. dicit: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Loquens autem de calice, ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* Cur quæso Paulus loquens de pane utitur hoc verbo *Frangimus*; loquens vero de calice utitur hoc verbo *Benedicimus*, & non potius hoc verbo *Distribuimus?* Certe nisi quia indicare volebat, quod panis omnibus fidelibus frangebatur, calix vero licet a Sacerdotibus benedictione consecraretur, non tamen omnibus Fidelibus debebat distribui.

XI. Sed hoc apertius demonstrat praxis tredecim priorum sæculorum. Primo. Ex ritu antiquissimo, cujus testes sunt Tertullianus, *lib. ad Uxorem, cap.* 5. Cyprianus, *lib. de Lapsis.* Ambrosius, *Orat. de obitu fratris.* Nimirum, quo Eucharistia dabatur viris in manus, feminis in linteo deferenda domum; ad fideles absentes, ad Monachos in deserto, & ab itinerantibus ad loca remotissima: & a Pontifice Romano ad alios Episcopos mittebatur in signum mutuæ communionis, ut testatur Irenæus, *Epist. ad Victorem Papam*, his verbis: *Præcessores tui Romani Episcopi nostratibus Episcopis* (Asiaticis) *Eucharistiam miserunt.* Sed incredibile est, Eucharistiam sub utraque specie fuisse domum saltem semper deportatam, & ad partes adeo remotas; ergo &c.

Min. prob. Tum quia: semper dicitur corpus fuisse delatum, & numquam sanguinem. Tum quia: Eucharistia sic delata, vel occasione itineris, vel ad regiones dissitas, vel etiam persecutione urgente ad fideles in cavernis latitantes, debebat posse longo tempore conservari; quod tamen de vino, quod brevi acescit, credi non potest. Tum quia: calix numquam in manus laici dabatur, & multo minus deferendus aliorsum, sed per manus Diaconorum propinabatur. Tum quia: Tertullianus citato loco dicit, quod si mulier nupta viro Gentili Eucharistiam domi secreto gustet, maritus non sciet, quid gustet: & si sciat, non credet esse panem illum, quem nos dicimus. Si autem gustaret Eucharistiam etiam sub specie vini; facile ex odore vini maritus potuisset scire, quid gustasset.

XII. Quamvis autem non diffitear, aliquando etiam speciem vini fuisse traditam, sive asservandam domi, ibique sumendam: unde Nazianzenus, *Orat.* 11. *de Sorore Gorgonia*, dicit, *Si quid uspiam antyporum pretiosi corporis, aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset.* Et Hieronymus, *Epist.* 4. *ad Rusticum* de S. Exuperio Tolosæ Episcopo, ait: *Nihil illo diutius, qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Asservari etiam aliquando solitam pro infirmis utramque speciem, ut ex Chrysost. *Epist. ad Innocentium Papam*, quam refert Baronius, *ad ann.* 404. ubi de militum grassatione scribit: quod *Ubi Sancta condita servabantur, ingressi milites, ex quibus quidam necdum erant initiati, omnia spectabant intus recondita: sanctissimusque Christi sanguis in tanto tumultu, in militum vestimenta fusus est.*

Attamen communius sola species panis tradebatur viris in manus, feminis autem in linteo, ut testatur etiam S. Augustinus, *lib.* 2. *contra litt. Petiliani, cap.* 23. & *Serm.* 152. *de tempore*, & habetur ex Conc. Antisiodorensi, *c.* 36. Aliunde autem constat, calicem per manus Diaconorum fuisse præsentibus dispensatum. Quod constat ex eo, quod narrant de muliere Macedoniana Sozomenus, *lib.* 8. *Hist. cap.* 5. & Nicephorus, *lib.* 13. *cap.* 7. quæ volens se catholicam simulare, ut marito complaceret; loco panis Eucharistici a S. Jo: Chrysostomo accepti in manus, substituit panem prophanum, qui in ipsius ore statim in lapidem versus est. Quod de calice fieri non potuisset; qui ori per Diaconos admovebatur: quod si aliquando concessus fuit sanguis Domini domum, vel alio deportandus; hoc fuit raro, ut in allatis exemplis; hoc fuit si non multo post sumendus esset: non autem ad remotas terras ab itinerantibus secum ferendus.

XIII. Quoad infirmos quoque, quidquid sit, an pro iis in periculo vitæ communicandis alicubi etiam sanguis asservaretur: certum est, eos sub una tantum specie pari Eucharistiam ordinarie sumpsisse. Quod testantur vetera monumenta: in quibus, cum de Communione infirmorum agitur, solius corporis, vel panis mentio fit. Sic ex Concilio Turonensi II. *anno* 567. *Can.* 3. Et etiam quia sacramentum pro infirmis longo tempore servabatur, & nunc etiam apud Græcos servatur; qui semel tantum in anno Communionem pro infirmis parare dicuntur: hoc autem de vino fieri non potuisset, quod cum facile acescat, tamdiu servari non potest. Accedit factum S. Ambrosii, cui (Paulino teste in ejus vita) cum Honoratus Episcopus Vercellensis attulisset sanctum Domini corpus; hoc accepto, ubi deglutivit, emisit spiritum. Et tandem factum supra narratum Serapionis senis; ad quem ægrotantem Presbyter quidam misit per puerum particulam Eucharistiæ, præcipiens puero, ut eam aqua madefactam ori Serapionis imponeret.

XIV. Nec valet opponere, Serapionem in eo casu defraudatum fuisse integro sacramento. —— Nam primo Dionysius factum probat; & tanquam rem sua ætate, nempe, secundo sæculo, usu communi receptam ad Fabium celeberrimum Orientis Episcopum refert. Secundo: Serapion a Deo servatus fuisse scribitur, donec per sacrum illum cibum peccatorum remissionem consecutus fuisset. Immo qui prius multam animi anxietatem præsetulerat, ut probant hæc ejus verba, apud Eusebium, lib. 6. c. 44. *Et quousque tandem me detinetis? Properate quæso, & me quantocius absolvite:* ubi bucellam absorpsit, cum pace migravit ad Dominum.

XV. Addo demum: quod ex antiquo more, quo infantibus Eucharistia porrigebatur, cum non possint cibum solidum sumere; aliquid sanguinis Domini in os infantis per Diaconum instillabatur, ut probat factum supra narratum ex Cypriano: *Libro de Lapsis* de puella; quæ cum nutricis malitia idolothyti aliquid in fano Gentilium degustasset, calicem sacrum ori admotum recusavit. Quo apparet infantibus deglutire non valentibus, solum sanguinem ministrari consueviſſe. Ex antiquo etiam more, cujus meminit Gregorius Magnus, in suo *Libro Sacram.* & Trullana Synodus, *Can.* 52. saltem in die Parasceves hoc sacramentum sub sola specie panis a Sacerdote sumitur; quod etiam modo servatur. Quæ Missa, seu Communio Præsanctificatorum vocabatur, quia ex pridie consecratis sumebatur.

XVI. Concludo igitur hoc discursu. Negare non possunt Heterodoxi, praxim sumendi unam tantum speciem a laicis etiam in publicis conventibus sæculo quartodecimo, apud omnes Occidentales Ecclesias adeo obtinuisse: ut Concilia Constantiense, & Basileense eam pro lege statuerint. Quomodo autem suscepta ab omnibus Ecclesiis *fuisset* ea praxis; si præcepto Domini, & antiquæ consuetudini esset contraria? Sane Episcopi, aliique Pastores, quibus hoc persuasum fuisset, hujusmodi disciplinæ interdixissent; rem ad Concilia detulissent, in Academiis Doctores agitassent: sicut in aliis fidei dogmatibus contigit, quoties aliquid contra ea tentatum est. Dicendum ergo est, quod communicare Fideles sub una tantum, aut duplici specie non ad dogma, aut ad fidem, tamquam a Christo præceptum, pertinere crediderint, sed ad meram disciplinam: quæ licet prioribus sæculis duplicem speciem in usu haberet, subsequentium tamen sæculorum potuerit desuetudine tolli, & abrogari.

§. III.

Occurritur Heterodoxis.

XVII. POST sæculum quartumdecimum, quo, ut diximus, Petrus Dresdensis necessitatem Communionis sub duplici specie commentus fuit, Sectarii non pauci id tueri cœperunt, tamquam dogma jure divino tenendum.

Horum agmen duxit Joannes Hus. Is primo quidem, ut licitam Communionem sub utraque specie cœpit evulgare: postea tamen, ut divino præcepto Christi necessariam omnibus asseruit. Hunc jam defunctum Bohemi secuti sunt: maxime secta illa dicta propterea *Calixtinorum*, quia calicis necessitatem assereret. His Carlostadius adhæsit, qui proinde Witembergæ anno 1521. Communionem sub utraque specie restituit; asserens, id ex præscripto Evangelii servandum esse, ac ut iniquos causatus Romanæ Ecclesiæ Sacerdotes, qui eam laicis subtractam, sibi ipsis unice reservassent.

XVIII. Lutherus de more varius fuit. Primo: eam reposuit inter ritus, qui ex se parum conferunt ad divinum cultum. Secundo: asseruit, concessionem calicis non esse penes quemlibet Episcopum, sed penes Ecclesiam in Concilio Generali congregatam. Diu tamen non fuit, quin hanc sententiam mutaret, & diceret: posse quemlibet privatum Episcopum etiam invito Papa, Christum sequi in Evangelio, & rursus utramque speciem laicis dare. Tandem Communionem, quæ sub unica tantum specie facta fuerit, prorsus rejicit, tamquam divinæ institutioni contrariam. —— Calvinus tandem, *lib.* 4. *Inst. cap.* 17. §. 47. scripsit, ex officina Diaboli prodiisse; ut melior, & dimidia Cœnæ pars (nempe vinum) majori populi Dei numero eriperetur, & paucis rasis, & unctis (nempe, Presbyteris, & Monachis) in peculium cesserit.

XIX. Ecclesia tamen Catholica tribus in Conciliis Constan-

ſtantienſi, Baſileenſi, & Tridentino congregata fidem ſuam hac in re expreſſit. Nam in Conſtantienſi contra Jo: Hus, & Hieronymum de Praga, ſtatuit primo: Conſuetudinem laicis ſub ſola ſpecie panis Euchariſtiam miniſtrandi, ad evitandum aliqua pericula, & ſcandala eſſe rationabiliter introductam. Secundo; eam conſuetudinem habendam eſſe pro lege; quam non liceat reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Tertio: erroneum eſſe dicere, quod obſervare hanc conſuetudinem ſit ſacrilegium, aut illicitum. Quarto: pertinaciter aſſerentes oppoſitum, tamquam hæreticos utendos eſſe, & graviter puniendos per Diœceſanos locorum. Hoc idem ſtatuit Concilium Baſileenſe contra Thaberitas, & Calixtinos Bohemos: & præcipue Communionem, ſive ſub una, ſive ſub duplici ſpecie digne communicantibus proficere ad ſalutem; & ſub qualibet ſpecie Chriſtum integre contineri.

XX. Tridentinum autem præfatis duabus Synodis inhærens, contra Lutheranos, & Calviniſtas; ſequentes edidit Canones, quibus & Sectarios confixit, & Eccleſiæ fidem perſpicue docuit. Seſſione enim 21. Canone 1. *Si quis* (inquit) *dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes, & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere: anathema ſit*, Canone 2. *Si quis dixerit Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe; anathema ſit.* Canon 3. *Si quis negaverit, totum, & integrum Chriſtum ..... ſub una panis ſpecie ſumi; quia ut quidam falſo aſſerunt: non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur: anathema ſit.*

XXI. Objiciunt tamen primo Heterodoxi verba Chriſti, Joan. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba, cum faciant ſenſum copulativum, ut verificentur, non ſufficit, ſumere unam, vel alteram, niſi ſumatur utraque ſpecies: quia veritas copulativæ requirit utriuſque partis veritatem —— Rurſus: *Matth. 26. v. 27.* ait Chriſtus. *Bibite ex hoc omnes.* At ly *Omnes* cum ſit ſignum univerſale, diſtribuit pro omnibus Fidelibus, ſive laicis, ſive Clericis: ergo &c. —— Iterum: Chriſtus poſtquam non unam tantum, ſed utramque ſpeciem conſecravit, & diſtribuit, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* (Lucæ 22. v. 19.) Ergo Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus præcepit, ut utramque panis, & vini ſpeciem, nedum conſecrarent, ſed ut ipſe fecerat, etiam diſpenſarent. Hæc præcipua ſunt Sectariorum arma, ſed plumbea.

XXII. Nam ad primum textum reſpondeo, illum Calviniſtis non prodeſſe, qui cum Calvino verba illa: *Niſi manducaveritis*, non de orali, & ſacramentali, ſed de ſpirituali per fidem manducatione intelligunt. —— Nec etiam favet Huſſitis, & Lutheranis; quamvis perſuaſi, Chriſtum corporaliter eſſe præſentem in Euchariſtia, oralem ejus manducationem admittant. Unde enim probant, Chriſtum eo capite præcipere, ut ad habendam vitam corpus, & ſanguis ſuus non una, & eadem, ſed duplici actione, & diſtincta ſumatur? Certe qui manducat corpus continens ſanguinem, cum corpore ſumit & ſanguinem. Ideoque Chriſti ibi pluries uni actioni nempe, manducationi tribuit effectum, propter quem inſtituturus erat Euchariſtiam, nempe, vitam animæ, dicens: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Quod ſi poſtea dicit: *Niſi manducaveritis.... & biberitis*; quibus videtur velle manducationem, & potum tamquam duas actiones diſtinctas. Reſpondeo, Chriſtum his verbis non retractaſſe quod promiſerat, nempe, ſe daturum vitam alterutram ſpeciem ſumenti; ſed magis confirmaſſe unius, vel alterius neceſſitatem. Quaſi diceret: niſi vel ſacramentaliter, vel ſpiritualiter manducaveritis, & biberitis &c. removendo omnem ſumptionem ſacramenti, tam ſpiritualem, quam ſacramentalem non habebitis &c. vel: *Si nec manducaveritis meam carnem, nec biberitis meum ſanguinem non habebitis &c.* juxta illud Petri, *Actor. 5. v. 6.* dicentis Claudio: *Argentum, & aurum non eſt mihi*, ideſt, *nec argentum, nec aurum eſt mihi.* Huic coincidit alia reſponſio, qua ly *&*, equivaleat ly *vel*, ſeu copulativa disjunctivæ, ac ſi diceretur: *Niſi manducaveritis*, vel *biberitis*. Sicut 1. *Cor. 11. v. 29.* dum dicit Paulus: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Et cum Exodi 21. v. *Qui percuſſerit patrem, & matrem*, reus mortis pronunciatur. Neque enim, ut judicium, & condemnationem quis incurrat, neceſſe eſt, ut utramque ſpeciem indigne ſumat; aut utrumque, patrem ſcilicet, & matrem percutiat: ſed plus quam ſatis eſt, ut unam, vel alteram indigne ſumat, unum, vel alterum percutiat.

XXIII. Neque obeſt ſecundus textus. Nam verba illa; *Bibite ex hoc omnes*, ad ſolos Apoſtolos directa fuerunt: qui, cum ſcribat Marcus 14. v. 23. *Et biberunt ex eo omnes*, præceptum pro tempore impleverunt. Si enim omnino debent bibere, cur ipſi Lutherani, & Calviniſtæ a ſumptione calicis excludunt amentes, & infantes? Si dicant, ideo concludere, quia non ſunt capaces probationis, quam exigit Apoſtolus. *Probet autem ſeipſum homo* —— Contra. Nam infantes ſunt etiam incapaces doctrinæ, quam Chriſtus ipſe requirit ad Baptiſmum. *Docete omnes gentes baptizantes eos.* Cur ergo, ob defectum doctrinæ, infantes non excludunt a Baptiſmo? Deinde: Adultus capax eſt probationis; ſi tamen abſtemius ſit, vel a vino abhorreat, numquid ab uſu calicis iſtum ipſi non diſpenſabunt? En ergo quod etiam apud ipſos ly *Omnes* exceptionem patitur. Aliqua ergo dicebat Chriſtus omnibus abſolute, ut cum *Marci 13. v. 37.* ait: *Quod autem vobis dico, omnibus dico.* Aliqua ſolis dicebat Apoſtolis, nempe, ut irent in univerſum mundum prædicantes Evangelium omni Creaturæ, fundantes Eccleſias, ſacramenta miniſtrantes &c.

Hic ſane non poſſum non mirari, cur Heterodoxi pro extenſione præfatorum verborum adeo laborent; cum alia non minus generalia reſtringere conentur. Cum enim Chriſtus dederit Apoſtolis ligandi, & abſolvendi poteſtatem; hoc ſolis Apoſtolis dictum volunt: ut nec ad Presbyteros, nec ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores tranſiſſe velint. Cum autem dixit: *Bibite ex hoc omnes*, in Apoſtolis dictum velint, non ad ſolos Miniſtros, ſed ad omnes prorſus, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſtianos; & quidem per modum præcepti omnes obligantis.

XXIV. Minus obſtat, quod Chriſtus dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc enim dicta pariter ſolis Apoſtolis intelligenda ſunt, qui ſoli debebant omnia facere, quæ in Cœna fecerat Chriſtus; nempe, conſecrare, dividere, diſtribuere, porrigere Euchariſtiam, & in omnibus perſonam Chriſti gerere: non autem omnibus, & ſingulis de populo. His namque ſicut non præcipitur, ut conficiant ſacramentum, illudque miniſtrent, ac diſpenſent; ſed ut a miniſtro accipiant: ita nec præcipitur, ut utramque ſpeciem ſumant; cum hoc ſolum præcipiatur iis, qui gerunt perſonam Chriſti, offerendo Sacrificium, in quo neceſſaria eſt ſumptio ſanguinis ſeparata a ſumptione Corporis.

Neque Adverſarii, ut puto, contendere poterunt, quod omnia, quæ in Cœna fecit Chriſtus, facienda præceperit. Nam ipſe Euchariſtiam conſecravit poſt Cœnam, eamque tradidit non jejunis; ipſe eam tradidit duodecim tantum viris, nullis autem mulieribus Euchariſtiam diſpenſavit, ipſe Euchariſtiam non in Templo celebravit, ſed in Cœnaculo: & tamen nihil horum in Eccleſia obſervatur. Et tandem Chriſtus accepit panem in manus, & dixit: *Accipite, & dividite inter vos*; & tamen Calvinus, *lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 4.* dicit, parum referre: an qui communicant, panem accipiant, & inter ſe dividant, an vero panem ſibi datum edant. Non eſt igitur ita ſcrupuloſus Calvinus, ut in omnibus Chriſti præceptum ſequi velit.

XXV. Secundo objiciunt Apoſtolum, 1. *Cor. 11. v. 23.* dicentem: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis:* ſed Apoſtolus tradebat Corinthiis Communionem ſub utraque ſpecie; ergo hanc acceperat, ut præceptam a Chriſto.

XXVI. Reſpondeo, non eſſe certum, quod Apoſtolus traderet omnibus Corinthiis Communionem ſub utraque ſpecie: ſupra enim oſtenſum eſt, etiam Apoſtolorum tempore, indifferenter traditam fuiſſe Euchariſtiam ſub duplici, ac ſub una ſpecie. Hoc tamen dato, dico, quod Apoſtolus id faciebat; quia acceperat, ut factum a Domino, non ut præceptum a Domino. De ſumptione enim panis extat non ſolum Chriſti factum, ſed & præceptum omnibus adultis: unde de hac abſolute dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Verum de ſumptione calicis adeſt quidem Chriſti factum, non tamen præceptum abſolutum, & pro omnibus bibendi. Quare de calice, ait: *Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.* Quaſi diceret: non præcipio vobis abſolute, ut ſemper & omnes bibatis, ſed quotieſcumque bibetis, ideſt, ſi biberitis, in mei commemorationem bibatis: quod indicat præceptum non abſolutum bibendi, ſed conditionatum, ut ſi biberint, in ejus commemorationem bibant. Sicut ſi quis mihi dicat: quotieſcumque oraveris, memor ſis mei, non injungitur mihi, ut orem; ſed ut, quando, aut ſi oravero, memor illius ſim.

XXVII. Sed inquies. Ibidem ait Paulus: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*; ergo videtur ſupponere calicem abſolute bibendum.

Neg. conſ. Ibi enim abſolute non præcipit, ut omnes edant de pane, & de calice bibant; ſed modum præſcribit, quo debet ſe præparare quicumque vult edere de illo pane, & de calice bibere. Quaſi dicens: ſi homo vult de pane illo edere, & de illo calice bibere, probet ſeipſum.

XXVIII. Tertio objiciunt. Chriſtus præcepit omnibus, ut ſumerent Euchariſtiam, ut ſacramentum ſuæ Paſſionis rememorativum, Lucæ 22. v. 19. & 1. Cor. 11. v. 26. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Atqui Euchariſtia ſub ſola ſpecie panis non eſt ſignum rememorativum dominicæ Paſſionis, cum non ſignificetur effuſio ſanguinis in Paſſione, quæ ſola ſignificatur per calicem ſeorſim a corpore, ergo &c.

XXIX. Reſpondeo, Euchariſtiam ſumi poſſe, ut Sacramentum, & ut Sacrificium. Ut ſacrificium eſt expreſſa repræſentatio Paſſionis, & Mortis Chriſti: & ideo ſub utraque ſpecie de mandato Chriſti perfici debet. Vide S. Th. 3. *p. q. 80. a. 12. ad 3.* Ut ſacramentum vero, non eſt neceſſe, ut exterius perfecte repræſentet Paſſionis Myſterium; ſed ſatis eſt, ut a Fidelibus in memoriam Paſſionis ejus ſumatur: quod quidem ſumpta etiam ſola panis ſpecie contingit, dum Fidelis illam ſumit perſuaſus ſe corpus recipere, quod pro ſe Cruci traditum credit. Hinc adverto, Chriſtum non præcepiſſe ſui memoriam faciendam tantum poſt traditionem utriuſque ſpeciei; ſed ſeorſim poſt traditionem

tionem panis, & seorsim post traditionem calicis. In id, Pauli narrationem videre est. Ait enim, 1. Cor. 11. *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Tam ergo in memoriam suæ Passionis instituit Christus sumendum panem, quam calicem.

DUBIUM VII.

An Ecclesia potuerit Usum Calicis Laicis Interdicere?

§. I.

Resolutiones Dubii.

I. Dico primo. Ecclesia potest laicos, immò & sacerdotes actu non celebrantes usu calicis privare. Probo primo. Calicis usus ex iis rebus est, quæ ad meram disciplinam pertinent: cum, ut Dub. præcedente ostensum est, nemini, qui actu non sacrificet, jure divino præscriptum sit; & retroactis, primisque sæculis pro indifferenti habitus sit: sed ea, quæ solius disciplinæ sunt, maxime si constantem usum non habuerunt, ab Ecclesia possunt aut præcipi, aut abrogari pro variis locorum, aut temporum, aut personarum circumstantiis: hac enim facultate trinæ immersionis veterem usum in Baptismo abrogavit in Conc. Toletano IV. Immo Calviniani in Ecclesiis suis agnoscunt potestatem permittendi abstemiis, ut sub sola specie panis Eucharistiam sumant; solumque labia admoveant calici ad vitandum (ut ajunt) scandalum; ergo &c. Totum hoc asseruit Tridentinum, *Sess. 21. c. 2.* dicens: *Præterea declarat* (sancta Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait:* Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. *Atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum:* cætera, *inquit*, cum venero, disponam.

II. Probo secundo. Ex subtractione calicis non sequitur, mutilum esse sacramentum, aut Fideles, quibus subtrahitur, aliquo ad salutem necessario defraudari: ergo potest Ecclesia absque læsione, aut injuria subtrahere. Ant. pro prima parte prob. Quia, ut Tridentinum definivit, *Sess. 21. Can. 3.* totus, & integer Christus non minus sub una specie continetur, quam sub duplici: sicut enim sub specie vini formaliter ponitur sanguis, & per concomitantiam corpus dominicum: ita sub specie panis formaliter quidem ponitur corpus Christi, sed realiter & per concomitantiam adest etiam sanguis.

III. Secunda etiam pars probatur. Tum quia: gratia, & vita animæ æque habetur per Christum sub una tantum specie, ac sub utraque sumptum; quia, ut dicebatur, in qualibet totus Christus Auctor gratiæ continetur; & sub una specie non minus, ac sub duplici manducatur caro Christi unita Verbo, una cum sanguine, ex qua redundat in sumentem gratia. Id demonstrat Tridentinum, *Sess. 21. cap. 1.* dicens: *Qui dixit:* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *dixit quoque:* Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Et qui dixit;* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; *dixit etiam:* Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Et denique qui dixit:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo; *dixit nihilominus:* Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

IV. Dico secundo. Justis, ac rationabilibus causis mota fuit Ecclesia, ut Laicos, & etiam Sacerdotes non conficientes Sacramentum, sub sola panis specie communicaret. Ita Tridentinum, *Sess. 21 cap. 2.* ubi post verba superius relata: *Quare* (inquit) *agnoscens Sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem; licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset: tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus, & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.*

V. Graves autem, & justæ causæ communionem sub altera tantum specie pro laicis, & non consecrantibus statuendi, fuerunt, Prima: ex eo quod ante finem sæculi quarti decimi ubique apud Occidentales jam invaluerat consuetudo; ut in publicis etiam Synaxibus una tantum panis species præberetur. Unde Constantienses Patres, *Sess. 13.* ajunt: *Cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege.* Quod Constantiense decretum cum paucos post annos innotuerit Græcis, qui sub Eugenio IV. Concilio Florentino interfuerunt, & communionis Occidentalium sub altera tantum specie oculares testes fuerunt; nec contra hanc consuetudinem aliquid reposuerint: colligitur, Græcos eam ut rationabilem approbasse.

Secunda ratio sumpta fuit ex incommodis, quæ ex Communione sub utraque specie frequenter accidebant: nempe, periculum, ne pretiosus sanguis effunderetur. Quantacumque enim diligentia uterentur Diaconi, qui calicem porrigebant, per communicantium copiam in solemnioribus festis, inter quos plures senes, debilesque, vix effusionem poterant impedire: cui malo, si evenisset, nullum poterat apponi remedium cum maxima irreverentia sacramenti.

Tertia ratio fuit. Quia multi ex Fidelibus abstemii sunt, qui non sine nausea vinum haurirent cum periculo vomitus. Insuper, ut servaretur uniformitas: nam cum in multis regionibus vini penuria sit, ad quas vinum in tanta copia ægre deferri potest, quæ totius populi Communioni possit sufficere: oporteret in illis Regionibus ab usu calicis populum frequenter abstinere.

Quarta, & potissima ratio fuit. Quia cum multi erronee evulgare cœpissent, Communionem sub utraque specie esse jure divino omnibus necessariam; nec sine illa recipi totum Christum: ne his erroribus Ecclesia patrocinari videretur, & ut fideles intelligerent, sub una tantum specie totum Christum recipi, neque Communionem sub duplici specie a Christo esse præceptam: rationabile judicavit, unicam tantum speciem esse sumendam. In hoc imitata Ecclesiam antiquam, quæ cum videret Arianos abuti trina immersione in Baptismo, ut suum errorem de triplici in divinis Personis substantia confirmarent: Et insuper S. Leonem, ac Gelasium, qui cum viderent, ex usu unius tantum speciei panis in Eucharistia sumenda Manichæos tegere suum errorem, quo vinum abominabantur, præceperunt, ut omnes vel a Communione abstinerent, vel eam sub utraque specie sumerent.

§. II.

Objectiones Hæreticorum.

VI. Ecclesiam prohibere non potuisse usum calicis ostendere conantur primo. Quod superior concedit, inferior prohibere non potest; sed dato, quod Christus non præceperit omnibus usum calicis, illum tamen omnibus concessit dicens, Lucæ 22. *Bibite ex eo omnes;* ergo Ecclesia non potuit &c. —— Si respondeas, Christum concessisse quidem omnibus Fidelibus jus petendi sacramentum Eucharistiæ, sed eam sub duplici specie petendi jus absolute non concessisse, sed dispositioni Ecclesiæ reliquisse: ut eam vel sub duplici, vel sub una tantum specie daret, prout expediens judicaret, tamquam rem ad meram disciplinam pertinentem.

VII. Contra est. Esto Christus non præceperit *Confirmationem*, aut Matrimonium, ut media ad salutem necessaria, neutrum tamen potest Ecclesia Fidelibus petentibus interdicere, dummodo nullum adsit canonicum impedimentum: cum ergo pro omnibus calix sit institutus, Ecclesia non potest illum negare petentibus, sic ut negare non potest speciem panis.

Nego tamen cons. Nam per hoc, quod Fidelibus interdicatur una species, ipsi non privantur usu sacramenti, quod est totum sub altera: privarentur autem usu, & effectu Confirmationis, & Matrimonii, si hæc illis interdicerentur. Neque est simile de specie panis: ad hanc enim interdicendam non possunt concurrere timor irreverentiæ sacramenti, aut aliæ causæ, quæ ad subtractionem calicis Ecclesiam moverunt. Addo: quod si Ecclesia subtraheret usum panis, subtraheret utramque speciem, & totum sacramentum, ad quod jure divino Fideles habent potestatem.

VIII. Objiciunt secundo. Calix est ex Christi testamento omnibus legatus ad hæreditatem gloriæ; ergo injuste hoc legato fuerunt laici privati.

Resp. neg. cons. & suppositum. Non enim laici testamentario Christi legato ad hæreditatem privantur per hoc, quod ab usu calicis prohibentur, dummodo ad usum panis admittantur. Quia hæreditas gloriæ non fuit a Christo nobis legata ratione modi ipsum sumendi; sed ratione rei sumptæ, ac contentæ, nempe, ipsius corporis, & sanguinis: hæc autem Fideles participant, eorumque effectu potiuntur, esto solum una specie panis Christum sumant: sumunt enim corpus, quod pro eis est traditum, & sanguinem, qui pro eis est effusus. Neque oportebat, ut Christi legatum æqualiter erga omnes distribueretur; sed aliquid ipsius Ministris, ut in statu perfectiori positis, quod non aliis.

IX. Objiciunt tertio. Fideles debent sacramentum perfectum, & integrum sumere: sed ad perfectionem sacramenti utraque species concurrit, ergo &c. —— Si respondeas cum S. Thom. 3. p. qu. 80. art. 12. ad 2. *Quod perfectio hujus sacramenti non est in usu Fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque.*

X. Contra instant Gelasius I. Cap. *Comperimus*, Decretum a se latum de Communione sub utraque specie sumenda hac ratione confirmat: *Quia divisio unius ejusdemque Mysterii, sine grandi sacrilegio non potest provenire:* ideoque dicit: *Aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.*

XI. Respondet S. Th. laudato loco, ad 1. *Quod Gelasius loquitur quantum ad Sacerdotes, qui sicut totum conficeranc sacramentum; ita etiam toti communicare debent. Ut enim*

legitur

legitur in Conc. Toletano (12. Conc. 5.) Quale erit Sacrificium, qui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur.

Reſpondeo ſecundo, ex ſupra dictis, Decretum illud Gelaſii perſtingere Manichæos, qui nedum non ſumebant, ſed calicis hauſtum exhorrebant: putantes illicitum vinum, vel labiis attingere, utpote (ajebant) non a Deo, ſed principio nequam productum. Hos ergo Gelaſius compellit etiam calicem ſumere; aſſerens, hujuſmodi errorem, & ſuperſtitionem non poſſe provenire ſine grandi ſacrilegio. Sicut ergo modo Eccleſia, ut perſtringat eorum errorem, qui volunt ſumptionem calicis eſſe omnibus neceſſariam ex præcepto Chriſti ad ſalutem, & ſine illa integrum ſacramentum non recipi; Communionem ſub utraque ſpecie omnibus non ſacrificantibus interdixit; & ut hæreticos a Catholicis dignoſcat, hoc ab omnibus vult obſervari: ita olim, ut oppoſitum errorem Manichæorum contunderet, qui a vini ſpecie abſtinebant, hoc facto tegentes errorem ſuum & ut eos a Catholicis detegeret; cogendos eſſe omnes ad utramque ſpeciem ſumendam Eccleſia ſub Leone, & Gelaſio prudenter judicavit. Ex quibus infero, antea Catholicos indifferenter ſub unica, vel duplici ſpecie communicare conſueviſſe; alias Manichæi unam tantum ſpeciem ſumentes ſtatim detecti fuiſſent, nec ſe occultare potuiſſent.

XII. Objiciunt quarto. Sumenti Euchariſtiam ſub duplici ſpecie, major datur gratia, quam ſumenti ſub una tantum: nemo enim dicet, calicis ſumptionem Sacerdoti ſacrificanti nullius eſſe fructus. Quare Clemens VI. Regi Angliæ conceſſiſſe fertur, ut ad gratiæ augmentum, quoties vellet, ſub duplici ſpecie communicaret; ergo ad ſpecialem gratiam conferendam eſt inſtituta: cum ſacramenta conferant gratiam, quam ſignificant, alias ſpecies vini eſſet ſuperflua.

§. III.

An ſumenti duplicem Speciem Major Gratia conferatur?

XIII. PRæfatum argumentum excitat hanc quæſtionem, in qua diviſos invenio Doctores Catholicos: quibuſdam affirmantibus, aliis vero negantibus. Probabilior tamen videtur ſententia negans, in una eademque Communione ſumenti duas ſpecies dari, per ſe loquendo, majorem gratiam, quam ſumenti unam ſolam. Dico, per ſe loquendo, & ex opere operato. Nam per accidens, & ex opere, ſeu devotione ſumentis contingere poteſt, ut ſumens duas ſpecies, majorem gratiam conſequatur. Ita etiam ſentire videtur S. Th. 3. *p.* 9. 80. *a.* 12. *ad* 3. ubi ait, populum ſumentem unam tantum ſpeciem, nullum pati detrimentum; quia in utraque ſpecie totus Chriſtus continetur. Et clarius, Opuſc. 58. de Sacr. Altaris, c. 29. *Sicut* (inquit) *ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de calice; ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti: & eſt ei tam utilis, & tam dulcis, ut Sacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice.*

XIV. Reſpondeo ergo ad propoſitam objectionem, neg. ant. Quia ſub unica ſpecie totum Euchariſtiæ ſacramentum, & res ſignificata per ipſum, nempe, Chriſtus continetur, eſto non omni modo: unde Fideles uſu calicis privati fructu ſacramenti non privantur. Neque qui ſumit utramque ſpeciem, ex opere operato, & per ſe majorem gratiam percipit, quam qui ſumit ſub una tantum, quia licet ſub duplici ſignificatione, eadem tamen eſt res ſignificata, & contenta æque ſub una, ac ſub utraque. Sicut enim Chriſtus, *Jo: 6.* dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: ita ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Nam qui manducat panem, manducat Chriſti corpus, & bibit etiam de corpore ipſius ejus ſanguinem. Unde, ex opere operato, ſumens ſpeciem panis, & vini, non plus accipit gratiæ ſupra ſumentem ſolam ſpeciem panis, quam qui ſumeret eodem ſacramento plures hoſtias, aut plures vini guttas, quam alter. Poteſt tamen ſub utraque ſpecie communicans, ex opere operantis, majorem gratiam recipere ex majori devotione: & in hoc ſenſu ad majus gratiæ augmentum dicitur Clemens VI. Regi Angliæ conceſſiſſe, ut utramque ſpeciem ſumeret. Neque inutilis vini ſpecies evadit: quia licet vi illius nova gratia non producatur; cum tamen major ſit expreſſio ejus, quod ſub ſpecie panis continetur, excitat majorem in ſumente devotionem. Quod ſi opinionem affirmativam admittamus,

XV. Reſpondetur ſecundo. Dato ant. neg. conſ. Nam cum hoc gratiæ augmentum non ſit neceſſarium ad ſalutem; potuit Eccleſia juſtis cauſis ſupra adductis, ab eo ſuſcipiendo per duplicis ſpeciei ſumptionem aliquos Fideles arcere, eo vel maxime quod gratiæ augmentum, quod per calicis uſum non poſſunt recipere, alia via, nimirum, per plures Communiones ſub ſpecie panis poſſunt ſibi compenſare. Eo ſimili modo, quo licet tam ſacramentum Ordinis, quam Matrimonii gratiam ſpecialem producant, potuit tamen Eccleſia, & Sacris Ordinibus initiatos a Matrimonio ſuſcipiendo; & Matrimonio copulatos a Sacro Ordine, abſque injuria arcere: quia gratia, quam hæc ſacramenta conferunt, non eſt ad ſalutem neceſſaria, & alia via illud gratiæ augmentum ſibi poſſunt comparare.

§. IV.

Utrum Calix ex Diſpenſatione concedendus ſit Hæreticis.

XVI. ECcleſiam, uſum calicis poſſe concedere laicis, quemadmodum olim eis concedebat, extra controverſiam eſt; cum ſit res ad meram diſciplinam pertinens, ut diximus. Hanc enim in Eccleſiam poteſtatem agnoverunt Concilia Conſtantienſe, Baſileenſe, & Tridentinum. Iſtud enim licet, *Seſſ. 21. Can. 4.* propoſitis duobus Articulis, nempe: an uſus Communionis ſub una tantum ſpecie ita ſit retinendus, ut nulla ratione calicis uſus cuiquam ſit permittendus. Et an: ſi cuiquam ſit concedendus, vel perſonæ, vel Nationi, vel Regno, ſub aliquibus conditionibus ſit concedendus, & quænam ſint: eos ad aliud tempus, & occaſionem examinandos, & definiendos reſervet. Attamen, Seſſ. 22. in Decreto finali: *Decrevit integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum eſſe referendum, prout præſenti decreto refert; qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum calicis fore judicaverit.*

XVII. Hinc quibuſdam ſpeciali privilegio legitur conceſſum, ut ſub utraque ſpecie communicent, referentibus Alexandre, & Gonet, nempe, Regibus Chriſtianiſſimis in eorum inauguratione, Diacono, & Subdiacono Eccleſiæ S. Dionyſii Pariſienſis Dominicis, & Diebus ſolemnibus, Miniſtris Altaris apud Cluniacum dominicis, & feſtis: & Papa ſolemniter celebrante Diaconus ſub utraque ſpecie, & Subdiaconus communicant. Controverſia eſt: an modernis hæreticis calicis uſum petentibus, & promittentibus, ut ſi eis concedatur, ſe recepturos omnia, quæ ſancta Mater Eccleſia recipit, expediret illum concedere. Cui

XVIII. Communiter reſpondetur negative. Primo. Quia id jam fuerat conceſſum eis petentibus, & promittentibus, qui tamen promiſſis non ſteterunt. Baſileenſe Concilium ad perfectam eorum cum Catholicis unionem uſum calicis permiſit Bohemis, hac conditione ut Sacerdotes; *Sic communicantibus ſemper dicerent, debere eos firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer Chriſtus totus.* Pius Papa IV. *anno 1563.* conceſſit Germanis Epiſcopis, ut ſervatis legibus, quas Patres Baſileenſes Bohemis præſcripſerant, calicem concederent. Sed utraque conceſſio infelicem exitum habuit. Nam Bohemi utramque ſpeciem ſumebant; quia id neceſſarium ad ſumendum totum Chriſtum erronee exiſtimabant, & in Germania Lutherani mox cauſati ſunt, agnoviſſe tandem Eccleſiam Romanam, ſe contra jus divinum populis ſubtraxiſſe calicem. Unde, ne incautos deciperent, utraque conceſſio fuit revocata. Hac ratione, licet in Concilio Tridentino ſæpius actum eſſet, an ad Gallorum, & Germanorum preces, pacis cauſa, laicis calix concedendus eſſet: Concilium de hoc nihil, ut dicebamus, decernere voluit; ſed rem Summi Pontificis prudentiæ ſtatuendam reliquit.

XIX. Secundo. Quia Hæretici ad petendum calicem non moventur pietate, aut juſta aliqua ratione, ſed ſolum ex pertinaci falſa exiſtimatione, qua ſentiunt, eum eſſe a Chriſto præceptum, & neceſſarium ad ſumendum totum Chriſtum: unde horum petitioni acquieſcere, eſt hæreſim fovere, eamque quaſi ſanctam ad Altare introducere. Unde hæretici in ſuis erroribus confirmarentur; ſumerentque occaſionem ſimplices Catholicos decipiendi, inſinuando illis Eccleſiam tali conceſſione ſuum fateri errorem. Et Fideles ipſi facile inducerentur ad cogitandum, expedire, ut etiam ſecum diſpenſetur, immo ad dubitandum, vera ne ſit inſtitutio quam didicerunt. Ex quo magna in Eccleſia confuſio facile oriri poſſet.

XX. Neque quis dicat: Apoſtolos cum Judæis diſpenſaſſe, ut Judæi ad tempus ſervarent Legalia, quamvis ſcirent eos errare putantes, ſibi eſſe ad ſalutem neceſſaria. —— Nam diverſitas eſt: Judæi quippe ex infirmitate errabant, quæ in eis, Evangelio nondum plene promulgato, tolerabilis erat. At hæretici Communionem ſub una tantum ſpecie condemnant, non ex infirmitate, ſed ex pertinacia: calicem enim petunt, ut neceſſarium poſt, & contra Eccleſiæ declarationem oppoſitam.

XXI. Hoc tamen Eccleſiæ præceptum de non ſumendo calice non urgeret; ſi calix in manus hoſtium infidelium venturus eſſet, qui eum effunderent, & conculcarent. Tunc enim quilibet laicus in Sacerdotis abſentia, vel impotentia, poſſet calicem ſumere, ut Chriſti ſanguinem a contumelioſa irreverentia liberaret. Laico tamen in extremis agenti, nec hoſtiæ particulam deglutire valenti non eſſet exhibendus calix: ſed aut eſſet relinquendus ſine viatico; aut hoſtia aqua, vel vino madefacta, ut puer fecit Serapioni ſeni ex dictis, tradi deglutienda.

§. V.

De Communione Laica, Peregrina, & Præſanctificatorum.

XXII. CIrca Communionem laicam ſciendum: quod fuit olim uſu ſervatum, ut Sacerdotibus in pœnam alicujus gravioris criminis, negaretur communio clericalis, & ſolum concederetur laica. De hac quærimus, quid eſſet.

XXIII. Ali-

XXIII. Aliqui cenſent, Communionem laicam fuiſſe, qua Sacerdotibus non permittebatur conſecrare, ſed Euchariſtiam de manu alterius accipere — Sed hoc non videtur verum. Nam Communio laica infligebatur in pœnam Diaconis, & inferioribus Clericis graviter peccantibus, ut conſtat ex *Epiſt.* 1. *Siricii*, *cap.* 11. & Felice III. *Ep.* 1. *c.* 2. & ex Conc. Tolet. I. *Can.* 4. quibus tamen Euchariſtiam non conſecrare, eamque de manu alterius accipere non fuiſſet pœna.

Eadem quoque cauſa Communio laica non poterat eſſe illa, quæ fiebat extra Sacrificium, ideſt, non ad complementum Sacrificii. Quamvis enim nulla pœna mulctarentur Diaconi, Subdiaconi, & alii Clerici: adhuc tamen extra Sacrificium communicabant; hoc eſt, ita communicabant, ut eorum Communio non pertineret ad complementum Sacrificii, per eos tamquam per Sacerdotes, oblati.

XXIV. Alii propterea docent, Communionem laicam fuiſſe illam, qua ſub una duntaxat ſpecie quiſpiam communicabat; quaſi Clericalis fuerit, quæ ſub duplici ſpecie fiebat — Sed nec his aſſentiri poſſum. Quia dum vigebant decreta de Communione laica, tam Clerici, quam laici poterant, immo de facto ſi volebant, ſub utraque ſpecie communicabant: non ergo erat ratio, cur Communio ſub una tantum ſpecie vocaretur laica. Accedit: quod Clerici, quibus in pœnam ſola Communio laica permittebatur, poterant communicare ſicut laici: at laici poterant communicare ſub utraque ſpecie: ergo etiam Clerici, eſto damnati ad ſolam Communionem laicam; ergo Communio laica non erat Communio ſub una tantum ſpecie. Hinc ex communione laica non bene quidam inferunt communionem ſub una tantum ſpecie olim in uſu fuiſſe.

XXV. Quidam non improbabiliter cenſent, Communionem laicam fuiſſe illam, qua communicans ſpeciem quidem panis poterat manu ſua accipere; ſacrum tamen calicem tangere non permittebatur: nam Clerici, ad differentiam laicorum, poterant ſacrum calicem in actu ſumptionis tangere.

XXVI. Veroſimilius tamen judico, Communionem laicam fuiſſe illam, quæ fiebat inter laicos, & in loco laicorum: Clericalem vero fuiſſe eam, quæ fiebat inter Clericos, & in loco Clericorum. Conſtat enim, Sacerdotes, Levitas, alioſque altaris Miniſtros olim communicare ſolitos ante altare, ſeu intra locum illum, quem nos vulgo vocamus chorum, ſeu Presbyterium; laicos vero extra chorum in iis locis, ubi Sacrum audiebant. Ita colligitur ex Conc. Laodic. *Can.* 19. ubi legitur: *Solis Miniſtris altaris liceat ingredi ad altare, & ibi communicare.* Et Toletano IV. *Can.* 17. ſic: *Sacerdotes, & Levitæ ante altare communicent: In choro* (aliquantulum ſcilicet remotius ab altari) *Clericus: Extra chorum, populus.* Et in Bracarenſi I. cap. 13. *Ingredi Sacrarium* (locum ubi ſacra Myſteria peragebantur, ſeu chorum) *ad communicandum non licet laicis, niſi tantum Clericis.* Huc etiam referri poteſt, quod Conc. Toletan. I. *Can.* 4. De ſubdiacono trigamo ſtatuit: ut *Abſtentus biennio, poſtea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.*

XXVII. Neque obſtat, quod *Can.* 2. *concil. Sardicenſis de Epiſcopo ambitioſo* dicatur: *Nec laicam in fine vitæ Communionem accipiat.* Et de aliis Felix III. *Epiſt.* 1. dicat: *Communio laica tantum in morte illis eſt reddenda.* Communio autem in morte, cum non fiat in Eccleſia, neque cum aliis, non poteſt ex laicorum conſortio, aut loco dici laica — Nam reſpondeo, poſſe vocari laicam, non ex loco, in quo actu fiat; ſed ex loco, in quo fieri deberet, ſi ad Eccleſiam ire poſſet morti proximus.

XXVIII. Quoad Communionem *Peregrinam*, *cujus* mentio fit in Concilio Agathenſi, *Can.* 1. & 4. & refertur, Can. *Contumaces*, diſt. 50. videtur fuiſſe pœna Sacerdotum, ſeu Clericorum, qui ſine licentia, ac litteris ſui Epiſcopi peregrinari auſi fuiſſent. Utcumque autem eſſet, nihil, aut certe parum creditur a laica Communione diſtaſſe; quæ etiam dici poterat peregrina quod ab eorum ſtatu peregrinum, ſeu alienum eſſet, quod Sacerdotes, & Clerici communicare deberent, ut laici.

XXIX. Communio denique *Præſanctificatorum*, de qua meminit, *Can.* 52. Sexta Synodus, eſt Communio *antea ſanctificatorum*, ideſt, Euchariſtiæ non eo die, ſed uno vel pluribus antea diebus ſub ſpecie panis conſecratæ ſumptio: qualem communionem facit Sacerdos die Paraſceves in Eccleſia Latina, & omnibus Quadrageſimæ diebus, exceptis ſabbatis, & dominicis in Eccleſia Græca, juxta præfatum, *Can.* 52. Et ex hac Præſanctificatorum Communione validum ſumi poteſt argumentum, fuiſſe olim in uſu Communionem ſub una tantum panis ſpecie. Hæc pro mei Candidati notitia ſufficiant.

DUBIUM VIII.

Quando Urgeat Præceptum ſumendi Euchariſtiam.

§. I.

Praxis circa Communionis Uſum.

I. IN Eccleſiæ primordiis omnes Chriſtiani quotidie communicabant. Nam, ut habetur, Act. 2. v. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Et verſ. 46. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panes.* Unde Cyprianus (vel alius) ſerm. in Orat. Dominica: *Euchariſtiam* (inquit) *quotidie ad cibum ſalutis accipimus.* Quem morem notat Cardin. Bona, *Rerum Liturgic. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 2. uſque ad initium quinti ſæculi obſervatum fuiſſe. Immo alicubi, qui plures Miſſas eadem die audiviſſent, pluries eadem die communicabant, teſte Walfrido Strabone, *cap.* 22. qui nono ſæculo floruit: Quod tamen ab Alexandro II. circa *anno* 1060. vetitum fuit, & ſtatutum, ne plus, quam ſemel quis in die reciperet Communionem. Cap. *Sufficit*, §. 3. de Conſecrat. diſt. 1.

II. An autem quotidiana illa Communio in præcepto eſſet pro illo tempore, S. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 10. *ad* 5. videtur affirmative ſentire: Ait enim: *In primitiva Eccleſia, quando magna vigebat devotio fidei Chriſtianæ, ſtatutum fuit, ut quotidie Fideles communicarent.* Et affert decretum Anacleti Papæ, Can. *Epiſcopus*, de Conſecr. diſt. 1. & Can. *Peracta*, de Conſecr. diſt. 2. ubi dicitur: *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia.*

Alii negative ſentiunt, & ad Anacleti decretum (ſi tamen Anacleti genuinum ſit) dicunt, illud eſſe intelligendum tantum de Clericis, qui Sacrificio miniſtrabant; non autem de laicis, quos oportebat, præcipue conjugatos, ob tanti reverentiam ſacramenti aliquando a Communione abſtinere. Cap. *Omni homo* 21. de Conſecratione, diſt. 2.

Quidquid tamen fuerit, ſæculo S. Auguſtini liberum erat, vel quotidie, vel certis hebdomadæ diebus Euchariſtiam ſumere: Ait enim, Epiſt. 118. modo 54. ad Januarium *Alii quotidie communicant corpori Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi ſabbato tantum, & dominico alibi tantum.* Hinc S. Baſilius (*ex Ep. ad Cæſariam Patritiam*) quater in hebdomada, & feſtis, S. Epiphanius (*lib.* 3. *contra Hæreſes*) feria quarta, & ſexta: & Beatus Onophrius (*Ex Evagrio*) dominico, & ſabbato communicaſſe traditur.

III. Refrigeſcente autem charitate Fidelium, plures ceſſare cœperunt, nedum a quotidiana, ſed etiam a frequenti Communione, & etiam a primis Eccleſiæ ſæculis. Pro quo refertur a S. Thom. loco citato, decretum Fabiani, qui tertio ſæculo vixit, ſtatuentis quod *Si non frequentius, ſaltem ter in anno omnes communicent, ſcilic. in Paſcha, Pentecoſtes, & Natalis Domini* ut legitur, C. *Etſi* 16. de Conſecr. diſt. 2. & Soteri Papæ ſtatuentis, in Cœna Domini eſſe Communicandum, *cap.* 17. *de Conſ. diſt.* 5. (quamvis hæc Fabiani, & Soteris decreta ſuppoſititia credantur) Inſuper a Concil. Agathenſi, *c.* 18. *anno* 506, definitum fuiſſe legimus, C. *Sæculares* 19. de Conſecr. diſt. 2. quod *Sæculares, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Quod præceptum communicandi ter ſaltem in anno renovatum fuit *anno* 813. in Concilio Turonenſi II. ſub Leone III. Citius autem in Oriente, quam in Occidente frequentiam Communionis defeciſſe, advertit Card. Bona *lib. cap.* 17. *n.* 2. ex querimoniis S. Athanaſii, & Chryſoſtomi, aliorumque Patrum Græcorum conquerentium de infrequentia communicantium.

Quod ſi quæras: Quid magis hiſce temporibus præſtet: an frequens, immo & quotidiana Communio, an vero infrequens?

IV. Reſpondet S. Th. 3. p. q. 80. art. 10. *Quod circa uſum hujus ſacramenti duo poſſunt conſiderari. Unum quidem ex parte ipſius ſacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris: & ideo utile eſt quotidie ipſum ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambroſius dicit, in lib.* 4. *de Sacramentis, cap.* 6. Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur; debeo ſemper accipere, qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam. *Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc ſacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat. Unde Auguſtinus* (Serm. 28. de Verb. Domini, modo 84. in Appendice) *Cum dixiſſet:* Accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit, *ſubjungit:* Sic vive, ut quotidie merearis accipere. *Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt; propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus, quotidie ad hoc ſacramentum accedere; ſed quotieſcumque ſe ad illud invenerit homo præparatum. Unde in lib. de Eccleſiaſticis Dogmat.* (inter oper. Auguſt. cap. 53.) *dicitur;* Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero Hæc S. Thom. Et *in* 4. *diſt.* 12. *qu.* 3. *art.* 1. *qu.* 2. ex Auguſtino ait: *Si dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam eſſe Euchariſtiam, alius affirmet, quotidie ſumendam; faciat unuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum.* Et probat per exemplum Zachæi, & Centurionis: quorum unus recipit Dominum gaudens; alius dicit: Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: *& uterque miſericordiam conſecutus eſt.* Hinc Eccleſia quotidianam, aut frequentem Communionem Confeſſarii judicio reliquit, dummodo abſtineatur ab abuſibus, ut legere eſt in Decreto Sacr. Congregat. Conc. *die* 20. *Februarii* 1679. quod per extenſum refert Clericatus, *de Sacr. Euchar. deciſ.* 10. *pag.* 51.

§. II. *Quid*

§. II.

Quid modo in præcepto ſit de Euchariſtiæ Sumptione?

V. DIco primo. Adeſt Præceptum divinum de Communione ab adultis aliquando ſumenda; ut nemini liceat ab ea prorſus ceſſare. Ita S. Th. 3. *p. q.* 80. *a.* 11 Et probat primo ex illo, Joann. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Deinde hoc diſcurſu: *Duplex eſt modus percipiendi hoc ſacramentum, ſcilicet, ſpiritualis, & ſacramentalis* (ut ſupra oſtenderat q. 80. art. 1.) *Manifeſtum eſt autem, quod omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare: quia hoc eſt Chriſto incorporari* (ut oſtenderat q. 73. art. 3. ad 1.) *ſpiritualis autem manducatio includit votum, ſeu deſiderium percipiendi hoc ſacramentum. Et ideo ſine voto percipiendi hoc ſacramentum non poteſt homini eſſe ſalus.* —— *Fruſtra autem eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet. Et ideo manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc ſacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis, Luc. 22.* Hoc facite in meam commemorationem. *Ex ſtatuto autem Eccleſiæ ſunt determinata tempora exequendi iſtud præceptum.*

VI. Nec dicas: Si quis præ humilitate abſtineat a ſuſceptione Euchariſtiæ exiſtimans ſe indignum, laudandus potius erit; ſicut hac ratione laudatus fuit Centurio, *Matth.* 8. —— Reſpondeo cum S. Thom. art. citato, ad 1. *Quod ſicut dicit Gregorius in Paſtorali* (p. 1. c. 6.) Illa eſt vera humilitas, cum ad reſpuendum quod utiliter præcipitur, pertinax non eſt: *Et ideo non poteſt eſſe laudabilis humilitas, ſi contra præceptum Chriſti, & Eccleſiæ aliquis omnino a Communione abſtineat. Neque enim Centurioni præceptum fuit, ut Chriſtum in ſua domo reciperet.*

VII. Adſunt etiam rationes. Nam hoc ſacramentum eſt alimentum ſpirituale animæ: conveniens ergo fuit, ut ad illud ſumendum Chriſtus omnes obligaret. Qui, ſicut corpus nequit diu vivere ſine cibo naturali, & ideo ad hunc ſumendum obligantur omnes præcepto naturali, ſic nec anima poteſt diu ſpiritualiter vivere ſine hoc cibo ſpirituali. Tum etiam: quia ſi Adam manſiſſet in ſtatu innocentiæ, debuiſſet ex præcepto, ut vitam naturalem conſervaret, comedere de ligno vitæ; ergo, ad conſervandam vitam ſpiritualem, debuit homo præcepto divino obligari ad ſumendum hunc cibum vitæ ſpiritualis.

VIII. Dico ſecundo. Præcepto divino obligantur Fideles adulti ſumere hoc ſacramentum in articulo mortis, & etiam aliquoties in vita. Dixi *Fideles*. Quia infideles non baptizati non obligantur: cum omnis obligatio ad præcepta ſingularia ſacramentorum naſcatur ex profeſſione fidei, quæ fit in Baptiſmo. Dixi etiam *Adulti*. Quia infantes, ſeu pueri ante uſum rationis præcepto Euchariſtiæ non obligantur; neque enim eis neceſſaria eſt ad ſalutem, ſicut Baptiſmus. Prob. autem prima pars. Quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt per modum viatici; ergo tunc præſertim ſumendum eſt, quando exeundum eſt de vita, ut ejus vigore confortati ad cæleſtem patriam perveniamus. Sic Tridentinum, *Seſſ. 13. c. 2.* Hac etiam ratione crediderim a Chriſto fuiſſe inſtitutum, cum tranſiturus eſſet ex hoc mundo ad Patrem, ut habetur Jo: 13. —— Secunda etiam pars prob. Quia ſicut ad reparandum id, quod per calorem conſumitur, ſæpius in vita cibo naturali nutriri ex præcepto naturali tenemur: ita, ut depaſcentis concupiſcentiæ jacturas ſarciamus, ex divino præcepto Euchariſtico pane paſci ſæpius debemus.

IX. Dico tertio. Ex præcepto Eccleſiæ omnes Fideles adulti, qui ad annos diſcretionis pervenient, tenentur ſaltem ſemel in anno, ideſt, in Paſchate, ſacramentum Euchariſtiæ ſumere. Ita in Conc. Gener. Lateran. IV. ſub Innocentio III. decretum fuit his verbis: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis qui ad annos diſcretionis pervenit, ad minus in Paſcha reverenter ſuſcipiat ſacramentum Euchariſtiæ.* Antea quidem, ut ſupra dictum eſt, ſtatutum fuerat, ut ſaltem ter in anno Fideles eam ſumerent: ſed ut adverrit S. Th. 3. p. q. 80. art. 10. ad 5. *Poſtmodum, propter iniquitatis abundantiam, refrigeſcente charitate multorum, ſtatuit Innocentius III. ut ſaltem ſemel in anno ſcilicet, in Paſcha, Fideles communicent.* Cujus decreti obſervantiam ſub anathemate indixit Tridentinum, Seſſ. 13. Can. 9. *Si quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.*

Nomine autem Paſchatis pro Communionis præcepto implendo, ut declaravit Eugenius IV. & uſus obtinuit, intelligitur totum tempus, quod comprehenditur a dominica Palmarum uſque ad dominicam in Albis incluſive. Immo in aliquibus regionibus, refert Gonet, ut in Germania, complectitur totum tempus Quadrageſimæ uſque ad quindecim dies poſt Paſcha. In uno igitur iſtorum dierum debet unuſquiſque in ſua Parochia communicare, alioquin præcepto Eccleſiaſtico non ſatisfaceret, ut colligitur in dicto Cap. *Omnis utriuſque ſexus*. Et proinde licet alibi communicaverit in hebdomada ſancta, debet nihilominus currente adhuc dictorum dierum ſpatio, commnnicare ſemel in Eccleſia Parochiali, ut reſpondit Congregatio Cardinalium. Obſervandum tamen eſt, Sacerdotes extra ſuam Eccleſiam parochialem celebrantes ſatisfacere præcepto Eccleſiæ annuæ Communionis.

X. Sed quæres primo: An ſi quis prævideat, ſe tempore Paſchatis impediendum a ſacra Communione, teneatur tempus præſcriptum prævenire?

Reſpondeo, quod ſi impedimentum, quod timetur, prævideatur duraturum ſolo tempore paſchatis, non tenetur prævenire: quia poterit præcepto ſatisfacere poſt Paſcha. Si vero impedimentum prævideatur duraturum toto anno; ita ut, nec tempore Paſchatis, nec reliqua anni parte poſſit Euchariſtiam ſumere, puta, ſi eſſet obeunda navigatio ad Sinas, vel Indos remotiſſimos; ille, qui prævidet tale impedimentum, tenetur ex præcepto prævenire communionem Paſchatis —— Ratio hujus reſolutionis eſt. Quia in Cap. illo Lateranenſis, & Tridentini duo præcepta virtualiter continentur. Unum, quod ſemel ſaltem in anno communicet; & alterum, quod ob reverentiam diei feſti Communio illa fiat in Paſchate. Licet ergo ratione hujus ſecundi præcepti, non teneretur prævenire tempus; quia tale præceptum reſpicit determinatum tempus, nempe Paſchatis: ratione tamen primi, quod ſolum reſpicit annuam Communionem, tenetur prævenire, qui prævidet ſe impediendum. Sicut Clericus, qui prævidet ſe tota die uſque ad mediam noctem impediendum a recitatione divini Officii, tenetur prævenire Officii recitationem.

Ex hoc infertur: quod ſi quis tempore paſchali Communionem omiſerit, non eſt liber a præcepto; ſed tenetur ante finem illius anni communicare. Nam licet per illam omiſſionem evaſerit præceptum communicandi in Paſchate, non evaſit tamen præceptum annuæ Communionis: ideoque ſi prætereat annus, & ſe non communicaverit, duo peccata committit. Unum contra præceptum Communionis faciendæ in Paſchate. Et aliud contra præceptum eam non differendi ultra annum.

XI. Quæres ſecundo: An qui in Paſchate ſacrilege, & in peccato mortali communicavit, ſatisfecerit præcepto Eccleſiæ?

Reſpondeo negative. Et hujus oppoſitum damnavit Innocentius XI. *in Congre. Generali S. Inquiſit. die 2. Martii 1676. & eſt propoſ. 55.* in ordine. Et prob. Præceptum enim Eccleſiæ de annua Communione, eſt ſolum interpretatio, ſeu determinatio præcepti divini, cum ſolum præfiniat tempus, qua divinum præceptum implendum eſt: ſed præcepto divino per Communionem ſacrilegam non ſatisfit; cum præcipiat manducationem ad vitam ſpiritualem nutriendam, & roborandam: ſicut ergo ſi quis ſumens cibum naturalem poneret obicem, ne cibus vitam corporalem nutriret; is certe præcepto naturali non ſatisfaceret: ita qui cibum ſpiritualem, qualis eſt Euchariſticus, ſumens, per peccatum poneret obicem, ne ſpiritualiter nutriat; annuæ Communionis præcepto ſive Divino, ſive Eccleſiaſtico, non ſatisfaceret.

XII. Confirmatur. Qui recitat divinum Officium, ſed ſine attentione, & devotione, non ſatisfacit præcepto illud recitandi; ergo a pari qui communicat, ſed impie, & ſacrilege, multo minus ſatisfacit. Conf. prob. Ideo primum, quia Eccleſia præcipit, ut divinum Officium non ſolum recitetur, ſed devote, & attente: ſed etiam in ſecundo caſu præcipit, ut Fideles communicent reverenter, ut patet ex laudato capite Concilii Lateranenſis; ergo &c.

XIII. Sed dices. Eccleſia, cum judicet ſolum de externis, non poteſt præcipere actus internos; ergo ſuo præcepto præcipit quidem externam Communionem, ſed ut corde puro ſuſcipiatur, nequit præcipere.

Reſpondeo. Quod dato, Eccleſiam non poſſe directe, & per ſe præcipere actus internos; indirecte tamen, & ſecundario poſſe, quando actus internus neceſſarius eſt, ut actus externus ſit bonus. Sic Eccleſia Inquiſitoribus ſub pœna Excommunicationis præcipit, ne procedant contra aliquem ex odio. Et in Cap. *Dolentes*, de celebratione Miſſ. Clericis præcipit, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum ſtudioſe celebrent pariter, & devote. —— Verum, utcumque ſit, hoc certum eſt, Eccleſiaſticum præceptum de Communione paſchali eſſe determinativum præcepti divini, tamquam aſſignans tempus, quo divinum præceptum implendum ſit; cumque divinum præceptum non impleat, qui ore ſacrilego divinum epulum acceperit: ſit, neque præcepto Eccleſiaſtico facere ſatis. Et his de Euchariſtia, ut ſacramentum eſt, finem imponimus.

TRA-

TRACTATUS OCTAVUS
DE EUCHARISTIA
UT SACRIFICIUM EST.



Ucharistia, ut Sacrificium, variis nominibus appellatur. Primo Patres Græci sæpe *Liturgiam* eam vocant, hoc est, sacrum, ac publicum ministerium idque per antonomasiam. Nulla enim actio præstantior, nulla magis publica, quam ea, qua corpus, & sanguis Domini conficiuntur; & omnium Fidelium nomine per manus Sacerdotis Ministri publici Deo Patri offeruntur. Dicta etiam fuit ab aliquibus antiquis Græcis *Mystagogia*, ideſt, secreta actio. Quia Patres sedulam dederunt operam, ne ad hoc Mysterium iis, qui nondum initiati sunt, hoc est, Gentilibus, Catechumenis, & publice pœnitentibus, aditus pateret: immo etiam, ne in eorum, qui nondum Baptismo initiati erant, notitiam deveniret, ut supra tetigimus. Vocarunt eam quoque Græcorum aliqui *Synaxim*: eo quia significat populi fidelis cum Christo unionem.

A Latinis vero *Collecta* dicta fuit; quod nempe per illam populus colligeretur, ut Sacrificio intereſſet. Unde Augustinus contra Donatistas agens: *Confitebatur* (inquit) *se Collectam egisse*. Non raro etiam dicta fuit *Dominicum*. *Numquid* (ait Cyprianus, Ep. 62. Aquarios urgens) *Dominicum post cœnam celebrare debemus?* Nonnumquam etiam *Agenda* vocata fuit. Unde, *lib. 7. Capitularium, cap. 165.* Hæc habentur: *Si quis Presbyter inconsulto Epiſcopo Agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipſi honori ſuo contrarius exiſtit*. Tandem ab Ambrosio ad Marcellinam Sororem, a Victore Uticensi, *lib. 2. VVandalica perſecutionis*, & succeſſive ab aliis Latinis Eucharistia, ut Sacrificium est, nomine *Missæ* insignita fuit.

Porro Studiosum monitum volo: *Missæ* nomen non semper a Latinis pro Eucharistiæ Sacrificio usurpatum fuisse. Aliquando enim ea voce usi sunt, ut Cathecumenorum a Liturgia dimissionem significarent, *Epiſcopus* (ait Concil. Carthag. IV. Canon. 84.) *Nullum prohibeat uſque ad Miſſam* (ideſt, dimissionem) *Catechumenorum*. Aliquando *Missæ* nomen sumpserunt pro ea Liturgiæ parte, quæ ab offertorio ad finem usque Sacrificii protrahitur. Aliquando pro orationibus, quæ in ipsa Sacrificii celebratione a Sacerdote proferuntur. Communiter tamen pro toto, & integro Sacrificio nomen *Missæ a mittendo* usurpatur. Tum quia: Sacrificium ex oblatis a populo missis olim fieret Tum quia: Ecclesia Sacerdotum ore preces suas in Sacrificio ad Deum transmittat. Tum denique a dimittendo: quia peracto Sacrificio, solemniter populus dimittebatur; quod etiam modo servatur, dum dicitur in fine Sacrificii: *Ite, Miſſa eſt*.

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia, & Eſſentia Sacrificii Miſſæ.

AGere de Eucharistiæ, seu Missæ Sacrificio, quoad existentiam, idem est ac tractare, an Eucharistia verum sit novæ legis Sacrificium. Agere vero de eodem, quoad essentiam, est ejus naturam explicare. Hæc duo presenti Quæstione præstabimus.

DUBIUM. I.

An Euchariſtia ſit Verum Novæ Legis Sacrificium?

§. I.

Quinam Hoc negaverint.

I. PLures adversus Missæ Sacrificium variis temporibus hæreses insurrexunt. Præter Manichæos, & Berengarianos, refert Petrus Cluniacensis, *lib. 1. Epiſtol. 2.* cum aliis Petrum de Bruis (a quo Petrobrusiani) *anno* 1124. Henrico V. Imperatore, & Calixto Pont. docuisse, Missam, nihil esse, nec celebrari posse; sicque in Ecclesia nullum esse Sacrificium a Christo institutum: qui igne in pœnam combustus fuit in oppido S. Ægidii, Diœcesis Nemausensis, teste eodem Cluniacensi. Hunc errorem publicum fecerunt, *anno* 1140. Conrado III. Imperatore; Arnaldistæ, sic dicti ab Arnaldo Brixiensi; qui, ut refert S. Bernardus, *Epiſt.* 24. Missam absolute negavit.

II. Anno vero 1352. tempore Caroli IV. Imperatoris, & Clementis, VI. Papæ, Jo. Wicleffus ausus est affirmare, quod ex Evangelio non constat, Christum Missam instituisse, vel Sacerdotes ordinasse pro Missa celebranda. In hunc errorem trahunt aliqui Waldenses, qui sæculo 12. Eucharistiam variis erroribus polluerunt; a quorum principiis multa hausit Lutherus. Sed ab hac macula veteres Waldenses multi ex Recentioribus purgant; ex eo moti, quod Historici, qui, *sæculo 12. & 13.* de iis scripserunt, & maxime Reynerus, dicant, eos admisisse Eucharisticum Sacrificium, sed confectum a viris piis suæ sectæ etiam laicis; solumque sacrificium a Romanæ Ecclesiæ Presbyteris, tamquam impiis, omnique potestate destitutis rejeciſſe: in quo antiquos Donatistas imitati sunt.

III. Horum omnium impietatem auxit Lutherus, qui *anno 1523.* in formula missæ pro Ecclesia Witembergensi, *anno 1518.* in Confessione, quam tunc edidit: *Se ſupra omnes abominationes habere Miſſam, & nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Miſſas celebrarit Catholicorum more*. Et *lib. de Capt. Babyl.* scandalum pernicioſiſſimum asserit, quod Missa passim credatur Sacrificium. Et demum, *in lib. quem de Abroganda Miſſa inſtituit*, ait: *Chriſtus ſeipſum ſemel obtulit, non voluit denuo ab aliis offerri, ſed memoriam ſui Sacrificii veluti fieri*.

IV. Venenum hoc, quod effundebat Lutherus in Germania, spargere cœpit apud Helvetias Zuinglius, apud Genevenses profudit postea Calvinus: & apud Anglos tandem, regnante Eduardo VI. a Regni Proceribus, *anno* 1549. fuit abolitum, ac definitum, Eucharistiam esse quidem sacramentum, sed non Sacrificium.

Ecclesia tamen Catholica docet, ac semper docuit, Eucharistiam nedum sacramentum esse, sed etiam verum novæ legis Sacrificium. Ut tamen hanc Catholicam doctrinam statuamus, prius quædam notanda sunt.

§. II.

Quædam pro Catholica Veritatis Intelligentia.

V. NOto primo: Sacrificium duobus modis sumi posse. Primo, lato pro omni opere, quod fit in Dei gloriam. Unde Aug. l. 10. de Civ. Dei c. 6. *Verum* (inquit) *Sacrificium eſt omne opus, quod agitur; ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus*. Sumitur secundo, stricte, nimirum, pro opere, quod ab actionibus justitiæ, aut misericordiæ distinctum est; & peculiariter fit in agnitione supremi dominii Dei in res omnes creatas. Hujus ergo naturam ut explicem.

VI. Noto secundo: Sacrificium stricte sumptum definiri, quod sit. *Oblatio externa ſoli Deo facta, qua in teſtimonium ſupremi illius dominii a legitimo Miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & immutatur*. Dicitur primo: *Oblatio*, non ex re oblata, sed ex actione Ministri offerentis. Dicitur 2. oblatio *externa*, quia fieri debet actione externa, ideſt sensibili. Ut enim ait S. August. l. 10. de Civ. Dei c. 5. *Sacrificium viſibile inviſibilis Sacrificii ſacramentum eſt, ideſt ſacrum ſignum eſt*. Dicitur tertio: *Soli Deo facta*. Nam, ut ait idem Aug. l. 10. de Civ. Dei cap. 4. *Sacrificium nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi niſi Deo*. Dicitur quarto: *In teſtimonium ſupremi Dominii Dei*. Is enim est primarius Sacrificii finis; quod institutum est, ut homo suam in Deum servitutem, essentialem ab eo dependentiam, ejusque supremum dominium in omnes res creatas exterius profiteatur. Dicitur quinto: *A legitimo Miniſtro*; eo quod non omnes homines sint idonei Ministri Sacrificii, sed ii soli, qui ad id muneris a Deo tamquam Aaron vocati sunt. Dicitur sexto: Oblatio *rei ſenſibilis, quæ myſtico ritu conſecratur*; quia res externa, quæ in Sacrificio offertur, ex prophana fit sacra ritu publico: in quo differt ab oblationibus, primitiis, & decimis, quæ a populo fideli offeruntur quidem Deo, sed nullo mystico ritu consecrantur. Dicitur tandem; Rei, quæ *immutatur* quia cum Sacrificium sit in testimonium supremi dominii Dei, debet res oblata aut physice, aut mystice mutari; ut per hoc Dei supremum ostendatur in eam dominium. Unde in quolibet Sacrificio sive apud Hebræos, sive apud Gentiles victima mactari consuevit, aut aliquo alio modo immutari.

VII. Tripliciter apud Hebræos dividebatur Sacrificium. Primo ratione materiæ. Secundo, ratione formæ. Tertio, ratione finis. Ratione materiæ dividebatur in *Victimam, Immolationem, & Libamen*. In victima offerebantur animalia, quæ mactabantur. In Immolatione offerebantur res inanimes solidæ, ut panis, simila &c. quæ omnia a Sacerdote vel secabantur, vel cremabantur. In Libamine vero offerebantur res inanimes fluidæ ut vinum, sanguis, oleum, aqua, quæ omnia effundebantur super altare.

VIII. Ratione formæ dividebatur Sacrificium in *Holocauſtum, Hoſtiam pro peccato, & Hoſtiam pacificam*. Quando erat Holocaustum, tota res consumebatur sine reservatione. Quando erat hostia pro peccato, una pars erat in ali-

mentum

mentum Sacerdotis, & aliæ conſumebantur. Quando vero erat Hoſtia pacifica, dividebatur in tres partes, quarum una conſumebatur, altera erat pro Sacerdote, & tertia pro offerentibus. Si vero erat hoſtia in gratiarum actionem, debebat comedi eadem die. Si vero pro beneficio obtinendo, poterat differri comeſtio ad diem ſequentem.

IX. Ratione autem finis triplex diſtinguitur in Scripturis Sacrificium, nimirum: *Latreuticum, Propitiatorium, & Pacificum*. Latreuticum, eſt illud, cujus finis eſt ſolus Dei cultus, & honor. Hujus generis erat Holocauſtum, quo, ex dictis, tota victima in honorem Dei cremabatur. Propitiatorium eſt, cujus finis eſt Dei irati placatio, & peccatorum remiſſio: cujuſmodi erat hoſtia pro peccato. Pacificum vero eſt duplex, nempe, Euchariſticum, hoc eſt, pro receptis beneficiis oblatum: & Impetratorium, cujus finis eſt novi alterius beneficii impetratio. His poſitis quærimus. An Euchariſtia ſit verum Sacrificium, & cujus generis.

§. III.

Veritas Catholica Aſſeritur, & Probatur.

X. Dico, Euchariſtia eſt verum, ac proprie dictum novæ legis Sacrificium. Hanc veritatem perpetua Eccleſiæ traditio primo oſtendit. Tum in Concilio Nicæno I. Œcumenico, *Can.* 14. *vel* 18. ubi ſtatuitur, Diaconos non debere porrigere corpus Domini Sacerdotibus, ſed Sacerdotes Diaconis: Quia *Nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi* (quales ſunt Diaconi) *illi qui offerunt* (ideſt Sacerdotes) *Chriſti corpus accipiant*. — Tum in Conc. Epheſino I. *tom.* 1. *cap.* 16. & in declaratione 11. anathematiſmi 2. ubi utitur Sacrificii nomine in eo poſiti, Quod corpus, & ſanguis Domini proponantur, ac reddantur præſentia. Vocatque illud *Incruentum;* quod non materiali quidem gladio, ſed ſpirituali, nempe Chriſti verbis, peragatur. Item in Chalcedonenſi, Act. 1. ubi *Altaris* fit mentio. At in eodem Concilio adverſus Dioſcorum Jachyrion Diaconus opponit, quod præ viri avaritia factum fuerit, ut in Libiæ partibus *Neque terribile, & incruentum ſacrificium celebratum eſt*. Tum in Concilio Toletano XII. *anno* 681. *Can.* 5. Ubi cum quidam Sacerdotes pluries eadem die celebrarent, ſed in ultima tantum celebratione Communionem ſumerent, ſic arguuntur: *Quaſi non ſit toties illi vero, & ſingulari Sacrificio participandum, quoties corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti immolatio facta conſiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit*. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris? *Certum eſt, quod hi, qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici ſanguinis . . . Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans participare cognoſcitur?* Hæc erat Eccleſiæ fides in Hiſpania ſeptimo ſæculo antecedentium ſæculorum fidem confirmans. Eadem fuit fides Nicæni II. *Act.* 6. Quam uſque ad ſua tempora traductam tamquam Catholicæ fidei dogma propugnarunt Patres Conſtantienſes contra Wicleffum, & Tridentini contra Lutherum alioſque Sectarios, *Seſſiones* 22. *Can.* 1. 2. *&* 3.

XI. Traditio hæc fundamentum habet in Scriptura. David enim, *Pſalm.* 109. *v.* 4. & ex ipſo Paulus, *ad Hebr.* 7. *verſ.* 17. inducunt Deum Patrem ita alloquentem Chriſtum ejus Filium, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: ſed non potuit Chriſtus ſic appellari ratione Sacrificii Crucis; nam cum hoc cruentum fuerit, ſecundum hoc potius deberet dici Sacerdos ſecundum ordinem Aaron, cujus Sacrificia ſuo Sacrificio in Cruce conſummavit; ergo ratione ſacrificii Euchariſtici, quod offertur in pane, & vino, ſicut olim fuit Sacrificium Melchiſedech. Alias, quomodo diceretur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; ſi in tali ordine nunquam obtuliſſet Sacrificium? Hinc S. Cyprianus Epiſt. ad Cæcilium: *Quis* (inquit) *magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit. Et hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt, panem, & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem?* Et Auguſtinus, *l.* 16. *de Civit. Dei, cap.* 22. aſſerit, in oblatione Melchiſedech primo apparuiſſe Sacrificium, quod nunc a Chriſtianis offertur in toto orbe terrarum. Quod repetit, *lib.* 83. *Quæſt. qu.* 61. his verbis: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus oſtenditur Rex noſter: ipſe eſt etiam Sacerdos noſter in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech; qui ſe ipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, & ejus Sacrificii ſimilitudinem celebrandam in ſua Paſſionis memoriam commendavit, ut illud, quod Melchiſedech obtulit Deo; jam per totum orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri. Idem* ſentit S. Hieronymus, *Epiſt. ad Marcellum*, cum aliis Patribus, quibus adhærens Conc. Tridentinum, *Seſſ.* 22. *cap.* 1. ait: Chriſtus *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtituiutum declarans, & corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini, Deo Patri obtulit &c.*

XII. Ex quibus ita diſcurro. Id, quod fecit Chriſtus in ultima cœna, de mandato ipſius fecerunt Apoſtoli, *Luca* 22. & modo faciunt eiſdem in Sacerdotio ſucceſſores, dum Miſſam celebrant; offerunt enim ſub ſpecie panis, & vini corpus, & ſanguinem Chriſti, quod ipſe obtulit in cœna: ſed Chriſtus offerens ſub ſpecie panis, & vini corpus ſuum, & ſanguinem in Cœna, verum obtulit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech ex jam dictis, ergo, & Sacerdotes &c.

XIII. Quod confirmatur ſic. In Miſſa adſunt omnia requiſita ad rationem Sacrificii ſupra expoſita. Adeſt enim legitimus Miniſter, nempe Sacerdos offerens. Adeſt res ſacra, ſeu victima, corpus nempe, & ſanguis Domini ſub ſpecie externa panis, & vini. Adeſt oblatio, quæ a Miniſtro in perſona Chriſti principalis offerentis peragitur. Adeſt rei oblatæ conſumptio, nempe corporis, & ſanguinis Domini manducatio, & potatio; ergo in Miſſa eſt verum, ac proprium, immo dignius omni alio, ſacrificium; cum victima ſit pretii infiniti, & præ cæteris Deo grata. Unde Auguſtinus, *l.* 4. *de Trinit. cap.* 14. ait: *Quid tam grate offerri, & ſuſcipi poſſet, quam caro Sacrificii noſtri, corpus effectus Sacerdotis noſtri?*

XIV. Alterum ex Scriptura fundamentum præbet *Malachias, c.* 1. Ubi reprehenſis quibuſdam ſacerdotibus, quod Sacrificia polluta offerrent, eis repudiatis, promittit offerendam in Gentibus, & in omni loco oblationem mundam, his verbis: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus. Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus*. Sed verba hæc intelligi nequeunt, niſi de Sacrificio Euchariſtiæ: ergo &c. Min. prob. Quia id uno ore de Euchariſtia interpretati ſunt Patres: Juſtinus, *in Dialogo cum Triphone*; Irenæus, *l.* 4. *contra Hæreſ. cap.* 32. Tertullianus, *l.* 3. *contra Marcionem, c.* 22. Auguſt. *l.* 18. *de Civ. Dei, c.* 35. Chryſoſtomus *in Pſ.* 95. &c. — Secundo. Quia verba illa nequeunt intelligi de Sacrificio Crucis. Nam vel Sacrificium Crucis ſumitur ſpiritualiter; & ſic non eſt novum Sacrificium: olim enim per fidem Patriarcharum oblata eſt Deo Patri mors Chriſti futura, qua ſola juſtificabantur quotquot in lege veteri juſtificati ſunt. Vel ſumitur materialiter; & ſic non fuit oblatum in omni loco, ſed Jeroſolymis tantum. Neque de Sacrificiis Hebræorum. Siquidem Malachias loquitur de Sacrificio offerendo in Gentibus; Sacrificia autem Judæorum inter ſolos Judæos offerebantur Neque de interiori, & ſpirituali ſacrificio laudis. Tum quia Malachias contraponit hanc novam oblationem Sacrificiis Judaicis: hæc autem erant Sacrificia externa. Tum quia: Sacrificium laudis quovis tempore a veris piis, & juſtis, etiam ante Evangelium, Deo oblatum fuit. Tum quia: vox illa *Mincha*, qua Malachias uſus eſt, oblationem ſenſibilem indicat. Reſtat ergo, ut de Sacrificio Euchariſtico intelligatur, quod a Solis ortu ad occaſum in omni loco offertur in Sacrificii Crucis memoriam, & eſt oblatio munda, quæ nulla immunditia offerentis inquinari poteſt. E contra vero, quomodo potuiſſet Malachias noſtra interiora Sacrificia laudis, oblationem mundam vocare; cum apud Calvinum opera quæcumque, etiam juſti, nil aliud ſint, quam immunditiæ, & ſicut pannus menſtruatæ? — Addo: quod *Dan.* 8. *v.* 12. prædicitur Antichriſtus ablaturus *Juge Sacrificium*, nempe, Chriſtianorum, quod ſupponitur eouſque duraturum: ſed ibi non eſt ſermo de Sacrificio improprio, & laudis. Tum quia: hoc tempore Antichriſti, non ceſſabit, ſed durabit in Electis. Tum quia: hoc in Scripturis non vocatur abſolute Sacrificium, ſed cum addito, nempe, *Laudis;* ergo &c.

XV. Probatur ulterius alia ratione ſic. In veteri lege fuerunt vera Sacrificia; ergo in nova lege debet eſſe verum Sacrificium: at hoc non eſt aliud, niſi Euchariſticum; ergo &c. Conſ. probatur. Omnis vera Religio ſuum habere debet Sacrificium viſibile ab hominibus frequentandum: ſi enim ſingulas percurramus religiones ſive veras, ſive falſas; manifeſte inveniemus, Sacrificium religioni fuiſſe ſemper conjunctum. In lege naturæ duo primi fratres ſacrificarunt Deo, *Gen.* 4. Renovato poſt diluvium divino cultu, Noe egreſſus eſt Arca, ſtatim Sacrificium obtulit Deo. Lex ſcripta data fuit Hebræis cum multiplici Sacrificiorum ritu; Et *Danielis* 12. ſcriptum eſt, Antichriſtum ſublaturum juge Sacrificium, non aliam ob cauſam, niſi ut auferat religionem. Unde S. Aug. *l.* 19. *contra Fauſtum, c.* 11. oſtendit, nullam unquam fuiſſe religionem, in qua homines veris, ſive falſis ſignaculis, & Sacrificiis viſibilibus non colligarentur. Et merito. Nulla enim religio eſſe poteſt ſine cultu Dei veri, vel falſi: cultus autem Dei eſt Sacrificium. Unde Plato, & Plutarchus dicunt, nullam unquam fuiſſe religionem ſine Sacerdotibus, & Sacrificiis.

Sic ergo dico, Religio Chriſtiana eſt vera religio; ergo in ea ſunt Sacerdotes, & Sacrificium, quo homines in veri Dei cultu coadunentur, Conſ. probat. ex Apoſtolo *ad Hebr.* 7. *verſ.* 11. ubi probat, quod conſummato Sacerdotio Levitico ſecundum ordinem Aaron: *Neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem . . . translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut & legis translatio fiat*. In lege igitur nova Sacerdotium non eſt ablatum, ſed ab ordine Aaron ad ordinem Melchiſedech translatum, ideſt a cruento & cum ſanguine, ad incruentum, & ſine ſanguine, quale erat Sacerdotium, & Sacrificium Melchiſedech, quo panis, & vinum offerebantur. Si enim translata lege de antiqua in novam, translata ſunt ſacramenta, cur non debuit Sacrificium transferri? Cur in lege nova, in qua ſunt ſacramenta a veteribus diſtincta, ſuum non erit Sacerdotium, & Sacrificium?

XVI. Dices: pro lege nova fuiſſe Sacrificium Crucis quod cum fuerit pleniſſime ſatisfactorium pro omnibus, ut ait Apoſto-

Apoſtolus, Hebræorum 10. verſ. 14. *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, ſuperfluum eſt omne aliud Sacrificium, & alia oblatio, ſicut & alii Sacerdotes. Unde, *Hebr. 7. verſ. 25.* idem Paulus dicit: *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: Hic autem, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.*

XVII. Sed contra primo. Si præter Sacrificium Crucis erat ſuperfluum omne aliud Sacrificium; cur Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut in memoriam ejus panem, vinum offerrent? Si Chriſtus in Cœna fuit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, cur præcipiendo Apoſtolis, ut facerent, quod ipſe fecit, eos non inſtituit ſecundum illum ordinem Sacerdotes, ejus Sacerdotium participantes tamquam Miniſtros, non ei in Sacerdotio ſuccedentes? — Secundo. Non obſtante plena ſatisfactione Chriſti in Cruce, ſuperflua non ſunt ſacramenta, quia nonniſi in virtute Paſſionis ejus operantur; ergo neque ſuperfluum erit Sacrificium Euchariſticum, quod non eſt niſi memoria Sacrificii Crucis. Si ut regeneremur in Chriſto, non ſufficit interna fides, ſed requiritur exterior ablutio, ita ut Domino ſacrificemus, non ſufficit oblatio cordis, ſed exterior oblatio requiritur. — Tertio, ſacrificium Crucis fide conceptum, fuit ſufficiens ad ſanctificandum in quocumque ſtatu: ſed in quocumque ſtatu fuere vera ſacrificia ipſum figurantia, quibus effectus ſacrificii Crucis participaretur; ergo in nova lege erit ſacrificium externum verum ſacrificii Crucis rememorativum, illius effectum ad nos deferens. Vel ergo Chriſtiana religio abſque omni viſibili ſacrificio eſt; & ſic non eſt religio, ut nuper dicebamus, vel Euchariſtia eſt verum ſacrificium. Unde Cyprianus Serm. de Cœna: *Si comeſtione* (inquit) *Fidelium Euchariſtia finiretur, nullum nobis relinquendum eſſet ſacrificium.*

XVIII. Sed audiamus, in qua ſchola, & quo Magiſtro didicerit Lutherus, non eſſe in lege nova verum externum ſacrificium — *Apparuit mihi* (ait Lutherus) *Diabolus, non in ſomno, ſed bene vigilanti, qui & argumentatus eſt contra ſacrificium Miſſæ: & cum non poſſem ejus argumentis reſpondere, hujuſmodi ſacrificium abolendum eſſe decrevi* — Pape! magna Lutheri laus, qui ut fieret diſcipulus Diaboli, deſiit eſſe diſcipulus Eccleſiæ; & ut Dæmonem audiret, Eccleſiam, Scripturam, & Patres audire recuſavit. Sane ſi Diabolus cœpiſſet arguere contra Trinitatem, vel contra Incarnationem, aliave Fidei Myſteria, Lutherus non valens Diaboli ſophimatibus reſpondere, ut Diabolo fidem præſtaret, Trinitatis, Incarnationis, omniumque Myſteriorum fidei renuntiaſſet.

§. IV.

Catholica Veritas contra Hæreticorum Sophiſmata ſtabilitur.

XIX. PRimo objiciunt. Non poteſt unum, & idem eſſe ſimul ſacramentum, & ſacrificium. Nam per ſacramentum, & teſtamentum Deus nobis aliquid donat, per ſacrificium vero nos aliquid offerimus, & damus Deo: implicat autem, quod aliquis accipiat aliquid ab altero, & illud idem ſimul ipſi offerat, & det: ſed Euchariſtia eſt ſacramentum; ergo non poteſt eſſe ſacrificium.

XX. Sane ſi hoc argumentum convincit, probat, nos non poſſe quidquam Deo offerre, nec etiam ſacrificium ſpiritualem noſtrorum actuum. Certum enim eſt, quod actus noſtri boni, ſunt donum Dei; ergo ſi non poteſt id, quod ab aliquo accepimus, eidem donatori offerri, nec poſſumus offerre Deo ſacrificium noſtrorum actuum. Immo probat, nullum unquam potuiſſe Deo offerri ſacrificium; nam quidquid Deo offerri poteſt, hoc ipſum donum Dei eſt. Debuiſſet ergo Lutherus, potius quam a Diabolo, diſcere a Scriptura, quæ 1. *Paralip. cap. 29.* expreſſe ait, nos Deo offerre eadem, quæ a Deo accepimus, & cum ea repetere: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.*

Reſpondeo ergo, quod licet idem nequeat ſub eadem ratione eſſe ſimul ſacramentum, & ſacrificium, ſed acceptum a Deo, & oblatum Deo; ſub diverſa tamen ratione poteſt. Et ſic Euchariſtia, quatenus confert gratiam nobis, donum Dei, & ſacramentum eſt: quatenus vero continet Chriſtum hoſtiam incruentam, quam offerimus Patri, ſacrificium eſt.

XXI. Secundo objiciunt. In nova lege non ſunt alii a Chriſto Sacerdotes; ergo nullum in ea offertur Sacrificium. Ant. prob. Paulus, *ad Hebr. 7.* in hoc Teſtamentum novum opponit veteri, quod in iſto plures eſſent Sacerdotes; in illo vero unus tantum ſit Sacerdos Chriſtus: *Et alii quidem* (inquit) *plures facti ſunt Sacerdotes . . . . Hic autem* (Chriſtus) *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.*

XXII. Reſpondeo, argumentum hoc eſſe de ſubjecto non ſupponente: quippe quod ſupponit, eos qui Euchariſtiam conſecrant, Chriſti in Sacerdotio eſſe ſucceſſores, ut in Aaronico: quod quidem negat Apoſtolus; quia ſucceſſio in iis locum non habet, quæ perpetuo manent, ut Chriſtus, ejuſque Sacerdotium: non vero negat, Sacerdotium Chriſti derivari in alios, tamquam non æqualem ipſi, ſed participatam ab ipſo poteſtatem habentes, tamquam ejus Miniſtros, & Myſteriorum ejus diſpenſatores. Immo hoc aperte fatetur, 2. *Cor. 4. v. 1.* dicens: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Et in hoc ſenſu dicimus eſſe in Eccleſia Chriſti Sacerdotes. Hinc Romanus Pontifex dicitur quidem ſucceſſor Petri, ſed non Chriſti; cujus tantum vices gerit in terris, paſcitque oves non ſuas, agnos non ſuos, ſed Chriſti, ut ter, *Jo: 21.* Chriſtus dixit Petro; *Paſce oves meas, Paſce agnos meos;* ut ei indicaret, ſe non Paſtorem eum conſtituere, ſed loco ſui curam oves ſuas paſcendi ei committere. Nec dicitur Summus Pontifex relative ad Chriſtum, quaſi æqualis ipſi; ſed relative ad alios miniſtros ſibi inferiores. Sicut autem non incongruit, ut licet Chriſtus ſit ſummus Magiſter, & Paſtor, tamen alios conſtituerit Doctores, & Paſtores, qui ejus nomine Fideles ſuos doceant, & paſcant: ita licet ſit Summus Sacerdos, alios conſtituit Sacerdotes, qui ejus nomine ſacrificium offerant Patri.

XXIII. Tertio objiciunt. Apoſtolus *ad Hebr. 10. v. 14.* ait: Chriſtus *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos:* at ſi præter oblationem, qua Chriſtus obtulit ſe in Cruce, aliud foret neceſſarium ſacrificium, ſacrificium Chriſti non fuiſſet conſummatio noſtræ juſtificationis, ergo &c.

Confirm. primo. Paulus dicit, unica oblatione conſummatam fuiſſe noſtram ſanctificationem; nos plures alias oblationes volumus eſſe neceſſarias.

Secundo. Paulus ibi, & cap. ſequentibus, ſtatuit differentiam inter veteres Sacerdotes, & Chriſtum: quod (*c. 9. v. 6.*) in veteri lege *Semper introibant Sacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes; ſemel in anno ſolus Pontifex.* Chriſtus autem (v. 12.) *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta æterna redemptione inventa.* Et infra v. 25. &c. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Alioquin oportebat, eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummationem ſæculorum, ac deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: ſecundo ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem.* Et Cap. 10. v. 11. *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias ..... Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei &c.* Paulus ergo totus eſt in repetendo, Chriſtum ſemel, unica oblatione, non quotidie offerendo ſe ipſum peccata deleviſſe. Quomodo quæſo hæc concordant cum ſacrificio Miſſæ, quo Chriſtus, non ſemel, non unica, ſed pluribus oblationibus, immo & quotidie ſeipſum offerre dicimus?

XXIV. Hoc argumentum inſtatur. Primo: nam Chriſtus ſua Paſſione conſummavit noſtram ſalutem; adeo ut ad eam nihil ultra neceſſarium ſit. Cur ergo Paulus *ad Coloſſ. 1. v. 24.* dicit: *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti?* — Secundo: Chriſtus ſacrificio Crucis conſummavit ſanctificationem noſtram: cur ergo etiam Adverſarii dicunt, requiri ſacrificium ſpirituale noſtrorum actuum?

Ratio ergo hujus (& Reſponſio) eſt: Quia Paſſio Chriſti, & ſacrificium Crucis conſummavit quidem ſanctificationem noſtram quoad valorem pretii; ita ut pro hominum redemptione non ſit expetendum aliud pretium, non tamen conſummavit omnia, quoad applicationem talis pretii. Ut enim tale pretium nobis applicetur, & quoad effectum fiat noſtrum, requiritur, ut illud apprehendamus per media a Chriſto inſtituta: & ſicut in ſententia Adverſariorum illud apprehendamus ſola fide; ita dicimus nos, illud apprehendi per ſacramenta, & per ſacrificii Euchariſtici oblationem. Et ſane ſi oblatum ſemel in Cruce ſacrificium ex Chriſti ordinatione ſatis eſſet; ut quoad effectum, nobis de facto applicaretur pretium ab ipſo erogatum; fruſtra Chriſtus ipſe nunc in Cælis offerret Patri pro nobis mortem, quam pertulit in Cruce: fruſtra præcepiſſet, ut pro gratiis, quas ad ſalutem ſua Paſſione nobis promeruit, obtinendis, preces funderemus, ut ſacramenta ſumeremus, ut peccatorum veniam hac inſtituta ab ipſo oratione peteremus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Sicut ergo preces, quas Chriſtus dirigit ad Deum Patrem, Fidelium orationes, ſacramentorum participatio, nihil detrahunt a Crucis ſacrificio, ſed ſolum virtutem ejus, & effectum nobis applicant, ita & ſacrificium Euchariſticum.

Hinc affulget alia ad argumentum reſponſio. Valeret enim objectio, ſi ſacrificium Miſſæ eſſet ſacrificium diverſum a ſacrificio Crucis, & non accipiens virtutem, & efficaciam ab ipſo, quod falſum eſt. Nam eadem victima, quæ oblata fuit in Cruce, offertur in altari cum ſolo diverſo modo. Ibi enim modo cruento, hic incruento offertur: & ſacrificium Miſſæ vim habet ex eo, quod ſit in memoriam ſacrificii Crucis, juxta præceptum Domini: *Hoc facite in meam commemorationem.*

XXV. Ex utraque hac reſponſione præcluditur via alteri inſtantiæ fieri ſolitæ, nimirum. Quod ſacrificium Miſſæ injuriam faceret ſacrificio Crucis, ac ſi iſtud inſufficiens foret. Præcluditur, inquam. Nam ſacrificium Miſſæ non admittitur, niſi ut applicativum pretii erogati in ſacrificio Crucis. Unde non eſt diverſum, ſed imitatio, & repræſentatio ejus, quamvis diverſo modo, totam vim, & efficaciam ab illo trahens: & in utroque eſt idem Sacerdos principalis offerens, nempe, Chriſtus, eadem hoſtia &c.

Unde

Unde ſicut non facit injuriam Paſſioni Chriſti Paulus dum dicit: *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti*, quia ſolum intendit ſe applicare merita paſſionis, & hoc virtute ejuſdem Paſſionis, ita eidem non fit injuria per ſacrificium Miſſæ; quia hoc ſolum applicatur vivis, vel defunctis pretium a Chriſto in Cruce ſolutum.

XXVI. Neque dicas. Si Miſſa eſt pura commemoratio, ſeu ſignum rememorativum ſacrificii Crucis; ergo erit mera repræſentatio, & imago illius, non verum ſacrificium: ſicut imago hominis non eſt verus homo. Reſpondetur enim, Miſſam fieri quidem in memoriam ſacrificii Crucis, & ab eo accipere virtutem: non tamen eſſe puram memoriam, & repræſentationem ejus, ſed verum ſacrificium, licet illius rememorativum. Sicut enim vetera ſacrificia animalium, licet eſſent figurativa ſacrificii, in quo Chriſtus Agnus myſticus immolandus erat; erant tamen vera ſacrificia, quia in illis offerebantur victimæ in cultum Dei: ita ſacrificium Miſſæ eſto ſit rememorativum ſacrificii Crucis, verum tamen erit ſacrificium: quia in illo eadem offertur victima, quæ in ſacrificio Crucis fuit oblata, licet diverſo modo, quia ibi cruente fuit immolata, hic incruente: ibi exhibitum fuit pretium, hic pretium exhibitum applicatur.

XXVII. Ad primam ergo Confirmationem dico, nos admittere cum Paulo unam tantum oblationem ſolutivam pretii; plures vero ejuſdem prætii tantum applicativas.

Ad ſecundam dico, hanc ſtatui ab Apoſtolo differentiam inter Sacerdotes, & ſacrificia veteris legis, & Chriſtum, ejuſque ſacrificium Crucis: quod hic unica actione, qua ſeipſum obtulit in Cruce, pro omnium redemptione ſatisfecit, & pretium ſolvit; ita ut ad hominum ſalutem opus non ſit, ut Chriſtus, aut alius, aliud pretium offerat æterno Patri, aut aliam mortem in Cruce patiatur. Illi vero, & eorum ſacrificia, tum ratione victimarum, quas offerebant, tum ratione actionis, qua immolabantur, imparia omnino erant peccatis delendis, unde neceſſe erat quotidie illa offerri: immo licet quotidie oblata, remiſſionem peccatorum nunquam operabantur, niſi cum fide in ſacrificium Chriſti, quod figurabant, conjungerentur. Non intendit tamen Paulus, ſacrificium Crucis repeti, ſeu pluries repræſentari non poſſe ad illius effectum nobis applicandum. Unde ad diſcurſum factum dico, optime hæc concordare: quia in ſacrificio Euchariſtico pluries, & quotidie Chriſtus offertur, non quaſi novum exhibens pretium, ſed pretium exhibitum nobis applicando.

XXVIII. Quarto objiciunt. Sacrificium ex dictis, importat oblationem rei ſenſibilis cum illius immutatione factam Deo ex legitima inſtitutione, in ſignum ſupremi illius in res creatas dominii: ſed hæc non inveniuntur in Euchariſtia. Quia primo: Corpus Chriſti, quod in ea offertur, non eſt ſenſibile. Secundo: in Euchariſtia nulla adeſt corporis Chriſti immutatio; quia corpus Chriſti impaſſibile eſt, & immortale — Tertio: quia nullibi legitur facta Miſſæ inſtitutio.

XXIX. Reſpondeo, neg. min. Ad primam prob. dico, corpus, & ſanguinem Chriſti, ut in Euchariſtia offeruntur, non eſſe quidem ſenſibilia per ſe, & in propria ſpecie; eſſe tamen ſenſibilia per panis, & vini ſpecies, ſub quibus voluit Chriſtus in Euchariſtia offerri.

Ad ſecundam dico, in Miſſa adeſſe hoſtiæ immutationem, non quidem phyſicam, ſeu per mortem realem, ſed myſticam; quæ contingit, ſive per ſpecierum conſummationem, quæ fit a Sacerdote; ſeu per hoc, quod vi verborum, quibus oblata conſecrantur, ſeparatur ſanguis a corpore, quæ eſt quædam myſtica ſanguinis effuſio. Porro ad veritatem ſacrificii ſatis eſt, ut ex vi actionis, per quam fit, hoſtiæ ſanguis effundi debeat, quamvis actu non effundatur; Deo nimirum impediente, vel ipſo hoſtiæ ſtatu obſiſtente. Idque patet in ſacrificio Abrahami, qui, Chryſoſtomo teſte: *Homil. 52. in S. Euſtatium Antioch.* Iſaac cum vere in ſacrificium obtulit, quamvis actu non fuderit ejus ſanguinem. Audiant ergo Sectarii Chryſoſtomum, ſacrificium Iſaaci cum Euchariſtico Chriſti comparantem: *Eſt ſacrificium etiam ſine ſanguine, ſciunt illi, qui Myſteriis initiati ſunt. Propterea, & illud* (Iſaaci) *ſacrificium ſine ſanguine perfectum eſt, quoniam illius figura eſſe debuit. Vides in veteri teſtamento imaginem multo ante adumbratam. Noli veritati fidem denegare* — Addo: in antiquo Teſtamento fuiſſe etiam ſacrificia incruenta, in quibus ſcilicet nulla erat ſanguinis effuſio; ut erant ſacrificia ex farre, aliiſque frugibus.

Ad tertiam. Dico, ſacrificium Miſſæ a Chriſto fuiſſe legitime inſtitutum, cum ſuum corpus, & ſanguinem ſub ſpecie panis, & vini Deo Patri obtulit; fuiſſe autem præceptum, dum ait: *Hoc facite &c.* quaſi diceret: Me ſub panis, & vini ſpecie præſentem offerte Deo Patri, quemadmodum memetipſum nunc offero; hoc quotieſcumque feceritis, perſonam meam geretis, & fructum meæ Paſſionis reportabitis.

XXX. Quinto objiciunt, & eſt replica. Id faciunt noſtri Sacerdotes in Miſſa, quod fecit Chriſtus in Cœna: ſed Chriſtus in Cœna verum non fecit ſui corporis, & ſanguinis ſacrificium: alioquin ſuperfluum fuiſſet ſacrificium Crucis; quia per illud jam hominis ſalutem operatus fuiſſet; ergo &c.

XXXI. Reſpondeo, neg. min. Chriſtum enim in Cœna ſeipſum obtuliſſe Patri, nempe, corpus ſuum tradendo, & ſanguinem, teſtantur ejus verba, Lucæ 22. *Hoc eſt corpus, quod pro vobis datur*, vel 1. Cor. 11. *quod pro vobis frangitur*. Et licet alibi hæc verba referantur in futuro, nempe, *Tradetur, effundetur*; eumdem tamen reddunt ſenſum, nimirum: corpus, quod modo ſub ſpecie panis pro vobis datur, & ſanguis, quem in calice vobis potandum exhibeo, eſt corpus, quod pro vobis tradetur in Cruce, & ſanguis, qui in Cruce effundetur. Hic utrumque offero in ſpecie aliena; ibi in ſpecie propria utrumque dabo. Accedit, quod Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, declarans, ſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſub ſpeciebus panis, & vini ſeipſum, nempe, corpus ſuum, & ſanguinem offerens, ut ſupra ex Tridentino vidimus. Verum igitur tunc obtulit ſacrificium; & Apoſtoli, aliique facientes, quod ipſe fecit, verum ſacrificium faciunt — Neque ſequitur, ſacrificium Crucis fore ſuperfluum. Nam quamvis illa oblatio fuerit infiniti valoris; noluit tamen per illam noſtram ſalutem conſummare, vel eam ad redemptionis conſummationem Patri offerre: hoc enim ſoli oblationi faciendæ in Cruce reſervabatur. Sicut licet omnes actiones, quas ab initio ſuæ conceptionis fecit, fuerint infiniti valoris, eaſque obtulerit Patri; quia, ut dicit Paulus, Hebr. 10. v. 5. *Ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi... Tunc dixi ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*: tamen in Cruce ſolam noſtram ſanctificationem voluit conſummare. Unde *v.* 10. dicit: *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel*.

XXXII. Neque inferas, ſacrificio Miſſæ obſcurari, & quaſi excuti a memoria hominum ſacrificium Crucis: quaſi de iſto non amplius cogitantes, totam ſpem remiſſionis in illo reponant — Nam tantum abeſt, ut Miſſa obſcuret, vel ab hominum memoria excutiat ſacrificium Crucis; quin potius illud illuſtret, & continuo illud repræſentet. Neque enim poteſt cogitare de Miſſa, quin cogitet de cruce, cujus eſt repræſentatio: nec in Miſſa ſpem reponere poteſt, niſi quia confidit, per ipſam ſibi applicatum iri pretium ſanguinis Chriſti effuſi in Cruce in remiſſionem peccatorum.

XXXIII. Sexto objiciunt. Exterior ſacrificii oblatio opponitur huic ſententiæ Chriſti Samaritanam alloquentis, Joann. 4. v. 23. *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*. Quibus removet Chriſtus a cultu Patris ſui quidquid externum eſt, ac ſenſibile: & proinde ſacrificium Miſſæ, quod externum eſt, ac ſenſibile, a lege Evangelica eſt abolendum.

XXXIV. Si hoc evincit: ergo in lege Evangelica nullo cultu externo Deus eſt colendus, in nullo externo templo eſt adorandus, nulla externa ſacramenta, nullæ externæ cæremoniæ ſunt admittendæ. Cur ergo etiam hæretici templa manufacta habent, & ſacramenta; Deumque externis quibuſdam cæremoniis, voce, cantu, non ſolo ſpiritu, colunt?

XXXV. Reſpondeo ergo, neg. ant. Negavit ergo Chriſtus, illa in poſterum neceſſaria fore ſacrificia, quibus mulier aſſerebat, Patres ſuos adoraviſſe Deum in monte illo: quæ ſane fuerunt ſacrificia carnalia, quibus more Judaico victimæ carnales offerebantur. Non negavit tamen ſacrificium Miſſæ, quo licet externo veri adoratores adorant Deum in ſpiritu; dum corde recolunt ſacrificium, quod ipſe fecit in Cruce. Et licet externo ritu celebretur, in ſpiritu tamen fit; tum ratione virtutis, quæ ibi ſpiritualiter operatur: tum ratione rei oblatæ, quæ modo ſpirituali, & inviſibili offertur. In veritate etiam: quia in antiquis ſacrificiis aderat Chriſtus ſolum in figura, hic adeſt in veritate.

XXXVI. Sed dices. Chriſtus citato loco, *v.* 21. dixerat. *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem*; ergo in nullo loco externo, ergo nullo externo ſacrificio.

Inferam ego: ergo in nullo templo externo adorandus eſt Deus a Chriſtianis, ſicut olim a Judæis. Cur ergo templa externa & materialia habent hæretici? Quis non videt ineptam eſſe conſequentiam? *Neque in Monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis*; ergo nullibi adorabitis. Sicut ſi dicerem: neque in Eccleſia S. Petri, nec in Eccleſia S. Joannis audies Sacrum; ergo in nulla Eccleſia illud audies. — Explico igitur, ſenſum verborum Chriſti fuiſſe, non omnem externam adorationem tollere: ſed ubi prius reſtricta erat in uno monte, vel in ſolis Jeroſolymis, illam ad omnem locum extenderet. Eo, nimirum, loco indicavit Chriſtus, veniſſe tempus, quod antea vaticinatus fuerat Malachias, nempe externum ſacrificium Chriſtianorum eſſe ubique offerendum; cum e contra externa Judæorum ſacrificia Jeroſolymis tantum, & ſecundum Samaritanos in ſolo monte Garizim, offerri potuerint. Hinc Baſilius, lib. 2. de Bapt. c. 8. *Dominus* (inquit) *ipſe poteſtatem dedit adorandi Deum in omni loco, ubi dixit: neque Jeroſolymis poſthac, neque in monte iſto adorabitur Pater*.

XXXVII. Tandem objiciunt. Ex oblatione Melchiſedech facta Abrahamo non arguitur, Euchariſtiam ſacrificium eſſe. Primo: quia Melchiſedech obtulit quidem Abrahæ, & ſervis ejus panem, & vinum, non in ſacrificium; ſed ut eos a prælio defatigatos refocillaret. Unde loco

Obtulit Septuaginta legunt *Protulit* —— Secundo: Paulus, *Hebr.* 7. accurate exponit analogiam inter Melchisedech, & Christum: quod autem oblatio facta panis, & vini fuerit typus sacrificii Eucharistici, non meminit; non omissurus tanti momenti rem, si ita existimasset. —— Tertio: non valet argumentum, quod a figuris pro dogmatibus stabiliendis affertur, si ratio, qua figura cum veritate cohæret, a Scriptura explicata non sit: ergo cum Scriptura fluerit de comparatione panis, & vini, quæ obtulit Melchisedech, cum iis, quæ Christus obtulit in Cœna, dicendum, nullum ex his confici posse argumentum.

XXXVIII. Respondeo, neg. ant. Ad primam prob. nego iterum ant. Quia nulla erat causa, cur panis, & vinum Abrahæ, ac militibus suis ad refectionem offerrentur: redierant enim cum ingenti præda, in qua, ut habetur, *Gen.* 14. *v.* 11. ea erant, *Quæ ad cibum pertinent*, quibusque milites se ipsos refecerant, antequam Melchisedech accederet. Unde Abraham Regi Sodomorum, *v.* 24. dixerat: *Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, exceptis his, quæ comederunt juvenes*. Sive autem legatur, quod Melchisedech *Obtulit*, sive *protulit*, non obstat. Quia non arguimus, Melchisedech sacrificasse panem, & vinum, quia hæc *Obtulit* Abrahæ; nam sacrificium offertur Deo, non homini: sed quia partem panis, & vini, quæ Deo more sui Sacerdotii obtulerat, protulit Abrahæ —— Et hoc colligo. Nam postquam Scriptura dixit, quod Melchisedech obtulit, vel protulit Abrahæ panem, & vinum, subdit: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*. Cur autem Spiritus Sanctus causam prolationis panis, & vini deducit ex Sacerdotio Melchisedechi, si hæc non fuissent materia sui Sacerdotii? —— Nec est, quod reponant. In Hebræis codicibus loco causalis *Enim* legi conjunctivam, *&*, nimirum: *Et erat Sacerdos*. Nam conjunctio, *&* apud Hebræos sæpius usurpatur pro causali *enim*, vel *quia*. Unde, *Gen.* 20. *v.* 3. dicitur: *Morieris propter mulierem, quam tulisti: & ipsa habet virum*, idest: *Habet enim virum*. Et Isaiæ 64. *v.* 5. *Tu iratus es, & peccavimus*, idest: *Quia peccavimus*.

XXXIX. Ad secundam prob. dico, Paulum in comparatione, quam instituit inter Melchisedech, & Christum, satis innuisse Eucharisticum sacrificium, dum Christum vocavit Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Et rursus, *cap.* 13. ejusdem Epist. *v.* 10. cum ait: *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*. De altari autem Crucis poterant, per fidem, edere etiam qui tabernaculo serviebant. Ideo autem clarius in hoc non se expressit ibi Paulus; quia scribebat ad Hebræos, vel adhuc perseverantes in Judaismo, vel recens conversos. Ad neutros autem conveniens erat, ut de re omnem captum excedente aperte loqueretur: ne aut illi irriderent; aut isti scandalizarentur, vel prave intelligerent (quam disciplinam, ex superius dictis, per multa sæcula servarunt Patres). Et sane, multa indicat Apostolus, in dicta Epist. *cap.* 5. sibi dicenda fuisse de hoc argumento, quæ ob imbecillitatem audientium reticuit. Cum enim dixisset, Christum factum Pontificem secundum ordinem Melchisedech; subdit *v.* 11. *De quo grandis nobis sermo; & interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus; rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo &c.*

XL. Ad tertiam nego conseq. Scriptura enim dicit, sacrificium secundum ordinem Melchisedech fuisse in pane, & vino: Scriptura dicit Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech; ergo (inferimus nos) Christus fecit sacrificium in pane, & vino. Si hæc illatio Protestantibus non placet, placuit Patribus, qui Scripturæ sunt Interpretes fideliores: hi enim in oblatione Melchisedechi typum Eucharisticæ oblationis agnoverunt. Clemens Alexandrinus, *l.* 4. *Strom.* ait: *Rex Salem Sacerdos Dei Altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ*. S. Cyprianus, *Epist. ad Cæcilium*, supra citata §. 3. *In Sacerdote* (inquit) *Melchisedech sacrificii Domini sacramentum videmus*. Ne autem quis putaret, eum loqui de sacrificio Crucis, addit: *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus .... Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens. Quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus; qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest, panem, & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem?* Cypriano accinit Eusebius Cæsar. *lib.* 5. *de Demonstr. Evang. cap.* 3. Hieronymus, *Epist. ad Marcellam*. Augustinus, *lib.* 83. *Quæst. q.* 61. supra laudatus. Et merito quidem. Alias quid singulare haberet Sacerdotium Melchisedech, cum Sacerdotio Christi? Non quod ejus non texatur Genealogia. Nam hoc convenit etiam Job: deinde Christi genealogia texitur. Non, quod non fuerit unctus oleo materiali, sicut Aaronici sacerdotes: nam nec Abel ullo oleo perfusus fuit. Non etiam, quod Melchisedech decimæ fuerint persolutæ: nam hæc Aaronicis quoque Sacerdotibus solvebantur. Id igitur singulare est in Christo, & Melchisedech, quod uterque in pane, & vino obtulit sacrificium. Aaronici enim Sacerdotes dum offerebant panem, animalia plerumque immolabant.

XLI. Quæres: An Missa sit sacrificium simul *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *Propitiatorium*, *& Impetratorium*?

Respondeo affirmative. Primo, quia Eucharistiæ sacrificium institutum est, ut Ecclesia in ejus celebratione latriæ cultum Deo exhibeat; quatenus Christi morte, quæ in eo repræsentatur, testatur, ac veneratur supremum Dei in omnes creaturas dominium. —— Secundo: in Eucharistiæ sacrificio Deo pro acceptis per Christum beneficiis gratias agimus. *Nosti, in quo sacrificio dicamus, gratias agamus Deo nostro* (Augustin. *Epist.* 57. modo 287. *ad Dardanum*) —— Tertio: Deus per Eucharistiæ sacrificium placatur; in hoc enim eandem victimam offerimus, quæ oblata fuit in Cruce. —— Quarto: Per Eucharistiæ sacrificium movetur Deus ad conferendam peccatorum remissionem, & largienda actualia auxilia, quibus indigemus. Hæc omnia confirmat Tridentinum, *Sess.* 22. *cap.* 2. De sacrificio Missæ plura diximus in *Vera Ecclesia Eom.* 1.

Dubium II.

In que consistat Essentia Sacrificii Missæ.

§. I.

Resolutiones Dubii.

I. TRia sunt, de quibus dubitare possumus, an sint de essentia sacrificii Missæ. Primum est consecratio. Secundum, oblatio vocalis, sive quæ fit ante, sive quæ fit post consecrationem. Tertium, sumptio utriusque speciei. Quæritur ergo: An omnia ista sint de essentia sacrificii Missæ: & si non omnia, quodnam ex illis?

II. Dico primo. Nec oblatio vocalis, quæ consacrationem præcedit, nec quæ consecrationem subsequitur, sunt de essentia sacrificii Missæ. Prima pars prob. Quia Christus cum Eucharistiam instituit, verum sacrificium celebravit; & tamen non legitur consecrationi panis, & vini ullam oblationem vocalem præmisisse. Deinde oblatio, quæ fit ante consecratiohem, est mera ad sacrificium Missæ præparatio. Unde in latinis liturgiis eam hæc oratio subsequitur: *Benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum*. Præterea: quia res, quæ in sacrificio novæ legis, ut ab antiquis distincto, offertur, non debet esse aliqua pura creatura, sed ipse Christus, qui se obtulit victimam pro peccato: sed id, quod offertur ante consecrationem, non est Christus, sed panis, & vinum; ergo &c.

III. Secunda vero pars prob. Tum quia: teste S. Gregorio Magno, Apostoli sacrificantes, ea non semper usi sunt; nonnunquam enim urgentibus temporis angustiis, consecrationi solam orationem Dominicam addebant. Tum etiam, quia hac vocali oblatione nulla fit mutatio victimæ; ergo non pertinet ad essentiam.

IV. Dices tamen. Si neutra ex præfatis oblationibus est de essentia; cur utraque in liturgiis tam latinis, quam Græcis præscribitur? —— Respondeo ex S. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 4. varias orationes in liturgiis præscribi, quæ aut ad consecrationem præparent, aut explicent jam peractam. Priori oblatione panis, & vinum ex prophanis fiunt sacra, secernuntur enim ad consecrationem: posteriori vero oblatione Ecclesia petit, ut consecrata prosint Fidelibus.

V. Dices adhuc. Sacrificium essentialiter est oblatio facta Deo: & Christus Apostolis præcepit, nedum, ut consecrarent, sed ut offerrent; ergo oblatio est de essentia.

Respondeo, de essentia quidem sacrificii esse oblationem; sed non esse de essentia, ut verbis exprimatur; seu in actu signato, & non solum facto, idest, in actu exercito. Sicut enim ad honorandum aliquem non est necesse dicere: *Honoro te*; sic ad offerendum aliquid, non est necesse dicere: *Offero tibi*; sed solum, quod de facto honor exhibeatur, & oblatio fiat. Sic Christus nec legitur verbis aliquibus obtuliisse, nec Apostolis præcepisse, ut verbis offerrent; sed ut facerent, quæ ipse fecit. Oblatio autem re ipsa fit consecratione; & maxime dum Sacerdos elevat oculos, dum consecrata fuit coram Deo, nempe, Christum victimam: hoc enim proprie est offerre. Unde in sacrificiis Judæorum in actu sacrificandi Sacerdos victimam sistebat in altari, manusque super eam imponebat. Esto autem solemnes quasdam preces adjiceret, spectabant solum ad ritum, non ad essentiam sacrificii. Et Sacrificium Crucis peractum a Christo fuit reali sui oblatione potius, quam vocali. Vocalis tamen oblatio videtur pertinere ad sacrificii integritatem; cum sit solemnis quædam contestatio, qua Ecclesia (quæ Christi Sacerdotis corpus est) se ipsam per ipsum offert Deo.

VI. Dico secundo. Nec fractio specierum, nec distributio, nec earum consumptio sunt de essentia Sacrificii. Prior pars expresse traditur a S. Th. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 6. his verbis: *Dicendum, quod fractio hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii; ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus sacramenti.* Unde si dum Sacerdos hostia consecrata facit crucem super calicem, hostia laberetur in Calicem, ut frangi amplius non posset; nemo diceret, tunc reiterandum Sacrificium.

Si di-

Si dicas, Chriſtum fregiſſe. —— Reſpondeo, non eſſe ita certum, quod fregerit ſpecies jam conſecratas: multi enim volunt, eum prius fregiſſe panem, deinde conſecraſſe. Verum etſi poſt conſecrationem fregiſſe probabilius judicemus: non concluditur, fractionem hanc ad eſſentiam ſacrificii pertinere.

VII. Secunda vero pars probatur. Tum quia: etſi nulli omnino ſint, qui communicent, ſacrificium nulla ſui parte eſſentiali, immo nec integrali defraudatur. Tum quia: diſtributio ſpecierum ſacramentalium aliquando commiſſa eſt Diaconis; & caſu neceſſitatis urgente, committi poſſet etiam nunc, qui tamen miniſtri ſacrificii non ſunt. Tum denique: nam qui victimas edunt (teſte Apoſtolo, 1. Cor. 10. v. 18.) *Participes ſunt* quidem altaris, ſed victimas non offerunt, neque ſacrificant, ac proinde ad eſſentiam ſacrificii non concurrunt.

VIII. Tertia pars probatur primo. Quia de fide eſt, Chriſtum, cum Euchariſtiam inſtituit, obtuliſſe ſacrificium: non eſt autem de fide (quamvis Theologi poſt S. Thomam, 3. *p. q.* 81. *art.* 1. ut probabilius affirment) eum Euchariſtiam confectam ſumpſiſſe. Secundo. Res oblata cum ſumitur, in ipſa ſumptione non mutatur, niſi localiter; quæ mutatio ad eſſentiam ſacrificii impertinens eſt. Tunc enim ſolum ſacramentaliter mutatur, cum corpus, & ſanguis Chriſti deſinit eſſe ſub ſpecibus; quod non contingit, niſi cum corrumpuntur: non corrumpuntur autem in ſumptione, ſed demum poſtea. Tertio. Si miraculoſe corpus Chriſti ſub ſpecie carnis appareat, aut ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, non eſt ſumendum, ait S. Thom. q. 82. *art.* 4. *ad* 3. omnino autem dicendum videtur, quod is, qui ante talem apparitionem conſecraſſet panem, & vinum, vere obtuliſſet ſacrificium. Quod idem dicendum videtur de Sacerdote, qui caſu aliquo ſpecies jam ſumptas, & adhuc non corruptas evomeret.

IX. Dico tertio. Sola conſecratio juncta mentali oblationi eſt id, in quo eſſentialiter conſiſtit ratio ſacrificii Miſſæ. Colligitur ex S. Thom. tum 3. *p. q.* 82. *art.* 4. *ad* 1. Ubi ponens differentiam inter conſecrationem Chriſmatis, & Euchariſtiæ: *Conſecratio* (inquit) *Chriſmatis, vel cujuſcumque alterius materiæ non eſt ſacrificium, ſicut conſecratio Euchariſtiæ.* Tum, *art.* 10. & præſertim *ad* 1. dicens: *Hoc ſacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua ſacrificium Deo offertur.* Ex quibus infertur, in conſecratione Euchariſtiæ oblationem victimæ realiter peragi; quatenus victima ſalutis noſtræ Chriſtus æterno Patri in altari ſiſtitur, ut dicetur.

X. Colligitur etiam ex Patribus. Ex Irenæo, *lib.* 4. *c.* 32. qui ait, Chriſtum docuiſſe novi Teſtamenti oblationem, quando dixit: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* Ex Sancto Gregorio, *l.* 4. *Dial. c.* 58. qui ait: *Quis Fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri?* Unde & Chryſoſt. Homil. de proditione Judæ: *Vox illa*, Hoc eſt corpus meum, *uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem.*

XI. Probatur vero hoc diſcurſu. In eo ſita eſt ſacrificii eſſentia, in quo habetur immutatio, & immolatio victimæ in honorem Dei: ſed hoc habetur in conſecratione; ergo &c.

Min. prob. Quia dum in conſecratione ſanguis ponitur ſeparatus a Chriſti corpore, quatenus ex vi verborum ſolum corpus ponitur ſub ſpeciebus panis, & ſolus ſanguis ſub ſpeciebus vini; habetur myſtica immutatio, ſeu repræſentatio naturalis immutationis, & effuſionis ſanguinis factæ in cruce. Similiter dum ibi ſub ſpeciebus panis ponitur corpus, & ſub ſpeciebus vini ſanguis Chriſti; habetur myſtica immolatio, qua ſiſtitur coram Deo, eique offertur victima illa, quæ ipſi immolata fuit in Cruce. Id totum colligitur ex Gregor. Nyſſeno, *Orat.* 1. *In Chriſti reſurrect.* Ubi poſtquam dixit, oblatum in Cœna ſacrificium fuiſſe peractum, antequam Chriſtus Diſcipulis oblata diſpenſaſſet, addit: ideo tunc ſacrificium fuiſſe peractum, quia corpus illud jam erat per conſecrationem immolatum: *Nam* (inquit) *victima corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit. Quare cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit, jam arcana, & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum &c.*

XII. Non deſunt tamen qui velint, conſecrationem eſſentiam ſacrificii Miſſæ conſtituere non ut ſejunctam, ſed ut includentem ordinem ad conſumptionem ſpecierum, tamquam ad complementum, & terminum extrinſecum ſacrificii. Quod cum ad inſtar convivii ſpiritalis celebretur cibo, & potu, præſcindere non poteſt: cibus autem, & potus ad ſumptionem ordinatur. Quibus aſſentior. Nam, ut infra dicam, ſumptio eſto non pertineat directe ad eſſentiam ſacrificii Miſſæ; pertinet tamen ad ejus integritatem, & complementum.

§. II.

Contraria Solvuntur.

XIII. PRimo objicitur. Sacrificium eſſentialiter conſiſtit in mutatione victimæ, ejuſque deſtructione, ſed per conſecrationem Chriſti corpus, & ſanguis non deſtruuntur, immo ſiſtuntur ſub ſpeciebus, neque niſi per ſumptionem deſinunt eſſe ſub illis; ergo &c.

XIV. Reſpondeo, diſt. maj. Juxta modum ſacrificii; conc. maj. Aliter, nego maj. & ſimiliter diſt. min. Victima ergo debet immutari, & deſtrui juxta modum ſacrificii, vel per ſanguinis effuſionem phyſicam, ſi ſacrificium cruentum ſit; vel myſticam, ſi ſit incruentum. In ſacrificio ergo altaris, quod eſt incruenta memoria ſacrificii cruenti crucis, non eſt exigenda phyſica victimæ immutatio, per phyſicam ſanguinis ſeparationem a corpore, ſed myſtica ſolum; per hoc, quod ſiſtatur Deo Chriſti corpus ſeparatum a ſanguine, & quaſi exangue: quod optime vi verborum, quibus corpus ſeparatim a ſanguine conſecratur, obtinetur, & ſenſibiliter exprimitur immutatio huic ſacrificio conveniens.

Reſponderi ſecundo poteſt: ad ſacrificium proprie dictum non requiri, ut victima actu moriatur; ſed ſatis eſſe ut ex modo, quo offertur, naturaliter conſequi debeat: ut patet in veteris Teſtamenti hoſtiis, in quibus verum extitiſſet ſacrificium, etiamſi poſt lethale vulnus, Deo per miraculum impediente, earum mors ſecuta non fuiſſet: & in martyrio, quod vere dicitur martyrium, etſi Martyr poſt lethale vulnus a morte præſervetur.

XV. Secundo objicitur. Chriſtus cum Euchariſtiam inſtituit Apoſtolis, dixit: *Accipite, & comedite... Bibite ex hoc omnes*; ergo hujus ſacrificii eſſentiam voluit in ſumptione conſiſtere.

Reſpondeo, neg. conſ. Tum quia: ex his ſolum ſequitur, Miſſam ordinari ad ſumptionem, ut ad terminum, & complementum, ut diximus; ideoque ſumptionem ad ejus integritatem ſpectare, non autem ad eſſentiam. Tum etiam: quia Chriſtus ibi Euchariſtiam inſtituit, & ut ſacramentum, & ut ſacrificium; nec ſolum dixit: *Accipite, & comedite, bibite*, quod ad ſacramentum pertinet; ſed etiam dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod ſpectat ad rationem ſacrificii. Unde Tridentinum, Seſſ. 22. c. 1. *Corpus* (inquit) *& ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum Symbolis Apoſtoli, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba.* Hoc facite in meam commemorationem: *uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* Dato ergo, quod manducatio, & potio ad rationem ſacramenti, per modum convivii inſtituti, pertineret; non tamen ad rationem ſacrificii, de quo hoc agitur.

XVI. Tertio objiciunt. In Eccleſia Latina die Paraſceves ad Paſcha verum ſacrificium offertur. Nam etiam eo die recitantur illa verba: *Et ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus*: ſed eo die nulla fit conſecratio; ergo conſecratio ad eſſentiam ſacrificii non pertinet.

Reſpondeo, ex dictis ſupra, neg. maj. Eo enim die nullum perficitur ſacrificium; ſed tantum ritus quidam, qui vocatur *Miſſa Præſanctificatorum*. Verba autem illa: *Et ſic fiat ſacrificium*, recitata a Sacerdote, non denotant, tunc fieri ſacrificium; ſed quod corpus Chriſti pridie oblatum in ſacrificium, fiat ſacrificium populo, ut ex eo percipiat fructum.

DUBIUM III.

An Sacerdos Jure Divino utramque Speciem debeat Conſecrare?

§. I.

Reſolvitur Quæſtio.

I. DIco. Sacerdos celebrans jure divino tenetur utramque ſpeciem conſecrare. Prob. primo ex præcepto Chriſti, qui inſtituens Apoſtolos Sacerdotes, eis eorumque ſucceſſoribus injunxit, ut facerent, quod ipſe fecit: *Hoc facite &c.* Sed Chriſtus, cum ſacrificium obtulit in ultima cœna, utramque ſpeciem conſecravit, ut narrant Evangeliſtæ; ergo &c.

Hinc Cyprianus, *Epiſt.* 63. ſæpe laudata *ad Cæcilium*, agens contra quoſdam Sacerdotes, qui ne ex odore vini quaſi Chriſtiani detegerentur, vini loco aquam tantum in ſacrificiis matutinis adhibebant; ita ait: *Si in ſacrificio, quod Chriſtus obtulit, nonniſi Chriſtus ſequendus eſt; utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandavit.* Inde proſequitur oſtendens, Chriſtum panem, & vinum obtuliſſe, & ita fieri præcepiſſe. Quod etiam Tridentinum. *Seſſ.* 22. *cap.* 1. aperte expreſſit verbis ſupra relatis, *Dub. præced. num.* 15.

II. Prob. ſecundo. Tum quia: ſacrificium Miſſæ eſt a Chriſto ſpecifice inſtitutum, ut ſit expreſſa repræſentatio ſacrificii cruenti Crucis; in quo Chriſtus ipſe per realem ſeparationem ſanguinis a corpore fuit immolatus: at hæc myſtica immolatio, & ſeparatio ſanguinis a corpore vi verborum conſecrationis non habetur, niſi ſanguis ſeorſim conſecretur a corpore: cum enim ſanguis ſeorſim conſecratur a corpore, exprimitur ſanguis Chriſti, ut effuſus; ergo &c. Tum etiam: nam in ſacrificio Miſſæ debet eſſe reipſa, quod fuit in ejus typo, nempe in ſacrificio Melchiſedech; cum Chriſtus, ut dictum eſt, ſit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: atqui Melchiſedech obtulit ſimul panem, & vinum, non panem tantum, aut vinum tantum; ergo &c.

III. His accedit univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ in nullo caſu umquam paſſa eſt, ut ſacrificium Miſſæ ſine utraque ſpecie conficeretur; ut probat inter multos Bellarminus, *l. 4. de Euch. c. 22.* Unde Rubrica mandat, ut ſi poſt ſumptionem unius ſpeciei inveniatur materia inepta, denuo utraque ſpecies conficeretur: cur enim hoc? Si una fuit valide conſecrata, cur reiteratur conſecratio? Utique, quia utraque ſpecies requiritur ad neceſſitatem ſacrificii, & ad expreſſionem mortis Chriſti.

Hanc fuiſſe ſemper Eccleſiæ mentem colligitur ex Cypriano ſupra laudato, qui acriter reprehendit eos, qui in ſola ſpecie panis conficiebant ſacrificium: & tamen eis urgebat periculum mortis, ſi ex odore vini a Gentilibus deprehenſi eſſent tamquam Chriſtiani. Ex S. Auguſt. *l. de Hæreſ. cap. 64.* dicente: quod *Aquarii ex* hoc hæretici reputati ſunt, *quod aquam offerunt in poculo ſacramenti, non illud, quod omnis Eccleſia*. Adeoque de hoc ſollicita fuit Eccleſia, ut Concilium Toletanum VII. *Can. 2.* quem refert S. Thom. *3. p. q. 83. art. 6. ad 1.* ſtatuerit, quod ſi Sacerdos poſt inchoatum ſacrificium (ideſt, poſt conſecratam unam ſpeciem, ut communiter exponitur) adeo ægrotare incipiat, ut proſequi nequeat, alius Sacerdos ſuccedat, ut perficiat ſacrificium. Et rationem dat idem S. Th. ibi *ad 2.* Quia *Ubi difficultas occurrit, ſemper accipiendum eſt illud, quod habet minus de periculo. Maxime autem periculoſum circa hoc ſacramentum eſt, quod eſt contra perfectionem hujus ſacramenti; minus autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis*. Unde cum conſecrare ſub utraque ſpecie pertineat ad perfectionem ſacramenti, nullo in caſu debet omitti; ſed ſi unus omittat, ab altero debet ſuppleri etſi non jejuno.

IV. Ex his infertur, nullo in caſu poſſe, neque per Romanum Pontificem diſpenſari, ut Sacerdos in una tantum ſpecie conſecret. Nulla enim ratione poteſt Papa diſpenſare in eo, quod eſt de jure divino: ſed, ut vidimus conſecrare in utraque ſpecie jure divino præceptum eſt; ergo &c. Maj. prob. ex Canone *Sunt quidam 25. q. 1.* Et ratio eſt. Quia inferior non poteſt diſpenſare in lege lata a ſuperiore, niſi ſuperior illi commiſerit: ſed jus divinum eſt jus latum a ſuperiore, nempe, a Deo, qui ad omne jus humanum ſuperior eſt; ergo &c. Et hoc maxime circa ea, quæ ad finem, vel ſacramentorum ſubſtantiam ſpectant. Hinc S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. ad *3. Ad legem divinam* (inquit) *ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona privata ad legem publicam, cui ſubjicitur. Unde ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille, a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit: ita in præceptis juris divini, quæ ſunt a Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel is, cui ipſe ſpecialiter committeret*. Cum ergo conſtet conſecrationem ſub utraque ſpecie eſſe præceptum juris divini; neque appareat, Deum commiſiſſe Papæ, ut in hoc diſpenſet: dicendum erit, nullo in caſu poſſe ſummum Pontificem diſpenſare, ut in una tantum ſpecie Sacerdos conſecret.

§. II.

Solvuntur objectiones.

V. OBjiciunt primo qui contrariæ opinioni adhærent. Si præceptum de conſecrando ſub utraque ſpecie eſſet divinum; vel eſſet poſitivum, vel naturale, cum hæc ſit adæquata diviſio præcepti divini: ſed neque eſt poſitivum; cum in nullo Sacræ Scripturæ textu legatur: neque eſt naturale; cum naturam, & inſtitutionem ſacramenti non ſequatur; ergo &c.

Si reſpondeatur, eſſe præceptum divinum. Tum poſitivum incluſum in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. & 1. Cor. 11. Tum etiam naturale: ſequitur enim naturam ſacrificii, quod debeat in eo exprimi ſuo modo ſanguinis effuſio, vel modo cruento, vel incruento. Et maxime in ſacrificio Euchariſtiæ, quod cum debeat repræſentare ſacrificium Crucis; debet ſic perfici, ut in illo exprimatur corpus; ut a ſanguine ſeparatum. Sequitur etiam ex natura ſacramenti, quod cum ſit inſtitutum per modum ſpiritualis convivii; ut perficiatur integrum, requiritur non ſolum cibus, ſed etiam potus.

VI. Contra inſtant primo: afferendo factum Chriſti, *Luc. 24.* Qui invitatus a duobus Diſcipulis in caſtello Emmaus, legitur in ſolo pane conſecraſſe. Non ergo præceperat, ut in duplici ſpecie conſecraretur.

Secundo. In conſecratione unius tantum ſpeciei habetur eſſentia ſacrificii; habetur enim oblatio externa facta Deo in teſtimonium ſupremi illius dominii ritu myſtico conſecrata, & immutata ſuper altare pro remiſſione peccatorum; ergo ex natura ſacrificii non ſequitur conſecratio ſub utraque ſpecie.

Tertio. Conſecratio corporis non dependet a conſecratione ſanguinis, nec e contra.

Quarto. Sola conſecratione unius ſpeciei ſufficienter repræſentatur ſacrificium cruentum mortis Chriſti: vi enim verborum conſecrationis ſuper pane ponitur ſolum corpus, non ſanguis; & ex vi verborum ſuper vino ponitur ſolus ſanguis, non corpus.

Quinto. Sacrificium Miſſæ debet eſſe ad formam ſacrificii facti a Chriſto in Cœna: ſed in illo corpus Chriſti non erat exangue, neque ejus ſanguis effuſus de corpore; ergo de natura hujus ſacrificii non eſt repræſentare corpus Chriſti exangue, aut ſine ſanguine.

VII. Reſpondeo ad primum: circa Chriſti factum, *Luc. 24.* ut ſuperius indicavi, diviſos eſſe Doctores. Quidam enim autumant, benedictionem illam, & fractionem panis non fuiſſe conſecrationem Euchariſticam; Cum ad illam ſumendam illi duo Diſcipuli ratione infidelitatis non viderentur præparati: ſed fuiſſe ſimplicem menſæ benedictionem, ut cibum corporalem ſumerent: eo modo, & ritu, quo panes in deſerto multiplicatos in Cælum reſpiciens benedixit, ſeu gratias egit, fregit, & diſtribuit qui panes certo fuerunt panes communes, non vero Euchariſtici, niſi in typo. Et inſuper cum Chriſtus ibi nullum legatur protuliſſe verbum, ſed facto pane ſtatim diſparuiſſe; quis credet, Euchariſticum panem ſine verbis conſecraſſe, & panem a ſe conſecratum nec ipſum ſumpſiſſe, immo nec a diſcipulis ſumptum fuiſſe: cum Chriſto ab oculis eorum evaneſcente, ſtatim e menſa ſurgentes reverſi ſint in Jeruſalem ad undecim Apoſtolos? Ita inter cæteros noviſſime tenet noſter Alexandre, in *cap. 24. Lucæ*.

Quia vero alii volunt, Chriſtum in Emmaus panem Euchariſticum conſecraſſe, his rationibus moti. Primo: quia dicitur ibi, quod illi diſcipuli *Cognoverunt eum in fractione panis*: quod non videtur poſſe intelligi de fractione communi, ſed ſolum de illa, qua fregerat in ultima cœna. Secundo: quia Chriſtus non benedixit panem antequam ſediſſent, ſed cum ſediſſent: ergo non fuit benedictio communis menſæ, ſed Euchariſtiæ conſecratio. Tertio: quia dicitur: *quod aperti ſunt oculi eorum*; proprium autem eſt Euchariſtiæ oculos mentis aperire.

VIII. Ideo cum iſtis dicendum: vel quod Chriſtus in utraque ſpecie conſecravit, licet non legatur niſi de pane; quia in hoc eum primo cognoverunt: ſicut nec legitur, quod verba protulerit, quod ipſe, & diſcipuli ſumpſerint, cum tamen hæc omnia facta ſint. —— Vel quod ſi in una tantum ſpecie conſecravit, id fecit ex ſuprema auctoritate, quam habebat, utpote inſtitutor. Huic opinioni favet S. Auguſt. *l. 3. de Conſenſu Evangeliſt. cap. 25.* dicens: *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a Satana fuiſſe, ne agnoſceretur Jeſus: ſed tamen a Chriſto eſt facta permiſſio uſque ad ſacramentum panis; ut unitate corporis ejus participata removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſit agnoſci*. Idem *Serm.* modo 89. & *Serm.* 285.

IX. Ad ſecundum dico primo: licet in conſecratione unius tantum ſpeciei habeatur eſſentia ſacrificii in genere, non habetur tamen eſſentia ſacrificii in ſpecie, nempe, Euchariſtici —— Dato tamen (quod multis placet) conſecrationem ſub utraque ſpecie non eſſe de eſſentia ſacrificii, etiam Euchariſtici, quod colligitur ex Cypriano, *Epiſt.* laudata *ad Cæcilium*, qui reprehendit quidem Presbyteros, qui Gentilium metu ſacrificiis matutinis vinum non conſecrabant; non tamen eorum ſacrificia arguit nullitatis, ſed potius ignorantiam, & ſimplicitatem excuſat, dicens: poſſe ignorantiæ, vel ſimplicitati eorum de indulgentia Domini veniam concedi —— Dico ſecundo: quod conſecratio utriuſque ſpeciei eſt ſaltem de integritate ſubſtantiali ſacrificii Crucis; ut ſcilicet ſit perfecta imago, & expreſſa repræſentatio ſacrificii Crucis, in quo ſanguis ſeparatus fuit a corpore.

X. Ad tertium: omiſſa opinione quorumdam volentium, has duas actiones conſecrativas eſſe ita connexas; ut qui alteram omitteret, vere non ſacrificaret: cum oppoſitum oſtendat praxis, qua hoſtia conſecrata oſtenditur populo adoranda, etiam antequam calix conſecratus ſit. —— Dico, actionem conſecrativam corporis dependere ab actione conſecrativa ſanguinis, ut ſacrificium integrum ſit; & ut expreſſe repræſentet ſeparationem ſanguinis a corpore factam in Cruce. Hinc

XI. Ad quartum dico, quod licet vi conſecrationis unius ſpeciei, & vi verborum ponatur corpus, non poſito ibi ſanguine, vel e contra; ideoque eſſentia ſacrificii ſalvetur: quia tamen expreſſe non repræſentatur ſeparatio facta in Cruce, ſeu ſanguinis effuſio, non habetur in unica ſpecie integritas ſacrificii.

XII. Ad quintum neg. min. Chriſtus enim ultima cœna vi verborum poſuit ſub ſpeciebus panis corpus ſuum, quale erat futurum in ſacrificio Crucis; & conſequenter ut ſeparatum a ſanguine, & ſimiliter ſanguinem, ut ſeparatum a corpore. Unde inter ſacrificium Chriſti in ultima cœna, & noſtrum, hæc ſola differentia intervenit; *quod* noſtrum repræſentat mortem Chriſti præteritam, *illud* vero repræſentabat futuram: idem tamen erat utrumque in re oblata, & idem offerendi modus.

XIII. Secundo objiciunt, Sicut Chriſtus, cum ſub utraque ſpecie conſecravit, dixit Apoſtolis, ut hoc facerent in ejus commemorationem: ita communicans illos dixit: *Accipite, & manducate; Bibite ex hoc omnes:* ſed hæc ultima verba non conſtituunt præceptum poſitivum divinum communicandi ſub utraque ſpecie, ut diximus: alias Eccleſia non potuiſſet calicis uſum laicis interdicere; ergo neque priora inducunt præceptum conſecrandi ſub utraque ſpecie.

XIV. Reſpondeo, hoc nimis probare. Probat enim, quod ſicut communicare ſub utraque ſpecie non eſt præceptum neque Eccleſiaſticum reſpectu laicorum; ita nec

conſe-

conſecrare, ſub utraque ſpecie reſpectu Sacerdotum. —— *Diſt.* igitur min. Præceptum pro omnibus abſolute, conc. min. Pro omnibus conſecrantibus, nego min. Quando ergo Chriſtus præcepit, ut manducarent, & biberent; non præcepit Communionem ſub utraque ſpecie omnibus abſolute, ſed ſolum omnibus, qui conſecraturi erant, ut ipſe fecerat. Tunc enim alloquebatur Apoſtolos, quos Sacerdotes conſtituebat, & iis dicebat: *Accipite, manducate, bibite;* quibus dicebat: *Hoc facite*, quod ego feci; ſed hoc ſecundum dicebat ſolis Apoſtolis, & in eis, ſolis Sacerdotibus; ergo iis ſolis dicebat & primum. Quare ex hoc ſequitur, quod ſicut Eccleſia non valet diſpenſare Sacerdotes, ut dum celebrant, in una tantum ſpecie communicent; ſic neque ut in una tantum ſpecie conſecrent. Immo ſicut ſi poſt ſumptionem corporis Sacerdos moreretur, præcepit Eccleſia, ut alius loco ejus ſanguinem ſumat; ita ſi conſecrato corpore deficeret Sacerdos, ut non poſſet conſecrare ſanguinem, vult, ut alius Sacerdos ſuccedat, qui ſanguinem conſecret.

XV. Replicabis. Per nos ita præceptum eſt Sacerdotibus, ut ſub utraque ſpecie communicent, ſicut ut ſub utraque ſpecie conſecrent: ſed Eccleſia facere poteſt, ut celebrans ſumat ſpeciem panis ſine calice; ergo & quod conſecret panem ſine calice. Min. prob. primo. Ordinati in die Ordinationis vere celebrant cum Epiſcopo; & tamen non ſumunt calicem. Secundo: in die Paraſceves Eccleſia præcipit, ut celebrans ſumat ſpecies panis ſine ſanguine; ergo &c.

XVI. Reſpondeo, nego min. Ad primam probationem dico, quod cum Ordinati celebrant cum Epiſcopo Ordinatore, ſolus Epiſcopus eſt principalis celebrans, cujus ſignum eſt, quod Ordinati proferendo verba conſecrationis debent intentionem ſuam referre ad prolationem Epiſcopi; ut tunc ſolum conſecratio fiat, quando Epiſcopus verba finit: ideoque ſicut ſolus Epiſcopus præſumitur conſecrare, ita ſolus utramque ſpeciem ſumit.

Ad ſecundam jam dictum eſt. *Dub. præced.* In die Paraſceves non fieri ſacrificium, neque cæremoniam illam eſſe miſſam; cum in ea nulla fiat conſecratio, ſed ſolum hoſtiæ pridie conſecratæ conſumptio. Quare ſi dies Annuntiationis incidat in diem Paraſceves, non tenentur Fideles tali cæremoniæ intereſſe, ut decidit S. Congreg. Rituum die 19. Februarii 1622. bene tamen tenerentur, ſi incideret in Sabbatum Sanctum, quia illa die verum ſacrificium celebratur: licet ſecundum antiquum ritum Eccleſiæ, nec etiam Sabbato Sancto Miſſa celebraretur, ut patet C. *Sabbato*, de Conſecr. diſt. 3. ex Innoc. I. *Epiſt.* 1. *ad Decentium*, *c.* 4.

XVII. Tertio objiciunt. Bene poteſt Papa diſpenſare in iis, quæ ſunt de jure divino; ergo &c. Ant. probat. Votum ſemel emiſſum obligat ad ſui impletionem de jure divino: & tamen poteſt Papa in voto diſpenſare —— Rurſus: Matrimonium ratum, & non conſummatum obligat jure divino, & jure naturalis contractus: & tamen hoc poteſt diſſolvere.

XVIII. Reſp. neg. ant. Ad prob. reſpond. primo: quod licet Papa non poſſit tollere, aut mutare jus divinum; in aliquibus tamen caſibus pertinet ad Papam determinare, & declarare, an obliget, nec ne. Unde ſicut in pœnalibus non obſtante, quod lex naturalis mandet puniri delicta; poteſt Judex interpretari, naturalem æquitatem aliquando dictare, delicta non eſſe punienda ob aliquod majus bonum Reipublicæ: & conſequenter tunc relinquere delicta impunita non eſt contra jus naturale. Sic in voto: quod divino, & naturali jure reddendum eſt; ſi non expedit illud obſervari, poteſt diſpenſari, vel ſi aliud magis cedat in honorem Dei, poteſt commutari: quæ diſpenſatio potius eſt declarativa, quam relaxativa juris. Idem dico de matrimonio. Verum in conſecratione ſub una tantum ſpecie nullum poteſt apparere bonum urgens, ratione cujus poſſit Pontifex declarare, in aliquo caſu non obligare divinum præceptum latum de illa: cum nil excogitari poſſit, quod integritati ſacrificii præponderet.

XIX. Reſpondeo ſecundo quod licet aliquando poſſit Papa, ex commiſſione Chriſti diſpenſare, jure divino auctoritate incluſa in illa univerſali poteſtate: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*: in jure tamen divino ſpectante ad ſubſtantiam, & integritatem ſacramentorum, & ſacrificii nullam accepit a Chriſto commiſſionem; ſed Chriſtus ipſe fuit unicus Inſtitutor, ut docet Tridentinum, *Seſſ.* 21. *c.* 2. Cum autem conſecrare ſub utraque ſpecie pertineat ad integritatem ſacrificii; ideo Papa non habet facultatem in hoc diſpenſandi.

XX. Reſpondeo tertio; quod dupliciter poteſt aliquid eſſe de jure divino. Primo: abſolute, & ſimpliciter: quia ipſe Deus per ſe ipſum impoſuit præceptum, ejuſque obligationem determinavit. Secundo: ex ſuppoſitione, quod voluntas humana ſe obligavit, ex quo oritur, quod jure divino teneatur adimplere. In ea ergo, quæ ſunt juris divini primo modo, non cadit Pontificis diſpenſatio. Quia Chriſtus ei non dedit poteſtatem ſupra præcepta, quæ ipſe poſuit; maxime circa integritatem ſacrificii, & ſacramentorum, quæ ſunt fundamenta Eccleſiæ. In ea tamen, quorum obligatio fundata fuit in voluntate hominum, cadere poteſt Pontificis diſpenſatio. Cum enim humana voluntas ſubdita ſit Vicario Chriſti; ideo ad ipſum, cujus eſt majus bonum perſonæ, & Eccleſiæ proſpicere, pertinet declarare, an talis obligatio ſubſiſtat: & ſi opus ſit, propter majus perſonæ, vel Eccleſiæ bonum, talem obligationem relaxare poteſt, ut in caſu de voto, & matrimonio. Non ſic in præcepto conſecrandi ſub utraque ſpecie: quod cum ſit abſolutum, & ex divino tantum derivetur arbitrio, non poteſt ſubire diſpenſationem alicujus inferioris Deo.

XXI. Quarto objiciunt. Licet Pontifex non poſſit ſupra jus divinum abſolutum diſpenſare, poteſt tamen illud interpretari; declarando, tale jus in hoc, vel illo caſu non obligare, ut admittimus: ſed hic caſus dari poteſt circa conſecrationem ſub utraque ſpecie; ergo &c.

Min. prob. primo. Si detur infirmus in mortis articulo, & Sacerdos non habeat, niſi unam tantum ſpeciem, nempe, panem. Quia præceptum de conſecrando ſub duplici ſpecie tunc concurrit cum alio præcepto divino de Communione in mortis articulo; poterit Pontifex interpretari, quod in tali caſu, ut ſervetur præceptum de Communione in mortis articulo, præceptum de conſecranda utraque ſpecie non obliget —— Secundo: Si in tota aliqua regione vinum haberi non poteſt; potius quam relinquere populos illos abſque ſacrificio, & ſacramento, poterit Pontifex interpretari, præceptum divinum conſecrandi ſub utraque ſpecie non obligare; & ſic permittere, ut in una tantum ſpecie ibi conſecretur. Quod feciſſe Innocentium IV. cum Norvegis, aliiſque populis Septentrionalibus, ob vini penuriam, ſcribit Volaterranus.

XXII. Reſpondeo, neg. min. Tunc enim ſolum poteſt Pontifex interpretari jus divinum non obligare, quando gravis urget neceſſitas, quæ præponderet. Hanc autem non urgere in allatis caſibus demonſtro. Caſus enim de concurſu præcepti communicandi infirmum in mortis articulo cum præcepto conſecrandi ſub utraque ſpecie, non eſt tanti momenti; ut propter illud debeat iſtud prætermitti. Si enim ob præceptum de Communione in mortis articulo ſervandum omitti non poſſunt præcepta Eccleſiaſtica, nempe, de non celebrando ſine veſtibus ſacris, neque poſt cibum ſumptum; multo minus omitti poterit hoc divinum præceptum de celebrando ſub utraque ſpecie. Et ratio horum eſt. Quia ad hoc non urget ſpiritualis neceſſitas proximi; quia ille ſalvari poteſt, tum per alia ſacramenta, tum per cordis contritionem, & Communionem ſpiritualem. Neque etiam urget præceptum divinum: quia præceptum de communicando infirmo, cum ſit poſitivum, ſolum obligat, cum adeſt copia ſacramenti, quæ in illo caſu non habetur.

Neque urget ſecundus caſus de vini penuria. Quia licet non in omnibus regionibus naſcatur vinum; ad omnes tamen regiones facile deferri poteſt. Sic ex Hiſpania defertur ad Sinas; etſi remotiſſimos, & delatum, in frigidiſſimis etiam regionibus conſervari, experientia teſtis eſt. Volaterranus autem, qui ſcribit, Innocentium IV. permiſiſſe Norvegis, ut ob vini penuriam ſine vino conſecrarent; rem gratam feciſſet, ſi diploma Innocentii, ex quo id exſcripſit, protuliſſet. In iis enim, quæ de dicto Pontifice apud nos leguntur, nec veſtigium hujus conceſſionis apparet. Immo Volaterranus, *lib.* 4. *ſuæ Geographiæ*, ubi hoc refert, ſibi contradicit: dicit enim: Innocentium permiſiſſe Norvegis, *Ut conſecrarent calicem ſine vino*. In quo ergo permiſit eos calicem conſecrare? In cerviſia, ſicera, mulſo, aut alio liquore? Hæc certe non ſunt materia calicis. At in aqua pura, ut olim Aquarii? At neque eſt hæc materia idonea. An in aqua mellita, ut voluit Melanchton? Hoc eſt damnatum. Fabuloſa ergo eſt hujuſmodi Volaterrani hiſtoria, & merito ab omnibus eruditis exploſa.

DUBIUM IV.

An Sacerdos Celebrans teneatur utramque ſpeciem ſumere?

§. I.

Reſolutio Affirmativa.

I. Dico. Sacerdos conſecrans tenetur Euchariſtiam integre, ideſt, corpus, & ſanguinem Chriſti ſumere. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 4. Et primo affert Concilium Toletanum XII. *anno* 681. celebratum (& habetur, Cap. *Relatum eſt*, de Conſecr. diſt. 2.) ubi de quibuſdam Sacerdotibus, qui plura ſacrificia uno die offerebant, ſolum tamen in ultimo communicabant, *Can.* 5. hæc habet: *Relatum nobis eſt, quoſdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in uno die videntur offerre: ſed in uno die, ſi plurima per ſe Deo offerant ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus a communicando ſuſpendunt; & in ſola tantum extremi ſacrificii oblatione Communionis ſanctæ gratiam ſumunt: quaſi non ſit toties reus illius veri, & ſingularis ſacrificii, quoties participator corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe deſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit:* Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? *Si ergo qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris, certum eſt, quod ſi ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici ſacramenti .... Nam quale erit illud ſacrificium*

cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur? Ergo hoc modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque sacrificans corpus, & sanguinem Jesu Christi Domini nostri in altari immolat; toties perceptionis corporis, & sanguinis Christi se participem præbeat.

II. Ex his S. Thom. conficit hanc rationem. Quicumque sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps: quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo, ut August. dicit, l. 10. de Civit. Dei, cap. 5. *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum est*: ergo, ut ostendat ad se sacrificium interius pertinere, debet exterius sacrificium participare. Per hoc autem fit particeps, quod de sacrificio sumit, 1. Cor. 10. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* — Deinde Sacerdos est dispensator divinorum: dispensator autem debet esse primo particeps eorum, quæ dispensat, ex Dionys. *l. de Eccles. Hierarch. cap. 3.* Ita discurrit S. Thom. ibi.

III. Quare Sacerdotem celebrantem teneri jure divino sumere utramque speciem, colligo ex verbis Christi ad Apostolos, quos constituebat Sacerdotes, dicentis: *Manducate, comedite, bibite:* non quidem quasi spectans ad essentiam sacrificii Eucharistici, sed ad integritatem.

Licet autem in aliis consecrationibus, qui consecrat materiam, ea non utatur; hoc ideo est, ut ait S. Th. laudatus, *ad* 1. quia qui conficit Chrisma, vel aliud, non facit sacrificium: ideoque necesse non est, ut consecrans fiat particeps rei consecratæ.

Similiter, licet in aliis sacramentis nemo præbere possit sacramentum sibi, puta se baptizare, confirmare &c. quia non potest esse idem agens, & patiens; potest tamen Sacerdos Eucharistiam a se consecratam sumere: nam in hoc sacramento Sacerdos non consecrat seipsum, sed panem, & vinum, in qua consecratione perficitur sacramentum: usus autem rei consecratæ consequenter se habet ad sacramentum. Ita S. Thom. *ad* 2.

IV. Sed dices, Christus in cœna verum, & integrum obtulit ac fecit sacrificium: & tamen nec corpus, nec sanguinem suum sumpsit; ergo &c. min. prob. Quia in Scriptura non legitur, quod Christus corpus suum manducaverit, aut sanguinem suum biberit. Immo neque hoc poterat esse. Tum quia: id, quod manducatur, & bibitur, est in manducante, & bibente: nihil autem potest esse in seipso secundum totum. — Tum quia: Christus non poterat seipsum sumere spiritualiter; quia hoc ei non competebat, qui nihil a sacramento accepit; ergo neque sacramentaliter, quia sumptio sacramentalis sine spirituali est imperfecta. Pro solutione hujus objectionis sit,

§. II.

An Christus sumpserit suum Corpus, & Sanguinem.

V. Dico. Christus in Cœna vere sumpsit corpus suum, & sanguinem. Ita S. Thom. *3. p. q. 81. art. 1. & in 4. dist. 11. q. 3. art. 1.* Et probat primo. Quia *Christus ea, quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde & ipse prius baptizari voluit, quam aliis Baptismum imponere.* Et *q. 84. art. 7. ad 4.* dicit, Christum non sumpsisse quidem Baptisma suum, sed Joannis, sicut alia sua sacramenta, quia eis non indigebat: *Sacramentum autem Eucharistiæ & ipse sumpsit, & aliis dedit: Tum ad commendandam excellentiam hujus sacramenti. Tum quia: hoc sacramentum est memoriale suæ Passionis, in qua Christus est Sacerdos, & hostia.*

VI. Porro Christum de facto corpus suum, & sanguinem sumpsisse, indicant ejus verba, Lucæ 22. v. 15. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Quæ de novo Paschate, quod ipse instituturus, & manducaturus erat cum illis, intelligunt Tertullianus, *l. 4. contra Marcion. c. 40.* Chrysost. *Homil. 83. in Matth.* & S. Thom. *hoc art. 1. ad 3.* Alioquin cur tantum desiderium habuisset manducandi Pascha vetus, quod singulis annis manducaverat? Addo: quod tunc Christus vere sacrificium obtulit; ergo de illo participavit. Et tandem si alios ad comedendum invitavit, decuit, ut & ipse comederet, & biberet: decet enim convivam, qui alios invitat, simul cum eis sedere ad mensam, & manducare, ac bibere.

VII. Hinc ad primum, quod opponitur, respondeo cum eodem S. Th. citato ex 3. p. q. 81. art. 1. ad 1. *Quod in Evangeliis legitur, quod Christus accepit panem, & calicem. Non est autem intelligendum, quod acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt; sed eo modo accepit, quo aliis accipiendum tradidit. Unde cum Discipulis dixerit*: Accipite, & comedite; *& iterum*: Accipite, & bibite: *intelligendum est, quod ipse accipiens comederit, & biberit. Unde quidam metrice dixerunt*:

Rex sedet in Cœna turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

VIII. Ad secundum dico cum eodem S. Thom. *ad* 2. quod cum Christus, ut est sub hoc sacramento, non comparetur ad locum: *Secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones specierum sacramentalium: ita, quod in quocumque loco, ubi sunt species, est ipse Christus. Et quia species illæ potuerunt esse in manibus, & in ore Christi; ipse totus Christus potuit esse in suis manibus, & in suo ore.*

IX. Ad tertium respondeo cum S. Thoma *ad* 3. Christum manducasse suum Corpus sacramentaliter; quia sumpsit suum corpus, & sanguinem sub sacramento. Et etiam spiritualiter: non quidem gratiæ augmentum (quia ab initio plenus gratia, augmenti capax non erat) recipiendo, sed spiritualem quamdam dulcedinis delectationem ex sui corporis, ac sanguinis sumptione percipiendo.

§. III.

Aliqua pro Integra Resolutione Dubii.

X. Quæres primo: Quid, si facta consecratione, miraculose appareret corpus Christi sub specie carnis, & sanguis sub specie sanguinis, esset ne utrumque a Sacerdote sumendum?

Respondeo cum S. Thom. *3. p. q. 82. art. 4. ad 3.* in tali casu non esse sumendum: *Dicit enim Origenes, Homil. 7. in Levit.* (& habet, cap. 76. de Consecr. dist. 2.) de hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet: de illa vero, quam Christus in ara Crucis obtulit, secundum se nulli edere licet: *Nec propter hoc Sacerdos transgressor efficitur: quia ea, quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset Sacerdoti, quod iterato corpus, & sanguinem Domini consecraret, & sumeret.* Ita S. Th. Quæ tamen intelligenda sunt, si nedum aliquibus aliis, sed etiam ipsi Sacerdoti sub specie carnis, & sanguinis appareat. Verum, si licet aliquibus sub specie carnis, & sanguinis appareat, ipsi tamen Sacerdoti sub specie panis, & vini videatur, ut ante: vel licet per aliquod temporis sub specie carnis, & sanguinis apparuerit, postmodum tamen ante Communionem iterum sub specie panis ab ipso videatur, sumere debebit. Quia in hoc casu nulla immutatio in sacramento, sed tantum in oculis videntium facta esset, ut docet S. Thom. *3. p. q. 76. art. 8.*

XI. Quæres secundo: Quid si in calicem musca, vel aranea, vel aliquid venenosum caderet post consecrationem; vel Sacerdos sciret, hostiæ, vel calici immissum fuisse venenum causa occidendi ipsum? Peccaret ne Sacerdos, si sciens sumeret, quasi occidens seipsum sumendo, vel Deum tentans?

Respondet S. Thom. *3. p. q. 83. art. 6. ad 3. Quod si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum; debet effundi, & abluto calice denuo aliud vinum apponi consecrandum. Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit; debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi esse deprehenderit immissum: nullo modo debet sumere, nec aliis dare, ne calix vita vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari. Et ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere a consecratione sanguinis, & sacrificium perficere.* Ita S. Thom.

XII. Quæres tertio: Quid si Sacerdos ante consecrationem, vel post, recolit se non esse jejunum, vel esse in peccato mortali, aut excommunicatione ligatum; debebit ne novum peccatum mortale committere, & sumere?

Respondeo cum S. Thoma citato, *ad secundum* quod, ut supra diximus: *Ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est, quod est contra perfectionem hujus sacramenti; quia hoc est immane sacrilegium: minus autem est illud, quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo, si Sacerdos post consecrationem inceptam, recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse; nihilominus debet perficere sacrificium, & sumere Sacramentum. Similiter si recordetur, se peccatum aliquod commisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi; & sic non indigne, sed fructuose sumet sacramentum. Et eadem ratio est, si meminerit, se excommunicationi cuicumque subjacere: debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi; & sic per invisibilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequetur, quantum ad hunc actum, quod peragat divina Mysteria. Si vero ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor; tutius reputarem, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.*

XIII. Quæres quarto: Quid si Sacerdos post consecrationem moriatur, aut a sensibus alienetur? Tunc certe non potest sumere.

Respondeo cum S. Thom. laudato, ad 1. *Quod si Sacerdos morte, aut infirmitate gravi occupetur ante consecrationem corporis, & sanguinis Domini, non oportet, ut per alium suppleatur. Si vero incepta consecratione hoc acciderit, puta, consecrato corpore, ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato utroque; debet Missa celebritas per alium expleri, ut habetur* in Concil. Toletano VIII. Can. 2. relato in Decret. 7. q. 1. Cap. *Nihil.*

XIV. Quæres quinto: Quid si ex negligentia, vel casu, aut aqua non ponitur in calice, aut etiam loco vini aqua; debetne sumere, an relinquere?

Respondet S. Thom. ut supra, ad 4. *Quod si Sacerdos ante consecrationem sanguinis, & post consecrationem corporis*

poris percipiat ; aut vinum , aut aquam non esse in calice, debet statim apponere , & consecrare . Si vero post consecrationis verba perceperit , quod aqua desit , debet nihilominus procedere ; quia impositio aquæ , ut supra dictum est (q. 74. art. 7.) *non est de necessitate sacramenti : debet tamen puniri ille , ex cujus negligentia hoc contingit . Nullo autem modo debet aqua vino jam consecrato misceri : quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte , ut supra dictum est* (q. 77. art. 8.) *Si vero percipiat post verba consecrationis , quod vinum non fuerit positum in calicem : si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis , debet , deposita aqua , si ibi fuerit , imponere vinum cum aqua , & resumere a verbis consecrationis sanguinis : si vero hoc perceperit post sumptionem corporis , aliam hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine . Quod ideo dico , quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis , non servaretur debitus ordo consecrandi : & sicut dicitur in prædicto cap. 2. Concilii Toletani VII.* Perfecta non possunt videri sacrificia , nisi perfecto ordine compleantur. *Si viro inciperet a consecratione sanguinis , & repeteret omnia verba consequentia , non competeret , nisi adesset hostia consecrata ; cum in verbis illis occurrant quædam dicenda , & fienda , non solum circa sanguinem , sed etiam circa corpus . Et debet in fine iterum sumere hostiam consecratam , & sanguinem , non obstante etiam si prius sumpserit aquam , quæ erat in calice : quia præceptum de perfectione , vel de perceptione hujus sacramenti majoris est ponderis , quam præceptum , quod sacramentum a jejunis sumatur , ut supra dictum est* (qu. 80. art. 8.) Præfatæ S. Th. regulæ alta mente sunt reponendæ a Sacerdotibus, ut casibus, qui in celebratione Missæ eis acciderint prompte occurrere possint.

QUÆSTIO II.

De Valore , & Subjecto Sacrificii Missæ.

EXplicata essentia sacrificii Missæ, ejus valorem , & efficaciam , & insuper subjectum , cui potest applicari , hac in quæstione examinare intendimus.

DUBIUM I.

An Fructus , seu Valor Missæ sit Infinitus , an Finitus ?

§. I.

Quædam Prænotantur.

I. VAlor , seu fructus sacrificii Missæ est triplex . Vel meritorius , causans scilicet meritum in eis , qui illud operantur . Vel impetratorius , impetrando a Deo bona, tum spiritualia, tum temporalia. Vel satisfactorius, relaxando pœnam, quam debent solvere justi , sive in hac vita, sive in Purgatorio post mortem.

II. Sex sunt , qui concurrunt ad offerendum Missæ sacrificium . Primo : Christus principalis sacrificans. Tum quia : omnia, & singula sacrificia in Cruce æterno Patri obtulit . Tum quia: sacerdos celebrans , ejus nomine , & in ejus potestate consecrat . Tum etiam: quia non solum rata habet in Cælis sacrificia , quæ nomine suo fiunt in terris; sed etiam tamquam Summus Sacerdos singula, quæ fiunt in terris, ob majorem in Patrem suum reverentiam, ei offert in Cælis . —— Secundo: Homo Christianus sacerdotali charactere insignitus , qui a Christo potestatem habet consecrandi , & sacrificandi , ut docet S. Th. 3. p. q. 83. art. 1. & 3. & definitum est a Tridentino, *Sess. 22. c. 1. & Can. 2.* —— Tertio: Universa Ecclesia, quæ per Sacerdotes tamquam per suos Legatos petit a Deo, quod sibi necessarium est. —— Quarto : illi, qui cooperantur sacrificio, vel adjuvant Sacerdotem, vel ei stipendium exhibendo, vel actu ei inserviendo, vel paramenta ministrando. —— Quinto: Illi, qui pie, ac devote intersunt corporaliter sacrificio Missæ. —— Sexto tandem: qui, cum impediti nequeant corporaliter adesse sacrificio , adsunt spiritualiter suis affectibus vota Sacerdotis prosequentes.

III. Fructus vero, sive valor sacrificii Missæ duplex est. Unus ex opere operato , alter ex opere operantis . Primus, est fructus, & effectus immediate proveniens ab ipso opere instituto a Deo ad hunc effectum producendum , præscindendo a merito Ministri , & suscipientis . Secundus, ille est, qui ulterius habetur ex actione , & merito Ministri , & suscipientis. Sit exemplum . Si in sacrificio Missæ, nulla concurrente devotione celebrantis, remittantur animæ, pro qua offertur, triginta anni pœnarum luendarum in Purgatorio; talis remissio est ex opere operato. Si vero ob summam devotionem, ac pietatem celebrantis remittantur ei quadraginta anni pœnarum; illi decem supra triginta censentur fructus ex opere operantis . Quare hæc est differentia inter fructum ex opere operato, & ex opere operantis : quod ille respicit tempus præteritum , nempe , merita , & satisfactiones Christi præteritas , & opera ab ipso instituta; ut eis sua merita ad nos deferantur: adeoque fructus iste semper percipitur, nisi adsit obex in suscipiente. Iste vero respicit tempus præsens, nempe, qualitatem præsentem Ministri, qui hic, & nunc devote, vel indevote sacrificium peragit; ideoque non semper habetur, etsi ille, pro quo sacrificium offertur, dispositus sit.

In hoc sensu docet S. Th. 3. p. q. 82. art. 6. *Quod in Missa duo est considerare : scilicet ipsum sacramentum , quod est principale ; & orationes , quæ in Missa fiunt pro vivis , mortuis . Quantum ergo ad sacramentum , non minus valet Missa Sacerdotis mali , quam boni ; quia utrobique idem conficitur sacramentum . Oratio etiam , quæ fit in Missa , potest considerari dupliciter . Uno modo in quantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis : & sic non est dubium , quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa . Alio modo , in quantum oratio in Missa profertur a Sacerdote in persona totius Ecclesiæ , cujus Sacerdos est minister : quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet , sicut supra dictum est* (a. præced.) *de ministerio Christi . Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa , non solum oratio Sacerdotis peccatoris in Missa ; sed etiam omnes ejus orationes , quas facit in Ecclesiasticis officiis , in quibus gerit personam Ecclesiæ : licet orationes ejus privatæ non sint fructuosæ , secundum illud , Proverb.* 28. Qui declinat aures suas , ne audiat legem , oratio ejus erit execrabilis. Hæc S. Thom. doctrina bene est observanda.

IV. His ergo præmissis ; cum quæritur : an fructus, seu valor sacrificii Missæ sit infinitus, non est sermo de valore operis operantis : hic enim sive desumatur a bonitate, & devotione Sacerdotis celebrantis, sive universæ Ecclesiæ, ministrantium, adstantium , aliorumque offerentium, procul dubio finitus, & limitatus est: cum sanctitas omnium mortalium finita sit, ac limitata . Sed de valore ex opere operato , proveniente scilicet ab ipso Christo principali offerente, & opere ab ipso instituto, cui sua infinita merita applicavit.

V. Qua in re uniformes non invenio Theologos . Aliqui enim affirmant, valorem sacrificii Missæ esse extensive infinitum ; ita ut una Missa possit applicari pluribus : ac tantumdem unicuique profit , ac si nulli alteri applicata fuisset , Pro hoc referuntur Cajetanus, Sylvester, Canus &c. Alii vero e contrario docent , valorem Missæ etiam ex opere operato esse extrinsece limitatum. Unde si una Missa dicatur pro pluribus, minus prodest singulis, quam si dicta esset tantum pro uno; quia fructus, quem habuisset iste unus, dividitur inter plures: & ita singuli minorem partem habent. Ita S. Bonaventura, Scotus, & alii.

Facilis tamen erit ab hac controversia expeditio, si recolatur, dupliciter posse concipi , Missam esse ex opere operato valoris infiniti. Uno modo ex parte actus primi, & quoad sufficientiam. Alio modo ex parte actus secundi, & quoad efficaciam. Quare sit,

§. II.

Resolutio Dubii.

VI. DIco . Valor sacrificii Missæ quoad virtutem , & sufficientiam infinitus est: quoad effectum vero , & efficaciam , quam, ut oblatum per Ecclesiæ Ministros, de facto, & in actu secundo producit, finitus, & limitatus est. Prior pars probatur . Sacrificium Missæ idem est cum sacrificio Crucis ; est enim eadem victima, quæ in sacrificio Crucis fuit oblata, & idem principalis offerens, nempe, Christus: sola tantum ratione offerendi diversum, ut ait Tridentinum, *Sess. 22. cap. 2.* sed sacrificium Crucis fuit, & est valoris infiniti quantum ad sufficientiam; quia non potest in nobis tot causare merita , & satisfactiones exhibere, quin possit ad plures, & plures in infinitum se extendere; ergo &c.

VII. Secunda pars prob. Eodem exemplo sacrificii crucis, quod licet in genere meriti, satisfactionis , & pretii fuerit, & sit valoris infiniti; nullum tamen effectum infinitum de facto in nobis operatur: quia se habet per modum causæ universalis requirentis ad sui efficaciam dispositionem, & cooperationem subjecti, & causæ particularis . Cum igitur applicatio , & dispositio subjecti , tum offerentis per modum ministri , tum aliorum adstantium &c. eorumque cooperatio finita sit, & limitata; sequitur, quod etiam effectus inde secutus finitus sit, & limitatus.

VIII. Urgetur hoc ab inconvenientibus . Si Missæ de facto corresponderet effectus infinitus , tam prodesset omnibus, quam singulis, & Ecclesia uno sacrificio totum purgatorium evacuare posset ; sicque non deberet curare, ut Anniversaria pro eadem anima celebrarentur . Morituri frustra ordinarent , pro anima sua tot Missas dici ; & sic essent superflua tot legata , & tot capellaniæ perpetuæ . —— Rursus: Sacerdos inique , & contra charitatem ageret , applicando pro una persona sacrificium , si absque diminutione effectus tam prodesset omnibus , quam uni ; & superfluerent in Ecclesia aliæ orationes, si pro infinitis gratiis una Missa efficax esset. —— Demum Sacerdos, qui accepisset eleemosynam pro centum missis a centum personis, posset pro omnibus satisfacere dicendo tantum unam Missam : nam tantum prodesset illis una Missa , quantum centum : hoc autem damnatum esse videbimus ab Alexandro VII. post Urbanum VIII.

IX. Limitatio autem efficaciæ in sacrificio Missæ petitur ex mera Christi voluntate : qui sicut uno actu po-

tuisset pro peccatis nostris: satisfacere, tamen, amoris causa erga nos, voluit actus multiplicare usque ad mortem Crucis: ita licet per unam incruenti sacrificii oblationem, sive per se ipsum, sive per ministros peractam, potuisset quælibet a Deo, & pro quibuslibet impetrare; voluit tamen, ut certa mensura fructus applicaretur, aptata, non ad virtutem sacrificii, sed ad actionem offerentium: ut per iteratas oblationes frequentius recoleremus memoriam mortis suæ; & ut quotidiana per ministros suos oblatione nostrum amorem captaret, & ipse vicissim nobis exhiberet suum.

X. Quantitas vero, seu intensio fructus, qui ex sacrificio Missæ percipitur, pensatur primo: Ex speciali applicatione, & intentione offerentis. Nam oratio specialiter facta pro uno, magis illi prodest, quando alias non demeretur, quam oratio solum communis. Unde Christus, *Luca 22. v. 32.* fassus est, se specialiter rogasse pro Petro, ne deficeret fides ejus. *Act. 12. v. 5.* Oratio facta ab Ecclesia pro Petro, eum a carcere Herodis eripere meruit. Et Paulus, *ad Ephes. 6. v. 18.* post præscriptas Ephesiis orationes communes, præcipit, ut pro se orent. Hinc merito proscriptus fuit inter Wicleffi articulos hic, n. 19. *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, cæteris paribus.*

Secundo. Quantitas fructus sumitur ex majori, vel minori dispositione personæ, pro qua offertur, & etiam offerentis. Et colligitur ex S. Thom. *3. p. q. 79. art. 5.* Ubi dicit: quod Missa *In quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam: sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Unde & Dominus dicit, Luca 21. de Vidua, quæ obtulit duo æra, quod* Plus omnibus misit. *Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna.*

§. III.

Solvuntur Objectiones contrariæ Opinionis.

XI. PRimo objiciunt. Actio Ministri non potest limitare effectum sacrificii Missæ. Nam minister non offert, nisi in persona Christi, qui est offerens principalis; ergo cum Christus infinitæ virtutis, & meriti sit, effectum infinitum operatur.

XII. Respondeo, quod licet virtus, & sufficientia sacrificii Missæ, quæ totaliter sumitur ex infinitate hostiæ, & principalis offerentis limitari non queat a finitate ministri, qui offert; & ideo sacrificium Missæ, quamvis oblatum actione finita Sacerdotis, sit tamen quantum ad sufficientiam infinitum: tamen efficacia, & effectus (cum, sic volente Christo, per Ecclesiæ ministros offeratur, & applicetur) ex hac parte finitus evadit, & limitatus.

XIII. Dices. Sacrificium Missæ quoad victimam idem est, ac Sacrificium Crucis, & idem etiam est principalis offerens, nempe, Christus: sed sacrificium Crucis de facto satisfecit, fuitque æque oblatum, & æque profuit omnibus, ac singulis, dicente Paulo, Hebr. 10. v. 14. *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos;* ergo etiam sacrificium Missæ.

Respondeo, quod licet in sacrificio Missæ sit idem principalis offerens, & eadem victima, ac in sacrificio Crucis; diversitas tamen est, quod in sacrificio crucis Christus erat principalis offerens se ipsum actione propria, & per se ipsum, ac propriis meritis, quæ tunc operabatur: cumque actio Christi sit meriti, & satisfactionis infinitæ; ideo valor sacrificii crucis infinitus fuit, tum ex parte rei oblatæ, tum ex parte offerentis. At sacrificium Missæ Christus quidem principaliter offert; non tamen per se ipsum, & actione propria, sed per manus, & actionem ministrorum suorum: nec modo offerendo se ipsum in sacrificio Missæ patitur, aut satisfacit pro nobis; sed solum applicat merita sua per intentionem, & actionem ministri, per quem voluit finito ac limitato modo, idest, secundum mensuram dispositionis nostræ ad nos descendere.

XIV. Sed replicabis. Sicut Missa de se virtutem habet; ita de se habet virtutem infinitam; sed actio mala Sacerdotis offerentis non tollit a Missa virtutem; quia esto a malo Sacerdote celebrata adhuc prodest, ut diximus; ergo neque actio finita offerentis tollit infinitatem.

Respondeo disparem esse rationem. Quia fructus, quem habet Missa ex opere operato, descendit immediate a Christo in Ecclesiam, cujus nomine agit minister; qui licet sit malus in se, non desinit tamen esse minister. Unde sacrificium ab ipso celebratum non privatur effectu suo per malitiam celebrantis. Verum ejusdem sacrificii fructus (sic volente Christo) applicatur, & determinatur per intentionem, & actionem ministri; unde non mirum, si quoad quantitatem determinatur, & limitatur. Unde S. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 4. q. 3. ad 3. *Quamvis* (inquit) *virtus Christi, quæ continetur sub sacramento Eucharistiæ, sit infinita; tamen determinatus est effectus, ad quem illud sacramentum ordinatur: unde non oportet, quod per unum altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in Purgatorio, expietur &c.*

Respondeo secundo, nego min. Nam esto malitia Sacerdotis non tollat effectum, quem habet Missa ex opere operato; minuit tamen effectum, quem habet ex opere operantis: & hoc modo dicit S. Th. *3. p. q. 82. art. 6.* quod Missa mali Sacerdotis non est ita fructuosa, sicut Missa boni Sacerdotis.

XV. Secundo objiciunt, Missam æqualiter prodesse oblatam pro pluribus, ac pro uno tantum. — Primo. Fructus Missæ non debet esse inferior fructu Baptismi: sed qui eodem tempore baptizat plures, tantam gratiam confert singulis, quantam omnibus, & remissionem peccatorum omnibus, ac si baptizaret unum; ergo &c. — Secundo. Lux e candela sine diminutione, & æqualiter communicatur paucis, ac multis. Rursus: ex lectione, quæ uni legitur, nihil ei deerit, si simul aliis legatur. — Tertio. Ex communi usu Ecclesiæ cum Missa pro aliquo defuncto dicitur, simul orationes adjunguntur, & commemoratio fit pro aliis defunctis: hoc autem non fieret, si ex hoc defunctus, pro quo Missa dicitur, aliquod detrimentum reportaret. — Quarto. Apud Deum sicut non differt juvare per multos, vel per paucos; ita non differt juvare multos, vel paucos; ergo quantum juvaretur unus ex una oratione, si pro eo tantum fieret, tantum juvabuntur singuli ex multis, si eadem oratio pro multis fiat. — Quinto. In C. *Non mediocriter* 24. de Consecrat. dist. 5. Hieronymus, ait: *Cum igitur pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro unoquolibet ipsorum diceretur, accipitur.*

XVI. Respondeo, nego ant. Ad primam probat. dico, plures baptizatos eodem tempore ab uno, ideo æqualem gratiam recipere, & plenam remissionem peccatorum, & pœnæ; quia quot sunt baptizati, licet ab uno, tot sunt Baptismata. At in casu, sacrificium Missæ remanet semper unum, etsi pro pluribus applicetur: & ideo non tantum prodest pluribus, quantum uni.

XVII. Ad secundum respondeo ex S. Thom. in 4. *dist. 45. quæst. 2. art. 4. quæst. 1. ad 1.* & *quæst. 2. ad 1.* disparem esse rationem: quia lumen, & lectio, seu doctrina operantur per modum actionis: actio autem facta pro uno, æqualiter prodest multis, si sint in æquali dispositione, immo si magis dispositi sint, magis recipiunt, quam ille, pro quo fit. Verum Missa, orationes, & suffragia prosunt, & valent per modum solutionis debiti, & satisfactionis ex intentione facientis translatæ in alterum: satisfactio autem, seu solutio debiti facta pro uno, non est solutio debiti aliorum. Unde Missa non debet *comparari* lumini, aut lectioni, sed potius solutioni debiti; quæ tanta non est divisa inter multos, quanta uni soli applicata.

XVIII. Ad tertium dico, in Missa oblata pro uno adjungi orationes pro aliis, absque detrimento ejus, pro quo offertur: quia isti correspondet fructus specialis, & ex opere operato; aliis vero fructus orationum pendens ex opere, & devotione operantis. — Addo ex S. Th. citato loco, *quæst. 2. ad 2.* quod suffragia pro uno facta etiam aliis prosunt virtute charitatis, quæ facit omnia communia. *Et ideo cum pro uno Missa dicitur, non est inconveniens, ut pro aliis etiam orationes fiant. Non enim ad hoc dicuntur aliæ orationes, ut satisfactio unius suffragii determinetur ad alios principaliter; sed ut illis oratio pro eis specialiter facta prosit.*

Pro horum majori declaratione noto ex communi Theologorum sententia: triplicem esse fructum Missæ. Generalissimum, medium, & specialissimum. Generalissimus ex institutione Christi percipitur a tota Ecclesia, idest, ab omnibus fidelibus. Unde ex sacrificiis, quæ celebrantur in toto orbe, participant hunc fructum tota Ecclesia militans, & purgans; omnes scilicet Fideles vivi (non tamen excommunicati, & in peccato mortali) & etiam defuncti: tum ad remissionem pœnarum pro peccatis jam condonatis debitarum: tum ad impetrationem bonorum spiritualium, ac temporalium. Medius, seu specialis, conceditur illi, qui dat stipendium, vel pro quo specialiter offertur: cujus etiam aliquomodo participes fiunt, qui quoquomodo concelebrant, vel juvant celebrantem. Specialissimus correspondet Sacerdoti devote celebranti. Qui quidem fructus non solum æqualis est fructui medio, seu speciali, sed etiam major: tum ex ministerio proximiori: tum ex majori devotione, & fide, ac charitate, quæ inter celebrandum excitatur.

XIX. Ad quartum respondet S. Thom. in 4. loco citato, q. 2. ad 3. *Quod oratio consideratur & ex parte orantis, & ex parte ejus, qui oratur; & ex utroque effectus ejus dependet. Et ideo quamvis divinæ virtuti non sit magis difficile absolvere multos, quam unum; tamen hujusmodi orantis oratio non est ita satisfactoria pro multis, sicut pro uno.* Maxime si ex intentione orantis determinatur, & dirigitur ad unum.

XX. Ad quintum, admisso gratis verba illa esse Hieronymi, (quod multi negant, volentes ea addita esse a Gratiano, & desumpta a Lupo Oliveto in regula Monachorum collecta ex scriptis Hieronymi) dico primo: ea verba exponenda esse de valore, & devotione operantis, qui recitando cum devotione unum psalmum pro multis, adæquare potest fructum recitationis centum psalmorum

pro

pro uno, si eos recitet sine attentione, & devotione. Vel dico secundo: quod adhuc sumptis illis verbis de fructu ex opere operato, idem potest esse fructus Missæ celebratæ pro uno tantum, ac pro pluribus: sed non sequitur, tantam portionem dari singulis, celebrata Missa pro pluribus, quantum unus habet, si pro eo solo celebretur. *Sic enim* (ait S. Thom. citato loco, quæst. 2.) *effectus suffragii dividitur ex divina justitia inter eos, pro quibus suffragia fiunt: & ex hoc etiam patet, quare institutum sit, ut suffragia specialia in Ecclesia fiant.*

§. IV.

Aliqua ad Praxim spectantia.

XXI. EX dictis infertur primo; quod qui pro pluribus Missis plura stipendia accipit, non satisfacit celebrando unam Missam pro omnibus; immo graviter peccaret sic faciens, & teneretur ad restitutionem. Et ratio est. Quia dans, vel dantes plura stipendia pro pluribus Missis petit, vel petunt, & in jure sunt, ut Sacerdos applicet totum fructum specialem sacrificii vel pluries, vel pro singulis; ergo si Sacerdos, celebrando unam Missam tantum, dividat sacrificium, & fructum ejus in plures, minuit fructum singulis correspondentem, & fraudat Fideles justa petitione sua, & jure acquisito ratione stipendii erogati, ut Missam pro singulis, & pluries applicaret.

XXII. Nec obstat, stipendium aliquando esse insufficiens ad alendum eo die Sacerdotem —— Nam qui a Sacerdote Missam postulant, diurnam sustentationem illi ex toto non debent. Et ideo Tridentinum, *Sess. 21. cap. 2. de Reform.* statuit, ne quis deinceps Clericus sæcularis ad sacros Ordines promoveatur; nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, vel certe patrimonium, aut pensionem habere, quæ ipsi ad vitam sustentandam satis sint. Qua ratione Sacra Congregatio Tridentini prius sub Urbano VIII. 1625. deinde sub Alexandro VII. 1665. Decreto suo mandavit, sub pœna excommunicationis, defendi non posse hanc propositionem, num. 10. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, dum stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

XXIII. Infertur secundo: quod Sacerdos pro uno obligatus Missam celebrare, non potest accipere aliud stipendium ab altero, cui applicet fructum, seu partem fructus specialissimi sibi celebranti debitam. Oppositum enim damnavit eadem Congregatio sub Alexandro VII. num. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.* Et ratio est. Quia pars fructus Sacerdoti debita est personalis, & alteri incommunicabilis: & indecens est, ut propter lucrum Sacerdos privet se, & renuntiet bono spirituali sibi ex sacrificio, quod offert, provenienti.

XXIV. Quæres tamen: An fructus Missæ latreuticus, propitiatorius, & impetratorius possint invicem separari; ita ut una Missa possit diversis personis, & ad diversos fines applicari? puta, uni in gratiarum actionem pro beneficio obtento, alteri in satisfactionem peccatorum, & alteri ad impetrandum beneficium. Sit casus. A Sacerdote celebraturo unus petit Missam pro gratiarum actione, & fructum latreuticum; alter pro anima existente in Purgatorio, & fructum propitiatorium: & alter ad impetrandam aeris serenitatem, & sic fructum impetratorium. Poterit ne Sacerdos istos fructus dividere, & eadem Missa his tribus obligationibus satisfacere?

XXV. Clericatus, de sacrificio Missæ, *dec. 24.* referens alios concedit per voluntatem sacrificantis absolute posse fructus istos separari, & divisim applicari ejus arbitrio. Sunt enim invicem independentes, & nullibi præceptum legitur, eos esse simul applicandos: ideoque licitum fore Sacerdoti pro sua voluntate de illis disponere —— Verum hujus divisæ applicationis praxim non approbat, nisi in duobus casibus. Primus est: quando Sacerdos ex sola liberalitate celebrat; & piis petitionibus supradictis vult satisfacere nullo recepto stipendio. In hoc enim casu potest divisim applicare fructus Missæ; quia liberalis promissio ita est interpretanda, ut minus sit onerosa promittenti, *l. quidquid adstringenda* ff. de Verb. Obligat. at si stipendia pro dictis fructibus erogentur, iisdem unita Missa fieri satis non potest. Tum ob decreta supra relata id vetantia. Tum quia: qui pro Missa stipem dat, intendit consequi fructus omnes ex Missa provenientes —— Secundus casus est: si stipem dans pro Missis, expresse declaret, se non exigere, nisi unum ex prædictis fructibus sacrificii. Tunc enim, quia volenti, & consentienti non fit injuria, poterit Sacerdos tuta conscientia acceptare plura stipendia, & divisim fructus requisitos applicare. Ita ex Clericato præfato.

XXVI. Infertur tertio. Sacerdotem, qui Missam celebrandam cum certa eleemosyna suscipit, Missam alteri Sacerdoti celebrandam committere non posse, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta; etiamsi justum, & consuetum honorarium Sacerdoti celebranti concedat. Oppositum namque damnatum fuit ab eodem Alexando VII. (post Urbanum VIII.) *num. 9.* his verbis: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et ratio est. Quia eleemosyna illa tota quanta est pro Missa celebranda est erogata; ergo ei, qui non celebrat, est indebita: unde non sine crimine furti potest eam, vel partem ejus sibi retinere.

XXVII. Rector tamen beneficii, qui ad alterum transmittit onus celebrandi Missas, ad quas ratione beneficii est obligatus, non tenetur Sacerdoti pro eo celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii: sed satis est, ut ei tribuat eleemosynam congruam, secundum morem civitatis, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit. Ita S. Congreg. sub Urbano VIII. Et ratio mihi videtur esse. Quia fructus beneficii non datur unice ad celebrationem Missæ, sed ad alimentum Sacerdotis, ut in aliis etiam inserviat Ecclesiæ.

XXVIII. Quæres: An liceat Missas celebrare pro illis incertis, qui Missas postulaturi, & eleemosynas daturi sunt?

Quidam opinati sunt, licere: modo tamen non licere tenendum est, sic enim decretum fuit 15. Novembris 1605. sub Paulo V. & oppositum, ut periculosum reprobatum. Fraudaretur enim intentio Fidelium, qui Missam offerri volunt pro illa præsenti, & urgenti necessitate; & retraherentur ab eleemosynis tradendis pro celebratione Missarum, si Sacerdos offerenti eleemosynam responderet, applico tibi Missam, quam heri celebravi: facile enim sibi persuaderent, eum accipere stipendium, & onus pro quo accepit, non persolvere. Tum etiam, quia potest esse, ut qui daturus est stipem cras, hodie non indigeat fructu satisfactionis; ergo ne fructus ille manebit suspensus usque ad aliam diem, qua indigebat.

Excipiunt tamen aliqui casum: quando scilicet aliquis ex obligatione fixa alicujus Capellæ tenetur celebrare tot Missas singulis hebdomadibus; vel in posterum pro certa persona, & certa intentione. Volunt enim, quod huic oneri satisfacere possit, in antecedente hebdomada celebrando. Sed alii hoc negant: quia cum a voluntate testatoris statutum est tempus celebrationis; si aliter celebretur, voluntas ejus videtur eludi. Alia super his quæsita proposita, ac resoluta a S. Congreg. sub Urbano VIII. 1625. & sub Innocentio XII. confirmata, *anno 1697. 23.* Novembris, affert Mattheuccius: *Officia Cur. Eccles. cap. 19. §. 1. & 2.* quæ Studioso percurrenda relinquo.

DUBIUM II.

An Missa pro omnibus in Mortali Vita degentibus offerri possit?

§. I.

Soli Deo Offertur.

I. NUnc de subjecto, vel quasi subjecto sacrificii Missæ agere intendimus. Cumque hoc sit duplex, nempe *cui* sacrificium offertur, & *pro quo* offertur; ut certum præmitto, sacrificium Missæ soli Deo offerri posse. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst. 85. art. 2.* Sacrificium enim exterius est actus supremus latriæ, quo significatur aliud sacrificium interius, quo anima sese submittit, ac testatur aliquem supremum dominum, primum principium, & ultimum finem: atqui secundum veram fidem solus Deus est supremus Dominus, solus Creator animarum nostrarum, solus earum ultimus finis, in quo solo nostra vera beatitudo consistit, ut suis locis ostendimus; ergo illi soli &c. Merito igitur, *Exodi 12. vers. 20.* pœna mortis indicitur ei, qui alteri, quam Deo soli, sacrificaverit: *Qui immolat Diis; occidetur, præterquam Domino soli.* Quia sicut in omni Republica summus Rector aliquo signo singulari honorandus est; quod si cuicumque alteri deferretur, esset crimen læsæ majestatis: ita cum sacrificium sit actus supremus cultus, & latriæ, quo veneramur supremum omnium creatorum Creatorem, omnium Dominum, ac ultimum finem; juste pœna mortis plectendus erat, ut reus læsæ divinæ majestatis, qui illud alteri, quam Deo, offerret.

II. Eadem ratione nulli potest erigi Templum, aut Altare nisi Deo. Hac enim ratione S. Thomas 4. *Contra Gentes, c. 17.* ostendit, Spiritum Sanctum esse Deum: *Nulli enim* (inquit) *templum consecratur nisi Deo. Unde, & in Psalm. 10. dicitur,* Deus in templo Sancto suo. *Deputatur autem templum Spiritui Sancto: dicit enim Apostolus, 1. Cor. 6.* An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti: *Spiritus ergo Sanctus Deus est.*

Quare templa, & altaria non dicuntur consecrata, aut dedicata Sanctis, quorum nomina præseferunt; sed Deo soli in memoriam eorum: sicut neque sacrificia, seu Missæ, licet dicantur Missæ Sanctorum, soli tamen Deo offeruntur. Hac necessaria cautela loqui debemus, ut Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque ejusdem furfuris hominum calumniam depellamus; sicut eam jam depulit S. Thom. citato loco, *ad 3.* ex S. August. 8. *de Civit. Dei, cap. ultimo,* & Tridentinum, *Sess. 22. cap. 3.* his verbis: *Et quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas inter-*

interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ſolet: Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo; illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam facimus in terris. Id etiam oſtendit Canon Miſſæ, ubi dicimus: *Te igitur Clementiſſime Pater ſupplices rogamus, ac petimus, ut accepta habeas, & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica &c.* —— Recitantur autem in eodem Canone nomina B. Virginis, Apoſtolorum, & quorumdam Martyrum, ſed tamquam eorum, quorum memoriam veneramur: unde dicimus: *Communicantes, & memoriam venerantes, in primis gloriosæ ſemper Virginis Mariæ, ſed & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli &c.*

III. Porro hujus conſuetudinis perpetuus teſtis eſt antiquitas. Id videre eſt apud Cyprianum, *Epiſt.* 34. & 37. ubi: *Dies* (inquit) *eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Apud Cyrillum Jeroſolym. *Catechesi* 5. *Myſtagog.* quæ eſt de ſacra Liturgia, aſſerentem memoriam fieri *Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum; ut Deus eorum precibus, & legationibus orationem noſtram ſuſcipiat . . . dum ſancta, & per quam tremenda coram jacet victima.* Apud Chryſoſtomum, *Hom.* 21. *in Acta*, ubi de Martyribus ait: *Magnus honor nominari, Domino præſente, dum mors illa perficitur, & horrendum ſacrificium, & ineffabilia ſacramenta.*

IV. Martyres nominari in ſacrificio, quod ſoli Deo offertur, teſtatur præ cæteris S. Auguſt. *l.* 22. *de Civ. Dei, cap.* 10. dicens: *Non autem Martyribus noſtris, non templa ſicut Diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed uni Deo & martyrum, & noſtro, ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco, & ordine nominantur; non tamen a Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur* (eo invocationis genere, quo Deus in ſacrificio vocatur) *Deo quippe, non ipſis ſacrificat; quamvis in memoria ſacrificet eorum; quia Dei Sacerdos eſt non illorum. Ipſum vero ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt, & ipſi.* Item, l. 20. contra Fauſtum, cap. 21. ait: *Populus autem Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur Deo qui martyres coronavit &c.* Ad hæc & alia, ſi moderni Sectarii reſpicere vellent, comprehenderent, Catholicos in ſacrificio Miſſæ non martyribus, aut aliis Sanctis, ſed Deo ſoli, ut Eccleſia antiqua in uſu habuit, ſacrificare, & offerre: & proinde, quod ipſi nobis imponunt, ex putido Manichæorum fonte, qui id Auguſtino exprobrabant, fluxiſſe, ac merito ſe fuiſſe anathemate damnatos a Tridentino, *Seſſ.* 22. *Can.* 5. his verbis; *Si quis dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem ſanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit: anathema ſit.*

V. His ergo ſtatutis, obſervare debemus, eos pro quibus ſacrificium offerri poteſt, eſſe aut vivos, aut defunctos. Vivis annumerantur omnes homines in terris degentes, fideles, infideles, juſti, peccatores, excommunicati, ſchiſmatici, cathecumeni. Mortuis accenſentur Beati, qui in Cælis ſunt, qui in Purgatorio, qui in Inferno torquentur. In præſenti dubio de vivis ſermo erit: an pro omnibus ſacrificium Miſſæ offerri poſſit.

§. II.

Reſolutio Dubii.

IV. Dico. Sacrificium Miſſæ offerri poteſt pro omnibus hominibus mortalem vitam agentibus, etiam paganis, judæis, hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, Cathecumenis, maxime tamen pro fidelibus Eccleſiæ communione fruentibus. Quoad infideles in uſu fuit etiam apud Eccleſiam veterem. Nam Onias ſummus Pontifex, 2. *Machab.* 3. ſacrificium obtulit pro ſalute Heliodori. Immo pro Spartiatis idem frequenter factum fuiſſe teſtatur Joanathas, 1. Machab. 12. v. 11. *Memores ſumus veſtri in ſacrificiis, quæ offerimus.* Quod etiam pro Dario Rege, cujus juſſu reædificatum fuerat templum, factum eſſe colligitur ex 1. Eſdræ, cap. 6. v. 10. *Ut Offerant oblationes Deo Cæli, orentque pro vita Regis, & filiorum ejus* —— Hæc etiam in nova lege facienda eſſe oſtendit Paulus, 1. *ad Tim.* 2. ubi obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones fieri jubet pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt. Quia (inquit v. 23.) *Hoc bonum eſt, &c. acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Si ergo volebat Paulus, ut fierent orationes pro omnibus, etiam pro Regibus; volebat, ut etiam fierent pro infidelibus: quia tunc maxima hominum pars in infidelitate jacebat, & præcipue Reges, ut obſervat Chryſoſtomus *Hom.* 6. *in Epiſt.* 1. *ad Timoth.*

Ex dictis Pauli verbis hæc formatur ratio. Pro illis offerri poteſt ſacrificium Miſſæ, quos Deus vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & pro quibus Chriſtus ſe obtulit in ſacrificio Crucis, cujus ſacrificium Miſſæ commemoratio eſt: atqui Chriſtus omnes infideles vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & pro omnibus etiam paſſus eſt, & ſacrificium Crucis pro omnibus obtulit, ut *Tract. de voluntate Dei, q.* 2. oſtendi; ergo &c.

VII. Id ſenſerat Tertullianus, *Apolog. cap.* 30. dicens: *Nos enim pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter cæteros malunt.* Et ad Scapulam, c. 2. *Itaque* (inquit) *ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius* —— Auguſtinus etiam; *Epiſt.* 107. modo 217. *ad Vitalem* (cap. 1.) qui fidei initium non eſſe donum Dei aſſerebat, ita ſcribit, ſeu verius eum arguit: *Dic ergo apertiſſime, nos pro iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare, ut credant, ſed eis tantummodo prædicare. Exſere contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas: & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut Deus eos convertat ad fidem, & pro Cathecumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret; & pro Fidelibus; ut in eo, quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent: ſubſanna pias voces, & dic, te non facere quod hortatur; ideſt, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare; eo quod non ſint iſta divinæ miſericordiæ beneficia, ſed humanæ officia voluntatis.* Erat ergo ætate Auguſtini in Eccleſia conſuetudo orandi ad altare pro infidelibus, ut Deus illos fideles faciat, & pro cathecumenis; ac fidelibus, quamvis alio modo.

VIII. Propterea S. Thom. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 1. q. 1. ad 1. *Pro infidelibus* (inquit) *oratur, ſed ipſi fructum orationis non percipiunt, niſi ad fidem convertantur. Similiter, & pro excommunicatis orari poteſt, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ fiunt; & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent: ſed oratur, ut detur eis ſpiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione ſolvantur.* Et ibi, *ad* 2. De excommunicatis addit: *Unde ſuffragia Eccleſiæ eis non proſunt, quæ pro tota Eccleſia fiunt; nec ex intentione Eccleſiæ oratio pro eis inter membra Eccleſiæ fieri poteſt: quamvis aliqua perſona privata poſſet ad eorum converſionem aliquod ſuffragium per intentionem dirigere* —— Ex quibus deducitur, pro infidelibus, & excommunicatis poſſe quidem Sacerdotem orare, & ſacrificium offerre, non tamen ex publica; ſed ex privata intentione. Ita enim fert Eccleſiæ diſciplina, ut eorum qui ſunt extra Eccleſiam, nomina publice non recitentur, nec privatim in ea liturgiæ parte, quam *Memento* nominamus: ſed nihil obſtat, quin Sacerdos de iis cogitet, dum ſacris dat operam; poſtuletque, ut Deus Pater propter Chriſtum, qui in altari præſens ſiſtitur, converſionis, ac reſipiſcentiæ donum eis largiatur.

IX. Dices tamen. S. Aug. l. 1. de Origine animæ, c. 9. (inquit) *Quis offerat ſacrificium corporis Chriſti, niſi pro iis, qui ſunt membra Chriſti?* Secundo: excommunicatis, utpote ab Eccleſia præciſis, non magis proſunt Eccleſiæ preces, quam alimentum proſit membro, quod a reliquo corpore abſciſſum eſt.

X. Reſpondeo ad primum, S. Auguſtinum ibi expreſſe loqui de infantibus, qui mortui ſunt ſine Baptiſmo; qui nec ſunt, nec poſſunt eſſe membra Chriſti. Quod ſi loquatur etiam de vivis, dici poteſt cum S. Thoma, *in* 4. *diſtint.* 12. *quæſt.* 2. *articul.* 2. *ad* 4. quod cum dicitur non offerri niſi pro membris Chriſti: *Intelligendum eſt pro membris Chriſti offerri, quando offertur pro aliquibus, ut ſint membra.*

Ad ſecundum dico cum eodem S. Thom. ibi, quod ſacrificium, & preces licet immediate non profint membris abſciſſis, in quibus vita ſpiritualis non præexiſtit; ſi tamen ea non inveniat indiſpoſita, poſſunt eis gratiam contritionis impetrare, qua iterum fiant membra Chriſti, & vitam ſpiritualem recuperent. Nam licet Euchariſtia, ut ſacramentum eſt, exigat, ut alimentum, vitam ſpiritualem actu in ſuſcipiente: ut tamen ſacrificium eſt, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, etſi non habeant vitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantum. Vide S. Thom. ibi.

XI. Quoad Cathecumenos autem frequentior ſententia eſt, ſacrificium Miſſæ pro eis offerri poſſe; eiſque prodeſſe non ſolum quoad fructum impetrationis, ſed & ſatisfactionis; ſi ob fidem, contritionem, & votum Baptiſmi jam juſtificati ſint: ſic enim Baptiſmo flaminis membra Eccleſiæ aliquomodo factos eſſe jam diximus.

Potiori etiam ratione pro fidelibus, quamvis peccatoribus, ſacrificium Miſſæ offerri poteſt; & virtute veri illius ſacrificii, a quo omnis gratia in nos defluxit, eis vitam gratiæ impetrare nimirum, eis impetrando contritionem.

DUBIUM III.

An liceat offerre Sacrificium pro Damnatis, & Beatis.

§. I.

De Damnatis.

I. DIco. Impium eſſet pro damnatis in Inferno ſacrificium offerre. Prob. Impium enim eſſet Miſſæ ſacrificium offerre pro iis, qui a Chriſti corpore in æternum ſegregati, incapaces ſint ullum percipiendi fructum; nec ad remiſſionem peccatorum obtinendam, nec ad condonationem pœnarum; atqui damnati ſunt perpetuo ſegregati a Chriſti corpore, terribili illa Chriſti ſententia: *Diſcedite a me maledicti:* incapaces remiſſionis peccatorum, cum extra viam conſtitutis nullus ſit veniæ, ac pœnitentiæ locus, & ita maneat ſuper eos: nec ad condonationem pœnarum, quæ ex decreto Dei ſunt æternæ: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*, ut Catholica fides ſentit, ex *Matth.* 25. *v.* 41. *&* 46. *Marci* 91. & alibi, & oſtendimus, *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 9. *de Pœna Dæmonum dub.* 5. ad quæ Studioſum remitto.

II. Propterea S. Auguſtinus l. 3. de Anima, & ejus origine, cap. 21. *Noli* (inquit) *credere, nec dicere, nec docere, ſacrificium Chriſtianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, ſi vis eſſe Catholicus. Et lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 24. ubi docet, in tantum Eccleſiam orare pro inimicis ſuis in hac vita degentibus, *quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ*: rogatque Deum, *Ut det illis pœnitentiam, & reſipiſcant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, ſecundum ipſius voluntatem* (2. Tim. 2. v. 26.) Cæterum *Si de aliquibus ita certa eſſet, ut qui ſint illi, etiam noſſes, qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo, tum pro eis non oraret, quam nec pro ſeipſo.* Ex quo infert, quod ſicut non oramus pro Angelis malis; ita nec pro infidelibus, impiiſque defunctis nunc oremus, cum eadem cauſa ſit illorum, atque iſtorum.

III. Neque dicas, quod licet orandum non ſit pro damnatis, ut a pœnis (quæ æternæ ſunt) liberentur; orandum tamen eſt, ut eorum pœnæ mitigentur. Ita enim Auguſtinus ipſe *in Enchiridio, cap.* 110. his verbis, *Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior ſit ipſa damnatio.*

IV. Propter hæc Auguſtini verba male intellecta Floriacenſes Monachi, referente Adrevaldo (noni ſæculi ſcriptore) *l. de miraculis S. Benedicti, cap.* 21. pro animabus prædonum in acie cæſorum preces ad Dominum fuderunt; quatenus, etſi perpetuis non mererentur abſolvi cruciatibus, ſaltem a ſtricto Judice minoribus mulctarentur. Et in Gallenenſi codice pervetuſto adeſt Miſſa inſcripta: *Miſſa pro cujus anima dubitatur.* In cujus collecta habentur hæc. *Omnipotens ſempiterne Deus . . . te humiliter, trementeſque deprecamur pro anima famuli tui: quem traxiſti de præſenti ſæculo abſque pœnitentiæ ſpatio; ut ſi forſitan ob gravitatem criminum non meretur ſurgere ad gloriam, per hæc ſacra oblationis libamina, vel tolerabilia fiant ipſa tormenta.*

V. Verum hæc opinio, quam nonnulli Veteres amplexati ſunt, tamquam nulla auctoritate fulta, & doctrinæ Eccleſiæ contraria rejicienda eſt. Tum quia: damnati ſunt extra vinculum charitatis, quia opera vivorum continuantur defunctis. Tum quia; totaliter ad viæ terminum pervenerunt recipientes ultimam pro meritis retributionem. Eam damnavit S. Thom. in 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. videndus. Ubi *ad* 2. ad Auguſtini dictum reſpondet: quod *Damnatio in verbis illis large accipitur pro quacumque punitione; ut ſic includat & pœnam purgatorii, quæ quandoque totaliter per ſuffragia excipiatur, quandoque autem non, ſed diminuitur.*

VI. Oppones primo. Pro Judæis in prælio cæſis, ut legitur 2. *Machab.* 12. Judas Machabæus ſacrificium pie, ac religioſe juſſit offerri: ſed hi damnati in inferno erant; quia ſub eorum tunicis inventa ſunt donaria Idolorum, a quibus lege ſeveriſſime prohibebantur; ergo &c.

VII. Reſpondet S. Thom. citatus, quæſtiunc. 1. ad 1. *Quod donaria Idolorum non fuerunt inventa apud illos mortuos; ut ex eis accipi poſſet, quod in reverentiam Idolorum ea deferrent: ſed ea acceperunt, ut victores, quæ eis jure belli debebantur; & tamen per avaritiam venialiter peccaverunt: unde non fuerunt in inferno damnati, & ſic ſuffragia eis prodeſſe potuerunt. Vel dicendum, ſecundum quoſdam, quod in ipſa pugna videntes ſibi periculum imminere, de peccato pœnituerunt, ſecundum illud, Pſalm.* 77. Cum occideret eos, quærebant eum. *Et hoc probabiliter poteſt æſtimari: & ideo oblatio pro eis fuit facta.*

VIII. Oppones ſecundo. In vitis Patrum legitur, quod Macharius inventa calvaria in via cujuſdam defuncti, oratione præmiſſa quæſivit, cujus caput fuiſſet; & caput dedit reſponſum, quod fuerat Sacerdotis Gentilis, qui in inferno erat damnatus: & tamen dixit, oratione Macharii ſe, & alios juvari. —— Rurſus: Damaſcenus, *Serm. de Suffragiis Mortuorum*, narrat, B. Gregorium pro Trajano a 307. annis mortuo preces fundentem, audiviſſe vocem ſibi divinitus illatam: *Vocem tuam audivi, & veniam Trajano do.* Cujus rei, inquit, *teſtes eſt Oriens omnis, & Occidens.* Atqui Trajanus erat damnatus, & quia multos in odium Chriſti martyrio effecit, & quia mortuus in paganiſmo.

IX. Reſpondeo ad 1. data narratione de Machario (quam fabuloſam, ut par eſt, judicant Eruditi) reſpondeo cum S. Thom. citato, *q.* 1. *ad* 4. quod illud adjutorium non erat, quod pœna eorum diminueretur; ſed in hoc ſolo, ut ibidem dicitur, quod eo orante concedebatur eis, ut mutuo ſe viderent: & in hoc aliquod gaudium, non verum, ſed phantaſticum habebant, dum implebatur, quod deſiderabant. Sicut & Dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccata pertrahunt; quamvis per hoc eorum pœna nullatenus minuatur: ſicut nec minuitur gaudium Angelorum, per hoc, quod malis noſtris compati dicuntur.

V. Ad ſecundum de Trajano, quod precibus S. Gregorii fuerit ab inferno liberatus, fabuloſum eſſe multis oſtendit, inter alios, Alexandre, *Sæcul.* 2. *Hiſt. Eccleſ. diſſert.* 1. Tum quia: oratio illa, in qua hoc factum narratur, non eſt legitimus Damaſceni fœtus, ſed ſuppoſititius, ut ſentiunt Joann. Allatius, & alii, vel ſaltem ſuſpectus. Tum quia: credibile non eſt, S. Gregorium, qui, *lib.* 34. *Moral. cap.* 16. & *lib.* 4. *Dialog. cap.* 44. expreſſe aſſerit, non eſſe orandum pro mortuis damnatis, perinde ac non eſt orandum pro Dæmone; oraverit pro anima Trajani, quem, utpote in gentilitate mortuum, ſciebat eſſe damnatum. Immo lethaliter peccaſſet S. Gregorius orando pro illo; quia oraſſet pro damnato, pro quo orandum non eſſe ſciebat. Tum denique: quia licet Paulus, & Joannes Diaconi hoc in ejus vita narrent; ex modo tamen loquendi ſibi contradicunt. Dicunt, S. Gregorium pro ſalute Trajani exauditum, fuiſſe quoque monitum, ne deinceps pro ullo pagano oraret. Nam vel S. Gregorius petierat rem juſtam, vel injuſtam. Si juſtam; cur moneri debuit, ne ultra talem gratiam pro alio peteret? Si injuſtam; cur fuit exauditus?

XI. Quod ſi quis velit hanc hiſtoriam, qualiſcumque ſit, admittere, reſpondere poteſt cum S. Thom. loco ſupra citato, *ad* 5. quod etiam tetigit *in* 1. *ſent. diſt.* 43. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 5. nimirum: *Quod idem eſt de Trajano, qui forte poſt* 300. *annos ſuſcitatus eſt, & de aliis, qui poſt unum diem ſuſcitati ſunt. De omnibus enim dicendum eſt, quod non finaliter damnati erant; præſciebat enim Deus, eos Sanctorum precibus a pœnis liberandos, & vitæ reſtituendos: & ſic liberalitate bonitatis ſuæ eis veniam contulit, quamvis æternam pœnam meruiſſent.* Quare, ſecundum hanc ſolutionem, dicendum eſt, quod Trajanus precibus S. Gregorii fuerit ad vitam ſuſcitatus: quod ad fidem converſus pœnituerit, Baptiſmum in voto habuerit; & obtenta peccatorum remiſſione iterum objerit, & ſalvus factus fuerit.

§. II.

De Beatis, quos Eccleſia credit Regnare in Cælis.

XII. DIco. Pro his nunquam oblatum eſt, nec modo offertur ſacrificium; ſive in remiſſionem culpæ, vel pœnæ, ſive ad gratiam, & gloriam eſſentialem eis impetrandam, vel augmentum ejus: bene tamen in gratiarum actionem. Prima pars probatur. Cum enim nihil in Sanctis, qui Deo fruuntur, ſuperſit expiandum, ſiquidem nihil coinquinatum in regnum Cælorum intrat: Cum viatores amplius non ſint, neque peregrinentur a Domino, ſed in termino Patriæ cæleſtis conſtituti ſint, ac bravium æternæ gloriæ apprehenderint; nec gratia eorum augeri, nec gloria major pro ipſis a Deo poſtulari poteſt: unde ſequitur, non eſſe, cur pro eis Miſſæ ſacrificium offeratur. Hinc Auguſt. Serm. 159. alias 17. de verbis Apoſt. cap. 1. *In Patria vero* (inquit) *nullus orandi locus erit, ſed tantum laudandi. Quare orandi locus nullus erit? Quia nihil deeſt. Quod hic creditur, ibi videtur, quod hic ſperatur, ibi tenetur, quod hic petitur, ibi accipitur, ... Ideoque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

XII. Dices tamen. In codicibus antiquis Oratio ſecreta in Feſto Sancti Leonis, hæc habet: *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio* —— Rurſus: in alia Collecta legitur: ſacramenta, *Sicut Sanctis proſunt ad gloriam; ita nobis proficiatur ad medelam.* Si ergo ſacrificium prodeſt etiam Sanctis, pro illis offerri poteſt?

XIV. Reſpondet Innocentius III. Cap. *Cum Martha*, extr. de celebrat. Miſſ. *Quod in pleriſque orationibus continetur* proſit, *vel* proficiat *huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem, ita debet intelligi, ut ad hoc proſit, quod magis, ac magis a Fidelibus glorificetur in terris. Licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam uſque ad judicium augmentari: & ideo Eccleſiam interim ſane poſſe augmentum glorificationis eorum exoptare.* Ut enim docet S. Thom. in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1. q. 2.

Gloria

Gloria comprehendit Sanctorum præmium, quod quidem eſt duplex: ſcilicet, eſſentiale gaudium, quod de divinitate habent; & accidentale, ideſt, gaudium, quod habent de quocumque bono creato. Quantum autem ad præmium eſſentiale . . . . eorum gloria augeri non poteſt: ſed quantum ad præmium accidentale, uſque ad diem judicii augeri poteſt; alioquin tunc non augeretur gaudium de gloria corporis. Unde de omnibus bene factis eis gloria accreſcit; quia gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. Et ita etiam de omnibus, quæ in Dei honorem fiunt, gaudent, & maxime de his, in quibus de eorum gloria Deo gratias agimus. Unde ſimpliciter loquendo hoc eſt, quantum ad eſſentiam gloriæ, hoc ſacramentum (Euchariſtiæ) *non auget in Beatis gloriam, ſed ſecundum quid; ſcilicet, quantum ad accidentale præmium auget.*

XV. Sed dices. Igitur Sanctum ſacrificium Miſſæ prodeſt ad gloriam, ſeu gaudium accidentale; ergo ex eo Sancti aliquem reportant fructum.

Reſpondeo ex S. Thom. dupliciter. Primo, *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. q. 3. ad 3.* negando conſequentiam quoad ly *Prodeſt*. Nam *Quamvis Sancti, qui ſunt in Patria, de omnibus bonis noſtris gaudeant; non tamen ſequitur, quod multiplicatis noſtris gaudiis, eorum gaudium augmentetur formaliter, ſed materialiter tantum. Quia omnis paſſio formaliter augetur, ſecundum rationem objecti ſui: ratio autem gaudendi in Sanctis, de quibuſcumque gaudent, eſt ipſe Deus, de quo non poſſunt magis, & minus gaudere; quia ſic eſſentiale eorum præmium variaretur . . . Unde non ſequitur, quod intenſius gaudeant, ſed quod de pluribus gaudeant: & ideo non ſequitur, quod operibus noſtris juventur.*

Reſpondeo ſecundo ex eodem ibidem, *ad 1.* nego etiam conſ. Nam *Hujuſmodi locutiones non ſunt ſic intelligendæ, quaſi Sancti in gloriam proficiant quantum ad ſe, quod eorum feſta recolimus: ſed quia nobis proficit, qui eorum gloriam ſolemnius celebramus: ſicut ex hoc, quod Deum cognoſcimus, vel laudamus, ſic quodammodo Dei gloria in nobis creſcit, nihil Deo, ſed nobis accreſcit.*

XVI. Neque obſtat, quod Miſſæ *De Sanctis* inſcribantur. — Non enim ſic inſcribuntur, ut Sancti ex illis aliquod emolumentum percipiant; ſed alia duplici de cauſa. Prima: quia, ut ait Chryſoſtomus, Hom. 21. in Acta *Magnus honor eſt nominari, Chriſto præſente, dum mors illa perficitur, & horrendum ſacrificium.* Secunda: *Ut* (inquit S. Auguſt. l. 8. de Civit. Dei cap. 27.) *ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus; & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex illorum memoria renovatione adhortemur.*

XVII. Dices ſecundo. In Miſſis Mozarabum (ideſt Hiſpanorum Arabibus, permixtorum) præmiſſa commemoratione B. Virginis, Zachariæ, Joann. Bapt. Apoſtolorum Evangeliſtarum, & Martyrum, Sacerdos dicit: *Item pro ſpiritibus Pauſantium* (ideſt pacifica morte, non violenta quieſcentium) & recitat nomina Hilarii, Athanaſii, Martini, & aliorum, quorum nomina in Sanctorum album relata ſunt; ergo pro Sanctis &c.

XVIII. Reſpondeo ex Cardinali Bona, *lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 14.* diſtinguenda eſſe tempora, & videndum Miſſas illas editas fuiſſe eo tempore, quo ſolis Apoſtolis, & Martyribus ſolemnis, & publicus cultus exhibebatur. Reliqui vero, præſertim Epiſcopi, qui in pace Eccleſiæ requieverant, nondum inter Sanctos habebantur, ſed in defunctorum fidelium ſacris Dipthycis inſcribebantur, ut eorum mentio in Miſſa fieret. Quare eo tempore nulla differentia erat inter Athanaſium, Hilarium, alioſque, quos modo ut Sanctos colimus, & illos, qui eſto in pace Chriſti requieverint, nunquam tamen ut Sancti habiti ſunt. Ideo non mirum, ſi pro illis eo tempore, ut pro aliis defunctis, in ſacrificio rogaretur.

XIX. Secunda vero pars aſſerti Probatur. Tum ex dictis præced. *Dub. §. 2. n. 14.* Tum ex nuper allatis. Sanctorum enim in ſacrificio mentionem facimus; ut Deo gratias agamus pro eorum victoriis, ut ad eorum memoriam nos adhortemur ad eorum conſtantiam imitandam; ut denique eos advocemus interceſſores: certo enim ſupponimus, Sanctos in Cælo regnantes pro nobis intercedere.

XX. Neque dicas. Chriſtus, *Luc. 22.* ait Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo non Sanctorum — Rurſus: ſacrificamus in Miſſa, ut gratiam, & gloriam obtineamus per merita Chriſti; ergo non per merita ſanctorum.

Reſpondeo enim ad primum: Miſſam aliter fieri in commemorationem Chriſti, aliter Sanctorum. Commemoramus enim in Miſſa Paſſionem Chriſti, & ejus mortem, ut in qua ſpem reponimus: Sanctos autem commemoramus, ut eorum exemplo excitati, eorum interceſſionibus adjuvemur ad percipiendum fructum mortis, & Paſſionis Chriſti.

Ad ſecundum etiam dico, aliter per merita Chriſti a nobis ſperatur gratia, & ſalus; aliter per merita Sanctorum. Per illa enim ſperamus gratiam a Deo nobis immediate donandam; & per iſta vero ſolum mediate: quatenus ſperamus per merita Sanctorum movendum Deum ad applicandum nobis fructum meritorium Chriſti.

Dubium IV.

Quid de Defunctis in Purgatorio detentis?

§. I.

Certa Supponuntur.

I. Purgatorium eſſe poſt hanc vitam iis, qui in Domino quidem obierunt, non tamen plene expiati, in quo dum detinentur juvari poſſumus, ut citius ad æternam Patriam evolent, fuſe probavimus, in *Vera Eccleſia, tom. 2. part. 1. art. 10.* contra recentiores Novatores; & modo ſupponimus ut articulum fidei.

II. Quibus autem modis purgantium animæ poſſint a vivis juvari, declarat S. Thom. *in Supplemento 3. p. q. 71. art. 9. 10. & 11. & in 4. ſent. diſt. 45. q. 2. art. 3.* ubi docet: Primo juvari poſſe defunctos ſacrificio altari, eleemoſynis Fidelium, & orationibus Eccleſiæ: *Suffragia* enim (inquit) *vivorum proſunt defunctis, ſecundum quod uniuntur viventibus charitate, & ſecundum quod intentio viventium fertur in mortuos. Et ideo illa opera præcipue nata ſunt mortuis ſuffragari, quæ maxime ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem ſacramentum Euchariſtiæ præcipue pertinet: cum ſit ſacramentum Eccleſiaſtica unionis continens illum, in quo tota Eccleſia unitur, & conſolidatur, ſcilicet, Chriſtum: unde Euchariſtia eſt quaſi quædam charitatis origo: vel vinculum.* — *Sed inter charitatis effectus eſt præcipuum eleemoſynarum opus. Et ideo iſta duo ex parte charitatis præcipue mortuis ſuffragantur; ſcilicet, ſacrificium Eccleſiæ, & eleemoſynæ* — *Sed ex parte intentionis directa in mortuos præcipue valet oratio. Quia oratio ſecundum ſuam rationem non ſolum dicit reſpectum ad orantem, ſicut & cætera opera, ſed directius ad illud, pro quo oratur. Et ideo iſta tria ponuntur quaſi præcipua mortuorum ſubſidia: quamvis quæcumque alia bona, quæ ex charitate fiunt pro defunctis, eis valere credenda ſint.*

III. Secundo. Proſunt defunctis purgantibus Indulgentiæ: *Indulgentia* tamen *alicui prodeſſe poteſt dupliciter. Uno modo principaliter, alio modo ſecundario. Principaliter quidem prodeſt ei, qui indulgentiam accipit: ſcilicet, qui facit hoc, pro quo indulgentia datur, ut qui viſitat limina alicujus Sancti: unde cum mortui non poſſint facere aliquid horum, pro quibus indulgentia dantur, eis directe indulgentia valere non poſſunt. Secundario autem, & indirecte proſunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod eſt indulgentiæ cauſa: Quod quandoque contingere poteſt, quandoque autem non poteſt, ſecundum diverſam indulgentiæ formam. Si enim ſit talis indulgentiæ forma.* Quicumque facit hoc, vel illud, habebit tantum de indulgentia: *ille, qui hoc facit, non poteſt fructum indulgentiæ in alium transferre; quia ejus non eſt applicare ad aliquem intentionem Eccleſiæ, per quam communicantur communia ſuffragia, ex quibus indulgentiæ valent . . . Si autem indulgentia ſub hac forma fiat:* Quicumque fecerit hoc, vel illud, ipſe, & pater ejus, vel quicumque alius ei adjunctus, in purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit: *talis indulgentiam non ſolum vivo, ſed etiam mortuo proderit. Non enim eſt aliqua ratio, quare Eccleſia transferre poſſit communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos. Nec tamen ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas a purgatorio liberare; quia ad hoc, ut indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens indulgentias faciendi, ut ſupra dictum eſt* (quæſt. 22. Supplem. art. 3.)

IV. Tertio. Cultus exequiarum defunctis prodeſſe poteſt: *Sepultura* enim *adinventa eſt, & propter vivos, & propter mortuos. Propter vivos quidem: ne eorum oculi ex turpitudine cadaverum offendantur, & corpora fœtoribus inficiantur: & hoc quantum ad corpus. Sed ſpiritualiter etiam prodeſt vivis; in quantum per hoc adſtruitur reſurrectionis fides. Sed mortuis prodeſt ad hoc, quod inſpicientes ſepulchra, memoriam retinent defunctorum, & pro defunctis orat. Unde &* Monumentum *a memoria nomen accipit: dicitur enim* Monumentum, *quaſi* monens mentem: *ut dicit Auguſtinus, in l. de Civit. Dei, & in lib. de Cura pro mortuis agenda* (cap. 4.) *Paganorum tamen error fuit, quod ad hoc ſepultura mortuo proſit, ut ejus anima quietem accipiat: non enim credebant, animam prius quietem poſſe accipere, quam corpus ſepultura daretur. Quod omnino ridiculum eſt, & abſurdum. Sed quod ulterius ſepultura in loco ſacrato mortuo prodeſt; non quidem eſt ex ipſo opere operato, ſed magis ex ipſo opere operante: dum ſcilicet, vel ipſe defunctus, vel alius, corpus ejus tumulari in loco ſacro diſponens; patrocinio alicujus Sancti eum committit; cujus precibus per hoc credendus eſt adjuvari, & etiam patrocinio eorum, qui loco ſancto deſerviunt, qui pro tumulatis apud ſe frequentius, ſpecialius orant. Sed illa, quæ ad ornatum ſepulturæ adhibentur, proſunt quidem vivis, in quantum ſunt vivorum ſolatia: ſed poſſunt etiam defunctis prodeſſe, non quidem per ſe, ſed per accidens; in quantum ſcilicet, per hujuſmodi homines excitantur ad compatiendum, & per conſequens ad orandum: vel in quantum ex ſumptibus ſepulturæ, vel pauperes fructum capiunt, vel Eccleſia decoratur.*

ratur. Sic enim sepultura inter ceteras eleemosynas computatur. His ergo ad mei Candidati institutionem, ex S. Thoma locis supra citatis, præmissis, sit.

§. II.

Resolutio Dubii.

V. DIco. Sacrificium Missæ valde prodest defunctis in Purgatorio detentis. Constat ex supradictis. Opera enim ad charitatem pertinentia prosunt eis, qui in charitate communicant, & charitate quasi vincula colligantur, sed sacrificium Missæ est sacramentum Ecclesiasticæ unionis continens illum, in quo tota Ecclesia militans, purgans, & regnans unitur, & consolidatur, scilicet, Christum, & purgantes in charitatis unione communicant; ergo Missa, quæ est charitatis vinculum, & origo, purgantibus prodest.

VI. Hoc fidei dogma colligitur ex 2. *Machab.* 12. ubi *a v.* 43. refertur factum Judæ Machabæi, qui *Facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum* (in prælio Cæsorum) *sacrificium, bene, & religiose de resurrectione cogitans. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Hoc Sacræ Scripturæ textu docemur, Hebræos obtulisse sacrificia pro mortuis; ergo Christiani Missæ sacrificium, quod Mosaicis adumbratum est, pie pro fidelibus mortuis offerunt —— Ne autem quis Judæ factum erroris insimulare posset, illud probat Scriptura, v. 46. addens: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* —— Quibus etiam patet, Judam pie, ac religiose potuisse cogitare, cæsos illos, apud quos donaria Idolorum fuerint inventa, non esse propter hoc damnatos in æternum, ut ostendi, *Dub. præced.* §. 1. *n.* 7.

Nec est, quod reponant Sectarii, libros Machabæorum inter Canonicos non recenseri —— Nam primo: libros illos canonicos esse invicte probant Catholici. Deinde, ut ait S. August. l. de cura pro mortuis gerenda, cap. 1. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.*

VII. Testes hujus consuetudinis offerendi in Ecclesia Dei pro mortuis sacrificium, sunt omnium sæculorum Patres, tum Latini, tum Græci. Ex Latinis Tertullianus secundo sæculo, *lib. de Corona militis, cap.* 3. sui temporis ritus enumerans, inter alios, *Obligationes* (inquit) *pro defunctis, ... annua die facimus:* addens: *Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix* Eadem habet *l. de Exhortatione castitatis, cap.* 11. *& lib. de Monogamia, cap.* 10. Tertii sæculi testis est Cyprianus, *Epist. 66.* dum suo, & Concilii Carthaginensis nomine in memoriam revocat decretum, quo cavebatur, ne quis frater excedens Clericum ad tutelam, vel curam nominaret: *Ac si quis hoc fecisset, non offertur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Celebrabatur ergo tertio sæculo sacrificium pro dormitione Fidelium. Pro quarto sæculo testis est Ambrosius, *l.* 2. *Epist.* 8. *ad Faustinum* de fororis obitu consolatoria: *Itaque* (inquit) *non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec manifestandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus commendandam arbitror.* —— Sed plus omnibus testatur S. Augustinus Tum *l.* 9. *Confess. cap.* 12. ubi describens funus S. Matris Monicæ: *Cum ecce* (inquit) *elatum est corpus, imus, redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi.* Et cap. 13. *Nunc pro peccatis matris meæ deprecore te &c.* Et infra: *Namque illa imminente die resolutionis suæ non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus . . . . Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit.* Et in Enchirid. cap. 109. *Neque* (inquit) *negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosyna in Ecclesia fiunt.* Et Serm. 32. de Verb. Apost. nunc serm. 172. *Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari.* Quid clarius?

VIII. Ex Græcis autem Patribus testes sunt S. Cyrillus Jerosolymit. *Cateches.* 5. *Mystag.* quæ est de sacra Liturgia, dicens: *Deinde & pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis, & omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt, oramus; maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta, & perquam tremenda coram jacet victima.* Et S. Epiphanius, *Hæres* 75. ubi Aetii errores recensens, inter cætera illius dogmata hoc repellit, quod vivorum preces, sacrificium, eleemosynas defunctis prodesse negaret. Demum S. Joann. Chrysostomus, Homil. 6. in Epist. ad Philipp. *Non frustra* (inquit) *hæc ab Apostolis sunt legibus constituta; ut in venerandis atque horrificis Mysteriis memoria eorum fit, qui decesserunt. Noverat, hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus passis, ac cœtus Sacerdotalis, & illum horrorem venerationis plenum incutiens Sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro illis orantes; atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt.* Quibus ritum hunc ab Apostolis derivatum agnoscit Chrysostomus.

Merito igitur Tridentina Synodus hoc ut dogma proposuit, & anathemate damnavit, *Sess. 22. cap.* 2. *& Can.* 3. Si quis dixerit Missæ sacrificium *Vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, offerri debere.*

§. III.

Sectariorum Objectiones.

IX. OBjicies primo. Mortui nec Christi corpus manducare, nec ejus sanguinem bibere possunt: sed illi tantum Eucharistiæ fructum participant, qui illam manducant, & bibunt; ergo &c.

Respondeo, hac objectione evinci quidem, mortuos non posse percipere fructum ex Eucharistia, quatenus sacramentum est; non vero quatenus est sacrificium: sic enim non soli sumenti, sed etiam omnibus, pro quibus offertur, prodesse Scriptura, & traditio docet, ut dictum est.

X. Objicies secundo. Post hanc vitam nec peccata remittuntur; & quibus in hac vita remissa sunt, nulla superest luenda pœna: cum per pœnitentiam a Deo placato condonata sint. Qualis enim esset condonatio, quæ pro culpa condonata pœnas exigeret?

XI. Hoc est præcipuum hæreticorum fundamentum. Respondeo tamen ex doctrina S. Thomæ, *quæst. 7. de Malo, art.* 11. peccata quidem mortalia post hanc vitam remitti non posse, bene tamen peccata venialia illis, qui in charitate decesserunt: non quidem per actum pœnitentiæ, qui post hanc vitam esse non potest, sed per actum intensum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis: *Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus tollit quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita.* Hoc autem ita esse ostendit S. Augustinus, *lib.* 21. *de Civit. Dei, cap.* 24. dicens: *Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro* (Matth. 12. vers. 13.) *nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro.* Quod ex eodem Evangelii loco confirmavit S. Gregorius, *lib.* 4. *Dialog. cap.* 39. his verbis: *In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negetur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur* (nempe, de parvis, minimisque peccatis, ut ibi prosequitur.)

XII. Falsum etiam est, quod remisso peccato quoad culpam, nulla supersit luenda pœna. Nathan enim Propheta ad David (2. *Reg.* 12. *v.* 13.) qui de peccato pœnituerat, dixit: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris* (quibus remittitur ei culpa, & pœna æterna) *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur* (ecce pœnam temporalem in hac vita a Davide, dimissa culpa, luendam.) *Productior est enim* (inquit August. tract. 124. in Joann.) *pœna, quam culpa: ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna: ac per hoc, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, & quam jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Deus ergo sicut dimissa culpa pœnam æternam transfert in temporalem in hac vita luendam, ut suæ justitiæ fiat satis; sic illi, qui plene in hac vita non satisfecit, quia nimirum actu intenso contritionis non pœnituit in hac vita, pœnam æternam transfert in temporalem luendam in alia vita.

Quapropter Tridentinum, Sess. 6. Can. 30. *Si quis* (inquit) *post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna Cælorum aditus patere possit: anathema sit.* Cui præiverat Florentinum: *anno* 1439. *Collat.* 22. ubi Eugenius hæc habet: *Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur prodesse eis Fidelium vivorum suffragia: Missarum videlicet sacrificia orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ institutа.*

XIII. Objicies tertio. Si Ecclesiæ Sacrificium prodest defunctis, prodesse etiam, & offerri poterit pro damnatis. Sacerdos enim in offertorio Missæ pro defunctis suo,

& Eccle-

& Eccleſiæ nomine ſic orat: *Domine Jeſu Chriſte Rex gloriæ, libera animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu, ne abſorbeat eas tartarus, nec cadant in obſcurum.* In reſponſorio etiam orat, ut liberentur *De morte æterna in die illa tremenda; quando Cæli movendi ſunt, & terra,* dum Chriſtus *venerit judicare ſeculum per ignem.*

XIV. Reſpondeo, nego aſſumptum. Ad prob. primo dico, cum Eccleſia orat, ut animæ defunctorum de pœnis Inferni ſolvantur; nomine pœnarum, & Inferni non accipere pœnas æternas, quibus damnati addicti ſunt, ſed temporaneas, quas in Purgatorio patiuntur: quem *Infernum* propterea vocat, quia locus infernus, & ſubterraneus eſt. —— Vel precatur eis perfectam, & conſummatam liberationem de pœnis inferni, & morte æterna. Cum enim Purgatorii pœna appendix quædam ſit pœnæ æternæ; nec cenſeatur perfecta, & conſummata liberatio a morte æterna, quouſque anima peccatorum omnium, ac pœnarum vinculis ſoluta Deo non fruatur: hoc liberationis complementum ſacrificiis, & oblationibus defunctis precatur Eccleſia.

XV. Reſpondeo ſecundo, & forte verius Eccleſiam non precari, ut Fideles liberentur a pœna æterna, poſtquam illi addicti ſunt; ſed ne illi addicantur, & ut ab illa meritis Mediatoris eximantur. Pro quo nota, orationes illas Eccleſiæ non referri ad tempus poſt mortem, ſed ad illud inſtans, quo animæ a corporibus migrant: quæ migratio tunc ad memoriam revocatur, cum preces illas fundit Eccleſia. Neque hoc eſt novum. Nam Eccleſia, dum celebrant Myſteria Chriſti, ſic ea in memoriam revocat; ac ſi nunc contingerent, vel nondum eſſent completa, aut etiam peracta. Celebrans enim Adventum Domini utitur illis verbis Iſaiæ 45. verſ. 8. *Rorate Cæli deſuper*, quaſi invitans Verbum ad ſumendam carnem, cum tamen jam a multis ſæculis ſumpſerit. Audiatur, quæſo, S. Auguſt. *Ep.* 98. alias 23. *ad Bonifacium Epiſcopum*, ſic loquentem: *Sæpe ita loquitur, ut Paſcha propinquante dicamus craſtinam, vel perendinam Domini Paſſionem; cum ille ante tam multos annos paſſus ſit, nec omnino, niſi ſemel illa Paſſio facta ſit. Nempe, ipſo die Dominico dicimus: Hodie Dominus reſurrexit, cum ex quo reſurrexit, tot anni tranſierint. Cur nemo tam ineptus eſt, ut nos ita loquentes arguat eſſe mentitos; niſi quia iſtos dies ſecundum illorum, quibus hæc geſta ſunt, ſimilitudinem nuncupamus; ut dicatur ipſe dies, qui non eſt ipſe, ſed revolutione temporis ſimilis ejus: & dicatur, illo die fieri propter ſacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed jam olim factum eſt?*

§. IV.

Varia Reſolvuntur.

XVI. EX dictis reſolvitur, praxim hanc offerendi ſacrificium pro defunctis fidelibus exordium ſibi vindicaſſe: tum ex facto Judæ Machabæi ſupra relato: tum ex traditione, & inſtitutione Apoſtolica, ut ex regula Sancti Auguſt. lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilii inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum certiſſime creditur.*

XVII. Si autem quæratur: Quis ordo, ſeu ritus fuerit apud antiquos in ſacrificio pro defunctis offerendo? Sciatur primo. Ipſo die obitus, corpore adhuc inſepulto, conſueviſſe olim pro mortuo ſacrificium offerri. Id habemus ex Tertulliano, *lib. de Anima, cap.* 51. his verbis: *Scio feminam quamdam vernaculum Eccleſiæ, forma, & ætate integram functam; poſt unicum, & breve Matrimonium, cum in pace obdormiſſet, & morante adhuc ſepultura, interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis, manus a lateribus dimotas in habitum ſupplicem conformaſſe, rurſumque condicta pace, ſitui ſuo reddidiſſe.* Oratione autem illa Presbyteri ex modo loquendi ſacrificium indicari obſervat Pamelius, in notis ibi. Hoc idem in exequiis Conſtantini factum fuiſſe, ſcribit Euſebius, *lib.* 4. *de Vita Conſtant. cap.* 70. & S. Aug. *lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 12. agens de pompa funebri S. Monicæ matris ſuæ, ut ſupra vidimus.

Tertio etiam die poſt obitum Miſſam pro mortuis offerri frequentiſſimum fuiſſe, teſtatur auctor Conſtit. *Apoſt. cap.* 48. his verbis: *Peragatur dies tertius mortuorum in Pſalmis, in lectionibus, atque orationibus propter eum, qui tertia die reſurrexit.* Alcuinus, ſeu Albinus Flaccus, ut aliis placet, l. de divinis Officiis, *Tertia dies* (inquit) *ſpecialiter pro anima abſolutione celebratur . . . . Sacrificium tertia die peragitur; ut ſi quid temulentum ex carnis cohabitatione contraxit, obliteretur, & ſanctæ Trinitatis ſimilitudo reparetur* —— Die quoque ſeptima a defuncti obitu quondam offerri ſolitum pro eo ſacrificium, teſtis eſt Ambroſius, *lib. de Fide reſurrectionis, & l. de Obitu Theodoſii.* Ubi dies recenſet, quibus ſuo tempore obitus memoriam fiebat: *Nunc* (inquit) *quadrageſimum celebramus, aſſiſtente ſacris altaribus Honorio principe. Quia ſicut ſanctus Joſeph patri ſuo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit: ita & hic Theodoſio Patri juſta perſolvit. Et quia alii tertium, & trigeſimum, alii ſeptimum, & quadrageſimum obſervare conſueverunt, quid doceat lectio, conſideremus &c.*

Anniverſaria item pro defunctis fieri ſolita, tradit Tertullianus; *leg. de Corona militis, cap.* 3. dicens: *Oblationes pro defunctis pro natalitiis annua die facimus.* Inter anniverſaria celebre illud eſt, quod poſtridie Kal. Novembris agimus in commemoratione omnium fidelium defunctorum; cujus originem Odiloni Abbati Cluniacenſi Petrus Damianus, & Sigibertus adſcribunt.

XVIII. Si quæratur ſecundo: An defunctis magis proſit Miſſa de Defunctis, an vero Miſſa de B. Virgine, aut alicujus Sancti ipſius applicata?

Reſpondeo cum S. Thoma, in 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 5. & *in Supplem.* 3. *part. quæſt.* 71. *art.* 9. *ad* 5. quod, ut Auguſtinus dicit, l. de cura pro Mortuis agenda, cap. 18. *Miſſa ſuffragium continet duo, ſcilicet, orationem, & ſacrificium. Ex parte ergo ſacrificii oblati Miſſa æqualiter prodeſt defuncto, de quocumque dicatur* (quia ſemper res oblata eſt Chriſtus) *& hoc eſt præcipuum, quod fit in Miſſa. Sed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iſte defectus recompenſari poteſt per majorem devotionem, vel ejus, qui dicit Miſſam, vel ejus qui jubet dici; vel iterum per interceſſionem Sancti, cujus ſuffragium in Miſſa imploratur.*

XIX. Si quæratur tertio: An Miſſa, quæ celebratur pro uno Defuncto, magis proficit illi, pro quo celebratur, quam aliis.

De hoc videnda ſunt quæ dicta ſunt ſupra. *Dub.* 1. §. 3. *n.* 15. &c. Modo dico cum S. Thom. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 1. & in Supplemento: 3. *p. p. q.* 71. *a.* 12. ubi refert duas opiniones: quarum una dicit, ſuffragia (idem de Miſſa) pro uno aliquo facta non magis illi prodeſſe, pro quo fiunt, ſed eis, qui ſunt magis digni. Alia e contra tenet, Miſſas, & ſuffragia magis prodeſſe illi, pro quo fiunt. —— Reſpondet ergo S. Thom. Suffragia, quæ pro uno defuncto fiunt, ptodeſſe quidem aliis quantum ad interiorem conſolationem; quia in charitate exiſtentes gaudent de diminutione pœnæ alterius: & ſecundum hoc magis valent ei, qui magis charitate eſt plenus, quamvis pro eo ſpecialiter non fiant; quia charitas facit, ut gaudeat de bonis alterius, ac ſi eſſent propria. Simpliciter tamen valent magis ei, pro quo fiunt, & cui per intentionem celebrantis, vel ſuffragantis ſpecialiter applicantur. Quia ſuffragiorum valor maxime attenditur per modum ſatisfactionis; ſatisfactio autem facta pro uno liberat eum a pœna, & non alium. Hinc, citato *Dub.* 1. §. 4. diximus, eum qui tenetur Miſſam applicare pro uno, non poſſe eam applicare pro duobus, aut pro pluribus; quia valor ſatisfactorius, ſi dividatur pro parte in remiſſionem pœnæ unius animæ, & pro parte in remiſſionem pœnæ alterius, pro qua ſuffragium fertur, clarum eſt, quod hæc non tantum juvabitur, quantum offerens ſua intentione volebat: quia valor ſatisfactorius Miſſæ, licet in ſe ex parte rei oblatæ infinitus ſit, ex parte tamen applicationis finitus eſt. Patet igitur, Miſſam applicatam pro uno, quoad relaxationem pœnæ, & ſatisfactionem magis ei prodeſſe, quam aliis.

XX. Sed dices primo ex Auguſt. *lib. de cura pro mortuis agenda, c.* 4. Secundum hoc ſuffragia mortuis proſunt, quia dum viverent hic, ſibi ut poſtea poſſent prodeſſe meruerunt: ſed aliqui magis meruerunt, ut ſuffragia ſibi poſſent prodeſſe, quam illi, pro quibus fiunt; ergo eis magis proſunt, alias eorum meritum fruſtraretur.

Reſpondeo ex S. Thom. citato, *ad* 2. verba Auguſtini debere intelligi conditionaliter, ideo, qui ſibi ut poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt, *Si pro illis fiant.* Quod nihil aliud fuit, quam feciſſe ſe habiles ad recipiendum fructum, ſi pro eis ſuffragia applicentur. Non tamen ſequitur, quod meritum eorum fruſtretur. Tum quia: directe non meruerunt, ut omnibus ſuffragiis juventur. Tum quia: meritum non fruſtratur, ſi non recipiat fructum ex ſuffragiis non pro eis factis. Fruſtraretur autem, ſi ſuffragia pro eis fierent, & ipſi ex illis remiſſionem pœnæ non reportarent.

XXI. Dices ſecundo. Pro pauperibus non celebrantur tot Miſſæ, quot pro divitibus: ſi ergo ſuffragia, ſeu Miſſe oblatæ pro aliquibus, eis ſolis valerent, pauperes eſſent pejoris conditionis; quod eſt contra ſententiam Domini, Lucæ 6. verſ. 20. *Beatis pauperes, quia veſtrum eſt Regnum Dei.*

Reſpondeo cum S. Thoma citato, *ad* 3. concedendo, divites eſſe melioris conditionis, quam pauperes, quantum ad aliquid, ſcilicet, quantum ad expiationem pœnæ. Sed hoc quaſi nihil eſt comparatum poſſeſſioni Regni Cælorum, in qua pauperes melioris conditionis eſſe oſtenditur auctoritate allata.

XXII. Replicabis. Unicuique ſecundum ſua merita reddetur in futuro: ſed pauper, pro quo non fiunt ſuffragia, forte magis meruit, ut juvaretur poſt mortem, quam dives: ergo &c.

XXIII. Reſpondeo, neg. ſuppoſitum. Quia juvamen ſuffragiorum non cadit ſub merito directe, & abſolute, ſed ſolum ſub conditione, ſi pro illis fiant. *Credibile tamen eſt* (inquit S. Thom. in Supp. 3. p. q. 71. art. 14. ad 2.) *quod per divinam miſericordiam, ſi aliquid de ſpecialibus ſuffra-*

ſuffragiis ſuperſit hic pro quibus fiunt (ut ſi eis non indigeant) aliis diſpenſetur, pro quibus non fiunt, ſi eis indigeant, ut patet per Damaſcenum, in ſermone de Dormientibus ſic dicentem: Vere Deus tamquam juſtus commetietur impotenti poſſibilitatem, tamquam ſapiens defectuum commutationem negotiabitur: *qua quidem negotiatio attenditur, ſi id, quod deeſt uni, alteri ſuppleat*. Cæterum ſi is pro quo ſuffragium fit, eo indigeat, eum ſpecialiter juvare oſtendit idem S. Thom. citata *q. 71. art. 12. in arg. ſed contra*. Nam *Juſtitia humana exemplatur a divina: ſed juſtitia humana, ſi aliquis debitum pro aliquo ſacit, cum ſolum abſolvit; ergo cum ille, qui ſuffragia facit, quodammodo ſolvat debitum ejus, pro quo facit, ei ſoli prodeunt. Præterea: ſicut homo faciens ſuffragia quodammodo ſatisfacit pro mortuo: ita etiam interdum aliquis pro vivo ſatisfacere poteſt: ſed quando aliquis ſatisfacit pro vivo, ſatisfactio illa non computatur, niſi illi, pro quo facta eſt; ergo & ſuffragia faciens, ei ſoli prodeſt pro quo facit*. Quare, ut ſupra diximus, Concilium Conſtantienſe, *Seſſ. 8.* damnationi ſubjecit propoſitionem Wicleffi dicentis: *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos non plus proſunt eidem, quam generalis, cæteris paribus*. Et merito. Alias Eccleſia Fidelibus illuderet, dum hortatur eos ad ſpeciales orationes pro aliquo particulari faciendas, & ſpeciales collectas pro defunctis ordinavit; ſi eis non magis prodeſſent, quam communes.

XXIV. Quæres tandem: An majoris fructus ſit Miſſa ſolemnis pro defunctis, quam Miſſa privata?

Reſpondeo affirmative. Et quidem ex opere operantis, conſtat. In Miſſa enim ſolemni major intervenit devotio in offerentibus, & adſtantibus; præcipue ubi eſt cantus religioſus, quo excitatur: plures etiam in ea ſunt actus religionis in multitudine Miniſtrorum, in incenſatione altaris, aliiſque cæremoniis. Ex parte etiam operis operati. Quia cum Chriſtus inſtituerit non ſolum Presbyteratum, ſed etiam alios Ordines majores, & minores ad formandam nedum Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſed etiam ad inſerviendum ſolemni oblationi ſacrificii; credibile eſt, inſtituendo ſacrificium ſolemne voluiſſe inſtituere opus ex ſua natura majoris valoris ad ſatisfactionem. Et quidem ſi legatio quo major pompa, & comitatu munera Principi ſiſtit, eo gratior principi evadit, eumque redit ad gratiam faciliorem; & Deus movetur magis orationibus publicis, & ſolemnibus, quam privatis, ex natura operis magis movebitur a ſacrificio ſolemni, quam privato.

XXV. Hinc inferri poteſt primo: Obligationi celebrandi unam Miſſam in cantu, ſeu Anniverſarium pro defuncto, non poſſe fieri ſatis recitando unam Miſſam privatam —— Secundo: jure merito interdum a Summo Pontifice indulgeri, ut pluribus Miſſis privatis alicui Eccleſiæ incumbentibus, ſatisfieri poſſit per aliquas ſolemnes Miſſas in minori numero; non alia ratione, niſi quia Miſſarum ſolemnium & in cantu fructus major ſit, quam Miſſarum privatarum.

QUÆSTIO III.

De Sacrificii Miſſæ Miniſtro.

DE Miniſtro, ad quem pertinet Euchariſtiam jam conſecratam diſpenſare, egimus ſupra, de ſacramento Euchariſtiæ. Nunc agimus de Miniſtro, penes quem reſidet poteſtas Euchariſtiam conſecrandi, & offerendi; quod idem eſt, ac agere de Miniſtro ſacrificii Miſſæ: cui aliqua etiam annectemus miniſterium ejuſmodi concernentia, & concomitantia ad pleniorem Candidati noſtri notitiam, & eruditionem.

DUBIUM I.

Quinam ſit Sacrificii Miſſæ Miniſter.

§. I.

Hæreticorum Errores.

I. CIrca Euchariſtiæ conficiendæ Miniſtrum varie variis temporibus erratum eſt. Primo enim Montaniſtæ (alias Pepuziani ab oppido *Pepuza* Montani patria) duabus feminis Priſcillæ, & Quintillæ ſacrificandi facultatem fecerunt, ut ſcribit Auguſt. lib. de Hæreſ. c. 27. *Pepuziani* (inquit) *a loco quodam nominati ſunt .... tantum dantes mulieribus principatum: ut Sacerdotio quoque apud eos honorarentur: dicunt enim Quintillæ, & Priſcillæ in eadem Civitate Pepuza Chriſtum ſpecie feminæ revelatum; unde ab hac*, Quintiliani *etiam nuncupantur*.

Eumdem errorem Marcitis (a Marco quodam hæretico, Marci Aurelii temporibus) adſcribere viſus eſt Irenæus, *lib. 1. adverſ. Hæreſ. cap. 13.* alias 8. Ubi loquens de Marci in Sacram. Euchariſtiam præſtigiis: *Rurſus* (inquit) *mulieribus dans calices mixtos, ipſas gratias agere jubet præſente ſe. Et ubi hoc factum eſt, ipſe alium calicem multo majorem, quam eſt ille, in quo illa ſeducta Euchariſtiam facit, proferens, & transfundens a minori, qui eſt a muliere Euchariſtia factus, in illum, qui eſt ab eo allatus multo majorem, ſtatim dicens &c.*

Hoc enim jure potitas fuiſſe feminas apud Collyridianos enarrat Epiphanius, *Hæreſi 79.* dicens: *Quadam mulieres currum quemdam, ſive ſellam quadratam ornantes, expanſo ſuper ipſum linteo, in die quadam illuſtri anni per aliquot dies panem proponunt, & offerunt in nomen Mariæ; omnes autem pane participant*. Harum enim hæreſis in eo ſita erat, quod B. Virgini tamquam Deæ ſacrificabant placentas panis.

II. Waldenſes, quia aſſerebant, omnem poteſtatem, ſive Eccleſiaſticam, ſive laicam ſolo peccato mortali deperdi, ideoque Sacerdotem per peccatum mortale Sacerdotem eſſe deſinere, & neque conſecrare, neque abſolvere poſſe: e contra, Reinero teſte, *lib. contra VValdenſes, cap. 5.* dicebant, quod *Omnis laicus bonus ſit Sacerdos*.

Lutherus vero, *lib. de Abroganda Miſſa*, & *lib. de Cap. Babylonica, cap. de Ordine*, non modo piis laicis, ut Waldenſes, ſed etiam impiis ineſſe poteſtatem Euchariſtiam conficiendi aſſerunt; licet ea fungi non debeant, niſi legitime fuerint vocati, excepto tamen neceſſitatis caſu. His omnibus erroribus Catholica fides e diametro reſiſtit, ut §. ſequenti oſtendemus.

§. II.

Catholica Veritas.

III. DIco. Soli Sacerdotes ſunt Euchariſtiæ conſecrandæ validi Miniſtri. Sic Tridentinum turpes Sectariorum errores dicto anathemate damnans, ait: tum Seſſ. 7. de Sac. in Gen. Can. 10. *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus ſacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem: anathema ſit*. Tum Seſſ. 22. *Si quis dixerit, illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerant corpus, & ſanguinem ſuum; anathema ſit*.

IV. In primis autem non omnes Chriſtianos eſſe in Baptiſmo ordinatos Sacerdotes, ſed certos eſſe debere in Eccleſia Miniſtros; oſtenſum eſt contra Lutherum, *in Tract. de Sacram. in Gener.* Conſtat enim ex Apoſtolo, *ad Rom. 13. 1. ad Cor. 12.* & *ad Epheſ. 4.* quod diverſa officia ſunt in Eccleſia, & diverſa membra, nec omnia eundem actum habent: quod non omnes ſunt Apoſtoli, aut Prophetæ, non omnes Paſtores, non omnes Doctores; nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Nec omnibus a Chriſto dictum eſt: *Euntes docete omnes Gentes. Hoc facite in meam commemorationem*: Et: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.*

V. Specialiter autem non omnes Chriſtianos, etiam laicos, poſſe Euchariſtiæ ſacrificium offerre, ſed ſolos eos, qui manuum impoſitione Sacerdotio initiati ſunt; prob. primo. Si namque in veteri lege non omnes circumciſi de populo Iſraelitico poterant Sacerdotio fungi, victimas offerendo, aliaque miniſteria obeundo, ſed ſoli ex tribus Levi, & familia Aaronica: unde Datan, Core, & Abiron ex eo ſolum, quod, cum non eſſent de tribu Levi, incenſum adolere auſi fuere, vivi a terra in pœnam abſorpti ſunt, ut habetur. *Num. 16.* & ut legitur, *1. Reg. 13.* Saul reprobatus a Domino fuit, quia non expectato Samuele, neceſſitate etiam urgente, obtulit holocauſtum: quæ omnia ſacrificii Chriſtianorum meri typi & figuræ erant: qua fronte quæſo audebit quiſpiam aſſerere, omnes baptizatos Sacerdotio Melchiſedech fungi poſſe, & corpus, ac ſanguinem Domini abſque ordinatione conſecrare, & offerre?

Secundo ex ipſa Euchariſtiæ inſtitutione. Non enim omnibus, ſed ſolis Apoſtolis, & in eorum perſona Sacerdotibus contulit Chriſtus poteſtatem faciendi quod ipſe fecerat; nempe conſecrandi ſimul, & manducandi, ac bibendi corpus, & ſanguinem ſuum. Unde, *Luc. 22.* legitur; *Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem*.

Hinc S. Th. 3. p. q. 82. art. 1. *Hoc ſacramentum* (inquit) *eſt tantæ dignitatis, quod non conficitur niſi in perſona Chriſti. Quicumque autem aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur a Chriſto poteſtas ſumendi hoc ſacramentum: ita Sacerdoti cum ordinatur, confertur poteſtas hoc ſacramentum conſecrandi in perſona Chriſti. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt a Domino, Luc. 22.* Hoc facite in meam commemorationem.

Quod ſi omnes baptizati, ſicut poſſunt ſumere, ita poſſent conſecrare, ac omnibus indifferenter data foret ad utrumque poteſtas; fieret, ut ſicut omnes jure divino tenentur Euchariſtiam ſumere; ita tenerentur eodem jure illam conſecrare, & diſpenſare: quod tamen negat Lutherus, qui proinde dicit, non omnes debere Euchariſtiam miniſtrare, ſed ſolos eos, qui vocati ſunt. —— Sequeretur etiam, quod feminæ, ſicut ex quo baptizatæ poteſtatem habent ſumendi, & debent ſumere; ita deberent aut ſaltem poteſtatem haberent conſecrandi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem Chriſti: quod neſcio, an Lutherus concedet.

VI. Hanc

VI. Hanc veritatem confirmant ex Conciliis (præter Tridentinum supra relatum) Nicænum I. *Can.* 14. (alias 18.) arguens Diaconos Eucharistiam Sacerdotibus ministrantes, his verbis: *Neque regula, neque consuetudo tradidit; ut qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant.* Si ergo Diaconi non habebant, sæculo quarto ineunte, potestatem offerendi corpus Christi; multo minus eam habebant laici, sed soli Presbyteri. Lateranense quoque sub Innoc. III. *C. Firmiter*, de summa Trinitate, de Eucharistia sic loquitur: *Hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus &c.* Quod ante earum Synodorum tempora jam docuerat Synodus Arelatensis I. *ann.* 314. *Can.* 15. dicens: *De Diaconibus; quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.*

VII. Ex Patribus vero eamdem veritatem confirmat Justinus Martyr, *Apolog.* 2. *pro Christianis*. Ubi sæpius testatur, penes Ecclesiæ Præpositos consecrandi Eucharistiam potestatem esse —— Tertullianus, *l. de Præscriptionibus*, *c.* 41. Marcionitas arguit, quod *& Laicis sacerdotalia munera injungunt* —— Cyprianus in sua, contra Stephanum Papam, de hæreticorum baptismate controversia aperte profitetur nullos, qui Sacerdotes non sint, posse Eucharistiam consecrare; & ex eo quod nempe supponat nullum in eis esse verum Sacerdotium —— Athanasius, *Apolog.* 2. *contra Arianos*, ex quo Ischyras Arianus in Sacerdotem nusquam fuisset ordinatus, probat, eum non potuisse Eucharistiam conficere. Quæ veritas ipsis quoque hæreticis perspecta fuit. Nam ut testatur S. Hieronymus, *Dial. adversus Luciferianos*, Hilarus illius sectæ Coryphæus *Eucharistiam non poterat conficere, quia Diaconus tantum erat.*

§. III.

Heterodoxorum Momenta.

VIII. PRimo Objiciunt, 1. *Petri* 2. *v.* 9. Omnes baptizati dicuntur *Genus electum, regale Sacerdotium*. Et Apocal. 5. v. 10. *Fecisti nos* (Christianos) *Deo nostro regnum, & Sacerdotes.*

Respondeo ex S. Augustino, *l.* 20. *de Civit. Dei c.* 10. verba illa Petri, & Apocalypsis non esse accipienda de Sacerdotio proprie tali, quod convenit solis Episcopis, & Presbyteris, *Qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes;* sed improprie, & late. Nam *Sicut omnes Christianos dicimus proprie mysticum Chrisma: sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis. De quibus Apostolus Petrus*, Plebs (*inquit*) sancta, regale Sacerdotium —— Adderem: Christianos omnes vocari Sacerdotes, quia omnes habiles sunt, ut sacerdotio initientur, ad differentiam legis Mosaicæ, in qua soli contribules Levi, & ex Aaron progeniti poterant sacerdotio fungi. Unde sicut omnes quia ex Aaron originem trahebant, idonei erant sacerdotio; sicut omnes Christiani, quia unius Sacerdotis Christi, Sacerdotii capaces sunt.

IX. Respondeo secundo communi responsione, verba illa Scripturæ accipienda esse de sacerdotio interno, quo singulos Fideles in Baptismo insignitos esse Scriptura dicit; ad offerendum scilicet Deo spirituales hostias precum, eleemosynarum, aliorumque pietatis operum: non vero de Sacerdotio externo, & speciali, cui uni adest potestas conficiendi, & offerendi publice in Ecclesia externum, & visibile sacrificium corporis, & sanguinis Domini. Nam sicut ibi Christus asseritur Sacerdos, ita & Rex: Atqui non omnes Christiani Reges sunt regno, & dominatione externa; ergo nec omnes sunt Sacerdotes Sacerdotio externo, & speciali in Ecclesia.

X. Secundo objiciunt. Verba illa Christi, Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, duo important, nempe, Eucharistiam conficere, & eam sumere: sed omnibus promiscue Fidelibus dictum est, ut Eucharistiam sumant; ergo & omnibus dictum est, ut eam conficiant.

Respondeo ex regula S. Augustini, *l.* 3. *de Doctr. Chr. cap.* 17. nimirum in Scripturis *Alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum.* In præfatis ergo Christi verbis sumere Eucharistiam, & sumendo memoriam ejus recolere, omnibus indiscriminatim præceptum est: Consecrare vero, & perficere, solis Apostolis, & Sacerdotibus dictum est, sicut etiam solis viris, non feminis —— Addo: quod sumere Eucharistiam, prout ibi a Christo præcipitur, solis Sacerdotibus dictum est: sumere autem eam per modum sacramenti, quod omnibus præcipitur, dictum est Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* Deinde si Eucharistiam conficere, & ministrare omnibus concessum, immo & præceptum est: cur apud Lutheranos non omnes id faciunt? Cur egent, ut ad hoc deputentur, cum Christus ad hoc omnes delegaverit?

XI. Tertio objiciunt. Tertullianus, *l. de Exhortatione Castitatis*, *cap.* 7. quosvis Fideles a secundis nuptiis deterret, eo quod cuique competat Sacerdotium quod bigamos utpote irregulares dedecet: *Nonne* (inquit) *& laici Sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos, & Sacerdotes, Deo & Patri suo fecit.* —— Ne autem quis reponat, ibi loqui Tertullianum de Sacerdotio improprie tali ad offerendas victimas spirituales tantum subjungit: *Differentiam inter ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis confessum sanctificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert, & tingit Sacerdos, qui est ibi solus; sed & ubi tres, Ecclesia est, licet laici &c. Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est habeas; oportet etiam disciplinam Sacerdotis necesse sit habere jus Sacerdotis.*

XII. Respondeo, dici posse; Tertullianum illum scripsisse librum, cum jam factus esset Montanista. Unde non mirum, si Montanistarum errorem omnibus etiam feminis jus sacerdotii tribuentium ibi professus sit; & sententiam, quam cum esset Catholicus tenuit, ut supra vidimus, retractaverit. —— Si autem quis velit, eum ad bonum sensum trahere —— dicere poterit, Tertullianum omnibus etiam laicis jus Sacerdotii tribuere; quia omnes habiles se reddere debent, ut possint eligi in Sacerdotes, a quo jure excidunt, qui Bigami sunt —— Vel sumere ly *Offerre* pro *Tradere*, seu *Dispensare*, non pro *Sacrificare*. Mos enim erat, ut laici, etiam feminæ, offerrent, seu præsentarent ea, quæ offerenda erant per Sacerdotem in sacrificio. De vidua enim, quæ singulis annis offerebat marito defuncto: & *Offert* (inquit) *singulis annis dormitionis ejus. Et in l. de Exhort. castitatis*, *c.* 11. de marito pro duabus uxoribus offerente ait: *Et offeres pro duabus, & commemorabis per Sacerdotem.*

Dici etiam potest, ly *Offerre* sumi a Tertulliano pro panis, & vini oblatione, qua urgente persecutione, absentibus Ministris, Fideles privatis in domibus offerre consueverant, nempe panem, & vinum; non quidem Eucharisticum, sed benedictum, quæ *Eulogia* dicebantur; & quæ etiam ad Episcopos, & Presbyteros in carceribus detentos Fideles deferre consueverant.

XIII. Nec dicas, quod si non laici, saltem Diaconi panem, & vinum Eucharisticum offerebant. Unde Concilium Ancyranum, *Can.* 2. Diaconos lapsos cessare jubet *Ab omni sacro ministerio, sive a pane, sive a calice offerendo* —— Respondeo enim, ordinis exercitium, quod ibi auferetur a Diaconis, in eo situm fuisse, non quod panem, & vinum consecrarent; sed quod panem, & vinum a Fidelibus oblata exciperent, & ad sacrum altare deferrent, in quo tres in partes dividi solebant. Ex una ab Episcopo, vel Presbytero Eucharistia conficiebatur, altera cedebant in pauperum usum, tertia Clericorum sustentationi destinata erat.

XIV. Quarto objiciunt. Frumentius, cum adolescens in Indiis degeret, mercatores Christianos, natione Italos, qui illuc appulerant, ad divinorum celebrationem invitasse legitur apud Theodoretum, *Hist. Ecclesiast. l.* 1. *c.* 23. cum tamen nec ipse adhuc Sacerdotio fungeretur (fuit enim postea ordinatus ab Athanasio, ut ibidem refertur) nec credibile sit, mercatores illos, aut ex ipsis aliquem fuisse ordinatos —— Secundo: Acta S. Petronillæ referunt; eam obiisse in carcere, celebratis Dominicæ oblationis Mysteriis. Tertio: Joannes Moscus, *in Prato spirituali*, *cap.* 25. narrat, Monachum laicum panes quosdam verbis evangelicis consecrasse, quod factum ratum ab Angelo fuit denuntiatum.

XV. Resp. ad primum de Frumentio. Vel divina Mysteria, quæ Romano more celebrasse leguntur, mercatores illi, hortante Frumentio, non fuisse altaris tremendum sacrificium; sed preces sacras Romano ritu peractas. Unde Ruffinus, ex quo hanc historiam Theodoretus excerpsit, solius orationis mentionem facit. Vel si divina mysteria volumus fuisse incruentum sacrificium, non fuit celebratum nec a Frumentio nondum sacris initiato, nec ab ullo ex mercatoribus laicis; sed ab aliquo Presbytero ab illis adducto, ut in longinquis peregrinationibus fieri solet: nisi forte dicamus, celebrata fuisse divina Mysteria, non consecratione, sed dispensatione panis jam consecrati, quem a suis regionibus mercatores illi (ut tunc moris erat peregrinantibus dari) asportaverant.

Ad secundum dico Acta laudata esse sic exponenda: nempe, quod S. Petronilla jobierit celebratis Dominicæ oblationis Mysteriis, non ab ipsa, sed ab aliquo Sacerdote, qui, ut moris erat, eam in carcere inviserat.

Tertium vero ex Prato spirituali non tantæ auctoritatis est, ut dubietatem excludere valeat: multa enim in illud dubiæ fidei irrepserunt. Quod si hoc etiam daretur, præter legem, & divina dispensatione factum credi deberet. Quod autem præter legem fit, in regulam trahi non debet, nec infirmat assertum nostrum; nempe, quod ex institutione divina penes solos Sacerdotes sit Eucharistiæ consecratio.

XVI. Quinto objiciunt. Sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi: sed omnis justus, etsi laicus, est Christi membrum, & Christo unitur per charitatam; ergo &c. Unde ait Chrysostomus, Hom. 43. in Matth. *Omnis Sanctus est Sacerdos.*

Confirmant. Hoc sacramentum consecratur virtute verborum: sed significatio verborum non mutatur, sive proferantur a Sacerdote, sive a laico; ergo &c. Sicut igitur verba Baptismi prolata, sive a Sacerdote, sive a laico suum habent effectum, cur non verba Eucharistica?

XVII. Respondeo cum S. Thom. 3. p. q. 82. art. 1. ad 2. quod *Laicus justus unitus est Christo unione spirituali per fidem,*

fidem, & charitatem, non autem per sacramentalem potestatem; & ideo habet spirituale Sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur in Ps. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. non vero ad offerendum publicum Eucharistiæ sacrificium: sicut nec omne membrum corporis, etsi conjungatur capiti, non tamen habet eumdem actum, & potestatem.

Ad Confirm. dico, quod virtus consecrativa non consistit in solis verbis, sed etiam in potestate accepta in consecratione, & ordinatione. Sic virtus principalis agentis non quocumque instrumento operatur quemcumque effectum; sed instrumento ad hoc deputato, & idoneo. Neque idem est de Baptismo. Cum enim sit sacramentum maximæ necessitatis; oportuit, ut quilibet homo deputaretur, & esset idoneus. Non de sacrificio Missæ, quod tantæ necessitatis non est. Sicut in antiqua lege quilibet poterat circumcidere; non tamen quilibet poterat sacrificare, & offerre, sed solus Sacerdos. Videatur S. Th. *q.* 82. citata *art.* 1. *ad* 1. *&* 3.

Dubium. II.

An plures, & an mali Sacerdotes possint Consecrare?

§. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. Dico. Plures Sacerdotes possunt simul eamdem hostiam consecrare. Ita Sanct. Thom. dicta *quæst.* 82. *art.* 2. Qui affert primo consuetudinem quarundam Ecclesiarum, qua Sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant Episcopo ordinanti. Hanc vero rationem pro hac consuetudine affert. Nam *Sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum, qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in cœna:* sicut ergo *Apostoli Christo cœnanti* (& eos ordinanti) *concœnaverunt: ita novi ordinandi, Episcopo ordinanti concelebrant. Nec propter hoc iteratur consecratio super eandem hostiam: quia sicut Innocentius III. dicit* (lib. 4. de Myst. Missæ, capit. 25.) *omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.* Licet autem plures non possint simul unum baptizare, possunt tamen simul eamdem hostiam consecrare. Quia (ait Sanct. Thom. ibi ad 1.) *Christus non legitur simul baptizasse cum Apostolis, quando injunxit eis officium baptizandi;* sicut cum illis concœnavit, quando eis injunxit officium consecrandi.

Hic tamen notandum est: S. Th. non dicere, Apostolos Christo celebranti concelebrasse, sed tantum *Concœnasse:* non enim poterant Domino concelebrare, quia nondum erant Sacerdotes; cum primo Sacerdotes instituti sint, quando Christus, post consecrationem panis, illis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut ait Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. Vult ergo S. Th. posse recens ordinatos cum Episcopo ordinante celebrare, ad quamdam imitationem discipulorum, qui in Cœna Christo concœnaverunt. Vide Porrectam ad hunc art.

Neque sequitur, quod cum possit unum solus per se consecrare, superflue apponantur alii. —— Hoc enim (ait S. Thom. *ad* 2. ibi) verum esset, *Si quilibet Sacerdos operaretur in virtute propria . . . . . Sed quia Sacerdos non consecrat, nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo: ideo non refert, utrum per unum, aut per multos hoc sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiæ servare.*

II. Hic nota primo cum eodem Porrecta: Sacerdotem, sive consecret solus, sive cum aliis, semper agere in persona Christi; non tamen semper agere in virtute, sive intentione propria. Si enim solus consecret, agit, ut unum per se intendens, mox prolatis a se verbis consecrationem factam esse: & tunc virtute propria operari dicitur, quoniam nihil expectat ab aliquo homine, vel ab aliquibus. Si vero consecret cum aliis, cum expectet a consociis & prolationem verborum, & intentionem simultaneam, quam omnes referre tenentur ad idem instans; non dicitur agere virtute propria, sed communi cum aliis.

Nota secundo: in hoc servandum esse ritum Ecclesiæ, maxime Romanæ: quæ cum a B. Petro fuerit fundata, & per multos annos recta, creditur ab ipso omnes ritus, maxime circa sacramentorum administrationem, fuisse edocta. Unde cum excepto casu Ordinationis Presbyteri, vel consecrationis Episcopi (ut dicemus) non permittat, ut plures simul eamdem hostiam consecrent; tuta conscientia non licet aliter facere, nisi accedente ejusdem dispensatione, ut decernit Trid. *Sess.* 7. *de Sacram. in genere, Can.* 13.

III. Quæres: An alia obtinuerit consuetudo, ut plures concelebrent excepto die Ordinationis Presbyterorum?

Resp. affirmative: tum apud Latinos, tum apud Græcos. Apud Latinos quidem, quando Presbyter inauguratur Episcopus. Tunc enim simul cum Episcopo consecratore profert verba consecratoria, ac degustat particulas hostiæ consecratæ; hauritque e sacro calice pretiosi sanguinis guttulas sibi ab Episcopo consecratore porrectas. —— Apud Græcos etiam. In urbibus enim, ubi unum dumtaxat est templum, Sacerdotes, quantuscumque sit eorum numerus, Episcopum celebrantem hinc inde cingunt, una cum ipso totam Liturgiam recitant; & tandem Communionem sub utraque specie ab ipso recipiunt. Quam consuetudinem a tempore Concilii Nicæni I. ortum habuisse, colligit Morinus, *lib. de Ordinationibus Eccles. exercit.* 8. Cum enim, *Can.* 18. comprimantur Diaconi, quod Eucharistiam Presbyteris dispensandi jus sibi arrogarent; ex hoc infert, voluisse Patres Nicænos, Presbyteros Sacerdoti celebranti concelebrantes, de manu ejus Eucharistiam accipere, non de manu Diaconorum.

§. II.

Resolvitur Secunda Pars.

Mali Sacerdotes possunt esse, vel quia in peccato mortali sunt, vel quia hæretici, vel excommunicati, suspensi, schismatici, aut degradati.

IV. Dico primo. Sacerdotes mali, nempe, in peccato mortali existentes, consecrare Eucharistiam valide possunt; sed potestate sua male, & indigne utuntur. Assertum hoc pro priori parte resolutum fuit in *Tract. de Sacr. in gen.* Ubi contra Donatistas, & alios, malos Ministros posse sacramenta conficere generaliter ostensum est. Nunc autem specialiter de Ministro Eucharistiæ statuit S. Th. 3. *p. q.* 82. *art.* 5. Et Concil. Constantiense, *Sess.* 8. *cap.* 15. contra Wicleffum, & Joann. Hus dicentes: *Sacerdos, si est in peccato mortali non consecrat.* Et contra waldenses, qui asserebant: *Sacerdotes rite, & legitime secundum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse Ecclesiastica conficere sacramenta.*

V. Probatur autem ratione S. Thom. loco citato: *Sacerdos* enim *consecrat hoc sacramentum non virtute propria, sed sicut Minister Christi, in cujus persona consecrat hoc sacramentum: Non autem ex hoc ipso desinit aliquis Minister esse Christi; quod est malus. Habet enim Dominus bonos, & malos Ministros, seu servos. Unde Matth.* 24. *Dominus dicit:* Quis putas est fidelis servus, & prudens &c. *Et postea subdit:* Si autem dixerit malus iste servus in corde suo &c. *Et Apostolus dicit*, 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi. *Et tamen postea subdit:* Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. *Erat ergo certus, se esse Ministrum Christi: tamen non erat certus, se esse justum. Potest ergo aliquis esse Minister Christi, etiamsi justus non sit. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet: cui sicut vero Deo serviunt non solum bona, sed etiam mala, qua per ipsius providentiam in ejus gloriam ordinantur.*

VI. Idipsum confirmat in arg. *Sed contra* ex Paschasio Corbejensi Abbate, *lib. de Corp. Domini, cap.* 12. (& refertur 1. *q.* 1. *cap.* 77.) dicente: *Intra Ecclesiam Catholicam in Mysterio corporis, & sanguinis Domini, nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus Sancti.* Unde Augustinus, lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 20. *Si ergo* (inquit) *ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio:* Deus peccatorem non audit, *ut per peccatum sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Qua omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas, idest, per eos, qui oderunt fratres in ipsa intus Ecclesia.*

VII. Secunda vero pars ostenditur ex eodem S. Thoibidem, *ad* 1. Ubi ad verba Hieronymi, in *capit.* 3. *Sophoniæ*, dicentis: *Sacerdotes, qui Eucharistiæ serviunt, & sanguinem Domini populis dividunt, impie agunt in lege Christi; putantes, Eucharistiam precantis favere verba, non vitam, & necessariam esse tantum solemnem orationem, & non Sacerdotis merita; de quibus dicitur: Sacerdos in quacumque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino:* Respondet dicens: *Quod Hieronymus per illa verba improbat errorem Sacerdotum, qui credebant, se digne posse Eucharistiam consecrare, ex hoc solo, quod sunt Sacerdotes, etiamsi sint peccatores; quod improbat Hieronymus per hoc quasi maculosi accedere ad altare prohibentur: non tamen removentur, quin, si accesserint, sit verum sacrificium, quod offerunt.*

Eodem modo explicat S. Thomas ibi *ad* 2. verba Gelasii Papæ (vel alterius) qui, ut refertur Can. Sacrosancta, 1. quæst. 1. *Quomodo* (inquit) *ad divini Mysterii consecrationem cœlestis Spiritus invocatus adveniet; si Sacerdos, qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobetur?* Respondet enim, intentionem Gelasii esse, quod peccator Sacerdos non debet ad hoc sacramentum accedere. Præmiserat enim: *Sacrosancta Religio . . . tantam sibi reverentiam vendicat, ut ad eam quilibet, nisi pura conscientia non audeat pervenire.* Unde per hoc, quod subdit: *Quomodo cœlestis Spiritus advocatus adveniet?* intelligi oportet, quod non advenit ex merito Sacerdotis, sed ex virtute Christi, cujus verba profert Sacerdos. Vel quod non advenit, ut sacrificium, & sacramentum sit fructuosum sic indigne celebranti, & sumenti; licet adveniat, ut ratum, & perfectum sit.

VIII. Hoc idem quomodo fieri possit, edisserit idem S. Thom.

Thom. ibi *ad* 3. Qui explicans verba Malachiæ 2. *Maledicam benedictionibus veſtris*, & Dionyſii (Epiſtol. ad Domophilum Monachum) *Perfecte cecidit a Sacerdotali ordine, qui non eſt illuminatus &c.* ait: Quod *Sicut eadem actio in quantum fit ex prava intentione Miniſtri, poteſt eſſe mala, bona autem in quantum fit ex bona intentione Domini: ita benedictio Sacerdotis peccatoris, in quantum ab ipſo indigne fit, eſt maledictione digna; & quaſi infamia, ſive blaſphemia, & non oratio reputatur: in quantum autem profertur ex perſona Chriſti, eſt ſancta, & efficax ad ſanctificandum. Unde ſignanter dicitur:* Maledicam benedictionibus veſtris.

IX. Dico ſecundo. Sacerdotes hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, & ſuſpenſi, modo rite ſint ordinati, Euchariſtiam conſecrare valide quidem poſſunt, indigne tamen. Ita S. Th. 3. *p. q.* 82. *art.* 7, cujus hæc ſunt verba: *Quidam dixerunt, quod hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, quia ſunt extra Eccleſiam, non poſſunt conficere hoc ſacramentum. Sed in hoc decipiuntur: quia ſicut Aug. dicit: lib.* 2. *contra Parmenianum, cap.* 13. Aliud eſt aliquid omnino non habere, aliud autem non recte habere: *& ſimiliter etiam*, eſt aliud non dare, aliud non recte dare. *Illi igitur, qui intra Eccleſiam conſtituti receperunt poteſtatem celebrandi Euchariſtiam in ordinatione Sacerdotii, recte quidem habent poteſtatem; ſed non recte ea utuntur, ſi poſtmodum per hæreſim, aut ſchiſma, vel excommunicationem ab Eccleſia ſeparentur. Qui autem ſic ſeparati ordinantur, nec recte habent poteſtatem, nec recte utuntur. Quod tamen utrique poteſtatem habeant, patet per hoc, quod, ſicut Auguſtinus ibidem dicit, cum redeunt ad unitatem Eccleſiæ, non reordinantur, ſed recipiuntur in ſuis ordinibus. Et quia conſecratio Euchariſtiæ eſt actus conſequens Ordinis poteſtatem; illi, qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, aut excommunicationem, poſſunt quidem conſecrare Euchariſtiam; quæ ab eis conſecrata verum corpus, & ſanguinem Chriſti continet: non tamen hoc recte faciunt, ſed peccant facientes, & ideo fructum ſacrificii non percipiunt, quod eſt ſacrificium ſpirituale.*

X. Neque obeſt ſi dicas primo. Auguſtinus (ſeu verius Proſper) *in lib. Sentent. cap.* 15. dicit: *Extra Eccleſiam non eſt locus veri ſacrificii.* Et Leo Papa, *Epiſt.* 40. & habetur in Decretis, 1. quæſt. 1. cap. 68. *Aliter* (ſcilicet, quam in Eccleſia, quæ Chriſti corpus eſt) *nec rata ſunt Sacerdotia, nec vera ſacrificia* —— Nam reſpondeo cum S. Th. citato, ad 1. *Quod auctoritates illæ, & ſimiles intelligendæ ſunt quantum ad hoc, quod non recte extra Eccleſiam ſacrificium offertur; unde extra Eccleſiam non poteſt eſſe ſpirituale ſacrificium, quod non eſt verum veritate fructus, licet ſit verum veritate ſacramenti: ſicut etiam ſupra dictum eſt, quod peccator ſumit corpus Chriſti ſacramentaliter, ſed non ſpiritualiter.*

XI. Nec obeſt ſi dicas ſecundo. Innocentius I. Papa, *Epiſt.* 18. (relata 1. *q.* 1.) ait: *Arianos, cæteraſque ejuſmodi peſtes, quia laicos eorum ſub imagine pœnitentiæ ſuſcipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii, aut cujuſpiam Miniſterii ſuſcipi debere dignitate, quibus ſolum Baptiſma ratum eſſe permittimus* —— Nam reſpondet S. Thom. citatus, ad 2. *Quod ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis, & ſchiſmaticis, quia poſſunt licite baptizare in articulo neceſſitatis: in nullo autem caſu licite poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre.*

XII. Si inſtas tertio. Ille, qui eſt extra Eccleſiam, non videtur poſſe agere in perſona totius Eccleſiæ, ſed Sacerdos conſecrans Euchariſtiam, hoc agit in perſona totius Eccleſiæ; ergo non videtur, quod qui ſunt extra Eccleſiam, poſſint &c. —— Reſp. cum eodem S. Dh. ibi, ad 3. *Quod Sacerdos in Miſſa, in orationibus quidem loquitur in perſona Eccleſiæ, in cujus unitate conſiſtit: ſed in conſecratione ſacramenti loquitur in perſona Chriſti, cujus vicem in hoc gerit per Ordinis poteſtatem. Et ideo ſi Sacerdos ab unitate Eccleſiæ præciſus Miſſam celebret, quia poteſtatem Ordinis non amittit, conſecrat verum corpus, & ſanguinem Chriſti. Sed quia eſt ab unitate Eccleſiæ ſeparatus, orationes ejus efficaciam non habent.*

XIII. Dico tertio. Sacerdos etiam degradatus poteſt perficere Euchariſtiam. Ita S. Thom. citata, *quæſt.* 82. *art.* 8. ſic diſcurrens: *Poteſtas conſecrandi Euchariſtiam pertinet ad characterem ſacerdotalis ordinis, character autem quilibet, quia cum quadam conſecratione datur, indelebilis eſt, ut ſupra dictum eſt* (quæſt. 63. art. 5.) *ſicut & quarumcumque rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt. Unde manifeſtum eſt, quod poteſtas conſecrandi non amittitur per degradationem: dicit enim Auguſtinus, lib.* 2. *contra Parmenianum, cap.* 13. Utrumque, *ſcilicet Baptiſmus, & Ordo* ſacramentum eſt; & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud, cum baptizatur, iſtud, cum ordinatur: ideoque non licet a Catholicis utrumque iterari. *Et ſic patet, quod Sacerdos degradatus poteſt perficere ſacramentum.*

XIV. Neque dicas primo. Qui aliquid dat, poteſt illud auferre: ſed Epiſcopus dat Presbytero poteſtatem conſecrandi, ordinando illum; ergo etiam poteſt illi eam auferre, degradando illum —— Reſpondet enim S. Thom. ibi, ad 2. *Quod Epiſcopus non dat poteſtatem ſacerdotalis Ordinis propria virtute, ſed inſtrumentaliter, ſicut Miniſter Dei, cujus effectus per hominem tolli non poteſt, ſecundum illud Matth.* 18. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Et ideo non poteſt hanc poteſtatem auferre: ſicut nec ille, qui baptizat, poteſt auferre characterem baptiſmalem.*

XV. Neque iterum dicas. Plus amittere debet degradatus, quam excommunicatus: ſed excommunicatus amittit ſolam executionem Ordinis; ergo degradatus amittere debet etiam poteſtatem —— Nego enim conſequ. cum S. Thom. ibi, *ad* 3. Quia etſi degradato non auferatur poteſtas Ordinis; adhuc tamen plus amittit, quam excommunicatus. Nam *Excommunicatio eſt medicinalis. Et ideo excommunicatis non auferur executio Sacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum, ſed ad correctionem uſque ad tempus. Degradatis autem aufertur executio, quaſi in perpetuum condemnatis.*

XVI. Quæres: An ab hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, & peccatoribus liceat Communionem recipere, & eorum Miſſas audire?

Reſpondet S. Th. dicta q. 82. art. 9. *Quod ſicut ſupra dictum eſt, Sacerdotes, ſi ſint hæretici, vel ſchiſmatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamvis habeant poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, non tamen ea recte utuntur, ſed peccant utentes. Quicumque autem communicat alicui in peccato, ipſe particeps peccati efficitur. Unde, & in* 2. *canonica Joannis dicitur, quod* qui dixerit ei, Ave, *ſcilicet, hæretico,* communicat operibus illius malignis. *Et ideo non licet a prædictis Communionem accipere, aut eorum Miſſam audire.*

Differt tamen inter prædictas Sectas. Nam hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione conſecrandi privati. Et ideo peccat quicumque eorum Miſſam audit, vel ab eis recipit ſacramenta. Sed non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione hujus poteſtatis privati. Et ſic quamvis ſint ſuſpenſi quantum ad ſe ex ſententia divina, non tamen quantum ad alios ex ſententia Eccleſiæ. Et ideo uſque ad ſententiam Eccleſiæ licet ab eis Communionem accipere, & eorum Miſſam audire. Unde ſuper illud, 1. *Cor.* 5. Cum hujuſmodi nec cibum ſumere, *dicit Gloſſa Aug.* (Homil. ult. inter 50. modo Serm. 351.) *Hoc dicendo, noluit hominem ab homine judicare ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio, ſed potius ex lege Dei, ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum, & convictum.* De quo videri etiam poteſt S. Thom. *Quolibet.* 11. *art.* 8. Ubi addit de Sacerdote fornicario, quod *Si conſtaret mihi, eum* (Sacerdotem) *eſſe in peccato mortali, & inducerem eum ad celebrandum, peccarem mortaliter: & hoc eſt ſecundum ipſum jus naturale, quia hoc eſt provocare eum ad peccatum mortale. Jus autem poſitivum addit plus: quod non ſolum non debeam inducere eum ad celebrandum, ſed etiam ſi audio ejus Miſſam, pecco mortaliter; quod quidem inſtitutum eſt in pœnam Sacerdotis fornicarii. Attendendum tamen eſt, quod hoc non intelligitur de quolibet Sacerdote fornicario, ſed de publicis fornicariis, qui proprie dicuntur publici, quando judicio, & ſententia Eccleſiæ vocantur publici. Unde quicumque a tali fornicario audit Miſſam, peccat mortaliter.*

XVII. Quare autem licet alia peccata ſint majoris gravitatis, quam fornicatio, tamen *Eccleſia,* 32. *diſt. cap.* 5. ſpecialiter vetuit, ne quis audiat Miſſam Sacerdotis concubinarii notorii, vel per ſententiam, vel per confeſſionem in jure factam, vel per evidentiam facti. Ratio eſt, quam dat Sanctus Thom. hac quæſt. 82. art. 9. ad 3. *Quod licet fornicatio non ſit gravior cæteris peccatis, tamen ad eam proniores ſunt homines, propter carnis concupiſcentiam. Et ideo ſpecialiter hoc peccatum Sacerdotibus prohibitum eſt ab Eccleſia, & ne aliquis audiat Miſſam concubinarii Sacerdotis.*

DUBIUM III.

An liceat Sacerdoti celebrare Miſſam privatam?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. ETſi, ut ait Tridentinum. *Seſſ.* 22. *capit.* 6. proprie loquendo nullæ Miſſæ privatæ ſint, ſed omnes vere communes cenſeri debeant: *Partim, quod in eis populus ſpecialiter communicet: partim vero, quod a publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus Fidelibus, qui ad Chriſti corpus pertinent, celebrentur;* & etiam quia ſacrificium ipſum publicum eſt, & nomine totius Eccleſiæ offertur in commemorationem mortis Chriſti, quod eſt publicum beneficium; & Sacerdos nullum, qui velit, & dignus ſit, ab ejus participatione repellit: uſus tamen obtinuit, ut Miſſæ aliæ publicæ, aliæ privatæ vocarentur.

II. Publica, ſeu ſolemnis dici poteſt, ſive ratione ritus, quia ea cantu, & aſſiſtentia Miniſtrorum, in publica Eccleſia, adſtante multitudine celebratur: ſive quia in ea non ſolus Sacerdos, ſed etiam alii adſtantes de populo communicant. Privata vero, vel quia ſine cantu; vel in Oratorio privato, aut etiam in Eccleſia ſolo Sacerdote, & Miniſtro

niſtro præſente celebratur: vel tandem quia in ea ſolus Sacerdos communicat, & particeps eſt Altaris.

III. Primus, qui hanc diſtinctionem evulgavit, fuit Lutherus; qui in Miſſam privatam inſane debacchatur, eamque abrogare conatur in libro, quem edidit *De Abroganda Miſſa privata*, Diabolo uſus præceptore, ut ipſe teſtatur, *lib. de Miſſa privata, & unctione Sacerdotum*. Revera tamen omne Miſſæ ſacrificium tollere intendens; dum Miſſam publicam, eam ſolam vocat partem, quæ voce intelligibili a Sacerdote profertur, & in qua publica fit populo diſtributio: eam, quam ſecreto Sacerdos dicit, ut Canonem, oblationem, conſecrationem, privatam vocat, & rejicit: quod nil aliud eſt, quam rejicere ſacrificium, quod, ut diximus, in conſecratione conſiſtit. Lutherani omnes imitantur Magiſtrum ſuum, qui Miſſas, præſertim in quibus ſolus Sacerdos communicat, tamquam contrarias inſtitutioni Chriſti, & praxi antiquæ Eccleſiæ repudiant.

IV. Oppoſitum tamen ſentit univerſa Eccleſia Catholica, quæ Lutheri, & aliorum doctrinam proſcripſit in Tridentino, *Seſs. 22. Can. 8.* his verbis: *Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas: anathema ſit*. Et Can. 9. *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe .... anathema ſit*.

§. II.

Reſolutio Catholica.

V. Deo. Sacerdos Miſſam privatam celebrans, ſeu in qua ſolus ipſe communicat, legitime, ac licite operatur. Prob. Quod nec eſt contra eſſentiam ſacrificii, nec contra Chriſti præceptum, nec contra Eccleſiæ praxim, legitime, ac licite fit: ſed Miſſa privata, in qua ſolus Sacerdos communicat, non eſt contra eſſentiam ſacrificii. Nam, ut habetur, *Levit. 6. & 7.* cum offerebantur ſacrificia pro peccato, populo proderant, ac vera ſacrificia erant: & tamen populus nihil de eis deguſtabat. Nec Chriſtus unquam præcepit, ut niſi in ſolemni, & publico conventu Sacerdos celebret, vel niſi cum populo ſacramentaliter communicet. Non ex praxi Eccleſiæ. Nam neque Apoſtolos tale aliquid præcepiſſe legimus. Eccleſia autem indifferenter, ſive ſolemniter, & publice, ſive private, & ſine populo communicante, quovis ſæculo celebrare Miſſam conſuevit. Liberum ergo fuit Sacerdotibus ſacrificium offerre etiam abſque cœtu, & communione fidelis populi, Nec enim hoc ad ſacrificium novæ Legis neceſſarium eſt. Nam per ipſum, etiamſi nullus præter Sacerdotem communicet, exhibetur actus teſtificans ſupremum Dei in creaturas dominium; recolitur Chriſti Paſſio, & petuntur pro populo auxilia, quibus non ſolum Sacerdos, ſed & tota Eccleſia indiget.

VI. Miſſas privatas apud antiquam Eccleſiam fuiſſe in uſu indicat Tertullianus, qui noctu privatim tempore perſecutionis hortatur, ut celebretur, *l. de Fuga in perſecutione, c.* 14. dicens: *Si colligere interdiu non potes, habes noctem. Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia*. Conſtantinum oratorium in palatio extruxiſſe, ac templum portatile habuiſſe; ne Miſſæ ſacrificio, cum in Caſtris eſſet, careret: ejuſque exemplum nobiles Palatinos fuiſſe ſecutos, teſtatur Euſebius, *l. 4. de vita Conſtantini, cap. 17.* & Sozomenus, *lib. 1. Hiſt. cap. 8.* S. Gregorius Nazianz. *Orat. 19. in laudem Patris*, eum in cubiculo ſuo ſacris operatum: & oratione *in laudem ſororis ſuæ Gorgoniæ*, domeſticum ei altare fuiſſe memorat, S. Ambroſium apud clariſſimam feminam fuiſſe invitatum, *Ut ſacrificium in domo efferret*: quod cum perageret, paraliticam liberaſſe refert Paulinus, *in ejus vita*. S. Paulinus Nolanus ante lectulum ſuum parari ſibi altare juſſit; ibique ſacrificium obtulit paucis ante obitum horis, teſte *Uranio* in ejus vita.

Unum ex Presbyteris ſuis perrexiſſe in domum cujuſdam Heſperii a malignis ſpiritibus vexatam; ibique oblato ſacrificio corporis Chriſti ceſſaſſe vexationem, ſcribit Auguſt. *l. 22. de Civit. Dei, c. 8.*

S. Gregorius Magnus, *l. 5. Epiſt. 43.* Joanni Syracuſano Epiſcopo præcipit, ut Miſſas celebrari permittat in domo Venantii Patritii, Et *homil. 37. in Evangelia*, Caſſium Narnienſem Epiſcopum quotidianas Deo hoſtias offerre ſolitum, morti proximum, in domus Epiſcopalis oratorio Miſſas celebraſſe teſtatur.

VII. Miſſas etiam, nemine præter Sacerdotem celebrantem, communicante primis temporibus in uſu fuiſſe, teſtatur S. Joann. Chryſoſtomus: *Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſ.* qui cum quotidie celebraret, dolebat, quod nemo eſſet, qui communicaret: *Fruſtra eſt* (inquit) *quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus altari, nemo eſt qui participet*. Neque dicas: his verbis Chryſoſtomum reprobare potius, tamquam inutile ſacrificium, cui nemo eſt, qui communicet. Nam ſi reprobaſſet tamquam inutile, a quotidiano ſacrificio abſtinuiſſet, quod tamen non fecit. Fruſtra igitur dicebat eſſe ſacrificium, cui nemo eſt, qui participet, non quia non eſſet in ſe verum, & laudabile ſacrificium; ſed quia cum nemo eſſet, qui de eo participaret, ſtaudabatur fine ſuo ſecundario. Cum enim non ſolum ſit ſacrificium, ſed etiam ſacramentum, ordinatur non ſolum ad Dei cultum, qui eſt finis primarius, & ad Sacerdotis ſpiritualem refectionem, ſed etiam Fidelis populi. Is ergo erat Chryſoſtomi ſenſus, qui & Concil. Trident. *Seſſ. 22. cap. 6.* dicentis: *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali effectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quod ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior perveniret: Nec tamen, ſi id non ſemper fiat, propterea Miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, ſed probat, atque adeo commendat &c.*

VIII. Hoc idem comprobatur. Tum ex S. Auguſtino, qui *Epiſt. 54.* (alias 118.) *ad Januarium, c. 3.* Æque laudat eos, qui ex devotione quotidie puro corde communicant; & eos, qui ex reverentia raro accedunt ad Communionem: cum tamen *Epiſt. 98.* (alias 23.) *ad Bonifacium Epiſcopum*, aſſerat, in Euchariſtiæ ſacrificio Chriſtum omni die immolari. Tum ex Concilio Agathenſi, quod ſexto ſæculo præcipit quidem, ut ſingulis diebus Dominicis Sacrificio Miſſæ ſiſtant ſe præſentes; ſed ad Communionem non adigit niſi diebus Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes. Tum ex Conc. Toletano XII. *Can. 5.* ubi conqueritur quidem de Presbyteris, qui offerentes non communicabant, dicens: *Quale erit ſacrificium, cui nec ipſo ſacrificans participaſſe dignoſcitur?* De aliis vero, qui præſentes non communicarent, prorſus filet: quod non ſiluiſſet, ſi neceſſe fuiſſet, ut aliquis ſaltem de adſtantibus communicaret.

§. III.

Lutheranorum, & aliorum Argumenta.

IX. Objiciunt primo. Chriſtus cum Cœnam Dominicam inſtituit, omnibus, qui aderant, diſtribuit; idque deinceps fieri mandavit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Miſſæ igitur, in quibus ſolus Sacerdos communicat, ſunt contra Chriſti inſtitutionem.

X. Reſpondeo primo, neg. ant. Nec enim quidquid in Cœna Chriſtus fecit, fieri ab omnibus, & in quacumque circumſtantia mandavit: Alioquin nonniſi ſub noctem, poſt cœnam, præſentibus duodecim, excluſis mulieribus, Cœnæ Myſterium eſſet celebrandum. Sed ſic inſtituit, ut Sacerdos conſecrans ſemper participet, ac deinde, ſi qui fidelium præſentes ſint, & petant, exemplo ſuo illis diſtribuat.

Reſpondeo ſecundo, Chriſtum in Cœna ordinaſſe Apoſtolos Sacerdotes: unde ſolum voluit, ut qui ordinantur, cum Ordinatore communicent; quod in die Ordinationis adhuc ſervat Eccleſia. Vel præcepiſſe, ut qui ſacrificium (ut ipſe) offerunt, de ſacrificio participent.

XI. Objiciunt ſecundo. Apoſtolus, 1. *Cor.* 11. Cœnam Dominicam privatæ opponit. Ait enim, v. 20. *Jam non eſt Dominicam Cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum*. In quem locum S. Joann. Chryſoſt. *Quod* (inquit) *Dominicum eſt, privatum fecerant. Cœna enim Domini debet eſſe communis*.

XII. Reſpondeo, Apoſtolum, & Chryſoſtomum hic Cœnæ Dominicæ nomine, celebrationem, aut ſumptionem Euchariſtiæ non intellexiſſe; quæ pauperibus æque, ac divitibus per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſabatur: ſed convivium, ad imitationem Cœnæ Domini, poſt ſacra Myſteria a chriſtianis tunc temporis celebrari ſolitum, quod *Agapen* vocabant, quaſi Symbolum charitatis. Cumque ad hoc divites amicos paris conditionis, deſpectis pauperibus invitarent, eos reprehendit Paulus, quod Dominicam Cœnam non imitarentur, quam Chriſtus cum diſcipulis pauperibus habuit; ſed privatam facerent, excluſis, aut non expectatis pauperibus, cum cœna Domini debeat eſſe communis. Unde ait: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Ideſt, ſi cœnas privatas facere vultis, domos habetis. At in hac, quam ad imitationem Cœnæ Domini in Eccleſia facitis, communes habere debetis etiam pauperes, qui non habent.

XIII. Objiciunt tertio *Canonem 9.* vel 10. ex iis, qui Apoſtolorum dicuntur: *Canonem 2.* Concilii Antiocheni, & Can. *Peracta*, diſt. 2. *de Conſecr.* nec non verba Diaconi clamare ſoliti: *Si quis non communicat, det locum*, apud S. Greg. *l. 2. Dialog. cap. 22.* Ex quibus conſtat, a ſacris Myſteriis excluſos fuiſſe omnes, qui non communicarent, & proinde nullam Miſſam abſque Communione circumſtantium celebratam fuiſſe.

XIV. Reſpondeo primo: *Canonem 9.* Apoſtolicum dictum, eos perſtringere: *Qui Eccleſiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque in precatione, & ſacra Communione permanent*: ideſt, qui dum celebratur ſacrificium, ad finem uſque ſacræ liturgiæ non permanent. Ut explicant Balſamon, Zonaras, & Ariſtæus — Vel dato, præfatis Canonibus imponi præceptum adſtantibus de Communione ſumenda; non tamen præcipitur Sacerdotibus, ut ſi nullus ſit, qui communicet, a ſacrificii oblatione abſtineant. Immo Chryſoſtomus, qui, ut ſupra, conqueritur, quod nulli communicarent, dum offerret, a quotidiana tamen oblatione non deſtitit. — Verba autem Diaconi clamantis: *Si quis non communicat, det locum*; exponendum eſt, eſſe dicta Cathecumenis, infidelibus, excommunicatis, publice pœnitentibus omnibus, quibus Euchariſtiam

riſtiam ſumere non licebat; his enim denuntiabat Diaconus, ut ex Eccleſia poſt Evangelium, & ſermonem ante Miſſam Fidelium exirent.

XV. Objiciunt quarto, Sacrificium, in quo populus fidelis non communicat, vocari mancum, & mutilum a Walfrido Strabone, *de rebus Eccleſiaſt. cap.* 22. Et ab Humberto Cardinali contra Nicenam Pectorarum.

Reſpondeo, vocari mancum, & mutilum in caſu: non quia deſit illi aliquid de eſſentia, aut integritate ſacrificii, & in ordine ad finem primarium: ſed quia deeſt illi perfectio quoad finem ſecundarium, nempe, nutritio ſpiritualis Fidelium, ad quam ſecundario, ut ſacramentum eſt, ordinatur.

DUBIUM IV.

An liceat Celebrare ſine Miniſtro, Veſtibus Sacris &c.

§. I.

Reſolvitur de Miniſtro.

I. DIco. Sacerdoti non licet ſacrificare, ſi nullus ſit, qui reſpondeat, ac miniſtret. Prob. Nam etiam ſæviente perſecutione ſine miniſtro Majores noſtros ſacrificium non obtuliſſe teſtatur S. Laurentius, dum Xiſtum ad martyrium properantem alloquens: *Tu* (inquit) *nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueveras.* Idemque oſtendit hæc Tertulliani ſententia, lib. de Fuga in perſecutione, cap. 14. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem. Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia.*

II. Miſſas agere ſine miniſtro prohibuerunt Concilia, Moguntinum anno 813. ſub Leone III. Can. 44. *Nullus* (inquit) *Presbyter, ut nobis videtur, ſolus Miſſam cantare valet recte. Quomodo enim dicit:* Dominus vobiſcum; *& Surſum corda admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cum alius nemo cum eo ſit?* —— Synodus item Pariſienſis ſub Gregorio IV. *l.* 1. *cap.* 48. Cum enim irrepſiſſet paſſim abuſus, quod Miſſas (quas ſolitarias vocabant) ſine miniſtro celebrarent; oſtendens, nemine adſtante verificari non poſſe multa, quæ Sacerdos in Miſſa dicit, injungit Epiſcopis, ut inhibeant: *Ne in ſua Parochia quiſquam Presbyterorum ſolus celebrare præſumat.* Synodus quoque Nannetenſis, apud Ivonem Carnotenſem, *p.* 3. *cap.* 79. eumdem abuſum prohibuit, dicens: *Definivit Sanctum Concilium, ut nullus Presbyter ſolus præſumat Miſſam celebrare. Cui etenim dicit:* Dominus vobiſcum: Surſum corda; *aut:* Gratias agamus Domino Deo noſtro: *cum nullus ſit qui reſpondeat? Aut in Canone.* Et omnium circumſtantium: *cum nemo adſit? Aut quem invitat ad orationem, cum dicit;* Oremus; *cum nullus ſit, qui ſecum oret? &c.* concludens, *Quapropter illa periculoſa ſuperſtitio maxime a Monaſteriis Monachorum exterminanda eſt.* Idem vetant Concilia poſteriora: Mediolanenſe I. & VI. Romenſe, *anno* 1583. *tit.* 15. Toloſanum 1590. *c.* 6. & ante decreverat Alexander III. Cap. *Propoſuit*, extra de filiis Presbyterorum: quod *Solus Presbyter Miſſarum ſolemnia ſine miniſtri ſuffragio celebrare non poteſt.*

III. Id tamen aliquando conceſſum a Romano Pontifice refert Cardinalis Bona, *l.* 1. *Rerum liturgic. cap.* 13. & confirmat Gloſſa ad Caput *Hoc quoque*, apud Gratianum. Id apud Monachos olim toleratum ſcribunt Odo Cameracenſis, in Expoſit. Canonis; & Stephanus Eduenſis, *l. de ſacr. Altaris, c.* 13. Nec id a ratione videbatur alienum, ut quis ſolus diceret: *Dominus vobiſcum.* Nam his verbis, ſe Eccleſiam ſalutare ajebant, quæ eſt una in multis, & tota in ſingulis: ſicut cum adeſt ſolus miniſter, in eo totam Eccleſiam alloquitur. Quod ſi Sacerdos, cum ſolus recitat nocturnas, & diurnas preces, omnia pluraliter profert, quæ plurali numero enuntiantur in divinis officiis; dicit enim: *Venite, adoremus, oremus, benedicamus*, cum nemo illic ſit, qui ſecum adoret, oret, benedicat, nec rationi diſſonum erit, ſi Sacerdos abſque miniſtro, & circumſtantibus celebrans dicat, *Dominus vobiſcum*, aut omnes circumſtantes Deo commendet; Quia hæc verba ad omnes Fideles diriguntur: *Qui aſſiſtunt quaſi præſentes, fide, & charitate ſacramenti communicantes*, ut loquitur Stephanus Eduenſis. Verumtamen abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ id, ne incluſis quidem Eremitis, licere tenendum eſt.

IV. Miſſæ miniſter debet eſſe vir, non femina, etiamſi Sanctimonialis: id enim Canonibus vetitum eſt. Nam Laodicenum Concilium, Canon. 44. *Non oportet* (inquit) *mulierem ad altare ingredi.* Gelaſius Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ: *Impatienter audivimus, tantum divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut femine ſacris altaribus miniſtrare ferantur: & cuncta, quæ nonniſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum, cui non competit, exhibere.* Idem vetat Conc. Pariſienſe VI. *lib.* 1. *cap.* 55. Et Nannetenſe *Can.* 3. his verbis: *Hoc ſecundum auctoritatem Canonum modis omnibus eſt prohibendum: ut nulla femina ad altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare.*

§. II.

De Veſtibus Sacris.

V. COnveniunt omnes, Chriſtum, cum ſacrificium Miſſæ inſtituit, quotidianis tantum, & vulgaribus veſtibus uſum fuiſſe. Certum quoque videtur, Apoſtolos, cum Jeroſolymis primum Sacris dederunt operam, non alias adhibuiſſe veſtes, quam quæ in uſu quotidiano erant. Unde Walfridus Strabo, de rebus Eccleſ. cap. 24. *Veſtes* (inquit) *etiam Saterdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ ſunt ornatu. Nam primis temporibus communi indumento veſtiti Miſſas agebant*: Et de S. Luciano Martyre refert Philoſtorgius, l. 2. Hiſt. *Lucianum Martyrem, cum jamjam moriturus eſſet, & tyrannica vis nec Eccleſia, nec altaris copiam faceret, cumque vincula, & plaga ne quidem ut ſe commoveret, ei permitterent, ſupinum jacentem ſupra proprium pectus tremendum ſacrificium peregiſſe: & tum ipſum participaſſe, tum aliis, ut de immaculato ſacrificio participarent, copiam feciſſe.* Verum Apoſtolos, dum ſacrificio operam darent, peculiares veſtes non multo poſt aſſumere cœpiſſe, cenſet doctiſſimus Card. Bona, *lib.* 1. *Rerum liturgic. capit.* 24. quod his argumentis contendit oſtendere dicens: *Huc pertinet penula a Paulo Troade relicta; huc lamina, ſeu Mitra Epiſcopalis, quam geſtaſſe Joannem Evangeliſtam, Polycrates Epheſi Epiſcopus auctor eſt, apud Euſebium, Hiſt. lib.* 3. *capit.* 31. *Huc Infulæ, quarum meminit Tertullianus, lib. de Monogamia, cap.* 21.

VI. Sed quidquid ſit de Apoſtolorum ætate, certo certius eſt, quarto ſæculo Sacerdotes ubique gentium aliis a communibus veſtibus uſos fuiſſe, dum incruentum offerrent ſacrificium. *Veſtibus lineis* (ait Hieronymus, in cap. 44. Ezechielis) *utuntur Ægyptii Sacerdotes, non ſolum intrinſecus, ſed & extrinſecus.* Ne autem quis putet hoc fuiſſe peculiare in Ægypto, ſubjungit: *Porro religio divina alium habitum habet in miniſterio, alterum in uſu, vitaque communi.* Chryſoſtomus, initio Liturgiæ, deſcribit orationes, quæ a Græcis Sacerdotibus recitari debent, dum induunt ſacras veſtes. Baſilius ſuam Liturgiam hiſce verbis auſpicatur. Primum Patriarchæ cum ſequentis ordinis Clero Eccleſiaſticis veſtimentis induto, offeruntur in ſacrario ab oblationariis mandata &c. Nec Sacerdotes tantum, ſed inferiores quoque miniſtros veſtes minime communes, ſed cuique Ordini proprias, dum ſuis officiis fungerentur, habuiſſe oſtendit, *Can.* 41. Conc. Carthag. IV. dum ait: *Ut Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis, Alba utatur.*

VII. Indumenta, quibus tum Epiſcopi, tum Presbyteri in Miſſæ ſacrificio utentur apud Latinos, ſunt; Amictus, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, Planeta. Singulorum convenientiam, & ſignificationem inter cæteros exponit S. Th. in 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 3. *art.* 3. ubi de indumentis Epiſcopi, Sacerdotis, & aliorum miniſtrorum accurate diſcurrit, ad quem Studioſum remitto.

VIII. Veſtes ſacro miniſterio inſervientes benedictæ eſſe debent, ut ſtatuitur, Cap. *Veſtimenta*, diſt. 1. *De Conſecratione*, his verbis: *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe, & honeſta: quibus aliis in uſibus non debent frui, quam in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis: quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, niſi a ſacratis hominibus; ne ultio, quæ Balthaſſar Regem percuſſit, ſuper hac tranſgredientes, & talia præſumentes veniat, & corruere eos faciat ad ima.* Ab Epiſcopo autem tales veſtes ſunt benedicendæ, vel ab alio a Summo Pontifice privilegium habente: quod Leo X. conceſſit Prælatis Regularibus pro ſuarum tamen Eccleſiarum uſu tantum, ut declaravit S. Congreg. Rituum 24. Auguſti 1609.

IX. Abſque ſacris hiſce veſtibus celebrare foret peccatum mortale valde grave: partim ob præcepti Eccleſiaſtici tranſgreſſionem in re notabili: partim ob gravem irreverentiam, qua contra tantum ſacramentum committeretur. Unde ne quidem, ut populus die feſto Miſſam audiat, vel ut infirmum ſine Viatico alioquin moriturum communicet, liceret ſine veſtibus illis celebrare: quia id ſine gravi irreverentia, & vix ſine ſcandalo fieri non poſſet. Præceptum autem divinum de ſumendo ſacro viatico ſolum obligat infirmum pro illo tempore, quod illud poteſt ſine irreverentia habere: Eccleſiaſticum vero de audienda Miſſa fideles obligat, quando eam audire poſſunt celebratam ſecundum Eccleſiæ ſtatuta. Neque exemplo Chriſti, qui ſine veſtibus ſacris celebravit primus, excuſaretur: quia etiam Chriſtus celebravit poſt cœnam, quod tamen Sacerdos facere non poſſet. Voluit ergo Chriſtus, ut ſacrificium poſtea celebraretur juxta ritum per ſuam Eccleſiam, cujus diſpoſitioni hoc reliquerat, inſtituendum.

X. Prætermittere tamen unam, vel alteram ex minoribus veſtibus, ſi magna urgeret neceſſitas, vel ſi frequens populus deberet alioquin ſine Miſſa dimitti cum magno murmure, & ſcandalo, licitum videretur. Ideoque in tali caſu poſſet Sacerdos non habens ſtolam, vel manipulum, vel cingulum benedictum celebrare ſine illis, cum Amicto, Alba, & Caſula, adhibito, ſi neceſſe ſit, honeſto Cingulo. Si tamen tanta non foret neceſſitas, ſatius eſſet abſtinere, quam ita celebrare; quia obligatio ad Miſſam ceſſat, quando non poteſt decenter fieri.

Extra vero neceſſitatem, aliquam iſtarum veſtium ſcienter omittere, peccatum eſſe mortale cenſent Doctores communiter. At ſi inadvertenter omittatur, pro qualitate negligentiæ erit mortale, vel veniale. Ita Sylvius, *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *quæſito* 3. citans plures alios Auctores: apud quos plura alia videnda relinquimus; ut fine impoſito huic Tractatui ad ulteriora procedamus.

TRA-

TRACTATUS NONUS
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.



Sicut ſupernaturalis animæ vita Baptiſmo confertur, Confirmatione roboratur, Euchariſtia nutritur: ita per peccatum extincta, ſacramento Pœnitentiæ reviviſcit. Qua ratione ſacramentum mortuorum dicitur, & ſecunda tabula poſt naufragium: *Eam* (inquit Tertullianus, lib. de Pœnitentia, cap. 4.) *tu peccator .... ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus emersum perlavabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit* (ideſt, proferet)

Pœnitentia, ſi Etymologiam ſpectemus, a *Pœna* derivatur: *Pœnitere* enim (inquit Auctor de Vera, & falſa pœnitentia, c. 19. apud Auguſt.) *eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod fecit peccando*. Seu potius teneri pœna ejus, quod admiſſum eſt. Uſurpatur autem & pro dolore, qui ob commiſſa peccata concipitur; & pro multa, quæ pro peccatis imponitur. Illa vocatur cordis contritio, iſta ſatisfactio.

Porro cum pœnitentia inter ſacramenta hoc habet ſpeciale, quod non ſolum ſacramentum ſit, ſed etiam virtus animæ; iſtæque duæ rationes in nova lege adeo ſint conjunctæ, ut nec virtus prodeſſe ſine ſacramento, vel ordine ad ſacramentum; nec ſacramentum ſine virtute conſiſtere: ideo de Pœnitentia ſub utraque ratione in preſenti Tractatu diſputandum eſt: & cum S. Doctore 3. *part. a quæſt.* 84. prius de illa, ut habet rationem ſacramenti, deinde, ut habet rationem virtutis.

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia, & Eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.

IN hac quæſtione prius quæremus: an Pœnitentia ſit revera ſacramentum novæ legis; deinde in quo ejus eſſentia conſiſtat.

DUBIUM I.

An Pœnitentia ſit Novæ Legis Sacramentum?

§. I.

Acatholici qui hoc negarunt.

I. PRimi, qui ſacramentum Pœnitentiæ ab Eccleſia ſuſtulerunt, videntur fuiſſe Phryges, ſeu Montaniſtæ, quibus errorem iſtum tribuunt Hieronymus, *Epiſtola ad Marcellam* de erroribus Montani, & Pacianus Barcinon. *Epiſt. 3.*

Eos ſecuti ſunt Cathari, alias Novatiani. Porro quamvis aliqui confundant Novatum, & Novatianum, ſciendum eſt tamen, tum ex Paciano, tum ex Cypriano, *Epiſt. 49.* tum ex Euſebi Chronico, fuiſſe diverſos. Novatus enim Presbyter, & poſtea Epiſcopus, Romam ex Africa ſtudio propagandi ſui ſchiſmatis veniens, inter alios Novatianum Eccleſiæ Romanæ Presbyterum corrupit, ut refert Euſebius, ad *ann.* 255. illum ſcilicet, qui aliquanto poſt creatus fuit Antipapa contra S. Cornelium, ut diſcere eſt ex *Epiſt* 42. Cypriani, adjunctis ſcholiis Pamelii.

Horum hæreſis fuit, (ut teſtantur S. Cyprianus, *Epiſtola*, 5. Pacianus. *Epiſtola* 3. Ambroſius, *lib. 1. de Pœnitentia cap. 2.* Auguſtinus, *lib. de Hæreſibus, cap. 38.* nullam eſſe in Eccleſia poteſtatem reconciliandi eos, qui a Baptiſmo in peccatum mortale lapſi eſſent: ac proinde nihil in hoc genere poſſe Sacerdotes, vel Epiſcopos. Hortabantur tamen lapſos ad opera Pœnitentiæ, & faciebant illis ſpem veniæ, ſed a Deo citra miniſterium Sacerdotis obtinendæ. Unde Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 1. ait: *Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes magna ratione Eccleſia Catholica tamquam hæreticos exploſit, atque condemnavit.*

II. Diſceptatur apud Recentiores: an Montaniſtæ, & Novatiani omne penitus miniſterium remittendi peccata abſtulerint, & proinde negarint abſolute dari in Eccleſia ſacramentum Pœnitentiæ: an vero ſolum ab Eccleſia abſtulerint poteſtatem remittendi quædam graviora crimina, puta, Idololatriæ, mœchiæ, & homicidii; relinquendo ei miniſterium, & poteſtatem remittendi alia peccata, mortalia quidem, ſed minus enormia: & proiode ſacramentum Pœnitentiæ non penitus abſtulerint, ſed ſolum reſtrinxerint; in quam ſententiam deſcendit inter cæteros Juenin: *Comm. de Sacr. Pœnit. q. 2. cap. 1.* —— Sed in hac controverſia immorari non placet. Quæ tamen ſic conciliari (puto) poſſet, dicendo, non unum fuiſſe horum hæreticorum loquendi modum: quoſdam rigidiores omnem facultatem a quibuſcumque criminibus abſolvendi Eccleſiæ denegaſſe; & hanc fuiſſe primam eorum ſententiam: quoſdam vero, ut invidiam declinarent, errorem emolliſſe, ac temperaſſe, dicentes in Eccleſia eſſe quidem poteſtatem minora crimina remittendi, ſed non omnia, nempe, majora Idololatriæ, mœchiæ, homicidii. Colligo ex S. Ambroſio, *lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2.* ubi de Novatianis ſui temporis: *Sed ajunt* (inquit) *ſe, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus.* Quibus reſpondet: *Non hoc quidem Auctor veſtri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam pœnitentiam putavit.* Et ſubinde exprobrans eis, quod in diſtinctione quam excogitarant, a Patriarchæ ſui ſententia receſſiſſent, ait: *In eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a vobis putetis, & quæ ſine remedio arbitremini.* Ideoque antiquiores Patres, qui purum Novatianum errorem deſcripſere, ut Philaſtrius, *lib. de Hæreſ. 34.* & Epiphanius, *Hæreſ. 59.* hujus diſtinctionis mentionem non faciunt.

III. Waldenſes quoque, & Wicleffiſtas Pœnitentiam ex albo ſacramentorum expunxiſſe, quidam autumant: ſed qui eorum errores recenſent, de hoc nihil dicunt: immo eoſdem, aſſerunt agnoviſſe in Eccleſia poteſtatem quamvis aliquibus permixtam erroribus, refert Reynerus, *lib. contra Waldenſes, cap. 5. de Sacr. Pœnitent.* Nam dicunt, *quod nullus poſſit abſolvi a malo Sacerdote. Item quod bonus laicus poteſtatem habeat abſolvendi. Item quod ipſi per manus impoſitionem peccata dimittant & dant Spiritum Sanctum. Item quod confitendum ſit potius bono laico, quam malo Sacerdoti. Item quod non gravis pœnitentia ſit imponenda, exemplo Chriſti*: Vade, & jam amplius noli peccare, *Item publicas pœnitentias, ut carenas reprobant; maxime in feminis. Item, quod generalis confeſſio non ſit ſingulis annis facienda.* Hæc Reynerus.

IV. Lutherus de more inconſtans fuit, & varius. Primo enim Pœnitentiam eſſe ſacramentum admiſit, poſtea negavit, *lib. de Cap. Babylonica* non procul ab initio. Inconſtantiam Magiſtri ſui Melanchton imitatus eſt. Quo factum eſt, ut Lutherani in oppoſitas ſententias abjerint: quibuſdam Pœnitentiam ſacramentum eſſe negantibus: quibuſdam vero, & quidem frequentius, admittentibus. Unde Baſſuet Variationum, *lib. 3. art. 48.* refert, quod ſecundum Lutheri Catechiſmum Miniſter audita confeſſione omnium peccatorum, quorum pœnitens meminit, dicit: *Ego ex Chriſti mandato remitto tibi peccata tua. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

V. Zuinglius tamen, *lib. de Vera, & falſa Religione, c. de Sacramentis*, & Zuingliani omnes Pœnitentiam ex albo ſacramentorum expungunt. Calvinus item, *lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 15.* & ſeqq. Pœnitentiam inter ſacramenta recenſeri non debere multis probare conatur.

§. II.

Aſſertio Catholica contra Montaniſtas, & Novatianos.

VI. DIco. Adeſt in Eccleſia poteſtas a Chriſto Domino ei collata, qua poteſt omnia, & non ſolum aliqua peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittere. Probatur ex verbis Chriſti, *Matth.* 18. ubi poſtquam dixit, quod qui Eccleſiam non audierit, habeatur tamquam Ethnicus, & Publicanus; ſubjungit, v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis.* Ex quibus S. Ambroſius, *lib. 1. de Pœnitentia, c. 2.* Novatianos diſtinguentes inter peccata remiſſibilia, & irremiſſibilia; ſic arguit: *In eo igitur Patrem veſtrum* (Novatianum) *propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, qua ſolvenda a vobis putetis, & qua ſine remedio eſſe arbitremini. Sed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.* Et S. Cyprianus, *Epiſt. 54.* dicit, ex illis verbis Patres Concilii Carthaginenſis ſecum ſtatuiſſe, ut lapſi poſt Pœnitentiam in mortis diſcrimine benigne reciperentur: *Quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in Cælis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illi, qui hic prius in Eccleſia ſolverentur.* Volebat quidem, ne lapſi in graviora crimina, ante peractam pœnitentiam, reciperentur: ſed ubi pœnitentiæ labores impleviſſent, eos rejicere crudele nimis arbitrabatur; *Epiſt. 52.* dicens: *Et cum Dominus, relictis nonaginta novem ſanis, unam, & lapſam quæſierit, & inventam humeris ſuis ipſe portarit; nos non tantum non quæramus lapſos, ſed & venientes arceamus.*

VII. Idem prob. verbis Chriſti, *Jo. 20. v. 23.* Apoſtolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Super quæ S. Auguſtinus, Tract. 121. in Joann. *Eccleſia* (inquit) *charitas, qua per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus noſtris, participum ſuorum peccata dimittit; eorum autem, qui non ſunt ejus participes, tenet. Ideo poſteaquam dixit:* Accipite Spiritum Sanctum; *hoc continuo de peccatorum remiſſione, ac detentione ſubjecit.*

S. Joann. Chryſoſtomus, *lib. 3. de Sacerdotio*, comparans parentes naturales, qui dant vitam naturalem filiis, ſed eos a morbis, & morbos eripere non poſſunt, cum Sacerdotibus, ait: *Neque enim tantum* (Sacerdotes) *cum nos regenerant, ſed etiam poſt regenerationem admiſſa peccata condonare poſſunt.*

Eadem fere repetit S. Leo, *Epiſt.* 83. (alias 91.) ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum, dicens: *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis; ut non ſolum per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æterna, ut qui regenerationis dona violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem; ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

VIII. Objiciebant tamen, præſertim Novatiani, locum Pauli, ad Hebr. 6. verſ. 4. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte ..... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.* Et cap. 10. v. 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Ex quibus inferebant: homines poſt Baptiſmum peccantes, capaces nullo modo eſſe, ut per poteſtatem Eccleſiæ Deo iterum reconciliarentur.

IX. Verum hæc verba Novatianis non favent: probarent enim, quod lapſi poſt Baptiſmum nullam nec a Deo poſſent ſperare veniam, & non ſolum ab Eccleſia; quod tamen non aſſerebant.

Reſpondeo ergo, Apoſtolum utroque loco non aliud velle, quam non eſſe ſperandum alium Baptiſmum his, qui Baptiſmi gratiam ſemel acceptam peccando amiſerunt. Id enim indicat illud verbum *Renovari*, cum Baptiſmus proprie ſit lavacrum regenerationis, & renovationis, *ad Titum 3. v. 5.* & cum dicit, ſemel illuminatos poſſe rurſus renovari, addendo *Semel*, & *Rurſus*, ſatis declaravit, ſe alteram illuminationem, & renovationem velle excludere, cum Baptiſma apud Græcos ſit ſacramentum *Illuminationis*, & baptizati vocentur *illuminati*: quod confirmat illud *Rurſus crucifigentes &c.* Nam in Baptiſmo configuramur Chriſto Crucifixo, *Rom. 6.* Ita exponunt Ambr. *lib. 1. de Pœnit. cap. 2.* Chryſoſt. *in c. 6. Epiſt. ad Hebr.* Damaſcenus, *lib. 4. de Fide. cap. 10.* Et S. Th. *3. p. q. 84. art. 10. ad 1.* dicens: *Quod quia apud Judæos erant ſecundum legem quædam lavacra inſtituta, in quibus pluries ſe ab immunditiis purgabant; credebant aliqui Judæorum, quod etiam per lavacrum Baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet. Ad quod excludendum Apoſtolus ſcribit Hebræis, quod* Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, *ſcilicet per Baptiſmum*, rurſum renovari ad Pœnitentiam, *ſcilicet, per Baptiſmum, qui eſt* lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, *ut dicitur ad Titum 3. Et rationem aſſignat ex hoc, quod per Baptiſmum homo Chriſto commoritur: unde ſubditur:* Rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei: —— Addo: quod ſi Paulus hic vellet, baptizato nullum eſſe Pœnitentiæ locum; cur ipſe, *1. Cor. 5.* Corinthium incœſtuoſum non rejecit, ſed objurgatum ad Pœnitentiam recepit?

Secundo autem loco dico, Apoſtolum ibi non loqui de quibuſvis poſt Baptiſmum peccantibus; ſed de iis, qui poſt acceptam notitiam veritatis ab ea deficiunt. His enim, ſi vere pœnitentes redeant, eſto non neget locum eſſe veniæ; dum tamen non pœnitent, hoſtia oblata pro peccato Chriſtus eis non proficit. Vel non relinquitur eis hoſtia. *Ante enim reparationem, quæ facta eſt per Chriſtum, relinquebatur hoſtia iſta, quæ expectabatur: ſed nunc non expectatur alia mors ejus: ita nec poſt Baptiſmum ſemel acceptum expectatur alius Baptiſmus.* Ita S. Thom. *in capit. 10. ad Hebr. lect. 3.*

X. Objiciebant iterum. *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*, ut dicit Ambroſius *in Pſal. 118.* ergo poſito, quod in Eccleſia ſit poteſtas remittendi peccata, ponitur incentivum peccandi.

XI. Retorqueo inſtantiam. Impoſſibilitas veniæ eſt incentivum deſperationis; ergo negata facultate remittendi peccata, animæ conjiciuntur in deſperationem. Rurſus: peccans poſt Baptiſmum ſperare poteſt veniam ſaltem a Deo, quod puto Novatiani non negabant; ergo ſpes illa erat incentivum peccandi? Si non; ergo neque ſi eam ſperet obtinendam per Eccleſiam. Et eo magis: quia ubi peccator ſolo actu interno contritionis ſperare poteſt veniam a Deo, dum veniam debet per Eccleſiam obtinere; non aliter ſperare poteſt, niſi internæ pœnitentiæ externam etiam conjungat, & pro peccato ſatisfaciat.

§. III.

Aſſertio Secunda contra Modernos Sectarios.

XII. Dico. Pœnitentia eſt verum novæ legis ſacramentum a Baptiſmo diſtinctum. Veritas hæc definita fuit pro prima parte a Tridentino, *Seſſ. 14. Canon. 1.* his verbis: *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie ſacramentum pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.*

Probatur autem ſic. Sacramentum eſt ſignum practicum, & ſenſibile a Chriſto inſtitutum, cauſativum gratiæ, vel annexam habens promiſſionem gratiæ, ut Sectarii ipſi fatentur: ſed hujuſmodi eſt Pœnitentia; ergo &c.

Min. prob. Eſſe enim ſignum ſenſibile apparet, tam ex parte peccatoris dolore ſuo, & humili confeſſione exprimentis ſe a peccato recedere; quam ex parte Sacerdotis ſenſibili verborum prolatione pœnitentem abſolventis. Eſſe etiam inſtitutum a Chriſto, definit Trident. *Seſſ. 14. Can. 3.* his verbis: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris.* Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retineueritis, retenta ſunt; *non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit: deorſerit autem contra inſtitutionem hujus ſacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema ſit.* Ex quibus patet, quod ſi per Pœnitentiam remittuntur peccata, annexam quoque habeat promiſſionem gratiæ juſtificantis.

XIII. Ex his præcluſa manet Sectariorum reſponſio, quod Chriſtus per illa verba dederit Apoſtolis facultatem prædicandi Evangelium, & baptizandi. Primo. Quia verba illa: *Quorum remiſeritis peccata*, ſunt executio illius Chriſti promiſſionis, Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis:* ſed hæc poteſtatem judiciariam continent ſuper eum, qui cum ſit de Eccleſia, Eccleſiam non audierit: facultas autem prædicandi, vel baptizandi non eſt judiciaria, quia reſpicit eos etiam, qui de Eccleſia nondum ſunt. Juxta autem Apoſtolum, 1. Cor. 5. verſ. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?* —— Secundo. Poteſtatem prædicandi, & baptizandi tradidit alibi, nempe, Matth. 28. verſ. 19. *Euntes ergo docete omnes Gentes: baptizantes eos &c.* ergo hic aliam poteſtatem contulit Eccleſiæ. —— Tertio. Dato, ut ipſi volunt, quod Chriſtus dederit facultatem annuntiandi Evangelium, & Baptiſmum, quibus excitarentur homines ad Pœnitentiam, & ad fidem, qua conſequerentur remiſſionem peccatorum, adhuc Pœnitentia a vera ratione ſacramenti non excideret. Nam, ut vidimus, verba Miniſtri in ſacramentorum collatione, ſecundum illos non aliud faciunt, quam excitare fidem in ſuſcipiente. Sicut ergo dum baptizans dicit: *Ego te baptizo*, nil aliud facit, quam excitare fidem, & tamen Baptiſmus vere eſt ſacramentum: ita cum Miniſter poteſtate ſibi a Chriſto tradita dicens, ego tibi remitto peccata, excitat in pœnitente fidem, qua ei peccata remittuntur, Pœnitentia verum erit ſacramentum.

XIV. Huic veritati ſuffragantur Patres §. *præcedente* laudati, & præcipue Chryſoſtomus, & Leo, qui eodem modo loquuntur de Pœnitentia, ac de Baptiſmo, de poteſtate baptizandi, & peccata dimittendi. Immo Chryſoſt. *lib. 3. de Sacerdotio, cap. 5.* ubi, poſtquam dixit, verbis illis: *quorum remiſeritis &c. Omne judicium dedit Pater Filio: ideoque ipſum omne ipſis* (Sacerdotibus) *traditum a Filio eſſe:* inde ſubjungit: *Si Imperator ſubditorum cuipiam hunc honorem contulerit, ut quos libuerit poſſit in carcerem conjicere, indeque eruere; ille admirandus, & conſpicuus apud omnes habetur.* Indeque arguit, tanto majorem eſſe Sacerdotum dignitatem, quanto Cælum terra pretioſius eſt, & animæ excellunt corpora. Et inferius comparans Sacerdotes veteres cum Sacerdotibus novæ legis: *Corporis* (inquit) *lepram purgare, immo potius nullatenus purgare, ſed purgatos probare tantum Judæorum Sacerdotibus licebat ... Hi vero non lepram corporis, ſed immunditiam animæ, non purgatam probandi, ſed prorſus purgandi poteſtatem acceperunt.* Videant ergo Sectarii, quam diverſa ſit eorum doctrina a doctrina Chryſoſtomi, & Eccleſiæ, quarto ſæculo.

XV. Secunda vero pars, quod Pœnitentia ſit ſacramentum a Baptiſmo diſtinctum, non autem memoria ſuſcepti Baptiſmi; definita eſt a Conc. Tridentino, *Seſſ. 14. Can. 2.* ſic: *Si quis ſacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ ſacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo ſacramenta diſtincta non ſint: atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundum poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.* Differentias inter Baptiſmum, & Pœnitentiam tradit Concilium, eadem *Seſſ. cap. 2.* Tum ex parte materiæ, & formæ. Nam Baptiſmi materia eſt aqua, & ablutio; forma vero *Ego te baptizo.* Pœnitentiæ autem materia non poteſt eſſe aqua, nec ablutio; ſicut nec ego te baptizo poteſt eſſe forma. Tum ex parte Miniſtri. Nam Baptiſmi quilibet poteſt eſſe Miniſter; Pœnitentiæ ſolus Sacerdos. Pœnitentia exercetur per modum Judicii; Baptiſmus autem non. Tum ex parte effectus. Nam (inquit Concilium) *Alius eſt Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmum*

mum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem per ſacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus; ut merito Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a Sanctis Patribus dictus fuerit.

XVI. Præterea: Si Pœnitentia nil aliud eſt, quam ſuſcepti Baptiſmi recordatio; Chriſtus non dediſſet Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtatem retinendi peccata. Quid enim eis dediſſet? An facultatem faciendi, ut baptizati non eſſent baptizati? An ut baptizatis non occurreret memoria Baptiſmi? Neutrum certe horum dedit Chriſtus, & neutrum facere poteſt Miniſter. —— Deinde hoc aſſertum faciliorem redderet reconciliationem lapſi poſt Baptiſmum, quam lapſis ante Baptiſmum: facilius enim eſt cogitare de Baptiſmo, quam Baptiſmum in re ſuſcipere. Diſſonum autem rationi eſt, Deum facilius ignoſcere iis, qui ſcienter, & poſt fidem, ac Baptiſmum peccarunt; quam iis, qui ignoranter, & in incredulitate peccaverunt.

§. IV.

Objectiones contra hanc Secundam Aſſertionem.

XVII. OBjiciunt primo Sectarii. Ex Auguſtin. tract. 80. in Joann. *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*: ſed in Pœnitentia nullum eſt elementum; ergo nec ſacramentum.

Si hic diſcurſus valet, nec Euchariſtia erit ſacramentum; quia panis, & vinum, ad quæ accedit verbum, non ſunt elementa: quod tamen Sectarii non admittent. —— Reſpondeo ergo, Auguſtinum non loqui de omni ſacramento, ſed Baptiſmo tantum. Vel nomine *Elementi* intelligere omnem rem ſenſibilem inſtitutam a Chriſto, ſupra quam cadat verbum: & ſic etiam in ſacramentum Pœnitentiæ accedit verbum ad elementum, nempe, ad actus ſenſibiles pœnitentis, ut dicetur.

XVIII. Objiciunt ſecundo. Pœnitentia in veteri lege non erat ſacramentum; ergo neque in nova —— Si reſpondeas, neg. conſ. Quia in lege veteri dictum non fuit, ſicut in nova: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

XIX. Contra eſt. Non minus erat tunc neceſſaria Pœnitentia, quam modo. —— Reſpondeo, quod Pœnitentia interna, & ut virtus eſt, fuit quidem omni tempore ad remiſſionem peccatorum neceſſaria: & hæc fuit in veteri lege, & modo etiam ad percipiendum fructum Baptiſmi, & ſacramenti Pœnitentiæ neceſſaria eſt. Sed Pœnitentia ſacramentum non fuit, niſi in nova lege; quatenus Chriſtus ad faciliorem veniam exhibuit etiam Pœnitentiam externam, quam ad ſacramenti dignitatem elevavit. De quo Tridentinum, *Seſſ.* 14. *cap.* 1. & S. Thom. 3. *p. quæſt.* 84. *art.* 7. *ad* 2. dicens: *Nondum autem* (in veteri lege) *erat inſtituta poteſtas clavium, quæ a Paſſione Chriſti derivatur, & per conſequens nondum erat inſtitutum, quod aliquis doleret de peccato cum propoſito ſubjiciendi ſe per confeſſionem, & ſatisfactionem clavibus Eccleſiæ, ſub ſpe conſequendæ veniæ virtute Paſſionis Chriſti.* Attamen, *quæſt.* 86. *art.* 6. *ad* 3. dicit: quod *Etiam in veteri lege, & in lege naturæ, erat aliqualiter ſacramentum Pœnitentiæ.*

XX. Sed replicabis. Facilior debet eſſe Pœnitentia modo, quam ante; ſed facilior non eſſet, ſi præter Pœnitentiam internam, requireretur etiam Pœnitentia externa, qua homo ſe ſubjiceret clavibus Eccleſiæ; ergo &c.

Reſpondeo, neg. min. Primo. Quia in lege veteri, præſertim Moſaica, præter Pœnitentiam internam, erant etiam Pœnitentiæ externæ; eæque graves, & laborioſæ, oblationes, expiationes, quæ per remiſſionem peccatorum conferri non poterant. Secundo. Quamvis actus Pœnitentiæ internæ ſit facilior, quis tamen certus eſt, ſe habere verum contritionis actum ex amore charitatis procedentem, qualis debet eſſe, ut per ſe juſtificare poſſit? Ut ergo faciliorem, & tutiorem viam ad remiſſionem peccatorum pararet Chriſtus; ſicut pro peccatis ante fidem ſuſceptam commiſſis inſtituit ſacramentum Baptiſmi: ita pro commiſſis poſtea inſtituit ſacramentum Pœnitentiæ: ad quod accedens eſto non perfecte contritus, ſed ſolum attritus, remiſſionem peccatorum ex opere operato peccator obtineret.

XXI. Tertio Objiciunt. Sanct. Hieronymus, *in cap.* 16. *Matth.* exponens illa verba: *Tibi dabo claves &c.* ait: *iſtum locum Epiſcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio; ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur: cum apud Deum, non ſententia Sacerdotum, ſed eorum vita quæratur.* Inde adducto exemplo Sacerdotum Leviticorum; quibus leproſi oſtendebantur, ut declararent, an eſſent leproſi, nec ne, ſubjungit: *Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit; ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus; & Presbyter, non eos qui inſontes ſunt, vel noxii, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit, qui ligandus ſit, quive ſolvendus*; ergo Sacerdos aliam poteſtatem non habet, quam declarandi, & pronuntiandi quinam ſint abſolvendi, quive non, non autem peccata remittendi.

XXII. Propter hoc, & alia, Magiſter Sent. exiſtimavit, Presbyterum ſua abſolutione non remittere peccata; ſed ea a Deo remiſſa pronuntiare, vel declarare. Sed quia hoc videtur damnatum a Tridentino, *Seſſ.* 14. *Canon.* 9. Et quia ſacramentorum verba id efficiunt, quod ſignificant; & verba Sacerdotis ſignificant abſolutionem a peccatis; & Chriſtus dixit: *Quorum remiſſa declaraveritis*; ideo

XXIII. Aliter reſpondeo, neg. conſ. Hieronymus enim non aliud vult, quam quod ſicut Sacerdotes Levitici non poterant pro ſuo arbitrio judicare quoslibet eſſe mundos a lepra: ita nec Sacerdotes novi Teſtamenti debent, vel poſſunt pro ſua voluntate quoslibet abſolvere; ſed neceſſarium eſt, ut expendant merita eorum, vitam, diſpoſitionem, varietates peccatorum ad formandum judicium, quinam abſolutione digni ſint, vel indigni: & quos repererint idoneos abſolvant, quos indiſpoſitos, non abſolvant. Si aliter agant, nihil efficiunt; quia ſacramenta non operantur, niſi in ſubjecto diſpoſito: *Cum*, ut ait Hieronymus, *apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur.*

Cæterum plus habere Sacerdotes novæ, quam veteris legis, & plus poſſe (præter ſupradicta ex Chryſoſtomo, *lib.* 3. *de Sacerdotio*) oſtendit S. Th. *Opuſc.* 22. *de Forma abſolutionis cap.* 2. ubi ad inductam Hieronymi auctoritatem reſpondes: *Abſit* (inquit) *ut ſacramenta novæ legis ſolum ſignificent, & nihil faciant, ſicut veteris legis ſacramenta. Si autem Sacerdos ſolum diſcernendo denuntiaret peccatoris abſolutionem, nihil faceret, ſed tantum ſignificaret; ergo facit aliquid miniſterium abſolutionis impendendo, non tamen facit idoneos accedentes ad ſacramentum. Hoc enim ſolus Deus facit, qui ad ſe hominum corda convertit. Et reſpectu hujus idoneitatis, non habet Sacerdos, niſi diſcretionem, ſicut Sacerdos ligatis circa lepram.* Quæ bene notanda ſunt.

XXIV. Quarto objiciunt contra ſecundam partem. Non alia eſt novæ legis Pœnitentia ab ea, quam prædicavit Joannes: ſed ut legitur, *Marci* 1. *verſ.* 4. fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum; ergo Pœnitentia novæ legis non diſtinguitur a Baptiſmo.

XXV. Reſpondeo, Pœnitentiam virtutem non eſſe quidem aliam in nova, ac in veteri lege; & hæc erat Baptiſmus Pœnitentiæ, quem prædicabat Joannes, & qui omni tempore fuit neceſſarius iis, qui aliquo mortali inquinati defuiſſent; tamen Pœnitentia ſacramentum diverſa eſt, & fuit a Chriſto poſt reſurrectionem inſtituta.

XXVI. Neque dicas, effectum pœnitentiæ, ut ſacramentum eſt, eſſe eundem, nempe, gratiam remiſſivam peccati, & dantem vitam peccatori. ——Nam hoc abſolute falſum eſt. Gratia enim, reduplicative ut effectus Baptiſmi, eſt gratia regenerativa dans primo vitam animæ, & faciens novam creaturam; eamque a peccato, nedum actuali; ſed præcipue originali mundans, tum quoad culpam, tum quoad omnem pœnam. Gratia vero, ut effectus ſacramenti, eſt gratia quaſi reſuſcitativa animæ ad vitam prius acquiſitam, ſed amiſſam; nec per ſe delens culpam quoad omnem reatum pœnæ. Unde ſicut generatio, & reſurrectio differunt eſſentialiter in modo communicandi vitam corpori: ſic Baptiſmus, & Pœnitentia differunt eſſentialiter in modo communicandi vitam animæ.

XXVII. Quinto objiciunt S. Auguſt. *lib.* 1. *de Nuptiis, & Concupiſc. cap.* 33. dicentem: *Eodem lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala regeneratorum mundentur, atque ſanentur: non ſolum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur: non, ut Baptiſma, quoties peccatur, repetatur; ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit, ut non ſolum antea, verum etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia Fidelibus impetretur*; ergo omnia peccata Baptiſmo delentur; ergo Pœnitentia non diſtinguitur a Baptiſmo.

XXVIII. Reſpondeo, diſt. primum conſ. Baptiſmo delentur radicaliter, conc. conſ. Formaliter; & proxime, nego conſ. Profert ergo S. Auguſtinus prælata verba, ut explicet, quo modo ſecundum Apoſtolum, *ad Epheſ.* 5. v. 15. intelligatur, quod Chriſtus mundet Eccleſiam *Lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et dicit eam mundare per Baptiſmum: non quia Baptiſmus formaliter, & immediate deleat omnia peccata, tam ante, quam poſt Baptiſmum commiſſa; ſed radicaliter, quia per Baptiſmum Fideles fiunt capaces, ut illis proſit Pœnitentia. Unde ſubdit: *Quid enim prodeſſet, vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet? Dominica, quæ quotidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur*: Dimitte nobis debita noſtra, *niſi ab eis, qui baptizati ſunt diceretur?* Cæterum, *Epiſt.* 23. modo 98. *ad Bonifacium Epiſcopum*, aperte dicit, quod peccata propria poſt Baptiſmum commiſſa, *Non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur.*

DUBIUM II.

De Institutione Sacramenti Pœnitentiæ, & Partibus ejus.

§. I.

Resolvitur de Institutione.

I. LUtherani, & Calviniſtæ negantes, Pœnitentiam eſſe ſacramentum, negant conſequenter eam fuiſſe a Chriſto inſtitutam. Quamvis autem contra illos ſtet definitio Tridentini, *Seſſ.* 14. *Can.* 1. ſupra relata: attamen.

II. Dico. Pœnitentia eſt a Chriſto in ratione ſacramenti inſtituta, præcipue quando, *Joann.* 22. *v.* 22. poſt reſurrectionem inſufflavit Apoſtolis: & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ita, eadem *Seſſ.* 14. Tridentinum, *cap.* 1. Dixi *Præcipue.* Tunc enim hoc ſacramentum creditur præcipue inſtitutum, quando Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus collata fuit poteſtas remittendi peccata: tunc enim inſtituitur tribunal, cum confertur Judici poteſtas abſolvendi, & condemnandi. Licet autem alibi ante Paſſionem hoc ſacramentum Chriſtus inſinuaverit; ut cum Petro claves regni Cœlorum ſe largiturum promiſit: *Tibi dabo claves &c.* Matth. 16. v. 19. & cum, *Matth.* 18. *v.* 18. cum Apoſtolis, *Quæcumque alligaveritis.* Quia tamen tunc nec Petrus, nec Apoſtoli ordinati erant Sacerdotes, credenda eſt promiſſa quidem, ſed non de facto collata poteſtas.

III. Nec dicas primo. Quod ſi ſolum contulit poteſtatem, *Jo.* 20. cum tunc Thomas non eſſet præſens; ſequeretur hanc Thomam non accepiſſe. — Nam, ut ait S. Cyrillus Alexandr. *lib.* 12. *in Joann. cap.* 56. intentio Chriſti dantis fuit communicare hanc poteſtatem toti Collegio Apoſtolorum, & eorum ſucceſſoribus: quæ intentio dirigebatur non ad præſentes ſolum, ſed & ad abſentes, immo & ad futuros: *Non ergo licet abſuerit Thomas, a participatione ſpiritus decidit; cum de numero eſſet eorum, quibus dignitate Apoſtolatus decoratis Spiritus debebatur.*

IV. Nec dicas ſecundo. Si Chriſtus ibi eamdem dedit auctoritatem Apoſtolis, quam ipſe acceperat a Patre, *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos:* cum ipſe poſſet abſque ſacramento dimittere peccata, hoc idem contulit Apoſtolis, & proinde non inſtituit ſacramentum. — Nego enim ſequelam. Nam Chriſtus contulit quidem poteſtatem, quam ipſe habebat a Patre; ſed non cum eadem plenitudine, & excellentia, qua in ipſo erat. Ipſe, ut Filius naturalis Dei, per auctoritatem peccata dimittebat; nec poteſtas ejus ulli ſigno ſenſibili alligabatur. Apoſtolis autem dedit poteſtatem, ut per modum miniſterii peccata dimitterent; & ſic per media ab ipſo determinata.

V. Quare autem Chriſtus hujus ſacramenti inſtitutionem poſt reſurrectionem ſuam differre voluerit, cum tamen alia ſacramenta ante mortem, & paſſionem ſuam inſtituerit: licet non ſit alia ratio a priori, niſi voluntas Chriſti; non deſunt tamen congruentiæ; quarum præcipua eſt. Cum enim reſurrectio Chriſti ſit exemplar juſtificationis noſtræ, qua a peccato reſurgimus, ad Rom. 4. v. 25. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram:* congruum fuit, ut archetypus præcederet imaginem: ut ſicut Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur; ſic homo, qui mortuus eſt peccato, moriatur ſemel, & qui ab ipſo reſurrexit, non amplius moriatur.

Argumenta hæreticorum remitto ad Quæſtionem de Confeſſione, eadem enim ſunt.

§. II.

Quanam ſit Pœnitentiæ Sacramenti Materia.

VI. IN hoc ſacramento, ſicut de aliis ſuo loco diximus, duplex eſt materia, ſeu quaſi materia, remota nempe, & proxima.

Dico ergo. Materia remota, ſeu circa quam verſatur hoc ſacramentum, ſunt peccata actualia, ſeu perſonalia poſt Baptiſmum commiſſa, ut deſtruenda; proxima vero ſunt dolor de peccatis, eorumque confeſſio, & ſatisfactio. Prima pars prob. In omni judicio res, quæ in illo judicantur, & ſupra quas fertur ſententia, ſunt materia illius; ſed ſacramentum Pœnitentiæ eſt per modum judicii, & Tribunalis, in quo circa peccata perſonalia poſt Baptiſmum commiſſa fertur ſententia; ergo &c. Tum etiam: quia ea eſt materia remota, circa quam verſatur materia proxima: ſed hæc, nempe, dolor, confeſſio, & ſatisfactio verſatur circa peccata perſonalia, ut deſtruenda; ergo &c.

VII. Hic noto cum S. Thom. 3. p. q. 84. art. 2. ad 3. *Quod Pœnitentia quodammodo eſt de quolibet peccatorum genere, non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortali eſt pœnitentia proprie, & principaliter. Proprie quidem: quia proprie dicimur pœnitere de his, quæ noſtra voluntate commiſimus. Principaliter autem: quia ad deletionem peccati mortalis hoc ſacramentum eſt principaliter inſtitutum. De peccatis autem venialibus eſt quidem Pœnitentia proprie, in quantum ſunt noſtra voluntate facta: non tamen contra hæc principaliter eſt hoc ſacramentum inſtitutum. De peccato vero originali pœnitentia nec principaliter eſt (quia contra ipſum non ordinatur hoc ſacramentum, ſed magis Baptiſmus) Nec etiam proprie, quia peccatum originale non eſt noſtra voluntate factum: niſi forte in quantum voluntas Adæ reputatur noſtra, ſecundum modum loquendi, quo Apoſtolus dicit, Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In quantum tamen large accipitur pœnitentia pro quacumque deteſtatione rei præteritæ, poteſt dici pœnitentia de peccato originali, ſicut loquitur Auguſtinus, in lib. de Pœnitentia* (ſeu Auctor lib. de vera, & falſa Pœnitentia, cap. 8.)

VIII. Secunda autem pars definita fuit, tum in Florentino ab Eugenio IV. in inſtruct. Armenorum, tum in Tridentino, *Seſſ.* 14. *c.* 3. his verbis: *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti ipſius pœnitentiæ actus, nempe, contritio, confeſſio, & ſatisfactio: qui quatenus in pœnitente ad integritatem ſacramenti, & ad veram, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, Pœnitentiæ partes dicuntur.* Et *Can.* 4. contrarium aſſerentes anathemate ferit. Quod anathema cadit ſupra Lutherum, qui in refutatione articulorum Lovanienſium, propoſit. 37. *Pœnitentia* (inquit) *a Lovanienſium Synagoga tradita* (*ſcilicet quod ſit contritio, confeſſio, & ſatisfactio*) *eſt nulla, niſi Judæ proditoris, & ſimilium: ideo ut hæretica eſt damnanda.*

IX. Neque miretur aliquis, quod in hoc ſacramento non adhibeatur pro materia aliqua res corporalis proprie, ſicut aqua, & ablutio in Baptiſmo; ſed ſolum actus ſenſibiles pœnitentis. Nam, ut advertit S. Th. 3. p. q. 84. a. 1. ad 1. *In illis ſacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ ſuperabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius: ſicut in Baptiſmo, ubi fit plena remiſſio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam; & in Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti; & in Extrema Unctione, ubi confertur perfecta ſanitas ſpiritualis, quæ provenit ex virtute Chriſti quaſi ex quodam extrinſeco principio. Unde ſi qui actus humani ſunt in talibus ſacramentis, non ſunt de eſſentia ſacramentorum; ſed diſpoſitive ſe habent ad ſacramenta. In illis autem ſacramentis, quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi actus humani ſenſibiles ſunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia, & Matrimonio: ſicut etiam in medicinis corporalibus quædam ſunt res exterius adhibitæ, ut emplaſtra, & electuaria: quædam vero ſunt actus ſanandorum; puta exercitationes quædam.*

X. Ex hac S. Thomæ doctrina apparet, quod actus Pœnitentis, nempe, dolor, & confeſſio, ſunt, non ſolum de integritate, ſed de eſſentia hujus ſacramenti, tamquam partes, ex quibus hoc ſacramentum materialiter conſtituitur, ſicut Baptiſmus ex ablutione; quamvis oppoſitum Scotiſtæ ſentiant. Quamvis enim actus illi pœnitentis vocentur a Florentino, & Tridentino *Quaſi materia.* Hoc non eſt (inquit Catechiſmus Romanus, de Pœnitentia num. 17.) *Quod veræ materiæ rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, & chriſma in Confirmatione.*

Nec obſtat, quod a Tridentino dicantur pœnitentis actus præparare, ac diſponere — Nam non intendit, eos præparare, & diſponere ad eſſentiam ſacramenti, ſed ad fructum ſacramenti; nempe, ad remiſſionem peccatorum, & gratiam in ſacramento obtinendam, ut ibidem Concilium dicit. Vel etiamſi dicat, contritionem eſſe diſpoſitionem ad ſacramentum: non ſumit ſacramentum adæquate pro omnibus ſuis partibus, ſed ſolum inadæquate pro præcipua ejus parte; nempe, pro forma, ſeu abſolutione Sacerdotis, qua ſacramentum completur, & ad quam obtinendam partes materiales quodammodo diſponunt.

XI. Nec dicas, hinc ſequi, quod ſi pœnitens ponit materiam ſacramenti, erit Miniſter illius ſaltem partialis, & non ſolus Sacerdos. Deinde ſi actus pœnitentis ſunt materia, jam concurrunt ad productionem gratiæ; & ſic pœnitens ſibi ipſi conferet gratiam juſtificantem.

Nam reſpondeo ad 1. neg. aſſumptum. Nam ſicut non eſt architectus domus, qui lapides miniſtrat, licet ex lapidibus componatur domus, ſed ille, qui in lapidibus formam, & figuram inducit: ſic miniſter pœnitentiæ non eſt peccator, qui ſuis actibus unice materiam exhibet, ſed miniſter erit ſolus Sacerdos, qui abſolutione dat formam, & ſacramento Pœnitentiæ ſpeciem. Eadem ratione nec dici poteſt, pœnitentem ſe juſtificare; aut ſibi gratiam conferre: quia licet ponat materiam, illam tamen ponit per modum rei; nec ea poſita juſtificatur, niſi per ſententiam Sacerdotis abſolventis eum tamquam Judicis.

§. III.

De Sacramenti Pœnitentiæ Forma.

XII. DIco. Forma ſacramenti Pœnitentiæ ſunt verba abſolutionis a Sacerdote prolata: *Ego abſolvo te a peccatis tuis.* Ita ſancitum eſt in Florentino ab Eugenio IV. *in Decreto unionis*, his verbis: *Forma hujus ſacramenti ſunt verba Abſolutionis quæ Sacerdos profert, cum dicit, Abſolvo te a peccatis tuis &c.* Quæ repetens Tridentinum, Seſſ. 14. cap. 3. *Docet* (inquit) *Sancta Synodus ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipua illius vis ſita eſt, in il-*

in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. *Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ.*

Verba enim illa: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, exprimunt ea, quæ Christus protulit, Jo: 20. *Quorum remiseritis peccata.*

Neque dicas: Christum non induxisse Apostolis, ut remittendo peccata ulla verba dicerent. —— Nam neque cum Apostolis munus baptizandi injunxit, ulla verba dum baptizarent, ab illis esse proferenda expressit: sed solum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Et tamen etiam hæretici dum baptizant, verbis exprimunt, se facere id, quod Christus injunxit; ergo Sacerdos, dum a peccatis de mandato Christi absolvit, id se facere verbis exprimere debet.

Plura alia de forma absolutionis examinari solent, de quibus infra speciali Quæstione sermonem habebimus.

XIII. Solum ex dictis infero cum S. Th. 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. *Quod etiam in Pœnitentia est aliquid, quod est sacramentum tantum, scilicet, actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absolventem. Res autem, & sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris* (est enim res; quia per sacramentum significatur; & etiam est sacramentum, quia remissionem peccatorum significat) *Res autem tantum, & non sacramentum est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodammodo causa tertii.*

QUÆSTIO II.

De Pœnitentia ut virtute, ejusque essentia.

CUM actus peccatoris, quos posuimus esse quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, nempe, dolor de peccatis, confessio peccatorum, & satisfactio pro eisdem, sint actus procedentes ab habitu Pœnitentiæ; non absre erit de virtute Pœnitentiæ, ejusque natura in hac Quæstione differere.

DUBIUM I.

Quid sit Pœnitentia, & an sit virtus?

§. I.

Resolvitur prior Pars.

I. DIco. Pœnitentia interior (qua ratione virtus est, ut dicemus) ex Catechismo Romano *Pœnitentia, num.* 4. illa est, qua *Ad Deum nos ex animo convertimus, & commissa a nobis scelera detestamur, & odio habemus; simulque illud nobis certum, ac deliberatum est malam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendare, non sine spe veniæ a Dei misericordia consequendæ.* Quibus verbis confutatur error Lutheri dicentis: *Hoc solo labore tibi cogitandum est, quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo odias, aut deseras præterita mala. Verissimum enim proverbium, & omni doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, optima Pœnitentia, nova vita.* Verum hunc Lutheri errorem collocantis Pœnitentiam in solo proposito novæ vitæ, & rejicientis odium veteris, vix aliquis e Sectariis, etiam ejus discipulis, amplexatus est.

Et merito. Contrarium enim docet Scriptura, quæ numquam proponit Pœnitentiam sine odio, ac detestatione peccati, & vitæ anteactæ: ut Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me .... in fletu, & planctu.* Ezechiel. 6. v. 9. *Displicebunt sibimet super malis, quæ fecerunt.* Isaiæ 38. v. 15. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Id docent exempla pœnitentium, Achab 3. *Reg.* 21. Ninivitarum, *Jonæ* 4. Mulieris peccatricis, *Lucæ* 7. S. Petri, *Lucæ* 22. quæ omnia ostendunt, Pœnitentiam salutarem non solum dicere mutationem vitæ in melius; sed etiam detestationem vitæ prioris, ac odium malefactorum, una cum cura, & studio placandi Deum, eique pro viribus satisfaciendi. Hoc enim ipsamet conceptio Pœnitentiæ exprimit. Quid enim est: *Pœnitet me hujus peccati*, nisi pœna, & dolor tenet me illud patrasse?

II. Quare habitus Pœnitentiæ est ille, quo aliquis promptus redditur ad dolendum de peccato commisso, in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Quod his verbis statuit Tridentinum. Sess. 14. cap. 4. *Declarat S. Synodus, contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud:* Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum (Ezech. 18.) *Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit*: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, *& alios hujus generis: facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Quod si aliquando Patres vocant Pœnitentiam *Novam vitam*: sumunt Pœnitentiam inadæquate, non vero adæquate. Sic enim utrumque dicit, & detestationem, ac odium vitæ veteris, & novæ inchoandæ propositum.

§. II.

Resolvitur Posterior Pars.

III. DIco. Pœnitentia est vere virtus. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.* 85. *art.* 1. Et Catechismus Rom. *de Pœnit. num.* 6. Prima ratio est. Lex præcipit solum eas actiones, quæ pertinent ad virtutem: sed lex divina præcipit Pœnitentiæ actum, Matth. 4. v. 17. *Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite.* —— Secunda ratio est. Dolere, quando dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est, nemo negabit esse actum virtutis: sed hic est actus proprius Pœnitentiæ; ergo &c. Maj. prob. Nam de peccatis minus dolere, quam par est, ut de illis, qui Proverb. 2. v. 14. *Lætantur cum male fecerint*, vitium est; similiter ita dolere, ut desperationi homo se tradat, qualiter doluerunt Cain, qui ait, Genes: 4. v. 13. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*: & Judas, qui Pœnitentia ductus, *Matth.* 27. *v.* 45. suspendio vitam, & animam amisit, vitium est; ergo dolere de peccato eo modo & fine, quo dolendum est, virtus erit: cum virtus in medio sita sit, utpote electiva secundum rationem rectam. Min. etiam constat. Quia, ut ait D. Thom. citatus, pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis cum intentione removendi ea. —— Tertia ratio est. Destari peccatum, & ad ejus destructionem, quatenus offensa Dei est, conari, pro sceleribus admissis Deo satisfacere, & in gratiam Dei redire actus laudabiles sunt: sed tales sunt actus Pœnitentiæ: ergo &c.

IV. At inquies primo. Quomodo Pœnitentia erit vera virtus, cum Pœnitentia dolorem pariat, & virtus delectationem excitet? Secundo. Quomodo erit vera virtus, cum non sit per se expetenda, sed solum ex hypothesi peccat commissi? —— Tertio. Quomodo erit vera virtus, si pœnitentes laude dignos non facit, sed pudore suffundit? Si hac ratione verecundia virtus non est, ut docet S. Thom. hic *ad* 2. quomodo virtus erit Pœnitentia? —— Quarto. Quomodo erit vera virtus, si est in homine nondum cum Deo reconciliato: nondum charitatem habente; sine qua homo coram Deo nihil est?

V. Respondeo; nihil ex his assertum nostrum infringere. Non primum. Quia virtus non semper debet excitare delectationem ex parte objecti; sed sufficit, ut illam excitet ex parte actus. Pœnitentia autem, licet excitet dolorem ex parte objecti, quod est peccatum commissum; excitat tamen delectationem ratione actus; Quia pœnitens, dum dolet de peccato, de tali dolore delectatur, & gaudet se dolere, juxta illud Ps. 126. v. 2. *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris?*

Non secundum. Non enim generaliter omnis virtus debet esse per se, & nulla facta suppositione appetibilis; ut patet in justitia vindicativa, quæ virtus est: tamen essentialiter supponit peccatum alienum. Sic ergo Pœnitentia virtus erit, etsi supponat peccatum proprium; quia qui lapsi sunt, per se desiderant per eam peccatum delere.

Non tertium. Quia Pœnitentia cum sit de peccato præterito cum proposito illud abolendi, pœnitentem laudabilem facit. Quod non est simile de verecundia, quæ *Respicit turpe factum, ut præsens, pro quo timet confundi .... est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis in præsenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari: non est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere, cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus.* Ita S. Thom. *art.* 1. citato *ad* 1.

Non quartum. Quia Pœnitentia licet non supponat hominem Deo reconciliatum, ipsum tamen Deo reconciliat: & licet non sit semper conjuncta cum charitate, ad charitatem tamen, & amorem Dei disponat.

VI. Nota pro intelligentia, ex S. Thom. art. 1. citato, ad 3. *Quod dolere de eo, quod prius factum est cum intentione conandi ad hoc, quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non intendit pœnitens: sed dolor ejus est displicentia, seu reprobatio facti præteriti, cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei, & reatum pœnæ. Et hoc non est stultum.*

DUBIUM II.

Varia examinantur circa naturam Pœnitentiæ.

§. I.

An pertineat ad justitiam?

I. SUppono cum S. Thom. *quæst.* 85. citata, *art.* 2. Pœnitentiam non esse generalem cujuscumque virtutis conditionem, ad eum modum, quo injustitia, seu iniquitas,

tas, est conditio generalis omnium peccatorum, & justitia omnium virtutum; sed esse virtutem specialem. In Pœnitentia enim (ait S. Thom.) *invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.* — Licet autem habeat generalem materiam, in quantum respicit omnia peccata: sed tamen ea respicit: *Sub ratione speciali; in quantum scilicet, sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam justificationem* (ut ait S. Doctor ibi, ad 2.) Expellit autem omne peccatum *Non formaliter*, eo modo, quo omnis virtus expellit habitum vitii oppositi; sed *effective*, in quantum operatur ad destructionem peccati, pro ut est remissibile ex divina gratia homine cooperante. Unde non sequitur, quod sit virtus generalis. Ita S. Thom. *art.* 2. citato ad 3. Hoc supposito.

II. Dico. Pœnitentia pertinet aliquomodo ad justitiam commutativam, non tamquam pars subjectiva illius, sed potentialis tantum. Utraque pars colligitur ex S. Thom. *quæst.* 83. citata, *art.* 3. Prima pars ex eodem prob. Nam pœnitentia non solum dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret charitas; sed ex eo pœnitens dolet, in quantum est offensa lædens divinum jus, quod reparare, & emendare proponit; sed emendatio, & reparatio offensæ non fit per solam cessationem offensæ; sed exigitur ulterius quædam recompensatio, & retributio reparativa offensæ, & juris læsi, quæ sunt quædam commutationis species; ergo Pœnitentia est pars justitiæ commutativæ.

III. Secunda vero pars ex eodem S. Thom. prob. Ad veram enim, & subjectivam speciem justitiæ commutativæ requiritur commutatio ad æqualitatem perfectam: at compensatio, quam exhibere potest pœnitens puniendo se, numquam poterit inducere perfectam æqualitatem, propter excellentiam Dei offensi; sed solum qualem constituere potest filius cum patre, vel servus cum domino; quia ut dictum est, *T.* 1. *in* 2. 2. *q.* 4. *de just. dub.* 1. inter Deum, & hominem rigorosa justitia commutativa dari non potest: igitur Pœnitentia est pars justitiæ commutativæ solum potentialis, & ad eam reducitur, sicut imperfectum ad perfectum. Ut enim docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 48. *art. unico*. Partes potentialis alicujus virtutis dicuntur virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus; vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis.

IV. Neque proprie pertinere potest Pœnitentia ad justitiam vindicativam. Quia, ut docet S. Th. 2. 2. q. 80. art. 1. ad 1. *Vindicta, quæ fit auctoritate publica potestatis, secundum sententiam Judicis, pertinet ad justitiam commutativam. Sed vindicta, quam quis facit probrio motu, non tamen contra legem, vel quam quis a Judice requirit, pertinet ad virtutem justitiæ adjunctam.*

V. Ex dictis sequitur. Pœnitentiam residere in voluntate, ut in subjecto. Quia ut docet S. Th. 3. *p. q.* 85. *a.* 4. Pœnitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiæ saltem adjuncta, seu potentialis: justitia autem habet pro subjecto appetitum rationis, qui est voluntas. Et *proprius* Pœnitentiæ *actus est propositum emendandi illud, quod contra Deum commissum est.*

§. II.

An sit virtus infusa, an Theologica, & quodnam sit ejus objectum?

VI. Circa primum suppono, quod duplex est virtus. Una acquisita per frequentationem nostrorum actuum; alia a Deo immediate infusa. Hic ergo quærimus: An Pœnitentia, de qua loquimur, sit annumeranda inter virtutes morales acquisitas, an inter infusas.

VII. Dico. Pœnitentia, de qua loquimur, est virtus infusa. Prob. Fidei dogma est, nos veram Pœnitentiam; ut oportet ad justificationem, concipere non posse, quin Spiritus Sanctus eam cordibus nostris infundat: scriptum est enim. Jerem. 31. v. 18. *Converte me, & convertar . . . Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Et Act. 11. v. 18. *Gentibus, pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Unde Tridentinum, Sess. 6. Can. 3. *Si quis* (inquit) *dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

VIII. Circa secundum dico. Pœnitentia non est virtus Theologica. Probo primo. Virtutes Theologicæ sunt tres Fides, Spes, Charitas: sed Pœnitentia etsi promoveatur a Fide, & excitet ad Spem, non tamen est Fides, neque spes: ac licet a charitate interdum imperetur, non tamen semper, & consequenter actus ejus non est a Charitate elicitus: quia ut docet S. Th. hac q. 85. art. 2. ad 1. *Si in actu pœnitentiæ consideretur sola displicentia peccati præteriti, hæc immediate ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis: sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti* (qui est actus præcipuus pœnitentiæ) *requirit specialem virtutem sub charitate.*

Secundo prob. Virtus Theologica habet pro objecto formali, & immediato Deum: sed pœnitentia non habet pro objecto immediato Deum, sed compensationem juris divini læsi; in qua Deus non respicitur ut finis *qui*, & in recto, sed ut finis *cui*, & in obliquo: sicut cum quis intendit compensare injuriam factam Regi, Rex non ingreditur compensationem, ut finis *qui*, sed ut finis *cui*: finis enim *qui* est compensatio, ut adæquativa juris regalis læsi; ergo Pœnitentia non est &c.

IX. Circa tertium noto, quod Pœnitentia est duplex. Alia naturalis, alia supernaturalis. Prima est, qua voluntas viribus naturæ detestatur peccatum, tamquam contrarium rationi naturali: unde ex Gentilibus plures lumine fidei destituti, solo rationis naturalis ductu, peccata detestabantur, & offerebant sacrificia in eorum expiationem. Posterior vero est, qua voluntas gratiæ viribus adjuta detestatur peccatum, tamquam contrarium legi æternæ, & supernaturali, quatenus offensivum summæ bonitatis Dei in seipso; & de hac in præsens loquimur. Unde

X. Dico. Objectum materiale Pœnitentiæ est peccatum, quatenus est offensa Dei expiabilis per compensationem. Objectum vero formale est jus divinum læsum per offensam, ut reparabile per satisfactionem. Prior pars probat. In hoc enim differt Pœnitentia a charitate, quod charitas respicit peccatum, ut præcise aversatur bono divino; Pœnitentia vero illud respicit, quatenus expiabile: unde peccatum est materia pœnitentiæ, quatenus tamen removendum, & abolendum.

Secunda etiam pars prob. Quia actus respiciens jus divinum læsum, ut reparabile per satisfactionem, est actus virtuosus, & laudabilis; sed non est actus alterius virtutis; ergo est actus virtutis Pœnitentiæ.

QUÆSTIO III.

De effectibus Pœnitentiæ virtutis.

EXaminata natura Pœnitentiæ internæ, seu ut virtus est; videre oportet, quinam sint ejus effectus, seu quosnam fructus ex ea homo reportet.

DUBIUM. I.

An per Pœnitentiam internam remittantur peccata?

§. I.

Resolvitur de peccatis quoad reatum culpæ?

I. PEccata alia mortalia sunt, alia venialia; quæ secum trahunt duplicem reatum, nimirum culpæ & pœnæ æternæ, si mortalia sint.

II. Dico. Effectus Pœnitentiæ internæ est remissio omnium peccatorum quoad culpam. Dogma fidei est contra Lutherum, & Calvinum. Lutherum quidem: qui cum per Pœnitentiam nil aliud intelligat, quam terrorem, quo peccator a pœnis concutitur; sine quo absolute loquendo peccata remitti possunt; negat consequenter, ad eam sequi remissionem peccatorum, tamquam proprium effectum. Calvinum vero: qui licet Pœnitentiam a terrore supplicii distinguere nonnumquam visus sit: quia tamen Pœnitentia actus humanus est, & secundum ipsum omnia opera justificationem præcedentia, peccata sunt; & cum insuper velit, hominem justificari sola fide, qua credat, sibi per Christum remissa esse peccata; consequenter negat, peccatum remitti per Pœnitentiam.

II. Nihilominus nostrum Assertum ex Scripturis colligitur. Ex Scripturis tum *Ezechiel. cap.* 18. tum *Jonæ c.* 3. tum *Isaiæ* 1. & 55. quibus pœnitentibus promittitur remissio peccatorum. Non potest autem promitti remissio peccatorum mortalium, nisi omnium; cum unum remitti non possit nisi omnia remittantur, neque possit, hominem unius pœnitere, quin omnium pœniteat, ut S. Thom. 3. *p. q.* 86. *art.* 3. ostendit, & *Tom. I. in* 1. 2. *q.* 1. *de justific. dub.* 6. probavimus; ergo &c. Huc faciunt omnium eorum exempla, qui per Pœnitentiam omnium peccatorum veniam obtinuisse leguntur; ut *Primi parentis*, Sap. 10. v. 2. *Davidis*, 2. Regum 12. v. 13. *Achab*, 3. Regum 21. v. 19. *Manasse*, 2. Paralip. 33. v. 13. *Occisorum Christi*, Act. 2. v. 37. & 38.

III. Dices primo, 1. Reg. 2. v. 25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Domino peccaverit vir; quis orabit pro eo;* ergo saltem peccatum in Deum Pœnitentia non delet.

Respondeo ex D. Ambrosio, *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 8. quod illis verbis: *Quis orabit pro eo?* Non excluditur qui oret; ita ut nullus sit, qui possit orare: sed indicatur, quod vir, qui pro eo possit orare, & impetrare, non debet esse vulgaris homo, sed vir singularis meriti. Sicut cum dicitur: *Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in monte sancto ejus?* Fit sensus, quod non quicumque vulgaris, sed solum vir singularis meriti ascendit, & stabit. Unde subditur: *Innocens manibus, & mundo corde.* Et ratio est, inquit Ambrosius: *Quia quo major est culpa, eo majora sunt quærenda suffragia. Non enim quicumque de vulgo*

vinæ pro Judæorum populo, sed Moyses regnavit, quando vituli caput, fidei immemores, adoraverunt. Unde solum indicatur difficultas veniæ pro peccato contra Dominum, non veniæ impossibilitas.

IV. Dices secundo. Esau, & Antiochus Pœnitentiam egerunt: & tamen indulgentiam consecuti non sunt. Nam de Esau legitur, Hebr. 12. v. 17. quod *Non invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Et de Antiocho, 2. Machab. 9. v. 13. *Orabat hic sceleſtus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*, ergo &c.

Respondet S. Thom. 3. part. qu. 86. art. 1. ad 1. *Quod Esau non vere pœnituit, quod patet ex hoc, quod dixit* (Genes. 27.) Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum: *Similiter etiam nec Antiochus vere pœnituit. Dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.* Vide S. Doct. *in* 4. *dist.* 20. *qu.* 1. *art.* 1. *ad* 1.

V. Dices tertio. *Matth.* 12. *vers.* 36. habetur: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; Quicumque autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* —— Rursus: 1. Joann. 6. v. 16. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis;* ergo aliqua peccata dantur, quæ expiabilia non sunt.

VI. Respondet S. Thom. 3. p. qu. 86. art. 1. ad 3. *Quod illud verbum, vel blasphemia contra Spiritum Sanctum est finalis impœnitentia, ut Augustinus dicit, in lib. de Verbis Domini* (Serm. 11. cap. 12. & 13. nunc Serm. 71.) *quæ penitus irremissibilis est; quia post finem hujus vitæ non est remissio peccatorum. Vel si intelligatur, per blasphemiam Spiritus Sancti, peccatum, quod sit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus Sancti, dicitur non remitti, scilicet, de facili. Vel quia tale peccatum non habet in se causam excusationis: vel quia pro tali peccato punitur aliquis, & in hoc sæculo, & in futuro, ut in Secunda Parte expositum est.* 2. 2. qu. 14. art. 1. &c.

Ad secundum respondet S. Thom. in 2. dist. 43. in Expos. textus. Quæst. 24. de Verit. art. 11. ad 8. & qu. 3. de Malo art. 15. ad 3. *Quod peccatum ad mortem potest intelligi, quo aliquis usque ad mortem perseverat. Et sic pro tali non est orandum; quia suffragia non prosunt damnatis, qui sine pœnitentia decedunt. Si autem intelligatur peccatum ad mortem, idest, quod ex malitia committitur; sic non prohibetur, quod aliquis pro eo oret, sed non quicumque; quia non quicumque est tanti meriti, ut orando ei gratiam impetrare possit: quia sanatio talium* (quales sunt etiam obstinati, & obcæcati) *est quasi miraculosa. Sicut si diceretur, pro suscitatione mortui, non dico, ut oret quis pro eo, idest, quicumque, sed aliquis magni meriti apud Deum.* Recolantur quæ supra diximus contra Novatianos, q. 1. dec. 2. §. 2.

VII. Quæres: Quo genere causæ Pœnitentia remittat peccata? —— Respondeo: Pœnitentiam, si charitate perfecta remittat peccata extra sacramentum, ea remittere dispositive; ait enim Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* quod contritio præparat ad remissionem peccatorum. Si vero sit intra sacramentum conjuncta absolutioni sacramentali remittere efficienter efficientia instrumentali, vel physica, vel morali. Quia Pœnitentia, ut in sacramento, se habet quasi materia: materia autem sacramenti efficientia instrumentali concurrit ad gratiam, & ad peccati expulsionem.

VIII. Quæres secundo: An dici possit, quod Pœnitentia mereatur remissionem peccatorum? —— Respondeo negative, loquendo de merito de condigno. Opus enim, quod non procedit ab homine grato, seu a gratia, quæ est principio meriti de condigno, meritorium merito de condigno esse nequit: talis autem est actus pœnitentiæ, qui hominem adhuc in peccato supponit: Loquendo tamen de merito congrui, responderi potest affirmative. Nam actus eliciti ab impio ex auxilio gratiæ moventis, secundum Patres, aliquod meritum obtinent congruitatis, se tenentis saltem ex parte Dei. Actus autem pœnitentiæ ex Tridentino, *Sess.* 14. *cap.* 4. licet non sint impulsus Spiritus Sancti inhabitantis, sunt tamen impulsus ejusdem, ut moventis. Caute tamen nomine meriti in hac materia uti debemus.

§. II.

De remissione quoad reatum pœnæ.

IX. Dico. Pœnitentia una cum culpa mortali tollit reatum pœnæ æternæ, non tamen semper tollit omnem reatum pœnæ temporalis. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 87. *art.* 4. Prior pars prob. ex Concil. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 14. dicente, quod pœna æterna: *Vel sacramento, vel sacramenti voto una cum culpa remittitur.* Et eadem *Sess. c.* 7. quod per justificationem: *Homo ex injusto fit justus*, docet, *& ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ:* non constitit autem, aliquem per Pœnitentiam ex injusto fieri justum, ex inimico amicum Dei, & hæredem vitæ æternæ secundum spem tamquam filium Dei, & simul reum æternæ damnationis.

X. Posterior autem pars (quæ est fundamentum Indulgentiarum, satisfactionis, & Purgatorii) probatur ex eodem Tridentino, *Sess.* 6. *cap.* 14. & *Can.* 30. anathemate damnante: *Si quis dixerit, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio antequam ad regna Cælorum aditus patere possit.* Quod idem anathema repetit, *Sess.* 14. *Can.* 15. contra eum, qui dixerit: *Fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat.*

XI. Justo autem anathemate percussos fuisse oppositum sentientes, demonstrant varia Sacræ Scripturæ exempla, quibus dimisso peccato, adhuc pœna temporalis luenda supereſt. Primo enim mors quæ *Genes.* 2. statuitur pœna peccati originalis, *ad Rom.* 5. & 2. *Cor.* 15. & tamen illi, quibus est remissum, adhuc moriuntur, & aliis pœnalitatibus sunt obnoxii. —— Sed dices. Hæc in baptizatis remanere non ut pœnas; sed ut paternas monitiones, vel ut virtutis exercitationes. —— At hæ in parvulis locum non habent. In adultis autem esto tales sint, non desinunt tamen simul esse pœnæ, & vindictæ peccati. Unde S. August. *lib.* 13. *de Civ. Dei, cap.* 6. dicit, quod mors patienter tolerata auget quidem meritum patientiæ, sed *Non aufert vocabulum pœnæ.*

Secundo. *Exodi* 32. *v.* 10. Voluit Deus delere populum ob peccatum adorationis Vituli: *Dimitte me ... ut deleam eos*, v. 14. dicitur: *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat.* Et tamen, *v.* 34. dicit: *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Et mox: *Percussit ergo Dominus populum, ob peccatum Vituli;* Deus ergo sic condonavit pœnam perpetuæ deletionis populo, ut tamen sibi servaret pœnam temporariam.

Tertio. *Num.* 14. Murmuravit populus contra Dominum: obsecrante tamen Moyse peccatum dimisit, v. 20. *Dixitque Dominus, dimisi juxta verbum tuum.* Et tamen in pœnam murmuris eos ab ingressu in terram promissionis prohibuit, v. 30. *Non intrabitis in terram &c.* Num. 20. ab eodem ingressu, ob incredulitatem, prohibuit Aaron, & Moysem: Simile in Davide, 2. *Reg.* 12. cui Deus condonavit peccatum adulterii, & adhuc in pœnam abstulit ei filium, *c.* 24. Idem ob peccatum numerationis populi pœnitentiam egit, & veniam obtinuit, pœnam tamen non evasit; cum ex tribus flagellis a Deo ipsi oblatis, triduana peste electa, populum suum in pœnam peccati sui percussum vidit, ac doluit. Unde S. Gregor. lib. 9. Mor. cap. 27. nunc 34. *Sic David* (inquit) *audire post confessionem meruit:* Dominus transtulit peccatum tuum: *& tamen multis postea cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi Parentis absolvimur, sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter ebimus.* Et S. Augustinus in Psalm. 50. ait: *Impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis, non reliquisti.*

XII. Rationem autem hujus dat S. Thom. hac *quæst.* 86. *art.* 4. Quia in peccato mortali duo sunt: nempe, aversio a Deo, cui debetur pœna æterna; & hæc per remissionem peccati, & reditum in gratiam condonatur. Adest etiam inordinata delectatio, quam peccando percipit ex conversione ad creaturam, & in objecto peccati, nimium in eo sibi complacendo, cui delectationi, utpote finitæ, correspondet pœna finita, & temporalis: *Justum enim est, ut qui voluntati suæ plus indulsit, quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur. Sic enim erit æqualitas. Unde Apocal.* 18. *dicitur.* Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum dare ei tormentum, & luctum. Porro: quia plerumque non est tanta amaritudo, & punitio per pœnitentiam, ut adæquet inordinatam delectationem, & pœnam temporalem ipsi debitam, ideo ut detur perfecta æqualitas, adhuc dimissa pœna æterna, remanet reatus pœnæ temporalis.

Quod explicans, *ad secundum*, docet; Quod remissio culpæ, & reatus pœnæ æternæ est effectus solius gratiæ operantis; solus enim Deus est, qui justificat, & gratiam infundit. At remissio reatus pœnæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem: in quantum scilicet, homo cum auxilio divinæ gratiæ patienter pœnas tolerat, absolvitur etiam a reatu pœnæ temporalis. Unde licet utrumque sit a gratia: primum tamen est a gratia sola, secundum ex gratia, & libero arbitrio. Quia vero non semper tanta est cooperatio liberi arbitrii, quæ sufficiat ad ponendam æqualitatem, & tollendum reatum etiam pœnæ temporalis: ideo, remissa culpa, ac pœna æterna; remanet adhuc luenda temporalis pœna.

XIII. Aliam rationem affert *in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 2. ubi ait: quod *Peccator per affectum peccati amicitiam Dei violavit; & per inobedientiam divinæ legis honorem debitum Deo subtraxit. Et ex primo amittit gratiam, & incurrit offensam: ex secundo meretur pœnam, ut ab eo, qui per inobedientiam subtraxit, subtrahatur per pœnam; & hoc pœna merito reatus dicitur. Et ideo per Pœnitentiam, qua homo se Deo supponit, peccata præterita detestando cum emendationis proposito, remittitur quidem peccatum quantum ad offensam, sed non oportet, quod remittatur quantum ad totum reatum, nisi pœna jam soluta; & sic per Pœnitentiam non simul cum culpæ dimissione totus etiam reatus dimittitur.*

XIV. Dices tamen primo. Remota causa removetur effectus: sed culpa est causa reatus pœnæ: ideo enim quis est dignus pœna, quia culpam commisit; ergo remissa culpa non potest remanere reatus pœnæ.

Respon-

Respondeo cum S. Thom. *q.* 86. citata, *art.* 4. *ad* 1. quod remota causa removetur effectus correspondens causæ, quæ removetur; non vero effectus correspondens causæ; quæ remanet: & sic dimissa culpa dimittitur pœna æterna correspondens aversioni, quæ est formale in peccato. Pœna autem temporalis, quæ est effectus inordinatæ delectationis, & conversionis, quæ est quasi materiale in peccato, non statim removetur: sicut nec statim removetur, maxime in habituatis, inordinatio, cui pœna temporalis correspondet, sed aliquid ejus manet. Sicut in infirmo sanato morbo, adhuc remanent morbi reliquiæ, quæ indigent curatione.

XV. Dices secundo. Per Baptismum removetur non solum culpa, sed omnis pœna etiam temporalis. Cur ergo non per Pœnitentiam? — Rursus: Inordinata conversio ad creaturam dicitur illa, qua homo ponit suum ultimum finem in creatura: sed ista post Pœnitentiam non remanet; quia per Pœnitentiam homo creaturam relinquit, & Deo, ut ultimo fini, iterum se subjicit; ergo &c.

Respondeo neg. conf. cum S. Thom. *q.* 86. citata, *art.* 4. *ad* 3. Nam *in Baptismo homo participat totaliter virtutem Passionis Christi; utpote per aquam, & Spiritum Christi, commortuus peccato, & in eo regeneratus ad novam vitam: & ideo in Baptismo homo consequitur remissionem reatus totius pœnæ. In Pœnitentia vero consequitur virtutem Passionis Christi, secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia Pœnitentiæ, sicut aqua Baptismi . . . . Et ideo non statim per primum actum Pœnitentiæ, quo remittitur culpa, solvitur reatus totius pœnæ, sed completis omnibus Pœnitentiæ actibus.* — Aliter responderi potest ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 8. Nam *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero, qui semel a peccati, & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scienter* (idest est malitia) *Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.*

Ad id, quod additur, dico, quod licet in homine per Pœnitentiam justificato non maneat inordinata conversio ad creaturam quatenus culpa est; remanet tamen reatus pœnæ, & debitum eam solvendi, quod homo pro illa incurrit: quodque apud divinam justitiam non relaxatur, nisi pro eo fuerit satisfactum.

XVI. Dices tertio. Ex Apostolo, *Rom.* 5. donum Christi efficacius est, quam peccatum: sed homo peccando incurrit culpam, & pœnam, etiam temporalem; ergo per gratiam Christi utrumque remittitur. Immo, si gratia Christi solvit reatum pœnæ æternæ, quæ major est; quare non solvit reatum pœnæ temporalis, quæ minor est?

Respondeo ex dictis cum Sanct. Thom. *ad* 2. disparem esse rationem de relaxatione pœnæ æternæ, ac temporalis. Nam relaxatio pœnæ æternæ, est opus gratiæ operantis; opus autem gratiæ operantis est a gratia sola: solutio autem pœnæ temporalis est effectus gratiæ cooperantis; effectus autem gratiæ cooperantis non est a gratia sola, sed correspondet gratiæ, & libero arbitrio. Quare, ut pœna temporalis solvatur, debet homo cooperari, patienter tolerando pœnas vel in hac vita, vel in futura: nisi aliunde tanto charitatis ardore justificetur, ut divinæ justitiæ plene satisfaciat. Hoc tamen non obstante efficacior est gratia, quam peccatum; quia gratia operans non solum tollit maculam peccati, & pœnam solvit æternam, sed confert etiam meritum vitæ æternæ: & gratia cooperans non solum tollit pœnam temporalem, quam causavit peccatum, sed etiam confert meritum augmenti gloriæ in vita æterna.

XVII. Quod autem objicere solent Acatholici ex illo, Roman. 8. v. 1. *Nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*, solvendum prius est ab ipsis, qui volunt etiam in renatis remanere peccatum, & solum eis non imputari. Interim dico, nihil esse damnationis in justificatis, quia in eis deleta est omnis culpa, cui debetur damnatio ad pœnam æternam; debitum autem pœnam temporalem solvendi non est damnatio, sed purgatio, qua viam ad Regnum Cælorum sibi aperiant.

Dubium II.

De remissione venialium per Pœnitentiam.

§. I.

An peccatum veniale remitti possit sine Pœnitentia?

I. Dico. Peccata venialia non remittuntur sine Pœnitentia saltem virtuali. Ita Sanct. Thom. 3. *part. quæst.* 87. *art.* 1. Prior pars, quod peccatum veniale non remittatur sine pœnitentia, probatur. Peccatum veniale licet non totaliter avertat voluntatem a Deo, sicut facit peccatum mortale; tamen affectum ejus retardat, ne prompte feratur in Deum; ergo sicut ut remittatur mortale, requiritur actus, quo peccator doleat, & detestetur suam voluntariam aversionem a Deo, coneturque eam Deo iterum subjicere; qui actus pœnitentiæ est: ita, ut sibi remittatur veniale, requiritur, ut homo detestetur talem retardationem sui affectus in Deum, atque affectus suos in Deum expedite dirigere satagat; qui actus Pœnitentiæ erit. Quamdiu enim voluntas peccato adhæret, peccatum sive mortale, sive veniale ei remitti non potest.

II. Secunda vero pars sic ostenditur ex eodem S. Thom. Nam, ut veniale remittatur, aliqua (ex dictis) displicentia requiritur, sed actualis necessaria non est, habitualis autem non sufficit: ergo sufficit virtualis, seu implicita. Maj. ex dictis patet. Min. pro prima parte prob. Major Pœnitentia requiritur ad delendum mortale, quam ad delendum veniale: sed ad delendum mortale requiritur Pœnitentia actualis: *Ut scilicet, homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est; ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur;* ergo hoc non requiritur ad delendum veniale. — Pro secunda vero parte probat. min. Habitualis Pœnitentia, seu displicentia peccati habetur per habitum Pœnitentiæ, vel charitatis: hæc autem non sufficit: *Quia sic charitas non compateretur peccatum veniale: quod patet esse falsum.* — Consequentia vero sequitur a sufficienti divisione. Cum enim non sit excogitabilis Pœnitentia, quæ non sit vel actualis, vel habitualis, vel virtualis; sequitur, quod si prima non requiritur, secunda non sufficit, tertia requiratur.

Quid autem nomine Pœnitentiæ intelligat, explicat ipse S. Thom. ibi subdens: *Pœna, cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid sibi occurrerent, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret, se commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis; nisi quantum ad peccata oblita post sufficientem inquisitionem.* Ex quo sequitur etiam, quod actus fervens dilectionis Dei, ex perfecta charitate procedens, dici possit virtualis displicentia, seu Pœnitentia remissiva peccati venialis: quia, ut docet ibi, ad 3. *Fervor charitatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum.* Et ex hoc 3. *p. q.* 79. *art.* 4. probat, per Eucharistiam peccata venialia remitti.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

III. Objicies primo: De venialibus impossibile est pœnitere. Quod probo. Pœnitentia enim vera non solum dicit displicentiam de peccato præterito, sed & propositum cavendi de futuro: atqui hoc propositum habere nemo potest, quia nemo sine venialibus præsentem vitam ducere nequit, ergo &c.

IV. Respondeo cum S. Thom. *q.* 87. *art.* 1. citato, *ad* 1. neg. antec. & ad prob. dist. minor. Sine omnibus, conc. min. Sine singulis, neg. min. Licet ergo in vita præsenti homo vitare non possit omnia venialia collective; potest tamen vitare singula, hoc est, nullum ei occurrere potest, quod vitare non possit: & ideo *Ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus; quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur.*

Debet tamen (notate aurea verba) *habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.*

V. Objicies secundo. Si quis dormiens occideretur propter Christum, statim evolaret ad Cælum, & consequenter ei dimitterentur peccata venialia: sed in isto nulla esset displicentia peccatorum venialium; ergo &c.

Respondet S. Thom. citatus ad 2. *Quod passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi; & ideo purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem invenerit peccato inhærentem.* Et hoc, quia supponitur in isto voluntas virtualis omnia sua in Deum referendi.

VI. Objicies tertio. Venialia remittuntur per aspersionem aquæ benedictæ; ergo remittuntur sine Pœnitentia.

Respondeo cum S. Thom. *qu.* 87. citata *art.* 3. dist. ant. Quatenus inclinat ad motum Pœnitentiæ, aut reverentiæ in Deum explicite, vel implicite, conc. ant. Aliter, nego antec. Cum enim ad remissionem peccati venialis non requiratur nova gratiæ infusio (ut ostendit ibi art. 2.) sed sufficiat aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicite, vel saltem implicite: sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum per motum reverentialem in ipsum, & ad res divinas: hoc modo *Aspersio aquæ benedictæ, benedictio Episcopalis, quilibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua sunt hujusmodi, operantur ad remissionem peccatorum venialium.* Ita S. Thom. in corpore. Addit tamen ibi, ad 3. *Quod per prædicta tolluntur quidem peccata venialia, quantum ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis, tum etiam virtute charitatis; cujus motus per prædicta excitatur: non autem per quodlibet prædictorum semper tollitur totus reatus pœnæ. Quia sic qui esset omnino immunis a peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim evolaret in Cælum: sed reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum motum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.*

VII. Ob-

VII. Objicies quarto. Venialia remitti poſſunt quoad culpam, etiam poſt hanc vitam, ut docet Articulus de Purgatorio: ſed poſt hanc vitam non eſt locus Pœnitentiæ, ergo &c.

Reſpondeo ad min. Poſt hanc vitam non eſſe quidem locum Pœnitentiæ, qua mutetur ſtatus de malo in bonum, eſſe tamen locum diſplicentiæ præteritorum: ita ut ea diſplicentia, quamvis non per modum meriti, per modum diſpoſitionis contrariæ eluat ſordem venialis. Unde S. Thom. *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 1.* concludit: *Et ideo dicendum, quod culpa venialis in eo, qui cum gratia decedit, poſt hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium; quia pœna illa aliqualiter voluntaria virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem, quæ ſimul cum gratia non ſtare poteſt.* Et *quæſt. 7. de Malo art. 11.* de illis, qui in peccato veniali præveniuntur morte in ſomno, vel aliqua paſſione auferente eis uſum rationis, dicit: *Et ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis poſt hanc vitam, etiam quantum ad culpam eo modo, quo remittuntur in hac vita; ſcilicet per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commiſſis. Quia tamen poſt hanc vitam non eſt ſtatus merendi, ille dilectionis motus tollit quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur abſolutionem, vel diminutionem pœnæ, ſicut in hac vita.* Vide S. Thom. citatis locis: de his enim agere in præſens non vacat.

DUBIUM III.

An peccata per Pœnitentiam dimiſſa redeant per ſequens peccatum?

§. I.

Reſolutio Prior.

I. Dico. Peccata per Pœnitentiam dimiſſa, per ſequens peccatum, ſimpliciter non redeunt. Ita S. Thom. *3. p. q. 88. art. 1.* Et probat. Nam opus Dei irritari non poteſt per opus hominis, ex illo, Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum finem Dei evacuavit?* Sed dimiſſio peccati præcedentis fuit opus Dei, ergo per opus hominis irritari non poteſt; Irritaretur autem ſi homo peccando redire faceret peccatum jam dimiſſum. —— Nec dicas, Deum præſcium, hominem illum iterum peccaturum, remittere peccatum ſolum ſecundum præſentem juſtitiam. —— Nam contra eſt primo. Quia Deus peccatum dimittit pœnitenti abſolute, non ſub conditione, eique gratiam abſolute donat: poſita autem cauſa ſufficiente, & efficaci ponitur abſolute effectus. Vel ergo gratia, & ſacramenta peccatum deſtruunt, & ſic nulla datur cauſa, cur redeat. Non Deus: quia Deus peccati cauſa eſſe non poteſt. Nec homo: quia homo non committit illud idem, quod ante commiſerat. Vel gratia, & ſacramenta non omnino deſtruunt, ac delent peccatum, & ſic non ſunt cauſæ ſatis efficaces ad delendum peccatum, & incidimus in errorem modernorum Acatholicorum volentium, per gratiam peccata tantum tegi, & non imputari, non deleri, ac tolli.

II. Confirmatur. Si peccatum remiſſum, per ſubſequens rediret, vel rediret ſecundum eſſe phyſicum, & hoc nequit eſſe; quia dum quis ſecundo peccat, non facit redire eumdem numero actum, quo primo peccavit, immo neque poteſt. Vel quantum ad eſſe morale, ſive quantum ad culpam, & pœnam: & hoc non poſſe eſſe, ſic oſtendo. Nam, *Ezechiel. 18. v. 21.* dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Tum quia: Deus cum peccata dimiſit, ea abſolute dimiſit, non autem ſub conditione, quod iterum non peccetur.

III. Dices tamen. Legimus, *Matth. 18.* quod quamvis Dominus ſervo nequam totum debitum dimiſiſſet; quia tamen poſtea crudeliter peccavit in conſervum ſuum, conceſſam prius dimiſſionem revocavit, & tantum ab eo exegit, quantum debebat ante remiſſionem; ergo dimiſſio peccati ſemel facta a Deo revocatur.

Reſpondeo, nego conſeq. Servus enim ille punitus fuit tanta pœna, quantam merebatur ante dimiſſionem; non quia Dominus conceſſam remiſſionem revocaverit, vel peccatum jam dimiſſum punierit: ſed quia peccatum ſubſequens, immanitas nempe, qua ſæviit in conſervum, ratione ingratitudinis, adeo aggravata fuit coram Domino, ut æquaverit omnium priorum criminum gravitatem, ut dicetur.

IV. Dices ſecundo. Merita per peccatum mortificata reviviſcunt per pœnitentiam, ut infra; ergo etiam iniquitas remiſſa reviviſcit per ſubſequentem.

Reſpondeo, neg. conſ. cum S. Thom. 3. part. quæſt. 89. art. 5. ad 1. Nam *Opera peccati abolentur per pœnitentiam ſecundum ſe; ita ſcilicet, quod ex eis ulterius Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur. Sed opera in charitate facta non abolentur a Deo, in cujus acceptatione remanent; ſed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis: & ideo remoto impedimento, quod eſt ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte ſua illud, quod opera merebantur.*

§. II.

Reſolutio poſterior.

V. Dico. Etſi peccata dimiſſa non redeant ſimpliciter per ſubſequentia, aggravantur tamen peccata ſequentia ratione ingratitudinis in hoc poſitæ, quod pœnitens rurſus eum offenderit, a quo miſericorditer fuerat veniam conſecutus: *Et hoc* (inquit Sanct. Thom. quæſt. 88. art. 1. citato) *non eſt peccata dimiſſa redire ſimpliciter, ſed redire ſecundum quid; in quantum ſcilicet, virtualiter in peccato ſequenti continentur.* Probatur ex eodem S. Doctor. Homo ſecundo peccans poſt prioris peccati remiſſionem, ex terminis videtur gravius peccare, quam cum primo peccavit; quia videtur contemnere divinam bonitatem. Cum enim ob primum peccatum mereretur a Deo annihilari, placuit tamen eum ad pœnitentiam expectare: quod ſi adhuc ei placuit peccatum condonare; quis non videt, tanto magis contemni divinam bonitatem, ſi peccatum iteretur, quanto majus beneficium eſt peccatum remittere, quam peccatorem ſuſtinere? Hoc patet in Servo Evangelico, cujus immanitas in conſervum ſuum maxime aggravata eſt apud Dominum ex hoc præciſe, quod dimiſerat ei debitum (Matth. 18. v. 32.) *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.*

VI. Nota tamen cum S. Thom. *quæſt. 88.* citata *artic. 2. ad 3.* quod licet innocentia ſit majus beneficium in ſe, relate tamen ad ſubjectum majus beneficium eſt remiſſio peccati. Nam magnitudo beneficii poteſt penſari dupliciter: *Uno modo ex quantitate ipſius beneficii: & ſecundum hoc innocentia eſt majus Dei beneficium; quam Pœnitentia, quæ dicitur ſecunda tabula poſt naufragium. Alio modo poteſt penſari beneficium ex parte recipientis, qui minus eſt dignus: & ſic magis ſit ſibi gratia: unde & ipſe magis eſt ingratus ſi contemnet. Et hoc modo beneficium remiſſionis culpæ eſt majus, in quantum præſtatur totaliter indigno: & ideo ex hoc ſequitur major ingratitudo.* Ex quo ſequitur etiam, quod licet primum peccatum poſſit eſſe gravius ex ſua ſpecie, puta, blaſphemia, vel odium Dei: ſecundum tamen, quod committitur poſt beneficium remiſſionis primi, magis aggravatur ex circumſtantia ingratitudinis.

VII. Quæres: An per ingratitudinem peccati ſequentis conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimiſſorum?

Reſpondeo cum Sanct. Thom. citata *quæſt. 88. art. 3.* per ingratitudinem peccati ſequentis non conſurgere tantum, ſeu arithmetice æqualem reatum, quantus fuerat reatus peccatorum prius dimiſſorum: bene tamen proportionaliter, & geometrice: ideſt, quod quanto peccata dimiſſa fuerunt plura, & majora; tanto major redeat reatus per qualecumque ſequens peccatum mortale. Explicatur hoc. Creſcit enim offenſa, non quidem ex gravitate, quam habet ſecundum peccatum ex ſua ſpecie: nam poteſt eſſe, quod peccata præcedentia fuerint ex ſua ſpecie graviora, quam peccatum ſequens. Nec etiam ex gravitate, quam habet ratione ingratitudinis. *Non enim oportet, quod quantitas ingratitudinis ſit abſolute æqualis quantitati beneficii ſuſcepti; cujus quantitas attenditur ſecundum quantitatem peccatorum prius dimiſſorum. Contingit enim, quod contra idem beneficium unus eſt multum ingratus vel ſecundum intenſionem contemptus beneficii, vel ſecundum gravitatem culpæ contra benefactorem commiſſæ: alius autem parum, vel quia minus contemnit, vel quia minus contra benefactorem agit;* ergo gravitas peccatorum non ſemper tanta eſt arithmetice in peccato ſequenti, quanta in præcedentibus fuit: *Sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficii: Suppoſito enim æquali contemptu beneficii, vel offenſa benefactoris; tanto erit gravior ingratitudo, quanto beneficium fuit majus.* Quibus probata manet ſecunda pars.

VIII. Si iterum quæras: An hæc ingratitudo, per quam quodammodo dicuntur redire peccata ſemel dimiſſa, ſit ſpeciale peccatum?

Reſpondet S. Thom. *quæſt. 88.* citata *art. 4.* quod quandoque eſt ſpeciale peccatum, quandoque non, ſed ſolum circumſtantia conſequens quodlibet peccatum mortale commiſſum poſt primum. Eſt ſpeciale peccatum: quando directe intenditur a peccatore, qui *In contemptum Dei, & ſuſcepti beneficii* aliquod peccatum committere vult. Eſt vero ſolum circumſtantia, quando non ex contemptu, neque ingratitudinis intentione peccatur, ſed ex paſſione, vel alia cauſa. —— Ex quo ſequitur, quod ingratitudo, quod eſt ſpeciale peccatum, debet neceſſario exprimi in confeſſione; ſecus vero quando eſt circumſtantia per ſe loquendo. Si tamen conſuetudo, & recidivitas in peccando eſſet circumſtantia notabiliter aggravans, & neceſſaria, ut poſſit cognoſci ſtatus pœnitentis, & opportunum remedium adhiberi, puta, occaſiones peccandi tollendi, neceſſario deberet exprimi, ut dicetur.

DUBIUM IV.

De aliis Pœnitentiæ fructibus, & effectibus.

§. I.

An Pœnitentia virtutes recuperet, & in quali gradu?

I. DIco. Pœnitentia omnes virtutes homini restituuntur; non tamen semper in æquali gradu; sed aliquando majori, aliquando minori intensione. Prima pars ostenditur a S. Thom. *3. p. qu. 89. art. 1.* ex illo Lucæ 15. ubi Pater mandavit, ut filio prodigo pœnitenti restitueretur stola prima, annulus & calceamenta: ideſt, ait Ambrosius, amictus sapientiæ, quam consequuntur virtutes, secundum illud Sapientiæ 8. *Sobrietatem, & justitiam docet, prudentiam, & virtutem.*

Rationem dat S. Thom. laudatus. Per Pœnitentiam enim restituitur gratia: sed ex gratia consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia fluunt omnes potentiæ, ut diximus, *Tom. I. in 1. 2. qu. 3. De gratia habit. dub. 5. §. 3.* ergo &c. Maj. patet. Nam per Pœnitentiam homo consequitur remissionem peccatorum: hæc autem non potest esse, nisi per gratiam, ut eodem. *Tom. I. Tract. De justific. q. 1. dub. 5.* ostensum est. — Notat tamen S. Thomas ibi, *ad 1.* quod Pœnitentia restituit virtutes per illum modum, quo est causa gratiæ: cum autem non sit causa gratiæ ut virtus est, sic enim est potius effectus gratiæ, sed quatenus sacramentum est, restituit virtutes, ita ut *Habitus pœnitentiæ simul cum habitibus aliarum virtutum per sacramentum Pœnitentiæ causetur.* Nota tamen, S. Th. loqui de virtutibus infusis. Nam habitus virtutum acquisitarum, sicut per peccatum mortale non amittuntur, ita neque per Pœnitentiam restituuntur.

II. Dices, Habens virtutem sine difficultate, & delectabiliter operatur actum virtutis: sed multi pœnitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum, ergo &c.

Respondeo, hanc difficultatem non oriri ex defectu inclinationis virtutis, sed ex indispositione subjecti. Ut enim ait S. Thom. citatus, ad 3. *Quandoque post primum actum Pœnitentiæ, qui est contritio, remanent quædam reliquiæ peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum causatæ, ex quibus præstatur difficultas quædam pœnitenti ad operandum opera virtutum: sed quantum est ex ipsa inclinatione charitatis, & aliarum virtutum, pœnitens opera delectabiliter, & sine difficultate operatur: sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum, aut aliquam corporis indispositionem.*

III. Secundam vero partem docet S. Thom. citata *q. 89. art. 2.* hoc discursu: *Formæ, quæ possunt recipere magis, & minus, intenduntur, & remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti;* ergo *secundum quod motus liberi arbitrii est intensior, vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur majorem, vel minorem gratiam:* Atqui *Contingit, intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quam fuerit illa, a qua ceciderat per peccatum; quandoque autem æquali, quandoque vero minori:* ergo *pœnitens quandoque resurgit in majori gratia* (sicut S. Petrus, & Maria Magdalena) *quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur.* Sed de hoc redibit sermo, dub. 5.

§. II.

An opera bona, per subsequens peccatum mortificata, per Pœnitentiam reviviscant?

IV. SUppono primo: opera bona per charitatem prius facta, & consequenter viva, per subsequens peccatum mortificari. Sicut enim res viva dicitur mori, quando per mortem perdit operationem vitæ, sic per quamdam similitudinem dicitur mortificari, quando a suo proprio effectu, vel operatione impeditur: sed opera viva per sequens peccatum a suo proprio effectu impediuntur, ergo &c. Min. prob. Effectus operis boni in charitate facti, est perducere scientem ad vitam æternam: sed peccatum mortale sequens, cum gratiam tollat, impedit, ne opera bona prius facta perducant hominem ad vitam æternam; ergo &c. Hinc Ezech. 18. v. 24. *Si averterit se justus a justitia sua .... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ita S. Thom. *3. p. q. 89. art. 4.*

V. Suppono secundo: opera ex genere suo bono, sed nihilominus mortua, quia facta ab homine gratia, & charitate, quæ spiritualis vitæ principia sunt, destituto, nusquam posse per Pœnitentiam reviviscere. Tum quia: impossibile est, ut reviviscat, quod numquam vixit, & omnino non est neque in se, neque in acceptatione alterius: opera autem mortua omnino perierunt tam in se, quam in acceptatione divina, in qua numquam fuerunt. Tum etiam quia: ut docet S. Thom citata qu. 89. art. 6. *Differentia mortis, & vitæ in operibus est secundum compazationem ad principium, a quo procedunt. Opera autem non possunt iterum principio procedere, quia transeunt; & ideo eadem numero resumi non possunt; ergo impossibile est, quod opera mortua iterum fiant viva per Pœnitentiam:* cum per Pœnitentiam sequentem fieri non possit, ut a principio vitæ procedant.

VI. Sed dices. Ergone ullam rationem habebit Deus operum cæteroquin bonorum, quæ fiunt ab homine peccatore? — Respondeo cum S. Thom. *art. 6.* citato, *ad 3.* minime quidem: *Ut remuneret ea, in vita æterna, quæ debetur solis operibus vivis, ideſt, ex charitate factis: sed remunerat ea temporali remuneratione, sicut Gregorius dicit in Homil. de Divite, & Lazaro* (quæ est 40. in Evang.) *quod nisi dives ille aliquod bonum egisset, & in præsenti sæculo remunerationem accepisset, nequaquam ei Abraham diceret: Recepisti bona in vita tua* (& S. Augustin. *lib. 5. de Civit. Dei, cap. 15.* dicit, Deum dedisse Romanis amplum Imperium, ut eorum virtutes aliquam remunerationem in hac vita haberent) *Vel etiam hoc* (pergit S. Thom.) *potest referri ad hoc, quod patietur tolerabilius judicium. Unde dicit Augustinus in lib. de Patientia, cap. 26.* Non possumus dicere: Schismaticus melius fuisset, ut Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo: sed existimandum est tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando nihil eorum pateretur, ut illud, quod ait Apostolis: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil prodest,* intelligatur pertinere ad regnum Cælorum obtinendum, non ad extremi supplicii judicium tolerabilius subeundum. — Hæc tamen ultima S. Augustini verba non sic sunt exponenda, quasi passio a schismatico in schismate, & peccato, esset aliqua pro peccatis satisfactio, & ut talis valeret, est ad mitigationem pœnæ: sed quia minus punietur in inferno, quam si Christum negando nihil passus fuisset. Negando enim Christum auxisset suum peccatum, & consequenter auxisset suam damnationem. Valere etiam possunt ad aliquid ex divina misericordia impetrandum, ut docet S. Thom. *2. 2. qu. 83. art. 16.* His suppositis.

VII. Dico. Bona opera in charitate facta, & per subsequens peccatum mortificata, per Pœnitentiam reviviscunt: ideſt recuperant efficaciam hominem perducendi ad vitam æternam. Probat hoc Sanct. Thom. 3. part. qu. 89. art. 5. ex illo Joel. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta.* Super quæ Glossa: *Non patiar* (inquit) *perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amisistis;* sed illa urbertas est meritum bonorum operum, quod fuerat perditum per peccatum: ut enim ait S. Hieron. in illum locum Joelis: *Annos, quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, & bruchus, rubigo, erucaque consumpserunt, Deus vobis perire non passus est: tunc comedetis fructus justitiæ &c.* ergo &c.

Hoc idem probant Apostoli verba, ad Hebr. 6. vers. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quod verum est non solum de iis, qui acceptam gratiam perpetuo conservaverint; verum etiam de iis, qui amissam recuperaverint, docet Tridentinum, *Sess. 6. cap. 16.* Unde his etiam dicendum est: *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* (1. Corinth. 15.)

VIII. Ostenditur autem ratione S. Thom. *art. 5.* citato. Bona opera mortificata reviviscere, est fieri iterum efficacia, sicut prius, ad perducendum hominem ad mercedem vitæ æternæ, seu iterum illis deberi præmium vitæ æternæ: atqui opera prius per peccata mortificata hoc accipiunt per Pœnitentiam: ergo &c. Maj. patet. Min. prob. Quod opera bona, stante peccato, essent mortificata, & actu non perducerent hominem ad vitam æternam, non erat ex defectu ipsorum: immo sic in acceptatione divina remanebant: ut nisi ex parte hominis impedimentum peccati reddentis cum vita æterna indignum obstaret, de facto ipsum ad gloriam perducerent. At impedimentum peccati tollitur prorsus per pœnitentiam; ergo per hanc opera prius mortificata fiunt homini efficacia ad vitam æternam: sicut levitas, remoto impedimento corpus leve detinente, fit efficax ad motum sursum, alioquin plus valeret culpa, quam gratia.

IX. Sed dices primo. Meritum virginitatis per Pœnitentiam redire non potest. Ait enim Hieronymus, Epist. 22. ad Eustochium (modo 18.) *Audenter loquar: cum omnia possit Deus, virginem suscitare non potest post ruinam.*

Respondeo, nego ant. Esto enim virginitas pro materiali, nempe, quoad integritatem corporis, & immunitatem ab experimento carnalis delectationis, restitui non possit post ruinam, in quo sensu loquitur Hieronymus: quoad formale tamen, ideſt, firmum propositum a venereis abstinendi, in quo consistit meritum, reviviscere potest.

X. Dices secundo. Peccatum mortale destruit totaliter meritum, & non solum mortificat. Tum quia: destruit gratiam, & charitatem, quæ sunt formale principium meriti. Tum quia: peccatum est detrimentum: ergo totaliter repugnat meritum, illudque destruit.

Respondeo, dist. ant. Destruit in homine peccante, conc. ant. in Deo, qui meritum per Christum acceptavit, neg. ant. Certe in homine, qui in peccato mortali jacet, ob rationes allatas, non manet meritum: hoc tamen non evincit, quod in acceptatione divina non perseveret. Nam licet peccatum

eatum principium proximum meriti, gratiam nempe, & charitatem extinxerit; non valet tamen extinguere ejus primam originem, Chriſtum dico: propter cujus dignitatem Deus habet rationem meritorum, quibus Juſti antequam laberentur, claruerunt.

XI. Dices tertio. Deus acceptat merita Juſti ad gloriam ſub conditione, quod non ponat obicem ad eam: ſed homo peccando ponit obicem ad gloriam; ergo tollit a Deo debitum acceptationis; quia quando pactum eſt conditionatum, ſi deficiat conditio, pactum reſcinditur.

Reſpondeo, diſt. maj. Obicem ad eam finaliter, conc. maj. Aliter, nego maj. Conditio enim, ſub qua Deus acceptat opera ad gloriam, non eſt, quod homo in poſterum non peccet; ſed quod non peccet finaliter, ſeu quod non moriatur in peccato. Quare etſi poſt meritum peccet, dummodo per pœnitentiam reſurgat ante mortem, reſurgit etiam meritum præcedens, eique ad gloriam computatur.

XII. Dices quarto. Peccata dimiſſa non redeunt per ſequens peccatum; ergo neque opera mortificata per peccata, redeunt per pœnitentiam. —— Ruſus: opera dicuntur mortificari ad ſimilitudinem animalium, quæ moriuntur; ſed hæc non poſſunt vivificari; ergo &c.

Reſpondeo cum S. Thom. art. 5. citato ad 1. *Quod opera peccati per Pœnitentiam abolentur ſecundum ſe: ita ſcilicet, quod ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur. Sed opera in charitate facta non abolentur a Deo, in cujus acceptatione remanent; ſed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis: & ideo remoto impedimento, quod eſt ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte ſua illud, quod opera merebantur.*

Ad id, quod additur, dico cum eodem S. Thom. ad 2. *Quod opera in charitate facta non mortificantur ſecundum ſe .... ſed ſolum per impedimentum ſuperveniens ex parte operantis. Animalia autem moriuntur ſecundum ſe, in quantum privantur principio vitæ: & ideo non eſt ſimile.*

DUBIUM V.

Ad quem gratiæ, & gloriæ gradum merita mortificata per Pœnitentiam reviviſcant.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico, Probabilius judico, quod homo per Pœnitentiam non ſemper reſurgat ad totum phyſicum gratiæ, & meritorum gradum, quo ante lapſum eminebat; ſed ad eum ſolum, qui ſuæ præſentis Pœnitentiæ intenſioni correſpondet. Hoc aſſero, non improbabilem tamen judicans ſententiam oppoſitam volentem, quod per Pœnitentiam quamvis remiſſam, reſurgat ſemper ad eumdem gratiæ, & meriti gradum, quem habebat ante lapſum. Hæc tamen Aſſertio cohæret cum dictis ſupra, *dub. præcedente*, §. 1. & prob. Gratia ſive de novo data, ſive recuperata, tanta eſſe debet, quanta eſt diſpoſitio, qua homo ad illam ſe præparat; ſed qui reſurgit a peccato, non ſemper tantam habet diſpoſitionem, vel conatur ad gratiam tanta intenſione amoris, quantam habebat priuſquam in peccatum laberetur, & a gratia excideret; ergo &c. Major probatur ex Trid. *Seſſ. 6. c. 7.* Ubi cauſas noſtræ juſtificationis deſcribens dicit: *Vere juſti nominamur, & ſumus juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.*

II. Sed dices. Concilium de prima infuſione gratiæ ſermonem facere, non vero de ſecunda, quæ fit in juſtificatione poſt lapſum. —— Contra. Nam Concilium inter primam, & ſecundam juſtificationem non diſtinguit; immo eaſdem diſpoſitiones, quæ ad primam juſtificationem in Baptiſmate requiruntur, requirit ad recuperandam juſtitiam amiſſam per Pœnitentiam, *Seſſ. 6. cap. 6.*

III. Hanc autem eſſe mentem S. Th. oſtendo. Tum ex 3. *p. q.* 89. *art.* 2. ubi non ſemper hominem reſurgere in æquali virtute oſtendens: *Secundum quod* (inquit) *motus liberi arbitrii in Pœnitentia eſt intenſior, vel remiſſior; ſecundum hoc pœnitens conſequitur majorem, vel minorem gratiam: contingit autem intenſionem motus pœnitentis quandoque proportionatam eſſe majori gratiæ, quam fuerit illa, a qua ciderat per peccatum; quandoque autem æquali, quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque reſurgit in majori gratia, quam prius habuerat; quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori.* —— In hac autem ſententia fuiſſe conſtantem, apparet ex 3. *Sent. diſt.* 31. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 1. ubi hæc habet: *Menſura charitatis præfigitur a Deo ſecundum ſuam voluntatem; & aliquo modo commenſuratur ad conatum illius, qui gratiam recipit. Unde cum aliquis poſt peccatum poſſit multum, & parum conari ad recipiendam charitatem; & divinæ liberalitati non ponatur terminus per peccatum: cum ipſe, quantum in ſe eſt, ſit paratus omnia peccata totaliter delere: oportet dicere, ſicut & communiter dicitur, quod aliquis poſt peccatum poteſt in majori, vel minori charitate reſurgere.* Quod repetit, *q.* 3. & *ad* 1. 2. & 4.

IV. Probatur autem primo. Si meritorum reviviſcentia ſemper fieret in æquali gradu, ac prius erant, non eſſet, cur homines forent ſolliciti de actu contritionis intenſo in ſua converſione habendo: quia etſi eſſet omnino remiſſus, ſufficeret ad totam gratiam, & meritum recuperandum. Quo quid abſurdius? —— Sane ſicut in humanis, qui arctiſſima cum Rege amicitia conjunctus, poſtea gravibus injuriis eum laceſſivit, non poteſt quacumque levi Pœnitentia, ſed intenſa duntaxat, & variis experimentis probata, priſtinum amicitiæ gradum recuperare: ita nec peccator in ſuam veterem cum Deo amicitiam in totum redire poteſt, per quamcumque etſi remiſſam contritionem.

V. Prob. ſecundo experientia. Nam Juſti, qui poſt varia, graviaque crimina convertuntur, non levem in exercendis pietatis operibus experiuntur difficultatem, quam ante lapſum non experiebantur; ergo non recipiunt eamdem charitatem, quam prius: magna enim charitas cum non ſit otioſa, ingentes illas difficultates ſuperaret.

VI. Tandem. Merita per Pœnitentiam reviviſcere, quia jus perducendi hominem ad gloriam, quod amiſerant per peccatum, recuperant, ex Scriptura, Conciliis, & ratione habemus: ſed quod ad antiquum gratiæ, & meriti gradum totaliter ſemper reſurgant; ita ut omnes omnino peccatores, qui centies, aut etiam millies in turpiſſima flagitia prolapſi ſæpe reſurgunt, ac ſæpe relabuntur; toties quoties reſurgunt, ſemper reſurgant formaliter Deo gratiores, & ſanctiores, quam antea fuerint, quacumque etiam remiſſa Pœnitentia reſurgant; quod verificaretur, ſi ſemper redderetur eis tota gratia prius habita, & inſuper ulterior gratiæ gradus vi præſentis diſpoſitionis: idque non ex opere operantis tantum, ſed ex opere operato, difficile captu videtur. Si enim Innocens non accipit gratiam, niſi proportionatam actibus, & diſpoſitionibus præſentibus, ergo nec peccator pœnitens: cum nec plus mereatur, nec melioris ſit conditionis.

§. II.

Rationes pro contraria opinione.

VII. Objicitur primo illud Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit Pœnitentiam ... omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor.* Et cap. 33. verſ. 12. *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Atqui Deus recordaretur iniquitatis, & iniquitas noceret peccatori, ſi per Pœnitentiam ad gradum inferiorem reſurgeret; ergo &c.

Reſpondeo, neg. min. Senſus enim eſt, Deum non recordari peccatorum ad damnationem; & in hoc ſenſu iniquitas non nocebit peccatori, quia propter illa non punietur a Deo: non tamen quod, etiamſi remiſſam Pœnitentiam egerit, ſit elevandus ad totam priorum meritorum dignitatem, ut nihil defectus in eo maneat. Contrarium enim teſtantur peccatorum reliquiæ, pravi nempe habitus, & propenſiones ad malum, quæ in homine etiam poſt peccata remiſſa remanent, & quæ ante peccatum non aderant.

VIII. Objicitur ſecundo. Opera bona, licet per peccatum mortificata, adhuc manebant in acceptatione divina, prout ab homine facta fuerant; & in tantum hominem non perducebant ad gloriam, quia obſtabat obex peccati; atqui hic obex tollitur per Pœnitentiam; ergo opera illa reviviſcunt ad eumdem gradum gratiæ, & gloriæ, ac prius quia remoto obice cauſa operatur tota vi ſua.

Reſpondeo, nego conſ. Solum enim ſequitur, quod remoto obice de facto perducant ad gloriam, non vero ſtatim ad eumdem gradum. Ad prob. dico, quod remoto impedimento cauſa operatur tota vi ſua, attenta tamen diſpoſitione ſubjecti, & capacitate: unde etſi ablato peccato tollatur obex, & gratia redeat, ac merita reviviſcant; non redeunt tamen in eodem gradu, ac prius, niſi æqualem diſpoſitionem inveniant in ſubjecto.

IX. Objicies tertio. Concil. Trid. *Seſſ. 6. cap. 16.* hæc habet; *Juſtificatis hominibus ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba* (1. Cor. 15.) *Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino: Non enim injuſtus eſt Deus* (Hebr. 6.) *ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Atqui ſi homo per Pœnitentiam ad eum ſolum gradum reſurgeret, qui ſuæ præſenti intenſioni correſpondet, non vero ad gradum gratiæ præteritæ, labor præteritorum operum inanis eſſet coram Deo; quia nullus antiquæ juſtitiæ gradus, gloriæ in Cælis reſponderet: & dici poſſet Deus obliviſci operis præteriti, ſi illud mercede vacuum relinqueret.

X. Confirmatur primo. Demus hominem, qui tota vita ſua ſanctiſſime vixerit, & poſtea in unum peccatum mortale lapſus ſit; & demus alium, qui totam vitam ſuam flagitiis emancipaverit; & ſupponamus, quod uterque æqualem Pœnitentiam agat. Tunc ſic diſcurro. Si homo per Pœnitentiam ad eum ſolum gradum gratiæ reſurgit, qui intenſioni ſuæ Pœnitentiæ correſpondet, uterque æqualem gratiam acquiret: & ſi ambo ſtatim moriantur, uterque æqualem gloriæ gradum habebit; ergo quid proderit homini toto tempore vitæ ſuæ ſanctiſſime vixiſſe præ alio, qui eam totam in criminibus conſumpſit? Certe inanis erit labor ille præteritus, diceturque Deus illius obliviſci.

XI. Con-

XI. Confirmatur secundo. Si per Pœnitentiam homo ad eum gradum gratiæ, quam prius habebat, non resurgit; jam non verificatur, opera præterita per Pœnitentiam reviviscere: hoc enim est ad eumdem gradum vitæ, quem prius habebat, restitui; ergo &c.

XII. Hæc sunt, quæ valde probabilem reddunt opinionem oppositam. Respondetur tamen cum aliquibus ad argumentum: merita præcedentia, seu labores præteritos non fore inanes coram Deo, neque Deum illorum obliturum, sed remuneraturum in Cælis singulos justitiæ gradus, quibus pœnitens ante lapsum præditus fuit, essentiali beatitudine: non quod daturus sit illi gratiam, & gloriam majorem, quam exigat ejus dispositio (hoc enim secundum legem ordinariam est impossibile) sed quia gradus gratiæ, & gloriæ, qui dabitur ei ratione præsentis dispositionis, dabitur ei etiam ratione graduum charitatis, qui ejus lapsum præcessere, sicque gloriosior apparebit; quia talem gloriæ gradum habebit duplici titulo, & ratione præsentium dispositionum, & ratione meritorum præteritorum. Nam meritum tripliciter potest contingere. Primo: quando aliquis de non debito facit debitum. Secundo: quando facit magis debitum, ut in eo, in quo charitas augetur. Tertio: quando facit debitum uno modo, quod antea alio modo debebatur. Sic gloria corporis, quæ debita erat Christo titulo connaturalitatis, facta fuit illi debita alio titulo, nempe, merito suæ Passionis.

XIII. Ad primam Confirmat. dicunt, illos duos fore pares in gloria essentiali. Neque hoc absonum est. Sicut absonum non fuit, quod Pater familias novissimos, qui una hora laboraverunt, pares fecerit illis, qui portaverunt pondus diei & æstus; quia fervore suppleverunt id, quod de tempore deerat: & latro in Cruce pendens parem gloriam obtinuit, ac alter, qui diu Christo serviisset; quia æqualis illi fuit in contritionis fervore. Nam meritum, non temporis prolixitate, sed affectus intensione censetur, ut ait S. Chrysostomus, *lib. de reparatione hominis*. Qui tamen in operibus bonis vitam suam produxisset, esto in casu majorem gloriam essentialem non obtineret, accidentali tamen gloria majori frueretur. Ita S. Th. 3. part. quæst. 89. art. 5. ad 3. *Ille* (inquit) *qui per Pœnitentiam resurgeret in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda fecit; quod pertinet ad præmium accidentale.*

XVI. Ad secundam Confirmat. neg. ant. Ut enim docet S. Thom. 3. *p. q.* 89. *art.* 5. Opera prius mortificata reviviscere, est recuperare *Efficaciam producendi eum, qui fecit ea, in vitam æternam; quod est, ea reviviscere*. Hoc autem verificatur, etsi non reviviscant ad tantum gloriæ gradum ex defectu, non divinæ liberalitatis, sed dispositionis in subjecto. Sicut enim (ait Cajet. *in art.* 1. 3. *p. q.* 89.) Si homo non surrexisset a peccato, nunquam merita mortificata illi revixissent; quia peccatum proprium eorum efficaciam impediviset; ita non resurgens a peccato cum tanta Pœnitentia, quantus erat valor meritorum, non poterit pertingere ad tantam gloriam; quia ille minor conatus resurgentis impedimentum præstat efficaciæ magni meriti præcedentis, & facit, quod licet reviviscant merita, non tamen reviviscant ad tantam quantitatem, ut ante. Et hoc est, quod ait S. Thom. citata *q.* 89. art. 2. ad 2. *Pœnitentia quantum est de se, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem statum: sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum, & in detestationem peccati. Sicut etiam in Baptismo aliqui adulti consequuntur majorem, vel minorem gratiam, secundum quod diversimode se disponunt.*

XV. Verum aliis aliter placet respondere: quod licet physice loquendo merita præcedentia non reviviscant, nisi secundum quantitatem dispositionis, nempe, contritionis qua quis resurgit; quia gratiæ gradus in esse physico commensuratur cum gradu dispositionis, quem invenit in subjecto: moraliter tamen reviviscunt ad gratiam, & gloriam æqualem omnino cum illa, quam habuissent, si per peccatum mortificata non fuissent: & licet tantam gratiam tunc physice non habeant, suo tamen tempore habebant. Unde notant primo: quod opera bona fundant jus ad tantam gloriam, quantum est illorum meritum: quod jus, licet per peccatum fuerit impeditum, non tamen extinctum, utpote manens in acceptatione divina, quodque deinde per Pœnitentiam resurgit.

Notant secundo, quod licet Pœnitentia sequens se habeat ut dispositio ad effectum physicum gratiæ, quæ de præsenti datur; ad hoc tamen, ut resurgat illud jus morale, seu valor meritorum præcedentium, seu ut merita reviviscant in esse morali, & valoris; Pœnitentia non est dispositio, sed tantum removens prohibens, cum quo nulla requiritur proportio. Si enim parvulus removeret distantiam ignis a pulvere tormentario magnæ quantitatis, applicando ignem tali pulveri, sequeretur eversio turris magnæ molis, etsi parvulus nullam habeat proportionem ad positive causandam talem eversionem. Sic ergo contritio ut unum, nullam habet proportionem ad gratiam ut centum; potest tamen removere prohibens, ut merita ut centum mortificata, illam revera mereantur, sicut de facto illam prius merebantur, cum secundum nihil sui perierint, sed adæquate maneant in acceptatione divina. Hucusque clare.

XVI. Sed difficultas non modica est de tempore, quo dicta merita secundum eorum totam quantitatem reviviscant non solum moraliter, sed etiam physice: ideſt, de tempore, quo jus illud morale meritorum præcedentium ad majorem gratiam, & gloriam, habiturum sit suum augmentum physicum.

XVII. Ad quod dicunt, hoc habiturum immediate post mortem, seu in instanti ingressus Paradisi. Tunc enim Beatus ex præsentia amabilissimi objecti eliciet actum ferventissimi amoris, quo fiet dispositus ad tantam gratiam, & gloriam habendam, quanta ejus meritis præcedentibus debebatur. Quod probant. Quia tunc solum homo erit sufficienter dispositus ad gratiam correspondentem meritis mortificatis, quando eliciet actum illis in intensione æqualem, cui proprium augmentum non debeatur; sed hoc solum potest contingere post hanc vitam, quia omni actui charitatis elicito in præsenti vita, dum homo est viator, promissa est a Deo propria gratia ei correspondens; ergo &c. Maj. prob. Quia actus, cui proprium augmentum debetur, non posset disponere ad gradus aliis meritis correspondentes, sed tantum ad gradus sibi debitos. Ita illi, nec improbabilem. Prior tamen responsio menti S. Thomæ videtur conformior.

QUÆSTIO IX.

De Contritione.

Actus pœnitentis, quos pro materia proxima sacramenti Pœnitentiæ posuimus, modo suscipimus examinandos, quorum primus est contritio.

DUBIUM I.

Quid sit Contritio, & quotuplex?

§. II.

Quid sit Contritio,

I. Contritionis nomen, ut explicat S. Thom. *quæst.* 1. *Supplem.* 3. *p. art.* 1. derivatur a verbo *Contero*, quod significat rem duram minuatim confringere: *Frangi* (inquit) *dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur: sed comminui, vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem peccati requiritur, quod affectum peccati homo totaliter dimittat, quem per quamdam continuitatem, & soliditatem in sensu suo habebat, ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem.*

II. De Contritione, secundum diversas ejus considerationes, varias tradit definitiones S. Thomas ibi, quas Studiosus videre poterit. Nos addimus eam, quam dat Concil. Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* 4. nempe, *Contritio animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*. Contritio ergo dicitur *Dolor*, non quidem is, quem corporis sensu percipimus, vel experimur: hic enim non est contritio, sed effectus, ac testis contritionis. Dicitur ergo *Dolor*, prout est actus voluntatis, & mœror mentis, juxta illud Isaiæ 38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, Additur ly *Detestatio de peccato*: Quia ad contritionem non sufficit mœstitia cordis, & animæ amaritudo, sed requiritur sincerum odium peccati: quia sicut voluntas non potest prosequi bonum, nisi illud amando: ita nec potest fugere, & dolere de malo, nisi oderit malum. Quibus damnata manet propositio Lutheri, de qua supra, dicentis: *Optima Pœnitentia est nova vita*. Vera enim contritio; ait Trident. ibi, importat, *Non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed & veteris etiam odium*. Si enim quis volens reconciliari homini ostendit, sibi displicere, quod eum offenderit; cur volumus reconciliari Deo, & non ostendere dolorem de offensis ipsi factis? Additur ly *Cum proposito &c.* quia Pœnitentia sincera non est, nisi certam, & stabilem vitæ emendandæ voluntatem includat: cujus sinceri propositi necessitatem ostendit Christus; tum *Jo: 7. v.* 12. cum mulieri adulteræ dixit: *Vade, & jam amplius noli peccare*: Tum *Jo: 5. v.* 14. cum paralitico ait, *Ecce sanus factus es; jam noli peccare*. Sic etiam qui amico offenso reconciliari vult, non solum dolere debet, quod eum offenderit, sed & cavere, ne in posterum ejus amicitiam lædat.

Tria ergo ad contritionem concurrunt, nempe, dolor de peccato, detestatio, seu odium peccati, & propositum non peccandi de cætero. Scio, aliquos in quæstionem vocare: in quo ex prædictis essentia contritionis consistat. Sed huic quæstioni vale dicentes, dicimus, quod sive omnia ad essentiam contritionis pertineant, sive non: hoc certum esse debet, hæc tria ad veram contritionem esse necessaria.

§. II.

§. II.

Quotuplex sit Contritio.

III. CONtritio, ut docet Tridentinum citata *Sess.* 14. *cap.* 4. duplex est. *Perfecta* scilicet, & Imperfecta. Perfecta, quæ vere Contritio dicitur, est dolor de peccato commisso ex amore Dei super omnia conceptus, & charitate perfectus, cum proposito non peccandi de cætero, & voto suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ. Quæ ultima verba a Concilio ponuntur, ut Christiani homines sciant, veram contritionem non esse, nisi annexum habeat votum, & voluntatem sinceram accedendi ad sacramentum Pœnitentiæ, & se subjiciendi Ecclesiæ; a quibus solvi debet in terra, ut sit solutus in Cælo (ut egregie loquitur Augustinus, *Ser.* 351. alias *homilia* 50. *cap.* 4.) Unde qui conciperet dolorem de peccato, votum tamen accedendi ad sacramentum pœnitentiæ non haberet; iste justificationem non obtineret, sed in damnatione maneret. Quamobrem Sixtus IV. hanc propositionem Petri Oxomensis damnavit: *Peccata mortalia delentur per solam cordis contritionem, absque ordine ad claves Ecclesiæ.* Qui vero contritionem perfectam habet cum voto accedendi ad sacramentum Pœnitentiæ, statim justificatur: Quia sicut Baptismus liberat a morte peccati, non solum prout actu recipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur: ita Pœnitentiæ sacramentum remittit peccata non solum ut actu suscipitur a peccatore, sed quatenus votum habet ad eam accedendi. Sed de hoc inferius sermo erit.

IV. Contritio vero imperfecta, quæ vulgo *Attritio* dicitur, secundum Tridentinum, laudato loco, est dolor ac detestatio peccati commissi concepta, vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu cum spe veniæ, voluntatem ulterius peccandi excludens: Quæ *Quamvis sine sacramento Pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Sed de hac fuse inferius.

§. III.

Quomodo differat Contritio ab Attritione.

V. DIco. Probabilius censeo, contritionem essentialiter ab attritione differre. Probo. Licet enim tam attritio, quam contritio sit dolor de peccato; attamen sub diversa ratione formali de ipso dolet contritio, ac attritio. Contritio enim dolet de peccato, quatenus est injuria Deo illata, & compensabilis per satisfactionem: attritio autem est dolor de eodem, quatenus est malum ipsius peccatoris; quia nimirum peccato est annexa turpitudo, vel pœna gehennæ. Quis autem non videat, peccatum, sub hac duplici ratione inspectum, esse objectum formaliter diversum specificans actus essentialiter diversos?

VI. Confirmatur. Actus, qui eliciuntur a virtutibus specie diversis, sunt specie essentiali diversi: at hujusmodi sunt attritio, & contritio; ergo &c. Min. prob. Contritio elicitur a virtute Pœnitentiæ tamquam actus primarius illius. Attritio vere elicitur, vel a timore servili, vel a virtute spei, si sit ex metu gehennæ: si vero sit ex turpitudine peccati, elicietur ab illa virtute morali, cui talis turpitudo opponitur; cum ejusdem virtutis sit prosequi bonum, quod respicit, & detestari oppositum. Sicut ad eamdem virtutem temperantiæ pertinet nedum amare honestatem temperantiæ; sed etiam peccatum intemperantiæ oppositum detestari.

Urgeo magis. Actus attritionis est actus informis; ergo ab habitu Pœnitentiæ infusæ elici non potest. Ut enim docet S. Thom. in supplem. 3. p. quæst. 1. art. 3. *Habitus virtutum infusarum qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum charitatem consequuntur, ut in tertio libro dictum est* (dist. 27. q. 2. art. ultimo, q. 3.) *Unde antequam gratia infundatur, non est habitus, a quo actus contritionis postea elicitur*; ergo attritionis actus non est ab habitu infuso Pœnitentiæ, sed ab alio habitu, ut dictum est, Spiritu Sancto quidem ad eum movente, sed nondum inhabitante, ut docet Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* 4.

VII. Ex quo infero cum eodem S. Thom. citato, quod licet homo ex attrito possit fieri contritus; attritio tamen non potest fieri contritio, sicut fides informis fit formata: *Quia quamvis habitus fidei informis fiat formatus, tamen nunquam actus fidei informis fit actus fidei formata: quia actus ille informis transit, & non manet, veniente charitate: attritio autem, & contritio non dicunt habitum, sed actum tantum.* Fit tamen homo ex attrito actu contritus habitu: quia per sacramentum Pœnitentiæ accipit gratiam, charitatem, & habitum infusum Pœnitentiæ.

VIII. Nec dicas. Homo dum adhuc est in peccato, non habet virtutes morales infusas: acquisitæ vero, quia naturales, non sufficiunt ad actum attritionis eliciendum, ut oportet, cum debeat esse supernaturalis. —— Respondeo enim, attritionis actum procedere a virtutibus moralibus acquisitis, ut elevatis per impulsum Spiritus Sancti moventis, & in hoc sensu attritio potest esse materia sacramenti Pœnitentiæ,

IX. Ex his colliges, inter contritionem, & attritionem multas esse differentias. Prima: quod contritio semper cadit super omnia peccata, non autem attritio. Et ratio est. Quia contritio detestatur peccatum quatenus offensa Dei est, in quo omnia peccata conveniunt: attritio vero illud detestatur, vel quatenus habet specialem deformitatem, vel quatenus specialis pœnæ causativum: ideoque potest quis atteri de uno peccato, non de omnibus. Unde si peccator plura specie peccata commiserit; non sufficit, ut attritione detestetur deformitatem unius, vel pœnam specialem ei debitam: sed debet multiplicare attritiones juxta numerum peccatorum, vel ea omnia detestari quatenus sunt causativa pœnæ æternæ, in quo omnia conveniunt; sic enim unicus attritionis actus sufficiet pro omnibus.

Secunda differentia est: quod contritio convertit hominem in Deum, ut ultimum finem, ratione charitatis adjunctæ, qua homo amicabiliter accedit ad Deum. Attritio vero licet faciat hominem recedere a peccato, non tamen facit immediate accedere ad Deum; sed vel ad evitationem pœnarum, vel ad honestatem virtutis, cui peccatum illud opponitur.

Tertia differentia est: quod contritio semper imperatur a charitate; attritio vero a vero timore servili.

Quarta: quod attritio, potest esse informis, & sine gratia, non vero contritio: hæc enim per se ipsam infallibiliter disponit hominem ad justificationem.

Quinta: quod contritio est summus, ac perfectus dolor de peccato: attritio vero est quidem displicentia illius, sed imperfecta. Illud enim dicitur contritum, quod est totaliter tritum; illud vero dicitur attritum, quod est quidem tritum, sed non totaliter, & in omnes suas partes.

DUBIUM II.

An contritio Charitate perfecta semper Hominem Deo reconciliet etiam ante Sacramentum?

§. I.

Referuntur Opiniones, & Refutantur.

I. LUtherus censuit, contritionem numquam hominem Deo reconciliare, sive ante, sive in actuali susceptione pœnitentiæ —— Sed hic error expresse repugnat doctrinæ Concilii Tridentini, *Sess.* 14. *c.* 4. ubi hæc habet: *Docet præterea* (S. Synodus) *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto non esse adscribendam.*

Hoc ante docuerat S. Thom. in Suppl. 3. *part. quæst.* 5. *art.* 1. tum *in arg.* sed contra dicens; *Virtus, & vitium eisdem causis corrumpuntur, & generantur, sed per inordinatum amorem cordis peccatum committitur; ergo per dolorem ex amore charitatis ordinato causatum solvitur; & sic contritio peccatum delet.* —— In corpore autem art. explicans modum, quo contritio peccatum delet: *Contritio* (inquit) *potest dupliciter considerari: vel in quantum est pars sacramenti: vel in quantum est actus virtutis: & utroque modo est causa remissionis peccati. Sed diversimode: quia in quantum est pars sacramenti, primo operatur ad remissionem peccati instrumentaliter, sicut & de aliis sacramentis patet: in quantum autem est actus virtutis, sic est causa quasi materialis remissionis peccati, eo quod dispositio est quasi necessitas ad justificationem: dispositio autem reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio, qua disponit materiam ad recipiendum.* Cum ergo contritio charitate perfecta sit, ultima dispositio, disponens hominem ad recipiendam gratiam remissionis peccatorum, eam causat in genere causæ materialis,

II. Neque dicas, quod contritio est actus virtutis: sed virtus sequitur peccati remissionem, quia virtus, & culpa non sunt simul in anima: ergo contritio non est causa remissionis culpæ. —— Respondet enim S. Thomas, ibi, ad 2. *Quod peccati remissio uno modo præcedit virtutem, & gratia infusionem, & alio modo sequitur. Et secundum hoc, quod sequitur, actus a virtute elicitus potest esse causa aliqua remissionis peccati.*

III. Estius vero licet fateatur, contritionem charitate formatam, de qua Concilium loquitur, hominem Deo reconciliare, etiam prius quam actu sacramentum suscipiat: id tamen dicit, non semper fieri, sed raro, puta, quando urget mortis articulus, & Sacerdos haberi non potest: quando occurreret casus scandali, aut alterius peccati incurrendi, si absolutio expectaretur: quando quis omnino non posset, aut saltem difficillime posset adire Sacerdotem, a quo absolveretur; velut si habitaret inter infideles, aut teneretur in vinculis, alioque simili impedimento prohiberetur. Hisce enim in casibus, dicit Estius, in homine contrito votum sacramenti supplere id, quod ex parte sacramenti deest; at regulariter, & copia Sacerdotis non deficiente, homi-

nem, etsi contritum non justificari, donec sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiat.

IV. Verum hæc opinio repugnare videtur Scripturis; quæ passim docent, eos qui toto corde ad Dominum convertuntur; sine mora veniam peccatorum accipere. Nam 2. *Reg.* 12. vix David Pœnitentia ductus, ait: *Peccavi, Domine*, cum statim audivit a Nathan, vers. 13. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Unde ipsemet David, Psalm. 31. vers. 5. *Dixi* (inquit) *confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Super quæ ait August. Conc. 2. in Psal. 31. *Non jam pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum; & ille dimittit.* Quia nimirum, etsi *Non pronuntiaverat ore, pronuntiaverat corde*, Unde Gregorius, in septem Psalm Pœnit. Psalm. 2. *Attende* (inquit) *quanta sit indulgentia vitalis velocitas, quanta misericordia Dei commendatio; ut contentis desiderium comitetur venia: antequam ad cruciatum perveniat pœnitentia; ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat.*

Constat etiam ex repetita Dei promissione spondentis peccatori veniam, si ingemuerit, Isaiæ 30. vers. 19. *Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui, statim, ut audierit; respondebit tibi.* Quod repetitur, *Ezechiel.* 18. & 33. Rursus: promittit Deus, se dilecturum diligentes se, Prov. 8. vers. 17. *Ego diligentes me diligo.* Et Joan. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo, & ego diligam eum &c.* Sed de his plura dicentur, cum ostenderur, dilectionem, etsi remissam, hominem per se justificare.

§. II.

Rationes Contrariæ.

XV. Dicit Estius primo. Bernardus, *Sermo 1. in festo Petri, & Pauli*, dicit, quod sententia Petri præcedit sententiam Cæli: sed hoc non subsisteret, si contritio charitate perfecta ordinarie justificaret ante sacramentum; ergo &c.

Dicit secundo, Non est asserendum, quod fideles ordinarie recipiant effectum Eucharistiæ ante ejus sumptionem: ergo neque hoc est asserendum de sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ.

Dicit tertio. Si contritio charitate formata ordinarie justificat, etiam ante sacramentum; quare Patres ostendunt necessitatem sacramentalis confessionis, & absolutionis pro remissione peccatorum, non quæ habita sit, sed habenda?

Dico quarto, August. tract. 13. in Joann. *Quantumcumque* (inquit) *Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis sua portat: non illi dimittitur, nisi cum veneris ad Baptismum.*

Dicit quinto. Tridentinum supra laudatum esto admittat, contritionem se ipsa justificare, dicit tamen quod hoc facit *Aliquando*; ergo non semper, & ordinarie loquendo.

VI. Respondetur ad singula. Ad primum: S. Bernardum velle, quod sententia Petri præcedat sententiam Cæli; non quia peccator, etsi perfecte contritus ordinarie non justificetur ante sacramentum in re: sed quia cum regulariter peccator non accedat ad sacramentum cum contritione charitate formata, sed cum attritione; ideo non justificatur, nisi per absolutionem Sacerdotis: & sic sententia Petri regulariter præcedit sententiam Cæli.

VII. Ad secundum dico, non ideo vere contritos effectum Eucharistiæ non recipere, quia ex vi contritionis illis non sit remissa culpa quoad Deum; sed quia non est illis remissa per Ministros Ecclesiæ. Ut enim docet S Thom. in Suppl. 3. part. quæst. 5. art. 1. ad 3. *Dispensatio Eucharistiæ pertinet ad ministros Ecclesiæ. Et ideo ante remissionem peccati per Ministros Ecclesiæ non debet aliquis ad Eucharistiam accedere, quamvis sit sibi culpa quoad Deum remissa.*

VIII. Ad tertium dico, Patres ostendere necessitatem absolutionis ad remissionem peccatorum; non quia contritio cum voto Pœnitentiæ non justificet ante sacramentum; sed quia perraro peccatores, & Catechumeni perfectam hanc contritionem habent; & si habeant, non justificantur sine sacramenti voto.

IX. Ad quartum similiter dico, S. Augustinum loqui de illis Catechumenis, qui via ordinaria proficiunt: qui nimirum ad Deum accedunt, non cum contritione charitate ardente, sed cum mera attritione, vel si cum aliquo amore, hic amor est non Dei super omnia, & veræ amicitiæ, sed amor propriæ salutis, & proinde amor concupiscentiæ. Addo: S. Augustinum loqui de Catechumeno, qui speraret se consequi remissionem peccatorum etiam sine voto Baptismi, ut ex contextu liquet.

X. Ad quintum dico, illud verbum *Aliquando* a Tridentino usurpatum, non cadere supra reconciliationem impii; ita ut sensus sit, contritionem charitate formatam aliquando reconciliare peccatorem cum Deo, & non semper: sed cadere supra ly *Charitate perfectam*, ita ut fiat sensus, contingere aliquando, & non semper, quod contritio sit charitate perfecta; ut legenti apparebit.

XI. At inquies. Si contritio charitate formata ordinarie, & semper justificat, quorsum contriti baptizantur, & absolvuntur? Sane falsum erit super eos dicere: *Ego te baptizo*: *Ego te absolvo*; si jam per contritionem abluti sint, & absoluti.

Respondeo, contritis, etiamsi per contritionem Deo jam reconciliatis, non frustra Baptismum, vel Pœnitentiam impendi: Primo: quia contritio illos non justificavit, nisi ut includens votum Baptismi, & Pœnitentiæ, quod votum impleri debet: in quo casu licet Baptismus, & Pœnitentia primam gratiam non conferant, augent tamen illam, & pœnam omnem (maxime Baptismus) etiam temporalem solvunt, quod sola contritione factum non fuerat. — Secundo: quia nemo scire potest, se veram contritionem habuisse, ac proinde se justificatum esse. Quare ut de adepta indulgentia securior sit, ad remedium Baptismi, & Pœnitentiæ debet confugere. — Verba autem illa: *Ego te baptizo*: *Ego te absolvo*, hunc faciunt sensum; *Ego sacramentum ablutionis, vel remissionis tibi impendo*, quod verificatur, etiamsi super jam coram Deo ablutos, & justificatos pronuntietur. Præterquamquod etsi non abluant, vel absolvant a culpa, & pœna æterna; absolvunt tamen a pœna temporali; unde magis abluunt, & magis absolvunt, juxta illud Psalm. 50. v. 4. *Amplius lava me Domine.*

XII. Quæres: Unde oritur impossibilitas contritionis charitate formatæ cum statu peccati mortalis?

Respondeo oriri non præcise ex natura ipsius charitatis vel contritionis; quia, ut dictum est, in *Tract. de Justificatione*, remissio peccati est beneficium a contritione, & charitate distinctum, atque ex terminis ab illis separabile. Sed oriri ex mero beneplacito Dei, qui pactum ex sua misericordia statuit, se delictorum culpam condonaturum; vel per se ipsum immediate, ut fiebat in antiqua lege; vel per sacramentum in voto susceptum, ut fit in lege Evangelii, quoties creatura ad se converteretur per dolorem a charitate formatum, ut habetur Zachariæ 1. vers. 3. *Convertimini ad me . . . , & convertar ad vos*, Malach. 3. v. 7. *Revertimini ad me, & revertar ad vos*, & Hierem. 3. v. 22. *Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras.*

DUBIUM III.

An Attritio ex Metu Gehennæ concepta sit Actus Bonus, & Laudabilis?

§. I.

Resolutio Catholica.

I. Dico. Attritio ex metu gehennæ concepta est actus bonus, & laudabilis. Est contra Lutherum asserentem, eam facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Quem errorem proscripsit Concil. Tridentinum, *Sess. 6. Can.* 8. his verbis: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: anathema sit.* Et *Sess.* 14. *c.* 4. ait: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

II. Deinde sic probo. Si dolor ex timore pœnæ conceptus malus esset, & peccaminosus, Christus non adhortaretur peccatores ad timorem Dei pœnam æternam infligentis: at Christus, *Matth.* 10. *vers.* 28. peccatores sic adhortatur: *Timete eum, qui potest, & animam & corpus perdere in gehennam*: ergo &c. Super hæc audite August. Serm. 161. (alias 18. de verb. Apost.) cap. 8. *Modo cum dicis mihi; gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus sum? Male times, Vane times? Non audeo. Quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem, & ait, ubi dixit: nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; sed eum timete, qui habet potestatem, & corpus, & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus sum ego, male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius; nihil est, quod magis timere debeas.*

Ulterius probo ex illo, *Luca* 3. *vers.* 7. ubi Joannes Baptista ex timore pœnæ homines ad pœnitentiam excitabat: his verbis: *Genimina viperarum, quis ostendis vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et ex illo Isaiæ *cap.* 26. *vers.* 17. ubi Septuaginta legunt: *A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis*, ideest, pœnitentiæ salutaris, ut explicat S. Thom. 3. *part. quæst.* 85. *art.* 5. *in arg. sed contra.*

III. Probo etiam hac ratione. Quotiescumque bonum, & laudabile est amare aliquod bonum, laudabile etiam est detestari malum illi bono oppositum; sed bonum, & lau-

& laudabile eſt amare gloriam, & beatitudinem, cui opponitur gehenna tamquam malum; ergo deteſtari gehennam actus bonus eſt, ac laudabilis. Peto enim a Lutheranis: Pœnitentia Ninivitarum (*Jonæ 3.*) fuit ne bona, ac laudabilis? Puto non negabunt: nam per eam a Domino veniam impetraverunt. Quis autem dixerit Deum acceptare ad veniam actum malum facientem hominem hypocritam, & magis peccatorem? Et tamen fuit pœnitentia plena terroribus, & ex timore ſubverſionis, quam Jonas fuerat comminatus, concepta.

§. II.

Lutheranorum Argumenta.

IV. ARguunt primo. Qui ex ſolo metu gehennæ dolet de peccatis, peccat; ergo &c. Ant. prob. primo. Si fur deſinat furari ex eo ſolum, quod videtur, furti eſt conſcius: ergo a pari qui deſinit peccare, & dolet de peccato, ex eo ſolum quod timet gehennam, peccati conſcius eſt. — Secundo. Timor; qui oritur ex amore creaturæ, malus eſt: at timor gehennæ oritur ex amore creaturæ, nempe ſui: ideo enim homo timet gehennam, quia ſe ipſum diligit; ergo &c. — Tertio. Timor qui expellitur a charitate, malus eſt: ſed *Perfecta charitas foras mittit timorem* (1. Joann. 4. verſ. 18.) ergo &c. — Quarto. Ordinare majus bonum ad minus bonum vituperabile eſt, quia fit injuria majori bono; ſed dolor ex ſolo metu gehennæ ordinat majus bonum, nempe, vitationem culpæ ad minus bonum, nempe vitationem pœnæ; ergo &c.

V. Reſpondeo, neg. ant. Ad primam prob. nego paritatem. Qui enim deſinit furari, eo præciſe, quia ab aliquo videtur, certe conſcius furti eſt; quia intentionem furandi non deponit, a cujus executione detinetur ſolum ex timore aliorum. At qui atteritur ex timore gehennæ (ut ſupponimus) vere deteſtatur peccatum, nec habet amplius voluntatem peccandi; ideoque laudabiliter operatur. Audiatur propterea S. Auguſt. *Serm.* 161. alias 18. *de Verb. Apoſt. c.* 8. citato: *Sed interrogo te: ſi non te videret Deus, quando facis, nec quiſquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide .... inſpice te ipſum. Faceres? Si faceres; ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas: charitatem nondum habes: ſerviliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, & perducat ad dilectionem. Timor enim ille, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit. Eſt enim quidam cuſtos timor, quaſi pedagogus legis, littera eſt minans, nondum gratia juvans. Cuſtodiat tamen te timor iſte, dum non facis timendo, & veniet charitas; intrat in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres: charitas id agit, ut nolis facere, etiamſi impune poſſis admittere.* Timor ergo gehennæ bonus eſt, quia removet peccatum, & ad charitatem diſponit: & rurſus non ſolum continet manum ab executione, ſed etiam animum, ne velit. In quo ſtat differentia inter furem, qui deſinit furari, ne videatur ab aliis, & hominem, qui deſinit peccare ne videatur, & puniatur a Deo. Nam fur continet quidem manum a furto, ſed non animum, & furandi voluntatem. At homo continet non ſolum manum, ſed etiam voluntatem; quia ſcilicet ſcit, a Deo puniri non ſolum executionem, ſed etiam voluntatem peccandi.

VI. Ad ſecundum, diſt. maj. Si ſiſtat in creatura, ut in ultimo fine, conc. maj. Si non ſiſtat, nego maj. Diſtingui poteſt duplex attritio. Una, quæ fundatur in timore pœnæ pure ſervili, quæque intendit ſolum vitare pœnam; ita ut evitatio pœnæ ſit objectum ejus non ſolum motivum, ſed & terminativum; quatenus nedum movetur ex deſiderio vitandi pœnam, ſed etiam totum ejus deſiderium ibi terminatur, & nullo modo intendit amorem, aut virtutis, aut Dei: & hæc attritio actus virtuoſus, & laudabilis forte non eſt. Unde a Cajetano vocatur attritio Latronum, qui nullo modo diligunt juſtitiam, ſed ſolum reformidant pœnam. De qua loquitur Auguſt. *Epiſt.* 144. (modo 145.) dicens: *In ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet fieri; ſed ideo non facit quia impune non poteſt fieri. Nam quantum in ipſa eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem, atque punientem .... Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere.* Et S. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 4. *ad* 1. reſpondens cuidam dicto ſub nomine Auguſtini: *Qui timore aliquid facit, etſi bonum ſit, quod facit, non tamen bene facit;* dicit, quod verbum illud *Intelligendum de eo, qui facit aliquid timore ſervili, in quantum eſt ſervilis; ut ſcilicet non amet juſtitiam, ſed ſolum pœnam timeat.* Unde in corpore art. dixerat: *Timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt: ſed ſervilitas ejus eſt mala.*

Alia vero eſt attritio, quæ fundatur quidem in timore ſervili, ſed mixtum habet aliquid timoris filialis: quatenus licet ex conſideratione pœnarum moveatur ad deteſtandum peccatum, ibi tamen non ſiſtit; ſed ulterius progreditur ad procurandam reconciliationem cum Deo, & viam ſibi ad juſtitiam parat: dum ſic attritus intendit accedere ad ſacramentum Pœnitentiæ, ut ibi in gratiam, & charitatem redeat. Et hæc attritio bona eſt, & laudabilis, quia ſervilis quidem, ſed non ſerviliter procedens: de qua Tridentinum dicit, eſſe donum Spiritus Sancti moventis, licet nondum inhabitantis.

VII. Ad tertium nego maj. Non enim omne, quod expellitur a charitate, ipſi quantum ad ſubſtantiam contrarium eſt; ſed ſolum quantum ad ſtatum, & perfectionem. Sic timor gehennæ expellitur a charitate, non ut contrarius ſubſtantiæ charitatis, ſed ut contrarius ejus perfectioni; & ideo S. Joannes non dicit: *Charitas* foras mittit timorem, ſed: *Perfecta charitas &c.* Unde ſolum ſequitur, quod dolere ex metu gehennæ non ſit actus perfectus, ſed imperfectus diſponens hominem ad perfectionem. Audiendus eſt Auguſtinus, Enarr. in Pſalm. 249. *Niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem, Initium ſapientiæ timor Domini. Incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum: Dictum eſt enim de ſapientia, & torquem aureum circa tuam cervicem. Non tibi imponeret torquem aureum, niſi primo in compedibus ferreis te alligaſſet. Cœpiſti a timore, conſummaris ad ſapientiam.*

Dici etiam poteſt cum S. Th. 2. 2. *q.* 19. *art.* 6. quod licet charitas foras mittat timorem ſerviliter operantem, & conſtituentem finem in amore ſui: non tamen foras mitti timorem, qui licet timeat pœnam, quatenus nocivam proprio bono, non tamen in hoc bono ultimum finem conſtituit: charitas autem eſto ſtare non poſſit cum amore ſui principaliter volito, abſolute tamen amor ſui ſtare poteſt cum charitate.

VIII. Ad quartum nego abſolute maj. Deus enim ipſe interdum ordinat majus bonum ad minus bonum; ut cum Incarnationem, & Paſſionem Chriſti, quæ majus bonum eſt, ordinavit ad noſtram ſalutem, quæ minus bonum eſt. — Claritatis tamen gratia, diſt. maj. Ad minus bonum, tamquam ad finem ultimum, conc. maj. Ad finem non ultimum, nego maj. Sicut enim qui ordinat ſactificia, & orationes ad obtinendam ſanitatem, non peccat, ſi reſpiciat ſanitatem ſolum ut finem proximum: ita qui ordinat attritionem ad vitandas pœnas, tamquam ad finem proximum, non peccat: peccaret autem, ſi reſpiceret pœnas tamquam finem ultimum. Sicut peccaret, qui taliter deteſtaretur peccata, propter pœnam; ut ſi non eſſent pœnæ, nullo modo de ipſis doleret.

IX. Arguunt ſecundo. Homo per attritionem non juſtificatur, ſed manet in peccato; ergo non tendit ad Deum, ut ultimum finem, per illam. Conſeq. prob. Nequit enim idem ſimul tendere in duos ultimos fines: ſed homo in peccato habet pro ultimo fine creaturam; ergo non poteſt tendere in Deum &c.

Reſp. diſt. conſ. in Deum efficaciter, conc. conſ. Ineſficaciter, nego conſ. Non eſt ergo inconveniens, ut homo exiſtens in peccato mortali tendat ſaltem inefficaciter in Deum; alias ſequeretur, quod opera moraliter bona facta ab homine exiſtente in peccato mortali, ut jejunium, eleemoſyna, eſſent peccata mortalia, quod eſt damnatum. Poteſt ergo homo habitualiter habens pro ultimo fine creaturam, tendere ſimul inefficaciter in Deum.

X. Arguunt tertio. Gehennæ timor proprius eſt legis veteris, ac proinde Judæos, ſeu hypocritas facit: nec eſt plene voluntarius; quia quæ fiunt ex metu mixtum habent de involuntario, ut diximus *in* 1. 2. *Tract. de Voluntario*; ergo &c.

Reſp. ad primum, timorem ad utramque legem pertinere; cum in utraque Deus peccatoribus gehennam minetur. Ut etiam ait Aug. *Tract.* 5. *in Epiſt. Jo:* ubi nullus eſt timor, non eſt qua intret charitas. Lex autem Evangelica a timore ducit ad amorem, quod lex Judaica per ſe ipſam non præſtabat.

Ad ſecundum nego ant. Quia ut dixi, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Act. hum. q.* 1. *de Voluntario, Dub.* 5. §. *n.* 14. Attritio, de qua hic ſermo eſt, debet omnem voluntatem peccandi excludere, & ſic nihil habet involuntarii. Sed de hoc etiam infra dicetur.

DUBIUM IV.

An Attritio concepta ex Formidine Pœne ſit Diſpoſitio ſufficiens ad obtinendam Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ; an vero debeat includere aliquem Amorem Dei, ſaltem Imperfectum, Naſcentem, & Initialem?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. NOto primo: quod attritio, de qua hic loquemur, eſt illa, de qua loquitur Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 4. qua nimirum peccator, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, aut pœnarum metu movetur ad deteſtandum peccatum, voluntatem peccandi excludit; quæque, Spiritu Sancto movente, eſto nondum inhabitante, viam ad juſtitiam parat, & diſponit ad juſtificationis gratiam in ſacramento obtinendam. Ex quo fit, hanc attritionem debere eſſe actum omnino ſupernaturalem. Pro cujus intelligentia.

II. Noto ſecundo: attritionem, aliam eſſe mere naturalem, aliam ſupernaturalem. Naturalis eſt, quando

vel aliquis lumine naturali cognoscens turpitudinem peccati, pœnamque ei naturaliter debitam, affectu pure naturali detestatur ipsam culpam propter ejus turpitudinem, vel pœnam: quo pacto multos etiam Gentiles ab aliquibus peccatis legimus abhorruisse. Vel etiamsi lumine quidem fidei supernaturalis, & divinæ cognoscat peccati turpitudinem, pœnamque in inferno peccanti præparatam: attamen non ex motivo supernaturali, sed ex motivo, & affectu mere naturali ad detestandum peccatum moveatur; qualis attritio in multis Christianis peccatoribus adesse contingit: & quæ licet præsuppositive sit supernaturalis, formaliter tamen naturalis est. Supernaturalis vero tunc est, quando & lumine supernaturali cognoscitur turpitudo peccati, & pœna peccato debita, & ex motivo, & affectu supernaturali fugitur culpa. De hac ergo attritione loquimur, quærentes: an se sola sit sufficiens dispositio ad acquirendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ.

III. Noto tertio: quod cum ex dictis, præcedente Dubio, duplex sit attritio: alia concepta ex timore servili serviliter operante, quæ evitationem pœnæ habet non solum pro motivo, sed etiam pro fine ultimo, & principali; ita ut si non esset pœna, peccatum non vitaret. Alia vero, quæ licet sit concepta ex timore servili, serviliter tamen non procedit; quatenus licet habeat pro motivo evitationem pœnæ, hæc tamen non est principale volitum; sed ulterius, saltem inefficaciter, includit desiderium amoris Dei. Ideo de prima hic non quærimus: supponimus enim non esse sufficientem dispositionem, ut quis fructum Pœnitentiæ recipiat; sed loquimur de secunda.

IV. In hac difficultate nostris temporibus celebri, Jansenius, aliique ex Gallia, & Belgio, existimant, attritionem nunquam sufficere ad sacramentum Pœnitentiæ, & multo minus ad fructum illius; nisi includat verum Dei amorem, initialem tamen, nascentem, & remissum.

Alii vero, & communius post Tridentinum (ut ait Alexander VII. in suo decreto 5. Maii 1677.) tenent, non requiri ullum ex parte subjecti amorem Dei, neque initialem, qui sit amor charitatis; sed solam attritionem, si vere deponat voluntatem peccandi ex motivo supernaturali, sufficere ad valide, & cum fructu percipiendum sacramentum Pœnitentiæ.

§. II.

Resolutio Dubii.

V. Dico. Attritio, quæ requiritur ad percipiendum fructum sacramenti Pœnitentiæ, esto non debeat esse mere servilis, sed debeat respicere ex parte objecti, finis, & termini amorem Dei; non est tamen necesse, ut ex parte subjecti, & principii importet amorem Dei adhuc nascentem, & imperfectum.

VI. Prior pars hujus asserti, ut puto, aliqualiter conciliat utramque opinionem. Explicatur autem sic. Amor Dei in attritione importatur ex parte objecti, finis, & termini; quatenus ille, qui est attritus, & timore pœnarum concussus, videns, aliam non esse viam pœnas illas evadendi, quam detestari peccatum, Deo reconciliari, eumque sibi facere amicum; peccatum cum spe veniæ detestatur: atque ad Pœnitentiam accedit hoc fine, ut per ipsam in amicitiam Dei gratia, & charitate restituatur. Quod autem talis attritio ad Pœnitentiam requiratur, videtur certum. Non enim debet peccator ad hoc sacramentum accedere, nisi eo fine, ut in gratiam, & amicitiam Dei iterum recipiatur. Et etiam: quia ex Trident. *Sess. 14. cap. 4.* ea attritio ad sacramentum Pœnitentiæ requiritur, quæ Dei donum sit, & Spiritus Sancti moventis cor, & viam sibi ad justitiam paret: atqui attritio mere servilis, dum in servilitate manet, renuit subjicere affectum suum jugo justitiæ, per amorem, ut docet S. Th. *2. 2. q. 19. art. 5.* exuit autem servilitatem, quando tendit ad subdendum se jugo justitiæ, per amorem; ergo &c.

VII. Secunda etiam pars explicatur. Dicimus enim, non requiri amorem Dei ex parte subjecti, & Principii: quia necesse non est in iis, qui accedunt ad sacramentum Pœnitentiæ, dari verum amorem Dei: quamvis remissum, & imperfectum, ex quo procedat attritio, seu dolor de peccatis; sed potest sine tali amore peccator, ut supra attritus, viam sibi parare, Spiritu Sancto adjuvante, ad justitiam per sacramentum Pœnitentiæ obtinendam. Quod ex S. Thom. *2. 2. q. 83. art. 16. ad 2.* sic confirmo. Docet enim ibi S. Thomas, quod non solum justus, sed etiam peccator potest orando aliquid impetrare: quia licet peccator in se pietatem non habeat, ejus tamen intentio in oratione potest esse pia, quatenus petit aliquid ad pietatem pertinens; sicut aliquis, qui non habet habitum justitiæ potest aliquid justum velle: quare esto peccator ex pietate non oret, impetrat tamen, quia ejus oratio tendit ad pietatem. Sic ergo licet attritus amorem Dei in se non habet, neque ex amore Dei atteratur, quia tamen sic atteritur, ut Spiritu Sancto movente, tendat ad justitiam, & amorem Dei; erit sufficienter dispositus ad gratiam Dei per sacramentum Pœnitentiæ impetrandam.

VIII. Probatur autem hæc secunda pars primo. Ex Tridentino: *Sess. 14. cap. 4.* superius allato. Ubi postquam divisit contritionem in eam, quæ perfecta est, & eam, quæ est imperfecta, de hac dicit: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur . . . . si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Ex quibus arguo sic. Concilium loquitur de attritione importante quidem sinceram detestationem peccati cum spe veniæ, non tamen ullius, vel remissi, vel initialis amoris mentionem facit: sed de hac dicit, quod licet per se non justificet sine sacramento, ut facit contritio perfecta charitate formata; attamen disponit ad gratiam obtinendam per sacramentum Pœnitentiæ; ergo hæc attritio, licet nullum ex parte subjecti includat amorem, est dispositio sufficiens.

IX. Quia tamen Contrarii dicunt, quod Concilium non loquitur de attritione, quæ sit dispositio proxima ad sacramentum: vel si loquitur de attritione, quæ sit dispositio proxima, loquitur de attritione includente amorem Dei inchoatum: ideo.

X. Contra utramque responsionem formo hunc discursum. Attritio, de qua hic agit Tridentinum, disponit proxime, & sufficienter ad gratiam in sacramento impetrandam: sed attritio, de qua hic agit, est etiam ea, quæ concipitur ex metu, neque ullo modo oritur ex charitate; ergo talis attritio disponit proxime, & sufficienter ad gratiam in sacramento impetrandam. Maj. & min. sunt probandæ.

Major quidem. Nam Concilium eo sensu vult, attritionem disponere ad gratiam per sacramentum, quo negat eam disponere ad gratiam extra sacramentum. Dicit enim, quod: *Quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit:* sed non negat, attritionem disponere remote, & insufficienter ad gratiam extra sacramentum; ergo cum affirmat, eam disponere ad gratiam cum sacramento, dicit, eam disponere proxime. Sicut si dicam: Quamvis Petrus sine Paulo non possit elevare tale pondus, potest tamen illud elevare cum Paulo: fit sensus, quod Paulo accedente possit absque ullo alio, & immediate illud pondus elevare. —— Rursus: hic Concilium loquitur de partibus hujus sacramenti, non de dispositionibus ad partes illius; ergo loquens de attritione indicat, eam esse hujus sacramenti partem: atqui pars sacramenti est dispositio sufficiens, & proxima ad gratiam per illud impetrandam; ergo &c. Unde nota: Concilium non dicere, attritionem disponere ad sacramentum, sed disponere ad gratiam, nempe, ad effectum sacramenti. Quo indicat, attritionem non præcedere sacramentum, sed tantum effectum illius.

Min. autem prob. Tum quia Concilium ibi loquitur de contritione imperfecta, quam attritionem vocat, ut de specie contradistincta a contritione perfecta, quæ, ut ait, charitate perficitur; ergo loquitur de attritione, quæ non perficitur, aut concipitur ex charitate: alioquin non esset alia specie. —— Tum quia: Concilium ibi reddit rationem, cur illa species contritionis imperfectæ, seu attritionis sit imperfecta: quia scilicet vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur; ergo non loquitur de contritione, quæ dicatur imperfecta; quia actum charitatis imperfectum includit. Tum tertio: quia de illa attritione Concilium loquitur, quam damnabat Lutherus, tamquam facientem hominem hypocritam, & magis peccatorem, & quam vocabat coactam: sed Lutherus damnabat attritionem conceptam ex solo metu, non ex charitate adhuc remissa procedentem; ergo &c.

XI. Probatur secundo, ut ostendit Juvenin contrariæ opinionis Patronus: Concilium noluit definire expresse, aut requiri, aut non, amorem Dei ad gratiam in sacramento obtinendam: ergo revera non requiritur. Probo hanc cons. Si requireretur, debuisset Concilium populum Christianum expresse hoc docere. Primo. Quia agitur de materia sacramenti, & sacramenti adeo necessarii; cum periculo, quod una, aut altera sententia adhibeatur, & sacramentum periculo nullitatis, & anima damnationis exponantur. Secundo. Quia in procemio *Sess. 14.* promiserat Concilium exactam de eo doctrinam tradere, qua convellerentur circa illud errores: quis autem major, ac pernicioſior error, quam ille, qui circa materiam sacramenti versatur? Ergo vel Concilium promissis defuit; & animarum saluti non consuluit. Vel dicendum, Concilium existimasse, attritionem includentem amorem Dei non esse necessariam.

Addo: quod exorta post Tridentinum gravi quæstione circa hujus amoris necessitatem, & ad Romanos Pontifices delata; nullum exiit decretum, nisi de silentio utrique parti imponendo: at si amor ille ad veram materiam Pœnitentiæ necessarius esset, debuisset Pontifex, præsertim Alexander VII. sententiam negantem damnare, non vero eam in sua probabilitate relinquere, & communiorem vocare; ergo vel suo muneri defuit, vel judicavit, amorem illum non esse necessarium.

XII.

XII. Probo tertio. Sacramentum Pœnitentiæ non debet neceſſario ſupponere hominem per gratiam juſtificantem jam ſanatum, & abſolutum, cum ſit ſacramentum mortuorum: atqui ſupponeret, ſi requireret pro diſpoſitione neceſſaria amorem Dei, etſi inchoatum, ac remiſſum, ergo &c. Min. prob. Quia amor Dei, licet inchoatus, & remiſſus eſt verus amor charitatis, ut Adverſarii volunt: ſed amor charitatis, utpote amor Dei ſuper omnia, licet remiſſus; valet per ſe peccatorem juſtificare, ſanare, ac abſolvere; ergo &c. Min. oſtendam Dub. ſequente.

Maj. vero prob. primo. Sacramentum Pœnitentiæ eſt ſacramentum mortuorum, per modum remedii, & ad formam judicii: ſed ſacramentum mortuorum non debet ſupponere neceſſario hominem jam vivificatum, nec remedium hominem jam a morbo ſanatum, nec judicium hominem jam innocentem, & abſolutum: ſed eum vivificare mortuum, ſanare infirmum, reum abſolvere; ergo &c.

Secundo prob. eadem maj. ex S. Thom. Tum *in* 4. *diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 5.* ubi expreſſe dicit: quod *Ad hoc, quod homo ſe præparet ad gratiam in Baptiſmo percipiendam, præexigitur fides, ſed non charitas; quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio.* Tum 3. *p. q. 79. art. 3. ad* 2. ubi docet, eum, qui cognoſcit, ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, poſſe accedere ad Baptiſmum, qui eſt ſacramentum mortuorum; non autem ad Euchariſtiam, quæ cum ſe habeat per modum nutrimenti, non debet conferri mortuo, ſed vivo. Tum denique, 3. *p. q. 80. art. 4. ad* 2. ubi dans differentiam, quare laborantibus morbo peccati dari poſſit Baptiſmus, & Pœnitentia, non autem Euchariſtia, ait: *Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt quaſi medicina purgativa, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: Hoc autem ſacramentum* (Euchariſtia) *eſt medicina confortativa, quæ non datur niſi liberatis a peccato*: Atqui ſi ad Baptiſmum, & Pœnitentiam requireretur amor, etſi imperfectus, non poſſent dari niſi jam liberatis a peccato; ergo &c.

XIII. Probatur quarto. Si ad Pœnitentiæ ſacramentum requiritur neceſſario amor Dei ſuper omnia, jam Pœnitentia non erit medium per ſe efficax ad tollendum peccatum, ſed purum onus lege antiqua gravius; unde difficilior redderetur remiſſio peccatorum in lege gratiæ, quam in veteri. Nam cum tunc ſolus amor Dei ſatis eſſet ad remittenda peccata, modo requireretur amor Dei, & ulterius confeſſio omnium mortalium ſecundum ſpeciem, nimirum, & circumſtantias, ſaltem ſpecies mutantes facta, non Deo tantum, ſed homini. Quo quid gravius in lege Chriſti, quæ cæteroquin jugum ſuave, & onus leve eſſe debet? Quod ſi dicant Adverſarii, amorem Dei, quem ipſi ponunt neceſſarium, ſeipſo non poſſe juſtificare; id eſſe falſum infra oſtendemus.

XIV. Confirmatur. Ex Tridentino, *Seſſ.* 14. *c.* 1. Duo docemur: nempe, Chriſtum in Pœnitentia inſtituiſſe novum remedium ad peccatores juſtificandos, quo antea carebant: & hoc inſtituiſſe ex miſericordia erga illos, & clementia; ut nempe faciliori ratione hominum ſaluti conſuleret, prout explicat Catechiſmus Romanus, *de Pœnit. n. 36.* ſed falſum eſſet, quod Chriſtus inſtituiſſet novum remedium, quod antea non fuiſſet, faciliorem viam ad juſtificationem parans, ſi amor Dei requiritur: quia amor Dei, etiam ante, ſe ſolo reconciliabat; neque vere diceretur facilius, quia hoc involveret ipſum remedium vetus, & ulterius aliqua alia difficultatem, & incertitudinem includentia, confeſſionem, nempe, & abſolutionem a voluntate Confeſſarii pendentem; ergo &c.

Hoc explico exemplo. Non dicetur Medicus præbere mihi novum remedium ad ſanandum vulnus lethale; ſi habenti jam balſamum ſanativum talis vulneris, ſuperaddat aliquid, quod ſine balſamo non ſanat, cum balſamo vero non plus ſanat, quam balſamum ſolum. Similiter ſi præfatus Medicus adderet balſamo quoſdam pulveres, qui carnem ægri ſummo dolore corroderent; & ipſum obligaret ad eos vulneri applicandos poſt balſamum, ita ut balſamum vellet nil valere ſine eorum applicatione: iſte non redderet faciliorem ſanationem, ſed difficiliorem. Ita in caſu. Si Chriſtus peccatori habenti jam balſamum amoris Dei ſanativum peccati lethalis ſuperaddidit pœnitentiam, quæ ſine amore Dei non ſanat, & cum amore Dei non plus ſanat, quam ſolus amor Dei ſanaret: quomodo novum remedium inſtituit? Si pariter Chriſtus, dico, amoris Dei balſamo ex ſe ſanativo, addidit Pœnitentiæ ſacramentum, peccatoris cor tot difficultatibus velicans, obligavitque eum ad illud ſumendum; ſic ut amor Dei nil valeat ad illum ſanandum, niſi applicetur per ſacramentum Pœnitentiæ: quomodo reddidit ſanationem peccatoris faciliorem? Ut ergo hæc duo ſalventur, nempe quod Chriſtus novum remedium inſtituerit, & quod faciliorem reddiderit veniam; dicendum erit, nunc ad juſtificationem intra ſacramentum balſamo charitatis, quod non omnibus præſto adeſt, opus non eſſe; ſed ſacramentum cum attritione, quæ omnibus pervia eſt, ſupplere defectum amoris, & ſic ſanare.

§. III.

Solvuntur Rationes Contrariæ.

XV. OBjiciunt primo. *Deuteron. 6 v. 5.* habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Ex quibus ſic. Hiſce verbis continetur præceptum amandi Deum: ſed hoc præceptum non videtur magis urgere, quam cum homo reconciliari vult Deo offenſo; ſicut enim Deum offendit, auferendo ab illo amoris principatum, ſic Deus placari non poteſt, niſi ei iſtum amoris principatum reſtituendo; ergo &c.

Secundo. *Joelis 2. verſ.* 13. dicitur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Et Zachar. 1. verſ. *3. Convertimini ad me .... & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Unde ſic. Ut Deus convertatur ad nos per gratiam,, debemus nos converti ad ipſum: ſed converti ad Deum non poſſumus, niſi per amorem; ergo &c.

Tertio. 1. Joann. 3. v. 14. *Translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.*

Quarto. 1. Cor. 13. v. 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

XVI. Reſpondeo ad primum, quod ſi ex illo loco colligitur neceſſitas, & præceptum amoris, ut quis diſponat ſe ad Pœnitentiam; colligitur etiam neceſſitas amoris intenſiſſimi, & ex toto corde &c. non vero remiſſi tantum, ut Adverſarii volunt; & rurſus amoris ante ſacramentum juſtificantis, quod ipſi negant. Sicut ergo Deus non obligavit eos, qui ipſi volunt reconciliari per confeſſionem, ad charitatem intenſam, & perfectam; ut illis eſſet ad veniam facilior via in ſacramento, quam extra: ita non obligavit eos ad actum expreſſum amoris charitatis, ſed tantum ad dolorem de peccatis, ortum quidem ex metu pœnarum, ſed ipſis viam parantem ad ejus amorem per ſacramentum recuperandum.

XVII. Ad ſecundum eadem urget inſtantia. Quia, ſi ſacramentum pœnitentiæ debet præcedere amor Dei, debebit eſſe intenſus, & ex toto corde. Debet ergo qui vult per ſacramentum a peccatis abſolvi, converti ad Deum non per amorem formalem, & amicitiæ: ſed per deſiderium illum ſibi procurandi. Circa quod noto, triplicem eſſe converſionem ad Deum, unam ex charitate: & hæc, quæ eſt perfecta, actuali ſacramento non eget, ut hominem reconciliet. Aliam ex timore: homo enim propter mala, quæ timet, ab amore peccati ad Deum convertitur, ut vindicem, juſtum, omnipotentem: Et hæc converſio imperfectiſſima eſt: non enim includit adhuc totalem, & abſolutam deteſtationem peccati, ſed tantum in circumſtantia pœnarum. Alia poſtea converſio eſt, qua quis ita timet Deum, ut ſperet a Deo veniam, & reconciliationem; & ex tali timore, ac ſpe moveatur efficaciter ad deteſtandum peccatum, & proponendum non peccare amplius, ſed procurare reconciliationem cum Deo, gratiam, ejuſque amorem. Iſta converſio eſt imperfecta ex motivo, quatenus non oritur ex motivo charitatis; cæterum vera converſio ad Deum eſt ex motivo juſtitiæ, & miſericordiæ. Et rurſus eſt converſio ad Deum, per amorem ipſius virtualem; quatenus licet illum amore charitatis non amet, deſiderat tamen, & ſe diſponit, ut ad ejus gratiam, & amorem redeat: & etiam per amorem formalem illius, non charitatis, ſed concupiſcentiæ, quo peccator amat Deum, ut bonum ſibi, nempe, fontem omnis juſtitiæ, & gratiæ, quam ab ipſo ſperat. Eſt etiam converſio ad Deum ex toto corde; quia eſt per univerſalem deteſtationem peccatorum, & propoſitum totam legem Dei implendi. Hæc fuit converſio Filii prodigi (Lucæ 15.) quam nemo negabit ex toto corde fuiſſe, & tamen ortum non habuit ex amore benevolo erga Patrem, ſed ex timore pereundi fame, & ex amore ad ejus gratiam redeundi, quod expreſſit ipſe his verbis v. 17. *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo:* Ecce converſio ex timore. Deinde ſubdit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Ecce deſiderium ad ejus gratiam redeundi. Vocavit autem eum *Patrem*, quia illi pater erat per naturam: nondum enim eum amore filiali, & gratuito diligebat: ſicut puer ſpectro aliquo territus confugit ab matrem, *Matrem* eam vocans; quamvis ad eam confugiat ex ſolo timore objecti terrifici, & amore ſalutis ſuæ. Et hæc eſt converſio, quæ ſufficit ad hoc, ut Deus in ſacramento peccatorem amplectatur; ſicut Pater Evangelicus occurrens filio ſuo eum amplexatus eſt, eique ſtolam gratiæ amiſſam reſtituit.

XVIII. Ad Tertium dico, S. Joannem ibi loqui non de dilectione Dei, ſed de dilectione fratrum, ut apparet, quam qui non habet, manet in morte. Quia dilectio proximi eſt ſignum, quo dignoſcimur, nos diligere Deum, & eſſe de morte ad vitam translatos. Unde non eſt ad rem.

XIX. Ad quartum ſimiliter dico, Paulum loqui de charitate fraterna. Scribebat enim ad Corinthios factionibus, ac diſſenſionibus diviſos: hæc autem non eſt ea, quam Adverſarii præexigunt ad Pœnitentiam. Quod ſi loquatur de poſitiva dilectione erga Deum, ſolum vult,

ſint illa opera etſi bona non prodeſſe ad ſalutem per modum meriti: quod quidem verum eſt: nemo enim ſine charitate poteſt facere opus meritorium ſalutis æternæ. Non tamen vult, opus ſine charitate actuali nihil prodeſſe ad ſe præparandum ad gratiam in ſacramento impetrandam: non enim quidquid eſt neceſſarium per modum meriti ad ſalutem, debet eſſe neceſſarium per modum diſpoſitionis ad ſacramentum.

XX. Secundo arguunt ex Tridentino, *Seſſ. 6. c. 6.* Ubi inter diſpoſitiones requiſitas ad Baptiſmum enumerat amorem Dei initialem, dicens: *Diſponuntur autem* (peccatores) *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum... & dum peccatores, ſe eſſe intelligentes, a divina juſtitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur; fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt. Et propterea moventur adverſus peccata per odium, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet &c.* Ex quibus ſic. Primo. Ad Baptiſmum neceſſario requiritur attritio ex amore Dei inchoato, ut ait Concilium; ſed eadem diſpoſitio, quæ ad Baptiſmum, requiritur ad Pœnitentiam; ergo &c. Secundo. Inter actus, quibus diſponitur adultus ante Baptiſmum, ut in eo juſtificetur, ultimo loco ponitur dilectio inchoata: charitatis quidem, quia ponitur diſtincta a ſpe, adeoque ab amore concupiſcentiæ; ergo &c.

Secundo. Idem Concilium, *Seſſ. 14. c. 4.* dicit, contritionem fuiſſe quovis tempore neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum; ſed contritio, quæ fuit quovis tempore neceſſaria, fuit contritio perfecta, & concepta ex charitate; ergo hæc eſt neceſſaria in ſacramento. Quare, *c. 3.* ejuſdem Seſſionis dixerat: *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti ipſius pœnitentis, actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio.*

XXI. Varie reſpondent noſtræ ſententiæ Patroni. Conformius tamen ad Concilii mentem, nego per illa verba *Diligere incipiunt* ſignificari actum adhuc naſcentem veræ charitatis, quo Deus ametur propter ſe, & ſuper omnia: ſed vel amorem gratuitum quidem, ſed non ſuper omnia; vel amorem, quo amatur Deus, ut bonum nobis, ſeu quo Deus amatur nobis: hic enim eſt vere initium dilectionis divinæ, quia eſt primus amor, quo ad Deum convertimur. Et hoc oſtendo primo. Quia amor, de quo Concilium loquitur, eſt amor, quo Deum diligere incipimus, *Ut fontem omnis juſtitiæ*; ideſt, ex quo in nos manat omnis juſtitia, & gratia, quæ nobis confertur, & quem ſperamus nobis per Chriſtum propitium fore: & quamvis hic amor ſit diſtinctus a ſpe, naſcitur tamen, & concipitur ex ſpe: ergo eſt amor, quo Deus amatur ut bonus nobis. —— Secundo. Quia Concilium ſubdit: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* Neque per ſequentia ullam veræ charitatis mentionem facit; ſed ſolius fiduciæ: Deum autem diligere, ut remuneratorem, & ut in quo confidimus nobis peccata dimitti, eſt Deum diligere, ut bonum nobis —— Tertio. Quia amor ille adhuc imperfectus eſt, & a Spiritu Sancto nondum inhabitante, ſed movente, non juſtificans, ſed viam ad juſtitiam parans; ergo eſt amor quidam vialis, & per modum motus ad amorem charitatis nondum perveniens.

Addi poteſt: amorem illum, quo Deum diligere peccator incipit, ſi amor amicitiæ ſit, non eſſe tamen efficacem (hic enim, ut dicemus, ſtatim & per ſe juſtificat) ſed adhuc inefficacem; quatenus licet incipiat Dei bonitatem propter ſe amare; nondum tamen omnia, & ſe ipſum ad ipſam efficaciter ordinat, & propter illam unice vult omnia quæ vult; nondum enim amorem ſui plene excuſſit.

XXII. Ad ſecundum dico, ibi committi fallaciam, cum arguatur a ſuperiori ad inferius affirmative. Sicut enim non valet: Eſt animal; ergo eſt homo; ita neque valet: quovis tempore ad juſtificationem neceſſaria fuit contritio; ergo contritio charitate formata. Nam ex eodem Tridentino contritio alia eſt perfecta, alia imperfecta. Cum ergo dicit contritionem quovis tempore fuiſſe neceſſariam ad juſtificationem, male infertur; ergo eſt neceſſaria contritio perfecta, ſed vel perfecta, vel imperfecta. In veteri lege, in qua ſacramenta vim juſtificandi non habebant, requirebatur contritio perfecta, ſicut & tunc, cum quis extra ſacramentum juſtificatur: at in nova lege, dum quis juſtificatur in ſacramento; ut per iſtud gratiam obtineat, ſufficit contritio imperfecta, ut ex eodem Tridentino, *Seſſ. 14.* ſupra oſtendimus.

XXIII. Tertio arguunt ex eodem Tridentino, *Seſſ. 14. c. 4.* contritionem definiente, quod ſit: *Dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*: ſed hujus definitionis partes omnes amoris Dei neceſſitatem perſpicue oſtendunt; ergo &c. Min. prob. primo. Si contritio eſt dolor; ergo includit amorem: nemo enim dolet, niſi ex amore rei amiſſæ. —— Secundo. Nemo poteſt veterem vitam deteſtari, quin veterem creaturæ amorem execretur: ſed non poteſt veterem creaturæ amorem execrari, quin novo alio amore, nempe Creatoris, ſit incenſus, eaque cor ſuum totaliter devoverit; ergo &c. —— Tertio. Propoſitum non peccandi de cætero eſſentialiter includit propoſitum obſervandi totam legem, & conſequenter illius primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* ſed non poteſt haberi firma, & conſtans voluntas amandi Deum ſuper omnia, niſi Deus actu diligatur: nam ut ait Fulgentius: *Charitas non diligitur niſi habetur.* Unde velle efficaciter Deum diligere eſt revera, & actu Deum diligere: ſicut velle firmiter eſſe caſtum, humilem, ſobrium, juſtum, eſt revera eſſe caſtum, humilem, ſobrium, juſtum. Et ratio eſt. Quia voluntas ad amandum non eget alia potentia, quam ſe ipſa. Et ideo licet velle ambulare non ſit idem, ac actu ambulare, quia actus ambulationis, eſto a voluntate imperetur, a voluntate tamen non fit, ſed a pedibus, qui aliquando expediti non ſunt: attamen cum tam velle amare, quam actu amare ab eadem pendeat voluntate, ſtatim ac voluntas vult amare, actu amat.

XXIV. Ad hoc, quod fortiſſimum eſt apud Adverſarios, ſigillatim reſpondendum eſt. Negata igitur minori, ad primam ejus probationem diſt. conſ. Amorem vel Dei ſuper omnia, vel ſalutis æternæ, conc. conſ. Dei ſuper omnia, præciſe, nego conſ. Fateor, dolorem peccatorum includere amorem rei amiſſæ: ſed cum per peccatum non ſolum amiſerit homo Deum, ſed etiam gratiam divinam, & ſalutem æternam; non requiritur, ut ejus dolor procedat ex amore Dei in ſe, ſed ſufficit, ut procedat ex amore Dei fontis juſtitiæ, gratiæ, & gloriæ, qui amor charitatis non eſt.

XXV. Ad ſecundum ſimiliter dico, quod peccator deteſtando veterem creaturæ amorem, novum amorem debet induere, & hic debet eſſe amor Dei creatoris; ſed non oportet, ut ſit amor charitatis, ſed vel Dei fontis juſtitiæ vel Dei ſupremi Domini, ſupremi Legislatoris, ſummi Benefactoris, aut Creatoris.

XXVI. Ad tertium, in quo vim maximam faciunt, nego min. Ad ejus probationes dico, velle efficaciter Deum diligere, eſſe quidem Deum diligere objective, & interpretative, ſed non actu formali, & exercito. Tunc enim qui efficaciter proponit amare Deum, Deum amat *nunc*, quando proponit amare *nunc*: non vero ſi licet *nunc* proponat amare Deum, non proponat eum amare *nunc*. Alias qui *nunc* proponeret Deum amare in articulo mortis, Deum actu formali *nunc* amaret. Cum ergo qui *nunc* proponit ſervare totam legem, & conſequenter etiam præceptum dilectionis Dei, non proponat neceſſario Deum amare *nunc*; non ſequitur, quod *nunc* amet Deum, neque quod propoſitum illud amandi debeat eſſe ex motivo charitatis, ſeu Dei, ut ſummi boni in ſe: ſed ex motivo, vel obedientiæ Deo, ut ſupremo Legislatori, vel juſto Vindici eorum, qui legem frangunt, & Remuneratori eorum, qui legem implent. Tale autem debere eſſe propoſitum ejus, qui accedit ad Pœnitentiam, oſtendo: quia tale propoſitum oritur ex conſideratione Dei juſti ſimul, & miſericordis, ut ex Tridentino oſtendimus.

Nego ſimiliter, quod velle eſſe ſobrium, umilem, caſtum, ſit ſemper eſſe actu, & formaliter ſobrium, humilem, caſtum, &c. Alioquin qui ex ſolo motivo obedientiæ proponit obſervare totam legem Dei, ideoque eſſe caſtum, ſobrium &c. exerceret formaliter actus illarum virtutum, quod eſt impoſſibile. Nam ad eliciendos veros, & formales hos actus, requiruntur propria ipſorum motiva, nempe, ſobrietatis, caſtitatis &c. quæ ſuppono in caſu non haberi; cum ex ſolo motivo obedientiæ faciat tale propoſitum.

XXVII. Ad id, quod additur, dico, quod licet voluntas non egeat potentia diſtincta ad amandum; non tamen quandocumque vult amare Deum amore charitatis, amabit ipſum tali amore de facto; ſed ſolum cum vere, & ſincere proponit amare, *nunc*, amabit *nunc*: quia nunc excitabit motivum proprium amoris divini, quo menti propoſito erumpet in actum amoris. Quod motivum cum non teneatur excitare qui accedit ad Pœnitentiam, ideo etſi proponat totam legem ſervare, & conſequenter diligere, non ſequitur, quod actu Deum diligat; ſed ſolum, quod dilectio Dei ſit objectum ab eo volitum.

XXVIII. Quarto arguunt. Idem Concilium, *Seſſ. 14. c. 4.* in exemplum attritionis, de qua loquitur, profert attritionem, qua Nativitæ ad Jonæ prædicationem converſi fuerunt: ſed attritio, qua Ninivitæ converſi fuerunt, incluſit amorem Dei, quo juſtificati ſunt; ergo attritio, quam Concilium ponit ut diſpoſitionem ad ſacramentum, debet includere amorem Dei, ut exemplum valeat.

XXIX. Retorqueo primo argumentum. Attritio, qua concuſſi fuerunt Ninivitæ, incluſit amorem Dei perfectum, & per ſe reconciliativum; ergo ſi talis attritio requiritur in ſacramento, qualis fuit in Ninivitis, requiritur in ſacramento attritio cum amore per ſe reconciliativo, quod tamen ipſi negant.

Reſpondeo ergo, Concilium afferre exemplum attritionis Ninivitarum præciſe ad confirmandum id, quod docuerat: docuerat autem, non attritionem eſſe amore mixtam, ſed præciſe eſſe bonam, Dei donum, & diſpoſitionem ad impetrandam gratiam in Sacramento. Sicut ergo in Ninivitis attritio bona fuit, illos diſpoſuit ad charitatem, & tandem ad juſtificationem: ita in nobis attritio bona eſt, nos diſponit ad ſacramentum, & tandem ad juſtificationem.

XXX.

XXX. Quinto arguunt. Peccator attritus magis deteſtatur pœnam, quam culpam. Secundo: magis diligit ſe ipſum, quam Deum; præfertque ſe ipſum Deo, dum præfert pœnam peccati, quæ malum peccatoris eſt, culpæ, quæ eſt malum Dei. — Tertio: non amat ſe ipſum propter Deum, ſed Deum propter ſe ipſum. — Quarto: qui dolet ex metu pœnæ, virtualiter elicit hunc actum: *Si non eſſet pœna, non deteſtarer peccatum, nec ipſum vitarem.* Sicut quia Mercator projicit merces in mare ex ſolo metu, habet ſecreto hunc alium actum: nollem projicere, ſi naufragium non immineret. Hinc quæ fiunt ex metu, dicuntur eſſe aliquomodo involuntaria, quatenus fiunt contraria voluntate repugnante: unde qui ſolo metu facit, eſt ita diſpoſitus, ut ceſſante metu non faceret. Unde diximus, quod quia motivum totale, vel ſaltem principale adventus Chriſti in carne fuit mederi peccato originali, ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet. — Quinto: attritio non excludit ſtatum peccati; ergo neque excludit omnino voluntatem peccandi. Conſ. prob. Nam ſtatus peccati eſſe nequit, niſi ſit voluntarius: & in tantum remanet voluntarius, quia non eſt retractatus; ergo qui eſt attritus, non eſt ſufficienter diſpoſitus.

XXXI. Reſpondeo, hoc argumentum viro Catholico eſſe indignum. Probat enim, nedum attritionem non diſponere ad ſacramentum, verum nec eſſe bonam, ac laudabilem: & proinde nedum noſtram ſententiam, ſed Catholicam etiam fidem cum Luthero impugnat. Igitur.

XXXII. Ad primum: dico, attritum magis deteſtari pœnam, quam culpam; non quia pluris appretiet pœnam, quam culpam, & velit potius admittere culpam, quam pœnam: ſed quia magis movetur a pœna, utpote ſibi magis ſenſibili: magis enim concutit horror pœnæ. Unde fateor quidem, excellentius fore moveri ad deteſtandam culpam ex amore Dei, quam ex timore pœnæ; attamen imperfectio peccatoris hoc non patitur: nec tamen male operatur, ſed bene. Sicut eſto melius foret moveri ab amore Dei ſummi boni ad obſervanda mandata, quam ex conſideratione remunerationis æternæ: attamen qui ſic movetur, bene facit: ita in caſu.

XXXIII. Ad ſecundum nego, quod attritus magis diligat ſeipſum, quam Deum. Eſto enim moveatur ex amore ſui ad deteſtandum peccatum; attamen amor ſui non eſt finis, in quo quieſcit, ſed inefficaciter ſaltem ad bonum divinum convertitur: ita ut accedente ſacramento iſta converſio fiat efficax: & non reſpiciat amplius bonum proprium, niſi quatenus ordinatur ad bonum divinum.

XXXIV. Ad tertium pariter nego, attritum amare Deum propter ſe ipſum, ſi ly *propter* dicat finem ultimum, & principaliter volitum. Nam etſi ex amore ſui excitetur, ad amorem tamen Dei adipiſcendum per ſacramentum contendit: & talis debet eſſe attritio, de qua in præſenti.

XXXV. Ad quartum nego, Qui dolet ex metu pœnæ, virtualiter includere hunc actum: *Si non eſſet pœna, non deteſtarer peccatum.* Quia conſideratio pœnæ eſt quidem objectum, ex quo movetur; ſed non eſt finis, in quo ultimo ſiſtat, ut dictum eſt. Exemplum autem de Mercatore potius retorquetur. Nam, quidquid ſit, an mercator habeat, vel non habeat illum actum, certum eſt, quod ſi ſciret, ad evitandum naufragium neceſſarium eſſe non ſolum projicere merces, ſed etiam amorem ipſarum, & voluntatem eas retinendi; utique cum mercibus amorem, & voluntatem ipſas retinendi projiceret, & a ſe abdicaret; ergo cum peccator videat, eſſe neceſſarium ad vitandam gehennam non ſolum abſtinere a peccato, ſed etiam ab omni voluntate deliberata peccandi, utique ſi ad vitandam gehennam ſe abſtinet a peccato, ſe abſtinebit etiam a voluntate peccandi.

Neque etiam verum eſt, quod qui modo ex ſolo metu movetur ad deteſtandum peccatum, ſi non eſſet metus, non moveretur. Nam ceſſante tali motivo, forte etiam moveretur, & doleret ex motivo honeſtatis, vel aliquo alio. — At dato etiam, quod qui modo dolet, & deponit voluntatem peccandi, urgente metu, ſi non urgeret metus, non doleret, nec voluntatem peccandi deponeret: quid hinc? Multi homines ſancti ſi ponerentur in aliis circumſtantiis, pravi eſſent; modo tamen Sancti ſunt. Si poſt negationem Chriſtus non reſpexiſſet Petrum, forte non pœnituiſſet; ergo ne Pœnitentia Petri voluntaria non fuit, nec ſufficiens; Ergo ſimili modo ex metu gehennæ deponit voluntatem peccandi, etiamſi ſi gehenna non eſſet, forte non deponeret; modo malus non eſt, ſi modo omnem affectum ad peccatum excutit, ſed malus eſſet. Eſt quidem adhuc infirmus, quia nondum penitus liber a propenſione peccandi: ſed hæc peccatum non eſt, dum ad eam penitus extinguendam in ſacramento procedit. Unde S. Auguſt. tract. 41. in Joann. *Quandiu* (inquit) *timore facis quod juſtum eſt, nondum Deus te delectat. Quamdiu adhuc ſervus facis, te non delectat: delectet te, & liber es, Noli timere pœnam, ſed ama juſtitiam. Nondum potes amare juſtitiam: Time vel pœnam, ut pervenias ad amandam juſtitiam.*

XXXVI. Ad quintum diſt. conſ. Non excludit voluntatem habitualem peccandi, conſ. conſ. Actualem, nego conſ. Eſto enim attritus non faciat retractationem ſe ipſa ſufficientem ad tollendam voluntatem habitualem peccandi; nihilominus habet voluntatem actu contrariam ipſi peccato, qua excluditur formaliter actualis voluntas peccandi: & inchoative, ac diſpoſitive cum ſacramento viam parat ad excludendam etiam voluntatem habitualem.

DUBIUM V.

An Amor Dei ſuper omnia, & Charitatis, ſi Remiſſus ſit, poſſit ſtare cum peccato Lethali.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. HOC deerat, ut Auctores Dubio præcedente impugnatos perfecte expugnaremus. Plerique enim ipſorum, ut ſalvent, quod etſi ad ſacramentum Pœnitentiæ requiratur actus amoris Dei ſuper omnia, qui verus amor charitatis ſit; adhuc Pœnitentia dicenda ſit ſacramentum mortuorum, nec ſupponat homines jam juſtificatos: dicunt, quod amor ille, etſi charitatis ſit, quia tamen remiſſus, jungi poteſt cum peccato, neque ordinarie potens eſt per ſe juſtificare, licet in caſu neceſſitatis hoc faciat. Unde contra illos.

II. Dico. Amor Dei ſuper omnia vere talis, & charitatis, ſive remiſſus ſit, ſive intenſus, cum peccato mortali jungi non poteſt, Id oſtendunt primo Scripturæ, quæ dilectioni Dei abſolute, & non ſoli robuſtæ, ac perfectæ, peccatorum remiſſionem adnexam eſſe pronuntiant. Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo*, Proverbiorum 10. v. 12. *Univerſa delicta operit charitas.* Et 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et expreſſius 1. Joann. 4. v. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* Rurſus: promiſit Deus, ſe converſurum per gratiam ad eos, qui convertuntur ad ipſum, Zachar. 1. v. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et alibi ut ſupra. Sed cum actu dilectionis Dei, qui ſit veræ charitatis, & ſuper omnia, homo convertitur ad Deum, ergo Deus ſe convertit ad hominem per gratiam ſanantem.

III. Secundo. Hoc idem oſtendunt Patres. Auguſt. tract. 5. in Epiſt. Joannis: *Non diſcernuntur* (inquit) *filii Dei a filiis Diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo.* Ubi non diſtinguit inter charitatem remiſſam, vel intenſam. Mitto alios Patres, & unicum profero S. Thom. Tum *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 5. q. 3.* ubi docet: quod *Quantumcumque parvus ſit dolor, dummodo ad rationem contritionis ſufficiat: omnem culpam delet.* Tum 4. *Contra Gen. c. 72.* ubi hæc habet: *Mens noſtra debito ad Deum converti non poteſt ſine charitate; charitas autem ſine gratia haberi non poteſt ... Sic igitur per contritionem & offenſa Dei tollitur, & a reatu pœna æterna liberatur, qui cum gratia & charitate eſſe non poteſt: non enim æterna pœna eſt, niſi per ſeparationem a Deo, cui gratia, & Charitate homo conjungitur. Hæc enim mentis reordinatio, quæ in contritione conſiſtit, ex interiori procedit, ideſt, a libero arbitrio cum adjutorio Divinæ gratiæ.* Homo ergo non poteſt eſſe ſimul ordinatus, & converſus ad Deum, & deordinatus, ac averſus a Deo: ſed per contritionem, quamvis parvam, charitate formatam homo ordinatur, & convertitur ad Deum, & per peccatum eſt deordinatus, & averſus a Deo; ergo &c.

Quapropter S. Pius V. (& poſt eum Gregorius XIII. & Urbanus VIII.) has propoſitiones damnavit: nimirum, iſtam n. 31. *Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Iſtam n. 32. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* Et iſtam n. 71. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi ſacramentum tonjunctam, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis, aut Martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

IV. Scio ad hæc Contrarios reſpondere: omnia prædicta debere intelligi, vel de charitate perfecta, & intenſa, vel de charitate, non actuali, ſed habituali.

Sed primum reſponſum eſſe falſum conſtat: Quia in prima propoſitione ſermo eſt de charitate, quæ eſt in Catechumenis, & peccatoribus pœnitentibus, in quibus regulariter charitas non eſt fortis, & robuſta, ſed inchoata, & remiſſa. Addo, quod Bajus ipſe, cujus eſt illa propoſitio damnata, (teſte Juvenin, *q. 6. de Pœnitentia, c. 4. art. 1. §. 3. pag. mihi 534.*) conteſtatus eſt, ſe nomine charitatis perfectæ eam intellexiſſe præciſe, quæ eſt ſuper omnia, & veluti extenſive perfecta; non vero eam, quæ eſt perfecta etiam intenſive, ſeu quæ eſſet acris, vehemens, & accenſa.

Secundum reſponſum etiam falſum eſt. Quia in prima propoſitione ſermo eſt de charitate ſincera, quæ eſt de corde puro &c. quod certe convenit ſoli actui. In tertia autem agitur de contritione concepta ex motivo charitatis: contritio autem actum ſonat, non habitum. Immo ex hac reſponſione ſic arguo. Quælibet charitas habitualis, ſive intenſa, ſive remiſſa expellit peccatum; ergo etiam quælibet charitas actualis; vel ſi non hæc, nec illa; cum utrumquæ habeatur ex Scripturis.

V. Tertio probatur ex Tridentino, & certa Eccleſiæ doctrina. Tridentinum enim, *Seſſ. 14. c. 4.* docet, extra

ſacramentum peccatorem Deo reconciliari per contritionem charitate perfectam: ſed per quamcumque charitatem, modo ſit Dei ſuper omnia, contritio cenſetur perfecta; ergo &c. — Eccleſia docet, quod qui exiſtens in peccato mortali vult ſuſcipere aliquod ſacramentum vivorum, quod non ſit Euchariſtia, non tenetur confiteri, bene tamen conteri; ergo cenſet, quamvis contritionem, dummodo charitate formatam, juſtificare; alias non ſatis eſſet conteri, ſed conteri intenſe, quod Eccleſia non dicit. Eccleſia inſuper non concedit Indulgentias niſi juſtificatis: ſed eas concedit vere contritis, ergo vere contriti ſunt juſtificati.

VI. Quarto probatur. In ſententia Adverſariorum, contritio ex motivo inchoatæ charitatis Dei concepta, juſtificat in caſu neceſſitatis, ſi cum voto ſacramenti conjuncta ſit; ergo etiam extra caſum neceſſitatis. Conſ. prob. Vel contritio concepta ex charitate inchoata habet id, quod requiritur ad per ſe juſtificandum, vel non. Si habet; ergo ſemper, & ordinarie juſtificat: quia articulus mortis licet excuſet a præcepto, non tamen ipſe eſt, qui juſtificat, ſed vera contritio. Si vero non habet; ergo neque in articulo mortis juſtificat: ſicut quia attritio ex ſe non eſt potens juſtificare, neque in articulo mortis juſtificare poteſt; maxime cum hoc nec ex Scripturis appareat, neque ex Patribus.

§. II.

Solutio Objectionum.

VII. PRimo arguunt ex illo, *Luc. 7.* Ubi Maria Magdalena inchoatum amorem concipit antequam ad pedes Chriſti accederet; immo ex hoc amore a peccato abducta, ad Chriſtum ducta fuit: & tamen non acceſſit ad Chriſtum juſtificata, teſte Auguſt. Homil. 23. inter 50. (modo Serm. 99.) cap. 2. *Accedit immunda, ut rediret munda.* Et tunc ſolum juſtificata fuit, quando habuit charitatem adultam, dicente Chriſto: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum.*

Rurſus: *Act. 22. v. 16.* refert Paulus, Ananiam ſibi dixiſſe: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua;* ergo prius illi remiſſa non fuerunt peccata: cum tamen Saulus imperfecto ſaltem amore ad Deum converſus fuiſſet, quando ad omnia ſe paratum exhibens dixit: *Domine, quid me vis facere?*

VIII. Reſpondeo ad primum, incertum eſſe, qua dilectione Magdalena acceſſerit ad Chriſtum. Probabile enim eſt, acceſſiſſe ad Chriſtum, non ex amore Dei ſuper omnia; ſed vel ex conſideratione turpitudinis ſuorum peccatorum; vel ex amore ſalutis ſuæ, quam audierat tantopere a Chriſto commendari in concionibus ſuis, cui fidem faciunt verba Chriſti: *Fides tua te ſalvam fecit*, ideſt: fiducia reportandi veniam, & ſpes ſalutis compulit te ad me accedere, ut ad Medicum. Quod indicat quoque Auguſtinus ipſe ab arguente citatus, dicens: *Acceſſit ægra, ut rediret ſana, immunda, ut rediret munda.* Is ergo fuit Magdalenæ amor ſanitatis, qui ad præſentiam Chriſti in amorem veræ charitatis exarſit.

Si vero quis velit, eam ex charitate acceſſiſſe ad Chriſtum, dicendum eſt, eam acceſſiſſe jam juſtificatam. Verba autem Chriſti: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, varias explicationes habent. Primo enim ly *Dilexit multum*, non ſignificat dilectionem intenſive magnam, ſed extenſive. Qui enim diligit Deum ſuper omnia, licet remiſſe, diligit multum, ideſt, multo magis eo, qui diligit Deum ut bonum ſibi; vel licet Deum diligat, non tamen ſuper omnia. — Forte tamen verius dicitur, intenſum Magdalenæ amorem cauſam fuiſſe veniæ, non qualiſcumque, ſed talis veniæ; nempe, ita benevolæ, & liberalis, ut illi condonaretur non ſolum culpa, ſed tota pœna: ut ei conferretur uberior gratia, unico momento omnes pravos habitus extinguens.

IX. Ad ſecundum pariter dico, quod ſi Saulus ſtatim arſit intenſa charitate, vel etiam remiſſa, ſtatim quoque veniam peccatorum obtinuit. Quia vero id ignorabat Ananias, ideo bene ei dixit: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Adde: quod, ut ſupra diximus, ly *Ablue* ſolum ſignificat, *ſuſcipe ſacramentum ablutionis a peccatis tuis.*

X. Secundo arguunt. Auguſt. tract. 13. in Joann. *Quantumcumque* (inquit) *Cathecumenus proficiat, adhuc farcinam iniquitatis ſuæ portat: non illi dimittitur, niſi cum venerit ad Baptiſmum.* Hoc repetit. *lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos, c. 10.*

XI. Reſponſum eſt ſupra, *Dub. 2. §. 2.* videantur ibi dicta. Modo addo: quod ſi Auguſtini verba in rigore ſumantur, Catechumenus non juſtificabitur ante Baptiſmum, etiamſi in charitate non ſolum ſit incipiens, ſed quantumcumque in charitate proficiat: quod tamen Adverſarii non admittunt. Vult ergo Auguſtinus, Catechumeno nihil prodeſſe ad remiſſionem peccatorum ſuum profectum, niſi charitati votum Baptiſmi ſuſcipiendi conjungatur. Loquebatur enim contra aliquos, qui jam perfectos in virtutibus ſe exiſtimantes, Baptiſmum non curabant. Vel etiam dici poteſt, quod licet contingat, ut Cathecumenus ante Baptiſmum juſtificari poſſit, certitudinem tamen ſuæ juſtificationis nonniſi in Baptiſmo habere poteſt. Quare ipſe Auguſtin. tunc ſolum cum baptizatus fuit, omnem ſolicitudinem vitæ præteritæ depoſuit, ut ipſe dicit, *lib. 9. Confeſſ. cap. 6.*

XII. Tertio arguunt. Tridentinum, *Seſſ. 13. Can. 11.* prohibet homini peccati mortalis ſibi conſcio, quamvis contritus ſibi eſſe videatur, ne ad Euchariſtiam accedat; ergo ſentit, contritionem ſe ſolam non juſtificare. Rurſus: *Seſſ. 6. cap. 8.* dicit: *Nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt ..... ipſam juſtificationis gratiam promereri.* Denique Concil. Arauſic. II. *Can. ultimo*, docet, Deum nullis præcedentibus meritis fidem, & amorem ſui prius inſpirare *Ut Baptiſmi ſacramenta requiramus*: ſed non ſemper ante Baptiſmum juſtificamur; ergo non ſemper amor Dei &c.

XIII. Reſpondeo ex dictis, quod ſi hæc evincunt, probant, quod nec per contritionem, amore intenſam, juſtificatio unquam habeatur. Dico ergo ad primum: Concilium prohibere homini, quamvis ſe contritum exiſtimet, accedere ad ſacramentum Euchariſtiæ; non quia exiſtimet, per contritionem coram Deo non ſemper dimitti peccata: ſed quia ratione excellentiæ Euchariſtiæ vult, ut ei dimiſſa ſint etiam per claves Eccleſiæ. Vide S. Thom. in *Supplem. 3. p. q. 5. art. 1. ad 3.* citato *Dub. 2.* a nobis ſupra relatum. — Ad ſecundum, actum amoris Dei præcedentem juſtificationem, illam non promereri; cum præcedat gratiam, quæ ſola eſt principium merendi: nego tamen, eum ad juſtificationem proxime non diſponere.

Ad illud ex Arauſicano dico, ibi nomine amoris non ſumi amorem charitatis, ſed amorem aliquem Dei quicumque ſit: ſive ſit amor benevolus, ſive ſpei, ſive propoſitum ſervandi ejus legem, ut ultima Canonis verba indicant. Solum enim ibi intendit, omnes bonos motus, quibus ad Baptiſmum accendimur ſuſcipiendum, ortum non habere ex nobis, ſed ex Deo.

DUBIUM VI.

An Præceptum Contritionis obliget ſtatim poſt Peccatum mortale commiſſum.

§. I.

Statuitur Reſolutio.

I. IN hoc triplex eſt ſententia. Prima S. Bonaventuræ, & aliorum ex antiquis ſine ulla modificatione aſſerentium, contritionem obligare ſtatim poſt mortale commiſſum; ita ut ſi omittatur, novum fiat peccatum. Secunda eſt Soto, & aliorum quorumdam, qui præcedentem opinionem modificantes dicunt, præceptum contritionis obligare, quando peccator recordatur, ſe mortaliter peccaſſe. Tertia communis inter Theologos per ſequentia exponetur.

II. Dico. Præceptum contritionis non obligat ſtatim poſt peccatum mortale. Probo. Nam præceptum contritionis eſt affirmativum: hæc autem eſt differentia inter præceptum affirmativum, & negativum, quod negativum obligat ſemper, & pro ſemper; affirmativum vero obligat quidem ſemper, non tamen pro ſemper. Verbi gratia: præceptum affirmativum eſt. Honorare parentes; negativum, illos injuria non afficere. Iſtud obligat ſemper, & pro ſemper; nunquam enim licitum eſt injuria afficere parentes. Illud vero obligat ſemper, non tamen pro ſemper. Non enim pro ſemper tenemur honorem parentibus exhibere; ſed ſolum in occaſionibus, in quibus talis honor exigitur. Ita in caſu. Præceptum affirmativum eſt conteri, ſeu dolere de peccatis commiſſis: negativum eſt, ſibi non complacere in ipſis. Iſtud quidem ſemper obligat; quia nunquam licitum eſt in peccatis ſibi complacere. Sed illud non obligat pro ſemper: quia ſicut non tenemur ſemper, & in quolibet inſtanti actum fidei, ſpei, & amoris in Deum elicere; ita nec actum contritionis, & doloris de peccatis, ſed ſolum tunc, quando hujuſmodi contritio exigitur a nobis: ſed nulla ratio eſt, quæ convincat, contritionem exigi a nobis ſtatim poſt admiſſum peccatum, ut in ſolvendis contrariis rationibus oſtendemus; ergo &c.

III. Probatur etiam hæc minor a pari. Confeſſio non obligat ſtatim poſt peccatum, ut docet S. Thom. *ſupplem. 3. p. q. 6. art. 5.* Eſto enim præceptum confeſſionis ſit de jure divino; determinatio tamen temporis, quo tale præceptum obliget, pertinet ad Eccleſiam: quæ ſecundum præſentem diſciplinam exiſtimat, huic præcepto ſatisfieri per annuam ſaltem confeſſionem, & non ſtatim, ac quis peccavit, ad confeſſionem peccati teneri; ergo neque contritio ſtatim obligat poſt peccatum. Conſ. probatur. Non enim eſt alia ratio, cur confeſſio non obliget ſtatim poſt peccatum, niſi quia præceptum confeſſionis eſt affirmativum, ideoque non obligat pro ſemper: cumque, ut dicebamus, præceptum quoque contritionis ſit affirmativum, ideo &c.

§. II.

§. II.

Solutio Objectionum.

IV. OBjiciunt primo illud Ecclesiastici 3. vers. 28. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et ibidem cap. 5. v. 8. & 9. *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Sed ille, qui non statim post peccatum conteritur, videtur amare periculum, tum novi peccati, tum mortis æternæ; ergo &c. Min. probatur. Homo quocumque instanti expositus est periculo mortis, ejusque anima periculo damnationis æternæ. Rursus: qui in statu peccati mortalis manet, est in continuo periculo noviter peccandi; ita ut diu in statu peccati mortalis manere nequeat, quin in novum peccatum mortale incidat. Unde ait S. Gregorius, Homil. 11. in Ezechiel. *Peccatum, quod Pœnitentia lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati.*

V. Respondeo, periculum esse duplex, remotum, & quasi physicum: & morale, seu proximum. Primum est, quando id, quod timetur, absolute evenire potest, quamvis moraliter, & attentis circumstantiis non eveniet. Secundum vero est illud, quod attentis vel illis circumstantiis tale est, ut moraliter tam facile contingere possit, quod eveniat, quam, quod non eveniat. Verbi gratia: Si quis sit perfecte sanus, nec aliunde immineat prælium, aut pestis, quamvis aliunde illa eadem die mori possit; non tamen est in morali, & proximo periculo mortis. Sic etiam qui peccatum commisit, si non prævideat, se brevi ponendum in occasione noviter peccandi, non est in morali, & proximo periculo peccandi. At si vel graviter sit indispositus, vel in procinctu prælii, aut ubi grassatur pestis; vel prævideat, nisi resurgat per Pœnitentiam, se ponendum in circumstantia noviter peccandi; tunc erit in periculo & mortis, & novi peccati nedum remoto, & physico, sed proximo, & morali.

VI. Hoc igitur supposito: Esto licitum non sit manere in statu peccati, quando est morale periculum mortis, & damnationis æternæ, vel labendi in novum peccatum; in quo sensu intelligendæ sunt auctoritates allatæ: quando tamen periculum est solum remotum, vel mortis, vel noviter peccandi, non est rigorosum præceptum extrahendi se a statu peccati, ita ut si omittatur contritio, committatur novum peccatum mortale. Erit tamen optimum consilium, cum agatur de re maximi momenti, nempe salutis æternæ; ut quis evitet non solum morale periculum, sed etiam remotum, conterendo statim, vel quam primum de peccato mortali commisso.

VII. Sed contra instas. Periculum incidendi in novum peccatum semper est morale, & proximum, ergo &c. Ant. prob. primo. Quando aliquis recordatur peccati commissi, quod non fuit detestatus, vix fieri potest, ut negative se habeat, idest, nec illi placeat, nec displiceat: si igitur non displicet, ergo placet: sed complacere sibi de peccato commisso, novum peccatum est, ergo &c. Unde S. Thom. *in supplem. 3. p. q. 6. art. 5.* dicit, quod tenetur aliquis ad contritionem. *Quando peccata memoriæ occurrunt* —— Secundo, Si quis in puteum lapsus negligeret uti fune demisso ad eum extrahendum; tacite, & interpretative censeretur velle in puteo manere: ergo si quis lapsus in abyssum peccati, & videns se posse extrahi per contritionem, negligat illam elicere; tacite censebitur velle in peccato manere, & in eo sibi complacere.

VIII. Respondeo, neg. ant. Ad primam probat. dico, non sequi, quod quoties qui recordatur de peccato commisso, & de illo non conteritur, in illo sibi complaceat, vel saltem sit in periculo proximo sibi complacendi, quia vel potest mentem alio distrahere, & in alio negotio se occupare. Verum si aliquis supponatur ita dispositus, ut recordetur peccati sui, & de ipso non doleat, in eo sibi complaceat; nec possit in medio se sistere, sed necessario ad aliquod extremum, se trahi cognoscat: tunc respectu hujus per accidens obligat contritio, quod satis frequenter contingere puto in peccatis voluptuosis. Unde cum quis horum recordatur, crederem obligari ad ea detestanda; quia in periculo proximo constituitur, urgente concupiscentia, in eis sibi complacendi. Et in hoc casu loquitur S. Thom. subdit enim: *Præcipue cum in periculo mortis exitit, aut in alio aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat, eum peccatum incurrere.*

Ad secundam probat. respondeo, quod si lapsus in pureum, cui demittitur funis ad exeundum, prævideat, quod post horam integram habebit eamdem occasionem, aut aliam; etsi initio horæ nolit exire, non censetur, hoc facere, quia sibi complaceat manere in puteo; sed quia aliam opportunitatem exeundi expectat, & sperat: bene tamen si sineret elabi horam integram, post quam non esset habiturus occasionem exeundi. Sic peccator, qui prævidet, se post aliquod tempus habiturum occasionem exeundi a statu peccati, non censetur de novo sibi complacere de statu peccati; licet statim non conteratur, dummodo non sinat labi totum illud probabile sine contritione: hoc enim est solum nolle apprehendere remedium ad exeundum a peccato pro illo tempore, quo non tenetur. Unde sicut omissio actus virtutis pro eo tempore, quo quis non tenetur actum virtutis exercere, non est peccatum, ita nec propositum volendi contritionem omittere. —— Nec propterea sequitur, quod velit manere in odio, & inimicitia Dei: quia non est necesse, eum, qui vult antecedens, etiam velle consequens, nisi hoc sequatur, per se ex antecedente: consequens autem illud sequitur ex antecedente solum per accidens, quia scilicet non applicatur causa, quæ potest illud malum destruere pro eo tempore, quo applicare non tenetur.

IX. Secundo. Objiciunt S. Thom. qui 2. 2. *q. 62. art. 8. in corp.* ait: *Manifestum est, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur statim peccatum deserere* —— Si respondeas, S. Thom. loqui de peccato detentionis rei alienæ invito domino; quod cum sit præceptum negativum obligat semper, & pro semper: & ideo quando quis rem alienam detinet, cum possit eam domino restituere, privat eum re sua, & sic peccat, quod non currit in casu contritionis, quod est præceptum pure affirmativum.

X. Contra. Qui in peccato moratur, injuste detinet jus divinum, & gloriam illi debitam, ergo cum possit, tenetur statim restituere Deo, sicut & homini. —— Respondeo, nego conseq. Nam aliter læditur homo per invitam detentionem rei suæ; aliter Deus offenditur per peccatum. Ille enim patitur damnum in suis propriis, quorum utilitate privatur, quousque detinentur. Deus vero non privatur re sibi utili; nec restitutio per contritionem ordinatur ad bonum Dei, sed ad bonum peccatoris: *Quid* enim (inquit Job 22. v. 3.) *prodest Deo si justus fueris?* Et ideo restitutio facienda homini obligat ad statim; restitutio autem facienda Deo per contritionem, solum cum aliqua peccatoris necessitas eam requirit: tunc enim solum Deus illam exigit.

XI. Tertio objiciunt. Major debet esse cura salutis spiritualis, quam corporalis: sed si quis incidat in morbum corporalem, quo vita corporalis periclitetur, statim debet adhibere remedium, & si negligat, peccat mortaliter, ergo &c.

Confirmatur. Magis tenemur curam habere salutis propriæ, quam proximi: sed statim ac proximus peccavit, tenemur correctione eum a peccato revocare, si adsit opportunitas, ergo magis tenemur, nos per contritionem a peccato avertere.

XII. Respondeo, similitudinem allatam probare nostrum assertum. Nam sicut homo non statim, ac sentit se morbo gravari in corpore, tenetur remedium adhibere, sed solum cum prævidet ex dilatione periculum fore mortis corporalis: ita homo non statim, ac morbo peccati sentit se oppressum, debet contritionis remedium adhibere, sed solum cum prævidet, ex dilatione periculum fore amittendi vitam æternam. Et ideo Scripturæ superius allatæ non dicunt statim convertere ad Dominum, sed: *Non tardes, ne differas.* Tardat autem, non qui non statim facit, quod potest, sed qui non facit eo tempore, quo faciendum est.

XIII. Ad Confirm. vel nego min. Ut enim quis teneatur præcepto correctionis, ultra opportunitatem, & spem emendationis, requiritur aliqua necessitas, aut ex parte ejus, qui corripiendus est, ut periculum peccandi de novo: & ideo S. Thom. 2. 2. *q. 33. art. 2.* correctio (inquit) *Hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem* (emendationis) *non autem ita, quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corrigatur.* —— Data tamen min. nego conseq. & disparitas est. Quia homo cum semper sit sibi præsens, semper habet opportunitatem conterendi: Non habet tamen semper opportunitatem corripiendi fratrem.

XIV. Demum arguunt. Qui habet inimicitiam contra proximum; tenetur statim eam deponere; ergo multo magis tenetur deponere inimicitiam Dei per contritionem.

Respondeo, dist. ant. deponendo odium, conc. antec. Redeundo ad amicitiam ejus, nego anteced. Et similiter dist. conseq. Sicut ergo homo tenetur statim deponere odium fratris; sic peccator tenetur statim deponere affectum peccati. Verum sicut ille non tenetur statim redire in amicitiam specialem cum offenso: ita nec iste statim tenetur redire in amicitiam cum Deo, sed potest ad tempus manere in privatione amicitiæ ejus, quæ per modum habitus in peccatore manet. —— Neque ex quo teneatur statim exire a peccato, per dispositionem affectus, sequitur, quod teneatur statim conteri. —— Nam contritio, ut diximus ex Tridentino, *Sess. 14. cap. 4.* plus includit, quam cessationem a peccato.

§. III.

De Tempore, quo obligat Præceptum Contritionis.

XV. POtest præceptum contritionis obligare per se, & ab intrinseco, & per accidens, & ab extrinseco; obligatione orta, non ex natura præcepti, sed ex circumstantia aliqua occurrente.

Loquendo de obligatione intrinseca, censent omnes, per se obligare in articulo mortis vero, vel præsumpto.

Quia

Quia tunc unuſquiſque tenetur, & ratione charitatis erga ſe; & ratione ſatisfactionis delictorum erga Deum, perfectam agere Pœnitentiam, Deoque reconciliari, cum aliud tempus ad pœnitendum non ſuperſit.

An vero extra articulum mortis per ſe obliget, negant aliqui. Quia ratio, quæ probat, præceptum contritionis per ſe non obligare ſtatim poſt peccatum, probat etiam de quocumque determinato tempore vitæ præſentis.

XVI. Attamen probabilius, & ſecurius tenendum eſt: non ſolum in articulo, ſeu periculo mortis, ſed etiam aliquoties in vita per ſe obligare præceptum contritionis, & Pœnitentiæ. Primo. Quia peccator differendo Pœnitentiam uſque ad finem vitæ, videretur Deum offenſum negligere. Secundo. Quia titulo charitatis erga ſe tenetur peccator, non ſe exponere periculo morali peccandi: ſed diu differendo contritionem, ſe exponeret &c. ergo &c. Min. prob. Nam licet ſit incertum, & indeterminatum, ut non poſſit determinari tempus talis periculi, & conſequenter tempus talis obligationis: tamen certum eſt, hominem ſine gratia juſtificante non poſſe diu abſtinere a novis peccatis, ut docuimus, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Quæſt.* 1. *de Neceſſit. Gratiæ, Dub.* 9. §. 2. & decretum fuit a Conciliis Arauſicano II. & Milevitano; ergo longo tempore differendo Pœnitentiam, exponit ſe periculo noviter peccandi.

Tertio. Quia actus fidei, ſpei, & charitatis per ſe obligare non ſolum in articulo mortis, ſed etiam aliquoties in vita, immo pluſquam ſingulis quinqueniis, adeo certum eſt, ut oppoſitum damnatum fuerit ab Alexandro VII. 24. Septemb. ann. 1655. propoſ. 1. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actus fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. propoſit. 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Sexta: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinqueniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Et ſeptima: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.* Et ratio eſt. Quia actus fidei eſt fundamentum vitæ ſpiritualis, actus ſpei eſt, quo dirigimur ad ultimum finem, & actus charitatis eſt quo Deo ultimo fini conjungimur. Stultum autem videtur rejicere ad finem vitæ fundamentum, & ordinationem vitæ, quando jam non eſt tempus laborandi, & bene agendi; regulariter non poteſt bene ordinari vita ſine contritione, quæ charitatem includit; ergo &c.

XVII. Circa tempus vero, quo per ſe obligat in vita contritionis præceptum, ſeu quanto tempore differri poſſit contritio ſine novo peccato, incertum eſt; & relinquendum potius judicio viri prudentis, attentis circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum: quod idem dicitur de actibus fidei, ſpei, & charitatis. De hoc videnda ſunt quæ diximus, *Tom.* 1. *in* 2. 2. *Quæſt.* 3. *de Neceſſit. Charitatis, Dub.* 1. §. 2. 3. & 4. idem enim dicendum cenſeo de contritione; maxime, quia præceptum charitatis ſine contritione, vel explicita, vel implicita impleri non poteſt.

XVIII. Per accidens vero præceptum contritionis obligat primo. Quoties ſunt adminiſtranda, vel recipienda ſacramenta vivorum. Qui enim in mortali eſt, tenetur, aut confiteri, aut conteri, ut digne adminiſtret aut recipiat ſacramenta vivorum. Secundo. Obligat, quando urget gravis tentatio, quam ſine contritione homo ſuperare moraliter non poteſt. Tertio. In caſu publicæ neceſſitatis, ut quando probabiliter timetur, Deum punire propter peccata particularia. Addunt alii, quod etiam quando quis aggreditur opus aliquod heroicum, a quo aut publica ſalus, aut magna utilitas populi dependet: ut nimirum paratum habeat Dei auxilium, quod peccatoribus concedi non ſolet. Quarto. Quando quis eſt in morali periculo vitæ, ideſt, in quo pleriſque ſolet mors contingere, ut in bello, aut longa, & periculoſa navigatione, tempore peſtis, terræmotus: pariter ſi quis prævideat periculum perpetuæ amentiæ, quia hæc æquivalet proximo periculo mortis. In his, & ſimilibus caſibus, per accidens, obligat contritionis præceptum.

QUÆSTIO V.

De Confeſſione Sacramentali.

ALtera ſacramenti Pœnitentiæ pars eſt ſacramentalis peccatorum confeſſio. De hac in præſenti quæſtione ſermo erit. Primo. De ejus inſtitutione, natura, obligatione, aliiſque ad perfectam ejus notitiam neceſſariis.

DUBIUM I.

An Confeſſio Sacramentalis ſit a Chriſto inſtituta, ut Remedium ad ſalutem neceſſarium.

§. I.

Quid ſentiant Heterodoxi.

I. PRimos confeſſionis ſacramentalis impugnatores fuiſſe Novatianos contendunt aliqui. Quia hi, cum negarent eſſe in Eccleſia auctoritatem dimittendi peccata; conſequenter negabant peccatorum confeſſionem ad hoc inſtitutam. Alii vero, qui, ut ſupra diximus, admittunt quidem apud Novatianum quædam eſſe peccata, quæ remittendi in Eccleſia non ſit poteſtas, nonnullorum tamen etiam mortalium abſolutionem ad Eccleſia impendi potuiſſe, aſſeverant, quoad iſta ſaltem confeſſionis uſum apud Novatianos fuiſſe exiſtimant: immo eorum etiam, quæ per Eccleſiam abſolvi poſſe negabant, ſolitam fuiſſe apud ipſos confeſſionem. Colligunt ex Ambroſio, *lib. de Pœnit. cap.* 5. ubi Novatianos, qui ſibi confeſſos abſque abſolutione rejiciebant, comparat Judæis, qui Judæ dicenti: *Peccavi &c.* Reſponderunt: *Quid ad nos? Tu videris.*

II. Aliqui ex recentioribus hæreticis, ut ſuum errorem aliqua vetuſtatis auctoritate muniant, ejus auctores faciunt Waldenſes, *Sæculo* 12. Sed perperam. Reynerus enim, qui ſequenti ſæculo eorum errores accurate recenſet, ſcribit: eos quidem negaſſe, valere abſolutionem a malo Sacerdote obtentam (quo nomine Romanæ communionis Sacerdotes intelligebant) afferentes potius confitendum eſſe Laico: cæterum confeſſionem abſolute non rejiciebant, quidquid ſit, an eam inter ſacramenta reponerent.

III. Wicleffus revera confeſſionem ſecretam aperte impugnare cœpit aſſerens, *Sæculo* 15. eam in Scripturis non fundari; ſed ex ſola inſtitutione Papali fuiſſe introductam: quibus addidit, ejus uſum eſſe prorſus inutilem. Unde ejus propoſitio 7. in Concilio Conſtantienſi damnata, hæc erat: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.*

IV. Circa Lutheri mentem in hoc articulo, non una eſt Doctorum ſententia. Quidam volunt, eum negaſſe neceſſitatem confeſſionis omnium peccatorum, etiam mortalium ſigillatim, & ſolum admiſiſſe confeſſionem eorumdem in generali, ut neceſſariam. Alii ſentiunt, eum admiſiſſe quidem, ut neceſſariam, confeſſionem mortalium etiam ſigillatim; ſed in hoc erraſſe, quod omnem efficaciam remittendi peccata a confeſſione, & abſolutione abſtulerit, eam unice tribuens fidei in miſericordiam Dei. Unde inter illius articulos a Leone X. damnatos, undecimus eſt: *Nullo modo confidas abſolvi propter contritionem tuam, ſed propter verbum Chriſti: Quodcumque ſolveris &c.* Ut ut enim ſit de mente Lutheri: certum eſt, ejus diſcipulos uſum confeſſionis ſingulorum peccatorum abrogaſſe, & ſolam confeſſionem eorum in generali, qua quiſque ſe peccatorem confitetur, admittere.

V. Calvinus tandem de Confeſſionis uſu docet: primo: Eum non eſſe divini Juris. Ita, *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 4. §. 7. Secundo: Antiquum quidem fuiſſe, ſed liberum. Tertio: Expedire, ut cum quiſque maximo peccatorum ſuorum ſenſu angitur, ea miniſtro aperiat, ut inde aliquod ſolatium referat. Quarto: Confeſſionem, ut in Eccleſia Romana editur, maximi eſſe detrimenti, ideoque tollendam. Calvino adhærent omnes, qui ad Calvini regulam reformatos ſe venditant.

VI. At Eccleſia Catholica ſemper tenuit, confeſſionem ſacramentalem fuiſſe a Chriſto inſtitutam: idque ex ſacris Litteris probari: & ab ipſo Fidelibus lapſis poſt Baptiſmum præceptam, ac ſemper in Eccleſia uſum obtinuiſſe, Eam autem vocat ſacramentalem; quia una eſt ex partibus ſacramenti Pœnitentiæ: vocat auricularem, & clancularem privatam; quia fit ad aures, ſecreto, & private ſoli Miniſtro, ad differentiam confeſſionis publicæ, & canonicæ, quæ olim in uſu fuit: de hac ergo.

§. II.

Veritas Catholica.

VII. DIco. Confeſſio ſacramentalis fuit a Chriſto Domino inſtituta; ideoque jure divino præcepta, ac omnibus poſt Baptiſmum mortaliter lapſis neceſſaria. Ita ſub anathemate ſanxit Tridentinum, *Seſſ.* 14. *Can.* 6. Inſtitutionem ergo, & neceſſitatem confeſſionis, & abſolutionis ſacramentalis ad obtinendam remiſſionem peccatorum (ut modo fit in Eccleſia Catholica) ab iis, qui lapſi ſunt poſt Baptiſmum, probo ex verbis Chriſti, *Joannis* 20. *verſ.* 21. ſic Apoſtolos alloquentis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos ... Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Unde formo hunc diſcurſum. Ex illis verbis habetur inſtitutio, & neceſſitas confeſſionis ſacramentalis faciendæ Sacerdoti, & Miniſtro Chriſti; ex quibus habetur collata ei poteſtas judicandi de peccatis, & aliqua dimit-

dimittendi, aliqua vero retinendi: sed præfatis verbis contulit Christus, in Apostolis, omnibus Ministris eorum successoribus hanc potestatem, ergo &c. Min. ex ipsis verbis clara est. Maj. vero prob. primo. Cum in omni judicio non cæco, ac præcipiti modo, sed plene discussa causa, sententia ferenda sit; ea ratione, qua instituitur tribunal judiciale, & conceditur alicui facultas dimittendi delicta, vel ea retinendi, præcipitur etiam reo, ut causam suam coram eo exponat, quo Judex mature omnibus perpensis tuto sententiam ferre possit; quod in omnibus humanis judiciis perspicuum est: neque enim Judex de iis proferre potest judicium, quæ eum penitus latent: peccata autem, maxime occulta, ut ea, quæ solo animo, & cogitatione committuntur, non alia via, quam eorumdem confessione a peccatore sincere facta dignosci possunt. —— Secundo. Minister ratione potestatis dimittendi, vel retinendi peccata sibi a Christo traditæ, talem de eis cognitionem acquirere debet; ut tamquam prudens Medicus, radices peccatorum exscindere possit, iteratæ prolapsionis avertere periculum, & ad purgationem opera satisfactoria imponere: atqui ad hoc, numerum peccatorum, eorum qualitates, & circumstantias, saltem speciem mutantes, nosse debet, quod non aliter, quam ex peccatoris confessione acquirere potest, ergo &c.

VIII. Ita discurrit Concilium Tridentinum, citata Sess. 13. cap. 5. *Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere. Quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad Cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; qui pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient: Constat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Quibus ostendit, jure divino institutam, ac præceptam fuisse confessionem peccatorum non solum in genere, sed sigillatim, & in specie: cujus oppositum anathemate damnat infra, *Can. 7.*

IX. Perperam autem hujus textus sensum detorquere conantur Calvinus, Dallæus, aliique ejusdem furfuris homines, dicendo: Apostolis aliam potestatem Christum non contulisse, quam præconis, nuntii, seu Legati pure annuntiantis peccata esse a Deo remissa.

Nam præfata verba: *Quorum remiseritis, quorum retinueritis*, valde diversa sunt ab istis: *Quorum annuntiaveritis peccata remissa, aut retenta.* Certe enim nec præco, nec nuntius, qui gratiam a Rege factam annuntiant, non dicitur gratiam, & indulgentiam impartiri, nec qui sententiam Judicis promulgat, non dicitur damnare reum, aut innocentem absolvere. —— Deinde contrarium evincit apparatus verborum, quo Christus usus est, ait enim: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Eamdem ergo facultatem, cum qua ipse missus a Patre fuerat, Apostolis jure delegato, & tamquam suis Legatis, ac Ministris reliquit, sed potestis, quam Christus habuit a Patre, erat auctoritative peccata dimittere, & non dimissa annuntiare; ergo hanc delegavit Apostolis, & eorum successoribus in ministerio Ecclesiæ.

Propterea S. Joann. Chrysost. *lib. 3. de Sacerdotio, cap. 5.* dicit; Christum hic dedisse Apostolis potestatem, quam non dedit Angelis, seu Archangelis. Quis autem dicat, Angelis, & Archangelis datam fuisse potestatem annuntiandi peccata dimissa? Rursus, hanc potestatem extollit dicens, eam esse tantam, quanta esset illa, qua Rex aliquis daret subito potestatem in carcerem conjiciendi, e carcere laxandi, & tandem comparans eam cum illa, quam habebant Sacerdotes veteris legis: *Corporis* (inquit) *lepram purgare, seu ut verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat. At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est.* Idem contra Novatianos docet S. Ambrosius *lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2.* S. Hieronymus; *Epist. 1.* (modo 5.) *ad Heliodorum*, de Sacerdotibus, ita loquitur: *Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sano ore conficiunt, per quos, & nos Christiani sumus; qui claves Regni Cælorum habentes quodammodo ante judicii diem judicant.* Et S. Augustinus, *lib. 20. de Civit. Dei c. 9.* exponens visionem S. Joannis, Apoc. 20. *Et vidit sedes, & sedentes super eas, & judicium datum est:* judicium illud datum Ecclesiæ Præpositis in administratione Pœnitentiæ interpretatur. Quam doctrinam Sanctus Gregorius Magnus, *Homil. 26. in Evang.* exponens verba, *Joann. 20.* discertissime confirmat.

Confessionis sacramentalis usum per singula Ecclesiæ sæcula ostendunt, inter cæteros, noster Natalis Alexandre, *in Hist. Ecclesiast. sæculi 13. & 14. Dissert. 14. §. 4. & sequentibus.* Et Juvenin, *Comm. hist. dogm. de Pœnit. Q. 5. de Confessione, cap. 1. art. 2.* quæ longum esset referre, aliqua tamen in responsionibus argumentorum referemus.

§. III.

Heterodoxorum Objectiones solutæ.

X. OBjiciunt primo. Prælaudatis Christi verbis, *Joannis 20.* collata fuit Apostolis facultas remittendi peccata indefinite, idest, tam per Pœnitentiam, quam per Baptismum: ait enim: *Quorum remiseritis &c.* atqui Ministri Apostolis succedentes conferunt remissionem peccatorum iis, quos baptizant, nulla prævia confessione eorumdem; ergo eodem modo eadem remittere possunt per Pœnitentiam.

XI. Respondeo primo, neg. maj. Quia verba illa significant potestatem remittendi, & retinendi; facultas autem conferendi Baptismum licet sit facultas remittendi peccata, non est tamen facultas eadem retinendi. Tum quia infantibus per Baptismum remittitur peccatum originale, in quibus tamen retineri non potest. Tum quia facultas retinendi peccata est facultas denegandi absolutionem, quod certe in Baptismo non verificatur. Facultas enim retinendi, & remittendi est facultas judiciaria: ministrare autem Baptismum non est judicare: *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat* (ait Tridentinum Sess. 14. cap. 2.) *qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.*

Si dicas, esse facultatem retinendi, repellendo infideles a susceptione Baptismi. —— Sed contra. Nam hoc in primis est abusive retinere peccata, & ligare. Deinde: quare Apostoli repellere debebant infideles a Baptismo? Propter idololatriam? Non: quia hoc ipso, quod petebant Baptismum, profitebantur, se credere in Christum, & idolis renuntiare. Quia nollent detestari alia scelera? At unde dignoscebant hoc Apostoli? Non aliunde, quam ex confessione pœnitentium. Si ex hoc; ergo multo plus habemus contra hæreticos, quam intendimus, nempe confessionem peccatorum præmitti consuevisse, non solum ad Pœnitentiam, sed etiam ad Baptismum.

XII. Respondeo secundo, admisso, quod dicta verba possint in aliquo sensu referri ad Baptismum; disparitas est. Nam infideles ante Baptismum, cum subditi non sint Ecclesiæ, ideo non debent ministris ejus peccata prius commissa subjicere, aut ab illis expectare, aut eorum absolutionem, aut retentionem: ideoque Christus, *Matth. ult. v. 19.* dans Apostolis facultatem baptizandi, non distinxit inter eos, quos admittere debebant ad Baptismum, & eos, quos a Baptismo debebant retinere, sed generaliter dixit: *Euntes docete omnes Gentes Baptizantes eos.* At postquam Baptismum suscepere, cum facti sint Ecclesiæ subditi, debent in suis actionibus judicio Ecclesiæ submitti, ab eaque judicari; quod nequit fieri, nisi ejus ministris nota fiant eorum crimina, ut pro merito, vel eis remittantur, vel retineantur: & sic ad Baptisma non debet præcedere confessio, bene tamen ad Pœnitentiam.

XIII. Objiciunt secundo. Per hoc, quod quis a Rege in Republica constitutus sit Judex, non sequitur, nemini peccantium delicta remitti, nisi qui ab illo Judice fuerit absolutum; cum recta ad ipsius Regis clementiam possit confugere, ergo a pari: ex quo Christus in Ecclesia sua constituerit Judices ad absolvendum a peccatis; non sequitur, omnes teneri veniam per illos impetrare, sed recta poterunt eam a Domino obtinere.

Confirmant, Per verba supra laudata Christus contulit facultatem absolvendi, & retinendi, nedum circa mortalia, sed etiam circa peccata venialia: sed hæc necesse non est, ut remittantur a Sacerdote per confessionem, cum possint ab ipso Deo immediate veniam consequi, ergo a pari &c.

XIV. Respondeo, instando allatum exemplum. Sicut enim constituit Christus Sacerdotes ministros Pœnitentiæ: ita etiam omnes constituit ministros Baptismi ad remittendum originale peccatum, ergo si hoc non obstante sine Pœnitentiæ sacramento, juxta hæreticos, potest quis a Deo veniam obtinere, quin ejus ministris se subjiciat; cur sine Baptismo non poterit veniam originalis peccati, & actualium antea commissorum ab ipso Deo immediate consequi, & ab ipso sine ullo ministro in Ecclesiam introduci? —— Dicendum est ergo, quod cum Christus Ecclesiam suam hic in terris voluerit gubernari per suos Ministros, & media per ipsos applicanda; sicut non vult recipi in eam, nisi qui Baptismo per ministros Ecclesiæ fuerit introductus: ita nihil voluit esse ab ipso solutum in Cælo, quod prius per Ecclesiæ ministros non fuerit solutum in terra. Quemadmodum si Rex mitteret Proconsulem in aliquam provinciam valde longinquam, & illi diceret: Acceptum & ratum habeo quidquid egeris, ac si a me actum esset: eo ipso præceptum imponeret omnibus illis provinciæ viris, ut suas lites, & causas universas ad illum deferrent: non quod potestate sua se spoliaret, sed quod ordinatæ potestatis usum in Proconsulem illum, seu Proregem transtulisset. Ita Christus dicens: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos, quorum remiseritis &c.* ordinariæ potestatis usum in Apostolos transtulit, ut in ejus absentia visibili facerent quidquid ipse faceret, extraordinariam sibi reservans. Ordinaria igitur remedia voluit Christus nos sumere de manibus ministrorum per sacra-

menta,

menta, quæ certiora sunt: quod non tollit, quin aliquando extra cursum ordinarium, sicut sine Baptismo in re potuit aliquis veniam a Deo obtinere, sic absque sacramento Pœnitentiæ actu suscepto possit.

XV. Ad Confirmat. Disparitas est, cur mortalia sint ad tribunal Ecclesiæ necessario deferenda, venialia autem non. Quia sola illa peccata subjicienda sunt Ecclesiæ, quæ Regnum Cælorum claudunt, ut Ecclesiæ clavibus aperiatur. Id autem faciunt sola mortalia, de quibus Apostolus, ait, Galat. 5. v. 21. *Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Venialia autem, cum non extinguant charitatem, sed solum ejus fervorem minuant, a Regni cælestis aditu non arcent peccatorem; sed solum eum remorantur nonnihil ab ejus consecutione. Unde non sunt clavibus Ecclesiæ necessario subjicienda.

XVI. Objiciunt tertio. In Apostolorum actibus non legitur, Apostolos quemquam compulisse ad hanc confessionem edendam; immo neque aliquam confessionem in arcano audivisse. Unde Paulus, qui ministrum Evangelii in aliis instruit, nec verbum quidem de confessione habet. Mirum autem esset, quod Apostoli, & Paulus de re tam gravi nec verbulum fecerint; & maxime Paulus, cum de debita ad Eucharistiam præparatione disseruit, 1. *Cor.* 11. Ubi cum solum dicat: *Probat autem seipsum homo*, indicat quidem contritionem intra se, non vero confessionem alteri factam præmittere debere.

XVII. Respondeo ad hæc, retorquendo argumentum. Primo: Lutherani, & Calvinistæ docent, confessionem utilissimam esse, licet etiam liberam velint: atqui Paulus, *Act.* 20. protestatur, se nihil subtraxisse utilium, quo minus Ephesiis Presbyteris communicaret: cum ergo nihil de confessione facienda dixerit, confessio nec erit utilis —— Secundo. De Baptismo parvulorum nihil habetur in Apostolorum Actibus, nec in Paulo; ergo parvuli non sunt baptizandi: quod tamen ipsi contra Anabaptistas non admittunt.

Respondeant ergo nobiscum, argumentum negativum Sacræ Scripturæ, & silentium Apostolorum nihil evincere, quando habemus alias præceptum Christi, ut probavimus. Cum enim Christus confessionem peccatorum præceperit, evidens est, Apostolos eam a fidelibus exegisse, quamvis de hoc nihil dixerint. Eam tamen Paulus citato loco, ex 1. *ad Corinth.* 11. tacite indicavit, præmittendam esse a conscio peccati mortalis, ne indigne Eucharistiam sumat. Verbum enim illud: *Probet se ipsum*, indicat, quod quisque ante Eucharistiam exacte se discutiat; & si invenerit se peccati lethalis conscium, emundet se per media a Christo Domino instituta, subjiciendo se Ecclesiæ clavibus per confessionem.

XVIII. Objiciunt quarto: Usus confessionis non obtinuit ante sæculum tertium, idest, ante exortam hæresim Novatianam, quæ negabat in Ecclesia esse potestatem reconciliandi lapsos in aliqua saltem peccata post Baptismum, ut superius diximus. Tunc enim institutus fuit Presbyter pœnitentiarius, qui lapsorum confessiones exciperet, eosque Ecclesiæ, ac Deo injuncta satisfactione reconciliaret. Quem tamen confessionis usum, scribunt Socrates, *Histor. lib. 5. cap. 19.* & Sozomenus, *Histor. lib. 7. cap. 16.* a Nectario Patriarcha Constantinopolitano abrogatum fuisse occasione cujusdam mulieris, quæ in sui confessione accusaverat Diaconum sui stupri complicem. Si autem confessio secreta peccatorum fuisset instituta, & præcepta a Christo; usus ejus semper in Ecclesia fuisset, nec potuisset a Nectario abrogari.

XIX. Huic objectioni, cui maxime fidunt Adversarii, accurate respondendum est. Nego igitur primo: usum confessionis peccatorum solum post exortam hæresim Novatianam, seu, ut alii volunt, post Decianam persecutionem obtinuisse. Contrarium enim testantur Patres, qui ante illa tempora floruere. Irenæus vir Apostolis coævus, *l. 1. adv. Hæres. cap. 9.* (modo 13.) scribit, mulieres quasdam peccatum occultum; scilicet, impudicum amorem, quo erga Marcum exarserant, & fornicationes, seu adulteria furtiva, Ecclesiæ confessas fuisse. Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 9. *Exomologesim*, idest, peccatorum Confessionem describens ait: *Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro: sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur.* In hac peccatorem Presbyteris advolvi ait: *Et charis Dei adgeniculari.* Qui vero pudoris magis memores, quam salutis recusant peccata sua prodere, sunt *Velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ità cum erubescentia sua pereunt.* Eam autem *in arcto* quidem peragi, sed non *sola conscientia* præferri, sed etiam *aliquo* actu (nimirum externo) docet administrari. Quid autem clarius pro confessione quam modo asserimus? Cyprianus, *Tract. de Lapsis*, laudat eos, qui *Quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti: quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, apud Sacerdotes Dei dolentes, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt.* Ecce confessionem peccatorum sola cogitatione commissorum. Idem docet Origenes, *Hom.* 11. *in Levit. & Hom.* 2. *de in Psal.* 37. Tandem Lactantius lib. 4. Divin. Instit. c. ult. *Tamen* (inquit) *quia singuli quique cœtus hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, in qua est religio, confessio, & pœnitentia; qua peccata, & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Ubi de confessione non interna solum, sed externa, & sensibili loquitur; cum eam ponat inter notas visibiles veræ Ecclesiæ. Et hac secernere intendat Ecclesiam Catholicam ab Ecclesia Novatianorum, qui confessionem coram ministris Ecclesiæ negabant. Cum ergo hanc Calviniſtæ negent, videant, an eorum Ecclesia vera, & Catholica sit.

Erat ergo usus confessionis coram Sacerdote delictorum, etiam occultorum, faciendæ etiam ante hæresim Novatianam; & qui eam negabat ut hæreticus habebatur. Forte quidem non fuit (maxime tempore persecutionis, quo Christiani nec Templa habebant, nec ministri sua officia publice exercere poterant) Pœnitentiarius ad hoc publice deputatus: fuit tamen semper usus confessionis secreto faciendæ: sive coram Episcopo; cum pauci essent Christiani, vel coram aliquo ad id muneris ab ipso delegato.

XX. Nunc ad factum Nectarii. De hoc fuse tractavi in Ecclesia *Tom. 2. p. 1. art. 11. §. 6.* quo Studiosum remittere possem. Verum ad præsens, admissa Socratis, & Sozomeni narratione (qui utpote Novatianæ sectæ addicti, hic in re suspectæ fidei esse possent) dist. ant. Socrates, & Sozomenus scribunt, a Nectario abrogatum fuisse usum confessionis publicæ occultorum criminum, conc. antec. Confessionis secretæ, neg. antec. Nectarius enim abrogavit confessionem illam, ex qua audita tumultus excitatus fuit in populo: hic autem excitari non poterat ex confessione secreta, sed ex publica; ergo istam, non illam abrogavit Nectarius. Res autem ita accidit, inferente Socrate: *Mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiarium accedens delicta post Baptismum a se perpetrata sigillatim confessa erat.* Ecce confessionem secretam. *Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis, orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam Pœnitentiæ conveniens ostenderet.* En satisfactionem privatam pro peccatis occultis. Subdit: *Mulier longius in confitendo progressa* (vel ut legitur Valesius *progressu temporis*) *mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse.* Quibus patet, non accepisse a Pœnitentiario mandatum confitendi publice stuprum; sed ex indiscreto Pœnitentiæ zelo ipsam stuprum aperuisse. Ex quo factum est, ut Diaconus ab Ecclesia ejiceretur, & populo graviter commoto, Nectarius cujusdam Eudæmonis consilio Pœnitentiarium Presbyterum expungeret: Pœnitentiarium, inquam, non pro confessione secreta excipienda, sed Pœnitentia publica, ex qua ortum fuerat scandalum, imponenda.

Distinguunt hic aliqui in ista muliere duplicem confessionem. Unam, qua figillatim peccata sua post Baptismum commissa, confessa est: & propter hanc Pœnitentiæ publicæ addicta fuisse non videtur; nullum enim Pœnitentia publica dignum admisisse legitur. Alteram numero, & tempore diversam unius tantum criminis; utramque tamen secretam: non enim recepta erat Ecclesiæ usu publica, maxime occultorum peccatorum, confessio, ut Sozomenus narrat. Unde quod dicitur eam stuprum cum Diacono publice confessam fuisse, non debet intelligi de confessione, qua illud secreto confessa fuerat; sed de confessione satisfactoria, qua ipsa ex indiscreto pœnitentiæ zelo peccatum suum jam secretum, publicum facere voluit: cui cum occasionem dederit Pœnitentia a Pœnitentiario in satisfactionem injuncta, hanc una cum ministro ad hoc deputato abrogare censuit Nectarius.

XXI. Sed dices. Nectarium abrogasse etiam secretam confessionem, testantur verba, quæ subjicit Socrates, nempe, quod sublato Pœnitentiario: *Unumquemque vero pro arbitrio suo, & animi conscientia permisit ad Communionem Sacramentalem accedere* —— Nego tamen antec. ex his enim solum colligitur, Nectarium uniuscujusque arbitrio reliquisse confessionem satisfactoriam, quæ ex Ecclesiæ disciplina ad majorem pœnitentium humiliationem; & pro futuro præcautionem quandoque etiam publica imponebatur: non tamen in cujusque arbitrio reliquisse confessionem sacramentalem, quæ ad recipiendam peccatorum absolutionem jure divino semper fuit necessaria. Quod multiplici ratione evinco. Primo: quia Nectarius eam solum confessionem rescidit, quæ erat ad Canones, velut appendix apposita, propter Novatianorum hæresim: hæc autem non erat, nisi satisfactoria Ecclesiæ, & ideo publica. Secundo: quia non omnes Confessores exauctoravit, sed solum Pœnitentiarium pro confessione publica: cum tamen in ea magna Urbe plures alii pro excipiendis secreto confessionibus, & absolutione impertienda essent Confessarii. Tertio: quia eam solam confessionem expunxit, quæ scandalum pepererat: Et quæ fideles avertere poterat a confessionis frequentia: hæc autem non erat secreta, sed publica.

Uno verbo, id fecit Nectarius, desinente *Sæculo* 4. quod post medium sæculum 5. præstit S. Leo. *Anno* nimirum 459. Is enim cum resciviſſet, quosdam publice peccata sua confiteri, *Epist.* 80. modo 136. *ad Episcopos Campania &c. c. 2.* eum usum improbat his verbis: *Illam etiam contra Apo-*

stoli-

ſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi; ne videlicet, de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, qua propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, qui Pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo; ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur: dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referari, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentiam peccatori concedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis. Huc autem ſolummodo ſpectaſſe Conſilium Eudæmonis, abſcindendi nimirum confeſſionem publicam, indicat Socrates ipſe, qui Eudæmonem ſic alloquitur: *Conſilium tuum, o Presbyter, utrum Eccleſia profuerit an non, Deus viderit. Caterum anſam ex eo ſingulis datam eſſe video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant, nec obſervent præceptum illud Apoſtoli, quod ita ſe habet: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed potius redarguite.* Confeſſio autem, ex qua unus poteſt corripere delicta alterius, non eſt certe ſecreta, ſed publica.

XXII. Inſtant. S. Joannes Chryſoſtomus, qui Nectario in Epiſcopatu Conſtantinopolitano immediate ſucceſſit, uſum confeſſionis cujuſcumque peccatorum coram homine factæ, variis in locis penitus explodit; ergo ſignum eſt, quod Nectarius cujuſcumque confeſſionis uſum ſuſtulit. Ant. prob. Tum *Homil. 2. in Pſalm. 50.* ubi ait: *Si confunderis dicere alicui, quia peccaſti, dicito, & quotidie, in anima tua.* Tum homil. de Pœnitent. & confeſſione: *Nunc autem neque neceſſarium eſt præſentibus confiteri.* Inde ſubjicit: *Cogitatione fiat delictorum exquiſitio: abſque teſte ſit hoc judicium.* Sacerdos autem audiens in ſecreto confeſſionem ſimul eſt judex, & teſtis. Et miſſis aliis locis, Homil. 31. in Epiſt. ad Hæbreos. *Ante Deum* (inquit) *confitere peccata tua: Apud verum Judicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, ſed conſcientia tua memoria.* Et homil. 8. de Pœnit. *Non delictorum teſtes ſtatuas, intus in conſcientia, adſtante nemine, præter eum, qui cuncta videt Deum, reforma quod deliquiſti.* Porro qui in confeſſione delictorum excludit omnes præter Deum, qui cuncta videt, excludit confeſſionem factam homini, etiam ſecretam.

XXIII. Reſpondeo, neg. antec. Eam enim peccatorum confeſſionem ſolum excludit Chryſoſtomus, quæ fit coram teſtibus, qui exprobrare poſſunt, & ex qua peccator ruborem concipit, & infamiam incurrit: & hæc eſt confeſſio non abſolutoria, & ſecreta, ſed ſatisfactoria, & publica, quam Nectarius abrogaverat. Alioquin Chryſoſtomus exuberaſſet, vel ſupra ipſos Novatianos, qui aliquorum gravium criminum confeſſionem exigebant; vel ſupra ipſos Proteſtantes, qui eam pro graviſſimis criminibus, negare non audent. Nec obeſt, quod dicat, confeſſionem faciendam ſoli Deo, qui ſolus ſit teſtis. Nam confeſſio facta Sacerdoti, ut Miniſtro Dei, dici poteſt facta ſoli Deo, ſine alio teſte; quia Miniſter non ponit in numero cum principali: & cum lege ſecreti adſtringatur, perinde eſt ac ſi ea neſciret, ut homo. Unde ſicut Scriptura dicit, quod ſolus Chriſtus eſt, qui baptizat, cum tamen ſine Miniſtro ordinarie non fiat: ita ſoli Deo fit confeſſio, dum fit ejus Miniſtro, & ſolus ipſe peccata dimittit, dum dimittit per Miniſtrum. Addunt alii: Sanctum Chryſoſtomum ibi loqui de quotidiana Pœnitentia, quam quis diſcuſſa conſcientia ſua facere debet, qua peccata leviora dimittuntur; graviora autem etiam ſi adſit vera contritio cum confeſſionis voto. Confeſſionem enim Sacerdoti faciendam cum poſſit, eum non excludere vidimus ſupra, *l. 3. de Sacerdotio, cap. 5.* & etiam apparet ex *Hom. 30. in Geneſ.* Ubi hæc habet. *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus, Dei gratia; nunc maxime, & jejunii curſus intendendus, & magis continuanda ſunt preces, faciendaque diligens, & pura confeſſio peccatorum.* Et ſane confeſſionem ſecretam nec a Nectario, nec a Chryſoſtomo fuiſſe ſublatam, evidenter oſtendit continuata Eccleſiæ Græcæ praxis: in qua ſuccedentibus ſæculis, ejus uſus interrupte perſeveraverint, & adhuc in eadem etſi ſchiſmatica perſeverat; ut teſtatur Synodus Jeroſolymitana contra Cyrillum Lucari factum Calviniſtam, coacta *anno 1672.* Agens *cap. 15.* de ſeptenario numero ſacramentorum, de inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ hæc habet: *Pœnitentia ſacramentum, in quo & ſecreta includitur confeſſio, tunc* (Chriſtus) *tradidit, cum dixit.* Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta ſunt.

XXIV. Tandem, ut quæ hactenus dicta ſunt, planius apparent, ſciendum: quod in veteri Eccleſia Græca hæc invaluerat diſciplina, ut in Pœnitentiæ ſacramento duplex eſſet miniſterium: unum, quo peccata expoſita ſolverentur abſolvendo, vel retinendo ligarentur: alterum quo aſſignaretur, quodnam eſſet peccatum, pro quo pœnitens publicam lueret ſatisfactionem. Hujus diſciplinæ teſtis eſt Origenes, *Homil. 2. in Pſalm. 37.* ubi de peccatore dicit quod *Sicut iis, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam; aut humoris, vel phlegmatis ſtomacho, graviter, & moleſte imminentia, ſi vomuerint relevantur: etiam hi qui peccaverint, ſi quidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur a flegmate, vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſatur, fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit diſciplinam: ut ita demum, ſi quid ille dixerit, qui ſe prius, & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, & præviderit, talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſia exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.* Ita Origenes. Quibus duo vides fuiſſe in uſu: unum ſecreto pandere peccatum ſuum Sacerdoti prudenti, ac perito; unde infertur non unum fuiſſe, ſed plures, ut daretur locus electioni prudentioris. Alterum judicare, quænam peccata eſſent publice ſatisfactioni exponenda, quænam non. Ex hoc ſecundo ortum fuit ſcandalum, ideoque Pœnitentiarium, tamquam minus prudentem, quoad hoc munus ſuſtulit Nectarius, & cuique permiſit pro conſcientia ſatisfacere; intactum vero primum, in quo confeſſio ſacramentalis ſita eſt, prorſus reliquit.

XXV. Objiciunt quinto. In veteri lege non erat neceſſaria confeſſio peccatorum; ergo nec in nova: alias durioris conditionis eſſent Chriſtiani liberi ſub gratia, quam Judæi ſervi ſub lege.

Reſpondeo, neg. conſeq. Per confeſſionem autem peccatorum oneroſior non fit lex Chriſti, ſed levior. Quid enim levius ſine tanto apparatu ſacrificiorum, ut olim in veteri lege ſola confeſſione peccati, & inferiori Pœnitentia, mitiſſima adjuncta ſatisfactione, remiſſionem peccati, & quidem ſecuriorem obtinere?

XXVI. Sed dices. In oratione Dominica petimus, ut Deus dimittat nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: ſed nos ut dimittamus, non exigimus prævium confeſſionem; ergo neque Deus. —— Nego conſeq. Dum enim in oratione Dominica rogamus Deum, ut dimittat nobis ſicut nos dimittimus; ſolum denotamus, Deum non dimittere nobis peccata, niſi nos dimittamus ea proximo; unde, *Matth. 6. v. 15.* ſubjungit Chriſtus: *Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*, non eumdem eſſe modum dimittendi Dei, & noſtri; Deus enim dimittit nobis ſecundum modum ab ipſo præſcriptum, nos autem dimittere debemus abſolute. Immo Deus non dimittit peccata niſi diligentibus, & pœnitentibus; nos autem dimittere tenemur proximis, etiamſi nec nos diligant, nec illatæ nobis injuriæ eos pœniteat.

XXVII. Objiciunt ſexto: ex noſtro dogmate ſequitur, quod ille, qui contritus eſt, careat venia, niſi adeat Sacerdotem; ille vero, qui nec contritus eſt, ſi adeat Sacerdotem, veniam conſequatur: ſed hoc eſt contra Scripturam, quæ contritioni tribuit remiſſionem peccatorum, non autem comparitioni ante Sacerdotem, ergo &c.

Reſpondeo, neg. maj. Vel enim peccator Sacerdotem adire poteſt, ſed non vult: vel adire vult, ſed non poteſt. Si primum: non eſt vere pœnitens, & contritus; quia negligit medium a Chriſto inſtitutum pro remiſſione peccatorum poſt Baptiſmum: ſicut nec ille, qui adire poſſet Miniſtrum pro Baptiſmo, & nollet. Si autem ſecundum: dicimus, quod ſi vere contritus eſt, veniam peccatorum conſequitur, dummodo votum habeat confitendi. Ad modum, quo Cathecumeni, ſi cum vera contritione, & voto Baptiſmi moriantur, veniam peccatorum obtinent, & ſalvantur; ſi vero Baptiſmum ſumere queant, & contemnant, remiſſionem peccatorum obtinere non valent.

XXVIII. Objiciunt ſeptimo. Ex confeſſione ſecreta multos ſequi abuſus. Primo: Confeſſariorum ſollicitationes; contra quas adeſt Bulla Gregorii XV. —— Secundo: Conjurationes contra Principes interdum in ſecreto confeſſionis agitatas, & præcipue eas, quæ contra Henricum III. & IV. Galliæ Reges excitatæ fuerunt a quibuſdam Sacerdotibus in confeſſionis ſecreto, —— Etiam damna ſequi. Tum confeſſariis ex audiendis rebus libidinoſis. Tum pœnitentibus, quibus revocando in memoriam res turpes, poteſt occurrere delectatio. Et mille alias nugas, quas hæretici confingunt.

XXIX. Sed ad hæc reſpondeo, abuſus illos non eſſe vitia confeſſionis, ſed hominum, eoſque rariſſimos eſſe. Nec propterea eſt abolenda confeſſio. Quis enim neſcit, etiam Baptiſmo, & Euchariſtia quamvis a Chriſto inſtitutis, homines perditos abuti poſſe? numquid autem propterea auferri debent? numquid tollendus Apoſtolatus, quia multi abuſi ſunt prædicatione Evangelii ad ſpargendos errores? Et conjuratio illa oppoſita ab urgente non minus a Concionatoribus, quam a Confeſſariis excitata fuit? Si ergo propter hæc tollendi ſunt Confeſſarii, cur remanere debent Concionatores?

Ad id,

Ad id, quod additur, dico, quod si damnum est Sacerdotibus audire libidinum peccata in confessione; damnabile etiam erit ejusmodi peccata ab aliis patrata legere in Sacra Scriptura. Non ergo damnum est ea audire, si recte Sacerdos suo officio fungatur; qui potius debet similia horrore, & detestari, quam prosequi. Nec etiam damnum esse potest pœnitenti ea in memoriam revocare, ut exponat Sacerdoti cum dolore, & detestatione: sicut damnum non est ea in mentem revocare, ut coram Deo veniam petamus. Unde David adulterium suum præ oculis semper habebat, Psalm. 50. v. 5. *Peccatum meum contra me est semper.*

XXX. Solum remanet solvendum, quod Calvinus dicit, nempe: confessionem aliis retro temporibus fuisse liberam, nec ullam ante Innocentium III. fuisse de ea legem, aut constitutionem.

Sed ad hoc respondeo, ante constitutionem Innocentii, seu potius Concilii Lateranensis IV. cui ipse præfuit, extitisse præceptum Christi de confessione facienda, ut diserte probavimus; neque opus fuit, ut Pontifices, & Concilia præciperent id, quod Christus præcepto suo firmaverat. Neque Innocentius III. substantiam confessionis præcepit, sed solum tempus, quo de præcepto facienda esset, definivit. Immo neque decretum Innocentii novum est, sed potius innovatum. Nam etiam antiquis temporibus statutum erat, ut omnes fideles in Paschate confiterentur; quod Concilium Lateranense approbavit, confirmavitque, ut ait Trident. *Sess.* 14. *c.* 5.

Dubium II.

De tempore, quo obliget Confessio.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Suppono, ex dictis *Dub. præced.* Confessionem obligare de jure divino; quod etiam potest hac ratione suaderi. Cum enim confessio instituta fuerit a Christo tamquam pars sacramenti Pœnitentiæ (ut diximus) ad reparanda peccata commissa post Baptismum; sicut Baptisma ab ipso institutum fuit ad delendum originale, & peccata ante commissa: consequens est, ut sicut nullus sine Baptismo in re, vel in voto potest ab originali, & a peccatis ante Baptismum commissis mundari, & hoc de jure divino: ita nemo a peccatis, post Baptisma admissis sine confessione in re vel in voto purgari potest, & hoc de Jure divino; voluit enim Christus, ut per ea media, quæ ipse instituit, gratiam & salutem consequemur. Unde Basilius in Regulis Brevioribus: *Necessario* (inquit) *iis peccata aperiri debent, quibus credita est Mysteriorum dispensatio.*

II. Quod si Origenes, *Homil.* 2. *in Levit.* præter Baptismum, & Sacerdotis absolutionem, alias vias recenset ad consequendam peccatorum veniam; dicendum est, eas vias recensere, quibus obtinetur, aut probatur contritio, quæ cum confessionis voto impium in casu necessitatis, absente nimirum Ministro, & imminente periculo mortis justificare potest.

III. Quod etiam Petrus Lombardus, *in* 4. *Sent. dist.* 17. sicut etiam Gratianus rem hanc, tamquam dubiam, proposuerint, curandum non est. Nam præfati Doctores (si hoc tamen verum est) in hoc aliquid humani passi sunt, quia contra communem Patrum, & Ecclesiæ sensum errarunt. Et licet non fuerint hæretici formaliter, & cum pertinacia; fuerunt tamen hæretici materialiter, seu propugnarunt opinionem, quæ revera erat hæretica. Cæterum Magister Sent. citata *q.* 17. dum ait, sine confessione oris per contritionem, & humilitatem hominem justificari, non excludit votum confessionis; ait enim: *Ex quo proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit: quia ibi est confessio cordis, etsi non oris.* Et infra: *Sicut enim* (inquit) *præcepta est nobis interior Pœnitentia, ita oris confessio, & exterior satisfactio, si adsit facultas. Unde nec vere pœnitens est, qui confessionis votum non habet.* Quæ Doctrina Catholica est. Supposito ergo, quod peccatorum confessio jure divino præcepta sit, quod docet etiam S. Thom. in 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 2. quærendum est de tempore, quo obliget regulariter hoc præceptum.

In quo, ut certum habeo, Christum non determinasse tempus, quo regulariter fieri debeat confessio, sed hoc Ecclesiæ reliquisse; cui etiam reliquit tempus Communionis Eucharisticæ determinandum, ut supra diximus. Unde pro hoc

IV. Dico. Tempus ab Ecclesia determinatum pro impletione præcepti confessionis sacramentalis est, saltem semel quolibet anno. Sic habetur in Concil. Lateran. IV. Cap. *Omnes utriusque sexus*, his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti; & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* Quæ verba strictum præceptum continere ostendit pœna, quæ transgressori imponitur, nempe, quod *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Et Trid. *Sess.* 14. *Can.* 8. & omnia post illud habita Concilia de stricto præcepto intelligunt.

Hoc explicat S. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 3. dicens: *Ad confessionem dupliciter obligamur. Uno modo, ex jure divino, ex hoc ipso, quod est medicina: & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt post Baptismum. Alio modo ex præcepto juris positivi; & sic tenentur omnes ex ista institutione Ecclesiæ edita in Concilio Generali sub Innocentio III. Tum, ut quilibet peccatorem se recognoscere, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei. Tum, ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedat. Tum, ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus inter gregem lateat.*

Ex quibus S. Thomæ verbis infertur: quod licet annuæ confessioni nullum certum tempus præfixum sit; ratione tamen Communionis Paschalis, hoc præceptum in Paschate implendum est; ut sic probet seipsum homo, antequam de pane illo edat, & de calice bibat.

V. Sed dubium est de eo, qui in Natali Domini, aut quovis alio ejusdem anni tempore peccata sua confessus est: an satisfecerit annuæ confessionis præcepto: ita ut si in Paschate non haberet conscientiam peccati mortalis, non teneretur confiteri ante Eucharistiam, ex præcepto Ecclesiastico, quod implevit?

Huic dubio respondet S. Thom. citato loco, ad 3. *Quod ex vi sacramenti non tenetur aliquis confiteri peccata venialia, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur. Vel potest dici, secundum quosdam; quod ex Decretali prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia: quod patet ex hoc quod dicit, quod debet omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest. Et secundum hoc etiam ille, qui non habet peccata mortalia, non tenetur ad confessionem venialium: sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse; & hoc ei pro confessione reputatur.* Hæc S. Thomas.

§. II.

Varia Quæsita Resolvuntur.

VI. Quæres primo: An qui per annum legitime impeditus a sumptione Eucharistiæ, non autem a confessione facienda, teneatur, si sit conscius peccati mortalis eo anno confiteri?

Respondeo affirmative cum Tridentino, *Sess.* 14. *Can.* 8. ubi anathema dicit ei, qui dixerit, ad confessionem sacramentalem *Non teneri omnes, & singulos uniuscujusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno.* Et ratio est. Quia præceptum confessionis est præceptum distinctum & per se obligans, ac independenter a præcepto Eucharistiæ: effectus enim confessionis est independens, & non solum distinctus ab effectu Eucharistiæ.

VII. Quæres secundo: An qui prævidet, se toto anno impediendum a confessione, teneatur illam prævenire?

Respondeo affirmative, ut superius dictum est de Communione, si tamen sciat, se esse reum peccati mortalis.

VIII. Quæres tertio: An qui non est confessus intra annum, teneatur statim confiteri initio sequentis?

Respondeo affirmative. Et ratio est. Quia quando tempus non ponitur ut terminus, quo spirat præceptum, sed ut terminus, ultra quem non differatur executio præcepti, adhuc elapso tempore præceptum obligat: sicut si præfigatur annus debitori ad solvendum, adhuc elapso anno tenetur ad solutionem. At in decreto Concilii Lateranensis tempus non ponitur ut terminus, quo spirat præceptum, sed ut terminus, ultra quem non differatur, ut colligitur ex illis verbis: *saltem semel in anno* confiteatur quæ æquipollent istis, non differat confiteri intra annum; ergo elapso anno adhuc tenebitur.

Hinc non valet dicere. Qui infra diem non recitat officium, vel non jejunat, non tenetur recitare, aut jejunare die sequenti; ergo a pari. —— Nego enim consq. & paritatem. Quia tempus præscriptum recitationi Officii, vel jejunio, ponitur ut terminus, quo spirat præceptum. Tempus vero præscriptum confessionis ponitur, ut terminus, ultra quem differri non debet executio præcepti, ut dictum est.

IX. Quæres quarto: An possit quis satisfacere præcepto confessionis annuæ scripto, aut per interpretem: & an ad hoc teneatur, si aliter non potest?

Respondeo primo. Quod si potest, tenetur voce. Sic S. Thom. *Supplem.* 3. *part. q.* 9. *art.* 3. Quia sicut in Baptismo tenemur uti pro materia aqua communi; sic in confessione, cujus materia sunt actus pœnitentis, tenemur uti illo actu, quo communiter consuevimus manifestare, nempe, proprium verbum: alii enim modi inducti sunt in supplementum illius. Quare a Clemente VIII. 1602. damnata fuit hæc propositio: *Licere per litteras, seu internuntium Confessario absente peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

X. Respondeo secundo. Quod si non potest confiteri verbo, potest, immo tenetur confiteri vel nutu, vel scripto: non tamen tenetur per interpretem. Primam partem asserit S. Thom. mox citatus, *ad* 2. ubi ait: *In eo, qui usum*

uſum linguæ non habet, ſufficit, quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur: quia non exigitur ab homine plus quam poſſit —— Quia vero poſſet aliquis objicere, quod ſi loco aquæ, quæ eſt materia Baptiſmi, nemo tenetur, aut poteſt alium liquorem in locum illius ſubjicere; ergo nec loco vocis aliud ſignum. Propterea ſubjungit: *Quamvis homo non poſſit vel debeat Baptiſmum accipere, niſi in aqua, quæ eſt omnino ab exteriori. Sed actus confeſſionis eſt ad intra, & a nobis: & ideo quando non poſſumus uno modo, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri* —— Addo: quod materia Baptiſmi eſt determinata a Chriſto in aqua. Materia autem Pœnitentiæ eſt actus pœnitentiæ, prout eſt manifeſtativus peccati: & ideo ſi non poſſumus manifeſtare uno modo, poſſumus alio modo, ut poſſibile eſt, ſive per nutus, ſive per ſcriptum, ſive per nos, ſive per alios manifeſtare, ut in aliis humanis rebus facimus: quocumque enim modo peccata exponamus, & Sacerdos abſolvat, abſolutio ſuper nos cadit.

Secunda pars, quod ſi non aliter poteſt, teneatur nutu, vel ſcripto confiteri, probatur. Quia præcepta Eccleſiæ obligant, quando non eſt magna difficultas, vel grave damnum in eorum adimpletione: ſed grave damnum non eſt, nec magna difficultas in hoc, quod aliquis ſcripto, aut nutu confiteatur, ergo &c.

Tertia pars, quod non teneatur confiteri per interpretem, prob. 1. ex Cap. *Omnis utriuſque ſexus*. Ubi præcipitur tantum, quod omnis fidelis *ſolus* confiteatur proprio Sacerdoti. Secundo. Quia Tridentinum, *Seſſ.* 14. *c.* 5. dicit nec divino jure, nec Eccleſiaſtico mandatum eſſe, ut delicta occulta, publica confeſſione emendentur: per interpretem autem fierent aliquo modo publica. Tertio: Si ſcirem Confeſſarium revelaturum peccatum meum, non tenerer illud confiteri; ergo nec teneor illud confiteri, cum cogor revelare alteri.

Excipiendus tamen eſt articulus mortis. Tunc enim tenemur, non ex præcepto Eccleſiaſtico, ſed divino, & charitatis erga nos ipſos, ſi aliter non poſſumus, confiteri per interpretem; immo & coram aliis, etiam cum notabili detrimento famæ. Et hoc, quia tunc agitur de æterna ſalute: quæ cum præferenda ſit omni temporali bono; ideo per confeſſionem in tuto ponenda eſt, etiam cum detrimento famæ.

XI. Quæres quinto: An præceptum annuæ confeſſionis impleatur per confeſſionem ſacrilegam?

Reſpondeo negative. Cujus oppoſitum damnatum fuit ab Alexandro VII. die 14. Sept. anno 1665. his verbis: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Et prob. Nam una, & eadem confeſſio præcipitur a Deo, & ab Eccleſia; & Eccleſiæ præceptum eſt determinatio præcepti divini ad certum tempus: at nemo dixerit, ſacrilega confeſſione præceptum divinum impleri, cum Deus veram, ac ſinceram Pœnitentiam cum confeſſione omnium mortalium, & contritione ſaltem imperfecta eorumdem præcipiat: ergo qui facit confeſſionem voluntarie nullam, nec implet præceptum Eccleſiæ.

Confirmatur. Confeſſio ſacrilega non eſt vera, & valida confeſſio, nec fideliter facta: At Eccleſia in Cap. *Omnis* citato præcipit, ut omnis utriuſque ſexus fideliter confiteatur; ergo &c. —— Tum etiam: quia Eccleſia præcipit, ut Fideles ſemel ſaltem in anno accedant ad ſacramentum confeſſionis: ſed confeſſio voluntarie invalida non eſt ſacramentum, ſed ſacrilegium; ergo qui ſic accedit, non ſatisfacit præcepto.

XII. Quæres ſexto: An præceptum annuæ confeſſionis impleatur per confeſſionem validam quidem, ſed informem?

Reſpondeo affirmative. Et probo primo. Tunc enim impletur præceptum, quando adhibentur omnia eſſentialia ad rei præceptæ impletionem requiſita: ſed per confeſſionem validam, quamvis informem, adhibentur omnia eſſentialia ad eſſentiam confeſſionis, alias non eſſet valida, ergo &c. Secundo. Finis præcepti non cadit ſub præcepto, ergo finis confeſſionis qui eſt gratia, non cadit ſub præcepto. Cum ergo confeſſio dicatur informis ex eo præciſe, quia non confert gratiam; ideo qui facit confeſſionem validam, quamvis per eam gratiam non recipiat, ſatisfacit præcepto.

XIII. Dices. Qui communicat indigne, recipit verum ſacramentum licet informe: & tamen quia non recipit gratiam, non ſatisfacit præcepto, ut ſupra diximus, ergo nec qui facit confeſſionem informem, quia non recipit gratiam.

Reſpondeo, diſt. ant. Quia non recipit gratiam, & quia ſacrilege ponit obicem gratiæ, conc. ant. Quia præciſe non recipit gratiam ex pura negativa indiſpoſitione, neg. ant. Ille ergo qui indigne communicat, non ſatisfacit præcepto, quia ponit poſitivum obicem, & voluntarium gratiæ, contra præceptum Chriſti, & Eccleſiæ, a quibus præcipitur reverenter accedere. At qui facit confeſſionem validam, ſed informem, non ponit poſitivum, & voluntarium obicem gratiæ; alias non faceret ſacramentum, ſed ſolum negativum, ut infra oſtendemus, & ideo ſatisfacit præcepto.

XIV. Quæres tandem: An poſſit cum aliquo fideli diſpenſari, ne teneatur confiteri homini?

Reſpondeo negative cum S. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. *qu.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 5. cujus ratio eſt: Nam *Miniſtri Eccleſiæ inſtituuntur in Eccleſia divinitus fundata, & ideo inſtitutio Eccleſiæ præſupponitur ad operationem miniſtrorum, ſicut opus creationis ad opus naturæ. Et quia Eccleſia fundatur in fide, & ſacramentis: & ideo ad miniſtros Eccleſiæ nec novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova ſacramenta inſtituere, aut inſtituta removere pertinet, ſed hoc eſt poteſtatis excellentiæ, quæ ſoli debetur Chriſto, qui eſt Eccleſiæ fundamentum. Et ideo ſicut Papa non poteſt diſpenſare, ut aliquis ſine Baptiſmo ſalvetur: ita quod nec ſalvetur ſine confeſſione, ſecundum quod obligat ex ipſa vi ſacramenti: ſed poteſt diſpenſare in confeſſione, ſecundum quod obligat de præcepto Eccleſiæ; ut poſſit aliquis diutius confeſſionem differre, quam ab Eccleſia inſtitutum ſit.*

DUBIUM III.

Quas perſonas obliget Confeſſio.

§. I.

Reſolvitur Dubium.

I. DIco primo. Præceptum divinum de confeſſione non obligat Infideles non baptizatos. Prob. Præcepta divina non obligant eos, qui ea implendi capaces non ſunt: ſed Infideles carentes Baptiſmo non ſunt capaces confeſſionis, cum per ſolum Baptiſmum reddamur capaces alia ſacramenta recipiendi; ergo &c. —— Rurſus: qui nondum eſt adſcriptus alicui Reipublicæ, legibus illius non tenetur: ſed qui carent Baptiſmo, nondum ſunt adſcripti Chriſtianæ Reipublicæ; ergo legibus illius non tenentur. Sicut ergo qui ex voto tenetur amplecti aliquam Religionem, eſto teneatur illam ingredi; antequam tamen eam ingrediatur, non tenetur obſervare leges, & præcepta illius, quia nondum ſe illi ſubjecit per profeſſionem: ita Infideles, etiamſi Cathecumeni, tenentur quidem fidem Chriſtianam amplecti, eamque per Baptiſmum profiteri; priuſquam tamen Eccleſiam per Baptiſmum intrent, & fidem ejus profiteantur, non tenentur præceptis illius obedire.

Ex quibus inferes: eos multo minus obligari præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis annuæ, cum, ut docet Tridentinum, Seſſ. 14. c. 2. *Eccleſia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.*

II. Dico ſecundo. Omnes Fideles lapſi in peccatum mortale poſt Baptiſmum jure divino tenentur ad confeſſionem ſacramentalem, ita Concilium Tridentin. *Seſſ.* 14. *cap.* 5. Quia Confeſſio eſt inſtituta a Chriſto, ut medium neceſſarium lapſis poſt Baptiſmum.

III. Dico tertio, Confirmati in gratia non tenentur de jure divino confiteri. Prob. Quia illi fideles tenentur ad Confeſſionem ſacramentalem, qui habent materiam neceſſariam confeſſionis nempe, peccata mortalia, ut docet Tridentinum, *Seſſ.* 14. *c.* 5. ſed confirmati in gratia non habent peccata mortalia, ſed ad ſummum habere poſſunt venialia quæ ſunt materia ſufficiens quidem, ſed non neceſſaria; ergo &c.

Ex quibus inferes: B. Virginem utpote quæ non ſolum confirmata fuit in gratia, ſed & ab omni etiam peccato veniali immunis fuit, non fuiſſe obligatam, immo nec capacem hujus ſacramenti. Quare fabuloſum, immo temerarium eſt, quod aliqui dicunt, B. Virginem fuiſſe ſolitam quotidie confiteri S. Joanni Evangeliſtæ; & ſomniatur Facundez, dum hanc ſententiam tribuit S. Thomæ 3. *p. q.* 37. *art.* 4. Nam S. Thomas ibi de confeſſione peccatorum non loquitur, ſed de quibuſdam purgationibus legis, quibus *Sicut Chriſtus licet non eſſet legi obnoxius, voluit tamen Circumciſionem, & alia legis onera ſubire ad demonſtrandum Humilitatis, & Obedientiæ exemplum; & ut approbaret legem, & ut calumniæ occaſionem Judæis tolleret: propter eaſdem rationes voluit, & Matrem ſuam implere legis obſervantias, quibus tamen non erat obnoxia.* Ita S. Thomas.

IV. Neque dicas. Baptiſmus fuit a Chriſto collatus B. Virgini, quamvis a peccato originali immunis; ergo potuit etiam confeſſionem ſubire, quamvis omnis culpæ actualis expers foret.

Nego enim conſeq. Quia peccatum originale non eſt materia Baptiſmi, ſed aqua ad abluendum idonea: ideoque B. Virgo, immo & Chriſtus ipſe Baptiſmum ſuſcepere. At materia confeſſionis ſunt peccata perſonalia; unde qui omni peccato caruit, incapax eſt confeſſionis.

§. II.

Reſolvuntur Alia.

V. REſolvitur, ex dictis, primo. Quod unuſquiſque Chriſtianus, cum ad annos diſcretionis pervenerit, confeſſionis lege tenetur, ut ex laudato *Cam. Omnis utriuſque ſexus*. Hæc tamen ætas certo annorum numero definiri non poteſt. Quamvis enim vulgo ſeptennium aſſignetur; tamen, ut ait Catechiſmus Romanus, ab eo tempore incipit, quo incipit homo bonum inter & malum diſcernere, & in ejus mentem dolus cadere poteſt.

VI. Reſolvitur ſecundo. Quod quiſquis culpæ mortalis conſcius, ad ſacramentum Euchariſtiæ vult accedere, aut aliud ſacramentum adminiſtrare, lege confeſſionis tenetur. De acceſſu ad Euchariſtiam docet Tridentinum *Seſſ.* 13. *cap.* 7. & præcipit etiam omnibus Sacerdotibus celebraturis,

tis, habita tamen copia Confessarii. De receptione autem, & administratione aliorum sacramentorum traditur in Catechismo Romano, *p. 2. c. 5. n. 45.* Probabile tamen est, tam in administratione, quam in receptione aliorum sacramentorum non adeo stricta lege requiri præviam confessionem, quin sufficere possit contritio: quia Concilium Tridentinum citatum solius Eucharistiæ, tum suscipiendæ, tum conficiendæ meminit. Tutius tamen est, qui conscius peccati, vult quodcumque aliud sacramentum vivorum suscipere, vel solemniter administrare, ut prius sacramentali confessione se purget.

VII. Resolvitur tertio. Confessionis lege nos teneri, quoties sumus in articulo mortis. Ita S. Thomas in 4. dist. 17. qu. 3. art. 2. q. 4. *Quia* (inquit) *ea, quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere; ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo; obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel Baptismum suscipiendum. Et propter hoc etiam Jacob simul præceptum edidit de confessione facienda. & extrema unctione suscipienda.* Hinc Conc. Later. IV. c. 22. Clemens V. in Concil. Ravennatensi II. *Rubrica 15.* & S. Pius V. Constit. quæ incipit *Super gregem*, mandavit Medicis, ut infirmos moneant, quatenus Medicum advocent animarum, quod si non fecerint, eos relinquant.

Ex his inferes confessionis præcepto teneri etiam fideles, qui se in mortis discrimen probabiliter adducendos prævident, ut milites in procinctu certaminis (si commode facere possunt) & quicumque longas, ac periculosas navigationes aggrediuntur; mulieres etiam proxime parituræ, ut S. Carolus in Conc. Mediolan. *Tit. de Pœnitentia.*

VIII. Resolvitur quarto. Confessionis præceptum non obligare statim, ac aliquis in mortale lapsus est. Ita S. Thomas *in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 4.* citata: unde post multa, hanc opinionem, ut probabiliorem eligit. Nam præceptum confessionis est ex illis, quæ a Theologis vocantur affirmativa; quæ licet semper obligent, non tamen ad semper, seu ad statim, sed ad tempus determinatum: seu *Quando ex articulo temporis necessitas inducatur confessionis faciendæ.* Consilium tamen est, ut omnes, qui in peccatum mortale lapsi sunt, quam citius possunt, confiteantur. Vide S. Th. ibi.

QUÆSTIO VI.

De Qualitate, & Integritate Confessionis.

IN hac Quæstione celebriores difficultates, quæ circa naturam confessionis, a Theologis moralibus agitari solent, pro merito resolvemus.

DUBIUM I.

An possit dari Confessio valida, sed informis, & in quibus casibus?

§. I.

Explicatur Status Quæstionis.

I. DUpliciter confessio potest esse informis. Primo: quia deficiat illi forma sacramentalis, vel aliquid pertinens ad essentiam confessionis. Secundo: quia licet habeat omnia ad essentiam confessionis requisita; careat tamen effectu, propter quem fit, nempe gratia, & remissione peccatorum. Hic ergo non loquimur de confessione informi primo modo, sed tantum secundo, quærendo: an possit dari confessio aliqua, quæ valida sit, & ideo non repetenda; & tamen sit informis, idest, non producat gratiam, & remissionem peccatorum in eo, qui confitetur.

II. Adverto etiam: quod in aliis sacramentis, in quibus contritio, & dispositio pœnitentis non est pars essentialis, facile est concipere sacramentum validum, & informe. Si enim aliquis baptizetur, licet indispositus, dummodo debita materia, & forma adhibeatur, verum recipit Baptisma, licet informe, quia non recipit gratiam; dispositio enim recipientis non est pars essentialis Baptismatis. At in sacramento Pœnitentiæ, in quo actus, seu dispositio pœnitentis est materia, & pars essentialis sacramenti; difficile videtur, quod possit dari verum, & validum sacramentum, quod tamen sit informe, nec conferat subjecto gratiam.

III. Propterea Gabriel, Vega, Sylvius, Vasquez, Coninch, Amicus, & alii existimant, in nullo casu posse dari confessionem, quæ valida sit, sed informis. Quia pœnitens, vel accedit dispositus, vel indispositus culpabiliter, Si dispositus; confessio est valida, & formata, eique confert gratiam. Si vero culpabiliter indispositus; confessio est informis, sed nulla, & invalida.

Thomistæ vero, & alii dicunt, posse dari confessionem validam, sed informem, & carentem effectu remissionis peccatorum: dissident tamen in assignandis casibus, in quibus hoc accidat.

IV. Aliqui enim dicunt, eum facere confessionem validam, sed informem, qui facit confessionem non integram defectu examinis; quod in re non est sufficiens, quamvis ex ignorantia vincibili quidem, sed non crassa, & affectata credatur esse sufficiens. Quod explicat Joann. *art. 5.* Thomas hoc exemplo. Si quis incipiat cum aliqua diligentia facere examen, quo nondum absoluto vocetur, seu divertatur ad aliquod ministerium necessarium, verbi gratia, ad assistendum infirmo, & postea omnino oblitus de examine absolvendo, & existimans, se satisfecisse, ad confessionem accedit: iste, si alicujus mortalis obliviscatur, facit confessionem validam, sed informem; quia in re non fecit examen sufficiens, quamvis ipse credat esse sufficiens.

V. Secundo. Alii dicunt, posse contingere confessionem validam, sed informem, quando pœnitens habet quidem attritionem supernaturalem, hæc tamen non excludit virtualem quamdam, implicitam, & secretam voluntatem peccandi, licet ipse id non cognoscat.

VI. Tertio. Alii dicunt, tunc contingere confessionem validam, & informem, quando attritio, cum non sit generalis, non se extendit ad peccata inculpabiliter oblita in confessione. Sit exemplum: Nobilis quidam duo habet peccata lethalia, unum furti, alterum duelli: iste cum attritione de primo concepta ex motivo particularis turpitudinis illius, illud solum exponit in confessione; de duello vero nec dolet, nec illud aperit in confessione, quia oblitus, existimat se illud non commisisse. Is facit confessionem validam quidem, sed informem. Quærimus ergo: an in omnibus tribus relatis casibus contingat confessio valida, sed informis.

§. II.

Resolutiones Dubii.

VII. DIco primo. Datur confessio valida, sed informis. Ita S. Thom. *in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. qu. 1.* & in suppleм. *3. p. qu. 9. art. 1.* ubi hæc habet: *Confessio est actus virtutis, & est pars sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie, & sic confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Ecclesiæ, qui per confessionem conscientiam confitentis cognoscit: & secundum hoc confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus; quia potest peccata sua pandere Sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ se subjicere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum; tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis sacramentis est. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit: sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.* Quibus S. Doctor distinguit inter confessionem ut factam Deo, & ut habitus virtutis est; & sic non valet sine charitate, nec sine remissione peccatorum esse potest: & confessionem factam homini, & ut est sacramenti pars; & hoc modo, etiamsi non sit conjuncta cum perfecta contritione, potest esse vera, & valida confessio, quamvis sine fructu remissionis peccatorum, & proinde informis.

VIII. Probo ulterius hoc discursu. Si confessio non esset valida, nisi quando est formata, nemo posset esse tutus, se validam confessionem edidisse. Cum enim nemo sit certus, se adhibuisse omnia requisita ad obtinendam remissionis gratiam; semper esset anxius de confessione facta, an esset repetenda, vel non; ergo ad liberandas ab hac sollicitudine fidelium conscientias, dicendum est, dari posse confessionem validam licet informem. Sicut causa, de se alicujus effectus productiva, potest aliquando ex non dispositione subjecti a suo effectu impediri, & tamen, ea sublata, effectum suum producere.

IX. Dico secundo. Duobus sequentibus casibus (quidquid sit de aliis) existimo, dari confessionem validam, & informem. Primus est: quando quis bona fide existimat, se habere dolorem verum, & necessariam ad gratiam in sacramento obtinendam, & tamen coram Deo non habet; quia licet existimet, se deposuisse omnem affectum ad peccatum, in re tamen non deposuit: vel licet existimet se habere verum, & efficax propositum non peccandi, revera non habet —— Secundus est: quando licet quis habeat verum dolorem, in re ille tamen dolor, licet bona fide existimetur generalis, revera tamen particularis ex motivo est, & consequenter non se extendens ad peccata invincibiliter oblita. Hanc judico esse mentem Sancti Thomæ citati asserentis, confessionem validam, & informem contingere ex defectu contritionis, & doloris.

X. Probo autem hoc discursu. In illis casibus confessio est valida & informis, quando pro habenda gratia remissiva peccatorum non est confessio iteranda, sed tantum removenda fictio, seu indispositio, cum qua ad eam accessit, ut docet Sanctus Thomas citatus: sed hoc in præfatis duobus casibus contigit; ergo &c. Minor. prob. In primo casu cum quis accedit ad sacramentum cum dolore in re quidem insufficienti ad gratiam, quem tamen ex ignorantia, ad summum venialiter vincibili, existimat esse sufficientem: ex una parte ponit quidquid requiritur ad essentialia confessionis, ut pars sacramenti est; peccata enim seu subjicit clavibus Ecclesiæ cum dolore in sui existimatione sufficiente: ex alia vero parte non accedit dispositus ad gratiam coram Deo recipiendam: ad hanc enim non sufficit dolor existimatus sufficiens, sed requiritur dolor sufficiens in re. Unde pœnitens hoc modo accedens, se habet respectu sacramenti tamquam passum non sufficienter approximatum agenti, & sacramentum respectu pœnitentis, tamquam causa non debite applicata; ergo &c.

XI. In

XI. In ſecundo etiam caſu prob. ponendo caſum. Vir nobilis commiſſit duo peccata: unum furti, alterum vindictæ. Primum exiſtimat ſibi ignominioſum, non autem ſecundum. Unde etiam iſtius obliviſcitur, illud vero ſemper mente gerit, & de eo dolet, dolore tamen concepto ex ſpeciali turpitudine illius: & cum iſto dolore, qui ſecundum Tridentinum poteſt eſſe ſupernaturalis, & diſpoſitio ſufficiens, accedit ad Sacerdotem: & exiſtimans, ſe habere dolorem de omni peccato ſuo, & facere quod oportet, confitetur peccatum furti; peccati vero vindictæ oblitus, nec illud confitetur, nec de eo dolet, & ſic abſolvitur. Atqui vir iſte nobilis facit ex una parte ſacramentum validum, ex alia vero parte non juſtificatur, nec gratiam recipit; ergo &c. Min. pro prima parte prob. Ille vir confitetur, & ſubjicit Eccleſiæ clavibus omnia peccata, quorum recordatur, & in exiſtimatione ſua habet dolorem omnium, & abſolvitur; ergo ponit omnia eſſentialia ad ſacramentum, nempe, confeſſionem, dolorem, & abſolutionem. Pro ſecunda vero parte prob. Non poteſt unum peccatum mortale remitti ſine alio; ſed in caſu peccatum mortale vindictæ illi non remittitur; ergo neque illi remittitur peccatum furti min. prob. Non remittitur peccatum, niſi habenti dolorem, vel formalem, vel virtualem de illo, ſed in caſu neque habet dolorem formalem, nec virtualem de peccato vindictæ, cujus eſt oblitus. Quod enim non habeat dolorem formalem, ſupponitur; ſed quod nec habeat virtualem, ſic probo. Dolor de uno peccato ex motivo ſpeciali illius, puta, dolor de furto ex ſpeciali turpitudine illius, vel ignominia, quam affert, non eſt dolor adhuc virtualis de peccato vindictæ; cum ſpecialis deformitas furti non contineat, ſed ſit ſpecie diſtincta a deformitate vindictæ; ergo qui dolet de furto ex ſpeciali deformitate furti, nec virtualiter dolet de vindicta.

XII. Si dicas: quod ille dum habet voluntatem ſuſcipiendi ſacramentum, cenſetur virtualiter dolere de omni peccato. —— Contra eſt. Nam voluntas recipiendi ſacramentum, ſeu redeundi in amicitiam cum Deo, per ſe ipſam non excludit peccatum niſi includat dolorem de ipſo, vel formalem, vel virtualem; quorum neutrum haberi in caſu jam oſtendimus, & ideo &c.

XIII. Alium caſum confeſſionis validæ ſed informis crederem eſſe admittendum in opinione illorum, qui ad obtinendam gratiam in ſacramento pœnitentiæ requirunt amorem initialem remiſſum charitatis. In hac enim opinione, ſi quis exiſtimans ſe habere hunc amorem charitatis, revera tamen non habens, ſed tantum amorem ſuæ ſalutis, accedat ad ſacramentum Pœnitentiæ, validum faceret ſacramentum, quamvis gratiam remiſſionis non reciperet: poneret enim omnia eſſentialia ad ſubſtantiam, eſto non ad fructum ſacramenti. Nimis enim durum eſſet, & continuis anxietatibus torquerentur fideles, ſi ex defectu hujus amoris iterandæ forent confeſſiones. Quis enim certus eſſe poteſt, ſe talem amorem caſtum, & ſincerum veræ charitatis habuiſſe?

§. III.

Solvuntur Objectiones.

XVI. OBjiciunt contra primam aſſertionem primo. Sacerdos largiens abſolutionem non intendit abſolvere, & conficere ſacramentum, niſi conferendo gratiam, ſi enim cognoſceret, pœnitentem non eſſe ſufficienter diſpoſitum non poſſet eum abſque ſacrilegio abſolvere; ergo repugnat, ſacramentum pœnitentiæ eſſe validum, & non conferre gratiam.

Reſpondeo, neg. ant. Licet enim Sacerdos non poſſit licite abſolvere, nec ſacramentum conferre ei, quem indiſpoſitum videt; non tamen habere debet intentionem illud conferendi niſi ei, qui revera diſpoſitus eſt: alias conferendo Baptiſmum adulto, qui inſcio ipſo Sacerdote indiſpoſitus accederet, ei non conferret ſacramentum; ſicque nullum ſacramentum daretur invalidum, & informe.

XV. Objiciunt ſecundo contra eamdem aſſertionem. Eadem attritio, quæ eſt pars ſacramenti, eſt etiam juxta Tridentinum diſpoſitio ad gratiam; ergo non ſtat ſacramentum Pœnitentiæ eſſe validum, & habere materiam ſibi debitam, & non eſſe formatum —— Si reſpondeas, diſt. ant. Per ſe, & regulariter, conc. ant. Per accidens, & in caſibus allatis, neg. ant. Illis enim in caſibus per accidens, & defectu ſubjecti, attritio eſt pars ſacramenti: & tamen ad gratiam actu non diſponit.

XVI. Contra inſtant primo. Ut attritio ſit pars Pœnitentiæ debet eſſe talis, ut ſuper illam verificentur verba abſolutionis: ſed in caſu, quo attritio actu non diſponat ad gratiam, non verificantur, quia de facto abſolutio a peccatis non fit; ergo &c. —— Secundo. Qui facit confeſſionem informem eſt diſpoſitus: ſed qui indiſpoſitus facit confeſſionem, facit ſacramentum nullum; ergo &c.

XVII. Reſpondeo, primam inſtantiam probare; nec etiam formam baptiſmi verificari ſuper illum, qui indiſpoſitus baptizatur: cum tamen Baptiſmus, licet informis, ſit verus Baptiſmus. Ratio autem eſt. Quia, ut docet S. Th. 3. *p. q.* 84. *art.* 3. *ad* 5. hæc verba: *Ego te baptizo*: *Ego te abſolvo*, faciunt hunc ſenſum: *Ego ſacramentum ablutionis* vel *abſolutionis tibi impendo*. Quod verificatur, etiamſi per accidens, & ex indiſpoſitione ſubjecti actu nec abluat, nec abſolvat.

Ad ſecundum diſt. maj. eſt indiſpoſitus negative, conc. maj. poſitive, vel privative, neg. maj. & diſtincta ſimiliter min. neg. conſ. Indiſpoſitio enim, quæ facit confeſſionem validam, & informem, non eſt indiſpoſitio poſitiva, & voluntaria, ſed ſolum negativa, ignorata, & non voluntaria; & ideo non deſtruit validitatem confeſſionis.

XVIII. Objiciunt tertio contra ſecundam aſſertionem, & præcipue contra primum caſum. Ut docet S. Th. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 1. contritio eſt de eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ: ſed nihil poteſt eſſe validum ſine eo, quod eſt de illius eſſentia; ergo &c. —— Si reſpondeas, diſt. maj. Contritio, vel in re, vel exiſtimata, conc. maj. ſemper in re, neg. maj. Ad eſſentiam ergo confeſſionis, ut eſt pars ſacramenti, ſufficit, ut quis bona fide credens ſe eſſe contritum, exponat peccata ſua Sacerdoti, eaque ſubjiciat clavibus Eccleſiæ, quod ſi vere non eſt contritus, confeſſio non valet quidem coram Deo, quoad peccatorum remiſſionem, valet tamen coram Eccleſia, & quantum ad validitatem ſacramenti.

XIX. Contra inſtant. Ad valorem Baptiſmi, Euchariſtiæ, & aliorum ſacramentorum non ſufficit materia exiſtimata, ſi in re talis non ſit. Unde ſi aqua non eſſet vera, & elementaris aqua, ſi panis non eſſet vere, & triticeus panis: quamvis vera aqua, & verus panis in æſtimatione, nec Baptiſmus, nec Euchariſtia conficeretur. Cum ergo contritio ſit materia Pœnitentiæ ſi non ſit vere ſufficiens, etſi a peccatore exiſtimetur vera, non valebit ſacramentum.

XX. Reſpondeo, conc. ant. nego conſ. Nam in aliis ſacramentis materia non eſt actus humanus, ſed aliqua res elementaris; & ideo non regulatur ejus veritas juxta dictamen rationis noſtræ, & noſtram exiſtimationem, ſed juxta rei veritatem. Unde bene dicit arguens, quod niſi in re fuerit vera aqua, & verus panis, quamvis exiſtimentur tales, nec erit verus Baptiſmus, nec vera Euchariſtia. At materia in ſacramento Pœnitentiæ eſt actus humanus: & quia actus humanus veritatem ſuam, & bonitatem moralem deſumit ex dictamine rationis, & prudentiæ, & ex æſtimatione noſtra, ideo quando bona fide exiſtimamus, nos habere verum de peccatis dolorem, talis dolor eſt materia ſufficiens ad valorem ſacramenti, quamvis non ſit ſufficiens ad ejus effectum. Sicut qui adoraret hoſtiam non conſecratam, exiſtimans prudenter eam eſſe conſecratam, actum veræ adorationis Latriæ faceret.

XXI. Sed replicabis. Pœnitens, qui bona fide ſic agit vel exiſtimat ſe feciſſe totum, quod in ſe eſt, vel non. Si non, & nihilominus accedit ad ſacramentum, recipit ipſum indigne, ſacrilege, & facit ſacramentum nullum. Si ſic; nulla ratio eſt, cur ipſi gratia denegetur: quia facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ſuam; ergo vel ſemper ſacramentum eſt validum, & formatum, vel non eſt neque validum, neque formatum.

XXII. Reſpondeo, in prædictis caſibus pœnitentem revera non facere totum quod in ſe eſt. Sed quia hoc ex duplici capite poteſt provenire; vel quatenus faciens, & volens; vel ex malitia, aut etiam ex ignorantia affectata, & moraliter culpabili prætermittit aliquid neceſſarium: & tunc committit ſacrilegium, & ſacramentum eſt invalidum. Vel quatenus non advertit, ſe non facere quod in ſe eſt, nec facit reflexionem ſupra ſuam negligentiam; nihilominus in hoc non procedit malitioſe, ſed bona fide: & ſic licet defectu diligentiæ non afferat indiſpoſitionem neceſſariam, & ideo talis omiſſio ſit illi ſaltem venialiter culpabilis: quia tamen ita diſpoſitus eſt, ut ſi ſuam negligentiam cognoſceret, illam emendaret; ideo ſua bona fides ſufficit ad validitatem ſacramenti, quamvis non ad effectum.

XXIII. Adhuc tamen dices. Qui non advertit ſupra ſuam negligentiam; vel ſic non advertit, ut teneatur advertere, vel ſic, ut non teneatur. Si primum; facit confeſſionem nullum, quia illa inadvertentia reputatur ei voluntaria. Si ſecundum; ergo facit confeſſionem validam, & formatam.

Reſpondeo, eum non teneri, ita ut omiſſio ſit ſaltem mortaliter ei culpabilis. Nego tamen conſ. Quia cum ſupponamus, eum non accedere cum dolore ſufficiente ad gratiam; Deus, qui cor intuetur, quique non dimittit peccatum, niſi adſit vera deteſtatio, abſolvit quidem pœnitentem a nova culpa, non tamen ei dimittit peccata præterita.

XXIV. Objiciunt quarto contra eamdem, ex S. Thom. citato. Qui facit confeſſionem informem, accedit cum fictione ad ſacramentum: & tali fictione, quam cum deprehenderit confiteri tenebitur: ſed fictio, quam quis tenetur confiteri, eſt peccatum mortale, quia de ſolis mortalibus confiteri tenemur, ergo illa fictio eſt peccatum mortale; ergo reddit confeſſionem nedum informem, ſed nullam.

XXV. Reſpondeo, eum accedere cum fictione non cognita, ſed ignorata. Quia enim (ait Venerabilis Porrecta) ſecundum veritatem in corde ipſius adhuc latet culpa:

ideo veraciter fictus accedit. Quia vero hoc ignorat, immo se sufficienter dispositum credit; ideo ad fictionem hanc confitendam sua conscientia non adstringit. At quia ignorantia ista non est illi totaliter inculpabilis; ideo fructum absolutionis impedit. Quia vero postmodum per majorem sui discussionem venit in cognitionem talis fictionis, seu indispositionis, quæ in priori confessione fuit; ideo, inquit S. Th. eam confiteri in sequenti confessione tenebitur; non obligatione sub mortali, cum supponamus, illam fictionem involuntariam, & proinde non peccaminosam, saltem mortaliter fuisse: sed tenebitur, ut provideat securitati conscientiæ suæ. Esto enim sibi non sit conscius culpæ, potuit tamen in illa fictione intervenire aliqua culpa ipsi ignota: & cum de præterita fictione dolebit, & confitebitur, prioris confessionis fructum percipiet.

XXVI. Objiciunt quinto contra secundum casum. Peccata inculpabiliter oblita in confessione remittuntur per Pœnitentiam, quamvis confessio ad ea non se extendat, ut docet Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5. ergo a pari remittuntur quamvis attritio ad ea non se extendat.

Respondeo latam esse disparitatem inter integritatem confessionis, & integritatem attritionis. Quia integritas confessionis solum est necessaria necessitate præcepti: unde quomodocumque satisfiat isti præcepto, confessio manet integra formaliter. At integritas attritionis est necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum, cum sine Pœnitentia interiori peccatum non remittatur: ideoque cum illo casu neque directe, & formaliter, neque indirecte, & virtualiter doleat de illo peccato oblito, non potest illi remitti. Immo in tantum peccatum oblitum in confessione remittitur, quia virtualiter de illo dolet, dicens: *Ab occultis mei munda me Domine*, ut ait Concilium ibi.

XXVII. Objiciunt sexto. Ad validitatem confessionis requiritur propositum generale non peccandi de cætero: ergo etiam requiritur dolor generalis de peccatis præteritis.

Respondeo, neg. cons. Quia propositum respicit non solum peccata facta, sed factibilia; & ideo debet esse generalis: at dolor cadere debet super peccata commissa; & confessa. Cumque in casu allato pœnitens credat, se solum commisisse ea peccata, de quibus confitetur; ideo si de illis doleat, facit quod tenetur, ut confecto sit valida.

DUBIUM II.

An confessio semper debeat esse Integra, an vero aliquando possit dimidiari?

§. I.

Resolutio Primæ Partis.

I. DUplex in confessione distinguitur integritas, una formalis, alia materialis. Illa confessio est materialiter integra, in qua pœnitens exponit omnia omnino, & singula peccata lethalia post Baptismum commissa, & nondum bene confessa; ita ut nullum nec per oblivionem, nec per ignorantiam omittat. Illa vero confessio est formaliter integra, in qua pœnitens exponit omnia peccata, quæ hic, & nunc confiteri tenetur; ita ut etiamsi aliquod omittat, non ex culpa, sed ex legitima excusatione, vel ex oblivione, aut ignorantia inculpabili, adhuc confessio integritatem essentialem habeat.

II. Dico igitur: Formalis integritas semper est necessaria ad valorem confessionis: & subinde tenetur pœnitens declarare in confessione omnia, & singula peccata, & quantum ad speciem, & quantum ad numerum, & quantum ad circumstantias speciem mutantes; nisi oblivio, vel ignorantia, vel aliqua gravissima causa excuset. Est de fide contra Lutherum, & alios, ut supra advertimus, & traditur a Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. his verbis: *Cum universa mortalia peccata etiam cogitationis, homines ira Dei filios, & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confessionis a Deo quærere... Qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina non curat.* Quoad circumstantias vero speciem mutantes, ait: *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere &c.* Et *Can.* 7. anathemate ferit oppositum sentientes. Doctrina autem Concilii in eo fundatur, quod Christus in confessione peccata dimittit per modum judicii, media accusatione rei, & sententia Judicis: at sententia Judicis, ut justa sit, debet supponere integram cognitionem causæ, & integram reatus accusationem: cum non plene cognita causa nec firmum possit fieri judicium, nec æquitas servari in injungendis pœnis; ergo &c.

III. Hanc veritatem explicaverat S. Th. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 2. hac similitudine: *In medicina corporali oportet, quod Medicus non solum unum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat; sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi: eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret;* ergo similiter *in peccatis, quia unum aggravatur ex adjunctione alterius, & illud, quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastorali* (2. c. 7.) *dicit. Ideo de necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet; quod si non facit, non est confessio, sed confessionis simulatio.*

Hoc idem confirmat ibi, *ad* 2. his verbis: *Sacerdos confessionem audiens vicem Dei gerit: & ideo debet ei hoc modo fieri confessio, sicut fit Deo in contritione. Unde sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus contereretur: ita non esset confessio, nisi quis de omnibus, quæ memoriæ occurrunt, confiteatur.*

IV. Licet autem possit quis absolvi ab una excommunicatione, & non ab alia; non tamen ab uno peccato, & non ab alio. Nam excommunicatio est pœna; potest autem aliquis absolvi ab una pœna, & non ab alia. At peccatum est culpa inducens privationem gratiæ, & amicitiæ Dei: non potest autem quis habere amicitiam Dei in uno, & non in omnibus.

§. II.

Aliqua pro Praxi inferuntur.

V. INfero primo. Quod qui confessionem divideret, uni Sacerdoti unam partem, & alteri Sacerdoti aliam aperiendo, faceret confessionem nullam, & sacrilegam. Ita in C. *Consideret*, de Pœnit. dist. 5. *Cautus sit, ne verecundia ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit Sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta putat totum pervenire.*

VI. Sed dices. Quando aliquis pluribus Sacerdotibus confitetur, habet majorem erubescentiam; ergo fructuosiorem facit confessionem.

Respondeo, ex S. Th. citato loco, ex 4. *Sent. quæstiunc.* 2. *ad* 1. dist. ant. Majorem extensive, transeat ant. Intensive, neg. ant. Nam (inquit S. Th.) *Etsi erubescentia sit multiplicior, quando dividit diversa peccata diversis; tamen omnes simul non sunt ita magna, sicut illa una, qua quis omnia peccata sua simul confitetur. Quia unum peccatum per se consideratum non ita demonstrat malam dispositionem peccantis, sicut quando cum pluribus aliis consideratur, quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia, vel infirmitate labitur; sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem.*

VII. Infero secundo: quod qui duos eligit Confessarios, quorum uni duntaxat venialia, & alteri mortalia aperiat; periculo peccandi mortaliter se exponit. Et ratio est. Primo: quia peccat contra sinceritatem sacramenti. Secundo: quia potius studet famæ, & existimationi, quam saluti animæ, & gloriæ Dei, & ad hypocrisim tendit. Tertio: quia exponit se periculo frequentis prolapsionis; maxime si adeat Confessarium, vel imperitum, vel cui esset ignotus, ut non adhibeat opportuna remedia. Si autem ita esset affectus, ut si copiam alterius Confessarii non haberet, non aperiret Confessario lethale peccatum; procul dubio peccaret lethaliter.

VIII. Infero tertio: quod qui peccata mortalia ex oblivione, vel ignorantia, adhibita diligentia examinis juxta conditionem, & scientiam suam, confiteri omisit, confessionem iterare non tenetur; ea tamen confiteri debet, ubi memoriæ, vel cognitioni occurrerint. Sic Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5. & Alexander VII. 14. *Sept. anni* 1665. inter alias propositiones, hanc ordine 11. damnavit: *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* — Non tenetur tamen aperire peccata oblita eidem Sacerdoti, cui cætera confessus erat; sed sufficit, ut illa singulatim alteri explicet, alia vero generatim, dicendo nimirum, quod cum alia confiteretur, horum oblitus fuit.

IX. Sed quæres primo: An si aliquis dubitet, se commisisse peccatum aliquod, vel an illud sit mortale, vel an fuerit illud confessus, teneatur confiteri?

Respondeo affirmative. Ita S. Th. *in* 4. *dist.* 11. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 3. his verbis: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente: quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortali discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri: non tamen debet asserere, illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram, & lepram.*

X. Quæres secundo: An mentiri in confessione sit peccatum mortale contra integritatem confessionis?

Respondeo primo. Quod mentiri, negando se fecisse aliquod

aliquod peccatum mortale, quod revera commiſit, peccatum mortale eſt contra integritatem confeſſionis, & faciens ſacramentum irritum. Quia ſi libere omittere peccatum a ſe factum reddit ſacramentum nullum; multo magis negare ſe illud feciſſe: & ſi mentiri in judicio in re gravi mortale peccatum eſt; multo magis mentiri in hoc judicio ſacramentali.

XI. Reſpondeo ſecundo. Quod mendacium in confeſſione circa venialia, non videtur mortale peccatum, ſi alia peccata exponantur. Quia licet aliqua ſit irreverentia, non tamen ſubtrahit debitam ſacramenti materiam; quia venialia non ſunt ſacramenti materia neceſſaria, ſed libera. —— Si vero mendacium ſit circa ea ſola peccata, quæ confitetur, etſi venialia, peccatum mortale erit. Quia qui ſola venialia exponit, facit, ea eſſe materiam ſuæ confeſſionis; ergo, ſi circa ea mentitur, ſubtrahit debitam ſacramento materiam. Et ſicut qui aquam non veram in Baptiſmo aſſumeret, peccaret; ita qui peccata conficta in confeſſione exponeret. Immo non ſolum negando peccata, quæ fecit, ſed etiam aſſerendo, ſe feciſſe ea, quæ non fecit, ſive ex humilitate, ſive ex alia pia cauſa; quia nulla pia cauſa eſt, quæ ad mentiendum inducat. Vide S. Th. *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 3. & *ſuppl.* 3. *p. q.* 6. *art.* 4. Ut enim *Confeſſio ſit idonea, requiritur, quod os cordi concordet, ut ſolum hoc os accuſet, quod conſcientia tenet.*

Ex quo etiam infero, peccare mortaliter eum, qui circumſtantias opus a peccato excuſantes, aut ita minuentes, ut veniale faciant id, quod alias eſſet mortale, ſilentio præterit; quia in re gravi voluntarie decipit in judicando Confeſſarium.

XII. Quæres tertio: An ad integritatem confeſſionis teneatur pœnitens confiteri circumſtantiam relapſus?

Reſpondeo affirmative. Et oppoſitum damnatum fuit ab Innoc. XI. 2. *Martii* 1679. *prop.* 58. quæ talis erat: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Et ratio eſt. Nam relapſus eſt circumſtantia peccati gravitatem plurimum augens, juxta illud Chriſti, Matth. 12. verſ. 45. *& fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Idem docet S. Th. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 3.

§. III.

Reſolutiones Secundæ Partis.

NUnc videndum eſt: An aliquando, & quibus in caſibus dimidiari poſſit confeſſio.

XIII. Dico primo. Confeſſio dividi poteſt, ubi morale periculum eſt, ne Sacerdos Pœnitentem ad peccatum ſollicitet, ne confeſſionem revelet; ideoque, ne certi cujuſdam peccati, aut circumſtantiæ declaratione pœnitens ſeipſum, aut alium in ſalutis æternæ vitæ, aut famæ diſcrimen adducat. Et ratio eſt. Quia præcepta juris poſitivi cum tanto periculo non obligant: ac proinde in illa hypotheſi, vel ſtricto jure non obligat confeſſio, ac proinde ſe habet pœnitens, ac ſi copiam Confeſſarii non haberet: vel (& hoc melius, & tutius eſt) ſi tenetur ad Communionem accedere, & non poſſit alium Confeſſarium adire, explicare debet cætera peccata cum omnibus ſuis circumſtantiis; illud vero peccatum, ſeu circumſtantiæ, ex quibus periculum merito timetur, eadem confeſſione in generali, & implicite exponi debebunt cum propoſito illud, vel ejus circumſtantias explicandi, cum primum copia idonei Confeſſarii habebitur. Tunc enim confeſſio integra non erit per accidens, ex defectu Confeſſarii integri, non ex intentione pœnitentis. De quo videri etiam poteſt S. Th. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 4. *ad* 4. Cavendum tamen eſt, ne leves ſuſpiciones, inaneſque timores peccatorem abducant ab aliquius peccati lethalis, aut circumſtantiæ neceſſario explicandæ confeſſione: & ideo doctrina hac caute utendum eſt.

XIV. Dico ſecundo. Imminente naufragio, vel prælio, aut alio præſente periculo, ex quo nullus patet exitus; ſi Sacerdos non poſſit omnium ſingulatim, & integras audire confeſſiones, poteſt, ac debet abſolvere ſacramentaliter plures ſimul, dummodo aliquod ex peccatis, vel omnia ſaltem in generali cum dolore exponant. Et ratio eſt. Quia cum iſti quantum in ſe eſt, Eccleſiæ clavibus ſe ſubjiciant, faciantque in illis anguſtiis id, quod poſſunt; non debet Eccleſia eis negare remedium a Chriſto inſtitutum; immo debet illos ſolutos ex hoc mundo dimittere. Si tamen ex eo periculo evaſerint, omnia ſua peccata ſigillatim, & ſoli tenebuntur Sacerdoti confiteri. —— Extra tamen iſtos caſus peccaret Sacerdos, ſi multorum ſimul confeſſiones audiret, etiam puerorum doli capacium; quia violaret præceptum Eccleſiæ in Conc. Later. IV. C. *Omnis utriuſque ſexus*, ubi præcipitur: ut quiſque ad annos diſcretionis perveniens *ſolus* confiteatur.

XV. Dico tertio. Sacerdos vocatus ad infirmum, qui obmutuit, aut rationis uſu deſtitutus eſt; ſi ex aliorum teſtimonio ſibi conſtet, pœnitentem animi ſigna exhibuiſſe, vel Confeſſarium poſtulaſſe, ipſum abſolvere poteſt, & debet. Nititur hæc doctrina auctoritati S. Auguſt. *lib.* 1. *de Adulterinis conjugiis, c.* 26. *&* 28. ubi docet, catechumenos in extremis conſtitutos, etiamſi *Petere ſibi Baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint*, eſſe nihilo minus baptizandos: quia *Eorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit*, & *cap.* 28. idem de Pœnitentia ſentit, dicens: *Qua autem Baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finienda vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.* Idem in terminis ſtatuit Concil. Carthag. IV. *Can.* 76. Arauſicanum I. *Can.* 12. Toletanum XII. *Can.* 2. Et Rituale Romanum confirmat dicens, quod faciente aliquo pro eo confeſſionem generalem, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia, & peccato: & poteſt injungere circumſtantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus, aut conſanguineis pro ejus anima, ſi volunt acceptare. Deinde debet ei dari Euchariſtia, etiamſi non ſit confeſſus.

XVI. Dico quarto. Moribundum hominem, qui rationis uſu ſubito deſtitutus, ac ſenſu pœnitentiam, & reconciliationem nec verbis, nec nutibus petiit, neque ulla ſigna pœnitentiæ exhibet; ſi conſtet vitiis deditum fuiſſe, aut peccandi proximis occaſionibus implicatum, abſolvendus non eſt: ſi autem bene vixerit, & ſacramenta frequentaverit, probabilis utrinque ſententia eſt.

Prima pars videtur certa. Quia qui vitiis deditam vitam duxit, nec ante ſigna pœnitentiæ dedit, cenſetur perſeverare in eadem voluntate peccandi —— Quod ſi S. Auguſtinus citatus, *c.* 28. dicit, Catechumenos moribundos, etiamſi adulterina retineant conjugia, eſſe baptizandos —— Hoc ideo dicit, quia ſupponit, ratione voluntatis ſuſcipiendi Baptiſmum, habuiſſe quoque voluntatem dimittendi adulterina conjugia; quibus non dimiſſis, Baptiſmus recipi non poteſt, quamvis iſta voluntas ſit incerta. Unde ait: *Quis enim novit, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ab Baptiſmum ſtatuerant detineri?*

Secunda pars, quæ etiam S. Aug. temporibus utrinque diſceptabatur, pro parte negativa probatur. Quia in tali moribundo nullus eſt actus, qui poſſit eſſe ſufficiens materia pœnitentiæ: ideoque facultas Pariſienſis oppoſitum cenſura notavit, 3. *Februarii, ann.* 1665. —— Pro parte vero affirmativa probatur. Qui enim anteactam vitam bene duxit, & cum frequentia ſacramentorum, etſi tunc non petat, quia non poteſt; moraliter præſumitur petere, nec velle ſine ſacramentis ex hac vita exire. Addit etiam S. Aug. *Si voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti denegare, ubi velit, an nolit, ſic non apparet; ut tamen credibilius ſit, eum ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dicturum ea ſacramenta percipere, ſine quibus jam credit non ſe oportere de corpore exire.* Ita S. Auguſt. Prior tamen opinio nunc videtur comunior.

XVII. Dico quinto. Qui reſervatorum criminum reus eſt, & confitetur Sacerdoti facultatem abſolvendi a reſervatis non habenti; tenetur tamen omnia peccata, tam non reſervata, quam reſervata confiteri: & licet Sacerdos poſſet illum abſolvere a non reſervatis, remittendo ipſum ad Superiorem pro abſolutione reſervatorum: attamen convenientius videtur, ut ab omnibus ſimul abſolvatur, petendo poteſtatem ab eo, qui illam habuerit, integra confeſſione apud eumdem edita.

Prima pars traditur a S. Th. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 4. his verbis: *Etiamſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tenetur ſibi omnia confiteri; ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis, de quibus non poteſt abſolvere, ad Superiorem remittat.* —— Secunda pars traditur ab Henrico, Prierate, Cajetano, & Soncinate, qui dicunt: quod ſi Confeſſarius audita omnium peccatorum confeſſione, abſolveret ab illis peccatis, a quibus poteſt; remitterentur illi omnia peccata etiam reſervata, modo rite diſpoſitus eſſet, cum ordine tamen ad alteram abſolutionem, quam paratus eſſet poſtulare, & recipere a Superiore. Et hoc maxime a Confeſſario fieri poſſe cenſerem; ſi ex non abſolutione pœnitentis oriri poſſet aliqua infamia. Tunc enim abſolvendo eum a peccatis, quibus poteſt, illum dimittere poſſet cum obligatione recipiendi abſolutionem a Superiore.

Tertia autem pars traditur a S. Carolo in ſuis inſtructionibus de Pœnitentiæ ſacramento, qui dicit: quod *Cum liceat eum, a quibus poteſt, abſolvere, & pro reſervatorum abſolutione mittere ad eum, qui habet abſolvendi facultatem: videbit tamen, utrum anima illius magis conſulatur, ſi ipſa facultatem abſolvendi impetret coram, ſi fieri poſſit: alioqui per litteras ſaltem, idque caute quantum fieri poſſit: ut ita pœnitentem uno tempore ab omnibus abſolvat.*

DUBIUM III.

An ad integritatem Confeſſionis neceſſe ſit explicare circumſtantias Peccatorum intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes?

§. I.

Paucis præmiſſis reſolvitur Dubium.

I. CIrcumſtantiæ peccatorum ſunt in triplici genere. Aliquæ enim mutant ſpeciem peccati: ut ſi fornicatio fiat cum virgine, tranſit in ſtuprum, ſi cum conjugata, in adulterium, ſi cum conſanguinea, in inceſtum.

Aliæ sunt, quæ licet speciem non mutentur, aggravant tamen notabiliter intra eamdem speciem; ut furtum mille aureorum est notabiliter gravius, quam furtum unius aurei. Aliæ sunt, quæ nec speciem mutant, nec notabiliter aggravant; ut occidere hominem ferro, vel ligno.

II. Circumstantias primi generis, conveniunt omnes Catholici Doctores ex Tridentino, esse necessario confitendas, circumstantias vero tertii generis, non. Quæstio ad circumstantias secundi generis restringitur. De quibus plures, ut S. Bonaventura, Durandus, Paludanus, Silvester, Navarrus, Joan. Medina, Vazquez, Valentia, Toletus, de Lugo, negant. Alii autem, inter quos plerique Nostratum, affirmant, quos sequuntur Suarez, Amicus, Sa, Coninch, & alii.

III. Dico. Probabilius videtur, circumstantias intra eamdem speciem notabiliter malitiam aggravantes, esse necessario ad integritatem confessionis aperiendas. Hoc existimo conformius menti Concilii Tridentini; quod licet expresse noluerit hanc quæstionem definire, huic tamen nostræ assertioni favere videtur. Nam, *Sess. 14. c. 5.* dicit: quod talis debet esse confessio, ut ex ipsa Sacerdos recte judicare possit de criminum gravitate, & servare æquitatem in injungendis pœnis: quod non posset fieri, si in genere dumtaxat, & non in specie, ac sigillatim peccata cognosceret: at ex hoc infertur etiam necessitas aperiendi circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes; ergo &c. Min. prob. Furtum mille aureorum gravius longe est, quam furtum unius aurei: quomodo ergo Confessarius judicare poterit de gravitate furti: si nesciat, an furatus sit mille aureos, an unum tantum? Quomodo poterit condignam pœnam infligere? Certe major pœna debetur ei, qui unico actu multa millia aureorum eripuit; quam ei, qui fecit tria furta, quibus solum tres aureos abstulit: sicut majori supplicio dignus est, qui tormento bellico centum homines occidit; quam qui ense unum solum interfecit.

IV. Confirmo, Concilium ibidem docet, non solum speciem, sed etiam numerum peccatorum mortalium esse aperiendum; ergo censet, circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes esse aperiendas. Conf. prob. Circumstantia notabiliter aggravans, vel importat plures malitias distinctas, vel saltem æquivalet in gravitate pluribus malitiis, & peccatis: unde furtum mille aureorum æquivalet in gravitate, & malitia mille furtis unius aurei; & odium per annum integrum durans æquivalet pluribus actibus replicatis odii, quia continuatio peccati est virtualis quædam peccati repetitio; ergo si numerus peccatorum aperiendus est, cur non erunt aperiendæ circumstantiæ æquivalentes tali numero? Hæc tamen ratio intelligenda est, quando æquivalentia est tanta, ut notabiliter augeat gravitatem, & variet in Confessario judicium. Unde non sequitur, quod si duo furta unius aurei aperienda sunt, ita etiam aperiri debeat furtum duorum aureorum; quia licet æquivaleat duobus furtis unius aurei, non tamen est circumstantia aggravans malitiam: unde æquivalet quantum ad materiam furti; non tamen quantum ad malitiam actus.

V. Secundo probo assertum. Circumstantia, quæ potest ab Ecclesia reservari, est necessario aperienda in confessione: sed circumstantia notabiliter aggravans intra eamdem speciem potest, immo de facto ab Ecclesia reservatur; ergo &c. Maj. patet. Quia incestus, sive cum sorore, sive cum matre, sive cum alia consanguinea est circumstantia solum aggravans in specie incestus: & tamen licet incestus ex sua specie non sit reservatus, incestus tamen cum sorore, vel matre reservatus est. Maj. probatur. Quia Ecclesia non potest sibi reservare id, quod solum veniale est, & materia libera confessionis; ergo si eas circumstantias reservat, judicat, eas inducere specialem gravitatem necessario in confessione aperiendam. Incestum autem cum quacumque persona conjuncta esse ejusdem speciei probat S. Th. 2. 2. *q. 154. art. 9. ad 2.*

VI. Tertio prob. Opus externum in communiori sententia non addit novam specifice, & essentialiter malitiam supra actum internum, ut ostendimus, *Tom. 1. in 1. 2. Q. 3. de Act. human. Moralit. Dub. 8.* sed est sola circumstantia consummativa actus intenti extendens peccatum intra eamdem speciem: & tamen actus externus necessario aperiendus est in confessione; ergo &c. Sicut igitur qui cum consanguinea concubuit, non satisfacit dicendo se incestum commisisse; nisi explicet gradum consanguinitatis: & tamen incestus cum consanguinea solum addit circumstantiam intra eamdem speciem aggravantem supra concubitum eam affine, ut docet S. Th. loco citato. Sicut qui immaniter amputavit alicui aures, brachia, pedes, eique oculos eruit, non satisfacit dicendo se graviter aliquem vulnerasse. Et qui aliquem omnibus bonis suis spoliasset, non satisfaceret dicendo, se in materia gravi furtum fecisse: quæ tamen circumstantiæ intra eamdem speciem aggravantes: ita &c.

VII. Ex his omnibus concludo sic: Innoc. XI. hanc propositionem, num. Primam, *anno 1679.* proscripsit: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem; relicta tutiore.* At opinio asserens, ad valorem sacramenti Pœnitentiæ necessarium esse aperire circumstantias notabiliter aggravantes, est tutior: ergo in praxi non est licitum eam relinquere. Est etiam probabilior, maxime post eumdem Innocentium, qui dum damnavit hanc alteram, n. 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ubi consuetudinem peccati, quæ est circumstantia notabiliter aggravans intra eamdem peccati speciem, statuit esse aperiendam; ergo &c.

§. II.

Solutio Objectionum.

VIII. Objiciunt primo. Tridentinum, *Sess. 14. cap. 5.* docens, quænam circumstantiæ sint in confessione aperiendæ, solum meminit earum, quæ speciem mutant; ergo aliæ applicandæ non sunt. — Si respondeas, ex hoc sequi solum, Tridentinum noluisse hanc quæstionem definire. Cæterum ex ejus doctrina bene inferri, aperiendas esse etiam circumstantias notabiliter aggravantes, supra ostendimus. Unde Catechismus Romanus editus ad explicationem Tridentini, *p. 2. de pœnitentia, n. 47.* ait: *Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet; verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & gravitatem valde augent, vel minuunt.* Et infra, inter illa, quæ gravitatem augent, & numeranda sunt, ponit furtum centum, vel ducentum aureorum supra furtum unius aurei.

IX. Initabis, Concilium post verba præfata subdit: *Nihil aliud a pœnitentibus exigitur*: ergo sentit sufficere exponere circumstantias, quæ speciem mutant.

Nego enim conf. Nam illis verbis Concilium solum indicare voluit, confessionem omnium peccatorum non esse impossibilem: quia Ecclesia solum exigit, ut pœnitentes ea peccata confiteantur, quibus, post diligens examen, se *Dominum, & Deum suum moraliter offendisse meminerit.*

X. Objiciunt secundo. Non est necesse in confessione exponere circumstantias notabiliter minuentes peccatum; ergo nec exponere notabiliter aggravantes.

Respondet Suarez, neg. conf. & paritatem. Quia Pœnitentia cum non sit instituta ad se excusandum, sed ad se accusandum, non oportet fateri ea, quæ minuunt, sed quæ gravant peccatum. — Melius tamen, neg. ant. Sicut enim ad rectum judicium requiritur scire id, quod gravat delictum; ita id, quod notabiliter minuit: ut sicut ad diminutionem delicti possit augere pœnam, ita ad diminutionem delicti possit pœnam minuere: utrumque enim exponendum docet Catechismus Romanus, citato loco. Unde si mulier passa sit se corrumpi metu mortis, hanc circumstantiam debet in confessione aperire.

XI. Objiciunt tertio. Nullum est præceptum de aperiendis circumstantiis notabiliter aggravantibus; ergo sunt quidem aperiendæ de consilio, non tamen de præcepto. Et ita sentit S. Th. *in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 5.* Ubi tamquam probabilius censet, quod *Non sint de necessitate confitenda, nisi circumstantia, quæ ad aliud genus peccati trahunt.*

XII. Respondeo ad primum, neg. ant. Ex institutione enim sacramenti Pœnitentiæ per modum judicii, præceptum est quidquid requiritur, ut Sacerdos exactam habeat cognitionem de criminum gravitate: ad quam requiri confessionem circumstantiarum notabiliter aggravantium, ostensum est. — Nec oppositum sentit S. Th. qui ut supra vidimus, ex 2. 2. *q. 154. art. 9. ad 2.* censet, incestum, sive cum consanguinea, sive cum affini, esse ejusdem speciei; & tamen esse in Confessione exprimendum censet. Solum ergo ibi vult, non omnes circumstantias, quæ *Aliquam notabilem quantitatem peccato addunt*, esse aperiendas, & quæ solum venialiter peccatum gravant: *Quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.* Quia autem dantur aliquæ circumstantiæ adeo gravantes, ut æquivaleant novo peccato mortali intra eamdem speciem; ut incestus cum sorore, furtum mille aureorum, mora per multos dies in odio Dei, relapsus in idem peccatum mortale; ideo has non negat S. Thom. esse de necessitate aperiendas; addunt enim, saltem virtualiter, quantitatem infinitam peccato intra eamdem speciem.

XIII. Ut autem facilius dignoscatur, quænam sint circumstantiæ notabiliter aggravantes, noto; circumstantiam posse aggravare, vel ratione quantitatis, ut furtum mille aureorum. Vel ratione durationis, ut si quis per multas horas perseveraverit in odio Dei, vel proximi. Vel ratione intensionis, ut si tanto odio exarserit in inimicum, ut mortuum licet, eum confoderet. Vel ratione personæ, ut si incestus fuerit cum sorore. Vel demum ratione consuetudinis, & relapsus, ut Innocentius XI. statuit.

§. III.

De Persona Complicis.

XIV. Circa quæstionem: An ad integritatem Confessionis pœnitens teneatur manifestare personam complicis, suppono primo. Quod si sine manifestatione complicis potest explicari integras species peccati, non tenetur; immo ex charitate debet tacere personam complicis — Secundo. Si complicem teneatur prodere ad explicandum

candum peccatum, debet, ſi poteſt, Confeſſarium adire, qui complicem non cognoſcat; vel ſe occultando facere, ne Confeſſarius veniat in notitiam complicis. — Tertio. Si morale periculum ſit, Confeſſarium extra Confeſſionem infamaturum, aut grave nocumentum illaturum complici; tenetur (ſicut poteſt ſeipſum & peccatum ſuum reticere, ut diximus) reticere etiam perſonam complicis.

XV. Sed dubium eſt: An ſi pœnitens non poſſit integram ſui peccati ſpeciem exprimere abſque manifeſtatione complicis, nec adire Confeſſarium, qui complicem ignoret; & aliunde nullum damnum complici timeatur ex malitia, vel imprudentia Confeſſarii: poſſit, ac teneatur illum prodere, non obſtante infamia illius apud Confeſſarium.

XVI. Reſpondeo affirmative. Eſtque ſententia apud Noſtrates communis, & etiam apud Extraneos: quam probo ſic. Poteſt enim quis uti jure ſuo, quærendo propriam utilitatem, vel corporis, vel animæ, etiamſi inde ſequatur incommodum proximi: ſicut ad defenſionem propriæ vitæ licet aliquid facere, ex quo ſequatur damnum in vita alterius; ergo cum pœnitens habeat jus ad conſulendum animæ ſuæ per integram confeſſionem, id poterit facere, licet illi neceſſe ſit alterum prodere: maxime quia infamia, quæ oriretur, eſſet parvi momenti, utpote apud unum ſolum, qui tenet locum Dei; & qui ſub eodem ſigillo ſervare tenetur peccatum complicis, ac peccatum pœnitentis.

XVII. Confirmo. Pœnitens habet jus accuſandi integre ſeipſum; ergo habet jus accuſandi etiam complicem, ſi aliter non poſſit integre ſe accuſare. Et ſane: ſi juxta Adverſarios poteſt pœnitens, etiam extra confeſſionem, manifeſtare complicem ob utilitatem ſpiritualem, puta, ob emendationem complicis; quanto magis poterit ipſum manifeſtare in confeſſione, ob utilitatem ſpiritualem propriam, quam magis tenetur procurare, quam utilitatem complicis?

XVIII. Neque per hoc facit injuriam complici. Quia qui ſe facit ſocium in crimine, voluntarie cenſetur etiam ſe ſubdidiſſe cognitioni Judicis; ſi ſine notitia ipſius nequeat exacte judicare de crimine.

Nec per hoc formaliter diffamatur, ſed tantum materialiter. Quia pœnitens non manifeſtat complicem animo eum diffamandi; ſed ſolum intendit uti jure ſuo, quod habet ad ſe integre accuſandum. Quod autem accuſatio ſui conjungatur cum diffamatione complicis, per accidens ſe habet ad intentionem pœnitentis.

XIX. Quæ hactenus dicta ſunt, intelligenda ſunt de complice conſcio, & conſentiente; ſecus vero ſi conſcius non fuerit, vel violenter ad peccandum tractus. Unde ſi pœnitens dediſſet matri inſciæ pharmacum ad extinguendam prolem conceptam ex adulterio, non tenetur eam manifeſtare. Similiter ſi quis habuiſſet inceſtum cum ſorore, ipſa poſitive renuente, non debet eam prodere in confeſſione. Quia qui conſcius non fuit, vel crimini repugnavit, voluntarie non ſe ſubjecit cognitioni Judicis; ſed ſolum ille, qui voluntarie conſenſit in crimen. Unde in hoc caſu ab integritate confeſſionis per accidens excuſatur.

Pariter ſi Sacerdos, dum confitetur, non poteſt taliter peccatum ſuum exponere, niſi violando ſigillum confeſſionis, & detegendo peccatum pœnitentis ſibi antea confeſſi; tunc hoc peccatum tacendum eſſe docent omnes Caſuiſtæ: quia ſigillum ſtat ſemper in favorem pœnitentis, & neceſſitas illud ſervandi prævalet neceſſitati integritatis confeſſionis, quamvis utraque ſit de jure divino.

QUÆSTIO VII.

De Miniſtro, & Sigillo Confeſſionis.

DE Miniſtro confeſſionis, & Sigillo, quo tenetur, hic agendum eſt.

DUBIUM I.

An Miniſter hujus Sacramenti ſit ſolus Sacerdos.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco. Solus Sacerdos eſt miniſter Pœnitentiæ. Illuſtre hujus veritatis teſtimonium præbent verba Chriſti, Jo. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quæ cum non ſint omnibus dicta, ſed ſolis Apoſtolis, quibus in hoc miniſterio Epiſcopi, & Sacerdotes ſuccedunt; clarum eſt, eos ſolos hoc miniſterio potiri. Veritas hæc tamquam de fide definita fuit a Concilio Conſtantienſi in Bulla Martini V. contra Wicleffum; a Florentino in Decreto Unionis: & tandem a Tridentino contra Lutherum, *Seſſ.* 14. *cap.* 6. ubi, ex verbis prælaudatis Chriſti, probat, ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis.

II. Veritas hæc, ab Apoſtolis continua traditione eſt derivata. Tertullianus, *l. de Pœnitentia, cap.* 9. teſtatur, pœnitentes ſui temporis non tantum lacrymari, & ingemiſcere ſolitos, ſed & *Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari*, S. Ambroſius, *l.* 1. *de Pœnit. cap.* 2. jus ligandi, & ſolvendi ſolis Sacerdotibus permiſſum affirmat. S. Chryſoſt. *l.* 3. *de Sacerdotio, cap.* 5. cujus verba ſupra retulimus, hoc diſerte fatetur. S. Baſilius hanc ſupponit, dum q. 110. in regulis brevioribus hoc dubium proponit: *Numquid conveniet, dum ſoror Presbytero confitetur, etiam Antiſtitam ipſam adeſſe.* Origines, *Homil.* 2. *in Levit.* Cyprianus, *lib. de Lapſis.* S. Hieronymus *in c.* 16. *Matth.* S. Auguſt. *Epiſt.* 228. alias 180. *ad Honoratum &c.*

III. Ulterius eam probo, ratione S. Th. in 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 1. ſub hac forma. Illi ſoli habent poteſtatem abſolvendi, qui habent poteſtatem ſupra corpus Chriſti myſticum: at ſoli Sacerdotes habent hanc poteſtatem; ergo &c. min. probatur. Illi ſoli habent poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, qui habent poteſtatem in corpus Chriſti verum; quia gratia, quæ in ſacramentis datur, deſcendit in corpus Chriſti myſticum a corpore Chriſti vero, ſicut a capite in membra: ſed ſoli Sacerdotes habent poteſtatem in corpus Chriſti verum; ergo &c. — Explicatur hoc. In Republica bene ordinata non omnes debent eſſe judices; cum actus judicandi requirat ſcientiam, & prudentiam, quæ non in omnibus reperitur: cum ergo Eccleſia ſit Reſpublica a Chriſto bene ordinata, & Miniſter confeſſionis ſit judex ad abſolvendum, vel retinendum, non debent omnes eſſe miniſtri.

IV. Secundo probatur ex eodem S. Th. citato in arg. *Sed contra.* Primo. Abſolutio pœnitentis, propter quam fit confeſſio, non fit niſi virtute clavium Eccleſiæ; hæ autem ſolis datæ ſunt Sacerdotibus. Secundo. Confeſſio præfiguratur in Lazari mortui vivificatione: ſed Dominus ſolis diſcipulis præcepit, ut Lazarum ſolverent, Jo. 11. v. 44. *Solvite eum, & ſinite abire.* Super quæ S. Aug. tract. 49. in Joan. *Ideo* (inquit) *cum proceſſit mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, ut ſolverentur peccata ejus, Miniſtris hoc dixit Dominus:* Solvite illum, & ſinite abire. *Quid eſt?* Solvite: & ſinite abire? *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

V. OBjicitur primo illud Jacobi 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra;* ergo non ſoli Sacerdoti, ſed alter alteri peccata poteſt confiteri.

Reſpondeo ex S. Th. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 1. neg. conſ. Nam *Jacobus loquitur ex præſuppoſitione divinæ inſtitutionis, & quia divinitus inſtitutio præceſſerat de confeſſione Sacerdotibus facienda, per hoc quod eis poteſtatem remittendi peccata in Apoſtolis dedit, Joan.* 20. *ideo intelligendum eſt, quod Jacobus Sacerdotibus confeſſionem eſſe faciendam monuit* — Hoc autem voluiſſe Jacobum oſtendo. Nam illa Epiſtola hortatur ſimul ad confeſſionem, & Extremam unctionem: at hujus miniſterium dicit pertinere ad Presbyteros, v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ;* ergo multo magis miniſterium confeſſionis vult pertinere ad Sacerdotes.

VI. Objicitur ſecundo. Pœnitentia eſt ſacramentum neceſſitatis, ſicut Baptiſmus: ſed quilibet homo in caſu neceſſitatis poteſt Baptiſmi eſſe miniſter, ergo &c.

Reſpondeo cum S. Th. citato, *ad* 2. quod Baptiſmus eſt magis ſacramentum neceſſitatis, quam Pœnitentiæ ſacramentum quoad confeſſionem, & abſolutionem: quia quandoque Baptiſmus prætermitti non poſſet ſine periculo ſalutis æternæ; ut patet in pueris, qui nondum habent uſum rationis. Sed non eſt ita de confeſſione, & abſolutione, quæ tantum ad adultos pertinet, in quibus contritio cum propoſito confitendi, & deſiderio abſolutionis ſufficit ad liberandum *a morte æterna.* Addi poteſt: Baptiſmum eſſe per modum regenerationis, confeſſionem autem per modum judicii, cujus non omnes capaces ſunt.

VII. Objicitur tertio. In Cap. *Fures*, 13. q. 2. habetur *Si* (fures) *comprehenſi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, Communionem eis non negamus.* Et S. Cyprianus Epiſt. 13. permittit, ut lapſi, *Si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint.*

Reſpondeo ad primum textum, illum vitiatum eſſe: quia in Concilio Triburienſi; *anno* 895. *cap.* 31. ex quo illud caput deſumptum eſt ly *Diacono* non legitur, ſed loco illius, *Deo & Sacerdoti*, Secundo, dico (ſicut & ad Cyprianum) ibi ſermonem eſſe de reconciliatione in foro externo, ut fiebat a publice pœnitentibus, qua in communionem Eccleſiæ recipiebantur per abſolutionem canonicam, quæ non Diacono tantum, ſed in inferioribus Ordinibus conſtitutis committi, & delegari poteſt: non vero de reconciliatione in foro interno, & ſacramentali: hæc enim quia non mere juriſdictionis eſt, ſed etiam Ordinis, ſolis Sacerdotibus convenit, ſive jure ordinario, ſive etiam delegato.

VIII. Quæres: An in aliquo neceſſitatis caſu, puta, imminen-

minente naufragio, deficiente Sacerdote, possit quis Laico confiteri?

Respondeo cum S. Thom. in 4. dist. 17. qu. 3. art. 3. q. 2. ad 1. & 3. p. supplem. q. 8. art. 2. ad 1. affirmative sic: *Quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet, conteri, & confiteri cui potest: qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat, id quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet; defectum tamen Sacerdotis summus Sacerdos supplet.* Ideſt, intuitu contritionis, ac devotionis pœnitentis Deus absolvit eum a peccatis; & facit ut justificetur, non per confessionem, quæ perfecte, & proprie sacramentalis non est, sed per contritionem cum voto confitendi coram Sacerdote; ideoque si evaderet periculum, teneretur confiteri. Unde ibidem *ad 3.* Subdit S. Thom. *Et ideo quamvis ille laico confessus in articulo necessitatis consecutus sit veniam a Deo; eo quod propositum, quod concepit confitendi secundum mandatum Dei sicut potuit, implevit, non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, ut ad sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi prius a Sacerdote absolvatur; sicut ille, qui Baptismo flaminis baptizatus est, ad Eucharistiam non admittitur. Et ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti cum copiam habere potuerit.*

IX. Hujusmodi confessionis usum fuisse frequentem in primitiva Ecclesia, testatur auctor libri de vera, & falsa Pœnitentia, & confirmat factum cujusdam exorcistæ: qui timens, ne Diabolus sua revelaret peccata, cum dolore ea laico confessus est, cum copiam Sacerdotis non haberet; quo factum est, ut Diabolus nullum ejus peccatum propalare potuerit.

Modo autem, propter hæreses Lutheri, & aliorum, usus hujusmodi confessionis cessavit in Ecclesia; nec debet fieri, nisi in casibus extremis, & debitis cautionibus. Quod si aliquando contingeret, laicus non deberet verba sacramentalis confessionis proferre dicendo: *Ego te absolvo*, sed *absolvat te Deus*, aut *summus Sacerdos Christi*. Teneretur autem ad servandum secretum arctiori vinculo, quam secreti naturalis: quia hujusmodi confessio licet sacramentalis non sit, est imitatio tamen sacramentalis confessionis, ut dicit S. Th. Unde peccaret mortaliter laicus, si revelaret: non tamen tanta esset pœna plectendus, quanta Sacerdos, si sigillum confessionis violaret.

Dubium II.

De Potestate Ordinis, & Jurisdictionis.

§. I.

Potestas Jurisdictionis.

I. Dico. In ministro præter potestatem ordinis, necessaria est potestas jurisdictionis, vel ordinaria, vel delegata, non solum ut licite, sed etiam ut valide absolvat. Veritas hæc, quam docet S. Th. *in 4. dist. 17. q. 2. art. 3. q. 4. & in supplem. 3. p. q. 8. art. 4.* definita fuit in Concil. Lateranensi, C. *Omnis utriusque sexus*. Ubi postquam statuit, quod quisque semel saltem in anno *Proprio Sacerdoti* confiteatur, addit: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit, justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ille ipsum non possit solvere, vel ligare.* Idem statuitur in Florentino, Decret. Unionis. Ubi dicitur, ministrum hujus sacramenti esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi ordinariam, vel delegatam. Et demum in Tridentino, *Sess. 14. cap. 6. & 7.* Cujus hæc est ratio. Nam absolutio Sacerdotalis a Christo instituta est ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur: natura autem judicii id postulat, ut in subditos feratur, seu in eos, in quos judex habet jurisdictionem.

II. Ratio S. Thomæ citati hæc est. In hoc sacramento hoc est particulare, quod ubi in aliis sacramentis actus nostri sunt puræ dispositiones ad percipiendam utilitatem sacramenti; in hoc sunt partes, & de substantia sacramenti: *Actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab alio dispensari, nisi per imperium. Unde oportet, quod ille, qui dispensator hujus sacramenti constituitur, sit talis, qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi ei, qui habet super eum jurisdictionem. Et ideo de necessitate hujus sacramenti est, non solum ut Minister habeat Ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem. Et ideo sicut ille, qui non est Sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre: ita nec ille, qui non habet jurisdictionem .... Cum enim Sacerdos non absolvat, nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare.*

III. Hinc infertur: quod potestatem ordinis accipiunt quidem Sacerdotes dum initiantur, dicente Episcopo: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis &c.* Non tamen accipiunt potestatem jurisdictionis, nisi cum vel pastorale beneficium accipiunt, vel cum ab Episcopo ad confessiones audiendas approbantur —— Ordinariam itaque potestatem jurisdictionis habent quicumque animarum regimini in Ecclesia præficiuntur, nempe, Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia, Prælatus regularis in regulares personas sibi subditas. Delegatam vero habet, quicumque ab Episcopis ad confessiones audiendas approbantur.

IV. Dices primo. Si in absolvente requiritur jurisdictio, sequitur, quod Papa a nemine possit absolvi, cum nemo in ipsum habeat jurisdictionem; sicut & Episcopus a nemine suæ communitatis: sed isti tenentur confiteri; ergo &c.

Respondeo, quoad Papam, quod sicut a Christo habet facultatem subjiciendi quoscumque fideles cuilibet Sacerdoti, ita & subjiciendi se ipsum cui voluerit: quo censetur conferre Sacerdoti jurisdictionem in se ipsum, non ut Pontificem, sed ut peccatorem. Quoad Episcopos vero, & alios Prælatos dicit S. Thom. citatus *ad 4.* quod *Concessum est eis a jure, quod possint sibi eligere proprios Sacerdotes Confessores, qui quantum ad hoc sunt eis superiores: sicut etiam unus Medicus ab alio curatur, non in quantum Medicus, sed in quantum infirmus.*

V. Dices secundo. In articulo mortis quilibet Sacerdos potest quemlibet a quibuslibet peccatis absolvere; ergo sufficit potestas ordinis —— Nego conf. Nam ut docet Trident. *Sess. 14. c. 7.* in illo casu Ecclesia, quæ tamquam pia mater neminem vult perire, censetur cuilibet Sacerdoti concedere jurisdictionem plenariam quemlibet ab omni crimine absolvendi.

VI. Dices tertio. Quilibet Sacerdos sola ordinis potestate potest absolvere saltem a venialibus; ergo &c.

Respondeo, hanc fuisse sententiam olim plausibilem, sed modo proscripta est decreto S. Congreg. S. Concil. Trident. Interpret. edito *12. Febr. ann. 1679.* approbante Innoc. XI. quo prohibetur, ne venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario: unde negandum est ant. —— Ea tamen gratis admissa respondeo, ideo ad confessionem venialium non requiri jurisdictionem; quia cum sit materia libera, in illis pœnitens Ecclesiæ ex necessitate non subjicitur —— Vel quod censebatur Ecclesia pro venialibus absolvendis conferre cuique jurisdictionem, quam modo de facto ademit.

§. II.

Quomodo hæ duæ Potestates distinguantur.

VII. Dico. Potestas ordinis est realiter distincta a potestate jurisdictionis. Probo. Tum quia: ea sunt distincta realiter, quorum unum stare potest sine alio: atqui stat potestas ordinis absque potestate jurisdictionis; ergo &c. Tum quia: per potestatem jurisdictionis acquirunt Sacerdotes jus in subditos, quod per solam potestatem ordinis non habebant. Esto enim in ordinatione accipiant potestatem quasi physicam, aptitudinalem, & idoneitatis; quia vi ordinis, & characteris Sacerdotalis fiunt apti, & idonei ad hoc, ut assumantur in Judices: non tamen judiciariam potestatem moralem, proximam, & expeditam, seu jus actuale. Hoc enim solum accipiunt, quando ipsis deputantur subditi, in quos sententiam ferre possint.

VIII. Sed dices. Eamdem potestatem accipiunt Sacerdotes in sua ordinatione, quam acceperunt Apostoli; sed Apostoli acceperunt potestatem moralem, & expeditam absolvendi; ergo &c.

Si respondeas, neg. min. Apostoli enim ordinati fuerunt Sacerdotes in Cœna; potestatem vero absolvendi acceperunt a Christo post resurrectionem, cum *Joann. 20.* dixit eis: *Quorum remiseritis &c.*

IX. Dices adhuc. Ergo & Sacerdotes dum eis Episcopus dicit: *Quorum remiseritis &c.* accipiunt potestatem non solum physicam, sed moralem absolvendi; sed hoc eis dicit Episcopus in ordinatione; ergo in ordinatione accipiunt &c.

Respondeo, neg. conf. & disparitas est. Quia Christus illis verbis constituit Apostolos Episcopos, eis subjiciens totius mundi fideles; ex quo solum sequitur, quod dum Episcopus ordinatur, accipiat hanc potestatem in suæ Diœcesis subditos: quod non verificatur de simplici Sacerdote, cui in ordinatione nemo subjicitur, in quem sententiam ferre possit; sed solum accipit potestatem supra corpus Christi verum, non autem supra corpus Christi mysticum, nisi ab Episcopo ad hoc specialiter deputetur.

X. Dices secundo. Initio nascentis Ecclesiæ omnes Sacerdotes poterant quoscumque pœnitentes voluntarie se submittentes a quibuslibet peccatis absolvere: ergo quilibet vi suæ ordinationis habet jurisdictionem. Ant. prob. ex Cap. *Placuit*; de *Pœnit. dist. 6.* ubi Urbanus II. qui circa annum 1100. sedit, prohibet, ut deinceps ulli Sacerdoti liceat quemlibet alteri Sacerdoti commissum ad pœnitentiam recipere; sed illa dictio *Deinceps* indicat, antea fuisse consuetudinem in oppositum; ergo &c.

XI. Respondeo primo, non sequi, quod ante Urbanum fuerit legitima consuetudo, ut quisque vi suæ ordinationis posset quemlibet absolvere; sed potius, quod apud aliquos irrepserit abusus absolvendi aliquos alienæ jurisdictioni commissos, sine sui Superioris licentia, quem abusum tollere intendit Urbanus. —— Vel secundo dato, quod intendit arguens: dico, hoc Sacerdos non habuisset vi suæ ordinationis præcise, sed ex confessione Ecclesiæ; quæ ratione

aliqua

aliqua congruenti tunc omnibus jurisdictionem concedebat; ſicut modo eam omnibus concedit in caſibus extremis.

XII. Colliges primo. Quod poteſtas jurisdictionis non eſt character Sacerdotalis, nec aliquid phyſicum, ſed aliquid morale; nempe, deputatio legitima ad exercendum officium judiciali modo, in charactere quidem Sacerdotali fundata, ſed quaſi extenſio ejus a corpore Chriſti vero, ad corpus Chriſti myſticum. Hæc autem duplex eſt. Una ſacramentalis, ſeu in foro interno; alia pœnitentialis, ſeu in foro externo. Prima in poteſtate, ſeu charactere Sacerdotali fundatur, ſecunda vero non, ut ſupra indicavimus —— Differunt autem hæ duæ poteſtates in multis. Primo: quia poteſtas ordinis confertur cuilibet Sacerdoti per ſacram ordinationem; poteſtas vero jurisdictionis per deputationem a legitimo Superiore ad officium audiendi confeſſiones, & abſolvendi a peccatis; Secundo: quod in poteſtate ordinis omnes Sacerdotes ſunt æquales, non autem in poteſtate jurisdictionis. Tertio, quod poteſtas ordinis invariabilis eſt, ac indelebilis; Secus vero poteſtas jurisdictionis, quæ poteſt augeri, vel minui, immo & totaliter auferri. Demum poteſtas ordinis non poteſt delegari, bene vero poteſtas jurisdictionis.

XIII. Colliges ſecundo Summum Pontificem, & Epiſcopos jus habere ſibi reſervandi graviorum quorumdam criminum abſolutionem. Quia ut docet S. Th. in Supplem. 3. p. q. 20. art. 2. *Poteſtas ordinis quantum eſt de ſe, extendit ſe ad omnia peccata remittenda. Sed quia ad uſum hujuſmodi poteſtatis requiritur jurisdictio, quæ a majoribus in inferiores deſcendit: ideo poteſt Superior ſibi aliqua reſervare; in quibus judicium inferiori non committat.* Hoc etiam multis Canonibus ſancitum fuit, noviſſime vero in Tridentino, *Seſſ.* 14. *cap.* 7. & *Canon.* 11. ubi anathemate ferit eum, qui *Dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam: atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat* —— Cauſa autem reſervandi caſus duplex eſt. Prima, ut hominum pronitas ad peccandum quodam verecundiæ fræno coerceatur. Secunda, ut morbi graviores peritioribus Medicis curandi reſerventur.

Notandum tamen eſt, diſcrimen eſſe inter caſum reſervatum, & cenſuram. Quod cenſura eſt pœna Eccleſiaſtica: caſus vero reſervatus eſt peccatum, ſive adjunctam habens cenſuram, ſive non. Sunt enim aliqui caſus Epiſcopo reſervati, quibus nulla adjuncta eſt. Et ſunt etiam cenſuræ aliquæ reſervatæ, non reſervatis peccatis, ob quæ illæ feruntur, ut ſunt ſuſpenſiones, & quædam irregularitates.

§. III.

Aliqua ad Praxim.

XIV. EX dictis inferes primo: approbationem Epiſcopi eſſe omnino neceſſariam, ut aliquis habeat jurisdictionem. Ita Trid. *Seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 15. ubi duos modos approbationis aſſignat. Alterum per collationem Parochialis beneficii; alterum per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus judicetur. Unde qui parochiale beneficium obtinet, cui cura animarum annexa ſit; eo ipſo audire poteſt confeſſiones abſque ulteriori examine, aut approbatione: ab hac enim a Concilio excipitur.

XV. Inferes ſecundo; non poſſe Parochos deputare ad audiendas ſuorum Parochianorum confeſſiones eum, qui neque eſt approbatus ab Epiſcopo, neque parochiale beneficium obtinet: ille enim a Concilio non reputatur idoneus hujus ſacramenti miniſter.

XVI. Inferes tertio: ad audiendas confeſſiones Regularium vivorum non eſſe neceſſariam Epiſcopi approbationem, ſed ſufficere approbationem Superioris Regularis. Quia Concilium limitat decretum ſuum ad eos, qui audiunt confeſſiones ſæcularium. Unde ſi Superior Regularis concedat ſubdito licentiam eligendi ſibi confeſſarium in itinere; poterit ſibi quemcumque eligere, etſi ab Ordinario non approbatum.

Confeſſiones tamen Monialium nemo nec ſæcularis, nec regularis poteſt audire, etiamſi fuerit generaliter ad confeſſionis audiendas approbatus; ſed debet ſpecialiter ad illas ab Epiſcopo approbari. Ita declaravit Clemens X. Conſtit. quæ incipit *Superna*, edita 11. Kal. Julii 1670. & ſine tali approbatione invalide abſolveret, ut ſtatuerat etiam Gregorius XV. Conſtit. quæ incipit *Inſcrutabili*: & in hoc nullum privilegium, nulla exemptio favere poteſt. Immo approbatus ad audiendas confeſſiones unius Monaſterii, minime approbatus cenſetur ad audiendas confeſſiones alterius. Et Confeſſores extraordinarii ſemel deputati, atque approbati ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, non poſſunt expleta deputatione in vim approbationis illius illarum confeſſiones audire; ſed toties ab Epiſcopo ſunt approbandi, quoties caſus deputationis contigerit. (Verba ſunt Clementis X. Conſtitutione ſupra laudata.)

XVII. Inferes quarto: quod Sacerdotes approbati in una diœceſi non poſſunt audire confeſſiones in alia diœceſi, ſine approbatione Epiſcopi diœceſani. Conſtat ex Clementina *Dudum*, titulo de ſepulturis, quæ quoad hoc caput non eſt revocata, ſed potius confirmata. Tum ex Congreg. Concilii *6. Junii* 1608. quam refert Barboſa, *p. 2. de Officio, & Poteſt. Epiſcopi, allegat.* 25. §. 33. Quod confirmavit Clemens X. Conſtitut. ſupra citata. Parochi tamen ſubditorum ſuorum confeſſiones audire poſſunt, tum in alienæ Parochiæ territorio, tum etiam in aliena diœceſi; quia cum habeat ordinariam poteſtatem ſupra illos, poteſt illam exercere ubique in illis, quæ fiunt ſine ſtrepitu judicii, qualis eſt confeſſio.

Parochus tamen non poteſt ſibi in Confeſſarium eligere ſimplicem Sacerdotem, ſive regularem, ſive ſæcularem ab Epiſcopo non approbatum. Unde Alexander VII. inter alias propoſitiones, 14. *Septemb.* 1665. damnavit iſtam, num. 16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

XVIII. Parochus vero qui beneficium Parochiale dimiſit, confeſſiones excipere non poteſt abſque nova Epiſcopi approbatione. Duplici enim titulo duntaxat Sacerdos audire poteſt confeſſiones, ait Tridentinum: vel quia Parochiale beneficium obtinet, vel quia ab Epiſcopo eſt approbatus. Qui autem beneficium Parochiale dimiſit, hoc titulo confeſſiones audire non poteſt, quia ejus jurisdictio jam deſiit; reſtat ergo, ut ſi non approbetur, eas audire amplius nequeat. Ita pronuntiavit S. Congregatio Conc. apud Barboſam, *p. 2. de Offic. & Poteſt. Epiſcopi allegat.* 25. §. 16.

XIX. Inferes quinto: Epiſcopum non poſſe ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem ſibi non ſubditum a proprio Ordinario non approbatum, ut decrevit S. Congr. Conc. *ad Seſſ.* 23. Tridentini, *c.* 15.

XX. Quæres: An ad audiendas confeſſiones ſufficiat approbatio petita ab Epiſcopo, & ab illo injuſte negata?

Affirmative ſentiunt Navarrus, Diana, Rodriquez, Layman, qui dicit eſſe communem ſententiam Doctorum Salmanticenſium, & Complutenſium, & in Academia Pariſienſi fuiſſe publice propugnatam. Non enim eſt credibile, Concilium voluiſſe favere injuſtitiæ Prælatorum. Tum quia: ut ex Archidiacono, & Felino docet Navarrus *in Summa cap.* 27. ut Concilii Generalis decreto cenſeatur privilegio derogatum, requiritur expreſſa ejus derogatio; maxime dum agitur de conſtitutione Pontificia. Cum autem adſint Conſtitutiones Clementis V. & Leonis X. editæ in Conciliis Generalibus Viennenſi, & Lateranenſi, quibus Fratribus Mendicantibus conceditur facultas audiendi confeſſiones etiamſi Epiſcopus eam injuſte denegaverit: nec Tridentinum eis expreſſe derogaverit, cenſent eas in ſuo robore adhuc permanere.

XXI. Tutius tamen, & verius negative ſentiendum eſt, non ſufficere. Nam Concilium requirit ad valide abſolvendum, ut Confeſſarius, ſi Parochiale beneficium non habeat, ſit ab Epiſcopo approbatus: non eſt autem approbatus, qui petit, & non obtinet, ſive juſte negetur, ſive injuſte. Eo vel maxime quia denegatio licet ei, cui denegatur, videatur injuſta, poteſt dari juſta cauſa Epiſcopo nota, qua denegetur: neque inferiori competit de mente Superioris velle judicare. Cum ergo, dum agitur de valore ſacramentorum, tutiori, & probabiliori opinioni ſtandum ſit, ut decrevit Innocentius XI. ideo tenendum eſt, ad valide abſolvendum non ſufficere facultatem petitam quidem, ſed denegatam, licet injuſte. Quare Alexander VII. inter multas hanc damnavit propoſitionem, n. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.* Excipiendus tamen videtur caſus neceſſitatis; in quo ne fideles detrimentum ſalutis patiantur, cenſetur Eccleſia cuilibet Sacerdoti conferre jurisdictionem.

§. IV.

An ſatisfaciat Præcepto, qui in Paſchate confitetur alteri, quam proprio Sacerdoti?

XXII. QUæſtionem hanc excitat Decretum Concilii Lateran. IV. Cum enim dicat, quod omnis utriuſque ſexus, confiteatur ſaltem ſemel in anno *proprio Sacerdoti*; & nomine proprii Sacerdotis veniat Parochus, dubium exoritur: an qui in Paſchate alteri, quam Parocho ſine ejus licentia confitetur, ſatisfaciat præcepto. Cui Dubio Juenin Doctor Gallus in ſuo *Comment. hiſt. & Dogm. de Sacr. Pœnit. cap.* 4. *de Miniſtro Confeſſ. art.* 3. §. 2. cenſet Canoni Lateranenſi, ut quiſque ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteatur, nuſquam derogatum fuiſſe; ideoque ad hoc teneri omnes, ut præcepto paſchali ſatisfaciant. Contraria tamen ſententia communis eſt, & ex Gallis eam defendit noſter Alexandre, in ſua *Theolog. Dogm. & Morali p.* 2. *de Pœnit. art.* 8. *de Miniſtro*, *propoſit.* 5. & in *Hiſt. Eccleſ. ſæculi* 13. & 14. *Diſſert.* 4.

XXIII. Dico ergo. Qui in Paſchate, etiam ſine licentia Parochi, confitetur alteri Sacerdoti a ſummo Pontifice, vel Epiſcopo approbato, ſive regulari, ſive ſæculari ſatisfacit præcepto confeſſionis etiam Paſchalis, & Canoni Concilii Lateranenſis. Probo. Qui eſt approbatus abſolute, & ſimpliciter a ſummo Pontifice, vel ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones, accipit poteſtatem ab eo, in

quo resident jurisdictio superior ea, quam in tali officio habet Parochus; sed qui habet potestatem a Superiori, non indiget ad ejus usum licentia inferioris; ergo &c. & consequenter Sacerdos, seu Pœnitentiarius sic approbatus, esto non sit ordinario jure proprius, sit tamen proprius per delegationem. Ea ratione, qua matrimonium licet ordinarie a proprio contrahentium Parocho benedicendum sit; non tamen excluditur, quin vel ipse Episcopus possit per se benedicere, vel ad illud benedicendum alteri Sacerdoti licentiam facere, ut ex Trid. *Sess. 24. de reform. c. 1.*

XXIV. Confirmatur. Ex Concil. Later. citato. Potest quilibet Sacerdos approbatus audire confessiones, & absolvere etiam in Paschate, si adsit licentia Parochi; ergo multo magis, si adsit licentia summi Pontificis, vel Episcopi: Quis enim adeo desipiat, ut neget summum Pontificem, vel Episcopum non posse dare licentiam, quam Parochus dare potest? Quid plura? Romanorum Pontificum Constitutionibus causa hæc finita est. Contrariam enim sententiam in *Joanne de Poliaco* damnavit tamquam falsam, erroneam, & a doctrina sana deviam Joannes XXII. Const. quæ incipit: *vas electionis*, l. 5. Extrav. commun. tit. de Hæretic. & Leo X. Constit. quæ incipit: *Dum intra mentis arcana*, quæ a Concil. Lateranensi V. approbata est, declaravit, Fideles, qui Sacerdotibus Regularibus ab Episcopis approbatis confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem satisfeciisse. Quid ergo amplius desiderat Juenin? Nunquid quod Innocentius III. in Concil. Lateran. IV. Generali statuerat, aliter Pontifex Leo X. in Lateranensi V. non poterat declarare? Merito igitur Clemens X. Constit. quæ incipit *Superna*, hoc idem confirmans, ait: *Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, qua incipiat*: Omnis utriusque sexus, *quoad confessionem duntaxat satisfeciisse censendos.*

XXV. Id confirmat Alexandre, in *Theolog. dogm. & morali* loco citato, pluribus Synodis Gallicanis Diœcesanis, Nemausensi, *anno* 1284. Ligonensi *anno* 1452. Suessionensi *anno* 1052. & 1515. Turuensi, 1527. Tolosana, 1530. & Successionensi 1661. & Provincialibus Rotomagensi, *anno* 1581. Aquensi, 1585. & Cameracensi 1586. *cap.* 11. Quibus adimitur subterfugium, quo se tuetur Juenin dicens, contrarium a Gallicana Ecclesia servari, cujus disciplinæ præfatos Pontifices præjudicare noluisse.

XXVI. Concludo igitur: quod cum fini præcepti juris positivi sit charitas; ideo sicut Lateranense, ne arctaretur via salutis, voluit, ut proprius Sacerdos facilis esset ad dandam licentiam petentibus confitendi alieno Sacerdoti, adeo ut secundum S. Th. *in supplem. 3. p. q. 8. art. 4. ad 6.* peccaret, si eam denegaret: *quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur.* Ita Pontifices, & Ecclesia, ut ampliorem facerent salutis viam, & charitate concesserunt, ut præter proprium, alii essent Sacerdotes, quibus sua peccata possent confiteri.

DUBIUM III.

An Confessarius in omni Casu teneatur servare Sigillum Confessionis.

§. I.

Aliqua Præcantur.

I. Sigillum confessionis nihil aliud est, quam obligatio, qua Confessarius tenetur servare secretum de iis, quæ audivit in confessione; quæ metaphorice vocatur *sigillum*: quia sicut, ne aliis palam fiant, solemus secreta observare sigillo; sic arcana peccatorum Confessori concredita, perpetua silentii lege, quasi sacro, & inviolabili sigillo obsignari debent a Sacerdote, ne aliis innotescant.

II. Sciendum ergo est; Confessarium triplici præcepto obligari ad servandum sigillum confessionis, nempe, naturali, divino, & humano. Naturali: quia de jure naturæ est servare secreta sibi concredita, tueri famam proximi, & alteri non facere, quod tibi non vis. Divino: quia Christus confessionem instituens, noluit, eam esse odiosam, & moraliter impossibilem; ergo præcipit media ad hunc finem conducentia, inter quæ unum est secreti arcta custodia. Humano denique: quia Ecclesia strictissime præcipit secretum servari, & pœnis quoque violatores punit, ut Can. *Sacerdos*; de Pœnit. dist. 5. ubi infligitur pro pœna depositio, & peregrinatio, & perpetua inclusio in Monasterio.

III. Ex quibus infertur, quod sicut qui furatur rem in loco sacro, velut in asylo depositam, non solum peccat peccato furti, sed etiam sacrilegii contra religionem, & reverentiam loco sacro debitam: ita qui violat sigillum confessionis, peccat, non solum contra jus naturale secreti, sed etiam contra religionem, & reverentiam sacramenti. Unde triplex peccatum committeret, qui illud violaret. Primum detractionis, quia infamaret proximum: secundum infidelitatis, non servans fidem secreti: tertium sacrilegii, non servans reverentiam sacramento. Et hoc ultimum semper est mortale; cum alia duo ratione levitatis materiæ possint esse venialia. His præmissis.

§. II.

Resolvitur Dubium.

IV. Dico. Adeo stricta est sigilli confessionis obligatio, ut ne quidem in periculo boni communis, aut in quantacumque necessitate possit violari. Sic omnes Theologi, & Canonistæ. Constat ex Cap. *Sacerdos* supra citato, ubi dicitur, quod Sacerdos non potest revelare secretum confessionis pro quocumque scandalo vitando. Secundo. Quia Sacerdos debet Deo, cujus minister est, se conformare: sed Deus peccata, quæ per confessionem habet, non revelat, sed tegit, ait enim, Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*: quod repetitur, *c. 33. v. 16.* Unde S. Th. in supplem. q. 11. art. 1. *In sacramentis* (inquit) *quæ exterius geruntur, sunt signa rerum quæ interius contingunt. Et ideo confessio, qua quis Sacerdoti se subjicit, signum est interioris subjectionis, qua quis Deo subjicitur. Deus autem peccatum illius, qui se subjicit per pœnitentiam, tegit: unde & hoc oportet in sacramento Pœnitentiæ significari. Et ideo de necessitate sacramenti est, quod quis confessionem celet; & tamquam violator sacramenti peccat, qui confessionem revelat.*

Ex quibus hæc conficitur ratio. In nullo casu licitum est violare sacramentum, cum hoc sit intrinsece malum: quod autem est intrinsece malum, in nullo casu licet fieri: sed qui confessionem revelat, violator est sacramenti; corrumpit enim ejus significationem, qua significare debet exterius id, quod interius fit a Deo, qui peccatum in confessione manifestatum tegit; ergo &c.

V. Aliam rationem dat S. Th. citato loco. Si in aliquo casu liceret Sacerdoti revelare peccatum sibi in confessione expositum, homines nimis arcerentur a confessione: nam probabiliter suspicari possent, in his, vel similibus casibus id licere; sicque confessio fieret odiosa, & pœnitentibus daretur occasio non sincere peccata sua confitendi. Ubi e contra certi de sigillo in quocumque casu custodiendo, *Homines magis ad confessionem attrahuntur, & simpliciter etiam peccata confitentur.*

VI. Dices primo. Sicut de necessitate confessionis est secretum, ita & ejus integritas: sed in aliquo casu licitum est facere confessionem non integram, ut dictum est; ergo & in aliquo casu licitum erit secretum frangere.

Respondeo primo, neg. min. Integritas enim, quæ est jure divino necessaria ad confessionem, est integritas formalis: & ab hac in nullo casu dispensari pœnitens potest, quamvis ab integritate materiali, quæ necessaria non est, possit excusari — Secundo, do differentiam. Quia præceptum de integritate confessionis cum sit affirmativum, obligat solum, attentis certis circumstantiis, & quando fuerit expediens. At præceptum de non violando secretum confessionis est negativum: ideoque semper obligat, nullo prorsus casu excepto.

VII. Dices secundo. Interdum revelatio confessionis necessaria esse potest ad avertendum grave damnum Reipublicæ, puta, ad impediendum, ne aliqua hæresis introducatur: ergo in hoc saltem casu licitum erit &c.

Respondeo, neg. cons. Cum enim non sint facienda mala, ut veniant bona; non est violandum secretum, quod de se est malum, ut eveniat aliquod bonum, vel evitetur malum. Nec violatio sigilli confessionis potest conducere ad tantum Reipublicæ Christianæ bonum; quin potius ex ejus conservatione bonum regimen illius dependeat, & conservetur.

§. III.

Quæsita aliqua Resolvuntur.

VIII. Quæres primo: An Sacerdos possit revelare ea peccata, de quibus ille, qui confitetur, non promittit, nec est ad se emendandum dispositus; maxime si timeatur aliqua hæresis — Quidam (inquit) S. Thom. citato loco *ad 1.* affirmative senserunt. Sed hæc opinio videtur erronea. Quia esto illa confessio facta sine proposito emendationis sit ficta; est tamen sacramentalis, quoad obligationem servandi sigillum, quia in ea peccator se subjicit clavibus Ecclesiæ. *Et ideo*, ait S. Thom. *sub occulto tenenda est. Neque sigillum confessionis contra charitatem militat: quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit. Illud autem, quod sub confessione scitur, est quasi nescitum; cum illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus. Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis casibus, quantum potest, sine revelatione confessionis; sicut monendo eos, qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum: ita tamen, ut non dicat aliquid, per quod verbo, vel nutu confitentem prodat.* Hæc S. Thomas.

Hæc tamen intelligenda sunt de eo, qui accedit ad confessionem animo se accusandi, & se subjiciendi clavibus Ecclesiæ; ut vel absolvatur, vel aliquo modo juvetur. Si enim

enim ſub ſpecie confeſſionis peccator veniat animo irridendi, decipiendi, vel Confeſſarium pertrahendi in conſortium peccati ſui, non eſt ejus confeſſio ſacramentalis; ideoque nec inducens ſigillum: ut referunt Dominicus Soto, *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 5. Vivaldus, & alii declaratum fuiſſe Romæ de quodam, qui prætextu confeſſionis acceſſerat ad alium Cardinalem, volens eum in conceptæ contra Pontificem conjurationis crimen pertrahere. Quod idem dicerem de muliere, quæ accederet ad Confeſſarium animo pertrahendi ipſum ad conſentiendum ſuæ turpi præconceptæ cogitationi.

IX. Ex ſupradictis infert Natalis Alexandre primo. Quod periculo violandi ſigillum exponit ſe Sacerdos, qui de rebus in confeſſione auditis ita imprudenter loquitur, ut poſſet trahere audientes in notitiam, aut ſuſpicionem pœnitentis, puta, ſi diceret: Titius mihi confeſſus eſt gravia peccata ſua, vel caſum reſervatum, aut eum ad Pœnitentiarium remiſi, hanc injunxi pœnitentiam: maxime ſi antea dixerit, ſe talem pœnitentiam injungere pro tali peccato. Similiter ſi quis dicat de loco parvo, in quo confeſſiones audivit, multos ibi eſſe fornicatores, adulteros, fures &c. aut in Monaſterio eſſe plures proprietarios. Si quis Superiori domus religioſæ dicat, unus e tua familia, vel domo adulter eſt, fur, aut mortem tibi machinatur. In his caſibus exponit ſe periculo violandi ſigillum: quia ſaltem indirecte contingere poteſt, ut veniatur in cognitionem perſonæ pœnitentis.

X. Ex quo etiam infertur, quod nec Parochus, nec Seminarii Rector, ſive director Ordinandorum Clerico, ob crimen in confeſſione auditum, & ex ſola confeſſione ſibi notum, poteſt denegare teſtimonium de vita, & moribus. Nec Parochus a Matrimonio repellere pœnitentem, ob impedimentum occultum ex ſola confeſſione ſibi cognitum; alias violaret ſigillum, & injuriam faceret ſacramento Pœnitentiæ. Unde ſicut occulto peccatori Euchariſtiam publice petendi denegare non poteſt; ſed private tantum monere, ne ad Euchariſtiam accedat, antequam ſe probaverit: ita Parochus &c. monere quidem debet in foro pœnitentiali nomine Dei omnipotentis, ne cum impedimento ad ſacramenta Ordinis, vel Matrimonii accedant; non tamen illi denegari poſſunt Ordinationem, aut benedictionem nuptialem, niſi ex alio motivo ei conſtiterit. In hoc enim caſu poteſt revelare; quia illud ſcit etiam ut homo, puta quia vidit, vel ab aliis audivit, ut docet S. Th. citata *q.* 11. *Supplem, art.* 5.

XI. Quæres ſecundo: Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius, quia a Judice interrogatur de crimine, quod ſola confeſſione novit? Dupliciter autem poteſt Confeſſarius interrogari. Primo: interrogando de ſcelere, dicendo, Petrus admiſit ne hoc, vel illud ſcelus? Secundo: interrogando de confeſſione, dicendo, Petrus hoc ne, vel illud ſcelus tibi confeſſus eſt?

Si ergo primo modo interrogetur, deberet reſpondere ſe neſcire, etiam cum juramento. Ratio eſt. Quia ſenſus erit, neſcio eo cognitionis genere, ſecundum quem tenear tibi reſpondere: & hoc etiamſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis. Neque hic erit æquivocatio: quia cum notum ſit apud Chriſtianos, Confeſſarios in teſtes adhiberi non poſſe; ſciunt omnes, interrogationem de iis peccatis, quæ quis ex ſola confeſſione ſacramentali didicit, & ut ait S. Th. *q.* 11. *ſuppl.* citata *art.* 1. *ad* 2. debent exiſtimare, quod intentio præcipientis ſit eum interrogare: *Si ſciat ut homo, hoc autem non ſcit ut homo.*

XII. Si autem ſecundo modo interrogetur, eadem ratione non debet dicere. Non tamen (ut obſervat Æſtius cum aliis) ſimpliciter negando, alioquin mentiretur; quia negaret, ſe ſcire nedum ut homo, ſed etiam ut Deus: ſed fortiter increpando Judicem, talem interrogationem eſſe impiam; eique etiam mortem comminanti repugnare, exemplo S. Joannis Nepomuceni qui potius mortem ſubire voluit, quam Wecenslao Bohemiæ Regi impie præcipienti, quæ in confeſſione Reginæ uxoris ejus audierat, revelare. Et ratio eſt. Quia in obſervantia præcepti ſecreti confeſſionis concurrit. Primo: reverentia debita ſacramento, quod eſt bonum religionis. Secundo: bonum fidelitatis de non aperiendo arcano. Tertio: Bonum charitatis, & juſtitiæ de non infamando proximum. Quarto: bonum obedientiæ legi divinæ, & humanæ. Quinto: bonum ſalutis fidelium petentium ſacramentum. Et tandem: bonum ſecuritatis totius Eccleſiæ de accedendo ad confeſſionem ſine metu infamiæ, vel alterius damni, ſive in bonis vitæ, ſive fortunæ, quibus bonis comparari non poteſt quodcumque aliud bonum; quod poſſet ex revelatione confeſſionis obtineri. Unde S. Th. citatus, *ad* 2. dicit: *Quod ſicut præceptum de confeſſione ſacramentali faciendæ eſt de jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſione humana homo abſolvi ab eo: ita nullus ad revelationem confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari.* Et rationem dat: *Quia præceptum de confeſſione celanda conſequitur ipſum ſacramentum.*

XIII. Quæres tertio: Num ex pœnitentis licentia poſſit Confeſſarius audita in confeſſione aperire?

Reſpondent omnes affirmative cum S. Th. laudata *q.* 11. *Supplem. art.* 4. Nam *Duo* (inquit) *ſunt, propter quæ Sacerdos tenetur peccatum occultare. Primo, & principaliter, quia ipſa occultatio eſt de eſſentia ſacramenti; in quantum ſcit illud ut Deus, cujus vices gerit in confeſſione: alio modo, propter ſcandalum vitandum. Poteſt autem confitens facere, ut Sacerdos illud, quod ſciebat ut Deus, ſciat etiam ut homo; quod facit, dum licentiat eum ad dicendum. Et ideo ſi dicat, non frangit ſigillum confeſſionis; tamen debet cavere ſcandalum, ne fractor ſigilli reputetur.*

XIV. Ut tamen hoc licite fiat, duæ adeſſe debent conditiones. Prima: quod licentia ſit liberrime data; alioquin ſi ex metu, vel aliqua alia ſimili via ſit extorta, nulla erit. Cum enim dicta facultas non debeat obtineri, niſi ad bonum pœnitentis; oportet, ut nonniſi a volente, ac liberrime conſentiente obtineatur. Secunda: ut facultas expreſſa ſit, & non mere præſumpta, ſeu quam pœnitens concederet, vel concedere deberet, ſi rogaretur. Alioquin contingere poſſet, ut Sacerdos arbitraretur, ſibi eam licentiam fore a pœnitente concedendam, quam tamen, ſi rogaretur, negaturus eſſet.

Advertit tamen S. Thom. ibi *ad* 4. quod ex hoc non ſequitur, peccatum jam a Deo remiſſum publicari, & ſigillum frangi. Nam *ille, ad quem notitia peccati devenit, mediante Sacerdote, de voluntate confitentis, participat in aliquo actu Sacerdotis; & ideo ſimile eſt de eo, & de interprete: niſi forte peccator velit, quod ille abſolute ſciat, & libere.*

XV. Quæres quarto: Qui extra confeſſionem aliquid ſibi ſigillo confeſſionis recipit, diciturne frangere ſigillum confeſſionis, ſi revelet?

Caſus iſte frequens eſt. Reſpondeo tamen negative. Quia debitum ſacramentalis ſigilli oritur ex ſola ſacramentali confeſſione. Addit tamen S. Th. q. 11. Supplem. laudata, art. 2. ad 2. *Quod aliquis non debet de facili recipere hoc modo. Si tamen recipiat, tenetur ex promiſſione hoc modo celare, ac ſi in confeſſione haberet, quamvis ſub ſigillo confeſſionis non habeat.*

XVI. Quæres quinto: An ſigillum confeſſionis ſe extendat ad alia, quam ad illa, quæ ſunt de confeſſione?

Reſpondet S. Th. citato art. 2. in Corp. *Quod ſigillum confeſſionis directe non ſe extendit, niſi ad illa, de quibus eſt ſacramentalis confeſſio: ſed indirecte id, quod non cadit ſub ſacramentali confeſſione, etiam ad ſigillum confeſſionis pertinet, ſicut illa, per quæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi. Nihilominus etiam illa ſummo ſtudio ſunt celanda, Tum propter ſcandalum: tum propter pronitatem, quæ ex conſuetudine accidere poſſet.*

XVII. Tandem adverto cum eodem S. Th. q. 11. ſupra citata, art. 3. *Quod ſigillum confeſſionis competit Sacerdoti, in quantum eſt miniſter hujus ſacramenti: quod nihil aliud eſt, quam debitum confeſſionem celandi, ſicut clavis eſt poteſtas abſolvendi. Tamen ſicut aliquis, qui non eſt Sacerdos, in aliquo caſu participat aliquid de actu clavis, dum confeſſionem audit propter neceſſitatem: ita etiam participat aliquid de actu ſigilli confeſſionis, & tenetur celare; quamvis proprie loquendo ſigillum confeſſionis non habeat.* Hinc ad ſecretum tenetur interpres, quo pœnitens utitur in confitendo. Is etiam, qui vel maligne confitentis peccata, aut data opera audivit, aut etiam caſu, & ſine culpa, quia res hæc tranſit cum ſuo onere. Is quoque, cui Confeſſarius ſive juſte, & de licentia pœnitentis, conſilii petendi cauſa, vel alio titulo, ſive etiam injuſte, peccata in confeſſione audita revelaverit. Omnes denique, qui ſive immediate, ſive mediate, ſive licite, ſive illicite peccata confeſſa noverunt: ſic urgente charitate, quæ operit multitudinem peccatorum.

QUÆSTIO VIII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

VErba Sacerdotis abſolventis forma ſunt ſacramenti Pœnitentiæ, per quæ judicium pœnitentiale completur, & conſummatur. De his ergo ea, quæ tractari ſolent, brevi tamen calamo, examinabimus.

DUBIUM I.

Quæ Verba ſint de Eſſentia Abſolutionis Sacramentalis.

§. I.

Relatis Sententiis Reſolutio Ponitur.

I. MUlta ſunt verba, quæ in ſacramentali abſolutione proferuntur. Videndum quænam ſint de eſſentia: ita ut ſi non proferantur, abſolutio ſit nulla. In primis certum eſt apud omnes, verba illa antecedentia, nempe: *Miſereatur tui &c.* & *Dominus noſter Jeſus Chriſtus &c.* & iſta ſubſequentia: *Paſſio domini noſtri Jeſu Chriſti*, non eſſe de eſſentia abſolutionis, nec ad valorem ejus neceſſaria; ſed eſſe ſolum preces congruas, & utiles ad divinam miſericordiam implorandam. Solum ergo difficultas eſt circa iſta verba: *Ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

II. Qua in re Durandus vult, quod ſicut in forma Baptiſmi

ptiſmi eſt eſſentialis invocatio Trinitatis, ita & in forma abſolutionis: & ideo ſi quis reticeret *In nomine Patris &c.* invalide abſolveret. —— Sed hoc rejicitur. Quia in inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ facta non habetur invocatio Trinitatis, ſicut habetur in Baptiſmi inſtitutione, ſed tantum: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et ratio adeſt. Quia Baptiſmus cum introducat hominem ad fidem, cujus præcipuum myſterium eſt Trinitas, & Confirmatio roboret hominem ad confeſſionem ejuſdem fidei; neceſſaria eſt in forma utriuſque invocatio Trinitatis: non ſic autem in ſacramento Pœnitentiæ. Unde S. Th. 3. p. q. 84. art. 3. ad 3. dicit; quod quia *Sacerdos ſicut miniſter abſolvit, convenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, ſcilicet, ut dicatur*: Ego te abſolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *vel per virtutem Paſſionis Chriſti, vel auctoritate Dei.... Quia tamen hoc non eſt determinatum ex verbis Chriſti, ſicut in Baptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio Sacerdotis.*

III. Gabriel autem vult, eſſe de eſſentia iſta: *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis* —— Sed ly *ab omnibus* non eſſe neceſſario apponendum, conſtat. Tum quia: non apponitur in Rituali Romano juſſu Pauli V. edito. Tum quia: cum nequeat fieri abſolutio ab uno mortali, quin fiat ab omnibus, illa particula ſubintelligitur. Tum quia: de venialibus omnibus non ſemper fit abſolutio.

IV. Paludanus autem, & Petrus Soto ſentiunt, verba iſta: *Abſolvo te a peccatis tuis*, eſſe neceſſaria, & de eſſentia; quia cum abſolutio ſit indifferens ad abſolvendum tum a peccatis, tum a cenſuris, debet determinari per ly *a peccatis* —— Sed hoc etiam, eſto probabile, non videtur certum. Nam licet verbum *Abſolvo* abſolute prolatum indifferens ſit; in circumſtantia tamen, qua profertur ſuper pœnitentem, qui confitetur peccata ſua, habet quod ſignificet abſolutionem potius a peccatis, quam a cenſuris. Fateor tamen, ly *a peccatis tuis* nulla ex cauſa eſſe a Sacerdote omittendum; cum dum agitur de valore ſacramentorum, tutior ſententia amplectenda ſit.

V. Dominicus Soto ab oppoſito ſentit, ſolum hoc verbum *Abſolvo* eſſe de eſſentia —— Sed hoc minus tutum videtur. Sicut enim in formis Baptiſmi, Confirmationis debet exprimi perſona, ſupra quam cadit forma; ita & in Pœnitentia; unde, *Jo.* 20. Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis peccata:* ubi per ly *Quorum* deſignavit perſonam. Addo: quod abſolutio ſe habet ad modum ſententiæ judiciariæ: in omni autem ſententia judiciaria exprimi debet perſona delinquens, accuſata, & convicta, quæ debet abſolvi.

VI. Dices. Si non debent ex neceſſitate exprimi peccata, a quibus datur abſolutio; cur debet exprimi perſona, quæ abſolvitur? —— Reſpondeo, quod peccata ſunt materia removenda; hæc autem non eſt neceſſario apponenda in forma, vel ſententia Judicis, cum ex circumſtantiis ſatis indicetur: ſic nec in forma Bantiſmi ponitur a qua ſorde Baptiſmus abluat. At perſona, ſupra quam cadit ſententia, neceſſario apponenda eſt. Tum quia: ly *a peccatis* in ly *abſolvo* neceſſario continetur; in quo tamen ly *te*, ſi non exprimatur, non continetur. His ergo præmiſſis.

VII. Dico. Probabilius videri, hæc ſola verba: *Abſolvo te*, eſſe de eſſentia abſolutionis ſacramentalis. Quod enim ly *Ego* de eſſentia non ſit, patet: quia in ly *Abſolvo*, utpote verbo primæ perſonæ ſubintelligitur. Hæc videtur eſſe mens S. Th. 3. p. q. 84. art. 3. ubi ait: *Unde patet, quod hæc eſt convenientiſſima forma hujus ſacramenti*: Ego te abſolvo.

Probatur autem hac ratione. Illa ſola verba ſunt de eſſentia abſolutionis ſacramentalis, quæ ſufficiunt ad ſignificandum effectum principalem ſacramenti Pœnitentiæ; quia ſacramenta novæ legis id efficiunt, quod ſignificant: ſed hæc ſola verba *Abſolvo te* hoc præſtant, cum enim effectus Pœnitentiæ ſit ablatio, & remiſſio peccatorum, id ſufficienter exprimitur per ly *Abſolvo te* in circumſtantiis confeſſionis prolatum: ſicut per ly *Baptizo te* in circumſtantiis Baptiſmi ſignificatur ablutio, non a quacumque, ſed a ſorde originali, & etiam actuali ante Baptiſmum commiſſa.

Sicut autem in aliis ſacramentis mutatio formæ, ſi non variat ſenſum locutionis, non irritat; ita in præſenti. Ut ſi quis diceret: *Remitto*, vel *Condono tibi peccata tua:* vel imperativo modo: *Abſolvaris*, valeret abſolutio: peccaret tamen Sacerdos, utpote recedens a verbis præſcriptis ab Eccleſia: ſicut ſi auctoritatis indicandæ gratia in plurali diceret: *Nos te abſolvimus*. Solum dubium reſtat de forma deprecatorio modo prolata de quo infra.

§. II.

Aliqua Inferuntur.

VIII. INfero primo: Poſſe Sacerdotem in caſu naufragii plures ſimul unica abſolutione abſolvere, ſicut diximus, poſſe plures ſimul baptizare.

IX. Infero ſecundo: Sacerdotem vere abſolvere pœnitentem a peccatis, & non ſolum illum a Deo abſolutum oſtendere, aut declarare. Chriſtus enim, *Joan.* 20. dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; non dixit: quorum oſtenderitis peccata remiſſa. Unde merito Tridentinum, *Seſſ.* 14. *Can.* 9. oppoſitum anathemate percuſſit. Et ratio eſt. Quia ſacramenta novæ legis efficiunt id, quod ſignificant: ſed verbum *Abſolvo* ſignificat remiſſionem peccati; ergo illam efficit. Vide S. Thom. 3. p. q. 84. art. 3. ad 5.

X. Infero tertio: Ex ſupra dictis de formis aliorum ſacramentorum, verba abſolutionis facere hunc ſenſum: *Ego ſacramentum abſolutivum a peccatis tibi impendo*. Quod verificatur, etiamſi qui abſolvitur, nullo peccato ſit ligatus. Quia licet tunc per accidens (quia nimirum peccata ſunt ei remiſſa) eum non ſolvat; quantum tamen in ſe eſt, producit gratiam ſolutivam. Nec tamen eſt ſimile de vinculis corporis, a quibus non poteſt ſolvi, niſi qui actu eſt ligatus; quia ſolutio a vinculis corporis ſignificat, & cauſat tantum ſolutionem actualem: at abſolutio ſacramentalis ex vi inſtitutionis ſignificat, & cauſat gratiam abſolutivam a peccatis, ſi non inveniat ſolutum. Ut tamen ſubjectum abſolutionis ſit capax, debet in eo peccatum jam fuiſſe, quamvis ſit ei remiſſum: ſi enim aliquis nunquam peccaſſet, capax abſolutionis non eſſet; & hæc propoſitio: *Ego te abſolvo*, eſſet de ſubjecto non ſupponente.

XI. Circa abſolutionem conditionatam recolenda ſunt dicta de forma ſacramentorum in genere, nimirum, ſi conditio ſit de præſenti, vel de præterito, abſolutio valida eſt; quia nec ſuſpendit ſenſum, nec aliud facit, quod poſſit obſtare valori abſolutionis. Ut tamen licite fiat, debet eſſe rationabilis cauſa. Unde ſi Sacerdos dubitet, an abſolutionis verba protulerit, dicere poteſt: *Si non es abſolutus, ego te abſolvo*. Similiter, ſi adſit dubium, an qui abſolvitur, ſit capax; vel quia dubitatur, an ſit vivus, vel ex alia cauſa, an ſit capax. Unde dicitur, Clementem VIII. fabrum quemdam e ſacra S. Petri Romæ cadentem ſub hac forma abſolviſſe: *Si es capax, ego te abſolvo*. —— Si vero conditio ſit de futuro, ut: *Ego te abſolvo ſi cras reſtituas*, reddit invalidam abſolutionem. Quia ſacramentum non perficitur ante completam conditionem, quia deeſt intentio miniſtri: neque poteſt, quia tunc non eſt materia, nec forma; neque in poteſtate miniſtri eſt ſuſpendere pro libito effectum ſacramenti.

DUBIUM II.

An valeat Forma Abſolutionis verbis Deprecatoriis prolata?

§. I.

Traditio Eccleſiæ tum Græcæ, tum Latinæ.

I. ECcleſiam Græcam abſolutionem ſacramentalem verbis deprecativis expreſſiſſe olim, & etiam modo exprimere, certum omnibus eſt; ut videri poteſt apud Morinum, *lib.* 8. *de Adminiſtr. Sacr. Pœnitentiæ, c.* 12. Quod enim olim deprecatoriis uterentur verbis, teſtantur antiqua Græcorum Euchologia, tum Cryptæ ferratæ annos ſexcentos excedens, tum Barberinum multo antiquius. Quod vero etiam modo ſervent eumdem ritum: oſtendit Euchologium Græcum editum Venetiis, *anno* 1638. & Goarius noſter ſex referens orationes, quas Sacerdos Græcus ſuper pœnitentes recitat, omnes verbis deprecatoriis conceptas. Quod confirmavit Jeremias Patriarcha Conſtantinop. in cenſura confeſſionis Auguſtanæ, *c.* 11. ubi Sacerdotum precibus tribuit peccatorum remiſſionem. Quod ſupponit Clemens VIII. in Inſtructione, quam edidit, *anno* 1595. ſuper ritibus Græcorum. Ubi ſtatuit, ut ſi Sacerdos Græcus in neceſſitate (ut poteſt) Latinum abſolvat, utatur forma abſolutionis in Florentino præſcripta: & poſtea, ſi voluerit, dicat *Orationem deprecativam, quam pro forma abſolutionis dicere tantum* (Græci) *conſueverunt*.

II. Quoad Eccleſiam vero Latinam, non convenit apud Eruditos, eam ſemper formam indicativam in ſacramentali abſolutione adhibuiſſe. Eam enim Eccleſiam Africanam quarto ſæculo non adhibuiſſe colligitur ex S. Auguſtino, qui *Homilia* 23. *inter quinquaginta*, modo, *Serm.* 99. *c.* 7. arguit nonnullos miniſtros, maxime ex Donatiſtis, qui ſibi quaſi peccata dimitterent, gloriabantur; eis modeſtiam Chriſti objiciens, qui mulieri peccatrici non dixit: *Ego remitto tibi peccata*; ſed: *Remittuntur ei peccata*. Quaſi prævidens futuros eſſe homines, *Qui dicerent: ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quoſcumque baptizo*. Corruiſſet autem hoc Auguſtini argumentum, ſi Eccleſia Africana tunc inter abſolvendum indicativa forma in prima perſona uſa fuiſſet. Alcuinus etiam, *l. de Officiis divinis, cap. de Cœna Domini*, ritum Pœnitentiæ deſcribens, non aliis refert, quam orationes Sacerdotis deprecatorias ſuper pœnitentes. Immo circa *annum* 1230. Guillelmus Pariſienſis, *c.* 9. de Sacr. Pœnit. *Neque* (inquit) *more Judicum forinſecorum pronuntiat Confeſſor: abſolvimus te, non condemnamus, ſed magis orationem facit ſuper eum, ut Deus abſolutionem, & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat... Unde in abſolutione confitentium non conſueverunt dicere Sacerdotes: dimittat tibi Deus peccata, qua confeſſus es mihi, ſed potius omnia*. Non diffiteor tamen, aliquos etiam tunc temporis Pariſiis forma indicativa uſos fuiſſe. Id enim teſtatur Alexander Halenſis Guillelmo Coævus, 4. *p. Summæ, membr.* 2. *art.* 2. ubi ait: ſed ſi con-

tra

tra objiciatur, quia abſolutio Sacerdotis, quæ fit expreſſione talium verborum: *Ego abſolvo te*, vel: *Dominus abſolvat te*, magis exprimit abſolutionem a peccato, quam confeſſio pœnitentis &c. Quibus videtur, eo ſæculo indifferentem fuiſſe uſum abſolutionis, ſive indicativo, ſive deprecativo modo prolatæ. Unde Goarius ſupra relatus dicit, quatuor ſolum ab hinc ſæculis formam indicativam cœpiſſe in Eccleſia Latina determinate generaliter uſurpari.

III. Quidquid tamen de hoc ſit: S. Thomas, qui deſinente ſæculo 13. floruit, hanc formam per ſolum modum indicativum: *Ego te abſolvo*, tamquam omnibus Eccleſiis Latinis communem, & probatam proponit, *Opuſc. 22. c. 2.* Ubi de Auctoribus, qui pro ſola deprecativa abſolutionis formula laudabantur: *Numquid* (inquit) *etiamſi nunc viverent, præjudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſis regentium, qui contrarium ſentiunt, decernentes, abſque his verbis:* Ego te abſolvo, *abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam orationem?* Hanc eamdem pro eſſentiali abſolutionis forma proponit, & ſtatuit *3. p. quæſt. 84. art. 3.* his præmiſſis.

§. II.

Reſolvitur Dubium.

IV. DIco, Formula abſolutionis verbis deprecatoriis concepta valet quidem etiam nunc apud Græcos; non tamen amplius valet apud Latinos. Prima pars prob. Nam, ut ſupra dictum eſt, actus judicialis Pœnitentiæ per quatuordecim priora ſæcula, & etiam modo ſolis verbis deprecantibus peractus eſt, & peragitur; ergo vel dicendum eſt, Græcos caruiſſe, & adhuc carere vera forma ſacramenti Pœnitentiæ, ſi forma deprecatoria non valuit, nec valet; quod nemo dicet: vel formam deprecatoriam apud Græcos valere. Addo: Eccleſiam Latinam formulam deprecativam Græcorum nunquam ut invalidam reprobaſſe; neque a Græcis ad Latinos venientes, umquam obligaſſe ad repetendas omnes confeſſiones apud Sacerdotes factas, tamquam invalidas, —— Neque obeſt, quod Clemens VIII. *in Inſtruct. ſuper ritibus Græcorum, anno 1595.* Græcis imperet, ut Latinos in caſu neceſſitatis abſolventes utantur *Forma abſolutionis in Generali Concilio Florentino præſcripta* —— Nam Clemens Octavus indicativam formam non injungit, niſi pro abſolutione a Presbyteris Græcis impertienda Latinis; ergo ſupponit, deprecativam, quam (ut ibidem ait Papa) adhibere conſueverunt, validam, ſi non licitam, eſſe, cum agitur de abſolutione conferenda pœnitentibus Græcis: maxime quia in ſuo decreto non declarat, formam abſolutionis collatam ſine indicativis verbis nullam, & invalidam eſſe.

Quod ſi vera eſſet opinio Arcudii, & Goarii volentium, Græcos verbis deprecatoriis conjungere verba indicativo modo exprimentia actum judiciale, ut: *Habeo te venia donatum*, finita eſſet controverſia. Hoc tamen falſum eſſe Morinus oſtendit, *lib. 8. de Pœnit. c. 12.* aſſerens, ſe de hoc interrogaſſe quemdam, qui Collegio Græcorum Romæ præerat, quanam formula in abſolvendo modo uterentur, Græcis eique hanc manu ſua deſcripſiſſe: *Dimitte, condona peccata hujus N. quia tua eſt potentia, & tuum regnum Patris &c.* Sed hoc examinare non vacat.

V. Secunda vero pars prob. primo. Nam S. Thom. *Opuſc. 22. c. 2.* citato, formam deprecativam tamquam nullam rejicit pluribus rationibus: quarum potiſſima eſt inſtitutio Chriſti, his verbis: *In ſacramentis verba habent efficaciam ex inſtitutione divina; unde tenenda ſunt verba determinata conſonantia divinæ inſtitutioni. Inſtitutioni autem dicentis:* Quodcumque ſolveris &c. *iſta verba conveniunt:* Ego te abſolvo, *Sicut inſtitutioni dicentis:* Euntes docete omnes Gentes, baptizantes &c. *conveniunt iſta verba:* Ego te baptizo &c. *Sicut ergo iſta tenenda ſunt in Baptiſmo:* Ego te baptizo; *ita in Pœnitentia:* Ego te abſolvo. Quibus intendit S. Th. tradere differentiam inter abſolutionem a cenſuris, & ſacramentalem. Nam in illa, *Verba habent efficaciam ex intentione dicentis; unde non refert, quibuſcumque verbis utatur ad exprimendam ſuam intentionem.* In iſta autem habent efficaciam ex inſtitutione divina. Secundo. Quotquot ſæculis ſubſequentibus ex Latinis ſcripſerunt, uni indicativæ formulæ effectum ſacramenti Pœnitentiæ tribuerunt, eaque ſola exprimi actum judicialem. Unde Tridentinum, *Seſſ. 14. c. 3.* docet: *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe:* Ego te abſolvo &c. *Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria.*

VI. Ex quibus ſequitur, quod dato, abſolutionem deprecativam aliquando in Eccleſia Latina valuiſſe; eo quod antiqua Sacramentaria, Pontificalia, & Ritualia eam non rejiciant: modo tamen in eadem valida non haberetur. Quamvis enim Eccleſia formas, & materias ſacramentorum mutare non poſſit; poteſt tamen præſcribere certas conditiones, quibus non obſervatis, ſacramentum ſit nullum. Sicut enim quia Matrimonium rationem habet contractus, præcepit, ne clandeſtine fieret, alioquin illud declaravit nullum, cum antea validum eſſet: ita quia ſacramentum Pœnitentiæ eſſentialiter includit actum judicialem ex parte miniſtri, potuit certas ſtatuere leges, quibus non obſervatis, abrogetur id, quod antea valebat. Sed de hoc ſatis.

DUBIUM II.

An Abſolutio Sacramentalis poſſit Abſenti Valide Impendi?

§. I.

Reſolutiones Dubii.

I. DIco primo. De eſſentia abſolutionis eſt, ut voce humana proferatur; ac proinde abſolutio in ſcriptis data invalida eſt. Colligo ex Florentino, & Tridentino aſſerentibus, verba eſſe formam cujuslibet ſacramenti, excepto ſolo Matrimonio; in quo licet regulariter verba contrahentium ſint neceſſaria, non tamen eſſentialiter. Specialiter de ſacramento Pœnitentiæ dicunt omnes, formam eſſe verba, quæ Sacerdos profert, dum dicit: Ego te abſolvo. Ex quibus patet, Concilia loqui de verbis proprie ſumptis: ſi enim loquerentur non de ſolis verbis, ſed etiam de omni ſupplente vices verborum, ut ſunt nutus, vel ſcripta, immerito ſolum Matrimonium excepiſſent. Si ergo forma reliquorum ſacramentorum, Matrimonio excepto, verbis proprie talibus perfici debet; quis enim dicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam ſcripto, vel nutu perfici poſſe? Ergo nec &c. Idque valde congruit. Tum ex parte ſacramenti: quod cum ſit judicium, debet ſicut in aliis judiciis voce humana proferri ſententia. Tum ex parte miniſtri: cum valde honorificum ſit verbis formalibus reum abſolvere. Tum ex parte pœnitentis: qui magis certus eſt de ſua abſolutione, audiens illam verbis Sacerdotis pronuntiatam.

II. Dico ſecundo. Abſolutio nequit dari abſenti. Sequitur ex præcedenti. Nam ſi abſolutio debet voce humana proferri, nequit niſi præſenti impartiri, cui ſoli poſſumus loqui. Deinde ly *Te* deſignat perſonam præſentem, ſicut ly *Hoc* materiam præſentem: ergo ſicut Sacerdos nequit baptizare perſonam abſentem, neque conſecrare panem abſentem; ita nec abſolvere ſacramentaliter pœnitentem abſentem.

III. Dico tertio. Pœnitens non poteſt Sacerdoti abſenti per litteras, vel per Nuntium confiteri. Id colligitur ex Tridentino, *Seſſ. 14. c. 2.* quod voluit, pœnitentes *Ante hoc tribunal tamquam reos ſiſti.* Et expreſſius declaravit Clemens VIII. *anno 1602.* qui tamquam falſum, ſcandaloſum, & temerarium damnavit, qui diceret: *Licere per litteras, ſeu Internuntium, Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.* Fuere, qui cenſerent, Clementem illam propoſitionem damnaſſe quidem in ſenſu complexo, & copulativo, non vero in ſenſu disjunctivo; adeoque poſſe vel per litteras, vel per internuntium confiteri abſenti, etſi non poſſit ab abſente abſolvi. Verum partem utramque fuiſſe a Clemente damnatam, ex eo conſtat; quia ſectionem celebris Theologi, ita ejus mentem detorquentis, ex ejus ſcriptis Clemens ipſe eradi juſſit: &, referente Bellarmino, declaravit, mentem ſuam fuiſſe utramque propoſitionis partem damnare, & prohibere, ne confeſſio fiat abſenti, quamvis abſolutio in præſentia danda eſſet.

§. II.

Solutio Objectionum.

IV. COntra primum aſſertum objicies. Non eſt de eſſentia confeſſionis, ut voce fiat: cum poſſit fieri per ſcriptum, vel per nutum, ut in mutis; ergo neque de eſſentia abſolutionis eſt —— Nego conſ. & paritatem. Primo: quia forma debet eſſet expreſſior, quam materia; & cum abſolutio habeat rationem formæ, confeſſio autem materiæ, non mirum, ſi lex, & traditio divina verba ad illam exigat, non ad iſtam. —— Secundo: quia ſi confeſſio deberet fieri ſola voce, multæ perſonæ, ut muti, barbaræ, & ignotæ linguæ hoc bono ſpirituali privarentur, & non eſſent capaces confeſſionis. At per hoc quod abſolutio debeat proferri voce, nihil damni ſequitur, & nulla occurrit rationabilis cauſa: unde ſapienter Chriſtus inſtituit, ut abſolutio ſolis verbis proferretur.

V. Objicies ſecundo contra idem. Abſolutio ab excommunicatione in ſcriptis data valida eſt; ergo etiam abſolutio a peccatis. —— Nego conſ. & paritatem. Sicut enim abſolutio ab excommunicatione non requirit certam formam verborum, ita nec verba proprie dicta: quia non operatur ut inſtrumentum Chriſti ad effectum ſupernaturalem; ſed ut inſtrumentum Superioris, qui in abſolvendo a cenſura, utpote principalis, poteſt ſibi medium determinare, non ſic in abſolutione a peccatis.

VI. Dices: S. Thomas Cantuarienſis abſens petiit abſolutionem a Sede Apoſtolica —— Sed reſpondeo, S. Thomam præfatum non petiiſſe abſolutionem ſacramentalem, nec hoc ab Alexandro III. obtinuiſſe; ſed tantum canonicam: timebat enim, ne cenſuram aliquam incurriſſet, cedendo Henrico II. Angliæ Regi libertatem Eccleſiaſti-

cam

cam impugnanti. Immo, ut patet ex ipsius Pontificis rescripto, ipsum remittit pro absolutione ad aliquem Sacerdotem. *Si te recolis* (inquit) *aliquid commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit; Sacerdoti, qui discretus, & providus habeatur, tibi confulimus per pœnitentiam confiteri.*

VII. Objicies tertio contra secundum assertum. Pœnitentia se habet per modum judicii, in quo absolutio sententia est: sed in judicio forensi sententia potest ferri in absentem; ergo &c. —— Respondeo, neg. conf. Judex enim subordinatus valide sententiam non profert, nisi servet formam substantialem sibi a supremo Judice præscriptam. Quare si in foro externo statuta esset lex, ut nemo nisi voce, & in præsentia absolveretur; tunc sententia alio modo lata invalida foret: sed quia in foro externo talis lex non est lata, ideo valet absolutio etiam in absentem. At in judicio sacramentali, in quo Sacerdotes sunt Judices subordinati Christo, debent servare eam formam, quam ipse præscripsit: ipse autem per suam Ecclesiam præscripsit, ut absolutio fiat voce, & in præsentia: quia in confessione ipse pœnitens reus est, accusator, & testis sui; & in tali judicio ipsi reo credendum est in iis, quæ vel contra se, vel pro se profert: & ideo totum hoc fieri debet in præsentia.

VIII. Dices. Quia contractus potest iniri inter absentes, etiam matrimonium, saltem per modum contractus, in absentia perfici potest; ergo quia confessio est per modum judicii, & judicium in humanis in absentes potest exerceri, dici poterit confessionem &c. —— Respondeo, neg. absolute causalem. In tantum enim matrimonium fieri potest inter absentes; quia forma præscripta non requirit præsentiam physicam, sed tantum moralem, & ideo a Conciliis excipitur; forma vero Pœnitentiæ *Absolvo te*, sicut ista *Baptizo te*, requirit præsentiam physicam; & ideo ea exceptione non gaudet.

IX. Objicies quarto contra tertium assertum. Moribundus, qui ante adventum Sacerdotis signa dedit pœnitentiæ, & petiit confiteri; & adveniente Sacerdote jam usum rationis amisit, ita ut nec confiteri, nec pœnitentiæ signa dare possit: si præsentes fide digni testentur, ipsum pœnitentiam petiisse, potest, & debet absolvere, ut habetur ex Conc. Carthag. IV. *cap.* 63. Rituali Romano; ergo &c.

Respondeo, neg. conf. Nam moribundus ille præsens est, & quasi per interpretem (quod licitum est) per testimonium eorum, qui audierunt eum petentem confessionem, confitetur; & Sacerdos certus moraliter est, eum adhuc petere, nec voluntatem mutasse. At in casu contrario Sacerdos nullam certitudinem haberet, nisi ejus confessio facta in absentia, ei notificetur, vel per ipsum, vel per alios: & ideo casus iste non est contra nos.

QUÆSTIO IX.

De Satisfactione Sacramentali.

TErtia pars ad sacramentum Pœnitentiæ requisita, postrema quidem in executione, sed in intentione prior, est satisfactio, de qua in præsens sermo erit.

DUBIUM I.

An Homo possit Satisfacere de Condigno pro Pœna Temporali Peccato Mortali debita.

§. I.

Paucis Præmissis Resolvitur Dubium.

I. SAtisfactio nil aliud est, quam actio, qua reparatur inæqualitas orta ex injuria alteri illata. Cumque homo peccando mortaliter duplicem inæqualitatem, & injuriam Deo faciat: unam, constituendo ultimum finem in creatura, ex qua reatum pœnæ æternæ incurrit: alteram, nimis indulgendo propriæ voluntati; & inordinate in creatura delectando, ex qua incurrit reatum pœnæ temporalis: ideo esto prima semper tollatur per contritionem, vel attritionem cum sacramento Pœnitentiæ, non tamen semper secunda. Cum remissa culpa, & pœna æterna per Pœnitentiam, remaneat interdum reatus pœnæ temporalis, ut contra Lutherum statuit Tridentinum, *Sess.* 14. *c.* 8. & *Canon.* 12. & 13. & sic primi parentes multas pœnas temporales subjerunt etiam postquam eis culpa, & pœna æterna fuit remissa: sic Aaroni etiam post remissum incredulitatis peccatum pœna temporalis decernitur. Sic Davidi post condonata peccata adulterii, & homicidii, inflicta fuit pœna temporalis.

II. Notandum etiam est: quod satisfactio pro peccatis, alia est sacramentalis, quæ ex Tridentino, *Sess.* 14. *cap.* 8. describi potest: quod sit *Actio, qua in sacramento Pœnitentiæ retribuimus Deo compensationem aliquam pro peccatis, juxta sententiam Sacerdotis.*

Alia non sacramentalis, qua homo operibus bonis sibi a Sacerdote non injunctis conatur pro peccatis compensare, quæ potest sic describi: *Voluntaria sui punitio ad compensandam injuriam per peccatum Deo illatam, & ad eum sic placandum, ut temporalem pœnam remittat.* Hic nos loquimur de satisfactione, non pro culpa, & pœna æterna, pro qua, *in Tract. de Incarnat.* ostendimus, nullum purum hominem posse de condigno satisfacere; sed solum de satisfactione pro pœna temporali.

III. Dico. Homo potest satisfacere de condigno pro pœna temporali peccato debita; non tamen de toto rigore justitiæ. Prima pars est contra Lutheranos, & Calvinistas, qui cum negent, ullam peccato remisso superesse pœnam temporalem luendam; negant etiam, hominem pro ea posse satisfacere: quos damnat Tridentin. *Sess.* 14. *Can.* 12. Et etiam contra Bajum, *prop.* 10. quem damnarunt S. Pius V. Gregor. XIII. & Urbanus VIII. —— Eam tamen docet Trident. loco citato, *cap.* 8. & 9. & *Can.* 13. Ubi cum absolute dicat, nos posse pro pœna temporali satisfacere, exponi debet de condigno: sicut cum dicit, absolute posse mereri, debet intelligi de merito de condigno. —— Ratio autem esse potest. Quia tunc satisfactio censetur de condigno, quando est moraliter æqualis rei debitæ: sed satisfactiones, quas Deo exhibemus, possunt esse moraliter æquales pœnæ temporali peccato mortali debitæ; ergo &c. Min. prob. Cum enim pœna illa finita sit, poterit adæquari per satisfactionem finitam; maxime si intensa sit, & ex charitate fiat. Et sicut bona opera justorum possunt esse valoris moraliter æqualis, & proinde meritoria de condigno vitæ æternæ; quanto magis id poterit satisfactio pro pœna temporali minoris æstimationis?

IV. Nec obstat, quod Adversarii dicunt, nempe, quod omnis nostra satisfactio, & pœna hujus vitæ sit pretium ordinis inferioris ad pœnam vitæ futuræ, & proinde non posse esse satisfactoriam de condigno —— Nam quidquid sit de satisfactionibus, ut nostræ sunt, secus tamen ut meritis Christi valorantur. *Neque vero* (ait Trident. Sess. 14. cap. 8.) *ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloria nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre.* Doctrina præ oculis habenda.

V. Secunda vero pars, prob. Nam ad satisfaciendum de rigore justitiæ (ut dictum est, *de Incarnat.*) requiritur, quod satisfactio non fundetur in gratia creditoris, quod fiat ex bonis debitoris, & ex bonis alias indebitis creditori; quæ cum non adsint in satisfactionibus nostris, hæ enim fundantur in gratia Dei, non sunt ex bonis propriis, sed acceptis a Deo, & infinitis aliis titulis Deo debentur; ideo non sunt de rigore justitiæ.

§. II.

Conditiones Requisitæ ad Satisfactionem.

VI. EX conditionibus requisitis ad satisfactionem aliæ sunt ex parte satisfacientis, aliæ ex parte operis satisfactorii, aliæ ex parte Dei acceptantis.

Ex parte satisfacientis requiritur, quod sit in gratia. Quia opera nostra, nisi gratia Dei valorentur, nullam habent proportionem cum remissione pœnæ. Quomodo enim opus exiens a persona inimica habebit valorem ad movendum Deum, ut remittat pœnam temporalem, cum potius mereatur æternam? —— An vero satisfaciens sic teneatur satisfactionem sacramentalem in gratia adimplere, ut si eam impleat in peccato mortali, peccet mortaliter, nec satisfaciat præcepto Confessarii, ac teneatur de novo illam implere, affirmant multi, communius tamen negant alii. Tum quia: cum satisfactio non sit pars essentialis, sed tantum integralis sacramenti, non apponit obicem essentiæ, & principali effectui sacramenti. Tum quia: Confessarius non intendit sic obligare pœnitentem. Tum quia: sicut qui in peccato mortali jejunat, implet præceptum Ecclesiæ; ita in casu. —— Consideret tamen pœnitens, satisfactionem sibi injunctam esse, ut integre ad Deum convertatur, & ipsum reddat placatum: ideoque si dum satisfacit, in peccato mortali se esse cognoscit, studeat de suo peccato dolere —— Ex parte etiam satisfacientis requiritur status viatoris. Nam sicut post hanc vitam nullus est locus merito; ita nullus est locus satisfactioni.

VII. Ex parte operis satisfactorii requiritur primo. Quod sit opus liberum: debet enim esse actus voluntarius, humanus, & moralis, cujus fundamentum est libertas. —— Secundo. Debet esse bonum: quia per opera mala meremur potius novam pœnam, quam remissionem pœnæ. —— Tertio. Quod sit supernaturale: debet enim procedere ex meritis Christi, quæ supernaturalia sunt; & pœnæ Purgatorii supernaturales sunt, quia revelatæ nobis per fidem, & quia retardant nos a consecutione finis supernaturalis. —— Quarto. Quod sit opus pœnale, vel sponte susceptum, vel a Deo inflictum, & voluntarie acceptatum, aut a Sacerdote injunctum.

VIII. Ex parte autem Dei requiritur, ut acceptetur, seu

ſeu ut Deus velit intuitu talis operis pœnam remittere. Satisfactiones enim noſtræ non habent ullam vim, niſi per Chriſtum, & niſi per illum a Patre acceptentur, ut diximus ſupra ex Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 8. Cum enim pœnæ aſſumptæ in ſatisfactionem inferioris rationis ſint pœnis Purgatorii; non tenetur Deus ex juſtitia eas acceptare: præſertim, quia cum ſit abſolutus Dominus, poſſit eas pluribus aliis titulis a nobis exigere. Et ſicut Judex non tenetur acceptare pœnam ſibi a reo exhibitam; ſed poteſt, ea non obſtante, illum punire pœnis a ſe, vel a lege ſtatutis: multo magis Deus. Et apparet in animabus Purgatorii, quæ multos actus contritionis, charitatis &c. faciunt de ſe aptos ad ſatisficiendum; & tamen ſatisfactorii non ſunt, quia ad hunc finem non acceptantur a Deo.

§. III.

An poſſit Unus pro Alio Satisfacere?

IX. DUbium procedit tam de ſatisfactione ſacramentali, quam de non ſacramentali: & de utraque, tam ut medicina in remedium peccati, quam ut eſt compenſatio pœnæ in Purgatorio luendæ.

X. Dico, primo. Si ſatisfactio conſideretur, ut eſt ad medicinam, & remedium peccati, non poteſt unus pro alio ſatisfacere; bene tamen ſi conſideretur, ut ordinata ad ſolutionem debiti. Ita S. Thom. *Supplem.* 3. *p. q.* 13. *art.* 2. Ratio primi eſt. Quia medicina debet recipi in eo, in quo eſt morbus; unus enim non poteſt ſanari per medicinam ab alio ſumptam: & ut ait S. Thom. *Ex jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere conſuevit, niſi ſecundum accidens; in quantum ſcilicet, aliquis per bona opera poteſt alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficaciſſimum remedium eſt ad evitandum peccatum. Sed hoc eſt per modum meriti magis, quam per modum ſatisfactionis.* —— Ratio autem ſecundi petitur ex articulo fidei, quo credimus communionem Sanctorum, quam Eccleſia in hoc ſenſu intelligit, ut bona opera juſtorum utilitatem afferrent, etiam in purgatorio exiſtentibus. Cum enim ſimus omnes unius corporis membra; ſicut unum membrum non in ſui tantum, ſed & in aliorum utilitatem operatur: ſic in myſtico corpore Eccleſiæ membra viva per charitatem poſſunt utiliter operari non ſolum ſibi, ſed aliis. —— Sed quia hoc poteſt dupliciter fieri: vel immediate applicando pœnam ſuam pro compenſatione pœnæ temporalis alteri debitæ, vel mediate impetrando alteri auxilium, quo per propriam ſatisfactionem pœnam ſibi debitam ſolvat: & de hoc non dubitatur, nam, ut cum S. Th. dicebamus, hoc eſt potius mereri alteri, ut ſatisfaciat, quam ſatisfacere pro altero. De ſatisfactione ergo immediata:

XI. Dico ſecundo. Satisfactione etiam ſacramentali poteſt unus pro alio immediate ſatisfacere, quantum ad ſolutionem debiti, pro pœna. Ita S. Thom. citato loco, tum *in corp.* tum *ad* 2. Ubi reddens rationem, quare non poſſit unus conteri, aut confiteri pro alio, poſſit tamen pro alio ſatisfacere, dicit: *Quod contritio ordinatur contra culpam, quæ ad diſpoſitionem bonitatis, vel malitia hominis pertinet: & ideo per contritionem unius alius a culpa non liberatur. Similiter per confeſſionem homo ſe ſacramentis Eccleſiæ ſubjicit. Non poteſt autem unus ſacramentum pro alio accipere: quia in ſacramentis gratia ſuſcipiendi datur, non alteri.* Et *ad* 1. poſtquam dixit, præmium eſſentiale viſionis Dei non poſſe reddi ex merito alterius hominis; quia unice redditur ſecundum cujuſque diſpoſitionem, & meritum Chriſti, quod eſt infinitum, ſubdit: *Quantum ad pœna remiſſionem unus alteri poteſt mereri, & actus unius efficitur alterius charitate mediante, per quam* omnes unum ſumus in Chriſto (Galat. 3.)

XII. Si dicas. Ex Tridentino, *Seſſ.* 14. *cap.* 3. partes Pœnitentiæ ſunt *Contritio, confeſſio, & ſatisfactio;* ergo ſi non poteſt unus pro alio conteri, & confiteri, neque poterit unus pro alio ſatisfacere —— Nego conſ. Nam ſatisfactio eſt pars tantum integralis, & per modum complementi judicii, non eſſentialis; ideoque per alium poteſt ſuppleri, in quo caſu fit actus pœnitentis ſaltem moraliter, ſicut eleemoſyna facta a famulo eſt moraliter ipſius domini: & maxime ſi fiat ad petitionem ipſius pœnitentis; talis enim petitio, quæ formaliter actus illius eſt, facit, ut ſatisfactio ab alio facta, ſit ſua.

DUBIUM II.

An ſatisfactio ſit vere partis ſacramenti Pœnitentiæ, & quem effectum cauſet?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. SAtisfactionem eſſe unam ex partibus ſacramenti Pœnitentiæ docet Tridentinum, *Seſſ.* 14. *cap.* 3. ut nuper dictum eſt. Et hoc eſſe de jure divino colligitur ex ejus inſtitutione, in qua cum Chriſtus dederit, *Matth.* 18. poteſtatem ſolvendi, & ligandi, & *Joann.* 20. remittendi, & retinendi peccata; noluit peccata ſolvi, & remitti ſine aliqua pœnæ impoſitione. Quis enim Judex reum abſolvit, niſi aliqua ipſi impoſita ſatisfactione?

II. Neque dicas primo. Quod cum Deus in pœnitentia vere peccata remittat, non exigit pro illis amplius pœnas: ficta enim, & fraudulenta eſſet reconciliatio cum inimico, ſi poſt condonatam injuriam vellet eum aliquam pœnam, aut damnum pati —— Nec dicas ſecundo. Quod ſicut homo reconciliatur Deo per Pœnitentiam, ita & per Baptiſmum: ſed poſt Baptiſmum nulla remanet pœna; ergo nec &c.

III. Reſpondeo enim ad primum, quod non eſt ficta reconciliatio Judicis, qui non recipit ad amicitiam reum, niſi facta compenſatione juſtitiæ læſæ. Unde cum Deus ſit ſummus Judex, ita ſua miſericordia peccatum condonare poteſt, ut velit ſuæ juſtitiæ ſatisfieri: eo vel maxime, quia pœnitens non ſemper per pœnitentiam tantum dolet, quantum peccando delectatus fuit.

IV. Ad ſecundum diſparitas eſt inter Baptiſmum, & Pœnitentiam; quod ille ſe habet per modum ſpiritualis regenerationis, totum, quod prius erat delens, nempe, tam pœnam, quam culpam, & novum penitus hominem faciens. At iſta ſe habet per modum ſanationis, ad quam requiritur, quod infirmus ſuis actibus cooperetur; ac proinde quod conetur nedum ad deteſtationem culpæ, ſed etiam ad ſatisfactionem pro pœna. Eo vel maxime, quia peccatum poſt Baptiſmum commiſſum gravius eſt; ideoque majores ad Deum placandum labores ſunt ſubeundi.

V. Sed dices. Chriſtus lavit nos in ſanguine ſuo, & fuit propitiatio pro peccatis noſtris; ergo ſi noſtra requiritur ſatisfactio, fit injuria ſatisfactioni Chriſti —— Nego conſ. Satisfactio enim Chriſti fuit ſufficiens pro omnibus peccatis, & pœnis per modum cauſæ univerſalis; quæ nihilominus applicari debet nobis per ſatisfactiones noſtras. Et ſicut nulla fit injuria doloribus Chriſti per hoc, quod de peccatis doleamus, neque ejus orationibus per hoc, quod oremus: ita neque ejus ſatisfactioni præjudicamus, per hoc, quod & nos ſatisfaciamus.

§. II.

Reſolvitur utraque Dubii Pars.

VI. DIco primo. Satisfactio eſt pars Pœnitentiæ, non quidem eſſentialis, ſed integralis. Prob. Tum quia: punitio non eſt de eſſentia, ſed tantum de integritate, & veluti complementum extrinſecum judicii. Tum quia: ſatisfactio ſupponit ſacramentum jam perfectum, & eſſentialiter completum; cum ſupponat gratiam, & remiſſionem peccatorum ex vi contritionis, confeſſionis, & abſolutionis productam. Tum quia: ſi ſatisfactio eſſet pars eſſentialis, moribundus omni ſenſu deſtitutus eſſet incapax ſacramenti Pœnitentiæ, quia impotens ullam implere ſatisfactionem.

XII. Dico ſecundo. Satisfactio ſacramentalis triplicem ex opere operato præſtat effectum. Primo: Remiſſionem pœnæ temporalis. Secundo: Auxilia quædam ad facilius præcavendum a peccatis. Tertio: Augmentum gratiæ habitualis. Prima, & ſecunda pars ab omnibus Theologis admittitur. Quia ſacramenta novæ legis efficiunt id, ad quod ſunt inſtituta; ſed ſatisfactio ſacramentalis inſtituta eſt ad remiſſionem pœnæ temporalis ex peccatis relictæ, & ad facilitatem cavendi in poſterum, ut habetur ex Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 8. ergo &c.

Tertia vero pars controvertitur inter Theologos, quibuſdam diſſentientibus, his motivis. Primo. Quia per unum ſacramentum una tantum gratia datur: ſed ſatisfactio ſupponit gratiam jam productam vi abſolutionis; ergo &c. Sicut enim ſpecies vini, quæ ſunt pars Euchariſtiæ, non conferunt novum gradum gratiæ diſtinctum ab eo, quem ſpecies panis prius ſumptæ contulerunt: ita neque ſatisfactio &c. —— Secundo. Quia ſi ſatisfactio gratiam cauſaret, gratiam ſignificaret; ſi eam ſignificaret, ſubſtaret ſignificationi ſacramentali, & eſſet pars eſſentialis, ſicut contritio &c. —— Tertio. Quia alias Pœnitentia, ſaltem quoad ſatisfactionem, eſſet ſacramentum vivorum. Deinde qui ſatisfaceret in peccato mortali, peccaret mortaliter; quia poneret obicem gratiæ ſacramentali: & qui in peccato mortali illam adimpleret, cum ſola attritione juſtificaretur, ac ſi ſacramentum Pœnitentiæ de novo reciperet.

VIII. Attamen, his non obſtantibus, probabile eſt, quod ſatisfactio, dum impletur, gratiam per pœnitentiam collatam augeat, vel perficiat. Quia ſatisfactio eſt pars, licet integralis, ſacramenti, ideſt ſigni a Chriſto inſtituti ad cauſandam gratiam; ergo hoc debet participare, non primo eam producendo, quia jam productam ſupponit, ſed productam perficiendo, vel augendo.

IX. Ad primam ergo objectionem dico, quod gratia, quæ per ſatisfactionem augetur, non eſt nova gratia; ſed perfectio gratiæ per pœnitentiam obtentæ: ſicut non deſunt, qui velint, ſpecies vini ſumptas majorem gratiæ perfectionem afferre, quam ſi ſola panis ſpecies ſumatur. Dato tamen antecedente do diſparitatem. Quia in ſpeciebus panis adeſt totus Chriſtus continens totam virtutem ſacramenti, & gratiæ: at contritio, confeſſio, & abſolutio non continent totam perfectionem gratiæ, quam Deus

in

in tali ſacramento decrevit producere ; ſed aliqua pars communicatur ſatisfactioni, quando impletur. —— Ad ſecundam dico, ſatisfactionem ſubſtare ſignificationi ſacramenti Pœnitentiæ integrali, eſto non eſſentiali —— Ad tertiam dico, non ſequi primum. Quia principalis gratia per Pœnitentiam producta eſt gratia prima : quod autem una pœnitentiæ pars gratiam perficiat, non facit, ut Pœnitentia evadat ſacramentum vivorum. Non ſecundum. Quia eſto peccet qui ponit obicem gratiæ eſſentiali ſacramenti ; non tamen qui ponit obicem ſolum complemento, & perfectioni gratiæ. Neque tertium. Quia facere de attrito contritum proprium eſt totius ſacramenti Pœnitentiæ, non vero unius partis ſeorſim, præſertim integralis.

X. Pro concilianda tamen utraque opinione dici poteſt, ſatisfactionem augere gratiam non intenſive, producendo novum gratiæ gradum diſtinctum a primo ; ſed extenſive, perficiendo gratiam in ratione abolendi peccati reliquias, quatenus remittit etiam pœnam temporalem : & impetrando gratias prævenientes, & auxilia divina, ut peccata in poſterum facilius præcaveantur.

Ut tamen ſatisfactio ſacramentalis hos effectus producat, debet adimpleri in ſtatu gratiæ. Quod ſi in ſtatu peccati mortalis adimpleatur, eſto tunc effectum ſuum non producat ; valde tamen pium, & probabile eſt, ſuum effectum habituram, recedente impedimento : ſicut enim ſacramentum informe, recedente obice, effectum ſuum producit ; ita & ſatisfactio, quæ pars ſacramenti eſt.

§. III.

De Obligatione Sacerdotis, & pœnitentis circa Satisfactionem.

XI. Confeſſarius regulariter, & per ſe loquendo tenetur, audita confeſſione ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam injungere. Ita ex Trident. *Seſſ.* 14. *c.* 3. & 8. Tenetur enim facere ſacramentum integrum ; & conſequenter injuriam ei irrogaret, ſi ſatisfactionem, quæ pars integralis ejus eſt, omitteret. Inſuper cum ibi ſedeat ut Judex, tenetur juſtitiam vindicativam exercere, quæ requirit punitionem pro delicto. Quare cenſent Doctores, peccaturum mortaliter Sacerdotem hoc omittentem ſine rationabili cauſa : niſi forte peccata vel eſſent tantum venialia, vel mortalia alias confeſſa : tunc enim aliqui cenſent, peccaturum ſolum venialiter. —— In pœnitentia autem injungenda æquitatem ſervare debet Sacerdos, ut pro gravibus gravem, pro levibus levem pœnitentiam injungat : ad quod tenetur, tum quia Judex, tum quia Medicus, tum quia Miniſter. Nam Judex ſervare debet æquitatem in pœna, Medicus convenientem morbo adhibere medicinam ; & Miniſter integrum facere ſacramentum.

Dixi teneri regulariter, & per ſe. Poteſt enim cauſa rationabilis excuſare, ne ſatisfactio injungatur ; puta, ſi pœnitens ſit gravi morbo oppreſſus, ſi Jubilæum, vel plenariam indulgentiam lucretur : vel (addunt aliqui) ſi timeatur, ne pœnitens in futura confeſſione aliquod peccatum reticeret, aut a confeſſione deterretur : (cui tamen cenſerem mederi poſſe, aliam mitiorem pœnitentiam imponendo) ſunt etiam plures, qui cenſent, quod ſi conſtet Sacerdoti, pœnitentem ante confeſſionem ſufficienter ſatisfeciſſe ; non tenebitur ullam ſatisfactionem injungere.

XII. Pœnitens autem e contra tenetur pœnitentiam ſibi a Confeſſario injunctam acceptare, & acceptatam implere : quidquid ſentiant aliqui volentes, pœnitentem remittere poſſe ſolutionem pœnæ in aliam vitam. Unde ſi quis ita diſpoſitus eſſet, ut nullam pœnitentiam a Sacerdote vellet acceptare dicens ; ſe velle remittere ſolutionem pœnæ temporalis in aliam vitam : iſte non eſſet abſolvendus, utpote indiſpoſitus : quia perſtaret recuſans id, quod ad integritatem ſacramenti requiritur, nedum ex parte Sacerdotis, ſed etiam ex parte pœnitentis : & quia renuens ſe ſubdere plene Eccleſiæ clavibus, ut judicetur.

Ex quo ſequitur : quod qui ſponte venialia ſubjicit ſacramento pœnitentiæ, tenetur acceptare, & implere pœnitentiam ſibi injunctam ; qui eſto non teneretur abſolute illa confiteri : eo ipſo tamen, quod voluit illa clavibus Eccleſiæ ſubjicere, tenetur præſtare quidquid ad integritatem ſacramenti requiritur. —— Sequitur etiam, pœnitentem non poſſe pœnitentiam propria auctoritate, neque etiam in graviorem mutare, alias non ſatisfaceret præcepto Judicis : ſicut neque ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, qui loco jejunii ab ipſa præſcripti aliquid melius facere vellet.

XIII. Quæres tamen : An unus Sacerdos tollere, vel ſaltem commutare poſſit pœnitentiam ab alio injunctam —— Et quidem ſi pœnitentia fuerit imprudenter, aut irrationabiliter injuncta, fatentur omnes, poſſe eam vel moderari, vel mutare. Solum controverſia eſt : An poſſit etiam mutare pœnitentiam proportionatam, tum delictis, tum facultati pœnitentis. Quoad hoc

XIV. Reſpondeo primo. Nullum Sacerdotem ſive inferiorem, ſive æqualem, ſive ſuperiorem poſſe pœnitentiam ab alio injunctam omnino tollere. Quia nullus Sacerdos poteſt tollere id, quod eſt de integritate ſacramenti ; cum hoc ſit de jure divino ; talis autem eſt ſatisfactio.

XV. Reſpondeo ſecundo. Quivis legitimus Confeſſarius mutare poteſt pœnitentiam ab alio impoſitam propter peccata non reſervata ; ſed nonniſi in confeſſione, & auditis peccatis, pro quibus fuit impoſita. Prima pars probatur. Nam quilibet legitimus Confeſſarius habet facultatem abſolvendi, & pœnitentiam imponendi ſuper eadem peccata, & ſuper eumdem pœnitentem ; peccata enim confeſſa uni, & pœna mulctata ab uno, poſſunt alteri ſubjici : cumque ex alia parte nemo teneatur pro eodem peccato duplicem ſatisfactionem ſubire ; ſtante novo judicio, poterit pœnitens, omiſſa prioris judicii ſententia, ſtare ſecundæ, ſicque pœnitentiam mutare ; & hoc non propter ſuperioritatem unius Confeſſarii ad alium, ſed propter ſuperioritatem utriuſque ad eumdem pœnitentem, in cujus gratiam inſtitutum eſt hoc ſacramentum.

XVI. Dixi, loquendo de peccatis non reſervatis. Quia licet probabile ſit, pœnitentiam etiam pro reſervatis impoſitam a ſuperiore, poſſe ab inferiore commutari ; quia peccata ſemel rite confeſſa, deſinunt eſſe reſervata, & manent ſicut cætera peccata communia —— Tutior tamen eſt pars negativa. Quia, ut Sacerdos poſſit commutare pœnitentiam pro peccatis remiſſis a ſuperiore, debet poſſe de illis ferre ſententiam ; quia commutatio illa actus judicialis eſt : ſed non poteſt Sacerdos inferior ferre judicium de peccatis ſuperiori reſervatis ; ergo &c.

Ratio autem in contrarium non urget. Quia licet ex ſuppoſitione, quod illa reſervata quæ fuerit quis confeſſus, ſubſint judicio inferioris Sacerdotis ; abſolute tamen, & per ſe non ſubſunt : unde pœnitentiam pro illis impoſitam commutare nequit. Quia ſicut in materiam prioris judicii, in quo reſervatio ſublata eſt, facultatem non habet ; ſic neque in ſententiam prolatam, & pœnæ impoſitionem, quia in hujuſmodi pœnitentiis a ſuperiori inflictis involvitur tacitum præceptum, ne poſſit alius inferior, niſi gravi urgente neceſſitate, qua non poſſet ad ſuperiorem haberi recurſus, illas minuere.

XVII. Secunda vero pars etiam patet. Quia commutatio pœnitentiæ eſt actus judicialis ; in hoc autem Confeſſarius non eſt judex, niſi intra confeſſionem, & extra hanc nequit ſubrogari pœnitentia, quæ ſit ſacramentalis, ſicut extra illam nequit injungi. Ex quo ſequitur, quod nequeat commutari, niſi auditis peccatis ; quia cum ſit actus judicialis, nequit fieri incognita cauſa.

QUÆSTIO X.

De Satisfactione, ſeu Pœnitentia Publica.

EGimus de ſatisfactione ſacramentali, qua homo ſatisfacit Deo, modo de ſatisfactione canonica, qua homo ſatisfacit etiam Eccleſiæ, dicta proinde canonica, quia Eccleſiæ Canonibus ſtatuta fuit. De hac ergo aliqua pro inſtructione dicemus.

DUBIUM I.

Quotuplex ſit Pœnitentia Publica.

§. I.

De Pœnitentia ante Baptiſmum.

I. Pœnitentia publica, in conſpectu Eccleſiæ, & Fidelium ex præcepto miniſtrorum, & Paſtorum, alia fiebat (præcipue olim) ab adultis ante Baptiſmum, ut ad illum ſuſcipiendum ſeſe diſponerent. Sine enim aliqua Pœnitentia adultos ad Baptiſmum non eſſe admittendos, colligitur ex verbis S. Petri, Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Ex quibus Tridentinum, *Seſſ. 6. cap. 6.* inter diſpoſitiones ad Baptiſmum requiſitas pœnitentiam enumerat, dicens : *Moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.*

II. Hujus veritatis teſtes ſunt Patres. Tertullianus, *lib. de Pœnitentia, cap. 6.* S. Auguſt. *Homil.* 27. inter 50. (modo *Serm.* 352.) *cap. 1.* & *Hom.* 50. modo *Serm.* 351.) *cap. 2.* ubi ab hac pœnitentia ante Baptiſmum ſolos parvulos excipit. Hunc pœnitentiæ ritum ante Baptiſmum peragendæ deſcribit, *Serm. 1. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 1.* & *Serm. 2.* (alias 4.) *ad eoſdem, cap. 1.* ubi Catechumenos alloquens ait : *Nondum quidem adhuc per ſacrum Baptiſmum renati eſtis, ſed per Crucis ſignum in utero Sanctæ Matris Eccleſiæ jam concepti eſtis . . . . Quid eſt dilectiſſimi, quod in vobis celebratum eſt ? Quid eſt, quod hac nocte circa vos actum eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt ? Ut ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ ; ibique cervice humiliata, quæ male fuerat antea exaltata, in humilitate pedum cilicio ſubſtrato in vobis celebraretur examen, utque ex vobis extirparetur Diabolus ſuperbus, dum ſuper vos invocatus eſt humilis altiſſimus Chriſtus. Omnes utique humiles eratis, humiliterque petebatis orando, pſallendo &c.* Huc revocanda ſunt, quæ diximus, *Tract. de Bapt.* de antiquo Catechumenatus ritu. Hic autem ſermo non erit de hac pœnitentia, quæ exterius ad Baptiſmum præmittebatur ;

batur; ſed de ea duntaxat, quæ poſt ſuſceptum Baptiſmum fieri ſolebat a fidelibus, quæ in grandia crimina lapſi fuerant: de qua hic duo quæremus, nempe, quotuplex fuerit, & quot fuerint illius gradus.

§. II.

Reſolvitur Dubium.

III. DIco. Pœnitentia publica alia erat imperata ab Eccleſia, alia voluntarie a pœnitentibus petita. Prioris exempla plurima ſuppetunt hiſtoriæ, & Concilia antiquiſſima Canonibus, ſanctionibus hac de re editis; & Ritualia pœnitentialia, quibus præſcribuntur pœnæ pro certis quibuſdam criminibus eluendæ.

Fundamentum etiam habet in Evangelio, *Matth.* 18. ubi Chriſtus antequam Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtatem ligandi, & ſolvendi conferret, præſcribens eis quomodo hac poteſtate juridice uti deberent; vult, ut ſi peccatum occultum fuerit, clam reum corripiant, ſi admonitus non reſipuerit, adhibeant unum, aut alterum teſtem, quos ſi non audierit, eum tandem ad Eccleſiam deferant: *Si peccaverit* (inquit v. 15.) *in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos . . . . Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.*

Hac igitur a Chriſto habita facultate Canones edidit Eccleſia, quibus graviora crimina publicis pœnitentiis ſubjiciebat; nec reos, niſi iis peractis, ad abſolutionem, & pacem (excepto tamen mortis periculo) admittebat. Hos recenſet Alexander, *Theolog. Dogmat. & Moral. de Pœnit. art.* 7. Immo ſi aliquos talibus pœnitentiis ſe ſe ſubjicere renuentes deprehendiſſet, non ſolum ſententia excommunicationis eos cogebat; ſed ſi Eccleſiaſticis cenſuris non moverentur, auctoritate Principum, & brachio ſæculari nolentes adigebantur. Ut videre eſt in Concilio Turonenſi III. ſub Carolo Magno, *cap.* 41. *anno* 813. Tullenſi II. *cap.* 2. *anno* 860. & in Capitulis Carolinis, *lib.* 7. *Capitularium*, *cap.* 330. alias 335.

IV. Pœnitentia publica a Pœnitentibus ipſis voluntarie petita, & ſuſcepta erat eorum, qui graviorum criminum conſcii, quamvis ad Eccleſiæ Antiſtites non deferrentur, dolore peccatorum moti, pœnitentiæ etiam rigori ſponte ſe ſubjiciebant: eos enim ſolos Eccleſia ad publicam pœnitentiam adigebat, & compellebat, qui ad ipſam delati fuiſſent, teſte S. Auguſtin. *Homil.* 50. (nunc *Serm.* 351.) *cap.* 4. ubi poſtquam adhortatus fuit peccatores ad ſe ſubjiciendos huic ſalutiferæ pœnitentiæ voluntarie, ac ſponte, addit: *Nos vero a Communione prohibere quemquam non poſſumus (quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis) niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum.* Celebrem voluntariam Fabiolæ pœnitentiam laudat S. Hieronymus, *Epiſt.* 30. modo 84. *ad Oceanum*, quæ eſt de morte Fabiolæ. Hæc enim, ob illicitas nuptias, utpote ſuperſtite marito contractas, ſed quas ex imbecillitate, quaſi bona fide ſibi licitas fuiſſe crediderat, poſt mortem ſecundi viri in ſeipſam reverſa, cognitoque peccato ſuo ſaccum induit, & ſtetit in ordine Pœnitentium, ante diem Paſchæ: *Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſis ſeparata conſedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret &c.* Hanc pœnitentiam Fabiola non coacta ſubiit, ſed volens popoſcit.

V. Tertium erat pœnitentiæ publicæ genus, addunt aliqui, quæ ſolemnis pœnitentia vocabatur; qua nimirum ad vitæ auſterioris propoſitum, & inſtitutum perpetuo quis ſe obſtringebat: vel in Monaſterio Monaſticam regulam profitens, vel ſub monachorum cura, & diſciplina in ſtatu laicali manens. Qui tale pœnitentiæ genus aſſumebant, dicebantur *Converſi*: non quod omnes graviorum criminum rei fuiſſent; plerique enim ex pietate ſponte illud aſſumebant: ſed quia diſtincti erant a Monachis. Ab eo tamen inſtituto deflectere non poterant, unde ad ejus obſervantiam per Eccleſiæ Antiſtites poterant cogi. In quo differebant ab eo genere pœnitentium, quibus pœnitentia erat tantum via, & præparatio ad reconciliationem; qua obtenta, in ordine pœnitentium amplius non erant: ſed in iſtis pœnitentia votum includebat in ea ſemper perſeverandi. Quapropter tantum aberat, ut qui in eo ſtatu permanebant, alieni eſſent a communione, & participatione ſacramentorum, quin potius excommunicationem eis Eccleſia comminabatur, ſi ad ſtatum, quem deſeruerant, reverterentur, ut legitur in Conc. Toletan. IV. *Can.* 53. & Tolet. III. *Can.* 7. Hujus celebre exemplum profert Conc. Tolet. XII. *Can.* 1. *anno* 681. in perſona Wambæ Hiſpaniæ Regis: qui cum a graviſſimo morbo convaluiſſet, audiens pro ſe factum fuiſſe votum, ut ſi illi reſtitueretur ſanitas, perpetuam pœnitentiam ageret; omni habitu, & jure regio ſe abdicavit, aſſumptoque Religionis cultu, & Tonſuræ ſacræ ſignaculo, pœnitentiæ inſtitutum amplexus eſt.

§. III.

Qui, & quot fuerint Pœnitentium Ordines.

VI. PUblice pœnitentium quatuor fuerunt Ordines ex veteri Eccleſiæ diſciplina, ſcilicet, *Flentium*, *Audientium*, *Subſtratorum*, & *Conſiſtentium*.

Flentes ſtabant extra portam Eccleſiæ veſte lugubri induti, cinere, & cilicio ſordidati, lacrymiſque perfuſi; ſe perpetrati criminis reos palam fatebantur, Deique, atque Eccleſiæ miſericordiam ſupplices implorabant: adhibita Cleri, populique interceſſione, ut ad pœnitentiam agendam intra Eccleſiam reciperentur. Sic teſte Hieronymo ſupra relato pœnitentiæ ſeſe addixit Fabiola nobilis Romana, quæ adulterum maritum dimiſerat, eoque vivente alteri nupſerat; quia ſcivit, id eſſe lege divina vetitum, quamvis ipſa licitum exiſtimaſſet, quia legibus Imperatorum permiſſum.

VII. *Audientes* ſtabant in extrema parte Eccleſiæ prope januas, ibique lectionem, atque Eccleſiaſticos ſermones cum Catechumenis audiebant; ſed cum ipſis ante Miſſam fidelium dimittebantur, ac ſi a ſalutari Baptiſmatis gratia excidiſſent; ſideique chriſtianæ principiis, quam ſuo crimine violaverant, quaſi denuo ſe imbuendos eſſe cogitarent, ſibimetipſis identidem inculcantes illud Apocal. 2. v. 5. *Memor eſto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*

VIII. *Subſtrati* intra Eccleſiæ ambitum a portis uſque ad ambonem (ideſt pulpitum) genuflexi orationibus Eccleſiæ, & propriis actionibus expiabantur, & ad reconciliationis beneficium ſeſe diſponebant: ideoque in ſingulis Miſſis, Catechumenis, & Audientibus expulſis, Epiſcopus ante Offertorium ſuper Subſtratos manus imponebat, pœnitentias ſalutares injungebat, aſſiſtente, & comprecante toto Fidelium cœtu. Quibus peractis ab Eccleſia expellebantur, & ſacrificium inchoabatur.

IX. *Conſiſtentes* ab Ambone verſus Sanctuarium cum Fidelibus ad finem uſque Synaxeos permanebant, & Miſſam audiebant; ab Euchariſtiæ tamen participatione manebant ſegregati, donec Epiſcopus probaſſet, an vitam gererent Fidelibus dignam.

X. In unoquoque iſtorum graduum per annos aliquot pro criminum gravitate pœnitentes verſabantur; remanente Epiſcopo poteſtate, ſpectata eorum contritione, & fervore, diſpenſandi cum illis, tum ſupra tempus, tum ſupra pœnas.

Hos Pœnitentiæ gradus ſubire tenebantur quorumdam graviorum, & publicorum criminum rei, ut apoſtaſiæ, homicidii, adulterii.

XI. Huic pœnitentiali diſciplinæ (quam adeo ſeveram in ipſis Eccleſiæ exordiis non fuiſſe putant multi) occaſionem dedit tum refrigeſcentia contritionis, & charitatis, quam procedente tempore in peccatoribus fidelibus obſervavit Eccleſia, & major ad peccandum pronitas, ad quam frænandam durius cum pœnitentibus agendum eſſe exiſtimavit.

Tum Montani hæreſis, & Novati, qui cum negarent, præſertim mœchis, homicidis, & idolatris veniam ab Eccleſia dari poſſe, cujus contrarium Catholici tuebantur; inde paulo ſeverior cœpit eſſe erga ſimilium criminum reos pœnitentiæ ordo. Qua de re S. Cyprianus cum reſciviſſet, quoſdam indulgentiores eſſe, ut ſive minis perterriti, ſive alia ratione moti criminum reos ſine ſtatuta pœnitentiæ diſciplina reciperent, graviter in eos invehitur, Epiſt. 55. ad Cornelium. Et, lib. de Lapſis: *A Diaboli* (inquit) *aris revertentes ad ſanctum Domini ſordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus invadunt.... Ante expiata delicta, ante Exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis; pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum, nec Eccleſiæ jungitur, qui ab Evangelio ſeparatur &c.* Ita Cyprianus.

DUBIUM II.

Quænam Peccata Pœnitentiæ Publicæ ſubjacerent, & an ſolum Publica.

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. PEccata in tres claſſes diſtinguebant Patres. Prima erat graviſſimorum criminum, quæ capitalia, & ſimpliciter mortalia interdum vocabantur; & hæc tria potiſſimum erant, idololatria, mœchia, & homicidium una cum eorum ſpeciebus, quibus canonicæ cenſuræ affixæ erant, ideoque canonica etiam dicebant: Secunda claſſis erat eorum criminum, quæ mortalia quidem cenſebantur, ſed præcedentibus erant leviora. Tertia claſſis continebat peccata venialia, & levia, dicta a Patribus *quotidiana*, inter quæ aliqua vere mortalia erant: dicebantur tamen venialia,

nialia, quia de eis facilius veniam impetrabat peccator; nec ita severam pro eis pœnitentiam luere debebat, qualia erant peccata quædam fragilitatis, & ignorantiæ. Unde S. August. l. 83. Quæst. q. 20. *Alia* (inquit) *sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia contraria est sapientiæ, malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit, quid sit virtus, & sapientia Dei, potest existimare, quæ sint peccata venialia. Et quisquis novit, quid sit bonitas Dei, potest existimare, quibus peccatis certa pœnitentia debeatur, & hic, & in futuro sæculo. Quibus bene tractatis probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam, & lamentabilem, quamvis peccata fateantur, & quibus nulla speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deum spiritum contribulatum per pœnitentiam.*

II. Primum ergo peccatorum genus castigabatur pœnitentia publica præscriptis a Canonibus pœnis. Secundum antiquitus curabatur eodem modo, quo nunc, videlicet sacramentali confessione, & absolutione, & privata satisfactione; & si aliquando hæc etiam peccata castigarentur pœna canonica, non tamen humili, & luctuosa pœnitentia.

Tertium vero genus peccatorum, quæ non erant vere mortalia, non curabatur aliquo onere ab Ecclesia præscripto; sed vel orationibus, vel eleemosynis, vel pectoris tunsione, vel aliis remediis, quibus peccata pure venialia curari solent.

III. Horum omnium fidem facit idem S. Augustinus, *l. de Fide, & Operibus, c. 26.* his verbis: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus* (1. Cor. 5. v. 4. & 5.) Congregatis vobis, & meo spiritu tradere ejusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu. *Unde etiam dicit* (2. Cor. 12. v. 21.) Ne lugeam multos, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam, & fornicationem, quam gesserunt: *Item nisi essent quædam, non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus* (Matth. 18. v. 15.) Corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. *Postremo. Nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus;* Dimitte nobis debita nostra &c.

§. II.

Resolvitur Prima Pars.

IV. Dico, Tria tantum peccatorum genera per publicam, seu luctuosam pœnitentiam regulariter puniebantur, nimirum, lapsus in idololatriam, homicidium, & mœchiam. Id constat ex Tertulliano, & S. Cypriano, qui agentes de pœnitentia publica, ei tria tantum præfata crimina subjiciunt. Idem testatur S. Pacianus in sua Paræneſi: ubi ex instituto agens de luctuosæ pœnitentiæ materia, postquam dixit, in lege Mosaica minimi quoque peccati reos graviter fuisse punitos; Christianos vero per Christi sanguinem a servitute legis redemptos, quoad alia peccata levi curatione sanari, at quoad hæc sola tria severa punitione castigari. Idque colligit ex Concilio Apostolorum, ubi tria tantum interdicuntur, nempe, idolothyta, sanguis, & fornicatio, subjungens: *Hæc est novi Testamenti tota conclusio.... Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur. Hæc vero tria crimina, ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda sunt.... Quare tenacitas humanitate redimetur, convitium satisfactione pensabitur, tristitia jucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas, & quacumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicarius? Numquid aut placare Dominum desertor ejus poterit, aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia.* Quibus tamen non vult Pacianus, sola ista tria esse mortalia, ut iſtis solis charitas Dei, & justitia amittatur; sed sola ista pœnitentiæ luctuosæ subjici, ubi alia pœnitentiæ sacramento, aliisque satisfactionibus ab Ecclesia purgarentur.

V. Hoc idem asserit S. Gregorius Nyssenus, circa *ann. 360. in Epist. Canonica ad Letojum Mitylenensem Episc.* ubi disserte asserit, sola tria præfata crimina pœnitentiæ luctuosæ legibus fuisse subjecta; rationem petens non ex decreto Apostolico, ut Pacianus, sed a tribus præcipuis animæ facultatibus, ratione, concupiscentia, & ira: dicens, a ratione procedere idololatriam, a concupiscentia adulterium, ab ira homicidium. Multa alia fuisse mortalia, quibus nulla pœna canonica usque ad quartum sæculum imposita fuerat: *Cum multa* (inquit) *sint, quæ per iram fiunt peccata, & omnia mala, placuit nostris Patribus, in aliis quidem non nimium accurate agere, nec plurimum in eo studii ponere, ut omnia, quæ ex ira nascerentur, delicta curarent.* Idem dicit de fœnore, & usura, quæ nullis pœnis canonicis subjecta erat, si fiebat a laicis: nam Clericis fœnerantibus depositionem minatur Nicænum 1. *Can.* 17. Tres quasdam alias peccatorum species pœnitentiæ legibus subjicit, nempe, furtum, sepulchrorum effossionem, & sacrilegium. Sed de his loquitur, quatenus ad unum ex præfatis tribus referuntur. Furtum enim dividit in *Violentum*, cum latro paratus est armis id, ad quod inhiat, occupare, & prohibentem interficere; & hoc, ut homicidium puniendum censet. Et in *Clandestinum*, seu furtivum: & hoc nulla pœna castigat. Sepulchrorum effossionem duplicem quoque facit: unam, cum tantum lapides moventur, & in alium usum rapiuntur; sed corpus intactum relinquitur, nec soli illius turpitudo detegitur. *Et Hoc* (inquit) *licet laudabile non sit, ut tamen venia dignum esset, effecit consuetudo.* Alteram, cui pœnitentia annexa erat, sic describit: *Sed carnis in terram redactæ pulverem perscrutari, & ossa movere, spe aliquem ex defossis lucrifaciendi ornatum, in eodem judicio condemnatum est, quod fornicatio simplex.* Denique *Sacrilegium* scribit, pœna minus severa, quam adulterium, & homicidium puniri; quia forte non adeo grave, ut, Idololatria, ad quam reducitur.

VI. Huic fidem facit S. Basilius, *Epist. 2. ad Amphilochium.* Ubi describens Canones antiquiores, nullus est pro aliis peccatis, quam pro tribus istis, vel pro eorum ramis, ac speciebus, ut ex Nysseno dictum est. Immo, *Can.* 30. expresse dicit, nullas pœnas canonicas inflictas esse pro adductione, aut raptu virginum, aut viduarum. *Can.* 14. nullas pro usuris. De facto enim Concilium Eliberitanum inter tot Canones, nusquam nisi pro his tribus pœnitentiam indicit, vel pro illis, quæ ad ea reducuntur. Idem ex Concilio Ancyrano, & Neocæsariensi, quæ initio quarti sæculi celebrata sunt.

VII. Tradit hoc S. Leo, *Epist. 92.* (modo 2.) *ad Rusticum Inquisit. 19.* ubi habet: *Si convivio solo Gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis, & manus impositione purgari: ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut Idola adoraverunt, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.*

VIII. Progrediente tamen tempore, præter tria præfata crimina; & suas appendices, alia etiam gravissima peccata publicæ pœnitentiæ fuerunt subjecta. Hinc Concilium Toletanum I. cap. 2. *Pœnitentem* (inquit) *dicimus de eo, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio divino fuerit reconciliatus altari.* Hæc tamen censeo fuisse illa sola, quæ, præter dicta tria, publicum scandalum secum trahebant, & maxime, quæ morte, vel alia atroci pœna a Judice sæculari puniebantur. Unde apud Patres frequens est dictum: *Crimina, quæ leges sanguinis vindicant pœnitentia publica in laicis, & depositione in Clericis vindicanda sunt.* Hoc explicat Cæsarius Arelatensis, *Hom.* 42. his verbis: *Omnis homo, qui post Baptismum mortalia crimina commiserit, hoc est, homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, vel reliqua crimina perpetraverit, unde per legem mundanam mori poterat, si pœnitentiam non egerit, eleemosynam justam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam.* Unde Conc. Tolet. 4. *c.* 46. Clericum non modo vult deponi, sed etiam ad pœnitentiam redigi, qui crimen a legibus sanguine vindicandum commiserit.

§. III.

Resolvitur Secunda Pars.

IX. Dico. Pœnitentia publica pro solis peccatis publicis infligebatur: ita ut ne quidem mortalia graviora, vel etiam gravissima, nisi publica essent, & scandalosa, pœnitentiæ publicæ, & luctuosæ subjecta fuerint. Hoc probabilius censeo. Ita enim sentit S. August. *Serm. 16. de verb. Domin.* modo *Serm.* 82. *c.* 7. ubi hanc regulam statuit: *Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius . . . Sic agamus, & sic agendum est, non solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur.... Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto; pono ante oculos Dei judicium; terreo cruentam conscientiam; persuadeo pœnitentiam.... Sed forte quod scis, & ego scio: sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus, nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.* Homicidium ergo, & adulterium, quæ pœnitentia publica purgari solebant, si erant secreta, pœnitentia secreta curabantur. Unde, *Serm.* 15. *de Verb.* Dom. modo *Serm.* 83. idem August. cap. 7. *Si peccatum* (inquit) *in secreto est, in secreto corripe. Si peccatum publicum est, & apertum, publice corripe; ut ille emendetur, & cæteri timeant.*

X. Hoc idem confirmat, *Homil.* 49. *inter* 50. (modo *Serm.* 351.) *cap.* 4. ubi hortatur peccatorem, ut cum se senserit gravissimis delictis oneratum, veniat ad Antistites: *Et a Præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum.... Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utili-*

utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam, non resistat. Quibus apparet, Pœnitentiam publicam non fuisse injunctam, nisi pro peccatis publicis, quæ fuissent cum scandalo multorum, & quando utilitati Ecclesiæ expedierit; ita tamen, ut Pœnitentia non semper ageretur in conspectu totius Ecclesiæ, nisi quando tota Ecclesia fuerat scandalizata: alioquin sat erat Pœnitentiam agere in notitia eorum, qui scandalum passi fuerant. Ex quo sequitur, quod si delictum erat secretum, & occultum, sola Pœnitentia secreta, & sacramentali expiaretur. Immo etiamsi in aliquorum notitiam deveniisset, Episcopus publicæ Pœnitentiæ addicere reum non poterat; nisi aut sponte confessum, aut in judicio nominatum, atque convictum. Unde idem August. cit. *Nos vero* (inquit) *a communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hac prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis; nisi, aut sponte Confessum* (extra tamen tribunal Pœnitentiæ) *aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum.*

XI. Accedit: quod Ecclesia semper abstinuit ab eo, quod scandalum, & infamiam ingerere, & fidelem a confessione peccatorum avertere poterat: si autem obligasset ad Pœnitentiam publicam, etiam pro peccatis occultis, eos obligasset ad id, quod scandalum, & infamiam eis attulisset, eosque avertisset a confessione facienda. Propterea censent multi, Nectarium Patriarcham Constantin. Pœnitentiarium abrogasse; eo quod mulierem, quæ occulte stuprum cum Diacono passa fuerat, publica Pœnitentia illud prodere imprudenter injunxerat, ex quo grave scandalum in tota urbe ortum fuit. Et S. Leo Magnus, *Epist.* 80. (anno 136.) *ad Episcopos Campaniæ*, cum resciviisset, quosdam obligare Pœnitentes ad publicam quorumcumque confessionem peccatorum scripto edendam, eam hisce verbis interdixit: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur; cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, qua propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui Pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, qua primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.*

XII. His S. Leonis verbis apparet, eum non improbasse publicam peccatorum, etiam occultorum, confessionem sponte susceptam; hæc enim ex ardenti Dei amore procedit, quo non timet coram hominibus confundi: sed ut imperatam prohibet, quia non omnium est. Quare si forte legeris, pro delictis occultis aliquos publicam egisse Pœnitentiam; hanc ab eis voluntarie assumptam credere debes, ut fecerunt S. August. & alii: non vero ulla Ecclesiæ lege eis fuisse impositam. Hanc suam etiam mentem esse declaravit Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5. dum ait: *Etsi Christus non vetuerit; quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem; cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensa ædificationem delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Cum ergo Ecclesia consulte semper egerit: sicut publicam occultorum peccatorum confessionem numquam præcepit; ita nec publicam pro eisdem satisfactionem, ac Pœnitentiam præcepisse credenda est.

XIII. Dices tamen cum Morino, & Juenin, contrarium opinantibus, primo Tertullianus, *lib. de Pœnis. cap.* 7. & 9. loquens de Pœnitentia, qua lapsi post Baptismum reconciliari poterant, solius publicæ, ac solemnis meminit; ergo hac sola peccata tam publica, quam occulta, & interna expiabantur.

Respondeo, nego conf. Tertullianus enim in eo libro agit de sola Pœnitentia publica. Nam *cap.* 7. dicit: Collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed jam semel, quia jam secundo. Pœnitentia autem, quæ semel tantum concedebatur, erat publica, non secreta, qua quoties quis peccasset, poterat a Deo sperare veniam. Ideo *cap.* 9. vocat eam Pœnitentiam secundam: quia post remissionem in Baptismo jam semel factam, succedebat remissio per eam peccatorum post Baptismum commissorum semel facienda, & a qua multi removebantur; ut publicationem sui fugerent, memores magis pudoris, quam salutis. Nam quamvis peccata eorum essent notoria, & publica multis; erubescebant tamen, maxime coram tota Ecclesia actus illos publicationis suæ reatis facere, & tamquam reos se sistere coram multitudine. Sicut publicæ blasphemiæ reus, majorem pudorem concipit, si ad standum præ foribus Ecclesiæ a S. Inquisitione condemnetur.

XIV. Dices secundo. Origenes, *Homil.* 2. *in Ps.* 37. aperte asserit etiam pro peccatis occultis publicam Pœnitentiam. Ait enim: *Circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere, ... Si intellexerit, & providerit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari: multa hoc deliberatione, & satis perito illius Medici consilio, procurandum est*; ergo &c.

Respondeo, Origenem loqui non de eo, quod lege aliqua obligante faciendum erat; sed quod ex voluntaria devotione, & humilitate tunc fieri poterat, & aliquando expediebat. Non enim nego: tunc temporis aliquando peccata occulta, & secreta ex Confessarii consilio coram Ecclesiæ conventu pœnitentes fuisse confessos; & hoc in Ecclesia Orientali in usu fuisse: sed dico, etiam cum Origene, ad hoc faciendum multa deliberatione, & periti Confessarii consilio opus fuisse; ut nimirum, & fidelium ædificationi, & Pœnitentis faciliori sanationi inserviret, & non potius scandalo, & turbationi, ut accidit Constantinopoli tempore Nectarii. Si ergo ad faciendam de peccatis occultis voluntariam confessionem, & Pœnitentiam publicam tanta requirebatur consultatio; incredibile est, ad eam de talibus faciendam, legem aliquam cogentem extitisse.

XV. Dices tertio. S. Cyprianus, *lib. de Lapsis*, lapsos omnes, sive qui palam, sive qui clanculum idolis immolaverant, urget, ut convenientem peccato suo satisfactionem exhibeant, nec unquam distinguit inter publicam, & secretam. —— Rursus, *Epist.* 47. *ad Plebem*, etiam minora delicta dicit expianda fuisse Pœnitentia publica.

XVI. Resp. neg. ant. Nam S. Cyprianus, in *lib. de Lapsis*, loquitur de triplici genere hominum: eorum nempe, qui nefandis sacris manus contaminaverant: eorum, qui libellis conscientiam polluerant, *Libellatici* dicti; qui ne sacrificare cogerentur, pecuniam dederant Magistratibus Ethnicis, & ab illis libellum securitatis acceperant. Eorum tandem, qui de sacrificando, vel libellum accipiendo tantum cogitaverant. Primi generis lapsos vult quidem Pœnitentiæ publicæ subjici, eis enim: ait, *Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, ... Stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari &c.*

Qui enim sub oculis circumstantis, atque insultantis populi Ethnici sanctitatem fidei prophanaverant; qui manus suas funestis sacrificiis polluerant, & sceleratis cibis ora contaminaverant, publica satisfactione, maculam eluere debebant. Secundi vero, & tertii generis lapsos privatæ solum, ac secretæ satisfactioni vult subjectos. De Libellaticis enim dicit: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest: dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata est.* Ubi loquitur de confessione, & absolutione secreta in foro sacramentali. Nam Libellaticos ad publicam Pœnitentiam non fuisse compulsos dicit, *Epist.* 58. *ad Antonianum*, his verbis: *Placuit, frater charissime, examinatis causis singulorum, Libellaticos interim admitti.* De iis autem, qui sola cogitatione peccaverunt, dicit, ut cum magno dolore confugiant ad tribunal Pœnitentiæ; & satisfactionem in eo a Sacerdote private impositam, & private implendam magna animi submissione acceptent: *Quanto* (inquit lib. de lapsis) *& fide majore, & timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti; quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, Exomologesim conscientiæ suæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt?*

Ad id, quod additur, dico S. Cyprianum per minora delicta non sumere peccata occulta, sed publica: quæ licet in se gravissima, minora tamen vocat relate ad ea, quæ directe contra Deum & committuntur, qualis est idololatria. Perinde ac si diceret: si pro fornicatione, vel adulterio, aut homicidio, quæ minora delicta sunt, stato tempore publica agitur Pœnitentia, nec nisi ea expleta ad communionem admittuntur: quanto magis pro idololatria, quæ peccatum gravissimum est, Pœnitentia publica est subeunda?

XVII. Dices quarto. S. August. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 8. *Tribus* (inquit) *modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in oratione, in humilitate majore pœnitentiæ.* Et *Homil.* 27. *inter* 50. modo *serm.* 325. ait, cap. 2. *Triplicem quippe ejus* (Pœnitentiæ) *in S. Scriptura esse proposui. Illa prima competentium est, & ad Baptismum venire sitientium ... Est alia quippe quotidiana, & ubi illam ostendimus Pœnitentiam quotidianam? Non habeo, ubi melius ostendam, quam in oratione quotidiana.* Et cap. 3. *Restat pœnitentiæ tertium genus: & est Pœnitentia gravior, atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia Pœnitentes, remoti etiam a sacramento altaris participando, ne accipiendo indigne, judicium sibi manducent, & bibant &c.* ergo S. August. non aliam post Baptismum Pœnitentiam agnoscit, quam eam quæ pro venialibus fit, recitando orationem dominicam, & pro mortalibus, quæ proprie Pœnitentia est, & hæc est luctuosa; ac proinde publica.

XVIII. Respondeo primo, neg. conf. Nam si ita esset, dici deberet, Augustini ætate nullam fuisse Pœnitentiam, & confessionem sacramentalem, & secretam, sed tantum canonicam, & publicam: quod esto moderni hæretici

admittant, viris tamen catholicis, contra quos adimus, placere nequit. —— Reſpondeo igitur ſecundo, S. Auguſtinum iis in locis loqui ſolum de pœnitentia publica, & hanc triplicem eſſe dicit: unam, quæ in ſuſceptione Baptiſmi fit, alteram, quæ fieri ſolebat pro levioribus peccatis, & quotidianis, quæ pariter erat publica, ut etiam hujus temporis uſu conſtat. Confeſſio enim quæ initio Miſſæ fit, & ante Euchariſtiæ ſumptionem ab omnibus Catholicis pectora tundentibus, ſeque peccatores profitentibus, vere pœnitentia publica eſt, qua quotidiana peccata diluuntur. Tertiam, quæ ex præſcripto Eccleſiæ pro gravioribus (non tamen ſecretis, & occultis) agi oportebat; & hanc vocat luctuoſam. Unde, *Serm.* 352. citato de hac ſubdit: *Illa ergo pœnitentia luctuoſa eſt, grave vulnus eſt. Adulterium forte commiſſum eſt, forte homicidium, forte aliquod ſacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipotens Medicus.*

Adderem rationem: pœnitentiæ *Luctuoſæ* nomine non intelligere ſolam pœnitentiam publicam; ſed pœnitentiam pro peccatis gravibus, & mortalibus condiſtinctam a pœnitentia quotidiana pro peccatis levibus. Pœnitentia enim pro quolibet peccato mortali excludente a Regno Cælorum, ſive publico, & Eccleſiæ noto, ſive occulto, ſive opere, ſive ſola cogitatione, ſive luctu, & lacrymis fieri non poteſt. *Pœnitentia* enim (ut, ex Ambroſio, Mag. Sent. in 4. diſt. 14.) *Eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Vel, ex Gregorio: *Pœnitere eſt anteacta peccata deflere, & flenda non committere.* Deſleri autem debent primo, & ſemper coram Deo in ſecreto cordis; & aliquando etiam coram Eccleſia, quando ex peccato offenſa fuit. Quare ex quo S. Auguſtin. pro quolibet peccato gravi aſſignet Pœnitentiam luctuoſam, non excludit ſecretam, quæ coram Deo, & miniſtro ejus in Tribunali Pœnitentiæ fit. Unde ibi ponens exemplum in Lazaro quatriduano qui revixit, dicit: quod ſicut Lazarus proceſſit e tumulo, ſed ligatus, ſolutus tamen ab Apoſtolis fuit: ſic homines procedunt e tumulo peccati per confeſſionem: *Nam ipſum confiteri, ab occulto & a tenebroſo procedere eſt.* Hoc autem, ut procedant, facit Deus per ſuam miſericordiam, *jam cætera implet Eccleſia miniſterium: ſolvite illum, & ſinite abire.* Quæ certe de confeſſione, & abſolutione in Tribunali ſecreto Pœnitentiæ proprie intelligi poſſunt.

XIX. Pro complemento hujus quæſtionis: noto primo, Pœnitentiam publicam diſtingui a ſecreta, ſeu ſacramentali; quod per hanc crimina ſolvuntur, & remittuntur coram Deo, & ita antiquitus etiam contingebat: per illam vero alia commoda Eccleſiæ obveniunt, ut docet S. Th. in 4. diſt. 14. q. 1. art. 5. q. 1. *Primo: ut peccatum publicum, publicam habeat medicinam. Secundo: quia maxima confuſione in hoc mundo etiam eſt dignus, qui graviſſimum ſcelus commiſit. Tertio: ut ſit aliis ad terrorem. Quarto: ut ſit ad exemplum pœnitendi, ne deſperent, qui in gravibus peccatis detinentur.*

XX. Noto ſecundo cum eodem S. Th. ibid. ad 1. quod ſi Sacerdos injungat aliquam pœnitentiam publicam, puta, peregrinationem: *Non revelat confeſſionem, talem pœnitentiam injungendo, quamvis ſuſpicio oriatur, illum aliquod enorme peccatum commiſiſſe; non enim culpa pro certo ſcitur ex pœna. Quia quandoque aliquis pœnitentiam pro alio facit, ſicut legitur in vitis Patrum de quodam, qui ut ſocium ſuum ad pœnitentiam provocaret, ipſe cum eo pœnitentiam egit. Si autem ſit peccatum publicum, ipſe pœnitens exequendo pœnitentiam, confeſſionem a ſe factam manifeſtat.*

XXI. Noto tertio cum eodem S. Th. ibi, q. 3. *Quod omnis ſolemnis pœnitentia eſt publica, ſed non convertitur. Pœnitentia enim ſolemnis hoc modo fit. In capite quadrageſimæ tales pœnitentes præſentant ſe cum Presbyteris ſuis Epiſcopo Civitatis ante fores Eccleſiæ ſacco induti, nudis pedibus, vultibus demiſſis, coma depoſita; & eis in Eccleſiam introductis, Epiſcopus cum omni Clero ſeptem Pſalmos Pœnitentiales dicit, & poſtmodum eis manum imponit, aquam benedictam ſpargit, & cinerem capitibus imponit, cilicio colla eorum operit, & denuntiat eis lacrymabiliter: quod ſicut Adam ejectus eſt a Paradiſo: ita ipſi de Eccleſia ejiciuntur. Et jubet miniſtris, ut eos ab Eccleſia pellant; Clero eos perſequente cum hoc reſponſorio.* In ſudore vultus tui &c. *In cœna autem Domini quolibet anno a ſuis Præsbyteris in Eccleſiam reducuntur, & erunt ibi uſque ad octavas Paſchæ: ita tamen, quod non communicabunt, nec pacem accipient, & ſic fiat quolibet anno, quouſque aditus Eccleſiæ eſt eis interdictus. Ultima autem reconciliatio Epiſcopo reſervatur, ad quem ſolum ſpectat ſolemnis pœnitentiæ impoſitio. Poteſt autem imponi viris, & mulieribus: ſed non Clericis propter ſcandalum. Non autem talis pœnitentia debet imponi, niſi pro peccato, quod totam commoverit urbem. Publica autem, & non ſolemnis, qua in facie Eccleſiæ fit, ſed non cum ſolemnitate prædicta, ſicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali: & hæc poteſt iterari, & a ſimplici Sacerdote injungi, & poteſt etiam Clerico imponi.* Hæc S. Thom. Qua diſtinctione conciliari poſſunt Auctores, dicendo, quod pro peccatis occultis aliquando forte fuerit impoſita Pœnitentia publica, ſed non ſolemnis. Hæc ſatis ſint pro præſenti Quæſtione, & toto Tractatu de Pœnitentia.

TRA-

TRACTATUS DECIMUS

DE CENSURIS, ET INDULGENTIIS.



UM Chriſtus, *Matth. 16. v. 19.* D. Petro in præmium confeſſionis ſuæ divinitatis ab ipſo editæ, dederit claves Regni Cælorum, & facultatem ligandi, & ſolvendi, promittens ſe ratum habiturum in Cælis quidquid ipſe ligaverit, & ſolverit in terris: *& cap. 18. v. 18.* Eccleſiæ hoc idem conceſſerit, dum ait Apoſtolis, quod quæcumque alligaverint ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque ſolverint ſuper terram erunt ſoluta & in cælis: hac generali conceſſione non ſolum eis conceſſit facultatem remittendi, vel retinendi peccata per abſolutionem, vel retentionem abſolutionis in ſacramento Pœnitentiæ, de quo ſupra; ſed etiam eis largitus fuit poteſtatem infligendi pœnas excluſionis a communione ſacramentorum, & eas relaxandi, ſive iterum in Eccleſiam recipiendi expulſos ſive ſolvendo eos a pœna temporali pro culpa, cui non plene ſatisfactum fuit, in hac, vel altera vita ſubeunda. Primum Eccleſia præſtat per Cenſuras; ſecundum vero per Indulgentias, de quibus in hoc Tractatu, qui erit veluti appendix ad Tractatum de Pœnitentia, ſermo erit cum S. Th. *in 4. diſt. 18. q. 2. & diſt. 20. q. 1. & in Supplem. 3. p. q. 21. & q. 25.* Primo ergo de Cenſuris, quæremus: An ſit, quid, & quot ſint; quænam earum materia, & forma: quis Auctor, quis miniſter, quodnam ſubjectum, quis effectus &c.

QUÆSTIO I.

De exiſtentia, eſſentia, diviſione, materia Cenſurarum, Miniſtro, ſubjecto, & effectu.

DUBIUM I.

De exiſtentia, & eſſentia Cenſurarum.

§. I.

De Exiſtentia.

I. FAcultatem excommunicandi, ac Cenſuras ferendi penitus abſtulerunt Albanenſes. Recentiores tamen hæretici Lutherus, Calvinus &c. quamvis excommunicationem Papalem deteſtentur, facultatem tamen eam ferendi in Eccleſia eſſe confitentur. Immo Calvinus, *lib. 4. Inſt. cap. 12.* de publicis peccatoribus, & gravibus flagitiis implicatis dicit, §. 4. in eis corrigendis non tantum adhibendam eſſe admonitionem, vel objurgationem: *Sed ſeverius remedium, quemadmodum demonſtrat Paulus* (1. Cor. v. 4.) *qui Corinthium inceſtuoſum non modo verbis caſtigat, ſed excommunicatione punit, ſimul atque de ſcelere factus eſt certior.* Inde oſtendens, quod Eccleſia, dum in talia peccata animadvertit e conſortio ſuo reos exterminans, juriſdictione ſibi a Domino delata fungitur, ſubdit: *Porro ne quis tale Eccleſiæ judicium ſpernat, aut parvi æſtimet, ſe ſuffragiis fidelium damnatum; teſtatus eſt Dominus, iſtud ipſum nihil aliud eſſe, quam ſententia ſua promulgationem, ratumque haberi in Cælis, quod illi in terra egerint* (Matth. 16. v. 19. & 18. v. 18. Jo: 20. v. 23.) *Habent enim verbum Domini, quo perverſos damnent: habent verbum, quo reſipiſcentes in gratiam recipiant. Sine hoc, inquam, diſciplinæ vinculo, qui diu ſtare poſſe Eccleſias confidunt, opinione falluntur, niſi forte carere impune poſſimus eo adminiculo, quod Dominus fore nobis neceſſarium providit.* Hæc Calvinus. Qui etiam in *Jo: cap. 9. v. 22.* ubi parentes cæci nati, quem Chriſtus illuminaverat, interrogati, quomodo viſum recepiſſet, reſponderunt, ſe neſcire (quamvis ſcirent) *Jam enim conſpiraverant Judæi, ut ſi quis confiteretur eum eſſe Chriſtum extra Sinagogam fieret;* ait: *Hic locus docet, veterem, & ſæculis omnibus uſitatum excommunicandi morem fuiſſe: neque enim tunc primum inventa excommunicatio fuit: ſed quæ jam olim adverſus apoſtatas, & contemptores legis uſu recepta erat pœna, in Chriſti diſcipulos verſa fuit. Tenemus ergo, ex vetuſtiſſima Eccleſiæ diſciplina ortum eſſe excommunicandi ritum.* Et *in cap. 12. Jo: v. 42.* excommunicationem vocat: *Nervum Eccleſiaſtica diſciplinæ.* Hucuſque catholicum ſe exhibuit Calvinus: ſed utinam hæreticum non ſe proderet in ſequentibus, ut infra videbimus.

II. Tres ergo fines (etiam conſentiente Calvino, *lib. 4. Inſt. cap. 12.* citato, §. 4.) habet Eccleſia in hac ſtatuenda pœna, & propter tria cenſurarum uſum neceſſarium judicavit. Primo: ut ſacramentorum ſanctitati conſuleret. Quia niſi impii quidam cenſuris prohiberentur, temerario, & ſacrilege os, aut manus ſacris Myſteriis admoverent. Secundo: ut multæ privatæ perſonæ reſipiſcant, & in officio contineantur, vel ad officium reducantur. Cum enim non omnes, vel ſola pietate, vel timore offenſæ divinæ, vel ob reverentiam Prælatis debitam, a peccatis temperent; cenſuris hi ad officium cogendi ſunt. Hoc fine tradi juſſit Paulus. 1. *Cor. 5. v. 5.* in interitum Satanæ Corinthium illum inceſtuoſum: *Scilicet* (ut exponit S. Thom. ibi Lect. 1.) *per excommunicationis ſententiam, per quam aliquis ſeparatur a communione fidelium, & a participatione ſacramentorum, & privatur Eccleſiæ ſuffragiis, quibus homo munitur contra impugnationem Satanæ*: Ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Noſtri Jeſu Chriſti: *ut ſcilicet peccatorum turpitudinem cognoſcens, confundatur, & pœniteat, & ſic ſanetur.* Et in hoc ſenſu idem Paulus, 2. *Theſſ. 3. v. 15.* dicit: *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur*; ex hoc reſipiſcat, ut ait S. Thom. ibi. Tertio: Cenſuræ neceſſariæ ſunt Eccleſiæ corpori. Si enim aſſidua converſatione mali commiſcerentur bonis, & niſi putridæ carnes aliquando reſecarentur, & oves ſcabioſæ a caula non ſepararentur, etiam ſanæ facile corrumperentur: ut enim ait Paulus, 1. Cor. 5. v. 6. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, quod repetit, *Galat. 5. v. 9.*

III. Propterea Eccleſia vetus, & nova pro diverſitate temporum, & ſtatuum quadam ſpecie cenſurarum ſeparando infectos a ſanis ſemper uſa eſt. Imo nulla unquam fuit religio, ſive vera, ſive falſa, quæ a ſuis, tum ſacrificiis, tum ſacramentis impios quoſdam non repellerit. Quam diſciplinam Druides rigide obſervaſſe teſtis eſt Cæſar, *lib. 6. de bello Gallico*, his verbis: *Si quis, aut privatus, aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos eſt graviſſima.* Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum, ac ſceleratorum habentur; ab iis omnes diſcedunt, aditum eorum, ſermonemque defugiunt, ne quid contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. Hac pœna uſos quoque fuiſſe Græcos ex Platone de Execratione, & Plutarcho in vita M. Craſſi colligit, ac deſcribit Stuchinus, *lib. de Sacris, & ſacrificiis Gentilium, pag. mihi* 81. tergo.

§. II.

Cenſurarum Eſſentia.

IV. CEnſuræ hoc nomine dicuntur, quod Eccleſiaſtici Judices, Cenſorum more, ita iis inflictis delinquentes punire ſolent; ut ſanguinem non effundant, ſed ſuffundant, unamque ſibi proponant delinquentis emendationem.

V. Definiri ſolet generaliter cenſura, quod ſit: *Pœna ſpiritualis ab Eccleſiaſtica poteſtate in exteriori foro indicta, privans hominem baptizatum certo ſpirituali jure, vel ſpiritualibus bonis propter animæ ſalutem.* Explicatur quoad ſingulas partes. Dicitur *Pœna*. Qua voce excluditur ceſſatio a divinis, ſive fiat metu hoſtium, qui urbem obſidione cingunt, ſive quia populus regendus non ſuperſit, ſive ob injuriam Eccleſiæ illatam injungatur, donec fiat ſatisfactio. Excluduntur etiam interdictum, & ſuſpenſio Clericos, qui Ordinis executione prohibentur ob corporis, aut animi infirmitates, aut ob aliam cauſam, quæ peccatum non ſit. Dicitur *Spiritualis:* quia cenſura eſt vinculum animam ligans & additur *ab Eccleſiaſtica poteſtate*; quia laica poteſtate corpora tantum, & terrena mulctari poſſunt, non animæ. Claves enim Regni Cælorum, & poteſtatem ligandi, ac ſolvendi animas non omnibus Chriſtianis etſi Regibus, ſed ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus tradidit Chriſtus, *Matth. 18.* Poſſunt quidem illi per exilium a Civitate, vel Regno aliquem a civili, & corporali communicatione ſeparare; ſed animas a ſpirituali participatione ſeparare non poſſunt. Subjungitur *in exteriori foro*, nempe in eo, in quo negotium agitur teſtibus, & variis Judiciorum formulis: ut excludantur ſententiæ, quibus crimina caſtigantur in foro interiori, in quo non alia adhibetur probatio, quam confeſſio pœnitentis. Adjungitur *Privans hominem baptizatum*. Quia homo non baptizatus non ſubditur judicio, & cenſuræ Eccleſiæ, ſecundum illud Pauli 1. Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicat.* Accedit *Certo ſpirituali jure, vel ſpiritualibus bonis*, ad differentiam pœnæ civilis, quæ temporalibus tantum bonis privat. Nec tamen omnibus ſpiritualibus bonis privat cenſura, ſed ſolum participatione eorum, quæ Eccleſiæ diſpenſationis tradita ſunt: unde non privat virtutibus infuſis, & earum actibus. Tandem dicitur *Propter animæ ſalutem*. Quia cenſura eſt pœna medicinalis,

lis, quam Eccleſia infligit, non ſolum, ut puniat peccatorem; ſed ut eum ad pœnitentiam adducat, ut ſupra dictum eſt. Unde S. Auguſt. Homil. 50. ex quinquaginta, modo Serm. 351. *Nos vero* (inquit) *a communione prohibere quemquam non poſſumus* (*quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis*) *niſi aut ſponte convictum, aut in aliquo, ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum.*

VI. Apud Veteres, ut obſervat Juenin, *Diſſert. de Cenſuris, q.* 11. quælibet pœna in exteriori foro inflicta ab Eccleſia, qua aliquis ob culpam certo ſpirituali jure privatur, cenſura vocabatur. Ad habitudinem enim, quam fideles habent ad Euchariſtiam, totum refundebant Chriſtianæ communionis negotium. Cum autem duplex ſit Chriſtianorum ad Euchariſtiam relatio: una, qua conficitur, altera, qua recipitur, duplex ſtatim naſcitur Chriſtianorum communio: nimirum Laica, qua populus ſecum, & cum Clericis, ut perficiatur, communicat: Eccleſiaſtica vero, qua Clerici inter ſe mutuo, & in ſacrificii miniſterio fruuntur. Laicæ communionis quinque erant gradus, fletus, auditio, ſubſtratio, conſiſtentia, communicatio, ſeu Euchariſtiæ participatio, Eccleſiaſticæ vero communionis gradus ſunt, tum Ordines, tum Epiſcopatus, qui Ordinum omnium apex eſt, & perfectio. Cenſura igitur Laicos aliquos laicæ communionis gradu privabat ad menſuram delicti: Clericos vero aliquo ex iis, quibus conſtabat Eccleſiaſtica communio. Et hoc penſabatur tum ex gravitate criminis, cujus quis erat reus; tum e ſtatu, in quo verſabatur, cum aliqua cenſura in eum animadvertebatur.

Modo tamen cenſuræ nomine nil aliud intelligitur quam Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum, de quibus infra.

DUBIUM II.

Quotuplex ſit Cenſura, quæ ejus materia, & forma.

§. I.

Prior Pars reſolvitur.

I. DIco. Triplex eſt ex dictis cenſuræ ſpecies, Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum. Ita ex Innoc. III. cap. *Quærenti*. Extra, *de Verb. ſignificatione*. Unde concluditur, irregularitatem, eam etiam, quæ oritur ex delicto, depoſitionem, & degradationem ſecundum uſum hodiernum inter cenſuras minime numerari; ideoque qui a cenſuris abſolutus eſt, ab irregularitate, depoſitione, aut degradatione diſpenſatus non cenſetur. Quare Pontifex etſi concedat generalem facultatem abſolvendi a cenſuris, ut in Bulla Jubilæi: non intendit tamen ullam tribuere facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate, ut declararunt Paulus V. in Jubilæis, *ann. 1606.* & *1617.* Urbanus VIII. *ann. 1636.* & alii. Depoſitio autem, & degradatio, quia non intelliguntur ad tempus tamquam pœnæ medicinales, ſed de ſua ratione infliguntur in perpetuum, inter cenſuras non recenſentur. Unde S. Th. 3. *p. q.* 82. *art.* 8. *ad* 3. oſtendens, quomodo executio Ordinis Sacerdotalis impediatur per excommunicationem, ac per depoſitionem, vel degradationem, ait: *Excommunicatio eſt medicinalis. Et ideo excommunicatis non aufertur executio Sacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum, ſed ad correctionem uſque ad tempus: degradatis autem* (idem dic de depoſitis) *aufertur executio quaſi in perpetuum condemnatis.*

II. Cenſura alia eſt a jure, alia ab homine. Illa eſt, quæ fertur a Legislatore cum intentione condendi legem, ſeu ſtatutum generale perpetuum; tales ſunt, quæ Conciliorum decretis, vel Rom. Pont. Sanctionibus latæ leguntur. Iſta vero eſt, quæ fertur ab homine Eccleſiaſticam juriſdictionem habente, ſine intentione condendi legem, ſeu ſtatutum perpetuum; ſed temporaneum præceptum pro aliquo particulari negotio, vel perſona, aut circumſtantia. Unde illa ſemper eſt generalis; iſta nonnumquam reſpicit particulares perſonas in individuo. Prior vim habet etiam poſt Legislatoris vel mortem, vel amotionem ab officio: poſterior vero ſtatim definit. Ab illa ſi per Canonem reſervata non ſit, quilibet approbatus Miniſter poteſt abſolvere: ab iſta vero is tantum, a quo lata fuit, vel ejus Superior, vel Miniſter delegatus: unde niſi ſpecialiter exprimatur, ſub conceſſione generali abſolvendi a cenſuris non comprehenditur.

III. Cenſura alia eſt *Latæ ſententiæ*, alia *Ferendæ*. Prior eſt, quæ incurritur ſtatim poſt commiſſum peccatum, etſi nulla Judicis ſententia declaretur reus. Poſterior vero ſolum eſt comminatoria; nec ipſo facto in eam incurritur, niſi peccato acceſſerit declaratio Judicis. Cenſura latæ ſententiæ his verbis indicatur: *Ipſo jure, ipſo facto, latæ ſententiæ*; vel his adverbiis: *ſtatim, confeſtim, continuo, ex tunc, illico, protinus*. Similem vim habent hæc verba: *Qui hoc fecerit, excommunicatur, ſuſpenditur*; aut: *Sit excommunicatus, ſit ſuſpenſus, ſit anathema*; aut: *Noverit ſe excommunicatum, ſuſpenſum*; vel: *Noverit ſe excommunicari*, vel *ſuſpendi*; aut: *excommunicamus, ſuſpendimus, judicamus, declaramus, decernimus eſſe excommunicatum*, vel *ſuſpenſum*; aut: *Incurrat*, vel *incidat in excommunicationem, ſuſpenſionem*, vel: *Habeatur pro excommunicato, ſuſpenſo*. Ita Cabaſſutius. Cenſura *ferendæ ſententiæ* non exprimitur per modum ſententiæ, ſed ſtatuti comminantis pœnam & cum verbis futuri temporis exprimitur, ut: *Qui hoc fecerit, excommunicabitur*; vel: *ſuſpendetur*; aut: *Excommunicetur*, vel *ſuſpendatur*, niſi tamen addatur, *ipſo facto, ipſo jure*. Item hæc verba: *Sententiam excommunicationis noverit ſe incurſurum*. Item: *Sub pœna excommunicationis*; vel: *Sub interminatione anathematis*. Cum enim odia reſtringenda ſint, & in mitiorem partem interpretanda, ſecundum regulam Juris; Legislator, & ſuperior exiſtimandus non eſt cenſuram ipſo facto incurrendam tuliſſe, niſi id diſertis verbis expreſſerit.

§. II.

De materia, & forma Cenſuræ.

IV. MAteria cenſuræ eſt peccatum grave exterius, quod actu commiſſum ſit. Quod ſit peccatum, colligitur ex eo, quod cenſura ſit pœna; omnis autem pœna peccati eſt pœna. Unde S. Auguſt. *Lib. 3. de Lib. arbitr. cap.* 18. ait: *Omnis autem pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt*. Et ex pœnis; quas in hac vita patimur, probat, omnes homines eſſe reos peccati originis. Quod ſit peccatum grave, ſeu mortale, & ſcandaloſum, evincitur ex eo, quod cenſura Eccleſiaſtica ſit pœna publica; & quidem graviſſima inſtituta, ut ſtet vigor diſciplinæ, & ut ſcandala a fidelibus amoveantur. Quod ſit peccatum exterius, conſtat, quia cenſura, ut dictum eſt, pœna eſt exterioris fori: quod quidem in peccata mere interna, & quæ exterius nulla ratione ſe produnt, non animadvertit, quod etiam debet eſſe actu commiſſum, infertur; quia nulli Canones cenſuris caſtigant propoſitum patrandi aliquod ſcelus, quamvis illud propoſitum exterius innotuerit.

V. Hinc præceptum Confeſſarii factum uſurario, vel concubinario, ne accedat ad ſacramenta; niſi prius uſuras reſtituerit, & ab iis inpoſterum abſtineat, vel concubinam dimiſerit, cenſura non eſt: quia etſi ob peccatum grave, & emendationem feratur, non fertur tamen a Judice in foro externo, ſed interno tantum. Similiter eſto, ſecundum aliquos ut ſupra, occulta quædam crimina pœnitentiæ publicæ addicerentur, quæ videbatur quædam cenſuræ ſpecies; cum per eam fideles a participatione Euchariſtiæ, & fidelium precibus arcerentur, cenſura tamen non erat: nam ad eam delinquentes occulti cogi non poterant in exteriori foro, niſi aliunde in eo accuſati, & convicti eſſent; tunc autem peccatum non erat amplius occultum.

VI. Dum tamen dico, peccatum occultum non eſſe materiam cenſuræ, cum Eccleſia non judicet de occultis, ſed tantum de manifeſtis, ut ex cap. *Tua nos*. Extra de Simonia, intelligo de peccato mere interno, & ſola mente, ac voluntate conſummato. Quod ſi in actum externum quoquo modo prodierit, etiamſi nullo audiente, aut præſente, evadit tamen materia cenſuræ: ut ſi quis hæreſim, quam animo concepit, verbo, vel facto exterius exprimat. Et in hoc ſenſu intelligenda ſunt verba Concilii Gangrenſis, *Can.* 19. relata a Gratiano, Can. *Si quis eorum*, diſt. 30. quem Canonem *Dionyſius exiguus* ita vertit: *Si quis eorum, qui continentiæ ſtudent, abſque neceſſitate corporea, tradita in communi jejunia, & ab Eccleſia cuſtodita, ſuperbiendo diſſolvit ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, Anathema ſit*. Quæ verba non ſolam internam jejunii deſpicientiam ſignificant; ſed quæ in actum externum prodit.

VII. Cenſura, ut dictum eſt, ob peccatum dumtaxat mortale infligi poteſt, idque ſpeciali quadam gravitate notandum: aut quod ſcandalum generat: aut pacem perturbet, aut grave damnum, ſive injuriam afferat, quod alia via commode impediri non poſſit. Qua de re Conc. Trident. Seſſ. 13. de Refor. cap. 3. *Quamvis* (inquit) *excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valide ſalutaris, ſobrie tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt; Cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex cauſis intutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem &c.* Quod prius monuerant Concilium Aurelianenſe IV. *Can.* 2. relatum Can. *Nullus*, cauſa 11. q. 3. Meldenſe, *Can.* 56. relatum Can. *Nemo Epiſcoporum*, cauſa 11. q. 3.

VIII. Monet tamen Sanctus Anguſtinus, aliquando aferenda cenſura prudenter abſtinendum, dum timetur, ne flagello fiat pejor qui cæditur: ita *Serm.* 17. (alias 28. ex Homil. 50.) cap. 3. *Sed aliquando* (inquit) *nos parcimus, & non novimus nos loqui: excommunicare, de Eccleſia projicere pigri ſumus. Aliquando enim timemus, ne ipſo flagello pejor fiat qui cæditur*. Maxime dum Eccleſiæ perturbatio, aut deſtructio timetur. Unde *Serm.* 4. (alias 44. *de diverſis*) cap. 32. ait: *Nonne ſit modo in Eccleſia malis hominibus, qui volunt perturbare Eccleſiam; ut tolerentur ad neceſſitatem ipſius pacis, ut admittantur, ut habeant ſacramenta Communia? Et aliquando ſcitur, quia mali ſunt, & convinci forte non poſſunt, ut emendentur, & degradentur, ut excludantur, & excommunicentur, non poſſunt convinci*. Et Pelagianos maluiſſe Patres in Eccleſia compage ſanari, quam ab Eccleſia ſeparari, ſcribit *Epiſt.* 157. (alias 89.) ad Hilarium. *Plures enim* (inquit) *ſunt, quam ſperare poſſumus, & ubi non*

non redarguuntur, etiam alios ad suam sectam seducunt, & sic crebrescunt, ut nesciam quo sint eruptur i; nos tamen malumus eos in Ecclesia compage sanari, quam ex illius corpore velut insanabilia membra resecari, si tamen hoc permittit ipsa necessitas. Idem, *Epist.* 166. (olim 92.) scribens Innocentio I. ex Concilio Numidiæ, damnat quidem errorem, sed auctores intra Ecclesiam sanare cupiens quousque fieri poterit: *Hujus autem* (inquit) *pernicios issimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius, & Cælestius, quos quidem in Ecclesia sanari malumus, quam desperata salute ab Ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat.* Tandem, referente Eusebio *lib. 5. Hist. cap. 24.* cum Victor Papa omnes Asiæ Ecclesiæ excommunicare vellet, ob errorem Quartodecimanorum, quem pertinaciter tuebantur; alii Episcopi, præsertim S. Irenæus ipsum dehortati sunt exemplo Majorum, Pii, Hygini, Telesphori, & Xisti; qui licet ab aliis in variis observantiis dissentirent, pacem tamen cum illis servarunt. Censebant ergo Veteres, nonnisi extrema urgente necessitate, & desperato reditu errantium ad veritatem, censurarum, & excommunicationis gladium non esse exerendum.

IX. Censura quoque ferri non debet pro peccato jam commisso, nisi intercedat contumacia. Colligitur ex verbis Christi, Matth. 18. v. 17. *Si autem Ecclesia non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Hinc monitio censuræ inflictionem præcedere debet secundum Canones. Et certe cum censura sit pœna medicinalis, ferri non potest pro delicto præterito, in quo reus permanere non vult: alioquin vindicta esset, non medicina. Id docet S. Thom. *in 4. Sent. dist. 18. q. 2. art. 1. q. 3.* ubi postquam dixit, excommunicationem, utpote excludentem a regno, non posse ferri nisi in eos, qui per peccatum mortale se reddiderunt indignos regno, subdit: *Sed quia excommunicatio est gravissima pœnarum, pœna autem medicinæ sunt; sapientis autem Medici est a levioribus medicinis incipere, & minus periculosis; ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit: vel non veniendo ad judicium, vel ante terminationem judicii sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo. Tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet a Judice jam non habente quid contra ipsum faciat amplius.*

X. Quod si (ut observat noster Alexander *in sua Theol. Mor. & Dogm. cap. de Censuris, art. 4. n. 4.*) aliqui Canones pro peccato præterito censuram ferunt, intelligenda semper est conditio de futuro, & censura non ligatur, nisi qui hoc, vel illud crimen commisit, resipiscat, nisi satisfaciat, nisi scandalum amoveat &c. Advertit etiam, propter peccatum præteritum, pœnam aliquam infligi posse, nulla intercedente contumacia; puta, privationem officii, aut dignitatis, vel separationem ab Altari, & Communione corporis, & sanguinis Christi certo tempore: sed hujusmodi pœnæ proprie censuræ non sunt. Sic exponitur Canon *Tanta* dist. 86. quo per duos menses excommunicatos esse decernit S. Gregorius eos, qui pravum consilium dederunt Januario Episcopo, huic ob senectutem parcens: ita tamen, ut si intra illud tempus in mortis discrimen incidirent, Viatico non privarentur. Privatio enim illa Eucharistiæ, per duos menses, excommunicatio minus proprie vocatur.

XI. Forma autem censurarum sunt formalitates, quas jura, seu consuetudo præscripsere. Primo autem in censuris, quæ per modum legis, seu statuti feruntur, requiritur: ut lex ex quo par est, ritu fuerit promulgata: ut lex illa fuerit recepta, & ut nullo modo fuerit abrogata, aut vis ejus desierit. Secundo. In censuris, quæ per modum sententiæ feruntur, requiritur primo: ut iis exprimantur verbis, quibus intentio Judicis de præsenti censuram ferentis exprimatur. Hinc colligitur, eum non esse excommunicatum, quem præcise Judex vitaverit: sicut nec eum absolutum, quem sua familiaritate, aut osculo donaverit. Si tamen Papa non ex ignorantia, aut subreptione, sed ex certa scientia alicui excommunicato scriberet, aut eum ad osculum admitteret; præsumeretur eum hoc facto absolvisse. Ita Glossa, in Cap. *Si aliquando*, de Sent. excomm. Secundo. Necesse est, ut exprimatur nomen personæ, in quam censura lata fuerit. Tertio. Ut exprimatur culpa, seu causa censuræ: tum ne temere lata videatur, tum ne Judici relinquatur facultas modo hanc, modo illam pro libito proferendi: tum ut reus sciat, a quo peccato debeat temperare: tum denique, ut suam innocentiam, si forte per calumniam accusatus sit, tueri valeat. Quarto. Ut censura in foro exteriori suum effectum sortiatur, debet scripto exprimi, cujus exemplar reo detur, si petierit. Quinto. Censuræ, quæ circa delictum præsens cum contumacia conjunctum versantur, prærequirunt tres monitiones, ut justæ sint: quæ vero circa præteritum, seu quæ in declaratione consistunt, monitiones non prærequirunt; sed citationibus opus est, ut reus in jus veniat, seu facti, vel dicti rationem redditurus. Ita Synodus Ephesina, Act. 1. *Canonibus obtemperans tertio Nestorium vocavit.*

DUBIUM III.

De Auctore, Ministro, Subjecto, & Effectibus Censurarum.

§. I.

De Auctore.

I. CEnsuræ pœnam Deum ipsum habere Auctorem, vel consentiente Calvino, supra ostensum est, *d. 1. §. 1.* Deus enim in antiqua lege potestatem fecerat Synagogæ leprosos ejiciendi ab hominum consortio; & pœna anathematis animadvertendi in impios, qui cum contumacia cæteris essent scandalo. Qui potestate Judæi abusi sunt comminantes, ut qui confiteretur Jesum esse Christum, extra Synagogam fieret, *Jo: 9. v. 22.*

Christus quoque Ecclesiæ suæ hanc potestatem in nova lege concessit, *Matth.* 18. Ubi postquam dixit, eum qui semel, atque iterum correptus, neque Ecclesiam audierit, habendum esse sicut Ethnicum, & Publicanum; subjecit Apostolis: *Quæcumque alligaveritis &c.* ut supra citato loco ostendimus etiam ex Paulo; qui 1. *Cor.* 5. Corinthium incestuosum a divinorum participatione excluserit: qua facultate Ecclesia quovis sæculo usa est. Hujus testes sunt Tertullianus, qui *in Apologetico, cap. 39.* sacros Christianorum conventus describens: *Ibidem etiam* (inquit) *exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.*

S. item Hieronymus, Epist. 1. (modo 5.) ad Heliodorum Monachum, scribit: *In veteri quidem lege quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo; aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur; aut ejectus de Ecclesia rabido Dæmonum ore discerpitur.*

S. porro Augustin. licet, ut *dub. præc.* diximus, in ferendis censuris cautos esse velit Prælatos, non ita tamen malos in Ecclesia tolerari docet, ut disciplinæ severitas omnino solvatur, & omittatur. *Lib. enim de Fide, & operibus, cap. 2.* dicit: *Neque enim quia illam primi Populi permixtionem Moyses Dei famulus patientissime perferebat; ideo non in multos etiam gladio vindicavit. Et Phinees Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit. Quod utique degradationibus, & excommunicationibus significatum est esse faciendum hoc tempore, cum in Ecclesia disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.*

II. Hinc Ecclesia, sive in Conciliis, sive extra, hæreticis, & schismaticis anathema, & excommunicationem inflixit, & graviorum criminum reos satis censuris castigavit. Et Concilium Constantiense inter errores Joannis Wicleffi istos articulos damnavit: *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.*

Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quæ est censura Antichristi.

Item inter articulos Jo: Hus hanc pariter confixit: *Per censuras Ecclesiasticat excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad sui exaltationem, Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo.*

Unde Martinus V. redeuntes ad Ecclesiam Hussitas interrogari jubet: *Utrum credant, quod Papa, vel alii Prælati, & eorum Vicarii in spiritualibus habeant potestatem Sacerdotes, & laicos inobedientes, & contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu Ecclesiæ, & administratione Ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi.*

Iterum: utrum credant, quod inobedientia, sive contumacia excommuticatorum crescente Prælati, vel eorum Vicarii in spiritualibus habeant potestatem aggravandi, & reaggravandi, interdictum ponendi, & brachium sæculare invocandi; & quod illis censuris per inferiores sit obediendum.

§. II.

De Censurarum Ministris.

III. JOannes Calvinus, qui ut vidimus, utilem, immo necessariam judicat in Ecclesia potestatem censuras, & excommunicationem ferendi; censet tamen, hanc potestatem non esse collocandam in uno, nec proinde ferendam censuram, nisi cum judicio Seniorem, & oppositum in tyrannidem vergere: quare excommunicatione a Papa, vel Episcopo latas tyrannicas, & nullas appellat. Ita, in *cap. 9. v. 22. Jo:* in *c. 5. ad Cor. v. 4.* & *in cap. 6. ad Galat. v. 16.* Lutherus autem, *Prop. 21.* ex damnatis a Leone X. asseruit, quod *Verba Christi ad B. Petrum:* Quodcumque solveris super terram &c. *extenduntur tantum ad ligata ab ipso Petro. Et in lib. contra Catharinum:* ait, *Omnibus, & singulis Christianis dictum esse:* Quodcumque ligaveritis super terram &c. His tamen rejectis.

IV. Dico. Potestas ferendi censuras collata a Christo fuit

D. Petro, ejuſdem ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, Eccleſiæ in Concilio præſertim generali congregatæ, & Epiſcopis reſpectu ſuarum Diœceſum: jure autem Eccleſiaſtico pluribus aliis convenire poteſt.

Prior pars probatur ex verbis Chriſti. *Matth. 16. a v.* 18. Ubi poſtquam dixit Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam ...* ſubjecit: *Et tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis &c.*

Quod eidem confirmavit, *Jo: 21.* dum ei tertio dixit: *Paſce agnos meos: Paſce oves meas.* Quia ergo ſuper Petrum Eccleſiam ſuam ædificavit, eumque ſui gregis paſtorem delegavit; ut Eccleſiam, & ovile ſuum vice ſui jure ordinario regeret, ac gubernaret, æquum erat, ut ei claves traderet cum poteſtate oſtium aperiendi dignis, & claudendi indignis, ligandi per cenſuras, & ſolvendi per abſolutionem. At quia Eccleſia duratura erat uſque ad conſummationem ſæculi, & Petrus erat moriturus; ei ſucceſſorem eodem jure in ordinario totius Eccleſiæ regimine tacite deſtinavit illum, qui Petro in Epiſcopatu ſucceſſiſſet. Hunc autem fuiſſe ſemper Romanum Pontificem, qui jure divino toti Eccleſiæ Catholicæ præſit, omnia ſæcula, quidquid obſtrepant hæretici, teſtata ſunt. Hinc Tertullianus, *lib. contra Praxeam, cap. 1.* Epiſcopi Romani auctoritatem vocat *Summam in litteris pacis dandis, & revocandis. Et lib. de Pudicitia, cap. 1.* quamvis factus hæreticus Montaniſta, & adverſus ipſum ſcribens: eum tamen vocat *Pontificem Maximum, Epiſcopum Epiſcoporum.* Cui qui non adhæret, intra Eccleſiam non eſt, ſcribit S. Hieronymus Epiſt. 14. (alias 17.) ad Damaſum: *Ego* (inquit) *nullum primum niſi Chriſtum ſequens Beatitudinis tuæ; ideſt, Cathedræ Petri communione conſocior. — Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Ita ex eremo Syriæ Hieronymus, qui vexatus ab Arianis, ſimul a Campenſibus, & Tharſenſibus hæreticis, ad Cathedram Apoſtolicam Romanam confugit; ut decernere velit, cum quo in Antiochia debeat communicare. De hoc plura videre quis poterit in *Vera Eccleſia, Tom. I. part. 1. art. 2.* Ubi primatum Rom. Pont. ſtatuimus, & ab hæreticorum calumniis, & ſophiſmatibus vindicavimus.

V. Secunda pars prob. ex Chriſti verbis, Matth. 18. v. 17. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Et verſ. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis.* Quæ dicta fuiſſe toti corpori Eccleſiæ præſertim in Conciliis congregatæ oſtendunt ſequentia, verſ. 20. *Ubi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Qua auctoritate utens Eccleſia in ſuis Conciliis anathemate hæreticos confixit: quod ſuis canonibus ultimo præſtitit in Tridentino.

VI. Tertia pars itidem conſtat. Cum enim jure divino quique Epiſcopi creditas ſibi Eccleſias regant juxta illud Pauli, Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Si ergo Epiſcopi a Spiritu Sancto poſiti ſunt regere Eccleſiam, & gregem Chriſti: oportet, ut ab eodem acceperint jus continendi in officio oves, & putridas a ſanis ſeparandi per cenſuras. De Parochis cenſent aliqui jure divino jurisdictionem in ſuos parochianos competere, eoſque poſſe cenſuris ligare: alii verius id negant. Ut ut ſit, certum eſt, eos modo ea poteſtate non frui.

VII. Quarta pars certa eſt. Nam multi ſunt, qui ſolo Eccleſiaſtico jure jurisdictione fruuntur; ac proinde qui ſolo Eccleſiaſtico jure cenſuras ferre poſſunt in eos, quos Eccleſia eis ſubjecit. Hi autem ſunt Legati Apoſtolici, Vicarii Epiſcoporum, Capitulum ſede vacante, Generales, Provinciales, Abbates, Priores, aliique jurisdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori habentes.

VIII. Super his attendenda eſt doctrina S. Thom. *in 4. diſt. 19. q. 2. art. 2. q. 1. & in Suppl. 3. p. q. 22. art. 1.* Nimirum, hanc eſſe differentiam inter forum conſcientiæ, & forum exterius; *Quod in foro conſcientiæ cauſa agitur inter hominem, & Deum: in foro autem exterioris judicii cauſa agitur hominis ad hominem. Et ideo abſolutio, vel ligatio, quæ unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum pœnitentiæ: ſed illa, quæ hominem obligat in comparationes ad alios homines, ad forum publicum exterioris judicii pertinet. Et quia homo per excommunicationem a communione fidelium ſeparatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet. Et ideo illi ſoli poſſunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali. Et propter hoc ſoli Epiſcopi propria auctoritate, & majores Prælati ſecundum communiorem opinionem poſſunt excommunicare. Sed Preſbyteri parochiales non niſi ex commiſſione eis facta, vel in certis caſibus, ſicut in furto, & rapina, & hujuſmodi, in quibus eſt eis a jure conceſſum, quod excommunicare poſſint: Alii autem dixerunt quod Sacerdotes parochiales poſſunt excommunicare. Sed prædicta opinio eſt rationabiliter.* Hæc S. Thom.

Et merito. Nam licet in Cap. *Cum ab Eccleſiarum, tit. de Officio Judicis ordinarii*, ſignificetur, quod Plebanus S. Pancratii potuerit jure ſuo, & ex commiſſione ſuos parochianos excommunicare: ut tamen notat Sylvius in hunc art. hoc in deſuetudinem abiit. Ac proinde licet aliquando in certis caſibus Parochi habuerint hanc poteſtatem, contraria conſuetudine amiſerunt. Nam, ut ait idem S. Th. q. 20. art. 2. *Conſuetudo dat, vel aufert in talibus poteſtatem.* Et rationem dat idem S. Th. hac *q. 22. art. 1. ad 2.* Quia *Sacerdotes parochiales habent quidem jurisdictionem in ſubditos ſuos quantum ad forum conſcientiæ, ſed non quantum ad forum judiciale: quia non poſſunt conveniri coram eis in cauſis contentioſis. Et ideo excommunicare non poſſunt, ſed abſolvere poſſunt in foro pœnitentiali. Et quamvis forum pœnitentiale ſit dignius: tamen in foro judiciali major ſolemnitas requiritur. Quia in eo oportet, quod non ſolum Deo, ſed etiam homini ſatisfiat.*

IX. Hinc infertur ex eodem S. Th. loco cit. *in 4. q. 2.* & *in Suppl. q. 22. art. 2.* poſſe etiam non Sacerdotem cenſuras ferre, & excommunicare. Nam *Sacramenta, in quibus gratia confertur, diſpenſare ad ſolos Sacerdotes pertinet; & ideo ipſi ſoli poſſunt abſolvere, & ligare in foro pœnitentiali. Sed excommunicatio non directe reſpicit gratiam, ſed ex conſequenti; in quantum homo ſuffragiis Eccleſiæ privatur, quæ ad gratiam diſponunt, vel in gratia conſervant. Et ideo etiam non Sacerdotes, dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioſo, poſſunt excommunicare.* Quia, ut ait ibid. ad 1. *Quamvis non habent clavem Ordinis, habent tamen clavem jurisdictionis.* Ut enim ſubdit, ad 2. *Iſta duo ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa: Et ideo alicui competit unum, cui non competit aliud.* Ut tamen hac clavi jurisdictionis uti poſſit, debet aliquo clericali Ordine in ſtatu Eccleſiaſtico eſſe conſtitutus.

X. An vero excommunicatus, vel ſuſpenſus poſſit alium excommunicare, vel ſuſpendere: reſpondet S. Th. in 4. loco citato, q. 3. & in Suppl. art. 3. *Quod uſus jurisdictionis eſt in comparatione ad alium hominem. Et ideo cum omnis excommunicatus a communione fidelium ſeparetur, quilibet excommunicatus uſu jurisdictionis privatur. Et quia excommunicatio eſt jurisdictionis; ideo excommunicatus excommunicare non poteſt. Et eadem ratio eſt de ſuſpenſo a jurisdictione. Si enim ſit ſuſpenſus ab Ordine tantum, tunc non poteſt ea quæ ſunt Ordinis; ſed poteſt ea, quæ ſunt jurisdictionis. Et e contra ſi ſit ſuſpenſus a jurisdictione, & non ab ordine, non poteſt ea, quæ ſunt jurisdictionis; ſed poteſt ea quæ ſunt ordinis: ſi autem ab utroque, tunc neutrum poteſt.* Cum hac tamen differentia, quod excommunicatus, vel ſuſpenſus poteſt facere ea, quæ ſunt Ordinis valide, eſto non licite; quia hæc conſequuntur characterem, qui indelebilis eſt: ea tamen, quæ jurisdictionis ſunt, nec licite, nec valide poteſt facere, dum ab ea eſt ſuſpenſus: quia hæc ſequuntur naturam jurisdictionis, *quæ poteſt auferri, vel ligari*, ut ex S. Thom. ibi, ad 2.

XI. Ex quo tandem excommunicatio, & cenſura actus jurisdictionis ſit, ſequitur, neminem poſſe excommunicare ſe ipſum, vel æqualem, aut ſuperiorem. Ita S. Tqom. *in citato loco q. 2. art. 3. & in Suppl. q. 22. art. 4.* Nam (inquit) *Cum per jurisdictionem aliquis conſtituatur in gradu ſuperioritatis reſpectu ejus, in quem habet jurisdictionem, quia judex eſt ejus; ideo nullus habet in ſe ipſum, vel in ſuperiorem, vel æqualem jurisdictionem: & per conſequens nullus poteſt ſeipſum excommunicare, vel ſuperiorem, vel æqualem.* Hinc ſummus Pontifex, cum neminem habeat in foro exteriori ſuperiorem, a nemine poteſt ulla cenſura perſtringi: ſecus tamen eſt in foro interno confeſſionis. Tum quia: *Abſolutio, & ligatio in foro confeſſionis eſt quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio ſuperior, redditur inferior per peccatum*, ut ait S. Thom. citatus, *ad 3.* Tum quia, ut ait, quæſt. 20. Suppl. art. 3. ad 3. *Abſolutio in foro confeſſionis eſt principaliter poteſtatis clavium, & ex conſequenti reſpicit jurisdictionem; ſed excommunicatio reſpicit totaliter jurisdictionem. Quantum autem ad poteſtatem Ordinis omnes ſunt æquales; non autem quantum ad jurisdictionem.* Unde ſummus Pontifex poteſt ſe ſubjicere alteri in foro confeſſionis, non vero in foro exteriori jurisdictionis.

§. III.

De Cenſura ſubjecto, & effectibus.

XII. UT quis ſit ſubjectum cenſuræ capax, debet primo eſſe homo. Nam cum cenſura ſit pœna, & pœna ſit correlativa crimini, cujus creaturæ irrationales, utpote carentes libertate capaces non ſunt; ideo ad repellenda animalia, quæ aut hominibus nocent, aut agros devaſtant, Eccleſia exorciſmis, non cenſuris, uti conſuevit. Hac eadem ratione homo rationis impos, vel quia adhuc infans, vel quia perpetuo amens, cenſura ligari non poteſt. In mortuum tamen poteſt ferri declaratoria ſententia cenſuræ, quam vivens incurrit: atque hoc nomine hæreticis poſt mortem anathema dicitur: & quicumque excommunicationis vinculo ligati objerunt, ſepultura ſacra, & Eccleſiæ ſuffragiis privantur. In hoc ſenſu intelligi debent Canon *Sane*, Cauſa 24. quæſt. 2. Canon *Neque*, diſt. 88. ex Sancto Cypriano deſumptus, Epiſt. ad Clerum, & Plebem Turnitanorum, & Cap. *Si quis Epiſcopus*, extra de hæreticis.

Quod autem mortui interdum ab excommunicatione abſolvantur, non probat, eos Eccleſiæ foro obnoxios: ſed quod

quod ante mortem eſto de facto abſolutionem non obtinuerint, eam tamen deſiderarint: ſicque aliquo modo intra Eccleſiam mortui ſunt. Ita Innocent. III. Cap. *A nobis*, de Sent. Excomm. his verbis: *Quantumcumque ſe quis juramento præſtito, quod Eccleſiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcumque pœnitentiæ ſigna præceſſerint; ſi tamen morte præventus abſolutionis non potuerit beneficium obtinere; quamvis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur, nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus: poteſt tamen, & debet ei Eccleſia beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur. Nec obſtat, quod Eccleſiæ legitur attributa poteſtas ligandi, atque ſolvendi homines ſuper terram, tamquam non poſſit ſolvere, & ligare ſub terra ſepultos; & quod legitur, non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum, & vivo: cum etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus Religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit, & in certis caſibus a Canonibus denotatis ligaſſe legatur Eccleſia mortuos, & ſolviſſe.*

XIII. Secundo. Subjectum cenſuræ capax, debet eſſe homo baptizatus, ut ſupra explicantes cenſuræ definitionem diximus. Soli enim baptizati ſubſunt Eccleſiæ juriſdictioni. Unde nec in Catechumenos, nec in Infideles poteſt Eccleſia cenſuris animadvertere. Omnis ergo, qui baptizatus ſit, poteſt cenſuris illigari: & quidem ſi ſit laicus excommunicatione, & interdicto: ſi vero Clericus excommunicatione, interdicto, & inſuper ſuſpenſione, depoſitione mulctari poteſt, etiamſi Epiſcopus ſit. Suſpenſionem tamen, & interdictum Epiſcopi non incurrunt, niſi eorum fiat in Canone expreſſa mentio; bene tamen excommunicationem, etſi expreſſa eorum mentio non fiat. — Communitas ſuſpendi poteſt, & interdici, non tamen poteſt tota excommunicari, ut habetur, *Cauſa* 24. *quæſt.* 3. & S. Thom. *quæſt.* 22. *Suppl. art.* 5. rationem reddit: Quia *Excommunicari non debet aliquis, niſi pro peccato mortali: peccatum autem in actu conſiſtit. Actus autem non eſt communitatis, ſed ſingularium perſonarum, ut frequenter: & ideo ſinguli de communitate excommunicari poſſunt, non autem ipſa communitas. Et ſi quandoque etiam actus ſit alicujus totius multitudinis; ut quando multi navem trahunt, quam nullus per ſe trahere poſſet: tamen non eſt probabile, quod aliqua communitas ita tota ad malum conſentiat, quin aliqui ſint diſſentientes. Et quia* Non eſt Dei, qui judicat omnem terram, ut condemnet juſtum cum impio: *ut dicitur, Geneſ.* 18. *Ideo Eccleſia, quæ Dei judicium imitari debet, ſatis provide ſtatuit, ne communitas excommunicetur; ne cum loliis, & zizaniis ſimul eradicetur & triticum.* Non eſt autem idem de ſuſpenſione, & interdicto, quæ etiam ſine peccato proprio, puta pro peccato Regis, ferri poſſunt in totum Regnum, ut ait idem S. Thom. ibi ad 2.

XIV. Nota: quod, ut cenſura incurratur, neceſſe eſt, ut homo ſit cenſuræ capax, non ſolum pro tempore, quo mandavit facinus, cui cenſura annexa eſt; ſed etiam pro tempore, quo idem facinus executioni datur. Unde ſi quis, dum viveret, mandavit, interfici, aut percuti Clericum, & mortuus eſt antequam nefariam juſſionem mandatarius exequatur; non ligatur excommunicatione lata in Cap. *Si quis ſuadente*: eſto ſi poſtea eam exequatur, eam incurrat, non ſolum qui exequitur, ſed & qui ſua auctoritate, vel imperio mandat, ut habetur, Cap. *Mulieres*, §. *Illi vero*, extra de Sent. excomm.

XV. Quoad effectus, quos producunt cenſuræ, ii varii ſunt, juxta varias cenſurarum ſpecies, de quibus infra. Generaliter tamen omnes obligationem in conſcientia pariunt; ut nimirum lethaliter peccent, qui cenſuris innodati, iis ſpiritualibus bonis, quorum uſu, aut adminiſtratione prohibiti fuerunt, vel ſe ſubjiciunt vel ea diſpenſant. Et Clericus, qui interdicto, ſuſpenſione, aut excommunicatione ligatus, ordinis actum, quo prohibitus eſt, exercet, præter peccatum, cujus fit reus, contrahit irregularitatem.

Dubium IV.

De Cenſura injuſte lata.

§. I.

Cenſura injuſta an ſit timenda, & tenenda?

I. De hoc agit S. Th. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 4. & *in Suppl.* 3. *p. q.* 21. *art.* 4. cujus verba referam: *Excommunicatio poteſt dici injuſta dupliciter. Uno modo ex parte excommunicantis, ſicut cum ex odio, vel ex ira aliquis excommunicat. Et tunc excommunicatio nihilominus habet effectum ſuum, quamvis ille, qui excommunicat, peccet; quia iſte juſte patitur, quamvis illi injuſte faciat. Alio modo ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa excommunicationis eſt indebita, vel quia fertur ſententia juris ordine prætermiſſo. Et tunc ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, qui ſententiam nullam eſſe faciat, non habet effectum, quia non eſt excommunicatio. Si autem talis error non annullet ſententiam, habet effectum ſuum, & debet excommunicatus humiliter obedire (& erit ei ad meritum) & vel abſolutionem petere ab excommunicatione, vel ad ſuperiorem Judicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipſo mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque, quod ſit debita cauſa ex parte excommunicantis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati; ſicut cum aliquis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur. Et tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum.* Hæc S. Th.

Et in argum. *Sed contra*, munit ſuum aſſertum auctoritate S. Gregorii, *Homil.* 26. *in Evang.* dicentis: *Utrum juſte, an injuſte obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt: ne is, qui ſubeſt, & cum injuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſolvere indiſcrete timeat, vel ligare. Is autem, qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat, vel injuſte, nec Paſtoris ſui judicium temere reprehendat; ne, etſi injuſte ligatus eſt, ex ipſa tumida reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

II. Non latet Auguſt. Triumphum, de *Poteſtate Eccleſiaſt. q.* 27. *art.* 3. ſentire, in ſeptem caſibus excommunicationem non tenere, ſi feratur a Judice Papa inferiori; latam vero a Papa, ſemper eſſe timendam, & ſervandam, dummodo peccatum mortale, vel aliquid contra fidem non contineat. Caſus autem, quibus nec eſt tenenda, nec timenda; ſunt: Primus, ſi talis ſententia non feratur a ſuo Judice. Secundus: ſi a ſuo Judice quidem, ſed excommunicato feratur. Tertius: ſi excommunicetur a delegato contra intentionem delegantis. Quartus: ſi lata ſit ſententia poſt pronuntiatam appellationem. Quintus: ſi feratur a ſuſpenſo a poteſtate Juriſdictionis. Sextus: ſi feratur nulla monitione præmiſſa, & nullo juris ordine ſervato. Septimus: ſi ſententia contineat intolerabilem errorem, vel peccatum, vel contra fidem. Nullo autem iſtorum modorum, excepto ultimo, excommunicatio Papalis eſt contemnenda. Nemo enim cauſare poteſt, Papam ſuum non eſſe Judicem, vel ſententia excommunicationis eum eſſe ligatum, nec ejus ſententiam eſſe contra intentionem delegantis, vel ab ejus ſententia appellare, nec a juriſdictione per aliquem Superiorem eſſe ſuſpenſum, vel juris ordinem non ſervaſſe; cum ipſo nullo poſitivo jure ligetur. Solum ergo ejus ſententia, nec timenda, nec tenenda eſſet, ſi (quod tamen numquam fuit, nec erit) deprehenderetur præcipere peccatum mortale, vel errorem contra fidem.

III. Conformius tamen menti S. Gregorii, & S. Thom. omnis cenſura quamvis injuſta, & forte nulla, timenda eſt: maxime ſi illius nullitas certis documentis non ſit probata: quia in dubiis ſemper obediendum eſt Superiori. Præterea: ſententia evidenter nulla, ea ratione timenda eſt, ut in foro exteriori non contemnatur; ne, ut ait S. Gregorius, ex tumida ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat: ſed, ut dicit S. Thom. humiliter ſuſtinenda, ſi in foro externo valida ſit, ne alii defectum illius ignorantes ſcandalizentur. Et ſi omnibus perſpectum ſit, & exploratum eam nullam, ac irritam eſſe; non proinde ſententia, & auctoritas Superioris eſt contemnenda; ſed potius cum debita reverentia, & moderamine jure ſuo uti debet: vel exponendo Judici excommunicatori gravamen, quod patitur, vel ad Superiorem appellatione interpoſita recurrendo, memor interea ejus, quod, *lib. de vera Religione*, S. Auguſtinus dicit, nimirum: *Sæpe autem ſinit divina providentia, per nonnullos nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione chriſtiana etiam bonos vivos. Quam contumeliam, vel injuriam ſuam, cum patientiſſime pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel Schiſmatis, vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, & quanta ſinceritate charitatis Deo ſerviendum ſit.*

§. II.

Caſus, quibus Cenſura injuſta, & nulla eſſe poteſt.

IV. Ex dictis colligitur, cenſuram aliquando poſſe eſſe injuſtam, immo, & nullam. *Quamvis* (enim) (inquit S. Thom. quæſt. 21. Supplem. art. 4. ad 1.) *homo gratiam Dei injuſte amittere non poſſit; poteſt tamen amittere illa injuſte, quæ ex parte noſtra ſunt, quæ ad gratiam Dei diſponunt: ſicut patet ſi ſubtrahatur alicui doctrina verbum, quod ei debetur.* Eſto enim Rectores Eccleſiarum non poſſint injuſte imponere culpam; poſſunt tamen injuſte infligere pœnam, ut docet idem S. Thom. ibi ad 2.

V. Cenſura ergo nulla, & irrita eſt, vel defectu Juriſdictionis in eo, a quo fertur, vel defectu cauſæ legitimæ, vel defectu ordinis ad Judicis ſubſtantiam requiſiti. Defectu primi nulla eſt cenſura, quæ fertur a non Judice, ut Can. *Sententia*, cauſa 11. quæſt. 3. quo *Sententia Paſtoris*, non alterius, timenda dicitur. Nulla pariter ex dictis eſt, ſi feratur ab excommunicato, vel ſuſpenſo, etiam a Juriſdictione, Can. *Audivimus*, cauſa 24. quæſt. 1. Nulla quoque eſt, ſi feratur ab intruſo, ideſt, qui abſque inſtitutione canonica Eccleſiaſticam dignitatem obtinuit, Can. *Alienationes*, cauſa 12. q. 2.

VI. Hinc ſequitur 1. nullam eſſe cenſuram ab Epiſcopo latam

latam extra proprium territorium, ac diœcesim, in loco exempto, cum ad illam ferendam contentiosa jurisdictione opus est; nam Jurisdictio solemni more, sedendo scilicet pro Tribunali, & cum cognitione causæ extra proprium territorium exerceri nequit. Unde censuris ab Episcopo latis per modum statuti non ligantur ejus subditi in aliena diœcesi delinquentes. *Cap. Ut animarum*, tit. de Constitutionibus, in 6. excipe tamen censuram latam in Clericos non residentes, aut ad Synodum non accedentes: hæc enim a proprio Episcopo lata delinquentes ligat, quamvis in aliena diœcesi existant. Peccatum enim omissionis ibi committi censetur, ubi actus præscriptus exercendus erat. Censura tamen lata per modum sententiæ ligat subditos etiam in aliena diœcesi existentes. Id enim discriminis est inter statutum, & sententiam: quod illud territorium respicit, seu personas subditas in territorio Superioris degentes; ista vero personam ipsam, cujus contumacia coercenda est. Unde Bononiensis Episcopus sententiam excommunicationis ferre potest contra fures, qui grave furtum in sua diœcesi fecerunt, nisi restituant; quamvis in alienam diœcesim transierint, ibique domicilium post furtum fixerint: quia manent subditi ratione delicti, ut ex Cap. *Licet*, extra, *de Foro competenti*. Censuram quoque ferre potest Episcopus in subditum, qui data opera, ut ejus jurisdictionem declinaret, vel etiam bona fide, si causæ cognitio in suo foro jam erat inchoata, domicilium mutavit. Ita Gregorius IX. Cap. *Proposuisti*, extra, *de foro competenti*.

Si tamen legitima fuerit interposita appellatio, puta, ad Metropolitanum, & censura sub conditione lata fuerat, ut nisi intra duos menses compareat, suspenditur effectus ejus. Ita Cap. *Præterea*, extra, *de Appellationibus*. Si tamen censura absolute, & absque conditione lata sit, ejus effectum non suspendet appellatio, etiamsi ante denuntiationem sit interposita; quia, ut habetur Cap. *Pastoralis*, extra, de Appellationibus, *Excommunicatio executionem secum trahit*.

Ut aut legitima sit appellatio, necesse est, ut sit ex causa probabili sufficiente, expressa, & coram Judice probanda, si sententia sit interlocutoria, ut Cap. *Debitus*, extra *de Appellationibus*. Si vero peremptoria sententia fuerit, causa etiam non expressa, simplex appellatio sufficit ad suspensionem censuræ: & hæc quidem forum externum spectant. In foro autem conscientiæ, si quis mala fide appellat ad prorogationem causæ, sciens] appellationem esse injustam, & nulla causa legitima fulciri; ejusmodi appellatio vim censuræ non suspendit: quia nemini fraus sua, sive dolus patrocinari debet, neque illa vera defensio est, sed offensio. In foro tamen exteriori vim suspendendi semper habet appellatio, quamdiu non probatur mala fides seu causæ defectus. Excipe tamen casus, in quibus non est appellationi locus, secundum Canones, ut causa fidei, vel Religiosi, cum punitur secundum regulam in disciplina regulari, quæ fit ad Pœnitentiam, & extra Judicium, ut Cap. *Ad nostram*, & Cap. *Reprehensibilis*, extra, *de Appellationibus*.

Appellatio autem legitima debet legitimo tempore fieri, idest, intra decem dies a die latæ sententiæ. Ita Cap. *Quod ad Consultationem*, de Sent. & re judicata: aut certe ante tempus conditionis in censura appositæ expletum. Ita Cap. *Præterea*, de Appellat.

VII. Sequitur secundo: irritam esse censuram latam a Metropolitano in subditos suffraganeorum suorum, nisi in casibus Appellationis, aliisque in jure expressis: quia in eos jurisdictionem non habet.

Sequitur tertio: irritam pariter esse censuram, quam Judex in propria causa, & in vindictam proprie injuriæ tulerit, ut respondet Januario Episcopo S. Gregorius, relatus Can. *Inter querelas*, causa 23. quæst. 4. Eumdem enim esse Actorem, & Judicem jus ipsum naturæ vetat. Excipitur tamen casus necessariæ defensionis, in quo Judex, vel Episcopus censura vim sibi illatam vindicare potest; vim enim vi repellere licet. Atque hanc exceptionem approbat Innocentius IV. Cap. *Dilecto*, Tit. *de Sent. excomm.* in 6.

VIII. Altera causa, ob quam irrita, & nulla est censura, est defectus causæ legitimæ; ut si Judex Ecclesiasticus subditum nullius criminis reum excommunicet, vel suspendat, aut sacris interdicat; nulla alia causa impulsus, quam sua perversa voluntate: aut si pro levi culpa censuram ferat, aut si in ipsa sententia causam prorsus futilem, & iniquam exprimat, puta, quod Missam quotidie non audit, vel celebrat, quod diebus festis concionibus non adest, vel subditis præcepit aliquid contra jus. Nam in hoc casu sententia continere dicitur errorem intolerabilem, propter quod nulla, & irrita pronuntiatur, Cap. *Per tuas*, de Sent. Excomm. & Cap. *Solet*, sub eodem tit. in sexto. Quamvis autem, si error intolerabilis non exprimatur; in foro exteriori irrita non sit: si tamen sufficiens, & legitima causa defuerit, & propterea in sententia taceatur, censura etiam per se nulla, & irrita est. Unde si ab illa appelletur, & defectus hujusmodi coram superiori Judice probatur, irrita declarabitur; nec is, in quem lata est, absolutione indigebit, ut ex Can. *Cui est*, Can. *Irritam*, Can. *Cœpistis*, Can. *Cui obest*, Can. *Non debet*, & Can. *Illud plane*, Causa 11. q. 3. Idemque confirmat regula Juris 46. in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*.

IX. Tertia causa, ob quam irrita & nulla censura est, ponitur defectu ordinis ad judicii substantiam requisiti: puta, cum legitima citatio partis non præcessit, cum causa censuræ legitime, & juridice probata non est, nec reus legitimis documentis convictus est, aut sponte confessus: cum denique deest aliqua conditio, vel jure naturæ, vel speciali jure positivo ita præscripta, ut illius defectu sententiam nullius roboris fore declaretur.

X. Demum, quamvis omnis sententia, quæ nulla, & irrita est, sit etiam injusta; non tamen omnis sententia injuste lata, est etiam nulla. Injusta enim sententia est, quæ iniqua intentione fertur, ex odio, vindicta, aliave simili causa: quæ tamen rata est, & valida, si causa legitima sit, & sufficiens ex parte rei, in quam fertur a suo Judice liberam jurisdictionem habente; nihilque omittatur eorum, quæ ad substantiam judicii necessaria sunt. Injusta pariter est sententia, quæ lata est accidentario juris ordine non servato, nempe, absque trina monitione, vel una pro trina: & tamen sic lata non semper irrita est. Injusta demum censura est ex parte rei, quæ fertur ob falsum crimen, sed tamen in judicio legitime probatum: & tamen rata est in foro exteriori, & justa ex parte actionis, sive judicii.

DUBIUM V.

Quæ excusent a Censuris incurrendis, & quis ab eis absolvere possit.

§. I.

Resolutio prioris Partis.

I. A Censuris incurrendis excusat primo. Ignorantia invincibilis juris. Tum quia talis ignorantia cum caret involuntarium, excusat a culpa. Tum quia: tali ignorantia laborans, non censetur monitus, ac proinde nec contumax, quæ ad contrahendam censuram necessaria sunt. Quare qui scit, aliquod delictum esse vetitum jure naturæ, vel divino, & ab Ecclesia, sed sub censura prohibitum esse invincibiliter ignorat; non incurret in censuram ab Ecclesia latam contra patrantes hujusmodi delictum. Id confirmatur ex Cap. *Ut animarum*, tit. *de Constitutionibus* in 6. his verbis: *Ut animarum periculis obvietur: sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, & affectata*. Quibus excusantur non solum ignorantes statuta, sed etiam censuras, & sententias; immo, ut plures volunt, comprehenduntur etiam sententiæ Pontificiæ. Nam quamvis Pontifex videatur locutus de Ordinariis a se diversis; cum tamen ipse sit Ordinarius per totam Ecclesiam, & declarationem illam fecerit, ut obvietur periculis animarum; quibus non esset obviatum, si sententiæ Papales ligarent magis ignorantes eas, quam aliæ: credere par est, quod si quis sciat hoc esse vetitum, sed invincibiliter ignorat, ei esse annexam censuram etiam Papalem, ab ea incurrenda excusetur. Cum enim excommunicatio sit inter pœnas hujus sæculi gravissimas consentaneum est, ut nonnisi a sciente incurratur. Ita præcipui Theologorum, quos citat & sequitur Sylvius, *in quæst.* 22. *Suppl. art.* 4. Tutius tamen crediderim, a sic ignorante petendam esse absolutionem, saltem sub conditione, & ad cautelam.

II. Secundo. A censuris incurrendis excusat ignorantia invincibilis facti, vel qualitatis facti. Unde si quis hominem occidat, quem fallente visu invincibiliter credebat esse feram; vel Clericum, quem credebat esse laicum, sicut in primo casu excusatur a delicto, ita in secundo excusatur a censura: contumax enim censeri non potest, qui potius cognito facto, aut facti qualitate perspecta, a facinore abstinuisset. Hoc confirmat, Cap. *Si vero*, extra *de Sent. excomm.* ubi Alexander III. *Si vero* (inquit) *aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit: vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat præstiterit juramentum, quod eum esse Clericum ignorasset*.

III. Tertio. Ignorantia crassa, & invincibilis, sicut non excusat a peccato mortali, non excusat a censuris, sicut nec ab irregularitate ex delicto. Istud enim ignorantiæ genus non tollit, quin sit voluntarium: nam præsumitur homo ignorare velle, aut scire contemnere, ut liberius peccet. Quamobrem contumaciam ad incurrendam censuram necessariam non tollit, sed præsumit.

IV. Quarto. Nec ignorantia concomitans excusat a censuris, aut ab irregularitate proveniente ex delicto; quia non excusat a peccato, propter quod censura contrahitur, ut docet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 3. Unde si quis vibrat sagittam in suum inimicum, quem putavit esse feram, sed tamen inimicum occidere decreverat; & ita animo erat affectus, ut illum nihilominus occidisset, si inimicum suum esse sciviſſet, incurrit irregularitatem, vel excommunicationem, si hæc contra homicidas lata sit. Videantur quæ diximus, *Tom. I. in 1. part. de Voluntario, q. 1. dub.* 7.

V. Quin-

V. Quinto. A censuris excusat impotentia faciendi id, quod præcipitur: siquidem excusat a peccato, & a contumacia, ob quæ censura incurritur. Neque enim ullus ad impossibile potest obligari, ut habet regula juris.

An vero metus gravis, & cadens in constantem virum excuset a censuris latis contra violatores Legis Ecclesiasticæ, modo contemptus absit legis, & potestatis, religionis, ac fidei, graveque scandalum, pro quibus vitandis homo potius mortem subire tenetur: affirmant plures. Quia his secluſis, Ecclesia, inquiunt, non censetur cum certo vitæ, famæ, honorum, ac dignitatum, seu bonorum omnium detrimento obligare voluisse. Unde qui gravi metu, & in virum constantem cadente, Ecclesiæ præceptum prætermittit, contemptu, gravique scandalo exclusis, non est contumax contra legem ecclesiasticam; ac proinde in censuram non incurrit. Tunc enim, sicut censent talem excusari a peccato, ita & censura. Ita probabiliter.

VI. Sexto. Consensus illius, in cujus favorem censura concessa est, excusare videtur ab ea incurrenda. Quamobrem si quis ab Episcopo censuram obtinuisset contra debitores suos non restituentes, sive solventes intra sex menses; ipse vero inconsulto Episcopo terminum prorogaret ad annum: illi censuram non incurrent elapso priori semestri, quia sublata esset censuræ materia pro eo tempore: sicut omnino, & in perpetuum sublata esset, si creditor debitum absolute condonasset. Elapso tamen termino illi a creditore prorogato, censura ligaretur, nisi solvisset, aut restituisset: quia terminus in sententia excommunicationis præfixus, non fuerat ad finiendam obligationem solutionis, sed ad solutionem urgendam, ac sollicitandam. Quando autem constituitur terminus aliquis ad urgendam, & sollicitandam, non ad finiendam obligationem, non cessat obligatio elapso temporis, quod præfixum est, intervallo. Prorogatio quippe fit sub eadem conditione, ut sancitum est lege *Sed si manente*. Tit. *de Precario*, lib. 43. Digestorum.

§. II.

Resolutio Posterioris Partis.

VII. DE hoc agit S. Thom. *in suppl. 3. p. q. 24. & in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. q. 1.* & sequentibus videndus. Ibi enim docet, quod a minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest a peccato participationis absolvere. Si autem sit major: aut est ab homine, seu lata a Judice, aut est lata a jure. Si lata sit a Judice, seu ab homine; ille, qui tulit, vel ejus successor, vel delegatus, vel superior, ab ea potest absolvere. Intelligitur tamen durante in eo potestate jurisdictionis. Quod si aliqua ex causa jurisdictionem amittat, non poterit amplius absolvere.

VIII. Porro ejus *Successor* dicitur ille, qui in munere, vel officio ei succedit, ut habetur, Can. *si Episcopus*, Causa 11. quæst. 3. Quapropter, & capitulum sede vacante absolvere potest a censuris ab Episcopo latis; quia in Episcopalem jurisdictionem ei succedit, ut constat ex Capitulo *Si Episcopus*, tit. de *Supplenda negligentia Prælatorum*, in sexto. Quæ regula non solum in ordinariis Pastoribus, sed etiam in delegatis locum habet; quando uno delegato mortuo, alter loco illius in eadem causa, & delegatus cum eadem potestate immittitur; vel delegatio non est facta personæ, sed dignitati, puta, officiali, seu Vicario Episcopali. Ita ex Cap. *Pastoralis*, extra *de Officio Judicis ordinarii*, §. *Præterea*.

Delegatus autem potest absolvere, non solum toto temporis spatio, quod illi a delegante constitutum est, sed etiam intra annum, ex quo munere suo functus est sententiam definitivam proferendo; nisi forte ante illum annum sit absolutus. Ita Innocentio III. Cap. *Quarenti*, extra *de Officio, & potestate judicis delegati*. Cum autem dicitur, neminem posse absolvere a censura, nisi qui eam tulit, non excluditur delegatus, aut subdelegatus: cum Judex, qui sententiam tulit, delegare, aut subdelegare potest. Sicut nec excluditur quilibet Sacerdos in articulo mortis, cum ad proprium Judicem recurri non potest. Ita S. Th. citato loco, & Tridentinum, *Sess. 14. cap. 7.*

IX. Absolvere potest *Superior*, cui illius, qui censuram tulit, subordinata sit jurisdictio. Unde cum omnis Ecclesiastica jurisdictio sit Romano Pontifici subordinata, in quo solo est plenitudo potestatis in totam Ecclesiam; ideo sicut potest universaliter fideles omnes ligare, ita eos universaliter potest a quocumque ligatos absolvere. Metropolitanus tamen, ad quem interposita est appellatio, seu alius Judex superior, potest quidem absolvere a censura lata ab inferiori; cum jam causa sit ad eum devoluta, & accessorium sequatur naturam principalis, ut cap. *Per tuas*, extra *de Sent. Excom.* Et Cap. *Venerabilibus* §. Porro, sub eodem Titulo in 6. Verum, ut ea potestate legitime utatur, servare debet modum a jure præscriptum, Cap. *Ad reprimendam*, extra *de Officio Judicis ordinarii*: ut scilicet non absolvat, nisi prius probatum fuerit, censuram inique fuisse latam; alioquin remittat reum absolvendum a Judice, qui censuram tulit, nisi periculum esset in mora, vel ille absolutionem nollet tribuere satisfacienti. Interposita autem appellatione, potest etiam a censura absolvere ille, a cujus sententia est appellatum; quia jurisdictione ordinaria non excidit, sed solam illam habet impeditam per appellationem, ne aliquid agere possit, quod effectum, vel fructum appellationis possit impedire. Absolutio autem a censura effectum appellationis non impedit, sed potius est fructus, qui per appellationem quæritur. Id Probat Cap. *Cum cessante*, & Cap. *Cum teneamur*, extra, *de Appellationibus*, & Cap. *Cum a Judice*, sub eodem titulo, in sexto.

X. A censuris autem latis a jure, si reservatæ non sint, diœcesanos suos, & subditos absolvere possunt Episcopi, vel alii superiores Ecclesiastici Episcopalem jurisdictionem habentes. De Parochis, & Sacerdotibus legitime approbatis controvertitur. Quidam negant. Alii affirmant, volentes, Superiorem concedere facultatem absolvendi a censuris cuicumque Confessario, dum illam sibi non reservat. Quæ sententia probabilior est, & approbata a S. Thom. *q. 24. Suppl. art. 1.* Quænam autem censuræ in jure reserventur, ab Auctoribus petendum relinquimus.

XI. Interim noto primo cum S. Thom. loco nuper allato, *art. 2.* posse absentem, immo & invitum, a censuris absolvi. Et rationem dat S. Doct. Quia *Malum culpæ, & pœnæ in hoc differunt, quod culpæ principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est: pœnæ autem principium quandoque extra nos est. Non enim requiritur ad pœnam, quod sit voluntaria: immo magis est de ratione pœnæ, quod sit contra voluntatem. Et ideo sicut peccata non committuntur, nisi voluntate; ita non remittuntur alicui invito. Sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest: ita etiam invitus ab ea absolvi potest.* Quin *Etiam* (ait ibidem ad 2.) *manente contumacia, potest aliquis discrete excommunicationem juste latam remittere; si viderit saluti illius expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata est.*

XII. Noto secundo cum eodem S. Thom. citato, *art. 3.* posse aliquem absolvi ab una excommunicatione: & non absolvi ab altera. Quia inquit, *Excommunicationes non habent connexionem in aliquo*, sicut peccata. Nam, ut ait ibidem, ad 1. *Omnia peccata habent connexionem in aversione voluntatis a Deo, cum qua non potest esse peccatorum remissio: & ideo unum peccatorum sine altero remitti non potest. Sed excommunicationes non habent aliquam talem connexionem. Nec iterum absolutio ab excommunicatione impeditur propter voluntatis contrarietatem, ut dictum est.*

Sed circa hoc sciendum est (advertit ibi in Corp.) *quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno Judice: Et tunc quando absolvitur ab una, intelligitur ab omnibus absolvi, nisi contrarium exprimatur: vel nisi cum quis absolutionem impetrat de una tantum causa excommunicationis, cum tamen pluribus excommunicatus sit. Quandoque autem est excommunicatus pluribus excommunicationibus a diversis judicibus: & tunc absolutus ab una excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera, nisi omnes alii, ad petitionem ejus absolutionem ipsius confirmaverint, vel nisi omnes demandent uni absolutionem.* Hæc S. Thomas. Quibus addit Sylvius in hunc art. quod si propter eamdem causam excommunicatus fuerit a diversis, sed ita ut cæteri solum confirmaverint sententiam primi; is qui a primo absolvitur, est ab omnibus absolutus. Si tamen Pontifex confirmaverit sententiam ab inferioribus latam, ab eodem est petenda absolutio: & qui generaliter ab eo est absolutus, est ab omnibus sententiis absolutus.

XIII. Noto tandem: quod absolutio a censuris duplex est. Prima simplex, & absoluta, quæ vinculum omnino solvit: altera ad cautelam, quæ conceditur, ubi dubium est, an censuram quis incurrit; vel an valida sit; vel ut appellans possit judicio contendere, suamque appellationem prosequi: excommunicatum enim audiri in judicio non posse Canones decernunt, ut Cap. *Per tuas litteras*, extra, *de Sent. excomm.* Et in hoc casu absolutio plerumque conceditur *cum reincidentia* ut loquuntur Canonistæ, ideſt, sub lege iterum incidendi in censuram, ut primum finitum fuerit negotium, nisi Ecclesiæ paruerit.

QUÆSTIO II.

De Censuris in Specie.

TRiplicem esse censuræ speciem, *Q. præc. Dub. 2. §. 1.* statutum est, nimirum, excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Hæc ergo erunt materia præsentis quæstionis: & primo de excommunicatione.

DUBIUM I.

Excommunicatio Quid, & Quotuplex.

§. I.

Excommunicationis usus Antiquus.

I. EXcommunicationis censura (ex Joan. Bapt. Casabio *de Sacris Vit. Christianorum ritibus, cap. 22.*) usque adeo antiqua est existimanda, ut a primæva orbis origine ortum duxerit. Lucifer propria superbia excæcatus cum Angelis suis apostaticis extra Paradisi communionem positus, speciem

speciem anathematis prætulit. Huic proxime accessit alia, qua primus parens extra deliciarum tranquillitatem ejectus fuit, adjecta etiam maledictionis nota. Fratricida deinde Cain extra hominum commercium positus, & profugus super terram, Gen. 4. v. 14. *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua*, excommunicati figuram gessit. Anathematis etiam forma fuit toties repetita maledictio, Deut. 27. v. 15. *Maledictus qui facit sculptile . . . maledictus qui non honorat Patrem suum, & Matrem . . . Qui transfert terminum proximi sui*. Quos execratorios Canones promulgavit Josue. cap. 8. v. 34. *Post hæc legis omnia verba benedictionis, & maledictionis &c.* Perseverasse etiam hanc pœnam apud Hebræos usque ad Christum, & initio Ecclesiæ, & usum fuisse Paulum adversus Corinthium incœstosum, ac quovis sæculo usam fuisse Ecclesiam ostendi, *Q. præced. Dub.* 1. §. *& Dub.* 3. §. 1.

II. Excommunicatio variis nominibus a veteribus maxime appellata fuit. A Cypriano vocatur *Abstentio*, Epist. 28. ubi de Felicissimo scribit: *Interim cum Felicissimus comminatus sit, non communicaturos in morte secum, qui nobis obtemperassent, idest, qui nobis communicarent, accipiant sententiam, quam prior dixit, ut abstentum se a nobis sciat*. Et Epist. 55. *Felicissimum* (inquit) *hostem Christi, non novum, sed jam pridem ob crimina sua plurima, & gravissima abstentum* (erat enim Novati fautor) Epist. etiam 67. *Novatianus olim abstentus, & hostis Ecclesiæ judicatus*. Excommunicati *Abstenti* vocabantur, quia præcipue a Christi corpore in Eucharistia abstinere tenebantur. Ita enim exprimit Cyprianus, *Tract. de Orat. Dominica*: his verbis: *Christus noster* (*qui corpus ejus contingimus*) *panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus; ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur*. Et infra: *Timendum est, & erandum, nedum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute*.

III. Excommunicatio alio nomine vocatur *Anathema*. Quæ tamen vox ambigua est, & in bonam æque, ac malam partem usurpatur, ut observat S. Chrysostomus, *Homil.* 1. *in Isaiam*, & *Homilia de Anathemate*. Quandoque enim significat id, quod certo loco appensum, & ex voto Deo oblatum, vel in ejus templo dedicatum est. Sic enim venit ab *Ana*, quod est *sursum*, & *Tithemi* quod est *pono*, sive *pendo*. Unde quod separabatur ab usu prophano, & Deo soli appendebatur, anathemari dicebatur. Quandoque vero, & frequentius *Anathema* dicitur, quod a Deo per impietatem sejunctum; & in hac significatione usurpat Ecclesia, illudque usurpavit Paulus Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipse Anathema esse a Christo pro fratribus meis*. Super quæ Chrysost. Homil. 16. in Epist. ad Rom. *Quid est igitur* (inquit) *Anathema? Audi ipsum ita loquentem*: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, is Anathema sit. *Hic est ab omnium commercio segregatus, alienus ab omnibus sit. Nam quemadmodum Anathema, donumque id quod Deo oblatum dedicatur, nemo est, qui temere manibus contingere audeat, neque ad id propius accedere: sic & eum, qui ab Ecclesia separatur, ab omnibus abscindens, ac tamquam legitime adducens, hoc nomine a contrario scilicet appellat; magno cum terrore omnibus interminans, ut ab eo separentur, & fidem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat: ab eo autem, qui ab Ecclesia abscissus erat, ex opposita sententia omnes separabantur. Quapropter separatio quidem, tum hæc, tum illa, ex æquo a vulgo abalienatio erat, separationis vero modus non unus, sed illi contrarius: Ab illo enim abstinebant, tamquam Deo dicato, ab hoc autem decedebant tamquam a Deo alienato, & ab Ecclesia abscisso. Hoc ipsum igitur, & Paulus sentiens dixit*: Optabam anathema esse a Christo. Eadem docet S. Thom. *in c. 9. ad Rom. lect.* 1. a cujus verbis referendis abstineo.

IV. Porro quamvis excommunicatio major, & anathema pro eodem usurpentur, anathema tamen plus dicere videtur; quia majori solemnitate majorem terrorem incutiente pronuntiari solet contra peccatorum contumacem, & pro culpa gravissima eum execrando, ac diris devovendo: unde contra contumaces in errore contra fidem pronuntiari solet.

§. II.

Quid, & Quetuplex sit; ejusque Effectus.

V. EXcommunicatio est *Censura, qua quis ab Ecclesiastica fidelium cummunione separatur*. Dividitur autem in majorem, & minorem. Excommunicatio minor est *Censura, qua quis excluditur a participatione sacramentorum tantum*. Major vero est *Censura, qua quis non solum a sacramentorum perceptione, sed etiam a communione fidelium segregatur*, ut Gregor. IX. Cap. *Si quis*, extra *de Sent. excomm.* Sive est *Censura divina, qua quis a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegatur*, ut ait Tertullianus in Apologetico, c. 39. Quibus consonat ea, quam tradit S. Thom. *in Suppl. q.* 21. *art.* 1. seu *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. nimirum: *Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia*.

Hujus rationem assignat S. D. *ibi*. Nam *Ille, qui per Baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur, scilicet, ad cœtum fidelium, & ad participationem sacramentorum, & hoc secundum præsupponit primum, quia in sacramentis participandis etiam fideles communicant. Et ideo aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter. Uno modo, ita quod separetur tantum a participatione sacramentorum: & hæc est excommunicatio minor: alio modo, ita quod excludatur ab utroque: & sic est excommunicatio major. Non autem potest esse tertium, scilicet, quod excludatur a communione fidelium, & non a participatione sacramentorum, ratione jam dicta: quia scilicet fideles in sacramentis communicant*.

Sed communicatio fidelium est duplex. Quædam in spiritualibus, sicut sunt mutua orationes, & conventus ad sacra percipienda: quædam in corporalibus actibus legitimis. Quæ quidem communicationes his versibus continentur.

Si pro delictis anathema quis efficiatur.
Os, orare, vale, communio mensa negatur.

Os: *scilicet, ne osculum detur*: Orare: *ne cum excommunicatis oremus*. Vale: *ne salutetur*. Communio: *ne scilicet in sacramentis cum ipsis aliquis communicet*. Mensa negatur: *ne aliquis cum eis in mensa comedat. Præmissa ergo definitio importat separationem a sacramentis in hoc, quod dicit*, quoad fructum: *& a communione fidelium quantum ad spiritualia in hoc, quod dicit*, & suffragia Ecclesiæ communia.

VI. Ex quibus patet, excommunicationem majorem non esse tantum pœnam externam, & civilem; quia nimirum quis ab extra dumtaxat communione, & conversatione fidelium excludatur, ut erravit Lutherus juste a Leone X. damnatus: qui *art.* 13. asserebat: *Excommunicationes sunt tantum pœna externæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus*. Eodem enim modo Ecclesia communicat cum fidelibus hic existentibus, quo communicat cum sanctis in Cælo regnantibus: non communicat autem cum istis in nuda externa societate, vel externa sacramentorum participatione; neutro enim horum modorum communicamus cum Sanctis in Cælo regnantibus: sed potissimum in societate, & communione bonorum spiritualium, cujusmodi sunt merita, orationes, & suffragia; ergo &c.

Hujus igitur communionis jure fit, ut quemadmodum membra corporis naturalis, dum movent conjuncta corpori, sibi mutuo influunt, & participant influxum totius corporis; dum vero a toto abscinduntur, non amplius communicant cum aliis, nec participant de influxu, & bonis corporis: & palmes dum manet in vite, ut habetur. *Joann.* 15. participat de influxu vitis, secus autem si a vite præcidatur. Ita cum fideles manent in corpore mystico Ecclesiæ, & aliis membris conjuncti sunt, ut ait Apostolus, Rom. 12. *sunt alter alterius membra* invicem in spiritu Christi, & bonis spiritualibus communicantia: cum vero ab hoc corpore abscinduntur, desinunt ejusmodi bonorum esse particeps. Quamobrem cum excommunicati excommunicatione majori sint membra ab hoc corpore præcisa, in bonis spiritualibus Ecclesiæ non communicant. Quam pœnam expressit Christus, *Matth.* 18. dum ait. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Sicut ergo hi bonorum Ecclesiæ spiritualium participes non sunt, ita nec ille. Neque enim de eo, qui propter lepram, aut alium morbum contagiosum, externa tantum conversatione vitandus est; dici recte posset, non esse habendum tamquam fratrem, sed tamquam Ethnicum. Nec diceretur ligatus in Cælo, qui vinculo tantum exteriori ligaretur, nec ullo bono spirituali privatus esset.

VII. Ex his sequitur primo: excommunicatos non amplius haberi a pastoribus pro suis ovibus; nec de iis haberi curam, & orationem, eam scilicet quam pastor habet, & facit pro suo grege. Nam, ut ait S. Thomas, citata quæst. 21. Suppl. art. 1. ad 1. *Pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt: & tamen fructum non percipiunt, quamdiu in excommunicatione manent. Sed oratur, ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur*.

VIII. Sequitur secundo: eos a ceteris fidelibus non haberi ut fratres, & commembra, præcipiente Domino: *Sit tibi sicut Ethnicus &c.* Unde nec earum orationum fiunt participes, quas Sancti toto Orbe fundunt pro fratribus, & Ecclesia: *Unde*, ait S. Thom. citatus, ad 2. *Suffragia Ecclesiæ eis non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt; nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest; quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere*.

IX. Sequitur tertio: excommunicatos tot præsidiis, quibus fulciebantur destitutos, sibi dimitti, infidelium societati jungi, Satanæ tradi, 1. *Cor.* 5. *v.* 5. *Timoth.* 1. *v.* 20. Nam sicut his, qui sunt intra Ecclesiam, præsidet Ecclesiæ caput Christus, ita his, qui sunt extra Ecclesiam, præsidet hujus mundi Princeps Satanas; a quo tamquam sui regni subditi liberius, ac potentius tentantur, & ad omne malum quasi impelluntur. Sicut ex quo Satanas intravit in cor Judæ, facilius eum impulit ad proditionem Christi, & perditionem sui.

X. Sequitur quarto. Excommunicatos, etiamsi pœnitentiam agant, & multa bona operentur, non tamen restitui spiritualibus Ecclesiæ bonis, neque sacramentorum, etiam Pœnitentiæ, participationis, nisi prius a vinculo excommuni-

municationis abſoluti Eccleſiæ iterum inſerantur : prius enim oportet, ut quis jungatur corpori, quam ex corpore fructum percipiat. Sicut prius eſt apud Apoſtolum, *Rom.* 11. inſeri in olivam, quam radicis, & pinguedinis olivæ participem fieri. Quare merito Alexander VII. hanc propoſitionem, *num.* 44. proſcripſit : *Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.*

XI. Privantur excommunicati etiam auditione Miſſæ, divinorumque Officiorum; nec intereſſe poſſunt horis Canonicis, quæ in Eccleſia publice recitantur, ſicut nec publicis ſupplicationibus, aut aliis ritibus, alicui Ordini Clericali annexis. Ita Canones, *Si quis Epiſcopus*, cauſa 11. quæſt. 3. cap. *Reſponſo*, extra, *de Sent. Excommunic. &c.* Secundum veterem diſciplinam, ſi reſipiſcentiæ ſigna dediſſent, permittebantur ingredi in Eccleſiam ad audiendam concionem, ſed ſaltem poſt Evangelium exire cogebantur. Ita, *lib.* 2. *Conſtit.* quæ Clementi Papæ tribuuntur, *c.* 19. his verbis : *Habe ergo loco Publicani, & Ethnici eum, qui convictus eſt in maleficio, neque eum tamen pœnitet. Quem ſi poſtea errati pœnituerit, in Eccleſiam admittimus ad audiendum Verbum, ſicut Ethnicos, cum pœnitentiam agere, & converti volunt, licet communionem cum his, donec ſigillo accepto perficiantur, non habeamus. Sic horum ſimilibus donec fructus pœnitentiæ proferant, in Eccleſia ingredi permittimus, ne plane funditus pereant. Non autem communionem in oratione habeant, quin potius exeant poſt lectionem Legis, & Prophetarum, & Evangelii; ut exeundo vitam emendent, ac meliores fiant, dum ſtudent ire quotidie ad conventus Eccleſiaſticos, & precationi incumbere, ut & ipſi poſſint admitti.*

XII. Privantur ſecundo Excommunicati Eccleſiaſtica ſepultura, ut conſtat ex Cap. *Sacris*, extra, *de Sepulturis*; & Clementina, *Eos qui*, tit. *de Sepulturis*, declarando ipſo facto excommunicatos eos, qui tales *Scienter ſepelire præſumunt*. Cæmeteria vero, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contigerit, *Reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit*, ut reſpondet Innocentius III. Cap. *Conſuluiſti*, extra *de Conſuetudine Eccleſiæ, vel Altaris*. Hæc tamen pœna ad ſolos excommunicatos denuntiatos pertinet, ut ex Conſt. quæ incipit *Ad vitanda ſcandala*.

XIII. Privantur tertio, & fiunt incapaces beneficiorum, & dignitatum Eccleſiaſticarum in futurum obtinendarum, quamdiu excommunicatione ligati permanſerint; quamvis ante impetrata retinere poſſint. Unde collatio beneficii excommunicato, ipſo jure prorſus nulla eſt; neque ſola abſolutione ſubſequente convalidari poteſt, ſed nova collatione opus erit. Quia ſecundum regulam Juris : Non *Firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit*. Quare nec fructus collati beneficii retinere poteſt. Nec ab his excuſat ignorantia, aut bona fides, qua credidit, ſe non eſſe excommunicatum; aut probabiliter exiſtivit, ſe eſſe abſolutum. Hoc enim liberat eum quidem a nova culpa, & cenſura, non tamen actui alias invalido robur affert. Quæ confirmat Caput *Poſtulaſti*, extra, de *Clerico excommunicato Miniſtrante*. Ubi additur ſuſpenſio a collatione beneficiorum illi, qui ſcienter beneficium excommunicato contulerit.

Si quis tamen poſt collationem beneficii, & ante acceptationem excommunicetur, non ſtatim privatur jure ad illud beneficium per collationem ſibi quæſito; niſi ille, cui collatum eſt, conſenſum præbuerit : jus tamen, quamdiu manet excommunicatus, illud acceptandi non habet, niſi prius abſolvatur. Unde ſi ante abſolutionem mori contingat, beneficium illud denuo vacare non cenſebitur. Quia collatione jus quidem ad beneficium quæſierat, non jus in beneficio; quia non acceſſerat conſenſus, ſeu acceptatio ejus, cui collatum erat ante excommunicationem, conſenſus autem, durante excommunicatione, inefficax fuit ad tribuendum jus in beneficio. Colligitur ex C. *Si tibi abſenti*, in 6.

Ut vero quis ſuorum beneficiorum, ante excommunicationem legitime poſſeſſorum, fructibus privari poſſit, requiritur Judicis ſententia; quia non privatur ex præſcripto juris, cum jus hoc expreſſe non decernat, & odia ſint reſtringenda.

XIV. Privantur quarto : uſu ſpiritualis juriſdictionis in foro exteriori. Ita Can. *Audivimus*, cauſa 24. q. 1. Cap. *Romana Eccleſia*, tit. *de Officio Vicarii*, in ſexto, capite *Si is cui*, tit. *de Officio, & poteſtate Judicis delegati*, ibidem &c. Quæ regula extenditur ad omnes actus juriſdictionis, quales ſunt præcipere, leges condere, judicium ferre aliique ſimiles, quos recenſet, Cap. *Accedentibus*, extra *de Exceſſibus Prælatorum*. Et Cap. *Dilectus filius*, extra, *de Officio Ordinarii*. Juriſdictionis etiam delegatio, ſi ab excommunicato fiat, nulla prorſus, ac invalida eſt. Delegata vero ante excommunicationem delegantis, eo excommunicato, ſuſpenditur, ſi res ſit integra : non vero, ſi jam inchoata ſit cauſæ cognitio.

XV. Privantur tandem omni civili, & politica cum aliis fidelibus communicatione, ut ſupra ex S. Thom. expoſuimus. Excipiuntur tamen quinque caſus, quibus cum excommunicato licet civiliter communicare, qui hoc verſu concludunt.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Utile ſignificat utilitatem, ſive ſpiritualem excommunicati, ſive temporalem ejus, qui cum eo communicat. In priori caſu communicare poteſt cum excommunicato non ſolum Doctor, aut Concionator, aut Prælatus, aut Parochus; verum etiam alius quiſque ſapiens fidelis, ipſum ſui periculi admonendo, errantem inſtituendo, & ad reſipiſcentiam adhortando. Hoc enim opus charitatis eſt. Hinc Paulus, 4. *ad Theſſal.* 3. *v.* 14. poſtquam dixit : *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur*, ſubjungit : *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.* Temporalem vero communicantis utilitatem intelligimus, ſi ab excommunicato petat, quod ſibi debet. Suum enim repetere licet etiam in judicio, ne de ſua malitia excommunicatus commodum reportare videatur, ut patet Cap. *Intelleximus*, extra, *de Judiciis*.

Lex ſignificat debitum conjugii; quia licet conjugi a conjuge excommunicato conjugale debitum petere, ac viciſſim reddere, ut Cap. *Vere*, diſt. 21.

Humile ſignificat ſubjectionem, qualis eſt filiorum, ſervorum, & familiarium ad parentes, & dominos; cujus ſubjectionis cauſa cum eis etſi excommunicatis participare licite poſſunt, juxta Can. Gregorii VII. *Quoniam multus*, cauſa 11. q. 3.

Res ignorata ſignificat ignorantiam tam juris, quam facti; quæ, modo ſit probabilis, excuſat ex dicto Canone Gregorii, & ex dictis ſupra.

Neceſſe, ſignificat neceſſitatem, quæ legem non habet. Sive ſit communicantis : unde in eodem Canone conceditur, ut peregrinus, qui non poſſit aliunde, poſſit ab excommunicatis neceſſaria emere; & Cap. *Voluntate*, extra, *de Sent. Excommunicationis*, Prædicatoribus permittitur, ut poſſint ab excommunicatis eleemoſynas poſtulare. Sive neceſſitas ſit excommunicati : unde Gregorius in dicto Canone dicit : quod *Si quis excommunicatis in ſuſtentationem, non ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa dare aliquid voluerit, non prohibemus.* Quæ verba ſatis indicant, non intelligi neceſſitatem extremam, in qua omnino lege divina dandam eſſe eleemoſynam conſtat.

Aliæ ſunt diviſiones excommunicationis in eam quæ fertur a Canone, ſeu a jure, & eam, quæ fertur a Judice, ſeu ab homine. Inſuper in excommunicationem latæ ſententiæ, & ferendæ. Sed hæc jam indicavimus ſatis *Quæſt. præced. de Cenſuris in Genere.*

§. III.

Reſpondetur Argumentis Contrariis.

XVI. Lutherus, & qui cum eo volunt excommunicationem etiam majorem, animas non afficere, neque ullum ſpirituale damnum excommunicatis afferre, ſed eſſe tantum pœnam externam, opponunt.

Primo. Per fidem, ſpem, charitatem, reliquaſque virtutes, quæ bona ſunt ſpiritualia, homo conjungitur Chriſto capiti, & fit membrum corporis ejus, quod eſt Eccleſia : ſed hæc bona ipſo invito non poſſunt ab Eccleſia auferri, cum tantum propria voluntate deperdi poſſint; ergo excommunicatio bono ſpirituali non ſpoliat.

XVII. Secundo, *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*, Lucæ 9. v. 56. quæ dixit Chriſtus de Samaritanis qui noluerant ipſum recipere. Item Joann. 3. v. 17. *Non enim* (inquit) *miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Multo ergo minus reliquit in Eccleſia poteſtatem ſpiritualiter occidendi, vel nocendi hominibus.

XVIII. Tertio. Paulus, 2. *Cor.* 13. *v.* 10. de excommunicandi poteſtate loquens, teſtatur, ſibi eam a Domino collatam *In ædificationem, & non in deſtructionem*; eſſet autem in diſtructionem data, ſi bonis ſpiritualibus hominem privaret.

XIX. Quarto. Idem, 1. *Cor.* 5. v. 5. inceſtuoſum excommunicans, dicit ſe eum *Tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* Et, 1. *ad Timot.* 1. *v.* 20. dicit, Hymenæum, & Alexandrum a ſe traditos Satanæ, *Ut diſcant non blaſphemare*; ergo uſque adeo excommunicatio non aufert bonum ſpirituale, ut etiam ad illud conferat, & non immerito dixiſſe videatur Lutherus, art. 24. ex damnatis a Leone X. *Docendos eſſe Chriſtianos, plus diligere excommunicationem, quam timere.*

XX. Quinto. Chryſoſtomus, in 1. *ad Cor.* 5. excommunicationem medicinam vocat, qua melior effectus homo attrahat gratiam, dicitque lucrum eſſe pœna majus. Nam *Pœna* (inquit) *eſt temporalis*, lucrum autem *perpetuum*. Unde hanc traditionem in Satanæ poteſtatem cum ea, qua S. Job Satanæ traditus fuit, ita comparat, ut in ſola cauſa diſcrimen agnoſcat : *Nam ille quidem* (inquit) *pro ſplendidioribus coronis Satanæ traditus eſt, hic autem pro ſolvendis peccatis.* Eadem ſentit Theophylactus, & Œcumenius.

XXI. Sexto. Innocentius IV. in Con. Lugdun. ut habetur in ſexto, De ſent. excommunic. *Cum medicinalis ſit*, (inquit) *excommunicatio, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat; caute prævideat judex Eccleſiaſticus, ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi quod corrigentis fuerit, & medentis.*

XXII. Tandem. Subſiſtet in Eccleſia excommunicandi poteſtas, ſi Prælati Eccleſiæ removeant inobedientes ab externa fidelium converſatione, & participatione ſacramentorum,

rum; etiamſi eos non privet communibus Eccleſiæ ſuffragiis, per quod ſpiritualiter multum eis nocetur.

XXXIII. Ut ad hæc reſpondeam, ſuppono: ſpiritualia bona eſſe in duplici differentia: quædam enim ſunt, in quibus ſubſtantia vitæ ſpiritualis conſiſtit, ut fides, ſpes, charitas, & reliquæ virtutes, earumque actus; motus etiam, & affectus voluntatis, qui præcedunt juſtificationem, & ad eam diſponunt. Alia vero accidentaria, quibus homo ad præfata bona adipiſcenda, vel conſervanda extrinſecus adjuvatur: & hæc ſunt aliena merita, orationes, ſuffragia, quibus etiam ſacramenta connumerantur. His notatis,

XXIV. Ad primam inſtantiam conceſſis præmiſſis, nego conſeq. Loquitur enim de bonis prioris generis. Hæc enim cum ſint homini interna, & ab ejus voluntate pendeant: non poſſunt per eccleſiaſticam poteſtatem ab eo invito auferri per excommunicationem. Poſterioris vero generis poſſunt, per hoc, quod a corpore, in quo talia bona communicantur, quis excluditur: quemadmodum qui excluditur ab aliqua communitate excidit a privilegiis, & commodis illius communitatis.

Propterea S. Thomas *in Suppl. 3. p. q. 1. art. 1. ad 2.* ait: *Quod ſuffragia alicujus valent alicui, ſecundum quod ei continuantur. Poteſt autem actus unius alteri continuari dupliciter. Uno modo, ex vi charitatis, qua omnes fideles connectit, ut ſint unum in Deo ... Et hanc continuationem excommunicatio non intercipit: quia juſte quis excommunicari non poteſt, niſi pro culpa mortali, per quam a charitate jam diviſus eſt, etiamſi non excommunicetur. Injuſta autem excommunicatio charitatem alicui auferre non poteſt: cum ſit de maximis bonis, qua non poſſunt alicui invito auferri. Alio modo per intentionem ſuffragia facientis, qua in aliquem feruntur, pro quo fiunt. Et hanc continuationem excommunicatio intercipit. Quia Eccleſia per excommunicationis ſententiam ſeparat excommunicatos ab univerſitate fidelium, pro quibus ſuffragia fiunt, unde ſuffragia Eccleſia eis non proſunt, qua pro tota Eccleſia fiunt, nec ex perſona Eccleſia oratio pro eis inter membra Eccleſia fieri poteſt; quamvis aliqua perſona privata poſſit ad eorum converſionem aliquod ſuffragium per intentionem dirigere.*

XXV. Ad ſecundam dico, Chriſtum ita veniſſe ad ſalvandas animas; ut tamen in Eccleſia ſua inſtituerit poteſtatem corrigendi delinquentes, & contumaces Eccleſiam audire nolentes ejiciendi: ut ſic toti corpori conſulatur. Hoc autem dum fit, non eſt judicare mundum, quod fiet in conſummatione mundi; cum ſeparabuntur mali de medio juſtorum finaliter, ac in damnationem æternam: non autem ut modo, dum ſeparantur aliqui contumaces a communione cum aliis, ut reſipiſcant, & corrigantur.

XXVI. Ad tertiam reſpondeo. Eccleſiam ſicut accepit a Deo excommunicandi poteſtatem in ædificationem, ſic eam exercere; nimirum ad conſervationem totius corporis, ne putridi membri contagione inficiatur; & quamvis aliquomodo cedet in damnum ejus, qui excommunicatur, ex intentione tamen Eccleſiæ non in ejus deſtructionem, ſed reparationem ordinatur. Non quia pœna illa ſubtractionis auxiliorum, ex natura ſua, id efficiat; cum potius ad oppoſitum diſponat: ſed quia homo temporali illa ſeparatione confuſus, & conſtitutus, incipit cogitare, & quid patiatur, & propter quid, nimirum, quantum ſibi a communione fidelium ſeparato, & Satanæ tradito timendum ſit, & hoc timore concuſſus ad ſe revertatur. Fit enim, ut quiſpiam perverſus magno ſuo malo commoveatur, qui minori malo non movebatur. Et ſi, ut vult Lutherus, ſeparatus a ſola externa, & civili communione fidelium moveri poteſt; quanto magis movebitur, dum advertit, ſe a communione etiam ſpirituali ſeparatum, & bonis etiam ſpiritualibus privatum eſſe conſideraverit?

XXVII. Ad quartam dico, inepte falli Lutherum ſic arguentem. Sicut enim inepte argueret qui diceret: S. Petrus ex negatione ſua humilior factus, conſtantior in fide permanſit; ergo optandum eſt negare Deum. Quia humilitas illa, & majus bonum non ex natura negationis ſecutum fuit, ſed per accidens: quia Chriſto ſua gratia reſpiciente Petrum, cognovit quantum malum admiſiſſet, & pœnitentia motus converſus eſt. Ita in caſu.

XXVIII. Ex his patet reſponſio ad quintam, ex Chryſoſtomo, & aliis. Nam ſicut pœnæ corporales medicinæ ſunt, non immediate, & directe, ſed occaſionaliter, & mediate: ſicut etiam abſciſſio manus bona eſt, & medicina, cum fit ne ſua contagione corpus inficiat, quamvis in ſe mala ſit; ita abſciſſio membri putridi a corpore Eccleſiæ, etſi quia pœna malum ſit, bona tamen eſt, tum corpori Eccleſiæ, cui principaliter conſulitur, dum membrum vitiatum ab eo reſecatur: tum etiam ipſi excommunicato, ad cujus emendationem, ſalutem ipſa ſeparatio ex intentione ſaltem ſecunda, ordinatur.

XXIX. Hinc ad ſextam dico, Innocentium in hoc ſenſu vocare excommunicationem medicinalem, non mortalem, diſciplinantem, non eradicantem, non quia bonis ſpiritualibus Eccleſiæ non privet; ſed quia ad hoc infligitur, ut qui eam patitur, humiliatus ad ſe revertatur, & ad Eccleſiam confugiat. Et ideo addit: *Dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat.*

XXX. Ad poſtremam nego aſſumptum. Cum enim communio fidelium non in externa tantum converſatione conſiſtat; ſed præcipue in ſpirituali participatione ſpiritus Chriſti, qui eſt tamquam anima corporis myſtici Eccleſiæ ſuæ: ideo ſicut membrum a corpore naturali ſeparatum non participat amplius de influxu quocumque illius corporis: ſic ſeparatus a corpore myſtico, omni influxu, ac ſpiritu illius corporis deſtituitur. Unde ait Cyprianus, Epiſt. 58. *Spirituali gladio ſuperbi, & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur: neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe niſi in Eccleſia poſſit.* Idem docet Auguſtin. *Epiſt. 75.* modo 250. ubi de pœna anathematis: *Neque enim* (inquit) *hæc corporalis eſt pœna, qua legimus, quoſdam contemptores Dei cum ſuis omnibus, qui ejuſdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Spiritualis autem pœna, qua fit quod ſcriptum eſt:* Quæ ligaveris in terra, erunt ligata & in Cælo, *animas obligat, de quibus dictum eſt:* Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.

XXXI. Ulterius objiciunt alii, qui ab oppoſito negant pro excommunicatis non eſſe orandum; primo ſic. Excommunicatus, ex dictis, communibus Eccleſiæ bonis eo ipſo privatus eſt, ac ſuffragiis; ergo fideles pro eo inutiliter orarent.

Secundo. Membri abſciſſi nulla amplius geritur cura; ergo pro abſciſſo ab Eccleſia orandum non eſt: ideoque recte dicitur *anathema, Maranatha*, ideſt execrabilis, donec Dominus veniat ad judicium.

XXXII. Reſpondeo ad primum quod excommunicatus non eſt quidem particeps orationum, quæ ab Eccleſia fiunt pro corpore totius Eccleſiæ, vel certis ejus membris: non vetat tamen, quin tum private, tum publice fiant tales orationes; quæ ſicut infideles, qui ſunt extra Eccleſiam, ita & excommunicatos comprehendant, ut illi ad fidem convertantur, & iſti reſipiſcant, & ad Eccleſiam reditum ſupplices petant. Ab his namque precibus ſoli damnati in æternum excluduntur, non vero excommunicati, quibus in hac vita adhuc eſt pœnitentiæ locus; ideoque excommunicatio eſt pœna medicinalis, & diſciplinans, non mortalis, & eradicans.

XXXIII. Ad ſecundum dico, ſimilitudinem inter corpus naturale, & myſticum non in omnibus conſiſtere. Nam nec membri emortui, dum corpori naturali conjunctum eſt, habetur cura, ut reviviſcat, quæ tamen habenda eſt in corpore myſtico. Plus enim poteſt ſpiritus Chriſti in corpore ſuo myſtico, quam anima in corpore naturali. Unde ſicut curatione manus aridæ, & reſuſcitatione puellæ in domo, ſignificata eſt reparatio eorum, qui intra Eccleſiam per peccatum moriuntur: ita reſtitutione auriculæ abſciſſæ, & reſuſcitatione adoleſcentis extra portam elati, ſignificata eſt reſtitutio eorum, qui ab Eccleſia ſeparati ſunt, ac ejecti. Hoc enim licet ſit rarum, adhuc tamen petendum eſt a Deo, cui omnia facilia ſunt. Anathema *Maranatha*, ſeu execrabilis dicitur, non quod pro eo ut deſperato orandum non ſit; ſed ſolum, ei futurum judicium aſſeritur, niſi reſipiſcat: quod de omnibus malis etiam intra Eccleſiam manentibus dici poteſt.

De fine, quem habet Eccleſia in excommnnicatione ferenda dixi, *Q. 1. Dub. 1. §. 1.* De cauſis eam ferendi aliqua obſervavi, ibid. *Dub. 2. §. 2.* De auctore etiam, miniſtro, ac ſubjecto egi, *Dub. 3. §. 1. 2. & 3* Unde ibi dicta de cenſuris in genere ad excommunicationem in ſpecie trahi poſſunt.

DUBIUM II.

De Excommunicatione Minori.

§. I.

Quando Incurratur.

I. EXcommunicationem aliam dici majorem, aliam minorem, *Dub. præcedenti* dictum eſt: & hanc eſſe cenſuram, qua quis excluditur a participatione ſacramentorum tantum, ibidem §. 2. oſtenſum eſt. Modo exponere intendimus, quomodo, & quando in eam quis incurrat.

In excommunicationem minorem quiſpiam incurrit, qui cum excommunicato excommunicatione majori communicat civiliter, ac politice, exceptis caſibus, de quibus ſupra, *n. 15.* Nam cum excommunicato excommunicatione minori communicare licet (quia non eſt excluſus a communione fidelium, ſed ſolum a participatione ſacramentorum) ſed non licet ei ſacramenta miniſtrare.

Adverte tamen cum S. Th. *quæſt. 23. Suppl. art. 2.* quod excommunicatio major poteſt in aliquem ferri dupliciter: *Aut ita quod ipſe ſit excommunicatus cum omnibus ei participantibus: & tunc non eſt dubium, quod quicumque participat ei, eſt excommunicatus majori excommunicatione. Aut eſt excommunicatus ſimpliciter: & tunc, aut participat aliquis ei in crimine, ei præbendo conſilium, auxilium, aut favorem: & ſic iterum eſt excommunicatus majori excommunicatione. Aut participat in aliis, ſicut in verbo, vel in oſculo, vel in menſa; & ſic eſt excommunicatus minori excommunicatione.*

II. Quod ſi dicas. Nonne plus ſeparatus eſt ab Eccleſia paganus, quam excommunicatus? Cur ergo qui participat pagano, aut judæo, non eſt excommunicatus, erit autem qui excommunicato participat?

Reſpondet S. Thom. mox citatus, ad 1. *Quod Eccleſia non intendit corrigere infideles, ſicut fideles, quorum curæ ſibi*

ſibi incumbit: & ideo non ita arcet a communione infidelium, ſicut a communione fidelium illos, quos excommunicat, ſuper quos habet aliquam poteſtatem.

III. Diſtinguit tamen Sylvius in hanc *quæſt. 23. Supplem.* inter jus antiquum, & jus novum. Nam jure antiquo, quod tempore S. Thomæ adhuc erat in uſu, ſimpliciter prohibitum erat conſervari cum excommunicatis, etiam in civilibus, & corporalibus. Idque ſecundum ſtatuta Apoſtolica, Cap. *Sicut Apoſtoli*. Et Can. *Excommunicatos*, 11. quæſt. 3. Jure autem novo, quod habetur in Conſtitutione Martini V. *Ad vitanda ſcandala*, quæ licet edita a multis dicatur in Concilio Conſtantienſi, in ejus tamen actis non legitur, ſed in Baſileenſi, *Seſſ.* 20. confirmata vero, & approbata fuit in Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. indulgetur, ut fideles non teneantur vitare excommunicatos, ſive in divinis, ſive extra, præterquam in duobus caſibus. Primo. Quando aliquis, vel aliqua ſunt ſpecialiter, & expreſſe, ac nominatim, publiceque excommunicati, & ut tales denuntiati. Secundo. Quando quis eſt Clerici percuſſor adeo notorius, ut non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec excuſari.

Quapropter etſi quis certo ſciat, aliquem eſſe excommunicatum; non tamen tenetur illum evitare, quantum attinet ad jus Eccleſiaſticum, ſi neque nominatim, & publice ſit denuntiatus, neque notorius percuſſor Clerici. Ac proinde poterit ab eo ſacramenta recipere, & Miſſam ejus audire; immo & ſacramenta ei publice petenti miniſtrare, ſi factum ſit occultum. Dixi, *Quantum ad jus Eccleſiaſticum*. Nam fieri poteſt, ut aliquis aliunde teneatur ejuſmodi excommunicatos vitare, puta, ratione periculi, corruptionis, vel ſcandali.

IV. Cæterum quia per dictam conſtitutionem non intendit Concilium, vel Papa excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, aut prohibitos in aliquo relevare, ideo non minus nunc, quam ante, excommunicatus, ſuſpenſus &c. nec poteſt ſacramenta recipere, nec miniſtrare, neque cum fidelibus quoquo modo communicare, niſi utilitas, aut neceſſitas id expoſcat.

§. II.

An Participans cum Excommunicatio Peccet?

V. DOcet S. Thom. *q. 23.* citata *Suppl. art. 3.* quod participans cum excommunicato vitando, ut ſupra in caſibus prohibitis, peccat, non tamen mortaliter, niſi in tribus caſibus. Primus eſt, quando participatur in crimine. Secundo, quando in divinis. Tertius, quando in contemptum Eccleſiæ. *Quia* (inquit) *videatur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet; & multis excommunicantes laqueum damnationis injicerent, quod in eos retorqueretur.*

VI. Nec obeſt, quod qui participat excommunicato in caſibus non conceſſis, faciat contra præceptum Eccleſiæ, & rurſus propter hoc ab ea arceatur a perceptione Euchariſtiæ, & ſacramentorum: facere autem contra præceptum Eccleſiæ eſt peccatum pluſquam veniale; neque ob peccatum ſolum veniale a perceptione Euchariſtiæ &c. arcere fideles Eccleſia conſuevit.

VII. Nam reſpondet S. Thom. *art. 3.* citato, *ad 2.* negando min. pro prima parte. Quia *Præceptum Eccleſiæ directe reſpicit ſpiritualia, & ex conſequenti legitimos actus. Et ideo qui communicat ei in divinis, facit contra præceptum, & peccat mortaliter; qui autem participat ei in aliis, facit præter præceptum, & peccat venialiter.* —— Ad ſecundam partem, negat S. Thom. ibidem *ad 3.* ſimiliter min. Nam *Aliquis etiam ſine aliqua culpa quandoque ab Euchariſtia arcetur: ſicut patet in ſuſpenſis, vel interdictis: quia tales pœnæ quandoque alicui pro culpa alterius, quæ in eis punitur, inferuntur.*

VIII. Ex dictis patet, quod participare excommunicato in divinis ideo eſt mortale; quia præceptum Eccleſiæ de vitandis excommunicatis directe reſpicit ſpiritualia, & legitimos eorum actus: atque adeo qui excommunicatum admittit ad divina, vel cum eo in divinis communicat, facit directe, & contra potiſſimam rationem præcepti. Divina vero, in quibus communicare eſt mortale, videntur eſſe ea, quæ ſunt excommunicato ſpecialiter interdicta, ut ſacramenta, ſepultura ſacra, & officia, quæ publico nomine, & miniſterio in Eccleſiis celebrantur. Unde communicare in horis canonicis privatim recitandis, & in ingreſſu Eccleſiæ eo tempore, quo officia non celebrantur, illicitum quidem eſt, at non mortale, ut ſentit Covarruvias ad Cap. *Alma mater*, p. 1. §. 3. n. 9. & 10.

IX. Sed ſi notorius, aut nominatim denuntiatus ingrediatur Eccleſiam ad orandum, quid facere debent præſentes? Reſpondetur, quod exire debent, niſi perſuaſionibus, minis, aut vi cogatur ipſe egredi. Ceſſandum etiam eſt a divinis officiis, & Miſſa incepta abrumpenda, ſi eſt ante Canonem: Si autem Canon ſit inceptus, ea cum uno tantum Miniſtro perficienda eſt. Recte tamen monet Navarrus, *cap. 27. num. 33.* nec Officium, aut Miſſam eſſe abrumpendam, nec præſentes debere exire; ſi excommunicatus per Eccleſiam tranſeat, & brevem aliquam orationem in ea privatim dicat. Qui vero excommunicatus, vel interdictus, admonitus pertinaciter in Eccleſia remanſerit, ejuſque in hac pertinacia fautores, novo excommunicationis vinculo ſummo Pontifici reſervato, noverint, ſe ipſo facto eſſe innodatos, ex Clementina *Gravis*, Tit. *de Sent. excommunicationis*.

X. Communicantes in crimine peccant mortaliter, & inſuper in majorem excommunicationem incurrunt. Conſtat ex Cap. *Nuper*, *Extra*, *de Sent. Excommunicationis*. Quod intelligitur de eis, qui ſcienter communicant in crimine criminoſo, ei auxilium impendentes, conſilium, vel favorem: quia *facientem, & conſentientem par pœna conſtringit*. Idem colligitur ex Cap. *Si concubina*, ibidem, & S. Th. *q. 23. Suppl. a. 2.* Quod intelligitur de communicante in crimine, propter quod ille, cui communicat, eſt excommunicatus. Quod ſi participet cum eo, non in crimine illo, ſe in rebus ad convictum pertinentibus, minorem excommunicationem incurrit; niſi quod Clericus, qui excommunicatum a Pontifice admittit ad divina Officia, incurrit majorem. Cap. *Significavit*, eodem titulo.

XI. Dixi peccare mortaliter eum, qui in contemptum Eccleſiæ communicat cum excommunicato: quod intelligitur etiam de eo, qui monitus, vel contra præceptum Judicis, vult cum eo communicare; vel ita frequenter, ut merito præſumatur facere in contemptum Eccleſiaſticæ poteſtatis, aut animo fovendi excommunicatum in ſua contumacia.

XII. Pro complemento ſciendum eſt, minorem excommunicationem unius ſpeciei eſſe, & unicum effectum adæquatum habere, nempe, privationem perceptionis ſacramentorum. Quare excommunicato minori excommunicatione licet communicare in omnibus aliis actibus. Poteſt & ipſe ſacramenta miniſtrare, ſi miniſtrando non recipiat: & ideo, Cap. *Si celebret*, tit. *de Clerico excommunicato*, prohibetur ſic excommunicatus celebrare, quia celebratio includit ſacramenti ſuſceptionem. Unde celebrando graviter peccat, irregularitatem tamen non incurrit. Et eadem ratione ſi fuerit electus ad aliquod beneficium, talis electio, etſi valida, dicitur *irritanda*; quia beneficia ad hoc conferuntur, ut Clericis in ſacris ordinibus miniſtrent.

A minori excommunicatione abſolvere poteſt, vel judex, ſi ab eo lata fuit; vel Confeſſarius, ſi a jure lata erat, non autem quilibet ſimplex Sacerdos. Eo vel maxime, quia opinio, quod ſimplex Sacerdos poſſit abſolvere a veniali, improbata eſt.

DUBIUM III.

De Suſpenſione, & Depoſitione.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Suſpenſio.

I. ALtera cenſuræ ſpecies eſt ſuſpenſio, quæ definitur: *Cenſura Eccleſiaſtica, qua Clericus, aut ordinis, aut officii clericalis, aut beneficii uſu prohibetur.* Explicatur. Eſt cenſura Eccleſiaſtica, quæ infligitur *Clerico:* quo differt ab excommunicatione, & interdicto, quibus quilibet fidelis etiam laicus mulctari poteſt. Inſuper Clericum non dejicit a ſuo beneficio, aut ab ordine; & in hoc a depoſitione, & degradatione diſcrepat. Sed interdicit *Uſu*, hoc eſt, exercitio ordinis, aut muneris; ut eſt officialatus; vel privat fructibus, quos Clericus alioquin a beneficio perciperet.

II. Suſpenſio dividitur primo in totalem, & partialem. Priore Clericus prohibetur ſimul tum ordinis, tum officii Eccleſiaſtici uſu, tum fructibus beneficii. Poſteriore vero privatur uſu, vel ordinis tantum, vel officii, vel beneficii. Dividitur ſecundo in perpetuam, & eam, quæ eſt ad tempus. Illa non eſt medicinalis, ſed pura pœna in criminis vindictam inflicta. Iſta certo tempore determinatur, ut Clericus reſipiſcat, & contumaciam frangat. Dividitur tertio in eam, quæ eſt *A jure*, & eam, quæ eſt *Ab homine*. A jure, cum quis ob ſimoniam, vel ob aliud delictum, ipſo jure ab executione ſui ordinis, vel officii prohibentur. Ab homine, cum quis judicis ſententia ab eadem executione ex cauſa removetur.

III. Suſpenſus ab ordine ſuperiore, non intelligitur ab inferiore ſuſpenſus; quia ordo ſuperior non fundatur in inferiore. E contra vero ſuſpenſus ab inferiore ſuſpenditur quoque ab exercitio ſuperioris. Suſpenſus a divinis, ab omni actione ſolemni ſuſpenſus habetur. Cum vero quis abſolute, & ſine addito, aut determinatione declaratur ſuſpenſus, de ſuſpenſione totali intelligitur. Unde S. Thom. in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. *Qui enim ſuſpenſus eſt ab ordine tantum, non poteſt ea, quæ ſunt ordinis, ſed poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis: & e converſo, ſi ſit ſuſpenſus a juriſdictione, & non ab ordine. Si autem ab utroque, tunc neutrum poteſt.* Nota tamen, quod cum uſus juriſdictionis eſt connexus cum functione ordinis, qui eſt ſuſpenſus ab ordine, ſuſpenſus eſt ab uſu juriſdictionis; ideoque ſuſpenſus ab ordine, nec confeſſiones audire, nec ſacramentaliter poteſt abſolvere.

IV. Hinc qui ſuſpenſus ab ordinis exercitio, manente ſuſpenſione, aliquem actum ordinis exerceret, fieret irregularis; nec ab alio, quam a ſummo Pontifice diſpenſari poteſt, ut ſtatuit Innocentius IV. Cap. *Cum medicinalis*, tit. *de Sent. excomm.* Qui vero ſuſpenſus a juriſdictionis uſu

actum

actum aliquem juriſdictionis exerceret, non fieret irregularis; quia irregularitas non imponitur, niſi ob violationem ſuſpenſionis ab ordine.

§. II.

De Depoſitione.

V. QUamvis, ut ſuperius, *q. 1. Dub. 2. §. 1.* indicavimus, depoſitio cenſura non ſit, aliquid tamen de ea dicere placet. Depoſitio igitur ſecundum hodiernam Eccleſiæ praxim (quidquid ſit de antiqua) eſt *Sententia Eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum privatur, tum officio, tum beneficio, non amiſſo tamen Clericali privilegio.* Explicatur. Dicitur *Sententia* potius, quam *Cenſura*: quia depoſitio inter cenſuras non nominatur, ratione loco citato adducta. Dicitur qua Clericus *in perpetuum*, quo depoſitio differt ab excommunicatione, & ſuſpenſione quod abſque nova rehabilitatione, poſita illius, qui reus eſt, reſipiſcentia, poſſit auferri: non ſic autem depoſitio. Dicitur tandem, quod non privet Clericali privilegio. Et in hoc differt a degradatione, quæ ita Clericum dejicit, ut eum etiam Clericali privilegio ſpoliet: ita ut qui degradatum percuſſerit, non alias pœnas incurrat, quam ſi laicum percuſſiſſet. Depoſitio autem, ſicut ſuſpenſio poteſt eſſe ab officio, beneficio, & etiam ordine. Et hæc eſt depoſitio totalis, ac ſimpliciter. Poteſt quoque tantum ab alterutro: & hæc eſt depoſitio partialis, & ſecundum quid.

VI. Depoſitionis, ac degradationis ritus in multis differt. Nam primo depoſitio verbis fit, non factis; & depoſitionis ſententia non alio ritu profertur, quam aliæ ſententiæ. At degradatio fit etiam factis, & quadam ſolemnitate, ut in Pontificali Romano. Qui enim degradatur, ſpoliatur inſignibus ſui ordinis, vel gradus &c. Hinc ſententia depoſitionis ferri poteſt in abſentem; degradatio vero requirit degradandi præſentiam. Valide & juſte depoſitum poteſt Epiſcopus reſtituere, ubi emendatus reſipuerit; dummodo ex gratia, non ex jure petatur reſtitutio. Degradatum vero, utpote a Clero omnino dejectum, ſolus Romanus Pontifex reſtituere poteſt. Porro reſtitutio ſive depoſiti, ſive degradati, juſte debet fieri abſque eorum damno, qui juſte depoſiti, aut degradati beneficiis donati fuerint.

VII. A quibus autem tum depoſitionis, tum degradationis ſententia ferri debeat, declarat Tridentinum, *Seſſ. 13. cap. 4. de Reform.* Ubi licet ſupponat, jus antiquum præter proprium Epiſcopum ſex alios requiſiviſſe Epiſcopos ad condemnationem Sacerdotis, & tres ad condemnationem Diaconi, Cap. *Felix*, & Cap. *Si autem*, cauſa 15. quæſt. 7. juſtis tamen de cauſis, *Statuit, & decrevit, Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicario in ſpiritualibus generali contra Clericum in ſacris etiam Presbyteratus ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem, & per ſe ipſum, etiam ad actualem, atque ſolemnem degradationem ab ipſis ordinibus, & gradibus eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia in numero a Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat: adhibitis tamen, & in hoc ſibi adſiſtentibus totidem Abbatibus uſum mitræ, & baculi ex privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in Civitate, aut Diœceſi reperiri, & commode intereſſe poſſint; alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, qua ætate gravet, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant.*

DUBIUM IV.

De Interdicto.

§. I.

Quid, & Quotuplex ſit.

I. INterdictum eſt *Cenſura Eccleſiaſtica, qua certis perſonis, locisque interdicitur, & prohibetur divinorum officiorum celebratio publica, & ſacramentorum adminiſtratio, quæ ad naſcentium, vel morientium ſalutem neceſſaria non ſunt, & eccleſiaſtica ſepultura.* Ad hanc cenſuram ſpectare videtur exemplum a S. Gregorio Turonenſi relatum, *lib. 8. hiſt. Francorum, cap. 31.* ſcilicet: cum Pretextatus Rotomagenſis Epiſcopus in Eccleſia ſua die Paſchatis, ſacris operans ab impiis trucidatus fuiſſet; Ludovaldus Epiſcopus epiſtolas ad omnes Sacerdotes direxit, & accepto conſilio *Eccleſias Rotomagenſes clauſit, ut in his populus ſolemnia divina non ſpectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus Auctor ſceleris.* Eſto autem interdicti cenſuram indicent veteres; illius tamen ſub hoc nomine ſæpe meminit Gregorius VII. *lib. 1. Epiſt. 81. leg. 2. Epiſt. 5. & 23. lib. 7. Epiſt. 16. & 18.* Unde perperam nonnulli ſcripſerunt, ante Alexandrum III. interdicti memoriam nullam extare, eo quod apud Gratianum nulla ejus mentio fiat.

II. Interdictum ergo dicitur *Cenſura*, qua voce excluditur mera ceſſatio a divinis, quam pro gravioribus laicorum in Clerico injuriis Eccleſia introduxit. Hæc enim reſpectu innocentium, etiam tempore interdicti, cenſura non eſt: quia non eſt pœna, ſed mera divinorum ſubtractio. Per interdictum prohibetur uſus ſacramentorum, non omnium, ſed Ordinis, Extremæ Unctionis, Euchariſtiæ, non tamen reſpectu morientium, & matrimonii ſolemnis, quod ſolemni benedictione conſecretur: vetatur etiam divinorum officiorum uſus, non quidem privatus, ſaltem in Eccleſiis non ſpecialiter interdictis. Ut Cap. *Alma mater* Bonifacii VIII. *De ſent. excomm.* in 6. In feſtis tamen Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Mariæ (quibus addidit Martinus V. ſolemnitatem corporis Chriſti) Campanæ pulſantur, Eccleſiæ fores reſerantur, officia ſolemni ritu celebrari poſſunt, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis. Indulget etiam Bonifacius, eodem Cap. ut ſingulis diebus in Eccleſiis, & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia divina officia, ſicut prius; ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, & campanis non pulſatis. Per interdictum prohibetur etiam Eccleſiaſtica ſepultura, aut quæ fiat in loco ſacro, aut Eccleſiaſticis cæremoniis, Excipiuntur tamen Clerici, qui interdictum ſervarunt; modo illi illam omnino dederint cauſam. Hi enim in Eccleſiæ cæmeterio, quod ſpecialiter interdictum non ſit, ſepeliri poſſunt, ea tamen lege, ut campanæ non pulſentur.

III. Interdictum, aliud eſt locale, aliud perſonale. Locale directe fertur in loca, in quibus divinorum celebratio, ſacramentorum confectio, & adminiſtratio, & Eccleſiaſtica ſepultura prohibetur. Perſonale immediate dirigitur ad perſonas, eiſque interdicit certum quemdam uſum divinarum rerum ubicumque ſint. In quo perſonale a locali differt, quod illud certo cuidam loco definitur; iſtud autem cuique loco perſonam affigit.

Utrumque dividitur in generale, & ſpeciale. Interdictum generale locorum plura loca celebrandi officiis deſtinata complectitur, ut ſunt Oppidum, Dioeceſis, Provincia, Regnum. Generale autem perſonarum reſpicit collegium aliquod plures perſonas continens, & ſingulas partes illius. Speciale locorum eſt, cum inter plures Eccleſias paucas, vel una interdicitur. Speciale vero perſonæ, cum in unam vel aliquas perſonas nominatim fertur. Inſuper interdictum aliud eſt a jure, aliud ab homine, ut de excommunicatione, & ſuſpenſione ſupradictum eſt.

§. II.

Aliqua de Interdicto exponuntur.

IV. PRimo. Si ſententia interdicti lata ſit in populum, Clerici non cenſentur interdicti; nec populus, interdicto Clero. *Unde uno interdicto ipſorum alius admittitur ad divina.* Ut habetur. Cap. *Si ſententia*, tit. *de Sent. excomm.* in Sexto. Et ſi templum aliquod interdictum eſt, populus non cenſetur interdictus: debetque ad aliud templum confluere, ut divinis interſit.

V. Secundo. Totius alicujus civitatis interdictum eos omnes afficit, qui ad eamdem pertinent. Item cum interdicitur civitas, eo interdicto comprehenduntur ſuburbia, & ædificia, quæ civitati adjacent; quia interdicto loco principali cenſetur interdictus locus acceſſorius vicinus, & contiguus. Similiter cum interdicitur templum, interdicuntur quoque cæmeteria, & cappellæ, ſi ei contiguæ ſint; at non e contra. Ita Bonifacius VIII. Cap. *Si civitas*, tit. *de Sent. excomm.* in ſexto. Cæterum cum propter delictum domini, rectoris, vel prælati civitas interdicitur, cives ejuſdem, qui culpabiles non ſunt (dummodo & ipſi propter dominum, vel rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) poſſunt extra ipſam divinis intereſſe. Ut cap. *Si ſententia*, tit. *de Sent. excomm.* in Sexto.

VI. Hinc infertur, quod etſi interdictum perſonale ſpeciale, nonniſi propter gravem culpam ejus, qui divinis interdicitur, ferri poſſit; generale tamen, & locale infligi poteſt propter gravius, & commune delictum: commune autem cenſetur, cum Princeps, vel rector populi cauſam dedit interdicto; culpa namque capitis quodammodo redundat in corpus, & per conſequens etiam pœna. Vel cum delictum ipſum a communitate, vel ab iis, qui eam, aut Rempublicam repræſentant, committitur.

Gravia vero delicta, ob quæ locale interdictum ferri poteſt, ſunt corporalis injuria Cardinali, vel Epiſcopo illata, ut Cap. *Felicis*, tit. *de Pœnis*, in Sexto. Et Clementina I. *de Pœnis*. Vel alienigenarum uſurariorum ad fœnus exercendum in civitate, vel locorum receptio, ut Cap. *Uſurarum*, tit. *de Uſuris*, in Sexto.

VII. Interdicti ſententiam ferre poſſunt Epiſcopi, eiſque ſuperiores, & quicumque Prælati in aliquo territorio juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & contentioſum forum habentes: Prælati vero regulares, ſubditos quidem ſuos interdicto perſonali ob grave delictum, vel contumaciam plectere poſſunt; non tamen interdictum locale ponere: quia jus, & conſuetudo id ſolis Epiſcopis vindicant. Qui autem interdicti ſententiam ferre poſſunt, iidem poſſunt ab eo abſolvere.

VIII. Interdicti ſententia omnino ſervanda eſt. Quare ſi Clerici celebrent officia divina, ſuaque exerceant miniſteria perſonali interdicto ligati, irregularitatem incurrunt, etiamſi ab interdicti ſententia appellaverint. Nititur hoc, Cap. *Is cui*, tit. *de ſent. excommunic.* in Sexto.

Item. Si nominatim, aut generaliter interdictos ad aliqua divina admittant, incidunt in interdictionem latæ ſententiæ ab ingreſſu Eccleſiæ; a qua abſolvi non poſſunt, niſi

niſi ſatisfactione peracta ad arbitrium Judicis Eccleſiaſtici, a quo latum fuit interdictum. Quod ſi poſtquam interdictionem illam incurrerint, ipſi celebrent, incidunt in irregularitatem, privanturque ſepultura Eccleſiaſtica.

In excommunicationem quoque latæ ſententiæ incidunt, ſi perſonas nominatim interdictas in cæmeterio, vel Eccleſia ſepeliant. Quæ pœna locum habet, ſive qui ſepeliunt ſint laici, ſive Clerici, ſive exempti, ſive non exempti, ab eaque abſolvi nequeunt, niſi peracta ſatisfactione ad arbitrium Judicis, qui interdictum tulit.

In eamdem excommunicationem, & quidem ſummo Pontifici reſervatam, incidunt ipſo facto, qui interdictum ſervari prohibent; aut moniti ſervare, pertinaciter renuunt. Ita Clemens V. in Concilio Viennenſi, Clementina *Gravis de Sent. excomm.*

IV. Tandem interdictum a Religioſis quibuſcumque, etiam exemptis ſervandum eſt ſub pœna excommunicationis ipſo facto. Ita idem Clemens V. Clementina, *Ex frequentibus*, tit. *de Sent. excomm.* Quare & ipſi ceſſare debent a divinis tempore interdicti, nullis ſuffragantibus privilegiis, conventionibus, conſuetudinibus, nec obſtante appellatione.

DUBIUM V.

De Irregularitate.

§. I.

Irregularitas ex Defectu.

I. IRregularitas quamvis pœna canonica non ſit, ac proinde nec cenſura; quia tamen canonicum impedimentum eſt, ideo Tractatui de Cenſuris ſubjici ſolet.

Eſt ergo irregularitas *Impedimentum canonicum ordine ſuſcipiendi, aut ſuſceptos exercendi*. Dicitur *Canonicum*, quia per Canones ſtatutum fuit. Dicitur *impedimentum*; quia impedit ſuſceptionem licitam, non vero validam, *Ordinum*, non ſolum eorum, qui ſtricte ordines ſunt; ſed etiam primæ Tonſuræ, quæ ſolum ad ordines eſt diſpoſitio. Si ergo irregularitas præcedat ſuſceptionem ordinum, impedit, ne licite ſumi poſſint; ſi ſubſequatur, ne licite ſuſceptorum ordinum actus exerceantur.

II. Duæ ſunt irregularitatis ſpecies: *Ex defectu* nimirum, & *Ex delicto*. De priore hic agemus. Octo ergo numerantur defectus, ex quibus oritur irregularitas. Quinque priores mere ſpirituales ſunt, cæteri corporales. Priores ſunt, *Defectus rationis*, *Famæ*, *Lenitatis*, *Libertatis*, *Significationis*. Poſteriores vero ſunt: *Defectus Natalium*, *Ætatis*, & *Membrorum*. Defectus rationis irregulares dici poſſunt Energumeni, Amentes, Epileptici, ſeu morbo caduco laborantes. Ad quos reducuntur illiterati, & Neophiti.

III. Energumeni ſecundum veterem diſciplinam fuerunt perpetuo irregulares. Colligitur ex Concilio Aurelianenſi III. *Can. 6.* & Concilio Toletano XI. *Can. 13.* & ex Gregorio Magno in Dialogo. Et Cap. *Maritum*. Si tamen plene eos a Dæmone purgatos, & liberos eſſe conſtiterit, poſſe ad ordinem, vel ad miniſterium admitti, cenſet Balſamon.

IV. Amentes item inhabiles eſſe ſacro miniſterio conſtat; & quidem perpetuo, ſi amentia perpetua ſit, utpote rationis uſu carentes.

V. Epilepticos ſemper fuiſſe irregulares teſtatur *Can. 13.* Conc. Toletani XI. ubi epileptici cum arreptitiis confunduntur: ideo quia illa infirmitas non raro ex contagio Dæmonis oriatur, ut indicatur, *Matt. 9. & 17.* Diſtinguunt tamen Canoniſtæ. Aut enim epilepſiæ morbus contingit poſt decimum quartum ætatis annum; & ſic conveniunt omnes parere irregularitatem, quæ in perpetuum duret. Aut contingit ante decimum quartum annum; & ſic cenſent aliqui eſſe ſanabilem, nec parere irregularitatem ſaltem perpetuam. Quod ſi epilepſia acciderit iis, qui ſunt jam Ordinibus initiati; dicunt Canoniſtæ, non impediri Ordinis exercitium, adhibitis tamen quibuſdam cautionibus. Prima eſt, ut intra annum integrum, epilepticum ſymptoma paſſus non fuerit, ut ex præfato Toletano XI. Secunda, ut epileptico per annum probato, adſit celebranti alius Sacerdos jejunus, qui Sacrum poſſit perficere, ſi Sacerdos poſt inchoatum Canonem morbo epileptico corripiatur. Ita præfatum Concilium, *Can. 14.*

VI. Illiterati, utpote ſcientia ſacro miniſterio neceſſaria deſtituti a ſacris Ordinibus fuere ſemper rejecti. *Nemo* (inquit Gelaſius Papa apud Gratianum, diſt. *36.* c. 1.) *illiteratos ad Clericatus ordinem promovere præſumat; quia litteris carens, ſacris non poteſt aptus eſſe officiis*. Quod etiam in Eccleſiarum neceſſitate ſervandum eſt. Nam, ut ait Innocentius III. *Satius eſt, maxime in ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros, quia ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam dilabuntur*. Et hoc ſervandum eſt etiam in ordinatione eorum, qui regimini animarum præficiendi non ſunt. Quia hi adhuc offerre debent ſacrificium, mores ad Scripturæ, & Canonum regulas componere, fidem, ſi oppugnetur, tueri, Pœnitentiam in caſu neceſſitatis miniſtrare. Vide Trident. *Seſſ. 23. de Ref. c. 14.*

VII. Neophyti alii ſunt recens ad fidem converſi. Hos ab Epiſcopatu rejicit Paulus, 1. ad Timoth. 3. dicens: v. 6. *Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli*. Et ab ordine Sacerdotali arcet Laodicena Synodus, *Can. 3.* dicens: *De his, qui nuper ſunt illuminati Baptiſmate, quod eos non conveniat promoveri in ordine Sacerdotali*. Alii erant, qui Baptiſma ad ultimam vitæ periodum diſtuliſſent; & hi tamquam irregulares reputabantur. Unde Euſebius, *l. 6. Hiſt. c. 43.* deſcribit Epiſtolam Cornelii Papæ, qua Novatianus dicitur irregularis, quod in mortis lectulo baptizatus fuiſſet: *In lectulo perfuſus Baptiſmum ſuſcepit*. Alii erant, qui ſani in adulta ætate Baptiſmum ſuſceperant; & his Canones præcipiebant, ne ſtatim ordinentur. Ita Innocentius I. *Epiſt. 4.* Niſi tamen talibus recens baptizati emineret dotibus, ut temporis intercapedinem abunde compenſarent; ut contigit in ordinationibus Ambroſii, & Auguſtini.

VIII. Defectu famæ irregulares ſunt, primo: Comædi, qui in ſcæna publice luſerunt, vulgo Hiſtriones dicti. Ita Cap. *Maritum*, diſt. 33. Hos enim, tum leges civiles, tum Eccleſia ut infames ſemper habuerunt. Secundo: qui publicæ pœnitentiæ addicti fuiſſent; hi enim tum ab Ordinum ſuſceptione, tum ab ordinum ſuſceptorum exercitio, ſi poſt ordinationem, publicam pœnitentiam egiſſent, in perpetuum regulariter prohibebantur. Tertio: publici uſurarii in judicio convicti, vel aliis ſceleribus, qui infamiam relinquant, inquinati. In certis tamen caſibus cum Clericis concubinariis, qui debita pœnitentia perfuncti fuerant, diſpenſandi Epiſcopis facultatem fecit Concilium Tridentinum, *Seſſ. 13. de Reform. cap. 4.*

IX. Defectus lenitatis in illis reperitur, qui directe, vel indirecte ad alicujus mortem cooperati ſunt. Hunc defectum Eccleſia recenſeri voluit inter irregularitates, eo quod Clerici ſint miniſtri incruentæ, ac cæleſtis victimæ, quæ tantum abeſt, ut illatas ſibi injurias ulta ſit, quin etiam pro ſuis interfectoribus vitam profuderit ſuam. Hinc factum eſt, ut Clericatus aditum variis in caſibus præcluſerit. Primo quidem: militibus etiam in bello juſto decertantibus. Secundo: Cauſidicis, qui cauſas criminales egerint; Judicibus, qui reos damnarint aut capitis, aut mutilationis pœna; teſtibus, qui iiſdem in cauſis accuſaverint, aut damnatione conſiliis ſuis ſuaſerint, & ad eam impulſum dederint. Ita colligitur ex Can. *Si quis Viduam*, diſt. 50. ex Cap. *Ad Audientiam*, Extra *de Homicidio*: & ex Cap. *Clericis*, quod eſt Alexandri III. eodem Titulo.

X. Hæc omnia confirmat S. Th. *in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. q. 23.* dicens. *Omnes Ordines referuntur ad ſacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſacramentum pacis, nobis per ſanguinem Chriſti effuſum factæ. Et quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Chriſtum, quam ipſi Chriſto occiſo, cui omnes miniſtri prædicti ſacramenti debent conformari: ideo de neceſſitate præcepti eſt, quod non ſit homicida, qui ad ordines promovetur, quamvis non ſit de neceſſitate ſacramenti*. Et ibidem ad 2. *Irregularitas*, (inquit) *non incurritur propter peccatum tantum, ſed principaliter propter ineptitudinem perſonæ ad ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum: & ideo Judex, & omnes, qui in cauſa ſanguinis ei participant, ſunt irregulares propter hoc, quod effuſio ſanguinis non decet miniſtro dicti ſacramenti*.

XI. Irregularis tamen non fit, primo: Epiſcopus, vel alius Prælatus jurisdictionem obtinens temporalem, qui injungit Bailivo ſuo, ut ſuper homicidio, vel alio crimine in jurisdictione ſua patrato juſtitiæ partes exequatur; quamvis Bailivus ad pœnam ſanguinis pro juſtitia proceſſerit. Ita Bonifacius VIII. Cap. *Epiſcopus*, tit. *Ne clerici* &c. in Sexto. Similiter nec irregularis eſt Clericus, qui querelam contra injuriam defert ad Judicem, ſi Judex ex juſtitia mortem inferat injuriatori; modo tamen delator proteſtetur expreſſe, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendit, ſed ad emendam. Ita idem Bonifacius VIII. Cap. *Prælatis*, tit. *De Homicidio*, in Sexto.

Secundo. Irregularis non eſt Princeps legem condens, cujus auctoritate rei damnandi ſunt: nec etiam eſt irregularis, qui conſilio auctor eſt Principi, ut talem legem ferat. Quia lex non fertur ad mortem inferendam, ſed ad coercendam criminum licentiam metu mortis, Ita S. Antoninus, *3. p. tit. 28. cap. 2.* Similiter nec irregularis eſt, qui ſuadet, ut capiatur maleficus, etiam ſi ex captura ſequatur occiſio malefici; quia de licito opere conſilium dedit, nec occaſionem ſuaſit, ut Innocentius IV. Cap. *Ad Audientiam*. Extra de Homicidio.

Tertio. Secundum modernam diſciplinam irregularis non eſt, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum invaſorem occidit. Ita Clemens V. Cap. *Interfeciſti*, tit. *De Homicidio*. In hoc tamen caſu præſcribit Trident. *Seſſ. 14. c. 7.* ne admittatur ad Ordines, niſi prius de ipſa re Ordinarius judicaverit.

XII. Licet Clericis, ac Monachis vetitum ſit chirurgiam; ac medicinam exercere, maxime cum mutilatione alicujus membri, ut ex Conc. Lateran. IX. *Can. 18.* ſi tamen charitatis, & non cupiditatis cauſa id tentaret Clericus, alioquin artis chirurgicæ peritus, nullam incurrere irregularitatem, etſi ſequatur mors, cenſent plures, ex Innocentio III. Cap. *Tua nos*, tit. *De Homicidio*. Et multo minus eam incurrere Clericos, qui juxta artis regulas medentur abſque mutilatione, inciſione, vel aduſtione. Nulli enim ſunt Canones, qui eam præſcribant: cum qui medetur, intendat vitam præſervare, non mortem inferre.

XIII. Defectu libertatis irregulares ſunt ſervi niſi ante libertate donentur; ſicut & milites, niſi prius diſceſſionem a militia

militia obtinuerint. Cum enim qui ſacro miniſterio adſcribitur, debeat ei ſecundum totum hominem vacare; debet eſſe ſui juris, quales non ſunt ſervi, & milites, teſte S. Leone Magno, *Epiſt. 1. c. 1.* Eadem ratione a Clericatu arcebantur, qui publicis ratiociniis tenebantur, donec iis ſe liberaſſent; teſte Sancto Gregorio, *lib. 2. Epiſt. 62. ad Mauritium Imperatorem*: qui tamen eos admittere viſus eſt ad profeſſionem monaſticam, quia eorum debita monaſterium in ſe ſuſciperet. Sixtus tamen V. ſub pœna nullitatis vetuit, ne tales ad profeſſionem admitterentur monaſticam. Quam nullitatis pœnam Clemens VIII. poſtea reſciderit.

XIV. Defectus ſignificationis ex bigamia contrahitur. Cum enim Clericorum ordinatio ſit matrimonium ſpirituale, ad inſtar illius, quo Chriſtus conjungitur cum Eccleſia, & Verbum cum humanitate; & hoc ſit unius cum una tantum: hæc ſignificatio deficit in bigamo. Bigamia ergo in eo contingit, qui eum pluribus carnali conjugio commiſcetur. Hæc autem triplex eſt. Vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. *Vera* eſt matrimonium cum duabus uxoribus ſucceſſive contractum, & conſummatum, ſive ante, ſive poſt Baptiſmum. Hanc eſſe impedimentum arcens ab ordinum ſuſceptione docuit Paulus, 1. *ad Tim.* 3. & *ad Titum* 1. & Innocentius I. *Epiſt. 2. cap. 6.* & Canones omnes teſtantur: Interpretativa eſt in eo, qui unicam quidem duxit uxorem, ſed viduam. Ita idem Innocentius: quia ex juris interpretatione habetur ut bigamus, etſi vere bigamus non ſit. Eſt etiam in eo, qui putans ſe ducere virginem, invenit eam eſſe corruptam, quocumque modo ſit, ut docet S. Thom. *in 4. diſt. 27. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 3. ad 3.* quia carnem ſuam diviſit in plures. Si tamen duxerit prius a ſe defloratam, non fit irregularis, ut docet idem S. Thom. ibi *ad 2.* —— Bigamus *interpretative* eſt etiam ille, qui multas uxores habuit, ſed non veras; puta, quia duo matrimonia contraxit cum impedimento dirimente, vel ſaltem alterum, ut Cap. *Nuper a nobis*, quod eſt Innocentii III. Extra *De Bigamis*. Ille tandem interpretative Bigamus eſt, qui uxorem adulterio pollutam cognoſcit, etiamſi Judicis ſententia debitum ei reddere compellatur, aut officio conſcientiæ, ne adulterii damnetur, ut docet S. Thom. citato loco, *ad 4.* & ſtatuitur Can. *Si cujus*, qui eſt octavus Concilii Neocæſarienſis; & Can. *Si Laici*, diſt. 34. —— Bigamus vero *Similitudinarie* eſt ille, qui voto ſolemni caſtitatis, ſive profeſſione religioſa, ſive ſacris Ordinibus adſtrictus, attentat, & conſummat matrimonium, etiam cum Virgine: quia per hujuſmodi matrimonium carnale, quod contrahit, violat ſpirituale, quod contraxerat. Ita ex Can. *Quotquot*, cauſa 27. q. 1. Cap. *Nuper*, Extra *De Bigamis non ordinandis*; & Cap. *A nobis*, ibidem, quod eſt Innocentii III.

XV. Hæc autem Bigamiæ triplex irregularitas poteſt per ſummum Pontificem diſpenſari. Eſt enim de jure tantum Eccleſiaſtico, quamvis a Paulo ſit præſcripta: non tamen præſcribitur ab eo, ut Apoſtolo jus divinum promulgante, ſed ut Eccleſiæ Paſtore jus Eccleſiaſticum ſtatuente. Sed de hoc ſatis.

XVI. Defectus natalium facit irregulares ſpurios, & quicumque ex legitimis nuptiis non ſunt procreati. Conſtat ex variis Canonibus, diſt. 56. relatis, & Cap. *Per venerabilem*. Extra, *Qui filii ſint legitimi* . . . . Rationem dat S. Th. *in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. q. 3.* Quia enim *Ordinati in quadam dignitate præ aliis conſtituuntur: ideo ex quadam honeſtate requiritur in eis claritas quædam, non de neceſſitate ſacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, ut ſcilicet ſint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice pœnitentes. Et quia obſcuratur hominis claritas ex vitioſa origine; ideo etiam de illegitimo thoro nati a ſuſceptione ordinum repelluntur, niſi cum eis diſpenſetur, & tanto eſt difficilior diſpenſatio, quanto eorum origo eſt turpior*. Puta, ſi adulterini fuerint, vel ex ſtupro, vel inceſtu, aut ſacrilego coitu nati, quam ſi ex fornicatione ſimplici ſint procreati.

XVII. Triplex autem eſt modus hunc defectum tollendi. Primus: ſubſequens parentum Matrimonium. De quo, in Cap. *Tanta*. Extra, *Qui filii ſint legitimi* —— Secundus: religioſa profeſſio in cœnobio, aut canonica regulari, ut Can. 1. *Presbyterorum*, quod eſt Urbani II. diſt. 56. & ex Cap. *Ut filii*. Extra, de *Filiis Presbyterorum*. Sanxerat quidem Sixtus V. ne ad religioſam profeſſionem reciperentur illegitimi: ſed ejus conſtitutionem ſuſtulit Gregorius XIV. Conſt. *Circumſpecta*. Et Romanæ Pœnitentiariæ poteſtatem fecit concedendi Regularibus extra legitimum matrimonium natis, ut ad clauſtrales præfecturas promoveri poſſint —— Tertius eſt diſpenſatio. Diſpenſare poteſt Epiſcopus illegitime natum, quoad minores Ordines, & beneficium ſimplex, non autem quoad majores, & beneficia curam animarum habentia, dignitatem, Ordinem ſacrum annexum habentem, ut Canonicatus Eccleſiarum cathedralium, de quo Trident. *Seſſ. 24. c. 12. de Reform.* & hoc etſi hoc impedimentum ſit occultum, ut probabilius cenſetur. Nam eſto idem Concilium, *c. 6.* permittat, ut Epiſcopus diſpenſet ſuper irregularitatibus *ex delicto occulto*, non tamen *ex defectu occulto* provenientibus. Et hoc, quamvis filii ſint Clericorum, qui beneficium Eccleſiaſticum habeant, ut ex Trident. *Seſſ. 25. c. 5. de Reform.* niſi cum eis per Apoſtolicam Sedem fuerit diſpenſatum. Cap. *Conſtitutus*, Cap. *ex Tua* & Cap. *Ex tranſmiſſa*, Extra, *de Filiis Presbyterorum*.

XVIII. Defectus membrorum inducit irregularitatem (idem dic de vitio corporis) cum vel abſolute Ordinis functiones impedit, ut cæcitas; aut quo fit, ut niſi cum ſcandalo, & deformitate poſſint exerceri. Ita Alexander III. qui conſultus de Presbytero, qui parte digiti truncatus fuerat in pugna, quam ipſe concitarat, reſpondit. Extra, *de Corp. vit. c. 1.* eum non eſſe ob hoc irregulare: *Cum non perdiderit tantum de digito, quin ſine ſcandalo poſſit ſolemniter celebrare*. E contra vero Innocentius III. Extra, *de Cleric. ægrot. cap. 2.* ideo Presbyterum, cui dimidia manus abſciſſa fuerat, irregularem pronuntiat: *Quod nec ſecure propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter deformitatem membri, ſacrificium offerre poſſet*. Hinc vetant Canones, ne qui in oculo ſiniſtro caret lumine, Sacerdotio initietur; quod ſcilicet ob talem defectum opus ſit, ut ad legendum Canonem vultum ad ſiniſtram partem indecore contorqueat: ſecus tamen ſi abſque indecentia hoc poſſet. Sed judicium, an deformitas inducat irregularitatem, vel non, ad Epiſcopum pertinere decernitur, c. 2. *de Corp. vitiat.* Poteſtas vero diſpenſandi ab hac irregularitate pœnes Rom. Pontificem eſt.

§. II.

De Irregularitate ex Delicto.

XIX. IRregularitas hujuſmodi contrahitur, vel ex hæreſi, ſchiſmate, & apoſtaſia a fide; vel ex homicidio, aut illicita mutilatione. De hæreſi, ſchiſmate, & apoſtaſia a fide conſtans eſt, quovis ſæculo irregularitatem peperiſſe. Tum quia ſunt graviſſima ſcelera. Tum quia: hæretici, ſchiſmatici & apoſtatæ nonniſi per pœnitentiam publicam admittebantur; pœnitentia autem publica, ut dictum eſt, irregularitatem induxit ſemper. Ita ex Conc. Eliberitano, *Can. 51.* Innocentio I. *Epiſt. 22. c. 4.* Quamvis cum aliquibus aliquando diſpenſatum ſit. Quæ irregularitas etiam ad filios hæreticorum, qui præcipue mortui ſunt in hæreſi, extenditur. Ut ex Nicolao IV. Alexandro IV. Cap. *Quicumque*, & Innocentio IV. quem laudat Bonifacius VIII. Cap. *Statutum* de hæreticis, in Sexto. Aliqui tamen contendunt, filios hæreticorum, ut ſupra, excludi tantum a beneficiis, non ab Ordinibus; immo nec de beneficiis, quæ ante patris, aut matris lapſum obtenta fuiſſent. Idque refert Fagnanus, *l. 4. Decretal. p. anno 1594.* a ſummo Pontifice, audita Inquiſitorum ſententia, determinatum fuiſſe. Nec deſunt qui velint, hanc irregularitatem a filiis hæreticorum non incurri in iis locis, ubi ex hæreſi nulla incurritur infamia, ut in Germania, alibi; ubi hæreticis commixti degunt Catholici: immo etſi ab hæreſi, quam profeſſi fuerant, revertantur in Eccleſiæ ſinum. Ita Bonacina, *Diſp. 7. de Irregular. q. 3. punct. 7. propoſ. 2. num. 9.*

XX. Homicidium voluntarium, & mutilatio illicita membrorum quovis ſæculo excluſit a Clericatu, & ordinatos ab exercitio ſuorum Ordinum. Unde quicumque facto, vel præcepto, vel conſilio, vel lingua, & adhortatione, auxilio, vel defenſione (ſine moderamine inculpatæ tutelæ, ad homicidium, vel illicitam mutilationem membrorum concurſum præbuerit; ipſo facto irregularis eſt. Id enim ſtatuunt Canones: Can. *Clericus*, & Can. *Miror*, diſt. 50. quorum primus eſt Nicolai I. alter Joannis VIII. Item Cap. *Suſcepimus*, Cap. *de Cætero*, Extra, *de Homicidio voluntario, vel caſuali*, quæ ſunt Alexandri III. Quæ, aliaque confirmavit Tridentinum, *Seſſ. 14. de refor. c. 7.* De illicita quoque mutilatione loquitur Can. I. Concilii Nicæni I. & Innocentius I. *Epiſt. 4. c. 1.*

Quare autem hæc irregularitatem inducant, oſtendimus, §. præced. ex S. Th. *in 4. diſt. 25. q. 2. a. 2. q. 2.* q. ibid. *ad 3.* his verbis explicat: *Nullus facit, niſi illud, cujus cauſa eſt, quod eſt voluntarium in homine: & ideo ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio caſuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, niſi dederit operam rei illicitæ, vel niſi omiſerit debitam diligentiam; quia jam quodammodo efficitur voluntarium. Nec hoc eſt propter hoc, quod culpa careat: quia etiam ſine culpa incurritur irregularitas: & ideo etiam ille, qui ſe defendendo in aliquo caſu non peccat, homicidium committendo, nihilominus irregularis eſt*. Unde quicumque etiam bono animo, vel ut ſe defendat, vel ut alium juvet, aliquid fecerit, ex quo alterius mors ſecuta ſit; ſaltem ad cautelam debet a ſacris miniſteriis abſtinere: donec Epiſcopus, ex mandato ſummi pontificis, cauſa cognita ſententiam tulerit; vel eum diſpenſando ab irregularitate, ſi eam incurrit, vel declarando, eum non incurriſſe. Sed de hoc ſupra de defectu lenitatis dictum eſt.

XXI. Alia ſunt delicta, quæ pariunt irregularitatem. Primo: indebita ſacri Ordinis ſuſceptio, vel exercitium in iis qui cenſuris ligati ſunt. Cap. *Clerici*, Cap. *Latores*, Cap. *Illud*, & Cap. *Fraternitas*, Extra, *de Clerico excommunicato &c.* & Cap. *Cum illorum*, Extra, *de Sent. excom.* Secundo: irregularitatem contrahit qui Ordinem ſacrum, quem non ſuſcepit, audet exercere (excepto tamen Subdiaconatu, qui ſine manipulo a non Subdiacono exerceri poteſt.) Ita Cap. *Si quis*, Extra, *de Clerico non ordinato miniſtrante*. Tertio: qui bis Baptiſmum ſuſceperit, ſive infra, ſive extra Eccleſiam Catholicam. Cap. *Ex Litterarum*, Extra *de Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſma*, & Concil. Carthagin. III. *Can. 11.* Intellige tamen ſi Baptiſma extra Eccleſiam collatum fuerit ſub debita materia, & forma; alioquin ſaltem ſub conditione eſſet repetendum: ut de

Baptiſ-

Baptiſmo collato a Calviniſtis, qui baptizabant, uno aquam fundente, altero formam pronuntiante, ſtatuit Concilium Meclinienſe, *anno* 1607. Nec ii tantum ſunt irregulares, qui iterato baptizati fuerint, ſed & qui ad illius iterationem contulerint. Unde Alexander III. de Acolytho, qui miniſtrarat in iterando Baptiſmo cuidam ægroto, reſpondit, Extra, de Apoſt. c. 2. *Ad ſuperiores Ordines promoveri, ſi publicum eſt quod proponitur, non valebit.* In Innocentius III. Extra, *de Bapt.* cap. ultimo, Græcos depoſuit, quod adhærentes ſibi Latinos iterum baptizarent.

XXII. Si quæras: Quis ab irregularitate ex delicto poſſit abſolvere?

Reſpondetur, ex Concilio Tridentino, Epiſcopos poſſe diſpenſare circa omnes, quæ oriuntur ex delicto occulto; ea tamen excepta, quæ ex homicidio voluntario contrahitur. Ita, Seſſ. 24. de Reform. c. 6. *Liceat* (inquit) *Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.* Hæc de irregularitate meo Candidato ſint ſatis.

QUÆSTIO III.

De Indulgentiis.

EGimus de poteſtate ligandi in foro exteriori, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ contulit, per cenſurarum pœnas; Modo de poteſtate ſolvendi a pœnis, quam eidem contulit, præcipue per Indulgentias, agere intendimus; ne de hac re Studioſum penitus jejunum dimittamus.

DUBIUM I.

An ſit in Eccleſia Poteſtas ferendi Indulgentias.

§. I.

Hæreticorum Errores.

I. SIcut ad poteſtatem clavium Eccleſiæ a Chriſto traditam pertinet condignam ſatisfactionem pœnitentibus injungere; ita ad eamdem pertinet poteſtatem, ſatisfactoriam pœnam, vel in totum, vel in partem remittere: & hanc remiſſionenem *Indulgentiam* vocamus. Variis tamen nominibus a Veteribus ſuit appellata. A Cypriano enim dicta fuit *Relaxatio*. A ſequentium ſæculorum Patribur, *Remiſſio*, *Donatio*, *Condonatio*. Nomine tamen *Indulgentiæ* appellata fuit a Paciano, *in Epiſt. 3. contra Novatianos*; & S. Ambroſio, *lib. 1. de Pœnitentia cap. ultimo*. Qui exponentes verba Pauli, 2. Cor. 2. *Nam. & ego quod donavi &c.* dicunt, per indulgentiam proprias ſententias temperaſſe, & per indulgentiam liberaſſe eos, qui erant per nimiam triſtitiam perituri. Qui autem nomen indulgentiæ frequentius uſurpavit, fuit Gregorius VII. in ſuis epiſtolis; & ex eo *Indulgentiæ* nomen factum eſt in Eccleſia uſitatius.

II. Montaniſtæ quondam negarunt Eccleſiæ poteſtatem indulgentias largiendi. Teſtis eſt Tertullianus, qui, *lib. de Pudicitia*, quem factus Montaniſta conſcripſit. *An tu* (inquit) *& in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem? . . . . Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe . . . . Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius?* En argumentum, quo moderni hæretici, ut videbimus, indulgentias invadere conantur.

III. Waldenſes, circa annum 1170. in eundem errorem lapſi ſunt: *De Indulgentiis, quæ fiunt per Eccleſiam, non credunt*, inquit Raynerius, *lib. contra VValdenſes, c. 6.* & Philedorphius contra eoſdem, cap. 30. *Item* (inquit) *reprobant hæretici VValdenſes indulgentias Prælatorum Eccleſiæ.* His ſubſcripſit Wicleffus, quem de more Joann. Hus ſecutus eſt: cujus articulum recenſet, & damnat Concilium Conſtantienſe, *Seſſ. 15.* his verbis: *Item decimus nonus articulus, in quo continetur, quod indulgentiæ Papæ, ſive Epiſcoporum conceſſæ nihil proſunt.*

IV. Acerrimus tamen indulgentiarum hoſtis fuit Lutherus, *anno* 1517. Cum enim indulgentiarum promulgatio, quæ prius ſui Auguſtiniani Ordinis Fratribus committebatur, Fratribus Prædicatoribus conceſſa fuiſſet; hoc indigne ferens Lutherus, tamquam injuriam ſuo Ordini irrogatam; primum in indulgentiarum abuſus varios declamare cœpit: & tandem ad earum ſubſtantiam, & valorem enervandum prorupit propoſitionibus, quas Leo X. in ſua adverſus Lutherum Bulla proſcripſit —— Idem anno 1519. eodem fere modo apud Helvetios contigit. Cum enim quidam Franciſcanus ejuſdem Leonis auctoritate ad indulgentias publicandas illuc miſſus eſſet, Zuinglius ea, quæ Franciſcanus ille proferebat, impugnare cœpit: & tandem eo devenit, ut ipſas etiam indulgentias, & eas ferendi poteſtatem ab Eccleſia abſtulerit. Quam poſtea Calvinus funditus evertere dicteriis, calumniis, & mendaciis tentavit; adeo ut error iſte ab omnibus modernis hæreticis adoptatus ſit.

V. Eccleſiæ tamen Catholicæ perpetuam fidem recenſitis erroribus contrariam tradit Concilium Tridentinum, ad calcem, *Seſſ. 25.* his verbis: *Cum poteſtas ferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit; atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit: Sanctiſſima Synodus indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant, &c.*

§. II.

Aſſertio Catholica.

VI. DIco. In Eccleſia adeſt poteſtas indulgentias ferendi. Probo primo. Nam Chriſtus hanc ei poteſtatem facit, cum, *Matth. 18. v. 18.* Apoſtolos ſic allocutus fuit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Si ergo ex illis verbis: *Quæcumque alligaveritis*, ut vidimus, *Quæſt. Dub. 1. §. 1.* colligit Calvinus ipſe, Eccleſiam accepiſſe poteſtatem coercendi pœnis etiam ſatisfactoriis; cur ex iſtis: *Quæcumque ſolveritis*, non colligit, eam accepiſſe poteſtatem pœnas, quas inflixit, relaxandi, vel condonandi?

VII. Hujus poteſtatis uſum illuſtri exemplo indicavit Paulus 2. *Cor. 2.* ubi de Corinthio inceſtuoſo, qui multo jam tempore nefandum ſcelus defleverat: *Sufficit illi* (inquit v. 6.) *qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ ſit a pluribus. Ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt.* Ubi Apoſtolus jubet, ut Corinthius ille ab illis, qui ſuperarant, pœnitentiæ laboribus eximatur. Hæc autem exemptio non eſt aliud, quam indulgentia, quæ, ut dicitur, eſt relaxatio pœnæ, quæ poſt dimiſſam culpam debetur. Unde Chryſoſt. *Hom. 4. in 2. ad Cor.* ait: *Ex ea re docemur, quod non ſolum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem, habitumque peccantium oportet moderari pœnitentiam.* Chriſtum autem ejuſmodi relaxationem ratam habere, ſubjungit Paulus; cum ait, ſe eam indulgere nomine, & auctoritate Chriſti. *Nam, & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Nec mirum. Nam ſicut in priori epiſtola, *c. 5. v. 4.* conteſtatur, ſe Chriſti perſonam geſſiſſe, cum illum addixit pœnitentiæ laboribus: *Jam judicavi, ut præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ita in ejuſdem pœnæ relaxatione perſonam Chriſti geſſit.

VIII. Scio, aliquos per *traditionem Satanæ* intelligere excommunicationem, & per ly *magis donetis*, abſolutionem ab excommunicatione —— Sed fruſtra. Nam Corinthius ille aliqua quidem excommunicatione mulctatus fuerat, puta, excluſus a participatione ſacramentorum; ſed aliis pœnitentium laboribus addictus, & maxime fidelium objurgationibus: quæ omnia cum humiliter ſuſtineret, ac veræ pœnitentiæ ſigna exhiberet, judicavit Paulus cum eo exercere indulgentiam, & pœnas relaxare. Unde Pacianus, *lib. 2. contra Novatianos*, ut laudata Pauli verba protulit, *Vides* (inquit) *Apoſtoli indulgentiam, proprias etiam ſententias temperantem: vides mitiſſimam lenitatem longe a veſtro ſupercilio ſeparatam? Longe a Novatiani fronte diſſimilem? Communi vero vitæ ac ſaluti conſulentem?*

IX. Indulgentiarum antiquiſſimum uſum evincit praxis Eccleſiæ, quæ prioribus ſæculis ad preces eorum, qui in carceribus pro fide martyrium ſubituri detinebantur, quibuſdam lapſis ſatisfactionis, & pœnitentiæ parem relaxare conſueverat. Hujus teſtis ex Tertullianus, tum *l. ad Martyres, c. 1.* tum *l. de Pudicitia, c. ult.* Ubi factus jam Montaniſta hoc Zephyrino Papæ, & Catholicis crimini vertit. Teſtis eſt S. Cyprianus, *Epiſt. 11.* ubi ſcribit primo: Diaconos conſueviſſe circuire carceres, non ſolum ut confeſſoribus neceſſaria ſuppeditarent; ſed etiam, ut eorum deſideria exciperent, quæ poſtea deferrentur ad Epiſcopum. Secundo: monet martyres, ut ad lapſorum perſonas, & crimina attendant, antequam eis indulgentiæ beneficium polliceantur. Tertio: monet S. Martyres, ut in libellis exprimant eorum nomina, quos eximi cupiunt a pœnitentiæ laboribus. Quarto: *Epiſt. 17.* hanc deſcribit formulam, ad quam nonnulli martyres libellos exhibebant, eaſque rejicit, Epiſt. 23. *Univerſi confeſſores Cypriano Papæ ſalutem. Scias nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit. quid poſt commiſſum egerint, pacem dediſſe &c.* Quinto *Epiſt. 10.* ſcribit, indulgentias conceſſas a martyribus ſolitas fuiſſe executioni mandari ſolum poſt Eccleſiæ pacem. Cum ſcilicet Epiſcopi ea de re acturi poſſent in unum convenire: & ſolum cum ipſi Martyres actu expleto martyrio obiiſſent. Vide Cyprianum citatis locis.

X. Quæ hactenus retulimus ex Tertulliano & Cypriano evincunt, primo: martyres ſolitos fuiſſe libellos conſcribere, quibus peterent ab Epiſcopis, ut nonnullis lapſis remitterent id, quod ex injunctis ſatisfactionis laboribus ſuperaret —— Secundo: eam conſuetudinem eam ante Tertulliani tempora in Eccleſia Catholica obtinuiſſe: nec enim eam recenſet tamquam rem, quæ ſua ſolum ætate cœpiſſet. —— Tertio: Epiſcopos, ad quos divino jure ſpectat pœnitentiæ adminiſtrandæ poteſtas, ejuſmodi libellorum rationem habuiſſe; ideſt, ad martyrum poſtulationem

quod de pœnitentia supereret, lapsis dimisisse. Et quarto: priscis illis temporibus in usu fuisse apud Catholicos indulgentiarum praxim; quæ, ut dicetur, nil aliud sunt, quam relaxationes pœnæ, qua lapsus post Baptismum mulctari debet, etiam dimissa culpa: & hanc praxim a Catholicis observatam, a solis hæreticis improbatam fuisse. De hac praxi meminere Concilia, Ancyranum, *anno* 314. *Can.* 5. *&* 22. Nicænum I. *anno* 325. *Can.* 12. quæ permittunt Episcopis, ubi expedire judicarint, aliquid de injunctis pœnis relaxare. De qua etiam Basilius, *Epist. ad Amphilochium*, *Can.* 54. & alibi: & Gregorius Nyssenus *Epistola ad Letojum cap.* 4. de homicidiis. His accesserunt Innocentius I. *Epist.* 1. *cap.* 7. Leo Magnus, *Epist.* 79. *c.* 5.

XI. Hoc quoque confirmat subsequentium sæculorum disciplina. Ubi enim primis temporibus ad preces martyrum lapsis indulgebant Episcopi, pœnitentias relaxando; post sæculum octavum invaluit usus pœnitentias redimendi aut eleemosynis, aut precibus, aut flagellationibus, aut aliis piis operibus, quibus multum de pœnitentiarum rigore detrahebatur. De hoc Conc. Triburiense, *anno* 895. *Can.* 56. Abbas Regino, l. 2. *Collect. cap.* 440. Petrus Pictavienſis in suo Pœnitentiali. Hæc tamen pœnitentiæ redemptio, fere nunquam concedebatur anno primo, & vix secundo, & tertio; quo tempore in pœnitentiis, jejuniis, & orationibus perseverare debebant. Unde post annum millesimum orta est nova pœnitentias computandi ratio: supposito enim, quod recitatio psalterii, flagellatio, eleemosyna lucraretur indulgentiam pro uno anno; qui bis recitabat psalterium, bis se flagellabat, lucrabatur pro duobus annis; qui ter pro tribus, qui centies pro centum, qui millies pro mille. De quo Petrus Damianus, *Epistola ad Alexandrum II. cap.* 3. *&* 7. —— Tandem labente sæculo 11. indulgentiæ plenariæ, seu adæquata satisfactionis canonicæ relaxatio iis indulta est, qui expeditionem Jerosolymitanam contra Saracenos aggrederentur; cujus testis est S. Bernardus, *in exhortat. ad milites Templi*, *cap.* 5.

XII. Constat igitur, Concilium Tridentinum supra laudatum, *Sess.* 25. recte contra Lutheranos, & Calvinistas statuisse, usum indulgentiarum esse salutarem, Conciliorum auctoritate probatum, & retinendum. Ita ut quæ ab Ecclesia condonantur pœnæ, condonentur a Christo; alioquin deciperentur fideles qui relaxatis in hoc sæculo pœnitentiis, alias acerbiores subire tenerentur in alio: atque ita martyres, & Episcopi pessime consuluissent pœnitentibus, relaxando eis temporalem hujus vitæ satisfactionem ut in pœnas longe graviores servarentur; verumque esset illud Lutheri: indulgentias esse fraudes fidelium.

§. III.

Quibus meritis indulgentiæ nitantur.

QUæsitum hoc aliis terminis proponitur, nimirum: An in Ecclesia sit thesaurus constans meritis, & satisfactionibus Christi, & Sanctorum, quibus indulgentiæ nitantur? Cui

XIII. Respondent omnes Catholici affirmative. Thesaurus autem iste non aliud est, quam valor satisfactionum Christi, quæ superabundantes, & infinitæ fuerunt; & etiam Martyrum, & aliorum Sanctorum, qui ad expiationem propriorum peccatorum necessarius eis non fuit, manens in conspectu Dei. Hic est, quem Tridentinum, *Sess.* 21. *c.* 9. vocat: *Cælestem thesaurum*. Et de quo Clemens VI. in extravaganti *Unigenitus*, dicit, Christum superabundanti passione sua infinitum Thesaurum Ecclesiæ militanti reliquisse: *Quem quidem thesaurum* (inquit) *non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cæli Clavigerum, ejusque successores suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum*. Et infra: *Ad cujus quidem Thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur*.

XIV. Et quidem de satisfactione, & meritis Christi, nec Adversarii negant; quin omne meritum, & satisfactionem nostram ablegantes, totum meritis, & satisfactioni Christi adscribunt, ut suis locis jam ostensum est. De meritis vero, & satisfactionibus justorum, quamvis ipsi negent, probat articulus de communione Sanctorum, quam in Symbolo confitemur: qua fit, ut sicut in corpore naturali unum membrum, quod sibi superabundat, communicat alteri; ita in corpore mystico Ecclesiæ aliorum merita, & passiones, quæ illis superabundant, aliis membris communicari, & prodesse possint: ut sic juxta Apostolum, 2. *Cor.* 8. aliorum abundantia aliorum suppleat inopiam. Ibi enim, *v.* 14. hortatur Corinthios terrenis opibus abundantes, ut liberaliter subveniant Sanctis, secundum sæculum inopibus, sed divitibus secundum Deum; vicissim promittens fore, ut horum spiritualis abundantia illorum suppleat inopiam: & quibus ad propitiandum Deum propria minus sufficiunt, ad id alienorum operum communione juventur: *In præsenti* (inquit) *tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit, & qui modicum, non minoravit*. Et hac ratione martyres qui meritis abundabant, sua merita communicabant lapsis; ut qui de suo satisfacere non poterant, de alieno satisfacerent, ut §. *precedente* expendimus. Merita tamen, & satisfactiones martyrum, & Sanctorum non aliunde quam ex meritis, & satisfactionibus Christi, quæ in eis operantur, valorem, & efficaciam habent.

XV. Explicat hoc S. Th. *quæst.* 25. *Supplem. art.* 1. ubi rejicit opinionem illorum, qui volebant, indulgentias solvere quidem a pœna per Ecclesiam inflicta, non vero a pœna a Deo infligenda in purgatorio. *Primo: quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est* (*Matth.* 16.) *ut quod in terra remitteret, in Cælo remitteretur. Unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet, Purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis.*

Unde resolvit. *Et ideo aliter dicendum, quod valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem, sive sit injusta, sive non. Ratio autem, quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverint ad mensuram debitorum suorum; & multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt: & præcipue propter meritum Christi, quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dictum est autem supra* (q. 13. art. 2.) *quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt* (*alias absque omni indulgentia consequeretur remissionem*) *sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus ait*: Se adimplere ea, quæ desunt passioni Christi in corpore suo pro Ecclesia, *ad quam scribit, Coloss.* 1. *Et sic predicta merita sunt communia totius Ecclesiæ. Ea autem, quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini præst. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfeciſſet: ita si satisfactio alterius sibi per eum, qui potest, distribuatur*. Hæc S. Th. quibus doctrina catholica de hac materia mire explicatur.

§. IV.

Hæreticorum Objecta.

XVI. CONtra existentiam thesauri indulgentiarum declamant Heterodoxi, 1. Thesaurus iste indulgentiarum supponit, quod Sancti mereri possint, & satisfacere pro aliis, & quod eorum merita possint esse superabundantia; & sic possint aliis applicari ad remissionem pœnæ pro peccatis debitæ: sed hoc est falsum; ergo &c. Minorem, quod Sanctorum merita, & satisfactiones aliis applicari non possint, probant. Quia Sanctis nihil meritorum redundat. Unde prudentes Virgines in persona omnium Sanctorum dicunt ad fatuas, Matth. 24. *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis*. Unde Augustinus, quæst. 89. inter octoginta tres: *Vix* (inquit) *sibi quisque sufficit; ut ei testimonium perhibeat conscientia sua*.

Deinde: etiamsi Sanctis aliquod meritum redundaret, propter opera, quæ vocantur supererogationis; tamen condignum, & supra condignum præmium recipiunt pro iis omnibus a Deo; ergo nihil eis supereſt, quod in alios redundare possit. Idemque dic de satisfactione. Nam etsi, qui innocenter vixerunt, non egerint satisfactione, & proinde videatur eis redundare; attamen satisfactio eis compensata fuit per remunerationem gloriæ.

XVII. Resp. neg. min. Quod enim Sancti justi mereri possint, & etiam pro pœna temporali aliis debita satisfacere, suis locis ostensum est. Merita, & satisfactiones Sanctorum non quidem superabundant, ut sint pretium, cui ex justitia aliorum solutio debeatur; hoc enim solis satisfactionibus Christi debetur: sed, ut si Dei bonitati placuerit, possint alios quoque juvare, & pro aliorum solutione acceptari. Nec obstat, quod de Virginibus prudentibus dicitur: *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis*. Nam interpretante S. Aug. *Ep.* 120. (modo 140.) *c.* 31. & *Serm.* 22. *de Verbis Domini* (modo *q.* 59. *ex Quæst. octuaginta tribus*) significat, eos, qui habent bonam conscientiam, certos tamen non esse, quod ea sibi in judicio Dei possit sufficere; & unumquemque dum vivit ignorare, an ei supersint satisfactiones pro peccatis propriis non necessariæ. Vel, ut ait S. Hieronymus, *in c.* 25. *Matth.* significat, in die judicii non posse aliorum virtutes aliorum vitia sublevare, sed unumquemque fore sollicitum de proprio. Vel, ut ait Chrysost. *Homil.* 5. *in Matt.* præfata verba, *ne forte &c.* contra eos dirigi, qui aliorum meritis confisi, ipsi interim nihil agunt boni, quo mereantur aliorum subsidiis juvari.

Ad id, quod additur, dico, quod etsi Sancti pro bonis operibus mercedem supra condignum receperint; nihil tamen vetat, quin ex divina bonitate intuitu illorum, per

per quæ Sancti olim Deo placuerunt, alios beneficiis cumulet: ſicut propter merita Abraham, Moyſis, Davidis, & aliorum, legimus eorum poſteritati Deum peperciſſe, immo & eam bonis ditaſſe. —— Addo: quod opus pœnale, & eſt opus bonum, & eſt ſatisfactorium: quamvis autem opus bonum Sanctorum ut meritorium ſit plene remuneratum; ut tamen ſatisfactorium eſt, poteſt adhuc pro redimendis aliorum pœnis applicari: & ſic paſſiones quorumdam martyrum, qui cum vitam innocentem duxiſſent; atrocia tormenta paſſi ſunt, ipſis ſuperabundaſſe dici poteſt.

XVIII. Secundo inſurgunt. Jungere merita Sanctorum meritis Chriſti, eſt Chriſto injurioſum: eſt enim miſcere ſanguinem martyrum cum ſanguine Chriſti, ac ſi ſolus iſte non ſufficeret ad remiſſionem pro peccatis, pœnis totius generis humani; quod fruſtra, immo impie dicitur: quaſi aliquid Chriſti meritis deſit, quod per paſſiones martyrum ſupplendum ſit.

Quod opponitur menti SS. Patrum, qui redemptionem hominum, & remiſſionem, ita ſolius Chriſti ſanguini, & morti Chriſti tribuunt; ut eam a martyribus, aliiſque juſtis removeant. Ita præ cæteris S. Auguſt. tract. 84. in Joann. *Etſi* (inquit) *fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis* Ambroſius lib. 6. in Lucam in fine ait: *Alia Cruces nihil mihi profunt, ſola Crux Chriſti mihi utilis eſt*. Adjicitur S. Thom. qui 3. *p. q.* 48. *art.* 5. *ad* 3. dicit, paſſiones Sanctorum proficiunt Eccleſiæ, non quidem per modum redemptionis, ſed per modum exhortationis & exempli, ſecundum illud 2. Cor. 1. *Sive tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute*.

XIX. Reſpondeo, hæc ex prava intelligentia procedere. Non enim nos jungimus merita Sanctorum meritis Chriſti, ut eis aliquid conferant; ſed ut ab illis totum valorem, & vim ad ſatisfaciendum pro ſe, & pro aliis accipiant: nempe, ut docet Tridentinum, *Seſſ.* 14. *cap.* 8. paſſiones ſanctorum totum id, quod valent ad ſatisfaciendum pro fidelium pœnis, non aliunde habent, quam per Chriſtum Jeſum: *Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus*. Nec hoc eſt miſcere ſanguinem Chriſti cum ſanguine martyrum; quia Chriſti, & Sanctorum ſanguinem in eodem ordine non collocamus, ſed latum inter utrumque diſcrimen agnoſcimus: nam Chriſti ſanguis per ſe, martyrum vero ſanguis, non niſi per Chriſti ſanguinem mereri, & dignum aliquid exhibere Deo poteſt.

Nec aliud Auguſtinus, & SS. Patres cæteri intendunt, quam quod nemo Sanctorum martyrum morte ſua poſſit tantum pretium exhibere; quod per ſe debitum æternæ mortis perſolvat, & pro pœna æterna peccato debita ſatisfaciat. Unde bene dicit Ambroſius, aliam Crucem ſibi non prodeſſe, quia aliæ Cruces utiles eſſe non poſſunt nobis, niſi per Crucem Chriſti, in qua ſola gloriari nos oportet cum Apoſtolo, *ad Galat.* 6. in qua ſola eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra. Cæterum aliquam fiduciam ponere etiam in interceſſione Sanctorum, non eſt a verbo Dei alienum. Sic enim Paulus, *ad Philemonem, v.* 5. ait: *Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes Sanctos*. Et 4. Regum 19. v. dicitur: *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum*. Nemo igitur offendi poteſt, dum ponimus in Eccleſia theſaurum meritorum Chriſti, & Sanctorum; quando inter hæc, & illa merita debitum diſcrimen agnoſcimus.

Neque contrarium ſentit Clemens V. dum in Extravag. *Unigenitus*, dicit, quod omnium Sanctorum merita præſtant adminiculum theſauro meritorum Chriſti, quaſi ſanguis Chriſti vel per ſe non ſufficeret, vel aliquando defecturus eſſet, ac vim ſuam amiſſurus, niſi juvaretur mixtione ſanguinis martyrum.

Nam Clemens non dicit, merita ſanctorum præſtare adminiculum meritis Chriſti, ſed: *Præſtare adminiculum ad cumulum theſauri meritorum Chriſti*. Quia nimirum per ea cumulus ille quadam acceſſione meritorum, fit extenſive major quoad numerum, non tamen quoad virtutem, quam ex meritis Chriſti habet infinitam. Sic nec talis acceſſio præjudicat infinitati, quam theſaurus iſte habet ex meritis Chriſti; ſed potius eam extollit, dum merita aliorum, etſi finita, ipſi conjuncta valorare poteſt: & quando plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis ipſorum accreſcit cumulus meritorum, ut ait laudatus Pontifex.

Quod vero objicitur ex S. Thoma, non obſtat. Nam licet loco citato dicat, Sanctorum paſſiones Eccleſiæ proficere ad exhortationem, & exemplum; quia argumentum aliud non poſtulabat. *Quæſt.* tamen 13. *Supplem. artic.* 2. & *quæſt.* 25. *art.* 1. aperte docet, eas proficere, non per modum redemptionis a peccato, ſed per modum ſatisfactionis pro pœna temporali, ſi per eum, qui poteſt, nobis applicentur, ut ſupra dictum eſt.

XX. Tertio inſurgunt. S. Cyprianus multis indulgentiarum conceſſionem impugnat. Nam, *Epiſt.* 11. dicit, peccatum ſolis pœnitentiæ laboribus elui poſſe. Sacerdotes, qui pacem iis concedunt, quin juſtam ſatisfactionem dederint, agere contra legem Dei, & bellum potius facere, quam pacem. Rurſus: animarum eſſe deceptores qui prædicant, pacem prodeſſe iis, qui ſub obtentu libellorum, quos a martyribus acceperint, dignos non egerint pœnitentiæ fructus. Denique: carnifices eſſe, non paſtores, Diabolos, & lupos, qui pacem largiuntur eis, qui pœnitentia nondum functi fuiſſent.

XXI. Reſpondeo, S. Cyprianum non rejeciſſe indulgentiarum debitum uſum; immo illum probaſſe, conſtare ex dictis ſupra, §. 2. Solum ergo damnat earum abuſum qui ſuo tempore irrepſerat. Contendebant enim lapſi, quibus martyres libellos conceſſerant, pacem, & reconciliationem ſibi deberi; etiamſi nullis pœnitentiæ laboribus ſe ſubdidiſſent, nec ſe ſubdere proponerent. Ita refert Sanctus Cyprianus, *Epiſt.* 23. Cumque, ut ſcribit, *Epiſt.* 12. multi, aut ignavi, aut indocti Sacerdotes lapſis ejuſmodi aſſentirentur, eos ſolo obtentu libellorum a martyribus extortorum, ad pacem, & Euchariſtiam ſine ulla pœnitentia admittendo, hos vocat animarum carnifices, & lupos, non paſtores. Et merito: non enim indulgentiæ iis proſunt, qui convenientem gravitati criminum ſatisfactionem ſubire detrectant.

Cæterum S. Cyprianum non rejeciſſe omnes omnino indulgentias, ſed eas tantum, quæ aut temerario petitæ, aut incaute conceſſæ fuiſſent, colligitur ex eadem *Epiſt.* 11. ubi indulgendum cenſuit iis, qui ubi convenientem ſatisfactionem magna ex parte obiiſſent, proferrent Martyrum libellos, quibus nominatim, & expreſſe deſignarentur. Unde alloquens martyres, ait: *Ideo ut eos, ques ipſi videtis, & noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam concupiſcitis, deſignetis nominatim libello; & ſic ad nos fidei, ac diſciplinæ congruentes litteras dirigatis*. Abuſus quoque in concedendis indulgentiis tollendos eſſe vult Concil. Trident. in calce, *Seſſ.* 25. dum ait: *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem ac probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*. Et S. Thom. q. 25. *Supplem. art.* 1. *ad* 4. ait: *Conſulendum eſt eis, qui indulgentias conſequuntur, ne propter hoc ab oneribus pœnitentiæ injunctis abſtineant; ut etiam ex his remedium conſequantur, quamvis a debito pœnæ eſſent immunes: & præcipue quia quandoque ſunt plurium debitores, quam credant*.

XXII. Inſurgere tandem ſolent. Indulgentias fundari in doctrina falſa, nimirum totam pœnam peccato debitam non remitti ſimul cum culpa; nec enim fuut aliud, quam ejuſmodi pœnæ relaxatio —— Sed hanc doctrinam non eſſe falſam, immo veram, & Catholicam, abunde oſtendunt Doctores agentes de ſatisfactione; de quo & nos fuſe locuti ſumus etiam in vera Eccleſia, eſtque articulus fidei fundans exiſtentiam Purgatorii poſt hanc vitam.

DUBIUM II.

Indulgentiarum eſſentia, & ſpecies.

§. I.

An Indulgentia ſit ſolutio, & non Abſolutio?

SEnſus eſt: An indulgentia ſit nuda ſolutio pretii pro pœna remanente poſt dimiſſam culpam, non judicialis remiſſio, ſeu relaxatio.

I. Dico Indulgentiam, quæ conceditur vivis, eſſe abſolutionem, non nude, ſed cum ſolutione conjunctam. Ita S. Thom. quæſt. 25. Supplem. art. 1. ad 2. *Ille, qui indulgentias ſuſcipit, non abſolvitur ſimpliciter loquendo a debito pœnæ; ſed datur ei, unde debitum ſolvat*. Et ad 3. *Faciens* (inquit) *indulgentias, pœnam pro eo quod debuit, ſolvit de bonis Eccleſiæ communibus*. Et probo. Quod enim ſit abſolutio, conſtare videtur. Tum ex ipſa voce *Indulgentia*, quæ ſignificat *relaxationem, & remiſſionem, condonationem*, quo ſenſu dicitur a Paulo *Donatio*, 2. ad Cor. 2. Tum quia: ſi non eſſet abſolutio, non requireret in conferente ullam jurisdictionem; ac proinde nihil obſtaret, quin Epiſcopus indulgentias, etiam iis qui ſibi ſubditi non ſunt, conferret; quod tamen repugnat Alexandri III. decreto Cap. *Quod autem*, de *Pœnit. & remiſſ.* ubi dicit: *Quod cum a non ſuo Judice ligari nullus valeat, vel abſolvi; indulgentia ſolis illis proſunt, quibus proprii Judices eas indulſerunt*. Verba autem illa a ſuo Judice ligari, indicant poteſtatem clavium; qua cum qui indulgentiam confert, non utatur ad ligandum; conſequens eſt, ut utatur ad abſolvendum. Et hoc diſtinguitur iudulgentia a modo juvandi per ſuffragia: quod hic privata auctoritate fieri poſſit, illa vero a ſolo habente poteſtatem jurisdictionis poteſt ferri.

II. Nec dicas primo. Quod abſolutio a pœna poteſt dari homini etiam invito, ut in humanis judiciis conſtat: indulgentiam vero conſequi nequit invitus —— Nam major vera eſt de abſolutione, quæ nullam ex parte ſubjecti diſpoſitionem requirit: non autem de indulgentia, quæ ad ſui effectum aliquas in ſubjecto petit diſpoſitiones.

III. Nec dicas ſecundo. Indulgentiæ paſſim conceduntur a miniſtris, quibus pœnitentes ſua peccata confeſſi non ſunt: abſolutio autem cum verum ſit judicium, cauſæ cognitionem prærequirit —— Nam dico. min. eſſe veram de judicio, quod fertur in particulari, & abſolute; non vero de judicio, quod fertur in communi, & conditionate. Tale autem eſt judicium, quod abſolutio per

indulgentias requirit. Sat enim eſt, ut qui eas confert, judicet in communi, quod illa, quibus conceditur, ſint alicui pœnæ obſtricti.

IV. Quod vero indulgentia non ſit nuda abſolutio, ſed cum ſolutione conjuncta, patet ex S. Thoma ſupra laudato. Quia qui ſic abſolvit, hoc facit, ſolvendo debitum pœnæ ex bonis Eccleſiæ communibus. Non enim id facit, ut abſolutus dominus proprio arbitrio pœnas condonans; ſed ut Judex, qui poteſtate ſibi tradita reum quidem abſolvit; ſed ita ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat per applicationem meritorum Chriſti, & Sanctorum; & ſic compenſetur debitum, quod de proprio ſolvere tenebatur.

§. II.

Indulgentiarum Species.

V. Dividitur indulgentia in totalem, ſive plenariam, & partialem, ſive reſtrictam. Plenaria eſt, quæ ſufficit toti pœnæ poſt culpam dimiſſam reſiduæ. Partialis eſt, quæ ſufficit tollendæ alicui parti pœnæ. Quæ plenaria eſt, non ſubdividitur. Nam, & indulgentia Jubilæi quantum ad proprium effectum convenit cum plenaria, & ſolum differt in privilegiis ei adjunctis, ut dicetur.

Partialis vero, prout per eam major, vel minor portio pœnæ remittitur, varie ſubdividitur. Interdum enim remittitur dimidia, vel tertia, vel quarta pœnæ pars, ſeu condonatur tanta pœnæ pars peccatis debitæ. Interdum conceditur indulgentia tot annorum, vel dierum. Interdum fit remiſſio quadragenarum. Porro dies illi, vel anni, non ſunt ſic referendi ad pœnam Purgatorii, quaſi centum dierum indulgentia tollat pœnam centum dierum alterius ſæculi; ſed potius referri debet ad pœnitentiæ tempus, quæ ſecundum Canones hic peragi deberet. Et proinde indulgentia ſeptem annorum, vel dierum eſt remiſſio pœnitentiæ, quæ ſecundum rigorem Canonum, & veterem Eccleſiæ ritum ſeptem annis, vel diebus peragi deberet; quod conſtare poteſt ex modo loquendi Pontificum, & nominatim Innocentii III. Cap. *Cum eo 'de Sent. excommun.* qui aſſerunt in indulgentiis concedendis ſe remittere tot *de Pœnitentiis injunctis:* quod ad pœnas Purgatorii nullo modo poteſt referri.

Cæterum: quia probatum eſt ſupra, indulgentias valere, non ſolum in facie Eccleſiæ, ſed etiam coram Deo; conſequenter eſt dicendum, per indulgentiam tot annorum, vel dierum, remitti etiam pœnam, quæ cum hic non eſſet impleta, implenda eſſet poſt hanc vitam in Purgatorio. An vero tantum de iſta remittatur, quantum exprimitur in conceſſione indulgentiæ, ut ei, qui lucratur indulgentiam ſeptem dierum, vel annorum, detrahantur ſeptem dies, vel anni pœnæ luendæ in purgatorio, ſolus Deus novit. Credere tamen par eſt, non oportere, ut annis, vel diebus hujus vitæ reſpondeat arithmetice numerus annorum, vel dierum futuri ſæculi: quaſi quot dierum pœnitentia hic relaxatur, tot præciſe relaxentur in Purgatorio. Nam acerbitas pœnæ unius diei in illo poteſt æquiparari pœnis plurium dierum, immo & annorum hujus vitæ. Indulgentia tamen plenaria tollit totam pœnam etiam in Purgatorio luendam, quando quis plenum ejus fructum conſequitur.

VI. Indulgentia vero quadragenæ eſt condonatio pœnitentiæ, quæ quadraginta continuatis diebus peragenda foret in jejuniis, & aliis laborioſis operibus. Hæc quadragena, ſi imperabatur acrior, ut jejunium in pane, & aqua, vocabatur *Carena* a carendo; eo quod pœnitentes carerent per quadraginta dies omnibus alimentis, pane & aqua exceptis. Remiſſio ergo *Carenæ* eſt condonatio talis quadragenæ.

VII. Alia indulgentiæ diviſio eſt in perpetuam, & ad tempus. Illa conceditur ſine ulla determinatione temporis. Iſta tempus habet præfixum, quo durante accipi poſſit, poſtea non: veluti cum conceditur duratura ad ſeptem, vel decem annos.

VIII. Dixi jubilæum ab indulgentia plenaria ſpecie non differre, ſed ſolum ratione privilegiorum; quæ jubilæo adjunguntur. Hæc autem ſunt diſpenſationes in quibuſdam votis, & juramentis, abſolutio a caſibus, & cenſuris reſervatis &c.

IX. Præter jubilæa, quæ Summi Pontifices certis in circumſtantiis promulgare ſolent, ut occaſione ſuæ aſſumptionis, vel gravis totius Eccleſiæ, & fidei neceſſitatis; celebris eſt annus jubilæi, ſeu anni ſancti, quod ſecundum hodiernam praxim quolibet vigeſimo quinto anno celebratur. Hoc analogia quadam a Moſaicæ legis jubilæi anno derivatur, cujus vocis varii varias origines aſſignant. Nonnulli jubilæi vocem derivant a voce *Jobal*, quæ *remiſſionem*, ſive *dimiſſionem* ſignificat. Ita S. Hieronymus in cap. 3. Iſaiæ: *Jubilæus, ideſt remiſſionis annus.* R. Moyſes Maymonides derivat quidem illud a voce *Jobal*, non ut ſignificat *dimittere*, ſed *adducere*. Quia hoc anno adducebatur unuſquiſque ad poſſeſſionem, & familiam ſuam. Joſephus, *lib. 3. Antiquit.* jubilæum dicit, ſignificare *Libertatem*; quia eo anno Judæi ab omni labore vacantes, neque ſerebant, neque metebant; a debitis etiam omnibus erant abſoluti, & ſervi e Judaica gente cum liberis ſuis libertate donabantur. Alii tandem jubilæum a voce *Jobel* derivant, quæ arietem ſignificat, quia annus jubilæus a clangore tubæ, ſeu cornu arietis promulgari ſolebat. Annus autem jubilæus quolibet quinquageſimo anno recurrebat. Quæ omnes ſignificationes cum iis optime conveniunt, quæ lex de jubilæo tradit, *Levitici 25.* Immo & jubilæo Chriſtianorum aptari poſſunt. Per hoc enim, quod a Chriſti adventu ſumpſit exordium, remittuntur peccata, adducimur in libertatem filiorum Dei, in poſſeſſionem vitæ æternæ: per indulgentias a debito pœnalium laborum eximimus, clangore etiam tubæ, ideſt Joannis voce cœpit inſonare in deſerto, & Chriſtus ſanguine ſuo conſummavit. Quamvis autem totum legis Evangelicæ tempus ſit perpetuum jubilæum; quædam tamen tempora a Summis Pontificibus deſignantur, quibus cæleſtis theſaurus Chriſti ſanguine comparatus fidelibus uberius diſpenſetur.

DUBIUM III.

De valore Indulgentiarum.

§. I.

An valeant ad remittendam Culpam.

I. Dico. Indulgentiæ non valent ad remittendam culpam, ſed ſupponere debent eam remiſſam quoad culpam; & pœnam æternam. Hoc certum eſt. Quia peccati culpa non remittitur baptizatis, niſi per ſacramentum Pœnitentiæ. Hoc enim, ut fides docet, poſt Baptiſma eſt neceſſarium neceſſitate medii ad delendam culpam; cum ergo indulgentia non ſit ipſum ſacramentum Pœnitentiæ, abſolutio, quam includit, non eſt a culpa, ſed a pœna tantum: & quidem temporali, quæ poſt dimiſſam culpam alioquin ſolvi deberet. Hinc in indulgentiis concedendis ſemper exprimuntur verba *Pœnitentibus, & confeſſis.* Quod ſi aliquando in indulgentiis dictum legitur, eas concedi in remiſſionem peccatorum, vel ut abſolvantur a vinculis peccatorum, debet intelligi de remiſſione, vel abſolutione a vinculis peccatorum, non quoad culpam, ſed quoad pœnam ex culpa dimiſſa relictam, & ſatisfactoriam. Ut enim Tridentinum docet, *Seſſ. 14. cap. 8.* peccator etſi confeſſus, & abſolutus, per impoſitam pœnitentiam adhuc cenſetur ligatus, donec injunctum opus fuerit executus.

Hinc S. Thom. *q. 27. Suppl. art. 1.* docet, indulgentias non valere his, qui ſunt in peccato mortali: *Quia quamvis merita illa, quæ per indulgentiam communicantur, poſſint valere ad merendam gratiam; non tamen propter hoc diſpenſantur, ſed determinantur ad remiſſionem pœnæ; & ideo non valent exiſtentibus in peccato mortali. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis, & confeſſis.*

§. II.

An valeant ad remittendam Pœnam injungendam?

II. Conſtat ergo indulgentiam valere ſolum ad ſolvendam pœnam. Sed dubitatur: An valeat ad ſolvendam ſolum pœnam injunctam a Confeſſario, ſed etiam ab aliis quæ ſecundum rigorem veterum Canonum eſſent injungendæ.

III. Dico. Probabilius eſſe, indulgentias ſive concedantur ſimpliciter ſive cum expreſſione de injunctis pœnitentiis, valere ad remiſſionem pœnarum, & pœnitentiarum etiam non injunctarum. Unde S. Thom. *q. 25. Suppl. art. 1.* dicit: quod indulgentiæ valent etiam coram Deo *Ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem, confeſſionem, & abſolutionem, ſive ſit injuncta, ſive non.* Et *quæſt. 27. art. 2. ad 2.* ait: quod per indulgentias *Abſolvitur a pœna injuncta, vel debita pro peccato in foro pœnitentiali.*

IV. Confirmatur. Illa expreſſio *De injunctis* non eſt reſtrictiva, ſed ampliativa. Cum enim majus ſit remittere pœnas jam in foro pœnitentiæ taxatas, quam non taxatas; conſequens eſt, ut qui concedit majus, concedat & minus ejuſdem generis. Sicut ſi Epiſcopus alicui poteſtatem faciat abſolvendi a caſibus reſervatis, intelligitur conceſſiſſe illi facultatem abſolvendi a non reſervatis.

V. Probo inſuper. Pontifex aliquando fert indulgentiam quadraginta, vel centum; vel etiam plurium dierum: neſcit autem, tantam pœnitentiam eſſe pœnitentibus injunctam a Confeſſario: immo potius ſcit, & communiter non tantam injungi nunc, quando non ſervatur antiquus rigor Canonum in ſatisfactionibus injungendis, ob infirmitatem populi Chriſtiani; ergo non intelligit de pœnitentia a Sacerdote peculiariter injuncta, ſed de ea, quæ eſt peccato debita, vel quæ olim ſecundum Canones injungebatur, & ſecundum rigorem eſſet injungenda.

Addo: quod ſi Pontifex ſolum intenderet indulgentiam ferre a pœnis, quæ modo injunguntur; cum hæ ſint leviſſimæ, vix aliquis eſſet indulgentiis locus, quæ fere nihil remitterent: intendit igitur condonare pœnam præſcriptam per Canones. Et hæc etiam recte vocatur injuncta, cum ſit Canonibus præſcripta.

VI. Sed dices primo. Sola debita per indulgentias remittuntur; ſed nemo eſt debitor pœnæ tribus aut quatuor annis ſubeundæ, niſi fuerit per Sacerdotem injuncta; ergo &c. —Secundo. Neſcit Eccleſia, qua hujus ſæculi

ſæculi pœna redimi poſſit ea omnis, quæ pro peccato quoad culpam remiſſo in altera vita debetur; ergo &c.

VII. Reſpondeo ad primum, neg. min. Nam etſi pœna illa non ſit ab homine injuncta, ejus tamen ſunt debitores homines coram Deo; eamque in altera vita ſubire deberent, niſi tot diebus, vel annis pœnitentiam hic egiſſent, vel ab ea agenda per indulgentiam hic ſoluti fuiſſent.

Ad ſecundum, nego conſeq. Cuique enim notum eſt, Judicem poſſe reum abſolvere a tota pœna, quam pro certo ſcelere leges definierint; quamvis Judicem lateat illius pœnæ ſpecies, vel quantitas.

§. III.

An Indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant?

VIII. Dico. *Indulgentiæ ſimpliciter tantum valent, quantum prædicantur; dummodo ex parte dantis ſit auctoritas, & ex parte recipientis charitas, & ex parte cauſæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem.* Verba ſunt S. Thom. *quæſt. 25. Supplem. art. 2.* ubi oſtendit, quod niſi indulgentiæ ſimpliciter tantum valerent, quantum ab habente auctoritatem concedendi pronuntiantur; Eccleſia falſum prædicaret, ac fideles deciperet, nec ejus prædicatio a mendacio excuſari poſſet. Unde inquit: *Dicendum eſt, quod quantitas effectus ſequitur quantitatem ſuæ cauſæ. Cauſa autem remiſſionis pœnæ in indulgentiis non eſt, niſi abundantia meritorum Eccleſiæ, quæ ſe habet ſufficienter ad totam pœnam expiandam: non autem cauſa effectiva remiſſionis eſt devotio, vel labor, vel datum recipientis indulgentiam, aut cauſa pro qua datur indulgentia. Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remiſſionis, ſed ad merita Eccleſiæ, quæ ſemper ſuperabundant. Et ideo ſecundum quod applicantur ad iſtum, ſecundum hoc remiſſionem conſequitur. Ad hoc autem quod applicentur iſti, requiritur auctoritas diſpenſandi hujuſmodi theſaurum, & unio ejus, cui diſpenſatur, ad eum qui merebatur (quod fit per charitatem) & ratio diſpenſationis, ſecundum quam ſalvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ in generali. Unde quacumque cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ; & honorem Dei vergat, ſufficiens eſt ratio indulgentias faciendi.* Et infra: *Nec in hoc ſit nimis magnum forum de miſericordia Dei (ut quidam dicunt) nec divinæ juſtitiæ derogatur: quia nihil de pœna dimittitur, ſed unius pœna alteri computatur.*

IX. Ex hac S. Thomæ doctrina colligitur primo: ad valorem iudulgentiarum requiri in eo, qui eas concedit, auctoritatem diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ ex meritis Chriſti, & Sanctorum; ſicut in eo ſolo adeſt facultas diſpenſandi bona communitatis, qui auctoritatem habet in communitate, ut dicetur. Deinde in eo, cui conceduntur, requiri unionem per charitatem cum illis, quorum merita diſpenſantur: ſicut, ut aliquis gaudeat de bonis communitatis, debet eſſe communitati unitus: Et ideo qui eſt in peccato mortali, cum non ſit unitus Chriſto, & Sanctis per charitatem, non eſt capax fruendi valore indulgentiarum.

X. Secundo colligitur: quantitatem fructus indulgentiarum correſpondere quantitati meritorum Eccleſiæ, ſeu Chriſti, & Sanctorum; non quantitati devotionis, vel laboris ejus, qui eam recipit: quia indulgentiæ menſurantur meritis; quæ diſpenſantur, non ejus, qui eas ſuſcipit. Unde ibi, *ad 4.* docet, quod ſi concedatur indulgentia ſeptem annorum ei, qui vadit ad aliquam Ecclefiam: *Ille, qui eſt vicinus Eccleſiæ; & Eccleſia Sacerdotes, & Clerici conſequuntur tantam indulgentiam, ſicut ille, qui veniret a mille dietis: quia remiſſio non proportionatur labori, ſed meritis, quæ diſpenſantur: ſed ille, qui plus laboraret, acquireret plus de merito. Sed hoc intelligendum eſt, quando indiſtincte indulgentia datur. Quandoque enim diſtinguitur: ſicut Papa in generalibus abſolutionibus, illis, qui tranſeunt mare, dat quinque annos, aliis, qui tranſeunt montes, tres, aliis unum.*

Quando tamen pro acquirenda indulgentia præcipitur aliquod opus, puta, auxilium, vel eleemoſynam ad fabricam Eccleſiæ (inquit ibi, ad 3.) *Intelligitur tale auxilium, quod ſit conveniens ei, qui auxilium dat, & ſecundum quod accedit ad hoc, ſecundum hoc plus, vel minus de indulgentia conſequitur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium conſequitur totam indulgentiam; non autem dives, quem non decet, ad opus tam pium, & fructuoſum tam parum dare: ſicut non diceretur Rex alicui homini auxilium dare, ſi ei obulum daret.* Eadem ratione, qui graviter, & multipliciter deliquit, ut plenam remiſſionem pœnarum per indulgentias conſequatur; neceſſe eſt, ut aliquid præſtet, quod proportionem habeat ad indulgentiæ ſibi conceſſe quantitatem.

XI. Tertio colligitur ad valorem indulgentiarum requiri cauſam juſtam, & rationabilem ex parte concedentis, quæ cedat in honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ. Quia talis fuit *Intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt, & quorum merita per indulgentias diſpenſantur:* qui autem ſecus faceret, non eſſet diſpenſator fidelis; quia non diſpenſaret ſecundum voluntatem Domini, & theſaurum Eccleſiæ prodige profunderet. Cauſæ autem juſtæ indulgentias ferendi primo ſunt: cauſæ ſpirituales, ut infidelium converſio, hæreſum extirpatio, populi tum erga Sanctos, tum erga Sedem Apoſtolicam devotio, urgens Eccleſiæ neceſſitas, gloria martyrum, & meritorum eorundem commendatio. Secundo: etiam cauſa temporalis, quatenus tamen ordinatur ad aliquid ſpirituale; quia tunc indulgentiæ dantur pro illo ſpirituali, ad quod ordinantur. Sic indulgentiæ conferuntur pro Baſilicarum conſtructione, Monaſterii, Xenodochii, vel in alimoniam pauperum, & euntibus ad bellum contra infideles. Ita S. Thom. citata, *quæſt. 25. ſupplem. artic. 3.* ubi, *ad 1.* docet; quod *Non ſit ibi ſimonia: quia non datur ſpirituale pro temporali; ſed pro ſpirituali.*

Dubium IV.

An Indulgentiæ valeant etiam pro Defunctis?

§. I.

Certa Supponuntur.

I. Suppono ex D. Thom. *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 1.* ſuffragia, quæ fiunt a vivis pro mortuis, nihil prodeſſe exiſtentibus in inferno. Partim, quia ſunt extra vinculum charitatis, ſecundum quam opera vivorum continuantur cum mortuis: partim, quia totaliter ad vitæ terminum pervenerunt, recepta ultima retributione pro meritis, nimirum, æterna damnatione. Nec obeſt, quod adhuc eis pœna corporis: hoc enim non facit, quod ſint in via, ſicut nec beati modo ſunt in via, etſi eis reſtet gloria corporis. Nam pœna damnatorum, & beatorum gloria eſſentialiter, & radicaliter conſiſtit in anima.

Eadem ratione, ut ait S. Thom. ibi *quæſtiunc. 3.* ſuffragia prodeſſe non poſſunt pueris in originali peccato mortuis: quia ſuffragia vivorum non proſunt mortuis extra gratiam, quales ſunt præfati pueri: nec eorum ſtatus mutari poteſt, maxime quantum ad meritum eſſentialis præmii, vel pœnæ. Unde pro præfatis nec indulgentiæ valere poſſunt.

Oppoſita vero ratione, ut ait S. Doctor ibi *quæſtiunc. 4.* nec ſuffragia, nec indulgentiæ prodeſſe, aut valere poſſunt pro Sanctis, qui ſunt in Patria; *Suffragium* enim *de ſui ratione importat quamdam auxiliationem; quæ non competit ei, qui defectum non patitur: nulli enim juvari competit, niſi in eo, quod indigens eſt. Unde cum Sancti, qui ſunt in patria, ſint ab omni indigentia immunes, inebriati ab ubertate domus Dei, eis juvari per ſuffragia* (ſive indulgentias) *non competit.* Ita S. Thom.

II. Suppono ſecundo. Ex eodem S. Thom. laudato, *artic. 3. quæſtiunc. 1.* ſuffragia vivorum prodeſſe defunctis, qui ſunt in purgatorio. Hi enim uniuntur viventibus in charitate, & ſecundum quod viventium intentio fertur in illos, opera viventium eis communicantur: opus autem maximæ charitatis eſt Euchariſtia, quæ eſt ſacramentum unionis continens illum, in quo tota Eccleſia unitur, nempe Chriſtum, & eleemoſyna quæ eſt præcipuus charitatis effectus. Intentio autem viventium fertur in mortuos per orationem. Unde cum exiſtentes in Purgatorio, ſint in ſtatu indigentiæ, & nondum totaliter extra ſtatum viæ, poſſunt vivorum ſuffragiis adjuvari. De quo locuti ſumus, *in Tract. de Euchariſtia, de Sacrificio Miſſæ; & in vera Eccleſia*, & alibi forte. Eſtque articulus fidei definitus in Florentino, & Tridentino, *Seſſ. 25. in Decreto de Purgatorio.* Modo quærimus. An pro iſtis etiam valeant indulgentiæ.

§. II.

Reſolutio Dubii.

III. Dico Indulgentiæ proſunt defunctis in purgatorio exiſtentibus, ſi in forma conceſſionis fiat expreſſa mentio, quod etiam illis concedatur. Eſt expreſſe S. Thom. *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 2.* his verbis: *Indulgentia dupliciter alicui prodeſſe poteſt. Uno modo principaliter, alio modo ſecundario. Principaliter quidem prodeſt ei, qui indulgentiam accipit, ſcilicet qui facit hoc, pro quo indulgentia datur; ut qui viſitat limina alicujus Sancti: unde cum mortui non poſſint aliquid facere eorum, pro quibus indulgentia dantur, eis indulgentia directe valere non poſſunt. Secundario autem, & indirecte proſunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod eſt indulgentiæ cauſa; quod ſicut diſtinct. 20. (q. 3. art. 5. q. 3. ad 2.) dictum eſt, quandoque contingere poteſt, quandoque autem non poteſt, ſecundum diverſam indulgentiæ formam. Si enim ſit talis indulgentiæ forma.* Quicumque facit hoc, vel illud, habebit tantum de indulgentia; *Ille, qui hoc facit, non poteſt fructum indulgentiæ in alium transferre; quia ejus non eſt applicare ad aliquid intentionem Eccleſiæ, per quam communicantur communia ſuffragia; ex quibus indulgentia ſub hac forma fiat;* Quicumque fecerit hoc vel illud, ipſe, & pater ejus, vel quicumque ei adjunctus in Purgatorio detentus tantum de indulgentia habebit: *talis indulgentia non ſolum vivo, ſed etiam*

mor tuo proderit. Non enim eſt aliqua ratio, quare Eccleſi poſſit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos. Nec tamen ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas a purgatorio liberare; quia ad hoc, quod indulgentia valeat, requiritur cauſa conveniens indulgentias concedendi, ut ſupra, diſt. 20. dictum eſt. Ita S. Thom.

IV. Docet ergo S. Doctor: primo: indulgentias prodeſſe poſſe etiam fidelibus defunctis in purgatorio detentis. Cum enim hi ſint nobiſcum ejuſdem corporis membra per fidem, & charitatem colligata; ſint in ſtatu indigentiæ, & nondum in termino; & hæc ſit ratio, cur privati ſuffragia, & ſatisfactiones ſuas poſſint applicare defunctis tamquam membris ejuſdem corporis; non eſt ratio, quare non poſſit ſummus Pontifex eis applicare ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, cum ipſe ſit diſpenſator theſauri, & theſaurus ſit pro corpore myſtico totius Eccleſiæ nondum triumphantis. Unde ait S. Thomas: *Non eſt aliqua ratio, quare Eccleſia poſſit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos.* Hac poteſtate uſa fuit ſemper Eccleſia, Unde Leo X. in Bulla, quæ apud Cajetanum (cui Pontificiam Legationem in Germania obeunti eſt miſſa) 3. *p. q.* 48. *art.* 5. extat, ſub pœna excommuuicationis latæ ſententiæ decernit, quod indulgentiæ per Romanum Pontificem conceſſæ ſive vivis, ſive defunctis, valere eis ad remiſſionem pœnæ.

V. Dicit ſecundo: valere eis, ſi tamen *in forma &c.* Quia etſi quilibet poſſit opus proprium applicare, cui voluerit, atque ita ſatisfacere pro illo: indulgentiam tamen nemo poteſt applicare alicui, niſi ex intentione concedentis: cujus eſt applicare merita communia, & diſpenſare theſaurum Eccleſiæ.

VI. Dicit tertio; Indulgentias defunctis valere, non directe, ſed indirecte. Quia eis valent, non quia ipſi fecerint opus, cui annexa eſt indulgentia; ſed quia alius, qui opus illud fecit, in ejus ſatisfactionem, & remiſſionem pœnæ ordinavit.

§. III.

Quomodo Defunctis valeant Indulgentiæ?

VII. DIco. Non valent per modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragii. Valere per modum abſolutionis eſt valere per modum ſententiæ judicialiter prolatæ: & hoc modo, ut ſupra dixi, valent vivis. Valere autem per modum ſuffragii eſt valere per modum auxilii, eo modo, quo Eccleſia auxilium poteſt defunctis ferre. Cumque hoc tripliciter fieri poſſit: vel per opera pia eorum liberationem merendo de congruo, vel per orationem eam impetrando, vel per paſſiones ſatisfaciendo pro illis; hoc tertio modo indulgentia valet defunctis per modum ſuffragii, nempe, per modum ſatisfactionis, & ſolutionis: ſolvendo pœnas eis debitas, de ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum in Eccleſiæ theſauro recondito, quæ per Pontificem Deo offeruntur in compenſationem.

Sicut ergo cum quis dat elermoſynam, vel jejunat pro defuncto, non abſolvit eum a reatu pœnæ, ſed offert illud opus Deo in ſatisfactionem pro illo: ita Pontifex non abſolvit defunctorum animas a pœna; ſed offert Deo ex theſauro Eccleſiæ ſatisfactiones communes, ut eis acceptatis liberentur. Ex quo apparet diſcrimen inter modum, quo Pontifex extendit indulgentiam ad defunctos, & modum, quo quilibet fidelis poteſt opera ſatisfactoria eis applicare. Nam hic opera tantum propria privata charitate dirigere ad defunctos poteſt, nulla juriſdictione, ſive auctoritate utens. Pontifex autem utitur poteſtate clavium, & auctoritate non judiciaria, ſed diſpenſatoria, quam habet in communem theſaurum: eo modo, quo Princeps pro liberatione captivorum, qui ſunt membra communitatis, de ejuſdem theſauro pecuniam depromeret.

VIII. Prima igitur aſſertionis pars prob. Quia defuncti non ſubſunt juriſdictioni Pontificis: non enim poteſt eos citare, ab obediendum cogere, cauſas eorum cognoſcere. Non ſunt ex ovibus, quas *Joann.* 21. in Petro ſuſcepit paſcendas; cum eis Pontifex nullum aut vitæ, aut doctrinæ pabulum præbere poſſit —— Addit S. Bonaventura, verba, quibus Apoſtolis data fuit poteſtas, Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram &c.* colligi poteſtatem ſolvendi, ſicut & judicialiter ligandi, reſtringi ad ſolos homines in terra viventes; hæc enim ſolet eſſe praxis Sacræ Scripturæ, ut Job 41. v. 24. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Neque enim defuncti ſuperſtites ſunt, nec *ſuper*, ſed *ſubtus* terram. Sicut ergo iſtos ligare non poteſt, ita nec proprie abſolvere.

IX. Nec dicas, Poteſt Pontifex, & Eccleſia defunctos excommunicare; cur ergo non abſolvere? —— Secundo. Axioma juris habet, delinquentem fortiri forum ratione delicti; cum ergo mortui peccaverint, dum hic eſſent, poterunt hic abſolvi. —— Tertio. Mortui in purgatorio detenti, adhuc ſunt viatores per fidem ambulantes; omnes autem viatores fideles ſubſunt Pontifici.

X. Reſpondeo enim ad primum, neg. ant. Quia Eccleſia, aut Pontifex nec excommunicat, nec ab excommunicatione proprie abſolvit mortuos; ſed declarat, quæ ſententia in eos ferri potuiſſet, dum viverent: & in hoc ſenſu prohibet, aut permittit fidelibus, ut pro illis orent, aut ſacrificia offerre poſſint, aut eos ſepultura donare: de quo aliqua diximus, ſupra *Quæſt.* 1. *Dub.* 3. §. 3. —— Ex his reſpondetur ad ſecundum, mortui enim declarari poſſunt, diſceſſiſſe vel abſolutos, vel ligatos; non vero poſt mortem proprie ligari, vel abſolvi. —— Ad tertium dico, in purgatorio detentos, ut docet S. Th. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. non eſſe ſimpliciter in ſtatu viæ, ſed quantum ad aliquid adhuc eſſe in via; quatenus nondum ſunt conſecuti terminum retributionis æternæ. Non ſunt tamen ſimpliciter in ſtatu viæ; quia nec poſſunt transmutari ſecundum ſtatum felicitat, & miſeriæ, nec progredi merendo, aut demerendo; quales debent eſſe viatores, qui juriſdictioni Pontificis ſubjiciuntur.

XI. Poſterior aſſertionis pars ex priori ſequitur. Cum enim ſolum duplex ſit modus indulgentias ferendi, ſcilicet per modum abſolutionis, & ſuffragii, ſeu ſolutionis; ſi priori modo indulgentias defunctis Pontifices non concedunt, ſequetur, ut eas concedant poſteriori modo: nimirum, ut indulgentia perveniat ad defunctos, non per viam juſtitiæ, ſed gratuitæ, ac miſericordis Dei acceptationis, qua merita Chriſti, & Sanctorum in eorum ſatisfactionem oblata velit acceptare. Quare, ut a pœnis ſolvantur, accedere debet miſericordia Judicis, cui immediate ſubſunt, nempe, Dei; ut is oblata pro eis ſuffragia ſatisfactoria gratioſe dignetur ad eorum liberationem acceptare. De quo egregie Cajet. *Tract.* 16. *de Indulgentiis, q.* 5. *videndus.*

XII. Cæterum, ut ſupra tetigi, ex his non eſt inferendum, Eccleſiam, & Pontificem in conferendis indulgentiis non uti poteſtate clavium; contrarium enim fert ſtylus, quo indulgentiarum Bullæ, ſive pro vivis, ſive pro defunctis loquuntur. In eis enim duo exprimuntur. Et quod auctoritate Apoſtolica concedantur pro defunctis; & quod eædem indulgentiæ illis per modum ſuffragii opitulentur. Per primum indicatur, Pontificem auctoritative procedere, nimirum poteſtate clavium aperiendo Eccleſiæ Theſaurum: & ex eo communia merita depromendo in ſatisfactionem pro pœnis debitis, ſive vivis, ſive defunctis. Per ſecundum vero indicatur, quod pœnas defunctis relaxandas, ſe non auctoritative, & abſolvendo procedere; ſed indulgentiam per modum ſuffragii, transferendo, ſeu offerendo ſolutionem, qua Deus illos a pœna abſolvat: Quod eſto Deus id ex juſtitia præſtare non teneatur, cum ad hoc nulla promiſſione ſe obligarit: ea tamen acceptatione poſita, recte dicitur intervenire juſtitiam, cum per ſatisfactiones de theſauro Eccleſiæ oblatas, juſta fiat pœnarum compenſatio.

XIII. Quæri ſolet: An poſitis omnibus, quæ ex parte viventium requiruntur, certa ſemper, & infallibili lege proſint indulgentiæ iis, pro quibus conceduntur.

Reſpondeo, probabile eſſe, quod omnibus ex parte viventium requiſitis impletis, indulgentiæ ſemper proſint defunctis. Quia ex parte horum nullum eſt impedimentum, cum ſint in gratia, & charitate confirmati; neque apparet ratio ex parte Dei, cur oblata pro illis ſuffragia non acceptet. Unde S. Auguſtinus, *in Enchiridio, c.* 110. & *lib. de Cura pro mortuis, c.* 1. & 4. loquens de pio affectu precantium pro defunctis, ait: *Qui cum defunctis a fidelibus chariſſimis exhibetur, cum prodeſſe non dubium eſt iis, qui cum in corpore viverent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt.* Quæ verba collata cum præcedentibus, & ſubſequentibus ſignificare videntur, non tantum publicas Eccleſiæ, ſed etiam privatas ſingulorum preces, in charitate defunctis, pro quibus fiunt, abſque dubio prodeſſe.

Verumtamen cum ſit ejuſdem Auguſtini, immo totius Eccleſiæ doctrina, animas in futuro ſæculo juvari, prout in hac vita meruerunt; quæ quidem merita certum eſt eſſe inæqualia, ſicut & inæquale fuit ſtudium ſatisfaciendi pro ſuis peccatis in hac vita; probabiliter exiſtimant plures, non omnes per eaſdem indulgentias æqualiter juvari, ſed proportione quadam ſuorum meritorum plus, aut minus: ut in illis quoque locum habeat, quod Bonifacius VIII. *in Extrav.* de vivis dicit, nempe, quod efficacius indulgentiam conſequitur qui ut indulgentia ſibi prodeſſe poſſet, magis promeritus fuit, & ad eam ſatisfaciendo propius acceſſit.

Ex quibus omnibus ſatis colligitur; non ita certo ſtatuendam eſſe alicujus animæ, pro qua data ſit indulgentia, e purgatorio liberationem; ut jam non amplius pro ea orandum ſit, vel tollenda ſint anniverſaria, aut cætera, quæ in ſuffragium illarum fieri ſolent, omittenda. Quia videlicet, certo nobis conſtare non poteſt, ea omnia ſubſiſtere, quæ ad plenum indulgentiæ effectum conſequendum requiruntur. Unde S. Thom. ſupra laudatus, *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. ait: *Neque tamen ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas a purgatorio liberare; quia ad hoc, quod indulgentia valeat, requiritur cauſa conveniens indulgentias concedendi,* videlicet, tam ex parte ejus, qui concedit, quam ejus, pro quo conceditur.

DUBIUM V.

Quinam Indulgentias facere poſſint?

§. I.

De Parochis, Abbatibus &c.

I. DIco. Nec Parochi, nec Abbates, nec Prælati regulares poteſtate ordinaria poſſunt indulgentias concedere. Ita S. Thom. *q. 26. Suppl. art. 1.* Nam cum indulgentiæ diſpenſentur ex theſauro Eccleſiæ, ſoli illi eas concedere poſſunt, qui præſiciunt Eccleſiæ: ſed Parochi, Abbates, & Prælati regulares non præſiciuntur Eccleſiæ; ergo &c. Minorem probat S. Thomas ſic: *Cum Eccleſia ſit congregatio fidelium, congregatio autem hominum ſit duplex, ſcilicet, œconomica, ſicut illi, qui de una familia ſunt; & politica, ſicut illi, qui ſunt de uno populo: Eccleſia aſſimilatur congregationi politicæ, quia ipſe populus Eccleſia dicitur, ſed conventus diverſi, vel parochiæ in una diœceſi aſſimilantur congregationi in diverſis familiis, vel in diverſis officiis.* Et ideo Parochi, Abbates, & Præfecti Regularium, cum ſuis conventibus, & parochiis præſint uti economicæ, non ut politicæ multitudini; ideſt, non tamquam civitati, aut provinciæ, ſed tamquam uni familiæ cuidam, non ſunt ſimpliciter Prælati Eccleſiæ, ſed quaſi coadjutores. Unde nec plenam habent poteſtatem in diſpenſatione omnium ſacramentorum, nec omnimodam in ſuos ſubditos juriſdictionem, quam habent Epiſcopi. Hac ratione Innocentius III. Cap. *Accedentibus*, tit. *de Exteſſ. Prælatorum*, declarat, non eſſe Abbatibus poteſtatem concedendi indulgentias, ſevereque prohibet, ne attentent.

Nec obſtat, quod religionum Præfecti ſoleant ſuæ religionis, & communitatis bona ſpiritualia communicare aliis: talis enim communicatio non eſt indulgentia proprie dicta. Primo: quia non ſit ex theſauro indeficienti meritorum Chriſti, & Sanctorum, ſed ſolum ex bonis illius congregationis, quæ indeficientia non ſunt. Secundo: quia per eam non applicantur ſatisfactiones præteritæ, quæ cum aliis ſuperabundent, in theſaurum ſint reconditæ; ſed opera, quæ fient in illa congregatione. Tertio: quia per illas communicationes *Quamvis homo ſolvatur a reatu pœnæ, quantum ad Deum, tamen non ſolvitur a debito faciendi ſatisfactionem, ad quam obligatus eſt ex præcepto Eccleſiæ*, ut ait S. Th. loco citato.

III. Neque etiam obſtat, quod Confeſſarii per abſolutionem ſacramentalem, non ſolum culpam ſolvant, ſed etiam pœnam. Quia non omnis ſolutio pœnæ eſt effectus indulgentiæ; ſed ea tantum, quæ fit per juriſdictionem fori externi, relaxando pœnitentiam injunctam, vel in totum vel ex parte. Confeſſarii autem, ut tales, non habent juriſdictionem fori externi; nec poſſunt indulgere ſatisfactionem debitam, ſed tenentur eam pro gravitate delicti injungere: vel ſi pœnitentis infirmitas non patiatur, debent reſiduum ei committere per ſe aſſumendum, vel a Deo expectandum.

IV. Sed inſtabis. Falſum eſt, ſolos Eccleſiæ Prælatos juriſdictionem in foro exteriori habentes poſſe indulgentias concedere. Nam Corinthii inceſtuoſo fecerunt indulgentiam. Id enim ſignificare videntur illa verba, 2. Cor. 2. v. 10. *Cui aliquid donaſtis, & ego.* Quod facere videntur alii fideles, dum aliis applicant ſuas ſatisfactiones.

V. Reſpondeo, nego ant. Dato autem, quod omnes Corinthii aliquam partem habuerint in indulgendo ulteriorem ſatisfactionem illi inceſtuoſo; hanc habuerunt, non poteſtate (id enim ſolus Paulus præſtitit) ſed voto, commiſeratione, & conſilio: hoc enim modo cenſetur facere cœtus fidelium, quod ſoli Eccleſiæ Præfecti faciunt poteſtate. Ad eum ſenſum, quo S. Auguſt. *lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap.* 18. dicit, quod *Remiſſio peccatorum detur per columbæ gemitus*, ideſt, per orationes, lacrymas, aliaque opera, quibus cooperatur ad impetrandam peccatoribus veniam; non autem ſacramentum pœnitentiæ miniſtrando. —— Quare nec applicando ſuas ſatisfactiones fideles indulgentiam faciunt, quia non uſu juriſdictionis, ſed ex charitate id faciunt. Unde nec pœnitentem liberant a pœnitentia per Sacerdotem injuncta.

VI. Ex his conſequitur, nec Archidiaconos, nec Epiſcoporum Vicarios habere ordinariam poteſtatem indulgentias concedendi, quia ſimpliciter non ſunt Prælati Eccleſiæ. An vero hanc facultatem habeat Capitulum cathedrali ſede vacante; negant Dominicus Soto, *diſt. 21. q. 1. art. 4.* & Suarez, *Tom. 1. in 3. part. diſp. 55. ſect. 4.* Affirmant vero Sylveſter verbo *Capitulum*, & Zerola verbo *Indulgentia*. His favet uſus. Nam Vicarii generales, ſede vacante, concedere conſueverunt indulgentiam quadraginta dierum, ſicut Epiſcopi in ſua diœceſi. Collegium tamen Cardinalium, Sede Apoſtolica vacante, non poteſt pro tota Eccleſia indulgentias facere; quia hæc poteſtas alligata eſt Pontifici, ut Petri ſucceſſori. An vero pro diœceſi Romana Vicarius, vel alter poſſit, nihil certi ſtatuo. Epiſcopus tamen confirmatus, etſi nondum conſecratus, poteſt, pro ſua diœceſi indulgentias facere (quia indulgentia non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis) idque auctoritate ordinario.

VII. Dixi, ſolos Eccleſiæ Præfectos *via* ordinaria poſſe indulgentias concedere, Nam, ut docet S. Th. citato loco, *art. 2.* Diaconi, & alii non Sacerdotes, ſicut & Legati Sedis Apoſtolicæ poſſunt ex commiſſione concedere indulgentias; quia poteſtas faciendi indulgentias ſequitur clavem juriſdictionis, non clavem ordinis. Debet tamen ſaltem eſſe Clericus. Quia etſi ex abſoluta poteſtate poſſet ſummus Pontifex delegare iſtam juriſdictionem non Clerico; præter tamen nemo alius id poſſet. Immo nec foret congruum, quod vel ipſe delegaret hanc juriſdictionem alii, quam Clerico.

§. II.

De Epiſcopis, &c.

VIII. DIco. Solus Papa poteſt indulgentias facere pro tota Eccleſia, cæteri vero Epiſcopi pro ſua diœceſi, vel provincia, juriſdictione ordinaria, modo tamen explicando. Ita S. Thomas citato loco *art. 3.* his verbis: *Papa habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, ſicut Rex in Regno. Sed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi Judices civitatibus præpoſiti, propter quod eos ſolos in ſuis litteris Papa* Fratres *vocat; reliquos autem omnes vocat* Filios. *Et ideo poteſtas faciendi indulgentias plene reſidet in Papa; quia poteſt facere prout vult, cauſa tamen exiſtente legitima. Sed in Epiſcopis eſt taxata ſecundum ordinationem Papæ. Et ideo poſſunt facere ſecundum quod eſt eis taxatum, & non amplius.*

IX. Ex his fit, quod ſolus Papa, qui ſolus habet plenitudinem poteſtatis, poteſt indulgentiam plenariam facere, & hoc quibuſvis per totam Eccleſiam fidelibus. Cæteri autem Epiſcopi non poſſunt, niſi his, qui ſunt ex ſua diœceſi; Archiepiſcopi, his qui ſunt de ſua provincia. Atque has unius tantum anni, cum dedicatur Eccleſia; aliis vero temporibus quadraginta ſolum dierum. Ita ſtatuerunt Innocentius III. in Concilio Lateran. IV. & Cap. *Cum ex eo*, tit. *de Pœnitentiis*, Honorius IV. Cap. *Noſtro*, eodem tit. & Bonifacius VIII. Cap. *Indulgentia*, in Sexto, eodem titul. Et hoc ait Bonifacius ſive ab uno, ſive a plurimis ſimul Epiſcopis dentur. *Si vero prædictum modum exceſſerint, indulgentiæ vires non obtinent*, quantum tamen ad exceſſum: valent enim quantum ad eam partem, quam jure poſſunt concedere; quia ſecundum regulam juris 37. in Sexto: *Utile non debet per inutile vitiari.*

X. Indulgentias autem ab Epiſcopis latas ſolis fidelibus eis ſubditis prodeſſe, declaravit Alexander III. qui interrogatus ab Archiepiſcopo Cantuarienſi: num conceſſæ ab Epiſcopis indulgentiæ proſint fidelibus eis non ſubjectis, quia alterius diœceſis? Reſpondet, Cap. Quod autem: *Quod cum a non ſuo Judice ligari nullus valeat, vel abſolvi; remiſſiones prædictas prodeſſe illis tantummodo arbitramur, quibus ut proſint, proprii Judices ſpecialiter indulſerunt.* Loquitur autem de indulgentis conceſſis in dedicatione Eccleſiarum, & conferentibus ad ædificationem pontium, ſuper quo conſultus fuerat.

XI. Quo autem jure habeant Epiſcopi poteſtatem indulgentias concedendi: an jure tantum eccleſiaſtico, an vero etiam divino; diſtinguendum videtur. Vel enim loquimur de poteſtate eas concedendi, vel de modo exercendæ talis poteſtatis. Si de poteſtate indulgentias ſuis ſubditis concedendi loquamur; eam dici poteſt a Chriſto Epiſcopis collatam fuiſſe, & proinde a jure divino in eos derivaſſe. Si vero de modo exercendæ hujus poteſtatis ſermo ſit; hic ex præſcripto Eccleſiæ, ſeu jure humano eccleſiaſtico Epiſcopis ſtatutus fuit. Prima pars videtur colligi; Tum ex Scriptura: nam ſicut, *Joann. 20.* illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, intelligitur conceſſa Apoſtolis, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus ordinaria poteſtas abſolvendi a peccatis: ita hiſce aliis, Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo*, intelligitur eiſdem a Chriſto collata poteſtas in foro exteriori, vel ligandi pœnis, vel a pœnis ſolvendi —— Tum ex traditione: cum enim jus, de quo eſt quæſtio, olim ſibi uſurpaſſent Sacerdotes quidam, qui ad libellos martyrum, inconſultis Epiſcopis, pace lapſos donabant; temerarium hunc auſum tamquam Evangelio, & conceſſæ divinitus Epiſcopis auctoritati contrarium, his verbis compreſſit Cyprianus, Epiſt. 10. *Quod enim non periculum metuere debemus de offenſa Domini, cum aliqui de Presbyteris nec Evangelii, nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omnino ſub Anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia, & contemptu Præpoſiti totum ſibi vindicant?* Si ergo contra Evangelium operabantur Presbyteri, qui inconſultis Episcopis lapſos ad indulgentiam admittebant, ſequitur hoc jure divino Epiſcopis competere.

XII. Accedit ratio theologica, quam indicat S. Thom. *q. 26. Supplem. art. 1.* nimirum: quod conferre indulgentias eſt communia Eccleſiæ bona diſpenſare; diſpenſare autem bona communia Reipublicæ ad ſolos Principes, & Rectores ſpectat. Atqui ſolus Epiſcopus proprie Prælatus, & Rector Eccleſiæ dicitur, *& ideo ipſe ſolus quaſi*

ſponſus annulum Eccleſiæ recipit. Unde *Act.* 20. *verſ.* 28. de Epiſcopis dicitur: *Quod Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*. Unde Cyprianus, Epiſtola 27. *Ut Eccleſia* (inquit) *ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur: cum hoc divina lege fundatum ſit*.

XIII. Secunda vero pars probatur. Nam eſto omnes Epiſcopi divino jure a Chriſto ad regendam Eccleſiam conſtituti ſint; non tamen omnes immediate, & cum æquali poteſtate juriſdictionis: ſed ſicut in Petro Eccleſiam fundavit, eique univerſale regimen ſuarum ovium commiſit; ita hoc privilegium divino jure in Petri ſucceſſore Romano Pontifice continuatur; ut ipſe ſit totius gregis Rector cum plenitudine juriſdictionis, quæ per ipſum in alios particularium gregum duces, & paſtores deſcendat. Unde S. Thomas, quæſt. 26. Supplem. art. 3. *Papa* (inquit) *habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, quaſi Rex in Regno: ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi Judices ſingulis civitatibus præpoſiti*. Quare modus exercendæ talis poteſtatis juriſdictionis conferendi indulgentias, potuit jure Eccleſiaſtico in Epiſcopis per Papam, & Concilia taxari, ut ſuperius dicebamus.

§. III.

De Concilio Generali.

XIV. Dico. Concilium generale, ſecluſo Pontifice, non habet poteſtatem concedendi plenariam indulgentiam. Primo: Quia ſolus Pontifex, non autem eo ſecluſo, Concilium habet ſupremam in Eccleſia poteſtatem. Secundo. Ut conſtat ex Cap. *Cum ex eo*, tit. *de Pœnit.* Cap. *Noſtro*, eodem titulo, & Cap. *Indulgentia*, in Sexto, non plus poſſunt in concedendis indulgentiis plures Epiſcopi ſimul juncti, quam ſinguli: cum ergo ſingulí non poſſint concedere indulgentias, niſi dictis Canonibus taxatas, nec poterunt ſimul juncti.

Nec dicas, Epiſcopos in Concilio generali junctos repræſentare totam Eccleſiam. — Nego enim ant. Nam ſicut comitia Regni, ſecluſo Rege, non repræſentant Regnum, ita nec Concilia generalia, ſecluſo Pontifice, repræſentant Eccleſiam. Et ſicut membra corporis, ſecluſo capite, omni vigore ſpoliantur: ita membra Eccleſiæ ſeparata a capite Romano Pontifice omni poteſtate, quæ in ea per ipſum derivatur, deſtituuntur.

XV. Objicies tamen primo. Concilium generale habet poteſtatem ferendi leges communes ab omnibus obſervandas, ſaltem mortuo Pontifice; ergo etiam indulgentias ferendi — Reſpondeo, neg. conſ. Nam Concilium generale, mortuo Pontifice, poteſt quidem ferre leges ad regimen Eccleſiæ pro eo tempore, quo Sedes vacat, neceſſarias: ſed ad indulgentias plenarias concedendas, ne quidem tunc, habet poteſtatem; quia in Concilio non eſt poteſtas major Epiſcopali, quamvis multiplicata.

XVI. Objicies ſecundo. In omni communitate diſtributio bonorum communium pertinet ad communitatem ipſam, etiam abſente capite; ergo &c.

Reſpondeo, dato antec. neg. conſeq. Nam theſauri materialis dominium eſt penes communitatem; ipſaque eſt, quæ diſpenſationem illius commiſit Regi, vel Capiti. Spiritualis vero theſauri dominus eſt ſolus Chriſtus; diſpenſator autem ſummus is eſt, quem ſupremum ſui Vicarium conſtituit: unde quamvis in Concilio generali adſint omnes Paſtores, ſi tamen deſit Papa, nemo eſt, qui plene poſſit theſaurum iſtum diſpenſare.

XVII. Objicies tertio. Concilium Baſileenſe, *Seſſ.* 24. de facto conceſſit indulgentiam plenariam, cum tamen tunc ei non adeſſet Papa; ergo &c.

Reſpondeo, indulgentiam illam fuiſſe nullam; nec Concilium illud poſt ſeparationem ab Eugenio Papa fuiſſe verum Concilium, ac ullius auctoritatis, ut ex ejus actis, & ex *Seſſione* 11. Concil. Lateran. ſub Leone X. ubi vocatur conciliabulum omni robore carens; ſed hæc ſunt altioris indaginis, quam præſens materia non patitur.

XVIII. Quæri ſolet: An qui eſt in peccato mortali, poſſit indulgentias facere?

Reſpondet S. Thom. citata *q.* 26. *art.* 4. affirmative. *Nam facere indulgentias pertinet ad juriſdictionem; ſed per peccatum homo non amittit juriſdictionem. Et ideo indulgentiæ æque valent, ſi fiant ab eo, qui eſt in peccato mortali, ſicut ſi fierent ab eo, qui eſt ſanctiſſimus, cum non remittat pœnam ex vi meritorum ſuorum; ſed ex vi meritorum reconditorum in theſauro Eccleſiæ*. Et hic eſt fons, a quo indulgentiæ recipiunt valorem, non autem qui eas concedit, qui nihil de ſuo confert.

Nec valet dicere. Majus eſt indulgentiam facere, quam eas recipere: ſed ille, qui eſt in peccato mortali, non recipit, ergo nec eam facere poteſt. — Reſpondet enim S. Thomas citato loco, *ad* 2. quod *Majus eſt facere indulgentias, quam recipere, quantum ad poteſtatem; ſed eſt minus quantum ad propriam utilitatem*.

Hæc de hac materia ſufficiant. Plura, præſertim praxim ſpectantia, apud Auctores videre Studioſus poterit.



TRA-

TRACTATUS UNDECIMUS

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.



HOC Sacramentum *Extremæ Unctionis* nomen obtinuit, quia inter omnes unctiones extrema eſt. Multas enim unctiones Eccleſia frequentat, nimirum: unctionem catechumenorum in pectore, & inter ſcapulas: unctionem baptizatorum, quæ fit in ſummo vertice: Unctionem, quæ per Epiſcopos fit in fronte, alio nomine confirmatio dicta: unctionem chriſmatis, qua Sacerdotum manus, Epiſcoporum vero, dum ordinantur, manus, & caput inunguntur: unctionem, qua Reges inaugurantur: unctionem denique, qua ſpeciali ritu vaſa ad ſacrificium neceſſaria conſecrantur. Harum poſtrema, & extrema eſt, de qua loquimur; quia niſi prope exitum ex hac vita confertur; ideoque dici etiam ſolet *Unctio infirmorum, & ſacramentum exeuntium*. Unde Tridentinum, *Seſſ.* 14. *c.* 3. *de Sacr. Extr. Unct.* ait; *Declaratur etiam, eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & ſacramentum exeuntium nuncupatur.* Ex materia etiam, qua conſtat, vocatur a Græcis *Oleum Sanctum*: ſic enim in eorum Euchologiis legimus. A materia vero, & forma ſimùl ſumptis a Græcis appellatur etiam oratio cum oleo, juxta Epiſt. Jacobi 5. ver. 14. *Orent ſuper eum ungentes cum oleo*. De hac ergo in præſenti Tractatu ſermo erit.

QUÆSTIO IX.

De eſſentia Extremæ Unctionis,

UT hoc rite expendamus, quæremus primo. An ſit verum novæ legis ſacramentum? Secundo: Quænam ſit ejus materia, & forma?

DUBIUM I.

An Extrema Unctio ſit Sacramentum?

§. I.

Quid in hac Re Sectarii veteres, & moderni ſenſerint.

I. DE Waldenſibus, qui, auctore Petro Waldo, ſæculo duodecimo eruperunt, controvertitur apud eruditos: an revera negarint, extremam unctionem eſſe ſacramentum. Affirmat Bellarminus referens Æneam Sylvium, *lib. de Origine Bohemorum, cap.* 35. (qui tamen ibi de Wicleffiſtis, & Huſſitis, non de waldeſibus loquitur.) Id etiam colligit ex Reynero, contra Waldenſes, *cap.* 5. ubi ait: *Sacramentum unctionis etiam reprobant.*

Alii, inter quos Juvenin, cenſent, Waldenſes improbaſſe quidem ritum, quo extrema unctio a Romana Eccleſia peragitur, & aliquos ejuſdem abuſus; quod nimirum tantum divitibus, & nonniſi pretio daretur: non tamen abſolute a ſacramentis eam expunxiſſe. Unde in fidei profeſſione, quam Ladislao Regi obtulerunt: *Sacramenta* (inquit) *ſeptenario incluſa numero Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus.* Et inſuper duplicem agnoſcunt in extrema unctione effectum: *Primum, cauſam facilioris ingreſſus ad languentes: Hæc re ſacramentum non eſt. Alterum eſt, res ipſa ſignata tali unctione, quæ tribuitur a Deo in Chriſto. Pro qua re in recta fide, ut languenti fideli id condonetur, præcipue orandum eſt B. Jacobi præcepto: Infirmatur quis in vobis &c.* Cæterum reprobabant Extremæ unctionis abuſus, quales videbant (aut effingebant) in Presbyteris illius temporis, nimirum quia ſolis divitibus, & quidem ſoluto pretio dabatur, & propterea plures Sacerdotes, & plura lumina in eo perficiendo adhibebant, quibus impenſis cum pauperes impares eſſent, abſque extrema unctione relinquebantur. Ita ex Reynero. Addunt alii, Waldenſes improbaſſe tantum conſecrationem olei in extrema unctione: ex quo ſequitur, eam eſſe ſacramentum negaſſe. Sicut Calviniſtæ proſcribunt aquæ baptiſmalis conſecrationem, & tamen Baptiſmatis ſacramentum non rejiciunt.

II. Eadem controverſia eſt de Wicleffiſtis, & Huſſitis. Hos enim extremam unctionem e ſacramentorum numero expunxiſſe ſentiunt Bellarminus, & alii, quibus favere videtur Æneas Sylvius, *lib. de Orig. Bohem. cap.* 35. Ubi inter errores Wicleffi, & Huſſitarum refert, quod aſſerant: *Extremam unctionem inter Eccleſiæ ſacra minime contineri.* Et *in Epiſt. ad Cardinalem de Carvajal*, de Huſſitis: dicit: *De Pœnitentia parum ſentiunt, de Confirmatione, & Extrema unctione nihil.* Alii vero putant, Waldenſes, & Huſſitas parum quidem curaſſe, immo & deſpexiſſe Extremam unctionem ſecundum ritum, quo in Eccleſia Romana perficitur; & in hoc ſenſu Æneam Sylvium fuiſſe locutum: non tamen abſolute eam a ſacramentis rejeciſſe. Moventur primo. Quia error iſte a Concilio Conſtantienſi inter articulos, quos, *Seſſ.* 8. in Wicleffo proſcripſit, non recenſetur, nec a Wicleffo ipſo in ſuo Trialogo, ubi ſuos errores recenſet, hujus meminit. In eodem etiam Concilio Joannis Hus errores damnati fuerunt, *Seſſ.* 15. nulla hujus mentio. Et merito: nam cum Joannes Hus, ut habetur ibi, *Seſſ.* 15. Wicleffi doctrinam in omnibus probaret; ſi ſemel iſte Extremam unctionem non rejecit, nec ille rejeciſſe dicendus eſt. Sed huic controverſiæ parcere exiſtimo. Probabilius tamen, & communius tenetur, Waldenſes, & Huſſitas duo tantum ſacramenta admiſiſſe, & proinde Extremam unctionem rejeciſſe, de quo noſter Alexander, *Hiſt. Sæcul.* 11. & 12. *cap.* 4. *art.* 13. §. 3. *Sæcul.* 13. & 14. *c.* 3. *art.* 22. §. 4. Qui tamen, *Sæcul.* 15. & 19. *cap.* 2. *art.* 1. §. Joann. Hus Extremæ unctionis ſacramentum prorſus non rejeciſſe credit.

III. Extra tamen controverſiam apud omnes eſt; Extremam unctionem a Lutheranis, Calviniſtis, aliiſque noſtræ ætatis Sectariis e numero ſacramentorum expungi. Id enim aperte dicit Lutherus, *lib. de Capt. Babylonica*, eam vocans *Deliramentum*. Calvinus, lib. 4. Inſt. cap. 19. §. 18. *Fictitium* (inquit) *ſacramentum eſt Extrema unctio, hiſtrionica hypocriſis, qua citra rationem, & ſine fructu Apoſtolos referre volunt.* Vult enim ritum hunc ad Apoſtolos tantum ſpectare. Chamierus tamen Calviniſta, licet admittat etiam ad noſtra tempora extendi, negat tamen eſſe ſacramentum. A quo tamen diſſentit Dallæus ejuſdem furfuris homo, aſſerens, eam nullo in uſu fuiſſe apud Veteres.

IV. Catholica tamen Eccleſia tenet, ac ſemper tenuit: Extremam unctionem eſſe unum ex ſacramentis novæ legis a Chriſto Domino inſtitutum, & a Jacobo Apoſtolo promulgatum. Ita Trid. *Seſſ.* 14. *c.* 1. *de Extrem. unct.* Et *Can.* 1. anathema dicens ei, qui contrarium auſus fuerit aſſerere: *Si quis dixerit, Extremam unctionem non eſſe vere, & proprie ſacramentum, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema ſit.*

Definiri autem poteſt Extrema unctio, ex Concil. Florentino, *in Decreto Unionis*, quod ſit: *Sacramentum novæ Legis, quo ſanamur ſpiritualiter, immo etiam corporaliter, prout anima expedit.* Vel alio modo: *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ut per unctionem, & orationem Sacerdotis infirmus in extremo vitæ muniatur contra Diaboli inſidias, & ſalutem animæ, immo, ſi ad hunc expedierit, etiam corporis, conſequatur.* Sed ad ſolutionem Dubii veniamus.

§. II.

Veritas Catholica ex Scripturis.

V. DIco. Poteſt ex Scriptura demonſtrari, Extremam unctionem eſſe vere, ac proprie ſacramentum novæ legis. Probo. Tria, etiam juxta Heterodoxos, requiruntur ad ſacramentum novæ legis: ſignum ſenſibile, promiſſio gratiæ, & inſtitutio divina: atqui hæc tria Extremæ unctioni convenire, ex Scriptura poſſunt demonſtrari; ergo &c. Min. prob. ex *cap.* 5. *Epiſt. Canonica Jacobi*, ubi, *verſ.* 14. hæc leguntur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* His verbis habetur primo: Signum ſenſibile, Unctio nimirum olei, & oratio fidei. Secundo: promiſſio gratiæ tali unctioni, & orationi annexa: *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* Tertio; inſtitutio divina ex eo, pro nunc petitur, quod homo non poteſt elementum reddere efficax ad producendam gratiam; ergo cum Jacobus conſtanter affirmet, oleum, cujus meminit, habere conjunctam promiſſionem gratiæ; ſupponit, ad id elevatum fuiſſe a divina inſtitutione, ſicut aqua in Baptiſmo. Sed de hoc infra.

VI. Reſpondet Lutherus, primo: Epiſtolam Jacobi non eſſe Canonicam: & proinde levis roboris eſſe, quod ex ea promitur argumentum. Secundo: Etſi *Eſſet Jacobi*

Apo-

Apoſtoli, dicerem (inquit Lutherus) *non licere Apoſtolo ſua auctoritate ſacramentum inſtituere: Hoc enim ad Chriſtum ſolum pertinebat.*

VII. Sed, quoad primum, falſum dicit. Eam enim Epiſtolam ut genuinam Jacobi, & Canonicam agnoverunt Concilia, Laodicænum, Carthaginenſe III. *Sæculo IV.* Vetuſtiſſimi etiam Patres. Origenes, *Hom. 7. in Joſue*: Athanaſius, *in Synopſi*. Epiphanius. *Hæreſ. 76.* Hieron. *Epiſt. ad Paulinum*. Auguſt. *lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8.* Antiqui Romani Pont. Nam Innocentius I. *Epiſt. 3.* & Gelaſius I. eam tamquam Canonicam admiſere. Si ergo horum auctoritati non fidimus; unde aliorum Scripturæ librorum ſumemus authenticam? An a Luthero? Non latet, aliquos olim dubitaſſe: at nunquid hiſce paucis, & ignotis tot clariſſimorum Eccleſiæ luminum auctoritas non prævalebit? Calvinus ipſe hac in re contradicere auſus non eſt. Unde ſolus Lutherus remanet, qui eam rejiciat, *Stramineam* eam vocans.

Quoad ſecundum ſupponit falſum Lutherus. Nam concedimus & nos, non licere Apoſtolo propria auctoritate ſacramentum inſtituere; nec dicimus, Jacobum fuiſſe extremæ unctionis inſtitutorem, ſed merum ſacramenti a Chriſto jam inſtituti promulgatorem.

VIII. Reſpondet Calvinus: Unctionem, de qua Jacobus, fuiſſe gratiam curationum, quæ Apoſtolis tunc dabatur, cui gratiæ promiſſio non erat conjuncta, & ideo nec ſacramentum erat. Unde *l. 4. Inſt. c. 19. §. 18.* ſimilem facit conceſſioni, qua, *Marci 6. art. 13.* Chriſtus dedit Apoſtolis virtutem faciendi ſigna, leproſos mundandi, mortuos ſuſcitandi; ubi legitur etiam in curatione ægrorum oleum adhibuiſſe: & cohærenter ad hoc Jacobus jubet accerſiri Presbyteros ad ungendum infirmum. Hæc ad nos non ſpectant, in quibus talia dona ceſſarunt. Unde concludit: *Evanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula, quæ ad tempus edi voluit Dominus . . . Ut igitur maxime demus, unctionem ſacramentum fuiſſe illarum virtutum, quæ tunc per manus Apoſtolorum adminiſtrabantur; nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum adminiſtratio commiſſa non eſt.*

IX. Reſp. præfata Jacobi verba perperam a Calvino ad ſanationis donum detorqueri. Tum quia: nec omnes, nec ſoli Presbyteri hoc donum habebant: Tum quia: donum curationum non ſe extendebat ad remiſſionem peccatorum. Tum quia; unctio hæc ad ſolos fideles ſe extendebat; donum autem curationum, & miraculorum etiam ad infidelium converſionem ordinabatur. Cur ergo Jacobus jubet advocari ſolos Presbyteros? Cur ſuper ſolos ægrotos? Cur; ut utantur oleo præſcribit? Donum curationum non ſolis Presbyteris, ſed aliis concedebatur: Dono curationis ſanabantur, non ægroti ſolum, ſed claudi, cæci; nec ſolo oleo, ſed cujuslibet materiæ applicatione ſanitas concedebatur: unde Paulus ſudariis, ſemicinctiis, Petrus umbra ſanitatem infirmis contuliſſe leguntur —— Præterea: Jacobi ſententiam non ad eos ſolos Chriſtianos, qui vivebant temporibus Apoſtolorum, pertinere demonſtrat ea, quæ laudatam ſententiam præcedunt, & ſubſequuntur. Ad omnes enim omnium temporum fideles pertinent, nimirum hæc, & quæ præcedunt: *Patientes eſtote. Confirmate corda veſtra. Nolite jurare. Triſtatur quis in vobis? Oret. Æquo animo eſt? Pſallat.* Et hæc, quæ ſubſequuntur: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*, certe ad fideles etiam noſtri temporis dirigi poſſunt. Cur ergo iſta, quæ interponit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ &c.* ad ſolos fideles illius primi temporis reſtringenda ſunt?

X. Sed pergit Calvinus, §. 21. Dato, huic ætati convenire, quod dicit Jacobus; cur non omnes infirmos ſtatim ungunt, ſed unctionem ad extremum vitæ ſpiritum differunt? Cur ſi Jacobus vult induci Presbyteros, ideſt, quoſcumque ſeniores; ipſi ſolos *Sacrificulos*, ideſt, Sacerdotes ad hoc munus admittunt, & ex his unum ſolum? Cur ſi Jacobus ſimplicem, & vulgarem unctionem olei præſcribit; iſti oleum ab Epiſcopo conſecratum exigunt?

XI. Ad hæc dicetur infra. Modo ad primum dico: hoc ſacramentum principaliter dari non ad ſalutem corporis, ſed animæ; ut nimirum ab hac ad aliam vitam tranſeat a reliquiis peccatorum ſoluta: & ideo dum in extremis agit, ei confertur, ideoque vocatur *Sacramentum exeuntium* —— Ad ſecundum dico: Jacobum velle induci plures Presbyteros, qui orent, non qui ſacramentum miniſtrent: hic enim, ut in aliis ſacramentis, debet eſſe unus, & quidem Sacerdos, ut dicetur. Vel dico, ibi deſignari qualitatem miniſtri, non numerum. Sicut cum dicitur, peccata confitenda eſſe Sacerdotibus; cum tamen confeſſio uni ſoli fiat. —— Ad tertium dico: Jacobum pro materia hujus ſacramenti ſtatuere oleum: quod vero debeat eſſe conſecratum, pertinet ad ritum, cui fundamentum dat ipſe Jacobus, dum ait: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*, ideſt, oleo conſecrato. Sed de hoc infra.

§. III.

Eadem veritas ex traditione.

XII. Dico, Extremam unctionem ſacramentum eſſe. Traditione probatur. Primus traditionis teſtis eſt Origenes, *Homil. 2. in Levit.* Ubi recenſens remedia, quibus in lege Evangelica Fideles remiſſionem peccatorum conſequi poſſunt; ultimo loco ponit Pœnitentiam cum Extrema unctione: *Eſt adhuc* (inquit) *& ſeptima, licet dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum . . . . Et cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundum eum, qui ait; Dixi, pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem cordis mei: in quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini.* Hic Origenes conjungit Pœnitentiam cum extrema unctione, quæ propterea vocatur a Patribus *Conſummatio, atque perfectio pœnitentiæ chriſtianæ*; & utrique promiſſam aſſerit remiſſionem peccatorum. Unam tamen diſtinguit ab altera; cum Extremæ unctioni materiam aſſignat olei unctionem, quæ Pœnitentiæ non convenit: Perduraverat ergo ad tempora Origenis inunctio olei, de qua Jacobus. Ea unctio erat ritus diverſus, erat ſacramentum, quia ſignum ſenſibile ex divina inſtitutione gratiam conferens.

XIII. Accedit Chryſoſtomus, qui 4. Sæculo floruit. Is enim, *l. 3. de Sacerdotio*, ait: *Neque enim ſolum cum nos regenerant* (de Sacerdotibus loquitur) *ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accerſat Presbyteros.* Quibus licet unctionis expreſſe non meminerit, ex Jacobi ſententia, quam producit, tacite inſinuatur. Cum ergo hanc unctionem comparet Baptiſmo; indicat, eam eſſe ſacramentum, ſicut Baptiſmus; & verba Sacerdotis orantis ſuper infirmum ejuſdem virtutis eſſe, ſicut verba baptizantis ſuper Catechumenum.

XIV. Tertius eſt Innocentius I. qui circa ann. 402. ſedit. Rogatus enim a Decentio Epiſcopo Eugubino, primo: Num ſententia S. Jacobi de infirmis oleo inungendis per Sacerdotes intelligatur. Secundo: num hæc inunctio a ſolis Præsbyteris, an etiam ab ipſis Epiſcopis perfici queat. Tertio: an etiam laicus in ſua, vel aliorum neceſſitate oleo iſto uti poſſit. Quarto: num vacantes pœnitentiæ publicæ iſto oleo ungi poſſint —— Quibus reſpondet Innocentius, cap. 8. *Quod non eſt dubium* (ſententiam Jacobi) *de Fidelibus ægrotantibus accipi; vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt; quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo. Caterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi, occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Caterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem a ſe viſitandum, & benedicere, & ungere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* His fatetur Innocentius, non eſſe dubium, Extremam unctionem ex ſententia Jacobi deduci; miniſtrum ejus eſſe Presbyterum, & a fortiori jure Epiſcopum; Epiſcopi eſſe ſacrum chriſma conficere: pœnitentibus publicis conferri non poſſe, quia genus eſt ſacramenti, & quibus reliqua ſacramenta negantur, nec iſtud poſſe concedi. Neſcio quid clarius afferri poſſit.

XV. Sed dicit inter alios Forbeſius, *Inſtruct. Theol. l. 9. cap. 6. §. 7.* Si Decentius dubitavit de Extrema unctione; ergo non erat ejus uſus tunc temporis adeo exploratus. Secundo; ſi Innocentius dicit, non ſolum Sacerdotes, ſed etiam laicos poſſe inungere; ergo non loquitur de Extrema unctione, quam nos aſſerimus, cujus ſolos Sacerdotes ponimus eſſe miniſtros.

Reſpondeo ad primum, quod Decentii dubium abſque omni fundamento fuiſſe declarat Innocentius dicens: *Non eſt dubium.* Nec quod aliquis particularis Epiſcopus ſubdubitaverit, arguit totam Eccleſiam dubitaſſe. Deinde Decentii dubium non erat de ſubſtantia Extremæ unctionis, ſeu an eſſet ſacramentum; ſed an ex epiſtola Jacobi deduceretur: an ejus miniſter poſſet eſse Epiſcopus, an poſſet pœnitentibus dari. Quot autem dubia excitantur etiam de Baptiſmo; cum tamen, quin ſacramentum ſit, nemo dubitet!

Ad ſecundum dico; inungendo ſumi paſſive; nec Innocentium ibi loqui de miniſtro, ſed de ſubjecto capaci ſacramenti. Quaſi dicat, non ſolos Sacerdotes eſse inungendos, quando infirmantur, ſed etiam quoſvis alios Chriſtianos, hoc petentes vel per ſe, ſi poſſint, vel per alios, ſi non poſſint, dummodo de numero pœnitentium non ſint, his enim, niſi prius reconciliatis Eccleſiæ, nullum ſacramentum adminiſtrari poteſt.

XVI. Quartus eſt S. Auguſtinus, qui *l. 1. de Baptiſmo, cap. 20.*

cap. 20. quatuor potiſſimum novæ legis ſacramenta prædicat, Baptiſmum, Extremam unctionem, Euchariſtiam, & Pœnitentiam: *Si ergo* (inquit) *ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio*: Deus peccatorem non audit; *ut per peccatorem ſacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur?* Idem, *Serm. 215. de tempore* (ſeu, ut alii volunt, Cæſarius, Serm. 265. in Appendice) *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus, & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat; & inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud, quod ſcriptum eſt impleatur in eo*: Infirmatur aliquis, inducat Præsbyteros .... *Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam curreret, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentias merebitur obtinere.*

XVII. Apertius autem ſexto ſæculo id teſtatur S. Gregorius Magnus in Sacramentario; ubi materiam, & formam, effectum, & ritum ſacramenti Extremæ unctionis deſcribit. Primo enim, conſecratio olei fit feria 5. in Cœna Domini: *Tunc* (inquit) *offertur Pontifici oleum, & benedicit illud tam ipſe, quam omnes Presbyteri ad ungendum infirmum.* Secundo: ſubjicit orationem ad infirmum ungendum. Tertio: poſtulationem ſanitatis mentis, & corporis pro eo. Quarto: conſummationem ſacramenti præcipit his verbis fieri: *Ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in anguſtiis, & neceſſitatibus laborantem conſolationibus tuis attollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.*

Subſequentium ſæculorum teſtimonia tam Patrum, quam Conciliorum omitto. Ea quis videre poterit apud noſtrum Alexandre, *Theol. Dogm. & mor. de Extr. unct. art.* 1. Juvenin, *Comment. hiſt. & dogm. de Extr. unct. cap.* 2. Boucat, *Diſſert. 5. de Extr. unct. art. un.* §. 2. & alios. Ex quibus evidenter deducitur, Innocentium I. non fuiſſe Extremæ unctionis, ejuſque uſus auctorem, ſed quod Eccleſia a tempore Apoſtolorum acceperat, tradidiſſe. Si enim aliquod novum propoſuiſſet, non defuiſſent, qui eam novitatem potius reſpuerent, quam poſterioribus ſæculis traderent obſervandam.

XVIII. Verum ad penitus conterendam Heterodoxorum duritiem, teſtimonium etiam Eccleſiæ Græcæ præſtat afferre. Poſſem Studioſum remittere ad Leonem Allatium, qui, *lib. 3. de Conſenſione Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali*, auctoritate doctiſſimorum Græcorum hoc oſtendit. Poſſem ad Græcorum Euchologia ipſum remittere, in quibus reperitur ritus Extremam unctionem conferendi cum orationibus, quæ indicant, eam eſſe ſacramentum, ut videre eſt apud Goarium, *in Officium Sancti Olei*. Solum proferam teſtimonia Eccleſiæ Græcæ recentioris; quæ eſto in multis a Latina diſcors, in hoc tamen cum ea concors eſt.

Jeremias ergo in cenſura, quam fecit ſuper confeſſionem Auguſtanam Lutheranorum, *cap. 7.* ait: *Quæ in ea ipſa Catholica recte ſentientium Chriſtianorum Eccleſiæ tradita ſunt nobis Myſteria, utique ſeptem ſunt, videlicet: Baptiſma, Chriſma divini unguenti, ſacroſancta Communio, Manus impoſitio, Matrimonium, & ſanctum Oleum.*

Concilium Conſtantinop. ſub Parthenio, *anno* 1642. celebratum contra Cyrillum Lucari, & Calvini dogmata: tamquam hæreticum, & Catholicæ Orientalium religioni contrarium, inter cætera damnat, num. 15. Quod *Negat ſacramenta quinque: Sacerdotium, ſacram unctionem, ſacrum Oleum, confeſſionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias: quæ omnia ut ſacra, & divina gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.*

Item Synodus Jeroſolymitana ſub Doſitheo, *anno* 1672. contra eumdem Cyrillum factum Calviniſtam congregata, Cap. 5. *Cyrillo* (inquit) *dogmatizanti, & credenti, non eſſe ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, videlicet: Baptiſmum, Confirmationem, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Ordinem, Extremam unctionem, & Matrimonium, juxta Chriſti diſpenſationem. Apoſtolorumque traditionem, nec non & Eccleſiæ conſuetudinem; ſed mentienti duo tantum a Chriſto in Evangelio fuiſſe tradita, Baptiſmum ſcilicet, & Euchariſtiam . . . Anathema.* Et altera Synodus Conſtantinopolitana ſub Dionyſio Patriarcha, *anno* 1672. enumerans Eccleſiæ ſacramenta: *Septimum* (inquit) *eſt unctio, quam vocamus factam cum precibus unctionem. Hujus duplex effectus eſt, animæ nimirum, corporiſque ſanatio.* Ecce Calviniſtas, alioſque Sectarios negantes Extremam unctionem eſſe ſacramentum, ab utraque Eccleſia, Latina, & Græca quamvis ſchiſmate ſeparata, damnatos.

XIX. His omnibus adjungi poteſt congruentia, quam aſſignat S. Thom. *in Supplem. 3. part. quæſt. 29. art.* 1. his verbis: *his, quæ Eccleſia viſibiliter operatur, quædam ſunt ſacramenta, ut Baptiſmus; quædam ſacramentalia, ut Exorciſmus. Quorum eſt hæc differentia: quod ſacramentum dicitur illa actio Eccleſiæ, quæ attingit ad effectum principaliter intentum in adminiſtratione ſacramentorum: ſed ſacramentale dicitur illa actio, quæ quamvis non pertingat ad illum effectum; tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem. Effectus autem intentus in adminiſtratione ſacramentorum, eſt curatio morbi peccati. Unde Iſaiæ*: Hic eſt omnis fructus, ut tollatur peccatum. *Et ideo cum ad hunc effectum pertingat Extrema unctio, ut ex verbis Jacobi patet, nec ordinetur ad aliud ſacramentum: quaſi ei annexum; conſtat, quod Extrema unctio non eſt ſacramentale, ſed ſacramentum.*

XX. Altera eſt, quam proponit Catechiſmus. Rom. *de Extr. unct. num.* 1. Decuit ſummam Dei bonitatem, ut homini pro quocumque hujus vitæ ſtatu, provideret de remediis, quibus vitæ ſpiritualis exordium, progreſſum, & tandem terminum, qui eſt vita æterna, conſequeretur; ergo ſicut, ut primo ad vitam ſpiritualem naſceretur, inſtituit Baptiſma; ut roboraretur in fide, Confirmationem; ut in ea nutriretur, Euchariſtiam; ut a morbo ſanaretur, Pœnitentiam: ita, & maxime ut ab hac mortali ad æternam, & immortalem vitam feliciter tranſiret, & contra pericula, quæ in eo puncto circumſtant, eum muniret, decuit, ut ei per Extremam unctionem auxilia pararet.

§. IV.

Heterodoxorum Objectiones.

XXI. PRimo objiciunt. Sacramentum proprie dictum debet eſſe a Chriſto inſtitutum: ſed Extremam unctionem a Chriſto fuiſſe inſtitutam nullibi legimus in Scriptura, ergo &c. Min. probatur. Quod enim, *Marci 6. verſ.* 13. legitur, quod Chriſti accepto mandato diſcipuli *Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant*, non eſt ad rem. Tum quia: ibi agitur de unctione ad ſananda corpora, non animas. Tum quia ſi virtus ad ejiciendos Dæmones ſacramentum non erat; cur virtus curandi ægrotos ſacramentum cenſendum erit?

Rurſus. S. Jacobus in citata Epiſtola præſcribit quidem modum ungendi infirmos; ſed non dicit ſe hoc accepiſſe a Chriſto, ſicut dicit Paulus de Euchariſtia 1. Corinth. 11. verſ. 23. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis*; ergo hunc ritum non mere promulgavit, ſed revera primus inſtituit.

XXII. Reſpondeo, neg. min. Ad ejus primam probationem contendunt multi, ſacramentum hoc fuiſſe a Chriſto inſtitutum, *Marci 6.* cum dedit diſcipulis virtutem, ut oleo infirmos curarent: nec enim tantum ad curanda, corpora, ſed potius ad curandas animas eos mittebat. Addentes, quod ſi ad ſolius corporis ſanationem eos miſiſſet, nihil neceſſe erat, ut oleo uterentur; cum verbo, tactu, aliiſque modis miraculoſas ſanationes potuiſſent facere, ſicut de facto feciſſe leguntur. Ita probabiliter.

Alii vero forte probabilius ſentiunt, *cap. 6. Marci*. Extremam unctionem fuiſſe quidem inſinuatam, ſed non inſtitutam: & unctionem illam, quam adhibebant Apoſtoli, adumbraſſe quidem ſacramentum Extremæ unctionis: ſed ſacramentum tunc non fuiſſe, nec virtutem habuiſſe, niſi ad ſananda corpora: ac proinde Tridentinum, *Seſſ. 13. de Exr. unct. cap.* 1. dicit: *Apud Marcum quidem inſinuatum* a Chriſto fuiſſe, non dicit *inſtitutum*. Et S. Thom. *q. 29. Supplem. art. 3. ad* 1. ait: *Tamen etiam de Olei unctione fit mentio in Evangelio Marci 6. ubi dicitur, quod Apoſtoli oleo ungebant infirmos.*

Moventur autem ad exiſtimandum, unctionem illam, de qua *Marci 6.* non fuiſſe adhuc ſacramentum. Primo: quia adhibebatur indifferenter omnibus ægrotis, ſive decumbentibus, & in periculo vitæ conſtitutis, ſive aliis. Secundo: ſive baptizatis, ſive non baptizatis; cum non legatur, eos, quos ungebant, Apoſtolos prius baptizaſſe: cum tamen hujus ſacramenti ſoli baptizati capaces ſint. Tertio: quia Apoſtoli nondum erant Sacerdotes, cum fuerint ordinati ſolum in ultima Cœna: conſtat autem hujus ſacramenti miniſtrum ſolum eſſe Secerdotem, nec ullum diſpenſationis a Chriſto factæ extat argumentum. Quarto: Illa unctio ſanativa corporum poterat ad ſummum ordinari ad excitandam, & ſtabiliendam fidem; & ad hunc finem ordinabat etiam Chriſtus ſanationes, quas faciebat: non tamen exiſtimandum eſt, quod illa unctio per ſe, & ex opere operato ſanaret animas, ſeu gratiam ſanctificationis conferret: ſed ſacramenta novæ legis debent per ſe, & ex opere operato conferre gratiam, & non ſolum excitare fidem, qua deinde juſtificemur, ut contra modernos Sectarios oſtendimus, ergo &c.

XXIII. Probabilius ergo cenſeo, Extremam unctionem fuiſſe a Chriſto inſtitutam poſt illius a mortis reſurrectionem, poſt inſtitutum ſacramentum Pœnitentiæ. Cum enim ex Tridentinum Extrema unctio ſit conſummativa ſacramenti Pœnitentiæ: credibile, eſt, quod poſt iſtud fuerit inſtituta in eſſe ſacramenti: & quod ad hoc reſpexerit Jacobus in ſua Epiſtola. Et huc etiam trahi poſſunt verba S. Leonis, *Serm. 1. de Aſcenſione*, dicentis: *Hi dies, qui inter reſurrectionem, Aſcenſionemque fluxerunt, non otioſo tranſierunt decurſu; ſed magna in eis confirmata ſunt ſacramenta, magna revelata myſteria.*

XXIV. Huic doctrinæ ſuffragatur Sanct. Thom. *quæſt. 29. Supplem. art.* 3. Ubi rejecta opinione quorumdam volentium, Chriſtum hoc ſacramentum, ſicut & Confirmationis, per ſe non inſtituiſſe, ſed Apoſtolis inſtituendum dimiſiſſe, ait: *Et ideo alii dicunt, quod omnia ſacramenta Chriſtus inſtituit per ſeipſum: Sed quædam per*

ſeipſum

ſeipſum promulgavit, quæ ſunt majoris difficultatis ad credendum: quædam autem Apoſtolis promulganda reſervavit, ſicut Extremam unctionem, & Confirmationem. Et hæc opinio pro tanto videtur probabilior. Quia ſacramenta ad fundamentum legis pertinent: & ideo ad Legislatorem pertinet eorum inſtitutio. Et iterum, quia ex inſtitutione efficaciam habent, quæ in eis nonniſi divinitus ineſt.

XXV. Nec dicas: nullibi in Evangelio legi factam a Chriſto ejuſmodi inſtitutionem —— Nam reſpondet Sanctus Thomas laudato loco, ad 1. *Quod multa Dominus fecit, & dixit, quæ in Evangelio non continentur. Illa enim præcipue curaverunt Evangeliſtæ tradere, quæ ad neceſſitatem ſalutis, & Eccleſiaſticæ diſpoſitionis pertinent. Et ideo potius inſtitutionem Baptiſmi, & Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, & Ordinis factam a Chriſto narraverunt, quam Extremæ unctionis, & Confirmationis; quæ neque ſunt de neceſſitate ſalutis, neque ad diſpoſitionem, ſive diſtinctionem Eccleſiæ pertinent. Tamen etiam de Olei unctione fit mentio in Evangelio, Marci 6. ubi dicitur, quod Apoſtoli* Oleo ungebant infirmos.

XXVI. Objiciunt ſecundo. Unctio noſtra non eſt ea, de qua loquitur S. Jacobus. Nam ea eſt unctio ad ſanitatem corporis, noſtra ad ſanitatem animæ. Secundo: illa ſanitatem conferebat ratione fidei: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus:* noſtra ſanat animam ex opere operato. Tertio: unctio noſtra ortum habet ab Hæreticis Heracleonitis, teſte S. Irenæo, *lib.* 1. *cap.* 18.

XXVII. Ad hæc ex parte reſpondi ſupra, §. 2. num. 9. Nunc addo falſum eſſe, unctionem, de qua Sanctus Jacobus, ad ſolam corporis ſanitatem datam fuiſſe. Ad eam enim conferendam jubentur advocari Presbyteri Eccleſiæ: ad ſanandum autem tantum corporaliter vocandi ſunt medici, vel qui gratiam habent curationum, quæ nec omnibus, nec ſolis Eccleſiæ Presbyteris conceditur. Verbum *Alleviabit*, ſeu *Relevabit* ſignificat effectum ſanitatis tum corporis, tum animæ, & idem valet, quod eriget eum a corporis, & animæ anguſtia, quam morituri patiuntur: ita ut ab anguſtiis animæ, ob peccatum, ſeu peccati reliquias, erigat abſolute, & de facto, ſi infirmus ſit diſpoſitus, ab anguſtiis vero etiam corporis erigat, ſi ejus ſaluti æternæ expedierit.

Ad ſecundum dico: Jacobum velle, quod *Oratio fidei ſalvabit &c.* non quia ſolis fidei Miniſtris tribuat effectum unctionis; ſed quia oratio ſuper infirmum valet: quando naſcitur a fide Eccleſiæ, cujus miniſter intendit perſonam gerere. Vel quia pro ſolis fidelibus eſt inſtituta illa unctio: vel quia magnum Myſterium continet, quod ſola fide concipitur.

Ad tertium de Heracleonitis dicit S. Auguſtinus, *lib. de Hæreſibus, cap.* 16. iſtos hæreticos *Novo modo morientes ſuos quaſi redimere, ideſt, per oleum, balſamum, & aquam, & invocationes: quas hebraicis verbis dicunt ſuper capita eorum.* Damnantur ergo, quia modo novo; & a modo Eccleſiæ diverſo morientes ſuos ungebant.

XXVIII. Objiciunt tertio. Patres priorum ſæculorum, & Eccleſiaſtici Scriptores Extremæ unctionis non meminere. Nec Euſebius, *lib.* 3. *de vita Conſtantini*, ejus ſuprema deſcribens. Nec S. Athanaſius *in vita S. Antonii*, nec S. Gregorius Nazianzenus, *in Vita ſororis Gorgoniæ.* Nec alii. Meminiſſent autem, ſi in uſu fuiſſet.

XXIX. Reſpondeo: ex ſilentio præfatorum Scriptorum, & aliorum nihil concludi adverſus uſum Extremæ unctionis illis temporibus; cum illum atteſtentur Origenes, Chryſoſtomus, Innocentius I. Auguſtinus, & alii illorum ſæculorum Patres, ut ſupra diximus. Nam neque ullam Viatici ab eis, quorum exitum ſcribebant, ſuſcepti, mentionem fecerunt: cum tamen vetus Eccleſiæ regula morituris illud præſcriberet. De qua Nicæna Synodus *Can.* 13. dicit: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur: ita ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo, & neceſſario viatico minime privetur.* Dici etiam poteſt, Auctores illos deſcribendo viros illos in pœnitentia mortuos fuiſſe; tacite indicaſſe Extremam unctionem ſuſcepiſſe, quæ pœnitentiæ conſummatio eſt. Accedit, quod primis illis ſæculis multis differebant Baptiſmum uſque ad mortem. Unde hi non ſuſcipiebant Extremam unctionem, cuſtodita per illud breve tempus innocentia baptiſmali.

XXX. Objiciunt quarto. Oleum infirmorum, de quo Jacobus, ad ungendos infirmos, non eſt ſacramentum. Primo: quia, præter oleum infirmorum, datur etiam oleum catechumenorum in ipſa Eccleſia Romana, hoc autem nemo dixerit eſſe ſacramentum. —— Secundum: Chriſtus ſacramenta ſua prior ipſe exhibuit, voluit enim baptizari, & Euchariſtiam ſumere, Oleum autem Extremæ unctionis non exhibuit —— Tertio: ſacramenta novæ legis in aliquo ex veteribus præfigurata fuerunt: Extrema autem unctio in nullo præfigurata fuit.

XXXI. Reſpondeo: neg. aſſumptum. Ad primam probatur dico cum S. Thoma qu. 29. Supplem. art. 1. ad 1. *Quod oleum, quo Catechumeni inunguntur, ſua unctione non perducit ad peccati remiſſionem; quia hoc ad Baptiſmum pertinet, ſed aliquo modo ad Baptiſmum diſponit . . . Et ideo illa unctio non eſt ſacramentum, ſicut unctio Extrema*, de qua dicit Jacobus: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*; & ideo eſt ſacramentum.

Ad ſecundum dicit S. Thom. citata qu. 29. art. 3. ad 3. *Quod Chriſtus non exhibuit aliquod ſacramentum: niſi quod ipſe accepit in exemplum. Accipere autem Pœnitentiam, & Extremam unctionem, ſibi non competebat; quia ſine peccato erat, ideo ipſe non exhibuit.*

Ad tertium. Dicit idem S. Thom. dicta qu. 29. art. 1. ad 2. *Quod hoc ſacramentum immediate hominem ad gloriam diſponit, cum exeuntibus a corpore detur. Et quia in veteri lege non erat tempus adhuc perveniendi ad gloriam; quia* neminem ad perfectum adduxit lex (Hebr. 7.) *ideo iſtud ſacramentum præfigurari non debuit per aliquod ſacramentum ſibi reſpondens; ſicut per figuram ejuſdem generis: quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum ſit in omnibus curationibus, quæ leguntur in veteri Teſtamento.*

XXXII. Si quæras: An Extrema unctio ſit unum ſacramentum? —— Reſpondeo affirmative cum Sanct. Thom. *qu.* 29. *Supplem. art.* 2. Quamvis enim in hoc ſacramento iterentur unctiones in diverſis partibus corporis: quia hæ omnes ſunt de ſignificatione ejuſdem ſacramenti; ideo non tollunt ſacramenti unitatem: *Sicut patet in Euchariſtia; quia refectio corporalis, quæ ſignificat ſpiritualem, non poteſt eſſe, niſi per cibum, & potum: & ſimile eſt in hoc ſacramento; quia curatio interiorum vulnerum non poteſt perfecte ſignificari, niſi per appoſitionem medicinæ ad diverſas vulnerum radices. Et ideo plures unctiones ſunt de perfectione hujus ſacramenti.*

DUBIUM II.

Quanam ſit Extremæ Unctionis Materia.

§. I.

De Materia Remota.

I. DUplicem in ſacramentis diſtinguunt Theologi materiam, ut diximus, *de Sacram. in Genere:* remotam unam, proximam alteram. Remota eſt res ſenſibilis, quæ ad ſacramenti ſignificationem aſſumitur. Proxima vero eſt actio applicans rem illam ſenſibilem ſubjecto. Sic aqua eſt in Baptiſmo materia remota, ablutio autem, ſeu immerſio eſt materia proxima. Nunc de materia remota.

II. Lutherus, qui licet neget Extremam unctionem eſſe ſacramentum ſtricte ſumptum, admittit tamen eſſe ſacramentum in ſenſu lato, ſeu quoddam ſacramentale: adhuc tamen negat, oleum abſolute requiri, lib. de Captivitate Babylon. *Hoc ipſum* (inquit) *caute, ac de induſtria Jacobus previdit, dum promiſſionem ſanitatis, & remiſſionem peccatorum non tribuit unctioni, ſed orationi.* Non miniſtri quidem, ſed ſuſcipientis.

III. Quia vero oleum poteſt confici ex olivis, aut ex aliis rebus; poteſt eſſe ſimplex, vel mixtum alio liquore, conſecratum, vel non conſecratum, ab Epiſcopo, vel a ſimplici Presbytero: de his omnibus erit ſermo. Calvinus rejicit Epiſcopi conſecrationem, *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 10. §. 21. eamque de more dicteriis laceſſit, dicens: *Jacobus dum ſimpliciter ungi infirmos jubet, non aliam unctionem mihi ſignificat, quam vulgaris olei; nec aliud habetur in Marci narratione. Iſti oleum non dignantur, niſi ab Epiſcopo conſecratum: hoc eſt multo halitu calefactum, multo murmure incantatum; & novies flexo genu ſalutatum &c.* Waldenſes etiam quamlibet rei conſecrationem, ſive ab Epiſcopo, ſive a Presbyteris factam rejiciebant. In contrarium tamen ſtat Eccleſia tam Latina, quam Græca. Unde

IV. Dico primo. Materia remota hujus ſacramenti eſt oleum olivarum. Ita S. Thom. *q.* 29. *Suppl. art.* 4. & cum eo omnes Doctores. Et eſt de fide. Conſtat enim ex Jacobo, cap. 5. dicente, v. 14. *Ungentes cum oleo.* Ex traditione, & praxi Eccleſiæ. Unde Concilium Florentinum, in Decreto unionis: *Quintum ſacramentum* (inquit) *eſt Extrema unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum.* Et Tridentinum, *Seſſ.* 14. *cap.* 1. relatis Jacobi verbis, & continua praxi ait, quibus *intellexit Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum. Nam unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.*

Unde S. Thom. *art.* 4. citato, *in Corp.* ait: *Spiritualis ſanatio, quæ in fine adhibetur, debet eſſe perfecta, quia poſt eam alia non relinquitur, & lenis, ut ſpes, quæ exeuntibus eſt maxime neceſſaria, non frangatur, ſed foveatur. Oleum autem lenitivum eſt, & penetrativum uſque ad intima, & etiam diffuſivum. Et ideo quantum ad utrumque prædictorum eſt conveniens materia hujus ſacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor; cum alii liquores ſolum ex ſimilitudine ad ipſum, olei nomen accipiant: ideo oleum olivæ etiam debet eſſe, quod aſſumitur in materia hujus ſacramenti.* Hinc etſi nec S. Jacobus, nec Tridentinum exprimant, oleum Extremæ unctionis debere eſſe olivis expreſſum; de hoc tamen debent intelligi, dum abſolute illud vocant *Oleum*. Sicut dum quis abſolute dicit *Panem*, de pane triticeo intelligendus eſt. Tum quia: id expreſſe dicit Florentinum, per quod & S. Jacobus, & Tridentinum explicari debent.

Hac ratione, ut obſervat S. Thomas, ibi *ad* 2. oleum potius adhibetur, quam vinum: *Quia vinum ſanat mordendo, ſed oleum leniendo: Et ideo curatio per vinum magis parti-*

pertinet ad pœnitentiam, quam ad hoc sacramentum. Quamvis autem *oleum oliva non ubique crescat, tamen de facili potest ad quemlibet locum transferri. Et præterea hoc sacramentum non est tanta necessitatis, quod exeuntes sine hoc sacramento non possint salutem consequi*, ut observat S. Thom. ibidem, *ad 3.*

V. Materia autem hujus sacramenti debet esse oleum simplex, non balsamo, vel alio liquore mixtum. Unde si misceatur balsamum, seu alius liquor, censent plures violari Ecclesiasticum præceptum. Immo si fieret tanta mixtio, ut vel oleum esse desinat, vel non sit unctio olei, non erit sufficiens materia. Rationem autem dat S. Thomas, art. 4. citato, ad 1. *Quia balsamum propter odorem pertinet ad bonitatem famæ, qua de cætero non indigent propter se exeuntes; sed indigent tantum nitore conscientiæ, qui per oleum significatur* — Nec obest quod Innocentius I. supra laudatus, *Dub. præced. in Epist. ad Decentium*, vocet ipsum *Oleum chrismatis*. Nam vel ibi sumit chrisma generice, pro ut idem est ac *oleum unctionis*: vel vocat oleum chrismatis, idest oleum benedictione consecratum. Constans enim est apud Ecclesiam tam Latinam, quam Græcam, materiam Extremæ unctionis esse oleum simplex nullo liquore permixtum.

VI. Dico secundo. Materia hujus sacramenti debet esse oleum consecratum, & quidem ab Episcopo. Est contra Calvinum, aliosque Sectarios. Prior pars, quod oleum debeat esse benedictum, seu consecratum, constat ex perpetua Ecclesiæ consuetudine; cujus testes sunt quotquot de hoc sacramentum scripserunt: eamque confirmarunt Eugenius IV. in decreto pro Armenis, & Concilium Tridentinum. Congruentias autem exhibet S. Thom. q. 29. Suppl. sæpe laudata, art. 5. *Prima est: Quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit. Et ideo sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo; sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione, & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est, propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur; non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc, quod effectus ejus corporalis, scilicet, sanatio corporalis, non causatur ex materia naturali proprietate, & ideo oportet, quod hæc efficacia sibi per sanctificationem detur.* Hinc vocatur *Oleum sanctum* ab Hincmaro Remensi: *Oleum sanctificatum* a Jona Aurelianensi: *Oleum sacrificatum* a Concilio Aquisgranensi.

VII. Posterior vero pars, quod debeat esse consecratum ab Episcopo, colligitur ex Innocentio I. *Epist. laudata ad Decentium*, ubi ait: *Quo oleo ab Episcopo confecto &c.* Ex Gregorio etiam Magno dicente in suo Sacramentario: *Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit illum &c.* Id statuunt, Florentinum in decretum unionis dicens, quod materia hujus sacramenti *Est oleum oliva ab Episcopo benedictum:* & Tridentinum, sess. 14. de Extrem. unct. cap. 1. *Intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Rationem autem dat Sanct. Thom. sæpe citata *quæst. 29. Suppl. art. 6.* dicens: sacramenti *Efficacia primo est a Christo, & ab ipso in alios descendit ordinate, scilicet, in populum mediantibus ministris qui sacramenta dispensant, & in ministros inferiores mediantibus superioribus qui materiam sanctificant. Et ideo in omnibus sacramentis quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiæ fit per Episcopum, & usus quandoque per Sacerdotem; ut ostendatur Sacerdotalis potestas ab Episcopali derivata, secundum illud Psalm. 132.* Sicut unguentum in Capite, *scilicet in Christo*, quod *prius* descendit in barbam Aaron, *deinde* usque ad oram vestimenti.

VIII. Quod in hac parte etiam inter Catholicos Doctores controvertitur, est: An hæc olei benedictio ita de essentia hujus sacramenti sit, ut si oleum, vel non sit benedictum, vel ab Episcopo benedictum non sit, sacramentum sit nullum.

Aliqui, inter quos Sylvius ad præfatum art. affirmative respondent. Dicentes, nec Pontificem dispensare posse, ut hujus olei benedictio ab alio fiat, quam ab Episcopo; & multo minus, ut oleo non benedicto sacramentum conferat: quia putant materiam essentialem Extremæ unctionis esse oleum, ut benedictum, & quidem ab Episcopo. Unde ajunt, Concilia Florent. & Tridentinum pro materia hujus sacramenti non assignare oleum præcise, sed ab Episcopo benedictum. Et putant sibi favere Sanctum Thomam, qui loco supra citato distinguit inter sacramenta, quorum materia fuit a Christo suo usu, & tactu carnis suæ sanctificata, & illa, quæ Christus nec suo usu nec contactu sanctificavit: & dicit, quod licet non requiratur, ut materia illorum per hominem, seu ministrum sanctificetur, ut in aqua baptismali, quæ vim regenerativam non accipit ex benedictione ministri, sed eam habuit ex tactu carnis Christi, qui suo Baptismo aquas sanctificavit: materia tamen illorum, quam Christus suo tactu non sanctificavit, inter quæ est Extrema unctio, debet sanctificari benedictione ministri, sine qua non est materia idonea.

IX. Alii vero existimant præviam benedictionem, seu consecrationem olei ad ungendum infirmum, esse quidem de necessitate præcepti, & ritus, non tamen de necessitate, & essentia sacramenti: adeo ut, qui uteretur oleo simplici, vel nullatenus benedicto, vel non benedicto ab Episcopo, peccaret quidem tamquam faciens contra ritum ab Ecclesia præceptum; validum tamen faceret sacramentum. Priorem partem colligunt. Primo: ex Epist. Jacobi, qui ad hoc sacramentum requirit tantum unctionem olei in nomine Domini, & orationem fidei: sed minister utens oleo non consecrato vere ungeret oleo in nomine Domini, idest, auctoritate Christi, ut ejus minister, & oratione tamquam forma determinaret, & quasi consecraret oleum ad effectum hujus sacramenti, ergo &c. — Secundo: quia fundamenta oppositæ sententiæ evincunt quidem benedictionem olei præviam ad usum requiri necessario necessitate præcepti, tamquam ritum, ita ut qui eam omitteret, peccaret, & qui eam, ut Waldenses, & moderni Sectarii, tamquam invalidam, & superstitiosam rejiceret, ut hæreticus habendus esset, secundum Concil. Tridentinum, *Sess. 7. Can. 13.* non tamen evincunt, eam requiri ad valorem sacramenti.

X. Posterior autem pars, quod oleum, etsi non consecratum ab Episcopo, sed a simplici Presbytero, adhuc sit materia sufficiens, probatur. Primo: quia, ex dictis, pro hac opinione benedictio olei requiritur tantum ex præcepto Ecclesiastico, non autem divino, cum hujus nec Scriptura, nec Patres unquam meminerint; ergo Ecclesia dispensare potest, ut a simplici Presbytero benedicatur. Secundo: in Ecclesia Orientali nunquam prohibitum fuit: immo a mille, & amplius annis, ut ex eorum Eucologiis apparet, simplices Presbyteri oleum infirmorum benedicere consueverunt: quam praxim Clemens VIII. non improbavit. In instructione enim ad Episcopos Latinos directa sub hoc titulo *circa oleum infirmorum*, hæc ait: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci, olea sancta, præter chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum ejusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.* Immo, Sambonio teste, Congregatio de Propaganda fide hunc ritum probavit; dum ejus impensis ac jussu edita est Romæ Synopsis vernacula Neophyti Rhodini, in qua sic habetur: *Materia sacramenti Extremæ unctionis est oleum oliva expressum, a Pontifice, vel Sacerdote benedictum.*

XI. In Ecclesia tamen Occidentali nullum extat exemplum, quo probari queat, ab alio, quam ab Episcopo, oleum pro infirmis consecratum fuisse. Immo in contrarium stat oppositа praxis, quam omnia Concilia Occidentalia, etiam ante Florentinum, & Tridentinum, confirmavere, & hanc probat ratio S. Thomæ *art. 6.* supra relata.

XII. Utraque tamen hac supra relata opinione suæ probabilitati relicta, tutiorem in praxi censeo primam. Unde sine speciali dispensatione summi Pontificis censeo, Sacerdotem oleo, vel non consecrato, vel non consecrato ab Episcopo, infirmum inungere non posse, neque in casu necessitatis. Quia cum agitur de valore sacramenti, semper tenemur sequi tutiorem: & cum hoc sacramentum non sit ex necessariis ad salutem; necessitas nulla est assumendi materiam dubiam: qualis apud Latinos est oleum non consecratum ab Episcopo, & apud Græcos etiam oleum nullo modo præcipue consecratum.

Quod si in Ecclesia Latina deficeret oleum ab Episcopo feria 5. in Cœna Domini benedictum: in tali casu admisceri deberet, in minori tamen quantitate, oleum non consecratum, ut habetur, Cap. Quod in dubiis de consecr. Ecclesiæ: *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.*

§. II.

De Materia Proxima.

HIC quæremus primo: utrum unctio sit materia próxima unctionis Extremæ. Secundo: in qua parte corporis unctio fieri debeat, ut sacramentum valeat.

XIII. Dico primo. Unctio est materia proxima sacramenti extremæ unctionis. De hoc nemo dubitat. Id enim docet Jacobus: *Ungentes* (inquit) *oleo*. Idem confirmant Patres, & Concilia. Materia enim proxima sacramentorum, quæ in usu sita sunt, est usus ipse, seu applicatio materiæ remotæ subjecto idoneo. Cum igitur materia remota Extremæ unctionis, quod est sacramentum in usu consistens, sit oleum, nec aliter applicetur illud, nisi unctione, unctio materia proxima erit, sicut ablutio est materia proxima Baptismi.

XIV. Circa partes vero corporis, quæ ungendæ sunt, non idem est ritus apud Græcos, & Latinos. Nam apud Græcos unctio adhibetur in fronte, genis, mento, & manibus, teste Simeone Thessalonicensi, *lib. de Sacrament.* Modo autem etiam pectus, & pedes inungere Arcudius testatur. Apud Occidentales vero unctio in quinque sensuum sedibus, secundum S. Gregorium, *in suo Sacramentario*, fieri, sexto labente sæculo, consueverat: non tamen universaliter. Nam, ut notat Ugo Menardus in suis notis ad Gregorii Sacramentarium, varii veteres codices aliarum etiam partium unctionem præscribunt, ut colli, pectoris, scapularum. Tandem Eugenius IV. in suo decreto pro Armenis, præter quinque sensus, pedes, ac renes inungi imperat, ait enim: *Hoc sacramentum, nisi*

niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus eſt; in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Ita etiam Catechiſmus Romanus, *de ſacr. Extr. unct. num.* 10.

XV. Hujus rationem congruentiæ exhibet S. Thom. *in 4. diſt. 23. q. 2. art. 3. qu. 2.* dicens: *Principia peccandi in nobis ſunt eadem, qua & principia agendi: quia peccatum in actu conſiſtit. Principia autem agendi in nobis ſunt tria. Primum eſt dirigens, ſcilicet vis cognoſcitiva. Secundum eſt imperans, ſcilicet vis appetitiva. Tertium eſt exequens, ſcilicet, motiva. Omnis autem noſtra cognitio a ſenſu ortum habet: & quia ubi eſt in nobis prima origo peccati, ibi debet unctio adhiberi; ideo unguntur loca quinque ſenſuum, ſcilicet, oculi propter viſus, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipuo viget. Sed propter appetitivam unguntur a quibuſdam renes, propter motivam unguntur pedes, qui ſunt principalius ejus inſtrumentum. Et quia primum principium eſt cognoſcitiva; ideo illa unctio ab omnibus obſervatur, qua fit ad quinque ſenſus, quaſi de neceſſitate ſacramenti. Sed quidam non ſervant alias: quidam vero illam ſervant, qua ad pedes, & non qua ad renes; quia appetitiva, & motiva ſunt ſecundaria principia.* Hæc Sanct. Thom. Ex quibus apparet, unctionem pedum, & renum non eſſe adeo neceſſariam. Immo unctio renum in feminis, nec adhibetur, nec adhiberi debet propter pudorem. Quia tamen dicit S. D. unctionem quinque ſenſuum eſſe *quaſi de neceſſitate ſacramenti*; ideo quæremus: An ſic neceſſaria ſit, ut uno, vel pluribus omiſſis, ſacramentum ſit nullum.

XVI. Dico ſecundo. Valet quoad ſubſtantiam ſacramentum Extremæ unctionis, etiamſi una tantum corporis pars, cum forma tamen univerſali, fuerit inuncta. Ita probabiliter cenſent multi. Prob. primo. Quia S. Jacobus non præſcribit, ut valeat ſacramentum, multiplices unctiones, ſed unam tantum: *Ungentes* (inquit) *eum oleo &c.* Secundo. Quia valet apud Græcos unctio, & tamen, ut vidimus, non ungunt quinque ſenſus, ſed frontem, genas &c. Tertio. Quia graſſante peſte, ut periculum vitetur, ſatis eſt ungere organum ſenſus magis expoſitum. Ita in Rituali Mechlinienſi 1589. Similiter ſi deficiat tempus, eo quod ægrotus animam agat, nec poſſint omnes quinque ſenſus inungi: tunc ſufficeret unum ſenſum, vel unam corporis partem, præcipue caput, in quo vigent præcipui ſenſus, inungere, utendo forma generali, nimirum: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.* Et tunc cæteræ preces, quæ præmittendæ forent, poterunt in Eccleſia coram venerabili Sacramento devote legi. Ita ex citato Rituali Mechlinienſi, cui concordat codex Remigio-Remenſis.

XVII. Dixi, ita probabiliter cenſere multos, ob allatas rationes. Tum etiam: quia ſe habet hoc ſacramentum reſpectu unctionis, ſicut Baptiſmus reſpectu ablutionis: ergo quemadmodum miniſter valide baptizat, facitque ſatis præcepto Chriſti, licet Catechumenum ſemel tantum abluat: ita licet in hoc ſacramento unicam tantum unctionem adhibeat. Propterea S. Thom. laudatus non dixit, unctionem quinque ſenſuum eſſe de neceſſitate ſacramenti; ſed *Quaſi de neceſſitate*. Sciebat enim, Eccleſiam Græcam quinque ſenſus non inungere, & tamen validum facere ſacramentum, ſicut etiam varias eſſe quarumdam Eccleſiarum etiam Occidentalium conſuetudines.

XVIII. Monendus eſt tamen Eccleſiæ Occidentalis miniſter, ne extra caſum neceſſitatis unctionem quinque ſenſuum ſigillatim prætermittat; quia licet probabile ſit, & forte probabilius, eam non eſſe de eſſentia: eam tamen Eugenius IV. & omnia ritualia præſcribunt. Et rurſus: quia qui in ſacramentorum adminiſtratione ſequitur opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore, graviter peccat, ut ſtatuit Innocentius XI.

XIX. Sed quid ſi unguendus eſſet mutilatus aliqua ex iis partibus, quæ inungi debent? — Reſpondet Sanctus Thoma citatus, ex 4. Sent. quæſt. 3. & in Supplem. 3. part. qu. 32. art. 7. *Quod mutilati inungi debent quanto propinquius fieri poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat. Quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, ſaltem in radice; & interius peccare poſſunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.*

Dubium III.

Quænam ſit Forma Extremæ Unctionis.

§. I.

Antiqua Forma huic Sacramento convenit.

I. SAnctus Thomas *in 4. diſt. 23. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. & Supplem. 3. p. q. 29. art. 7.* ait: *Quod quidam dixerunt, quod nulla forma eſt de neceſſitate hujus ſacramenti,* — *Sed hoc videtur* (inquit S. D.) *derogare effectui hujus ſacramenti, quia omne ſacramentum efficit ſignando; ſignatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa ſe poſſit habere, niſi per formam verborum. Et ideo in omnibus ſacramentis novæ legis, quæ efficiunt, quod figurant, oportet eſſe res, & verba. Et præterea Jacobus totam vim hujus ſacramenti videtur conſtituere in oratione, quæ eſt forma hujus ſacramenti, ut dicetur. Et ideo prædicta opinio præſumptuoſa videtur, & erronea. Et propter hoc dicendum, ſicut communiter dicitur, quod habet formam determinatam, ſicut & alia ſacramenta.*

II. Neque dicas: quod hoc ſacramentum, cum habeat materiam jam conſecratam ad ſuum effectum, eam habet ad illum determinatam; ergo non indiget, ut ulterius determinetur per formam.

Reſpondet enim Sanct. Thom. locis citatis, *ad 3.* quod ſicut aqua Baptiſmi *Habet quamdam ſanctificationem per ſe ex ipſo tactu carnis Salvatoris*, quaſi in actu primo: *ſed ex forma verborum accipit ſanctificationem actu ſanctificantem*, Ita *Similiter poſt ſanctificationem materiæ hujus ſacramenti ſecundum ſe, requiritur ſanctificatio in uſu, per quam actu ſanctificet.* Per conſecrationem enim oleum fit materia idonea, ſed per formam fit actu producens effectum hujus ſacramenti.

III. Nec refert, quod forma hujus ſacramenti in Sacra Scriptura expreſſe tradita non legatur. Nam, ut ait S. Th. citatis locis, ad 1. *Sacra Scriptura omnibus communiter proponitur. Et ideo forma Baptiſmi, qui ab omnibus dari poteſt, debet in Sacra Scriptura exprimi: & ſimiliter forma Euchariſtiæ, quæ exprimit ſacramenti illius fidem, quæ eſt de neceſſitate ſalutis. Sed forma aliorum ſacramentorum non inveniuntur in Sacra Scriptura tradita, ſed has Eccleſia ex traditione Apoſtolorum habet, qui a Domino acceperunt, ut dicit Apoſtolus* 1. *Cor.* 11. Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis &c.

Quod in præſentem controverſiam venit, eſt: An forma hujus ſacramenti debeat proferri per orationem indicativam: *Ungo te*: an vero deprecativam: *Per iſtam unctionem . . . indulgeat tibi Deus &c.* pro quo.

§. II.

Reſolutio Dubii.

IV. NON unus fuit apud omnes Eccleſias formæ hujus ſacramenti concipiendæ modus. Apud quaſdam enim concipiebatur modo indicativo, apud quaſdam modo partim indicativo, partim deprecativo, apud pleraſque modo pure deprecativo. Forma indicativa eſt Ambroſiana, qua quarto Eccleſiæ ſæculo Eccleſia Mediolanenſis utebatur, nimirum, *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates.* Cui ſimilis eſt ea, quam præfert ſacramentale Venetum a Leone X. confirmatum, quæ talis eſt. *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus varias catervas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Reſpondet aliquis: verbum illud *Ungo te* non fuiſſe formam Extremæ unctionis, ſed præambulum ad illam. Quibus favere videtur Sanct. Thom. *in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 3.* & *3. p. Supplem. quæſt. 29. art. 8. ad 3.* dicens: *Quod verba illa indicativi modi, quæ ſecundum morem quorumdam præmittuntur orationi, non ſunt forma hujus ſacramenti, ſed ſunt diſpoſitio ad formam; in quantum intentio Miniſtri determinatur ad actum illum per illa verba* — Sed mentem Sancti Thomæ non fuiſſe loqui de prælaudatis formis, colligunt aliqui, eo quia in illis nulla deprecatio exprimitur, niſi *In nomine Patris &c.* quæ verba proferuntur etiam in forma Baptiſmi. Sicut ergo in Baptiſmo verba *Ego te baptizo* ſunt vera forma, non præambulum ad formam, nec verba *In nomine Patris &c.* faciunt eam eſſe formam deprecativam, ita nec in caſu. Sed quidquid de hoc ſit.

V. Forma modo indicativo, & deprecativo ſimul concepta, eſt ea, quam exhibet S. Gregorius, *in lib. Sacramentorum*, nempe: *Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti Altiſſimi, & Spiritus Sancti &c.* Ubi priora verba *Inungo te* ſunt abſoluta, ſeu indicativo modo prolata: Poſteriora vero, *In te habitet virtus Chriſti*, ſunt deprecativa, ſeu precationis in modum prolata.

VI. Forma vero modo pure deprecativo concepta, eſt, quam adhibet & præſcribit Eccleſia Romana, & quæ multis ab hinc ſæculis ubique adhibetur, nimirum: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum.* Hæc reperitur in codice monaſtico ſimul, & Eccleſiaſtico Gemericenſi ſexcentorum, & amplius annorum. S. Thomæ, & cæteris, ſæculo XIII. id ita fuit perſuaſum, ut contenderent, formam abſolutam non valere. Eam ſtatuit Eugenius IV. in inſtructione Armenorum. Et confirmat Tridentinum, *Seſſ. 14. cap. 1. de Extr. unctione*, his verbis: *Formam deinde eſſe illa verba: Per iſtam unctionem &c.*

For-

Formam hujus ſacramenti etiam apud Græcos eſſe modo deprecatorio conceptam, teſtantur eorum Euchologia. Ubi deſcribendo Extremæ unctionis ritum nihil omnino eſt, quod modum indicativum ſapiat; ut legere eſt apud Goarium noſtrum, *de officio Olei ſancti*, & Arcudium, qui *l. 5. c. 5.* hæc ſcribit: *Forma Extremæ unctionis* (apud Græcos) *eſt deprecatoria, ut etiam apud Latinos, & Latina quoad ſenſus reſpondet.* Nunc videndum eſt, quænam ex præfatis formis ſit præferenda.

VII. Dico. Forma Extremæ unctionis deprecatorio modo eſt proferenda. Eſt juxta mentem S. Jacobi, qui vim unctionis in levamen infirmi, & remiſſionem peccatorum tribuit orationi fidei: *Ungentes* (inquit) *eum in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Cui accedit praxis Eccleſiæ Romanæ, cui ut omnium Eccleſiarum matri, & magiſtræ ſtandum eſt. S. Th. in 4. *diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. & *in Supplem.* 3. *p. q.* 29. *art.* 8. his verbis: *Forma hujus ſacramenti eſt oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, & ex uſu Romanæ Eccleſiæ; quæ ſolum verbis deprecativis utitur in collatione hujus ſacramenti.*

Cujus triplicem reddit rationem. Prima eſt: *Quia ſuſcipiens ſacramentum hoc, eſt viribus propriis deſtitutus; unde indiget orationibus ſublevari.* Secunda eſt: *Quia datur exeuntibus, qui jam deſinunt de foro Eccleſiæ eſſe, & in ſolius Dei manu requieſcunt: unde & ei per orationem committuntur.* Tertia eſt: *Quia hoc ſacramentum non habet aliquem effectum, qui ſemper ex operatione Miniſtri conſequatur, omnibus, quæ ſunt de eſſentia ſacramenti, etiam rite peractis; ſicut character in Baptiſmo, & Confirmatione, & tranſubſtantiatio in Euchariſtia, & remiſſio peccati in Pœnitentia, exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ, non videtur de eſſentia hujus ſacramenti*: ideſt, modus curandi ſive animam, ſive corpus non eſt hic per miniſterium Sacerdotis, ut judicis, ſed ut deprecantis: & etiam quia cum effectus aliquis, nempe, ſanitas corporalis, non ſemper ſequatur ex hoc ſacramento, oportet eam a Deo petere. Unde & interior ſanatio, quæ per eam ſignatur, ſub deprecatione a Deo poſcitur, ut ait S. Thom. *Opuſc. de forma Abſolutionis, cap.* 1.

VIII. Neque ex hoc quod S. Thom. in tertia ſupra poſita ratione dicat, quod hoc ſacramentum non habet aliquem effectum, qui ſemper operationi miniſtri correſpondeat, inferas, hoc ſacramentum non habere certum, & infallibilem effectum, nempe gratiam, ſi non ponatur obex: oppoſitum enim docet, eadem *q.* 29. *art.* 9. *ad* 3. Sed S. Thomas ſolum vult, quod cum in aliis ſacramentis, poſitis illis, quæ ſunt de eſſentia, aliquis effectus habeatur; ut in Pœnitentia ſtante contritione remiſſio, in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine character, in Matrimonio vinculum, non obſtante obice: in hoc ſacramento etiam poſitis omnibus non ſemper habetur effectus. Non enim ſemper ſanitas corporalis reſtituitur, & ſi adſit obex, gratia non habetur: ideo ei magis, quam aliis congruit forma deprecativa.

IX. Quare Catechiſmus Romanus, *de Extr. Unct. n.* 7. ait: *Nec vero quiſquam miretur, cur factum ſit; ut aliorum ſacramentorum forma, vel abſolute ſignificet quod efficit, ut cum dicimus:* Ego te baptizo; aut: Signo te ſigno Crucis: *vel tamquam ab imperantibus pronuntietur, ut, cum in ſacramento Ordinis, adminiſtrando dicitur:* Accipe poteſtatem; *hæc ſola vero Extremæ Unctionis forma precatione quadam abſolvatur: id enim optimo jure conſtitutum eſt: Nam cum hoc ſacramentum propterea adhibeatur, ut præter ſpiritualem gratiam, quam tribuit, ſanitatem etiam reſtituat ægrotis; tamen quia non ſemper ſequitur, ut ægroti a morbis convaleſcant; ob eam cauſam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod ſacramenti vis conſtanti, & perpetuo ordine efficere non ſolet.*

X. Sed quæres: Si quis uteretur forma abſoluta dicens: *Inungo te &c.* valide ne conferret hoc ſacramentum?

Affirmativa reſponſio probabilis eſt. Primo. Quia, ut ſupra diximus, forma antiqua Ambroſiana, & Veneta modo indicativo conferuntur. Secundo. Quod non eſt determinatum in individuo, & uſum obtinet, conſentiente, vel ſaltem permittente Eccleſia, poteſt adhiberi: ſed nec S. Jacobus aliquam in individuo formam determinavit, & Eccleſia modo abſolutam, modo deprecativam adhibuit; modo etiam mixtam ut ex Sancti Gregorii Sacramentario; ergo &c. Tertio. Forma eſt ſignum practicum deſignans effectum, quem producit ſacramentum: ſed per formam abſolutam non ſecus, ac per deprecatoriam deſignatur Extremæ unctionis effectus; igitur ſicut abſolutis his verbis: *Ego baptizo te* perficitur ſacramentum Baptiſmi: ita his *Inungo te* perfici poterit ſacramentum Extremæ unctionis. Addo: quod ſicut forma Baptiſmi licet a Latinis modo indicativo, & in prima perſona, & a Græcis modo vel deprecativo *Baptizetur*, vel indicativo, *Baptizatur*, proferatur utraque tamen valida reputatur: ergo ſimiliter &c. Ita ſentiunt Albertus Magnus, Durandus, Paludanus, Richardus, & ex recentioribus Navarrus in Summa, *c.* 22. *mun.* 15. Becanus *de Sacram. cap.* 27. Fraſſen, *de Extr. Unct. Boneat* &c. —— In ſententiam tamen negativam propendere videtur S. Thom. qui, ut diximus, cenſet, a S. Jacobo, & uſu Eccleſiæ univerſalis determinatam eſſe formam deprecativam: & ſi in aliqua Eccleſia verba indicativi modi uſurpata fuerunt, ſeu uſurpantur, ea non ſunt de eſſentia formæ: deſignantia potius intentionem miniſtri & quaſi præambula, non vero cauſantia effectum ſacramenti.

XI. Quidquid tamen ſit: certum eſt, in hoc ſacramento forma abſoluta, & indicativa non licere uti. Tum quia: ageretur contra ritum ab Eccleſia præſcriptum. Tum quia: etſi ſententia oppoſita ſit probabilis, ea tamen uti non licet, cum agitur de valore ſacramentorum; ut ſtatuit Innocentius XI. ſæpe læudatus.

QUÆSTIO II.

De Effectibus hujus Sacramenti.

CUM Extrema unctio ſit ſacramentum vivorum, ſuppono ex dictis, *de Sacr. in Genere* eam per ſe producere ſecundam gratiam; nec ullum, ordinarie loquendo, eam debere ſuſcipere, niſi a peccatis mortalibus per Pœnitentiam purgatum. Unde quæſtio eſt de remiſſione venialium: an hæc ſit effectus hujus ſacramenti. Et inſuper: an alios habeat effectus, & etiam characterem imprimat.

DUBIUM I.

An Extrema Unctio Remittat peccata venialia, & an Conferat ſanitatem corporalem?

§. I.

Reſolutio Primæ Partis.

I. QUia S. Jacobus hujus ſacramenti promulgator duo dicit. Unum, quod *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Alterum, quod *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* Ideo hæc duo in præſenti Dubio conjungimus. Unde primo, quoad ſecundum.

Noto ex S. Thom. Suppl. 3. p. q. 30. art. 1. ex 4. diſt. 23. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. *Quod quodlibet ſacramentum eſt inſtitutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex conſequenti inducere poſſit. Et quia ſacramentum efficit quod figurat; ideo ex ipſa ſignificatione ſacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc ſacramentum ſecundum modum cujuſdam medicamenti, ſicut Baptiſmus per modum ablutionis. Medicina autem eſt ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc ſacramentum eſt inſtitutum ad ſanandam infirmitatem peccati. Unde ſicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, & pœnitentia quædam ſpiritualis ſuſcitatio: ita Extrema unctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præſupponit corporalem vitum in medicato: ita ſpiritualis ſpiritualem: Et ideo hoc ſacramentum non datur contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur, ſcilicet. contra peccatum originale, vel mortale; ſed contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur; ut non habet perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ, vel gloriæ. Et hic defectus nihil aliud eſt, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato originali, vel actuali. Et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc ſacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum: ideo ex conſequenti ſi invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; ſicut etiam de Euchariſtia, & Confirmatione ſupra dictum eſt. Et ideo etiam Jacobus de remiſſione peccati conditionaliter loquitur:* Si in peccatis ſit, remittentur ei, *ſcilicet, quoad culpam: non enim ſemper delet peccatum, quia non ſemper invenit; ſed ſemper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidem* reliquias peccati *dicunt.* Hanc Angelicam doctrinam præ oculis habens,

II. Dico. Primarius, & principalis effectus Extremæ unctionis non eſt remiſſio peccatorum, etiam venialium, quoad culpam; ſed eſt gratia roborans animam in illo articulo contra debilitates ex peccatis relictas, ſeu contra peccatorum reliquias; quamvis ſi peccatum veniale in ſubjecto inveniat, illud remittat. Prima pars, quæ a multis negatur, expreſſa eſt a S. Thoma, qui poſt verba laudata proſequitur: *Quidam vero dicunt, quod principaliter eſt inſtitutum contra veniale, quod quidem non poteſt, dum hæc vita agitur, perfecte curari. Et ideo ſacramentum exeuntium ſpecialiter contra veniale ordinatur.* —— *Sed hoc non videtur verum. Quia Pœnitentia etiam in hac vita delet venialia peccata, quoad culpam. Quod autem non poſſunt evitari poſt peractam pœnitentiam, non aufert præcedenti pœnitentiæ ſuum effectum. Et iterum hoc pertinet ad debilitatem prædictam. Unde dicendum, quod principalis effectus hujus ſacramenti eſt remiſſio peccatorum, quoad reliquias peccati, & ex conſequenti etiam quoad culpam, ſi eam inveniat.*

III. Pro

III. Probo autem discursu ex doctrina S. Thom. supra laudata. Ille effectus primarius, & per se alicujus sacramenti, propter quem significandum, & causandum est institutum. Sic remissio peccati originalis est effectus primarius Baptismi. Sic remissio peccati, sive mortalis, sive venialis, quoad culpam, est effectus primarius Pœnitentiæ: & robur ad confitendam fidem est effectus primarius Confirmationis, quia ad hæc præfata sacramenta sunt instituta: sed Extrema unctio non est per se instituta ad tollendum peccatum veniale, quoad culpam, quia hoc ex vi suæ institutionis tollitur a Pœnitentia; ergo ad hoc tollendum non fuit per se instituta Extrema unctio. Sicut enim, quia Baptismus fuit institutus directe contra originale, non oportuit aliud contra hoc sacramentum institui: ita quia Pœnitentia instituta fuit contra mortalia, & venialia, quoad culpam, non oportuit aliud sacramentum contra ea directe institui.

IV. Confirmo. Detur infirmus, cui ante Extremam unctionem, vi intensissimi amoris Dei, per pœnitentiam dimissa sint peccata, tum mortalia, tum venialia, quoad culpam. In hoc Extrema unctio effectu suo primario non carebit: sed in hoc non invenit peccata venialia, quæ quoad culpam dimittat, cum jam dimissa supponantur; ergo &c.

Accedit: quod si ad remissionem venialium primario esset institutum hoc sacramentum; non esset ratio, cur non minus conveniret sanis, quam ægrotis.

V. Probo secundo. Contra peccatum veniale nullum directe sacramentum datur, ut docet S. Thom. *3. p. q. 65. art. 1. ad 8.* his verbis: *Nullum sacramentum novæ legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur per quædam sacramentalia, puta, per aquam benedictam, & alia hujusmodi.* Et confirmat, q. 8. Suppl. art. 3. ad 2. dicens, *Extrema unctio non datur directe contra veniale, nec aliquod aliud sacramentum.*

VI. Secunda vero pars constat ex doctrina S. Thom. supra relata. Quia enim robur gratiæ, quod hoc sacramentum producit, secum non compatitur peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale; ideo si invenit peccatum aliquod, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte suscipientis: & hoc est quod dicit Jacobus: *Si in peccatis sit, remittuntur ei.* Ubi noto, S. Jacobum dum loquitur de robore, quo hoc sacramentum debilitatem animæ fortificat; loquitur in sensu absoluto: *Alleviabit eum, salvabit infirmum.* Dum vero loquitur de remissione peccatorum, sensum conditionalem adhibet: *Si in peccatis sit.* Quo indicatur, priorem effectum, tamquam proprium, ab hoc sacramento semper produci, posteriorem vero ex consequenti, & ratione subjecti.

VII. Effectus ergo iste, quem primarium diximus, non est simplex, sed multiplex, Ordine primus videtur esse gratia ad ægroti animam roborandam ordinata, fortificans debilitatem ex peccatis relictam, eorumque reliquias tollens; spiritualem insuper alacritatem conferens ad fortiter resistendum tentationibus Diaboli, & morbi incommoda levius ferenda —— Secundus est remissio peccatorum, si ea inveniat: & hoc ex natura gratiæ, quæ quodvis peccatum a subjecto tollere nata est, si illud inveniat. Alios refert Tridentinum, *Sess. 14. de Extr. unct. cap. 2.* his verbis: *Res porro, & effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur*: Et ratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti; cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantibus, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Quibus verbis indicat, principalem effectum hujus sacramenti esse gratiam dantem homini robur contra debilitatem ex peccatis relictam, fiduciam in divinam misericordiam, vigorem ad resistendum tentationibus, & etiam remittentem peccata, si ea invenerit.

§. II.

Resolutio Secundæ Partis.

VIII. Dico. Sanitas corporalis est etiam effectus hujus sacramenti, secundarius tamen; & si saluti animæ expedierit. Ita S. Thom. *in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.* & *Suppl. 3. p. q. 30. art. 2.* his verbis: *Sicut Baptismus per ablutionem corporalem facit spiritualem emundationem a maculis spiritualibus: ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem, facit sanationem interiorem. Et sicut ablutio Baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit: ita etiam extrema unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet, corporalem sanationem. Sed hæc est differentia, quod corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, & ideo semper eam facit. Sed Extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, qua rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem: ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: & tunc semper eam induciț, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*

Videri etiam potest S. Doctor, *in 4. Contra Gentes, cap. 73.* ubi expresse dicit: quod cum infirmitas corporalis consequatur ex peccato, Extrema unctio, quæ ordinatur ad sanandam animam a defectibus ex peccato consequentibus, ordinari etiam debet ad sanandam infirmitatem corporalem.

IX. Hoc etiam indicant Concilia, Florentinum in Decreto, ubi de Extrema unctione: *Effectus* (inquit) *est mentis sanatio, in quantum autem expedit, etiam corpori*, & Tridentinum, *Sess. 14. cap. 2. de Extr. unctione*, cujus verba §. præcedente retulimus. Cur autem huic sacramento præ cæteris virtus sanativa etiam corporis annecteretur, singulari Dei providentia factum est. Ne scilicet homines mortem, qua nihil terribilius, metuentes, humanis præsidiis videntes se destitutos, vitæ prorogationem quærant per media illicita, ut fecit Ochozias, *4. Reg. 1.* & propterea verba illa: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*, non de sola alleviatione a languoribus animæ, sed etiam corporis, si tamen salutis animæ expedierit, intelligenda sunt.

Hinc monendi sunt homines, ne stultam illam opinionem admittant, qua persuasum est nonnullis, actum esse de vita illius, qui fuerit inunctus. Hæc enim stulta persuasio proficiscitur ab hoste generis humani, sic a sacramento, & spirituali armatura avertente. Quod enim plerique, etiamsi Sancti sint, salutem corporalem non recipiant, hoc est, quia eorum saluti æternæ non expedit.

DUBIUM II.

An Extrema Unctio Iterari possit?

§. I.

Prior Resolutio Dubii.

I. QUæstio hæc in duplici sensu agitari potest. Primo: An absolute iterari possit. Secundo: An iterari possit in eadem infirmitate. Quoad primum: Sæculo duodecimo (referente Juvenin) nonnullis visum fuit, unctionem Extremam eidem infirmo etiam in diversis infirmitatibus dari non posse, ac proinde quasi characterem imprimere. In hanc sententiam iverunt Goffridus Vindocinensis, *lib. 2. Epist. 19. ad Ivonem Carnotensem:* & ipse Ivo, *Epist. 20. ad eumdem Goffridum*, dicens: *Unctionem infirmorum non æstimo repetendam.* His alii plures accessere, quos Petrus Cluniacensis Abbas, *Epist. lib. 5. Epist. 7.* confutat.

Quoad secundum: Nonnulli arbitrati sunt, olim in eadem infirmitate eidem infirmo Extremam unctionem pluries fuisse collatam. Et movebantur his Gregorii Magni verbis, in Sacramentario: *Deinde communicet eum* (infirmum jam inunctum) *de corpore, & sanguine Domini. Et sic faciant illi per septem dies tam de Communione quam de alio officio* (nempe Extrema unctione) *& suscitabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Idem fieri apud Græcos, apud quos plures Sacerdotes eumdem infirmum pluries inungunt, refert Goarius. Verum crederem cum ipso has unctiones non constituere plura sacramenta, sed ex ipsis unum coalescere sacramentum: quod crederem etiam de repetitis unctionibus, quæ apud Sanct. Gregorium recitavimus. Communis ergo sententia est, hoc sacramentum iterari posse, in diversa tamen infirmitate.

II. Dico ergo. Sacramentum Extremæ unctionis iterato eidem homini conferri potest. Assertio hæc certa est, ac deducitur ex Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ:* Unde Petrus Cluniacensis, lib. 5. Epist. 7. *Non ait* (inquit) *Inducat Presbyteros Ecclesia semel: sed nulla mentione unius, binæ, vel ternæ unctionis factæ, jubet, nullo præfixo numero, induci ad ægrotum Presbyteros Ecclesiæ.* Quoties ergo quis in morbum periculosum incidit, toties Extrema unctio ei ministranda est. Unde Concilium Tridentin. *Sess. 14. cap. 3. de Extr. unctione*, ait: *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.*

III. Rationem autem dat S. Thom. tum *in Suppl. 3. p. q. 43. art. 1.* tum *in 4. contra Gentes, cap. 73.* his verbis: *Hoc sacramentum non quibuscumque infirmantibus est exhibendum, sed illis tantum, qui ex infirmitate videntur morti propinquare: qui tamen si convaluerint, iterato potest hoc sacramentum eis conferri, si ad similem statum devenerint. Non enim* (ecce rationem) *hujus sacramenti unctio est ad consecrandum, sicut unctio Confirmationis, ablutio Baptismi, & quædam aliæ unctiones; quæ ideo nunquam iterantur, quia consecratio semper manet, dum res consecrata durat, propter efficaciam divinæ virtutis consecrantis. Ordinatur autem hujus sacramenti inunctio ad sanandum. Medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas*

mitas iteratur. Quibus patet diſparitas inter hoc ſacramentum, & Baptiſmum, Confirmationem, Ordines, aliaſque unctiones altarium &c. Illis enim res conſecratur; res autem ſemel conſecrata, ſemper manet conſecrata, quamdiu durat. At hoc ſacramentum non datur per modum conſecrationis, ſed ſanationis: ſanatio autem iterari debet, quoties iteratur morbus.

IV. Dices. Ideo unctio conſecrativa iterari non poteſt; quia virtus divina conſecrativa ſemper manet; ideoque eam iterando fieret ei injuria: ſed etiam virtus divina ſanativa in hoc ſacramento ſemper manet; ergo eam iterando fieret illi injuria.

Reſpondeo, neg. abſolute cauſalem: quæ ſi eſſet vera, nec Euchariſtia, nec Pœnitentia, nec Matrimonium poſſent iterari, abſque injuria virtutis divinæ, quæ in eis operatur. Vera ergo cauſa eſt voluntas Chriſti ſacramentorum auctoris: qui cum voluerit aliqua eſſe ſigna imprimentia characterem indelebilem, & ſemper manentem, alia vero non: voluit aliqua non poſſe, alia poſſe iterari. Et inter iſta voluit extremam unctionem, tamquam medicinam contra morbum: unde cum morbus poſſit iterari, etiam medicinam voluit poſſe iterari.

V. Dices ſecundo. Extrema unctio eſt quædam ſpecies publicæ pœnitentiæ, quæ ſemel dumtaxat olim concedebatur.

Reſpondeo; dato, extremam unctionem eſſe quamdam publicæ pœnitentiæ ſpeciem; dato etiam publicam pœnitentiam iterari non potuiſſe: hoc non erat ſpectato jure divino, ſed ſolum jure Eccleſiæ, quæ olim hoc vetuerat. Nam ſolo divino jure ſpectato, modo in omnibus Eccleſiis iteratur, cum iteratur crimen, propter quod prius injuncta fuerat; ergo quamvis extrema unctio ſit quædam publicæ pœnitentiæ ſpecies, ſtando in ſolo jure divino, poteſt iterari.

§. II.

Poſterior Dubii Reſolutio.

VI. DIco. Quidquid ſit, an olim in eadem infirmitate extrema unctio iterata fuerit; multis tamen ab hinc ſæculis in eadem infirmitate non iteratur, niſi diverſus ſaltem fuerit infirmitatis gradus. Prima pars deducitur ex verbis ſupra laudatis ex S. Gregorio, in Sacramentario. Altera colligitur ex Concilio Tridentino, ut ſupra. Ubi ſtatuit, hoc ſacramentum eſſe iterandum, ſi infirmi poſt ſuſceptum convaluerint, & in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Quod ejuſdem Concilii Catechiſmus exponens, n. 11. *Illud* (inquit) *obſervare oportet, in una eademque ægrotatione, tum æger in eodem vitæ periculo poſitus eſt, ſemel tantum ungendum eſſe.*

VII. Hoc declarat S. Thom. *Suppl. 3. p. q. 33. art. 2.* his verbis: *Hoc ſacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum: quia non debet dari niſi infirmis, qui ſecundum humanam æſtimationem videntur morti appropinquare. Quædam autem infirmitates non ſunt diuturnæ. Unde ſi in eis datur hoc ſacramentum, tunc quando homo ad ſtatum illum pervenit, quod ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo, niſi infirmitate curata; & ita non debet iterum inungi. Sed ſi recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia unctio. Quædam vero ſunt ægritudines, ut hectica, hydropica, & hujuſmodi. Et in talibus non debet fieri unctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis; & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam ægritudinem reducatur; iterum poteſt inungi. Quia jam quaſi eſt alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter.* Quæ doctrina eſt praxi advertenda.

QUÆSTIO IV.

De Miniſtro Extremæ Unctionis.

AUctorem hujus, quemadmodum & aliorum ſacramentorum, eſſe Chriſtum Dominum, ac principaliter in eo operari, diximus ſupra *q. 1. dub. 1. §. 4. n. 22.* Modo de cauſa miniſteriali examen inſtituemus.

DUBIUM I.

An Miniſter Extremæ Unctionis ſit ſolus Epiſcopus, vel Sacerdos?

§. I.

Non ſunt Laici.

I. CAlvinus, l. 4. *Inſtit. cap. 10. §. 21.* nomine Presbyterorum, de quibus S. Jacobus, non vult intelligi Sacerdotes. Ait enim: *Jacobus vult, infirmum ungi a ſenioribus Eccleſiæ: iſti unctorem non admittunt niſi Sacrificum.* Quibus vult, quoſcumque ſeniores de populo, hoc enim apud ipſum hoc nomen *Presbyteri* unice ſignificat, eſſe legitimos Extremæ unctionis Miniſtros. Contra ipſum ergo.

II. Dico. Presbyterorum nomine non veniunt omnes de populo ætate ſeniores, etiamſi laici; ideoque hi Extremæ unctionis miniſtri eſſe non poſſunt. Hoc docet Tridentinum, *Seſſ. 14. c. 3. de Extr. unct.* his verbis: *Jam vero quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere, & miniſtrare hoc ſacramentum debent; haud obſcure fuit illud etiam in verbis prædictis* (Jacobi) *traditum. Nam & oſtenditur illic, proprios hujus ſacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros: quo nomine, eo loco, non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt; ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinati per impoſitionem manuum Preſbyterii.* Non diffiteor quidem, *Presbyteri* nomen ſignificare aliquando ſeniorem, vel ætate, vel prudentia, vel etiam dignitate; ſic enim fert Etymologia nominis. Sed non negabit Calvinus, apud ſacros Auctores Presbyteri nomen ſolis iis, qui Ordinatione a cæteris de populo ſecreti ſunt, uſurpari: unde & Aerius hæreticus, qui nullam diſtinctionem inter ſimplicem Presbyterum, & Epiſcopum admittere volebat, teſte Auguſtino, *l. de Hæreſ. c. 52.* Presbyteri nomine non pure ſeniorem, ſed Sacerdotio initiatum, qualis erat ipſe, intelligere volebat. Et hoc maxime intellexiſſe S. Jacobum ex eo conſtat, quod non dixit, puta: *Inducat Presbyteros*; ſed *Presbyteros Eccleſiæ*, ſeu qui Eccleſiæ vices gerant, & miniſterium. Inſuper Presbyteri illi jubentur orare, & ungere infirmum; & eorum orationi, & unctioni promittitur remiſſio peccatorum: tales autem functiones publicæ laicis, licet ſenioribus, non conveniunt, ſed illis tantum, qui in Eccleſia legitime ordinati ſunt. Immo ſi Presbyterorum nomine ſeniores ætate intellexiſſet Jacobus, excluſiſſet tum Epiſcopos, tum miniſtros, qui tunc temporis maxime juvenes, ut patet in Timotheo, conſecrabantur.

III. Propterea Patres, qui præfatum Jacobi locum interpretati ſunt, non de Senioribus, ſed de Epiſcopis, vel Sacerdotibus illum intellexerunt. Ita Chryſoſtomus, *lib. 3. de Sacerdotio*. Innocentius I. *Epiſt. ad Decentium*, S. Gregorius Magnus, qui deſcribens hujus unctionis ritum, miniſtros, a quibus peragitur, modo Presbyteros nuncupat, modo Sacerdotes. Rationem autem dat S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 31. art. 1.* Quia nullius ſacramenti diſpenſatio laicis ex officio competit. Ordo enim hierarchicus petit, ut quidam ſint exercentes actiones hierarchicas, & quidam recipientes tantum, & hi ſunt laici; qui licet baptizare poſſint in caſu neceſſitatis, hoc non ex officio, ſed divina diſpenſatione factum eſt; ut nulli regenerationis ſpiritualis facultas deſit.

IV. Sed objicitur primo, Innocentius I. *Epiſt. citata ad Decentium*, ait: *Quo* (oleo) *non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Catholicis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo.* Cum ergo Decentius quæſiſſet: An ſoli Sacerdotes poſſent eſſe Extremæ unctionis miniſtri; reſpondens Innocentius, quod omnibus uti Catholicis licet, indicat omnes ejus poſſe eſſe miniſtros.

V. Reſpondi ſupra. Innocentium illis verbis loqui de ſubjecto, non de miniſtro; alias non diceret, quod eo uti Catholicis licet in ſua neceſſitate, cum nemo hoc ſacramentum poſſit miniſtrare ſibi ipſi. Hoc unum ergo ſignificare voluit, licere omnibus Catholicis uti ſancto oleo in ſuis, & ſuorum neceſſitatibus; advocando Sacerdotes, a quibus ſacram illam unctionem reciperent. Nec quærebat Decentius: an ſoli Sacerdotes, excluſis laicis, eſſent miniſtri; ſed: an ſoli Sacerdotes, excluſis Epiſcopis. Cui quæſito directe reſpondet: dicens: *Caterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt.*

Quod ſi hæc reſponſio non placet, aliam exhibet Eſtius, nimirum: unctionem, qua dicit Innocentius, uti omnibus licere, non eſſe ſacramentum, ſed piam actionem infirmi; qua oleo ab Epiſcopo conſecrato utebatur ex devotione ad ſe, ſuoſque inungendum, ſperans fore, ut per illud ſanitatem ipſe, vel ſui conſequerentur: eo modo, quo aliquis modo aqua pro Baptiſmo conſecrata uteretur ad ſanandum a morbo. Vel quo, ut refert Gregorius Turonenſis, in vitis Patrum, *c. 14.* Martius Abbas *Quartanis, tertianiſque febribus infuſo benedicti olei liquore medebatur.* Et S. Thomas, *q 31. Suppl. art. 1.* de quibuſdam Patribus Ægypti, qui oleum ad infirmos tranſmittebant, & ſanabantur. Et de S. Genovefa, quæ oleo infirmos ungebat, dicit ibi, ad 2. *Quod illa unctiones non erant ſacramentales, ſed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium, vel oleum mittentium conſequebatur effectus ſanitatis corporalis, per gratiam ſanitatum, non autem per gratiam ſacramentalem.*

VI. Objicitur ſecundo. Hoc ſacramentum, ut ait Jacobus, habet efficaciam ex oratione: ſed oratio laici eſt quandoque ita Deo accepta, ſicut Sacerdotis; ergo &c.

Reſpondet tamen S. Th. citatus, ad 1. *Quod oratio illa non fit a Sacerdote in perſona ſua, quia cum ſit quandoque peccator, non eſſet exaudibilis: ſed fit in perſona totius Eccleſiæ, in cujus perſona orare poteſt, quaſi perſona publica, non autem laicus, qui perſona privata eſt.*

VII. Objicitur tertio. Beda, qui *ad 5. Caput Jacobi* ſcribit: *Infirmos moneri debere, ut ſeniorum adjutorio curari ſe meminerint; neque ad juniores minuſque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis referant.* Presbyteros ergo uſurpat pro ſenioribus ætate.

Reſpondeo, diſt. conſ. Qui tamen ſint Sacerdotes, con. conſ. Aliter, neg. conſ. Duo hic intendit Beda. Unum eſt infirmi imbecillitatem erigere, eique conſulenti de ſua conſcientia ſalubria præbere conſilia: & ad hoc ſeniores ætate Sacerdotes, non juniores vult accerſiri. Alterum eſt unctionis ſacramentum præciſe conferre: & ad hoc quilibet Sacerdos eſt idoneus. Laudat enim Innocentii I. reſcriptum ad Decentium dicentis: *Infirmatur . . . . Hoc & Apoſtolos feciſſe, & nunc Eccleſia conſuetudo tenet; ut infirmi oleo conſecrato ungantur a Presbyteris, & oratione comitante ſanentur.*

§. II.

De Diaconis, & Epiſcopis.

VIII. Dico primo. Neque Diaconi ſunt idonei Extremæ unctionis miniſtri. Ita S. Th. *q.* 31. *Suppl. art.* 2. & probat. Tum quia: S. Jacobus dicit: *Inducat Presbyteros Eccleſia.* Tum quia: *Diaconus habet vim purgativam tantum, non illuminativam. Unde cum illuminatio fiat per gratiam, nullum ſacramentum, in quo gratia confertur, Diaconus poteſt dare ex officio. Et ideo nec hoc, cum in eo gratia conferatur.* Qua ratione, 3. *p. q.* 67. *art.* 1. *ad* 2. dicit, quod nec baptizare competit ex officio Diacono: *Quia Baptiſmus non ſolum habet purgativam, ſed illuminativam virtutem: & ideo excedit officium Diaconi, ad quem pertinet ſolum purgare, ſcilicet, vel repellendo immundos, vel diſponendo ad ſacramenti ſuſceptionem.*

IX. Neque ex hoc inferas, quod Diaconus, ſi non ex officio, ſaltem ex diſpenſatione poterit in caſu neceſſitatis hoc ſacramentum conferre; ſicut in eo caſu conferre poteſt Baptiſma.

Nam reſpondet S. Th. *q.* 31. *Suppl. art.* 2. *ad* 2. negando illatum. Nam *hoc ſacramentum non eſt neceſſitatis ſacramentum, ſicut Baptiſmus. Unde non ita committitur diſpenſatio ejus omnibus in articulo neceſſitatis; ſed ſolum illis, quibus ex officio competit.*

X. Dico ſecundo. Epiſcopo ex officio convenit hoc ſacramentum conferre, ſed non ſoli. Prior pars certa eſt. Nam, ut Innocentius I. ad Decentium, qui de hoc dubitabat, reſcribit, ſuperfluum, *Ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt.* Cum ergo ex dictis, & mox dicendis, Extremam unctionem ex officio conferre poſſit Presbyter, multo magis id poterit Epiſcopus. *Nam* (inquit Innocentius) *idcirco de Presbyteris dictum eſt: quia Epiſcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Caterum ſi Epiſcopus, aut poteſt, aut dignum ducit aliquem a ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere.*

XI. Secunda vero pars, quam docet S. Thomas, *in Suppl. 3. p. q.* 31. *art.* 3. prob. primo. Hujus ſacramenti miniſter inducendus eſt ad eum, qui ſuſcipit ſacramentum: ſed Epiſcopus non poſſet accedere ad omnes infirmos ſuæ Diœceſis; ergo non ſolus Epiſcopus &c. Secundo. *Epiſcopus proprie habet perficiendi officium, ſicut Sacerdos illuminandi. Unde illa ſacramenta diſpenſanda ſolis Epiſcopis reſervantur, quæ ſuſcipientem in aliquo ſtatu perfectionis ſuper alios ponunt*: Sed *hoc non eſt in hoc ſacramento, cum omnibus detur*; ergo *per ſimplices Sacerdotes poteſt adminiſtrari.*

XII. Si dicas. Cur ſoli Epiſcopo reſervatur Confirmatio, & non Extrema unctio; cum utraque per unctionem perficiatur —— Rurſus: cur ſoli Epiſcopo reſervatur conſecratio olei, & non uſus: cum confecratio ſit propter uſum ut finem, finis autem nobilior ſit?

XIII. Reſpondeo, rationem eſſe: quia Confirmatione perficitur Chriſtianus ad tuendam fidem, quam in Baptiſmo ſuſcepit, & charactere militis inſignitur; ideoque a ſolo eo, qui Eccleſiæ præſidet, poteſt ad hoc ſignari, & ungi, ut ſuo loco diximus. At nihil horum in hoc ſacramento contingit —— Ad aliud quæſitum dico cum S. Thom. art. 3. citato, ad 2. *Quod quamvis in genere cauſæ finalis uſus materiæ ſanctificatæ ſit potior, quam ſanctificatio materiæ; tamen in genere cauſæ efficientis ſanctificatio materiæ eſt potior: quia ab eadem pendet uſus, ſicut ab activa cauſa. Et ideo ſanctificatio requirit altiorem virtutem activam, quam uſus.*

DUBIUM II.

An quilibet Sacerdos, & an Unus, ſit ſufficiens Extremæ Unctionis Miniſter.

§. I.

Reſolutio Primæ Partis.

I. SAcerdotem eſſe hujus ſacramenti miniſtrum ex officio, ſtatutum eſt. Modo quæritur. An quilibet Sacerdos ſit miniſter idoneus? Et quidem ſi ſermo ſit de ſacramenti validitate, extra dubium eſt: nam S. Jacobus abſolute dicit: *Inducat Presbyteros*. Nam ad hoc ſatis eſt poteſtas Ordinis, quæ in quolibet Sacerdote eſt. Dubitatur ſolum de licita adminiſtratione.

II. Dico. Non poteſt quilibet Sacerdos hoc ſacramentum licite adminiſtrare; ſed ſolus ille, qui habet in infirmum juriſdictionem, vel ordinariam, ut Epiſcopus, Parochus, Superior regularis in ſuos ſubditos: vel delegatam, nempe, cui iſti commiſerint. Ita ex Catechiſmo Conc. Trident. *de Extrem. unct. n.* 13. his verbis: *Neque tamen ex ſancta Eccleſia decreto cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſtori, qui juriſdictionem habeat ſive alteri, cui ille ejus muneris fungendi poteſtatem fecerit, hoc ſacramentum adminiſtrare licet.* Unde Clementina primo, *de Privilegiis*, vetat, ne quis Presbyter Extremam unctionem adminiſtret, abſque licentia proprii Sacerdotis: additque excommunicationis ſoli Pontifici reſervatæ pœnam religioſis, qui contrarium agere auſi fuerint. Quod habetur etiam Clementina, *Dudum*, tit. de ſepulturis. Sacerdotes tamen non regulares id facientes, peccarent quidem lethaliter; ſed excommunicatio contra iſtos in jure non reperitur.

III. Urgente tamen mortis periculo, & abſente Parocho, vel quovis ab eo, vel ab Epiſcopo poteſtatem habente (quidquid in contrarium ſentiat Navarrus in Manuali, *c.* 27.) quilibet Sacerdos etiam regularis, hoc ſacramentum licite adminiſtrare poteſt. Ita communius cum Dominico Soto. Primo: ex ſcopo Clementinarum, quæ editæ ſunt ad frænandam quorumdam, præſertim Regularium audaciam; qui privilegiorum ſuorum prætextu invadebant Parochorum jura ungendo, etiam Parochis non abſentibus, vel non impeditis, eorum plebem: abſente autem, vel impedito Parocho, & præſente mortis periculo, ceſſat Clementinarum ſcopus. —— Secundo. Clementinæ promulgatæ non fuerunt in Chriſtianorum detrimentum: cederent autem in Chriſtianorum detrimentum, ſi in caſu de quo agitur, non poſſet quiſque Presbyter, etiam Regularis, hoc ſacramento in mortis anguſtiis eis ſubvenire: quia contingere poſſet, ut moriturus eſſet in peccato mortali, quod hoc ſacramento ei per accidens dimitteretur —— Tertio. Hæc fuit etiam S. Caroli Mens, in Conc. Mediolan. V. ita decernens: *Si porro is* (Parochus) *impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat; hoc* (Extremæ unctionis ſacramentum) *Sacerdos aliis admoniſtret.* Et ſane: ſi enim quilibet Sacerdos poteſtatem habet abſolvendi a quibuſvis peccatis, & cenſuris in articulo mortis conſtitutos; par eſt ratio, quod quilibet habet poteſtatem in hoc articulo adminiſtrandi ſacramentum illud, quod eſt complementum Pœnitentiæ; ne forte moribundi hoc beneficio deſtituti priventur æterna ſalute, quod contingere poſſet, ſi vel aliqua peccata mortalia remittenda haberent, vel non confirmarentur oleo ſacro adverſus tentationes extremas.

§. II.

Reſolutio Secundæ Partis.

IV. INter ea, quæ moderni Sectarii circa Extremam unctionem Romanæ Eccleſiæ improperant, ut *qu.* 1. *Dub.* 1. vidimus, hoc eſt: quod cum Jacobus dicat: *Inducat Presbyteros* in plurali, per unum ſolum Presbyterum eam adminiſtret. Simeon etiam Theſſalonicenſis, *in ſuo de Sacram. Opere*, quod Morinus ad calcem commentarii de Pœnitentia deſcribit, cenſet non valere hoc ſacramentum, niſi vel ſeptem (de more Eccleſiæ Græcæ) vel tres ſaltem interſint Sacerdotes. Hic ergo tria quæremus. Primo: An plures Sacerdotes requirantur, ut hoc ſacramentum valeat? Secundo: An hoc Chriſtus ipſe injunxerit? Tertio: An ex Eccleſiæ mandato plures advocari debeant?

V. Dico primo. Valet ſacramentum Extremæ unctionis ab uno tantum Presbytero collatum. Prob. primo. Ex Alexandro III. Cap. *Quæſivit, de verb. ſignificatione*: ubi definitur: *Quod Sacerdos uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere.* Neque ullum ex Veteribus reperire eſt, qui docuerit, hoc ſacramentum irritum eſſe, quod plures Sacerdotes non contulerint. Immo plura monumenta fidem faciunt, ab uno miniſtro diſpenſatum fuiſſe. Prudentius Tricaſſinus ſolus inunxit Beatam Mauram, cujus vitam deſcripſit. Idem legitur in vita S. Eugendi. Sic refert Everhelmus in vita Popponis: Rupertus in Vita Hereberti Colonienſis. Et Innocentius I. *Ep. laudata ad Decentium*, ratum eſſe dicit hoc ſacramentum, ſi ab Epiſcopo detur, nec ad id ait jungi debere collegam alium. Secundo: S. Thom. 4. *Contra Gentes*, quamvis congruum judicet, quod plures huic ſacramento Sacerdotes interſint, dicit: *Si tamen unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc ſacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit.*

VI. Neque dicas. S. Jacobum plures Sacerdotes requirere: *Inducat Presbyteros*. —— Nam, præter dicta ſuperius, *q.* 1. *dub.* 1. §. 2. *n.* 11. addi poteſt: S. Jacobum loqui in plurali, non quia plures Presbyteri ſint de ſacramenti neceſſitate, ſed de congruentia; ut ſcilicet infirmus, dum plures Sacerdotes interſunt, & eorum orationibus adjuvatur, gratiam copioſiorem accipiat. Ita S. Th. mox citatus *ex* 4. *Contra Gentes*, *c.* 73.

VII. Dico ſecundo. Nullo divino præcepto neceſſarii ſunt plures Sacerdotes ad eumdem infirmum ungendum. Nec enim hoc præceptum colligitur ex illis verbis *Inducat Presbyteros*, ut vidimus. Sæpe enim in Scripturis numerus pluralis ponitur pro ſingulari. Unde in illud, Matth. 27. *Idipſum*, & *la-*

& latrones, qui crucifixi cum eo erant, improperabant ei: cum tamen unus ſolus improperaret, alter enim converſus fuit, dicit S. Auguſtinus, l. 3. de conſenſu Evangeliſt. c. 16. *Etiam quia unus hoc fecit, potuit uſitato locutionis modo per pluralem numerum ſingularis ſignificari.* Deinde, ſi ad cætera ſacramenta conferenda uno tantum miniſtro contentus Chriſtus fuit; nulla videtur ratio, cur ad hoc ſacramentum plures voluerit.

VIII. Dico tertio. Apud Græcos ex Eccleſiæ mandato advocabantur, & etiam nunc advocantur ſeptem Sacerdotes ad conferendum infirmis hoc ſacramentum. Id conſtat ex eorum Euchologiis, tum veteribus, tum modernis, quæ ſeptem Sacerdotes ad hoc præſcribunt. Et hoc inquit Arcudius, lib. 5. c. 3. *Sive propter ſeptem peccata mortalia, ſive quia ſeptenarius numerus in Sacra Scriptura valde commendatur, & non caret myſterio. Quin Jubilæum in ſe complectitur. Dicerem etiam, propter ſeptem corporis partes, quas ungunt.* Septem tamen Sacerdotes requirunt Græci extra caſum neceſſitatis. Nam in neceſſitate paucioribus contenti ſunt, nempe, tribus, nunquam tamen unico. Unde idem Arcudius, c. 6. *Græci* (inquit) *ſtatuunt, ne unus Presbyter conferat hoc ſacramentum; atque, ut audio, Conſtantinopoli, ſi non fuerint ad minus tres, ſed unus contulerit, vel etiam duo, ab officio deponuntur.* In hoc autem adeo fixi ſunt, ut ſi unus ſolus inungat, irritum cenſeant ſacramentum, ut ex Simone Theſſalonicenſi diximus ſupra.

In hoc autem duo improbat merito Arcudius. Primum eſt. Quod ne quidem in neceſſitate permittant, Extremam unctionem ab unico tantum Sacerdote adminiſtrari; unde fit, ut innumeri Chriſti fideles hoc ſaluberrimo ſacramento priventur. Secundum eſt: Quod ſinguli Sacerdotes, qui adſunt, in eiſdem corporis partibus ungant, & formam ſacramenti proferant. Unde eadem vice toties iterant ſacramentum, quot adſunt Sacerdotes; in quo manifeſtus, & graviſſimus abuſus eſt.

IX. Dico quarto. Etiam in Eccleſia Latina uſus obtinuit, ut in conferenda Extrema unctione plures advocarentur Sacerdotes: modo tamen fixa conſuetudine unus tantum adhibetur. Priorem partem oſtendit Sancti Gregorii Sacramentarium, ubi hæc habentur: *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque ſenſibus corporis &c.* Eam quoque ſupponit Eparchius, cum Caroli Magni exitum deſcribens, ait: *Oleo ſancto inunctus eſt ab Epiſcopis.* Eam quoque ſuppoſuerunt Waldenſium querimoniæ, de quibus Reynerus: *Sacramentum* (inquit) *unctionis reprobant, quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi neceſſarios.* Cum enim Sacerdotibus illis pro aſſiſtentia pecunia erogari conſueviſſet, cui ſolvendæ pauperes impares erant; fiebat, ut hoc ſacramento pauperes privarentur, ſoliſque divitibus miniſtraretur. Hunc ritum viguiſſe etiam, *Sæculo 13.* teſtis eſt S. Thom. *in 4. Contra Gentes, c. 73.* citato. Ubi licet aſſerat, unum ſolum Presbyterum ſufficere ad perficiendum hoc ſacramentum: *Quia tamen* (inquit) *hoc ſacramentum perfectæ curationis effectum habet; & in eo requiritur copia gratiæ; competit huic ſacramento, quod mult. Sacerdotes interſint, & quod oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus ſacramenti coadjuvet. Unde Jacobus dicit: Inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & oratio fidei ſanabit infirmum.* Sua etiam ætate hanc legem adhuc viguiſſe teſtatur Bartholomæus Ledeſma, *2. p. q. 33. art. 1. Dubio unico*, his verbis: *Dico, quod de neceſſitate ſacramenti ſolum unus* (Sacerdos) *ſufficit, ſed ex decentia debent eſſe plures Sacerdotes. Et ita habet conſuetudo Eccleſiæ univerſalis, quod plures Sacerdotes conveniunt ad adminiſtrandum hoc ſacramentum . . . . Et ſi ſolum unus Sacerdos adminiſtret hoc ſacramentum tempore, quo poſſunt multi concurrere; verum quidem ſacramentum conficit; peccat tamen contra ritum Eccleſiæ agens. Si autem in articulo neceſſitatis non reperitur niſi unus Sacerdos, poſſet licite hoc ſacramentum conferre.* Quibus patet, tunc temporis fuiſſe legem, ut hoc ſacramentum pluribus Sacerdotibus adſtantibus extra caſum neceſſitatis celebraretur.

X. Secunda pars, nempe: his temporibus unum Presbyterum, etiam extra caſum neceſſitatis, tum valide, tum licite unctionem Extremam diſpenſare poſſe: ritualia, & univerſalis Eccleſiæ Latinæ praxis demonſtrant. Hanc legem ſuſtuliſſe crediderim Alexandrum III. Cap. *Quæſivit*, ſupra relatum, dum ait: Quod Sacerdos uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere. Quem poſtea Concilia ſecuta ſunt, Florentinum, & Tridentinum, quæ de miniſtro in ſingulari numero loquuntur. Quod factum putarem, ad obſtruenda Waldenſibus ora, qui dicebant, ut vidimus, hoc ſacramentum ſolis divitibus dari, ob expenſas, quæ in advocandis pluribus Sacerdotibus faciendæ erant; & ut etiam pauperes ejus participes eſſe poſſent.

XI. Si quæras: Quid olim agerent plures illi Sacerdotes. An ſinguli ungerent, & formam proferrent: an unus ungeret, alii formam proferrent: an unus ſolus ungeret & formam proferret, cæteri autem alias orationes dicerent?

XII. Reſpondeo, varie apud Latinos obſervatum fuiſſe. Quidam enim Scriptores dicunt, ſingulos unxiſſe ſingulas partes, & eas ungendo formam protuliſſe. Neque, inquiunt, multiplex fiebat ſacramentum, eo quod repetitæ illæ unctiones, & iteratæ formæ, ex intentione Eccleſiæ, ſe haberent per modum unius moralis actionis. —— Aliqui putant, quod dum unus ungeret, cæteri, qui aderant, ſacramenti formam proferrent. Sed hoc poſito, ſacramentum nullum eſſet: ſicut nullus eſſet Baptiſmus, ſi uno verba proferente, alter mergeret, aut aquam infunderet; quia non verificarentur verba: *Ego te baptizo* —— Alii ſentiunt, idem organum ſenſus non fuiſſe a pluribus Sacerdotibus inunctum: ſed ſingulos, diverſos ſenſus unxiſſe, & verba unctioni correſpondentia protuliſſe. Tandem aliquibus viſum eſt, advocatos non fuiſſe Sacerdotes multos, ut ſinguli infirmum ungerent & ſacramenti formam proferrent; ſed ut preces funderent, quibus copioſum ſacramenti effectum nomine Eccleſiæ infirmo deprecarentur. Ita ſentire viſus eſt S. Thomas, 4. *Contra Gentes, cap. 73.* verbis nuper laudatis, *num. 5.*

QUÆSTIO IV.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

DE illis, quibus hoc Sacramentum conferri poteſt, ac debet, hic ſermo erit: an ſolis infirmis, an etiam ſanis, an ſolis adultis, an etiam pueris?

DUBIUM I.

An ſolis Infirmis Extrema Unctio Conferenda ſit?

§. I.

Praxis Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ.

I. GRæci unctionem olei conferunt. Primo: Extremo morbo laborantibus. Secundo: iis etiam infirmis, de quorum morte non timetur. Tertio: Pœnitentibus omnibus, ſive infirmi ſint, ſive ſani; forte interpretantes verba S. Joanni *Infirmatur quis in vobis*, de infirmitate, tum corporis, tum animæ: maxime ob illa: *Et ſi in peccatis ſit, dimittetur ei.* Hanc praxim teſtantur eorum Euchologia. Simeon Theſſalonicenſis, *lib. 7. de Sacram.* Jobus Monachus *in Contemplatione 7. Eccleſiæ Myſteriorum*, Jeremias Conſtantin. Patriarcha *in Cenſura adverſus Confeſſ. Auguſtanam, lib. 1. cap. 7.* Huic (inquit Arcudius, lib. 5. de Extrema unct. cap. 4.) *Favet multum auctoritas Euchologii, in quo non tantum ægrotus, ſed etiam ſanus, qui ſit ungendus, introducitur. Favet item præſens Græcorum conſuetudo, quæ quidem viget, non in aliquo angulo Græciæ, ſed utique paſſim: quam tandem retinet hac noſtra ætate tota Ruſſia, univerſaque Moſchovia.* Hoc idem confirmat Goarius, *in ſuis ad S. Olei Officium notis*, dicens, ad hanc unctionem admitti a Græcis adſtantes, qui vel levi alicujus doloris afflictione tenentur; vel qui gravioribus ſubditi peccatis, licet ex omni parte ſani, eam in medelam animæ accipere deſiderant. Et tandem addit: *Unumquemque oleo ſancto ab Epiſcopo benedicto ſeſe in Eccleſia Orientali ungendum offerre feria quinta in Cœna Domini, unctionemque hujuſmodi, ut peccatorum antidotum, & ſanctitatis largitricem ſacræ Communioni præviam Epiſcoporum manu ſuſcipere.* Teſtis tandem eſt Leo Allatius, *lib. 3. de Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis perpetua conſenſione, cap. 16.* dicens: *Non tantum infirmos, ſed ſanos quoſque homines Extrema unctione, & ſæpius inungunt.*

II. Apud Latinos vero ſolos infirmos Extrema unctione donari certo certius eſt: eorum enim tantum meminere Ritualia, quoties agunt de hujus ſacramenti ſubjecto. Eorum etiam meminit Innocent. I. *Epiſt. ad Decentium* ſæpe laudata, dicens: *Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt.* Modo videndum eſt, quis ritus ſit Scripturæ, & traditioni conformior. Et rurſus: An Extrema unctio ſanis collata ſit valida.

§. II.

Reſolutiones Dubii.

III. DIco primo. Praxis Eccleſiæ Latinæ ſolis ægrotantibus Extremam unctionem conferendi eſt Scripturæ, & traditioni conformior. Scripturæ quidem: nam S. Jacobus, *Infirmatur* (inquit) *quis in vobis? . . . Oratio fidei ſalvabit infirmum.* Et *Marci 6.* ubi Extrema unctio inſinuata fuit, dicitur, quod Apoſtoli *Ungebant multos ægros, & ſanabant.* Traditioni etiam. Nemo enim ex Patribus, qui novem prioribus ſæculis floruerunt, dixerunt unquam, alios, quam infirmos, hoc oleo ungendos eſſe. Id patet ex Innocentio I. mox relato: ex Gregorio Magno, *in Sacramentario*: ex Capitularibus Caroli Magni, ex Beda &c. Immo neque poſt nonum ſæculum ad hæc uſque tempora proferri poteſt vel unum exemplum, quo probetur, per Majores noſtros, aliis, quam infirmis hoc ſacramentum collatum fuiſſe. Quapropter illud nuncuparunt *Unctionem extremam, ſacramentum exeuntium, oleum infirmorum.* Et Tridentinum, Seſſ. 14. c. 3. de Extr. unct. *Declaratur*

etiam (inquit) *esse hanc unctionem infirmis adhibendam* . Quod in Florentino dixerat Eugenius IV. in Decreto Armenorum: *Hoc sacramentum nonnisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debere*.

IV. Hoc idem docet S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 32. art. 11.* his verbis: *Hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio... quæ quidem per quemdam corporalis curationis modum significatur: & ideo illis, quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc sacramentum conferri* —— Nec refert, quod principalior effectus hujus sacramenti sit sanatio mentis, quam sanatio corporis: multi autem corpore sani indigent sanatione mentis —— Nam respondet ibi ad 1. *Quod quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus hujus sacramenti: tamen oportet, quod per curationem corporalem significetur curatio spiritualis hujus sacramenti, etiamsi corporalis sanitas non sequatur. Et ideo solum illis hoc sacramento sanitas spiritualis dari potest, quibus corporalis curatio competit, scilicet infirmis. Sicut ille solus potest Baptismum suscipere, qui potest corporalis ablutionis esse particeps, non autem puer in ventre matris existens.*

V. Ex quibus ibi, ad secundum, infert, quod licet hoc sacramentum sit *Exeuntium*, sicut Baptismus est *Intrantium*, quandoque autem illi, qui sunt in propinquo exitus, sint sani, ut illi, qui decapitandi sunt; adhuc tamen his non est unctio extrema conferenda: *Quia etiam Baptismus non est nisi illorum intrantium, qui corporali ablutioni subjici possunt. Et ideo hoc sacramentum illorum tantum exeuntium est, quibus corporalis curatio competit.*

Unde damnatis ad mortem Extremam unctionem esse adhibendam, si corpore sani sint, aperte negat, *in 4. Contra Gentes, c. 73.* dicens: *Et licet aliqui sint in statu propinquo mortis, etiam absque infirmitate, ut patet in his, qui damnantur ad mortem; qui tamen spiritalibus effectibus hujus sacramenti indigerent, non tamen exhibendum est, nisi infirmatis: cum sub specie corporalis medicinæ exhibeatur, quæ non competit, nisi corporaliter infirmato: oportet enim in sacramentis significationem servari. Sicut igitur requiritur in Baptismo ablutio corpori exhibita: ita in hoc sacramento requiritur medicatio infirmitati corporali opposita. Unde etiam oleum est specialis materia hujus sacramenti; quia habet efficaciam ad sanandum corporaliter, mitigando dolores: sicut aqua, quæ corporaliter abluit, est materia sacramenti, in quo fit spiritualis ablutio.*

VI. Neque dicas. Ut quis spiritualiter resuscitetur per sacramentum Pœnitentiæ, non oportet, quod ea suscitatio spiritualis significetur per corporalem; ita ut sit corporaliter mortuus: & ut aliquis spiritualiter abluatur per Baptismum, non est necesse, ut illa ablutio significetur per corporalem immunditiem; ita ut baptizandus sit corporaliter immundus; ergo nec oportet, spiritualem curationem significari per corporalem, ita ut recipiens sit corporaliter infirmus.

VII. Nego etenim consequentiam. Nam Pœnitentia per se non datur, nec est instituta per modum suscitationis, sicut Extrema unctio per modum curationis (potest enim dari etiam illis, qui peccato mortali non sunt mortui) sed potius datur per modum judicii, quod etiam significatur exterius —— Ablutio etiam non solis immundis convenit, sed etiam mundis, ut fiant mundiores: sanatio autem non est, nisi infirmorum.

VIII. Dico secundo. Quamvis non improbabile sit, Extremam unctionem datam sanis validam esse; tutius, & probabilius crederem, eam esse invalidam. Primam partem suadet usus Ecclesiæ Græcæ, quæ ut vidimus eam etiam sanis confert: quem usum in Florentina Synodo Latini Græcis non exprobrarunt. Cum enim de multis, in quibus ab Occidentalibus dissidebant, Græcos scisciati essent, de hoc, quod etiam sanos inungerent, nullam intentarunt litem: immo nec verbum fecerunt, facturi tamen, si talem unctionem irritam existimassent. Rursus: Innocentius IV. Epist. ad Episc. Tusculanum, prohibet quidem: *Ne Sacerdotes Græcorum, aut Confessores pro satisfactione pœnitentiæ unctionem aliquam solummodo injungant*. Verum non vetat, ne ubi convenientem pro peccatis satisfactionem injunxerint, confessos, quamvis sanos, inungant. Accedit: quod Græci hanc eorum praxim usque ad tempora Origenis reducunt: qui, *Hom. 18. in Levit.* sacramentum Pœnitentiæ cum sacramento unctionis, de quo loquitur S. Jacobus, conjungit; dicens, quod peccatoribus pœnitentibus, & Sacerdoti confessis, etiamsi sanis, oleum conferatur: *in quo impletur & illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini*.

IX. Secunda pars probatur. Primo. Quia sacramenta valide conferri non possunt, nisi secundum Christi institutionem: sed Extremam unctionem Christus instituit pro solis infirmis: unde Jacobus, qui eam promulgavit, dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, Ergo sicut quia dicit: *Presbyteros Ecclesiæ*, inferimus, solos esse ministros: ita quia dicit: *Infirmatur &c.* inferre debemus, subjectum capax esse solos infirmos, seu ægrotos. —— Secundo. Eugenius IV. in decreto pro Armenis dicit. *Hoc Sacramentum nonnisi infirmo dari debet*. Nec refert, quod de contrario Græcorum usu nihil ibi dictum sit. Nam, vel forte iste usus tunc non adeo invaluerat: sicut postea: vel hoc Eugenii silentium non evincit, cum contrarium ibi doceat —— Tertio. Conc. Trid. *Sess. 14. c. 3.* eodem modo loquitur de ministro hujus sacramenti, ac de subjecto illius, dicens ministros non esse ætate seniores, sed Episcopos, aut Sacerdotes ab eis rite ordinatos; & hanc unctionem esse infirmis adhibendam: sed ita vult ministros esse solos Episcopos, aut Sacerdotes, ut si ab alio quocumque non Episcopo, aut non Sacerdote conferatur, haud valeat; ergo vult conferri infirmis, ut si non infirmis conferatur, non valeat.

X. Accedit S. Th. supra relatus, ex cujus doctrina formo hoc ratiocinium. Non valet sacramentum collatum subjecto, in quo ejus sacramentalis significatio non servatur: & propterea non valet Baptisma collatum puero existenti in utero matris; quia in eo ejus sacramentalis significatio, quæ est ablutio corporalis, servari non potest: sed dum confertur sacramentum Extremæ unctionis sano, ejus sacramentalis significatio, quæ est corporalis curatio, non servatur. Unde sicut in Baptismo assumitur pro materia aqua, quæ est apta ad abluendum corporaliter; ita in Extrema unctione assumitur oleum, quia est aptum ad sanandum corporaliter mitigando dolores; ergo si detur sano, & non infirmo, hoc sacramentum non valet.

XI. Sed quid erit dicendum de prænarrata Græcorum praxi, qui indifferenter sanos, & infirmos hoc sacramento inungunt?

Respondent aliqui: eam cæremoniam, quam Græci ex eorum Euchologio exhibent etiam sanis, neque ex intentione Ecclesiæ, nec ministri esse unctionem sacramentalem; sed meram cæremoniam, & ritum in satisfactionem peccatorum, vel etiam post impletam satisfactionem, in Ecclesia introductum.

Si hoc verum esset, non improbandum foret, nec nostram assertionem læderet, quæ de unctione vere sacramentali loquitur. Verum cum Presbyteri Græci eadem materia, nempe, eodem oleo confecrato, eadem etiam forma, nempe, iisdem precibus utantur; cum idem sit quoque minister, qui ungit & verba profert super infirmos, & sanos ad abstergendas peccatorum reliquias: difficile captu est, quomodo sit sacramentum quoad infirmos, & non sit quoad sanos. Sed quidquid sit: eam consuetudinem Græcorum ungendi pœnitentes etiam sanos improbat Joannes Nathanael Cretensis Græcus apud Arcudium, *l. 5. de Extr. unct. c. 4.* his verbis: *Mysterium itaque hoc, & est, & appellatur Septimum: quamvis nonnulli ex pseudo-abbatibus, & illiteratis Græcorum insanientes, turpis lucri causa, peccantibus si respuerint, frequenter loco multa, & instar rei, quæ illos sanctificet, illud præbeant*.

Nathanaeli subscribit Arcudius ipse, *Ego* (inquit) *præsentem morem Græcorum, qui pœnitentes, quamvis bene valentes, in omnibus sui corporis partibus, adhibita quoque forma sacramenti, non aliter, atque infirmos inungunt, nulla ratione probare possum: & si sordidi quæstus gratia id faciunt, eo magis detestandus est. Cum enim subjectum non sit aptum ad recipiendum sacramentum (quando neque graviter quis infirmatur, & ad mortem, ut requirit Apostolus, & exponunt sacri Doctores) frustra, temereque, ac non sine sacrilegio illud* (bene valentibus) *Græci administrant.... Græci vero, qui alios novitatis accusant.... respondeant ipsi, a quo istud accipiunt, ut contra doctrinam Apostolicam sanos ungere debeant?* Vel igitur Græci volunt, unctionem, quam præbent sanis, esse sacramentum; & sic nullum est. Vel esse merum ritum; & sic respondeant: cur sacramentum sit quoad infirmos, non vero quoad sanos, cum illud utrisque cum eadem materia, & forma administrent?

Dubium II.

An in qualibet Infirmitate, & omnibus debeat dari Extrema Unctio.

§. I.

Sectariorum Calumnia.

I. Lutherus, qui, ut suos tueatur errores, confugit ad calumnias, imponit Catholicis, quod cum S. Jacobus instituerit, hanc unctionem conferendam esse infirmis, ut sanentur, eam conferant solis illis, quibus proxime discessuris nulla spes supereſt sanitatis. Sic enim l. de Capt. Babylonica: *Apostolus* (inquit) *in hoc ungi, & orari præcipit, ut infirmus sanetur, & allevietur, hoc est, non moriatur, nec sit Extrema unctio; quod usque hodie probant preces inter ungendum dictæ, quæ infirmum restitui petunt: Illi* (Catholici) *contra dicunt, non esse dandam unctionem, nisi discessuris, hoc est, ut non salventur, & allevientur.... Ideo & Extremam volunt unctionem, ut non sit verum, per eam sanari infirmum, quod ille* (Jacobus) *statuit. Si hoc non est insanire, rogo, quid est insanire?* Hac, familiari sibi impudentia, Lutherus.

II. Calvinus in hac parte adhæsit Luthero. Nam l. 4. Instit. 19. §. 21. *Jacobus* (ait) *omnes infirmos vult inungi: isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, cum jam anima in primoribus labris laborat, vel ut ipsi loquuntur, in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo sacramento, quia vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium afferant? crudeles sunt, qui nunquam in tempore medentur.*

III. In

III. In hoc Luthero, & Calvino, cæterisque Sectariis præivit ex Græcis Simon Theſſalonicenſis, qui, *lib. de ſeptem Sacram.* ſcripſerat: *Verum qui omnia immutant Latini, hanc etiam cæremoniam corruperunt, atque non eſſe exhibendum* (unctionis ſacramentum) *ægrotantibus, ſed moribundis, ajunt. Quandoquidem enim hoc ſacramentum dimittit peccata; propterea moribundis exhibetur* (a Latinis) *ne ſi quis ſupervixerit, rurſus peccet. Oh clementiam! Frater Dei enuntiat: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & eriget eum Dominus: Hi vero ajunt, ut moriatur.... Quocirca neque ſecundum traditionem Apoſtolicam ab indigentibus accerſiti hoc conficiunt, ſed privatim facientes aſſervant. Et ſacrum quidem Evangelium ait: Ungebant multos ægrotos, & ſanabant: Hi vero cenſent dandam eſſe, non ut curentur, ſed ut ſint inſanabiles, & moriantur.* Ita Latinos calumniatur Græcus iſte. Quænam vero ſit Latinorum praxis, oſtendamus.

§. II.

Reſolvitur Dubium.

IV. Dico. Vera, ac legitima Eccleſiæ Latinæ praxis eſt ſacramentum Extremæ unctionis illis infirmis, qui periculo modo tenentur, de quorum vicina morte timetur, non autem ultimam vitæ periodum expectare. Probatur primo. S. Jacobus, ubi ſtatuit, infirmos ungi debere, non exigit, ut expectetur ultima vitæ periodus. Secundo: Antiquitus infirmi per ſeptem dies continuos inungebantur a Sacerdotibus. Id patet ex S. Gregorio ubi dicitur: *Deinde communicet cum* (infirmum) *corpore, & ſanguine Domini; & ſic faciant illi per ſeptem dies, ſi neceſſitas fuerit tam de communione quam de alio officio* (ideſt de oleo Extremæ unctionis jam, ut ibi dicitur, peracto) *& ſuſcitabit eum Dominus & 3.* in Capitularibus Caroli Magni, cap. 75. habetur *Si infirmitate depreſſus quis fuerit, nec unctione ſacrati olei careat.* Quarto. Eugenius IV. in Florentino: Hoc ſacramentum (inquit) niſi infirmo, de cujus morte timetur, dare non debet. Quinto. Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 3. *de Extr. unct.* ait: *Declaratur etiam hanc unctionem infirmis adhibendam: illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur.* Quibus declarat, hoc ſacramentum dandum eſſe non ſolum iis, qui in exitu vitæ ſunt conſtituti; ſed etiam illis, qui graviter decumbentes, amittendæ vitæ dant timorem.

V. Non debere autem ultimam vitæ periodum, ſeu ut infirmus ſit ſenſuum uſu deſtitutus, & ſemicadaver expectari, ſtatuunt Concilia. Mediolanenſe ſub S. Carolo: *Extrema unctionis ſacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur;* Bituricenſem anno 1584. *Adminiſtretur* (inquit) *tempeſtive a Sacerdote Extrema unctio Olei ſancti; ita ut Chriſtianus mente adhuc integra ſacramenti efficaciam agnoſcere poſſit.* Quod anno præcedente in Concilio Burdigalenſi, *titul.* 13. his verbis ſancitum fuerat: *Tamen non eo uſque differendum eſt, dum æger omnibus pœnæ ſenſibus deſtitutus ſit.* Propterea Catechiſmus Conc. Trid. *de Extrem. unct. n.* 9. Poſtquam dixit, quod hæc unctio: *Ob eam rem inſtituta eſt, non modo, ut anima, ſed etiam ut corpori medicinam afferat:* ſubdit: *Cum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant; idcirco iis etiam, qui adeo periculoſe ægrotare videntur, ut, ne ſupremus illis vitæ dies inſtet, metuendum ſit, hoc ſacramentum præbere debet. In quo tamen graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem ſacramenti gratiam percipiendam, plurimum valere; ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, ac religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo lineatur.* Non ergo ſemimortua cadavera, non cum anima in prioribus labris laborat, ut Calvinus, & Sectarii imponunt; ſed cum morbus ingraveſcit, ut de infirmi ſalute timeatur, Eccleſia Latina Catholica ſacro oleo ſuos jubet inungere.

VI. Vocatur autem *ſacramentum Exeuntium*: non quia in exitu ſolum conferendum ſit, ſed, ut ait S. Th. *in Suppl. 3. p. qu. 32. art. 2.* quia *Illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium; propter hoc quod ægritudo poteſt inducere mortem, & de periculo timetur.*

Neque per hoc, quod ſit per modum medicinæ debet omnibus infirmis ſtatim dari. Nam, ut dicit S. Thom. ibi ad 2. *Medicina corporalis habet pro principali effectu ſanitatem corporalem, qua omnes infirmi in quolibet ſtatu indigent. Sed hoc ſacramentum habet pro principali effectu illam ſanitatem, qua exeuntibus, & iter ad gloriam agentibus eſt neceſſaria.*

§. III.

An Furioſis, Amentibus, Pueris, &c. dari debeat Extrema Unctio?

VII. Quoad amentes, & furioſos, qui tales ſunt a nativitate: Dico primo, Hoc ſacramentum conferri non debere. Tum quia: in his locum habere non poteſt hujus ſacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti.* Cum enim ſupponantur uſum rationis nunquam habuiſſe, ſupponuntur nunquam peccaſſe, nec in eis reliquias peccatorum adeſſe, ad quas abſtergendas datur Extrema unctio. Tum quia: hoc ſacramentum cum detur per modum curationis, & medicinæ ſpiritualis, non debet dari niſi illis, qui per peccata morbos contraxerunt. Licet autem conferre etiam poſſit ſanitatem corporalem; quia tamen hæc eſt effectus ſolum ſecundarius, locum habere non poteſt niſi in illis, qui ſanationis ſpiritualis, quæ eſt effectus primarius, capaces ſunt. Tum demum, quia, ut docet S. Thom. *in Suppl. 3. p. q. 32. art. 3.* dari non debet illis, qui non poſſunt recognoſcere, & ſuſcipere cum devotione hoc ſacramentum, maxime ſi nunquam potuerunt.

VIII. Eadem ratione dico ſecundo. Extremam unctionem non eſſe conferendam pueris rationis uſu carentibus. Ita S. Th. citato loco, *art.* 4. propter nuper dicta: ideoque ſicut Euchariſtia non debet dari pueris, ita neque hoc ſacramentum. Loquor, inquam, de pueris nondum uſum rationis habentibus, & peccandi incapacibus: ſi enim ad uſum rationis pervenerint, & peccandi capaces facti fuerint; facti ſunt etiam hujus ſacramenti capaces: ideoque ſi in morbum periculoſum inciderint, poterit eis miniſtrari, etiamſi annum decimum quartum non attigerint, ut habetur in Synodo Cameracenſi, *anno 1567.* Et in Paſtorali Michlinienſi dicitur, qua ætate pueris conceditur ſacra communio, unctio quoque concedenda eſt. His enim, ut dicit Jacobus, ſi in peccatis ſint, dimittentur eis; vel ſaltem gratia roborans contra debilitates in articulo mortis occurrentes, conferetur.

IX. Sed oppones primo. Furioſis, & amentibus a nativitate, ſicut & pueris, poteſt dari Baptiſmus, ergo & Extrema unctio —— Secundo. Morbi, qui in his contingunt, ſunt ex peccato, ſicut in adultis, & ſunt peccati reliquiæ.

X. Ad primum reſpondeo cum S. Th. citato, *art. 3. ad* 2. neg. conſ. Nam *Baptiſmus non requirit motum liberi arbitrii; quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex noſtro libero arbitrio: ſed in hoc ſacramento requiritur motus liberi arbitrii. Et ideo non eſt ſimile. Et præterea Baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis, non autem Extrema unctio.*

Ad ſecundum reſpondet idem S. Th. ibi, art. 4. ad 1. *Quod infirmitates in pueris ſunt ex peccato actuali cauſatæ, ſicut in adultis: & contra illas præcipue infirmitates hoc ſacramentum datur, quæ ſunt ex peccato cauſatæ quaſi peccati reliquiæ.* Et ad ſecundum addit, quod Extrema unctio *Non datur contra reliquias originalis peccati, niſi ſecundum quod ſunt per actualia peccata, quodammodo confortatæ. Unde principaliter contra actualia peccata datur* (*ut ex ipſa forma patet*) *quæ non ſunt in pueris.* (Idem dic de amentibus a nativitate.)

XI. Quoad amentes vero, & furioſos, qui non ex ortu, ſed ex morbo facti ſunt tales, & habent lucida intervalla; conferenda iis eſt Extrema unctio, ſi eam dum compotes ſunt ſui, petant: vel etiam in amentia, ſi dum compotes ſui erant, eam petierunt, dummodo tamen ſine irreverentia ſacramenti id fieri poſſit. Prior pars patet. Quia tales dum petunt, indicant ſe habere actualem devotionem ad hoc ſacramentum, & motu liberi arbitrii ad illud ſe movent. Secunda etiam pars oſtenditur. Quia in illis, qui, dum rationis compotes eſſent, ſacramentum petierunt, & poſtea in amentiam rapti ſunt; eſto non adſit voluntas, & devotio actualis, adeſt tamen virtualis: ratione cujus hoc ſacramentum adminiſtrandum eſt etiam illis, qui vi morbi rationis uſum amiſerunt; etiamſi adeo vi morbi fuerint correpti, ut ſine confeſſione ſint morituri; modo tamen ſacramenta frequenter ſuſceperint, vel de eis ſaltem bene ſenſerint, nec in notorio peccato mortali jaceant, abſque ſigno contritionis.

XII. Confirmat hæc omnia Catechiſmus Concil. Trid. *num.* 9. his verbis: *Omnes præterea, qui rationis uſu carent, ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum apti non ſunt; & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare hujus ſacramenti remedio opus ſit. Amentes item, & furioſi, niſi interdum rationis uſum haberent, & eo potiſſimum tempore pii animi ſignificationem darent, peterentque, ut ſacro oleo inungerentur. Nam qui ab ipſo ortu nunquam mentis, & rationis compos fuit, ungendus non eſt: ſecus vero ſi ægrotus, cum mente adhuc integra hujus ſacramenti particeps fieri voluiſſet, poſtea in inſaniam, & furorem incidit.*

XIII. Quoad ſenes decrepitos: Dico tertio. Quod etſi actu ægroti non ſint, ſed in diem præſenectute morituri, exhibendam eis eſſe unctionem: nulli autem alteri, qui ſanus ſit, etſi immineat vitæ periculum. Hoc præſcribit S. Carolus in Conc. IV. Mediol. *tit. 6. de Extr. unct.* ita loquens: *Parochus Extremæ unctionis ſacramentum, ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilicet periculoſe ægrotantibus, propeque moribundis; ſenio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris, ita iſtis ne miniſtret, nempe, pueris rationis uſu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiſcentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis, qui mox ultimo ſupplicio mulctandi ſunt.* Virium enim defectus, quo confecti ſenio laborant, gravis eſt infirmitas: & adeo iis accenſendi ſunt, de quibus Jacobus, ait: *Infirmatur quis in vobis?* Secus vero illi, quibus licet immineat vitæ periculum, ægroti tamen non ſunt: his

enim ut diximus, in Ecclesia Latina unctio dari non debet. Quod dicitur de mulieribus in partu laborantibus, intellige, si non sint in proximo vitæ periculo: si enim sint, eis, ut aliis ægrotis, succurrendum est. Illis quoque, qui in tali periculo versantur, licet causa ægritudinis sit extrinseca, & violenta, si vere ægrotent.

XIV. Peste item laborantes Extrema unctione muniendi sunt: hi enim vere sunt ægroti, & periculo mortis proximi. An vero his teneatur Parochus etiam cum periculo propriæ vitæ Extremam unctionem exhibere, vel per se, vel per alium; & hoc ex præcepto charitatis, qua Pastor tenetur animam suam ponere pro ovibus suis: disputant Theologi, inter quos Sylvius, *in Suppl. 3. p. q. 32. super art. 3. S. Thomæ*, quem Studiosus adire poterit. Dicunt Suarez, & alii: quod cum præceptum de ministranda Extrema unctione, quo tenetur Parochus erga suos subditos, sit affirmativum; ejus gravis obligatio ex circumstantiis pensanda est. Si enim Parochus sit moraliter certus, ægrotum peste infectum, esse ad mortem bene dispositum; quia confessum, & absolutum, vel nullum peccatum mortale habens; & aliunde sibi magnum periculum imminere, si ad eum accedat: videtur non obligari sub mortali, maxime si sit solus, nec per alium supplere possit, cum talis ægrotus non versetur in gravi necessitate. Et certe si non tenetur subditus sacramenta vivorum, puta, Eucharistiam, & Confirmationem cum periculo vitæ suscipere; quia non conferunt vitam spiritualem per se, sed collatam supponunt: cur teneretur Parochus cum periculo vitæ illa ministrare, quando non sunt tantæ utilitatis?

Cæterum si Parochus prudenter timeret, infirmum peste laborantem, vel esse in peccato mortali, quia dubitaret, an esset confessus, & absolutus; & aliunde moribundus solum attritus ita moriens esset damnandus, cumque hoc sacramento per accidens posset justificari: teneretur, inquiunt, etiam cum periculo vitæ ex charitate, & justitia ex munere suo ei subvenire. Et eadem ratione si infirmus tot, tantisque urgeretur tentationibus, ut nisi Extrema unctione confortatus, periculum esset succumbendi: tunc enim non esset tantum utilis, sed necessaria.

Porro Sacerdos tempore pestis ad contagionem vitandam posset (ait Sylvius) infirmum ungere virgula argentea, vel aurea, aut lignea sacro tamen oleo tincta, sic ut perficiatur unctio: qua peracta virgulam illam aut purgare, aut ad similem usum servare posset, si sit aurea, vel argentea, vel eam comburere, si sit lignea. Ubi autem unctio sine periculo vitæ manu peragi posset, ita facienda esset.

DUBIUM III.

De Necessitate, & Dispositione ad hoc Sacramentum Requisita.

§. I.

Resolutio Prioris Partis.

I. CONveniunt omnes, Extremam unctionem non esse necessariam necessitate medii ad salutem. Controversia solum est de necessitate præcepti: ita ut infirmus, de cujus morte timetur, teneatur eam sumere præcepto sive divino, sive Ecclesiastico: & hoc sive per se, sive solum per accidens, nimirum ratione circumstantiæ. Circa quod,

II. Dico primo. Non constat, quod Extrema unctio sit necessaria per se necessitate præcepti sive divini, sive Ecclesiastici. Non constare de præcepto divino, probo. Si enim constaret, maxime ex illis Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ*. Sed verba hæc non importare rigorosum præceptum, sed salubre potius monitum, consilium, colligo ex verbis immediate præcedentibus; dicit enim: *Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat*. Deinde subdit: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros &c.* Sed orare cum aliquis tristatur, & psallere, cum æquo animo est, non dicitur ibi, quasi sit rigorose a Deo præceptum, sed solum commendatum; ergo neque inducere Presbyteros, cum aliquis infirmatur. Cum autem ex Sacra Scriptura nullus alius afferri possit locus ejusmodi spirans præceptum; non constare de divino præcepto dicendum videtur. Conformiter ad hoc videtur loqui Trid. *Sess. 14. de Extr. Unct. cap. 1.* dum ait: *Hoc Sacramentum esse a S. Jacobo commendatum, & promulgatum*. Et *cap. 3.* dum ait, contemptum hujus sacramenti non sine magno scelere esse posse, nihil dicens de omissione, quæ fit sine contemptu.

III. Suffragatur S. Th. Tum 3. *part. quæst. 65. art. 4.* ubi distinguens duplex necessarium respectu finis: Unum sine quo finis haberi non potest: alterum sine quo finis non habetur, ita convenienter dicit: quod primo modo necessaria sunt tria sacramenta Baptismus, Pœnitentia, & Ordo. Sed alia sunt necessaria secundo modo: *Nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum, Extrema unctio Pœnitentiam &c.* Et ibi ad tertium dicit: *Quod licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius: non tamen est contemptus sacramenti, cum aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis*. Tum etiam, *in Suppl. 3. p. q. 29. art. 3. ad 1.* Ubi rationem afferens cur in Evangelio institutio Extremæ unctionis expressa non legatur, dicit: *Illa enim præcipue curaverunt Evangelistæ tradere, quæ ad necessitatem salutis, & Ecclesiastica dispositionis pertinent. Et ideo potius institutionem Baptismi, & Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & Ordinis factam a Christo narraverunt, quam Extremæ unctionis, vel Confirmationis, quæ non sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, sive distinctionem Ecclesiæ pertinent*.

IV. Non esse præceptum Ecclesiasticum, ex eo videtur colligi; quia nullum de Extrema unctione sumenda legitur ab Ecclesia editum generale præceptum. Immo Innocentius I. Epist. sæpe laudata ad Decentium. *Fideles* (inquit) *ægroti sancto oleo perungi possunt*. Et rursus: *Eo omnibus Christianis uti licet*. Non dicit: *Tenentur*. Neque praxis generalis Ecclesiæ ungendi infirmos indicat obligationem, sed utilitatem, quæ ex hoc sacramento infirmis accedit: & propterea etiam in variis Provincialibus Conciliis statutum legitur, hoc sacramentum ab omnibus infirmis sumi *debere*, non debito rigorosæ obligationis, sed convenientiæ: cum infirmus in eo articulo uti debeat omnibus mediis, quæ Christus instituit, & Ecclesia frequentat, ut securiorem suam reddat salutem: qua ratione omnibus benedictionibus, ac indulgentiis muniri studet, quamvis non sint in præcepto.

Neque obstat, quod Concilium Coloniense, *ann. 1538. cap. 50. part. 7.* dicat: *Sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici*. Non enim vult his verbis, mandatum esse fidelibus illam recipere, sed Pastoribus ministrare, ubi requiruntur. Vel loquitur de mandato, sicut loquitur Trid. *Sess. 14. c. 3. de Extr. unct.* ubi ait; *Nulla ratione audiendi sunt, qui..., docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem*. Ubi nomine mandati intelligit Christi institutionem, vel ejus jussionem, ut hæc unctio esset in Ecclesia.

Neque idem est de hoc sacramento, ac de Eucharistia, quam in articulo mortis quilibet adultus tenetur recipere, dum potest. Nam Eucharistia necessaria est necessitate salutis, saltem in voto, quod maxime in articulo mortis impleri debet. Et rursus adest præceptum Christi de ea sumenda, & Ecclesiæ circa tempus sumptionis; sed nihil horum urget de Extrema unctione. Nam præceptum Domini, ut diximus, non est, sed neque Ecclesiæ. Immo contrarium deducitur: quia Ecclesia tempore interdicti concedit quidem Eucharistiam, & Pœnitentiam graviter infirmis, non tamen Extremam unctionem, Cap. *Quod in te*, de Pœnit. & remiss. quam sane etiam tunc non recusaret, si foret in præcepto.

V. Dico secundo. Esto Extrema unctio per se non sit in præcepto; per accidens tamen, & attentis circumstantiis in præcepto esse potest. Puta, si infirmus illam non curaret ex contemptu, vel formali, vel virtuali parvi illam faciens. Si ex ejus non curantia scandalum oriretur apud præsentes, vel alios existimantes eum esse in errore Sectariorum: & tandem si gravibus, ac importunis Dæmonum tentationibus agitaretur. In tali enim casu teneretur ad hoc corroborationis antidotum confugere: si enim obligatoria est Confirmatio, ubi imminet fidei periculum; ita obligatoria est Extrema unctio, ubi periculum est succumbendi in ultimo certamine.

VI. Ex quibus infero; quod cum vix contingere possit, ut infirmus morti proximus, graves a Dæmone, qui insidiatur calcaneo hominis, tentationes non patiatur; & in periculo non sit, eis cedendo, vitæ æternæ jacturam faciendi; existimarem raro contingere, ut infirmus non teneatur quærere ab hoc sacramento auxilium. Et in hoc sensu veram censeo sententiam oppositam, ejusque fundamenta hoc evincere. Et ita exponendum censeo S. Th. cum *in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 4.* dicit, quod *Propter hoc etiam Jacobus simul præceptum edidit de confessione facienda, & Extrema unctione suscipienda*; nimirum, propter periculum, in quo homo tunc constituitur.

§. II.

Resolutio Posterioris Partis.

VII. DIco. Ad digne suscipiendum hoc sacramentum requiritur primo: Ut sit confessus de mortali, cujus habet conscientiam; vel si non potest, quod saltem vere contritionis signa dederit. Cum enim hoc sit unum ex sacramentis vivorum, exigit, ut subjectum, cui confertur, sit vivum per gratiam. Et cum insuper sit spiritualis medicatio; sicut corporalis medicatio supponit vitam corporalem, quia corporaliter mortuo medicina non prodest: ita spiritualis medicatio supponere debet vitam spiritualem, cum spiritualiter mortuo inutilis sit, ut ait S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 30. art. 1.* Unde ritualia tam vetera, quam recentiora præscribunt, non dari infirmo Extremam unctionem, nisi prius confesso. Quia hoc abstergit quidem reliquias peccatorum, & peccata venialia, si ea inveniat etiam quoad culpam, non tamen mortalia per se loquendo. Etsi per accidens contingere possit, ut a mortali etiam sanetur; cum, ut supra diximus, sacramenta vivorum possint

poſſint per accidens primam gratiam conferre : *Quamvis enim* (ait S. Thom. citatus, ad 2.) *culpa quoad maculam ſine contritione non dimittatur ; tamen hoc ſacramentum per gratiam, quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum ſit contritio, ſicut etiam in Euchariſtia, & Confirmatione poteſt accidere.*

VIII. Requiritur ſecundo: ut ſuſcipiens habeat fidem, & ſpem conſequendæ ſanitatis animæ, & corporis, ſi hæc animæ ſaluti expediat. Rurſus: ut ſuam intentionem, & preces uniat intentioni, & precibus Eccleſiæ ſperans exinde, ſe conſecuturum divinum auxilium adverſus omnes Dæmonis inſidias. Hæc omnia inſinuat Catechiſmus Conc. Trid. *de Extr. unct. num.* 12. his verbis : *Quoniam vero omni ſtudio curare oportet, ne quid ſacramenti gratiam impediat ; ei vero nihil magis adverſatur, quam alicujus peccati mortiferi conſcientia : ſervanda eſt Catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut ante Extremam unctionem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtretur. Ac deinde ægro Parochi perſuadere ſtudeant, ut ea fide ſe ungendum Sacerdoti præbeat, qua olim qui ab Apoſtoli ſanandi erant, ſeipſos offerre conſueverant. In primis autem animæ ſalus, deinde corporis valetudo, cum illa adjunctione, ſi ad æternam gloriam profutura ſit, expetenda eſt. Nec vero dubitare Fideles debent, quin ſanctæ illæ, & ſolemnes preces a Deo audiantur, quibus Sacerdos, non ſuam, ſed Eccleſiæ, & Domini noſtri Jeſu Chriſti perſonam gerens, utitur. Qua una maxime recohortandi ſunt, ut hujus ſaluberrimi olei ſacramentum ſancte, & religioſe ſibi adminiſtrandum curent, cum & arctior pugna inſtare, & vires tum animi, tum corporis deficere videantur.*

IX. Devotionem in ſuſcipiente requirit S. Th. & quidem actualem, *in Supplem. 3. part. quæſt. 32. art. 4.* non quidem, quæ ſemper præſens actu ſit, dum inungitur : contingit enim interdum, quod infirmus, dum inungitur, uſu rationis actu minime fruatur : ſed quam prius, dum compos mentis eſſet, oſtenderit. Ita enim ſeſe explicat, *3. p. q. 80. art. 9.* dicens : *Si prius quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus ſacramenti, debet eis in articulo mortis hoc ſacramentum exhiberi.*

X. Tandem, ut quis Extremæ unctionis ſit capax, debet eſſe baptizatus. Omnia enim ſacramenta, quæ in actu ſita ſunt, in iis, qui Baptiſma non ſuſceperunt, irrita ſunt. Et inſuper quod ad rationis uſum pertingerit. Ut enim ſupra dictum eſt, hujus ſacramenti forma : *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti*, in pueris, & in amentibus a nativitate, qui lucis intervalla nunquam habuerunt, locum habere non poſſunt. Et hæc de Extrema unctione ſufficiant.

TRACTATUS DUODECIMUS
DE SACRAMENTO ORDINIS.



Ordo nomen eſt varias, & ambiguas generaliter habens ſignificationes. Interdum enim ſignificat omnem reſpectum, & habitudinem unius ad alterum : quo ſenſu dicere ſolent Theologi, in relativis eſſe eſſentialem ordinem unius ad alterum, ſubjecti ad terminum, potentiæ ad objectum &c. Interdum ſumitur pro methodo tradendæ Doctrinæ, ordinate nimirum procedendo, puta, a toto ad partes, ab univerſalibus ad particularia : quo ſenſu ait S. Auguſtin. l. 2. de Ordine, cap. 5. *Si quis temere, & ſine ordine diſciplinarum in harum rerum cognitionem audet irruere ; pro ſtudioſo illum curioſum, pro docto credulum, pro cauto incredulum fieri.* Nonnunquam etiam pro more, & conſuetudine ſumitur, quo pacto Juriſperiti *Extra ordinem* factum dicunt, quidquid ſine verbis, & formulis conſuetis factum eſſet, comperiunt. Verum omnes præfatæ, & ſimiles acceptiones alienæ ſunt a præſenti inſtituto.

Ut igitur propius accedamus : *Ordinis* nomen uſurpari poteſt primo : Pro debita, & convenienti rerum diſpoſitione. Unde idem S. Auguſtin. lib. 19. de Civit. Dei, c. 13. *Ordo* (inquit) *eſt parium, diſpariumque rerum ſua cuique loco tribuens diſpoſitio.* Et lib. 6. contra Fauſtum, c. 8. *Omnis creatura Dei bona eſt. Omnia quippe, quæ naturaliter ſunt, in ordine ſuo bona ſunt ; & nemo in eis peccat, niſi qui ordinem ſuum in Dei obedientia non cuſtodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat.* Secundo : Pro certo hominum ſtatu, qui multis hominibus communis ſit. Sic tres hominum ſtatus, Eccleſiaſticus nimirum, nobilis, & plebejus, tres ordines appellantur. Tertio : pro actione, qua quis ſacris Miniſtris accenſetur, & ad ſacras functiones obeundas ordinatur.

In hac ergo acceptione hic nomen ordinis uſurpabimus. In qua tria conſiderari poſſunt. Primo : Statum ipſum ſacrorum miniſtrorum, qui ſupra cæteros in Eccleſia eminent. Secundo : poteſtatem, qua conſtituuntur ad exercendos aliquos actus, maxime circa adminiſtrationem ſacramentorum. Tertio : ipſam ordinationem, ſeu actionem ſacram, qua accipiunt ejuſmodi poteſtatem, & ordinantur ad ſacrum miniſterium. Et de his ſermo erit in præſenti Tractatu, in quo omnia ad hæc ſpectantia examinabimus.

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia, & Eſſentia Ordinis.

AN Ordo mox explicatus in Eccleſia Chriſti ſit ponendus, & in quo ejus natura conſiſtat, præſens Quæſtio diſcutiet.

DUBIUM I.

An in Eccleſia ſit ponendus aliquis Ordo, vi cujus Clerici a Laicis ſecernantur.

§. I.

Quædam Prænotantur.

I. ALiquem Ordinem debere eſſe in Eccleſia certum eſt, inquit S. Bonaventura, *in 4. diſt. 24. art. 2. q. 1.* Cum enim ſit magna multitudo in Eccleſia, niſi eſſet in ea ordo, manifeſta in ea appareret confuſio. Unde ſicut Deus omnia a ſe condita ſapientiſſimo ordine diſpoſuit, & hoc pulcherrimo ordine omnia regit ; ut unumquodque in eo ſeſe contineat, nec unum alterius ordinem ingrediatur ; & multo magis, hunc ordinem voluit in perfectiſſimo ſuo opere conſtituere. Et eo maxime, quia multitudo, quæ in tali ſtatu eſt, ut non facile ab eo deviare poſſit, habere debet ducem, ac paſtorem, quo in ſuo ſtatu debite contineatur : quod in omni bene diſpoſita multitudine etiam politica cuſtoditur.

Hunc ordinem inter membra Eccleſiæ nemo, ut puto, diffitebitur. Quod hic in Dubium vertitur, eſt : an in Eccleſia dari debeat aliquis ordo ſeu ſtatus Clericorum, ſeu miniſtrorum Dei a laicis diſtinctus ; ſecundum quem in eo poſiti emineant ſuper illos, habeantque jus, & poteſtatem eis adminiſtrandi res divinas, præſertim ſacramenta, & maxime Euchariſtiam ?

II. Moderni Sectarii Calviniſtæ, & Lutherani affirmare quidem non audent, annuntiationem Evangelii, & ſacramentorum adminiſtrationem ad omnes omnino fideles promiſcue pertinere. Id fatetur Kemnitius in examine Conc. Tridentini, *ad c. 2. Can. 2. Seſſ. 23.* ubi ait : *Neque ſe, neque ſuos, nempe Lutheranos damnare diſtributionem illorum graduum Eccleſiaſticorum, qualis fuit in Apoſtolica lege ; ſuoſque ejuſmodi diſtributionem uti pro ratione neceſſitatis, & ædificationis admittere.* Hoc idem aſſerit Calvinus, *l. 4. Inſt. cap. 3. num. 2.* dicens : *Miniſterium, quo Deus in gubernanda Eccleſia utitur, præcipuum eſſe nervum, quo fideles in uno corpore cohæreant :* addens, *non aliter incolumem ſervari Eccleſiam poſſe, quam ſi his præſidiis fulciatur.* Et concludit : *Eccleſiæ ergo diſſipationem, vel ruinam potius, & exitium molitur quiſquis ordinem hunc, de quo diſputamus, & hoc genus reiminis, vel abolere ſtudet, vel quaſi minus neceſſarium elevat. Neque enim vel Solis lumen, ac calor, vel cibus, ac potus, tam ſunt præſenti vitæ fovendæ, ac ſuſtinendæ neceſſaria, quam eſt conſervandæ in terris Eccleſiæ Apoſtolicum, & paſtorale munus.* Ita Calvinus, pulchre quidem.

III. Nihilominus ſi mentem ejus, & aliorum Acatholicorum ſcrutemur, non intendunt Ordinem, & miniſterium conſtituere ſtatum a laicis eſſentialiter diſtinctum, ſed ſola accidentali, & extrinſeca deputatione. Cum enim contendant, Chriſtianos omnes æqualiter Sacerdotes eſſe, & æqualiter poteſtatem miniſtrandi habere ; & exercitium talis poteſtatis non aliter eis conferri, quam per legitimam ad tale miniſterium deputationem, & extrinſecam ordinationem, per amotionem ab ejuſmodi officio amiſſibilem ; quam auctoritate ſæcularis Magiſtratus plerique

fieri volunt : consequenter nomen quidem sacri Ordinis, sed non rem admittunt. Propterea Lutherus, *lib. de abroganda Missa privata* expendens illud 1. Petri 5. v. 3. *Neque dominantes in Cleris*, dicit, hoc non debere intelligi de his, *Quos nunc a laicis discrevit impia hominum traditio*. Et paulo post addens, Ecclesiasticam Hierarchiam, in qua constituuntur summus Sacerdos, deinde Episcopi, postea Sacerdotes, tandemque inferiores Clerici, esse similem Gentilium constitutioni de Sacerdotibus Jovis, Veneris, Saturni, concludit : *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus Unctus, nullus Rasus, nullus Monachus esse debeat, sed tantum Predicantes*. Idem Calvinum sensisse indicat ipse, *l. 4. Instit. cap. 4. §. 9.* ubi postquam ait, quod *Omnes*, qui in veteri Ecclesia Ecclesiasticis *ejusmodi officiis imbuebantur*, *generali nomine vocabantur Clerici*; subjungit: *Vellem equidem aliud nomen magis proprium inditum illis fuisse: hoc enim appellatio ex errore, vel certe prava affectione nata est; cum tota Ecclesia Clerus, hoc est, hereditas Domini a Petro dicatur* (1. Petri 5. v. 3.) In eodem igitur errore conveniunt Lutherus, & Calvinus : quod Clerici nomine veniant omnes fideles, nec dari Ordinem Clericorum, quo distinguantur a laicis.

§. II.

Statuitur Veritas.

IV. DIco. In Ecclesia Christi est, & esse debet Ordo, seu ordinatio distincta ab ordine laicorum qua aliqui, nempe, Clerici, constituantur in gradu superiori cum potestate administrandi sacramenta, & annuntiandi verbum Dei. Ita determinavit tamquam de fide, Concil. Trid. *Sess. 23. cap. 4.* dicens: *Sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt: Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere; & semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant*. Et Can. 1. anathema dicit ei, qui dixerit: In novo Testamento non esse Sacerdotium externum, & visibile, *Sed officium tantum, & nudum ministerium predicandi Evangelium: vel eos, qui non predicant, non esse Sacerdotes*. Can. 2. ei, qui dixerit: *Preter Sacerdotium non esse in Ecclesia alios Ordines*. Et Can. 6. ei, qui dixerit; *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, qua constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris*.

V. Hoc enim docet Scriptura, quæ sæpius meminit Ministrorum Ecclesiæ, quos fidelibus regendis præfecit, & solemni ritu ordinavit; eosque a cæteris de populo distinguit. Sic Christus, Jo. 20. Apostolis contulit Spiritum Sanctum, ut peccata remittere, vel retinere possent. Actor. 13. v. 2. *Dixit illis Spiritus Sanctus, segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*. Ecce Saulum, & Barnabam ordinatione Spiritus Sancti ad opus sacri ministerii designatos, nimirum, ad pastorale, & Episcopale munus: ac ejusdem ordinatione omnes alios Episcopos designatos ostendens Paulus, Act. 20. v. 28. *Attendite* (inquit) *vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Unde 1. *Cor. 4. v. 1.* ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. His, & aliis manifeste apparet divina institutio, & ordinatio, qua quidam in Ecclesia ab aliis segregantur, ut sint ministri Christi, & spiritualia pascua prædicatione, & sacramentis aliis præbeant. Quod idem Paulus, *Hebr. 5. v. 1.* ostendit dicens: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus constituitur in iis, qua sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*. Quid enim aliud est Pontificem esse ex hominibus assumptum; nisi sejunctum a populi classe, & quasi medium inter Deum, & populum?

VI. Porro: sacrum ministerium non esse nudum officium amovibile, sed ordinem, & statum, ab aliis, qui in Christiana Republica sunt, natura sua distinctum; a quo, qui constituti sunt, ad statum laicalem dejici non possint : ostendit Paulus, *Rom. 12. v. 4.* ex similitudine membrorum, quæ licet omnia sint in uno corpore, omnia tamen non eumdem actum habent: *Si enim* (inquit) *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, qua data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina &c.* Sicut ergo oculus, manus, pes &c. licet omnia sint ejusdem corporis membra, sunt tamen propriis actibus inter se diversa, quia sic exigit natura corporis: ita Clerici, & laici &c. esto sint unius corporis Ecclesiæ membra, propriis tamen actibus invicem secernuntur, ut Clericus non sit laicus; sic exigente ordine hierarchico Ecclesiæ a Christo constituto. Alioquin, ut ait idem Paulus, 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit*. Et v. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, &c. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* Quibus consonant quæ dicit ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*. Has enumerat gratias donationum, quibus membra Ecclesiæ distinxit Christus.

VII. Ex his Conc. Trid. *sess. 23. c. 4.* citato, legitime infert: *Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam, qua est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra Beati Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores*.

VIII. Hanc veritatem probat S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 34. art. 1. in corp.* sic: *Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, & per ea cognosci posset. Et ideo, ut in suis operibus repræsentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur, & perficerentur, & media per prima, ut Dionys. dicit* (*c. 5. Eccl. hierarch.*) *Ergo, ut ista pulchritudo Ecclesia non deesset, posuit ordinem in ea; ut quidam aliis sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes: sicut & in corpore naturali, quadam membra aliis influunt*.

IX. Explicatur hæc ratio. Apud quascumque nationes alicujus Numinis cultrices, vel ipso naturæ instinctu, semper fuerunt aliqui a populo segreges, qui Sacerdotii munere fungerentur. Ab initio mundi ad legem Moysi consignatam, fert communis Hebræorum sententia, quam approbat S. Hieronymus, *in qu. Hebraicis*, soli familiarum patres & capita, Sacerdotii munere fungebantur; nec, nisi majori natu a Deo reprobato, poterat natu minor Sacerdotium exercere, ut patet in Abele, reprobato Caino, & in Jacob, reprobato Esau. Post legem datam sola Levitica Tribus, & qui per lineam paternam ex ea prognati, erant Dei ministerio mancipati: & qui ex alia Tribu, vel manum sacris apponere tentasset, a Deo severe puniebatur. Hinc *N. 16.* Dathan, Core, & Abiron, & aliis, qui cum non essent de Levitica Tribu, ausu temerario incensum adolere tentarunt, vivi a terra absorpti sunt, quod cum adolere etiam Rex Ozias, qui ex Tribu Levi non erat, tentasset, illico lepra percussus fuit (2. *Paralip. 26.*) Quid plura? Apud ipsos quoque Ethnicos semper aliqui fuerunt a reliquo populo secreti, qui Sacerdotii functionibus intenderent, ut observat Aristoteles, *l. 7. Politic. c. 7.* ubi Sacerdotes tamquam Reipublicæ membra a reliquis distincta, & necessaria describit. Sola ergo Ecclesia Christi omnium præstantissima carebit sacris ministris, a cæteris Ecclesiæ membris ordinatione distinctis, qui divino sint cultui mancipati? Non inquam. Nam, ut ait Paulus 2. Cor. 3. v. 7. *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria.... Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?*

X. Confirmantur dicta ex S. Th. loco citato in arg. sed contra, Status Ecclesiæ est medius inter statum naturæ, & gloriæ; sed in natura invenitur ordo, quo quædam aliis superiora sunt, & similiter in gloria, ut patet in Angelis, ergo in Ecclesia debet esse ordo: ut enim ait Paulus, Rom. 13. v. 1. *Qua autem sunt, a Deo ordinata sunt*. Ex quo infert, omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse. —— Tandem: si conveniens est, ut summi Principes aliquos sibi adscisant ministros ordine a populo distinctos, per quos mandata, & gratias dispensent: cur quæso Christus Ecclesiæ Princeps ministris carebit, quibus ex officio sui ordinis ipsi servire incumbat: & per quos sacramentorum gratiam cæteris fidelibus dispenset? Ex his se esse dicebat Paulus, 1. Cor. 4. v. 11. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*.

§. III.

Rationes Contrariæ.

XI. OBjiciunt primo Sectarii. Nomine *Cleri*, vel *Clerici* non venit ordo, vel status a fidelium grege sejunctus; ergo &c. ant. prob. S. Petrus, *Epist. 1. cap. 5.* alloquens Episcopos dicit: *Pascite qui in vobis est, gregem Dei, non coacte sed spontanee, non turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis*: ergo Sanctus Petrus nomine *Clerici* intelligit eam portionem gregis, quæ cuique Episcopo commissa est, quod indicant illa verba sequentia *Sed forma facti gregis*. Quasi dicat: Episcopum non debere fastu dominari, sed morum probitate prælucere, & formam sui gregis, & exemplum fieri. Addo: quod *Clerus*, seu græce *Cleros* latine dicitur *Sors*, seu *Hæreditas*; sed omnes fideles, non soli ministri Ecclesiæ, sunt vocati in sortem, & hæreditatem Dei; ergo &c.

XII. Respondeo ex S. Hieronymo, *Epist. 2.* modo *34. ad Nepotianum*, neg. conf. Monet enim ibi S. Petrus Episcopos de modo, quo se gerere debeant erga Clericos, nempe, non tamquam dominantes: *Illud etiam dico, quod Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos: honorent Clericos quasi Clericos, ut & ipsis a Clericis quasi Episcopis*

honor

honor deferatur. Reſpectu autem Clericorum, & totius gregis debent Epiſcopi fieri forma morum, & exemplar; non inficior nomen, *Cleros* dici latine *Sortem*, ac *Hæreditatem*, & in hanc fideles omnes vocari: dico tamen, ſpeciali ratione ſacros Miniſtros de ſorte Domini eſſe. Unde Iſidorus a Gratiano relatus, diſt. 21. Cap. *Cleros*, & *Clericos*, ait: *Cleros, & Clericos ſic appellatos credimus, quod Matthias ſorte electus eſt, quem primum per Apoſtolum legimus ordinatum: Cleros enim græce, ſors latine, vel hæreditas dicitur. Propterea ergo dicti ſunt Clerici, quod de ſorte Domini ſunt.* Sane omnis populus Iſrael hæreditas Domini dicitur, Iſ. 19. v. 25. *Hæreditas autem mea Iſrael*. Speciali tamen ratione hæreditas Dei Tribus Levitica dicitur, *Num.* 8. v. 14. Levitis dicit Dominus: *Separabis de medio filiorum Iſrael, ut ſint mei*. Et cap. 18. verſ. 20. *Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael*. Ratione igitur magis convenienti, & propria Sacerdotes, & Clerici, qui ex omni Chriſtiano populo non carnali propagatione, ſed vocatione, & ordinatione ſeliguntur, ſors, & hæreditas Domini dicendi erunt.

XIII. Objiciunt ſecundo. In Eccleſia nulla debet eſſe diſtinctio, ſeu diſcretio unius fidelis ab alio: ergo nullus ordo, qui diſtinctionem importet. Ant. prob. ex illo ad Galat. 3. v. 27. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque femina: Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*.

XIV. Reſpondeo, in Eccleſia nullam eſſe diſtinctionem, ſed omnes eſſe unum in ordine ad ſalutem æternam, fidem, & juſtificationem: & hoc intendit Apoſtolus. Sicut enim eo loco non excludit diſtinctionem ſexuum, nationum, conditionum; ita neque diſtinctionem quantum ad poteſtatem conficiendi, & adminiſtrandi res ſacras, quam ſtatuerat in Eccleſia, *Rom.* 12. & 1. *Cor.* 12. dicens: quod ſicut in corpore naturali omnia membra non eumdem actum habent: ita in corpore myſtico Eccleſiæ, ut ſupra expendimus. Solum ergo vult, quod diſtinctio ſexuum, nationum, & conditionum nihil conferat ad juſtificationem; quia hæc confertur omnibus, qui Chriſtum per Baptiſmum induerunt ſive Judæi ſint, ſive Græci, ſive ſervi, ſive liberi, ſive maſculi, ſive feminæ.

XV. Sed inſtabis. Ordo invenitur in Angelis, propter diſtinctionem eorum in bonis naturalibus, & gratuitis: ſed omnes homines ſunt in natura unum, gratiarum autem dona quis eminentius habeat, ignotum eſt; ergo Ordo in Eccleſia eſſe non debet.

XVI. Reſpondeo ex S. Thom. in Supplement. 3. part. quæſt. 34. art. 1. ad 3. *Quod ordo in Angelis non attenditur ſecundum diſtinctionem naturæ, niſi per accidens: in quantum ad diſtinctionem naturæ ſequitur in eis diſtinctio gratiæ. Attenditur autem in eis per ſe ſecundum diſtinctionem in gratia; quia eorum ordines reſpiciunt participationem divinorum, & communicationem in ſtatu gloriæ, quæ eſt ſecundum menſuram gratiæ, quaſi gratiæ finis, & effectus quodammodo. Sed ordines Eccleſiæ militantis reſpiciunt participationem ſacramentorum, & communicationem, quæ ſunt cauſa gratiæ, & quodammodo gratiam præcedunt; & ſic non eſt de neceſſitate noſtrorum Ordinum gratiam gratum faciens, ſed ſolum poteſtas diſpenſandi ſacramenta. Et propter hoc etiam Ordo non attenditur ſecundum diſtinctionem gratiæ gratum facientis* (quæ eſt ignorata) *ſed per diſtinctionem poteſtatis* (quæ ſenſibiliter confertur, & viſibiliter exercetur).

XVII. Objiciunt tertio. Ubi eſt ordo, ibi eſſe debet ſubordinatio inferioris ad ſuperiorem: ſed in Eccleſia nulla debet eſſe talis ſubordinatio, nec prælatio unius in alium, ſeu dominatio. Hæc enim expreſſe interdicitur a Chriſto Apoſtolis, & omnibus fidelibus. Tum *Matth.* 27. *v.* 25. his verbis: *Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt, poteſtatem exercent inter eos: Non ita erit inter vos, ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit miniſter veſter*. Tum, *Luc.* 22. *v.* 25. his aliis: *Reges Gentium dominantur eorum . . . Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, neg. min. Neque enim Chriſtus citatis verbis abſtulit ab Eccleſia ſua omnem prælationem, & poteſtatem unius ſupra alium: immo hanc dedit Petro, paſcendi oves, ſolvendi, & ligandi, & Apoſtolis quoque: ſed ſolum frænare voluit dominandi elationem, de qua contentio fuerat exorta inter Apoſtolos: *Quis eorum videtur eſſe major*. Neque negavit, aliquem ex ipſis eſſe majorem, ſed hoc ſuppoſuit. At enim. *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut miniſter*. Quia, inquit S. Thomas citatus, ad 2. *Quilibet debet ſe reputare inferiorem merito, ſed non officio: Ordines autem officia quædam ſunt*: Abſtulit ergo Chriſtus a Præſidibus Eccleſiæ elationem, non officium; neque a ſubditis eripuit obedientiam, & ſubjectionem, quæ tamen ſervitutis non eſt, nec libertati repugnans. Nam, ut ait idem S. Thom. ibi, ad 1. *Subjectio ſervitutis repugnat libertati, quæ ſervitus eſt, cum aliquis dominatur aliis, ad ſui utilitatem ſubjectis utens. Talis autem ſubjectio non requiritur in Ordine, per quem, qui præſunt, ſalutem ſubditorum quærere debent, non propriam utilitatem*.

XIX. Objiciunt quarto. Si in Eccleſia eſſet aliqua ſubordinatio ad ſuperiorem poteſtatem, hæc eſſet auctoritate divina conſtituta: *Omnis* enim *poteſtas a Deo eſt*: atqui quæcumque ſit in Eccleſia ad res ſacras obeundas deſtinatio, non eſt divinitus conſtituta. Tertullianus enim, *lib. de Exhort. Caſtitatis, c.* 7. dicit primo: *Nonne & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit*. Secundo: *Differentiam inter Ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis confeſſum ſanctificatur a Deo*; ergo &c.

XX. Reſpondeo primo: Tertulliani dicta, libro citato, non eſſe multi facienda. Librum enim illum conſcripſit, cum jam factus fuiſſet hæreticus Montaniſta, & ſecundas nuptias ut omnibus Chriſtianis illicitas damnaret. — Reſpondeo ſecundo: Intentum Tertulliani in eo loco eſſe probare, quod ſi bigamia ex Paulo ad Timotheum, & Titum prohibita eſt Sacerdotibus, prohibita eſt etiam laicis: & utitur hoc argumento. Quod & laici Sacerdotes ſunt: vel quia offerre poſſunt ſpirituales hoſtias, vel quia laici apti ſunt, ut Sacerdotes fiant. Unde diſtinctionem inter Ordinem, & plebem dicit, quod *Facit Eccleſiæ auctoritas*. Non quia Eccleſiæ auctoritate primo inſtituta ſit diſtinctio inter Ordinem, & plebem: ſed quia aſſumendo ad Sacerdotium illum, qui erat laicus, facit, ut qui non erat diſtinctus a laicis, fiat a laicis diſtinctus: ſicut Princeps aſſumendo aliquem ad publicum miniſterium, facit eum eſſe diſtinctum a reliquis de populo.

DUBIUM II.

An Ordo ſit unum ex Novæ Legis Sacramentalis?

§. I.

Quid ſit Ordo.

I. ORdo, vel ſumitur pro gradu, ſeu ſtatu, in quo quis conſtituitur cum poteſtate, & in officio Eccleſiæ miniſtri; in quo ſenſu, Dubio præcedente, diximus ab ordine laicorum eſſe diſtinctum. Vel ſumitur pro ordinatione, ſeu actione qua confertur iſte gradus, ſeu poteſtas ſacrum miniſterium exequendi. Priori modo ſacramentum proprie non eſt, ſed potius res, & effectus ſacramenti: non enim aliquid ſenſibile eſt, ſed potius quidam ſpiritualis gradus, & poteſtas. Unde quærentes: an ſit ſacramentum, loquimur de ordinatione, ſeu de actione, qua quis ordinatur, & in gradu eccleſiaſtico conſtituitur.

II. Ordinem ergo ita acceptum definit S. Th. *in ſuppl. 3. p. q.* 34. *art.* 2. ex Mag. Sent. quod ſit *Signaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato*. Eam probat S. Thom. ibi, *in corp.* his verbis: *Definitio, quam Magiſter de Ordine ponit, convenit Ordini ſecundum quod eſt Eccleſiæ ſacramentum. Et ideo duo ponit, ſcilicet, ſignum exterius ibi* Signaculum quoddam, *ideſt, ſignum quoddam: & effectum interiorem ibi*. Quo ſpiritualis poteſtas &c. Conſtat etiam ex genere, & differentia. Genus eſt ly *Signaculum*, ſive ſignum quoddam exterius. Differentia eſt traditio poteſtatis ad officia Ordinum. Cum enim Ordo Eccleſiaſticus non attendatur (ex dictis Dub. præc.) per diſtinctionem gratiæ gratum facientis; ſed per diſtinctionem poteſtatis ad ſacrum aliquod miniſterium; convenienter definitur per hanc poteſtatem, tamquam per propriam differentiam.

III. Alia definitio colligi poteſt ex his, quæ docet Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. nimirum: quod ſit *Sacramentum novæ legis, quo traditur poteſtas conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem Chriſti, nec non & peccata remittendi, & retinendi, vel, ex officio Sacerdoti ſubſerviendi*. Quæ definitio pro priori parte competit Sacerdotio, pro poſteriori vero etiam alios Ordines infra ipſum complectitur. Quæ vero ex S. Thom. prius allata eſt, etiam Epiſcopatum complectitur. Unde plenius ſic definiri poteſt ſacramentum Ordinis: *Eſt ſignaculum, quo ſpiritualis poteſtas traditur, & gratia confertur ad eccleſiaſtica munera obeunda*.

IV. Notat tamen S. Thom. citatus, *ad* 2. quod *Quamvis in Baptiſmo conferatur aliqua ſpiritualis poteſtas recipiendi alia ſacramenta, ratione cujus characterem imprimit; hæc tamen non eſt principalis effectus Baptiſmi, ſed ablutio interior, propter quam Baptiſmus fieret, etiam priori cauſa non exiſtente. Sed Ordo poteſtatem principaliter importat: & ideo character, qui eſt ſpiritualis poteſtas, in definitione Ordinis ponitur, non autem definitione Baptiſmi*. Et *ad* 3. addit: *Quod in Baptiſmo datur quædam potentia ſpiritualis ad recipiendum: & ita quodammodo paſſiva. Poteſtas autem proprie nominat potentiam activam cum aliqua præeminentia*. Hæc autem Ordini quidem convenit, non Baptiſmo.

V. Nunc ad propoſitum dubium accedendo: Lutherus primus fuiſſe videtur, qui ſacram ordinationem eſſe novæ legis ſacramentum negare aperte auſus fuit. *Libro* enim *de Capt. Babylon. cap. de Ordine*, contendit, ordinatos a cæteris fidelibus non differre, niſi penes electionem; per quam, eſto a Laicis peractam, jus accipiunt munia obeundi, quæ iis adſcribuntur, quos Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos nominamus. Concludens, quod ubi populus electionem illa reſciderit, ordinati reducantur in ſortem laicorum, ac ſi nunquam Eccleſiaſticis muneribus perfuncti fuiſſent. Luthero adhæſit Illyricus, *In Confeſſ. Antuerp. cap.* 1.

cap. 1. ſubſcripſit Marcus Antonius de Dominis, *l.* 2. *de Rep. Chriſt. c.* 14.

VI. Calvinus vero, *l.* 4. *Inſt. c.* 19. §. 22. impie quidem fugillat ſacramentum Ordinis, ut a Catholicis ponitur, *Adeo fœcundum* (inquit) *ut ſeptem ſacramenta pariat*, ideſt, ſeptem Ordinis, quaſi non ſeptem, ſed tredecim ſacramenta. Nihilominus, §. 28. Presbyterium a ratione ſacramenti prorſus non rejicit, ſolumque dicit, illud aliis duobus non annumerare, nempe, Baptiſmo, & Euchariſtiæ, quia non eſt omnibus commune, ſicut illa. Verba ejus ſunt: *Quantum ad verum Presbyterii munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim cæremonia eſt primum ex ſcriptura ſumpta: deinde, quam non eſſe inanem, nec ſupervacaneam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ Symbolum, teſtatur Paulus. Quod autem tertium in numero non poſuit, eo factum eſt, quod non ordinarium, nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpeciali ritu.* Nomine tamen Presbyterii non intelligit Sacerdotium noſtrum; quin in illud execrandas, ſicut & in alias Catholicorum ſacras ordinationes, evomit de more blaſphemias.

VII. Catholicam Eccleſiæ fidem hanc in re hiſce verbis propoſuit, ac præſcripſit tenendam Trident. *Seſſ.* 23. *Can.* 3. his verbis: *Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram ordinationem non eſſe vere, & proprie ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum; vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & ſacramentorum: anathema ſit.* Huic ergo definitioni ſubſcribens.

§. II.

Veritas Catholica.

VIII. Dico. Ordo, ſeu ſacra ordinatio, verum eſt novæ legis ſacramentum. Probo. Tria enim ad veram rationem ſacramenti novæ legis requiruntur. Primum, quod ſit ſymbolum externum, ſeu ritus ſenſibilis. Secundum: quod habeat annexam promiſſionem gratiæ. Tertium: quod adſit mandatum, ſeu inſtitutio divina: ſed hæc tria in ordinatione reperiri Scriptura, & traditio docent; ergo &c. Min. prob. Scriptura quidem, ubi ſacræ ordinationis meminit, recenſet tum exteriorem ritum, tum promiſſionem gratiæ, tum divinum mandatum. *Act. 6. v. 6.* Apoſtoli Diaconos ordinaverunt manuum impoſitione: *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Act. 13. Paulus, & Barnabas mandante Spiritu Sancto ſegregati ſunt: *Tunc* (Apoſtoli) *jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. Etſi ipſi quidem miſſi a Spiritu Sancto &c.* 1. ad Tim. 4. ubi agitur de ordinatione ad Presbyteratum, & Epiſcopatum ritus impoſitionis manuum recenſetur: *Cum impoſitione manuum Presbyterii.* Et *cap.* 5. ubi prohibentur præproperæ ordinationes, dicitur: *Manus cito nemini ne impoſueritis.* Adeſt ergo ex Scriptura ritus externus, nempe, manuum impoſitio. —— Adeſt etiam promiſſio gratiæ per illum ritum externum, teſte Paulo 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*: quod repetit, eadem Timothei Epiſt. 2. cap. 1. v. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Quamvis autem gratiam illam datam dicat *per prophetiam*; non ſequitur, Paulum loqui de gratia gratis data, non de gratia gratum faciente. Nam noto, Paulum non vocare gratiam illam *Gratiam prophetiæ*, ſed *gratiam datam per prophetiam*. Ideſt (ut exponit Sanct. Thom. in 1. ad Tim. cap. 4. Lect. 3.) *Per divinam inſpirationem. Nam in primitiva Eccleſia, ubi pure, & propter Deum electiones fiebant, nullus aſſumebatur ad Epiſcopatum, niſi per electionem divinam, ſicut electus eſt Ambroſius, & Nicolaus. Et hanc inſpirationem vocat hic prophetiam. Unde Gloſſa dicit per Sanctorum electionem, quia Sancti non eligebant, quam a Deo non ſciebant electam.*

Loqui etiam Paulum de gratia gratum faciente, & ſanctificante declarat Tridentinum, Seſſ. 23. cap. 3. *Cum* (inquit) *Scriptura teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ ſacramentis. Inquit enim Apoſtolus: Admoneo te, ut reſuſcites &c.* Huc etiam referri poſſunt verba Chriſti; Jo. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*: quoties enim in Scripturis Spiritus Sanctus abſolute profertur, pro gratia ſanctificante ſumitur —— Adeſſe tandem divinum mandatum illis verbis: *Hoc facite &c.* quibus præcepit Chriſtus, ut ſicut ipſe Apoſtolos tunc ordinaverat, ita & ipſi facerent, quod ipſe fecerat, Eccleſiæ miniſtros ordinando. Licet autem nulla legatur adhibita a Chriſto manuum impoſitio; cum tamen ea Apoſtoli uſi legantur, id non niſi ex Chriſti mandato feciſſe credendi ſunt. Neque enim ullus purus homo poteſt ſenſibili ſigno alligare gratiæ productionem; cum hoc unius Chriſti, qui ſimul Deus eſt, proprium ſit.

Concludit igitur S. Thom. in Suppl. 3. p. q. 34. art. 3. *Quod ſacramentum nihil eſt aliud, quam quædam ſanctificatio homini exhibita cum aliquo ſigno viſibili. Unde cum in ſuſceptione Ordinis quædam conſecratio homini exhibeatur per viſibilia ſigna, conſtat, Ordinem eſſe ſacramentum.*

IX. Obſervat tamen idem S. Thom. ibi ad 3. *Quod non omnis benedictio, qua homini adhibetur, vel conſecratio, eſt ſacramentum; quia & Monachi, & Abbates benedicuntur, & tamen illæ benedictiones non ſunt ſacramenta: & ſimiliter nec regalis inunctio. Quæ per hujuſmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad diſpenſationem divinorum ſacramentorum, ſicut per benedictiones Ordinis.*

X. Hanc veritatem firmat traditio. S. Ambroſius, lib. de dignitate Sacerdotali, cap. 5. *Homo* (inquit) *imponit manum, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera.* Quibus in ordinatione duo ponit: ritum externum Epiſcopi imponentis manus, & Deum interius largientem gratiam: quæ duo ſacramentum novæ legis conſtituunt.

XI. S. Hieronymus, *Dialogo contra Luciferianos*, totus eſt in conferendo ordinationem cum Baptiſmo: probatque, quod ſicut valet Baptiſmus ab hæreticis collatus, ita valent quoad ſubſtantiam Ordines ab eiſdem collati: *Si* (inquit) *in fide ſua baptizato baptizans nocere non potuit: & in fide ſua Sacerdotem conſtitutum conſtituens non inquinavit.*

Hoc idem variis in locis confirmat S. Auguſt. multoties ordinationem ſacramenti nomine appellans, aſſerens, eam eſſe ſacramentum ſicut Baptiſmus: & huc eſſe ita certum, ut a nemine revocetur in dubium. Hoc præcipue aſſerit, *l.* 2. *contra Epiſt. Parmeniani, c.* 3. ubi contra Donatiſtas volentes, Baptiſmum quidem amitti non poſſe, ordinationem tamen, ſeu jus dandi amitti poſſe; ſic arguit: *Nulla oſtenditur cauſa, cur ille, qui ipſum Baptiſmum amittere non poteſt, jus dandi poteſt amittere. Utrumque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari;* Et infra: *Explicent, quomodo ſacramentum baptizati non poſſit amitti, & ſacramentum ordinati poſſit amitti . . . Si enim utrumque ſacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? Neutri ſacramento injuria facienda eſt.* Erat ergo extra dubium ſæculo Auguſtini, tam apud Catholicos, quam apud Donatiſtas hæreticos Ordinem ſacrum eſſe ſacramentum æque, ac Baptiſmum. Erat etiam ſaltem Catholicis perſuaſum, neutrum duorum amitti poſſe, contra id quod Lutherani dicunt: ſemel deſtinatum ſacro miniſterio, poſſe ad ſtatum laicorum iterum tranſire. *Lib.* 1. *de Baptiſmo, c.* ordinationem æque, ac Baptiſmum ſacramentum eſſe affirmant, dicens: *Sacramentum Baptiſmi eſt quod habet, qui baptizatur: & ſacramentum dandi Baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur.* Et *lib. de bono conjugali, c.* 24. oſtendens, nulla cauſa, niſi mortis, ſolvi vinculum conjugii, utitur exemplo ordinationis: *Quemadmodum* (inquit) *ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiam plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis ſacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio removeatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanent.* Quæ verba Lutheranos contrarium, ut vidimus, aſſerentes jugulant.

XII. Hanc eamdem fuiſſe ſuo ſæculo fidem Eccleſiæ, confirmat S. Leo, *Ep.* 1. alias 87. *ad Epiſcopos Mauritaniæ, cap.* 3. de ordinatione loquens: *Quis* (inquit) *diſſimulare audeat, quod in tanti ſacramenti perpetratur injuria?* Et *Ep.* 11. alias 81. *ad Dioſcorum*, dicit, quod *Cum Apoſtoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Evangelium Gentibus mitterent prædicandum, jejunantes, & orantes impoſuerunt eis manus: ut intelligamus, quanta & dantium, & accipientium devotione curandum ſit, ne tanta benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum.* Loqui autem de ſacramento Ordinationis patet ex iis, quæ ſubdit Dioſcoro: *Et ideo pie, & laudabiliter Apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, etiam ipſe ſervaveris.*

XIII. Eamdem quoque ſemper fuiſſe de ſacramento Ordinis Eccleſiæ Græcæ fidem, teſtantur non ſolum ejuſdem Euchologia antiqua, ſed & noviſſimæ Græcorum, etſi Schiſmaticorum, Synodi. Una Conſtantinopolitana, *anno* 1642. altera Jeroſolymitana ſub Doſitheo, *anno* 1672. quibus damnatur Cyrillus Lucari, quod cum Calviniſtis, inter alios errores, a numero ſacramentorum Ordinem expungeret. Unde merito Eugenius IV. in decreto pro Armenis, Ordinem ſacramentum eſſe docet: ejuſque effectum eſſe augmentum gratiæ, ut poſſit quis eſſe idoneus miniſter. Et Tridentinum, *Seſſ.* 23. *c.* 3. dicit, hoc ex Scriptura, traditione, & Patribus perſpicuum eſſe. Et *Can.* 3. anathemate damnavit qui contrarium dixerit.

§. III.

Quid Opponant Sectarii.

XIV. Objiciunt primo. Ordinatio, ut in Eccleſia fit, auctorem, & inſtitutorem non habet Chriſtum. Nec enim Chriſtus cum ordinavit Apoſtolos, ullo exer-

externo ſigno, ſive impoſitionis manus, ſive alterius rei uſus eſt: ſed ſolum dixit. *Hoc facite: Accipite Spiritum Sanctum*. Quæ verba nudam electionem, ſeu deputationem ad officium, non conſecrationem, nec uſum alicujus rei ſenſibilis important: electio autem, ac deſignatio alicujus ad miniſterium fieri poteſt abſque conſecratione. Quemadmodum cum deſignavit Apoſtolos ad prædicandum Evangelium, quod eſt præcipua miniſterii pars, nullum inſtituit pro hoc ſacramentum.

Impoſitio etiam manus, quæ Græce *Chirotonia* dicitur, apud Scriptores Eccleſiaſticos ſumitur pro electione, quæ olim fiebat per elevationem manus in altum, ſuffragii declarandi cauſa. Clerus enim, & populus in Epiſcopi electione manus extollere ſolebat: ut hoc pacto abſque confuſione eligentium vota facilius calculari potuiſſent, ut refert Zonaras, *ad 1. Canonem Apoſt.*

Deinde: dato, quod aliquando ponatur pro religioſa manuum ſuper aliquem impoſitione; erit nuda cæremonia, qua utebantur Apoſtoli, quando pro aliquo orabant, eumque Deo commendabant.

XV. Reſpondeo ad hæc. Ad primum dico: quod etſi darem, Chriſtum abſque ullo externo ſigno Apoſtolos ordinaſſe; quia ejus poteſtas, utpote excellentiæ, non erat alligata ſacramentis, nec ſignis externis: non inde tamen inferri poſſet, eum mandaſſe Apoſtolis, ut abſque ullo externo, & ſacramentali ritu miniſtros Eccleſiæ ſuæ ordinarent. Immo cum legamus, eo ſolemni manuum impoſitionis ritu ſemper uſos fuiſſe; & hunc conſtanti, & perpetua Eccleſiæ praxi in ordinandis miniſtris ſervatum fuiſſe: credere debemus, id ex Chriſti mandato Apoſtolos feciſſe. Alii tamen dicunt, quod ſicut Chriſtus in Apoſtolorum ordinatione uſus eſt verbis deſignantibus poteſtatem, quam eis conferebat: *Hoc facite*; ita dici debet, uſum fuiſſe ſigno externo, extendendo erga eos manus, & porrigendo eis panem, & calicem conſecratum: ſed de hoc infra. Modo dico, ſi ut quis intra Eccleſiam admittatur, non ſufficit pura admiſſio, ſed requiritur ſuſceptio ſacramenti, nempe, Baptiſmi: cur ad hoc, ut aliquis ad opus miniſterii aſſumatur, non requiretur ſpecialis conſecratio, ſed ſufficiet externa deputatio? Nam valet, quod dicitur de prædicatione Evangelii. Nam hæc, ut ex officio fiat, ſupponere debet in ſubjecto ordinationem Epiſcopalem, & proinde ſacramentum: unde, *Actor. 13.* Paulus, & Barnabas priuſquam hoc munus obirent, manuum impoſitione conſecrati fuere.

Porro: quidquid ſit, an vox Græca *Chirotonia* uſurpata fuerit aliquando pro electione, ſeu deſignatione alicujus ad miniſterium, vel dignitatem; ſeu pro elevatione manuum ad indicandum conſenſum, & ſuffragium: impoſitio tamen manuum, ut uſurpatur in Scripturis, eſt actio diverſa ab electione, & electionem ſupponens. Nam ut habetur, *Actor. 6.* multitudo fidelium elegit Diaconos, eoſque electos ante conſpectum Apoſtolorum ſtatuit: Apoſtoli vere manus eis impoſuerunt. *Actor. 13.* Saulus, & Barnabas jam ſelecti a Spiritu Sancto erant ad opus miniſterii, quibus tamen Apoſtoli impoſuerunt manus. Non ergo manuum impoſitio erat nuda cæremonia Apoſtolorum orantium, & manus elevantium per modum ſuffragii, cum eas imponeret jam electis: ſed erat manuum Epiſcopalium ſuper capita ordinandorum extenſio, eorumque conſecratio, & ordinatio, quæ, maxime apud Græcos, etiam nunc eodem ritu peragitur. Unde S. Joann. Chryſoſt. *in cap. 6. Actor.* ſuper illa verba: *Et orantes impoſuerunt eis manus*, ait: *Hoc eſt enim Chirotonia, ideſt, Ordinatio. Manus vero ſuperponitur, totum autem Deus operatur*. Et S. Hieronymus, *in cap. 58. Iſaiæ*, dicit: *Plerique noſtrum* Chirotoniam, *ideſt, ordinationem Clericorum, qua non ſolum ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manus... ſic intelligunt &c.* Quibus verbis reſpondetur inſtantiæ, quæ additur. Nam impoſitio manuum, ſeu ordinatio importat quidem imprecationem; & orationem; ſed in oratione formaliter ſita non eſt, ſed alia eſt actio, ac diverſa.

XVI. Objiciunt ſecundo. Sacramenta per ſe ordinantur ad conferendam gratiam gratum facientem, qua nimirum homo conjungatur Deo; non autem ad conferendam gratiam gratis datam, qua homo cooperatur ad ſanctificationem aliorum: ſed ordinatio per ſe reſpicit ſanctificationem aliorum, ut nimirum, ordinatus miniſtrando aliis ſacramenta poſſit ad eorum ſanctificationem cooperari; ergo &c.

XVII. Reſpondeo, diſt. maj. Per ſe primo, concedo majorem. Per ſe ſecundo, nego maj. & ſimpliciter, diſt. min. neg. conſ. Cum enim Ordo ſit ſacramentum conferens homini gratiam; qua digne poſſit aliis ſacramenta miniſtrare, habet hoc ſpeciale, ut conferat gratiam, ſeu verius, augmentum gratiæ cum ſpecialibus auxiliis; ut digne poſſit ſacramenta aliis miniſtrare, & ſic ſecundario aliorum ſaluti cooperari via ordinaria, & permanente, non extraordinaria, & tranſeunte; in quo diſtinguitur poteſtas miniſterii a gratiis gratis datis rigoroſe acceptis.

XVIII. Audiendus eſt S. Thom. *in ſuppl. 3. p. q. 35. art. 1.* ubi ait: *Cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per quæ executio illius potentiæ poſſit congrue fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet: quia animalibus dantur membra, quibus potentiæ animæ poſſint exire in actus ſuos, niſi ſit defectus ex parte materiæ. Sicut autem gratia gratum faciens neceſſaria eſt ad hoc, quod homo digne ſacramenta recipiat: ita etiam ad hoc, quod homo digne ſacramenta diſpenſet. Et ideo ſicut in Baptiſmo, per quem fit homo ſuſceptivus aliorum ſacramentorum, datur gratia gratum faciens: ita in ſacramento Ordinis, per quod ordinatur ad aliorum ſacramentorum diſpenſationem*. An vero Ordo ſit ſacramentum, quoad omnes ſuos gradus, ſeu ſpecies, dicetur infra.

§. IV.

An hoc Sacramentum habeat Materiam, & Formam?

XIX. CUM ex dictis, *in Tract. de Sacram. in gen.* omnia ſacramenta novæ legis conſtare debeant materia, & forma; ſeu aliqua re ſenſibili, & aliquibus verbis, quibus ad rem ſenſibilem accedentibus, fiat ſacramentum: ſtatuto jam in præcedentibus Ordinationem eſſe novæ legis ſacramentum: debet in ea aſſignari aliquod ſenſibile per modum materiæ, & aliqua verba tenentia locum formæ, & rem ſenſibilem determinantia ad eſſe ſacramenti. Et ſicut hic loquimur de Ordinatione ſolum in genere; ita de materia, & forma ſolum in genere ſermo erit, & quidem brevis.

XX. Dico ergo, Sacramentum Ordinis conſtat eſſentialiter aliqua re ſenſibili, ſeu actu exteriori tamquam materia, & verbis tamquam forma. Eſt expreſſe traditum a Concilio Florentino, ubi de Ordinis ſacramento legimus: *Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo. Forma Sacerdotii talis: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis &c.* Cui conſonat Tridentinum, *Seſſ. 3. c. 3.* his verbis: *Patrum unanimi conſenſu perſpicuum eſt, per ſacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus conficitur, gratiam conferri*.

XXI. Sed dices primo. Chriſtus in ultima Cœna ordinavit Apoſtolos Sacerdotes ſolis verbis: *Hoc facite*. Nec enim legitur ullo ſigno ſenſibili uſum fuſſe, quo poteſtas offerendi deſignaretur; ergo &c.

XXII. Reſpondent aliqui, Chriſtum porrexiſſe Apoſtolis panem, & vinum, & hoc fuiſſe loco materiæ. — Sed quia Chriſtus porrexit Apoſtolis ſpecies panis, & vini jam conſecratas, quæ non videntur poſſe eſſe materia Sacerdotii; alioquin hoc etiam deberet fieri in Ordinationibus Sacerdotum, quibus tamen pro materia traditur panis, & vinum, ſed non conſecrata. — Ideo verius reſpondent alii, Chriſtum ſola ſua voluntate, & poteſtate excellentiæ, qua potiebatur, Apoſtolos ordinaſſe abſque ullo ſigno ſenſibili, ideoque eorum Ordinationem non fuiſſe ſacramentum. Unde eadem ratione, qua per Angelicum Doctorem, *3. part. quæſt. 72. art. 2. ad 1.* in die Pentecoſtes contulit eis effectum Confirmationis ſine ſacramento, nempe, plenitudinem Spiritus Sancti: ita eiſdem contulit poteſtatem conſecrandi, quæ eſt effectus & res ſacramenti Ordinis, ſine ſacramento.

XXIII. Dices ſecundo. Gregorius Nyſſenus, *in Vita Gregorii Thaumaturgi*, narrat, eum tridui itinere diſſitum conſecratum fuiſſe Neocæſarienſem Epiſcopum a Phædimo Amaſæenſium Antiſtite. Et Metaphraſtes apud Surium narrat, *in Vita Danielis Stylitæ*, hunc ſanctiſſimum virum, licet abſentem, inauguratum fuiſſe Sacerdotem a Gennadio Patriarcha Conſtantinopolitano: ita ut Archidiacono preces recitante, populo acclamante, Deus per Gennadium manum ei impoſuerit. — Addunt cum Rebuffo aliqui Canoniſtæ, Pontificem Maximum his ſolis verbis: *Eſto Sacerdos, eſto Epiſcopus*, abſque ullo alio exteriori ſigno poſſe quempiam, aut Presbyterum, aut Epiſcopum inaugurare.

XXIV. Reſpondeo, quoad S. Gregorium Thaumaturgum, ipſum quidem abſentem fuiſſe a Phædino Epiſcopum deſignatum, non tamen abſentem conſecratum. Addit enim S. Gregorius Nyſſenus, ipſum peractis circa ſe ſolemnibus, quæ de more celebrari ſolent, ideſt, ſacris Ordinationis ritibus, commiſſi ſibi gregis curam ſuſcepiſſe. — Idem dici debet de Daniele Stylita. Quæ enim narrat Metaphraſtes non de conſecratione, ſed de electione facta, tum a plebe Conſtantinopolitana, tum a Gennadio Patriarcha intelligenda ſunt. Ex eodem modo exponendum eſt quod dicunt de Romano Pontifice Canoniſtæ. Is enim dum dicit: *Eſto Sacerdos; eſto Epiſcopus* eligit quidem, ac intendit præficere electum Epiſcopatui, & forte ei conferre juriſdictionem: ſed poteſtatem Ordinis conferre non poteſt, niſi media Ordinatione ſolito externo ritu peracta. Quod ſi Canoniſtæ illi aliter ſentiunt, a traditione, & veritate recedunt.

XXV. Circa formam hujus ſacramenti advertit S. Thom. *in Suppl. 3. part. q. 84. art. 4.* convenienter exprimi per modum imperativum: *Accipite poteſtatem &c.* Quia ſacramentum iſtud principaliter importat poteſtatem, & ordinatur ad uſum illius: poteſtas autem a poteſtate convenienter traducitur modo quodam imperativo. Addi poteſt: ſic etiam modo uſum fuiſſe Chriſtum, dum ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quo eodem modo communiter utuntur homines, dum tradunt alteri poteſtatem ad alicujus officii uſum.

Poteſt

Potest autem ordinans uti modo imperativo. Nam, ut ait S. Thom. ibi ad 2. *Quamvis in Episcopo, qui est minister hujus sacramenti; non sit auctoritas respectu collationis hujus sacramenti; tamen habet aliquam potestatem respectu potestatis Ordinis, quæ confertur per ipsum, in quantum hæc potestas a sua potestate derivatur*. Vel ab ea dependet quantum ad legitimum usum. Eo vel maxime, quæ utitur modo imperativo, nomine, & auctoritate Christi, non sua.

XXVI. Circa materiam pariter hujus sacramenti notat S. Thom. citatus, *art. 5.* habere quidem materiam, sed diversimode ab aliis sacramentis. Nam quod in aliis confertur, derivatur solum a Deo, & non a ministro tamquam necessario habente effectum consimilem, vel majorem: sicut potestas, quæ est effectus Ordinationis, derivatur ab ordinante habente eamdem potestatem, quam tradit, vel majorem. Character enim vel gratia Baptismi non sic derivatur a baptizante ut non possit imprimi, vel conferri ab eo qui characterem, vel gratiam non habeat. At potestas Ordinis tradi non potest, nisi ab eo, qui habeat potestatem similem, vel majorem: unde potestas aliquo modo derivetur ab ordinante. Ex quibus infert, quod efficacia aliorum sacramentorum est principaliter in materia, non in ministro; a quocumque enim quis baptizetur, dummodo vere aqua secundum legitimam formam abluatur, vel baptizatur, etsi minister baptizatus non sit. At impositio manus, seu porrectio instrumenti, quæ materia Ordinis est, si fiat a non habente similem, vel majorem potestatem, effectum Ordinationis, nempe, ministerii potestatem confert.

XXVII. Quæri solet: Quænam sit sacramenti Ordinis materia essentialis: an manuum impositio, an porrectio instrumentorum, an utrumque simul. Sed de hoc forte inferius sermo erit, agendo de materia Presbyteratus. Interim consulantur, quæ diximus, *Tract. de Sacram. in Gen. Q. 2. Dub. 2.* Ubi tamquam probabile admisimus, non omnium sacramentorum materias, & formas fuisse a Christo in specie determinatas; sed aliquorum solum in genere, adeoque liberum reliquisse Ecclesiæ hanc, vel illam in specie assumere.

QUÆSTIO II.

De Sacra Ordinationis Ministerio.

Minister sacræ Ordinationis duplex esse potest, ordinarius, & extraordinarius. De primo hic agemus, & de altero dicturi, cum de singulis Ordinibus in specie sermo erit. De ergo quæremus primo: An sit solus Episcopus. Secundo: An solus Episcopus Catholicus, an etiam hæreticus, suspensus, excommunicatus. Tertio: An quilibet Episcopus Catholicus, an solum proprius. Quarto: Quod requiratur, ut quis alienum Episcopum adire possit, ut ab eo licite ordinetur.

DUBIUM I.

An solus Episcopus sit Ordinarius Sacramenti Ordinis Minister.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Solus Episcopus jure divino est minister ordinarius, & ex officio sacramenti Ordinis. Est contra Aerium hæreticum quarti sæculi: qui, referente Augustin. *lib. de Hæres. cap. 53.* ægre ferens, se non posse Episcopatum, quem anxie ambiebat, obtinere, inter alios errores spargere cœpit: Episcopos nulla in re Presbyteros antecellere, nullum inter eos discrimen esse, eorum parem esse Ordinem, ac dignitatem; & consequenter ordinandi munus æque Presbyteris, ac Episcopis convenire, ut testatur etiam S. Epiphanius, *Hæresi 75. §. 3.* Cui subscripsit Wicleffus, nec dissensit Lutherus, dum omnem Ordinem ab Ecclesia sustulit, asserens, omnes Christianos esse auctoritate, & dignitate pares, ut supra vidimus.

II. Assertio tamen nostra, fide certa est. Quia primo; Scripturæ auctoritate munita. Nam, *Actor. 6.* Apostoli ordinant primos Diaconos. *Actor. 13.* Paulus, & Barnabas in Episcopos ordinantur. Iidem, *Actor. 14.* Presbyteros ordinant Lystriæ, Iconii, & Antiochiæ. Paulus, *Epist. 2. ad Timoth. cap. 1.* dicit, illum a se ordinatum fuisse Episcopum, quod dixerat, *Epist. 1. c. 4. & 5.* Ubi etiam eum monet, ut neminem *Cito* ordinet, nisi prius probatum. Et *Epist. ad Titum, c. 1.* scribit, se eum Cretæ reliquisse, ut constituat per civitates Presbyteros.

Secundo. Accedit testimonium perpetuæ traditionis, *Can. 1. & 4.* ex iis, qui Apostolici dicuntur, uni Episcopo tribuunt jus, & potestatem Ordines conferendi: *Episcopus a duobus, vel tribus Episcopis ordinetur. Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Qui Canones disciplinam trium priorum sæculorum in Oriente complectuntur. Hoc tertio sæculo nascens etiam in Occidente Novatianus Antipapa, tres Episcopos accersivit, ut eum in Episcopum ordinarent. De quo Cornelius Papa, *Epist. ad Fabium Antiochenum*, hæc scribit: *Etenim novæ sectæ inventor . . . quando Episcopatum a Deo certe minime donatum sibi vi arripere nitebatur, duos sibi socios de sua ipsorum salute prope desperatos adscivit, ut eos in exiguam aliquam partem, & minimum quasi Italiæ angulum mitteret; indeque Episcopos tres, homines agrestes, rudes, ac simplices in fraudem inductos abducet . . . . . Episcopi igitur Romam adventant. Iste cum circiter horam decimam, ebrios, & crapulam oppressos cerneret, vi coegit imaginaria quadam, & vana manuum impositione Episcopatum ei tribuere, &c.*

III. Pro quarto sæculo testes sunt Chrysostomus, qui, *Hom. 11. in 1. Epist. ad Timoth.* de Episcopis: *Sola*, (inquit) *Ordinatione superiores illi sunt: atque hoc sanctum plusquam Presbyteri habere videntur*. Quod repetit Hieronymus, *Epist. ad Eugenium*, dicens: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Eodem sæculo cum Ischyras ordinatus fuit in Presbyterum a Colluthone, non vero, sed imaginario Episcopo; In Alexandrina Synodo sub Osio, *anno 319.* Colluthus ad Ordinem suum presbyteri redactus est; & Ischyras, omnesque a Colluthone ordinati, depositi, & ad ordinem laicorum in perpetuum dejecti sunt, teste S. Athanasio, *in 2. Apologia*.

Adeoque omnium mentibus hæc veritas insederat, ut teste S. Epiphanio, *Hæres. 56.* pro hæretico habitus sit Aerius, qui, ut supra diximus, Presbyteros in omnibus Episcopis pares faciebat. Sic enim ait; *Unus Ordo* (nempe, Episcopalis) *ad gignendos Patres præcipue pertinet: hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter* (nempe Presbyteralis) *cum Patres non possit, filios Ecclesiæ, lotionis regeneratione producit; non tamen Patres, aut Magistros*: Et postea subdit: *Quinam vero fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?* In sæculo quartodecimo, ut hæreticus habitus fuit etiam Wicleffus, cujus hunc articulum Concilium Constantiense, *Sess. 8.* proscripsit, quo dicebat: *Confirmatio juventum, Clericorum ordinatio, Ecclesiarum consecratio reservantur Papæ, & Episcopis propter lucrum.*

IV. Hisce igitur ex perpetua traditione sumptis monumentis merito Eugenius IV. in decreto pro Armenis edicere potuit: *Ordinarius Minister hujus sacramenti est Episcopus*. Et Tridentina Synodos statuere, *Sess. 23. c. 4.* Episcopos *Positos, sicut Apostolus ait* (Actor. 20.) *a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nulla habent*. Et si quis aliter senserit, anathemate damnare, eadem Sess. Can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem . . . Anathema sit.*

V. Ratio autem hactenus dictorum sumitur ex S. Th. *in Supplem. 3. p. q. 38. art. 1.* Nam Episcopi sunt a Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei, sunt in ea quasi Principes sacrorum, Hierarchiæ, & Christianæ Reipublicæ præfecti: sed ad solum Principem, ac præfectum pertinet officia, ac ministeria distribuere: *Sicut & officia sæcularia in civitatibus distribuuntur ab illo, qui habet excellentiorem potestatem, sicut a Rege*; ergo &c. *Potestas Episcopalis* (inquit S. Thom.) *se habet ad potestatem Ordinum inferiorum, sicut politica, quæ communicat bonum commune ad inferiores artes, & virtutes, quæ communicat aliquod bonum speciale . . . . Politica autem ponit, ut dicitur in 1. Ethic. c. 2. legem inferioribus, scilicet, quis, quam debeat exercere, & quantum, & qualiter. Et ideo ad Episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis alios collocare. Unde ipse solus confirmat; quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur. Et ideo ipse solus Virgines benedicit, quæ figuram gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cujus curæ ipsi principaliter committitur. Ipse etiam in ministeriis Ordinum ordinandos consecrat, & vasa, quibus uti debent, eis determinat sua consecratione &c.*

§. II.

Contraria Fundamenta.

VI. Primo objicitur. S. Paulus, 1. *ad Timoth. 4. v. 4.* Ordinationem vocat impositionem manuum Presbyterii: *Noli* (inquit) *negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Unde hac etiam ætate mos est, ut simplices Presbyteri una cum Episcopo manus illis imponant, qui Sacerdotes inaugurantur; ergo Presbyteris non minus, quam Episcopo potestas ordinandi convenit.

Confirmatur. *Actor. 6. v. 6.* de primis Diaconis a multitudine electis, dicitur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; & orantes imposuerunt illis manus*: ubi videtur totum a multitudine peractum. Et *cap. 13.* Paulus, & Barnabas leguntur ordinati, non ab Apostolis, sed a Prophetis, & Doctoribus, qui erant Antiochiæ.

VII. Respondeo, juxta S. Chrysostomum, in hunc locum,

cum, 1. *ad Timoth.* Presbyterii nomine intelligi cætum Epiſcoporum : eo quod quicumque ab Apoſtolis ordinabantur Presbyteri, ordinabantur etiam Epiſcopi, ad quorum ordinationem tres ſaltem Epiſcopi requiruntur. Ritus autem, qui etiam modo ſervatur, quod in ordinatione ſimplicis Presbyteri, alii Presbyterii una cum Epiſcopo manus imponant, eſt mera cæremonia ordinationis ſubſtantiam non tangens : unde Presbyteri, qui ordinando manum imponunt, formam non proferunt, ideoque ordinationis miniſtri non ſunt.

VIII. Ad Confirm. dico : primos Diaconos fuiſſe quidem a multitudine electos, & oblatos, ut ordinandos ab Apoſtolis ; & ideo dicitur, quos eos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum : ſed ſolemnis manuum impoſitio cum præcationibus a ſolis Apoſtolis peracta eſt —— Ad id, quod additur, reſpondeo, quod vel ibi non deſcribitur ordinatio Pauli, & Barnabæ : cum enim Eccleſiam Antiochenam jam fundaſſent, ibique verbum Dei diſſeminaſſent, cum inſuper Paulus, & Barnabas ibi inter miniſtrantes Domino recenſeantur ; fit, ut jam fuiſſent ab Apoſtolis ordinati, & quoad illa impoſitio manuum non fuerit ordinatio, ſed nova delegatio ad opus, ad quod Spiritus Sanctus eos elegerat. Vel ſi ibi ſermo ſit de eorum ordinatione : non a multitudine, cui non incumbit munus miniſtrandi, & ſacrificandi, id peractum eſt ; ſed a Prophetis, & Doctoribus, de quibus ibi mentio fit, & qui forte erant Epiſcopi, Pauli & Barnabæ conſecratores, cum de numero ſacrificantium eſſent.

IX. Secundo objicitur. Concilium Nicænum I. in litteris ad Eccleſiam Alexandrinam, & ad fratres Lydiam, Ægyptum, & Pentapolim incolentes, quas legere eſt apud Socratem, *lib. 1. Hiſt. c. 9.* præcipit, ut Presbyteri, quos Meletius ab Alexandro Patriarcha Alexandrino depoſitus conſecrarat, tamquam Clerici reciperentur in Eccleſiæ ſinum (ſi tamen Meletiano ſchiſmati non adhæſiſſent) immo jus illius factum eſt alios Clericos ordinandi. Decrevit enim, eos *Poteſtatem habere & ordinandi, & qui Clero digni fuerint, nominandi.*

X. Reſpondeo, hoc eſſe falſum. Nam, ut recte vertit Valeſius, concedit eis tantum poteſtatem *Eligendi, & proponendi nomina eorum, qui in Clerum eligi meruerint.* Permiſit ergo illis jus nominandi, ac ſuffragium ferendi in electionibus eorum, qui Clero adſcribi petebant ; quod jus ademerat iis, qui Meletiano ſchiſmati adhæſerant : non vero jus ordinandi, quod ſimplices Presbyteri non habebant.

XI. Tertio objicitur. Qui poteſt majus, poteſt & minus : ſed Presbyter ordinario jure poteſt conſecrare corpus Domini, quod eſt majus, & principale, ad quod Ordo ordinatur ; ergo multo magis poteſt hominem ad munus conſecrandi ordinare.

XII. Reſpondeo primo cum S. Th. *art. 1.* citato, *ad 4.* quod *Quamvis ſacramentum Euchariſtiæ ſit maximum ſacramentum in ſe, tamen non collocat in aliquo officio, ſicut Ordinis ſacramentum.* Collocare autem in officio ad eum ſolum ſpectat, qui habet in eo ordine excellentem poteſtatem. —— Reſpondeo ſecundo, quod qui poteſt majus, poteſt minus ejuſdem generis, ſubordinatum, & naturale. Sed in rebus diverſi generis, non ſubordinatis, & a beneplacito concedentis dependentibus, non ſequitur, quod qui poteſt majus, poſſit minus : & quia poteſt eſſe quod id, quod eſt minus, ſupponat poteſtatem majorem : & quia qui largitus eſt majus, non vult largiri minus, nam Spiritus Sanctus diviſit ſingulis prout voluit.

XIII. Quarto objicitur. Plus diſtat Sacerdos a Diacono, quam Epiſcopus ab Epiſcopo : ſed Epiſcopus poteſt conſecrare Epiſcopum ; ergo & Sacerdos poteſt conſecrare Diaconum.

Reſpondet S. Th. art. 1. citato, ad 5. *Quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur ſolum propinquitas, ſed & completio poteſtatis. Et quia Sacerdos non habet completam poteſtatem in hierarchicis officiis, ſicut Epiſcopus ; ideo non ſequitur, quod poſſit Diaconos facere, quamvis ille Ordo ſit ſibi propinquus.*

XIV. Quinto objicitur. Aaron fuit Ordinatus Sacerdos a Moyſe, qui tamen non videtur fuiſſe Sacerdos ; cum Sacerdotium ad ſolum Aaronem pertineret, ejuſque filios.

Reſpondeo, Sacerdotium quidem legale pertinuiſſe ad Aaronem, ejuſque filios : ſed nihilominus Moyſen fuiſſe verum Sacerdotem, oſtendunt verba, Pſ. 98. v. 6. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Quod affirmat S. Aug. *in illum Pſalm.* Notat tamen S. Thom. *in 4. diſt. 19. in Expoſ. textus :* quod *Moyſes Sacerdos dicitur, non officio oblationes offerendi ; ſed quia ſacra primitus populo dedit immediate a Deo accepta.* Et hac auctoritate a Deo accepta conferre potuit Aaroni Sacerdotium.

DUBIUM II.

An Epiſcopus Hæreticus, vel Schiſmaticus, vel Depoſitus, vel Degradatus poſſit Ordines Conferre ?

§. I.

Referuntur Opiniones.

I. SAnctus Thomas, *in ſuppl. 3. p. q. 38. art. 2.* ſeu *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 2.* dicit : *Quod circa hoc ponuntur in Littera* (Mag. Sent.) *quatuor opiniones. Quidam enim dixerunt, quod hæretici, quamdiu ab Eccleſia tolerantur, habent poteſtatem Ordines conferendi, non autem poſtquam fuerint ab Eccleſia præciſi : ſimiliter nec degradati, & alii hujuſmodi. Et hæc eſt prima opinio.* —— *Sed hoc non poteſt eſſe. Quia omnis poteſtas, quæ datur cum aliqua conſecratione, nullo caſu contingente tolli poteſt, re ipſa durante, ſicut nec ipſa conſecratio annullari : quia etiam altare, vel chriſma ſemel conſecrata perpetuo conſecrata manent. Unde cum Epiſcopalis poteſtas cum quadam conſecratione detur ; oportet, quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Eccleſia præcidatur.*

Et ideo alii dixerunt, quod præciſi ab Eccleſia, qui in Eccleſia Epiſcopalem poteſtatem habuerunt, retinent poteſtatem alios ordinandi, & promovendi, ſed promoti ab eis hoc non habent. Et hæc eſt quarta opinio —— *Sed hoc etiam non poteſt eſſe. Quia ſi illi, qui fuerunt in Eccleſia promoti, retinent poteſtatem, quam acceperunt ; patet, quod exequendo ſuam poteſtatem, veram conſecrationem faciunt : ideo vere tribuunt omnem poteſtatem, quæ cum conſecratione datur : & ſic ordinati ab eis, vel promoti habent eadem poteſtatem, quam ipſi.*

Et ideo alii dixerunt, quod etiam præciſi ab Eccleſia poſſunt Ordines conferre, & alia ſacramenta, dummodo formam debitam, & intentionem ſervent, & quantum ad primum effectum, qui eſt collatio ſacramenti, & quantum ad ultimum, qui eſt collatio gratiæ. Et hæc eſt ſecunda opinio. —— *Sed hoc etiam non poteſt ſtare. Quia ex hoc ipſo, quod aliquis hæretico præciſo ab Eccleſia in ſacramentis communicat, peccat : & ita fictus accedit, & gratiam conſequi non poteſt, niſi forte in Baptiſmo in articulo neceſſitatis.*

Et ideo alii dicunt, quod vera ſacramenta conferunt, ſed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam ſacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab eis ſacramenta contra prohibitionem Eccleſiæ. Et hæc eſt tertia opinio, quæ vera eſt.

Huic ergo S. Thomæ doctrinæ inhærentes duo hic reſolvemus. Primum, circa validitatem ordinationis ab Epiſcopo hæretico, vel ſchiſmatico ſuſceptæ. Secundum, illicitam ejuſdem ſuſceptionem, & exercitium Ordinum ſic ſuſceptorum,

§. II.

Prior Reſolutio.

II. DIco. Epiſcopus hæreticus, vel ſchiſmaticus conferens Ordines cum debita forma, & intentione valide ordinat, Prob. primo ex ratione S. Thomæ ſupra relata. Nam Epiſcopus per hæreſim, aut ſchiſma non amittit poteſtatem, quam habuit in ſui conſecratione : hæc enim, vel eſt character Epiſcopalis, vel cum eo inſeparabiliter conjuncta eſt ; ergo ſicut hæreſis, vel ſchiſma non tollit poteſtatem conſecrandi, & in hæreſi cum debita forma conſecrans valide conſecraret, ita valide ordinaret ; quia ad valorem ſacramentorum nec fides, nec probitas requiritur in miniſtro, ut *in Tract. de Sacram. in Gen.* dictum eſt.

III. Secundo. Id probat veteris Eccleſiæ conſenſus. Nam hæc ab hæreticis, vel ſchiſmaticis ordinatos ab hæreſi venientes non reordinavit. In Concilio Romano a Melchiade celebrato, *anno 313.* in caſu Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi contra Donatiſtas, uno Donato ſchiſmatis auctore damnato, decretum eſt : ut Epiſcopi a Majorino Carthagine Donatiſtarum Epiſcopo ordinati ſchiſma relinquentes, gradum ſuum retinerent, & obtinerent Eccleſias in quibus priores Catholicis ordinati fuiſſent. Quod decretum S. Auguſt. *Epiſt. 162.* modo *43. c. 5.* his verbis commendat : *Qualis ipſis Beati Melchiadis eſt prolata ſententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica ? ... Donato ſolo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos eſſe conſtaret : ita ut quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum, & filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis !*

IV. In Concilio Nicæno, *anno 325. Can. 8.* Novatianis Clericis, qui ad fidem convertuntur, conceditur, ut ſuſcepto Confirmationis ſacramento (quod apud Novatianos negligebatur) & ſalvo Catholicorum veterum jure, in eodem ordine miniſtrent, quo apud ſuos miniſtrarunt !

Plures ex Epiſcopis, qui Sextam Synodum celebrarunt, a Patriarchis Monothelitis ordinati fuerant ; & tamen eorum ordinatio improbata non eſt, quamvis eorum ordinatores

natores damnati fuerint: *Quin potius* (inquit Tharasius Patriarcha Constantin.) *& plures eorum, qui in Sexta Sancta Synodo consederunt a Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro* (Constantinopolitanis Patriarchis) *præceptoribus videlicet hæreseos, unam voluntatem in Christo prædicantium, ordinati sunt... & propterea non sunt improbati ... sed Sexta Synodi Patres ipsos quatuor anathematizaverunt, quamquam ordinatio eorum esset.* — Similiter in Septima Synodo, *Actione* 1. hæc leguntur: *Tharasius ... dixit ... suscipitis ab hæreticis ordinatos? Sancta Synodus dixit ... Oportet suscipere.*

Duos Encratitarum, ab Encratitis Episcopis procul dubio ordinatos, suo tempore in Ecclesiam receptos fuisse, scribit S. Basilius, *in Epist.* 1. *ad Amphilochium*. Idem circa Episcopos ab Ariana hæresi, ad Ecclesiam confugientes factitatum esse suo tempore scribit S. Hieronymus, *in Dialogo adversus Luciferianos*, quos hanc Ecclesiæ æconomiam improbantes impugnat, inter alia dicens: *Eadem ratione Episcopum ab Arianis recipio, qua tu recipis* (ab Arianis) *baptizatum*. Et inferius Concilii Nicæni factum allegans: *Synodus quoque Nicæna* (inquit) *omnes baptizatos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis: & quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat, qua sententia & Luciferum impugnat, & Hilarium* (Ecclesiæ Romanæ Diaconum schismatis Luciferiani auctorem) qui volebant, Episcopos ab Arianis venientes non admitti, nisi ad communionem laicam.

De Donatistis quoque cum suis honoribus ab Ecclesia fuisse receptos, præter supra laudatum Melchiadis decretum a S. Augustino commendatum, ejusdem adest Testimonium, *Epist.* 50. (modo 185.) *ad Bonifacium Comitem*. Quod & Nestorianis Clericis ad fidem venientibus, nimirum, cum suo gradu fuisse receptos testatur S. Gregorius Magnus, *lib.* 9. *Epist.* 61. (modo, *lib.* 11. *Ep.* 67.) *ad Quirinum*, seu *Quiricum*, in Iberia Episcopum, ubi de Clericis Nestorianis ad fidem conversis, hæc habet: *Absque ulla dubitatione eos Sanctitas Vestra, servatis eis propriis Ordinibus in suo cætu recipiat; ut dum... per mansuetudinem nullam eis contrarietatem, vel difficultatem de propris Ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis &c.*

V. Ex his omnibus argui potest sic. Vetus Ecclesia variis temporibus, ut multitudinis, vel etiam privatorum hominum in hæresi, vel schismate pereuntium saluti consuleret, eosque ad unitatem facilius revocaret; Clericos, Presbyteros, & Episcopos hæreticos, vel schismaticos ab Episcopis hæreticis vel schismaticis extra Ecclesiam ordinatos, ad Ecclesiam redeuntes, in Ordinibus, quibus apud suos insigniti fuerant, absque nova ordinatione suscepit, eosque exequi permisit: sed si ordinationes extra Ecclesiam, licite debito ritu factæ, non fuissent ab Ecclesia judicatæ validæ, eas admittere nunquam potuisset, quocumque pacis, immo & salutis procurandæ studio: sicut nunquam potuisset ratum habere Baptisma ab hæreticis, vel schismaticis collatum, nisi valorem Baptismatis etiam extra Ecclesiam datum, certum, ac exploratum habuisset; ergo &c.

VI. Sed in contrarium opponitur Innocentius I. *Epist.* 2. *ad Episcopos Macedoniæ, cap.* 3. ubi decernit in ordinatos ab hæreticis; *Ordinationis honorem locum habere non posse.* — Si respondeas, Innocentium ibi ordinationem hæreticorum non rejicere tamquam nullam; sed solum velle, sic ordinatos ad fidem venientes, ordinationis honore, & gradu frui non posse, nisi prius ad laicam communionem redacti, pœnitentiæ remedio cicatricem ex vulnere illicitæ manuum impositionis relictam sanaverint.

VII. Contra instatur. Innocentius ibi prosequitur: *E contrario asseruit eum* (ordinatorem hæreticum) *qui honorem amisit, honorem dare non posse: nec illum* (ordinatum ab hæretico) *aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Aquiescimus, & verum est. Certe quod non habuit, dare non potuit; damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit: & qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.*

Respondeo tamen, Innocentii verba satis indicare, eum non loqui de potestate Ordinis, sed de honore Ordinis; seu de jure utendi licite hac potestate, vel de effectu Ordinis qui est gratia. Nam cum ordinans, per hæresim, vel schisma a jure utendi sua potestate excideret, & in damnatione positus sit, non potest dare ei quem ordinat, nisi damnationem: nec qui ab illo ordinatur, jus potestate accepta licite utendi potest accipere, nisi ad Ecclesiam veniens, peracta prius pœnitentia, in jus, & honorem admittatur.

Porro non aliam esse Innocentii mentem, ex eo colligitur: quod cum sibi objecisset factum Anisii Thessalonicensis, & aliorum Macedoniæ Episcoporum, a quibus ii, quos Bonosus hæreticus ordinaverat, in ordinis ab eo accepti honorem recepti fuerant: & insuper, *Canonem* 8. supra laudatum Concilii Nicæni statuentis; ut Clerici Novatiani ad fidem conversi, suscepto Confirmationis sacramento, in eodem Ordine ministrent in Ecclesia, in quo apud suos ministrabant. Respondit, id necessitate, ac pacis tuendæ, vel scandalum avertendi factum esse, non autem secundum veterem regulam, & Apostolicam, quam Ecclesia Romana custodit: qua Ordinati ad hæreticis, ab Ecclesia in ordinis sui honorem non recipiuntur, nisi prius in laica communione exacta pœnitentia. Quod si Innocentius quoad substantiam irritas Ordinationes ab hæreticis factas judicasset: factum ab Anisio, & a Concilio Nicæno tanquam ex necessitate factum non probasset, sed tamquam irritum rejecisset: quia nulla necessitate convalidari potest, quod secundum substantiam nullum, & irritum est.

VIII. Expedit pro pleniori notitia exquirere: quo pacto olim ab hæreticis ordinati ad Ecclesiam venientes, in ea reciperentur.

Tribus prioribus sæculis receptos tantum fuisse in laicam communionem, aperte colligitur ex facto Melchiadis supra narrato, adeoque ab Augustino commendato: quod in Concilio Romano ineunte sæculo quarto, nempe, *anno* 313. constituisset, ut Clerici Donatistæ ad Ecclesiam venientes, in ea ministrarent in suis Ordinibus. Et ex, *Canone* 8. Concilii Nicæni I. idem pro Clericis Novatianis statuente. Si namque antea hæreticorum, vel schismaticorum Clerici ad Ecclesiam venientes in suis Ordinibus ministrare libere permittebantur; non erat cur S. Augustinus Melchiadis in hoc clementiam tantopere commendaret, ne cur pro Novatianis specialem Canonem ederent Nicæni Patres. Quod confirmat Innocentius I. nuper relatus, dicens, quod decretum Anisii de recipiendis ordinatis a Bonoso, & Canon Nicænus de ordinatis a Novatianis, fuissent remedium necessitatis temporis adhibitum; quod *Constat primitus non fuisse, ac fuisse regulas veteres* (contrarias) *quas vel ab Apostolis, vel Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit.*

IX. Quamvis autem Romana Ecclesia præfatum suum morem non recipiendi in suis Ordinibus ordinatos ab hæreticis toto quarto sæculo, immo etiam ineunte quinto continuaverit: immo nec laicos ab hæreticis baptizatos, nisi ad laicam communionem reciperet, nec ad ullum Ecclesiasticum ministerium promoveri permitteret, ut ex ejusdem Innocentii, *Epist.* 22. *c.* 4. ubi ait: *Nostra vero lex Ecclesia, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum subrogare.* Quamvis, inquam, hæc esset Romanæ Ecclesiæ disciplina, & trium primorum sæculorum fuisset, mitior tamen quarto sæculo esse cœpit; & ordinati ab hæreticis, vel schismaticis venientes ad Ecclesiam cœperunt permitti, & deinceps permissi sunt Ordines suos exercere, ut in Novatianis patet, Meletianis, Bonosianis, Donatistis, Nestorianis, Monothelitis. Et hoc (ut dicebat S. Gregorius supra laudatus) ne repellendo eos a suorum Ordinum exercitio difficilior fieret eis reditus ad Ecclesiam, & facilius ab antiqui hostis ore raperentur.

X. Si quæratur ulterius: Quo pacto Clerici in Ecclesia ordinati, si postea in hæresim, vel schisma lapsi pœnitentes ad eam redirent, olim in ea reciperentur.

Respondeo, quod Clerici, qui in Ecclesia ordinati, in hæresim postea lapsi, pœnitentes ad Ecclesiam redibant, tribus prioribus sæculis ad laicam tantum communionem admittebantur, nec suos ordines exercere permittebantur amplius. Nullum enim per trecentos sexaginta priores annos legitur exemplum, quo probari possit, Clericos, de quibus quæstio est, in Ecclesiæ sinum admissos fuisse cum facultate Ordines, etiam in Ecclesia Catholica receptos, exequendi. Tunc enim temporis etiam Clerici, qui in hæresim, vel aliud grave crimen lapsi fuissent, pœnitentiæ publicæ addicebantur, quæ erat impedimentum canonicum, tum ad receptæ ordinationis exercitium, tum ad ulterioris promotionem. Itaque tales solum ad communionem laicam admittebantur.

XI. Primum hujus dispensationis exemplum occurrit in Synodo Alexandrina, *anno* 362. per Athanasium sedem suam repetere a Juliano permissum celebrata. Annuit enim illa Synodus Ordinis, & dignitatis exercitium Episcopis, qui in Concilio Ariminensi per vim, aut dolum Arianæ hæresi subscripserant. Cui indulgentiæ esto Lucifer Calaritanus fese opposuerit, factus propterea schismaticus; consensit tamen, teste S. Hieronymo, *in Dialog. contra Luciferianos*, Liberius Romanus Pontifex, & cum eo totus Occidens. Eamque laudat S. Aug. *Epist.* 50. (modo 185.) *ad Bonifacium Comitem*, *c.* 10. utens exemplo S. Petri, qui etiam postquam Christum negavit, quia pœnitentiam egit, mansit Apostolus. Etenim licet justissime qui veræ fidei terga verterunt, etsi redeant pœnitentes, antiquis honoribus privati maneant, ne spe honoris recuperandi pœnitentiam fictam agant: ubi tamen commune bonum, & Ecclesiæ pax contrarium exigit, a lege disciplinæ dispensandum est. Videatur S. August. loco citato.

XII. Labente quarto, & quinto ineunte sæculo transfugas alicubi admissos fuisse in communionem Catholicam cum potestate exercendi Ordines, quibus ante suam defensionem inaugurati fuerant, apparet ex Epistola Canonica Basilii ad Amphilochium, *Can.* 1. Quia tamen Episcopi Macedoniæ hac indulgentia abutebantur transfugas absque pœnitentia prævia recipientes, Innocentius I. *Ep.* 22. *cap.* 5. de his ita conqueritur: *At vero hi, qui a Catholica fide ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet, nisi per pœnitentiam suscipi; apud vos non solum pœnitentiam non agunt: verum etiam honore cumulantur.* Patres tamen Septimæ Synodi Œcumenicæ in benigniorem disciplinam consenserunt. Perlectis enim veterum Patrum monumentis, tandem

tandem ſtatuerunt, *Act.* 1. Ut apoſtatis, qui ab hæreſi redirent, indulgerentur, & prioris dignitatis gradus, & recepti in Eccleſia Ordinis executio.

§. III.

Poſterior Reſolutio.

XIII. DIco. Ordinationes factæ ab hæreticis, ſchiſmaticis, ſuſpenſis, excommunicatis, degradatis &c. prorſus illicitæ ſunt: & qui ſic ordinantur, non ſolum peccant, ſed ab exercitio ſuorum Ordinum ſunt ſuſpenſi. Prior pars conſtat primo. Quia eas tamquam immundas, & gratia vacuas damnavit Damaſus, Epiſt. 4. (& refertur 9. q. 4. cap. *Per illicitam*) dicens: *Per illicitam manus impoſitionem vulnerari caput ſuſcipientis.* Quod iiſdem expreſſis verbis dicit Innocentius I. *Epiſt.* 22. de qua ſupra. Hinc viri pii, & ſancti ſe ordinari ab Heterodoxis ſemper abhorruerunt. Moſes Monachus, & miraculis conſpicuus, referente Theodoreto, *lib.* 4. *Hiſt. c.* 23. grande piaculum duxit, ſe ordinari a Lucio Ariano. Cum enim *Videret Lucium manus ipſi imponere conantem: abſit, inquit, ut ego manu tua ordinet. Te enim invocante non ſupervenit gratia Spiritus Sancti.* Et ibidem, *c.* 15. idem Theodoretus narrat, quod cum Antiochus Euſebii Epiſcopi Samoſateni nepos, patrui ſucceſſor, a Synodo Provinciæ delectus fuiſſet, eumque *Ad altare adducerent, & genua flectere cogerent, converſus ille, poſtquam Jovianum* (Epiſcopum Pergæ cum Arianis communicantem) *vidit manum capiti ſuo imponentem, dextram ejus repulit, eumque ex numero conſecrantium removeri juſſit &c.*

XIV. Secundo. Quia ex Paulo, Hebr. 5. v. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem* (Sacerdotii) *ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Sed hæretici, & ſchiſmatici, ne dum a Deo, ſed & ab ipſa Eccleſia, a qua ſunt velut membra putrida divulſi, & abſciſſi, abjiciuntur; ergo &c. Hac ratione utitur Innocentius I. *Epiſt.* 22. laudata; *c.* 5. his verbis: *Rei ſunt uſurpatæ dignitatis, qui conficiendorum ſacramentorum ſibi vindicaverunt auctoritatem, atque in ſe putaverunt eſſe, quod de his nulla fuerat regulari ratione conceſſum.*

XV. Tertio, & ſimul probatur ſecunda pars. Illa ordinatio illicita cenſetur, cujus exercitii actus interdicuntur: atqui ab hæreticis, & ſchiſmaticis ordinatis uſus, & exercitium Ordinum interdicitur; ergo &c. Min. prob. Tum ex S. Thom. *in Suppl. 3. p. q. 38. art. 2. ad 3.* dicente: *Quod illi, qui promoventur ab hæreticis, quamvis accipiant Ordinem, non tamen recipiunt executionem, ut licite poſſint in ſuis Ordinibus miniſtrare, ratione, quam objectio tangit:* nempe; *Quod in nulla communitate, qui a communitate expellitur, poteſt officia communitatis diſponere.* —— Et hac ratione tales ordinationes interdum vocantur *Irritæ*, non quia ſint invalidæ, ſed quia non licet ſic ordinato actum ſui Ordinis exercere. Quandoque etiam ſic ordinatus dicitur nihil recipere, ut apud Innocentium I. *Ep.* 22. citata; quia nec Ordinis honorem, ſive adminiſtrationem recipit, nec (ſi ſcienter a talibus ordinetur, atque ita communicet peccato eorum) gratiam juſtificantem.

Tum etiam: ab uſu Ordinis ſic accepti interdici ſtatutum habemus ab Innocentio III. C. *Fraternitati*, his verbis: *Priorem, quem a ſchiſmatico aſſeris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter; niſi legitime probaverit, ſecum fuiſſe miſericorditer diſpenſatum, & ab ea perſona, quæ ſuper hoc poteſtatem habuerit diſpenſandi.*

Immo tam rigide ea diſciplina quondam obſervabatur; ut nec infirmitas ætatis, nec ignorantia ordinati ſuſpenſionem ab Ordinum executione, & promotione ad majores impedirent. Quare Stephanus Tornacenſis, *Epiſt.* 108. diſpenſationem a Lucio III. Rom. Pont. poſtulavit pro Odone Clerico, quem Herbertus Byſuntinus ſchiſmaticus ordinaverat; ut poſſet ad majores Ordines promoveri, his verbis: *In puerili ætate ab Herberto Byſuntino ſchiſmatico gradum Acolythi qualitercumque ſuſcepit, cum prius a Catholico Clericus factus fuiſſet; neſciens miſer, quantum veneni peſtis illa infunderet, quantum periculi manus illa leproſa ſibi, vel ad præſens, vel in poſterum importaret. Aperiatur ſuper eum, obſecro, paternus Apoſtolicæ pietatis oculus, maternus Eccleſiæ Romanæ ſinus expandatur; ut qui in ſuſcipiendi minoribus Ordinibus deliquit, ad majores valeat humiliter promoveri.*

DUBIUM III.

Utrum a quolibet Epiſcopo Catholico poſſit quiſque Licite Ordinari.

§. I.

Quæ fuerit Antiqua Praxis.

I. DIco. In antiqua Eccleſia Laici a quolibet Epiſcopo Catholico licite ordinari potuerunt, etiam inconſulto Epiſcopo, in cujus Diœceſi nati erant, Clerici vero id non potuerunt. Prob. primo. Quia Canones, qui decem prioribus ſæculis conditi ſunt, eum vetant, ne alieni ordinentur abſque proprii Epiſcopi conſenſu, de ſolis Clericis loquuntur; ita ut prohibeatur, ne quis inconſulto, ac invito Epiſcopo, a quo primum Clericus factus eſt, ad Ordines promoveatur. Concilium Carthag. III. *Can.* 21. ait: *Ut alienum Clericum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat, vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Clericorum autem nemo etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retinent.* Ad quem Canonem alludens S. Auguſtinus, *Ep.* 235. (modo 64.) *ad Quintianum*, ait: *Recenſe ergo Concilium, & omnia, quæ ibi legeris, commenda memoriæ; & ibi etiam invenies, ſe ſolis Clericis fuiſſe locutum, non etiam de laicis: ut undecumque venientes non recipiantur in Monaſterium.* Quibus apparet, Clericos nec potuiſſe, inconſulto eorum Epiſcopo, recipi in Monaſterium, ſecus vero Laicos. De ſolis Clericis, nulla facta de Laicis mentione, loquitur Concilium Arauſicanum I. *Can.* 8. De Laicis quoque ſilet S. Leo Magnus, *Epiſt.* 84. dum ſcribit: *Alienum Clericum, invito Epiſcopo ipſius, nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet; niſi forte ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque conveniat.* Ex quo Concilium Aquiſgranenſe, anno 816. Canon. 68. *In Decretis* (inquit) *Leonis Papæ ſancitum eſt, ne Epiſcopus alterius Clericum ad ſe non ſollicitet, nec ordinet.* Patet igitur, veterem Eccleſiam fuiſſe quidem ſemper ſollicitam, ne Clerici unius Epiſcopi, ipſo inconſulto, ab alio Epiſcopo promoverentur: quod etiam a Conc. Nicæno I. *Canon.* 17. ſtatutum fuerat; de laicis vero, cum nullum ediderit Canonem, permiſiſſe, ut a quolibet Epiſcopo poſſent ordinari.

II. Hoc etiam firmatur exemplis. Primo. Origenes Alexandriæ natus, in Palæſtina, & Clericus, & Presbyter conſecratus fuit a Theoctiſto, & Alexandro Ceſareæ, & Jeroſolymorum Epiſcopo. De ea ordinatione conqueſtus quidem fuit Demetrius Alexandrinus: verum non objecit ullam Eccleſiaſticam legem id fieri prohibentem; ſed unicam irregularitatem, quam ex voluntaria ſui ipſius mutilatione contraxerat: *Nihil aliud habebant* (ait Euſebius, lib. 6. Hiſt. cap. 8.) *quod ei objiceret.* Secundo. Martinus e Pannonia oriundus, & Abiani, baptizatus, relicta paulo poſt militia, Hilarius Pictavienſis voluit Diaconum ordinare; cumque conſtaret renuere, hoc gradu ſe ſe indignum judicans, Exorciſtam ſe ordinari paſſus fuit: ne videretur tale officium tamquam humilis deſpicere. Tertio. Paulinus, poſtea Nolanus Epiſcopus, Burdegalæ natus, & baptizatus, per vim, ut ipſe loquitur, inflammatæ ſubito plebis a Limpio Barchinonæ Presbyter conſecratus fuit. Quarto. S. Hieronymus Stridone in Dalmatia natus, a Paulino Antiocheno Epiſcopo ad Sacerdotium invitus promotus eſt. Hos autem & Laicos, & ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi nati, vel baptizati erant; litteris dimiſſoriis ordinatos fuiſſe, ex circumſtantiis apparet. Quod autem ſic potuerint licite ordinari, tum ex eorum; tum ex Epiſcoporum, a quibus ordinati fuerunt, pietate, facile colligi poteſt.

§. II.

Quæ ſit Recentior Praxis.

III. DIco. Secundum præſentem diſciplinam nemo etiam laicus ad Clericatum, & Ordines promoveri licite poteſt, niſi a proprio Epiſcopo; vel niſi de ejus licentia, ſi præſens ſit, vel ejuſdem litteris dimiſſoriis, ſi ſit abſens. Primus, qui illicitam reddidit etiam Laicorum ordinationem ab alieno Epiſcopo, ſine proprii Epiſcopi licentia, creditur fuiſſe Bonifacius VIII. qui exeunte, ſæculo 13. nimirum *anno* 1294. prohibuit, ne laico unius Diœceſis, ſine proprii Epiſcopi licentia, alterius Diœceſis Epiſcopus Clericalem tonſuram (qua a ſtatu laicali ad Clericalem quis primo tranſit) conferat, Cap. *Cum nullus, de Tempor. Ordin. in* 6. quo dicitur: *Nullus Epiſcopus... abſque ſui ſuperioris licentia homini diœceſis alienæ Clericalem præſumat conferre tonſuram... Qui contra fecerit... per unum annum a collatione Clericalis tonſuræ dumtaxat, noverit ſe ſuſpenſum.*

Idem generaliter ſtatuit Concil. Trident. *Seſſ.* 23. *de Reform. c.* 8. his verbis: *Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi aliquis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur; niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Nunc duo videnda ſuperſunt. Unum, quid intelligatur nomine proprii Ordinarii. Alterum, quid veniat nomine litterarum teſtimonialium.

IV. Quoad primum, Epiſcopus ordinarius triplex poteſt eſſe, nempe, Epiſcopus *Originis*, ſeu loci, in quo ordinandus natus eſt. Epiſcopus *Beneficii*, ſeu loci, in quo beneficium habet. Et Epiſcopus *Domicilii*, ſeu loci, in quo ordinandus habet domicilium. Ita Bonifacius VIII. C. *Cum nullus*, de temporibus Ordin. in 6. his verbis: *Cum nullus Clericum Parœciæ alienæ, præter Superioris ipſius licentiam, debeat ordinare; Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus diœceſi eſt, qui ad ordines promoveri deſiderat, oriundus; ſive in cujus diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium.*

V. Olim jure antiquo Epiſcopus loci, in quo Baptiſmo renatus quis fuerat, cenſebatur Epiſcopus originis, a quo

poterat

poterat ordinari; ut colligitur ex Concilio Eliberitano, *Can.* 24. & Carthaginensi III. *Can.* 44. secundum hodiernam tamen disciplinam Episcopus originis intelligitur Episcopus loci, in quo quis natus est nativitate naturali. Id enim significant verba Canonis: *De cujus Diœcesis est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus.*

VI. Episcopus vero *Originis* in diversis regionibus diversimode accipitur. In Galliis enim censetur is tantum, in cujus diœcesi aliquis natus est, vel reipsa, vel per fictionem juris. Dico, vel per fictionem juris. Nam qui fortuito natus est in loco, per quem mater transibat, aut, in quem venerat, non animo ibi semper commorandi: censetur natus in paterna domo, & ita respectu illius Episcopus paternæ diœcesis est Episcopus originis. Idem dico de filiis, quos Oratores, vel alii pro negotiis publicis a Principibus delegati suscipiunt in remotis regionibus, ad quas missi sunt ad annos aliquot, & non tot, quot constituendo domicilio sufficiunt; in patriam enim reduces censentur ex paterna civitate oriundi; & ita pro Episcopo originis habent Episcopum civitatis paternæ.

In aliis vero regionibus maxime in Italia, secundum jus commune, Episcopus loci, ex quo pater oriundus est, censetur Episcopus originis etiam respectu filii: itaut si Bononiensis Florentiæ domicilium fixerit & ibi ex uxore filium suscipiat; non solum Florentinus, sed & Bononiensis censetur Episcopus originis respectu filii sui: qui proinde postmodum poterit pro arbitrio eligere, vel Florentinum in diœcesi cujus ipse natus est, vel Bononiensem, in cujus Diœcesi natus est pater ejus; ut cum aliis docet Zerola, in Praxi Episcopali p. 2. verbo, *Dimissoria*. Et fundamentum habet in L. *Assumptio*, ff. *ad Municipalem*, §. Filius. Et L. *filios*, C. *de Municipibus*.

VII. Episcopus *Domicilii* dicitur Episcopus loci, *ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus &c.* ut habetur Leg. *Cives*, Cod. *de Incolis*. Episcopus ergo domicilii est Episcopus loci, in quo quis, relicto in perpetuum suæ originis loco, habitat animo ibi permanendi perpetuo; unde & ibi rerum, ac fortunarum suarum summam constituit.

VII. Ad fundamentum jus domicilii in aliquo loco, habitatio per decennium sufficere solet. Si tamen velit ibi ordinari, magna cautela procedere debet Episcopus; adeo ut certus sit, eum ibi morari non ratione honoris, aut officii; sed stabile, ac perpetuum ibi fixisse domicilium. Causa etiam discessus a loco originis exquirenda est. Ut enim monet Clemens IV. Cap. *Sæpe*, de tempor. Ordin. in 6. *Sæpe contingit, quod nonnulli Clerici vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel alii Ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his habetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciunt ad hujusmodi Ordines promoveri.* Cui, ut occurrat malo, prohibet omnibus Italiæ Episcopis, ne aliquem Clericum ultramontanum ordinare præsumant, nisi ad hoc specialem licentiam habeat, vel a summo Pontifice: *Vel ab Episcopo, de cujus diœcesi traxit originem, ordinandus, vel in cujus diœcesi beneficiatus existit, per ejus patentes litteras causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinari.* Decernens, eos, qui contra hanc prohibitionem fuerint ordinati, manere suspensos absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ: ordinatores vero pœna condigna puniendos. Ab hac tamen prohibitione Concilia Mediolanense IV. anno 1576. & Aquense *anno* 1585. excipiunt eos, qui per decennium illius loci incolatum habuerunt. In Galliis tamen, quia non ita facile constare potest, eos etiam post decennium non habere animum ad patriam revertendi, ad Episcopos originis remittuntur.

IX. Episcopus *Beneficii* ille est, in cujus diœcesi ordinandus obtinet beneficium. Ad hoc enim, si alioquin indignus non sit, potest licite ordinari; sive beneficium sit simplex, sive curatum, sive residentiam postulet, sive non, sive pingue sit, sive tenue: immo sive unum sit, sive plura in diversis diœcesibus, poterit beneficiatus quemlibet illarum diœcesum Episcopum pro sui ordinatione adire. Nam in Cap. *Cum nullus*, generaliter loquitur summus Pontifex. Nonnullis tamen videtur, quod si beneficium, quod quis obtinet in diœcesi, in qua nec natus est, nec domicilium habet, sit tenuissimum, ob fraudis præsumptionem, non possit ab Episcopo loci, in quo beneficiatus est, licite ordinari, vel saltem non expedire: nisi obtenta prius licentia Episcopi loci, in quo natus est, & domicilium habet.

Quod eo magis tenendum est, si beneficium in aliena diœcesi obtentum sit in fraudem, puta, ut ordinandus judicium, & examen Episcopi, in cujus diœcesi natus est, ac domicilium habet, declinet. Cum enim fraus nemini debeat patrocinari, non poterit, sub pœna suspensionis, ordinari ab Episcopo loci, in quo obtinet beneficium, sine licentia proprii Episcopi. Et Episcopus eum ordinans, si conscius, & particeps sit, a collatione ordinum suspensus erit per annum, juxta C. *Eos qui*, Greg. X. de temp. Ordin. in 6. & in Concil. Trident. *Sess.* 23. *de Ref. cap.* 8. Præstat huc afferre declarat. S. Congreg. Concilii 15. Febr. *anno* 1506. quæ censuit: *Satius esse, Clericum quemdam ab Episcopo Tirasonensi, in cujus diœcesi ortus erat, ad Ordines promoveri. Caterum posse etiam Episcopum Valvensem, in cujus Cathedrali Canonicatum obtinebat, eumdem ordinare. Verumtamen instructionem de vita, moribus, natalibus, cæterisque qualitatibus ordinandi ab Episcopo Tirasonensi sumere ipsum Valvensem Episcopum debere; præterquam quod doctrinam, circa quam eodem Episcopo ordinante diligenter examinandus est.*

X. Si quæras: Quinam sit proprius Episcopus Regularium?

Resp. esse Episcopum diœcesanum Monasterii, in quo permanenter degunt. Constat primo, ex *Canon.* 15. Concilii Carthag. V. relato dist. 8. Can. *Si quis*. Et Concilio Arelatensi III. in causa Monasterii Lirinensis, ubi hoc etiam de Monachis sancitum fuit: *Ut Clerici, atque Altaris Ministri a nullo nisi ab ipso* (Episcopo diœcesano) *vel cui ipse injunxerit, ordinentur.* Secundo, ex Bulla Leonis X. *Dum intra mentis arcana*, promulgata in Conc. Later. V. *Sess.* 11. qua statuitur: *Ut nullatenus in Regularium Ecclesiis, seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quam a diœcesano Episcopo, vel ejus Vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel in diœcesi absente, ad dictos Ordines promoveri debeant.* Quod confirmatum fuit in Tridentino, abrogatis, si quæ in contrarium forent, privilegiis, *sess.* 23. *de Ref.* tum *c.* 8. tum 10. statutum, integram, ordinandi tum sæculares, tum Regulares potestatem pœnes Episcopos diœcesanos residere. Quare cum S. Pius V. Const. quæ incipit, *Etsi Mendicantium Ordo*, statuisset, ejusmodi Ordinum Fratres sacros Ordines, a quolibet Antistite gratiam, & commissionem Apostolicæ sedis habente, Ordinarii loci minime requisita licentia, in locis, sive domibus suis recipere posse, Gregorius XV. Const. quæ incipit *in tanta rerum*, eam revocavit, & ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini reduxit.

§. III.

De Dimissoriis Litteris.

XI. Dimissoriæ Litteræ, quæ olim concedebantur, diversæ admodum erant ab illis, quæ modo concedi solent. Cum enim tunc Episcopus per ordinationem quemque Clericum Ecclesiæ sibi creditæ ita manciparet; ut teneretur in ea residere, ei inservire, nec alteri Clero inscribi poterat, nec ordinatus ab uno ad altiores ordines ab alio promoveri: hinc fiebat, ut quoties Episcopus dimissorias litteras alicui concederet, idem esset, ac eum emancipare, manumittere, sui juris facere, & ab omni jure super illum excidere; ita ut libere possit sic dimissus alteri Episcopo mancipare, & illius Clero inscribi. Hoc voluit Conc. Carth. III. Can. 21. dum statuit: *Ut alienum Clericum, nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat, vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita.* Et S. Leo, (Ep. 48. modo 12.) ad Anastasium Thessalonicensem, c. 9. *Ut alienum* (inquit) *Clericum invito Episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet; nisi forte ex placito charitatis, id inter dantem, accipientemque convenerit. Nam gravis injuria reus est, qui de fratris Ecclesia id, quod est utilius, aut pretiosius, audet, vel allicere, vel tenere.*

XII. Nunc vero Clerici ab Episcopo suo, per litteras dimissorias, nudum suæ ad Ordines suscipiendos idoneitatis testimonium accipiunt. Et cum Clerici per ordinationem non mancipentur alterius diœcesis Episcopo, a quo ordinantur, ad hoc, ut ab alieno Episcopo licite ordinari possint, necesse non est, ut emancipentur a proprio. Quare Conc. Trid. Sess. 23. de Ref. c. 3. *Episcopi* (inquit) *per semetipsos Ordines conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.*

XIII. Quæres: An præter proprium Episcopum possint alii litteras dimissorias concedere?

Resp. Primo: Episcopo in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis dare potest licentiam ordinandi, ut dicit Bonifacius VIII. Cap. *Cum nullus*, de temp. Ord. in 6. & dare potest litteras dimissorias, non solum ad Tonsuram, sed & ad alios Ordines etiam majores. Præsente vero, vel non longe absente Episcopo, non potest, nisi ab eo specialem, & expressam licentiam acceperit. Ita citato Cap. *Cum nullus*.

Secundo. Episcopali sede vacante, completo vacationis anno, post Capitulum laicos ad Tonsuram, & Clericos ad Ordines dimittere. Immo & intra vacationis annum eos, quos jura *Arctatos* dicunt. Arctati autem dicuntur, vel ratione beneficii accepti requirentis servitium personale, ratione cujus tenentur intra annum sub beneficii periculo certum quemdam Ordinem suscipere. Vel ratione beneficii recipiendi, ad quod quis est vocatus, & requirit certum Ordinem; seu qui primam Tonsuram jam habens præsentatus est ad beneficium, cui certus Ordo annexus est. Extra hunc casum, severe interdicitur Capitulo, ne sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam expediat. Ita Concilium Trid. sess. 7. cap. 10. de reform. *Non liceat Capitulis Ecclesiarum sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant; tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici receptivi, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere.*

Si

Si ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjacet interdicto: & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præſertim in Criminalibus gaudeant, in majoribus vero, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, ſint ipſo jure ſuſpenſi.

XIV. Tertio. Conſtat, ſummum Pontificem poſſe quemlibet ex quacumque diœceſi ad quemcumque voluerit Epiſcopum dimittere, ut ordinetur. Verum ſic dimiſſus non debet ordinari, niſi de vita & moribus teſtimoniales Epiſcopi ſui litteras protulerit. Has autem Epiſcopus, niſi ex juſta cauſa negare non debet. Juſta autem cauſa eſt crimen aliquod, vel impedimentum quamvis occultum, ipſi tamen Epiſcopo notum; ut ex diſpoſitione Tridentini, *Seſſ. 14. de Reform. cap. 1.* notat Fagnanus, *in 2. part. 1. Decret. de temp. Ordin. num. 12.* Et hoc etſi ordinationem petens ſit arctatus beneficio certum ordinem poſtulanti. — Porro ſi Epiſcopus eas negando injuſte auctoritate ſua abuteretur; tunc ſubditus habet remedium recurſus ad Sedem Apoſtolicam, ut dicit idem Fagnanus, in Cap. *ad Aures*, eodem tit. num. 22. Ubi obſervat, a S. Congreg. Concilii editam fuiſſe ſub Gregorio XIII. deciſionem, videlicet: Quotieſcumque Ordinarius recuſaverit quemquam ordinare, committendum eſſe Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo, ut ab eodem Ordinario prius requirat, cur recuſaverit; quo cauſam legitimam non allegante, licet illi eumdem recuſatum ordinare.

XV. Quarto. Superiores Regulares, nempe Generalis, Provincialis, & Superiores particulares Conventuum poſſunt ſubditis ſuis Religioſis litteras dimiſſorias pro Ordinibus concedere, ſervata tamen forma a Sac. Congreg. Concil. ſub Clemente VIII. 15. Martii *ann. 1599.* Nimirum. Quod dirigantur litteræ *Ad Epiſcopum diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit. Et ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes, vel ſedes Epiſcopalis vacaret. Verum cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, littera dimiſſoria dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod ſi Regulares ordinandi morentur in Monaſterio nullius diœceſis, hujuſmodi dimiſſorias concedendas eſſe ad Epiſcopum viciniorem; in eoque prodere omnia, quæ de Epiſcopo diœceſano ſuperius præſcripta ſunt. Quod qui non fecerint, officii & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio S. D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrant.* Quare ſi quis Regularis ſine dimiſſoriis proprii Prælati promoveretur, eſſet ipſo facto ab executione ordinum ſic ſuſceptorum ſuſpenſus; ea generali ratione, qua Tridentinum. *Seſſ. 14. cap. 2.* ſuſpenſum declarat quemcumque ordinatum abſque litteris dimiſſoriis ſui Epiſcopi, vel Prælati. Sed hæc ad Canoniſtas.

DUBIUM IV.

An aliqui, qui Epiſcopi non ſint, poſſint, ex diſpenſatione, eſſe extraordinarii Ordinationis Miniſtri?

§. I.

Reſolutio Dubii?

I. DUbium procedit, tum de Ordinibus minoribus, tum de majoribus, præcipue Diaconatu, & Presbyteratu (nam Subdiaconatus, ut dicetur ſuo loco, non ſemper inter majores Ordines recenſitus fuit) An ſcilicet illos, ex diſpenſatione Romani Pontificis, poſſit Presbyter non Epiſcopus, ut miniſter extraordinarius omnes conferre.

II. Dico. Simplex Sacerdos ex diſpenſatione Romani Pontificis poteſt eſſe miniſter extraordinarius Ordinum minorum, uſque ad Subdiaconatum incluſive, non tamen majorum nempe Diaconatus, & Presbyteratus. Utramque partem docet S. Thom. *in Supplem. 3. part. quæſt. 38. art. 3.* his verbis; *Dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificialis, poteſt committere non Epiſcopo ea, quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent; dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Chriſti. Et ideo ex ejus commiſſione aliquis Sacerdos ſimplex poteſt conferre minores Ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos. Nec iterum Sacerdos majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Chriſti; ſupra quod conſecrandum Papa non habet majorem poteſtatem, quam ſimplex Sacerdos.* Et ibidem ad 5. *Quia* (inquit) *Sacerdos non habet complexam poteſtatem in hierarchicis officiis, ſicut Epiſcopus; ideo non ſequitur, quod poſſit Diaconos facere, quamvis ille Ordo ſit ſibi propinquus.*

III. Prima vero pars probatur ex praxi recepta. Nam Cardinales non Epiſcopi in propriis Eccleſiis, & Abbates diverſi revera minores Ordines conferunt ſubditis ſuis Privilegium Cardinalium nititur conſuetudini a ſummo Pontifice approbata. Privilegium vero Abbatum in jure expreſſum legitur, nempe: Septimæ Synodi Generalis Canon. 14. & Cap. *Requiſivit*, quod eſt Alexandri III. Extra, *De ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit.* Et Cap. *Cum contingat*, quod eſt Innocentii III. Extra, *De ætate, & qualitatibus ordinandorum.* Quod confirmavit Tridentina Synodus, *Seſſ. 23. de Reformat. cap. 10.* quæ Abbatibus inhibuit dumtaxat, *Ne cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit; Tonſuram, vel minores Ordines conferant.* Quo fieri videtur, ut ſi Abbas non Regularem, & ſibi non ſubditum ad Tonſuram, & minores Ordines promovere tentaret; talis ordinatio, & promotio irrita eſſet, ac nulla: nam Privilegium, cui ſoli ejus poteſtas innititur, ad eam perſonam non ſe extendit.

Poſſe autem, ex eadem conceſſione, ſimplicem Sacerdotem conferre ſubdiaconatum. Probatur ex Gelaſio I. *Epiſt. 5. ad Epiſcopos Lucaniæ, cap. 6.* Ubi loquens de ſimplicibus Presbyteris (aut ſi vis de Chorepiſcopis, qui in Occidentali Eccleſia erant omnes ſimplices Presbyteri, & meri Vicarii Epiſcoporum in villis) ait: *Nec meminerint ulla ratione concedi, ſine ſummo Pontifice, Subdiaconum, aut Acolythum jus habere faciendi.* Et ex Concilio Meldenſi, *anno 845.* Can. 44. quo dicitur: *Ut Chorepiſcopus modum ſuum juxta canonicam inſtitutionem teneat .... Neque Eccleſiaſticos* (Ordines) *qui per impoſitionem manus tribuuntur, ideſt, nonniſi uſque ad Subdiaconatum, & hoc jubente Epiſcopo, & in locis, quibus Canones deſignant, agere præſumat.* Quibus patet, Chorepiſcopos, etſi ſimplices Presbyteros, ex conceſſione potuiſſe Subdiaconos ordinare.

IV. Secunda vero pars, non poſſe, qui Epiſcopus conſecratus non eſt, neque ex commiſſione Diaconatum, & Presbyteratum conferre: Prob. Tum ex Hieronymo, Epiſt. 85. modo 101. ad Evagrium modo ad Evangelium, *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Chryſoſtomo, *Homil. 11.* in 1. ad Timoth. dicente: *Sola quippe ordinatione ſuperiores illi* (Epiſcopi) *ſunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Et Epiphanio, Hæreſ. 75. §. 4. *Epiſcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet: hujus enim eſt fratrum in Eccleſia propagatio*, Ubi Patres præcitati loquuntur de prærogativa Epiſcopatui jure divino propria; ita ut inferiori Ordini jure divino incommunicabilis ſit.

V. Ex his conficio hunc diſcurſum. Invenimus conceſſum ſimplicibus Presbyteris poſſe ordinare ad minores Ordines, & ad ipſum Subdiaconatum, ut ſupra oſtenſum eſt: nunquam tamen legimus, eis fuiſſe conceſſum ordinare Epiſcopos, vel Presbyteros, vel Diaconos; ergo ſufficiens indicium eſt, talem eis poteſtatem communicari non potuiſſe, eamque jure divino eſſentialiter pertinere ad ſolum Epiſcoporum Ordinem. Conveniens autem fuit, ut primarii Eccleſiæ miniſtri, qui ex officio ſacramenta fidelibus miniſtrare debent, conſtitui non poſſint, niſi a principibus Eccleſiæ, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.

Accedit etiam ratio ex Concilio Meldenſi ſupra relata. Ideo faculras conferendi minores Ordines uſque ad Subdiaconatum ſimplicibus Presbyteris, committi poteſt; quia non conferuntur manus impoſitione, ideoque non cenſentur eſſe de immediata inſtitutione divina, nec partes eſſentiales ſacramenti Ordinis: omnis enim Ordo immediate a Chriſto inſtitutus, manuum impoſitione confertur; ergo cum Ordo Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus impoſitione manuum conferantur, ſic enim legimus, eos ab Apoſtolis collatos fuiſſe; dicendum eſt, ab illis ſolis conferri poſſe, qui ex vi ſui Ordinis jus habent conferendi poteſtatem media impoſitione manuum, quales fuerunt Apoſtoli, & eorum ſucceſſores Epiſcopi.

§. II.

Contrariæ Rationes.

VI. IN contrarium objicitur primo. Concilium Florentinum in Decreto Eugenii dicit, Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum Ordinis: & Tridentinum, *Seſſ. 23. cap. 4.* docet, Epiſcopi munus eſſe ſacramentum Confirmationis conferre, & Eccleſiæ miniſtros ordinare; ergo ſicut poteſtate ab ipſo delegata poteſt ſimplex Presbyter ſacramentum Confirmationis, & minores Ordines conferre, cur non poterit, ut extraordinarius, conferre majores?

VII. Reſpondeo, neg. conſ. Nam, ut ſupra dictum eſt ex S. Thoma, *in Suppl. 3. p. q. 38. art. 1. ad 3.* Papa ratione plenitudinis poteſtatis poteſt concedere non Epiſcopo, ut faciat, quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent; dummodo illa non habeant immediatam relationem ad corpus Chriſti verum: & ſic poteſt committere non Epiſcopo conferre minores Ordines: & confirmare; non tamen poteſt committere non Epiſcopo conferre Presbyteratum, vel Diaconatum: quia hi Ordines habent immediatam relationem ſupra corpus Chriſti verum. *Supra quod conſecrandum Papa non habet majorem poteſtatem, quam ſimplex Sacerdos.* — Hinc aliter reſpondeo, quod ea, quæ ſunt annexa Ordini Epiſcopali jure tantum Eccleſiaſtico, poſſunt committi alteri non Epiſcopo: & tale eſt conferre minores Ordines, & confirmare: non autem ea, quæ ſunt

annexa ordini Episcopali jure divino, qualis est ordinatio Presbyteri, & Diaconi. Hanc distinctionem non obscure indicat Tridentinum, *Sess. 23. c. 2.* dum ait: quod *Non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacra Litteræ apertam mentionem faciunt; & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent.* De aliis vero Ordinibus dicit, eos ab initio Ecclesiæ in usu fuisse, eorum nomina, & ministeria: non dicit tamen, in sacris Literis mentionem eorum fieri: quibus indicare videtur, jure tantum Ecclesiastico fuisse introductos, sicut dicit Subdiaconatum a Patribus fuisse inter majores Ordines relatum.

VIII. Objicitur secundo. Chorepiscopi Episcopi non erant, sed simplices Presbyteri villis præfecti; sed hi de licentia Episcopi conferre poterant Ordines Diaconatus, & Presbyteratus, non solum ordines minores; ergo &c. Min. prob. Ex Concilio Antiocheno *ann. 314.* ubi *Can. 10.* de Chorepiscopis dicitur: *Constituere autem his permittitur Lectores, & subdiaconos, atque Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse. Non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare, præter conscientiam Episcopi Civitatis, vel Ecclesiæ, cui adjacens invenitur, seu ipse, seu regio, in qua præesse dignoscitur.* Idem præscribit Concilium Ancyranum, *anno 314. Can. 13.* Poterant igitur in Orientali Ecclesia Chorepiscopi Diaconos, & Presbyteros ordinare, quamvis non sine expressa Episcopi, cui suberant, licentia.

IX. Respondeo, neg. min. Ad prob. ex Concilio Antiocheno dicit Baronius, *ad ann. 314.* statuta illius nullius esse auctoritatis, quia ex Arianis coacti. —— Sed eo admisso, dico, Concilium loqui de Chorepiscopis, qui revera Episcopali ordinatione fuerant consecrati. Ait enim: *Qui in villis, & vicis constituti sunt Chorepiscopi, tametsi manus impositionem ab Episcopo susceperunt, & ut Episcopi sunt consecrati; tamen &c.* Et de talibus loquitur etiam Synodus Ancyrana. Itaque duplicis generis Chorepiscopi olim fuerunt. Unum fuit eorum, qui simplices Presbyteri erant, & habebant ab Episcopo aliquam commissionem supra alios Præsbyteros, veluti eorum Vicarii: & hi poterant solum minores Ordines de commissione Episcopi conferre: & de his supra locuti sumus ex Gelasio, *Ep. 5. ad Episcopos Lucaniæ*, Concilio Meldensi, *c. 44.* Alterum erat eorum (quorum multi in Ecclesia Orientali fuerunt) qui cum essent vere ordinati, & consecrati, veri Episcopi erant, sed cum essent sine certa diœcesi, quia ad conversionem infidelium ordinati, ut S. Amandus, antequam esset Episcopus Tungrensis, S. Foillanus, S. Humbertus. Vel etiamsi propriam diœcesim haberent, Chorepiscopi officio in aliena diœcesi fungebantur. Et de his loquuntur Concilia Antiochenum, & Ancyranum. Ut enim ordinationis suæ potestatem ordinando Presbyteros, & Diaconos exercerent, par erat, ut id non facerent, nisi de scientia, & conscientia Episcopi, cujus vices in ea regione gerebant.

X. Objicitur tertio. S. Leo, qui *Epist. 92.* modo *2. ad Rusticum*, ait: *Si qui autem Clerici ab illis Pseudo-Episcopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu, & judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent*; ergo &c.

XI. Resp. S. Leonem Pseudo-Episcopos ibi appellare non eos, qui vera Episcopali consecratione, per manus impositionem carerent; alias ordinationes ab ipsis factæ etiam cum consensu præsidentium, non possent ratæ haberi, quia factæ a non habente potestatem Ordinis. Sed pseudo-Episcopos vocare illos, qui, ut ibi ait: *Nec a Clericis sunt electi; nec a plebibus sunt expetiti, nec a Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio sunt consecrati*: quia non a tribus, ut fert Ecclesiastica regula; sed vel a duobus tantum, vel a non ejusdem Provinciæ Episcopis ordinati, potestatem quidem ordinis, sed non jurisdictionis acceperunt. Dicit ergo, ordinationes ab istis factas cum consensu, & judicio Præsidentium, nempe, proprii Episcopi eorum, qui ordinati sunt, ratas haberi posse, nimirum, etiam quoad executionem, atque permitti posse, Clericos sic ordinatos in suis Ordinibus ministrare.

XII. Objicitur quarto. Innocentius VIII. *anno 1489.* concessit Abbati Cistercienſi, ut posset Monachos suos ordinare Subdiaconos, & Diaconos. Vazquez, *tom. 3. in 3. p. S. Th. disp. 243. c. 4. n. 39.* scribit, se vidisse Bullam talis concessionis, & verba ipsa recitat.

XIII. Respondetur communiter, tale privilegium, ut asseritur, concessum Abbatibus Cistercienſibus, nimirum, ordinandi per se ipsos Monachos suos, etiam Diaconos (& non potius eos pro tali Ordine ad quemcumque Catholicum Antistitem dimittendi, ut declaratum fuit a Clemente VIII. in Bulla Cistercienſibus data) dubie fidei esse. Nec enim Cistercienses nostra, aut Patrum nostrorum memoria, eo privilegio usi dicuntur. Eo autem usi aliquando fuisse saltem ante Tridentinum legerentur, si tanto privilegio donati fuissent. Addo: quod si tale privilegium extitisset, Patribus Tridentinis non fuisset ignotum, cujus propterea meminissent, *Sess. 23. de Reform. c. 10.* ibi autem ejus non meminisse constat: quia duo tantum ibi prohibentur Abbatibus. Unum, ne cuiquam Regulari sibi non subdito Tonsuram, vel minores Ordines conferant. Alterum, ne Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur litteras dimissorias concedant. Quare ergo Abbates Cistercienses nunc suos ad Subdiaconatum, aut etiam ad Diaconatum non promovent? Quare nunquam promoverunt? Certe quia illud nunquam habuerunt. Quod si de illius veritate constaret, dicere deberemus, a summo Pontifice demandari posse simplici Presbytero etiam Subdiaconi, & Diaconi ordinationem.

De Ministro ordinationis Episcopi agemus in Quæstione de Episcopatu.

QUÆSTIO III.

De Subjecto, & Effectibus Sacræ Ordinationis.

Circa subjectum sacræ ordinationis examinabitur primo: An sexus muliebris illius capax sit. Secundo: An pueri ante usum rationis, & alii ejusdem usu destituti possint ordinari. Quoad effectus autem examinabitur: An data in Ecclesia Catholica characterem imprimat. Tertio: An olim data in Ecclesia, sed contra Canones, eumdem effectum produxerit. Quarto: quid de ea sentiendum sit quam olim Hæretici, aut Schismatici conferebant. Et tandem: An nunc valeat ea, quæ extra Catholicam Ecclesiam celebratur.

DUBIUM I.

An Muliebris Sexus idoneus sit Ordinationi recipiendæ?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Gnostici, Cataphrygæ, & Pepuziani hæretici secundi sæculi mulieres sacris Ordinibus initiari posse contendebant. Immo Pepuziani, teste S. Augustin. 1. de Hæres. cap. 27. *Tantum* dabant *Mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorarentur.* Dicebant *enim: Quintille, Priscilla in eadem civitate Pepuza Christum specie femina revelatum.* Hoc eodem errore infectos fuisse Collyridianos asserit S. Epiphanius, *Hæresi. 79.* infra referendus; apud quos feminæ collyridam panis Mariæ Virgini in sacrificium tamquam Deæ offerebant. Lutherus tandem volens, ut supra vidimus, omnes Christianos esse æqualiter Sacerdotes, nec in Ecclesia ullum ordinem esse, dicere non erubuit, mulieres juste posse Sacerdotio insigniri. Contra hos omnes.

II. Dico. Mulieres jure divino, positivo, & naturali ita incapaces sunt sacræ Ordinationis, quæ sacramentum sit; ut in eis tentata, irrita sit, ac nulla. Ita S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 39. art. 1.* Prob. primo ex Scriptura, qua docemur, Paulo teste 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et 1. ad Timoth. 2. vers. 12. *Docere autem mulieri non permitto .... Sed esse in silentio.* Si ergo mulieribus, nec loqui in Ecclesia, nec absolute docere permittit Paulus; quia hoc *Turpe* esset, & quia mulieri subdita esse debet, nec dominari: a fortiori turpe esset, ordinatione, & manum impositione eisdem potestatem tradere, nedum loquendi in Ecclesiis, & docendi, sed populo publice divina tradendi, sacrificium ad altare offerendi, vel proxime assistendi offerenti, solemniter baptizandi, a peccatis absolvendis: uno verbo, in altiori Ordine, quam viros laicos eas collocare. Quod in Gnosticorum feminis detestatur Tertullianus *lib. de Præscript. cap. 41.* his verbis, *Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan, & tingere* (ideſt solemniter baptizare). Propterea Patres omnes tamquam hæreticos eos omnes damnarunt, qui in sua secta mulieres ad sacros Ordines, ipsumque sacerdotium admittebant.

III. Probatur secundo, discursu, quo S. Epiphanius in Panario, *Hæres. 79. §. 2. & 3.* urget Collyridianos. A mundo condito, usque ad hæc nostra tempora, apud veræ religionis cultores nulla mulier functa est Sacerdotali officio, aut ei obeundo inservivit. In lege Naturæ Abel, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob Deo sacrificia obtulerunt; sed nunquam eorum uxores, aut filii. In lege scripta solis posteris Aaron collatum fuit sacrum ministerium, cui nulla unquam mulier quamvis sancta quoquomodo se immiscere tentavit. In lege Evangelica solos Apostolos ordinavit. Apostoli viris tantum manus impoſuerunt; ita ut nec B. Virginem hoc honore donaverint: *Nunquam* (inquit Epiphanius) *ex quo mundus conditus est, Sacerdotio est functa mulier, ac ne Eva quidem ipsa ... nec ulla filiarum ejus .... Nec unquam mulier* (in veteri lege) *sacrificasse legitur. Atque, ut ad novum testamentum accedamus, si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quoddam præstare in Ecclesia liceret: nulli potius, quam Mariæ, illud in novo Testamento committi Sacerdotis officium debuit .... Verum longe Deo aliter est visum, ac ne baptizandi quidem* (publice scilicet, ac solemniter) *potestas est illi facta .... Episcoporum, & Presbyterorum successio-*

cessiones sunt in domo Dei constitutæ. Nec inter illos tamen mulier ulla cooptata legitur. Erant quidem, ut Scriptura narrat, Philippo Evangelistæ filiæ quatuor prophetissæ, non tamen Sacerdotes. Hæc Epiphanius.

IV. Ex quibus infero, mulieres incapaces esse, nedum Presbyteratus, & Diaconatus, sed & Subdiaconatus, & aliorum Ordinum minorum. Nam Subdiaconi officium est solemniter ministrare diacono in sacrificio Missæ; hoc autem sexum muliebrem dedecet. Cæteri Ordines aliquam eminentiam etiam inter viros habent in ordine ad sacrificium Missæ, & quodammodo præparant ad Sacerdotium; nihil autem eminentiæ, & præparationis in ordine ad hunc finem mulieri conferri potest.

§. II.

Respondetur Contrariis Rationibus.

V. OBjici potest primo. Femina in veteri lege poterat publice prædicare. Nam, *Judic. 5. vers.* 1. Debbora erudivit populum Israel. —— Sed respondet S. Thom. *in Cap. 2. primæ ad Timoth. Lect. 3.* quod *Illa eruditio est per spiritum prophetiæ, & gratia Spiritus Sancti non discernit inter virum, & mulierem; non tamen publice prædicabat, sed instinctu Spiritus Sancti consilia dabat.* Addit idem S. Thom. supra citata, *expusit. 39. Supplem. art. 1. ad 2.* quod *Debbora in temporalibus præfuit, non in Sacerdotalibus; sicut & nunc possunt mulieres temporaliter dominari.*

VI. Objici potest secundo. Fuerunt olim *Diaconissæ*, quæ per veram ordinationem suam dignitatem obtinebant, ex Tertulliano, lib. 1. ad Uxorem, cap. 7. *Quantum fidei detrahunt, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ, & Apostoli præscriptio declarat; cum bigamos non sinit præsidere, aut viduam adlegi in ordinationem, nisi univiram, non concedit.* Eas in Clero recenseri asserit Concilium Nicænum I. *Can. 19.* Ubi postquam statuit, Clericos Paulianistas rebaptizatos posse iterum ordinari ab Episcopo Catholico, de Diaconissis ait: *Similiter autem, & de Diaconissis, & universe de iis, qui in Clero recensetur, eadem forma servabitur*: a quo privilegio excludit eas Diaconissas, quæ *Cum nullam manus impositionem habuerint, etiam apud Paulianistas, omnino inter laicas recensebantur.* Erant ergo aliæ Diaconissæ, quæ ordinabantur per impositionem manus, & quæ a laicis secernebantur. Quod aperte tradit Concilium Chalcedonense, *Can. 15.* ubi hæc leguntur: *Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hanc cum summo liberamine. Si vero suscipiens manus impositionem, & aliquantum temporis in ministerio permanens semetipsam tradat nuptiis, gratiam Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo, qui eidem copulatur &c.* Quod autem hac ordinatione verum sacramentum conferretur, ostendunt Græcorum Euchologia, quibus describitur ordinatio Diaconissæ eodem ritu, quo ordinatio Diaconi.

Utraque enim *Chirotonia* dicebatur. Utraque ad Altare, & quidem ab Episcopo celebrabatur. In utraque imponebatur manus ab Episcopo, qui oratione Spiritum Sanctum advocaret: in utraque collo imponebatur stola. In altari tum ordinatus, tum ordinata Eucharistiam recipiebant: utrique calix sanguine Christi plenus, ut ex eo degustarent, tradebatur in manus.

VII. Respondeo, Diaconissarum ordinationem, qua olim maxime in Ecclesia Græca mulieres inaugurabantur, fuisse quamdam cæremoniam jure Ecclesiastico introductam; vi cujus eis pia quædam ministeria in alias mulieres obeunda committebantur. Non fuisse vero sacramentum ostenditur: tum quod ritus ille non esset institutionis divinæ: tum quod ad sacrificium nullatenus referretur, ex qua sola habitudine sumitur essentia Ordinis, qui sit sacramentum. Ratione hujus ministerii quodammodo pertinebant ad Clerum, & a mulieribus laicis secernebantur; quia ad pia ministeria certo modo consecrabantur, ut etiam modo abbatissæ. Quamvis autem eodem fere ritu ordinarentur, ac Diaconi, non ad eumdem tamen finem. Nam Diaconi ordinabantur, ut sacrificio corporis Christi veri immediate inservirent; & ideo eorum ordinatio erat, & est sacramentum. Diaconissæ vero ad pium quoddam ministerium circa mulieres sacrificio corporis Christi prorsus extraneum deputabantur. Unde impositio illa manus non erat ordinativa, sed mera invocativa divinæ protectionis; eo modo, quo Apostoli manus imponebant infirmis, quos tamen non ordinabant. Audiatur Sanctus Epiphanius, Hæres. 79. citata: *Quamquam* (inquit) *Diaconissarum in Ecclesia Ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est: sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut Baptismi tempore adsit .... sive cum nudandum est mulieris corpus, interveniat, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed a sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdoti mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur.*

Officia Diaconissarum, plura erant, quæ recenset Goarius noster de Diaconissis; præcipua vero, Rusticis, & imperitis mulieribus principia fidei, vel Baptismi ritus exponere. Secundo. In ipso Baptismo corporibus mulierum nudandis, & caute operiendis; ut sine pudoris indecentia mergerentur, attenta erat Diaconissa: & chrisma, vel oleum capiti a baptizante impositum manibus per totum corpus extendendi potestatem habebat. Tertio. Ad pudorem adhuc fœminarum relevandum, portam, qua in Ecclesiam ingrediebantur, custodiæ suæ commissam habebat Diaconissa; & singulas, sive pauperes, sive divites Ecclesiam ingressas, qua consederent nescias, Diaconissa proprio statuebat loco. Quarto. Diaconissæ testimonio fidem habebant Ecclesiæ Prælati, cum de amissa integritate veniebat in suspicionem Virgo Deo sacrata; atque ejus examini, & sententiæ explorandum relinquebant. Quinto. Sacræ supellectilis curæ, ac munditiei incumbebant; qua ratione ad sanctum altare eis accedere licitum erat. Conditiones. quas habere debebat, quæ in Diaconissam eligeretur, videtur exprimere S. Paulus, 1. *ad Timoth. 5. v. 9.* his verbis: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor. In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.*

VIII. Objici potest tertio. In antiquis Canonibus multæ mulieres dicuntur, *Episcopæ, Presbyteræ, Diaconæ.* Nam Concilium Turonense II. *anno* 567. Can. 13. *Episcopum* (inquit) *Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum.* Et Can. 19. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excomunicatus habeatur.* Et S. Greg. l. 9. Epist. Indict. 2. Epist. 7. ad Januarium, Gaviniæ Abbatissæ crimini restitit: *Quod usque ad diem obitus indui se Monaca veste noluerit, sed in vestibus, quibus loci illius utuntur Presbyteræ, permanserit.* Ergo mulieres capaces erant non Diaconalis solum Ordinis, sed Presbyteralis, & Episcopalis.

IX. Respondeo, neg. conf. Mulieres enim illæ præfatis nominibus vocabantur, non quia illis Ordinibus forent initiatæ, aut eorum munia obirent: sed quia earum maritis ad Episcopatum, aut Presbyteratum, aut Diaconatum, aut Subdiaconatum promotis, ipsæ ab eisdem thoro separatæ continentiam perpetuo servare tenebantur. In hoc sensu loquitur Concilium Turonense citatum. Cui addo Antisiodorense, *cap.* 215. dicens, *Non licet Presbytero in uno lecto, post acceptam benedictionem, cum Presbytera sua dormire.* Et hoc, quia apud Occidentales uti propriis uxoribus Presbyteri, & Diaconi numquam permissi sunt; sed uxores eorum, qui ex conjugio ad tales Ordines assumebantur, perpetuam castitatem vovere tenebantur: & licet prioribus sæculis Monasterium ingredi non tenerentur, posterioribus tamen hoc eis imperatum fuit. Apud Orientales tamen, apud quos Presbyteris, & Diaconis permittitur uxoribus, ante ordinationem ductis, post ordinationem uti; & solis Episcopis hoc denegatur, secundum Canon. 48. Concil. Trullani, solæ *Episcopæ* seu Episcoporum uxores continentiam perpetuo vovere, & in Monasterio recludi, vel saltem ab hominum familiaritate sejunctæ vivere tenentur.

X. Objici potest quarto. Monialium, ac præsertim Abbatissarum benedictio videtur esse quædam ordinatio sacra. Primo: quia per eam deputantur, ut publice canant in Ecclesiis suorum Ordinum, etiam liturgiarum tempore Sacerdoti sacrificanti accinendo, & respondendo: quod est aliquo modo ministrare sacrificio. Secundo: Abbatissæ jurisdictionem consequuntur in Canonicas sibi subditas; immo & in Clericos sibi subjectos, quos & beneficii, & officii suspensione mulctare possunt, ut asserere videtur Honorius III. Cap. *Dilecta* de Majorit. & Obed. Ubi de quadam Abbatissa nomine Brubriga scribit: *Quod cum ipsa plerumque Canonicas suas, & Clericos sua jurisdictioni subjectos, propter inobedientias, & culpas eorum, officio, beneficioque suspendat: iidem confisi ex eo quod eadem Abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem hujusmodi non observant, propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti:* Mandat propterea Pontifex Abbati a S. Michaele Abradensi, his verbis: *Quo circa mandamus, quatenus dictas Canonicas, & Clericos, ut Abbatissæ præfatæ obedientiam, & reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita, & mandata observent, Ecclesiastica censura compellas.* Quibus probare videtur Pontifex Abbatissam illam tales ab officio suspendendi jus re ipsa habere.

XI. Respondeo, neg. ant. Abbatissarum enim benedictio est mera cæremonia, qua Episcopus orat cum Ecclesia, ut Abbatissæ curæ Monialium, quibus præficiuntur, pie, ac sancte invigilent. Ad primam prob. dico, quod sicut olim omnes fideles in Ecclesia canebant, immo alternis Choris viri cum mulieribus; ut in Ecclesia Alexandrina, referente Philone Judæo, *l. de Vita contemplativa*: & modo etiam viri cum mulieribus publice conveniunt recitando Rosarium in Ecclesia, quin sequatur, omnes canentes ordinationem sacram accepisse: ita nec ex eo quod Moniales officium canant in Choro, nec ex eo quod Sacerdoti celebranti respondeant; cum in hoc vicem gerant populi, non ministri.

Ad secundam prob. neg. ant. intellectum de suspensione canonica. Nam, ut ait Innocentius III. Cap. *Nova*, Extra, de Pœnitentiis &c. *Licet Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis: non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni Cælorum commisit.* Unde ait Glossa: *Officium clavium non cadit in sexum fœmineum.* Abbatissa ergo illa non habuit potestatem ferendi

ſuſpenſionem proprie dictum, ex cujus ſcilicet violatione incurreretur irregularitas: hæc enim pertinet ad claves, quæ non ſexui fœminino (ait Gloſſa) ſed virili traditæ ſunt. Nec Honorius III. in dicta Abbatiſſa aliam poteſtatem agnovit, niſi poteſtatem præcipiendi: ideoque mandat Abbati, ut cenſura Eccleſiaſtica perſonas ei ſubjectas compellat ad obedientiam, & reverentiam debitam impendendam, & ſalubria ejus monita, & mandata obſervanda. Addit S. Thom. quæſt. 39. Suppl. art. 1. ad 2. *De Abbatiſſis tamen dicitur, quod non habent prælationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres.*

DUBIUM II.

An omnis Maſculus ſit Subjectum capax Ordinationis?

§. I.

De non Baptizato, & non Confirmato.

I. DIco primo. Ut maſculus ſit capax ordinationis, debet eſſe baptizatus. Ut enim docet S. Thom. *in Suppl. 3. p. q. 35. art. 3.* character Ordinis præſupponit characterem Baptiſmi. Tum quia: *Baptiſmus eſt janua ſacramentorum.* Tum quia: *Nihil poteſt aliquis recipere, cujus receptivam potentiam non habet: per characterem autem baptiſmalem efficitur homo receptivus aliorum ſacramentorum. Unde qui characterem baptiſmalem non habet, nullum aliud ſacramentum recipere poteſt: & ſic character Ordinis præſupponit baptiſmalem characterem.* Et quidem neceſſario neceſſitate non ſolum præcepti, ſed ſacramenti. Unde S. Thomas ibi proponens dubium de eo, qui vere non baptizatus, exiſtimans probabiliter ſe baptizatum, accedit ad Ordines, etiam ad Presbyteratum; reſpondet ibi, ad 2. *Quod talis, ſi ad Sacerdotium promoveatur, non eſt Sacerdos, nec conficere poteſt, nec abſolvere in foro pœnitentiali. Unde ſecundum Canones debet baptizari, & iterato ordinari: Sicut dicitur extra de Presbytero non baptizato* (Cap. Si quis, & Cap. Veniens) *Et ſi etiam in Epiſcopum promoveatur, illi, quos ordinat, non habent Ordinem. Sed tamen pie credi poteſt, quod quantum ad ultimos effectus ſacramentum ſummus Sacerdos ſuppleret defectum, & quod non permitteret, hoc ita latere, quod Eccleſia poſſet periculum imminere.* Nimirum, vel quod Chriſtus ei, qui cum devotione accederet ad ſacramentum confectum a Sacerdote non baptizato, & propterea nullum, conferret gratiam ſine ſacramento: vel, ne hoc malum Eccleſiæ eveniret, modo ſibi noto, non permitteret non baprizatum ordinari; vel eum non eſſe baptizatum manifeſtaret.

II. Dico ſecundo. Ut aliquis ſit ſuſceptivus ſacramenti Ordinis, requiritur, ut ſit confirmatus; de congruitate tamen, & neceſſitate præcepti, non de neceſſitate ſacramenti. Ita S. Thom. loco citato, art. 4. *Ad ſuſceptionem* (inquit) *ſacramenti, præexigitur aliquid de neceſſitate ſacramenti, & aliquid quaſi de congruitate. De neceſſitate enim ſacramenti exigitur, quod ille, qui accedit ad Ordines, ſit Ordinis ſuſceptivus, quod competit ei per Baptiſmum: & ideo character Baptiſmatis præſupponitur de neceſſitate ſacramenti, ita quod ſine eo ſacramentum ordinis conferri non poteſt. Sed de integritate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem Ordinis; & unum de iſtis eſt, ut ſit confirmatus. Et ideo de congruitate character Ordinis characterem Confirmationis præſupponit, & non de neceſſitate.* Unde Apoſtoli effectum Confirmationis ſolum acceperunt in die Pentecoſtes; cum tamen eſſent ordinati, & conſtituti Sacerdotes in Cœna: & rurſus Epiſcopi poſt reſurrectionem in cœna. Congruum tamen eſt, ut qui per ſuſceptionem Ordinum alios in fide confirmare debent, ipſi ſint in fide firmi. Quare merito Tridentinum, *Seſſ. 23. c. 4. de Reform.* ſtatuit: quod *Prima cenſura non initientur, qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint.*

§. II.

De Baptizatis uſu Rationis carentibus.

III. BAptizati uſu rationis carentes poſſunt eſſe vel pueri, qui ad uſum rationis nondum pervenerunt; vel adulti, qui ab uſu rationis deciderunt per amentiam. De his quærimus: An ſint capaces ſuſcipiendi ſacramentum Ordinis, ita ut ſi eis conferatur, valide conferatur.

Dico. Pueri baptizati ante uſum rationis, nec non qui per amentiam uſum rationis amiſerunt, valide ordinari poſſunt, non tamen licite. Priorem partem docet S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 49. art. 2.* Et probat, in *arg. Sed contra*, primo. Quia *Qui eſt ante annos diſcretionis promotus ad Ordines, ſine iteratione ipſorum, quandoque in eis conceditur miniſtrare, ut patet Extra, de Cleric. per ſaltum promoto. Hoc autem non eſſet, ſi Ordinem non ſuſcepiſſet.* Secundo. Quia *Alia ſacramenta, in quibus character imprimitur, poſſunt pueri ſuſcipere, videlicet Baptiſmum, & Confirmationem; ergo pari ratione, & Ordines.*

Rationem autem reddit *in Corp.* Quia aliqua ſacramenta ſunt, quæ ad ſui validitatem requirunt actum ſuſcipientis; ſicut Pœnitentia, & Matrimonium, in quibus actus ſuſcipientis ſunt partes eſſentiales: cum autem per pueritiam, & alios defectus, quibus tollitur uſus rationis, præſtetur impedimentum actui; ideo omnia illa ſacramenta, quæ requirunt actus ſuſcipientis ut partem eſſentialem, nec pueris, nec amentibus valide conferri poſſunt. Alia vero ſacramenta ſunt, in quibus non requiritur actus ſuſcipientis de neceſſitate ſacramenti, ſed per ea poteſtas aliqua ſpiritualis divinitus datur; ſicut per Baptiſmum datur poteſtas ſuſceptiva aliorum ſacramentorum, & per Confirmationem poteſtas, & robur ad confitendam fidem. Et quia poteſtas infuſa, ſicut & naturalis, ad differentiam acquiſita eſt prior ſuo actu, & poteſt ſtare ſine illo; ideo ſacramenta conferentia hanc poteſtatem, inter quæ eſt Ordo, poſſunt valide conferri etiam illis, in quibus ob defectum uſus rationis adeſt impedimentum actui, ut accidit in pueris, & amentibus, Quibus, ſicut in Baptiſmo conferuntur cum gratia etiam virtutes infuſæ, quamvis ab actibus earum ſint impediti: ita conferri poteſt Ordinis poteſtas, quamvis a tali poteſtatis uſu impediti ſint.

IV. Circa ſecundam vero partem S. Th. cum diſtinctione procedit. Nam *In minoribus* (inquit) *Ordinibus requiritur diſcretionis tempus, de honeſtate, propter dignitatem ſacramenti, ſed non de neceſſitate præcepti, neque de neceſſitate ſacramenti. Unde aliqui, ſi neceſſitas adſit, & ſpes profectus, ad minores Ordines poſſunt ante annos diſcretionis promoveri ſine peccato, & ſuſcipiunt* Ordinem. Quia quamvis *Tunc non ſint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen per aſſuefactionem idonei reddentur.* Verum quia ejuſmodi raro, immo vix contingere poteſt, & rurſus quia licet nec antiquo, nec novo jure certa aliqua ætas præſcribatur pro minoribus Ordinibus, ſicut nec pro prima tonſura; tamen cum Trident. *Seſſ. 23. c. 4. de Reform.* vetat, ne prima Tonſura initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, & qui legere, & ſcribere neſciant; & *c. 11.* requirat, ut minoribus Ordinibus initiandi linguam latinam ſaltem intelligant: ideo tacite videtur prohibuiſſe generaliter, ne quis ad minores Ordines, & etiam ad primam Tonſuram ante diſcretionis annos promoveatur, nimirum, ante nonum, vel decimum annum: ante quod tempus non ſolent pueri latinam linguam intelligere. Cui concordat S. Thomas, dum *in Suppl. 3. p. q. 36. art. 2.* docet: qui ordines ſuſcipit, *oportet, ut habeat tantum de ſcientia, quod ſufficiat ad hoc, quod dirigatur in actu Ordinis illius.*

V. Circa vero ordines majores, ſic loquitur Angelicus Doctor: *Sed ad majores ordines requiritur uſus rationis, & de honeſtate, & de neceſſitate præcepti: & propter votum continentiæ, quod habent annexum, & quia etiam eis ſacramenta tractanda committuntur.* Porro ætas ad majores Ordines licite ſuſcipiendos neceſſaria non eadem ſemper fuit. Siricius Papa ad Himerium, *Ep. 1. c. 9.* Et Synodus VI. *c. 15.* (ut habetur, *diſt. 77.*) pro Subdiaconatu annum ætatis vigeſimum requirunt. Pro diaconatu vigintiquinque ſtatuunt Concilia Carthaginenſe III. *Can. 4. anno 397.* Agathenſe, *Can. 16. anno 506.* Toletanum IV. *Can. 20. anno 633.* Pro Presbyteratu annos ætatis triginta præſcribunt Concilia Neocæſarienſe, *Can. 11. anno 314.* Agathenſe, *Can. 17.* & Toletanum VI. *Can. 20.* Clemens vero V. initio Sæculi 14. hanc Canonum diſpoſitionem moderatus Clementina *Generalem III.* de ætate, & qualitate præficiendorum ſanxit annum decimum octavum pro Subdiaconatu, vigeſimum pro Diaconatu, & vigeſimum quintum pro Presbyteratu.

Concilium tamen Tridentinum, *Seſſ. 23. cap. 12. de Reform.* regulam, quæ modo obſervari debet, ſtatuit, his verbis: *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus, ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur.* Quo decreto obligantur omnes, etiam Regulares. Doctores autem omnes Concilium intelligunt de anno inchoato, etiam per unum diem; unde completo vigeſimo primo poteſt quis ordinari in Subdiaconum; completo vigeſimo ſecundo in Diaconum, & completo vigeſimo quarto in Præsbyterum.

VI. An vero ſi quis non habens uſum rationis ordinaretur in Epiſcopum, valida eſſet ejus conſecratio? negative reſpondet S. Thomas, his verbis; *Sed ad Epiſcopatum, ubi etiam in corpus myſticum accipitur poteſtas, requiritur actus ſuſcipientis curam animarum paſtoralem. Et ideo eſt etiam de neceſſitate conſecrationis Epiſcopalis, quod uſum rationis habeat.* Quæ tamen Sanct. Thom. verba cenſet Dominicus Soto referenda eſſe ad Epiſcopatum ſumptum, non pro charactere, ſed pro animarum cura, quæ ſuſcipi non poteſt niſi a conſentiente: ſic enim reſpicit corpus myſticum, & eſt quoddam ſpirituale cum Eccleſia matrimonium.

VII. Sed quæres: An qui ante uſum rationis ordinaretur, ad cælibatum, aliaſque Eccleſiaſticas leges teneretur?

Affirmant aliqui. Nam, ex dictis, Ordo non eſt ſacramentum eſſentialiter requirens actum ſuſcipientis, ſicut Pœnitentia, & Matrimonium. Unde ſicut qui non habens uſum rationis, & proinde nec conſenſum, baptizatur, manet dum ſui compos fuerit, obligatus ad ſervandam legem Chriſti: ita qui abſque proprio actu, & conſenſu ordinaretur, una cum Ordinatione contraheret debitum ſervandi leges Ordini annexas.

VIII. Negant tamen alii. Siquidem ad leges ſtatus alicujus

cujus non tenetur, qui eum ſtatutum libere non eſt amplexus. Unde Synodus antiquiſſima Ancyrana, *Can. 9.* abſolvit ab obſervantia caſtitatis Diaconos, qui dum ordinarentur, proteſtati ſunt, ſe non poſſe ab uxorum uſu temperare: *Diaconi* (inquit) *quicumque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt; hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit.* Et S. Gregorius, *lib. 1. Indict. 9. Epiſt. 44. ad Petrum Subdiaconum*, a lege cælibatus eximit Subdiaconos Siciliæ, qui in ſua ordinatione illum non promiſerunt, dicens: *Durum, atque incompetens videtur, ut qui uſum ejuſmodi continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari.*

Neque valet exemplum de Baptiſmo; nam inter iſtum, & ordinationem longe diſpar ratio eſt. Primo. Quia obſervantia legis Evangelicæ naturaliter ſequitur Baptiſmi ſuſceptionem: obſervantia vero cælibatus, ſolum lege poſitiva Ordinibus ſacris annexa eſt. Secundo. Nam Baptiſmum, poſt adeptum rationis uſum, ubi lex Evangelica ſufficienter ei innotuerit, tenetur ſuſcipere; ſacram autem ordinationem nemo tenetur ſuſcipere abſolute. Unde qui ante uſum rationis ordinatus fuiſſet, ad uſum rationis veniens, non teneretur ſe ejus legibus ſubdere, niſi in eam conſentiret. Unde Gloſſa, *ad tit. de Clerico* per ſaltum promoto dicit, quod ordinatus ante uſum rationis, ſi ante quartum decimum ætatis annum cælibatum non acceptet, ſed ei contradicat, non teneri. Utraque opinio probabilis eſt.

§. III.

Quæſita Aliqua.

IX. QUæres primo: An ſervitus impediat Ordinis ſuſceptionem?

Reſpondeo, quod ſervitus impedit quidem a licita Ordinis ſuſceptione. Domino non conſentiente; non tamen a validi. Ita S. Thom. *in Suppl. 3. p. q. 39. art. 3.* Priorem partem probat, Quia *In ſuſceptione Ordinis mancipatur homo divinis officiis*, in quibus aliqua ſunt etiam corporaliter agenda: ſed *nullus poteſt alteri dare, quod ſuum non eſt*, ſed alterius; ergo ſervus (non pure famulus, ſed vere mancipium) qui non habet poteſtatem ſui, non poteſt ad Ordines promoveri. Non enim poſſet Ordinem ſuſceptum exercere, niſi domino conſentiente, qui ſervum, & omnes ejus actiones externas habet in ſua poteſtate. Quod ſi, ut dicit S. Thom. ibi, ad *5. Eſt promotus*, domino conſentiente, vel *ſciente, & non reclamante: ex hoc ipſo efficitur ingenuus*, ideſt, libertate donatur. *Si autem eo neſciente, tunc Epiſcopus & ille, qui præſentavit, tenentur domino in duplum, quam ſit pretium ſervi, ſi ſciverunt, ipſum eſſe ſervum. Alias ſi ſervus habeat peculium, debet ſe ipſum redimere; alioquin redigeretur in ſervitutem, non obſtante quod Ordinem ſuum exequi non poſſet.* Sunt hac de re Canones, *diſt. 54.* & titulo de ſervis non ordinandis.

X. Secunda pars prob. ab eodem S. Thom. Quia *Libertas non eſt de ſacramenti neceſſitate, licet ſit de neceſſitate præcepti, cum non impediat poteſtatem, ſed actum tantum. Et ſimilis ratio eſt de omnibus, qui ſunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, & hujuſmodi perſonæ.* — Nec eſt ſimile de ſervo, ac de muliere. Nam, ut ait ibi ad 4. *Mulier ex natura habet ſubjectionem* (& ideo non eſt capax Ordinis) *ſed non ſervus.*

XI. Quæres ſecundo: An propter homicidium, idem dic de mutilatione, impediatur quis a ſuſceptione Ordinis?

Reſpondet S. Thom. citato loco, *art. 4.* affirmative. Nam, inquit, omnes Ordines referuntur ad Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt ſacramentum pacis nobis factæ per effuſionem ſanguinis Chriſti. Et quia homicidium maxime contrariatur paci: & homicidæ magis conformantur occidentibus Chriſtum, quam ipſi Chriſto occiſo, cui omnes miniſtri prædicti ſacramenti debent conformari; ideo de neceſſitate præcepti eſt, quod non ſit homicida, qui ad Ordines promovetur, quamvis non ſit de neceſſitate ſacramenti. Ex quo patet differentia inter miniſtros veteris, & novæ legis. Nam, ut ait ibi ad 1. vetus lex inferebat pœnam ſanguinis: unde Levitæ conſecraverunt manus ſuas in ſanguinis effuſione fratrum ſuorum, ut patet, *Exod. 32.* Non autem nova lex. — Et ideo, ut notat, *ad 2.* in nova lege *Irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, ſed principaliter propter ineptitudinem perſonæ ad ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum. Et ideo judex, & omnes, qui in cauſa ſanguinis ei participant, ſunt irregulares, propter hoc, quod effuſio ſanguinis non decet miniſtros dicti ſacramenti.*

Quia tamen, inquit *ad 3.* homo non dicitur cauſa, niſi illius, quod voluntarie facit: *Ideo ille, qui ignorans hominem occidit homicidio caſuali, non dicitur homicida, neque irregularitatem incurrit; niſi operam dederit illicitæ rei, vel niſi emiſerit debitam diligentiam. Quia jam quodammodo efficitur voluntarium. Non autem hoc eſt propter hoc, quod culpæ careat; quia etiam ſine culpa incurritur irregularitas. Et ideo etiam ille, qui ſe defendendo, in aliquo caſu non peccat homicidium committens, nihilominus irregularis eſt.* Quod docuerat etiam *2. 2. q. 64. art. 7. ad 3.* Hodie tamen (advertit Sylvius, *in hunc art.*) poſt Clementinam *Si furioſus*, tit. *de Homicidio*, nullam videtur incurrere irregularitatem, etiamſi ſit Clericus. Quia tamen dubium eſt, an qui occiderit invaſorem, exceſſerit moderamen inculpatæ tutelæ: ideo tutius crederem, eum, ſi velit promoveri ad Ordines, debere petere diſpenſationem: cui conforme eſt Concil. Trident. *Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.*

XII. Quæres tertio: An illegitime nati ſint a ſuſceptione Ordinis impediti?

Reſpondeo cum S. Thom. *quæſt. 39. laudata, art. 5.* affirmative: *Nam ordinati in quadam dignitate præ aliis conſtituuntur. Et ideo ex quadam honeſtate requiritur in eis claritas quædam, non de neceſſitate ſacramenti, ſed de neceſſitate præcepti; ut ſcilicet ſint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice pœnitentes. Et quia obſcuratur hominis claritas ex vitioſa origine; ideo etiam ex illegitimo thoro nati a ſuſceptione Ordinum repelluntur; niſi cum eis diſpenſetur. Et tanto eſt difficilior eorum diſpenſatio, quanto eorum origo eſt turpior.* — Nec ex hoc ſequitur, quod filius portet iniquitatem partis. Nam, ut ait S. Thom. ibi, ad 1. *Irregularitas non eſt pœna iniquitati debita.* Declarat tamen hoc modo Eccleſia, ſe deteſtari crimen paternum, cujus non raro imitatores ſunt filii.

XIII. Neque dicatur. A ſuſceptione Ordinum, propter illicitum concubitum ſuum, non ſemper aliquis impeditur; ergo nec propter illicitum concubitum patris ſui: magis enim impeditur aliquis propter defectum proprium, quam propter alienum. — Reſpondeo enim cum S. Doct. ibi, *ad 2.* neg. conſ. Nam *Ea, quæ per actum proprium committuntur, poſſunt per pœnitentiam, & actum contrarium aboleri; non autem ea, quæ ex natura ſunt. Et ideo non eſt ſimile de vitioſo actu, & de vitioſa origine.*

XIV. Quæres quarto: An propter defectum membrorum aliqui ab Ordinibus arcendi ſint?

Reſpondet S. Thom. ibi, *art. 6.* affirmative, Si defectus hominem aut valde dehoneſtet, & maculam notabilem inferat, ut abſciſſio naſi; aut impedimentum afferat executioni Ordinum. Eunuchos tamen ita natos, vel ſine ſua culpa caſtratos, & claudos, quibus in altari non eſt opus fulcro; eos etiam, qui carent viſu oculi dextri, ſed abſque deformitate, non eſſe cenſendos irregulares, ſentit Sylvius hic cum Navarro, *cap. 27. n. 198. & 199.*

XV. Quæres quinto: An Ordo ſuperior valide, & licite conferri poſſit non habenti Ordinem inferiorem?

Reſpondeo primo: Epiſcopatum valide conferri non poſſe non habenti Presbyteratum. Nam Epiſcopatus includit Sacerdotium, ut partem ſui eſſentialem, & quidem præcipuam: & conſecratio Epiſcopi eſt actio, qua quis ex ſimplici Sacerdote fit ſummus Sacerdos.

Reſpondeo ſecundo: presbyteratus non habenti Diaconatum, & Diaconatus non habenti Subdiaconatum, & Subdiaconatus non habenti minores Ordines valide conferri poſſunt, quamvis non licite. Ita S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 35. art. 5.* dicens: *Non eſt de neceſſitate ſuperiorum Ordinum, quod aliquis minores Ordines prius habeat: quia poteſtates ſunt diſtinctæ, & una, quantum eſt de ſui ratione, non requirit aliam in eodem ſubjecto. Et ideo etiam in primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores Ordines non ſuſceperant: & tamen poterant omnia, quæ inferiores Ordines poſſunt: quia inferior poteſtas comprehenditur in ſuperiori virtute, ſicut ſenſus in intellectu, & ducatus in Regno. Sed poſtea per conſtitutionem Eccleſiæ determinatum eſt, quod ad majores Ordines ſe non ingerat, qui prius minoribus officiis ſe non humiliavit. Et inde eſt, quod qui ordinantur per ſaltum, ſecundum Canones* (C. Tuæ litteræ, de Clerico per ſaltum, promoto) *non reordinantur; ſed id, quod omiſſum fuerat de præcedentibus Ordinibus, eis confertur.*

XVI. Neque dicas: quod ſicut Ordo ſupponit Baptiſmum, ita Ordo ſuperior ſupponit inferiorem; ergo ſicut ſine Baptiſmo prius ſuſcepto non poteſt valide ſuſcipi Ordo: ita nec Ordo ſuperior valide ſuſcipi poterit, Ordinibus inferioribus prius non ſuſceptis — Et eo vel maxime, quia Ordines ſunt quidam gradus; nullus autem poteſt pervenire ad poſteriorem gradum, niſi prius conſcenderit ad priorem.

Nam reſpondetur cum S. Th. ibi, *ad 1.* neg. conſ. Quia *Per Baptiſmum acquirit homo potentiam paſſivam recipiendi Ordines; non autem per Ordinem inferiorem datur potentia paſſiva recipiendi majores Ordines.* Nec valet, quod ſint gradus. Ut enim dicit S. Thom. ibi, ad 2. *Ordines non ſunt gradus, qui occurrant in actione una, vel in uno motu, ut oporteat ad ultimum per primum devenire: ſed ſunt gradus in diverſis rebus conſtituti, ſicut eſt gradus inter hominem, & Angelum: Non oportet autem, quod ille qui ſit Angelus, prius fuerit homo. Similiter etiam ſunt gradus inter caput, & omnia membra corporis; nec oportet, quod illud, quod eſt caput, prius fuerit pes. Et ſimiliter eſt in propoſito.*

Ex ſtatuto tamen Eccleſiæ licite non poteſt conferri Ordo ſuperior inferiorem non habenti: & qui ſic ordinatus eſſet, maneret ſuſpenſus ab executione Ordinis ſuſcepti. Poſſet tamen Epiſcopus cum eo diſpenſare, ut inferiorem prætermiſſum ſuſcipiat, & eo ſuſcepto, in utroque miniſtret, atque ad ſuperiorem poſſit aſcendere: modo tamen in ſuperiore per ſaltum ſuſcepto non miniſtraverit. Ita Trident. Seſſ. 23. c. 14. de Reform. dicens: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverit, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.*

Dubium III.

Quinam sint Effectus Ordinis.

§. I.

Resolvitur de Charactere.

I. ORdinis effectum esse gratiam gratum facientem, quam etsi non primo producat, auget tamen, ostendimus supra, *Quæst.* 1. *Dub.* 2. §. 3. *num.* 17. Ubi ostendimus, Ordinem esse unum ex sacramentis novæ legis, ideoque gratiam producere. Producere etiam characterem indicavimus, *in Tract. de Sacr. in Gen.* Ubi inter sacramenta characterem imprimentia recensuimus Ordinem. Modo tamen specialiter.

II. Dico. In Sacramento Ordinis imprimitur character, quantum ad omnes Ordines. Ita S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 35. art.* 2. dicens: *Circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod in solo Ordine Sacerdotali character imprimitur. Sed hoc non est verum; quia actum Diaconi nullus potest exercere licite, nisi Diaconus; & ita patet, quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent. Et propter hoc alii dixerunt, quod in sacris Ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc iterum nihil est; quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad sacramentorum dispensationem, unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet, quod in omnibus character imprimatur. Cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, & numquam iterantur. Et hæc est tertia opinio, qua communior est.*

III. Est catholica veritas contra modernos hæreticos volentes; ordinationem, quam nos dicimus, aliud non esse, quam meram, nudamque externam deputationem ad ministerium temporarium, & revocabile; ut qui hodie minister est, cras inter laicos deputari, ac iterum rejici possit. Oppositum tamen tenet, ac semper tenuit Ecclesia Catholica. Cujus rationem Augustinus, *lib.* 1. *Contra Epist. Parmen. c.* 13. de duobus agens sacramentis, Baptismo, & Ordine, reddit his verbis: *Utrumque sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica Ecclesia utrumque non licet iterari.* Ac subinde sacrum hoc signum, quod ex ordinatione relinquitur, comparat characteri militari: & ideo repeti posse negat, ne sacramento fiat injuria. Nam sicut in Baptismo consecratur homo religioni, & familiæ Christi, in Confirmatione autem militiæ Christi: ita in ordinatione consecratur ministerio Ecclesiastico, seu functioni publicæ in Ecclesia Christi. Immo, proportione servata, Sacerdotalis characteris nobilitas major apparet, quam characteris Baptismi. Non enim solum Sacerdotes Christo configurat, ut sint membra ejus, & membra corporis ejus, ab ipso ut capite influxum participantia; quod & character Baptismi facit: sed ut loco ipsius Christi etiam & ipsi capita corporis Christi esse possint; nec ut ipsi tantum Christo uniantur, sed ut sibi, & Christo alia membra uniant, quasi existentes unitatis Ecclesiasticæ principia: quatenus cætera membra per adhæsionem ipsis in Christo, unionem, & locum in corpore Christi obtineant: eo modo, quo milites hujus, vel illius Regis esse dicuntur, qui Imperatori, vel Duci characterem ejus, & Ducatus notam habenti, adhæserint. Quibus characteris Sacerdotalis nobilitas præclare affulget. Huc etiam revocanda sunt quæ diximus, *Q.* 1. *Dub.* 2. §. *n.* 11. Ubi ordinem esse sacramentum pariter, ac initerabile ostendimus.

IV. Quod demum totius Ecclesiæ perpetuus consensus probat, quæ semel ordinatos nunquam reordinasse legitur. Unde merito hoc dogma definitum est primum in Florentino Concilio, deinde in Tridentino: tum *Sess.* 7. *Can.* 9. Tum *Sess.* 23. *c.* 4. *& Can.* 4. Ubi præfatos nostri temporis hæreticos damnat, qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes, & Ministros temporariam tantum potestatem habere; & semel ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium desinant exercere. Quæ doctrina congruit cum ea, quam veteres hæretici profitebantur; de quibus Tertullianus, *l. de Præscript.* dicit: *Ordinationes eorum temerariæ, leves, & inconstantes.* Et infra: *Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis Sacerdotalia officia injungunt.* Quibus e contrario indicat, Ecclesiasticas ordinationes debere esse constantes, perpetuas, & minime tales; ut quis ex Presbytero laicus iterum fieri queat: quamvis ita fieri posse persuasum habeant etiam moderni hæretici.

§. II.

Solutiones Objectionum.

V. OBjicitur primo. Qui degradantur, omni Ordinis potevate spoliantur. Degradatio enim dicit totalem a gradu Ordinis dejectionem: aliquid enim plus dicit quam suspensionem, aut depositionem. Unde Glossa Decreti super Cap. *Accedens*, dist. 50. dicit: Presbyterum degradatum non conficere corpus Domini, eo quod potestatem omnem amiserit. Et Mag. Sent. in textu, asserit Episcopum degradatum non habere potestatem largiendi sacros Ordines, tametsi facultatem baptizandi non amiserint. Aliquos etiam, ob crimina privandos, vel privatos esse Ordinibus susceptis, ut qui per simoniam ordinati sunt, dicit Gregorius, *l.* 3. *Epist.* 13. *& Homil.* 26. *super Evang.* sic ait: *Ligandi, & solvendi potestate se privat, qui eam pro suis voluntatibus, non subjectorum moribus exercet.*

VI. Respondeo, neg. ant. Si enim nonnunquam, vel Presbyteri, vel Episcopi, ob gravissima quædam crimina degradantur; hoc non fit, quod Ordinis potestas, & character ab eis auferatur, quod omnino fieri nequit: sed quia a gradu, honore, dignitate, & loco eis congruente dejiciuntur, ut non alio deinceps loco quam laicorum habeantur. At nihilominus subsistit discrimen inter suspensionem, depositionem, & degradationem. Quod per suspensionem, & depositionem honor, aut locus Ordini debitus non adimitur; quod fieri diximus per degradationem: sed tantum executio ministerii inhibetur: idque, vel cum spe restitutionis, quod qui patiuntur, *Suspensi* vocantur; vel omni spe restitutionis ablata, & qui vocantur *Depositi*. De quo Sylvester in sum. verbo *Degradatio*.

VII. Dictum vero Glossæ, si intelligatur, quod degradatus non solum non licite, sed nec valide conficere possit corpus Christi, rejiciendum est: oppositum enim sentiunt omnes cum S. Thom. *3. p. q.* 82. *art.* 8. Potestas enim consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem Sacerdotalis Ordinis, qui indelebilis est; & licet ab Episcopo conferatur, ab eo tamen auferri non potest. Quia, ut ait S. Thom. citato loco, ad 2. *Episcopus non dat potestatem Sacerdotalis Ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei, cujus effectus per hominem tolli non potest, secundum illud Matth.* 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet. *Et ideo Episcopus non potest hanc potestatem auferre; sicut nec ille qui baptizat, potest auferre characterem baptismalem.* Quibus improbatur dictum Magistri Sent. Nam, teste Aug. supra relato, sicut character baptismalis auferri non potest, ita nec character Sacerdotalis. Quamvis dici possit, eum non asserendo, sed disputando, & opiniones referendo fuisse locutum: quo modo S. Thom. citatus *ad* 1. exponit Canonem *Quod quidam*, 1. q. 1.

Patres autem dum dicunt, aliquos Ordinibus privari, non loquuntur de absoluta Ordinis privatione; qua fiat, ut mere laici, quales erant ante ordinationem, evadant: sed de privatione honoris, seu privilegii Clericalis, quam diximus, vocari degradationem; vel saltem executionis officii, & Ordinis per depositionem. Quod explicat S. Aug. *lib. de Bono conjugali, cap.* 24. dum dicit, eos, qui ob culpam aliquam ab officio removentur, sacramento Domini semel impositio non carere.

Ad postrema S. Greg. verba dico, ejusmodi Sacerdotem se privare ligandi, & solvendi potestate: vel quia male utendo meretur, ut ei executio potestatis interdicatur: vel quia utitur ea sine effectu, dum indignos absolvit, aut immeritos ligat, eamque reddit inutilem, & inefficacem.

VIII. Objicitur secundo. Ordinis character est quædam spiritualis potestas: sed quidam Ordines non ordinantur, nisi ad quosdam actus corporales, scilicet, Ostiarii, vel Acolyti; ergo in his non imprimitur character.

Respondeo cum S. Thom. in Suppl. 3. p. q. 35. art. 2. ad 1. *Quod quilibet Ordo vel habet actum circa ipsum sacramentum, vel ordinat ad sacramentorum dispensationem: sicut Ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum sacramentorum inspectionem, & sic de aliis. Et ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas.*

IX. Objicitur tertio. Omnis character, quia indelebilis, ponit hominem in tali statu, a quo non possit recedere: sed illi, qui habent aliquos Ordines, possunt licite redire ad laicatum; ergo non in omni Ordine &c.

Respondet S. Th. ibi, *ad* 2. neg. maj. *Nam quantumcumque homo ad laicatum se transferat, semper tamen manet in eo character. Quod patet ex hoc, quod si ad Clericatum revertatur, non iterum Ordinem, quem habuerat, suscipit.*

Quæstio IV.

De Distinctione Ordinum.

NUnc de Ordinum distinctione, per quos veluti gradus ascenditur ad ultimum, seu supremum; agendum est. Et primo quidem in generali cum S. Th. *in 4. dist. 24. q. 2. art.* 1. *q.* 1. *& seq. & in Supp. 3. p. q. 37.*

Dubium I.

Utrum sint Septem Ordines.

§. I.

Ordines Plures sunt.

I. ORdines debere esse plures, ostendit S. Thom. dicta *quæst. 37. art.* 1. Tum quia Ecclesia est corpus Christi mysticum simile corpori naturali, secundum Apostolum

tum (*Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. *Ephes.* 1. *& Coloss.* 1.) sed in corpore naturali diversa sunt membrorum officia: ergo & in Ecclesia debent esse diversi ministrorum Ordines. Tum quia: ministerium novi Testamenti dignius est, quam veteris; in veteri autem non soli Sacerdotes sanctificabantur, sed etiam Levitæ ministri eorum.

Hoc etiam valde commendat divinam sapientiam, quæ in distinctione ordinata rerum, sicut in naturalibus, ita in spiritualibus maxime relucet. Secundo, Maxime convenit ad subveniendum humanæ infirmitati. Nam per unum non poterant sine magno gravamine omnia officia expleri, quæ ad divina mysteria pertinent. Tertio, Via profisiendi hominibus amplior datur, dum plures in diversis Officiis distribuuntur, quasi Dei cooperatores.

II. Ut enim advertit S. Thom. ibi, *ad* 1. cum hoc sacramentum detur principaliter ad actus aliquos agendos; secundum diversitatem actuum debent distingui Ordines, sicut secundum diversitatem actuum distinguuntur potentiæ. —— Neque hoc tollit unitatem, & regimen monarchicum Ecclesiæ. Nam, ut ait S. Thom. citatus, *ad* 3. non tollitur unitas monarchica in Regno, quamvis in Regno sint plures ministri; quia ministrorum potestates sunt participationes quædam Regiæ potestatis: sic nec Ordinum pluralitas obest unitati, quia omnes sunt quædam velut participationes Sacerdotii.

III. Quoad numerum istorum Ordinum, septem numerantur apud Latinos: tres majores; Sacerdotium, seu Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus: & quatuor minores, Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acolytatus. Apud Ecclesiam tamen Orientalem, præter *Lectoratum*, nullus est Græcus auctor, qui alios minores Ordines dixerit veros fuisse Ordines; hoc est ritus, per quos daretur aliqua potestas spiritualis in ordine ad Eucharistiam, *Acolytatum* olim fuisse in usu apud Græcos, nullus eorum Scriptor meminit. Euchologia, quibus a mille annis utuntur, solum Lectoratum in minoribus Ordinibus recensent. Octava Synodus Œcumenica, in qua proscriptus fuit Photius eo nomine, quod omnes Ecclesiasticos gradus intra sex dies, contra Canones præscribentes interstitia, recepisset, a Lectoratu ordinationis initium sumit; *Actione* 9. *Can.* 5. Nicetas coetaneus Ignatio, quem a sede Constantinopolitana Photius detruserat, hæc de Ignatio scribit: *Primum quidem Lector Sanctarum litterarum præco sanctus, deinde Hippodiaconus, Diaconus; ac deinceps Sacerdos ordine, ac lege Ecclesiasticorum graduum consecratur.* Lex ergo Græcorum nono sæculo ferebat, ut initium ordinationis a Lectoratu, a quo ad Subdiaconatum fieret immediate ascensus. Et Joannes Papa VIII. inita cum Photio pace, hæc scripsit Imperatori; idque, ut ait, secundum Canones: *Volumus autem, ut talis promoveatur per singulos gradus Ecclesiasticos probatus; ut sit primum Lector, deinde Acolytus* (Acolytum usurpans pro Subdiacono) *postea Diaconus, tum Presbyter, post hæc Episcopus.*

IV. Quamvis autem apud ipsos Græcos non unum Lectoratum, sed alios etiam minores Ordines videantur fuisse in usu; ut ex S. Ignatio, tertio a S. Petro Rom. Episcopo, Ex Concilio Laodicæno, *Sæculo* 4. *Can.* 24. & S. Epiphanio, *in Expos. fidei*: nimirum, *Janitores*, Cantores, Laborantes, Exorcistas, Confessores: dici potest, Ignatium, Laodicænum, & Epiphanium eo tantum sensu præfata officia albo Clericorum inseruisse, non quod per ordinationem conferrentur; sed quod disciplinæ causa dicta munia committerentur. Cum nec in ordinationibus Latinorum, nec Græcorum Laborantes, Cantores, linguarum Interpretes recenseantur. Alii tamen volunt, præfata munera fuisse veros Ordines apud Græcos, quia ab Episcopo olim conferebantur, sed a multo tempore apud eos desiisse, cum eorum Euchologia nullam de illis mentionem faciant.

V. Calvinus autem, *lib.* 4. *Instit. cap.* 19. *tit.* [*de Ordinibus Ecclesiasticis*, septenarium numerum Ordinum, quem agnoscit Ecclesia Catholica, impotenter exagitat; vultque tres ad summum esse veros Ordines, Episcoporum scilicet, quos vocat Pastores; Presbyterorum, quos seniores, Doctores, Verbi ministros appellat, & Diaconorum. Ex reliquis Ordinibus Exorcistæ Ordinem prorsus rejicit, alios non repudiat, sed neque certum numerum, neque ut veros Ordines, sed ut quædam ministeria, quæ Pastores libere pro Ecclesiæ necessitate modo plura, modo pauciora assumebant. Septenarium Ordinum numerum semper professa est Ecclesia Occidentalis.

§. II.

Resolutio Dubii.

VI. Dico. Ab initio in Ecclesia fuerunt septem Ordines, nimirum Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. Prob. Nam circa *ann.* 520. Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum (apud Eusebium, *lib.* 6. *cap.* 35. modo 43.) hæc contra Novatianum Antipapam scribebat: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat, unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat .... Presbyteros quidem esse quatuor, septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos: Acolytos duos & quadraginta; Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.* Hos autem Ordines recensebat Cornelius, non ut rem, quæ tunc primum cœperit esse in Ecclesia; sed ut rem in ea antiquitus receptam. Et merito: nam eorumdem, exceptis Acolytis; meminit Ignatius Martyr, *in sua ad Antiochenses Epist.* circa *ann.* 109. dicens: *Saluto sanctum Presbyterum, Saluto sacros Diaconos, Saluto Subdiaconos, Lectores Cantores, Ostiarios Laborantes. Exorcistas, Confessores.*

Eosdem enumerat, sæculo quarto, Concilium Carthaginense IV. *a Canone* 3. *ad* 9. quibus modum eos conferendi præscribit. Sæculo sexto S. Greg. *in lib. Sacram.* Sæculo nono Amalarius, *lib.* 2. *de Eccles. Officiis a cap.* 7. *ad* 13. Sæculo duodecimo Hugo a S. Vict. *lib. de Sacram. part.* 3. *cap.* 5. Cum Mag. Sent. *in* 4. *dist.* 24. sæculo decimo tertio S. Thomas, S. Bonaventura &c. sæculo decimo quinto Concilium Florentinum, *in Decreto Eugenii*, §. *sextum*. Ubi nominatis Presbyreratu, Diaconatu, & Subdiaconatu, pro reliquis remittit ad Pontificale Romanum, in quo modus illos conferendi præscribitur. Denique sæculo decimo sexto Concil. Trident. Sess. 23. cap. 2. *Non solum* (inquit) *de Sacerdotibus, sed & de Diaconis Sacra litteris apertam mentionem faciunt ..... Et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legitur.* Et eadem *Sess. Can.* 2. ait: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur: Anathema sit.*

VII. Hunc septenarium Ordinis numerum quidam colligunt ex figuris veteris Testam. Ex sex gradibus quibus ascendebatur ad Thronum Salomonis, 1. *Reg.* 10. in throno Sacerdotium intelligentes. Ex septem diebus, quibus Universi creatio perfecta est. Ex septem Sacerdotibus septem buccinis clangentibus, *Josue* 6. Ex septem candelabris aureis, & quæ coram Domino lucent, & ardent. Ex Angelis septem Ecclesiarum, inter quos tota Ecclesiastici regiminis cura divisa est.

Alii, ut refert S. Thom. *in Suppl.* 3. *p. q.* 37. *art.* 2. ad gratias gratis datas singulos Ordines adaptant: *Sed hoc* (inquit S. Th.) *nihil est: quia gratia gratis data non dantur eidem, sicut Ordines dantur eidem.* Dicitur enim, 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt.* —— Alii Ordines assimilant Cælesti hierarchiæ in qua ordines distinguuntur secundum purgationem, illuminationem, & perfectionem. Sed nec hoc probat S. Th. Nam *Ordines Cælestis hierarchiæ non distinguuntur per prædictas actiones hierarchicas, cum qualibet cuilibet Ordini conveniat.* Tum quia: *Solis Episcopis convenit perficere, illuminare autem Sacerdotibus, purgare autem ministris omnibus.* —— Alii appropriant Ordines septem donis Spiritus Sancti. Sed nec hoc probatur: *Quia in quolibet Ordine septiformis gratia datur.*

VIII. Placet ergo congruentia, quam S. Th. ibi exhibet quam sic propono. Ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, consecratione præparans ministros ad ejus dispensationem, & ministerium; ergo distinctio Ordinum petenda est ex distinctione potestatum, quæ ad sacramentum Eucharistiæ concurrunt. Potestas ergo, quæ confertur in Ordine, vel est ad consecrationem Eucharistiæ, aut aliquod ministerium ad eam ordinatum. Primo modo, est Ordo Sacerdotum: *Et ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & Patenam cum pane accipientes potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi.* Ministerium autem, seu cooperatio ministrorum est, vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo: sic est tripliciter. Vel enim minister cooperatur Sacerdoti, quantum ad sacramenti dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus Sacerdos facit: & hoc pertinet ad Diaconum. Vel cooperatur, materiam sacramenti ordinando in vasis sacris: & hoc pertinet ad Subdiaconos. Vel ordinatur ad præsentandam sacramenti materiam: & hoc competit Acolytho. Ministerium autem ad præparationem recipientium *Non potest esse, nisi super immundos; quia qui mundi sunt, jam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum. Quidam enim sunt omnino infideles, credere nolentes: & hi totaliter etiam a visione divinorum & a cœtu fidelium arcendi sunt: & hoc pertinet ad Ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet Catechumeni: & ad horum institutionem ordinatur Ordo Lectorum. Et ideo prima rudimenta doctrinæ fidei, scilicet vetus Testamentum, eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles, & instructi, sed impedimentum habentes ex Dæmonis potestate, scilicet Energumeni: & ad hoc ministerium est Ordo Exorcistarum. Et sic patet ratio & numeri, & gradus Ordinum.*

§. II.

Solutio Objectionum.

IX. PRimo objicitur. Omnia sacramenta efficaciam habent, & auctoritatem ex institutione Christi, saltem per Apostolos Ecclesiæ communicata: sed nec in doctrina Christi, nec Apostolorum alia fit mentio, nisi de

Presbyteris, & Diaconis; ergo non videtur, quod sint alii Ordines.

Respondet S. Th. art. 2. cit. ad 2. *Quod in primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, ut patet per Dionys. cap. 3. Eccles. hierarchia, ubi dicit:* Ministrorum alii stant ad portas Templi clausas: alii aliud proprii Ordinis operantur; alii autem Sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem, & benedictionis calicem. *Nihilominus erant omnes praedicta potestates, sed implicite in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; & Ecclesia quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit in diversis. Et secundum hoc dicit Magister in littera* (dist. 24.) *quod Ecclesia alios Ordines sibi instituit.*

X. Secundo objicitur, plures esse Ordines, quam septem. Primo: Tonsura Clericalis est Ordo. Innocentius enim III. Cap. *Cum contingat*, Clericatus ordinem per Tonsuræ susceptionem conferri dixit: eam enim suscipiens a laicorum ordine ad Clericalem transfertur.

Secundo. Inter Clericos, ex supra laudatis Veterum dictis, nominantur *Cantores, Laborantes, Fossarii, Gustodes Martyrum, Notarii &c.*

XI. Respondeo Tonsuram non esse Ordinem, nisi late sumptum, tamquam dispositionem, & viam ad Ordines, quasi mediam inter statum laicum, & gradus Ecclesiasticos, sicut novitiatus mediat inter sæcularem statum, & Regularem: nam novitii vivendi formam servant, habitum deferunt, nullis tamen regularibus officiis mancipantur. Sic in Tonsuræ collatione nulla specialis potestas tribuitur, sed tonsura Episcopus designat ad probationem vitæ, ac doctrinæ: ut si idoneus repertus fuerit, ei postea Ecclesiasticas functiones peragendi tradat potestatem. Et in hoc sensu locutus est Innocentius.

XII. Ad secundum dico, omnia recensita fuisse officia Ecclesiastica ad aliqua Charitatis, vel Ecclesiasticæ disciplinæ, aut religionis munia per se ordinata, non autem veros Ordines; quia ad sacram Eucharistiam per se non referuntur. Ad ejusmodi officia eligebantur quidam ex Clericis; ut ex Lectoribus Notarii, & Cantores, ex Ostiariis, vel Subdiaconis Custodes Martyrum defensores: sed ad ea non speciali ordinatione, sed simplici Episcopi voluntate deputabantur. Quare S. Thom. *art. 2. citato. ad 5.* de Psalmista loquens: *Psalmistatus* (inquit) *non est Ordo*, sed *Officium Ordini annexum. Quia enim Psalmi cum cantu pronuntiantur, ideo dicitur Psalmista* Cantor. *Cantor autem non est nomen Ordinis specialis. Tum quia: Cantare pertinet ad totum Chorum. Tum quia: non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiæ Sacramentum. Quia tamen Officium quoddam est, inter Ordines lato modo acceptos aliquando computatur.*

XIII. Tertio objicitur. Supremus inter omnes Ordines est Episcopatus: unde Patres simplices Presbyteros vocant *secundi Ordinis praceptores*. Et Optatus Milevit. *l. 5. contra Parmen.* ait: *Diaconos in tertio, Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos, Episcopos vero omnium apices & principes:* ergo octavus Ordo, nempe Episcopatus addendus est.

XIV. Respondeo, neg. cons. Episcopatus enim non constituit Ordinem adæquate distinctum a Sacerdotio, cum istud essentialiter includat; sed est in genere Sacerdotii summus. *Quid enim est* (inquit Augustinus) *Episcopus*, nisi *primus Presbyter, hoc est summus Sacerdos?* Proinde Episcopos summos Sacerdotes appellant Tertullianus, *l. de Bap. c.* 17. Ambrosius, *Epist.* 34. & alii Patres. Est enim pascendi, & sacramenta conferendi, & conficiendi, ac administrandi suprema quædam auctoritas; quæ sine Presbyteratu, ac Sacerdotio nec esse, nec cogitari potest. Unde Sacerdotium unicus est Ordo, qui postea in Episcopatum, & Presbyteratum dividitur; non tamquam in membra adæquate distincta, sed solum inadæquate, tamquam in primum, & secundum, perfectum, & imperfectum,

Respondent alii, Ordinem Sacerdotii esse unum genere, quod dividitur in Episcopatum, & simplicem Presbyteratum, tamquam in duas species. Cum enim sit inter Ordines supremus, sub se alios tamquam species continere potest, & continet, Potestas enim consecrandi Eucharistiam diversimode participatur. Simplex enim Presbyter non ita hanc potestatem habet, ut possit eam aliis communicare: Episcopus vero sic eam habet, ut eam aliis communicare possit. Præterea: simplex Presbyter potestatem hanc habet ab Episcopo dependentem quoad usum. Potest enim Episcopus Præsbytero interdicere, ne consecret, vel ad tempus suspendere, vel præcipere, ut tali loco, tali tempore, vel tali modo celebret: quorum nihil potest in Episcopum Presbyter. Hæc responsio probabilis est. Prima tamen mihi magis arridet. Nam ea, quæ potest Episcopus supra Presbyterum, pertinent potius ad potestatem supra Christi corpus mysticum, quam supra Christi corpus verum, quæ est potestas pertinens ad Ordinem. Sed de hoc infra dicetur.

XV. Quarto objicitur. Ordines esse pauciores. Primo. Dionysius, *c. 5. Eccl. Hierarch.* tres tantum ponit, Episcopatum, Presbyteratum, & Ministrorum tribus actibus Hierarchicis correspondentes, scilicet *Purgare, Illuminare, & Perficere* —— Secundo. Acolythi nomen vix apud Græcos legitur —— Tertio. Ecclesia Græca solum Lectoris Ordinem retinuit. Unde Damascenus, Dial. contra Manichæos: *Prima* (inquit) *dignitas Lector est, deinde Subdiaconus, postea Diaconus, tum Presbyter, tum demum Episcopus.*

XVI. Respondeo ad primum S. Thom. q. 37. Suppl. art. 2. ad primum, *Quod Dionysius loquitur de Ordinibus, non secundum quod sunt Sacramenta, sed secundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur. Et ideo secundum actiones illas, tres Ordines distinguit: quorum primus habet omnes tres, scilicet, Episcopus; secundus habet duas, scilicet Sacerdos: sed tertius habet unam, scilicet purgare, scilicet Diaconus, qui Minister dicitur; & sub hoc omnes inferiores Ordines comprehenduntur. Sed Ordines habent quod sint Sacramenta ex relatione ad maximum Sacramentum: & ideo secundum hoc debet numerus Ordinum accipi.*

Ad secundum dico, Acolythi nomen reperiri apud Isidorum Hispalensem, *l. 7. Originum, cap.* 11. Raro autem a Patribus usurpatur, quia nullam habet potestatem in populum; sed pure circa altaris ministerium occupatur, præsentando Subdiacono aquam & vinum: & ideo Acolytatum in subdiaconatu implicite includebant.

Ad tertium dico, vetarem Ecclesiam Græcam præter Lectoratum agnovisse etiam alios minores Ordines, ut supra ostendimus, §. 2. Solius autem Lectoratus Ecclesia Græca recentior meminit, quia hic specialis est dignitatis; unde per illum Ordinandorum industria, & doctrina probaretur, ideoque a Damasceno vocatur *prima dignitas.* —— Dato tamen, Ecclesiam Græcam cæteros minores Ordines nunc omittere, Ecclesia tamen Latina illos servat. Unde Innocentius IV. literis ad Episcopum Tusculanum missis, qui legationem iu Regno Cypri tunc exercebat, Græcis, ut omnes minores Ordines suscipiant, ita præcipit: *Ad hæc volumus, & expresse præcipimus, quod Episcopi Graci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant; cum hucusque tres de minoribus neglexisse, vel prætermisisse dicantur: illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis Ordinibus tolerentur.*

XVII. Quæres: Utrum Ordines distingui debeant per sacros & non sacros.

Respondet S. Th. laudata quæst. 37. Suppl. art. 3. *Quod Ordo sacer dicitur dupliciter. Uno modo, secundum se: & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit Sacramentum quoddam. Alio modo, ratione materia, circa quam habet aliquem actum.* Et sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: Et sic sunt tres tantum Ordinis sacri, scil. Sacerdotium, & Diaconatus, qui habent actum circa corpus Christi, & sanguinem consecratum; & Subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata: & ideo eis etiam continentia indicitur, ut sancti, & mundi sint, qui sancta tractant.

DUBIUM II.

An Majoribus Ordinibus obligatio Continentiæ annexa sit?

§. I.

De Presbyteratu, & Diaconatu.

DE sacrorum ministrorum cælibatu fuse locutus sum: tum *in Vera Ecclesia Tom. 2. p. 1. artic. 5.* Tum *in Colloquis Theologico —— Dogmaticis, Classe* 1. Nunc pro Candidati instructione aliqua dicam, seu verius repetam; & quo jure sacris Ordinibus continentiæ obligatio annexa sit, ostendam.

I. Dico ergo. Jure antiquissimo Presbyteratui (& a fortiori Episcopatui, qui Presbyteratum essentialiter includit) ac Diaconatui lex continentiæ annexa est. Probo 1. auctoritate Conciliorum Orientalium. Primum est Ancyranum, *ann.* 308. quod *Can.* 10. de Diaconis hæc statuit: *Quicumque sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, a ministerio, vel Clero cessare debebunt.* Secundum est Neocesariense paulo post celebratum; *Can.* 1. sic loquens: *Presbyter si uxorem duxerit, Ordine suo amoveatur.* Concinit Nicænum I. *Can.* 3. his verbis: *Omnibus modis interdixit Sancta Synodus; neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam; nisi forte mater, aut soror, aut avia, aut amita, aut materna sit.* Quo loco nulla mentio uxoris fit, quæ tamen primo loco poni debuisset, si cum ea habitare licitum duxisset Concilium. Synodus Trullana licet permittat sacris ministris uti uxore ante Ordinationem ducta; hoc tamen, *Can.* 48. vetat Episcopis, ne cohabitent uxori: & *Can.* 6. prohibet ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi post ordinationem uxorem ducant,

II. Probo secundo auctoritate Conciliorum Occidentalium. Primum sit Cartaginense II. in Africa, *anno* 197. *Can.* 2. in quo dicitur: *Ab universis Episcopis dictum est, omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam se ab uxoribus abstineant: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Cui adde Carthaginen. V. *Can.* 3. *ann.* 398. dicens: *Placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum priorum statuta etiam ab uxoribus continere; quod, nisi fecerint, ab Ecclesiastico removean-*

moveantur officio. Quibus habes, continentiam ſacrorum miniſtrorum etiam ab uxoribus, obſervatam fuiſſe primis temporibus tamquam doctrinam Apoſtolorum.

Eamdem diſciplinam viguiſſe in Hiſpania oſtendit Concilium Eliberitanum, *ann.* 313. dum *cap.* 33. ſic pronuntiat: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, vel omnibus Clericis poſitis in miniſterio abſtinere ſe a conjugibus ſuis, & non generare filios*. Similia decernunt Toletanum II. *Can.* 1. IV. *Can.* 27. & VIII. *Can.* 6.

In Gallia item evincunt Concilia Arelatenſe II. *ann.* 451. *Can.* 2. dicens: *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo conjugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio*. Et *Can.* 3. prohibet, ne quis Clericus a gradu Diaconatus ſecum habere mulierem, præter aviam, & matrem, filiam neptem, vel converſam (hoc eſt uxorem voto continentiæ obligatam) præſumat. Quare autem convertebatur uxor ejus, qui Diaconus ordinabatur; niſi quia ſuſcepto a viro Diaconatu, continere, & ipſa tenebatur? Sic ſtatuit, & Concil. Turonenſe I. *Can.* 2. *Can.* 20. Agathenſe, *Can.* 9. & demum Aurelianenſe III. *ann.* 538. *Can.* 2. *Ut nullus* (inquit) *Clericorum a Subdiacono & ſupra, ſi forte jam habeat, miſceatur uxori*, *Can.* 6. ſtatuit: ut nullus ex laicis uxoratis ante annualem converſionem, hoc eſt, ante annualem continentiam &c. ordinetur Diaconus, ſive Presbyter.

In Germania quoque teſtatur Aquiſgranenſe, *ann.* 816. ſub Ludovico Pio, *cap.* 7. Wormatienſe, *cap.* 9. Tandem Moguntinum tempore Arnulphi Imperatoris. Quibus omnibus apparet, Eccleſiam a ſui exordio per omnia ſæcula ſollicitam fuiſſe, ut ſacro miniſterio addicti continentiam ſervarent, nedum abſtinendo a novis nuptiis contrahendis, ſed a jam contractis continendo.

III. In hoc Romanorum Pontificem ſemper conſpiravit zelus. Syricius *Epiſt. ad Himerium*, *cap.* 7. contra Diaconos, & Presbyteros, qui poſt ordinationem ſuam ex uxoribus antea ſuſceptis genuerant filios, graviter invehitur. Idem confirmavit paulo poſt Innocentius I. *Epiſt.* 2. *ad Victricium*, *cap.* 9. Et *Epiſt.* 2. *ad Exuperium*, *cap.* 1. Idem S. Leo, *Epiſt.* 84. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem*, *cap.* 3. & 4. S. Gregor. *lib.* 1. *Epiſt.* 42. & *lib.* 3. *Epiſt.* 34. Zacharias, *Epiſt.* 7. *ad Pipinum*, *cap.* 7. & Caliſtus II. apud Gratianum, *diſt.* 27. *cap.* 8.

IV. Idem ſenſerunt Patres. Ex Græcis Origenes, qui, Homil. 23. in Num. *Certum eſt* (inquit) *quia impeditur ſacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt. Unde videtur mihi, quod illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenter, & perpetua ſe devoverat caſtitati*. Eadem tradit Euſebius, *lib.* 1. *de demonſtrat. Evangel. cap.* 9. his verbis: *Veruntamen eos, qui ſacrati ſunt, atque in Dei miniſterio, cultuque occupati, continere deinceps a commercio uxoris decet.* —— Similia habet Sanctus Epiphanius, *Hæreſ.* 69. §. 4. dicens: *Quin eum inſuper, quia adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius ſit uxoris vir; nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hyppodiaconi ordinem* (Eccleſia) *admittit; ſed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus. Quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici canones accurate ſervantur*.

V. Ex Latinis autem Hieronymus, in lib. adverſus Vigilantium. *Quid facient* (inquit) *Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* & S. Auguſt. *lib.* 2. *de Adulterinis conjugiis*, *cap. ultimo*, ubi ait: *Iſtos qui virilem excellentiam non putant, niſi peccandi licentiam, quando terrenis, ne adulterinis conjugiis hærendo, pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam Clericorum: qui plerumque ad eamdem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamque ſuſceptam uſque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt*. Videant ergo moderni Acatholici, quantum ab Eccleſiæ doctrina etiam veteris, & ſecundum illos purioris, aberrent, dum contra continentiam ſacrorum miniſtrorum debacchantur: voluntque eos, nedum uti poſſe uxoribus antea ductis, ſed inſuper in miniſterio poſitos, nuptias contrahere: quod Lutherus exemplo docuit ſuo, qui Presbyter, & Monachus ſacrilegas cum Moniali nuptias inivit. Sed non mirum, cum omnes ſacros Ordines a ſuis pſeudo-Eccleſiis fecerint exulare.

§. II.

De Subdiaconatu.

VI. Dico. Subdiaconatus Ordini obligatio continendi jure etiam antiquiſſimo annexa eſt. Probatur ex Concil. Aurelianenſi III & S. Epiphanio ſupra relatis: ex S. Leone laudata, *Epiſt.* 84. *ad Anaſtaſium*, *cap.* 4. ubi ait: *Ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidam connubium carnale conceditur; ut & qui habent, ſicut tamquam non habentes, & qui non habent, ſint tamquam ſingulares*. Ex S. Gregorio, *lib.* 3. *Epiſt.* 34. dicente: *De cætero fraternitas tua ſit omnino ſollicita, ut quos ad hoc jam officium* (Subdiaconatus) *contigerit promoveri, hoc quam maxime diligenter inſpiciat; ne ſi uxores habent, miſcendi ſe cum eis licentia potiantur; ſed ad ſimilitudinem Sedis Apoſtolicæ eos cuncta obſervare ſua nihilominus diſtinctione conſtituat*. Videri etiam poteſt, lib. 1. Epiſt. 42. Hoc idem Zacharias Papa, Epiſt. 7. ad Pipinum, cap. 8. *Qui Clerici* (inquit) *uxores ſortiri debeant, in* 47. num. 25.) *capite Canonum ſanctorum Apoſtolorum decretum eſt*: innuptis autem, qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, uxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo. *Quibus verbis cum ſolis Lectoribus, & Cantoribus uxores ducendi facultas conceditur: non ſolum Presbyteris, & Diaconis, ſed etiam Subdiaconis matrimonium interdicitur*.

VII. Pro hactenus dictis accedunt etiam rationes. Prima eſt. Præcipua illa Sacerdotalis functio, quæ in ſacrificando conſiſtit, magnam requirit animi puritatem, ut teſtantur S. Chryſoſt. *lib.* 6. *de Sacerdotio*, & S. Hieronymus, *lib.* 1. *contra Jovinianum*. Nam ſi Sacerdos veteris Teſtamenti ſacrificium tempore vicis ſuæ oblaturus, ab uxore, & domo ſua ſecedebat, *Lucæ* 1. *v.* 8. Et ſi panes propoſitionis edere non poterant, niſi mundi a mulieribus 1. *Reg.* 21. *v.* 4. & 5. quanto major exigenda eſt mundities ab iis, quorum munus eſt ſacrificare verum agnum immaculatum, vel ſacrificanti aſſiſtere, & edere panem illum, qui de Cælo deſcendit, ipſam videlicet carnem Filii Dei: cujus vetera illa ſacrificia, & propoſitionis panes, figuræ tantum, & umbræ fuerunt, cum ea re, quam præfigurabant, nequaquam conferendæ?

At inquies. Satis eſſe, ſi ab uxoribus abſtineant tantiſper, dum ſacrificandi vices præterierint, ſicut faciebant Levitici Sacerdotes. Hoc enim & Orientales Sacerdotes modo obſervant.

VIII. Sed contra (& eſt altera ratio) Eccleſiæ Sacerdotes ad hoc ordinantur, ut totus ſe, velut Nazaræos quoſdam, totumque vitæ ſuæ tempus intelligant conſecratum eſſe Domino, totumque illud impendant pro eo, non partem ſolum, orando, ac rebus divinis vacando; totamque ſollicitudinem in eis ponendo, & non certa temporum intervalla in rebus temporalibus impendendo: hoc autem implere non poſſent conjugio implicati. Nam, teſte Paulo 1. Cor. 7. v. 33. *Qui ſine uxore eſt ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*. Leviticis autem neceſſario tempus aliquod utendi conjugio concedebatur, ob generis propagationem; eo quod in una illa Tribu, & in una ſtirpe Aaronica Sacerdotium illud vetus contineretur. Quod in novæ legis Sacerdotio non valet: hoc enim non carnali ex una ſtirpe propagatione, ſed ſpirituali ordinatione ex omni gente confertur. Hanc rationem ſuggerunt Syricius Papa, *Epiſt. ad Himerium*, & Innocentius I. *Epiſt. ad Exuperium*, & Hieronymus, *in Epiſt. ad Titum*, *cap.* 1.

IX. Sed quid dicendum de Græcis Sacerdotibus, apud quos viget adhuc uxorum ante ordinationem ſumptarum uſus: num hi contra Canones faciunt?

Reſpondeo, non eſſe dubium, quin etiam apud illos continentiæ canon aliquando extiterit. Id enim aperte teſtatur Epiphanius ſupra relatus, *Hæreſi* 59. quæ eſt Catharorum, ubi dicit: Liberos gignentem unius uxoris virum Eccleſiam non ſuſcipere, ſed eum, qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Epiſcopum, Presbyterum, & Hyppodiaconum, maxime ubi ſinceri ſunt Canones Eccleſiaſtici. Et addit: *At dices mihi: omnino in quibuſdam locis adhuc liberos gignere & Presbyteros, & Diaconos, & Hyppodiaconos. At hoc non eſt juxta Canonem, ſed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cum non inveniretur, qui miniſtraret*. Orientis etiam, & Ægypti Eccleſias, aut virgines Clericos accipere, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, ab opere maritali abſtinentes audivimus ex Hieronymo, *lib. contra Vigilantium*. Quam continentiæ conſuetudinem etiam Socrates, *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 22. & Nicephorus, *lib.* 14. *cap.* 15. declarant, apud Græcos, Ægyptioſque fuiſſe, & ante omnes Origenes, *Homil.* 23. *in Num.* Et Euſebius, *lib.* 1. *Demonſt. Evang. cap.* 9. ambo Græci, quos ſupra retulimus.

X. Canonem autem, ad quem reſpicit Epiphanius, fuit, vel 27. ex Apoſtolicis, vel Canon tertius Nicæni Concilii interdicens Epiſcopo, Presbytero, Diacono ſub quo etiam Hyppodiaconus continetur, ne domi mulierem ullam habeant præter matrem, ſororem, amitam. —— Hos tamen poſteriores Græci penitus repudiantes non permiſerunt, continentiæ legem exigi ab iis, qui uxorati ad ſacros Ordines accederent; idque non ſine ſpecie faciendi ſchiſma adverſus Eccleſiam Romanam. Quod aperte declarant verba *Can.* 13. Synodi in Trullo habitæ, ubi etiam pro ſe allegant Concilium Carthaginenſe V. *Can.* 3. ſed perperam, cum contra illos ſit. Canone tamen 12. & 48. ejuſdem Trullanæ Synodi continentiæ legi obſtrictos volunt eſſe Epiſcopos, quoad iſtos enim ſentiunt nullo umquam tempore uſum uxorum fuiſſe toleratum: cum tamen veteres ſupracitati Canones, & auctores Græci æqualiter continentiæ legi ſubjiciant Presbyteros, Diaconos, & Hyppodiaconos, ac Epiſcopos.

Quod quamvis Romani Pontifices agnoſcant, ſtudio tamen pacis eam libertatem Græcis permiſerunt; ut conjugibus ante ordinationem ductis copulari poſſent, quemadmodum

modum ex rescripto Innocentii III. Extra, de Clericis conjugatis, Cap. *Cum olim*.

§ III.

Referuntur Argumenta contraria.

MUlta sunt, quæ contra legem continentiæ pro majoribus Ordinibus initiatis latam objiciunt tum Protestantes, tum Græci: tam ex Scripturis, tam ex Canonibus, & Patribus deprompta, quam ex ratione, quæ a nobis supra citatis locis soluta sunt. Aliqua tamen dicam.

XI. Primo ergo opponitur ex Scriptura Paulus, qui 1. *ad Timoth. 3. v. 2.* & *ad Titum 1. v. 6.* vult Episcopum, Presbyterum, Diaconum esse *Unius uxoris* virum: quod non præciperet, si vel omnino uxore carere, vel ab ea abstinere vellet.

Secundo. Idem Paulus 1. *ad Timoth. 4. v. 3.* prædicit, in novissimis diebus venturos quosdam prohibentes nubere; idque annumerat doctrinis Dæmoniorum.

Tertio. Idem, *Hebr. 13. v. 4.* dicit: *Honorabile connubium in omnibus, & torum immaculatum.* Si in omnibus; ergo etiam in sacris ministris.

Quarto 1. *Cor. 7. v. 28.* idem ait: *Si acceperis uxorem, non peccasti.*

Quinto, 1. Cor. 9. v. 5. *Numquid*, ait, *non habemus potestatem mulierem sororem*, vel ut in Græco, *uxorem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas?* Hinc Clemens Alexandrinus, *lib. 3. Strom.* etiam Paulum asserit uxorem habuisse, motus illo, Philip. 4. v. 3. *Rogo & te germane compar*, quod ex Græco verti potest, *germana conjux.*

Tandem, quia conjugium est de jure divino, juxta illud, Genes. 1. *Crescite & multiplicamini.*

XII. Respondetur ad hæc. Ad primum dico, quod si Pauli verba sic sumantur, ut omnis Episcopus, Presbyter, & Diaconus jubeatur unam uxorem habere; ergo nec Paulus, nec alii Apostoli, qui vel uxores non habuerunt, vel eas propter Christum reliquerunt, immo nec Christus ipse virgo Virginis filius digni fuerunt Episcopatu, & Sacerdotio. —— Vult ergo Paulus, Episcopum &c. esse unius uxoris virum, idest, qui non plures uxores habuerit, sive simul, sive successive, & non sit bigamus, sed vel unicam, vel nullam: sic tamen, ut ab unica, si eam adhuc habeat, se contineat; unde addit: *Sobrium, continentem.* Sic enim 1. *ad Timoth. 5. v. 9.* de viduis statuit: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Quæ scilicet, non plures habuerit maritos, quam unum. Sic Pauli verba intellexerunt Tertullianus, *lib. 1. ad Uxorem*, Epiphanius, *Hæres. 59.* Ambrosius, *lib. 1. de Offic. cap. ult.* Hieronymus, *ad Titum 1.* Et *in Epist. ad Oceanum*, Augustin. *lib. de bono conjugali, cap. 18.* Chrysostomus, *Homil. 2. in Epist. ad Titum.* Idem Romani Pontif. Siricius, Innocentius I. Sanctus Leo, & quotquot tam Latini, quam Græci præfatum Pauli dictum interpretati sunt.

XIII. Ad secundum dico: Paulum illo dicto *Prohibentes nubere* prædamnare eos, qui nuptias, tamquam per se malas, erant prohibituri, quales futuri erant Encratitæ, Marcionitæ, & Manichæi: non vero Ecclesiam, quæ nemini absolute prohibet nubere, sed vult neminem ad sacros Ordines assumi, qui continentiæ legem voluntarie non amplectatur. Sic secundæ nuptiæ licitæ sunt, nec per se prohibentur, & tamen Paulus qui secundas nuptias contraxerunt, indignos Episcopatu censet. De hoc Apostoli loco videndi sunt Hieronymus, *lib. 1. contra Jovinian.* August. *lib. 30. contra Faust. cap. 5. & 6.* Chrysostomus, *in Comment. hujus loci*, & alii.

XIV. Ad tertium dico: Apostolum ibi velle, quod conjugium in omnibus legitime conjunctis sit honorabile, & immaculatum, si illud non dehonestent stupris, & adulteriis. Unde subdit: *Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.*

XV. Ad quartum: Loqui ibi Paulum de eo, qui non est alligatus voto. Nam de iis, qui, vel quæ vovendo continentiam sponte susceperunt, dicit 1. *ad Timoth. 5. v. 11.* tales, *Si nubere volunt, damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt.*

XVI. Ad quintum, nego, mulierem ibi sumi pro uxore, sed pro piis feminis; quæ, ut mos Hebræorum ferebat, sequebantur Apostolos, eisque ministrabant, sicut & Dominum secutæ leguntur, *Luc. 8.* Ita Tertullianus, *lib. de Monogamia, cap. 8.* Hieronymus, *lib. 1. adv. Jovin.* & August. *lib. de Oper. Monach. cap. 4. & 5.* Dicuntur autem *Mulieres sorores*; sicut in actis sæpe dicitur *Viri fratres*, quia charitate sorores, & fratres. Clemens autem Alexandrinus, quamvis uxores intelligat, addit tamen, Apostolos eas habuisse ut sorores, non ut uxores, quod nobis sufficit. Paulum autem longe probabilius est, numquam habuisse uxorem: certe enim ipse, 1. *Cor. 7.* inter non habentes uxorem se numerat, cum ait: *Volo enim vos omnes esse sicut me ipsum . . . Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Quare rejicienda est eorum sententia, qui locum *ex Philip. 4.* de uxore Pauli accipiunt.

XVII. Ad sextum, & ultimum, dico primo. Illis verbis Genes. non præcipi matrimonium, sed solum ejus institutionem exprimi. Nam verba diriguntur non tantum ad homines, sed ad bruta, quæ præcepti incapacia sunt. —— Dico secundo. Quod si verba illa sumantur pro præcepto, hoc debet intelligi impositum generi humano, non singulis illius generis. Ita *Catechismus Rom. de Matrim. num. 12.* his verbis: *Quod vero a Domino dictum est:* Crescite, & multiplicamini, *id eo spectat, ut cujus rei causa institutum erat Matrimonium, declaret, non ut singulis hominibus necessitatem imponat. Nunc enim aucto jam humano genere, non solum ulla lex uxorem ducere aliqua non cogit; sed potius virginitas summopere commendatur, & unicuique in sacris Litteris suadetur, ut qua matrimonii statu præstantior sit, majoremque in se perfectionem, & sanctitatem contineat. Dominus enim Salvator noster ita docuit:* Qui potest capere, capiat. *Et Apostolus ait:* De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis &c. Et 1. *Cor. 7. v. 38.* concludit: *Igitur & qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.*

XVIII. Secundo opponunt Canones. Primo: *Canon. 6.* Apostolorum, qui sic habet: *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat; si vero rejecerit, excommunicetur, & si perseveraverit, dejiciatur;* ergo saltem uxorem prius ductam possunt, immo debent Episcopi, & Presbyteri retinere.

Secundo: Concilium Grangrense inter quorumdam hæreticorum errores numerat: quod Presbyteros, qui Matrimonia contraxerunt, sperni debere dicant, nec sacramenta, quæ ab iis conficiantur, attingi. *Can. 4.*

Tertio: *Canonem* 10. Concilii Ancyrani, quo dicitur: *Diaconi, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere, si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio;* ergo saltem Diaconis, præmissa hac protestatione, ordinatis salvo ministerio, matrimonium inire licebit.

Quarto: Concil. Carthagin. V. cui Sanct. Augustin. interfuit, *Can. 3.* statuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, se abstineant ab uxoribus in propriis terminis, idest, *in ordine vicis suæ*, ut Patres VI. Synodi, *Can. 13.* interpretantur.

Quinto: ejusdem sextæ Synodi Patres; dicto *Can. 13.* statuunt primum, ut Hyppodiaconi, Diaconi, & Presbyteri a prioribus suis uxoribus non separentur; ita tamen, ut vicis suæ tempore eas non contingant, juxta Canonem Carthaginensem: deinde, ut si quis audeat ordinatos privare consuetudine uxorum prius ductarum, aut ipsi ordinati pietatis prætextu uxores suas ejiciant, excommunicetur.

XIX. Respondeo ad primum: Canonem illum Apostolicum in sensu, quo objicitur, nec ipsis Græcis favere; qui Presbyteris quidem, & Diaconis uxorum usum concedunt, illum tamen in sua Synodo Trullana Episcopis negant. Sensus ergo præfati Canonis est: ne Episcopus, aut Presbyter a cura sua abjiciat uxorem, quam reliquit, quoad torum. Unde ex eo nil aliud habetur, quam quod teneatur Episcopus, idem dic de Presbytero, uxorem suam alere, eique in omnibus providere; & ita illum interpretatur Synodus Trullana, *Can. 48.* quo ait: uxorem illius, qui ad Episcopatum promotus est, Monasterium ingredi debere, & Episcopi providentia ali.

XX. Ad secundum respondeo: Canonem Gangrensis Concilii damnare Eustatianos, qui nuptias, ut natura malas vituperabant, adeo ut dicerent, feminam cum viro dormientem, etsi fidelem, & religiosam, in regnum Dei intrare non posse, ut patet ex *Canon. 1.* Presbyteros, qui aliquando conjugati fuissent, vitabant, ut immundos nec sacrificiis eorum interesse, nec de eorum manibus Eucharistiam sumere volebant, ut habetur, *Canon. 1. & 4.* Et ex Nicephoro, *lib. 9. cap. 45.* Addo: *Canone illo 4.* non dicit, qui uxorem habet, aut ea utitur, sed *qui uxorem habuit:* quo satis indicatur, Concilium illud noluisse favere Presbyteris uxores habentibus, & eis utentibus, ut volunt Græci.

XXI. Ad tertium: dico Canonem illum Ancyranum monstrare, quid apud Græcos aliquando permissum sit, idque in Diaconis dumtaxat: ex quo intelligitur, id, nempe uxorem ducere, Presbyteris numquam fuisse concessum. Apud Latinos tamen nihil tale constitutum umquam legitur. Imo nec apud Græcos ipsos, præter hunc, alius similis Canon reperitur, quo Diaconis libertas ista protestandi in sua ordinatione concedatur. Quare temporariam tantum, & particularem fuisse illius Synodi permissionem credere par est: eo vel maxime, quod nemo eam admisisse ex Episcopis etiam Græcis legitur. Non desunt tamen, qui non de ducenda uxore, sed de utendo ea, quæ ante ordinationem ducta esset, interpretantur.

XXII. Ad quartum, respondeo, Canonem illum Carthaginensem male ex Latino in Græcum versum fuisse, & pejus a Pseudosexta Synodo interpretatum. Nam Latine non habetur: *In propriis terminis*, sed, *Secundum priorum statutum*, vel: *Secundum propria statuta*, idest, secundum Canones priores in Ecclesia Carthaginensi editos. Respexerunt enim illius Concilii Patres ad Canonem secundum Con-

Concilii Carthagin. II. qui simpliciter prohibet, ordinatis usum uxorum, idque juxta doctrinam Apostolorum, & antiquam observationem, ut supra vidimus.

XXIII. Ad quintum negatur suppositum. Nam Sexta Synodus (uti & Quinta) nullos edidit Canones, ut testatur Synodus Septima, *Act.* 4. & 5. Canon ergo ille 13. est Synodi Trullanæ Quinisextæ dictæ. Post annos enim 27. a Synodo Sexta, quidam Episcopi Orientales schismatici sub Justiniano II. in Palatium Imperatoris, quod *Trullum* vocabatur, convenerunt, ibique *Canones* 102. sub nomine Sextæ Synodi ediderunt; in quibus quædam spiritu schismatico, atque ex odio Romanæ Ecclesiæ (est *Canon.* 12. in quo aperte, & nominatim mos Ecclesiæ Romanæ reprobatur) constituta leguntur. Reprobavit autem eam Synodum, tamquam erroneam, Sergius tunc temporis sedem Petri tenens, ut refert Beda *in lib. de Sex ætatibus*. At Synodus hæc quamvis juvet causam Græcorum, Lutheranorum tamen, & Calvinistarum causæ non favet. Nam permittit quidem Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis usum uxoris, quam acceperunt ante ordinationem; at illis prohibet sub pœna depositionis, ne post ordinationem uxorem ducant, ut *Can.* 6. Secundo: Episcopis non solum negat novas inire posse nuptias, sed nec usum prioris conjugis permittit, quam in Monasterio recludi jubet ut pat. *Can.* 48. Sectarii vero suis Presbyteris, ac Episcopis utrumque indulgent.

XXIV. Tertio opponunt Socratem, *lib.* 1. *Hist. cap.* 11. ubi narrat: *Quod cum visum esset Patribus Nicæni novam legem in Ecclesiam inducere; ut quicumque in sacrum Ordinem adlecti essent, idest Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ab uxorum, quas, cum laici essent, matrimonii jure sociaverant, concubitu abstinerent .... surgens in medio Episcoporum consessu Paphnutius (Episcopus Ægyptius, cui persecutionis tempore oculus fuerat effossus, vir sanctitate, & miraculis clarus) vehementer vociferatus est, non esse imponendum Clericis, & Sacerdotibus grave hoc jugum ... Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem, jam non amplius uxores ducerent; non tamen quemquam sejungendum esse ab ea, quam antehac, tunc cum esset laicus legitime duxisset ... Caterum universus Sacerdotum cœtus Paphnutii sermonibus assensus est ... Singulorum arbitrio permiserunt, ut ab uxorum consuetudine abstinerent, si vellent*. Idem narrat Sozomenus, *lib.* 1. *Hist. c.* 23. Suidas *in Paphnutio*, & Nicephorus, *lib.* 8. *cap.* 19.

XXV. Respondeo: Historiam hanc, cui adversarii maxime fidunt, merum Socratis inventum esse, ex quo Sozomenus, & alii posteriores eam exscripserunt. Si enim vera esset, cur nemo Scriptorum ante Socratem centum & amplius annis Nicæno posteriorem ejus meminit? Immo cur Epiphanius illis temporibus proximior, loco supra relato, dicit Presbyteros, Diaconos, Hyppodiaconos, qui in quibusdam locis liberos suscipiunt, non ex Canonis auctoritate, sed ex hominum ignavia id facere? Cur S. Hieronymus, ut supra, dicit, Orientis, & Ægypti Ecclesias, aut virgines eligere, aut continentes, aut si uxores habuerint, maritos esse desistere? An istis Patribus, & Ecclesiis ignotum erat Nicæni decretum, aut contra Canones judicabant fieri, quod ex Concilii Nicæni indulgentia fieri poterat? Mirum sane quod nec Jovinianus, nec Vigilantius hoc factum, quod causam suam maxime adjuvasset, Hieronymo pro continentia Clericorum adversus eos pugnanti, numquam objecerint. Concludo igitur, narrationem illam non historiam esse, sed mendacium, cum talis indulgentia inter decreta Nicæna non reperiatur: sed ulterius aperte pugnet cum *Canone* 3. ejusdem Concilii, quo admissis in Clerum non aliarum mulierum consuetudinem permittit, quam matris, sororis, amitæ: feciset autem mentionem uxoris, & mulierum, quæ illis inservirent, si uxorem eis retinere concessisset: Non est tamen omittendum, historiam hanc, ut a Socrate refertur, nec favere Græcis, nec Sectariis, Non Græcis: quia Paphnutius, & cum eo Nicænum, concessit usum conjugum ante ductarum non solum Presbyteris &c. sed etiam Episcopis. Græci in sua Trullana Synodo, *Can.* 48. hanc indulgentiam, ut vidimus, Episcopis negant, dum statuunt, marito facto Episcopo, uxorem ejus esse in Monasterio recludendam. Non Sectariis: Nam secundum hanc historiam Synodus vetuit, ne post ordinationem Clerici uxorem ducerent, & hoc secundum veterem traditionem. Quare ergo apud Lutheranos, & Calvinistas Clerici, qui ad eos deficiunt, uxorem ducere permittuntur, contra Nicæni decretum Concilii, quod se revereri ut Œcumenicum profitentur?

XXVI. Quarto opponunt Epistolam S. Ulderici Augustani ad Nicolaum Papam, qua refertur: quod cum S. Gregorius decretum tulisset de Clericorum, præsertim Subdiaconorum continentia, plura infantium capita suffocata inventa fuerunt: quorum necem ex fornicationibus, & adulteriis Clericorum ortam fuisse plerique suspicati fuerunt, unde S. Gregorium talis legis pœnituit.

Quod confirmant. Quia lex cælibatus, etsi olim utilis, modo tamen Ordini Sacerdotali, & toti Ecclesiæ perniciosa facta est; cum multi non sine magno Ordinis dedecore, & populi fidelis scandalo, impudice viventes eam prævaricentur, & pauci illibatam servent: ideoque omnino tollenda.

XXVII. Respondeo: Præfatam historiam, ac Epistolam penitus commentitiam esse, ut fuse ostendimus in Colloquiis. Primo. Quia Uldericus ille, qui se nominat Episcopum, nec potuit scribere Epistolam illam ad Nicolaum I. Hic enim obiit, *anno* 867. Uldericus autem Episcopus inauguratus est, *anno* 924. ut ex Chronico Ecclesiæ, cui præfuit. Nec scribere potuit ad Nicolaum II. Is enim creatus fuit Pontifex, *anno* 1059. Uldericus autem jam ab *anno* 974. obierat. Deinde hujus infanticidii altum apud auctores silentium est, vel apud ipsos Græcos; qui procul dubio illud contra continentiam Clericorum Latinis exprobrassent. Secundo. Falsum est S. Gregorium decreti a se de Subdiaconorum continentia lati, pœnituisse: moderatus quidem fuit Pelagii Prædecessoris decretum, permittendo, ut Subdiaconi Siciliæ jam ordinati, conjugibus antea ductis uterentur; sed statuit, ut in posterum nullus ordinaretur Subdiaconus, nisi ante perpetuam continentiam Episcopo consecratori servare promisisset: eos vero Diaconos, qui matrimonium juncti erant, noluit ad superiorem Ordinem ascendere, donec a suis viciſſim uxoribus divellerentur. Quod certe non est legis de continentia latæ pœnitere, sed potius toto conatu eam promovere. Videri potest, *lib.* 1. *Epist.* 42. *ad Petrum*, *lib.* 7. *Epist.* 109. & *lib.* 11. *Epist.* 4.

XXVIII. Ad Confirm. nego assumptum. Plerique enim etiam nunc, sive in Monasterio, sive extra continentiæ ac cælibatus legem exactissime servant. Quod si aliqui eam violare inveniuntur, hi severe puniendi, & in ordinem redigendi sunt, non tollenda lex. Sicut nec quia frequenter adulteria contingunt, lex adulteria vetans est abroganda.

DUBIUM III.

Quo jure Sacris Ordinibus annexa sit Continentia, & an sit ea dispensabilis.

§. I.

Resolvitur prima Pars.

I. OBservo cum Estio, *in* 4. *dist.* 37. §. 5. quod sunt quædam ad mores, actionesque hominum pertinentia, quæ principium quidem habent ex lege naturæ dictante, ea esse vel honesta, vel inhonesta; ita ut horum decentiam, vel indecentiam ostendat quidem: sed nonnisi lege positiva accedente, & quasi determinante, & complente, illicita fiant. Sic matrimonia inter affinitate conjunctos indecentia esse lex naturæ ostendit, hoc enim in Chananeis notatur, *Levit.* 18. & 20. Sed quia certo casu, & gradu licite fieri potest, accessit determinatio legis positivæ divinæ per Moysem, deinde Ecclesiasticæ sacrorum Canonum, qua lex naturalis perficeretur. His positis.

II. Dico continentia sacri altaris ministrorum, inchoative quidem est a lege naturæ; sed ultimate, & completive a jure positivo Ecclesiastico. Prima pars probatur. Nam lex naturæ dictat, abstinendum esse ab illis rebus, atque actionibus, quæ proprium statum dedecent, ac dehonestant: atqui conjugii vinculum, & conjugalis amplexus dedecent, & dehonestant statum, & officium Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ipsosque sacros Ordines, impediunt enim non solum corporis puritatem, sed etiam animi, ne totus Deo adhæreat, sed divisus sit, ut *dub. præc.* ostensum est, ergo &c.

III. Secundam partem ostendunt Canones ac leges hac in re ab Ecclesia statutæ: quas ab Apostolis saltem pro Episcopis, Presbyteris, & Diaconis ortum habuisse colligitur ex Paulo, qui *Epist. ad Titum* 1. dicit: Episcopum *Sobrium*, & *continentem* esse oportere. Ubi, ut advertit Hieronymus in dicta Epist. cum vox illa *Sobrium* ambigua sit, & significet *Castum*; castitas autem, & sobrietas etiam in conjugio esse possit; ideo Apostolus addidit *Continentem*, ideſt, ab omni amplexu, etiam uxorio. Verbum autem *Oportet* denotat non consilium tantum, sed præceptum, sicut istud 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*. Huc spectat, quod Timotheum, *Epistol.* 1. *cap.* 4. *v.* 12. admonet, ut *Exemplum sit fidelium in castitate*. Exemplum autem non esset, si una contentus uxore, aliam non cognosceret, cum hoc ab infimo quoque fidelium requiratur: exigebat ergo ab eo castitatem, qua omnimode contineret, & qua aliis etiam sic continentibus, ac Deo dicatis virginibus exemplo esse posset. Eodem spectat, quod *cap.* 5. *vers.* 22. ad eumdem Timotheum dicit: *Te ipsum castum custodi*. Cum enim eum Episcopum ordinasset, & adhuc juvenis esset, ad castitatem fuerat ab Apostolo exhortandus. Ubi nota: Paulum non remittere ad matrimonium Timotheum, ut ad remedium incontinentiæ, sed eam aliis remediis frænabat Timotheus, & maxime aquæ potu: qua cum stomachum debilitaret, erat enim complexione gracilis, subjicit: *Noli adhuc aquam bibere &c.*

IV. Hæc igitur satis probant, nec Apostolorum tempore Episcopo licuisse uxorem ducere: quo d& de Diaconis, 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 8. dicit: *Diaconos similiter pudicos*, id est, *continentes*, ut ait Hieronymus ibi. Quæ verba præceptum continent, sicut & ista v. 12. *Diaconi sint unius uxoris viri*. Porro si Diaconi tenebantur Apostolico præcepto

cepto continentiam ſervare, a fortiori Presbyteri: eo vel maxime, quod Paulus citatis locis nomine Epiſcopi comprehendit etiam Presbyterum. Merito igitur Concil. Carthagin. II. *Can.* 2. dicit: *Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos placuit continentes eſſe in omnibus, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* In qua cuſtodienda ſequentium ſæculorum Concilia ſuis Canonibus ſupra relatis perpetuo laborarunt: & poſtremo Tridentinum, Seſſ. 24. Can. 9. *Si quis* (inquit) *dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto &c. anathema ſit.* Quibus Concilium reddens cauſam, cur Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, nec licite, nec valide matrimonium contrahere poſſunt, meminit ſolius legis Eccleſiaſticæ.

V. Quæres tamen: an Clerici ſacris ordinibus initiati obligentur ad continentiam vi ſolius legis Eccleſiaſticæ, an etiam vi voti. — Volunt aliqui, obligari etiam vi voti, quatenus ſuſcipiens ſacrum Ordinem promittit ſervare continentiam; ita probabiliter. Et conſentire viſus eſt S. Thom. *in Supplem. 3. part. qu. 53. art. 3.*

Verius tamen cenſeo, Clericum ſacris Ordinibus initiatum teneri ſervare continentiam vi ſolius legis Eccleſiaſticæ. Colligo ex Tridentino citato: ubi diſtinguens inter obligationem ad caſtitatem Clerici, & Monachi ſolemniter profeſſi, reſpectu illius ponit tantum legem Eccleſiaſticam, reſpectu hujus ponit votum dicens: *Non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto*, Si autem etiam Clericus obligaretur voto, debuiſſet potius dicere: *non obſtante lege Eccleſiaſtica, & voto.*

Colligo idem ex Pontificali Romano, in quo Epiſcopus promovendos ad Subdiaconatum ſic alloquitur: *Hactenus liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia votu tranſire. Quod ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit a propoſito reſilire; ſed Deo cui ſervire regnare eſt, perpetuo famulari, & caſtitatem illo adjuvante, ſervare oportebit, atque in Eccleſia miniſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde dum tempus eſt, cogitate, & ſi in ſancto propoſito perſeverare placet, in nomine Domini huc accedite.* Quibus Epiſcopus intimat quidem eis obligationem, & legem continendi, & incapacitatem, vi illius, nuptias ineundi; nullum tamen ab eis exigit votum. Nec ſanctum illud propoſitum continendi, quod Epiſcopus in eis ſupponit, magis eſt votum, quam propoſitum non peccandi de cætero, quod Sacerdos ſupponit eſſe in pœnitente, dum eum abſolvit. Dum tamen volens, ac lubens ſacrum Ordinem ſuſcipit cum obligatione continendi in reverentiam Religionis, & Ordinis, re ipſa tam obligatur, quam ſi expreſſiſſet, & formaliter continentiam voviſſet. Unde dici poteſt, quod habeat votum virtuale, & interpretativum, ut fornicando duplex peccatum committat, unum contra caſtitatem, alterum contra religionem. Et hæc videtur fuiſſe mens S. Thom. loco ſuperius allato, ubi dixit: quod Ordo *Apud Græcos impedit matrimonium ſolum ex vi ordinis: ſed apud Latinos impedit ex vi ordinis, & ulterius ex voto continentiæ, quod eſt Ordinibus ſacris annexum: quod etiamſi quis verbotenus non emittat, ex hoc ipſo tamen, quod ordinem ſuſcipit ſecundum ritum occidentalis Eccleſiæ, intelligitur emiſiſſe.*

VI. Quæres iterum: An ſacris Ordinibus initiatus in infantia, teneatur poſtea ad ſervandam caſtitatem?

Reſpondeo: poſſe pro arbitrio, cum ad annos diſcretionis pervenerit, eligere ſtatum Eccleſiaſticum, vel ſæcularem, & uxorem ducere, ſi velit: niſi tamen ſufficienter inſtructus Ordinis ſuſcepti actum aliquem libere exerceat, aut ordinationem ſuam aliquo alio modo approbet, ut ſupra tetigimus. Ratio eſt. Quia Eccleſia nec vult, nec velle poteſt aliquem ad caſtitatem ſervandam abſque omni ſuo conſenſu obligare: hanc enim obligationem Chriſtus unicuique liberam eſſe voluit, *Matth. 19. v. 11.* dum ait: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Qui poteſt capere capiat.*

VII. Quæres tertio. An promotus ad ſacros Ordines cum ignorantia obligationis continendi ordini annexæ, teneatur continere?

Reſpondeo: talem, vel vincibiliter, vel invincibiliter ignoraſſe obligationem illam. Si primum: tenetur ſervare continentiam. Nam ignorantia vincibilis æquipollet ſcientiæ, & qui ſic ignoravit, cenſetur voluiſſe ignorare, & tacite in obligationem ordini annexam conſenſiſſe. — Si vero ſecundum: non tenebitur præſertim ſi ita diſpoſitus ſit, ut ſi talem obligationem præſciviſſet, Ordinem illum non ſuſcepiſſet: unde nullo modum cenſetur in talem obligationem conſenſiſſe. Tales fuerunt tempore S. Gregorii Subdiaconi quidam in Sicilia: numquam audierant, Subdiaconis prohibitum eſſe uti matrimonio ante Subdiaconatum contracto: & antequam ordinarentur, viderant eo uti illos omnes, qui ordinati fuerant, ſcientibus Prælatis, & ut licitum permittentibus: unde inculpabiliter ſibi perſuaſerant, obligationem continendi Subdiaconatui annexam non eſſe. Cumque lata eſſet lex, ut ad continentiam ſervandam cogerentur, id durum viſum eſt S. Gregorio, qui propterea, *lib. 1. Epiſt. 42.* ita ſcribit: *Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur; ut qui uſum ejuſmodi continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari.*

§. II.

Reſolvitur ſecunda Pars.

VIII. IN duplici ſenſu agitari poteſt quæſtum. Primo: an Eccleſia poſſit debitum continendi ab Ordinibus ſacris in totum auferre, ac ſeparare? Secundo: an poſſit in aliquo caſu ex rationabili cauſa cum aliquo diſpenſare, ſeu ut matrimonio antea contracto utatur, ſive ut matrimonium de novo contrahat?

Quoad primum, verius cenſeo non poſſe, ſeu non licere. Legem enim continentiæ ſine injuria ſacrorum Ordinum, & dignitatis Eccleſiaſticæ ſolvi, & abrogari non poſſe, teſtantur Siricius, *Epiſt. 1. cap. 7.* & Innocentius I. *Epiſt. 3. cap.* quod evincunt etiam rationes, quas pro ea lege docte, & copioſe exponunt. Quare non recte ſentire videntur, qui dicunt, Eccleſiam, vel Romanum Pontificem hanc legem tollere poſſe, & generali permiſſione poteſtatem facere ordinatis, præſertim Sacerdotibus, uxores ducendi. Multo minus illi audiendi ſunt, qui recte, & conſulte facturam Eccleſiam putant, ſi legem illam ſemel tollat. Unde nec Græci, qui plurimum licentiæ in hac parte ſibi uſurparunt, eo progreſſi ſunt, ut jam ordinati uxores ducerent; ſed tantum, ut qui accepiſſent ante ordinationem, eas apud ſe retinerent. Quod ipſum tamen iis generaliter, non quia bonum, ſed propter duritiem cordis eorum, Eccleſia permittit. Sed cum aliud ſit tollere legem, aliud in ea diſpenſare. Ideo quoad ſecundum.

IX. Dico, non eſſe negandum, quin ex cauſa rationabili poſſit aliquando Eccleſia diſpenſare, ut quis ſacris Ordinibus initiatus uxorem ducat. Quemadmodum, & conſtat a ſummo Pontifice cum quibuſdam diſpenſatum fuiſſe poſt Subdiaconatum, vel etiam Diaconatum ſuſceptum, ex gravi tamen cauſa, & maxime ſi in ſuſceptis Ordinibus ſolemniter non miniſtraverint. Cujus etiam exemplum diſpenſationis præbet Can. 10. Concilii Ancyrani: ubi Diaconis in ordinatione proteſtantibus, ſe continere non poſſe, dari dicitur ab Epiſcopis illos ordinantibus licentia Matrimonii ineundi. Et S. Gregorius ſupra laudatus, qui Siciliæ Subdiaconos uxoribus utentes non vult ab officio repelli.

Præſens autem diſpenſationis hujus teſtimonium exhibet Eccleſia Græca, quæ tolerante etiam Latina permittit, ut ſui etiam majoribus Ordinibus initiati, permaneant in uſu matrimonii antea contracti. Cujus tolerantiæ fidem faciunt Innocentius III. *cap.* 14. Concil. Lateranenſ. IV. & Cap. *Olim*. Unde in Conciliis Lugdunenſi, & Florentino nihil Græcis fuiſſe objectum legimus, damnans eorum Sacerdotes, quod conjugio ante ordinationem contracto, poſiti in Sacerdotio adhuc utantur.

X. Ratio autem eſt. Quia debitum continentiæ Ordinibus ſacris, ut §. præcedenti oſtenſum eſt, ſolo jure Eccleſiaſtico fuit annexum: ſed in eo, quod eſt jure tantum Eccleſiaſtico debitum, poteſt Eccleſia diſpenſare, ergo &c. Unde S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 11. *in cap.* ait: *Non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ Ordini ſacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ: unde videtur, quod per Eccleſiam poſſet diſpenſari in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri Ordinis.* In quo ſtat diſparitas inter Religioſos ſolemniter profeſſos, & ſacris Ordinibus initiatos. Nam ſtatui religioſo, cui per votum quis conſecratur, continentia eſſentialiter eſt annexa: unde probabiliter ſentit S. Thom. cum eo diſpenſari non poſſe. At continentia non pertinet ad ſubſtantiam Ordinis, tametſi cum eo valde congruat; ſed ex ſtatuto Eccleſiæ annectitur. Solemnitas enim voti in ordinatione per ſe reſpicit ipſam ordinationem, qua quis conſecratur in miniſterium Dei; per accidens autem ſecum trahit votum continentiæ, nam ſine tali voto tacito, vel expreſſo valide quis ordinatur. Quamobrem proprie loquendo non eſt hoc votum ſolemne, ſed ſimplex, annexum tamen ſolemni conſecrationi, ideſt, ſacræ ordinationi, non ex natura rei, ſed ex lege Eccleſiæ, & ita annexum, ut ex ejuſdem Eccleſiæ conſtitutione non ſolum impediat matrimonium, ſed dirimat, ſaltem ſecundum jus modernum.

XI. Probatur etiam a ſimili. Nam ſalvo Sacerdotis officio diſpenſari cum eo poteſt, ut utatur conjugio ante ordinationem contracto; quod a nemine negatur, & factum aliquando, ac Græcis ab Eccleſia permiſſum eſt, ergo & diſpenſari poterit, ut ordinatus contrahat. Sive enim uxor ducta fuerit ante Ordinem, ſive poſt, ejus uſus æqualiter impedit, perturbat, ac dehoneſtat officium, ac dignitatem Sacerdotis: ideoque neutrum concedi debet, niſi ex juſta cauſa horum incommodorum fiat diſpenſatio. — Quod confirmatur. Quia ſi quis Presbyter olim duxiſſet uxorem, non ab ea ſeparabatur, tamquam irrito conjugio; ſed amovebatur a miniſterio: ratum ergo erat matrimonium, Eccleſia illud prohibente quidem, ſed nondum irritante. Hinc Ancyrana Synodus *ann.* 314. *Can.* 10. eis, qui non reclamantes ad Diaconatum promoti ſunt, quamvis continentiam ſilentio ſuo profeſſis, ſi poſtea ad nuptias venerint, ab officio ſuo depoſitis, nulla ſeparationis mentione facta,

facti, laicam Communionem concedit. Et Synodus Arelatenſis III. *anno* 538. *Canon.* 7. Clericos, qui volentes, abſque ulla reclamatione in ætate legitima fuerint ſacris Ordinibus initiati, tantum jubet, nulla ſeparationis mentione facta, cum mulieribus, quas acceperint, excommunicari. — A multis tamen ſæculis ſacris Ordinibus initiati ad contrahendas nuptias inhabiles facti ſunt. Patet ex, *Canon.* 21. Conc. Lateranenſis I. a Calixto II. *ann.* 1122. celebrati: qui Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis matrimonia contrahere penitus interdicit, & contracta disjungi jubet. Patet etiam ex *cap.* 1. & 2. Extra, *Qui Clerici, vel voventes*, quibus Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti prohibentur uxores ducere, & ſi duxerint, ab eis jubentur ſeparari. Quod confirmavit Tridentinum, *Seſſ.* 24. *Can.* 9. ſupra relato.

Hic examinandum eſſet: an omnes Ordines ſint ſacramenta? ſed hoc præſtabit de ſingulis agendo reſolvere.

QUÆSTIO V.

De Epiſcopatu.

NUNC de ſingulis Ordinibus agere incipimus, eorum ſubſtantiam, materiam, & formam inquirentes. Et primo in hac quæſtione agemus de Epiſcopatu.

DUBIUM I.

Utrum Epiſcopatus ſit ſuperius Presbyteratu, & quo jure.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. EPiſcopi nomen proprie loquendo ſignificat hominem, qui alteri vigilat, ejuſque curam gerit cum auctoritate, & juriſdictione. Sumptum autem eſt ab eo, quod eſt munus in Epiſcopatu, a poteſtate nimirum regendi corpus myſticum Chriſti, non a charactere, per quem Epiſcopus habet facultatem generandi Eccleſiæ, quam deſponſavit, Patres, & Paſtores. Hinc Tertullianus Epiſcopos ſæpe vocat *Præſidentes*, quod nempe, fidelium ſynaxibus olim præeſſent, ſeu quod ſynaxes ſine Epiſcopis non agerentur: *Euchariſtia ſacramentum* (inquit) *nonniſi de manu Præſidentium ſumimus*. Sanctus autem Auguſtinus Epiſcopum interdum vocat primum Presbyterum, Summum Sacerdotem: *Quid eſt Epiſcopus* (inquit) *niſi primus Presbyter, hoc eſt, Summus Sacerdos?*

II. Hanc dignitatem, quæ cæteris ſuperemineat, exiſtere in Eccleſia negavit Aerius, ut ſupra, *quæſt.* 2. *dub.* 1. §. 1. obſervavimus. Dicebat enim (apud Epiphanium, Hæreſi 75. §. 3.) *Quid eſt Epiſcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo. Unus enim eſt Ordo, & unus* (inquit) *honor, & una dignitas. Imponit manus Epiſcopus, ita etiam Presbyter: Lavacrum dat Epiſcopus, ſimiliter & Presbyter: Diſpenſationem cultus divini facit Epiſcopus: ſed etiam Presbyter.*

Aerio proxime acceſſit Calvinus, qui, *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 4. §. 2. loquens de veteri Eccleſia, ait: *Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros: illi ex ſuo numero in ſingulis civitatibus unum eligebant, cui ſpecialiter dabant titulum Epiſcopi, ne ex æqualitate, ut fieri ſolet, diſſidia naſcerentur. Neque tamen ſic honore, & dignitate ſuperior erat Epiſcopus, ut dominium in collegas haberet; ſed quas partes habet Conſul in Senatu, ut referat de negotiis, conſulendo, monendo, hortando, aliis præeat, auctoritate ſua totam actionem regat, & quod decretum communi conſilio fuerit, exequatur; id muneris ſuſtinebat Epiſcopus in Presbyterorum cœtu, atque idipſum pro temporum neceſſitate humano conſenſu inductum fatentur ipſi Veteres.* Quibus Calvinus non aliam Epiſcopo auctoritatem tribuit in Eccleſia, quam ſicut Conſuli in Senatu, & hanc humano tantum conſenſu, & jure inductam.

Eccleſia tamen Catholica ſemper agnovit, & confeſſa eſt, Epiſcopum eſſe ſimplici Presbytero ſuperiorem; & hoc jure divino, non humano tantum.

§. II.

Reſolvitur prima pars.

III. DIco. Epiſcopi ſunt Presbyteris ſuperiores. Ita Sanct. Thom. *in Suppl.* 3. *part. quæſt.* 40. *art.* 4. ubi hæc docet: *Sacerdos habet duos actus: unum principalem, ſcilicet, conſecrare corpus Chriſti: alterum ſecundarium, ſcilicet, præparare populum Dei ad ſuſceptionem hujus ſacramenti . . . . Quantum autem ad primum actum poteſtas Sacerdotis non dependet ab aliqua ſuperiori poteſtate, niſi divina: ſed quantum ad ſecundum dependet ab aliqua ſuperiori poteſtate, & humana. Omnis enim poteſtas, quæ non poteſt exire in actum, niſi præſuppoſitis quibuſdam ordinationibus, dependet ab illa poteſtate, qua illas ordinationes facit: Sacerdos autem non poteſt abſolvere, & ligare, niſi præſuppoſita prælationis juriſdictione, qua ſibi ſubdantur illi, quos abſolvit. Poteſt autem conſecrare quamlibet materiam a Chriſto determinatam; nec aliud requiritur quando eſt de neceſſitate ſacramenti: quamvis ex quadam congruitate præſupponatur actus Epiſcopalis in conſecratione altaris, & veſtium. Et ita patet, quod oporteat eſſe poteſtatem Epiſcopalem ſupra Sacerdotalem, quantum ad actum ſecundarium Sacerdotis, non autem quantum ad primum.* Quæ Sancti Thomæ verba ſic intelligenda ſunt: ut circa conſecrandum corpus Chriſti Sacerdos habeat abſolutam poteſtatem, cujus effectum Epiſcopus impedire non poteſt: quamvis enim prohibere poſſit Sacerdoti, ne conſecret, vel baptizet; non poteſt tamen impedire, quin vere conſecret, vel baptizet, ſi is conſecrare, vel baptizare attentaverit: ſi tamen ei prohibeat, ne abſolvat, vel liget; etſi attentaverit, nihil faciet.

IV. Quia tamen ſuperioritas poteſt alicui duobus titulis convenire, vel ratione Ordinis, vel juriſdictionis; utroque titulo Epiſcopus Presbytero eſt ſuperior. Nam Epiſcopus vi ſuæ ordinationis poteſt ordinare, confirmare, chriſma conficere, templa, & altaria conſecrare: hæc autem Presbyter vi ſuæ ordinationis non poteſt, & ſi tentatet facere, nihil faceret; ergo Epiſcopus eſt ſuperior Ordinis poteſtate: nam ſi eadem foret in utriſque, quidquid vi ordinis facit Epiſcopus, facere ſaltem valide poſſet Presbyter. Hoc titulo excellentiam Epiſcoporum ſupra Presbyteros oſtendit Epiphanius, Hæreſ. 75. n. 3. *Siquidem Ordo Epiſcoporum ad gignendos Patres præcipue pertinet; hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio. Presbyter cum Patres generare non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres, aut Magiſtros.* Idem ait Hieronym. *Epiſt. ad Evagrium* (ſeu Evangelium) *Quid enim facit, excepta ordinatione Epiſcopus, quod non faciat Presbyter?* Ex quo infert (Dialogo adverſus Luciferianos) quod, cum in ſecta eorum nemo eſſet Epiſcopus, qui ordinare poſſet Sacerdotes, eorum ſecta interiiſſet: *Nam Eccleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotem.*

V. Quod Epiſcopus etiam juriſdictione ſit major Presbytero, Prob. primo. Quia Epiſcopus poteſt excommunicare, Indulgentias facere, Confeſſarios ad abſolvendum probare, quæ ſi attentet Sacerdos, etiam Parochialem curam habens, nihil agit. Secundo ex Sanct. Thom. loco citato. Poteſtas tanto eſt altior, quanto ad plura ſe extendit: ſed Epiſcopalis poteſtas ad plura ſe extendit, quam Presbyteralis. Nam hæc ſe extendit ad purgandum, & illuminandum tantum: Epiſcopalis autem ad hoc, & rurſus ad perficiendum (ut Dionyſ. dicit, c. 5. Hierarch.) ergo &c. Tertio ex eodem ibi: *Divina miniſteria debent eſſe magis ordinata, quam humana: ſed humanorum Officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio præponatur unus, qui ſit princeps illius officii, ſicut præponitur militibus dux; ergo & Sacerdotibus debet aliquis præponi, qui ſit Sacerdotum Princeps, & hic eſt Epiſcopus, ergo Epiſcopalis poteſtas debet eſſe ſupra Sacerdotalem.*

§. III.

Reſolvitur ſecunda Pars.

VI. DIco. Epiſcopi ſunt ordine, & juriſdictione Presbyteris ſuperiores jure non humano tantum, ſed divino. Et quidem Epiſcopos ſaltem jure humano eſſe Presbyteris ſuperiores, conſtat ex dictis §. præced. nec Calvinus ipſe abſolute negat.

Quod vero ſint etiam jure divino ſuperiores, oſtendo primo. Quod habet Epiſcopus ſupra Presbyteros ex vi ordinationis ſuæ, habet jure divino; quia habet illud ex inſtitutione Chriſti. Nam ordinatio Epiſcopi eſt cæremonia inſtituta a Chriſto; quia ut dicemus, verum ſacramentum eſt, & per eam datur poteſtas Epiſcopo transferendi etiam in alios poteſtatem conficiendi ſacramenta, quod certe ab Eccleſia conferri non potuit, ſed a ſolo inſtitutore Eccleſiæ Chriſto: ſed ea, in quibus Epiſcopus Sacerdotes excellit, nempe, ordinare, confirmare &c. habet vi ordinationis ſuæ, ergo ea habet a Chriſto.

VII. Oſtendo ſecundo, ex S. Epiphanio ſupra relato. Ille jure divino alterum ſuperat ordinis poteſtate, qui poteſt generare Patres Eccleſiæ, cum alter non poſſit generare, niſi filios: & quod poſſit gĕnerare Patres Eccleſiæ, habet ex inſtitutione Chriſti. Atqui Epiſcopus poteſt generare Patres Eccleſiæ, nempe Presbyteros: Presbyter vero poteſt tantum generare filios, nempe ſimplices fideles, & quod Epiſcopus poſſit generare Patres Eccleſiæ, hoc habet ex inſtitutione Chriſti, ſicut ex hac habet Presbyter, quod poſſit generare filios Eccleſiæ: Epiſcopus enim habet, quod poſſit generare Patres Eccleſiæ per ordinationem ſacerdotalem, ſicut Presbyter generat filios Eccleſiæ per lavacrum regenerationis, & proinde uterque generat per collationem ſacramenti: poteſtas autem ſacramenta conferendi ab alio dari non poteſt, niſi a Chriſto ſacramentorum auctore.

VIII. Oſtendo tertio: ex S. Leone Magno, *Epiſt.* 88. *ad univerſos Germaniæ, & Galliæ Epiſcopos*. Ubi poſtquam oſtendit præſtantiam Epiſcopi ſupra Chorepiſcopos, & ſimplices Presbyteros, ex multis, quæ ſolus Epiſcopus facere poteſt, vel ſi aliqua non Epiſcopus facit, ſolus tamen Epiſcopus

ſcopus jure ordinario facit. Omnia hæc confirmat 1. ex veteri lege, in qua fuit unus ſummus Sacerdos, nempe, Aaron, & qui ſuccedebant Aaroni, & præterea erant omnes inferiores Sacerdotes, omnes nempe, Aaronis filii; denique erant cæteri Levitæ, qui a Levi deſcendebant, ſed non per Aaronem. Hi autem gradus jure divino diſtincti erant, ut jure divino ſummus Sacerdos auctoritate, & dignitate ſuperior eſſet inferioribus Sacerdotibus, & hi ſuperiores eſſent cæteris Levitis: unde trium illorum graduum diverſæ erant conſecrationes, ſicut & veſtes, ac officia. Cum ergo hæc hierarchia a Deo per Moyſen in lege veteri inſtituta, figura fuerit hierarchiæ per Chriſtum inſtituendæ in lege nova; & Epiſcopi ſint in lege nova quod erant ſummi Sacerdote in veteri, & quod erant inferiores Sacerdotes, modo ſint ſimplices Presbyteri, ſicut quod erant Levitæ, modo ſunt Diaconi: ne ſit minus perfectum figuratum, quam umbra, & figura, oportebit ut excellentia Epiſcopi ſuper Presbyterum, & Presbyteri ſuper Diaconum ſit jure divino conſtituta. Unde S. Thom. citata q. 40. art. 4. ad 1. *Aaron* (inquit) *Sacerdos fuit, & Pontifex, ideſt Sacerdotum princeps. Sumpſit ergo Sacerdotalis poteſtas ab ipſo exordium, in quantum fuit Sacerdos ſacrificia offerens, quod etiam minoribus Sacerdotibus licebat. Sed non ab eo in quantum fuit Pontifex, per quam poteſtatem poterat aliqua facere (ut ingredi ſemel in anno in Sancta Sanctorum) quod aliis non licebat.*

Secundo. Idem confirmat Sanctus Leo ex lege nova. Nam jure divino Apoſtoli auctoritate, & dignitate ſuperiores fuerunt, ut conſtat ex diſtincta, & diverſa inſtitutione. Apoſtolos enim inſtituit, *Luc. 6. v. 13.* Ubi vocatis omnibus diſcipulis: *Elegit duodecim ex illis, quos & Apoſtolos nominavit.* Lucæ autem 10. *Deſignavit & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem Civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus.* Licet autem omnes miſerit, ſolis tamen Apoſtolis tamquam electis dixit, Joann. 20. verſ. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Solis eis dedit tunc Spiritum Sanctum cum facultate remittendi, & retinendi peccata. Cùm ergo Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis, & ſimplices Presbyteri ſeptuaginta duobus diſcipulis, quod præter Leonem aſſerunt magno conſenſu Patres alii, ſequitur, quod Epiſcopi jure divino ſint Presbyteris ſuperiores.

IX. Oſtendo quarto, ex S. Thom. art. 4. citato, ad 3. *Sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexiſtunt exemplariter in Deo: ita Chriſtus fuit exemplar omnium officiorum Eccleſiaſticorum*, cum ergo *Unuſquiſque miniſter Eccleſiæ quantum ad aliquid gerat typum Chriſti, ille eſt ſuperior, qui ſecundum majorem perfectionem Chriſtum repræſentat. Sacerdos autem repræſentat Chriſtum in hoc quod per ſe ipſum aliquod miniſterium implevit: ſed Epiſcopus in hoc, quod alios miniſtros inſtituit, & Eccleſiam fundavit. Unde ad Epiſcopum pertinet mancipare aliquid divinis officiis, quaſi cultum divinum ad ſimilitudinem Chriſti ſtatuentem: & propter hoc etiam Epiſcopus ſpecialiter ſponſus Eccleſiæ dicitur, ſicut & Chriſtus*, Ergo Epiſcopus Chriſtum perfectius repræſentat.

X. Accedit ratio, quam non contemnendam putat Eſtius, *in 4. diſt. 24. §. 25.* qua per hoc aliqui jus divinum probare nituntur hoc modo. Conſtat inter omnes Orthodoxos, Petrum, ejuſque ſucceſſores jure divino primatum tenere totius Eccleſiæ; ergo quo jure unus Prælatus fuit omnibus, eodem oportebat etiam particularibus Eccleſiis ſuos præeſſe Antiſtites, ut ſic a capite per majorem membra ad minora, chriſmatum influxus deſcenderet.

XI. Secunda pars, quod jure divino ſint etiam juriſdictione Epiſcopi, Presbyteris ſuperiores: præter huc uſque dicta, quæ poteſtatem etiam juriſdictionis evincunt, probatur primo, ex Act. Apoſt. *cap. 20. v. 28.* Ubi Paulus: *Attendite vobis* (inquit) *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* Hinc ad Timoth. 5. v. 19. *Adverſus Presbyterum, accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Et ad Titum 1. verſ. 5. ait: *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros.* Epiſcopi ergo, quales erant Timotheus, & Titus, a Spiritu Sancto poſiti ſunt Rectores, & Judices fidelium, adeoque ſimplicibus Presbyteris ſuperiores. Epiſcopi namque Principes ſunt Eccleſiæ, Presbyteri vero ſubditi: juriſdictio autem penes Principem reſidet, non penes ſubditos. Propterea Concilia omnia tam generalia, quam provincialia ab initio Eccleſiæ ſolis Epiſcopis Judicibus celebrata ſunt: & ſi quando cum Epiſcopis Presbyteri in Concilio ſederunt, non ſuo, ſed Epiſcoporum abſentium, quos repræſentabant, nomine ſederunt: & ſi Conciliis interfuerunt, fecerunt hoc tamquam Conſiliarii, non tamquam Judices, ſicut & laici tamquam auxilium, & defenſionem præſtantes.

XII. Demum. Apoſtoli jure divino juriſdictione omnibus in Eccleſia eminuerunt: ſed Epiſcopi in juriſdictione non minus, quam in ordine Apoſtolis ſuccedunt, ergo &c. Audiatur Auguſtinus, enarrat. in Pſ. 44. *Quod eſt* (inquit) *pro Patribus niſi nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? ipſa Eccleſia patres illos vocat; ipſa illos genuit* (per Epiſcopalem ordinationem) *& ipſa illos conſtituit in ſedibus patrum* (Apoſtolorum) *non ergo te pudeat deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es, de prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram ... Hæc eſt Catholica Eccleſia, filii ejus* (Epiſcopi) *conſtituti ſunt Principes ſuper omnem terram: filii ejus conſtituti ſunt pro Patribus* (Apoſtolis) .... *Filios genuit Eccleſia, conſtituit eos pro patribus ſuis principes ſuper omnem terram.* Ita acute de more S. Auguſt. & merito. Si enim qui in lege veteri ſuccedebant Aaroni, & aliis Pontificibus, divino jure, juriſdictione ſuperiores erant omnibus etiam minoribus Sacerdotibus, unde *Deuter. 17. v. 12.* dicitur: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, decreto Judicis morietur homo ille*: cum id ſit Epiſcopus in Eccleſia, quod erat Pontifex in Sinagoga, ut ſupra dictum eſt, omnes de Eccleſia ejus imperio obedire debebunt, & quidem divino jure.

XIII. Tandem. Ille Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores cum eorum juriſdictione inſtituit, qui inſtituit Eccleſiaſticam hierarchiam conſtantem ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris aliis, ſed hanc non alius, niſi Chriſtus, qui Eccleſiam fundavit, inſtituit: ergo &c. Unde Tridentinum, Seſſ. 23. Can. *6. Si quis dixerit* (inquit) *in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris: anathema ſit.* Et Can. *7. Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores &c. Anathema ſit.*

§. IV.

Contraria Rejiciuntur.

XIV. OBjiciebat primo Aerius locum 1. *ad Timoth. 3.* Ubi cum Paulus de Epiſcopo verba feciſſet, omiſſa Presbyteri mentione, continuo ad Diaconos tranſitum facit: habebat ergo Paulus pro eodem Epiſcopum, ac Presbyterum. —— Similiter, *ad Titum* 1. referens dotes neceſſarias in Presbyteros, ad hoc, ut ad hunc Ordinem valeat promoveri, ſimul virtutes Epiſcopi enarrat. —— Et ad *Philip. 1. verſ. 2.* plures eodem tempore unius Civitatis Philippenſis Epiſcopos agnoſcit. Ait enim: *Omnibus Sanctis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus.* Cum ergo unius Civitatis plures Epiſcopi non ſint, nomine Epiſcoporum intelligit ſimplices Presbyteros.

XV. Ad primum reſpondeo cum S. Chryſoſt. *Homil. 11. in eorum locum*, quod Paulus ideo de Presbytero tacuit: *Qui ſcilicet inter Epiſcopum, atque Presbyterum intereſt ferme nihil ..... Sola quippe ordinatione ſuperiores illi* (Epiſcopi) *ſunt atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Si ergo Epiſcopi ordinatione ſuperiores ſunt; hoc ipſo jure divino ſaltem ordine Presbyteris ſuperiores ſunt. —— Aliter tamen reſpondet S. Epiphanius dicens, Apoſtolos initio, propter miniſtrorum raritatem, ſingulis Eccleſiis tantummodo Epiſcopum attribuiſſe cum Diacono, eo quod per hos ſolos ſine Presbyteris diſtinctis Eccleſiaſtica miniſteria compleri poſſent. Quidquid enim Presbyter facit, & Epiſcopus facere poteſt, non contra: cæterum Diaconi miniſterio Epiſcopum carere non potuiſſet.

Ad ſecundum dicit S. Joann. Chryſoſt. ibi, Paulum ibi loqui de Presbytero, qui ſimul promovendus erat in Epiſcopum. Ait enim: *Ut conſtituas per Civitates Presbyteros.* —— Dici etiam (& forte verius) poteſt, locutum fuiſſe Paulum de ſimplici Presbytero, maxime qui curam aliorum velut parochialem debebat habere. Conſtat enim in Eccleſiis Timotheo ſubjectis non defuiſſe ſimplices Presbyteros: ideo enim 1. ad Timoth. 5. verſ. 17. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Erant ergo in Eccleſia Timothei plures ſimplices Sacerdotes, quorum aliqui laborabant in verbo, & doctrina, alii ſuo tantum Sacerdotio fungebantur. Rurſus ibi *verſ. 19.* ait: *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Erant ergo Presbyteri Timotheo ſubjecti, quos judicare poterat, & proinde non Epiſcopi. Quod colligitur ex Epiſt. Jacobi, 5. verſ. 14. *Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Et ex *Act. 14. verſ. 22.* ubi dicitur de Paulo, & Barnaba. *Cum conſtituiſſent per ſingulas Eccleſias Presbyteros.* Hos autem conſtat fuiſſe ſimplices Presbyteros, non Epiſcopos.

Ad tertium, primo dico, ut ſupra cum S. Epiphanio, *Hæreſi 75.* Philippenſes, ad quos Epiſtola dirigitur, fuiſſe integræ Provinciæ, non unius Civitatis nomen, in cujus qualibet Civitate unus Epiſcopus erat cum Diacono, nullus autem ſimplex Presbyter. *Non enim* (inquit Epiphanius) *omnia ſtatim potuerunt Apoſtoli conſtituere: Presbyteris enim opus erat, & Diaconis, per hos enim duos Eccleſiaſtica compleri poſſunt. Ubi vero non inventus eſt quis dignus Epiſcopatu, permanſit locus ſine Epiſcopo. Ubi autem opus fuit, & erant digni Epiſcopatu, conſtituti ſunt Epiſcopi. Cum autem multitudo non eſſet, non inventi ſunt inter ipſos, qui Presbyteri conſtituerentur, & contenti fuerunt ſolo Epiſcopo in loco conſtituto &c.*

Ita S. Epiphanius reſpondet Aerio, qui ex hoc Pauli loco aſſerebat, Presbyteros ab Epiſcopis non diſtingui.

XVI. Se-

XVI. Secundo: admiſſo, Epiſcoporum nomine intelligi a Paulo etiam Presbyteros obſervo: Epiſcopi nomen ſumi poſſe primo ſpecialiter pro illo, qui in ordine Eccleſiaſtico primus, ac Princeps eſt: & in hoc Concilium Tridentinum, *Seſſ. 23. cap. 4.* intelligit verba, Actor. 20. *In quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*. Secundo, generaliter, & comprehendit etiam Presbyteros, præſertim illos, qui habent curam animarum. Nam quamvis revera ab Epiſcopis fuerint ſemper diverſi, ab initio tamen ſub eodem nomine Epiſcopi comprehendebantur. Ita S. Thom. *in cap. 1. Epiſt. ad Philip. Lect. 1.* ubi quærens: cur Paulus intermittit ibi Presbyteros? Reſpondet: *Quod comprehenduntur cum Epiſcopis, quia in una Civitate non ſunt plures Epiſcopi: unde dicens in plurali, dat intelligere etiam Presbyteros. Et tamen eſt alius ordo, quia ex ipſo Evangelio hoc legitur, quod poſt deſignationem duodecim Apoſtolorum (quorum perſonas gerunt Epiſcopi) deſignavit ſeptuaginta duos diſcipulos, quorum locum Sacerdotes tenent. Dionyſius etiam diſtinguit Epiſcopos, & Sacerdotes. Sed in principio, licet ordines fuerint diſtincti, non tamen nomina Ordinum. Unde hic comprehendit Presbyteros cum Epiſcopis*. Videndus eſt S. Doctor, 2. 2. *quæſt. 184. art. 6. ad 1. & ad 2.* ubi dicit quod minores Presbyteri, etiam curam animarum habentes. *Ita ſe habent ad Epiſcopum, ſicut baliui, vel propoſiti ad Regem*.

XVII. Secundo objiciunt recentiores hæretici S. Hieronymum, qui, *Epiſt. 84.* dicit, Paulus aperte docere, eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos. Et in cap. 1. Epiſtol. ad Titum: *Idem* (inquit) *eſt Presbyter, qui, & Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in populis, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unuſquiſque, eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris*. Et poſtea: *Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudinis, quam diſpoſitionis dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores*.

Auguſtinus etiam, *Epiſt. 19.* modo 82. *cap. 4.* dicit, Epiſcopatum Presbytero majorem eſſe, ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit.

XVIII. Reſpondeo, Sanctum Hieronymum nil aliud velle, quam quod olim nomen *Epiſcopi* commune fuerit Presbyteris inferioribus, ob communem curam rerum Eccleſiaſticarum: quodque ante exorta ſchiſmata gubernarentur Eccleſiæ communi Presbyterorum, non quidem poteſtate, ſed conſilio. Poſtea vero Presbyteris plus quam par erat ſibi arrogantibus, adeo ut unuſquiſque illorum Eccleſiam ſibi propriam quaſi faceret, decretum fuit, ut qui non nomine tantum, ſed ordinatione, ac re ipſa erat Epiſcopus, ac inter Presbyteros Princeps, palam ſuperponeretur cæteris, & loci eminentia, & rerum eccleſiaſticarum cura, quæ non amplius tanta, & adeo libera, ut prius, Presbyteris permitteretur, ſed penes Epiſcopum remaneret, ut dependentiam, & inferioritatem ſuam recognoſcerent. Neque negat Epiſcopum eſſe abſolute Presbytero *Superiorem*, ſed dicit: *Potius conſuetudine, quam divina diſpoſitionis veritate eſſe majorem*, nimirum, quantum ad eminentiam honoris, & erectionem ſedis ſublimioris in Eccleſia. Cauſa autem, cur Hieronymus citatis locis vehementius loquatur, eſt: In *Epiſt.* quidem 84. ut frangat ſuperbiam eorum Diaconorum, qui ſe Presbyteris anteponebant. In *Epiſt. vero ad Titum*, ut quoſdam Epiſcopos ad modeſtiam revocaret, qui ſe ſupra Presbyteros immoderate efferebant.

Cæterum, quod S. Hieronymus agnoverit Epiſcopum jure divino ſuperiorem Presbyteris, tum ordine, tum juriſdictione, conſtat. Nam, *Dial. contra Luciferianos, cap. 4.* docet: *Ex auctoritate divina deſcendere, quod baptizatus non confirmetur, niſi per Epiſcopum*. Additque: *Salus Eccleſiæ in Summi Sacerdotis* (ideſt, Epiſcopi) *dignitate pendet: cui non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes*. Et Epiſt. ad Evagrium ſeu Evangelium: *Ut ſciamus* (inquit) *traditiones apoſtolicas ſumptas ex veteri Teſtamento: quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Et inſuper, *Epiſt. 2. cap. 9.* ait: *Quod Aaron & filios ejus, hoc eſt Epiſcopum, & Presbyteros eſſe noverimus*. Conſtat autem, quod tres illi gradus fuerunt divina ordinatione diſtincti, ut Pontifex major eſſet Sacerdotibus, & Sacerdotes Levitis; *Exod. 28. Num. 16. 17. Deuteron. 17.* ergo ſimiliter ex mente Hieronymi eſt, quod Epiſcopus jure divino major eſt Presbyteris, & Presbyteri Diaconis. Unde, *Epiſt. ad Pammachium*, adverſus errores Jo: Hieroſol. damnat has voces: *Nihil intereſt inter Presbyterum, & Epiſcopum: eadem eſt dignitas utriuſque*.

Neque eſt quod opponas ejuſdem Hieronymi Epiſtolam ad Ruſticum Narbonenſem, de ſeptem gradibus Eccleſiæ, ubi ſine exceptione dicit, Presbyterum facere poſſe quidquid Epiſcopus, licet quædam Epiſcopis ſint reſervata. Item, Presbyterium eſſe Epiſcopatum, & in Presbytero ſummam Sacerdoti, hoc eſt, Epiſcopatus, collocari. — Nam reſpondetur, eam Epiſtolam ſpuriam eſſe. nec Hieronymi fœtum legitimum; immo ejus auctorem quædam a ſe dicta, in fine mitigare, atque ingenue agnoſcere, quod Epiſcopus ſit lex Presbyteri. Porro quod Hieronymi non ſit, vel inde patet, quod Diaconos ſupra modum extollat, quorum faſtum Hieronymus ubique deprimit. — Quod ſi aliquis eam Epiſtolam velit admittere, reſpondere poteſt auctorem illius adæquare Presbyterum Epiſcopo, tantum quoad confectionem Euchariſtiæ, in qua ſunt æquales; non autem quoad alia, ut Sacerdotes, & Diaconos conſecrare. Unde ait: *Nec debere Epiſcopum repudiare Euchariſtiam Presbyterorum, ſi ponatur in altari*. Et hac diſtinctione conciliari poſſunt alia dicta Patrum, quibus Presbyteros Epiſcopis æquare videntur.

XIX. Ad Sanctum Auguſtinum dico, eum non aliud voluiſſe ſignificare, niſi quod olim ſecundum vocabula non fuerit inter Presbyterum, & Epiſcopum diſcretio: cum, ut diximus, & Epiſcopus Presbyter, & Presbyter Epiſcopus vocaretur. Quod autem agnoverit perpetuam diſtinctionem rei, conſtat ex verbis ipſius ſupra laudatis, in *Pſalm. 44.* Et quod Aerium inter Presbyterum, & Epiſcopum diſtinguere nolentem ad hæreticos amandverit, *lib. de Hæreſ. cap. 53*.

DUBIUM II.

An Epiſcopatus ſit Ordo, & Epiſcopi Ordinatio ſit verum, ac proprie dictum Sacramentum?

§. I.

Reſolutio Dubii.

IN duplici ſenſu agitari poteſt hoc dubium, nimirum. An Epiſcopatus ſit Ordo ſpecie adæquate diſtinctus ab ordine Presbyteratus, eo modo, quo Ordo Presbyteratus ab ordine Diaconatus diſtinguitur: an vero ſit Ordo ſola ſpecie inadæquata diſtinctus, tamquam extenſio, eminentia, perfectio, & ſupremus Presbyteratus gradus.

I. Dico. Epiſcopatus ſeu ordinatio Epiſcopi eſt verum, ac proprie dictum ſacramentum, & verus Ordo ab Ordine Presbyteratus diſtinctus, non quidem adæquate, ſed inadæquate tamquam extenſio, perfectio, eminentia, ut ſupremus gradus Ordinis Sacerdotalis. Hanc viam eligo, ut conciliam Auctores apparenter non concordes, & ſalvem ea, quæ S. Thom. *in 4. diſt. 24. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 2.* translata *in Suppl. 3. part. qu. 40. art. 5.* docet. Ubi videtur non concedere, Epiſcopatum eſſe in tota proprietate Ordinem, & ſacramentum, cum alibi oppoſitum ſenſiſſe videatur.

II. Porro ordinationem Epiſcopalem eſſe verum ſacramentum docet S. Thom. *tum in 1. ad Timoth. 4. Lect. 3.* dicens: *Et hæc impoſitio* (manus Presbyteri, qua Timotheus ordinatus fuerat Epiſcopus) *ſignificat collationem gratiæ*. Et *in 2. ad Timoth. 1. Lect. 3.* exponens verba: *Ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, dicit: *A quo ſcilicet ordinatus erat Epiſcopus: in qua manus impoſitione data eſt ei gratia Spiritus Sancti*. Cum ergo ordinatio Epiſcopi ſit actio externa, qua confertur gratia, nil ei deficit, quin ſit vere ſacramentum. Hinc eiſdem Pauli verbis Tridentina Synodus, *Seſſ. 23. cap. 3.* utitur, ut probet ordinationem eſſe ſacramentum novæ legis, ergo cum ea verba Paulus de ordinatione Epiſcopali intellexerit, ſit ut ordinatio Epiſcopalis ſit ſacramentum novæ legis: alias contra Lutheranos hoc negantes nihil evincerent.

Dari gratiam per ordinationem Epiſcopalem perſuaſum fuit Patribus. Unde Teodoretus, *lib. 4. Hiſt. cap. 5.* ſcribit, Sanctum virum Moyſem nomine, nunquam induci potuiſſe, ut a Lucio Ariano Epiſcopo ſineret ſe conſecrari, quod nempe certo ſciret, per hæretici hominis impoſitionem manus non dari Spiritum Sanctum. Conveniens autem fuit, ut Chriſtus Epiſcopatui rationem veri ſacramenti alligarer: non enim Epiſcopo minus neceſſaria eſt gratia, ut digne munia ſua obeat, quam Presbytero, & Diacono, ut ſuis digne fungantur.

III. Quod etiam Epiſcopatus verus ſit Ordo, docet 1. S. Thom. *Opuſc. 18. de perfect. vitæ ſpiritualis, cap. 24.* his verbis: *Quod vero quarto proponitur, quod Epiſcopatus non eſt Ordo, hoc manifeſte continet falſitatem, ſi abſolute intelligatur. Expreſſe enim dicit Dionyſius, eſſe tres ordines Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſcilicet, Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum*. Et 21. *diſt. C. Cleros*, habetur quod Ordo *Epiſcoporum quadripartitus eſt. Habet enim ordinem Epiſcopus per comparationem ad Corpus Chriſti miſticum, quod eſt Eccleſia, ſuper quam principalem accipit curam, & quaſi regalem. Sed quantum ad corpus Chriſti verum, quod in ſacramenta continetur, nan habet ordinem ſupra Presbyterum. Quod autem habeat aliquem ordinem, & non -uriſdictionem ſolam, ſicut Archidiaconus, vel curatus Presbyter, patet ex hoc, quod Epiſcopus poteſt multa facere, quæ non poteſt committere, ſicut confirmare, ordinare, & conſecrare Baſilicas... Quæ vero juriſdictionis ſunt poteſt aliis committere. Idem etiam patet ex hoc, quod ſi Epiſcopus depoſitus reſtituatur, non iterum conſecratur, tamquam poteſtate Ordinis remanente, ſicut & in aliis Ordinibus contingit*.

IV. Ex allatis S. Thom. verbis habemus primo: Epiſcopatum eſſe ordinem, immo primum, ac ſupremum inter

Ordi-

Ordines: non quidem relate ad corpus Christi verum, sed corpus Christi mysticum: in quo Episcopus eminet potestate non solum jurisdictionis, sed Ordinis. Secundo: hanc potestatem Ordinis imprimere characterem, & manere in Episcopo etiam deposito; qui si restituatur, non debet in Episcopum rursus ordinari. Tertio: solemnitatem, qua ordinatur Episcopus esse valde diversam ab institutione Archidiaconi, vel Plebani. Concludit enim S. Doctor: *Ista solemnitas est magis similis civilibus solemnitatibus, secundum quas aliqui investiuntur de feudo per baculum, vel per anulum, quam solemnitatibus Ecclesiæ, quæ quadam consecratione, vel benedictione consistunt.*

V. Quod vero Episcopatus non sit Ordo adæquate a Presbyteratu distinctus, sed potius ejusdem ad altiorem gradum elevatio, mihi suadeo primo. Nam Ordo, qui essentialiter supponit, immo includit alterum, non videtur esse adæquate ab illo distinctus, sed Episcopalis Ordo essentialiter supponit, immo includit Presbyteralem; qui enim presbyteralem Ordinem non haberet, esset ordinis Episcopalis essentialiter incapax; ergo &c. Reliqui enim Ordines, qui adæquate distinguuntur, non sic se habent, ut superior essentialiter inferiorem supponat, & includat, unde ordinatus in Presbyterum non prius ordinatus Diaconus, vel in Diaconum non prius ordinatus in Subdiaconum &c. esset valide ordinatus, sed solum supplendus Ordo, qui defuit: non sic autem qui ordinaretur in Episcopum, non prius ordinatus Presbyter.

Secundo. Potestas, quæ per se non addit aliquid relate ad corpus Christi verum, sed solum relate ad corpus Christi mysticum, non constituit Ordinem adæquate distinctum ab Ordine Presbyteratus, sed puram ejus extensionem, & elevationem: cum Ordines distinguantur secundum diversam comparationem ad corpus Christi verum: sed potestas Episcopalis non addit aliquid relate ad corpus Christi verum, in hac enim Episcopus non est superior Sacerdote, sed solum relate ad corpus Christi mysticum; ergo &c.

Tertio. Potestas Episcopalis excedit potestatem Ordinis Presbyteralis, quod in Episcopo non solum potest conficere corpus Christi, sed etiam communicare aliis, per ordinationem, potestatem illud conficiendi: sed hoc non dicit excessum essentialem, nec constituit potestatem adæquate distinctam, sed solum dicit excessum ex parte subjecti, seu potestatem capitis, & supremi in illo eodem ordine: ideoque Episcopus a Patribus vocatur primus Presbyter, & supremus Sacerdos; ergo &c. Eo proportionali modo, quo licet gratia Christi, quia capitis, habeat virtutem gratiam communicandi aliis, quam non habet gratia, ut in nobis; gratia tamen Christi non est in esse gratiæ adæquate, & essentialiter distincta gratia, quæ in nobis est ut in membris.

Tandem. Quia hac modificatione salvamus septem tantum esse Ordines, ut fert communis doctrina probata in Tridentino, *Sess. 23. cap. 2.* Ubi tot distinguit & distribuit ordines, quot sunt ministeria, quæ ex officio Sacerdotio inserviunt, ac proinde septem tantum enumerat.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

VI. PRimo objicitur. Ut in prima parte Asserti docuimus, ordinatio Episcopi est verum sacramentum ab ordinatione Presbyteri distinctum; utpote conferens distinctam gratiam, nimirum, digne conferendi sacramentum Ordinis; ergo erit Ordo ab Ordine Presbyteratus distinctus. Nam necesse est, tot esse Ordines, quot sunt sacramenta Ordinis.

VII. Respondeo, dist. ant. Ordinatio Episcopi sumpta inadæquate, & ut dicit prædicatum essentiale, quo completur in esse Episcopatus, est &c. conc. ant. Sumpta adæquate, secundum omnia, quæ essentiater includit, nego ant. Episcopatus ergo adæquate sumptus plures includit potestates: potestatem conficiendi corpus Christi, potestatem remittendi peccata, potestatem confirmandi, potestatem jurisdictionis principalis saltem in radice; & insuper potestatem illas omnes potestates aliis communicandi, nempe, alios tam Presbyteros, quam Episcopos ordinandi. Prima, & secunda potestas conferuntur per ordinationem Presbyteralem, reliquæ per Episcopalem. Quare ad Episcopatum adæquate sumptum requiruntur ordinationes, quarum utraque sacramentum est, nempe presbyteralis, & Episcopalis. Per primam Presbyter ordinatur, per secundam ex Presbytero ordinatur Episcopus. Per primam fit Sacerdos: per secundam Sacerdos fit primus, seu supremus Sacerdos. Per primam confertur supremus ordo: per secundam supremus ordo modificatur, & perficitur, dum ad esse Episcopatus, seu Principatus elevatur.

Nego similiter cons. Neque enim verum est tot esse Ordines, quot sunt sacramenta Ordinis. Fieri enim potuit, ut a Christo institueretur aliquod sacramentum Ordinis, non ad conferendum distinctum Ordinem; sed solum ad Ordinem per aliam ordinationem priorem collatum modificandum, ac perficiendum. Neque sacramentum Ordinis dicitur illud tantum, quod confert distinctum Ordinem, sed illud etiam, quod Ordinem jam collatum modificat: & sic Episcopalis ordinatio sacramentum est Ordinem Presbyteratus modificans.

VIII. Responderi etiam potest, dist. cons. Erit Ordo &c. distinctus relate ad subjecta ipsum participantia, transeat cons. Formaliter, & relate ad Eucharistiam, neg. cons. Sacerdotium igitur formaliter, & relate ad Eucharistiam unus Ordo est cum Episcopatu. Sed quia diversimode participatur in Presbytero, & in Episcopo: in illo enim participatur sine potestate aliis communicandi, & cum dependentia, ac subjectione ad alterum, quantum ad illius exercitium: in isto autem participatur cum facultate aliis communicandi per ordinationem, illudque exercendi sine dependentia, idcirco ratione subjectorum diversimode participantium sicut dividitur in Sacerdotium primi, & secundi ordinis, ita in duos Ordines, seu gradus, quorum inferior erit Presbyteratus, Episcopatus autem superior.

IX. Objicies secundo. Si ordinatio Episcopi est sacramentum, characterem imprimit: sed hoc non. Et probo. Nam hic character deberet esse perfectior charactere Sacerdotali, sicut Ordo Episcopalis perfectior est: hoc autem dici nequit, quia character Sacerdotalis cum sit ad opus præstantissimum, nempe, ad conficiendum corpus, & sanguinem Christi, debet esse præstantissimus, ergo &c.

X. Respondeo, neg. min. Ad prob. dico, characterem Episcopalem sumi posse, vel adæquate, & sic est Sacerdotium summum, vel signum illius, & est perfectius absolute charactere pure Sacerdotali. Vel potest sumi inadæquate, nempe, pro ea sui parte, quæ in ordinatione Episcopi superadditur, & qua Sacerdotium in ordine Episcopali collocatur, & fit summum: & sic extensive perfectior est charactere Sacerdotali, qui ad pauciores effectus extenditur, sed simul minus perfectus est intensive.

XI. Objicies tertio. Si Episcopatus esset, modo explicato, ordo ecclesiasticus, & imprimeret characterem, eo quia superior est Presbyteratu: cum etiam Archiepiscopatus, Patriarchatus, Papatus, superiores sint Episcopatu, Ordinis dicendi essent: sed hoc est falsum, ergo &c.

Respondeo, neg. sequelam. Omnes enim illis pares sunt in potestate ordinis Episcopalis, & dignitas Papalis etiamsi sit de jure divino, non tamen est Ordo. Neque enim potest summus Pontifex ullum actum hierarchicum exercere in collatione sacramentorum, quem non possit Episcopus. Unde differunt gradus illi sola dignitate, & jurisdictione, non ordine. Unde S. Thom. *in Suppl. 3. p. qu. 40. art. 6. ad 3.* ait: *Potestas Sacerdotis exceditur a potestate Episcopi, quasi a potestate alterius generis: sed potestas Episcopi exceditur a potestate Papæ, quasi a potestate ejusdem generis. Et ideo omnem actum hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione sacramentorum, potest facere Episcopus. Non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus, potest facere Sacerdos in collatione sacramentorum. Et ideo quantum ad ea, quæ sunt Episcopalis Ordinis, omnes Episcopi sunt æquales. Et propter hoc quilibet Episcopus alium potest consecrare.*

XII. Objicies quarto. S. Thom. citata *q. 40. art. 5.* præcipue *ad 2.* aperte negans, Episcopatum esse sacramentum imprimens characterem, concludit, quod Episcopatus non est Ordo secundum quod Ordo est sacramentum quoddam, ergo in hoc dissentimus a S. Thom.

Respondeo, nego consequent. Nam Sanct. Thom. solum negat, Episcopatum esse Ordinem, & sacramentum, sumens Ordinem relate ad Eucharistiam; quia Episcopatus in ordine ad Eucharistiam nihil plus confert, quam Presbyteratus: non tamen negat esse Ordinem, & Sacramentum absolute, ut supra ex eodem, *Epistol. 18. cap. 24.* retulimus.

DUBIUM III.

De materia, & forma Ordinationis Episcopalis.

§. I.

Resolvitur de materia.

I. CUM ordinatio Episcopi, modo explicato, Ordo, & sacramentum sit; assignari ei debet sua materia, nempe illud, per cujus traditionem confertur; & forma, nempe verba, per quæ materia ad esse sacramentale determinatur. Circa materiam igitur: Multa sunt, quæ Episcopus consecrator, & Episcopi assistentes faciunt supra eum, qui ordinatur. Primo enim consecrator, & assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum;* deinde consecrator stans dicit orationem. Postea consecrator pollicem suum dextrum intingit in sanctum chrisma, & caput electi ungit, deinde ambas manus: subinde tradit illi baculum pastoralem, postea anulum, deinde librum Evangeliorum clausum. Inde recipit electum ad osculum pacis, & imponit mitram, & tandem chirotecas. Ex his omnibus quæremus: Quænam sit materia essentialis, ex cujus traditione, seu porrectione consecratio fiat.

II. In hoc Ecclesiæ Latinæ ordinationis ritu partim convenit Ecclesia Græca, partim disconvenit, aliqua addendo, alia omittendo. Cumque ex alia parte ordinationes factæ a Græcis,

Græcis, a Latina Eccleſia ut validæ admittantur: nam Gregorius IX. Innocentius IV. Gregorius X. Eugenius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. qui in ritibus Græcorum multa reprehenderunt, & emendarunt, de eorum ordinationibus nihil dixerunt. Hinc oritur difficultas: quænam ſit ſtatuenda materia eſſentialis adæquata pro validitate ordinationum Epiſcopalium in utraque Eccleſia. In quo cum diviſos inveniam Doctores, nihil niſi tantum probabiliter ſtatuam.

III. Dico primo. Probabile eſt, materiam eſſentialem ordinationis Epiſcopi eſſe impoſitionem manuum, & ſimul libri Evangeliorum ſuper caput ordinandi. Utrumque enim in praxi eſt, tum apud Latinos, tum apud Græcos, ut ex eorum Euchologiis conſtat; & conciliantur diverſæ opiniones Doctorum: quibuſdam volentibus eſſe ſolam manuum impoſitionem, aliis vero eſſe ſolam inſtrumenti traditionem.

IV. Dico ſecundo. Probabile etiam eſt, materiam eſſentialem ordinationis Epiſcopalis includere etiam unctionem capitis ordinandi, traditionem baculi, & annuli; ita ut materia integra ordinationis Epiſcopalis non ſit ſimplex, ſed compoſita ex pluribus partibus; quæ per moralem inter ſe conjunctionem, coaleſcant in unam totalem omnes ordinationis Epiſcopalis effectus expreſſius ſignificantem, quam per ſolam impoſitionem manuum ſignificaretur: ita ut in eo inſtanti, quo ultima ejus pars primo exiſtit, eo modo, quo res ſucceſſive exiſtere poſſunt, tunc habeatur effectus ordinationis, & ordinatio ſit adæquate completa.

V. Dico tertio. Probabilius exiſtimo, ſolam impoſitionem manuum eſſe materiam eſſentialem totalem ordinationis Epiſcopalis; alia vero ſupracitata, nimirum, unctionem, traditionem libri Evangeliorum, baculi, & annuli, eſſe materiam ſolum integralem, effectus ordinationis Epiſcopalis, & officia Epiſcopi expreſſius ſignificantia. Probo primo. Nam ſola impoſitione manuum ordinatum fuiſſe in Epiſcopum Timotheum indicat Paulus, 1. *ad Timoth.* 4. *v.* 14. dicens: *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Preſbyterii*. Quod repetit, 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quæ exponens S. Thom. ibi, Lect. 1. *A quo* (inquit) *ſcilicet, ordinatus erat Epiſcopus, in qua manus impoſitione data eſt ei gratia Spiritus Sancti*. Quod antea dixerat Chryſoſtomus, *Homil. 13. in 1. ad Timoth.* Si ergo manuum impoſitione ordinationis gratiam accepit Timotheus; impoſitio manuum fuit illi materia eſſentialis; ſicut quia ablutione datur gratia baptiſmalis, ablutio ponitur pro materia totali Baptiſmi.

VI. Ex his ita diſcurro. Semper, & ubique in conferendo Epiſcopatu adhibita fuit impoſitio manuum. Ea uſus fuit Paulus in ordinatione Timothei, ut ambæ ejus Epiſtolæ teſtantur. Concilium IV. Carthaginenſe eam uſurpandam eſſe docet. Patres, qui uſque ad octavum ſæculum ſcripſere, ordinis Epiſcopalis collationem per eam deſignant. Paulus, citatis locis, impoſitioni manuum adſcribit gratiæ collationem. Quid ergo deeſt illi, ut ſit materia, & quidem totalis?

VII. Secundo probo excludendo alia. Et primo, impoſitionem libri Evangeliorum. Nam eam Apoſtoli in conferendo Epiſcopatu non adhibuerunt. Id enim, nec ex Scriptura, nec ex traditione probari poteſt: maxime quia cum cæperunt Epiſcopos ordinare, Evangeliorum libri nondum erant conſcripti. Deinde illa libri Evangeliorum impoſitio ubique non fuit in uſu. Licet enim in Eccleſia Africana obſervata fuerit ſæculo quarto, cum eam referat Concilium Carthaginenſe IV. tertio tamen nondum adhibebatur, nec ullum eſt monumentum, quo id poſſit probari. Eccleſiam Romanam primis ſæculis ea uſam non fuiſſe dicit Alcuinus, *in lib. de divinis officiis*, quem circa *ann.* 760. conſcripſit. Germanos, ineunte nono ſæculo ritum illum non adhibuiſſe docet Amalarius, *lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis*, *cap.* 14. ubi hæc ſcribit: *Dicit libellus* (ideſt Ordo Romanus) *ſecundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quoſdam, ut duo Epiſcopi teneant Evangelium ſuper caput ejus: Quod neque vetus auctoritas intimat, neque canonica auctoritas.*

Tertio. Nec Presbyterorum, nec Epiſcoporum unctio apud Græcos umquam fuit in uſu; nullum enim ejus extat veſtigium, aut in auctoribus Græcis, aut in eorum Euchologiis: & ſi aliquis ſcriptor Græcus unctionis meminit, facile (ait Morinus) de unctione ſpirituali explicatur. Deinde quamvis apud Latinos antiquiſſima ſit Epiſcopalis unctio, quia recenſita a S. Leone Magno, *Serm. 8. de Paſſione*, & a S. Gregorio, *in 1. Reg. cap.* 10. ubique tamen non obtinuit. Africani Patres in Concilio IV. Carthaginenſi de illa Epiſcopali unctione omnino ſilent; licet alia multa ad Epiſcoporum conſecrationem pertinentia referant. In Hiſpanicis Conciliis ante ſeptimum ſæculum celebratis nulla quoque illius mentio fit.

Quarto. In Eccleſia Latina non ſemper adhibita fuit traditio annuli, & baculi Paſtoralis. Eam enim Concilium Carthaginenſe IV. habitum ſæculo quarto non recenſet: cum deſcribit ritum ordinationis Epiſcopalis. Nec in Eccleſia Græca modo eſt in uſu, nec fuit antiquitus, cum nec Patres Græci de conſecratione Epiſcoporum loquentes, nec Euchologia illius meminerint.

VIII. Superest ergo, ut præmemoratæ cæremoniæ ſint ritus ab Eccleſia ſucceſſive inducti ad majorem explicationem officii, & debiti Paſtoralis, quod ei, qui ordinatur, injungitur; & proinde ad ſummum ad integritatem materiæ, non ad eſſentiam pertinentes. Eo modo, quo in ſententia contraria unctio manuum, impoſitio mitræ, & traditio chirothecarum ſunt cæremoniæ ad ſubſtantiam non pertinentes. Impoſitio enim Libri Evangeliorum ſuper caput, & collum ordinati explicat evangelicum jugum, quod ab Epiſcopo ſpeciali ratione in ſui, & aliorum profectum portandum eſt; ejuſque obſervantia prædicatione promovenda. Ita ex Rituali Græco. —— Unctio capitis ſignificat, vel nitorem conſcientiæ quoad Deum, & odorem bonæ famæ, quoad proximum. Vel, ut ait Innocentius III. Extra, de Sacra unctione, *cap.* 1. Hoc unguento caput, & manus Epiſcopi conſecrantur; per caput enim mens intelligitur, per manus opera: *Manus igitur inunguntur oleo pietatis, ut Epiſcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei: caput autem ungitur balſamo charitatis, ut Epiſcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente ſua, & proximum ſuum ſicut ſe ipſum. Caput inungitur propter auctoritatem, & dignitatem, & manus propter miniſterium, & officium: caput enim ungitur, ut oſtendatur illi ſe repræſentare perſonam, de qua dicitur per Prophetam: Sicut unguentum in capite ejus .... Caput enim viri Chriſtus .... Manus Epiſcopi inunguntur, ut oſtendatur accipere poteſtatem benedicendi, & conſecrandi.* Hæc Innocentius. —— Per traditionem baculi Paſtoralis explicatur poteſtas corrigendi, & annuli traditione fides, quam Eccleſiæ, cui ſponſus factus eſt, ſervare debet. Ea igitur, quomodo omnia prædicta explicativa ſunt eorum, quæ Epiſcopo collata ſunt, non primo collativa.

IX. Sed dices primo. Innocentius III. cit. loc. ait: *Cum veniſſet ad Apoſtolicam Sedem Bracarenſis Epiſcopus, qui in conſecratione ſua ſanctam non acceperat unctionem, quoniam apud vos non conſueverunt Pontifices cum conſecrantur inungi: Nos, quod illi defuerat, mandavimus in ipſo ſuppleri, faciente caput ejus, & manus per Albanum Epiſcopum, & aſſiſtentibus ei duobus Epiſcopis ſecundum morem Eccleſiaſticum, ſacro Chriſmate deliniri.* Ergo cenſuit Innocentius; unctionem pertinere ad ſubſtantiam conſecrationis.

X. Reſp. neg. conſ. Imo Innocentius confirmat noſtrum tertium aſſertum. Etenim Innocentius non mandat Epiſcopum Bracarenſem denuo ordinari; quod debuiſſet facere, ſi defectus unctionis fuiſſet defectus in materia eſſentiali; ſed ſolum mandavit, in eo ſuppleri quod defuerat: quod indicat exiſtimaſſe, ordinationem eſſentialiter validam fuiſſe, etſi abſque unctione factam, & ſolum ad integritatem ejus ſupplendum quod defuerat. Quod maxime ex hoc conſtat: quia mandavit ſuppleri non ſolum unctionem capitis, ſed etiam manuum: unctionem autem manuum non eſſe partem eſſentialem, ſed mere accidentariam cæremoniam, etiam Adverſarii ipſi concedunt. Quemadmodum in ordinato Presbytero, vel Diacono per ſaltum, ſuppleri debet, quod omiſſum eſt: non quod ſit de eſſentia, cum ordinatio fuerit valida, quia quod omiſſum eſt, in ea continetur: ita in caſu. Sed pro majori explicatione.

XI. Dices ſecundo. Impoſitio manuum, vel ſignificat omnem poteſtatem, quæ Epiſcopo confertur, vel non. Si ſignificat; ergo neceſſe non eſt alia adhibere, quod tamen eſt falſum. Si non ſignificat; ergo alia de neceſſitate adhibenda ſunt, nec ſola ipſa eſt materia totalis.

XII. Reſp. impoſitionem manuum ſignificare omnem poteſtatem implicite; quia ſignificat gratiam, & characterem Epiſcopalem, quæ per eam conferuntur: quia tamen ea explicite non denotant, ideo ad ea omnia explicite denotanda, cætera adduntur. Ideo enim Latini ungunt, dant baculum, & annulum in conſecratione, quæ Græci non dant: niſi ut quod implicite in conſecratione Græcorum perficitur, explicite ipſi, & clariori modo exponant: nullum tamen inde diſcrimen eſt eſſentiale inter ordinationem Græcorum, & Latinorum; ergo a pari, cum antiquæ manuum impoſitioni Eccleſia Latina addidit inſtrumenta, nihil novi eſſentiæ ſacramenti adjunxit, ſed ſolam explicationem materiæ, & effectuum, qui per ſacram ordinationem producuntur. Quare in Pontificali Romano ante traditionem inſtrumentorum Epiſcopus dicitur conſecratus.

Hujus exempla non deſunt. Primum ſit in additione *Filioque*, quam Symbolo Conſtantinopol. Latini addiderunt. Cum enim Græci conquererentur, Latinos mutaſſe fidem; hi reſponderunt, hanc particulam non eſſe fidei additamentum, ſed ſolum majorem fidei explicationem. —— Secundum ſit in uſu Euchariſtiæ, in qua communio ſub una tantum ſpecie denotat eſſentiam refectionis ſacramenti, communio tamen ſub utraque ſpecie magis, & clarius illam explicat. —— Tertium ſit in forma conſecrationis ſanguinis: hæc enim in opinione plauſibili eſſentialiter conſiſtit in his ſolis verbis: *Hic eſt ſanguis meus*. Vel *Calix ſanguinis mei*. Reliqua autem verba ponuntur ad majorem explicationem ſanguinis, ut eſt in ſacramento.

§. II.

Resolvitur de Forma.

XIII. Dico primo. In opinionibus, quas supra ut probabiles admisimus, quod materia totalis ordinationis Episcopi, constituatur ex impositione manuum, & traditione unius libri Evangeliorum, vel etiam aliorum instrumentorum, forma totalis constituitur ex pluribus partialibus formis, nempe, ex verbis, quæ in impositione manuum, & singulorum instrumentorum traditione profert Episcopus consecrator. Patet: Quia forma in sacramentis debet saltem moraliter proferri in actu applicationis materiæ; ergo positis pluribus materiis partialibus, verba quæ in singularum applicatione proferuntur, erunt formæ partiales unam formam totalem componentes.

XIV. Dico secundo. In opinione, quam ut probabiliorem statuimus, nempe, materiam essentialem esse solam impositionem manuum; forma essentialis ordinationis Episcopalis sunt illa verba, quæ consecrator una cum Assistentibus imponens manus super caput ordinandi dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*. Quæ verba, cum absolute, & sine ulla limitatione pronuntientur, abundantiam gratiæ ad munia Episcopalia exercenda significant: & cum sint efficacia, etiam conferunt cum potestate illa exequendi. — Huic assertioni favet Concilium Tridentinum, *Sess. 23. Can.* 4. ubi sub anathemate damnat, qui dixerit: *Per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere. Accipe Spiritum Sanctum*. Sentit ergo Concilium, dum illa verba proferuntur, dari Spiritum Sanctum: sed proferuntur ab Episcopo manus imponente; ergo illa verba sunt forma.

XV. Favet etiam S. Augustinus, *lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap.* 20. Ubi arguens Donatistas negantes per malum ministrum posse gratiam dari, ait: *Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit; ut per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Sic etiam super gestis cum Emerito: *Invocatio* (inquit) *nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati*. Invocationes autem illæ super caput ordinandi non sunt preces quæ subjiciuntur, sed verba: *Accipite Spiritum Sanctum*, quæ imponendo manus profert: nam manuum impositione simul datur gratia, ut ex Paulo dictum est supra. Accedit: quod Christus, *Jo: 20. v. 22.* ubi Apostolos, jam in ultima Cœna ordinatos Sacerdotes, ordinavit Episcopos, hisce solis verbis usus est: *Accipite Spiritum Sanctum &c.*

XVI. Nec dicas: hæc verba solitarie prolata non determinare sufficienter materiam, nempe, impositionem manuum, ut sit ordinatio Episcopalis; cum etiam in ordinatione Diaconi proferantur. — Nam aliter in ordinatione Diaconi proferuntur, ac in ordinatione Episcopi. Nam in ordinatione Diaconi, per illa verba datur spiritus ad determinatum effectum, nempe, ad robur contra tentationes Diaboli: unde dicit Episcopus: *Accipite Spiritum Sanctum, ac robur ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*. At in ordinatione Episcopi absolute dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum*, idest, abundantiam Spiritus Sancti, & gratiæ ad omnia munera, & non solum pro se, sed etiam ut communicandam aliis. Sic enim eam Christus dedit Apostolis, cum eos ordinavit Episcopos: ait enim: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum*, idest, eam potestatis & gratiæ amplitudinem, cum qua misit me Pater, vobis, loco mei, communico.

DUBIUM IV.

Quis sit Consecrationis Episcopi Minister.

§. I.

Prior Resolutio.

I. Dico primo. Tres Episcopi saltem jure Ecclesiastico ad Episcopi consecrationem requiruntur. Probatur primo. Praxis enim Ecclesiæ ab initio fuit, nusquam Episcopum inaugurare, nisi per tres Episcopos. Ex Clemente Alexandrino refert Eusebius, *lib. 2. Hist. cap.* 1. Jacobum minorem ordinatum fuisse Episcopum a Petro Jacobo seniore, & Joanne: *Ait* (Clemens, inquit Eusebius) *post Servatoris ascensum Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis Dominus ipsos cæteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse; sed Jacobum, cognomine justum, Jerosolymorum Episcopum ordinasse*. Paulum Timotheo cum Episcoporum cœtu manum imposuisse colligit Chrysostomus ex ipsius verbis, 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te ... cum impositione manuum Presbyterii*. Tamque altas radices praxis hæc egerat sæculo tertio, ut illam non servare nec hæretici ipsi auderent. Scribit enim laudatus Eusebius, ex Epistola Cornelii ad Fabium Antiochenum, Novatianum tres Episcopos Romam advocasse, & ab iis temulentis fictitiam accepisse manuum impositionem, ac fictitium factum fuisse Episcopum.

II. Probatur secundo ex Canonibus. Primus inter Apostolicos nuncupatos *Episcopus a duobus* (inquit) *vel tribus Episcopis ordinetur*. Can. 2. Concilii Arelatensis I. *De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis: si tamen non potuerit septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare*. Idem præscribit Concilium Nicænum I. Can. 4. *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & præscripta consuetudinibus tunc ordinatio celebretur*. Idem posterioribus Synodis eodem sæculo quarto sancitum fuit: Carthaginensi II. *Can.* 12. *ann.* 347. & Carthagin. III. *eodem anno, Can.* 39. quo dicitur: *Ut Episcopus minus quam a tribus Episcopis non ordinetur*.

III. Hoc idem posterioribus sæculis Romani Pontifices confirmarunt. S. Gregorius Magnus, *lib. 12. Epist. 31. ad octavam Augustini Anglorum Episcopi interrogationem*, sic respondet: *Cum igitur, Deo auctore, ita fuerint Episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati; per omnia Episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus, vel quatuor Episcopis fieri non debet*. Et Gregorius III. ad Bonifacium Moguntinum: *Quoties* (inquit) *Episcopum consecraveris, duo, vel tres conveniant tecum Episcopi, & eis convenientibus, ipsisque præsentibus, consecres*.

IV. Adsunt quoque congruentiæ. Primo: Quia conventus plurium Episcoporum ad unum Episcopum consecrandum designat Episcopatus unitatem; de qua sic Cyprianus, Epist. 52. *Et cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus*. Secundo: Quia illa Episcoporum pluralitas uberiorem Spiritus Sancti gratiam, quæ in Episcopatu, qui est Sacerdotii plenitudo, confertur, melius adumbrat. Tertio: Res maximi momenti in Ecclesia, qualis est Episcopi consecratio, unius tantum Præsulis judicio permittenda non erat.

V. Si quæras: Quis sit ordinarius Episcopi consecrator? Respondent communiter eruditi: olim usque ad duodecimum sæculum jus consecrandi Episcopos suæ Provinciæ spectasse ad Metropolitanum; ut nullus, nisi ab ipso, vel de ejus licentia, aut consensu in sua Provincia Episcopus consecraretur. Pro tribus prioribus sæculis hanc disciplinam in usu fuisse probant ex Can. 26. Apostolico, *ex Epistola* 4. 40. 41. 42. 45. *Cypriani*, & ex Tertulliano, *lib. de Præscript. cap.* 20. Pro quarto sæculo afferunt Canonem 4. Concilii Nicæni I. quo statuitur: *Si quis absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus; cum magna Synodus definit non esse Episcopum*. Cap. 12. Laodiceni. Cap. 19. Antiocheni sub Julio I. *Can.* 12. Carthagin. II. quibus hoc jus Metropolitanis asseritur. Pro sæculo quinto adducunt Innocentium I. *Epist. 2. ad Victricium cap.* 1. S. Leonem Magnum, *Epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem, cap. 2. & Epist. 89. ad Episcopos* per Viennensem Provinciam constitutos. Pro sexto sæculo, Concil. Arelatense II. *Can.* 5. Pro septimo, Conc. Tolet. IV. *Can.* 18. Pro octavo, Synodum Nicænam II. *Can.* 18. Pro nono, Conc. Meldense sub Carolo Calvo, *cap.* 3. Et Eugenium II. *in Synodo Romana*, ubi confirmat decretum S. Leonis, ut inter Episcopos non habeantur, qui neque a Clericis sunt electi, *neque a Provincialibus Episcopis, cum Metropolitani judicio consecrati*. Pro decimo, Joannes XIII. *Epist. ad Episcopos citerioris Britanniæ*. Pro undecimo, Nicolaum II. *Epist. 3. ad Gervasium Belvacensem Episcopum*, Leonem IX. Clementem II. Et Gregorium VII. *Epist. lib. 2. Epist. 73.*

Duodecimo sæculo huic Metropolitanorum juri cæptum esse derogari testantur quærimoniæ S. Bernardi Abbatis, *lib. 3. de Consider. cap. 4.* ubi de multis Ecclesiis sic loquitur: *Truncari se clamitant, ac demembrari, vel nulla, vel pauca admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quaris, quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus*. A tempore autem Bonifacii VIII. Clementis IV. & subsequentium Pontificum communi consensu jus Episcopos confirmandi in solum Romanum Pontificem, in quo super omnes Ecclesias semper fuit auctoritas, tandem translatum est.

§. II.

Posterior Resolutio.

VI. Dico secundo. Tres Episcopi non requiruntur ad consecrationis Episcopalis substantiam. Probo primo. Non est verisimile, Apostolos, qui tam multos Episcopos ordinarunt in diversis Orbis partibus, semper id præstitisse cum duobus aliis: cum enim nascente Ecclesia perpauci essent ministri; difficili negotio in unum locum convenire poterant, maxime vigentibus persecutionibus. — Secundo. Quia de numero Episcoporum

varie

varie loquuntur Canones: nam modo omnes de Provincia, modo ſeptem, modo tres, vel quatuor, modo etiam duos ſufficere aſſerunt, ut ſupra vidimus, & licet Concilium Arauſicanum I. *Can.* 21. ordinationem a duobus factam non reputet licitam, validam tamen exiſtimat.

Tertio. Quia plures ordinationes ab uno ſolo Epiſcopo factas Eccleſia vetus ſuſcepit, Cujus plura ſunt exempla. Primo. Referente Sinegio, *Epiſt. 67. ad Theophilum Alexandrinum*, Siderius a ſolo Cyrenſi abſque Epiſcoporum conſortio fuit ordinatus; quem tamen licet illegitime ordinatum fuiſſe tradat, habitum tamen pro Epiſcopo docet ab ipſo Athanaſio, qui ad Metropolitanam Eccleſiam adminiſtrandam eum vocavit. Secundo. Evagrius, teſte Theodoreto, *lib. 5. Hiſt. cap. 23.* a ſolo Paulino ordinatus fuit: quæ tamen ordinatio valida ab Occidentalibus, & a pluribus Antiochenis habita fuit, immo & ab ipſo Innocentio I. *Epiſt. 16. ad Bonifacium Presbyterum*, volente, ut Evagriani ſuis Ordinibus, ac locis intemerata ordinatione, quam acceperant ab Evagrio, ſuſciperentur. Et de S. Pelagio Pont. refert Anaſtaſius Bibliothecarius. *Et dum non eſſent Epiſcopi, qui eum ordinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Oſtiis, & ordinaverunt eum Pontificem: tunc enim non erant in Clero, qui poſſent eum promovere.*

Quarto. Idem teſtantur diſpenſationes Romanorum Pontificum. Gregorius Magnus interrogatus ab Auguſtino Anglorum Epiſcopo, interrog. 8. *Quot neceſſarii ſint Epiſcopi in Epiſcopi conſecratione?* Reſpondet: *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum, non aliter, niſi ſine Epiſcopis potes*, id eſt, *ſolus potes*. Ei tamen præcipit, ut ita Epiſcopos in Anglia ordinet, ſi longe intervallo regionum disjuncti, ad ordinationem alicujus Epiſcopi convenire non poſſint. Hac diſpenſatione uſus (ut ſcribit Beda, *lib. 1. cap. 23. Hiſt. Anglorum*) Auguſtinus Juſtum, & Mellitum ſine Gallicanis Epiſcopis ordinavit; & ſimiliter Laurentium abſque præſentia Juſti, & Melliti. Refert quoque Henriquez, *in ſumma, tom. 4. cap. 20.* Gregorium XIII. conceſſiſſe Patriarchæ Ethiopiæ, qui erat e ſocietate Jeſu, ut ſolus ſine aſſiſtentibus pluribus Epiſcopis, Epiſcopos conſecraret. Hucuſque allata confirmantur ex eo, quia in veteri ordine Romano, ubi agitur de conſecratione Epiſcopali, unus ſolus Epiſcopus vocatur *Conſecrator*, reliqui vero *Aſſiſtentes* dicuntur. Quo nomine vocantur quoque in Pontificali Romano.

VII. Dices tamen in contrarium primo. Cum, ut ſupra retulimus. Jacobus Juſtus, ſeu minor a tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo, & Joanne ordinatus fuerit: credendum eſt, id eos Chriſto auctore feciſſe; vel ſaltem hoc faciendum ab Eccleſia, Apoſtolica auctoritate tradiſſe; ergo plurium Epiſcoporum præſentia &c. ad ſubſtantiam Epiſcopalis ordinationis ſpectabit. Unde Aniceto, *Epiſt.* 1. dicit, quod *inſtituente Domino* tum religioſe ſervabat Eccleſia.

VIII. Reſpondeo: vel negando, hoc feciſſe Apoſtolos ex Chriſti inſtitutione; ſed hanc cæremoniam ipſos tanquam primos Eccleſiæ Præſules, ſubſtantiæ ordinationis Epiſcopalis ad majorem ſolemnitatem, cum fieri poſſet, addidiſſe. Vel dato, quod Apoſtoli acceperint a Chriſto hunc ritum; non ita acceperunt, tamquam neceſſarium ad ſubſtantiam, ſed ſolum ad ſolemnitatem ordinationis. Non enim credibile eſt, omnibus ordinationibus, quas per totum terrarum Orbem fecerunt Apoſtoli, tres Epiſcopos inpromptu ſemper habuiſſe: Epiſtola vero Aniceti ſuſpectæ fidei eſt.

IX. Replicabis. Damaſus, *Epiſt. 5.* quæ eſt de Chorepiſcopis, quem ſequitur Joannes III. *Epiſt. unica ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ*, intendens probare, Chorepiſcoporum ordinationem nullam eſſe, & Pontificalia officia ab eis perperam attentari, niſi de novo ordinati fuerint: id ex eo colligit, quod non a tribus, ſed ab uno, vel duobus Epiſcopis ordinati fuerint: tales autem nec Epiſcopi nominari debent; ergo &c.

Reſpondeo: Damaſum, & Joannem III. ex eo, quod Chorepiſcopi ordinati non ſint a tribus Epiſcopis, colligere, eos non eſſe Epiſcopos, a poſteriori, & tamquam ex ſigno. Cum enim lex Eccleſiaſtica præciperet, ne Epiſcopus minus, quam a tribus Epiſcopis ordinaretur; ex quo Chorepiſcopi non ſic ordinarentur, nec credibile eſſet in eorum ordinatione legem paſſim fuiſſe infractam, colligit, ut ex ſigno, eorum ordinationem non fuiſſe Epiſcopalem.

X. Dices ſecundo. Concilium Regienſe, *ann. 439.* adunatum contra ordinationem Epiſcopi Ebredunenſis, eo quod a duobus ſolis Epiſcopis facta fuiſſet, *cap. 2. vel 3.* ait: *Itaque ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam eſſe cenſuimus; in qua prætermiſſa trium præſentia; nec expetitis Provincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorſus nihil, quod Epiſcopum faceret, oſtenſum eſt.*

Et confirmatur. Nam omnes tres Epiſcopi præbent materiam, & formam pronuntiant; ergo omnes abſolute requiruntur.

XI. Reſpondeo: Concilium Regienſe nil velle aliud, quam ordinationem ſic factam eſſe irritam, non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad effectum juriſdictionis: cum enim facta fuerit contra Canones, ſic ordinatus, erat ſuſpenſus ab exercitio juriſdictionis. Quod vero hæc fuerit Concilii intentio, conſtat: quia dictam ordinationem irritam declarat, non ſolum quia factam a ſolis duobus Epiſcopis; ſed etiam quia factam ſine Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum conſenſu. Nemo autem dicet, hunc neceſſarium eſſe ad valorem ordinationis, & characteris Epiſcopalis impreſſionem. Addo: Ordinationem a ſolis duobus factam, validam habitam eſſe a Concilio Arauſicano I. *Can.* 21. celebrato eodem ſæculo. *anno* 441. Ubi dicit, invite ordinatum a duobus ſubſtituendum eſſe Eccleſiæ unius ordinatoris, & alterius in alterius ordinatoris locum ordinandum eſſe: quibus mulctat quidem ordinatores, ſed invite ſic ordinatum, ut vere ordinatum agnoſcit.

Ad Confirm. diſt. ant. Verba pronuntiant, ut aſſiſtentes, conc. ant. Ut conſecratores nego ant. Sicut enim ordinandi omnes in Miſſa pronuntiant formam; nec tamen ſequitur, ad validitatem conſecrationis omnes eſſe neceſſarios, ſed ſolum Epiſcopum: ita in caſu. Unus enim eſt Epiſcopi conſecrator: cæteri ut aſſiſtentes ad teſtificandum ſuum conſecrationi aſſenſum, verba proferunt, & materiam exhibent tamquam conſecratori cooperari.

Dubium V.

An Romanus Pontifex habeat poteſtatem Inſtituendi, & Ordinandi Epiſcopos per univerſum Orbem Chriſtianum?

§. I.

An ſuper Epiſcopos ſit Superior in Eccleſia.

I. Dico. Supra Epiſcopos datur aliquis Superior in Eccleſia, & hic eſt Papa. Ita S. Th. *in Suppl. 3 part. quæſt. 40. art. 6.* De Papæ, ſeu Romani Pontificis Primatu multa agenda eſſent, & egi *in Vera Eccleſia, Tom. I. part. 1. In Colloquiis*, & alibi. Nunc rem hanc fide certam, ad præſentem materiam cum S. Thoma reſtringo. Dicit ergo S. Doctor *Quod ubicumque ſunt multa regimina ordinata in unum, oportet eſſe aliquid univerſale ſupra particularia regimina; quia in omnibus virtutibus, & actibus, ut dicitur in 1. Ethic.* (cap. 1. & 2.) *eſt ordo ſecundum ordinem finium. Bonum autem commune eſt divinius, quam bonum ſpeciale. Et ideo ſupra poteſtatem regitivam, quæ conjectat bonum ſpeciale, oportet eſſe poteſtatem regitivam univerſalem reſpectu boni communis; alias non poſſet eſſe colligatio ad unum. Et ideo cum tota Eccleſia ſit unum corpus; oportet, ſi iſta unitas debet confervari, quod ſit aliqua poteſtas regitiva, reſpectu totius Eccleſiæ, ſupra poteſtatem Epiſcopalem, qua unaquæque ſpecialis Eccleſia regitur: & hæc eſt poteſtas Papæ. Et ideo illi, qui hanc poteſtatem negant, Schiſmatici dicuntur, quaſi diverſores unitatis Eccleſiæ. Et inter Epiſcopum ſimplicem, & Papam ſunt alii gradus dignitatum correſpondentes gradibus unionis, ſecundum quos una congregatio vel communitas includit aliam: ſicut communitas Provinciæ includit communitatem Civitatis: & communitas Regni communitatem unius Provinciæ, & communitas totius mundi includit communitatem unius Regni.* En quomodo paucis verbis Angelicus Doctor totum Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordinem diſtinguit; & neceſſitatem ſupremæ, ac univerſalis in ea poteſtatis oſtendit.

II. Epiſcopis igitur ab initio conſtitutis, ut omnia ordine quam optimo in Eccleſia regerentur (præter unicam, & univerſalem a Chriſto, ut dicetur, in Petro, & ſucceſſoribus ejus ſupra omnes poſitam poteſtatem) progreſſu temporis auctoritate Eccleſiæ, quidam adhuc gradus Epiſcoporum introducti, atque inſtituti fuerunt; quorum alii eſſent poteſtate ſuperiores, totamque ſic Eccleſiaſticam hierarchiam velut aciem ordinatiſſimam abſolverent.

Hi autem ſunt Archiepiſcopi, qui iidem, ac Metropolitani: ſic dicti a Metropoli, quæ ſecundum veriorem ethymologiam ſignificat matrem, ſeu matricem civitatem; ſic proinde appellatam, quod ex ea veluti matre genitæ ſint aliæ in eadem Provincia Eccleſiæ, quibus propterea jure quodam præſit, & aliquo dignitatis gradu emineat. — His ſuperiores ſunt Patriarchæ, quales poſt Romanum Pontificem, quatuor agnovere Conſtantinopolitani Patres hoc ordine, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Jeroſolymitanum. Huic dignitati affines ſunt, qui hodie Primates dicuntur; quia Archiepiſcopi obedientiam Patriarchæ debent, ita & Primati: & ſicut ab Archiepiſcopo appellari poteſt ad Patriarcham, ita ad Primatem. Simpliciter tamen majores ſunt Patriarchæ Primatibus. His omnibus ſimplices Epiſcopi, quamvis in poteſtate ordinis pares, in forma tamen & dignitate regiminis inferiores ſunt. Nunc pro dubii reſolutione ſit.

§. II.

Resolvitur Dubium.

III. Dico. Romanus Pontifex, divino jure, potestatem habet instituendi, & ordinandi Episcopos in toto Orbe Christiano. Probo sic. Ille, qui succedit in potestate, quam Christus præ aliis Apostolis contulit D. Petro, jure divino potestatem habet præficiendi omnibus Christiani Orbis Ecclesiæ pastores, qui Christi oves, id-est, fideles in spiritualibus regant: sed Romanus Pontifex succedit in potestate, quam præ aliis Apostolis contulit D. Petro; ergo jure divino potestatem habet &c.

Major, & minor probandæ sunt. Maj. quidem. Nam potestas, quam Christus dedit Petro, fuit potestas universalis præsidentiæ toti Ecclesiæ, & vice ipsius totam Ecclesiam gubernandi, non hanc, vel illam particularem tantum: quod probo primo. Christus, *Matth. 16. v. 18.* Petro promisit, quod ipse futurus esset Ecclesiæ suæ fundamentum; promisit Ecclesiæ suæ claves, seu jurisdictionem, qua non aliquos tantum, sed omnes homines, ipsos etiam Pastores, solvere, aut ligare posset: *Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. —— Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Ea Verba uni Petro dicta sunt: *Dico tibi.* Et quidem in mercedem editæ ab ipso de divinitate Christi confessionis: aliquid igitur ipsi promissum est, quod cæteris Apostolis datum non fuit. Unde S. Leo Serm. III. de assumptione sua ad Pontificatum: *De toto* (inquit) *mundo unus eligitur Petrus, qui & universarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Et Eusebius, *lib. 2, Hist. cap.* 14. Petrum omnium Apostolorum probatissimum & maximum vocat, primorum Principem & ducem, magistrum militiæ Dei.

Secundo probatur maj. ex Jo: *cap. 21.* Ubi Christus implens, quod promiserat, jam ascensurus in Cælum soli Petro vices suas in gubernio agnorum, & ovium suarum dicens ei bis: *Pasce agnos meos*; & semel: *Pasce oves meas*, Ubi observo primo ovium ab agnis distinctionem, quam Christus usurpavit. Quid enim aliud indicat, nisi Petro non agnos modo, ideſt, fideles de populo, sed & oves matres, nempe, pastores omnes? Secundo observo: Cur Christus agnos, & oves suas pascendas cæteris Apostolis, qui præsentes erant, indiscriminatim non credidit, sed soli Petro? *Pasce* (inquit) *agnos meos. Pasce oves meas, non pascite?* Certe quia specialem de omnibus curam ei commisit, quam non commisit cæteris. *Aliis omissis* (ait Chrysostomus in hunc locum) *Petrum dumtaxat affatur: Fratrum ei curam committit.* Theophylactus quoque in hunc locum: *Finito* (inquit) *prandio, prafecturam ovium totius Mundi Petro commendabat, non autem aliis, sed huic tradidit.* Et S. Bernardus, *Lib. 2. de consider. cap. 8.* ait: *Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, & indiscrete tota commissa sunt oves; Si me amas Petre, Pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut regionis, aut certe Regni? Oves meas, inquit.* Cum ergo Christus agnos, & oves suas, ideſt, Ecclesiam pascendi vices suas Petro commiserit, usque ad secundum sui adventum ut Judicis duraturam; nec semper Petrus futurus esset, sicut nec cæteri Apostoli; clarum est Christum voluisse, ut sicut potestas Episcopalis collata cæteris eodem jure in Episcopos eorum successores transiit; ita potestas generalis, & suprema collata Petro in Petri successores eodem jure transiret, ut unitas in Ecclesia perpetuo conservaretur.

IV. Min. autem, nempe, quod qui Petro succedit in potestate illi a Christo præ cæteris collata, sit Romanus Pontifex (quidquid in contrarium obstrepant Sectarii) perpetua Ecclesiæ traditione constat, qua docemur: primo, S. Petrum Romam venisse. Secundo, ibi Ecclesiam constituisse. Tertio, eam ad mortem usque rexisse. Quo fit, ut, mortuo Petro, successores ei in ordinaria super omnes Ecclesias jurisdictione successerint. Hinc Irenæus, secundo sæculo, *lib. 3. contra Hæres. cap. 3.* ubi texit Romanorum Episcoporum catalogum, primo loco ponens Petrum, aliosque cæteros usque ad Eleutherium; additque necesse esse omnes undique fideles ad hanc Ecclesiam Romanam convenire. Idem Tertullianus, *lib. de Præscript. cap. 32. & 37.* Idem Epiphanius *hæres. 27.* quæ est Carpocratis: *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander &c.* Idem S. August. lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet?* Nihilque tritum magis apud Veteres, quam istud nomen *Cathedra Petri*, quod sedi Romanæ tribuunt. Unde Cyprianus, lib. 1. Epist. 3. ad Cornelium, modo Epist. 55. *Navigare* (inquit) *audent ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* Hæc ex pluribus, quæ adduci solent ex Patribus, Conciliis, ipsisque Imperatoribus pro Episcopi Romani in Petri Cathedra successione, & potestate suprema in omnes Orbis Ecclesias, dicta ad rem præsentem sufficiant. Cum enim non minus modo, quam Apostolorum tempore Ecclesia ad sui unitatem indiget, ut in ea detur unus, qui primatum teneat, & in omnes Christi oves potestatem habeat; si iste Romanus Pontifex non est, quis erit? Hinc quotquot hanc prærogativam Romano Pontifici eripere conati sunt, non invenientes alium, in quo eam collocarent, Ecclesiam sine uno Capite visibili, quo regeretur, reliquerunt contra Christi apertam institutionem. Addere tamen placet S. Bernardum, *lib. 2. de Consider. cap. 8.* ubi postquam primatum Petro (ut supra) super omnes etiam Apostolos statuit, Eugenium Papam sic alloquitur: *Ergo, juxta Canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis electus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa exiterit, tu Episcopo Calum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatum &c.* Ne autem Sectarii dicant testimonium Bernardi esse nimis recens, adeant Cyprianum, *lib. 3. Epist. 18.* modo, *Epist. 67.* scribentem Stephano Papæ, ut Martianum Episcopum Arelatensem Schismaticum sua auctoritate deponat, & alium in locum ejus substituat: *Dirigantur* (inquit) *in Provinciam, & plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur; & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.*

§. III.

Solvuntur Objectiones.

V. Objiciunt primo. D. Petro non fuisse collatam potestatem præ cæteris Apostolis; & non esse aliquem in Ecclesia, qui Episcopis superior sit, ita. Omnes Episcopi sunt Apostolorum successores: sed potestas, quæ data est uni Apostolorum, scilicet, Petro, *Matth. 16.* data est omnibus Apostolis, *Jo: 20.* ergo omnes Episcopi sunt pares, & unus non est supra alium.

VI. Respondeo cum S. Thom. citata q. 40. art. 6. ad 1. *Quod quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & solvendi: tamen ut in hac potestate ordo aliquis signaretur, primo soli Petro data est; ut ostendatur, quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere: propter quod etiam ei dixit singulariter, Luca 22.* Confirma fratres tuos (*Joann. 21.*) Pasce oves meas, *ideſt*, loco mei, *ut dicit Chrysostomus* (*Homi. 87. in Joann.*) Præpositus, & caput esto fratrum, ut ipsi te in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment.

Ex quibus adverto: quod etsi Patres aliquando (ut Cyprianus, *lib. de Unit. Ecclesiæ*, & Hieronymus, *lib. 1. adven. Juvenianum*) asseruerint, Apostolos æqualis tum honoris, tum potestatis consortio donatos fuisse a Christo; hoc unum volunt, Apostolos fuisse æquales in extraordinaria Apostolatus potestate, nimirum administrandi claves, prædicandi fidem, Ecclesias fundandi. Hoc enim indicant verba Christi, *Joann. 20. v. 21.* sicut *Misit me Pater, & ego mitto vos.* Matth. ultimo, v. 19. *Euntes docete omnes Gentes.* Et Marci 16. v. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Non tamen omnes Apostolos æquales agnoverunt in ordinaria potestate regendi totam Ecclesiam, & Primatu: immo contrarium citatis locis asserunt.

VII. Objicies secundo contra idem. Ritus Ecclesiæ magis debet esse conformis ritui Judæorum, quam ritui Gentilium: sed distinctio, & ordinatio unius supra alium est a Gentilibus introducta, in veteri autem lege non erat; ergo &c.

VIII. Respondet S. Thom. citato loco, ad 2. *Quod ritus Judæorum non erat diffusus in diversis Regnis, & provinciis, sed tantum in una Gente. Et ideo non oportebat, quod sub eo, qui habebat potestatem principalem, alii Pontifices distinguerentur. Sed Ecclesia ritus, sicut & Gentilium per diversas nationes diffunditur: & ideo oportet, quod quantum ad hoc magis Gentilium ritui, quam Judæorum Ecclesia status conformetur.*

IX. Objicies tertio. Petrus Romæ nunquam commoratus est. Nec enim potuit illuc appellere ante annum 18. a passione Christi, cum eo anno Concilio Jerosolymitano adfuerit. Nec potuit post habitum illud Concilium Romam proficisci; vigebat enim Claudii edictum, quo Judæi (& eo nomine veniebant etiam Christiani) Roma pulsi fuerant. Præterea Paulus ad Romanos scribens multos salutat, Petri tamen non meminit. Nec Lucas in Apostolorum Actibus adventus, vel moræ Petri Romæ usquam nec indicium præbet.

X. Hoc est unum ex fundamentis Sectariorum, quo Romani Pontificis Primatum radicitus evellere conantur. Cui tamen respondent Catholici: Eusebium in Chronico, & Hieronymum de Script. Eccles. *In Petro*, asserere, Petrum Romam venisse anno secundo Claudii. Quibus con-

consentit Orosius dicens: Petrum Romam venisse in exordio imperii Claudii: quo tempore par est credere, eum fundasse ibi Ecclesiam, quæ progressu temporis florentissima adeo evasit, ut scribente Paulo, *Rom. 1. v. 8.* fides ejus annuntiaretur in universo mundo. Roma vero ejectus Petrus est ejusdem Claudii anno nono, quo per edictum publicum Judæi omnes exularunt. Disponente autem divina providentia contigit illud exilium; ut Petrus posset se præsentem sistere, ut caput, Concilio Jerosolymitano de Legalium abrogatione habito. Non difficile fuit Petro Romam redire, Nerone imperante; rescissum enim fuerat Claudii edictum, & quod ibi manserit usquedum martyrio vitam finivit.

Neque obest, quod Paulus ad Romanos scribens Petrum non salutaverit. Nam quo tempore scripta est illa Epistola, nempe, circa Claudii duodecimum annum, & anno circa tertio post Concilium Jerosolymitanum, Petrus nondum ex Syria Romam redierat. Lucas autem, *Act. ult.* Petri mentionem non facit, quia totus erat in exponendo Pauli adventu Romam, ejusque cum Judæis contentione. Porro silentium Pauli ad Romanos scribentis si evinceret; probaret, nec Joannem fuisse Ephesiorum Episcopum, nec Jacobum Episcopum Jerosolymitanum, quia nec Joanni dat salutem Paulus ad Ephesios scribens, nec Jacobo *in Epist. ad Hebræos*. Sed hæc satis.

XI. Objicies quarto. Etiamsi detur, Petro concessum fuisse Primatum, Romanum Episcopum extitisse; ac Romæ diem extremam Petrum clausisse: inde tamen non colligitur, Romanum Pontificem jure divino Primatum in Ecclesia habere; cum ex Scriptura non habeatur illi potius, quam alteri post Petrum competere: eo quod per accidens contigerit, quod Petrus Romæ obierit. Fundatur ergo non in jure, sed in facto: & in facto pure humano, quo non apparet vis juris alicujus communicandi.

XII. Respondetur communiter cum Bellarmino, *lib. 11. de Rom. Pont. cap. 12.* Aliud esse successionem, aliud rationem successionis. Nam successio Romani Pontificis in Pontificatum, & Primatum Petri ex instituto Christi est: quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi: & proinde quicumque Petro succedit, a Christo accipit Pontificatum. Ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius, quam Antiochenus, vel alius sit Petri successor, ex facto Petri est, non ex Christi instituto. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere; & tunc non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is, quem Ecclesia elegisset. Potuisset quoque semper manere Antiochiæ: & tunc Antiochenus sine dubio successisset. Verum quia Romæ sedem fixit, & tenuit usque ad mortem; inde factum est, ut Romanus Pontifex ei succedat.

XIII. Objicies quinto. Non solum Romanum Pontificem jus habere ordinandi per totum Orbem Episcopos; sed olim illud habuisse primo, Patriarchas: Secundo, Primates: Tertio etiam Metropolitanos.

XIV. Respondeo: præfatos hoc jus non habuisse, nisi ex expresso, vel tacito Rom. Pontificis consensu. Non quod pari cum eo potestate præditi fuerint, sed quod interdum cum eis totius Ecclesiæ sollicitudinem partiri judicaverit. Quoad sedes Patriarchales Alexandrinam, Antiochenam, & Romanam a D. Petro mediate, vel immediate institutas, tamquam unius Petri sedes, recognovit S. Gregorius Magnus, *Epist. 48. & Epist. 37.* Idem dico de Patriarchis Jerosolymitano, & Constantinopolitano; quorum ordinationes validæ fuerunt, quatenus firmitatem a Sede Romani habuerunt. Multo magis de Primatibus, & Metropolitanis. Hi enim si extra suos limites ordinationes fecerunt; hoc, ut Vicarii Romanæ Sedis, vel tacito ejus consensu ob distantiam locorum, vel necessitate urgente executi sunt. Et hac ratione unus Patriarcha alium Patriarcham ordinasse legitur.

XV. Nec dicas: Magna controversia orta fuit inter Romanos Pontifices, & Patriarchas Constantinopolitanos circa Episcopos Bulgariæ confirmandos. — Respondeo enim, contentionem illam fuisse de jure Patriarchali, non de jure Rom. Pontificis, ut totius Ecclesiæ Capitis. In Romano enim Pontifice adunantur dignitates Episcopi, Archiepiscopi, seu Metropolitæ, Primatis, Patriarchæ, & totius Ecclesiæ Capitis. Contendebat S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus Bulgariam intra fines sui Patriarchatus contineri; & proinde jure Patriarchico ordinationes in illis Provinciis sibi deberi: jus sanctæ Sedis non tangens, ut ex Anastasio Biblioth. in Hadriano II. habetur.

XVI. Objicies sexto. Superior potestas non potest conferri per inferiorem, neque æqualis per æqualem: quia sine ulla contradictione quod minus est, a majori benedicitur, *Hebr. 7.* Unde nec Sacerdos promovet Episcopum, nec Sacerdotem; ergo si Papa est superior Episcopis, a nullo Episcopo poterit ordinari, quod tamen est falsum: cum Episcopus Hostiensis consecret Papam; ergo &c.

Resp. cum S. Thom. cit. *art. 6. ad 3.* neg. conf. Nam *Potestas Sacerdotis exceditur a potestate Episcopi, quasi a potestate alterius generis. Sed potestas Episcopi exceditur a potestate Papæ, quasi a potestate ejusdem generis. Et ideo om-*

nem actum hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione sacramentorum, potest facere Episcopus. Non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus, potest facere Sacerdos in sacramentorum collatione. Et ideo quantum ad ea, quæ sunt Episcopalis Ordinis, omnes Episcopi sunt pares. Et propter hoc quilibet Episcopus alium potest consecrare.

Dubium VI.

De Chorepiscopis.

§. I.

An fuerint veri Episcopi.

I. Chorepiscoporum nomine, ut superius indicavimus, intelliguntur ministri quidam, qui in pagis, & villis aliquam olim obibant Episcoporum munera. Unde Chorepiscopatus a Canonistis definitur: quod sit dignitas Ecclesiastica, qua insigniti quidam Sacerdotes multis Episcopalibus officiis in villis, & pagis funguntur. De hoc quæremus primo: An sit idem cum Episcopatu. Secundo: A quo fuerit institutus. Tertio: Quænam fuerint ejus officia. Pro primo

II. Dico. Chorepiscopi non fuerunt veri Episcopi, sed Presbyteri simplices, qui in villis, & pagis vices Episcoporum [in aliquibus agerent. Prob. Tum quia a tribus Episcopis non ordinabantur: ad ordinationem autem Episcopi, ut jam diximus, jure Ecclesiastico, sicut nunc; ita & antiquitus tres Episcopi requirebantur; Chorepiscopos autem solus Episcopus ordinabat. Unde Concil. Antiochenum, Can. 10. *Chorepiscopum vero* (inquit) *Civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.* — Tum quia: secundum antiquos Canones vetitum erat, ne Episcopi in pagis constituerentur, ut ex Can. 15. Conc. Laodiceni: *Non oportet, in villulis, vel in agris constituere Episcopos, sed visitatores*: Chorepiscopi autem non alibi, quam in pagis constituebantur; unde Conc. Laodicenum, Can. 10. *Si qui sunt* (inquit) *in vicis vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi.* — Tum denique: quia Episcopi sunt successores Apostolorum; Chorepiscopi vero non Apostolis, sed potius septuaginta discipulis successisse dicuntur a Concil. Neocæsarienſi, Can. 14. *Chorepiscopi autem sunt quidem in figura septuaginta.* Hac triplici ratione utitur Leo III. in responso ad Galliæ, & Germaniæ Episcopos.

III. Objicies primo. Chorepiscopatus a Concilio Chalcedonensi, *Can. 12.* ubi damnat simoniacas Clericorum institutiones, ponitur inter Ordines, non vero inter officia. Sic enim Ordines sacros accensens: *Si quis* (inquit) *ordinaverit per pecuniam Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum.* Recensens vero officia, ait: *Aut promoverit per pecuniam Æconomum, vel Defensorem, vel Mansionarium, vel quemquam, qui est subjectus regulæ.* Atqui Chorepiscopatus non erat Ordo Presbyteratus, quia conferebat jurisdictionem in simplices Presbyteros: non erat Ordo medius inter Episcopatum, & Presbyteratum, cum nullibi legatur institutio divina distincta; ergo erat Ordo Episcopatus.

IV. Resp. neg. assumptum. Nec enim Concilium Chalcedonense recenset Chorepiscopatum inter Odines sacros; quia illum verum ordinem, sive Episcopalem, sive ab Episcopali distinctum reputaret: sed quia cum Chorepiscalis dignitas conferret jurisdictionem spiritualem in plures Parochias, & multos rurales Presbyteros; & insuper potestatem aliquos Ordines usque ad Subdiaconatum, ex delegatione tamen, conferendi: æque horrendum existimarunt Patres Chalcedonenses simoniace conferre Chorepiscopatum, ac sacros Ordines, & magis quam conferre Ecclesiastica officia, quibus solum in res temporales jurisdictio annexa erat.

V. Objicies secundo. Concilium Nicænum I. *Can. 8.* Statuit, ut apud Novatianos ordinati, qui redierint ad unitatem Catholicam, vel agant Episcopos in urbibus, in quibus Catholici Antistites constituti non fuerint: vel si ante eorum reditum Episcopi Catholici in eisdem urbibus reperti fuerint, Chorepiscopatus munere fungantur; ergo &c.

VI. Resp. neg. conf. Concilium enim ibi loquitur de ordinatis in Episcopos a Novatianis: cum his enim placuit indulgere, ut prævia impositione manuum reconciliativa, fungi possent munere Episcopi in urbibus Episcopo carentibus; sin minus, munere Chorepiscopatus fungi possent. Non autem loquitur de pure ordinatis in Chorepiscopos. Unde non est ad rem.

VII. Si quæras: quomodo fieret Chorepiscopi ordinatio? Resp. apud Græcos impositione manus cum aliqua oratione, aut benedictione fieri consueviſſe, Apud Græcos enim quælibet ordinatio, seu benedictio cum impositione manus, & oratione fiebat: nec tamen erat Ordo, vel sacramentum. Tum quia: non erat cæremonia a Christo instituta, ut statim dicemus. Tum quia: etiam Diaconissis manus imponebant, quæ cujusvis ordinis incapaces erant.

Apud Latinos autem nusquam fuit ritus determinatus: alioquin antiqui rituales agentes de consecrationibus eorum,

rum, qui ad dignitates Eccleſiaſticas infra Epiſcopalem electi erant, de conſecratione Chorepiſcoporum non ſiluiſſent. Probabile tamen non videtur, in Occidente Chorepiſcopos factos fuiſſe per ſolam delegationem; eo fere modo, quo nunc ab Epiſcopis creantur Vicarii Generales. Alioquin hoc argumento, ceu validiſſimo uſi fuiſſent Leo III. & Epiſcopi Galli, nono ſæculo, ut probarent, Chorepiſcopos, contra quos tunc pluribus actum eſt, nuſquam fuiſſe veros Epiſcopos.

§. II.

Quis Chorepiſcopatus fuerit Auctor?

VIII. Dico. Chorepiſcopatus, auctor non fuit Chriſtus, ſed Eccleſia. Probo primo. Quia ſi Chorepiſcopatus Chriſtum habuiſſet auctorem, debuiſſet inter Ordines ſacros, & ſacramenta recenſeri, non minus ac Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus: ſed hoc §. præcedente rejicimus; ergo &c. Secundo. Si Chriſtum habuiſſet inſtitutorem, ſtatim in Eccleſia debuiſſet eſſe in uſu, eo modo quo Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus; nec potuiſſet ab Eccleſia prorſus abrogari: hoc autem eſt falſum. Nam non ſolum in Actibus Apoſtolorum nulla Chorepiſcopatus vel tacita fit mentio; ſed nec in monumentis trium priorum ſæculorum ullum illius veſtigium adeſt. Neq enim Canones dicti Apoſtolici, nec Conſtitutiones Clementis, nec S. Ignatii Epiſtolæ, nec Concilium Eliberitanum, immo nec Cornelius Papa, *in Epiſt. ad Fabium Antiochenum*, licet omnes Ordines ſuo tempore Romæ receptos enumeret, Chorepiſcopatus nec verbum facit.

Inſuper a ſeptingentis annis in utraque Eccleſia Latina, & Græca Chorepiſcopatus ceſſavit. Nullus enim ex auctoribus, qui ab eo tempore tam in Oriente, quam in Occidente ſcripſerunt, Chorepiſcopatum tamquam dignitatem, quæ tunc eſſet in uſu, recenſuit: unde invite conficitur, quod ab eo tempore fuerit ubique abrogatus.

IX. Chorepiſcopatus ergo initium ſuum in Oriente habere cæpit, tertio labente ſæculo. Cujus ratio eſt. Quia prima Chorepiſcopatus mentio fit in Conciliis Ancyrano, & Neocæſarienſi, quæ ineunte ſæculo quarto celebrata fuere. Verum cum in illis Conciliis non agatur de Chorepiſcoporum inſtitutione, ſed de coercenda poteſtate, quam ſibi contra Canones uſurpabant; recte colligitur, paulo ante quartum ſæculum in Oriente cæpiſſe. —— In Occidente ſolum ineunte ſæculo quinto Chorepiſcopatus cæpit. Eo quia nullus Auctor, & nulla Synodus Occidentalis illius meminit ante Regienſem, quæ *anno* 439. celebrata eſt; & in qua Armentarius, contra Canones ordinatus, ab Epiſcopatu dejectus eſt, & præmiſſus cum Chorepiſcopis ſedere, & eorum fungi muneribus. —— Nec refert, *Act. 2. Conc. Chalcedonenſis*, referri, Novatianos habuiſſe in ſua ſecta Chorepiſcopos. Nam hinc non concluditur, eos ab initio ſuæ hæreſis Chorepiſcopos habuiſſe; ſed progreſſu temporis videntes ei Eccleſiam Romanam uti, quam in multis imitari ſtudebant, Chorepiſcopos tamquam utiles amplexos fuiſſe.

X. Interitus autem Chorepiſcoporum ab anno octingenteſimo exordium habuit; eorumque vana, ac temeraria præſumptio cauſa fuit. Renitentibus enim Epiſcopis, quibus ſuberant, omnia fere Epiſcopalia munera arrogabant ſibi; quod movit Leonem III. & Patres Concilii Ratisbonenſis ad multas eorum ordinationes, quibus ordinaverant Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, irritas declarandas quæ etiam moverunt eoſdem Patres ad vetandum, ne impoſterum Chorepiſcopi crearentur, quod *anno* 888. in Concilio Metenſi confirmatum fuit, *Can.* 2. Ubi ſtatutum fuit, Chorepiſcopos nihil amplius eſſe, quam Presbyteros; ac proinde nullum eſſe quidquid in ſummi Sacerdotis egerunt Miniſterio. Qua veritate tamdem perſpecta, factum eſt, ut a multis ſæculis Chorepiſcopi vel nomen extinctum ſit.

§. III.

Chorepiſcoporum Officia.

XI. Primo ergo Chorepiſcopi erant præpoſiti ruralium Presbyterorum regimini, ſicut modo ſunt, quos Vicarios foraneos, ſeu Decanos rurales appellamus: dicebantur enim Chorepiſcopi a voce *Choros*, quæ Græcis ſignificat regionem, aut agrum; ibi enim Epiſcopi loco præſidebant.

XII. Secundo. Poterant minores Ordines uſque ad Subdiaconatum incluſive, tamquam miniſtri extraordinarii, & de Epiſcopi conſenſu conferre; non tamen Presbyteratum, aut Diaconatum. Colligitur ex Ancyrana Synodo, *Can.* 13. quæ vetat quidem, ne Chorepiſcopi tentent Presbyteros, Diaconoſque ordinare: cum autem de Subdiaconis nihil dicat, indicat eos ordinare potuiſſe: *Chorepiſcopis* (inquit) *non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare*. Immo Capitulare Aquiſgranenſe Caroli Magni 99. hoc eis expreſſe concedit his verbis: *Nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, niſi tantum Subdiaconos*.

XIII. Tertio. Chorepiſcopi aderant Conciliis, & in eis ſuam dicebant ſententiam. Neocæſarienſi enim ſubſcripſerunt duo, & Nicæno I. quindecim: ſed an eis hoc jus competeret ratione Chorepiſcopatus, an ratione delegationis ſpecialis ab Epiſcopis, quibus ſuberant, Canones non dicunt.

XIV. Quarto. Licet rurales Presbyteri ubi adeſſent, aut Epiſcopus, aut urbici Presbyteri in Eccleſia Cathedrali ſacrificium offerre vetarentur, id tamen poterant Chorepiſcopi. Ita Conc. Neocæſarienſe, Can. 13. *Chorepiſcopi autem ſunt quidem in figura Septuaginta; ut comminiſtri autem, propter ſtudium in pauperes, offerant honorati.*

Dubium VII.

An Jure Divino ad Epiſcopi Electionem admittendum ſit Suffragium Populi, & Cleri.

§. I.

Aliqua Supponuntur.

I. Suppono extra controverſiam eſſe, quod populus etiam laicus una cum Clero admitti poſſit ad ferendum ſuffragium in electionibus Epiſcoporum; Id enim uſus per multa ſæcula obtinuiſſe teſtantur Patres: Cyprianus tertio ſæculo, lib. 1. Epiſt. 3. Epiſt. 4. *Cum ipſa* (inquit) *maxime plebs habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi*. Idem, *lib. 2. Epiſt.* 11. agens de Cornelii Papæ electione, ait. *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio*. De electione S. Athanaſii idem oſtendit Epiſtola encyclica Concilii Alexandrini (apud Athanaſ. *Apolog.* 2.) his verbis: *Teſtamur, omnem multitudinem, populumque Catholicæ Eccleſiæ in unum coactum, quaſi in ſpeciem unius corporis, & animæ ... poſtulaſſe Athanaſium Epiſcopum dari*. Idem etiam volebat S. Leo, *Epiſt.* 84. *cap.* 5. dicens: *Cum de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebiſque conſenſus concorditer poſtulaverit*. Tempore S. Gregorii Magni, in Italia Præſides, nobiles Senatus, populus cum Clero conſpirabant ad electionem Epiſcoporum, ut ex *lib.* 1. *Epiſt.* 56. Et *lib.* 2. *Epiſt.* 15. cum Neopolitani in eligendo Epiſcopo non convenirent: *Sin* (inquit) *aptam non invenietis, in quam poſſitis convenire perſonam; ſaltem tres viros rectos, ac ſapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & judicio plebs tota conſentiat.*

II. Hanc diſciplinam per duodecim priora Eccleſiæ ſæcula continuaſſe multis oſtendit Juvenin de Sacr. Ordinis, *Quæſt.* 1. *de Epiſcopatu, cap.* 4. *art.* 1. modo tamen a multis ſæculis in uſu non eſt. Sed Epiſcoporum electio fit in aliquibus Eccleſiis a Capitulo, vel Regia nominatione ex Sedis Apoſtolicæ conceſſione, vel ex Summi Pontificis inſtitutione; a quo omnes, quocumque modo electi, vel nominati, confirmari debent. Stante igitur pro temporum diverſitate, & circumſtantiarum diverſitate in modo eligendi Epiſcopos, ac miniſtros Eccleſiæ; controverſia reducitur ad videndum: an jure divino aliquid in hoc ſtatutum ſit.

III. Moderni hæretici Lutherani, & Calviniſtæ ita neceſſarium volunt ad electionem, & ordinationem miniſtrorum Eccleſiæ populi, ac ſæcularis poteſtatis conſenſum; ut hoc omiſſo invalida ſit electio, & ordinatio; *Hunc ritum* (ait Lutherus, lib. de poteſtate Papæ) *per multas Epiſtolas Cyprianus commemorat. Semper ſuffragium populi, & judicium propinquorum Epiſcoporum ita allegans; ut hanc ex Deo ordinationem eſſe cum fiducia pronuntiet*. Et Calvinus, cui ſubſcripſere omnes Sectarii, lib. 4. Inſt. cap. 3. §. 15. *Habemus* (inquit) *eſſe hanc legitimam ex verbo Dei miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu, & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei. Præeſſe autem debere electioni alios Paſtores; ne quid vel per levitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum a multitudine peccetur.*

IV. Concilium vero Tridentinum hiſce verbis Catholicam fidem, *Seſſ.* 23. *cap.* 4. proponit: *Docet inſuper ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujuſvis ſecularis poteſtatis, & magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem ita requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio &c.* Et ejuſdem *Seſſ. Can.* 7. anathemate damnat: *Si quis dixerit .... Ordines ab ipſis* (Epiſcopis) *collatos ſine populi, vel poteſtatis ſecularis conſenſu, aut vocatione irritos eſſe*. Et Can. 8. *Si quis dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos, & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum, anathema ſit.*

V. Mitto errorem Wicleffi, & Joannis Hus ab oppoſito volentium, ſolius Dei munus eligere Paſtores Eccleſiæ. Ratio eorum erat. Quia ſolus Deus novit juſtos, & prædeſtinatos, quos ſolos contendebant eſſe veros Paſtores, ac Miniſtros. Quem putidiſſimum errorem damnavit Conc. Conſtantienſe, *Seſſ.* 8. 15. & 25. nec in eo refellendo immorabimur. Satis enim ſuperius oſtendimus malitiam ſive eligentium, ſive electorum validitati electionis, ſi debite fiat, non officere.

§. II.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. DIco, Jus eligendi Epiſcopos, alioſque miniſtros jure divino non competit populo, nec ſæculari poteſtati. Primo igitur pro hac catholica veritate habemus exemplum Chriſti, qui duodecim Apoſtolos, alioſque ſeptuaginta diſcipulos, non electione plebis, aut Magiſtratus, ſed ſola ſua voluntate elegit. Cumque Apoſtolos miſerit in Eccleſiam ea donatos poteſtate, qua ipſe miſſus fuerat: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; voluit, ut eadem poteſtate, & forma in ſacrorum miniſtrorum electione uterentur.

Quare, *Act.* 1. *v.* 25. propria ſua electione ſtatuerunt duos meritis pares, quorum alter, in quem ſors cecidiſſet, Apoſtolatu fungeretur. Et *Act.* 13. *v.* 2. non plebis ſuffragio, ſed judicio Spiritus Sancti dirigente corda eorum, qui Eccleſiæ præerant, Saulus, & Barnabas ad Apoſtolicum munus ſegregati ſunt.

Paulus ipſe nulla ſuffragiorum plebis facta mentione, Timotheo, & Tito Epiſcopis a ſe conſtitutis poteſtatem dedit manus imponendi, & Presbyteros conſtituendi 1. ad Timoth. 5. v. 22. *Manus cito nemini impoſueris*, ideſt proba prius, an ſit tali gradu dignus, ne temere ordines. Quod ſi plebis, aut Magiſtratus ſuffragia neceſſario audienda eſſent, fruſtra Epiſcopo diceretur. *Manus cito &c.* cum non ex ipſius judicio, ſed ex alieno ſuffragio tota miniſtrorum Eccleſiæ penderet ordinatio. Ad Titum autem 1. verſ. 5. *Hujus rei gratia* (inquit) *reliqui te Cretæ* (Epiſcopum) *ut ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Quibus non aliam formam illis præſcribit, niſi eam, quam in ordinandis eis ipſe ſervaverat. Nam Timotheum conſtituit Epiſcopum Epheſiorum, & Titum Cretenſium; quia utrumque ipſe idoneum judicaret nullo expectato plebis ſuffragio: & ita ab ipſis fieri volebat. Quod & ipſe, & Barnabas feciſſe leguntur. Act. 14. verſ. 22. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias* (Liſtræ, Iconii, & Antiochiæ) *Presbyteros &c.* eos nimirum eligendo, & ordinando.

Addo: quod idem Paulus recenſens qualitates in Epiſcopo, & Diacono requiſitas, 1. *Timoth.* 3. *ad Titum* 1. eas non inſinuat, & præcipit plebi, aut toti congregationi fidelium, ut norint, qualem eligere debeant. Hoc enim, ſi voluiſſent, potius toti Eccleſiæ Epheſiorum, & Cretenſium, ſuper ea re ſcripſiſſet Epiſtolas, præſertim quia fere omnes Epiſtolas ad Eccleſias ſcripſerat, quia in illis agebat de rebus totam Eccleſiam concernentibus. Cum ergo illas conditiones ſolis Epiſcopis expoſuerit; ſignum eſt, quod ad eos ſolos, vel tota, vel præcipua electionis cura pertinebat.

VII. Hunc eumdem morem ſecuti ſunt cæteri Apoſtoli, qui Epiſcopos a ſe ordinatos miſerunt ad populos abſentes, & infideles: ſine quorum proinde ſuffragio illis Epiſcopos conſtituerunt, ut ad fidem converterentur, & converſi regerentur. Sic Petrus Marcum diſcipulum ſuum Alexandriam, ut ibi conſtitueret Eccleſiam miſit; Alexandrinis procul dubio de ea re nihil ſcientibus, aut cogitantibus, & conſequenter eorum conſenſu non requiſito. S. Gregorius Magnus Apoſtolos imitatus pro Angliæ Epiſcopo, vel ipſis Anglis inſciis, S. Auguſtinum Monachum ab Arelatenſi Præſule ordinatum deſignavit; hic autem alios, qui ad fidem recens converſis præeſſent, elegit. En verba Pauli Diaconi in vita S. Gregorii hoc narrantis: *Sed & Auguſtinum penes Anglos a Galliarum Epiſcopis ordinari præcepit; per quem nihilominus in eadem gente .... diverſo tempore provecti ſunt Mellitus, Juſtus, Laurentius, & Paulinus.*

VIII. Aliquando etiam plurimorum Epiſcoporum electione, & conſenſu id factum fuit. Teſte enim Euſebio *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 1. Jacobus cognomento juſtus a SS. Petro, Jacobo, & Joanne Jeroſolymorum Epiſcopus electus fuit. Rurſus, *lib.* 3. *cap.* 11. Mortuo Jacobo, Simeonem Cleophæ filium ejuſdem urbis Epiſcopum Apoſtoli inſtituerunt. Et *lib.* 6. *cap.* 10. Cum Narciſſus Epiſcopus aufugiſſet, Epiſcopi viciniores, alium nomine Dium elegerunt.

Hunc morem ſuo tempore viguiſſe S. Cyprianus teſtatur, *lib.* 1. *Epiſt.* 4. (modo *Epiſt.* 35.) his verbis: *Propter quod diligenter de traditione divina & Apoſtolica obſervatione ſervandum eſt, & tenendum; quod apud nos quoque & fere per provincias univerſas tenetur: ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopatus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit.* Ne autem ho Cypriani teſtimonio Novatores abutantur. Nota primo. Cyprianum non dicere: *Plebe ſuffragante*, ſed *plebe præſente*. Unde plebs aderat, non ut ferret ſuffragium, ſed ut teſtimonium redderet de vita & moribus illius, qui proponebatur: ideoque cum eligebatur Epiſcopus, plebs aderat ut teſtis, comprovinciales vero Epiſcopi ut Electores. —— Nota ſecundo. Cyprianum non dicere, hoc plebis teſtimonium per univerſam Eccleſiam, tamquam jure divino neceſſarium ad validitatem electionis requiri; ſed ſolum, ut traditioni divinæ, & apoſtolicæ magis conſentaneum, non apud omnes, ſed fere omnes Eccleſias, puta Africæ, teneri. Nam hic Epiſcopos eligendi modus in aliquibus provinciis non tenebatur, ut ipſe agnoſcit; nec tamen provinciarum illarum morem, inconſulta plebe Epiſcopos eligendi, ut illegitimum, & divino juri contrarium damnat. Et vero totis fere tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis Epiſcopus Alexandrinus a ſolis Presbyteris, inconſulta plebe, electus fuit, ut ſatis teſtatur Hieronymus, *Epiſt. ad Evangrium*, ſeu Evangelium, his verbis: *Nam & Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant.* Quod autem in prima poſt Romanam Sede, & ab ipſis Eccleſiæ incunabulis illegitimæ, & juri divino contrariæ factæ ſint Epiſcoporum electiones, quis credet?

IX. Ex Conciliis quoque conſtat, plebis ſuffragia, nec ſæcularis poteſtatis auctoritatem requiri: Primo ex Laodiceno, *Can.* 13. quo dicitur: *Turbis non eſſe permittendum electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi.* Secundo: ex Nicæno I. *Canon.* 4. dicente: *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus; qui ſunt in Provincia conſtitui. Si autem ſit hoc difficile, vel propter urgentem neceſſitatem, vel via longitudinem, tres omnino in eumdem locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc ordinationem fieri. Eorum autem, quæ fiunt, confirmationem in unaquaque Provincia a Metropolitano fieri.* Tertio: ex Conſtantinopolitano Quarto Œcumenico, Can. 22. *Promotiones, & conſecrationes Epiſcoporum concordans prioribus Conciliis electione ac decreto Epiſcoporum Collegii fieri ſancta hæc & Univerſalis Synodus definit & ſtatuit; atque jure promulgat, neminem Laicorum Principum, vel potentum ſemet inferere electioni, vel promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi ..., Quiſquis autem ſæcularium Principum, & potentium, vel alterius dignitatis laica adverſus communem, ac conſonantem, atque canonicam electionem Eccleſiaſtici ordinis agere tentaverit, anathema ſit; donec obediat, & conſentiat in hoc; quod Eccleſia de electione, & ordinatione proprii Præſulis, ſe velle monſtraverit.* Quarto tandem: Nicænum II. pariter Œcumenicum, Canon. 3. *Omnis* (inquit) *electio a Principibus facta Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat ſecundum regulam, quæ dicit:* Si quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes, qui illi communicant: *Oportet enim, ut qui provehendus eſt in Epiſcopum, ab Epiſcopis eligatur; quemadmodum a ſanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, in regula definitum eſt, quæ dicit*: Epiſcopum convenit maxime quidem &c. ut ſupra &c.

Ex quibus omnibus patet, quam merito Conc. Trident. *Seſſ. capitul.* 4. *& Can.* 7. ſupra relatis Sectarios modernos oppoſitum ſentientes damnaverit.

X. Non deſunt pro hac veritate rationes. Prima eſt, Epiſcopi jure divino ſunt Paſtores, fideles autem alii divino jure ſunt oves: ſed ovium eſt ſuſcipere quidem, & obedire Paſtori ſibi dato, non autem Paſtorem ſibi eligere; ergo &c. —— Secunda eſt. Illis jure divino convenit eligere Epiſcopum, quibus jure divino convenit regere Eccleſiam; quia electio miniſtrorum Eccleſiæ eſt actus pertinens ad regimen Eccleſiæ, ſed ſolis Epiſcopis, non populo, jure divino convenit regere Eccleſiam Dei, ergo &c. —— Tertia eſt, Laici ſæpius ſunt rerum Eccleſiaſticarum imperiti, nec valent idoneum miniſtrum ab inepto ſecernere. Unde refert Theodoretus, *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 7. quod Valentinianus rogatus, ut electioni Epiſcopi Mediolanenſis ſe immiſceret; recuſavit dicens: *Major, quam ut a me præſtari poſſit, res eſt, multoque fuerit melius eos diſcernere divina gratia dignatos, & participes ſplendoris.*

Quarta eſt. Populus plerumque, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, & maxime paſſioni indulgere ſtudet magis, quam communi bono. Unde S. Chryſoſt. *lib.* 3. *de Sacerdotio*, graviter dolet, quod ſuo tempore Epiſcoporum electiones penes laicos forent: & hinc non eſſe mirandum, ſi dignis relictis, peſſimi ad ſacros promoverentur ordines, & dignitates.

Quinta demum. Electio lucra debet fieri, ac decentius fit eo modo, quo a contentione, & tumultu magis judicetur immunis: ſed cum populus habet ſuffragium, vix ſine tumultu fit, & contentione, propter ſtudia ſæpe prava partium: quod factis comprobatur. Nam S. Auguſtinus, *Epiſt.* 110. modo 123. *&* 125. modo 136. refert hiſtoriam turbulentiæ commotionis popularis in electione Piniani. Ruffinus, *lib.* 11. *Hiſt. c.* 11. diſſenſionem populi Mediolanenſis in Epiſcopo deſignando non leviorem narrat. Sed inter cæteros in hac materia conflictus acerrimus fuit, qui in electione S. Damaſi contigit; cum vel in ipſo templo non pauci interfecti ſint, ut referunt S. Hieronymus, *in Chronico*, & Ammianus Marcellinus Auctor Ethnicus. Non eſt autem credendum, modum electionis, tot inconvenientibus obnoxium jure divino præceptum eſſe.

§. III.

Hæreticorum Objecta.

XI. OBjiciunt ex veteri lege primo. Moyſes Dux populi, *Exod.* 28. & *Levit.* 8. Aaronem, & filios ejus deſignat, & conſecrat Sacerdotes. Item, *Num.* 8. ad hoc requirit conſenſum, & ſuffragium multitudinis: *Applicabis Levitas convocata omni multitudine filiorum Iſrael. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Iſrael manus ſuas ſuper eos.* Quæ cæremonia ſolet eſſe dantis ſuffragium.

Secundo. David Rex, 1. *Paralip.* 23. *&c.* Sacerdotibus, Levitis, Cantoribus, & Janitoribus ſua deſignavit officia, & vices diſtribuit. Nec ipſe tantum, ſed & Magiſtratus exercitus Cantores in miniſterium ſegregavit, ut habetur initio *Capitis* 15.

Tertio. Salomon, 3. *Reg.* 2. Abiathar Sacerdotem a Pontificatu dejecit, & in ejus locum Sadoc inſtituit.

Quarto. Joſaphat Rex Juda, 2. *Paralip.* 19. Amariam conſtituit in his, quæ ad Deum pertinent, & inſuper Levitas, & Sacerdotes.

Quintus. Alexander, & Demetrius Reges Syriæ, 1. *Machabæorum* 10. & 11. Jonathan conſtituunt ſummum Sacerdotem Judæorum. Idque etiam commemorat Joſephus, *lib.* 13. *Antiq. cap.* 5. & 8. Cur ergo non etiam in lege nova hoc jure Reges, ac Principes non potientur?

XII. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum dico, quod Moyſes Aaronem & filios ejus non tantum deſignavit Sacerdotes, ſed etiam unxit, & conſecravit: at hoc non fecit tamquam Dux populi, ſed ex peculiari Dei mandato, ut aperte Scriptura teſtatur. Unde nec conſtitutum a ſe Sacerdotem potuiſſet amovere, neque Sacerdotium ad aliam familiam transferre. —— Addo: quod Moyſes etiam Sacerdos erat juxta illud Pſ. 98. verſ. 6. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus*: adeoque prius ipſe ſacrificia obtulit, quam Sacerdotes conſecraret.

Ad id, quod additur ex *Num.* 8. dico, ibi non ſignificari requiſitum fuiſſe conſenſum multitudinis, ut Levitæ ordinarentur. Sed quia Levitæ offerebantur Deo pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Iſrael, ut habetur *Num.* 8. *verſ.* 16. ideo Levitæ erant quidam oblatio Deo facta a tota multitudine. Ut ergo ſignificaretur, quod multitudo illos offerebat tamquam munus, & ſacrificium Deo, applicabantur coram tabernaculo convocata multitudine; ipſaque multitudo ponebat manus ſuper eos, qui offerens debebat ponere manum ſuper ſuam oblationem, ut *Levit.* 1. docent Commentatores.

XIII. Ad ſecundum dico, Davidem ea feciſſe, non auctoritate Regia, ſed ex revelatione prophetica, & juſſu divino. Unde nullus poſteriorum, non dicam Regum, ſed nec Pontificum, auſus fuit ea immutare. Videatur 1. *Paralip. cap.* 9. *verſ.* 22. *& cap.* 8. *verſ.* 19.

XIV. Ad tertium ſimiliter reſpondeo, quod Salomon tamquam executor divinæ ſententiæ (dicit enim Scriptura: *Ut impleretur ſermo Domini*) Abiathar tamquam reum læſæ majeſtatis miſit in exilium; quo factum eſt, ut fungi Sacerdotio non poſſet. Unde Deo ſic diſponente factum eſt, ut Sacerdotium rediret ad antiquam familiam, cui ex divina promiſſione competebat, nempe Eleazar, de qua erat Sadoc. Quamquam non ſatis conſtat, Abiathar deinceps Sacerdotio functum non fuiſſe, cum *cap.* 4. numerentur *Sadoc, & Abiathar Sacerdotes.*

XV. Ad quartum, reſp. Joſaphat conſtituiſſe Levitas, & Sacerdotes, quia curavit conſtitui, non quia elegerit ut ordinarentur. Amariam autem, qui jure ſucceſſionis erat divinitus inſtitutus legitimus Pontifex, Joſaphat non conſtituit Pontificem, ſed declaravit ad eum tamquam ſummum Pontificem deferendas eſſe quæſtiones Legis.

XVI. Ad quintum dico, exempla Regum Ethnicorum, quales fuerunt Alexander, & Demetrius, quo ad jus conſtituendos ſummos Sacerdotes in judaico populo, non eſſe trahenda ad Chriſtianos, nihilo magis quam illud, quod 2. *Machab.* 4. & 14. & plenius a Joſepho narratur, primum Ægypti, Aſiæ, Syriæ Reges deinde & Romanos idem Sacerdotium pretio venale habuiſſe. Jonathas autem Sacerdotium acceptavit, non ut a Regibus collatum, ſed ut a populo Judæorum ſibi delatum, ut & de Simone fratre ejus conſtat, 1. *Machab.* 14. Quamvis poſtea auctoritas Regia accederet, in illis rerum circumſtantiis cogente neceſſitate.

XVII. Objiciunt ſecundo, ex novo Teſtamento, *Act.* 1. Non ſoli Apoſtoli, ſed univerſa Eccleſiæ multitudo propoſuit Matthiam, & Barſabam, ut Deus aſſumeret ex eis unum. *Act.* 6. Diaconi a multitudine electi fuerunt. Unde *verſ.* 5. dicitur, *& elegerunt Stephanum &c. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum.* Electis ergo a multitudine præſentati fuerunt Apoſtolis. Idem refertur, *Act.* 14. nempe Paulum, & Barnabam conſtituiſſe per ſingulas Eccleſias Presbyteros ſuffragiis plebis: Verbum enim græcum *Chirotoniſantes* idem ſignificat, ac eligentes per ſuffragia. Nam *Chirotoneo* idem eſt, *ac manus attollo* in ſignum ſuffragii. Hæc ergo fuit forma eligendi miniſtros ab Apoſtolis primo inſtituta.

XVIII. Reſpondeo ad primum. Illam non fuiſſe electionem, ſed poſtulationem quamdam a Deo; qua petierunt, ut oſtenderet eis, quemnam in locum Judæ ipſe elegiſſet. Hoc autem, inquit Chryſoſtomus in hunc locum, factum fuit, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate: *Quid* enim, *an non licebat ipſi Petro eligere? Licebat, & quidem maxime: verum id non fecerat, ne cui videretur gratificari.*

Idem dico de electione Diaconorum, hanc fieri a multitudine Apoſtoli judicarunt; quia hoc viſum fuit illis bonum, ac utile Eccleſiæ. Cum enim de modo eligendi miniſtros Eccleſiæ nihil a Chriſto Apoſtoli accepiſſent præceptum, exiſtimarunt rem hanc ſecundum circumſtantias perſonarum, locorum, & temporum prout Eccleſiæ bono expediret, moderandam eſſe. Sic quia tunc multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, & agebatur de viduis, & pauperibus alendis de bonis a tota multitudine in commune collatis; expediens judicarunt Apoſtoli, ut Diaconi a tota multitudine eligerentur. Porro cum Eccleſiæ bono expediebat, ne miniſtrorum electio populo permitteretur, id ei Apoſtoli non permittebant. Sic Paulus Cretenſibus qui duriores erant, non permiſit ut ſuffragiis ſibi Epiſcopum eligerent; ſed eis ſua auctoritate Titum præfecit. Hoc Apoſtolorum exemplum ſecuta eſt Eccleſia. Nam ut, §. 1. obſervavimus, pro varietate temporum, locorum, & perſonarum modo electiones Epiſcoporum a tota multitudine fieri permiſit, tamquam teſtimonium de perſona reddente, vel etiam poſtulante; modo ad ſolos Provinciæ Apoſtolos, modo ad Clerum reſtrinxit, modo, ut a multo tempore, ſolius Romani Pontificis, cujus prima cura eſt, providentiæ præcipuas Eccleſiarum dignitates reliquit.

Ad id vero, quod ſubjungitur, dico, verbum græcum *Chirotoneo* in Scripturis pro electione in genere uſurpari, ſive hæc fiat plurium ſuffragio, ſive ab uno tantum, immo etiam pro ipſa ordinatione: generaliter enim ſignificat manum extendere, ſeu imponere, quod æque fit eligendo per votum, ac conſtituendo, & ordinando. Immo dum agitur de ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ, ut obſervant Interpretes, longe aliud intelligitur quam ſuffragatio; cum potius intelligatur ipſa ordinatio, quæ fit ab Epiſcopo per manus impoſitionem. Et ita intelligendum eſt quod dicitur de Paulo, & Barnaba: *Cum conſtituiſſent illis Presbyteros*, ideſt, per manus impoſitionem ordinaſſent, eiſque præfeciſſent.

XIX. Objiciunt tertio teſtimonia S. Cypriani, *lib.* 1. *Epiſt.* 4. dicentis de Traditione divina, & Apoſtolica obſervatione deſcendere, ut Sacerdos, plebe præſente, ſub omnium oculis eligatur, & dignus atque idoneus publico judicio, ac teſtimonio comprobetur. Et S. Leonis, *Epiſt.* 84. *cap.* 5. volentis; ut cum *De ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebiſque conſenſus concorditer poſtularit.*

Reſpondeo, mentem S. Cypriani colligi ex dictis ſupra, §. 2. *n.* 8. quo Studioſum remitto. Quibus addo: Cyprianum ibi duo ad electionem Sacerdotis requirere. Primum; quod teſtimonio bonæ vitæ is, qui eligendus eſt, comprobetur: & hoc certe ex traditione divina, & Apoſtolica obſervantia deſcendit: *Oportet autem* (inquit Paulus 1. ad Timoth. 3. verſ. 7.) *illum, & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt*, ideſt, non ſolum fidelibus, ſed etiam infidelibus probata debet eſſe ejus vita. Alterum, eſt modus, quo hoc teſtimonium bonæ vitæ habendum eſt, nimirum, quod plebe præſente ſub omnium oculis deligatur: & hoc non intendit ex traditione divina, vel apoſtolica obſervantia deſcendere, cum nec Chriſtus hoc præceperit, nec Apoſtoli ſemper obſervarint, nec Cypriani tempore ubique ſervaretur, ut diximus.

Ut vero S. Leonis mens aperiatur, duplex electio diſtinguenda eſt. Una proprie talis, & canonica, quæ dat jus electo: altera minus propria, quæ tantum vim habet teſtimonii: deſiderii, ſeu optationis. Hanc ſecundam tribuit populo. At primam ſolis Epiſcopis concedit: Ita ibi, *c.* 6. ſe explicat dicens: *De perſona autem conſecrandi Epiſcopi . . . . . Provinciales Epiſcopi ad Civitatem Metropolitanam convenire debebunt: ut omnium Clericorum, atque omnium Civium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel Diaconibus optimus eligatur.* Et hæ partes erant; quas tunc in electione Epiſcopi habebat populus.

XX. Objiciunt quarto, Epiſcopi non ſunt domini, ſed miniſtri Eccleſiæ, ut habetur, 1. *Cor.* 3. *verſ.* 5. & Eccleſia 1. *ad Timoth.* 3. eſt *columna, & firmamentum veritatis*; ergo ad eam pertinet eligere ſuos miniſtros —— Rurſus: Epiſcopus eſt ſponſus Eccleſiæ, ideſt, populi, & propter hoc datur ei annulus in conſecratione; ergo debet accedere populi conſenſus ad ejus electionem, quia ſponſus, & ſponſa mutuo conſenſu debent copulari.

XX. Reſpondeo, Epiſcopos eſſe potius Miniſtros Chriſti auctoritate ipſius regentes, & gubernantes Eccleſiam. Sic enim ait Paulus, 1. Cor. 4. verſic. 1. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Unde eorum inſtitutio non a quocumque de Eccleſia facienda eſt, ſed ab iis, qui loco Dei in Eccleſia præſident, quales ſunt Epiſcopi, & præcipue Romanus Pontifex.

Ad id, quod additur; nego conſeq. & diſcrimen eſt inter conjugium carnale, & ſpirituale Epiſcopi cum Eccleſia, cui

cui præficitur; quod filia non est parentibus subdita, sed sui juris, quoad assensum in conjugium, vel in conjugem. At populus Ecclesiæ in acceptando Pastore subjectus est his, qui Ecclesiæ præsident, sicut in aliis ad animæ salutem pertinentibus. Addo: Episcopum esse sponsum nedum laicorum, sed totius Ecclesiæ suæ, cujus digniorem partem constituunt alii Ecclesiæ ministri.

QUÆSTIO VI.

De Presbyteratu.

EPiscopatui inseparabiliter conjungitur Presbyteratus tamquam quid ad eum præsuppositum, & essentialiter inclusum, ut vidimus: ideoque Quæstioni de Episcopatu hanc de Presbyteratu subjicimus.

DUBIUM I.

Quid sit Presbyteratus, & an sit Sacramentum?

§. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. PResbyteratus, si etymologiam nominis spectes, ab ætate longæva sumitur; unde Presbyter, idem est, ac *Senior*, seu *Natu major*: & in hoc sensu usurpatur in veteri Testamento. In novo autem nomen est officii significans eum, qui vel Ecclesiæ præfecturam gerit: aliquando quidem primam, quæ Episcopis convenit; aliquando inferiorem, quæ competit Parochis sub Episcopo curam animarum habentibus: vel etiam purum ministerium Eucharistiam conficiendi gerit sub Episcopo, absque omni animarum cura. Hinc Presbyter in generali acceptione comprehendit tam Episcopos, immo & ipsos Apostolos, quam inferiores Presbyteros. Sic *in 2. & 3. Epistola Joannis, & Petri, ultimo*. Petrus, & Joannes se seniores, ideſt, Presbyteros vocant. Item *ad Titum* primo. Cum jubetur Titus per Civitates constituere Presbyteros; Presbyterum pro Episcopo sumi, inde constat, quia sequitur; *Oportet autem Episcopum sine crimine esse*. Similiter Presbyteros, quos *Act.* 20. convocasse dicitur Apostolus, paulo post dicuntur Episcopi. Eadem significatio Presbyteri videtur esse, *Act.* 14. ubi dicuntur Paulus, & Barnabas constituisse per singulas Ecclesias Presbyteros. Et *Act.* 15. ubi convenisse dicuntur ad Concilium Jerosolymitanum *Apostoli, & Seniores*, Et Paulus, *1. ad Timoth.* 3. juxta Œcumenii interpretationem per impositionem manuum *Presbyterii*, intelligit ordinationem ab Episcopis factam. *Neque enim* (inquit) *Presbyteri Episcopum ordinabant*.

II. Specialis autem vocis *Presbyteri* acceptio sumitur a Paulo, 1. ad Timoth. 5. versic. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina*, & vers. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere &c.* Ubi agit de Presbyteris Episcopi judicio subjectis, & agnoscit Presbyteros honore dignos, qui tamen non laborant in verbo, & doctrina; quod de Episcopis dici non potest. Sed & Jacobus eum dicit, ad infirmum adducendos esse Presbyteros, & Ecclesiæ, simplices Presbyteros, & in speciali sensu intelligit. Nam in una Civitate plures quidem Presbyteri esse possunt; sed non plures Episcopi, qui eam regant. In hac ergo speciali significatione hic Presbyteri nomen sumitur, ut significat ministrum Episcopo inferiorem.

III. Quamvis autem Presbyter in utraque præfata acceptione sit etiam Sacerdos; qui facultatem habet offerendi sacrificium corporis, & sanguinis Domini: Sacerdotis tamen vocabulum in Scriptura novi Testamenti non legitur Presbyteris, seu ministris novæ legis attributum, sed soli Christo. Cujus ratio est. Quia totum Testamentum novum eo rempore scriptum est quo adhuc in usu, aut saltem in recenti memoria erant sacrificia veteris legis; & in sua functione versabantur ejusdem legis Sacerdotes, cum quibus nec nomine communicare voluerunt Apostoli; ne adhuc durans, & non abrogatum vetus illud Sacerdotium videretur. At paulo post Jerosolyma cum Templo eversa, ac proinde veteris legis sacrificio, & Sacerdotio abolitis; mox Episcopi, Presbyteri, Pontifices, & Sacerdotes appellari cœperunt. Et licet Sacerdotis vocabulo frequenter Episcopus per excellentiam designetur apud Veteres; ut apud S. Leonem in epistolis, & sermonibus, & alios eo antiquiores; non minus tamen frequens est eamdem vocem cuivis Presbytero attribui: ut legere est apud Ignatium, *in Epist. ad Philadelphios*, & in altera ad Haeronem Diaconum, & passim apud Dionysium, *in lib. de Eccl. Hierarch.* Cyprianum, *lib. 1. Epist. 9. & lib. 2. Epist. 3.* & apud alios frequentissime. Unde S. Aug. *l. 20. de Civ. Dei, c. 10.* dicit Episcopos, & Presbyteros proprie vocari Sacerdotes.

Nota tamen; quod etsi in libris novi Testamenti Presbyteri nusquam Sacerdotes appellati legantur; divina tamen providentia factum est, ut in veteri hoc nomine præsignarentur ab Isaia, *cap. ultimo*, dicente Domino: *Et assumam ex eis Sacerdotes & Levitas*. Quod cum de Sacerdotio omnibus Christianis communi intelligi nequeat, quia certi quidam ex eis assumendi ad hoc dicuntur, consequens est; ut de speciali, & proprie dicto Sacerdotio Christianorum intelligendum sit, quomodo & Hieronymus eum locum est interpretatus. His ergo contra Heterodoxos Sacerdotium ab Ecclesia auferentes (ut in Tract. de Eucharistia vidimus) ad mei Candidati instructionem statutis, sit

§. II.

Resolvitur Secunda Pars.

IV. DIco. Presbyteratus, seu Sacerdotium est verus Ordo, & sacramentum novæ Legis. Negant Heterodoxi, affirmant tamen omnes Catholici. Si enim Ordo, ut supra probatum est, inter sacramenta novæ legis recensendus est; potiori ratione sacramentum erit Presbyteratus, ex cujus participatione cæteri Ordines particulares unum sacramentum sunt, ut docet S. Th. *in Supplem. 3. p. q. 47. art. 1. ad 2.* Ubi assignans modum, quo omnes Ordines unum sacramentum constituant, dicit: quod divisio Ordinis est *Totius potestativi, cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est quædam participatio ipsius: & ita est hic. Tota enim plenitudo sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis. Et hoc significatum est in hoc, quod Dominus dixit, Num. 11. Moysi*: Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi. *Et ideo omnes Ordines sunt unum sacramentum*. Hinc Concilium Tridentinum, *Sess. 23. c. 2.* docet, reliquos Ordines tamquam ministrantium gradus referri ad Presbyteratum. Et *c. 3.* ait: *Cum Scriptura testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, & proprie unum ex septem S. Ecclesiæ sacramentis. Inquit enim Apostolus* (2. ad Timoth. 1. vers. 6.) *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*. Et antea Eugenio IV. in Decreto unionis, docuerat Ordinem esse sacramentum novæ legis, primo loco Presbyteratum recensens.

V. Ex Patribus consentiunt primo Gregorius Nyss. *Orat. de S. Baptismate*, his verbis: *Eadem item verbi vis etiam Sacerdotem augustum, & honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum . . . Cum nihil vel corpore, vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat invisibili quadam vi, ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens &c.* Quibus totam naturam sacramenti tribuit Sacerdotio, nimirum esse signum externum cum verborum formula: *Eadem item verbis vis*; eamque gratiam sanctificantem transformantem animam: *Invisibili quadam vi, ac gratia &c.*

Sanctus item Augustinus, *lib. de Bono conjugali, c. 24.* vocat sacramentum indelebile ordinationem: *Si aliqua*, (inquit) *culpam qui/quam ab officio removeatur, sacramento Domini semel impo/ito non carebit, quamvis ad judicium permanente.*

Sanctus Leo, Epist. 81. ad Dioscorum, c. 1. *Nam* (inquit) *præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica novimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quod cum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Evangelium Gentibus mitterent prædicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus: ut intelligamus, quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tanta benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum: Et ideo pie, & laudabiliter Apostolicis morem gesserit institutis; si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris.*

VI. Ratio autem sic conficitur primo. Quia Presbyteratus est signum sensibile, cæremonia enim sensibili rebus, & verbis constante, a Christo institutum, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, collativum gratiæ, ut supra diximus ex Paulo (*2. ad Tim. 1. v. 6.*) ergo nil ei deest, quin sit sacramentum —— Secunda. Per Presbyteratum accipit homo potestatem conficiendi Eucharistiam, remittendi peccata, & alia quædam administrandi sacramenta; ergo Presbyteralis ordinatio est sacramentum. Conf. prob. ex S. Thom. in Supplem. 3. p. q. 34. art. 3. *in arg. sed contra*, ubi ait: *Propter quod unumquodque tale & illud magis: sed propter Ordinem* (& maxime Presbyteratum) *fit homo dispensator aliorum sacramentorum; ergo Ordo* (Presbyteratus) *magis habet rationem, quod sit sacramentum*. Huc revocanda sunt, quæ supra, n. 4. ex eodem S. Thoma retulimus.

§. III.

Solutio Objectionum.

VII. OBjicies primo. In Scripturis non legitur Presbyteratus, seu Sacerdotii a Christo facta institutio; ergo non est sacramentum. Ant. prob. Paulus, *ad Ephes. 4. v. 11.* enumerat singula officia, quæ Christus instituit *In opus ministerii in ædificationem corporis Christi*; inter quæ recenset quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores. Eadem recenset, *1. Cor. 12. v. 28.* nullibi autem memorat Presbyteros, seu Sacerdotes; ergo istos non posuit Christus in ministerio Ecclesiæ.

VIII. Respondeo, neg. ant. Christus enim Presbyteratum instituit, ac Sacerdotium, cum *Luca 22.* dedit Apostolis facultatem conficiendi, & offerendi Eucharistiam, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ad Prob. Respondeo, Paulum ibi non recensere ordinaria, & hierarchica Ecclesiæ ministeria; cum inter hæc nec sit Apostolatus, nec prophetia, nec gratia curationum, nec donum linguarum, quæ tamen ibi enumerat; sed potius dona, seu gratias gratis datas, quas tunc fidelibus in ædificationem Ecclesiæ passim Deus largiebatur, & identidem etiam modo aliquibus distribuit prout vult — Dato autem, Paulum ibi de ministerio ordinario, & permanente in Ecclesia fuisse etiam locutum: respondeo, illud comprehendisse sub generali nomine *Pastorum*, & *Doctorum*; sub hoc enim comprehendit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, de quibus, ut supra vidimus, tum Lucas in Actis, tum Paulus ipse in suis aliis Epistolis mentionem fecit.

IX. Objicies secundo. Falsum est, Christum in ultima Cœna instituisse Presbyteratum, vel Sacerdotium. Primo: Quia verba illa *Hoc facite &c.* referuntur duntaxat a SS. Luca, & Paulo, qui Cœnæ non adfuerunt, cum a S. Matthæo, qui adfuerat, & Marco, qui a Petro edoctus scripsisse dicitur, prorsus sileantur — Secundo. Si Christus illis verbis instituisset Apostolos Sacerdotes, adhibuisset illam materiam, & formam, qua utitur Ecclesia; quod tamen non fecit: cum nec imposuerit eis manus, nec verba, quæ Ecclesia profert, protulerit; ergo &c.

X. Respondeo, neg. ant. Ad primam prob. fateor, solum Lucam, & Paulum, qui Cœnæ non adfuerunt, ea verba ut a Christo dicta retulisse. Matthæum vero, & Marcum omisisse. At quid hinc? Forte ne suspicari possumus, Lucam, & Paulum falsum scripsisse? An spiritu potius humano, quam divino afflatu Evangelistas, & Paulum scripsisse credemus, ut scribentes quæ non viderunt, dubiam fidem faciant? Joannes adfuit Cœnæ, & quidem in pectore Domini ibi recubuit: nec tamen in suo Evangelio quidquam de Cœna dicit; ergo nec Christum vere Cœnam fecisse dubitabimus? Sane hæc instantia vero Christiano indigna est. Sciat ergo, quisquis sit, Spiritum Sanctum ita dispositisse sacros Scriptores, non ut singuli omnia, quæ gesta sunt, recenserent; sed ut si quid ab aliis omissum sit, ab altero suppleretur; sic ut ab omnibus simul tota Evangelica historia integre habeatur. Nam Sanctus Joannes plura omisit, sed plura quoque narravit, quæ cæteri omiserant.

Ad secundam, nego ant. Christus enim potestate excellentiæ, qua ut homo eminebat, potuit dare Apostolis effectum sacramenti, immo ipsum sacramentum sine ordinariis signis, & etiam sine ullo signo, ut docet S. Thom. *3. p. q. 64. art. 3.* Addo: Christum in Cœna duas actiones externa habuisse. Unam, qua accipiens panem, & vinum pronuntiavit super ea Verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*: & hac instituit Eucharistiam: Alteram, qua priorem complevit dicens: *Hoc facite &c.* & hac Sacerdotes Apostolos constituit, & ordinationem Presbyteratus instituit.

DUBIUM II.

Quanam sit Materia, & Forma Presbyteratus.

§. I.

De Materia, & Forma aliqua notantur.

I. CIrca materiam, & formam Presbyteratus non una est Doctorum etiam Latinorum sententia. Cum enim Ecclesia Græca pro materia adhibeat impositionem manus, qua etiam usi fuisse leguntur Apostoli in ordinatione Presbyterorum, & ejus solius meminisse videantur antiqua Concilia, & Patres: e contra autem Ecclesia Latina utatur etiam instrumentorum traditione, nempe, calicis cum vino, & patenæ cum hostia: censent multi, solam manuum impositionem esse materiam essentialem ordinationis Presbyteri, traditionem autem instrumentorum esse cæremoniam mere accidentalem, vel ad summum explicativam potestatis traditæ ipsi ordinato. Ita sentiunt Juvenin, Boveat, aliique ex Gallis. Alii e contra volunt, solam traditionem instrumentorum esse materiam essentialem Presbyteratus. Alii mediam viam tenentes dicunt, materiam adæquatam Presbyteratus ex utroque consurgere, nempe, ex manuum impositione, & traditione instrumentorum.

II. Pro hujus difficultatis resolutione observandi sunt ritus, qui in Presbyterorum ordinatione solent adhiberi. Primo. Episcopus manus imponit ordinando, idemque faciunt Sacerdotes adstantes, per eum ritum significantes, se ordinationi assensum præbere, & ad eam Spiritum Sanctum invocare. Cæterum, cur Diacono solus Episcopus manum imponat, Presbytero autem Episcopus una cum aliis Presbyteris, rationem indicat quarta Synodus Carthaginensis, *Can. 4.* Quia nimirum Diaconus non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur; Presbyter autem ad Sacerdotium, & proinde a Compresbyteris velut in consortium paris dignitatis assumitur. Qua eadem ratione etiam in ordinatione Episcopi una cum Episcopo consecratore Episcopi quoque assistentes manum imponunt ordinando.

Secundo. Episcopus induit stola humeros ordinandi, eam ante pectus in formam crucis componens: ad significandum, quod virtute induitur ex alto, qua possit crucem, & jugum Domini portare.

Tertio. Induit eum capsula, sive (ut olim vocabatur) planeta; eo quod totum fere corpus oberraret: fiebatque multo latior, quam nunc fiat; ita ut brachia pene tota contegeret, ut in aliquibus antiquis adhuc extantibus videre est. Significat autem vestis ista charitatem.

Quarto. Inungit manus: primum quidem pollices, & indices, postea vero totaliter palmas, ut significentur modo quodam consecratæ ad sacrificium. Unctio autem hæc non fit Chrismate (ut in ordinatione Episcopi) vel oleo infirmorum, sed oleo Catechumenorum.

Quinto. Calicem cum vino, & patenam cum hostia tradit dicens: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis.*

Sexto. Imponit ambas manus super caput ordinandi dicens: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

III. Ex his apparet, in ordinatione Presbyteri duplicem conferri, vi ordinis, potestatem. Unam, & quidem præcipuam, supra corpus Christi verum: & hæc est potestas conficiendi Eucharistiam, & offerendi sacrificium corporis, & sanguinis Domini. Alia est potestas supra corpus Christi mysticum; & hæc est potestas absolvendi a peccatis. Unde fit, quod ordinatio Presbyteri saltem in Ecclesia Latina quasi duplici sacramento perficitur; quorum primum significat, & efficit gratiam, & characterem Presbyteri, ut Sacerdotis: secundum vero significat, & efficit gratiam, & characterem Presbyteri, ut judicis in foro interno. Et ideo totalis Presbyteratus character non est simplex, sed compositus ex duobus partialibus. Quamvis autem hæc duo sacramenta in unum totale moraliter coalescant, quatenus simul concurrunt ad conferendum unum Ordinem totalem Presbyteralem; pro unoquoque tamen sua materia, & forma partialis assignanda est. Quod autem istæ duæ distinctæ potestates in ordinatione Presbyteri distinguendæ sint, inferius probabitur.

IV. In hac re duas invenio sententias ambas probabiles. Prima asserit materiam adæquatam ordinationis, ut collativæ potestatis Sacerdotalis, coalescere ex prima impositione manuum super caput ordinandi, & ex traditione instrumentorum; formam vero esse verba: *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* Materiam vero ordinationis Presbyteri, ut judicis, esse secundam impositionem manuum super caput ordinandi factam a solo Episcopo: formam vero esse verba ab eodem prolata: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata &c.*

Altera sententia asserit, adæquatam materiam ordinationis, ut collativæ potestatis Sacerdotalis ad offerendum sacrificium, esse solam calicis cum vino, & patenæ cum hostia traditionem: formam vero esse verba, quæ simul proferuntur: *Accipe potestatem offerendi &c.* Materiam autem ordinationis Sacerdotis, ut judicis, esse secundam impositionem manuum; formam autem verba, quæ, imponendo manus, Episcopus dicit: *Accipe Spiritum Sanctum.*

§. II.

Resolutio Prima.

V. DIco. Satis probabile est, materiam adæquatam ordinationis Presbyteri, ut Sacerdotis, esse primam impositionem manuum, & simul traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia: formam vero verba, quæ tradendo profert Episcopus: *Accipe potestatem &c.* Materiam vero ordinationis, ut collativæ potestatis absolvendi, esse impositionem manuum; & formam, verba, quæ simul proferuntur: *Accipe Spiritum Sanctum.* Hæc postrema pars non negatur ab opposita sententia, & ideo de ea inferius dicetur. Totum negotium faceſſit prima pars, nempe, quod materia adæquata essentialis ordinationis Presbyteri, ut Sacerdotis ad offerendum &c. non sit sola traditio instrumentorum, sed essentialiter conjungi debeat cum prima impositione manuum, tamquam cum comparte.

VI. Probatur primo. Quia sic melius salvatur Scriptura, quæ loquens de ordinationibus, quæ sacramenta sunt, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, semper dicit eam factam

factam fuisse per impositionem manuum cum oratione : ut de ordinatione Pauli, & Barnabæ, *Act. 13. vers. 3.* de ordinatione Timothei, 1. *ad Timoth. 4. vers. 14. & 2. ad Timoth. 1. vers. 6.* & de ordinatione Diaconi, *Act. 6. v. 6.* Et nullius alterius externi Symboli fit mentio ; ergo vel impositio manuum est essentialis materia, saltem partialis ordinationis, quæ scilicet sacramentum est a Christo institutum (de alia enim Scriptura non loquitur) vel dicendum est, Scripturam de ordinatione loquentem, ubique prætermissa essentiali cæremonia, nunquam eam exprimere, nisi per accidentariam, quod absurdum est, immo contrarium ipsi Scripturæ, quæ manuum impositioni, qua ordinationem fieri significat, manifeste attribuit vim conferendi gratiam, ut 1. *ad Timoth. 4. v. 14.* & 2. *ad eumdem 1. vers. 6.* vis autem conferendi gratiam cæremoniæ, quæ sit accidentaria, adeoque nec sacramentum, nec sacramenti pars, convenire non potest.

VII. Prob. secundo ex Patribus etiam Latinis. Ambrosius enim, lib. de Dignit. Sacerdotali, cap. 5. *Homo* (inquit) *imponit manus, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dexteram.* Hieronymus, *in c. 58. Isaiæ* dicit: *Chirotoniam*, idest ordinationem, *non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impleri manus.* Et Augustinus, *lib. 5. de Bapt. contra Donat. c. 20.* dicit, quod si Deus peccatorem non exaudit, *Quomodo exaudit homicidam deprecantem . . . super capita eorum, quibus manus imponitur?* Et Serm. 2. super gestis cum Emerito, ait : *Ceteri autem non aderant ordinationi ejus, quando ei manus imposita est.*

Idem docuerunt veteres Rom. Pontifices. Innocentius I. *Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ, c. 3.* agens de illis, quos ordinarant hæretici, simili modo, quo Augustinus loquitur, dicens: *Cum nos dicamus, ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impositionem habere caput . . . . . Certe qui non habuit, dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit.* S. Leo, *Epist. 87. ad Episcopum Mauritaniæ*, explicans hæc verba Pauli: *manus cito nemini imposueris ;* sic ait: *Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem, maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris ; ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?*

VIII. Cum igitur a Scriptura, Patribus, & Romanis Pontificibus ordinatio, sive Episcopi, sive Presbyteri sub nomine impositionis manuum semper, immo & unice proponatur: non video, quomodo excludi possit ab essentia ordinationis, & sacramenti, ne sit ejus materia saltem partialis. Hinc Maldonatus S. J. Theologus, *Tom. 1. de Sacram. tract. de Ordine, q. 3. p. 2.* ait: *Impositio manuum non est habenda tamquam cæremonia non necessaria, sed tamquam pars essentialis sacramenti : idque videtur tenendum fide catholica. Primum : quia in Scriptura, ubicumque fit mentio de ordinatione, declaratur per impositionem manuum ; & videtur mihi esse temerarium Scripturam deserere, & consectari chimeras, idest, rationes naturales. Secundo : quia veterem Ecclesiam nunquam ordinasse sine impositione manuum ex omnibus auctoribus antiquis perspicuum est ; de traditione autem calicis, & hostiæ, nulla est mentio apud illos. Tertio: quia videtur durum nimis esse, cæremoniam, quam nobis perspicue tradunt Apostoli, excludere a natura sacramenti, & inducere illam, de qua nulla mentio fit in Scriptura.* Hæc Maldonatus, cui consentit Becanus ex eadem Societate, in Tract. de Sacr. Ordinis, q. 4. Conclus. *3. Impositio manuum videtur esse materia essentialis hujus sacramenti, & a Christo instituta.*

IX. Prob. tertio. Quia hac via nobiscum conciliamus aliquomodo Ecclesiam Græcam, quæ semper (& etiam modo) adhibuit impositionem manuum, ut essentialem materiam in ordinatione ; quod Pontificalia, & ritualia Græca tum vetera, tum recentia testantur: & cujus ordinationes Ecclesia Latina tamquam validas suscepit, & adhuc suscipit. Quod non esset, si impositio manuum non esset materia, sed cæremonia solum accidentaria. Sed de hoc infra.

X. Nec dicas: ex his sequi, impositionem manuum esse materiam adæquatam, & non solum partialem ordinationis. Si enim de illa sola loquuntur Scriptura, & Veteres, & nihil de traditione instrumentorum dicunt, quam sola procedente tempore injunxit Ecclesia, quæ facultatem non habet quidquam innovandi circa materias sacramentorum ; fiet, quod traditio calicis, & hostiæ sit cæremonia pure accidentalis ; non pars ad sacramenti substantiam pertinens.

XI. Respondeo enim, non deesse inter Doctores Catholicos, qui hoc concedant, & velint, traditionem instrumentorum esse cæremoniam mere accidentalem ab Ecclesia introductam —— Sed stando in dictis, nego sequelam. Ut enim fert opinio plausibilis, non omnium sacramentorum materias determinavit Christus in specie infima, ut aquam in Baptismo, & panem, ac vinum in Eucharistia : sed aliquorum materias determinavit solum in genere, seu specie subalterna, relinquens facultatem Ecclesiæ aliquid addendi, quo materia ad speciem ultimam magis explicite determinaretur. Ita fecit in ordinatione Sacerdotis, Episcopi, & Diaconi, quorum materia est impositio manuum : sed ut hæc determinaretur ad hanc potius speciem ordinis, quam aliam, permisit, ut Ecclesia posset addere aliquid substantiale magis significativum. Ecclesia autem Latina ad clarius significandam potestatem, quæ Sacerdoti in sua ordinatione specialiter tribuitur, impositioni manuum addit, ut compartem, traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia ; qua expressius significatur potestas offerendi corpus, & sanguinem Christi, quæ ei in ordinatione confertur. Et ad hoc faciendum fundamentum sumpsit ex facto Christi, qui in ultima Cœna cum ordinavit Apostolos Sacerdotes, tradidit eis panem, & vinum. Pro hoc facit etiam exemplum sacramenti matrimonii, cujus materiæ, nempe, contractui quasdam solemnitates Ecclesia addit, sine quibus antea fuit, nunc tamen non est materia sufficiens sacramenti.

XII. Objicies tamen primo. Post decretum Eugenii in Concilio Florentino sustineri amplius non potest, impositionem manuum esse materiam Ordinis essentialem, adhuc partialem ; sed solam traditionem instrumentorum, saltem in Ecclesia Latina. Quod Probo. Nam si instrumentorum traditio non est tota materia essentialis ordinationum: quare Florentinum absolute dicit, sacramenti ordinis materiam esse instrumentorum traditionem ? Quare pro materia illa assignat potius traditionem instrumentorum, quam impositionem manuum?

XIII. Respondeo, neg. ant. Cum enim post Florentinum continuaverit Ecclesia Latina præter traditionem instrumentorum adhibere in ordinatione etiam impositionem manus ; satis est Florentino, fateri traditionem instrumentorum esse materiam essentialem quidem ; sed partialem. Eo vel maxime, quod cum dicat Tridentinum *Sess. 23. cap. 3.* ex Apostolo 2. *ad Timoth. 1.* per impositionem manuum in ordinatione conferri gratiam, manifeste sequitur, eam esse materiam, si non totalem, saltem partialem.

Ratio autem, cur Concil. Florent. de sola traditione instrumentorum locutum sit, est. Quia Armenos, quos instruebat, docere voluit, non solum impositionem manuum, quod jam sciebant, sed etiam instrumentorum traditionem in Ecclesia Latina pertinere ad ritum essentialem ordinationis Presbyteri, & Diaconi. Vel, quod idem est, ut scirent, porrectionem instrumentorum in Ecclesia Latina esse de essentia ordinationis, sive sit totalis materia, sive partialis ; cum in Ecclesia Orientali ad essentiam sola impositio manuum sufficiat.

XIV. Objicies secundo. Gregorius IV. Cap. *Presbyter*, Extra, *de Sacram. non iterandis*. Dicit primo: impositionem manuum, quæ fit in ordinatione Presbyteri, vel Diaconi, esse ritum ab Apostolis introductum ; ergo non fuit a Christo instituta —— Dicit secundo: Eo casu, quo illa manuum impositio in ordinatione Presbyteri, vel Diaconi fuerit omissa. *Non esse aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum.* Si autem omissio impositionis manuum esset de essentia, ac redderet ordinationem invalidam, totum esset interandum, & non solum supplendum, quod fuerat omissum.

XV. Respondeo ad primum cum Bellarm. *lib. de Sacr. Ord. c. 4.* Gregorium, cum dicit manuum impositionem, quæ adhibetur in ordinatione Presbyteri, & Diaconi, ritum esse ab Apostolis introductum, non intendere ritum illum fuisse ab Apostolis institutum ; sed quia ipsi primi illum cœperunt in ordinationibus usurpare.

Ad secundum dico, Gregorium velle non esse aliquatenus iterandum, hoc est, non esse repetendum quod jam valide factum est ; adeoque non esse repetendam eam partem ordinationis, qua data est potestas absolvendi a peccatis ; sed solum caute suppleri debere quod fuit omissum, hoc est, primam ordinationis partem, qua confertur potestas offerendi sacrificium ; quæ cum valide fieri non possit sola traditione instrumentorum, recte dicitur omitti, cum prima manuum impositio omittitur: quod enim invalide fit, non fit, & quod non fit, omittitur. Unde, si, postquam invalide factum est, ponantur omnia ad ejus valorem necessaria ; tunc proprie primum fit, nec nisi improprie dicitur iterari.

XVI. Solet objici Innocentius III. Cap. *Pastoralis*, eod. tit. —— Sed ibi agitur de Subdiaconi ordinatione, quæ in Ecclesia Latina non fit manuum impositione proprie dicta ; sed per quamdam benedictionem, quam ordinandus accipit ab Episcopo super eum orante, ut observat Glossa litt. B. & quæ cum sit cæremonia solum accidentaria ab Ecclesia introducta, si omittatur, potest postea suppleri, cæteris non iteratis.

XVII. Objicies tertio. Prima illo impositio manuum est cæremonia mere accidentaria. Nam primo; Episcopus nihil dicit, dum manus imponit —— Secundo: non solus Episcopus manus imponit super caput ordinandi, sed id etiam successive faciunt omnes Sacerdotes, qui adsunt, qui tamen non ordinant —— Tertio : Hæc manuum impositio non est conjuncta cum ordinationis forma, quæ, ut diximus, est ista : *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* Cum inter illam, & istam medient multæ actiones.

XVIII. Respondeo, neg. ant. contrarium enim sentit S. Thom. *3. p. q. 84. art. 4. in Corp.* ubi assignans rationem, cur in sacramento Pœnitentiæ, & Baptismi manus impositio non requiratur, bene tamen in sacramento Confirma-

firmationis, & Ordinis, ait: *Quod impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum; quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministri, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento Confirmationis; in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; & in sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis; Unde & 2. ad Timoth. 1. dicitur:* Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Ad primam probationem in contrarium: Primo, nego ant. Nam, ut habetur in Pont. Rom. Pontifex postquam imposuit manus super ordinandos una cum Sacerdotibus: *Tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos; & Pontifex stans cum mitra dicit, Oremus &c.* Quæ extensio manus, cum videatur impositio manuum continuata; falsum est, quod Episcopus imponens manus nihil dicat. Secundo. Concesso, quod Pontifex imponens manus nihil dicat: solum sequi, impositionem manuum esse materiam, seu partem incompletam, & inchoativam ordinationis, nec per eam haberi perfectam, & completam significationem sacramentalem, nisi accedente traditione calicis cum vino, & patenæ cum hostia, cum qua in unam totalem materiam Sacerdotalis gratiæ; & characteris expressius significativam coalescit; unde accedente verborum formula: *Accipe potestatem offerendi &c.* Sacerdotalis ordinatio perficiatur.

Ad secundum dico, quod, post Episcopum Sacerdotes adstantes manus imponant, accidentarium est ordinationi Presbyteri: sicut accidentarium est, quod Episcopi assistentes imponant manus super caput Episcopi, qui ordinatur. Et sicut hoc non tollit, quin impositio manuum Episcopi consecrantis sit essentialis consecrationi Episcopi; ita nec tollit, quin impositio manuum Episcopi sit essentialis ordinationi Presbyteri.

Ad tertium dico, ut supra, quod prima manuum impositio esto non sit conjuncta physice cum forma ordinationis, est tamen conjuncta moraliter, quod sufficit: omnes enim illæ cæremoniæ, quæ eam subsequuntur, constituunt unam moraliter actionem totalem; quia omnes ad eumdem finem tendunt, nempe, ad unam totalem ordinationem constituendam.

XIX. Altera asserti pars, quod, nempe, forma Sacerdotalis ordinationis sint hæc verba: *Accipe potestatem offerendi &c.* communis est. Nam hæc verba immediate comitantur, vel saltem subsequuntur traditionem instrumentorum; quæ cum prima manuum impositione moraliter conjuncta, constituit materiam adæquatam ordinationis Presbyteri, ut Sacerdotis.

Nec obest, quod Ecclesia Orientalis valide ordinet, nec tamen utatur his verbis — Nam ex hoc tantum sequitur, quod Christus pro forma Presbyteratus non determinarit hæc, aut illa verba in specie; sed solum in genere statuerit, ut Ecclesia determinaret verba sufficienter expressiva gratiæ, & characteris Sacerdotalis. Unde etsi alia verba determinaverit Ecclesia Occidentalis, alia Orientalis: hæc diversitas est materialis tantum; nam quoad formale sunt una, ac eadem forma; cum unam eamdemque significationem habeant ex institutione Christi.

XX. Nec dicas. Verba illa *Accipe &c.* nec memorari in Ritualibus, & Sacramentariis antiquis, etiam apud Latinos, ante annum millesimum exaratis — Nam hoc falsum esse evincit ordo Romanus: in quo Episcopus post manus impositionem super caput singulorum ordinandorum, orationem, & manuum consecrationem, omnibus ordinandis porrigit calicem cum vino, & patenam cum cum hostia dicens: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo &c.* ordinem autem Romanum ante nonum sæculum exaratum fuisse, testis est Amalarius, qui nono sæculo claruit, & illum citat in *lib. de Officiis Ecclesiasticis*.

§. III.

Resolutio Secunda.

XXI. Dico. Satis etiam probabile est, traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia esse unicam, & adæquatam materiam ordinationis, ut Sacerdotalis; & formam esse verba: *Accipe potestatem offerre sacrificium*: Impositionem autem postremam manuum esse materiam ordinationis, ut dantis facultatem absolvendi; & formam esse Verba: *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Prima pars est fere communis apud Scholasticos. Eam aperte docet S. Thom. *in Supplem. 3. p. quæst. 37. art. 5. in Corp.* Ubi postquam dixit, primam impositionem manuum esse solum præparatoriam; quia per impositionem manuum datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sunt idonei; concludit: *Sed potestatis collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid, quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus Sacerdotis est consecrare corpus, & sanguinem Christi: ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur.* Huic sententiæ Auctoritate sua patrocinatur Concilium Florentinum, *in Decret. Unionis*, his verbis: *Sextum sacramentum est Ordinis; cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et mox: *Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, ac mortuis, in nomine Patris &c.*

XXII. Ne tamen quis putet, S. Thomam, *art. citato* esse contrarium opinioni, quam §. præcedente ut probabilem tuiti sumus, observet velim, S. Thomam ibi dicere, Primo: quod per manus impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sunt idonei: non ergo censet, primam illam impositionem esse cæremoniam accidentalem ordinationi; non enim accidentale est sacramento id, per quod in sacramento datur gratia, & quo suscipiens fit idoneus ad actum sacramenti. Sed quia sola manuum impositio non determinat, ad quem actum det ei gratiam, eumque reddat idoneum; ideo hoc per traditionem instrumentorum explicari & determinari debet. Ex quo sequitur, quod impositio manuum præcedens traditionem instrumentorum, sit materia, seu de substantia ordinationis dans gratiam ad actum, per traditionem instrumentorum designandum, in qua ordinatio ultimo completur. Et ideo (inquit S. Thom.) *In ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur.*

XXIII. Secunda vero pars, quæ asserit materiam ordinationis ut collativæ potestatis absolvendi esse postremam impositionem manuum; & formam esse verba, quæ Episcopus dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*; Et propterea supponit, duas esse partiales materias, & duas partiales formas: & consequenter duo partialia sacramenta, quæ Sacerdotalem Ordinem perficiunt, unumque totalem integrant sacramentum; aliquibus non placet: putant enim; totum characterem Sacerdotalem, & totam illius Ordinis potestatem conferri per calicis, & patenæ porrectionem; adeoque utramque manuum Episcopalium impositionem esse cæremoniam ordinationi accidentalem. Attamen, probatur primo. Quærendo ab eis: si impositio manuum Episcopalium prorsus accidentaria est ordinationi, quomodo salvabunt Scripturæ, & Patrum textus, §. præcedente laudatos, perpetuo dicentium per impositionem manuum dari ordinationem; & per eam conferri gratiam, nihil de traditione instrumentorum loquentium? Eos quidem salvat S. Thom. tum loco mox citato: tum *3. p. q. 84. art. 4.* ubi docet, manuum impositionem requiri in Confirmatione, & Ordine; quia per eam designatur, & confertur plenitudo gratiæ: præterea tamen requiri traditionem instrumentorum in Ordine, quæ non requiritur in Confirmatione: quia in hac non datur potestas operandi in aliquam exteriorem materiam, sicut datur in Ordine. Ita loquitur, *in suppl. 3. p. q. 37. art. 1. ad 1.*

XXIV. Probatur secundo. Quando Episcopus manus imponens ordinando, dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis*, invenitur ibi signum visibile efficax gratiæ, & quidem distinctum ab eo, quo tradens instrumenta dicit: *Accipe potestatem offerre &c.* ergo invenitur ibi sacramentum saltem partialiter distinctum & proinde partialis forma, & materia. Antec. quod illa impositio manuum sit signum efficax gratiæ, prob. ex Tridentino, *Sess. 23. Can. 4.* ubi anathemate feritur, qui dixerit: *Per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere: Accipe Spiritum Sanctum.* Si Episcopi non frustra dicunt illa verba, quia ad eorum probationem vere datur Spiritus Sanctus; ergo in impositione manuum Episcopalium super caput ordinandi confertur gratia; quia tunc Episcopi ea verba proferunt, quando manus imponunt.

XXV. Prob. tertio. Quando Christus a mortuis excitatus, *Joann. 20.* insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt*, tradidit eis potestatem, & Sacerdotibus eorum successoribus reconciliandi Deo fideles post Baptismum lapsos; ut universorum Patrum consensum semper intellexisse docet Tridentina Synodus, *Sess. 14. c. 1.* ergo Presbyteri tunc accipiunt hanc potestatem, quando Episcopus super dicta verba profert: alias si omittantur, deerit illis potestas absolvendi, & ministrandi sacramentum pœnitentiæ.

XXVI. Si dicas, potestatem absolvendi, utpote ad actum secundarium, contineri in potestate Sacerdotali quantum ad principalem actum conficiendi corpus, & sanguinem Christi: adeoque etiamsi omittatur, adhuc tamen intelligitur implicite collata: sicut Græci Sacerdotes potestatem habent absolvendi; & tamen in eorum ordinatione verba illa non proferuntur,

Contra est; Potestates illæ consecrandi, & absolvendi, licet una supponat aliam, sunt multum diversæ, cum earum actus genere differant: ergo neutra sic aliam complectitur, ut priori collata censeatur collata altera. Eo vel maxime: quia Christus eas non simul, sed diversis temporibus dedit: unam in novissima Cœna, alteram post resurrectionem; & forma una non importat, aut significat alteram. Quare S. Thom. in Supplem. 3. p. q. 37. art. 5. ad 2. *Dominus* (inquit) *Discipulis dedit potestatem Sacerdotalem, quantum ad principalem actum, ante passionem in Cœna, quando dixit:* Accipite, & manducate: *Unde subjunxit:* Hoc facite in meam commemorationem (*Luca 22.*) *Sed post resurrectionem dedit eis potestatem Sacerdotalem, quantum ad actum secundarium, qui est ligare, & solvere* —.

Acce-

Accedit: quod ſacramenta nullum effectum conferunt, quem non ſignificant: atqui traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane, & verbis adjunctis, non ſunt ſigna poteſtatis ejus, qua remittuntur peccata; ergo illam non conferunt.

XXVII. Quod vero dicitur de Sacerdotibus Græcis: fateor, in eorum ordinatione nec proferri verba: *Accipe poteſtatem offerre*; nec iſta: *Accipe Spiritum Sanctum*, Sed Epiſcopus ordinat Presbyterum ſola manus impoſitione, & dicens: *Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat, ſeu promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum*. Ubi per divinam gratiam, gratia increata, ſeu Auctor gratiæ intelligitur. Et cum Epiſcopus, dicit: *Creat ſeu promovet*, perinde eſt, ac ſi diceret, promovet per me, ſeu per meum miniſterium; ut indicet, ſe non eſſe cauſam principalem, ſed miniſtrum tantum. Dicens autem: *In Presbyterum* Facit ſenſum: divina gratia creat, ac promovet venerabilem N. Presbyterum, ideſt, eum conſecrat ad obeundas omnes functiones, quæ ad Presbyterum ſpectant: non tantum ſcilicet ad offerendum ſacrificium, ſed etiam ad reconciliandos pœnitentes, & reliqua ſaramenta diſpenſanda, quorum Presbyteri ſunt miniſtri. Adeoque cum Eccleſia Græca non inſtituerit pro qualibet poteſtate determinatam formam; ſed unica generali forma ſignificet omnem Presbyteri poteſtatem: merito una eademque actione Sacerdos Græcus accipit utramque poteſtatem, nimirum, conſecrandi, & abſolvendi. Sicut ſi cuiquam diceretur: Regia Majeſtas creat, ſeu promovet Petrum in Proregem, conferetur his verbis conferri Petro omnis poteſtas officio Proregis annexa.

At Eccleſia Latina, quæ utens facultate ſibi a Chriſto tradita exemplum Chriſti imitata, non unam, ſed duplicem actionem, & formam diſtinctam pro qualibet poteſtate determinavit; quarum una ſignificatur poteſtas ad actum conſecrandi, non vero abſolvendi; altera poteſtas ad actum abſolvendi, non vero conſecrandi: ut cenſeatur utramque poteſtatem conferre, debet utramque actionem exercere, & formam proferre; ita ut ſi altera omiſſa, unam tantum adhiberet, unam tantum poteſtatem conferret; quia ſacramenta non conferunt, niſi id, quod ſignificant. Et proinde ordinatio ab Epiſcopo Latino ſic facta, rata, & integra non haberetur; quamvis facta ab Epiſcopo in Eccleſia Græca, rata etiam a Latina habeatur.

§. IV.

Quæ ſint Officia Presbyterorum ſeu Sacerdotum.

XXVIII. Quamvis generali, & minus propria ſignificatione omnes Chriſtiani vocari poſſint Sacerdotes, juxta Sanctorum vocem, Apoc. 5. verſicul. 10. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes*: quatenus nimirum offerunt Deo internas, & ſpirituales hoſtias laudis &c. ut cum S. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 1. *ad* 2. diximus, *in Tractat. de Euchariſtia*, ut ſacrificium eſt. Ibi tamen oſtendimus, agnoſcendum eſſe in Eccleſia Chriſti Sacerdotium externum, & proprie dictum; ita ut ſimpliciter loquendo non omnes Chriſtiani etiam laici, etſi juſti, & ſancti, ſint Sacerdotes; nec omnes parem habeant in verbo, vel in ſacramentis adminiſtrandi poteſtatem. Hoc tamquam de fide contra Lutherum, & alios declaravit Tridentina Synodus, *Seſſ.* 7. *Can.* 10. *& Seſſ.* 23. *cap.* 1. & 4. conformiter aliis Conciliis Nicæno I. *Can.* 14. & Lateran. IV. ſub Innocentio III. *cap.* 1. Eſt ergo Sacerdotium novæ legis quibuſdam proprium, illis ſcilicet, qui ad offerendum ſacrificium legitime conſecrantur.

XXIX. Horum Officia ſunt: Primum, ſacrificare. Secundum, ſacramenta Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Unctionis extremæ adminiſtrare, Tertium, docere ſeu prædicare.

Primum convenit æqualiter omnibus Sacerdotibus ex ordinaria poteſtate ipſorum.

Secundum ad Presbyteros animarum curam habentes, tamquam ordinarios illorum Sacramentorum miniſtros; ad alios vero ex licentia, vel commiſſione.

Tertium proprie pertinet ad Epiſcopum, juxta S. Thom. 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 1. *ad* 1. Et Concil. Trid. *Seſſ.* 5. *cap.* 2. *de Reform. & Seſſ.* 24. *de Reform. c.* 4. Secundario autem ad Parochos, quibus id muneris incumbit eo ipſo, quod in partem ſollicitudinis vocati curam animarum ſuſcipiunt. Ad alios vero Sacerdotes extraordinario pertinet, videlicet, ſi ab Epiſcopo, vel Ordinario mittantur.

XXX. Cæterum quod miniſterium verbi non ad omnes Sacerdotes pertineat; quodque ſint aliqui veri Presbyteri (quidquid obſtrepant Sectarii) etiamſi munus docendi, vel prædicandi non ſubeant, probat illud Pauli 1. ad Tim. 5. verſ. 17. *Qui bene præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina*. Quibus Apoſtolus agnoſcit aliquos Presbyteros in verbo, & doctrina non laborantes; quos tamen duplici honore dignos eſſe pronuntiat, ſi vel ſacrificando, vel ſacramenta adminiſtrando ſancte in Eccleſia laborent. Hinc omni tempore fuerunt Sacerdotes ordinati, ſive in Monaſteriis, ſive alibi, quibus cura plebis nulla committebatur: & ratio eſt, quia Sacerdotis præcipua munera ſunt ſacrificare, & abſolvere.

QUÆSTIO VII.

De Diaconatu.

INfra Presbyteratum immediatus Ordo eſt Diaconatus a Diacono, qui Levitæ in veteri lege correſpondet. *Diaconus* Latine idem eſt, ac *Miniſter*; quia ejus actus eſt miniſtrare Sacerdoti, præcipue dum ad altare celebrat. De Diaconatu ergo quæremus: An ſit ſacramentum, quænam ſit ejus materia, & forma: Quodnam ejus officium:

DUBIUM I.

An Diaconatus ſit Sacramentum?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Diaconatus definiri ſolet, quod ſit: *Ordo, per quem datur poteſtas, ut quis proxime, & ſolemniter inſerviat Presbytero ſacris operam danti*. Quod ſit Ordo, conſtat ex dictis ſupra de numero Ordinum. Quod ſit poteſtas, ut quis proxime, & ſolemniter inſerviat Sacerdoti ſacris operam danti, patet; quia cum alii inferiores miniſtri mediate ſolum inſerviant Sacerdoti celebranti; ſolius Diaconi officium eſt ei immediate ſolemniter miniſtrare. Quod hic controvertitur, eſt: An Diaconatus non ſolum ſit Ordo, ſed etiam ſacramentum proprie dictum. Communiter affirmant Doctores, ſi Durandum, Cajetanum, alioſque paucos excipias.

II. Dico. Diaconatus, ſeu Diaconi ordinatio, eſt verum, & proprie dictum ſacramentum. Probo. Ordinatio Diaconi eſt ſignum ſenſibile practicum ad noſtram juſtificationem a Chriſto Domino inſtitutum; ergo eſt ſacramentum. Ant. prob. eſt ſignum ſenſibile. Nam, *Actor.* 6. ubi agitur de ordinatione primorum ſeptem Diaconorum facta ab Apoſtolis, legitur verſic. 6. *Hos* (nempe ſeptem viros, quos elegerant) *ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.*

Quibus indicatur ſignum ſenſibile impoſitionis manus, tamquam materia, & orationis, tamquam forma; deinde effectus gratiæ ex manuum impoſitione, oratione. Non enim Apoſtoli imponebant manus, & orabant; niſi ut illi, ſuper quibus imponendo manus orabant, acciperent Spiritum Sanctum. Unde Eccleſia Latina in Diaconi ordinatione hac formula utitur: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*.

Quod autem ſit ex inſtitutione divina, colligo ex facto Apoſtolorum, qui non ab alio, quam a Deo excitati ordinem Diaconorum primi induxerunt; quorum praxim ſecuta eſt ſemper Eccleſia, quæ nunquam ſine Diaconis fuit. Diaconatus ordinem agnoſcit S. Auguſtinus in illis Chriſti verbis, Joann. 12. verſ. 26. *Ubi ſum ego; illic & Miniſter meus erit*. Sic enim, ait: Serm. 51. de diverſis, modo, Serm. 319. de Stephano Martyre, cap. 3. *Audiſtis, cum Evangelium legeretur*: Ubi ego ſum, illic & miniſter meus, *Græcum codicem legite, & Diaconum invenietis; Quod enim interpretatus eſt Latinus* Miniſter, *Græcus habet*, Diaconus; *quia vere Diaconus, vere Miniſter eſt latine; quomodo Martyr græce, Teſtis latine; Apoſtolus Græce, Miſſus latine. Sed jam conſuevimus nominibus græcis, ut pro latinis. Nam multi Codices Evangeliorum ſic habent*: ubi ſum ego, illic & Diaconus meus: *Hoc putate dictum, quia hoc eſt dictum*. Ubi ſum ego, illic & Diaconus meus &c. —— Tum demum: quia Diaconatus tertium locum obtinet in Eccleſiaſtica hierarchia: hanc autem eſſe divinitus inſtitutam, definit Tridentinum, *Seſſ.* 23. *Can.* 6. his verbis. *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Preſbyteris, & Miniſtris: anathema ſit*. Ubi miniſtrorum nomine, ut ex Sancto Auguſtino obſervavimus, præcipue veniunt Diaconi.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

III. Objicitur primo. Diaconatum inſtitutum fuiſſe a Chriſto non legimus in Scriptura —— Item nullus Veterum ordinationem Diaconi appellavit ſacramentum; ergo &c.

Reſpondeo primo, retorquendo argumentum. Nam nec in Scriptura legimus Chriſtum inſtituiſſe Epiſcopatum, vel Presbyteratum, Confirmationem, Extremam unctionem: quæ tamen omnia Auctores contrarii eſſe de jure divino non negabunt. Præterea: Diaconos indicavit Chriſtus, cum dixit: *Ubi ſum ego, illic & Miniſter meus*, ut ex S. Auguſt. obſervavimus.

Reſpondeo ſecundo: Quod eſto non legamus Diaconatum fuiſſe a Chriſto inſtitutum; legimus tamen in Actis Apoſtolorum, & in Pauli Epiſtolis, Apoſtolos conſtituiſſe Diaconos, ſicut & Epiſcopos, & Presbyteros. Quomodo autem hæc diſpoſuiſſent, niſi ita faciendum a Chriſto traditum accepiſſent? non enim omnia ſcripta ſunt;

Exer-

Exercitium ergo, & usum Diaconatus Apostoli primo constituerunt; sed quod talis Ordo deberet esse in Ecclesia, & rationem sacramenti habere, Christus instituit, & Apostolis ut illum in usu & exercitio ponerent demandavit.

IV. Sed dices. S. Cyprianus, *Epist. 65. ad Rogatianum*, ait: *Meminisse Diaconi debent quoniam Apostolos, idest; Episcopos, & Præpositos Dominus elegit. Diaconos autem post ascensum Domini in Cælos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros* Quibus S. Martyr institutionem Diaconorum opponit institutioni Episcoporum, istam dicens esse ex Deo, illam vero ex hominibus.

Respondeo cum Bellarmino, *lib. de Sacram. Ord. c.* 8. & aliis, S. Cyprianum hoc unum velle, nempe Christum per se nullos Diaconos ordinasse, sicut ordinavit per se, & elegit Apostolos, & in eis Episcopos. Verum hinc non sequitur, quod Diaconatum non instituerit: sicut ex eo, quod neminem propriis manibus confirmaverit, male colligeretur, eum non esse auctorem Confirmationis. Ex eo autem, quod Christus non hominum ministerio, sed per se ipsum Apostolos elegerit, & consecrarit, & in eis Episcopos, non autem Diaconos; non parum dignitatis accrescit Ordini Episcopali supra Diaconatum. Ac proinde Cyprianus inde sumere potuit argumentum, quo Diaconi, de quo conquestus fuerat Rogatianus, temerarium ausum comprimeret.

V. Ad id, quod superius addebatur, falsum esse dico, neminem Veterem Diaconatum appellasse sacramentum. Illum enim sacramentum vocat S. Hieronymus, *lib. adv. Vigilantium* non procul ab initio: dum quosdam Episcopos reprehendens, quod Diaconos non ordinarent, nisi prius uxorem duxissent, hisce verbis se exprimit: *Nisi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt.* Hoc idem fatetur Anastasius II. Papa, *Epist. 1. ad Anastasium Augustum, cap. 7.* dicens: *Sacratissimum Serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, sive Levitas secundum Canones ordinavit; ulla eos, ex nomine Acacii, portio lasionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur.* Ubi tam ordinationem Sacerdotis, quam Levitæ, seu Diaconi sacramenti nomine donat. Sed quid plura? Utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis ordinationem Diaconi ut sacramentum habet, ac semper habuit.

VI. Objicies secundo. Prima Diaconorum ordinatio, *Act. 6.* legitur facta ex occasione accidentali tantum, nempe, ex occasione murmuris Græcorum adversus Hebræos; eo quod in ministerio quotidiano despicerentur viduæ eorum, quod erat ministerium mere temporale, & prophanum, nempe ministrare necessaria mensis pauperum, & viduarum: cumque viderent Apostoli, se huic ministerio vacare non posse, & simul prædicationi Evangelii dixerunt, vers. 2. *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis*, & ad hoc ministerium loco sui delegaverunt Diaconos. Ex quo fit, Diaconatum fuisse occasionaliter in Ecclesiam introductum, & ad ministrandum mensis temporalibus; & proinde non esse sacramentum. Unde Hieronymus, *Epist. 85. ad Evagrium* (modo 101. *ad Evangelium* (volens quorumdam Diaconorum audaciam compescere, qui se Presbyteris æquabant: *Audiant*, (inquit) *Apostolos*: Non est dignum, ut relinquentes verbum Dei, ministremus mensis. *Sciant, quare Diaconi constituti sint, Legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suæ.*

VII. Respondeo: aliam fuisse occasionem, quæ movit Apostolos ad primos Diaconos ordinandos; alium fuisse finem præcipuum, ac primarium, ob quem talis fuerat a Christo institutus. Occasio quidem fuit, ne deessent qui pauperibus, & viduis tunc in communi viventibus, necessaria providerent; cui crescente numero discipulorum soli Apostoli, ne derelinquerent verbum Dei, impares erant. At finis præcipuus, quo moti Apostoli Diaconos ordinaverunt, fuit, ut ministrarent non mensæ civili, & prophanæ, sed sacræ, & Eucharisticæ, quam tunc quotidie fideles frequentabant, ut baptizarent, & etiam verbum Dei annuntiarent. Quæ licet Lucas in eorum ordinatione non recenseat, capite tamen 8. refert Philippum Diaconum evangelizantem, plures baptizantem, inter quos Eunuchum Reginæ Candacis. Accedit: quod ut colligitur ex Epistolis Pauli ad Philippenses, ad Timotheum, & Titum, Diaconi erant Philippis, Ephesi, & Cretæ; & tamen ibi fideles non vivebant in communi, ut esset opus ministris mensarum. —— Hoc ex eo etiam constat, quod Apostoli in illis, quos ad Diaconatum promovebant, non sagacitatem tantum, industriam, & fidelitatem requisierint: sed præterea voluerunt, ut essent viri pleni Spiritu Sancto, & sapientia: eos ordinarunt, imponentes eis manus, & orantes, qua forma uti solebant in sacrorum ministrorum ordinatione. Ut quid enim tanta solemnitate ordinandi erant, qui ad solum ministerium œconomicum deputabantur?

VIII. Quapropter Patres Diaconis sacra munia credita fuisse testantur. *Quid sunt Diaconi* (inquit Ignatius Martyr, Epistola ad Trallianos) *nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam, & immaculatam?* S. Cyprianus, Epist. 65. ad Rogatianum citata: *Diaconos* (inquit) *post ascensum Domini in Cælos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros* —— Nec dissentit S. Hieronymus. Ei enim ibi ad comprimendum fastum Diaconorum satis fuit recensere causam, quæ occasio fuit Diaconos eligendi; ut cognoscerent, se Presbyteris æquari non posse. Cæterum alibi Ordinem Diaconorum suis laudibus ornat. Nam, *lib. adverf. Vigilantium*, ut diximus, eum inter Christi sacramenta reponit. *Lib. 2. adverf. Jovinianum*, eos esse partem Cleri dicit, quem Christus supra laicos evexit. *Epistola ad Eliodorum*, in tertio eos collocat Sacerdotii gradu. Immo *in Epistola citata ad Evagrium, sed Evangelium*, scribit, eos hoc esse in Ecclesia, quod Levitæ quondam fuerunt in Sinagoga: *Quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia.* Levitis autem multo inferiores essent: si uni mensarum, ac viduarum ministerio dicarentur.

IX. Nec opponas: Concilium Trullanum habitum, *anno 692. Can. 16.* definire, septem prioribus Diaconis concreditum non fuisse ministerium sacrum, sed prophanum tantum —— Nam Concilii Trullani seu Quinisexti auctoritas non multi facienda est. Constabat nimirum Episcopis Schismaticis, qui in multis receptos Ecclesiæ Latinæ ritus improbarunt. In hoc autem Canone recesserunt etiam ab antiquorum Græcorum traditione; immo a *Canone* 18. Synodi Nicænæ I. ubi de Diaconis hæc regula statuitur: *Quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habentur.* Quod si quis eos ad bonum sensum trahere velit, dicere potest, eos agnovisse duplicis generis Diaconos ab Apostolis institutos, nonnullos quidem ad usum mere prophanum; & de his loqui Sanctum Lucam, *Actor. 6.* alios administrandum sacris Ministeriis, & de his loqui Paulum, *in Epistola 1. ad Timotheum, & ad Titum.* Sed sine fundamento asseritur hæc Diaconorum distinctio.

DUBIUM II.

Quænam sit Materia, & Forma Diaconatus.

§. I.

De Materia.

I. Dico. Materia essentialis adæquata ordinationis Diaconi coalescit ex impositione manus dexteræ Episcopi super caput ordinandi, & ex traditione libri Evangeliorum tamquam materiis partialibus. Resolutio hæc cohæret cum dictis de materia Presbyteratus, & conciliat duas extremas opiniones; quarum una vult materiam adæquatam Diaconatus in sola manuum impositione sitam esse; alia in sola traditione libri Evangeliorum.

Impositionem manus esse materiam essentialem ordinationis Diaconi evincitur primo. Quia ea usi sunt Apostoli, cum primos septem Diaconos ordinaverunt: vel ergo impositio manuum est essentialis materia, vel prætermissa essentiali materia Scriptura accidentalem tantum cæremoniam expressit, quod non est dicendum. Concilium etiam Carthaginense IV. *Can. 4.* dicit: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat.* Refertur quoque *in lib. Sacrament.* S. Gregorii Magni, in hodierno Pontificali Romano, nec non in Græcorum Euchologiis.

Quod vero etiam traditio libri Evangeliorum sit materia essentialis, probo. Nam sola manus impositio præcise sumptam non significat gratiam, & characterem, qui in ordinatione Diaconi confertur; cum adhibeatur etiam in ordinatione Episcopi, & Presbyteri, ut vidimus; ergo ut constituat materiam adæquatam essentialem ordinationis Diaconi, indiget alia comparte, qua determinetur, perficiatur, & compleatur: hæc autem alia esse non potest, quam traditio libri Evangeliorum, qua designatur specialis potestas Diaconi ad actum secundarium saltem. Nam, ut docet S. Thom. in Suppl. 3. part. quæst. 37. art. 5. ad 5. *Potestas Diaconi est media inter potestatem Subdiaconi, & Sacerdotis. Sacerdos enim habet potestatem directe super corpus Christi; Subdiaconus autem super vasa tantum: sed Diaconus super corpus Christi in vase contentum. Unde ejus non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, & dispensare sanguine cum calice: & ideo ejus potestas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem vasis tantum, nec per dationem materiæ; sed exprimitur potestas ejus ad actum secundarium tantum, in hoc, quod datur ei liber Evangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia; & ideo in ipsa libri datione imprimitur character.*

II. Itaque materia totalis, & integra ordinationis Diaconi non est simplex, sed composita ex duabus partialibus unitis inter se, & moraliter continuatis; quibus indivisibiliter competit sacramentalis significatio ad ordinationem Diaconi requisita. Nam secunda sine prima non potest esse materia ordinationis, quæ sacramentum est; adeoque sine prima incapax est significationis sacramentalis. Prima vero sine secunda, & verbis ei correspondentibus,

tibus, non habet ſignificationem determinatam, & propriam ordinationis Diaconi; unde neutra ſine altera poteſt ſufficere.

III. Sed dicent qui ſolam manus impoſitionem volunt eſſe materiam adæquatam. Cum primi Diaconi fuerunt ordinati, ſola manus impoſitione ordinati fuerunt: Evangelia enim nondum erant ſcripta. Immo etiam poſt ſcripta Evangelia nulla legitur impoſitioni manus traditio libri Evangeliorum fuiſſe conjuncta. Solius enim impoſitionis manus in ordinatione Diaconi meminerunt Concilium Carthaginenſe IV. *Can.* 4. ſupra laudato, & antiqua Rituale. Et Eccleſia Orientalis adhuc ſola manus impoſitione Diaconos ordinat.

IV. Reſpondent aliqui, divina diſpenſatione factum eſſe, ut ad exhibitionem principalis partis materiæ, nempe, impoſitionis manus, tota Diaconalis poteſtas conferretur pro tempore, quo nondum erat ſcriptum Evangelium. Immo addunt quod cum initio naſcentis Eccleſiæ non cantaretur Evangelium; non opus fuerit Diaconos poteſtatem illud cantandi accipere in ſua ordinatione; ſed ſatis fuerit, ſola manus impoſitione eos ordinari, qua generaliter, & in confuſo ſignificarentur quævis Diaconatus miniſteria: quem ritum adhuc ſervat Eccleſia Græca.

Mitto reſponſionem aliorum, qui volunt, Diaconos ordinatos ante Evangelium ſcriptum, vel promulgatum, una cum manus impoſitione accepiſſe in ſua ordinatione aliquam chartam continentem aliqua fidei myſteria, quæ modo in Evangeliis habentur; vel aliquod aliud inſtrumentum, quod officium Diaconi deſignaret. — Mitto inquam. Nam cum hujus traditionis vel chartæ, vel inſtrumenti altum ſilentium ſit tum in Scriptura, tum in antiquis Conciliis, & Patribus etiam Latinis; non video, quo fundamento hoc, etiam probabiliter, aſſeri poſſit.

V. Stando igitur in doctrina ſupra ſtatuta de materia, & forma Presbyteratus, *Dub.* 2. §. 2. *n.* 5. & alibi, dico: Chriſtum inſtituiſſe materias omnium Ordinum, ſicut & eorum formulas, non quidem in particulari, & in ſpecie ultima; ſed in genere ſtatuendo, ac jubendo, ut in collatione eorum adhiberetur impoſitio manus, ita ut ſic Eccleſiæ placuiſſet aliud ſignum addere ad clariorem ſignificationem poteſtatis, quæ in illo Ordine confertur; hoc eſſet in ejus poteſtate ſalva eſſentia ſacramenti. Cum ergo Eccleſia Latina progreſſu temporis judicaverit, ad clariorem, & magis determinatam ſignificationem, impoſitioni manus conjungere traditionem libri Evangeliorum, ideo ex utraque conſurgit materia totalis, & adæquata ordinationis Diaconi.

VI. Dicunt qui volunt, traditionem libri Evangeliorum eſſe unicam, & totalem materiam: quod Eugenius IV. in Decreto unionis, ubi ſingulorum ſacramentorum materias ſtatuit, ſolius traditionis libri Evangeliorum meminit, nihil de impoſitione manus dicens — Sed ex dictis ſupra reſpondetur, Eugenium compendiariam doctrinam ſtatuiſſe, ut Armenos inſtrueret; quibus traditio libri Evangeliorum ignota erat, cum in Eccleſia Orientali non ſit in uſu: impoſitionem autem manus, quam tacuit, ex ſcriptura, & Concil. Carthaginenſi IV. petendam reliquit. Eam tamen ſatis indicavit Tridentinum, dum *Seſſ.* 23. *Can.* 4. damnavit anathemate: *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere accipe Spiritum Sanctum.* Quæ verba cum Epiſcopus dicat dum manus imponit, fit, ut per impoſitionem manus detur in ordinatione Diaconi Spiritus Sanctus; & proinde quod impoſitio manus ſit pars eſſentialis ſacramenti.

§. II.

De Forma Diaconatus.

VII. Dico. Forma eſſentialis adæquata ordinationis Diaconi coaleſcit ex his verbis: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &c.* quæ Epiſcopus profert imponendo manus; & ex his aliis, quæ tradendo librum Evangeliorum profert: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium &c.* Itaque (ut de materia dictum eſt) forma totalis, & integra ordinationis Diaconi non eſt ſimplex, ſed compoſita ex duabus partialibus formis; quæ moraliter conjunguntur, & continuantur per intermedias actiones, cum quibus unam moraliter actionem totalem conſtituunt: ſicque moraliter unitæ indiviſibiliter ſignificant gratiam, & characterem Ordinis, qui confertur. Unde ex his partialibus formis una ſine altera ſufficere non poteſt. Non prima: quia ſine ſecunda non habet ſufficientem ſignificationem ſacramentalem. Non ſecunda: alioquin prima eſſet forma mere accidentaria, nec habens efficaciam dandi Spiritum Sanctum, contra mentem Tridentini ſupra citati. Unde fit, quod in ultima ſecundæ formæ prolatione, eo inſtanti, quo ultima ejus ſyllaba profertur, tota Diaconi ordinatio adæquate completa ſit, ac exiſtat; eo tamen modo, quo res ſucceſſiva poteſt tota exiſtere. Hæc ex dictis ſatis conſtare poſſunt.

DUBIUM III.

De Officiis Diaconi, & de Diaconiſſis.

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. SUppono officia Diaconi non eſſe mere civilia, & prophana. Conſtat enim ex dictis ſupra, *Dub.* 1. §. 2. *n.* 5. *&c.* ubi ſtatuimus Diaconatum eſſe ſacramentum. Unde ibi dicta recolenda ſunt.

Primum ergo Diaconi officium eſt Sacerdoti adeſſe in templo Dei in iis, quæ ſpectant ad myſterium, & ſacrificium Miſſæ celebrandum: ipſe enim Epiſcopo, vel Sacerdoti offerenti quodammodo cooperatur, dum materiam conſecrandam a Subdiacono acceptam Sacerdoti porrigit. Ad eum etiam pertinet Epiſcopum comitari, eique aſſiſtere: dum divinis officiis ſolemniter intereſt. Quare Romano Pontifici ſolemniter procedenti, vel in throno Pontificali ſedenti duo Cardinales Diaconi ſemper lateri adhærent. Olim etiam fidelium animos excitare ſolebant, ut ſacra attenderent. Et ut refert S. Clemens, *l.* 2. *Conſtit. cap.* 57. Diaconorum munus erat inter Miſſarum ſolemnia poſt diſceſſum Catechumenorum alta voce monere fideles Sacrificio adſtantes: *Ne quis contra aliquem.* Item: *Ne quis in hypocriſi.* Ideſt, ne quis ſacrificio, & ſacramento, quod eſt vinculum pacis, & unionis interſit, qui odium contra proximum animo gerat, vel ſacrificio veritatis ille, qui fictus in fide eſt, vel in moribus ſimulatus.

II. Secundum eſt, Evangelium in Miſſa ſolemni alta voce recitare, ſeu cantare. Hinc S. Gregorius in Decreto ſub anathemate præcipit, Lectionis Evangelicæ officium adſtante populo a ſolis Diaconis eſſe perſolvendum: Pſalmos vero, & reliquas lectiones per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas poſtulaverit per minores Ordines exhibere oportere.

Dubitant tamen moderni Critici: An primi Diaconi fuerint ordinati cum facultate legendi Evangelium — Deinde: An ab eo tempore, quo conſtitutum eſt, ut Diaconus legeret Evangelium, hæc lectio ad Sacrificium pertineret; nam hanc lectionem audire poterant plurimi, quibus nefas erat adeſſe Sacrificio. — Tertio: An lectio Evangelii in Miſſa fuerit ſemper ſolius Diaconi propria; cum diu apud multas Eccleſias invaluerit, ut non Diaconi, ſed initiati inferioribus Ordinibus Evangelium publice legerent. Unde teſte Cypriano, *Epiſt.* 33. & 34. in Eccleſia Africana hoc officio fungebantur Lectores, in Hiſpania vero Subdiaconi, ut habetur ex *Can.* 2. & 4. Concilii Toletani I. cui aſſentiri videtur Amalarius, *l.* 2. *c.* 8. de Eccleſiaſticis.

III. Propterea cenſent aliqui, non eſſe certum, quod tribus prioribus ſæculis Diaconi ſolemniter legerint Evangelium intra Miſſarum ſolemnia, ut nunc conſueverunt legere. Dubium enim eſt, inquiunt, an in Liturgia illorum temporum fieret publica Evangelii lectio in Miſſa, ut multis ab hinc ſæculis fit. Certum tamen eſt, quarto ſæculo Evangelium in Miſſa, & a ſolis Diaconis fuiſſe lectum, ſaltem in Eccleſia Romana. Unde S. Hieronymus, Epiſtola 48. ad Sabinianum Diaconum: *Tu* (inquit) *Evangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabas.* Et Sozomenus, *lib.* 7. *Hiſt. cap.* 19. varios referens ritus circa lectionem Evangelii nominat quidem Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos; ſed neminem ex inferioribus Ordinibus recenſet.

IV. Quare dicendum cenſeo, etiam primos Diaconos jure legendi publice Evangelium in ſua ordinatione donatos fuiſſe: & quamvis ſtatim illud non legerint, quia Evangelia nondum erant ſcripta, illud tamen voce annuntiabant, ut legitur de Philippo Diacono, *Actor.* 8. Nec inde conſequens eſt, ut nonniſi poſt aliquot ſæcula lectio Evangelii in Miſſa fuerit introducta. Cum enim ipſo Morino aſſerente (*Exercit.* 9. *cap.* 1. *num.* 5.) ſolemnis Evangelii in Miſſa lectio ab Apoſtolis ortum habuerit; quomodo ab Apoſtolis ortum habuiſſet, niſi hæc lectio ab ipſis fuiſſet uſurpata? De facto Juſtinus Martyr Apoſtolis parum poſterior tempore, *in Apolog.* 2. *pro Chriſtianis*, deſcribens ſui ævi Liturgiam (pag. mihi 98.) ait, commentaria Apoſtolorum lectitata fuiſſe, & habitam concionem, deinde oblationem factam: qui ritus etiam nunc ſervatur. Idcirco autem tribus prioribus ſæculis de hac ſolemni Evangelii lectione vix ſermo habetur; quia cum vigente perſecutione ſacrificium in abditis, ſecretiſque locis, in antris, & ſpeluncis agere Chriſtiani cogerentur; non erat locus ſolemni Evangelii lectioni a Diacono peragendæ, cujus tamen, pace Eccleſiæ data, quarto ſæculo Patres mentionem facere paſſim cœperunt, ut vidimus.

V. Nec obſtat, quod qui ſacrificio adeſſe non poterant, nempe Cathecumeni, audire conſueverint Evangelii lectionem: hoc enim evincit ſolum Cathecumenos perſeveraſſe in Eccleſia uſque ad eam Miſſæ partem, in qua Evangelium legebatur, ut poſt dum inchoaretur ſacrificium, dimitterentur. Nam Miſſa Catechumenorum non erat diſtincta a ſacrificio, ſed pars, ſeu inchoatio ſacrificii oblationem præcedens.

Neque,

Neque, quod S. Cyprianus, *Epistola 33. de Aurelio*, & *Epistola 34. de Celerino* in Lectores tantum ordinatis dixerit, eos Evangelium legisse, ac prædicasse. Non enim dicit eos Evangelium legisse in Missæ sacrificio, quale munus Diaconi est; sed legisse, ac prædicasse, quasi peculiari S. Spiritus ardore excitatos. Cæterum Lectoribus, aut etiam Subdiaconis solemniter in Missa Evangelium legere nunquam licitum fuit; quamvis privatim legere licuerit. In quo sensu exponendum est Concilium Toletanum I. *Can.* 4. ubi de Subdiacono, si defuncta uxore aliam duxerit, statuitur, ut habeatur inter Lectores, & Ostiarios. *Ita ut Evangelium, & Epistolam non legat*. Non enim supponit, officium Subdiaconi esse legere solemniter Evangelium in Missa: sed tantum prohibetur, ne legat Evangelium, & Epistolam eo modo, quo prius legere poterat, nimirum, Epistolam ex proprio officio, Evangelium autem in supplementum præsentiæ Diaconi: absente enim Diacono ad legendum Evangelium admittebantur forte in supplementum Subdiaconi.

VI. Tertium Diaconi munus erat olim fidelibus sub utraque specie communicaturis calicem, sive sanguinem Christi dispensare, & etiam corpus præsentibus, & ad absentes deferre. Ita colligo ex S. Justino, *apolog. 2. pro Christianis, pag. 97.* Ubi lego: *Qui apud nos vocantur* Diaconi, *atque* Ministri, *distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt*. Postea tamen solius calicis dispensatio Diaconis relicta est, nisi necessitas cogeret, ut etiam corpus dispensarent. Primum indicat S. Cyprianus, Serm. de lapsis circa finem, dicens: *Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit &c.* Idem demonstrant hæ S. Laurentii Diaconi voces ad Sistum Pontificem (apud S. Ambros. *lib. 5. de Officiis, cap.* 41.) dicentis: *Quo Sacerdos Sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras... Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*. Secundum vero ostendit Concil. Carthaginense IV. *c.* 38. statuens: *Ut Diaconos præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, jussus eroget*. Recolantur dicta de Ministro Euchar.

VII. Quartum Diaconi officium est, baptizare. Hoc functos fuisse Diaconos ab Apostolis ordinatos Acta Apost. tradunt, & Pontificale Romanum, & antiquus Ordo Romanus insinuant. Quo autem jure, ac sensu hoc eis competat, *in Tract. de Bapt.* dictum est.

VIII. Quintum Diaconi officium est, prædicare verbum Dei, & Evangelium populis annuntiare, cujus officii meminit Pontificale Romanum. Hoc tamen officium inquit Estius, *in 4. dist. 24. §. 16.* non competit Diaconis, eo quod ad id muneris proprie ordinati sint; sed ut summaria quadam Evangelii expositione plebem præparent ad solidiorem, & exactiorem verbi Dei explicationem, quæ fit per Sacerdotem: Diaconus enim est minister, ministri autem est inservire, & præparare ad opus, non opus perficere. Nec vero hoc ipsum eis permittitur, nisi, ut docet Catechismus Romanus *de Sacr. Ordin. num.* 20. in absentia Episcopi, vel Sacerdotis, vel certe iis jubentibus; & id quidem e loco humiliore, ut intelligant, munus illud sibi non jure Ordinis, sed sola Superioris delegatione competere. Sic legimus, *Act.* 8. Philippum Diaconum sua prædicatione Samaritanorum animos præparasse, ut apti fierent majoribus fidei mysteriis, quibus imbuendi erant prædicatione Apostolorum Petri, & Joannis. Præparare autem animos ad Evangelium, ita proprium Diaconi etiam nunc intelligitur; ut ordinatio ejus per traditionem libri Evangeliorum perficiatur, ut habemus ex Florentino. Unde ex verbis ipsius Episcopi confertur eis potestas Evangelium legendi pro vivis, & defunctis.

IX. Sextum Diaconi officium olim erat, Ecclesiæ thesauro, sive oblatis a fidelibus eleemosynis præesse, & eas pauperibus dispensare, juxta Episcoporum, vel Presbyterorum sententiam, & decretum. Et hæc fuit occasio Apostolis, *Act.* 6. septem primos Diaconos eligendi, qui tamen non per hoc omnem curam, & sollicitudinem circa pauperes a se abdicarunt, sed eam per Diaconos exequebantur. Unde Paulus, *Gal.* 2. *v.* 20. testatur, se & Barnabam monitos fuisse ab Apostolis, ut pauperum memores essent. Quam suam sollicitudinem in Epistolis ad Corinthios sæpe declarat, & præsertim, 2. *ad Corinth.* 8. Porro particulariter hujus rei dispensationem commissam fuisse Diaconis testatur etiam Sanctus Leo, *Sermone de Sancto Laurentio*, dicens de eo: quod *Non solum ministerio sacramentorum, sed etiam ex dispensatione Ecclesiastica substantiæ præeminebat*. Similia de Sancto Laurentio dicit Ambrosius. *lib. 2. de Officiis cap.* 28. Sed hic non est cur immoremur; cum vel ipsi hæretici concedant, immo in hoc unice situm esse Diaconi ministerium contendant, ut vidimus.

Potissima vero Diaconorum cura erat eorum omnium, qui propter fidei confessionem in carcere detinebantur. Unde Cæciliano a Donatistis crimini imputatum est, quod cum Archidiaconus esset, Martyribus necessaria non modo non suppeditasset, sed etiam suppeditari prohibuisset; ut Optatus Milevitanus testatur, lib. 1. de Schism. Donatistarum. Et Sanctus Cyprianus, Epistola 11. *in præteritum* (inquit) *semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent*.

X. Plura erant officia, quibus olim Diaconi fungebantur. Sed præsertim negotiorum ecclesiasticorum cura iis ab Episcopis demandata, continuum cum his de illis rebus tractatum, & facilem ad eos accessum peperit; adeo ut ex hac cum Episcopo quasi confidenti familiaritate occasionem ambitionis acceperint, ac sese adeo extulerint; ut sæpius ausi fuerint Presbyteris sese æquales, ac interdum superiores existimare. Accedebat ad hoc, quod Presbyteri in una Diœcesi erant plures, Diaconi non plures, quam septem, septenario numero primorum Diaconorum correspondentes. Unde etiam in Ecclesia Romana olim septem tantum creari solebant Diaconi, ut testantur Sozomenus, *lib. 7. Histor. cap. 19.* Et Cornelius Papa apud Eusebium, *lib. 6. Histor. cap. 35.* Additque Stephanus Æduensis, cap. 7. de Sacram. Altaris: *Statutum Apostolica præceptione, ut Vicario Christi in Sancta Sanctorum introeunte, septem in sublimiori gradu mensæ altaris assistentes serviant*. Quod in cæteris similiter observatum fuisse ostendit Ivo Carnotensis, *Serm. de Excellentia Ordinum*, dicens succesores Apostolorum decrevisse: *Ut in omni matrice Ecclesia septem Diaconi circa aram Christi sublimiori gradu tamquam columnæ altaris assisterent*. Id ipsum decreverat, anno 314. Concil. Neocæsariense, Can. 14. his verbis: *Diaconi septem debent esse juxta regulam, licet, & valde magna sit Civitas. Idipsum autem Actuum Apostolorum liber insinuat*, quem Canonem repetit, & confirmat Concilium Aquisgranense, cap. 64. Hæc igitur omnia, quibus a Presbyteris secernebantur, audaciam, & fastum Diaconorum fovebant, de qua Sanctus Cyprianus. *Ep. 95. ad Rogatianum*, & Sanctus Hieronymus, *Ep.* 85. modo 101. *ad Evagrium*, seu *Evangelium*, ut supra diximus suo tempore conquerebantur. Specialiter autem paucitati fastum Diaconorum adscribit Sanctus Hieronymus citatus dicens: *Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit*.

§. II.

Resolvitur Secunda Pars de Diaconissis.

XI. DE Diaconissis locuti sumus supra *q. 3. Dub. 1. §. 2. num. 6. &c.* quo Lectorem remitto. Nunc aliqua addam. Mulierum ergo, quæ Deo consecratæ essent, quæque professæ fuissent virginitatem, aut castitatem perpetuam, quatuor olim erant genera. Primo: occurrunt virgines, *Actor.* 21. ibi enim de Philippo uno e septem Diaconis dicitur, vers. 9. *Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes*. Secundo: 1. *ad Timoth. 5. v. 3.* occurrunt Viduæ: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt*. Tertio: ex illis viduis nonnullæ addicebantur Ecclesiæ ministerio, quæ deinceps ab universa Ecclesia *Diaconissæ* dictæ sunt; de quibus ibi vers. 9. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*. Quarto: occurrunt uxores Clericorum, qui post matrimonium ordinati fuissent, quæ in Ecclesia saltem Latina post viri ordinationem continentiam profiteri tenebantur. Eæ quondam apud Latinos maritorum nomine vocabantur. Uxor Episcopi dicebatur *Episcopa*; uxor Presbyteri *Presbytera*; uxor Diaconi *Diaconissa*, sive *Diacona*; uxor Hypodiaconi *Hypodiaconissa*, seu *Hypodiacona*. Unde Concil. Turon. II Can. 14. *Episcopum* (inquit) *Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum*. Et Can. 20. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur*. Hic sermo erit de Virginibus, seu Viduis tantum, quæ ministerio, ut Diaconissæ consecrabantur, earum originem, officia, & abrogationem recensentes.

VII. Dico primo. Diaconissæ ab Apostolorum temporibus originem traxerunt. Hoc colligo ex supra citato Pauli textu 1. *Timoth. 6. vers. 9.* ubi, ut vidua eligatur, requirit, quod *fuerit unius viri uxor*. Quid enim hoc voluisset Paulus, si viduæ illæ castitatis tantum servandæ causa Deo dicarentur? Voluit ergo, ut sicut oportuit, Presbyteros, & Diaconos esse unius uxoris viros, quod manuum impositione ecclesiastico ministerio dicarentur; ita & viduas, de quibus loquitur, quæ Diaconissæ dicebantur; e quarum numero erat Phœbe, de qua *ad Rom. 16. vers.* 1. scribit: *Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris*, portu Corinthiorum: *ubi* (inquit S. Thom. in hunc locum, Lect. 1.) *aliqui Christiani erant congregati, quibus dicta mulier serviebat*.

XIII. Quare autem S. Paulus non meminerit virginum, ex quibus sicut ex viduis constat, Diaconissas quondam electas fuisse; ratio esse potest. Quia in Ecclesiæ christianæ exordiis paucæ erant, quæ virginitatem custodiissent ad eam usque ætatem, quam exigebat Paulus: Gentilibus enim non modo virginitas, sed vel ipsum virginitatis nomen ignotum erat. Coactus ergo fuit Paulus plerumque viduas eligere, & quidem sexagenarias. Tum (ut ipse dicit ibi, *vers.* 11.) quia in adolescentioribus etiam viduis non ita firmum sperari poterat continentiæ propositum.

Tum

Tum quia: ætate, & rerum experientia provectæ cæteras & solatio, & consilio juvare poterant. Ita Tertullianus, *lib. de Velandis virginibus, cap. 9.*

Cæterum ubi virginitatem edocuit religio christiana, ubi castitas vidualis passim emicuit, Diaconissæ electæ sunt, tum ex virginibus, tum ex viduis, quæ non tam provecta essent ætate. Hinc S. Hieron. Epist. 9. modo 85. ad Salvinam viduam: *Ne te moveat* (inquit) *quod sexagenaria eligatur vidua, & putes adolescentulas ab Apostolo reprobari . . . Alioquin omnes, quæ ante sexaginta annos viduatæ sunt, accipient maritos. Sed quia rudem Christi instituebat Ecclesiam, & omni ordini providebant, præcipueque pauperibus, quorum ei cura cum Barnaba fuerat demandata; illas vult Ecclesia opibus sustentari, quæ propriis manibus non queunt laborare, quæ vere viduæ sunt, quas & ætas probat, & vita.* Sacro illi Diaconissarum numero adjectas fuisse etiam virgines docet Auctor Constitut. Apostolic. *lib. 6. cap. 17.* dicens: *Diaconissa eligatur virgo pudica; si autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ uni nupserit.* Concordat etiam S. Epiphanius in exposit. fidei his verbis: *Illæ quidem univiræ, & continentes esse debent, vel post unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines.*

XIV. Dico secundo. Diaconissarum plura erant officia, quæ supra, *quæst. 3. dub. 1. §. 2. num. 7.* enumeravimus. Ubi etiam ostendimus, earum ordinationem licet ordinationi Diaconi in aliquibus similem, non fuisse tamen sacramentum, sed meram cæremoniam ab Ecclesia introductam: unde illuc Lectorem remittimus.

XV. Dico tertio, Diaconissæ a sexcentis, & ultra annis prorsus abrogatæ sunt, specialiter quoad officia, ad quæ olim deputabantur: & quamvis in Ecclesia Græca aliquod vestigium earum remanserit, nec eædem sunt, nec ritu quo olim, ordinantur. Constat ex Euchologiis apud Græcos a sexcentis annis, & Ritualibus apud Latinos conscriptis, in quibus de Diaconissarum ordinatione altum silentium est. Et ulterius, quia ab ea, quam diximus, ætate nullus usus in Ecclesiis catholicis visus est; & licet in Ecclesia Metropolitana Mediolanensi adhuc duret, quod matronæ aliquæ, quas *Vetulones* vocant, in Missa solemni juxta Ambrosianum ritum ad offertorium ferunt panem, & vinum pro sacrificio; istæ tamen non nisi æquivoce Diaconissæ dici possunt.

XVI. Diaconissarum abrogationem dicunt aliqui primo decretam in Concilio Arausicano I. *Canon. 26.* Et executioni mandatam in Concilio Epaunensi, *Can. 21.* his verbis: *Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione nostra penitus ablegamus.* Addunt Concil. Aurelianense II. *Canon. 17.* ubi dicitur: *Placuit etiam, ut nulli postmodum fœmina Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.* Sed quia alii, inter quos Juenin, nolunt præfatis Conciliis Diaconissas fuisse penitus abrogatas:

Ideo quidquid sit: an aliquo Concilio statuta fuerit; certum est, ab anno millesimo, sensim sine sensu abrogationem Diaconissarum in tota Occidentali Ecclesia obtinuisse. Nam præter inconvenientia, quæ non raro sequebantur, cessarunt motiva, ob quæ Diaconissas Ecclesia instituerat. Cum enim post illud tempus stati dies Paschatis, & Pentecostes non sint amplius pro Baptismo observati; cum infantes tantum baptizari cæperint, adulti vero rarissime, cum Baptismus per immersionem (exceptis paucis provinciis) conferri desierit; cum demum virorum sedes in Ecclesia a mulierum sedibus non sint amplius distinctæ, opus non fuit Diaconissis, quæ tum in Baptismi ritibus, tum in aliis memoratis officiis inservirent.

QUÆSTIO VIII.

De Subdiaconatu, & aliis Ordinibus minoribus.

DE Subdiaconatu, & quatuor minoribus Ordinibus simul hic agemus. *Subdiaconus*, Græco *Hypodiaconus* idem significat, ac *Sub Diacono*, seu minister Diaconi. Minores autem Ordines dicuntur *Minores*, quia collocant subjectum in statu inferioris in hierarchia Ecclesiastica, eorumque ministeria ab Eucharistia conficienda sunt magis remota; dicuntur etiam non sacri, non quia eorum ministerium prophanum sit, & non sacrum; sed quia hominem Deo immobiliter nondum sacrant. Hi autem sunt Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. De his ergo quæremus: An vere sacramentum sint, & quænam singulorum officia.

DUBIUM I.

An Subdiaconatus, & quatuor Minores vere Sacramentum sint.

§. I.

De eorum institutione.

I. CUm omnium sacramentorum auctor fuerit Christus, ut in *Tract. de Sacram. in Gen.* ostensum est, si Subdiaconatus, & quatuor minores inter sacramenta sunt reponenda, Christi institutio quærenda est. Subdiaconatum ergo esse verum Ordinem, sicut & cæteros Minores, puto, quod omnes Doctores catholici admittant. Fide enim Catholica certum est, præter Sacerdotium esse alios Ordines majores, & minores: hoc enim sub anathemate sanxit Tridentin. Sess. 23. Canon. 2. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur, anathema sit.* Quinam autem sint majores, & minores Ordines, per quos in Sacerdotium tenditur, explicat, eadem *Sess. cap. 2.* his verbis: *Non solum de Sacerdotibus, sed & Diaconis sacra Littera apertam mentionem faciunt; & qua maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent. Et ab ipso Ecclesia initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconus ad majores ordines a Patribus, & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legimus.* Ex quibus patet, Subdiaconatum semper quidem fuisse Ordinem, non tamen vi suæ institutionis fuisse semper inter majores Ordines; sed ad hoc fuisse per Ecclesiam, & sacra Concilia relatum. Quamvis igitur omnes fateantur, Subdiaconatum, & Minores esse veros Ordines; non tamen omnes fatentur, a Christo esse institutos. Qui enim negant, eos esse sacramenta, negant ex Christi institutione esse, sed Ecclesiæ: Qui vero eos sacramenta esse asserunt, a Christo institutos esse dicunt.

II. Pro quo observo: dupliciter dici posse Subdiaconatum, & cæteros minores Ordines fuisse a Christo institutos. Uno modo explicite, distincte, & in particulari: alio modo implicite solum, & in generali; instituendo scilicet explicite, & in particulari Ordinem illum, in quo cæteri, ut ei subservientes includerentur: relinquendo, ut Ecclesia singulos in eo inclusos in particulari distingueret. Primo ergo modo Christus instituit Sacerdotium, ad quem omnes Ordines ordinantur, & Diaconatum, in quo ut in proximo, & immediato ad Sacerdotium ministerio cætera inferiora ministeria implicite continentur. Secundo vero modo alios inferiores Ordines instituit, ut inclusos in superiori, quos Ecclesia particulariter distinxit.

Hanc doctrinam colligo ex S. Thom. *in Supplem. 3. p. qu. 37. art. 2. ad 2.* ubi hæc habet: *In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur..... Nihilominus erant omnes prædicta potestates, sed implicite, in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus: & Ecclesia, quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. Et secundum hoc dicit Magister in littera* (in 4. dist. 24.) *quod Ecclesia alios Ordines sibi constituit.* Ita S. Thom. respondet objectioni, quæ intendebat probare, solum Presbyteros, & Diaconos esse de institutione divina. Censet ergo etiam alios Ordines inferiores esse de institutione divina tamquam in Ordine Diaconatus implicite, esto non explicite institutos.

Probo etiam. Nam ut Adversarii concedunt, Subdiaconatus, & Ordines minores sunt veri Ordines; ergo pertinent ad hierarchiam Ecclesiasticam; ergo sunt ex institutione divina. Unde Concil. Tridentin. Sess. 23. Canon. 6. *Si quis* (inquit) *dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit.* Per ministros autem in generali non solos Diaconos, sed Subdiaconos, aliosque inferiores intelligit. Hoc ergo supposito.

§. II.

Resolutio Dubii.

III. DIco, Probabilius est, ordinationem Subdiaconi, & aliorum minorum Ordinum esse vere sacramentum. Est contra multos recentiores. Sequitur tamen ex dictis. Nam si Subdiaconatus, & cæteri inferiores Ordines sunt veri Ordines, & ex institutione saltem implicite divina; eorum ordinatio erit signum sensibile annexam habens gratiam ad debite perficiendum ministerium, ad quod deputatur, & consequenter sacramentum. Cui consonat Concil. Tridentinum, *Sess. 23.*

ubi anathemate ferit, *Can.* 2. eum, qui dixerit præter Sacerdotium non esse alios Ordines in Ecclesia Catholica majores, & minores. Et *Can.* 3. indistincte definit, Ordines, seu ordinationem esse sacramentum; ergo verisimile est, intellexisse etiam Subdiaconatum, & minores Ordines habere veram rationem sacramenti.

IV. Idem insinuat S. Thom. Tum *in Supplem. 3. part. quæst. 34. art. 3.* ubi probat, ordinem esse sacramentum sic. *Sacramentum ..... nihil est aliud, quam quædam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili. Unde cum in susceptione Ordinis quædam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat, Ordinem esse sacramentum.* Cum ergo in susceptione Subdiaconatus, & quatuor Minorum homini exhibeatur quædam consecratio per visibilia signa, dicendum videtur, quod sint sacramentum. —— Tum *in eodem Supplem. quæst. 37. art. 1. ad 3.* ubi ostendit, omnes Ordines esse unum sacramentum; quia omnes sunt quædam participatio Sacerdotii, in quo est tota plenitudo sacramenti Ordinis. Cum igitur Subdiaconatus, & quatuor minores Ordines, sint quædam participatio Sacerdotii ei inserviens, & sint quidam veluti gradus, per quos ad Sacerdotium ascenditur; fiet, ut cum illo constituant unum sacramentum. —— Tum eadem *quæst. 37. art. 3.* ubi quærens: An Ordines distingui debeant per sacros, & non sacros, respondet: *Quod Ordo sacer dicitur dupliciter. Uno modo secundum se: & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum: & sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. Et sic sunt tres tantum Ordines sacri, scilicet Sacerdotium, & Diaconatus, qui habent actum circa corpus Christi, & sanguinem consecratum; Subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata: & ideo eis etiam continentia indicitur, ut sancti & mundi sint, qui sancta tractant.* Ubi nota, quod S. D. dicit, omnes Ordines esse secundum se sacros, quia omnes sunt sacramentum. —— Et tandem ibi, *quæst. 36. artic. 1.* docet in susceptione cujuslibet Ordinis peccare mortaliter, qui eum suscipit indigne.

§. III.

Objectiones Solvuntur.

V. OBjicitur, Subdiaconatum non esse sacramentum. Primo. Quia nemo antiquorum docuit, esse ex institutione divina, & per ordinationem in Subdiaconum dari Spiritum Sanctum. Immo in ea nusquam fuit adhibita impositio manuum, cui soli gratiam sacramenti Ordinis Patres adscripsere.

Secundo. Subdiaconus nullo prorsus fungitur officio, quod laicus, non modo valide, sed etiam licite exercere non possit.

Tertio. Gelasius II. Papa in Concil. Beneventano, apud Yvonem decreti *part. 5. cap. 52.* ait: *Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia, super his solis præceptum Apostolicum habemus: Subdiaconos vero, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus.*

VI. Respondeo, neg. ant. Ad primum, dico, quod esto nullus Veterum dixerit expresse Subdiaconatum esse ex institutione divina, & per illius collationem dari gratiam; dixerunt tamen implicite, dum Subdiaconatum, & cæteros Minores, veros Ordines esse dixerunt, aut de illis tamquam Ordinibus locuti sunt: Ordo autem indiscriminatim, ut ex traditione docent Florentinum, & Tridentinum, est sacramentum. Quomodo autem Subdiaconatus, & minores Ordines dici possint ex institutione divina, supra §. 1. explicavimus cum S. Thoma. Ex quo etiam diximus, ideo Veteres de Subdiaconatu, & aliis Ordinibus parum fuisse locutos, quia in primitiva Ecclesia ob paucitatem ministrorum omnia per Diaconos exequebantur, in quo Subdiaconatus, cæterique Ordines implicite continebantur.

Et hac ratione solum Sacerdotium, & Diaconatus per impositionem manus conferuntur; non quia hi duo soli Ordines sint veri Ordines, & sacramenta; sed quia in his solis datur plenitudo Ordinis; in Sacerdotio quidem, tamquam inter eos supremo, & ad quem cæteri Ordines referuntur: in Diaconatu autem datur quasi plenitudo ministerii, ministrandi scilicet corpus, & sanguinem Christi, & in eo inferiores Ordines continentur. Impositio autem manus ad ea sola sacramenta exhibetur, per quæ significatur, & confertur abundantia, & excellentia potestatis, & gratiæ.

VII. Ad secundum, neg. primo conf. Nam etiam non confirmatus potest facere actum, ad quem datur Confirmatio, nempe profiteri fidem coram tyranno: & tamen quis negabit, Confirmationem esse verum sacramentum? —— Secundo, dist. ant. Quod laicus non possit, per se, & ex officio, nego ant. Per accidens, & in defectum Subdiaconi, conc. ant. & nego conf. Nam etiam baptizare est actus proprius Sacerdotis; & tamen in casu necessitatis quilibet etiam laicus baptizare potest, private tamen, & non solemniter. Sic igitur non Subdiaconus in defectum potest non solemniter, idest, sine manipulo ministrare; sicut nec laici non habentes Ordines minores, dum, ut moris est, inserviunt Missæ privatæ, censetur id facere ex officio, sed ex dispensatione.

VIII. Ad tertium dico primo quod si Gelasium in rigore intelligimus, Subdiaconatum inter Ordines sacros, immo nec inter Ordines computare debebimus: sed solum Diaconatum, & Presbyteratum: quia hos solos habuit primitiva Ecclesia, & de his solis præceptum Apostolicum habemus: quod tamen adversarii non admittent. —— Respondeo igitur secundo: Gelasium indicare solum, in primitiva Ecclesia ordinatos fuisse solos Presbyteros, & Diaconos; & de illis necessario ordinandis fuisse præceptum Apostolicum: non vero non fuisse alios Ordines a Christo in generali institutos, quamvis tunc per solum Diaconatum exercerentur tamquam implicite in illo contenti, ut supra §. 1. diximus, quos postea Ecclesia distinxit. Addo etiam ex Gelasio haberi quidem, quod Subdiaconatus tunc non esset Ordo sacer, seu unus ex Ordinibus majoribus, non tamen quod non esset Ordo, nec sacramentum: cum ex dictis Ordines etiam minores, etsi non sacri, sint sacramentum.

IX. Objiciunt, saltem quatuor minores non esse sacramenta. Primo. Quia non semper fuerunt iidem Ordines in Ecclesia. Nam *Laboratores, & Cantores* olim fuerunt in aliquo Ordine ecclesiastico, ut ex S. Ignatio, *Epist. ad Antiochenses.* Acolythatus autem nullam apud Veteres Apostolorum temporibus vicinos mentionem invenimus. Rursus: Acolythatus confertur ab Episcopo formam pronuntiante, & Archidiacono porrigente ceroferarium cum cereo, ut habet Canon 6. Concilii Carthag. IV. sacramentum autem, quod in actione consistit, conferri debet a ministro materiam simul, & formam applicante.

Secundo. S. Clemens, *l. 8. Const. cap. 32.* De Exorcista dicit, quod non ordinetur, sicut idem prius dixerat de virgine, & vidua.

Socrates etiam, *lib. 5. Hist. cap. 20.* scribit: quod in *Urbe Alexandrina Lectores, & Psaltæ absque ullo discrimine fiunt, tam Catechumeni, quam fideles; cum tamen omnes ubique Ecclesia nonnisi fideles ad hunc gradum promoveant.* Cathecumeni autem sacramenti Ordinis capaces non sunt.

Tertio. Minores Ordines conferri possunt per Abbates, alios simplices Presbyteros ex indulto Apostolico: sacramentum autem Ordinis a solo Episcopo conferri potest.

Quarto. Quando plures actiones ordinantur ad unum effectum spiritualem, illa sola est sacramentum, quæ talem effectum attingit; ut patet in catechismo, & exorcismo, in Baptismo: sed nullus Ordo attingit effectum principalem Ordinis, qui est consecrare corpus Christi, nisi Sacerdotalis; ergo solus ille est sacramentum. —— Maxime quia sacramentum Ordinis dat potestatem conficiendi, & conferendi cætera sacramenta; sicut Baptismus dat potentiam ea recipiendi: hæc autem potestas datur in solo Sacerdotio. Unde cum S. Th. supra, *q. 37. art. 1. ad 2.* diximus, plenitudinem Ordinis esse in solo sacerdotio, in aliis autem esse tantum participationem Ordinis; ergo solum Sacerdotium est sacramentum.

X. Respondeo, ex his aliqua, si quid probant, probare etiam minores Ordines nec esse veros Ordines; alias vero, nec Diaconatum esse vere sacramentum, sed solum Sacerdotium. Respondeo ergo ad primum: septem Ordines semper in Ecclesia fuisse, nec plures, nec pauciores testari Dionysium, *lib. Eccl. Hierarch. cap. 3,* Ignatium, *Epist. ad Antiochenses,* ubi omnes recenset, præter Acolythatum. Cajum Pont. *in Epist. ad Felicem,* omnes omnino his verbis: *Si quis Episcopus esse meretur, sit primo Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista; inde sacretur Acolythus, demum vero Subdiaconus, deinde Diaconus, & postea Presbyter: & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur.* Singulos etiam recenseri a Cornelio apud Eusebium, *lib. 6. Histor. cap. 35.* mihi 43. de quo dictum est supra, *quæst. 4. dub. 1. §. 2.* quo lectorem remitto. Ibi etiam, *num. 12.* ostendimus, *Laborantes, & Cantores* fuisse mera ecclesiastica officia, non veros Ordines. Laborantium enim officium erat curare corpora defunctorum; Cantorum vero populum ad cantum psalmorum excitare. Unde Concilium Carthagin. IV. dicit Cantores a simplici Presbytero deputari posse absque licentia Episcopi. Ibi etiam, *num. 16.* rationem dedimus, cur Acolythi nomen ab aliquibus antiquis sæpe reticeatur.

Quod vero de Acolythi ordinatione dicitur, falsum est, ut dicetur, quod ejus materia essentialis sit traditio cerei cum candelabro, sed urceoli vacui, qui ab ordinante, dum profert verba, traduntur.

XI. Ad secundum dico: S. Clementem agere de Exorcista, qui simul cum gratia curationum accipiebat gratiam liberandi energumenos; in quo sensu non est Ordo, sed gratia gratis data: ait enim, quod hoc sit spontaneæ benevolentiæ, & gratiæ Dei. Et ideo juste prohibet talem ordinari.

Socrates autem solum indicare voluit, quod Alexandriæ solerent assumi, non ad Ordinem, sed ad officium Lectoris, & Psalmistæ, sive baptizatos, sive Catechumenos: cum tamen omnes aliæ Ecclesiæ nonnisi fideles assumerent.

XII. Ad tertium dico: quod sicut in Ecclesia Græca etiam simplices Presbyteri ex dispensatione Episcopi confirmare solent, & in Latina etiam ex dispensatione summi

Pon-

pontificis id possent, cum tamen Confirmatio sacramentum sit: ita ex eadem dispensatione Abates, & simplices Presbyteri conferre possunt minores Ordines, quamvis sacramentum sint.

XIII. Ad quartum, quod, ut dixi, probat solum Sacerdotium esse sacramentum, dico; majorem veram esse, quando actiones ad aliud ordinatæ, nil aliud sunt, quam dispositiones, ut catechizatio, & exorcizatio ad Baptismum. Singuli autem Ordines præter hoc quod disponant ad Sacerdotium, habent proprium ministerium, ad quod consecrantur, & spectant ad ordinem Ecclesiasticum sibi proprium.

Ad id quod primo additur: dico: sacramentum Ordinis non solum dicere potestatem conficiendi Eucharistiam, sed includere etiam potestatem exercendi ministeria circa ipsam: & ideo non oportet, ut omnis Ordo sit ad sacramentum perficiendum, sed aliqui debent esse ad ministeria inferiora.

Ad id vero, quod secundo additur, dico ex mente S. Thom. Tota plenitudo Ordinis est in Sacerdotio, non quod gratia, & character in eo solo reperiatur; sed quia gratia, & character aliorum Ordinum, eorumque ministeria referuntur ad ipsum, & ad ejus effectum perficiendum ordinantur.

Dubium II.

De materia, forma, & officiis Subdiaconatus, & minorum ordinum.

§. I.

De Subdiaconatus materia, & forma, & officiis.

I. Subdiaconatus *Cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam; & calicem vacuum*, ajunt Patres Concilii Carthagin. IV. *Can.* 5. & Ordo Romanus: quibus consentit Concilium Florentinum, & Pontificale Romanum.

Materia ergo Subdiaconatus est calix, & patena vacua per Episcopum porrecta; forma autem verba, quæ porrigendo Episcopus profert: *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

Urceoli aqua, & vino pleni, qui subinde ei, qui ordinatur, traduntur ab Archidiacono, non pertinent ad materiam ordinationis; sed ad declarandum, quod Subdiaconi in suo officio inserviant Diacono.

II. Postquam vero Episcopus Subdiaconum ornavit propriis vestibus, ad quarum singulas verba, & cæremonias adhibet, tradit ei librum Epistolarum, dicens: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei &c.*

Hanc traditionem libri Epistolarum, & verba prædicta esse materiam, & formam partialem ordinationis Subdiaconi; ad eum modum, quo traditionem libri Evangeliorum diximus esse materiam saltem partialem, & verba, quæ in traditione dicuntur, partialem formam esse, probabile est. —— Sed verius crediderim, non spectare ad substantiam ordinationis, nec gratiam producere, aut characterem Ordinis imprimere; sed impressa supponere adæquate per traditionem patenæ cum calice: solumque esse cæremoniam designantem actum minus principalem Subdiaconi. Actus enim principalis Subdiaconi non est Epistolam loco Diaconi canere; sed calicem, ac patenam ad altare deferre, & Diacono vel Sacerdoti porrigere, vinumque, & aquam ab Acolytho præparatam suppeditare ad sacrificium. Unde nec Concilium Carthag. IV. nec Florentinum traditionis libri Epistolarum meminere.

Neque juvat exemplum Diaconi. Nam, ut supra dictum est, ideo traditionem libri Evangeliorum, & verba in ea prolata ponimus pro materia & forma inadæquata, quia sola impositio manuum non determinat sufficienter se sola potestatem, & characterem Diaconi: & licet legere Evangelium non sit actus principalis Diaconi, tamen traditio libri Evangeliorum assumitur pro materia. Quia, ut diximus ex D. Th. *in Suppl. 3. p. q. 37. art. 5. ad 5.* potestas Diaconi ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem vasis tantum, quia hoc est materia Subdiaconi; nec per dationem vasis cum materia, nempe pane, & vino, quia hæc est materia Sacerdotis: & ideo debuit exprimi potestas ejus ad actum secundarium in hoc, quod datur ei liber Evangeliorum. At per dationem calicis, & patenæ vacuæ exprimitur potestas Subdiaconi ad actum ejus principalem; & ideo traditio libri Epistolarum non est nisi cæremonia accidentalis. Ideoque de hac ante duodecimum seculum nulla mentio fit nec in ritualibus, nec apud auctores, immo neque apud S. Thom.

III. Officia autem, sive actus Subdiaconi sunt. Primo: parare vasa corporis, & sanguinis Domini, & oblationes in altari ponere, ideſt, ordinare materiam Eucharistiæ in vasis sacris: & ideo quando ordinatur, accipit calicem vacuum de manu Episcopi. Ita S. Thom. *in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. in C. & art. 2. ad 3. & in Suppl. 3. p. q. 37. art. 4. ad 3.* ubi ait: *Oblationes a populo oblata per Sacerdotem offeruntur. Et ideo duplex ministerium circa oblationes est necessarium. Unum ex parte populi; & hoc est Subdiaconi, qui accipit oblationes a populo, & altari imponit, vel offert Diacono. Aliud ex parte Sacerdotis; & hoc Diaconi est, qui oblationes ministrat ipsi Sacerdoti. Et in hoc est actus principalis utriusque Ordinis. Et propter hoc Ordo Diaconi est superior.*

IV. Secundo: Accipere urceolos cum aqua, & vino eisque uti ad ponendum in calice, & præbere aquam manibus Sacerdotis: ideoque in sui ordinatione sicut accipit calicem vacuum, quia potestatem non habet super contentum in calice; ita accipit urceolos plenos, quia potestatem habet super contenta in eis. Ad differentiam Acolythi, cui, ut dicemus, traduntur urceoli vacui, quia non habet potestatem super contenta in eis: *Sed Subdiaconus habet actum super contentis in urceolo, quia utitur aqua, & vino ad ponendum in calice, & aquam iterum manibus Sacerdotis præbet.* Ita S. Th. *in Suppl. 3. p.* loco citato, *ad 6.* & *in 4. dist. 24. q. 2. art. 2. ad 6.* Hi autem duo actus seu officia sunt principalia Subdiaconi, quia per hæc ad Eucharistiam ordinatur: *Ille autem est principalis actus uniuscujusque Ordinis secundum quem magis proxime ordinatur ad Eucharistiæ sacramentum*, ut docet S. Tho. *q. 37. Suppl. art. 4.* citato *in Corpor.*

V. Tertio. Subdiaconi actus, seu officium est ferre Crucem secundum consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, & legere Epistolam: hi autem sunt actus Subdiaconi tantum secundarii, ut ait S. Th. tum, *in Suppl. q. 37. art. 4. ad 3.* tum *in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 2. ad 3.* Unde Catechismus Rom. *de Sacr. Ordin. n. 16.* dicit, Epistolam olim a Diacono in Missa recitatam fuisse, quod indicat etiam S. Thom. loco mox citato.

VI. Huic Ordini modo annexam esse continentiam probavimus supra, *q. 4. dub. 2. §. 2.*

VII. In Ecclesia autem Græca sola manuum impositio est materia Subdiaconatus. Hunc enim solum ritum antiqua, & hodierna Græcorum Euchologia describunt. Apud Græcos Subdiaconi officia hæc sunt. Primo: portas, quibus patet aditus ab atrio Ecclesiæ ad Sanctuarium, custodire, dum tremendum Sacrificium offertur. Secundo: edictum prolatum a Diaconis de Catechumenorum, & aliorum immundorum expulsione mandare executioni. Tertio: vasa sacra disponere in mensa propositionis, ut apta sint ad sacrificium; ea tamen a mensa propositionis ad altare deferre, non Subdiaconi, sed Diaconi officium est.

§. II.

De materia, forma, & officiis quatuor minorum Ordinum.

VIII. Inter minores Ordines dignitate primus est Acolythatus: quia ejus officium propius, quam cæterorum, ad Eucharistiam accedit. Nomen hujus ordinis Græcum est, & dupliciter scribitur. Vel *Acolythus*, ideſt, *non prohibitus*, cui nempe propius ad altare accedere non prohibetur, Vel *Acolythus*, ideſt, *Assectator*, quia ministros majores in altaris ministerio assectatur, eisque dat operam. Vocatur & ab aliis *Ceroferarius*, quia cereos defert. Hinc Catechismus Romanus *de Sacr. Ord. n. 18.* Acolythorum, inquit, *Munus est ministros majores, Subdiaconos, & Diaconos in altaris ministerio assectari, eisque operam dare. Præterea lumina deferunt, & asservant, cum Missa sacrificium celebratur; præcipue vero cum Evangelium legitur, ex quo Ceroferarii alio nomine vocati sunt.*

IX. Materia hujus Ordinis sunt urceoli vacui per ordinantem traditi; forma vero: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistia sanguinis Christi in nomine Domini.* Ideo autem Acolytho traduntur urceoli vacui ad designandum, ait S. Thom. quæst. 37. art. 4. Supplem. ad *6. Quod Acolythi habent actum supra urceolum tantum, non supra ea, qua in urceolo continentur.* Traditur etiam Acolytho candelabrum cum cereo. Sed hæc traditio non est essentialis, ut significat S. Thom. citata *q. 37. art. 5. ad 6.* dicens: *Principalior actus Acolythi est, quo ministrat in urceolo, quam quo ministrat in candelabro; quamvis denominetur ab actu secundario, propter hoc, quod est magis notus, & magis proprius ei. Et ideo in datione urceoli imprimitur Acolytho character virtute verborum ab Episcopo prolatorum.* Hinc

X. Officium Acolythi principale est aquam, & vinum parare in urceolis, & parata præsentare; secundarium autem cereos deferre quando legitur Evangelium, aut etiam postea quando sacrificium perficitur. Olim autem Acolythi erat sustinere patenam, quam modo sustinet Subdiaconus; & gestare in manu fistulam, per quam tunc temporis attrahebat populus Christi sanguinem.

XI. Secundus Acolytho inferior Ordo est Exorcistatus, ab adjurando. Unde *Exorcista* idem est, ac *Adjurator*: cujus materia est liber Exorcismorum, forma autem hæc verba: *Accipe, & commenda memoriæ: & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive Catechumenum.* Ita Conc. Carthag. IV. *Can. 7.* In primitiva autem Ecclesia Exorcistæ erant in

duplici differentia. Quidam enim vim habebant Dæmones ejiciendi ex gratia gratis data; de quibus intelligendus est S. Clemens, *lib. 8. Const. cap. 26.* dum ait: *Exorcistam non ordinari*. Alii vero erant Exorcistæ per ordinationem, qui scilicet virtute suæ ordinationis habent potestatem Dæmones ab energumenorum corporibus ejiciendi. Hujus autem Ordinis aperte meminerunt utriusque Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ Patres, & Scriptores antiquissimi: ut videre est apud Baronium, *Tom. I. Annal. ad ann. 56. n. 6. &c.*

XII. Horum officium est, invocando nomen Domini, manus imponere super energumenos. Exorcismi autem, qui supra baptizandos etiam ab immundo spiritu non vexatos adhibentur, cum non sint ad curandos energumenos, sed ad Baptismi cæremonias pertineant, non comprehenduntur in officio Exorcistarum, sed Sacerdotum. Hujus Ordinis officium præsignavit Christus, quando spiritus immundos ejecit ab energumenis: potestatem vero id faciendi contulit, *Marci 16. v. 17.* dicens: *In nomine meo Dæmonia ejicient*. Quamvis hic loquatur non de Ordine, sed de gratia gratis data. Reperitur etiam Exorcistæ nomen, *Act. 19.* ex quo discimus fuisse etiam apud Judæos exorcizandi munus.

XIII. In exordio Ecclesiæ, Justino, & Tertulliano testibus, exorcizandi munus commune erat omnibus fidelibus, etiam non ordinatis: eo quod omnes tunc gratiis gratis datis muniti, potestatem habebant per invocationem nominis Christi fugandi Dæmones a corporibus, linguis novis loquendi, & alia miracula faciendi. Tunc enim ad ædificationem Ecclesiæ, & ostensionem virtutis Christi conveniens erat. Postea tamen munus exorcizandi, maxime juxta formam ab Ecclesia præscriptam, ad solos ordinatos restrictum est. Unde in Concilio Laodiceno *anno 372.* circiter, *Can. 26.* statutum fuit: *Quod hi, qui non sunt ab Episcopo ordinati, tam in Ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint*.

XIV. Tertius Ordo est Lectoratus. Hujus materia est codex divinarum lectionum: forma vero hæc verba: *Accipe, & esto Verbi Dei relator &c.* Hujus officium erat, teste Cypriano, *Epist. 24. 33. & 34.* ex edito loco recitare Scripturam, etiam Evangelium; non quidem canendo, sed clare, & distincte legendo, sive ad preces, & horas nocturnas sive ad concionem. Concionaturo enim Episcopo, Lector toti populo conspicuus stabat, & eam Scripturæ partem, quæ explicanda erat, clare legebat. Ejus quoque partes erant prima Christianæ religionis rudimenta fidelibus, & Catechumenis tradere, ut Catechism. Rom. *n. 16. de Sacr. Ord.* & S. Thom. *in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. q. 2.*

XV. In Missæ tamen sacrificio legere Evangelium, vel Epistolam ad Lectorem non pertinet, sed tantum Prophetias veteris Testamenti, si quæ in Missa legendæ sunt: primum enim pertinent ad Diaconum, secundum vero ad Subdiaconum, ut diximus. Cujus rationem dat S. Thom. *in Suppl. 3. part. quæst. 37. art. 4. ad 4.* his verbis: *Doctrina remota præparatio ad sacramentum suscipiendum; & ideo pronuntiatio doctrinæ ministris committitur. Sed doctrina veteris Testamenti adhuc est magis remota, quam doctrina novi, quia non instruit de hoc sacramento nisi in figuris. Et ideo novum Testamentum superioribus ministris pronuntiandum committitur, vetus autem inferioribus* (Lectoribus) *Doctrina etiam novi Testamenti perfectior est, quam Dominus per seipsum tradidit, quam ipsius manifestatio per Apostolos. Et ideo Evangelium Diaconis, Epistola Subdiaconis committitur*.

Lectoratui olim conjungebatur velut appendix officium Cantoris, vel Psalmistæ, ut Cantores, & Psalmistæ essent Lectoris veluti coadjutores: quatenus vel eo præcinente, cæteri succinerent; vel ad ejus imperium Cantores psalmos, & hymnos intonarent.

XVI. Postremus, & infimus inter Ordines est *Ostiariatus*, cujus materia est clavium Ecclesiæ porrectio facta ab Episcopo; forma autem sunt verba, quæ Episcopus tradendo claves super ordinandos profert: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus reseruduntur*. Ita ex Concil. Carthag. IV. *Can. 9.*

Aliqui existimant, etiam pulsationem campanæ, aut traditionem funis campanarum spectare ad materiam hujus Ordinis. Sed immerito. Primo. Quia præfata verba *Sic agite &c.* solas claves exprimunt. Secundo. Quia eo tempore pronuntiantur, quo traduntur claves, non quo traduntur funes campanæ. Tertio. Quia materia tradi debet ab ordinante: funis autem campanæ, non ab Episcopo ordinante traditur, sed ab Archidiacono. Quarto. Quia hujus traditionis nulla mentio fit in sacris Canonibus, aut antiquis Ritualibus.

XVII. Munera autem, & officia Ostiariorum sunt. Primo: Claudere, & aperire januas Ecclesiæ: claudere indignis, infidelibus, fidelibus sed excommunicatis, peccatoribus publicis, & energumenis, Christianæ etiam religionis derisoribus, impugnatoribus, & notoriis Clericorum percussoribus, ut ex Isidoro, *lib. 2. de Offic. cap. 14.* Ambros. *Epist. 23.* Super quo S. Thom. *Supplem. 3. part. quæst. 37. art. 4. ad 6.* ait: *Quidam dicunt, quod in susceptione Ordinis Ostiario datur quædam vis divina, ut arcere possit alios ab introitu templi, sicut in Christo fuit, quando ejecit vendentes de templo. Sed hoc magis pertinet ad gratiam gratis datam, quam ad gratiam sacramenti. Et ideo dicendum, quod suscipit potestatem, ut ex officio hoc agere possit; quamvis etiam ab aliis fieri possit, sed non ex officio. Et ita est in omnibus actibus minorum Ordinum, quod possint per alios licite fieri, quamvis illi ad hoc non habeat aliquod officium. Sicut etiam in domo non consecrata potest dici Missa; quamvis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur, ut in ea Missa dicatur*. Hoc tamen postremum intellige pro casibus necessitatis, & secluso prohibitione Ecclesiastica. Nam quod regulariter id non liceat, ex Canonibus docuit idem S. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 3. ad 2.* ibi videndus.

XVIII. Alterum Ostiarii munus, teste Catechismo Rom. *num. 15.* erat: ad sanctum etiam Missæ sacrificium assistere; curaturus, ne quis propius, quam par esset, ad sacram aram accederet, & Sacerdotem rem divinam facientem interpellaret.

Accedit tertium munus, nempe, pulsare campanas, & populum fidelem ad Ecclesiam convocare; quod Episcopus in oratione quam super Ordinandum pronuntiat, indicat, dicens; *Ostiarium oportet percutere cymbalum, & campanam, aperire Ecclesiam, & sacrarium*.

Quartum tandem, pro quo magnam in Ecclesia antiqua Ostiarius dignitatem obtinebat, ut idem Catechismus asserit, erat munus Thesaurarii Ecclesiæ, seu Sacrarii custodis, qui sacras Reliquias, vasa, & instrumenta sacra sub custodia habebat.

XIX. De Tonsura hic non loquar; eam enim ex Ordinum albo expunximus supra, *q. 4. dub. 1. §. 3. n. 11.* non est Ordo, sed præparatio, & quasi vestibulum ad Ordines. Ibi etiam, §. 2. *n. 8.* pulchram pro septenario Ordinum numero congruentiam ex S. Th. *in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. q. 2.* relatam in Supplementum, *3. p. q. 37. art. 2.* quam recolere Studiosum non pigeat. Interim huic Tractatui de Sacramento Ordinis finem imponimus.



TRA-

TRACTATUS XIII.

DE MATRIMONIO.



Ltimo inter ſacramenta venit *Matrimonium*, quod a *Matre* dicitur potius, quam a *Patre*, eo quod ad prolem, cujus generandæ cauſa inſtitutum eſt, ſpeciali modo concurrat mater, eam in utero geſtando, cum dolore pariendo, & accurate educando. Dicitur etiam *Conjugium* a jugo mutuo, quod ſibi imponunt nubentes. Vocatur tertio *Connubium*, eo quod olim ſponſa poſt matrimonium velo obnuberetur, idque pudoris gratia. Quia vero matrimonium conſiderari poteſt & ut contractus civilis in officium naturæ & ut elevatum ad dignitatem ſacramenti: ideo de eo ſub utraque conſideratione ſermo erit cum S. Thoma in 4. *a diſt.* 16. uſque *ad* 37. & *in Suppl.* 3. *part. a quæſt.* 41. uſque *ad* 68.

QUÆSTIO I.

De Matrimonio, ut in officium naturæ.

DE Matrimonio ſecundum ſe, & ut inſtituto ad propagationem naturæ humanæ hic agemus, quærentes: An ſit res bona, & licita, quando, & a quo fuerit primo inſtitutum: An fuerit præceptum omnibus &c.

DUBIUM I.

An Matrimonium ſit res bona, & licita?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. SAturninus Simonis Magi diſcipulus, Marcion, Tatianus, Manichæi, Encratitæ, Adamiani, aliique veteres Hæretici nuptias, ut per ſe malas, damnabant: ſive quia credebant temporalia non a bono, ſed a malo eſſe principio: ſive quia tali prætextu per promiſcuas vagabantur libidines. Hanc hæreſim proxime lapſis ſæculis ſopitam excitarunt Adamus Paſtor, & David Gregorius volentes, omnes mulieres eſſe communes.

II. Dico. Matrimonium per ſe bonum, ac licitum eſt. Probo primo. Id, ad quod natura ratione ducta inclinat, quod a Deo comprobatum, immo inſtitutum eſt, bonum, licitum, ac laudabile eſt: ſed ad matrimonium natura ratione ducta inclinat, matrimonium a Deo comprobatum, ac inſtitutum eſt, ut infra oſtendemus; ergo per ſe bonum, ac licitum eſt. —— Secundo. Quod Deus inſtituit ante Adæ peccatum, & fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ, per ſe bonum, ac licitum eſt: ſed matrimonium Deus inſtituit ante Adæ peccatum, ut infra oſtendemus, & fuiſſet in ſtatu innocentiæ, ut probavimus, *Tom. I. in* 1. *part. quæſt.* 4. *de ſtatu homin. innocent. quoad corpus, dub.* 3. ergo &c. Quia vero difficultas eſt de matrimonio in ſtatu naturæ corruptæ.

III. Probo tertio, teſtimonio Chriſti, qui matrimonium dicto, & facto comprobavit. Dicto quidem: nam, *Matthæi* 19. interrogatus: an liceret homini dimittere uxorem ſuam? Non reſpondit licere, ut debuiſſet, ſi conjunctio viri cum uxore poſt peccatum evaſiſſet illicita; ſed confirmans divinam inſtitutionem matrimonii factam, Geneſ. 2. v. 24. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, concluſit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Facto autem, *Joann.* 2. *v.* 1. & ubi refertur Jeſus cum Virgine Matre ſua, & Diſcipulis ſuis nuptiarum celebrationi interfuiſſe, eaſque inſigni miraculo converſionis aquæ in vinum decoraſſe. In quem locum S. Auguſtin. *Tract.* 9. *in Joann.* ait: *Quod Dominus invitatus venit ad nuptias... confirmare voluit, quod ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apoſtolus, prohibentes nubere, & dicentes, quod malum eſſent nuptiæ, & quod diabolus eas feciſſet. Cum idem Dominus dicat in Evangelio interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem ſuam... non licere... In qua reſponſione, ſi meminiſtis, hoc ait: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

IV. Chriſto ſubſcribit Apoſtolus ejus Paulus. Tum 1. ad Cor. 7. v. 9. *Si non ſe continent, nubant*. V. 10. *Iis autem, qui matrimonium juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere*. V. 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti, & ſi nupſerit virgo, non peccavit*. V. 38. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit*. 1. ad Timoth. 5. v. 14. *Volo juniores nubere, & filios procreare*. Et *cap.* 4. *v.* 3. prænuntiat futuros hæreticos, qui prohibituri eſſent nubere.

V. Honeſtas autem nuptiarum, & matrimonii ex eo probatur. Honeſtum enim, & licitum eſt medium, quod eſt neceſſarium ad finem honeſtum debite conſequendum: ſed ad debitam naturæ humanæ propagationem, quæ eſt finis honeſtus, neceſſarium eſt matrimonium, nempe viri, & fœminæ indiſſolubilis ad hunc finem conjunctio; ergo &c. Min. prob. Debita naturæ humanæ multiplicatio non eſt ſolum, ut ex maris, & fœminæ congreſſu proles generetur; hoc enim modo multiplicatur etiam natura brutorum; ſed rationali modo, nempe, ut parentes dent proli non ſolum eſſe naturale, ſed & rationis, inſerendo in eis ſemina bonorum morum, pietatis, & religionis; & proles timorem reverentialem, & obedientiam potius parentibus exhibeat, quam aliis. Si autem parentes eſſent vagi, proli deeſſet debita educatio; tum ex parte parentum, quia non haberent ſuæ prolis certam notitiam, ſaltem pater; & ita non eſſet ſollicitus ſuæ proli debitam impendere diſciplinam. Tum ex parte prolis, quæ patri debitam reverentiam, & filialem timorem non exhiberet.

VI. Hac ratione S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 2. probat, fornicationem, ſeu vagum concubitum eſſe naturali jure malum, & prohibitum, his verbis: *Peccatum mortale eſt omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis. Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, qua vergit in nocumento vitæ ejus, qui eſt ex tali concubitu naſciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & fœminæ, quod in eis non eſt vagus concubitus, ſed maris ad certam fœminam unam vel plures: ſicut patet in omnibus avibus. Secus autem eſt in animalibus, in quibus ſola fœmina ſufficit ad educationem fœtus, in quibus eſt vagus concubitus; ut patet in canibus, & hujuſmodi aliis animalibus. Manifeſtum eſt autem, quod ad educationem hominis non ſolum requiritur cura matris, a qua nutritur; ſed multo magis cura patris, a quo eſt inſtruendus, & defendendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis eſt, quod utatur vago concubitu, ſed oportet, quod ſit maris ad determinatam fœminam, cum qua permanet, non per modicum tempus, ſed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde eſt, quod naturaliter ineſt maribus in ſpecie humana ſolicitudo de certitudine prolis; quia eis imminet educatio prolis, qua certitudo tolleretur ſi eſſet vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ fœminæ matrimonium, dicit .... Unde cum fornicatio ſit concubitus vagus, utpote præter matrimonium exiſtens, eſt contra bonum prolis educandæ: & ideo eſt peccatum mortale.* —— *Nec obſtat ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione: quia id, quod cadit ſub legis determinatione, judicatur ſecundum id, quod communiter accidit, & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere*. Hæc S. Thom.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

VII. OBjicies primo. Quamvis matrimonium in ſtatu innocentiæ bonum, ac honeſtum fuiſſet, non tamen modo in ſtatu naturæ corruptæ. Nam illud licitum, & honeſtum eſſe non poteſt, quod non poteſt exerceri ſine peccato ſaltem veniali, tale autem eſt matrimonium in ſtatu naturæ corruptæ, cujus actus a concupiſcentiæ promovetur, nec ſine libidine exerceri poteſt, cum non modica uſus rationis obnubilatione. Eſto autem prolis procreatio, ad quam ordinatur, bona ſit; medium tamen, quo procuratur, malum eſt; nec ſunt facienda mala, ut inde veniant bona. —— Nam ſufficit dicere: quod conjuges in actu conjugali libidinis ſenſum patiuntur inviti; atque ideo a peccato, quod ſine conſenſu voluntatis non committitur, excuſantur.

Nam contra eſt. Conjuges ſponte, ac voluntarie matrimonium contraxerunt: imo & actum matrimonii ſive exigendo debitum, ſive reddendo libera voluntate exercent; ergo conſequenter in libidinem ipſi actui neceſſario cohærentem conſentiunt: præſertim cum eam videantur in ſe per talem actum excitare, ita ut proprie ſint illius auctores. Si actus, quo quis merces ſuas projicit in mare, ut a naufragio ſe liberet; quo quis amittit manum, vel pedem pro conſervatione ſui corporis: quo quis adorat idolum, ne amittat vitam, voluntarii ſunt: quamvis mallent tales actus non facere, ſi abſque illis finem ſuum conſequi poſſent, & proinde dicuntur eos facere inviti. Ita voluntaria erit libido conjugibus volentibus actum conjugii exercere, quamvis ſine libidine vellent illum actum exercere, ſi poſſent.

VIII. Reſpondeo ad hæc, neg. ant. cum S. Thom. *in Supplem.* 3. *part. quæſt.* 41. *art.* 3. Nam *Suppoſito, quod natura*

tura corporis a Deo sit bono instituta, impossibile est dicere; quod ea, quæ pertinent ad conservationem vitæ corporalis, & ad quæ natura inclinat, nisi universaliter mala, & ideo cum inclinatio sit naturæ ad prolis procreationem, per quam natura specie conservatur; impossibile est dicere, quod actus, quo procreatur proles, sit universaliter illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non possit, nisi ponatur, secundum quorumdam insaniam, quod res corruptibiles creatæ sunt a malo Deo. Medium ergo virtutis, quod actum conjugii, & matrimonium ipsum licitum, immo & meritorium est: quod *Ad actum matrimonialem virtus inducat, vel justitia, ut debitum reddat; vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur*, (ut docet idem S. Thom. ibidem, *art.* 4.) ita ut quamvis conjugalis actus sine concupiscentia esse non possit; ei tamen in tali actu non serviatur, sed ipsa potius ad finem honestum talis actus servire cogatur. *Quia igitur* (inquit S. August. lib. 1. de Nuptiis, & Concup. cap. 16.) *Nuptiæ tales esse non possunt, quales primorum hominum, si peccatum non præcessisset, esse potuerunt; sint tales, quales sanctorum Patrum fuerunt: ut pudenda carnis concupiscentia, quæ in Paradiso, nec ante peccatum fuit, nec post peccatum esse permissa est, quia necesse est in corpore mortis hujus, ut sint, non ei serviatur; sed ipsa potius nonnisi ad propagandam prolem servire cogatur.*

IX. Neque ex eo, quod actus conjugii exerceri non possit sine concupiscentia, sequitur, quod absolute sit malus, si in parte inferiori solum sistat, ait Sanct. Thomas *quæst.* 41. citata, *art.* 3. *ad* 3. Nam *Turpitudo illa concupiscentiæ, quæ actum matrimonialem semper concomitatur, non est turpitudo culpæ, sed pœnæ ex peccato primo proveniens; ut scilicet inferiores vires, & membra corporis rationi non obediant.*

Nec ex eo, quod in illo actu ratio obnubiletur, vel etiam absorbeatur, arguit in illo semper esse culpam. Nam, ut ait idem S. D. ibid. ad 6. *Superfluitas passionis, quæ virtutem corrumpit, non solum impedit rationis actum, sed etiam tollit rationis ordinem, quod non facit delectationis intensio in actu matrimoniali; quia etsi tunc non ordinetur homo, a ratione tamen est præordinatus.*

X. Porro posse conjuges consentire in actum conjugii, ita ut consensus voluntatis feratur in solum actum, finemque ejus, qui est prolis procreatio, aut debiti redditio, non autem in libidinem, ex eo apparet. Non enim qui consentit in actum, continuo consentit in id omne, quod actui conjunctum est. Nam claudus in progressionem consentit, non in claudicationem; & viator in ambulationem, & qui peccat in actum peccati consentit, non tamen in reatum pœnæ, qui peccato necessario cohæret. Addo: libidinem illam; quam quis in actu conjugii patitur, non esse per se culpabilem. Quia, ut cum S. Thom. supra dicebam, quod & repetit ibi, quæst. 49. art. 4. ad 2. *Ratio illa procederet, si malum, quod inseparabiliter comitatur concubitum, esset malum culpæ: nunc autem non est malum culpæ, sed pœna tantum, quæ est inobedientia concupiscentiæ ad rationem.* Quam pœnam patitur, & admittit ex justa causa, nec tam admittit in se, quam in carnem suam, hoc est, in partem sensitivam, illi cum brutis communem, in qua delectatio esse potest sine consensu mentis. Unde conjux debite utens matrimonio dicere potest cum Paulo, Rom. 7. v. 25. *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.*

XI. Nec refert, quod in actu libidinis de lege non cogitet: *Quod enim cogitari potest tunc, quando mens ipsa qua cogitatur, illa carnali delectatione submergitur?* (inquit S. August. lib. 5. contra Julian. cap. 10.) ... *Sed utrique religiosus animus isto malo bene utens hoc cogitat; ut libidinem concumbendo patiatur, quod non potest cogitare, cum patitur. Sicut salutem homo cogitat, ut somno se impertiat, quod utique non potest cogitare cum dormit. Sed somnus cum occupat membra, non ea facit inobedientia voluntati &c.*

XII. Objicies secundo. Matrimonium, ejusque usus post lapsum non absolvit a culpa. Primo. Ex Apostolo, 1. *Cor.* 7. *v.* 6. ubi matrimonium, ejusque usum concedit solum secundum indulgentiam: *Hoc* (inquit) *dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Quod autem secundum indulgentiam, & secundum veniam conceditur, permittitur tamquam minus malum: unde S. August. *lib. de Peccat. origin. cap.* 38. de hoc Apostoli dicto, ait: *Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam.*

Secundo: Idem Apostolus Rom. 8. v. 8. *Qui autem* (inquit) *in carne sunt, Deo placere non possunt:* sed hoc de illis, qui carnali matrimonii vinculo juncti sunt, exponit Hieronymus, *lib.* 1. *contra Jovinian.* ergo &c.

Tertio. Matrimonium impedit, ac remoratur hominem a cœna cælestis Patris familias, Juxta illud Lucæ 14. v. 20. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.*

XIII. Respondeo, neg. ant. Ad primum Apostoli dictum respondeo, Apostolum loqui de concubitu conjugali, qui ad explendam incontinentiam fit. Unde ait: *Si non se continent, nubant*; & de iis, qui jam nupti, ab usu conjugali diu abstinere non possunt; hoc enim culpa saltem veniali non vacat; Non vero de concubitu conjugali, qui sola causa procreandi filios, & debitum reddendi fit. Ita S. August. *lib. de Pecc. origin. cap.* 38. ubi post verba ab arguente adducta subjungit. *Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causa procreandorum fieri filiorum, per se ipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus: quia tametsi propter corpus mortis, quod nondum est resurrectione renovatum, sine quadam bestiali motu, de quo natura erubescit humana, non potest fieri: tamen ipse concubitus non peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.* Et *lib. de Bono conjugali, cap.* 10. advertens Apostolum concedere nuptias secundum veniam, & postea dicere, quod non peccat, qui nubit, ait: *Nunc autem quid dicturi sumus adversus evidentissimam vocem Apostoli dicentis:* Quod vult faciat: non peccat, si nubat. *Et* si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo non peccavit? *Nunc certe jam dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat, absurdissime dici non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam: non sola causa procreandi, & aliquando nulla causa procreandi; quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant.*

XIV. Quibus Augustinus considerat nuptias ex genere suo, & ex fine, ob quem institutæ sunt: & sic sunt bonæ, nec secundum veniam, conceduntur. Et rursus ex circumstantia finis, ad quem quis eis utitur: & sic nihil prohibet, ut is, qui matrimonium contrahit, contractum illum ex genere bonum aliqua parte vitiet; si contrahit illud, vel eo utatur, non eo fine, quo contrahere, vel eo uti debet. Quod non solummodo hic, sed in aliis quoque bonorum generibus locum habet, quæ ex mala circumstantia finis vitiari possunt, ut ostendi, *Tom. I. in 2. quæst. 3. de Act. human. moralit. dub.* 4. §. 2.

XV. Hinc impoprie dicitur, matrimonium, post lapsum, esse institutum in remedium incontinentiæ: proprius enim finis matrimonii tam ante, quam post lapsum est generatio prolis. Esse autem remedium incontinentiæ potius, quam finis matrimonii, effectus matrimonii dici debet, occasione peccati subsecutus, & ad summum finis ipsorum hominum, qui contrahunt vitandæ incontinentiæ causa. Quod bene notandum est.

XVI. Ad secundum dico: Apostolum loqui de illis, qui in carne secundum carnem vivunt, non secundum spiritum; nempe de illis, qui conjugali copulæ nimium indulgentes, de iis, quæ spiritus sunt, non cogitant, cum Apostolus, 1. *Cor.* 7. *v.* 5. optet, ut conjugati ex consensu abstineant ad tempus, ut vacent orationi: & de talibus loquitur S. Hieronymus, nimirum de iis, qui *Serviunt officio conjugali:* aliud autem est uti officio conjugali, aliud ei servire: sicut aliud est uti divitiis, aliud servire divitiis. —— Dici etiam potest cum S. August. *lib.* 11. *contra Faustum, cap.* 8. Paulum velle, quod *Qui in spe carnalium bonorum sunt, Deo placere non possunt.*

XVII. Ad tertium respondeo, id dictum propter impedimenta, quibus conjugati sæpe abstrahuntur a rerum divinarum cogitatione. Nam, ut ait Apostolus 1. Cor. 7. v. 33. *Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Hoc tamen non fit vitio conjugii, quod per se sanctum est; sed culpa hominum, qui carnaliter se mutuo amant, quem carnalem amorem transgressio primorum parentum introduxit. Unde Ambrosius, *lib.* 7. *in Lucam*, ait: *Non quod conjugium reprehenditur; sed quia ad majorem honorem vocetur integritas, quoniam mulier innupta, & vidua cogitat, quæ Domini sunt &c.*

XVIII. Si dicas: eumdem Paulum, 1. *Cor.* 7. *v.* 29. velle, *Ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* —— Respondeo cum S. Thom. in Suppl. 3. part. quæst. 41. art. 3. ad 1. *Quod Apostolus in verbis illis non prohibuit matrimonii actum, sicut nec rerum possessionem, cum dixit*: Qui utuntur hoc mundo, sint quasi non utentes: *sed in utroque fruitionem prohibuit. Quod patet ex ipso modo loquendi; non enim dixit:* Sint non utentes: *vel* Non habentes. *Sed*; quasi non utentes: *vel* quasi non habentes.

XIX. Objicies tertio illud Davidis, Ps. 50. v. 6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quibus significatur, congressum conjugalem peccato non carere. Quod sensit etiam Sanctus Gregorius, in Epist. ad August. Angelorum Episcop. *ad interrogat.* 10. ubi inter alia dicit: *Quia ipsa licita admixtio conjugis sine voluptate carnis fieri non potest; ideo a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest.*

XX. Respondeo, illis verbis intellexisse Davidem iniquitatem, & peccatum, non matris concipientis, aut patris generantis (neque enim ibi accusare voluit parentum suorum iniquitatem) sed ejus, qui concipitur, quia in peccato originali concipitur: & ita Augustinus, alii Patres, & Concilia intellexerunt. Quod si interdum etiam de parentum iniquitate, & peccato exposuerunt, sumpserunt peccatum pro concupiscentia, eo modo quo sumptum fuisse a Paulo, *Rom.* 7. explicat Synodus Tridentina, *Sess.* 5. *Can.* 5. ut dicemus.

Sanctus Gregorius autem clare sese explicat, ait enim: *Nec hoc dicentes culpandum putamus esse conjugium.* Immo conjugis admixtionem vocat *licitam*: non posse tamen esse sine culpa, non vitio conjugii, sed conjugium, qui plerumque explendæ voluptatis causa, non creandorum liberorum gratia ad concubitum moventur. Ceterum ait: *Si quis*

ergo

ergo ſuæ conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo liberorum creandorum gratia utitur; iſte profecto de ingreſſu Eccleſiæ, ſeu de ſumendo corporis Dominici, ſanguiniſque Myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio. Quod aſſerit etiam, *lib. 32. Moral. cap. 17.* dicens: *Tunc ſolum conjuges in admixtione ſine culpa ſunt, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur.* Dum vero ait, voluptatem ſine culpa eſſe non poſſe, ſumit culpam, ut Paulus, *Rom. 7.* ſumpſit *peccatum*, nempe pro concupiſcentia, vel motu ejus; quæ ſi non ſit voluntaria, ſolum dicitur culpa, quia ex culpa eſt, & ad culpam inclinat: in ſe tamen culpa non eſt, ſed pœna.

XXI. Sed dices: ſi actus conjugii poteſt eſſe ſine culpa, cur homo de illo actu verecundatur? Nemo verecundatur, niſi de re turpi.

Reſpondet S. Thom. in Suppl. 3. part. quæſt. 49. art. 3. ad 4. *Quod turpitudo illa, quæ ſemper eſt in actu matrimoniali, & erubeſcentiam facit, eſt turpitudo pœnæ, & non culpæ; quia de quolibet defectu homo naturaliter erubeſcit.*

DUBIUM II.

An Matrimonium ſit naturali, ac divino jure inſtitutum?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. DIco. Matrimonium, ſeu conjunctio maris, & fœminæ, qua prolis generandæ, ſolvendæque cauſa indiſſolubili nexu copulantur, ex inclinatione naturæ in homine ortum habet. Ita ex S. Thom. *in Suppl. quæſt. 41. art. 1.* ubi notat: *Quod aliquid dicitur eſſe naturale dupliciter. Uno modo ſicut ex principiis naturæ ex neceſſitate cauſatum, ut moveri ſurſum eſt naturale igni. Et ſic matrimonium non eſt naturale, nec aliquid eorum, quæ mediante libero arbitrio complentur. Alio modo dicitur naturale, ad quod natura inclinat, ſed mediante libero arbitrio completur: ſicut actus virtutum, vel virtutes dicuntur naturales. Et hoc modo matrimonium eſt naturale.* In hoc igitur ſenſu.

II. Probatur aſſertio diſcurſu S. Thom. ſic. Id eſt hoc modo homini naturale; ad quod ratio naturalis inclinat: ſed ratio naturalis inclinat ad matrimonium: primo, quantum ad principalem ejus finem, qui eſt bonum prolis, ſecundo quantum ad ſecundarium ejus finem, qui eſt mutuum obſequium ſibi a conjugibus in rebus domeſticis impendendum; ergo &c. Min. pro prima parte prob. *Natura non intendit ſolum generationem prolis, ſed traductionem, & promotionem uſque ad perfectum ſtatum hominis, in quantum homo eſt, qui eſt virtutis ſtatus. Unde ſecundum Philoſ. tria a parentibus habemus, ſcilicet*, eſſe, nutrimentum, & diſciplinam, ſed *filius a Patre educari, & inſtrui non poſſet, niſi determinatos, & certos parentes haberet: quod non eſſet, niſi eſſet aliqua obligati viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit*; ergo &c.

Min. pro ſecunda parte prob. *Nam ſicut naturalis ratio dictat, ut homines ſimul cohabitent; quia unus non ſufficit ſibi in omnibus, quæ ad ipſam vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturaliter politicus: ita etiam eorum, quibus indigetur ad humanam vitam, quædam opera ſunt competentia viris, quædam mulieribus*: Ergo *Natura movet, ut ſit quædam aſſociatio viri ad mulierem, in qua eſt matrimonium.*

III. Dices primo. Jus naturale eſt, quod natura omnia animantia docuit; ſed in aliis animantibus eſt conjunctio ſexuum abſque matrimonio; ergo &c.

Reſpondeo, diſt. maj. Docuit proportionate tamen ad uniuſcujuſque ſpeciem, conc. maj. Aliter, nego maj. Jus ergo naturale omnia animantia docuit ſexuum conjunctionem ad generandam prolem, cum proportione tamen ad differentiam ſpecificam cujuſque. *Nam quædam animalia ſunt, quorum filii nati poſſunt ſufficienter ſibi victum quærere, vel ad quorum ſuſtentationem mater ſufficit; & in his non eſt maris ad fœminam determinatio. In illis autem, quorum filii indigent utriuſque ſuſtentatione, ſed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad tempus illud, ſicut in avibus quibuſdam patet. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum uſque ad magnum tempus, eſt maxime determinatio maſculi ad fœminam, ad quam etiam natura generis inclinat.* Ita S. Thom. citatus *ad 1.*

IV. Dices ſecundo. Si matrimonium eſt ſecundum inclinationem naturalem hominis; ergo virginitatis, & cœlibatus erunt contra naturalem inclinationem, atque adeo peccata.

Nego conſ. Nam naturalis inclinatio non obligat, niſi ſecundum quod facta ratio dictat, illud eſſe neceſſarium ad conſervationem, vel individui, vel ſpeciei. Cum autem nunc ſpecie humana jam multiplicata matrimonium in omnibus neceſſarium non ſit, nec cœlibatus, nec virginitas aliquorum inclinationi generali ad matrimonium non repugnat. Immo nec ſemper agere contra inclinationem naturalem illicitum eſt, ſed ſolum tunc, quando recta ratio dictat, ut eam ſequamur. Hinc licitum eſt aliquando abſtinere a cibo, quamvis natura ad illum inclinet: bona enim inferiora, ad quæ homines naturaliter inclinantur, amplectenda ſunt ſecundum menſuram, quæ congruit bono animæ; ideoque ſi ad ejus ſalutem facilius procurandam, recta ratio judicet ab eis eſſe abſtinendum, licitum eſt ab eis abſtinere.

V. Dices tertio. Si inclinatio naturæ ferret hominem ad conjugium, hæc inclinatio deberet eſſe in omnibus: ſed experientia notum eſt eam non eſſe in omnibus; ergo &c.

Reſpondeo, neg. min. Hæc enim inclinatio eſt in omnibus tam ratione generis, quam ratione ſpeciei; ut ſi eſſet neceſſarium, omnes illam exequerentur: ſed quia neceſſarium non eſt, ideo aliqui ab ea exequenda abſtinent. Sicut naturalis inclinatio ad defendendam Rempublicam eſt in ſingulis: & tamen multi a negotiis militaribus abſtinent, quia non deſunt alii, qui ea exequantur.

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

VI. DIco. Matrimonium non lege naturæ ſolum, ſed a Deo etiam fuit inſtitutum ante Adami lapſum; in lege Moſaica a Deo confirmatum: & tandem in Evangelica a Chriſto probatum. Prima pars, præterquam ex dictis conſtat: nam ſi matrimonium a natura inſtitutum eſt, ſi licitum, & honeſtum eſt, ut vidimus; conſequens eſt, quod Deum habeat auctorem, & ad eum ut naturæ inſtitutorem, & a quo omnia bona procedunt, referatur: Adhuc tamen talia Deus ipſe fecit, & dixit, quæ poſitivæ inſtitutionis matrimonii vim habeant. Primo. Hoc oſtendit in formatione fœminæ. Formato enim Adamo dixit, *Gen. 2. v. 18. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi:* deinde formavit fœminam. Ad quid autem fœminam in adjutorium Adæ formavit, niſi ut impleretur, quod dixerat, Geneſ. 1. v. 28. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram?* Ut autem oſtenderet Deus arctius eſſe vinculum conjugii inter homines, quam ſocietatem procreationis cauſa inter beſtias; cum in his mares, & fœminas ſeorſim condidiſſet, in hominum genere non ſeorſim ambos, ſed alterum ex altero, fœminam nempe ex viro formavit; & quidem non aliunde, quam ex latere, *Geneſ. 2. v. 21.* ipſo productionis modo ſignificans, inter utrumque ſexum generationis cauſa conjunctum in humano genere debere eſſe arctiſſimam ſocietatem, & vinculum.

Secundo. Hoc Adam ipſe intellexit, cum a ſopore excitatus, videns ex ſe formatam, & coram ſe ſtantem mulierem, prophetico afflatus ſpiritu, v. 23. *Hoc nunc* (inquit) *os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Et eodem ſpiritu deſcribens vinculum, quod eſſe debebat, non ſolum inter ipſum, & Evam, ſed etiam deinceps inter virum, & uxorem ſubjecit: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum; & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Propterea hanc Adæ, & Evæ ſocietatem Chriſtus, *Matth. 19. v. 4. & 5.* propoſuit tamquam exemplar earum, quæ deinceps inter conjuges eſſe debebant. Et ex eo etiam, quod Deus Adamum cum Eva per matrimonium conjunxerit, infert Deum nubentes conjungere nexu, quem humana poteſtas ſolvere non poſſit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

VII. Scio, non paucos Patres ſenſiſſe, inter Adam, & Evam innocentes nullum omnino fuiſſe matrimonium, nec futurum fuiſſe deinceps, ſi ipſi in gratia ſtetiſſent: inter quos Chryſoſtomus, *Homil. 18. in Geneſ.* Auguſt. *lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos, cap. 19.* & Damaſcenus, *lib. 2. Fidei Orthod. cap. 30.* Putantes, in illa ſuppoſitione, vel nullos alios homines futuros, vel multiplicandos per modum ſimilem, quo Adam, & Eva producti fuerunt, vel per modum incognitum.

VIII. Sed contrarium oſtendi, *Tom. I. in 1. part. Tract. de homine, in ſtatu Innoc. quæſt. 4. dub. 3.* unde illuc Lectorem remitto. Modo dico; quod conceſſo, laudatos Patres in ea ſententia fuiſſe; contraria tamen omnium aliorum Patrum ſententia communis eſt, quam & Auguſtinus, priore retractata, in poſterioribus ſuis libris conſtanter tenuit, ut patet ex *lib. 14. de Civit. Dei a cap. 21.* uſque *ad 27.* nec non ex *lib. 1. Retract. cap. 10. 13. & 19.* Nec obſunt rationes contrariæ. Nam illis reſpondi, *Tom. I. in 1. part. quæſt. 3. dub. 3. §. 2. a num. 15.* quæ repetere ſuperfluum foret.

IX. Secunda pars, nempe, matrimonium fuiſſe, poſt lapſum Adami, in lege Moſaica a Deo confirmatum, conſtat primo ex laudatis Chriſti verbis; quibus facit Deum auctorem maritalis conjunctionis, quæ ſuo tempore a Judæis celebrabatur: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Conſtat ſecundo ex legibus, quas per Moyſen circa matrimonia Judæorum edidit, & præcipue, *Deut. 25.* ubi injungit fratri ſuperſtiti, ut in matrimonium ducat uxorem a fratre ſine liberis relictam. Conſtat tertio, quia, ut dicemus, cum Dei populus eſſet in exiguo numero, conjugium præceptum fuit.

X. Tertia autem concluſionis pars, nimirum, quod in lege Evangelica matrimonium fuerit a Chriſto probatum, conſtat ex dictis, *dub. 1.* nempe, quod Chriſtus ſua præſentia cum Matre, & Diſcipulis nuptiis Canæ Galileæ, nuptias probatas voluit. Secundo. Quia Paulus, *1. ad Tim. 4.*

doctrinam *Prohibentium nubere* vocat *Doctrinam Dæmoniorum*. Tales fuisse Encratitas, Marcionitas, & Manichæos supra indicavimus. Verum ante illos ipsis Apostolorum temporibus fuisse, qui hunc errorem spargerent, indicat Ignatius Martyr, *Epist. ad Philadelphios*. Quinam vero fuerint, significat Irenæus, *lib. 1. cap. 22.* nempe impius Saturninus, ejusque gregales, de quibus hæc scribit: *Nubere & generare, a Satana dicunt esse.*

Dubium III.

An Matrimonium fuerit præceptum.

§. I.

Resolutio Prima.

I. De matrimonio, ut est officium naturæ inclinantis ad conservationem, & multiplicationem suæ speciei, præsens dubium procedit: an sit in præcepto obligante omnes, & singulos: & an saltem aliquando fuerit, vel modo in aliquo casu esse possit. Pro quo noto ex S. Thom. in Supplem. 3. part. q. 41. art. 2. *Quod natura inclinat ad aliquid dupliciter. Uno modo sicut ad id, quod est necessarium ad perfectionem unius: Et talis inclinatio quemlibet obligat, qua naturales perfectiones omnibus sunt communes. Alio modo inclinat ad aliquid, quod est necessarium ad perfectionem multitudinis. Et cum multa sint hujusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti: alias quilibet homo obligaretur ad agricolturam, & ædificatoriam, & ad hujusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ: sed inclinationi naturæ satisfit, cum per diversos diversa de prædictis complentur.*

II. Dico primo. Matrimonium cadit sub præcepto juris naturalis ipsam communitatem hominum obligante. Patet ex dictis. Quia matrimonium est necessarium ad perfectionem, nempe ad conservationem communitatis humanæ, quod docet etiam 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 2. *ad* 2. Et rursus: Si jure naturali tenetur unusquisque ad ea, quæ respiciunt perfectionem, vel conservationem propriam, ut sunt comedere, & bibere; eadem ratione communitas obligabitur ad ea, quæ respiciunt perfectionem multitudinis, cujusmodi est matrimonium; nimirum, ut in ea sint aliqui, qui matrimonio vacent, sicut ut in ea sint aliqui qui vacent militiæ, seu agriculturæ.

Hoc tamen præceptum est juris naturalis, non tamquam primum principium lumine naturali cognitum; sed tamquam ex primis principiis naturalibus deductum hoc, vel simili discursu. Humana species est conservanda: sed non potest conservari, nisi per commixtionem maris, & fœminæ in matrimonio: nam quæcumque alia commixtio extra matrimonium jure naturæ prohibita est; ergo de jure naturæ præceptum est hominum communitati matrimonium.

§. II.

Resolutio Secunda.

III. Dico secundo. Matrimonium non cadit sub præcepto, quod unumquemque obliget per se loquendo, nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigeret, ut quilibet generationi vacaret. Ita S. Thom. citata *quæst.* 41. *art.* 2. *in C.* Ad ea enim, quæ ad perfectionem multitudinis necessaria sunt, per se non obligatur quilibet. Hinc non quilibet tenetur ad agricolturam, ad ædificatoriam, & similia, quæ communicati humanæ sunt necessaria.

Quod vero pro aliquo tempore possit per se obligare. Prob. Nam initio generis humani omnes ad matrimonium, & singulos fuisse obligatos, ex eo constat; quod illa, quæ communitatem ipsam directe obligant, etiam singulos de communitate obligant, quando alioquin communitati sufficienter non prospiceretur, & periculum esset, ne tota periret. Stante autem hominum paucitate, quæ tunc erat, non fuisset communitati, ac perpetuitati generis humani sufficienter provisum, nisi per matrimonium singulorum.

Censent aliqui, hoc præceptum obligans singulos ad matrimonium vim habuisse ab initio mundi usque ad diluvium, & a diluvio usque ad Christum.

Sed verius censeo cum S. Thom. hac *quæst.* 41. *art.* 2, *ad* 1. hoc præceptum solum tamdiu obligasse singulos, quamdiu paucitas hominum id exigebat: *Præceptum enim illud* (inquit S. D.) *non est revocatum, nec tamen obligat unumquemque... nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret.* Ante diluvium autem, ut habetur *Genes. 6.* homines multiplicati erant super terram. Extincto autem aquis diluvii toto genere humano, credibile est, filios Noe, & posteros eorum eodem præcepto adstrictos fuisse, quousque humanum genus iterum multiplicatum fuisset. Idemque præceptum reviguisse, cum separato a Gentibus populo Dei, exiguo numero adhuc existens carnali propagatione ad cultum Dei erat multiplicandus. Ita S. August. *lib. de Bono conjug. cap. 9.* dicens: *Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, maxime propter Dei populum propagandum, per quem, & prophetaretur, & nasceretur Princeps, & Salvator omnium populorum, uti debuisse Sanctos isto, non propter se expetendo, sed propter aliud necessario, bono nuptiarum.* Quapropter ibidem, *cap. 15.* dicit, quod etiam plures uxores simul inculpabiliter tunc ducebant, quod nunc non licet, & concludit: quod *Sic misceri fœminis jure nuptiarum officiosum fuit tunc sanctis viris, non libidinosum.*

IV. Cæterum hoc præceptum obligans singulos ad nuptias non continuasse in populo Israelitico usque ad Christum, ostendunt exempla, Josue, Eliæ, Elisæi, Jeremiæ; qui sine injuria legis divinæ, & naturalis, cælibes, & casti vixerunt, ut notat Hieron. *lib. 1. adv. Jovinianum.* Et quamvis tempus illud veteris Testamenti fuerit tempus amplexandi, tamen etiam tunc laudata fuit castitas tori conjugalis nescia, ut *Isaiæ 55. v. 3. 4. & 5.* & *Sap. 3. v. 13. & 14.* Nec defuisse hujusmodi castitatis æmulatores, quamvis admodum raros testatur Josephus, *lib. 2. de bello Judaico, cap. 2.* Et sane si toto tempore legis Judaicæ continuasset præceptum ineundi matrimonium obligans singulos; hanc occasionem criminandi Christum & Joannem Baptistam, quos cœlibem vitam ducere noverant, & discipulos Christi, qui vel uxores non habebant, vel quas habebant reliquerant, non prætermisissent: eo vel maxime, quod Christus non exemplo solum, sed dicto continentiam præ nuptiis extollebant, ut *Matth. 19.*

V. Nec dicas: *Exodi 23. v. 26.* dici: *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua.* Quod repetitur, *Deuter. 7. v. 14.* — Nam ibi non præceptum nubendi imponitur, sed fœcunditatis promissio datur illis, qui nupti sunt. Nec enim sterilis dicitur, qui non nubit; sed qui utens conjugio liberos procreare non potest: quæ sterilitas in opprobrium, & maledictionem tunc reputabatur, ut in Elisabeth *Luca 1.* Neque in hominum potestate situm erat sterilem non esse, ut de eo præceptum Domini dari posset.

VI. Nec iterum dicas: S. August. *lib. de Bono viduitatis, cap. 7.* dicere, quod in veteri lege fœminas *Nubere obedientia, non concupiscentia compellebat.* Et quod *Maledictus habebatur per legis sententiam, qui non suscitaret semen in Israel.* — Nam hoc non est ita intelligendum, ut pro toto tempore legis veteris rigoroso præcepto singuli, tam viri, quam mulieres, nubere tenerentur; unde non legimus pœnam aliquam fuisse unquam constitutam iis, qui a conjugio vellent abstinere; cum tamen pro quacumque transgressione legamus fuisse constitutam. Puto ergo sic intelligendum esse, ut seu viri, seu mulieres, qui alio modo ad Rempublicam non conferebant, consuetudini illius temporis obedire debebant, saltem populum per generationem multiplicando: & qui non facerent, despectui, & maledictioni, non Dei, sed populi subjicerentur.

VIII. Multo minus autem præceptum matrimonii obligat post Christum; cujus populus non generatione carnali tantum, ut Israeliticus, sed prædicatione Evangelii ex omnibus Gentibus multiplicandus fuit. Unde S. Aug. lib. de Bono conjugali, cap. 9. *Nunc vero* (inquit) *cum ad ineundam sanctam, & sinceram societatem undique ex omnibus Gentibus copia spiritualis cognitionis exuberet; etiam propter solos filios connubia copulare cupientes, ut ampliore continentia bono potius utantur, admonendi sunt.* Non ita tamen, ut apud Christianos præceptum conjugii cessaverit; cum potius adhuc duret, & duraturum sit usque ad finem sæculi, sed quia singulis fidelibus usque adeo nulla lege matrimonium præcipitur; quin potius omnibus, qui se continere possunt, perpetua continentia in consilio sit, dicente Christo, *Matth. 19. v. 12.* cum de iis loqueretur, qui se castraverunt propter regnum Cælorum: *Qui potest capere capiat.* Et Paulo, 1. Cor. 7. v. 25. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* V. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Et de Vidua, v. 40. *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* Quare S. Aug. negat, conjugium nunc singulis præceptum esse, *lib. de bono Viduitatis, cap. 8. 9. & 18. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 7. & lib. 1. de Nupt. & Conc. cap. 17.*

VIII. Verumtamen adhuc in novo Testamento, præter generale præceptum conservandi speciem, duplex hominum genus peculiariter lege quadam naturæ necessarium est, ut matrimonium contrahant. Unum est eorum, qui cum adhuc potestatem nuptiarum habeant, consilium perpetuæ continentiæ capere non possunt. Cum enim post peccatum, matrimonium habeat pro effectu mederi incontinentiæ, hi si alia via continentes esse non possunt, nubere debent, secundum præceptum Apostoli, 1. Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* Et postquam hortatus fuerat non nuptas, & viduas ut sic permaneant, addit, v. 9. *Si non se continent, nubant.*

In altero genere sunt Reges, ac Principes, eorumque filii, ac filiæ. His enim aliquando ob publicum religionis, vel pacis in Regno bonum, obligatio contrahendi matrimonium incumbit. Velut si ex cœlibatu Regis, Reginæ, aut filiorum periculum esset, ne eorum regnum, aut principatus post eorum mortem transiret ad hæreticos, aut infideles; aut alias in Republica bella, aliique mali motus essent orituri contra publicum bonum. Quare cum his in talibus circumstantiis, etiam in Subdiaconatu, & Diaconatu constitutis dispensari consuevit; & secundum plures etiam cum religionem professo dispensari posset.

§. III.

Contrariis fit Satis.

IX. OBjiciunt Sectarii cælibatus hostes, Matrimonium fuisse omnibus præceptum a Deo illis verbis, quibus primis parentibus, *Gen. 1. vers. 28.* dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quibus verbis contineri præceptum docet S. Th. *Opusc. 2. c. 186. & hac q. 41. Suppl. art. 2. ad 1.*

X. Respondeo, quod si dicta verba continent præceptum, non obligabat tamen *Unumquemque, nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret.* Ita S. Th. *cit. q. 41. art. 2. ad 1.*

Communiter tamen dicitur, illa verba præceptum non continere, cum etiam bestiis dicta sint, quæ præcepti incapaces sunt. Important ergo potius benedictionem, qua homini, ac bestiis contulit fœcunditatem, ut possent multiplicari. Unde præmittitur: *& benedixit.* Et sicut quod sequitur; *Et dominamini &c.* non est præceptum dominii, sed collatio potestatis dominandi, qua possent uti cum vellent: ita cum dixit: *Crescite &c.* —— Nec obstant verba modo imperandi prolata. Tali enim modo Deus uti voluit, ad demonstrandam suæ benedictionis efficaciam; quo modo Christus, *Matth. 8.* dixit leproso: *Mundare.* Et *Luca 19.* Cæco: *Respice.* Non præceptum eis dans, sed sermone suo donans uni munditiem, alteri visum.

XI. Objiciunt secundo. Nemo potest certo scire, an habeat donum perpetuæ continentiæ, immo quibusdam vix est possibile contineri: Apostolus autem dixit his: *Si non se continent, nubant, melius est enim nubere quam uri.* 1. Cor. 7. v. 9.

XII. Respondeo, necessarium non esse, ut quis continentiam profiteatur, scire se habere donum continentiæ; sed satis esse, ut sciat, hoc esse in potestate hominis divina gratia excitati, & adjuti; & Deum illud recte petentibus non denegare, nec pati, ut tentemur supra id, quod possumus, ut docet Trid. *Sess. 24. Can. 9.* Quemadmodum, ut quis fiat Christianus, non est necesse ut sciat, se habere donum permanendi in fide, & religione Christiana; sed satis est, ut per Dei gratiam possit perseverare —— Locus autem Apostoli probat, eos, qui adhuc liberi sunt, nec alia via continere se possunt, teneri quærere per matrimonium incontinentiæ suæ remedium, ut diximus.

XIII. Objiciunt tertio. Potest dari casus, quod omnes velint abstinere a conjugio: sed in hoc casu mundus periret; ergo &c.

XIV. Respondet primo S. Hieronymus Joviniano hoc objicienti: *Noli metuere, ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas: & ideo rara, quia difficilis.*

Respondet secundo S. Augustin. *lib. de Bono conjugali, cap. 10.* Cum enim dixisset, nunc matrimonio præferendam esse continentiam, prævidens hanc instantiam dicit: *Sed novi quid murmurent. Quid si, inquiunt, omnes homines velint ab omni concubitu continere, unde subsisteret genus humanum?* Cui respondet: *Utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in charitate, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: multo citius Dei Civitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi. Quid enim aliud hortari apparet Apostolum, cum ait;* Vellem omnes esse sicut me ipsum?..... *Unde mihi videtur hoc tempore solos eos, qui non se continent, conjugari oportere.* Censet igitur S. Doctor, hunc casum non eventurum, nisi cum adveniet finis mundi, & completus fuerit numerus electorum.

Quapropter respondet tertio. S. Th. hac q. 41. art. 2. ad 4. *Quod natura humana communiter ad diversa officia, & actus inclinat, ut dictum est. Sed quia est diversimode in diversis, secundum quod individuatur in hoc, vel illo; unum magis inclinat ad unum illorum officiorum, & aliud magis ad aliud ex diversitate complexionum diversorum individuorum. Et ex hac diversitate simul cum divina providentia, qua omnia moderatur, contingit, quod unus eligat unum officium, ut agriculturam, & alius aliud, Et sic etiam contingit, quod quidam eligant matrimonialem vitam, & quidam contemplativam. Unde nullum periculum imminet.* Hæc S. Thom.

Addo: hanc instantiam non concludere, omnes, & singulos teneri ad matrimonium, sicut nec concludit, omnes teneri ad agriculturam, ad militiam &c. quia posset dari casus, quo omnes vellent a militia, vel agricultura abstinere; quia hæc obligatio afficit totam communitatem, non autem omnes, & singulos de communitate. Qui plura de hoc optaverit, & præsertim Sectariorum argumenta contra cælibatum, adeat Veram Ecclesiam, *Tom. 1. p. 1. art. 1.* & Colloquia Theologico-Polæmica *Classe 1.*

QUÆSTIO II.

De Matrimonio, ut Sacramentum est.

DE matrimonio sub altera consideratione, nimirum, prout ad dignitatem sacramenti elevato, modo agemus, quærentes: An vere sit Sacramentum, quando, & a quo fuerit in ratione sacramenti institutum: Quis ejus Minister, quæ ejus materia, & forma, & alia ad ejus perfectam notitiam necessaria.

DUBIUM I.

An Matrimonium sit Sacramentum?

§. I.

Resolutio Catholica.

I. ARmeni, qui circa *annum* 640. Constantino III. Heraclii filio imperante, & Theodoro in Petri Cathedra sedente, variis erroribus in Ecclesiam eruperunt, inter alios hunc adoptarunt; nimirum, maris, & feminæ indissolubilem conjunctionem, quæ matrimonium dicitur, non esse sacramentum, nec per illam aliquam gratiam conferri. In hunc errorem abierunt omnes moderni Sectarii ducibus Luthero, & Calvino, *l. 4. Instit. cap. 19. §. 34. &c.* Ubi multa contra Catholicos Matrimonium inter sacramenta recensentes, de more impudentissime evomit.

II. Dico tamen. De fide tenendum est, matrimonium inter fideles esse verum novæ legis sacramentum. Ita statuit Tridentinum, *Sess. 7. can. 3.* & *Sess. 24. Can.* etiam primo; his verbis: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.* Idem sentit Ecclesia Græca etiam post suum a Latina schisma, quod colligitur: Tum ex Jeremia Patriarcha Constant. in Censura, quam suo, & Græcorum Episcoporum nomine edidit contra Augustanam Lutheranorum confessionem; ubi, *c. 7.* scribit, matrimonium esse divinum sacramentum, & unum e septem sacramentis a Christo, & Apostolis Ecclesiæ traditis. Tum ex Synodo Constantinopolitana sub Parthenio, *anno* 1642. ubi rejicitur Calvinus, quod negat sacramenta quinque, & inter ea *honorabiles nuptias.* Quod *anno* 1672. confirmatum fuit in Synodo Hierosolymitana contra Cyrillum Lucari Calvinistam, sub Dositheo Patriarcha; ubi, *c. 15.* statuto septenario sacramentorum numero, de matrimonio sic dicitur: *Sacramentum vero matrimonii tunc* (Dominus) *tradidit, cum recensitis velut ejus in obsignationem iis, quæ de illo in veteri Testamento scripta sunt, ait:* Quod Deus conjunxit, homo non separet. *Quin & magnum ab divino Apostolo sacramentum appellatur.* Quod repetitur in altera Constantinopol. Synodo, eodem *anno* 1672. sub Dionysio coacta; ubi de sacramentorum numero dicitur: *Quintum est matrimonium, quod aperte declarat Apostolus esse sacramentum.* Sectarii ergo hoc negantes, apud utramque Ecclesiam hæretici sunt.

III. Utraque ergo Ecclesia colligit, matrimonium esse sacramentum ex verbis Christi, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quibus, ut ait Trid. *Sess. 24.* matrimonialis nexus firmitatem confirmavit. Et ex Apostolo, *ad Ephes. 5.* ubi postquam hortatus fuit viros, ut diligant uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, eamque sanctificavit, tradens semetipsum pro ea; loquens de conjunctioone viri cum uxore, ait: *Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quibus indicare voluit, quod sicut Christus passione sua sanctificavit Ecclesiam sponsam; ita & matrimonium, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, a Christo accepit, ut sanctitatem ipsis conferret. Unde Trid. *Sess. 24.* citata ait: *Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor, atque perfector sua nobis passione promeruit; quod Paulus Apostolus innuit dicens:* Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea. *Mox subjungens:* Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet; merito inter nova legis sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesia traditio semper docuerunt.*

IV. Scio, responderi a Calvino, & aliis ejusdem furfuris, Paulum vocare sacramentum, seu (Græce *Mysterium*) magnum, non conjunctionem viri, & uxoris, sed conjunctionem Christi, & Ecclesiæ; quæ quidem magnum mysterium est: quid enim magni habet conjunctio maritalis viri cum uxore?

V. Sed contra. Nam quod ait Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est*, non ad ipsam Christi, & Ecclesiæ conjunctionem est referendum, sed ad matrimonium, quod scilicet viri, & mulieris conjunctio, cujus Deus auctor est, sacramentum, seu sacrum signum sit sanctissimi illius vinculi, quo Christus cum Ecclesia conjungitur. Pronomen quippe demonstrativum *hoc*, non alio referri potest, quam ad id, quod proxime præcesserat de humano conjugio, de quo loquebatur, & dixerat: *Viri diligite uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Deinde vis græci textus non significat: *In Christo, & in Ecclesia*; sed *In Christum, & in Ecclesiam.* Ex quo evidens fit, Christum, & Ecclesiam esse terminum illius mysticæ significationis; & matrimonium esse mysterium, cujus significatio ad Christum, & Ecclesiam

ſiam referatur. Atque hanc eſſe veram eorum verborum intelligentiam auctoritate Veterum, qui ea ſic interpretati ſunt, comprobatur, & Nazianzeni, Chryſoſtomi, *Homil. 20. ad Epheſios*, Hieronymi *in cap. 5. ad Epheſ.* pro ſe Nazianzenum citantis.

VI. Sed apertius omnibus S. Auguſtinus hanc veritatem teſtatur primo, *lib. 1. de Nuptiis, & concupiſc. c. 10.* his verbis: *Quoniam ſane non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole eſt; nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verum etiam quoddam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. Unde dicit Apoſtolus:* Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. *Hujus procul dubio ſacramenti res eſt, ut mas, & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inſeparabiliter perſeverent . . . . Hoc enim cuſtoditur in Chriſto, & Eccleſia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur. Cujus ſacramenti tanta obſervatio eſt in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus conjugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti; ut cum filiorum procreandorum cauſa, vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia ſecunda ducatur.* Deinde comparans vinculum nuptiarum cum vinculo Baptiſmi: *Ita* (inquit) *manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: Sicut apoſtata anima velut a conjugio Chriſti recedens, etiam fide perdita ſacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim procul dubio redeunti, ſi amiſiſſet abſcedens. Habet autem hoc qui receſſerit ad cumulum ſupplicii, non ad meritum præmii.*

VII. Matrimonium fidelium vere, & proprie ſacramentum eſſe, docet idem S. Auguſt. *l. de Fide, & Operibus, c. 7.* dicens: *In Civitate Dei noſtri, in Monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam ſacramentum ita commendatur; ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere.* Lib. de Bono conjugali, cap. 18. *In noſtrarum nuptiis plus valet ſanctitas ſacramenti, quam fœcunditas uteri*, Cap. 24. *Bonum igitur nuptiarum per omnes Gentes, atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis: Quod autem ad Populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.* Et *c. 7.* ex ratione ſacramenti matrimonii Chriſtiani indiſſolubilitatem probat.

Idem docet S. Leo, *Ep. 2. alias 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum*, dicens: *Cum ſocietas nuptiarum vita ab initio conſtituta ſit; ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti, & Eccleſiæ ſacramentum; dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in quo docetur nuptiale non fuiſſe myſterium.*

VIII. Hinc mirari deſinet Calvinus, cur ab Apoſtolo matrimonium vocetur ſacramentum magnum; quia nimirum ſignum eſt conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Ut enim docet S. Thom. in cap. 5. ad Epheſ. Lect. 10. *Quatuor ſacramenta dicuntur* Magna, *ſcilicet, Baptiſmus ratione effectus, quia delet culpam, & aperit januam paradiſi. Confirmatio ratione miniſtri, quia ſolum a Pontificibus, & non ab aliis confertur. Euchariſtia ratione continentiæ, quia totum Chriſtum continet. Item Matrimonium ratione ſignificationis, quia ſignificat conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ.* Non ſolum per conformitatem in natura, quam ſignificat, ſed non efficit; ſed per conjunctionem in charitate, quam conjugium ſignificat, & ſimul efficit.

Deſinet quoque mirari Calvinus, cur quamvis bona, & ſancta ſit agricultura, architectura, ſutrina, texſtrina, & officia ſint ad communitatem neceſſaria; ſacramenta non ſint. Nam hujuſmodi ſunt officia mere civilia ad nil ſpirituale ordinata; matrimonium vero eſt officium quidem naturæ, ſed ad ſignificandam conjunctionem ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia, & non ſolum ad generandos humanæ ſpeciei homines, ſed ad ſpirituales filios pariendos Chriſto, & Eccleſiæ. Ideoque ſacra aliqua, & ſenſibili cæremonia ſemper celebratum fuit. Hanc veritatem cum Eccleſia ſemper profeſſa ſit, ut apparet ex ſupra laudatis teſtimoniis veterum Patrum; apparet quoque falli, aut fallere voluiſſe Calvinum, dum aſſeruit, neminem ante Gregorii tempora dixiſſe matrimonium eſſe ſacramentum.

§. II.

An Matrimonium conferat Gratiam?

IX. Dico. Matrimonium confert gratiam non ponentibus obicem: & quidem ex opere operato. Sequitur ex dictis. Si enim matrimonium novæ legis ſacramentum eſt: cum omnia ſacramenta novæ legis gratiam conferant ex opere operato, ut *in tract. de Sacram. in Gen.* oſtenſum eſt; ſequitur &c. Sicut enim Chriſtus ſanctificavit aquas, ut exteriori ablutione ſignificarent, & efficerent internam animæ ablutionem a ſorde peccati: ita ſanctificavit nuptias, ut externa conjunctione ſignificarent, & efficerent internam conjunctionem per fidem, & charitatem.

X. Hanc veritatem docet S. Thom. *in Suppl. 3. part. q. 42. art. 3.* Ubi rejecta ſententia quorumdam volentium, matrimonium non eſſe cauſam gratiæ, ſed tantum ſignum; & aliorum dicentium conferre quidem gratiam, faciendo recedere a malo, hoc eſt, conſtringendo concupiſcentiam; ne extra bona matrimonii feratur; non autem gratiam dantem auxilium ad bene operandum, quod, inquit S. D. *Non poteſt ſtare, quia eadem gratia eſt, quæ impedit peccatum, & quæ ad bonum inclinat; ſicut idem calor, qui aufert frigus, & qui calefacit.* Unde ſubjungit:

Et ideo alii dicunt, quod matrimonium in quantum in fide Chriſti contrahitur, habet, ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda, quæ in matrimonio requiruntur. Et hoc probabilius eſt. Quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter uti poſſit facultate illa; ſicut patet, quod omnibus potentiis animæ reſpondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire poſſint. Unde cum in matrimonio detur homini ex divina inſtitutione facultas utendi uxore ſua ad procreationem prolis; datur etiam gratia, ſine qua id convenienter facere non poſſet: ſicut etiam de poteſtate Ordinis ſupra dictum eſt. Et ſic iſta gratia data eſt ultima res contenta in hoc ſacramento. Hæc S. Thom.

XI. Et ſane: Cum in uſu matrimonii inflammetur concupiſcentia, & extinguatur ratio; congruum fuit inſtitui aliquod ſacramentum conferens gratiam, quæ concupiſcentiam in illo actu temperaret. —— Item: ſi ad gignendos filios ſpirituales ſpecialem gratiam contulit Chriſtus Sacerdotibus novæ legis, quam Sacerdotibus antiquæ legis non contulerat: cur ſimilem negabimus collatam conjugibus ad filios carnales gignendos, pie educandos, fidem uxori ſervandam, & alia matrimonii onera ſuſtinenda? —— Tertio. Cum Chriſtus. *Matth. 19.* abrogato repudio, matrimonium reddiderit indiſſolubile, & monogamum, ut ab initio fuit; congruum erat, ut ſuam gratiam adjungeret ad ſuperandas difficultates, quæ ex omnimoda inſolubilitate, & perpetua monogamia naſcerentur: alioquin ſi matrimoniis fidelium talis deeſſet gratia, longe intolerabilius eſſet matrimonii jugum in lege Evangelica, quam in lege Moſaica. In hac enim ad compeſcendos effrænes uxoris mores licebat per libellum repudii illam dimittere, vel aliam ſimul cum illa ducere; nunc autem neutrum licet, cum Chriſtus in Evangelio libellum repudii, & poligamiam abrogaverit. Quare hæc veritas, tamquam de fide, tenenda eſt ex Trident. *Seſſ. 24. Canon. 1.* ubi anathema dicit ei, qui dixerit matrimonium in nova lege gratiam non conferre.

XII. Gratia vero, quæ in hoc ſacramento confertur, ad varios valet effectus. Primo. Valet ad ſanctificandos conjuges, quo invicem caſte ſe diligant, ſimulque commaneant uſque ad finem vitæ, etiamſi ſpes prolis deficiat. Secundo. Ut conjuges quærant prolem in Dei timore, & ſancta converſatione educandam. —— Tertio. Ut non ſequantur impetum libidinis; ſed ſe contineant in honeſtate nuptiarum, ſive quoad modum, ſive quoad perſonas. —— Quarto. Ut tribulationem carnis, de qua Paulus, *1. Corinth. 7.* levius ferant. —— Quinto. Ut mutuas infirmitates in charitate ſupportent, ac modeſte invicem corripiant, quando fuerit opportunum.

XIII. Si quæras: Quidnam in hoc ſacramento ſit ſacramentum tantum, quid res tantum, & quid res, & ſacramentum ſimul?

Reſpondeo ex S. Thom. *in Suppl. 3. p. q. 42. art. 1. ad 4. & 5.* quod ſacramentum tantum ſunt actus exterius apparentes; ſed res & ſacramentum eſt obligatio, quæ innaſcitur viri ad mulierem ex talibus actibus, quia ſignificatur ſimul, & ſignificat: ſignificatur per contractum exteriorem, & ſimul, ut per ipſum expreſſa, ſignificat gratiam ſacramentalem: res autem tantum, alia eſt ſignificata, & contenta in ſacramento tamquam effectus ejus; & hæc eſt gratia ſacramentalis: alia ſignificata quidem, ſed non contenta nec cauſata, & hæc eſt unio Chriſti ad Eccleſiam, quam matrimonium non cauſat, ſed tantum ſignificat.

§. III.

Hæreticorum Argumenta.

XIV. Objiciunt, matrimonium non eſſe ſacramentum. Primo. Unum ſacramentum non pugnat cum altero: ſed matrimonium pugnat cum Sacerdotio ſecundum Catholicos; ergo vel Sacerdotium non eſt ſacramentum, vel non eſt ſacramentum matrimonium.

XV. Reſpondeo, diſt. min. Vi ſacramenti, nego min. Contrarium enim patet apud Græcos, apud quos maritati ordinantur in Presbyteros. Vi ſtatuti Eccleſiæ Latinæ requirentis ad decentius tractanda ſacra ſtatum continentiæ, con. min. Eccleſia ergo Latina arcet a matrimonio Sacerdotes, non quia ſacramenta inter ſe pugnent: permittit enim etiam matrimonio junctis, non tamen bigamis, ordinari dummodo uterque continentiam perpetuo eligat: ſed quia ſtatus, & uſus conjugii magnum impedimentum afferret functionibus ſacerdotalibus, quæ requirunt hominem totum Deo vacare: *Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Mundi; quomodo placeat uxori, & divisus eſt.* 1. ad Cor. 7. v. 33. Quamvis autem gratiam matrimonii non recipiant, per ſuſceptionem tamen, & uſum Ordinum, uberem gratiam conſequi poſſunt.

XVI. Objiciunt ſecundo. Si matrimonium eſt ſacramentum, perfectius erit cælibatu, qui non eſt ſacramentum? ſed

ſed Patres docent, perfectiorem eſſe virginitatem, & cælibatum, quam matrimonium; ergo &c.

Confirmans. Id non poteſt eſſe ſacramentum, a quo melius eſt abſtinere: ſed melius eſt non nubere, quam nubere, dicent Paulo, 1. Cor. 7. v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*; ergo &c.

XVII. Reſpondeo ad min. quod Patres quando dicunt virginitatem, & cælibatum perfectiores eſſe matrimonio, non loqui de matrimonio, ut ſacramentum eſt; ſed de matrimonio, ut ſtatus quidam eſt: ſic ſtatus virginitatis perfectior ſtatu conjugali eſt. Quia qui in ſtatu conjugali eſt, *Sollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*, ut dicebamus cum Paulo. *Qui autem ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo*, inquit idem Paulus, 1. *Cor. 7. v. 32.*

Ad Confirm. nego major. Nam licet perfectius ſit, ob amorem Dei; & ipſi ſoli vacandum, abſtinere a conjugio; conjugium tamen inire bonum, ac perfectum eſt: ideoque ad ſuſtinenda onera matrimonii potuit Chriſtus annectere gratiam.

XVIII. Objiciunt tertio. Sacramenta habent ex inſtitutione Chriſti ſignificationem ſupernaturalem: ſed matrimonium habet ſolum ſignificationem humanam, & naturalem; ergo &c. Min. prob. primo. Quia matrimonium Chriſtianorum non differt a matrimonio Ethnicorum. Secundo. Quia ſi Ethnicus videat Chriſtianos contrahere matrimonium, & intelligat verba, quæ illi proferunt, facile capiet, quid agatur: ſi tamen videret puerum baptizari, non intelligeret quid ea actione fieret, etiamſi verba intelligeret.

XIX. Reſpondeo, minorem veram eſſe de matrimonio in ratione contractus humani: ſic enim ſolum ſignificat unionem maris, & feminæ ad generandam prolem. Unde ad primam ejus probationem concedo, matrimonium Chriſtianorum convenire cum matrimonio Ethnicorum, quantum ad rationem contractus humani; ſed præter hanc matrimonium Chriſtianorum, ratione expreſſionis ſignificationis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ ſupernaturalis eſt, ſignificat, & efficit omnimodam etiam animorum indiſſolubilitatem, quam non ſignificat, nec efficit matrimonium Ethnicorum: & in hac ſignificatione conſiſtit ratio ſacramenti. Et hos effectus non magis capiet Ethnicus, quam effectum Baptiſmi. Unde patet reſponſio ad ſecundum.

XX. Objiciunt quarto. In contractu Matrimonii licite intervenit pactum de dote; ergo non eſt ſacramentum conferens gratiam, alias tale pactum eſſet ſimoniacum.

XXI. Reſpondeo cum S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6. *Quod matrimonium non ſolum eſt Eccleſiæ ſacramentum, ſed etiam naturæ officium. Et ideo dare pecuniam pro matrimonio, in quantum eſt naturæ officium, licitum eſt; in quantum vero eſt Eccleſiæ ſacramentum, eſt illicitum. Et ideo ſecundum jura* (C. cum in Eccleſiæ de Simonia) *prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur.* Addo: pactum de dote non eſſe pro ſacramento nuptiarum, ſed pro ſuſtentatione uxoris, & onerum &c. quo ſenſu, ut docet S. Th. ibi, *ad* 2. Sacerdos accipit pecuniam, non quaſi pretium Miſſæ, ſed *Quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis*; & ab eo, qui abſolvitur ab excommunicatione, exigitur interdum pecunia, non quaſi pretium abſolutionis, *Sed quaſi pœna culpæ precedentis, pro qua fuit excommunicatus*, ut docet idem S. Doct. ibidem, *ad* 3.

XXII. Objiciunt quinto. Sacramenta conferunt gratiam, dum perficiuntur: ſed matrimonium non confert gratiam dum exercetur carnalis copula, per quam perficitur; ergo &c.

Reſpondeo, ſacramenta conferre gratiam, dum perficiuntur in ſuis intrinſecis, nempe, dum ponitur materia, & forma. Copula autem carnalis licet dicatur matrimonii conſummatio, ipſum tamen non perficit intrinſece, & eſſentialiter in ratione contractus, & etiam ſacramenti: verus enim eſt contractus, verumque ſacramentum, etiamſi non ſequatur copula, ut dicetur de matrimonio inter B. Virginem, & S. Joſeph. Copula autem dicitur conſummatio, quia copula reddit matrimonium magis indiſſolubile; quia ſignificat perfectius conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam nunquam derelicturus eſt. Vel quia, ut dicit Mag. Sent. Matrimonium ante ſexuum permixtionem ſignificat quidem conjunctionem Chriſti cum Eccleſia in charitate, ſed nondum illam, quæ eſt in naturæ conformitate. Integritas autem eſſentialis matrimonii, quæ conſiſtit in conjunctione animorum, habetur per primam ſignificationem, nempe, conjunctionis Chriſti cum Eccleſia in charitate; quamvis deſiit ſecunda ſignificatio, nempe, conjunctionis Chriſti cum Eccleſia in naturæ conformitate.

XXIII. Objiciunt ſexto. Eccleſia varia mutavit circa ſubſtantiam matrimonii: ſed Eccleſia nihil poteſt circa ſubſtantiam ſacramentorum, ut expreſſe docet Tridentinum, ergo matrimonium non eſt ſacramentum.

Reſpondeo ad majorem, quod Eccleſia varia mutavit circa ſubſtantiam matrimonii, non ut ſacramentum, ſed ut contractus eſt. Cum enim ſubſtantia ſacramenti matrimonii ſit contractus legitimus, potuit Eccleſia declarare, quænam conditiones requirantur, ut contractus ſit legitimus; & ſic ſemper manet, quod matrimonium ſit contractus legitimus, in quo ſita eſt ſubſtantia matrimonii. Mutare autem ſubſtantiam matrimonii eſſet, facere ut contractus non legitimus eſſet ſacramentum matrimonii; ſed hoc Eccleſia non facit, nec facere poteſt.

§. IV.

Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii.

XXIV. Dico. Materia remota, ſeu circa quam matrimonii, ſunt perſonæ contrahentes: materia proxima ſunt actus ſenſibiles contrahentium, quibus unus mutuo ſe tradit alteri: forma vero ſunt verba, vel nutus, quibus mutuo traditionem acceptant. Prima pars probatur. Nam perſonæ contrahentes, ſunt illæ, circa quas exercetur contractus, & ſacramentum. Nec obeſt, quod iſtæ perſonæ ſuſcipiant ſacramentum, & proinde ſint etiam materia in qua. Nam & homo peccator ſuſcipit ſacramentum pœnitentiæ; & tamen eſt materia, ſeu ſubjectum, circa quod illud verſatur.

XXV. Secunda pars colligitur primo ex Florentino, *in Decreto unionis*, ubi ait: *Cauſa efficiens* (Sacramenti) *matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus* —— Secundo, ex S. Th. *in ſuppl. 3. p. q. 42. art. 3. ad 2.* dicente: *Sicut aqua Baptiſmi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, ſed ad characterem: ita actus exteriores, & verba exprimentia conſenſum directe faciunt nexum quemdam, qui eſt ſacramentum matrimonii. Et hujuſmodi nexus ex virtute divinæ inſtitutionis diſpoſitive operatur ad gratiam.* Favet etiam Catechiſmus Rom. *tit. de Sacr. matrim. num. 3.* ubi poſtquam definivit matrimonium, quod ſit: *Viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Subjungit: *Docendum eſt, quamvis hæc omnia in perfecto matrimonio inſint, conſenſus videlicet interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua matrimonium conſummatur; nihil horum tamen matrimonii vim, & rationem proprie habere, niſi obligationem illam, & nexum, qui conjunctionis vocabulo ſignificatus eſt.* Sicut autem baptiſmalis character, quamvis ſemper maneat, ad gratiam baptiſmalem non operatur, niſi cum primo imprimitur: ita conjunctio, & nexus inter conjuges, quamvis per totam vitam alterutrius perſeveret, tunc tamen ſolum gratiam conjugalem producit, quando primo contrahitur. Tunc enim quis vere ſacramento utitur, quando ſacramentum actu ſuſcipit, non vero quando ſacramenti jam ſuſcepti officium exercet; licet tunc vi gratiæ in ſacramenti ſuſceptione acceptæ, dentur ei auxilia ad debite officium illud peragendum.

XXVI. Tertia vero pars, in qua non uniformes ſunt Theologi (volentibus quibuſdam, formam ſacramenti matrimonii eſſe verba Sacerdotis dicentis: *Ego vos conjungo in matrimonium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*,) probatur primo, ex S. Th. *in Suppl. 3. p. q. 42. art. 1. ad 1.* dicente: *Verba, quibus conſenſus exprimitur matrimonialis, ſunt forma hujus ſacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale.* Itaque in contractu matrimoniali eſt mutua traditio corporum, & mutua acceptatio verbis, aut ſignis exterioribus expreſſa. Ut ergo actus ille, ſeu verba ſignificant mutuam traditionem, gerunt vices materiæ proximæ: ut autem ſignificant mutuam acceptationem, gerunt vicem formæ. Ratio autem a priori eſt. Quia matrimonium in ratione contractus non differt a reliquis contractibus civilibus; neque ut ſacramentum eſt, habet diverſam materiam, & formam a ſe ipſo, ut contractus eſt: ſed in contractibus civilibus traditio ut ſenſibili ſigno facta, habet rationem materiæ, acceptatio vero verbis expreſſa, habet rationem formæ; ergo, & in matrimonio. Maj. conſtat, min. vero ſic probatur. Illud habet rationem materiæ, quod ſe habet ut determinabile, quod vero eſt determinativum habet rationem formæ: ſed traditio rei habet rationem determinabilis, completur autem, perficiturque per acceptationem, quæ ſe habet per modum determinantis; ergo in contractibus civilibus traditio ut ſigno ſenſibili facta, habet rationem materiæ, acceptatio vero rationem formæ.

XXVII. Neque obeſt. Quod cum, ut dicemus, ipſi conjuges ſint miniſtri hujus ſacramenti; ſi ipſorum traditio habet rationem materiæ, ratio materialis, & efficiens coincident in eamdem perſonam —— Nam hoc conceſſo, nullum ſequitur inconveniens. Id enim videtur exigere natura contractus, in quo contrahentes ſe ipſos tradunt. Ut conſtat exemplo illius, qui ſe ipſum in ſervum venderet alteri: idem enim eſſet vendens, & res vendita; ſubindeque illius contractus cauſa efficiens, & materialis. Idem ergo cum proportione dicendum eſt de conjugibus, contractum, & ſacramentum matrimonii celebrantibus; qui dum tradunt ſe ipſos invicem, habent rationem cauſæ efficientis, quia vere faciunt contractum, & rationem cauſæ materialis, quia dum ſe ipſos tradunt, ſunt materia contractus.

Dubium II.

Quando Matrimonium in ratione Sacramenti fuerit Institutum.

§. I.

Duæ Priores Resolutiones.

MAtrimonium potest in triplici statu considerari. Primo: in statu hominis ante peccatum. Secundo: in statu post peccatum, sive in lege naturæ, sive Mosaica: Tertio: in statu legis Evangelicæ post Christum.

I. Dico ergo primo. Matrimonium, quando fuit primo institutum inter Adam, & Hevam adhuc innocentes, non fuit sacramentum, sed solum officium naturæ. Probo primo, ex Sanct. Thom. 3. *part. quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 3. ubi ait: *Matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ. Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, & Ecclesiam; sicut & omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.* Secundo. Quia, ut *in Tract. de Sacrament. in Gener.* (ex eodem Sanct. Thom. citato loco) *quæst.* 1. *dub.* 3. diximus; In statu innocentiæ, qui fuit, & qui perseverasset, si Adam non peccasset, nulla fuerunt, nec fuissent sacramenta; quia tunc homines non eguissent dependere a sensibilibus ad gratiam obtinendam, eo vel maxime, quod tunc concupiscentia, aliæque inferiores vires perfecte rationi obtemperassent. Tertio. Quia omnia sacramenta efficaciam habent a passione Christi exhibita, vel prævisa: atqui si status innocentiæ perseverasset, passio Christi nec fuisset exhibita, nec prævisa: etsi enim, ut vult Scotus, adhuc Verbum carnem assumpsisset, non tamen passibilem, sed impassibilem.

II. Dico secundo. Nec matrimonium post peccatum, sive in lege naturæ, sive Mosaica, fuit verum veteris legis sacramentum, nisi in quadam lata significatione.

Probo primo. Pro statu legis naturæ ad summum erat remedium aliquod pro salute parvulorum, quo a peccato originali mundari possent; ne extra salutis statum penitus remanerent: quod sacramentum postea apud Abraham, ejusque posteros in Circumcisione determinatum fuit. Sed dato etiam, ut admisimus *in Tractat. de Sacram. in Gener. quæst.* 1. *dub.* 4. §. 3. in lege naturæ fuisse aliquod sacramentum pro adultis, hoc certe non fuit matrimonium; cum tunc admitteretur pluralitas uxorum, quæ significationi sacramenti repugnat. Unde, *in* 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 4. S. Thom. docet, quod tempore legis naturæ *Matrimonium, & Pœnitentia, & Ordo erant illo tempore; sed non computantur inter sacramenta illius temporis, quia non fiebant cum aliqua consecratione. Quilibet enim primogenitus secundum Hieron.* (Ep. ad Evagrium) *Sacerdos erat; nec erat aliquis modus determinatus ipsorum, nisi secundum instinctum naturæ, prout cuique ratio fidei innata dictabat faciendum.*

III. Pro statu quoque legis scriptæ, seu Mosaicæ matrimonium non fuisse verum sacramentum, probatur. Quia ei deerat unitas, & indissolubilitas; cum tunc & pluralitas uxorum, & libellus repudii permitterentur. Unde nec inter sacramenta illius temporis computabatur, sed habebatur tamquam civilis contractus in officium, ac remedium naturæ eo modo, quo apud alias nationes. Unde S. Thom. 2. 2. *quæst.* 102. *art.* 5. *ad* 3. ait: *Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, pro ut erat in officium naturæ, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta. Unde & in veteri lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem.* Quod docuerat etiam, *in* 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. ubi approbat sententiam illorum, *Qui dicunt, quod matrimonium consideratur in triplici statu. Primo, ante peccatum, & tunc erat tantum in officium. Secundo, sub lege, ubi ex ipsa sanctificatione sua excusabilem reddebat matrimonii actum, qui absque hoc turpis fuisset. Tertio, sub statu gratiæ, ubi ulterius gratium confert ad concupiscentiam reprimendam.*

IV. Utrumque clare exponit Catechismus Rom. *Tit. de Sacr. matrim. num.* 18. his verbis: *Sed quia matrimonii sacramentum illis matrimoniis præstet, quæ ante, vel post legem iniri solebant, ex eo licet cognoscere, quod etsi gentes matrimonio divini aliquid ineſſe arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturæ lege alienos esse, itemque stupra, adulteria, & alia libidinis genera vitanda esse judicabant; tamen eorum connubia nullam prorsus sacramenti vim habuerunt.*

Apud Judæos vero religiosius omnino nuptiarum leges servari consueverant: neque dubitandum, quin eorum matrimonia majori sanctitate prædita essent. Cum enim promissionem accepissent, fore aliquando, ut omnes Gentes in semine Abrahæ benedicerentur; magnæ apud eos pietatis officium merito esse videbatur filios procreare, & electi populi sobolem, ex qua Christus Dominus Salvator noster, quod humanam naturam attinet, ortum habiturus esset, propagare. Sed illæ conjunctiones veræ sacramenti ratione caruerunt.

Quod vero matrimonia vetera, præsertim legis Mosaicæ, in aliquo lato sensu sacramenta dici possent, indicat S. Thomas, *in Suppl. 3. p. q. 42. art.* 2. Conveniebat enim ei ratio signi, & remedii contra concupiscentiam. Sed quia defecerat a sua prima, & integra institutione, ut esset unius cum una tantum, & prorsus indissolubile, ut statim dicetur, ideo a vera sacramenti ratione deficiebat, sicut, & a vera significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia.

§. II.

Tertia Resolutio, & Quarta.

V. DIco tertio. Solius legis Evangelicæ matrimonium veri sacramenti dignitatem a Christo obtinuit. Pro hujus veritatis declaratione præmitto ex doctrina laudati Catechismi; quod matrimonium in sui prima institutione habuit, ut esset unius cum una, & prorsus indissolubile: ab hoc autem decore, ac honestate, post peccatum, tum in lege naturæ, tum in lege Moysis matrimonium deciderat. Nam in lege naturæ multos ex antiquis Patribus plures uxores simul duxisse legimus; & in lege Moysis permissum erat, dato libello repudii, ob causam aliquam priore dimissa, aliam uxorem ducere: Quibus fiebat, ut matrimonium non esset, quale primo institutum fuerat; nimirum, ut essent duo in carne una, & quos Deus conjunxerat, homo non separet, ut exprobrat Christus Judæis, *Matth.* 19. concludens, quod *Ab initio non fuit sic.* Quibus etiam fiebat, ut ejusmodi matrimonia non significarent conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est unius cum una, & insolubilis omnino. Volens ergo Christus matrimonium primævæ dignitati, a qua culpa hominum deciderat, restituere, & reddere perfectum signum suæ conjunctionis cum Ecclesia, sive per naturam, sive per charitatem, statuit, ut esset unius cum una tantum, & nulla causa dissolubile: ut autem conjugati, maxime post peccatum, hæc duo ferre possent, promisit illis auxilium gratiæ, & sic matrimonium ad dignitatem sacramenti evexit.

VI. Ex qua doctrina formatur hæc ratio. Tunc matrimonium ad dignitatem sacramenti elevatum fuit, quando evasit perfecta similitudo conjunctionis Christi cum Ecclesia, & unius cum una, ac prorsus indissolubile, eique annexa fuit gratia ad hæc implenda: sed hoc habuit matrimonium a Christo in nova lege; ergo &c. Hoc explicat Tridentinum, *Sess.* 14. his verbis: *Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit dicens:* Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. *Mox subjungens:* Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia. De quo videndus etiam ejusdem Concilii Catechismus, *de Sacr. Matr. n.* 15. & 16.

VII. Dico quarto. Probabilius censeo, Christum tunc matrimonium in ratione sacramenti instituisse, eique vim gratiæ operatricem contulisse, quando, *Matth.* 19. *vers.* 6. postquam dixit: *Jam non sunt duo, sed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quibus & dignitatem, & indissolubilitatem contulit, seu verius restituit matrimonio, quæ matrimonio in ratione sacramenti essentialia sunt.

Probabile quoque censeo, matrimonium in ratione sacramenti institutum fuisse a Christo, vel saltem præsignatum, *Jo.* 2. Ubi Christus sua præsentia nuptiis interfuit, eis benedixit, easque primo suorum miraculorum illustravit. Hinc S. Cyrillus, *lib.* 2. *in Jo.* Christum ad nuptias profectum ait: *Ut nativitatis nostræ principium quantum ad carnem attinet, hoc est matrimonium, sanctificaret. Oportebat certe, quoniam totam hominum naturam ad melius restaurabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare . . . . . Nascituris gratia præparatur, quando matrimonium, quod est aditus ad hanc vitam, benedicitur.* Et S. Epiphanius: Hæresi 67. *Quomodo enim* (inquit) *non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum Cælorum, cum vocatus sit Salvator ipse ad nuptias, ut nuptias benediceret?* Eam vero benedictionem non fuisse meram approbationem, seu confirmationem fœcunditatis, quam Deus initio nuptiis contulerat, his verbis: *Crescite, & multiplicamini;* evincitur ex eo, quod Salvatoris beneficia non fuerunt temporalia, sed spiritualia, seu quæ ad salutem conferrent. Ea igitur benedictio fuit gratiæ cum nuptiis unio; seu, ut homo gratiam illam precatus est, & ut Deus stata lege cum matrimonio conjunxit. Et S. Augustinus, tract. 9. in Joann. *Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur sacramentum nuptiarum.*

DUBIUM III.

An poſt Chriſtum Matrimonium ſit in omnibus illud contrahentibus Sacramentum.

§. I.

De Matrimonio inter Infideles.

I. VAria quæſita hic reſolvemus, nimirum, de matrimonio inter infideles non baptizatos, & infideles baptizatos, quales ſunt hæretici: inter fidelem baptizatum cum non baptizata, & e contra: & de matrimonio inter abſentes per procuratorem contracto. Circa primum ergo,

II. Dico. Matrimonia inter infideles non baptizatos contracta non ſunt ſacramentum actu. Ita S. Thom. 3. *part. Supplem. quæſt.* 59. *art.* 2. *ad* 1. ubi ait: *Matrimonium non eſt tantum inſtitutum in ſacramentum, ſed etiam in officium naturæ. Et ideo quamvis infidelibus non competat matrimonium ſecundum quod eſt ſacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum reſiſtens; competit tamen eis in quantum eſt in officium naturæ. Et tamen etiam matrimonium tale eſt aliquomodo ſacramentum habitualiter, quamvis non actualiter; eo quod actu non contrahunt in fide Eccleſiæ.* Ratio vero eſt. Tum quia: infideles non baptizati nullius ſacramenti capaces ſunt, quia non intrarunt in Eccleſiam per Baptiſmum. Tum quia: eorum matrimonio deeſt aliquid de eſſentia matrimonii, ut ſacramentum eſt; nimirum, quod ſit unius cum una: multi enim, ut Mahometani, plures uxores admittunt; deeſt etiam omnimoda indiſſolubilitas, cum apud infideles pluribus de cauſis matrimonia diſſolvantur. Ideoque deeſt illi perfecta repræſentatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ ad rationem ſacramenti requiritur.

III. Quoad matrimonia vero infidelium baptizatorum, quales ſunt hæretici, præſertim moderni, negantes matrimonium eſſe ſacramentum, ac proinde non intendentes, dum contrahunt, ſuſcipere ſacramentum,

Cenſeo ea non eſſe actu ſacramentum. Tum quia: actu non contrahuntur in fide Eccleſiæ. Tum quia: dum negant matrimonium eſſe ſacramentum, renuunt ſe ſubjicere intentioni Eccleſiæ. Tum quia talibus matrimoniis deeſt perfecta repræſentatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Nam Luttherus, ut dicemus, admiſit licitam in lege Evangelica aliquo in caſu polygamiam; & rurſus licitum eſſe in aliquo caſu, ſive adulterii, ſive alterius, quem vocant *deſertionis malignæ*, uxorem dimittere, & aliam ducere; in quo omnes moderni Acatholici conveniunt: & conſequenter eorum matrimoniis deeſt & unitas, & indiſſolubilitas, in quibus duobus ſanctitatem ſacramenti collocavit Chriſtus, ut præſertim ex Auguſtino vidimus, *dub.* 1. §. 1. *n.* 7. & 8.

IV. Sed contra, oppones primo. Paulus *ad Epheſ.* 5. generaliter vocat matrimonium ſacramentum magnum: & tamen ex Epheſiis, ad quos ſcribebat, multi adhuc erant infideles; ergo matrimonium quoque infidelium ſacramentum eſt.

V. Reſpondeo, S. Paulum, vel loqui tantum de matrimonio inter fideles contracto, unde dicit, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Vel ſi loquitur generaliter etiam de matrimonio in infidelitate contracto, dici poteſt cum S. Thom. citato loco, illud vocare ſacramentum magnum non actu, ſed habitu, ſeu in potentia; quatenus ſi convertantur ad fidem, & baptizentur, fieri poteſt ſacramentum actu, ut dicetur.

VI. Oppones ſecundo. Matrimonium non poteſt eſſe validum, præſertim inter baptizatos, etſi hæreticos, quin ſimul ſit ſacramentum: ſed de facto eſt validum: nam venientes ad fidem catholicam non jubentur iterum contrahere, ſed matrimonium in hæreſi contractum acceptatur; ergo &c. Maj. prob. non enim poteſt eſſe validum, niſi contrahatur ſecundum intentionem Eccleſiæ: ſed intentio Eccleſiæ eſt, ut matrimonium habeatur tamquam ſacramentum; ergo &c.

VII. Reſpondeo, neg. maj. Cum enim in matrimonio ſit duplex ratio: una, quod ſit in officium naturæ; altera, quod ſit ſacramentum; poteſt quis, licet illicite, non intendere conficere ſacramentum, dum contrahit matrimonium, ſed tantum velle inire contractum in officium naturæ. Quo ſtante, ex defectu intentionis miniſtri, qui ſunt ipſi contrahentes, ut dicetur, non erit ſacramentum; & tamen non amittet vim obligandi in ratione contractus civilis, & naturalis ex reciproco contrahentium conſenſu: cum Chriſtus elevando matrimonium ad rationem ſacramenti non abſtulerit ab illo obligationem contractus naturalis, & civilis. Ad prob. majoris dico; intentionem adæquatam Eccleſiæ eſſe, ut contrahentes ineant matrimonium tam in ratione contractus, quam in ratione ſacramenti: qui autem vellet illud inire ſolum in ratione contractus, conformaretur intentioni Eccleſiæ ſaltem inadæquatæ, eſto non intentioni adæquatæ.

VIII. Sed dices adhuc. Si infidelis baptizet, etiamſi non intendat conficere ſacramentum, dummodo adhibeat debitam materiam, & formam, vere conficit ſacramentum, & qui ſic baptizatur, verum recipit ſacramentum; ergo qui contrahunt matrimonium debita materia, & forma, etiamſi non intendant conficere ſacramentum, nec ſuſcipere, vere conficient, & recipient ſacramentum.

IX. Reſpondeo, dando diſparitatem. Nam baptizans, vel Baptiſmum ſuſcipiens, dum utitur debita forma, & materia, & vult baptizare, vel baptizari, ſecundum ritum Eccleſiæ; licet intentione particulari practica non intendat dare, aut recipere ſacramentum, ſic tamen agens, & ponens omnia neceſſaria, intentione generali operatur ſecundum intentionem Eccleſiæ, & in praxi cenſetur velle ſacramentum. At infidelis, vel hæreticus contrahens matrimonium intendens ſolum inire contractum naturalem, & civilem, nec intendens contrahere vinculum omnino indiſſolubile, non ponit omnia neceſſaria ad veram, & propriam rationem matrimonii, ut ſacramentum eſt. Ut enim ait Auguſtinus, *lib.* 1. *de Nupt. & Concup. cap.* 11. Matrimonium, ideo *Sacramentum, quia nullum divortium*: & ubi poteſt eſſe divortium, non eſt perfecta repræſentatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, ex qua matrimonium habet, quod ſit ſacramentum. Talia ergo matrimonia dici poterunt ſacramentum habitu, ſed non actu; quia actu non contrahuntur in fide Eccleſiæ, ut ſuperius ex Sancto Thoma dictum eſt. Qui etiam, *in* 4. *Contra Gen. cap.* 78. ait: *Neceſſe eſt igitur quod matrimonium, ſecundum quod eſt Eccleſiæ ſacramentum, ſit unius ad unam indiviſibiliter habendam.*

§. II.

De Matrimonio Fidelis cum infideli, & Infidelium cum convertuntur ad Fidem.

PRimum dubium eſt: An ſi fidelis ex diſpenſatione nuberet cum infideli non baptizato, aut etiam hæretico negante indiſſolubilitatem matrimonii, tale matrimonium eſſet ſacramentum, ſaltem ex parte conjugis fidelis.

X. Dico. Probabiliorem eſſe partem negativam. Et ratio eſt; Quia ſicut, ut matrimonium ſit validum in ratione contractus, requirit liberum conſenſum ex parte utriuſque conjugis; ita, ut ſit validum in ratione ſacramenti, exigitur intentio, & miniſterium ex parte utriuſque, cum ipſi contrahentes ſint hujus ſacramenti miniſtri, ut dicetur: ſed infidelis non baptizatus, & etiam hæreticus Lutheranus, Calviniſta &c. caret intentione ſuſcipiendi in matrimonio ſacramentum; & ſi non ſit baptizatus, eſt incapax ſacramentum ſuſcipiendi, & miniſtrandi, ergo &c. Sicut ergo matrimonium eſt unum vinculum, ita eſt unum ſacramentum; ergo vel ex utraque parte eſt verus contractus, & verum ſacramentum, vel ex neutra: & cum ex parte conjugis infidelis non ſit ſacramentum, nec erit ex parte conjugis fidelis.

XI. Secundum dubium eſt: An ſi conjuges infideles, ſive non baptizati, ſive hæretici convertantur ad fidem, matrimonium in infidelitate contractum fundet ſacramentum.

XII. Duæ ſunt ſententiæ, ambæ probabiles etiam in Schola Sancti Thomæ. Prima negat. Intentio enim ſequens contractum prius initum non poteſt efficere, ut quod non fuit ſacramentum, poſſit eſſe tale: nam deberent inire novum contractum, quod non poſſunt. Non enim poſſunt ſibi mutuo tradere corpora ſua; quia nemo tradere iterum poteſt, quod jam non eſt ſuum: corpus autem viri non eſt ſuum, & ſimiliter corpus uxoris poſt initum matrimonium non eſt amplius ſuum, juxta illud: *Erunt duo in carne una.*

XIII. Secunda vero affirmans duplici via a ſuis Patronis defenditur. Quidam enim volunt, tale conjugium in infidelitate contractum fieri ſacramentum; dummodo conjuges converſi, illud coram Paroco, & teſtibus confirment, ac ratificent. Valde enim, inquiunt, probabile eſt, matrimonium ſic ratificatum a Chriſto elevari ad eſſe ſacramenti; cum ſit contractus æquivalens novo. —— Alii vero exiſtimant non eſſe neceſſariam illam ratificationem coram Parocho expreſſam; ſed ſufficere in non baptizatis, Baptiſmum, in baptizatis autem reconciliationem Eccleſiæ media abjuratione hæreſis. His enim poſitis, conjuges cenſentur conſentire in matrimonii omnimodam indiſſolubilitatem, & novo, ac arctiori vinculo invicem copulari: & ſic virtualiter de novo matrimonium contrahere, eique, quod deerat ad rationem ſacramenti, ſuperaddere. Nam licet id, quod eſt alteri traditum, utpote jam non ſuum, non poſſit iterum tradi; poteſt tamen de contrahentium conſenſu traditio jam facta, ne ulterius ullo pacto reſcindi queat, roborari, & confirmari. Et hoc faciunt infideles, dum fidem Chriſtianam, vel Catholicam de novo profitentur. Dum enim ſpondeant ſe velle amplecti omnia, quæ Eccleſia Catholica tenet, & credit; & hæc teneat matrimonium eſſe omnino unum, & indiſſolubile, & hac ratione ſacramentum: ideo, & conjuges ad fidem venientes hoc credere, ac tenere incipiunt, & in matrimonio jam contracto novum arctiuſque vinculum recognoſcere & hac fide matrimonium, quod erat purus contractus, evadit ſacramentum.

XIV. Quamvis utramque opinionem probabilem exiſtimem; ſecunda tamen mihi videtur conformis menti Sancti

Tho-

Thomæ. Is enim, ut ſupra obſervatum eſt, *in Supplem. 3. part. quæſt. 59. art. 2. ad 1.* ubi poſtquam dixit matrimonium infideli non competere ſecundum quod eſt ſacramentum, addit: *Et tamen etiam matrimonium tale eſt aliquomodo ſacramentum habitualiter, quamvis non actualiter; eo quod actu non contrahunt in fide Eccleſiæ.* Si igitur matrimonium infidelium, eſt ſacramentum habitualiter, poteſt dari caſus, quo fiat ſacramentum actualiter: nihil enim eſt habitu tale, quod aliquando actu tale fieri nequeat. Sed quod matrimonium infidelium ſit ſolum habitu ſacramentum, & non actu, eſt, quia non contrahunt in fide Eccleſiæ; ergo ſi matrimonio jam contracto accedat fides Eccleſiæ, matrimonium, quod erat tantum habitu ſacramentum, fiet ſacramentum actu, & gratiam conferet: eo ſimili modo, quo Baptiſmus ficte ſuſceptus, remota fictione gratiam confert. Et ſicut licet Baptiſmus in ſuo fieri tranſeat, manet tamen character: ita & matrimonium quamvis in fieri tranſierit; manet tamen vinculum.

§. III.

De Matrimonio inter Abſentes.

XV. CErtum eſt, matrimonium inter abſentes per procuratorem, ſive per litteras contractum, in ratione naturalis, & civilis contractus eſſe verum, & validum. Nam matrimonium eſt contractus humanus; natura autem cujuslibet contractus eſt, ut inter abſentes contrahi poſſit: nec Chriſtus matrimonium elevans ad rationem ſacramenti, nec Eccleſia certas conditiones ad ejus valorem præſcribens, ipſum extraxit a natura Contractus. Conditiones autem a Tridentino requiſitæ, ut nempe, fiat coram Parocho, & teſtibus, ſervari poſſunt in matrimonio inter abſentes.

XVI. Ad validitatem vero matrimonii per procuratorem, ſive per litteras contracti, ſequentes conditiones requiruntur. Prima: ut procurator habeat a ſuo principali mandatum ſpeciale ad contrahendum cum determinata, ac ſpecificata femina: non enim ſufficeret mandatum generale contrahendi cum qualibet. Et rurſus quod procurator non excedat limites mandantis, tam in dote, quam aliis conditionibus; alias nihil efficeret non ſervans mandantis voluntatem, Leg. *Diligenter*, ff. *Mandati*.

Secunda. Ut mandatum illud exequatur per ſe, & non per ſubſtitutum, niſi ſpecialem ad ſubſtituendum facultatem obtinuerit.

Tertia. Ut eo tempore, quo procurator contrahit, ejus poteſtas non ſit revocata, ne quidem tacite. Alioquin nullum foret matrimonium, etiamſi procurator nihil audiviſſet de revocatione: quia per quamcumque revocationem ceſſat conſenſus, ſine conſenſu vero non efficitur matrimonium. De his vide Bonifacium VIII. Cap. *Finali*, de Procuratoribus, in Sexto: & S. Thom. *in 4. diſt. 29. in expoſitione littera* videndum.

Quarta. Ut poſt Tridentinum procuratores principalium, ſeu principalis ex una parte, & procurator ex altera contractum ineant coram Parocho, & teſtibus. Concilium enim requirit præſentiam realem ipſorum contrahentium, vel per ſe, vel ſaltem per procuratores, quando dicit, *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.* inhabiles eſſe eos, qui aliter, quam præſente Parocho, & duobus, aut tribus teſtibus, contrahere attentaverint.

Si vero per litteras contrahatur, oportet, litteras ſe tradentis in conjugem, & alterius eum in conjugem acceptantis legi coram Parocho, & teſtibus; præſente altero, vel per ſe, vel per procuratorem, & conſentiente in eum, cujus litteræ leguntur.

An autem Parochus matrimonio aſſiſtens debeat neceſſario videre litteras mandati: videtur quod non. Nam Concilium nil aliud requirit, quam quod contractus fiat coram Parocho, & teſtibus. Cæterum non procuratores ſexu differant, impertinens eſt, quia Jus hoc non requirit.

XVII. Quod controvertitur, eſt: An matrimonium ſic contractum non ſolum ſit verus, & validus contractus, ſed etiam verum ſacramentum: de quo non una eſt ſententia. Attamen

XVIII. Dico. Probabilius videtur matrimonium inter abſentes, ſive per procuratores, ſive per litteras legitime contractum, eſſe ſacramentum. Contrarium ſentiunt Cajetanus, Sylvius &c. Prob. autem primo. Omne matrimonium inter fideles validum in ratione contractus, factum eſt ex Chriſti inſtitutione ſacramentum: ſed matrimonium inter fideles abſentes eſt validum in ratione contractus, ut dictum eſt; ergo eſt ſacramentum. Maj. prob. Nulla eſt ratio, cur Chriſtus elevarit ad dignitatem ſacramenti potius matrimonium inter præſentes, quam inter abſentes; cum in utroque adſit materia, forma, & intentio contrahentium. Materia quidem circa quam, nempe, corpora contrahentium; quæ, ſicut aliæ res, tam abſentia, quam præſentia poſſunt eſſe materia contractus. Adeſt mutua corporum traditio, quæ eſt materia proxima: & tandem mutua acceptatio, quæ ſe habet ut forma. Quæ omnia ſive per ſe, ſive per alium loco ſui facta, æque valida, & obligantia ſunt.

XIX. Sed oppones primo. Licet Pœnitentia ſacramentalis induat rationem judicii, quod etiam inter abſentes exerceri ſolet: ubi tamen ſit inter abſentes, ſacramentum non eſt; ergo licet matrimonium habeat rationem contractus, qui inter abſentes fieri ſolet, ubi tamen inter abſentes ſit, non erit ſacramentum.

Reſpondeo; pœnitentiam ſacramentalem induere rationem Judicii, non qualiſcumque, ſed talis; in quo reus ſit accuſator ſui, & teſtis contra ſe ipſum, & in quo ad validitatem ſententiæ debet conſtare Judici de actuali contritione, & diſpoſitione peccatoris: quod niſi peccator eſſet præſens, haberi non poſſet. At ad ſacramentum matrimonii nil ſpecialius requiritur, quam in aliis contractibus: unde ſicut in illis ad valorem ſatis eſt habitualis conſenſus manifeſtatus, ſive in præſentia, ſive in abſentia; ita in ſacramento matrimonii.

XX. Oppones ſecundo. Contrahentes matrimonium ſunt etiam miniſtri ſacramenti invicem; ſed unus non poteſt ſacramentum abſenti miniſtrare, ſicut nec ab abſente recipere; ergo &c.

Reſpondeo, min. eſſe veram de aliis ſacramentis, non vero de ſacramento matrimonii. Cum enim poſſe miniſtrare ſacramentum matrimonii, & poſſe valide matrimonium contrahere, ſint in fidelibus unum & idem; hoc ipſo, quod quis fidelis poteſt cum abſente matrimonium valide contrahere, poteſt abſens ſacramentum matrimonii miniſtrare. Nam eſto phyſice, & in ſe abſens ſit, moraliter tamen, & in alio perſonam ſuam gerente præſens eſt: quæ præſentia ſi ſufficit ad matrimonium, ut contractus eſt, ſufficiet ad illud etiam, ut ſacramentum eſt.

XXI. Si dicas. Quomodo in hoc caſu ſacramentum conferet gratiam phyſice abſenti, cum ſecundum noſtram ſententiam eam phyſice conferre debeat? —— Reſpondeo, quod quando diximus, ſacramentum conferre phyſice gratiam, locuti ſumus de ſacramento habente materiam phyſicam, & phyſice applicatam ſubjecto præſenti. Cæterum de ſacramento, cujus materia ſolum eſt moraliter præſens, & moraliter ſolum applicata, qualis eſt conſenſus inter abſentes, non abnuimus concedere, quod cauſet gratiam ſolum moraliter: nimirum, quod poſito conſenſu per procuratorem, Deus cauſet gratiam in principali, ſi capax ſit.

XXII. Oppones tertio. Poteſt dari caſus, ut dum procurator contrahit matrimonium in uno loco, principalis dormiat in altero. Quomodo ergo dormiens poterit ſacramentum miniſtrare? Item fieri poteſt, ut dum quis recipit ſacramentum alibi contractum, ſit prophanis negotiis ita diſtractus; ut nil de ſacramento cogitet, immo ſit in peccato mortali.

XXIII. Reſpondeo ad primum, retorquendo inſtantiam ſic. Poteſt dari caſus, quo dum procurator contrahit in uno loco, principalis dormiat in alio: quomodo ergo dormiens vere facit contractum? Si ergo etiamſi dormiens vere facit contractum matrimonii; quia illum facit alter, qui perſonam illius gerit, & ideo mediante alio contrahit: cur eadem ratione mediante illo non facit ſacramentum, quod illi contractui conjungitur? —— Eodem modo reſpondetur ad id, quod additur. Nam ſi licet alio diſtractus, & nihil de matrimonio cogitans, vere contrahit: cur non etiam vere ſuſcipiet ſacramentum vi prioris voluntatis, quam tranſtulit in procuratorem, & quam non revocavit? Attamen ſi is, qui ſacramentum ſuſcipit, nil de eo cogitans, ſit in peccato mortali: vel prævidit, aut prævidere potuit periculum eſſe, ne in tali ſtatu reciperet ſacramentum matrimonii; vel non prævidit, nec prævidere potuit. Si primum: mortaliter peccavit contra reverentiam ſacramento debitam; quia debebat ponere ſe in ſtatu reconciliationis cum Deo. Si ſecundum: nullius peccati ob ſacramenti ſuſceptionem reus eſt; ſed gratiam ſacramentalem non recipit propter obicem. Sicut ergo qui prius habuit conſtantem voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum, vel ſuſtinendi martyrium, ſi perſeverans in tali voluntate alio diſtrahatur, aut ſe tradat ſomno, & dormiens baptizetur, vel pro Chriſto occidatur, vel etiam de Baptiſmo, aut de martyrio non cogitans, vere recipit ſacramentum Baptiſmi, & martyrium: eadem ratione recipit ſacramentum matrimonii qui retinet voluntatem contrahendi cum tali certa perſona, licet, cum procurator contrahit, ipſe vel dormiat, vel nihil de eo cogitet.

XXIV. Neque officit, quod qui matrimonium in abſentia per procuratorem contraxerunt; facti præſentes benedictione aliqua nuptiali muniri curent. Nam hoc non faciunt, quaſi iterando contractum per procuratorem initum; ſed illum approbando, confirmando, & aliquas ſolemnitates ſupplendo. Quare ſi matrimonium inter abſentes initum tunc non fuit ſacramentum, numquam erit. Et ita Principes, qui ſolent matrimonia contrahere per procuratorem, communiter privantur hoc ſacramento, quod durum eſt.

Dubium IV.

An Carnalis Commixtio sit de Integritate Matrimonii.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Carnalis commixtio non est de integritate primaria, & essentiali matrimonii. Ita S. Thom. *in Supplem. q. 42. art. 4. & 3. p. q. 29. art. 2.* Ubi loquens de matrimonio inter Mariam, & Joseph statuit, fuisse verum matrimonium, quamvis carnalis commixtio non esset secutura: *Matrimonium enim* (inquit) *sive conjugium dicitur verum ex hoc, quod suam perfectionem attingit. Duplex est autem rei perfectio: prima & secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur. Secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem matrimonii consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem matrimonii est proles generanda, & educanda. Ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem. Ad secundum per alia opera viri, & uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam.* Hac ergo doctrina suppositа resolvit, quantum ad primam, & essentialem perfectionem fuisse verum matrimonium inter Mariam, & Joseph. Et generaliter, *q. 42. Supplem. art. 4.* concludit: *Quia ergo carnalis commixtio est quadam operatio, sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur, ideo erit carnalis commixtio de secunda perfectione matrimonii, & non de prima.*

II. Ex his conficitur prima ratio. Usus, & operatio rei non est de rei essentia, ut communiter patet: sed carnalis commixtio est usus & operatio matrimonii, ergo non est de ejus essentia. Hinc in definitione matrimonii, quam tradit Catech. Rom. *n. 3.* Nempe, quod *Matrimonium sit viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens:* nihil ponitur, quod ante carnalem commixtionem non verificetur.

III. Secunda ratio est. Inter primos parentes ante lapsum verum erat matrimonium. Tunc enim dictum eis fuit, tamquam veris conjugibus: *Crescite & multiplicamini.* Et formata: & *Adhærebit uxori suæ*, Statim, *v. 25.* Eva votatur *uxor* Adami; cum tamen nondum essent carnaliter conjuncti. Quapropter Catech. Rom. *n. 8. de Matr.* hortatur Parochos, ut fidelibus tradent: *Matrimonii naturam, & vim in vinculo, ac obligatione sitam esse, ac præter consensum eo, quo dictum est, modo expressum, ut verum matrimonium existat, concubitum necessario non requiri. Nam & primos parentes ante peccatum; quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero Matrimonio junctos fuisse plane constat.*

IV. Tertia ratio ex dictis petitur ex matrimonio B. Virginis cum S. Joseph, quod verum matrimonium fuisse ostendimus ex S. Th. quamvis nulla carnalis copula esset inter eos secutura. *Unde* (inquit S. Th. *3. p. q. 29. art. 2.* citato) *Angelus vocat Mariam conjugem Joseph, dicens ad Joseph, Matth. 1. vers. 20.* Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: *Quod exponens Aug. in lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 11. dicit:* Conjux vocatur ex prima dispensationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Hoc tamen matrimonium, hoc singulare, & mirabile habuit, quod in eo sine carnali concubitu fuit partus, & educatio prolis. Unde quantum ad hoc habuit secundariam perfectionem. Et ideo Augustinus loco mox laudato a S. Thom. relatus: *Omne* (inquit) *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum. Fidem, quia nullum adulterium. Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit.* Nota tamen: matrimonium Mariæ, & Joseph vocari ab Augustino *Sacramentum* late, & figura. Quia, ut diximus, matrimonia ante Christum contracta proprie sacramentum non fuere; illud tamen quia sine divortio expressius figurabat matrimonium, quod Christus ad dignitatem sacramenti erat elevaturus, sacramentum dici potest.

V. Ambrosius etiam, *l. de Institutione Virginis, c. 6.* de eodem matrimonio Mariæ cum Joseph, hæc habet: *Nec illud moveat, quod ait: Quia Joseph accepit conjugem suam, & profectus est in Ægyptum. Desponsata enim viro conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.* Eisdem fere verbis, lib. 2. in cap. 1. Lucæ: *Nec te movet* (inquit) *quod frequenter Scriptura conjugem dicit; non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit nemo dimittit; & ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.* In hoc cæteri Patres consentiunt.

Verum quia referente Thoma Waldense, *l. 2. de Sacram. c. 130.* Joannes Wicleffus (præter alios quosdam hæreticos) oppositum tenuit: ideo solvenda sunt eorum motiva.

§. II.

Objectionum Solutio.

VI. Prima objectio est. Carnalis conjunctio maris, & feminæ, vel sacramentum est, vel certe pars sacramenti. Nam in ea rationem sacramenti constituit Apostolus, *Ephes. 5.* dum ait: *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ergo ubi illa deest, deficit matrimonium, saltem quantum ad rationem sacramenti; quia deficit significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia, qua sola ratione Apostolus matrimonium vocat sacramentum magnum.

VII. Respondeo, neg. ant. si intelligatur, non de parte integrali, & accidentaria sacramenti, sed de parte essentiali. Nam Apostolus ibi duo dicit, unum, quod vir relicto patre, & matre *Adhærebit uxori suæ*, nimirum fide, & charitate. Unde superius dixerat: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Sicut enim Christus quodammodo reliquit patrem, & venit in mundum, ut Ecclesiam sibi in fide, & charitate in æternum desponsaret; sic homo fide, & charitate conjungi debet uxori: & hæc conjunctio, quæ omnem carnalem concubitum præcedit, vere, & essentialiter constituit matrimonii sacramentum, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Alterum, quod Apostolus dicit, est: *Quod erunt duo in carne una;* nimirum conjunctione etiam carnali, & naturæ, quæ est quasi actus, & effectus consequens priorem conjunctionem animorum, & voluntatum, & significat conjunctionem Verbi divini cum humana natura. Hæc tamen significatio est quidem complementum integrale, & finis prioris significationis, & conjunctionis; non est tamen pars, & perfectio essentialis. Nam prima conjunctio, & significatio, & consequenter matrimonium sine hac secunda, vere, ac essentialiter subsistit. Quare nec dicendum est, copulam carnalem esse sacramentum, nec partem essentialem sacramenti; alioquin conjuges, tunc solum sacramentum reciperent, & matrimonium contraherent, cum carnaliter conjunguntur. Sed ad summum esse partem integralem, sine cujus actuali positione habetur sacramentum essentialiter perfectum, & sanctificans; ut patet in satisfactione respectu sacramenti pœnitentiæ. Ideo autem utramque conjunctionem expressit Apostolus, quia, ut ait S. Thom. *q. 42. Supplem. art. 4. ad 1.* exponere voluit *Integritatem matrimonii quantum ad utramque perfectionem: quia res ex suo actu innotescit.*

VIII. Secunda objectio est. Matrimonium ante copulam solvi potest, & consequenter non est penitus insolubile: ergo non est verum matrimonium, nec sacramentum.

Respondeo, neg. ant. Utrumque enim natura sua insolubile est. Cur autem nondum consummatum per ingressum in religionem, & professionem solvatur, dicetur infra. Interim videatur S. Th. *in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. q. 2.* Nunc solum dico, quod si hoc evinceret, probaret, nec in lege veteri fuisse, nec apud infideles vera esse matrimonia; cum etiam consummata solvi potuerint, & possint.

IX. Tertia Objectio sumitur ex Gratiano, qui *27. q. 2. cap. Institutum*, & cap. *Sic quippe*, refert Patres, qui ita sentire videntur. Et præcipue cap. *Non est dubium*, ex Augustin. *Non est dubium* (inquit) *illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse.* Et *lib. 1. Soliloquior. cap. 10.* asserit: sine corporum contractu, seu commixtione uxorem haberi non posse. Eademque videtur esse sententia S. Leonis cap. *Cum societas.*

X. Respondeo, Gratianum ex depravatis Patrum sententiis deceptum, ad id sentiendum inductum fuisse. Nam Augustini verba, quæ profert, apud Augustinum non reperiuntur. Cap. autem 10. Soliloquior. *Habere* uxorem, pro uti uxore significat. Quemadmodum Paulus, 1. Cor. 2. dicit, vers. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*, idest ea utatur. Cæterum qualis fuerit S. Augustini mens, satis ostendi, ut supra vidimus, in matrimonio Mariæ, & Joseph.

Sanctus autem Leo, *Ep. 92.* modo 2. *ad Rusticum*, c. 4. hæc habet: *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexum conjunctionem haberet* (pro quo Gratianus legit *non haberet*) *in se Christi, & Ecclesiæ sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur, nuptiale fuisse mysterium.* Quibus docere vult, quod concubina non sit uxor: quia cum ea initum non est fœdus nuptiale significans conjunctionem Christi, & Ecclesiæ, quantumvis non desit commixtio sexuum.

XI. Quarta Objectio est. Hoc sacramentum ordinatur ad conservationem speciei: sed hæc deberi non potest sine carnali commixtione; ergo &c.

Respondet S. Th. q. 42. Suppl. a. 4. ad 3. *Quod res non pervenit ad finem suum, nisi per actum proprium; unde ex hoc, quod finis matrimonii non habetur sine carnali commixtione, oportet, quod sit de integritate secunda, non de prima.*

Du-

Dubium V.

Quis sit hujus Sacramenti Minister.

§. I.

Referuntur Opiniones.

I. De matrimonio dupliciter loqui possumus: vel ut est contractus in officium naturæ institutus, vel ut est sacramentum Ecclesiæ. De matrimonio priori modo considerato, nullum puto dubium esse, quin ejus ministri sint ipsi contrahentes: hoc enim indicant matrimonia tum in lege naturæ, tum in lege Mosaica contracta. De matrimonio, ut sacramentum est, acris est controversia etiam inter S. Th. discipulos. Nam, omissa opinione singulari Catharini volentis ministrum hujus sacramenti esse Deum ipsum, qui per verba illa ab initio mundi ore Adami prolata, & a Christo confirmata, *Relinquet homo Patrem, & Matrem &c.* sanctificat omnia fidelium matrimonia absque alterius ministri, aut verborum interventu. Hac, inquam, opinione omissa, volunt aliqui, ministrum hujus sacramenti esse solum Parochum, seu Sacerdotem conjungentem sponsos per verba: *Ego vos conjungo, &c.* Ita Melchior Cano, Estius, Sylvius, Natalis Alexander. *Theol. Dogm. & moral. de Matrim. a.* 5. Alii vero, & quidem communius, sentiunt, ministros hujus sacramenti esse ipsosmet contrahentes. Ita Scotus, Bellarminus, *l.* 1. *de Matr. c.* 6. Suarez, Sanchez, Simonnet, Boucat, Gonnet, & communiter Nostrates recentiores. His positis.

§. II.

Resolvitur Dubium.

II. Dico. Probabilius videtur, ministrum sacramenti matrimonii non esse Sacerdotem conjuges benedicentem, sed ipsosmet contrahentes. Prior pars, ministrum hujus sacramenti non esse Sacerdotem, prob. primo. Ille est minister sacramenti, sine quo divino jure non perficitur sacramentum: hac ratione solus Sacerdos est minister Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, solus Episcopus est minister sacrorum Ordinum: quia divino jure sine illo talia sacramenta non perficiuntur, nec perfici possunt: sed ad perficiendum sacramentum matrimonii non intervenit Sacerdos divino jure, sed Ecclesiastico tantum: ita ut, divino jure spectato, sine Sacerdote verum perficeretur sacramentum Matrimonii, ut revera perficiebatur ante Concilii Tridentini tempora. Unde sic argumentor. Ante irritationem Concilii Tridentini valida erant, & sacramenta, matrimonia contracta sine Parocho; ergo tunc Parochus non erat sacramenti matrimonii minister; ergo neque erit post Tridentinum: cum institutio ministri sacramentorum non Ecclesiæ, sed soli Christo eorum Auctori conveniat.

III. Secundo. Concilium Florentinum, *in Decreto pro Armenis*, dicit, *Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Sed verba sacerdotis non sunt forma sacramenti matrimonii: nam Sacerdos dummodo sit præsens, & contrahentes coram illo exprimant se mutuo acceptare in conjuges, etiamsi taceat, & nihil dicat, perficitur sacramentum. Nec etiam sacramentum matrimonii constat ex persona Parochi, sed ex personis contrahentium mutuo consensu exprimentium. Neque etiam requiritur intentio Parochi ad validitatem sacramenti. Nam sive Parochus intentionem habeat, sive non, immo renuat; dummodo hanc contrahentes habeant, & coram ipso exprimant, sacramentum matrimonii perficitur.

Unde idem Concilium Florent. *in decr. Unionis*, de sacramento isto loquens, ait: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus.* Mutuum autem consensum non præbet Parochus, sed præbent contrahentes; ergo hi, non ille, efficiunt sacramentum; ergo hi, non ille, sunt ministri.

IV. Tertio. Hoc idem ostenditur ex Conc. Tridentino, *Sess.* 24. *c.* 1. *de Reform.* ubi hanc rem statuit. Ibi enim primo supponit: *Matrimonia clandestina rata, & vera matrimonia esse, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit.* Volens tamen mederi malis, quæ inde sequebantur, statuit, ut in posterum ad validitatem matrimonii requiratur præsentia Parochi. *Qui viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo &c. Vel aliis utatur verbis juxta receptum cujusque Provinciæ ritum.* Et concludit, quod si non possint præmitti denuntiationes, *Saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur.* Quibus manifeste apparet, Concilium velle solum præsentiam Parochi, qui interroget contrahentes, an consentiant, & hoc, ut eorum consensus innotescat Ecclesiæ, & publicus fiat. Deinde: etsi velit, ut Parochus aliqua verba proferat, ea tamen non determinat, sed relinquit libera secundum ritum Provinciæ. Quod signum evidens est, verba Parochi non esse de essentia matrimonii, alias ea determinasset, sicut alias sacramentorum formas. Immo etiamsi Parochus nihil dicat, immo expresse dissentiat, adhuc valere matrimonium declaravit S. Congregatio Tridentini Interprete Episcopo Salmantino, his verbis: *Non pertinet ad substantiam matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat: ideo vel matrimonium, quamvis verba exprimentia consensum prolata sint tantum a contrahentibus, dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id, quod agitur, licet dissentiat, & contradicat.* Hæc autem de matrimonio ut sacramento prolata fuisse, clarum est. Nam Episcopus Salmantinus non dubitabat, an esset verum in ratione sacramenti. Tandem cum Concilium dicit, saltem requiri, ut præsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus matrimonium celebretur, satis ostendit, se non velle Parochum esse præsentem ut ministrum, sed ad meram matrimonii solemnitatem, sicut requirit præsentiam testium.

Requirit ergo Concilium præsentiam Parochi, & testium ad solemnitatem, & publicitatem matrimonii, ea simili ratione, qua ad validitatem testamenti, & aliorum contractuum humanorum requirunt Leges præsentiam notarii, & testium: unde sicut nec notarius, nec testes sunt ministri, nec faciunt testamentum, nec contractus, sed eis solum solemnitatem, & autenticitatem tribuunt: ita nec Parochus, & testes sunt ministri, qui faciant matrimonium. Quod expressit S. Thom. *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 1. & *quæst.* 42. *Supplem. art.* 1. *ad* 1. his verbis: *Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.*

V. Secunda etiam pars asserti, quod nimirum soli hujus sacramenti ministri sint contrahentes, sequitur ex dictis. Si enim, ut probatum est, minister non est Sacerdos, fit, ut Ministri sint ipsi contrahentes: sed ulterius probatur. Primo. Nam Christus elevans contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti, non immutavit naturam contractus, sed solum dedit ei per omnimodam indissolubilitatem expressionem significativam conjunctionis suæ cum Ecclesia; ergo sicut antea ministri contractus matrimonialis erant soli contrahentes, ita sunt ministri ejusdem, ut sacramenti. Hinc Paulus Apostolus 1. *Corinth.* 7. ubi multa agit de matrimonio fidelium, consensum quidem conjugum exprimit, sed de Presbytero nullam mentionem facit.

VI. Secundo prob. Ideo contrahentes non possent esse Ministri, quia laici non possunt esse Ministri sacramentorum: sed hoc in primis est falsum, nam laici esse possunt Ministri, saltem extraordinarii, sacramenti Baptismi. Deinde ideo laici non possunt esse aliorum sacramentorum Ministri, quia non possunt ponere quidquid requiritur ad perficiendum sacramentum: sic pœnitens in sacramento Pœnitentiæ ponit quidem actus sensibiles doloris, & confessionis peccatorum: sed quia non potest ponere absolutionem a peccatis, quæ ad perficiendum sacramentum Pœnitentiæ requiritur: ideo non est Pœnitentiæ Minister. At in sacramento matrimonii, quod essentialiter contractus est, consensus contrahentium se ipso sufficiens est ad perficiendum sacramentum, quia sufficiens est ad inducendam mutuam obligationem, quæ ad sacramentum matrimonii perficiendum requiritur. Ita S. Thom. *quæst.* 45. *Supplem. art.* 5. *ad* 2. dicens: *Actus noster in pœnitentia, quamvis sit de essentia sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis. Et ideo oportet, quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in Matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio, quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare, & ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia sacramenti.* Idem docet ibi *in Corp.*

§. III.

Fundamenta Contrariæ Opinionis.

Multa congerunt Canus, & alii contrariæ opinionis Patroni, quibus figillatim respondendum est.

VII. Objiciunt ergo contra primam partem. Primo Evaristum Papam, *Epist.* 1. *ad Episcopos Africæ*, ubi matrimonium sine Sacerdote celebratum irritum, & ut adulterum habet. Et refertur 30. quæst. 5. Can. 1. *Conjugia* —— Secundo. Concilium Carthag. IV. *Can.* 13. ubi statuit, quod *sponsus, & sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur.* Cujus benedictionis meminit etiam Siricius Papa, *Epist.* 1. *cap.* 4. significans, illam esse tam sacram, ut ejus violatio sit apud fideles instar sacrilegii. —— Tertio. Nicolaus I. ut habetur 31. quæst. 2. Can. *Lotharius* præcipit, ut Lotharii Galliarum Regis, qui repudiata Teutberga legitima uxore, nupserat cum Waldrada, matrimonium declaretur invalidum, si fuerat absque benedictione Sacerdotis celebratum —— Quarto. Concilium Colonienſe, *anno* 1536. sub Paulo III. celebratum p. 7. cap. 40. *Si quis* (inquit) *hoc sacramentum* (Matrimonii) *sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum &c.*

VIII. Ad hæc, & alia respondeo primo generaliter sic. Si matrimonia absque benedictione, & præsentia Sacerdotis cele-

celebrata, fuerunt ſemper irrita, adeo ut benedictio Sacerdotis ſit de eſſentia; cur Tridentinum, *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.* dicit: *Dubitandum non eſt clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit?* Cur damnat anathemate eos qui *ea vera, & rata eſſe negant?* Certe clandeſtina matrimonia cum benedictione Sacerdotis non fiunt. Probant ergo allati Canones matrimonia ſecluſa Parochi benedictione ſemper fuiſſe illicita, & ab Eccleſia prohibita, quod fatetur Tridentinum, his verbis ibidem: *Nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.*

IX. Reſpondeo ſecundo ad ſingula. Ad primum de Evariſto. Vel dico Epiſtolam illam apud eruditos Catholicos eſſe ſuppoſititia. Vel ea admiſſa, in ea præter benedictiones Sacerdotis præſcribi; ut ſponſa dotetur, ut ſponſi biduo, vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant, & alia, quæ certe ad eſſentiam Matrimonii ſpectare nec adverſarii dicent. Vult ergo ſolum, quod matrimonia quibus præfatæ ſolemnitates defuerint, dubitari poſſit, an ſint vera, vel potius fornicationes, *niſi* (ut ibi additur) *voluntas propria ſuffragata fuerit, aut vota ſuccurrerint legitima.*

Ad ſecundum dico. Concil. Carthagin. ſolum probare, benedictionem Sacerdotis ſuper ſponſos, dum matrimonium contrahunt, eſſe cœremoniam ſacram de præcepto Eccleſiæ adhibendam, & ideo dicit Siricius, quod eam omittere ad inſtar ſit ſacrilegii.

Ad tertium dico factum Lotharii tale fuiſſe. Duxerat prius Teutbergam, deinde hac vivente, pro uxore habebat Waldradam. Monitus de hoc reſpondebat, ſe metu Patris contraxiſſe cum Teutberba, ideoque nulliter, revera tamen cum Waldrada nupſiſſe. Re delata ad Nicolaum I. prudentiſſime reſpondit videndum eſſe, quodnam ex duobus Matrimoniis fuerit cum benedictione, & ſolemnitate contractum, & hoc cenſendum fuiſſe voluntarium, & validum, non illud, quod fecit ſine benedictione collatum: non quia benedictio det validitatem, ſed quia benedictio, & ſolemnitas eſt ſignum dignoſcendi matrimonium eſſe validum, quia liberum.

Ad quartum dico Concil. Colonienſe velle ſacramentum matrimonii *accedente Sacerdotis precatione*, non vi hujus, conferre gratiam Spiritus, quia ſi iſta omittatur, violatur præceptum Eccleſiæ, & donum ſpiritus non recipitur.

X. Objiciunt ſecundo. Synodos, Yprenſem, *anno* 1476. Atrebatenſem, *anno* 1600. Meclinienſem, *anno* 1589. & 1607. quæ abſolute vocant Parochum Miniſtrum ſacramenti matrimonii.

Reſpondeo præfatas Synodos vocare Parochum Miniſtrum ſacramenti Matrimonii, non quoad eſſentiam ſumpti, ſed quoad ſolemnitatem. Uno verbo. In eo ſenſu appellare Miniſtrum, quo Tridentinum ex dictis ejus præſentiam requirit ad validitatem matrimonii, nempe, non ut ſacramentum abſolute conficiatur, ſed ut celebretur coram Eccleſia. Quod ſi aliter intellexerunt, magis ſtandum eſt Tridentino, & Florentino Conciliis Generalibus, quam illis, quæ tantum Provincialia fuere. —— Neque obſtant Ritualis, & Sacerdotalis Romani verba dicentis, quod ſponſus Sacerdos interroget. *Si eſtis conſanguinei, vel affines uſque ad quartum gradum incluſive &c. Quibus ſigillatim reſpondentibus quod non, Sacerdos proferat verba, quæ ſunt forma hujus ſacramenti, cum conſenſu utriuſque* —— Nam ſic loquendo Sacerdotale accipit ſacramentum matrimonii adæquate, nempe, ſecundum ſubſtantiam, & ſolemnitatem. Hujus autem ſacramenti ſic accepti forma adæquata coaleſcit ex verbis Sacerdotis, & verbis contrahentium. Nam per verba contrahentium perficitur quantum ad ſubſtantiam, & per verba Sacerdotis quantum ad ſolemnitatem, quæ eſt conditio appoſita ab Eccleſia, non a Chriſto.

His etiam reſpondetur Patrum quorumdam dictis, quibus aſſerunt, Sacerdotem matrimonium *ſubſignare*: ut Tertullianus, lib. 2. ad Uxorem, cap. 9. *Sanctificare*, ut Ambroſius, Epiſt. 70. *conſolidare*, ut Auguſt. *in Pſ.* 149. —— Quia *ſubſignare*, & *conſolidare*, non important rei efficientiam, ſed rei effectæ approbationem. Dicitur autem Parochus *ſanctificare*, non coram Deo, ſed coram Eccleſia, vel dicitur *ſanctificare* negative, quia ſi Matrimonio non adfuiſſet, etiam ante Tridentinum, non ſanctificaſſet, quia illicite contractum.

XI. Objiciunt tertio. S. Thomam, *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. ad 5.* dicentem: *Matrimonium ſecundum quod eſt ut officium naturæ, & pœnitentiam ſecundum quod eſt virtus, non habent aliquam formam verborum, ſed ſecundum quod utrumque eſt ſacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, utrumque habet aliqua verba.* In his triumphat Canus, & dicit: *D. Thomas licet in ſcriptis communes fere opiniones ſequeretur, a veritate, rationeque coactus, noſtræ opinioni ſubſcripſit.*

XII. Reſpondeo primo. Ergo ex confeſſione Cani noſtra ſententia communis erat apud Theologos ante S. Thomam. —— Secundo. S. Thomam communi ſententia receſſiſſe, & ſuæ opinioni ſubſcripſiſſe non dixiſſet Canus, ſi ad ea, quæ S. Doctor immediate ſubjicit, attendiſſet, ait enim: *Sicut in Matrimonio ſunt verba exprimentia conſenſum, & iterum benedictiones ab Eccleſia inſtituta, in pœnitentia autem eſt abſolutio Sacerdotis verbotenus facta.* Ubi S. Doctor dicit quidem, utrumque ſacramentum pœnitentiæ, & matrimonii in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtere, & in verbis: At non dicit, eodem modo. Sed potius in matrimonio diſtinguit verba exprimentia conſenſum tamquam de ſubſtantia ſacramenti, & verba Sacerdotis benedicentis ab Eccleſia inſtituta, quæ utpote non a Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtituta, non poſſunt eſſe de ſubſtantia, ſed ſolum de ſolemnitate ſacramenti.

Hanc autem eſſe mentem S. Doctoris, præter ea quæ ſupra; *num. 6.* retulimus ex *q. 42. Suppl. art. 1. ad 1.* Colligitur aperte ex 4. *diſt. 28. q. 1. art. 3.* & *q. 45.* his verbis: *Sicut in aliis ſacramentis quædam ſunt de eſſentia ſacramenti, quibus omiſſis, verum nullatenus perficitur ſacramentum: ita etiam conſenſus expreſſus per verba de præſenti inter perſonas legitimas ad contrahendum Matrimonium facit, quia hæc duo ſunt de eſſentia ſacramenti, alia autem omnia ſunt de ſolemnitate ſacramenti: quia ad hoc adhibentur, ut Matrimonium convenientius fiat. Unde ſi omittantur, verum eſt Matrimonium, quamvis peccent ſic contrahentes, niſi per aliquam legitimam cauſam excuſentur.* Quare autem abſolutio Sacerdotis ſit de eſſentia pœnitentiæ ſacramenti, benedictio autem Sacerdotis non ſit de eſſentia ſacramenti Matrimonii, oſtendit S. Thom. citato loco, *ad 2.* cujus verba retulimus ſupra, *num. 6.*

XIII. Si iterum objicias, eumdem S. Doctorem; *in 4. Contra Gent. cap. 78.* probare Matrimonium eſſe ſacramentum, eo quod diſpenſatur per Miniſtros Eccleſiæ —— Reſpondeo, S. Thomam id probare, non quia per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſetur quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad ſolemnitatem accidentariam. Nam ſic ait ibi: *Matrimonium igitur ſecundum quod conſiſtit in conjunctione maris, & feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare, eſt Eccleſiæ ſacramentum.* Unde Ferrarienſis in comment. hujus loci: ait: *Matrimonium dicitur per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſari, non quidem quantum ad aliquid, quod ſit de eſſentia ſacramenti, ſed quantum ad aliquid accidentale, quod eſt completivum ejus, & perfectivum, ut eſt nubentium benedictio. Nullus enim actus Miniſtri Eccleſiæ eſt de ejus eſſentia, ſed tantum actus contrahentium, ſecundum S. Thomam .... Unde & S. Thomas adducit pro ſigno diſpenſationis hujuſmodi, quod quædam benedictio nubentibus per Miniſtros Eccleſiæ exhibetur.*

XIV. Objiciunt quarto contra ſecundam partem. Omnia ſacramenta conferuntur vice Chriſti, ita ut ſive Petrus, ſive Paulus illa miniſtret, Chriſtus eſt qui baptizat, qui abſolvit &c. Sed ſponſi dicentes *accepto te in meum*, vel *in meam* loquuntur vice Chriſti, non enim Chriſtus participaliter contrahit Matrimonium; ergo contrahentes non ſunt Miniſtri.

XV. Reſpondeo, neg. min. Nam ſicut dum Petrus baptizat exterius, Chriſtus eſt, qui baptizat interius, ita dum ſponſi ſeſe conjungunt interius, largiendo eis fidem, & gratiam, juxta illud Chriſti, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Itaque conjuges; quatenus ſe acceptant in ordine ad carnalem copulam, non agunt vice Chriſti, bene tamen quatenus ſe acceptant in ordine ad ſpirituale vinculum; ſic enim faciunt ſacramentum, & Chriſtus eos unit ſibi per gratiam, ſicut ſibi univit Eccleſiam.

XVI. Objiciunt quinto contra idem. Miniſter ſacramenti debet illud intendere; ſed plurimi idiotæ non intendunt, dum contrahunt facere ſacramentum, cum neſciant ſe eſſe illius Miniſtros; ergo &c.

XVII. Reſpondeo primo. Retorquendo inſtantiam. Parochus aliquando, non intendit facere ſacramentum, immo poſitive coram eo contrahentibus repugnat; ergo nec Parochus eſt Miniſter. Rurſus contingere poteſt, ut contrahentes non intendant recipere ſacramentum, cum neſciant, illum contractum eſſe ſacramentum; ergo nec ſacramentum recipiunt.

Reſpondeo ſecundo, negando min. Qui enim contrahunt neſcientes ſe eſſe Miniſtros, vere tamen contrahendo voluntarie miniſtrant. Et ideo licet non intendant explicite facere ſacramentum, dum tamen volunt facere illo actu id, quod facit Eccleſia, intendunt implicite facere ſacramentum. Sicut ſi Atheus neſciens, immo nec credens eſſe ſacramentum, Baptiſmum debita forma volens miniſtret, vere intendit miniſtrare, quia intendit facere illo actu, quod facit Eccleſia.

XVIII. Objiciunt ſexto. In aliis ſacramentis alius eſt conferens, alius ſuſcipiens: ſed contrahentes ſuſcipiunt ſacramentum matrimonii, ergo illud ſibi non conferunt.

XIX. Reſpondeo primo. Nec etiam alia ſacramenta ſunt in duobus, & tamen ſacramentum Matrimonii, quia eſt contractus, eſt in duobus. Sicut ergo, & contractum ſuſcipiunt, & contractum faciunt; ita & ſacramentum ſuſcipiunt & ſibi invicem conferunt, quia Chriſtus elevans matrimonium ad dignitatem ſacramenti, illud a naturæ contractus non extraxit —— Reſpond. ſecundo ſub diverſa ratione contrahentes matrimonium ſuſcipiunt ſacramentum, & ſub alia ſibi conferunt: dum enim ſibi mutuo faciunt vinculum, & obligationem, ſacramentum ſibi mutuo conferunt; dum autem obligationem illam voluntarie mutuo ſuſcipiunt, ſuſcipiunt ſacramentum.

XX. Objiciunt tandem. Ridiculum eſt laicum, immo & feminam eſſe Miniſtrum ſacramentorum ordinarium.

Sed neg. ant. Nam ſi ridiculum non eſt, eos eſſe Miniſtros matrimonii in ratione contractus, & quidem ordinarios, nec ridiculum, ſed conſonum erit, ut ſint Miniſtri ordinarii ejuſdem, etiam in ratione ſacramenti. Sed de hoc ſatis.

QUÆSTIO III.

De Conſenſu ad Matrimonium requiſito.

CUM conſenſus utriuſque conjugis ſit cauſa efficiens matrimonii, merito ſtabiliendum eſt, quis, qualiſque conſenſus ad Matrimonium contrahendum requiratur.

DUBIUM I.

An Conſenſus requiratur ad Eſſentiam Matrimonii.

§. I.

Conſenſus Requiritur.

I. DE hoc agit S. Thom. *in 4. diſt. 17. q. 1. art. 2. & q. 45. Suppl. art. 1. & ſeq.* In quo tria occurrunt inveſtiganda. Primum: an talis conſenſus requiratur ad matrimonium. Secundum: An poſſit in hoc a Deo diſpenſari. Tertium: An iſte conſenſus debeat verbis exprimi. Hæc in præſenti Dubio reſolventur.

II. Dico. Conſenſus mutuus contrahentium, ita ad matrimonium eſt neceſſarius, ut nec Reſpublica, nec Eccleſia, nec quævis poteſtas, ſaltem inferior divina, poſſit illum ſupplere. Quod ſit neceſſarius, probo ex S. Thom. *q. 45. citata art. 1. in arg.* ſed contra: *Unus non accipit poteſtatem in eo, quod eſt libero alterius, niſi per ejus conſenſum: ſed per Matrimonium accipit uterque conjugum poteſtatem in corpus alterius, ut patet 1. Cor. 7. cum prius uterque liberam poteſtatem ſui corporis haberet; ergo conſenſus facit Matrimonium.*

In corpore autem art. ita diſcurrit: *In omnibus ſacramentis eſt aliqua ſpiritualis operatio mediante materiali operatione, quæ eam ſignificat; ſicut per ablutionem corporalem in Baptiſmo, fit ablutio interior ſpiritualis. Unde cum in Matrimonio ſit quædam ſpiritualis conjunctio, in quantum Matrimonium eſt ſacramentum, & aliqua materialis ſecundum quod eſt in officium naturæ, & civilis vitæ; oportet quod mediante materiali, fiat ſpiritualis virtute divina. Unde cum conjunctiones materialium contractuum fiant per mutuum conſenſum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis conjunctio.* Ex quibus ſic diſcurro. Matrimonium eſt contractus, quo vir, & uxor conjunguntur, & repræſentant conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſed omnis contractus fit per conſenſum contrahentium, & conjunctio Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt per charitatem, voluntate fit; ergo &c.

III. Nec dicas. Matrimonium eſt ab inſtitutione divina; ergo non fit ab humana voluntate —— Reſpondeo enim cum S. Thoma ad 1. *Quod ſacramentorum prima cauſa eſt divina virtus, qua in eis operatur ſalutem: ſed cauſæ ſecundæ, ſeu inſtrumentales ſunt materiales operationes, ex divina inſtitutione habentes efficaciam, & ſic conſenſus in matrimonio eſt cauſa.* Cauſa, inquam, quia ut ait S. Th. ad 2. *Matrimonium non eſt ipſe conſenſus, ſed quædam unio ordinatorum ad unum ..... quam conſenſus facit: Nec conſenſus proprie loquendo conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam ſignificat, ſed voluntatem ejus, qua factum eſt, ut Eccleſia conjungeretur.*

IV. Quod autem nulla poteſtas inferior divina poſſit hunc conſenſum in matrimonio ſupplere. Prob. Nam poteſtas civilis ad ſummum jus habet in corpora ſubditorum, ubi id exigit bonum commune, vel privatum alterius; ſed nullum bonum publicum, aut privatum exigere poteſt, ut vir, & femina ſine conſenſu, aut inviti matrimonium contrahant: Quod enim bonum ſperari poſſet ex matrimonio cui deeſſet conjunctio animorum, immo perpetua eſſet disjunctio? Quæ mala timeri non poſſent, in quibus nullus eſſet amor, ſed odium, in quo tota vita perſeverarent? Quo modo tale matrimonium eſſet ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt per charitatem?

V. Hanc poteſtatem Chriſtus non communicavit Eccleſiæ, quæ illa nunquam uſa eſt, etiam ubi certa matrimonia videbantur neceſſaria ad conſervationem regnorum, aut ad fidei augmentum. Signum ergo eſt, poteſtatem illam in ſe non agnoſcere. Hinc licet poſſit Reſpublica ſubditum reluctantem trahere in ſervitutem, immo & in mortem, non tamen in matrimonium: quia primum aliquando exigere poteſt bonum commune, non autem ſecundum, ut diximus.

VI. Dices. In caſu neceſſitatis poteſt invitus cogi ad Epiſcopatum, quod eſt matrimonium quoddam ſpirituale cum ſua Eccleſia; ergo etiam cogi poteſt invitus ad matrimonium corporale.

Reſpondeo, diſt. ant. Cogi poteſt per præceptum, ut nempe de nolente ex obedientia fiat volens, conc. antec. Et hoc etiam modo cogi poteſt ad matrimonium. Cogi poteſt, ut fiat Epiſcopus ſine conſenſu, nego ant. Sic nec poteſt cogi, ut quis ſine conſenſu fiat maritus. Quia cum vir, & femina dum contrahunt matrimonium, ſint etiam miniſtri ſacramenti, & non ſolum illud ſuſcipiant, ad utrumque requiritur intentio.

VII. Dices adhuc. Poteſt Princeps ſupremus compellere ſubditum ad venditionem certarum rerum, aut alios contractus, ſi uſui communi ſit neceſſarium; ergo etiam ad contractum matrimonialem.

Reſpondeo poſſe quidem per præceptum adigere ſubditum, ut contrahat. Sed ſi compellat per violentiam ad venditionem, ſubdito non conſentiente, ita ut tradat coactus, & nolens rem ſuam; tunc ſubditus non vendit, nec contrahit, quia hoc eſt contra eſſentiam contractus: ſed contrahit Princeps de bonis ſubditi, de quibus poteſt diſponere ob exigentiam boni communis: quod tamen non poteſt in noſtro caſu, quia id nunquam bono communi conveniens eſſe poteſt.

§. II.

An Conſenſus ſuppleri poſſit a Deo?

VIII. SUppono, conſenſum in matrimonio, quatenus contractus eſt, non poſſe a Deo ſuppleri, ita ut ſit contractus ſine conſenſu contrahentium. Quia cum conſenſus ſit de eſſentia contractus, non minus ac animal rationale de eſſentia hominis; ſicut non poteſt fieri, ut ſit homo, & non ſit animal rationale, ita nec poteſt fieri, ut ſit contractus, & non ſit conſenſus contrahentium. Dubium eſt de matrimonio quoad vinculum, ſeu de mutua poteſtate ſuper corpus alterius

IX. Dico. Probabile eſt, Deum poſſe inducere vinculum matrimoniale inter duos, abſque eorum prævio conſenſu. Prob. Nam vinculum conjugale in re nil aliud eſt, quam mutuum dominium corporum in ordine ad actum conjugalem: ſed Deus non expectato mutuo conſenſu viri, & feminæ poteſt mutuum hunc conſenſum efficere, cum magis ſit dominus corporis viri, & mulieris, quam ipſi vir, & mulier; ergo &c. Immo cum habeat in ſua poteſtate etiam voluntatem utriuſque, poteſt eos conjungendo, excitare in cordibus mutuum amorem, & obſequium ad prolis educationem, & humanum convictum. Quod nulla creata poteſtas facere poteſt.

X. Volunt nonnulli, primos parentes hoc modo conjunctos fuiſſe a Deo, & hac poteſtate Deum uſum fuiſſe in conjugio Oſeæ, & mulieris fornicariæ, & putant inſinuatum a S. Thom. 1. 2. 100. *art. 6. ad 3.*

Sed verius judico, Deum nunquam in matrimonio conſenſum ſuppleviſſe. Non in conjugio primorum parentum. Nam illa verba, quæ adducta coram ſe Eva protulit Adam Gen. 2. verſ. 23. & 24. *Hoc nunc es ex oſſibus meis, & caro de carne mea &c.* Indicant, tunc mutuo conſenſu conjugium initum fuiſſe, unde ſtatim Eva *uxor* Adami vocatur. Et quidem conveniens erat, ut matrimonium, quod omnium aliorum exemplar eſſe debebat, mutuo contrahentium conſenſu perficeretur. Illud autem Chriſti, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, cum dictum ſit de omni matrimonio, ſolum denotat, Deum, ut cauſam primam conjungere virum, & feminam, non vero tollit, quin & contrahentes velut cauſæ ſecundæ, mutuo conſenſu ſeſe conjungant.

Ad id, quod dicitur de Oſea: dico, Deum non ſuppleviſſe conſenſum Oſeæ, & mulieris fornicariæ, ſed ſolum feciſſe, ut quæ non erat ſua, accedendo ad eam ipſa volente, fieret ſua, Nec aliud intendit S. Thomas.

XI. Dices. Conſenſus eſt cauſa formalis matrimonii: ſed res non poteſt eſſe etiam divinitus ſine ſua forma; ergo &c. —— Reſpondeo, conſenſum non eſſe cauſam formalem, ſed efficientem matrimonii, ut vinculum eſt, ideoque poſſe a Deo ſuppleri. Unde Deus eam obligationem inter virum, & uxorem, quam mutuus conſenſus inducit, & facit, ſua poteſtate induceret, & faceret. An vero tale matrimonium eſſet formaliter, vel ſolum æquivalenter tale, diſputare nolo; certum eſt, ſic a Dei voluntate conjunctos, teneri ad eam fidem ſibi invicem ſervandam, quam cæteri conjuges. Sed in his Metaphyſicis non juvat immorari.

§. III.

An conſenſus debeat exterius exprimi?

XII. DIco. Ad contractum matrimonialem requiritur mutuus contrahentium conſenſus per verba, aut ſigna aliqua æquivalentia expreſſus. Ita S. Thom. *q. 45. Suppl. art. 2.* his verbis: *Conjunctio matrimonialis ſit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non poſſunt fieri, niſi ſibi invicem voluntatem ſuam verbis promant, qui contrahunt: Ideo etiam oportet, quod conſenſus matrimonium faciens verbis exprimatur; ut expreſſio verborum ſe habeat ad matrimonium, ſicut ablutio exterior ad Baptiſmum.*

XIII. Confirmatur. Matrimonium eſt ſacramentum, & eſt contractus: ſed in omni ſacramento debet eſſe aliquod ſenſi-

ſenſibile ſignum; in omni autem contractu oportet eſſe expreſſionem verborum, quibus innoteſcat mutua traditio, & acceptatio; ergo &c.

XIV. Sed dices. Sicut per matrimonium redigitur homo in poteſtatem alterius: ita per votum: ſed votum obligat quoad Deum etiamſi non exprimatur verbis; ergo &c.

Reſpondet S. Thom. citata q. 45. art. 2. ad 1. *Quod in voto non eſt aliqua ſacramentalis obligatio, ſed ſpiritualis tantum, & ideo non oportet, quod fiat ad modum matrimonialium contractuum, ad hoc quod obliget, ſicut eſt de matrimonio* —— Dici etiam poteſt, quod votum eſt obligatio facta Deo, cui notus eſt viventis animus, ut obligatio matrimonii fit homini, cui voluntas nota eſſe non poteſt niſi exterius manifeſtetur.

XV. Dixi, conſenſum manifeſtari debere verbis, aut ſignis. Nam ſi uterque, vel alter contrahentium ſit mutus, vel diverſorum idiomatum, dicit S. Thomas citatus ad 2. *Quod quamvis tales non poſſint vota ſua mutuo verbis exprimere, poſſunt tamen exprimere nutibus, & tales nutus pro verbis computantur*. Immo addit ibidem *ad* 3. quod etſi puella pro verecundia taceat, ipſa ejus taciturnitas, ſi parentes pro ea reſpondeant, nec ipſa contradicat, habebitur tamquam ſignum conſenſus. Nam *Eos qui conjunguntur, ſic oportet conſentire, ut invicem ſe ſpontanee recipiant, quod judicatur fieri, ſi in deſponſatione non contradicant. Unde verba parentum computantur in caſu illo, ac ſi eſſent puellæ: ſunt enim ſufficiens ſignum, quod ſunt ejus, ex quo non contradicit*. Utrumque docet etiam *Catech. Roman. de Sacram. Matrim. n.* 7. his verbis: *Sed verborum loco tum nutus, & ſigna, quæ intimum conſenſum aperte indicent, ſatis ad matrimonium eſſe poſſunt: Tum ipſa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non reſpondet, ſed pro ea parentes loquuntur*.

Addit tamen Sylvius, quod non debet Parochus permittere, ut abſque verbis contrahentium, ſi poſſunt, fiat, vel contractus, vel ſacramentum matrimonii, quando ipſi ſunt præſentes. Qui vero nollet uti verbis, non videretur excuſandus a mortali, quando matrimonium initur in Eccleſia coram Parocho, & teſtibus: quia ſine cauſa recederet a notabili ritu, quem Eccleſia ſemper obſervavit, & obſervari voluit in ſuſceptione ſacramenti.

XVI. Quæres: An oporteat conſenſum viri, & mulieris ſimul exprimi?

Reſpondeo, non oportere, immo non decere ut verba utrinque ſimul proferantur, ſed melius eſt, ut unus poſt alium loquatur, ita ut poſtquam una pars conſenſum ſuum expreſſit, altera exprimat ſuum, vel eodem illo loco, & tempore, vel diverſo, modo conſenſus prioris adhuc ſaltem virtualiter perſeveret. Cenſetur autem perſeverare, quamdiu non revocatur. Quanti autem temporis intervallum poſſit intercedere, prudentum judicio relinquendum eſt. Solum eſt advertendum, quod utriuſque conſenſus poſt Tridentinum exprimatur coram Parocho, & teſtibus.

DUBIUM II.

Qualis debeat eſſe conſenſus ad Matrimonium.

§. I.

An debeat eſſe de præſenti?

I. DIco. Conſenſus per verba de futuro expreſſus, non efficit matrimonium, ſed ſolus conſenſus per verba de præſenti expreſſus. Ita S. Th. citata q. 45. art. 3. & probat in argum. *Sed contra* Primo. *Ille qui conſentit in aliquam per verba de futuro, & poſtea cum alia per verba de præſenti; ſecundum jura debet habere ſecundam pro uxore* (Cap. ſicut ex litteris de Sponſal. & Matrim.) *Sed hoc non eſſet ſi conſenſus per verba de futuro faceret matrimonium, quia ex quo verum eſt matrimonium cum una, ea vivente non poteſt contrahi cum alia; ergo conſenſus per verba de futuro non facit matrimonium*. —— Secundo. *Qui promittit aliquid ſe facturum, nondum facit illud: ſed qui conſentit per verba de futuro, promittit ſe cum aliqua contracturum matrimonium: ergo non contrahit adhuc cum illa*.

In corp. autem art. ſic diſcurrit. *Cauſæ ſacramentales ſignificando efficiunt, unde hoc efficiunt, quod ſignificant. Quia ergo cum aliquis conſenſum ſuum per verba de futuro exprimit, non ſignificat ſe facere matrimonium, ſed promittit ſe facturum: ideo talis expreſſio conſenſus non facit matrimonium, ſed ſponſionem ejus, qua ſponſalia nominantur*.

II. Quare ſi contrahentes dicant: *Accipiam te in meum, aut meam*, vel *accipio te in annum proximum*, non fit actu translatio poteſtatis corporis unius in alterum, ſed ſolum facienda ſpondetur. *Et etiam* (inquit S. Thomas ad 2.) *in aliis contractibus, qui verbis futuris utitur, non transfert poteſtatem rei ſuæ in alterum, ut ſit dicat*. Dabo tibi, *ſed ſolum quando verbis præſentibus utitur*. Si vero dicant: *ex hoc temporis puncto habeo te in maritum vel uxorem*, fit matrimonium: quia licet verba ſonent futurum, tota tamen ſententia ſignificat præſentem acceptationem in conjugem. Ita Alexander III. Cap. *Ex parte* de ſponſalibus: ubi mandat, eum qui ſic contraxerat, & poſtea aliam duxerat, compelli, ut relicta ſecunda, redeat ad primam uxorem.

III. Sed dices contra reſolutionem. Per votum religionis homo contrahit matrimonium ſpirituale cum Deo, ſed votum religionis fit per verba de futuro, & obligat; ergo & ſimiliter &c. Unde Cap. *Si quis* 30. q. 5. jubetur, ut illa ſit legitima uxor, cui divinis tactis ſcripturis juraverit quis, ſe eam habiturum uxorem legitimam.

IV. Reſpondeo cum S. Th. ibid. ad 3. *Quod in voto profeſſionis actus ſpiritualis matrimonii per verba de futuro exprimitur, ſcilicet obedientia, vel obſervantia regulæ, & non ipſum matrimonium ſpirituale. Si autem ſpirituale matrimonium in futurum voveatur, non eſt matrimonium ſpirituale, quia non ex hoc aliquis eſt Monachus, ſed ſe futurum Monachum pollicetur*. Ad caput vero *ſi quis* dicit Gloſſa ibi, verba illa referri ad tempus præſens: non enim ille juravit ſic *Ducam te in uxorem*, ſed *ſe habiturum*, ideſt, habitam ſe retenturum. Dicunt alii, illis verbis non ſignificari, quod ex tali juramento ſit uxor, ſed quod teneatur illam ducere in uxorem.

§. II.

An conſenſus ſimulatus ſufficiat?

COnſenſus ſimulatus, ſeu fictus eſt ille, qui exterius quidem per verba de preſenti exprimitur, ei tamen deeſt conſenſus internus.

V. Dico. Conſenſus per verba de præſenti expreſſus, ſi deſit conſenſus interior, in re non facit matrimonium. Ita declaravit Innocentius III. Cap. *Tua nos* de Sponſal. his verbis: *Sine conſenſu nequeunt cætera fœdus perficere conjugalem*. Ita refert, & docet S. Th. citata, *quæſt.* 45. *Suppl. art.* 4. Qui addit *in arg.* ſed contra: *Intentio requiritur in omnibus ſacramentis: ſed ille, qui corde non conſentit, non habet intentionem matrimonii contrahendi, ergo non fit matrimonium*: In corpore autem art. ſic diſcurrit: *Sicut ſe habet ablutio exterior ad Baptiſmum, ita ſe habet expreſſio verborum ad hoc ſacramentum: Unde ſicut ſi aliquis ablutionem exteriorem reciperet non intendens recipere ſacramentum, ſed ludum, & dolum facere, non eſſet baptizatus: ita expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit*. Circa hoc tamen occurrunt varia dubia. Pro quorum reſolutione.

VI. Quæritur primo: An qui ſimulate contraxit matrimonium cum aliqua, teneatur eam ducere?

Reſpondeo regulariter, & per ſe teneri eam ducere Primo. Quia utrinque eſt contractus *Do, ut des*, mulier autem implevit quod ex parte ſua eſt, tradendo poteſtatem ſui corporis; ergo alter etiam tenetur, quod eſt ex parte ſua implere. —— Secundo, quia ſimulator peccavit contra juſtitiam, nec regulariter poteſt ſatisfacere, niſi ſimulationem vertat in veritatem. —— Tertio. Decepto, vel deceptæ ſequitur grave damnum: cum enim non poſſit probare fictionem alterius, non permittetur inire aliud matrimonium; & ſi permitteretur, tamen ob famam tali divortio graviter læſam, non facile, præſertim decepta, inveniret conjugem ſe dignum. Dolus autem verborum iſti ſimulatori patrocinari non debet, nec in foro conſcientiæ, nec in foro Eccleſiæ, ut ait S. Thomas hoc *art. ad* 2.

VII. Dixi regulariter, & per ſe. Nam Theologorum judicio certi ſunt caſus, quibus ſimulator eam ducere non teneretur. Primo. Si duxerit alteram legitimo conſenſu adhibito; in quo caſu teneretur compenſare injuriam priori illatam, prudentum arbitrio. Sed caſus iſte vix occurret. Eccleſia enim ipſum ſemper compellet ad manendum cum prima uxore, ut colligitur ex Cap. *Ex parte* de Sponſalibus, & Cap. *Licet* de Sponſa duorum. Et ratio eſt, quia ut ait S. Th. citatus ad 3. *In tali caſu Eccleſia compellit eum ad ſtandum cum prima uxore, quia ſecundum ea judicat, quæ foris apparent: nec decipitur in juſtitia, ſive injure, quamvis decipiatur in facto*. Addit tamen S. Doctor: *Sed ille debet potius excommunicationem ſuſtinere, quam ad primam uxorem accedat; vel debet in alias regiones remotius fugere*. Quia dimittendo ſecundam uxorem cum qua legitime coram Deo contraxit; ut rediret ad priorem, peccaret mortaliter, quia vere conjux non eſt defectu conſenſus, nec eſſe poteſt, conſenſu in matrimonium cum altera præſtito per verba de præſenti.

VIII. Secundo. Non tenetur ſimulator eam ducere, ſi maxima ſit conditionis diſparitas, vel evidentia ſigna fictæ conſenſus præbuerit. Tunc enim judicari poteſt, mulierem vero deceptam non fuiſſe, aut verbis viri non credidiſſe, vel certe non debuiſſe credere.

Tertio. Si mulier, quæ videtur decepta, ſe virginem ſimulaverit, cum non eſſet.

Quarto. Si gravia mala, capitales inimicitiæ, diſſidia, cædes &c. ex hujuſmodi matrimonio merito timeantur. Quo caſu pecuniaria compenſatio ſufficiet.

IX. Quæres ſecundo: Quid dicendum de prole ex matrimonio ficte contracto ſuſcepta?

Reſpondeo. Prolem ex matrimonio ficte ex parte unius contracto ſuſceptam, antequam fictio alteri conjugi innoteſcat, vel probetur, legitimam cenſendam eſſe. Filii enim geniti ex matrimonio bona fide, ſaltem ex parte unius parentis inito in facie Eccleſiæ, legitimi cenſentur;

modo concepti sint ante divortium, Judicis Ecclesiastici sententia decretum, quicumque defectus, seu impedimentum occultum, vel uni tantum conjugum notum intercesserit. Id constat ex Cap. *cum inter* & Cap. *Perlatum*, quæ sunt Alexandri III. responsa Extr. *Qui filii sint legitimi*. Et Cap. *Pervenit* quod est Cælestini III. & Cap. *Ex tenore*, quod est Innocentii III. eodem titulo subscribit S. Thom. *in* 4. *dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 2. dicens: *Ignorantia excusat illicitum coitum a peccato nisi sit affectata: unde illi qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignorant, non peccant, nec filii sunt illegitimi.*

X. Quæres tertio: An uno conjugum affirmante, sibi defuisse consensum, liceat alteri novum statim inire conjugium?

Respondeo negative. Sicut enim Ecclesia non statim credit id asserenti, nec probanti; ita nec ille credere tenetur, sed jure suo uti potest, utpote bonæ fidei possessor, & existimare, quod nunc forte mentiatur, quæ asserit se prius in facie Ecclesiæ fuisse mentitam. Nam, ut ait Innocentius III. Cap. *Per tuas*, extr. de Probationibus: *Nimis indignum est (juxta legitimas sanctiones) ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare.*

Etiam S. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 4. *ad* 2. & *q.* 45. *Suppl. art.* 4. *ad* 2. objicienti, quod si interior consensus requiritur, ut sit matrimonium, cum hic non sit notus, neuter poterit scire de altero, an sit verus conjux: respondet: *Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua conjunctione. Tamen probabiliter potest credi dolum non esse, nisi signa evidentia doli appareant; Quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. Unde lle, ex cujus parte dolus non est, a peccato excusatur per ignorantiam.* Quod si Judicis sententia comprobatum fuerit, prius matrimonium absque interiori consensu exterius initum esse, poterit dissoluto primo, utpote nullo, iniri secundum matrimonium, & eo libere uti.

XI. Sed quæres quarto: Quid faciet qui de valore sui matrimonii dubitat? — Rursus: Quid faciet alter, qui novit, eum dubitare?

Respondeo ad primum. Quod si dubium sit temerarium, & sine sufficienti fundamento, debet judicio Parochi, vel Confessarii, aut viri prudentis illud deponere, quo depositio, tamquam conjux legitimus potest debitum conjugale & reddere, & petere. Si vero dubium non sit temerarium, sed probabili aliqua ratione nitatur, vel temerarium quidem sit, sed præ scrupulositate non possit, sic dubitans, vel opinans illud deponere, potest reddere debitum; non videtur tamen posse petere. Ita S. Thomas *quæst.* 45. *Suppl. art.* 9. *ad* 4. S. Bonaventura, *in* 4. *dist.* 38. Petrus Soto, *Lect.* 9. *de Matrim.* Navarrus, & ante omnes Innocentius III. Cap. *Inquisitioni*, tit. de sententia Excommunicationis.

Ratio primi est. Nam dubium unius non est satis, ut spoliet alterum sua possessione: atqui non dubitans habet in sua possessione corpus conjugis dubitantis; ergo non potest a dubitante spoliari, & propterea dubitans debet illi reddere debitum — Neque reddendo, stante tali dubio, peccat: quia non dubitat, an sit peccatum mortale id quod agit, immo formare debet judicium, quod hoc sibi liceat, cum non ignoret esse alteri reddendum id, quod est in illius possessione — Ratio autem secundi est. Quia tenetur evitare periculum fornicationis quantum potest: potest autem non petere debitum, & sic periculum evitare.

Dominicus tamen Soto, quem sequitur Sanchez, Bonacina, & alii, dicit, quod licet ante factam sufficientem veritatis inquisitionem non possit is, qui dubitat exigere debitum, potest tamen ea sufficienter adhibita. Partim, quia possessor bonæ fidei, si dubitet, rem esse alienam, & facto sufficienti examine nequit deponere dubium; potest non tantum detinere rem illam, sed etiam illa uti. Nam dubium quod remanet, est speculativum, non practicum; partim quia post sufficientem diligentiam habet ignorantiam invincibilem. Hæc opinio probabilis est, prima tamen communior.

XII. Respondeo ad secundum. Quod conjux alter non dubitans, conscius tamen dubii sui conjugis, potest ei negare debitum saltem petenti ante præmissum debitum examen, quia ille non habet jus ad petendum: potest etiam reddere, quia est in pacifica possessione, nec tenetur credere dubitanti. — Si autem etiam ipse dubius sit, vel justas habeat rationes cum altero dubitandi, neuter potest reddere, vel petere, quia dubitans non est in possessione pacifica, ideoque nec possessor bonæ fidei, nisi postquam adhibuerit sufficientem diligentiam.

Dubium III.

An consensus in occulto factus per verba de præsenti faciat Matrimonium.

§. I.

An Matrimonium Clandestinum fuerit aliquando validum, & licitum?

I. Consensus in occulto factus, de quo S. Thom. *q.* 45. *Supplem. art.* 5. alio nomine vocatur *Matrimonium clandestinum* a voce *Clam*, seu *Secretum*. Tale autem Jure veteri vocabatur illud, quod non poterat probari testibus, etiamsi Parochus fuisset præsens, Cap. *Quod nobis*, & Cap. *Cum inhibitio*; tit. de clandestina desponsatione. Jure autem novo per Concilium Tridentinum constituto, illud matrimonium est proprie clandestinum, quod contrahitur absque præsentia Parochi, vel alteris Sacerdotis, de Parochi, aut Ordinarii licentia, & absque duobus testibus. Quod enim contrahitur absque præviis publicationibus, vel denuntiationibus, si cætera adsint, proprie clandestinum non est, quamvis non sine peccato absque legitima auctoritate omittantur.

II. Dico ergo; Matrimonia clandestina aliquando fuerunt valida, nunquam tamen licita. Utrumque testatur Tridentina Synodus, *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* his verbis: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant . . . . nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis ea semper detestata est, atque prohibuit.* Rata quoque, & vera, sed illicita fuisse suo tempore docet S. Thom. *art.* 5. citato, his verbis: *Sicut in aliis sacramentis quædam sunt de essentia sacramenti, quibus omissis non est sacramentum; quædam autem ad solemnitatem sacramenti pertinent, quibus omissis verum nihilominus perficitur sacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit: quia hæc duo sunt de essentia sacramenti, alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat. Unde si omittantur, verum est matrimonium, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.* Et ibidem *ad* 3. assignans causam, cur clandestina matrimonia prohibita fuerint, ait: *Prohibentur autem clandestina matrimonia propter pericula, quæ inde evenire solent; quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte: frequenter etiam ad talia conjugia transeunt, dum pœnitent de his, quæ subito facta sunt: & multa alia mala inde accidunt; speciem turpitudinis præter hoc habent.*

III. Causæ igitur prohibitionis erant gravissima incommoda, quæ ex matrimoniis clandestinis sequebantur. Nempe adulterium eorum, qui relicta priore uxore, cum qua clam contraxerant, cum alia palam contrahebant. Eorum etiam, qui contractus stulte, & imprudenter facti pœnitentes, sibi mutuo fidem remittebant, & sic transibant ad alias nuptias, a quibus, si quis postea resilire voluisset, ut ad priorem, veramque uxorem rediret, ab Ecclesiastico judice, qui de occultis non judicat, sed secundum allegata, & probata procedit, compellebatur manere cum posteriori, cum qua tamen non subsistebat verum matrimonium. — Accedebat, quod sic contrahentes irreverenter se gerebant. Nam cum matrimonium sit evectum ad dignitatem sacramenti, non aliter illud contrahebant, quam si esset contractus mere Civilis: immo vilius: nam nedum illud non contrahebant coram ministro Ecclesiæ, & servatis Ecclesiæ cœremoniis; sed nec coram aliquo judice civili, nec servatis cœremoniis, quas ad hos contractus civiles leges præscribunt: ideoque ex his causis mortaliter peccabant, nisi (ut ait S. Thom.) causæ aliquæ legitimæ excusarent.

IV. Hæ autem erant. Prima: Si minor clandestine nubebat alicui admodum sibi convenienti, propterea quod prævideret, se alioquin a curatore, vel tradendam uni non apto suis moribus, vel non permittendam nubere. — Secunda: Si quis graviter vulneratus, & exinde statim moriturus, concubinam, ex qua filium susceperat, in uxorem accipiebat, ut eam faceret legitimam. — Tertia. Si vel ob concubinatum apprehensus, vel in direptione Urbis deprehensus, posset evadere mortem, affirmando se maritum esse concubinæ; tunc licitum ei erat statim contrahere, etiam absque testibus, ut seipsum servaret. De hoc Navarrus, *cap.* 16. *num.* 37. & Dominicus Soto *dist.* 28. *quæst.* 2. *artic.* 2.

Ex quibus patet, matrimonia clandestina non esse per se, & ex natura sua mala, sicut fornicatio, quandoquidem concurrentibus quibusdam circumstantiis poterant licite fieri: semper tamen, ut ex Sancto Thoma vidimus, quamdam speciem turpitudinis præseferebant.

§. II.

§. II.

An modo Valida ſint?

V. DIco. Poſt Concilium Tridentinum matrimonium clandeſtinum, non ſolum illicitum eſt, ſed irritum, & nullum. Nam per Concilium, & perſonæ factæ ſunt inhabiles ad ſic contrahendum, & contractus ſic initi invalidi declarati ſunt. Ita, *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.* ſtatuit his verbis: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, pro ut eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.*

VI. Negare autem Eccleſiæ poteſtatem hoc faciendi hæreticum eſſet. Cum dogma Catholicum ſit, Eccleſiam in definiendis rebus ad fidem, & mores ſalutares pertinentibus, errare non poſſe. Unde eadem *Seſſ. 24. Can. 4.* definit: *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe: anathema ſit.* Et ſane: Nam Eccleſia non minorem poteſtatem habet in rebus moralibus, & ſpiritualibus, quam habeat Rex, vel Princeps in Civilibus; ſed Rex, ut occurrat inconvenientibus, quæ in contractibus civilibus non obſtante prohibitione frequenter accidunt, poteſt apponere conditiones, quæ ſi deſint, contractus non valeant; ergo & Eccleſia videns, non obſtante prohibitione, adhuc multa mala ſequi ex contractu ſacramentali matrimonii clandeſtini, potuit certas ſtatuere conditiones, ſine quibus contractus matrimonialis nullus ſit. Et hanc fuiſſe cauſam, cur Eccleſia matrimonium clandeſtinum declaravit impoſterum nullum, idem Concil. *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.* proteſtatur dicens: *Verum cum S. Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe, & gravia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo, cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco &c.* & ſubinde irrita declarat matrimonia eorum, qui aliter, quam præſente Parocho, & duobus teſtibus ea contraxerint.

§. III.

Objectiones Solutæ.

VII. PRimo Objicies. Matrimonia clandeſtina olim valebant: & quidem jure naturæ: ſed in re naturali Eccleſia nihil poteſt immutare; ergo &c.

Confirm. Cauſa naturalis ſufficienter applicata producit, ſuum effectum; ſed mutuus conſenſus inter perſonas habiles ad contrahendum eſt cauſa naturalis matrimonii ſufficienter applicata; ergo ſive fiat clam, ſive palam, producet matrimonium.

VIII. Reſpondeo diſt. maj. Jure naturæ ea non irritante, ſed tolerante, conc. maj. Ea præcipiente, neg. maj. Matrimonia ergo clandeſtina olim valuerunt jure naturæ, non præcipiente, vel dictante debere ſic contrahi, hoc enim modo ſi valuiſſent, non poſſet Eccleſia ea irritare; ſed ſolum quia jus naturæ ea tolerabat, nec ea faciebat irrita. Quod autem jus naturæ ſolum tolerat, & non facit irritum, poteſt per legem aliquam poſitivam irritari. Sic enim contractus pupillorum, & prodigorum, & alii aliqua juris ſolemnitate carentes, etiamſi ſtando in jure naturæ non ſint irriti, per leges tamen Civiles annullati ſunt. —— Deinde matrimonia clandeſtina tunc ſolum valebant jure naturæ, quando contrahebantur inter perſonas legitimas. Quæ autem perſonæ ſint legitimæ, ex eccleſiaſticis decretis, & non ſolum ex jure naturæ petendum eſt: qua ratione pupilli non ſunt perſonæ legitimæ ad contrahendum, quia ſic legibus civilibus ſtatutum eſt.

IX. Ad Confirmat. diſt. maj. Applicata ſubjecto idoneo, & capaci, conc. maj. Non idoneo, & incapaci, neg. maj. Major ergo propoſitio vera eſt de cauſa naturali non impedita, & ſubjecto idoneo applicata. Conſenſus autem clam datus impeditur a ſuperiori poteſtate, & applicatur ſubjecto ad ſic contrahendum inhabili, unde non poteſt producere effectum matrimonii inter ſic contrahentes.

X. Objicies ſecundo. In conſtituendis impedimentis matrimonii Eccleſia ſolet reſpicere ad aliquam perſonæ qualitatem præcedentem, ob quam habeatur perſona illegitima, ut patet in gradibus conſanguinitatis, affinitatis, & aliis: ſed in contrahentibus clandeſtine nulla præcedit qualitas, ob quam ſint perſonæ illegitimæ; ergo Eccleſia non potuit eas declarare illegitimas ad contrahendum.

XI. Reſpondeo. Maj. veram eſſe, quando aliqua perſona ſtatuitur ſimpliciter inhabilis ad contrahendum, non vero quando perſona cæteroquin habilis, ſtatuitur inhabilis ad contrahendum tali modo; quo pacto Eccleſia reddidit inhabiles perſonas ad contrahendum clandeſtine. Tunc enim non reſpicit ad qualitatem præcedentem perſonæ, ſed ad tollenda mala, quæ ex contractibus tali modo factis occurrere ſolent.

XII. Objicies tertio. Eccleſia non poteſt mutare materiam, aut ſubjectum ſacramentorum, nec facere, ut aliquid ſit de illorum eſſentia, quod antea non erat; ergo non potuit irritare matrimonia clandeſtina.

XIII. Reſpondeo, neg. conſeq. & ſuppoſitum conſeq. Cum enim ſubjectum, & materia hujus ſacramenti ſint perſonæ, & conſenſus ad matrimonium contrahendum habiles, & legitimæ; per Eccleſiæ autem decretum non fiat, ut excludantur conſenſus legitimus, & perſonæ legitimæ, & illegitimæ admittantur; non mutavit materiam, aut ſubjectum ſacramenti, neque fecit, aliquid eſſe de illius eſſentia, quod prius non eſſet; ſed ſolum fecit perſonas, quæ antea erant legitimæ, nunc non eſſe legitimas ad tali modo contrahendum. Quo modo qui ex aqua cerviſiam, vel ex vino fecit acetum, non mutavit materiam Baptiſmi, aut Euchariſtiæ; quamvis fecerit, ut id quod antea erat materia illorum ſacramentorum, amplius non ſit.

Hoc Exemplo uſus fuit Camillus Campegius noſtri Ordinis in Concilio Tridentino. Cum enim in eo inter Theologos diſputaretur, quomodo non mutata ſacramenti ſubſtantia, matrimonium clandeſtinum, quod valebat antea, poſſet irritum declarari, niſi coram teſtibus, & Parocho fieret; Campegius ejuſmodi exemplo difficultatem ſuſtulit; unde moti Patres, conjugium clandeſtinum ſalva ſacramenti eſſentia, eaque immutata, irritum ſe poſſe declarare arbitrati ſunt, de facto declararunt. Hoc refert Pallavicinus in ſua de Concil. Trident. hiſtoria apud Juvenin, *de Sacram. Matrim. q. 6.* de matrimonii impedimentis in genere.

XIV. De matrimonio clandeſtino aliqua expendemus infra, dum de impedimentis ſermo erit. Nunc ſatis ſit, non poſſe Eccleſiam mutare eſſentialia ſacramentorum, faciendo, ut quod prius erat materia, manens immutatum deſinat eſſe materia; puta, ut aqua manens aqua, vel perſonæ legitimæ manentes legitimæ, non ſint materia Baptiſmi, vel matrimonii; poſſe tamen id quod erat materia, ſic immutare, ut amplius materia non ſit.

DUBIUM IV.

An Conſenſus coactus ſufficiat ad Matrimonium?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. COactio duplex eſſe poteſt. Uno modo ſimpliciter, & idem eſt, ac violentia, puta, cum quis aliquem renitentem impellit ad motum. Unde violentum dicitur: *Cujus principium eſt extra, paſſo non conferente vim.* Et hæc coactio non poteſt cadere in conſenſum interiorem, qui cum ſit actus elicitus a voluntate, nullum aliud exterius principium habere poteſt, a quo efficiatur. Alio modo ſecundum quid: & hoc modo coactio coincidit cum metu ad conſenſum extorquendum adhibito: & in hoc ſenſu procedit dubium, an ſcilicet conſenſus metu extortus valeat ad matrimonium. Metus autem eſt *Inſtantis, vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio*, ut ex Sancto Thoma, *q. 47. Supplem. art. 1.*

II. *Cogitur autem aliquis metu* (inquit Sanctus Thomas ibi art. 2.) *quando aliquid facit, quod alias non vellet, ad evitandum id quod timet.* Hoc autem violentum mixtum vocatur, quia conſenſum voluntatis non excludit omnino. Velut dum mercator in periculo navis demergendæ, ut vitam ſervet, projicit merces ſuas in mare, is ſimpliciter quidem jacturam mercium non eligit, ſed eligit tamen comparatione majoris mali, nempe, ſubmerſionis, ac mortis ſuæ. Ita qui metu compulſus dat alicui fidem conjugalem, & non ſimulate, ſed revera, is quidem conſentit, ſed conſenſu per vim, ac metum extorto, nam vult quidem, ſed ſi non eſſet metus, non vellet.

III. Duplex tamen poteſt eſſe metus: unus cadens in virum conſtantem, alter cadens in virum inconſtantem. Prior eſt, quo ad evitandum majus malum, quod timet, ac veroſimiliter imminet, cogitur aliquis amplecti minus malum: velut ſi timore mortis, mutilationis, ſervitutis, aut acerbi cruciatus, aut amittendæ virginitatis, conſentiat in conjugem, quem, vel quam alioquin accipere nollet. Poſterior vero eſt, quo ad evitandum minus malum quod timet, eligit majus malum, ut ſi metu amittendi pallium, vel nummos aliquot, vel ne excidat a gratia Domini ſui, vel e familia dimittatur, eligat ducere uxorem, quam ducere nollet, inconſtantis, imprudentis hominis eſt iſte metus: ſicut etiam ſi eam duceret metu mortis ei veroſimiliter non inferendæ. Metus cadens in virum conſtantem vocatur metus *Juſtus*

quia ex justo, & prudenti motivo concipitur, nempe, ad evitandum majus malum, quod ex forti, & probabili æstimatione timetur. Potest autem metus juste incuti, & injuste. His præmissis,

§. II.

Prior Resolutio.

IV. Dico primo. Metus justus, seu cadens in constantem virum, sed injuste ad extorquendum consensum illatus, irritat matrimonium. Colligitur ex Alexandro III. Cap. *Cum locum*, tit. de Sponsal. & Matrim. ubi dicit matrimonium solo consensu contrahi: & consensum non habere locum, ubi metus, vel coactio intercedit.

Item Cap. *Veniens* eodem titulo, in quo aperte supponitur, matrimonium metu, qui in constantem virum cadere possit, contractum, irritum esse. Quod confirmatur ab Innoc. III. Cap. *Consultationi*.

Ita etiam S. Th. *q.* 47. *Suppl. art.* 3. alias, *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. hoc discursu: *Vinculum matrimonii est perpetuum. Unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest repeti restitutio in integrum. Et ideo hæc coactio metus, quæ cadit in constantem virum, tollit matrimonium, & non alia . . . . . Quidam autem dicunt quod si adsit consensus, quamvis coactus, interius est matrimonium quantum ad Deum, sed non quantum ad statum Ecclesiæ, quæ præsumit, ibi non fuisse consensum interiorem propter metum. Sed hoc nihil est. Quia Ecclesia non debet præsumere de aliquo peccatum, quousque probetur: Peccavit autem, si dixit se consentire, & non consensit. Unde Ecclesia præsumit eum consensisse, sed judicat consensum illum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium.*

V. Ratio autem talia matrimonia irritandi ea fuit, quia cum conjuges perpetuo simul vivere debeant, debent conjungi consensu plene libero, qui ex mutuo amore excitetur, & indivisibilem animorum conjunctionem pariat: Consensus autem metu justo extortus, non solum ejusmodi bona non pareret, sed multa mala inter sic conjugatos produceret. Ad quæ avertenda voluit Ecclesia, conjugia libero omnino, & spontaneo consensu perfici declarando, consensum non esse materiam legitimam, si non libere præstetur, sed vi, vel metu extorqueatur. Cum enim, ut ait S. Thom. *art.* 3. citato in arg. *sed contra* matrimonium significet conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ fit per libertatem amoris, non posset eam repræsentare, si consensus, qui matrimonium facit, esset aliqua metus coactione permixtus. Et propterea valet quidem baptismus, etiam ex metu susceptus, non valet tamen matrimonium. Quia, ut ait S. Thomas citatus ad primum: *Intentio non est causa efficiens sacramenti in baptismo, sed solum eliciens actionem mentis: Sed consensus est causa efficiens in matrimonio.*

VI. Sunt, qui existimant matrimonia tali metu contracta esse invalida jure naturæ. Communior tamen sententia est, ea esse invalida tantum jure Ecclesiastico, in jure naturæ tamen fundato. Huic adhæreo consone ad ea, quæ dixi, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 1. *de Voluntario Dub.* 5. §. 4. Nam metus de se non facit involuntarium simpliciter, sed solum secundum quid: Contractus autem, qui voluntarius simpliciter est, licet admixtum habeat aliquid de involuntario, jure naturæ irritus non est: alioquin etiam irritum foret illud matrimonium quod ex metu justo contrahitur proveniente ab interiori motivo, seu exteriori, sed juste illato, quod tamen falsum esse dicemus. Fundatur tamen in jure naturæ: quia cum quis injuste cogitur per metum ad contrahendum matrimonium, patiatur injuriam suæ libertati, Ecclesia ad hanc injuriam propulsandam, statuit, talia matrimonia esse nulla.

Neque obest, quod S. Th. hic probet, matrimonium ex metu contractum esse nullum ratione perpetuitatis matrimonii, quæ ratio naturalis est. —— Nam S. Thom. id probat supposita determinatione Ecclesiæ Cap. *Cum locum*, quam refert in argum. *Sed contra*. Unde ea posita ostendit, convenienter ad naturam matrimonii Ecclesiam ita statuisse.

Ex his colligi potest, quod matrimonia, quæ infideles non baptizati metu justo, sed injuste ad extorquendum consensum illato contrahunt, valida sint, nisi apud eos sit lex Civilis ea irritans, quia non sunt subjecti Ecclesiæ, nec legibus Ecclesiasticis.

§. III.

Posterior Resolutio.

VII. Dico secundo. Matrimonium ex levi metu contractum, vel si ex justo, & gravi, proveniente tamen vel a causa naturali, vel ab homine juste illum inferente, vel si injuste inferatur, non ordinato tamen ad extorquendum consensum, validum est. Hoc assertum quatuor habet partes. Prima quod matrimonium ex metu levi contractum sit validum, certa est. Nam, Cap. *Veniens*, & Cap. *Consultationi* de solo metu gravi, & justo loquuntur. Nec jura ad nullitatem contractuum metum levem considerant: Is enim ex inconstantia, & animi levitate potius procedit: facile potest intervenire, aut etiam fingi: unde si attenderetur, omnia plena essent litibus.

Secunda pars etiam patet, quia metus, etsi gravis, a causa tamen naturali proveniens, non facit contractum vere coactum, nec lædit libertatem. Unde si quis metu damnationis æternæ, aut mortis ex morbo, vel naufragio imminentis ducat uxorem, quam alias non duceret, ratum matrimonium est. Sicut etiam valida est professio religiosa ex tali metu edita Cap. *Sicut nobis* tit. de Regularibus.

Tertia quoque pars certa est. Cum enim metus juste incutitur, nulla fit injuria contrahenti, nec invitus appellari merito potest, qui cogitur ipso jure, cui si parere recusaverit, injustus, & iniquus est. Unde ille potius sibi incutit metum, quam ab alio patiatur incussum. Hinc Ecclesia sub gravissimis pœnis sæpe compellit eum, qui vult resilire a sponsalibus, ut contrahat matrimonium, quod spopondit.

Quarta tandem pars non minus constat. Nam in tali casu metus per accidens se habet ad matrimonium, & proinde habendus est; ac si sponte eligeret: ut si obsessus in aliqua civitate, & videns periculum expugnationis, ducat sororem, aut consanguineam obsidentis, ut sic solvatur obsidio.

VIII. Ex his sequitur, valida esse matrimonia sequentia. Primum. Si quis concubinam ducat ex metu inferni, aut mortis, vel naufragii imminentis; quia metus ex causa naturali procedit.

Secundum. Si ad mortem juste damnatus, & petitus ab aliqua in conjugium, cum ea contrahit, ut mortem evadat.

Tertium. Si judice juste mortem comminante, nisi eam, quam vitiavit, ducat uxorem, is eam ducit.

Quartum. Si ineatur matrimonium a reo juste ad mortem ducendo, nisi contrahat cum ea, quæ illi offertur. Quia tunc non tam injicitur metus ad extorquendum consensum matrimonii, quam proponatur ei via ad evadendam justam mortem.

Quintum. Si parentes, aut consanguinei vellent interficere juvenem inventum in stupro: ipse autem sponte offerret matrimonium cum stuprata, sperans se ita posse animos iratos placare, & mortem evadere.

Sextum. Si parentes talem comprehendant, & minentur, se adducturos eum ad judicem, nisi ducat, quam invitam violavit, & tali metu compulsus ducat. Quia talis metus juste incutitur ob causam, propter quam stuprator jure compelli potest ad matrimonium cum ista puella contrahendum. Si autem minarentur mortem, aut grave aliquod malum per se inferre, matrimonium ex hoc metu contractum esset nullum: quia talis metus non solum ordinatur ad extorquendum consensum sicut prior, sed insuper injuste infertur: Habent enim parentes jus ad talem detinendum, ut præsentent judici: non autem ut per se mortem ei inferant, aut vulnera, vel quid simile.

Dixi *quam invitam violavit*; quoniam si puella voluntarie consensit, non videtur validum fore matrimonium, quod adolescens metu accusationis, ex qua timeatur grave damnum, incusso iniret. Quia iste metus injuste incuteretur; violando enim filiam consentientem, non dedit causam, ut sibi talis metus incuteretur, cum stuprator virginis consentientis non teneatur illam ducere, si aliud non interveniat. Et propterea parentes istius puellæ habent quidem causam accusandi stupratorem, vel incutiendi metum ad obtinendam satisfactionem pro injuria sibi illata; non tamen ad extorquendum matrimonium, nisi adsit alius titulus, ut si promiserat eam ducere, vel in eo loco adsit lex recepta, ut stuprator ducat puellam quocumque modo violatam.

Similiter invalidum foret matrimonium, quod Titius iniret cum Berta metu compulsus a Cajo, qui ob injuriam, quam passus est a Cajo per furtum, homicidium, aut contumeliam, minatur eum apud judicem deferre, nisi Bertam ducat in uxorem. Injuste enim metus ille incutitur; quia etsi Cajus habeat jus accusandi Titium pro satisfactione habenda, non habet tamen jus accusationem minandi, ut extorqueat consensum matrimonii.

IX. Sed quid si matrimonium metu justo, injuste tamen illato ad extorquendum consensum, juramento firmetur?

Respondeo adhuc esse invalidum in veriori sententia; quia juramentum non potest facere id esse validum, quod Ecclesia statuit esse irritum: sic nec facere potest ut matrimonium clandestinum sit validum. Addo quod Ecclesia non satis providisset libertati contrahentium. Cum facile sit iis, qui aliquem metu injuste compellunt ad matrimonium, etiam compellerent ad ipsum juramento confirmandum.

Immo tale matrimonium etiam juramento confirmatum nec haberet vim sponsalium. Tum quia, qui sic injuste cogitur ad matrimonium, & ad juramentum, sicut

ſicut præſumitur vere & ex animo non contrahere, ita nec promittere. Tum quia hujuſmodi contractus eſt irritus: Si autem reſolveretur in ſponſalia, non eſſet irritus, quia uterque contrahentium alteri maneret obligatus, ut fit in ſponſalibus.

Porro ut is, qui cogitur non ſolum contrahere, ſed etiam jurare, periculum perjurii effugiat; ſatis eſt ut vere conſentiat, vel juret ſe conſentire, & contrahere, intelligendo quantum in ipſo eſt talem metum patiente; unde ſicut contractus irritus eſt; ita nullum eſt vinculum juramenti, nec indiget relaxatione.

X. Ex his omnibus conſequitur, eum qui ſic contraxit, nullo metu compelli poſſe, ut debitum reddat mulieri, cum qua ſic contraxit. Hæc enim ipſius conjux non eſt. Unde carnalis cum ea commixtio ſtuprum, aut fornicatio eſſet: Nullo autem metu poteſt induci vir conſtans, ut peccatum lethale committat, cum nullum ſit malum peccato gravius, ut ait S. Thom. in 4. diſt. 29. q. 1. art. 2. ad 2. *Peccata ſunt maxima malorum: & ideo ad hoc nullo modo poteſt homo conſtans cogi, immo magis debet homo mori, quam talia ſuſtinere.*

XI. An vero, & quomodo matrimonium metu contractum convaleſcat per ſupervenientem conſenſum ſpontaneum ejus, qui fuerat coactus?

Reſpondeo convaleſcere, ſi tamen in eo, qui prius libere conſenſerat, conſenſus perſeveret. Ita S. Thom. *in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1.* dicens: *Ex conſenſu libero illius qui prius coactus eſt, non fit matrimonium, niſi in quantum conſenſus precedens in altero, adhuc manet in ſuo vigore: Unde ſi diſſentiret, non fieret matrimonium.* Et ratio eſt ut docet ibi, *quæſtiunc. 2. in corp.* Quia matrimonium ex libero duorum conſenſu fit: ſicut ergo defectu conſenſus illius qui coactus fuit, matrimonium ab initio fuit nullum: ita ſi in altero conſenſus datus non perſeveret, quamvis coactus poſtea libere conſentiat, matrimonium convaleſcere non poteſt, quia matrimonium ex neutra parte claudicare poteſt.

Ut ergo matrimonium illud convaleſcat, requiritur renovatio conſenſus utriuſque partis. Quod ſi cum primo initum fuit coram Parocho, & teſtibus, eis de metu illato nihil conſtat, ſed contractus nemine reclamante de more initus fuit in facie Eccleſiæ; matrimonium convaleſcit per ſupervenientem ſpontaneum conſenſum occultum etiam tacitum, per mutuam maritalem cohabitationem, ut declaravit S. Pius V. Si autem coram Parocho, & teſtibus fuerit vis adhibita, vel aliunde metus incuſſus manifeſtus eſſet, matrimonium de novo in facie Eccleſiæ, ſervata forma Concilii Tridentini foret contrahendum; ita decretum S. Pii expoſuit Congregatio Concilii. Et ratio eſt quia illud matrimonium non ſolum coram Deo, ſed & in facie Eccleſiæ fuiſſet nullum.

XII. Poſtremo obſervandum eſt, omnes eos, qui directe, vel indirecte cogunt aliquos ad matrimonium, eſſe ipſo facto excommunicatos per Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 9. de Reform. matrim.* Immo in Diœceſi Cameracenſi etiam Parochum, qui coactionis conſcius procederet ad matrimonii contractum, ut ex Synodo, *ann. 1604. tit. 11. cap. 6.*

Excipitur tamen metus reverentialis. Is enim non cogit voluntatis aſſenſum, nec virum conſtantem concutit. Unde qui ex tali metu contrahit, valide contrahit, & qui talem incutit metum, nulli pœnæ ſubjicitur. Et ideo Urbanus III. Cap. *Ex litteris* tit. de deſponſ. Impuberum non declarat inita ſponſalia de voluntate parentum irrita ob ſolum reverentiæ metum, ſed ob minas puellæ a parentibus intentatas.

DUBIUM V.

An Contractus Conditionatus ſufficiat ad valorem Matrimonii.

§. I.

Reſolutio S. Thomæ.

I. QUæſtio hæc æque agitur de matrimonio, ac de ſponſalibus, unde quæ hic dicentur de matrimonio, de ſponſalibus etiam dicta ſunt intelligenda.

Dico ergo cum S. Thom. q. 47. ſuppl. art. 5. *Quod conditio appoſita, aut eſt de præſenti, aut de futuro. Si de præſenti, & non eſt contraria matrimonio, ſive ſit honeſta, ſive non honeſta, ſtat matrimonium ſtante conditione, & ea non ſtante non ſtat. Sed ſi ſit contraria bonis matrimonii non efficitur matrimonium, ſicut de ſponſalibus dictum eſt. Si autem ſit conditio de futuro, aut eſt neceſſaria, ſicut ſolem oriri cras: & tunc eſt matrimonium, quia talia futura ſunt præſentia in cauſis ſuis. Aut eſt contingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum: tunc idem eſt judicium de tali conſenſu, ſicut de conſenſu, qui fit per verba de futuro. Unde non facit matrimonium.*

De ſponſalibus etiam quæſt. 43. ſuppl. art. 1. *Si autem* (inquit) *fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtinguendum eſt: quia aut eſt conditio honeſta, ut cum dicitur.* Accipiam te, ſi parentibus placeat, *& tunc ſtante conditione ſtat promiſſio, & non ſtante non ſtat. Aut eſt inhoneſta. Et hoc dupliciter. Quia aut eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam.* Accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures. *Et tunc non contrahuntur ſponſalia. Aut non eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam:* Accipiam te, ſi furtis meis conſentias: *Et tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio.*

§. II.

Reſolutiones ex prælaudata S. Thoma Doctrina.

II. REſolvitur primo. Quod ſi ſponſalibus, aut matrimonio apponatur conditio de præſenti, vel præterito, ſtante conditione ſponſalia, vel matrimonium ſtant, non ſtante non ſtant: unde ſi quis ita contrahat: accipio te in uxorem, ſi es primogenita, ſi virgo, ſi hoc jam placet tuis parentibus; ſi conditio ſtat, valet, ſi non ſubſiſtat, non valet; Idem dic de ſponſalibus.

Hoc autem veritatem habet, ſive illæ conditiones ſint honeſtæ, ſive etiam turpes, dummodo non contrarientur bonis matrimonii, & apponantur ea intentione, ut faciant contractum conditionatum. Alioquin ſi ſolum antecedenter ſe haberent, tamquam motiva, & non ingrederentur contractum; eſſet conſenſus abſolutus, non conditionatus.

Si vero contrariæ ſint bonis matrimonii, & afficiant matrimonium in futurum, contractus erit irritus, ut ſi dicat: *Contraho tecum ſi inveniſti venenum ad ſterilitatem procurandam.* Vel ſi dicatur: *Contraho tecum, ſi es ſterilis.* Licet enim eſſe ſterilem non adverſetur ſubſtantiæ matrimonii, quia tamen deducitur in pactum id, quod repugnat bono matrimonii, nempe proli; cenſent multi matrimonium cum tali conditione initum fore invalidum ex doctrina S. Thomæ ſuperius allata.

III. Reſolvitur ſecundo. Quod cum in ſponſalibus, vel matrimonio apponitur conditio de futuro, ſed neceſſaria, contractus ſtatim ſubſiſtit, non expectando eventum conditionis: quia ut dicit S. Thom. talia futura jam præſentia ſunt in ſuis cauſis, & præſumitur, ſic contrahentes, ſi advertant conditionem neceſſario eventuram, velle, ut contractus ſtatim robur habeat. Quod ſi intentio eorum fuit ſuſpendere contractum uſque ad eventum conditionis, non eſſet in foro conſcientiæ validus ante illam impletam, quia ſolo conſenſu perficitur.

IV. Reſolvitur tertio. Quod ſi conditio, quæ apponitur honeſta ſit & de futuro, ſed contingens, contractus manet ſuſpenſus, nec ſubſiſtit ante ejus impletionem. Unde ſi quis dicat: *Accipio, vel accipiam te in uxorem ſi pater conſenſerit, vel ſi pater tantam dotem promiſerit,* matrimonium, aut ſponſalia non valent, niſi cum Pater conſentit, vel tantam dotem promiſit. —— An autem adveniente conditione, eaque impleta contractus ſtatim valeat abſque novo contractu, vel conſenſu, ſi tamen contractus conditionatus initus fuerit per verba de præſenti, & coram Parocho, ac teſtibus, licet olim dubitatum fuerit; Attamen Sanctus Pius V. pronuntiavit, impleta conditione, puta accedente conſenſu patris, aut promiſſione dotis, matrimonium, quod fuerat ſuſpenſum, ſtatim ratum, ac perfectum eſſe: nec opus eſſe, ut coram Parocho iterum celebretur, atque hanc ſententiam in judiciis omnino eſſe ſequendam, neque Concilio Tridentino repugnare. Idem declaravit Congregatio Concilii ſub Clemente VIII. ut refert Fagnanus in Cap. *Super eo*, tit. de Condit. appoſitis in Deſponſat.

V. Si tamen ante impletam conditionem de futuro inter contrahentes copula carnalis interceſſerit, per eam matrimonium de conditionato tranſit in abſolutum, quia per copulam cenſentur receſſiſſe a conditione. Ita reſpondit Innocentius III. Can. *Per tuas*, tit. de Cod. appoſitis in deſponſ. Cum enim conſultus fuiſſet de quodam, qui poſt contracta ſponſalia cum muliere ſub conditione, quod pater, & patruus ejus conſentirent, non expectata conditionis poſitione carnaliter ſe cognoverant, ac proinde mulier inſtaret pro matrimonio; vir autem contradiceret, aſſerens, ſe contraxiſſe quidem ſponſalia, ſed cum conditionis conſenſus patris, & patrui, qui contradixerunt? Reſpondit Pontifex: *Quod cum liquido conſtet, quod poſt contracta ſponſalia carnalis eſt inter eos copula ſubſecuta, pro matrimonio eſt præſumendum; quia videntur a conditione appoſita receſſiſſe. Nam etſi probatum ſit, quod poſtquam pater, & patruus viri contradixere ſponſalibus, idem vir mulierem illam carnali conjunctione cognoverit; non eſt tamen aliquo modo probatum, quod antequam ipſe cognoviſſet eamdem, pater ejus, & patruus contradicere curaviſſent.* Ideſt (ait Gloſſa) Quia non expreſſe conſtat per teſtes, quod contradictio patris præceſſit copulam, fit interpretatio pro matrimonio præſumpto, & quod uterque renuntiaverit conditioni appoſitæ.

VI. Hæc regula tamen valet, quando conditio contingens eſt de futuro, non autem ſi conditio ſit de præſenti, aut de præterito, ut ſi dixerit: Accipio te in meam, ſi es virgo, ſi es legitima, ſi es nobilis, deinde matrimonio conſummato compertum ſit, eam pro tempore initi contractus non fuiſſe virginem, non eſſe legitimam, ſed ex concubina, non eſſe nobilem, ſed plebejam. Tunc enim matrimonium ab initio irritum, ac nullum fuit, nec poteſt per ſubſequentem copulam convaleſcere. Et ideo S. Thomas

laudatus dicit, quod si conditio sit de præsenti. *Stat matrimonium stante conditione, & ea non stante, non stat.* Et ratio discriminis est, quia cum conditio est de futuro, actus non est initus ab initio, sed suspenditur usque ad conditionis eventum. Unde si hoc medio tempore inter eos copula carnalis intercedat, præsumit Ecclesia, eos conjugali affectu esse conjunctos, ideoque a conditione opposita recessisse, & consensum conditionatum in absolutum mutasse. At ubi conditio est de præsenti, aut de præterito, actus non est suspensus: immo si conditio non extat, nullus, & irritus est ab initio defectu consensus, & copula sequens est fornicatio. Quamobrem si in casu mulier esset corrupta pro eo tempore, quo matrimonium initum fuit, aut illegitima, aut plebeja, atque ita jam defuissent conditiones illæ: *Si es virgo, si es legitima, si es nobilis*, etsi copula subsequatur, matrimonium ratum non fit. Ita censent Innocentius IV. & Hostiensis, Cap. *Per tuas* aliique Canonistæ, quos citat, & sequitur Fagnanus in Caput *Si conditiones*.

VII. Resolvitur quarto. Quod conditiones turpes, aut impossibiles non contrariæ bonis matrimonii, si adjiciantur animo declarandi, non esse sibi consensum ad talem contractus, sicut jocantes, vel irridentes interdum significare solent, se non consentire, matrimonium, vel sponsalia irrita sunt. Si vero hinc inde verus consensus adsit, contractus est validus, in quo sensu dicitur in Cap. *Finali* de condit. appositis: *Ejusmodi conditiones haberi pro non appositis*. Et de conditione turpi in sponsalibus apposita dicit S. Thom. q. 43. Suppl. art. 1. *quod stat promissio, sed tollenda est conditio*.

VIII. Eadem ratione si quis ita contrahat: *Accipio te in uxorem, si patri meo placuerit*, & pater ejus tunc erat mortuus. Si enim sciebat, esse defunctum, idem dicendum est, ac de conditione impossibili dictum est. Si ignorabat, nullum erit matrimonium, nisi accedat novus consensus, quia conditio non potest habere eventum. Si vero pater vivens neque expresse consentiat, neque expresse dissentiat: si ex circumstantiis appareat eum tacere, quia placet, erit matrimonium: non erit autem, si colligitur tacere, quia displicet. Si dubitetur, quare taceat, videtur non posse judicari de matrimonio, cum non constet, an conditio, sub qua initum fuit, sit impleta. Quod si pater prius dissentiat, & postea consentiat, erit matrimonium, modo usque ad illud tempus perseverarint contrahentes in eadem voluntate.

IX. Resolvitur quinto. Sponsalia, vel matrimonium contracta sub conditione alicui ex bonis matrimonii repugnante, sive ea turpis sit, sive honesta, erunt irrita. De turpi omnes conveniunt. De honesta vero aliqui negant, alii probabiliter affirmant. Et ratio est quia licet post initum matrimonium honestum, & laudabile sit, conjuges mutuo consensu servare castitatem; ac renuntiare juri, quod uterque acquisivit supra corpus alterius: id tamen deducere in pactum, & conditionem ipso fieri destruit essentiam matrimonii. Nam dum in contractu matrimoniali apponitur conditio, ut uterque conjux maneat in perpetua castitate, non solum tollitur copula carnalis, sed etiam jus, ac potestas mutua in corpus alterius, obligantur sic contrahentes ad non petendum, neque reddendum debitum, sine quo jure substantia matrimonii non videtur subsistere: cui licet non repugnet intentio, nunquam carnaliter cum uxore commiscendi; repugnat tamen, hoc deduci in pactum, quia tali pacto destruitur ipse contractus.

Unde B. Virgo, & Joseph, quorum matrimonium fuisse verum docet S. Th. 3. *p. q.* 29. *art.* 2. non contraxerunt cum conditione, vel pacto nunquam sibi invicem reddendi debitum, sed absolute mutuo consentientes in translationem potestatis suorum corporum, quamvis intendentes ea nunquam uti ad copulam. Vel ut ait S. Thom. ibi *Uterque consensit in copulam conjugalem, non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret*, & in 4. dist. 30. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quod beata Virgo antequam contraheret cum Joseph fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat; & ideo non se commisit periculo nubens; nec tamen propter hoc aliquid veritatis deperiit, quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum: talis enim conditio cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret*.

X. Resolvitur sexto. Cum matrimonium, aut sponsalia contrahuntur cum duabus sub conditione honesta, ille contractus valet, cujus conditio primo apponitur. Si conditiones simul implerentur, & æque maneret animus ad unam, sicut ad aliam, neuter est validus. Si autem acceptet conditionis impletionem, ex una parte prius, quam ex altera, valet cum illa, cujus adimpletionem acceptat, quia per acceptionem recedit a consensu quem dederat alteri.

XI. Resolvitur septimo. Si Personæ habentes impedimentum dirimens, inter se contrahant per verba de præsenti sub conditione, si Pontifex dispensaverit, probabile est esse matrimonium conditionatum, quod adveniente dispensatione absque alio consensu, modo partes in priori perseverent. Nam sponsalia sub simili conditione convalescunt.

Loquimur autem de impedimento super quo possit, ac soleat Pontifex dispensare, quando causa est rationabilis. Nam si non habent legitimam dispensationis causam, vel habent tale impedimentum, super quo vix unquam dispensari solet, nisi ex causa admodum gravi, quæ ipsis desit, nullus erit contractus, & nulla obligatio, quia conditio, quam apponunt, est moraliter impossibilis, ideoque habenda pro non adjecta. Unde sicut si non adjiceretur, contractus esset absolute nullus, ita erit nullus quando adjicitur.

XII. Demum adverto, quod ut matrimonia conditionata, posita conditione post Concilium Tridentinum valida sint, debent esse inita coram Parocho, & testibus. Sic autem contrahentes a Parocho monendi sunt, contractum manere suspensum quousque impleatur conditio: ac proinde perficere non debet solemnitatem matrimonii, dicendo: *Ego conjungo vos in matrimonium &c.* Sed eis intimare, ne domi simul cohabitent, sed separati vivant, donec impleta sit conditio, si sit de futuro. Si vero conditio sit de præsenti, aut de præterito, eaque honesta, monere eos debet, nullum esse matrimonium, eosque Ecclesiam non habituram ut conjux, si conditio non extet; immo nec se matrimonium sua præsentia perficere posse, nisi absolute contrahant. Et deinde causam ad Episcopum referre, qui auctoritate sua provideat. An vero si conditio sit de futuro, ea impleta iterum sistere se debeant coram Parocho, & testibus, & consensum iterare, puto hoc non esse necessarium. Nam prior contractus coram ipso conditionate initus, posita conditione transit in absolutum. Consultius tamen crediderim, coram eo se præsentare debere, ut ipsi exposito conditionis implemento, ab eo recipiant benedictionem, qua accepta matrimonium ex contractu fit sacramentum, quia ea benedictio licet non sit sacramenti forma, ut diximus, est tamen solemnitas requisita ad perfectionem sacramenti.

DUBIUM VI.

An ut Matrimonium sit validum, requiratur consensus Parentum?

§. I.

Quædam Prænotantur.

I. PArentes non posse per præceptum cogere filios, vel filias ad ineundum matrimonium, vel definite cum certa persona, vel indefinite; docet S. Thom. tum hac *q.* 47. *Suppl. art.* 6. ubi ait. *Cum in matrimonio sit quasi quædam servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit libera conditionis*. Tum 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. his verbis: *Secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo. Quia omnes homines natura sunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec servi Dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda*.

II. Ex quo sic discurro primo. Matrimonium est quædam servitus perpetua: sed filius est liberæ conditionis quantum ad statum perpetuum certi generis assumendum; ergo &c. —— Secundo. Compellere quempiam præcepto, est superioris: sed Pater in hoc non est superior filio, omnes enim natura sunt pares in his quæ pertinent ad corporis sustentationem; & generationem; ergo &c. —— Tertio. Nam Pater non potest præcipere filio, ut fiat religiosus, sive definite in certo ordine, sive indefinite, ergo nec potest ei præcipere matrimonium sive indefinite, sive definite cum certa persona, quia utraque est electio status perpetui, quæ prorsus libera esse debet.

Potest tamen (inquit S. Th. citata q. 47. art. 5.) pater filium *inducere ex rationabili causa. Et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris, ut scilicet, si causa cogat de necessitate, vel de honestate, & præceptum patris similiter cogat, alias non*. Unde si filius aliquam defloravit sub spe conjugii, vel si tale conjugium esset necessarium ad inimicitias sedandas, vel ad bonum religionis; esset causa movens de necessitate, & filius patri inducenti teneretur obedire: Et si tale matrimonium cederet in magnam utilitatem familiæ, & parentum inopum sustentationem, ex honestate, reverentia, & pietate teneretur filius parentum voluntatem sequi, alias peccaret, vel graviter, vel venialiter, secundum circumstantias magis, vel minus urgentes. Unde S. Thom. citatus *ad* 2. loquens de præcepto facto ab Isaac, Jacob; *Gen.* 28. ne acciperet uxorem de filiabus Chanaam, dicit: *Quod Jacob alias tenebatur ad faciendum hoc, quod mandabat Isaac, tum propter malitiam illarum mulierum. Tum quia semen Chanaam de terra, quæ semini Patriarcharum promittebatur, erat disperdendum: & ideo Isaac præcipere poterat*.

III. Hinc sequitur regulariter peccare etiam mortaliter filios, & filias, qui parentibus rationabiliter invitis matrimonium contrahunt. Exigit enim honor, & reverentia parentibus debita, ne sine voluntate eorum, quibus incumbit prospicere bono statui filiorum, rem tam arduam, & onus perpetuum, quale est matrimonium: assumant ——

Dixi

Dixi regulariter. Quia ſi quis procul abſit a parentibus, & aliunde urgeat matrimonium dignum, & utile: tunc poteſt præſumere parentum conſenſum, & illud contrahere, ſicut fecit Tobias junior. —— Dixi *rationabiliter invitis*. Nam ſi irrationabiliter prudentum æſtimatione repugnarent, ut ſi nullam ſuæ repugnantiæ rationem allegarent, aut futilem: ſi ex avaritia repugnarent, ne dotem tenerentur numerare, ſi quia vellent filios, aut filias religioni, non nuptui tradere, vel invitas. Si parentes hæretici contradicerent filio catholico, vel filiæ, ne cum catholico vel catholica nuberet, in his, & aliis ſimilibus caſibus eſſent irrationabiliter inviti, & filii, etiam ipſis renitentibus, licite contrahere poſſent. Si vero ex tali matrimonio prudenter timerentur diſcordiæ graves, ſcandala, odia, notabilis domus ignominia, aut dedecus; eſſent rationabiliter inviti, & filii contra eorum voluntatem contrahentes, lethaliter peccarent.

IV. His præmiſſis ad propoſitum dubium accedendo. Calvinus, *lib. 4. Inſt. cap. 19. §. 37.* nuptias filiorum invitis parentibus jure divino irritas eſſe cenſet, de Romanis Pontificibus contrarium ſtatuentibus, de more ſic loquens: *Tum leges ſanxerunt, quibus tyrannidem ſuam firmarunt, ſed partim in Deum manifeſte impias, partim in homines iniquiſſimas. Quales ſunt ut conjugia inter adoleſcentulos parentum injuſſu contracta, firma, rataque maneant.* Lutherus, *in Serm. de Matrim.* videtur diſtinguere. Vel enim ex conjugio contracto ſine conſenſu parentum proles nata eſt, vel non eſt nata. Si nata eſt, ratum eſſe debet matrimonium. Si nondum eſt nata, poſſunt parentes pro arbitrio matrimonium, vel confirmare, vel irritare. Lutherum ſequitur Melanchton. Brentius in Catechiſmo, non parentibus, ſed Magiſtratui poteſtatem tribuit matrimonia ſine conſenſu parentum irrita confirmandi, vel irritandi, ideoque ad Magiſtratus judicium eſſe referenda. Hunc ſequitur Kemnitius.

V. Ex Doctoribus non pauci ſentiunt quidem modo matrimonia filiorum ſine parentum conſenſu non irrita, ſed valida eſſe, volunt tamen antiquis temporibus, tum apud Græcos, tum apud Latinos ea irrita fuiſſe.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. Dico. Matrimonia a filiis ſine parentum conſenſu immo ipſis invitis contracta, quoad ſubſtantiam valida ſunt, nec poſſunt a parentibus, vel magiſtratu irritari. Probo eſſe valida jure naturæ, & divino. Primo ex facto Eſau, qui Gen. 26. v. 34. & 35. *Duxit uxores Judith filiam Beeri Ethæi, & Baſemath filiam Elon ejuſdem loci, quæ ambæ offenderant animum Iſaac, & Rebeccæ*, adeo ut *Gen. 27. v. 46.* legatur: *Dixitque Rebecca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. Si acceperit Jacob uxorem de ſtirpe hujus terræ, nolo vivere.* Unde, *cap. 28. v. 1. Vocavit Iſaac Jacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: noli accipere conjugem de genere Chanaam.* Inierat ergo Eſau matrimonium cum duabus illis Hethæis contra voluntatem parentum Iſaac, & Rebeccæ, qui nunquam in illud conſenſerunt, immo ſemper eis diſplicuit, & tamen fuit validum, neque unquam, quia contra eorum conſenſum, irritum, invalidum declarare tentarunt.

VII. Secundo. Ex jure divino poſitivo. Nam in lege Moſaica leguntur quidem a Deo prohibita hebræis quædam matrimonia: ſed quod matrimonia filiorum inconſultis, & invitis parentibus contracta irrita declaraverit, nullibi legitur. In lege etiam Evangelica nec Chriſtus, nec Apoſtoli in ſuis ſcriptis de hac re aliquid dixerunt: ſignum ergo eſt, divino jure talia conjugia non eſſe irrita. Merito igitur Concilium Tridentinum, *Seſſ. 24. cap. 1. de Reformat. Matrimon.* anathemate damnat; *Qui falſo affirmant, matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.*

VIII. Tertio. Ex ratione. Matrimonium illud ſecundum ſubſtantiam eſt validum, in quo concurrunt omnia, quæ ſunt de eſſentia matrimonii ſive ut contractus eſt, ſive ut ſacramentum eſt, ſed ad eſſentiam matrimonii ſub utraque conſideratione ſolus contrahentium conſenſus exterius expreſſus, & traditio mutua corporum requiritur, conſenſus autem aliorum, & etiam parentum, prorſus extrinſecus eſt. Nam ut dictum eſt ex S. Thom. homo in his quæ concernunt ſuſtentationem vitæ, & generationem, nullum habet ſuperiorem, niſi Deum; in naturalibus enim omnes ſunt pares, quamvis in civilibus, & filii ſubjiciantur parentibus, & unus homo habeat alterum ſuperiorem. —— Et ſane non poſſum hac in re non mirari, cur Calvinus, ſuique ſimiles nolint, Eccleſiam ſuper matrimonia nihil poſſe, & leges ſtatuentes impedimenta dirimentia vocant leges tyrannicas libertati injurioſas: & poſtea velint, parentibus, vel magiſtratui ineſſe poteſtatem matrimonia filiorum irritandi, ſi contra eorum voluntatem facta ſint.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

IX. Primo objiciunt. Jus Civile Romanum aperte irritat matrimonia ſine conſenſu parentum contracta, ut videre eſt, *l. Nuptiæ 2. ff. de ritu nuptiarum. Nuptiæ conſiſtere non poſſunt*, ut refert lex, *niſi conſentiant omnes, ideſt qui coeunt, quorumque in poteſtate ſunt.* Multæque aliæ leges afferri ſolent hoc idem ſtatuentes, & præcipue in Inſtit. *de Nuptiis*, ubi Juſtinianus recenſens conditiones requiſitas ut matrimonia juſta ſint, ait: *Dum tamen ſi filii familiarum ſint, conſenſum habeant parentum, quorum in poteſtate ſunt: nam ſic fieri debere, & civilis, & naturalis ratio ſuadet ... Si adverſus ea, quæ diximus, aliqui coirent, nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur .... Sequitur ergo ut diſſoluto tali coitu, nec dotis, nec donationis exactioni locus ſit.*

X. Reſpondent plures, de facto jus civile antiquum talia matrimonia irrita quoad ſubſtantiam declaraſſe, ſed a jure canonico poſtea correctum fuiſſe. Hanc enim poteſtatem apponendi conditiones matrimonium quoad ſubſtantiam irritantes, poſtquam ad ſacramenti dignitatem evectum fuit, in ſola Eccleſia eſſe, declaravit Tridentinum, *Seſſ. 24. cap. 1. de reform. Matrim.* Dum enim dixit matrimonia clandeſtina rata, & vera matrimonia fuiſſe, quamdiu Eccleſia irrita non fecit, aperte ſignificavit a ſola Eccleſia irritari potuiſſe.

XI. Reſpondet ex Juriſconſultis Cujacius in lib. 35. Pauli ad legem 2. & 10. *de ritu Nuptiarum*, nuptias, de quibus agitur, vi Romanarum legum non eſſe irritas, ſed illicitas, & qui ſic contraxerunt, non diſſociari, nec diſſolvi: cui conſentit Godefridus in notis ad Legem *Filius in ff. de ritu Nuptiarum*. Ubi enim quæſivit: *Si pater An illud matrimonium diſtrahatur*. Reſpondet: *Si pater juſtam rationem habuit non probandarum hujuſmodi nuptiarum, injuſta nuptia, injuſta uxor, injuſti liberi, & Apulejus, ſpurii: nulla dos, nulla uxor. Inſt. de Nupt. Non tamen jure civili Romano diſſolvitur matrimonium.* Moventur autem ad hoc Cujacius, & Godefridus Pauli Juriſconſulti verbis, *leg. 1. ſentent. tit. 14.* dicentis]: *Eorum, qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, ſed contracta non ſolvuntur.* Ita quoque, ut obſervat Pamelius, lege civiles ſui temporis interpretatus fuit Tertullianus, *l. 2. ad uxorem, cap. 9.* dum ait: *Nec in terris filii ſine conſenſu patrum rite, & jure nubunt.*

XII. Objiciunt ſecundo. Saltem in regno Galliæ irrita ſunt matrimonia a filiis familias ſine parentum conſenſu contracta, ut patet (omiſſis antiquioribus) ex regia conſtitutione, quam in Conciliis Bleſenſibus, *anno 1579.* edidit Henricus III. & quæ *anno 1629.* a Ludovico XIII. prodiit, quibus præfata matrimonia nulla, atque irrita declarantur.

XIII. Non deſunt ex Gallis ſcriptoribus qui velint, ea matrimonia facto irrita eſſe, ac invalida etiam quoad ſubſtantiam, & Reges potuiſſe hoc impedimentum ponere. Cum enim matrimonii ſacramentum includat contractum civilem, poteſtas conſtituendi impedimenta, non eſt tantum penes Eccleſiam, ut contra Lutheranos ſtatuit Tridentinum, ſed etiam penes principes ſæculares: cum quatenus contractus ſunt, ut ſic ad Reipublicæ pacem, vel conſervandam, vel perturbandam plurimum conferant. —— Quæ reſponſio ſi loqueretur de matrimoniis clandeſtinis ſine conſenſu parentum contractis, quomodo ea vocat Ludovicus XIII. in ſuis edictis *anno 1629. & 1639.* quia irritis, ſine præſentia Parochi, & teſtium, & proinde non in facie Eccleſiæ, admitti poſſet. Si vero ea vocent clandeſtina, quia facta ſine conſenſu parentum, licet in facie Eccleſiæ, ſuſtineri non poſſunt.

XIV. Reſpondet propterea aliter Cabaſſutius, *lib. 3. Theoriæ, & praxis Juris Canonici, cap. 26. §. 4.* Leges illas non declarare irrita talia matrimonia quoad rationem ſacramenti, & vinculi conjugalis; ſed ſolum quoad effectus civiles, ſecundarios: ut nempe quoad actus civiles fori, his omnino privati exiſtant filii, qui ſic contrahunt. Ita dicit Cabaſſutius fuiſſe declaratum ex regia commiſſione ad inſtantiam Cleri Gallicani a Regio Cancellario, & Sanctioris conſilii officialibus, nimirum verba edicti *Non eſſe aliter explicanda, quam per ſolam relationem ad contractum civilem per laicos Judices.* Quod confirmat doctrina Div. Loveti in Pariſienſi Senatu conſiliarii ſic loquentis: *Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum, quas requirit articulus quadrageſimus Bleſenſis conſtitutionis, nullatenus attingit ipſum ſacramentum, quod nihilominus in iſto matrimonio exiſtit. Non agitur de ſacramento matrimonii, aut ejus eſſentialibus cæremoniis, ſed de validitate conventionum matrimonialium, de acceſſoriis matrimonii, de dotis validitate, & communitate inter virum, & uxorem; quæ conventiones non dependent ex Theologicis deciſionibus, ſed ex edictis in parlamento verificatis.* Et paulo poſt: *Aliud eſt de ſacramento matrimonio diſputare: aliud de pactione dotis differere: diſtincta ſunt poteſtates.*

XV. Ex his apparet, Gallos duo in contractu matrimoniali diſtinguere, quæ revera diſtincta, & ſeparabilia

lia ſunt, nempe vim producendi certos effectus civiles: & in his dicunt pendere a poteſtate ſæculari, cui incumbit providere bono civili, & politico; Et vim efficiendi vinculum conjugale, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, in quo ratio ſacramenti conſiſtit, & hoc ſolius Eccleſiæ poteſtati relinquitur. Unde ſi totum id quod Eccleſia ad ejus valorem requirit, interveniat, habebitur vera conjunctio, & verum matrimonium ſignificativum ſpiritualis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, & proinde verum ſacramentum. De contractu civili loquuntur conſtitutiones Regum Francorum. De contractu ſpirituali loquitur Tridentinum *Seſſ. 24, cap. 1. de Reform. Matrimon.* dum damnat eos, qui dicunt matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.

XVI. Apparet etiam, toto Cælo diſtare Juriſperitos Gallos ab hæreticis. Nam hi volunt, matrimonia a filiis familias ſine parentum conſenſu contracta, irrita eſſe, aut ſaltem a parentibus, vel a magiſtratu irritari poſſe quoad vinculum conjugale, adeoque quoad ſubſtantiam. Illi vero docent talia matrimonia nulla eſſe quoad ea, quæ acceſſoria ſunt matrimonio, & quod ſine ipſis matrimonii ſubſtantia, & ſacramentum ſubſiſtere poſſunt, & de facto ſubſiſtunt.

XVII. Objiciunt tertio. Etiam jus canonicum requirit parentum conſenſum ad valorem matrimonii filiorum. Ut ex Cap. *Noſtrates 30. qu. 5.* In quo Nicolaus I. ſic loquitur: *Fœdera quoque* (nuptiarum) *conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur.*

XVIII. Reſpondetur, neg. ant. ad prob. Dico, Nicolaum ibi non recenſere præciſe ea quæ ad validitatem matrimonii neceſſaria ſunt; ſed ea quoque, quæ de ſolemnitate, vel Præcepto intervenire debent: ait enim in fine Capitis: *Hæc ſunt præter alia, quæ ad memoriam non occurrunt, pacta conjugiorum ſolemnia. Peccatum autem eſſe, ſi hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus.* Parentum autem conſenſum pertinere tantum ad honeſtatem matrimonii, non ad eſſentiam, idem Nicolaus indicat Cap. *Sufficiat* 27. qu. 2. ubi ait: *Sufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur.* Et clarius Clemens III. Cap. *Cum virum* 12. extra de regularibus. De puella in ætate nubili conſtituta: *Quia* (inquit) *liberum habet arbitrium in electione propoſiti, ſequi parentum non cogitur voluntatem.*

XIX. Objiciunt quarto, *Exodi 22. verſ. 16.* dicitur: *Si ſeduxerit quis virginem, nec dum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.* Secundo, *Numer. 30. verſ. 4. &c.* dicitur, quod ſi mulier, quæ eſt in domo Patris ſui, & in ætate adhuc puellari, quidquam voverit, votum ejus erit irritum, ſi ſtatim ut audierit, contradixerit pater ejus.

XX. Reſpondetur, hæc non eſſe ad rem. Nam primum loquitur de matrimonio contrahendo, non de contracto, de quo nos loquimur. —— Secundum agit de filia impubere, cujus vota irritandi facultas patri conceditur, ſi ſtatim ac audierit, contradicat: & hoc divino, & eccleſiaſtico jure; quia ante pubertatis annos plenum rationis judicium non ſupponitur. Et eadem ratione matrimonium ab impuberibus contractum jure Eccleſiaſtico irritum eſt, etiamſi parentes conſentiant. At ſicut non valet, parentes poſſunt irritare vota filiorum impuberum; ergo poſſunt irritare vota filiorum jam puberum: ita minus valebit, poſſunt irritare matrimonia filiorum impuberum; ergo poſſunt irritare matrimonia filiorum poſt annos pubertatis contracta.

XXI. Sed dices: Filius adhuc puber eſt ſub poteſtate patris, ergo &c. —— Reſpondeo neg. conſ. Cum enim filius jam puber plenum ſupponatur habere rationis judicium, poteſt diſponere de ſuo corpore, in quo nulli ſubjicitur, tamquam de re ſua, neque ad validitatem alienus conſenſus requiritur. Si tamen contraheret patre rationabiliter invito, peccaret mortaliter contra reverentiam Patri debitam, ſed firmus, ac ratus eſſet contractus.

XXII. Replicabis. Si peccat filius ſic contrahens; ergo non Deus eſt, qui tales conjungit, ſed Diabolus —— Nego conſequent. Nam licet modus contrahendi, quia in peccato, non ſit a Deo; vinculum tamen, quod ex tali contractu efficitur, a Deo eſt: ſicut cæterorum ſacramentorum auctor eſt Deus, quamvis a ſuſcipiente indigne ſumantur.

DUBIUM VII.

Quodnam debeat eſſe conſenſus Matrimonialis Objectum.

§. I.

Reſolutio Dubii.

CErtum eſt, ad valide contrahendum matrimonium debere contrahentes conſentire in ea omnia, quæ ſunt eſſentialia matrimonio: nimirum in vinculum conjugale perpetuum, in traditionem irrevocabilem mutuæ poteſtatis in corpus alterius &c. controverſia eſt, an ferri debeat conſenſus etiam in copulam carnalem?

I. Dico, Ad valorem matrimonii non requiritur conſenſus expreſſus in carnalem copulam, ſed ſolum implicitus. Ita S. Thom. *quæſt. 48. Supplem. art. 1.* Prima pars prob. Partim ex verbis contrahentium, quæ non exprimunt conſenſum in carnalem copulam, ſed in vinculum conjugale, & conjugalem viri, & mulieris aſſociationem. Partim quia carnalis copula non eſt de eſſentia matrimonii, ut fuſe oſtenſum ut ſupra, *Quæſt. 2. Dub. 4.* ubi de matrimonio B. Virginis cum Joſeph actum eſt ex S. Thom. *3. p. queſtion. 29. art. 2.* —— Probo ulterius ex S. Thom. hac *quæſt. 48. Supplem. art. 1.* Sicut carnalis copula ſe habet ad matrimonium; ita conſenſus, qui matrimonium cauſat, eſt in carnalem copulam: ſed matrimonium non eſt eſſentialiter ipſa conjunctio carnalis, ſed quædam aſſociatio viri, & mulieris, quæ conjugalis dicitur cum poteſtate ad copulam conjugalem, & alia, quæ hujuſmodi ſocietatem conſequuntur, ergo conſenſus in matrimonium non importat expreſſum conſenſum in copulam: ſicut conſenſus ad accipiendam poteſtatem, non dicit expreſſum conſenſum utendi tali poteſtate.

II. Secunda vero pars. Quod conſenſus in matrimonium ſit conſenſus implicitus in copulam conjugalem, a multis negatur: traditur tamen a S. Thoma, *art. 1. citato.* Cum enim effectus contineatur implicite in ſua cauſa, & poteſtas carnalis copulæ, in quam conſentitur, ſit cauſa carnalis copulæ, ſicut poteſtas utendi re ſua eſt cauſa uſus; ideo qui conſentit in poteſtatem conjugalem, conſentit implicite in uſum ejus. Hoc tamen non ita eſt accipiendum, quaſi ſit propoſitum ſaltem virtuale, copulæ carnalis: ſed quia eſt conſenſus in poteſtatem illam, in qua talis copula continetur implicite, ſicut actus continetur in potentia. Unde Sanct. Thom. *in 3. diſt. 30. qu. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3.* concedit, copulam carnalem cecidiſſe ſic implicite ſub conſenſu B. Virginis; ſicut actus implicite continetur in potentia. Vere enim tradidit S. Joſeph poteſtatem ſui corporis, & ab eo accepit, ideoque fuerunt veri conjuges: *Potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipſius, niſi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in propoſito B. Virginis, ſed erat jam certificata, quod actus nunquam ſequi deberet.* Videantur ſuperius dicta *Dub. 5. §. 2.*

§. II.

Solutiones Objectionum.

III. OBjicitur primo contra primam partem. Omnia quæ ſunt in matrimonio inter virum, & uxorem, præter carnalem copulam, poſſunt eſſe licita inter fratrem, & ſororem, ergo ſi ad conſenſum matrimonialem non requiritur conſenſus in copulam, poterit inter fratrem, & ſororem dari contractus matrimonialis.

IV. Reſpondet S. Thom. *quæſtion. 48. Suppl. art. 1. ad 2.* Nego ant. Nam ad conſenſum eſto non requiratur conſenſus expreſſus in copulam; requiritur tamen traditio poteſtatis in invicem ad carnalem copulam. *Inter fratrem autem, & ſororem non poteſt eſſe poteſtas in invicem ad carnalem copulam, ſicut nec licita carnalis copula.* Et ideo non poteſt eſſe inter eos contractus matrimonialis.

V. Objicies ſecundo, In qualibet re initium conſummationi reſpondet: ſed matrimonium conſummatur per carnalem copulam; ergo conſenſus, per quem initiatur, debet eſſe in carnalem copulam.

VI. Reſpondeo cum S. Thom. citato, *ad 4.* Quod initiatum matrimonium reſpondet conſummato, ſicut habitus, vel poteſt actui, qui eſt operatio. Conſenſus autem in poteſtatem ad actum, non eſt conſenſus in actum explicite, ſed ſolum implicite.

VII. Objicies tertio contra ſecundam partem. Si quis contrahat matrimonium cum intentione religionem amplectendi ante conſummationem, valide contrahit, ut patet Cap. *Commiſſum* de ſponſalibus: ſed talis nec explicitum, nec implicitum habet conſenſum in copulam, ergo &c.

VIII. Reſpondeo, diſt. minor. ex parte contrahentis, conc. min., ex parte contractus, nego min. Cum enim velit contractum, qui ex natura ſua includit poteſtatem in copulam, eo quod hæc continetur in illa, ſicut actus in potentia; conſequenter implicite hoc modo conſentit in copulam, & ſic ſalvatur eſſentia matrimonii. Quia vero propoſitum habet non utendi ea poteſtate; ſed tranſeundi ante conſummationem ad religionem, non conſentit, nec implicite ex parte conſentientis, ut ſupra dictum eſt de matrimonio B. Virginis cum S. Joſeph.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Unitate Matrimonii.

AGere de Unitate Matrimonii idem est, ac inquirere, an matrimonium debeat esse sic unius cum una, ut non possit esse cum pluribus: ita ut polygamia sit contra naturam matrimonii tam in nova, quam in veteri Lege: & rursus an prohibita sit polygamia, non solum simultanea, sed etiam successiva; ita ut non solum non liceat habere plures uxores simul, sed nec liceat priore defuncta alteram ducere.

DUBIUM I.

An Polygamia simultanea sit contra Legem Naturæ.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DE hoc agit S. Thom. *3. p. Suppl. q. 56. art. 1. & in 4. dist. 33. qu. 1. art. 1.* & resolvit affirmative in argum. *sed contra.*

Primo, *Quia illud videtur esse de jure naturali, quod homini in institutione humanæ naturæ inditum est. Sed quod sit una unius in ipsa institutione humanæ naturæ, est ei inditum, ut patet, Genes. 2.* Erunt duo in carne una; *ergo &c.*

Secundo, *Contra legem naturæ est, quod homo se ad impossibile obliget, & ut quod uni datum est, alteri detur: sed homo contrahens cum una uxore sui corporis potestatem ei tradit, ut necesse sit ei reddere debitum, cum petierit; ergo contra legem naturæ est, quod postea alteri potestatem sui corporis tradat, quia non posset simul utrique reddere si debitum simul peterent; ergo &c.*

Tertio. *De lege naturæ est:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: *sed vir nullo modo vellet, ut uxor alium virum haberet: ergo contra naturam faceret, si uxorem aliam superduceret,*

Quarto: *Quidquid est contra naturale desiderium, est contra legem naturæ: sed zelus viri ad uxorem, & uxoris ad virum naturalis est; quia in omnibus inventur; ergo cum zelus sit,* amor non patiens consortium in amato, *videtur quod contra legem naturæ sit, quod plures uxores habeant unum virum.*

II. In corpore articuli idem confirmat, sed distinguit inter ea, quæ sunt contra legem naturæ. Aliqua enim sunt contra prima præcepta legis naturæ, & contra finem primarium ejus, quia omnino impediunt finem: ut nimia superfluitas, aut defectus comestionis impedit salutem corporis, quasi principalem finem comestionis, & bonam habitudinem in negotiis exercendis, qui est finis secundarius. Aliqua vero sunt, quæ solum faciunt difficilem, aut minus decentem perventionem ad finem principalem, vel secundarium, sicut inordinata comestio, quantum ad tempus indebitum. *Si ergo* (inquit S. Doctor) *actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturæ prohibetur, primis præceptis legis naturæ, quæ sunt in operabilibus, sicut communes animi conceptiones in speculativis. Si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principalis, ut faciens difficilem, vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis præceptis legis naturæ, sed secundis, quæ ex primis derivantur; sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent. Et sic dicta actio contra legem naturæ esse dicitur.* His ergo S. Thomæ suppositis.

III. Dico cum eodem S. Doctore pluralitas uxorum simul, seu polygamia simultanea, est contra legem naturæ, non tamquam impediens finem primarium matrimonii, sed tamquam incompetens fini secundario, & faciens difficilem, & minus congruam consecutionem finis primarii: & proinde non est contra prima præcepta legis naturæ, sed contra præcepta, quæ ex primis tamquam conclusiones derivantur. Prima pars probatur. Finis primarius, & principale matrimonii bonum, est generatio, & educatio prolis: sed hoc non totaliter impedit pluralitas uxorum; *cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis;* ergo pluralitas uxorum non tollit &c.

Secunda vero pars probatur. Finis secundarius matrimonii in hominibus solis est communicatio operum, quæ sunt necessaria in vita, & maxime pacifica cohabitatio, & associatio: sed hunc finem, etsi pluralitas uxorum non totaliter tollat, tamen multo impedit; *eo quod facile non potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur: cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, & etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem, sicut figuli corrixantur ad invicem, & similiter plures uxores unius viri,* ergo &c.

IV. Hinc polygamia de se nata est parere discordias, tum ratione domestici regiminis, ut apparuit in Sara, & Agar, tum ratione amoris, & usus conjugii, educationis & evectionis filiorum — Secundo: adversatur æqualitati, quam jure naturæ habent conjuges in iis, quæ pertinent ad torum conjugalem, in quo mulier non permittit habere sociam. — Tertio. Adversatur etiam aliqua ratione fidei conjugali, quia vir tenetur uxori petenti reddere debitum: hoc autem præstare non potest pluribus simul exigentibus.

Hac de causa ab initio unum tantum masculum, & feminam creavit Deus in specie humana. Unde & dixit Adam, *Genes. 2. vers. 24.* vir *adhærebit uxori*, non uxoribus. *Erunt* non tres, aut plures, *sed duo in carne una*, ac deinde infert Christus Matth. 10. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro:* quod cum pluralitate uxorum stare non potest.

§. II.

Fit Satis Objectionibus.

V. OBjicies, habere plures uxores non esse contra legem naturæ, primo. Consuetudo legi naturali non præjudicat: sed ut videtur dicere Augustinus, *lib. de Bono conjug. cap. 15.* habere plures uxores *peccatum non erat, quando mos erat;* ergo &c.

Secundo. Qui facit contra legem naturæ, facit contra præceptum, sed idem August. cit. loco, & *lib. 15. de Civitate Dei, cap. 38.* dicit, quod habere plures uxores non erat contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum, ergo &c.

Tertio. Matrimonium principaliter ordinatur ad prolis procreationem: sed unus homo potest ex pluribus prolem accipere plures fœcundando, ergo &c.

Quarto. Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit, sed natura non docuit hoc omnia animalia quod sit tantum una unius, ergo &c.

Quinto. Ut ait, *Philip. 1. de Gen. anim. cap. 20.* in generatione prolis mas se habet ad feminam, sicut agens ad patiens & sicut artifex ad materiam: sed non est contra ordinem naturæ quod unum agens circa plura patientia agat, aut unus artifex in diversis materiis operetur, ergo &c.

VI. Hæc, quæ S. Thom. *quæst. 65. Supplem. art. 1.* sibi objicit, probant solum, pluralitatem uxorum non esse contra prima præcepta legis naturæ. Unde ad primum dico cum eodem. Quod licet consuetudo non præjudicet his, quæ sunt de primis præceptis legis naturæ; ea tamen, quæ sunt conclusiones ex illis derivatæ, ut est unitas uxoris, consuetudo auget, vel minuit.

Ad secundum dicit S. Thom. Quod ea *quæ lex naturalis dictat, quasi ex principiis legis naturæ derivata, non habent vim coactivam per modum præcepti absolute, nisi postquam lege divina, & humana sancita sunt. Et hoc est, quod dicit Augustinus, quod non faciebant contra legis præcepta, quia nulla lege erat prohibitum.*

Ad tertium jam dictum est supra, quod licet unus homo possit fœcundare plures uxores, & sic haberi finis primarius matrimonii: finis tamen secundarius vel non haberetur, vel non adeo facile.

Ad quartum, nego min. Nam jus naturale dictat quid faciendum sit juxta modum convenientem naturæ cujuslibet: modus autem conveniens naturæ hominis, cujus est prolem non solum procreare, sed etiam educare, est, quod sit unius cum una: *Unde etiam* (inquit Sanctus Thomas ibi ad 4.) *quædam animalia, in quibus ad educationem prolis requiritur sollicitudo utriusque, scilicet maris, & fœminæ, naturali instinctu servant conjunctionem unius ad unam, sicut patet in turtura, & columba, & hujusmodi.*

Ad quintum dico, quod ex quo mas se habeat ad feminam sicut agens ad patiens, & sicut artifex ad materiam, solum sequitur, habere unum virum plures uxores non esse contra ordinem naturæ quoad finem primarium; non autem non esse contra ordinem naturæ quoad fines secundarios, ut supra dictum est.

VII. Quia vero rationes supra inductæ §. 1. *num. 1.* ex Sancto Thoma *in argument.* sed contra videntur ostendere, quod pluralitas uxorum sit contra prima principia legis naturæ, ideo cum eodem Sancto Thoma respondendum est.

Ad primum ergo dico; *Quod natura humana absque omni defectu instituta est: Et ideo non solum sunt inditæ ei illa, sine quibus matrimonii finis principalis esse non potest; sed etiam illa, sine quibus secundarius finis matrimonii sine difficultate haberi non posset. Et hoc modo sufficit homini in sua institutione habere unam uxorem.* Ita *ad 6.* ibi.

VIII. Ad secundum dico. *Quod vir per matrimonium non dat sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa, quæ matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium, ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat; quantum ad id, ad quod matrimonium principaliter est institutum: scilicet bonum prolis, sed quantum sufficit ad impregnationem. Requirit autem hoc matrimonium, in quantum est ad remedium institutum* (*quod est secundarius ipsius finis*) *ut quolibet tempore debitum petenti reddatur. Et sic patet, quod accipiens*

plures

plures uxores non ſe obligat ad impoſſibile, conſiderato principali fine matrimonii. Et ideo pluralitas uxorum non eſt contra prima præcepta legis naturæ. Ita Sanct. Thom. citatus *ad 7.*

IX. Ad tertium dicit S. Thom. ibi ad 8. *Quod illud præceptum legis naturæ*: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, *debet intelligi eâdem proportione ſervata. Non enim ſi Prælatus non vult ſibi reſiſti a ſubdito, ipſe ſubdito reſiſtere non debet. Et ideo non oportet, ex vi illius præcepti, quod ſicut vir non vult, quod uxor ſua habeat alium virum, ipſe non habeat aliam uxorem. Quia unum virum habere plures uxores non eſt contra prima præcepta legis naturæ, ut dictum eſt. Sed unam uxorem habere plures viros eſt contra prima præcepta legis naturæ: eo quod per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, & quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod eſt principalis matrimonii finis. In bono enim prolis intelligitur non ſolum procreatio, ſed etiam educatio. Ipſa enim procreatio prolis, etſi non totaliter tollatur, quia contingit, poſt impregnationem primam iterum mulierem impregnari, ut dicitur 7. de Animal. cap. 4. tamen multum impeditur, quia vix poteſt accidere, quin corruptio accidat quantum ad utrumque fœtum, vel quantum ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur: quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, ſequeretur incertitudo prolis reſpectu patris, cujus cura neceſſaria eſt in educando. Et ideo nulla lege, vel conſuetudine eſt permiſſum, unam mulierem habere plures viros, ſicut e converſo.*

Ad quartum dico. Quod *Naturalis inclinatio in appetitiva ſequitur naturalem conceptionem in cognitione. Et quia non ita eſt contra conceptionem naturalem, quod vir habeat plures uxores, ſicut quod uxor habeat plures viros; ideo affectus uxoris non tantum refugit conſortium in viro, ſicut e converſo. Et ideo tam in hominibus, quam in aliis animalibus invenitur major zelus maris ad fœminam, quam e converſo.* Ita S. Thom. *ad 9.* quæ exſcribere placuit, cum nulla egeant explicatione.

DUBIUM II.

An aliquando licitum fuerit habere plures Uxores?

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. PRimus, qui polygamiam invexit in Orbem, fuit Lamech ſeptimus ab Adam, ex poſteris Caim, Sic enim legitur, Gen. 4. verſ. 19. *Mathuſael genuit Lamech, qui accepit duas uxores; nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.* Lamech exemplum imitati ſunt poſtea Gentiles; impellente enim libidine, plures ſimul uxores duxerunt. Invaluerat illa conſuetudo Iſaaci temporibus. Habemus enim, *Genſ. 29. verſ. 26.* Laban Ethnicum duas filias Liam, & Rachel Jacob in matrimonium ſimul obtuliſſe, cumque Liam loco Rachel Jacob ſuppoſuiſſet, ſe excuſabat Laban, dicens: *Non eſt in loco noſtro conſuetudo, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi . . . acquievit placito, & Rachel duxit uxorem.*

II. Primus, qui inter veri Dei cultores polygamiæ aperuit viam, Abraham fuit. Ejus enim exemplo, etiam viri ſancti pluribus uxoribus ſimul nubere cœperunt, non quidem, ut libidini ſervirent, ſicut Gentiles, ſed ut fidelis populi, cui in Abraham factæ fuerant promiſſiones, multiplicationi conſulerent. Hinc Moyſes de Polygamia tamquam more, qui in communi Iſraelitarum eſſet uſu, aperte loquitur, *Deuter. 21. v. 11.* dicens: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam &c.* Immo non ſolum eam recenſet tamquam uſum apud gentem ſuam maxime tritum, ſed eam etiam præcipit uno in caſu. Ubi enim germanus frater ſine liberis obiiſſet, tunc frater, qui eſſet ſuperſtes, viduam defuncti in uxorem ducere tenebatur ad ſuſcitandum ſemen fratris ſui, eique hæredem faciendum, *Deuteron. 25. v. 5.*

III. Cum ergo polygamia ſimultanea veterum Patriarcharum exemplis fuerit honeſtata, eo tempore, quo ſola naturæ lege ducebantur, neque poſt legem ſcriptam fuerit reprobata continuo uſu etiam apud viros in populo fideli ſanctitate inſignes, aperitur quæſtioni locus, an pro eo tempore fuerit licita.

Calvinus, negat in *cap.* 1. Samuelis, ſeu primi Regum; volens, Polygamiam unius viri cum pluribus uxoribus ſimul, ſemper fuiſſe jure naturali, ac divino prohibitam, & audacter afferens veteres Patriarchas ineundo cum pluribus nuptias, adulterii reos factos fuiſſe; quod tamen Deus illis non imputavit, quod ex numero prædeſtinatorum eſſent. Et hoc maxime damnat citato loco in Elcana, qui cum eſſet de genere ſacerdotali, duas accepit uxores Annam, & Phenennam. Catholici tamen omnes contrarium ſentiunt.

§. II.

Reſolutio Dubii?

IV. DIco. Temporibus veterum Patriarcharum, & legis ſcriptæ licita erat ex divina diſpenſatione in populo Iſraelitico polygamia ſimultanea unius viri cum pluribus uxoribus. Ita Sanct. Thom. *quæſtion. 65. Supplem. art. 2.* ubi ita diſcurrit. Pluralitas uxorum eſſe dicitur contra legem naturæ, non quantum ad prima præcepta ejus, ſed quantum ad ſecunda, quæ quaſi concluſiones a primis præceptis derivantur, ut ex eodem Sancto Doctore dubio præcedente oſtenſum eſt. Sed licet ſuper iis, quæ primis præceptis legis naturæ adverſantur, diſpenſatio cadere non poſſit, ſuper iis tamen, quæ quaſi concluſiones ex primis præceptis derivantur, ſecundum circumſtantias cadere poteſt diſpenſatio, ut traditur 1. 2. *quæſtion. 94. art. 5.* ſeu verius declaratio, ut *Tom. 1. in 1. 2. de Legibus Quæſt. 3. Dub. 6. §. 4. num. 44.* ergo &c.

Minorem Sanct. Thom. ſic probat. *Quia actus humanus variari oportet ſecundum diverſas conditiones perſonarum & temporum, & aliarum circumſtantiarum: ideo concluſiones predictæ a primis legis naturæ præceptis non procedunt, ut ſemper efficaciam habentes, ſed in majori parte, talis eſt enim tota materia moralis . . . . . Et ideo ubi eorum efficacia deficit, licite ea prætermitti poſſunt.* Addit ſubinde. *Sed quia non eſt facile determinare hujuſmodi varietates; ideo illi, ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, reſervatur, ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis caſibus, ad quos legis efficacia non extendere ſe debet. Et talis licentia diſpenſatio dicitur. Lex autem de unitate uxoris non humanitus, ſed divinitus inſtituta, nec unquam verbo, aut litteris tradita, ſed cordi impreſſa, ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a ſolo Deo diſpenſario fieri potuit per inſpirationem internam, quæ quidem principaliter Patribus ſanctis facta eſt, & per eorum exemplum ad alios derivata eſt, eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ.*

Unde ſic (concludit) *eum bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire: ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur, ut ex dictis patet.*

V. His docet Sanctus Thomas primo. Quod præcepta, quæ tamquam concluſiones ex primis præceptis legis naturæ derivantur, maxime ſi concernant actus humanos, non procedunt, ut ſemper efficaciam habentes, ſed variari poſſunt ſecundum circumſtantias perſonarum, & temporum. —— Secundo. Quod determinare perſonas, & tempora, in quibus talis lex oporteat prætermitti, ad ejus ſolius auctoritatem pertinet, a quo lex efficaciam habet. Porro cum lex de unitate uxoris ſit a Deo, non verbo, aut ſcripto edita, ſed cordi impreſſa, ad eum ſolum pertinuit declarare per internam inſpirationem tempus, in quo oportebat eam prætermitti —— Tertio. Quod hoc inſpiravit antiquis Patriarchis, & per eorum exemplum ad alios, quia eo tempore, ut multiplicaretur populus ad cultum Dei, expediebat, ut lex de unitate uxoris prætermitteretur —— Quarto. Tandem, hoc convenienter factum fuiſſe, hoc diſcurſu oſtendit. Ubi prolis multiplicatio, quæ eſt finis principalis matrimonii, neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire: ſed lex prohibens pluralitatem uxorum ordinatur ſolum ad removenda impedimenta, quæ in finibus ſecundariis matrimonii poterant evenire, ergo debuit ad tempus prætermitti, ut finis principalis obtineretur.

§. III.

Fit Satis Objectionibus.

VI. OBjiciunt primo cum Calvino quidam Heterodoxi. Exemplum veterum Patriarcharum non probat, eis tunc licitam fuiſſe polygamiam: peccarunt enim, ac adulterii rei fuerunt. Primo. Quia ancillas, ex quibus Patriarchæ filios genuerunt, ſcriptura *Concubinas* vocat, *Gen. 22. 25.* & alibi, ergo ſupponit eos non fuiſſe illis legitimo matrimonio junctos. —— Secundo. S. Ambroſius, *lib. 1. de Abraham, cap. 4.* Illius commixtionem cum Agar, vocat adulterium, aitque virum ſanctum illius poſtea pœnituiſſe. —— Tertio. S. Leo Epiſt. 92. modo 2. ad Ruſticum Narbonenſem Inquiſit. 4. *Aliud* (inquit) *concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera*, & ponit exemplum in Sara, & Agar, concludens, quod *Clericus ſi filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam conjugato dederit.*

VII. Reſpondeo nego ant. Nuſquam enim ſcriptura arguit Patriarchas ob multiplicata eorum conjugia ſimul. Immo eximiæ eorum ſanctitati teſtimonium perhibet, & de eorum pœnitentia acta propter conjugia cum pluribus prorſus ſilet. Immo cum etiam poſt Moyſem nuberent

ſimul

ſimul cum pluribus factum hoc nec arguerunt Prophetæ, nec ipſe Nathan, qui Davidi ob commiſſum unum adulterium non pepercit; ſed eum, quamvis de numero prædeſtinatorum, eſſe gravi culpæ, ac pœnæ obnoxium ob hoc pronuntiavit: de pluribus uxoribus, quas habebat, nec verbum ei fecit: quod certe non tacuiſſet, ſi continui cum eis adulterii fuiſſet reus.

VIII. Ad primum ergo dico. Quod etſi ancillas, quas Patriarchæ, vel alii duxerunt, interdum ſcriptura vocet *Concubinas*; interdum tamen eas vocat *uxores*, & præſertim, *Geneſ. 16. v. 3.* ubi dicitur, quod Sara *tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam . . . Et dedit eam viro uxorem*. Igitur (inquit S. Thom. in 4. diſt. 33. quæſt. 1. artic. 3. quæſt. 3. & quæſt. 65. Suppl. art. 5.) *Ubicumque legitur in veteri Teſtamento aliquos concubinas habuiſſe, quos neceſſe ſit a peccato mortali excuſari, oportet eas eſſe matrimonio junctas: & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Sciendum enim, quod matrimonium ordinatum ad ſuum principalem finem qui eſt bonum prolis, uxor viro conjungitur indiſſolubili conjunctione, vel ſaltem diuturna . . . Et circa hoc eſt aliqua diſpenſatio. Sed quantum ad ſecundum finem, qui eſt diſpenſatio familiæ, & communicatio operum, uxor conjugitur viro, ut ſocia. Et hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur. In hoc enim poterat eſſe diſpenſatio, cum ſit ſecundarius matrimonii finis. Et ex hac etiam parte habebant aliquid ſimile concubinis, ratione cujus concubinæ nominabantur.*

Et l. 4. ad Hannibald. diſt. 33. quæſt. unic. art. 2. ad 2. *Abraham* (inquit) *& Jacob habuerunt concubinas, quas uxorio affectu cognoſcebant: erant enim quantum ad aliquid uxores, ſcilicet quantum ad actum matrimonialem: & quantum ad aliquid concubinæ, ſcilicet quantum ad diſpenſationem familiæ, in quantum non habebant dominium, ſed erant ancillæ: Hoc enim cum non eſſet contra principale matrimonii bonum* (quod eſt prolis generatio, & conveniens educatio) *diſpenſationem recipiebat: Unde & in ſcriptura dicuntur aliquando uxores, aliquando concubinæ.* Unde cum Agar de ancilla vellet ſe facere Dominam, ipſa Sara, quæ eam dederat Abrahæ in uxorem, petente, merito tandem cum filio Iſmael e domo ejecta fuit. Ubi noto, quod cum Agar primo fugiſſet a facie Saræ concepto fœtu, Angelus eam inveniens in ſolitudine, ſuaſit, ut reverteretur ad domum Abrahæ, & humiliaretur ſub manu Dominæ, ut habetur, *Geneſ. 16. v. 9.* Non ſuaſiſſet autem Angelus, ut reverteretur ad domum adulteri.

IX. Ad ſecundum dico, S. Ambroſium factum Abrahæ tribus reſponſionibus excuſare. Prima: quia eo tempore nondum erat prohibitum adulterium, ideſt, quod modo eſſet adulterium. Secunda, quia hoc fecit, non ardore libidinis, ſed deſiderio prolis. Tertia: (quæ ſibi magis arridet) eſt, quam ſuggerit Paulus, *ad Galat. 4.* nempe hæc duo matrimonia, unum cum libera, aliud cum ancilla, fuiſſe facta in figuram: unde, ait: *Quod ergo putas eſſe peccatum, advertis eſſe myſterium.* Et infra *Agnoſcamus ergo quoniam hæc quæ in figura contingebant, illis criminis non erant, nobis autem erunt.* Et *l. 2. de Jacob c. 5.* eadem ratione aperte ſupponit, Liam, & Rachelem legitimas fuiſſe Jacobi uxores.

X. Ad tertium. Dico S. Leonem *Concubinæ* nomine intellexiſſe ancillam, cujuſmodi erat Agar reſpectu Abrahæ. Aſſerit igitur, matrimonium cum ancilla contractum ab ingenuo viro, nullum eſſe, & invalidum, uti erat ſæculo quinto, non quidem jure naturali, aut divino, ſed Eccleſiaſtico tantum, & civili. Addit tamen: *Niſi forte illa mulier, & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honeſtata videatur.*

XI. Stat ergo contra Calvinum firma noſtra aſſertio, quod conjugia cum pluribus feminis ſimul in lege veteri fuerint non adulteria, ſed vera, ac licita conjugia. Id confirmant Chryſoſtomus, *Hom. 56. in Geneſ.* Hieronymus, *Epiſt. ad Oceanum de Monogamia Cleric.* Et Auguſtinus, tum *l. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 12.* dicens: *Sufficiendæ prolis cauſa erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo.* Tum. *l. 16. de Civitate Dei cap. 25.* Ubi de conjugio Abrahæ cum Agar: *Quod autem* (inquit) *attinet ad rem geſtam, nullo modo eſt inurendum de hac concubina crimen Abrahæ,* & cap. 38. *Eo tempore* (loquens de conjugio Jacob cum Lia, & Rachelem) *quando multiplicanda poſteritatis cauſa plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam illam* (Rachelem) *cui uni jam futuri conjugii fidem fecerat.* Tum l. 22. contra Fauſtum, cap. 47. *Jam vero* (inquit) *filio ejus* (Iſaaci) *Jacob, quod, pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quod tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc facilitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur.* Quia nimirum eo tempore per diſpenſationem divinam vis legis evanuerat. Unde Innocentius III. Cap. *Gaudeamus:* ait: *Nulli unquam licuit ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum . . . per quam . . . Patriarchæ, & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulteria excuſantur.*

XII. Objicies ſecundo. Si aliquando licuit habere plures uxores, hoc fuit, vel quia per ſe licitum erat, & ſic etiam nunc licitum eſſet. Vel per aliquam diſpenſationem, & hoc eſſe non poteſt. *Cum* enim, teſte Auguſtino, lib. 26. contra Fauſtum, cap. 3. *Deus ſit naturæ conditor, non facit aliquid contra rationes, quas naturæ inſeruit.* Cum ergo naturæ noſtræ Deus inſeruit, quod ſit una unius, vieetur, quod ipſe contaa hoc nunquam diſpenſaverit.

XIII. Reſpondeo ex S. Thom. *q. 65. Suppl. art. 2. ad 2.* quod pluralitas uxorum fuit per divinam diſpenſationem conceſſa; *Nec tamen talis diſpenſatio datur contra rationes, quas Deus naturæ inſeruit, ſed præter eas; quia rationes illæ non ſunt ordinatæ ad ſemper, ſed ut in pluribus, ut dictum eſt. Sicut etiam non eſt contra naturam, quando aliqua accidunt in rebus naturalibus miraculoſe præter ea, quæ frequenter ſolent evenire.* —— Neque obeſt quod talis diſpenſationis nullum ſit veſtigium in ſcripturis. Nam ut dicit S. Thom. ibidem ad 3. *Qualis eſt lex, talis eſſe debet diſpenſatio legis. Unde quia lex naturæ eſt cordibus impreſſa, non oportuit, diſpenſationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege ſcripta dari; ſed per internam inſpirationem fieri.*

XIV. Objicies tertio. In diſpenſatione non debet prætermitti majus bonum propter minus bonum: ſed fides, & ſacramentum, quæ non videntur poſſe ſervari in matrimonio, quo unus pluribus uxoribus conjungitur, ſunt meliora, quam prolis multiplicatio; ergo intuitu hujus, talis diſpenſatio fieri non debuiſſet.

XV. Reſpondet S. Thom. citato loco, *ad 5.* Quod *proles ſecundum quod eſt bonum matrimonii includit fidem ad Deum ſervandam, quia ſecundum quod proles expectatur ad cultum Dei educanda, ponitur matrimonii bonum. Fides autem ad Deum ſervanda eſt potior, quam fides uxori ſervanda, quæ ponitur bonum matrimonii, & quam ſignificatio, quæ pertinet ad ſacramentum: quia ſignificatio ad fidei cognitionem ordinatur; & ideo non eſt inconveniens, ſi propter bonum prolis aliquid detrahitur aliis duobus bonis.*

Nec tamen (addit Sanctus Doctor) *omnino tolluntur, quia & fides manet ad plures, & ſacramentum aliquo modo. Quia quamvis non ſignificaretur conjunctio Chriſti ad Eccleſiam, in quantum eſt una, ſignificabatur tamen per pluralitatem uxorum diſtinctio graduum in Eccleſia: quæ quidem non ſolum eſt in Eccleſia militante, ſed etiam in triumphante. Et ideo illorum matrimonia aliquomodo ſignificabant conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam, non ſolum militantem; ut quidam dicunt, ſed etiam triumphantem, in qua ſunt diverſa manſiones.*

§. IV.

Quando, & quibus prædicta Diſpenſatio data fuerit.

XVI. Reſpondeo ad primum quæſitum, probabile admodum eſſe, diſpenſationem ſumendi plures uxores, ſolum fuiſſe factam poſt diluvium. Nam ante diluvium de ſolo Lamech legitur, *Geneſ. 4. verſ. 19.* Quod *accepit duas uxores*, quod tamen cum paſſim improbetur a Patribus, tamquam res mali exempli, nec ſolum a Tertulliano, l. de Exhort. Caſtitatis, cap. 5. ſed a S. Hieronymo, qui Epiſt. 85. alias 9. ad Salvinam: *Etiam* (inquit) *de paradiſo expulſus Adam unam uxorem habuit. Primus Lamech maledictus, & ſanguinarius, & de Cain ſtirpe deſcendens, unam coſtam diviſit in duas, & plantarium bigamiæ protinus diluvii pœna ſubvertit:* quod repetit, *Epiſt. 91.* alias 11. *Ad Agerutiam*, & cum ab aliis PP. communiter reprehendatur; aperte colligitur, ante diluvium talem diſpenſationem Deum non dediſſe, ſed voluiſſe, ut monogamia, quam in Adamo inſtituerat, obſervaretur: eo vel maxime, quod cum ante diluvium vita hominum eſſet productior, poterat una uxor humani generis multiplicationi ſufficienter inſervire.

XVII. Poſt diluvium vero, genere humano ad ſolos filios Noe redacto, & hominum vita ad brevius tempus reſtricta, ad multiplicationem hominum, plurium uxorum cœpit eſſe neceſſitas: ut quod jam per unam non poterat, ſuppleretur per plures; ideoque divina inſpiratione creditur factum, ut unus vir pluribus uxoribus ſociaretur. Ideoque polygami cœperunt non amplius reprehendi, quia hoc etiam viri ſancti in uſu habuerunt. Fuiſſe autem hunc uſum licitum, & uſitatum etiam ante tempore Abrahæ; hoc ex eo colligo, quod cum Sara illum rogaret, *Gen. 16.* ut acciperet Agar in uxorem, non tamquam de re ſibi tunc divinitus manifeſta loquebatur, ſed tamquam de re, quam licere omnibus eſſet notum; unde & Abraham vir juſtus ſtatim acquievit.

Credendum ergo videtur, ſtatim poſt diluvium hujus conceſſionis revelationem inſpiratam fuiſſe Noe, & filiis ejus, *Gen. 9. verſ. 1.* cum eis benedixit, & dixit, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Etſi autem nec Noe, nec filii ejus hac conceſſione uſi legantur hoc ideo fuit, quia nullæ erant feminæ, quas in uxores acciperent.

XVIII. Cir-

XVIII. Circa ſecundum, nempe, quibus præfata diſpenſatio data fuerit, non una eſt doctorum ſententia.

Quidam autumant, ſoli populo Judæorum datam fuiſſe. Quidam vero communiter toti generi humano, etiam Gentilibus. His aſſentior: quia eis favere videtur Auguſtinus. Tum, *lib. 3. de Doctrina Chriſt. cap.* 12. ubi ſine ulla reſtrictione dicit, quod *ſufficiendæ prolis cauſa erat uxorum plurium uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo*. Cauſa autem multiplicandæ prolis eo tempore æque pro Gentilibus, ac pro Judæis militabat. Quod indicat: Tum *lib. 16. de Civitate Dei, cap.* 38. *& lib.* 22. *contra Fauſtum, cap.* 47. ſupra relatis, ubi ſcribit: Jacob licite quatuor uxores accepiſſe, quia tunc temporis in terris, in quibus verſabatur, erat conſuetudo, & per conſuetudinem factitabatur: Terræ autem illæ erant Gentilium; nempe Meſopotamia, & Laban erant idololatra. Additque, tunc plures uxores habere nulla lege fuiſſe prohibitum, indicans, in lege de unitate uxoris ab initio conſtituta fuiſſe poſt diluvium generaliter cum omnibus a Deo diſpenſatum.

XIX. Deinde ſi polygamia non fuiſſet Gentilibus licita, nec matrimonia eorum cum pluribus fuiſſent valida præter primum, & proinde matrimonium Heſteris cum Aſſuero, vivente Vaſthi prima uxore, fuiſſet adulterium. Nulla enim ratio eſt dicendi, quod Deus non diſpenſaverit, ut polygamia inter Gentiles eſſet licita; diſpenſaverit tamen, ut polygami valide contraherent.

Nec dicas quod diſpenſatio generalis fuiſſet potius abrogatio legis —— Nam hoc verum eſſet, ſi diſpenſatio fuiſſet perpetua; & pro ſemper. Non autem ſi fuerit ſolum ad tempus, nempe uſque ad Chriſtum. Quo adveniente, omne conjugium, ſive fidelium, ſive infidelium ſuæ primævæ unitati reſtitutum fuit, ut ſtatim dicam.

DUBIUM III.

An poſt Legem Evangelicam licitum ſit habere Plures Uxores?

§. I.

Error Lutheri, & aliorum.

I. MAhometus, qui initio ſæculi ſeptimi ex inferis potius, quam ex Arabia erupit, cujuſque impia ſecta magnam orbis partem contaminavit, pluralitatem uxorum permittit ſuis. Sed quod horrendum eſt, eam quoque licitam eſſe Chriſtianis contenderunt Lutherus, Bucerus, & Anabaptiſtæ. Eam commendaſſe Bucerum teſtatur Wintonienſis. De Anabaptiſtis nullus eſt ſcrupulus, cum Hetzerus unus ex illis, treſdecim duxerit uxores. Lutherum ab hac noxa purgare ejus diſcipuli conati ſunt. Verum prætermiſſis pluribus argumentis, quibus revinci poſſunt, hoc invicte probant monumenta, quæ per extenſum referunt Juvenin, *de Matrim. quæſt.* 4. *art.* 1. §. 2. Varillas, *Hiſt. hæreſ. tom.* 12. *ad ann.* 1539. & Boſſuet, *Tom.* 1. *Variat. lib.* 6. His certo apparet, Martinum Lutherum, una cum pſeudo-Theologis ejus gregalibus definiiſſe, Philippo Landgravio Haſſiæ hoc licere, vivente adhuc, nec repudiata priore conjuge, ac revera ipſis conſentientibus, & approbantibus, nupſiſſe. Ea monumenta publici juris facta ſunt. Tum a Carolo Ludovico Platanio Comite, qui paucis ab hinc annis obiit. Tum a Principe Erneſto Haſſiæ ex prædicti Philippi Landgravii Haſſiæ poſteris, Primum monumentum eſt inſtructio ab ipſo Philippo Martino Bucero credita, qua exponit cauſas, quibus movetur ad deſiderandam ſecundam uxorem, & maxime diſplicentiam prioris, adducitque exempla veterum Patriarcharum, afferens, ſe abſque tali conceſſione non poſſe continenter vivere, rogatque Bucerum, ut negotium apud Lutherum ſollicitet. Secundum monumentum eſt conſultatio Lutheri, & aliorum nempe Melanchtonis, Suceri, Matthæi Corvini, Adami, Joann. Leningi, Juſti Wintferti, & Dionyſii Metanther. In iſta multis in oppoſitum conſiderandis Philippo propoſitis: tandem concludunt, quod ſi aliter a fornicatione abſtinere non poſſit, licite uti queat diſpenſatione in lege Moyſis permiſſa, ducendo ſecundam uxorem, modo id faciat ſecreto ad vitandum ſcandalum. Unde concludunt: *Sic & in tantum hoc approbamus: Nam quod circa matrimonium in lege Moyſis fuit permiſſum, Evangelium non revocat, aut vetat, quod externum regimen non immutat, ſed affert æternam juſtitiam, & æternam vitam &c.* Tertium tandem monumentum eſt inſtrumentum publicum, quo Philippus attenta præfata conſultatione, matrimonium ſecundum contrahit cum Margarita de Saal. Catholici tamen omnes ſentiunt oppoſitum. Cum quibus,

§. II.

Veritas Catholica.

II. DIco. Poſt legem Evangelicam ſublata eſt diſpenſatio ſuper polygamia ſimultanea: unde modo plures uxores habere nemini licet. Probo. Chriſtus, *Matth.* 19. & *Marci* 10. reſcidit conceſſionem veteri populo factam in cauſa polygamiæ, reducendo matrimonium ad ſuam primævam inſtitutionem, ut nimirum eſſet unius cum una tantum. Quærentibus enim Phariſæis, num liceret homini dimittere uxorem ſuam, reſpondit: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem, ab initio maſculum, & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una? Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et objicientibus illis: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Reſpondit: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.* Et Lucæ 16. verſ. 18. hanc legem ſtatuit: *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* Quibus aperte declaravit Chriſtus, ſe velle, ut matrimonium deinceps foret ſicut fuit a Deo inſtitutum ab initio: Ab initio autem fuit, ut eſſet unius cum una, ut eſſent duo, non plures in carne una, ergo ſic voluit eſſe. Et ulterius ſi qui priore uxore dimiſſa aliam duxerit, mœchatur; a fortiori mœchabitur, qui priore retenta, alteram duxerit. Quibus patet, quam falſo Lutherus cum ſuis ſupra aſſeruerit: *Quod circa matrimonium in lege Moyſis fuit permiſſum, Evangelium non revocat, aut vetat.*

III. Hinc Paulus quoties de matrimonio loquitur, ſemper uxorem in ſingulari numero nominat, 1. Corinth. 7. verſ. 2. *Unuſquiſque ſuam uxorem habeat.* Et verſ. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere.* Et verſ. 27. *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem . . . . Si autem acceperis uxorem, non peccaſti &c.*

IV. Hoc ideo propugnarunt Romani Pontifices. Siricius Papa, Epiſt. 1. Innocentius I. Epiſt. 9. Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum §. 51. *Duas* (inquit) *tempore uno habere uxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem, ab initio unum maſculum fecit, & unam feminam tantum, cui potuit utique ſi vellet, duas uxores tribuere, ſed noluit: ſcriptum quippe eſt.* Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: *Non dixit, uxoribus. Et iterum*, Erunt duo in carne una, *maſculus ſcilicet, & femina in carne una, & non tres, aut plures. Itaque apud quem uno tempore duæ uxores inveniuntur, interim priore retenta, poſteriorem cogatur amittere.* Et Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, tit. de Divort. ait: *Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius, & ipſa retenta.* Conſentiunt Sanctus Hieronymus, *in cap.* 19. *Matth.* S. Auguſt. *lib.* 1. *de Adulterinis conjugiis, cap.* 8. & *lib.* 1. *de Nupt. & Concupiſc. cap.* 10. quos infra, cum de indiſſolubilitate matrimonii ſermo erit, referemus.

V. Ex his infertur, matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus ſimul poſt Chriſtum evaſiſſe non ſolum illicitum, ſed etiam irritum: non ſolum apud Chriſtianos, ſed & quoſcumque alios infideles. Prima pars colligitur ex Evangelio citatis locis, ubi declarat mœchum, ſeu adulterum, qui vivente priore, licet dimiſſa, alteram ducit uxorem: adulter autem non eſſet, ſi ſecundum matrimonium validum eſſet. Rurſus eſto Tridentinum hoc expreſſe non aſſerat, ſed ſolum dicat, polygamiam jure divino eſſe prohibitam, unde Seſſ. 24. Canon. 2. contra Lutherum: *Si quis* (inquit) *dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, hoc nulla lege divina eſſe prohibitum: anathema ſit.* Nihilominus in doctrina de matrimonio, quam initio ejuſdem Seſſ. tradit, aperte ſtatuit nuptias cum pluribus ſimul eſſe irritas: ait enim: *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi, Chriſtus Dominus apertius docuit, cum poſtrema illa verba tamquam a Deo prolata referens dixit. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.*

VI. Secunda pars etiam conſtat. Nam Chriſtus, *Matth.* 19. reducens matrimonium ad ſui primam inſtitutionem, in qua fuit unius cum una, revocavit diſpenſationem, ſeu conceſſionem divinam, qua uſque ad illud tempus toti humano generi licita fuerat, & valida polygamia. Unde Catechiſmus Roman. *de Matrim. num.* 19. ait: *Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut, ſi infidelis quiſpiam gentis ſuæ more, & conſuetudine plures uxores duxiſſet, cum ad veram religionem converſus fuerit, jubeat eum Eccleſia cæteras omnes relinquere, ac priorem tantum juſtæ, ac legitimæ uxoris loco habere.* (De quo Innocent. III. Cap. *Gaudemus* de Divortiis.

VII. Sed dices primo. Matrimonium fuit primo inſtitutum in ſtatu innocentiæ, ideoque ut eſſet tantum inter duos; ſed hoc non militat in natura corrupta, in qua viget concupiſcentia; & propterea in veteri Teſtamento permiſſum fuit veteribus Patriarchis plures habere uxores, cur

cur ergo non etiam in novo? Ita Lutherus cum ſuis in præfata conſultatione pro Philippo Landgravio.

VIII. Sed fallitur Lutherus cum ſuis: immo impie contradicit Chriſto, qui, ut vidimus, reducit matrimonium ad duos tantum, quale ab initio fuit. Adamus etiam poſt peccatum, ejuſque poſteri uſque ad Lamech una contenti uxore fuere, & Lamech, qui primus invexit polygamiam, damnatur, ut diximus. Propter concupiſcentiam autem una uxor ab Apoſtolo aſſignatur, 1. Corinth. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Quod ſi mulieri ſufficit unus vir, cur viro non ſufficit una uxor? Porro veteribus Patriarchis pluralitas uxorum fuit permiſſa ad multiplicandum populum ad cultum Dei, non ad ſaturandam incontinentiam, ut probavimus.

IX. Sed inſtabis. Si ad multiplicandum populum in lege veteri permiſſa fuit pluralitas uxorum, cur non etiam permittitur ad multiplicandum populum in lege Chriſti? Reſp. S. Thom. *quæſt. 65. Supplem. art. 2. ad 4.* diſcrimen eſſe: *quod veniente Chriſto fuit tempus plenitudinis gratiæ Chriſti, per quam cultus Dei in omnes gentes ſpirituali propagatione diffuſus eſt. Et ideo non eſt eadem ratio diſpenſationis, quæ erat ante Chriſti adventum, quando cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur, & conſervabatur.*

X. Dices ſecundo. Valentinianus ſenior, referente Socrate, *lib. 4. Hiſt. cap. 31.* Severa priore ſua conjuge adhuc vivente, Juſtinam duxit, ac legem tulit, ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas, eamque in ſingulis civitatibus evulgavit. — Lotharius etiam Imperator habuit duas uxores, Cap. *Præcipue*, & Cap. *Thougualdum* 11. qu. 3.

XI. Reſpondeo, narrationem Socratis de Valentiniano ſeniore fabuloſam judicari a Valeſio, & talem oſtendi a Baronio, *Tom. 4. ad ann. Chriſti* 370. Duxit quidem Valentinianus Juſtinam, ex qua præter cæteros genuit Valentinianum Juniorem; ſed non duxit, niſi poſt mortem Severæ prioris conjugis. Lex autem illa, quam fingit Socrates, nullibi legitur, & multo minus ea lege aliquem fuiſſe uſum memoratur. Accedit, quod Ammianus Marcellinus, qui Valentiniani geſta fuſe proſecutus eſt, nec de duplici uxore, nec de lege lata verbum facit.

Lotharii factum verum quidem fuit, ſed Nicolaus I. ſecundam illam Lotharii conjunctionem vocat adulterium 24. quæſt. 3. Cap. *An non*: ideoque illi interdicit omne pellicis iſtius conſortium. Epiſcopos vero, qui factum Lotharii probaverant, ſevere punivit, omni eos dignitate Eccleſiaſtica privando.

XII. Sed inſtabis. Gregorius II. *Epiſt. 13. ad Bonifacium*, ſtatuit, licere viro ob prioris uxoris infirmitatem alteram ducere, dummodo priori aliquod ſubſidium miniſtret.

Verum Gregorius loquitur de muliere, quæ naturaliter erat impotens matrimonio impotentia antecedente, hæc enim, ut dicemus, jure naturali dirimit matrimonium. Eam autem alere jubet, cum enim eſſet pauper, nec præ ægritudine victum poſſet ſibi comparare, vult, ut eam alat, non quia uxor, ſed quia infirma, ex charitate.

DUBIUM IV.

An liceat Chriſtianis ducere duas, vel plures uxores Succeſſive?

§. I.

De Eccleſia Latina.

I. SEcundas nuptias olim damnaverunt Montaniſtæ, ut refert Sanct. Auguſtinus, *lib. de Hæreſ. cap. 26.* ubi de Montaniſtis, ait: *Secundas nuptias pro fornicationibus habent.* Teſtis quoque eſt Tertullianus, qui factus Montaniſta, l. de Monogamia, cap. 1. *Unum* (inquit) *Matrimonium novimus, ſicut unum Deum.* Hunc errorem amplexati ſunt Novatiani, teſte Theodoreto, *lib. 3. Hæretic. Fabul. in Novato*, ubi ait, eos, qui ſecundum matrimonium iniiſſent, a ſacris Myſteriis arcebant. Quod aperte colligitur ex Concil. Nicæno I. *Can. 8.* ubi ſtatuitur: Novatianos ad Eccleſiam venientes recipi poſſe, ſi inter cætera fateantur, ſe communicaturos cum illis, qui ſecundas nuptias contraxerunt. Contra tamen hoſce hæreticos ſtat Eccleſia Catholica, præſertim Latina, quæ ſecundas nuptias, immo & tertias, & alias deinceps admittit ut licitas, & vera conjugia, veraque ſacramenta. Quare putide mentitur Kemnitius, *in 2. part. Examin.* ubi dicit, Catholicos ſecundas nuptias habere ut fornicationes, & idcirco aſſerere, eas non eſſe benedicendas.

II. Dico. In Eccleſia Latina ſemper, & ubique licuit viro plures uxores, & mulieri plures maritos aſſumere ſucceſſive. Nullum enim e latinis Patribus invenire eſt, ut oſtendam, qui ſecundas, aut tertias nuptias damnarit. Probatur autem primo. Nec ſecundæ, nec ulteriores nuptiæ in ſenſu præſenti irritæ ſunt, aut illicitæ jure naturali, aut divino. Non quidem naturali. Nam nec opponuntur ejus principiis, nec concluſionibus ex eis deductis, ut diximus de polygamia ſimultanea, cum iis enim ſtat matrimonii tum primarius, tum ſecundarius finis. — Non erant contra jus divinum in lege Moſaica, quæ non ſolum eas non prohibuit, ſed & approbavit; maxime cum præcepit Judæis, ſive virgines ſint, ſive conjugati, ſive vidui, ut ducant mulierem, quam frater ſine liberis reliquit. — Neque ſunt contra jus divinum in lege Evangelica. Tum quia Chriſtus nullibi eas vetuit. Tum quia Evangelio prorſus ſunt conformes. Nam Apoſtolus, 1. *Corinth. 7.* generaliter de non nuptis, & viduis, v. 9. *Si non ſe continent, nubant*, & v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat.* Et 1. *ad Timoth. 5. verſ. 14. de viduis*, ait: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe &c.* Quod ſi mulieribus ſecundæ nuptiæ illicitæ non ſunt, nec illicitæ erunt viris, cum de utriuſque par ſit ratio.

III. Nec valet reſponſio Tertulliani, *lib. de Monogamia cap. 11.* Apoſtolum agere de muliere, quæ in Gentilitate virum ethnicum habuerat: hæc enim eo mortuo, ſi ad fidem convertatur, nubere poterit *tantum in Domino*, id-eſt, vero Chriſtiano, non Ethnico, quia hic erit primus ejus maritus, non ſecundus: non vero loqui de ea, cui viduitas in fide contigerit. Vel quod Apoſtolus ſi has etiam tolerat, non admittit tamquam licitas, ſed tamquam minus malum, reſpectu fornicationis.

IV. Non inquam valet primo. Nam verbum *dormierit* cum ſit futuri temporis, eas mulieres reſpicit, quibus jam Chriſtianis viduitas obtigerit. Secundo. Nam Apoſtolus loquitur generaliter, & abſque ulla reſtrictione, immo loquitur tam de viduis, quam de non nuptis. Quod autem dicit: *nubat tantum in Domino*: indicat, quod ſi vult nubere, nubere debeat ſuæ religionis viro, ideſt Chriſtiano, non Ethnico; non autem, quod ſi prior vir fuerat Chriſtianus, non poſſit alteri nubere — Minus autem efficit quod addit. Non enim Paulus permittit ſecundas nuptias, quia minus malas quam fornicatio, ſed quia minus bonas, quam ſtatus viduitatis: Unde temperare a nuptiis, ſive ſecundis, ſive etiam primis res eſt concilii, non præcepti. Unde *v. 40.* ait *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.*

V. Huic veritati ſuffragantur Latini Patres, qui hortantur quidem viduas, ut ſic permaneant ſecundum Apoſtoli conſilium, eas tamen non damnant ſi iterum, vel tertio nubant. Sic Ambroſius, l. de Viduis: *Quod tamen* (inquit) *pro conſilio dicimus, non pro præcepto imperamus, provocantes potius viduam, quam ligantes. Neque enim prohibemus ſecundas nuptias, ſed non ſuademus ... Plus dico, non prohibemus ſecundas nuptias, ſed non probamus ſæpe repetitas. Neque enim quidquid licet, & decet.*

Sic S. Hieronymus, *Epiſt. 50.* modo 30. quæ eſt Apologia pro libris adverſus Jovinianum, ait: *Quomodo virginibus ob fornicationis periculum* (Apoſtolus) *concedit nuptias ... ita ob eamdem fornicationem concedit viduis ſecunda matrimonia. Melius eſt enim, licet alterum, & tertium, unum virum noſſe, quam plurimos.* Et infra *non damno bigamos, immo nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos.*

Sic etiam S. Auguſtinus, l. de bono Viduitatis, cap. 12. *De tertiis* (inquit) *& de quartis, & de ultra pluribus nuptiis ſolent homines movere quæſtionem. Unde ut breviter reſpondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre ... Quis enim ſum, qui putem definiendum, quod nec Apoſtolum video definiſſe? Ait enim:* Mulier alligata eſt, quamdiu vir ejus vivit: *Non dixit: primus, aut ſecundus, aut tertius, aut quartus. Sed* mulier (*inquit*) alligata eſt, quamdiu vir ejus vivit. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit. *Quid huic ſententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi, vel detrahi poſſit, ignoro.* Deinde mulierem ſeptiviram a Sadducæis Chriſto propoſitam (*Matth. 22. verſ. 29. &* 30.) adducens in exemplum, ſic loquitur: *Sed nec ipſam, ut videmus, tot maritorum mulierem ulla ſua ſententia ſignificatione damnavit. Quapropter nec contra humana verecundia ſenſum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis, nubat femina: nec ex meo corde præter Scriptura Sanctæ auctoritatem, quantaslibet nuptias audeo condemnare. Quod autem dico uni vera viduæ, hoc dico omni viduæ: Beatior erit, ſi ſic permanſerit.* Et quomodo præfati Patres ex Apoſtolo conſiliantur quidem in viduitate perſeverantiam, at ſecundas, vel ultra, nuptias non damnant.

VI. Hoc idem docuit Eugenius IV. *In decreto pro Jacobitis*, edito in Conc. Florentino, his verbis: *Quoniam nonnullos aſſeritur quartas nuptias tamquam condemnatas reſpuere, ne peccatum, ubi non eſt, eſſe putetur, cum ſecundum Apoſtolum, mortuo viro, mulier ſit ab ejus lege ſoluta, & nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec diſtinguat, mortuo primo, vel ſecundo, vel tertio: declaramus, non ſolum ſecundas, ſed tertias, & quartas, atque ulteriores niſi aliquod canonicum impedimentum non obſtat, licite contrahi poſſe. Commendatiores tamen dicimus, ſi ulterius a conjugio abſtinentes, in caſtitate permanſerint.*

§. II.

§. II.

Quid senserit, & sentiat Ecclesia Græca.

CIrca pluralitatem successivam nuptiarum diversa diversis temporibus Ecclesia Orientalis statuisse videtur.

VII. Dico enim primo. Bigamiam tamquam licitam admiserunt veteres Patres Græci. Hujus testes sunt Basilius, *in Epistola Canonica ad Amphilochium, Canon.* 41. qui sic ait: *Quæ in viduitate potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni culpa libera est, cum Apostolus dixerit, si mortuus fuerit vir ejus, libera est, ut nubat, cui vult tantum in Domino.* Hic autem de sola bigamia loqui Basilium infra videbimus. S. Epiphanius, *Hæres. 59. §. 3. de Novatianis*, ait: *Si quis post Baptismum secundam uxorem duxerit, ab illis non amplius admittitur, quod quidem plane stolidum est.* Et inferius §. 4. *Cui* (inquit) *mortua una non sufficit ... is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit: neque ab Ecclesia, aut æterna vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat.* Quod repetit, *in Expos. Fidei*, §. 21.

His consonat. S. Joann. Chrysost. *Homil. 19. in cap. 7. 1. ad Corinth.* ubi ait: *Etiam secundum concedit matrimonium* (Apostolus) *tantum inquiens in Domino.* Consentit Gregorius Nazianzenus, *Orat. 31.* & Theodoretus, *in cap. 7. 1. ad Corinth.* ubi dicit, beatiorem quidem esse (ex Apostolo) quæ in viduitate permanet, sed adhuc esse beatam, quæ ad secundas nuptias transit. *Hoc autem* (inquit) *sufficit ad refellendos Novatianos, qui bigamiam tamquam fornicationem accusant, apostolicis legibus aperte contradicentes.* Unde *in cap. 5. 1. ad Timoth.* ad hæc Pauli verba: *Volo ergo juniores nubere*, ita scribit: *Divo Paulo dicente:* Volo: *Novatus dicit:* Nolo.

Nihilominus, quamvis Græci censerent, secundas nuptias jure naturali, & divino, culpa vacare, quia quamdam incontinentiam redolebant, Ecclesiastici Canones bigamos aliqua pœnitentia mulctare consueverant, ut constat ex Concilio Neocæsarienſi, *Can. 1.*

VIII. Dico secundo. Trigamiam, & multo magis tetragamiam, ut illicitam reprobarunt Patres Græci. An vero utramque etiam, ut irritam jure Ecclesiastico declaraverint, incertum est. Prima pars probatur. Cum enim Apostolus, qui secundas nuptias aperte concesserat, nihil de tertiis, aut quartis locutus esset, putabant, bigamiam lege divina esse quidem permissam, non autem trigamiam, & ultra. Unde Basilius, Epistola ad Amphilochium, Canone 50. *Trigamia* (inquit) *non extat lex* (permittens) *quare lege tertium matrimonium non contrahitur.* Et Canone 4. *De trigamis* (inquit) *& polygamis eumdem Canonem definire, quem & de bigamis servata proportione: annum videlicet in bigamis, alii vero duos annos, trigamos autem tribus, & sæpe quatuor annis segregant, Id autem non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel totius moderatam fornicationem. Quapropter, & Dominus Samaritanæ, quæ maritos quinque per vices habuerat.* Quem nunc, (*inquit*) habes, maritus non est: *quippe quod ii, qui bigamiæ mensura exciderunt, digni non sint, qui vel mariti, vel uxoris nomine appellentur.* Et Canone 80. *Polygamiam*, inquit (nempe tetragamiam) *Patres silentio prætermisere, ut belluinam, prorsusque ab hominum genere alienam. Ea autem nobis videtur peccatum esse fornicatione majus.*

IX. Secunda vero pars, nempe quod non sit certum, an Patres Græci tertias, quartas, & ultra nuptias etiam irritas declaraverint, ex eo colligitur, quia pro irritis illas habuisse videntur ostendere verba ex Basilio citata, nimirum, eas lege non permitti, non esse amplius conjugium, sed moderatam fornicationem (quia nempe cum uno tantum, non cum pluribus) non esse dignum, ut mariti, vel uxoris nomine appellentur, & tandem tetragamiam esse peccatum fornicatione majus. Quare Nazianzenus, *Orat. 31.* ait: *Primum* (conjugium) *lex est, secundum indulgentia, tertium iniquitas. Quod vero hunc numerum excedit* (en tetragamia) *porcina vita est.*

Ex alia autem parte videntur quidem trigamiam, & tetragamiam damnare, tamquam intolerabilis libidinis argumentum —— Non tamen eas irritas declarare, cum nullibi eas dissolvendas præceperint, sed pœnis tantum canonicis castigandas. Verum quidquid de hoc sit.

X. Quærendum superest: an tertiæ, & quartæ nuptiæ nunc validæ sint apud Græcos?

Respondet Arcudius, *lib. 7. de Concordia &c. capite 29.* Primo. Trigamos in Ecclesia Græca esse jure Ecclesiastico inhabiles ad contrahendum novum matrimonium. —— Secundo. Bigamos similiter ad contrahendum tertium, si quadragesimum ætatis annum attigerint, & prolem habeant ex priori conjugio susceptam. Quod si quadragesimum annum nondum attigerint, conceditur illis tertium matrimonium impositâ illis solita pœnitentia, si careant liberis, graviore vero, si jam liberos habeant. Si vero quadragesimum ætatis annum attigerit, & liberos ex prioribus conjugiis non susceperint, ad tertiam gravi tamen, & diuturniori impositâ pœnitentia, admittuntur.

XI. Hanc tamen modernam Ecclesiæ Græcæ disciplinam Latina nunquam probavit. Unde Innocentius IV. ad Episcopum Tusculanum Sedis Apostolicæ in Regno Cypri Legatum ita rescribit: *Quia verum secundum Apostolum mulier, mortuo viro, ab ipsius est lege soluta ut nubendi, cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi possunt.*

§. III.

An Bigamia annexa sit Irregularitas?

XII. DE hoc agit S. Thom. *in Supplem. 3. p. q. 66. & in 4. dist. 27.* Circa quod suppono, ex Bigamia non incurri irregularitatem ex culpa in contrahendis secundis nuptiis admissa: nam ut vidimus, cum secundæ nuptiæ, immo & tertiæ, & ulteriores saltem in Ecclesia Latina licitæ sint, nullius culpæ sunt. Unde Ambrosius, Epistola 82. ad Ecclesiam Vercellensem: *Qui iteraverit* (inquit) *conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur Sacerdotis* (ob rationes, quas ibi subjicit) Epiphanius quoque, Hæres. 69. §. 4. *Eos omnes, qui secundum priores nuptias mortua uxore, alteri sese nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina* (ab ordinum susceptione rejicit) *propterea quod incredibilis est Sacerdotis honor, ac dignitas.* Et Sanct. Augustinus lib. de bono conjugali, cap. 18. *Non absurde* (inquit) *visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.*

XIII. Suppono etiam, secundum matrimonium esse vere sacramentum, sive fiat cum virgine, sive cum corrupta, sive cum vidua. Ut enim ait Tridentinum, *Sess. 24. Canon. 1.* verum matrimonium inter fideles est sacramentum, nec distinguit inter primum, & secundum. Et merito: Nam in secundo matrimonio inveniuntur omnia ad sacramentum requisita, sicut in primo: ergo cum Christus elevaverit matrimonium ad dignitatem sacramenti, non ut primum, sed ut contractum matrimonialem, non est cur etsi non primum, a veritate sacramenti excludatur. Accedit, quod si aliqua sacramenta, quæ characterem non imprimunt, iterabilia sunt, cur non etiam sacramentum matrimonii, cum inter istud, & illa Ecclesia non distinguat?

Nec refert, quod secundæ nuptiæ non benedicantur. Nam hoc non est quia non sint sacramentum, sed vel quia deficiunt a perfecta significatione sacramenti, ut dicetur. Vel ut ait Urbanus III. Cap. *Vir autem*, extra de secundis nuptiis, quia cum qui transeunt ad secundas nuptias: *Alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet*, benedictio enim non perit. Ait tamen S. Th. *q. 63. Suppl. art. 2. ad 2.* Quod *Hoc est intelligendum, quando secundæ nuptiæ sunt secutæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris, tantum. Si enim virgo contrahat cum viro, qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur.* Vide S. Thom. ibi. His præmissis.

XIV. Dico. Bigamia inducit irregularitatem, qua bigamus fit inabilis ad susceptionem ordinum. Ita S. Thom. *q. 66. Suppl. art. 1.* cujus prima ratio est. Quia ut aliquis per ordines fiat sacramentorum minister, nullum defectum in sacramentis pati debet: Defectus autem in sacramento est, quando sacramenti significatio integra non invenitur: sed integra significatio sacramenti matrimonii est, ut perfecte significet conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad una, & consequenter quod vir sit tantum unius uxoris vir, & uxor sit tantum unius viri uxor; ergo cum hoc tollat bigamia, inducit defectum in significatione sacramenti, & proinde irregularitatem.

Altera ratio S. Thomæ est. Quia in illis, qui accipiunt sacramentum Ordinis, maxima spiritualitas debet apparere. Tum quia spiritualia ministrant, scilicet sacramenta. Tum quia spiritualia docent, & in spiritualibus occupari debent. Cumque concupiscentia, per quam totus homo caro efficitur, maxime spiritualitati repugnet, & in bigamis, qui una uxore contenti esse noluerunt, maximum concupiscentiæ signum appareat, ideo rebus spiritualibus tractandis non sunt idonei. *Tamen*, ait S. Thom. *prima ratio est melior.*

XV. Neque dicas. Majus signum incontinentiæ apparet in eo, qui plures fornicarie cognoscit, quam in eo, qui plus uxores successive habet; sed ex primo non efficitur aliquis irregularis, ergo nec ex secundo.

Respondet enim S. Thom. citato loco ad 2. *Quod quamvis sit in fornicariis majoris concupiscentiæ signum, non tamen concupiscentiæ ita adhærentis; quia per fornicationem unus alteri non in perpetuum obligatur. Et ideo non est defectus sacramenti.*

XVI. Sed replicabis. Si ratione sacramenti incurreretur irregularitas, sequeretur, quod si aliquis contraxisset per verba de præsenti, & ea mortua ante carnalem copulam subsecutam, duceret aliam, efficeretur irregularis: sed hoc est contra decretum Innocentii III. Capit. *Debitum* de biga-

bigamia; ergo non ratione ſacramenti fit irregularis: cum autem nec ratione copulæ alias fornicarii irregulares eſſent, quod eſt contra mox dicta: igitur &c.

XVII. Reſpondet S. Th. ibidem *ad* 3. Quod *Bigamia cauſat irregularitatem, in quantum tollit perfectam ſignificationem ſacramenti; quæ quidem conſiſtit & in conjunctione animorum, quæ fit per conſenſum, & in conjunctione corporum. Et ideo ratione utriuſque ſimul oportet eſſe bigamiam, quæ irregularitatem faciat.* Et hoc dicit Innocentius III. corrigens dictum Magiſtri Sent. volentis, quod ſolus conſenſus per verba de præſenti ſufficiat ad irregularitatem inducendam.

XVIII. Quæres primo: An qui habet, vel habuit ſucceſſive duas uxores, unam de jure, alteram de facto, fiat irregularis?

Reſpondeo affirmative cum S. Thom. dicta *q. 66. Suppl. art.* 2. Quia quamvis in altero non ſit ſacramentum, eſt tamen quædam ſacramenti ſimilitudo, quæ non eſt in fornicatione, vel adulterino concubitu.

XIX. Quæres ſecundo. An qui ducit uxorem non virginem, ſeu corruptam, ſit irregularis?

Reſpondeo affirmative cum S. Th. ibidem *art.* 3. ſi tamen mulier illa fuerat ab alio, quam ab ipſo cognita: cur autem vir non ſit irregularis, etiamſi ante, vel poſt matrimonium fornicetur, ſive cum una, ſive cum pluribus; ſit autem, ſi cognoſcat ſuam uxorem prius ab alio cognitam. Ratio ex S. Th. eſt: Quia *Actus contrahentis matrimonium non cadit ſupra ſeipſum, ſed ſupra alterum, & ideo ex termino ſpecificatur, qui eſt etiam reſpectu illius actus quaſi materia ſacramenti. Unde ſi mulier eſſet ordinis ſuſceptiva, ſicut efficitur vir irregularis ex hoc quod ducit uxorem corruptam, non autem ex hoc quod corruptus contrahit: ita fieret mulier irregularis ſi contraheret cum corrupto, non autem ſi contraheret corrupta, niſi in alio matrimonio prius corrupta fuiſſet.* Ita S. Th. Quod autem ſi duceret corruptam aſe, non fieret vir irregularis. Ideo eſt, quia, ut ait ibi *ad* 2. carnem ſuam non diviſit in plures.

XX. Sed quid ſi mulier fornicetur poſt matrimonium?

Reſpondet S. Th. ad 4. *Quod ſi mulierr fornicetur poſt matrimonium contractum, non efficitur ex hoc vir irregularis, niſi poſt corruptionem adulterii eam iterato cognoſcat: quia alias corruptio uxoris nullo modo cadit ſub actu matrimoniali viri: ſed ſi etiam per jus compellatur ei reddere debitum, vel etiam ex conſcientia propria illa petente debitum reddat, ante condemnationem adulteri, irregularis efficitur. Quamvis de hoc ſint opiniones. Sed hoc, quod dictum eſt, eſt probabilius: quia hic non requiritur quod ſit peccatum, ſed ſignificatio tantum.*

XXI. Quæres tertio: An bigamia ſolvatur per Baptiſmum?

Reſp. negative cum S. Th. *q. 66.* citata *art.* 4. Quia ut ait S. Aug. lib. de bono conjugali, cap. 18. *Acutius intelligunt, qui nec eum, qui catechumenus, aut paganus habuit alteram, ordinandum cenſuerunt; quia de ſacramento agitur, non de peccato.* Et iterum: *Femina, ſi catechumena, vel pagana vitiata eſt, non poteſt inter Dei virgines poſt Baptiſmum conſecrari;* ergo eadem ratione nec bigamus ante Baptiſmum, poteſt ordinari.

Ratio autem eſt: *Quia baptiſmus ſolvit culpas, & non ſolvit conjugia.* Unde cum ex ipſo conjugio ſequitur irregularitas, per Baptiſmum tolli non poteſt, *ut Auguſtinus dicit* (loc. cit.) Ita S. Thom.

XXII. Quod ſi aliqua ſacramenta vetera tollebant irregularitates, hoc ideo erat, inquit S. Th. ibi *ad* 5. Quia *Illa irregularitates ex levibus cauſis, non perpetuis erant contracta: & ideo etiam per illa ſacramenta auferri poterant. Et iterum erant ad hoc ordinata: non autem baptiſmus ad hoc ordinatur.* Rurſus ut docet ibi ad 4. *Baptiſmus conformat Chriſto quantum ad virtutem mentis: ſed non quantum ad ſtatum carnis, qui conſideratur in virginitate, vel diviſione carnis.* Et ideo quamvis per Baptiſmum homo plene conformetur Chriſto; diviſio tamen carnis, ſi in eo eſt, Baptiſmo non tollitur.

XXIII. Quæres quarto: An cum bigamo liceat diſpenſare?

Reſp. affirmative cum S. Th. ibi *art.* 4. Quia (inquit) *Bigamia non eſt adjuncta irregularitas de jure naturali, ſed de jure poſitivo. Nec iterum eſt de eſſentialibus ordinis, quod aliquis non ſit bigamus. Quod patet ex hoc, quod ſi aliquis bigamus ad ordines accedat, characterem accipit. Et ideo Papa poteſt diſpenſare in tali irregularitate totaliter: ſed Epiſcopus quantum ad minores ordines* (non ut ſuſcipiantur, ſed ut jam ſuſcepti exerceantur) *& quidam dicunt quod etiam quantum ad majores, in illis, qui volunt Deo in religione ſervire propter vitandum religioſorum diſcurſum.* (Hoc tamen hiſce temporibus non admittitur) Unde ait Soto, *diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 3. regulariter tenendum eſſe, quod Epiſcopus in omnibus irregularitatibus diſpenſare poſſit, quoad minores ordines, & ſimplex beneficium; in bigamia tamen, & homicidio voluntario non poſſit. Quare praxi ſtandum eſt.

XXIV. Neque ex hoc, 1. *ad Timoth.* 3. *verſ.* 2. dicatur oportere Epiſcopum eſſe *Unius uxoris virum.* Et *v.* 12. hoc idem dicetur de Diaconis, inferri poteſt hoc eſſe de jure divino, & proinde ab homine indiſpenſabile.

Nam, ut ait S. Th. ibidem ad 2. *Hoc eſt verum quantum ad ea, quæ ſunt de jure naturali, & quantum ad ea quæ ſunt de neceſſitate ſacramentorum, & fidei: ſed in aliis, quæ ſunt de inſtitutione Apoſtolorum, cum Eccleſia habeat nunc eamdem poteſtatem ſtatuendi, & deſtituendi, quam tunc habuit, poteſt per eum, qui primatum tenet in Eccleſia, diſpenſari.*

QUÆSTIO V.

De Matrimonii Indiſſolubilitate.

EXaminata matrimonii unitate quod nempe ſit unius cum una tantum; ſequitur altera ejuſdem proprietas, nempe indiſſolubilitas, de qua inveſtigabimus quo jure ei conveniat, & an in aliquo caſu ſit diſpenſabilis.

DUBIUM I.

An Matrimonium Indiſſolubile ſit quoad Vinculum, & quo Jure?

§. I.

Errores circa hoc.

I. APud Montaniſtas matrimonii vinculum pro conjugum arbitrio ſolvi poterat. Eodem errore laborant Græci, & maxime Mahometani, apud quos improbi mores, & infecunditas uxoris, matrimonium ſolvunt. Hos ſecutus fuit Lutherus. Is enim, *lib. de Vita Conjugali*, ita loquitur: *Si alter alteri ſeipſum ſubtrahat ſic, ut debitum conjugale præſtare non velit, quemadmodum multæ pertinaces mulieres inveniuntur; hic locus eſt, ut vir dicat, ſi tu non vis, velit alia: ſi non vult uxor, veniat ancilla.* Rurſus: *Si mulier virum habeat impotentem, nec tamen poteſt id probare, miſceatur alteri, vel fratri mariti, occulto tamen matrimonio, & proles imputetur putativo, ut dicunt, patri.* Modum vero, quem tenere debet maritus in repudianda uxore pertinaci, indicat *Serm. de Matrimonio*, hiſce verbis: *Ita tamen, ut antea iterum, & tertio uxorem admoneat maritus, & coram aliis etiam pervicaciam ejus detegat, ut publice, & ante conſpectum Eccleſiæ duritia ejus & agnoſcatur, & reprehendatur: ſi tunc renuat, repudiet eam, & in vicem Vaſthi Heſter ſurroget exemplo Aſſueri:* Concludens quod debitum conjugale obſtinate marito denegare, ſit quædam *Maligna deſertio*, & proinde juſta cauſa repudii. Hanc doctrinam ſenſui adeo blandientem ſtatim hauſerunt Lutheri diſcipuli, unde Ecolampadius priore deſerta, alteram duxit, fruſtra illa acclamante, ſuum illum eſſe maritum. Præcipue vero apud eos adulterii cauſa conjugii vinculum ſolvitur more Judaico, ita ut innocenti liceat alteram ducere, ut auctor eſt Melanchton in locis communibus, *anno* 1512. Unde & legitur quemdam intra ſemiannum tres Genevæ duxiſſe uxores, quod ſecundum Evangelium ſuum probarat duas eſſe adulteras, & hoc judice Calvino.

Catholici tamen omnes communi conſenſu docent, matrimonium eſſe indiſſolubile jure tum naturæ, tum divino.

§. II.

Veritas Catholica.

II. DIco matrimonium eſt indiſſolubile, tum jure naturæ, tum divino, ſive contractum a fidelibus, ſive ab infidelibus, modo legitime contractum ſit.

Primam partem docet S. Thom. *q.* 67. *Supplem. art.* 1. Cujus ratio eſt: *Nam matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis non ſolum ad aliquod tempus, ſed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ eſt, quod parentes filiis theſaurizent, & filii parentum hæredes ſint* (2. Cor. 12.) *Et ideo cum proles ſit commune bonum viri, & uxoris, oportet eorum ſocietatem perpetuo permanere indiviſam ſecundum legis naturæ dictamen. Et ſic inſeparabilitas eſt de lege naturæ.* Quod confirmat *in* 3. *Contra Gen. cap.* 123. exemplo illarum avium, ad quarum prolem educandam requiritur utriuſque parentis opera: iſta enim tandiu commanent ſimul, quoaduſque proles ſit perfecta, & inſtructa, ut ſibi valeat de neceſſariis providere. —— Hoc etiam ibidem probat ex quadam naturali æquitate. *Nam femina indiget mare non ſolum propter generationem, ſicut in aliis animalibus, ſed etiam propter gubernationem; quia mas eſt & ratione perfectior, & virtute fortior: mulier vero ad viri ſocietatem aſſumitur propter neceſſitatem generationis. Ceſſante igitur fœcunditate mulieris, & decore, impeditur, ne ab alio aſſumatur. Si quis igitur mulierem aſſumens tempore juventutis, quo & decor, & fœcunditas ei adſunt, eam dimittere poſſet poſtquam ætate provecta fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem.* Nemo enim damnum ex beneficio reportare debet. Alias rationes affert S. Thom. *citato cap.* 123. quas a Studioſo videndas relinquo.

III. Neque dicas, fieri poſſe, ut uxor ſit ſterilis, vel quod etſi fœcunda ſit, aliter provideatur proli: ——

Nam hoc per accidens esset; per se enim, & seclusis impedimentis, ex quolibet conjugum congressu nata est sequi proles, ad cujus educationem, institutionem & provisionem requiritur sollicitudo utriusque parentis per totam vitam. Vide S. Th. 3. *Contra Gen. c. 122. & 123.*

IV. Hæc naturalis lex de matrimonii indissolubilitate (quæ est secunda pars) fuit a Deo in institutione matrimonii ab initio per Adamum promulgata, dum Genes. 2. dixit, ut vir relictis Patre, & Matre adhærere deberet uxori suæ (seu *adglutinari*, ut 70. Interpretes reddiderunt) qua sententia perpetuus, ac insolubilis nexus significatur, isque major ad uxorem, quam ad parentes, ita ut fiant duo in carne una. Et ideo etiam fecit Deus feminam ex costa e latere viri extracta, volens indicare vinculum arctissimum, sanctamque conjunctionem. Ad hæc respiciens Concil. Trident. initio, *Sess. 24.* dixit: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, & dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Porro cum non legatur, ullum præceptum positivum datum a Deo hominibus in illo statu, nisi illud, ne ederent de ligno scientiæ boni, & mali, consequens est, inseparabilitatem, quam primus parens verbis jam dictis enuntiavit, non esse legis positivæ, sed naturalis. Huc spectat, quod Christus, *Matth. 19.* declaravit dimissionem uxoris a Moyse Judæis permissam repugnare primæ institutioni matrimonii dicens: *Ab initio autem non fuit sic:* ad quam proinde statum conjugii reducere voluit, & ut loquitur loco citato idem Concilium: *Ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ de matrimonio etiam non consummato intelligi debere, tradunt Doctores.

V. Tertia pars ex dictis sequitur. Nam si verum est matrimonium inter infideles contractum; si quæ naturalis sunt institutionis, ut est matrimonium, quatenus in officium naturæ, communia sunt fidelibus, & infidelibus; sequitur etiam matrimonia Infidelium esse suapte natura insolubilia, & qui ea solvunt, contra jus naturæ peccare. Nam etiam apud infideles militat debitum educationis prolis, & rursus cum eo tempore, quod educationi impendi debet, conjuges mutuam habeant potestatem in sua invicem corpora, alterius prolis generationi dare possint operam, cui non minus, quam priori providere tenentur; & sic iterum de alia, quam rursus possunt gignere, dum secundæ prolis educationi vacant.

DUBIUM II.

Utrum aliquando potuerit super Matrimonii Indissolubilitatem dispensari.

§. I.

An potuerit Uxor dimitti?

I. TRes difficultates præsens dubium complectitur, quas D. Thom. dicta, *q. 67. tribus art. 2. 3. & 4.* resolvit. Prima est: An aliquando potuerit ex dispensatione uxor repudiari. Secunda: An licuerit. Tertia: An repudiatæ licitum fuerit alteri nubere. Circa primam.

II. Dico. Per dispensationem potuit esse licitum dimittere uxorem, non solum quoad torum, sed etiam quoad vinculum. Ita S. Th. *q. 67.* citata *a. 2.* Quia insolubilitas matrimonii, sicut supra diximus de unitate ejusdem, non pertinet ad prima, sed ad secunda præcepta legis naturæ ex primis derivata: *Inseparabilitas enim matrimonii* (inquit S. Doctor) *Non ordinatur ad prolis bonum (quod est principalis matrimonii finis) nisi quantum ad hoc, quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam præparationem eorum, quæ sunt necessaria in vita. Hujusmodi autem præparatio non est de prima intentione naturæ; secundum quam omnia sunt communia. Et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturæ dimissio uxoris, & per consequens contra prima præcepta, sed contra secunda legis naturæ.* Unde sub dispensatione cadere poterat.

III. Alia ratio sumitur ex doctrina ejusdem S. Thomæ, 1. 2. *q. 100. art. 8.* ubi docet, quod præcepta primaria legis naturæ continent primam legislatoris intentionem, boni communis conservationem, & justitiæ ordinem, ideoque nullam admittunt dispensationem neque divinam. Secundaria vero disponunt de mediis, & possunt dispensari a Deo, ob aliquid majus bonum. *Puta* (exemplum est S. Th. ibi) *Si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus destrueret rempublicam, neque proderet civitatem hostibus, sive quod nullus faceret aliquid injuste, vel male, hujusmodi præcepta essent indispensabilia: Sed si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinantur aliqui speciales modi, in talibus præceptis, posset dispensatio fieri; in quantum per omissionem hujusmodi præceptorum in aliquibus casibus non fieret præjudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris: puta si ad conservationem reipublicæ statueretur in aliqua civitate, quod de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam civitatis obsessa, posset cum aliquibus dispensari propter aliquam majorem utilitatem.*

In casu autem præsenti. Prima Dei legislatoris intentio est, ne quis accedat ad alienam, vel non suam, quia hoc continet ordinem justitiæ inter homines servandæ, & ad genus humanum debito modo propagandum qui est principalis matrimonii finis, Indissolubilitas vero matrimonii præcepta est tamquam medium ordinatum ad illum finem, & valde conferens: ideoque in illa dispensari a Deo potest ob aliquam majorem causam.

Dispensare Deus creditur in duplici casu. Primo: Quando conjux infidelis non vult pacifice cohabitare conjugi converso. Secundo: Quando ante consummationem emittitur solemnis professio in aliqua religione. De quibus infra.

§. II.

An sub Lege Moysi dimissio Uxoris licita fuerit?

IV. IN hac difficultate adeo divisi quovis tempore fuerunt Doctores, ut ipsemet S. Thom. licet sententiam negativam communiorem pronuntiaverit; affirmativam tamen probabilem reputat, ideoque utramque problematice defendit, *in 4. dist. 33. q. 2. art. 2. q. 2. & q. 67. Suppl. art. 3.* Et etiam nunc pro utraque decertatur.

V. Dico tamen probabilius videri dimissionem uxoris in lege Moysi fuisse quidem permissam ad evitandum majus malum, non tamen fuisse licitam. Pro explicatione suppono ex S. Thoma locis citatis. Quatuor modos permissionis poni: *Unum per privationem præceptionis: ut quando majus bonum non præcipitur, minus bonum permitti dicitur: sicut Apostolus non præcipiendo virginitatem, matrimonium permisit. 1. Cor. 7. Secundum per privationem prohibitionis, sicut venialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita. Tertium per privationem cohibitionis: & sic peccata omnia dicuntur permitti a Deo, in quantum non impedit, cum impedire possit. Quartum, per privationem punitionis: & sic libellus repudii permissus fuit, non quidem propter aliquod majus bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus uxoribus habendis; sed propter malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod Judæi proni erant, propter corruptionem irascibilis. Sicut & permissum est eis cum extraneis funerari propter corruptionem aliquam in concupiscibili, ne scilicet fratribus suis fœneraverentur. Et sicut etiam propter corruptionem suspicionis in rationali, fuit permissum sacrificium Zelotypiæ, ne sola suspicio apud eos judicium corrumpet.*

VI. Hoc etiam conformius est verbis Christi, *Matth. 29.* ubi Pharisæis interrogantibus: *Si liceret homini quacumque ex causa dimittere uxorem.* Respondet non licere, eo quod obstet institutio matrimonii: Ipsis autem replicantibus: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* ait: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Ubi significat, hoc eis fuisse permissum, ideſt absque adjectione pœnæ toleratum, tamquam minus malum ad vitandum majus, ne scilicet uxores, quas haberent exosas, occiderent. — Nec obstat quod Pharisæi dixerint *Moyses mandavit.* Nam quid prohibet, istos corrupta intelligentia sumpsisse meram permissionem pro mandato? Quos proinde Christus correxit: dum enim illi dicebant *Moyses mandavit*, Christus dixit *ad duritiam cordis vestri permisit.* Addo, quod circa uxorum dimissionem aliquid Judæis erat præceptum, & aliquid permissum; *Permissum* erat dimittere uxores: præceptum vero, ut si quando vellent dimittere, scriberent libellum repudii, & scriptum traderent uxori, quam dimittebant. Unde S. August. *lib. 1. de Serm. Domin. in Monte, c. 14.* ait: *Non enim, qui præcepit dari libellum repudii, hoc præcipit ut uxor dimittatur; sed qui dimiserit, inquit, det illi libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret.* Cum enim ut observat, *l. 19. contra Faustum, cap. 26.* Libellus repudii non a dimittente, sed a scriba, qui prius exquirere debebat causas odii, ac virum ad concordiam cum uxore adhortari, nec poterat libellum scribere: *Nisi in animo nimis aversо, atque perversо consilium concordiæ non valeret.* Idcirco ad reddendam uxoris dimissionem non ita facilem, mandavit, ne, nisi prius libello repudii conscripto, & dato, uxor dimitti posset. Videri potest Chrysostom. *Hom. 17. in Matth.*

VII. Ulterius probatur. Non est credibile, Deum in jure naturali dispensasse generaliter, nisi propter finem aliquem honestum, qualis erat multiplicatio generis humani maxime populi fidelis, cum dispensavit in lege monogamiæ: sed talis finis non reperitur in permissione repudii: sola enim ejus ratio erat durities cordis Judæorum: ergo non dispensabat, sed tantum permittebat. In hanc sententiam venit etiam S. Hieronymus, *in cap. 5. & 19. Matth. cap. 61.* ait: *Moyses, cum videret propter desiderium secundarium conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere; maluit indulgere discordiam, quam odia, & homicidia perseverare. Simulque considera, quod non dixit.* Propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, *sed* Moyses,

ut

et juxta Apoſtolum conſilium ſit hominis, non imperium Dei. Quæ poſtrema verba notanda ſunt.

VIII. Denique S. Th. Quamvis locis ſupra citatis in utramque partem diſputet; attamen noſtram ſententiam poſtea firmavit, tum 1. 2. *q.* 105. *art.* 4. *ad* 8. dicens: *Lex permiſit repudium uxoris, non quia ſimpliciter juſtum eſſet, ſed propter duritiam Judæorum.* Et q. 108. art. 3. ad 2. *Scribæ, & Phariſæi errabant, quia quædam, quæ in lege Moyſi erant tradita tamquam permiſſiones, exiſtimabant eſſe per ſe juſta, ſcilicet repudium uxoris, & uſuras accipere ab extraneis. Et ideo Dominus prohibuit uxoris repudium, Matth. 5. & uſurarum acceptionem, Luc. 6. dicens: Date mutuum, nihil inde ſperantes,* Tum, *lib. 3. contra Gent. cap.* 123. ubi ait: *Excluditur conſuetudo dimittendi uxores: quod tamen in veteri lege permiſſum fuit Judæis propter eorum duritiam, quia ſcilicet proni erant ad occiſionem uxorum. Permiſſum ergo fuit minus malum ad excludendum majus malum.* Conformia ſcribit *in 3. diſt. 37. q. 1. art. 6. ad 1.*

IX. Sed dices primo, *Deuter. 24. v. 1.* hæc habentur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Et Malachiæ 2. v. 16. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus;* ergo licite, quia diſpenſante Deo poterat &c.

X. Reſpondeo, neg. conſ. Nam ut dictum eſt ſupra, Verba Deuteronomii ſolum ſunt permittentis, ut probat Chriſti reſponſio, *Matth.* 19. ſupra expenſa, & Patrum teſtimonio confirmata. Verba autem Malachiæ ſunt Dei non approbantis, ſed permittentis tantum ob duritiam cordis Judæorum, unde ſtatim ſubjungit: *Operiet iniquitas veſtimentum ejus.*

XI. Dices ſecundo. Lex vetus ad hoc data erat, ut peccatum oſtenderet; ergo ſi licitum non fuiſſet uxorem dimittere, hoc ſaltem indicari debuiſſet per legem, aut prophetas.

XII. Reſpondeo primo. Quod quando majus malum eſt eventurum ex prohibitione, vel indicatione minoris, poteſt hoc prudenter omitti. Ut enim ait S. Th. q. 67. Suppl. art. 3. ad 1. *Aliquis, qui poteſt prohibere, non peccat, ſi a prohibitione abſtineat, non ſperans correctionem, ſed magis malum æſtimans ex tali prohibitione occaſionem ſumere. Et ſic accidit Moyſi: Unde divina auctoritate fretus, libellum repudii non prohibuit.*

Secundo. Lex naturæ ſufficienter indicabat Judæis repudium eſſe illicitum, quia contra naturam, & inſtitutionem matrimonii. Sed Judæi nolebant intelligere.

Tertio. Malachias, *c.* 2. ſufficienter indicavit, cum ante verba ſuperius allata dixit: *Uxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.* Quod ſi poſtea dixit *cum odio habueris, dimitte*, hoc fuit, inquit S. Th. *art.* 3. citato. *ad* 2. Quia: *Propheta Spiritu Sancto inſpirante non dicebant, dimittendam eſſe uxorem, quaſi Spiritus Sancti præceptum ſit, ſed quaſi permiſſum, ne mala pejora fierent.*

§. III.

An uxori repudiatæ licuerit alteri viro nubere.

XIII. REſpondet S. Thomas ſæpe dicta, *q. 67. art.* 4. Quod ſecundum opinionem non excuſantem a peccato repudium, *peccabat poſt repudium uxor alterum virum ducendo, quia adhuc primum matrimonium non erat ſolutum*: mulier *enim* quanto tempore vir ejus vivit alligata eſt legi, *ut patet Rom. 7. Non autem poterat ſimul plures viros habere. Sed ſecundum aliam opinionem, ſicut licebat ex diſpenſatione viro uxorem repudiare: ita uxori alium virum ducere: quia inſeparabilitas matrimonii ex cauſa divinæ diſpenſationis tollebatur.* Stando igitur in priori opinione, quam §. præcedente probabiliorem judicavi.

XIV. Dico. Mulierem repudiatam non potuiſſe vivente viro, alteri nubere. Primo. Quia mulier, quæ poſt repudium nubebat alteri, Deuteron. 24. v. 4. *Polluta* erat, *& abominabilis coram Domino*: hoc autem non fuiſſet, ſi ſecundum illud matrimonium fuiſſet verum, ſicut polluta non eſt, quæ mortuo marito iterum nubit. —— Nec dicas, vocari pollutam ratione repudii, quo maritus eam pollutam judicaverat —— Nam ſcriptura vocat eam pollutam propter ſecundas nuptias; propter quas non poterat amplius recipi a priore viro, cum tamen potuiſſet antequam ſecundas nuptias contraxiſſet.

Nec dicas, cenſeri pollutam non ſimpliciter, ſed ſecundum legem pollutione legali —— Scriptura enim pronuntiat eam pollutam, & abominabilem *coram Domino* pollutione nimirum vera, & non legali tantum ob conjunctionem cum ſecundo viro, quæ erat adulterium. Unde, *Jeremias, c. 3. v. 1.* dimiſſam alteri nubentem, vocat pollutam, & contaminatam, eam comparans cum fornicaria, & ſignificat ideo virum priorem non poſſe ad eam ultra reverti, quia polluta, & contaminata eſt mulier illa.

XV. Secundo. Dominus, *Matth. 5.* ſimpliciter pronuntiat, v. 32. *Qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Quibus oſtendit, eam indulgentiam in divortio, & poſt divortium libertatem nuptias novas ineundi, merum eſſe adulterium, & rem coram Deo abominabilem, quam Deus in feritate Judæorum cenſuit tolerandam, non tamen in lege Chriſti: ſuper quæ Chryſoſt. Hom. 17. in Matth. *Expulſa* (inquit) *uxor eſſe ejus, qui eam expulit perſeverat. Ipſi* (nempe uxori) *ne poſtea alias eam ſuſcipiat, januam claudit dicendo: Qui autem dimiſſam duxerit, adulterat.*

XVI. Sed dices primo. Etſi in nova lege dimiſſa uxore adhuc perſeveret vinculum, ideoque qui dimiſſam duceret eſſet adulter, non tamen in lege veteri. Primo. Quia vir poterat ſine peccato aliam ducere uxorem: ergo ſimiliter uxor dimiſſa poterat ducere alium virum; ſtante enim vinculo, nec vir potuiſſet alteri conjungi.

Secundo, *c. 24. Deut. v. 2.* dicitur: *Cumque egreſſa alterum maritum duxit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus eam recipere in uxorem.* Poterat ergo uxor dimiſſa, alteri viro nubere, & proinde vinculum cum priori erat ſolutum, alias una mulier plures ſimul maritos habuiſſet, quod nunquam eſſe potuit —— Deinde prohibetur priori marito, ne iterum recipiat in uxorem mulierem a ſe repudiatam, quæ alteri poſtea nupta ab eo ſimiliter repudiata fuit; ergo ſupponitur prius vinculum ſolutum, cum prohibetur, ne illam iterum in conjugem recipiat, ſeu ne novum cum ea ineat conjugium.

XVII. Reſpondeo, neg. ant. Ad primam prob. neg. conſ. Nam ut ait S. Th. citata q. 67. Suppl. art. 4. ad 1. *Viro licebat plures uxores ſimul habere ſecundum diſpenſationem divinam: & ideo una dimiſſa, etiam matrimonio non ſoluto, poterat aliam ducere. Sed nunquam uxori licuit habere plures viros.*

Nec dicas, legem fore iniquam erga feminas, ſi etiam citra culpam permiſſa non poſſet alteri nubere, cum vir permitteretur eam dimittere, & aliam ducere —— Nego enim aſſumptum. Quia quod viri permitterentur dimittere uxores, erat in earum favorem, ut nempe evaderent periculum mortis. Quod autem viri poſſent alias ducere, non erat per acceſſionem novi juris ex repudio adveniens; ſed ex eo, quod polygamia tunc erat licita propter multiplicationem populi fidelis. Quæ cauſæ locum non habebant in uxoribus. Et ideo ſicut non permittebantur viros repudiare: ita nec poterant idem facere, quod viri ſecuto repudio.

XVIII. Ad ſecundum: dico, quod ex Cap. *Deuteron.* ſolum ſequitur uxorem dimiſſam potuiſſe alteri viro nubere de facto, non de jure: unde ſecundum illud conjugium erat potius adulterium reddens eam pollutam, & abominabilem coram Domino —— Ad id quod additur dico, prohiberi priori marito, ne iterum recipiat in uxorem eam, quæ poſt repudium alteri nupta ab iſto etiam fuit repudiata: non quaſi ineundo novum conjugium cum illa, ſed eam ſibi reconciliando, & iterum ad torum admittendo, quia facta erat quodammodo irregularis, & immunda. Circa quod ait S. Thom. citata q. 67. art. 5. ad 3. *Quidam dicunt, quod licuit repudiatam viro reconciliari, niſi in matrimonio alteri viro eſſet juncta: tunc enim propter adulterium, cui ſe mulier voluntarie ſubdidit, in pœnam datur ei, quod ad priorem virum non rediret. Sed quia lex univerſaliter prohibet, ideo dicunt alii, quod etiam antequam alteri nuberet, non poterat recipi ex quo repudiata erat, quia pollutio non intelligitur quantum ad culpam, ſed ſecundum quod dictum eſt*: (nimirum art. 4. ad 5.) *Nam pollutus, & immundus dicebatur, qui mortuum tangebat, vel leproſum: non immunditia culpæ, ſed cujuſdam irregularitatis.* Vel ut ait idem S. Thom. hoc *art. 5. in Corp.* prohibitum fuerat, ne repudiatam iterum reciperet: *ut vir non de facili uxorem repudiaret, quam poſtea nullo modo recuperare poſſet.*

XIX. Dices ſecundo, *Levit. 21. v. 7.* Sacerdos prohibetur ducere repudiatam; ergo hoc licebat non Sacerdotibus. —— Si reſpondeatur, in hoc ſtatui differentiam Sacerdotum ab aliis, quod Sacerdotibus nunquam licebat ducere repudiatam, ne quidem marito, qui eam repudiaverat defuncto: Cæteris autem tunc eam licebat ducere; ſed ante mariti mortem nemini licebat, quamvis tolleraretur impune in non Sacerdotibus.

XX. Replicabis. Repudiata poſt mortem mariti erat vidua: ſcriptura autem ibi *v.* 14. prohibet tamquam diſtincta, ne Sacerdotes ducerent viduam, & repudiatam —— Reſpondeo recte prohiberi ut diſtincta, quia Sacerdos nullam omnino poterat ducere repudiatam: viduam autem poterat aliquam, ſcilicet eam, quæ eſſet vidua a Sacerdote, ut ſcriptum eſt, *Ezech. 44. v. 22.* ubi dicitur de Sacerdotibus: *Et viduam, & repudiatam non accipient uxores, ſed virgines de ſemine domus Iſrael: ſed & viduam, quæ fuerit vidua a Sacerdote accipient.*

XXI. Dices tertio. Lex jubebat lapidari adulteram. Quomodo ergo tolerare poterat in repudiata novum conjugium, ſi hoc fuiſſet adulterium?

Reſpondeo quod jubebatur lapidari adultera, quæ ſine ſpecie conjugii adulterabatur. Propter duritiam tamen Judæorum, ſicut tolerabatur repudium: ita tolerabantur connubia repudiatarum, quamvis coram Deo eſſent adulteria, quia ſaltem ſpeciem conjugiorum habebant.

XXII. Dices quarto. Ex verbis Domini, *Matth. 19.* conſtat, id quod Moyſes permiſerat repugnaſſe primæ inſtitutioni matrimonii: at ſeparatio præciſe quoad torum, & ha-

& habitationem illi non repugnat, cum interdum licite fieri possit, immo debeat; ergo quod permisit Moyses, erat separatio etiam quoad vinculum.

XXIII. Respondeo, quod separatio quoad thorum ex justa causa non adversatur primæ institutioni matrimonii: ei tamen adversatur separatio quoad thorum ex quacumque causa, quomodo frequentabatur a Judæis, & vi illius transitus repudiatæ ad alias nuptias, qualis majoris mali evitandi causa permittebatur a Moyse.

XXIV. Si quæras quænam fuerit causa repudii?

Respondet S. Thom. *q. 67. Suppl. art. 6.* Proximam causam repudii fuisse odium uxoris. Sed quia odium, sicut & amor, ex aliqua causa nascitur, ideo multæ erant causæ in Lege dimittendi uxorem, nempe fœditates, sicut in corpore, ut sterilitas, aut lepra, vel aliqua notabilis macula; vel in anima, sicut si esset malorum morum, quos filii ex conversatione cum ipsa imitarentur. Addi solet etiam fornicatio: Verum adultera lapidabatur. aut per aquas Zelotypiæ probabatur, si solum erat suspicio, unde ex hoc capite vix fuisset locus repudio. Cæterum circa Christi adventum adeo multiplicatæ erant causæ repudii, ut merito in quæstionem verteretur, an ex quacumque causa id liceret.

XXV. Dico tamen, Casus, *in Deuteron.* 22. excipiuntur, quibus non poterat vir uxorem dimittere. Unus quando falso objiciebat fornicationem matrimonio præviam. Alter quando ipsemet uxorem corruperat ante matrimonium.

XXVI. Si quæras, an causæ repudii describi deberent in libello?

Respondet S. Thom. ibidem *art. 7.* Quod *causæ repudii non describebantur in libello, sed in generali, ut ostenderetur justum repudium. Sed secundum Josephum* (lib. 4. Antiquit. c. 6.) *ut mulier habens libellum conscriptum de repudio, alteri nubere posset, alias ei creditum non fuisset. Unde in eo erat scriptum tale secundum eum:* Promitto tibi, quod nunquam tecum conveniam. *Sed Secundum August.* (l. 19. contra Faust. cap. 26.) *ideo libellus scribebatur, ut mora interveniente, & concilio scribarum dissuadente, vir a proposito repudiandi desisteret.*

DUBIUM III.

An Matrimonium Fidelium Professione Religiosa solvi possit?

§. I.

De Matrimonio rato, non Consummato.

I. LUtherani, & Calvinistæ Ecclesiæ Catholicæ verterunt crimini, quod doceret, matrimonium ratum, & nondum consummatum dirimi per solemnem alterius conjugum in approbata religione professionem. Eos tamen, & cum eis idem sentientes, anathemate mulctavit Synodus Tridentina, Sess. 24. Canon. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit.*

II. Dico matrimonium, quod est ratum tantum, sed non consummatum, dirimitur per solemnem alterius conjugum in approbata religione professionem, ita ut alter possit alteri nubere. Ita respondet Innocent. III. Cap. *Ex parte tua.* De conversi. conjugat. asserens se prædecessorum suorum sequi vestigia. Ita & Alexander III. ibidem Cap. *Verum*, & Cap. *Ex publico.* Et in tit. de Sponsalibus, C. *Commissum.* Quod intelligitur etiamsi alter conjugum sit inconsultus, immo & invitus.

Probo primo. Ratione S. Thomæ, *q. 61. Suppl. art. 2.* sic: *Ante carnalem copulam est inter conjuges tantum vinculum spirituale, sed postea etiam est inter eos vinculum carnale:* Ergo *sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur, per mortem carnalem: ita per ingressum religionis vinculum, quod est ante carnalem copulam, solvitur, quia religio est quædam mors spiritualis, qua aliquis sæculo moriens, vivit Deo.*

III. Probatur secundo. Christus, *Matth. 19.* Ex his verbis Geneseos: *Erunt duo in carne una* probat perfectam matrimonii firmitatem, dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Sed non fiunt duo in carne una, nec una caro, nisi per carnalem conjunctionem corporum, ergo antequam conjuges sic fiant *una caro*, conjugium non habet ultimam, ac perfectam firmitatem, quin proposito melioris, ac sanctioris vitæ, qualis est professio religiosa, solvi possit. Ut enim ait S. Th. *art. 2.* citato *ad 4.* conjunctio matrimonialis ante carnalem copulam, est quidem perfecta quantum ad esse primum, sed non consummata quantum ad actum secundum, qui est operatio: & simulatur possessioni corporali: & ideo nec omnimoda indivisibilitatem habet.

IV. Non ausim tamen asserere, matrimonium ratum, & non consummatum esse solubile ex natura sua, sed potius ex divina Christi dispensatione, cui placuit conjugibus ante conjugalem copulam hanc relinquere libertatem, ut possint disponere de arctiori, & perfectiori statu eligendo. Unde S. Th. citato, *art. 2. ad 2.* ait: *Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione, nisi inter ea alter conjugum ad frugem melioris vitæ convolet. Sed per carnalem copulam completur dicta translatio; quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi tradita potestatis. Unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsenti, sed datur ei tempus duorum mensium, propter tria. Primo, ut interim possit deliberare de transeundo ad Religionem. Secundo, ut præparentur, quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertio, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilatam* (*c. Institutum 27. q. 3.*) Ita S. Th.

V. Hanc autem dispensationem a Christo Apostolis communicatam, eorum traditione credimus in Ecclesiam derivatam, cum ante omnia Concilia, & Canonicas sanctiones hoc fuerit semper observatum, ut ostendunt exempla Theclæ apud S. Epiphanium, *Hæres. 78.* Cæciliæ, & Alexii, aliorumque veterum Sanctorum, quibus Sanctus Thomas hic *in arg.* sed contra addit S. Jo: Evangelistam, qui matrimonio contracto, sed non consummato, sponsas, ac sponsos reliquerunt ut perpetuam continentiam servarent, voto secundum morem illius temporis solemni. Quare hic valet regula S. Augustini, l. 4. de Bapt. contra Donatistas, c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

His addo: quod si sola auctoritate Romanorum Pontificum hoc esset statutum, Hæretici moderni contra eos insurrexissent, & non defuissent ex antiquis, sive Patribus, sive Conciliis, qui tali disciplinæ obstitissent.

VI. Sed dices primo. Nemo potest offerre alienum: sed per matrimonium ratum, etsi non consummatum, uterque conjux abdicavit a se potestatem sui corporis, & transtulit eam in alterum; ergo &c.

VII. Respondeo ex doctrina supra allata S. Thom. *ad 2.* Min. veram esse, quando translatio potestatis est absoluta, & per corporalem possessionem consummata, ut fit accedente copula; non vero quando translatio est solum conditionata, ut contingit in matrimonio tantum rato. Tunc enim Deo sic concedente, præsumitur contrahens retinuisse sibi libertatem corpus suum, si Deo placuerit, ipsi offerendi.

VIII. Dices secundo. Matrimonium, etsi inconsummatum, est verum novæ legis sacramentum; ergo est omnino insolubile.

Respond. cum S. Th. hoc *art. 2. ad 1.* Quod matrimonium Christianorum inconsummatum est quidem verum quoad essentiam sacramenti, sed non est perfectum quod omnem significationem sacramenti. Nam *Matrimonium ante carnalem copulam significat illam conjunctionem, qua est Christi ad animam per gratiam; qua quidem solvitur per dispositionem spiritualem contrariam, scilicet per peccatum mortale. Sed post carnalem copulam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quantum ad assumptionem humanæ naturæ in unitatem personæ, qua omnino est indivisibilis.* Et ita solum matrimonium consummatum, quod eam significat, est prorsus insolubile. Unde Innoc. III. Cap. *Debitum*, titul. de bigamis: *Conjugium* (inquit) *illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum.*

IX. Replicabis: S. August. *lib. 1. de Nupt. & Conc. c. 11.* affirmat, vinculum conjugale esse firmius inter illos, qui mutuo consensu abstinent in perpetuum ab usu matrimonii, quam inter alios; ergo &c.

Respondeo: S. Augustinum loqui de conjugibus ob Dei, & castitatis amorem mutuo consensu perpetuam continentiam servantibus, quales fuerunt Maria, & Joseph. Horum ergo vinculum conjugale firmius vocat, non quoad obligationem contractus, seu quoad charitatem, & mutuam animorum consensionem.

X. Dices tertio. Scriptura loquens de matrimonio, asserit, illud non posse solvi, nisi per mortem sic: 1. *Cor. 7.* Nec posse uxorem dimitti, nisi excepta causa fornicationis, & quidimissam duxerit, mœchari: ita *Matth. 19.* nullibi distinguens inter matrimonium ratum, & consummatum.

XI. Respondeo: Scripturam loqui de matrimonio consummato in dictis locis, ut Patres interpretantur. Vel loqui de matrimonio secundum legem ordinariam, & ex natura sua, secundum quam est insolubile. Quod tamen an ex privilegio solvi aliquando possit, sicut non affirmat, ita nec negat. Paulus autem licet hoc non scripserit, facto tamen comprobavit; dum B. Theclam a nuptiis ad custodiam Virginitatis avocavit, ut refert Epiphanius, *Hæres. 78.* & legitur apud Augustinum, *lib. 30. contra Faustum, cap. 4.* verbis quidem Fausti, sed ab Augustino non reprehensis.

XII. Dices quarto. Vinculum matrimonii inconsummati non solvitur per susceptionem ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis; ergo neque per professionem religiosam, qua utrique annectitur votum solemne castitatis.

Nego conf. Cum enim qui ordinantur Sacerdotes vel Episcopi, non totaliter se Deo tradant, sed maneant sui juris,

juris, & proprietatem rerum retineant, non moriuntur civiliter; ideoque non mirum, ſi hoc privilegium eis non eſt conceſſum.

XIII. Dices quinto. Profeſſio religioſa non liberat a debito pecuniario, ergo nec a debito conjugali, quod eſt arctius.

Nego conſeq. Nam debitum pecuniarium ſolvi poteſt, ſive ab ipſa communitate religioſa, vel ab eo qui profeſſus hæreditatem adivit. At debitum conjugale ab ipſomet profeſſo ſolvi deberet; quod cum ſit contra ſtatum profeſſi ſolemniter in religione, ideo ſpeciali privilegio ab hoc debito liberatur.

XIV. Ex his ſequitur, mulierem, cujus vir ante conſummatum matrimonium religionem fuit ingreſſus, poſſe alteri nubere. Ita S. Thom. art. 3. q. 61. Suppl. *Sicut enim mors corporalis viri hoc modo vinculum matrimoniale ſolvit, ut mulier nubat cui vult, ſecundum Apoſtoli ſententiam*, 1. Cor. 7. *Ita etiam poſt mortem ſpiritualem viri per religionis ingreſſum, poterit cui voluerit nubere* —— Notat tamen ibi ad 2. *Quod non intelligitur mortuus ſæculo per religionis ingreſſum, quouſque profeſſionem emiſerit: & ideo uſque ad tempus illud tenetur eum uxor ſua expectare* —— Hoc tamen intelligitur de profeſſione emiſſa intra tempus a jure ſtatutum, nempe decimum ſextum ætatis annum expletum. Ut ſtatuit Trid. *Seſſ. 25. cap. 15. de Regularibus*. Quod ſi ante tempus a jure taxatum profiteretur: ait S. Thom. hic *ad* 3. quod idem eſſet judicium, quod de voto ſimplici. Attamen poſt Tridentinum citato loco declarans talem profeſſionem eſſe prorſus nullam, nullamque inducere *Obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis obſervationem, vel alios quoſcumque effectus*, videtur idem eſſe, ac ſi non eſſet facta: ideoque ſi maritus ad uxorem redire voluerit, tenetur eum recipere, ac ei petenti debitum reddere.

An vero ſolvatur conjugale vinculum, ſi ante conſummationem uterque conjux pari conſenſu profiteatur religionem —— S. Th. hic *ad* 1. negative reſpondet. Nam *quando uterque pari voto continentiam vovet, tunc neuter conjugali vinculo abrenuntiat, & ideo adhuc manet. Sed quando unus tantum vovet, tunc quantum eſt in ſe abrenuntiat, vinculo conjugali, & ideo alter abſolvitur a vinculo illo* —— Alii tamen affirmant. Quia hæc diſſolutio non provenit ex renuntiatione proprii juris, alioquin nec vinculum ſolveretur, quando unus de conſenſu alterius profiteretur; ſed ex privilegio per Chriſtum dato.

XV. Quæri ſolet: an Summus Pontifex in matrimonio rato non conſummato diſpenſare, ejuſque vinculum dirimere poſſit?

Sylvius referens Scotum, alioſque multos negat, S. Antoninus vero, 3. *p. tit.* 1. *c.* 21. affirmat, afferens exempla Martini V. & Eugenii IV. qui in matrimonii rati, & conſummati diſſolutionem diſpenſarunt. Et ſane ſi ob proprium ſpirituale bonum conceſſit Chriſtus privatæ perſonæ, ut ſe a tali vinculo liberet, profitendo in religione; multo magis videtur, id conceſſiſſe Summo Pontifici, ſi bonum maxime ſpirituale totius Eccleſiæ id poſtularet.

§. II.

De Matrimonio rato, & conſummato.

XVI. Dico. Non poteſt unus conjugum altero invito ad religionem tranſire poſt matrimonium conſummatum. Ita S. Th. hac *q. 61. Suppl. art.* 1. Quia (inquit) *Nullus poteſt facere oblationem Deo de alieno. Unde cum per matrimonium conſummatum jam ſit corpus viri factum uxoris, non poteſt ſine conſenſu ejus Deo ipſum offerre per continentiæ votum*. Hinc, ſi de facto profeſſionem emittat, ea non tenet, & ſic profitens, debet ad ſuum matrimonium reverti 27. q. 2. Cap. *Agathoſa*, Et Cap. *Si quis*, Cap. *Quidam*, & Cap. *Placet*, Tit. de conv. conjugat.

XVII. Adverte tamen, quod is, qui talem profeſſionem emiſerit, eſto mortua uxore non teneatur ad Monaſterium redire, tenebitur tamen a novis nuptiis abſtinere; promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit.

XVIII. Poſſunt tamen communi conſenſu ambo religionem profiteri, modo proli, ſi qua ex conjugio nata ſuperſit, provideatur, ſicut oportet. Cap. *Sunt qui dicunt* 27. q. 2. Et Cap. *Uxoratus*, tit. de converſione conjugatorum. Debet autem is, qui dedit conſenſum, ut alter religionem profiteretur, ingredi & ipſe, ac profiteri in aliqua religione, vel ſaltem perpetuam continentiam in manu Epiſcopi profiteri, Cap. *Cum ſit*, C. *Ad Apoſtolicam*, & Cap. *Significavit* dicto tit. His conditionibus non ſervatis, profeſſio alterius erit invalida, Cap. *Præterea* eod. tit. ubi dicitur: *Quod niſi uxor ad religionem tranſierit, aut perpetuo caſtitatem ſervare promiſerit, vir poteſt, & debet de Monaſterio revocari*.

XIX. Si quæras. Quænam conſummatio matrimonii requiratur ad impediendam profeſſionem religioſam: An ſufficiat imperfecta: an etiam coacta: an conſummatio ante matrimonium ſecuta.

XX. Reſpondeo ad primum. Veroſimilius ſufficere imperfectam, ex qua nimirum licet proles naſci non poſſit, vas tamen feminæ penetratur. ——

Ad ſecundum, dico, quod ſi vis, aut oppreſſio contingat ante finem bimeſtris a contracto matrimonio, quo tempore neuter tenetur reddere debitum, poteſt uxor etiam viro invito ingredi religionem. Cum enim paſſi ſit injuriam, non eſt rationabile quod propterea privetur jure ſuo. Si vero vis, ſeu oppreſſio facta eſt poſt bimeſtre a contracto matrimonio, non poteſt oppreſſa religionem ingredi, & ſi ingrediatur, profeſſio facta non tenebit; quia cum non ſit paſſa injuriam, reditur ad regulam generalem, non poſſe unum conjugem altero invito religionem ingredi poſt conſummatum matrimonium. —— Ad tertium, dico certum eſſe, quod poteſt religionem ingredi; quia non obſtante copula præcedente, matrimonium adhuc eſt inconſummatum.

DUBIUM IV.

An Matrimonium in Infidelitate Contractum ſolvi poſſit per converſionem unius ad Fidem?

§. I.

Reſolutio Prima.

I. NOto, infideles, ſi non habeant impedimentum juris naturali dirimens, verum matrimonium contrahere, quatenus matrimonium eſt in officium naturæ, ut docet S. Thom. *q. 59. Suppl. art.* 2. —— Rurſus noto, matrimonium infidelium quamdiu neuter conjugum ad fidem convertitur, eſſe inſolubile, ſive conſummatum ſit, ſive non; & hoc ex natura matrimonii: unde Cap. *Gaudemus*. tit. de divortiis dicitur: *Qui autem* (infidelis) *ſecundum ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem: nunquam ea vivente licite poterit aliam, etiam ad Fidem Chriſti converſus, habere, niſi &c.*

In caſu ergo præſentis dubii duo ſunt examinanda. Unum: an matrimonium in infidelitate contractum ſaltem diſſolvi poſſit, quando uno conjuge ad fidem converſo, alter in infidelitate perſeverans, vult pacifice habitare cum illo. Alterum: an ſaltem diſſolvi poſſit, quando alter, qui in infidelitate perſeverat, non vult habitare cum converſo, vel non ſine contumelia Creatoris.

II. Dico ergo ad primum. Uno conjuge ad fidem converſo, & alio in infidelitate perſeverante, volente tamen pacifice habitare cum illo, non ſolvitur inter eos matrimonii vinculum: poteſt tamen fidelis infidelem dimittere quantum ad habitationem, & debiti ſolutionem. Ita S. Th. *qu. 59. Suppl. art.* 3. pro prima parte probat. Quia *fides ejus, qui eſt in matrimonio non ſolvit, ſed perficit matrimonium*; ergo *cum inter infideles ſit verum matrimonium . . . per hoc quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipſo vinculum matrimonii ſolvitur*. Idem docet in 4. diſt. 29. art. 5. in Corp. *Quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, diſtinguendum eſt; quia ſi infidelis vult & habitare ſine contumelia Creatoris, ſine hoc quod ad infidelitatem inducat, poteſt fidelis libere diſcedere, ſed diſcedens non poteſt alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare ſine contumelia Creatoris in verba blaſphemia prorumpens, & nomen Chriſti audire nolens; tunc ſi ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis diſcedens, poteſt alteri per matrimonium copulari*.

Alteram autem partem, quod liceat quoad cohabitationem conjugem infidelem dimittere, probat S. Th. dicta *q. 59. Suppl. art.* 3. dicens, quod in hoc *pari paſſu currunt infidelitas, & adulterium; quia utrumque eſt contra bonum prolis. Unde ſicut ſe habet in poteſtate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea: ita ſe habet in poteſtate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea: Poteſt enim vir innocens libere manere cum adultera ſpe correctionis, non autem ſi in adulterii peccato fuerit obſtinata, ne videatur patronus turpitudinis: quamvis etiam cum ſpe correctionis poſſit eam libere dimittere. Similiter fidelis converſus poteſt cum infideli commanere cum ſpe correctionis, ſi eam in infidelitate obſtinatam non viderit, & bene facit commanendo; tamen non tenetur. Et de hoc eſt conſilium Apoſtoli*, 1. *Cor.* 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.

III. Sed quid ſi velit pacifice quidem habitare cum illo, ſe obſtinate in infidelitate permanere, poterit ne vir, ea dimiſſa, alteram ducere?

Aliqui affirmant: Verius tamen negatur cum S. Auguſtino, *lib.* 1. *de adulterin. conjug. cap.* 25. dicens: *Propter quodlibet tamen fornicationis genus, ſive carnis, ſive ſpiritus, ubi & infidelitas intelligitur; & dimiſſo viro non licet alteri nubere: quoniam Dominus nulla exceptione facta ait* (Marci 10. v. 12.) *Si uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur. Et* (Lucæ 16. v. 18.) *omnis qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur*. Idem tradit Innocent. III. Cap. *Gaudemus*, ubi clare dicit, conjugem converſum ad fidem Chriſti non poſſe aliam, ab ea, quam in infidelitate habuerat, uxorem ducere: *Niſi poſt converſionem illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiamſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum*. Ubi ponit tamquam diſtincta velle habitare in infidelitate, & facere contumeliam Creatori. Et Paulus, 1. *Cor.* 7. de manente in infidelitate, dicit: *Si conſentit habi-*

habitare cum illo, non dimittat illam. Potest enim velle in infidelitate sua manere, sed virum a fide Christi, quam amplexus est, non retrahere.

§. II.

Resolutio Secunda.

IV. Dico ad secundum. Si conjux infidelis, vel nolit fideli cohabitare, vel non sine contumelia Creatoris, fidelis debet eum deserere, & eo deserto, potest alium matrimonium contrahere, etiamsi præcedens matrimonium fuerit consummatum. Ita S. Th. hac *q. 59. art. 5.* dicens: *Si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, ideſt, sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere; sed discedens non potest alteri nubere. Si autem infidelis non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemia prorumpens, & nomen Christi audire nolens, tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari.*

V. Hoc deducitur ex Apostolo, 1. *Cor. 7. vers.* 15. ubi ait: *Si infidelis discredit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* Super quæ S. Th. ibi Lect. 3. ait: *Hic autem dicit, quod si* (infidelis) *non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere. Ubi primo ponitur ipsa concessio, secundo concessionis ratio duplex. Prima est libertas: ibi*, non est enim servituti &c. *Secunda est pacis tranquillitas, ibi:* In pace autem &c. *Dicit ergo, quod si infidelis, vel mulier*, discedit, *a fideli odio fidei*, discedat, *& potest fidelis, qui dimittitur contrahere: primum enim matrimonium dissolubile erat: quia nunquam fuit ratum.* Nam ut docet idem S. D. *art. 5.* supra citato ad 1. *Matrimonium infidelium non est omnino firmum, & ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi.*

VI. Ex præfatis Pauli verbis deducit Innocentius III. Cap. *Quanto* de divortiis. Quod qui sic ab infideli *relinquitur, ad secunda si voluerit vota transibit.* Ubi etiam dicit; quod etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum, & ratum existit: Quia *Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Ex triplici autem capite matrimonia infidelium quamvis legitima, & vera dicuntur non rata. Primo; quia non est ita firmum, quin possit uno saltem casu dirimi. Secundo: quia nondum est positiva Christianorum lege firmatum. Tertio: quia adhuc est imperfectum, non tendens, nisi in generationem, & educationem naturalem prolis, deest autem illi ultima perfectio, qua destinetur ad educationem prolis secundum legem Christi. Propterea matrimonia Christianorum sunt magis insolubilia, quia insolubilitatem habent non solum ex jure naturali, sed etiam ex divino Christi præcepto, cui non subjiciuntur matrimonia infidelium, etiamsi unus eorum convertatur ad fidem: subjiciuntur tamen matrimonia Christianorum, etiamsi a fide devient.

VII. Hinc omne matrimonium dicitur natura sua insolubile: non quod nullo unquam casu solvi non possit, sed quia adeo stabile est, ut non nisi rarissime solvi possit. Christianorum quidem consummatum, nullo unquam casu: inconsummatum autem unico, nempe per professionem religionis. Infidelium vero etiam consummatum, tunc solum, quando uno illorum ad fidem converso, alter renuit cum contumelia Creatoris. Nec enim tunc: quod Deus conjunxit homo separat, sed Deus, qui voluntatem suam per Apostolum, citato loco, 1. *Cor. 7.* nobis manifestavit.

VIII. Dices tamen. Crimen superveniens matrimonio non solvit matrimonium; ergo cum non solvatur si uxor infidelis velit pacifice habitare cum viro converso; neque solvitur per crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris.

IX. Respondeo cum S. Thom. *q. 59. Suppl. art. 5. ad 2.* neg. maj. in casu. Nam *crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris, absolvit virum a servitute, qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere. Sed nondum solvit matrimonium: Quia si de blasphemia illa converteretur antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus. Sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis, nisi solutus a servitute uxoris sua per culpam ejusdem.* Ex qua doctrina sequitur: Primo: matrimonium non solvi per conversionem unius conjugis ad fidem, quia si infidelis consentiat habitare pacifice cum fideli, non debet hic discedere. Secundo: nec solvitur, cum infidelis actu discedit a converso, neque cum fit blasphemus in Christum. Nam si resipiscat antequam conversus ad secundas nuptias transierit, priore suo matrimonio gaudere debet. Solum ergo solvitur eo instanti, quo conversus cum altera nubit. Eadem ratione dicit S. Th. ibi *ad* 4. quod nec debet vir conversus statim post conversionem votum continentiæ emittere, nec ad religionem aliquam transire, nisi prius requisita, & congruo tempore expectata uxore, ut convertatur. Tunc si nulla spes affulgeat, sed illa pertinax perseveret, potest sive votum continentiæ emittere, sive religionem ingredi, sive sacros ordines suscipere: & tunc solvitur vinculum. Unde *si uxor postea convertatur, non est sibi vir suus reddendus, sed debet imputare sibi in pœnam tardæ conversionis, quod viro suo privatur.*

X. Propterea conjux, qui ab infidelitate ad fidem transit, priusquam a conjuge infideli discedat, servare debet monitum S. Augustini, *l. 1. de adulterinis conjugiis, c. 18.* nimirum, ut advertat, an non solum ei liceat, sed etiam expediat: *Expedit* autem *tunc quando non solum per justitiam, quæ coram Domino est, permittitur; sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur... Tunc autem non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis, sicut est... discessio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injusta non est: sed prohibet Apostolus consilio charitatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis, non solum quia pernitiosissime scandalizantur offensi, verum etiam, quia in alia conjugia cum ceciderint, viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur.* Loquitur autem Sanctus Doctor de conjuge infideli cohabitare volente, quem non expedit dimittere; non autem de conjuge infideli discedere, aut cum contumelia Creatoris habitare volente.

DUBIUM V.

An Matrimonium Christianorum consummatum solvi possit quoad vinculum?

§. I.

Errores, & Opiniones.

I. Lutherus (teste Bellarmino) *in cap. 7. 1. ad Cor.* Matrimonium etiam consummatum varias ob causas posse dissolvi, & aliud novum iniri docet. Primo: cum fictus, & lavatus Christianus Christianam conjugem duxerit. Secundo: ubi conjux conjugem ad furtum, vel aliud peccatum inducit. Tertio: cum ob frequentes rixas cohabitatio cum priore conjuge gravem parit molestiam. Quarto: ubi conjugum alter diu abest. Tandem cum matrimonio consummato ab altero ex conjugibus superinducitur adulterium.

Melanchton, *in locis Theologicis, tit. de conjugio*, in duobus tantum casibus matrimonii solutionem admittit, nimirum si conjugum alter, vel fornicetur, vel injuste conjugem deserat. In hoc autem casu non solum innocenti, sed nocenti etiam matrimonium concedit. Quia inquit hac pœna castigari non debet, qui servandæ castitati est impar.

Calvinus, *lib. 4. Instit. c. 19. §. 37.* Uno tantum in casu contendit consummatum dirimi matrimonium, nempe, cum uxor est adultera, vocatque legem tyrannicam, quæ prohibet: *Ne viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere liceat.*

II. Erasmus Roterodamus præfatis omnibus Sectariis præiverat docens *ann. 1515.* nempe, biennio antequam Lutherus Ecclesiæ defertor fieret, solvi matrimonium in casu adulterii. In hanc Erasmi sententiam propendere videtur Cardinalis Cajetanus *super c. 19. Matth.* eam tamen aperte non audet tueri. Ambrosius etiam Catharinus versat in utramque partem affirmativam, & negativam sententiam de solubilitate matrimonii, quod adulterio polluitur. Et ad calcem Tractatus de Matrimonio tandem concludit, nec ex Evangelio, nec ex Apostolo posse colligi, non licere in causa fornicationis aliud inire matrimonium: Id tamen variis canonibus esse prohibitum: & ideo non debere fieri, nisi Ecclesiæ accesserit auctoritas.

III. Apud Græcos etiam nunc viget praxis solvendi matrimonium ob superveniens adulterium. Quem errorem etiam tempore Concilii Florentini tuebantur, & sæculo etiam præcedente referente Guidone Carmelita ad ann. 1330. qui ait lib. de Græcorum erroribus: *Decimus error est Græcorum: dicunt enim quod divortia matrimoniorum fieri possunt justa de causa pro libito voluntatis.*

IV. Ecclesia tamen Catholica fidem suam in hac quæstione aperte explicavit in Tridentino, *Sess. 24. Canon. 7.* his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere: mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.* Ex iis quæ refert Cardinalis Pallavicinus, *lib. 22. Hist. Trident. c. 4.* colligunt aliqui, Tridentinos Patres habuisse in animo percellendi anathemate, non quidem Græcos, aliosque cæteroquin catholicos, qui alias saltem probabile censuerant, matrimonium solvi posse quoad vinculum per adulterium superveniens; sed Lutheranos, & Calvinistas, qui non solum hoc idem tenent, sed Doctrinæ contrariæ Ecclesiæ censuram incurrerunt, asserentes, ut maxime ex Calvino notavimus, eam esse erroneam, & tyrannicam. Unde Tridentini Patres non dixerunt: *Si quis dixerit per adulterium matrimonium*

dirimi

dirimi quoad vinculum &c. anathema ſit. Sed *ſi quis dixerit Eccleſiam errare cum docuit, & docet &c. anathema ſit.* Verum quidquid ſit.

§. II.

Veritas Catholica ex Scriptura.

V. DIco. Catholica, & Evangelica Eccleſiæ doctrina eſt, matrimonium conſummatum Chriſtianorum, nec per ſubſequens adulterium ſolvi poſſe quoad vinculum, additque mæchari eum, qui etiam ob tale crimen dimiſſa priore aliam duceret uxorem. Hanc veritatem probant primo Chriſti verba, tum Marci 10. verſ. 11. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Tum Lucæ 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* Unde S. Auguſt. *lib. 1. de Adulter. conjugiis, cap. 9.* poſtquam præfata Chriſti verba recitavit: *Qui ergo* (inquit) *nos ſumus, ut dicamus, eſt qui mœchatur, uxore ſua dimiſſa alteram ducens, & eſt qui hoc faciens non mœchatur? cum Evangelium dicat, omnem mœchari qui hoc facit? Proinde ſi quicumque hoc fecerit, ideſt, omnis qui hoc fecerit, ut uxore ſua dimiſſa, alteram ducat mœchatur; ſine dubitatione ibi ſunt ambo, & qui præter cauſam fornicationis, & qui propter cauſam fornicationis dimittit uxorem: Hoc eſt enim.* Quicumque dimiſerit; *Hoc eſt:* Omnis qui dimittit.

VI. At inquiunt Sectarii. Chriſtus, Matth. 19. verſ. 9. *Quicumque* (inquit) *dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur;* ergo loca allata ex Marco & Luca intelligenda ſunt cum iſta exceptione *niſi ob fornicationem:* ita ut extra caſum fornicationis conjugium ſolvi non poſſit, in caſu tamen fornicationis poſſit.

VII. Sed contra primo. Si Chriſtus dicit non poſſe dimiſſa uxore aliam duci, niſi ob fornicationem, cur Lutherus ob alias cauſas vult, dimiſſa uxore, poſſe aliam duci ut vidimus ſupra? —— Secundo; Si vir ob adulterium dimittens uxorem poteſt aliam ducere; ergo etiam mulier ob adulterium dimiſſa poterit alteri nubere, quia ſoluta eſt a vinculo cum priore conjuge; ergo melior erit conditio adulteræ quam innocentis, & caſtæ, quia poterit adultera a viro dimiſſa alteri nubere, quod non poterit innocens, & caſta, quamvis injuſtiſſime a viro in perpetuum dimiſſa. Quis autem credat, Chriſtum Legiſlatorem ſapientiſſimum, & æquiſſimum, lege ſua voluiſſe melioris conditionis eſſe ream juſte dimiſſam, quam innocentem dimiſſam injuſte? Immo quam latam viam aperuiſſet uxoribus, quibus maritus eſſet infenſus, adulterandi cum altero, dum ſcirent, ſe a marito dimiſſas poſſe alteri nubere?

VIII. Dicendum ergo cum S. Auguſtino, *lib. 1. de Adulterinis conjugiis*, ubi *cap. 9. & 21.* fuſe rem hanc elucidat, & reſpondet Pollentio hoc idem objicienti: Mentem Chriſti non fuiſſe excuſare ab adulterio eum, qui dimiſſa ob adulterium uxore aliam ducit; ſed oſtendere quod licet & hoc adulterium ſit, minus tamen grave eſt quam illud, quod committit, qui uxore non fornicante dimiſſa, alteram ducit: & affert illud Jacobi 4. v. 17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi.* Non quod non ſciens, & non faciens, ſi ſcire negligat, non peccet, ſed quia minus peccat, quam qui ſciens bonum facere non facit: Ita nec recte dici poteſt; Qui dimittit uxorem præter cauſam fornicationis, & aliam ducit mœchatur; *Ergo ſi cauſa fornicationis dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur: eſt enim mœchatio eorum etiam, qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, ſed utique, minor quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt.* Ita S. Auguſt. citato loco, *cap. 9.* Poſt multa vero, *cap. 11.* concludit, quod id quod Matthæus ſolum ex parte dixerat, tamquam explanantes Marcus, & Lucas totum dicere maluerunt: *Cum itaque primum non dubitantes verum eſſe, quod apud Matthæum legitur:* Quicumque dimiſerit uxorem ſuam præter cauſam fornicationis, & aliam duxerit mœchatur: *quærimus, utrum tantum iſte mœchetur ducendo alteram uxorem, qui præter cauſam fornicationis priorem dimiſerit, an omnis qui dimiſſa uxore alteram duxerit, ut ibi ſit etiam qui fornicantem dimiſerit, nonne ſecundum Marcum reſpondebitur nobis: Quid quæritis, utrum ille ſit mœchus, & ille non ſit?* Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit: *Nonne etiam ſecundum Lucam dicetur nobis, quid ambigitis, utrum ille qui propter cauſam fornicationis uxorem dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchetur?* Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur: *Ac per hoc quoniam fas non eſt, ut Evangeliſtas, quamvis diverſis verbis de una re loquentes, ab uno ſenſu, eademque ſententia diſſentire dicamus; reſtat, ut Matthæum intelligamus a parte totum ſignificare voluiſſe; eamdem tamen tenuiſſe ſententiam, ut dimittens uxorem, & alteram ducens, non quidem mœchatur, ideſt, qui præter fornicationem dimiſerit, quidam vero non mœchetur, ideſt, qui propter fornicationem dimiſerit; ſed omnis qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchari minime dubitetur.* Ita S. Auguſtinus, ex cujus doctrina hanc rem egimus etiam in Vera Eccleſia, *Tom. 1. cap. 13. §. 2.*

IX. Probatur ſecundo. Ex Apoſtolo 1. Cor. 7. verſ. 39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat.* Item Rom. 7. v. 2. *Qua ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Ergo ex Apoſtolo ſola mors viri ſolvit vinculum conjugale; ſuper quæ S. Auguſt. l. 2. de Adulter. conjugiis, cap. 4. *Hæc verba* (inquit) *Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit: eſſe autem deſinit uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licite autem dimittitur conjux ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris, propter quod ſit reus adulterii, qui dimiſſam duxerit, etiam ob cauſam fornicationis.*

X. Hoc idem præcipit. 1. *Cor. 7. verſ.* 10. & 11. dicens: *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt* (fideles) *præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Ubi teſte S. Th. *Lect. 2.* loquitur de muliere diſcedente ob fornicationem viri, alias diſcedere ipſi non permittitur, ſed onera conjugii debet patienter ferre. Unde S. Aug. l. 1. de Adulter. conjugii c. 7. *Porro* (inquit) *beatus Apoſtolus, immo per Apoſtolum Dominus, quia mulierem non permittit a viro non fornicante diſcedere, reſtat, ut eam prohibeat, ſi diſceſſerit, nubere, quam permittit a fornicante diſcedere. De qua enim dicitur, ſi diſceſſerit, non nubat, ea conditione diſcedere permittitur, ut non nubat.*

§. III.

Eadem Veritas ex Traditione.

XI. VEritatem hanc omnium ſæculorum Patres tradidere ſæculo II. Juſtinus Martyr, *in Apolog. 2. pro Chriſtianis pag. mihi 62.* inter doctrinas Chriſti, hanc recenſet: *Si quis repudiatam a viro alter duxerit, adulterium committit.* —— Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis pag. mihi 37. *Qui enim uxorem ſuam dimiſerit, & duxerit alteram, adulteratur, inquit Dominus noſter.* —— Clemens Alexandrinus *ſæculo III. lib. 2. ſtromatum verſus finem* ait: *Quod autem conſulit ſcriptura uxorem ducere, & nec a conjugio unquam permiſit diſcedere, legem aperte conſtituit:* Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem. *Adulterium autem exiſtimat conjungi matrimonio, vivo altero ex ſeparatis.* Tertullianus lib. 4. adv. Martionem, cap. 34. *Qui dimiſerit, inquit,* (Chriſtus) *uxorem, & aliam duxerit, adulterium committit, & qui a marito dimiſſam duxerit, æque adulter eſt, ex eadem utique cauſa, quia non licet dimitti ut alia ducatur: illicite enim dimiſſam pro indimiſſa ducens, adulter eſt. Manet enim matrimonium, quod non rite diremptum eſt. Manente matrimonio, nubere adulterium eſt.*

XII. Pro ſæculo IV. Accedit Concilium Eliberitanum *ann. 313. Can. 9.* ubi ſic ſtatuitur: *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit, fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ne ducat; ſi autem duxerit, non prius communionem accipiat, quam is, quem reliquit, de ſæculo exierit, niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.*

Innocentius I. Epiſt. ad Exuperium cap. 6. *De his* (inquit) *requiſivit dilectio veſtra, qui interveniente repudio alii ſe matrimonio copularunt: Quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui vero vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hæ perſonæ, quibus tales conjuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur ſecundum illud, quod legimus in Evangelio, qui dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur, ſimiliter & qui dimiſſam duxerit, mœchatur, & ideo omnes a communione abſtinendos.* —— Eodem IV. ſæculo Hieronymus, *in Epiſt. ad Oceanum* deſcribit pœnitentiam, quam Romæ egit S. Fabiola, eo quod (ut permittebant hominum leges) dimiſſo a ſe viro adultero, cum altero nupſiſſet. Et in Ep. ad Amandum: *Quamdiu* (inquit) *vivit vir, licet adulter ſit, licet ſodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* —— Idem ſenſerunt Baſilius Epiſt. Canonica 3. ad Amphiloch. Canon. 77. *Qui relinquit legitime ſibi copulatam mulierem, & aliam ducit, ex Domini ſententia adulterii ſubjicitur judicio.* Chryſoſt. lib. de Virgin.

XIII. Pro quinto ſæculo præter S. Auguſtin. ſupra laudatum ſtat Synodus Milevitana II. *Anno* 416. quæ *Can. 17.* ita habet: *Placuit, ut ſecundum Evangelicam, & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito, alteri conjungatur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa* (ut pœnarum etiam ſæcularium metu coerceantur fractores) *legem imperialem promulgari &c.* Erant ergo eo ſæculo etiam leges imperiales id præcipientes. Mitto proximiorum ſæculorum Concilia, & Patres, qui

omnes in hac veritate firmanda convenerunt, adeo ut ante modernos hæreticos nemo contradicere ausus fuerit.

XIV. Afferam demum Concil. Florent. *in Decreto Eugenii* sic dicens: Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit. Concilii Tridentini Canonem superius attulimus. Hoc docet S. Th. *q. 59. Suppl. art. 6.* ubi distinguens, matrimonium solvi seu separari posse, & quoad vinculum, & quoad actum, dicit, quoad actum solvi posse per adulterium, non autem quoad vinculum.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

XV. OBjicies primo. Adulterium videtur esse directius contra matrimonium, quam infidelitas: sed infidelitas solvit matrimonium in aliquo casu, ut liceat ad aliud matrimonium transire; ergo & adulterium.

Respondet S. Th. citato loco ad primum. *Quod quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio in quantum est in officium naturæ quam infidelitas: tamen a contrario est, in quantum matrimonium est sacramentum Ecclesiæ, ex quo habet perpetuam firmitatem, in quantum significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiæ. Et ideo matrimonium, quod non est ratum, magis potest solvi quantum ad vinculum per infidelitatem, quam per adulterium.*

XVI. Objicies secundo. Justinus Martyr, *in 1. Apologia pro Christianis*, narrat factum cujusdam mulieris, quæ virum libidinibus deditum diu patienter sustinuit: *Sed ille postquam Alexandriam profectus est, multo deterior factus esse dictus est, femina verita, si de cætero eodem cum illo lecto, eademque uteretur mensa, ne impietatis quoque ejus fieret particeps, misso illi qui apud vos dicitur repudii libello, ab eo sejuncta est.* Atqui factum mulieris non improbat, sed approbat Justinus; ergo &c.

Respondeo: nego cons. Quid enim in ea femina reprehendere potuisset Justinus; dum ex justissima causa sejuncta fuit a marito, non quidem quoad vinculum cum alio nubens, sed solum quoad lectum, & mensam, & cohabitationem, ne illius vitiis communicare videretur?

XVII. Objicies tertio. Tertullianus, *l. 4. contra Marcionem, c. 34.* dicit, Deum virum a muliere non disjungere, nisi adulterii causa: *Cæterum* (inquit) *præter, ex causa adulterii, nec Creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit.*

Respondeo, Tertullianum loqui de disjunctione tantum quoad torum, & cohabitationem, non tamen quoad vinculum; quoad hoc enim quos conjunxit, Deus ob adulterium non sejungit, ut ex eodem Tertulliano supra ostendimus, *n.* 10. & rursus, quia Marcioni objicienti, Christum contrarium esse Moysi, quia prohibuit divortium, quod ille concesserat, respondet: *Dico, illum* (Christum) *conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem: si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat,*

XVIII. Objicies quarto, Origenem, *Tract. 7.* in *Matth.* asserentem, non sine causa quosdam Episcopos permisisse quibusdam mulieribus, ut vivente viro alteri nuberent. Igitur Origenis ætate mos erat pluribus nubendi?

Respondeo, Origenem ibi dicere etiam, id ab illis Episcopis factum fuisse contra scripturarum auctoritatem: *Scio* (inquit) *quosdam, qui præsunt Ecclesiis, extra scripturam permisisse aliquam nubere viro priori vivente:* Rursus dicit, hoc fuisse permissum tamquam minus malum. *Et contra scripturam quidem fecerunt dicentem, mulier alligata est &c... Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt: forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum pejorum comparationem, quæ mala sunt, permiserunt adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta.* Quale autem argumentum desumi potest ex eo quod permissum quidem fuit, sed contra scripturam, & tamquam minus malum?

XIX. Objicies quinto S. Basilium, *Epist. Canonica 1. ad Amphil. Can. 9.* hic habet: *Quæ reliquit* (uxor maritum) *est adultera, si ad alium virum accessit: qui autem relictus est, dignus est venia, & quæ una cum eo habitat, non condemnatur. Sed si vir qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est & ipse adulter, quia facit ut ipsa adulterium committat & quæ una cum ipso habitat, est adultera, quia alienum virum ad se traduxit.* Quibus videtur asserere, quod injuste dimissus ab uxore maritus, nec adulter sit, si aliam ducat, nec quæ ab eo ducitur sit adultera, uxor tamen sic dimittens adultera sit, si ad alium virum accesserit. E contra vero si maritus dimittat uxorem, & accesserit ad aliam tam ipse, quam ista adulterium committant.

XX. Respondeo S. Basilium hoc loco protestari, se non loqui secundum legem Dei, sed secundum consuetudinem, seu leges Romanas, quæ viro ab uxore dimisso permittebant alteri nubere, id autem non permittebant uxori dimissæ a viro. Ait enim *Æque viris, ac mulieribus convenit secundum sententiæ consecutionem, quod a Domino pronunciatum est, non licere a matrimonio discedere nisi ob fornicationem. Consuetudo autem non ita se habet &c.* Nempe vult, mulieres viros etiamsi adulteros retinere, ac viris uxores adulteras dimittere conceditur, ut dignus venia sit, si aliam ducat. Cæterum consuetudo, quæ legi Domini opponitur, consuetudo non est, sed abusus. Cum ergo lex Domini æque in hoc loquatur de mulieribus, ac de viris; ideo consuetudo illa, quæ tempore Basilii invaluerat, abusus legis erat, non lex. Unde ipse Basilius, *in Moralibus, regula 73.* statuit: *Virum ab uxore, aut uxorem a viro non debere separari, nisi quis deprehendatur in adulterio.* Utrique pariter interdicit novas nuptias, sive repudient, sive repudientur. A quo nec dissentit hoc in loco. Nam ut patet ex ejus verbis in objectione relatis, aperte pronuntiat adulterum conjugem, sive mulierem, sive virum, qui altero dimisso, novum conjugium inierit.

XXI. Sed dices. Ineunte sæculo quarto, cum Orientales, tum Latini dimissis adulteris uxoribus nubebant, & hoc Canonum permissu. Nam Concil. Arelatense I. *anno* 314. habitum: *De his* (inquit) *qui conjuges suas in adulterio reprehendunt, & ii sunt adolescentes, & prohibentur nubere; placuit, ut in quantum potest consilium eis detur, ne viventibus uxoribus, licet adulteris, alias accipiant.* Temperare ergo a novis nuptiis uxore vivente, non ad præceptum referunt Patres Arelatenses, sed ad consilium.

XXII. Respondeo, Arelatenses PP. supposuisse illicitas, & irritas alias nuptias, si eas tentarent, quod ostendunt illa verba: *Et prohibentur nubere.* Vox autem illa *Consilium*, quam addunt, sumitur pro exhortatione: nempe Pastores hortari debere adolescentes, de quibus agitur, ne uxoribus etiam in adulterio deprehensis novas tentent nuptias; quia *prohibentur nubere.*

XXIII. Replicabis tamen. Dogma de omnimoda indissolubilitate matrimonii eo sæculo incertum erat. Primo, Concilium Veneticum, *anno 465. Can. 11.* statuit a communione arcendos eos: *qui relictis uxoribus suis sicut in Evangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint.* Ergo cum adulterii probatione censet, eos non esse a communione arcendos.

Secundo. Vetus Pœnitentiale Romanum, quod Antonius Augustinus edidit, decernit, ut uxor, quæ juridice probaverit, se alioquin invitam, jubente marito commisisse adulterium: *Si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantum in Domino; maritus vero sine uxoris spe, in perpetuum maneat.*

Tertio. Hoc dogma ineunte quinto sæculo latuit Fabiolam Romanam, quæ, ut ait S. Hieron. *Epist. ad Oceanum*, nupsit cum altero viro, priore dimisso: *Nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa cautio, viventibus viris, feminis imputatur &c.*

Quarto. In hac causa Romani Pontifices, aliique Præsules sæpius consulti fuerunt, ut Innocentius I. *Epist. ad Exuperium*, a quo de hoc quæsitus fuerat —— Et S. Augustinus, lib. de Fide, & Oper. c. 19. *Et in ipsis* (inquit) *divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

XXIV. Respondeo ad primum. Illa verba *sine adulterii probatione* referri ad uxorum dimissionem, non autem ad istud posterius, *aliam duxerint*: unde sensus sit eum a communione arcendum, qui sine adulterii probatione uxorem suam dimiserit: pro ut etiam statuitur, *Can. 25.* Concilii Agathensis.

Ad secundum. Dico, Pœnitentiale illud loqui de matrimonio post viri mortem ineundo: ut sensus sit. Quod ubi maritus, qui adulterare fecit uxorem invitam, nec post ejus mortem alteri nubere potest, uxor e contra, ubi maritus objerit, possit pro libito alteri nubere.

Ad tertium. Dico, Hieronymum agnovisse Fabiolæ factum contra Evangelii vigorem fuisse: immo & Fabiolam ipsam, quæ propter hoc Romæ publicam egit pœnitentiam.

Ad quartum. Dico, Summos Pontifices consultos aliquando fuisse de rebus passim apud omnes certis: quæ tamen ob aliquorum tricas obscuritate involverentur. Id probant varia capita Epistolæ ejusdem Innocentii ad Decentium Eugubinum —— S. autem Augustinus ab initio quidem intricatam hanc quæstionem arbitratus fuit, si solius scripturæ habeatur ratio. Postea tamen traditione consulta, & collatis iis, quæ dicit Matthæus, cum iis, quæ dicunt Marcus, Lucas, & Paulus, rem adeo perspicuam judicavit ut, *l. 1. de Adulterin. conjugii, cap. 8.* (superius expenso) aperte asseruerit; constare ex Evangelio, mœchari utrumque conjugem, si dimissa comparte adultera, aliis nuptiis se immiscuerit. Videantur propterea superius dicta.

Demum, dato quod prioribus Ecclesiæ sæculis dubitatum de hoc fuerit, addi potest cum Bellarmino, *lib. 1. de Sacram. Matrim. cap. 17. Quod tempore Augustini non erat hoc dogma ab aliquo generali Concilio explicatum, & ideo facilius excusari poterant, si qui in hac re errassent.* Quod tandem, ut supra vidimus, in Tridentino stabilitum fuit. Unde nullo modo restat dubitandi locus.

DUBIUM VI.

An inter Christianos locum habeat Divortium?

§. I.

Resolutio Dubii?

I. DIvortium, ut hic sumitur, est separatio conjugum manente vinculo conjugali, quæ potest esse vel quoad torum, & concubitum tantum, vel etiam quoad cohabitationem. De hac quærimus, an locum habere possit in matrimonio fidelium consummato. Negat Lutherus, *lib. de Captiv. Babyl. cap. de Matrim.* Affirmant vero omnes Doctores Catholici.

II. Dico. Divortium potest licite fieri inter conjuges fideles ob legitimas causas, etiam matrimonio consummato. Ita contra Novatores definit Concil. Trid. *Sess. 24. Can. 8.* his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum multas ob causas separationem inter conjuges quoad torum, seu cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit.*

Causæ legitimæ ad faciendum divortium sunt. Prima fornicatio alterius conjugis, sive uxoris, sive viri. Posse verum facere divortium ab uxore ob adulterium eamque dimittere, colligitur ex verbis Christi Matth. 5. vers. 32. *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.* Hoc est culpabiliter exponit eam periculo adulterandi. Cumque hæc dimissio non sit quoad vinculum, ut Dub. præced. ostensum est, erit dimissio quoad torum, ita ut parti adulteræ debitum petenti, altera, quæ supponitur innocens, ex justitia reddere non teneatur. Hoc colligitur etiam ex similibus Christi verbis, *Matth. 19.* Posse autem uxorem a viro adultero discedere colligitur ex Paulo, *1. Cor. 7. v. 11.* ubi postquam præcepit, uxorem a viro non discedere, ait: *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ubi certe loquitur de justa discessione, alias non relinqueret uxori optionem vel manendi innuptam, vel se viro reconciliandi, sed juberet, eam ad virum injuste dimissum redire. Justa autem causa discessionis perpetuæ non alia est ab ea, quæ *Matth. 19.* exprimitur, nempe fornicatio.

III. Probat hoc S. Thom. *qu. 62. Supplem. art. 1.* dicens: *Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui fidem servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum ei debitum, qui non servavit fidem.* Ideo autem propter fornicationem divortium concessit: quia (ut ait ibi ad 3.) *Fornicatio directe est contra bonum matrimonii: quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & significatio non servatur, dum unus conjugum pluribus carnem suam dividit. Et ideo alia crimina, quamvis forte sint majora fornicatione, non tamen causant divortium.*

IV. Advertit tamen S. Thom. *ibidem in Corp.* quod *excipiuntur septem casus, in quibus non licet viro dimittere uxorem fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis est, vel utrique æqualiter culpabiles sunt. Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit. Secundus, si ipse uxorem prostituerit. Tertius, si uxor virum suum probabiliter mortuum credens, propter longam ejus absentiam, alteri nupserit. Quartus, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante. Quintus, si fuerit vi oppressa. Sextus, si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens* (si tamen adulterii fuerit conscius) *Septimus, si matrimonio in infidelitate contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupserit, tunc enim si uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.*

V. In causa autem divortii virum, & uxorem ad paria judicari, ut sicut vir innocens licite potest uxorem adulteram deserere: ita uxor virum adulterum, docet idem S. Th. dicta *q. 62. art. 4.* quia uterque peccat contra matrimonii bona. *Causa tamen* (inquit) *divortii est major in uno, quam in alio, cum tamen in utroque sit sufficiens causa ad divortium. Divortium enim pœna est adulterii, in quantum est contra matrimonii bona. Quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius. Et hæc causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris, quam viri. Et ideo major est causa divortii in uxore, quam in viro. Et sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur: Nec tamen injuste: quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam. Sicut est etiam de duobus, qui damnantur ad ejusdem mortis pœnam, quamvis alius altero gravius peccaverit.*

VI. Nec dicas, minus peccare mulierem, in qua plus est fragilitatis, & magis ducibilis est a concupiscentiis. — Nam (ut ait S. Thom. citatus *ad 5.*) Hoc quidem verum esse potest in simplici fornicatione. Siquidem *cæteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quam mulier, quia plus habet de rationis bono, quod prævalet quibuslibet motibus corporalium passionum. Sed quantum ad lesionem matrimonii, quam adulterium fornicationi addit, ex qua divortium causat, plus peccat mulier, quam vir.*

VII. Secunda divortii sufficiens causa esse potest sævitia tanta conjugis, ut alter non possit illi cohabitare sine periculo, Cap. *Litteras* de restit. spoliatorum. Similiter si tanta furia laboret, ut ab ea sit periculum, si tentaverit alium e medio tollere.

VIII. Tertia si sollicitet ipsum ad peccatum, ita ut non possit ei cohabitare sine periculo incidendi in aliquod grave crimen. Unde Sanct. Thom. dicta *quæst. 62. art. 1. ad 4.* dicit: *Etiam propter vitium contra naturam potest procedi ad divortium. Sed tamen non fit ita mentio de ipso: Tum quia est passio innominabilis. Tum quia non ita causat incertitudinem prolis.*

IX. Quarta est. Si alter conjugum defecerit a fide. Nam ut ait idem S. Thom. dicto art. 1. ad 3. *Infidelitas, qua dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra bonum matrimonii, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit divortium: sed tamen aliter, quam corporalis fornicatio, quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis sed propter consuetudinem, qua pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur.* Unde huc spectant quæ dicit Paulus, *1. Cor. 7. v. 12. 13. & 14.*

§. II.

Quæsita aliqua Soluta.

X. QUæres primo: An vir teneatur ex præcepto uxorem fornicantem a se dimittere?

Respondet S. Thom. dicta *qu. 62. Spplem. art. 2.* Quod si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere: Quia *dimissio uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam.* Licet enim adhuc jus habeat, ut possit eam dimittere, ad hoc tamen non tenetur, immo satius est, ut non dimittat. Tum ne dimissæ occasionem det redeundi ad adulterium. Tum quia si eam vere pœnituit, jam a Deo peccatum ei dimissum est. Quare August. lib. de Adulterin. conjugiis, cap. 6. *Postea quam Christus ait adultera:* Nec ego te damnabo, vade, deinceps noli peccare: *Quis non intelligat, debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum?* Quod repetit, l. 1. Retract. cap. 19. addit S. Thom. ad 1. *Quod peccatum fornicationis in uxore potest corrigi non tantum tali pœna* (dimissionis) *sed etiam verbis, & verbere. Et ideo si alias ad correctionem sit parata, non tenetur vir prædictam pœnam ad ejus correctionem adhibere.*

XI. Quod si mulier de adulterio non pœniteat, *Tenetur, ne peccato ejus consentire videatur dum correctionem debitam non apponit,* eam dimittere. Ita etiam S. Augustin. *lib. 1. Retract. cap. 19.* ubi corrigens, quæ *in lib. de Serm. Domini in Monte,* dixerat, ait: *Et ubi dixi, hoc permissum esse, non jussum, non attendi aliam Scripturam dicentem* (Prov. 18. vers. 22.) Qui tenet adulteram, stultus, & impius est.

Excipiunt tamen aliqui, si uxor nondum quidem sit emendata, sed consideratis gravibus circumstantiis, timeatur majus malum ex dimissione, maritus autem scelus detestetur.

XII. Neque dicas: Quilibet potest dimittere alteri; quod in se peccavit: sed mulier fornicando peccavit in virum, ergo potest ei dimittere — Nam respondet S. Thom. citato, *art. 2. ad 6.* nego minor. Quia *Uxor* (fornicando) *non tantum peccat in virum, sed etiam in seipsam, & in Deum. Et ideo vir non totaliter potest pœnam dimittere, nisi emendatio sequatur.*

XIII. Loquitur autem Sanct. Thom. peculiariter de viro: quia ordinarie non peccat mulier, si a marito etiam in adulterio perseverante non se separet, neque si debitum reddat, aut etiam petat. Cujus ratio est. Primo. Quia mulier non est caput viri, sicut vir est caput mulieris, nec potest virum ex auctoritate corrigere, & punire, sicut vir potest mulierem: ideoque non ita censebitur consentire in peccatum viri, sicut censeretur vir, si eam fornicantem non dimitteret — Secundo. Quia non idem incommodum incertitudinis prolis imminet, si mulier viro adultero se commiscat, sicut si vir uxori adulteræ commiscatur. — Tertio. Quia raro contingit, quod maritus adulter ob secessionem uxoris se corrigat: immo potius metuendum est, ne fiat deterior. Unde prudenter solent Confessarii suadere, ne uxores tales maritos dimittant.

Si tamen ex dimissione probabiliter speraretur emendatio, teneretur uxor innocens virum adulterum deserere, etiamsi sibi timeret periculum incontinentiæ: sicut enim aliquando abstinendum est a licitis majoris boni causa: ita debet illa ab actu conjugali abstinere (quia si propter solam incontinentiam fiat, non erit licitus, ut supra diximus) ut maritum lucri faciat: sibi autem per orationem, aut alia media consulere, ne per incontinentiam peccet.

XIV. Quæres secundo: An vir proprio judicio possit uxorem fornicantem dimittere?

Respondet S. Th. dicta q. 62. Suppl. art. 3. *Quod vir potest uxorem dimittere duplicitter. Uno modo quantum ad torum tantum. Et sic potest eam dimittere quam cito sibi constat de fornicatione uxoris proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum*

tum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, & totaliter reddens, nullum præjudicium sibi facit. Alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem. Et hoc modo non potest dimitti nisi judicio Ecclesiæ: & si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi posset ei vir incontinenti fornicationem probare. Hæc autem dimissio divortium dicitur. Et ideo concedendum est, quod divortium non potest celebrari nisi judicio Ecclesiæ.

Quia cum talis separatio sit publica, non leviter alios offenderet, si causa per judicem incognita fieret: Addo quod talis separatio quoad habitationem est adulteræ pœna publica: pœna autem publica, nisi a judice infligi potest.

In hoc autem judicio conjux innocens erit actor, qui si deficiat in probatione, non erit puniendus pœna talionis, hoc est divortii (sic enim obtineret, quod intendit) sed pœna arbitraria. Si vero ageret ad pœnam legibus civilibus decretam, admitti non debet ejus accusatio, nisi prævia inscriptione, qua se obliget ad pœnam talionis. Ita S. Thom. citatus *ad 5.*

XV. Neque obstat, quod cum adulterium secreto fieri soleat, difficile sit illud coram Ecclesiam probare. Nam ut ait Sanct. Thom. ad 4. *Quandoque vir uxorem suspectam de adulterio habens, ei insidiatur, ut deprehendere possit eam cum testibus in crimine fornicationis: & sic potest ad accusationem procedere. Et præterea si de facto ipso non constat, possunt esse violentæ suspiciones fornicationis, quibus probatis videtur fornicatio probata esse, ut si inveniatur solus cum sola, horis, & locis suspectis, & nudus cum nuda.* Quæ violentæ suspiciones virum excusare possunt, saltem quoad dimissionem a thoro.

XVI. Posse tamen conjugem privata sua auctoritate ab adulterante recedere existimo, vel si delictum sit occultum, vel adeo publicum, ut non sit opus judiciario processu: velut si ob longam absentiam mariti inveniatur uxor vel prostituta, vel gravida, aut si maritus introducat pellicem in Domum, secumque retineat.

QUÆSTIO VI.

De Sponsalibus.

SPonsalia proprie a spondendo, seu promittendo sunt dicta, & ideo illa contrahentes *Sponsus*, & *Sponsa* dicuntur, quia nuptias invicem spoponderunt. Aliquando significant dotem, quæ a parentibus, vel amicis sponso datur, aliquando munera, quæ titulo nuptiarum utrique dantur, vel quæ sponsus sponsæ donat, ut 1. Regum 18. *Non habet Rex sponsalia necesse.* De sponsalibus in priori significatione, quæ magis propria est, hic agemus.

DUBIUM I.

Quid sint Sponsalia, ad quid Instituta, & quam obligationem inducant.

§. I.

Resolutio Prioris Partis.

I. DIco. Sponsalia sunt futurarum nuptiarum mutua sponsio, seu promissio ab illis facta qui futuris illis nuptiis conjungendi sunt. Ita S. Thom. *q. 43. Supplem. art. 1.* dicens: *Consensus in conjugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem. Et hæc promissio dicitur sponsalia a spondendo, ut dicit Isidorus* (lib. 9. Etymologiarum, cap. 8.) *Nam ante usum tabularum matrimonii cautiones dabant, quibus spondebant, se invicem consentire in jure matrimoniali, & fidejussores dabant.*

II. Promissio nuptiarum, ut inducat sponsalia, debet esse facta ab illis, qui nuptiis conjungendi sunt. Unde promissio parentum non sufficit ad valide contrahendum sponsalia pro filiis, nec filii obligantur, nisi saltem tacite consenserint, ut si præsentes fuerint, & non contradixerint, vel si absentes, ratificaverint. Ita declaravit Bonif. VIII. *Cap. unico de Desponsat. Impuberum in 6.*

Debet insuper esse *Vera*, quia promissio, qua quis simulate promittit, non habens vere animum promittendi, non est veri nominis promissio: quia voluntas expressa non promittendi destruit naturam promissionis. Quamvis autem ejusmodi simulator, non obligetur vi sponsalium, quæ nulla sunt, obligatur tamen ad contrahendum, vel ad componendum cum persona, cui illusit (nisi talia signa dederit ex quibus posset prudenter colligi, eum simulate, & non ex animo promittere) Tum ob injuriam ei factam, tum propter scandalum. Quod si habuerit animum promittendi, sed non præstandi promissum, sponsalia sunt valida.

Debet tertio esse *Deliberata*: quia hæc promissio debet esse actus humanus, ideoque ex deliberatione rationis proficiscens. Ea autem deliberatio requiritur, quæ ad bene, vel male agendum sufficeret.

Debet quarto esse *Signis exterioribus expressa*, quia, ut docet S. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 1.* promissio facta homini non obligat in conscientia, nisi exterius exprimatur.

Debet quinto esse *Libera*, quia promissio vi, aut metu extorta non obligat, nisi sit jurata, ut docet idem S. Th. 2. 2. *q. 89. art. 7. ad 3.*

Debet sexto esse *Mutua*, ut nempe uterque alteri matrimonium promittat. Cum enim sponsalia sint quædam inchoatio matrimonii hujus naturam participans, debent mutuam promissionem includere, nec possunt esse rata, & unam solam partem obligare. Si ergo vir promittat mulieri se illam ducturum in uxorem, ipsa vero nihil promittat, acceptet tamen promissionem sibi factam, vir tenebitur quidem præstare promissum, non ratione sponsalium, sed ratione promissionis acceptatæ, quam si non acceptat mulier, vir ad nihil obligabitur: quia obligatio hominis erga hominem *Regulariter* absque mutuo consensu non contrahitur — Dixi *Regulariter*; nam si major septennio promittat nuptias infanti, quamvis sponsalia non valeant, tenebitur tamen expectare minorem, si forte velit acceptare promissionem, ut docet S. Antoninus, 3. *p. tit. 1. cap. 18.* & Sylvester verbo Sponsalia, *qu. 1.*

III. Ad contrahenda sponsalia non est necesse, ut quis dicat *Promitto*, aut *Spondeo*; sed satis est, ut verbis, aut signis moraliter intelligatur promissio. Unde vere contraheret qui diceret: Habeas me pro infami, pro mendaci, pro infideli, nisi contraxero tecum. Si quis tamen diceret: *Non ducam aliam præter te*, forte non essent sponsalia, quia non videtur promissio matrimonii absoluta, sed conditionata, idest, si semel ineam matrimonium, non cum alia, quam tecum inibo, nisi ex circumstantiis aliter conciperetur.

§. II.

Resolutio Secundæ Partis.

IV. DIco, rationes, cur matrimonio præmittantur sponsalia, afferri solent sequentes. Prima: ut tempore intermedio deprehendi possit, an aliquid sit, quod matrimonium impediat, vel dirimat. Ea propterea ex Tridentino *Sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrim.* post sponsalium celebrationem, jubentur Parochi tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicas facere denuntiationes — Secunda: ut etiam tunc diligentior fiat de moribus, statu, vita, & conditione compartis inquisitio. — Tertia: ut ferventius eo tempore vacent orationi sponsus, & sponsa pro obtinendo felici matrimonio. — Quarta: ut ait Augustin. lib. 8. confess. cap. 3. *Institutum est, ut jam pacta sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspicaverit sponsus dilatam.* — Quinta, ut matrimonium tot oneribus, tot molestiis, tot difficultatibus implicatum, maturius, & deliberatius celebrent.

V. Non recens est sponsalium ritus ante matrimonium præmittendus. Nam, teste Philone, *l. de specialibus legibus*, apud Hebræos non minoris erant momenti, quam ipsæ nuptiæ. In solemni enim amicorum conventu mariti, uxorisque nomina scribebantur in tabulis, & si quid sponsa in domo paterna manens deliquisset, eadem pœna plectebatur, ac nupta, quippe quæ obrueretur lapidibus, si fractæ fidei conjugalis rea inventa fuisset.

VI. Si quæras: an sponsalia necessario præmitti debeant contractui matrimoniali?

Respondeo, matrimonium quamvis non præmissis sponsalibus celebratum, esse quidem validum, sicut valida est actualis donatio pecuniæ, aut agri, quamvis futuræ donationis promissio non præcesserit: Laudabile tamen est ea præmittere. Tum propter allatas rationes. Tum ut sese præparent ad recipiendam sacramenti gratiam, cui recipiendæ quia cohabitatio sub eodem tecto impedimento foret, propterea Concilium Tridentin. dicta Sess. 24. cap. 1. *Hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitet.* Quin immo peccaret, qui sine rationabili causa sponsalia matrimonio non præmitteret. Ita enim decrevit Concil. Forojulense, cap. 8. *Nemini liceat furtim, raptimque nuptias contrahere, sed interventis pactis sponsalibus.*

VII. Quæres iterum. Quo in loco celebrari debeant sponsalia, & coram quo?

Respondeo, quod cum de hoc Tridentina Synodus nihil decreverit, parum referre ad sponsalium valorem, an clandestine, an publice contrahantur. Quamvis ergo tum ex consuetudine, tum ex Statutis Synodalibus oporteat ea contrahi coram Parocho, & testibus, idque non in tabernis, sed in loco sacro, ut *cap. 6.* Concilii Provincialis Cameracensis I. *Tit. de Matrim.* Aliter tamen contracta sunt valida. — Neque dicas, quod cum Tridentinum irritaverit matrimonium clandestinum, censendum est, irritasse etiam ea, quibus ad illud pervenitur — Nam respondeo, clandestina sponsalia non esse viam perveniendi ad matrimonium clandestinum, quod est irritatum, sed simpliciter ad matrimonium. Deinde non esse viam necessariam, nam ut dictum est, sine illis perveniri potest ad verum matrimonium.

S. III.

§. III.

Reſolutio Tertiæ Partis.

VIII. SPonſalia, ut docet Sanct. Thom. *qu.* 43. *Supplem. art.* 1. contrahi poſſunt, vel abſolute, ut ſi dicatur; *Accipiam te in meam*, & e converſo, vel ſub conditione, ſive honeſta, ut cum dicitur: *Accipiam te, ſi parentibus placeat:* & tunc ſtante conditione ſtat promiſſio, & non ſtante, non ſtat. Sive inhoneſta, & hæc, vel eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicatur: *Accipiam te ſi venena ſterilitatis procures:* Et tunc non contrahuntur ſponſalia. Aut non eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicatur: *Accipiam te, ſi furtis meis conſentias.* Et tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio. Quia tamen de promiſſione, & conſenſu conditionato, ejuſque obligatione actum eſt ſupra, *Q.* 3. *Dub.* 5. ideo ne eadem inutiliter repetantur, de ſolis ſponſalibus nude, & abſolute contractis, eorumque obligatione ſermo erit.

IX. Dico. Sponſalia abſolute contracta obligant ad matrimonium contrahendum ſub peccato gravi, idque tempore præfixo, vel ſi tempus non eſt præfixum, ubi commode fieri poterit, attenta loci conſuetudine. Prior pars prob. Nam ex promiſſione mutuo facta, & acceptata oritur utrinque oneroſa obligatio juſtitiæ, quæ in re gravi, qualis eſt præſens, graviter obligat. Unde S. Thom. in 4. diſt. 27. qu. 2. art. 1. ad 2. *Ex tali* (inquit) *promiſſione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat. Et ſecundum hoc etiam Eccleſia cogit injungendo pœnitentiam pro peccato: Tamen in foro contentioſo non compellitur: quia matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere, niſi forte juramentum intervenerit, quia tunc cogendus eſt, ut quidam dicunt, quamvis aliis non videatur propter cauſam prædictam, præcipue ſi de uxoricidio timeretur.* Hæc S. Thom. quibus ultimis verbis indicat maxima opus eſſe prudentia in judice in inveſtigando, an coactio non ſit potius obfutura, quam profutura: unde monere potius debet renuentem de obligatione contracta, & maxime ſi ſit jurata, implenda, quam ipſum vi, ac pœnis adigendo. Quod ſi adhuc reluctet, ſatius eſt aliquando eum dimittere, impoſita tamen obligatione reſarciendi damna ſponſæ illata, eumque mulctando, ſi prudenter judicaverit.

X. Secunda pars conſtat ex eo, quod ſi in omnibus aliis contractibus, in quibus executioni præfixum eſt tempus, tempore præfixo impleri debet, cur non in iſto? Si tamen compars tacite, vel expreſſe in dilationem conſentiret, vel dilatio eſſet modica, excuſari poſſet.

XI. Tertia quoque pars clara eſt. Nam ubi tempus non determinatur, commoda opportunitas attendenda eſt, judicio prudentis viri. Dixi *Attenta conſuetudine loci;* nam ubi mos invaluiſſet, ut matrimonium non contraheretur ante certum ætatis annum, non eſſet obligatio præveniendi.

DUBIUM II.

Qua ætate, a quibus contrahi poſſunt Sponſalia, & an ſolubilia ſint.

§. I.

Reſolutio Prioris Partis.

I. DIco, *Septenniam eſt tempus determinatum a jure ſponſalibus contrahendis.* Ita S. Th. in 4. diſt. 27. qu. 2. art. 2. & q. 43. Suppl. art. 2. *Et ſatis* (inquit) *rationabiliter: Quia cum ſponſalia ſint quædam promiſſiones futurorum, oportet quod illorum ſint, qui aliquo modo promittere poſſunt, quod non eſt niſi illorum, qui habent aliquam providentiam de futuris, quæ uſum rationis requirit, reſpectu cujus triplex gradus notatur ſecundum Philoſophum in* 1. *Ethic.* (C. 4.) *Primus eſt, cum quis neque ipſe intelligit per ſe, neque ab alio capere poteſt. Secundus eſt ſtatus, quo homo ab alio capere poteſt, ſed ipſe per ſe non ſufficit ad conſiderandum, & intelligendum. Tertius eſt, cum homo, & ab alio jam capere poteſt, & per ſeipſum conſiderare. Et quia ratio paulatim in homine convaleſcit, ſecundum quod quietantur motus, & fluxibilitas humorum: ideo primum ſtatum rationis obtinet homo ante primum ſeptennium: & propter hoc illo tempore nulli contractui aptus eſt, & ita nec ſponſalibus. Sed ad ſecundum ſtatum incipit pervenire in fine primi ſeptennii. Unde etiam tunc temporis pueri ad ſcholas ponuntur. Sed ad tertium ſtatum incipit homo pervenire in fine ſecundi ſeptennii, quantum ad ea quæ ad perſonam ejus pertinent, in quo ratio naturalis ejus convaleſcit, ſed quantum ad ea, quæ extra ipſum ſunt, in fine tertii ſeptennii. Et ideo ante primum ſeptennium nulli contractui homo aptus eſt. Sed in fine primi ſeptennii incipit eſſe aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipue de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis; non autem ad obligandum ſe perpetuo vinculo; quia adhuc non firmam voluntatem habet. Et ideo tali tempore poſſunt contrahi ſponſalia. Sed in fine ſecundi ſeptennii jam poteſt obligare ſe de his, quæ ad perſonam ipſius pertinent, vel ad Religionem, vel ad conjugium. Sed poſt tertium ſeptennium etiam poteſt de aliis ſe obligare: & ſecundum leges conſtituitur ei poteſtas de rebus ſuis diſpenſandi poſt vigeſimum ſecundum* (alias vigeſimum quintum) *annum.* Hæc placuit ex S. Th. deſcribere multis enim lucem afferre poſſunt. De quo extant decretæ Pontificum, Cap. *Litteras*, Cap. *Acceſſit*, Cap. *Ad diſſolvendum*, tit. de deſp. Impuberum, & Cap. *Infantes* in 6. ſub eodem titulo.

II. Ex his ſequitur, ut notat S. Th. citato loco ad 1. *Quod ſi ante annos pubertatis* (ideſt ante primum ſeptennium) *fiunt contractus ſponſalium per alium, ambo, vel alter reclamare poſſunt: unde nihil tunc actum eſt, adeo quod, nec aliqua affinitas contrahatur ex hoc. Et ideo ſponſalia, quæ inter aliquos per perſonas alias contrahuntur, robur habent, in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur conſentire his, quæ per alios facta ſunt.* Hinc ſi pater contraheret ſponſalia pro filio nondum ſeptenni, ea non ſubſiſterent, niſi ab eo jam facto rationis compote ratificarentur. Immo attentare ſponſalia ante tempus ſeptennii regulariter eſt peccatum mortale, ſi non ex parte pueri, qui poteſt excuſari per ignorantiam, ſaltem ex parte eorum, qui eum inducunt. Tum propter ſeveram Eccleſiæ prohibitionem. Tum propter gravia incommoda, quæ inde oriri poſſunt, & ſolent.

III. Nec refert, quod in aliquibus ante ſeptennium acceleretur uſus rationis. Nam ſi appropinquent ad finem ſeptennii, & appareat in eis ſufficiens uſus rationis, poterunt valida eſſe ſponſalia, ut docet S. Th. hic *ad* 7. ſecus vero ſi fuerint ſolum in quarto, vel quinto anno. Quia intentio Eccleſiæ fuit ejuſmodi ſponſalia irritare, eo quod communiter non ſit ſufficiens diſcretio, niſi circa ſeptennium. Et quamvis in minoribus appareat aliqua futuris nuptiis placentia, dicit tamen S. Th. citatus ad 4. *Quod illa placentia, quæ eſt in pueris ante ſeptennium, non procedit ex perfecto uſu rationis, cum nondum ſuſceptibiles ſint plenæ diſciplinæ, ſed magis contingit ex motu naturæ, quam ex aliqua ratione. Et ideo non ſufficit talis placentia ad ſponſalia contrahenda.*

IV. Sed dices. Ætas quinquennii ſufficit ad conſenſum in peccatum mortale, unde S. Gregorius, *l.* 4. *Dial. c.* 18. narrat, quod quidam puer quinque annorum propter peccatum blaſphemiæ a Diabolo extinctus eſt; ergo ſufficiet etiam ad conſenſum ſponſalium, cum in utroque caſu uſus rationis requiratur.

V. Reſp. (dato illo caſu) cum S. Th. hoc laudato *ad* 2. neg. conſ. & diſparitas eſt: *Quod ad peccatum mortale ſufficit etiam conſenſus in præſens. Sed in ſponſalibus eſt cenſus in futurum. Major autem diſcretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quam ad conſentiendum in actum unum præſentem. Et ideo ante poteſt homo peccare mortaliter, quam poſſit ſe obligare ad aliquid in futurum.*

§. II.

Reſolutio Secundæ Partis.

VI. DIco. Omnes illi, qui prohibentur matrimonium contrahere ob impedimentum dirimens, aut etiam prohibens, invalide tentant contrahere ſponſalia. Ratio eſt: Quia promiſſio de re illicita eſt, & conſequenter cum nemo poſſit obligari ad illicitum, nec obligari poteſt ad ea ſponſalia: nulla autem eſt obligatio, ubi promiſſio nulla eſt. Unde S. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. *Si promiſit* (inquit) *id, quod manifeſte eſt illicitum, quia promittendo peccavit, mutando autem propoſitum bene facit.*

Et ideo non tantum invalide contrahit ſponſalia conſanguineus cum conſanguinea, affinis cum affine, baptizatus cum non baptizata ob impedimentum dirimens, ſed etiam Catholicus cum hæretico ligatus voto ſimplici cum libera ob impedimentum prohibens. —— Nec dicas. Si hi valide contrahunt matrimonium quamvis illicite, cur non etiam valide contrahent ſponſalia, quamvis illicite? —— Nam diſcrimen eſt: Quia contrahendo matrimonium, faciunt quidem rem illicitam ob Eccleſiæ prohibitionem, non tamen ſe obligant ad illicitum ſicut in promiſſione præfata. Ratio autem naturalis quæ dictat, non poſſe ſe valide obligare ad illicitum, non dictat invalidum eſſe actum, quem Eccleſia tantum prohibet, ſed non irritat.

§. III.

Reſolutio Tertiæ Partis.

VII. DIco. Sponſalia poſſunt dirimi. Quia obligatio, quam generant variis caſibus evenientibus, vel utrinque, vel ex altera ſolum parte poteſt ſolvi. Caſus autem ſunt ſequentes.

Primus eſt, ſi alter conjugum poſt inita ſponſalia ingrediatur religionem. Tunc eo ipſo, quo unus ſponſorum ſuſcipit habitum religioſum, alter ſtatim poteſt inire ſponſalia cum alio. Nam prior tali facto renuntiat ſponſalibus, & animum oſtendit alienum a nuptiis. —— Si tamen egrederetur e monaſterio dimiſſo habitu antequam ſua comparis inierit ſponſalia cum alio, ſic egreſſus teneretur eam in matrimonium accipere, partim vi ſponſalium præceden-

dentium, quæ fuerant reſciſſa ſine culpa remanentis in ſæculo: partim ratione injuriæ, ſi ad illudendum eam deſeruerant.

VIII. At quæres: An etiam is, qui ſponſalia juramento confirmavit, poſſit habitum religionis ſuſcipere antequam matrimonium ineat?

Alexander III. Cap. *Commiſſum*, tit. de Sponſalibus, reſpondet eſſe tutius juramenti religione ſervata, prius contrahere: & poſtea ſi elegerit, ad religionem migrare. — Reſpondetur etiam, illum poſſe ad religionem tranſire antequam matrimonium contrahat: quia cum religio ſit excellior ſtatus, quam matrimonium, ſicut in ſponſalibus ipſo jure ſubintelligitur exceptio, *Niſi velim ingredi Religionem*: ita etiam in juramento, quo ſponſalia confirmantur.

Ut ut tamen ſit, certum puto, quod ſi alteri parti magnum creatur incommodum, niſi prius contraherent, ut quia alioquin incurreret notam infamiæ, vel quia proles ex illegitimo congreſſu concepta, eſſet illegitima: Tunc ſive ſponſalia ſint jurata, ſive non, deberent prius contrahere matrimonium, & tunc demum ſi expediret, poſſet alter ad Religionem tranſire. — Quæ hactenus dicta ſunt, pertinent etiam ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum. Nam & per hanc ſponſalia prius contracta dirimuntur.

IX. Secundus caſus eſt. Quando alter diſpenſatorum contrahit matrimonium cum alio. Cum enim, ut ait S. Th. *qu.* 43. *Supplem. art.* 3. *ad* 7. Secundus contractus matrimonii ſit fortior primo, nempe ſponſalium, ideo ſolvit ipſum. Et ſi quis reſiduus eſt, ſolvitur obligatione, & alter propter obligationem matrimonii non poteſt redire ad ſponſam. Si tamen contingat, uxorem ſuſceptam mori, tenebitur priorem accipere, ſi adhuc ſoluta ſit, & velit; non vi ſponſalium, quæ jam ſint, ſed ratione promiſſi, quod antea propter mutationem materiæ de licita in illicitam non poterat impleri. De hoc extant Capitula *Sicut ſi inter virum, & adoleſcens*, tit. de Sponſalibus.

X. Tertius caſus eſt. Quando utrique, vel alteri deeſt ætas legitima, & cum ad eam venit, recuſat. Ita S. Th. citatus, *ad* 8. Similiter ſi uterque habeat ætatem ad ſponſalia, ſed uni deerat ætas ad matrimonium, hoc reclamante, poterunt per Eccleſiæ judicium ſeparari, ut ait Alexander III. Cap. *De illis* de Deſponſat. Impuberum.

XI. Quartus eſt. Quando mutuam obligationem ſibi remittunt. De hoc dicit S. Thom. citatus ad 5. *Quod quidam non recipiunt iſtum caſum, Sed contra eos eſt Decretalis* (C. *Præterea*, tit. de Sponſal. & Matrim.) *qua expreſſe dicit*: Ad inſtar (*inquit*) eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eamdem ſibi remittunt, poteſt in patientia tolerari, ſi mutuo ſe abſolvunt, qui ſponſalia contraxerunt: *Sed ad hoc dicunt, quod Eccleſia magis hoc ſuſtinet, ne pejus eveniat, quam hoc ſit de jure, ſed hoc non videtur exemplo convenire, quod decretalis adducit. Et ideo dicendum, quod non ſemper eſt levitatis retractare, quæ prius firmata ſunt, quia* incertæ ſunt providentiæ noſtræ, *ut dicitur Sapientiæ* 9.

XII. Quintus. Quando inter contrahentes matrimonio ineundo fuerat terminus conſtitutus: Eo enim tranſacto, is per quem non ſtetit, ſolvi poteſt ſua obligatione. Eadem ratio eſt, ſi ſponſalibus appoſita erat honeſta conditio, quæ non ſervatur.

XIII. Sextus. Quando alter deſponſatorum proficiſcitur abſque conſenſu alterius in regionem longinquam, Cap. *De illis*, tit. de Sponſalibus; quia cenſetur ipſo facto declarare mutationem voluntatis — Nec dicas quod in dubiis tutior pars eſt eligenda — Nam reſpondet S. Th. citatus *ad* 2. Quod *dubium illud determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore ſtatuto ad matrimonium perficiendum. Unde ſi ex parte ejus non defuit, quin matrimonium compleret, poteſt licite alteri nubere. Si autem per eum ſtetit, quod matrimonium non eſt completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promiſſionis, aut juramenti, ſi juramentum intervenerit, & contrahere poteſt cum alio, ſi vult, judicio Eccleſiæ.*

XIV. Septimus. Quando poſt ſponſalia unus fornicatur, Cap. *Quemadmodum*, tit. de Jurejurando. Nam *quamvis* (inquit S. Th. ut ſupra ad 6.) *non dederint ſibi mutuo poteſtatem corporis ſponſalia contrahentes; tamen ex hoc efficiuntur ſibi invicem ſuſpecti de non ſervanda fide in futurum; & ideo poteſt ſibi præcavere unus contra alium ſponſalia dirimendo.* Quod multo magis cenſendum eſt de fornicatione ſpirituali per hæreſim, vel apoſtaſiam, ſive præcedentem ſponſalia, ſive ſubſequentem.

Si autem ſponſa, vel ante ſponſationem fuerat fornicata, cum tamen crederetur integra, & ut talis ſponſaretur, vel ſi poſt illam fuerit vi oppreſſa, probabile eſt etiam, virum non teneri eam ducere, ſed poſſe ſolvi 27. qu. 2. Cap. *Raptor*, & Cap. *Statutum*.

XV. Octavus. Quando ſponſalibus ſupervenit affinitas, vel quodcumque juris impedimentum, vel impedimenti fama, vel ſcandalum 27. q. 2. Cap. *Si quis Sponſa*, & de ſponſalibus Cap. *Cum in tua*. Unde S. Th. art. 3. citato ad 4. *Si ſponſus* (inquit) *cognovit conſanguineam ſponſam, vel e contra, tunc dirimi debent ſponſalia. Et ad hoc probandum ſola fama ſufficit, propter ſcandalum vitandum.*

XVI. Nonus eſt. Quando poſt ſponſalia ſupervenit lepra, paralyſis, vel alius gravis, & diuturnus morbus, vel notabilis deformitas, aut mutilatio. Cap. *Quemadmodum* de Jurejurando. Et Cap. *Litteras* de conjugio leproſorum *Si ante contractum matrimonium* (inquit S. Thom. ibidem ad 3.) *aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos contracta ſunt ſponſalia, quæ ipſum debilitet nimis* (*ut epilepſia, vel paralyſis*) *aut deformet* (*ut abſciſſio naſi, vel orbitas oculorum, aut aliquid hujuſmodi*) *aut quæ ſit contra bonum prolis* (*utpote lepra, quæ ſolet prolem inficere*) *poſſunt ſponſalia dirimi, ne ſibi invicem diſpliceant, & matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur. Nec pro pœna punitur aliquis, ſed ex pœna damnum reportat; quod non eſt inconveniens.*

XVII. Decimus eſt, quando magnum vitium alterutrius innoteſcit, prius ignotum, vel ſupervenit gravis inimicitia, aut aliud quidpiam, quod ſi fuiſſet præviſum, verosimiliter non fuiſſent contracta ſponſalia.

XVIII. Præfatis ergo caſibus dirimuntur ſponſalia. Primo quidem, ſecundo, & octavo ipſo jure, alias per ſententiam Eccleſiæ. Et notandum, quod Eccleſiæ judicium debet ſemper intervenire, quando ſponſalia fuerint publica, & cauſa diremptionis eorum eſt occulta. Si autem ſunt occulta, non eſt neceſſe.

XIX. Quærendum ſupereſt: an votum ſimplex caſtitatis dirimat ſponſalia.

Et quidem ſi ſponſalia antecedat, convenit quod ea dirimat, Cap. *Rurſus*, Qui Clerici, vel voventes. Sed ſi ſubſequatur, quidam dubitant, propter Caput *Veniens* eodem titulo. Ubi Pontifex mulierem, quæ poſt ſponſalia voverat caſtitatem, jubet agere pœnitentiam de fide non ſervata ſponſo, & permittit inire matrimonium. — Sed caſus iſte non eſt ad rem. Nam mulier illa votum emiſerat non ex ſincera voluntate ſervandi continentiam, ſed eo tantum fine, ne cogeretur illi ſponſo copulari. Unde, quia periculum erat fornicationis, diſpenſatum eſt cum ea, ut matrimonium poſſet inire.

XX. Dicendum ergo videtur, quod votum ſimplex ſponſalibus ſuperveniens, ſponſalia ipſo jure dirimat, ut proinde ſimul ac alter id intellexerit, poſſit cum alio inire ſponſalia. Cum enim hæc non contineant mutuam traditionem, ſed ſolam promiſſionem traditionis futuræ: & vinculum promiſſionis factæ Deo ſit fortius vinculo promiſſionis factæ homini, ideo illa iſtam ſolvit. Unde S. Th. *q.* 53. *Suppl. art.* 1. *ad* 1. dicit: *Propter votum ſimplex ſunt ſponſalia dirimenda.* Addo quod ſicut in contractu matrimonii ante conſummationem ſubintelligitur tacita conditio: *Niſi per votum ſolemne eligat ſe mancipare Deo in aliqua religione*: ita in contractu ſponſalium ante implementum intelligitur reſervata conditio: *Niſi voverit continentiæ ſtatum.* Quæ plura de ſponſalibus dici poſſent, relinquimus Theologis Moralibus.

QUÆSTIO VII.

De Impedimentis Matrimonii in Generali,

IMpedimenta matrimonii ſunt ea, quæ obſtant ne matrimonium rite celebretur. Cumque in matrimonio ſicut in aliis ſacramentis quædam ſint de eſſentia, quædam ſolum de ſolemnitate; ideo impedimenta alia ſunt quæ faciunt ne matrimonium ſit validum, & hæc vocantur dirimentia, alia quæ ſolum faciunt, ne ſit licitum, unde vocantur impedientia. Hic in genere ſolum loquemur, in ſequentibus autem de impedimentis in ſpecie ſermo erit.

DUBIUM I.

An Eccleſia poſſit ſtatuere impedimenta Matrimonii?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. IMpedimenta ſpecialiter pro matrimonio aſſignantur. Nam ut ait S. Th. q. 50. art. unico ad 1. *Etiam alia ſacramenta impediri poſſunt, ſi aliquid quod ſit de eſſentia, vel ſolemnitate ſacramenti, ſubtrahatur ... Sed tamen magis matrimonio, quam aliis ſacramentis impedimenta aſſignantur propter tres rationes. Primo, quia matrimonium conſiſtit in duobus; & ideo pluribus modis poteſt impediri, quam alia ſacramenta, quæ uni perſonæ competunt ſingulariter. Secundo, quia matrimonium habet in nobis cauſam, & in Deo. Unde, & pœnitentia, quæ habet cauſam in nobis aliquo modo, magiſter ſupra* (in diſt. 16.) *quædam impedimenta aſſignavit ut hypocriſin, Ludos, & hujuſmodi. Tertio, quia de aliis ſacramentis eſt præceptum, vel conſilium, ſicut de bonis perfectioribus. Sed de matrimonio eſt indulgentia, ſicut de bono minus perfecto. Et ideo ut detur occaſio proficiendi in melius, plura impedimenta aſſignantur matrimonio, quam aliis ſacramentis.* Hæc S. Thom. Addunt aliqui. Quia non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam contractus; contractus autem natura, lege, variiſque aliis modis poſſunt impediri.

II. Impedimenta matrimonii alia ſunt lege naturæ ſtatuta, alia lege poſitiva divina, alia humana, ſive eccleſiaſtica, ſive civili. Hinc matrimonium patris cum filia, vel

filii

filii cum matre, & secundum aliquos etiam fratris cum sorore, sive ex eodem, sive ex diverso matrimonio nati sint, quamvis hoc aliquando, necessitate sic urgente, permissum sit ad multiplicandum vel humanum genus, vel populum Dei, lege naturæ impeditur: Quod confirmat similibus matrimoniis generalis omnium nationum, quamvis barbararum, horror, claro indicio, quod natura eis repugnet tamquam naturali honestati contrariis. Quare Sanct. Ambrosius, *Epist. 66. ad Paternum*, ait: Quod ne pater filiam suam accipiat uxorem: *Interdictum est naturæ jure, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum.* Et S. Aug. *lib. 15. de Civit. Dei, cap. 16.* scribit, matrimonia inter fratres, & sorores, quæ primis temporibus necessitas fecit licita, adeo abominabilia procedente tempore evasisse, ac si nunquam fuissent licita: *Cum* (inquit) *sorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic aversemur, quasi nunquam licere potuerit.*

In aliis autem gradibus remotioribus prohibita leguntur a Deo positivo jure matrimonia, *Levitici cap. 18.* de quo infra sermo erit. Verum apud Christianos ad ulteriores etiam gradus extensa fuit prohibitio lege humana, sive Ecclesiastica, sive etiam Imperiali. Cum enim christiana religio non generatione, ut Judaica ex uno populo, sed fide ex omnibus gentibus sit multiplicanda, visum fuit Patribus, etiam ad gradus remotiores extendere matrimoniorum prohibitionem, de quo videndus est S. Augustin. *lib. 15. de Civit. Dei, cap. 16. citato.*

III. Acatholici moderni impedimenta matrimonii ad solos gradus in Levitico contentos, restringunt negantes Ecclesiæ auctoritatem nova saltem dirimentia introducendi. Ita Lutherus, *lib. de Capt. Babyl., c. de Matrim.* Et Calvinus, *lib. 4. Instit. cap. 19. §. 37.* quos eorum gregarii sequuntur, qui volunt ea tantum impedimenta pro matrimonio esse admittenda, quæ naturali aut divino jure statuta sunt. Hos tamen damnavit Tridentinum, Sess. 24. Canon. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

§. II.

Catholica Veritas.

IV. Dico. Potuit, & potest Ecclesia statuere impedimenta matrimonium dirimentia. Prob. ex antiquissima Ecclesiæ praxi, quæ pro diversis temporibus, & circumstantiis diversa statuit impedimenta quod percurrendo per singula sæcula præstabo. Tribus prioribus sæculis Ecclesiam quædam statuisse matrimonii impedimenta colligitur primo, ex *Can. 2.* Concilii Neocesarienſis, *anno* 314. ubi statuitur quod *Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem, verumtamen in exitu, si promiserit, quod ubi convaluerit solvet matrimonium, propter humanitatem pœnitentiam habebit.* Nec dicatur, hoc fuisse prohibitum in Levitico, cap. 18. Nam cum Concilium Levitici non meminerit, signum est, vi illius hoc non vetuisse. De eo qui duxerit duas sorores, dicit S. Basilius, in Epist. ad Amphilochium: *Id neque conjugium esse censendum, neque tale ad Ecclesiasticum cœtum admittendum, priusquam a se invicem dirimantur.* Et tamen in *Levitico, v. 18.* non prohibetur, nisi sorore vivente. Et *in Ep. ad Diodorum* de viduo, qui sororem mortuæ suæ conjugis duxerat, dicit: *Morem nostrum objicere possumus, ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis tradita sunt regula.* Quia vero opponebatur hoc in Levitico non prohiberi, respondet: *Ad hoc primum quidem dicam, quæcumque lex dicit, iis, qui in lege sunt dicere, alioquin sic & circumcisioni, & sabbato, & abstinentiæ ciborum subjiciemur.* Sicut ergo in iis, quæ gravia sunt, legem non sequimur, ita nec legem sequi debemus in iis, quæ voluptati indulgent. Item Siricius Papa, *in Epist. ad Himerium Taraconensem* de nonnullis Monachis nuptias ambientibus, dicit: *Quod & publicæ leges, & Ecclesiastica jura condemnant.* Et ibi, cap. 4. de impedimento publicæ honestatis tamquam a primatibus Ecclesiæ statuto: *Hoc ne fiat* (inquit de muliere jam desponsata) *omni modo inhibemus* (non quia politicæ leges id vetent) *sed quia illa benedictio, quam Sacerdos nuptura imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.*

V. Quinto, & sexto sæculo tale jus in Ecclesia fuisse, constat primo ex Synodo, quæ habita est in Hybernia sub S. Patricio, *anno 450. Can. 17.* ubi irritum fit matrimonium cum virgine consecrata. —— Secundo, ex Synodo Aurelianense I. *anno 511.* Clodovæo Francorum Rege, ubi, *Can. 13.* Viduæ Presbyteri, aut Diaconi sub pœna excommunicationis secundæ nuptiæ interdicuntur, & ex Synodo Aurelianensi II. *anno 533. Canon. 17.* ubi feminæ, quæ benedictionem Diaconatus susceperе: *Si ad conjugium probentur iterum devolutæ*, a communione pelluntur, nec restituuntur, nisi prius talia conjugia dissolvantur. De his duobus impedimentis nihil in Levitico, nec in legibus Principum statutum legitur.

VI. Septimo, octavo, & nono sæculo, nemine contradicente, Ecclesia præscripsit leges, quibus nuptiæ quædam illicitæ forent, & nullæ. Id fecit ineunte sæculo septimo Gregorius Magnus, respons. ad sextam quæstionem Augustini Anglorum Episcopi, ubi nuptias in primo, & secundo consanguinitatis gradu irritas declaravit, in tertio autem, & quarto Anglis ad fidem conversis permisit, tamquam licitas, ac decentes. Id fecit sæculo octavo Zacharias Papa in Synodo Romæ habita, *anno 747.* ubi revocata fuit indulgentia Germanis recens ad fidem conversis a Gregorio II. concessa nubendi post quartum gradum: Idque petentibus Archiepiscopis, ac Regibus, ut noscerent quænam hac in re essent apostolica præcepta. Agnoscebant igitur etiam Reges hoc determinare Ecclesiastici juris esse. Id fecit nono sæculo Nicolaus I. qui in responsis ad Bulgaros id quærentes, *cap. 36.* præscripsit, quibus in gradibus consanguinitatis valerent inita matrimonia, in quibus non valerent. Si ergo in præfatis consulebant in hac materia, non Reges, aut Principes, sed Romanos Pontifices, & Ecclesiam, evidens est agnovisse populos, hoc jus penes Ecclesiam esse, non penes Principes.

VII. Eodem jure sæculo decimo usi fuerunt; Tum Orientales Episcopi, qui in Concilio præsente, & consentiente Constantino Imperatore nato ex quartis nuptiis Leonis Imperatoris, declararunt, deinceps quartas nuptias nullas fore. Tum Gregorius V. qui in Concilio Romæ coacto Robertum Francorum Regem, qui Bertam Odonis Comitis filiam consanguineam suam duxerat in matrimonium, sub anathematis pœna Bertham jussit dimittere, inita septem annorum pœnitentia. Deinde Erchembaldum Turonensem Archiepiscopum, cum omnibus Episcopis, qui præfatis incæstuosis nuptiis Roberti cum Bertha consentientes interfuerunt, a sacrosancta communione suspendit, donec ad Sedem Apostolicam venirent satis facturi. Solutum ergo fuit illud matrimonium, non vi legum imperialium, quibus Rex Robertus non suberat, sed vi Ecclesiasticorum Canonum, contra quos Robertus suas inierat nuptias.

VIII. Abstineo a referendis Romanorum Pontificum succedentium sæculorum decretis, ut Alexandri II. *Epist. 38. ad Episcopos &c.* Italiæ confirmantis sub pœna nullitatis prohibitionem multis jam sæculis sancitam nubendi infra septimum consanguinitatis gradum; Innocentii III. in Concilio Lateranensi IV. eam prohibitionem ad solum quartum gradum coarctantis, & Gregorii IX. cujus auctoritate promulgatæ fuerunt decretales, quibus jus præscribendi leges matrimonia irritantes Ecclesiæ vindicantur. Abstineo inquam, quia Heterodoxi hoc non inficiantur, sed dicunt, Romanos Pontifices tyrannice sibi hoc jus usurpasse, ideoque illi standum non esse, sed tantum juri divino in Levitico promulgato. Ex quo Lutherus hanc intulit conclusionem: *Debent Sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quæ contra Ecclesiasticas, vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, & qua non sunt in Sacra Scriptura expressa.* Hanc tamen Lutheri audaciam insanam compressit Trid. *Sess. 24. Can. 3.* his verbis: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, aut dirimant, anathema sit.*

IX. Hinc tamen, velim, prudens Lector advertat monstruosam Lutheri cæcitatem. Is enim ex una parte vult, Christianum ab universa Lege mosaica esse absolutum, dum Serm. de Moyse: *Mallem* (inquit) *nunquam concionari, quam aliquid ex Moyse proponere: allegare Moysen est Christum ex cordibus hominum auferre. Moysen non admitto: quia si eum in uno articulo recipio, recipere etiam oportebit in omnibus cæremoniis judaicis. Nolumus admittere Moysen, quia mortuus est, & regimen ejus finitum, stulti patiuntur se induci in Moysen, sicut porci in stabulum. Moyses non pertinet, nisi ad Judæos, non ad Christianos, non ad Gentiles. Nullus ergo apex, aut punctus ad nos pertinet &c.* Et infra: *Ex textu clare patet, quod etiam decem præcepta ad nos non pertinent: non enim nos, sed solum Judæos Dominus ex Ægypto eduxit.* Quæ repetit in *c. 20. Exodi*, & alibi. Ex alia autem parte idem Lutherus, qui Moysem abjicit, qui nec apicem, nec punctum legis Mosaicæ, immo nec Decalogum, dicit ad nos pertinere, dum agitur de matrimonio, vult, iis solis gradibus etiam a Christianis standum esse, qui in Levitico non prohibentur. Sed numquid Leviticus etiam a Moyse est? Non aliud imaginari possum, nisi Luthero placere Moysen, & ab eo admitti in Levitico, quia ibi in matrimonio plus indulget, quam Ecclesia: displicere autem in lege, quia gravia præcipit, & onerosa, quæ hujus Pseudoreformatoris genio non sese accommodant.

X. Statuto igitur, penes Ecclesiam residere jus ponendi, vel relaxandi impedimenta matrimonii, dubium excitatur, quid nomine Ecclesiæ sit intelligendum; nimirum, an solus ordo sacerdotalis, nempe Romanus Pontifex tamquam caput, & Pastores in concilio congregati: an vero ut Launojus prætendit, totam societatem fidelium, ut comprehendit etiam Reges, Principes, & Magistratus. Cui dubio

XI. Respondeo, nomine Ecclesiæ, cui asseritur jus constituendi matrimonii impedimenta non intelligi societatem fidelium, ut comprehendit laicos, etiam Reges, ac Principes, sed solum ordinem sacerdotalem, nempe, Romanum Pontificem, & Ecclesiæ Pastores in Concilio congregatos.

gatos. *Primo:* Quia huic sacro ordini intenderat Lutherus hanc auferre potestatem. Secundo: quia Ecclesiæ nomen nusquam privatis personis applicatur, nisi dum ejus nomine, & auctoritate agunt. Tertio: Tridentina Synodus eam facultatem illi Ecclesiæ vindicat, quæ præcedentibus sæculis impedimenta statuerat: hæc autem, ut supra vidimus, fuerat ordo sacerdotalis, nempe, vel Pontifices, vel Concilia. Quarto: quia qui in Tridentino impedimenta statuerunt de solo ordine sacerdotali erant, ac suo tantum, non Principum nomine disponebant, quo spectant illa verba quibus semper utuntur: *Declarat sancta Synodus.*

XII. Sed dices, Ecclesiam id antiquitus fecisse, non jure sibi proprio, sed sola concessione, vel tolerantia Principum, quod jus procedente tempore adeo sibi arrogavit Ecclesia, ut vix Principes usurpato juri contradicere potuerint.

XIII. Sed contra primum. Proferatur documentum indicans quando, & sub quo Imperatore cœperit hoc jus statuendi impedimenta Ecclesiæ concedi. Deinde si Ecclesia id juris habuisset ex sola Principum indulgentia, Principes, ut intra gradus prohibitas nuptias celebrarent, nusquam latis ab Ecclesia Canonibus sese subjecissent, ut revera sese subjecerunt: ita ut inviti separationem passi sint, quoties absque Ecclesiæ dispensatione nupserunt contra Ecclesiæ regulas, ut superius in Roberto Francorum Rege ostensum est. Quis autem credat, eos aut ab Ecclesia veniam petituros, aut solutionem ab ea fieri passuros, si Ecclesia alio jure non potiretur, quam eo, quod ipsi Ecclesiæ concessissent, quodque pro libito revocare, vel in se dispensare potuissent?

XIV. Contra secundum etiam. Peto. Qua ratione fieri potuisset, ut in eam usurpationem simul, & semel consenserint omnes Christiani orbis Principes, suæ jurisdictionis cæteroquin attenti custodes? Certe jus istud non potuit clanculum ab Ecclesia sibi arrogari: conscribendi fuerunt canones, iique promulgandi, concedendæ dispensationes, quibus nuptiarum prohibitarum fieret indulgentia. Qua quæso ratione fieri potuit, ut de publica invasione nullus Christianorum Principum conquestus sit? Quis credat, omnes ad unum silere potuisse in re, quæ tanti eorum intererat? Quis in animum sibi inducat, nullum Magistratum sæcularem in eam usurpationem insurrexisse, cum alioquin iis temporibus de investituris, pluribusque aliis causis Principes inter & Ecclesiam disceptatum sit?

§. III.

Contraria Solvuntur.

XV. Objiciunt primo. Ex Scriptura non constat, Christum ullam in matrimonium potestatem Ecclesiæ fecisse, ergo Ecclesia non potest statuere impedimenta, quibus dirimatur.

Præterea: Deus ipse in Levitico, *cap.* 18. determinavit, inter quas personas contrahi, vel non contrahi deberet matrimonium. Neque igitur solvendum est, quod Deus præscripsit, nec quidquam est addendum ei, quod Deus determinavit.

XVI. Respondeo ad primum: Quod licet ex Scriptura expresse non constet, Christum dedisse Ecclesiæ potestatem in matrimonium, constat tamen dedisse ei potestatem non solum absolvendi, aut retinendi, sed etiam ferendi leges, ut viderit majori bono fidelium expedire, ita ut qui eam non audierit, habendus sit tamquam ethnicus, & publicanus, maxime quoad ea, quæ administrationem sacramentorum concernunt. Cum autem matrimonium sacramentum sit, & christianæ Reipublicæ multum ferat utilitatis, si debite, & damni, si indebite contrahatur, ideo Ecclesiæ legibus illud subjecit quantum ad personas, inter quas sit contrahendum.

XVII. Nec obest quod secundo dicitur, Deum in Levitico personas determinasse. Nam illa determinatio, utpote facta pro Hebræis, non habet locum in Evangelio, nisi in iis gradibus, intra quos nuptiarum celebrationem lex naturalis ante Moysen eas vetuerat; ubi enim promulgatum fuit Evangelium, præcepta cæremonialia veteris Testamenti abrogata sunt ut ostendi, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Q.* 4. *de Legibus Dub.* 5. §. 1.

XVIII. Objiciunt secundo. Matrimonium non est res sacra, sed nudo, civili, ac politico contractu resolvitur; ergo nullum jus habet Ecclesia, cujus Regnum non est de hoc mundo.

XIX. Respondeo nego antec. Nam contractus naturalis, quem civilis præsupponit, omnino spiritualis est, sive in signo, quo Christi, & Ecclesiæ unionem exhibet, sive in effectu: petit enim vinculum nulla humana potestate solvendum. —— Deinde. Contractus matrimonii naturali, & civili lege perfectus, materia sacramenti est a Christo instituti, ergo sub hoc respectu est res spiritualis, quia elevata, si accedat forma, ad gratiam conferendam.

XX. Objiciunt tertio. Principes politici omnia, quæ quondam dirimebant, & modo etiam matrimonium dirimunt impedimenta suis legibus statuerunt, ergo penes eos tantum fuit, & est jus statuendi ejusmodi impedimenta. Ant. Evincunt leges ab Imperatoribus circa hoc constitutæ, inter quas illa est Theodosii, quam refert S. Ambrosius, *Epist. 66. ad Paternum*, qua matrimonium inter patrueles fratres, & consobrinos prohibet; Cons. autem prob. Primo. Nam si id jus Principibus politicis non convenisset, Ecclesia, seu sacerdotalis ordo juste reclamare, aut saltem Principes monere debuisset, ne sæcularem manum rei sacræ admoverent: Atqui Ecclesia nedum non reclamavit, quin potius tales leges a Principibus latas laudavit; & executioni mandari præcepit. Unde S. Ambrosius citatus legem Theodosii de non ineundis conjugiis inter consobrinos laudat, & Paterno in exemplum proponit. S. Leo Magnus, Epist. 92. modo 2. ad Rusticum Inquisit. 4. *Nuptiarum autem fœdera* (inquit) *inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc Domino constituente, quam initium Romani juris existeret:* Quibus irrita conjugia cum ancilla declarat, non solum sic statuente Domino, sed etiam Romanis legibus id decernentibus. Et Nicolaus I. respons. ad consulta Bulgar. leges imperiales de consanguinitatis gradibus, inter quos contrahenda non sint matrimonia, recenset, laudat, explicat, & earum observantiam præscribit: *De consanguinitate generationum exquirit* (inquit respons. 39.) *ut quibus utique feminis jungi debeatis, liquido cognoscatis. Verum quod leges hinc sanciunt, jam meminimus.*

XXI. Prob. primo. Eadem conseq. rationibus primo: Imperatores Ethnici tribus prioribus sæculis potuerunt Christianis ditionis suæ subditis constituere impedimenta matrimonium dirimentia, modo naturali, ac divinæ legi non essent contraria: non enim per hoc, quod subditi facti essent Christiani, ex antiquo suo jure exciderant; ergo eadem facultate potiti sunt Imperatores, ubi religioni christianæ nomen dederunt, alioquin a fide christiana deterioris conditionis facti essent, quam ante.

Secundo. Ratione sacramenti, qua matrimonio superveniente, nihil in contractu matrimoniali mutatum fuit, immo contractum legitimum tamquam materiam cum advenit, supposuit, eo fere modo, quo ratio sacramenti, quæ ex institutione Christi convenit baptismati, nihil immutavit in aqua, quæ ejus materiam constituit. —— Eo vel maxime, quod contractus matrimonii etsi ad sacramenti dignitatem elevatus non desiit de iis rebus esse, quæ ad perturbandam, aut servandam Reipublicæ pacem conferunt; nequaquam igitur politicæ jurisdictio ereptus fuit, & proinde Principes jure sibi proprio condiderunt leges, quibus matrimonia dirimerentur.

XXII. Hoc argumentum de jure Principum sæcularium statuendi impedimenta dirimentia matrimonium gravis difficultatis est, propter ea, quæ opposita sunt. Pro quo suppono primo. Posse Principes sæculares statuere leges irritantes matrimonia suorum subditorum quoad certos effectus. Sic in Galliis matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita, declarata fuerunt irrita, non quoad substantiam contractus, & vinculis spiritualis, sed quoad pœna pure civiles. Primo: quod ita contrahentes possint exhæredari. Secundo: quod possit a parentibus ad redditionem donationum factarum obligari. Tertio: Quod ideo exhæredati etiam priventur iis omnibus, quæ sibi vi consuetudinis, aut contractus matrimonialis eveniissent. Quarto: quod assistentes tali matrimonio puniantur ad arbitrium Judicis, Notarius autem, & testes, & pœna capitis. Ita ad instantiam Cleri Gallicani a Regni Galliæ Cancellario, & ab aliis ad id commissis declaratæ fuerunt Henrici III. & Ludovici IX. constitutiones talia matrimonia irritantes. Hoc eodem modo, nimirum statuendo pœnas lege sua matrimonia inter consobrinos prohibuit Theodosius a S. Ambrosio supra relatus: *Severissimam* enim *pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora.*

XXIII. Suppono secundo. Posse Principes tamquam legis naturalis executores, & custodes matrimonia intra gradus lege naturæ, vel naturali pietate prohibitos severis legibus irrita declarare, ac punire. Et hujus generis sunt multæ ex legibus Imperatorum, quæ afferri solent. Difficultas est de impedimentis in gradibus naturali jure, ac pietate non prohibitis, an ista possunt a potestate sæculari statui declarando, quod matrimonia cum talibus impedimentis contracta sint irrita, vel personæ sic contrahentes sint illegitimæ.

XXIV. Respondeo, Principes christianos posse pro suis subditis impedimenta irritantia matrimonium statuere, quæ tamen robur non habeant quantum ad nullitatem matrimonii, nisi Ecclesiæ accesserit approbatio. Utramque partem docuit S. Thom. Primam quidem, *in* 4. *dist.* 34. *q. un. art.* 1. *ad* 4. ubi ait: *Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem, qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ: in quantum est sacramentum statuitur jure divino: in quantum est in officium communitatis statuitur lege Civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima. Nec est simile de aliis sacramentis, quæ sunt sacramenta tantum. Et quia lex naturalis secundum diversos status recipit determinationes diversas, & jus positivum etiam variatur secundum diversas hominum conditiones in diversis temporibus: ideo magister ponit, in diversis temporibus diversas personas illegitimas fuisse.*

Idem docet, *in* 4. *Contra Gen. c.* 76. his verbis: *Considerandum*

derandum eſt (inquit) *quod quando aliquid ad diverſos fines ordinatur, indiget habere diverſa dirigentia in finem: quia finis eſt proportionatus agenti. Generatio autem humana ad multa ordinatur, ſcilicet ad perpetuitatem ſpeciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate; ordinatur etiam ad perpetuitatem Eccleſiæ, quæ in fidelium collectione conſiſtit. Unde oportet, quod hujuſmodi generatio a diverſis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quæ eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur a natura inclinante in hunc finem: & ſic dicetur eſſe naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet ordinationi civilis legis. In quantum autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjacent regimini Eccleſiaſtico.*

XXV. Secundam autem partem docet, *in* 4. *diſt.* 42. *q.* 2. *art.* 2. ubi loquens de impedimento cognationis legalis, in corp. dicit: Quod *quia filius adoptatus converſatur in domo patris adoptantis, ſicut filius naturalis: ideo legibus humanis prohibitum eſt, inter tales matrimonium contrahi: & talis prohibitio eſt per Eccleſiam approbata: & inde habetur, quod legalis cognitio matrimonium impediat.* Et ad 4. *Prohibitio* (inquit) *legalis humana non ſufficeret ad impedimentum matrimonii, niſi interveniret auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit.* Ex qua S. Th. doctrina colligitur, poſſe quidem Principes per ſe ſtatuere impedimenta matrimonii, quatenus ordinatur ad finem politicum: quatenus vero ordinatur ad bonum Eccleſiæ, & ut ſacramentum eſt, non poſſe, niſi Eccleſiæ auctoritas acceſſerit.

XXVI. Ad quid autem quoad hoc ſe extendat Eccleſiæ auctoritas, explicat, *quodlibeto* 5. *art.* 15. *ad* 1. dicens: *Quod Eccleſia in his quæ ad matrimonium pertinent, tripliciter ſe habet. Uno quidem modo per modum judicantis: & quia homines vident ea, quæ apparent ſecundum quod dicitur* 1. *Reg.* 16. *Oportet, quod Judex Eccleſiaſticus judicet ſecundum ea, quæ ſibi apparent per confeſſionem partium, & per idoneos teſtes, & per alia legitima documenta, quibus omnibus adhibitis, contingit quandoque veritatem latere, & præcipue in his quæ pertinent ad interiora cordis, quæ humano teſtimonio probari non poſſunt, etſi per aliqua ſigna exteriora de his poſſit aliqua conjectura haberi; & ideo judicium Eccleſiæ circa ea, quæ ad matrimonium pertinent: ſi veritas lateat, non impedit ſequens matrimonium contrahendum, nec dirimit jam contractum. Alio modo ſe habet per modum prohibentis, vel punientis. Et hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit jam contractum: puta uxoricida pœnam imponit Eccleſia, ut ulterius a matrimonio abſtineat; ſi tamen contraxerit, matrimonium non dirimitur. Tertio modo ſe habet per modum ſtatuentis, quod ſit ſolum auctoritate ſummi Pontificis: & ſecundum hoc perſonæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendum, ita quod ſi etiam contrahant matrimonium dirimit: ut patet in quibuſdam gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, vel etiam de adultera, cum quis dedit ei fidem de contrahendo, vel cum machinatus eſt in mortem uxori.* Principes ergo politici auctoritate ſibi propria circa matrimonia, dato, quod poſſint procedere ſecundo modo, nimirum per modum prohibentis, vel punientis; non tamen tertio modo, nempe, per modum ſtatuentis, & perſonas illegitimas ad contrahendum irritans, niſi accedat approbatio ſummi Pontificis.

XXVII. Reges tamen, ac Principes infideles, ſeu Pagani, rationabili cauſa exiſtente, poſſunt conſtituere impedimenta matrimonii reſpectu ſuorum ſubditorum in ſuo regno degentium: Quia ſicut poſſunt aliis contractibus præſcribere conditiones, quarum defectu reddantur irriti: ita etiam contractui matrimoniali, qui apud eos eſt contractus mere civilis. Ea enim poſſunt ordinare & præcipere, quæ ad bonum commune, & tranquillitatem Reipublicæ viderint convenire. Et in hoc ſenſu generaliter locutus fuit S. Thom. *in* 4. *diſt.* 34. *art.* 1. *ad* 3. *&* 4. *Contra g. cap.* 78. ſupra relatus. Tali autem lege, quam poneret princeps infidelis, non ſoli infideles obligarentur, ſed etiam fideles ejus ſubditi, ut quamdiu principi illi ſubeſſent, non poſſent ibi matrimonium contra ipſius leges inire. Sicut enim Chriſtiani ſub ejuſmodi regum poteſtatem degentes, tenentur ſervare alias leges civiles ibi vigentes, ita & hanc. Quare ſi infideles contraxiſſent matrimonium cum aliquo impedimento juxta ſuorum regum leges dirimente, & ad fidem converterentur, vel ſeparandi eſſent, vel deberent renovare conſenſum, vel contractum. Ita ex Sylvio, *in q.* 50. *Suppl. art. unic. q.* 5.

XXVIII. Similiter Principes chriſtiani habentes in ſua ditione Paganos ſibi ſubjectos, poſſunt illi conſtituere impedimenta matrimonii. Tum quia tales eorum ſubditi non ſubjiciuntur Eccleſiæ, ejuſque legibus, ſed tantum legibus civilibus ſuorum Principum. Tum quia matrimonium talium cum non ſit ſacramentum, jus principum erga illos nullam ab Eccleſia habet dependentiam. Non ſic autem reſpectu ſubditorum fidelium. Quia cum Reges chriſtiani per Baptiſmum ſubjecerint ſe Eccleſiæ in iis, quæ concernunt ad ſacramenta: & matrimonia fidelium ſint ſacramentum, non poſſunt aliqua circa ſubſtantiam contractus matrimonialis ſtatuere abſque Eccleſiæ conſenſu, & approbatione.

DUBIUM II.

Quis poſſit in Impedimentis Matrimonii Diſpenſare?

§. I.

Reſolutiones Dubii.

I. DIco primo. Eccleſia, aut ſummus Pontifex videtur non poſſe diſpenſare in impedimentis matrimonium jure naturali dirimentibus, qui ſunt error circa perſonam, ligamen prioris matrimonii conſummati, amentia perpetua, impotentia ad copulam, conſanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ, & in primo lineæ tranſverſalis. Ratio eſt. Tum quia non invenitur uſquam in talibus impedimentis diſpenſaſſe. Tum quia non apparet, quod in illis diſpenſandi acceperit a Chriſto poteſtatem.

II. Dico ſecundo. Eccleſia, & præcipue ſummus Pontifex ejus caput, poteſt in aliis impedimentis diſpenſare. Probo primo. Quia talia impedimenta etiam dirimentia ſolo jure Eccleſiaſtico ſunt ſtatuta: qui autem poteſt legem ſtatuere, poteſt etiam in ea diſpenſare; ergo cum ſupremum jus Eccleſiaſticum in Romano Pontifice reſideat, poterit is in ejuſmodi impedimentis diſpenſare. —— Secundo: hanc poteſtatem diſpenſandi Romani Pontifices agnovere, eaque uſi ſunt. Deſinente enim ſæculo 6. Gregorius Magnus Anglorum genti recenter ad fidem converſæ diſpenſavit, ut poſſet cum conſanguineis in tertio gradu, intra quem tamen irrita tunc erant conjugia, nubere. Sic ad Auguſtinum Cantuarienſem Epiſcopum reſcribens: *Unde* (inquit) *neceſſe eſt, ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam ſecunda, quod diximus a ſe debet omnino abſtinere.* Ita, *l.* 11. *Epiſt.* 64. alias 31. *ad Interrogat.* 6. Cumque hoc diſplicuiſſet Felici Meſſanenſi Epiſcopo, quaſi deſtruens illius ævi diſciplinam, quæ intra ſeptimum gradum matrimonia non permittebat, ei reſpondet S. Gregorius, l. 14. Epiſt. 17. alias 32. *Quod autem ſcripſi Auguſtino Anglorum Gentis Epiſcopo, alumno videlicet ut recordaris tuo, de conſanguinitatis conjunctione; ipſi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono, quod cœperat, metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter, & non generaliter cæteris me ſcripſiſſe cognoſcas.*

Gregorius II. ineunte 8. ſæculo circa ann. 721. fecit facultatem Germanis, ut nuberent poſt quartum conſanguinitatis gradum. Ita, *Epiſt.* 2. *ad Bonifacium Epiſcopum*, qui eum ſuper varia conſuluerat: *Igitur* (inquit) *in primis legebatur, in quota progenie propinquorum matrimonium copulatur. Dicimus, quod oportuerat quidem quamdiu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad hujus copula non accedere ſocietatem. Sed quia temperantia magis, & præſertim in tam barbara gente plus placet, quam diſtrictio cenſuræ, concedendum eſt, ut poſt quartam generationem jungantur.* Cum tamen eodem ſæculo nonniſi poſt ſeptimam generationem conjugia generaliter iniri poſſent, ut habetur ex Gregorio III. *Epiſt.* 1. *ad Bonifacium Arch. c.* 5.

Petrus Cellenſis Abbas duodecimi ſæculi ſcriptor, *l.* 7. *Epiſt.* 3. ad quemdam Cardinalem, ſentit, penes Pontificem eſſe facultatem in hiſce impedimentis diſpenſandi, ait enim: *Penſet veſtra diſcretio, ut ſi quid de gradu conſanguinitatis obſtat, pro bono pacis, & pro tantorum malorum recompenſatione, quacumque fieri poteſt a Domino Papa, non recuſetur diſpenſatio.*

III. Hujus poteſtatis in Eccleſia ampliſſimum teſtimonium eſt, quod cum ſecundum antiquos canones uſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum impedimenta matrimonii protraherentur, in Concilio Lateran. IV. ſub Innocentio III. uſque ad ſolum quartum gradum reſtricta fuerunt, & moderata fuit prohibitio de gradibus affinitatis, ut legere eſt, *c.* 51. —— Confirmant hoc frequentes diſpenſationes poſt ſæculum duodecimum conceſſæ, & quæ in dies rationabilibus de cauſis a S. Sede conceduntur, quas non plebeji modo, ſed ipſi Principes, ac Reges poſtularunt, & adhuc poſtulant. Quare merito Lutheranos hanc poteſtatem Eccleſiæ eripientes elapſis ſæculis anathemate confixit Trident. Synodus, *Seſſ.* 24. *Can.* 3. his verbis: *Si quis dixerit.... nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum* (impedimentorum in Levitico contentorum) *diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit.*

IV. Sed dices. Prioribus Eccleſiæ ſæculis Principes circa matrimonii impedimenta diſpenſabant. Probatur ex Honorii, & Theodoſii lege lata Ravennæ, *anno* 409. in qua exponunt Imperatores, quando, quibus, & qua ratione velint in matrimoniis prohibitis diſpenſare. Idem colligitur ex diſpenſationum formulis, quas legere eſt apud Caſſiodorum, *l.* 7. variarum, *c.* 6. *n.* 40. ubi Theodoricus Rex ratum effecit conjugium nobilis cujuſdam, qui contra legum ſtatuta nupſerat cum muliere plebeja, & n. 47. Idem diſpenſat, ut quis nuptias ineat cum conſobrina.

V. Reſpondeo ex dictis Dub. præcedente Principes illis prioribus ſæculis, ea ratione qua dicuntur ſtatuiſſe impedimenta matrimonii, in illis quoque diſpenſaſſe. Quia autem ſtatuere non poterant impedimenta matrimonium dirimentia quoad ſubſtantiam, & vinculum, ſed ſolum quoad certos effectus matrimonium conſequentes, & pœnis contrafacientes mulctare, ideo eorum diſpenſationes ad

illos

illos effectus habiles reddebant, & a pœnis legibus suis taxatis eximebant. Dici etiam potest, quod si eorum dispensationes legitimarunt etiam matrimonii substantiam, hoc fuisse ex tacito Ecclesiæ consensu, œconomiæ, & pacis studio tolerantis, ut Christiani Principes facerent id erga suos subditos, quod Ethnici Imperatores facere solebant. Quia, ut dicebamus cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 4. sicut prohibitio, ita nec dispensatio legis civilis humanæ sufficeret ad ponendum, sive tollendum impedimentum, nisi accederet auctoritas Ecclesiæ.

§. II.

An Episcopus possit in aliquo casu dispensare?

VI. CErtum est, ordinario jure, dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus ad solum Romanum Pontificem pertinere, neque ad hoc Episcopi auctoritatem sese extendere. Ratio est. Quia impedimenta illa fuerunt statuta, vel a Pontifice, vel a Concilio Generali, quorum auctoritati auctoritas pure Episcopalis inferior est, ac proinde subjecta. Constat autem inferiorem non posse ordinarie dispensare in lege superioris, ut papet ex Cap. *Inferior* 4. dist. 21. Et ex Clementina *Ne Romani* de electione.

Neque verum arbitror, quod scribit Jo: Mariana Historicus Hispanus, *l.* 10. *c.* 8. ubi loquens de incestis nuptiis Alphonsi Castellæ Regis cum Urraca sua consanguinea hæc scribit: *Nondum moribus receptum erat* (XI. sæculo) *ut Pontificum Romanorum venia, lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent.* Nam hoc falsitatis evincunt dispensationes supra relatæ, quas concesserunt pro Anglis Gregorius Magnus, & Gregorius II. per Germanis. —— Deinde hoc dato, non concluditur, absque Romani Pontificis dispensatione inita fuisse inter consanguineos conjugia, sed solum quod prioribus sæculis nunquam, aut saltem rarissime dispensati fuerint fideles circa ea, quæ vetabant canones, ut patet de clericorum irregularitate, a qua vix legitur quisquam fuisse dispensatus, cum tamen certum sit Romanum Pontificem potuisse in ea dispensare.

VII. Quapropter merito Cabasucius auctor Gallus, *l.* 3. *Theoriæ*, & praxis juris Canonici, *cap.* 27. *num.* 5. *&* 6. non approbat opinionem eorum, qui volunt, Episcopos Galliæ ex consuetudine legitime præscripta dispensare posse ad matrimonium contrahendum in quarto, aut etiam tertio gradu consanguinitatis, vel affinitatis, & affert auctoritatem duorum Conciliorum in Gallia celebratorum, nimirum Turonensis, *anno* 1583. & Tolosani 1590. contrarium statuentium, additque: *Sane istæ ab Episcopis concessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem causant sacramenti. At vero in re sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermisso, quod adhiberi possit: atque ita sententia ista, vel nefariam inducit sacramenti nullitatem, aut ad summum tutiore simul, ac probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam in tanti momenti sacramento consectatur opinionem.* Quod illicitum esse decrevit Innocentius XI. *anno* 1679. dum hanc propositionem num. primam damnavit: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.*

Neque obest, quod Episcopus dispensare possit in lege quadragesimalis Jejunii, & in aliquibus impedimentis impedientibus tantum, quamvis hujusmodi sint præcepta, vel a summo Pontifice, vel a Concilio generali —— Nam relaxatio jejunii quadragesimalis ex justa causa non est proprie dispensatio a Lege, sed declaratio, legem in tali circumstantia eam personam non obligare, quæ declaratio fieri potest etiam ab inferiore, & fit a Parocho prævia medici attestatione, de quo aliqua diximus, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *qu.* 3. *de lege naturali Dub.* 6. §. 1. *n.* 2. In aliquibus vero impedimentis impedientibus tantum dispensare potest Episcopus, quia licet inferior, per se loquendo, non possit dispensare in lege superioris, consuetudine tamen receptum est, ut dispensatio super illis non quæratur a Papa, exceptis votis castitatis, & religionis; immo nec super aliquibus ulla petitur dispensatio. At loquendo in casu, dispensatio esset vera dispensatio, nec allegari potest probata consuetudo, aut tacitus superioris consensus, quin immo ab omnibus Ecclesiæ partibus exigit Romana Sedes, ut super dispensatione ab impedimentis dirimentibus, obtinenda, ad ipsam, vel ad habentes facultatem ab ipsa specialiter delegatam, fideles, si fieri possit, recurrant.

VIII. In aliquibus tamen casibus posse Episcopum dispensare censent Doctores, quos inter alios refert, ac sequitur Sylvius, *qu.* 50. *Suppl. art. un. quæsito* 2. Primus est. Quando publice notum est matrimonium in facie Ecclesiæ esse celebratum, immo & consummatum, impedimentum quod inter conjuges detegitur, occultum est, nec possunt separari absque gravi infamia, & scandalo, vel grandis alicujus mali periculo, nec ad Papam, vel ejus legatum facultate dispensandi instructum tutus patet recursus, sive propter paupertatem, sive propter locorum distantiam, sive propter alia gravia impedimenta. Tunc enim censetur Pontifex tacite indulgere, ut auctoritate sua Episcopus dispenset super illo impedimento, etsi dirimente. Tum quia non est credibile, Pontificem velle sibi reservare dispensationem in casu tantæ necessitatis. Reservatio enim dispensationis est propter charitatem, & bonum Ecclesiæ regimen: esset autem contra utrumque, fideles, qui bona fide processerunt, & in angustiis constituti nesciunt quo se vertant, omni opportuno remedio destitutos relinquere. Quemadmodum ergo valde probabile est, in casu summæ necessitatis, etiam citra mortis articulum, qua non pateat aditus ad Papam, vel alium ejus facultate instructum, Papam concedere Episcopo facultatem absolvendi etiam a sibi reservatis criminibus: ita & in casu, ut alioquin pœnitens, sicut & conjuges maneant tota vita ligati crimine, aut censura, aut impedimento. —— Tum etiam summus Pontifex ignorare non potest, sententiam hanc a multis probatis doctoribus sustineri, eaque uti multos Episcopos zelum animarum habentes. Cum ergo non contradicat, signum est, eum tacite consentire.

IX. Ut tamen in prædicto casu possit Episcopus dispensare, concurrere debent sequentes conditiones. Prima, ut matrimonium contractum sit in facie Ecclesiæ præmissis proclamationibus. Secunda, ut matrimonium contractum sit bona fide ex juris, vel facti ignorantia probabili saltem ex parte unius. Si enim ignorantes quidem, sed sine solemnitatibus debitis contraxerunt, aut mala fide processerunt, verosimilius est, eos esse separandos, usque dum a Papa dispensatio concedatur, quia non præsumitur velle iniquitati contrahentium adhuc tacite patrocinari. Tertia, est ut matrimonium sit consummatum. Quarta, ut impedimentum occultum sit. Quinta, ut separatio non possit fieri sine scandalo. Sexta, ut, vel non possit dispensatio differri sine morali periculo peccandi, vel conjuges ob locorum distantiam, vel inopiam, Pontificem, vel alium, qui dispensandi potestatem habeat per se, vel per alios adire non possint. Septima, ut hæc dispensatio obtineatur ab Episcopo, non ab ejus Vicario, qua præcise talis est. Nam hæc potestas Episcopo non convenit ex officio. Eam tamen Vicario suo committere, sicut & alia, quæ ad forum conscientiæ pertinent, cum hæc dispensatio sit in foro conscientiæ tantum ex tacita Pontificis indulgentia.

X. Alter casus statuitur a Sanchez qui docet, Episcopum posse per se, vel per alium super impedimento matrimonii dirimente, etiam antequam matrimonium sit contractum, dispensare, sicque facere, ut sint legitimi contrahentes, si non pateat facilis aditus ad Pontificem, vel ejus auctoritatem delegatam habentem, & ex dilatione timerentur gravia incommoda, scandala, inimicitiæ: non enim, inquit, est credibile, Pontificem velle sibi reservare dispensationem cum tanto fidelium periculo. Sanchez sequuntur Bonacina, Barbosa, Salas &c. Cabasutius autem sentit, circa matrimonia contrahenda arctiorem esse Episcoporum potestatem, ac perraro contingere, ut in hac parte licite, ac valide dispensent. Unum casum asserit occurrere, in quo etiam in foro conscientiæ valeat, ac licita sit concessa ab Episcopo dispensatio. Et est. Cum Parocho per confessionem sacramentalem innotescit occultum affinitatis impedimentum contractum ex illicita carnali copula, nec aliunde via patet, qua vitetur tum scandalum, tum infamiæ periculum, quæ alioquin exorirentur ex nuptiarum dilatione. Non enim est verosimile, quod Papa in illis angustiis dispensationem sibi reservare voluerit.

XI. Quoad impedimenta vero solum impedientia communis sententia fert, Episcopum posse dispensare, excepto tamen voto Castitatis, & religionis. Quia licet hæc lata sint a superiore, & per se loquendo, non possit inferior in lege superioris dispensare; consuetudine tamen receptum est, ut dispensatio talium impedimentorum non quæratur a Papa, exceptis duobus citatis, nempe votis Castitatis, & Religionis, dummodo tamen hæc sint perpetua. Nam vota de non nubendo, de non petendo conjugali debito, de suscipiendo sacros ordines, de servanda castitate ad paucos menses, non comprehenduntur sub votis castitatis perpetuæ, vel religionis, quia non sunt absoluta: & ideo Episcopus potest in illis dispensare. Sicut etiam potest dispensare in impedimentis, quæ matrimonio prius contracto superveniunt, prohibentque debiti conjugalis petitionem, & usum: ejus generis est affinitas, quæ contrahitur inter conjuges, sive per hoc, quod unus conjugum carnaliter cognoscat suæ conjugis consanguineam in primo, vel secundo gradu, sive per hoc, quod extra casum necessitatis baptizaverit suum filium, vel in ejus baptismo, aut confirmatione factus fuerit ejus patrinus. Quæ impedimenta cum matrimonio superveniunt, etsi non possint dirimere matrimonium jam contractum, nihilominus eum privant jure petendi debitum, qui scienter illa contraxit: dixi *scienter*, quia si maritus ignorabat, eam, quam cognoscebat, esse consanguineam, non impeditur a petitione debiti, ut ait Rodriguez, 1. *part. sua Summæ*, *cap.* 232. *num.* 11.

§. III.

Quandonam dispensatio obtenta sit irrita?

XII. DUplex a Doctoribus distinguitur causa, qua Pontifex moveri potest ad dispensandum; finalis nempe, & impulsiva. Causa finalis dicitur ea, quam præci-

præcipue ſpectat diſpenſans, & qua movitur ad diſpenſandum: ita ut ſine illa, aut nullo modo, aut nonniſi cum quibuſdam conditionibus, vel limitationibus diſpenſaret. Cauſa vero impulſiva dicitur ea, propter quam diſpenſans facilius diſpenſat: ita tamen, ut ſine illa ſecundum rectam rationem, & cauſſæ meritum eſſet diſpenſaturus eodem modo.

XIII. Noto inſuper, quod cum petitur diſpenſatio, vel una tantum affertur cauſa diſpenſandi, vel multiplex. Si primum, cauſa illa cenſetur finalis unice movens diſpenſatorem ad rationabiliter diſpenſandum. Si vero ſecundum, cauſæ illæ debent cenſeri finales, quæ quaſi intrinſece afficiunt rem, in qua diſpenſandum eſt, & diſpenſationem efficiunt juſtam, & rationabilem. Quod ſi una vel altera ſufficit ad hoc, ut æquum diſpenſatorem moveat ad diſpenſandum, reliquæ omnes haberi poſſunt, ut impulſivæ. Unde expreſſio falſi in illis non impedit diſpenſationis valorem, quem impedirent, ſi non eſſent aliæ cauſæ ad juſte, & rationabiliter diſpenſandum ſufficientes.

XIV. Nota tertio in petitione diſpenſationis poſſe falſum exponi, & verum reticeri. Expoſitio autem falſi, & reticentia veri aliquando pertinere poteſt ad cauſam finalem, aliquando ad impulſivam tantum. Tunc expoſitio falſi pertinet ad cauſam finalem, quando non affertur alia vera cauſa ſufficiens ad æquam, & rationabilem diſpenſationem; quando vero alia hujuſmodi vera cauſa affertur, ad cauſam tantum impulſivam pertinet. Reticentia veri tunc pertinet ad cauſam finalem, quando verum, quod reticetur, ſi cognitum eſſet, æquum, ac prudentem ſuperiorem rationabiliter averteret a concedenda, vel ſaltem a tali modo concedenda diſpenſatione. Pertinet autem ad cauſam impulſivam tantum, quando cognitum ſuperiorem a danda diſpenſatione non averteret, ſed ſolum difficiliorem efficeret. Vel eſſet reticentia veri extrinſece tantum afficientis rem, in qua eſt diſpenſandum, ita ut ſi eſſet cognitum, averteret ſuperiorem a danda diſpenſatione, non ob defectum cauſæ ſufficientis ad diſpenſandum rationabiliter, ſed aliunde, puta, ob privatum aliquem affectum, at errorem ſuperioris, vel ob improbitatem petentis diſpenſationem, ſeu ob injuriam alias ab eo illatam diſpenſatori, reticentia veri pertineret ad cauſam ſolum impulſivam. His poſitis

XV. Dico primo. Expoſitio falſi, ſi pertineat ad cauſam finalem, irritam facit diſpenſationem, ſecus vero, ſi pertineat ad cauſam tantum impulſivam. Prior pars probatur ex obſervatis. Nam tunc pertinet ad cauſam finalem, cum in petitione nulla alia vera cauſa affertur ad juſtam, & rationabilem diſpenſationem ſufficiens. Cum ergo præſumi debeat, ſuperiorem velle ex juſta, & rationabili cauſa diſpenſare, ſi non exponitur alia cauſa, quam falſa, ſuperior diſpenſat propter cauſam illam falſam, adeoque ex mero errore diſpenſat, & ſic diſpenſatio per ſurreptionem obtinetur, quia obtinere diſpenſationem per ſurreptionem, & eam obtinere per errorem dantem cauſam ejus conceſſioni, idem ſunt. Diſpenſatio autem per ſurreptionem obtenta, ipſo jure nulla eſt. Ut ex Cap. *Si is* de filiis Presbyterorum in 6. quia eſt obtenta contra voluntatem concedentis.

Secunda autem pars prob. quia, ut notatum eſt, tunc expoſitio falſi pertinet ad cauſam impulſivam tantum, quando affertur alia vera cauſa ſufficiens ad juſtam, & rationabilem diſpenſationem, & qua, etiamſi non eſſet expoſitio falſa, diſpenſator adhuc ad juſte diſpenſandum moveretur: ergo tunc non cenſetur diſpenſatio data per errorem, & proinde nec per ſurreptionem; ergo cenſetur valida.

XVI. Dico ſecundo. Reticentia veri, ſi ſpectet ad cauſam finalem, diſpenſationem irritat, ſecus vero ſi ad cauſam tantum impulſivam pertineat. Prior pars ex dictis apparet. Nam tunc verum, quod reticetur, intrinſece afficit rem, in qua diſpenſandum eſt, & ſi notum eſſet ſuperiori, eum rationabiliter averteret a danda, aut certe a tali modo danda diſpenſatione: ergo tunc ſuperior cenſeri debet diſpenſare per errorem, & diſpenſationem eſſe ſurreptitie extortam, & irritam.

Secunda pars patet etiam. Quia tunc verum, quod reticetur, ſi cognitum eſſet a ſuperiore, aut eum tantum redderet difficiliorem in concedenda diſpenſatione, aut ſi a concedenda averteret, non averteret ex defectu cauſæ ad juſtam ac rationabilem diſpenſationem, & ſic ſuperior diſpenſans, vero aliquo a petente expoſito motus, non cenſetur diſpenſare per errorem, ſed ex juſta & rationabili cauſa, nec diſpenſatio erit ſurreptitia.

XVII. Ad amovendas tamen omnes dubitationes, & ſcrupulos tutius eſt, ut qui diſpenſationem petunt, fideliter, & ſincere exponant omnia, quæ juvare, & quæ retardare poſſunt diſpenſationem, puta, expreſſe, & diſtincte gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, & inceſtus, ſi commiſſus fuit ad finem facilius obtinendi diſpenſationem. Si impedimentum ſit contagionis ſpiritualis, exprimi debet, an ſit paternitas, vel compaternitas: quia longe magis dedecet aliquem ducere filiam ſuam ſpiritualem, quam ducere matrem ejus. Unde in priori caſu non ſolet Pontifex diſpenſare. Si impedimentum ſit publicæ honeſtatis, exponi debet, an ortum ſit ex ſponſalibus, an ex matrimonio rato, quia ex hoc longe fortius ligat. Si demum plura ſunt impedimenta, omnia debent diſtincte explicari, vel una petitione, ſi veluti cognita ſint, vel pluribus ſi diſparata. Sed hæc meo Candidato ſatis.

XVIII. Si quæras, cum quibus, & quando ſit in impedimentis matrimonium dirimentibus concedenda diſpenſatio?

Reſpondeo primo ex Concil. Tridentino, *Seſſ. 24. cap. 5. de Reform. Matr.* Quod *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed & conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis; non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero, ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit.*

XIX. Reſpondeo ſecundo ex eodem Conc. ibi: *In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.*

XX. Reſpondeo tertio, concedendam eſſe diſpenſationem cum urget neceſſitas, aut poſtulat ſpiritualis utilitas. Neceſſitas quidem, puta anguſtia loci, quæ poteſt oriri, vel ex eo, quod major pars civium ſit conſanguinei, vel affines poſtulantis diſpenſationem, vel ex eo quod quis conjugem non inveniat, qui ejuſdem, aut ſimilis ſit ſtatus, & conditionis: ſumma enim in conditione diſparitas domeſticæ paci, & nuptorum ſaluti plurimum adverſatur. Similiter ſi hoc ſit neceſſarium ad magnæ litis extinctionem, vel ad pacificandas diſcordias, ſive præſentes, ſive quæ prævidentur futuræ. Spiritualis etiam utilitas, ut ſi ex tali conjugio certa eſſet, vel ſperaretur valde probabiliter alterius conjugis ad fidem converſio, quod Arces, Oppida, Urbes in fide catholica manutenerentur, alioquin ad hæreticos tranſituræ, vel ad catholicorum Dominium reverterentur. Inſuper ſi diſpenſatio petatur ad evitandum periculum mortis, ſcandalum grave, ut peccatum mortale. Aliæ rationes in praxi occurrere poſſunt, quibus prudens ſit diſpenſatio.

QUÆSTIO VIII.

De Impedimentis in Specie.

IMpedimenta alia ſunt impedientia tantum, alia ſunt etiam matrimonium dirimentia. De utriſque, quæ, & quot ſint, quæſtio præſens verſabitur.

DUBIUM I.

Quæ, & quot ſint Impedimenta Impedientia.

§. I.

De Eccleſiæ Vetito, & tempore Feriato.

I. HUjuſmodi impedimenta dicuntur impedientia, quia ut ait S. Th. *q. 50. Suppl. art. unic. ad 6.* non dirimunt matrimonium contractum, ſed impediunt contrahendum: *Non ut non fiat, ſed ut non licite fiat, & tamen ſi fiat, verum matrimonium contractum eſt, quamvis contrahens peccet: ſicut ſi aliquis conſecraret poſt comeſtionem, peccaret, contra ſtatutum Ecclеſiæ faciens: nihilominus verum ſacramentum perficeret, quia jejunium conſecrantis non eſt de neceſſitate ſacramenti.* Talia, præter indiſpoſitionem ſubjecti aliis ſacramentis communem, ut excommunicationem, & effectum peccati mortalis, ſunt iſta ſex

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, crimina, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

II. *Eccleſiæ vetitum*, ſeu interdictum, vocatur prohibitio ſuperioris Eccleſiaſtici interdicentis ex cauſa matrimonium ad tempus, ſive iſte ſit Epiſcopus, ſive Parochus, qui velit interea conſulere Epiſcopum, ſervato tamen ordine juris. Hanc prohibitionem reddere nuptias illicitas, non autem irritas declaravit Alexander III. *l. 4. Decret. cap. 1. 2. & 3. tit. 16.* de matrimonio contra interdictum Eccleſiæ, ubi loquens de puella, quæ deſponſata uni viro nupſerat alteri poſt prohibitionem Archiepiſcopi: *Litet enim* (inquit) *contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non eſt tamen conveniens, ut ob id ſolum ſacramentum conjugii diſſolvatur. Alia tamen pœnitentia eis debet imponi, quia contra prohibitionem Eccleſiæ hoc fecerunt.*

Quovis autem ſæculo Eccleſiæ vetitum matrimonii celebrationem reddidiſſe illicitam, ex eo colligitur; Quia in re tanti momenti, quanti eſt matrimonium, chriſtiani debuerunt ſemper obedire Eccleſiæ, quam qui non audit, inter Ethnicos, & publicanos cenſendus eſt, ut ait Chriſtus.

III. An vero tempore interdicti pœnalis cenſenda ſint vetita

tita matrimonia —— Respondeo, negative, dummodo tamen pro eo tempore omittatur, solemnem benedictionem nubentibus impartiri. Et ratio est, quia matrimonium saltem nonnullis, qui continere non possunt, est sacramentum necessarium necessitate præcepti divini. Sicut ergo eo tempore, de quo agitur, licitum est parvulis, & adultis Catechumenis baptisma conferre: ita & sponsos ad matrimonium admittere.

IV. *Tempus Feriarum* secundum modernam Ecclesiæ praxim, est ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ: & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive. Et hoc tempus computandum est a media nocte Dominicæ primæ Adventus, & a media nocte feriæ quartæ Cinerum.

V. Non fuit autem quovis sæculo eadem circa hoc disciplina. Ad solum enim tempus Quadragesimale tempus a matrimonio feriatum, quarto ineunte sæculo restrictum fuisse in Oriente, constat ex Laodicæna Synodo, *Can.* 52. quæ hæc habet: *Quod non oportet in Quadragesima nuptias, vel natalitia celebrare*. Eamdem disciplinam commendavit in Occidente Nicolaus I. qui respondens ad consulta Bulgarorum, cap. 48. *Unde* (inquit) *nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatenus arbitramur*.

Synodus vero Salegunstadiensis, *anno* 1022. sub Benedicto Papa VIII. *cap.* 3. ad plures tempora ferias a matrimonio ineundo extendit: ait enim *De legitimis autem conjugiis ita visum est, quod nullus christianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini usque in octavas Epiphaniæ, & a septuagesima usque in octavas Paschæ, nec in supranotatis quatuordecim diebus* (de quibus cap. 1.) *ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus*.

Verum processu temporis frigescente charitate, & pœnitentiæ amore, ut fornicationum tolleretur occasio, ad brevius spatium dies quibus celebratio matrimonii vetita erat, Concil. Tridentinum reduxit. Nam Sess. 24. cap. 10. de Reform. Matrimon. *Ab adventu* (inquit) *Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcipit: In aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit*.

VI. Rationes autem, cur præfatis diebus Ecclesia nuptias interdixerit, fuerunt. Primo: quia apud Græcos jejuniorum diebus non offertur sacrificium Missæ, ac proinde, nec celebratur conjugium, quod non minus, quam apud Occidentales consuevit intra missarum solemnia celebrari —— Secundo: quia nuptiarum solemnia argumentum sunt lætitiæ, quæ cum jejuniorum, & pœnitentiæ diebus non componitur —— Tertio: quia festis, quibus solemnia jejunia præmittebantur, fideles Eucharistia se reficiebant, unde par erat, ut temperarent a nuptiis, quarum usu orationem impediri docuit Paulus 1. *Cor.* 7.

VII. Quæri solet: An nuptiarum prohibitio pro certis anni temporibus facta intelligi debeat de sola eorum solemnitate, an vero de ipsius nuptiis secundum substantiam?

Censent multi, jure communi tantum prohiberi solemnitatem nuptiarum, quæ hæc tria complectitur, nempe novorum sponsorum benedictionem, sponsæ in domum sponsi cum pompa, & comitatu traductionem, & nuptiale convivium. Cæterum contractum matrimonialem sine illis solemnitatibus fieri posse: Nam Canones non quomodocumque loquuntur de matrimonio tunc non contrahendo, sed de illo non celebrando, idest non perficiendo cum solemnitate 33. q. 4. Cap. *Non oportet* cum duobus sequentibus. Unde Conc. Tridentinum, citato loco, nuptias, quas prohibet, & antiquitus prohibitæ erant, vocat: *Solemnium nuptiarum prohibitiones*, additque *In aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit*.

Verum si quis attendat Ecclesiæ antiquæ, & recentioris intentionem in prohibendis tali tempore nuptiis, ut supra ostendimus, haud difficulter judicabit, vetuisse olim Ecclesiam, & etiam nunc vetare celebrationem nuptiarum, quæ etiam sine præfata pompæ solemnitate celebrantur: eo vel maxime, quod modo celebrari non possunt sine præsentia Parochi, & duorum testium, quod aliqua solemnitas est, ac præcedere debent proclamationes. Ut ut tamen sit, jus, & consuetudo locorum, ac Diœcesum attendenda est.

§. II.

De aliis impedimentis impedientibus.

VIII. SAnctus Thomas, *quæst.* 50. *Supplem. art. unic.* Non alia recenset impedimenta impedientia, quam duo supra relata. Communiter alia quatuor adjunguntur.

Primum est *Catechismus*, qui est quædam spiritualis cognatio contracta per hoc, quod puerum, vel puellam, vel alium catechizavit, seu in fide solemniter instruxit, sive ante baptismum, sive post sine cæremoniis collatum. Et contrahebatur inter easdem personas, inter quas ex baptismo nascitur spiritualis cognatio, sed impediens solum, non dirimens, ut habetur, Cap. *Per Baptismum* de cognatione spirituali *in* 6.

Hoc impedimentum sublatum esse per Tridentinum; *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Ref. Matr.* existimant Sylvius, Sa, Sanchez, Ledesma, & alii. Ibi enim Concilium sustulit omnes cognationes spirituales, præter eas, quas ibi recenset: *Omnibus* (inquit) *inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*. Concilium autem loqui non de solis dirimentibus, sed de omnibus generatim, quæ olim impediebant, colligitur primo. Quia loquitur de impedimentis ortis ex baptismo: & consequenter de Catechismo, qui cæremonia baptismi, & quodammodo ex Baptismo est. Secundo. Quia Concilium ibi vult restringere, ac statuere, ut cognatio spiritualis non oriatur inter alias personas, quam quæ ibi exprimuntur, ut explicavit S. Pius V. in Bulla *Sanctissimus*, & in Bulla, *Cum illius vicem*.

Si quis tamen oppositum (quod probabilitate non caret) velit sustinere, sciat, super eo dispensari posse per Episcopum.

IX. Secundum sunt *Sponsalia*, quæ prius celebrata sunt cum alia persona: Illa enim gravem obligationem induxerunt contrahendi matrimonium cum persona desponsata, ac per consequens impediunt, ne cum alia persona contrahat, de quo diximus supra, *Quæst. 6. Dub.* 1. §. 3.

X. Tertium sunt *Crimina*, per quæ non veniunt quæcumque gravia peccata, sed quædam certa. Primum est *Incestus* cum consanguinea uxoris, Cap. *Transmissæ* de eo qui cognovit. Hoc enim impedit, ne matrimonium cum alia contrahatur —— Secundum *Raptus alienæ sponsæ* 27. q. 2. Cap. *Statutum*. Hoc autem impedimentum post Tridentinum factum est dirimens inter raptorem, & raptam, ut infra ostendemus —— Tertium uxoris propriæ interfectio, si non est reperta in flagranti delicto adulterii 33. q. 2. Cap. *Interfectores*. Si tamen ex odio, vel ira evenerit; si enim ex animo transeundi ad alias nuptias fiat, erit impedimentum dirimens, ut infra. Quod dixi de uxoricidio, dicendum quoque est de viricidio, cum eadem ratio, & lex, quæ de uno relativo datur, data de alio intelligenda sit. Quartum est *Baptizatio, vel susceptio ex Baptismo propriæ prolis* facta animo defraudandi conjugem debito conjugali: is enim, defuncto altero conjuge, ad alias nuptias transire prohibetur 30. q. 1. Cap. *De eo* —— Quintum, occisio Presbyteri, ut patet ex Cap. *Qui Presbyterum* de pœnitentiis &c. Ubi sic dicitur: *Qui Presbyterum occiderit, & de eo crimine convictus fuerit; usque ad ultimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat, & absque spe conjugii maneat*. —— Sextum, Pœnitentia publica, ac solemnis, quia durante matrimonium interdictum erat olim pœnitentibus, 33. q. 2. Cap. *De his*, non quia pœnitentia sit peccatum, sed quia non nisi ob grave peccatum agitur. —— Septimum est Matrimonium sacrilege attentatum cum Moniali professa, 27. q. 1. Cap. *Hi ergo*, ubi statuitur, ut qui sanctimonialibus scienter matrimonia ad injuriam Christi copulati sunt, juxta censuram zeli Christiani separentur, & numquam eis concedatur conjugali vinculo religari, & in pœnitentiæ lamentis se vehementer, dum vivunt, afficiant, ac proinde ab omni conjugio tota vita abstineant, cum, ut nuper dicebamus, durante publica pœnitentia conjugium iniri non possit. Hæc crimina sequentibus carminibus comprehenduntur.

Incestus, Raptus sponsatæ, mors muliebris.
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæ conjugium sociandum.

XI. Quartum impedimentum est *Votum*, nimirum simplex, vel Religionis approbatæ ingrediendæ, vel castitatis perpetuæ servandæ, vel non nubendi, vel sacros Ordines suscipiendi: Cap. *Si nupserit*, dist. 27. Cap. *Nubendi*, & Cap. *Si qua Virgo* 27. q. 1. Votum enim simplex impedit quidem, quod sic vovens possit licite contrahere matrimonium, non tamen quod illud valide contrahat. Nam ut ait S. Th. *q.* 53. *Suppl. art.* 1. votum simplex est tantum promissio simplex proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta; & cum simplex promissio rei non transferat eam in dominium ejus, cui promittitur, ideo *Post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis, & ideo potest ipsum alteri dare scilicet uxori, in qua datione sacramentum matrimonii consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc votum simplex quamvis impediat matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiæ, tamen, quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi*.

Plura tamen ex præfatis impedimentis non vigent amplius, sed per contrariam consuetudinem abrogata sunt.

Dubium II.

An Error, & Conditio dirimant Matrimonium.

§. I.

De Impedimento Erroris.

I. DE impedimentis dirimentibus matrimonium agere incipimus, quæ sequentibus carminibus exponuntur, & quindecim numerantur.

Error,

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis.
Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc ſociare vetant connubia, facta retractant.

In præſenti igitur dubio de duobus primis agemus.

II. Error ergo triplex diſtingui poteſt, Perſonæ, qualitatis, & fortunæ. Prior definitur, Judicium, quo quis cenſet, perſonam, cum qua matrimonium contrahit, eſſe aliam, quam ſit. Secundus eſt Judicium, quo quis judicat, perſonam, cum qua contrahit, habere inhærentem qualitatem, quam non habet. Tertius eſt judicium, quo judicatur, perſonam, cum qua contrahitur, eſſe divitem, cum tamen non ſit. Quæritur ergo, quis error conſtituat impedimentum dirimens matrimonium. Nam de errore conditionis, quo quis creditur eſſe liber, cum ſit ſervus §. ſequente ſermo erit.

III. Dico ergo primo. Error circa perſonam eſt impedimentum dirimens matrimonium. Unde ſi quis contrahat cum Martha, putans ſe contrahere cum Maria, contractus jure naturæ nullus, ac irritus eſt, & inſuper Jure Canonico, & Civili. Prima pars probatur ex doctrina S. Th. *q. 51. Suppl. art. 1. & 2.* ſic: Error qui tollit conſenſum in objectum primarium, & eſſentiale contractus matrimonialis, ex natura rei irritat, ac evacuat talem contractum, ut in omnibus contractibus patet; quia reddit conſenſum prorſus involuntarium: ſed error circa perſonam tollit conſenſum in objectum primarium, & eſſentiale contractus matrimonialis, quod ſunt ipſæ perſonæ nubentes; ergo tollit contractum matrimonialem jure naturæ.

IV. Confirmatur. Qui cum tali errore contrahit matrimonium, non conſentit in perſonam, cum qua contrahit, & proinde nec in objectum primarium, & eſſentiale talis contractus, quod eſt hæc determinata perſona, quam petiit, & non alia. Sed ſine conſenſu in perſonam contractus matrimonialis, qui in mutuo conſenſu contrahentium conſiſtit, eſt jure naturæ nullus; ergo &c. —— Secunda, & tertia pars conſtat. Tum ex Decretis, quæ apud Gratianum, *cauſa 29. q. 1.* leguntur. Tum ex Jure Civili ff. *lib. 2. tit. 1.*

V. Hinc ut dicit S. Thom. *art. 1.* citato *ad 4.* Inter Jacob, & Liam non fuit verum matrimonium, quando Jacob illam ſibi pro Rachele ſuppoſitam cognovit carnaliter. *Geneſ. 29.* quia ex ejus parte erat error perſonæ, deeratque propterea conſenſus in illam: Qui conſenſus, cum poſt errorem detectum, poſtea acceſſerit, tunc, & non ante, cœpit eſſe verum inter eos matrimonium. Cur autem Jacob non agnoverit Liam ſibi pro Rachele ſuppoſitam, hoc fuit, quia olim ſponſæ ducebantur ad torum nuptialem *Nupta;* ideſt velatæ, unde nuptiæ a nubendo, ideſt velando, dictæ ſunt. Propterea in hoc non peccavit Jacob, quia bona fide putabat, ſe ad Rachelem legitimam uxorem ſuam accedere, nec habeat cauſam ſuſpicandi, quod alia ſibi obtruderetur. Liam vero licet Magiſt. Sent. *in 4. diſt. 30.* ut refert S. Thom. a peccato excuſet, quia exiſtimavit, quod lege primogenitarum munita, & patris imperio conſtricta vere copulari poſſet cum Jacob; attamen vix excuſari poſſe cenſeo: & quia ſciebat, eum, ad quem accedebat, non eſſe ſuum, ſed Rachelis maritum, ſicque & injuriam faciebat Racheli, & adulterium committebat: & quia ſcire tenebatur, Jacob in eam non conſentire: ſine conſenſu autem matrimonium non eſt.

VI. Sed dices: Sicut conſenſus requiritur ad matrimonium, ita intentio miniſtri requiritur ad Baptiſmum: ſed ſi aliquis baptizat Joannem, credens, ſe baptizare Petrum, adhuc Joannes vere baptizatus eſt; ergo a ſimili.

VII. Reſpondet S. Thom. ibi ad 3. *Quod character Baptiſmi non cauſatur ex intentione baptizantis directe, ſed ex elemento naturali exterius adhibito: Intentio autem operatur ſolum ut dirigens elementum materiale ad effectum proprium: ſed vinculum conjugale ex ipſo conſenſu cauſatur directe.* Et ratio diverſitatis inter contrahentes matrimonium, & ſuſcipientes alia ſacramenta, eſt: Quia Matrimonium eſt contractus, & quidem talis, qui non ſolum eſt inter perſonas, ſed de perſonis certis, & determinatis, quæ ſe ipſas mutuo voluntarie tradunt. Sicut ergo in aliis contractibus tradi debet illa ipſa res, de qua eſt conventum: ita in matrimonio tradi debent illæ perſonæ, de quibus contractum eſt, alioquin contractus eſt nullus. At alia ſacramenta neque ſunt contractus, neque qui ea confert, habet intentionem directam ad unam perſonam determinate cum excluſione aliarum, ſed ad perſonam præſentem, unde ſi putans eſſe Petrum, baptizet Joannem, Joannes vere eſt baptizatus.

VIII. Si iterum obſtes, benedictionem Iſaac errantis in perſona, fuiſſe validam. —— Reſponderi poteſt, intentionem Iſaac fuiſſe benedicere filium præſentem, non ſatis diſcernendo, an is eſſet Jacob, an Eſau; atque ita non erat error perſonæ, quia præſens erat ejus filius. —— Poteſt etiam cum S. Auguſtino, *lib. 16. de Civit. Dei, cap. 37.* & Theodoreto, *q. 77. in Geneſ.* dici: Benedictionem illam ab initio invalidam propter errorem perſonæ, validam poſtea fuiſſe ob ratificationem, quam divina voluntate intellecta fecit Iſaac.

IX. Dico ſecundo. Error qualitatis, aut fortunæ non dirimit, aut evacuat matrimonium, niſi redundet in errorem perſonæ. Prior pars prob. Ille ſolus error irritat matrimonium, qui cadit ſupra ſubſtantiam matrimonii, & id quod eſt de illius eſſentia. *Sicut* enim (inquit S. Thom. q. 51. citata, art. 2.) *error ex hoc quod involuntarium cauſat, habet excuſare peccatum; ita habet, quod matrimonium impediat ex eodem. Error autem non excuſat a peccato, niſi ſit illius circumſtantiæ, cujus appoſitio, vel remotio faciat differentiam liciti, & illiciti in actu. Si enim aliquis percutiat patrem baculo ferreo, quem credit ligneum eſſe, non excuſatur a toto, quamvis forte a tanto: ſed ſi credat quis percutere filium cauſa diſciplinæ, & percutiat patrem, excuſatur a toto adhibita debita diligentia. Unde oportet, quod error, qui matrimonium impedit, ſit alicujus eorum, quæ ſunt de eſſentia matrimonii.* Sed error cadens ſupra qualitatem, vel bona fortunæ perſonæ, non cadit ſupra circumſtantiam, quæ ſit de eſſentia contractus matrimonialis: Nam formoſitas, vel deformitas, divitiæ, vel paupertas conjugis ſunt quidem cauſæ impulſivæ moventes ad conſentiendum, ſed non ſunt ipſius conſenſus objectum: & licet defectus iſtarum reddat conſenſum aliquomodo involuntarium, non tamen cauſat involuntarium circa ea, quæ ſunt de natura contractus matrimonialis; ſed ſolum circa ea, quæ ſunt illi accidentaria, ut ait S. Thom. citato loco *ad 3. & 4.*

X. Nec dicas. Qui ficta paupertate accipit eleemoſynam, non acquirit ejus dominium; ergo nec illa acquirit poteſtatem in corpus alterius, quæ ficta aliqua qualitate induxit eum ad conſenſum. —— Nam quidam negant ant. Probabilius tamen, dato antec. neg. conſ. Nam ille error in eleemoſyna eſt circa ejus ſubſtantiam: directe enim cauſa eam tribuendi eſt paupertas ejus, cui tribuitur. At error qualitatis in matrimonio non eſt circa ejus ſubſtantiam, ſed circa aliquid accidentale.

XI. Secunda pars prob. Nam quando error qualitatis redundat in errorem perſonæ, eſt error circa eſſentiam matrimonii. Unde ſi conſenſus directe feratur in perſonam illam, cui talis qualitas eſt annexa, puta in filiam Regis, vel Præſidis Provinciæ, vel primogenitam; & offeratur illi alia, cui dictæ qualitates non inſunt, & cum hac ex errore contrahat, irritum erit matrimonium. Ita S. Thom. *art. 2. cit. ad 5.* his verbis: *Error nobilitatis in quantum hujuſmodi, non evacuat matrimonium eadem ratione, qua nec error qualitatis. Sed ſi error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit matrimonium. Unde ſi conſenſus mulieris feratur in iſtam perſonam directe, error nobilitatis ipſius non impedit matrimonium. Si autem directe intendit conſentire in filium Regis, quicumque ſit ille, tunc ſi alius præſentetur ei, quam filius Regis, eſt error perſonæ, & impedietur matrimonium.*

Et ibid. *ad 7.* ponit exemplum in pecunia dicens, quod *Pecunia in contractibus accipitur, quaſi menſura aliarum rerum..., & non quaſi propter ſe quæſita: unde ſi non detur illa pecunia, qua creditur, ſed alia æquivalens, nihil obeſt contractui. Sed ſi in re quæſita propter ſe eſſet error, impediretur contractus, ſicut ſi alicui venderetur Aſinus pro Equo. Et ſimiliter eſt in propoſito.*

§. II.

De impedimento conditionis.

XII. NOmine conditionis hic intelligitur ſtatus ſervilis, ſeu perſonæ, quæ eſt ſub poteſtate Domini tamquam poſſeſſio ejus, ſeu mancipium, non vero tantum ſub juriſdictione tamquam ſubditus, aut ſub regimine tantum æconomico, tamquam famulus. De ſtatu iſto ſervili loquimur an ſcilicet ſi perſona libera ex ignorantia, vel errore contrahat matrimonium cum perſona, quam putabat eſſe liberam, & tamen eſt ſerva, matrimonium ex tali errore contractum ſit nullum.

XIII. Dixi: Si perſona libera ex errore ducat ſervam; Quia ſi quæ eſt libera ducat aliam, quam putat eſſe ſervam, quæ tamen eſt libera; Vel ſi quæ ſerva eſt ducat eam, quam putat eſſe ſervam, quæ tamen eſt libera, valet matrimonium. Quia Eccleſia matrimonium cum errore conditionis contractum irritat pro iis tantum caſibus, quibus conditio errantis deterior fit. In caſibus autem allatis, ut cum liber, vel ſervus ducit liberam, quam putabat eſſe ſervam, errantis conditio non ſolum non fit deterior, ſed melior: error vero melioris conditionis non tollit conſenſum. Quare S. Thom. q. 52. Supplem. art. 1. ad 5. *Libertas* (inquit) *non impedit matrimonii actum: unde libertas ignorata non impedit matrimonium.*

Eadem ratione ſi perſona, quæ ſerva eſt, putet eſſe liberam, quæ tamen ſerva eſt; valet matrimonium, quia talis error eam non facit deterioris conditionis, nec poteſt quoad officia conjugalia plus exigere a conjuge, quam ipſa ei poſſit præſtare. *Quia* (inquit S. Th. citato loco ad 1.) *in matrimonio eſt æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non poteſt aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipſe poſſit facere. Et propter hoc etiam ſi ſervus contrahat cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium.*

XIV. Eadem ratione ſi perſona libera contrahat cum ſerva, ſciens eſſe ſervam, valet matrimonium; quia ſic con-

trahens consentit in conditionem servitutis, & renuntiat juri suo. Ut enim ait S. Th. loco mox citato ad 1. *Servitus contrariatur matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi, & quantum ad bonum prolis, quæ pejoris conditionis efficitur ex servitute parentis. Sed quia quilibet potest in eo, quod sibi debetur, sponte detrimentum aliquod subire, ideoque si alter conjugum scit alterius servitutem, nihilominus tenet matrimonium;* loquimur igitur de servitutis conditione ignorata.

XV. Dico. Error conditionis, quo persona libera existimans se contrahere cum libera, contrahit cum serva, est impedimentum matrimonium dirimens. Ita S. Th dicta, *q. 52. Suppl. art. 1.* his verbis: *In matrimonii contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum. Et ideo si ille, qui se obligat, est impotens ad solvendum, ignorantia hujusmodi impotentiæ in eo cui fit obligatio tollit contractum. Sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere; ita per servitutem, ut libere debitum reddere non possit. Et ideo sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur: ita conditio servitutis ignorata impedit matrimonium, non autem servitus scita.* Ita S. Thom. quod statuitur 29. q. 2. Cap. *Si quis ingenuam*, & Cap. *Si femina*. Et de conjugio servorum, Cap. *Ad nostram*. Et hoc impedimentum quovis sæculo viguisse colligitur ex legibus, tum canonicis, tum civilibus.

XVI. Quo autem jure servitus alterius ignorata solvat matrimonium, an solo jure positivo, an etiam jure naturali, probabile admodum est, hoc impedimentum ex jure naturali descendere. Quod enim contrariatur matrimonio, vel illud impedit quoad actum, ad quem matrimonium ordinatur, ex natura rei matrimonium impedit. Cum ergo servitus alterius conjugis contrarietur saltem libero exercitio actus conjugii, videtur, quod ex natura rei impediat conjugium: jus autem positivum determinasse solum, ut servitus ignorata impediat, & dirimat, non autem scita. Ita ex S. Thoma, dicto *art. 1. ad 3.* ubi ait: *Jus naturale dictat, quod pœna sit pro culpa infligenda; & quod nullus sine culpa puniri debeat: sed determinare pœnam secundum conditionem personæ, & culpæ est juris positivi. Et ideo servitus, quæ est quædam pœna determinata, est de jure positivo, & a naturali proficiscitur. Et eodem jure positivo determinante est factum, quod servitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur. Est enim quædam pœna uxoris, quod habeat virum servum, & e converso.*

XVII. Petes primo: Quid, si qui ignorans, eam esse ancillam, contraxit, & postquam cognovit esse ancillam, eam carnaliter cognovit?

Respondeo, teneri eam ut conjugem habere. Ita Alexander III. *de conjugio servorum, cap. 1.* consultus respondet: *Mandamus quatenus si constiterit, quod idem vir prafatam mulierem postquam illam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit, ipsum monitione præmissa compellatis, ut eam sicut uxorem maritali affectione pertractet. Si vero aliter fuerit, & sententiam divortii proferre contingat, mulieri pecuniam, quam prafato viro pro dote concessit, restitui faciatis.*

XVIII. Petes secundo: Quid si postquam liber per errorem duxit servam, vel ea manumittatur, vel eam servitute agnita velit retinere?

Respondeo esse opus novo consensu. Quod si prius contraxerant coram Parocho, & testibus, sufficiet consensus inter ipsos conjuges renovatus, sive verbo, sive facto, puta carnali invicem commixtione, secus vero si matrimonium fuisset clandestine contractum; tunc enim coram Parocho, & testibus esset consensus præstandus.

XIX. Petes tertio: Quid si servitus matrimonio superveniat, puta si maritus liber existens servus fiat? Duobus autem modis potest hoc contingere, vel quia ipse in bello captus in servitutem redigitur, & de hoc non quæritur, quia illa servitus contingit homini invito. Vel quia ipse conjugatus voluntarie se in servum vendidit, quod contingere potest, vel consentiente uxore, vel ea repugnante, ac invita: & in hoc sensu quæsitum procedit.

XX. Respondeo cum S. Thoma dicta, *q. 52. art. 3.* servitutem matrimonio supervenientem non dirimere matrimonium. *Quia* (inquit) *Vir subditur uxori solum in his, quæ ad actum naturæ pertinent, in quibus sunt æquales, ad quæ servitutis subjectio se non extendit. Et ideo vir nolente uxore potest se alteri in servum dare; non tamen ex hoc matrimonium dissolvitur: quia nullum impedimentum matrimonio superveniens potest dissolvere ipsum.* Ita etiam, Cap. *Perlatum 29. q. 2.*

Quapropter si justa causa subsit, potest vir se in servitutem dare, etiamsi uxor repugnet; manebit tamen obligatus ad officia conjugalia etiam nolente domino uxori præstanda: ut ait S. Thom. ibid. *ad 1.* Damnum enim, quod ex servitute reportatur, nocere debet ei, qui se in servum tradendo libertatem amisit, non uxori, cui nullum ex hoc præjudicium in iis, quæ matrimonii debitum concernunt, inferri potest.

Uxor tamen nolente marito non potest se in servam tradere; quia ut ait S. Thom. ibi *ad 3.* quamvis in actu matrimoniali vir, & uxor ad paria judicentur, in aliis tamen vir est caput mulieris, & sub ejus potestate mulier est constituta: *Gen. 3. v. 16.* marito tamen se in servitutem tradente, uxor se in simile m servitutem tradere non tenetur, ut dicto Cap. *Per latum 29. q. 2.* statuitur. Si vero justa causa non adsit, maritus non potest se servituti subjicere invita uxore. Quod si faciat, potest illa propter hanc separationem, quam maritus ab ea facit, petere divortium. Quod si alteruter in servitutem redigatur sine sua culpa, non licet alteri petere divortium, sed debet operam dare liberationi conjugis.

§. III.

An contracta a servis nuptiæ contradicente Domino irritæ sint?

IRritas quondam fuisse sentiunt aliqui, & solum a quinti gentis annis ratas habitas fuisse a christianis ob motiva inferius adducenda, Probabilius tamen

XXI. Dico, servos tum valide, tum licite potuisse, ac posse inire conjugia, sive cum servis, sive cum liberis. Ita S. Thom. *quæst. 52. Suppl. artic. 2.* his verbis: *Jus positivum .... progreditur a jure naturali. Et ideo servitus, quæ est de jure positivo non potest præjudicare his, quæ sunt de jure naturali. Sicut autem appetitus naturæ est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei per generationem. Unde sicut servus non subditur domino, quin libere possit comedere, & dormire, & alia hujusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari, non potest: ita non subditur ei quantum ad hoc, quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam Domino nesciente, aut contradicente.* Vis ergo hujus rationis est. Quod cum servitus sit jure humano introducta, non potuit per eam juste auferri id, quod est juris naturalis: Atqui juris naturalis est, quod homo possit disponere de se ipso circa naturalia, cujusmodi est usus matrimonii ad conservandam speciem, sicut usus cibi, somni &c. ad conservandum individuum: ergo &c. Unde Cap. *Dignum* tit. de conjugio servorum Pontifex respondet: *Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & si contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda.*

XXII. Sed objiciunt primo. Esto de jure novo hoc verum sit, non tamen de jure antiquo. Et afferunt primo S. Basilium, Epist. 2. canonica ad Amphiloch. Can. 40. dicentem: *Quæ præter heri sententiam se viro tradit, fornicata est: quæ vero postea matrimonio libero usa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio est: hoc vero matrimonium. Quia pacta eorum, qui sunt in alterius potestate, nihil habent firmi.* Quod repetit, *Can. 42.* Secundo, Concilium Cabilonense II. *anno 813.* celebratum *Canone 30.* dicens: *Nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur.... ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum;* ergo, inquiunt, dirimi debebant, si inita fuissent præter voluntatem dominorum —— Propter hoc Concilium, Magister Sent. *in 4. dist. 36.* anceps videtur hærere. Hæc opinionem oppositam probabilem faciunt.

XXIII. Respondeo tamen ad primum, & secundum: Ecclesiam aliquandiu toleravisse leges civiles matrimonia servorum absque consensu dominorum quoad forum externum irritantes, & pro fornicationibus habentes; maxime ubi erat difficile oppositum introducere; nunquam tamen ea ut quoad substantiam irrita declarasse, si servata Ecclesiæ forma contracta fuissent ob rationem superius allatam. *Nam servus est quidem res Domini quantum ad ea, quæ naturalibus superadduntur: sed quantum ad naturalia omnes sunt pares. Unde in his, quæ ad actus naturales pertinent, servus potest alteri, invito Domino potestatem sui corporis per matrimonium præbere.* Ita S. Thom. ibi *ad 1.*

XXIV. Objicitur secundo. Post contractum matrimonium servus tenetur debitum reddere uxori, etiam ex præcepto juris divini: sed eo tempore, quo uxor debitum petit, potest Dominus aliquod servitium servo imponere, quod facere non poterit, si carnali copulæ vacare velit; ergo vel servus privaretur debito, quo tenetur erga uxorem, vel Dominus servitio sibi debito absque sua culpa.

Rursus. Potest Dominus vendere servum suum in exteras regiones; quo uxor sua non poterit eum sequi, vel propter infirmitatem corporis, vel propter fidei periculum imminens, puta si vendatur infidelibus, vel etiam Domino uxoris non permittente, si sit ancilla, & sic matrimonium dissolvetur, quod est absurdum. Tertio, favorabilior est obligatio, qua homo divinis obsequiis se mancipat, quam illa, qua homo se uxori subjicit: sed servus sine consensu Domini non potest religionem intrare, vel ad ordines promoveri; ergo multo minus potest sine ejus consensu matrimonio jungi.

XXV. Hæc sibi objicit S. Th. citatus, quæ tamen solvit. Primum quidem ad 3. *Quod si servus volente Domino matrimonium contraxerit, tunc debet prætermittere servitium Domini imperantis, & reddere debitum uxori: quia per hoc, quod Dominus concessit, ut matrimonium servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia, quæ matrimonium requirit. Si autem matrimonium ignorante, vel contradicente Domino est contractum, non tenetur reddere debitum, sed potius Domino obedire, si utrumque simul esse non possit.*

Sed

Sed tamen in his multa particularia conſiderari debent, ſicut etiam in omnibus humanis actibus; ſcilicet periculum caſtitatis imminens uxoris, & impedimentum quod ex redditione debiti ſervitio imperato generatur, & alia hujuſmodi: quibus omnibus rite penſatis, judicari poterit, cui magis ſervus obedire teneatur, Domino, vel uxori.

XXVI. Secundum ſolvit ibid. *ad 4.* Quod in tali caſu *Dominus cogendus eſt, ne ſervum vendat taliter, quod faciat onera matrimonii graviora; præcipue cum non deſit facultas ubicumque ſervum ſuum vendendi juſto pretio.*

XXVII. Tertium autem ſolvit ibid. *ad 5.* diſcrimen eſſe: *Quod per religionem, vel ordinis ſuſceptionem aliquis obligatur divinis obſequiis quantum ad totum tempus. Sed vir tenetur debitum reddere uxori, non ſemper, ſed congruis temporibus. Et ideo non eſt ſimile.*

Et præterea ille, qui intrat religionem, vel ſuſcipit ordines, obligat ſe ad aliqua opera, quæ ſunt naturalibus ſuperaddita, in quibus Dominus poteſtatem ejus habet, & non in naturalibus, ad quæ obligat ſe per matrimonium. Unde poſſet continentiam vovere, ſine conſenſu Domini.

Dubium III.

An Votum dirimat Matrimonium.

§. I.

Reſolutio Prior.

I. Loquor de voto ſolemni. Nam votum ſimplex caſtitatis non dirimere matrimonium contractum, ſed ſolum impedire, ne contrahatur, ſupra dictum eſt. *Dub. 1. n. 11.* ex S. Thom. *quæſt. 53. art. 1.* Votum autem dicitur *ſolemne*, non ſolemnitate mere accidentali, quia nimirum quibuſdam cæremoniis, & ſolemnitatibus ex Eccleſiæ ſtatuto publice emittatur, & fiat; hoc enim modo etiam votum ſimplex fieri poſſet. Sed ſolemnitate ſubſtantiali, quia nimirum importat actualem, & totalem traditionem ſui ipſius factam in manu ſuperioris ad ſervandum ea, quæ promittit cum totali ſui abdicatione, & actualem acceptionem ſuperioris nomine Dei acceptantis: Ubi votum ſimplex importat non actualem traditionem, ſed ſimplicem promiſſionem. His poſitis

II. Dico. Probabilius cenſeo, votum ſolemne quovis tempore fuiſſe impedimentum dirimens matrimonium poſtea contractum. Duo hic dico. Unum quod votum ſolemne ſit impedimentum dirimens: Alterum quod tale fuerit quovis tempore. Primum ad fidem pertinet: definitum enim eſt in Tridentino Seſſ. 24. Can. 9. *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto . . . . anathema ſit.* Veritatem hanc multis impugnare conantur recentiores hæretici. Cum tamen fuſe contra eas ſcripſerim, tum in Vera Eccleſia, *tom. 2. p. 1. art. 4. §. 7.* Tum in Colloquiis Theologico —— Polæmicis *Claſſe 1.* ideo illuc Studioſum remitto.

III. Secundum vero controvertitur etiam apud Catholicos, volentibus quibuſdam, per quinque priora ſæcula votum ſolemne non fuiſſe impedimentum dirimens. Prob. tamen ex perpetua Eccleſiæ traditione, cujus teſtes ſunt; Primo: Cyprianus, *Epiſt. 62. ad Pomponium* ubi Virginis Deo dicatæ conjugium vocat inceſtum, eam vocat non mariti, ſed Chriſti adulteram, quod ſi ſe ab invicem non ſeparant, nunquam in Eccleſiam admitti poſſe pronuntiat. Et *lib. de Diſciplina, & habitu Virginum*, idem ſentit, & tales Chriſti adulteras vocat. Quorſum autem tales expreſſiones, ſi ſuo tempore votum virginitatis fuiſſet impedimentum ſolum impediens? Quis enim Chriſti adulteram, perpetuo ſeparandam, & ſi noluerit, numquam in Eccleſiam admittendam pronuntiaret virginem, quæ poſt ſimplex caſtitatis votum ad nuptias tranſiret?

Secundo. Teſtes ſunt Chryſoſt. *Ep. ad Theodorum Monachum, & in Ep. ad Hebr. Homil. 13.* ubi tales nuptias adulterio comparat. Baſilius de Virginitate (qui liber eſto in recentiore editione inter dubios Baſilii fœtus ponatur, auctoris tamen coævi eſt) *Nam* (inquit) *cum virginitatem Domino voverint, poſtea carnis voluptatibus victæ, ſtupri peccatum matrimonii nomine prætexere volunt: non ignorantes opinor, quamvis ignorantiam præſeferant, eam, quæ datam ſponſo ſuo dexteram violavit, neque illius ſponſam eſſe, quem illegitime reliquit, neque illius, cui ſe per libidinem junxit, ſecundum leges uxorem videri poſſe.*

Tertio. Teſtes ſunt S. Ambroſius, *l. ad Virginem lapſam, cap. 5.* dicens: *Cæterum quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, jam nupſit, jam immortali juncta eſt viro.* Et *jam ſi voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancillæ mortis efficitur.* S. Hieronymus, lib. 1. adv. Jovinianum *Virgines enim quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quam inceſtæ.*

Quarto. Teſtis eſt S. Auguſtinus, qui in Pſalm. 83. *Alius* (inquit) *ex munere Dei majus aliquid vovit, ſtatuit nec nuptias pati: qui non damnaretur, ſi duxiſſet uxorem, poſt votum quod Deo promiſit, ſi duxerit, damnabitur, cum hoc faciat quod ille, qui non promiſerat, tamen ille non damnatur, iſte damnatur. Quare? niſi quia iſte reſpexit retro?* —— *Sic virgo, quæ ſi nuberet non peccaret, ſanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera deputabitur.* Et *lib. de Bono Viduitatis* poſtquam dixit, ſibi non probari, qui dicunt, nuptias poſt votum *non eſſe nuptias, ſed potius adulteria*, Subdit cap. 11. *Sed plane non dubitaverim dicere, lapſus & ruinas a caſtitate ſanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis eſſe pejores.*

Quinto. Teſtes ſunt veteres Pontifices Siricius, *Epiſt. 1. cap. 6.* Monachos, & ſanctimoniales, ſi matrimonia contrahant, non ſolum excommunicari præcipiens, ſed etiam in ergaſtulis per totam vitam pœnitentiam agere. Innocentius I. *Epiſt. 2. ad Victricium, cap. 12. & 13.* clare diſtinguens inter votum ſimplex, & ſolemne, dicit, eam, quæ ſacrum velum accepit, non admitti ad pœnitentiam, donec vixerit is, cui ſe conjunxit, quomodo non admittitur, quæ vivente viro ſeſe alii viro copulaverat. Secus autem de ea, quæ ſacrum velum non accepit. Gelaſius I. Qui, *Epiſt. 1. cap. 22. & 23.* cum Innocentio diſtinguit inter votum ſimplex, ac ſolemne, ac ſacrarum virginum nuptias vocat inceſta fœdera.

Tandem hoc idem teſtantur Concilia. Carthaginenſe IV. cui S. Auguſtinus interfuit, & ſubſcripſit, *anno 398. Can. ultimo*: Viduas, quæ aſſumpto religioſo habitu ſe Domino devoverant, ſi poſtea ad nuptias ſæculares tranſierint, adulterii crimine notari dicit; & quidem magis, quam mulieres conjugatas, quæ a viris ſuis adulteratæ fuerint. Toletan. I. *anno 400.* vetat (*Can. 16.*) mulierem devotam, ſi nupſerit, recipi in Eccleſiam, niſi vivente illo, cui ſe conjunxerat, caſte vivat, aut certe non niſi poſt mortem ejus. Idem ſtatuit Toletanum IV. *anno 633. Can. 51.* & Toletan. VIII. *anno 653. Can. 6.* Concilium pariter Chalcedonenſe, *anno 451. Can. 14.* Diaconiſſam, ſi ſe nuptiis tradiderit, anathemati ſubjicit cum eo qui nuptiis illius convenerit, & *Can. 15.* ſic ſtatuit: *Si qua virgo ſe dedicaverit Deo, ſimiliter Monachus, non licet eis nuptiis jungi. Si vero inventi fuerint hoc feciſſe, maneant excommunicati.* Quod autem hi Canones ſignificent, irritas eſſe tales nuptias, Concilium Triburienſe, *anno 895.* declaravit: nitens enim Concili Chalcedonenſis auctoritati, aperte præcipit, *Can. 23.* ut ſeparentur qui poſt votum ſolemne matrimonio ſe conjunxerint. Et tandem Turonenſe II. *anno 567. Can. 16.* jubet Monachum, ſi uxorem duxerit, excommunicari, & de uxoris malæ ſocietatis conſortio, etiam implorato Judicis auxilio, ſeparari.

IV. Cum ergo perpetua traditione probatum ſit, Eccleſiam quovis ſæculo exhorruiſſe matrimonia eorum, qui ſolemniter caſtitatem voverant, eoſque, ni ſe ſeparaverint irreconciliabili anathemati ſubjeciſſe, credendum eſt, eam ſemper deteſtatam fuiſſe talia matrimonia, nedum illicita, ſed irrita. Cumque hoc non inveniatur ab aliquo Pontifice, vel Concilio primo ſtatutum, ſed ſemper obſervatum; credi poteſt ex apoſtolica traditione deſcendiſſe ſecundum regulam S. Auguſtini: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

§. II.

Reſolutio Poſterior.

V. Dico. Probabilius cenſeo, votum ſolemne matrimonium ſuperveniens dirimere, non ſolum Jure Eccleſiaſtico, ſed jure naturali, & divino. Ita S. Th. hac *Q. 53. Suppl. art. 2., 2. q. 88. art. 11. Quolib. 3. art. 18.* & *Quolib. 10. art. 11.* & hac probat ratione. Jus naturæ dictat, ut qui ſemel aliquid totaliter donavit alteri, eaque donatio fuit ab illo acceptata, non poſſit illud idem poſtea alteri tradere: ſed per votum ſolemne Religionis homo totaliter ſe donat Deo, ſuumque corpus illi tradit ad perpetuam continentiam, quæ donatio, & traditio a Deo per Prælatos acceptatur; ergo jus naturæ dictat, quod non poſſit corpus ſuum alteri per matrimonium tradere in uſum contrarium voto, quo illud Deo donavit, & tradidit.

VI. Secundo. Matrimonium ratum ex natura ſua dirimit matrimonium ſubſequens, quia cum per primum matrimonium traditum ſit corpus uni, non remanet amplius poteſtas illud alteri tradendi; ergo ſimiliter votum ſolemne caſtitatis &c. Quia non eſt, cur dicatur, eam traditionem, qua quis corpus ſuum mancipat Deo, ac in perpetuum tradit, habere minus roboris, ea traditione, qua quis corpus ſuum tradit uxori per conſenſum matrimonialem.

VII. Tertio. Votum ſimplex caſtitatis ex natura ſua dirimit ſponſalia ſubſecuta, quia id quod quis jam promiſit Deo, non poteſt alteri promittere; ergo votum ſolemne ex natura ſua vim habet dirimendi matrimonium ſubſequens; quia id, quod eſt jam traditum Deo, non poteſt homini tradi.

VIII. Quarto. Votum ſolemne Religionis diſſolvit matrimonium antea validum, ſi ſit inconſummatum, & hoc non jure humano dicente Domino: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet;* ergo a fortiori diſſolvit matrimonium poſtea contractum, & quidem jure divino.

IX. Quinto. Si ejuſmodi votum ſolum ex conſtitutione Eccleſiæ dirimit matrimonium; ergo fieri poteſt, ut religioſus ſolemniter profeſſus manens religioſus, etiam abſque diſpenſatione validum ineat matrimonium: ut ſi Pontifex

constitutionem illam tollat, & relinquat votum solemne in eo vigore, quem habet ex sua natura. Quia enim votum solemne castitatis est annexum statui clericali solo jure Ecclesiastico, potest Papa relinquendo Clericum in statu suo clericali dispensare cum eo, ut matrimonium contrahat, vel matrimonio contracto utatur; ut constat in sacerdotibus Græcis, qui ex dispensatione Ecclesiæ utuntur conjugio ante sacram ordinationem inito. Poterit ergo Papa a voto solemni Religionis hanc vim dirimendi matrimonium, vel legis abrogatione, vel dispensatione tollere, & facere, quod Monachus manens Monachus nubat, & uxorem, ac filios in Monasterio habeat. Sed hoc aperte repugnat. Nam custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere (inquit Innocentius III. Cap. *Cum ad Monasterium*, tit. de statu Monachali) Et propterea Auctores, qui oppositum sentiunt, Innocentium sic interpretantur, nempe, Papam non posse quidem dispensare, ut Monachus manens Monachus ducat uxorem, sed dispensando facere, ut ex Monacho fiat non Monachus: Quæ interpretatio non esset opportuna, si votum solemne Religionis jure solum Ecclesiastico dirimeret Matrimonium.

X. Confirmantur dicta ex Concil. Tridentin. *Sess.* 24. *Can.* 9. ubi declarat, matrimonia Clericorum in sacris ordinibus constitutorum, & regularium castitatem solemniter professorum, esse irrita: illorum propter legem Ecclesiasticam: istorum propter votum. Quæso: Cur hæc distinctio, si votum solemne religionis non ex sua natura, sed ex lege tantum Ecclesiastica dirimendi matrimonium vim habet, sicut votum quod emittitur in sacrorum Ordinum susceptione?

XI. Sed dices primo. Votum non dirimit, quia votum, sed quia solemne: sed solemnitas voti est ex constitutione Ecclesiæ, ut loquitur Bonifacius VIII. *Cap. unico* de voto, & voti redemptione, *in 6.* ergo ex eadem Ecclesiæ constitutione robur habet dirimendi &c.

XII. Respondeo: Veram esse maj. Non enim votum solemne religionis habet vim dirimendi matrimonium, quia votum: Nam votum simplex non dirimit, nec quia votum solemne præcise: Nam si quis faceret votum solemne, sed non castitatis, quale erat votum illorum, qui olim se coram Episcopo adscribebant militiæ ad recuperandam Terram Sanctam, non propterea esset inhabilis ad matrimonium. Sed dirimit matrimonium, quia votum solemne Religionis, in qua essentialiter includitur obligatio ad perpetuam continentiam.

Nec oppositum sentit Bonifacius. Aliud enim est, quo jure traditio sui corporis facta Deo, & ab eo acceptata in voto solemni religionis, dirimat traditionem postea factam uxori. Aliud est modus, seu cæremonia, qua talis traditio fieri debeat, ut sit rata. Sicut aliud est, quo jure traditio proprii corporis facta uxori, & acceptata in matrimonio, dirimat matrimonium postea factum cum alia. Aliud est modus, qui servari debet, ut hæc traditio, & acceptatio sit rata. Hoc secundum, nempe, modus, & cæremonia, quis, qua ætate, & coram quo fieri debeat religiosa professio, sicut & matrimonium, est solemnitas pendens ex institutione Ecclesiæ, quæ proinde multa statuit, ut sive votum solemne religionis, sive matrimonium rata habeantur. Sed primum. Nempe, quo jure impletis conditionibus, & modo ab Ecclesia statuto, tam votum solemne religionis, quam matrimonii vinculum dirimant matrimonium subsequens, non est ex vi Ecclesiasticæ dispositionis; sed ex natura vinculi, quo quis se tradidit sive Deo, sive uxori, quæ est insolubilis.

XIII. Dices secundo. Traditiones, quæ fiunt in matrimonio, & in professione Religionis, non pugnant inter se. Nam conjugatus potest fieri religiosus, etiam post consummatum matrimonium de licentia conjugis.

XIV. Respondeo: Quod sicut impotentia coeundi, si matrimonium antecedat, repugnat vinculo conjugali, non tamen si illud subsequatur: ita traditio per votum solemne, si subsequatur matrimonium, matrimonio non repugnat; si tamen præcedat, matrimonium post eam contractum non potest esse validum: Quia ut valide contrahatur, debet qui contrahit transferre potestatem sui corporis in alterum, & jus eo utendi ad copulam conjugalem: hoc autem non potest facere, qui per votum solemne illam a se abdicavit, & Deo se tradidit ad perpetuam continentiam. Post matrimonium vero semel contractum potest esse, quod unus conjugium, vel amiserit jus utendi corpore alterius, vel sponte juri illi cedat, manente tamen vinculo, atque ita tunc nihil invenitur repugnans voto solemni.

XV. Dices tertio. Summus Pontifex in his, quæ sunt de jure naturæ dispensare non potest: sed dispensavit aliquando, ut Religiosi professi matrimonium contraherent, ut variæ tradunt historiæ; ergo votum solemne religionis non dirimit matrimonium jure naturæ; sed tantum jure ecclesiastico.

XVI. Respondet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. neg. min. & movetur ex Decretali, tit. de Statu Monachor. Cap. *Cum ad Monasterium*, ubi dicitur: *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis adeo annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ex quibus infert S. Thomas, quod continentia sit essentialiter annexa eis ad quod votum solemniter; & proinde de essentia status monachalis, per quem homo abrenuntiat sæculo, & totaliter Deo se mancipat, quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris & prolis, & familiæ, & rerum, quæ ad hoc requiruntur. Ad exempla vero, quæ indicantur in oppositum (si tamen vera sunt, de quo aliqui dubitant) responderi potest. Summum Pontificem in illis circumstantiis pro sui judicio, & prudentia sequi existimasse opinionem oppositam, quæ etiam probabilis est, maxime apud Juristas.

XVII. Respondent aliqui mentem S. Thomæ fuisse Pontificem non posse dispensare in voto solemni continentiæ cum Monacho in sensu composito, idest manente Monacho, sicut potest dispensare in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri Ordinis, quia votum continentiæ non est essentialiter annexum ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ; ideoque facere potest, ut stante ordine sacro, ordinatus contrahat matrimonium. Posse tamen dispensare in voto continentiæ cum Monacho in sensu diviso, idest faciendo, ut qui erat Monachus, non sit amplius Monachus, seu extrahendo illum a statu, cui erat continentia essentialiter annexa, & sic possit contrahere matrimonium: sicut calix consecratus, licet quamdiu manet consecratus, non possit usibus profanis inservire, si tamen exsecretur, res illa quæ usui tantum sacro poterat inservire, ad quemcumque usum adhiberi potest. Vide Cajetanum, in præfatum *articulum* 11.

DUBIUM IV.

An Cognatio Carnalis, sit Impedimentum dirimens.

§. I.

Quid sit Cognatio Carnalis.

I. TRiplex a Canonistis cognatio distinguitur: Carnalis, seu naturalis, quæ dicitur consanguinitas. Spiritualis, quæ appellatur compaternitas. Et Legalis quæ vocatur adoptio. Hic de priori sermo erit: de duabus aliis in sequentibus. Juristæ Civiles hoc inter cognatos, & agnatos discrimen statuunt. Quod agnati ab eodem patre nati sint, cognati ab eadem matre. Jus tamen canonicum nullam hujus discriminis rationem habet; sive enim aliqui, aut ab eodem patre, aut ab eadem matre progeniti sint, cognatos appellat.

II. Cognatio igitur naturalis sic describitur a S. Thom. 54. Suppl. art. 1. *Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum.* Ponitur *Vinculum*, quasi genus, quia ut docet S. Thom. ibi, omnes, qui uniuntur, vel communicant in aliquo, colligati quodammodo dicuntur ad invicem; *Sicut dicuntur concives, qui habent politicam communicationem ad invicem, & commilitones, qui conveniunt in militari negotio. Et eodem modo illi qui conveniunt in naturali communicatione, dicuntur consanguinei.* Personæ autem descendentes ab uno stipite, ponuntur quasi subjectum, quarum est hujusmodi vinculum, cujus idem stipes carnali propagatione est principium.

III. Stipes autem generaliter vocatur ea persona, a qua aliqui ducunt originem, sicut arbor a radice, vel ramus a trunco, sive sit pater, sive mater: Nam vir, & uxor, cum sint una caro; unum eumdemque stipitem constituunt. In præsenti autem sermo est de stipite, non remoto, sed propinquo, cujus virtus adhuc remaneat in illis, qui propagantur ex eo. Quia ut docet S. Thom. citatus, *ad* 1. Consanguinitas est in quantum multi communicant in virtute generantis ex uno in multos per propagationem deducta: Hæc autem virtus, etsi perseveret in omnibus secundum similitudinem specificam, secundum similitudinem tamen individuam, qua parentes assimilant sibi prolem, etiam in accidentalibus, quo longius est intervallum, eo magis paulatim, ac tandem deficit, & similiter consanguinitas.

§. II.

De Lineis, & Gradibus Consanguinitatis.

IV. SAnctus Thom. citatus, *arc.* 2. consanguinitatem distinguit per lineas, & gradus. Linea consanguinitatis est ordinata collectio personarum consanguinitate conjunctarum diversos continens gradus. Unde linea differt a consanguinitate, quod hæc est vinculum inter personas. Illa vero est earumdem personarum series, seu collectio.

Potest autem triplex linea assignari *Ascendentium* fundata in habitudine principati ad principium, puta geniti ad genitorem. *Descendentium* fundata in habitudine principii ad principatum, puta genitoris ad genitum. Et *Collateralis*, sive *Transversalis*, quæ est eorum, qui descendunt ab eodem; sed cum duæ priores tantum ratione differant, re autem una, & eadem sint, sicut una est scala ac eadem, per quam ascenditur, & per quam descenditur: Ideo secundum distinctionem realem duplex est linea consanguinitatis, nempe, recta, & transversalis.

Linea

Linea recta eſt eorum conſanguineorum, quorum alii ex aliis deſcendunt. Linea tranſverſalis eſt eorum, qui non deſcendunt alter ab altero, ſed omnes ex eôdem: idque, vel æquali propinquitate, ut duo fratres, frater, & ſoror. Vel inæquali, ut patruus, & ejus nepos ex avo.

Lineæ autem diſtinguuntur per gradus. Gradus vero eſt perſonarum menſura, vel diſtantia, qua dignoſcitur, quantum a ſe mutuo diſtent.

V. Ut autem dignoſcatur, quot gradibus perſonæ conſanguineæ inter ſe diſtent, tres ſequentes ponuntur regulæ. Prima eſt: In linea recta perſonæ conſanguineæ tot gradibus inter ſe diſtant, quot progreſſiones generationis factæ ſunt a ſtipite ad ipſas, ſive quot ſunt perſonæ ex uno ſtipite deſcendentes, dempto tamen ipſo ſtipite. Sic filius a patre diſtat primo gradu, nepos ab avo, ſecundo, pronepos a proavo, tertio, abnepos ab abavo, quarto, & ſic deinceps. Dixi dempta una perſona, nempe, ſtipite; quia pater, vel mater ſecundum ſe non conſtituit gradum, ſed is qui ab illo deſcendit per comparationem ad ipſum: atque ita pater cum filio conſtituit primum gradum, ipſe autem filius cum eo, quem genuit, ſecundum: una enim perſona per ſe non conſtituit gradum, ſed comparata ad alteram.

VI. Secunda regula eſt. Perſonæ conſanguineæ in linea tranſverſali, ſi æqualiter diſtent a communi ſtipite, quoto gradu ab eo diſtant, eodem diſtant inter ſe. Quia cum non habeant conſanguinitatem inter ſe, niſi ratione communis ſtipitis, a quo deſcendunt; neceſſe eſt gradus attendi penes diſtantiam ab illo. Ac proinde duo fratres, itemque frater, & ſoror, quia uno tantum gradu diſtant a communi eorum patre, diſtant etiam uno ſolum gradu inter ſe: Filius vero unius fratris, quia duobus gradibus diſtat a communi ſtipite, duobus etiam gradibus diſtat a filio alterius fratris. Et hi ſunt, qui vulgo vocantur cognati germani, ſeu conſobrini.

VII. Tertia regula eſt. In linea tranſverſa ſi perſonæ inæqualiter diſtant a communi ſtipite, quoto gradu diſtant remotiori a ſtipite, eodem diſtant inter ſe. Unde frater, & ſororis filius duobus inter ſe gradibus diſtant, eo quod ſororis filius a communi parente, nempe patre fratris, & ſororis diſtet duobus gradibus. Ita ex S. Thom.

Sciendum tamen eſt ex eodem ibi. Hanc rationem ſupputandi gradus conſanguinitatis, ut antiquis Eccleſiæ canonibus conformem fuiſſe approbatam ab Alexandro II. *anno* 1061. in Concil. Lateranenſi, & Eccleſiæ propoſitam, Cap. *Ad Sedem*, quæſt. 5. cauſa 35. ubi declarat, Leges Civiles ideo aliter computare gradus, quam canonicas; quia alium finem illæ reſpiciunt. Nam leges civiles conſiderant, quouſque hæreditas, vel ſucceſſio deferri valeat a conſanguineis ad conſanguineos; & quia transferri non poteſt, niſi de una perſona ad aliam, idcirco numerant perſonas, & quot ſunt perſonæ dempto ſtipite, tot ponunt gradus in linea tranſverſa, & ideo fratres, & ſorores, cum ſint duæ perſonæ, collocant in ſecundo gradu; deinde patrueles, ſeu conſobrinos in quarto, quia patrueles, eorumque parentes ab uno ſtipite prodeuntes conſtituunt quatuor ſimul perſonas. Deinde in linea inæquali tranſverſa nepotem, & pronepotem ponunt in quinto gradu ob parem utrimque perſonarum, ſeu generationum numerum. Jus vero Canonicum ideo duas in uno gradu perſonas conſtituit, quia nuptiæ, quas conſiderat, ſine duabus perſonis fieri non poſſunt, atque adeo duas iſtas perſonas in uno gradu conſtituit. Sed hæc, quæ ad Canoniſtas ſpectant, Theologo Candidato ſufficiant.

§. III.

In quibus gradibus conſanguinitatis olim potuerint, & modo poſſint iniri conjugia.

Circa primum tria diſtinguenda ſunt tempora, nimirum legis naturæ, legis ſcriptæ, & priora legis evangelicæ tempora.

VIII. In lege ergo naturæ conſanguinei fideles varia inter ſe conjugia inierunt. Primo. Nati ex Adamo (cum aliæ non ſuppeterent uxores) nupſere cum propriis ſororibus. Secundo. Nati ex filiis Adami nupſerunt cum conſobrinis, neque enim extra primum neceſſitatis caſum, in quo fuerunt proxime ex Adamo nati, potuit inter fratres, & ſorores iniri conjugium. Tertio. Patrui & Avunculi neptes duxerunt; ſic Abraham duxit Saram progenitam ex Aran Abrahami fratre, *Alias autem* (inquit Abraham *Geneſ.* 20. *v.* 12. excuſans ſe apud Abimelech, quod Saram vocaſſet ſororem) *Et vere ſoror mea eſt, filia Patris mei* (Thare nimirum a quo genuit Abraham, Nachor, & Aran) & non *filia Matris meæ*. Aran enim, & Abraham non erant uterini fratres. Quarto. Nepotes cum amitis celebrarunt matrimonia. Amran enim Moyſis, & Aaron pater, nupſit cum Jocabed nata ex Levi Amran avo, Num. 26. v. 58. *Caath genuit Amram, qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi. Hæc genuit Amram viro ſuo filios, Aaron, & Moyſen, & Mariam ſororem eorum.*

IX. In lege autem Moſaica prohibita fuere conjugia in variis conſanguinitatis gradibus. Primo. In linea recta aſcendentium, & deſcendentium matrimonia in omnibus omnino gradibus, quantumcumque diſtantibus fuerunt prohibita, Levit. 18. v. 7. *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies, mater tua eſt .... Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua eſt.* Secundo. In linea collaterali recta, nuptiæ vetitæ fuerunt in primo gradu tantum. Ibid. v. 9. *Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſive matre, quæ domi, vel foris genita eſt, non revelabis.* Tertio. In linea collaterali obliqua prohibentur nuptiæ in ſecundo gradu reſpectu aſcendentium, ita ut nepotes non potuerint amitas ducere: *Turpitudinem ſororis patris tui* (v. 12.) *non diſcooperies, quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eo quod ſit caro matris tuæ.* An autem vetitum etiam fuerit patruis, ſeu avunculis neptes, ſeu ex fratribus, ſeu ex ſororibns natas ducere, S. Hieronymus affirmat, verum in Levitico, ubi ſinguli gradus vetiti recenſentur, hæc prohibitio non exprimitur. Neque inferri poteſt ex prohitione nuptiarum nepotum cum amitis. Ideo enim iſtæ prohibentur, quia æquitati, & rationi diſſonum videtur, ut ea, quæ jure naturæ ſuperior eſt nepote ſuo, ei per conjugium ſubdita, & inferior fiat, & propterea dicitur: *Quia caro eſt patris tui: eo quod ſit caro matris tuæ.* Quod abſurdum non accidit, cum quis natam ſeu ex fratre, ſeu ex ſorore ducit in matrimonium.

X. Circa initia Eccleſiæ, ac primis ejuſdem ſæculis non una videtur fuiſſe in contrahendis etiam inter conſanguineas fideles matrimoniis diſciplina. Primis enim quatuor prioribus ſæculis videntur admiſſa fuiſſe matrimonia inter conſobrinos. Cum enim Eccleſia in his materiis nihil adhuc ſtatuiſſet, credibile eſt, fideles iis ſæculis, aut præſcriptas in Levitico, aut ſancitas ab Imperatoribus leges in nuptiis celebrandis ſervaſſe. Verum nec Levitico, nec Imperatorum legibus nuptiæ inter conſobrinos, & conſobrinas, ſeu inter filios, & filias fratrum prohibitæ leguntur, quamvis ob honeſtatem raro fierent. Unde S. Auguſtinus, *lib.* 15. *de Civit. Dei, cap.* 16. ait: *Experti etiam ſumus, in connubiis conſobrinarum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verumtamen factum etiam licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum conſobrina pene cum ſorore fieri videbatur.* Primus, qui tales nuptias lege lata vetuit, fuit Theodoſius ſenior exeunte ſæculo quarto cujus legis meminere Ambroſius, *Epiſt. 66. ad Paternum*, de qua ſupra, & Auguſt. citato loco, ubi ait: *Verumtamen quis dubitet, honeſtius hoc tempore etiam conſobrinorum prohibita eſſe conjugia?*

Hanc legem ineunte ſæculo ſexto, *anno* 506. probavit Synodus Agathenſis, *Can.* 61. tales nuptias vocans inceſtas. Turonenſe II. *anno* 567. *Can.* 21. dicens: *Item ait ſacra ſententia legum, quæ in hac explanatione omni homini tam docto, quam indocto aperta eſt, ut quiſquis, aut ſororis, aut fratris filiam, aut certe conſobrinam, aut fratris uxorem ſceleratis ſibi nuptiis junxerit, huic pœna ſubjaceat, ut de tali conjugio ſeparetur.*

XI. Eiſdem quoque prioribus ſæculis irritæ videntur fuiſſe nuptiæ in ſecundo gradu lineæ collateralis obliquæ; ita ut nec avunculi neptes, nec amitæ nepotes ducere potuerint. Unde Svetonius in vita Imperatoris Claudii, *cap.* 26. loquens de venia, quam Claudius petierat a ſenatu de ducenda Agrippina Germanici fratris ejuſdemque filia, dicit: *Ad id tempus inceſta ea matrimonia habita fuiſſe, nec ullè (excepto centurione) reperti ſunt qui ſequerentur exemplum.* Decretum tamen ſenatus in gratiam Claudii latum a Nerva poſtea reſciſſum fuit; ſumpta occaſione ex morte, quam Domitianus intulerat ſuæ conjugi, ut Juliam neptem ex fratre duceret uxorem.

Hoc multo magis vetuere Imperatores Chriſtiani, ut legere eſt in Cod. Theodoſiano, *lib.* 3. *tit.* 13.

XII. Sæculo ſexto labente, invaluit conſuetudo, ut matrimonia non fierent intra ſeptimum conſanguinitatis gradum. Eruitur ex Gregorio Magno, *lib.* 14. *Epiſt. modo* 17. alias 32. Felici Meſſanenſi, qui miratus fuerat, quod cum Anglis diſpenſaſſet, ut ultra quartum gradum conjugia inire poſſent, reſpondet, ſe hoc non feciſſe quaſi legem communem de non ineundo conjugio infra ſeptimum gradum tollere voluiſſet, ſed ut illi geniti recens ad fidem natæ aliqua indulgentia ſubveniret, quouſque in fide firmarentur. Quamvis nulla lege Imperatoris hoc eſſet præſcriptum, ſtatuto Eccleſiæ firmatum fuit, ne intra ſeptimum conſanguinitatis conjugia inirentur. At ſæculo ſeptimo uſque ad decimum tertium adamuſſim ea diſciplina vigebat, ut nonniſi accedente diſpenſatione ſummi Pontificis, matrimonia intra ſeptimum gradum non fierent. Unde Alexander Papa II. tota *Epiſt.* 38. contendit, irritas eſſe nuptias, quæ intra ſeptimum gradum tentatæ fuerint. Creatus autem Alexander fuit Papa ſæculo XI. *anno* 1061.

XIII. Ineunte autem ſæculo XIII. conſanguinitatis gradus, intra quos a tempore Gregorii Magni, & ante, ut obſervatum eſt, non licebat inire conjugia, ad quartum incluſive redacti ſunt. Hujuſmodi coarctationis auctor fuit Innocentius III. In Concilio Lateran. IV. *Cap.* 51. his verbis: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari.... Cum ergo jam*

usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copula sit restricta, eam ita esse volumus perpetuam .... ut si qui contra prohibitionem hujusmodi præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum. Et hæc disciplina est, quæ in omnibus Ecclesiis Latinis observatur.

XIV. Hujus coarctationis congruentiam tradit S. Thom. Concilio præfato coævus, *quæst. 54. Supplem. art. 4.* ubi postquam dixit, ante, usque ad septimum gradum consanguinitatis, & affinitatis prohibitas fuisse nuptias, subjungit: *Sed postmodum circa hæc ultima tempora restrictum est Ecclesia interdictum usque ad quartum gradum: quia ultra, inutile, & periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos, quasi nullum fœdus majoris amicitiæ, quam ad extraneos habebatur: charitate in multorum cordibus frigescente. Periculosum autem erat, quia concupiscentia, & negligentia prævalente, tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observabant: & sic laqueus damnationis multis injiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione. Satis etiam convenienter usque ad quartum gradum dicta prohibitio est restricta. Tum quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt, ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri. Unde Deus in tertiam & quartam generationem peccata parentum se visitaturum in filiis comminatur* (Exodi 20.) *Tum quia in qualibet generatione nova mixtio sanguinis, cujus identitas consanguinitatem facit, fit cum sanguine alieno, & quantum miscetur alteri, tantum receditur a primo. Et quia elementa sunt quatuor, quorum quodlibet tanto facilius est miscibile, quanto est magis subtile, ideo in prima commixtione evanescit sanguinis identitas quantum ad primum elementum, quod est subtilissimum: in secunda quantum ad secundum; in tertia quantum ad tertium; in quarta quantum ad quartum. Et sic convenienter post quartam generationem potest reiterari carnalis conjunctio.* Ita S. Thom.

§. IV.

Quo jure Consanguinitas dirimat Matrimonium?

XV. SUppoſito ex dictis, quod modo consanguinitas dirimat matrimonium si intra quartum gradum contrahatur; quærendum supereſt, quo jure illud dirimat, an jure naturæ, vel divino quoad omnes gradus, an solum Ecclesiastico quoad aliquas personas, & gradus.

XVI. Dico. Consanguinitas quantum ad aliquas personas dirimit matrimonium jure naturali, ut inter personas conjunctas in primo gradu lineæ rectæ, & etiam in primo gradu lineæ transversalis. Quantum autem ad personas conjunctas in aliis gradibus in lege mosaica dirimebat jure positivo divino, in lege autem Christi dirimit solo jure Ecclesiastico. Ita S. Thom. *q. 54. Supplem. art. 4.*

Prior pars de personis in primo gradu lineæ rectæ conjunctis, ut sunt pater, & filia, mater, & filius.

Prob. Hoc enim naturaliter est incompetens fini matrimonii, non quia absolute matrimonii finis, qui est procreatio, & educatio prolis, haberi non posset, sed quia modo non convenienti fieret: *Inordinatum enim est* (inquit S. Thom.) *quod filia patri per matrimonium jungatur in sociam causa generandæ prolis, & educandæ, quam oportet per omnia patri esse subjectam velut ex eo procedentem. Et ideo de lege naturali est, ut pater, & mater a matrimonio repellantur. Et magis etiam mater quam pater, quia magis reverentiæ, quæ debetur parentibus, derogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducat in uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat esse subjecta.* Reverentia igitur in parentes naturaliter filiis insita efficit, ut concubitum, de quo agitur, natura rationalis exhorreſcat. Unde semper, eo etiam tempore, quo summa erat hominum penuria, ut mundi initio, & statim post diluvium, ejusmodi copula, ut inhonesta, & turpis habita fuit.

XVII. An vero omnes gradus lineæ rectæ jure naturæ dirimant ob generalem pudorem, ac reverentiam natorum erga parentes non solum proximos, sed etiam remotos: Affirmant aliqui ex lib. 1. Inst. tit. de nuptiis §. *Ergo non omnes* ubi perpetuum in linea recta impedimentum statuitur, adeo ut si Adam hodie viveret, nullam ducere posset uxorem —— Alii probabilius negant, volentes, solum primum gradum lineæ sive rectæ, sive transversæ dirimere matrimonium jure naturæ; cui consentit Pontifex, Capit. *Gaudemus* titul. de divortiis ubi concedit infidelibus ad fidem conversis, qui in secundo gradu contraxerant, ut non separentur, non distinguens inter gradus lineæ rectæ, & transversæ. Sicut neque Cap. *Non debet*. Et ratio est, quia, ut docet S. Th. hic, *art. 4.* supra laudato, conjunctio sanguinis quo magis elongatur a primo generante, eo magis debilitatur, ut tandem extinguatur: unde *art. 1.* dixit, in definitione consanguinitatis non accipi stipitem remotum, sed proximum, ergo non potest durare in omnibus subsequentibus gradibus. Unde legi civili jus canonicum est præferendum.

XVIII. Quod dixi de primo gradu lineæ transversæ non adeo certum est, eum jure naturali dirimere matrimonium, quin aliqui oppositum senserint. Attamen sententia affirmativa verior est. Esto enim S. Thom. hic aperte id non dicat, colligitur tamen ex iis, quæ docet *2. 2. quæst. 154. art. 9. in Corp.* ubi ait: *Naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis, quia ex eisdem parentibus de proximo originem trahunt.* Sed consanguinei in primo gradu lineæ transversæ, ut frater, & soror de proximo ex eisdem parentibus originem trahunt; ergo naturaliter sibi invicem debent honorificentiam; cumque in carnali copula adsit quædam turpitudo honorificentiæ contraria, ut ibidem dicit, ideo jure naturali indecentia sunt conjugia fratrum, & sororum, quamvis non tanta, quanta essent parentum cum filiis. Unde fratrum, & sororum legimus fuisse initio mundi cogente necessitate conjugia; parentum vero cum filiis nusquam legimus. Cæterum licet cogente necessitate aliquando fuerint fratrum, & sororum conjugia, dicit tamen Sanctus Augustinus, *lib. 15. de Civit. Dei, cap. 16.* quod *Commixtio sororum, & fratrum tanto facta sit damnabilior religione* (ideſt ratione naturali cum nulla lex talis ante Moysen esset) *prohibente, quanto fuit antiquior compellente necessitate.*

Hinc nullum, vel saltem perrarum etiam apud barbaras gentes extat hujus exemplum. Apud Ægyptios nuptias inter fratres, & sorores fuisse proscriptas Abrahami temporibus, colligitur ex eo, quod Abraham suaserat Saræ, ut sororem se ejus diceret, non autem uxorem, *Gen. 12.* Eadem connubia Persis fuisse exosa, ex eo liquet, quod Gymnosophistæ Cambysi Regi nuptias cum sorore ambienti, respondisse ferantur, naturam ab iis abhorrere.

XIX. Quod vero jure positivo divino inter alias personas conjunctas matrimonium dirimeretur tempore legis mosaicæ, constat ex *Levit. 18.* ubi varii præter jam dictos consanguinitatis gradus, variaque consanguineorum matrimonia interdicuntur, ac nominatim avi cum nepte, aviæ cum nepote, amitæ aut materteræ cum nepote. Conjugia vero patrui, vel avunculi cum nepte, & consobrini cum consobrina, ut diximus, non prohibentur. Cæterum quia per Christum abrogatæ sunt leges Moysi cæremoniales, & judiciales, ideoque Christianos non obligant, in quantum sunt per Moysen latæ, propterea verius est, nullos consanguinitatis gradus in nova lege dirimere matrimonia christianorum jure positivo divino, quia Christus nihil de hoc præcepit. Ex gradibus ergo in Levitico expressis, illi solum matrimonia dirimunt christianorum, qui, vel jure naturæ dirimunt, ut primus consanguinitatis gradus lineæ rectæ sive transversæ, vel ab Ecclesia tamquam dirimentes sunt constituti.

XX. Ex his sequitur ultima asserti pars, nempe, quod quantum ad personas in aliis gradibus consanguinitatis, sicut in secundo, tertio, & quarto gradu solo jure Ecclesiastico irrita sint conjugia; quia neque ulla naturæ lex, neque jus divinum christianis positum adest hujusmodi conjugia irrita decernens. Ideoque cum olim consanguineorum matrimonia usque ad septimum gradum essent prohibita 35. q. 5. Cap. *Ad Sedem*, Innocentius III. cum Conc. Lateran. ad quartum reduxit, ut supra diximus.

DUBIUM V.

De Cognatione Spirituali, & Legali.

§. I.

Quid sit Cognatio Spiritualis, & quomodo contrahatur.

I. COgnationem spiritualem, quæ nihil aliud est, quam propinquitas orta ex sacramentorum susceptione, esse impedimentum matrimonii, docet S. Thom. *quæst. 56. Supplem. art. 1.* his verbis: *Sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturæ: ita per sacramenta accipit esse Spirituale gratiæ. Unde sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est homini naturale, in quantum est res quædam naturæ; ita vinculum quod contrahitur ex sacramentorum susceptione, est aliquo modo naturale alicui, in quantum est membrum Ecclesiæ. Et ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto.* Quæ ob dignitatem, ac reverentiam spiritualis regenerationis, & confirmationis hoc impedimentum jam olim statuit *30. quæst. 1.*

Notat tamen S. Th. Quod *distinguendum est de spirituali cognatione, quia, aut præcessit matrimonium, aut sequitur. Si præcessit, impedit contrahendum, & dirimit contractum: si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii. Sed quantum ad actum matrimonii est distinguendum. Quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum pater baptizat filium in articulo mortis, & tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte. Aut inducitur extra casum necessitatis ex ignorantia. Et tunc si ille ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio, sicut & de primo. Aut ex industria extra casum necessitatis. Et tunc ille, ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum: sed tamen debet reddere, si petatur, quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius reportare.*

II. Porro quod impedimentum petendi debitum non incurrat, qui in necessitate baptizavit filium suum, habetur etiam in Rituali Rom. Pauli V. jussu edito ubi dicitur:

Pater

Pater aut mater non propriam prolem baptizare debet, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet: neque tunc contrahunt cognationem, quæ matrimonii uſum impediat. Quæ pœna non incurritur per actum bonum; non poſſe autem uti matrimonio legitime contracto eſt pœna. (Excipit tamen Sylvius in hunc art. eum qui in neceſſitate baptizaret filium ex fornicatione ſuſceptum; is enim incurreret impedimentum dirimens, ideoque non poſſet valide contrahere cum ſua concubina.)

Idem judicium eſt, ſi contingat, parentem filium baptizare, vel tenere filium ſuum, ſi per ignorantiam inculpatam hoc faciat, quia nec ibi culpa intervenit: ſine culpa autem non privatur quis jure petendi debitum, Cap. *Diſcretionem* tit. de eo qui cognovit conſanguineam uxoris. Et Cap. *Si vir* tit. de cognatione ſpirituali.

III. Circa ſecundum quæſitum. Dico, quod per duo tantum ſacramenta cognatio ſpiritualis contrahitur, nimirum Baptiſmum, & Confirmationem. Ita S. Thom. citato loco, *art.* 2. cujus rationem dat ibi *ad* 1. Sic: *Duplex eſt nativitas. Prima in utero, in quo adhuc id quod natum eſt, eſt adeo debile, ut non poſſit extra exponi ſine periculo: Et huic nativitati aſſimilatur regeneratio per Baptiſmum, in quo regeneratur aliquis quaſi adhuc fovendus in utero Eccleſiæ. Secunda eſt nativitas ex utero, quando jam quod natum erat in utero, tantum roboratum eſt, ut poſſit ſine periculo exponi exterioribus, quæ nata ſunt corrumpere. Et huic aſſimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confeſſionem nominis Chriſti. Et ideo congrue per utrumque iſtorum ſacramentorum contrahitur ſpiritualis cognatio.*

IV. Olim quidem, ut dicit S. Thom. ibi, ex Catechiſmo præcedente baptiſmum oriebatur impedimentum ſecundum aliquos dirimens, ſecundum alios tantum impediens. Sed primum rejicit S. Thom. ibi in Corp. quia Catechiſmus *non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale*. Secundum autem S. Thom. *ad* 3. admittit comparans Catechiſmum cum ſponſalibus. *Unde ſicut in ſponſalibus contrahitur quidam modus propinquitatis, ita in Catechiſmo ad minus impediens contrahendum, ut quidam dicunt.*

V. Dubitatur de ſacramento Pœnitentiæ, an confeſſarius contrahat cognationem ſpiritualem cum pœnitente, quæ proinde dicitur ejus filia ſpiritualis. — Reſpondet tamen S. Thom. confeſſarium proprie non contrahere cognationem ſpiritualem cum filia ſpirituali pœnitente, quia, ut dicit ibi ad 9. *Pater ſpiritualis dicitur ad ſimilitudinem patris carnalis. Pater autem carnalis tria dat filio, eſſe, nutrimentum, & inſtructionem. Et ideo ſpiritualis pater alicujus dicitur ratione alicujus horum trium. Tamen ex hoc quod eſt ſpiritualis pater, non habet ſpiritualem cognationem, niſi conveniat cum patre quantum ad generationem per quam eſt eſſe.* Si tamen pater ſpiritualis carnaliter filiæ ſpirituali commiſceretur, eſſet circumſtantia in confeſſione aperienda, quia ſaltem notabiliter aggravans.

VI. Inter quas autem perſonas contrahatur cognatio ſpiritualis in Baptiſmo, & Confirmatione, ſi ſpectemus jus antiquum, contrahebatur inter baptizantem, & ſuſceptorem, inter ſuſceptores invicem, inter baptizatum, & filios baptizantis, vel ſuſceptoris. Sed ſi attendatur jus novum, contrahitur tantum inter baptizantem, & baptizatum, ejuſque parentes, & inter ſuſcipientem, vel ſuſcipientes, & baptizatum, ejuſque parentes, & ſimiliter in Confirmatione. Ita enim ſtatuit Tridentinum, *Seſſ.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. his verbis: *S. Synodus . . . Statuit, ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos, & baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.* Et infra: *Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, ac matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.*

VII. Dubitari ſolet: an ſi quis procuratorio nomine ſuſcipiat aliquem e ſacro fonte, vel in confirmatione, cognationem ſpiritualem contrahat.

Reſpondetur negative. Quia Tridentinum citato loco dicit, quod *Si alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant.* Procurator autem eſt ultra deſignatos, cum deſignentur principales. Ita refert Emanuel Sa, reſpondiſſe Sacr. Congreg. Card. Sacri Concilii interpretum.

§. II.

De cognatione legali.

VIII. Cognatio legalis eſt *propinquitas quædam perſonarum ex adoptione proveniens.* Ita S. Thom. *quæſt.* 57. *Supplem. art.* 2. Adoptio autem ut ibi docet, *art.* 1. eſt *Extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio.* Adoptio autem alia eſt perfecta, per quam adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, eique tamquam filius naturalis ſuccedit, quæ proprio nomine vocatur *Arrogatio.* Altera imperfecta per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, & dicitur *ſimplex adoptio.* Priori adoptione adoptari poteſt ſolum is, qui ſit ſui juris; & ſola auctoritate Principis, ac cum certis verbis. Poſteriori autem etiam qui non juris, & ſola auctoritate magiſtratus, ac ſine verbis. *Et ſic adoptatus non ſuccedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit.* Ita S. Thom. cit. art. 1. ad 1.

IX. Dico ergo: adoptio, præſertim perfecta, inducit cognationem legalem, & conſequenter impedimentum dirimens. Probo ex S. Thom. *art.* 2. ubi ait: quod *Lex divina illas præcipue perſonas a matrimonio excludit, quas neceſſe erat cohabitare, ne, ut Rabbi Moyſes dicit, ſi ad eas liceret uti carnali copula, facilis pateret concupiſcentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium eſt ordinatum. Et quia filius adoptatus converſatur in domo patris adoptantis ſicut filius naturalis; Ideo legibus humanis prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi. Et talis prohibitio eſt per Eccleſiam approbata. Et inde eſt, quod legalis cognatio matrimonium impediat.*

Dubitant aliqui, an etiam adoptio imperfecta inducat cognationem legalem, & per conſequens impedimentum dirimens. Probabilius tamen cum Silveſtro, Dominico Soto, & aliis credo, ſolam adoptionem perfectam eſſe impedimentum. Cui conſentit S. Thom. tum *in Corp. hujus art.* 2. tum *ad* 1. & 4. quia iſta ſolam inducit cohabitationem adoptati in domo adoptantis, quæ eſt ratio ob quam impedimentum contrahitur.

X. Quouſque autem hoc impedimentum extendatur. Dico: primo: in linea recta aſcendentium, & deſcendentium dirimere uſque ad quartum gradum incluſive. Unde irritum foret matrimonium adoptantis cum adoptata, nec non cum ejus poſteris uſque ad quartum gradum. Secundo: in linea laterali dirimit in primo affinitatis gradu; unde adoptatus non poteſt nubere cum filia, nec adoptata cum filio adoptantis. Soluta tamen adoptione, puta, vel patre mortuo, vel filio adoptivo, & filia naturali emancipatis, ceſſat impedimentum. Tertio: inter adoptantem, & uxorem adoptati, vel adoptatum & uxorem adoptantis: perpetuum eſt impedimentum etiam ſoluta adoptatione, ſicut etiam in linea aſcendentium, & deſcendentium. Sed hæc ad Juriſtas.

DUBIUM VI.

De impedimento criminis, & diſparitatis cultus.

§. I.

De crimine.

I. Sanctus Thomas, *quæſt.* 60. *Supplem.* poſtquam art. 1. docuit, virum non poſſe propria, ac privata auctoritate uxorem, etiamſi adulteram, immo & in actu adulterii deprehenſam, occidere: Et licet leges civiles ejuſmodi facinus non puniant, Eccleſia tamen ab homicidii reatu eum non abſolvit, & a pœna æterna, ait enim: *Sed lex civilis quaſi licitum putat, quod in ipſo actu eam interficiat, non quaſi præcipiens: ſed quaſi pœnam homicidii non ei non infligens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occiſionem uxoris. Sed Eccleſia in hoc non eſt adſtricta legibus humanis, ut judicet, cum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Eccleſiaſtico judicio infligendæ, ex hoc quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per judicium ſæculare. Et ideo in nullo caſu licet viro occidere uxorem propriam auctoritate,* Immo, *art.* 2. *dicta quæſt.* docet, uxoricidium ex quacumque cauſa, ſive adulterii, ſive odii, ſive rixæ eſſe impedimentum ulterius matrimonium impediens, & ſi aliam uxorem ducat, peccare contra leges, Cap. *Interfectores*, & Cap. *Admonere* 35. quæſt. 2. quamvis valeat matrimonium. Poſſe tamen per Eccleſiam diſpenſari, ut etiam licite contrahat, immo nunc etiam abſque diſpenſatione poſſe contendunt aliqui.

II. *Crimen* ergo: quod ad impedimentum dirimens pertinet, duo crimina complectitur, nempe, homicidium, & adulterium; ita tamen, ut non cenſeatur eſſe ſimpliciter dirimentia, niſi fuerint certo modo facta.

III. Primus ergo caſus eſt. Cum adulter procurat mortem conjugis ſuæ, vel mariti adulteræ, ut cum adultera conjugium celebrare poſſit: Vel e contra ſi adultera procuret mortem viri ſui, vel uxoris adulteri, ut adulterum in maritum accipiat; ut habetur, Cap. *Super hoc* de eo, qui duxerat in matrimonium, quam polluerat per adulterium, & intelligitur, ſi mors revera ſequatur. Hunc caſum ſtatuit S. Thom. hoc *art.* 2. Qui tamen caſus intelligendus eſt, ſi occiſio facta fuerit eo fine, ut matrimonium cum ea contraheretur, quæ polluta fuerat adulterio, & particeps fuit tum adulterii, tum homicidii; ſi enim quis occideret conjugem ſuam, vel alterius, ut poſſet contrahere matrimonium cum ea, quæ non fuit particeps adulterii, vel homicidii, non eſſet impedimentum dirimens.

Ex his ſuſtineri poſſe videtur matrimonium Davidis cum Berſabea. Nam Berſabea in adulterium quidem conſentit, ſed in morte viri nullo modo legitur machinata. David autem adulterio adjunxit quidem homicidium Uriæ, ſed non eſt certum, an eo animo, ut uxore ejus potiretur.

Nam

Nam antea ſæpe conatus erat Uriam inducere ut ad uxorem accederet, ut eo facto adulterium tegeretur.

IV. Secundus caſus eſt. Cum perpetratur adulterium cum promiſſione matrimonii poſt conjugis adhuc viventis obitum celebrandi. Ita Conc. Triburienſe, *anno 895. Can.* 40. Requiritur tamen, ut promiſſio a conſtuprata, verbo, aut alio ſigno externo fuerit acceptata, vel ut ait Concilium, juramento mutuo confirmata.

V. Tertius caſus eſt. Si de facto adulteri inter ſe contraxerunt viventibus prioribus conjugibus, & nuptias conſummarunt, hanc enim alteram poſtea, mortua legitima uxore, ducere non poteſt. Ita Alexander III. Cap. *Ex litterarum*. De eo qui duxit in uxorem quam polluit. Iſte tamen caſus, ſicut & præcedens, locum habet, ſi uterque adulter conſcius erat vitæ conjugis alterius. Alioquin ſi uterque, vel alter bona fide exiſtimarit, legitimam priorem compartem eſſe mortuam, aut ſi poſtquam ſe deceptum didicit, a cohabitatione receſſerit; matrimonium non eſt irritum, ut ex eodem Alexandro III. Cap. *Veniens* & Cap. *Propoſtrum*. De eo qui duxit &c.

VI. Quartus caſus eſt. Si etiam abſque adulterio, in morte alterius conjugum procuranda convenerunt tam vir, quam fœmina, qui inter ſe conjugium inire cupiunt; ut habetur, Cap. *Laudabilem* de converſione infidelium. Quod intelligitur, etiamſi mors ſecuta fuerit per tertiam perſonam, nam tunc etiam illa tertia perſona, quæ interfecit, nubere non poteſt cum conjuge occiſi. Ad hoc tamen requiritur. Primo: quod uterque in occiſione procuranda convenerit, nam ſi alter tantum homicidium procuravit, altero inſcio, nec adulterium præceſſit, non dirimitur matrimonium. Secundo: quod interfectio fuerit ex propoſito facta. Nam ſi vel caſu, in bello alius alium occiderit, interfector non prohibetur ducere uxorem interfecti.

VII. Notandum tamen eſt, quod jura, quæ loquuntur de impedimento uxoricidii, ſunt intelligenda etiam de viricidio. Secundo: quod adulterium nudum non impedit, quo minus inter adulteros validum iniri poſſit matrimonium, ſi aliunde nihil obſtet, quia Canones ſtatuentes, ut nemo ducat in matrimonium eam, quam polluit adulterio 31. q. 1. Cap. *Nullus*, & Cap. *Illud* prohibent ejuſmodi matrimonium; ſed non decernunt eſſe irritum. Unde validum fuit matrimonium David cum Berſabea, ut diximus. Tertio: quod hoc impedimentum eſt juris Eccleſiaſtici, ideoque diſpenſationem admittit.

§. II.

De Cultus diſparitate.

VIII. Diſparitatem cultus, ſi præcedat matrimonium, impedire illud contrahendum, & dirimere contractum, docet S. Th. *q. 59. Suppl. art. 1. Quia* (inquit) *principalis matrimonii bonum eſt proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter per patrem, & matrem, uterque ſecundum fidem ſuam intendit ad cultum Dei prolem educare. Et ideo ſi ſint diverſæ fidei, intentio unius, alterius intentioni contraria erit: & ita inter eos non poteſt eſſe conveniens matrimonium. Et propter hoc diſparitas cultus præcedens matrimonium impedit ne contrahi poſſit.*

IX. Porro cultus, ſeu religionis diſparitas non vocatur hic, qua unus eſt fidelis, & catholicus, alter hæreticus, ſed qua unus eſt baptizatus, alter non. Quia ut ait ibid. ad 5. *Matrimonium eſt ſacramentum. Et ideo quantum pertinet ad neceſſitatem ſacramenti requirit paritatem quantum ad ſacramentum fidei, ſcilicet Baptiſmum, magis quam quantum ad interiorem fidem. Unde etiam hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed cultus diſparitas, qui reſpicit exterius ſervitium.... Et propter hoc ſi aliquis fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahat, verum eſt matrimonium, quamvis peccet contrahendo, ſi ſciat, eam hæreticam: ſicut peccaret, ſi cum excommunicata contraheret; non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur. Et e contrario ſi aliquis Catechumenus habens rectam fidem, ſed non baptizatus cum aliqua fideli baptizata contraheret, non eſſet verum matrimonium.* Ex quibus patet matrimonium catholici cum hæretica, vel e contra validum eſſe, licet illicitum. An autem ſit etiam ſacramentum, vel an ſacramentum evadat, cum hæreticus ad fidem convertitur, videnda ſunt, quæ diximus ſupra, *q. 2. dub. 3. §. 2.*

Dictum etiam eſt, *ſi præcedat*. Diſparitas enim cultus matrimonium ſuperveniens, non per ſe diſſolvit illud ut docet S. D. hac, *q. 59. art. 5.* & nos diximus ſupra, *q. 5. d. 4.* quo mitto Studioſum. Quia tamen de hoc varia ſunt diſcutienda, ideo ſit.

DUBIUM VII.

An Matrimonia fidelium cum infidelibus fuerint ſemper prohibita, & quo jure?

§. I.

De Matrimonio Judæorum cum Gentilibus?

I. Dico. Matrimonia Judæorum ſub lege Moſaica cum gentilibus fuerunt jure naturæ, ac divino illicita, non tamen invalida. Prior pars prob. Nam jus naturale, ac divinum dictat, omnibus modis vitandum eſſe periculum peccati: tale autem periculum fuit, & eſt ex matrimonio fidelis cum infideli, nempe ſubverſionis: tum propter mutuum amorem conjugum, tum propter familiaritatem, & arctiſſimam, immo continuam converſationem, ut vel uno ſapientiſſimi Salomonis exemplo oſtendi poteſt, cujus *cor depravatum eſt per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos* 3. *Reg.* 11. Propterea Deus in veteri lege eas prohibuit, Exodi 34. v. 16. *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in Deos ſuos*. Idem præceptum renovavit Deus, *Deut. 7. v. 7.* ubi de ſeptem gentibus quas ibi recenſet: *Neque* (inquit) *ſociabis cum eis conjugia: filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me &c.* Idem 1. *Eſdræ 9. v. 1.* & 2. *Eſdræ 13. v. 25.* ubi ad convincendos Judæos, ne miſceantur cum alienigenis, affert propheta perniciem Salomonis.

II. Sed dices primo. *Deut. 21. v. 10.* dicitur: *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos .... ut videris in medio captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam ... erit uxor tua*.

Secundo. Joſeph contraxit cum Ægyptia. Sampſon cum Dalila Philiſtea, Eſther cum Aſſuero gentilibus; ergo &c.

III. Reſp. ad hæc. Ex S. Th. *q. 59.* citata, *art. 1. ad 1.* & 2. Quod in aliquibus circumſtantiis permiſſum erat in lege veteri inire conjugia cum infidelibus, quod erat generaliter prohibitum, quando nimirum nullum erat periculum, ne fideles, aut ejus liberi perveterentur, ſed potius ſpes erat, ut infidelis veniret ad fidem. Unde S. Th. *ad 2.* illud *Deut. 21.* explicat de captiva, quæ ad fidem, & cultum Dei converti volebat. Sic ad primum dicit, conjugium Moyſis cum Ægyptia fuiſſe permiſſum, quia omnis timor perverſionis aberat. Sic Sampſonis cum Dalila, ut ex hoc occaſionem quæreret contra Philiſtæos, & Eſther cum Aſſuero, ut ſuam gentem a tyrannide impii Aman liberaret. Uno verbo. Ubi erat periculum ſubverſionis, lex prohibebat; ubi non erat, Deus tolerabat.

IV. Secunda vero pars prob. Nam conjugia hebræorum cum mulieribus alienigenis ſcriptura reprehendit quidem, ſed ea non vocat fornicationes, ſeu adulteria, nec mulieres Chananeæ, aut Ammonitides vocantur fornicariæ, aut adulteræ, immo abſolute dicuntur uxores. Unde 3. *Reg. cap.* 11. poſtquam recenſita fuit conjunctio Salomonis cum fœminis Moabitis, Hethæis, Chananæis, & Ammonitidibus, ſtatim ſubjicitur: & fuerunt ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ. Immo Roboam filius ejus ex Ammonitide ſucceſſit ei in Regnum tamquam legitimus. Accedit quod nullibi in veteri lege adeſt præceptum decernens talia matrimonia irrita. — Quod enim legitur, 1. *Eſdræ, cap. 9.* & 10. quod Eſdras juſſit ſeparari filios Iſrael ab uxoribus alienigenis, non evincit. Nam hæc ſeparatio non fuit quoad vinculum, ſed quoad thorum tantum, & cohabitationem. Unde & ibi vocantur *uxores*, & conjunctiones earum *matrimonia*.

Nec etiam jure naturæ irrita dici poſſunt. Quia non omnino adverſantur fini matrimonii: poteſt enim ex eis proles naſci, & in fide educari, quamvis plerumque difficilius, quam ſi ambo conjuges eſſent fideles.

§. II.

De Matrimonio Chriſtianorum cum Infidelibus non baptizatis.

V. Dico primo. Matrimonia chriſtianorum cum infidelibus non baptizatis fuerunt ſemper illicita, non tamen ut illicita ab omnibus, & ubique habita. Prima pars conſtat ex ſupra dictis. Si enim hæc jure naturæ, & divino illicita fuerunt Judæis in veteri lege, multo magis in nova. Unde S. Thom. *quæſt. 59. Supplem. art. 1. ad 1.* dicit, quod eſto in veteri lege permiſſum fuerit cum aliquibus gentibus conjugia inire: *præcipue quando non poterat eſſe timor pertrahendi ad idololatriam. Et ſic Moyſes, & Joſeph, & Heſter cum infidelibus matrimonia contraxerunt. Sed in nova lege, quæ per totum orbem diffunditur, ſimilis ratio prohibendi eſt de omnibus infidelibus.* Tum quia idem periculum ſubverſionis, & eadem difficultas in educanda prole, ob quam talia conjugia vetita fuerunt in lege veteri, urgent in lege nova.

VI. Hoc idem præcipit S. Paulus tum, 1. *Cor. 7. v. 39.* cum ait: *Si dormierit vir ejus, liberata eſt a lege viri: cui vult nubat tantum in Domino*. Ly autem *in Domino* intelligitur a Patribus pro eodem, ac viro *Chriſtiano*. Unde Tertullianus, lib. 2. ad uxorem, cap. 1. *Cui vult* (inquit) *nubat. Quod eſt indubitate Chriſtiano*. Et 2. Cor. 6. v. 14. *Nolite* (inquit) *jugum ducere cum infidelibus*. Unde Cyprianus, *lib. de Lapſis* matrimonia fidelium cum infidelibus recenſet inter graviſſima crimina, quæ cauſa perſecutionis extiterunt. Et quidem indignum eſt, ut Chriſti membra cum Diaboli membris commiſceantur, & fiant cum illis una caro. *Quæ enim* (ſubjungit Paulus) *participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? ... Quid autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi &c.* Addit Tertullianus citato loco, virum infidelem

vix

vix paſſurum eſſe, ut mulier chriſtiana perſolvat ſuæ religionis officia.

VII. Quo autem jure prohibita ſint talia conjugia, dicerem. Si adſit periculum perverſionis ſui, vel filiorum, prohibita eſſe jure naturæ, ac divino, ut in lege moſaica; ſi vero non adſit, prohiberi ſolo jure Eccleſiaſtico. Nec obſunt verba Pauli ſupra relata. Illud enim præceptum Pauli eſt Apoſtolicum, non divinum. Non ibi loquitur tamquam Eccleſiarum Paſtor, ſicut cum dixit, 1. *ad Timoth.* 3. Oportere Epiſcopum eſſe unius uxoris virum; unde 2. *Cor.* 7. poſt relata verba ſubdit: *Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam.*

VIII. Huic opinioni favet S. Auguſt. *lib. de Adulterinis Conjugiis, cap.* 25. ubi hæc ſcribit: *Non enim tempore revelati Teſtamenti novi in Evangelio, vel ullis apoſtolicis literis ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrum Dominus prohibuerit, fideles infidelibus jungi. Quamvis Beatiſſimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis conſtituat jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id eſſe dicat proſtituere gentilibus membra Chriſti.* Et *lib. de fide, & operibus, cap.* 19. de conjugiis chriſtianorum cum infidelibus ait: *Quæ noſtris temporibus jam non putantur eſſe peccata, quoniam revera in novo Teſtamento nihil inde præceptum eſt: & ideo aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum.* Quibus S. Monica ejus Mater excuſatur, quod viro gentili nupſerit. Quia tunc temporis talia matrimonia reputabantur, nedum valida, ſed etiam licita, nondum enim aperte prodierant leges Eccleſiaſticæ ea irritantes, aut etiam expreſſe generaliter prohibentes. Quæ probabilem reddunt ſecundam aſſertionis partem.

IX. Dico ſecundo. Matrimonia chriſtianorum cum infidelibus non baptizatis irrita modo ſunt, non lege naturali, aut divina, nec certa aliqua lege Eccleſiæ, ſed generali conſuetudine. Quod non ſint irrita jure naturali, probant rationes ſuperius allatæ. Talia enim conjugia non tollunt omnino finem matrimonii, nempe, prolem; ſed ſolum ejus educationem ad cultum Dei difficilem reddunt. Nec invalida ſunt jure divino, quia nec in veteri, nec in nova lege ulla eſt prohibitio ea irritans. Paulus quidem ea prohibet citatis locis, ſed tamquam Eccleſiæ Paſtor ſpiritu proprio, non ſpiritu Dei, tamquam indecentia, non tamquam irrita.

Nec etiam certa aliqua lege Eccleſiaſtica. Nam adſunt quidem Eccleſiaſticæ aliquæ leges ea matrimonia vetantes, ſed ea irrita declarantes, Eccleſiæ univerſalis nullæ leguntur. Editæ quidem fuerunt medio quarto ſæculo leges imperiales Theodoſii, Valentiniani, ac Valentis matrimonia cum Gentilibus, & præſertim judæis fœminis tamquam adulteria capitali pœna mulctantes, quas legere eſt in codice Theodoſiano, *lib.* 3. *tit.* 14. *de nuptiis Gentilium, lege* 1. *& lib.* 9. *tit.* 4. *lege* 5. Sed has leges nec in finibus Imperii fuiſſe obſervatas, teſtis eſt Auguſtinus ſupra laudatus, aſſerens, tales nuptias ſua ætate in Africa fuiſſe frequentes, adeo ut a pleriſque peccata non cenſerentur. Multoque minus extra Romani Imperii fines earum legum habita fuit ratio. Nam deſinente ſæculo quarto, *anno* 494. Clotildis Chriſtiana nupſit Clodoveo Regi Francorum adhuc Ethnico, quas nuptias nemo improbavit.

X. Adſunt etiam, *Can.* 62. Concilii Toletani IV. ſtatuentis: *Ut niſi ad fidem Judæus acceſſerit, ſeparetur ab uxore fideli.* Et *Can.* 18. Concilii Aurelianenſis II. idem ſtatuentis. Sed nec illæ Synodi definiunt, ea matrimonia eſſe irrita, ſed ea non eſſe rata, ita ut nulla ratione diſſolvi non poſſint, maxime urgente periculo ſubverſionis, quod maxime in conjugio cum Judæis tunc frequens erat; ideoque non loquuntur de Gentilibus, ſed de Judæis, utpote pertinacioribus. Addo, quod cum laudatæ Synodi ſint Eccleſiarum particularium, toti Eccleſiæ legem præſcribere non potuerunt.

XI. Relinquitur ergo, quod matrimonia chriſtianorum cum infidelibus non baptizatis procedente tempore conſuetudine ſenſim in univerſam Eccleſiam introducta, irrita evaſerint circa ſæculum Magiſtri Sent. quæ ætate S. Th. jam univerſalis facta fuerat, adeo ut nec matrimonia fidelium cum catechumenis, ut ſupra diximus, valida habita fuerint.

Ex quibus omnibus ſequitur, poſſe Pontificem, cauſa id poſtulante cum fideli diſpenſare, ut cum infideli ineat matrimonium.

DUBIUM VIII.

De Matrimonio catholicorum cum hæreticis.

§. I.

Reſolvitur de validitate.

I. DIco. Matrimonia cum hæreticis contracta valida ſunt. Nihil enim eis deeſt eorum, quæ ad verum matrimonium, ſi ſervetur forma ab Eccleſia præſcripta, & ad matrimonii validitatem ſpectant. Neque etiam eſt ulla lex divina, vel Eccleſiaſtica tale matrimonium irritans; Quin potius, Cap. *Decrevit*, tit. de Hæreticis in 6. ſupponitur eſſe ratum.

Rationes, quæ moverunt Eccleſiam ad non irritanda ejuſmodi matrimonia, ſicut irritavit ea, quæ fideles contraherent cum infidelibus non baptizatis, poſſunt eſſe. Prima: Quia hæreticus baptizatus propter Baptiſmum computatur inter Chriſtianos, & ideo non eſt indecens, ut permittatur eſſe ſuſceptivus ſacramentorum Chriſti. Secunda. Quia matrimonium cum hæretico, vel hæretica eſt ſacramentum novæ legis ſaltem habitu, ut ſupra diximus, non ſic quod contraheretur cum Pagano, vel Pagana. Tertio. Quia uterque contrahentium convenit in ſacramento fidei, & proinde uterque ſubeſt judicio, ac juriſdictioni Eccleſiæ. Immo proprie non adeſt inter eos diſparitas cultus quantum ad profeſſionem Chriſtianiſmi, & quamvis alter eorum ſit a fide devius; quia tamen & ille fidem profeſſus eſt in baptiſmo, non eſt ſolutus ab obligatione eam profitendi. Quarta tandem. Quia ex generali irritatione matrimonii fidelis cum hæretica, vel hæretico magna, & multa ſequerentur incommoda; ex eo quod hæreſis cum ſæpe lateat, fieret, ut poſt annos etiam multos ſeparari deberent, & proles illegitima declaranda, uno eorum deprehenſo, quod fuerit, ac ſit hæreticus. Fieret quoque, quod improbi valide conjuncti, ad alias nuptias tranſirent, mentientes ſe eſſe, & fuiſſe hæreticos, quando matrimonium contraxerunt.

§. II.

Reſolvitur, an ſint licita.

II. DIco. Matrimonia fidelium cum hæreticis ſunt illicita: Lege quidem naturali, ſi adſit periculum ſubverſionis proximorum, ſecus ſi ſit ſolum remotum, & in eiſdem circumſtantiis dicunt multi prohiberi etiam jure divino, & præcipue cum matrimonium contrahitur eo pacto, ut maſculi patris religionem, fœminæ vero religionem matris ſequantur. Abſolute autem, & generaliter prohibentur jure Eccleſiaſtico in Conc. Chalcedonenſi, *Can.* 14. quo prohibetur, ne perſona catholica matrimonio conjungatur hæreticæ, niſi hæc ad orthodoxam fidem ſe convertendam ſpondeat. Et antea in Laodiceno, *Can.* 10. & *Can.* 31. ubi ſtatuitur: *Non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias dare, ſed potius accipere, ſi tamen profiteantur, Chriſtianos ſe futuros eſſe catholicos.*

III. Ex quibus infertur, matrimonia catholicorum cum hæreticis abſolute ſpectata ſolo jure Eccleſiaſtico eſſe prohibita, ac proinde poſſe per Summum Pontificem ex juſta, ac rationabili cauſa in hoc diſpenſari; cauſa autem juſta, & rationabilis eſſe poteſt præcipue ſpes converſionis, & catholicæ fidei utilitas. His moti Clemens VIII. Barienſi Duci, *anno* 1603. facultatem fecit ducendi in matrimonium Catharinam ſororem Henrici IV. Gallorum Regis hæreticam, quia ipſa Catharina promiſerat, ſe poſt obtentam diſpenſationem catholicam religionem profeſſuram. Et Urbanus VII. *anno* 1625. diſpenſavit cum Henricia Ludovici XIII. Galliæ Regis germana ſorore, ut nuberet cum Carolo Anglorum Rege hæretico, ſperans fore, ut matrimonii illius beneficio catholici in Anglia majori libertate, & quiete fruerentur: Quamvis autem poſtea res aliter evenerit; juſta tamen, & prudens fuit diſpenſatio.

VI. Sed dices: Pontifex diſpenſare non poteſt in iis, quæ ſunt de jure divino: ſed de jure divino eſt, ut matrimonia cum hæreticis non contrahantur. Nam *ad Titum* 3. *v.* 10. dicitur: *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita*, & Joannes, *Epiſt.* 2. *v.* 10. vetat hæreticum recipi in donum, & *Ave* ei dici, alioquin eſſet communicare in operibus ejus malignis, ergo multo magis prohibetur conjugio ei copulari.

V. Reſpondeo ad min. Verba illa continere præceptum Apoſtolicum, ſeu Eccleſiaſticum, non divinum, ſi non ſit periculum proximum ſubverſionis: quod ſi adſit, nemo diſpenſare poteſt licite.

VI. Sed dices adhuc. Matrimonium catholici cum hæretica, vel eſt ſacramentum, vel non. Si eſt ſacramentum; ergo peccat mortaliter miniſtrans ſacramentum indigno ſcienter. Si non eſt ſacramentum, ſed merus contractus civilis; ergo Chriſtianus non tenebitur jure divino contractum matrimonialem cum ſacramento conjungere, quod tamen falſum eſt,

VII. Reſpondeo ex dictis ſupra, *quæſt.* 2. *dub.* 3. §. 2. probabilius videri non eſſe ſacramentum; Dato tamen quod ſit, nego illatum. Nam fidelis ex juſta cauſa cum hæretica nubens, poteſt abſque peccato permittere in ea ſacrilegium; ſicut Chriſtus Judæ proditori permiſit corpus ſuum, & Sacerdos publice miniſtrans poteſt ſine peccato communicare eum; quem in confeſſione novit eſſe indignum. Quod ſi eſt merus contractus civilis, non eſt ex defectu conjugis fidelis, quaſi ipſe volens disjungat contractum civilem a ratione ſacramenti, ſed ex defectu compartis hæreticæ, quæ ſacramentum a ratione contractus prava intentione ſejungit, ſaltem actu, eſto non habitu.

VII. Ex dictis colligo, non eſſe probandam opinionem Cabaſutii (& forte aliorum) *lib.* 3. *Juris Canonici, c.* 22. Quod *In locis, in quibus hæretici conſtituunt populi partem notabilem, ſecluſo ſcandalo, & periculo perverſionis, poſſunt contrahi licite talia matrimonia ſine ſpeciali diſpenſatione, ſi gravis urgeat cauſa, ſive privata, ſive publica, qualis eſt conſervatio pacis publicæ, quæ periclitetur ob bellum inteſtinum excitandum inter catholicos, & hæreticos, ſi illi iſtorum fœ-*

dera

dera adverſentur. Et multo magis improbanda eſt, ſi in fœdere conjugali apponatur pactum, quod filii maſculi ſequantur religionem patris, fœminæ vero religionem matris.

DUBIUM IX.

De impedimentis vis, Ordinis, ligaminis.

§. I.

De vi.

HÆC tria breviter expediemus; conſtat enim ex ſupradictis quid de illis ſentiendum ſit.

I. De vi, ſeu coactione locuti ſumus, *q.* 3. *dub.* 4. integro. Ex quo recolendum eſt; Quod vis, violentia, & coactio idem ſignificant, cum hoc tamen diſcrimine, quod vis, & violentia, & coactio ſimpliciter dicta eſt totaliter ab extrinſeco, eo cui fit violentia, actu proprio renitente: & hoc modo nequit vis, violentia, aut coactio inferri voluntati, quia nulla vis exterior cogere, aut violentare poteſt voluntatem, ut nolens eliciat actum amoris, vel odii. Vis autem, ſeu coactio ſecundum quid talis locum habere poteſt in voluntate, & hæc coincidit cum metu incuſſo a cauſa extrinſeca; metus enim ille a cauſa extrinſeca incuſſus facit, ut voluntas cauſa metus velit, quod alioquin nollet. Hunc metum diſtinximus in gravem, & eſt cum quis ad evitandum majus aliquod malum, quod ſibi imminet, puta mortem, mutilationem, dehoneſtationem perſtuprum, quæ vitare non poteſt, conſentit in minus malum, & hic vocatur metus cadens in conſtantem virum. Et in levem, qui dicitur cadens in virum inconſtantem. Ut ſi metu minoris mali, quod probabiliter credit ſibi imminere, eligat majus malum; ut ſi metu amittendæ pecuniæ conſentiat in uxorem quam nollet. Poteſt autem metus gravis juſte incuti, & injuſte. His poſitis.

II. Dico. Metus gravi dirimit matrimonium, ſi profectus fuerit a cauſa extrinſeca. Si injuſte fuerit incuſſus, & eo fine, ut perficiat matrimonium: aliter non eſt impedimentum dirimens. Pro hac aſſertione rationes dedimus, cit. *dub.* 4. §. 2. & 3. ad quas Lectorem remitto. Quod enim non ſufficiat metus levis, deducitur ex jure, quod loquens de metu dirimente matrimonium ex eo contractum, loquitur ſemper de metu gravi. Unde Cap. *Significavit*, de eo qui duxit in matrimonium &c. conſultus Papa de quodam, qui metu compulſus duxerat uxorem, & deinceps propria ſponte cum alia contraxerat, reſpondit: *Si conſtiterit, quod tanta vis eidem illata fuerit, quod non ſponte in primam conſenſerit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam poſtea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem*. Cujus rationem reddit Alexander III. extra de Sponſal. *Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut ibi aſſenſus cujuſquam requiritur, coactionis materia repellatur*. Quod metus debeat eſſe a cauſa extrinſeca incuſſus, patet. Unde ſi quis metu damnationis æternæ, vel mortis naturalis, vel naufragii, quamvis metus gravis ſit, contrahat matrimonium, tenet. Quod ſimiliter debeat eſſe injuſte incuſſus; Qui enim juſte metum patitur, nulla afficitur injuria. Unde valide nubit is, qui laqueo damnatur a Judice, niſi corruptam a ſe virginem ducat in matrimonium. Debere tandem eſſe incuſſum eo fine, ut nuptias ineat, clarum eſt; alioquin metus non eſſet cauſa nuptiarum, ſed conditio, quæ ad evitandum grave malum ſe offert. Sic valide nuberet, qui propter æs alienum detentus in carcere, ut eo ſe liberaret, contraheret cum filia ſui creditoris. Videantur dicta citatis locis.

III. Metum modo explicato fuiſſe ſemper impedimentum dirimens matrimonium, videtur certum. Quia jus gentium ubique ſemper obſervatum poſtulat, ut contractus, maxime qui parit nexum indiſſolubile, liberrime fiat. Et rurſus, quia Canones, & Leges Civiles cum de eo loquuntur, loquuntur tamquam de re jam uſu recepta. —— An vero Jure naturali, vel ſolo poſitivo humano dirimat, Eſtius, & alii putant, jure naturali dirimere. Jus enim naturæ poſtulat, ut qui injuſte coactus iniit matrimonium, priſtinæ libertati reſtituatur. Alii cenſent dirimere jure tantum Eccleſiaſtico. Et hos ſecuti ſumus ſup. *q.* 3. *dub.* 4. §. 2. *n.* 6. quæ huc revocanda ſunt.

IV. Judices tamen Eccleſiaſtici ſumma cautione uti debent, priuſquam irritum pronuntient matrimonium, quod alter ſe per vim, & metum contraxiſſe contendit. Expendere enim debent, an metus fuerit vera cauſa, an gravis, an injuſte incuſſus, & præcipue an pars, quæ conqueritur, certa quædam ſigna conſenſus poſtea dederit; ut ſi mulier, quæ conqueritur de violentia, diu cum marito pacifice cohabitarit; ex hoc enim colligeretur, eam in tali matrimonio vere conſenſiſſe.

§. II.

De impedimento Ordinis.

V. SUſcipioni ſacrorum Ordinum, Presbyteratus, & Diaconatus, & Subdiaconatus annexam eſſe perpetuam continentiam oſtendimus, *Tract. de Sacr. Ordinis, queſt.* 4. *dub.* 2. Quo autem jure dirimat matrimonium & an ſuper hoc diſpenſari poſſit, ibidem, *dub.* 3. oſtenſum eſt. Unde cum eadem non ſint fruſtra repetenda, quæ ibi dicta ſunt, huc ſunt revocanda. Ibi etiam oſtendimus a tempore Apoſtolorum, hanc legem continentiæ fuiſſe indictam.

VI. An vero Ordo ſacer, ſicut fuit ſemper impediens matrimonium contrahendum, ita ſemper fuerit impedimentum dirimens contractum, diſputatur a Doctoribus, quibuſdam negantibus. Silvius enim putat ante Concilium Neocæſarienſe, *anno* 314. celebratum, non fuiſſe impedimentum dirimens, ſed tantum prohibens. Ita *in quæſt.* 53. *Supplem. art.* 3. *Concil.* 2. Immo Juenin, *de Sacram. cap.* 8. *de Impedim.* Ordinis cenſet, per mille priores annos matrimonia inita a Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis non fuiſſe irrita, & ſolum irrita facta a Concil. Lateranenſ. I. ſub Calliſto Papa II. *anno* 1123. cui acceſſit Remenſe, *anno* 1148. ſub Eugenio Papa III. Antea enim, inquit, Clerici majores prohibiti quidem fuerant, ne poſt ordinationem conjugia inirent, ſed nunquam juſſi fuerunt ut ſeparentur ab uxoribus. Immo, *Can.* 1. Concil. Neocæſarienſis minorem pœnam ſtatuit Clerico, qui uxorem duxerit, quam ei, qui in fornicationem inciderit.

Alii, qui affirmant, moventur, quia Canones poſteriores, quibus ſancitur, ſacrum Ordinem eſſe impedimentum dirimens, profitentur ſe nihil novi ſtatuere, ſed ſacrorum Canonum ſanctiones ſequi. Ita Calliſtus II. *Can.* 21. Concil. Lateran. I. *Presbyteris* (inquit) *Diaconibus, & Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi, & perſonas ad pœnitentiam debere redigi, juxta ſacrorum Canonum definitionem judicamus*. Et Eugenius III. *Can.* 7. Conc. Remenſis, ait: *Sanctorum Patrum, & prædeceſſoris noſtri Papæ Innocentii* (Primi) *veſtigiis inhærentes, ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Preſbyteri, Regulares, Canonici, Monachi, atque Converſi, qui ſacrum tranſgredientes propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam rationem conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus*. Erant ergo antea Canones, qui ſeparandos eſſe præciperent ſacris ordinibus initiatos, ſi matrimonia inire attentarent, & talia matrimonia non eſſe cenſerent. Cumque non legatur, quo canone fuerit primo inſtitutum, credi poteſt ex apoſtolica traditione derivaſſe. Nec refert, quod Concilium Neocæſarienſe ſeparationis non meminerint, cum eam ſupponat, dum jubet, ut talis *ab ordine deponatur*. Quod vero plus fornicationem puniat, ideo eſſe poteſt, quia fornicatio eſt contra jus naturale, nuptiæ vero in ſacris initiato, ſunt contra jus tantum Eccleſiaſticum. Hæc probabiliter pro utraque parte.

§. III.

De impedimento ligaminis.

VII. IMpedimentum ligaminis eſt vinculum prioris conjugii, ſive conſummati, ſive rati tantum conjuge ſuperſtite. Eo vinculo Jure naturali, ac divino dirimi ſequens matrimonium oſtenſum fuit ſupra *q.* 4. *dub.* 3. dum polygamiam ſimultaneam a Chriſto ſublatam fuiſſe probaretur, & matrimonium reductum ad ſui primævam inſtitutionem, & naturam ut eſſet unius cum una tantum *Matthæi* 19. ſub quo comprehendi etiam matrimonium ratum per verba de præſenti contractum, etſi non conſummatum, conſentiunt omnes: ac proinde ſi ſic ligatus attentet ſecundum matrimonium, nihil agit, quia poſtquam uni tradidit ſui corporis poteſtatem, non poteſt illam eo vivente tradere alteri, & ſi tradit, nulliter tradit. Unde ait Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit*. Hanc veritatem declaravit Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum, *cap.* 5. his verbis: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum ulla permittit*. Idem non ſola Pontificum decreta, ſed & Imperatorum ſtatuta ſervandum populis denuntiarunt. Id præſtitit Juſtinianus, lib. 5. ſui Codicis tit. 4. cap. 2. *Neminem* (inquit) *qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe vulgo patet, cum etiam in Edicto Prætoris hujuſmodi viri infamia notati ſint, quam rem comperiens judex inultam eſſe non patiatur*.

VIII. Tantam hujus rei cuſtodiam habet Eccleſia, ut alterum matrimonium prohibeat, niſi cum adeſt certitudo de morte prioris conjugis. Hæc autem certitudo, non habetur ex abſentia multorum annorum, etiam ultra ſeptennium, aut decennium nec ex ſola fama, ſed ex certis nuntiis. Ita Cap. *In præſentia* de ſponſalibus. *In præſentia noſtra quæſiviſtis, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos cauſa captivitatis, vel peregrinationis abſentes ultra ſeptennium præſtolatæ fuerint, nec certificari poſſunt de vita, aut morte ipſorum, licet ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate, ſeu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Conſultationi igitur tuæ taliter reſpondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonice convolare: nec authoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*. Ita Clemens III.

IX. Quod ſi accepto certo nuntio de morte prioris conjugis,

jugis, & ſecundo matrimonio bona fide contracto, moralis illa certitudo inciperet deficere propter conjecturas, quæ in contrarium dubitationem, aut probabilitatem parerent, non tamen certitudinem moralem gignerent, conjux poteſt reddere debitum, non tamen petere ut declaravit Lucius III. Cap. *Dominus* de ſecundis nuptiis, & Innocentius III. Cap. *Inquiſitioni*. De ſent. excommun. Quod ſi graviores ſint conjecturæ, ut ad certitudinem moralem de vita prioris conjugis perducat, ne quidem debitum reddere licebit. Quia in moralibus, quod moraliter certum eſt, pro vero eſt habendum, ut dicto Cap. *Inquiſitioni*.

DUBIUM X.

De impedimentis publicæ honeſtatis, & affinitatis.

§. I.

De publica honeſtatis impedimento.

I. PUblicæ honeſtatis impedimentum, eſt propinquitas orta ex ſponſalibus. Ita 27. quæſt. 2. cap. *Si quis uxorem*, ubi Julius I. ita dicit: *Si quis uxorem deſponſaverit, vel ſubarrhaverit, & ſive præveniente die mortis, ſive irruentibus quibuſdam aliis cauſis minime eam cognoverit, neque ejus ſuperſtes frater, neque ullus de conſanguinitate ejus, eamdem ſibi tollat in uxorem nullo unquam tempore.* Vel ex matrimonio rato, & non conſummato, ut multi ſentiunt ex dicto canone, ex quo patet impedimentum hoc eſſe perpetuum.

II. Verum intra quem gradum impedimentum publicæ honeſtatis dirimat matrimonium, non una fuit quovis ſæculo regula. Nam uſque ad Concilium Lateranenſe IV. Canones ſtatuebant nullum de conſanguinitate ejus, qui contraxit impedimentum, poſſe cum ea, quam ſubarrhavit, vel deſponſavit, nuptias inire. Conſanguinitas autem illis ſæculis uſque ad ſeptimum gradum dirimebat. Poſt Lateranenſe autem, in quo conſanguinitatis gradus, ut vidimus, ad quartum tantum gradum reducti ſunt, impedimentum publicæ honeſtatis quartum non exceſſit.

Tandem poſt Concilium Tridentinum impedimentum, de quo agitur, ſi ortum ſit ex ſponſalibus, quæ tamen valida fuerint, non excedit primum gradum. Ita declarat, Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 3. *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, niſi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant. Quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.* Quibus Concilium impedimentum ortum ex ſponſalibus invalidis prorſus tollit, ortum autem ex ſponſalibus validis ad ſolum primum gradum reſtringit. Unde modo ſponſus de futuro contrahere poteſt cum omnibus conſanguineis ſponſæ, exceptis matre, filiabus, & ſororibus ejus, & ſponſa de futuro contrahere poteſt cum omnibus conſanguineis ſponſi exceptis patre, filiis, & fratribus ejus.

Ex ſponſalibus autem conditionatis ſub conditione de futuro contingente, quamdiu pendet conditio, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia pro eo tempore deeſt conſenſus. Hinc ſi quis ante implementum conditionis contraheret præſenti cum conſanguinea uxoris in primo gradu, matrimonium validum eſſet, ex cap. unico de Sponſalibus in 6. *Cum* (ut ibi dicitur) *ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & inertis, nulla publica honeſtatis juſtitia oriatur.*

Porro cum Tridentinum loco citato de ſola juſtitia publicæ honeſtatis orta ex ſponſalibus loquatur, non autem de ea, quæ oritur ex matrimonio rato, & non conſummato; dicendum eſt, iſtam reliquiſſe ut prius erat, & proinde quamvis illa ſiſtat in primo gradu, iſtam adhuc ſe extendere uſque ad quartum. Ita S. Pius V. decreto, quod incipit *ad Romanum* anno 1568. indicavit.

§. II.

De impedimento affinitatis.

III. AFfinitas, quæ eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens, oriri poteſt, vel ex copula licita, qualis eſt mariti cum uxore, & hæc eſt propinquitas quam contrahit maritus cum conſanguineis uxoris ſuæ, & uxor cum conſanguineis mariti. Vel ex copula illicita, qualis eſt, quam contrahit fornicarius aut adulter cum muliere fornicaria, vel adultera, & e contra. Ex utraque contrahitur impedimentum dirimens, modo infra exponendo. Et ratio eſt. Quia in tantum per copulam licitam naturali neceſſitate contrahitur affinitas, quia per eam vir, & uxor fiunt una caro, *Matth. 19. v. 6.* ſed etiam per copulam illicitam vir, & mulier fiunt, & ſunt una caro dicente Apoſtolo 1. Cor. 6. v. 16. *An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum* (cum ea) *corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne una;* ergo &c. Hoc etiam conſtat ex Cap. *Diſcretionem* in 6. De eo qui cognovit conſanguineam &c. Ut tamen copula inducat affinitatem, debet eſſe completa, & perfecta, ac per ſe ſufficiens ad generationem prolis, ſive aliunde impediatur, ſive non. Quod ſi matrimonium conjuges non conſummarent, nec maritus contraheret affinitatem cum conſanguineis uxoris, nec uxor cum conſanguineis viri, quia conjuges per ſolam conſummationem matrimonii fiunt una caro, ut patet ex Cap. *Debitum* extra de Bigamis.

IV. Advertendum tamen eſt cum S. Thom. *quæſt. 55. Supplem. art. 5.* & aliis communiter, quod affinitas non parit affinitatem. Non enim conſanguinei viri, & conſanguinei mulieris affinitatem inter ſe contrahunt, ex eo quod vir cum conſanguineis mulieris, & viciſſim mulier cum conſanguineis viri affinitatem contraxerit. Sic ſoror, vel frater uxoris non contrahit affinitatem cum fratre, vel ſorore mariti. Sic filius, vel filia mariti ex alio conjugio non contrahit affinitatem cum filio, vel filia uxoris ex alio conjugio. Unde ſoror uxoris contrahere poteſt cum fratre mariti, & ſoror mariti cum fratre uxoris, ſi nihil aliud obſtet. Et eadem ratione, niſi aliud obſit, filia uxoris ex alio conjugio contrahere poteſt cum mariti filio ex alio conjugio, & filia mariti ex alio conjugio cum uxoris filio ex alio conjugio. Patent hæc ex Cap. *Super his* extra de conſanguin. Cum itaque conſanguinei utriuſque conjugis ſe affines nominant, late, & improprie loquuntur.

V. Nunc videndum eſt, ad quotum gradum affinitas ſe extendat; ita ut matrimonium dirimat. Et quidem ſi diverſos ſtatus legum ab orbe condito inſpiciamus, diverſam ſuper hoc diſciplinam reperiemus. In lege enim naturæ licita erant, & valebant matrimonia inter affines in primo gradu lineæ collateralis. Alioquin culpandus eſſet Jacob, qui cognita Lia, poſtea tamen cum Rachele ejus ſorore contraxit, & ſic duas ſorores ſimul habuit uxores. Judas Patriarcha præcepit Onam filio ſuo, ut accepta Thamar uxore fratris ſui defuncti, ſuſcitaret ei ſemen, *Geneſ. cap. 38. v. 8.* In lege ſcripta matrimonium mulieris cum ſui mariti defuncti fratre, non ſolum validum, & licitum fuit, ſed præceptum, ſi ex eo liberos non genuiſſet, ut habetur, *Deuter. 25. v. 5.*

VI. Tam autem in lege naturæ quam moſaica intra varios affinitatis gradus fuerunt irrita, vel ſaltem illicita matrimonia. In lege enim naturæ non valuerunt inita inter novercam, & privignum, ſaltem vivente noverca marito. Unde cum Ruben cum Bala uxore patris ſui ſe commiſcuiſſet, ut habetur, *Geneſ. 35. v. 22.* acerbam hanc a patre morituro maledictionem audivit, Geneſ. 49. v. 4. *Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Irrita quoque fuiſſe inter ſocerum, & nurum etiam defuncto hujus marito, arguitur ex eo, quod Judas Patriarcha, ut legitur, *Geneſ. 38.* licet deceptus fruitus eſſet amplexibus Thamar nurus ſuæ, genuiſſetque ex ea Phares, & Zaram: eam tamen non duxit in uxorem, ratus haud dubie, ſed id valide non poſſe.

In lege pariter ſcripta in recta linea deſcendentium affines inire non potuerunt: non enim filius etſi ex alio conjugio natus uxorem patris ſui ducere poterat, *Turpitudinem uxoris patris tui* (inquit Moyſes, Levit. 18. *v. 8.*) *non diſcooperies: turpido enim patris tui eſt.* Et ideo Adonias, qui ambierat nuptias Abiſach Sunamitidis, quæ fuerat Davidis patris uxor, eſto ex ea non fuiſſet progenitus, repulſam paſſus eſt a Salomone fratre legis obſervantiſſimo. In recta quoque deſcendentium linea inita non fuerunt conjugia inter affines in primo gradu. Unde pater cum uxore filii ſui, ſeu ſocer cum nuru, nubere non poterat ut ibidem, v. 15. *Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui eſt.* In linea quoque obliqua aſcendentium, ut nepotis ad uxorem patrui, non potuerunt celebrari conjugia, ibid. v. 14. *Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.* Irritas quoque fuiſſe nuptias patrui cum uxore nepotis mortui; cenſet S. Hieronymus. Sed communius tenetur oppoſitum. Sicut enim lex non vetuit nuptias patrui cum nepte, ita nec cum uxore nepotis. Ideo autem Moyſes vetuit, ne cum amita nuberet nepos, quod judicavit dedecere, eum qui per naturam inferior eſt amita, ipſi per conjugium dominari.

VII. In lege autem Evangelica conjugia in recta linea aſcendentium irrita ſemper feciſſe nuptias inter affines, puta inter filium ex alia matre, & uxorem patris ſui, oſtendunt hæc verba Pauli, 1. Cor. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Videtur enim hoc juri naturali repugnare, ut inter ſocerum, & nurum, inter generum, & ſocrum, inter privignum, & novercam matrimonium ineatur: unde dicit Paulus hæc conjugia etiam ipſis barbaris gentibus horrori fuiſſe. Cum enim Seleucus Rex Syriæ, ut referunt Plutarchus in vita Demetrii, & Valerius Maximus, *lib. 5. cap. 79.* Filio ſuo, quem ex vehementiſſimo amore erga Stratonicam novercam periculoſe ægrotare videbat, eam ipſi nuptui dediſſet, factum hujuſmodi (ait Cabaſſutius) inter infamia barbarorum dedecora connumerandum eſt; quemadmodum & Perſarum, qui liberorum cum propriis parentibus nuptias probare ſolebant. Unde concluditur, quod in recta affinitatis linea, Eccleſia, ſicut nunquam diſpenſaſſe legitur, ita nec poſſit diſpenſare.

VIII. Circa vero gradus lineæ collateralis affinitatis matrimonium dirimentes, varia variis temporibus fuit Eccleſiæ diſciplina, quemadmodum & circa gradus conſanguinitatis.

tatis. Quia ut docet S. Thom. quæſt. 55. Supplem. art. 8. *Ex quo gradus affinitatis ſumuntur juxta gradus conſanguinitatis, oportet, quod tot ſint gradus affinitatis, quot ſunt gradus conſanguinitatis. Sed tamen quia affinitas eſt minus vinculum, quam conſanguinitas, facilius & olim, & nunc diſpenſatio fit in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus conſanguinitatis.*

IX. Ex his ſequitur, quod ſicut olim ante Concilium Lateranenſe IV. conſanguinitatis impedimentum, uſque ad ſeptimum extendebatur, poſtea tamen ab eo reductum fuit ſolum ad quartum inclusive; ita affinitas, quæ ad plures extendebatur, ad quartum gradum reſtricta fuit ab eodem, *cap.* 51. & loquendo de affinitate contracta ex copula conjugali & proinde licita, etiam modo in Eccleſia ſervatur. Loquendo tamen de copula fornicaria, & illicita, poſt Concilium Tridentinum non dirimit matrimonium, niſi uſque ad ſecundum gradum inclusive. Ita enim, *Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 4.* ſtatuit: *Præterea S. Synodus eiſdem, & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducatur, & matrimonium poſtea factum dirimit; ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit, in ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere.*

X. Si quæras: Quo Jure affinitas ex copula conjugali dirimat matrimonium?

Reſpondeo, ut ſupra indicatum eſt, probabiliſſimum eſſe, talem affinitatem jure naturali dirimere matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ut inter vitricum, & privignam, & privigni cum noverca, ſocrum, & nurum, generum, & ſocrum; eo quod ejuſmodi matrimonia tantam indecentiam, & repugnantiam cum natura rationali habeant, ut, quemadmodum ſupra dixi, gentes etſi barbaræ, ea ſemper exhorruerint.

Affinitas autem in linea tranſverſali etiam in primo gradu eſt impedimentum dirimens jure tantum Eccleſiaſtico. Matrimonia enim in hoc gradu contracta juri naturali non eſſe contraria, oſtendunt exempla veterum piorum Patrum, qui tum in lege naturæ, tum Moſaica duas ſorores duxerunt: nec etiam ſunt contraria juri poſitivo divino. Lex enim Moſaica in iis, quæ juri naturali non adverſantur, per Evangelium fuit abrogata. Quapropter licet primo gradu lineæ rectæ non poſſit Eccleſia diſpenſare, in primo tamen gradu affinitatis lineæ tranſverſalis poteſt. Hinc infertur primo Emmanuelem Luſitaniæ Regem ex diſpenſatione Alexandri VI. potuiſſe licite, & valide nubere, ut revera poſtea nupſit cum Eliſabetha, & ſucceſſive cum Maria filiabus Ferdinandi Hiſpaniarum Regis. Et ſecundo Henricum VII. Anglorum Regem immerito repudiaſſe Catharinam Auſtriacam, quamvis antea nupſiſſet Arturo ejuſdem Henrici germano fratri. Nam antequam iniretur illud conjugium, impedimenti Eccleſiaſtici, de quo agitur, diſpenſatio legitime obtenta fuerat a Julio II.

XI. Si petas ſecundo: An affinitatis matrimonio ſuperveniens illud diſſolvat?

Reſpondeo negative cum S. Thom. quæſt. 55. Supplem. art. 6. Et Cap. *Fraternitatis*, & Cap. *Jordane*, extra de eo qui cognovit conſanguineam &c. Ille tamen e conjugibus, cujus culpa orta eſt affinitas, tenetur quidem conjugi petenti reddere debitum, ut ex citatis capitibus patet; quia affinitas poſt matrimonium inique contracta, illi nocere non debet, qui (vel quæ) iniquitatis particeps non exiſtit, ut dicitur, Cap. *Tua fraternitatis*. At nonniſi obtenta prius diſpenſatione poterit umquam debitum petere, ut conſtat, Cap. *Si quis*, & Cap. *Tranſmiſſa*, eodem titulo.

Sed quid ſi vir uxorem ſuam, vel invitam traderet adulterandam alteri ſibi in primo, aut ſecundo gradu conſanguineo? — Dico, quod vir ille tenetur uxorem ſuam ad ſe redeuntem recipere, eique exigenti debitum reddere ex Cap. *Diſcretionem*, eodem tit. At non poteſt, niſi prius diſpenſationem obtineat, debitum exigere, quia affinitas cum injuria uxoris contracta, ipſi merito imputatur.

XII. Si petas tertio. Quam pœnam incurrant contrahentes matrimonium in gradu, ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis prohibito.

Reſpondeo, quod ſi contrahant ſcienter, ſunt ipſo facto excommunicati ex Clementina, *Eos qui*, unica de conſanguinit. & affinit. in 6. *Eos qui* (inquit Pontifex)... *ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis conſtitutione canonica interdicti... contrahere matrimonialiter non venerunt.... excommunicationis ſententia ipſo facto decernimus ſubjacere*. Vox illa *Scienter* indicat, excommunicationem non incurrere eos, qui ignorantes, ſe eſſe in gradu prohibito, dummodo ignorantia non ſit affectata, conſanguineos, vel affines bona fide contraxerunt. Separandi tamen ſunt, quouſque diſpenſationem non obtinuerint. Super quo Tridentinum Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 5. *Si quis* (inquit) *intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis; non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit: tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit.*

XII. Si tamen petas: An infideles per copulam, ſive licitam, ſive illicitam affinitatem jure contrahant in infidelitate, & an hæc affinitas maneat in eis etiam converſis poſt Baptiſmum: Et rurſus, quatenus maneat an ſint ſeparandi?

Reſpondeo ad primum affirmative. Quia ex copula tam licita, quam illicita naturali neceſſitate ſequitur affinitas, & ſemel contracta, ex natura rei perpetua eſt. Unde in infidelibus ad fidem converſis, & baptizatis, adeoque jam Eccleſiæ ſubjectis, tam impedit matrimonium, quam ſi contracta fuiſſet poſt Baptiſmum.

Ad ſecundum vero dico, quod ſi affinitas contracta in infidelitate ſit in gradu jure tantum canonico prohibito, ſi poſtea ad fidem convertantur, non ſunt ſeparandi. Conſtat ex Cap. *De infidelibus*, extra de conſanguinit. Et ratio eſt: Quia infideles cum non ſint ſubjecti Eccleſiæ: & ita nullo impedimento pure canonico ligari poſſunt, in infidelitate valide contrahunt in gradu, ſive affinitatis, ſive conſanguinitatis, qui jure tantum canonico prohibetur. Matrimonium autem valide contractum, & conſummatum, non poteſt ab Eccleſia diſſolvi propter Chriſti verba, Matthæi 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Et hoc dico gratiam ſi matrimonium nondum eſſet conſummatum. Nam utpote verum non ſolveretur, ſed ratum fieret per eorum Baptiſmum.

DUBIUM XI.

De impedimentis impotentiæ, raptus, & clandeſtinitatis.

§. I.

De impedimento impotentiæ.

I. IMpotentia, de qua hic ſermo erit, eſt illius, qui non poteſt habere copulam perfectam ſufficientem ad generationem prolis. De hac S. Thom. *quæſt.* 58. *Supplem. art.* 1. ubi ait, quod impotentiam coeundi poteſt eſſe: *Vel ex cauſa intrinſeca, & naturali, vel ex cauſa extrinſeca, & accidentali, ſicut per maleficium. Si autem ſit ex cauſa naturali, hoc poteſt eſſe dupliciter. Quia vel eſt temporalis, cui poteſt ſubveniri remedio medicinæ, vel proceſſu ætatis.... Vel eſt perpetua &c.* Perpetua autem illa dicitur, quæ præter divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo non poteſt removeri, ut indicat Innocentius III. Cap. *Fraternitatis*, tit. de Frigidis, & maleficiatis. Inſuper. Alia eſt abſoluta, qua quis impotens eſt reſpectu omnium, quales ſunt omnes perfecte eunuchi. Alia eſt reſpectiva, qua redditur impotens, puta ad virginem, non ad corruptam, vel ad certam perſonam, ut in maleficiatis contingit. Alia antecedit matrimonium, alia ſubſequitur. His præmiſſis.

II. Dico primo. Impotentia ad actum conjugalem perfectum, ſi ſit perpetua, eſt impedimentum dirimens matrimonium. Ita S. Th. citatus, ubi ait, *Quod in matrimonio eſt contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale ſolvendum. Unde ſicut in aliis contractibus non eſt conveniens obligatio, ſi aliquis ſe obliget ad hoc, quod non poteſt dare, vel facere* (& maxime ſi impotentia ſit perpetua) *Ita non eſt conveniens matrimonii contractus, ſi fiat ab aliquo, qui debitum carnale* (impotentia perpetua) *ſolvere non poſſit*. Cum ergo matrimonium eſſentialiter conſiſtat in mutua traditione corporum, & obligatione ad actum conjugalem, ubi ad illum uſum eſt perpetua impotentia, nequit ſubſiſtere conjugium. Nam ut ait idem S. Th. ad 1. *Quamvis actus carnalis copula non ſit de eſſentia matrimonii, tamen potentia ad actum eſt de ejus eſſentia, quia per matrimonium datur utrique conjugum poteſtas in corpus alterius reſpectu carnalis copulæ.*

III. Si dicas: Senes quamvis ex defectu caloris impotentes ſint ad generandum, valide tamen contrahere poſſunt. — Reſpondet S. Th. ibi ad 3. *Quod ſenes, quamvis quandoque non habeant caliditatem ſufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem ſufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium, ſecundum quod eſt in remedium, quamvis non competat eis ſecundum quod eſt in officium naturæ*. Si tamen provectæ adeo eſſent ætatis, ut matrimonio conſummando eſſent impares, cenſent plures auctores, verum, ac ratum inire non poſſe conjugium.

IV. At dices: Quid ſi fœmina ſciens impotentia viri, aut e contra, adhuc velit contrahere, & contrahat matrimonium? — Cenſent aliqui matrimonium fore nullum, quia ſive ſciatur ejus impotentia, ſive non, ſemper eſt impotens, & proinde jure naturali inhabilis. Attamen.

S. Thom. citata *quæſt. 58. art. 1. ad 4.* hæc dicit: *In quolibet contractu hoc univerſaliter tenetur, quod ille qui eſt impotens ad ſolvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo ſe obligat ad ejus ſolutionem. Eſt autem impotens dupliciter. Uno modo quia non poteſt ſolvere de jure; & ſic talis impotentia omnibus modis facit contractum eſſe nullum, ſive ſciat ille cum quo facit talem contractum, hanc impotentiam, ſive non. Alio modo, quia non ſit ſolvendo de facto. Et tunc ſi ſcit ille, cum quo contrahit,*

bit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, oſtenditur, quod alium finem ex contractu quærit. Et ideo contractus ſtat: ſi autem neſcit, tum contractus nullus eſt. Et ideo frigiditatis, quæ cauſat talem impotentiam, ut homo non poſſit de facto ſolvere debitum, ſicut & conditio ſervitutis, per quam non poteſt homo de facto libere reddere, impediunt matrimonium, quando alter conjugum ignorat hoc, quod alius non poteſt reddere debitum. Impedimentum autem per quod quis non poteſt de jure reddere debitum, ut conſanguinitas, annullat contractum matrimonium, ſive ſciat alter conjugum, ſive non. Et propter hoc Magiſter ponit (in 4. diſt. 34.) *quod hæc duo, frigiditas, & ſervitus faciunt perſonas non omnino illegitimas.* Hucuſque S. Thomas. An vero loquatur de impotentia, quæ poſſit abſolute, & via naturali amoveri, an de impotentia prorſus inamovibili, dubitant Interpretes. Qui tamen cum hac ſcientia contraherent, deberent ad vitandum periculum incontinentiæ vivere ſeparati a thoro, & ſi oporteret, etiam a cohabitatione, non ut vir, & uxor, ſed ut frater, & ſoror. Et hunc eſſe Romanæ Eccleſiæ morem dicit Lucius III. Cap. *Conſultationi*, tit. de Frigidis &c. ſimili quæſito reſpondens: *Licet* (inquit) *incredibile videatur, quod aliquis cum talibus* (ſcienter) *contrahat matrimonium: Romana tamen Eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare, ut quas tamquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores.*

V. Si quæras primo: Quo jure impotentia perpetua dirimat matrimonium?

Reſpondeo: Impotentia perpetua, & abſoluta reddit impotentem jure naturali perpetuo inhabilem ad contrahendum matrimonium, quia tollit id, quod eſt de eſſentia matrimonii, ſcilicet traditionem poteſtatis ad copulam carnalem. —— Neque obeſt quod dicebamus ex S. Thoma, quod ſi impotentia illa ſit a contrahente cognita, & nihilominus contrahere velit, verum ſit matrimonium, quod non ſubſiſteret, ſi impotentia jure naturali dirimeret. —— Nam, vel S. Thom. ibi loquitur de illa impotentia, quæ ſicut ſervitus, cum qua illam comparat, poteſt removeri, non vero de impotentia naturaliter perpetua, ut exponit Sylvius ibi, *quæſito* 2. Vel ſi loquitur de impotentia naturaliter perpetua, cenſetur qui cum tali ſcientia contrahit, ſe ob alium finem, quam ob copulam carnalem velle contrahere, & contentum eſſe ſolo vinculo animorum, non corporum, in quo matrimonium verum conſiſtere poſſe ſupra diximus.

VI. Si quæras ſecundo: Quomodo dignoſci poſſit, an impotentia ſit perpetua, an ſolum temporalis?

Reſpondet S. Th. *art.* 1. ſæpe laudato, his verbis: *Ad hoc autem cognoſcendum, utrum* (impotentia) *ſit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Eccleſia tempus determinatum adhibuit, in quo hujus rei poteſt eſſe experimentum, ſcilicet triennium. Quod ſi poſt triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam copulæ carnali implendæ, inveniatur, matrimonium non eſſe conſummatum, judicio Eccleſiæ diſſolvitur. Et tamen in hoc quandoque errat: Quia per triennium quandoque non ſufficienter experiri poteſt perpetuitas impotentiæ. Unde Eccleſia ſi ſe deceptam inveniat, per hoc quod ille, in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia, vel cum eadem perfeciſſe, reintegrat matrimonium præcedens, & dirimit ſecundum, quamvis de ejus licentia ſit factum.*

VII. Hoc idem triennii ſpatium probandæ impotentiæ indulgent Canones, Can. *Laudabilem*, tit. de Frigidis, & Maleficiatis, ubi Cæleſtinus III. *Requiſiviſtis* (inquit) *quantum temporis indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ carnalis.* Et infra: *Nos vero in præſenti conſultatione ſentimus, ut a tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium.* Et etiam Jus civile. Nam cum ante ad ejuſmodi experimentum ſolum biennium eſſet ſtatutum, Juſtinianus Imperator, ſexto ſæculo, *Novella* 22. *de Nuptiis, cap.* 6. ad triennium extendit. Quod vero ſi poſt triennium, qui judicatus fuerat impotens, inveniatur potens, qui ab eo diſceſſit, etiamſi alias nuptias contraxerit, teneatur ad eum redire, aperte declarat Innocentius III. Cap. *Fraternitatis*, eodem titulo. Aliam tamen conſuetudinem dicit Juenin obſervari in Galliis. Sed de his nihil ad Theologos, ſicut nec de modo, quo fieri debeat hujuſmodi experimentum impotentiæ maxime in fœmina: ideoque ab his abſtineo.

VIII. Dico ſecundo. Impotentia, quæ oritur ex cauſa extrinſeca, ſi ſit perpetua, dirimit matrimonium cum ea, cum qua contraxit, ſecus vero, ſi non ſit perpetua. Ita S. Th. q. 78. citata *art.* 2. ubi reprobatis quibuſdam, qui dicebant: *Maleficium nihil eſſe in mundo, ſed ſolum in æſtimatione hominum, qui effectus naturales occultos quorum cauſa ſunt occulta, maleficiis imputabant*: dicit: *Sed hæc vera fides repudiat, per quam Angelos de Cælo cecidiſſe credimus, & ex ſubtilitate ſuæ naturæ multa poſſe, quæ nos non poſſumus: Et illi qui eos ad facienda talia inducit, maleficus vocatur.* Rejectis etiam aliis, qui dicebant, ex maleficio nullum contrahi impedimentum, quod ſit perpetuum, ac dirimens, & jura, quæ hoc dicebant, eſſe revocata proſequitur.

Et ideo diſtinguendum eſt. Quia impotentia coeundi ex maleficio, aut eſt perpetua, & tunc matrimonium dirimit. Aut non eſt perpetua, & tunc non dirimit: Et ad hoc experiendum eodem modo Eccleſia tempus triennii præfixit, ſicut de frigiditate dictum eſt. Tamen hæc differentia eſt inter maleficium, & frigiditatem. Quia qui propter frigiditatem eſt impotens, ita eſt impotens ad unam, ſicut ad aliam: Et ideo quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut conjugatur alteri. Sed ex maleficio homo poteſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam. Et ideo quando judicio Eccleſiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam quærat. Ratio autem hujus eſt, quia, ut docet S. Thom. ibi, *ad* 4. Maleficium quandoque poteſt præſtare ad omnes impedimentum, quandoque ad unam tantum tollendo a viro concupiſcentiam moventem ad unam, & non ad aliam, quia Dæmon voluntaria cauſa eſt, & tantum agit quantum Deus eis permittit operari.

IX. Quapropter ad removendum tale impedimentum, ad preces, jejunia, eleemoſynas, ſacramentorum frequentiam prius recurrendum eſt, deinde ad Eccleſiaſticos Exorciſmos, quæ ſi non proſint, Eccleſia judicabit impotentiam eſſe perpetuam. Nullo autem modo id quod per maleficium factum eſt, per aliud maleficium tollere licet, ut docet S. Thom. *ad* 3. quia nec ſemper id, quod per unum maleficium factum eſt, per aliud maleficium deſtrui poteſt, nec ullo modo debet aliquis dæmonis auxilium invocare.

X. Dico tertio. Impotentia naturalis reſpectiva, probabilius eſt, quod non dirimat matrimonium. Ita cenſeo cum S. Th. hic *art.* 1. *ad* 5. ubi ait: *Non poteſt eſſe perpetuum impedimentum naturale viro reſpectu unius perſonæ, & non reſpectu alterius. Sed ſi non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & tamen poſſit cum corrupta: tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſunt clauſtra pudoris frangi, & ei conjungi. Nec eſſe hoc contra naturam, quia non fieret ad delectationem, ſed ad medicamentum. Abominatio autem mulieris non eſt cauſa naturalis, ſed cauſa accidentalis extrinſeca.* Sed hæc relinquimus diſcutienda aliis.

XI. Dico quarto. Impotentia etiam perpetua, ſi matrimonium jam contractum, eſto nondum conſummatum ſubſequatur, illud non dirimit. Patet: Nam quæ matrimonium ſubſequuntur, impedire non poſſunt, quin validum antea fuerit, & produxerit vinculum omnino indiſſolubile, excepto voto ſolemni religionis, quo ſupra diximus ſolvi matrimonium nondum conſummatum.

§. II.

De impedimento raptus.

VII. RAptus, ut hic accipitur, eſt abductio perſonæ invitæ de uno loco ad alium, ſive ad explendam libidinem, ſive ad matrimonium contrahendum. Matrimonium ergo inter raptorem, & raptam nullum eſt jure Civili. Juſtinianus enim, *lib.* 9. *eod. tit.* 13. hanc promulgat legem: *Nec ſit facultas raptæ virgini, vel viduæ, vel cuilibet mulieri ſibi maritum expoſcere, ſed cui parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copulent matrimonio.* Quibus Juſtinianus irritas declarat nuptias raptæ cum raptore, etiam adveniente poſtea ipſius & parentum conſenſu, ſubdit enim: *Quoniam nulloque tempore datur a noſtra ſerenitate licentia eis conſentire, qui hoſtili more in noſtra Republica ſtudent matrimonia ſibi conjungere.* Item Carolus Magnus, *lib.* 6. *Capitularium, num.* 95. ſic ſtatuit: *Si quis alterius ſponſam, virginem, & viduam, necdum deſponſatam rapuerit, vel furatus fuerit; placuit ut ſive eam poſt ſponſaverit, ſive dotaverit, ſive cum parentum ejus voluntate, quocumque commercio ipſam acciperе, vel tenere potuerit, numquam illam uxorem habeat.*

Nullum etiam fuit jure Eccleſiaſtico antiquo. Nam Concilium Aquiſgranenſe, quod laudat Gratianus, Cauſa 36. q. 2. cap. *Placuit*, ait: *Placuit, ut ſi qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut ſeducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis poſtmodum convenient, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint.*

At poſtea jure decretalium raptor contrahere potuit cum rapta, modo e diſſentiente fieret conſentiens in matrimonium. Ita Cap. *Accedens*, tit. de Raptoribus &c. ubi Innocentius III. *Rapta* (inquit) *puella contrahet cum raptore, ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere: dummodo ad contrahendum legitimæ ſint perſonæ.*

XIII. Jure autem novo per Concilium Tridentinum ſtatuto, *Seſſ.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 6. decernitur. Primo: inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe ſubſiſtere matrimonium. Secundo: ſi rapta a raptore ſeparata, & in tuto, ac libero loco conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, raptorem eam in uxorem habere poſſe. Tertio: nihilominus raptorem, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ipſo jure excommunicatos eſſe, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidere. Quarto: raptorem teneri mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare. Verba Concilii ſunt: *Decernit S. Synodus, inter raptorem, & raptam, quam diu ipſa in raptoris poteſtate manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, ac libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat. Et nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, perpetuo infames, omniumque digni-*

dignitatum incapaces, & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare. Quibus Concilium de novo non ſtatuit, raptum eſſe impedimentum dirimens, ut aliqui putant, ſed potius jus antiquum moderatur, & jus decretalium explicat, præſcribens modum, quo conſenſus raptæ legitimus ſit, & tandem in raptorem, ejuſque fautores ſevere animadvertit.

XIX. Non ſtatim tamen ab Eccleſiæ exordiis raptus impedimentum dirimens ſtatutum fuit. Nam Concilia ante quintum ſæculum celebrata, ut Chalcedonenſe, *Can.* 17. pœnæ quidem in raptores mulierum infligendæ meminit nimirum excommunicationis, ſed invalidas nuptias raptoris cum rapta non pronuntiavit. Unde, cauſa 36. quæſt. 2. cap. *Tria legitima* affertur auctoritas Hieronymi conjugium raptoris cum rapta accedente voluntate Patris, & accepta a raptore dote quantum pater judicaverit, ratum habentis. Et Ambroſius, in Apologia David cap. 8. *Denique* (inquit) *& puella pater illius, quæ vim concubitus nulli deſponſata pertulerit, quinquaginta drachmas argenteas accipiet, ipſa autem in conjugio permanebit.* Monebantur autem dicti Patres Lege, Deuter. cap. 22. v. 28. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam uxorem; quia humiliavit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ.* Solum ergo a ſæculo ſexto ſupradicta Juſtiniani lege, & ſucceſſive octavo ſæculo Caroli Magni, approbante Eccleſia in Concilio Aquiſgranenſi, cœpit raptus eſſe impedimentum dirimens, quod tamen poſt undecimum ſæculum deſiiſſe viſum fuit, cum in decretalibus nulla a ſummis Pontificibus ratio illius habeatur, & leges etiam Imperatorum in uſu eſſe ceſſarunt. In concilio tamen Tridentino, ut vidimus, renovatum fuit, & quoad pœnas, & quoad nullitatem modo ab eo præſcripto.

XV. Quæres: An ſit raptus dirimens matrimonium? Primo. Si puella conſentiens, ſed invitis parentibus, abducta fuit. Secundo. Si puella dolo abducta eſt, non vi, vel metu. Tertio. Si puella violenter abducta eſt, non matrimonii contrahendi, ſed libidinis explendæ cauſa. Quarto. Si quis puellam rapuit, non per ſe, ſed per alium. Quinto. Si non vir fœminam, ſed fœmina virum rapuit.

XVI. Reſpondetur. Ad primum, negative. Quia ut ait Lucius III. Cap. *Cum cauſam*, tit. de Raptoribus: *Iſte raptor dici non debet, cum habeat mulieris aſſenſum.... licet parentes reclamarent, a quibus dicitur eam rapuiſſe.* Et quidem ſi puella non niſi volens abducitur, quantumvis ejus abductioni renitantur parentes, matrimonii, quod ſolo contrahentium conſenſu perficitur, ut *Cauſa* 27. *q.* 2. dicitur, libertas non impeditur, cum ut ſupra dictum eſt, ad ejus validitatem conſenſus parentum non requiratur; ergo puellæ volentis abductio, quamvis invitis parentibus facta, cenſeri non poteſt raptus, de quo jus Eccleſiaſticum loquitur, cum loquatur tantum de raptu libertati matrimonii adverſante.

Ad ſecundum, reſp. negative. Raptus enim, ſine violentia eſſe non poteſt, ut patet, Lege 3. §. *Aliud autem*, ff. de Incendio, ubi dicitur: *Amoveri aliud etiam ſine vi: rapi autem ſine vi non poteſt.* Abductio autem puro dolo facta, non cenſetur facta cum vi, & violentia. Quia tamen dolus, etſi non inferat vim, minuit tamen libertatem; crederem, in ſimili cauſa caute procedendum eſſe.

Ad tertium, aliqui negant. Verius tamen alii affirmant. Quia violentia puellæ abductio, ſive matrimonii, ſive libidinis cauſa fiat, perinde officit libertati matrimonii, adeoque verus eſt raptus, in ſenſu Tridentini.

Ad quartum, reſp. affirmative. Quia tamen vere raptor eſt, qui per alium, quam qui per ſe ipſum rapit.

Ad quintum, reſp. negative. Nam de hoc caſu, qui aut numquam, aut non niſi rariſſime contingit, Tridentinum nihil ſtatuere voluit.

§. III.

De impedimento clandeſtinitatis.

XVII. CLandeſtinitas in caſu præſenti idem eſt, ac matrimonium factum in occulto, ideſt non in facie Eccleſiæ, ſeu cum præſentia Parochi, vel alterius de ejus licentia, & duorum ſaltem teſtium. De hoc locuti ſumus ſupra, *q.* 3. *dub.* 3. ubi §. 1. oſtendimus, matrimonium clandeſtinum fuiſſe ſemper ab Eccleſia prohibitum, ac proinde illicitum, & §. 2. ab Eccleſia in Tridentino factum fuiſſe impedimentum dirimens. Quæ huc revocanda ſunt. Solum pro claritate aliqua proponemus & ſolvemus quæſita.

XVIII. Quæritur ergo primo: Quid ſi aliqui contrahant præſente Parocho, & duobus teſtibus, ſed omiſſis, abſque ordinarii diſpenſatione, proclamationibus?

Reſpondeo, illicite quidem agere, quia tranſgrediuntur præceptum Eccleſiæ jubentis, ut trina proclamatio præcedat: At nihilominus matrimonium validum eſt, quia nihil omittunt ex iis, quæ ad contractum matrimonialem tamquam eſſentialia requirit Synodus, ſed ſolum vult, ut per trinam proclamationem facilius dignoſcatur, ſi adſit aliquod impedimentum, relinquens hoc arbitrio Ordinarii, ut declarat, *Seſſ.* 24. *cap.* 1.

XIX. Quæritur ſecundo: Quid ſi in loco, ubi Tridentinum publicatum eſt, aliqui clandeſtine contrahant cum ignorantia inculpabili hujus decreti?

Reſpondeo: Quod invalide contrahunt, quamvis non peccent. Ratio eſt: quia ignorantia inculpabilis excuſat quidem a peccato formali; non poteſt tamen efficere, ut qui inhabilis eſt, fiat habilis: ſicut conſanguinei in quarto gradu invalide ſine diſpenſatione contrahunt, quamvis inculpabiliter ignorent gradum ſuæ conſanguinitatis, vel matrimonium in tali gradu eſſe nullum.

XX. Quæritur tertio. Quid ſi incola loci, in quo Tridentinum receptum eſt, clandeſtine contrahat in loco, in quo non erat receptum?

Reſpondeo: Quod valide contrahit, niſi tamen illuc ſe contulerit ad eum finem, ut clandeſtine contrahat. E contra vero incola loci, in quo Tridentinum receptum non eſt, ſi in loco in quo receptum eſt clandeſtine contrahat, invalide contrahit. Ratio primi eſt; Quia Tridentinum, ut ex Cap. citato in fine patet, noluit decretum ſuum vim habere, niſi poſt publicationem: *Decernit inſuper, hujuſmodi decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos.* Igitur qui in loco, ubi non eſt publicatum, clandeſtine contrahit, valide contrahit, etiamſi ibi tantum per tranſitum commoretur: modo tamen eo non ſe contulerit in fraudem decreti, alioquin invalide contrahit, ut a Sacr. Congreg. Cardinalium Tridentini Interpretum declaratum eſſe, ſcribit Zipæus, *lib.* 4. *Conſult.* 6. —— Ratio ſecundi caſus eſt. Quia contrahentes ſortiuntur forum loci, in quo contrahunt ex Cap. *Licet* fin. tit. de foro competenti, atque ita tenentur contrahere ſecundum leges loci, in quo contrahunt.

XXI. Quæres quarto: Quid ſi quis morti proximus velit ad prolem legitimandam ducere concubinam, nec haberi poſſit parochus, aut alius ſacerdos de Parochi licentia?

Reſpondetur: ſi ſit in loco, ubi receptum eſt Tridentini decretum, non poſſe valide contrahere etſi velit: neceſſitas enim tollere quidem poteſt obligationem, ſed non inhabilitatem, quam inducit lex irritans, niſi forte diceretur in tali neceſſitatis caſu, tacitam adeſſe diſpenſationem, ſicut in caſu neceſſitatis adeſt diſpenſatio tacita, ut quilibet Sacerdos a quibuſvis peccatis, & cenſuris poſſit abſolvere.

XXII. Quæres quinto: Quid de matrimonio Catholicorum clandeſtine contrahentium in Hollandia, aut aliis locis in quibus olim receptum fuit Tridentinum decretum, quod modo ab hæreticis illas provincias, & loca occupantibus rejicitur?

Reſpondeo: Invalide contrahere, ſi Catholici præſentem habere poſſunt Parochum, vel alium de ejus licentia ſine gravi ſuo, vel Parochi periculo. Quod ſi præſentem non poſſunt habere Parochum, vel quia nullus eſt, vel quia ſic latet, ut nequeat inveniri, vel denique quia ſine gravi ipſius, aut contrahentium periculo adiri, aut advocari non poteſt, tunc credere par eſt, ex Eccleſiæ diſpenſatione, Catholicos illic coram duobus, vel tribus teſtibus contrahentes, valide contrahere. Et hoc referente præfato Zipæo, *lib.* 4. *tit. de Sponſ. num.* 16. Declaravit eadem S. Congregatio Concil. Trident. interpretum.

Quod autem attinet ad regionum illarum hæreticos, quamvis aliqui putent eorum matrimonia eſſe invalida, & meras fornicationes, & ad hoc decretum ejuſdem S. Congregationis afferant, *anno* 1602. 26. *Septembris*, & confirmatum 4. *Auguſti* 1725. videlicet: *Hæreticos quoque ubi Decretum Cap.* 1. *Seſſ.* 24. *de Reform. Matrim. eſt publicatum, teneri talem formam obſervare, & propterea ipſorum etiam matrimonia abſque forma Concilii, quamvis coram miniſtro hæretico vel magiſtratu loci contracta nulla, atque irrita eſſe.*

Alii tamen probabile cenſent, illos ex tacita ſummi Pontificis ſcientia, nec reclamantis diſpenſatione, ſi nihil aliud obſit, valide contrahere, ſi contrahant coram miniſtro ſuo, vel ubi conſuetudo eſt, coram duobus teſtibus. Et ratio eſt quia Eccleſia eorum matrimonia non rejicit tamquam illegitima. —— His tractatui de matrimonio, terminum pono.

TRA-

TRACTATUS XIV.

DE STATU ANIMÆ POST HANC VITAM.



E dedigneris, Lector humaniſſime, quod cum Theologi communiter in Tractatu de Sacramentis toti Theologico curſui terminum figant, nos illud ad ulteriora protrahamus. Finiunt equidem fortaſſe ibi quæſtiones, quæ vulgo in Scholis diſputantur: ſed non finiunt, immo ſuperſunt alia plura viro Theologo ſcitu digna, quibus ipſum imbutum eſſe deceat, & ut quærenti ſatisfacere, & neganti obviam ire, ipſumque ad veritatem poſſit pertrahere. Neque in hoc novitatis quiſpiam nos arguat; ſequimur enim noſtrum Angelicum Præceptorem, qui *in Supplem. 3. p. a q. 69.* ex 4. *Sent. diſt. 45. &c.* Quæ ergo ibi S. D. tradit, nos brevi, ac familiari methodo huc transferemus. Et primo quidem de receptaculis animarum poſt mortem ſermo erit, an dentur, quæ & quot ſint, aliaque de illis ſcitu digna percurremus.

QUÆSTIO I.

De Receptaculis Animarum poſt Mortem.

QUo animæ exutæ corporibus adducantur, nec non ubi uſque ad univerſalem reſurrectionem, qua ſingulæ ſua corpora reſument, manſuræ ſint, hic agemus.

DUBIUM I.

An dentur pro Animabus Receptacula, & quot ſint?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. DIco. Animæ ſtatim, ac corpore exuuntur, ad aliquem locum ſeu quaſi locum ſecundum meritum, vel demeritum adducuntur. Ita S. Thom. cit. *quæſt. 69. Supplem. art. 1.* Et probat. Nam quamvis ſubſtantiæ ſpirituales ſecundum eſſe ſuum a corporalibus (qualia ſunt loca) non dependeant: quia tamen corporalia mediantibus ſpiritualibus a Deo gubernantur, ideo quadam convenientia dignioribus ſubſtantiis digniora corpora adaptantur. Cum autem animabus poſt mortem non aſſignentur corpora, quorum ſint formæ, vel determinati motores, oportet, ut eis aſſignetur locus ſecundum congruentiam dignitatis. Unde ſicut Deo aſſignatur pro loco, ſeu quaſi loco, digniſſimum inter corpora, nempe, Cælum (*Pſ.* 102. & *Iſaiæ 66.*) Ideo animas quæ ſunt in participatione perfecta deitatis, in Cælo eſſe ponimus; quæ vero ab hujuſmodi participatione plus, minuſve decidunt, in locis, quæ ſtatui cujuſque ſint proportionata, collocamus. Cum autem animæ ſpiritualiter illuminatæ proportione quadam metaphorica cum corporibus luminoſis magis conveniant; animæ vero obnubilatæ, ſive obtenebratæ per culpam cum corporibus tenebroſis: propterea loca luminoſa illis, tenebroſa iſtis deputantur. Ita S. Thomas ibi *ad* 2. Unde per hoc (ait ad 3.) *Anima ſeparata directe nihil recipit a locis corporalibus per modum quo corpora recipiunt, quæ conſervantur a ſuis locis: ſed ipſa anima ex hoc quod cognoſcunt, ſe talibus locis deputari, ſibi gaudium ingerunt, vel mœrorem; & ſic locus cedit eis in pœnam, vel præmium.*

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

II. DIco. Propter quinque ſtatus animarum poſt mortem aſſignantur eis quinque loca, Paradiſus, ſeu Cælum, Limbus Patrum, Limbus puerorum, Infernus, & Purgatorium. Ita S. Thom. ibi, *art. 7.* Vel enim, inquit, *Anima poſt mortem, eſt in ſtatu recipiendi finale præmium, vel eſt in ſtatu, quo impeditur ab illo. Si autem eſt in ſtatu recipiendi finalem retributionem, hoc eſt dupliciter. Vel quantum ad bonum; & ſic eſt paradiſus. Vel quantum ad malum, & ſic ratione actualis culpæ, eſt Infernus, ratione autem originalis eſt Limbus puerorum. Si autem eſt in ſtatu, quo impeditur a finali retributione conſequenda, vel hoc eſt propter defectum perſonæ; & ſic eſt Purgatorium, in quo detinentur animæ, ne ſtatim præmium conſequantur propter peccata, quæ commiſerunt. Vel propter defectum naturæ: & ſic eſt Limbus Patrum, in quo detinebantur Patres a conſecutione gloriæ propter reatum humanæ naturæ, quæ nondum poterat expiari.* Hæc S. Thom.

III. Colligitur ex eodem ibi, *ad* 1. Quod cum bonum contingat uno modo, ſed malum multifarie; ideo locus beatæ retributionis eſt unus: loca vero pœnarum ſunt plura. Colligitur etiam ex eodem, *ad* 2. ſtatum merendi, & demerendi eſſe unum ſtatum, cum ejuſdem ſit poſſe mereri, & demereri, ideoque omnibus debetur unus locus. Eorum autem, qui recipiunt pro meritis, ſunt ſtatus diverſi; ideoque plura loca debere aſſignari. —— Colligitur etiam ibi, *ad* 3. Quod cum pro culpa originali poſſit aliquis puniri dupliciter, vel ratione perſonæ, vel ratione naturæ tantum; ideo illi culpæ reſpondet duplex limbus.

IV. Oppones, plura quam quinque dicta deberi animabus poſt mortem loca aſſignari. Primo. Aer iſte caliginoſus eſt Dæmonum carcer, ut patet, 2. *Petri* 2. qui tamen inter præfata non computatur. —— Secundo. Nec computatur paradiſus terreſtris, in quem tamen Henoc, & Elias translati dicuntur. —— Tertio. Ponatur aliquis in originali peccato decedere cum ſolo veniali. Iſte in paradiſo non eſſet, nec limbo Patrum, cum gratia careret. Nec in limbo puerorum, cum in hoc non ſit pœna ſenſus, quæ tamen peccato veniali debetur. Nec in Purgatorio, cujus pœna eſt temporalis, cum tamen huic debeatur pœna æterna. Nec tandem in inferno damnatorum, cum hic culpa mortali actuali careret. —— Quarto. Sicut aliqui in gratia decedentes habent aliqua venialia, pro quibus digni ſunt pœna; ita aliqui in peccato mortali decedentes habent aliqua bona opera, pro quibus digni eſſent præmio; ergo ſicut illis aſſignatur aliquis locus, in quo puniantur, nempe, Purgatorium, ita e contrario deberet iſtis locus aſſignari, in quo præmientur.

V. Reſp. ad primum ex S. Thom. citato loco, ad 4. *Quod aer iſte caliginoſus non aſſignatur Dæmonibus, quaſi locus, in quo recipiant retributionem pro meritis, ſed quaſi competens officio eorum, in quantum deputantur nobis ad exercitium; & ideo inter receptacula, de quibus nunc agitur, non computatur: Primo enim eis deputatur ignis inferni, Matth. 25.* Eadem ratione dicit ibidem, ad 8. *Quod licet anima ſeparata aliquando in loco noſtræ habitationis puniantur; non eſt tamen propter hoc, quod locus iſte ſit proprius locus pœnarum: ſed hoc fit ad noſtram inſtructionem, ut earum pœnas videntes, retrahamur a culpis.*

VI. Ad ſecundum, reſpond. ex eodem, ad 5. *Quod paradiſus terreſtris pertinet magis ad ſtatum viatoris, quam ad ſtatum recipientis præmium; & ideo inter receptacula, de quibus nunc agitur, non computatur.*

VII. Ad tertium, reſpondet idem S. D. ad 6. *Quod illa poſitio eſt impoſſibilis. Si tamen eſſet poſſibilis, talis in inferno puniretur in æternum. Quod enim veniale peccatum in Purgatorio temporaliter puniatur, accidit ei in quantum gratiam habet adjunctam. Unde ſi adjungatur mortali, quod eſt ſine gratia, pœna æterna in inferno punietur. Et quia iſte, qui cum originali peccato decedit, habet veniale ſine gratia, non eſt inconveniens, ſi ponitur æternaliter puniri.*

VIII. Ad quartum dicit ibi, ad 9. *Quod malum non poteſt eſſe purum, abſque commixtione boni, ſicut bonum ſummum eſt, abſque omni commixtione mali. Et ideo illi, qui ad beatitudinem, quæ ſummum bonum eſt, tranſferendi ſunt, debent eſſe, ab omni malo purgati: & propter hoc oportet eſſe locum, in quo tales purgentur, ſi hinc non omnino purgati exeant. Sed illi, qui in infernum detruduntur non erunt immunes ab omni bono; & ideo non eſt ſimile; quia in inferno exiſtentes præmium bonorum ſuorum recipere poſſunt, in quantum bona præterita eis valent ad mitigationem pœnæ.*

IX. Cur autem, quia Patres retardabantur a plena gloria animæ ante Chriſti adventum, aſſignaretur eis receptaculum ſpeciale, nempe, limbus: Quia autem ante reſurrectionem animæ retardantur a gloria corporis, non aſſignetur eis ſpecialis locus ab eo, in quo futuræ ſunt ante reſurrectionem; Ratio eſt, inquit S. Thom. ad 10. *Quod in gloria animæ conſiſtit præmium eſſentiale: ſed gloria corporis cum redundet ex anima, tota conſiſtit in anima quaſi originaliter: & ideo carentia gloriæ animæ diverſificat ſtatum, non autem carentia gloriæ corporis. Et propter hoc etiam idem locus, ſcilicet Cælum Empireum debetur animabus Sanctis exutis a corpore, & conjunctis corporibus glorioſis. Non autem idem locus debetur animabus Patrum ante perceptionem gloriæ animæ, & poſt perceptionem ipſius.*

X. Ex dictis conficitur, quatuor eſſe inferorum loca. Eſt enim locus inferni damnatorum infimus, in quo puniuntur pœna damni, ideſt carentia viſionis Dei, & pœna ſenſus, nempe, ignis æterni &c. Eſt alius inferni locus ſuperior inferno damnatorum. In eo ſunt pueri

abſque baptiſmo decedentes, ibique patiuntur ſolam perpetuam pœnam damni, & ſecundum aliquos pœnam etiam aliquam ſenſus, licet mitiſſimam. Supra hunc puerorum limbum eſt locus, qui dicitur Purgatorium. In hoc præter pœnam ſenſus, qua per ignem torquentur animæ, quibus poſt mortem adhuc ſupereſt aliquid expiandum, adeſt pœna damni, ſeu privatio viſionis Dei ad tempus, non tamen privatio gratiæ. Poſtremus inferni locus, qui Purgatorio eminet dictus Limbus SS. Patrum detinebat animas SS. Patrum, qui ante paſſionem Chriſti Domini in gratia mortui fuerant, ibique ſolam pœnam carentiæ viſionis Dei patiebantur. Hunc locum Aſcenſione ſua Chriſtus evacuavit. Sed pro majori explanatione ſit.

DUBIUM II.

Quomodo dicta Receptacula diſtinguantur.

§. I.

An Limbus Inferni ſit idem, ac Sinus Abrahæ?

I. DIco. Limbus inferni, & Sinus Abrahæ olim fuerunt idem locus ſola ratione diſtinctus, nunc vero, nempe, poſt Chriſti adventum, ſunt duo loca realiter diſtincta. Ita S. Thom. laudata, *q. 69. Supplem. art.* 4. Prior pars prob. Sanctorum enim animæ ad plenum purgatæ habebant ante tempora Chriſti aliquam requiem, quatenus immunes erant a tormentis: non habebant tamen quietem deſiderii per conſecutionem finis, quia adhuc erant in tenebris, & umbra mortis, deſiderantes videre faciem Dei, nondum tamen eam videntes. Quatenus ergo ille ſtatus habebat aliquid de requie, dicebatur *Sinus Abrahæ*, quia ad illum perveniri non poterat niſi merito fidei, quia *Accedentem ad Deum oportet credere*, Hebr. 11. Fidelium autem Pater eſt Abraham: *Primum* enim *exemplum credendi hominibus in Abraham datur, qui primus ſe a cætu infidelium ſegregavit, & ſpeciale ſignum fidei accepit: & ideo requies illa, quæ hominibus poſt mortem datur, Sinus Abrahæ dicitur, ut patet per Aug. lib.* 12. *ſuper Gen. ad litt. cap.* 34. unde, *Lucæ* 16. ut deſcribatur Lazarum mendicum ductum fuiſſe poſt mortem in requiem, dicitur ductus in Sinum Abrahæ.

Quatenus vero deerat illi aliquid de requie, dicitur Infernus, & Limbus, ſeu extremitas inferni, vel locus apud inferos. Et in hoc ſenſu, *Gen. 37. verſ.* 35. dicit Jacob: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*. Neque enim infernum damnatorum ſibi, aut filio, quem noverat innocentem, ſic metuebat, ut ejuſmodi verba proferret. Sed neque ſepulchrum nomine *Inferni* intellexiſſe credi poteſt. Nam Jacob lugebat Joſeph, quem putabat, a fera devoratum, & proinde inſepultum. Intellexit ergo locum animarum poſt mortem, etiam pie viventium, quo ſenſu dicemus Chriſtum diſcendiſſe ad inferos.

II. Secunda vero pars prob. Tum quia in ſcriptura novi Teſtamenti nuſquam legimus animas juſtorum plene purgatas ad Inferos deſcendere, vel apud inferos detineri. Tum quia ut fuſe oſtendi, *Tom. I. in* 1. *part. Tract. de viſione Quæſtion.* 2. *Dub.* 3. & S. Thom. demonſtrat hac, *quæſt.* 69. *art.* 2. Poſt Chriſtum animæ illorum, qui poſt baptiſma nullam peccati maculam contraxerunt, illorum item, qui poſt peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ ſunt ad plenum purgatæ, ſtatim in Cælum, & ad claram Dei viſionem perducuntur. Nihil enim eſt, quod eas impediat, non macula culpæ, quia jam ſupponuntur ad plenum purgatæ: Cælum autem, quod ante Adami peccatum fuerat clauſum, per Chriſtum fuit apertum: *Unde* (inquit S. Thom. citatus) *ſicut corpus per gravitatem, vel levitatem ſtatim fertur in locum ſuum, niſi prohibeatur: ita anima ſtatim ſoluto vinculo carnis, per quod in ſtatu viæ detinebantur ſtatim præmium conſequuntur, vel pœnam, niſi aliquid impediat*. Animabus autem plene purgatis, nihil eſt, quod poſt Chriſtum impediat, ſicut ante. Quare idem S. Thom. *art.* 4. concludit: *Limbus ergo inferni, & ſinus Abrahæ fuerunt ante Chriſti adventum unum per accidens, & non per ſe; & ideo nihil prohibet, poſt Chriſti adventum eſſe ſinum Abrahæ, & eſſe omnino diverſum a Limbo, quia ea quæ ſunt unum per accidens, ſeparari contingit*.

III. Ex his infertur, quod locus, qui animabus juſtis ante Chriſtum erat ſinus Abrahæ, & ſimul infernus; eiſdem poſt Chriſtum ſit ſinus Abrahæ, ſed non infernus. Ita S. Thom. ibidem ad ſecundum. *Sicut* (inquit) *requies ſanctorum Patrum ante Chriſti adventum dicebatur ſinus Abrahæ: ita & poſt Chriſti adventum; ſed diverſimode. Quia enim ante Chriſti adventum ſanctorum requies habebat defectum requiei adjunctum, dicebatur idem infernus, & ſinus Abrahæ: unde ibi non videbatur Deus. Sed quia poſt Chriſti adventum ſanctorum requies eſt completa, cum Deum videant, talis requies dicitur ſinus Abrahæ, & nullo modo infernus; & ad hunc ſinum Abrahæ Eccleſia orat fideles perduci*.

§. II.

De Limbo Patrum, & Inferno Damnatorum, & de Limbo Puerorum.

IV. DIco. Limbus Patrum, & Infernus damnatorum, quantum ad locorum qualitatem ſunt loca diverſa; ſed quantum ad ſitum loci, probabile eſt, quod idem locus quaſi continuus ſit infernus, & Limbus. Ita S. Th. dicta *quæſt. 64. art.* 5. ubi probat priorem partem: *Tum quia in inferno eſt pœna ſenſibilis, quæ non erat in Limbo Patrum. Tum etiam quia in inferno eſt pœna æterna, ſed in Limbo Patrum detinebantur ſancti temporaliter tantum*. Hoc idem probabile viſum fuit S. Auguſtino, lib. 20. *De Civit. Dei, cap.* 15. dicenti: *Si non abſurde credi videtur, antiquos etiam ſanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde Sanguis Chriſti, & ad ea deſcenſus eruerit; profecto deinceps boni fideles effuſo illo pretio jam redempti prorſus inferos neſciunt*.

Secundam quoque partem probabile reputat. Quia cum Limbus Patrum eſſet locus ſubterraneus, ideoque ſub nomine inferni, ſeu inferorum ab antiquis Patribus indicaretur, ut *Gen. 42. Job* 17. *&c.* conſequens eſt, fuiſſe quoad ſitum quaſi continuum cum inferno damnatorum, non quidem proprie, & ſtricte, ſed generaliter, & communiter, quatenus utraque loca erant ſubterranea, quamvis magno intervallo diſſita. Unde, *Lucæ* 16. dicitur, magnum chaos, ſeu hiatum fuiſſe intermedium, quia damnati in infima parte cruciantur, Patres vero in ſuperiori quieſcebant. Et propter hoc S. Auguſtinus relatus dicit Patres fuiſſe *in locis remotiſſimis* a tormentis impiorum, ſed apud inferos, ita ut qui in tormentis erant, eos, quamvis a longe videre poſſent: juxta illud, *Lucæ 16. verſ.* 23. ubi de divite damnato dicitur *Elevans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in ſinu ejus*. Si ergo dives in tormentis poſitus *vidit Abraham*, & Lazarum in ſinu ejus; ergo infernus, & Limbus erat idem locus communis. Si vidit eum *a longe*; ergo limbus non erat locus immediate contiguus. *Si elevans oculos* vidit; ergo limbus Patrum erat in ſuprema inferorum parte nimirum etiam ſupra limbum puerorum, & purgatorium; Quibus conſonat S. Thomas citato, *art.* 5. dicens: *Exiſtentes in inferno ſecundum diverſitatem culpæ, diverſam ſortiuntur & pœnam. Et ideo ſecundum quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, ſecundum hoc obſcuriorem locum, & profundiorem obtinent in inferno. Unde & ſancti Patres, in quibus minimum erat de ratione culpæ, ſupremum, & minus tenebroſum locum habuerunt omnibus puniendis*.

V. Poſito igitur, quod infernus ſit aliquis locus late communis cum limbo, optime ſalvatur, quod Chriſtus deſcenſu ſuo infernum *momorderit*, non abſorbuerit; quia, ut ait S. Thom. ibidem, *ad* 1. ſecundum hoc, quod infernus, & limbus ſunt idem quantum ad ſitum, dicitur Chriſtum *infernum momordiſſe, & ad infernum deſcendiſſe, quando Patres a limbo eripuit ſuo deſcenſu*, ideſt, quando non totam multitudinem in infernis exiſtentem inde eripuit, ſed ſolam partem, nempe Patres, qui in ſuprema parte aderant.

VI. Dico ſecundo. Limbus puerorum, eorum ſcilicet, qui cum ſolo peccato originali hinc decedunt, eſt diverſus a limbo Patrum quantum ad qualitatem pœnæ: Eſt tamen idem locus quantum ad ſitum, niſi quod limbus Patrum erat in ſupremo loco. Ita S. Thom. *art.* 6. Prior pars conſtat. *Quia pueris non adeſt ſpes beatæ vitæ, quæ Patribus in limbo aderat, in quibus etiam lumen fidei, & gratia refulgebat*. —— Nec obſtat, quod pro eadem culpa originali, qua detinentur in limbo pueri, detinerentur & Patres. —— Nam ut docet S. Thom. ibi ad 1. *Ad culpam originalem non eodem modo ſe habebant Patres, & pueri, In Patribus enim originalis culpa expiata erat, ſecundum quod erat infectiva perſonæ: remanebat tamen impedimentum ex parte naturæ, pro qua nondum erat ſatisfactum plenarie. Sed in pueris eſt impedimentum, & ex parte perſonæ, & ex parte naturæ, & ideo pueris, & Patribus diverſa receptacula aſſignantur*.

VII. De pœna, qua in limbo pueri puniuntur, ſit ſola pœna damni an etiam ſenſus varie diſputatur. S. Auguſt. eſt in ſententia quod pœna etiam ſenſus, licet mitiſſima puniantur: cui plures etiam recentiores ſubſcribunt. Alii ſola pœna damni puniri cenſent. De quo egimus, *Tom. I. in* 1. *p. q.* 10. *dub.* 3. §. 2. *&* 3.

VIII. Noto tamen quod quia limbus puerorum eſt pars inferni damnatorum (cum revera illi etſi in ſolo originali moriantur, in æternum ſint damnati) ideo aliqui eum inter receptacula non recenſet. Unde Innocentius III. *Serm.* 1. *de omnibus Sanctis*, locum talium puerorum comprehendit ſub inferno, & deinde de his, qui ſunt in inferno generaliter, & indiſtincte dicit, eos ad exercitum diaboli pertinere, & iis tandem dicendum fore: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus*. Matth. 25. Cui ſententiæ præcipue adhærent, qui volunt, tales pueros utraque pœna, & damni, & ſenſus puniri cum Auguſt. *in Enchiridio, cap.* 93.

IX.

IX. Quia item ante Christum nulla anima in Cælum deducebatur, uti nec post eum ulla descendit in limbum Patrum, qui descensu Christi ad inferos est evacuatus; ideo facta distinctione temporum, tria tantum aliqui numerant ante Christum receptacula, *Limbum Patrum*, *Purgatorium*, & *Infernum*. Tria pariter post Christum, *Cælum*, *Purgatorium*, & *Infernum*.

QUÆSTIO II.

De Descensu Christi ad Inferos.

CHristum in triduo mortis descendisse ad inferos, est articulus fidei, quem in Symbolo Apostolorum profitemur. De hoc quæremus: An Christus vere ad inferos descenderit, ad quem inferorum locum, ad quem finem, & quomodo, an ad omnes inferorum partes eodem modo descenderit.

DUBIUM I.

An Christus revera ad Inferos Descenderit?

§. I.

Quibusdam notatis, recensentur Errores.

I. SUppono primo, Christum non descendisse ad inferos secundum corpus: Istud enim jacuit in sepulchro toto eo tempore, quod fluxit ab ejus morte usque ad resurrectionem. Quare Concilium Lateran. IV. sub Innocentio III. ait: *Descendit* (inquit) *ad inferos, resurrexit a mortuis, & ascendit in Cælum. Sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in utroque*: Licet autem secundum animam, & non secundum corpus descenderit, totus tamen Christus ad inferos descendisse dicendus est. Quia ut docet S. Thom. 3. p. q. 54. art. 3. *Masculinum genus refertur ad hypostasim, vel personam, neutrum autem genus pertinet ad naturam. In morte autem Christi licet anima fuerit separata a corpore, neutrum tamen fuit separatum a persona Filii Dei ... Et ideo in illo triduo mortis Christi, dicendum est, quod totus Christus fuit in sepulcro; quia tota persona Christi fuit ibi per corpus sibi unitum, & similiter totus fuit in inferno, quia tota persona Christi fuit ibi ratione animæ sibi unitæ: totus etiam Christus erat ubique ratione divinæ naturæ*, ut enim dicit ibi ad 1. *Corpus quod tunc fuit in sepulchro, non est pars personæ increatæ, sed naturæ assumptæ. Et ideo per hoc quod corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur, quin totus Christus fuerit; sed ostenditur, quod non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam.*

II. Suppono secundo. Animam Christi descendisse ad inferos, non eo genere motus quo descendunt, ac moventur corpora, sed eo genere motus, quo Angelos, & spiritualia moveri docet S. Thom. 1. *p. q. 53. art.* 1.

III. Circa hanc veritatem, quæstionem moverunt hæreticorum quidam. Primo quidem non defuerunt, qui articulum illum: *Descendit ad inferos* plane e symbolo eraderent, eo quod in posterioribus Symbolis Nicæno, Constantinopolitano, & aliis nulla fiat ejus mentio. Qua de re Ruffinus in expositione Symboli Apostolorum falso adscripta Cypriano: ait: *Sciendum sane est, quod in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum*, descendit ad inferos, *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur.* Quæ Ruffini verba videntur occasionem dedisse Calvino, ut in primis suis Catechismis descensum Christi ad inferos interpretaretur depositionem corporis ejus in sepulchrum.

IV. Sed videns Calvinus, hanc interpretationem nulla probabilitate defendi posse, ob manifestam battologiam, qua idem ineptissime in brevissimo symbolo repeteretur aliis verbis obscurioribus, si descensus ad inferos non aliud, quam sepulchrum significaret; aliam, sed impiam, ac blasphemam interpretationem commentus est, *lib. 2. Inst. cap. 16. §. 10.* qua dicit: *Christum in locum sceleratorum, hoc est ad inferos, sponsorem, vadem, ad instar Rei submissum descendisse, ut persolveret, ac dependeret omnes, quæ ab illis expetenda erant, pœnas; ibique ipsum cum inferorum copiis, & æterna mortis horrore, quasi confertis manibus luctatum esse, ac diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse; idest, ipsam subiisse damnationem, & pœnas, quæ dæmonibus, ac reprobis flammis æternis addicti ab irato Deo infliguntur.* Ita Calvinus; quæ quis sine horrore percipiet?

Alius quidam recentior (referente Estio, *in 3. dist. 22. §. 2.*) absurditatem dictarum interpretationum vitare volens descensum Christi ad inferos interpretatur mortem ejus manifestatam malis spiritibus, ut quem sæpe audierant promissum mortalibus, eum jam exhibitum scirent. Nonnulli vero, inter quos Durandus, Christum ad inferos descendisse interpretantur, non quod anima ejus realem sui præsentiam inferis exhibuerit, sed propter effectum quem anima Christi in iis, qui apud inferos erant, habuerit.

Ecclesia tamen catholica quovis sæculo docuit Christum vere secundum animam ad inferos descendisse, ut Patres ac justos qui ibi captivi detinebantur, liberaret.

§. II.

Assertio Catholica.

V. DIco, Christus vere secundum animam descendit ad inferos, non ut damnatorum pœnas ibi sustineret, sed ut justos, qui ibi detinebantur captivi, liberaret. Christi animam vere descendisse in infernum ostendunt verba Psalmi 15. vers. 10. *Non derelinques animam meam in inferno*. Quæ ne aliorsum quis torqueat, S. Petrus, *Act. 2.* de Christo interpretatur. Unde Aug. *Epist. 99.* modo 164. *c. 3.* ait: *Secundum creaturam enim, quam ex quodam tempore suscipiendo, manens Deus homo factus est, hoc est secundum animam, eum fuisse apud inferos aperte scriptura declarat, & per prophetiam præmissa, & per apostolicum intellectum satis exposita, qua dictum est, non derelinques animam meam in inferno, & Epist. 1. cap. 3.* Idem Petrus, ait: *In quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit*, eodem, inquam, spiritu, quem in cruce moriens, in manus Patris commendavit. Paulus item Ephes. 4. v. 9. *Quod autem ascendit, quod est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Et ad Colos. 2. vers. 15. *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Hæc, aliaque mox adducenda Scripturarum testimonia realem Christi ad inferos descensum adeo aperte fatentur, ut idem August. *Epist. 99.* modo 164. *cap. 2. ad Evodium* dixerit: *Quis nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum?*

VI. Non fuisse autem, ut ibi damnatorum pœnas lueret (quod Calvinus blasphemat) probatur. Tum quia hoc fuisset injuriosum beatitudini, qua anima Christi a primo conceptionis ejus momento donata fuit. Tum quia hoc aperte negat Scriptura. *Act. 2. vers. 24.* his verbis, nempe, quod Deus *Christum suscitavit a mortuis solutis doloribus inferni, quibus impossibile erat teneri eum*. Et sane quomodo enim teneri, seu cruciari poterat damnatorum doloribus, tenebris nimirum exterioribus, desperatione, confusione, conscientiæ horrore, ignis combustione, visionis, ac fruitionis Dei privatione, anima illa, quæ semper fuit beata? — Nec obest, quod Petrus ibi dicat *solutis doloribus inferni*: Hoc enim recte intelligitur de doloribus, non quibus Christus tenebatur, *impossibile enim erat teneri eum*, sed quibus alii tenebantur, & quibus eum ligare voluissent Dæmones, sed non poterant. Solvit ergo eos dolores: tum eos non patiendo, quomodo solvi possunt laquei venatorum, non quia tenuerunt, sed ne teneant, ut ait Augustinus, *Epist. 99.* modo 164. *cap. 2.* Tum eos ab illis quos liberavit auferendo, quibus impossibile erat eum teneri, ut ait idem August. ibi.

VII. Ad hunc autem finem, ut nempe, justos apud inferos detentos liberaret, illuc descendisse Christum, testantur scripturæ, Psal. 67. v. 8. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris*, Ps. 106. v. 16. *Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*. Oseas tum, cap. 6. v. 33. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus; sciemus, sequemurque, ut cognoscamus dominum: quasi diluculum præparatus est egressus ejus &c.* cap. 13. vers. 14. *De manu forti liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.* Zachariæ, cap. 9. v. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Et apud Ecclesiasticum, *c. 24. v. 45.* illustris est locus, ubi sapientia Dei sic loquitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in domino.*

VIII. Propterea hanc fidem Patres tum Græci, tum Latini semper professi sunt, quos inter alios recenset Estius, *in 3. dist. 22. §. 2.* citato. Concilia item auctoritate sua firmarunt. Nam Ephesini Concilii Patres confitentur, Christum tertia die resurgentem spoliasse infernum. Et Concil. Toletanum IV. *Can. 1.* exponens illud symboli: *Descendit ad inferos*, testatur, ejus articuli confessionem ad fidem catholicam pertinere. Quod fatentur, tum August. *Epist. 99.* modo 164. verbis supra relatis: *Quis nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* & paulo post, c. 5. *Teneamus firmissime quod fides habet fundatissima auctoritate firmata; quod Christus apud inferos fuit.* Tum Fulgentius, *lib. de Fide ad Petrum, cap. 2.* inter regulas fidei ponens, Dei filium secundum animam in infernum descendisse, quod repetit *Epist. ad Ferrandum Diaconum, & lib. 3. ad Transibundum Regem, cap. 34.* Tum denique Gregorius, lib. 6. Epist. 15. nunc lib. 7. Epist. 15. *Vera fides* (inquit) *per Ecclesiam catholicam docet, quia descendens ad inferos Dominus &c.*

IX. Hujus congruentiam assignat S. Th. *3. p. q. 52. art. 1.* his verbis: *Conveniens fuit, Christum ad infernum descendere. Primo quidem, quia ipse venerat pœnam nostram portare, ut nos a pœna eriperet, secundum illud Isaiæ 53.* Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: *Ex peccato autem homo incurrerat, non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos. Et ideo*

ſicut fuit conveniens, eum morsis, ut nos liberaret a morte: ita conveniens fuit, eum deſcendere ad inferos, ut nos a deſcenſu ad inferos liberaret. Unde dicitur Oſee 13. Ero mors tua, o mors, ero morſus tuus inferne. *Secundo. Quia conveniens erat, ut victo diabolo per paſſionem, vinctos ejus eriperet, qui detinebantur in inferno, ſecundum illud Zachar. 9.* Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu. *Et Coloſſ. 2. dicitur:* Expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter. *Tertio. Ut ſicut potentiam ſuam oſtendit in terra, vivendo, & moriendo; ita etiam poteſtatem ſuam oſtenderet in inferno, illum viſitando, & illuminando. Unde dicitur in Pſ. 23.* Attollite portas principes veſtras &c. *Gloſſ.* (ex Auguſt.) *ideſt, principes inferni, auferte poteſtatem veſtram, qua uſque nunc homines in inferno detinebatis: & ſic in nomine Jeſu omne genuflectatur, non ſolum cæleſtium, ſed etiam infernorum, ut dicitur Philipp. 2.* Hactenus S. Thom.

X. Quatuor aliæ congruentiæ pro deſcenſu Chriſti ad inferos afferri ſolent. Prima. Ex lege amicitiæ. Hæc enim exigit, ut amicus viſitet amicum, qui pœna torquetur, a qua ſe liberare non poteſt. Sancti autem Patres in inferno detenti pœnam patiebantur prohibitionis ab ingreſſu Regni Cælorum, a qua per ſeipſos liberari non poterant, ſed per ſolum Chriſtum. Secunda. Ex lege juſtitiæ, quæ exigit, ut qui pro aliquo debito in carcere detinetur, ſoluto pretio liberetur: Sancti autem Patres pro debito peccati originis apud inferos detinebantur. Cum igitur ſua morte pretium ſolverit, æquitas juſtitiæ poſtulabat, ut ſuo deſcenſu illos extraheret. Et hoc eſt, quod Paulus, *ad Coloſſ. 2. v. 14.* dicit: *Delens, quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* Tertia. Ut nos exemplo ſuo excitaret ad frequentem inferorum meditationem, ut ſerio pœnas illas conſiderantes a peccatis retrahamur. Quarta. Quia ſicut Chriſtus dum vixit, de diabolo triumphavit, in deſerto, in mundo, & in cruce: ita deſcendens ad inferos, & quaſi aggrediens illum in regno ſuo, de diabolo triumpharet, ut ait Paulus cit. *ad Coloſſ. 2. v. 15.*

§. III.

Contrariis ſit ſatis.

XI. PRæcipua ratio negantium deſcenſum Chriſti ad inferos, eſt, quia in Symbolo Nicæno ab univerſa Eccleſia recepto non reperitur hic articulus. *Deſcendit ad inferos:* ſicut nec apud Patres, qui præfatum Symbolum expoſuerunt, & præcipue Auguſtinum *in lib. de Symbolo ad Catechumenos.* Cum autem in eo Symbolo fiat mentio paſſionis, mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti, non fuiſſet omiſſus deſcenſus ejus ad inferos, qui reſurrectionem præceſſit, ſi a Patribus Nicænis fuiſſet creditus.

XII. Reſpondeo. Quod ſi deſcenſus Chriſti ad inferos non reperitur in Symbolo Nicæno, reperitur tamen in Symbolo Apoſtolico, quod eſſe genuinum Apoſtolorum fœtum, in *lib. de Verit. Relig. Chriſt.* oſtendemus. —— Secundo. Ex quo deſcenſus Chriſti ad inferos non exprimatur in Symbolo Nicæno, non bene infertur, non eſſe habendum ut articulum fidei. Nam nec expreſſit ſepulturam Chriſti, & proceſſionem Spiritus Sancti etiam a Filio, licet ibi dicatur procedere a Patre; & tamen adverſarii credunt Chriſtum fuiſſe ſepultum, & Spiritum Sanctum procedere etiam a filio contra Græcos: ſicut etiam credunt, Chriſtum inſtituiſſe Cœnam, & Baptiſmum, licet hoc non legatur in Symbolo Nicæno, quia legitur in ſcriptura. Cum ergo deſcenſus Chriſti ad inferos in ſcriptura legatur, ut oſtenſum eſt, cur non credunt? Argumentum ergo negativum nullius roboris eſt. Ratio autem, qui Nicæni Patres deſcenſum Chriſti ad inferos in Symbolo non expreſſerint, ea eſſe poteſt. Quia eorum propoſitum non fuit omnia fidei capita ſuo Symbolo complecti, ſed vel præcipua dumtaxat, vel ea, de quibus excitata tunc temporis fuerat ab hæreticis controverſia: ut docet S. Thom. *2. 2. q. 1. art. 9. ad 4.*

XIII. Neque officit, quod Ruffinus, ut ſupra dicebamus, videatur contrarius. Tum quia Ruffini non eſt magna in Eccleſia auctoritas, ut qui Origenis dogmata occulte fuerit ſectatus, & perniciosis contentionibus adverſus S. Hieronymum Eccleſiam turbaverit. Unde & ſcripta ejus a Gelaſio Papa in Cap. *Sancta Romana* diſt. 15. cum apocryphis rejiciuntur. Tum quia: eſto dicat, deſcenſum Chriſti ad inferos in Symbolo Eccleſiæ Romanæ non contineri, illum tamen non negat. Unde, *in Expoſit. Symboli*, ait: *Quod in infernum Chriſtus ſecundum animam deſcenderit, evidenter in Pſalmis prænuntiatum eſt &c.* ſed ſolum de modo deſcenſus viſus eſt dubitaſſe.

XIV. Objicies ſecundo pro Calvino. Chriſtus, ut habetur *Iſaiæ 53.* languores noſtros tulit, & peccata noſtra portavit ſuſcipiendo in ſe tamquam ſponſor, & vades pœnas, quæ pro illis debentur; ergo ſicut propterea paſſus eſt mortem, & alias generis humani infirmitates, quæ ſunt pœnæ peccati; ita etiam debuit ſuſcipere in ſe, & pati cruciatus, quibus in alia vita homo pro peccato punitur; ſic enim plenior erit ſatisfactio: Quod tunc maxime contigit, quando in cruce poſitus exclamavit, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Tunc enim omnes cruciatus, quibus in inferno torquentur damnati, in ipſum irruerunt. Et hoc modo ad inferos deſcendiſſe dicendus eſt, ſuſcipiendo in ſe inferorum pœnas, ſicut dicitur de cælo deſcendiſſe in mundum ſuſcipiendo in ſe humanam naturam, ejuſque in hac vita pœnalitates.

XV. Reſp. neg. conſ. Quia quando unus ſe exhibet voluntarie vadem, ac ſponſorem ſatisfaciendo pro peccato alterius, & pœnam pro peccato illius debitam in ſe ſuſcipiendo, non oportet, ut pœnam omnem ejus peccato debitam in ſe ſuſcipiat; præſertim illam, quæ indecentiam maximam in ſe contineat; ſed ſufficit, ut talem in ſe ſuſcipiat pœnam, qua reddat æquivalens pœnæ pro peccato debitæ: ſicut ut aliquis ſatisfaciat pro delicto, cui debetur pœna ſuſpendii, non requiritur, ut ipſe pœnam ſuſpendii patiatur, ſed quod talem exhibeat ſatisfactionem, quæ æquivaleat, & compenſet pœnam ſuſpendii. Cum ergo Chriſtus, qui erat Deus, ſuſcipiendo in ſe humanæ naturæ pœnalitates uſque ad mortem, eaſque dignitates ſuæ perſonæ valorando, tantam exhibuerit Deo ſatisfactionem, quæ quamcumque pœnam debitam peccato, etiam æternam, & infinitam ſuperexcederet, iniquum fuiſſet eum ulteriori pœnæ in ſatisfactionem ſubjicere, maxime talī pœnæ peccato proprio unice debitæ, & quæ cum perſona Chriſti, qui etſi peccatoris perſonam gereret, non tamen culpam, & cujus anima eſſentiali fruens beatitudine, a Deo ſeperari per damnatorum cruciatus non poterat.

XVI. Objicies tertio. Nihil vetat, infernum hic accipi pro ſepulchro, in quo poſitum fuit Corpus Jeſu ut de divite, *Luca 16. v. 22.* dicitur, quod ſepultus eſt in inferno; & *Pſ. 67. v. 7. Qui ducit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.*

XVII. Reſp. ridiculam eſſe hanc interpretationem. Primo. Quia S. Petrus ſupra cit. *Act. 2.* loquitur de inferno, in quo ſunt dolores, & pœna: inquit enim, *ſolutis doloribus inferni.* In ſepulchro autem, ubi jacuit Corpus Chriſti, nullum dolorem pati poterat, aut ſenſibilem pœnam, utpote ab anima ſeparatum. Deinde: Deſcenſus Chriſti ad inferos, his verbis, *Eccleſiaſtici 24. v. 45.* prænuntiatur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Sepulchrum autem Chriſti non erat in inferioribus partibus terræ: non erant in eo alii dormientes, quia ut habetur, *Luca 23. v. 23.* Joſeph ab Arimathæa poſuit Corpus Jeſu in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Dives autem ille non ſolum dicitur *ſepultus*, ſed in inferno, non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam: neutro autem modo fuit ſepultus in inferno Chriſtus.

XVIII. Objicies quarto. Ideo Chriſtus deſcendiſſet ad inferos, ut inde erueret veteres juſtos, qui ante paſſionem Chriſti in Limbo detinebantur, cum eis nondum pateret aditus ad Regnum Cælorum, quod ſola Chriſti morte erat referendum: ſed hoc vel eſt falſum, vel non probat Chriſti realem deſcenſum ad inferos: ergo &c. Min. pro prima parte probatur. Nam viam ſalutis ad regnum fuiſſe antiquis juſtis clauſam uſque ad Chriſtum, eorum juſtitiæ injurioſum eſt, nec ullo Sacræ Scripturæ teſtimonio comprobatur. —— Pro ſecunda etiam parte probatur. Nam abſque eo quod ad inferos realiter deſcenderet, poterat per manifeſtationem mortis ſuæ, ac virtutem, juſtos apud inferos liberare.

XIX. Reſpondeo conc. maj. neg. min. pro utraque parte. Ad prob. primæ partis, nego aſſumptum. Ejecto enim Adamo propter peccatum e paradiſo, toti humano generi præcluſus manſit aditus in regnum cæleſte. Unde dogma fidei eſt, juſtorum animas e corporibus exeuntes in Cælum non evolaſſe, ſed in limbo receptas ibi Chriſtum Redemptorem, qui eos inde ad cæleſtem patriam transferret, expectaſſe. Tunc enim, ut ait Apoſtolus ad Hebr. 9. verſ. 8. *Nondum propalata erat Sanctorum via*, quæ fuſo dumtaxat ſanguine Chriſti propalari debebat. De quo S. Thom. *3. part. quæſt. 49. art. 5.* videndus, ubi *ad 1.* ait: *Quod Sancti Patres operando opera juſtitiæ meruerunt introitum Regni Cæleſtis per fidem paſſionis Chriſti* (*ſecundum illud Hebr. 11.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam) *per quam etiam unuſquiſque a peccato purgabatur, quantum pertinet ad emundationem propriæ perſonæ. Non tamen alicujus fides, vel juſtitia ſufficiebat ad removendum impedimentum, quod erat per reatum totius humanæ creaturæ, quod quidem remotum eſt pretio ſanguinis Chriſti. Et ideo ante paſſionem Chriſti nullus intrare poterat Regnum Cæleſte, adipiſcendo ſcilicet beatitudinem æternam, quæ conſiſtit in plena Dei fruitione.* Quod repetit etiam *3. part. quæſt. 52. art. 5. ad 2.* Quæ doctrina habetur, tum ex ſcriptura, tum ex traditione. Ex ſcriptura quidem, nam Paulus, *Hebr. 11.* recenſitis Patribus, qui per fidem opera juſtitiæ fecerunt, concludit, *v. 39. Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente:* repromiſſionem *ſcilicet gloriæ uſque ad Chriſtum* ut ait S. Thom. ibi Lect. 8. Traditione etiam. Nam S. Hier. in Epiſt. ad Paulam (alias 25. n. 22.) ſuper obitu Bleſillæ filiæ: *In lege veteri* (inquit) *ſub peccato Adam omnes tenebantur*

nebantur elogio, & ad inferos descendentes consequenter lacryma prosequebantur ... In Jesu vero, ideſt, in Evangelio, per quem Paradisus est apertus, mortem gaudia consequuntur, Et S. Gregorius, *lib. 13. Moral. cap. 15.* (modo 43.) ait: *Hi vero, qui ante ejus* (Christi) *adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet justitia virtutem haberent ex corporibus educti in sinu Cælestis patria statim recipi nullo modo poterant: quia nec dum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solveret, & justorum animas in perpetua jam sede collocaret.* Hæc Gregorius. Hinc Paulus, *ad Eph. 4. v. 8.* ait, quod Christus *ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Sicut ergo hoc legis Evangelicæ privilegium est, ut qui nunc omnis labis expertes ex hac mortali vita discedunt, statim in cælestem patriam evolent, ut suo loco probavimus, & ex Conciliis Florentino, ac Tridentino, sancitum est: ita qui in lege veteri quantalibet sanctitate florentes mortem oppetebant, ad inferos descendebant, Christum liberatorem ibi expectantes.

XX. Ad prob. min. pro secunda parte dico, eam facile refelli. Si enim eo tantum sensu Christus descendit ad inferos, quia ejus mors inferis manifestata est, quomodo Christus ab inferis reductus dicitur Ps. 29. *Eduxisti ab inferno animam meam?* Numquid notitia mortis ejus, virtus passionis apud inferos cessavit, & non potius manet, ac operatur usque in hodiernum diem? Cum ergo dictum non sit, Ps. 15. *Non derelinques mei notitiam, vel virtutem in inferno, sed animam meam.* Clarum est, Christum non secundum manifestationem, & virtutem tantum, sed secundum animæ præsentiam, ad inferos descendisse. Rursus, hac posita interpretatione, oporteret multo magis fateri, Christum, mox ut expiravit, ascendisse ad superos, quia mors ejus statim longe certius innotuit supernis spiritibus, quam infernis. Illud autem nemo concesserit, ipso etiam symbolo reclamante, in quo ascensio Christi in Cælum non morti ejus conjungitur, sed resurrectioni postponitur, utpote quadragesimo die post resurrectionem facta. Ex quo ascensionis Christi articulo certius adhuc argumentum sumitur veri illius ad inferos descensus; cum prorsus similiter illa duo in symbolo ponantur. Si enim indubitate credendum est, eum ascendisse in Cælum secundum naturam assumptam; & non sine magna absurditate fingeretur alius illius articuli sensus: itidem credendum erit, secundum eamdem naturam eum descendisse ad inferos, cum hoc solo discrimine, quod hic synecdochicum sensum res ipsa postulet, cum sit manifestum, eum in triduo mortis, quo tempore descendit ad inferos, non habuisse animam corpori unitam, ideoque non nisi ad animam descensum illum referri posse corpore in sepulchro quiescente; ubi ascensus secundum animam, & corpus contigit.

Ntque dicas posita passione Christi, effectum liberationis ab inferorum ergastulo statim secutum fuisse, ideoque non fuisse necessarium descensum ejus ad inferos. — Nam respondet S. Thom. 3. part. quæst. 52. art. 1. ad 2. *Quod passio Christi fuit quasi quædam causa universalis humanæ salutis tam vivorum, quam mortuorum: Causa autem universalis applicatur ad singulares effectus per aliquid speciale. Unde sicut virtus passionis Christi applicatur viventibus per sacramenta configurantia nos passioni Christi: ita etiam applicata est mortuis per descensum Christi ad inferos. Propter quod signanter dicitur Zachariæ 9. Quod eduxit vinctos de lacu in sanguine testamenti sui, ideſt, per virtutem passionis suæ.*

Dubium III.

An Christus descenderit in Infernum Damnatorum, & quid in eis egerit?

§. I.

Resolucio.

I. Docet S. Thom. 3. part. quæst. 52. art. 2. *Quod dupliciter dicitur, esse aliquid alicubi. Uno modo per suum effectum: & hoc modo Christus in quemlibet infernorum descendit, aliter tamen, & aliter. Nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum, quod descendens ad inferos, eos de sua incredulitate, & malitia confutavit: illis vero, qui detinebantur in purgatorio, spem gloriæ consequendæ dedit, Sanctis autem Patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen æternæ gloriæ infudit. Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam: & hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo justi detinebantur, ut quos ipse per gratiam interius visitabat secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret & loco. Sic autem in una parte inferni existens, effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes derivavit, sicut & in uno loco terræ passus, totum mundum sua passione liberavit.* Secundum hanc S. Thomæ doctrinam.

II. Dico, Christus non descendit in infernum damnatorum secundum realem præsentiam; sed solum secundum effectum, non quo eos a damnatione liberaret, sed quo eos de sua incredulitate confutaret, dando scilicet per modum cujusdam revelationis eis intelligere, quam juste sint damnati, & quanta sit gloria Christi, in quem credere noluerunt, quamque felix beatarum animarum status, quæ jam ab inferno per ipsum erant liberandæ: Ex quibus sequebatur in damnatis singularis aliquis dolor ob triumphum Christi, & sanctorum felicitatem.

Assertio ita exposita, pro prima parte probatur. Tum ex Cyrillo Jerosol. *Catechesi 4.* August. *Epist. 99.* & Hieronymo, *in cap. 4. ad Eph.* dicentibus, ideo Christum ad inferos descendisse, ut eos, qui ibi detinebantur, consolaretur, & liberaret; sed ex inferno damnatorum nullum est consolatus, aut liberavit, ut statim dicetur; ergo ad illum non descendit. Tum quia locus ille neque conveniebat statui Christi, sicut Limbus Patrum, qui erat locus justorum; neque effectus, quem ibi habuit, requirebat, ut anima Christi ibi esset, sed potius ut per modum notificationis, quæ inter spiritus distantia loci non impeditur, hoc fieret. Sicut ergo dum aliquis Rex ad visitandos eos, qui in suis carceribus detinentur, descendit, eos quidem præsentialiter invisit, quibus vel gratiam liberationis, vel spem gratiæ concedere vult; eos tamen, quos in statu damnationis ad mortem absque ulla gratiæ spe relinquere vult, sua præsentia invisere non dignatur, sed per nuntios indignationis suæ effectus transmittit. Ita Christus eos, ad quos liberandos descenderat, sua præsentia honoravit: iis autem, quos in æterna damnatione relinquebat, suam præsentiam concedere est dedignatus.

III. Pro secunda vero parte, nempe Christum neminem damnatorum suo descensu liberasse, probatur a S. Thom. citata *quæst. 52. art. 6.* his verbis: *Christus descendens ad inferos operatus est in virtute sua passionis. Et ideo ejus descensus ad inferos illis solis liberationis contulit fructum, qui fuerunt passioni Christi conjuncti per fidem charitate formatam, per quam peccata tolluntur. Illi autem, qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem passionis Christi non habuerant, sicut Infideles: aut si fidem habuerant, nullam conformitatem habebant ad charitatem Christi patientis: unde nec a peccatis suis erant mundati. Et propter hoc descensus Christi ad inferos non contulit eis liberationem a reatu pœnæ infernalis.*

IV. Accedit, quod certissimum fidei dogma est, in inferno damnatorum nullam esse redemptionem, ut contra Origenem suo loco demonstravimus (*Tom. I. in 1. part. Tract. de Ang. Q. 9. Dub. 5.*) Hinc S. August. *Hæresi 70.* & ante ipsum Philastrius *Hæres. 74.* perstringunt tamquam hæreticam opinionem illorum: *Qui dicunt Christum Dominum in infernum descendisse, & omnibus post mortem etiam se nuntiasse, ut confitentes ibidem salvarentur: cum hoc sit contrarium dicenti Prophetæ David:* In inferno autem quis confitebitur tibi; *Et Apostolo*, qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.

Hoc significavit Oseas, *cap. 13.* illis verbis: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne*, videlicet, Christum in electis occidisse mortem, quia fecit, ut amplius eos non posset retinere: Infernum autem momordisse, quia ex locis subterraneis, quæ per infernum indicantur, partem abstulit, partem reliquit (ut ait Glossa) *Electos ducendo, reprobos ibidem relinquendo.* Ut enim dicit Gregorius *lib. 12. Moral. cap. 8.* (modo 11.) illa Oseæ verba exponens: *Id quod occidimus, agimus, ut pœnitus non sit: ex eo quod mordemus, partem abstrahimus; partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia vero ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum.* Et Homil. 22. in Evangelia: *Neque enim* (inquit) *infideles quosque, & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos ad veniam Dominus resurgendo reparavit, sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide, & actibus recognovit.*

X. Propterea Concilium tertium Valentinum, & Ecclesia Lugdunensis nono Ecclesiæ sæculo, adeo exploratum habuerunt, Christum solos ab inferis exemisse justos, ut ne Christum quidem pro impiis, qui in impietate mortui sunt, & ante illius adventum ad infernum descenderunt, ne quidem passum, & efficaciter mortuum fuisse definierint. Nam, *Ecclesiastici 24.* Sapientia protestatur, se apud inferos justos ab impiis discreturam, dicens: *Inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

§. II.

Solutiones Objectorum.

VI. Quia non desunt, qui velint, Christum ad infernum damnatorum realiter descendisse, ideo pro illis primo objicitur præcitatus locus Ecclesiastici: ubi ante prædicta verba, Sapientia dicit: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*; ergo etiam infernum damnatorum cum locutio generalis sit — Sed respondit S. Thom. 3. p. q. 52. art. 2. ad 1. *Quod Christus, qui est Dei sapientia, penetravit omnes inferiores partes terræ, non localiter secundum animam omnes circumeundo, sed effectum suæ potentiæ aliqualiter ad omnes extendendo: ita tamen, quod solos justos illuminaverit, sequitur enim:* Et illuminabo omnes sperantes in Domino.

Nec dicas, animam Christi fuisse in loco inferni per operationem. Si ergo in qualibet inferni parte etiam

damnatorum operata est, fuit ibi localiter præsens. —— Nam (ut, *Tom. I. in* 1. *Partem*, dictum est) substantia spiritualis est in eo loco, in quo immediate, & contactu virtutis, & supposíti operatur, non autem in eo, in quo solum mediate effectum aliquem habet, quomodo anima Christi in inferno damnatorum operata fuit. Videantur ibi dicta, *Q.* 2. *Dub.* 1.

VII. Objicitur secundo. *Act.* 2. dicit Petrus, quod Deus suscitavit Jesum: *Solutis doloribus inferni, quibus impossibile erat teneri eum*: at in inferno Patrum non erant dolores, sed solum in inferno damnatorum, vel purgatorii; ergo in istis præsentialiter fuit.

VIII. Resp. cum S. Thom. citato, *art.* 2. *ad* 2. Quod quamvis Sancti Patres in inferno detenti non sustinerent dolores, & cruciatus ab extrinseco afflictivo provenientes, dolore tamen afficiebantur ob dilationem gloriæ, ut notant S. Gregor. *lib.* 13. *Moral. cap.* 21. (modo 44.) & S. Thom. *art.* 5. *ad* 1. Anima vero Christi illuc descendens neutros sustinuit. Unde quod Petrus dicit *Solutis doloribus*, recte intelligitur de doloribus, non quibus anima Christi teneretur, sed quibus alii afficiebantur, quibusque eam ligare voluissent Dæmones, sed non poterant, quia impossibile erat eam doloribus inferni affici: *Utrosque autem dolores* (inquit S. Th.) *Christus solvit ad inferos descendens, aliter tamen, & aliter. Nam dolores pœnarum solvit præservando ab eis, sicut medicus dicitur solvere morbum, a quo præservat per medicinam; dolores autem causatos ex dilatione gloriæ, actualiter solvit, gloriam præbendo.*

IX. Objicitur tertio etiam contra secundam partem, probando Christum suo descensu aliquos etiam in inferno damnatos liberasse. Nam 1. *Petri, cap.* 3. *vers.* 19. dicitur, quod Christus *His qui in carcere conclusi erant spiritibus veniens prædicavit; qui increduli fuerant aliquando.* Quæ verba de descensu Christi ad inferos intelligit Athanasius, *Epist. ad Epictetum*, dicens: *Quod Corpus Christi fuit in sepulchro positum, quando ipse perrexit prædicare his, qui in custodia erant spiritus, sicut dixit Petrus.* Qui autem increduli erant, constat, in inferno damnatorum fuisse.

X. Huic objectioni S. Thom. *art.* 2. citato ad 3. duabus occurrit solutionibus. Prima est: Quod his, qui in carcere inclusi erant ob incredulitatem spiritus, Christus ad inferos descendens prædicavit, non eos ad fidem convertendo, & liberando; sed eorum infidelitatem confutando. Unde ejus prædicatio nihil aliud fuit, quam manifestatio divinitatis ejus, quæ manifestata est infernalibus spiritibus per virtuosum descensum illius ad inferos. Quæ responsio est Damasceni, *lib.* 3. *Orthod. fidei, cap.* 29.

Altera quæ S. Thomæ videtur planior, est S. August. *Epist.* 99. modo 164. *ad Evodium*, nempe, verba Petri, non referri ad descensum Christi ad inferos, sed ad operationem divinitatis ejus, quam exercuit a principio mundi. Ut sit sensus. *Quod his qui in carcere conclusi erant viventes, scilicet in corpore mortali (quod est quasi quidam carcer animæ) spiritu suæ divinitatis veniens prædicavit per internas inspirationes, & etiam exteriores admonitiones per ora justorum, His, inquam, prædicavit, qui creduli fuerant aliquando, Noe scilicet prædicanti, quando expectabant Dei patientiam, per quam differebatur pœna diluvii. Unde subdit*; In diebus Noe, cum fabricaretur Arca.

XI. Ex his emergit tertia solutio utramque concludens, nimirum. Quod Christus in infernum descendens prædicaverit, sive bonum nuntium attulerit, etiam spiritibus, ideſt animabus illis, quæ fuerant aliquando incredulæ, sed postea videntes diluvium, eas suæ incredulitatis pœnituit. Dicendum enim videtur, quod Noe annuntiante diluvium, quidam in sua incredulitate perierunt: & his in infernum damnatis Christus descendens suam incredulitatem confutavit. Quidam vero tamen videntes diluvium, suæ incredulitatis pœnituerunt, & ante mortem fide justificati fuerunt; & hos Petrus dicit, quod *increduli fuerant aliquando*, indicans in incredulitate non perseveraſſe. Istis ergo, qui vel erant in limbo, vel forte verius, in pœnam adhuc in purgatorio (quia limbus non solet vocari carcer, sed sinus Abrahæ) Christus descendens prædicavit, ideſt bonum nuntium attulit, se esse Redemptorem, & ad hoc veniſſe, ut eas inde erueret, & ad gloriam transferret: ita probabiliter.

XII. Objicitur quarto. Si Christus descendens ad inferos non liberaſſet damnatos, hoc fuisset, vel quia noluisset, vel quia non potuisset. Primum derogaret summæ ejus bonitati, quia, ut omnes fatentur catholici, mortuus est pro omnibus. Summæ ejus justitiæ; quia injustum videtur, ut infideles, qui juxta rectam rationem vixerunt, quales fuerunt multi, æternis flammis crucientur. Sapientiæ etiam. Non enim convenit, ut culpam, quæ habuit finem, quando patrata est, sine fine puniat. Secundum vero esset ejus potentiam diminuere, quasi esset minor in inferno, quam in hoc mundo. Unde cum in hoc mundo de quolibet statu aliquos liberaverit, etiam in inferno de statu damnationis liberaſſe aliquos dicendus erit.

XIII. Respondeo, nec bonitati, nec justitiæ, nec sapientiæ, nec potentiæ Christi detrahi, etiamsi in infernum descendens neminem ex ibi damnatis liberaverit. Non detrahitur ejus bonitati. Quia licet mortuus sit pro omnibus quoad sufficientiam pretii, & voluntate generali salvandi omnes: Quoad efficaciam tamen non est mortuus pro illis, qui in impietate, vel infidelitate mortui, flammis æternis ante ejus mortem erant addicti.

Nec detrahitur justitiæ. Cum enim quovis tempore fides in Christum mediatorem proposita fuerit tamquam medium ad æternam salutem necessarium. Quotquot enim Deo placuerunt, per fidem ei placuerunt, & adspicientes in auctorem fidei Christum salvi facti sunt, ut Paulus, *Hebr.* 11. testatus, addens: *Quod sine fide impossibile est placere Deo*, justum erat, ut qui ad lumen fidei adspicere noluerunt, ac in infidelitate mortui erant, ideoque peccato & originali, & actuali obnoxii e vita decesserunt, in æternis flammis relinquerentur. Dicere autem quod sine fide, & gratia Christi potuerint servare præcepta moralia, abstinere a peccatis, & innocentem vitam ducere, est ad Pelagium accedere.

Minus detrahitur sapientiæ Christi per hoc, quod culpam quæ finem habuit cum patrata est, sine fine in inferis puniat. *Hoc quippe recta diceretur* (inquit S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 44.) *si districtus Judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; nam voluissent, utique si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, quia nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam noluerunt carere peccato.* Sed de hoc jam diximus *Tom. I. in* 1. *p. Q.* 9. *Dub.* 5. ubi ostendimus damnatorum pœnas fore æternas.

Tandem non detrahitur potentiæ Christi: *Nam non fuit* (inquit S. Thom. q. 52. 3. p. art. 6. ad 3.) *propter Christi impotentiam, quod non sunt aliqui liberati de quolibet statu infernalium, sicut de quolibet statu mundanorum, sed propter diversam utrorumque conditionem. Nam homines quamdiu vivunt, possunt ad fidem, & charitatem converti: quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel malo, sicut post exitum ex hac vita.* Passio autem Christi habet quidem vim conferendi dona fidei, & charitatis omnibus, qui in peccatis sunt: sed juxta decretum præsentis providentiæ eam non exercet, nisi in eos, qui sunt in statu, ubi est locus conversionis a peccato ad justitiam. Ideoque bene concluditur, damnatos non fuisse liberatos, quia eos ibi sine fide, & charitate Christus invenit, ubi non est locus ista donandi, sed solum illis juvandi, qui cum fide viva inveniuntur.

XIV. Neque dicas, Isaiæ 24. haberi v. 22. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in locum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.* Loqui autem Isaiam de damnatis constat, quia loquitur de idolorum, nempe *militiæ Cæli* adoratoribus. *Et Joannis* 12. *vers.* 32. Christum dicere: *Si exaltatus fuero a terra, omnia trahaam ad me ipsum.* Si omnia; ergo nihil reliquit, quod non traxerit.

XV. Respondetur enim ad Isaiæ textum cum S. Thom. art. 6. citato ad 1. *Quod Christo descendente ad inferos omnes qui erant in quacumque parte inferni, sunt aliqualiter visitati: sed quidam ad suam consolationem, & liberationem, & confusionem, sicut damnati. Unde ibidem subditur*: & erubescet Luna, & confundetur Sol &c. Dici etiam potest, Isaiam loqui de die extremi Judicii, quando Deus visitabit peccatores in malum, semper, & in æternum puniendos. —— Ad verba autem Christi respondet Gregorius, Homil. 22. in Evang. *Omnia traxit de electis suis, apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit, utique electa.*

XVI. Objicitur quinto. Multi ante Christum fuerunt infideles, qui nullam Dei notitiam habentes præcepta legis naturæ violarunt; ergo saltem istos a pœnis inferni liberavit Deus; nam cum peccatum fit essentialiter injuria, & offensio Dei, sublata semel cognitione Dei, necessario sequitur, nec peccatum, nec injuriam fore infinitam; & consequenter nec pœnam infinitam promereri, nempe æternam.

XVII. Hæc objectio duo supponit, quæ superius reprobavimus. Unum quod possit dari ignorantia invincibilis, & inculpabilis de existentia Dei, quod falsum esse ostendimus, *Tom. I. in* 1. *part. Tract. de Deo, Q.* 1. *dub.* 2. Alterum, quod dari possit peccatum mere philosophicum, quod pariter rejicimus, *Tom. cit. in* 1. 2. *Tract. de Peccatis. Q.* 1. *Dub.* 5. Unde Alexander VIII. suo decreto, 24. Augusti 1699. hanc propositionem proscripsit: *Peccatum philosophicum quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, esse grave peccatum, sed non esse offensam Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei cum homine, neque æterna pœna dignum.* Et Gallicani Præsules, *in Epist. ad Innocentium VII. data 7. Kal. Martii, anno 1697.* inter multas excerptas ex Libro inscripto: *Nodus Prædestinationis dissolutus*, hanc censuram notandam propositionem optimo jure censent: *Ut demus Brasilienses, aliosque ita ignoraſſe Deum, hoc est, invincibiliter, id quoque magna beneficii, & gratiæ pars est: cum enim peccatum sit essentialiter offensio, & injuria Dei; sublata Dei cognitione sequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam esse.* Hac posita doctrina, ut observant Præsules supra laudati, fiet, ut reddantur impeccabiles, & ab

æterna

æterna pœna prorsus immunes, nedum infideles, sed & parricidæ, hospitum occisores, nefandis libidinibus dediti, quos Deus tanta gratia, hoc est, cæcitate mentis, summaque sui ignoratione donaverit, quo quid horribilius? Addo, quod si peccata Infidelium, qui ignorant Deum, non merentur æternam pœnam, illis assignandus erit aliquis locus medius ab inferno, & paradiso seclusus, & in perpetuum duraturus, nec esse posset, aut Limbus Patrum, aut puerorum, aut Purgatorium: hujus autem loci medii nullum extat in Scriptura, & Patribus vestigium.

Dicendum igitur est, peccata, quæ infideles ignorantes Deum perpetrarunt violantes præcepta legis naturæ, esse digna pœna æterna, a qua Christus suo ad inferos descensu minime liberavit, sed potius in eos effudit iram suam, juxta illud, Ps. 78. v. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.*

XVIII. Objici tandem solent exempla aliquorum, qui ab inferno sanctorum precibus liberati sunt, ut Trajani, qui in impietate, ac infidelitate sua mortuus, precibus S. Gregorii ab inferno liberatus fuit, ut refert Jo: Diaconus, *lib. 2. de Vita S. Gregorii, cap.* 44. S. Jo: Damascenus, *in Oratione pro Defunctis*, & videtur admitti a S. Thoma, *quæst. 21. Suppl. art. 5. ad 5.* Item Dinocratis fratris S. Perpetuæ, qui septennis fato functus, & in loco tenebroso damnatus, precibus S. Perpetuæ sororis (ut referunt ejus acta) liberatus fuit. Quanto ergo magis per Christi ad inferos descensum damnati aliqui liberari potuerunt?

XIX. Respondeo, narrationem de Trajani animæ precibus S. Gregorii ab inferno damnatorum liberatione, a viris eruditis ad aniles fabulas amandari. Neque enim credibile est S. Gregorium ausum fuisse Deum orare, ut eum liberaret, quem sciebat immutabili sua voluntate in æternum esse damnatum, cum ipse, *lib. 4. Dialog. cap.* 44. doceat pro infidelibus mortuis omnino non esse orandum, sicut nec pro diabolo, his verbis: *Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo, angelisque ejus æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro infidelibus hominibus, impiisque defunctis: nisi quia pro eis utique quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum judicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt.* Quomodo ergo S. Gregorius orare potuit pro Trajano infidelitate mortuo, quem noverat, esse in æternum damnatum, & talem orationem a justo judice esse cassandam? aut quomodo jam justus Judex non cassavit, sed acceptavit factam pro viro nedum infideli, sed vitiis etiam nefandis implicato, ut vel Ethnici scriptores testantur? Nec me movet Joannis Diaconi testimonium: is enim non fuit auctor S. Gregorio coævus, nec ea quæ de ipso scripsit, ex probatis Romanæ Ecclesiæ monumentis excerpsit, sed ex cænosis lacunis plura saltem expiscatus fuisse credendus est, ut notant Patres Congr. S. Mauri, in sua Oper. S. Greg. editione, lib. 3. vitæ ejusdem.

Quoad S. Joann. Damascenum excusari potest; partim quia in his, quæ sunt facti, non dogmatis, potuit vir sanctus, tametsi doctus, & prudens, falli, nimiam tali narrationi fidem adhibendo: partim, quia ut notat P. Le Quien, *diss. 5.* inter Damascenicas, *Tom. I. Edit. Oper. Damasceni*, quem ipse notis illustravit, & ante illum viri eruditi non pauci senserunt, oratio illa pro Defunctis tot ineptiis, næniis, ac fabulis scatet, ut inter genuina Damasceni opera recenseri non mereatur. Immo Baronius, *ad ann. Christi 604. num. 60.* quamvis eam prorsus non rejiciat, Trajani tamen ab inferis liberationem exsuflat, in eaque Damascenum deceptum fuisse asserit.

De S. Thoma, ex modo quo loquitur apparet eum hypotetice, non categorice, & assertive fuisse locutum; nolens enim contendere de veritate, vel falsitate illius narrationis, dicit, quod, si vera est illa narratio, credi potest, quod vel Trajanus non fuerit finaliter in infernum damnatus, sed solum secundum præsentia ejus demerita punitus, suspensa interim definitiva sententia propter futuras S. Gregorii preces, propter quas transierit de inferno ad Cælum, non immediate, sed mediante resurrectione, & post resurrectionem media pœnitentia, & baptismo. Vel quod anima Trajana non fuit simpliciter a reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. Ita data illa narratione discurrit S. Thom. concludens: *Nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per suffragia: quia alia sunt, quæ lege communi accidunt; & alia quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur.* Sicut alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, *ut Augustinus dicit in libro de Cura pro mortuis agenda, cap.* 16. Verum tutius est narrationem prædictam veram esse negare, nec admittere, precibus S. Gregorii privilegium fuisse concessum, quod Christo descendenti ad inferos sustinemus fuisse negatum.

De Dinocrate. Dico cum P. Ruinart. *in Actis Martyrum sinceris, pag. mihi* 90. Hoc exemplo solum probari, Dinocratem precibus sororis Perpetuæ e purgatorii pœnis liberatum fuisse. Cum enim septennis mortuus fuisset, & proinde in ætate capaci peccandi, potuit mentiri, vel aliquo levi piaculo animam maculare, ob quæ fuit in purgatorio detentus. Cæterum Dinocratem fuisse ante mortem baptizatum negari non potest, ipsa S. Perpetua affirmante, totam suam familiam, excepto Patre, Christi religionem una cum baptismo suscepisse.

§. III.

De pueris in Limbo existentibus.

XX. Dico. Pueri, qui cum originali peccato decesserant, non fuerunt a Christo liberati. Ita S. Th. *3. part. quæst. 52. art. 7.* hac ratione: *Descensus Christi ad inferos in illis solis effectum liberationis habuit, qui per fidem, & charitatem passioni Christi conjungebantur, in cujus virtute descensus Christi ad inferos liberatoris erat. Pueri autem, qui cum originali peccato decesserant, nullo modo fuerant conjuncti passioni Christi per fidem, & dilectionem. Neque enim fidem propriam habere potuerunt, quia non habuerunt usum liberi arbitrii, neque per fidem parentum, aut per aliquod fidei sacramentum fuerant a peccato originali mundati. Et ideo descensus Christi ad inferos hujusmodi pueros non liberavit ab inferno.*

XXI. Aliam rationem dat S. Thomas ibi dicens: *Sancti Patres ab Inferno sunt liberati per hoc, quod ad gloriam divinæ visionis sunt admissi, ad quam nullus potest pervenire nisi per gratiam, secundum illud Rom. 6.* Gratia Dei vita æterna. *Cum igitur pueri cum originali peccato decedentes gratiam non habuerint, non fuerunt ab inferno liberati.*

XXII. Hæc est, ac fuit semper Ecclesiæ Catholicæ doctrina, cujus testes sunt Patres. Augustinus, *in lib. 1. de Orig. Anim. cap. 9.* S. Fulgentius, *lib. de fide ad Petrum, cap. 3.* Innocentius I. *in Epist. ad Patres Concilii Milevitani.* Gregorius Magnus, *lib. 9. Moral. cap.* 16. Et Episcopi Africani in Sardinia exules. Et ratio est. Quia fides catholica semper contra Pelagianos docuit, pueros absque sacramento fidei, & cum peccato originali decedentes, esse sub potestate diaboli, filios iræ, Deo exosos, & in perpetuam damnationem traditos, dicente Paulo ad Rom. 5. v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, & S. Augustino, *lib. 3. Oper. imp. contra Julian.* 199. dicente, quod Ecclesia parvulos ad baptisma accedentes insufflationibus ventilare solet, ut evincat, parvulos nondum baptizatos a diabolo possideri, & in æternum ab eo possidendos, si absque baptismo præmatura morte rapiantur.

XXIII. Dices primo. Pueri non tenebantur in inferno, sicut sancti Patres, nisi propter peccatum originale, sed sancti Patres fuerunt liberati per Christum; ergo & pueri.

Respondet S. Thom. citato loco ad 1. *Quod sancti Patres, etsi adhuc tenerentur adstricti reatu originalis peccati, in quantum respicit humanam naturam: tamen liberati erant per fidem Christi ab omni macula peccati: & ideo capaces erant illius liberationis, quam Christus attulit descendens ad inferos. Sed hoc de pueris dici non potest, ut ex supra dictis patet.*

XXIV. Dices secundo. Teste Apostolo, Rom. 5. v. 15. *Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Sed propter peccatum primi parentis pueri cum solo originali decedentes in inferno detinentur; ergo multo magis per gratiam Christi fuerunt liberati.

XXV. Respondet idem S. D. ibidem ad 2. *Quod cum Apostolus dicit, quod gratia Dei in plures abundavit*, ly *plures, non est accipiendum comparative, quasi plures numero sint salvati per gratiam Christi, quam damnati per peccatum Adæ: sed absolute, ac si diceret, quod gratiæ unius Christi abundavit in multos, sicut peccatum unius Adæ pervenit ad multos. Sed sicut peccatum Adæ ad eos tantum pervenit, qui per seminalem rationem carnaliter ab eo descenderunt: ita gratia Christi ad illos tantum pervenit, qui spirituali regeneratione ejus membra sunt facti, quod non competit pueris decedentibus cum originali peccato.*

XXVI. Dices tertio. Sicut baptismus operatur in virtute passionis Christi; ita & descensus ejus ad inferos: sed pueri per baptismum liberantur a peccato originali, & ab inferno; ergo similiter liberati fuerunt per descensum Christi ad inferos.

Respondet S. Thom. citatus ad 3. neg. conf. *Quia baptismus adhibetur hominibus in hac vita, in qua homo potest transmutari de culpa in gratiam. Sed descensus Christi ad inferos exhibitus fuit animabus post hanc vitam, ubi non sunt capaces trasmutationis predictæ. Et ideo per baptismum pueri liberantur a peccato originali, & ab inferno, non autem per descensum Christi ad inferos.*

Dubium III.

De Sanctis Patribus, & in Purgatorio detentis.

§. I.

Resolutio Prioris Partis.

Cum Christus ex dictis descensu suo nec in inferno æternaliter cruciatos, nec pueros in limbum ob peccatum originale detrusos, liberavit, supereſt inquirendum, an SS. Patres, qui in Limbo, & eos, qui in purgatorio detinebantur, inde extraxerit, & an omnes. Quoad primum.

I. Dico. Christus descendens ad inferos omnes sanctos Patres ibi detentos liberavit, primo quidem claram divinitatis visionem eis exhibendo statim a sua morte, postea vero etiam ex loco inferni eos educendo. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.* 52. *art.* 5. ubi discursu id ostendit: *Christus enim descendens ad inferos operatus est in virtute suæ passionis. Per passionem autem Christi liberatum est genus humanum non solum a peccato, sed a reatu pœnæ ... Dupliciter autem homines reatu pœnæ erant adstricti. Uno modo pro peccato actuali, quod quilibet in sua persona commiserat. Alio modo pro peccato totius humanæ naturæ, quod a primo parente in omnes originaliter devenit, ut dicitur Rom.* 5. *Cujus quidem peccati pœna est mors corporalis, & exclusio a vita gloriæ* (*ut patet ex his quæ dicuntur. Gen.* 2. *&* 3.) *Nam Deus hominem de paradiso post peccatum ejecit, cui ante peccatum mortem fuerat comminatus, si peccaret. Et ideo Christus descendens ad inferos virtute suæ passionis ab hoc reatu sanctos absolvit, quo erant a vita gloriæ exclusi, ut possent Deum per essentiam videre, in quo consistit perfecta hominis beatitudo, ut in secunda parte dictum est. Per hoc autem sancti Patres detinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloriæ propter peccatum primi parentis aditus non patebat. Et sic Christus descendens ad inferos sanctos Patres liberavit. Et hoc est quod dicitur Zachariæ* 9. Tu vero in sanguine Testamenti tui, eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua: *Et Coloss.* 2. *dicitur*, quod expolians Principatus, & Potestates: *scilicet infernales, auferendo Abraham, Isaac, & Jacob & cæteros justos*, traduxit eos, *idest longe ab hoc regno tenebrarum, ad Cælum duxit, ut Glossa ibidem dicit.* Hactenus S. Thom.

II. Hunc Christi de inferis triumphum concinit Ecclesia dicens: *O vere digna hostia, per quam facta sunt tartara, redempta plebs captivata, reddita vitæ præmia.* Concinunt, & Patres, Irenæus lib. 5. contra hæreses, cap. 31. *Propter Prophetas* (inquit) *& justos descendit Christus inferiora terræ.* Tertullianus, lib. de Anima, cap. 55. *Non ante ascendit in sublimiora cælorum, quam descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret.* Origenes in cap. ad Roman. *Intelligimus Christum idcirco in infernum descendisse, ut eos, qui inibi, non tam prævaricationis crimine, quam morientis conditione habebantur, absolveret.* Et Nazianzenus, *Orat.* 2. *in Pascha* (quæ est 42.) ostendit, Christum ad inferos descendentem, non omnes sine exceptione salvos fecisse, sed credentes dumtaxat. Unde S. Augustinus, *lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 15. dicit: *Non absurde credi, aliquos Sanctos qui venturi Christi renuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis; sed tamen apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.*

III. Porro cum SS. Patres nullo dolore, seu pœna sensus torquerentur, sed in spe gloriæ promissæ quiescerent, unicus eis dolor inerat ex gloriæ, quam sibi promissam certo sperabant, dilatione; nam (Prov. 13. v. 12.) *Spes, quæ differtur, affligit animam*; Ab hoc Christus suo descensu liberavit, eis aperiendo Cælum, & claram Dei visionem impartiendo; & hoc sensu intelligi debet illud, Act. 2. *Solutis doloribus inferni.* Quatenus qui ante adventum Christi erant beati in spe, licet nondum essent beati in re, Christo ad eos descendente facti fuerunt beati in re, & sic solutus fuit dolor, quem patiebantur ex dilatione gloriæ, ut docet S. Thom. hic ad 1. Licet autem per claram Dei visionem statim facti fuerint essentialiter beati, in Cælum tamen, qui proprie locus Beatorum est, antequam Christus illuc ascenderet, non fuerunt admissi, juxta illud: *Ascendens in altum* (Christus) *captivam duxit captivitatem.*

IV. Quod si quæras: quomodo Sancti detinebantur in inferno, qui mortui erant justificati a peccato. cum nemo in inferno detineatur nisi propter peccatum. — Respondeo ex dictis cum S. Thoma ad 2. *Quod Sancti Patres, dum viverent liberati fuerunt per fidem Christi ab omni peccato tam originali, quam actuali, & a reatu pœnæ peccatorum actualium, non tamen a reatu pœnæ originalis peccati, per quem excludebantur a gloria, nondum soluto pretio redemptionis humanæ. Sicut etiam nunc fideles Christi liberantur per Baptismum a reatu actualium peccatorum, & a reatu originalis quantum ad exclusionem a gloria, remanent tamen adhuc obligati reatu originalis peccati, quantum ad necessitatem corporaliter moriendi: quia renovantur secundum spiritum, sed nondum secundum carnem, secundum illud Rom.* 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.

V. Non sic autem Christus veteres Patres ab inferno, seu limo eduxit ut aliis qui succederent pararet locum, sed ut deinceps sancti illum non adirent, neque teneri a diabolo possent, qui jam spoliatus esset, ac superatus. Christus enim sua morte, ut dicitur, *Hebr.* 2. *v.* 14. destruxit eum, qui habebat mortis imperium, ideſt diabolum. Et *Osee* 13. *v.* 14. infernum sic momordit, ut mortem interimeret, & Ps. 106. v. 16. *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, quem in figura adumbravit Sampson *Judic.* 16. *v.* 3. *Quando apprehendit ambas portas.* Urbis *Gazæ fores cum postibus suis, & sera; & portavit ad verticem montis*, de quo August. *lib.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 15.

§. II.

Resolutio Posterioris Partis.

VI. Supposito, quod inter animarum receptacula post mortem sit Purgatorium, quod inferius late probabimus contra Lutheranos, & Calvinistas, aperitur locus quæstioni: an Christus illuc descenderit, ac descensu suo animas ibi detentas liberaverit. Et quidem quod Christus suo descensu liberaverit aliquas, eas scilicet, quas invenit plene purgatas, sentit S. Th. 3. *part. quæst.* 52. *art.* 8. Alii vero putant ex speciali privilegio liberasse omnes, & Purgatorium evacuasse.

VII. Dico primo. Christus descensus suo ad inferos non omnes animas in purgatorio detentas per se loquendo liberavit, sed eas tantum, quas plene purgatas invenit. Ratio S. Th. est. Quia descensus hic fuit liberatorius in virtute passionis Christi: Passio autem non majoris virtutis fuit tunc, quam modo sit; ergo cum modo non omnes statim liberet, sed eos; quibus applicantur media ad hoc instituta, seu qui jam purgati inveniuntur; ergo etiam tunc. Unde concludit. *Et ideo illi, qui fuerunt tales, quales nunc sunt, qui in purgatorio detinentur, non fuerunt a purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos: Si qui autem inventi sunt tales, quales etiam nunc virtute passionis Christi a purgatorio liberantur, tales nihil prohibet per descensum Christi ad inferos a purgatorio esse liberatos.*

VIII. Sed dices. Si virtus passionis Christi semper est eadem, concludi poterit sacramenta novæ legis non esse majoris efficaciæ, quam sacramenta veteris legis quia in utriusque eadem Christi passio operatur. — Deinde ipsa Christi præsentia non minorem effectum habere debuit, quam sacramenta ipsius; sed per sacramenta Christi animæ a purgatorio liberantur; ergo multo magis per præsentiam Christi ad inferos descendentis sunt animæ a purgatorio liberatæ.

IX. Resp. negando assumptum. Passio autem Christi semper eadem fuit per modum causæ universalis, non tamen semper applicata fuit per media divinitus instituta ejusdem efficaciæ. Sacramenta autem novæ legis sunt media efficacius applicantia virtutem passionis Christi, quam sacramenta veteris legis. Et ideo sicut illa per se causant gratiam, ista vero per se non causabant, ita illa a purgatorio animas liberant, ista non.

X. Ad id quod additur dico cum S. Thom. citata, *quæst.* 52. *art.* 8. *ad* 2. Descensum Christi ad inferos non fuisse medium ordinatum ad applicandam virtutem passionis Christi per modum satisfactionis pro pœna, sicut sunt sacramenta: *Virtus Christi* (inquit) *operatur in sacramentis per modum sanationis, & expiationis cujusdam. Unde sacramentum Eucharistiæ liberat hominem a purgatorio, in quantum est sacrificium quoddam satisfactorium pro peccato. Descensus autem Christi ad inferos non fuit satisfactorius: operabatur tamen in virtute passionis, qua fuit satisfactoria ... Sed erat satisfactoria in generali, cujus virtutem oportebat applicari ad unumquemque per aliquid specialiter ad ipsum pertinens.*

XI. Instabis tamen. Christus eos, qui in purgatorio erant, liberavit a reatu pœnæ damni, quo excludebantur a gloria; ergo etiam liberavit eos a reatu pœnæ purgatorii: Quia Christus quoscumque in hac vita curavit totaliter sanavit.

XII. Respondet S. Thom. laudato loco, *ad* 3. neg. conſ. Nam *illi defectus, a quibus Christus in hoc mundo simul homines liberavit, erant personales, proprie ad unumquemque pertinentes: sed exclusio a gloria Dei erat quidam defectus generalis pertinens ad totam humanam naturam. Et ideo nihil prohibet eos, qui erant in purgatorio per Christum esse liberatos ab exclusione a gloria, non autem a reatu pœnæ purgatorii, qui pertinet ad proprium defectum. Sicut e contrario sancti Patres ante Christi adventum liberati sunt a propriis defectibus, non autem a defectu communi, sicut supra dictum est* (quæst. 49. art. 5. ad 1.)

XII. Dico secundo. Probabilius est, neque ex speciali privilegio animas omnes per descensum Christi ad inferos fuisse a purgatorio liberatas: oppositum tamen non est impossibile.

Primam partem ostendunt rationes supra allatæ; neque constat de hoc privilegio. Quod si dicatur, liberatas fuisse

fuiſſe non ſolas eas animas, quæ ſufficienter purgatæ erant, ſed eas etiam, quæ dum hic viverent ſpeciali fide, ac devotione ad mortem Chriſti, liberationem illam meruerant, merito congruentiæ, ideſt, ita ut affectus ille non fuerit abſolutum meritum iſtius liberationis, ſed congruentia quædam, cujus intuitu conferretur illud beneficium ſimpliciter indebitum, & extraordinarium, non diſſentiam. —— Nec etiam diſſentiam, omnes animas in purgatorio exiſtentes ſpeciali quadam conſolatione, & novo gaudio fuiſſe perfuſas ex Chriſti ad eas deſcenſu, ſperantes, ſe gloriam citius conſecuturas. Et in hoc ſenſu intelligi illud Eccleſiaſtici 24. *Illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

XIV. Secunda vero pars, quam ſuſtinent Ambroſius Catharinus, & dominicus Soto, non improbabilis redditur. Tum quia credibile eſt, Chriſtum in adventu ſuo illo lætiſſimo, triumphantium more, primas, eaſque plenas indulgentias, tamquam indulgentiarum, quarum ex Chriſti meritis largiſſimus uſus in Eccleſia erat futurus, primitias, omnibus in purgatorio detentis conceſſiſſe, quibus animæ illæ, utpote fide, & charitate plene diſpoſitæ, eique conjunctæ omnes liberatæ fuerunt, & ad gloriam perductæ. Sic enim melius explicare videntur verba Pauli ad Coloſſ. 2. *Et expolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.*

Tum quia Patres de juſtorum liberatione ab inferis per Chriſtum facta loquentes, nunquam piorum aliquos excipiunt, ſed ſolos impios, de quorum ſalute penitus eſt deſperatum. Interdum etiam de piis, & juſtis univerſaliter loquuntur. Nam Origenes, *Homil. 15. in Geneſ.* Verba illa Chriſti ad latronem *Hodie mecum eris in Paradiſo* (Lucæ 23. verſ. 43.) non latroni ſoli dicta eſſe affirmat, ſed & omnibus Sanctis, qui ad inferna deſcenderant. Et Auguſt. *in Pſalm.* 85. teſtatur, Dominum ad infernum veniſſe, ut erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas. Similes ſunt univerſales ſententiæ apud Athanaſium, *Serm. de Paſſione & Cruce*, & Damaſcenum, *Orat. de his qui in fine dormierunt.* Manifeſte vero ita ſentire videtur Auguſtinus, *lib. 12. de Goneſ. ad litt. cap. 33.* Sic inquiens. *Et Chriſti quidem animam veniſſe uſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos ſolveret a tormentis, quos eſſe ſolvendos occulta nobis ſua juſtitia indicabat, non immerito creditur.* Deinde ſubjecta probatione ex eo, quod dicitur Act. 2. *Solutis doloribus inferni*, adjungit: *Neque enim Abraham, vel ille pauper in ſinu ejus, hoc eſt in ſecreto quietis ejus in doloribus erat: inter quorum requiem, & illa inferni tormenta legimus, magnum chaos firmatum.* Quænam erant tormenta, ad quæ ſolvenda Chriſti in inferos deſcendit? non certe impiorum: ſed nec omnium juſtorum ibi degentium, nec enim Abraham, & Lazarus erant in tormentis; erant igitur eorum tantum, qui pro peccatis ſuis purgatorii pœnis apud inferos adhuc tenebantur. Non diſſimiliter loquitur idem Auguſtinus, *lib. 17. De Civit. Dei, c. 11.* ubi Chriſtum dicit ad inferna deſcendiſſe propter quorumdam ſolvenda peccatorum vincula. Hæc non improbabilem reddunt ſententiam aſſerentem, quod Chriſtus ſuo deſcenſu animas a purgatorii pœnis liberavit.

DUBIUM IV.

Quanto tempore Anima Chriſti apud Inferos manſerit, & Corpus in Sepulchro.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico, Chriſti anima a morte uſque ad reſurrectionem, nempe per unum diem, & duas noctes moram traxit apud inferos. Ita S. Thom. ſæpe dicta, *q. 52. 3. partis, art. 4.* his verbis: *Dicendum, quod ſicut Chriſtus, ut noſtras pœnas in ſe ſuſciperet, voluit corpus ſuum in ſepulchro poni, ita etiam voluit animam ſuam ad infernum deſcendere. Corpus autem ejus manſit in ſepulchro per diem integrum, & duas noctes ad comprobandam veritatem mortis ſuæ. Unde etiam tantumdem credendum eſt, animam ejus fuiſſe in inferno, ut ſimul anima ejus educeretur de inferno, & corpus de ſepulchro.* Ita tamen, ut ly *ſimul*, vel faciat ſenſum, quod in eodem fere inſtanti, ſeu breviſſimo tempore, anima exierit de inferno, & corpus ei unitum exierit de ſepulchro. Vel quod anima Chriſti motu inſtantaneo (ut de Angelis dicitur, 1. *parte, quæſt. 33. art. 3.*) exierit de inferno ſic, ut primum non eſſe ejus in inferno, fuerit primum eſſe ejus in ſepulchro, & in corpore, & ſtatim inde exierit.

II. Sed dices primo. Chriſtus in infernum deſcendit, ut ex eo animas Patrum liberaret, ſed hoc factum eſt ſtatim in ſuo deſcenſu; ergo &c.

Confirmatur. Chriſtus ad infernum deſcendit, ut vectes ferreos confringeret, quibus animæ illæ tenebantur ibi concluſæ: ſed hoc ſine mora factum eſt ad imperium Domini, ac Salvatoris. Unde ex perſona Angelorum comitantium Chriſtum dicitur: *Tollite portas principes veſtras &c.* ergo &c.

III. Reſpondeo, conceſſis præmiſſis, neg. conſeq. cum S. Thomas citato *ad 1.* Nam *Chriſtus ſtatim ad infernum deſcendens, ſanctos ibi exiſtentes liberavit, non quidem ſtatim educendo eos de loco inferni, ſed in ipſo inferno luce gloriæ illuſtrando. Et tamen conveniens fuit, ut tamdiu anima ejus remaneret in inferno, quamdiu corpus manebat in ſepulchro.*

Eadem ratione ad confirmationem ibidem *ad 2.* dicit: *Quod vectes inferni dicuntur impedimenta, quibus Sancti Patres de inferno exire prohibebantur reatu culpæ primi parentis: quos Chriſtus ſtatim deſcendens ad inferos virtute ſuæ paſſionis, & mortis confregit. Et tamen voluit in inferno aliquandiu manere propter rationem prædictam.*

IV. Dices ſecundo, *Luc. 23. verſ. 43.* Dixit Chriſtus latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo*: ergo Chriſtus eadem die fuit in Paradiſo: non ſecundum corpus, quod poſitum fuit in ſepulchro; ergo ſecundum animam, ergo moram non traxit in inferno.

Reſpondet S. Thom. citato loco ad 3. *Quod illud verbum Domini eſt intelligendum non de paradiſo terreſtri & corporeo, ſed de paradiſo ſpirituali, in quo eſſe dicuntur quicumque divina gloria perfruuntur. Unde Latro, loco quidem cum Chriſto ad infernum deſcendit, ut cum illo eſſet, quia dictum eſt ei* mecum eris in paradiſo. *Sed præmio in paradiſo fuit, quia ibi divinitate Chriſti fruebatur, ſicut & alii Sancti.* Unde diſtinguendum eſt ant. erit in paradiſo hodie quoad præmium gloriæ, conc. ant. Quoad locum, nego antec.

§. II.

Quamdiu Corpus Chriſti manſerit in ſepulchro.

V. Quæſtio hæc non eſt hujus loci, cum præſenti tamen connectitur. Cum enim dicat S. Thom. tamdiu animam Chriſti manſiſſe apud inferos, quandiu corpus ejus manſit in ſepulchro: ideoque animam Chriſti fuiſſe apud inferos una die, & duabus noctibus, non modica ſurgit difficultas, quæ ſic proponitur. Tandiu Anima Chriſti manſit apud inferos, quamdiu ejus corpus jacuit in ſepulchro: ſed corpus Chriſti jacuit in ſepulchro tribus diebus; & tribus noctibus, dicente Chriſto, Matth. 12. verſ. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre Cati tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*; ergo tandiu anima Chriſti fuit apud inferos, non tantum una die, & duabus noctibus. Unde Irenæus, *lib. 5. adverſus Hæreſes, cap. 32.* diſertis verbis aſſerit, Chriſtum tribus diebus converſatum fuiſſe cum iis qui erant mortui; & ſimiliter loquuntur Niſſenus, *Orat. 1. de Reſurr. Chriſti* Tertullianus, *de Anima, cap. 55.* & alii veteres ad illud, Matth. 12. *In corde terræ.*

VI. His tamen non obſtantibus ſubſiſtit ſententia communis, nimirum, quod una die integra, & duabus noctibus corpus Chriſti jacuerit in ſepulchro, & conſequenter eo tempore ejus anima moram traxerit apud inferos. Hujus convenientiam S. Thom. *3. p. q. 51. art. 4.* his verbis oſtendit: *Per mortem Chriſti liberati ſumus a duplici morte, ſcilicet a morte animæ, & a morte corporis: & hoc ſignificatur per duas noctes, quibus Chriſti in ſepulchro permanſit. Mors autem ejus, quia non fuit ex peccato proveniens, ſed ex caritate ſuſcepta, non habuit rationem noctis ſed diei: & ideo ſignificatur per diem integrum, quo Chriſtus fuit in ſepulchro.* Et propter hoc dicit S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 6. *A veſpera ſepulturæ, uſque ad diluculum reſurrectionis triginta ſex horæ ſunt, ideſt, nox tota cum die tota & nocte tota.* Ex quibus patet, ſecundum Auguſtinum, triginta ſex horis corpus Chriſti jacuiſſe in ſepulchro, & totidem horis ejus animam apud inferos moram traxiſſe.

Aliam congruentiam, cur initio tertiæ diei Chriſtus reſurrexerit, affert S. Thom. *3. p. q. 53. art. 2.* ut nempe ſignificaretur, quod *Per reſurrectionem Chriſti tertium tempus incipiebat. Nam primum fuit ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia. Incepit etiam in Chriſto reſurrectione tertius ſtatus Sanctorum. Nam primus fuit ſub figuris legis, ſecundus ſub veritate fidei, tertius erit in æternitate gloriæ, quam Chriſtus inchoavit reſurgendo.*

VII. His ſtatutis reſpondetur ad id quod in contrarium dicitur, ex S. Thom. *3. p. q. 51. art. 4. ad 1. Scripturarum uſitato loquendi modo, quo a parte totum intelligitur: ita ſcilicet, quod unam noctem, & unam diem accipiamus pro uno die naturali. Et ſic primus dies computatur ab extrema parte ſui, qua Chriſtus in ſexta feria eſt mortuus, & ſepultus. Secundus autem dies eſt integer cum viginti quatuor horis nocturnis, & diurnis: nox autem ſequens pertinet ad tertium diem. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapſum a luce in noctem: ita iſti propter hominis reparationem, a tenebris computantur in lucem.*

Ex quibus ſequitur, quod computatione facta dierum naturalium a media nocte in mediam noctem, juxta uſitatum loquendi modum, diſtincte reperiantur tres dies, & tres noctes conformiter verbis Chriſti *Matth. 12.* Primus enim dies, & prima nox computatur extrema pars feriæ ſextæ cum ea parte noctis, quæ illam feriam ſequitur uſque ad medium noctis. Secundus dies, & ſecunda nox

eſt in-

eſt integrum Sabbatum, cujus initium ſumitur a media nocte feriam ſextam ſequente, & terminatur in mediam noctem ſequentem Sabbatum. Tertia nox eſt hujus ipſius noctis poſterior medietas, Tertius autem dies eſt initium diei Dominicæ; exiſtimamus enim Chriſtum in Aurora ſurrexiſſe. De hoc vide Auguſtinum, *lib. 1. de Conſenſu Evangeliſtarum, cap. 24.* Anſelmus, *in cap. 12. Matthæi*, & S. Leonem, *Serm. 1. de Reſurr.* ubi pulcherrime dicit: *Ne turbatos diſcipulorum animos longa mœſtitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum diem pars primi noviſſima, & pars tertii prima concurrit, & aliquantulum temporis ſpatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.*

VIII. Faceſſant igitur Langius, & alii, qui, volentes, Chriſtum tribus diebus, & tribus noctibus integris in ſepulchro quoad corpus, & apud inferos quoad animam permanſiſſe, ſtatuunt, Chriſtum non feria ſexta, ſeu die Veneris, ſed feria quinta, ideſt die Jovis, mortuum, ac ſepultum fuiſſe. Faceſſant, inquam, nam contra eos ſtat Scriptura. Primo, Quia juxta Scripturam Chriſtus mortuus eſt, & ſepultus in die *Paraſceves*, Matth. 27. & Lucæ 23. dies autem *Paraſceves* apud Judæos erat feria ſexta, quia præparatoria ad Sabbatum. —— Secundo. Ut habet *Lucas cap. 23. & 24.* mortuo Chriſto, & ſepulto, mulieres paraverunt aromata, quieverunt tamen ab ungendo Chriſti corpore propter Sabbatum, quod incipiebat. Venientes autem una Sabbati, ideſt prima die poſt Sabbatum, & portantes aromata, invenerunt revolutum ſepulchri lapidem, & Chriſtum jam ſurrexiſſe; ergo Chriſtus die Veneris mortuus fuit, ac ſepultus, die Sabbati in ſepulchro quievit, & die Dominico ante diluculum reſurrexit. —— Tertio. Timentes Judæi, ne Chriſti, & cum eo cruci affixorum corpora remanerent in Cruce die Sabbati: *Rogaverunt Pilatum, ut confringerentur eorum crura, & tollerentur.* Atqui ſi feria quinta, ſeu die Jovis in Crucem actus fuiſſet Chriſtus, nulla Judæis cauſa fuiſſet timendi ne eorum corpora Sabbato adhuc penderent, quia abſque Sabbati violatione corpora potuiſſent quinta, ſextaque feria ad ſextam uſque horam pomeridianam in Cruce remanere; ergo &c. —— Quarto. Chriſtum mortuum fuiſſe circa meridiem feriæ ſextæ, & veſpere ejuſdem diei ſepultum, luculenter indicat S. Joannes, *c. 19. v. 41. & 42.* dicens: *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Ibi ergo propter Paraſcevem Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.* His indicat S. Joannes, diem quo mortuus fuit Chriſtus fuiſſe Paraſcevem, & ideo propter imminens Sabbatum, quo operari nefas erat, corpus Chriſti in remotiorem locum tranſferri non potuiſſe. Quod ſi feria quinta mortuus fuiſſet, non adeo fuiſſent ſolliciti: nam pars feriæ quintæ reſidua, & tota fere ſexta feria, ſatis temporis Judæis reliquiſſet corpus Chriſti in remotius ſepulchrum efferendi.

IX. Tandem Chriſtum non feria quinta, ſed ſexta fuiſſe mortuum, conſtans eſt ſententia Patrum, qui ad tempora Apoſtolorum propius accedunt. Ex quibus affero S. Ignatium Martyrem, qui, *in Epiſt. ad Trallianos*, ait: *Dico ergo Paraſceves* (quæ die Veneris) *tertia hora* (Chriſtus) *accepit ſententiam a Pilato . . . . . continet ergo Paraſceves Paſſionem, Sabbatum vero ſepulturam, & requiem, Dominica autem reſurrectionem.* S. Juſtinum Martyrem, *Apologia 2. pro Chriſtianis*, hæc habentem: *Pridie Saturni diei Jeſus in Crucem actus eſt, & poſtridie ejuſdem, qui ſcilicet Solis eſt dies, Apoſtolis, & diſcipulis apparuit.* S. Irenæum Epiſcopum Lugdunenſem, *lib. 5. contra Hæreſ. c. 23.* ubi hæc habet: *Dominus venit ad paſſionem pridie ante Sabbatum, qua eſt ſancta conditionis dies; in qua homo plaſmatus eſt, ſecundum plaſmationem ei eam, quæ eſt a morte, per ſuam paſſionem donans*, quaſi eadem die hominem reformans, qua primo fuerat formatus. Sed hæc ſatis. Ignoſcat quæſo Lector, ſi pro ſtabiliendo tempore, quo anima Chriſti moram traxit apud inferos, in determinando tempore quo corpus ejus jacuit in ſepulchro, plus forte quam par erat, ipſum detinuimus.

QUÆSTIO III.

De Purgatorio.

PUrgatorium inter receptacula poſt mortem ſuperius recenſuimus. Agentes de Sacrificio Miſſæ, & de Indulgentiis illud ſuppoſuimus. Verum quia recentiores hæretici concordi conatu illud amovere moliuntur, idcirco meum Studioſum Lectorem contra ipſos præmunire operæ pretium duxi, oſtendendo, primum ejus exiſtentiam, deinde alia, quæ ad ejus perfectam notitiam neceſſaria ſunt, proſequendo.

DUBIUM I.

An detur Purgatorii locus poſt hanc vitam?

§. I.

Quinam circa hoc erraverint.

I. NOto. Quod admittere Purgatorium poſt hanc vitam tamquam locum medium inter Paradiſum beatorum, & infernum damnatorum, & aſſerere bonum, & utile eſſe pro defunctis orare, duæ veritates ſunt invicem neceſſario connexæ. Purgatorio enim negato, non erit, cur pro defunctis oretur: non enim orandum erit pro animabus, quæ in Cælis cum Chriſto regnant, quia cum ſint beatæ, ac Deo fruantur, omne bonum poſſident; neque pro damnatis in æternum, quia in nullo juvari poſſunt. Propterea inter eos qui Purgatorium negarunt, aliqui illud expreſſe ſuſtulerunt, aliqui vero tacite, nimirum pro defunctis orandum eſſe negantes.

II. Primus qui contra Purgatorium arma movit, fuit Aerius circa *annum* 340. Conſtantino Magno imperante, ac Julio I. ſedente: Is, referente S. Auguſtino, *lib. de Hæreſ. cap. 53.* indignatus, quod Epiſcopatum, quem ſummopere ambierat, conſequi non potuiſſet, Arianæ hæreſi, cui ſe addixit, ſuas etiam hæreſes adjunxit, inter quas hæc fuit: *Orare, vel offerre pro mortuis, ſeu dormientibus non oportere.*

III. Albanenſes, & Albigenſes Manichæorum ſectæ, qui arbitrabantur, animas ſimul cum corpore interire, negabant non ſolum Purgatorium, ſed infernum quoque, & Paradiſum. Sæculo duodecimo Petrobruſiani, a Petro de Bruis, & Henriciani a quodam Henrico patria Toloſano, inter varios errores, quos per Gallias diſſeminarunt, quos Petrus Cluniacenſis, & S. Bernardus Abbas, qui ea ætate floruerunt, ſcriptis ſuis aggreſſi ſunt, hunc aſſerebant, nimirum, nec Purgatorium eſſe, nec pro defunctis orare quidquam prodeſſe. Eodem ſæculo huic errori ſubſcripſere Waldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, docentes, nullum eſſe Purgatorii locum, in quo animæ ab hac luce migrantes purgentur a ſordibus, quas in corpore contraxerunt, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur.

IV. In eumdem errorem impegerunt deſinente ſæculo tertiodecimo quidam dicti Pſeudoapoſtoli, duce quodam Gerardo Sagarello Parmenſi, qui propterea damnatus igni fuit ſub Adolpho Cæſare, & Bonifacio VIII. circa *annum 1296.* dicentes, nullum eſſe medium inter Cælum, & Infernum pro defunctis deſtinatum. Hanc hæreſim ſequenti ſæculo auxit Joannes Hus natione Bohæmius, a quo Huſſitæ, aſſerens, Purgatorium, in quo Catholici volunt animas purgari, eſſe merum figmentum. Lutherus, quamvis Purgatorium admittat, negat tamen, illud in Sacris Litteris oſtendi poſſe. Qua in re ſibi adverſari videtur: cum enim conſtanter doceat, nihil eſſe credendum, niſi quod aperte ex Sacris Litteris colligi poſſit, mirum eſt, quod Purgatorium admittere velit, quod ex Sacris Litteris oſtendi non poſſe affirmet.

V. Tandem Calvinus, *lib. 3. Inſt. cap. 5. §. 6.* Improbans aliquos qui volebant quæſtionem de exiſtentia Purgatorii prudenti quadam diſſimulatione eſſe prætereundam, tamquam periculoſiſſimum hoc ſilentium damnans, ait: *Clamandum ergo non modo vocis, ſed gutturis, ac laterum contentione, Purgatorium exitiale Satanæ eſſe commentum, quod Chriſti Crucem evacuat, quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit, ac evertit.* Nimirum, quod ſanguis Chriſti non ſit unica pro peccatis noſtris ſatisfactio. Unde illius, & cæterorum hæreticorum ei adhærentium error in alio duplici errore fundatur, unus eſt, quod Chriſti ſatisfactio ſit unica, & ultra illam alia ſatisfactio pro peccatis, abſque ejus injuria non ſit exquirenda. Alter eſt quod dimiſſa culpa, & pœna æterna, non ſuperſit alia pœna temporalis luenda.

V. Eccleſia tamen Catholica tenet, ac ſemper ut de fide tenuit, inter receptacula poſt hanc vitam eſſe locum Purgatorii, in quo animæ, quæ non plene purgatæ hinc deceſſerunt, purgari debeant, priuſquam ad æternam gloriam admittantur, haſque fidelium orationibus, & ſacrificio Euchariſtiæ maxime juvari. In qua veritate fuiſſe ſemper firmam Eccleſiam Latinam conveniunt omnes. De Græca vero, maxime poſt ſchiſma, negant aliqui, ſed immerito, ut infra oſtendam.

§. II.

Catholica veritas ex Scriptura.

VII. DIco. De fide eſt, inter receptacula animarum poſt hanc vitam, dari locum purgatorii, in quo quorumdam fidelium animæ propter peccata in vita commiſſa, nec plene expiata, poſt mortem pœnis quibuſdam detinentur, quibus purgatæ tandem ad beatorum ſocietatem tranſeunt. Hanc veritatem contra Jacobum Picenum Calviniſtam propugnavi, *in Vera Eccleſia Tom. 1. part. 1. integr. art. 10.* Quo Studioſum remitto. Interim aliqua repetam, & alia addam. Et primo quidem, ut Lutheri

Lutheri cæcitatem perstringam, qui purgatorium in Sacris Scripturis non vidit, seu verius videre noluit, probo illud ex scripturis utriusque Testamenti.

VIII. Primus ergo, & apertissimus locus ex vet. Testamento legitur in 2. *Machab.* 12. ubi factum Judæ Machabæi, qui pro peccatis militum in prælio cæsorum offerri jusserat sacrificium, scriptura laudat, tamquam ex religiosa voluntate profectum his verbis: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Cum autem solvi peccatum sit pœnam pro peccato remitti, ex hoc textu colligitur, defunctos in altera vita pœnas pati, a quibus per orationes, & sacrificia solvi possint.

Adversarii adeo claro testimonio aliter respondere non possunt, nisi Librum illum non esse Canonicum, ac proinde nullius auctoritatis —— Sed contra primo. Esto liber ille non sit relatus in Canonem hebræorum, quia quando Esdrinus Canon editus fuit, nondum erat conscriptus, absque dubio tamen relatus est in canonem Ecclesiæ, sicut nonnulli alii quos reclamantibus Hebræis Ecclesia tamquam sacros & divinos nobis legendos proponit ab *anno 397.* in Concilio Carthaginensi III. *Can.* 47. ubi inter libros qui sub nomine Sacram Scripturarum legi in Ecclesia debent, recensentur etiam *Machabæorum libri duo*: Quod continua traditione servatum in Concilio Tridentino confirmatum fuit, *Sess.* 4. Cui conformis est Ecclesia Græca recentior, etsi a Latina, & Catholica schismate divisa: Nam in sua Synodo Constantinopolit. *anno* 1642. Calvinum damnat, quod scripturæ *libros aliquos abrogat, quos sanctæ, & OEcumenicæ Synodi, ut Canonicos receperunt.* Et in Synodo Jerosolymit. *anno* 1672. *c.* 18. *q.* contra Cyrillum Lucari Calvinistam præter libros a Laodicæna Synodo declaratos canonicos, tales etiam declarat alios in ea Synodo omissos, inter quos etiam *Machabæos.* Ecclesiæ autem judicium hac in re si contemnitur, jam nec quatuor Evangelia, nec alii libri satis roboris, & auctoritatis habebunt ad fidem Christianis dogmatibus asserendam: *Neque enim Evangelio crederem* (inquit Augustinus contra Epist. fundamenti, cap. 5.) *nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas.* Et in lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 1. ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universa Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Sed de hujus libri auctoritate operosius hic agendum non est: pro ea enim pugnavimus, *in Vera Ecclesia citato loco*, & alibi, & insuper eam, *in lib. de Verit. Relig. Christ.* statuemus.

IX. Igitur hoc interim omisso, id Auctori hujus libri, qui cum veneratione tot sæculis in Ecclesia lectus est, negari non potest, quod Ethnicis etiam scriptoribus conceditur, nimirum saltem ei tribuendam esse fidem historicam, & credendum, rem, ut gesta est, ab eo fideliter fuisse conscriptam. Hoc si detur, verum erit, quod ab eo historice narratur, videlicet, Judam, qui non tantum Dux, sed & Pontifex erat illius populi, collatione facta Jerosolymam misisse argentum, quod impenderetur in sacrificia pro peccatis mortuorum. Unde sequitur, non modo Sacerdotes, & populum fidelem illius temporis ita credidisse, quod post hanc vitam fidelium animæ pietate fidelium possent a pœnis revelari, sed & publico ritu sacrificia pro illis offerri consuevisse.

X. Neque obstat, quod lex Mosaica de hujusmodi sacrificiis nihil præscripserit —— Nam comprehendebantur sub illis, quæ pro peccatis jubebantur offerri, non præsentium tantum, verum etiam absentium, velut in die expiationis pro peccatis totius populi. A quo populo cum non exciderent, qui, etsi aliquibus peccatis obnoxii, attamen cum pietate dormitionem acceperant; non debebant a generalibus sacrificiis, quæ pro universo populo expiando offerebantur, excludi, nec ab intentione fidelium ea offerentium. Nam & alia ejusdem generis opera pro mortuis feciisse Sancti Patres, & Patriarchæ, & Prophetæ leguntur, cujusmodi sunt luctus, jejunium, & eleemosyna. De luctu adest exemplum Joseph, qui luctuosas exequias facit Jacob patri suo, ut habetur, *Genes.* 50. Unde Judæi, usque in hodiernum diem pro defunctis suis orant, & in confirmationem hujus consuetudinis afferunt inter alia præfatum factum Joseph Patriarchæ, qui exequias patri suo Jacob celebravit in terra Chanaan. De jejunio pro mortuis habetur 1. *Regum cap. ultimo vers.* 13. & 2. *Reg. cap.* 1. *vers.* 12. quod jejunavit populus super mortem Saulis, & filiorum ejus. Cumque luctus ille, & jejunia veteres patres non more gentilium, qui spem non habent, nec humano tantum affectu sibi imposuisse credendi sint: par est credere, hoc religiosa quadam observatione fecisse, ut defunctis impetrarent veniam, & in hunc finem factum fuisse luctum, & jejunium super mortem Saulis &c. interpretatur Beda. Et Ecclesiasticus, qui circa tempora Machabæorum vixisse creditur, c. 7. vers. 37. *Et mortuo* (inquit) *non prohibeas gratiam* —— Eleemosynis item juvari mortuos colligitur ex Tobiæ, cap. 4. vers. 18. ubi Tobias senior hoc inter alia monitum dat filio: *Panem tuum, & vinum super sepulchuram justi constitue*, non quidem more Gentilium, quasi defunctorum animæ ad eos cibos accurrerent, & sapore, aut odore recrearentur, quos arguit Tertullianus, *lib. de Resurrect. Carnis, cap.* 1. Sed ut viventes præcipue pauperes, qui cibis super sepulchra positis vescebantur, ad orandum pro mortuis ibi conditis excitarentur. Consuetudo autem pro mortuis orandi, apud Judæos tempore Christi contra Sadducæos invaluerat. Unde cum nec Christus eam reprehenderit, nec Apostoli contra eam verbum fecerint; immo Paulus, II. *ad Timoth.* 1. *vers.* 16. *&c.* apprecetur Enesiphoro jam defuncto *Misericordiam in die Domini*, factum est, ut ritus pius ad primitivos Christianos transierit, & in Ecclesia continuaverit, quod nec Adversarii negare audent. Et quamvis aliqui veteres Ecclesiæ Præsules, abusus, qui irrepserant, corrigere sint conati, substantiam tamen pro mortuis preces fundendi probavere, ut inferius ostendam. Ex dictis ergo colligitur, apud fideles etiam ante Christum, & post, suffragia pro defunctis in usu fuisse, & consequenter etiam purgatorii fidem; frustra enim illa, immo superstitiose fierent, si defuncti non crederentur esse in aliquo miseriæ statu, a quo possent per suffragia liberari.

XI. Cæterum existentia loci purgatorii post mortem, clarius ex novo Testamento apparet. Primo, ex verbis Christi, *Matth.* 12. *vers.* 32. ubi de eo, qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, dicit, quod *non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro*; ergo supponit Christus, aliqua esse peccata quæ in sæculo futuro remitti possint, & consequenter esse locum post mortem, in quo anima purgetur ab hac noxa antequam admittatur in Regnum Cælorum, in quo nihil coinquinatum intrare potest.

Scio, Adversarios negare hanc illationem: volunt enim Christum eo in loco per *auxesim* quamdam, seu exaggerationem, significare voluisse, peccatum in Spiritum Sanctum nunquam in æternum esse remittendum; ita enim expressit Marcus, cap. 3. vers. 29. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.*

XII. Sed quamvis peccatum in Spiritum Sanctum non sit remittendum ei, qui cum eo decessit, Christus tamen modo loquendi apud Matthæum indicare voluit, aliquod esse peccatum, quod in futuro sæculo remitti possit. Ita exponit S. Augustinus, tum lib. 21. De Civit. Dei, c. 24. *Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro*, Tum superius, cap. 13. *Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii & nunc, & nunc, verumtamen ante judicium illud severissimum, novissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud judicium sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo, ideest, ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur, jam supra diximus.*

Ita S. Gregorius, *lib.* 4. *Dialogorum, cap.* 39. his verbis. *Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod veritas dicit, quia si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectui patet, quia de quibusdam affirmari conceditur.* Ita Beda, *in cap.* 3. *Marci.* Fulgentius, *lib.* 1. *de Remissione peccat. cap.* 24. & alii, post quos omnes Bernardus, *Serm. 66. in Cantica* contra quosdam sui temporis hæreticos, de quibus supra: *Non credunt* (inquit) *ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur, si nulla manet in futuro remissio, purgatione peccati.*

XIII. Et merito quidem. Nam quomodo nisi inepta locutione dicere Dominus potuisset, si partitionem adhibuisset, cujus alterum membrum mere fictitium esset, velut si quis diceret, Phœnicem avem non reperiri, neque in terra, neque in Cælo, cum in Cælo proprie tali nullæ sint aves? Potius ergo dicendum, quod sicut ex illa distributione, quam Dominus facit, recte colligitur, esse aliquod futurum sæculum: ita non minus recte colligatur, quod sicut in præsenti sæculo aliqua peccata remittuntur: ita & aliquorum remissionem fieri in futuro. Ut enim ait Gregorius supra relatus: *Quod de uno negatur, consequens intellectui patet, quod de quibusdam affirmari conceditur.* Quod aliis similium scripturarum dictis explicari potest, qualia sunt ista Deuter. 5. vers. 32. *Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Quæ vera non essent, nisi dextra, & sinistra darentur. Et 1. Reg. 28. vers. 6. *Et non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*, quibus evincitur, dari responsionem, sive per somnium, sive per Sacerdotes, sive per Prophetas; ergo sicut per verba Christi colligitur dari sæculum præsens, & futurum, ita & remissionem in præsenti sæculo, & in futuro.

XIV. Alterum ex novo Testamento suggerit testimonium S. Paulus, 1. *Corinth.* 3. *vers.* 12. ubi cum Christum dixisset esse fundamentum, subjungit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos,*

pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod super ædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit detrimentum patiatur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Hujus loci tres apud veteres leguntur expositiones. Prima est Chrysostomi, & communis Græcorum saltem recentiorum, ut ex actis Concil. Florentini liquet, nempe per aurum, argentum, lapides pretiosos intelligi bona opera, quæ merentur vitam æternam, per lignum vero, fœnum, & stipulam mala opera, quæ merentur mortem æternam. Hæc tamen expositio non videtur assequi mentem Apostoli. Tum quia *salvum esse per ignem* in æternum damnandis non convenit, quia eodem capite de his contrario modo loquitur Paulus, cum dicit: *Disperdet illum Deus*. Tum quia si salvum fore per ignem idem esset, ac fore cruciandum igne gehennæ, ut nunquam consummatur, potius dicere debuisset salvum fore *in igne, quam per ignem*. Nam proprie *per ignem* salvus fit, qui igne ad tempus purgatur, ut inde salvus exeat, & sic verificatur, quod *detrimentum patietur*: & tamen *salvus erit*. Tum quia, qui magna crimina committit, licet fidem retineat, proprie non habet Christum fundamentum, quia Christo aliud, nempe creaturam, præponit, nec ædificat supra Petram, quæ est Christus, nam ut Dominus ait Matth. 7. vers. 24. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilatur viro sapienti, qui ædificavit Domum suam supra petram*. De quo Augustinus, *in Enchiridio, cap. 68.*

XV. Altera expositio est ejusdem Augustini, *lib. 21. de Civit. Dei, cap. 26. super Psalm. 29. In Enchirid. citato, cap. 68. & lib. de fide, & oper. cap. 16.* Itemque Gregorii, *lib. 4. Dialog. cap. 39.* Per diem Domini intelligi tempus tribulationis, quale est hujus sæculi, quo nimirum afflictionibus temporalibus probantur fideles, quorum quidam perfecte, quidam imperfecte sequuntur Christum. — Sed neque hic sensus menti Pauli satis videtur congruere. Primo. Quia per *diem Domini, diem Christi, diem illum* alibi semper Paulus intelligit diem Judicii, & retributionis post hanc vitam. Deinde quia dicit, per hanc ignis probationem manifestandum esse cujuscumque opus, quod tamen non semper fit in has vita per tribulationes, dicente *Ecclesiaste, cap. 9. vers. 2.* Omnia in futurum servari incerta, & quod universa æque eveniant justo, ac impio. Unde & ipse Apostolus, *cap. sequenti, vers. 5.* prohibet, ne quis judicet ante tempus, donec veniat Dominus &c. Demum quia hoc loco aperte mercedem nominat, quæ non redditur nisi in futuro sæculo.

XVI. Dianior, & menti Apostoli conformior est tertia expositio, juxta quam duæ priores, quodammodo in unam rediguntur, scilicet, ut de futuro sæculo verba Apostoli intelligantur, quod vult Chrysostomus, & per ædificantes supra fundamentum non alii, quam boni Christiani accipiantur, quod volebat secunda expositio, ut sensus sit: In futuro sæculo, atque in judicio Dei examinanda erunt opera eorum, qui supra fundamentum Christum ædificaverunt. Quæ si bona inventa fuerint, qualia significantur per aurum argentum, & lapides pretiosos, manebunt, justum judicium Dei sustinebunt, & qui ea fecerint, mercedem pro illis recipient. Si autem fuerint (salvo tamen fundamento) inventa mala, idest minuta, & venialia, quæ fundamentum non evertunt, cujusmodi significantur per lignum, fœnum, stipulam, detrimentum illorum operum, qui ea fecerit, patietur. Ipse autem salvus erit tamquam per ignem purgationis, ac punitionis divinæ, qua videlicet expurgatis sordibus, & reliquiis peccatorum, ipse tandem perfecte mundus, & idoneus Regno Cælorum inveniatur.

Agnoscit hunc sensum Augustinus, *in Enchiridio, cap. 68.* citato, ubi utramque expositionem hanc nimirum, & præcedentem admittens ita loquitur: *Est quidam ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est*, Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. *Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super Christum fundamentum aurum, argentum, lapide pretiosos; alteri autem cogitanti ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, ideſt, ædificanti super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur, exurietur autem hujus; quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potius carere mallet, quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum quamvis doleat, cum amittit, salvus est quidem, sed quasi per ignem: quia urit eum rerum dolor quas dilexerat amissarum, sed non subvertit, neque consumit fundamenti stabilitate, atque incorruptione munitum. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, & utrum ita sit, quæri potest: & aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusque salvari &c.* Quamvis autem hic problematice Sanctus Doctos videatur loqui, alibi tamen verba Pauli de igne purgatorio post hanc vitam assertive exponit, ut *in Psalmum 3. 37. 80. Conc. 25. in Psalm. 118.*, Item, *l. 20. de Civ. Dei, c. 25.* Accedunt S. Basilius, *in Isaiæ 4. & 9.* Hieronymus, *in Matth. 3.* Ambrosius, *Serm. 3. & 20. in Psalm. 118.* & alii, a quibus modo referendis abstineo, & in S. Gregorio sisto, *lib. 4. Dialog. cap. 39.* ubi post quam verba Pauli dixit posse exponi de igne tribulationis in hac vita: *Tamen hoc si quis de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est, quia illum per ignem dixit posse salvari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, ideſt peccata majora, & idcirco duriora, atque tunc jam insolubilia; sed ligna, fœnum, stipulam, ideſt peccata minima, atque leviſſima, quæ ignis facile consumat.* Quibus omnibus subscribit S. Thomas *in cap. 3. ad Cor. lect. 2.*

XVII. Alia pro hac veritate Scripturæ testimonia afferri solent, ut illud Malachiæ 3. vers. 1. *Ipse enim quasi ignis conflans, & purgabit filios Levi &c.* Ex quo inquit Aug. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 25. *Videtur evidentius apparere, in illo judicio quasdam quorumdam purgatorias pœnas futuras*, & addit locum Isaiæ 4. vers. 4. Et *emundabit filios Levi, & fundet eos sicut aurum, & argentum &c.* Illud etiam, Matth. 5. vers. 25. & 26. *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quod habetur etiam, *Lucæ 12. v. 59.* super quæ S. Cyprianus, Epistola 52. ad Antonianum: *Aliud* (inquit) *est missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.* Per quæ (ut notat Pamelius) distinguit statum lapsorum post hanc vitam, qui nondum pœnitentiam compleverant, a statu martyrum, ideoque mire facit hic locus ad confirmandas Ecclesiæ traditionem de purgatorio. Idem sentit Ambrosius, *in c. 12. Lucæ*, & S. Bernardus, Sermone de Humberti Monachi obitu: *Illud enim* (inquit) *scirote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint his neglecta reddentur usque ad novissimum quadrantem.* Alia Scripturarum locæ pro hac veritate dimitto, quæ enim hactenus produxi, sufficiunt ad ostendendum, quam merito Leo X. damnaverit hanc Lutheri assertionem: *Purgatorium non posse probari ex Scriptura Sacra, quæ sit in canone.*

§. III.

Ex Traditione.

XVIII. TRaditio de existentia Purgatorii præcipue probatur ex perpetuo Ecclesiæ Catholicæ ritu preces, & sacrificia faciendi pro fidelibus defunctis. Cum enim nec pro Beatis, nec pro in æternum damnatis orandum sit, sequitur, ut supra dictum est, esse aliquod tertium genus eorum, qui nondum Beati egeant vivorum precibus, ut possint ad beatitudinem pervenire, & consequenter locum, in quo ad purgationem detineantur. Primus ergo traditionis testis est Dionysius Areopagita, *Ecclesiast. Hierarch. cap. ultimo* ubi scribit: *Sacerdotem precibus a divina benignitate contendere, ut ei qui excessit a vita, omnia peccata, quæ humana fragilitate admisit, remittat, eumque in lucem, ac rationem vivorum, in sinum Abrahæ, Isaac, & Jacob deducat, in locum, a quo fugit dolor, tristitia, & gemitus.* Et infra, testatur, se a divinis præceptoribus suis, ideſt, Apostolis, tradita accepisse ea, quæ de precatione, qua Antistes pro mortuis utitur, scripto mandat. Ex quo patet, Apostolicam esse traditionem, quod quorumdam fidelium animæ post mortem propter peccata præterita detineantur in loco, ubi est dolor, tristitia, & gemitus, ubi tenebræ mortis. Quod usque in hodiernum, in officio pro Defunctis Ecclesia profitetur.

XIX. Secundus est Tertullianus, *lib. de Corona Militis, cap. 3.* ubi referens sui temporis traditiones: *Oblationes* (inquit) *pro defunctis . . . . . annua die facimus.* Lib. de exhortat. Castitatis factus jam Montanista, *cap. 11.* hoc argumento reprobat secundas nuptias, quia nimirum mulier secundo nupta nescibit, *pro cujus spiritu postulet, pro quo oblationes annuas reddat*; an pro viro defuncto, an pro vivente. Et *lib. de Monogamia, cap. 20.* de eadem: *Enim vero* (inquit) *& pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpostulat ei . . . . Et offert annuis diebus dormitionis ejus.* His & aliis infra dicendis apparet antiquitas ritus celebrandi anniversaria pro defunctis.

XX. Tertius est Cyprianus, tum, *Epist. 52. supra citata.* Tum, *Epist. 66.* ubi inhærens anteccessorum suorum decreto, quo vetabatur: *Ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*, decernit, cum quidam *Victor Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur.* Quod idem est ac ipsum privare suffragiis. — Arnobius item, *lib. 4. adv. Gentes* circa finem testatur, in Christianis conventibus mortuis etiam pacem, & veniam postulari a Deo.

XXI. Quarto. S. Cyrillus Jerosolymit. *Catech. Mystag. 5.* De iis, quarum memoria in sacrificio fit, loquens: *postea* (in-

(inquit) *recordamur eorum quoque qui dormierunt primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus, & obligationibus orationem noſtram ſuſcipiat. Deinde & pro defunctis Sanctis Patribus, & Epiſcopis, & omnibus generatim, qui inter nos vita functi ſunt, oramus, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum ſancta, per quam tremenda coram jacet victima. Hujus rei fidem vobis ab exemplo facere volo: novi enim, multos ita dicere. Quid juvat animam ex hoc mundo in peccatis, ſeu ſine peccatis decedentem, ſi ejus in oratione mentio fiat? An vero ſi Rex quiſpiam viros, a quibus offenſus fuerit, relegarit in exilium, poſteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes eam Regi pro ſui pœna ab ipſo afflictis obtulerit, nonne ipſis ſupplicium relaxationem gratificaturus ſit? Ad eumdem modum & nos pro defunctis etiamſi peccatores ſint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus; ſed Chriſtum mactatum pro peccatis noſtris offerimus, clementem Deum, cum pro illis; tum pro nobis promereri, & propitiare ſatagentes.* Quo exemplo doctrinam catholicam ſui temporis hanc in re mire exponit Cyrillus.

XXII. Quinto ſuccedunt. Gregorius Nyſſenus, *in Serm. de Dormientibus*, dicens: Nos deponere paſſiones, & affectus a ratione alienos, vel in hac vita per ſtudium virtutis, vel in altera per purgatorii ignis fornacem expurgatos. Et *in Tract. de infantibus præmature abreptis.* Quod animæ poſt hanc vitam accipiant retributionem, vel igni purgatæ, vel rore benedictionis refrigeratæ.

Ambroſius qui, *in Orat. funebri Valentiniano*, & altera Theodoſio Imperatoribus requiem precatur, & oblationes cum orationibus pro iis faciendas admonet. Et *Epiſtola 6. ad Fauſtinum* de obitu ſororis dolentem: *Non tam* (inquit) *deplorandam, quam proſequendam orationibus reor. Nec mœſtificandam lacrymis tuis, ſed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror.*

S. Hieronymus, *lib. 18. in Iſaiam in fine*, ait: *ſicut Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo*, non eſt Deus, *credimus æterna tormenta. Sic peccatorum atque impiorum, & tamen chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ ſententiam judicis:* Quam tamen clementiam ii ſoli Chriſtiani experientur, quos ante mortem peccatorum, & impietatis pœnituerit. Unde in cap. 1. Ezechielis: *Ex quo* (inquit) *oſtenditur, poſt pœnas, atque ſupplicia, & purgationem peccatorum futuram miſericordiam, duntaxat in his, qui Deum meruerint videre regnantem.*

XXIII. S. Joannes Chryſoſtomus, *lib. 6. de Sacerdotio* vitæ ſanctitatem in Sacerdote requirit: Quia *pro univerſa terra orationem agit, Deoque ſupplicat, ut omnium peccatis ſit propitius, non vivorum tantum, ſed etiam eorum, qui obierunt.* Homil. 41. in 1. ad Corinth. Mortuos non nimis lugendos eſſe, ſed orationibus juvandos, his verbis oſtendit: *Si autem etiam peccator exceſſit, propterea etiam lætari oportet, quod interſciſſa ſunt peccata, & vitio nihil adjecit, & quoad ejus fieri poteſt, ei ſuccurrere, non lacrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleemoſynis, & oblationibus. Non ſunt enim hæc temere excogitata, neque fruſtra eorum, qui exceſſerunt, in divinis myſteriis meminimus; & pro ipſis accedimus rogantes agnum propoſitum, qui mundi peccatum tulit; ſed ut inde eis aliqua ſit conſolatio. Neque abs re is, qui adſtat altari, dum veneranda peraguntur myſteria, clamat, pro omnibus, qui in Chriſto dormierunt, & iis qui pro ipſis celebrant memorias. Nam ſi pro ipſis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta eſſent. Non ſunt enim res noſtræ Ludi ſcenici, abſit. Hæc enim fiunt ordinatione ſpiritus.*

XXIV. Idem S. Paulinus Nolanus, *Epiſtola* 13. alias 37. *ad Pammachium*, *Epiſtola* 35. alias 19. *ad Delphinum*. Et *Epiſtola* 36. alias 20. *ad Amandum*, ubi animam fratris ſui defuncti precibus ejus commendat: *Ut miſericors, & miſerator Deus, qui facit omnia in Cælo, & in terra, & in mari, & abyſſis, refrigeret animam ejus ſtillicidiis miſericordiæ ſuæ per orationes veſtras. Quia ſicut ignis accenſus ab eo ardebit uſque ad inferos deorſum, ita procul dubio etiam res indulgentia ejus inferna penetrabit, ut roſcido pietatis ejus lumine in tenebris ardentibus æſtuantes refrigeremur.*

XXV. S. Auguſtinus præter loca ſupra recitata, hanc veritatem apertiſſime docet tum, *lib. 2. de Geneſi contra Manichæos, cap. 20.* Tum *lib. 2. de Civit. Dei, c. 13. & c. 16. lib. de Cura pro mortuis, cap. 1.* Cum *Serm. 32. de verbis Apoſtol.* (modo *Serm. 172. cap. 2.*) ubi ait: *Orationibus vero ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordias agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim* (nota) *a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in corporis, & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum cauſa opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum eſt, iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut poſſint eis hæc utilia eſſe poſt mortem. Nam qui ſine fide quæ per dilectionem operatur, ejuſque ſacramentis, de corporibus exierunt, fruſtra illis a ſuis hujuſmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hic eſſent, pignore caruerunt, vel non ſuſcipientes, vel in vacuum ſuſcipientes Dei gratiam, & ſibi non miſericordiam theſaurizantes, ſed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur ſui, ſed eorum præcedentibus conſequentia iſta redduntur. Non enim actum eſt, niſi cum hic viverent, ut eos hæc aliquid adjuvarent, cum hic vivere deſtitiſſent. Et ideo iſtam finiens quiſque vitam, niſi quod meruit in ipſa, non poterit haberi poſt ipſam.*

XXVI. Hanc doctrinam, utpote traditione acceptam tempore S. Auguſtini univerſa catholica profitebatur Eccleſia, contra quam, quia Aerius reclamare uſus fuerat, ne dum a S. Auguſtino, ſed & a S. Epiphanio, *Hæreſi 75.* in numerum hæreticorum refertur, ut ſuperius notatum eſt. Quibus adjungendos eſſe modernos Pſeudoreformatores cum Aerio in hoc convenientes, nemo non videt. Notant tamen aliquid, quod etſi orationes pro defunctis Aerius negaverit, pœnas tamen purgatorias animarum non legitur quiſquam in dubium vocaſſe ante ætatem S. Bernardi, quo tempore, ut vidimus ex eodem *Serm. 66. in Cantica*, obſcuri quidam homines purgatorium negarunt.

XXVII. Supereſt, ut Eccleſiæ Græcæ mentem inveſtigemus. Et quidem ſi de Eccleſia Græca antiqua, maxime ante Photianum ſchiſma loquamur, nemo, puto, inficiabitur, eam orationes, ac oblationes pro defunctis in uſu habuiſſe, ac proinde admiſiſſe, eas eſſe in loco, in quo poſſent vivorum precibus, & oblationibus juvari. Græci namque erant Cirillus Jeroſolymit. Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus ſupra laudati, qui orationes pro defunctis tamquam ritum Eccleſiæ proponebant, & Epiphanius Aerium, qui primus hoc negavit, ad hæreticos amandavit. Quæſtio igitur reducitur ad Eccleſiam Græcam poſt ſchiſma. In quo, quidquid aliqui dicant; ſentio, eam abſolute dogmati de loco Purgatorii non contradicere. Id oſtendo primo ex litteris Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum, ad Gregorium X. quæ extant in actis Concilii Lugdunenſis II. *anno* 1274. ubi exponens Græcorum fidem inter cætera ait, credemus, fideles *Si vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis, ſeu Catharteriis, ſicut nobis frater Joannes explanavit, poſt mortem purgari, & ad hujuſmodi pœnas relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta.* Idem faſſi ſunt Græci in Concilio Florentino, ubi legitur Gregorii Protoſyncellis Patriarchæ apologia contra Marcum Epheſinum, qui pœnas purgatorias negabat, & dicit, in hoc pugnare *Cum omnibus quæ in Eccleſia canuntur, & univerſis plane Sanctis*, quos prolixo ſermone refert; Et *Collat. 22.* exhibita Græcis Latinorum cedula de purgatorio, ac re mature diſcuſſa, cum Latinis Græci convenerunt: *Si vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & de omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus fieri conſueverunt.* Solum ergo diſſident a Latinis Græci (ut habetur in Quæſt. de Purgatorio præambula ad Concilium) *Græci enim pœnam, mœrorem, & pœnæ locum aſſerunt, ſed non per ignem; Itali vero pœnam, purgationemque per ignem.*

XXVIII. Ne autem dicas, Græcos in hoc dogmate conveniſſe quidem cum Latinis in præfatis Conciliis, ſed ad priora reverſos in hoc, ſicut in aliis defeciſſe, ac errores priſtinos reſumpſiſſe: contrarium evinco ex duabus poſterioribus Synodis a Græcis in ſchiſmate perſeverantibus coactis contra Calviniſtas. Prima eſt Conſtantinopolitana ſub Parthenio, *anno* 1642. ubi inter Calviniana dogmata recenſetur iſtud: *Poſtremum vero omnium, ut prætextum* (Calvinus) *videlicet quærat rejiciendi ignis purgatorii, id agit, ut repudiet ſolemnes nobis, ac legitimas pro defunctis commemorationes, per quas ſperamus requiem iis, & reſpirationem ab acerbitatibus, quæ illos premunt, a Deo eſſe concedendam.* Et inferius proteſtatur, Calvinum falſo criminari Græcos, *dum ait privatam ſuam fidem eſſe orientalem Chriſtianæ fidei Græcorum profeſſionem, cum ſit Calvinica, non noſtra.* Concludens, quod qui cum eo talia ſentiunt, arcendi ſunt a communione fidelium, & tamquam ethnici, & publicani habendi.

Altera Synodus Jeroſolymitana ſub Doſithæo, *ann. 1672.* in qua poſtquam, *cap. 5.* dictum fuit anathema Cyrillo Lucari cum Calvino dogmatizanti, *An credenti eos, qui ſine pio, ac finali cum pœnitentia dormierunt, ſuorum eleemoſynis, & Eccleſiæ precibus nihil juvari*, Cap. 18. ſubiicitur Eccleſiæ Orientalis fides his verbis: *Credimus defunctorum animas, aut in quiete, aut in pœnis eſſe prout quiſque geſſerit.* Et infra loquens de illis, quos ante mortem peccatorum pœnituit, at nullum fecerunt pœnitentiæ fructum, ait: *Id genus animas ad inferos deduci, ibique juſtas pro iis, quæ commiſerunt, peccatis pœnas ſuſtinere: at ſua tamen futura liberationis eſſe conſcias, & a ſumma bonitate per Sacerdotum orationes ſuorumque parentum eleemoſynas liberari.*

XXIX.

XXIX. Nec opponas, S. Thomam, *Opusc. 1. contra errores Græcorum*, supponere, eos negare Purgatorium. —— Nam dico S. Thomam hunc errorem supponere quidem apud aliquos Græcorum sui temporis, quod non negabo, sicut supra dixi a Marco Ephesio in Concil. Florentino Purgatorium negatum fuisse: Non tamen supponere illum in universa Ecclesia Græca, cum ex dictis supra in Concil. Lugdunensi II. paulo post mortem S. Thomæ, qui ad illud vocatus fuerat, sed in itinere decessit, convocato, Purgatorium Michael Imperator Græcus nomine suæ Ecclesiæ confessus sit. Unde S. Thom. 4. *contra Gentes*, *c. 91.* in finem, ait: *Per hoc autem excluditur error quorumdam Græcorum, qui purgatorium negant*. Ubi *quorumdam* ait, non *omnium*.

XXX. Rationem autem pro existentia Purgatorii dat idem Sanctus Doctor, *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1.* his verbis: *Sic enim per contritionem deleta culpa non tollitur ex toto reatus pœnæ, nec etiam semper venialia dimissis mortalibus tolluntur, & justitia Dei hoc exigit, ut peccatum per pœnam debitam ordinetur, oportet quod ille qui post contritionem de peccato decedit, & absolutionem ante satisfactionem debitam, quod post hanc vitam puniatur: & ideo illi, qui purgatorium negant, contra divinam justitiam loquuntur: & propter hoc erroneum est, & a fide alienum.* Quæ ratio fundatur in alia Catholica doctrina, nimirum quod dimissa culpa non semper tota pœna condonetur. De quo in Vera Ecclesia, *Tom. 1. part. 1. art. 19. §. 7.*

§. IV.

Adversariorum Objectiones.

XXXI. Objiciunt primo Hæretici: Scriptura duos tantum ordines hominum in judicio Dei agnosci, unum eorum, qui in æternum damnantur, alterum eorum, qui recta transmittuntur ad Regnum, *Matth. 25.* Rursus, Joann. 5. versicul. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit a morte in vitam.*

Item, *Apocalypsis 14. vers. 13.* audivit Joannes vocem de Cælo dicentem sibi: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Igitur quotquot in Domino moriuntur, statim e morte beati sunt, & requiescunt a laboribus, quod verum non esset, si quibusdam eorum adhuc subeundi essent acerbissimi cruciatus in Purgatorio. Quod confirmare videtur ex eo, quod sequitur: *Opera enim illorum sequuntur illos*, idest statim, ac sine dilatione, quod si ita est, non relinquitur locus Purgatorio.

XXXII. Respondeo ad primum. Duos tantum esse ordines hominum, unum solvendorum, altero in æternum damnandorum, ad quorum primum procul dubio pertinent illi, qui post mortem ad tempus purgantur. De his tamen non meminit Christus; quia non proferetur extrema Judicis sententia, de qua ibi loquitur, omnes statim, vel in Regnum, vel in gehennam ibunt, nam omnis purgatio sententiam illam novissimam præcedet. Juxta id quod dicit August. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 13. *Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii nunc, & nunc verumtamen ante judicium illud severissimum, novissimumque patiuntur.*

Ad illud ex *Joannis 5.* Dico, sensum esse, quod *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me*, nempe, infidelis cum esset, factus est fidelis, & credit me filium Dei esse, & mandatis meis obedit, *habet vitam æternam*, idest certo habebit, *& ad judicium non veniet*, idest non subjacebit damnationi; *sed transit a morte ad vitam*, idest ab infidelitate ad fidem, quia justus ex fide vivit, & tandem ad vitam æternam. Vide S. August. *tract. 22. in Joan.* ubi concludit: *Jam cum te credentem illuminaverit Christus, transitum facis a morte ad vitam. Mane in eo, quo transisti, & non venies ad judicium*, nempe damnationis; venies tamen ad judicium discretionis, ut superius explicaverat. Quæ nihil contra Purgatorium faciunt. Nam animæ purgandæ venient ad judicium *Discretionis* coram quo unusquisque sisti potest, non *Damnationis*, seu purgandæ, non damnandæ.

Ad illud ex Apocalysi varie respondetur. S. Thom. *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1.* dicit: *Quod auctoritas illa loquitur de labore operationis ad merendum, & non merendum, & non de labore passionis ad purgandum.* Immo verba, quæ subjiciunt: *Opera enim illorum sequuntur illos*, nimirum, quoad retributionem, favent Purgatorio, indicant enim, quod secundum eorum opera fiet retributio; ut si aliquo nævo inquinatæ reperiantur, ab eo purgentur. Requiescent igitur post mortem a laboribus præsentibus vitæ quibus in hac vita sudarunt contra Diabolum, carnem, & mundum, periculoso prælio decertantes, etiam Sancti; sed nondum requiescent a pœnis si aliquid eis purgandum superierit. Et propterea ab istis requiem adhuc pro eis postulat Ecclesia. Omissis aliis responsionibus, in hac fisto.

XXXIII. Secundo objiciunt, *Ecclesiaste 11. vers. 3.* dicitur: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, idest semper manebit: Cum ergo post mortem nemo finaliter permaneat, nisi in Regno, vel in Gehenna, fit, ut homo moriens non nisi in alterutrum istorum cadat: & ut si justus decedat, statim ad regnum pertrahatur, juxta illud, Sap. 3. vers. 1. *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, illi autem sunt in pace.* Et cap. 4. vers. 7. *Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Quod confirmat illud, Psalm. 126. vers. 3. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*; ergo illis, qui moriuntur in gratia, & dilectione, nullum supereſt tormentum, sed statim in pace sunt, in refrigerio, in hæreditate gloriæ.

XXXIV. Respondeo ad hæc: Ad primum ex Ecclesiaste (cui Adversarii maxime fidunt) dico, non esse contra nos. Nam illis verbis significantur duo status, in quibus homines post mortem æternaliter permanebunt, unus salutis, qui per *Austrum*: alterum damnationis, qui per *Aquilonem* significatur. Hoc & nos asserimus. Nam quotquot moriuntur in gratia, etsi ad purgatorium transeant, cadunt ad Austrum, ideſt ad statum salutis, in quo æternaliter erunt; qui vero moriuntur extra gratiam, cadunt ad Aquilonem, ideſt ad statum damnationis, & in ea in æternum erunt. Nec tamen sequitur, statim justos omnes ad Regnum post mortem perduci: Constat enim (etiam Sectariorum judicio) Sanctos Patres ante Christum mortuos neque descendisse in gehennam, neque tunc ascendisse in Cælum.

Nec obest dictum Sapientiæ. Nam & Sancti Patres mortui ante Christum in manu Dei, in pace, in refrigerio erant: & tamen nondum erant beati. Animæ ergo justorum quæ purgantur, sunt *in manu* Dei, quia in tutissima Dei custodia, a quo nemo potest eas eripere: Sunt *in pace*, quia de vita beata securæ: sunt etiam *in refrigerio*, licet non pleno, sicut erant Patres in limbo, quia sentiunt ardorem pœnarum, ideoque Ecclesia in Canone Missæ postulat pro eis locum refrigerii, & pacis perfectæ, ac plenæ per translationem ad gloriam, & beatitudinem.

Ad locum *ex Psalm.* Respondeo, ut exponit Augustinus *in dictum Psalmum*, ibi sermonem esse de hæreditate Domini obtinenda post resurrectionem, ait enim: *Constituit ergo membra ejus, & in membris ejus dilecti ejus, cum somnum acceperimus, tunc resurgemus resurrectione mortuorum.* Tunc enim apparebit, quæ sit hæreditas Domini, quis fructus ventris Matris Ecclesiæ, quis Jacob, quis Esau, quis electus, qui reprobus. Vide August. ibi.

XXXV. Interim capere non possum, cur Sectarii tanta contentione negent locum medium, in quo ad tempus aliquæ animæ detineantur post mortem, sed velint, omnes, vel ad Regnum statim pervehi, vel in gehennam detrudi, cum eorum dux Calvinus, *lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6.* aperte dicat: Quod *Cum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eousque differat, contenti simus his finibus divinitus nobis præscriptis: animas piorum militia labore perfunctas in beatam requiem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant: Atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat Redemptor. Reprobis vero eadem esse sortem, dubium non est, quam Judas Diabolis assignat, vinctos catenis teneri, donec ad supplicium, cui addicti sunt, trahuntur.* Quibus Calvinus duos errores statuit, nempe, ad diem judicii differendam esse Beatorum gloriam, & damnatorum pœnam, quorum primum expugnavimus, *Tom. 1. in 1. part. Tract. de Visione, Quæst. 2. Dub. 3.*

XXXVI. Tertio. Objiciunt S. Augustinus alicubi de purgatorio dubitare videtur. Nam, *in Enchirid. cap. 68.* tractans locum Apostoli, 1. *Corinth. 3.* supra expensum, ubi illum exposuit de tribulationibus hujus sæculi, quibus tamquam igne quodam fideles purgantur, postea, *cap. 69.* subjungit: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, & utrum ita sit, quæri potest, & aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve salvari.* Et *lib. 21. de Civ. Dei, c. 26.* exponens ejusmodi Apostoli textum, cum similiter illum fuisset interpretatus, subjunxit: *Si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, fœnum, stipula consumantur . . . non redarguo, quia forsitan verum est.* Similia habet, *lib. de Fide, & Operibus, cap. 16.*

Præterea visus est purgatorium negasse primo, *Epist. 80.* modo 199. *ad Hesichium, cap. 1.* dicens: *in quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.*

Secundo. Tract. 49. in Joann. *Requiem* (inquit) *quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur.* Tertio, Serm. 14. de verbis Apostol. (modo Serm. 294. cap. 3.) *Qui inducit medium, recido de medio* —— Quarto, Serm. 29. de verbis Apostol. (modo Serm. 181. c. 6.) *Non hic sumus sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato.* —— Quinto, *l. 2. de peccat. merit. c. 33.* asserit, peccata hic remissa non obesse post hanc vitam.

XXXVII. Respondeo ex dictis, §. *precedente*, nimis clare constare, S. Augustinum non dubitasse, sed certo asseruisse purgatorium animarum post hanc vitam. Sed solum in quæstionem vocasse, an amor rerum caducarum, & affe-

& effectus vitioſi, qui ſub nomine ligni, fœni, & ſtipulæ igne tribulationis hic comburuntur, maneant poſt hanc vitam igne purgatorii conſummandi. Et hoc certum non eſt, ſed hodiernis temporibus etiam in quæſtionem vocatur, volentibus aliquibus, peccata venialia per voluntatem contrariam hic non emendata, manere poſt hanc vitam, & igne purgatorii conſummi, ut in eo qui habens peccata venialia ſubita morte corriperetur antequam ea deteſtari poſſet, de quo infra.

Ad alia loca ex eodem S. Auguſtino, reſpondeo, *ad* 1. Velle, quod unuſquiſque talis qualis moritur, in noviſſimo die ſit judicandus quoad vitam, vel mortem æternam, ejuſque gradum, cum poſt hanc vitam non ſit locus merito, vel demerito.

Ad ſecundum dico, quod illa conditio *ſi ea dignus eſt*, ſicut indicat, quod ille ſolus accipiat requiem, qui dignus eſt: ita quod ille ſolus accipiat ſtatim, qui ut eam recipiat ſtatim, dignus eſt. Et quidem cum in eo Tractatu inſtituat comparationem diverſarum cuſtodiarum, quibus rei ad Judicem perducendi aſſervantur, ſatis indicat, præter duo receptacula vitæ, & mortis æternæ, eſſe aliud temporarium, quo recipiantur aliqui humano, & miti officio, ut ipſe loquitur, tractandi.

In tertio autem loco loquitur S. Doctor contra Pelagium, qui pro parvulis ſine baptiſmo decedentibus ponebat locum medium, qui nec eſſet Limbus, nec Regnum Cælorum.

In quarto vult S. Doctor neminem hic vivere ſine peccato poſſe; aliquos tamen, eſto non omnes, hinc exire poſſe ſine peccato, ſi peracta ſufficienti ſatisfactione pro commiſſis, hinc decedant.

Quintus demum locus negat quidem, venialia impedire, ideſt ſimpliciter obeſſe, ſeu excludere hominem a vita æterna, ſed non negat, ingreſſum in vitam æternam retardare, donec purgata fuerint.

XXXVIII. Quarto objiciunt, nullus eſt locus poſt hanc vitam, in quo præmientur opera bona malorum; ergo nullus eſt locus, in quo puniantur opera mala bonorum.

Confirmatur. Deus, qui eſt ſumme miſericors, pronior eſt ad præmiandum bona, quam ad puniendum mala: ſed ſicut illi qui ſunt in ſtatu charitatis, faciunt aliqua mala, quæ non ſunt digna ſupplicio æterno: ita qui ſunt in peccato mortali faciunt interdum aliqua bona ex genere, quæ non ſunt digna præmio æterno; ergo cum illa bona non præmientur in damnandis poſt hanc vitam, nec illa mala debent poſt hanc vitam puniri.

XXXIX. Reſpondeo neg. conſeq. Quia bona opera malorum proprie loquendo nihil merentur in alia vita. Quamvis enim Deus interdum ea remuneret in hoc ſæculo; non tamen ſtata, & perpetua lege mercedem pro illis addixit. Mala autem opera juſtorum vere, & proprie merentur pœnam.

Ad confirm. reſpondeo cum S. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. neg. conſeq. Quia *ille qui in peccatum mortale incidit, omnia bona acta mortificat, & qua in peccato mortali exiſtens facit mortua ſunt, quia ipſe Deum offendens omnia bona meretur amittere, qua a Deo habet. Unde ei, qui in peccato mortali decedit, non manet aliquod præmium poſt hanc vitam; ſicut manet aliquando pœna ei, qui in charitate decedit, qua non ſemper dolet omne malum quando invenit, ſed ſolum hoc, quod eſt ſibi contrarium.*

XL. Quinto objiciunt. Sicut ſe habet charitas ad præmium æternum: ita peccatum mortale ad ſupplicium æternum: ſed decedentes in peccato mortali ſtatim ad ſupplicium æternum deportantur; ergo decedentes in charitatem ſtatim ad præmium vadunt, & ſic non eſt locus aliquis purgatorius.

Reſpondeo cum S. Thom. citato, *ad* 2. diſcrimen eſſe. Quia malum ex ſingulis oritur defectibus, ſed bonum ex cauſa perfecta conſurgit. *Et ideo quilibet defectus impedit a perfectione boni: ſed non quodlibet bonum impedit conſummationem aliquam mali, quia nunquam eſt malum ſine aliquo bono: & ideo peccatum veniale impedit habenti charitatem, ne ad perfectum bonum deveniat, ſcilicet vitam æternam, quamdiu purgatur: ſed peccatum mortale non poteſt impediri per aliquod bonum adjunctum, quo minus ſtatim ad ultimum malorum perveniat.*

XLI. Sed dices. In die judicii extremi ſtatim omnes, vel regnum recipientur, vel in ignem mittentur, non obſtante, quod qui vivi tunc reperti fuerint, non plene in hac vita pro peccatis ſatisfecerint; ergo neque nunc ob hanc cauſam neceſſe eſt purgatorium admittere.

Reſpondeo, neg. abſolute ant. Nam poſt judicium extremum propterea non fiet purgatio, quia omnes qui purgatione indiguerint purgati erunt ante ſententiam judicis; idque vel in ſola anima per ignem purgatorii, vel in corpore ſimul, & anima per ignem ultimæ conflagrationis: ita tamen ut quod deerit diuturnitati temporis, compenſetur gravitate pœnæ. Quare S. Thom. q. 74. Suppl. art. 8. ad 5. *Tres* (inquit) *ſunt cauſæ, quare ſubito illi, qui vivi reperientur, purgari poterunt. Una eſt, quia in eis pauca purganda invenientur, cum terroribus, & perſecutionibus præcedentibus fuerint purgati. Secunda cauſa eſt, quia & vivi, & voluntarii pœnam ſuſtinebunt: pœna autem in hac vita voluntarie ſuſcepta multo plus purgat, quam pœna poſt mortem inflicta, ſicut patet in martyribus; quia ſi purgandum quid in eis invenitur, paſſionis falce tollitur, ut Aug. dicit (lib. un. de Bapt. contra Petilian. c.* 13.) *cum tamen pœna martyrii ſit brevis in comparatione ad pœnam, qua in purgatorio ſuſtinetur. Tertia eſt, quia calor ille recuperabit in intenſione, quantum amittit in temporis brevitate.* Addi poteſt, quod pœna tunc forte condonabitur miſericorditer per interceſſionem Sanctorum.

XLII. Sexto objiciunt. Per pœnam purgatorii vel expiatur peccatum veniale quoad culpam, vel ſolum quoad pœnam: ſed non poteſt remitti quoad culpam, quia ſtatus poſt hanc vitam non eſt ſtatus merendi. Neque quoad pœnam, quia non remiſſa culpa non remittitur pœna.

XLIII. Hæc objectio promovet difficultatem de qua agit S. Thomas, tum *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. tum *q.* 7. *de Malo, art.* 11. ubi relata opinione quorumdam volentium, peccatum veniale ſemper remitti in hac vita quoad culpam, ſed poſt hanc vitam remitti quantum ad pœnam per pœnæ ſcilicet ſolutionem, ait: *Sed hoc quidem ſatis probabile videtur in his, qui cum uſu rationis ex hac vita recedunt. Non enim eſt probabile, quod aliquis in charitate exiſtens, & cognoſcens ſibi mortem imminere, non moveatur motu charitatis, & in Deum & contra omnia peccata, qua fecit, etiam venialia. Et hoc ſufficit ad remiſſionem venialia quantum ad culpam, & fortaſſis etiam quantum ad pœnam, ſi ſit intenſa dilectio.*

Sed quandoque contingit, quod aliqui in ipſis actibus peccatorum venialium, vel in propoſito venialiter peccandi, occupantur ſomno, vel aliqua paſſione auferente uſum rationis, & præveniuntur morte antequam poſſint habere uſum rationis. Quibus manifeſtum eſt, quod in hac vita peccata venialia non dimittantur; & tamen propterea non impediuntur perpetuo a vita æterna, ad quam nullo modo perveniunt, niſi omnino immunes ab omni culpa effecti.

Unde concludit: *Et ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis poſt hanc vitam etiam quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita, ſcilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commiſſis. Quia tamen poſt hanc vitam non eſt ſtatus merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur abſolutionem, vel diminutionem pœnæ ſicut in hac vita.* Hæc S. Thomas.

Quibus videtur retractaſſe ea quæ ſcripſerat, *in* 4. *Sent.* loco citato, *ad* 4. ubi dixerat: *Quod poſt hanc vitam non poteſt eſſe meritum reſpectu præmii eſſentialis: ſed reſpectu alicujus accidentalis poteſt eſſe, quamdiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo. Et ideo in purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quantum ad remiſſionem culpæ venialis.* Secundum ergo priorem S. Thom. ſententiam,

XLIV. Reſpondeo ad objectionem, in purgatorio remitti peccatum veniale etiam quoad culpam, non *per pœnam, neque ſecundum quod ſuſtinetur, quia non eſt meritoria; neque ſecundum quod recogitatur; non enim eſſet motus charitatis, quo aliquis deteſtaretur peccatum veniale propter pœnam, ſed magis eſſet motus timoris ſervilis, vel naturalis. Remittitur ergo in purgatorio venialem quantum ad culpam virtute gratiæ, non ſolum ſecundum quod eſt in habitu, quia ſic compatitur veniale peccatum, ſed pro ut exit in actum deteſtantis veniale peccatum.* Ita S. Thom. dicta *q.* 7. *de Malo, art.* 11. *ad* 9. Non ita ut talis actus deteſtationis cauſet augmentum aliquid ſpiritualis boni, quod pertinet ad meritum: ſed ita ut removeat impedimentum: ut idem docet S. Doctor ibi *ad* 5. & 6.

XLV. Septimo objiciunt. Una ex rationibus, cur dari debeat purgatorium eſt, quia dimiſſa culpa mortali, ſupereſt adhuc plerumque luenda pœna temporalis, & quia in hac vita non eſt plena ſatisfactum divinæ juſtitiæ: ſed hæc falſa ſunt; ergo &c.

Ut ſolvatur hæc objectio, quæ continet præcipuum contrariorum fundamentum, ſit

§. V.

An dimiſſa Culpa dimittatur ſemper tota Pœna.

DE hoc fuſe locuti ſumus in Vera Eccleſia, *Tom.* 1. *p. art.* 10. agentes de purgatorio. Aliqua hic pro Studioſi notitia ſubjiciemus.

XLVI. Dico. Dimiſſa culpa mortali quoad reatum pœnæ æternæ, ſupereſt plerumque luenda pœna temporalis ſive in hac, ſive in alia vita: Dixi *plerumque*: non enim nego, ex ferventiſſimo charitatis ardore, quo quis doleat de peccato, interdum una cum culpa, & pœna æterna, dimitti quoque etiam pœnam temporalem, ut contigiſſe credimus Mariæ Magdalenæ, cui (Lucæ 7. verſ. 47.) *Dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* Petro, qui, Lucæ 22. verſ. 62. *Flevit amare*, negationis peccatum, Martyribus, qui ex ferventiſſimo charitatis ardore vitam ſuam pro Chriſto dederunt, & iis, qui ex infidelitate gratia baptiſmali renaſcuntur ad fidem: his enim tota pœna pro peccatis perſonalibus debita dimittitur. Aſſero tamen, hoc non ſemper contingere, ut dimiſſa culpa relaxetur tota pœna, ſed interdum adhuc ſuperſit pœna luenda, ſive in hac, ſive in alia vita.

XLVII. De pœna poſt dimiſſa culpam in hac vita ſubeunda exemplum habendum primum in primo parente, qui etſi ut habetur, *Sap.* 10. *verſ.* 2. edictus fuerit a peccato

cato ſuo, & proinde pœnam æternam evaſerit, pœnam tamen mortis, & aliarum ærumnarum temporalium ipſe cum ſua poſteritate ſuſtinere debuit.

Secundum. In populo Hebræo, *Exodi* 32. cui intercedente Moyſe placatus Dominus pro peccato vituli adorati, nihilominus ſubjunxit, verſ. 34. *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum*, Et Num. 14. ob murmurationem populi iratus, & oratione Moyſi placatus Dominus, ita ut diceret, verſ. 20. *Dimiſi juxta verbum tuum:* adjunxit tamen, verſ. 22. *Attamen omnes homines, qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Ægypto . . . Non videbunt terram, quam promiſi patribus eorum &c.* Item, *Num.* 12. Maria Moyſis ſoror pro cujus peccato deprecatus fuerat Moyſes, jubetur nihilominus ſeptem diebus ſeparatim agere extra caſtra, idque in confuſionem, & poſtea revocari. Ipſe quoque Moyſes, & Aaron frater ejus, *Num.* 20. ob incredulitatis peccatum ad aquas contradictionis, prohibentur ab ingreſſu terræ promiſſæ. Quod eodem capite de Aaron morituro repetitur, & de ſeipſo Moyſes fatetur, *Deuteron.* 1. *verſ.* 37. Hos tamen nulli dubium eſt culpæ veniam ante mortem recepiſſe.

XLVIII. Tertium, idque celebre exemplum eſt in Davide, 2. *Reg. c.* 12. ubi correptus a Nathan Propheta de adulterio cum uxore Uriæ, *verſ.* 13. cum dixiſſet *Peccavi Domine*, ſtatim audivit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Sed addidit Propheta: *Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*, quaſi pœna poſt remiſſam culpam fuerit mitigata: ſuper quo S. Auguſtinus, *lib.* 22. *contra Fauſtum, cap.* 76. ait: *Quid enim aliud, quam cordis ejus profunda cernebat Spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit:* Peccavi, *continuoque ad hoc unum verbum audire meruit, quod acceperit veniam? Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem? Neque enim prætermiſſa eſt in illo ſecundum Dei comminationem flagelli paterni diſciplina, ut & confeſſus, in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Haud vere mediocre fidei robur fuit, haud parvum mitis, & obedientis animi indicium, cum audiſſet a Propheta, quod ſibi Deus ignoviſſet, & tamen quæ fuerat comminatus, conſequenter eveniſſent, non ſe dicere Propheta deceptum eſſe mendacio, nec murmurare adverſus Deum, quaſi falſam peccatorum ejus indulgentiam pronuntiaverit. Intelligebat enim vir alte Sanctus, & non contra Deum, ſed ad Deum levans animam ſuam, niſi Dominus eſſet confitenti, pœnitentique propitius, quantum pœnarum æternarum eſſent digna peccata, pro quibus cum temporalibus emendationibus ureretur, videbat erga ſe manere veniam, & non negligi medicinam.*

Similia de Davidis punitione habet in inchoata expoſitione, Epiſt. ad Rom. in Pſalm. 50. *Aliquando* (inquit) *Deus, cui ignoſcit in futuro ſæculo, corripit eum de peccato in iſto ſæculo. Nam & ipſi David, cum jam dictum fuerat per Prophetam, dimiſſum eſt peccatum tuum, evenerunt quædam, quæ minatus erat Deus propter ipſum peccatum;* & ibidem de eodem Davide nolente prohibere Semei in ipſum maledicentem, ait: *Agnoſcens culpam ſuam, amplexus eſt pœnam ſuam*, In hoc conſpirant omnes Patres. Chryſoſt. initio, *Homil.* 2. *in Pſalm.* 50. *& Homil.* 4. *in* 2. *ad Cor.* Hieronymus, *in Jerem.* 10. & *in Epheſ.* 5. Leo, *Serm.* 8. *de Paſſ. Domini.* Sed aliis pluribus omiſſis unum proferam Gregorium qui, *lib.* 9. *Mor. c.* 17. (modo 34.) ſic ait: *Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sic David audire poſt confeſſionem meruit:* Dominus tranſtulit peccatum tuum. *Et tamen multis poſt cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exſolvit.*

XLIX. Quamobrem doctrinam hanc de pœna peccati remanere poſt culpam remiſſam, tamquam catholicam definivit Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 14. *c.* 8. ubi hanc rationem quoque affert, quare non ſemper univerſa pœna ſimul cum culpa remittitur a Deo, quia nimirum *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui ſemel a peccato, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint.* Quæ doctrina accepta eſt a S. Paulo, *ad Hebr.* 10. & *Can.* 12. anathemate ferit, qui dixerit: *Totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo.*

L. Secunda vero pars, nempe, quod Pœna temporalis, quæ in hac vita non eſt ſoluta, ſolvenda ſit in altera, ſequitur ex dictis. Si enim ut divinæ juſtitiæ fiat ſatis, poſt dimiſſam culpam ſupereſt luenda pœna, fit, ut qui eam non ſolverit in hac vita, teneatur eam ſolvere in alia vita. Quod etiam colligitur ex precibus, & oblationibus, quas Eccleſia ſemper, ut oſtendimus, pro fidelibus defunctis peragere conſuevit, quæ fruſtraneæ eſſent, ſi animabus corpore exutis nil ſupereſſet ſolvendum pro ingreſſu in Regnum Cælorum. Unde Concilium Florentinum, *Collat.* 22. in Decreto definitivo Eugenii IV. *Si vero* (inquit) *pœnitentes in Dei charitate deceſſerint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſi, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari; & ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia.* Quam veritatem iiſdem fere verbis profiteri Eccleſiam Græcam modernam ſuperius demonſtravimus, quam etiam omnia teſtimonia tum ex Scriptura, tum ex Patribus allata demonſtrant.

LI. Sed dicunt primo, *Ezechiel.* 18. *v.* 21. dicit Deus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et c. 33. v. 13. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*: recordaretur autem Deus, ſi ea puniret, & peccata nocerent homini, ſi poſt pœnitentiam, & remiſſionem deberet pro illis ſubire pœnam.

Reſpondeo, Deum dicere, quod poſt pœnitentiam non recordabitur impietatum, nec impietates nocebunt impio, quia Deus eas non puniet pœna æterna, unde ſtatim ſubditur: *Vita vivet, & non morietur*, ideſt, morte æterna. Immo nec recordabitur Deus impietatis, nec impietas nocebit quoad pœnam temporalem, ſi talis ſit pœnitentia, quæ plene ſatisfaciat divinæ juſtitiæ. Verum quia plerumque peccatum non tantum diſplicet commiſſum, quantum placuit illud committendo, inde fit, quod pœnitentia, etſi ſemper liberet a pœna æterna, non tamen ſemper liberat a temporali. Hinc Davidi dum ait: *Peccavi Domino* ſtatim dictum eſt *Dominus tranſtulit peccatum tuum: non morieris*, morte ſcilicet æterna; poſt hoc tamen fuerunt ei pœnæ temporales inflictæ, ut ſupra diximus.

In hoc eodem ſenſu peccata dimiſſa dicuntur a Deo tegi, & non imputari, *Pſalm.* 31. & *Rom.* 8. dicitur nihil damnationis eſſe iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, quia ea non imputat ad pœnam, & damnationem æternam. Dicuntur autem abſolute non imputari, & nihil damnationis relinquere, quia etſi interdum pœnam temporariam relinquant: tanta tamen eſt diſtantia inter hanc & æternam, ut temporalis reſpectu æternæ nihil ſit, ideoque dicitur non imputari, non nocere, Deum peccatorum oblivi ſci.

LII. Dicunt ſecundo. Peccatum non remittitur, niſi per Chriſtum, at quodcumque remittitur per Chriſtum, ſatis & abunde per ejus ſanguinem expiatur; ergo &c.

Et confirmant. Nam ſi Chriſtus non abolet culpam ſimul & pœnam, plus ergo nobis obfuit inobedientia Adami, ut quæ culpam ſimul & pœnam invexerit, quam profuit obedientia Chriſti.

LIII. Reſpondeo, diſt. min. Quoad culpam, & pœnam æternam, conc. min. quoad temporalem pœnam, nego min. Non quia ſanguis Chriſti non ſit abunde efficax etiam ad hanc abolendam: ſed quia divinæ juſtitiæ viſum fuit hominem licet juſtificatum, adhuc ſub pœnis relinquere, nec pari conditione in amicitiam admittere eum, qui gratiam in Baptiſmo ſemel acceptam abjecit, ac eum, qui in gratia Dei nunquam fuit, ut ſupra ex Tridentino obſervavimus.

Ad confirm. Dico, quod ex hoc colligi etiam deberet, mortem, & miſerias omnes hujus vitæ ſtatim per Chriſtum tolli debuiſſe, ne plus obfuerit inobedientia Adæ, per quem una cum peccato intraverunt in mundum, quam profuerit obedientia Chriſti. Reſpondendum igitur eſt, per Chriſtum ab electis auferri omne illud malum, quod prævaricatio Adæ induxit: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* (1. Cor. 15. verſ. 22.) Verum id non ſtatim, *ne parva putaretur culpa, ſi cum illa ſtatim finiretur & pœna* (ut ait Auguſtin. Tract. ultimo in Joann.) *Ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna, & quem jam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.* Tunc ergo omnino finietur per Chriſtum pœna, quando ad vitam reſurgemus æternam: ait enim Apoſtolus citato loco, verſ. 21. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Et ſtatim ſubjungit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

LIV. Sed inquiunt. Auguſtinus, *lib.* 2. *de Peccat. meritis, cap.* 34. dicit, hujus vitæ miſerias ante remiſſionem quidem eſſe ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem autem eſſe certamina, exercitationeſque Juſtorum. Et mortem corporalem, quam Deus homini propter peccatum inflixit, nihilominus & poſt remiſſionem peccati propter exercendam juſtitiam non ademiſſe; ergo dimiſſa culpa non remanet temporalis pœna in ratione pœnæ.

LV. Reſpondeo, nego conſeq. Non enim negat ibi Auguſtinus, miſerias hujus vitæ dimiſſo peccato adhuc eſſe pœnas, hoc enim verbis ſupra laudatis aſſerit dicens: *Temporaliter hominem detinet pœna, & quem jam ad damnationem æternam reum non detinet culpa:* ſeu ſolum vult, quod miſeriæ hujus vitæ, quæ ante remiſſionem peccati erant pura peccati pœna, juſto judicio Dei pro peccatis quoad culpam dimiſſis, adhuc infligantur in noſtram utilitatem, ut illis exercitemur, vel patienter ea tolerando, vel certando in virtutibus proficiamus, & ſic ne dum pœnam ex peccatis relictam ſolvamus, ſed meritum coram Deo comparemus. Unde citato loco quærens, quare Deus Davidi poſt dimiſſum peccatum, ea quæ fuerat illi comminatus inflixit? Reſpondet; *Remiſſionem illam peccati factam, ne homo a percipienda vita impediretur æterna; ſubſecutum vero illius comminationis effectum, ut pietas homines in illa humilitate exerceretur, atque probaretur.*

Idem

Idem ante dixerat de Adamo. Unde concludit *Sic & mortem corporis & propter peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non ademit*. Sed hæc satis superque de existentia purgatorii post hanc vitam dicta sint. Hac supposita, superstant examinanda, ea quæ a nostris Theologis examinari solent.

DUBIUM II.

Quali, & quanta Pœna in Purgatorio Animæ torqueantur, & quamdiu.

§. I.

Resolutio Primæ Partis de qualitate Pœnæ.

I. HÆc pars duo complectitur: unum, nempe, qualis sit pœna, qua animæ in purgatorio puniuntur, hic tractabitur; alterum, quanta sit, seu ejus gravitas, sequenti §. expendetur.

Circa primum controversia fuit inter Latinos, & Græcos in Concilio Florentino. Nam Latini profitebantur, eam purgationem fieri per ignem, quam vocant purgatorium, & proferebant locum, Dub. præcedente expensum ex Apostolo, 1. Cor. 3. v. 13. *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit*, & v. 15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Græci vero per ignem ab Apostolo expressum intelligebant ex Chrysostomi interpretatione obscurum quemdam locum laboribus, ac mœstitia plenum: tametsi sub finem Synodi, quæstione renovata, de hac re contendere noluerint, ajunt enim, sess. 25. de purgatorio: *Sive ignis sit, sive caligo, ac turbo, sive quid aliud, non contendimus*. Quamvis postea ignem videantur admittere ibidem, his verbis: *Quod vero de igne purgatorio dicitis, hoc etiam suscipimus*.

II. Dico igitur. Quamvis neque in Florentino, neque in Tridentino de igne purgatorii nihil definitum sit, tenenda tamen est Latinorum sententia, purgatorium ignem esse, licet ibi sit & obscuritas, & turbo, sive inquietudo quædam. Est enim conformior modo loquendi Scripturæ. Nam etsi vocabulum *ignis* in sacris litteris sæpe generaliter gravem afflictionem significet, ut illud Psalm. 65. v. 11. *Transivimus per ignem, & aquam*: attamen ad tropum non est absque necessitate recurrendum. Quare sicut ex eo quod *Matth.* 25. *v.* 45. dictum est: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*, Ecclesia sentit, in inferno esse ignem corporeum, quo Dæmones, & reprobi in æternum torqueantur. Quod de Dæmonibus ostendimus, *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 9. *de pœna peccati Angelorum*, *Dub.* 3. & 4. ubi explicavimus modum, quo ab igne etsi corporeo spiritus torqueri possint: ita eo quod Apostolus ignem vocat id, quo purgantur fidelium defunctorum animæ, recte colligitur ab Ecclesia, in purgatorio esse verum ignem: & ita sentiunt Patres Dub. præcedente allati exponentes præfatum dictum Pauli, 1. *Cor.* 3. Sic enim loquuntur Augustinus, & Gregorius locis citatis. Et S. Bernardus, *Serm.* 28. de diversis: *Quidquid* (inquit) *nunc parvipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum: forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluisset*.

III. Circa modum, quo ignis in animas purgantes agat, recolenda sunt quæ citato. *Tom.* 1. *in* 1. *p.* cum S. Thom. diximus. Interim eas per divinam potentiam modo ipsi noto, torqueri non est dubitandum: *Cur enim* (inquit August. lib. 21. de Civit. Dei, c. 10.) *non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc potuerunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo.... Spiritus dæmonum, immo spiritus dæmones licet corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur: & animalia fiant, quæ constent spiritu & corpore; sed ut dixi miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam:* de quo late differit Gregorius, *lib.* 4. *Dialog. c.* 28. & 29. & *l.* 15. *Moral. c.* 14. (modo 29.) Qui licet agant de igne tartareo, potest tamen ad ignem purgatorii accommodari eorum locutio, cum sit utrobique par ratio actionis ignis corporei in spiritum.

IV. Quæri hic solet: an animæ in purgatorio detentæ torqueantur etiam a malis, vel bonis Angelis?

Respondet S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 5. negative. Non enim punientur a malis spiritibus. Quia injustum est, ut qui de aliquo triumphavit, ei subjiciatur post triumphum: sed illi qui in purgatorio sunt, de dæmonibus triumpharunt sine peccato mortali decedentes; ergo eis non subjicientur per eos, vel eorum ministerio puniendi. Neque punientur ministerio bonorum Angelorum, quia hi cives suos non tam vehementer affligerent: *Sed tamen* (subdit S. Thom.) *possibile est, quod eos ad loca pœnarum perducant, & etiam ipsi dæmones, qui de pœnis hominum lætantur, eos concomitentur, & assistant purgandis, tum ut de eorum pœnis satientur, tum ut in eorum exitu a corpore aliquid suum ibi reperiant. In hoc autem sæculo, quando adhuc locus pugnæ est, puniuntur homines, & a malis Angelis sicut ab hostibus, ut patet de Job, & a bonis sicut patet de Jacob, cujus nervus femoris Angelo percutiente emarcuit*. Hæc S. Thom. de lege ordinaria loquens, quia tamen Sancti Angeli conformant voluntatem suam divinæ, si Deus eis præciperet, ut animas purgantes affligerent, mandatis ejus obtemperarent, maxime quia ejusmodi afflictionibus ad æterna gaudia disponuntur.

§. II.

Resolutio Secundæ Partis de Gravitate Pœnæ.

V. QUoad gravitatem vero dictarum pœnarum. Dico cum S. Thom. citato loco, *Quæstiunc.* 3. Minimam pœnam purgatorii excedere maximam pœnam hujus vitæ. Cum in purgatorio duplex sit pœna; Una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione. Alia sensus, secundum quod ab igne corporali puniuntur, quantum ad utrumque minima pœna purgatorii excedit maximam pœnam hujus vitæ. Et quidem quantum ad pœnam damni: *Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior. Et quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus Sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis: & etiam quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret: & ideo de tardatione maxime dolent*.

Quantum vero ad pœnam sensus: *Cum dolor non sit læsio, sed læsionis sensus, tanto magis aliquis dolet de aliquo læsivo, quanto magis est sensitivum: unde læsiones, quæ fiunt in locis maxime sensibilibus, sunt maximum dolorem causantes. Et quia totus sensus corporis est ab anima: ideo si in ipsam animam aliquod læsivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligatur. Quod autem anima ab igne corporeo patiatur hoc ad præsens supponimus . . . Et ideo oportet quod pœna purgatorii quantum ad pœnam damni, & sensus excedat omnem pœnam istius vitæ*. Hæc S. Th. Qui etiam 3. *p. qu.* 46. *art.* 6. ubi resolvit, dolorem Christi in sua passione fuisse maximum, *ad* 3. argum. Respondet, se non loqui comparate ad dolores alterius vitæ: Quia *dolor animæ separatæ patientis pertinet ad statum futuræ damnationis, quæ excedit omne malum hujus vitæ, sicut sanctorum gloria excedit omne bonum præsentis vitæ. Unde cum dicimus, Christi dolorem esse maximum, non comparamus illum dolori animæ separatæ*.

VI. Etsi autem contrarium sentiat S. Bonaventura, *in* 4. *dist.* 20. negans, carentiam divinæ visionis esse majorem omni pœna hujus sæculi: quamvis enim absentia summi boni causet summam tristitiam in amante, mitigari tamen potest ex certitudine, & securitate illius adipiscendi. Unde Sancti Patres in limbo non affligebantur summa tristitia, sed quemadmodum legitur, *Luca* 16. de Lazaro, consolabantur. — Quantum autem ad pœnam sensus, concedit quidem, pœnas purgatorii esse majores pœnis hujus vitæ, non tamen eo quod minima ibi sit major maxima pœna vitæ præsentis: sed quia pœna, quæ ibi est maxima, superat maximam hujus vitæ. Unde si quis hinc decedat cum uno solo, vel altero levi peccato, non videtur plecti pœna, quæ sit major omnibus pœnis hujus vitæ.

VII. Nihilominus sententia S. Thomæ fulcitur auctoritate S. Augustini, *in Ps.*37. dicentis: *Quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quodquod potest homo patì in hac vita. Et nostis quanta hic passi sunt mali, & possunt pati*. Gregorii etiam, qui in Ps. 3. Pœnitentialem: *Illum* (inquit) *transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem*. Et Bedæ qui super hæc verba *neque in ira tua corripias me*, scribit correptionem quæ fit in purgatorio *Esse graviorem, quam quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti martyres, vel quidquid gravius possit homo excogitare*. Hujus gravitatis ratio evidens est. Quia futurum sæculum est sæculum judicii, retributionis, & vindictæ pro malis commissis, præsens autem sæculum est misericordiæ, & remissionis. Unde David, *Ps.* 6. & 37. Augustino, & Gregorio interpretibus punitionem præsentis sæculi *iram* vocat, quia est mixta clementiæ, ordinata ad evadendas pœnas etiam temporales futuri sæculi, & proinde est satisfactio pro pœna. Punitio vero futuri sæculi, est ex mera justitia, quia est satisfactio in pœna, seu per pœnam, quam Deus ab iis exigit, qui se ipsos in hoc sæculo non judicaverint: unde longe gravior judicanda est, quam quæcumque præsentis vitæ punitio. Præsertim quia ut docet S. Thom. citato loco ex quarto Sent. dist. 21. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 2. *Acerbitas illius pœnæ non est tantum ex quantitate peccati, quantum ex dispositione puniti, quia idem peccatum gravius punitur ibi, quam hic: sicut ille, qui est melioris complexionis, magis punitur eisdem plagis impositis, quam alius. Et tamen judex utrique easdem plagas pro eisdem culpis imponit*. Ut enim ibi dicit ad 1. *Ubi est major passionis sensus, ibi est major dolor, etiamsi sit minor passio*.

§. III.

Resolutio Tertiæ Partis de Diuturnitate Pœnæ.

VIII. CIrca tempus, quo pœna purgatorii cuilibet sit duratura, Dominicus Soto censet, nullam ani-

mam in purgatorio manere viginti annis, immo nec decem. Primo quia per aliquas pœnas possumus hic brevi tempore liberari ab omnibus pœnis; ergo multo magis ubi pœnæ sunt gravissimæ. —— Secundo. Quia Dei clementia non fert suos amicos longo tempore arceri a suo conspectu. —— Tertio. Quia diuturnitas pœnarum suppleri potest per earum intensionem.

IX. Dico tamen, hanc opinionem videri prorsus improbabilem, quia nulli nititur stabili fundamento, immo oppositum probatur primo. Nam eadem ratione dici posset, nec decem dies quemquam in illis pœnis agere, quia certum est posse Deum accumulatione, sive intensione pœnarum etiam hoc tempus abbreviare, ut quod diuturnitati deest, cruciatuum acerbitas compenset. Sed Deo, qui in numero, pondere, & mensura omnia disponit, visum fuisse credimus secundum consilium sapientiæ suæ pœnas illas purgatorias, ut ad certum modum intendere, vel remittere, ita & ad certum tempus extendere, vel contrahere: & sicut pœnas inferni voluit esse æternas, ut gravitati peccati proportionarentur, ita pœnas purgatorias ad illud tempus statuisse, quod culpæ gravitati responderet.

X. Neque obstat quod qui purgantur sint amici Dei, quoniam eo in loco exercetur judicium, & justitia Dei. ait enim Petrus, Epist. 1. c. 4. v. 17. *Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Evangelio? Et si justus vix salvabitur, impius & peccator, ubi parebunt?* Quæ verba licet videantur dicta de judicio, quod Deum exercet in hoc sæculo, magis profecto locum habent in futuro sæculo, quod est tempus retributionis, & ultionis. Unde S. Aug. *lib. 22. contra Faustum, c. 20.* ad præfata Petri verba, ait: *Hinc enim intelligitur, quomodo non parcatur impiis tamquam sarmentis præcisis ad combustionem, quando justis non parcitur ad perficiendam purgationem.*

Neque mirum videri debet, amicos Dei diutius prohiberi ab ejus conspectu: nam & justi Veteris Testamenti erant amici Dei, qui tamen etiam post plenam purgationem non fuerunt admissi ad visionem Dei, donec Christus cælum eis reseraret: & Enoch, ac Elias intimi Dei amici, modo, post tot sæcula nondum vident Deum per essentiam.

XI. Multo igitur credebilius est, tempus purgationis non esse determinatum ad viginti, vel decem annos, sed plus, aut minus taxari, secundum divinam justitiam ad mensuram gravitatis peccatorum. Hinc ut advertit S. Thom. *in 4. dist. 21. q. 1. art. 2. q. 1.* peccata ibi purganda convenienter dicit designari a Paulo per lignum, fœnum, & stipulam. *Et quia quanto aliquod peccatum est gravius, tanto difficilius purgatur; in peccatis autem venialibus invenitur alterum altero gravius, ideo convenienter eorum diversitas signatur per diversitatem eorum, quæ facilius, & tardius consumuntur ab igne. Et quia perfectio cujuslibet quantitatis ternario comprehenditur propter principium, medium, & finem: ideo triplex differentia ponitur; quia quædam sunt gravissima in genere venialium, & difficillime purgabilia, & hæc per lignum signantur, quædam minima, quæ per stipulam, quædam media, quæ per fœnum signantur.*

XII. Præterea inter peccata quoad culpam, & pœnam æternam condonata, quædam sunt gravissima, pro quibus qui ea commisit, pro pœna temporali residua ante mortem non satisfecit. Sicut ergo pœnitentia hujus vitæ secundum Canones pro gravi aliquo scelere interdum ad decem annos, interdum ad totam vitam protrahitur, etiamsi pœnitens, interim & sacramentorum Christi sit particeps, & multa bona opera faciat; ita multo magis credibile est pœnam futuri sæculi tali pœnitentiæ respondentem non fore breviorem, sed potius prolixiorem, cum illud sit tempus retributionis, & ultionis, & etiamsi a vivis repetantur suffragia, hæc acceptare misericordiæ Dei est, non justitiæ.

XIII. In hanc sententiam venit Ecclesia, quæ tot anniversaria pro defunctis a temporibus Tertulliani instituit, & adhuc in usu habet, etiam pro defunctis a multis sæculis. Unde referente Sylvio, *Qu. 100. Suppl. 3. part. in fine*, Tornaci, 28. *Martii* celebratur obitus Chilperici Regis Franciæ, qui ante mille annos obiit, quod in Monasterio S. Amandi in Pabula pro obitu Regis Dagoberti similiter celebratur.

In hanc sententiam venit S. Augustinus, *lib. 9. Confess. c. 13.* qui non solum orat pro Matre sua Monica, quæ sanctissime vixerat ultra triginta annos mortua, sed etiam rogat, ut quotquot ista legerint, ejus meminerint ad altare. Frustra autem in tot annos anniversaria, & preces pro defunctis protraherentur, si nemo ultra decem, vel viginti annos in purgatoriis pœnis detineretur.

XIV. Hoc idem probatur. Tum ex loco, 1. *Petri* 3. ubi dicitur Christus prædicasse his, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noe. Ex quo supra probabiliter deduximus, eos, qui tarde crediderunt Noe annuntianti diluvium detentos fuisse purgatoriis pœnis usque ad Christi adventum. —— Tum ex Augustino, quo *lib. 2. Qu. Evang. c. 38.* deputat, utrum illa receptio, de qua Lucas, c. 16. v. 9. *Ut cum defeceritis recipiant vos in æterna Tabernacula*, facienda sit statim post hanc vitam, an vero in fine sæculi. Et *lib. 20. de Civit. Dei, cap. 25. & l. 21. cap. 16. & 24.* significat quosdam in die judicii plenam remissionem demum consecuturos.

XV. Quapropter non videtur dubitandum, quin aliquorum animæ multis annis in purgatorio detineantur, & maxime, quia inter propositiones ab Alexandro VII. proscriptas quadragesima tertia est hæc: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos.* Quot autem annis quælibet anima in purgatorio mansura sit, Deus novit. Sanctus Thomas, in *4. dist. 21. q. 1. art. 13. q. 3.* dicit: Quod *Quædam venialia sunt majoris adhærentiæ, quam alia, secundum quod affectus magis ad ea inclinatur, & fortius in eis figitur; & quia ea quæ sunt majoris adhærentiæ tardius purgantur, ideo quidam in purgatorio diutius, quam alii torquentur secundum quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus.* Et ibi *ad 1.* dicit diutius manere in purgatorio, qui de peccatis minus affligitur, quia in isto sunt magis radicata.

XVI. An autem procedente tempore paulatim minuatur pœna similiter est incertum. Pie tamen credi potest, quod appropinquante pœnarum fine minuatur tristitia causata ex pœna damni. Quoad pœnam autem sensus, pie quoque existimari potest, quo magis absumitur reatus, eo magis minui pœnam. S. Bernardus, *in Vita S. Malachiæ, cap. 5.* scribit, quod vir iste sanctus, cum pro sorore sua defuncta orare cœpisset, vidit eam singulis diebus paulatim provehi, & tandem candidatorum cætui fuisse aggregatam.

DUBIUM III.

An in Purgatorio Animæ sint certæ de sua Salute?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. QUidam opinati sunt, animas in purgatorio detentas adeo esse pœnis absorptas, ut non intelligant, se purgari, sed æternæ damnationi se esse addictas. Alii propter sententiæ divinæ suspensionem, arbitrati sunt, eas saltem dubias relinqui, donec perfecta fuerit purgatio. Lutherus simile quid asseruit (ut saltem probabilius) negans, eas securas esse de sua salute, eo quod charitatem habeant imperfectam, & proinde cum timore conjunctam: ubi autem timor, ibi securitas esse non potest. Hanc sententiam tradit: *Tom. 1. Resolut. de Indulgent. Conclus. 19.* his verbis: *Nec hoc probatum esse videtur, quod sint de sua beatitudine certæ, & securæ, saltem omnes, licet nos certissimi simus.* Sed nescio quomodo hæc conciliat Lutherus cum alio suo dogmate, quo vult omnes fideles per fidem esse certos de sua salute, & hac fide justificari: cum tamen in multis charitas sit imperfecta. Unde mirum, quod illam certitudinem, quam exigit a viventibus, ita ut si non habeant, amittant fidem, & charitatem, hanc saltem in dubium vocet, esse in animabus purgantibus, & velit, saltem nos de earum salute esse certissimos. Sed ipse cogitet. Interim

II. Dico. Animæ in Purgatorio detentæ de sua æterna salute certæ sunt, ac securæ. Et quidem quod earum salus certa sit, & secura ex parte rei, constat: quia animæ quæ purgantur liberæ jam sunt ab omni periculo lapsus, & damnationis, *Matth.* enim 10. *v.* 22. dicitur: *Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit.* Eccles. 11. v. 3. *Lignum . . . in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Apoc. 2. v. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quo spectat etiam illud, Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quibus aperte constat, post mortem neminem mutari de bono in malum. Idque docent Cyprianus, l. de Mortalitate, & ex Cypriano Augustinus, *l. de prædest. Sanctor. cap. 14.* his verbis: *His, atque hujusmodi Doctor ille* (Cyprianus) *sententiis in catholica fidei luce clarissima, satis, aperteque testatur, usque ad hujus corporis depositionem peccandi pericula, tentationesque metuendas, deinceps nulla talia quemquam esse passurum.*

III. Quod autem animæ illæ securitatem, & certitudinem habeant ex parte cognitionis de sua salute, seu quod certo cognoscant se suo tempore ad æternam salutem perventuras; Probatur: Quia statim post mortem quisque pro meritis a Deo judice sententiam accipit, vel salutis æternæ, vel damnationis, juxta illud, Hebr. 9. v. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Et Ecclesiastici 11. v. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Quæ propter divini sententiam judicii, qua quisque post obitum statim, vel morti, vel vitæ æternæ adjudicatur, dicta sunt.

Neque putandum est, hanc Dei sententiam latere ipsas animas usque ad tempus expletæ purgationis. Nam sententia Dei circa unumquemque post mortem est ipsamet divini decreti manifestatio, qua cuique sua finalis retributio innotescit. Nam aliquin dici posset, quod etiam in hoc sæculo suam quisque sententiam acciperet; immo & ab æterno accepisset, si ea non aliud esset, quam divinum decretum, quo secundum vias suas quisque, vel vitæ, vel morti destinatur: & hoc decretum ab æterno fuit: oportet ergo ut hoc decretum post mortem statim cuique noti-

notificetur: unde Eccleſiaſticus eodem loco ſubjungit: *Et in fine hominis denudatio operum illius.*

IV. Præterea hanc ſecuritatem experiuntur ex bona, & tranquilla conſcientia, qua juſtificati pacem habent cum Deo, qua ſciunt, ſe pœnas illas patienter tolerare, Deum ex toto corde diligere, qua ſpem habent regni cæleſtis, ejuſque conſequendi fiducia lætantur. Quæ omnia certas eas faciunt, quod non ſint a facie Dei projectæ in æternum. Quia omnia illa nec in damnatis, nec in damnandis, ſed in ſolis ſalvandis eſſe poſſunt: præſertim cum juxta fidem catholicam non ignorent, damnationem æternam nemini poſt mortem differri, damnatos nec in Deum ſperare, nec Deum diligere, ſed deſperatione tabeſcere, Deumque vindicem odio habere, & blaſphemare.

Accedit quod animabus illius utpote juſtis, aptantur illæ ſententiæ: *Juſtorum anima in manu Dei ſunt* (Sap. 3. v. 1. &c.) Et *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* (Apoc. 14. verſ. 13.) Hinc Eccleſia, *in Can. Miſſæ*, animas defunctorum pro quibus orat, dicit dormire in ſomno pacis; & in Chriſto quieſcere, quod vere non diceretur, ſi præter pœnas etiam torquerentur incertitudine ſui ſtatus, & metu æternæ damnationis.

§. II.

Reſpondetur Contrariis Objectis.

V. OBjicit primo Lutherus citato loco: Animas poſt mortem ad purgatorium raptas, pœniſque illius carceris obrutas, præ confuſione neſcire, in quo ſtatu ſint, an damnatæ, an ſalvatæ, immo ſibi videri jam ire in damnationem, & jam eſſe in portis inferi; & licet ſentiant nondum clauſam poſt ſe portam inferi, & nec dum ſe dimittere votum, & ſpem ſalutis; cum tamen hæc non appareat, fluctuant. Quod explicat exemplo illius qui judicium mortis inopinatus incidat: puta in Latrones, qui illi intentent omni ex parte mortem; licet ſtatuerint illum quidem tenere, ſed non occidere, Latrones certi quidem ſunt, eum non moriturum, ipſe vero nihil, niſi præſentiſſimam mortem videt, ſolumque ei ſupereſt quod nondum ſit mortuus, & poſſit redimi a morte. In hoc ſtatu, inquit Lutherus, ſunt animæ in purgatorium demiſſæ.

VI. Quod confirmat dicens, in hoc pavore etiam Eccleſia eſſe, nam ſic canit Eccleſia pro eis: *A porta inferi erue animas eorum, & Libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus &c.* Quibus videtur ſentire, quod Deus poſſit quidem eas redimere, ſed nondum eſſe certum quod velit.

His addi poteſt: Preces quas fundit Eccleſia pro defunctis, indicare, quod ſententia Judicis ſuſpendatur uſque ad diem judicii. Ita enim in illis ex perſona defuncti legitur: *Dum veneris judicare terram, noli me condemnare.* Item: *Miſerere mei dum veneris in noviſſimo die*: Et: *Ne recorderis peccata mea, dum veneris judicare ſæculum per ignem.* Et rurſum: *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda, quando Cæli movendi ſunt.* His & aliis ſimilibus nonne evinci videtur, eas nondum evaſiſſe periculum damnationis?

VII. Reſpondeo ad hæc: primo ex S. Thoma, *in 4. diſtinct. 21. q. 1. art. 1. q. 4.* ubi referens id quod objicit Lutherus, ait: *Quidam autem dicunt, quod non eſt aliquo modo voluntaria* (pœna purgantium) *quia ſunt ita abſorpti pœnis, quod neſciunt, ſe per pœnam purgari, ſed putant ſe eſſe damnatos.* Cui reſpondet: *Sed hoc eſt falſum, quia niſi ſcirent ſe liberandos, ſuffragia non peterent, quod frequenter faciunt.*

Nego igitur aſſumptum. Nam nec dives Epulo in tormentis longe gravioribus ſtatum ſuum ignoravit, & Abraham, atque Lazarum agnovit, & fratrum ſuorum recordatus fuit, & cum ſciret, ſe non liberandum, non pro ſua liberatione rogabat, ſed optabat, ut fratres ſui monerentur, ne venirent in locum illum tormentorum. Sicut ergo dives Epulo ſuam æternam damnationem certo ſcivit in judicio Dei particulari poſt mortem ei a Judice notificato. Ita in eodem judicio ſuæ temporariæ purgationis ſententiam animæ poſt mortem ſtatim norunt.

VIII. Prævidens hoc reſponſum Lutherus: *Hic dicitur* (inquit) *quid ergo de judicio particulari, quod in morte cujuslibet hominis fama eſt agi, & Innocentius teſtatur? Videtur enim per ipſum certus fieri homo de ſuo ſtatu. Reſpondeo, quod non ſequitur, eum certum fieri, etiamſi ſit particulare judicium. Poteſt fieri, ut homo judicetur, immo accuſetur, ſed ſententia differatur, nec ei reveletur. Interim accuſante conſcientia, urgentibus dæmonibus, minante ira Dei nihil aliud faciat miſera anima quam ut tremat a ſententia omni momento cum horrore expectata, ſicut de corporali morte facit, & minatur, Deuter. 28.* Dabit tibi Dominus cor pavidum &c. Hæc Lutherus.

IX. Sed infeliciter, ut de more. Quis enim eum docuit arguere affirmative a potentia ad actum, nimirum, potuit fieri, ut ſententia judicii particularis ei non reveletur; ergo de facto ei non revelatur. Dato igitur, potuiſſe hoc fieri, nego, quod ita fiat, immo aſſero quod ſicut cuilibet reo ſententia contra ipſum lata ſtatim notificatur, ac intimatur; ita homini in judicio poſt mortem ſententia de ſuo ſtatu nota fiat, immo multo magis. Nam cum ſententia Dei de ſtatu finali cujuſque non feratur modo, ſed lata ſit ab æterno: judicium particulare poſt mortem, erit cuique manifeſtativum ſententiæ circa ipſum latæ, ſicut judicium univerſale erit manifeſtativum illius omnibus hominibus. Unde S. Th. in 4. diſt. 47. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3. *Univerſale judicium* (inquit) *magis directe reſpicit utilitatem hominum, quam ſingulos judicandorum. Quamvis ergo cuilibet homini ante judicium* (univerſale) *ſit certa notitia de ſua damnatione, vel præmio, non tamen omnibus omnium damnatio, vel præmium innoteſcet: unde judicium* (univerſale) *neceſſarium erit.* Cuique ergo ſtatim poſt mortem nota erit ſua ſors, ideoque exemplum de eo, qui inopinate trahitur ad mortem, vel cui latrones minantur mortem, non eſt ad rem. Animæ quoque hinc exeunti teſtimonium perhibet de ſecuritate ſuæ ſalutis conſcientia ipſa, quæ nullo gravi peccato eam accuſat, gratia Dei cum qua decedit, & ſpes, & charitas, quæ eam comitantur, quæ certe damnati non experiuntur. Nec verum eſt, quod animæ urgeantur dæmonibus, eiſque ſubjiciantur, ut ſupra dixi.

X. Hæc Lutheri ratiocinatio fundatur in opinione, quæ apud multos quondam invaluerat, & quam ut ſupra dixi, Calvinus probat, nimirum, omnia, tam pœnas, quam præmia manere ſuſpenſa uſque ad univerſale judicium, ut nec animæ Sanctorum præmientur in Cælo, nec damnatorum puniantur in inferno uſque ad illam diem (de qua S. Thom. *3. p. q. 59. art. 5. ad 1.* & quam probabilem S. Auguſtino viſam fuiſſe aliqui exiſtimant, ut infra) ſed contrarium fuiſſe ab Eccleſia ſtatutum, *in Tract. de Viſione*, ſæpe citatis locis oſtendi.

XI. Ad confirm. Reſpondeo, orationes Eccleſiæ quatenus poſtulant liberationem animarum a pœnis inferni, de ore Leonis, ne abſorbeat eas tartarus, referri ad illud inſtans, quo animæ a corpore migrarunt, quæ migratio tunc in memoriam revocatur; cum has orationes Eccleſia fundit, non quia timeat, eas in purgatorio poſitas poſſe ad infernum tranſire, ſed ut divina miſeratio, quæ eas in exitu a pœnis inferni eruit, uberiores ſuæ gratiæ, & clementiæ effectus in eas effundat, vel a pœnis eas liberando, vel ſaltem pœnas eis mitigando. Neque novus eſt hic ritus. Nam Incarnationem, quæ jam peracta eſt, in ſuis precibus proponit Eccleſia, ac ſi eſſet futura, ut erat temporibus Patriarcharum, dicens: *Rorate Cæli deſuper &c.* non ut Incarnatio de novo fiat, ſed ut fructus Incarnationis ad nos perveniat. Sic Chriſti paſſionem, reſurrectionem, & alia myſteria proponit nobis tamquam præſentia, dum ea anniverſaria celebratione colit, ut dicat craſtinam Chriſti paſſionem, vel præſentem ejus reſurrectionem, hodie Chriſtus reſurrexit, non quia cras fiet, vel hodie fiat, ſed quia cras celebrabitur, vel hodie celebratur memoria ejus quod factum olim fuit. Ita in anniverſaria defunctorum memoria proponit tamquam præſens inſtans exitus animæ a corpore, & orat, ut anima liberetur a morte æterna, non ut ab ea liberetur, quam ſupponit jam liberatam, ſed ulteriores liberationis effectus percipiat, nempe, vel totalem liberationem, vel mitigationem a pœna. De hoc Eccleſiæ ritu agit S. Auguſtin. *Epiſt. 23.* modo *98. ad Bonifacium Epiſcopum.* Recolantur dicta de ſacrificio Miſſæ, *queſt. 2. Dub. 5. §. 3. num. 13. &c.*

XII. Addo: Eccleſiam quandoque poſtulare ea, de quibus certiſſima eſt, vel quorum jam eſt poſſeſſionem donata, ut ſuum de præſtito beneficio gratum animum teſtetur, & ejus appendices, & fructus ab ipſo conſequatur. Sic Eccleſia Græca in Liturgia poſt verba Chriſti, quibus Euchariſtia conſecratur, preces fundit, quibus ſupplicat Deo: *Ut faciat panem pretioſum Corpus Chriſti ſui, & quod poſt in calice pretioſum ſanguinem Chriſti ſui, immutante ea Spiritu Sancto ſuo*, non ut converſionem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti impetret, cum Chriſti verbis jam peracta ſit, ſed ut fructus illius applicationem fidelibus obtineat. Eodem ergo tendunt preces illæ, quas Eccleſia in Miſſa, & Officio pro defunctis facit, non ut eorum liberationem a morte æterna obtineant: hanc enim conſecutos fuiſſe ſupponit, cum eos in ſtatu gratiæ, & charitatis mortuos credat; ſed ut eis liberationem, vel accelerationem liberationis a purgatorii pœnis, quæ ſingularis primæ miſericordiæ appendix eſt, illis obtineat.

XIII. Sed dices. S. Auguſt. *lib. 21. de Civit. Dei, cap. 24.* dicit, quod *Facta reſurrectione mortuorum, non deerunt, quibus poſt pœnas, quas patiuntur, ſpiritus mortuorum, impertiatur miſericordia, ut in ignem non mittantur æternum, & c. ultimo.* Quibuſdam defunctis non ſufficere ſua merita, ad adipiſcendam beatitudinem, niſi aliorum meritis miſericordiam conſequantur; ſi ergo ita eſt, tale merito manent dubii, donec per aliorum ſuffragia liberentur. —— Item *in Enchiridio, c. 110.* dicit, preces Eccleſiæ defunctis: *Quibus proſunt, aut ad hoc prodeſſe, ut ſit plena remiſſio, aut certe tolerabilior fiat ipſa damnatio*: unde apparet, non omnes inde liberari, & proinde non eſſe certam eis ſuam liberationem.

Item S. Ambroſius, l. de Cain, & Abel, c. 2. *Solvitur* (inquit) *anima corpore, & poſt finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri Judicii ſuſpenditur in ambiguo.*

S. Cyprianus, *lib. de Mortalitate* dicit quoſdam *Pondera in die judicii ad ſententia Domini.*

Theophylactus etiam in *Luc.* 12. Ad illud *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam*, ait: *Non enim semper qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, sed sunt in potestate Dei, ut etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes, & distributiones, quæ fiunt pro defunctis.*

XIV. Respondeo ad hæc. Ad primum ex S. Augustino dicunt aliqui, inter quos noster Natalis Alexander, *Secul. 4. hist. dissert. 44.* Probabile visum fuisse S. Augustino, sortem quorumdam animarum ad judicium usque ultimum veluti suspensam manere, quibus tunc misericordia impertienda sit, ne in ignem mittantur æternum: & has toto hoc tempore manere dubias de sua æterna salute.

Verius tamen & doctrinæ catholicæ conformius est Augustinum ibi solum velle, quod facta generali resurrectione, non deerunt, qui post pœnas, quas in purgatorio usque ad illud tempus passi sunt, non mittentur in ignem æternum, ad differentiam scilicet damnatorum, qui & ante, & post resurrectionem hac misericordia carebunt. Uno verbo mens D. Augustini ibi est, ante universale judicium in aliquibus, nempe, purgatoriis pœnis detentis, fore spem salutis saltem in illo die; post autem illum diem, nullam spem futuram. Unde concludit: *Nimia præsumptionis est dicere; cuiquam eorum æternum supplicium non futurum, quod Deus iturus in supplicium dixit æternum, & per hujus præsumptionis persuasionem facere, ut de ipsa quoque vita vel desperetur, vel dubitetur æterna.*

Ad alterum ex eodem dico, solum velle, quibusdam merita propria non sufficere ad adipiscendam beatitudinem, nisi &c. Non ita ut nisi aliorum meritis juvarentur, beatitudinem non essent consecuturæ, sed quod eam forte non consequerentur, nisi post gravissimas, ac diuturnas in purgatorio solutas pœnas.

Ad tertium vero ex eodem resp. Per tolerabiliorem damnationem intelligere mitigationem pœnarum purgatorii, quia per suffragia fidelium impetratur non solum liberatio, vel temporis abbreviatio, sed etiam pœnarum mitigatio. Ex quibus ad summum sequitur, animas ibi detentas non esse certas de tempore suæ liberationis, aut mediis quibus ad eam perveniant, non autem non esse certas, se tandem ad eam perventuras.

Ambrosii locus eodem modo exponitur, nimirum, animam corpore solutam adhuc suspendi ambiguo, non quod ad judicium attinet vitæ, vel mortis æternæ, sed quoad modum, & quantitatem pœnæ adhuc solvendæ, & tempus assequendæ beatitudinis, vel certe quoad tempus judicii extremi.

Quoad Theophilactum dico, non esse necesse ejus in hac parte recipi sententiam, nisi forte dicatur eum loqui non de facto, sed quantum est ex vi graviorum criminum, quæ post baptismum admiserunt: non enim propter ea semper punit pœna æterna, sed interdum in hac vita dimittit quoad culpam, & in alia quoad pœnam, quod arguitur ex orationibus, quæ pro defunctis fiunt.

XV. Secundo objicitur Scriptura. Nam Ecclesiaste 9. v. 5. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius.* Et infra v. 10. *Nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Item Psalm. 6. v. 4. *Anima mea turbata est valde*, quod cum Ecclesia in primo nocturno de defunctis recitet, indicat maximam eorum in purgatorio turbationem, quam non haberent, nisi metuerent damnationem æternam. Nam Prov. 12. v. 21. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.*

XVI. Respondeo ad primum ex Ecclesiaste, ibi sensum fieri, mortuos non habere amplis scientiam, idest, novam non acquirere scientiam rerum pertinentium ad hanc vitam, nisi quatenus Deus illis revelaverit. Unde S. Augustinus l. de Cura pro mortuis, c. 13. *Si rebus* (inquit) *viventium interessent anima mortuorum, & ipsa nos quando eas videmus, alloquerentur in somniis, ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte defugeret, quæ terra marique secuta est, ut mecum viveret &c.* Et ponit exemplum in rege Josia, cui *pro magno beneficio promisit Deus, quod esset ante moriturus, ne videret mala, quæ ventura illi loco, & populo minabatur.* Dici etiam potest cum S. Hieronymo, *Comment. in Ecclesiasten*, sensum esse, quod mortui nec juste quidquam jam possunt agere, nec peccare, nec virtutes addiscere, nec vitia.

Ad id quod additur ex Proverb. dico, significari, quod justum quidquid ei acciderit æquo animo sit laturus, & hoc modo animæ in purgatorio existentes, quia sibi juste illatas pœnas patienter ferunt, & etiam dilationem gloriæ. Unde pœnarum acerbitas eas quidem valde turbat, sed non sic ut eas patienter non ferant, aut de futura salute dubitent.

XVII. Tertio objiciunt: securitas, seu certitudo salutis magna pars est beatitudinis, sicut e contra certitudo damnationis magna pars est gehennæ: atqui animæ illæ nullam adhuc beatitudinis partem adeptæ sunt, sed post purgationem eis tota simul tribuitur; ergo &c.

Confirmatur. Si de sua salute securæ essent, pœna purgatorii non esset gravissima, quia magnam eis consolationem, & gaudium afferret certitudo salutis.

Rursus sequeretur, quod nec sperarent suam beatitudinem: sicut enim malum apprehensum, ut inevitabile non est objectum timoris, ita bonum apprehensum, ut inamissibile, non est objectum spei, quia non apprehenditur, ut arduum.

XVIII. Respondeo, neg. min. Cum enim animæ defunctorum jam pervenerint ad terminum, nihil prohibet, immo valde congruum est, eas donari illa felicitatis parte, ut sciant, se ad terminum vitæ, & sui periculosi certaminis perveniisse, nec amplius cadere posse, atque sint de præmio securæ.

Ad confirmat. nego maj. Nam certitudo salutis etsi magnam præstet consolationem, & gaudium quantum est ex parte objecti; potest tamen consistere cum maximo dolore propter pœnam aliunde illatam, quemadmodum in Christo patiente contigit. Nam gaudium, & tristitia eorum in gradibus intensi sese admittunt in eodem subjecto, ubi objecta sunt diversa.

Ad id quod additur, nego similiter maj. Neque enim certitudo consequendi bonum speratum tollit spem, seu est contra rationem spei, quamdiu non est obtentum, maxime si difficultates quædam superandæ sint, priusquam obtineatur. Quia tunc adhuc est considerabile ut futurum, & arduum. Et quamvis animæ illæ non timeant gehennam, timent tamen diuturnitatem pœnarum, & tristantur, se non posse gloriam, quam expectant, cito consequi. Quod vero dicitur, timorem non esse de malo inevitabili, verum est, si intelligatur de malo præsenti (de quo potius est tristitia) cæterum timorem esse etiam de malo inevitabili nondum præsenti, ostendi, *Tom. 1. in 3. p. Tract. de Incarn. q. 5. Dub. 8. §. 1. a n. 10.* Et sic timorem in animabus purgatorii admittimus, non quidem gehennæ, sed diuturnitatis pœnarum, in quibus versantur.

XIX. Quarto objiciunt. Gregorius, *l. 4. Dialog. cap. 36.* refert, cujusdam Stephani mortui sententiam alteri per extasim visam adhuc pendere, — Similiter, *l. 4. Revel. S. Brigittæ, c. 8.* introducitur Angelus de quadam anima dicens, se non intelligere, utrum post purgationem ventura sit ad requiem, an vero damnata sit.

XX. Respondeo ad id quod ex Gregorio refertur, quod legenti constabit, de illo Stephano finalem nondum fuisse pronunciatam sententiam, quia ejus anima ad corpus iterum revocata fuit, & novo certamini hac in vita exposita, & proinde novo periculo — Ad id quod additur (si tamen verum est) dico, ad extraordinariam providentiam pertinere. Dico si verum est, Quia verius videtur, hanc revelationem esse unam ex illis, quæ neque sunt factæ S. Birgittæ, neque ab ea scriptæ, sed ejus nomine ab aliis promulgatæ. Vide Baronium *ad anno Christi 604. n. 46.* ubi de hujusmodi revelationibus idem sentit quod de revelatione liberationis animæ Trajani ab inferno supra diximus.

XXI. Ex quo igitur animæ in purgatorio de sua salute certæ sint, ac securæ, infertur, quod non invite, sed prorsus voluntarie pœnas illas patiantur: & tamen pro eis orare debeamus. Hoc asserit citato loco Lutherus ipse, ubi hæc habet: *Si volenter pœnas ferunt animæ, cur pro eis oramus? Respondeo: nisi eas volenter ferrent, certe damnatæ essent. Sed numquid non ideo optare debent orationes? Quando Apostolus optavit pro se orationes fieri, ut liberaretur ab infidelibus, & sibi ostium verbi aperiretur, qui tamen omni fiducia plenus mortem contemnere se gloriabatur? Etiamsi anima non optarent orationes, tamen nostrum est eorum labori condolere, & succurrere oratione, sicut quibuslibet aliis, quantumlibet fortiter patientibus. Deinde cum anima non adeo doleant pœnæ præsentis, quam horrere instantis sibi & intentatæ perditionis, non est mirum, si cupiant suffragium, ut perseverent, & non deficiant in fiducia, cum sint incertæ (ut dixi) de statu suo, nec tam timeant pœnas inferni, quam odium Dei, quod est in inferno, sicut dicitur non est in morte, qui memor sit tui, in inferno quis confitebitur tibi? Et sic patet quod non timore pœnæ patiuntur, sed amore justitiæ ut supra. Timent etiam magis, ut non laudent, & ament Deum (quod fieret in inferno) quam ut patiantur, & hoc eorum sanctissimum, sed anxiosissimum desiderium merito juvat omni Ecclesia quantum potest, maxime quando Deus vult illas per Ecclesiam juvari.* Hactenus Lutherus. Qui tamen in hoc erat, ex dictis, quod vult, animas in purgatorio anxias, & timidas esse de sua æterna salute, & ne deficiant a justitia, & amore Dei, cum in hoc confirmatæ sint, & securæ, & Ecclesia non propter hoc oret pro eis, nec ipsa veli pro se orari; sed solum, ut eis mitigetur pœna, & tempus consequendæ gloriæ, de qua certæ sunt, eis acceleretur.

QUÆSTIO IV.

De Suffragiis Mortuorum.

DE hac materia sermonem habuimus in Quæst. de Indulgentiis, hic eam cum S. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. & q. 71. Suppl.* ex instituto tractabimus.

DUBIUM I.

An aliquibus Suffragia proſint?

§. I.

An Suffragia per unum facta, aliis prodeſſe poſſint?

I. NOtat S. Thom. hac qu. 71. art. 1. *Quod actus noſter ad duo valere poteſt. Primo ad aliquem ſtatum acquirendum, ſicut per opus meritorium homo acquirit ſtatum beatitudinis: ſecundo ad aliquid conſequens ſtatum, ſicut homo per aliquem actum meretur præmium accidentale, vel dimiſſionem pœnæ. Ad utrumque autem horum actus noſter dupliciter valere poteſt: uno modo per viam meriti, alio modo per viam orationis. Et eſt differentia inter iſtas duas vias: quia meritum innititur juſtitiæ, oratio autem miſericordiæ; orans enim impetrat petitum ex ſola liberalitate ejus, qui oratur.*

His ſuppoſitis dicit. *Quod opus unius nullo modo poteſt alteri valere ad ſtatum conſequendum per viam meriti, ut ex his, quæ ego facio, alius mereatur vitam æternam, quia ſors gloriæ redditur ſecundum menſuram accipientis. Unuſquiſque autem ex actu ſuo diſponitur, & non ex alieno, & dico diſpenſationem dignitatis ad præmium. Sed per viam orationis; etiam quantum ad ſtatum conſequendum, opus unius alteri, dum eſt in via, valere poteſt, ſicut quod unus homo impetret alteri primam gratiam. Cum igitur impetratio orationis ſit ſecundum liberalitatem Dei, qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis ſe poteſt extendere, quæ poteſtati divinæ ſubſunt ordinate.*

Sed quantum ad aliquid, quod eſt conſequens, vel acceſſorium ad ſtatum, opus unius poteſt valere alteri, non ſolum per viam orationis; ſed etiam per viam meriti. Quod quidem dupliciter contingit. Vel propter communicantiam in radice operis, quæ eſt charitas, in operibus meritoriis: & ideo omnes, qui ſibi invicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant, tamen ſecundum menſuram ſtatus uniuſcujuſque, qui etiam in patria unuſquiſque gaudebit de bonis alterius: Et inde eſt, quod articulus fidei ponitur, Sanctorum communio. *Alio modo ex intentione facientis, qui aliqua opera ſpecialiter ad hoc facit, ut talibus proſint. Unde iſta opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quaſi eis a faciente collata. Unde poſſunt eis valere, vel ad impletionem ſatisfactionis, vel ad aliquid hujuſmodi, quod ſtatum non mutat.*

Ex qua Sanct. Thom. doctrina bene notanda apparet. Primo. Quod bona opera unius nequeunt valere alteri per modum meriti ad ſtatum gratiæ, vel gloriæ conſequendum, quia ad hunc unuſquiſque ſolum propria diſpoſitione poteſt pervenire, poſſunt tamen alteri valere per modum orationis, & impetrationis a divina liberalitate. Secundo. Quod opera bona unius poſſunt valere alteri etiam per modum meriti ad impletionem ſatisfactionis, vel diminutionem pœnæ, ſive ei communicationis in charitate, qua omnes juſti ſunt unum, ſive intentionis illius, qui ea facit ſpecialiter alteri applicando. Unde ibidem, *ad* 1. ait: *Quod opus, quod pro aliquo fit, efficitur ejus pro quo fit. Et ſimiliter, quod eſt ejus, qui mecum eſt unum, quodammodo eſt & meum. Unde non eſt contra divinam juſtitiam, ſi unus fructum percipit de operibus factis ab eo, qui eſt unum ſecum in charitate, vel ab operibus pro ſe factis. Hoc etiam ſecundum humanam juſtitiam contingit, ut ſatisfactio unius pro alio accipiatur.*

II. Non tamen per opera mala unius poteſt altera puniri, vel damnum accipere niſi eis conſenſerit, vel participaverit. Nam ut ibidem, ait ad 4. *Auferri alicui quod ei debetur, hoc directe juſtitiæ repugnat: ſed dare aliquid alicui, quod ei non debetur, hoc non eſt juſtitiæ contrarium, ſed metas juſtitiæ excedit, eſt enim liberalitatis. Non autem poſſet aliquis ladi ex malis alterius, niſi aliquid ei de ſuo ſubtrahatur. Et ita non convenit, quod aliquis puniatur pro peccatis alterius, ſicut quod emolumentum percipiat ex bonis alterius.*

III. Neque hoc erit metere ab aliis ſeminata contra dictum Apoſtoli, ad Galat. 6. v. 8. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.* Nam ut ait idem S. D. ibidem ad 1. *Meſſis illa eſt perceptio vitæ æternæ, ſicut habetur Joann.* 4. Et qui metit, fructum congregat in vitam æternam: *Sors autem vitæ æternæ non datur alicui, niſi pro propriis operibus: quia etſi aliquis alteri impetret, aut ad vitam perveniat, nunquam tamen hoc fit, niſi mediantibus operibus propriis: dum ſcilicet precibus alicujus, gratia alicui datur, per quam meretur vitam æternam.* Sic precibus Monicæ gratiæ converſionis data fuit filio Auguſtino, qua poſtea tot eximia opera fecit, ac in Eccleſia ſeminavit, quibus meſſuit vitam æternam.

IV. Hinc ut docet ibi, *ad* 3. Nemo laudatur niſi ex operibus propriis per ſe loquendo: quamvis laudari poſſit ex operibus alterius quaſi per accidens, ſecundum quod ipſa eſt aliquo modo operum illorum cauſa, conſilium, vel auxilium præbendo, ſeu inducendo, vel quocumque alio modo. Ex propria tamen diſpoſitione, & operibus laudem, & præmium ſibi quiſque comparabit, & ſic verificabitur, juxta illud Pſalm. 61. verſ. 12. *Tu reddes unicuique juxta opera ſua.*

§. II.

An Suffragia vivorum mortuis proſint. Et primo: An pueris in Limbo exiſtentibus?

V. NEgant univerſaliter hæretici veteres, ut Aerius, & Recentiores contra quos probavimus exiſtentiam purgatorii, ad quam probandam uſi ſumus antiqua Eccleſiæ conſuetudine, quæ ab initio conſuevit preces, & oblationes pro defunctis facere, quod non feciſſet, niſi eos juvari exiſtimaſſet. Unde ibi dicta, ſunt huc revocanda, & præcipue locus ille ex 2. Mach. cap. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*, quem locum explicavimus, & ab impugnationibus adverſariorum defendimus. Pro qua conſuetudine, addit Sanct. Thom. hac *quæſt.* 71. *art.* 2. in arg. *ſed contra* teſtimonium S. Auguſtin. *l. de Cura pro mortuis, cap.* 1. dicentis: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortis ſacrificium. Sed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parva eſt univerſa Eccleſia, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.*

VI. Verum quia ex animabus defunctorum modo aliquæ ſunt in Limbo, ut animæ puerorum, qui ſine baptiſmo deceſſerunt, animæ damnatorum, qui in Inferno ſunt, animæ beatorum, quæ clara Dei viſione fruuntur, & animæ purgantium, quæ a clara Dei viſione detinentur, donec vel culpam expiaverint, vel debitam pro culpa pœnam ſolverint, ut ea quæ certa ſunt, ab iis quæ in quæſtionem vocamus: ſeparentur.

VII. Dico primo. Nec animæ puerorum, qui ſunt in Limbo, nec damnatorum, qui ſunt in inferno, nec beatorum, qui ſunt in gloria orationibus, & ſuffragiis vivorum juvari poſſunt, ideoque Eccleſia pro eis non orat. Prima pars traditur a S. Thom. dicta, *qu.* 71. *Suppl. art.* 7. Quia ut precibus Eccleſiæ anima defuncti juvari poſſit, debet eſſe membrum illius corporis, cujus caput eſt Chriſtus, conjunctum ei per gratiam, & charitatem, & in ſtatu, qui mutari poſſit: ſed nihil horum eſt in animabus puerorum exiſtentium in limbo, quia nec baptiſmo Chriſto, & Eccleſiæ conjunctæ fuerunt, nec ſunt in ſtatu gratiæ, ſed in peccato originali, nec ſtatus earum mutari poteſt: *Maxime quantum ad meritum eſſentialis præmii, vel pœnæ*, ergo &c. Quamvis autem animæ illæ ibi non detineantur, niſi pro peccato alieno, ac proinde decens videatur, ut ſuffragio juvari poſſint. Attamen hoc quidem valere poteſt, dum ſunt in ſtatu vitæ præſentis, ſed ut dicit S. Thom. ibi ad 1. *Animæ puerorum in limbo exiſtentes ſunt in tali ſtatu quod juvari non poſſint, quia poſt hanc vitam non eſt tempus gratiam acquirendi.*

Neque contrarius eſt S. Auguſtin. dum, *in Enchiridio, cap.* 110. dicit: *Eccleſiæ ſuffragia pro non valde malis propitiationes fiunt*, quaſi pueri, qui mitiſſima pœna in limbo puniuntur, computentur inter non valde malos —— Nam ut ait Sanct. Thom. citatus ad 2. *Auguſtinus loquitur de non valde malis, qui tamen baptizati ſunt, quod patet ex hoc, quod præmittitur:* Cum ergo ſacrificia, ſive altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptizatis omnibus offeruntur &c.

§. III.

Secunda pars de Damnatis.

VIII. DE hoc agit S. Thom. dicta, *qu.* 71. *art.* 5. ubi refert varias opiniones quæ ante ipſum extiterunt. Nam præter errorem Origenis quem ſupra, *Tom.* 2. *in* 1. *part. quæſt.* 9. *de Pœna Dæmonum, Dub.* 5. rejecimus, aliqui diſtinguebant inter tempus ante judicium & poſt judicium, *Dicentes, quod poſt diem judicii nullus in inferno exiſtens aliquo ſuffragio juvabitur, ſed ante diem judicii aliqui juvantur ſuffragiis Eccleſiæ.* Quantum etiam ad perſonas in inferno damnatas dicebant, aliquos eſſe valde malos, *Qui ſcilicet ſine fide, & ſacramentis deceſſerunt, & talibus quia de Eccleſia non fuerunt, nec merito, nec numero, ſuffragia Eccleſiæ prodeſſe poſſunt.* Alios vero eſſe non valde malos, *qui ſcilicet de Eccleſia fuerunt numero, & fidem habentes, & ſacramentis imbuti, & aliqua opera de genere bonorum facientes, & talibus ſuffragia Eccleſiæ prodeſſe debent.* Ne autem in Origenis errorem incidere viderentur, diverſas evaſiones excogitarunt.

Præpoſitinus enim dixit, quod tantum poſſunt pro damnatis ſuffragia multiplicari, quod a tota pœna reddantur immunes, non quidem ſimpliciter, ut Origenes poſuit, ſed ad tempus, ſcilicet uſque ad diem judicii: tunc enim animæ iterato corporibus conjunctæ, in pœnas inferni ſine ſpe veniæ retrudentur. —— Sed hoc derogare videtur divinæ providentiæ (inquit S. Thom) *quæ nihil in rebus inordinatum relinquit: culpa autem non poteſt ordinari niſi per pœnam. Et ideo cum culpa continue maneat in damnatis, eorum pœna nullatenus interrumpitur.*

Et ideo Porretani alium modum invenerunt dicentes, quod ſicut in continuo partes cum ſint finitæ, tamen in infinitum dividi poſſunt, & nunquam per diviſionem

consummuntur, sic dicunt per primum suffragium diminui aliquotam partem pœnæ, & per secundam diminui partem remanentis, & sic proportionaliter in infinitum.

Sed inquit Sanct. Doctor: *Iste modus multipliciter defectivus est. Primo. Quia infinita divisio, quæ congruit continuæ quantitati, non videtur posse ad quantitatem spiritualem transferri. Secundo. Quia non est aliqua ratio, quare secundum suffragium minus de pœna diminuat, quam primum, si sit æqualis valoris. Tertio. Quia pœna diminui non potest, nisi diminuatur & culpa, sicut nec auferri, nisi ea ablata. Quarto. Quia in divisione lineæ tandem pervenitur ad hoc, quod non est sensibile: corpus enim sensibile non est in infinitum divisibile. Et sic sequeretur, quod post multa suffragia pœna remanens propter sui parvitatem non sentiretur, & sic non esset pœna.*

IX. Alii propterea, ut Antisiodorensis, dicunt, quod *Suffragia prosunt damnatis, non quidem per diminutionem pœnæ, vel per interruptionem, sed per confortationem patientis, sicut si homo portaret grave onus, & faciem suam perfunderet aqua; sic enim confortaretur ad melius portandum. Cum tamen onus suum in nullo levius fieret.* —— Sed hoc etiam rejicitur a S. Thom. quia cum culpa damnati immutata maneat, non potest esse, quod levius pœnam ferat, & insuper quia est præsumptuosum, Sanctorum dictis contrarium, & vanum, nullaque auctoritate fultum propter rationes infra adducendas. —— Nec etiam sustineri potest quod alii dicunt, nempe, per suffragia minui eis dolorem, quia vident se non esse a viventibus penitus derelictos: Hoc enim supponit, damnatos cognoscere, quæ hic aguntur, & suffragiorum notitiam ad eos pervenire, quod tamen secundum legem communem est falsum.

X. Dicendum ergo est simpliciter, quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit: *Tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis. Tum quia totaliter ad vitæ terminum pervenerunt recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut & Sancti, qui sunt in patria. Quod enim adhuc restat de pœna, vel gloria corporis, hoc eis rationem viatoris non prabet, cum gloria essentialiter, & radicaliter consistat in anima, & similiter miseria damnatorum. Et ideo non potest pœna eorum diminui, sicut nec gloria Sanctorum augeri.*

XI. Neque dicas; ergo saltem accidentaliter pœna damnatorum per suffragia potest diminui, sicut gloria Beatorum per honorem eis exhibitum accidentaliter augetur. —— Nego enim conseq. Tum quia ut dicebamus cum S. Thom. suffragiorum, quæ pro eis fiunt, non finitur a Deo notitia eis pervenire, ait enim S. Augustin. lib. de Cura pro mort. cap. 13. *Ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcumque aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus*, quod præcipue de damnatis est verum. Tum etiam quia etsi cognoscerent suffragia, quæ pro eis fiunt, experiendo, ea sibi nihil prodesse, augeretur eorum dolor magis, quam minueretur. Si ergo ut supra dictum est, Christus suo descensu ad inferos nihil levaminis attulit damnatis, sed potius eorum dolorem auxit, dum se indignos fructu passionis ejus, quo Sancti fruebantur, agnoverunt, multo minus solamen accipient ex suffragiis, sed magis in desperationem, & rabiem convertentur.

XII. Superesset objectio de anima Trajani precibus S. Gregorii ab Inferno liberati. —— Sed quia de hoc abunde egimus supra, *Q. 2. de Descensu Christi ad inferos, D. 2. §. 2. num. 19.* ideo ad ibi dicta Lectorem remitto. —— Addi potest, in Vitis Patrum, & apud Damascenum legi, quod Macharius, inventa in via, Calvaria cujusdam defuncti, oratione præmissa, quæsivit, cujus caput fuisset, & caput respondit, quod fuerat sacerdotis gentilis, qui in inferno erat damnatus, & tamen confessus est, oratione Macharii, se, & alios juvari, —— Sed narrationem istam esse fabulosam ex eo conjicitur, quia in Lausiaca Palladi historia, ad quam se refert auctor illius Sermonis de defunctis, qui Damasceno tribuitur, nulla fit mentio, vel cranii, vel historiæ de Machario.

Si tamen eam admittere velimus, responderi potest cum S. Thom. dicta quæst. 71. art. 5. ad 4. *Quod illud adjutorium non erat in hoc, quod pœna illorum diminueretur, sed in hoc solo (ut ibidem dicitur) quod eo orante concedebatur eis, ut mutuo se viderent: & in hoc aliquod gaudium, non verum, sed phantasticum habebant, dum implebatur hoc quod desiderabant; sicut & Dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccatum pertrahunt, quamvis per hoc eorum pœna nullatenus minuatur: sicut nec minuitur Angelorum gaudium per hoc, quod malis nostris compati dicuntur.*

XIII. Objici etiam potest Sanct. Augustin. *in Enchiridio, cap.* 110. dicens, quod *Quibus prosunt*, suffragia, *vel ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, vel certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.* —— Sed ad hoc respondet S. Thom. citato loco, ad 2. *Quod in verbis illis damnatio large accipitur pro quacumque punitione, ut sic includat etiam pœnam purgatorii, quæ per suffragia quandoque totaliter expiatur, quandoque autem non, sed diminuitur.*

XIV. Si tandem dicas: Si pro omnibus vivis, etsi peccatoribus, ac impiis, oratio utilis est, cur non etiam pro omnibus defunctis, etsi in statu peccati, & damnationis, cum magis acceptetur suffragium pro defuncto, quam pro vivo, ut ait Dionys. *cap. ultimo, Eccl. Hier.*

Respondeo cum eodem Sanct. Thom. ad 3. *Quod quantum ad hoc magis acceptatur suffragium pro mortuo, quam pro vivo, quia magis indiget, cum non possit sibi auxiliari, sicut vivus potest. Sed quantum ad hoc vivus est melioris conditionis, quia potest transferri de statu culpæ mortalis, quod de mortuis dici non potest.*

§. IV.

Tertia Pars de Beatis.

XV. SUffragia nihil prodesse posse Sanctis in Patria beatis, ostendit Sanct. Thom. dicta, *quæst. 71. art. 8.* his verbis: *Suffragium de sui ratione importat quamdam auxiliationem, quæ non competit ei qui defectum non patitur. Nulli enim juvari competit, nisi ei qui indignus est. Unde cum Sancti, qui sunt in patria, sint ab omni indigentia immunes*, inebriati ab ubertate Domus Dei (Psalm. 35.) *eis juvari per suffragia non competit.*

XVI. Hoc docuerat Sanctus Augustinus, *Serm. 17. de Verb. Apost.* (modo *Serm. 159.*) *cap. 1.* dicens: *In patria nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi locus nullus erit? Quia nihil deest. Quod hic creditur, ibi videtur, quod hic speratur, ibi tenetur, quod hic petitur, ibi accipitur. Perfectio tamen in hac vita est, ad quam Sancti Martyres pervenerunt. Ideoque jubet Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ibi non pro ipsis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Dicit autem non esse orandum specialiter pro Martyribus, nam ob insignem publice notam fidei usque ad mortem confessionem pro eis non orabat Ecclesia. Nam pro aliis etiam eximie sanctis, qualis erat Augustini Mater, & Augustinus ipse, aliique multi Sancti Confessores, oratum fuisse a fidelibus, manifestum est, tum *ex l. 9. Confess. cap.* 13. tum *ex ejus vita apud Possidium*, & aliunde. Non enim satis constabat, eos sic ex hac vita decessisse, ut nihil purgandum secum auferrent, ideoque viventium suffragiis jam non egerent. Sed de Martyribus eo ipso quod Ecclesiæ constabat, eos pro Christo vitam dedisse, constabat etiam eos ex charitate eximia plene purgatos ad cælestem patriam illico transisse. Quare, *Tract. 84. in Joann.* de Martyribus, ait: *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus: quia impleverunt ipsi charitatem, qua Dominus dixit* (Joann. 15. v. 13.) *non posse esse majorem.*

XVII. Neque etiam orandum est pro Sanctis Confessoribus, & Virginibus, de quibus constat nobis cum Christo regnare, etsi Martyres non sint, cujusmodi sunt omnes, quos Ecclesia catalogo Sanctorum solemni ritu adscripsit. Quare Innocentius III. cap. Marthæ de celebrat. Miss. *Cum* (inquit) *Sacra Scriptura dicat auctoritas, quod injuriam facit martyri, qui orat pro martyre; idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt, sed nos potius orationibus eorum indigemus &c.* ubi nota, quod nomine *Sacræ Scripturæ* intelligit Innocentius scriptum S. Augustini, a qua prodiit illud dictum: hoc enim nomine scripta etiam Sanctorum Patrum comprehendunt Mag. Sent. & alii.

XVIII. Sed in contrarium affertur. Primo. Quod Ecclesia in Collecta Missæ sæpe dicit: *sicut Sanctis tuis prosunt ad gloriam*, scilicet sacramenta: *ita nobis proficiant ad medelam*, ergo sacramenta, & suffragia prosunt Sanctis.

Respondeo cum S. Thom. dicto art. 8. ad 1. *Quod hujusmodi locutiones non sic sunt intelligendæ, quasi Sancti in gloria proficiant quantum ad se, quod eorum festa recolimus: sed quia nobis proficit, qui eorum gloriam solemnius celebramus. Sicut ex hoc quod Deum cognoscimus, vel laudamus, sic quodammodo ejus gloria in nobis crescit, nihil Deo, sed nobis accrescit.* Utrumque enim recte dicitur, quia utrumque bonum est & a divina bonitate expectandum, nempe Sanctorum gaudium simul, & gloriam crescere, & nos divina Mysteria sancte tractando veniam obtinere, & medelam. Quocirca sicut dicentes Deo *sanctificetur nomen tuum*, petimus, ut nomen Dei glorificetur, ac præterea, ut Christiani sancte vivant, illud nimirum ut finem, istud ut medium: ita pro gloria Sanctorum offerentes, & eorum glorificationem accidentalem petimus, & populi fidelis in offerendo fructum pietatis, ac devotionis. Unde S. Thom. citato loco, ad 2. ait: *Non sequitur, quod sacrificia pro fidelibus defunctis oblata Sanctis prosint, sed quod ex meritis Sanctorum quæ recoluntur, vel significantur in sacramento, prosint aliis, pro quibus offeruntur.*

XIX. Secundo. Affertur sacrificia vere offerri etiam pro Sanctis. Primo. Nam Innoc. III. Cap. *Cum Marthæ* supra citato testatur, secundum antiqua Missalia in die S. Leonis (quem non primum intelligit, sed secundum) solitam legi hanc orationem secretam: *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, eadem, quæ hodie pro uno defuncto legitur. Quæ oratio licet postea mutata fuerit in istam: *Annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio*, ut ibidem scribit Innocentius, eam tamen mutationem non omnia

Missa-

Missalia receperunt, cum in aliquibus extra Ritum Romanorum in festo S. Leonis, & Gregorii primi, adhuc recitetur. Immo in omnibus Missalibus in festis Athanasii, Basilii, & in communi confessoris Pontificis, sic orat Sacerdos: *Sancti Confessoris tui, atque Pontificis, quæsumus Domine annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos, ut per hæc pia placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratia tua dona conciliet.*

XX. Secundo. Patres interdum dicunt, sacrificium offerri Deo pro Apostolis, Martyribus, Prophetis. Sic Cyrillus Hierosol. *Cateches. 5.* Mystagogica, Epiphanius, *Hæres. 75.* Chrysostomus, *in Liturgia*, & ante omnes Cyprianus, *Epist. 34. ad Clerum, & Plebem*, de quibusdam martyribus sic scribit: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Et, *Ep. 37.* vult annotari, & ad se perscribi diem mortis martyrum, ut in die anniversario passionis eorum, possit pro iis nominatim offerre sacrificium.

XXI. Respondet ad primum, idem Innocentius ibi: *Quod in plerisque orationibus continetur*, prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illis: *talis oblatio ad gloriam, & honorem: ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis a fidelibus glorificetur in terris, licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari; & ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare*, sic ille. Quæ postrema verba de augmento gloriæ accidentalis, non essentialis sunt accipienda.

Rursus non est necesse, omnem orationem esse suffragium, cum oratio possit fieri etiam pro non indigente, si per illam petantur illi bona nondum habita, & aliquando habenda, suffragium vero non fit nisi pro indigente. Et hoc modo orationes fieri posse pro Sanctis non est improbabile, non petendo illis aliquid a nostris orationibus dependens, quo indigeant ad eorum felicitatem; sed a Deo gloriam externam, ut magis, & magis honorificentur vel gloriam corporum, quam pro certo sunt recepturi vi beatitudinis jam adeptæ.

XXII. Respondeti potest. Secundo. Quod attinet ad orationem, cujus secundum antiquiores Missales meminit Innocentius, quæ procedente tempore fuit mutata (cum Glossa) Hoc solum indicari pro anima S. Leonis, & Gregorii oratum fuisse antequam inter Sanctos ab Ecclesia adscriberentur; quo modo S. Augustinus oravit, & sacrificia obtulit pro anima Monicæ ejus Matris, etiam multis annis post ejus mortem, & hoc ab aliis fieri optavit, esto sancte vixisset, & obiisset. Procedente autem tempore, cum Leo, & Gregorius publico Ecclesiæ judicio fuerint adscripti inter sanctos, non pro ipsis amplius oravit, sed ipsos orare cœpit Ecclesia, ut pro nobis apud Deum intercedant, & consequenter Oratio ad Altare mutata est. Quæ res multum facit ad ostendendum contra Sectarios, quam generalis fuerit olim oratio pro defunctis, quando ne quidem valde Sancti Confessores, & Pontifices ab ea eximebantur —— Orationes vero quæ adhuc pro sanctis recitantur in adjuncta collecta, quæ legitur in festis Basilii, Athanasii &c. non petunt, ut eis retributio essentialis rependatur (quia petunt ut nobis *gratiam concilient*) sed ut *retributio eos comitetur*, nempe ut retributionem, quam in anima possident, gloria etiam corporis, vel gloria accidentalis comitetur.

XXIII. Ad secundum. Observo, S. Cyrillum dicta *Catechesi 5.* in qua ritum sacrificii describit, aliter loqui de Apostolis, Prophetis, & Martyribus, aliter de defunctis sanctis Patribus, Episcopis. De illis enim dicit puram commemorationem fieri, ut per eos Deus suscipiat nostras preces: *Postea* (inquit) *recordamur eorum quoque, qui obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus, & legationibus orationem nostram suscipiat.*

Unde patet, quod Ecclesia illos ut jam beatos pro certo habebat, ideo non pro eis orabat, sed ut Deus eorum precibus orationem nostram susciperet. De istis autem dicit commemorationem fieri, ut eorum animabus sacrificium prodesset: *Deinde* (inquit) *& pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis, & omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt (oramus) maximum credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta, & per quam tremenda coram jacet victima.* Quibus liquet, Ecclesiam eos, etsi sanctos, nondum ut tales judicio suo declarasse, ideo communia pro eis suffragia obtulisse. Hac distinctione præmissa explicantur loca ex aliis Patribus adducta, & præsertim ex Cypriano, qui dum de Martyribus, ait: *pro eis sacrificamus* non aliud intendit, quam pro commemoratione eorum ad gloriam, & triumphum, non pro expiatione delictorum, ante enim dixerat quod *Palmas a Domino, & coronas illustri passione meruerunt.* Ep. 34. & Epist. 37. vult dies Martyris annotari: *Ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Martyrum fiebat commemoratio non ad expiationem, sed in gratiarum actionem, & laudem, & huc trahi potest illud Augustini in Enchiridio, cap. 110. *Pro valde bonis gratiarum actiones sunt.*

Ex dictis sequitur, Ecclesiam non orare pro mortuis infantibus baptizatis, ut ad requiem, & beatitudinem perveniant, quam certo credit eos jam accepisse, sed preces fundere in gratiarum actionem Deo, qui præmatura morte a periculis hujus vitæ eos præservavit.

DUBIUM II.

An Suffragia prosint detentis in Purgatorio?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Suffragia prosunt animabus existentibus in Purgatorio. Resolutio hæc necessario sequitur ex dictis. Nam suffragia aliquibus defunctis prodesse debent: alias Ecclesia, quæ quovis tempore, ut vidimus, ea in usu habuit inutiliter processisse, sed ut vidimus non prosunt pueris in limbo positis, nec in inferno damnatis, insuper nec prosunt beatis, qui eis non indigent: ergo cum non sit alius status post hanc vitam, proderunt animabus, quæ in purgatorio ad tempus detinetur, ut illis adjutæ citius a pœnis ad æternam gloriam transvolent. Hanc divisionem indicavit S. August. *in Enchiridio cap.* 110. his verbis: *Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis etiamsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

II. Hanc veritatem docet S. Thom. *q. 71. Suppl. art. 6.* his verbis: *Pœna Purgatorii est in supplementum satisfactionis, quæ non fuerat plene in corpore consummata*: atqui *sicut ex dictis patet, opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivus, sive mortuus fuerit*; ergo *non est dubium, quin suffragia per vivos facta existentibus in Purgatorio prosint.* Eam propterea, ut fide tenendam, statuit Tridentinum, *Sess. 6. Can. 30.* & *Sess. 25.* in decreto de Purgatorio: *Cum* (inquit) *Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, ex Sacris Litteris, & antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, & novissime in hac OEcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vere acceptabili altaris sacrificio juvari: præcipit S. Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam a sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant.*

III. Ratio autem superius a nobis ex S. Thom. insinuata, *Dub. præcedente*, §. 1. & quam Petrus Cluniacensis Abbas urget, *in Epist. contra Petrobusianos*, sumitur ex communione Sanctorum, & unitate corporis Ecclesiæ, cujus caput est Christus. Sic Ecclesia tota est unum corpus, cujus caput est Christus; ergo in ea debet esse communicatio, tum capitis cum membris, tum membrorum invicem, ita ut juxta Apostolum 1. 12. v. 26. *Si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra*: sed justi defuncti sunt membra hujus corporis colligati nobiscum in fide, spe, & charitate: *Neque enim* (inquit S. Aug. l. 20. de Civit. Dei, c. 9.) *piorum anima defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est Regnum Christi*; ergo cum in purgatorio patiantur, possunt aliorum membrorum operibus juvari.

IV. Confirmatur. Christus, qui est caput, non solum profuit viventibus, qui ope sua sive in corpore, sive in anima indigebant, sed etiam mortuis, ut descendens ad inferos ibi detentos liberavit; ergo fideles ejus membra suis operibus juvare poterunt, non solum viventes corpore, vel spiritu egenos; sed etiam defunctos relevare: tales autem sunt, qui in purgatorio detinentur; ergo &c.

§. II.

Contraria Solvuntur.

V. Objectiones, quæ in contrarium adducuntur, aliæ oppugnant doctrinam Catholicam, quæ suffragia vivorum pro mortuis astruit, aliæ suffragia pro animabus purgatorii conantur evertere. Prioris generis multas solvimus agentes de existentia Purgatorii, alias modo proponemus, & solvemus.

Prima est, ex Ecclesiaste 9. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem &c.* 2. Cor. 5. vers. 10. *Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, sive bonum, sive malum.* Et Galat. 6. v. 5. *Unusquisque onus suum portabit.* Et vers. 8. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* Et *Matth. 5.* ac *Luc. 12.* ei qui in carcerem purgatorii mittitur dicitur: *Non exies inde donec reddas novissimum Quadrantem*, vel ut ait Lucas *novissimum minutum*

VI. Respondeo ad locum ex Ecclesiaste responsum esse supra, *Q. 3. D. 2. §. 2. n. 16.* Respondeo insuper cum S. Thom. 1. *p. q. 75. art. 6. ad* 1. Quod Salomon ibi (sicut & *c. 3.*) inducit rationem illam ex persona insipientium considerantium hominem solum quantum ad corpus, quod cum hac vita finitur, non vero quantum ad animam, quæ post hanc vitam melius intelligit, & mercedem recipiet secundum ea, quæ gessit in corpore.

VII. Ad secundum ex Apostolo jam olim responderunt

Auguſtinus, *in Enchirid. cap.* 109. *&* 110. *l. de Cura pro mortuis, cap.* 1. *Serm.* 32. *de verbis Apoſtoli* (modo *Serm.* 172.) & alibi, Gregorius, *l.* 4. *Dialog. cap.* 39. 40. *&* 57. & ante omnes Dionyſius Areopag. *Eccl. Hierarch. c. ult.* Nimirum, mortuos, qui in purgatorio ſunt, dum ſuffragiis viventium juvantur, recipere propria corporis, & ea, quæ ſeminaverunt, metere, quia, ut ſic juvarentur, meruerunt dum viverent, ſcilicet per bona opera præſertim miſericordiæ, propter quæ juſtum eſt apud Deum, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. Unde Auguſt. *in Pſ.* 32. *Conc.* 1. hanc vocat *juſtam miſericordiam*. Et *l. de corrept. & gratia, c.* 13. eam dicit *juſto judicio* tribui.

Pro majori tamen claritate obſervo, quod quicumque uſque ad finem vitæ in Chriſto permanſerunt, id ſua perſeverantia meruerunt, ut ipſis propter membrorum ejuſdem corporis communionem prodeſſe queant, quæcumque, vel communiter pro fidelibus defunctis, vel pro ipſis ſpecialiter pietatis opera in Eccleſia fiunt. Sicut enim in hac vita aliter judicantur, qui gaudent privilegio civium, aliter qui ab hoc privilegio ſunt alieni: ſic & in futuro ſæculo aliter judicantur, qui mortui ſunt cives ſanctorum, & domeſtici Dei, aliter qui a Chriſti corpore fuerunt, aut facti ſunt alieni. Nam illi merito bonorum operum, in quibus perſeverarunt, etiam ex aliorum operibus jure communionis Sanctorum fructum conſequi poſſunt: *Quod tamen ipſorum meritum* (inquit Auguſtin. in Enchirid. cap. 110.) *totum in hac vita comparatum eſt*. Iſti vero quia a corpore Chriſti alieni ſunt, in illo Dei judicio indigni judicantur non tantum qui alienis operibus adjuventur; ſed etiam qui propriis, utpote per ſubſequentem injuſtitiam extinctis.

Neque dicas, Si Juſti mortui eam miſericordiam meruerunt, ergo eam conſequentur, ſive pro illis oretur, ſive non. — Reſpondeo enim, neg. conſ. Non enim ſimpliciter meruerunt ut juventur, ſed ut poſſint eis prodeſſe vivorum ſuffragia, ſi fiant. Et quia ſemper fiunt ſaltem generalia: ideo dubitandum non eſt, quin omnes illi aliquo modo juventur — Illud autem Apoſtoli: *Unuſquiſque onus ſuum portabit*, ſenſum facit, quod in judicio unuſquiſque recipiet ſtipendium pro opere ſuo, non alieno. Hoc autem fiet tam in purgatorio, quam in inferno. Ibi quidem cum miſericordia, hic ſine miſericordia.

VIII. Textus vero Matthæi, & Lucæ a multis exponitur de carcere inferni, ad quem ſuffragia non perveniunt. Ab aliis vero inter quos Cyprianus, *Ep.* 52. Hieronymus, *in Matth.* Ambroſius, *in Luc.* & alii, exponitur de purgatorio, juxta quos dico, quod ſolvet uſque ad noviſſimum quadrantem ſolutione, vel propria, vel aliena ſibi communicata.

IX. Sed dices: ſententia Dei eſt irrevocabilis: ſed anima ſtatim poſt mortem accipit a Deo ſententiam, qua ei decernitur, non tantum certus gradus gloriæ, ſed etiam certa menſura pœnæ; ergo hæc vivorum interceſſione mutari non poteſt.

Reſpondeo, conc. totum: ſententia enim Dei ſemper eſt irrevocabilis, & immutabilis. Eſt enim æternum Dei decretum, quo decrevit huic animæ tantam, vel tantam pœnam irrogare, præſupponendo tamen futuras piorum preces, quas prævidit, & præordinavit, quantum de pœna alioquin debita ſit detrahendum. Quæ quidem ſententia ab æterno fuit in mente divina; ſed in tempore innoteſcit Angelis, & animabus, quando & quomodo Deus ipſe voluerit.

X. Secundo objiciunt Patres. Hieronymus enim in præfata verba: *Unuſquiſque onus ſuum portabit*, ait: *Docemur per hanc ſententiam, dum in præſenti ſæculo ſumus, ſive orationibus, ſive conſiliis, invicem nos poſſe coadjuvari. Cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquemque portare onus ſuum.*

Ambroſius, *l.* 1. *de Abraham, cap.* 9. tractans locum, *Gen.* 23. ubi Abraham curat ſepulturam Saræ uxoris: *Docemur* (inquit) *ut non diutius inhæreamus mortuis, ſed quantum ſatis eſt officii deferamus*; quibus videntur excludi anniverſaria mortuorum.

Fulgentius, *l.* 2. *de Remiſſione peccatorum*, docet, futurum ſæculum non eſſe tempus remiſſionis, ſed retributionis.

XI. Reſpondeo ad hæc. De mente S. Hieronymi non eſſe dubitandum, Nam, *l. contra Vigilantium* eum increpat, quod non eſſe pro mortuis orandum aſſereret. Ad locum vero vel reſpondeo cum Gratiano 13. q. 2. Cap. *In præſenti*, Hieronymum ibi loqui de iis, qui mortaliter peccant, & ſine pœnitentia moriuntur. Perſtringit enim ibi Origenis errorem (quem vocat: *Novum dogma, quod latitat*) qui impiis poſt hanc vitam promittebat aliquando liberationem per interceſſionem Sanctorum. Vel non aliud velle, niſi quod in judicio nemo prece alicujus, quamvis ſanctiſſimi, a ſententia judicis liberabitur, ſed unuſquiſque accipiet ſententiam ſecundum opera ſua.

S. Ambroſius non agit ibi de precibus, quæ fiunt pro defunctis, ſed de luctu, & pompa funeris, quam vult eſſe moderatam, nec in longum tempus extendi. Cæterum precibus, & oblationibus non eſſe metam temporis fingendam, aperte evincunt ejuſdem verba in fine orationis de obitu Valentiniani: *Si quid mea orationes valebunt, nulla dies vos ſilentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio. Nulla vos non donatos aliqua precum mearum contextione tranſcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo.*

S. Fulgentius toto eo libro loquitur de remiſſione peccatorum mortalium, quorum in hac vita non præceſſit pœnitentia: pro his certe in alia vita non eſt tempus remiſſionis, ſed retributionis.

Solet etiam opponi S. Auguſt. *Serm.* 21. *de Verbis Domini*, modo *Serm.* 97. dicens: *Nihil te adjuvabit, quod hic non feceris.* — Sed exponendus eſt ſecundus ejus ſupra allatam doctrinam, nimirum neminem ſuffragiis in altera vita juvari, niſi in hac vita fecerit opera, quibus ſe dignum reddiderit, ut juvetur. Ita eum explicat etiam S. Th. hac *q.* 71. *art.* 3. *ad* 6. dicens: *Ad hoc quod ſuffragium alteri valeat, requiritur ex parte ejus, pro quo fit, capacitas hujuſmodi valoris. Et hanc homo acquiſivit per opera propria, qua geſſit in vita. Et ſic Auguſtinus loquitur.*

XII. Tertio objiciunt. Proficere ex opere aliquo eſt ſolum ejus, qui eſt in via: ſed homines poſt mortem non ſunt amplius in via, de iis enim intelligunt quod dicitur Job 19. verſ. 8. *Semitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum*; ergo mortui de ſuffragiis alicujus juvari non poſſunt.

Reſpondet S. Th. quæſt. 71. citata, art. 2. ad 3. *Quod quamvis anima poſt mortem non ſint ſimpliciter in ſtatu viæ, tamen quantum ad aliquid adhuc ſunt in via, in quantum ſcilicet earum progreſſus adhuc retardatur ab ultima retributione. Et ideo ſimpliciter earum via eſt circumſepta, ut non poſſint alterius per aliqua opera tranſmutari ſecundum ſtatum felicitatis, & miſeriæ: ſed quantum ad hoc non eſt circumſepta, quin quantum ad hoc quod detinentur ab ultima retributione, poſſint ab aliis juvari; quia ſecundum hoc adhuc ſunt in via.*

XIII. Quarto objiciunt, Nullus juvatur ex opere alterius, niſi ſit aliqua vitæ communicatio inter eos: ſed nulla eſt communicatio mortuorum ad vivos ſecundum Philoſoph. 2. *Ethic. cap.* 11. ergo ſuffragia vivorum non proſunt mortuis.

Reſpondet idem S. Th. ibidem ad 4. *Quod quamvis communicatio civilium operum, de qua Philoſophus loquitur, non poſſit eſſe mortuorum ad vivos, quia mortui extra vitam civilem ſunt: poteſt tamen eorum communicatio eſſe quantum ad opera vitæ ſpiritualis, quæ eſt per charitatem Dei, cui mortuorum ſpiritus vivunt.*

XIV. Supereſt ſolvere objectiones, quæ probant, animas in purgatorio exiſtentes vivorum ſuffragiis juvari non poſſe.

Primo ergo objicitur. Pœna purgatorii eſt pœna finita: ſi ergo per ſuffragia aliquid de pœna minuitur, tantum poterunt multiplicari, ut tota tollatur, & ita peccatum remaneat totaliter impunitum, quod videtur divinæ juſtitiæ repugnare.

Confirmatur. Ad hoc animæ ſunt in purgatorio, ut ibi purgentur, & proinde aliquid circa ipſas fiat: ſed ſuffragia facta per vivos nihil in eis agunt; ergo &c.

Rurſus contingere poteſt, quod aliquis decedens diſponat tot ſuffragia pro ſe fieri, quæ ſi facta eſſent, ſufficerent ad totam pœnam abolendam. Poſito ergo quod hujuſmodi ſuffragia differantur quouſque ille pœnam evaſerit, illa nihil ei proderunt: non enim dici poteſt, quod ei proſint antequam fiant: poſtquam autem ſunt facta, eis non indigent, quia jam pœnas evaſit, ergo &c.

XV. Ad hæc, quæ ſibi objicit S. Thom. hac *q.* 71. *art.* 6. ex eodem reſpondeo, negando illatum. Ut enim dicit ibi ad 2. *Non eſt inconveniens, ſi multiplicatis ſuffragiis pœna exiſtentium in purgatorio annihiletur. Non tamen ſequitur, quod peccata remaneant impunita: quia pœna unius pro altero ſuſcepta, alteri computatur.*

Ad confirm. nego min. ut enim ait ibidem ad 3. *Purgatio animæ per pœnas purgatorii non eſt aliud, quam expiatio reatus impedientis a perceptione gloriæ. Et quia per pœnam, quam unus ſuſtinet pro alio, poteſt reatus alterius expiari . . . . non eſt inconveniens, ſi per unius ſatisfactionem alius purgetur.*

Ad id quod additur, reſpondet Sanctus Doctor, ad 4. *Quod ſuffragia ex duobus valent, ſcilicet ex opere operante, & ex opere operato. Et dico opus operatum non ſolum Eccleſiæ ſacramentum, ſed effectum accedentem ex operatione, ſicut ex collatione eleemoſynarum conſequitur pauperum relevatio, & eorum oratio pro defuncto ad Deum. Similiter opus operans poteſt accipi, vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis. Dico ergo, quod quam cito moriens diſponit aliqua ſuffragia ſibi fieri, præmium ſuffragiorum plene conſequitur, etiam antequam fiant, quantum ad efficaciam ſuffragii, quæ erat ex opere operante principalis agentis: ſed quantum ad efficaciam ſuffragiorum, quæ eſt ex opere operato, vel ex opere operante exequentis, non conſequitur fructum antequam ſuffragia fiant: & ſi prius contingat, ipſum a pœna purgari, quantum ad hoc fraudabitur fructu ſuffragiorum, quod redundabit in illos, quorum culpa defraudatur. Non enim eſt inconveniens quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus: Pœna autem Purgatorii temporalis eſt: Quamvis quantum ad æternam retributionem nullus defraudari poſſit, niſi per propriam culpam.*

XVI. Secundo objicitur. Melius eſt per ſe, quam per alium

alium satisfacere, quia qui per se satisfacit majorem gloriam consequitur, ergo ponere eas nostris orationibus juvari, est minuere eorum gloriam — Si dixeris, in hac vita melius esse satisfacere per se, quam per alium quia qui satisfacit simul meretur. At in purgatorio, ubi cessat meritum, melius est per alium cito liberari, quam diutius in pœnis esse.

XVII. Instatur. Mortui non juvantur suis propriis orationibus, ergo nec alienis — Item opera viventium non possunt prodesse animabus illis ad augendam eorum gloriam, ergo nec ad minuendam eorum pœnam — Rursus. Incerti sumus de statu animarum, sint ne in purgatorio, in cælo, an in inferno, unde sæpe fit, ut incassum pro eis oremus, ergo satius est pro eis non orare.

XVIII. Respondeo ad primam instantiam, neg. conseq. Cum enim non sint amplius in statu merendi, aut satisfaciendi, non possunt propriis orationibus mereri, aut satisfacere. Juvantur tamen propriis operibus, quæ fecerunt in hac vita, per quæ meruerunt, ut post mortem aliena opera possent eis prodesse. At viventes sunt in statu merendi, & satisfaciendi etiam pro aliis.

An vero animæ purgatorii se ipsas juvent per modum impetrationis Deum orando. — Magis probabiliter videntur loqui, qui affirmant. Nam in officio defunctorum introducuntur orantes pro sui liberatione: estque pietati valde consentaneum, ut omnis anima fidelis in sui tribulatione clamans ad Dominum, non inutiliter clamet.

Ad aliam instantiam, nego conseq. Non enim est simile de merito gloriæ, & persolutione pœnæ. Sic enim ordinatum divinitus est, ut ex propriis tantum meritis gloriam, & certum gloriæ gradum quisque consequatur, licet ea merita aliorum orationibus possint impetrari. Pœnas autem temporales tum in hoc sæculo, tum in futuro luendas possunt alii subire pro aliis.

Ad tertiam, neg. conf. Nam esto incerti simus, an illi, pro quibus oramus, sint capaces percipiendi fructum; non tamen incassum oramus, aut opera bona facimus, semper enim Deo placent, & ad cumulum pietatis, & meriti faciunt. Licet autem interdum frustra fiant quoad fructum speratum in eo, pro quo fiunt; præstat tamen superesse suffragia iis, qui non egent, & quibus nec prosunt, nec obsunt, quam deesse illis, qui egent, ut monet August. *lib. de cura pro mort. cap. ultimo*, his verbis: *Sed quia non discernimus qui sint* (quibus prosint) *oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint, & debeant pervenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt, quibus prosunt.*

XIX. Tertio objicitur. Saltem sacrificium Missæ non videtur animabus purgatorii prodesse; ergo nec alia suffragia. Ant. prob. ex Sanct. August. *lib. 4. de Trinit. cap. 14.* dicente, non rite offerri sacrificium, nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur. Qui autem sunt in purgatorio, non accipiunt Corpus Christi quod in Missa offertur, ergo &c.

XX. Respondeo sensum verborum S. August. esse quod non rite offeratur sacrificium, nisi id quod offertur *accipiatur*, hoc est *desumatur* ab eis, vel sumatur ex eis pro quibus offertur, ponit enim exemplum in Christo, qui carnem accepit ex homine, quam offerret ex homine. Nec loquitur ibi August. de sacrificio Missæ, sed de sacrificio Crucis, vel de sacrificio generaliter. Unde concludit Sanct. Augustin. *Quid tam grate offerri, & suscipi posset, quam caro sacrificii nostri corpus effectum Sacerdotis nostri? ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus, verusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat.* Cæterum quod sacrificium Missæ defunctis prosit, ostendi, *in Tract. de Sacrific. Missæ, Q. 2. Dub. 4.*

Quarto objicitur. Animæ in purgatorio neque juvantur precibus Beatorum, neque ipsæ suis precibus juvant viventes, ergo nec ipse juvantur precibus viventium.

Hæc objectio duas tangit difficultates, quo quarum examine sit,

§. III.

An Beati orent pro Animabus Purgatorii, & an isti orent pro Viventibus in hoc Mundo?

XXI. INcipiendo a prima: Quamvis inferius, Deo annuente, acturi simus de Sanctorum intercessione, & precibus, hic tamen ubi agimus de suffragiis, particularis est quæstio, utrum Sancti cum Christo regnantes pro eis orent, qui in Purgatorio detinentur.

Rationes dubitandi sunt. Primo. Quia si pro iis orant, non pro quibusdam tantum, sed pro omnibus orant, cum sint omnes charitate illis conjunctæ. Cum ergo Ecclesia illa triumphans citius, & efficacius exaudiatur, quam militans, fiet, ut illius precibus evacuetur Purgatorium,

Secunda. Sancti jam Beati non sunt in statu satisfaciendi, sicut nos sumus: atqui suffragia existentibus in purgatorio non prosunt, nisi per modum satisfactionis; ergo pro eis Sancti non orant.

Propter has rationes Dominicus Soto, *in 4. dist. 45. qu. 3. art. 2.* negativæ parti adhæret. Quia tamen affirmativa probabilior est, immo communis; propterea,

XXII. Dico primo. Sancti in Cælo Beati orant pro animabus in Purgatorio detentis. Ratio superius allata est, & ex communione Sanctorum, & unitate corporis Ecclesiæ desumitur. Cum enim Ecclesia tota sit unum corpus, cujus caput est Christus, necesse est, ut in eo communicatio sit non solum capitis cum membris, sed etiam inter membra invicem, ita ut secundum Apostolum, 1. Cor. 12. vers. 25. & 26. *Idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.* Sicut ergo inde consequens est, Sanctos pro nobis sollicitos esse, ut a mundi hujus periculis eruamur, nos quoque sollicitos esse debere pro animabus Purgatorii, ut inde liberentur, ita & pro eisdem Sanctos sollicitos esse, & eis pro amore compati. Quæ compassio in Beatis nihil aliud est, quam voluntas, & affectus juvandi, quod implent Deum orando.

XXIII. Quod hoc discursu confirmatur, Christus qui caput est totius corporis Ecclesiæ, & cui omnia membra debent conformari, non solum vivens profuit viventibus, sed etiam mortuus mortuis, & præterea vivens mortuis, & mortuus viventibus, ergo consentaneum est, ut hæc omnia in ejus membris reperiantur, & quod mortui licet jam Beati suis precibus adjuvent mortuos, qui ad eorum consortium nondum pervenerunt.

XXIV. Huc faciunt verba illa, Lucæ 16. vers. 9. *Ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula:* quibus significatur, eos, qui recipiunt esse in æternis tabernaculis, idest, in Cælis, recipiunt autem per preces, & orationes: qui vero recipiuntur, jam defecisse, nimirum a statu præsentis vitæ per mortem. Ita exponunt Hieronym. *adversus Vigilantium.* Ambrosius, *in cap. 16. Luc.*, & Augustinus, lib. 21. de Civit. Dei, cap. 27. *Illi autem* (inquit) *qui recipiuntur a talibus* (qui jam Beati sunt) *in tabernacula æterna, fatendum est, quod non sint his moribus præditi, ut eis liberandis sine suffragio Sanctorum possit sua vita sufficere, ac per hoc multo amplius superexaltat misericordia judicium.* Cui accedit S. Gregor. *l. 21. Moral. cap.* modo 19. ubi super præcitata Lucæ verba: *Si enim* (inquit) *eorum amicitiis, æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur.* Quibus hortatur ad eleemosynam pauperi hic faciendam, ut cum receptus fuerit in Cælum, habeatur patronus.

Ex quibus hunc discursum efformo. Si Sancti in Cælo beati non possent prodesse defunctis, per hoc quod pauperes, quibus datæ sunt eleemosynæ, moriuntur, & migrant, deteriores fient dantes dum erunt in Purgatorio: pauperes enim viventes, juvare eos poterant, mortui autem, & in Cælum recepti, jam non possunt. Immo deterrerentur viventes a copiosis suffragiis pro defunctis faciendis, ut cito a pœnis Purgatorii liberentur, si scirent, eos jam liberatos, & in Cælo regnantes, parem pro ipsis in Purgatorio positis compensationem facere non posse. Mirum insuper, & absonum esset, quod Sancti qui dum viverent, animas in Purgatorio detentas juvare suis precibus potuerunt, facti beati, & cum Christo regnantes id amplius non possint.

XXV. Merito igitur contrarium sentit Ecclesia, quæ in publicis orationibus pro defunctis opem illis a beatis implorat. *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli.* Et in collecta Deum rogat, ut eos *qui ex hoc sæculo transierunt, B. Maria semper Virgine intercedente, & omnibus Sanctis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedat.* Et in collecta pro vivis, & defunctis hæc habet: *Quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur.*

XXVI. Ad objectiones autem in contrarium facilis est solutio. Ad priorem enim respondetur, quod etsi sanctorum orationes fiant pro omnibus, qui sunt in Purgatorio, non est timendum, ut evacuetur Purgatorium. Tum quia tantum valent, quantum Deus eas valere vult, in qua voluntate libenter sancti acquiescunt, nec contra eam quidquam petunt; vult autem Deus, preces illas valere salva sua justitia, qua locum illum Purgatorium usque ad diem extremum judicii duraturum constituit. Tum quia cum multi in dies ad Purgatorium descendant, non est timendum, quod evacuetur.

XXVII. Ad secundam, dicit Sanct. Thom. quæst. 72. Supplem. art. 3. ad 4. *Quod licet Sancti non sint in statu merendi sibi postquam sunt in patria, sunt tamen in statu merendi aliis, vel potius ex merito præcedente alios juvandi: hoc enim apud Deum viventes meruerunt, ut orationes eorum exaudirentur post mortem.* Vel dicendum quod oratio Sanctorum esto non sit meritoria, est tamen impetratoria: sed de hoc agetur infra cum de orationibus Sanctorum sermo erit. Interim sufficiat, preces eorum non habere rationem satisfactionis pro pœna, sed per eas peti, ut passiones Christi, & Sanctorum applicentur defunctis ad pœnæ remissionem.

XXVIII.

XXVIII. Quantum ad ſecundam difficultatem, an ſcilicet animæ in purgatorio detentæ orent pro viventibus, cenſent non pauci, S. Thomam negativæ parti adhærere, moti ex eo, quod ſcribit, 2. 2. *qu.* 83. *art.* 11. *ad* 3. ubi hæc habet: *Illi qui ſunt in purgatorio, etſi ſint ſuperiores nobis propter impeccabilitatem, ſunt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur. Et ſecundum hoc non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro eis.* Nihilominus,

XXIX. Dico ſecundo. Communius probabiliter ſuſtinetur, animas in purgatorio poſitas pro viventibus orare. Et prob. Nam dives Epulo in inferno damnatorum poſitus, ac proinde charitate ſupernaturali ſpoliatus, ſollicitus erat pro fratrum ſuorum ſalute, & pro hac rogabat Abraham, ut habetur, *Luc.* 16. *v.* 27. quanto magis credendum eſt, animas in purgatorio detentas vera charitate conjunctas ſollicitas eſſe de ſuorum viventium, & maxime benefactorum ſalute, & bonis ſpiritualibus, cum ſint membra corporis Eccleſiæ, & membra debeant eſſe invicem ſollicita? Itaque credere par eſt, ut ſicut nos eorum indigentiam ſcientes, pro illis oramus: ita & illæ mutuam operam nobis reddant, orando pro nobis, ut in tot periculis conſtituti vitam æternam non amittamus.

XXX. Neque obeſt, quod in pœnis ſint. Nam in atrocioribus pœnis erat Epulo, & de æterna vita deſperans: nec tamen hæc ei impediebant quin pro ſalute fratrum ſollicitus eſſet, & pro ea rogaret; ergo animæ purgatorii quamvis in pœnis ſint, multo magis ſollicitæ erunt, & orabunt, ut ad ſalutem quam ipſæ anxie expectant, viventes perveniant. Pœnæ enim quamvis maximæ non auferunt ab eis intentionem in quodcumque voluerint, ſicut nec in hac vita: eo vel maxime quod voluntati, ac juſtitiæ divinæ ſumme conformes, in magna animi quiete, & in ſomno pacis eſſe dicuntur.

XXXI. Neque, ut bene advertit Sylvius, *in q.* 71. *Supplem. art.* 6. contrarius eſt loco citato S. Thomas; ibi enim non dicit, vel quod viventes non juventur precibus eorum, qui ſunt in purgatorio; vel quod qui illi ſunt non orent pro viventibus: ſed ſolum quod quantum ad pœnas, quas patiuntur, ſunt inferiores nobis, & ſecundum hoc non ſunt in ſtatu orandi. Non ſunt autem eadem, non eſſe in ſtatu orandi, & non orare, ſicut nec eadem ſunt orare, & eſſe in ſtatu orandi. Nam ſi quis detineatur captivus non hoſtili, ſed amico, aut etiam paterno affectu, hoc ipſo quod detinetur captivus, non eſt in ſtatu orandi: & tamen orare poteſt tum pro ſe, tum pro aliis, etiam cum fiducia impetrandi, ſi noverit benevolum affectum ejus per quem detinetur. Animæ autem in purgatorio detentæ norunt benevolum affectum Dei ac paternum, tum erga ſe ipſas, tum erga nos: nihil ergo vetat, ut pro ſe orent (quod ſupra tetigimus) & pro nobis etiam viventibus.

XXXII. Notandum tamen eſt, quod etſi animæ in purgatorio pro nobis orare poſſint, immo & orent, Eccleſia tamen non conſuevit illas invocare, nec earum preces poſcere. Idque propterea: quia ſaltem ordinarie preces ipſis porrectis non cognoſcunt. Cum, ut ait Auguſt. *lib. de cura pro mortuis, cap.* 13. rebus noſtris non intereſſint, nec etiam eas intueantur in Verbo, cum non ſint beatæ, neque illis pœnis detentas ſic honoret Deus, ut ſpeciali revelatione eas illis aperiat ſaltem regulariter, quidquid ſit de caſibus extraordinariis.

Dubium III.

An Sepultura, & cultus exequiarum proſint Defunctis?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico. Mortuorum corporum ſepultura eſt opus bonum, & pium. Super hoc præſtat audire S. Thom. *quæſt.* 71. *Supplem. art.* 11. ut ait: *Sepultura adinventa eſt, & propter vivos, & propter mortuos. Propter vivos quidem, ne eorum oculi ex turpitudine cadaverum offendantur, & corpora fœtoribus inficiantur: Et hoc quantum ad corpus. Sed ſpiritualiter etiam prodeſt vivis, in quantum per hoc adſtruitur reſurrectionis fides. Sed mortuis prodeſt ad hoc, quod inſpicientes ſepulchra memoriam retinent defunctorum, & pro defunctis orant: unde* & monumentum a memoria *nomen accepit, dicitur enim* monumentum, *quaſi* monens mentem, *ut dicit Auguſtinus*, in *lib. de Civit. Dei*, & *in lib. de cura pro mortuis agenda* (cap. 4.) *Paganorum tamen error fuit, quod ad hoc ſepultura mortuo proſit, ut ejus anima quietem accipiat: non enim credebant, animam prius quietem poſſe accipere, quam corpus ſepultura daretur, quod omnino ridiculum eſt, & abſurdum.*

Sed quod ulterius ſepultura in loco ſacrato mortuo prodeſt, non quidem eſt ex ipſo opere operato, ſed magis ex ipſo opere operante, dum ſcilicet, vel ipſe defunctus, vel alius, corpus ejus tumulari in loco ſacro diſponens, patrocinio alicujus Sancti eum committit, cujus precibus per hoc credendus eſt adjuvari, & etiam patrocinio eorum, qui loco Sancto deſerviunt, qui pro tumulatis apud ſe frequentius, & ſpecialius orant.

Sed illa, quæ ad ornatum ſepulturæ adhibentur, proſunt quidem vivis, in quantum ſunt vivorum ſolatia, ſed poſſunt etiam defunctis prodeſſe, non quidem per ſe, ſed per accidens, in quantum ſcilicet per hujuſmodi homines excitantur ad compatiendum, & per conſequens ad orandum, vel in quantum ex ſumptibus ſepulturæ, vel pauperes fructum capiunt, vel Eccleſia decoratur: ſic enim ſepultura inter cæteras eleemoſynas computatur. Hæc Sanct. Thom.

II. Et merito quidem; nam ſepulturam, ut rem bonam, & piam commendat ſcriptura, 2. *Reg.* 2. *verſ.* 5. ubi cum viri Jabes Galaad ſepeliſſent Saul, miſſis ad eos nuntiis dixit David: *Benedicti vos a Domino, quia feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* Et *Tobiæ* 12. *v.* 12. Referens Angelus opera bona quibus Tobias Deo placuerat: *Quando* (inquit) *orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Matth. 26. hoc dicto ſuo confirmavit Chriſtus, ubi de muliere, quæ ſuper caput ejus unguentum effuderat, ait v. 10. *Opus bonum operata eſt in me . . . Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.*

Ratio autem hujus eſt. Quia ſepelire mortuos officium humanitatis eſt, & opus miſericordiæ corporalis. Si enim barbarum prorſus, & inhumanum eſt mortuorum corpora inſepulta abjicere, & humanitatis erit ea terra obruere, & ſepulchris condere. Quod ſatis etiam probat omnium gentium conſuetudo, non aliunde quam ab ipſa lege naturæ ortum habens. Unde de Tobia, *cap.* 2. *v.* 9. dicitur: *Plus timens Deum quam regem*, quando maluit vitam certo periculo exponere, quam corpora interfectorum inſepulta relinquere. Cujus exemplum imitati fuerunt olim Chriſtiani corpora Martyrum rapientes, & ea honorifice ſepelientes, non obſtante ſeveriſſima Tyrannorum prohibitione, & certo periculo. Ex quo intelligitur, præcepti eſſe, & non tantum conſilii ſepelire mortuos, iis, quibus incumbit, niſi aliud interdum de quibuſdam ſceleratis in pœnam ſtatuatur.

III. Alia cauſa, cur ſepultura in ſcripturis commendetur, eſt, quia hac teſtantur homines futuram reſurrectionem mortuorum. Idcirco enim tanta cura, & veneratione fidelium corpora ſepulchris condimus, quia ſicut viventes fuerunt templa Spiritus Sancti, ita ad eamdem immo ampliorem dignitatem ea credimus reſurrectura. Quæ ſane cauſa fuit, ut ſancti Patriarchæ non tantum ſuorum funera religioſe curarent, ſed ipſi de ſua ſepultura ſollicite mandarint. Quod feciſſe legimus Jacob, *Gen.* 49. *v.* 29. Joſeph, *Geneſ.* 50. *v.* 24. Tobiam, *cap.* 14. *v.* 12.

Hoc diſcurſu utitur S. Auguſt. *l. de cura pro mortuis, c.* 4. & *l.* 1. *de Civit. Dei, cap.* 13. ubi ait: *Nec ideo tamen contemnenda, & abjicienda ſunt corpora defunctorum, maximeque juſtorum, atque fidelium, quibus tamquam organis, & vaſibus ad omnia bona opera Sanctus uſus eſt ſpiritus. Si enim paterna veſtis, & anulus, ac ſi quid hujuſmodi, tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes major affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, qua utique multo familiarius, atque conjunctius, quam quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornatum, vel adjutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent. Unde, & antiquorum juſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura proviſa: ipſique dum viverent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus filiis mandaverunt, & Tobias ſepeliendo mortuos Deum promeruiſſe teſte Angelo commendatur. Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus religioſæ mulieri bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter, atque honorifice tegendum, ſepeliendumque curarunt.* Hactenus Auguſtinus.

IV. Pompa vero funeris, & ſumptuoſus ſepulchrorum ornatus per ſe quidem nihil confert ad animæ utilitatem, ut docet S. Thom. ſupra relatus, ſed ſolum ſunt, ut ait Auguſtinus: *qualiacumque vivorum ſolatia, non ſubſidia mortuorum*; prodeſſe tamen poſſunt per accidens, dum multi pro mortuo oraturi convocantur, & preces miniſtrorum Eccleſiæ multiplicantur, & dum ſepulchrum conſpicuum, & pie ornatum excitat fidelium devotionem ad bene precandum mortuo.

Alia vero potiori ratione ſepultura ſine dubio defunctis prodeſt, ſi fiat in locis ſacris, quo fideles oraturi convenire ſolent, aut in quibus habetur memoria Sanctorum. Ipſa enim ſepulchrorum præſentia excitat fidelium, & maxime propinquorum pietatem ad orandum pro ſepultis in iis locis, & ad eos commendandum precibus, meritiſque Sanctorum, quorum ibi extat memoria. Et maxime ſi defuncti ipſi propria, ac religioſa voluntate in tali loco ſepulturam elegerint. Hæc eſt doctrina S. Auguſt. *lib. de cura pro mor. cap.* 4. & 5. Et ob hanc forte rationem Jacob, & Joſeph, ut habetur, *Geneſ.* 49. & 50. quamvis mortui in terra Ægypti, in terra tamen promiſſionis ſepeliri mandarunt, in qua Chriſtus erat naſciturus, & ubi templum Domini futurum erat. Et propheta ille, de quo, 3. *Reg.* 13. *v.* 31. mandavit ſepeliri corpus ſuum in ſepulchro, in quo alter propheta vir Dei ſepultus erat, & oſſa ſua poni juxta oſſa ejus.

Hanc doctrinam Catholicam maxime confirmat fidelium conſuetudo, qui propterea ſibi, ac ſuis ſepulturam eligunt in

in locis sacris, ut viventium precibus, sanctorumque meritis, & intercessionibus ipsorum animæ adjuventur. Cujus meminit Ambrosius, *lib.* 1. *de Abraham*, *cap.* 9. ubi dicit Abraham pro loco sepulchri pretium solvisse, *quia nondum erant hujusmodi Dei templa, in quibus fidelium in Domino reliquia conderentur*. S. Gregorius, *l.* 3. *Dialogo c.* 13. & *l.* 4. *cap.* 50. & 51. *&c.* & ante eum S. August. citatus.

V. Monendus tamen est pius Lector, nec funeris pompam, nec sepulturæ locum, etsi sanctum, prodesse defuncto, nisi ipse dum viveret, meruerit, ut sibi talia possent prodesse post mortem: *Si enim* (inquit August. lib. 1. de Civit. Dei, cap. 12.) *prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla. Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum: sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi præbuit ministerium Angelorum, qui eum non exulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt*. Et *in lib. de cura pro mortuis*, *cap.* 1. Quærenti Paulino, *utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepelitur*, post multa respondet: *Verum hæc ita solvitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos; ac per hoc secundum ea, quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim quos nihil omnino adjuvant ista, sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari, sive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur, ut prosint, vel non prosint, quæcumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam*. Ita S. August.

Item S. Gregorius, lib. 4. Dialog. cap. 50. *Quos* (inquit) *gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem potius, quam ad majorem damnationis cumulum, eorum corpora in Ecclesiis ponuntur*.

§. II.

Solvuntur Contraria.

VI. HÆretici hujus temporis etsi sepulturam cadaverum non oppugnent, damnant tamen ritus, & modum, quo a Catholicis peragitur.

Primo, quod velint cadavera fidelium sepelienda esse in loco sacro. Unde hæretici Bohæmi referente Ænea Silvio, *Hist. Bohemica*, *cap.* 35. dicebant: *Cæmiteriorum esse inanem usum quæstus causa repertum, quacumque tegantur tellure humana corpora nil distare. Templum Dei late patentis mundum esse &c.* quem errorem a Waldensibus hausserunt, qui asserebant: *Nihil interesse quacumque tellure corpora sepeliantur, sive locus sit sacer, sive non*. Nihil autem prodesse locum sepulturæ erui videtur ex illis verbis, Lucæ 12. v. 4. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant*. Item ex Capit. *Sacris*, extra de Sepulturis, ubi dicitur, nihil obesse hominibus sepulturam vilem, aut nullam. Item ex August. *lib.* 1. *de Civit. Dei*, *cap.* 12. & *lib. de Cura pro mortuis*, *cap.* 2. ubi dicit sepulturam, & funeris pompam, *Solatia esse vivorum, non subsidia mortuorum*.

VII. Secundo. Reprehendunt usum cereorum, quia in Concilio Eliberitano statuitur, *Can.* 34. Ne cerei de die in cæmeteriis accenderentur: *Non enim spiritus defunctorum* (inquit) *inquietandi sunt*.

Tertio. Reprehendunt anniversaria, & tot exequiarum repetitiones dies 3. 7. & 30. quia easdem preces toties iterare signum est diffidentiæ, & quia B. Ambrosius, lib. 1. de Abraham, cap. 9. super illud, Gen. 23. *Surrexit Abraham ab officio funeris*, ait: *Docemur, ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officii deferamus*. Quem locum expendens Calvinus, *Præfat. in Instit.* dicit: Ab Ambrosio reprehendi eos, qui nullum finem faciunt orandi pro mortuis.

Quarto. Reprehendunt, quod putemus, sepulturam esse opus meritorium, & Deo gratum, cum tamen nusquam inveniatur a Deo mandatum. Immo Dominus, *Matth.* 25. enumerans opera misericordiæ, non meminit sepulturæ.

Quinto. Reprehendunt, quod in hoc conveniamus cum Ethnicis, qui similia erga suos defunctos faciebant.

VIII. Respondeo tamen, ad Primum. Patere ex dictis, quid, & quomodo defuncto prodesse possit sepultura in loco sacro. Verba autem illa Christi, *Lucæ* 12. ait S. Aug. *l. de Cura pro mortuis*, sic accipienda sunt, nempe: *Aliquid eos facere cum occidunt, quia in corpore sensus est occidendo, postea vero nihil habere quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso*. Unde infert: *Multa itaque corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a cælo, & terra separavit, quam tamen implet præsentia sui, qui novit, unde resuscitet, quod creavit;* Hoc autem dixit, ut ostenderet, nihil obfuisse martyribus, & aliis, quod credulitate tyrannorum eorum corpora manserint insepulta; & ideo subdit: *Sed magis ad exagerandam crudelitatem eorum qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt*. Et in hoc sensu exponenda est Decretalis allata. Cæterum quantum, & quomodo prosit defuncto sepultura in loco sacro, ostendit Augustinus ibidem, *cap.* 3. & 4. & alibi ut §. *precedenti* videre est, eo tamen modo, quo ibi ostendimus.

IX. Ad secundum dico, Concilium Eliberitanum reprehendere usum cereorum eo fine, quo usurpabatur a Gentilibus, qui putabant, corporibus etsi mortuis aliquem sensum inesse, non vero usum cereorum ad alium finem, nempe, ad ostendendum, animas vivere, suoque tempore etiam corpora surrectura, & ad precandum spiritibus locum lucis. Ad funera enim fidelium fuisse semper cereos adhibitos testantur Gregor. Nyssenus, *Epistol. ad Olympiam*, de obitu sororis, Nazianzenus, *Orat.* 2. *in Julianum*, Chrysostomus, *Hom.* 4. *in Epist. ad Hebr.* Hieronymus, *in Vita Paulæ*, & Theodoretus, *lib.* 5. *Hist. cap.* 36. referens quod in translatione Reliquiarum S. Joann. Chrysost. fidelis populus: *Hostium Bosphori ad Propontidem situm facibus obtexit*. Hunc autem ritum, ut sua ætate celebrem, proponunt S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 10. ubi describens funus Cæsarii fratris: *Sanctis* (inquit) *parentum manibus honoratus materna cereorum gestatione*. Et *Orat.* 4. quæ est 2. *contra Julianum*, funus Constantii Imp. expendens, ait: *Nocturnis cautionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Christiani pium e vita discessum ornandum existimamus*. Quod de funere Constantini narrat Eusebius in ejus vita, *c.* 66. ita recensuit: *Post hæc milites sublatum e lecto corpus in arca aurea deposuerunt .... Dehinc aurea super candelabra luminibus undique accensis admirabile spectaculum intuentibus præbebatur &c.* Dicit autem Concilium Eliberitanum, non esse inquietandos spiritus defunctorum, quia faces illæ adhibitæ ad usum Gentilium displicerent defunctis, eo modo, quo Ambrosius, *lib.* 2. *Epist.* 8. dicit, non debere mœstificari lacrymis animam sororis defunctæ.

X. Ad tertium dico, repetere anniversaria, & preces non esse signum diffidentiæ, sed desiderii, & fervoris: id enim fecit Paulus, 2. Cor. 12. v. 8. *Ter Dominum rogavi*. Et Christus ipse, Matth. 26. v. 44. *Oravit tertio eumdem sermonem dicens*, & Lucæ 18. vers. 1. *Oportet* (inquit) *semper orare, & non deficere*. Neque contrarium sentit Ambrosius: nimiam quidem circa corpora defunctorum curam non probat, sed preces pro eorum animabus frequentes probat, ut ostendi supra, *Dub.* 2. §. 2. *num.* 11.

XI. Ad quartum. Jam ostendi supra §. præced. officium sepulturæ esse opus bonum a Christo commendatum, *Lucæ* 26. in muliere ipsum ungente. Ejus tamen non meminit, *Matth.* 25. nec dixit mortuus fui, & non sepelistis me, quia ut ait Chrysostomus, *Hom.* 84. *in Joann.* Homines sponte satis ad sepeliendum mortuos ex quadam innata pietate propendunt, adeo ut superfluitas potius in aliquibus reprehendi debeat.

Ad quintum, nego anteced. Nam etsi aliqua circa defunctos faciamus similia eis, quæ Ethnici faciebant, cum eis tamen reprehendendi non sumus. Nam illi curam ponebant in sepeliendis, & curandis suorum cadaveribus, quia, ut ait Sanct. Augustin. *lib. de cura pro Mortuis c.* 2. putabant, sepulturam esse necessariam, ut animæ quietem obtinerent: vel quia forte putabant cadaveribus etiam aliquem sensum inesse, a quibus erroribus longe absumus nos. Nec enim quia aliqua faciunt Christiani, quæ faciebant Ethnici, ideo cum illis reprehendendi sunt, quia ea, quæ illi superstitiosa faciebant, Christiani religiose faciunt. Nam illi lugebant mortuos, eorum cadavera lavabant, & aromatibus ungebant, quem morem ab Ægyptiis Hebræi acceperunt, & usque ad Christi tempus servarunt, & tamen ipse non reprehendit, sed laudavit potius, ut vidimus.

DUBIUM IV.

Quæsita aliqua circa Suffragia Defunctorum proponuntur, ac solvuntur.

§. I.

An Suffragia facta pro Uno, magis illi proficiant?

I. QUamvis de hoc, & sequentibus quæsitis aliqua, *in Qu. de Indulgentiis* dicta sint, aliqua tamen hic addere placet cum S. Thom. *quæst.* 71. *Supplem. art.* 12. unde cum eodem.

Respondeo: *Quod valor suffragiorum pensari potest ex duobus. Valent enim uno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia. Et secundum hoc magis valent ei, qui magis charitate est plenus, quamvis pro eo specialiter non fiant. Et sic valor suffragiorum attenditur magis secundum quamdam interiorem consolationem, secundum quod unus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem quantum ad diminutionem pœnæ: post mortem enim non est locus acquirendi gratiam, vel agendi, ad quod nobis in vita valent opera aliorum ex virtute charitatis. Alio modo valent suffragia ex hoc, quod per intentionem unius alteri applicantur, & sic satisfactio unius alteri computatur: & hoc modo non est dubium, quin magis valeant ei, pro quo fiunt, immo sic ei soli valent, satisfactio enim proprie ad remissionem pœnæ ordi-*

ordinatur. Unde quantum ad remissionem pœnæ præcipue valet suffragium ei, pro quo fit.

II. Hinc non valet exemplum candelæ (quo utitur præpositivus) quæ licet accendatur pro uno tantum, æqualiter tamen omnibus prodest, qui simul commorantur, quamvis pro illis non accendatur. —— Nam ut ait S. Th. ibi *ad* 1. suffragium assimilari quidem potest lumini in hoc quod omnes eo ex charitate consolantur, quamvis pro eis non fiat: *Sed in quantum est quædam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum, non est simile lumini, sed magis solutioni alicujus debiti. Non est autem necesse, ut si debitum pro uno solvitur, ex hoc & debitum aliorum solvatur.*

III. Neque obest, quod, ex dictis ex Augustin. Suffragia illis prosint, qui dum viverent, ut sibi postea prodesse possent meruerunt: contingere autem potest, quod aliqui magis meruerint, ut sibi suffragia prodessent, quam illi, pro quibus fiunt. —— Respondet enim S. Th. ibi ad 2. *Quod illud meritum est conditionale. Hoc enim modo meruerunt, quod sibi prodessent, si pro eis fierent, quod nihil fuit, quam facere se habiles ad recipiendum. Unde patet, quod non directe meruerunt illud juvamen suffragiorum, sed per merita præcedentia se habilitaverunt, ut fructum suffragiorum susciperent. Et ideo non sequitur, quod meritum eorum frustretur.*

IV. Neque dicas, pauperes fore pejoris conditionis quamvis divites, quamvis minoris meriti, cum pro his plura suffragia, quam pro illis fiant. —— Quia (inquit S. Thom. ibi ad 3.) *Nihil prohibet, divites quantum ad aliquid esse melioris conditionis, quam pauperes, sicut quantum ad expiationem pœnæ. Sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni Regni Cælorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur per auctoritatem inductam*, Lucæ 6. nempe, *Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei.*

Quod dicendum est, etiamsi duo in hac vita æqualia merita comparaverint, sed pro uno plura specialia fiant suffragia. Nam esto in participandis communibus suffragiis æquales sint, ille tamen, pro quo plura specialia suffragia fiunt, citius liberabitur a pœna, quia conditio annexa merito, in isto plenius impletur, quam in illo. Merita enim merentur quidem absolute præmium essentiale, & ob hanc causam hoc per preces viventium non augetur; sed non merentur accelerationem præmii, nisi conditionate, idest, si pro eo suffragia fiant. Sicut qui membrum est alicujus communitatis meretur particeps fieri de bonis illius, sed si sint, & sibi dispensentur.

V. Ex hac doctrina colligit S. Th. primo, art. 13. *Quod si valor suffragiorum consideretur secundum quod valent ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiæ, suffragia pro multis facta tantum singulis prosunt, ac si pro uno tantum fierent; quia charitas non diminuitur si dividatur effectus ejus in multos, immo magis augetur; & similiter etiam gaudium, quanto pluribus est commune, fit majus, ut dicit Aug. l. 8. Confess. c. 4. Et sic uno bono facto non minus lætantur multi in purgatorio, quam unus. Si autem consideretur valor suffragiorum, in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quam quod fit pro eo communiter, & pro multis aliis. Sic enim effectus suffragiorum dividitur ex divina justitia inter eos, pro quibus suffragia fiunt. Unde patet, quod hæc quæstio dependet ex prima, & ex hoc etiam patet, quare institutum sit, ut suffragia specialia in Ecclesia fiant.* Et ratio ex dictis est: quia suffragia in ratione satisfactionis valent per modum solutionis debiti: solutio autem debiti non tantum solvit pro singulis, si dividatur inter plures, quantum si pro uno determinate solvat: ex solutione enim centum scutorum divisa inter plures non tantum debiti in singulis extingueretur, quantum si illa centum uni soli applicarentur. Et *quamvis* (ut ait S. Thom. ibi ad 3.) *Divinæ virtuti non sit magis difficile absolvere multos, quam unum; tamen hujusmodi orantis oratio non ita est satisfactoria per multis, sicut pro uno.*

VI. Colligit secundo S. Th. ibi, *art.* 14. Quod non tantum valent suffragia communia illis pro quibus non fiunt specialia, quantum illis pro quibus fiunt specialia, & communia simul. Si enim ex dictis suffragia specialia non indifferenter prosunt omnibus, sed ei pro quo fiunt; ille cui applicantur, & communia, & particularia, recipiet fructum ex particularibus, & ex communibus, ubi ille, cui applicantur solum communia, solum ex communibus suffragiis fructum accipiet.

VII. Neque dicatur. Inter præcipua Ecclesiæ suffragia est Eucharistia quæ cum contineat totum Christum habet quodammodo efficaciam infinitam: ergo una oblatio Eucharistiæ quæ communiter pro omnibus fit, valet ad plenam animarum e purgatorio liberationem.

Nam respondet S. Th. citato art. 14. ad 2. *Quod quamvis virtutis Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiæ, sit infinita; tamen determinatus est effectus, ad quem illud sacramentum ordinatur. Unde non oportet, quod per unum altaris sacrificium tota pœna eorum qui sunt in purgatorio expietur: sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis offert liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis. Unde & quandoque plures Missæ in satisfactionem unius peccatis injunguntur.*

Credibile tamen est, quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his, pro quibus fiunt (ut si eis non indigeant) aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, ut patet per Damascenum in Sermone de dormientibus (quem tamen an sit Damasceni non pauci ambigunt) *sic dicentem*: Vere Deus tamquam justus commetietur impotenti possibilitatem, tamquam sapiens, defectuum commutationem negotiabitur: *Qua quidem negotiatio attenditur, si id quod deest uni, altera suppleat.* Sicut si pius distributor ea quæ superfluunt non egentibus, indigentibus applicaret.

§. II.

An Suffragia facta per Peccatores prosint Mortuis?

VIII. DE hoc agit S. Thom. dicta *q.* 71. *Suppl. art.* 3. ubi ait: *Quod in suffragiis, quæ per malos fiunt, duo possunt considerari. Primo ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris. Et quia nostra sacramenta ex se ipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam æqualiter explent, per quoscumque fiant, quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operantis. Et si distinguendum est: Quia operatio peccatoris suffragia facientis, potest uno modo considerari, prout est ejus: Et sic nullo modo meritoria esse potest, nec sibi, nec aliis. Alio modo in quantum est alterius. Quod dupliciter contingit. Uno modo in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiæ: sicut Sacerdos dum dicit in Ecclesia exequia mortuorum: Et quia ille intelligitur facere, cujus nomine, vel vice fit, ut patet per Dionysium in lib. de Cæleſt. Hierarch. c. 13. inde est, quod suffragia talis Sacerdotis, quamvis sit peccator, defunctis prosunt. Alio modo quando agit ut instrumentum alterius. Opus enim instrumenti est magis principalis agentis. Unde quamvis ille qui agit ut instrumentum alterius non sit in statu merendi; actio tamen ejus potest esse meritoria ratione principalis agentis: sicut si servus in peccato existens, quodcumque opus misericordiæ facit ex præcepto domini sui charitatem habentis. Unde si quis in charitate decedens præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamvis illi, per quos fiunt in peccato existant: Magis tamen valerent, si essent in charitate; quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.* Hæc S. Thom.

IX. Suffragia ergo, quæ valent ex opere operato, ut sacrificium Altaris, etsi fiant per peccatores, defunctis valent, quia ex se ipsis efficaciam habent. Quæ vero solum valent ex opere operantis, quatenus quidem a peccatores fiunt, non prosunt mortuis; proderunt tamen, si is qui facit, vel gerat personam Ecclesiæ, ut dum Sacerdos in peccato celebrat exequias: vel si agat ut instrumentum ejus, qui in charitate mortuus, jussit suffragia pro se fieri: quia talia opera licet quatenus per peccatorem exercentur, non sint accepta Deo, nec sint viva, sunt accepta, & viva ratione illius, cujus vicem, ac personam gerit, ad quam Deus in illo opere respicit. Unde licet peccator dum facit illud opus nullum ex eo reportet commodum, reportat tamen, qui fieri mandavit dum est dispositus. Magis tamen valerent, si fierent per bonos, quia sic valerent, & ex mandante, & ex eo, qui suffragia implet. Nam dum fiunt per malos, licet adsit capacitas valoris ex parte ejus pro quo fit, quam acquisivit per opera propria, quæ gessit in vita, deest tamen qualitas operis, quod prodesse debet, quæ pendet potius ex eo qui facit opus exequendo, ut S. Doct. ibi *ad* 6.

X. Si dicas, Joan. 9. *Peccatores Deus non exaudit*; ergo suffragia per illos facta nihil prosunt —— Respondet S. Th. citato, *art.* 14. *ad* 1. hoc verum esse de oratione peccatoris, in quantum est ejus. Sed *Oratio per peccatorem facta quandoque non est peccatoris, sed alterius; & ideo secundum hoc digna est, ut a Deo exaudiatur*, sed addit, *tamen etiam quandoque Deus peccatorem audit, quando scilicet peccatores petunt aliquid Deo acceptum. Non enim solis justis, sed etiam peccatoribus Deus bona sua providet, ut patet Matth. 5. vers.* 45. Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos: *non autem ex eorum meritis, sed ex sua clementia. Et ideo Jo: 9. super illud* Deus peccatores non audit *Glossa* (ex August. Tract. 44. in Joann.) *dicit, quod loquitur*, ut inunctus, non ut plene videns. De hoc videndus S. Doct. 2. 2. *q.* 83. *art.* 16. & *q.* 178. *art.* 2. *ad* 1.

XI. Quæres: An suffragia, quæ a vivis pro mortuis fiunt, facientibus prosint?

Respondet S. Thom. dicta *q.* 71. *Suppl. art.* 4. Prodesse satisfacientibus, non in ratione satisfactionis, sed in ratione meriti: Nam *opus suffragii, quod pro altero fit, potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est expiativum pœnæ per modum cujusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur. Et hoc modo opus suffragii, quod computatur quasi ejus pro quo fit, ita absolvit eum a debito pœnæ, quod non absolvit facientem a debito pœnæ propriæ: Quia in tali compensatione consideratur æqualitas justitiæ: Opus autem istud satisfactorium, ita potest adæquari uni reatui, quod alteri non adæquetur. Reatus enim duorum peccatorum majorem satisfactionem requirunt, quam reatus unius. Alio modo potest considerari, in quantum est meritorium vitæ æternæ, quod habet in quantum pro-*

procedit à radice charitatis: & secundum hoc non solum prodest ei pro quo fit, sed facienti magis. Et in hoc sensu intelligitur illud Psalm. 34. v. 13. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Quod si opus esset tantum, ut adæquaret debitum pœnæ alterius, & propriæ, tunc in ratione satisfactionis prodesset ei, pro quo fit, & etiam facienti.

§. III.

De Suffragiis, quibus purgabuntur in fine sæculi.

XII. DUbium est de his qui in fine sæculi reperientur vivi, & tamen purgatione indigebunt: An & quibus suffragiis sint adjuvandi, ut subito purgati ad consortium Beatorum transeant.

Respondent aliqui, quod sicut Christus descendens ad inferos omnes justorum animas non tantum ex limbo, verum etiam ex purgatorio liberavit plenariam omnibus tribuens peccatorum, & pœnarum indulgentiam. Ita idem ipse descendens de cælo gloriosus ad judicium omnibus animabus justis, quibus aliquid pœnarum restat, totum condonabit Sanctis omnibus, qui cum ipso ad judicium venturi sunt, instantius intercedentibus: ita ut continuo post receptis corporibus nihil jam in eis restet purgandum, aut puniendum. Verum quia supra Quæst. 2. de descensu Christi ad inferos, *Dub.* 3. §. 2. cum S. Thoma probabilius existimavimus, eum in suo descensu non omnes, sed eas tantum e purgatorio animas liberasse, quas plene purgatas invenit, multo minus hoc admittere possumus in suo adventu ad Judicium, qui erit ad exercendam justitiam, non misericordiam.

XIII. Quare respondeo, probabilius esse, eos quos ultima dies vivos reperiet, igne conflagrationis, qui ut dicemus, adventum Christi Judicis præcedet, subito purgandos esse, sed ita ut gravitas, & acerbitas pœnæ suppleat quod deerit ex parte durationis. Accedit quod pœna illa erit hujus sæculi, non futuri, & ideo plus valebit ad accelerandam purgationem, & quia adhuc erit tempus gratiæ, & misericordiæ. Ita ex S. Thom. infra, *q.* 74. *art.* 8. *ad* 5. ubi hanc rem tractans: *Tres* (inquit) *sunt causæ, quare subito illi, qui vivi reperientur, purgari poterunt. Una est, quia in eis pauca purganda invenientur, cum terroribus, & persecutionibus præcedentibus fuerint purgati. Secunda causa est, quia & vivi & voluntarii pœnam sustinebunt: pœna autem in hac vita voluntarie suscepta multo plus purgat, quam pœna post mortem inflicta, sicut patet in Martyribus, quia* si purgandum quid in eis invenitur, passionis falce tollitur, *ut Augustinus dicit* (l. de unico Bapt. contra Petil. cap. 13.) *Cum tamen pœna martyrii sit brevis in comparatione ad pœnam, quæ in purgatorio sustinetur. Tertia est, quia calor ille recuperabit in intensione, quantum amittit in temporis brevitate.* Et hoc idem dici poterit de igne purgatorii, nimirum quod in fine mundi, ignis ille atrocitate, & intensione brevitatem temporis purgationis compensabit. Maxime quia tunc eis non deerit suffragium cælestis Ecclesiæ, quæ pro fidelibus semper intercedit, & voto, & merito, & vivi etiam ab omni labe purgati qui in illa extrema generali conflagratione pro vivis ac defunctis enixius orabunt, suasque pro aliis satisfactiones Deo offerent. Uno verbo dicam cum August. *l.* 21. *de Civ. Dei, cap.* 18. 24. & 27. quod esto non omnes etiam mali, ut quidam putabant, futurum tamen erit ut aliqui per intercessiones Sanctorum a pœnis temporariis in illa extrema die liberentur. Sed de hoc infra fusius.

QUÆSTIO V.

De Sanctorum intercessione.

AB animabus in Purgatorio detentis, circa quas hactenus morati sumus, ascendimus ad eas quæ in Cælis cum Christo regnant, Sequentes S. Th. *qu.* 72. *Suppl.* & ea quæ fides Catholica docet, contra hæreticos præsertim modernos statuemus. Non tamen examinabimus, an Sanctorum animæ gaudeant modo beatitudine essentiali, an vero hæc ad diem extremi judicii differenda sit: hoc enim jam statuimus, *Tom.* 1. *in* 1. *p. Tract. de Visione Dei, Q.* 2. *D.* 3. Sed supposito, quod Sanctorum animæ sint perfecte beatæ, procedemus ad examinandum, qualiter se habeant erga viventes, & viventes erga illas. An sint a viventibus invocandæ, an viventium preces cognoscant, an a Deo exaudiantur, aliaque, de quibus est controversia inter Catholicos, & Hæreticos. Quamquam vero hæc tractaverim in *Vera Ecclesia, Tom.* 1. *part.* 2. *art.* 14. pro studiosi tamen instructione hic iterum tractanda suscipio.

DUBIUM I.

An Sancti Orationes nostras cognoscant?

§. I.

Resolutio Dubii.

NOn desunt, qui velint, Sanctos in Cælo beatos non cognoscere particulariter ea quæ hic aguntur, sed solum in generali, & consequenter nec preces, quas ad eos dirigimus, ex quo inferunt, superflue ad illos preces dirigi. Attamen

I. Dico. Angeli, & Sancti cum Christo regnantes cognoscunt preces viventium, quæ ad eos diriguntur. De Angelis aperta est Scriptura, *Tobiæ* 12. *v.* 12. ubi Angelus: *Quando* (inquit) *orabas cum lacrymis . . . . ego obtuli orationem tuam Domino*, Apoc. 8. v. 4. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli.* Eodem pertinet quod pœnitentiam peccatoris cognoscunt, *Luc.* 15. *v.* 10. Quod hominem custodiant in omnibus viis, idest, actionibus suis, *Psalm.* 90. Quod in conspectu Angelorum psallamus, *Psalm.* 137.

II. De sanctis animabus probo primo. Nam teste Christo, *Matth.* 22. *v.* 30. animæ beatæ *sunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Lucæ 20. v. 36. *Æquales Angelis*, Apoc. 21. v. 17. *Eadem est mensura hominis, quæ est Angeli.* Cum ergo Angelos cognoscere nostras preces certum sit, certum quoque esse debet, animas beatorum eas cognoscere.

Secundo. Apoc. 5. vers. 5. *Unus de senioribus dixit* (Sancto Joanni) *Ne fleveris, ecce vicit Leo de tribu Juda.* Et *c.* 11. 18. 19. Viginti quatuor seniores, Apostoli, Prophetæ, & turbæ multæ in Cælo ostenduntur eidem Joanni, tamquam cognoscentes statum Ecclesiæ militantis.

Tertio. Sanctis adhuc mortalibus divina revelatione innotuerunt ea, quæ in illorum absentia gerebantur, etiam occultissima, 1. *Reg.* 9. 4. *Reg.* 5. & 6. & *Act.* 8. Multo ergo magis existimandi sunt, nunc ea cognoscere quæ a nobis fiunt ad eos pertinentia, quando corporis vinculis soluti Deo clare viso perfruuntur. Et si Abraham nondum beatus audivit preces Epulonis in inferno jacentis: quanto magis nunc in Cælo beatus audit preces fidelium ipsum invocantium?

III. Accedit ratio, quam *Tom.* 1. *in p. Tract. de Visione Dei, Q.* 5. *D.* 3. §. 2. *n.* 11. *&c.* expendimus, & quam S. Thom. hac *q.* 72. *Suppl. art.* 1. repetit. Nimirum. Ad perfectionem beatitudinis pertinet, ut beatus in Verbo cognoscat omnia, quæ ad ipsum pertinent. Unde ex hoc principio S. Thom. 3. *p. q.* 10. *art.* 2. probat, quod cum ad Christum, & ejus dignitatem spectent quodammodo omnia, anima Christi cognoscat omnia existentia secundum quodcumque tempus, ergo cum animæ Sanctorum sint perfecte beatæ, vident omnia, quæ ad ipsas spectant, & proinde vota, & preces, quæ ad ipsas a viventibus diriguntur: *Unusquisque beatus* (inquit S. Th. art. 1. citata q. 72. Suppl.) *tantum de aliis rebus necessarium est, ut in essentia divina videat, quantum perfectio suæ beatitudinis requirit. Hoc enim ad perfectionem beatitudinis requiritur, ut homo habeat quidquid velit, nec aliquid inordinate velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quæ ad ipsum pertinent cognoscat. Unde cum nulla rectitudo Sanctis desit, volunt cognoscere ea, quæ ad ipsos pertinent: Et ideo oportet, quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinent, quod auxilium indigentibus præstent ad salutem. Sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo* nihil est divinius, *ut ait Dionys. 3. cap. Cælestis Hierarch. Unde patet, quod Sancti habent cognitionem eorum, quæ ad hoc requiruntur. Et sic manifestum est, quod in Verbo cognoscunt vota, & devotiones, & orationes hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.*

IV. Hanc veritatem tradunt communiter Sancti Patres. Ex quibus Origenes, *Hom.* 26. *in numeros*, & *Homil.* 16. *in Josue*, Gregorius Nazianz. *Orat.* 21. *in fine.* S. Athanasium ita orans: *Nos autem utinam ipse benignus desuper, & placidus aspicias, atque hunc populum gubernes . . . neque, si quidem res pacatæ futuræ sint, in vita teneas, gregemque mecum pascas.* Hieronymus, *Epist.* 29. modo 53. Theodoram viduam de mariti Lucinii morte, sic consolatur: *Ille jam securus, & victor te aspicit de excelso, & favet laboranti, & juxta se locum præparat eodem amore, & eadem charitate &c.* Augustinus, *Serm.* 94. *de diversis* (modo, *Serm.* 316.) de SS. Stephano, & Paulo (quem Stephani precibus conversum asserit) *Ambo* (inquit) *ibi vos videtis, ambo sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate: ambo vos exaudiet, qui vos coronavit.* S. Leo, *De jejunio decimi mensis, Serm.* 2. Præcæteris autem S. Gregorius, *l.* 12. *Moral. cap.* 13. (modo. cap. 21.) Postquam generaliter dixit, mortuos ignorare quid hic agatur; subjungit: *Quod tamen de animabus Sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent.* Quod repetit, *l.* 4. *Dialog. cap.* 33. Et tandem S. Bernardus, *Epist.* 78. Martyres jubilare dicit ad nostros clamores, & preces.

§. II.

Respondetur objectionibus, & exponitur modus, quo preces nostras Sancti cognoscant.

V. PRimo objicitur: *Mortui nihil noverunt amplius* Ecclesiaste 9. v. 5. 1. ad Cor. 2. v. 11. *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Et *Job* 14. *v.* 22. de homine mortuo dicitur: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.*

Respondetur præfatis locis significari, mortuos naturaliter non cognoscere quid agant vivi, & maxime nulli homini patere naturaliter arcanum cordis alterius: non vero

quod

quod præsertim animæ beatæ videndo Verbum, sive per revelationem specialem, non cognoscant ea, quæ faciunt vivi relate ad illas.

VI. Sed dices, *Isaiæ 63. v. 16.* dicitur: *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Ex quibus Augustinus, l. de cura pro mortuis, cap. 13. *Si tanti* (inquit) *Patriarchæ quid erga populum ex his procreatum ignoraverunt . . . . quomodo mortui vivorum rebus, atque actibus cognoscendis, adjuvandisque miscentur?* Ergo Sancti orationes nostras cognoscere non possunt. Inde ibidem referens illud, 4. *Reg.* 22. *v.* 28. ubi dicit ad Josiam: *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui mala omnia, quæ sum inducturus super locum istum*, sic ait: *Quid est ergo quod piissimo Regi Josiæ pro magno beneficio promisit Deus, quod esset ante moriturus, ne videret mala, quæ ventura illi loco, & populo minabatur?* Et infra: *Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcumque aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus.*

VII. Respondeo cum S. Thom. art. 1. citato ad 1. *Quod verbum Augustini intelligendum est de cognitione naturali animarum separatarum . . . . non autem loquitur de cognitione, quæ est in Verbo, quam constat Abraham eo tempore, quo hæc dicta sunt per Isaiam, non habuisse, cum ante Christi passionem nullus ad visionem Dei pervenerit.* Qua cognitione naturali nec Josias præmortuus visurus erat mala, quæ futura erant, cum nec ipse ante Christum visione Dei donatus fuerit. Unde S. Thom. ibi *ad* 2. ait: *Sancti licet post hanc vitam cognoscant ea quæ hic geruntur, non tamen credendum est, quod afficiantur doloribus, cognitis adversitatibus eorum, quos in hoc sæculo dilexerunt. Ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis, quod dolor in eis locum non invenit. Unde si cognoscant eorum infortunia post mortem, nihilominus doluri eorum consulitur, si ante ejusmodi infortunia de hoc sæculo subtrahantur.*

Sed forte animæ non glorificatæ dolorem aliquem sentirent, si incommoda charorum suorum perciperent. Et quia anima Josiæ non statim glorificata fuit a corpore egressa, quantum ad hoc ex hac ratione concludere nititur, quod animæ mortuorum cognitionem non habeant de factis viventium.

VIII. Præterire tamen non possum, Augustinum in hac materia citato loco fluctuanter loqui, & sub dubio relinquere, an spiritus defunctorum per se, an per relationem eorum, qui a vivis ad ipsos transeunt, aliqua, non tamen omnia, quæ hic fiunt discant; an vero per revelationem Angelorum, vel alio modo. Et hoc ideo puto, quia cum Augustini sæculo adhuc penderet quæstio, an sanctorum animæ statim a corporibus egressæ beatitudine donarentur, an vero hæc differenda illis esset usque ad diem judicii, Ecclesia enim de hoc nihil adhuc statuerat; ideo loquens præcipue de modo, quo Martyres in suis memoriis adsunt precibus viventium dicit: *Res hæc altior est, quam ut a me possit attingi, & abstrusior, quam a me valeat perscrutari. Et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsa in præsentia Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo: mallem a scientibus ista perquirere.*

IX. Cæterum quamvis dubitet Sanctus Augustinus de modo quo Sancti adsint precibus, & quo eas cognoscant; certum tamen est, quod ea quæ ad ipsos pertinent, cognoscant, cognitione, non quidem naturali, sed divinitus eis tradita, ait enim, cap. 15. *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, non solum præterita, vel præsentia, verum etiam futura Spiritu Dei revelante cognoscere, sicut non omnes homines, sed Propheta dum hic viverent cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei providentia judicabat.* Et *cap.* 16. loquens de beneficiorum effectibus, quæ per Martyres dantur orantibus, ait: *Verum ista divinitus exhibentur, longe aliter quam sese habet usitatus ordo singulis creaturarum generibus attributus.* Solum ergo negat Augustinus spiritus mortuorum, & etiam Martyrum adesse precibus vivorum, easque cognoscere vi, & cognitione naturali, sed concedit absolute, eas nosse, eisque adesse vi, & virtute divina, quamvis de modo, quo ista fiant, ambiguus sit.

X. Ex his deducitur, quod etsi pro certo semper habitum fuerit, animas beatas preces nostras cognoscere, non tamen æque pro certo habitus fuit modus, quo eas cognoscant. Aliqui enim dixerunt, eas cognoscere per præsentiam, quia omnibus supplicantibus præsentialiter adsint: & hunc modum tangit August. citatis locis. —— Verum hic modus improbabilis videtur: Tum quia: naturæ agilitas illis non præstat, ut simul sint in pluribus locis, cum tamen pluribus in locis sæpe simul invocentur. Tum quia: etsi præsentes sint, tamen naturaliter cognoscere non possunt preces mere internas, quæ sola cogitatione concipiuntur. Immo non satis percipi potest, quomodo animæ separatæ accipere possint notitiam a rebus quibus adsunt.

XI. Aliqui dixerunt, precum nostrarum notitiam accipere ex relatione Angelorum, ut supra ex Aug. vidimus. —— Sed nec iste modus sufficit. Hinc enim sequeretur, Sanctos non tunc quando eos invocamus, preces nostras cognoscere, sed postea referentibus Angelis. Deinde adhuc quærendum supereset, quomodo Angeli eas cognoscant.

XII. Alii volunt, ut eas in Verbo videre dicantur. Idque vel a principio suæ beatitudinis, vi cujus ab initio statim videant omnia, quæ ad ipsos quocumque tempore spectabunt, quomodo docet S. Thom. 3. *part. q.* 10. *art.* 2. animam Christi videre omnia in Verbo. Vel quod animæ sanctæ videant in Verbo ut in speculo quodam omnia, quæ ad se pertinent, & etiam preces nostras, non quidem ab initio, sed certo tempore, quando opus est ut iis revelentur, & in speculo divinæ claritatis quasi detegantur. Est enim speculum illud voluntarium repræsentans in se ipsum aspicientibus ea quæ vult, & quando vult. Quomodo sancti Prophetæ licet nondum beati in lumine divino viderunt futura, & etiam occultas cordium cogitationes.

XIII. Hic postremus modus probabilior est, & indicatur a S. August. citato, *cap.* 15. Hinc sequitur animas beatas non simul videre omnia quæ futura sunt, & consequenter nec tempus universalis resurrectionis, & judicii extremi. Nam licet ea quæ videt beatus in Deo, illa ipsa visione beatifica, qua Deus videtur, ab initio simul videat: hac tamen visione beati non cognoscunt preces nostras, sed alia per influxum Verbi clare visi, & eas ipsis manifestantis. Et hæc est mens S. Thomæ, qui quamvis affirmet, sanctos vota, & preces viventium videre in Verbo, simul tamen docet, eas per revelationem cognoscere, tum hoc *art.* 1. *ad* 5. dicens: *Cogitationes cordium solus Deus per se ipsum novit, sed tamen alii cognoscunt quatenus eis revelatur, vel per visionem Verbi, vel quocumque alio modo.* Tum 2. 2. qu. 83. art. 4. ad 2. *Petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt:* Tum qu. 8. de verit. art. 13. *Motus voluntatis, & cordis cogitatio non potest cognosci in aliquibus similitudinibus rerum naturalium, sed solum in essentia divina, quæ in voluntatem imprimit: & sic Angeli cognoscere non possunt cogitationes cordium directe, nisi in Verbo eis revelentur.* Recolantur dicta, *Tom.* 1. *in* 1. *p. de Visione Dei, q.* 5. *D.* 3. §. 2. *num.* 11.

XIV. Secundo objicitur. Quanto est aliquis in charitate perfectior, tanto magis proximo in periculis subvenit. Cum ergo Sancti in carne viventes, statim ac suorum pericula noverunt, eis præsto sint, multo magis id facere deberent Sancti in Cælo si nostras preces cognoscerent. Cum ergo quamvis rogati id facere non videantur, signum est, quod nostras preces, & indigentias non cognoscunt.

Resp. S.Th. art. 1. citato ad 3. *Quod animæ Sanctorum habent voluntatem plenarie conformem divinæ voluntati etiam in volito. Et ideo quamvis effectum charitatis ad proximum retineant, non tamen eis aliter auxilium ferunt, quam secundum divinam justitiam vident esse dispositum. Et tamen credendum est, quod multum proximos juvent, pro eis apud Deum intercedendo*

§. III.

An sit de Fide, & an necessarium, quod Sancti preces nostras cognoscant?

XV. Circa primum Bellarminus, *lib.* 1. *de beatitudine. cap.* 20. docet, quidem esse certum, ita ut nullo solido fundamento probari queat, Sanctos nostras preces non cognoscere. At de certitudine fidei nihil dicit. Similiter Vasquez 1. *p. disp.* 50. *cap.* 9. solum dicit Ecclesiam certo sibi persuadere, nostras preces esse Sanctis cognitas. Estius autem, *in* 4. *dist.* 45. §. 18. dicit: *Quod si recte invocantur Sancti, ut habet totius Ecclesiæ fides; ergo valde probabile est, immo plusquam probabile, quod preces invocantium se cognoscant.* Unde quamvis Tridentini Patres hanc rem definire noluerint, docent tamen: *impie sentire, eos qui asserunt, stultum esse, in Cælo regnantibus vote vel mente supplicare* (ita Sess. 25.) De hoc vero quod Sancti preces nostras immediate cognoscant, nihil dicunt.

Addi potest nullam de hoc extare apertam Sacræ Scripturæ sententiam, aut evidentem traditionem, aut Ecclesiæ definitionem quæ certo statuat, aut definiat hanc rem velut dogma fidei. Verum quid est, quod sine maxima temeritate non possit negari, sanctis Patribus, ac Theologis conformiter Sacræ Scripturæ docentibus, ita esse id, quod propterea unicuique Orthodoxo certum, ac persuasum esse debet.

XVI. Circa secundum: An scilicet absolute necessarium sit, ut Sancti immediate, & per se ipsos cognoscant nostras preces, ut eorum invocatio sit nobis salutaris. Affirmant aliqui volentes, ex eorum invocatione per legitimam consequentiam deduci, quod nostras preces cognoscant. Ita sentire videntur Valentia, & Suarez.

XVII. Alii, ut Hugo Victorinus, *lib.* 2. *de Sacr. p.* 16. *cap.* 11. Bellarminus, *lib.* 1. *de Beatit. cap.* 20. Estius, *in* 4. *dist.* 45. §. 20. Sylvius, *in art.* 2. *quæst.* 72. *suppl.* forte verosimilius censent, Beatos audire, & cognoscere preces nostras, & hoc unicuique debere esse certo persuasum: ad hoc tamen ut utiliter eos invocemus, absolute necessarium non est, ut eas per seipsos cognoscant. Et primo. Nam etsi Sancti non cognoscant, nec audiant nostras preces, eas tamen cognoscit & audit Deus: cum enim ipsi orent generaliter pro viventibus, & maxime pro sibi conjunctis, Deus, cui placet propter eorum vota nos exaudire, id quod precamur, concedit. Ita Hugo Victorinus laudatus: *Quid amplius* (inquit) *vis? Timesne forte, non orent, qui semper orant? Quomodo non orabunt pro te?*

te, quando tu oras, qui & quando tu non oras, orare non ceſſant? Si non audiunt, inquit, & ego in ventum fundo verba, non audientibus, & non intelligentibus loquens. Ecce dicamus, non audiunt Sancti verba poſtulantium, neque ad beatitudinem illorum attinet iſta noſſe, quæ foris aguntur. Ecce dicamus, non audiant. Nunquid Deus non audit? Quid ergo laboras inveſtigare quid audiunt, & quantum audiunt Sancti quos oras, cum ipſe Deus audiat propter quem oras? Ipſe videt humilitatem tuam, qui remuneraturus eſt devotionem tuam &c.

XVIII. Secundo, Dato, quod Sancti non cognoſcerent, nec Deo præſentarent noſtras preces, eſſe poſſent alii, qui vice eorum eas præſentarent, puta Angeli. Ita Bellarminus citatus, qui ad argumentum hæreticorum, nimirum: *Sancti non cognoſcunt noſtras preces, ergo fruſtra invocantur*: Reſpondet: *Hujus argumenti nec bonam eſſe conſecutionem, nec verum id quod aſſumitur. Itaque primum conſecutio negari poteſt. Nam cum certum ſit, ex tot Patrum teſtimoniis, & tot miraculis a Deo oſtenſis, eos qui invocant Sanctos exaudiri, & impetrare quod petunt, certe non fruſtra invocantur Sancti, etiamſi demus, eos non audire; neque cognoſcere noſtras preces; Nam alius aliquis eorum vice fungitur. Sicut non fruſtra ſupplicat Regi, qui certo ſcit Regem non lecturum ſupplicationem, ſed aliquem alium ex aula ejus; & nihilominus ita ſe impetraturum quod petit, ac ſi Rex legiſſet ſupplicationem.* His favet quod dicebamus ex Aug. *l. de cura pro mortuis cap.* 15. animas beatas cognoſcere noſtras preces ex relatione Angelorum. Eadem fere habet Eſtius ſupra citatus, & Raphael de la Torre, *in 2.2. q.* 83. *art.* 4. *diſp.* 3. dicens: *Etiamſi ſancti beati noſtras orationes non agnoſcerent, inde tamen non infertur, quod non orent pro nobis; nam illi bene ſciunt, nos verſari in magnis periculis, & pluribus egere; ergo poſſunt petere, & petunt auxilium divinum pro nobis.* Et infra: *Nec etiam infertur ex hoc quod beati ignorent noſtras petitiones, ipſos non eſſe utiliter invocandos. Nam aliquis, v. g. Angelus poteſt eas Deo præſentare, & ſatis nobis ſit quod Deus ipſas audiat.* De hoc aliqua dixi, *in Vera Eccleſia, tom. 2. p. 2. art.* 14. §. 7. *a num.* 46. Hæc probabiliter. Tenendum tamen eſt, ut diximus, preces noſtras a ſanctis beatis cognoſci.

DUBIUM II.

An Sancti orent pro nobis?

§. I.

Reſolutio Catholica.

I. SIcut fides Catholica docet, viventes pro mortuis quibuſdam recte orare, ut ſupra oſtenſum eſt: ita eadem fides docet Sanctos cum Chriſto in cælis regnantes pro viventium ſalute ſollicitos eſſe, de quo plura dixi, *in Vera Eccl. tom. 2. part. 2. art.* 14. §. 8. Quia vero quæſtio agitari poteſt de oratione ſanctorum pro viventibus in genere, & pro viventibus etiam in particulari, ideo utramque expediemus.

II. Dico primo. Sancti orant pro nobis ſaltem in genere. Probo primo. Ex ſcriptura conſtat, ſanctos Angelos pro nobis orare, & apud Deum intercedere, *Tobiæ* 3. & 12. *Pſalm.* 90. *Daniel* 10. & 12. *Zachar.* 1. *Matth.* 18. *Heb.* 1. & alibi. Nec enim hæc ad nudam hominum cuſtodiam referenda eſſe, ſed ad orationem, & interceſſionem aperte oſtendit locus *Zachar.* 1. *v.* 12. ubi Angelus pro ſalute Judæorum ita Deum precatur: *Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Et ſuper illa verba *Danielis* 10. *v.* 21. ubi Angelus ait: *Et nemo eſt adjutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter*, commentatur Hieronymus: *Ego ſum* (inquit) *Angelus ille, qui offero Deo orationes tuas: & nullus eſt alius, qui adjutor meus ſit rogandi pro vobis Deum, niſi Michael Arcangelus, cui creditus eſt populus Judæorum.* Ergo etiam beatæ animæ Angelorum concives, ejuſdem cum illis voluntatis, & charitatis pro viventibus orant: eoque magis, quod ejuſdem naturæ ſimul, & redemptionis per Chriſtum ſint nobiſcum participes, ideoque arctiori quodam ſocietatis vinculo nobis conjunctæ, quam Angeli, quos & naturæ ſublimitas, & redemptionis immunitas a nobis ſecernit. Utitur hoc argumento S. Bernardus, *Serm.* 2. *de S. Victore.*

III. Probo ſecundo, ex orationibus fidelium in hac vita, dum vel pro ſe orant, vel pro aliis, ut juſti pro juſtis, aut juſti pro peccatoribus. Sic enim ſanctos olim Prophetas, & Sacerdotes, Moyſen, Aaron, Samuelem, Jeremiam, & alios ſæpe Deum pro populo oraſſe legimus. Sic *Gen.* 20 *verſ.* 7. dixit Deus ad Abimelech, Abraham *orabit pro te, quia Propheta eſt, & vives*, & de Job, *cap.* 42. *v.* 8. ait Dominus: *Job autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia.* S. Paulus in omnibus ſuis Epiſtolis, & ſe ſine intermiſſione orare pro omnibus ad quos ſcribit, & eorum viciſſim orationes pro ſe, & pro felici curſu Evangelii ſtudioſe implorat. Demum in oratione Dominica Chriſtus ipſe nos docuit orare, & petere etiam pro aliis; Ex his quæ certa ſunt, peto ab adverſariis. Si Sancti dum erant in vita orabant pro aliis fidelibus, eorumque ſalute: Cur modo regnantes cum Chriſto pro eiſdem non orant, eorumque ſalutis curam non gerunt, modo, inquam, jam de ſua ſalute ſecuri, & habentes charitatem jam confirmatam, eamque erga nos multo majorem, quam dum adhuc in terris nobiſcum verſarentur? Hoc probandi modo uſi fuere Cyprianus, *in Tract. de Mortalitate*, & præcipue Hieronymus adverſus Vigilantium, quem ſic perſtringit: *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus mutuo pro nobis orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio . . . Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam: & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutoribus veniam deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperunt, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in navi animas condonatas: & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto ora clauſurus eſt: & pro his qui in toto orbe ſuo Evangelio crediderunt, mutire non poterit?* Hæc Hieronymus, & quidem fortiter.

IV. Alia via ex duobus præfatis exemplis procedere placet contra Recentiores hæreticos. Ipſi enim negant beatas animas orare, & intercedere pro nobis, ne fiat injuria Chriſto mediatori, qui pro nobis ſemper interpellat, & ſufficientiæ pretii ab ipſo pro nobis in cruce ſoluti. Sic igitur arguo. Angeli ſancti pro nobis orant, fideles in hac vita mutuis precibus invicem ſe adjuvant, quod ipſi quos arguo negare non audent. Vel ergo horum orationibus fiet injuria Chriſto unico mediatori, & pretio in cruce per ipſum ſoluto, quaſi hoc fuiſſet inſufficiens, & conſequenter dicendum a nemine amplius eſſe orandum, quod certe non affirmabunt. Vel quod etſi animæ beatæ orent pro viventibus, nulla fiat injuria mediationi Chriſti, & pretio per ipſum in cruce ſoluto.

V. Probo tertio. Sancti veteres adhuc in limbo poſiti, erant in ſtatu orandi, & de facto orabant, ergo multo magis animæ ſanctæ in Cælis regnantes. Ant. pro prima parte indicavit Deus ipſe, *Jeremiæ* 15. *verſ.* 1. ubi ait: *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Ubi cum dixerit *ſi ſteterit*, non vero *ſi ſtetiſſet*, aut *ſi ſtaret* aperte indicavit, Moyſen, & Samuelem eſſe adhuc in ſtatu orandi pro illo populo, ſed eorum preces ſe non exauditurum, ut olim. Si enim Moyſes, & Samuel mortui, non eſſent amplius capaces ſtandi orantes coram Deo, inepta eſſet locutio; ſicut eſſet iſta ſi venerit huc Cicero, vel Demoſtenes non perſuadebunt mihi, quia mortui huc venire non ſolent. Hanc interpretationem defendi in *Vera Eccl. Tom. 1. part. art.* 14. §. 8. *num.* 59. & 60. & dictis Patrum confirmavi. Modo addo S. Gregorium. *Hom.* 27. *in Evangelia*, qui exponens præfata verba *Si ſteterit &c.* in perſona Dei ait: *Nec illos audio, quos propter magnum petitionis ſuæ meritum minime contemno.* Et infra: *Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito orare etiam pro inimicis ſcio.* Quibus aperte indicat, Moyſen, & Samuelem etiam modo mortuos orare pro amicis, & pro inimicis, ſed Deum nolle eos pro amicis modo orantes exaudire.

Negare tamen non poſſum S. Thomam, *in* 4. *diſt.* 45. *qu.* 3. *art.* 3. *ad* 2. præfatum textum exponere de Moyſe, & Samuele viventibus, ait enim: *Quod Dominus loquitur ibi de Moyſe, & Samuele ſecundum quod fuerunt in hac vita, ipſi enim leguntur pro populo orantes ira Dei reſtitiſſe: & tamen ſi illo tempore fuiſſent, non potuiſſent orationibus Deum placare ad populum propter populi illius malitiam: & hic eſt intellectus litera.* Quare ex præfato textu non videtur ſatis firmum pro orationibus Sanctorum contra hæreticos confici argumentum.

VI. Pro ſecunda vero parte affertur textus ex 2. *Machab. cap. ult.* ubi *v.* 12. dicitur viſum fuiſſe Oniam jam mortuum *Manus protendentem orare pro omni populo Judæorum*; & *v.* 24. cum apparuiſſet alius vir, Oniam dixiſſe: *Hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta Civitate, Jeremias Propheta Dei.* His adeo claris teſtibus nil aliud opponunt hæretici, niſi quod libri Machabæorum non ſunt Canonici. Sed eos eſſe canonicos, & divinos oſtendi ſupra de purgatorio. Item, *in Vera Eccl. Tom. 2. part. 2. art.* 14. §. 9. & *in Tract. de lib. Vera Relig.* nondum publici juris facto.

VII. Alia pro hac veritate proferuntur ex novo Teſtamento. Primo, illud 2. *Petri* 1. *verſ.* 15. ubi poſtquam dixit ſe per revelationem certum eſſe brevi moriturum ſubdit: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Quibus indicare videtur, ſe etiam poſt mortem ſollicitum fore, ut memoria teneant ea, quæ vivens ipſo docuerat. Quamvis aliqui aliter ea exponant, ut ſi dicat. Dabo operam frequenter hæc inculcando vivens, ut poſt obitum meum ea memoriam recolatis. Unde ex hoc textu non habemus firmum argumentum.

Secundo, *Apoc.* 5. ubi deſcribuntur vigintiquatuor ſeniores in Cælo procidiſſe coram throno Dei *habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Quibus ſignificatur, quod ſicut Angeli, ita animæ beatæ in cælo offerant Deo orationes viventium, eas ſuis interceſſio-

ceſſionibus, & patrociniis adjuvando —— Item. *Apoc. 6.* Animæ ſanctorum Martyrum magno clamore petunt vindictam de interfectoribus ſuis, verſ. 10. *Et clamabant voce magna dicentes: Uſquequo Domine (Sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui ſunt in terra?* ergo multo magis miſericordiam petunt fratribus, & amicis ſuis. Voces autem illæ non poſſunt referri ad tempus quo erant in terra, ut ſomniat Brentius; nam Martyres in terris non petebant a Deo vindictam de perſecutoribus, ſed veniam potius illis implorabant. Voces ergo illæ ſunt Martyrum in cælis petentium vindictam ex amore juſtitiæ, & gloriæ Dei: ideoque dicunt, *uſquequo vindices de iis qui ſunt in terra?* Voces ergo illas emittebant Martyres jam in cælis coronati.

VIII. Ne miretur tamen pius Lector ſi Scripturæ de orationibus, & interceſſionibus Sanctorum jam defunctorum, ſive veteris, ſive novi Teſtamenti pauca, & hæc ſuboſcure videantur loqui. Ut enim notat Eſtius, *in 4. diſt. 45. §. 14.* Scriptura vetus, cum ei populo tradita fuerit, qui ad cultum idolorum, & ſuperſtitionem multorum Deorum erat admodum proclivis, ei proinde non parum erat periculi, ſi hæc de interceſſione ſanctorum doctrina fuiſſet ſtudioſius inculcata, ne ad divinos honores mortuis exhibendos, quos etiam lignis, & lapidibus, ſæpe exhibuiſſe arguitur, facile fuiſſet prolapſus. Novi vero Teſtamenti Scriptura in fundamento ſalutis, ideſt, fide in Chriſtum Redemptorem ſtatuenda, potiſſimum occupatur. Neque multum expediebat, ut Gentilibus recenter a cultu Deorum ad unius Dei fidem converſis, de mortuorum hominum patrociniis, & invocatione multa ſtatim ab initio proponerentur, ne forte vel ſibi, vel infidelibus, qui ad fidem Chriſtianam adhuc adducendi erant, non tam abjeciſſe, quam mutaſſe Deos viderentur, eaque ratione illi a vera Religione fierent alieni. Et ſane cum Catholici Manichæis opponerent, quod duos Deos, unum bonum, alterum malum colerent, apud Sanct. Auguſtin. *lib. 20. contra Fauſtum, cap. 4.* Fauſtus ipſe opponit catholicos idololatriam, & gentiliſmum non ſuſtuliſſe, ſed mutaſſe: *Vertiſtis* (inquit) *idola in Martyres, quos vobis ſimilibus colitis &c.*

IX. Non deeſt tamen, idque fortiſſimum pro orationibus, & interceſſionibus ſanctorum beatorum argumentum ex Scriptura. Hæc enim aperte docet communionem Eccleſiæ triumphantis cum militante. Nam, *Hebr. 12.* Apoſtolus dicit nos acceſſiſſe ad Eccleſiam primitivorum, qui ſunt in Cælis, ideſt, factos concives, & adſcriptos in ſocietatem eorum, qui ſunt in Cælis. *Galat. 4. v. 26.* Illam, quæ ſurſum eſt Jeruſalem eſſe Matrem noſtram. Et *Coloſſ. 1. v. 18.* & *ad Epheſ. 1. v. 22.* dicit, quod Deus Chriſtum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam cæleſtem, hujus enim etiam caput eſt Chriſtus. His ergo poſitis ſic arguo. Si Sancti in cælis regnantes ſunt concives noſtri, ſi Eccleſia triumphans, in qua ſunt illi, & militans ſunt unum corpus, cujus caput eſt Chriſtus: ergo inter Sanctos, & nos debet eſſe communio, qualis inter membra ejuſdem corporis ſub uno capite: ſed iſta communio exigit, ut membra ſint pro invicem ſollicita, & ut membrum fortius juvet infirmius. Hanc enim eſſe naturam membrorum ſub uno capite, docet Paulus, *Rom. 12. 1. Cor. 12.* ergo Sancti in Cælis, qui ſunt membra charitate, & meritis fortiora, nos juvant, qui membra ſumus debilia, & infirma. Ita cenſuit Georgius Caſſander in conſultatione ſuper Auguſtin. confeſſione, dicens: *Hanc enim communionis ſanctorum Deus vim eſſe voluit, ut membrorum inter ipſa quadam connexio eſſet, ſic ut infirmiora membra firmiorum membrorum virtute ſuſtentarentur.* Quam doctrinam, nec Hugo Grotius in annot. ad præfatam conſultat. quamvis Acatholicus improbare audet, afferens exemplum veterum, qui Deum rogabant, ut propter Abraham, Iſaac, & alios Sanctos viros eis benefaceret, ſubdens: *Neque enim minor eſt noſtra cum martyribus ſpiritualis conjunctio, quam illa carnalis populi Hebraici cum Patriarchis.*

X. Propterea audiendus non eſt Calvinus, qui, *lib. 3. Inſtit. c. 20. §. 24.* audet afferere, quod mortuos *a noſtro contubernio dum ſubduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiſcum.* Si enim diceret, nobis cum mortuis ſanctis nullum eſſe commercium, nec illis nobiſcum, in eis quæ pertinent ad vitam civilem, verum diceret: at quod nec in iis quæ pertinent ad vitam ſpiritualem, ullum ſit inter eos, & nos commercium, quomodo ſuſtineri poteſt, ſi ſumus cum illis unus populus, unum corpus, una Eccleſia? *Neque enim* (inquit S. Auguſt. lib. 20. de Civit. Dei, c. 9.) *piorum anima mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, qua etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Chriſti: nec aliquid prodeſſet ad ejus in periculis baptiſmum currere, ne ſine illo finiatur hac vita: nec ad reconciliationem, ſi forte per pœnitentiam, malamve conſcientiam quiſque ab eodem corpore ſeparatus eſt.* Quæ Auguſtini ratiocinatio bene adnotanda eſt.

XI. Suppoſita igitur hac conjunctione inter ſanctos, & viventes tamquam inter membra ejuſdem corporis, & cum charitas, quæ eſt vinculum uniens membra hujus corporis, & quæ in beatis perfectior eſt, probat S. Thom. 2. 2. *qu. 83. art. 11.* Sanctos beatos orare pro nobis, & quod *quanto Sancti ſunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari poſſunt, & quanto ſunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes ſunt magis efficaces.* Nec tamen inferas, ex hoc ſequi orationes inferiorum ſanctorum, utpote minoris efficaciæ, non eſſe implorandas. Nam reſpondet ibi ad 4. *Quod Deus vult inferiora per omnia ſuperiora juvari. Et ideo oportet, non ſolum ſuperiores, ſed etiam inferiores ſanctos implorare: alioquin eſſet ſolius Dei miſericordia imploranda. Contingit tamen quandoque, quod imploratio inferioris ſancti efficacior ſit, vel quia devotius imploratur, vel quia Deus vult ejus ſanctitatem declarare.* Qua ratione plures gratias obtinemus interceſſione recentium ſanctorum, quam veterum, non quia illi majoris meriti coram Deo ſemper ſint, ſed quia vel erga eos devotio noſtra magis afficitur, vel quia eorum ſanctitatem vult Deus declarare,

Hanc eamdem veritatem confirmat S. Th. *in 4. diſt. 15. qu. 4. art. 6. quæſtiunc. 2.* dicens: *Quidam hæretici dixerunt, quod ſancti non poſſunt nos juvare orando pro nobis, quia unuſquiſque recipit ſecundum ea, quæ gerit. Sed hoc eſt contra articulum fidei, qui eſt ſanctorum communio, quæ per charitatem fit: & ideo cum etiam ſanctis, qui ſunt in patria, ſit perfectiſſima charitas, competit eis pro nobis orare, non autem pro ſe, quia omnia eis ad votum ſuccedunt.*

XIII. Dico ſecundo. Sancti, qui cum Chriſto regnant, orant pro viventibus non ſolum in genere, ſed pro ſingulis etiam in particulari, ſpecialiter cum ab his implorantur. Hæc aſſertio ſequitur ex jam ſtatutis. Si enim ſancti beati æquali charitate feruntur erga omnia, ac erga ſingula membra ſui corporis: Si etiam preces, quæ ad eos diriguntur, cognoſcunt, non ſolum in communi, ſed etiam in particulari, ſequitur, eos orare non ſolum pro viventibus in genere, ſed etiam pro particularibus eorum patrocinium implorantibus. Hæc perſuaſio primis Eccleſiæ ſæculis adeo obtinuerat, ut tempore Sancti Auguſtini, *lib. de cura pro mortuis*, non pauci exiſtimarent, martyres per realem præſentiam adeſſe ſingulis opem petentibus, ut videre eſt citato libro, *cap. 16.* Hoc fuſe demonſtrat Bellarminus, *lib. 1. de Beatitud. SS. cap. 18.* a quibus tamen referendis abſtineo, ſicut & ab objectionibus, quas contra dicta hæretici congerunt, tum quia ex dictis evaneſcunt: Tum quia, dum agemus de invocatione ſanctorum, eas ſolvemus.

§. II.

An Sanctorum meritis adjuventur viventes?

XIII. REcentiores hæretici, qui negant, ſanctos pro nobis orare, & eorum preces (ſi dentur) nihil nobis prodeſſe; multo magis inficiantur, eorum merita quidquam in nobis operari, ſive quia in eis nulla admittunt merita, ſive quia ſolius Chriſti meritis omnia nobis a Deo conceduntur bona. Sed his non obſtantibus.

XIV. Dico. Sanctorum beatorum meritis, quæ dum viverent, compararunt, fideles viventes maxime adjuvantur. Quod Sancti modo beati merita ſibi dum hic viverent, compararint, & quod beatitudo quam poſſident ſit retributio pro meritis, non eſt hic diſputandum. Hanc enim veritatem contra Sectarios ex profeſſo ſtatui, *tom. 1. in 1. 2. tract. de merito, qu. 5. dub. 2. & 3.*

Quod vero merita, quæ dum viverent ſancti, modo beati, compararunt, poſſint viventibus communicari, eiſque prodeſſe, conſtare etiam poteſt ex articulo communionis Sanctorum, quam non ſolum inter viventes eſſe, ſed etiam inter beatos, & viatores perſeverare tamquam inter membra ejus corporis, jam oſtendimus. Unde fiet, ut ſicut inter viventes merita unius de congruo, non de condigno, prodeſſe poſſunt aliis: ita merita beatorum prodeſſe poſſint mortalem vitam agentibus, ſic, ut ex illis poſſit moveri Deus ad bona iſtis conferenda.

XV. Ita autem contigiſſe oſtendit inter alios Caſſander in prælaudata ſua conſultatione adducens ex ſcripturis exempla. Ex quo adducam ſequentia, non ad vivos ſolum, ſed ad vita mortali defunctos pertinentia, *3. Reg. 15. v. 4.* Abiæ Regi Juda filio Roboam, quamvis mali meriti regi, tamen *propter David dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Iſrael*, ideſt, filium, qui regnaret poſt ipſum. Ne autem dicatur, hoc conceſſiſſe Deum unice ob implendam ſuam promiſſionem, ſubjungit immediate, v. 5. virtutes, & merita Davidis pro cauſa, nimirum: *Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi.* Et eodem libro, *cap. 11.* ob merita Davidis ſtatuit Deus regnum ſuper Juda a poſteris ejus non auferre.

XVI. Rurſus, *4. Reg. 19. v. 34.* dicit Dominus: *Protegamque Urbem hanc* (Jeruſalem) *& ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Et Iſaiæ *37.* idem repetit his verbis: *Et protegam civitatem iſtam, ut ſalvem eam propter me, & propter David ſervum meum.* Ubi ly *propter me* deſignat promiſſionem, & pactum a Deo factum, ly autem *propter David ſervum meum* deſignat Davidis merita, intuitu quorum Deus promiſit, & voluit implere promiſſionem. Unde S. Chryſoſt. hom. 42. in Gen. *Multa enim* (inquit) *Domini bonitas eſt, & ſæpe ſolet etiam propter paucos mul-*

multis dare ſalutem. Et quid dico propter paucos juſtos? Sæpe quando non inventus eſt in præſenti vita juſtus, propter defunctorum virtutem, viventium miſeretur, & curam habet: Unde clamat dicens, protegam Civitatem hanc propter me, & propter David puerum meum: *Quaſi diceret, licet ipſi indigni ſint, qui ſerventur, & nullam ſalutis habeant occaſionem: Verum quia ſolitus ſum miſericorditer agere.... propter me ipſum, & propter puerum meum David protegam: & qui ante tot annos e vita migravit, hic auctor eſſe ſalutis iis, qui ſua ſeſe perdiderant deſidia. Vidiſti clementiam Domini, quomodo eos, qui virtute pollent, honore afficit, præponit, & toti multitudini æquiparat.* Eadem habet, *Hom.* 26. alias 27. *in Matth.* ubi de Davide ait, quod peccati ſui ita maculas eluit, ita mundus apparuit, ut etiam poſt mortem nepotum ſuorum peccata obtegeret: inde obſervat, Deum ex modo loquendi plus tribuere Davidi, quam Abrahæ: nam de hoc loquens, ait: *Recordatus ſum teſtamenti mei, quod fuit ad Abraham*: hic vero non loquitur de teſtamento. Sed quid? *Propter David puerum meum protegam hanc Civitatem*: ideſt non pure propter factum, ut Sectarii autumant, ſed ob Davidis merita.

XVII. Præterire tamen non poſſum, quod Caſſander præcitata conſultatione refert, nimirum: *Hanc de communicatione meritorum Eccleſiæ ſententiam non uno loco Bucerum confeſſum fuiſſe. Nam contra Abrincenſem, ſanctis, ſeu divis, ut ipſe appellat, cœleſtibus tribuit noſtri ſummam charitatem, noſtraque ſalutis voluntatem, Deo quoque illos tanti eſſe, ut propter eos nobis plurima largiatur. Ibidem: ſicut fidem ipſam, inquit, bonorum operum, ac meritorum fontem, donum Dei gratuitum agnoſcimus, & ipſa opera, & merita, Dei gratuita munera confitemur, quæ ex ſe nihil, dignatione tamen Dei, meritoque Chriſti, id ſive nobis, ſive aliis merentur, quod illis Deus ex ultronea ſua benevolentia rependere ſtatuit. Ibidem. Fatemur, inquit, eam eſſe communionem Eccleſiæ, ac mutuam Spiritus Sancti, totiuſque divinæ beneficentiæ ſubminiſtrationem, ut alii aliorum gratia ingentia a Deo beneficia, tum interna, tum externa percipiant. Idem in diſputatis Ratiſbonæ, anno 1546. de publicis Eccleſiæ precibus, quas collectas vocant, in quibus interceſſiones, & merita Sanctorum commemorantur, ita ſcriptum reliquit. Cum in his precationibus, quidquid divorum tribuitur interceſſionibus, vel meritis, id totum non ab ipſis divis, ſed a miſericordia Dei, & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum petitur, eo ipſo qui ſic orant, confitentur, & teſtantur, ſe ea, quæ a Deo per ſanctorum interceſſionem, & merita orant, agnoſcere eſſe gratuita Dei dona &c.* Hæc ex Bucero uno ex primis Pſeudo-reformatoribus refert Caſſander. Ex quibus deducitur, interceſſiones, & merita Sanctorum, non tollere, quin ea quæ ipſis mediantibus conſequimur, ſint dona miſericordiæ Dei, & per merita Chriſti, quæ ſola in ſanctorum meritis operantur, eorumque interceſſiones roborant. Qua doctrina modernis Sectariis ora obſtruuntur.

XVIII. Ut vero Sectarii, ſi fieri poterit, tandem acquieſcant, & diſcernere incipiant inter gratias, & miracula quæ per interceſſionem ſanctorum fiunt, & ea quæ Chriſtus facit, oportet, ut de omnibus ſanctis teneant regulam, quam S. Auguſt. *Serm.* 51. *de diverſis* (modo *Serm.* 319.) tradit: nimirum, *Stephanum Sanctum feciſſe miracula in nomine Chriſti, nullum autem miraculum feciſſe Dominum Chriſtum in nomine Stephani; ut diſcernatis ſervum a Domino, cultorem a Deo, adoratorem ab adorando.* Et in Pſalm. 130. *Ad vocem* (inquit) *Domini ſurrexerunt mortui, ad umbram tranſeuntis Petri ſurrexit mortuus. Majus hoc videtur, quam illud. Sed Chriſtus facere ſine Petro poterat, Petrus niſi in Chriſto non poterat: Quia ſine me, inquit, nihil poteſtis facere.* Hoc diſcrimine volebat Auguſtinus, ut diſſiparet Chriſtianus calumniam veterum Paganorum: Utinam valeat ad diſſipandam calumniam modernorum hæreticorum.

§. III.

An Orationes Sanctorum ad Deum pro nobis fuſæ ſemper exaudiantur?

XIX. SUpponit S. Thom. *q.* 72. *Suppl. art.* 3. ubi hanc rem pertractat: *Quod Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis. Uno modo oratione expreſſa, dum votis ſuis aures divinæ clementiæ pro nobis pulſant. Alio modo oratione interpretativa, ſcilicet per eorum merita, quæ in conſpectu Dei exiſtentia non ſolum eis cedunt ad gloriam, ſed ſunt nobis etiam ſuffragia, & orationes quædam: ſicut etiam ſanguis Chriſti pro nobis effuſus, dicitur veniam petere.* His ſuppoſitis.

XX. Dico. Orationes ſanctorum, quatenus votis ſuis expreſſe orant aliquid pro nobis poſtulando, ſemper exaudiuntur: *Quia* (inquit S. Th. hoc art. 3. 3.) *Non volunt niſi quod Deus vult, nec petunt, niſi quod volunt fieri. Quod autem Deus vult, ſemper impletur* (niſi loquamur de voluntate antecedente, ſecundum quam ſi velint etiam ſancti, eorum voluntas non impletur.) Ut ergo docuerat, art. 1. ad 3. *Animæ ſanctorum habent voluntatem plenarie conformem divinæ voluntati etiam in volito. Et ideo, quamvis affectum ad proximum retineant, non tamen eis aliter auxilium ferunt, quam ſecundum divinam juſtitiam vident eſſe diſpoſitum*: vel ut ait hoc art. 3. ad 5. *niſi quod in divina voluntate conſiciunt*. Unde quamvis non ſemper impleatur deſiderium noſtrum in eo, pro quo oramus ſanctos, ſemper tamen impletur eorum voluntas, & oratio exauditur, quæ non aliud petit, niſi ut fiat id, quod Deus fieri decrevit: quo ordine ſi nos peteremus, voluntas etiam noſtra, & oratio ſemper exaudietur.

XXI. Sed dices primo. Si Sancti ſemper exaudirentur, maxime in his, quæ ad ipſos pertinent; ſed in his non ſemper exaudiuntur. Nam, *Apoc.* 6. Martyribus petentibus vindictam de his qui habitant in terra, dictum eſt, *ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum ſuorum*: ergo multo minus exaudiuntur de his, quæ ad alios pertinent.

XXII. Reſpondet S. Th. hoc art. 3. ad 1. *Quod illa oratio Martyrum non eſt aliud, quam eorum deſiderium de obtinenda ſtola corporis, & ſocietate ſanctorum qui ſalvandi ſunt, & conſenſus, quo conſentiunt divinæ juſtitiæ punienti malos. Unde Apoc.* 6. *ſuper illud*: Uſquequo Domine &c. *dicit Gloſſa: deſiderant gaudium majus, & conſortium ſanctorum, & juſtitia Dei conſentiunt*. Non tamen quia eorum beatitudini eſſentiali aliquid deeſſet, ſed quia optabant eam extendi ad corpus: & hoc quia ignorabant tempus quo hoc futurum eſſet: unde comperta Dei voluntate illud ad modicum differendi, quieverunt. Quare eorum petitio non fuit abſoluta, ſed conditionata.

XXIII. Dices ſecundo. Angelorum preces non ſemper exaudiuntur. Nam, *Daniel.* 10. Angelus, qui venerat in adjutorium Danielis pro liberatione populi orando, conqueritur, quod ejus oratio fuerit impedita ab oratione contraria Angeli Perſarum: *Ego veni* (inquit) *propter ſermones tuos: Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi uno, & viginti diebus*; ergo de Orationibus Beatorum idem dici poteſt.

XXIV. Reſpondet S. Th. ibi ad 3. *Quod iſta pugna bonorum Angelorum non intelligitur ex hoc, quod apud Deum contrarias orationes funderent, ſed quia contraria merita ex diverſis partibus ad divinum examen referebant, divinam ſententiam expectantes. Et hoc eſt, quod Gregor.* 17. *Moral.* (cap. 8. modo 12.) *exponens prædicta verba Danielis dicit*: Sublimes ſpiritus gentibus principantes nequaquam pro injuſte agentibus decertant, ſed eorum facta juſte judicantes examinant. Cumque uniuſcujuſque gentis, vel culpa, vel juſtitia ad ſupernæ curiæ conſilium ducitur, ejuſdem gentis præpoſitus, vel obtinuiſſe in certamine, vel non obtinuiſſe perhibetur. Quorum tamen omnium una victoria eſt ſui ſuper ſe opificis voluntas ſumma, quam dum ſemper aſpiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt. *Unde nec petunt. Ex quo etiam patet, quod orationes eorum ſemper exaudiuntur.*

XXV. Dices tertio, *Hierem.* 15. dicitur: *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*; ergo orationes ſanctorum non ſemper exaudiuntur. Hunc textum expendimus ſupra §. 1. *num.* 5. Nam Sanct. Thom. *in* 4. *diſt.* 45. & hæc *quæſt.* 72. *art.* 3. *ad* 2. vult, quod Dominus loquatur de Moyſe, & Samuele ſecundum ſtatum quo fuerunt in hac vita, qui etſi pro populo orantes iræ Dei reſtiterint, ſi tamen eo tempore vixiſſent, non potuiſſent orando Deum placare. Et ſecundum hanc interpretationem ceſſat difficultas: quia concedimus, orationes juſtorum in hac vita degentium non ſemper exaudiri —— At in ſententia plurium volentium, Deum ibi loqui de Moyſe, & Samuele mortuis: dici poteſt, vel Deum non loqui abſolute, ſed hypothetice, & conditionate *ſi ſteterit*: unde non ſequitur, quod de facto ſteterint, & orarint, & quod repulſam paſſi fuerint, ſed quod paſſi fuiſſent, ſi oraſſent. Vel quod cum eo tempore, quo Deus loquebatur, Moyſes, & Samuel nondum eſſent beati in Cælo, ſed in limbo, ignorantes divinam voluntatem, orare poterant pro populo, & eorum oratio non exaudiri. Non ſic autem beati ut dictum eſt.

XXVI. Dices quarto. Si beati non orant, niſi pro eo quod Deus vult, & ſciunt eum velle, cum id quod Deus vult ſemper fiat, etiam ipſis non orantibus fiet, & ſic eorum orationes erunt ſuperfluæ, & inefficaces ad aliquid impetrandum.

Reſpondeo hoc diſcurſu evinci omnes prorſus orationes eſſe infructuoſas, & ſuperfluas. Nam vel illis petitur id quod Deus vult fieri, & ſic cum quod Deus vult fieri ſemper fiat, etiam nobis non orantibus fiet: vel petitur id quod Deus non vult fieri; & ſic cum Dei voluntas debeat impleri, nobis etiam orantibus non fiet.

Reſpondeo igitur cum S. Thom. *art.* 3. *citat. ad* 5. neg. illatum. Nam Beati nihil aliud petunt, niſi quod in divina voluntate conſpiciunt: *Nec tamen oratio eorum eſt infructuoſa: quia ſicut dicit Auguſtinus, in Libro de Prædeſt. Sanctorum* (ſeu de Dono perſev. c. 22. & Gregorius, lib. 1. Dialog. c. 8.) *Orationes Sanctorum prædeſtinatis proſunt, quia forte prærordinatum eſt, ut intercedentium orationibus ſalventur: & ita etiam Deus vult, ut orationibus Sanctorum impleatur illud, quod Sancti vident eum velle*. Igitur ſi Deus vellet abſolute fieri, nullo habito reſpectu ad orationes, verum eſt quod fiet. At ſi velit fieri orationibus intervenientibus, non fiet, niſi illæ interveniant. Sicut qui vult dare gloriam intervenientibus meritis, non dat gloriam niſi merita interveniant.

XXVII. Hic recolenda ſunt quæ ſupra, *Quæſt. 4. Dub. 2. §. 3. n. 27.* indicavimus ex S. Thom. hoc art. 3. ad 4. *Quod licet Sancti non ſint in ſtatu merendi ſibi, poſtquam ſunt in patria, ſunt tamen in ſtatu merendi aliis, vel potius ex merito præcedente alios juvandi. Hoc enim apud Deum viventes meruerunt, ut orationes eorum exaudirentur poſt mortem.*

Vel dicendum, quod oratio ex alio meretur, & ex alio impetrat. Meritum enim conſiſtit in quadam adæquatione actus ad finem propter quem eſt, qui ei quaſi merces redditur. Sed orationis impetratio innititur liberalitati ejus, qui rogatur, propter quod quandoque ex liberalitate ejus, qui rogatur, impetrat oratio, quod non meruit, vel ille qui rogat, vel ille, pro quo rogatur. Et ita quamvis Sancti non ſint in ſtatu merendi, tamen non ſequitur, quod non ſint in ſtatu impetrandi.

DUBIUM III.

An Sancti a nobis recte invocentur?

§. I.

Mendacia, & Calumniæ Calvini.

I. QUia contra catholicum dogma de invocatione Sanctorum, etſi omnes moderni Acatholici pugnent, nemo tamen impudentius, & effrænatius debacchatur, quam Calvinus, placet ejus mendacia Catholico Lectori detegere, ut diſcat, quæ fides tali impoſtori habenda ſit.

Primo ergo, *lib. 3. Inſtit. cap. 29.* Paſſim Sanctos cum Chriſto regnantes vocat mortuos, larvas, umbras, colluviem, cum Scriptura titulis honorificis eos ornet.

II. Secundo. *Eodem lib. & cap. §. 20.* dicit, ſolum Chriſtum introiſſe in ſanctuarium Cæli, & ſolum ipſum *Populi eminus in atrio reſidentis vota ad Deum deferre.* Quibus alterum ſuum errorem confirmat, nimirum ſolum Chriſtum in gloria cæleſti eſſe, animas vero Sanctorum in atrio manere expectantes diem Judicii extremi, & inſuper contradicit Scripturæ quæ dicit, orationes noſtras offerri Deo per Sanctos Angelos, Tobiæ 12. verſ. 12. *Ego* (inquit Raphael) *obtuli orationem tuam Domine.* Et Apoc. 8. verſ. 4. *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Immo contradicit ſibi ipſi, dum infra ſui oblitus admittit, Angelos offerre Deo noſtras preces.

III. Tertio. *Eodem lib. & cap. §. 21.* dicit in Hymnis, & Litaniis Papiſtarum nullam unquam fieri Chriſti mentionem, & cum ſemper oremus mortuos, nunquam in noſtris precibus Chriſtum occurrere. — Sed quis tam ſolemne mendacium non deteſtetur? Nonne enim Litanias a Deo inchoamus dicentes: *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon &c. Pater de Cælis Deus &c.* Nonne Hymni, quos in Breviario legimus, ſunt vel Ambroſii, vel Gregorii, vel Prudentii, vel Sedulii antiquiſſimorum auctorum, & omnes terminantur *Gloria tibi Domine*, vel quid ſimile? Nonne omnes orationes, quæ leguntur in Miſſa diriguntur ad Deum, & terminantur *per Chriſtum Dominum noſtrum?* Nonne invocantes Sanctos dicimus: *Orate pro nobis*; invocantes autem Deum, & Chriſtum, dicimus: *Miſerere nobis?*

IV. Quarto, *ibidem §. 22.* dicit, nos invocare Sanctos plane ut Deos, & habere nos Deos plurimos, non pro numero urbium, ut dicitur *Jeremiæ 2. verſ. 28.* ſed pro numero capitum multitudinis. — Sed hanc eſſe impoſturam manifeſte oſtendunt Litaniæ, ubi ad Sanctos dicimus: *Ora pro nobis.* Nemo autem Deo dicere auderet: *Sancte Deus ora pro nobis.* Et quamvis aliqui erga aliquem ex Sanctis ſpecialiter afficiantur, eum tamen non ut Deum, ſed ut ſervum, & amicum Dei proſequuntur. Sed hæc non eſt nova calumnia. Nam etiam antiqui Eccleſiæ hoſtes mentiebantur homines mortuos pro Diis a Catholicis haberi, ut patet ex Cyrillo, *lib. 6. in Julian. ultra med.* & *lib. 10. ante med.* ex Euſebio, *lib. 4. hiſt. cap. 15.* & *lib. 8. cap. 6.* & ex Auguſt. *lib. 22. contra Fauſt. cap. 4.* & ex Hieronymo *contra Vigilantium.*

V. Quinto ibidem dicit, nos rogare Virginem, ut filium jubeat facere quod petimus. — At cur mendaciſſimus nebulo id aliquo exemplo non probat? Verum ſi *Joſue 10. v. 14.* dicitur: *Obediente Domino voci hominis:* cur non poſſet in aliquo lato ſenſu dici, filium Dei obedire matri aliquid petenti?

VI. Sexto ibidem dicit, nos ante ſtatuas Barbaræ, vel Catharinæ demurmurare *Pater noſter*, & Paſtores hunc uſum ſuo plauſu approbare. — Non diffiteor. Sed fideles etiam ſimpliciſſimi interrogati, quid in hoc actu intendant, nonne reſpondebunt, ſe orationem dominicam dirigere ad Deum, id autem ſe facere coram imaginibus Sanctorum, ſperantes per auxilium Sanctorum ſuam orationem ad Deum felicius perventuram: ſicut quis exponeret Regi ſupplicem libellum coram miniſtro, ſperans ejus auxilio gratiam facilius ſe conſecuturum? Quod ſi quis adeo ſtolidus, diceret S. Barbaræ *Pater noſter*, quid hoc contra Eccleſiam, & Paſtores, qui talem ſtoliditatem damnarent?

VII. Tandem reputat horrendum ſacrilegium vocare ſanctos Præſules ſalutis, & Sanctis dicere: *E Cælo nos reſpice, nos adjuva.* — Sacrilegus ergo fuit Ambroſius, qui, *lib. de Viduis*, ait: *Iſti ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ, actuumque noſtrorum.* Sacrilegus etiam Greg. Nazianzenus, qui, *Orat. 18. in Laudem S. Cypriani*, hæc dicit: *At tu nos e Cælo benignus aſpicias ſermones noſtros, & vitam gubernes, ſacrumque hunc gregem paſcentem adjuves, &c.* & ſimilia repetit in laudem SS. Baſilii, & Athanaſii. Si ergo iſti ſacrilegi non fuerunt, ſed pii, neque ſacrilega Eccleſia Catholica, quæ veterum pietatem erga Sanctos imitatur. Sed ut clarius appareant Calvini, & ſuorum impoſturæ, primo oſtendam, quomodo Sancti non ſint invocandi, & deinde quomodo invocandi ſint.

§. II.

Modus quo Sancti Invocandi non ſunt.

VIII. CIrca modum Sanctos invocandi duo ſunt errores extremi. Primus referente Epiphanio, *Hæreſ. 78. & 79.* fuit quorumdam, qui Collyridiani dicti ſunt: Hi enim S. Mariam omnium Sanctorum Reginam veluti Deam invocabant parem Deo, eique propterea Collyridam panis velut in ſacrificium offerebant. Alter fuit, & eſt eorum, qui Sanctos, & etiam B. Virginem, quocumque modo invocandos eſſe negant, dicentes eſſe homines mortuos, nullam notitiam precum noſtrarum, aut curam noſtri habentes. Contra primum errorem hic agemus, deinde in ſequentibus contra ſecundum.

IX. Dico ergo primo. Non licet invocare Sanctos, nec ab eis petere, ut nobis tamquam auctores conferant gloriam, gratiam, aliaque beneficia ad beatitudinem conducentia. Eſt contra primum errorem, & contra calumnias ſupra relatas Calvini, & ſuorum.

Probatur autem primo. Nam certum eſt, Deum ſolum eſſe gratiæ, & gloriæ auctorem, & Dominum. Pſ. 83. v. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ab ipſo ſolo ſperandum eſſe auxilium, Pſ. 120. v. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino.* In quem Pſ. S. Auguſt. Per *Montes* intelligit Sanctos viros, & præcipue Apoſtolos, qui prædicatione Evangelii lucent, ad quos levandi ſunt oculi, ut illuminemur. Addit tamen: *Sed non rurſus præſumant de montibus: quia ipſi montes non a ſe lucent, ſed ab illo lucent, de quo dictum eſt: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Montes poſſunt intelligi homines magni, & homines clari. Et quis major Joanne Baptiſta? .,. audi confitentem. Et quid confitentem? Non omnes, inquit, de plenitudine ejus accepimus. De cujus ergo plenitudine acceperunt montes, ab illo eſt tibi auxilium, non a montibus, in quos tamen niſi levaveris oculos per Scripturas, non admoveberis, ut ab illo illumineris:* Eadem dicit, *Tract. 1. in Jo:* & *Serm. 46. de Paſtoribus, cap. 3.* ubi hæc habet: *Sicut enim & montes boni: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Et vide, quia non tibi in montibus ſpes eſt: Auxilium, inquit, meum a Domino, qui fecit cælum, & terram. Noli putare injuriam te facere montibus ſanctis, quando dixeris: Auxilium meum, non a montibus, ſed a Domino, qui fecit cælum, & terram. Ipſi montes hoc tibi clamant. Mons erat, qui clamabat: Audio in vobis ſchiſmata fieri, & unuſquiſque veſtrum dicit: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Chriſti. Leva oculos in iſtum montem, audi quid dicat, & nec in ipſo monte remaneas. Audi enim quid ſequatur. Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis: Ergo poſtea cum levaveris oculos in montes; unde venerit auxilium tibi .,. ſecurus ſine ulla injuria montium dicas: Auxilium meum a Domino, qui fecit Cælum, & terram. Non ſolum tibi non ſuccenſebunt montes, ſed tunc amabunt, tunc magis favebunt, ſi in ipſis ſpem tuam poſueris, contriſtabuntur. Angelus multa divina, & mira oſtendens homini ab homine adorabatur, tamquam levante oculos in montem. At ille a ſe revocans ad Dominum, noli, inquit, facere, illum adora: nam ego conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Ita Auguſtinus.

X. En quomodo a nobis invocari Sancti volunt, non ab ipſis auxilium quærendo, ſed a Domino, non in ipſis ſpem collocando, ſed in Domino, non ipſos tamquam numina adorando, ſed ad eos oculos levando, ut ad confratres noſtros, & conſervos, ut apud communem Dominum charitate ſumma qua nos diligunt, ſuffragia ſua interponant. Ita ab Eccleſia catholica Sancti invocantur, & non aliter, & qui contrarium ei impingit, manifeſtam calumniam ei imponit. Aperte enim Eccleſiæ mentem Tridentini Patres, *Seſſ. 25. in Decreto de Invocatione Sanctorum* expreſſerunt his verbis, nimirum: *Bonum, atque utile eſſe ſuppliciter eos* (Sanctos) *invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Quid, oro, hic tribuitur Sanctis, quod eos elevet ſupra conditionem ſervorum Dei, qui opem nobis præbeant rogando Deum, ut per merita Filii ſui, qui ſolus eſt noſter Redemptor, gratias, & auxilia nobis concedat?

XI. Doctrinam hanc confirmat Eccleſiæ praxis, quæ ut ſupra dicebamus in orationibus, quæ vel in miſſa, vel divino officio leguntur in celebritatibus Sanctorum, nihil unquam aliud petit, quam ut eorum precibus a Deo nobis per Chriſtum beneficia concedantur.

Con-

Confirmat etiam ratio. Nam ea quibus indigemus superant vires puræ creaturæ, sunt enim dona supernaturalia; ergo nihil debemus a Sanctis petere, nisi ut a Deo precibus impetrent quæ nobis utilia sunt. Sed hoc inferius clarius exponetur, cum adversariorum argumenta solvemus.

XII. Notandum tamen est, nos cum dicimus non debere a Sanctis, nisi ut orent pro nobis, & orando impetrent a Deo, non facere vim in verbis, sed in sensu. Nam sicut Paulus, *Rom.* 11. *v.* 14. de se dicit: *Ut salvos faciam aliquos ex illis.* Et 1. Corinth. 9. v. 22. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos;* non ut Deus dando salutem, sed concionibus, & precibus cooperando, ut digni fiant eam recipiendi a Deo: Ita si quis alicui Sancto diceret da mihi salutem, aperi mihi aditum cæli, da mihi patientiam, sanitatem, & si tamen intelligeret da mihi salutem, aperi mihi aditum gloriæ, da patientiam, eam mihi impetrando tuis meritis, & precibus, reprehendendus non esset, cum similibus verbis Cyprianum, Basilium, & Athanasium mortuos alloquatur Nazianzenus, ut alios Veteres præteream.

XIII. Dico secundo. Sancti non sunt invocandi tamquam immediati intercessores nostri apud Deum, nam quidquid a Deo nobis impetrant, per Christum impetrant. Hac assertione multæ adversariorum cavillationes præcluduntur. Tres enim personæ possunt considerari quando Deum oramus. Una ipsius Dei, a quo ut ab auctore petimus beneficia. Altera Christi, per cujus meritum precamur ea nobis conferri. Tertia ejus, qui a Deo per Christum pro nobis ea petit. Ex his tribus personis, primam gerere non possunt Sancti, sed solus Deus. Nec secundam, hanc enim gerit solus Christus, ut mox ostendemus; ergo restat, ut gerant solum tertiam, nimirum petendo a Deo nobis per Christum. Itaque Sanctos invocamus ad hoc solum, ut faciant id quod nos facimus, ut suis nostras preces juvent, quia melius, & efficacius ipsi facere possunt, quam nos, melius illi & nos simul, quam nos soli. Ita ex Bellarmino, *lib. 1. de Beatitud. Sanctor. cap.* 17.

XIV. Prob. ergo assertio. Solus Christus est, qui mundum reconciliavit Deo, & qui meruit omnibus gratiam, & gloriam, & de cujus plenitudine omnes acceperunt necessaria ad salutem: *Quia* (ut habetur Colos. 1. v. 19.) *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive qua in terris, sive qua in Cœlis sunt.* Et 1. Joann. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Propterea Christus, *Joann.* 10. *vers.* 9. de se dixit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Joann. 14. v. 9. *Ego sum vita.... Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joann. 16. v. 24. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hinc dicitur 1. Timoth. 2. v. 5. *Unus mediator Dei, & hominum,* & 1. Joann. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Ex quibus omnibus sequitur, nec nostras, nec sanctorum preces posse pervenire ad Deum, eique acceptas esse, aut gratias pro quibus orant, consequi, nisi per Christum, ejusque merita valorentur. Et hoc indicant publicæ Ecclesiæ preces, quibus dicimus: *Concede nobis Deus, ut intercedente hoc Sancto* tale beneficium consequamur. *Per Christum Dominum nostrum.*

XV. Hanc fuisse semper Ecclesiæ mentem colligo ex Patribus. Ambrosius enim, *lib. de Isaac, cap.* 8. de Christo: *Ipse* (inquit) *sit caput nostrum.... ipse oculus noster, ut per illum videamus Patrem, ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem, ipse dextera, per quam Deo Patri sacrificium nostrum offeramus.* S. Augustinus in Psalmo 108. ad illa verba: *Et oratio ejus fiat in peccatum,* ait: *Quoniam non est justa oratio, nisi per Christum.... Oratio autem, qua non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.* Et S. Bernardus, Sermone de Dominca infra octava Annuntiat. *Opus est* (inquit) *mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infundit. Sed fidelis Maria, qua salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: illa suggessit prævaricationem, ista ingessit redemptionem.* En quomodo Sanctus Abbas Mariam vocat mediatricem ad mediatorem Christum, nempe filium.

§. III.

Veritas Catholica.

XVI. Dico tertio. Sancti cum Christo regnantes, recte & utiliter a nobis invocantur, ut a Deo per Christum nobis beneficia impetrent. Constat primo ex jam dictis. Nam sancti beati cognoscunt nostras preces, charitate qua nobis conjunguntur pro nobis orant, eorum orationes, & merita per Christum sunt Deo accepta; ergo recte, & utiliter a nobis invocantur. Recolantur dicta superius, *dub.* 2. maxime §. 2. ubi fuse ostendimus per merita sanctorum, qui in veteri lege fide in Christum claruerunt, Deum multa populo concessisse.

XVII. Confirmatur rursus hoc ineluctabili argumento, quod etiam supra tetigimus. Nam in utroque Testamento sæpe legimus, viventes justos a viventibus invocatos, 1. *Regum* 7. *vers.* 8. dicunt filii Israel ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Item Job, cap. ultimo vers. 8. dicit Dominus amicis Job. *Ite ad servum meum Job.... Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia.* Et vers. 10. *Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis.* Jerem. 37. vers. 3. & cap. 42. v. 2. Item Roman. 15. v. 30. Paulus, ait, *Obsecro vos fratres.... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Idem repetit, *Ephes. 6. vers.* 19. 1. *Thessal. 5. v. 25. Coloss. 4. v. 3.* & alibi. Hoc etiam probat factum Centurionis Evangelici, qui intercessores pro se misit ad Christum seniores Judæorum, indignum se reputans, qui per se ad Christum accederet. Quod factum ne dum reprehensum non fuit, quin potius audire meruit, Lucæ 7. v. 9. *Non inveni tantam fidem in Israel.* Quo docemur humilitatis esse, quod fideles suam indignitatem agnoscentes, aliorum præcibus apud Deum commendari exoptant.

Si ergo licet vivos invocare, ut adjuvent nos in suis precibus, qui tamen mortales sunt, cur non licebit invocare sanctos cum Christo regnantes? An quia nolunt? Non. Quia sunt majori charitate prædicti, & (ut loquitur Cyprianus, *Serm. de Mortalitate*) de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate solliciti. An quia non possunt? At si poterant cum hic essent peregrini, quanto magis non poterunt in patria? An quia non sciant quid oremus? At jam ostendimus, in Verbo nostras preces cognoscere. An ne eos invocando fieret injuria Christo uni mediatori, qui pro nobis interpellat? At cur non etiam ei fit injuria dum viventes invocamus?

XVIII. Hoc argumentum Adversarii nunquam solvere potuerunt. Quod enim Calvinus dicit, quod vivi omnes subnixi una Christi intercessione tam pro se, quam pro aliis Deum rogant, & quia sunt invicem membra, & quia Scriptura hortatur, ut oremus pro invicem, *Jacobi* 5. Cur hoc idem de sanctis quoad nos mortuis, sed cum Deo viventibus non dicit? Isti etiam sunt ejusdem Ecclesiæ membra, ut ostendi. Isti una Christi intercessione nituntur: quidquid enim nobis petunt, a Deo per Christum petunt. Isti demum, etsi non habeant aures corporales, audiunt tamen, & cognoscunt nostras preces ad eos directas, ut superius ostendi.

XIX. Confirmo fortius hoc idem. Minus communicant nobiscum sancti Angeli, quam animæ beatæ, ut per se notum est: & tamen sancti Angeli invocantur, & invocantium preces cognoscunt, & invocantibus præsto sunt; ergo multo magis &c. Min. probavimus supra, *dub.* 2. §. 1. Nunc addo *Genes.* 48. *v.* 16. ubi Jacob benedicens filiis suis postquam dixerat: *Deus in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei.... Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem,* subjungit, *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Ubi S. Patriarcha super filios primo invocat Deum, deinde Angelum tutelarem suum. Porro quod illud verbum *benedicat* designet invocationem, ostendit illud, Psalmi 66. v. 2. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri,* quo expressa Dei invocatio apparet.

XX. In hanc veritatem ab initio Ecclesiæ conspirarunt Patres, tam Græci, quam Latini: Ex Græcis Irenæus, *lib. 5. cap.* 19. Evam Mariæ Virgini contraponens: *Et si* (inquit) *ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est obedire Deo, uti Virgini Evæ Virgo Maria fieret advocata.* Eusebius, *lib. 13. Præparat. Evangel. cap.* 11. de viris Sanctis mortuis, ait: *Nam, & eorum sepulchra celebrare, & preces ibi, votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus; idque a nobis meritò fieri statuimus.* De concursu ad sepulchra Martyrum suo tempore celebratissimo scribit Basilius, *Epist.* 95. (alias 261.) *Epistola* 197. (alias 55.) ubi dicit, quod honor Sanctorum defertur ad Dominum, & *Epistola* 252. (alias 291.) Gregorius Nazianzenus supra relatus, *Orat. in Cyprianum,* Basilium, & Athanasium. Cyrillus Jerosolymitanus, *Catechesi* 5. *Mystagogica,* ubi de Missæ sacrificio loquens: *Postea* (inquit) *recordamur eorum quoque, qui obdormierunt: primorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus, & legationibus orationem nostram suscipiat.* Sanctus Ephrem Syrus, *Serm. in SS.* 40. *Martyres,* ait: *Subvenite ergo mihi Sancti vestris intercessionibus, & vos dilecti Sanctis vestris precibus, ut Christus linguam meam ad dicendum moveat, os ad enarrandum, cor ad intelligentiam, &c.* Et Sermone 2. de laudibus omnium Martyrum: *Obtestamur igitur vos, o sanctissimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, ejusque amore sponte, ac prompte atrocissima tormenta subiistis, quamobrem etiam familiarius ei conjuncti estis, ut pro nobis miseris peccatoribus negligentiæ squallore obsitis Dominum deprecemini, ut divinam suam in nos infundat gratiam &c.* Et infra: *Nunc ergo, o beatissimi viri, & glorioſi Martyres,*

tyres Dei, me miserum peccatorem vestris precibus adjuvate, ut in hora illa tremenda misericordiam consequar &c. Prætereo alios Patres Græcos Gregorium Nyssenum, *Orat. in S. Theodorum*, Theodoretum, *in Hist. Sanctorum Patrum*, Damascenum, *lib. 4. de fide, cap. 16.* & Theophylactum, *in cap. 11. ad Hebr.* aliosque. Solum addo Ecclesiam Græcam modernam, etsi schismate divulsam, adhuc vel veteri in hoc dogmate consentire, ut patet ex Synodis contra Calvinistas sæculo elapso coactis, præcipue Jerosolymitana, *anno 1672. quæst. 4.*

XXI. Jam ad Patres latinos venio, inter quos Cyprianus, *Serm. de Mortalitate*, & alibi. S. Hilarius, *in Ps. 124.* ait: *sed neque desunt stare volentibus Sanctorum custodiæ, neque Angelorum munitiones*, & infra *bonum quidem præsidium Angeli, sed melius Domini*, ut doceat, Angelorum, & Sanctorum præsidium niti meritis, & virtute Christi. Item in Psal. 129. *Intercessione itaque horum* (Angelorum) *non natura Dei eget, sed infirmitas nostra: missi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem: Deo nihil ex his quæ agimus ignorante; sed infirmitate nostra ad rogandum, & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente.*

Sanctus Ambrosius, *lib. de Viduis*, ultra medium: *Obsecrandi* (inquit) *sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si qua habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei Martyres nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum, Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent, cognoverunt.*

Sanctus Hieronymus tum loco citato supra contra Vigilantium; Tum in Epitaphio Paulæ circa finem: *Vale* (inquit) *o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva; fides, & opera tuo Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas, impetrabis.*

Sanctus Augustinus, *Serm. 17. de Verbis Apostol.* (modo *Serm. 159.*) *Serm. 94. de diversis* (modo 316.) *cap. 5.* exhibens quasi in picturam Stephanum lapidatum, & Saulum lapidantium vestimenta servantem, deinde conversum in Paulum, & modo cum eo quem lapidavit regnantem, utrumque ita affatur: *Ambo ibi vos videtis: ambo modo sermonem nostrum auditis; ambo pro nobis orate: ambo vos exaudiet, qui vos coronavit, unum prius, alterum postea, unum qui persecutionem passus est, alterum, qui persecutus est. Ille tunc agnus erat, ille autem lupus erat: modo autem ambo agni sunt. Agni agnoscant nos, & in grege Christi videant nos: orationibus suis commendent nos, ut quietam, & tranquillam vitam impetrent Ecclesiæ Domini sui.* Lib. de cura pro mort. cap. 4. dicit, se non videre aliam causam, cur corpora fidelium apud memorias Martyrum sepeliantur, nisi ut viventes, qui eos diligunt: *eisdem Sanctis illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos, orando commendent.* Et *lib. 7. de Bapt. contra Donat. cap. 1.* Orationibus S. Cypriani sese commendat.

Victor Vitens, *lib. 5. de persecutione Africana*, circa fidem pro Ecclesia Sanctos invocans: *Deprecamini* (inquit) *sanctissimi Patriarchæ, de quorum stirpe generis nata* (Ecclesia) *est quæ nunc laborat in terris. Orate Sancti Prophetæ cognoscentes afflictam, quam antea vaticinante præconio cecinistis. Estote Apostoli suffragatores ejus, quam ut congregaretis, universum orbem, ascendente in vobis Domino, ut equi velocissimi cursitastis. Præcipue tu beate Petre, quare siles pro ovibus, & agnis a communi magno Domino magna tibi cautela, & sollicitudine commendatis? Tu Sancte Paule gentium magister, qui ab Jerusalem usque ad Illyricum prædicasti Evangelium Dei, cognosce, quid Vvandali faciunt, & Ariani, & filii tui gemunt lugendo captivi, &c.*

XXII. Nimius essem si omnia priorum, & subsequentium sæculorum Patrum de invocatione Sanctorum testimonia vellem huc transferre, ut Paulini, *in fine Carminis panegyrici de S. Celso, & Epist. 12. ad Severum.* Prudentii, *in Carminibus, seu Hymnis de Sanctis.* S. Fulgentii, *in Serm. de Laudibus Mariæ.* S. Leonis, *Serm. 5. de Epiphan.* S. Gregorii, *lib. 2. Dialog. cap. ult.* Turonensis, *lib. 1. de Gloria Mart. cap. 94.* Bedæ, *lib. 4. in Cant. circa finem*, S. Anselmi, *lib. de Excellentia Virg. Mariæ*, S. Bernardi, *Serm. 2. super Evang. missus est.* ——

Prætereo etiam miracula ad invocationem Sanctorum a Deo facta, quorum aliqua referunt S. Augustin. *lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8.* Gregor. Turonensis, *in libris de Gloria Martyr. & Confess.* Sanctus Ambrosius, *Serm. 90. qui est de S. Agnete.* Theodoretus, *lib. 5. Hist. cap. 24. & lib. 8. ad Græcos.*

XXIII. Tanta omnium sæculorum traditionis mole oppressi Sectarii, eam declinare vellent. Sed incassum, ut videbimus. Magdeburgenses, *Centur. 4. cap. 4.* dicunt, vel Patres in hoc errasse: vel a maligno spiritu ea in operibus eorum fuisse inserta. Sed quam temerarium sit primum, nemo non videt. Secundum vero mere fictitium se ipso apparet. —— Brentius, *cap. 24. Confess.* Witembergensis dicit, Patres per Prosopopejam fuisse locutos, nimirum invocando mortuos ac si viverent, sicut in declamando alloquimur interdum Cælum, vel terram, aut homines mortuos, quo tamen certo scimus non audire. Sed hoc merum esse figmentum demonstrant prælaudata testimonia, quibus invocantur Sancti tamquam certo audientes, & cognoscentes vota supplicantium, sperantium eorum se interceſſionibus juvandos, quod plerumque comprobavit eventus.

Calvinus vero, *l. 3. Instit. cap. 20.* dicit, Patres voluisse quidem prohibere hanc superstitionem, sed non potuisse frangere impetum vulgi. Quod conatur ostendere ex Concilio Carthag. III. *c. 23.* ubi prohibetur, ne in precibus, quæ ad Altare funduntur, oratio dirigatur ad alium, quam ad Patrem. Quare S. August. *lib. 22. de Civit. Dei, c. 10.* dicit sanctos non invocari a Sacerdote sacrificante.

Sed nimis infelix est hoc effugium. Nam si Patres tentassent consuetudinem invocandi sanctos evellere, eam in suis scriptis improbassent, non eam suasissent, non ad eam fuissent adhortati, & multo minus ipsi passim sanctos invocassent, cujus oppositum eorum testimonia supra laudata ostendunt. Et præsertim S. Augustini, qui præfato Concilio Carthag. III. interfuit. Mens igitur dicti Concilii non fuit invocationem Sanctorum absolute excludere, alias excluſisset etiam invocationem Filii, & Spiritus Sancti cum dicit: *Et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.* Sed fuit, ut oratio Sacerdotis sacrificium offerentis dirigatur ad personam Patris, non Filii, aut Spiritus Sancti, quod etiam modo servamus, quamvis toti Trinitati sacrificemus. Ratio autem hujus esse potest, quia cum victima, quam in sacrificio offerimus, sit Jesus Christus filius Patris, ideo oratio, & sacrificium potius ad personam Patris dirigitur.

De invocatione autem Sanctorum nulla ibi debuit fieri mentio. Nam ibi solum mentio fit de illa oratione qua sacrificium offertur, in hac autem non invocari Sanctos, sed solum Deum, cui sacrificium offertur, exploratum est. Et hoc est quod intendit citato loco S. Augustinus, dicens: *Nec ibi* (in Templis) *erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum, & nostro: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, & ordine nominantur, non tamen a Sacerdote, qui sacrificat invocantur; Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum: quia Dei sacerdos est, non illorum.* Quibus Augustinus vult, in sacrificio non invocari Martyres, eo modo quo Deus, nimirum, ut acceptent sacrificium, quia hoc eis non offertur, sed Deo. Cæterum etiam ad altare Martyres suo modo, & ordine invocari fatetur idem S. Augustinus *Serm. 19. de Verb. Apost.* (modo *Serm. 159.*) *Tractatus 84. in Joann.* Et Cyrillus, *Catechesi Mystag. 5.* supra relatus. Concludo quod si Patres Carthaginenses Invocationem Sanctorum penitus tollere voluissent, sequentium sæculorum Patres eam non commendassent, cujus oppositum supra indicavimus.

XXIV. Prætereunda non est ratio, qua Sanctus Thomas *3. p. Suppl. quæst. 72. art. 2.* ostendit, Sanctos esse a nobis interpellandos ad orandum pro nobis, quæ talis est. Secundum Dionysium, cap. 5. Cæleſt. Hierarch. *Iste est ordo divinitus institutus in rebus, ut per media ultima reducantur in Deum. Unde cum Sancti, qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi*, & quasi inter Deum, & nos dum hic peregrinamur a Domino, hoc divinæ legis ordo requirit, ut sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita nos in Deum reducamur, & iterato beneficia sumamus mediantibus Sanctis: *Et inde est, quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, & quasi mediatores dum ab eis petimus, quod pro nobis orent.*

Et (ut ait ibi ad 1.) *Sicut non est propter defectum divinæ potentiæ, quod mediantibus secundis causis agentibus operatur, sed est ad complementum ordinis Universi, ut ejus bonitas multiplicius diffundatur in res, dum res ab eo non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant: ita etiam non est propter defectum misericordiæ ipsius, quod oporteat ejus clementiam per orationes Sanctorum pulsare, sed ad hoc ut ordo prædictus servetur in rebus.*

§. IV.

Adversaria argumenta solvuntur.

XXV. MUlta congerunt Adversarii. Et primo objiciunt. Nemo debet invocare eum, in quem non credit: *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* (Rom. 10. v. 14.) sed nemo dicitur credere in sanctos, sed solum in Deum; ergo nemo debet invocare Sanctos.

XXVI. Retorqueo primo instantiam. Nemo debet invocare eum, in quem non credit: sed nemo credit in Sanctos adhuc hic viventes; ergo nec viventes invocare potest, ac eorum preces implorare. Cum ergo hoc sit falsum etiam apud Adversarios: ideo &c. Deinde respondeo dist. maj. Nemo debet invocare ut auctorem salutis in quem non credit, conc. maj. ut suæ salutis impetratorem, nisi &c. nego maj. Hoc autem modo, non primo invocamus Sanctos. Porro S. Paulus loquitur de priori invocationis modo, quo solus Deus invocari debet: præmittit enim,

Omnis

Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, deinde ſubdit: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Quaſi dicat* (inquit S. Thom. hic Lect. 2.) *ſine dubio invocatio* (nominis Dei) *ſalutem facere non poteſt, niſi fide præcedente. Pertinet autem invocatio ad confeſſionem oris, quæ ex fide cordis procedit. Pſalm.* 115. Credidi propter quod locutus ſum. Hoc autem genere invocationis a nobis ſolum Deum invocari, non autem Sanctos, jam ſupra oſtendi, §. 2.

Cæterum generali invocatione poſſe homines Sanctos, ſive vivos, ſive mortuos invocari, & aliquem ſpem in eorum orationibus poni, Scriptura teſtatur. Nam *Gen.* 48. *verſ.* 16. Jacob benedicens filiis Joſeph: *Invocetur* (inquit) *ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac.* Ex quo S. Auguſt. *n.* 199. Locutionum in Gen. notat: *Invocationem dici aliquando, quæ non Dei, ſed hominum ſit.* Et Paulus, Epiſt. ad Philemonem, v. 4. *Gratias* (inquit) *ago Deo meo ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis; Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes Sanctos.* Super quæ verba Hieronymus fuſe oſtendit, neminem poſſe credere in Deum, niſi credat, & in Sanctos ejus, ideſt, niſi credat etiam, quæ de Sanctis ſcripta ſunt.

XXVII. Secundo objiciunt, 1. *ad Timoth.* 2. *v.* 5. dicit Paulus: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*; ergo ſicut faceret injuriam Deo, qui admitteret alios Deos, ita faceret injuriam Chriſto unico mediatori, qui admitteret alios mediatores: ſed qui invocat Sanctos, facit ſibi alios mediatores; ergo facit injuriam Chriſto.

XXVIII. Hæc objectio, cui maxime fidunt Adverſarii, inſtantiam patitur, quam ſupra. Nam ſi Chriſto non facit injuriam, qui viventes interpellat, ut pro ſe orent; ita nec ille, qui Sanctos cum Chriſto regnantes invocat, qui nulli ab eo invocantur, ut ſumant partes Chriſti mediatoris, quaſi novum pretium pro nobis ſolventes, & Deo illud exhibentes; ſed ut ſe teneant ex parte noſtra rogando Deum, ut per Chriſtum pretium redemptionis nobis applicet.

XXIX. Reſpondeo igitur, diſt. conſeq. alios mediatores redemptionis per ſe tales, qualis eſt Chriſtus: conc. conſ. Mediatores puræ impetrationis, ut per gratiam, & merita Chriſti fructus redemptionis in nos derivetur, nego conſeq. Chriſtus igitur unicus mediator eſt per modum redemptionis, & hoc indicat Paulus ſtatim ſubjiciens: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Unicus etiam mediator eſt ratione naturæ: quia ſolus ipſe cum Deus ſit, & homo, medius eſt inter Deum, & hominem, ut obſervavit Cyrillus, *lib.* 12. *Theſauri, cap.* 10. Cæterum hoc non tollit, quin alia minus ſtricta ratione, aliqui etiam virtute ab ipſo participata fiant mediatores. Nam ſicut, ut ſupra ex S. Thom. dicebam, non eſt ex defectu potentiæ Dei, neque injuria ei fit ut primæ cauſæ, quod dentur aliæ cauſæ ſecundæ, quæ non ſolum ſuſcipiant in ſe bonitates proprias, ſed inſuper quod aliis cauſa bonitatis exiſtant, immo per hoc divina bonitas multiplicius diffunditur in res: ita non eſt ex defectu pretii ſoluti a Chriſto, neque injuria fit ejus mediationi, quod dentur alii mediatores, qui non ſolum ſuſcipiant in ſe fructum ſuæ redemptionis, ſed inſuper cauſa ſint, ut aliis idem fructus communicetur: Per hoc enim talis fructus multiplicius in nos diffunditur.

Neque hoc, ut ſomniatur Calvinus, *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 20. §. 20. eſt facere Chriſti mediationem temporariam; æternam vero, ac nunquam intermorituram ad ſervos rejicere. Nam cum mediatio ſervorum nihil agere poſſit, niſi vi mediationis Chriſti in ipſis, & per ipſos operantis, ſine qua nemini pateret acceſſus ad Deum; propterea mediationem Chriſti non temporariam facimus, ſed æternam. Ut autem a Calvino, & gregalibus de hac voce *Mediator* omnis ſcrupulus auferatur, audiatur Moyſes, qui abſque ſcrupulo, Deuter. 5. v. 5. *Ego* (inquit) *ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos.* Unde Paulus, *Galat.* 3. *v.* 19. dicit Legem eſſe ordinatam *per Angelos in manu Mediatoris*, nempe Moyſis. Propterea Nazianzenus, *Orat.* 6. Martyres non veretur appellare *Mediatores ad Dominum*, ſicut nec Cyrillus, dicto *cap.* 10. eodem nomine inſignire Apoſtolos, & Prophetas.

XXX. Sed inſtabis. S. Auguſtinus, *l.* 2. *contra Epiſt. Parmeniani c.* 8. deſcribens characterem veri, & unici Mediatoris, de quo loquitur Paulus, dicit. *Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus: hic unus, veruſque mediator eſt: cujus typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote veteris Teſtamenti, nullus illic invenitur oraſſe pro Sacerdote.* Et propterea Paulus quia ſciebat, ſe utpote membrum ejuſdem corporis Eccleſiæ, aliorum orationibus indigere: *Nec mediatorem ſe facit inter populum, & Deum, ſed rogat, ut pro ſe oret invicem omnia membra Corporis Chriſti... Nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent utique, & cæteri coapoſtoli ejus: ac ſi multi mediatores eſſent, nec ipſi Paulo conſtaret ratio, qua dixerat, unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Cum ergo Sancti cum Chriſto regnantes ſecundum nos pro omnibus interpellent, & nullus interpellet pro ipſis, jam convenit eis ratio veri Mediatoris, & ſic multos mediatores admittimus, ea ratione, qua Chriſtus, contra mentem Pauli.

XXXI. Reſpondeo neg. conſeq. Nam ſententia Auguſtini eſt, verum, ac ſolum Mediatorem eſſe illum, qui per ſe ipſum interpellat pro omnibus, non indigens ullo qui pro ſe interpellet, vel per quem interpellet. Hujuſmodi autem non ſunt Sancti, nam & Chriſto mediatore opus habent, & per illum exaudiuntur. Alioquin etiam Angeli eſſent mediatores eo modo quo Chriſtus; nam Angeli orant pro omnibus, & nemo pro illis. Sed ideo non ſunt mediatores eo modo, quo Chriſtus, quia ipſi egent Chriſto; per quem impetrent nobis a Deo beneficia.

Cum vero negat, vel Paulum, vel quemquam alium eſſe mediatorem, alias multi eſſent mediatores ut Chriſtus, loquitur contra Parmenianum, qui utpote Donatiſta, dogmatizabat, gratiam Sacramenti pendere a bonitate miniſtri, ex quo ſequebatur, miniſtrum eſſe mediatorem eo modo quo Chriſtus, quatenus ab ejus ſanctitate derivaretur ſanctitas in ſacramenta. In quo ſenſu nullus nec beatus poteſt dici mediator, quia non propria, ſed Chriſti ſanctitas eſt, quæ ſacramenta ſanctificat. Et in hoc ſenſu nec Paulus, nec Apoſtoli poterant dici mediatores.

XXXII. Tertio objiciunt. Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 18. *Nemo* (inquit) *vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum.* Unde, *Apocal.* 19. *verſ.* 10. Angelus Sanctum Joannem volentem eum adorare repulit, dicens: *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.... Deum adora.* Similem repulſam ab Angelo paſſus eſt S. Joannes, *cap.* 22. *v.* 9.

XXXIII. Reſpondeo Apoſtolum avocare Coloſſenſes a ſecta eorum, qui de Chriſto nimis humiliter ſentientes, præferebant ei Angelos, eoſque honorabant tamquam vel mundi Creatores, vel quibus mediantibus purgari nos oporteret. Unde addit Paulus: *Non tenens caput.* Quia is, qui Angelos ita honorat, Chriſto tamquam capiti non adhæret. Hunc fuiſſe errorem Cerinthi ſcribit Baronius, *ad ann. Chriſti* 60. *n.* 18. Simoni Mago illum etiam tribuunt Irenæus, *lib.* 2. *c.* 30. (modo, *c.* 23.) & Tertullianus, *lib. de præſerv. c.* 33. quam ut ait Pamelius in hunc Tertullian. locum, Angelorum ſervitutem, ſeu religionem impugnat Apoſtolus, *ad Coloſſ.* 2. Sed cujuſcumque fuerit is error, certum eſt illum initio Eccleſiæ apud non paucos viguiſſe, nec parvo tempore, qui nimirum, vel Angelos, vel ut minores Deos ſecundum Platonicos, tamquam mundi hujus fabricatores adorarunt, vel neglecto Chriſto, ad Deum per Angelos vellent perveniri. Contra iſtos Paulum monere Coloſſenſes teſtatur Chryſoſtom. *Homil.* 7. *in hunc locum*, dicens: *Sunt nonnulli qui dicunt, non oportere per Chriſtum reconciliari, & ad Patrem accedere, ſed per Angelos. Et propterea* (Paulus) *ſurſum, ac deorſum, quæ de Chriſto ſunt, verſat.* S. Hieronymus, *Epiſt. ad Algaſiam, quæſt.* 10. dicit Paulum reprehendere eos, qui *quaſcumque offerunt victimas, non Deo offerunt, ſed Angelis refugis, & ſpiritibus immundis*: Theodoretus in dictum Pauli textum rem fuſius exponens: *Qui legem* (inquit) *defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per eos datam. Manſit autem diu hoc vitium in Phrygia, & Piſidia. Quo circa Synodus quoque quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos; & in hodiernum uſque diem videre licet apud iſtos, & eorum finitiones oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc conſulebant, utique humilitate utentes, univerſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perveniri, & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare.*

XXXIV. Patet ergo ex his, Paulum, & laudatos Patres damnare eos, qui neglecto Chriſto cultum idololatricum Angelis, etiam refugis exhibebant. Sic enim ait Concilium Laodicænum a Theodoreto indicatum, cap. 35. *Non oportet Chriſtianos derelicta Eccleſia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta ſunt. Quicumque autem inventus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema ſit, quoniam derelinquens Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, acceſſit ad idola.* At quid hinc contra nos, qui nec invocamus Angelos tamquam Deos, nec illos interponimus, niſi ut per Chriſtum precibus ſuis a Deo beneficia nobis impetrent? Aliud eſt neglecto Rege invocare miniſtrum, ut gratiæ auctorem; aliud invocare miniſtrum, ut per filium Regis, a Rege gratiam impetret.

Quod vero Theodoretus ait, adhuc ſuo tempore manſiſſe Oratoria S. Michaelis: poteſt intelligi, vel quod ſuo tempore adhuc manſerint veſtigia oratoriorum, in quibus hæretici illum coluerant ei ſacrificando, ut modo Romæ, & alibi perſeverant ruinæ templorum, in quibus Ethnici idolis ſacrificarunt; vel quod templa ad ſacrificandum malis Angelis ab hæreticis conſtructa, adhuc manerent a Catholicis converſa in Oratoria S. Michaelis. Sicut Romæ adhuc videtur Templum omnium Deorum converſum in Eccleſiam, ſeu memoriam omnium Sanctorum. Quod enim templum idolorum olim converſa ſint in baſilicas Martyrum fatetur Theodoretus ipſe, *l.* 8. *de Martyribus*, S. Gregorius, *l.* 2. *Dialog. c.* 8. ſcribit S. Benedictum Templum Apollinis, quod erat in Monte Caſſiano, convertiſſe in oraculum S. Martini, & ubi Apollinis ara fuit, oraculum S. Joannis conſtruxiſſe. Unde ipſe S. Greg. *l. olim* 9. *Epiſt.* 71. nunc *l.* 11. *Ep.* 76. *ad Mellitum Abbatem*, præcipit Auguſtino Anglorum Epiſcopo, ut fana idolorum non deſtruat, ſed aqua bene-

benedicta aſpergat, & reliquiis Sanctorum ornet, ac demum in templa veri Dei convertat. Etenim, ut ait S. Auguſtinus, Epiſtola 47. olim 154. ad Publicolam: *Cum templa, idola, luci . . . in honorem veri Dei converuntur, hoc de illis fit, quod de hominibus, cum ex ſacrilegis, & impiis, in veram religionem mutantur.*

XXXV. Ad id quod additur de Angelo, qui prohibuit S. Joannem ne ipſum adoraret; dico cum S. Thom. 2. 2. quæſt. 103. art. 2. ad 1. *Quod Angelus prohibuit Joannem non a quacumque honoratione, ſed ab honoratione adorationis latriæ, quæ debetur Deo* (forte enim exiſtimavit S. Joannem in illa viſione putaſſe eum eſſe Deum, non Angelum) *vel etiam ab honoratione Dulia, ut oſtenderet ipſius Joannis dignitatem, qua per Chriſtum erat Angelis adæquatus ſecundum ſpem gloriæ filiorum Dei, & ideo nolebat ab eo honorari tamquam ſuperior.* Quod obſervans S. Gregorius, *lib. 27. Moral. cap. 8.* modo 15. ait: *Hinc eſt, quod ante Incarnationem ejus* (Chriſti) *in Teſtamento veteri adoraſſe homo Angelum legitur* (Geneſ. 18. verſ. 1.) *nec tamen adorare prohibetur; ſed poſt mediatoris adventum, cum ſe Joannes adorando Angelo proſtraviſſet, audivit*: Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum. *Quid eſt enim, quod prius ſe æquanimiter concedebant adorari, poſt ab homine Angeli recuſant, niſi quod prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eiſdem carnalibus corruptionibus redemptum, quo objectiorem noverant, juſtius contemnebant; poſtea vero humanam naturam eo jam ſubjectam habere non poterant, quo hanc in auctore ſuo ſuper ſemetipſos ductam videbant?* Non ergo Angelus ſe a Joanne honorari noluit, quia illa honoratio adorationis eſſet idololatrica, alias nec in veteri Teſtamento hoc Angeli permiſiſſent. Sed quia indecens exiſtimavit, quod homo, cujus natura ad unionem cum Deo fuerat elevata, & propterea factus fuerat Angelis æqualis, ante Angelum adoraturus procumberet: *Neque enim* (ait Gregorius) *jam debebat in membris ſubjecta deſpici, quæ in ipſo membrorum capite meruit prælata venerari.*

XXXVI. Quarto objiciunt. Quis ſit invocandus, Chriſtus verbo, & exemplo nos docuit: Verbo quidem. Nam *Matth. 6. verſ. 9.* ait; ſic ergo vos orabitis: *Pater noſter qui es in Cælis*, quod repetit, *Lucæ 11. verſ. 2.* exemplo etiam. Nam ipſe ſæpe Patrem compellat, Joann. 12. v. 27. *Pater ſalvifica me.* Joann. 11. verſ. 41. *Pater, gratias ago tibi, quoniam exaudiſti me.* Non ergo Angeli, vel homines mortui invocandi ſunt.

XXXVII. Reſpondeo, quod ſi hoc valet, ſolus Pater invocandus erit, non Filius, aut Spiritus Sanctus, cujus tamen oppoſitum Magdeburgenſes, *Centur. 1. lib. 1. cap. 4. columna 139.* quorum eſt hæc objectio, aperte ibidem aſſerunt. Immo nec eſſet invocandus Chriſtus ipſe, quem tamen unicum eſſe mediatorem ipſi volunt. Non ergo bene concluditur: Chriſtus verbo, & exemplo ſolum Patrem invocari docuit; ergo Angeli, & homines Sancti ſuo modo invocandi non ſunt; Chriſtus enim ibi non intendit docere, a quo bona petenda ſint, ſeu quoniam orandus ſit, ſatis enim conſtabat Deum eſſe orandum, & ſolum Deum tamquam bonorum auctorem; ſed potius docere, quænam bona a Deo petere debeamus.

XXXVIII. Quinto Objiciunt. Nullum extat Scripturæ mandatum, vel exemplum, vel promiſſio de invocatione Sanctorum; ergo Sancti non ſunt invocandi. Ita Confeſſio Auguſtana, *art. 12.* & communiter Sectarii.

XXXIX. Reſpondeo primo, Job, *cap. ult.* colligi mandatum, exemplum, & promiſſionem: ibi enim dicitur: *Ite ad ſervum meum Job.* Ecce mandatum. *Et orabit pro vobis.* Ecce exemplum. *Et ego ſuſcipiam faciem ejus.* Ecce promiſſionem. —— Scio reſponſuros Sectarios, quod Job erat vivus, & præſens: at Sancti mortui ſunt, & abſentes. —— At ſi Scriptura probat, & exaudit orationes eorum, qui in hac vita mortali adhuc ſunt, cur non probabit orationes Sanctorum, qui vita immortali cum Chriſto in Cælis fruuntur? Certe hi ſunt amici Dei, charitate nobis conjuncti, noſtras preces cognoſcunt, ut ſuperius fuſe oſtenſum eſt. Quid ergo deeſt ut invocari poſſint?

Reſpondeo ſecundo, dato antec. neg. conſeq. Nam nec Scriptura indicat Sanctos mortuos in genere pro tota Eccleſia orare: Et tamen Apologia confeſſionis Auguſtanæ hoc aperte concedit, his verbis: *De Sanctis, etſi concedimus, quod ſicut vivi orant pro Eccleſia univerſali in genere; ita in Cælis orent pro Eccleſia in genere, tametſi teſtimonium nullum de mortuis orantibus extat in Scriptura, præter illud ſomnium ſumptum ex libro Machabæorum poſteriore;* ergo etiam particulariter invocati orabunt, & aderunt invocantibus ope, & auxilio, quod facta, & miracula a Deo ad eorum invocationem patrata abunde teſtantur, quæ non negabit, niſi qui in meridie voluerint cæcutire.

XL. Sexto objiciunt, & ſimul replicant ex Calvino, *lib. 3. Inſt. cap. 20. §. 23.* Nemo audet cauſidico apud terrenum Principem uti, niſi a Principe ipſo admiſſus ſit. *Unde ergo vermibus* (inquit Calvinus) *tanta licentia, ut Deo patronos obtrudant, quibus munus injunctum non legitur?*

Rurſus: Chriſtus eſt patri longe acceptiſſimus, cui nihil addere poſſunt Sancti. Immo ipſius Chriſti promiſſionem tenemus dicentis, Jonn. 16. verſ. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et Roman. 8. verſ. 32. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, & pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ad quid ergo egemus patrocinio Sanctorum, ſi omnia per Chriſtum accipimus, omnia per ipſum a Patre nobis donata ſunt?

XLI. Reſpondeo, inſtantiam retorqueri de Sanctis viventibus, quibus nos commendamus, ut pro nobis particulariter coram Deo intercedant. Unde enim huic, vel illi viventi legimus munus patroni, vel cauſidici pro nobis apud Deum fuiſſe injunctum? Si dicas, hoc ſaltem in genere legi ut invicem orationibus vivorum nos commendemus. Dicam ergo: Cur hoc, niſi quia eos pie credimus eſſe amicos Dei, ac Deo acceptos? Cum igitur certius credamus, Sanctos in Cælis beatos eſſe, Dei amicos, eique charos; multo magis poterimus eos ut patronos coram Deo præſentare. Neque id ſine Dei licentia facimus. Si enim quis collectas, & orationes noſtras æquo animo conſideret, inveniet, in eis nos primo rogare Deum, ut preces Sanctorum ſuſcipiat, & per Dominum Jeſum Chriſtum, ea quæ per ipſos ab eo petimus, largiatur.

XLII. Ad id, quod additur, dico, falſum ſupponere, nimirum, quod ponamus preces Sanctorum, ſive mortuorum, ſive viventium, ut ſuppleant aliquod, quod deſit paſſioni, & meritis Chriſti, quaſi ille non ſit Patri ſatis acceptus. Cum eas ponamus, ut nobis ſupplicibus ſe injungant, & ſuppleant id quod deeſt ex parte noſtra, qui ſæpe ſumus minus diſpoſiti, & minus digni, ut ea quæ in nomine Chriſti petimus, obtineamus. Nam Deus pater omnia quidem cum Chriſto nobis donavit, ſed alia ſine prævia noſtra oratione, ac diſpoſitione ut fidem, & primam gratiam, alia vero non niſi media oratione noſtra, vel aliorum, ut peccatorum veniam virtutum incrementum, perſeverantiam: alioquin ex eo quod Pater cum Chriſto omnia donavit, inferri deberet, non ſolum orationes Sanctorum, ſive viventium, ſive in Cælis regnantium eſſe ſuperfluas, ſed etiam ſuperfluum eſſe, nos pro nobis orare.

XLIII. Demum objiciunt. Sanctorum invocatio ethnica ſuperſtitione non caret. Nam ſicut Ethnici unam rem ab uno ex ſuis Diis petebant, ab alio aliam, unum uni rei præficiebant, alteri alium; ita nos unum invocamus contra peſtem, alium contra dolorem dentium, alium oculorum &c.

XLIV. Hæc objectio, quam hodierno tempore magnificant Calvinus, ac cæteri ejuſdem furfuris, eſt antiqua querimonia Juliani Apoſtatæ apud Cyrillum, *lib. 6. in Julianum*, Manichæorum apud Auguſtin. *lib. 20. contra Fauſtum, cap. 4.* & Vigilantii apud D. Hieron. *lib. in Vigilantium*. Omnes enim iſti conquerebantur, quod Chriſtiani verterint Idola in Martyres, quos votis ſimilibus colerent. Unde cum hos præfati Patres impugnent; videant Acatholici moderni, a quibus ſua dogmata hauſerint, eoſque pudeat.

XLV. Reſpondeo igitur Deum poſſe, ſi voluerit, per quemlibet Sanctorum omnia concedere, ſicut & ſine Sanctis multa, & etiam omnia dare: interdum autem velle aliquod miraculum interceſſione unius magis, quam alterius operari. Sed quare? quia vult. Quis autem novit conſilium Dei? aut quis ei dicere poteſt, cur ita facis? ſic per unum Sanctum multas gratias concedit, & per alterum merito forte majorem, paucas, vel etiam nullas, quia ſpiritus Dei dividit ſingulis prout vult. Ita S. Aug. *Epiſt. 137.* modo 78. *ad Clerum, & Seniores Hipponenſis Eccleſiæ*, dicens: *Ubique quidem Deus eſt, & nullo continetur, vel includitur loco qui condidit omnia; & eum a veris adoratoribus in ſpiritu, & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam juſtificet, & coronet. Verumtamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui ut pergerent; quia inde nobis facilius fideliuſque ſcribi poteſt, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nam & nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere. Numquid non & Africa Sanctorum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit:* Non omnes *Sancti* habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum: *Ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult.* Ita S. Auguſtinus.

QUÆSTIO VI.

De Sanctorum Canonizatione.

EGimus de animarum Sanctarum in Cælis regnantium invocatione. Quia tamen, ut ſaltem publice invocentur, requiritur, ut ab Eccleſia tamquam tales ſint declaratæ, quæ declaratio *Canonizatio* dici conſuevit: Idcirco de hac præſens quæſtio inquiret, quid ſit, ad quem ſpectet, & an tale judicium ſit certum.

Du-

DUBIUM I.

Quid ſit Canonizatio?

§. I.

Profanæ origo, & de Apotheoſi.

I. *Canonizatio*, quæ a *Canone* dicitur, ſeu Catalogo, tamquam inſcripto in canone, ſeu catalogo, in uſu fuit ſuperſtitioſo apud Romanos, Gentiles, & dicebatur *Apotheoſis*, a verbo *Apotheo* quod eſt *inter Deos refero*. Unde Apotheoſis erat alicujus defuncti inter Deos relatio. Cujus mos a Cæſare Auguſto primum inſtitutus fuit, deinde a Tiberio inſtauratus: quique eo honore erant affecti, inter Deos, ſeu divos relati dicebantur.

II. Ritus autem ex Dione, & Herodiano hic erat. Poſtquam in Imperio ſucceſſor roſtra aſcenderat, defunctumque Imperatorem laudaverat, Senatoribus adſtantibus, & lugentibus, erat lectus ex ebore & auro factus ſtragulis purpureis, auroque intextis ornatus, & ſubtus illum tamquam in feretro defuncti corpus jacebat occultum. Ante omnia vero ſtatua ejus cerea veſtitu triumphali ex palatio ferebatur ab iis, qui in ſequentem annum magiſtratus deſignati fuerant, deinde ex curia altera aurea, tertia curru triumphali vehebatur: ferebantur etiam ſtatuæ majorum, & propinquorum ipſius qui e vita deceſſerant. Aderant etiam pictæ omnes Provinciæ, & nationes, quæ aut in ſocietatem ab ipſo receptæ, aut devictæ fuerant. Ita extra urbem in campum Martinum veniebat: ibi rogatus, ſive ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula æquis lateribus aſſurgebat in tabernaculi formam impletus interius aridis fomitibus, exterius autem ſtragulis, & eburneis ſignis intextis. Super iſtud alia tabernacula aſſurgebant, in quorum ſupremo currus inauratus, quo mortuus Imperator olim vehebatur, erat collocatus. His celebratis, Imperator ſucceſſor facem capiebat, eamque tabernaculo admovebat, tum Conſules, & cæteri Magiſtratus ordine ignem ſubjiciebant, cunctaque illico fomitibus, odoramentiſque referta valido igne corripiebantur: mox e ſuprema tabernaculi, ſeu rogi parte Aquila demittebatur, qua in Cælum ipſam Principis animam deferri credebatur. Et tunc defunctus Imperator una cum cæteris numinibus colebatur. Conſuetudo autem erat referendi in Deos Imperatores poſt mortem, ut omnes hoc honore donarentur. Hinc Svetonius, *in cap.* 4. factum illud Veſpaſiani dictum refert, qui *prima morbi acceſſione*, *inquit*, *puto Deus fio*.

III. Nec ſolum apud Romanos, ſed & apud alias gentes hæc homines deificandi invaluerat conſuetudo. Tum quia eos quos ut Deos colebant, homines fuiſſe certum eſt, & maxime de Hercule, Libero, Caſtoribus; & de Alexandro Macedone præter Plutarchum, & Qu. Curtium refert Ælianus Variar. hiſt. lib. 5. cap. 12. Quod *Convocata Athenienſium concione*, *Demades ſurgens decreto juſſit*, *ut Alexander ſcriberetur Deus decimus tertius*. Et cum indignum hoc Græcis videretur, multa centum talentorum Demadi irrogata eſt. Immo Alexandrum hunc honorem ambiiſſe etiam dum viveret, colligitur ex eodem Æliano, *lib. 9. cap.* 37. ubi refert, Olympiadem matrem ita ei ſcripſiſſe: *O fili*, *tu vero cum inter cælites locari volueris*, *& id perficere ſummo ſtudio conatus ſis*, *nunc neque illorum quidem*, *quorum omnibus mortalibus æquale*, *& par jus eſt*, *particeps fieri potes*, *terræque ſimul*, *& ſepulturæ*. Qua efræni ambitione elatus maxime fuit, cum ſuperata Perſide, devictoque Dario, ſe *filium Jovis* appellari voluit.

§. II.

Sacra Canonizationis origo.

IV. OMiſſa gentilium ſuperſtitione referendi in Deos mortales homines, eoſque plerumque flagitioſos, tranſeo ad quærendam originem ſacræ conſuetudinis inſcribendi catalogo, non Deorum, ſed ſervorum, & amicorum Dei, viros, quorum vita fide, ac pietate eluxit.

Hujus aliqua initia deteguntur in *Lege veteri*, *Eccleſiaſtici* 44. ubi Sirachides proponit univerſæ Eccleſiæ veteri celebrandos, & memoria colendos viros, qui dum viverent, fide ac pietate inſignes fuerunt: *Laudemus* (inquit) *viros glorioſos*, *& parentes noſtros in generatione ſua . . . . Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt*, *& in diebus ſuis habentur in laudibus . . . Corpora eorum in pace ſepulta ſunt*, *& nomen eorum vivit in generationem*, *& generationem . Sapientiam ipſorum narrent populi*, *& laudem eorum nuntiet Eccleſia*. Hos autem viros glorioſos recenſens inferius dicit fuiſſe Henoch, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſen, & ſucceſſive omnes alios, ſive Sacerdotes, ſive Prophetas zelo, ſapientia, fide, ac pietate claros. Non poſſet autem dicere, quod laudem nuntiat Eccleſia, & alia, niſi Eccleſiæ vetus eos Sanctorum albo inſcripſiſſet. De iiſdem ſimilia habet Stephanus, *Actor.* 7. Idem confirmat Paulus, *Hebr.* 11. ubi recenſet omnes, qui ab initio mundi teſtimonio fidei probati fuerunt, & conſequenter, ut ſancti habiti, quamvis nondum accepiſſent repromiſſionem gloriæ, quia nondum auctor fidei Jeſus paſſione, & morte ſua Cælos aperuerat.

V. Hinc celebrior cœpit eſſe Sanctorum Canonizatio in nova lege, ſicut & ſanctitas. Cum enim Sanctum apud Ethnicos eſſet illud, quod ſanguine victimæ eſſet conſecratum, aut conſperſum, teſte Iſidoro, *lib. 5. Etimolog. cap.* 4. Cum etiam in veteri lege omnia ſanguine animalium ſanctificarentur, ac mundarentur, juxta dictum Pauli, *Hebr. 9. v.* 22. Et omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio; Quanto mundiores, & ſanctiores erunt Sancti novæ legis, qui in ſanguine agni immaculati mundati, & ſanctificati, Apoc. 1. verſ. 5. *Qui lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo*: in Cælos admiſſi cum Chriſto regnant?

Quamvis autem initio Eccleſiæ, Chriſtiani omnes indiſtincte *Sancti* appellarentur, ut a Paulo Roman. 1. verſ. 1. 2. Cor. 13. v. 12. *Salutant vos omnes Sancti*, & a Luca, *Act. 9. v.* 13. ubi Ananias: *Domine* (inquit) *audivi a multis de viro hoc* (Saulo) *quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jeruſalem*; & hoc nomine a poſteris Ignatio, Polycarpo, Tertulliano &c. vocati fuerint. Et apud Ethnicos Græcos *Hoſii*, hoc eſt Sancti honoris gratia vocarentur Sacerdotes. Attamen tractu temporis obtinuit uſus, ut illi ſoli Sancti ab Eccleſia dicerentur, quos Eccleſiæ declaratione in eminentiori virtutis, & ſanctitatis gradu heroico vixiſſe, & uſque ad finem perſeveraſſe conſtitiſſet.

VI. Ex his incipit apparere, nullo unquam tempore viros, cæteroquin in ſanctitate mortuos, publice habitos fuiſſe, ut Sanctos, niſi Eccleſiæ declaratione, vel quaſi canonizatione accedente. Hujus tamen non ſemper idem ritus, ac ſolemnitas fuit. Primis Eccleſiæ ſæculis a Notariis, & Diaconibus ad id delegatis, virtutes, miracula, actaque omnia quæ verum ſanctitatis teſtimonium exhiberent, ac ſi Martyres fuiſſent, veram pro Chriſti fide mortem probarent, annotabantur, & deſcribebantur. Ex hoc annotandi, ac deſcribendi ritu orta fuerunt varia Martyrologia, quæ tum apud Latinos, tum apud Græcos etiam nunc extant.

Hunc ritum adnotandi acta, virtutes, & diem mortis, præcipue Martyrum, inſtitutum fuiſſe credimus, *anno Chriſti* 93. a S. Clemente I. Rom. Pont. de quo ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius cum aliis, quod ſeptem urbis regiones Notariis diviſit, eiſque juſſit, ut res Martyrum geſtas conſcriberent. Ritum S. Anterus Papa, *anno* 236. innovavit, præcipiens, ut res Martyrum geſtæ diligenter exquiſitæ, & a Notariis conſcriptæ in ærarium Eccleſiæ reponerentur. S. Fabianus Notariis ſeptem totidem Diaconos adjunxit, mandans ut res Martyrum geſtas, ac dies mortis eorumdem a Notariis conſcriptos, ad cæterorum exemplum, qui Chriſti fidem profitebantur, colligerent. Sanctus denique Felix I. *anno* 271. Martyrum gloriæ, & fidelium exemplo conſulens, decrevit, ut ſingulis quoque annis ſacrificia in eorumdem Martyrum memoriam celebrarentur, quæ ſane res canonizatum jam Sanctum declarans, a cæteris qui ſucceſſerunt Pontificibus, obſervata fuit.

VII. Hujus conſuetudinis ſervandæ in Africa ſollicitus S. Cyprianus, Epiſtola 37. *Dies* (inquit) *eorum* (Martyrum) *quibus excedunt*, *adnotate*, *ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus*, *& devotiſſimus frater noſter . . . ſcripſerit*, *& ſcribat*, *ac ſignificet mihi dies*, *quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt*, *& celebrentur hic a nobis oblationes*, *& ſacrificia ob commemorationes eorum*, *quæ cito vobiſcum Domino protegente celebrabimus*. Hoc Cypriani teſtimonium non ſolum probat ritum illius temporis Martyres in Canone inſcribendi, ſed ulterius oſtendit finem, ob quem hoc fiebat, nimirum, ut in Eccleſia fierent ſtatis diebus oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum. Quod mire facit contra modernos hæreticos.

VIII. Procedente vero tempore ſeveriori criterio in examinandis Martyrum cauſis opus eſſe cœpit. Non enim omnes, qui vulgo jactabantur Martyres, veri Martyres erant. Nam tempore Diocletiani aliqui erant, qui ſacros codices tradere nolentes, propterea martyrium ſubibant, & hos Menſurius Carthaginenſis Epiſcopus veros Chriſti martyres declarat. Alii vero erant, qui ſeſe offerrent perſecutionibus non comprehenſi, & ultro dicerent, ſe habere ſcripturas, quas non traderent, a quibus hoc nemo quæſierat, & ab eis honorandis Menſurius prohibuit Chriſtianos. Ita refert S. Auguſtinus *in Breviculo Collat. tertiæ diei*, *cap.* 13. Hæretici, Schiſmatici, & alii, qui extra Eccleſiam patiebantur, inter quos Donatiſtæ, ſuos Martyres venditabant. Cum ergo nullus ſit vere Martyr, niſi pro vera fide patiatur, & pro juſtitia, quia *Martyrem non facit pœna*, *ſed cauſa*, ut ait Auguſtinus, *Epiſt.* 89. alias 167. & alibi: cum inſuper martyrium extra Eccleſiam, etſi pro nomine Chriſti ſubeatur, nihil proſit, ut ex Cypriano, *Epiſtola ad Jubajanum*, ait Auguſtinus idem, *lib.* 4. *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, *cap.* 17. oportuit, ut Eccleſia inveſtigaret prius cauſam mortis, & an qui mortuus Martyr dicebatur, mortuus eſſet pro Chriſto, & inſuper in fide, & unitate Eccleſiæ, antequam ipſum verum Martyrem declararet, nec ſine tali judicio quiſquam ut Martyr admitteretur, unde refert Optatus, *lib. 1. de Schiſm. Donat. c.* 16.

a Cæciliano Archidiacono reprehenſam fuiſſe quamdam feminam Lucillam nomine, quod ante Euchariſtiam os cujuſdam Martyris nondum ab Eccleſia vindicati ſeu declarati admoveret. Latere enim poteſt hypocriſis ſub ſpecie ſanctitatis. Cujus, prætermiſſis aliis, exemplum affertur a Platina de Hermanno quodam hæretico fictæ ſanctitatis homine. Is enim vita functus, Sancti opinionem ac venerationem per viginti annos obtinuit. Sed diligentiſſima de ejus hæreſi, & ficta ſanctitate habita inquiſitione, Bonifacius VIII. ejus corpus exhumari, & comburi juſſit.

IX. Canonizationes particulares antiquitus formabantur in ſingulis Provinciis, vel Diœceſibus, in quibus Martyres paſſi fuerant: ibi enim per Notarios acta deſcribebantur, & dies mortis adnotabatur, ut ſupra ex Cypriano vidimus. Deinde Epiſcopus in cujus ditione Martyr occubuiſſet, rem geſtam ad Epiſcopum primatem litteris denuntiabat, a quo adhibitis in Concilium Collegis Epiſcopis decernebatur, an eſſet inter Martyres recipiendus. Id colligitur ex S. Auguſtino in Breviculo Collat. tertiæ diei, *cap.* 13. ſupra citato, ubi refert, quod Secundus Tingitanus Epiſcopus in Numidia ſcripſit ad Menſurium Epiſcopum Carthaginenſem de iis, qui in ea Provincia tunc feliciter martyrio occubuiſſent, eo quod ſacros Codices juxta Diocletiani edictum tradere noluiſſent, quos omnes Martyrum honore, & veneratione dignos eſſe Menſurius reſcripſit. Alii vero quibuſdam paſſis, nomen Martyris, & venerationem deferendam eſſe certis ex cauſis, ut ſupra tetigi, negavit.

X. Mos iſte in Eccleſia continuavit, donec alia forma ſolemnior introducta fuit, nimirum, Sanctos canonizandi per ſolum Romanum Pontificem, & ritu, qui etiam in uſu eſt. Quo autem tempore cœperit, non uſque adeo exploratum eſt, quin dubitandi locus relinquatur. Probabilius opinantur, qui putant, primam canonizationem ſolemni ritu factam fuiſſe S. Suviberti, *anno* 804. a Leone III. ad inſtantiam Caroli Magni. Cum enim in Germaniam S. Leo Summus Pontifex Cardinalium, Archiepiſcoporum, Prælatorum, & Primatum magno comitatu adveniſſet, atque ab Imperatore Carolo Magno imperialiter cum ſuis ſuſceptus fuiſſet; inter multa pietatis ſuæ opera, ad Oppidum Werdam cum Imperatore accedens, ejuſdem rogatu B. Suvibertum poſt lectam ipſius ſanctiſſimam vitam, innumeraque miracula, poſt emiſſas preces, ac celebrata jejunia, de conſenſu Cardinalium, cæterorumque Prælatorum, inter Miſſarum ſolemnia a Felice Heldebaldo Archiepiſcopo Colonienſi celebrata, ſolemni ritu Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit pridie nonas Septembris. Ita ex *Epiſtola S. Lutgeri Monaſterienſis Epiſcopi ad Rinfridum Trajactenſem Epiſcopum apud Baronium ad ann.* 804. *n.* 3. his verbis: *Pridie nonas Septembris . . . Papa S. Leo de aſſenſu pariter, & conſenſu ſuorum Cardinalium, exterorumque Prælatorum illic coram adſtantium, ſolemniter Catalogo Sanctorum Confeſſorum illum* (Suvibertum) *adſcripſit*, Ita ſentit etiam Bellarminus, *lib.* 1. *de Sanctorum Beatitud. cap.* 8. eſto dubitet, an aliæ præceſſerint ſolemnes canonizationes. Eadem fere ſolemnitate, *anno* 903. referente eodem Baronio ad dictum a *num.* 1. Joannes XV. Papa in Concilio Romano in Sanctorum numerum retulit S. Uldaricum Auguſtanum Epiſcopum. Celebrior tamen, & prima magis accedens ad ſolemnitatem Ritus præſentis creditur fuiſſe illa, qua Alexander III. canonizavit S. Thomam Cantuarienſem Martyrem, *anno* 1173. apud Baron. A quo tempore quotquot Sanctorum albo inſcripti fuerunt, a Romano Pontifice declarati ſunt, quamvis progreſſu temporis arbitrio Rom. Pontificum ulterioribus diligentiæ ad majorem tanti judicii firmitatem additæ fuerint. Et hæc de origine, & progreſſu canonizationis.

§. III.

Reſolutio Dubii.

XI. QUamvis ex dictis ſatis appareat, quid ſit canonizatio; placet tamen ex cæteris duas definitiones ejuſdem proponere, & diſtinctionem canonizationis a beatificatione aſſignare.

Primo ergo canonizationis definitio eſt: *Canonizatio eſt publicum Eccleſiæ teſtimonium de vitæ ſanctitate, & gloriæ adeptæ hominis jam defuncti, quo etiam & illi decernuntur honores, qui debentur illis, qui cum Deo feliciter regnant.* Hanc definitionem probant Bellarminus citato loco, *cap.* 7. Contelorius de Canonizat. Sanctorum, *cap.* 1. Quæ definitio omnem canonizationem complecti videtur, etiam illam, quæ antiquitus per Epiſcopum, & Provinciæ Primatem, ut ſupra notavimus, fieri conſueverat. Honores autem debiti Sancti, qui cum Deo feliciter regnant, ſeptem ſunt. Primus, quod inſcribantur in catalogo Sanctorum, ideſt, ut habeantur publice, & in tota Eccleſia tamquam Sancti: & hoc maxime convenit Sanctis canonizatis a Summo Pontifice, vel ab ipſo habitis tamquam Sanctis. Secundus, ut invocentur in publicis Eccleſiæ precibus. Tertius, ut Templa, & altaria erigi poſſint Deo in eorum memoriam. Quartus, ut ſacrificia tam Euchariſtiæ, quam laudum, & precum, quæ vulgo *Officium*, ſeu *Horæ Canonicæ* dicuntur, in honorem eorum offerri poſſint Deo. Quintus quod dies feſti in eorum memoriam celebrentur. Sextus, ut eorum imagines certo lumine gloriam indicante pingantur. Septimus, ut eorum Reliquiæ thecis pretioſis aſſerventur. Sed de his inferius.

XII. Altera deſcriptio canonizationis determinate ut fit a Papa. Canonizatio eſt: *Canonica, ſolemnis, & publica definitio per Papam facta, quod aliquis ut Sanctus ab omnibus honoretur, catalogo aliorum Sanctorum adſcribatur, & fiat certa die Officium annuatim de eo.* Dicitur *definitio*, quo comprehenditur omne definitionis genus. Dicitur *Canonica*, quia fit ſecundum Canones, ſeu Regulas. *Solemnis, & publica*, quia in ea conveniunt Pontifex, Cardinales, Epiſcopi, & totus Clerus, ac populus in Eccleſia deputata ſolemniter ornata & ibidem Papa ſolemniter, & publice decernit, talem, de quo agitur, eſſe Sanctum, & ut Sanctum ab omnibus venerandum. *Per Papam*: quia ut dicetur, nemo inferior Papa, poteſt toti Eccleſiæ aliquem ut Sanctum proponere. Dicitur *quod aliquis ut Sanctus &c.* quia per canonizationem non efficitur Sanctus, ſed eum eſſe Sanctum manifeſtatur, & declaratur. Additur ut *Sanctus veneretur*, quia etſi per aliquem fiant miracula, non poteſt publice coli pro Sancto. Subjungitur *Catalogo &c.* quia ejus nomen in albo Sanctorum deſcribitur, & tandem quod certa die officium de eo, ideſt, in ejus honorem celebretur.

XIII. Ad perfectam canonizationis notitiam ſupereſt examinandum, in quo differat a beatificatione. Differunt ergo primo. Quod in beatificatione ſummus Pontifex indulget, & concedit, ut aliquis cultus, & honor beatificato in aliqua Religione, vel Provincia deferatur. Ut patet ex forma beatificationis. In canonizatione autem Pontifex declarat, pronuntiat, definit ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis . . . . auctoritate ejuſdem Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſua de fratrum ſuorum Conſilio N. Sanctum eſſe, cum catalogo Sanctorum inſcribit, præcipiens, ut talis ab univerſa Eccleſia habeatur, & quolibet anno certa die feſtum, & officium de eo habeatur. Differunt ſecundo. Quod beatificatio non eſt ultimum Eccleſiæ judicium de ſanctitate alicujus hominis defuncti; canonizatio vero eſt ſupremum de illa Eccleſiæ judicium. Differunt tertio, ex parte ſolemnitatis. Nam in beatificatione ſummus Pontifex habita relatione a Cardinalibus Sacræ Congregationis Rituum, poſtquam in eadem Congregatione præceſſit diligens inquiſitio de vita, & miraculis illius, pro quo poſtulatur beatificatio, ſine aliqua ſolemnitate declarat ex gratia talem eſſe Beatum, & poſſe de eo Miſſam, vel officium a talibus, vel tali loco celebrari. At in canonizatione præmiſſis omnibus ut ſupra, procedit ad eam Pontifex de omnium Cardinalium conſilio in Conciſtorio habitis, etiam omnium Prælatorum votis, præſente etiam Clero, & populo, coram quibus ipſemet perſonaliter declarat, talem eſſe Sanctum, & ut Sanctum, venerandum a tota Eccleſia. Aliæ differentiæ colligi poſſunt ex Cæremoniali, & ex Canoniſtis fuſius hanc materiam tractantibus.

Solum adverto, neminem in hac mortali vita vere Beatum dici poſſe, quia Beatus a beatitudine, quæ eſt vita æterna, dicitur, qua nemo mortalis gaudere poteſt, cum in viſione clara Dei conſiſtat, quæ nemini in hac vita conceditur.

Dubium II.

An ſolus Papa poſſit Canonizare?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco. Auctoritas Sanctos canonizandi penes ſolum Romanum Pontificem eſt. Hæc aſſertio communis eſt tam apud Theologos, quam Canoniſtas. Et ita habetur, Cap. *Audivimus*, & Cap. *Cum eo*, De Reliquiis, & veneratione Sanctorum, & Cap. *Venerabili*, de teſtibus, & accuſatione. Ratio quoque evincit. Nam canonizatio ex dictis, eſt declaratio, & definitio, ſtatuens, ac præcipiens, ut aliquis in tota, & univerſali Eccleſia tamquam Sanctus habeatur, & veneretur, ergo requirit auctoritatem illius, qui univerſali Eccleſiæ præſit, cujus decretis tota Eccleſia teneatur obedire: hic autem eſt ſolus Romanus Pontifex, qui vices Chriſti in tota Eccleſia gerit; ergo &c.

II. Ulterius. Ad Eccleſiæ unitatem pertinet unitas tum fidei, tum religionis, & cultus: ſicut enim unus eſt Deus, unus Chriſtus, una Fides, una Religio: ita omnes, qui de Eccleſia ſunt, debent convenire in uno Deo, uno Chriſto, una Fide, una Religione; ergo ſtatuere ea, quæ ad fidem, & religionem pertinent, illius eſt, qui centrum eſt unitatis. Centrum autem unitatis a Chriſto conſtitutus ſunt Petrus, ejuſque Cathedra, in qua ei ſuccedit Romanus Pontifex: Unde Cyprianus, *lib. de unitate Eccleſiæ*, *Chriſtus* (inquit) *ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit . . . . Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſto-*

Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. Et S. Hieronymus, *lib. 1. adverss. Jovinianum*, ait: *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio*. Ergo sicut ad unitatem in fide servandam requiritur, ut propositio credendorum in eum tandem fiat, & ab eo procedat, qui unitatis centrum est; ita ad unitatem in religione, & Sanctorum cultu in universa Ecclesia tenendam oportet, ut qui tamquam Sancti habendi, & venerandi sint, ab eo declarentur, in quem omnes Ecclesiæ, ut in centrum, & caput conveniunt: alioquin periculum esset, ne quem aliqui dicunt Sanctum, alii reprobum, vel non Sanctum dicerent. Hinc cum Alexander III. resciviss̃et, virum in ebrietate occisum ab aliquibus coli ut Sanctum Martyrem, talem cultum, Cap. *Audivimus* severe prohibuit, etiamsi ad ejus sepulchrum facta miracula evulgarentur, existimans, de illius salute dubitare merito posse dicente Apostolo, 1. Corinth. 6. vers. 10. *Neque ebriosi.... Regnum Dei possidebunt*. Periculum etiam esset, ne inter fideles esset Schisma de canonizatis, sicut inter Corinthios schisma erat de baptizatis, dum aliqui 1. Corinth. 1. v. 12. dicebant: *Ego sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cephæ*.

III. Sed dices. Ut supra Dub. præced. diximus, per plura sæcula canonizatio Sanctorum pertinuit ad Episcopos, & multi ab eis canonizati, etiam modo habentur ut Sancti a tota Ecclesia. Quo ergo titulo ab hoc jure exciderunt? cur eo a Romano Pontifice privati fuere?

IV. Respondeo, dupliciter posse aliquem Sanctum declarari. Uno modo particulariter: ita ut solum in una Provincia, vel Diœcesi habeatur Sanctus. Alio modo generaliter, ut in tota Ecclesia talis habeatur, & hæc proprie est canonizatio, cum sit ultimum Ecclesiæ de viri sanctitate judicium. Primo modo poterant Episcopi cum consensu, & approbatione Primatis aliquem ut Martyrem, & Sanctum declarare, & ita fecerunt Cyprianus, & alii supra relati; non autem secundo modo. Quod autem aliqui ita declarati, modo ut Sancti habeantur in tota Ecclesia, non est veterum Episcoporum, qui eos declararunt, auctoritate, quasi lege, sed ex consuetudine, quæ sensim in tota Ecclesia inolevit. Sed sicut aliæ consuetudines habent vim legis ex tacito saltem consensu Principis, & sine eo nullam vim habent, ut docet S. Thomas, 1. 2. *qu. 97. art. 3*. Ita Sancti alicujus cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus, vim habet legis ex approbatione tacita vel expressa Romanorum Pontificum. Qui expediens judicarunt auferre ab Episcopis exercitium declarandi aliquem Sanctum, etiam pro sua Diœcesi, vel Provincia propter abusus, & inconvenientia, quæ sequebantur; maxime quia plerumque colerentur ut Sancti, qui Sancti vere non essent, ut Alexander III. fecit, Cap. *Audivimus*, & postea Innocentius III. Cap. *Cum ex eo* in Concilio Lateranensi, *de Reliq. & Veneratione Sanctorum*.

§. II.

Aliqua Resolvuntur.

V. Colligo primo. Concilium Provinciale non posse Sanctos canonizare, bene tamen Concilium generale legitime congregatum. Ratio primi est. Tum quia Concilium Provinciale non potest judicare de causis majoribus, ac de eis statuere, multoque minus si tangant fidem, & religionem, qualis est canonizatio Sanctorum. Tum etiam quia Concilium Provinciale errare potest in definitione fidei, & morum. — Ratio vero secundi est. Quia Concilium Generale legitime congregatum, repræsentat corpus Ecclesiæ una cum capite visibili, vel per se, vel per suos legatos: unde sicut potest definire res fidei, ita & res pertinentes ad cultum totam Ecclesiam concernentem, & ideo Sanctos canonizare absque dubio errandi. Sed de hoc locuti sumus, *Tom. 1. in 1. part. Quæst. 3. de loc. Theol. Dub. 5.* §. 3. unde ibi dicta recolenda sunt.

VI. Colligo secundo. Quod esto Romanus Pontifex reservaverit sibi ultimum, ac supremum judicium in canonizationibus Sanctorum, non excluśit tamen quoad actus præcedentes operam, & sententiam Episcoporum, quales sunt inquisitiones de vita, moribus, & miraculis canonizandi, examinando super his testes, aliosque actus juridicos faciendi. Ideoque informationes, & processus facti per Episcopos, aut eorum Vicarios, vel ab eis deputatos, legitimi sunt, & validi, & eis plena fides adhibetur, sive fuerint facti ab Episcopo, in cujus Diœcesi canonizandus vixit, vel mortui corpus asservatur, sive in cujus Diœcesi miracula facta sunt. Quamvis autem possit Apostolica Sedes procedere ad alicujus canonizationem ex solis processibus factis auctoritate ordinaria ab Episcopo; consuevit tamen ad pleniorem, & firmiorem notitiam ulterius requirere processus factos auctoritate apostolica; tum ad effectum canonizationis, tum etiam beatificationis: de quo inter alios videri potest Contelorius, *de Canonizatione Sanctorum, cap. 4.*

VII. Colligo tertio. Quod licet suprema potestas canonizandi in solo summo Pontifice residеat, ad eam tamen non procedit absque consilio Cardinalium, non quidem de necessitate, quasi se solo non possit (etenim soli in Petro dixit Christus, Lucæ 22. *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos*) sed de congruo, & honesto: congruum enim & honestum est, ut negotia graviora a capite una cum membris saltem principalioribus tractentur: magis enim integrum videtur judicium, quod plurimorum sententiis comprobatur. Quia tamen votum Cardinalium est per modum ministerii, & consilii, non per modum determinationis, aut limitationis potestatis, cujus plenitudo est in solo Romano Pontifice, ideo eorum votum Papa sequi non tenetur. Unde legimus Martinum V. B. Sebaldum de Regum Daciæ prosapia genitum Sanctum esse, & ut talem haberi, & reputari, ejusdemque festum die 14. Kalendas Septembris ab omnibus celebrari, ac ejus nomen Sanctorum Catalogo adscribi præcepisse Kalendis Aprilis anno Pontificatus octavo, Cardinalium assensu, vel consilio minime requisito. De his Contelorius citatus, *cap. 9.* quem qui plura optaverit, aliosque de hoc tractantes adire poterit.

Dubium III.

An Papa in Canonizatione Sanctorum non possit errare, & an hoc sit ut de Fide tenendum?

§. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. Duo præsenti Dubio quærimus. Unum, an judicium Papæ in canonizando aliquo Sancto sit adeo certum, ut non possit tamquam Sanctum declarare eum, qui vere Sanctus non sit. Alterum, an tamquam certum de fide tenendum sit, ita ut qui hoc negaret, esset immediate hæreticus.

II. Circa primum. Wicleffus impudentissime asseruit, Papam errare posse in canonizatione Sanctorum, non minus ac Regem Ethiopiæ, aut Turcam, aut Sultanum. Ita refert Thomas Waldensis, *Tom. 3. de Sacramentalibus, capite* 122. Ita procul dubio sentiunt Lutherani, & Calvinistæ, qui in aliis similibus rebus Papam omni spoliant auctoritate: Catholicorum tamen communior sententia est, Papam in judicio de canonizatione alicujus Sancti errare non posse, proponendo scilicet ut Sanctum eum, qui vere Sanctus non sit. Dixi communior, quia aliqui, etiam ex Catholicis, cum aliqua restrictione locuti sunt.

III. Dico ergo. Summus Pontifex in canonizatione Sanctorum absolute errare non potest. Pro hujus explicatione audiendus est S. Thomas, *Quodlibeto 9. art. 16.* ubi quærens, an omnes ab Ecclesia canonizati sint in gloria, vel aliqui eorum sint in inferno, tria actionum genera a Romano Pontifice præstari docet. Unum quod ad Ecclesiam universalem pertinet, ut sunt ea quæ ad fidem pertinent, & in his fieri nullo modo potest, ut judicium Ecclesiæ universalis errare queat juxta divinam providentiam. *Qua Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit Joann. 14. Quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de necessariis scilicet ad salutem.... Unde magis est standum sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quam quorumlibet sapientum in scripturis opinioni. Cum Caiphas, quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legatur etiam inscius prophetasse. Joann. 11.*

Alterum vero actionum genus est, quæ vel respiciunt tantum personam, vel etiam sententias: *Quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi*. Et in his, *possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes*.

Tertium genus actionum est medium: Nec enim sunt immediate de fide, nec sunt pure personales, & humanæ; & inter istas ponit canonizationem Sanctorum; unde concludit: *Canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo. Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit*.

Noto tamen, S. Thomam dum dicit *pie credendum est*, non accipere ly *pie*, ut opponitur certo, ac necessario, sed sumere ly *pie* pro pietate ad religionem spectante, & ut opponitur impio; cum enim honor, quem Sanctis exhibemus, sit quædam professio fidei, qua Sanctorum gloriam credimus, impium esset credere, in hoc judicium Ecclesiæ posse errare, quia non est credendum in re tanti momenti deesse Ecclesiæ assistentiam Spiritus Sancti, ne inducat in errorem fideles præcipiendo eis, ut venerentur tamquam Sanctum, qui Sanctus non est, sed reprobus.

IV. Probatur ergo conclusio. Primo. Quia licet in ferendis legibus pro casibus particularibus, & privatis Papa errare possit, non tamen in ferendo legem toti Ecclesiæ communem: Esset enim totam Ecclesiam inducere in errorem, & periret regimen Ecclesiasticum: sed canonizatio Sanctorum secum fert legem toti Ecclesiæ intimatam de cultu, & veneratione tali, & tali Sancto danda; igitur falsissimum est Papam posse in canonizatione Sanctorum errare.

V. Secundo. Si liceret dubitare, an Sanctus canonizatus sit Sanctus, liceret etiam dubitare, an sit colendus ille, quem

quem tota colit Ecclesia: sed hoc est falsum, immo insanum. Nam, ut ait Augustinus, Epistola 118. modo 54. ad Januarium: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est.* Et S. Bernardus, *Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses* de colendis festis in honorem Sanctorum: *Ego* (inquit) *quæ accepi ab Ecclesia, securus teneo, & trado.* —— Deinde sicut ex auctoritate, & declaratione Ecclesiæ habemus, quod iste sit vere Sanctus: ita ex eadem habemus, quod iste liber sit vere canonicus, & divinus: sicut enim Ecclesia est, quæ inscribit aliquem catalogo Sanctorum: ita eadem est, quæ Canoni librorum divinorum librum inscribit. Sed minime dubitandum est, quin liber ab Ecclesia inter canonicos, & divinos sit vere talis, Augustino dicente, lib. contra Ep. fundam. cap. 5. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret auctoritas;* ergo pariter minime &c.

VI. Dices Ecclesiæ fidem errare non posse in his, quæ statuit innixa testimonio divino, vel traditioni Apostolicæ, vel definitionibus Conciliorum; errare autem posse, quando tantum nititur opinioni, & testimonio hominum. Cumque fides, qua credit, hunc Sanctum, quem publice colit, esse in Cælo, sit tantum innixa opinioni, & testimoniis hominum, non debet haberi pro inconvenienti, si errare possit.

VII. Sed contra primo. Nam assistentia Spiritus Sancti ne erret, promissa est Ecclesiæ, ut secure doceat omnem veritatem, præsertim ad fidei professionem, exhibitio enim honoris ei, quem Sanctum credimus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, ut ait S. Th. ergo etsi in negotio canonizationis Ecclesia procedat ex opinione, & testimonio hominum, ei tamen adest assistentia Spiritus, ne erret. Unde S. Thom. citatus ad 2. *Divina* (inquit) *providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.*

Confirmo. Sicut in canonizatione Sanctorum Ecclesia pendet a testimonio hominum, ita in declaratione quinam libri sint canonici, plerumque pendet ex traditione humana, & in interpretando, & definiendo vero Sacræ Scripturæ sensu humana diligentia, & studio in Conciliis semper usa est, quæ omnia sua natura fallibilia sunt: atqui omnes, saltem Catholici tenent, Ecclesiam in his errare non posse; ergo neque in canonizatione Sanctorum. Nam sicut error totius Ecclesiæ in re tangente fidem esset error gravissimus: ita error totius Ecclesiæ in re spectante ad mores, & cultum esset error intolerabilis inducens in errorem omnes fideles, & sic Ecclesia non esset amplius columna, & firmamentum veritatis, qualem eam prædicat Paulus, 2. *ad Timoth. 3. v. 15.*

Ulterius: Ecclesia in canonizatione Sanctorum innititur non solis testimoniis hominum, sed requirit vera miracula a Deo in confirmationem Sanctitatis servi sui, cujus canonizatio agitur: sed Deus non potest vera miracula facere in confirmationem falsi, immo nec in circumstantiis, in quibus prævidet homines eis abusuros ad confirmandum falsum; ut ostendi, *Tom. 1. in 2. 2. Tract. de Fide, Quæst. 1. Dub. 4. §. 6.* ergo ex hoc capite certius fit, Ecclesiam non posse errare.

VIII. Tertio prob. Si Ecclesia posset errare in canonizatione alicujus, qui Sanctus non sit, talis error redundaret in vilipendium Ecclesiæ, & divini honoris: irriderent enim etiam ipsi dæmones Ecclesiam Christi, si viderent eos, quos secum in inferno damnationis, & pœnarum consortes habent, a nobis, & a tota Ecclesia honorari, & eorum patrocinium apud Deum invocari.

IX. Hæc omnia confirmantur. Si Papa, vel Ecclesia in canonizatione errare potest, quis est qui sciat, in hoc nunquam de facto errasse? Quomodo ergo certi erimus, Augustinum, Ambrosium, Thomam, aliosque quos Sanctos declaravit, esse vere Sanctos, & in Cælis cum Christo regnare? Sane quod de facto in horum canonizatione non errarit, revelatio nulla est. Nulla ergo infallibili certitudine affirmare poterimus, eos in gloria esse. Quo quid injurius ipsis Sanctis? Nam si ut supra diximus ex Augustino, & refert Innocentius III. Cap. *Cum Martha* de Celebrat. Miss. injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, quanto magis ei erit injurius, si cum quem catalogo Sanctorum Ecclesia adscripsit, e numero Sanctorum rejiciat? —— Si credimus certa fide humana, quod Alexander, Cæsar, Pompejus, Demosthenes &c fuerint tales, ut Plutarchus de eis refert, & hoc simplici auctoritate illius, vel similium auctorum; cur renitentes erimus præstare consensum attestationibus, quas judicio Ecclesiæ suæ nobis manifestat?

§. II.

Objectiones contra hanc Primam Partem.

X. PRimo. Objicies commune dictum, quod Augustino tribui solet: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum anima requirentur in gehenna.*

Respondeo primo. Tale dictum non esse Augustini; cum post exactissimam diligentiam in ejus operibus repertum non sit —— Secundo. Cujuscumque sit, vel Augustini, vel alterius, dico non esse ad rem. Nam vel loquitur de viris illustribus, & Monachis etiam Ethnicis, quorum corpora superbis monumentis condita honorantur, cum tamen eorum animæ in gehenna crucientur. Vel loquitur de corporibus, vel reliquiis. Contingere enim potest; ut pro corpore, vel reliquiis alicujus Martyris supponantur, & honorentur reliquiæ corporis alicujus, cujus anima torqueatur in gehenna. Vel loquitur de corporibus eorum, quos Donatistæ venerabantur ut Martyres, quorum tamen animæ, (quia in hæresi, & pro hæresi mortui erant) in gehenna cruciabantur.

XI. Secundo objicies. Ex Cap. *A nobis* 28. de sentent. excommunic. ubi Innoc. III. dicit: Quod *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: Judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli.* —— Si respondeas Innocentium loqui de judicio Ecclesiæ in causis privatis, puta de criminibus, aut aliis, in quibus ut dicebamus cum S. Thom. potest falli, censura ligando eum, qui sit coram Deo solutus, ut Innocentius ibi dicit. Non tamen loqui de legibus commune bonum Ecclesiæ, & ejus mores concernentibus, qualis est, ut dicebamus, canonizatio Sanctorum, in his enim ei non deest assistentia Spiritus Sancti, ne erret.

XII. Contra instatur. Ad hanc certitudinem habendam requiritur, ut Pontifex certus sit, quod canonizandus habuerit veram charitatem, & quod in ea de hac vita decesserit: sed nemo potest certo scire absque speciali revelatione, aliquem charitatem habuisse, & in ea decessisse: si enim nemo, quantumvis nihil sibi conscius sit, non tamen scit se esse justificatum, ut de se ajebat Paulus 1. Corinth. 4. vers. 4. & Ecclesiastes 9. vers. 1. *Sicut*, (inquit) *justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Multo ergo minus id certo scire poterunt testes, qui possunt quidem attestari bona opera exteriora, quæ viderunt, & quæ interdum communia sunt bonis, & malis, & possunt fieri ex charitate, & bene, & etiam fieri possunt male puta ex hypocrisi, & pharisaice puta eleemosynas, pœnitentias, orationes, jejunia, non tamen viderunt, nec attestari possunt, qui ea faciebat fuisse in charitate, & ex charitate ea fecisse; & multo minus in charitate vitam finiisse; ergo neque hoc certe scire potest Pontifex, qui ex eorum dictis procedit.

XIII. Respondeo nego min. Esto enim nemo privata cognitione certus esse possit, nec de aliis, nec de se ipso, quod habuerit, vel habeat charitatem; certus tamen esse potest Pontifex, dum procedit ad alicujus canonizationem, quia tunc procedit ut gerens personam totius Ecclesiæ, & cum speciali Spiritus Sancti instinctu dirigentis eum ne erret, & errorem proponat Ecclesiæ: eo vel magis quia testimonium hominum habet confirmatum per miracula testimonio divino. Licet enim non valeat, fecit miracula, ergo est Sanctus quia donum miraculorum est gratia gratis data: valet tamen in testimonium sanctitatis ejus, Deus facit vera miracula; ergo coram Deo vere est Sanctus.

Neque obstant quæ subduntur. Nam ex dictis, personæ privatæ non debetur assistentia Spiritus Sancti ad judicandum de propria, vel aliena sanctitate. Sicut nec præfatæ opera, utpote bonis, & malis communia sufficere possunt ad discernendam veram sanctitatem a falsa in eis, qui ut homines privati judicant, secus vero in Romano Pontifice, qui dum canonizat procedit ex speciali assistentia Spiritus Sancti, ne erret; unde S. Thom. quodlib. 9. art. 16. citato ad 1, *Pontifex* (inquit) *cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

XIV. Tertio objicies. Etsi Ecclesia vel Pontifex in canonizatione Sanctorum errare posset, aut etiam erraret, preces tamen in honorem illius falsi Sancti bona fide Deo porrectæ gratæ essent, & acceptæ: sicut si quis veneraretur aliquod os putans esse reliquias alicujus Sancti, cum tamen non esset, bona fides ejus grata esset Deo; ergo &c.

Et confirmatur. Fidelis, & etiam Papa ipse dum adorat hostiam, profitetur fidem Ecclesiæ, quod in illa Christus contineatur præsens, & tamen de hoc judicium certum non habet, ergo posset proponi aliquis ut Sanctus, & fides gloriæ Sanctorum profiteri, etsi non esset certitudo speculativa de sanctitate illius, sed ad summum practica, & prudentialis.

XV. Respondeo, dato antecedente de culto privato, nego conseq. Esto enim nullum sit inconveniens, quod aliqua persona privata in aliqua actione erret; sufficit enim ei ad cultum exhibendum, quod præcedat judicium prudentiale tantum practice verum, ideat rationi, & prudentiæ consonum. At Ecclesiam errare in cultu Sanctorum maximum inconveniens est, cum ipsa sit columna, & firmamentum virtutis, & specialiter regatur a Spiritu Sancto non solum in rebus fidei, sed etiam morum ad totam Ecclesiam spectantium. Et sic ad hoc ut ipsa collat, & colendum proponat, ac præcipiat, aliquem ut Sanctum, non sat est ut habeat judicium tantum prudentialiter certum, sed etiam speculative, ut oppositum tenere nefas sit.

Neque

Neque idem eſt de hoſtia conſecrata: hanc enim in particulari Eccleſia non proponit adorandam ut revera continentem corpus Chriſti, alias deberet præmittere informationem de vera conſecratione ejus, quam non præmittere conſtat. Tantum ergo proponit adorandam hoſtiam rite conſecratam. Sed quia dum hic & nunc non ſe offert aliqua ratio in contrarium, quia ille qui conſecrat vere habetur ut Sacerdos Catholicus, de quo non præſumitur, quod fideles fallere velit, ideo prudentia dictat, ut omnes qui vident hoſtiam elevari conſecratione facta, eam adorent; & ſic fit adoratio hujus hoſtiæ in particulari, etiam a non habentibus certum judicium de eo quod illa hoſtia vere conſecrata ſit, & adoratur etiam a Papa, & a cunctis, qui illam vident. At Pontifex dum aliquem canonizat proponit illum ut vere ſanctum, dum eum catalogo Sanctorum adſcribit, præmiſſo examine de ejus ſanctitate, ejuſque cultum toti Eccleſiæ indicit, quod nequit fieri, niſi præcedat judicium certum: intolerabilis enim error eſſet, quod Eccleſia indiceret aliquem colendum, ut Sanctum, qui damnatus eſſet.

XVI. Neque dicas, Eccleſia etſi non habeat judicium certum, quod hæc hoſtia in particulari ſit rite conſecrata, jubet tamen ut audientes Miſſam eam adorent. — Dico enim, quod Eccleſia quamvis non habeat judicium certum, quod in iſta particulari hoſtia Chriſtus contineatur, credit tamen fide divina, quod in hoſtia rite conſecrata Chriſtus contineatur, & hac de cauſa fideles jubet audire Miſſam, ut illam audiendo hanc Eccleſiæ fidem profiteantur. At ſi Pontifex rite canonizando poſſet errare ſecundum Dei ſententiam circa ſanctitatem ejus, quem canonizat; Eccleſia non haberet judicium, neque in communi, neque in particulari, & fideles colendo illum non profiterentur aliquod certum Eccleſiæ judicium de ejus ſanctitate; ideoque nequit Eccleſia proponere aliquem canonizatum colendum ut Sanctum, niſi certum judicium habeat quod Sanctus ſit.

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

XVII. Dico. Non eſt immediate de fide hunc hominem canonizatum eſſe vere Sanctum. Eſt expreſſa S. Thomæ. *Quodlibeto 9. art. 16.* citato, ubi ponit canonizationem eſſe mediam inter definitionem de fide, & ſententiam de factis particularibus, puta de poſſeſſionibus, & criminibus; ait enim; *Canonizatio vero Sanctorum eſt medium inter hæc duo;* videlicet non de fide, ſicut illa, nec fallibilis, ſicut iſta. Quare ſi formetur iſte diſcurſus; omnis rite canonizatus eſt vere Sanctus: hic eſt rite canonizatus; ergo hic eſt vere ſanctus; dato etiam quod major præmiſſa ſit de fide, quod multi negant, minor tamen non eſt immediate de fide, ſed media, ut dicebamus. Cumque concluſio ſequatur debiliorem partem, ſequitur, quod concluſio *Hic eſt vere Sanctus*, non ſit immediate de fide.

XVIII. Probo autem ratione. Ad hoc ut aliquid ſit de fide per ſe, requiritur, quod ſit teſtificatum a Deo verbo, vel ſcripto, vel tradito: ratio enim formalis fidei debet eſſe prima veritas revelans, ſed quod hic canonizatus a Pontifice ſit rite canonizatus, & vere Sanctus, & in gloria, non eſt atteſtatum a Deo verbo nec ſcripto, nec tradito ab Apoſtolis; ergo non eſt de fide.

Neque dicas quod eſto hunc eſſe vere Sanctum non ſit revelatum in verbo ſcripto, aut tradito, eſt tamen a Pontifice ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti.

XIX. Nam ille ſpecialis inſtinctus Spiritus Sancti dirigit quidem Papam, ne in canonizatione erret, non eſt tamen nec nova revelatio, nec propoſitio, ſeu explicatio revelationis jam factæ. Dum enim vel Concilium aliquid definit, ut fide tenendum, non facit hoc per novam revelationem, alias conderet novam fidem, ſed ſolum declarat, aliquid eſſe de fide, & revelatum, quod jam de fide erat, & revelatum ſecundum ſe, ſed non quoad nos, ideſt ut de fide, & revelatum non tenebatur. Hac ratione S. Thom. 2. 2. *q. 1. art. 7.* probat, quod articuli fidei quoad ſubſtantiam non creverint: his verbis: *Dicendum, quod quantum ad ſubſtantiam articulorum fidei non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem, quia quæcumque poſteriores crediderunt, continebantur in fide prædecentium Patrum, licet implicite: ſed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quædam explicite cognita ſunt a poſterioribus, quæ a prioribus non cognoſcebantur explicite.* Aliquem autem articulum implicite credi, eſt contineri in fide præcedentis articuli, ut docet S. Doct. ibi. Cum ergo quod iſte, puta Auguſtinus, vere Sanctus & in Cælo ſit, nec habeatur expreſſe in verbo Dei, aut in fide Patrum, vel præcedentium articulorum, neque in ea implicite contineatur; ſi eſſet de fide tenendum, eſſet novus fidei articulus, nova revelatio; & conſequenter fidei articuli quantum ad ſubſtantiam creviſſent.

XX. Sed objicies primo. Pontifex in canonizatione Sanctorum procedit definiendo; ergo ſtatuendo de fide, quod canonizatus ſit Sanctus. — Unde in Concilio Conſtantienſi. *Seſſ.* 8. damnata eſt propoſitio 44. Wicleffi dicentis: *Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones, & ſic a Domino Papa, uſque ad infimum Religioſum omnes ſunt hæretici.*

XXI. Reſpondeo, neg. conſ. Non enim definitio ſemper ſtat pro definitione, quæ ſit immediate de fide, ſed aliquando pro ſententia ultimo definitiva, etiam ſi materia non ſit immediate revelata, ac de fide. Talis autem eſt definitio Papæ in canonizatione alicujus Sancti: gerit enim ſe ut Judex via juridica procedens juxta allegata, & probata, & ſic definire dicitur, ideſt, ſententiam proferre, in qua ferenda cum ſpeciali Sancti Spiritus inſtinctu regatur: ideo eſto non hæreticus immediate, proximus tamen hæreſi eſſet, qui ei contradiceret ut dicetur.

Ad id, quod additur. Dico primo. Quod ut in eadem Seſſ. legitur, non omnes Wicleffi propoſitiones ibi recenſitæ cenſura hæreſis configuntur, ſed alias non catholicas, alias erroneas, alias blaſphemas, alias ſcandaloſas &c. — Dico ſecundo. Quod ſi illa propoſitio damnatur ut immediate hæretica, hoc non eſt, quia præciſe dicat Auguſtinum &c. eſſe damnatos; ſed propter cauſalem: quia nimirum damnatos aſſerit, eo quod religionem intraverint; & in ea poſſeſſiones habuerint, & ob hanc Papam, & omnes religioſos eſſe hæreticos. Quæ quidem cauſalis hæretica eſt.

XXII. Objicies ſecundo. Ex S. Thom. *quodlib. 9.* ſæpe laudato, Cultus Sanctorum eſt quædam fidei proteſtatio, qua Eccleſia credit gloriam Sanctorum: ſed hanc ut de fide credit; ergo dum colit Sanctum, canonizatum, de fide credit eum eſſe Sanctum.

XXIII. Reſpondeo neg. conſ. quæ inſtatur in ſimili forma. Dum quis adorat hoſtiam publice expoſitam, vel Reliquias alicujus Sancti veneratur, proteſtatur fidem, qua Eccleſia credit Chriſtum revera in hoſtia contineri, & qua credit, Sanctum vere eſſe in Cælo; & tamen non ſequitur, quod fide credat, hoſtiam illam vere eſſe conſecratam, & vere Chriſtum continere, & Reliquias illas vere eſſe illius Sancti. Non ergo intendit S. Thom. cultum illius Sancti eſſe proteſtationem, qua Eccleſia credit gloriam Sanctorum in communi: dari enim Sanctos in Cælo regnantes de fide eſt apud Eccleſiaſticum a *cap.* 45. uſque *ad* 49. & S. Paulum, *ad Hebræos* 11. Sed tantum quod Eccleſia dum colit Sanctos a ſe canonizatos, profitetur ſe credere eos eſſe in gloria Sanctorum, quæ tamen fides immediate divina non eſt, eo quod circa materiam fidei non verſatur, quæ ſolum eſt de revelatis in Verbo divino ſcripto, vel tradito, quod de Sancto canonizato ab Eccleſia non verificatur.

XXIV. Sed inſtabis. Judicium quod Eccleſia habet de Sanctitate canonizati, quem colit, eſt judicium fidei infallibilis; ergo eſt judicium fidei divinæ. Nam fides humana cum ſit eſſentialiter fallibilis, nequit reddi infallibilis, ſicut nec propoſitio probabilis quia eſſentialiter formidoloſa, neque ut conjuncta propoſitioni neceſſariæ, aut de fide, poteſt inferre concluſionem, quæ ſit infallibiliter vera, quia eſt eſſentialiter incapax.

XXV. Reſpondeo neg. conſ. Illud enim judicium non eſt fidei divinæ, quia non eſt de materia fidei, ſeu circa materiam revelatam. Neque eſt judicium fidei humanæ fallibilis, ſed ut ait S. Thomas, eſt judicium medium, infallibile quidem, ſed non infallibilitate fidei divinæ. Eſto autem fides pure humana, quæ tantum ex dictis hominum pendet, ſit eſſentialiter fallibilis, non tamen ea, cui dictis hominum unitur impulſus, ſeu inſtinctus Spiritus Sancti; & tale eſſe judicium Eccleſiæ de Sancto canonizato probatum eſt.

Neque eſt ſimile de propoſitione probabili: hæc enim ex ſuis principiis, & ex ſua eſſentia formidinem de oppoſito includit, quam ſi excludat, non eſt amplius probabilis, ſed neceſſaria. At fides humana fallibilitatem habet ab extrinſeco, nempe, quia pure humana, ideſt, pure pendens ex dictis hominum, quod ſi dictis hominum accedat ſpecialis impulſus Spiritus Sancti, judicium ſic dirigentis, ne hominum dictis falli poſſit, evadit infallibile, & adhuc intra limites fidei inferioris ad divinam, quia non eſt de materia immediate revelata. Sic Theologus cum aſſumit aliquam propoſitionem naturalem evidentem, & aliam de fide, ut eliciat concluſionem ſcientificam, derivat in talem præmiſſam naturalem quamdam majorem certitudinem ea, quam præmiſſa naturalis habet ex ſe: Quia Theologia, qua procedit Theologus, dum demonſtrative diſcurrit, ſuperat in certitudine omnes alias ſcientias naturales. Sic cum Pontifex procedit ex inſtinctu Spiritus Sancti, quamvis utatur etiam teſtimoniis hominum, judicium ejus infallibile datur, quia inſtinctus ille cum infallibilis ſit, infallibiliter eum protegit, ne ſequendo dicta hominum erret, ſed tantum judicet ſecundum hominum teſtimonium, quando in re verum eſt quod atteſtatur, alias abſtineat a judicio.

XXVI. Pro coronide tamen monitum volo Lectorem, quod quamvis ex hactenus dictis ſentiam, non eſſe immediate de fide, Papam, vel Eccleſiam in canonizatione Sanctorum errare non poſſe; ſentio tamen, impium, ſcandaloſum, temerarium, & hæreſi proximum eſſe aſſerere, Papam, vel Eccleſiam in hoc poſſe errare, aut Sanctum

ctum canonizatum non esse vere Sanctum, aut vere in Cælo regnare. Probo. Esset enim *Impium*, seu *blasphemum* quia ut dixi, *Tom. 1. in 1. p. q. 1. Dub. 5. de variis errorum gradibus §. 4. n. 23.* Impia, seu blasphema propositio est, quæ Deo, vel Deiparæ, aut Sanctis est injuriosa, vel quia negat perfectiones eis debitas, vel tribuit defectus, & imperfectiones indebitas. Qui autem assereret Sanctos canonizatos non esse Sanctos, aut in Cælo non regnare, injuriam Sanctis irrogaret manifestam. *Scandalosum* etiam, quia ut ibi, *n. 17.* notavi scandalosa propositio ea est, quæ per se præbet occasionem ruinæ spiritualis proximo, vel inclinando eum ad peccata, vel avertendo ab exercitio virtutum. Qui autem assereret Sanctos canonizatos non esse Sanctos, aut in Cælo non regnare, injuriam Sanctis irrogaret manifestam. *Temerarium* item, quia ut ibi *num. 14.* asserui, propositio temeraria ea est, quæ profert aliquid contra sensum Ecclesiæ, Patrum, & traditionis in materia gravi concernente fidem, vel mores: talis autem esset præfata propositio. Tandem *hæresi proximum*. Quia ut ibi §. 3. *num. 8.* advertit, propositio hæresi proxima illa est, quæ equidem fidem immediate non destruit, ad ejus tamen destructionem proxime disponit. Talem autem esse propositionem, quæ assereret Papam errare posse in canonizatione Sanctorum, ex dictis apparet. Nam esto immediate de fide non sit propositio ei opposita, est tamen certa certitudine immediate inferiori, & deducta ex certitudine fidei: ex hac enim deducitur, nempe, Ecclesiam infallibilem esse in illis, quæ tangunt mores, & cultum ad universos fideles pertinentes. Et maxime proxima hæresi est hisce temporibus. Ut enim ait Bannez in 2. 2. q. 1. art. 10. Dub. 7. *Quia proximis temporibus fuerunt hæretici, qui Ecclesiam in Sanctis canonizandis irriderent, atque negarent ejus auctoritatem, & infallibilitatem; propterea recentiores Theologi merito decernunt, sapere hæresim Lutheranorum asserere, Ecclesiam in alicujus Sancti canonizatione falsam fuisse, etiamsi auctoritas canonizandi non negetur.* Sed hæc satis.

QUÆSTIO VII.

De Cultu Sanctorum, veneratione Reliquiarum, & Imaginum.

HÆc tria præsens quæstio complectitur, quæ licet in secunda secundæ tractari soleant, hic tamen transtulimus, ut omnia quæ Sanctorum animas post hanc vitam relate ad viventes concernunt, conjunctim exponamus, & contrarios hæreticorum errores refellamus.

DUBIUM I.

An Sancti sint aliquo Cultu honorandi, & quali?

§. I.

Referuntur Errores.

I. EThnici, ut infra dicemus, cultum Martyrum aspernabantur, & Christianos arguebant, quod relictis Diis eos colerent. Ita Julianus Apostata apud S. Cyrillum Alexandr. *l. 6.* alii & Ethnici apud Eusebium, *Hist. l. 4. cap. 15.* & *lib. 8. c. 6.* de quo infra.

Manichæi quoque hoc idem improperabant Christianis Catholicis: unde Faustus Manichæus apud S. Aug. *l. 20. contra Faustum, c. 4.* ajebat: *Idola vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis.*

Idem error tribuitur Eustatio Episcopo Sebastæ, quem cum aliis damnavit Concilium Grangrense, & Vigilantio a S. Hieronymo libro contrà ipsum.

Mahometes etiam in suo Alcorano omnium Sanctorum cultum prohibuit. Hunc etiam rejecit Jo: Wicleffus, ut refert Thomas Waldensis, *Tom. 3. tit. 13.*

II. Hos patronos secuti sunt Acatholici moderni. Lutherus enim quamvis *in l. de præparat. ad mortem. In explicatione Salut. Angelica.* Et *in Epist. ad Erphurdienses* Sanctorum invocationem, & cultum non damnet, dicens: *Quamobrem quamquam supervacaneum sit Sanctos colere, nec tamen eos putarim respuendos, autem condemnandos esse, qui Sanctos adhuc colunt, nulla præsumpta fiducia: Quidquid enim Sanctis faciunt, Christo faciunt.* Attamen de more inconstans, Sanctorum cultum tamquam diabolicum postea reprobavit.

Calvinus autem, *l. 1. Inst. cap. 12. §. 2.* quem omnes Sectarii sequuntur, solita impudentia ita loquitur: *Quem Sanctis cultum deferunt Papistæ, nihil reipsa differre a Dei Cultu palam est, promiscue enim, & Deum, & illos adorant, nisi quod, dum urgentur, exceptione hac evadunt, Deo se illibatum servare quod suum est, quia latriam illi relinquant &c.*

§. II.

Resolvitur Prima Pars.

III. DIco. Sancti Angeli, & Sancti ab Ecclesia canonizati aliquo cultu venerandi sunt. Est Catholicum dogma in Tridentino, *Sess. 25.* definitum. In hujus probationem recolenda sunt, quæ supra diximus de invocatione Sanctorum, & in Vera Ecclesia, *Tom. 2. p. 2. art. 14. §. 5. &c.* De Sanctis Angelis Scriptura dicit in veteri Testamento pluries fuisse ab hominibus Sanctis aliquo cultu honoratos, eumque admisisse, quod non esset factum si illicitum esset. Ita Josue, *c. 5. v. 13.* Viso Angelo, & audito, quod esset princeps exercitus Domini, dicitur: *Cecidit Josue pronus in terram, & adorans,* ait: *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Ecce honor eximius a Josue exhibitus Angelo propter ejus excellentiam, & ab eo acceptatus, ait enim *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.* Id autem quod solet opponi de Angelo, qui noluit adorari a S. Joanne, solutum fuit supra, *Q. 5. Dub. 3. §. 4. n. 35.*

IV. Eadem Scriptura refert, homines Sanctos adhuc viventes permisisse aliquo cultu se honorari. Sic *3. Reg. 18. v. 7. Cumque Abdias esset in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: Nam tu es Domine mi Elias?* Ecce honorem, quem Abdias exhibuit Eliæ, & tamen ipse admisit. Abdias autem, ut ibi dicitur, erat administrator Domus Regis Achab, & Princeps: & tamen Eliam virum simplicem, sed gratia Dei plenum, vocavit Dominum suum, & pronus honoravit.

Idem legitur, *4. Reg. 2. v. 15.* Quod *Videntes filii Prophetarum, qui erant in Jericho, dixerunt, requievit spiritus Elia super Eliseum, & venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram.* Quod ibidem, *c. 4. v. 37.* de vidua, cujus filium Eliseus a mortuis suscitaverat, dicitur: *Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit super terram.* Honor autem ille, quo leguntur honorati Angeli, & Sancti viri, non erat mere civilis, & politicus, quia in eis non venerabantur aliquam excellentiam naturalem, & humanam, aut civilem: sed Josue veneratus fuit Angelum, quia dixit se esse Principem exercitus Domini, Abdias Eliam, quia virum Dei gratia plenum, filii Prophetarum, & Vidua Elisæum quia Spiritus Dei ab Elia in ipsum transierat, & quia Dei virtute suscitaverat filium ejus; ergo erat cultus & honor Sacer, ac Religiosus, quo in illis venerabantur Deum, ac Dei virtutem, quæ ipsos repleverat.

V. Si ergo cultu religioso honorari possunt Angeli, & homines adhuc viventes, cur non poterunt honorari Martyres, cæterique Sancti, qui præstantiori excellentia gratiæ inamissibiliter cum Deo in Cælis fruuntur? Hunc honorem eis promisit Christus Jo: 12. v. 26. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus,* & Matth. 19. vers. 28. Apostolis, qui eum secuti fuerant, dixit: *Cum sederit filius hominis in sede Majestatis Sua, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Quis autem honorare recusabit eos, quos scit sessuros cum supremo Judice, quasi conjudices? Bene igitur dixit David Psalm. 138. v. 17. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.*

VI. Hac veritate persuasi primitivi Christiani, Martyres colere, Basilicas in eorum memoriam erigere, & anniversaria festa celebrare cœperunt, adeo ut Ethnici, & postea Manichæi, ut supra tetigimus, putarent Christianos idololatriam non extinxisse, sed mutasse dando martyribus eumdem cultum, quem suis diis exhibebant gentiles; adeo ut referente Eusebio, *l. 4. Hist. cap. 15.* quidam Christiani nominis hostes maxime Judæi suggererent Nicetæ, ut Proconsulem moneret, ne cadaver (S. Polycarpi, qui tunc illustre martyrium consummaverat) Christianis donaret, *Ne forte, ut ajebant, relicto crucifixo, hunc deinceps colere inciperent.* Et lib. 8. 6. Corpora regiorum cubiculariorum, quæ post martyrium tradita fuerant sepulturæ: *Ipsi eorum legitimi Domini erui e sepulchro, & in mare projici oportere censuerunt, ne quis illos sepulchris conditos pro diis, ut ipsi quidam opinabantur, reputans in posterum adoraret.*

Hæc invicte probant, primis illis sæculis martyribus specialem honorem fuisse tributum, ut Ethnici crederent licet falso a Christianis pro diis haberi. Et Victor Vitensis, *lib. 1. de Persecut. Africana* narrat, quod cum Theodoricus Sanctum virum Armogastem nec minis, nec pœnis a fide catholica posset avertere, & proinde capite truncari jussisset, a Jucundo presbytero Ariano prohibetur, dicente: *Poteris eum diversis afflictionibus interficere. Nam si gladio peremeris, incipient eum Romani martyrem prædicare.*

VII. Ejusdem veritatis testes sunt omnium sæculorum Patres. Irenæus *l. 3. contra Hæres. cap. 20.* (modo 18.) Basilidianos, quod ad tantam temeritatem progressi sunt, *ut Martyres spernant &c.* addens, quod *a Christo confundentur omnes, qui inhonoraverunt eorum martyrium.* A Christo ergo confundentur Calviniste, qui Martyres inho-

inhonorant, & qui ejusdem Irenæi cineres exhumatos in ventum sparserunt. De Cypriano non loquor: quam enim honorifice de martyribus loquatur superius *Epist.* 37. vidimus; sicut nec de aliis Patribus quos de invocatione Sanctorum superius laudavimus. Origenes, Homil. 3. in diversos de SS. Innocentibus: *Bene* (inquit) *& secundum voluntatem Dei eorum memoriam Sancti Patres celebrari mandaverunt sempiternam &c.* Eusebius item, *l.* 13. *Præparat. Evang. cap.* 11. Ubi enim ex Platone dixit, eorum mortem, qui vitam glorioſe profuderint, celebrari oportere, subjungit: *Quæ quidem in hominum Deo charissimorum obitus egregie conveniunt, quos vera pietatis milites jure appellaveris. Nam & eorum sepulchra celebrare; & preces ibi, votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus.* His certe nihil apertius pro antiqua Martyrum veneratione apud Græcos.

VIII. Sed etiam apud Latinos hoc idem fuisse antiquitus observatum testimonium jam protulimus ex Cypriano, Ambrosio &c. agentes de invocatione Sanctorum. His addo Hieronymus, *in cap.* 3. *Sophoniæ*, ubi loquens de filiis Ecclesiæ olim abjectæ, & depressæ, quod in fine Deus ponet in gloria: *Quos autem* (inquit) *alios possumus intelligere filios Ecclesiæ nominatos, nisi Apostolos? Vide mihi Petrum, & Paulum, & Matthæum, & Joannem, & considera hoc quod ad Abraham repromissum est*, magnificabo nomen tuum, *in illis opere perpetratum. Quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur nomen eorum, non quod ipsis prosit a nobis in Ecclesia nominari, sed quod nos magnificantes nomen eorum; & quæ scripserunt lectitantes, consequamur salutem . . . . . Gloriatur quippe Dominus in athletis suis, cum eos viderit coronari &c.* Tantum ergo abest, ut Dominus honorem servis suis præstitum tamquam sibi injuriosum execretur, quin potius gloriatur, se in illis magnificari.

IX. Accedat Augustinus, qui, *lib.* 20. *contra Faustum*, *cap.* 11. depellens calumniam, quam ibi, *cap.* 4. Faustus imposuerat Catholicis, nimirum, quod idola verterint in martyres, ait: *Populus christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria.* En cultus qui Augustini tempore passim a christianis, Martyribus exhibebatur: idem prorsus cum eo, quem nos modo exhibemus, ut infra &c.

X. Ex præfatis aliisque testimoniis veterum, quæ omitto, aperte constat insscitia Melanchtonis, qui *in Apol. Conf. August. cap.* 21. dicit, veteres Scriptores ante Gregorium nullam feciſſe mentionem invocationis Sanctorum; & Kemnitii, *in exam. Conc. Trid. Sess.* 22. dicentis, eam cœpisse post tempora Augustini, nempe 200. annis ante Gregorium, & in eodem examine, *Sess.* 25. auctorem invocationis B. Mariæ fuisse Petrum Gnaphæum circa *ann. Christi* 480. Cum certum sit Concilium Ephesinum Generale III. *anno* 430. celebratum fuisse in Ecclesia, quæ dicebatur *Mariæ*, unde antea in honorem ejus fuerat erecta Ecclesia. Hoc igitur verissimum est, Acatholicos negantes honorem, & venerationem martyribus fuisse damnatos sub anathemate a Concilio Gangrensi inter *ann.* 327. & 341. *can.* 20. his verbis: *Si quis per superbiam . . . . conventus, qui per loca, & basilicas Sanctorum Martyrum fiunt, accusaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas putaverit, anathema sit.* Eodem anathema configuntur Calviniſtæ ab Ecclesia Græca præsenti (quamvis Schismate a Latina divulsa) in Conciliis Constantinopolitano, *anno* 1642. & Jerosolymitano, *anno* 1672. contra Cyrillum Lucari congregatis.

§. III.

Pro Resolutione Secundæ Partis quædam præmittuntur.

XI. QUia Acatholici cum Calvino Catholicæ Ecclesiæ imponunt, eamque calumnioſe traducunt, quasi cultum soli Deo debitum Sanctis, & Martyribus impendat, ideo ut calumnia detersa appareat veritas, distinctius hic examinabimus.

XII. Est ergo primo loco observandum, quod honor, cultus, adoratio cum ex S. Thom. 2. 2. *q.* 103. *art.* 1. sit testificatio quædam de excellentia alterius, tres actus complectitur. Primo, actum intellectus, quo aliquis excellentiam alterius apprehendit. Secundo, actum voluntatis, seu motum cordis, quo ad excellentiam apprehensam interius inclinamur, & volumus, aliquid facere actu, sive interiore, sive exteriore in protestationem talis excellentiæ, & nostræ subjectionis. Tertio, actum exteriorem, quo in testificationem excellentiæ caput inclinamus, procumbimus, vel genuflectimus, sive signum venerationis, & subjectionis ostendimus. Ex quibus actibus primus potest esse sine veneratione; potest enim quis apprehendere mente excellentiam alterius, & nullo actu voluntatis erga illam moveri. Tertius potest esse etiam cum irrisione, quemadmodum milites genuflectentes ante Jesum illudebant ei. Secundus est maxime proprius, & essentialis adorationi.

XIII. Secundo loco observo, quod triplex est excellentia; nimirum divina, & infinita, cui respondet prima species cultus, qui a Theologis vocatur *Latria*. Secunda est excellentia humana, seu naturalis, quæ consistit in humanis virtutibus naturalibus, sive speculativis, sive moralibus, in dignitatibus, gradibus &c. Cui respondet secunda species cultus, & observantiæ, qualis est civilis, & politica: quæ tamen in varias species subdividitur. Nam alius honor debetur patri, alius principi, alius præceptori, alius sapienti, alius viro probo.

Tertia est excellentia quædam media inferior quidem divina, sed humana, & naturali superior, qualis est gratia, & gloria Sanctorum: ista enim cum sint dona supernaturalia, quæ hominem maxime quantum fieri potest Deo conjungunt, & eum elevant supra excellentiam pure humanam, participationem aliquam divinæ excellentiæ ei communicando. Et huic respondet tertia species cultus, quam Theologi vocant *Duliam*. Et quia inter cæteras creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit ob unionem ad Verbum in persona: & similiter B. Virgo, ut Mater Filii Dei ita excellit alios Sanctos, ut dici possit exaltata super choros Angelorum, & Domina, ac Regina nostra: ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant Duliam, dividunt in *Duliam*, & *Hyperduliam*, ideſt *super duliam* supra speciem cultus, qui debetur aliis Sanctis, infra tamen illum, qui Deo debetur.

Hinc sequitur primo. Has tres adorationis species non esse univocas, sed analogas. Cum enim excellentia non dicatur univoce de excellentia Dei, & creaturarum, nec cultus, qui debetur ob excellentiam, potest univoce dici de cultu Dei, & creaturarum.

XIV. Tertio loco observo, has species cultus quantum ad actus interiores optime distingui. Nam prima species, hoc est *Latria* est quædam summa voluntatis prostratio, & inclinatio ex apprehensione Dei, ut primi principii, & ultimi omnium finis atque adeo summi boni; & hic cultus soli Deo convenit. —— Secunda species, nempe cultus civilis est inclinatio voluntatis longe minor orta ex apprehensione certa alicujus humanæ excellentiæ. —— Tertia species est quædam inclinatio voluntatis quasi media ex apprehensione excellentiæ plus quidem, quam humanæ, minus autem, quam divinæ.

Sed quantum ad actus exteriores non est facile cultus, seu adorationis species distinguere. Nam excepto sacrificio, & quæ ad illud referuntur, ut templis, altaribus, & Sacerdotibus, hæc enim Deus sibi soli reservavit, ut Augustinus docet, *l.* 10. *de Civitate Dei*, *c.* 4. *& l.* 20. *contra Faustum*, *cap.* 21. & ex eo S. Th. 2. 2. *q.* 85. *art.* 2. *ad* 3. ex aliis actibus exterioribus cultus seu adorationis non potest evidenter colligi, an aliquis cultum Deo tribuat, an creaturæ excellentia quadam eminenti. Nam Abraham eodem actu incurvationis usque ad terram adoravit Deum, *Genes.* 17. *v.* 3. *&* 17. & Angelos, *Gen.* 18. *v.* 2. & homines, *Gen.* 23. *v.* 12. Moyses adoravit Jethro, *Exod.* 18. *v.* 7. Miphiboset & David, 2. *Reg.* 9. *v.* 8. Cujus ergo speciei sit exterior adoratio ex animo, & interna subjectione pensandum est.

De hoc audiendus est, S. Thom. 2. 2. *q.* 84. *artic.* 1. *ad* 1. ubi ait: *Deo debetur reverentia propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur, non secundum æqualitatem, sed secundum quamdam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam, & alia veneratione quasdam excellentes creaturas quod pertinet ad duliam . . . . Et quia ea, quæ exterius aguntur, signa sunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est adoratio: sed aliquid est, quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium. Unde Augustinus, dicit in* 10. *de Civit. Dei* (cap. 4.) Multa de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia; sive adulatione pestifera: ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi, si autem multum eis additur, & adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? *Secundum reverentiam ergo, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adoravit David: secundum autem reverentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman*, timens, ne honorem Dei transferret ad hominem, *ut dicitur Hester* 3. *Et similiter secundum reverentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adoravit Angelos, & etiam Josue, ut legitur Josue* 5. *Quamvis possint intelligi, quod adoraverint adoratione latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat, & loquebatur. Secundum autem reverentiam, quæ debetur Deo, prohibitus est Joannes Angelum adorare Apocal. ultimo. Tum ad ostendendum dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis æquetur, unde ibi subditur*, conservus tuus sum, & fratrum tuorum. *Tum etiam ad excludendum idololatriæ occasionem, unde subditur*, Deum adora. Ex hac ergo S. Thom. doctrina confirmatur, quod unico excepto sacrificio, nullus sit actus exterior, quo exhibetur cultus Deo debitus, qui ex sua natura, & præcise

ab in-

ab intentione illum exhibentis, etiam aliquando, & sæpe non applicetur hominibus.

XV. Eadem ratione observo quarto, cum S. Augustin. *lib.* 10. *de Civit. Dei*, *cap.* 1. Quod nullum sit nomen in S. Scriptura, quod ex sua propria significatione sit impositum ad exprimendum cultum soli Deo debitum. Hoc enim nomen *Latria*, quo utimur ad significandum Dei cultum, & istud *Dulia*, quo significare intendimus cultum debitum hominibus, ex vi etymologiæ idem significant, nempe, *servitutem* quamvis ex usu inter Christianos introducto *Latria* pro solo cultu Dei usurpatur. Ita S. Augustinus loco citato, dicens: *Latriam quippe nostri, ubicumque Sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem; sed ea servitus, qua debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine græce nuncupari solet.* Latria *vero secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis, divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, qua pertinet ad colendum Deum.*

Inde infert, *quod si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur; dicimur enim colere etiam homines, quos honorifica, vel recordatione, vel præsentia frequentamus. Nec solum ea quibus nos religiosa humilitate subjicimus, sed quædam etiam, qua subjecta sunt nobis, coli perhibentur. Nam ex hoc verbo, & agricola, & coloni, & incolæ vocantur, & ipsos Deos, non ob aliud appellant Cœlicolas, nisi quod Cœlum colant, non utique venerando, sed inhabitando.* Unde concludit: *Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo propria quadam notione verbi hujus, omnino verissimum est; sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo latine uno verbo significari cultus Deo debitus non potest.*

XVI. Similiter de hoc nomine Religio dicit ibidem. *Nam & ipsa Religio, quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur: unde isto nomine interpretati sunt nostri eam quæ Græce* Threskia *dicitur: tamen quia latina loquendi consuetudine, non imperitorum, verum etiam doctissimorum, & cognationibus humanis, atque affinitatibus, & quibuscumque necessitudinibus dicitur exhibenda Religio; non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu deitatis vertitur quæstio, ut fidenter dicere valeamus, religionem non esse nisi Dei cultum*, & tandem concludit, *Quæ itaque* Latria *græce nuncupatur, & latine interpretatur* servitus, *sed ea qua colimus Deum; vel qua* Threskia *græce, latine autem* Religio *dicitur, sed ea qua nobis est erga Deum: vel quam illi* Theosebiam, *nos vero non uno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare, hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitque suos cultores Deos.*

Hæc fusius proponere æquum duxi, ut prudens lector agnoscat, quænam esset temporibus S. Augustini Ecclesiæ Catholicæ doctrina, & quam infirma sit Calvini, & suorum illatio, qua, ex quo Ecclesia catholica præsens aliquem cultum non mere civilem præstat Martyribus, cæterisque Sanctis in Cælo regnantibus, inferunt, eos colere ut Deos, & cultu soli Deo debito, & consequenter idololatriæ crimen incurrere. Quare

§. IV.

Resolvitur Secunda Pars.

XVII. Deo. Angeli, & homines Sancti colendi sunt, cultu quidem minori divino, sed majori civili, & mere humano. Tres habet partes hæc assertio. Prior probatur. Nam cultus est honor alicui debitus propter excellentiam: qua ratione cultu aliquo, & honore veneramur, non solum Regem, ac Principem, sed quotquot in ejus aula excellenti aliqua dignitate super nos fulgent: sed Angeli, & homines Sancti cum Christo regnantes in aula cælesti excellenti dignitate fulgent supra viventes in hoc mundo; ergo &c. & sicut non detrahitur, nec fit injuria Regi, aut Principi, ex hoc quod aliis infra ipsum, cultum, & honorem exhibeamus, sed potius in illis ipsam regiam majestatem, quæ illis tribuit excellentiam, veneramur: ita dum veneramur Sanctos, tantum abest, ut detrahamus honori Deo debito, quin potius Deum, qui faciendo illos Sanctos, divinitatis suæ per gratiam, & gloriam fecit illos participes, in Sanctis colimus, & veneramur, qui verus Deus est, facitque suos cultores Deos, ut dicebam supra ex Augustino, per gratiam, nempe, non per naturam.

XVIII. Confirmo. Ex illo, Psalmi 98. vers. 5. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est*, vel ut alii interpretantur *Sanctus est*. Nomine autem scabelli pedum ejus intelligunt plerique Arcam Testamenti. Nam 1. *Paralipomenon* 28. *vers.* 2. dicit Salomon *Cogitavi ut ædificarem Domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri*, quia super arcam erat propitiatorium quasi sedes Dei, quæ tenebatur manibus duorum Cherubin. Quare in eodem Psalmo, *vers.* 1. dicitur: *Qui sedet super Cherubin*, & in Psalm. 131. v. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*. Et statim subditur, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*. Unde Hieronymus, Epistola ad Marcellam testatur, ipsam Arcam coli solitam, *Venerabantur* (inquit) *quondam Judæi Sancta Sanctorum: quia ibi erant Cherubin, & Propitiatorium, & Arca Testamenti*. Immo tanto honore, ac veneratione volebat Deus Arcam fœderis haberi, ut *Josue* 3. *v.* 4. jubeatur populus in itinere nunquam accedere prope Arcam ad spatium duorum millium cubitorum. 1. *Reg.* 6. *v.* 19. percusserit Dominus ex Bethsamitis qui Arcam sine debita reverentia viderunt, de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis; & similiter, 2. *Reg.* 6. *vers.* 7. percussus fuerit Oza a Deo, cum Arcam tetigisset, quod ei non licebat, sed solis Sacerdotibus; Ac demum propter honorem Arcæ nemo posset ingredi Sancta Sanctorum, ubi illa erat, nisi summus Pontifex semel in anno, ut ait Paulus, *Hebr.* 9. Ex his ita discurro. Arca Dei creatura erat rationali valde inferior: & tamen quia scabellum pedum, & sedes Dei erat, supra quam certo modo requiescebat, Deus volebat, eam tanta veneratione, ut dictum est, ab Israelitis haberi; ergo magis vult esse in honore Sanctos homines jam beatos, in quibus non in figura aut temporaliter, sed reipsa, & in æternum Deus ipse per gratiam, & gloriam requiescit, & qui non in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videntes, Deum possident.

XIX. Secunda etiam prob. Nam si erat locus distinguendi cultum, & honorem debitum Arcæ, super quam sedebat Deus, a cultu debito ipsi Deo. Quæso, cur non erit locus distinguendi cultum debitum hominibus Sanctis a cultu debito ipsi Deo? Si est diversus honor debitus throno in quo sedet Rex, & honor debitus Ministris, & amicis Regis, ac optimatibus regni, ab honore debito ipsi Regi, necesse est, ut sit diversus honor, & cultus, qui exhibetur Sanctis, ab eo qui soli Deo exhibetur. Ita sane. Nam cultus, quem sanctis Angelis, & hominibus beatis exhibemus tantum distat a cultu soli Deo debito, quantum res creata, & finita distat a Creatore, & infinito. Deum ergo colimus, & adoramus tamquam creaturæ Creatorem, tamquam primum omnium principium, & ultimum omnium finem, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, eique soli in contestationem nostræ servitutis offerimus sacrificia, ædificamus templa, & erigimus altaria. Creaturas vero rationales quantumcumque sanctas, & beatas colimus, ut vero Deo uni, & trino in gloria famulantes, & quia stant coram Deo, ejus visione fruuntur, ac nobis charitate sunt conjuncti, suis intercessionibus per Christi merita nos adjuvent. Hæc est doctrina Ecclesiæ catholicæ de cultu Sanctorum, qui quam diversus sit a cultu Dei, nemo non videt.

XX. Tertia pars, nempe, cultum istum Sanctorum esse distinctum a mere civili, & humano, probatur ex causa, ob quam talis cultus, seu veneratio exhibetur, nempe, excellentia: hæc enim non ex quadam civili, & politicæ reverentia eis exhibetur, ut exhibetur hominibus in dignitate aliqua humana excellentibus, sed eis exhibetur ex sanctitate, & donis supernaturalibus, quibus a Deo sunt donati. Unde quamvis dici non debeat cultus religiosus in illo rigore, quo religio solum Deum spectat, & a Græcis vocatur *Theosebia:* dici tamen potest in aliquo sensu religiosus, seu bonus cultus, quo sensu a Græcis religio *Eusebia* vocatur, ut distinguitur contra civilem, & prophanum honorem hominibus ob excellentiam naturalem, vel civilem debitum. Ut enim superius ex S. Aug. *lib.* 10. *de Civit. Dei*, *cap.* 1. dictum est, Religionis nomen non ad cultum solius Dei restringitur, sed etiam ad necessitudines humanas extenditur: quanto ergo magis ad reverentiam erga Sanctos ostendi debet. Quapropter ut supra notavimus S. August. lib. 20. contra Faustum, c. 21. *Populus Christianus* (inquit) *memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat*: & inferius cultum Sanctorum satis distinguit a cultu Deo debito, quem *Latria* vocat, & a cultu civili, qui consanguineis, & honoratis viris debetur, dicens: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata &c.* Sanctos autem homines adhuc viventes paratos ad martyrium cultu aliquomodo religioso colebant veteres, ut apud Cyprianum legere est, non mere civili. Unde ab eodem S. August. *lib. de cura pro mort. cap.* 4. Religionem aliquam esse dicit corpora mortuorum sepelire, & magis in memoriis Martyrum: *Quoniam si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando ubi sepeliantur attenditur.*

XXI. Noto tamen pro complemento, quod esto absolute dici possit Sanctos *adorari*, cum in Scriptura sæpe homines adorari dicantur; Attamen, quia verbum adorare communiter a Patribus, & Theologis pro cultu divino, sicut & Latriæ nomen usurpatur, tutius crediderim eum agitur de cultu Sanctorum, loco *adorare* dicere *colere*, aut *venerari*. Unde observo, Tridentinum, *Sess.* 25. in decreto de hac materia titulum præfigere: *De invocatione, & veneratione Sanctorum*, ac nomine *venerationis* semper uti, nunquam vero *adorationis*.

§. V.

§. V.

Acatholicorum objecta contra utramque partem.

XXII. PRimo, objicit Calvinus. Duplex est cultus, unus civilis, quo honoramus homines excellentes, quo in scripturis multi homines dicuntur adorati, & etiam Angeli: alter religionis, & hic convenit soli Deo: sed Angelis, & Sanctis non possumus exhibere cultum civilem, quia nobiscum civiliter non versantur, nec religionis, quia religio est cultus Dei; ergo &c.

Confirmat: si cultus aliquis religionis Sanctis debetur, certe *Dulia*, non *Latria*. Sed ineptum est dicere Sanctos coli, & non latria. Nam cum latria significet cultum, colere sine latria est colere sine cultu. Deinde plus est *Dulevin*, quam *Latrevin*. Nam *Dulevin* est servire, *Latrevin* est colere: minus autem est colere, quam servire; colimus enim pares, ut amicos, & collegas, quibus tamen non servimus, sed solis Dominis.

XXIII. Respondeo neg. maj. pro secunda parte: ut enim diximus, datur alter cultus tertius, qui religiosus dici potest, etsi non sit actus primarius, & elicitus a religione, sed secundarius, & quasi ab ea imperatus, & talis est cultus, quem exhibemus Sanctis.

Ad Confirm. Ex dictis respondeo, duliam non esse plus, quam latriam. Nam secundum profanos auctores ex vi etymologiæ idem significat, nempe, servitutem: secundum autem Scripturæ, & Ecclesiæ usum, longe major est latria quam dulia; latria enim non est quilibet cultus, sed cultus summæ servitutis, dulia est cultus, qui a quolibet inferiori exhibetur alicui excellenti, ut ejus ope adjuvetur. Unde colere sine latria, non est colere sine cultu, sed colere sine tali cultu, nam S. Augustinus, qui non erat ineptus, *lib. 20. contra Faustum, cap. 21.* citato dicit, Sanctos coli, & non latria.

XXIV. Neque dicas, nos non esse servos Sanctorum, sed conservos; ergo cum dulia dicat cultum per modum alicujus servitutis, hac non possumus Sanctos colere. Unde August. *quæst. 94. in Exodum*, dicit: *Dulia debetur Deo tamquam Domino. Latria vero nonnisi Deo tamquam Deo.*

Resp. non esse conservos Sanctorum relate ad Deum supremum Dominum, cujus Sancti, & nos, imo omnis creatura ut primo principio, & ultimo fini famulatur: at comparati ad invicem nos viventes in terris dici possumus aliquomodo servi Angelorum, & Beatorum in Cælis, quatenus illi nos movent, & juvant ad bene operandum exemplo suo, & intercessione apud Deum: ideoque eorum servi dicimur veneratione, & obsequio. Unde S. Paulinus, *Carmine 1. de S. Felice* eum sic precatur.

O Pater, o Domine, indignis licet, annue servis

Et Carmine 3. ad eumdem

.... ut cum sedula cura
Servitium nostrum longe tibi panderit ævo.

Augustinus autem potius est pro nobis. Nam ex eo quod ait, latriam dari Deo, ut Deus est, duliam vero eidem ut Dominus est, colligitur, latriam non posse communicari creaturæ, quia Deus unus est: at duliam posse communicari creaturæ, quia multi sunt vere, & proprie Domini. Quamquam interim fatemur, duliam, qua colitur Deus, esse duliam per excellentiam, cum qua solum analogice convenit dulia, qua coluntur Sancti.

XXV. Hinc respondetur ad loca, quæ ex Scripturis affert idem Calvinus: ut illud Deuter. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*, quo Christus contra Diabolum usus fuit, dicens: *Scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* (Matth. 4. v. 10.) Illud 1. ad Timoth. 1. v. 17. *Soli Deo honor & gloria*. Illud Galat. 4. v. 8. *Iis qui natura non sunt dii, serviebatis.*

Ad hæc enim, & alia similia dico, ea loqui de adoratione, & servitute, quæ soli Deo debetur, hæc enim nulli a Deo exhibenda est; hunc autem esse verum sensum, patet ex contextibus, non autem de veneratione, aut servitute quacumque. Unde S. August. quæst. 61. in Genes. *Quæritur* (inquit) *quomodo scriptum sit*, Dominum Deum adorabis, & illi soli servies, *cum Abraham sic honoraverit populum quemdam gentium* (Genes. 23. v. 7.) *ut etiam adoraret. Sed animadvertendum est in eodem præcepto non dictum*, Dominum Deum tuum solum adorabis, *sicut dictum est*, & illi soli servies, *quod est Grate* latreusis: *Talis enim servitus non nisi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ, ideſt, ejusmodi servitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moveat, quod alio loco in quadam Scriptura* (Apocal. 19. v. 10.) *prohibet Angelus hominem adorare se, & monet ut Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari: & ideo fuerat corrigendus adorator.*

Nec etiam per hoc quod dicatur soli Deo serviendum esse, excludenda est quæcumque servitus alteri a Deo, sed solum præcipitur quod ea servitus quæ præstari debet Deo, nulli alteri qui non sit Deus, præstetur. Nam hoc præcepto non obstante dicit Isaac Jacob, Genes. 27. v. 29. *Serviant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum.* Unde hic insto. Solus Deus dicitur Dominus, & tamen alii præter Deum sunt Domini. Soli Deo honor, & tamen alii præter Deum sunt honorandi; ergo præfatis verbis non prohibetur quin alii a Deo absolute serviatur, aut honor exhibeatur; sed solum ne ea servitute, qua servitur Deo, alteri serviatur, & ne honore Deo debito, alter honoretur.

XXVI. Scio, Calvinum, & alios velle nos servitutem, honorem, & cultum præstare Sanctis eo modo, quo Gentiles suis diis. —— Sed miror, cur eos non pudeat, ut nos Catholicos impugnent, ad castra Ethnicorum, & Manichæorum transire, his enim armis veteres Christianos ob cultum, quem martyribus exhibebant, infectabantur, ut supra observavi, §. 2. & respondi maxime ex August. *lib. 20. contra Faustum, cap. 21.* ubi præter superius relata verba hæc habet: *At illo cultu, qui Græce* latria *dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur. Etiam ipsi enim Sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo, & Barnaba, cum commoti miraculis, quæ per eos facta sunt Lycaones, tamquam Diis immolare voluerunt, conscissis enim vestimentis suis, confitentes, & persuadentes se Deos non esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit, & in Angelis, sicut in Apocalypsi legimus Angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo, conservus tuus sum, & fratrum tuorum.* Similia habet enarrat. *In Ps. 96.* Hæc erat doctrina catholica ætate Augustini, & ita eam calumniantibus respondebat. Eadem est doctrina catholica Romana in præsens, & hac responsione novis Manichæis occurrit.

XXVII. Secundo, objiciunt & instant. Vos Romanenses sacrificia offertis etiam Sanctis, & Angelis. Nam in Missalibus vestris leguntur Missæ de Sanctis: sed per nos Missa est sacrificium; ergo Sanctis sacrificatis, eosque ut Deos, seu idola colitis.

XXVIII. Respondeo, hanc instantiam in officina Manichæorum elaboratam esse, & Augustino objectam, quam ipse, *lib. 20. contra Faustum, cap. 21.* retundit constanter asserendo, nos sacrificia offerre, non martyribus, sed uni Deo Martyrum, & nostro. quamvis in memoriis Martyrum, ut eorum orationibus adjuvemur, eorumque intercessione, ac meritis, acceptabile fiat Deo sacrificium nostrum. Hoc idem docet, *lib. 8. de Civit. Dei, cap. 27.* sequentibus verbis: *Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum, nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tamquam Sanctorum hominum Dei ..... Quis autem audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad altare, etiam super Sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus*, offero tibi Sacrificium Petre, & Paule, vel Cypriane: *Cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit, ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem invocato in auxilium ex illorum memoria renovatione adhortemur.* Et de illis qui eo tempore ad memorias Martyrum epulas deferebant (quamvis hoc a Christianis melioribus asserat non fieri) dicit hoc facere, quia *Sanctificari eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum. Non autem esse ista sacrificia Martyrum novit, qui novit unum, quod etiam illis offertur, sacrificium Christianorum.* Eadem nos dicimus Lutherano, aut Calvinistæ: nos in Missa non offerimus sacrificium martyribus, aut Sanctis, sed uni Deo Martyrum Sanctorum, & nostro. Audivit enim umquam Sacerdotem stantem ad altare dicere *Offero tibi Dominico, Francisco, Antonio?* Facimus quidem in Missa memoriam Sanctorum, ut ad eorum imitationem excitemur, ut eorum precibus, ac intercessione eorum gloriæ consociemur, gratias agimus Deo, qui eos fecit Sanctos; sed oblationem, & Sacrificium soli Deo ipsorum, & nostro facimus. Alias omitto calumnias, quas pius Lector ex dictis poterit dissipare.

DUBIUM II.

Qualis Cultus debeatur humanitati Christi, & Beatæ Mariæ Virgini.

§. I.

De humanitate Christi.

I. DIco. Humanitas Christi adoranda est adoratione latriæ: probo. Ut enim docet S. Th. 3. *part. quæst. 25. art. 1. & 2.* Honor seu adoratio: *Proprie exhibetur totî rei subsistenti: non enim dicitur quod manus hominis honore-*

tur, ſed quod homo honoretur. Et ſi quandoque contingat, quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujuſmodi partes per ſe honorentur, ſed quia in iſtis partibus honoratur totum. Per quem etiam modus aliquis homo poteſt honorari in aliquo exteriori, puta in veſte, aut in imagine, aut in nuntio. Ergo cum in Chriſto ſit una tantum perſona divinæ, & humanæ naturæ, & una hypoſtaſis, unum ſuppoſitum, & hoc divinum, cui debetur adoratio latriæ, fit, ut adoratio humanitatis Chriſti ſit adoratio perſonæ divinæ, & proinde latriæ; adeo ut dividere adorationes, eſſet dividere in Chriſto perſonas, & ſuppoſita, & conſentire hæreſi Neſtorii, qui ſicut in Chriſto duas diſtinguebat perſonas; ita conſequenter diſtinguebat in eo duas adorationes, negans Chriſtum hominem adorari eadem adoratione, qua adoratur Verbum. —— Hoc ſic confirmo. Nam ſic adorare humanitatem Chriſti ſecundum proprietatem ſermonis, non aliud eſt, quam adorare Dei Verbum carnem factum; humanatum, incarnatum: ſed adoratio cum exhibeatur divinæ Perſonæ, eſt illa ipſa, quæ Deo debetur, ac proinde unica, eaque ſumma, ideſt latria; ergo &c.

II. Quare ſimpliciter dicendum eſt, carnem, & animam Chriſti, ſicut & membra corporis ejus adoranda eſſe adoratione latriæ, quæ quidem eis debetur ratione hypoſtaſis Verbi, cujus ſunt, & a qua, & in qua ſuſtentantur, & quæ eſt proprius adorationis terminus. Fuit hæc doctrina tamquam certa a Patribus quovis ſæculo tradita. Athanaſius, Epiſt. ad Adelphium: *Itaque* (inquit de carne Chriſti) *rem creatam non adoramus: abſit. Ethnicorum enim, & Arianorum eſt hujuſmodi error. Sed rerum creatarum Dominum carnem factum, Dei verbum adoramus. Etſi enim ipſa caro ſeorſum ſpectata pars ſit rerum creatarum, attamen Dei facta eſt corpus. Neque vero hujuſmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipſum a carne removemus, ſed ut ſuperius diximus, hac,* Verbum caro factum eſt, *non ignorantes, idem Verbum in carne exiſtens, Deum agnoſcimus. Quis ergo adeo demens ſit, ut Domino dicat, recede a corpore, ut te adorem?* Vel quis *eo devenit impietatis, ut cum inſanis Judæis, eidem propter corpus dicat*: Quare tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum? *Atqui talis non fuit leproſus ille, Deum enim in corpore exiſtentem adoravit &c.*

III. S. Item Auguſt. *in Pſ.* 98. Verba illa: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt*, de carne Chriſti ſcabelli pedum ejus nomine intelligens, & de ea loquens adoratione, de qua dictum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis*, ait: *Nemo illam carnem manducat, niſi prius adoraverit ... Cum te inclinas, atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum Sanctum, cujus pedum ſcabellum eſt quod adoras: Propter ipſum enim adoras &c.*

Hanc veritatem contra Neſtorium Synodus Epheſina, *Can.* 8. definivit his verbis: *Si quis audet dicere, aſſumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, & connuncupari Deum tamquam alterum cum altero ... & non magis, una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod verbum caro factum eſt; Anathema ſit.* Et Concilium Conſtantinopol. II. Generale V. Can. 9. *Si quis* (inquit) *in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duæ adorationes introducuntur ... Sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ejus carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.* —— Idem confirmat S. Jo: Damaſc. *lib.* 3. *fidei, cap.* 8. dicens: *Unus Chriſtus, Deus perfectus, & Homo perfectus, cui unam, eamdemque adorationem cum Patre, & Spiritu, non excluſa immaculata ejus carne, adhibemus. Neque enim adorandam eſſe carnem ejus negamus: quippe quæ adoratur in una Verbi Perſona, quæ quidem ipſi perſonæ, & hypoſtaſis facta eſt. Qua in re non creaturæ ſervimus; non enim illam, ceu nudam carnem adoramus, ſed velut divinitati unitam, & quia duæ ipſius naturæ ad unam Dei Verbi perſonam reducuntur, unamque ſubſiſtentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Chriſti naturas ob unitam carnis divinitatem adoro.* Hoc repetit, *lib.* 4. *cap.* 3. utens exemplo purpuræ, quæ ut ſimplex purpura calcatur, poſtquam vero in regium indumentum aſſumpta eſt, honore afficitur, & ſimplicis ligni, quod per ſe tangi poteſt, ſed ob adjunctum ignem nec propius adiri, nec tangi poteſt. Concludens: *Non quod ea ligni natura ſit, ut propiorem ad ſe acceſſum non ferat; ſed quod jam carbo ſit, ſeu lignum accenſum; Ad eumdem quoque modum caro ſuapte quidem natura nequaquam eſt adoranda, ſed cum in Verbo incarnato adoratur, non quidem propter ſe ipſam, ſed propter Deum Verbum, quod ſecundum hypoſtaſim ipſi copulatum eſt.*

IV. Ex his obſervat S. Thom. 3. *part. quæſt.* 25. *art.* 1. & 2. citatis, quod cum in honore adorationis conſiderari poſſit, & is cui honor exhibetur, & cauſa honoris; & licet honor ſemper exhibeatur rei ſubſiſtenti, cauſa tamen honoris poſſit eſſe aliquid non ſubſiſtens, propter quod honoratur perſona, cui illud ineſt, ideo, *art.* 2. ibi dicit: *Adoratio igitur humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi. Uno modo ut ſit ejus ſicut rei adorata. Et ſic adorare carnem Chriſti nihil eſt aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum, ſicut adorare veſtem Regis nihil eſt aliud, quam adorare regem veſtitum. Et ſecundum hoc adoratio humanitatis Chriſti eſt adoratio latriæ. Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quæ ſit ratione humanitatis Chriſti perfectæ omni munere gratiarum, & ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latriæ, ſed adoratio duliæ.* Quæ tamen doctrina non ſic eſt intelligenda, ut poſſit re ipſa dividi adoratio, & adoratio, & adorari Chriſti humanitas adoratione duliæ, & non latriæ, ſed quod licet Chriſti humanitas ſemper ſit adoranda adoratione latriæ, cauſa tamen hujus adorationis non convenit humanitati ex ſua præciſe excellentia, ſed unice ab unione cum Verbo; ita ut ſi præciſive a Verbo conſideraretur ſecundum cætera dona creata, quibus ornatur, ei latriæ adoratio non competeret. Et hanc eſſe ſuam mentem declarat S. D. ibi *ad* 1. ubi reſpondens cuidam Gloſſæ: *Gloſſa* (inquit) *illa non eſt ſic intelligenda, quaſi ſeorſim adoretur caro Chriſti ab ejus divinitate, hoc enim poſſet contingere ſolum hoc modo, ſi eſſet alia hypoſtaſis Dei, & hominis. Sed quia ut Damaſcenus dicit* (lib. 4. fidei, cap. 3. ſecundum verſionem noviſſimam) ipſius caro ſuapte quidem natura, ſi ſubtili quadam conſideratione id quod viſibile eſt, ab eo quod ratione tantum intelligitur, diſtinxeris, nequaquam adoranda eſt, utpote creata: *Scilicet adoratione latriæ; Et tunc ſic intellecta, ut ſeparata a Dei Verbo deberetur ſibi adoratio duliæ, non cujuſcumque, puta quæ communiter exhibetur aliis creaturis, ſed cujuſdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.* Ita ſeſe explicat Sanctus Thomas.

V. Sed dices primo. Alia eſt operatio divinæ, & humanæ naturæ, ut contra Monothelitas credit Eccleſia; ergo alio honore veneranda eſt Chriſti humanitas, & alio ejus divinitas, quia honor eſt præmium actus virtutis.

Reſpondeo cum S. Thoma, *quæſt.* 25. citata, *art.* 1. *ad* 2. nego conſ. Quia *Operatio non eſt, qua honoratur, ſed ratio honoris. Et ideo per hoc quod in Chriſto ſunt duæ operationes, non oſtenditur, quod ſint duæ adorationes, ſed duæ adorationis cauſæ.* Unde (ut dicit in Corp. ejuſdem art.) *Si in uno homine ſunt plures cauſæ honoris, ſicut prælatio, ſcientia, & virtus, erit quidem illius hominis unus honor ex parte ejus qui honoratur, plures tamen ſecundum cauſas honoris: homo enim eſt qui honoratur, & propter ſcientiam, & propter virtutem.*

VI. Dices ſecundo. Humana natura in Chriſto, ejuſque partes, quamvis conjunctæ Verbo divino conditionem creaturæ non excedunt; ergo non ſunt adorandæ adoratione eadem cum ea, qua Deus adoratur cum ſcriptum ſit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Reſpondeo nego conſ. Cum enim humana natura Chriſti ſubſiſtat in perſona divina, & honor proprie in perſonam terminetur, dum adoratur Chriſti humanitas, adoratio non tendit in creaturam, ſed in Creatorem, cujus eſt illa humanitas. Unde ſicut honor debetur Regi quacumque veſte induto: ita una adoratio debetur Deo in quacumque natura aſſumpta, quia in ea ſemper adoratur Creator, nec creaturæ ſervimus, ſed Creatori, ut ſupra dictum eſt ex Damaſceno, *lib.* 3. *Fid. cap.* 8.

§. II.

De B. Virgine Dei Matre.

VII. HOnori debito Dei Matri, Hæreticorum aliqui nimium dedere, alii nimium detraxere. Nimium dedere *Collyridiani*, qui teſte Epiphanio, *Hæreſ.* 79. quibuſdam mulieribus auctricibus, ſtata quadam anni die collyridem, ſeu placentam panis Virginis Mariæ offerebant in ſacrificium, eam ut Deam colentes, cum ex dictis ſacrificium ſoli Deo offerri poſſit. Nimium vero eidem detraxere alii hæretici dicti: *Antidico-Mariani*, ſeu *Antimariani*, qui teſte eodem Epiphanio, *Hæreſ.* 77. & 78. & Auguſtino, *Hæreſ.* 56. eam omni honore, etiam prærogativa virginitatis perpetuæ ſpoliabant. Ad hoc ex parte accedunt moderni Sectarii, qui eſto perpetuam virginitatem ei non audeant eripere, de honore tamen ei debito exiliter ſentiunt, & Eccleſiam catholicam carpunt, quod cultum excedentem, ac ſoli Deo proprium B. Virgini tribuat. Attamen

VIII. Dico. B. Virgini Matri Dei debetur cultus, non quidem latriæ, ſed hyperduliæ, ſeu major cultu, quem cæteris Sanctis, & Angelis exhibemus. Prob. autem prima pars. Nulli creaturæ, quæ per ſe ſit capax cultus, debetur adoratio latriæ, quæ ſoli Deo debetur, ſed B. Virgo eſt creatura, & cum ſit creatura rationalis ſubſiſtens, eſt per ſe capax cultus; ergo non debetur ei &c. Maj. ex dictis patet, ideo enim humanitati Chriſti adorationem latriæ conceſſimus, quia non propria adoratione eam adoramus, ſed ea qua adoramus Verbum, in qua ipſa ſubſiſtit. —— Secunda etiam pars prob. Quia B. Virgo, etſi creatura, eſt tamen excellentiſſimis donis ſupra omnem aliam creaturam exornata, non ſolum quia Sanctiſſima, gratia plena, Spiritus Sancti ſacrarium, & Verbi divini habitaculum, ſed etiam quia Mater Dei, & Deo propinquiſſima.

IX. Totum hoc docet S. Th. tum *in* 3. *ſent. diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. his verbis: *Cum beata Virgo ſit per ſe quædam perſona agens, ei debetur honor per ſe: Unde alia adoratione adoratur, quam filius ejus. Unde non poteſt adorari latria, ſed dulia. Quia tamen non ſolum honoratur ratione ſui, ſed etiam ratione filii, & ut Mater Dei; ideo*

in quan-

in quantum pertinet ad Christum honoratur hyperdulia. Tum 3. p. q. 25. art. 2. *Quia latria soli Deo debeatur, nulli creaturæ debetur latria, prout creaturam secundum se veneramur. Licet autem creaturæ insensibiles non sint capaces venerationis secundum se ipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum se ipsam. Et ideo nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ: cum igitur B. Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solum veneratio dulia: Eminentius tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei.*

X. Simili modo discurrens Epiphanius, *Hæres. 79.* contra Collyridianos: *Revera* (inquit) *Sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus; revera virgo erat ipsa Virgo, & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est.* Ecce adorationem latriæ Mariæ non debitam. Et infra: *Eximium quidem est vas, sed mulier, & nihil a natura immutata; Verum, & intellectu, & sensu in honore honorata, velut corpora Sanctorum, & si quid amplius ad glorificationem dixerim.* Postea enumeratis variis Sanctis, subjungit: *Maria adhuc honoratior &c.* Ecce venerationem, & cultum duliæ majorem, quam cæteris Sanctis Mariæ debitum, & concludit; *Carnem induit Deus Verbum ex Sancta Virgine, non tamen ut adoretur Virgo, neque ut Deum hanc efficiat, non ut in nomine ipsius offeramus, non ut post tot sæcula mulieres Sacerdotes, ac sacrificulas ostenderet.* Et tandem. *Sit in honore Mariæ: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus adoretur.*

XI. Istum cultum duliæ quidem, sed cultu cæteris Sanctis debito excellentiorem, quovis sæculo fuisse B. Mariæ tributum, testantur, tum liturgiæ SS. Jacobi, Basilii, Chrysostomi. Tum Patres, qui eam passim vocant *Deiparam*, inter quos Athanasius, Orat. 3. contra Arianos: *Reginam omnium. Honoratiorem Cherubin, sanctiorem Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus superius excellentibus glorioſorem, spem Patrum, & gloriam prophetarum.* Ut Ephrem, *anno 370.* Orat. de Laudibus Sanctissimæ Dei Matris; *Dignitatem terræ* appellat Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos, cap. 24. *Cæli, & terræ mediatricem* vocat Epiphanius, *Hæres. 79.* Mitto sequentium sæculorum Patres, quos veneratione plenos, dum de B. Virgine loquuntur, quisque reperiet.

XII. Sed dices primo contra primam partem. Idem honor est exhibendus matri regis, ac regi: Unde dicitur 3. Reg. 2. v. 19. *Quod positus est thronus matris regis, quæ sedit ad dextram ejus.* Sed Christo ejus Filio debetur honor latriæ, ergo & Mariæ & matri ejus.

Dices secundo. Honor matris refertur ad filium: si ergo filius est latria adorandus, similiter & mater.

Tertio. Conjunctior est Christo mater ejus, quam crux: sed crux adoratur adoratione latriæ, ut dicetur; ergo &c.

XIII. Ad primum. Respondeo cum S. Thom. 3. p. q. 25. art. 5. citato ad 1. *Quod matri regis non debetur æqualis honor honori, qui debetur regi: debetur tamen ei quidam honor consimilis ratione cujusdam excellentiæ.* Et hoc significat auctoritas inducta. Addo quod mater regis terreni est capax ejus honoris, qui datur regi, si rex voluerit matrem eo honorare, ut de Salomone dicitur. Sed Maria Mater Dei, cum sit pura creatura, non est capax latriæ, qui est honor debitus filio ejus, qui est Deus. Imo Maria adorat Deum latria: ejusdem autem non est latriam exhibere, & recipere, sicut ejusdem non est creare, & creari. Unde S. Th. in 3. dist. 22. q. 3. art. 3. quæstiunc. 3. ad 3. *Quamvis* (inquit) *Beata Virgo sit super Angelos exaltata, non est tamen exaltata usque ad æqualitatem Dei, vel unionem in persona. Et ideo non dicitur sedere ad dexteram, sed adstare a dextris, in quantum honor filii aliquo modo participative, non plenarie redundat in ipsam, in quantum dicitur Mater Dei, sed non Deus.*

XIV. Ad secundam instantiam. Resp. cum eodem S. Th. 3. p. q. 25. art. 5. ad 2. & in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. *Quod honor matris refertur ad filium, non sicut ad subjectum, scilicet ut sit unus motus in matrem, & in Filium, sicut est in imaginibus; sed refertur in filium sicut in finem, quia propter filium mater honoratur.*

Ad tertium. Similiter dico cum eodem S. D. dicta q. 25. art. 5. ad 3. *Quod crux non est capax venerationis, prout in se consideratur* (ut dicetur) *sed B. Virgo secundum se ipsam est venerationis capax: & ideo non est similis ratio.*

XV. Contra secundam partem blaterant Sectarii. Primo. Quia Epiphanius, *Hæres. 79.* dicit: *Mariam nemo adoret, non dico mulierem, sed neque virum; Deo debetur hoc mysterium.* Et infra *Maria Sancta, & honorata; at non ad adorationem.* Et tandem *Maria in honore sit, Dominus adoretur.*

Secundo. Dicunt, cultum, quo veneramur Mariam, esse excedentem: vocamus enim eam: *Redemptricem, Mediatricem. Avertatur a me ira Dei per te.* Quæ omnia Christo unico Redemptori, Mediatori, per quem unicum ira Dei aversa est a nobis, injuriosa sunt.

XVI. Sed inepte, ne dicam impie falluntur. Nam *ad 1.* Qualis si mens Epiphanii constat ex dictis. Solum vult Mariam non debere adorari tamquam Deum æquali honore cum Deo, ut illam adorabant Collyridiani, contra quos agit: immo cum dicat *Maria in honore sit*, non negat ei cultum, sed solum cultum, qui soli Deo debetur, quod & nos dicimus.

Ad id quod secundo opponunt. Nos vocare interdum Mariam Redemptricem, Mediatricem, per quam a nobis avertitur ira Dei, diverso tamen sensu ac Christum Filium ejus. Nam Christum vocamus, & credimus Redemptorem, Mediatorem immediate, quia sua auctoritate, & suis meritis nos Deo reconciliavit in sanguine suo. Mariam vero dicimus Redemptricem, Mediatricem, Advocatam, solum quia genuit Redemptorem, & quia non pure suis meritis, sed per merita Christi a Deo Patre pro nobis obtineat, vel intercedat, quod Christo mediatori non præjudicat, sed eum potius extollit, quod nempe nihil sine ipso, nec nisi per ipsum quisquam a Deo obtinere possit.

Neque hoc nomen Mediatrix Sectarios offendere potest. Tum quia Epiphanius, quem ut vidimus tamquam sui patronum adducunt, *Serm. de Laudibus S. Deiparæ* eam tali nomine honorat, dicens: *Ipsa enim est Cæli, & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit Beata Virgo, Columba pura, & Sponsa cælestis Maria, Cælum, templum, & thronus divinitatis.* Quid clarius pro cultu excellentissimo duliæ tamen, quo Mariam veneramur? Mariam reparatricem in eo sensu vocamus, quo Augustinus, *Serm. 51.* (alias 63. *de diversis*) dicit: *Decipiendo homine propinatum est venenum per feminam: reparando homini propinetur salus per feminam.* Et Serm. 232. (alias 144. de tempore) *Quia per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo.* Quod secundo sæculo dixerat Irenæus, *lib. 5. contra Hæres. cap. 19.* ubi postquam Mariam vocavit Virginis Evæ *Advocatam*, subjungit: *Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, salvatur esse Virginem.*

Adeo. Quod etiamsi diceremus (quod tamen nefas dicere existimamus) Mariam esse Redemptricem, & Mediatricem, sicut Christum, non propterea ex hoc præcise divinum ei deferremus cultum. Nam Christus non est Redemptor, & Mediator secundum divinitatem, alioquin esset medium inter Deum, & homines, & consequenter minor Patre, quod sapit Arianismum, vel alia persona a persona Verbi, qui Nestorianismus error est. Igitur est mediator secundum humanitatem; quamvis autem Calvinus videatur oppositum docere ad Polonos contra Stankarum, eum tamen turpiter errare ostendi in vera Ecclesia, *Tom. II. part. 2. art. 14. §. 7. num. 47.*

Accedit quod plures Catholici doctores docent, quod humanitas, si non esset verbo unita in persona, sed per se subsisteret, ac esset purus homo, adhuc tamen potuisset a Deo eligi, atque tanta gratia exornari, ut esset Redemptor, ac Mediator, sed tamen tunc non fuisset ita perfecta redemptio a supposito creato, sicut modo exhibita a persona divina in humana natura assumpta: Atqui tali redemptori, ac mediatori non daretur cultus latriæ soli Deo debitus; igitur ex quo Matri Dei tribuamus nomen Redemptricis, ac Mediatricis pessime inferunt adversarii, nos ei tribuere honorem divinum.

Dicent etiam hoc nomen hyperduliæ esse novum. — Sed respondeo quod esto nomen esset novum, res tamen ad quam significandam Ecclesia hoc nomen usurpavit, nova non est. Nam etiam Ariani hoc nomen *Omousion* ut novum respuebant, sicut & Nestoriani nomen *Theotocon*, res tamen ad quam significandam Ecclesia instituerat, nova non erat.

DUBIUM III.

De Cultu debito Cruci Christi.

§. I.

Errores recensentur, & quædam præmittuntur.

I. PRimus Crucis Christi inimicus fuit Apostata Julianus. Is enim apud Cyrillum, *lib. 6. contra Julianum pag. mihi 194.* ita improperabat Christianis: *At vos, infelicissimi homines, cum adorare, & colere nolitis ancile, quod pœnes non servatur, æternæ urbis certissimum pignus calitus delapsum, & a magno Jove, aut Marte patre demissum, crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, & vestibulis ædium insculpitis.* Hic notet plus Lector Juliano ipso testante quarto sæculo commune esse Christianis crucis lignum adorare, ejus signa in fronte formare, & vestibulis ædium insculpere.

Mahometani Crucem abominantur, & Christianos eam adorantes idololatras appellant.

II. Ex Christianis, hæresim contra cultum Crucis excitavit Claudius quidam Turonensis, *anno 800.* teste Jona Aurelianensi, *lib. 1. de Cultu Imaginum.* Eam excitavit quidam Petrus Bruis, a quo Petrobusiani dicti sunt, ut refert Petrus Cluniacensis, *Epist. 1. ad Episcopos.* Hos secuti sunt Wicleffistæ, teste Thoma Waldensi, *Tom. III. tit. 20.* Lutherus qui in lib. de formula Missæ: *Festa* (inquit) *S. Crucis anathema sunt.* Lutherani quoque quoad cultum S. Crucis idem sentiunt, quamvis concedant crucis signum, vel imagines Sanctorum licite in Templo servari posse, ut in Colloquio Mompelgardensi ex Sacra Scriptura probant. Calvinus item, *lib. 1. Inst. cap. 11. §. 7.* ait: *Christum vera prædicatione depingi, & quodammodo ob oculos nostros crucifigi testatur Paulus. Quorsum igitur attinebat tot passim in templis cruces erigi, ligneas, lapideas, argenteas, & aureas,*

si probe, & fideliter illud inculcaretur, Christum esse mortuum, ut in cruce maledictionem nostram sustineret &c. Ex quo uno plus discere poterant, quam ex mille crucibus ligneis, aut lapideis: nam in aureas, aut argenteas avari mentes, & oculos tenacius forte defigunt, quam in ulla Dei verba Calvinus ergo sola prædicatione Christi crucifixi contentus, cruces omnes ipsum repræsentantes ab Ecclesia tollit. Præfatos imitantur omnes prætensi Reformati, qui passim cruces abominantur, evertunt, & confringunt, & si pretiosæ sint, in sua lucra convertunt.

III. Ecclesia tamen Catholica, ut ostendam, semper consuevit non solum prædicatione crucis excitare auditum fidelium ad Christi crucifixi adorationem, sed etiam eorum oculis signa visibilia crucis ejus exponere, ut in eis Christum crucifixum adorarent, & ad recolendam mortem ejus magis accenderentur.

IV. Tripliciter autem de cruce Christi loqui possumus. Primo, de cruce, vel parte ejusdem crucis, cui Christus affixus fuit, quamque sanguine suo perfudit, & contactu sanctificavit. Secundo, de mera imagine S. Crucis, ex ligno, lapide, vel alia materia formata. Tertio, de signo crucis, manu in fronte, in pectore, in aere, vel alibi formato.

§. II.

Resolutio Catholica, De vera Christi Cruce.

V. DIco. Si loquamur de cruce, in qua Christus crucifixus est, sic & ratione contactus, & ratione repræsentationis Christi, adoratur adoratione latriæ. Si vero loquamur de effigie crucis Christi in quacumque alia materia, sic ratione tantum repræsentationis, prout scilicet imago Christi crucifixi est, adoratur latria. Ita S. Thom. 3. p. q. 25. art. 4. his verbis: *Honor, seu reverentia non debetur, nisi rationali naturæ, creaturæ autem insensibili non debetur honor, vel reverentia, nisi ratione rationalis naturæ. Et hoc dupliciter. Unde modo in quantum repræsentat rationalem naturam: alio modo in quantum ei quocumque modo conjungitur. Primo modo consueverunt homines venerari Regis imaginem: secundo modo ejus vestimentum. Utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur, & regem. Si ergo loquantur de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda: uno scilicet modo in* quantum repræsentat nobis figuram *Christi extensi in ea: alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ. Et propter hoc etiam crucem alloquimur, & deprecamur, quasi ipsum crucifixum. Si vero loquamur de effigie crucis Christi in quacumque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri, sic veneramur crucem tantum ut imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriæ.* Hæc S. Thomas.

VI. Observandum tamen censeo, quod cum S. Thomas dicit crucem Christi, cui confixus est, adorandam esse adoratione latriæ, loquitur cum adoratur eodem actu, quo adoratur Christus, qui sit illius adorationis terminus, vel subjectum quod adoratur, & ideo affert exemplum vestimenti regis; hoc enim solum regio honore veneramur, cum veneramur regem illo indutum. Hinc, *Lect. 5. in cap. 11. ad Hebr.* dicit quod si Jacob *adoravit fastigium Virgæ ejus*, idest Joseph, sensus est, quod *adoravit Christum significatum per virgam, sicut & nos adoramus crucifixum, & crucem ratione Christi passi in ipsa. Unde proprie non adoramus crucem*, scilicet latria, *sed Christum crucifixum in ipsa.* Et in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. *Crux Christi* (inquit) *etiam ipsa, in qua Christus pependit, potest dupliciter considerari: vel in quantum crucifixi imago, & sic adoratur eadem adoratione, sicut crucifixus, scilicet latria. Unde eam alloquimur, sicut crucifixum dicentes*: O crux ave spes unica. *Vel in quantum est res quædam, & sic cum non pertineat ad personam Verbi, sicut pars ejus, non potest eadem adoratione adorari cum Verbo: sed adoratur in quantum est res quædam Christi ratione ipsius, Hyperdulia. Sed alia cruces non adorantur, nisi ut imago. Et ideo adorantur tantum Dulia.* Huic autem interpretationi libentius adhæreo. Tum quia existimo talem esse S. Thomæ mentem, non solum loco mox citato, sed etiam in 3. p. ubi utitur exemplo vestimenti regis, hoc enim eodem veneramur quo regem, quando veneramur regem vestitum: si tamen illud consideramus ut rem quamdam regis, honore habemus quidem, sed longe inferiori. Et rursus. Nam B. Virgo Maria magis est res Christi, quia ejus mater, quam sit crux. Et tamen quia eam veneramur ut rem Christi, veneratione distincta, cultu minori hyperduliæ eam veneramur, ut diximus.

VII. His explicatis, probandum est, crucem cui Christus affixus fuit, esse venerandam. Primo. Ab inventione ejus. Etsi enim hostes Christianorum conati sint crucem abolere, ejusque omnia vestigia, unde eam altissime sub terra absconderunt, & in loco crucis Veneris simulacrum erexerunt, sicut in loco resurrectionis, Jovis, & in loco nativitatis, Adonidis, ut refert S. Hieron. *Epist. ad Paulinum de instit. Monachi*, cur tamen crucem non cremarunt, aut in mare demerserunt, cum vellent, & possent; nisi quia Deus abstulit eis mentem, ut ad solatium piorum lignum pretiosissimum servaretur?

Accedit, quod Deus eo tempore crucem inveniri voluerit, quo tuto poterat coli, nempe, ab initio imperii Constantini. Si enim antea regnantibus persecutoribus reserata fuisset, magis ludibrio, quam honore excepta fuisset. Si autem diu post tempora Constantini fuisset inventa, fraudata fuisset Sancta Crux debito honore. Tunc ergo primum divina providentia crucem manifestavit, cum primum potuit coli.

Hoc etiam evidentia miracula demonstrarunt. Nam cum tres cruces essent inventæ, nec posset certo crux Christi a crucibus latronum discerni, omnes tres cuidam mulieri in extremis agenti fuerunt applicatæ, & cum duæ priores nihil egissent, tertia mulieri admota, eam protinus sanam reddidit. Scribunt hoc Ruffinus, *lib. 10. Hist. cap. 9.* Socrates, *lib. 1. cap. 17.* Sozomenus, *lib. 2. Hist. cap. 2.* qui narratis prodigiis, quæ in crucis inventione contigerunt, concludit; *Hæc olim quidem a sacris Prophetis multo ante cognita sunt, & prædicta, tandem vero admirandis operibus confirmata sunt, tunc cum Deus opportunum id esse censuit. Neque id adeo mirandum, cum & apud Gentiles in confesso sit, istud a Sybilla prædictum fuisse,*

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,

Hæc enim nemo, quantumvis nobis adversari studeat, negaverit. Lignum igitur crucis, ejusque cultum Sybilla prædixit &c. Qui ibi refert etiam mortuum contactu crucis fuisse ad vitam revocatum. Quod narrant etiam Paulinus, *Epist. 11. ad Severum*, & Severus, *lib. 2. Hist. Sacræ.*

VIII. Neque obest, quod Ambrosius, *Orat. in Theodosium*, & Chrysostomus, *Homil. 84. in Joann.* videantur dicere, crucem Christi agnitam fuisse ex titulo, quo aliæ duæ carebant. —— Nam ut ait Sozomenus, citato loco: *Adhuc tamen erat difficile divinam crucem, quamvis repertam, a reliquis distinguere: quippe cum ejus inscriptio ab ipsa divulsa, projectaque esset, ac simul tres cruces temere disjectæ, ordine illarum ut verisimile est, tunc confuso, cum corpora damnatorum ex illis deposita sunt.* Et rationem reddit. Quia cum immineret dies Sabbati, sicut & Evangelium narrat Christum jam mortuum, & a cruce depositum sepulchro festinanter tradiderunt, & ut latronibus mortem accelerarent, eis crura fregerunt: ita *Cruces temere hinc inde projecerunt. Quid enim curæ illius fuisset cruces eo quo prius fuerant ordine reponere, cum singuli vespertinam horam prævenire maturarent, nec operæ pretium ducerent circa cruces hominum violenta morte interemptorum diutius immorari?*

IX. Neque est attendenda Centuriatorum impudentia, qui ex una parte Helenam superstitiosam vocat (*Centur. 4. cap. 6.*) quia Hierosolymam petiit, ut crucis lignum inveniret. Ex alia vero (eadem Centuria, *cap. 13.*) historiam totam hujus inventionis dubiam reddere conantur. Tum quia Ambrosium primum auctorem habet. Tum quia Eusebius: *lib. 3. de vita Constantini*, ubi de Helena multa narrat, ac de repurgatione Montis Calvariæ, & tamen non meminit inventionis Crucis.

X. Non, inquam: nam contra primum stant omnes Patres, qui Helenam ob hoc mirifice laudant, & a Deo admonitam ac inspiratam crucis lignum quæsiisse dicunt, quibus accensendi sunt Socrates, & Sozomenus citatis locis. Et Eusebius in Chronico, quem Hieronymus latinum fecit: *Helena* (inquit) *Constantini mater divinis monita visionibus, beatissimum Crucis lignum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit.* Testantur item miracula supra narrata in ejus inventione facta; Nec enim Deus in contestationem actus superstitiosi, miracula patrasset.

Contra vero secundum, stant Sulpitius, Paulinus, Ruffinus, Hieronymus, Chrysostomus, qui eamdem historiam referunt æquales sæculo Ambrosii. Deinde eamdem recitat Cyrillus Hier. Ambrosio antiquior, Epist. ad Constantinum Imper. *num. 3.* his verbis: *Ac tempore quidem Deo amicissimis, ac felicis recordationis Constantini patris tui salutare crucis lignum in Hierosolymis est repertum, divina gratia viro pietatem recte quærenti hoc largiente, ut absconditos Sanctos locos inveniret. Cujus meminit etiam, Catech. 4. num. 10. & Cat. num. 29.* Nec favet Eusebii silentium in vita Constantini. Tum quia hujus inventionis per Helenam meminit in Chronico supra relato. Tum quia eam satis indicat, *lib. 3. de Vita Constantini, cap. 30.* ubi recitans Epistolam Constantini ad Macharium, ait: *Tanto est servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissima illius passionis monumentum sub terra jampridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quod communi omnium hoste sublato famulis ejus in libertatem vindicatis affulgeret, omnem admirationem superat.* Quodnam autem passionis monumentum, nisi crux, in qua passionem Christus consummavit? Ideoque cum ageretur de re tunc omnibus notissima, non fuit sollicitus eam distincte exponere.

XI. Veneratio insuper ligni S. Crucis comprobatur testimonio veterum fidelium, qui ardenti desiderio tenebantur habendi, aut saltem videndi particulas veræ crucis; quod

quod ſignum eſt, eam in ſummo honore habuiſſe. Cyrillus Hieroſolymit. *Cathec.* 10. dicit ex ligno crucis Hieroſolymis invento, totum mundum repletum plurimis inde particulas petentibus, & impetrantibus. S. Paulinus, *Epiſt.* 31. *ad Severam*, ſcribit S. Crucem Hieroſolymis in ſacrario aſſervari: ab Epiſcopo in Paſchate populo adorandam promi, quaſi quoddam ſacræ ſolemnitatis inſigne. Neque præter illam, niſi ſolis peregrinis e longinquis regionibus oſtendit, & licet innumeras diviſam in particulas, detrimentum tamen non pati. Socrates, *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 17. narrat, Conſtantinum particulam crucis ſtatuæ, quam Conſtantinopoli collocavit inſeruiſſe, quod exiſtimaret, per eam crucis particulam totam Urbem fore incolumem. Evagrius *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 26. narrat, quod cum Thomas Apamienſis Epiſcopus populi rogatu lignum crucis ibi aſſervatum exponere decreviſſet; indictis certis diebus, ut omnes finitimi confluerent, adfuit Evagrius ipſe adhuc adoleſcens cum parentibus ſuis, qui deinde ſubdit: *Itaque eo tempore, quo venerandam crucem adorare, ac deoſculari meruimus, Thomas elatis ſurſum manibus lignum crucis, quod veterum maledictionem abolevit, univerſam eadem ſacram circumiens oſtendit, ſicut in ſolemnibus adorationum diebus fieri conſueverat. Progredientem vero Thomam ſequebatur ingens flamma, non illa quidem comburens, ſed coruſcans, adeo ut totus ille locus, in quo conſiſtens Thomas venerandam crucem oſtendebat, conflagrare videretur. Neque hoc ſemel, atque iterum, ſed ſæpius factum eſt, cum Epiſcopus univerſum illum locum circumiret, & populus congregatus Thomam enixe rogaret, id ut fieret. Ea res futuram Apamienſibus ſalutem prædixit.* Hæc Evagrius teſtis de viſu adorationis ligni S. Crucis, & miraculi, quod contigit in ſacri ligni circumgeſtatione deſinente ſæculo ſexto.

XII. Accedit S. Auguſtinus, qui, *lib.* 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. ſcribit quod rogatus ipſe a quodam, qui terram ſanctam de Chriſti ſepulchro allatam domi ſuæ habebat, nec reverentiæ cauſa in ſuo cubiculo retinere volebat, ut eam alicubi infoderet, *Atque ibi orationis locus fieret, ubi etiam poſſent Chriſtiani ad celebranda quæ Dei ſunt, congregari*, acceſſit ipſe cum alio Epiſcopo, & ad votum omnia peregit. Quo cum paraliticus allatus fuiſſet: *Oravit, atque inde continuo pedibus ſuis ſalvus abſceſſit.* Si ergo Auguſtini tempore tanto in honore erat terra, in qua Chriſtus fuerat ſepultus, quanto majori honore proſequenda crux erat, cui Chriſtus fuerat affixus, & merito. Nam ſi locus, in quo Angelus perſonam Dei gerens ſtetit, *terra ſancta* dicitur, Exodi 3. v. 5. & *locus ſanctus*, Joſue 5. v. 16. Cur non magis crux cui Deus ipſe in carne fuit affixus? Si ſudaria, & ſemicinctia Pauli honorabantur propter contactum, *Act.* 19. *v.* 12. Sacramenta quia inſtrumenta gratiæ in honore ſunt, cur non crux ex contactu Chriſti, in qua ut inſtrumento ſalus conſummata fuit?

XIII. Sed dices primo. Crux dolorem, & ignominiam Chriſto attulit; ergo deteſtanda potius eſt, quam adoranda.

Secundo. Stultus, & impius judicaretur filius, qui patibulum amaret, & honoraret, in quo pater ejus ſuſpenſus fuiſſet, quia hoc in contumeliam patris fuit. Cum ergo Chriſtus ignominioſiſſimam mortem in cruce pertulerit, juxta illud, Sap. 2. *Morte turpiſſima condemnemus eum*, crucem debemus non venerari, ſed deteſtari. His movebantur Petrobuſiani.

XIV. Reſpondeo, ad 1. Crucem Chriſti Judæis quidem, ac Gentilibus fuiſſe ignominiam, & ſcandalum, Chriſtianis autem lætitiam, & gloriam ob diabolum devictum, & humanum genus redemptum, ac ſignum dilectionis erga nos, propter quos Chriſtus voluntarie dolores, & opprobrium aſſumpſit. Juxta illud Iſaiæ 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Ex his.

Ad ſecundum, conſtat diſcrimen. Nam qui in patibulis nunc ſuſpenduntur, Primo, inviti ſuſpenduntur. Secundo, ex culpa ſive vera, ſive in actis probata. Tertio nihil boni ex eorum morte provenit. At Chriſtus mortem licet ignominioſam volens aſſumpſit. Non propter culpam ſuam, aut veram, aut probatam teſte Pilato Judice ſemel atque iterum proteſtante, Jo: 18. & 19. *Ego nullam invenio in eo cauſam.* Demum ex ejus morte toti generi humano ſalus obvenit, & propter hunc finem ipſe eam ſuſcepit: ſicut ergo ſi quis ob amorem Patriæ volens, ac ſine propria culpa tradens ſeipſum, concivium culpam in ſe ſuſciperet, mortem pro ea expianda ſuſciperet, ex quo omnium ſalus & libertas obveniret, inſtrumenta mortis ejus in honore aſſervarentur: ita & multo magis Chriſti crux, quæ fuit inſtrumentum noſtræ ſalutis.

XV. Similiter reſpondet S. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 4. *ad* 1. dicens: *Quod in cruce Chriſti quantum ad intentionem, vel opinionem infidelium conſideratur opprobrium Chriſti. Sed quantum ad effectum noſtræ ſalutis conſideratur virtus divina ipſius, qua de hoſtibus triumphavit, ſecundum illud Coloſſ.* 2. Ipſum tulit de medio affigens illud cruci, & ſpolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo. *Et ideo dicit Apoſtolus* 1. *ad Cor.* 1. Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: his autem, qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt.

XVI. Neque ex dictis inferas, quod ſi crux, quia fuit inſtrumentum paſſionis Chriſti, & quia corpus ejus tetigit, eſt veneranda, pari ratione veneranda forent labia Judæ, & manus eorum, qui Chriſtum crucifixerunt, tum propter contactum corporis Chriſti, tum quia fuerunt inſtrumenta paſſionis ejus. —— Nego enim illatum. Ut enim ex contactu Chriſti aliqua res poſſit honorari, debet ſanctitatis ipſius aliquo modo participaſſe. Unde Damaſcenus, Orat. 3. de Imaginibus, cap. 4. *Non adoro* (inquit) *Judæos; neque enim actionis divinæ participes extiterunt, neque gloriæ Dominum Deum meum eo conſilio affixerunt cruci, ut mihi ſalutem pararent, ſed invidia potius, & odio.* Adoranda vero eſſe dicit, lignum crucis, præſepe, ſepulchrum, facias, coronam ſpineam, & ſimilia, quoniam actionis divinæ fuerunt receptacula.

Addo labia Judæ, & manus impiorum fuerunt inſtrumenta propinqua actionis ſceleſtæ, paſſionis autem, ut ſalutaris, ſolum remota, & mediata. At crux, lancea, & ſimilia fuerunt inſtrumenta propinqua, & immediata paſſionis ſanctæ, ac ſolum remota actionis ſceleſtæ, & ideo crux &c. veneranda ſunt, non labia Judæ &c. Eo vel magis quia cum ſint partes illorum hominum impiorum, honorari non poterant, niſi homines illi impii honorarentur, quia honor eſt ad perſonam, crux autem, & alia ſunt res per ſe exiſtentes, & natura ſua innocentes, ideoque poſſunt honorari.

§. III.

De Imagine Crucis.

XVII. Hæc eſt ſecunda pars Aſſertionis §. præcedentis ſtatutæ. Imaginem porro crucis eſſe in veneratione habendam. Probo primo. Nam, *Matth.* 24. *v.* 30. Chriſtus de ſuo adventu ad judicandum loquens: *Tunc* (inquit) *apparebit ſignum filii hominis.* Quod ſignum de cruce, vel imagine crucis intellexerunt Patres juxta oraculum Zachariæ, cap. 12. v. 10. *Et adſpicient ad me, quem confixerunt*, ad quæ reſpiciens Joannes in Evang. cap. 19. v. 37. *Videbunt* (inquit) *in quem transfixerunt.* Hæc attendens Cyrillus Hieroſol. *Epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem*, ubi de ſigno crucis, quod tunc Hieroſolymis apparuerat locutus fuit, ſubjunxit: *Atque hoc quidem prodigium, Deo amiciſſime Imperator, ſecundum prophetarum teſtificationes, ac voces Chriſti ſanctas, nunc eſt adimpletum, & iterum plenius adimplebitur. Nam in Evangelio ſecundum Matthæum.... prænuntians dicebat.* Tunc apparebit ſignum filii hominis in Cælo. Et, *Catech.* 14. hiſce eiſdem verbis relatis: *Signum autem* (inquit) *verum, & Chriſti proprium crux eſt. Lucida crucis ſignum præcedit, demonſtrans eum, qui prius crucifixus fuit.* Si ergo honorabile eſt ſignum, ſeu vexillum Imperatoris, & teſte Sozomeno, *l. Hiſtor. cap.* 4. milites illud adorare conſueverant, quanto majori veneratione adoranda erit crux, quæ tamquam ſignum, & vexillum præcedet Chriſti univerſalis judicis adventum, quam ſuum fore ſignum, & vexillum ipſe prænuntiat?

XVIII. Hoc imitatus fuit primus Chriſtianus Imperator Conſtantinus, qui ut milites ſui Chriſtum colere aſſueſcerent, mutato Imperatoris Romani vexillo, referente eodem Sozomeno citato loco, vexillum crucis erexit, quod exercitum præcederet, & hoſtibus objiceretur, certis militibus deſignatis, qui illud cuſtodirent, ac per vices deferrent. Et hoc mirabile accidit, ut non ſolum in præliis victor evaderet, ſed nemo eorum, qui ſalutare ſignum geſtaret, telorum ictibus vulneraretur. Hoc etiam teſtatur Euſebius, *lib.* 2. *de Vita Conſtantini, cap.* 6. 7. & 8. Motus autem ad hoc fuit Conſtantinus, ut ſcribit Euſebius, *lib.* 1. *de Vita Conſtant. cap.* 28. qui ait ſe ab ipſo Conſtantino audiviſſe, nimirum: *Horis diei meridianis, ſole in occaſum vergente crucis trophæum in Cælo ex luce conflatum ſoli ſuperpoſitum ipſis oculis ſe vidiſſe affirmavit, cum hujuſmodi inſcriptione. Hac vince.* Quod & milites videntes obſtupefacti fuerunt. Cogitanti vero Conſtantino, quid hoc ſpectrum ſibi vellet, (cap. 29.) *Chriſtus ei dormienti apparuit cum ſigno, quod in Cælo oſtenſum fuerat, præcipitque ut militari ſigno ad ſimilitudinem ejus, quod in Cælo vidiſſet fabricato, eo tamquam ſalutari præſidio in præliis uteretur* (Et cap. 30.) *Illo primo ſtatim diluculo ſurgens arcanum omne amici expoſuit. Convocatis deinde auri, ac gemmarum fabris, medius inter eos ſedens ſpeciem ſigni eis ſermone depinxit, juſſitque, ut auro, ac lapillis ſimilitudinem ejus exprimerent. Quod & nos aliquoties videre meminimus.* Hoc ſignum inſtar crucis formatum illud erat, quod Romani *labarum* vocant, illudque deſcribit ibi Euſebius, *cap.* 31.

XIX. Eo in honore voluit Deus imaginem crucis a Conſtantino haberi, ut in ea, in qua vicerat ſpirituales poteſtates, iſte vinceret terrenas. Unde Conſtantini tempore ſcripſit Lactantius, *Carmen de Cruce*, in quo inter cætera legitur.

Flectite genu, lignumque Crucis venerabile adora.

Neque in ſolo Conſtantino crucis honor quievit: ad ſuccedentes enim Imperatores tranſivit. Theodoſius, prohibuit, ne crux humi ſculperetur, vel pingeretur, ne ſacrum ſignum pedibus calcaretur. Ita lib. 1. Codicis, tit. 8. L. *cum ſit Nobis.* Tiberius item piiſſimus Imperator, *ſæculo* 6. cum vidiſſet in palatio crucem in marmore humi inciſam, mox erigi juſſit, dicens, *Cruce Domini noſtri frontem*,

tem, & pectora munire debemus : & ecce eam ſub pedibus calcamus. Ita Paulus Diaconus, *lib. 17. rerum Roman.* Qui addit: *Defoſſaque tabula, atque erecta, inveniunt ſubter, & aliam hoc ſignum habentem: Qui & ipſa juſſit auferri. Qua amota inveniunt, & tertiam. Juſſuque ejus cum hæc fuiſſet ablata, inveniunt magnum theſaurum habentem ſupra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus, adhuc abundantius quam conſueverat, largitur.*

XX. Sed etiam ante tempora Conſtantini imaginem crucis Chriſtianos veneratos fuiſſe, colligo ex Juſtino, *Apolog. 2. pro Chriſtianis*, ubi oſtendit ſine crucis ſigno nihil fieri, nec mare ſcindi, terram arari, omniaque inſtrumenta, quibus homines utuntur, immo & ipſam formam hominis crucis imaginem referre, quæ licet Ethnici non intelligant, *figuræ hujus* (nempe crucis) *vim præferunt, & declarant.* Et Dialogo cum Tryphone, in Moyſe expanſis manibus orante, & populo, adorante ipſo, vincente, dicit adumbratam fuiſſe Chriſti crucis figuram; *Non enim propter quod Moyſes ita orabat, populus in prælio ſuperior erat, ſed quod nomine Jeſu in prima acie verſante, ipſe crucis ſignum deſignabat.*

Tertullianus etiam in Apologetico, *cap. 16.* Supponit Ethnicos putare Chriſtianos *Crucis Religioſos* eſſe, & reſpondet, etiam apud Ethnicos crucis ſigna inveniri, quamvis ipſi ignorent. Et *lib. de Corona Militis, cap. 3.* deſcribens Ritus religioſos ſuæ ætatis apud Chriſtianos, dicit; *Ad omnem progreſſum, atque proventum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Quæ mire evincunt non ſolum honorem crucis, ſed & conſuetudinem ſignandi eo ſacro ſigno frontem, de qua infra. Sed quid plura? cum ut Dub. præcedenti retulimus Julianus ipſe Chriſtianis venerationem crucis objiceret: *Crucis lignum adoratis, ejuſque ſignum in fronte formatis, & veſtibulis adium inſculpitis.* Cui reſpondens Cyrillus, non negat, hæc a chriſtianis fieri, ſed recenſitis beneficiis, quæ Chriſti mors in cruce nobis attulit: *Horum* (inquit) *nobis omnium ſalutare lignum memoriam excitat.... Quocirca nos, uti dixi, honoranda crucis lignum boni omnis, ac virtutis admonitionem facimus.*

XXI. Venerationem imaginis Sanctæ Crucis Eccleſia Græca ſemper confeſſa eſt. In Synodo enim Quiniſexta, ſeu Trullana, Can. 73. *Cum crux* (inquit) *nobis viviſica ſalutare oſtenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum quem par eſt honorem exhibeamus. Quamobrem, & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ a nonnullis in ſolo ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione, victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur. Eos itaque qui deinceps crucis ſignum in ſolo conſtruunt, ſegregari decrevimus.* Idipſum confitetur Synodus Nicæna II. Generalis VIII. *Act. 6.* Et Eccleſia recentior, quamvis ſchiſmatica, in Synodo Hieroſolymitana, *anno 1671.* contra Calviniſtas coacta, *cap. 18. quæſt. 4.* ſuam fidem circa hoc ita exprimit: *Inſuper venerandæ, vivalisque crucis lignum, in quo pro ſalute mundi Salvator noſter paſſus eſt, quin & ejuſdem crucis ſignum veneramur, & adoramus.*

Et merito. Nam ſigna rerum Sanctarum ſancta, & venerabilia ſunt, ut dicetur infra de ſacris imaginibus: ergo multo magis quælibet crux ſancta, & venerabilis erit, quæ gerit imaginem Chriſti crucifixi, & in ipſo opere redemptionis conſummando occupati, quo nil ſanctius cogitari poteſt.

XXII. Dicunt tamen adverſarii. Primo. Si oportet adorare omnes cruces, quia Chriſtus in cruce pependit, oportebit etiam adorare omnia ſepulchra, quia in ſepulchro Dominus quievit, & omnia præſepia, quia Chriſtus in præſepio reclinatus fuit, & omnes columnas, lanceas, ſpongias, flagella, immo inquit Claudius, omnes aſinos, quia Chriſtus aſino vectus fuit.

XXIII. Sed ad hanc ineptam inſtantiam nego ſequelam. Non enim ad hoc ut aliquid ſit imago alterius, ſufficit, ut ſit ſimile illi, ſed ulterius requiritur, ut ſit expreſſum ad ſimilitudinem illius. Quare frater licet ſit ſimilis fratri, non dicitur imago fratris, quia unus non eſt ab alio. Filius autem, quia non ſolum eſt ſimilis Patri, ſed etiam in ſimilitudinem naturæ ab eo procedit, vere dicitur, & eſt imago patris. Jam ergo omnes cruces fiunt ad exprimendam illam primam, in qua Chriſtus confixus fuit, & ad hujus repræſentationem eriguntur, & ſic imagines ejus ſunt. At ſepulcra, præſepia, lanceæ, & ſimilia non fiunt ad exprimenda ea quæ Paſſionis Chriſti inſtrumenta fuere, ſed ad alios uſus: & ideo nec imagines illorum ſunt. Si tamen erigantur ut ſimilitudines clavorum, lanceæ &c. quibus Chriſtus fuit confixus, vel columnæ, cui fuit alligatus, quæ ſimul cum cruce pinguntur, ſimul cum ea honorantur, quia tunc Chriſtum repræſentant.

Iſta tamen (inquit S. Th. 3. p. q. 25. art. 4. ad 3.) *non repræſentant imaginem Chriſti, ſicut crux, quæ dicitur ſignum filii hominis, quod apparebit in Cælo, ut dicitur Matth. 24. Ideoque mulieribus dixit Angelus*, Marci 16. Jeſum quæritis Nazarenum Crucifixum, *Non ait*, lanceatum, *ſed* crucifixum. *Et inde eſt, quod crucem Chriſti veneramur in quacumque materia, non autem imaginem clavorum, vel quorumcumque hujuſmodi.*

XXIV. Hinc apparet, cur crucem pingamus & adoremus etiam ſine Chriſto crucifixo, & non pingamus nec adoremus præſepe, vel columnam ſine Chriſto. Nam crux etiam ſola eſt ſignum repræſentans Chriſtum crucifixum, non autem præſepe, aut columna &c. Nec etiam crux habet alium uſum, quam eum repræſentandi, præſertim poſt edictum Conſtantini de non crucifigendis hominibus. At illa habent alios uſus, & ideo qui videt unam columnam ſolam, non facile poteſt ſcire, an ſignificet columnam Chriſti, an columnam Trajani, vel Adriani, vel alterius. Et tandem. Quia ut Athanaſius (vel alius) *quæſt. 16.* ad Antiochenum dicit, cum accuſamur quod adoremus lignum, poſſumus ſtatim oſtendere, quod adoramus imaginem, & figuram, non materiam, ſeparando duo illa ligna ad invicem, quod in columna, lancea, ſpongia, & ſimilibus non tam facile fieri poſſet.

§. IV.

De Signo Crucis.

XXV. REſtat agere de ſigno crucis, quod in fronte, vel aere digito formamus, aut ſuper res quaſcumque, quas benedicere volumus. Ab hoc Sectarii moderni abhorrent magicam ſuperſtitionem cum Calvino illud vocantes: ſacrum tamen eſſe, ac venerabile, primo oſtendunt figuræ veteris Teſtamenti. Nam ſanguis agni, quo, *Exodi 12. v. 3.* juſſi ſunt Hebræi ſignare poſtes domorum, dicit Auguſt. *lib. de Catechizandis Rudibus, cap. 20.* Catechumenum alloquens, prophetia fuit de Chriſto: *Cujus paſſionis, & crucis ſigno in fronte hodie tamquam in poſte ſignandus es, omneſque Chriſtiani ſignantur.* Item illud Tau, quod *Ezech. 9. v. 4.* Jubetur deſcribi in frontibus gementium, apertiſſime ſignum crucis, quod in fronte potiſſimum facimus, præſignabat, teſte Cypriano, *l. adv. Dunetrianum*, & Hieronymo, *in dictum caput Ezechielis.* Hoc exprimunt etiam ſecundum Bedam, Æcumenium, Rupertum, & Anſelmum, verba hæc Apoc. 7. v. 3. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.*

XXVI. Hoc ſancto ſigno ſe munire apud primitivos Chriſtianos religio fuit. Hujus teſtes actuli ſuprà, §. *præc.* Tertullianum, *lib. de Corona Militis, cap. 3.* & Julianum apoſtatam hoc improperantem Chriſtianis apud Cyrillum, *lib. 6.* Hoc idem confirmant Cyprianus, Epiſt. *56. Muniatur frons, ut ſigno Dei incolumis ſervetur*, lib. de Unit. Eccleſiæ, & lib. de lapſis. Cornelius Papa, *Ep. ad Fabium*, apud Euſebium, *lib. 6. Hiſt. cap. 43.* dicit, Novatianum a dæmone arreptum, quod non recepiſſet in fronte ſignaculum Chriſti. Origenes in Exod. cap. 15. Homil. 6. *Timor* (inquit) *& tremor cadunt ſuper eos* (Dæmones) *cum ſignum in vobis viderint crucis fideliter fixum &c.* Gregorium Neocæſarienſem uſum ſigno crucis contra dæmones, teſtatur Gregorius Nyſſenus in ejus vita. Lactantius, *lib. 4. Inſt. cap. 26.* dicit, Chriſtum eis omnibus prodeſſe: *Qui ſignum ſanguinis, ideſt crucis, qua ſanguinem fudit, in ſua fronte conſcripſerint.* Et Dæmonibus eſſe terroris oſtendit ibi toto, *cap. 27.* Nazianzenus, *Orat. 1. in Julian.* dicit, etiam milites in menſa ſignum crucis adhibere ſolitos. Et ipſum Julianum, licet Ethnicum, cum ſpectra quædam viderit, ſigno crucis ſeipſum muniiſſe, & mox ſpectra omnia evanuiſſe.

XXVII. S. Ephrem Syrus de Sanctiſſima Cruce Domini: *Depingamus* (inquit) *& inſculpamus in januis noſtris, & in frontibus, & oculis, & in ore, ac pectore, & in omnibus membris noſtris viviſicum hoc ſignum.* Cyrillus Hieroſ. Catech. 4. *Fac vero hoc ſignum* (Crucis) *dum manducas, & bibis, ſedes, recubas, exurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, in omni negotio.* Et Catecheſi 13. ait: *Quando de cruce Chriſti contra infideles diſceptationem inſtituturus eris, prius manu ſignum crucis emitte, & obmuteſcet, qui contra nititur.* Finem non facerem, ſi omnes Patres huc adducere vellem, Chryſoſt. *Homil. 55. in Matth.* Ambroſium, *Serm. 43. & 90.* Hieronymum, *Epiſt. ad Euſtochium*, & alios. Siſto in Auguſt. qui, lib. 12. contra Fauſt. cap. 30. *Signantur* (inquit) *ſigno Dominicæ paſſionis in frontibus populi ad tutelam ſalutis*, Tract. 18. in Joann. ait: *Quid eſt quod omnes noverunt, ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? Quod ſignum niſi adhibeatur, ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Et aliis pluribus in locis indicat morem fidelium ſignandi ſe ſigno crucis in fronte, vel pectore.

XXVIII. Non obſtante tamen adeo aperta traditione, Centuriatores Magdeburgenſes crucis ſignum tamquam ſuperſtitionem deteſtantur, ſuperſtitioſum enim eſſe dicunt characteribus tribuere virtutem, ac vim pellendi Dæmones, & omnia mala.

XXIX. Placet primo hos confutare eodem reſponſo, quo Chriſtus, *Matth. 12.* confutavit Phariſæos. Dicebant iſti, quod in Beelzebub ejiciebat Dæmonia, quod idem eſt ac magice, & ſuperſtitioſe. Reſpondit Chriſtus, v. 26. *Si ſatanas ſatanam rejicit adverſus ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Quaſi diceret: ſatanas non ejicit ſatanam, ergo ſi ſatanam ejicio, in virtute ſatanæ hoc non facio. Ita diſcurro, & ego: Si uti ſigno

crucis

crucis ad aliquos effectus esset magicum, ac superstitiosum; hoc esset virtute Dæmonis in eo operantis; ergo cum satanas satanam non ejiciat, signum crucis hunc saltem effectum dæmones fugandi habere non posset, sed infinitis pene exemplis constat, exhibito eis crucis signo exhorrescere, ac fugere dæmones, ergo non fit arte dæmonis, nec magica.

XXX. Respondeo ergo secundo. Tantum abesse a magia signum crucis, ut potius eo signo omnis magia solvatur, ut egregie ait S. Athanasius de Incarnatione Verbi Dei: *Solo crucis signo adhibito omnes illæ dæmonum fraudes repelluntur.* Est post multa: *Veniat, & quisquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis dæmonum præstigiis, & oraculorum fallaciis, ac magia prodigiis signo crucis, quæ apud ipsos ludibrio est, utatur, solumque Christum nominet, mox videbit, quam cito per ipsum fugentur dæmones, cessent oracula, ars omnis magica, veneficiaque evanescant... Respondeant Gentiles* (dicam ego Sectarii) *qui tam effrenate, impudentissimeque rident.*

XXXI. Unde autem habeat crucis signum hanc vim dæmonis, vel fugandi, vel terrefaciendi; Dico eam habere primo ex apprehensione dæmonis. Nam ubi crucem videt, mox recordatur, cruce Christi se victum, spoliatum, ligatum, ac enervatum fuisse, juxta Paulum, *Coloss. 2. v. 15.* Inde crucem fugit, & timet, quomodo canis fugit lapidem, & baculum, quo percussus est. Secundo, ex promissione Christi, Marci 16. v. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Tertio, interdum etiam ex devotione, & fiducia operantis. Quarto, etiam ex instituto Christi, qui, quando vult, talem signo crucis tribuit virtutem a quocumque fiat; unde Judæi, & Pagani sine ulla fide in Christum sæpe fugarunt dæmones signo crucis, adversus eos facto. Ut ex Nazianzeno, *Prat. 1. in Julian.* Epiphanio, *Hæresi* 30. & Gregor. *lib. 3. Dialog. cap. 7.* Quare Sanctus Augustinus, *lib. 83. quæstionum, quæst. 79.* ait: *Nec mirum est, quod hæc signa valeant, cum ab eis* (sive bonis, sive malis Christianis) *adhibentur; quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad illam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Ex quibus fuit ille, de quo discipuli Domino nunciaverunt, quod in nomine ejus ejiceret dæmonia, quamvis cum eis eum non sequeretur. Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum, & utile judicat.* Unde sequitur crucis signum non esse sacramentum proprie dictum. Tum quia non confert gratiam justificantem. Tum quia non habet infallibilem effectum, ut August. dicit.

Dubium IV.

De cultu sacrarum Reliquiarum.

§. I.

Quinam errarint circa præfatum cultum.

I. PRimi, qui sacras reliquias detestati sunt, si Sanctum Hieronymum, *Epistola ad Riparium* attendimus, fuerunt Judæi, & Samaritæ, qui corpora mortuorum pro immundis habentes, & etiam vasa in eorum domibus reperta, consequens erat, ut eorum reliquias, vestes &c. detestarentur.

Idem Sanctus Hieronymus, *adversus Vigilantium* hunc errorem tribuit hæreticis Cajanis, seu Gnosticis, contra quos Tertullianus scorpiaci librum scripsit; sed hi cum solum negarent Martyrium esse perpetiendum, illative tantum sequitur, quod Martyrum reliquiis honorem denegarint.

II. Verum qui contra sacras reliquias primus aperte insurrexit, eodem Hieronymo teste, fuit Eunomius, qui proinde Martyrum Basilicas ingredi detrectabat. Hunc secutus fuit Vigilantius natione Gallus, Barchinonensis Ecclesiæ Presbyter, *anno* 402. quem S. Hieronymus stricto calamo impugnat. Post Vigilantium, Constantinus Copronymus Imperator, Suida in ejus vita referente, omnes reliquias ubique deleri jussit sæculo octavo. Eadem hæresi infectum fuisse Claudium Taurinensem, scribit Jonas, *l. 1. de Cultu Imaginum*, nec ab ea immunes fuisse Wicleffistas auctor est Thomas Waldensis, *Tom. 1. tit. 14.*

III. Hanc demum hoc tempore excitarunt Lutherani, & Calvinistæ. Lutherus enim, *in postilla de Exaltat. S. Crucis*, sic ait: *Quidquid dixi de S. Cruce, intelligi debet de omnibus Sanctorum Reliquiis. Reliquiæ enim nihil aliud sunt, quam fraudes, & seductiones fidelium. Quare omnia ossa in terram defodiantur &c.* Laudatque Vigilantium, cujus si scripta extarent, christianius eum scripsisse censet, quam Hieronymum. Eum secuti Magdeburgenses, *Centur. 4. c. 6.* Ecclesiæ imponere audent, quod reliquias, ac si viverent, invocet, & divino honore afficiat, Calvinus quoque de necessitate reformandæ Ecclesiæ, de Romanis dicit: *Non solum Sanctos Christi loco adorant, sed etiam ossa, vestes, calceos, simulacra &c.*

IV. Ecclesia tamen Catholica quovis sæculo honorem sacris reliquiis exhibuit, & ut hæreticos habuit, qui eas contemnerent. Unde Concil. Trident. *Sess. 25.* decernit: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora.... veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur: ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, pro ut jam pridem damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.* His ergo stantibus sit.

§. II.

Catholica Veritas.

V. DIco. Sanctorum corpora, & reliquiæ venerandæ sunt. Non esse contemnenda, sed in honore habenda probat S. Hieronymus, *Ep. ad Riparium contra Vigilantium*, his verbis: *Si non sunt honoranda reliquiæ Martyrum, quomodo legimus:* Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? *Si ossa eorum pollunt contingentes, quomodo Elisæus mortuus mortuum suscitavit, & dedit vitam* (4. Reg. 13. v. 21.) *corpori, quod juxta Vigilantium, jacebat immundum? Ergo omnia castra Israelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Joseph, & Patriarcharum corpora portabant in solitudine, & ad sanctam terram immundos cineres pertulerunt? Joseph quoque, qui in typo præcessit Domini Salvatoris, sceleratus fuit, qui tanta ambitione Jacob in Hebron ossa portavit, ut immundum patrem avo, & atavo sociaret immundis, & mortuum mortuis copularet?* Certe exempla ista demonstrant Sanctorum corpora singulari honore fuisse affecta. Quod si Deus ipse corpus Moysis honoravit sepeliendo illud in loco sibi soli cognito, (*Deuter. 34. vers. 6.*) Et ossa Elisæi ad eorum contactum honoravit excitando mortuum, cur quæso hinc occasionem sumere non possumus credendi, Deum velle, ut mortuorum corpora honoremus?

VI. De sepulchro Christi Isaiæ 11. v. 10. *Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum.* Et non solum pro triduo, quo corpus Christi clausit, comprobant peregrinationes fidelium, qui ad illud venerandum quovis sæculo confluxere, de quo Hieronymus, *Epist. 17.* modo 44. *ad Marcellam* eam adhortans, ut Bethleem migret, ait: *Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubin, & Propitiatorium, & Arca Testamenti, & Manna, & Virga Aaron, & Altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini? Quod quotiescumque ingredimur, toties jacere in Sindone cernimus Salvatorem; & paululum ibidem commorantes, rursum videmus Angelum sedere ad pedes ejus & ad caput sudarium convolutum. Cujus sepulchri gloriam multo antequam excideretur a Joseph, scimus Isaiæ vaticinio prophetatum dicentis:* Et erit requies ejus honor, *quod scilicet sepultura Domini locus esset ab omnibus honorandus.*

VII. Quia vero loca illa in quibus Christus passus fuerat, quidam facta esse abominabilia existimabant, eos ita increpat. *Si loca in quibus Petrus, & Paulus passi sunt, si Martyrum ubique sepulchra veneramur, cur non venerabimur sepulchrum Christi? Si servorum, & hominum confessio gloriosa est, cur Domini, & Dei non sit gloriosa concessio?* Inde hoc probat testimonio Dæmonum, qui ante illud de obsessis corporibus exire compelluntur, & exemplo omnium ætatum virorum illustrium, qui putarunt, se minus habere Religionis, nisi Hierosolymam venissent, & in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat. Non solum autem ipsum Christi sepulchrum, sed etiam terram a sepulchro effossam, & alio allatam in veneratione fuisse ostendimus supra, *Dub. præcedente, §. 2. n. 12.* ex S. August. *lib. 22. de Civ. Dei, cap. 8.* quæ huc revocanda sunt.

VIII. Quoad reliquias vero, puta vestes, aliaque Christi, & Sanctorum, eas in honore habendas esse indicat Matthæus, *cap. 9. v. 2.* ubi Christus Emoroissam quæ cum fiducia fimbriam vestimenti ejus tetigit, non increpavit quasi idololatriæ, aut superstitionis ream, confirmavit, & sanavit, dicens, v. 22. *Confide filia: fides tua te salvam fecit:* Et tamen cum reverentia vestem illam, quia Christi, mulier illa tangebat. Cur ergo quispiam eadem reverentia vestem, sindonem, aliudve, quod Christi contactu dum vitam mortalem ageret, sanctificatum fuit, tangere, & venerari non poterit? Huc revocanda sunt, quæ diximus supra de Cruce.

Lucas item, *Act. 5. v. 15.* dicit, quod credentium multitudo adeo crescebat: *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Et cap. 19. v. 11. *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicintia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* At quid minus ad hominem spectat, quam umbra? quid vilius sudario? & tamen his Apostoli non contradixerunt tamquam superstitiosis. Immo Deus per hæc, credentium devotionem miraculis comprobavit.

IX. Hujusce pietatis cultores religiosi fuere primitivi Christiani; unde Ecclesia Smyrnensis in Epistola, quam scripsit de Martyrio S. Polycarpi apud Euseb. *lib. 4. Hist. cap. 15.* ait: *Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis chariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi*

decebat condidimus. Polycarpus autem Martyrium passus fuit, *anno Christi* 142. de quo videantur quæ diximus, *dub.* 1. §. 2. *n.* 6. maxime tanta veneratione habitas tunc fuisse, ut Gentiles crederent, eos adorari tamquam numina. Videantur ibi dicta.

Idem, *lib.* 7. *Hist. cap.* 19. de Cathedra in qua S. Jacobus Minor, Jerosolymis sedit, dicit: *Ad nostra usque tempora conservatam Fratres illius Ecclesia jam inde a majoribus, magna prosequuntur reverentia sacris perspicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani viros Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem, debito semper honore, venerati sunt, & hactenus venerantur.* Quid ad hoc Protestantes, qui nos carpunt quod Cathedram S. Petri Romæ veneremur?

X. S. Cyrillus Jerosol. *Catechesi* 18. advertens; quod Elisæus non solum vivens, sed etiam mortuus suorum ossium contactu mortuum suscitavit, dicit, hoc factum: *Ut ne si surrexisset Elisæus, anima ejus soli factum illud imputaretur, & ut ostenderetur, absente etiam anima, inesse vim quamdam, ac potestatem corpori Sanctorum, propter animam justam, quæ tot annos in eo inhabitaverit, ejusque usa sit ministerio. Neque fidem ei rei, quasi non ita sit, inepte detrahamus. Si enim sudaria, & semicinctia; quæ exterius adhærent, ægrotantium corporibus applicata infirmos erigebant, quanto magis ipsum Prophetæ corpus mortuum excitavit?*

XI. S. Gregorius Nazianzen. *Orat.* 1. *in Julianum*, ita hunc Apostatam perstringit: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? Nec magnos pugiles extimuisti Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Luciam, Andream, Theclam... quibus præclari honores: & festa continuata sunt: a quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur, quorum apparitiones, & prædictiones, quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive tangantur, sive honorentur; quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora? Hæc non colis, sed contemnis?* Egregium sane ad rem nostram testimonium! Quo quid aptius objici posset Calvino, & suis? Item, *Orat.* 2. in Julianum jam interfectum, Christianos ita consolatur: *Non jam* (Gentiles) *Martyrum sepulcris ignem admovebunt, ut per eorum ignominiam alios a certamine deterreant: Non jam Sanctorum reliquias cum vilissimis ossibus per contemptum permixtas, flammis absument, aut in ventos spargent, ut eo honore, qui ejusmodi hominibus debetur, ipsos privent.* Ecce quos imitantur Acatholici, dum Sanctorum reliquias igni, aut vento tradunt, ne honorentur a Catholicis.

XII. Sanctus Ambrosius, *Epist.* 85. de inventione corporum Sanctorum Gervasii, & Protasii: *Condamus ergo* (inquit) *reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus.* Et *Serm.* 91. in idem argumentum de Arianis, ac si de modernis Acatholicis loqueretur, ait: *Et quia celebritatem vestram invidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere, atque amentiæ in tantum prodeunt, ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli confessio. Dicebat enim diabolus*: Jesu filii Dei vivi, quid venisti ante tempus torquere nos? *Et cum hæc audirent Judæi, ipsi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones, & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non possint, & dicentes*: Quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? *Et Ariani* (Calvinistæ, Lutherani) *dicunt: Non sunt isti Martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum remediis cæcorum, & absolutorum indiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum &c.* Advertat hinc sincerus lector, & judicet, an quæ Arianis objicit Ambrosius, solo mutato nomine objici possint modernis Acatholicis.

XIII. Sanctus Augustinus, *lib.* 9. *Confess. cap.* 7. de eisdem Sanctorum Gervasii, & Protasii reliquiis confirmat Sancti Ambrosii dictum, præcipue de confessione dæmonum expulsorum & sanatione cæci, qui plures annos cæcus, civibus, ac civitati notissimus, cum audisset vocem populi tumultuantis, & causam rescivisset, suum ducem rogavit, ut eo adduceretur. *Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum.... Quod ubi fecit, & admovit oculos, confestim aperti sunt.* Idem refert *lib.* 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. ubi multa alia ad sacrarum reliquiarum contactum miracula narrat, præsertim Sancti Stephani, quorum pluribus fuit testis de visu. Omitto alios Patres videndos apud Doctores, qui hanc rem fusius tractant & de qua egi in *Vera Ecclesia*, *Tom. II. part.* 2. *art.* 15. Hoc unum discat Lector ex hactenus dictis, hanc fuisse fidem Ecclesiæ priorum sæculorum, quam Deus miraculis comprobavit.

XIV. Hanc veritatem demum confirmo ratione S. Thom. 3. *part. q.* 25. *art.* 6. his verbis: *Sicut Augustinus dicit in lib.* 1. *de Civ. Dei, cap.* 13. Si paterna vestis, & annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes est major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius, atque conjunctius, quam quælibet indumenta, gestamus, hæc enim ad ipsam naturam hominis pertinent: *Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, non solum corpus, aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, puta vestes, & similia. Manifestum est autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde, & ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in earum præsentia miracula faciendo.*

XV. In hac doctrina, noto primo, S. Thomam dicere, nos debere venerari Sanctorum reliquias *honore congruo*, ideſt, honore non mere civili, sed sacro, & suo modo religioso: Non tamen propter se. Unde ibi, *ad* 2. dicit: *Quod corpus illud insensibile non adoramus propter seipsum, sed propter animam, quæ fuit illi unita, quæ nunc fruitur Deo, & propter Deum, cujus fuerunt ministri:* Ideoque eos honoramus non solum cultu inferiori, quam Deum, sed etiam quam Sanctos ipsos, nimirum propter excellentiam, & dignitatem Sanctorum, quod ex Tridentino, *Sess.* 25. colligitur.

Noto secundo S. Doctorem dicere, quod Deus in reliquiarum Sanctarum *præsentia miracula facit*. Quibus ostendit, sacris reliquiis nullam inesse vim, aut virtutem divinam, vel supernaturalem ad facienda miracula, sed Deum propter merita Sanctorum, & fidem supplicantium, quando vult, ad earum præsentiam miracula facere. Et in hoc sensu exponendi sunt Patres, si interdum videntur dicere reliquias, vel Sanctos miracula facere.

§. III.

Argumenta hæreticorum.

XVI. PRimo arguunt. Non est aliquid faciendum quod possit esse occasio erroris: sed adorare mortuorum reliquias videtur ad errorem Gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant; ergo non sunt Sanctorum reliquiæ adorandæ.

Respondet S. Thom. citato loco ad 1. *Quod hæc fuit ratio Vigilantii, cujus verba introducit Hieronymus in libro, quem contra eum scribit dicentis.* Prope ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum. Pulviseulum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant: *Contra quem Hieronymus dicit in Epist. ad Riparium.* Nos non dico Martyrum reliquias, sed nec Solem, nec Lunam, nec Angelos adoramus, *scilicet adoratione latriæ*, honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus: honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum: *Sic ergo honorando reliquias Sanctorum non incidimus in errorem Gentilium, qui cultum latriæ mortuis hominibus exhibebant.*

XVII. Sed instat Calvinus. Cultus, & veneratio reliquiarum mater est superstitionis, & idololatriæ. Nam statim ac habentur, incipitur eas deosculari, & venerari eadem veneratione, qua ipse Christus. Ponuntur enim super altare, & in signum adorationis coram eis, vel Martyrum sepulchris accenduntur faces, ac lumina; qua cultus solemnitate, & non majori colitur, aut coli potest Christus ipse. Quod cum objiceretur a Vigilantio, non aliter diluere novit Hieronymus, nisi dicendo id facere solum mulierculas, quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Et propterea Concilium Eliberitanum, *Can.* 34. dicit, ejusmodi cereis Sanctorum Spiritus inquietari. Unde S. August. *lib. de moribus Ecclesiæ* reprehendit sepulchrorum adoratores.

XVIII. Respondeo ad hæc Calvini vana sophismata; quod cultus exhibitus reliquiis, aut sepulchris Martyrum directe opponitur idololatriæ, quia exhibetur eis, qui mortui sunt, ut idololatriam everterent, & cultum unius veri Dei stabilirent, & Christi gloriam tuerentur. Quemadmodum ergo qui honoraret sepulchrum civis, qui pro defendenda patria ab hoste mortuus esset, non honoraret illud tamquam sepulchrum hostis, sed tamquam de hoste triumphatoris. Ita qui Martyrum sepulchra veneratur, eos veneratur, non tamquam idola, sed tamquam idolorum eversores. Eadem ratione cum veneretur Martyrum sepulchra: ut memorias testimonii, quod ipsi dederunt pro Christo, eos honorat propter Christum, non propter se, & consequenter inferiori honore, sicut qui honorat sepulchrum defensoris patriæ, plus honorat patriam, quia propter patriam eum honorat.

Ad illud quod dicit ex Vigilantio de cereis &c. Dico. Nos ponere reliquias Martyrum, & Sanctorum super altare, & coram eis accendere faces, non tamquam sacrificium sive laudis, sive Eucharisticum eis offerentes: hoc enim soli Deo offerimus; sed in signum lætitiæ, & memoriam glorioſi eorum certaminis gratias agentes Deo, qui propter hoc eos gloria coronavit. Ignis enim etiam in rebus prophanis accendi solet, tum in signum lætitiæ, tum gloriæ: Unde Imperatoribus Romanis, & Imperatricibus teste Herodiano, *lib.* 1. semper ignis præferebatur: Sancti autem æterna gloria modo fruuntur, & cum Christo regnant.

XIX.

XXIX. Neque S. Hieronymus contrarium ſentit. Nam improbat quidem eos, qui, ut ajebat Vigilantius, accendebant cereos coram reliquiis, exiſtimantes inde Martyres illuſtrari; hi enim zelum Dei habebant, ſed non ſecundum ſcientiam. Non improbat tamen uſum cereorum abſolute, & in ſignum lætitiæ, & honoris; immo illum probat, dum *lib. contra Vigilantium*, ait; *Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo*: Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet: *Idololatras appellas hujuſmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe. Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt. Nam & abſque Martyrum reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum &c.* Hæc Hieronymus Vigilantio, quaſi alloqueretur Calvinum. Et merito quidem. Nam tempore S. Hieronymi frequentiſſimus erat uſus luminum in memoriis Martyrum, non ſolum nocte, ſed die quoque, teſte Sancto Paulino, *Carmine 4. & 9. de Sancto Felice*, & aliis de quo late Joannes Baptiſta Caſalius, *de Sacr. Veter. Chriſt. Ritibus*, cap. 42.

XXX. Neque Concilium Eliberitanum, & S. Auguſtinus contrarium ſentiunt. Nam Eliberitanum loquitur de facibus, quas quidam Chriſtiani more gentilium inter quos vivebant tunc, in cæmeteriis accendebant. — Auguſtinus autem ſepulchrorum adoratores vocat quoſdam, qui ut ipſe putabat, ſacrificium panis, & vini, aliarumque epularum manibus defunctorum offerebant, eiſque ſe ingurgitabant religioni hoc deputantes. *Novi* (inquit) *ſepulchrorum adoratores, novi multos eſſe, qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibant, epula cadaveribus exhibentes, ſuper ſepulcros ſeipſos ſepeliant, & voracitates, ebrietateſque ſuas deputent religioni.* Hæc autem ſcripſit Auguſtinus initio converſionis: quia videbantur ei ſapere gentilitatem. Sed poſtmodum reprehendit quidem illam conſuetudinem, ſed non tamquam idololatriam, quam etiam S. Ambroſius prohibuerat.

Sed quid hæc ad nos? Non enim volumus quorumcumque ſepulchra veneranda eſſe, ſed ſola ſepulchra Martyrum, & Sanctorum, eaque non comeſſationibus, & ebrietatibus; ſed pietate ac devotione venerando in eis Deum Martyrum, & Sanctorum, eumque orando, ut nos eorum gloriæ conſociet.

Cæterum S. Auguſt. probare cultum, quem nos ſepulchris, ſeu memoriis Martyrum exhibemus, oſtenſum eſt ſupra ex eodem, tum, *lib. 8. de Civ. Dei, cap. 27.* Tum, *lib. 20. contra Fauſtum, cap. 27.* Immo, *Epiſt. 42.* (modo 232.) *ad Madaurenſes* gentilitate adhuc detentos, adhortans eos, ut chriſtianam religionem amplectantur, oſtendens a chriſtianis idolorum cultum eſſe deſtructum, dicit, qui adorabant idola, ad ſepulchrum Petri modo etiam reges ſupplicare, his verbis: *Videtis certe ſimulacrorum templa partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in uſus alios commutata, ipſaque ſimulacra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui: atque ipſas hujus ſæculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulacris populum chriſtianum perſequebantur, victas, & domitas, non a repugnantibus, ſed a morientibus chriſtianis, & contra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos, legeſque vertiſſe, & imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate, ſupplicare.* En quomodo opponit ſupplicationem ad ſepulchrum Petri, cultui idolorum.

XXXI. Objiciunt ſecundo, *Matth. 23. v. 29.* reprehenduntur a Chriſto Scribæ, & Phariſæi, quod ædificarent, & ornarent ſepulchra prophetarum, & juſtorum: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum*; ergo cultus iſte ſepulchrorum etiam Sanctorum Deo diſplicet. Ita Wicleſiſtæ.

Hoc etiam opponebat Chriſtianis Julianus Apoſtata apud Cyrillum, *lib. 10. contra Jul.* ajebat enim: *Sepulcris, ac monumentis impleſtis omnia, licet apud vos numquam dictum ſit, circa ſepulchra verſandum eſſe, eaque colenda. Eo vero progreſſi eſtis nequitiæ, ut putetis, ne Jeſu quidem illius Nazareni ea de re verba audienda, Audite ergo quæ de monumentis ille dicit*: Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ &c. Hæc Julianus.

XXXII. Cui reſpondet S. Cyrillus. Quod ſi hominum, qui glorioſe vitam egerunt, & conſummarunt memoriam, & ſepulchra laudibus, & honoribus vel Ethnici ipſi proſequuntur: *Cur præſtantiſſimus Julianus in chriſtianorum humanitatem perperam invectus eſt, quod venerationem, & honorem erga ſanctos Martyres plurimi faciant, qui omnes quotquot fuerunt ſuo ſanguine temporariam vitam conſtantia fidei, & gloriatione pietatis in Chriſtum, commutarunt? An forte ridendos illos exiſtimat, nec æquo animo ferre poteſt, quod non illi quoque fuerint apoſtatæ, imbelles, fugaces, ignavi, & ſupini, & pietatis in Deum contemptores, ſicut nimirum ipſe ille, qui eorum virtuti detrahit?*

Ad ea vero, quæ opponit ex dicto Chriſti. Reſpondet S. Cyrillus: *Atqui nos illum ſenſum eorum, quæ a Salvatore dicta ſunt, penitus ignoraſſe nullo negotio videmus. Et enim a ſepulchris recedere non juſſit; quamvis ea mortuorum oſſibus, & omni impuritate ſcatere noſſet; ſed ſepulchris dealbatis potius comparare voluit captioſam illam, & ſimulatam Phariſæorum nationem, qui probitatis famam, & exiſtimationem ſpecie tenus ſuffurabantur, ſed improbitatis, & omnis immunditiæ ſpiritalis videlicet, refertum pectus habebant.* Sicut ergo ſepulchra exterius ſuperbe eriguntur, & ornantur, interius vero immunditie, & fœtore plena ſunt, ita Phariſæi per hypocriſim exterius pietatem affectabant, ſed interius animo immunditie pleni erant, exterius ſepulchra prophetarum ornabant, & eos celebrabant, ſed animo & corde ſicut patres eorum, eos occidebant, ut de facto ipſum prophetarum Dominum Chriſtum occiderunt.

Ita quoque hunc textum exponunt alii Patres, & præſertim Chryſoſtomus, qui, *Homil. 74* alias *75. in Matth.* ait: *Væ dicit, non quia ædificant, nec quia patres ſuos accuſant, ſed quia ſic facientes, quando dictis ſuis ſe patres ſuos accuſare ſimulant, pejora perpetrant .... Hic autem mentem eorum damnat, qua ædificabant, quia non in occiſorum honorem, ſed quaſi cædes cum pompa efferentes, & timentes, ne temporum injuria dirutis ſepulchris, tanti auſus memoria, & monumentum interiret; ſic ſepulchra conſtruebant, ſplendida ædificia, quaſi trophæum erigentes, ac de illorum facinoribus gloriantes.* Chriſtiani autem erigunt monumenta Martyribus, non de ſcelere tyrannorum gloriantes, ſed de Martyrum gloria, qui tormenta vicerunt.

XXXIII. Tertio objiciunt. Non eſt exhibendus cultus, qui non ſit a Deo præceptus: ſed reliquiarum, & corporum mortuorum cultus non eſt a Deo præceptus: ſed potius a Deo prohibitus; ergo &c. Maj. patet ex *Deut. 27. v. 3.* ubi prohibetur cultus, quem non præcipit Dominus. Min. vero prob. primo. Quia ut habetur, *Deut. ult. v. 6.* Deus abſcondit Moyſis ſepulchrum: cauſa autem fuit, ne Judæis corpus ejus adorarent. Unde etiam, *in Epiſt. Judæ, v. 9.* legimus, Diabolum contendiſſe cum Michaele Archangelo de Moyſis corpore: quia videlicet diabolus volebat eum manifeſtare, ut occaſionem præberet Judæis illud adorandi.

Secundo quia Paulus, *2. Cor. 5. v. 18.* dicit, poſt reſurrectionem Chriſti, ſe non noſſe Chriſtum ſecundum carnem, quibus indicat, quidquid in Chriſto carnale fuit, oblivioni tradendum, ut in eo ſecundum ſpiritum poſſidendo totum ſtudium tradamus.

Tertio, quia idem Paulus, *ad Coloſſ. 2. v. 18.* videtur rejicere omnem cultum arbitrarium, qui non ſit ſecundum Chriſtum: talis autem eſt cultus reliquiarum, angelorum, & ſimilium.

XXXIV. Reſpondeo ad hæc quæ ſunt Calvini objecta. Ad primum de corpore Moyſis aliqui ex Patribus exiſtimarunt, Moyſem nondum eſſe mortuum, ac proinde nec ſepultum, ſed translatum cum Henoc, & Elia. Ita S. Hilarius, *in cap. 17. Matthæi*. S. Ambroſius, *lib. 1. de Cain, cap. 2.* Et S. Gregorius Niſſenus, quod etiam aliqui recentiores docent. Sed hoc non poteſt facile defendi: repugnat enim, *cap. ult.* Deut. ubi, *v. 5. & 6.* Moyſes dicitur mortuus, & ſepultus. Unde hanc ſententiam multis argumentis impugnat Rupertus, *in dict. cap. ult. Deut.* Philo, *in fine librorum* de Vita Moyſis dicit, mortuum quidem Moyſen, & ſepultum, ſed ad gloriam Moyſis pertinere quod ſepultus ſit in ſepulchro tam admirando, ut nullus hominum dignus fuerit illud numquam conſpicere, Joſeph *lib. 4. Antiq. cap. 8.* verſus finem dicit, Moyſem in vallem quamdam fuiſſe ablatum: *In ſacris tamen voluminibus ſcripſit ſe mortuum, veritus, ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent.*

XXXV. Communior tamen, & Sacræ paginæ conformior eſt ſententia S. Joann. Chryſoſt. *Homil. 5. in Matthæum*, Moyſen vere eſſe mortuum, & quidem ante ingreſſum in terram promiſſionis, ejuſque occultatum ſepulchrum, ne Judæi videntes ſe per eum ab Ægypto fuiſſe tot prodigiis liberatos, ac in terram promiſſionis perductos, crederent, ſe hoc totum Moyſi, non Deo, debere, atque occaſionem ſumerent eum poſt mortem veluti Deum adorandi. Quod etſi ipſo vivente non fecerint, quia quotidie ab eo audiebant, unum eſſe verum Deum, ſe autem merum ejus ſervum; periculum tamen erat in populo ad idololatriam propenſo, ne recordatus mirabilium ejus, nec verba ejus ampliùs audiens, progreſſu temporis eum coleret tamquam Deum. Sicut ſerpentem æneum, quem aſpicientes Judæi a ſerpentibus tacti ſanabantur, vivente Moyſe numquam adoraverunt, quia eis dicebat, illum non eſſe Deum, ſed ſolum ſignum ſalutis, *num. 21. verſ. 8.* At cum poſtea mortuo Moyſe illi incenſum offerre cæpiſſent, Ezechias eum confringi juſſit, *4. Reg. 18. v. 4.*

Hoc tamen periculum non eſt de reliquiis Sanctorum apud Chriſtianos: hi enim, ut dictum eſt, diſcernere norunt inter cultum, & adorationem ſoli Deo debitam, & venerationem, quæ exhibetur reliquiis Sanctorum. Periculum

quidem erat in populo Judaico, qui, ut tradunt ſcripturæ ad idola gentium colenda propenſiſſimus erat; Quia vero poſt captivitatem Babylonicam populus ille non amplius coluit idola, videmus, Deum illuſtraſſe ſepulcra Iſaiæ, Ezechielis, Jeremiæ, Eliſæi, Abdiæ, & aliorum multis miraculis, & gratum habuiſſe cultum, qui oſſibus eorum exhibebatur.

XXXVI. Ad ſecundum, dico, Paulum, 2. *Cor. 5. v. 16.* dum ait: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*, non velle, ut Calvinus putat, quod oblivioni ſit tradenda Chriſti caro, & quidquid per carnem geſſit, & ſolum de ſpiritu, & divinitate ejus ſit a nobis cogitandum, ut omnis de humanitate ejus, paſſione, & morte memoria aboleatur, cum nihil frequentius in Paulo, quam Chriſti paſſio, mors, crux. Cum Calvinus ipſe cum Paulo ſentiat Euchariſtiam ſumi in commemorationem mortis Chriſti, 1. Cor. 11. v. *26. Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Deinde. Vel debemus recogitare beneficia Domini, vel non: ſi non: ingratiſſimi ſumus. Si ſic: ergo Incarnationem, Nativitatem, Paſſionem, Mortem, aliaque, quæ ſecundum carnem pro nobis ſuſtinuit, ſedulo cogitare.

Mens ergo Pauli ea eſt, quam Synodus VII. *Act. 6.* eidem objectioni ab Iconomachis propoſitæ reſpondens, expoſuit: Nimirum per carnem intelligi mortalitatem, & paſſibilitatem, ſic ut ſenſus ſiat; ſi cognovimus aliquando Chriſtum mortalem, & paſſibilem, nunc non novimus niſi immortalem & impaſſibilem. Ita omnes Patres, inter quos Chryſoſtomus, *Homil. 11. in 2. ad Cor.* ait: *Cum in nobis ſermo eſt* ſecundum carnem, *idem eſt, quod in peccatis eſſe: Contra*: Non ſecundum carnem, *idem quod in peccatis non eſſe. At cum de Chriſto ſermo habetur, ſecundum carnem nihil aliud eſſe ſignificat, quam in natura affectionibus eſſe, ut in fame, in ſiti, in fatigatione, in ſomno. Peccatum enim non fecit, . . . Illud vero* non ſecundum carnem *nihil aliud indicat, quam eum hujuſmodi affectionibus jam vacare, non autem quod extra carnem ſit &c.*

XXXVII. Ad tertium. Vel dico, Paulum ibi non rejicere cultum quomodocumque arbitrarium, & non præceptum a Deo, ſed cultum ſuperſtitioſum, ſive falſam religionem, ut exponit S. Hier. *in Epiſt. ad Algaſiam*, qualem non eſſe cultum, quem ſacris reliquiis exhibemus, oſtenſum eſt. —— Vel cultum reliquiarum non eſſe cultum voluntarium, & ab hominibus excogitatum, ſed a Deo inſpiratum, & in Scripturis approbatum, ut de ſepulchro Chriſti, ejuſque veſtis fimbriæ, umbræ Petri, ſudariorum, & ſemicinctiorum Pauli, quorum venerationem miraculis Deus comprobavit.

XXXVIII. Quarto objiciunt. In tumulis, qui dicuntur Sanctorum, nec animæ, imo nec corpora Sanctorum ſunt, ſed ſoli cineres.

Immo maxima pars reliquiarum ſuppoſititia eſt, & ſæpe accidit, ut pro reliquiis Sanctorum oſſa latronum, vel etiam canum, aut aſinorum veneremur. Unde Auguſtinus, *lib. de Opere Monachorum, cap. 28.* Cum dixiſſet, quoſdam ſub habitu Monachorum reliquias Martyrum circumferre, & venditare, addit: *Si tamen Martyrum.* Si ergo jam tunc cœperunt impoſturæ, quid modo fieri credendum eſt?

Addo quod eadem corpora ejuſdem Sancti, ſeu ejuſdem membra in diverſis locis veneramur, ut caput S. Jo: Baptiſtæ, corpus S. Bartholomæi &c. Cum idem Sanctus duo corpora, vel duo capita non habuerit, alterum eorum falſum eſſe dicendum erit.

XXXIX. Reſpondeo primo. Quod ſicut veneramur ſepulchrum Chriſti, quamvis in eo nec ſit corpus ejus, nec anima, ſed quia in eo corpus ejus triduo jacuit, ideo memoriam illius veneramur, ita in tumulis Martyrum memoriam martyrii eorum honoramus. Secundo. In ſepulchris Martyrum invenitur altera pars ſubſtantiæ ipſorum, nempe, materia illa ipſa, quam Spiritus Sanctorum animarunt, & rurſus animabunt in reſurrectione, & propterea eam veneramur.

Ad id quod additur. Nego reliquias, quæ publice in Eccleſiis exponuntur, eſſe ſuppoſititias. Semper enim Eccleſia curavit, ne fraudes fierent, & præcipue poſt Concilii Lateranenſis IV. decretum, *cap. 63.* quo cavetur, ne de novo inventas quis publice venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, Tridentinum, *Seſſ. 25.* quo vetatur ne reliquiæ publice exponantur, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo: & in dubio, ſi facto examine non tollatur, præcipitur ut ſedes Apoſtolica conſulatur.

Auguſtinus autem merito dubitavit, an reliquiæ illæ eſſent vere Martyris, cum illas privati homines ſub habitu Monachi forte ementito, & quæſtus gratia circumferrent. Nos autem de his non agimus, ſed de illis, quæ publice in templis conſervantur. Immo ex hoc formo argumentum pro nobis. Nam S. Auguſtinus, licet dubitaret, an iſtæ, vel illæ eſſent veræ reliquiæ Martyris; veneration tamen reliquiarum generaliter non repudiabat, ſed ad eam ut vidimus adhortabatur; ergo ex hoc quod aliquæ reliquiæ falſæ pro veris ſupponerentur, non eſſet reliquiarum veneratio repudianda, ſicut ex eo quod aliquæ monetæ falſæ interdum ſupponantur pro veris, monetarum uſus non rejicitur.

XL. Quod vero dicitur, plura corpora, vel capita ejuſdem Sancti in diverſis locis nos venerari falſum eſt, ſi intelligatur de toto corpore, aut capite, non vero ſi de parte corporis, aut capitis ſumatur. Cum enim pietas populorum exardeſceret erga Martyres, & alios Sanctos, & exoptarent illi obtinere ſpolia eorumdem, ut devotioni ſingulorum ſatisfieret, neceſſe fuit corpora eorum dividere, & partem corporis, vel capitis inter eos diſtribuere, unde ortum fuit, quod corpus, vel caput ejuſdem Martyris, vel Sancti hic, & alibi aſſervaretur, ſumpta parte pro toto. Unde in hoc propoſito Sanctus Baſilius, *Orat. in 40. Martyres*, ait: *Non uno in loco ſeſe clauſerunt, ſed multis in locis hoſpitio recepti, multorum patrias ornaverunt*, quaſi quadraginta illi Martyres toti eſſent in variis urbibus, quia quælibet Civitas habebat partem eorum. Sanctus Joannes Chryſoſtomus quamvis, *Homil. 32. in Epiſt. ad Rom.* aperte dicat corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli eſſe ſepulta, & aſſervari Romæ; in libro tamen *quod Chriſtus ſit Deus* aſſerere videtur, quod etiam Conſtantinopoli aſſerventur, quia forte illuc aliquæ particulæ ex corporibus eorum extractæ, fuerant aſportatæ. Et ideo Theodoretus, *lib. 8. de Martyribus*, dicit, Martyrum corpora raro inveniri integra in uno aliquo monumento, ſed eſſe diviſa, & diſtributa in variis locis, ſingulis tutelam Martyris expetentibus. Contingere potuit ut ex æquivocatione corpus alicujus Sancti credatur eſſe in pluribus locis, quia eſt corpus alterius eodem nomine nuncupati, ut ex Menologiis græcis, & Martyrologio apparere poteſt, in quibus plures Martyres, & Sancti ſub eodem nomine leguntur. Sed hæc ſatis.

DUBIUM V.

De cultu Imaginum.

§. I.

Nomen Imaginis, & Idoli.

I. VEteres Iconomachi, ut Imaginum venerationem tamquam idololatriam traducerent, nomen Imaginis cum nomine Idoli confundebant. Conſtat ex Synodo VII. *actione 5.* circa finem, ubi *Anathema* dicitur *His, qui appellant ſacras imagines, idola.* Idem ſentiunt Iconomachi Recentiores Calvinus, Petrus Martyr, aliique ejuſdem furfuris, illi enim vix umquam imagines noſtras aliter appellant, quam idola.

II. Aliter tamen ſentiunt Scriptura, & Patres. Nam Origenes, *Homil. 8. in Exod.* & Theodoretus, *q. 38. in Exod.* ad illud Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile*, quod LXX. verterunt *Idolon*, dicunt, inter imaginem, & idolum hoc intereſſe, quod imago eſt vera rei ſimilitudo, ut cum pingimus hominem, equum &c. Imago enim ab imitando dicta eſt. At idolum eſt falſa ſimilitudo, ideſt, repræſentat id quod revera non eſt. Ut cum Gentiles proponebant ſtatuam Veneris, aut Junonis, illa ſigna idola erant, quia repræſentabant id quod non erant, nempe, ut Deos, cum non eſſent, & inſuper fœminini generis, quia Dii fœminini generis nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Ex quo ſequitur, imagines Chriſti, & Sanctorum idola non eſſe, ſed nec Trinitatis, aut Angelorum, quia non ſunt factæ ad repræſentandam naturam Trinitatis, vel Angelorum, ſed ad exprimendam formam, in qua apparuerunt, vel certe eorum proprietates, & effectus, ut dicetur.

III. Colligitur etiam ex etymologia nominis *Idoli*, derivatur enim a verbo græco *Ido*, quod eſt *video*. Unde Idolum eſt quaſi *viſum*, ſeu ſpectrum, umbra, & ita ſumitur etiam ab Auctoribus prophanis, Plinio in Epiſt. dicente: *Mox apparebit idolum, ſenex macie, & ſqualore confectus*, Homero in 11. Odiſſeæ, & Luciano in Dialogo de Mortuis, qui animas mortuorum vocant *idola*. Ut enim exponit Euſtachius, *in lib. 11. Odiſſeæ*. Idolum eſt imago inanis, qualis eſt, quæ cernitur in umbra hominis, qualia ſunt phantaſmata, quæ mente fabricamus, quibus nihil reſpondet in re, & umbræ mortuorum, quæ videntur eſſe aliquid ſolidum, ſed inanes ſunt. Et propterea idoli nomen fictis deorum numinibus apprime convenit, quia proponunt ut Deos, qui Dii non ſunt, niſi in vana æſtimatione hominum delirantium. Unde Paulus 1. Cor. 8. v. 4. *Nihil* (inquit) *eſt idolum in mundo*, ſuper quæ Chryſoſtomus *Homil. 20. in 1. ad Cor.* ait: *Non ſunt ergo idola? Non ſunt ſtatuæ? Sunt quidem, ſed nullam vim habent; neque dii ſunt, ſed lapides, & Dæmones.* Et S. Thom. ibi Lect. 1. *Licet enim materia idoli ſit aliquid (ſcilicet aurum, argentum, vel hujuſmodi) tamen nihil eſt forma, ſcilicet quæ creditur eſſe ibi ab idololatris, qui credunt, idolum eſſe Deum Iſaiæ v. 24.* Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt.

Merito etiam idolum vocatur *mendacium*. Unde ex ore colentium idola Iſaias, *cap. 28. v. 15.* dicit: *Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus*, Et Paulus Rom. 1. v. 25. *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium*, ideſt, loco veri Dei imaginarios, & ementitos admiſerunt. Et propterea bene notant aliqui Gentilium; Deos dici potius debere Deos fictos, quam Deos falſos; nam falſum proprie eſt, quod apparet quidem id quod non eſt; ſed

ſed probabilem fundare poteſt exiſtimationem: ſic aurichalchum falſum aurum eſt, ſed propter magnam cum auro ſimilitudinem fundare poteſt in eo qui videt probabilem æſtimationem, quod aurum ſit. At idola, & omnia gentium numina, nec vera ſunt, nec probabilem æſtimationem parere poſſunt, cum nihil habeant cum vero Deo ſimile: ſed mera hominum amentia, & inſipientia Dii ſint efficti.

IV. Ex dictis ergo liquet differentia inter imaginem, & idolum, quod imago repræſentat id quod vere eſt. Idolum vero id quod non eſt, ſed mente ſola vane confictum. Unde Scriptura, *Sapientiæ 7. Coloſ. 1. & ad Hebr. 1.* Filium Dei vocat Imaginem Patris, numquam vero Idolum Patris: Et *3. Reg. 7.* dicitur Salomon feciſſe ad ornatum Templi Imagines Cherubim ad ſimilitudinem hominum, item imagines leonum, bovum, palmarum, malogranatorum, florum &c. nec unquam tamen appellantur idola, quia rerum verarum ſimilitudines erant.

V. Quod nomen *Simulacri* cenſet S. Thom. *in c. 8. 1. ad Cor. Lect. 1.* abſolute prolatum differre ab Idolo: quia *Simulacrum dicitur, quod ſit ad ſimilitudinem alicujus rei naturalis: idolum autem ad nullius rei eſt ſimilitudinem.* Et Lactantius, *lib. 6. Inſt. c. 10. & 13.* vocat hominem ſimulacrum Dei. Alii obſervantes quod in Scripturis nomen ſimulacri ſemper ſumitur pro ſimulacris gentium; tutius exiſtimant, in hoc ſenſu confundi cum idolo, & dici, non a ſimilitudine, ſed a ſimulando. Unde S. Hier. *in c. 7. Oſee* pro eodem ſumit ſimulacrum, ac idolum, & mendacium. Hæc caute obſervanda ſunt pro eludendis Sectariorum calumniis, de quibus infra.

§. II.

Præcipui Sacrarum Imaginum Hoſtes.

VI. JUdæi in ſuo Talmud, *anno Chriſti* 474. primum edito, Eccleſias Chriſtianorum eſſe idololatriæ domos aſſerebant: idque propter imagines. Unde patet, quod tunc imagines in Eccleſiis fuerint.

Mahometes circa *annum Domini* 600. ſuæ nefariæ ſectæ alumnis imagines in templis ponere inhibuit, ut ex Alcorano, *cap. 15. & 17.* Quod Mahometani etiam modo obſervant, & Chriſtianos propter imagines, ut idololatras traducunt.

VII. Inter Chriſtianos tres hac in re fuerunt quaſi germanæ hæreſes; una *Chriſtiano-Categororum*, altera *Iconoclaſtarum*, tertia *Tymolontium*, quas S. Jo: Damaſc. *l. de Hæreſibus* in fine deſcribit, his verbis: *Chriſtiano-categori* (id eſt Chriſtianorum accuſatores) *ſunt, & dicuntur, qui Chriſtianos uni vivo, & vero Deo ſervientes criminantur, ac ſi venerandas Domini Jeſu Chriſti, & immaculatæ Dominæ noſtræ Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorumque Angelorum, nec non Beatorum imagines veluti Deos more Gentilium colant. Inconoclaſtæ vero* (ideſt imaginum effractores) vocantur, *quod contumelioſam prorſus mentem præferentes ſacras, & venerabiles imagines comminuerint, ignique tradiderint, & eas, quæ depictæ in muris erant, quæ abraſerint, quæ calce, & atramento obliverint. Tymolontes denique* (ideſt crudeles) *qui poteſtatis qua pollent, arrepta opportunitate, furore ſectam armantes, illos, qui venerantur imagines, verberibus, tormentiſque ſupra modum excruciant.*

VIII. Iconoclaſtarum primus fuit Leo Iſauricus Imperator, *anno* 720. qui a Judæis incitatus omnes imagines ab Eccleſiis ejectas comburi juſſit, idque ut Romanus Pontifex Gregorius II. faceret, imperavit, qui tamen ei reſtitit; eumque fidelium communione privavit. Ita Paulus Diaconus de geſtis Lombard. *lib. 6. c. 14.* Ex hoc Leo dictus eſt Iconomachus. Eum imitatus eſt filius ejus Conſtantinus dictus Copronymus (eo quod infans baptiſmo admotus mediis in ſacris excremento aquam fœdavit) Hic patris augens impietatem, nedum ſacras imagines, ſed & ſacras reliquias igni tradi juſſit.

IX. Circa *annum* 800. Leo Armenus Imperator, ejuſque ſucceſſores Michael Balbus, & Theophylus eamdem perſecutionem continuarunt, quos improbiſſimos fuiſſe, ac præſertim Theophylum necromantiæ, & judaiſmi ſtudioſiſſimum, Zonaras, & Cedrænus hiſtorici græci teſtantur. Eodem autem tempore, quo imagines in Oriente oppugnabat Theophilus, in Occidente imperante Ludovico Pio Caroli Magni filio Claudius Hiſpanus Epiſcopus Taurinenſis Felicis Urgelitani diſcipulus, imagines omnes, & cruces a templis omnibus ſuæ diœceſis abſtulit, homo imperitus, ſed ſuperbus, qui & hæreſim Arianam jam ſepultam excitare conatus eſt.

X. Joannes Wicleffus circa *annum* 1372. obiter quidem imagines reprehendit, ſed diſcipuli ejus poſtea illas acriter aggreſſi ſunt impugnare, ut ſcribit Thomas Waldenſis, *Tom. 3. tit. 19.* quem eumdem errorem, *anno* 1200. Waldenſes propugnaſſe ſcribit Claudius Couſſortius, lib. contra Waldenſes, *cap. ult.* His acceſſerunt Huſſitæ, & Hieronymus de Praga, qui teſte Cochlæo, *lib. 3. Hiſt. Huſſit.* imaginem Chriſti dejectam, & ſtercore fœdatam ſacrilege contempſit, cum tamen ipſe in cubiculo adoraret imaginem Wicleffi diademate coronatam.

XI. Tandem noſtri ſæculi hæretici inter alias, Iconoclaſtarum hæreſim excitarunt. Primus qui imagines e templis abſtulit, fuit Andreas Carloſtadius, *anno* 1522. teſte Jo: Cochlæo in vita Lutheri. Lutherus tamen quamquam factum probaret, auſum tamen reprehendit, quia ut id faceret, poteſtatem a ſe non petierat. Zuingliani quoque imagines oppugnaſſe ſcribit Cochlæus in actis Lutheri *anni* 1526. Alii tamen Lutherani imagines Sanctorum etiam in templis admittunt, ad ornatum tamen, & præſentationem hiſtoriarum, non ad cultum. Ita Kemnitius, *in exam. Concil. Trid. p. 4.*

XII. Calvinus autem contra imagines plura dicit. Primo, eas graviſſime condemnat, quod & ejus Sectarii faciunt, non ſolum eas e templis ejiciendo, ſed deſtruendo, & comburendo. Secundo, dicit nefas eſſe Dei imaginem formare, *l. 1. Inſt. c. 11. §. 7. &c.* Tertio, eas colere, idololatriam eſſe, *l. 4. c. 9. §. 9.* & alibi paſſim. Eccleſia tamen Catholica uſum, & venerationem ſacrarum imaginum admittit, & ſemper admiſit: quæremus ergo, an liceat habere imagines, etiam Dei, & in templis, & liceat eas colere, & quo cultu.

§. III.

An liceat formare, & habere Imagines?

XIII. JUdæi quamvis olim imaginum, & ſimulacrorum etiam falſorum numinum, ſtudioſiſſimi, ut nec repetitis Dei præceptis poſſent cohiberi, poſt Chriſti tamen adventum contra imagines ſuperſtitioſiſſimi ſunt. Unde, ut ſupra diximus, primum contra imagines bellum ſub Leone Iſauro inſtigantibus Judæis exortum fuit. Calvinus tamen non adeo rigidus eſt, ut omnem ſculpturam, aut picturam damnet: ait enim lib. 1. Inſt. c. 11. §. 12. *Neque tamen ea ſuperſtitione teneor, ut nullas prorſus imagines ferendas cenſeam: ſed quia ſculptura, & pictura Dei dona ſunt, purum, & legitimum utriuſque uſum requiro:* Et comprobat experientia: nam Calviniſtæ, & aliis ſimiles ex Anglia, & Germania in Italiam venientes, quotquot eximio pennicillo pictas imagines inveniunt, caro etiam pretio emunt, & in ſuas regiones aſportant.

XIV. Dico ergo primo. Formare, & retinere ſtatuas, & imagines licitum eſt. Probo. Quod non a Deo prohibitum eſt, ſed potius præceptum, licitum eſt; atqui formare imagines, & ſculpturas a Deo non prohibitum, ſed præceptum eſt; ergo eſt licitum. Min. pro prima parte prob. Si enim eſſet a Deo prohibitum, maxime illis verbis, Exodi 20. v. 4. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem &c.* Sed ibi non prohibetur, abſolute facere ſculptile, ſed ſolum, ne fiat, ut habeatur pro Deo, & adoretur, dicitur enim: *Non habebis Deos alienos coram me*, deinde ſubditur, *non facies tibi ſculptile &c.* poſtea, *neque adorabis, neque coles.* Quæ non conſtituunt tria præcepta (alias præcepta decalogi eſſent plura, quam decem) ſed unum tantum: *Quod perfectius explicatur cum prohibentur colenda figmenta*, ut ait S. Auguſt. *q. 71. in Exodum.* Non ergo omne ſculptile, & omnem imaginem fieri vetat, ſed ſolum ne adoretur tamquam numen more Ægyptiorum, quibus Hebræi ſervierant. Hinc

XV. Probo ſecundam partem. Deus, *Exodi 25. vſ. 18.* præcepit Moyſi, ut faceret ſibi duos Cherubim aureos. Et *Exodi 31.* dicit Deus, ſe ad hunc effectum, ſicut ad omne conflatile ex auro, & argento dediſſe ſapientiam Beſeleel: non dediſſet autem ſapientiam, ſi omne ſculptile penitus vetuiſſet. Item, *n. 21. v. 8.* præcepit Moyſi, ut faceret ſerpentem æneum. Et *3. Regum 6. v. 23.* dicitur, quod Salomon *fecit in oraculo duos Cherubim*, quod repetitur, verſ. 35. & cap. 7. v. 23. *fecit mare fuſile*, & v. 29. *Leones, & Boves, & Cherubim*, qui tamen non reprehenditur, quaſi egiſſet contra Dei præceptum.

XVI. Rurſus. Id non intelligitur lege prohibitum, quod non adverſatur fini legis, qui in præceptis primæ tabulæ eſt; ut ſervetur honor Dei illibatus: at imago non facta ad adorandum, non adverſatur honori Dei: Ideoque Deus ipſe voluit, ut fierent imagines Cherubim, ergo &c.

Item ars pingendi, & ſculpendi per ſe bona eſt a Deo, qui ut dicebamus eam dedit Beſeleel. Et etiam Oliab, ut habetur, *Exod. 35.* Imagines etiam ſunt ſecundum naturam: omnia enim naturalia producunt aliquid ſibi ſimile in natura. Neceſſariæ etiam ſunt: non enim poſſumus in lumine verſari, quin corpora noſtra umbram efficiant, quæ imago eſt corporis, nec nos intueri in ſpeculo quin imago noſtra in eo formetur, nec aliquid ſenſu, vel intellectu cognoſcere, quin intra nos adſit ſpecies rei, quam cognoſcimus.

Neque dicas imaginem eſſe occaſionem idololatriæ. Nam non eſt per ſe, & ex natura imaginis, ſed per accidens, & ex vitio hominis; quia etiam ſol, luna, & omnia creata fuerunt accepta, ut occaſio idololatriæ: nec tamen iſta prohibuit Deus, ſed homo eis abuſus eſt.

§. IV.

An liceat pingere Imagines Dei, Trinitatis, & Angelorum?

XVII. HAc in re ſuppono primo eſſe illicitum, immo maximum ſacrilegium, & idololatriam, imagini pictæ, vel ſculptæ tribuere naturam divinitatis. Hæc

fuit

fuit insana cæcitas, quam in colentibus idola detestatur Scriptura, Psalm. 113. v. 12. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur &c.* Levit. 26. v. 1. *Isaiæ 2. v. 20. & c. 44. v. 9. Jerem. 10. v. 5. Daniel. 5. v. 4.* Quia tamen, ut refert S. August. *in Psalm.* 113. Gentilium saltem aliqui dicebant, se non existimare aurum, aut statuam naturam divinitatis habere, neque se aurum, aut statuam adorare, sed vel numen statuæ insidens, & per eam oracula fundens, aut aliud, quod per statuam significabatur. In qua sententia est Calvinus, *l. 1. Inst. c. 11. §. 9.* Idcirco

XVIII. Suppono secundo illicitum esse, & gravissimam idololatriam pingere, aut sculpere aliquam imaginem eo animo, ac fine, quasi illa vera, & propria sit Dei, & Trinitatis similitudo, repræsentans naturam ipsam Deitatis, & Trinitatis. Unde ad hunc errorem præcavendum monet Tridentinum, Sess. 25. *Quod si aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.*

Nam cum lumine etiam naturæ compertum sit, Deum esse prorsus infinitæ, incorporeæ, & invisibilis naturæ, non potest vera ejus similitudo corporeis coloribus exprimi. His suppositis

XIX. Dico, Licitum est, ac pium historias pingere, vel sculpere, in quibus repræsentetur Deus sub aliqua figura, vel imagine, sub qua in Sacra Scriptura describitur, vel apparuisse narratur. Ita ut pictura per se primo repræsentet similitudines, in quibus Deus apparuit, & per consequens eas hominibus in memoriam revocet. Et sic quasi per vestigium ad Dei notitiam, & adorationem excitentur, sicut per vestigium hominis excitamur ad notitiam hominis, qui transit. Hæc tamen assertio non adeo certa est, ut sit immediate de fide cum non desint Catholici Doctores, qui dicunt, imagines Dei non recte fieri, & ab Ecclesia fortasse tolerari, non tamen probari. Tenenda tamen, ne in suspicionem veniatur cum Calvino sentiendi inferente nullam licere imaginem facere, aut colere.

XX. Prob. Licet Deum exprimere sub illis imaginibus, in quibus S. Scriptura nobis describit eum apparuisse: sed nobis describit Deum apparuisse sub figuris sensibilibus; ergo &c. Min. prob. *Genes. 3. v. 8.* de Adam, & Æva, dicitur: *Et cum audissent vocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post Meridiem*, ecce vox Dei sensibilis, & deambulatio quasi hominis, Gen. 28. vers. 11. de Jacob: *Vidit Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham.* Exodi 33. v. 23. Moyses vidit posteriora Dei, idest terga, & humeros, *Isaias, c. 6. v. 1.* vidit *Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum.* Quod vidit etiam Michæas, 3. *Reg. 22. v. 19.* & Amos *c. 9. v. 1.* Vidit *Dominum stantem super altare.* Denique, *Daniel, c. 7. v. 9.* vidit Deum sedentem in Throno tamquam antiquum dierum, vestimentum ejus candidum, quasi nivem, & capillos ejus, quasi lanam mundam. Et *Matth. 3. v. 16.* describitur Spiritus Sanctus descendens super Christum *quasi Columba*, & *Act. 2. v. 3.* super Apostolos in linguis igneis sedit.

Ex his omnibus ita discurro. Licitum est Deum exprimere in illis formis, sub quibus se exhibuit: se exhibuit autem sub diversis formis corporalibus, ergo &c. Si enim licuit sacris scriptoribus, & prophetis Deum sub illis formis corporalibus, sub quibus se exhibuit, mente concipere, & exterius in charta describere, cur non licebit eum sic in tela pingere; cum utrumque tam scriptura, quam pictura sit signum rei gestæ? Demum si quod S. Scriptura legendum nobis proponit, possumus mente concipere juxta modum, & intentionem ejus; *Omnia* enim ut scribit Apostolus Rom. 11. v. 15. *quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, cum non possimus eas narrationes legere, vel mente concipere, nisi Deum sub talibus speciebus in imaginatione exprimamus, ita nec alio modo possumus eas exterius exprimere, dummodo tamen mens in eis non sistat, sed ad invisibilem Dei naturam assurgat: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (ait Paulus, Rom. 1. v. 20.) Unde infert, quod Gentiles erraverunt, quia cum ex illis sensibilibus ad invisibilem Dei naturam assurgere debuissent, in illis sensibilibus naturam Dei constituerunt, quo factum est, ut coluerint, ac servierint creaturæ potius, quam creatori, a quo quantum absit Catholici, dum colunt in imaginibus Deum, nisi Calvinista sit, nemo non videt.

XXI. Ad hæc respondet Calvinus, Deum interdum sub humana forma apparuisse in præludium Incarnationis, Columbam autem subito evanuisse, ut indicaret, Spiritum Sanctum invisibilem esse — Sed quorsum hæc? Hic enim non quærimus, ad quem finem Deus in humana forma apparuerit. Sed dicimus, quod cum in humana forma apparuerit, possumus eum in ea forma, in qua apparuit, exprimere, & pingere. Deinde verum non est apparitionem Dei in humana forma fuisse semper præludium Incarnationis. Nam sic semper debuisset apparere Filius: cum tamen apparuerit Pater, & Spiritus Sanctus, qui incarnandi non erant. Nam tres illi viri, qui, *Genes. 18.* apparuerunt Abrahæ, tres personas Trinitatis adumbrarunt teste August. *l. 2. de Trinit. cap. 11.* & *cap. ultimo* ejusdem libri ex Daniele, *cap. 7.* evincit, Patrem fuisse, qui tamquam antiquus dierum Danieli apparuit, & qui filio hominis, idest Christo regnum tradebat. Spiritus Sanctus quoque distincta specie super Jordane apparuisse dicitur, *Matth. 3.* cum sola voce Pater auditus sit.

XXII. Dices cum eodem Calvino. In Ecclesiæ exordiis nulla pingebatur Imago Dei. Rursus Eusebius, *lib. 1. Præparat. Evangel. c. 6. & l. 2. c. 8.* & Lactantius, *l. 1. Divin. Instit. c. 15.* scribunt, omnes, quorum videmus simulacra, fuisse homines mortales; ergo nullum erat simulacrum Dei. Tertio. S. Augustinus, *lib. de Fide, & Symbolo, c. 7.* dicit: *Tale simulacrum* (nempe filii Dei sedentis ad dexteram Patris) *Deo nefas est Christiano in templo collocare.* Et *l. 4. de Civit. Dei cap. 31.* Refert Varronem dicentem, qui primi deorum simulacra induxerunt, eos & timorem demisisse, & errorem auxisse, & *lib. 6. c. 10.* refert Senecæ querimoniam, qui dolebat, inviolabiles Deos in materia vilissima, & ignobili dedicari. Demum Patres Synodi Nicænæ II. dicunt Christum recte pingi, quia est homo, Deum autem pingi non posse. Ita, *Act. 4. 5. & 6.*

XXIII. Respondeo ad singula. Ad primum fateor, in primitiva Ecclesia imaginum usum, præsertim Dei, frequentem non fuisse; non quia existimarent, eum modo explicato pingere non licere, sed prudenti quadam æconomia, ne vel recens ab idololatria conversi putarent Dei naturam talem esse, qualis pingebatur, & sic idololatriam esse mutatam, non extinctam; vel ne Gentiles occasionem calumniandi sumerent, quasi Christiani Deum corporeum haberent, sicut & Manichæi calumniabantur catholicos Judæos, & ipsum Moysen, qui scripsit Deum in nube apparuisse, quasi nubes illa esset Deus, & non Symbolum Dei. At procedente tempore, & Christianis jam edoctis illis imaginibus non naturam Dei, sed Dei symbolum exprimi, & semoto calumniandi periculo, usus imaginibus exprimendi Deum frequens in Ecclesia esse cœpit, qui cum a multis sæculis receptus sit in Ecclesia, licitus esse credendus est, alioquin illum Ecclesia non probasset, nec toleraasset.

XXIV. Eusebius autem, & Lactantius loquuntur de idolis gentium, volunt enim ostendere, Deos gentium non esse Deos, sed homines mortales, quorum sepulchra visuntur.

S. vero August. *in l. de Simbolo* solum vult, tale simulacrum, quo exprimeretur Deus, quasi revera habens dexteram, & poplitem flexum ad sedendum, nefas esse in Christiano templo collocari; non vero, quo nomine dexteræ, & sessionis exprimatur æqualitas cum filio in possessione Beatitudinis.

XXV. Varro autem apud eumdem August. Recte dicit, eos, qui simulacra induxerunt, metum demisisse, & errorem auxisse. Nam quidam crediderunt, ipsa simulacra esse Deos, & videntes ea nec aliis, nec sibi prodesse, aut obesse, cœperunt Deos contemnere. At si non simulacra Deos, sed imagines Deorum credidissent, & imagines non proprias, sed analogicas, nec errorem invenissent, nec metum amisissent, quemadmodum nec minuitur metus, nec ullus error inducitur erga Principes per imagines eorumdem, quas quotidie videmus.

Seneca vero apud eumdem August. conqueritur simulacra Diis poni ob eumdem errorem, vel quia putabantur ea ipsa simulacra in materia vili esse Deos, vel certe Dii simulacris illis similes indicabantur.

XXVI. Patres autem Concil. Nicæni II. negant, Deum posse pingi eo modo, quo asserunt pingi posse Christum, idest, tamquam habentem naturam humanam, sicut eam habet Christus: non negant tamen posse pingi sub aliqua analoga similitudine, sub qua apparuit. Immo. *Act. 5.* approbant imaginem Spiritus Sancti in forma columbæ.

De Angelis similiter dico, posse repræsentari per imagines sub illis formis, sub quibus se visibiles exhibuerunt in veteri Testamento, eisque adduntur alæ ad exprimendam eorum agilitatem, & quia, *Isaiæ 6. v. 2. & 6.* volantes describuntur.

§. V.

An liceat Imagines habere in Templis?

XXVII. Dico. Licet Imagines Dei, Angelorum, & Sanctorum exponere in Templis Christianorum. Est contra Calvinum, *l. 1. Inst. c. 11.* Et prob. primo. Nam in veteri lege, quando Judæi ad idololatriam erant maxime proni, in templo erant imagines Cherubin, *Exod. 25.* & *3. Reg. 6.*

Secundo. Ex consuetudine Ecclesiæ primis quinque sæculis, cujus testes sunt Tertullianus, qui, *Apologet. adv. Gentes, cap. 16.* dicit Christianos ab Ethnicis culpatos fuisse, quod Crucis Religiosi essent, & *l. de pudicitia, cap. 7.* jam factus Montanista testatur, in sacris calicibus apud Catholicos pictum fuisse Christum in forma pastoris ovem errantem suis humeris deportantem ad ovile. Et hoc adeo commune erat, ut Catholici, contra quos scribebat, inde argumentum sumerent ad probandum pœnitentiam, etiam gravium delictorum in Ecclesia concedi. Porro calices sacri in templo, & in loco sacro poni solent.

XXVIII.

XXVIII. Euſebius, *lib. 7. Hiſt. c. 18.* ſcribit, ſe vidiſſe ſtatuam æneam Chriſti, quam Paneade erexerat mulier illa a fluxu ſanguinis per ipſum liberata addens : *Nec vero mirandum eſt, Gentiles a ſervatore noſtro beneficiis affectos hæc præſtitiſſe : cum & Apoſtolorum Petri, ac Pauli, Chriſtique ipſius pictas imagines ad noſtram uſque memoriam ſervatas in tabulis videamus. Quippe priſci illi abſque ullo diſcrimine cunctos de ſe bene meritos gentili quadam conſuetudine, tamquam ſervatores colere hujuſmodi honoribus conſueverant.* Qui dicit etiam ad pedes, & fimbriam præfatæ Chriſti ſtatuæ aſſurgere plantam *depellendis omnis generis moribus præſentiſſimum remedium.* Idem refert Sozomenus, *l. 5. Hiſt. c. 21.* qui ſubjungit, quod cum Julianus Apoſtata ſubverſa Chriſti ſtatua ſuam imaginem ejus loco poſuiſſet, *Statim ignis ſumma vi a Cælo lapſus pectus ſtatuæ, & vicinas pectori partes diſcidit, caputque una cum collo dejecit. Chriſti vero ſtatuam tunc quidem Pagani trahentes per Urbem confregerunt, Poſtea vero Chriſtiani, collectam in Eccleſia repoſuerunt, ubi etiam nunc ſervatur.* Ecce Chriſti ſtatuam a Paganis confractam, & a Chriſtianis collectam in Eccleſia collocatam. Videant modo Calviniſtæ, qui ſacras imagines, & ſtatuas confringunt, quos imitentur, an veteres Chriſtianos, an potius paganos.

XXIX. Hoc idem antiqui Patres Græci, & Latini teſtantur. Baſilius Orat. in Barlaam Martyrem, poſtquam ejus illuſtre martyrium voce celebravit : *Exurgite nunc mihi* (inquit) *o præclari athleticorum geſtorum pictores. Mutilatam hujus ducis imaginem artibus veſtris adornate. Coronatum athletam obſcurius a me depictum ſolertia veſtra coloribus illuſtrate. Velim abeam victus a vobis egregia Martyris facta pictura repræſentaturis : gaudeam tali hodie per veſtram dexteritatem victoria ſuperatus.... Depingatur in tabella, & certaminum Præfectus Chriſtus.* Cur ergo pictores excitabat Baſilius, niſi ut picturam Martyris in templo collocaret.

XXX. Nazianzenus, *Orat. 19.* in laudem Patris defuncti deſcribens Templum, quod Nazianzi erat, dicit fuiſſe picturis ornatum, & *Epiſt. 49. ad Olympium* dolet, quod Civitas Diocæſarienſis evertenda eſſet, in qua ipſe templum mirifice exornarat, & addit : *Neque enim ſi ſtatua dejiciatur, hoc grave, & acerbum eſt, erſi alioquin acerbum &c.* Erant ergo ſuo tempore in templis ſtatuæ, utique Chriſti, & Martyrum, Gregorius item Nyſſenus, Orat. de Laudibus S. Theodori : *Oblectatur* (inquit) *dum adem, ut templum Dei...., intuetur, ubi & faber in animalium figuram lignum formavit, & pictor induxit etiam flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris.... certaminum præſidis Chriſti humanæ formæ effigiem, omnia nobis tamquam in libro quodam qui linguarum interpretationes continens, coloribus artificioſe depingens certamina, atque labores Martyris nobis expreſſit..... Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodeſſe.* Ex quibus patet, quod non ad ſolum ornatum ſacræ imagines in templo poſitæ fuerint.

XXXI. S. Jo: Chryſoſt. in ſua liturgia, quam Goarius noſter in ſuo Euchologio expendit, hæc habet : *Sacerdos autem egreditur e parvo oſtio portans Evangelium, præcedente Miniſtro cum cereo, & converſus ad Chriſti imaginem inter duo oſtia inflexo capite cum exclamatione dicit &c.*

His igitur, aliorumque veterum Patrum Græcorum teſtimoniis merito Synodi Nicænæ II. Œcumenicæ VII. Patres, *Act. 7.* ajunt : *His ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & Sanctorum noſtrorum, ac divinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, traditionem obſervantes ; definimus cum omni diligentia, & cura, venerandas, & ſanctas imagines ad modum, & formam venerandæ, & vivificæ crucis e coloribus, & teſſelis, aut alia quamvis materia commode paratas, dedicandas, & in templis Sanctis Dei collocandas, habendaſque tum in ſacris vaſis, & veſtibus, tum in parietibus, & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis : maxime autem imaginem Domini, & Dei ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum &c.* Synodus hæc, quæ, *anno 787.* contra Iconomachos coacta fuit, proteſtatur, ſe definire juxta veterum Patrum traditionem, & Eccleſiæ Catholicæ perpetuam doctrinam. Qua ergo fronte audet Calvinus dicere, prioribus quinque ſæculis uſum imaginum in templis non fuiſſe? Unde juſte ab Eccleſia Græca etiam Recentiori in Synodo Hieroſolymitana, *anno 1672. cap. 4.* Calvini doctrina in hac materia pluribus anathematibus meruit configi.

XXXII. Non minori conſenſu ſacrarum imaginum uſum probavit Eccleſia latina vetus. Nam præter Tertullianum, de quo ſupra, Prudentius in vita S. Caſſiani, ſcribit, ſe in Eccleſia S. Caſſiani vidiſſe ſuper altare ejus imaginem : vivebat autem, *ann. 370.*

Erexi ad Cælum faciem, ſtatim obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus
Ruptam minutis præferens punctis veſtem.

Item de S. Hippolyto.

Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis viget umbris
Effigians tracti membra cruenta viri :

Paulinus Prudentio coævus, *Ep.* modo 32. *ad Severum* conqueritur, quod ſe una cum S. Martino in templo ſupra baptiſterium depingi curaverit, eumque rogat, ut ſaltem iſta carmina ſubſcribi jubeat.

Adſtat Martinus perfecta regula vitæ
Paulinus veniam, quo mereare docet:
Hunc peccatores, illum ſpectate beati
Exemplar Sanctis ille ſit, iſte reis.

Ibique plura dicit, ex quibus aperte conſtat, eo tempore frequentiſſimas eſſe templis Sanctorum imagines.

XXXIII. Hinc S. Auguſtinus *l. 1. de conſenſu Evangeliſt. cap. 10.* corrigit, qui putabant, Chriſtum ſcripſiſſe librum ad Petrum, & Paulum in quo eos artem magicam docuerit, putantes Chriſtum cum Paulo familiariter converſatum fuiſſe : *Quod pluribus locis ſimul cum illo pictos viderent.* Idem dicit, *l. 22. contra Fauſtum, cap. 73.* de facto Abrahæ volentis mactare filium, quod videbant *Multis in locis pictum.* Non eſt autem credibile, Auguſtinum loqui de privatis Domibus, ad quas non omnibus patet aditus, ſed de publicis locis, & quidem non prophanis, ſed ſacris. Unde D. Gregorius, *lib. 11. Epiſt. 13. al. 9. ad Serenum Maſſilienſem Epiſc.* Oſtendit quod non ſine ratione imagines Sanctorum in locis venerabilibus vetuſtas admiſit, Vetuſtatis autem nomine non potuit intelligere homines ſui ſæculi, ſed ſuperiorum. Cum autem ipſe floruerit poſt *annum 500.* loquitur de Patribus, qui ante *annum 500.* vixerunt. Quare Hadrianus I. in *libro pro Imaginibus*, qui habetur poſt VII. Synodum refert, Sylveſtrum, Damaſum, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem, Joannem, & Pelagium Pontifices, qui ante *annum 500.* ſederunt, picturis templa exornaſſe.

XXXIV. Sed opponit Calvinus, Concilium Eliberitanum, *cap. 6.* dicens : *Placuit, picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.*

Varie huic Canoni reſpondetur. Aptior tamen, & Canoni accommodatior reſponſio eſt, Concilium non prohibere abſolute picturas in Eccleſia eſſe in tabulis, aut velis, ſed tantum ne *in parietibus* depingantur. Cujus ratio potuit eſſe propter honorem imaginum, nimirum, ne cum adhuc vigeret perſecutio, imagines, quæ in parietibus pictæ non poterant per Chriſtianos aſportari, in manus paganorum una cum templis venirent, & ſic ab eis prophanarentur, Vel quia imagines in parietibus pictæ facillime corrumpuntur, vel humore parietum, vel ſitus humiditate, vel alia cauſa. Hac ratione fuit olim etiam prohibitum, ut diximus, ne Crux in pavimento ſculperetur, & pedibus conculcaretur.

Ut ut ſit, Concilium illud non favet Calvino. Tum quia ſupponit, e tempore jam fuiſſe imagines in templis : non enim diceret : *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere*, niſi jam eſſe cœpiſſent. Tum quia illis verbis, *ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*, ſupponit, vel Sanctos, quorum erant imagines, vel imagines ipſas coli, & adorari. Tum denique, quia, *Can. 26.* indicit jejunium Sabbati, & *cap. 33.* prohibet uſum uxorum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Clericis in miniſterio poſitis, a quibus omnibus Calvinus, & ſectarii abhorrent.

XXXV. Opponit ſecundo Calvinus, *cap. 4. Inſtit. c. 9. §. 9.* Epiphanium, *in Epiſt. ad Joan. Hieroſolym.* dicentem eſſe contra Scripturæ auctoritatem, quod in Eccleſia pendeat imago hominis, & loquitur de imagine, quam dicit fuiſſe Chriſti, vel Sancti alicujus.

Huic reſpondi in Vera Eccleſia, *Tom. 2 p. 2. a. 16. §. 9. n. 56.* & *§. 13. n. 75. & 76.* videantur ibi dicta, Nunc breviter perſtringo dicens. Aut factum Epiphanii in illa Epiſt. narratum eſſe apocryphum, & ab aliquo intruſum, ut putant ex Damaſceno, *l. 1. de Imaginibus*, Bellarminus, *l. 2. de Imaginibus cap. 9.* & Baronius, *ad ann. 302.* Vel ſi Epiphanio vere tribuitur, non eſſe contra nos. Nam ut ibi narratur, imago illa in velo depicta adeo indecens erat, ut non appareret, an eſſet Chriſti, vel alterius hominis communis. Unde Epiphanius zelo Epiſcopali accenſus eam diſcidit. Quod ex mandato Tridentini facere jubentur Epiſcopi, ſi forte in Eccleſia ſuæ diœceſis aliquam inſolitam, & minus decoram imaginem repererint, quin ex hoc argui poſſit, eos uſum, vel cultum imaginum in Eccleſiis reprobare. Videantur citatis locis dicta.

XXXVI. Opponunt tertio, alii (ex Lampridio in vita Alexandri Imperatoris) quod Hadrianus Imperator in gratiam Chriſtianorum juſſerit extrui templa ſine ſimulacris —— Sed reſpondeo Hadrianum juſſiſſe fieri templa ſine ſimulacris Gentilium. Nam Chriſtiani orare nolebant in templis Gentilium, quia erant plena idolis. Unde idem Lampridius ea ſimulacra appellat numina, numina non vocantur imagines, niſi pro diis habeantur.

XXXVII. Imagines porro in templis habendas eſſe non ſolum ad repræſentandam hiſtoriam, ſed etiam ad alios fines. Nam ſemper pinguntur cum aliqua circumſtantia, vel ſigno, quo edocemur quaſi compendio, quid illi quos in talibus imaginibus veneramur, egerint, vel paſſi ſint, ut pingitur Chriſtus in ſinu matris, ligatus ad columnam, pendens in cruce &c. Martyres cum inſtrumentis ſui martyrii cum palma, Virgines cum lilio, & omnes cum aureola. Ex quibus accendimur ad charitatem erga Deum, &

San-

Sanctos fovendam, excitamur ad eos imitandos, ad profitendam eorum fidem, doctrinam, & sanctos mores, quibus Deo placuerunt, ad detestandam infidelitatem, errorem, ac omne vitium; ac demum ad desiderium fruendi eorum consortio in beatitudine. Esto enim totum hoc in nobis parere possit prædicatio, & etiam lectio, magis, & fortius imprimit imago; nam prædicatio audita transit, imago oculis semper manet, & per oculos cor tangit, lectio movet, sed sæpe quod lectum est, memoria excidit, ubi imago se ipsam continuo legendam oculis præsentat. Demum ex imaginibus augetur honor Dei, & Sanctorum suorum. Et hac ratione scribit Eusebius supra relatus, *l. 7. Hist. cap.* 18. primos Christianos cœpisse imagines Christi, & Apostolorum desiderare naturali quadam gratitudine eos honorandi, a quibus fuerant beneficiis cumulati, non Gentili superstitione, qua idololatræ honorabant idola eorum, a quibus nihil boni receperant, nec recipere poterant. Hæc omnia Tridentinum, *Sess.* 25. vult fideles ab Episcopis edoceri, dum ait. *Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis: Tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem, vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, & diligendum Deum, & ad pietatem colendam.*

§. VI.

An liceat Imagines colere?

XXXVIII. Dico. Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum honorandæ sunt, ac venerandæ: *Non quod* (ut ait Tridentin. Sess. 25.) *credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis aliquid sit petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.* Hisce verbis explicatur perpetua Catholicæ Ecclesiæ fides circa cultum, & modum, quo colendæ sunt imagines, & mendacia quibus gravant Hæretici etiam moderni Catholicos, deteguntur.

XXXIX. Cultum ergo sacris imaginibus esse debitum colligitur ex variis S. Scripturæ locis. Primo. Quia figuras illas, in quibus, vel Deus, vel Angeli Sanctis Patriarchis, & viris apparuerunt, illi venerati sunt, ut *Gen.* 18. *v.* 1. ubi Abraham tres viros in Mambre apparentes, sive S. Trinitatem, sive tres Angelos repræsentarent. Item Loth, *Gen.* 19. *v.* 1. duos Angelos in figura humana *pronus adoravit*. Idem fecit Josue, *Josue* 5. *v.* 15. cum eum, qui in specie viri sibi loquebatur, Angelum esse cognovit. Moyses, *Exod.* 3. *v.* 5. flammam rubi in qua Dominus apparebat, humiliter honorare jussus est. Et *Daniel, cap.* 10. *v.* 6. Virum, quem vidit vestitum linteis, Angelum nempe, jacens, & consternatus super faciem suam alloquitur. Ex his ergo sic. Sancti illi viri certo sciebant, quod illæ figuræ, vel species, quæ illis apparebant, non erant ipse Deus, vel ipsi Angeli, sed solum eorum imagines, ac repræsentationes, signa aut simbola; & tamen Deum, vel Angelos in ipsis agnoscentes, eis etiam speciem reverentiæ, & venerationis, non civilis tantum, sed religiosæ exhibuerunt.

XL. Quanto etiam in honore volebat Deus Arcam haberi, Scriptura testatur, ut qui eam minus reverenter aspexissent, aut tractassent, severe punierit, 1. *Reg.* 6. *v.* 19. punivit Bethsamitas, eo quod arcam nudam adspexerint, 2. *Reg.* 6. *v.* 7. Percussit Oza, quia temere extendit manum, & eam tenuit. E contra vero eos, qui cum honore ipsam receperunt, benedictionibus cumulavit, ut Domum Obededom, in qua mansit, 2. *Reg.* 6. *v.* 12. & David, qui eam cum honore reduxit (ibidem) ita ut irreverentiam, vel reverentiam Arcæ exhibitam, ut exhibitam sibi Deus acciperet: & tamen Arca erat merum signum præsentiæ Dei, non repræsentans ejus naturam, sed tantum symbolice majestatem ejus figurans.

XLI. Ex his concludi potest, quod Deus voluit honorari speciali cultu ea, quæ nec naturam Dei, nec Angelorum vere repræsentabant, sed in symbolo tantum, & figura, & quidem multum remota, negari non poterit, quin venerandas esse velit imagines Christi, & Sanctorum, quæ non in figura, sed reipsa Christum, & Sanctos in natura propria repræsentant. Hoc testantur miracula vera a Deo patrata pro honore imaginum, quibus plenæ sunt historiæ, & etiam contra eos qui imagines dehonorarunt, quæ legere est apud Synodum septimam apud Evagrium, *l.* 4. *Hist. c.* 26. Damascenum, *Orat.* 1. *& 3. de Imaginibus*. Cum ergo Deus miracula non faciat in approbationem alicujus falsi, si hæc edidit, sive in beneficium illorum, qui imagines honorarunt, vel in punitionem eorum, qui eas dehonorarunt, dici debet honorem imaginibus sacris delatum a Deo approbari, & earum inhonorationem ab ipso reprobari, ut de Arca veteris fœderis supra dictum est.

XLII. Jure igitur pro veneratione imaginum stant omnes Patres. Græci quidem, Basilius, *Epist.* 360. (alias 205.) ad Julianum Apostatam: *Suscipio autem* (inquit) *& Sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, & ad supplicationem, quæ fit Deo, hos invoco, ut per eos, idest, interventionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus, & delictorum mihi remissio fiat, & condonetur. Unde & characteres imaginum eorum honoro, & osculor eximie, cum hæ traditæ sint a Sanctis Apostolis, nec sint prohibitæ, imo in omnibus Ecclesiis nostris depictæ sint.* Quid apertius pro traditione cultus Sanctorum, & imaginum?

Theodoretus in historia Simeonis Stylitæ scribit: *Ajunt Romæ fuisse eum ab omnium ore celebratum, ut in omnibus officinarum vestibulis, & porticibus ei parvas posuerint imagines, hinc sibi præsidium, & tutelam parantes.* Idem Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, & Chrysostomus in liturgia supra relati, aliique, quos Hadrianus refert in sua Epist. ad Synodum VII. quæ, *Act.* 2. legitur.

XLIII. Hanc fuisse, & esse Ecclesiæ græcæ sententiam constat ex Hieremia Patriarcha Constantinopol. *anno* 1580. *in respons.* 2. *cap. de Invoc. Sanctorum*, ubi hæc habet: *Adoramus imagines eo modo, ut non ipsi materiæ exhibeamus reverentiam, sed imaginum interventu illis qui per ipsas significantur, honor, qui imagini exhibetur, ad prototypum transit, sicut D. Basilius dicit &c.* Et infra: *Ut qui non honorat filium, non honorat Patrem; sic qui non honorat imaginem, nec illum, quem imago refert, honorat.* Ita ille rescribens Sectariis nostris, qui fœdus in doctrina cum Ecclesia græca inire tentabant. Hoc idem Græci fatentur in Synodo Hierosolymitana, *anno* 1672. anathema dicentes Calvinistis.

XLIV. Patres etiam Latini in hac veritate consenserunt semper. Nam præter testimonia supra relata. Ambrosius, *in Psalm.* 118. ait: *Quis enim coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique, cujus statuam conspuaverit, feciſſe videtur injuriam.* Ex quo infert, quod cum in homine sit imago Dei, honor, vel injuria facta homini, in Deum refunditur. Item, l. de Inc. Domini. Sacram. *Numquid* (inquit) *cum in eo* (Christo) *imaginem Dei, crucemque veneramur, dividimus eum?*

Hieronymus, Ep. ad Eustochium de Epitaphio Paulæ, sic scribit de Paula: *Hierosolymis cuncta loca tanto ardore, ac studio, circumivit, ut nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset adduci, prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat* —— Item Epist. ad Marcellam, cum dixisset quod olim Judæi venerabantur Sancta Sanctorum propter Cherubim, Arcam &c. subdit: *Nonne tibi venerabilius videtur sepulcrum Domini?*

August. *Tract.* 47. *in Joann.* ait: *Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde ascendit in Cælum.* Ecce a tempore Augustini venerata vestigia, seu imagines pedum Christi. —— Item l. 3. *de Doctr. Christiana, cap.* 9. *Sub signo* (inquit) *servit, qui operatur, aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui vero aut operatur, aut veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim, significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videt, & transit, sed illud potius, quo talia signa referenda sunt* —— Et lib. de Trinit. c. 10. distinguens signa sacra, quales sunt imagines, litteræ, & sacramenta, a signis, quæ fecit Deus per Patriarchas, & prophetas, dicit: *Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt: honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tamquam mira non possunt.* Imagines autem sacras sub utilibus signis comprehendi, & proinde esse religiosa veneratione dignas indicat, *lib.* 2. *Doctr. Christ. c.* 25. ubi dicit, picturas, & statuas pertinere ad superflua hominum, exceptis, quæ ob finem bonum suo loco, & tempore ab auctoritatem habente proponuntur. Ab his autem Christi, & Sanctorum imagines non excludere, si in eis non consideretur ars pingentis, sed pia earumdem significatio, & ex illis sensibilibus mens assurgat ad Deum ostendit, *lib.* 10. *Confess. cap.* 34.

§. VII.

Quo cultu colendæ sint Imagines.

XLV. Ex his omnibus apparet, cultum imaginum non sistere in imagine, sed transire ad repræsentatum per eam, ac proinde non esse cultum absolutum, sed relativum. Unde in imagine Christi adoramus Christum, in imaginibus Deiparæ, & Sanctorum, sive Angelorum, sive hominum, Deiparam, Angelos, & Sanctos homines veneramur. Et hoc est quod supra, *n.* 37. *& 38.* ex Concilio Tridentino diximus. Unde Innocentius III. in Serm. de Dedicat. Templi; *Verius* (inquit) *adoramus Deum coram imagine, quam imaginem coram Deo. Unde præceptum est coram altari hoc adorabitis: Non ait*, Altare, *sed coram altari.*

altari. Et Leontius Epiſcopus Neapoleos Cypri in Concil. Nicæno II. act. 4. *Sicut is qui juſſionem Imperatoris ſuſcepit, & ſalutavit, ſigillum, non lutum adoravit, aut charram, aut plumbum, ſed Imperatori adorationem, & cultum impendit: ita, & nos Chriſtianorum pueri figuram crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, ſed ſignum, & anulum, & characterem Chriſti, eum adſpicientes per eum illum, qui in eo crucifixus eſt ſalutamus, & adoramus.* Idem infra, dicit de locis ſanctis, & Civitate Bethleem, ac præſepe, quæ veneramur, ut loca, in quibus Chriſtus fuit, ſicut & Martyres, alioſque Sanctos, ut amicos ejus, addens, Quod *ſicut Jacob acceptam a filiis ſuis tunicam variam, & ſanguinolentam Joſeph, deoſculatus eſt cum lacrymis, & propriis oculis hanc circumpoſuit, non veſtimentum amans, & honorans hoc fecit, ſed per id æſtimans Joſeph oſculari, & in manibus eum habere: ita & Chriſtiani univerſi imaginem Chriſti, vel Apoſtolorum, aut Martyrum tenentes, aut ſalutantes carne, anima ipſum Chriſtum æſtimamus, vel Martyrem ejus habitum retinere.*

XLVI. Huic doctrinæ adhærens S. Th. 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *in Corp.* ubi de imagine Chriſti, docet: *Quod ſicut Philoſophus dicit, in lib. de Memoria, & reminiſcentia*, cap. 2. *Duplex eſt motus animæ in imaginem. Unus quidem in ipſam imaginem ſecundum quod res quædam eſt: Alio modo in imaginem in quantum eſt imago alterius. Et inter hos duos motus, hæc eſt differentia. Quia primus motus, quo quis movetur in imaginem ut eſt res quædam, eſt alius a motu, qui eſt in rem. Secundus autem motus, qui eſt in imaginem, in quantum eſt imago, eſt unus, & idem cum illo, qui eſt in rem. Sic ergo dicendum eſt, quod imagini Chriſti in quantum eſt res quædam (puta lignum ſculptum, vel pictum) nulla reverentia exhibetur, quia reverentia nonniſi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia ſolum in quantum eſt imago; & ſic ſequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoratur adoratione latriæ, conſequens eſt quod ejus imago ſit adoratione latriæ adoranda.* Idem docet, 2. 2. *q.* 81. *art. ad* 3.

XLVII. Verum quia in Synodo Nicæna II. *Act.* 7. ſtatuitur, imaginibus etiam Chriſti tribuendam honorariam quidem adorationem, non tamen *Ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam decet, impertiendam*. Ideo ne S. Th. contrarium docere videatur, obſervandum eſt, quod imago poteſt tripliciter conſiderari. Primo, ut res quædam eſt, puta lignum, æs, argentum, aurum, ſeu opus arte elaboratum, & hoc modo nullius venerationis capax eſt. Secundo, ut in actu exercito menti adorantis repræſentans, & in ea intentionaliter ponens ipſum prototypum, ita ut prototypus ſit terminus, & objectum adorationis, qui in margine, ut ſecundario objecto, ſeu conditione adoretur, & hoc modo ſi prototypus ſit aliquid divinum, adoratur vera latria in illa imagine. Tertio, velut in actu ſignato, quatenus ſcilicet imago eſt quidem repræſentatio, & ſimilitudo rei adorabilis, actu tamen res adorata non ponitur in mente adorantis imaginem, nec motus in imaginem exercite tranſit in rem adorabilem: & ſic imago eſt quidem res ſacra, & honoranda, non tamen eodem, ſed inferiori cultu.

XLVIII. Quando ergo S. Th. dicit, Imaginem Chriſti adorari adoratione latriæ, ſumit imaginem in ſecundo ſenſu, dum ait quod motus in imaginem ut imago eſt, eſt unus, & idem cum illo, qui eſt in rem. Si ergo motus dum terminatur ad rem primario adoratam eſt latriæ, erit quoque aliquomodo latriæ motus in imaginem, in qua adoratur, ita ut primario, & per ſe in imagine adoretur latria Chriſtus, & ſecundario, & quaſi per accidens imago eum repræſentans. Non quia reſpectu imaginis ſit vera latria, ſed quia adoratur eo ipſo actu, qui eſt latria reſpectu prototypi, ideoque Nycænum II. allatum, non dixit imagines non eſſe adorandas *latria*, *ſed vera latria*, ait enim eadem actione 7. *Qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum*.

XLIX. Quod de imagine Chriſti dictum eſt, hoc proportione ſervata de B. Virginis, & Sanctorum imaginibus eſt dicendum: quod etiam iſtæ non adorantur vera, & proprie dicta hyperdulia per ſe, ſed materialiter, & per accidens, quatenus honorantur actu, qui eſt hyperdulia vel dulia, ſed non comparative ad ipſas. Conſideravit enim S. Th. imaginem pro ut ſimul cum prototypo eſt objectum adorationis, ipſa ſecundarium, & iſtud primarium, ſive prout in ea primario, & directe adoratur exemplar, ſecundario autem, & propter iſtud etiam ipſa imago. Et in hoc ſenſu dixit adorari eodem cultu quo exemplar: quia idem motus, qui eſt in imaginem eſt in exemplar, qui tamen eſt latria reſpectu Chriſti, qui adoratur, non tamen reſpectu imaginis, in qua adoratur, niſi ſecundario, & propter ipſum, eo modo, dum eodem actu viſionis beatificæ intellectus videt Deum, & creaturas, & ille actus eſt quidem beatitudo, quatenus eſt viſio Dei, non tamen, quatenus eſt creaturarum, niſi ratione Dei, in quo videntur; & ideo ſecundario, & quaſi per accidens. Quod ſi non eodem motu, quo adoratur imago, non adoretur in actu exercito Deus, veneratio imaginis eſt quidem veneratio rei ſacræ, ſed non latriæ, aut duliæ, aut hyperduliæ, ſed longe inferior.

§. VIII.

Objectiones contra cultum Imaginum.

L. OBjicit Calvinus. Primo, nam imaginum cultus prohibitus fuit, Exodi 20. v. 4. *Non facies tibi ſculptile &c. Non adorabis ea, neque coles.*

Reſpondeo, eo præcepto non ſimpliciter prohiberi, ne faciamus ſculptile, ſeu quamcumque ſimilitudinem, cum ipſo Deo jubente ſimilitudines Cherubin factæ fuerint, ſed prohiberi fieri idolum, & quamcumque aliam ſimilitudinem alicujus, quod cum Deus non ſit, habeatur ut Deus, & adoretur, unde ſubditur: *Non adorabis ea, neque coles*, ut Deos. Unde, *Levit.* 26. *v.* 1. ubi præceptum iſtud repetitur: *Non facietis* (inquit) *vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum, ego enim ſum Dominus Deus veſter.* Ita S. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *ad* 1. dicens: *Quod non prohibetur illo præcepto facere quamcumque ſculpturam, vel ſimilitudinem, ſed facere ad adorandum. Unde ſubdit*, non adorabis ea, neque coles. *Et quia ſicut dictum eſt, idem eſt motus in imaginem, & in rem, eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo prohibetur adoratio rei, cujus imago eſt. Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem Deorum ſuorum, & Dæmonum. Et ideo præmittitur*, non habebis Deos alienos coram me.

LI. Dices. Iſraelitæ fuerunt reprehenſi, quod vitulum adoraverint, *Exod.* 32. Cum tamen non ipſi vitulo deferrent honorem, ſed Deo per vitulum ſignificato. —— Sed hoc eſſe falſum oſtendi. *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 2. *de Unitate Dei, Dub.* 4. §. 2. & 3. ubi oſtendi, Hebræos in vitulo adoraſſe, non verum Deum, ut putat Calvinus cum Voſſio, ſed falſum numen Ægyptiorum. Videantur ibi dicta. Obſervo tamen cum S. Th. mox citato loco, quod in Veteri lege: *Ipſi vero Deo, cum ſit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni, quia ut Damaſcenus*, dicit (*l.* 4. *Fidei, c.* 17.) Inſipientiæ humanæ eſt, & impietatis figurare quod eſt divinum, *ſed quia in novo teſtamento Deus factus eſt homo, poteſt in ſui imagine corporali adorari.* Nota tamen S. Thomam excludere imaginem figurantem naturam Dei inviſibilem, non de imagine adumbrante Deum in aliqua ſimilitudine, ſub qua interdum apparuit.

LII. Objicit ſecundo Calvinus. Synodus VII. reprobata eſt a Concilio Francofordienſi, eo quod decreviſſet cultum imaginum, ut teſtatur *ad ann.* 795.

Inſuper Carolus Magnus fertur ſcripſiſſe librum contra imagines.

LIII. Ad hæc reſpondi in Vera Eccleſia, *Tom.* 1. *p.* 2. *art.* 16. §. 9. & 11. quo remitto lectorem. Modo dico, Concilium Francofordienſe ſub Carolo Magno, *anno* 794. non reprobaſſe Concilium Nicænum II. Pro quo recitanda ſunt verba Concilii Francoford. *Can.* 2. Cui fidit Calvinus, & ſunt hæc: *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra Sanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem, & ſervitium renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.* Hoc Canone VII. Synodum non reprobari evidens eſt. Primo. Quia hæc non fuit coacta Conſtantinopoli, ſed Nicææ in Bithinia. Secundo. Quia Synodus VII. non decrevit imaginibus adorationem, & ſervitium, ut Sanctæ Trinitati, ſed oppoſitum ſtatuit. Hoc aperte patet, *Act.* 1. in profeſſione fidei, quam ibi edidere Baſilius Anciranus, Theodorus Myrenſis, & Theodorus Ammori, in quibus de ſola *veneratione* ac *ſalutatione* ſermo eſt, & ſi uſurpatur *adorationis* nomen, ſtatim explicatur, quod non eadem adoratione qua Deus, adorentur imagines, dum *anathema* dicunt aſſerentibus, quod *ſicut ad Deos, Chriſtiani ad imagines accedant*. Ulterius, *Act.* 6. expreſſe id declarat, dicens: *Sive igitur placebit ſalutationem, ſive adorationem idem profecto erit, modo ſciamus excludi latriam*. Et infra: *Nec inſtantia ſatanica ſit erga adorationem earum, neque formido iniqua ſuſpicionis habens occaſionem, quia ſi acceſſero imaginem hanc ſalutaturus, invenior latriam, quæ in ſpiritu eſt, huic impendere. Abſit ſuſpicio hæc* Et *Act.* 7. definitive ſtatuens, cultum imaginum, dicit, eas proponi *ad oſculum, & honorariam adorationem his tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam decet, impartiendam.*

LIV. Hæc cum adeo aperta ſint, quomodo credibile eſt, Patres Francofordienſes, ſi acta Concilii Nicæni II. viderint, impoſuiſſe ei, quod cultum imaginibus ſicut Deo, ac Trinitati tribuerit, cum oppoſitum ſtatuerit? Cenſent propterea Doctores Catholici, Francofordienſes Patres, vel non de Nicæno II. fuiſſe locutos, ſed de quodam Conſtantinopolitano, in quo aliqui, ut ſe Iconomachis, omnem imaginibus honorem, & cultum negantibus opponerent, inconſulte, & inſcite in errorem oppoſitum impegerunt. Vel ſi de Nicæno II. locuti fuerint, non ex actis Concilii fuiſſe locutos, quæ forte ſub oculis non habuere, ſed deceptos fuiſſe ab imaginum oppugnatoribus, qui forte, vel aliqui eorum, Francofortum advenerant, imponentibus

tibus Nicænæ Synodo contrarium ejus, quod ſtatuerat. Ut ut ſit Nicæna II. Synodus quidquid obſtrepat Calvinus cum ſuis, tamquam Œcumenica VII. ſemper a Catholica Eccleſia habita fuit, & adhuc habetur. Alia vide, *in vera Eccleſia*, loco citato.

LV. Quoad librum, ſeu libros, qui *Carolini* dicti ſunt, eo quod Carolo Magno auctori tribuantur, verior & communior ſententia eſt, fuiſſe Carolo Magno ſuppoſitos, ab alio, vel aliis tempore Concilii Francofordienſis conſcriptos, & Carolo oblatos, ab eoque ad Hadrianum I. miſſos, qui eos refutavit. Cum autem Carolus Romanæ Eccleſiæ obſequentiſſimus fuerit, & de ea optime meritus, quin & in Hadrianum ſumme propenſus, quis credere poterit, in doctrina de imaginibus ab ea diſſenſiſſe? Maxime poſtquam ab Hadriano reſcivit, imaginibus non tribui cultum illum ſuperſtitioſum, qualem a Græcis tributum fuiſſe ei ſuppoſitum fuerat? Alia videri poſſunt in Vera Eccleſia, *loco citato*, §. 9. Interea noverit Lector, Concilium Provinciale Senonenſe in Gallia, *ann.* 1528. ſentire, nec Carolum, nec Synodum Francoford. debitam imaginum venerationem unquam oppugnaſſe, ait enim in decretis fidei, *c.* 14. de veneratione imaginum: *Inſurgentibus tandem imaginum everſoribus, Romani Pontifices, Conſtantinus, Gregorius II. & III. Paulus I. Stephanus III. & Hadrianus I. tanta animi conſtantia reſtiterunt, ut illi ſeptima tandem apud Nicæam Synodo concordi Patrum aſſenſu damnarentur. Et Carolus ille cognomento Magnus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus Francofordienſi Conventu, ejuſdem erroris ſuppreſſerit inſaniam.*

LVI. Objiciunt tertio Patres. Nam Irenæus, *l.* 1. *c.* 24. ponit inter Hæreticos Carpocratem, quod coleret imaginem Chriſti, & Pauli. —— Epiphanius, *Hæreſ.* 79. dicit Hæreticos eſſe, qui imaginem Beatæ Virginis circumferunt, & colunt —— Ambroſius de obitu Theodoſii; *Invenit* (inquit) *Helena Crucem Domini, Regem adorantis, non lignum utique, quia hic Gentilis eſt error; ſed adoravit illum qui pependit in ligno.* —— Hieronymus in *c.* 3. Danielis *Cultores* (inquit) *Dei, imagines adorare non debent.* —— Auguſtinus de moribus Eccleſiæ, cap. 36. *Novi*, ait, *picturarum adoratores.* —— Et S. Gregor. *l.* 9. *Ep.* 105. & *l.* 11. *Ep.* 13. ubi videtur imagines admittere quidem ad ignorantium inſtructionem, ſed prohibere eas coli, & adorari.

LVII. Reſpondetur ad ſingula. Ad primum. Dico, S. Irenæum arguere Carpocratem, non quod imaginem haberet Chriſti, & Pauli, ſed quod utramque coleret eo modo, quo gentes colunt idola, nimirum ſacrificiis, ut clarius explicant Epiphanius, *Hæreſ.* 27. & Auguſt. *Hæreſ.* 7. & præterea quod imaginem Chriſti, & Pauli eodem modo coleret, quo imagines Homeri, Platonis, Pythagoræ, & Ariſtotelis.

Epiphanius ſimiliter, *Hæreſ.* 79. reprehendit Collyridianos, non quod imaginem B. Virginis, & ipſam Virginem honorarent, ſed quod eam haberent pro dea, eique ſacrificium offerrent.

Ambroſius autem citatis verbis vult, Crucem Helenam non adoraſſe propter ſe, ſed propter Chriſtum qui in ea pependit. Nam in cruce non adoramus lignum, ſed crucem honoramus, quia vel Chriſti fuit, vel Chriſtum repræſentat. Unde ibidem, ait: *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite regum levavit, & collocavit, ut Crux Domini in Regibus adoretur.*

Hieronymus autem intendit ſolum, cultores Dei imagines adorare non debere, tamquam Deos, eo modo quo tres pueri ſtatuam divinis honoribus Babylone colere recuſarunt.

Ad locum S. Auguſtini reſponſum eſt ſupra, dum ageretur de Reliquiis Sanctorum, nempe, eum reprehendere non cultum imaginum, ſed abuſum cultus, qui forte irrepſerat, dum aliqui eas ſuperſtitioſe more gentium colerent, etiam Chriſtiani, vel loqui de idolis gentium, dum ait: *Picturarum adoratores.*

S. Gregorius autem citatis locis non vetat abſolute venerari imagines, ſed eas adorare, ea nimirum adoratione, qua adoratur Deus, vel aliquid divinum. Ut enim docet S. Th. 2. 2. q. 94. art. 2. ad 1. *Neque in veteris legis tabernaculo, ſeu templo, neque etiam nunc in Eccleſia imagines inſtituuntur, ut eis cultus latriæ exhibeatur, ſed ad quandam ſignificationem; ut per hujuſmodi imagines mentibus hominum imprimatur, & confirmetur fides, de excellentia Angelorum, & Sanctorum.* Cæterum S. Gregorium voluiſſe imagines honore affici apparet ex præfatis locis, ubi improbat factum Severi Maſſilienſis, qui imagines frangi juſſerat, ut Sectarii faciunt. Unde, *lib.* 9. *Ep.* modo 52. *ad Secundum*, mittit ei imaginem Salvatoris, dicens: *Scio quidem quod imaginem Salvatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem filii Dei in ejus amore recaleſcas, cujus tu imaginem videre deſideras. Et nos quidem non quaſi ante divinitatem ante illum poſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura quaſi Scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum noſtrum, aut de reſurrectione latificat, aut de paſſione demulcet. Ideoque direximus tibi ſurtarias duas* (ideſt duo ſcuta in quibus pictæ ſunt imagines) *imaginem Dei Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli continentes.... Claves etiam pro benedictione a Sacratiſſimo Corpore Petri Apoſtolorum Principis, ut per ipſum a maligno defenſas permaneas, cujus ſigno te eſſe munitum credis &c.* Hæc Gregorius, quibus patet, eum apud imagines procumbere, ut per ipſas Deum adoremus non negare, licet nolit imagines adorari, ut Deum.

LVIII. Objiciunt quarto. Catholici magis frequentant unam imaginem, quam aliam ejuſdem rei; ad imagines precaturi accedunt; ad imagines peregrinantur, cum domi habeant pulchriores, ergo credunt aliquid diverſitatis in imaginibus eſſe, vel ſaltem aliquam virtutem, non puram repræſentationem, quæ in omnibus ejuſdem rei æqualiter reperitur.

LIX. Reſpondeo, unam imaginem magis frequentari, quam aliam ob varias cauſas. Prima. Quia Deus in una operatur miracula, in alia non: qua ratione etiam magis frequentamus precibus unum Sanctum, vel ejus ſepulchrum. Cur autem hoc Deus faciat: *Quis poteſt ejus conſilium perſcrutari* (inquit S. Auguſt. Epiſt. 78. alias 137.) *quare hæc miracula in aliis locis fiant, in aliis non fiant?* —— Secunda cauſa eſt, quia aliquæ imagines pictæ creduntur a viris Sanctis, ut Luca, Nicodemo, & aliis. Certe autem ſpecialem venerationem merentur imagines, quæ non ſolum ſanctæ ſunt propter ſignificationem, ſed etiam propter artificem, in quo genere excellebat imago Edeſſeva, quæ ab ipſo Chriſto, vel formata, vel ſaltem Miſſa Abgaro regi putabatur, de qua Evagrius, *lib.* 4. *Hiſt. c.* 27. Nec non imago S. Stephani, qui ab Angelo facta, & allata putatur ex Evodio, *lib.* 2. *de Miraculis* —— Tertia eſt quia aliquæ magis excitant ad pietatem, & recordationem rei repræſentatæ, quia magis piæ, & religioſæ.

Ad imaginem autem accedimus, non quaſi eam precaturi, ſed ut imago nobis refricet memoriam illius, quem precari volumus.

Peregrinationes tandem ad imagines, ſi quæ ſunt, propter illa tria ſupradicta aſſumuntur. Frequentiores tamen peregrinationes fieri ſolent ad loca ſancta, ut ad ſepulchrum Domini, ad limina Apoſtolorum, & Sanctum Jacobum, ad Domum Lauretanam &c.

LX. Objiciunt quinto. Imaginibus adolemus incenſum ergo eis cultum divinum tribuimus. Quare 4. *Reg.* 18. *v.* 4. cum Ezechias vidiſſet incenſum adoleri ſerpenti æneo erecto a Moyſe in ſignum, juſſit illum confringi.

Reſpondeo neg. conſ. Nam in veteri lege adolere incenſum erat quædam ſpecies ſacrificii ſoli Deo debiti, ideoque ſolis Sacerdotibus hoc licebat. Unde qui cum non eſſent Sacerdotes incenſum adolere auſi ſunt, a Deo puniti fuerunt; ut 3. *Reg.* 12. 2. *Paralip.* 26. At in nova lege pro pura cæremonia reputatur, unde nec a ſolis Sacerdotibus, nec ſoli Deo, ſed etiam ſacris miniſtris, imo & populo incenſum adoleri conſuevit. Qui tamen non adoletur imagini, ſed rei ſacræ per illam repræſentatæ.

LXI. Objiciunt ſexto. Chriſtiani operibus Gentilium communicare non debent, ait Paulus, *Epheſ.* 5. *v.* 11. Sed gentes de hoc præcipue culpabantur, quod commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, ut dicitur, *Rom.* 1. *v.* 23. ergo &c.

Reſpondeo cum S. Th. 3. p. q. 25. art. 3. ad 2. *Quod Apoſtolus prohibet operibus infructuoſis Gentilium communicare: communicare autem utilibus eorum operibus, Apoſtolus non prohibet. Adoratio autem imaginum eſt inter infructuoſa opera computanda quantum ad duo. Primo quidem quantum ad hoc, quod quidam eorum adorabant ipſas imagines, ut res quaſdam, credentes in eis eſſe aliquid numinis propter reſponſa, quæ dæmones in eis dabant, & alios hujuſmodi effectus mirabiles. Secundo propter res quarum erant imagines: ſtatuebant enim hujuſmodi imagines aliquibus creaturis, quas in eis veneratione latriæ venerabantur. Nos autem adoramus adoratione latriæ imaginem Chriſti, qui eſt verus Deus, non propter ipſam imaginem, ſed propter rem, cujus imago eſt, ſicut dictum eſt.* Quod dicendum eſt de imaginibus etiam B. V. & Sanctorum, quas veneramur cultu ſibi proprio, non propter ipſas imagines, ſed propter res, quarum ſunt imagines, quæ aliquo cultu dignæ ſunt, non ſic autem res, quarum imagines adorabant Gentiles.

LXII. Nec nos moveat, quod cum dicat Apoſtolus, 1. Cor. 11. verſ. 23. *Quæ accepi a Domino ego tradidi vobis*, neque a Chriſto aliquid de adoratione imaginum acceperſe legatur, idcirco nec ipſe de hoc nihil Eccleſiæ tradiderit. —— Dicit enim S. Thom. ibi ad 3. *Quod Apoſtoli familiari inſtinctu Spiritus Sancti quædam Eccleſiæ tradiderunt ſervanda, quæ non reliquerunt in ſcriptis, ſed in obſervatione Eccleſiæ per ſucceſſionem fidelium. Unde ipſe Apoſtolus, dicit* 2. *ad Theſſal.* 2. State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem: *Scilicet ore prolatam*, ſive per Epiſtolam, *ſcilicet tranſmiſſam. Et inter hujuſmodi traditiones eſt imaginum Chriſti adoratio. Unde & B. Lucas dicitur depinxiſſe Chriſti imaginem quæ Romæ habetur.* Idem dico de Imaginibus B. V. & virorum Sanctorum, quæ per ſucceſſionem fidelium ab Eccleſia in honore habitæ ſunt, & habentur.

TRA-

TRACTATUS XV.

DE FINE MUNDI.



Quamvis hac de re altum silentium in Scholis faciant Recentiores Theologi, eam tamen præterire non censeo tum ad studiosi Lectoris eruditionem, tum ut in hoc Angelici mei Præceptoris vestigia premam, qui in quarto sentent. *a dist.* 47. & *in Suppl.* 3. *part. a q.* 73. plura de hoc argumento erudite differit. Quia vero Mundi finis multa involvit, nimirum Antichristum, & alia ipsum præcedentia, universalem mortuorum resurrectionem ad æternam sive vitam, sive mortem, finale Judicium, in quo a Christo Judice omnium, & singulorum sors pronuntiabitur, ac demum mundi consummationem: ideo de singulis sermo erit.

Porro esto non possit certo sciri, quænam signa, & quo ordine præcessura sint, verosimile tamen putat inter alios Sylvius, *in art.* 1. *q.* 73. *Suppl.* 3. *q.* Quod primo omnium prædicandum est Evangelium in universo Orbe quemadmodum, Matth. 24. prædixit Christus, v. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Quæ tamen universalis prædicatio non denotat, quod post illam statim secutura sit consummatio sæculi, sed data est ut signum, quod necessario præcurrere debeat sæculi consummationem. Unde Augustin. *Ep.* 78. *modo* 197. explicans illa verba: *Tunc veniet consummatio*, sic ait: *Tunc veniet, quid est, nisi ante non veniet. Quanto ergo post veniat, incertum nobis est; ante tamen non esse venturum, dubitare utique non debemus.*

Deinde futura est universalis quædam apostasia, seu defectio a fide Christi ut prædixit Paulus, 2. *Thessal.* 2. *v.* 3. ubi monet, non instare diem Domini, *nisi venerit discessio primum* quod de discessione a fide Catholica, & ab obedientia Romano Pontifici exponit S. Thom. ibi, *Lect.* 1. eamque dicit præcessuram adventum Antichristi non sic tamen universalis erit illa discessio, quin in qualibet natione aliqui fidem, & obedientiam (licet forte pauci) sint retenturi.

Tertio in hoc pessimo defectionis statu veniet, seu revelabitur, & palam fiet Antichristus, de quo Paulus, 2. *Thess.* 2. post dicta verba: *Nisi venerit discessio primum* subdit, *& revelatus fuerit homo peccati, & filius perditionis.* Eo Christianos persequente venient Henoch, & Elias, ad quorum prædicationem sequetur Judæorum conversio.

Quarto. Sol, Luna, & Stellæ ad modicum tempus obscurabuntur, & in terris erit pressura, idest, anxietas magna hominum ex Cælestium luminarium horribili obscuratione, addita etiam confusione sonitus maris, & fluctuum: Postea igne conflagrationis mundus ardebit, & innovabitur. Inde Christus Dominus præeunte ipsum signo Crucis, veniet in clangore tubæ. Mox resurgent mortui, separabuntur ab Angelis boni a malis, fietque discussio meritorum. Tandem Christus pronuntiabit sententiam finalis Judicii, & recipiet electos in Regnum, improbi autem projicientur in gehennam.

Præfatis tamen signis adventum Domini præcedentibus indicabitur quidem appropinquare diem illam; sed tamen tempus determinatum manebit ignotum, quoadusque signum crucis palam ab omnibus conspiciatur præcedere faciem judicis, quod signum sub die extremo comprehenditur. Signa enim, quæ in Evangelio, aut Paulo leguntur, non adeo certa sunt, quin referri etiam possint ad tempus destructionis Jerusalem, & ad adventum, quo Christus Ecclesiam suam quotidie visitat. Quare ex similibus signis, quæ transactis temporibus contigerunt, collegerunt aliqui, diem mundi extremum appropinquare, huc referentes verba Christi, Lucæ 21. v. 9. *Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.* Super quæ D. Ambrosius, *in cap.* 21. *Lucæ*, ait: *Verborum Cælestium nulli magis quam nos testes sumus, quos mundi finis invenit &c.* Et infra: *Ergo quia in occasu sæculi sumus, præcedunt quædam ægritudines mundi &c.* Cum tamen ab ætate Ambrosii tredecim sæcula elapsa sint, nec mundi finis adhuc advenerit. His igitur prænotatis, ad rem deveniamus.

QUÆSTIO I.

De Antichristo.

In hac Quæstione tractanda paulo fusiores erimus, non solum ut de Antichristo, qui ultimis mundi temporibus venturus erit, notitiam tradamus; sed etiam, ut dissipemus Recentiorum hæreticorum impudentem calumniam, qui conspiratione communi, ut dicemus, contendunt, Antichristum jam venisse, & hunc esse Papam, seu Romanum Pontificem. Primo, ergo ostendemus. Quid sit nomen, & Persona Antichristi. Secundo, tempus adventus ejus. Tertio, ex qua gente nasciturus sit, quo nomine vocandus, a quibus præcipue suscipiendus, ubi sedem suam sit fixurus. Quarto, doctrinam, mores, miracula, regnum, & prælia ejus. Quinto, qui contra ipsum venturi sint, an Judæi in fine mundi convertendi. Ex quibus omnibus luce clarius constabit delirium esse hæreticorum, quod Antichristus jam venerit, & hic sit Romanus Pontifex.

DUBIUM I.

De Nomine Antichristus, *& Persona ejus.*

§. I.

Quid significet Nomen Antichristus.

I. Recentiores hæretici, ut etiam ex nomine confirment suam amentiam, nimirum Antichristum esse Romanum Pontificem, dicunt, nomen hoc *Antichristum* proprie significare Christi Vicarium, seu qui Christi vices gerere præsumit in terris: ut inde inferant, quod cum hæc Romanus Pontifex sibi vindicet, ipsi proprie nomen Antichristi conveniat. Ita Wolfangus Musculus intendens probare, quia illa vox *Anti* significat *Vice*. Unde *Antichristos* est *vice Christi*, sicut *Antistrotigos*, significat eum, qui pro duce se obtrudit, idest, qui Vicarius ducis vult haberi. Magdeburgenses etiam, *Centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *Col.* 435. dicunt, Papam verum esse Antichristum, quia se Christi Vicarium facit.

II. Sed isti ut bene notat Bellarminus, *l.* 3. *de Rom. Pont. c.* 1. aut falluntur, aut fallere conantur: nomen enim Antichristi nullo modo potest significare Christi Vicarium gerentem vices Christi, non proprio, sed ejus nomine, & auctoritate Ecclesiam gubernantem, qualem se gerit Romanus Pontifex, sed solum aliquem Christo contrarium, Christi æmulum, non quomodocumque, sed ita ut cum eo de sede, & dignitate Christi pugnet, ac velit haberi Christus dejecto eo, qui vere est Christus.

III. Porro hanc esse veram hujus nominis significationem probo primo. Quia apud Græcos illa vox *Anti* proprie significat oppositionem: Et quoniam opponi dicuntur non solum ea, quæ inter se pugnant, sed ea quoque quæ æqualia, vel æquipollentia sunt, inde factum est ut vox *Anti* in compositione interdum significet contrarietatem, interdum æquivalentiam, nunquam tamen subordinationem, aut dependentiam. Sic nomen *Antipalos* significat æmulum in lucta, *Antidoton*, contrarium remedium, *Antiphrasis* contrariam locutionem, *Antistrophos*, æquivalentes, *Antitheos*, æqualem Deo, & pollex dicitur *Antichir*, quia e regione opponitur, & toti reliquæ manui equivalet. Vicarius autem nec significat contrarietatem, neque æqualitatem, aut æquivalentiam, sed subordinationem ad aliud, ideoque per vocem *Anti* nequit significari. Nomen autem *Antistrotigos* non significat Vicarium Ducis, ut putat Musculus, sed ordinarie contrarium Ducem, sicut verbum *Antistratevome* est idem ac *bellum infero*. Sed quidquid sit de significatione vocis *Anti* in genere sumptæ.

IV. Probo secundo. Nomen Antichristus, ut in Scripturis usurpatur, significare, qui est contrarius, & æmulus Christi, ac vult se extollere supra Christum. Sic enim describitur a Paulo 2. ad Thessal. 2. v. 4. *Qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* Matth. 24. v. 5. Qui affirmat: *Ego sum Christus.* 1. Joan. 2. v. 22. *Qui negat, quoniam Jesus est Christus, Hic est Antichristus.* Et Daniel. 11. v. 36. *Magnificabitur adversus omnem Deum, & adversus Deum deorum loquetur magnifica.* Rogo igitur Adversarios. An iste Antichristus qualem scriptura describit, erit Vicarius Christi, & Dei, vel potius Dei æmulus, & Dei adversarius? Vere itaque nomine Antichristi Pseudo Christum intelligunt omnes Patres, ex veteribus Græcis Damascenus, *lib.* 4. *Fidei Ort. cap.* 28. Et ex Latinis Hieronymus græcæ linguæ peritissimus, *q.* 11. *Ad Algasiam.* Et quod pluris est Henricus Stephanus ex hæreticis Genevensibus unus in suo Thesauro linguæ græcæ ita vocem Antichristus exponit.

V. Probo tertio. Si Antichristus esset Christi Vicarius, vel Christi vices gerens, primus Antichristus fuisset S. Petrus a Christo constitutus. Tum, *Matth.* 16. *vers.* 18. Cum ei dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.... Et tibi dabo claves &c.* Tum, *Joann.* 21. *versicul.* 15. ubi ei dixit: *Pasce agnos meos.* Et versic. 17. *Pasce oves meas.* His enim verbis vices suas solvendi, & pascendi Petro commisit Christus. Fuissent quoque Antichristi

tichristi priorum sæculorum Romani Episcopi Petri successores in Vicegerentia pro Christo : quod tamen Calvinus non admittit. Nam *lib.* 4. *Inst. cap.* 7. §. 24. ait: *Fuerit sane olim Roma omnium Ecclesiarum mater. Verum ex quo Antichristi sedes fieri cœpit, desiit esse id quod erat.* Cum tamen Roma nunquam fuerit omnium Ecclesiarum mater, nisi quia Episcopus Petri successor ei præsidebat.

VI. Ex his formatur primum argumentum, quod Romanus Pontifex non sit Antichristus. Si enim nomen Antichristus significat hostem, & æmulum Christi, & Romanus Pontifex se Christi æmulum, & Christo subjectum in omnibus fateatur, nec ullo modo se Christum esse dicat, neque illi se parem faciat, manifestum est, eum non esse Antichristum.

§. II.

An Antichristus certus quidam homo futurus sit?

VII. CErtum est, & in hoc etiam hæretici conveniunt, quod sicut nomen Christi potest accipi dupliciter, interdum pro eximio, & singulari Christo, nempe, Jesu Nazareno, qui est unctus unctione divinitatis in persona; Interdum etiam magis late pro iis omnibus, qui similitudinem habent cum Christo quantum ad unctionem, quomodo Prophetæ, Reges, & Sacerdotes omnes vocantur Christi. Unde, 2. *Reg.* 1. *vers.* 16. ille qui occidit Saul dixit, ego interfeci Christum Domini. Et 1. *Paral.* 16. *v.* 22. dicitur nolite tangere Christos meos, quod repetitur *in Psalm.* 204. *vers.* 15. Ita etiam nomen Antichristi interdum accipi proprie pro quodam eximio Christi hoste, de quo Paulus, 2. *Thessal.* 2. *v.* 3. Interdum vero communiter pro omnibus, qui quoquo modo Christum oppugnant. Quo sensu Joannes, *Ep.* 1. *c.* 2. *v.* 18. dicit: *Audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt*, idest, Antichristus jam venit, non in persona, sed in suis præcursoribus, hæreticis, & aliis Christi hostibus. At dissentiunt a Catholicis Novatores, quod negant Antichristum proprie dictum esse, seu fore hominum singularem, volentes, illum esse regnum quoddam tyrannicum, seu integrum aliquem thronum, vel sedem apostaticam eorum, qui Ecclesiæ præsident, & hoc ut nomen Antichristi Papæ, & Episcopis ei obedientibus melius accomodent. Nihilominus.

VIII. Dico. Antichristus erit quidam singularis homo, qui Christo se opponet. Hæc fuit omnium sæculorum traditio, omnium Patrum, & Ecclesiarum consensio: adeo ut portentum visum fuerit excogitatum a Sectariis commentum. Probatur ergo primo ex ipso Christo, qui exprobrans Judæis, quod nollent eum pro vero Messia accipere, *Joan.* 5. *v.* 43. ait: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Ubi Christus cum sibi apponat *Alium*, & ipse fuerit persona singularis, quis non videat, alium quoque singularem hominem sibi opposuisse, nempe, personam personæ, non regnum regno, aut sectam sectæ? Id enim voces illæ, *Ego*, *Alius*, *In nomine Patris mei*, *in nomine suo*, tam aperte demonstrant, ut stultus omnino sit, qui velut quasi manibus ostensum alium singularem hominem non intelligat. Ita intellexerunt Irenæus, *l.* 1. *c.* 2. *v.* 25. Chrysostomus, Cyrillus in hunc locum. Augustin. *Tract.* 29. *in Joan.* Hieronymus, *Epist. ad Algasiam*, & Damascenus, *lib.* 4. *Fidei*, *cap.* 25. cum aliis communiter. Et merito. Nam Christus hic dicit, Antichristum a Judæis pro Messia recipiendum: constat autem, Judæos unum certum, ac singularem hominem pro Messia expectare. Rursus Christus indicat hominem, qui venturus sit in nomine, non alterius, sed suo, omnes autem falsi prophetæ, qui venerunt, in nomine alterius venerunt, non suo. Solus autem Antichristus qui ut dicetur ex Paulo extolletur supra omne quod dicitur Deus, veniet in nomine suo.

IX. Secundo, idem probo ex Paulo, 2. *ad Thessal.* 2. *v.* 3. ubi postquam dixerat: *Et cum revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus &c.* subjungit. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Quibus Paulum de Antichristo loqui, nec Sectarii negare, puto, audebunt. Loqui autem eum non de homine generaliter, sed de uno, & singulari homine, ostendo. Nam ut observat Epiphanius, *Hæres.* 9. Græce articulus contrahit significationem nominis ad unam certam personam, seu rem: in græco autem præponuntur articuli *o Antropos*, hoc est ille homo, *o Jos*, idest, ille filius. Unde Vatablus locum Pauli ex Græco ita reddit: *Et revelatus fuerit homo ille sceleratus*, quæ versio concordat cum sequentibus Pauli verbis etiam juxta vulgatam: *Et tunc revelabitur ille iniquus.* Quæso igitur, qua fronte hæc verba: *Ille homo peccati, ille filius perditionis, ille homo iniquus*, dici poterit quod demonstrent unum regnum, unam sectam, non vero unam certam personam? Eo vel magis quia subjungit Paulus de illo homine iniquo: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Inepta esset locutio, ut totum regnum, aut Monarchiam occidi, ac interfici diceretur.

X. Tertio. Probo ex Patribus, qui communi consensu docent primo, Antichristum fore instrumentum diaboli selectissimum, in quo omnis diaboli malitia inhabitatura sit corporaliter, sicut in homine Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Chrysost. *Homil.* 3. *in* 2. *ad Thessal.* de Antichristo: *Quis* vero (inquit) *is est? An Satanas? nequaquam. Sed homo quispiam omnem satanæ energiam adeptus. Est enim homo, qui extolletur super omnem, qui dicitur Deus, aut numen.* Hieronymus in cap. 7. Danielis: *Ne eum putemus juxta quorumdam opinionem, vel diabolum esse, vel dæmonem, sed unum de hominibus, in quo totus satanas habitaturus sit corporaliter.* Secundo. *Ex Daniele, cap.* 7. & *Apocal. cap.* 12. & 13. docent Patres regnum Antichristi non duraturum, nisi menses quadraginta duos, seu dies milles ducentos, quod est tres annos cum dimidio. Hoc certe de uno homine intelligi debet, non de aliquo regno, seu monarchia, præsertim Romani Pontificis, quæ a Christo usque ad nostra tempora feliciter juxta Christi promissum durat, & usque ad consummationem sæculi continuabit. De hoc videantur Irenæus, *lib.* 5. circa finem, Cyrillus Hierosol. *Cateches.* Theodoretus, *in cap.* 7. *Danielis*, Ambrosius *in cap.* 21. *Luc.* Augustinus, *lib.* 20. *de Civit. Dei* per multa capita, & *in Psalm.* 9. Gregorius, *lib.* 32. *Moral. cap.* 12. Damascenus, *lib.* 4. *fidei Orth. cap.* 28. *&c.*

XI. Sed audiamus, quid Novatores dicant. Beza cum Calvino volunt, tempore Pauli jam cœpisse in mundo versari Antichristum, quod ex 2. *Thessal.* 2. probare nituntur, ubi Paulus de Antichristo, dicit, vers. 7. *Mysterium jam operatur iniquitatis*, & tamen ibidem subdit eum a Christo in fine mundi interficiendum. Joannes item Epist. 1. cap. 4. *Omnis* (inquit) *spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus; de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.* Cum ergo unus singularis homo non possit vivere a tempore Apostolorum usque ad finem mundi, Antichristus non erit persona, vel homo singularis, sed secta, aut monarchia Christo contraria.

XII. Respondeo, nec Paulum, nec Joannem velle suo tempore Antichristum jam venisse, & cœpisse operari publice mysterium iniquitatis in persona, & per seipsum, sed occulte grassari cœpisse in suis præcursoribus, qui eo tempore mysterium iniquitatis a persona Antichristi in fine mundi complendum, cœperant operari, & ideo Joannes in ea *Epist. cap.* 2. *v.* 18. ait: *Et nunc Antichristi multi facti sunt.* Sicut enim Christus venire cœpit ab origine mundi in Patriarchis, & Prophetis, qui eum præcurrebant, & præfigurabant, ut possit dici, eum ab initio cœpisse operari mysterium pietatis: & tamen in sua propria persona non venit, nisi quando ex Maria Virgine carnem sumpsit. Ita Antichristus, Christo jam in Cælum assumpto, venire cœpit, & operari mysterium iniquitatis in suis præcursoribus Christi hostibus, ut in Simone Mago, qui se Christum dicebat, in Barchosba, qui se Messiam venditabat, in Nerone, qui Christum primus persecuturus fuit, & in aliis successivis temporibus contra Christum stantibus, sive Paganis, sive Hæreticis, cum tamen ipse in persona propria, nisi circa finem mundi venturus sit. Ita omnes interpretes exponunt: Dum ergo Joannes dicit, quod Antichristus jam venit, in eodem sensu loquitur, quo Christus, *Matth.* 17. *v.* 11. & 12. loquitur de Elia: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quod Elias jam venit, & non cognoverunt eum*: idest, Elias venturus in sua persona, sed jam venit in suo simili, id est, in Joanne Baptista.

XIII. Dicunt secundo. *Daniel, c.* 7. singularibus nominibus bestiarum Leænæ, Ursi, Pardi, & alterius innominatæ ferocioris non intelligit personas singulares regum, sed regna, quorum unumquodque plures reges continet: igitur eodem modo Paulus, 1. *Thessal.* 2. qui mire cum Daniele consentit, per hominem peccati, & filium perditionis, non intelligit unum singularem hominem, sed quodam quasi corpus multorum tyrannorum. Ita Beza, *in* 2. *Thessal.* 2.

Confirmari hoc potest ex Calvino, *in c.* 2. 1. *Joan.* ubi ait, errare eos, qui unum certum hominem futurum credunt Antichristum, cum Paulus, 2. *Thessal.* 2. doceat, apostasiam venturam, & ejus caput Antichristum futurum. Apostasia autem est generalis quædam defectio a fide, quæ facit unum corpus, & unum regnum, neque res est paucorum annorum, quæ sub uno rege compleri possit.

XIV. Respondeo, neg. ant. ut enim exponit S. Hieronymus, Quatuor illæ bestiæ indicarunt quatuor Monarchas quatuor Regnorum conditores. Leæna Nabuchodonosorem Regni Chaldaici institutorem. Ursus Cyrum primum Regni Persarum Monarcham. Pardus Alexandrum Magnum Monarchiæ Græcorum fundatorem. Quarta bestia innominata sed ferocior Julium Cæsarem, a quo Romanum cœpit Imperium. In hisce tamen quatuor bestiis, seu regibus, seu imperiis Antichristus non figuratur. Antichristus ergo adumbratur in illo parvo cornu enato ex decem cornibus quartæ bestiæ: ait enim Daniel, v. 8. *Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus: Et ecce oculi quasi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Quibus apparet, Antichristum unum certum hominem futurum, quod apertius indicant sequentia, *v.* 20. ubi Daniel prosequitur: *Et de cornibus decem, quæ habebat in capite* (bestia quarta) *& de*

& de alio, quod ortum fuerat, ante quod occiderant tria cornua, & de cornu illo, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & majus erat cæteris. Aſpiciebam & ecce cornu illud faciebat bellum adverſus Sanctos, & prævalebat eis . . . Et ſermones contra Excelſum loquetur, & Sanctos Altiſſimi conteret, & putabit, quod poſſit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et judicium ſedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat uſque in finem. Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſuper omne Cælum detur populo Sanctorum Altiſſimi, cujus regnum ſempiternum eſt. Hiſce verbis deſcribit Daniel in illo cornu parvo ex cornibus quartæ beſtiæ nato, & habente oculos, & os hominis ortum Antichriſti tamquam ſingulari hominis, & quidem ex vili genere, ejus deinde elationem ſuper alios Reges, perſecutionem in ſanctos, tempus, quo ejus tyrannica dominatio durabit, interitu, deinde univerſale judicium, tandem æternum Sanctorum Regnum.

XV. Ad confirmat. Dico, ſponte errare, ac delirare Calvinum, non nos, qui Patrum traditione innixi Antichriſtum certum hominem fore agnoſcimus. Neque nos movet quod dicit de apoſtaſia. Nam Paulus, vel loquitur de apoſtaſia citata per ipſum Antichriſtum, & duratura eo breviſſimo tempore, quo ipſe regnabit, vel de apoſtaſia illa ultima, quæ ad ejus adventum ultimo diſponet, & ex qua ille erumpet. Sed demus Paulum loqui de apoſtaſia, quæ aliquot ſæculis in variis regionibus præceſſura ſit Antichriſti adventum: Unde probabit Calvinus, Papam eſſe Antichriſtum, & non potius Lutherum, alioſque præcedentes hæreticos? Quinam enim a vera fide & religione Chriſti defecerunt; Romani Pontifices, & Catholici, qui in Eccleſia, in quo ipſi, & patres eorum nati ſunt, perſeverant, an Lutherani, & Calvinus ipſe, qui ab Eccleſia, in qua prius erant, & in qua per tot ſæcula majores eorum fuerant, defecerunt?

Poſito ergo, quod Antichriſtum futurum ſit unus ac ſingularis homo, non ſucceſſio plurium, habemus alterum evidens argumentum, quod Romani Pontifices, qui per ſucceſſionem multi fuerunt, & erunt, non ſint Antichriſtus. Sed hoc in ſequentibus magis apparebit.

DUBIUM II.

An Antichriſtus venerit?

§. I.

Opiniones, & errores.

I. QUamvis circa tempus adventus Antichriſti, tam Catholici, quam Hæretici varie ſuſpicati ſint, hoc tamen diſcrimen inter utroſque eſt. Quod Catholici in hac veritate ſemper convenerunt, quod Atichriſtus niſi in fine ſæculorum ſit venturus, erraverunt tamen aliqui, quod putaverunt, finem mundi propinquiorem eſſe, quam revera eſſet. Hæretici tamen in eo errant, quod exiſtimant, Antichriſtum diu ante finem mundi venturum, imo de facto jam veniſſe. Modo de primis.

II. Veteres a tempore Apoſtolorum videntes ſuorum temporum malitiam, adventum Antichriſti, & finem mundi imminere ſuſpicari cæperunt. Ita Theſſalonicenſes, quos putantes inſtare diem Domini corrigit Paulus. 2. *Theſſal.* 2. Item Sanctus Cyprianus, *lib.* 3. *Epiſt.* 1. (modo Epiſt. 28.) *Imminente* (inquit) *Antichriſto paret ad prælium milites &c.* Et lib. 4. Epiſt. 6. modo Epiſt. 56. *Scire debetis, & pro certo credere, ac venere, preſſura diem ſuper caput eſſe capiſſe: & occaſum ſæculi, atque Antichriſti tempus appropinquaſſe.* Etiam S. Hieron. Epiſt. ad Ageruchium de Monogamia: *Qui tenebat, de medio ſit: & non intelligimus, Antichriſtum appropinquare?* Gregorius autem, *lib.* 4. *Epiſt.* 38. & *Homil.* 4. *in Evangelia* pronuntiat finem mundi inſtare. Hi tamen Patres certum tempus definire auſi non ſunt.

III. Alii vero audacius tempus certum conſtituerunt. Judas quidam, ut refert Hieronymus, *lib. de viris illuſtribus, anno Chriſti* 200. putavit, Antichriſtum mox eſſe venturum, & mundum finiendum, Lactantius, *lib.* 7. *divin. Inſt. cap.* 25. ait: *Omnis expectatio non amplius, quam ducentorum videtur annorum &c.* Ipſe autem vixit temporibus Conſtantini, *anno* 300. quare, *anno* 500. a Chriſto nato fore mundi finem exiſtimavit.

IV. Aliorum errorem refert S. Auguſt. *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 53. qui dicebant, *anno* 400. ab Aſcenſione Domini in Cælum mundum finiendum, & religionem Chriſtianam ſolis *annis* 365. duraturam. Epiſcopus quidam Florentinus, ut refert Platina in vita Paſchalis II. circa, *annum* 1105. aſſeruit, Antichriſtum tunc natum eſſe, ac proinde mundi finem inſtare. Qua de cauſa a Paſchali II. Concilium 340. Epiſcoporum Florentiæ coactum fuit.

V. Fuit etiam opinio celebris multorum, mundum ſex millibus annorum duraturum, cum ſex diebus Deus mundum creaverit, & mille anni ſint apud Deum quaſi dies una, juxta illud Pſ. 89. v. 4. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies heſterna, quæ præteriit.* Quam opinionem ſecuti ſunt S. Juſtinus Martyr, *quæſt.* 78. *ad Gentes*, S. Irenæus, *lib.* 5. *c.* 28. Lactantius, *lib.* 7. *cap.* 14. *& cap.* 25. Hilarius in *cap.* 17. *Matth.* & in hac Hebræi conveniunt in ſuo Thalmud. — S. Auguſtinus etiam licet, *in Pſ.* 89. diſſentire videatur, tamen, *lib.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 7. eam tolerabilem putat, dummodo certus dies, vel annus in millenario non deſignetur, cum a Domino dictum legatur, Act. 1. v. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quæ opinio etiam hac ætate cum hac moderatione non improbabilis eſt, eo vel magis, quia cum nec certo ſcire poſſimus quot anni fluxerint ab orbe condito, ut ex ſupputationum varietate apparet, multo minus certo ſcire poterimus, quot anni ſuperſint uſque ad finem mundi.

VI. Hæretici autem noſtri temporis, cum omnes dicant Antichriſtum eſſe Romanum Pontificem, jamque apparuiſſe, & in mundo verſari, inter ſe tamen non concordant de tempore quo apparuerit, ſex enim eorum opiniones recenſet, & refutat Bellarminus de Rom. Pont. *lib.* 3. *c.* 3.

Prima eſt eorum, qui in Hungaria, & tranſilvania hæreſim Pauli Samoſateni, Chriſtum nimirum fuiſſe purum hominem, excitarunt. Hi enim in quodam libello inſcripto: *Prænotiones Chriſti, & Apoſtolorum de abolendo vero Chriſto per Antichriſtum*, dicunt, paulo poſt mortem Apoſtolorum veniſſe Antichriſtum Romanum Pontificem, qui abolito vero Chriſto puro homine ab Apoſtolis prædicato, invexit alium Chriſtum æternum, eumque fecit Deum. — Sed quis non videt horum inſaniam? Nam Antichriſtus, ut ait Paulus 2. *Theſſ.* 2. ſeipſum faciet Deum, non alium. Quomodo ergo Romanus Pontifex, qui non ſeipſum fecit Deum, ſed Chriſtum, erit Antichriſtus?

VII. Secunda eſt Illyrici inter alia dicentis, Romanum Pontificem cepiſſe eſſe Antichriſtum, quando gladium temporalem aſſumpſit, & in hoc regnaturum, annis 666. — Sed ſi hoc verum eſſet, Antichriſtus jam ceſſaſſet. Nam temporale dominium habere cæpit, vel anno 699. quo Aripertus Romano Pontifici donavit Alpes Coctias, ubi nunc Genua eſt, quam donationem confirmavit, anno 714. Luitprandus, eique deinde Pippinus donavit Exarcatum Ravennæ cum magna Italiæ parte. Quod ut vult Illyricus, regnum hoc tempore ſolis 666. annis erat duraturum, ſequetur, quod regnum hoc ceſſaverit vel anno Chriſti 1365. vel ad ſummum anno 1421. Quod cum falſum ſit, adhuc enim temporali dominio Pontifex Romanus potitur, falſum quoque ſit Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum.

VIII. Tertia eſt Davidis Chytrei, *in cap.* 9. *Apocal.* ubi convenit quidem cum Illyrico, Antichriſtum apparuiſſe circa annum Domini 600. & S. Gregorium fuiſſe primum Pontificem Antichriſtianam, diſſentit tamen quantum ad tempus durationi Antichriſti: ſed docet, id non eſſe temere definiendum. Antichriſtum porro veniſſe in Gregorio probat primo. Quia ipſe ſtabilivit invocationem Sanctorum, & Miſſas pro defunctis. Secundo. Quia anno 606. Papa Romanus Bonifacius III. impetravit a Phoca titulum Epiſcopi univerſalis. Tertio. Quia hoc tempus plane congruit cum numero nominis Antichriſti 666. ut, *in Apocal. cap.* 13. habetur. — Addit ex hoc numero 666. colligi tempus, quo Antichriſti regnum a Pippino Rege confirmatum fuit. Nam tot fere anni ſunt ab anno 97. quo Jo: Apocalypſim ſcripſit uſque ad Pippinum, & ſimiliter tempus, quo Papa Romanus primo delectus, & declaratus fuit Antichriſtus a Joanne Huſſ: ſunt enim ferre 666. a Pippino ad Joannem Huſſ.

IX. Sed hæc putidiſſima mendacia ſunt: Primum quidem. Nam, ut ſuis locis oſtenſum eſt; multo ante Gregorium I. Sancti invocabantur, & pro defunctis Sacrificium offerebatur. Secundum etiam. Quia nec Phocas titulum *Univerſalis* Papæ tribuit, ſed eum caput Eccleſiarum appellavit. Nec fuit primus, qui eum hoc titulo donarit, cum ante Juſtinianus Imperator & Concil. Chalcedonenſe *in Epiſt. ad Leonem Papam Romanum* hoc titulo appellarint. Nec tertium ſubſiſtit. Nam ab anno Apocalypſis conſcriptæ ad Pippinum ſunt anni 658. non 666. a Pippino ad Joannem Huſſ, ſunt anni 640. Certe autem Joannes in Apocalypſi certum numerum deſignavit. Ubi etiam aliud mendacium profert Chytreus. Nam nec Joannes Huſſ fuit primus qui Papam vocavit Antichriſtum, ſed antea id fecerat Wicleffus. Imo nec Huſſ Papam hoc nomine umquam vocavit, ſed ſolum, ut apparet in *art.* 19. in Concil. Conſtantienſi damnato dicit Clericos per avaritiam ſuam parare viam Antichriſto. Demum hoc eſſet Luthero invidiam concitare, quem ejus diſcipuli gloriantur fuiſſe primum, qui Antichriſtum detexit.

X. Quarta eſt Lutheri, qui ſupput. temporum duos Antichriſti adventus ponit: unum cum gladio ſpirituali poſt annum 600. ponens Gregorium ultimum Pontificem Romanum fuiſſe. Alterum cum gladio temporali poſt annum Domini milleſimum, tunc enim Gregorius VII. depoſuit Henricum IV. Imperatorem, temporaliter dominabatur, & bella gerebat.

XI. Sed quis non irrideat Lutherum, qui, ut effugiat unum, ac verum Antichriſti adventum, duos ejuſdem adventus confingit? Sic ergo dico. Si primo in Romano Pontifice Antichriſtus venit, quando cum gladio ſpirituali apparuit, cum Romanus Pontifex a Chriſto in Petro hunc gladium acceperit, non ab anno 600. ſed a ſui prima inſtitutione Petrus, aliique ejus ſucceſſores Antichriſti fuerunt facti a Chriſto, qui eis gladium ſpiritualem contulit. Nec

etiam ſecundus Antichriſti adventus cum gladio temporali congruit cum anno milleſimo. Nam ipſis Magdeburgenſibus teſtibus, *Cent.* 8. *cap.* 10. Stephanus III. circa annum 750. bellum geſſit. Quod & Leo IV. vir Sanctus geſſit contra Saracenos inſigni victoria reportata, nec non Romanam Urbem turribus, ac propugnaculis munivit.

XII. Quinta opinio eſt Bullingeri *in præfat. ad Homilias ſuas in Apoc.* dicentis, Antichriſtum veniſſe anno 763. vult enim, numero nominis beſtiæ 666. quo deſignatur a Joanne *Apoc.* 13. Antichriſtus, indicari tempus adventus ejus poſt Apocalypſim ſcriptam. Cumque ab anno 97. quo Apocalypſis ſcripta fuit ad annum 763. fluxerint anno 666. idcirco eo anno Antichriſtus venit. Huc referunt aliqui quorumdam opinionem volentium Antichriſtum proprie dictum fuiſſe Mahumetum, quia venit circa annum 666. ut Joannes prædixerat.

XIII. Sed neutra opinio ſubſiſtit. Non opinio Bullingeri. Nam anno 763. nulla mutatio facta legitur in Romanis Pontificibus. Nec ſecunda aliorum. Quia Mahumetus non venit circa annum 666. Nam natus eſt anno 597. Cæpit ſe Prophetam dicere anno 623. deinde abiit anno 637. Itaque ad annum 666. non pervenit. Cæterum omnes præfatas opiniones falſas eſſe evinco. Nam Joannes Evangeliſta, *Apoc.* 13. ſeipſum explicans dicit, illum numerum non eſſe numerum temporis, ſed numerum nominis Antichriſti, ideſt, Antichriſtum habiturum nomen, cujus litteræ græcæ efficient numerum 666. ut Irenæus, *lib.* 5. & omnes alii exponunt.

XIV. Sexta tandem eſt opinio Wolfangi Muſculi, volentis Antichriſtum veniſſe paulo poſt tempora S. Bernardi circa ann. 1209. Quia, S. Bernardus, *Serm. in Pſ.* 90. Enumeratis multis vitiis, quæ hominibus dominabantur, & graviſſimis Eccleſiæ perſecutionibus, concludit: *Supereſt, ut reveletur homo peccati.* —— Sed hæc opinio ſtatim corruit. Nam Bernardus ex malis quæ videbat ſuſpicabatur, Antichriſtum prope eſſe, in qua ſuſpicione ante ipſum fuerunt Cyprianus, Hieronymus, Gregorius, & alii, quæ tamen ſuſpicio falſa fuit. Cui addo, quod ab anno 909. ad milleſimum fuere Pontifices ſine comparatione ulla pejores, quam ab anno 1100. ad 1200. Si ergo illi non fuerunt Antichriſti, quare iſti?

§. II.

Veritas Catholica.

XV. DIco. Antichriſtum nondum in perſona venit, aut regnat, ſed venturus, & regnaturus eſt circa finem mundi, qui quantum modo abſit nullo modo ſciri poteſt. Id probat confuſa varietas, qua huc illuc circumferuntur illi, qui contendunt Antichriſtum jam veniſſe, cum ex dictis vix duos invenire ſit, qui conveniant in aſſignando tempore, quo venerit, nec difficultates, quæ ipſis objiciunt, ſolvere poſſint.

XVI. Probo ergo primo ſic. Primum ſignum quod antecedit Antichriſti adventum ex Scriptura, eſt prædicandum eſſe Evangelium in univerſum orbem antequam veniat ultima perſecutio. Ita Chriſtus prænuntiavit Matth. 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.* Quæ verba intelligenda eſſe non per ſinecdochen ſumendo majorem partem orbis pro toto orbe, ſed proprie, ſimpliciter, ita ut nulla pars orbis ſit, nulla gens, cui prædicatum non fuerit Evangelium, & in qua Eccleſiæ Chriſti non ſint, antequam veniat conſummatio, ſentiunt Patres, inter quos Origenes, Hieronymus, *in c.* 24. *Matthæi*, Auguſtinus, *lib.* 20. *de Civ. Dei*, *cap.* 8. & 19. Et *Epiſt.* 80. modo 199. *ad Heſulium* cum aliis. Et ratio eſt, quia Chriſtus ait, prædicationem Evangelii in univerſo orbe fore talem, ut ſit ſignum conſummationis ſæculi: At ſi non proprie, ſed per ſinechedochen intelligeretur prædicatio in univerſo orbe, nihil valeret illud ſignum. Nam hoc modo prædicatum fuit in toto mundo primis viginti annis ab Apoſtolis, & ſuccedentibus ſæculis in aliis orbis partibus eſt prædicatum: & tamen nondum venit conſummatio; ergo debet accipi pro prædicatione in toto orbe ſtricte ſumpto quæ ſit ſignum proximi adventus Antichriſti, & finis mundi.

XVII. Secundo ſignum erit totalis Romanis Imperii, & Romani nominis abolitio. Hoc indicavit *Daniel*, *c.* 7. cum dixit, ex quarta beſtia (in qua Romanum Imperium adumbravit) proditura decem cornua, quæ decem ultimos reges ſignificant, qui orientur quidem ex Romano Imperio, ſed non erunt Romani Imperatores, ſicut cornua ipſa oriuntur ex beſtia, ſed beſtia ipſa non ſunt. Obſervavit deinde Daniel, de medio iſtorum cornuum ortum eſſe aliud cornu parvum habens os & oculos, quaſi hominis, & iſtud tribus cornibus e capite beſtiæ evulſis feciſſe bellum adverſus Sanctos: in hoc autem figuratum fuiſſe Antichriſtum ſuperius expendimus.

Antichriſtum vero non venturum, niſi Romano Imperio prorſus extincto, teſtantur Tertullianus in Apologetico, *cap.* 32. dicens, Chriſtianos orare pro diuturnitate Romani Imperii; quod ſciant, illo everſo, imminere orbi ſummam calamitatem, Lactantius item explicans ea, quæ præcedent Antichriſtum, & mundi finem, lib. 5. cap. 15. Inſt. *Romanum* (inquit) *nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, ſed dicam, quia futurum eſt) tolletur de terra, & imperium in Aſiam revertetur, ac rurſum Oriens dominabitur, atque Occidens ſerviet.* Et Hieronymus, q. 11. ad Algaſiam exponens Pauli locum 2. Theſſal. 2. v. 6. *Et nunc quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore .... tantum, ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus &c.* Ita loquitur: *Niſi venerit diſceſſio primum, ut omnes gentes, quæ Romano ſubjacent Imperio, recedant ab eis, & niſi fuerit Romanum Imperium antea deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet: tantum ut Romanum Imperium, quod nunc univerſas gentes tenet, recedat, & e medio fiat, & tunc Antichriſtus veniet.* His conſentit Auguſtinus; *lib.* 20. *de Civ. Dei*, *cap.* 19. Eumdem Pauli textum ſic exponens: *Tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, ideſt, de medio tollatur, & tunc revelabitur ille iniquus, quem ſignificare Antichriſtum nullus ambigit.*

XVIII. Ex his ita diſcurro. Antichriſtus non veniet, niſi Romano Imperio de medio ſublato: atqui Romanorum Imperium nondum eſt de medio ſublatum, ſed mirabili providentia Dei adhuc conſervatur, quando enim defecit in Occidente, manſit incolume in Oriente, & quia in Oriente deſtruendum erat per Turcas, ut nunc factum videmus, iterum translatum eſt in Occidentem per Carolum Magnum, quod imperium adhuc durat, & licet Imperatores a multis ſæculis Romæ dominio caruerint, adhuc tamen Romani Imperatores dicuntur, & ſunt, quia Imperatoribus Romanis in dignitate, & poteſtate ſuccedunt.

XIX. Scio, Lutherum, alioſque ſui ſimiles ex hoc probare Papam eſſe Antichriſtum. Nam cum, *Apoc.* 13. legatur, beſtiam, quæ Romanum Imperium ſignificabat vulnerandam ad mortem, & ab Antichriſto iterum ſanandam, ex hoc quod Imperium occidentale, quod jam fere extinctum erat, Papa in Carolo Magno reſtituit, arguunt Papam Romanum vere eſſe Antichriſtum.

Sed turpiter hallucinantur. Nam in primis Joannes non dicit, beſtiam, ſed unum ex ſeptem capitibus beſtiæ vulnerandum quaſi ad mortem, & per draconem, figuram diaboli, plagam mortis ejus ſanatam. Quo in capite vulnerato veteres fere omnes intelligunt Antichriſtum, qui finget ſe mortuum, & iterum a morte excitatum, ut in hoc imitetur veram Chriſti mortem, ac reſurrectionem —— Deinde de capite illo beſtiæ vulnerato, ac ſanato dicit Joannes, quod poteſtatem habuit ſolis menſibus quadraginta duobus, quod aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, & eos qui in Cælo habitant, quod datum eſt ei bellum facere cum Sanctis, quod ſeduxit omnes habitantes in terra &c. quæ certe Carolo Magno aptari nequeunt, qui diu regnavit, qui piiſſimus fuit, ac Deum, & Sanctos coluit.

XX. Tertium ſignum eſt Apoſtaſia, ſeu diſceſſio generalis a Romana Eccleſia, quam indicavit Paulus, 2. *Theſſ.* 2. *v.* 3. ubi dicit, hominem peccati non fore revelandum: *Niſi venerit diſceſſio primum.* Hæc autem diſceſſio licet inchoati jam dudum fuerit, cum non pauca regna tam Orientis, quam Occidentis ab obedientia Romani Pontificis defecerint, cum tamen non omnia, ſed multa ſub ejus obedientia perſeverent, nondum conſummata eſt.

XXI. Quartum ſignum eſt, Quia Antichriſti tempore venient Henoch, & Elias, ut illi ſua ſe prædicatione opponant. Sed de hoc infra.

XXII. Quintum ſignum eſt. Quod Antichriſti perſecutio erit omnium graviſſima, ita ut publica chriſtianæ Religionis exercitia, & inter ea juge ſacrificium tollenda ſint. Ita de illa ſcribit Auguſt. *lib.* 20. *de Civit. Dei*, *cap.* 8. & 9. De hac locutus fuit Chriſtus, *Matth.* 24. ubi interrogatus, v. 3. *Quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi?* Poſt multa mala, quæ progreſſu temporum erant eventura: *Sed nondum ignis*, ad ultimam deveniens, dicit, v. 11. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, nec fiet. Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.* Locutus etiam fuit Joannes, *Apoc.* 20. ubi dicit, ante finem mundi ſolvendum eſſe ſatanam ad modicum tempus, quo indicat, tanto crudelius eſſe ſæviturum, quanto magis ſævire poteſt diabolus ſolutus, quam ligatus, ut advertit loco mox citato Auguſtinus. Juge etiam ſacrificium eſſe auferendum ac omne chriſtianæ religionis exercitium prædixit Daniel, cap. 12. v. 11. *A tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Quibus prædicit etiam tempus, quo tanta perſecutio durabit ſub Antichriſto.

Ex his colligo primo. Antichriſtum nondum veniſſe, cum juge ſacrificium adhuc vigeat, & publica chriſtianæ religionis officia perſeverent. Secundo. Romanum Pontificem non eſſe Antichriſtum, ſed Antichriſto contrarium, cum ſacrificium quod ille ablaturus eſt, tueatur. Tertio. Lutherum potius, alioſque hujus temporis hæreticos eſſe Antichriſti præcurſores, cum diabolo ſic Luthero ſuggerente, nil ardentius agant, quam Euchariſtiæ ſacrificium penitus abolere.

XXIII. Sextum ſignum eſt duratio regni Antichriſti, qui non regnabit niſi tribus annis cum dimidio, ut ex *Daniele*, *cap.* 7. & *Apocal. cap.* 12. ubi legimus duraturum Antichri-

tichristum per tempus; & tempora, & dimidium temporis, ubi *per tempus* intelligitur unus annus, *per tempora*, duo anni, & *per dimidium temporis* medius annus. Cum ergo Romanus Pontifex a mille septingentis, & ultra annis Ecclesiæ præsit, nec ullus, qui sit habitus pro Antichristo, tribus annis cum dimidio duraverit, signum est, quod Antichristus nondum venit: sed de hoc aliqua inferius.

XXIV. Septimum signum consequens Antichristum erit consummatio mundi. Post Antichristi enim interitum paulo post futurum finem mundi, & ultimum judicium prædicunt, *Daniel cap. 7.* qui bis loquens de Antichristo; semel narrans visionem suam, & semel eam exponens, utraque vice subjungit, post Antichristum statim secuturum finale judicium. Similiter: Jo: *cap. 20. Apoc.* Postquam dixit, quod post mille annos oportet illum (Satanam) solvi modico tempore, statim subdit, *& vidi sedes, & sederunt super illas, & judicium datum est eis.* Idem prænuntiavit Christus, *Matth. 24.* & Paulus *2. Thess. 2.* Ita sentiunt Patres Irenæus, *lib. 5. in fine*, Tertullianus, *lib. de Resurr.* August. *lib. 20. de Civ. Dei, cap. 19.* & omnes. Ex hoc igitur signo formo insolubile argumentum, Antichristum nondum venisse, nec proinde hunc esse Romanum Pontificem. Nam si continuo post mortem Antichristi mundus finietur, & Antichristus postquam apparuerit, & regnare cæperit, non vivet nisi tribus annis cum dimidio ut ostensum est: nec apparebit, nec regnare incipiet nisi tribus annis cum dimidio ante mundi finem: cum ergo Papa etiam cum temporali gladio a sexcentis annis regnet, & alii in quibus Antichristum aliqui agnoverunt, a multo tempore regnare desierint, nec adhuc mundi finis advenerit, signum evidens est, Antichristum nondum venisse.

XXV. Totum hoc isto ratiocinio concludo, Scriptura prophetica ipsis rerum eventibus elucescere solet; ergo si jam dudum venisset is, quem Scripturæ fore Antichristum prædixerunt non lateret Ecclesiam, propherias ad eum pertinentes jam esse completas, sicut id de Christo, ejusque nativitate, passione, morte, ac resurrectione, deque gentium conversione statim cognovit; cum ergo adhuc Ecclesiam lateat, ea quæ prædicta sunt de Antichristo esse impleta: & quamvis pseudo Ecclesia hæreticorum hæc se cognoscere jam impleta dicat, cum tamen eam impudentissime hallucinari jam ostensum sit, tenendum pro certo est, Antichristum nondum venisse.

§. III.

Hæreticorum mendacia detecta.

NON obstantibus iis, quæ dicta sunt, Antichristum nondum venisse invicte demonstrantia, adhuc tamen moderni Acatholici eum venisse contendunt, & hunc esse Romanum Pontificem pluribus mendaciis potius involvere quam argumentis demonstrare conantur.

XXVI. Primo objiciunt Lutherus, & Calvinus, Romano Pontifici aptissime convenire omnia, quæ de Antichristo dicta sunt. Lutherus quidem in assertione, *art. 27. Daniel cap. 8.* prædixit, Antichristum fore facie impudentem, hoc est potentem speciebus, pompis, & cæremoniis externis, extincto interim spiritu fidei, ut patet in tot ordinibus religiosis & ab ipso institutis. Calvinus etiam illa verba, *2. Thess. 2.* Qui extollit se supra omne quod dicitur Deus, de Romano Pontifice effutit dicta, qui omnia, quæ Dei sunt, sibi vindicabit, ligat enim, quibus sibi videtur conscientias, & æternis pœnis addicit. Sacramenta pro libidinis sua instituit, & abolet, se unum regem facit, unum Judicem, & legislatorem, quæ omnia solius Dei sunt.

XXVII. Respondeo Luthero. Si Antichristus facie impudens erit, ut ipse dicit: ergo ipse erit Antichristus. Quis enim Luthero impudentior, & factis, & dictis? Ipse Presbyter, & monachus palam sanctimonialem in uxorem duxit, quod nemo ante ipsum fecisse legitur. Ipsum excommunicare ausus est Pontificem suum cum tota Ecclesia, quæ illi adhæret. Quis audivit, a Presbytero Episcopum excommunicari? Exhorruit quondam Chalcedonense Concilium Dioscori audaciam, qui in Ephesino latrocinio potius, quam Concilio Leonem I. Pontificem excommunicare præsumpserat, cum tamen Dioscorus Patriarcha esset secundæ sedis; quis non execretur Lutherum, qui e suo cubiculo simplex Monachus anathematis fulmen jacit in Pontificem Leonem X.? Scripta vero Lutheri nonne ubique referta sunt impudentissimis mendaciis, dicteriis, atque scommatibus? Impudentiæ vertit quod cæremonias externas ad cultum Dei instituerit Romanus Pontifex: At si hoc verum est, impudentiæ quoque accusabit Moysen, qui tot cæremonias in Levitico instituit, ut vix recenseri possint. Moyses ea instituit ad fidei spiritum excitandum, Pontifex eas instituit, vel institutas ab Apostolis accepit, ut fideles fidem suam in illis profiterentur. Impudens fuit Romanus Pontifex juxta Lutherum quia tot ordines religionesque in Ecclesia invexit? At numquid vere impudens non erit Lutherus, qui a Monachatu cui se voto coram Deo obstrinxerat, apostatavit? Præterea ordines Monachorum non a Pontifice Romano, sed ab aliis sanctis viris institutos, accepit Ecclesia. Nam Græca semper habuit, & adhuc retinet Monasteria, ritus, cæremonias a S. Basilio, aliisque Græcis Patribus, non a Romano Pontifice institutas, sicut & Ecclesia latina plures ordines religiosorum habet a sanctis viris erectos, etsi a Papa approbatos. Si ergo ejusmodi ordines ad Antichristi faciem pertinent, potius eorum fundatores Antichristi dicendi erunt, quam Papa.

XXVIII. Calvino autem respondeo, mentiri eum dum ait, Pontificem se extollere supra Deum: solvit, & ligat auctoritate non sua, sed Dei collata Petro a Christo, *Matth. 16. v. 19.* & Apostolis, *Matth. 18. v. 18.* Leges fert non quaslibet pro arbitrio etiam perniciosas, sed legi Dei, & bono Ecclesiæ conformes. Sacramenta nova non instituit, aut a Christo instituta abolet, sed a Christo instituta, & per apostolos tradita conservat. Calvinus potius, ejusque Sectarii hoc sibi jus arrogarunt, qui ex septem sacramentis a Christo institutis, & ab Ecclesia etiam Græca adhuc observatis, quinque ausi sunt abolere. Uno verbo Romanus Pontifex nihil sibi arrogat, aut facit, nisi auctoritate a Deo accepta, cui sicut cæteri tenetur reddere rationem nec caput Ecclesiæ se nominat, nisi sub Christo, cujus vices gerit in terris, pascendo oves, non proprias, sed Christi, quod munus accepit in Petro, dum ei dixit tertio. Jo: 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.*

XXIX. Secundo objiciunt. Antichristus Babylone sedebit, ut colligitur ex *Apoc. cap. 17.* Sed nomine Babylonis Joannes intelligit Romam, in qua solus Papa sedet; ergo &c. Min. probat. Nam Babylon, quæ sub nomine meretricis magnæ ibi describitur super bestiam sedentis, dicitur, *v. 10.* fundata super septem montes, *Septem montes sunt, super quos mulier sedet*: Hoc autem soli Romæ convenit, quæ ideo vocatur Civitas septicollis. Dicitur etiam, *v. 18. Et mulier quam vidisti, est civitas magna, qua habet regnum super reges terra.* Hæc autem est Roma, in qua Papæ regnum est super omnes Reges terræ. Hinc Tertullianus, *lib. contra Judæos cap. 9.* & lib. 3. contra Marcionem, cap. 13. *Babylon* (inquit) *etiam apud Joannem nostrum Romanæ urbis figura est.* Et S. Petrus, *Epist. 1. cap. 5. vers. 13.* Babylonis nomine Romam designavit cum ait: *Salutat vos Ecclesia, qua est in Babylone collecta.*

XXX. Respondeo primo negando min. Multi enim per Babylonem apud Joannem, non Romam, sed Regnum, & Civitatem diaboli intelligunt, quæ in Scripturis sæpe vocatur Babylon, quomodo Regnum, & Civitas Dei, idest Ecclesia, vocatur Jerusalem: & ita locum Apocalypsis interpretati sunt Beda, Rupertus Haymo in suis Comment. & August. *in Ps. 26.*

Secundo. Dato quod, ut alii volunt, per Babylonem a Joanne intelligatur Roma, non tamen Roma Christiana, sed Ethnica, qualis erat tempore Apostolorum, & deinceps usque ad Constantinum, qualem describit Joannes matrem *fornicationum*, & *abominationum terræ*, idest, totius idololatriæ, ut enim S. Leo in Serm. 1. de Natali Petri, & Pauli, ait: *Licet omnibus pene dominaretur gentibus, omnium tamen gentium serviebat erroribus*, & Ecclesiam Christi per suos principes adhuc Ethnicos immaniter persequebatur: unde ait Joannes ibi vers. *6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu.* In quo sensu erat civitas magna, quæ habebat regnum supra reges terræ, quia Roma ethnica omnibus pene Regibus terræ dominabatur. De Roma etiam Ethnica citatis locis loquitur Tertullianus; subdit enim post citata verba: *Proinde, & magna, & regno superba, & Sanctorum Dei debellatricis.* Cæterum de Romana Ecclesia, *lib. de Præscript. cap. 36.* ait? *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Petrum autem Apostolum Babylonis nomine intellexisse Romam ethnicam, qualis erat suo tempore certum est, quamvis in ea quædam Christianorum Ecclesia latitaret.

XXXI. Dices saltem S. Hieronymus nomine Babylonis Romam christianam intelligit, eum in Epist. ad Paulinianum præfixa libro Didymi de Spiritu Sancto ait: Cum *adhuc in Babylone versarer, & purpurata meretricis essem colonus &c.* Quæ verba reprehendit Ruffinus *lib. 2. Invectiva*, dicens: *Ex qua videatis, quomodo de urbe Roma, Deo favente, capite christianorum, ea dicat, quæ dicebantur tunc, cum gentiles in ea populi, & persecutores Principes morabantur.*

XXXII. Respondeo, etiam Hieronymum de Roma, non qualis erat suo tempore, sed qualis fuerat dum esset pagana, locutum fuisse, ut sensus sit cum in ea civitate versarer, quæ aliquando fuit Babylon, & meretrix illa purpurata, quam Joannes in Apocalypsi describit. Unde Ruffinus aliter intelligens deceptus est. Hunc enim esse sensum ipse Hieronymus indicat in fine, *lib. 2. contra Jovinianum*, ubi Romam alloquens: *Ad te* (inquit) *loquar, quæ scripsam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti.* Et *in Epist. ad Marcellam*, nomine Paulæ, & Eustochii eam hortans, ut e Roma in Bethleem migret, postquam similia contra Romam verba de Apocalypsi protulit, subjungit: *Est quidem ibi S. Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum, & Martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides, & gentilitate calcata, in sublime quotidie se erigens nomen Christianorum &c.* Ita de Roma christiana loquitur Hieronymus, unde Romanæ Cathedræ, & Damaso in ea tunc sedenti se adhærere, & consociari in omnibus profitetur, quod non dixisset, si eam adhuc Babylonem purpuratam meretricem, & in ea Antichristum sedentem credidisset. Alioquin

quin deberet dici, ab illo tempore, hoc est a mille, & trecentis annis Romam apostatasse, & sedem Antichristi factam fuisse, quod nec Sectarii admittunt. Vere ergo dicit Rupertus, *lib. 8. de glorificatione Trinit. cap. 5.* eam, quæ aliquando fuerat Babylon factam esse Jerusalem filiam supernæ Jerusalem, & novam Sion. Si ergo Antichristus in Babylone sedebit; non sedebit Romæ.

XXXIII. Objiciunt tertio. Antichristi nomen a Joanne, *in Apocal. 13. vers. 18.* continebit numerum *sexcenti sexaginta sex*: atqui hic numerus adæquate continetur in hoc nomine *Latinus*, quod idem est ac Romanus, quod aptatur Pontifici Romano, qui Latinus est, & caput Ecclesiæ latinæ; ergo &c. Ita videtur sentire Irenæus, *lib. 5. contra Hæreses*.

XXXIV. Respondeo primo. Hoc non favere Sectariis, non pauci enim eorum, ut supra vidimus, contendunt, numerum *666.* indicare non nomen Antichristi, sed tempus, quo secundum illos jam venit. Deinde hoc nomen *Latinus* seu Græce *Latino*, quo designatur Antichristus, vel est nomen Personæ, vel nationis, vel officii, seu dignitatis. Si est nomen personæ; ergo nulli ex Romanis Pontificibus aptari poterit, quia nullus eorum hactenus nomen Latini prætulit. Si erit nomen nationis quia nempe Antichristus erit de gente latinorum, stulta consequentia erit inferre, ergo erit Pontifex latinus, quia in affirmativis non valet consequentia ab universali, seu indefinito ad particulare seu determinatum, sicut non valet est animal, ergo est homo, est album, ergo est nix. Si vero erit nomen dignitatis, quasi Antichristus futurus sit caput, & regnans super latinos, cum Papa semper fuerit caput Ecclesiæ latinæ, inchoando a D. Petro, Papa semper fuit, & etiam D. Petrus, Antichristus, & sic cum Petrus a Christo ipso fuerit constitutus caput Ecclesiæ, a Christo fuit constitutus Antichristus: Præterea si Latinus significat latinorum caput, cur non potius, quam Papæ, Antichristi nomen aptabitur Imperatoribus Latinorum, & maxime Neroni, Domitiano, Diocletiano, sive alii qui Christum persecuturus sit?

XXXV. Verius ergo dicendum est, quod cum numerus *666.* ex literis diversorum nominum combinatis conflari potest, S. Joannes dixit, nomen Antichristi futurum *666.* ut quale futurum esset ejus nomen nobis (sicut, & tempus) remaneret ignotum. Nam nec nomen latinos conficit præfatum numerum, nisi dicatur cum diphtongo *ei*, *lateinos*, quomodo a Græcis non scribitur. Unde alii volunt, nomen Antichristi futurum *Titan* cujus litteræ vere constituunt numerum *666.* sed revera, & isti divinando loquuntur. Et propterea Irenæus postquam disputando potius, quam asserendo dixit Antichristi nomen fore *Latinos*, seu verius *Titan*, concludit tutius esse expectare adimpletionem prophetiæ, quam divinari nomina quælibet, cum multa inveniri possint habentia talem numerum. Nam *si oporteret manifeste præsenti tempore præconari nomen ejus, per ipsum utique editam fuisset, qui Apocalypsim viderat*; Si tamen etiam Joanni ipsi quale futurum sit, fuerit revelatum. De hoc agit Malvenda noster, *lib. 8. de Antichristo, cap. 17.*

XXXVI. Objiciunt quarto. Una ex notis, quibus a Daniele, *cap. 11.* signatur Antichristus secundum lectionem hebraicam, cui & LXX. consentiunt, est, quod *super Deum Patrum suorum non intelliget, & super concupiscentiam mulierum* (supple non intelliget) quibus significatur, amorem mulierum non curaturus: sed hoc facit Papa (inquiunt) præcipiendo suis cœlibatum; ergo &c.

XXXVII. Respondeo, neg. min. Neque enim Romanus Pontifex, neque Ecclesia præcipit cuiquam Cœlibatum, sed liberum concedit matrimonium, ut patet. Solum autem cœlibatum præcipit illis, qui sponte illum Deo voverunt, sive per professionem monasticam, sive per susceptionem sacri ordinis: idque juxta legem naturalem, & divinam, & antiquam Ecclesiæ traditionem, de quo fuse egi in *Colloquiis Classe prima*.

Secundo. Dico, verba Danielis rectius vertisse Hieronymum, ut habet vulgata nostra: *Et erit in concupiscentiis fœminarum*. Cujus ratio est, quia locus ille ad litteram de Antiocho dictus intelligitur, quem tradunt historiæ, amoribus mulierum fuisse supra modum deditum usque ad dedecus, & impudentiam, quod refert etiam Hieronymus, in Commentario. Ex quo infertur, talem fore Antichristum, cujus Antiochus typum gessit. Et eo magis, quia cum Antichristus recipiendus sit a Judæis tamquam ipsorum Messias, & Judæi præter cætera bona expectent a suo Messia multitudinem uxorum, nullo modo probabile est, quod cœlibatum sit laudaturus, multo minus præcepturus. Imo nec probabile est, quod ipse continenter sit victurus, quamvis forte hoc simulabit, ut palam fingat se amorem mulierum contemnere, ut olim Manichæi, & alii, clam vero libidinibus deditus erit. Nec enim qui Deum ipsum contemnet, cœlibatum, rem per se laudabilem, profitebitur. Quod tamen non est cur contra Romanam Ecclesiam intorqueatur, quæ non simulatam, sed veram mentis, & corporis castitatem a Christo edocta prædicat, & commendat.

XXXVIII. Objiciunt quinto, S. Gregorius velut prophetici scripsit, *lib. 4. Epist. 38.* quod ille erit Antichristus, qui sibi sumpserit titulum universalis Episcopi: sed hunc titulum post Gregorii mortem Bonifacius III. a Phoca Imperatore impetratum assumpsit; ergo ex tunc Papa cæpit esse Antichristus.

XXXIX. Respondeo, duobus mendaciis niti hanc objectionem. Primum, quod S. Gregorius, dixerit fore Antichristum, qui titulum universalis Episcopi assumpserit, cum solum citato loco dicat, eum qui nomen istud sibi usurpat, esse superbum, sacrilegum, nomen Blasphemiæ, & Antichristi prænuntium, ac præcursorem. Ita, *lib. 4. Epist. 32.* & *lib. 6. Epist. 30.* Alterum, quod Bonifacius III. hoc nomen a Phoca impetrarit, & assumpserit. Nam Bonifacius nil aliud a Phoca petiit, quam ut Cathedræ Romanæ primatum, qui ei divino jure competebat, imperiali auctoritate tueretur contra præsumptionem Episcopi Constantinopolitani, qui se palam in suis litteris Episcopum universalem vocitabat. Et istud redarguit Gregorius eum vocans superbum, & Antichristi præcursorem, additque, ejusmodi nomen a Concilio Chalcedonensi S. Leoni I. oblatum fuisse, illud tamen constanter recusasse.

Ne tamen quis arbitretur, Chalcedonenses Patres errasse dum S. Leoni titulum Episcopi universalis obtulerunt, sciat oportet, quod hoc nomen *Episcopus Universalis* duplicem potest facere sensum: Unum ita ut universalis Episcopus intelligatur, qui solus omnium Provinciarum, ac Civitatum Episcopus sit, sicut alii vere Episcopi non sint, sed unius Episcopi Vicarii. Alterum ut dicatur Episcopus universalis, qui generalem curam ac sollicitudinem omnium Ecclesiarum habet. In hoc posteriori sensu Episcopus Romanus vere est Episcopus universalis, & in hoc sensu Patres Chalcedonenses illud Leoni Papæ obtulerunt, Gregorio ipso testante. In priori autem sensu ad quem ambitio Patriarchæ Constantinopolitani tendere videbatur, ut sicut Imperator Constantinopolitanus solus tenebat imperium, ita ipse solus, & universaliter teneret Episcopatum, & cæteri Episcopi tantum ut sui Vicarii haberentur; ideo illum titulum Leo I. recusavit, & postea Gregorius tanta vehementia damnavit, & tamquam Antichristi prænuntium illum, qui ambierit talem titulum, declaravit. His ergo stantibus, cur protestantes Antichristum, seu Antichristi Præcursorem Romanum Pontificem appellant, qui hunc semper recusavit, & non potius Patriarcham Constantinopolitanum, qui se usque hodie scribit Patriarcham Œcumenicum, idest, universalem Patriarcham?

Alia superessent hæreticorum mendacia, quibus conantur ostendere Papam esse Antichristum. Sed quia manifeste se produnt mendacia, & alibi a nobis detecta sunt, ideo ne diutius hac in re immoremur ad ulteriora progrediemur.

DUBIUM III.

De Ortu, & Patria Antichristi.

§. I.

Resolutio Prima Partis.

CUM jam ex dictis constet, Antichristum nondum venisse, & futurum certum, ac determinatum hominem, restat inquirendum, unde orietur, & quomodo, abstinemus enim ab inquirendo tempore ortus ejus, cum hoc æque nobis ignotum sit, ac tempus consummationis mundi, qua imminente Antichristum proditurum esse Scripturæ nos docent.

I. Circa Antichristi ortum quædam aperte erronea sunt, quædam probabilia, quædam explorata, & certa. Erroneum primo est asserere, Antichristum nasciturum ex Virgine opera Diaboli, quomodo Christus natus de Virgine opera Spiritus Sancti. Nam producere hominem sine semini viri soli Deo, apud quem non est *impossibile omne verbum* (ut ait Gabriel, *Luc. 1. v. 7.*) est possibile. Quare S. Augustinus, *Epist. 3.* modo *137. ad Volusianum*, dicit, quod nasci de virgine tale miraculum fuit in Christo, ut majus a Deo expectari non potuerit. Nec obest, quod hoc asseratur in opusculo de Antichristo sub nomine Augustini, nam illud non esse Augustini certum est.

Error tamen non esset, si quis diceret, eum nasciturum ex fœmina impurissima quidem, sed simulante se virginem, & absque opera viri concepisse. Id enim tradit Hyppolitus Martyr de consummat. Mundi, dicens: *Antichristus ex impura muliere prodibit, sed falso nascetur ex Virgine*, ideest, simulabit, & mentietur, se natum ex virgine.

Nam etiam error esset dicere, Antichristum oriturum ex muliere, & Diabolo incubo, idest, ministrante semen a viro acceptum in fœminæ vas, hoc enim possibile diabolo esse docet August. *lib. 15. de Civit. Dei, cap. 23.* addens, tanta experientia id comprobatum esse, ut velle negare impudentia videatur.

II. Erroneum secundo esset dicere, Antichristum futurum Diabolum ipsum, qui de falsa virgine falsam carnem assumet, sicut Verbum Dei de vera Virgine veram carnem assumpsit. Etsi enim hoc Hyppolitus Martyr citato loco dicere videatur, contrarium tamen est Scripturæ. *2. Thess. 2.* ubi Antichristus vocatur *homo peccati:* nemo autem dicet, phantasma tantum hominis, hominem a Paulo appellari. Unde Hieronymus in Danielis verba, cap. 7. *Et ecce oculi quasi hominis erunt in cornu isto*, ait: *Hoc propterea dictum*

dictum eſt, ne putemus, Antichriſtum juxta quorumdam opinionem diabolum eſſe futurum; ſed unum de hominibus, in quo ſatanas habitaturus ſit corporaliter. Et ſane nimis abſurdum eſſet, ea, quæ Scriptura Sacra de libidine, morte, & aliis Antichriſti vitiis dicit, ſolum apparenter, & fictitie dici, nempe de diabolo ſub apparentia hominis. Hinc omnes Patres, Antichriſtum verum, & purum hominem futurum concorditer aſſerunt.

III. Erroneum tertio eſſet dicere, Antichriſtum futurum quidem verum hominem, ſed ſimul etiam diabolum per diaboli incarnationem, quomodo Chriſtus per Verbi incarnationem eſt Deus, & homo. Hunc errorem repellunt Hieronymus, *in cap. 7. Danielis*. Beda, *in cap. 13. Apoc.* Et Damaſcenus, *lib. 4. de Fide, cap. 27.* Et quidem Angelos fuiſſe ſuo modo incarnatos, quoties humana corpora aſſumpſerunt, ut ſe humanis oculis viſibiles redderent, viſi ſunt ſentire Tertullianus adv. Marc. *cap. 9. & lib. de Carne Chriſti, cap. 3. & 6.* & Origenes. *Tom. I. in Jo:* putans, Malachiam, Aggæum, & Joannem Baptiſtam fuiſſe Angelos incarnatos, quem refellit Hieronymus, *in præfat. Malachiæ*, & *in cap. 1. Aggæi*. Qui tamen Patres ſi intenderint, non quidem, quod Diabolus in Antichriſto in unitate perſonæ humanam naturam ſit ſubiturus, ſed quod ſecundum energiam, & operationem, in illo magis, quam in ullo alio homine ſit operaturus, eos utens tamquam inſtrumento affabre concinnato ad omnia nefanda, repudiandi non ſunt. Cæterum quod creata perſona poſſit naturæ viribus in duplici natura ſubſiſtere, ab omnibus negatur. Quod ſi contendant aliqui hoc non eſſe implicans contradictionem, & ideo per divinam omnipotentiam poſſe fieri, credibile tamen non eſt, Deum adeo rarum, & extraordinarium miraculum unionis duarum naturarum patraſſe, non ad alium finem, niſi ad omnia ſcelera perpetranda, & extremam Eccleſiæ ſuæ perniciem inferendam.

VI. Erroneum quarto reputatur quod inſinuat Sulpicius Severus, *lib. 2. Sacr. Hiſt.* Neronem futurum ipſum Antichriſtum, & propterea, vel ſurrecturum, vel adhuc vivere, & occulte ſervari ſuo tempore appariturum. Tamen, *in 2. lib. de Vita S. Martini* aperte ſcribit, non ipſum Neronem fore Antichriſtum, ſed cum Antichriſto venturum, & ab Antichriſto tandem perimendum. Sed hanc ſententiam miram præſumptionem vocat S. Auguſt. *lib. 20. de Civ. Dei, cap. 19.*

V. Probabile autem exiſtimatur. Primo. Antichriſtum non ex legitimo matrimonio, ſed ex muliere fornicaria, aut adultera, & quidem impudentiſſima naſciturum. Quod Patres docuerunt Hyppolitus Martyr, *Orat. de conſum. Mundi.* S. Ephrem Syrus. *Serm. de Antich. Naſcetur* (inquit) *ex ſpurciſſima, & fallaciſſima muliere*, Damaſcenus, lib. 4. de Fide, cap. 27. *Naſcetur homo ex fornicatione, & ſuſcipiet omnem ſatanæ operationem.* Imo ſuſpicati ſunt aliqui, eum ex inceſtu graviſſimo naſciturum, ut ex patre, & filia, aut fratre, & ſorore, vel immani ſacrilegio ex monacho, & ſanctimoniali. Hoc tamen poſtremum ſtare non poteſt: Ut enim oſtendetur, Antichriſti naſcetur ex gente Judæorum, in qua certe vota monaſtica non reperiuntur. Hoc certum videtur, ex viliſſimo genere, ac impuriſſimis parentibus eum eſſe prodituram.

VI. Probabile ſecundo exiſtimatur, quod cum naſciturus ſit ex gente Judaica, ut dicetur, ex tribu Dan prodituras ſit. Hoc enim aſſerunt Patres Irenæus, *lib. 5. Hyppolitus, de conſum. Mundi*, Ambroſius, *lib. de benedict. Patriarch. cap. 7.* Auguſtinus, *quæſt. 22. in Joſue*, Theodoretus, *q. 109. in Geneſ.* Gregorius, *lib. 31. Moral.* & alii, adeo ut aliqui, inter quos Malvenda, *lib. de Antich. cap. 11.* hoc reputent certum, & huc trahant verba Jacob, Geneſ. 49. v. 17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes ſemita mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.* Et illud Jeremiæ 8. v. 16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus, a voce hinnituum, & pugnatorum ejus commota eſt omnis terra, & venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus, urbem & habitatores ejus*, quæ de Antichriſto ex illa tribu naſcituro, prælaudatos, & alios Patres intellexiſſe demonſtrat. Et propterea inquit S. Joannes *Apocal. 7.* cum enumeraſſet omnes tribus, ex quarum unaquaque duodecim millia ſignati erant prodituri, tribum Dan prætermiſit. Unde Beda, *in cap. 7. Apoc.* ait: *Tribum Dan prætermiſit, ex qua Antichriſtus dicitur eſſe naſcituras.* Sed hæc probabile reddunt hoc aſſertum; ſed non prorſus certum, cum & Patres ipſi probabiliter ſolum loquantur, nec Scripturæ allatæ hoc niſi ſatis obſcure indicent.

VII. Certum quidem eſt, Antichriſtum de gente Judaica naſciturum: quia propter ipſos venturum, & ab eis ut Meſſiam ſuſcipiendum, ideoque, & circumcidendum, & Sabbatum, aliaſque cæremonias legis ſaltem ad tempus obſervaturum. Quod de gente Judaica ſit naſciturus, probatur. Nam Judæi nunquam reciperent hominem non Judæum, aut incircumciſum pro ſuo Meſſia. Ita ſentiunt omnes Patres ſupra laudati, & præcipue Hieronymus, *in cap. 11. Danielis*. Cyrillus *Catecheſi 15.* & Gregorius, *lib. 11. Epiſt. 3.* dicens Antichriſtum futurum etiam Sabbati aliarumque cæremoniarum Judaicarum cultorem.

VIII. Nec dicas, Judæos expectare etiam ſuum Meſſiam ex familia David, & ex tribu Juda: quomodo ergo ſuſcipient, ut Meſſiam Antichriſtum, quem diximus prodituram ex tribu Dan?

Reſpondeo enim, quod quamvis Judæi expectent Meſſiam de tribu Juda, & familia David, atque ad hunc finem de eadem tribu, & familia conſervent in Babylone (ut ipſi falſo putant) ſucceſſionem Principum, tamen aperte illudentur, Deo ita permittente, ut qui verum Meſſiam de tribu Juda, & familia David recipere noluerunt, recipiant falſum Meſſiam, & mendaciſſimum impoſtorem de tribu Dan, qui ſe de tribu Juda, & familia David doloſe ſimulabit, & mendaciter venditabit: unde Cyrillus Jeroſ. *Catech. 15.* aſſerit eum valde ſtudioſum futurum Templi Jeroſolymitani, ut ſe de progenie David oſtendat.

Quod vero Antichriſtus a Judæis ut Meſſias ſit recipiendus, prædixit Chriſtus, *Joann. 5. v. 43.* cum ait: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*, & Paulus, 2. Theſſal. 2. v. 10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

IX. Ex dictis formatur evidentiſſima demonſtratio. Romanum Pontificem non eſſe Antichriſtum. Nam Antichriſtus gente, & religione erit Judæus, & a Judæis ut Meſſias accipietur; ſed ab anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, quo Adverſarii dicunt Antichriſtum veniſſe, conſtat nullum Romanum Pontificem fuiſſe Judæum, nec gente, nec religione. Conſtat etiam eum a Judæis nunquam fuiſſe pro Meſſia ſuſceptum, ſed pro hoſte, & perſecutore fuiſſe ſemper habitum. Unde in quotidianis precibus Deum precantur, ut det Pontifici viventi bonam mentem erga Judæos, & ut in diebus illius mittat Meſſiam, qui eos liberet de illius poteſtate vocantes eum non *Caput*, ſed per contumeliam *Caudam*. Immo Levi Gerſon. *cap. 7. & 10.* Danielis, omnia quæ ibi dicuntur de Antichriſto, exponit de Pontifice Romano, quem etiam alterum Pharaonem appellat, & ſuo Meſſiæ opponit; ergo Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus, niſi in ſenſu Judæorum. Videant ergo Acatholici, quos magiſtros hac in parte ſequantur.

§. II.

Reſolutio Secundæ Partis.

X. PAtria Antichriſti futuram Babylonem Chaldaicam, tradit Malvenda, *l. 2. de Antichriſto, c. 15. &c.* Et quidem Antichriſto in Babylone naſciturum communi conſenſu receptum videtur. Unde Hieronymus, *in cap. Danielis* ſuam, & omnium Eccleſiaſticorum Patrum ſententiam referens, ait: *Noſtri autem ſecundum ſuperiorem ſenſum interpretantur omnia de Antichriſto, qui naſciturus eſt de populo Judæorum, & de Babylone venturus.* Rabbanus etiam Opuſcul. de Antichr. *Audite* (inquit) *etiam locum ubi naſci debeat: nam ſicut Dominus ac Redemptor noſter Bethleem ſibi prævidit, ubi pro nobis humanitatem aſſumeret, & naſceretur: ſic diabolus illi homini perdito, qui Antichriſtus dicitur, locum novit aptum, unde radix omnium malorum oriri debeat, ſcilicet Civitatem Babyloniæ. In hac enim Civitate, quæ quondam inclyta, & glorioſa urbs Gentilium, & caput Regni Perſarum erat, Antichriſtus naſcetur.* Quod & omnes poſteriores ſunt proſecuti.

XI. Cauſam autem, & cur Deus in Babylone potius, quam alibi gentium naſci voluerit Antichriſtum, ipſe ſolus ſibi reſervavit; aliquas tamen congruentia, pro ſuo modulo ratio humana excogitavit. Prima eſt. Quia ſicut Nemrod, qui Babel, hoc eſt Turrim Babylonicam condidit, ſævus Tyrannus, ac dirus hominum oppreſſor primus Deo bellum indixit apertum: ita conſentaneum erit, ut ab eadem Babylone naſcatur ultimus, atque omnium truculentiſſimus Eccleſiæ perſecutor, Deique contemptor Antichriſtus. Secunda, Nabuchodonoſor, & Antiochus Epiphanes, qui Eccleſiam veterem immenſis cladibus afflixere, & veteris Teſtamenti Antichriſti fuerunt, verique Antichriſti venturi quædam imagines, in Babylone orti, ibi regnaverunt; conſentaneum ergo erit, ut novi Teſtamenti, ac verus Antichriſtus ex eadem oriatur.

XII. Accedit, quod nullus locus aptior, & convenientior nativitati Antichriſti deſignari poſſe videtur, quam Babylon Civitas diaboli, contraria Jeruſalem, quæ urbs Dei cenſetur. Ex illa ergo, quæ omnis confuſionis mater eſt, idololatriæ, impietatis; omniumque ſcelerum propagatrix, quæ prima in mundo a Deo defecit, quæ ſecundum Scripturas myſterium iniquitatis peragit, & blaſphemiam nominis Dei in ſponte depictam geſtat, Antichriſtus ſummæ impietatis complementum congruentiſſime erumpet. Quapropter ut ſuper adoptavimus, Judæi in Babylone maxima cura ſervare dicuntur ſucceſſionem perennem (quam ſibi confinxerunt) Principum ex tribu Juda, ex qua falſus eorum Meſſias, qui erit Antichriſtus prodituras exiſtimatur, quamvis diabolo, cui non deſunt fallendi artes, eo decipiente, non ex tribu Juda, ſed ex tribu Dan ex dictis revera prodituras ſit.

XIII. His obſtare poſſunt vaticinia, tum Iſaiæ, *cap. 13. v. 19.* tum Jeremiæ, *cap. 10. v. 39.* dicentium, Babylonem Chaldaicam eſſe ſubvertendam, ſicut Sodomam, & Gomorrham, neque eſſe inhabitandam, aut fundandam uſque in ſempiternum.

Cui tamen difficultati varie occurritur. Aliqui cenſent, prophetiam de ſempiterno Babylonis caſu non eſſe intelligendam de Babylone corporea, ſed de figurata, nempe, de regno mundi, peccati, & ſatanæ, quod erat evertendum ſicut de facto fuit ſubverſum per Chriſtum, neque in æternum reparandum. Sed hæc expoſitio non placet Sancto Hieronymo, nec aliis recentioribus. Alii ergo ſentiunt Babylonem revera fuiſſe a Dario, & Cyro, aut certe non multo poſt funditus everſam, ut nullo poſtea tempore inſtaurata, aut inſtauranda fuerit juxta prophetica oracula. Nam ea urbs quæ poſtea Babylon dicta fuit, & modo Bagdat nuncupatur, non in eodem, quo antea ſolo, neque ex antiquæ ruinis reparata, aut antiquis limitibus, ſed in diſtincto plane ſolo, & finibus, licet non multum diſſitis, de novo erectam, & hanc futuram Babylonem in Chaldæa, ex qua naſciturus erit Antichriſtus, ſive magna, ſive parva, ſive nobili, ſive ignobili, ſive ea quæ modo eſt, ſive alia. His probabiliter aſſentior.

XIV. Aliam difficultatem excitant Recentiores Acatholici, qui Antichriſtum in Romano Pontifice obſtinate collocantes, dum in Scripturis legunt Babylonis nomen, Romam deſignari contendunt, Antichriſtum Romæ oriturum, ſeu verius ortum fuiſſe. —— Sed licet aliquando, ut diximus, nomine Babylonis figurate ac myſtice deſignata fuerit Roma Gentium Regina, mundi caput, & nationum domitrix, nemini tamen præter Heterodoxis hodiernis in mentem venit, patriam Antichriſti fore Romam, ſed veram Babylonem Chaldaicam ad Euphratem ſitam, quæ quondam Regni Perſarum caput fuit, quod magis apparebit, cum de initio regni Antichriſti inferius ſermo erit. Quod autem Romanus Pontifex ſit Antichriſtus tamquam commentum, ſeu verius blaſphemia a nobis ſupra exſufflatum eſt.

Dubium IV.

De Antichriſti educatione, Ingenio, Moribus &c.

§. I.

Educatio.

I. Antichriſti corpuſculum vix conceptum, & adhuc in materno utero poſitum diabolus ſic diſponet, ut ad omnia flagitia illud propenſiſſimum reddat, ut etiam ex corporis organizatione vere dici poſſit *homo peccati*. Quemadmodum enim Chriſtus efficaciſſima Spiritus Sancti virtute conceptus in virgineo utero, in ipſo conceptu fuit omni gratiarum genere repletus: Ita Antichriſtus ex adverſo, etſi non opera diaboli conceptus, ſtatim tamen a ſuæ conceptionis exordio poſſidendus a diabolo, & peculiari quadam nefarii ſpiritus vi creditur occupandus. Ita ex Theodoreto, *in 2. Theſſal. 2.* Sedulio, *in eumdem locum*, Æcumenio, S. Anſelmo, *in Elucidario*, Rabbano, *Opuſc. de Antichr.* & Damaſceno qui, lib. 4. Fidei, cap. *26. Ex fornicatione* (inquit) *parietur, atque omnem ſatanæ afflatum ſuſcipiet. Deus etenim incredibilem quamdam futuræ ipſius voluntatis perverſitatem præſcens, diabolum in eo domicilium ſibi conſtituere ſinet.* Et Hieronymus, *in cap. 7. Danielis*, dicit; eum futurum unum ex hominibus: *in quo ſatanas habitaturus ſit corporaliter.* Non eo tamen modo, quo Energumenos dementat, aut rationis judicio privat, & libertate bene, maleve operandi; ſed illi integro, ſanoque judicio manente ac libertate arbitrii integra conſervata, quanta efficacitate poterit, omnem nequitiam inſtillabit, & quanta ſalva libertate voluntatis erit poſſibile.

II. Volunt aliqui, opera dæmonis ei anticipandum eſſe in infantia uſum rationis ad male agendum, ſicut ad bene agendum anticipatum fuiſſe dicimus Chriſto, & Jeremiæ, ac Joanni Baptiſtæ credimus. Sed hoc nulla, vel levi conjectura aſſeri poteſt. Et ſane ingens miraculum eſſet infanti mox concepto, aut recens nato uſum rationis, & libertatis anticipari, quod licet admittamus contigiſſe ad bonum, ut in Chriſto, & aliis prædictis; ad malum tamen, ut eſſet in Antichriſto, non eſſe admittendum cenſeo. Non tamen refragabor Malvendæ, qui, *lib. 2. cap. 19.* admittit, forſan Dæmonem interventu agentium naturalium ſic maturaturum corporeas facultates, ut multo celerius, quam cæteris ei illuceſcat vis intelligendi, & malitia præveniat ætatem, quod & in aliquibus puerulis cernimus, quos celerius aliis videmus malum a bono diſcernere.

III. Educatio Antichriſti erit in ipſa Babylone, ubi naſcetur, vel in locis vicinis. Nam cum, ut dicetur, inde Regnum ſit auſpicaturus, veroſimilius videtur, quod in eadem regione ſuæ ætatis primordia traducet. Additur, quod, cum ut ſupra dictum eſt, ex infimæ fæcis parentibus ſit Babylone procreandus, nulla ratio videtur ſuadere, ut mox natus ab ipſis in extrema pauperie conſtitutis e Babylone in Judæam transferatur, niſi forte ex illis vagis futuri ſint, qui circumforaneo mendicabulo nullibi conſiſtere ſolent. Libenter igitur adhæreo S. Jo: Damaſceno, qui, *lib. 4. Fidei, cap. 26.* dicit, Antichriſtum clam, & furtive educandum, ignoratis a vulgo ejus ſolo, natalibus, parentibus &c. Sic enim facilius imponet, ſe de Cælo lapſum, & quæcumque volet ſuo tempore finget. Quod ut facilius ipſi eveniat, non eſt improbanda ſententia Rabbani, Anſelmi, Bellovacenſis, & aliorum, qui putant, eum exacta infantia, & pueritiam ingreſſum, relictis parentibus, & Dæmone ipſum comitante, prima ſuæ malitiæ ſemina in Corozain, & Bethſaida ebibiturum, ut ea loca, quæ Chriſtus ſanctificavit, quantum poterit contaminet. Quo pertinere cenſent illa Domini comminationem, Matthæi 11. verſ. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida*, quibus hiſce Civitatibus aliquod grande malum portendit, quale erit, ſi in eis Antichriſtus ſuæ impietatis ſumet exordia.

§. II.

Ingenium.

IV. Antichriſtus erit ingenio perſpicaciſſimus: ſtudiis litterarum operam dabit, in quibus adeo proficiet, ut Anſelmus in Elucidario ſcribat, eum *ſapientia, & incredibili eloquentia omnes artes, & omnem Scripturam memoriter ſcisurum.* Sed præcipue omnis ejus cura erit in Sacris Scripturis evolvendis, ut ex eis prave intellectis poſſit Judæos decipere, ac ſe Meſſiam eis promiſſum venditare; Curabit etiam Oratoriam artem abſolutiſſime addiſcere, & exercere, ut eloquentia, & arte ſuam doctrinam Judæorum animis valeat infigere eoſque ad ſui ſequelam pertrahere, ad quem finem maxime proderunt naturales dotes ingenii, & linguæ, & continuum Dæmonis adjutorium.

V. Præcipue autem (licet clanculum, & in abdito) ſtrenuam operam dabit ſtudio curioſarum, & reprobatarum artium, & cujuſcumque generis Magiæ, adeo ut, præſertim Magiſtro Dæmone, evadet omni ex parte abſolutiſſimus Magus, necromanticus, divinator, ſortilegus, incantator, miris præſtigiis omnibus illudens. Talem eum deſcribit Cyrillus Jeroſ. *Catecheſi 15.* de illo dicens: *Inducit quemdam magnum hominem* (Antichriſtum) *veneficiis, incantationibus, & malis artibus inſtructiſſimum*, & Rabbanus, Opuſc. de Antichr. *Habebit* (inquit) *Antichriſtus magos, maleficos, incantatores, qui eum diabolo inſpirante nutrient, & docebunt in omni iniquitate, falſitate, & nefaria arte. Et maligni ſpiritus erunt duces ejus, & ſocii ſemper, & comites indiviſi.*

VI. Ex his aſſerere non dubitamus, Antichriſtum habiturum etiam dæmonem familiarem, eumque unum ex ſceleſtiſſimis, cujus conſilio, opera, ac doctrina, nec non præcipuo magiſterio in omnibus utetur, & qui præſertim in præſtigiis, incantationibus, & univerſa magia affatim imbutum, & inſtructum reddet: quod Lyranus, *in 2. Theſſal. 2.* adnotavit. Imo Rabbanus verbis mox citatis, non unum tantum, ſed plures dæmones ſocios, ac vitæ comites indiviſos eum habiturum affirmat. Nec mirum, erit enim jam tempus a Joanne, *Apoc. 20.* prædictum, quo diabolus per mille annos clauſus, & ligatus ſolvendus erit modico tempore, ut ſeducat omnes gentes. An vero Antichriſtus Angelum cuſtodem habiturus ſit, infra dicam.

§. III.

Mores Antichriſti.

VII. Mores Antichriſti deſcripſit Paulus. *2. Theſſal. 2. v.* dum ait, quod erit antonomaſtice *homo peccati, filius perditionis.* Principio tamen ſumma hypocriſi, fictis, ac ementitis probis moribus vitia, peſſimamque indolem teget, ſe virum juſti, bonique amatorem ſimulando, ut hac arte ad regnum ſibi paret viam. Ita ſentiunt Hyppolitus Martyr, Ephrem Syrus, Sanctus Cyrillus Jeroſ. *Catecheſ. 15.* his verbis: *Ac primum quidem tamquam prudens aliquis, & intelligens temperantiam, humanitatemque ſimulabit.* Sanctus Gregorius, *lib. 31. in Job cap. 17.* eum hypocritarum omnium caput appellat. Et Damaſcenus, lib. 4. de Fide Orthod. cap. *26. Atque* (inquit) *in regni quidem ſui, vel tyrannidis potius præludiis bonitatis ſpeciem præſeferet.* Ad hunc finem nempe alliciendi Judæos ad eum tamquam ſuum Meſſiam, ac Regem proclamandum, finget ſe magnum legis Moſaicæ zelatorem, & ſervatorem, de hac Antichriſti hypocriſi locutus typice videtur, Job 34. v. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*

VIII. Erit propterea omnium mortalium callidiſſimus, & vaferrimus. Ejus calliditatem, & vafritiem velut digito Scriptura demonſtrat primo, Geneſ. 49. v. 17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungula equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.* Coluber autem omnium animantium eſt inſidiator callidiſſimus, ut protoparentes noſtri noverunt. Secundo, Daniel. 11. v. 12. *Et veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia &c.* quæ affert Malvenda, *lib. 6. de Ant. cap. 2.*

IX. Sub hac hypocriſis, & verſutiæ larva initio teget omnigenam vitiorum colluviem, quam adeptus regnum in publicum effundet. Primo erit ſuperbiſſimus velut lucifer, & propterea gloriæ uſque ad divinitatem cupidiſſimus, cuncta ad propriam gloriam, & honorem referens. *Elevabitur* (inquit Daniel c. 11. v. 6.) *& magnificabitur adverſus omnem Deum.*

Deum. 2. Thessal. 2. v. 4. *Qui extollitur supra omnes, quod dicitur Deus*, aut quod colitur. Omnia propterea idola avertet, & Deos gentium tollet, non quidem, ut verum Deum extollat, neque ut quemquam Deorum colat, dicit enim Daniel ibi, v. 37. *Et Deum patrum suorum non reputabit . . . nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget.*

X. Quia vero statim subdit Daniel: *Deum autem Maozin in loco suo venerabitur, & Deum quem ignoraverunt patres ejus, colet auro, & argento, & lapide pretioso &c.* Quæstio est apud interpretes, & doctores, quis futurus sit Deus iste Maozin, quem, vero Deo relicto, ac diis gentium contemptis, colet Antichristus. Hanc fuse tractat Malvenda, *lib. 7. de Ant. cap.* 12. Quidam enim, quibus ipse adhæret advertentes, de Antichristo passim Scripturam dicere, quod elevabitur, magnificabitur supra omne quod dicitur Deus, quod omnes Deos gentium, ipsumque verum tollet, existimant Antichristum, se solum pro vero Deo ab omnibus coli, atque adorari impetraturum, & hunc putant esse Deum *Maozin*, seu hebraice *Maluzin*, hoc est se solum Deum fortissimum, & omnipotentem, & tandem statuam suam in templo Dei adorandam auro, argentoque ornatam erecturum.

Alii vero, inter quos Anselmus Laudunensis, Petrus Comestor, Lyranus, Pintus, Suarez &c. Deum *Maozin* existimant fore ipsum Diabolum, quem Antichristus occulte colet, & adorabit. Tametsi enim palam, & aperte omnes Deos sit exterminaturus, ac se solum Deum propalaturus, occulte tamen, & in abditissimis locis, in quibus aurum, argentum, omniaque pretiosa abscondet, Diabolum adorabit, & hic erit Deus Maozin, hoc est Deus fortitudinis, seu Deus fortis, robustus, potens, quo profitebitur, se fortitudinem, potentiam, dignitatem, opes, & omnia accepisse. Utraque tamen opinio, ut puto, conciliari poterit verbis Danielis sequentibus, v. 39. *Et faciet, ut muniat Maozin cum Deo alieno, quem cognovit*, nempe, Deum *Maozin* se ipsum, *muniat*, idest, fortem ac potentem faciat, *cum Deo alieno quem cognovit*, idest, Diabolo, quem ipse solus novit, quia in occulto, & secreto colet.

XI. Secundo, ut dicebamus, erit Antichristus insignis magus, & Diaboli sibi familiaris, quem colet, ope, & magisterio præstigias, & apparenter miracula sit operaturus, quæ licet non vera, quia nec diabolus, utpote creatura vera miracula, quæ supra totam naturam sunt, operari non potest, adeo tamen videntium oculi illudent, ut pro veris habenda sint, & tunc maxime impleatur Christi vaticinium, Matth. 24. v. 24. *Ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Signa vero, quæ operabitur Antichristus, in duplici esse poterunt differentia, vel in apparentia tantum, & per meram sensuum illusionem, quia nimirum, esto revera non fiant, talis tamen in objectis, vel sensibus fiat mutatio, ut videantur, & appareant vere facta, ut quamvis Dæmonis ope suscitari vere mortuum non possit, fieri tamen potest, ut mortuum appareat, quod est revera vivum, aut quod appareat vivum, quod est revera mortuum. Vel in rei veritate, quia nimirum licet vires humanas superent, possunt tamen a dæmone fieri potentioris virtutis per velocissimam, & occultam causarum secundarum applicationem, quas ipse bene novit. Sic potest excitare in mari subito tempestates, in aere tonitrua, fulmina, in humanis corporibus ægritudines, sanitates &c. ut in magis Pharaonis virgas in serpentes transferre potuit.

Hisce signis, falsisque miraculis utetur Antichristus, seu verius diabolus ad confirmandas blasphemias, quas evomet in Deum, & Sanctos, suamque falsam doctrinam, qua se verum Messiam, & supra omnem Deum palam proclamabit.

XII. Tertio, erit rapacissimus, & rapinis, & fraudibus, aliisque malis artibus immensas opes undique cumulabit. Hac enim nequitia vir natalibus vilissimus, & fortunæ bonis pauperrimus, opitulante dæmone favorem populi auspicabitur, viamque sternet ad tyrannidem, donec regno potitus, publicis rapinis direptionibus, ac spoliis suum impleat ærarium, quibus comparatis exercitibus, ac cæteris regibus subactis ad Monarchiam universalem ascendet, ut dicetur. Ita eum describit Daniel *cap.* 11. v. 24. *Et abundantes, & uberes urbes ingredietur, & faciat, quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus: rapinas, & prædas, & divitias eorum dissipabit, & contra firmissimas cogitationes inibit: & hoc usque ad tempus.* Quæ licet de Antiocho litteraliter dicta exponantur, de eo tamen ut Antichristi typo dici, & ad Antichristum præcipue referenda esse omnes consentiunt.

XIII. Quarto, fœdissimis libidinibus totus deditus erit. Unde, *Daniel.* 11. *v.* 37. de eo dicitur: *Et erit in concupiscentiis fœminarum.* Esto autem textus Hebraicus sensum ad minus ambiguum facere videatur, lectio tamen vulgata præferenda est, ut supra diximus, *dub.* 2. §. 3. *num.* 37. Utrumque tamen conciliari posse dicit Malvenda, *lib. 6. de Antichr. cap.* 21. quod a principio, ut sibi hypocrisim justi, & sancti nomen acquirat, & viam sibi sternat ad regnum, mirifice simulaturum se mulierum consortium aspernari, ut regno potius, quemadmodum omne numen palam contemnet: ita in omne libidinum genus sese effundet, tum ut suæ concupiscentiæ indulgeat. Tum etiam hoc titulo a Judæis pro Messia suscipiatur, quem uxores multas, & concubinas habiturum, ut olim in veteri lege, omnemque exsaturandæ libidinis licentiam concessurum expectant.

§. IV.

Doctrina, & Miracula.

XIV. EX prænarratis Antichristi turpissimis moribus colligere poterit quispiam, qualis futura sit ejus doctrina. Primo ergo in rerum suarum exordiis se vindicem legis mosaicæ ostendet, & circumcisionis, aliarumque legalium cæremoniarum restitutorem, ut animos Judæorum ad se tamquam Messiam resipiendum alliciat. Ad summam Monarchiam evectus eo blasphemiæ prorumpet, ut se Deum verum insolentissime jactet, omnia contemnat, legem Mosaicam pessumdet, sedeatque in templo Dei tamquam Deus, nihilque pro lege haberi mandet, nisi quod ipse jusserit. Hoc testantur sæpe allata Scripturæ loca, ut Danielis 11. v. 37. & 2. Thessal. 2. v. 4. *Qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Unde Patres omnes hoc testantur. Irenæus, lib. 5. c. 25. *Antichristus* (inquit) *existens apostata, & latro quasi Deus vult adorari*, Lactantius lib. 7. cap. 17. *Seipsum constituet, ac vocabit Deum, & se coli jubebit, ut Dei filium.* Chrysostomus, Homil. 40. in Joann. sic habet: *ille enim antichristus, neque se missum a Patre, neque ejus voluntate venire dicet, sed omnem potestatem sibi vindicabit, se omnium Deum profitebitur, ut Paulus inquit, in omnibus dicentem se Deum, aut quod colitur ostendentem seipsum Deum esse.* Quomodo autem sit obtenturus ille nequam, ut tamquam Deus ab omnibus adoretur, exponit Sanctus Hyppolitus Martyr, *Orat. de consumm. Mundi*, sic: *Cunctis autem populis ad eum congregatis, & fausta ei acclamantibus, grandi, & magnifica voce, ita ut moveatur locus, in quo turba consistent, ita eos alloquetur. Perspicit populi, ac gentes omnes incomparabilem gloriam meam, atque imperii potentiam, & magnificentiam, qui princeps tam potens, ut ego sum? Quis Deus magnus præter me? Potentiæ meæ quis resistet? Assistentes præterea ipsi dæmones splendentium Angelorum speciem referentes, eumque divinis laudibus, & honoribus celebrantes, aliquando in Cælum evehentes, deinde ingenti pompa, & spectantium stupore de Cælo in terram deducentes.* Eadem Sanctus Ephrem, *Serm. de Antichr.* a Sancto Hyppolito excerpta. Ex his non temere existimamus, ab eo templum Jerosolymitanum excitandum, ornandumque, ac numini suo consecraturum, sibique hostias offerri jussurum: hoc enim prælaudata Pauli verba indicare videntur: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.*

XV. Secundo, ejus doctrina tota erit contra Christum Jesum, ostendens, eum non fuisse verum Messiam, nec filium Dei, nec humani generis redemptorem, sed impostorem; ac proinde totam ejus religionem, sacramenta, ritus esse vanam superstitionem. Id enim nomen Antichristi sonat, ut ostensum est, & 1. Jo: 2. v. 22. *Qui negat, quoniam Jesus est Christus: hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.*

XVI. Tertio docebit, portandum, & portari præcipiet a cunctis suis assectis characterem in manu, vel in fronte: ita ut nemo possit aliquid vendere, aut emere, nisi habeat characterem, aut nomen, aut numerum nominis ejus. Ita Apoc. 13. vers. 16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Hoc autem impius ille præcipiet, sive ut æmuletur veterem legem, cujus verba in cordibus. in postibus, inter oculos, in brachiis, in manibus gestare Israelitæ jubebantur, *Deuteron. 6. vers. 8. &c.* Sive ut ait Sanctus Ephrem, Serm. de Antichristo: *Dabit hoc suum signum sceleſtus ille, non quidem promiscue pro quolibet corporis membro, ne hoc grave sit, atque molestum ipsis: sed in dexteram manum, ac frontem insculpturus est homini characterem hunc suum impium: ne scilicet faculeas sit homini dextera se signandi signo Salvatoris nostri: neque rursus in fronte ullatenus tremendum sanctumque Domini nomen imprimere queat; neque etiam gloriosam, atque formidabilem Salvatoris crucem insculpere. Novit quippe infelix ille, per impressionem crucis Domini potestatem sibi omnem ademptam iri.* Hæc Sanctus Ephrem, quibus apparet, quam perantiquus sit ritus signandi frontem dextera signo crucis, & quam tremendum sit diabolo, & futurum sit Antichristo ministo ejus.

XVII. Quis autem futurum sit iste character, nonnisi divinando determinari potest: de hoc plura dicit Malvenda, *lib.* 8. *cap.* 18. Quidam, quibus adhæret, volunt, characterem hunc fore nomen ipsum Antichristi litteris devertatis inscriptum. Alii draconis effigiens, in qua se adorari jubebit. Alii tres ponunt Antichristi characteres. Unum imaginem ejus ad vivum expressam, alterum nomen ejus propriis litteris scriptum. Tertium nomen ejus numero 666. per compendium insculptum. S. autem Hyppolitus putat nomen, & simul characterem futurum nomen

græcum *Arneuma*, quod eſt *Nego*, & idem ſignificabit quod *nego Chriſtum*, vel *nego Baptiſma*, aut *nego Crucifixum*. Alii tandem dicunt futurum nomen P. cum X. adjecta tranſverſa linea utramque litteram interſecante vi-

delicet  Sed hæc obſcura ſunt.

XVIII. Quod miracula, non quidem vera, ſed apparentia, quæ editurus erit Antichriſtus in confirmatione ſuæ doctrinæ de quibus, §. *præced. num.* 11. prænuntiata ea habemus tum a Chriſto, *Matth.* 24. *v.* 23. Tum a Paulo 2. Theſſ. 2. v. 9. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, in omni ſeductione iniquitatis, iis qui pereunt*. Præter dæmonum ſub ſpecie Angelorum ei viſibiliter aſſiſtentium frequentiam, de qua ſupra ex S. Ephrem tria, *in Apocal. c.* 13. recenſentur. Primum, & præcipuum miraculum erit, quo finget ſe mortuum, & poſtea ſua ementita potentia a mortuis ſe evocatum. Ita v. 3. *Et vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt. Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam*. Dicitur, *quaſi occiſum in mortem*. Cum non vere mortuus, ſed ſpecietenus tantum Antichriſtus ſit occidendus. Additur: *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam*. Quia totus mundus ferme tanto miraculo ſtupefactus, poſt eum abibit, eumque ut verum Deum adorabit. Unde, *v.* 12. ſubditur: *Et fecit terram, & habitantes in ea adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis*. Ita ſentiunt Primaſius, Beda, Rupertus, Anſelmus, & S. Anſelmus. Quibus accedit S. Gregorius, *l.* 11. *Ep.* 3.

Solum hic faceſſit negotium, quod non dicatur beſtia quaſi occiſa, ſed *unum ex capitibus ſuis*. Ex quo videtur colligi, non ipſum Antichriſtum in beſtia ementite moriturum, ſed unum ex ſeptem Regibus ei ſubjectis; & in ſeptem beſtiæ capitibus indicatum. Sed bene notat Malvenda, *lib.* 7. *c.* 21. non dici unum ex capitibus ſeptem, ſed *unum de capitibus ſuis*, quo indicatur, beſtiam illam præter ſeptem capita figurantia ſeptem Reges, habituram etiam caput proprium, & primarium, ac præcipuum, & in hoc vulnerandam eſſe ad mortem beſtiam, & poſtea reviviturum, quæ beſtia Antichriſtum ſignificat, & propterea, v. 12. quod *fecit terram, & habitantes in ea adorare beſtiam primam* (non dicit caput Beſtiæ) *cujus curata eſt plaga mortis*.

XIX. Alterum falſum miraculum erit, quod faciet ignem de Cælo deſcendere. Ita, v. 13. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum*; hoc autem, cum vires diaboli non ſuperet, non erit verum miraculum.

XX. Tertium erit, quo præcurſor, ſeu armiger Antichriſti faciet ſtatuam ejus loqui, v. 15. *Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ*. Quod etiam dæmon facere poteſt, ſicut fecit per idola, & pythones.

XXI. Aliud miraculum ab Antichriſto tentandum, cenſent aliqui quod aliquo tempore poſt ſimulatam mortem & reſurrectionem ſpectante infinita hominum multitudine e Monte Oliveti ſimulabit, ſe in Cælum aſcendere, dæmonibus ipſum extollentibus, & cunctis admirantibus, ejuſque divinitati acclamantibus, & mox deſcendere in terram, & putant hoc deduci ex, *c.* 11. *Danielis*, *v.* 45. Alii tamen exiſtimant, quod Chriſtus, dum hoc miraculum tentabit, & in aera elevabitur, eum viſibiliter dejiciet in terram, & interficiet. Eum enim publice occidendum inferius dicetur.

§. V.

An habiturus ſit Angelum Cuſtodem?

XXII. QUamvis omnium Catholicorum ſententia ſit, cuilibet homini a momento ſuæ nativitatis cujuſcumque nationis, conditionis aut religionis exiſtant, Angelum ſpecialiter a Deo deputari, qui velut ductor, ac pedagogus eum in viam ſalutis dirigere inviſibiliter curet: De homine perditiſſimo, qualis erit Antichriſtus dictus propterea a Paulo, 2. Theſſ. 2. v. 3. *Homo peccati, filius perditionis*, merito dubitari poteſt, an tali privilegio ſit donandus.

XXIII. Affirmative tamen reſpondendum eſt cum communi Theologorum conſenſu præeunte S. Thoma qui, 1. *p. q.* 113. *art.* 4. *ad* 3. hæc ſcribit: *Sicut præſciti, & infideles, & etiam Antichriſtus, non privantur interiori auxilio naturalis rationis: ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitus conceſſo, ſcilicet cuſtodia Angelorum, per quam etſi non juventur quantum ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur, juvantur tamen quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & ſibi ipſis, & aliis nocere poſſunt. Nam & ipſi dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt. Et ſimiliter Antichriſtus non tantum nocebit quantum vellet.*

Addunt interpretes, idcirco etiam Antichriſto Angelum cuſtodem deſtinandum, ut multo dignior æterna damnatione cenſeri debeat, & magis perſpicua reddatur deplorata, & extrema ejus depravatio, quod divinis monitis, & ſalutaribus Angeli rectoris inſtillationibus, tam ſurdas, & ferreas ſit objecturus aures, eaque ita ſit aſpernaturus, ut nihil inde ſit hauſurus ad ſuam ſalutem, ſed potius ad corruptelam ſit abuſurus.

XXIV. Volunt quidem aliqui, Antichriſtum paulo poſt, quam cœperit uti ratione, a cuſtode Angelo penitus deſerendum, cum viderit S. Angelus ob enormem illius impietatem, ſe in eo cuſtodiendo, regendo, & informando operam omnem, ac diligentiam perdere, & ſurdo canere — Sed contrarium ſentit S. Th. citato loco, *art.* 6. *in Corp.* ubi generaliter, dicit: *Quod cuſtodia Angelis eſt quædam executio divinæ providentiæ circa homines facta. Manifeſtum eſt autem quod nec homo, nec res aliqua totaliter divinæ providentiæ ſubtrahitur. In quantum enim aliquid participat de eſſe, in tantum ſubditur univerſali providentiæ omnium. Sed in tantum Deus ſecundum ordinem ſuæ providentiæ dicitur hominem derelinquere, in quantum permittit hominem pati aliquem defectum, vel pœnæ, vel culpæ. Similiter etiam dicendum eſt, quod Angelus cuſtos nunquam totaliter dimittit hominem, ſed ad aliquid interdum eum dimittit, pro ut ſcilicet non impedit, quin ſubdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, ſecundum ordinem divinorum judiciorum. Et ſecundum hoc Babylon, & Domus Iſrael ab Angelis derelictæ dicuntur, quia Angeli eorum cuſtodes non impediverunt quin tribulationibus ſubderentur*. Ita Antichriſtus ab Angelo non totaliter derelinquetur, ſed ſolum ob ejus in malo obſtinationem effectus cuſtodiæ in illo impedietur. Immo ſicut exiſtimandum non eſt Deum, ex parte ſua ei denegaturum gratiam ſuam ſufficientem, quamvis ejus effectui impedimentum ſit poſiturus: nec exiſtimandum eſt eum ab Angelo quantum eſt ex parte Angeli, cujus curæ commiſſus eſt, totaliter deſerendum. Tanta enim erit Antichriſti malitia, tam frequens uſus operandi, & cogitandi mala, tantaque cum dæmone familiaritas, & conjunctio, ut vix umquam daturus ſit locum alicui bonæ inſpirationi, aut effectui ſpirituali angelicæ cuſtodiæ, aut divinæ gratiæ.

DUBIUM V.

De Antichriſti Regno, & Perſecutione.

§. I.

Modus quo aſcendet ad Regnum.

I. CErtum eſt, quod Antichriſtus hæreditario jure regnum non obtinebit, nec ullo juſto titulo, ſed ſolis fraudibus, & nequiſſimorum hominum præſertim ex Judæis, quorum animos mille artibus ſibi devinciet, acclamantibus, diabolo etiam ſuas partes agente, Rex annuntiabitur. Cum enim dixerimus, ipſum naſciturum ex viliſſimis parentibus, ex genere, & familia ſordida, & infami, ac prorſus abjectæ ſortis, ad regios honores aſcendere non poterit, niſi fraudulentia, & malis artibus. Ita prædixit Daniel, c. 11. v. 21. *Et ſtabit in loco ejus deſpectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia*. Quæ licet de Antiocho Epiphane aliqualiter exponi poſſint, ait tamen S. Hieronymus ibi quod communiter a Chriſtianis de Antichriſto rectius intelliguntur: *Noſtri autem, & melius interpretantur, & rectius, quod in fine mundi hæc ſit facturus Antichriſtus. Qui conſurgere habet de modica gente, ideſt, de populo Judæorum, & tam humilis erit, atque deſpectus, ut ei non detur honor regius, & per inſidias, & fraudulentiam obtineat principatum*. Eadem dicit Theodoretus, S. Cyrillus Jeroſol. *Catech.* 15. aliique omnes. Fraudes, quibus ad regnum aſcendet, deſcripſit S. Hippolytus Martyr, *l. de confirm. Mundi*. Erunt, nempe, hypocriſis, omniumque virtutum, clementiæ, beneficientiæ, juſtitiæ, Moſaicæ Religionis ementita ſimulatio, quibus permotus populus, & potiſſimum gens Judæorum, ſe nunquam ſimilem habuiſſe, aut habituram eſſe reputans, regem ſuum communi conſenſu acclamabit: *Atque initio quidem mendax, & iniquus ille ſubdole gloriam hanc repudiabit: at perſeverantes homines, & obſecrantes illum declarabunt Regem*. Ita Sanctus Hyppolitus, quem S. Ephrem, *Serm. de Antich.* ſequitur.

II. Hiſce artibus regnum adeptus tres Reges Ægypti, Libiæ, atque Ethiopiæ bello aggredietur, & eorum regna, illis devictis, occupabit. Ita Daniel, *cap.* 7. de beſtia quarta habente cornua decem ſignificantia Reges terræ, v. 8. *Conſiderabam* (inquit) *cornua: & ecce cornu aliud parvulum* (Antichriſtus ex vili, & obſcuro principio) *ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis evulſa ſunt a facie ejus*. Et v. 24. *Porro* (inquit) *cornua decem ipſius Regni* (Romani Imperii) *decem Reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit*. Explicans autem quinam futuri ſint hi tres Reges, cap. 11. v. 42. *Et mittet* (inquit) *manum ſuam in terras, & terra Ægypti non effugiet. Et dominabitur Theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſi Ægypti, per Lybiam quoque, & Ethiopiam tranſibit*. In quæ Hieronymus, & præcipue in cap. 7. ait: *Dicamus, quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione Mundi, quando*

quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe dividant, & undecimum ſurrecturum eſſe Regem parvulum (Antichriſtum) *qui tres Reges de decem Regibus ſuperaturus ſit, ideſt, Ægyptiorum, & Africæ, & Ethiopiæ, quibus interfectis, & alii ſeptem Reges victori colla ſubmittent.* De tribus Regibus ab Antichriſto occidendis idem ſentiunt Irenæus, *l.* 5. Lactantius, *lib.* 7. *c.* 16. & Theodoretus, *in c.* 7. *&* 11. *Danielis.*

Quod reliquos autem ſeptem Reges tribus præfatis Regibus debellatis victori Antichriſto ſubjiciendos, colligo ex Daniele, *c.* 11. *v.* 44. dicente quod occupatis Ægypto, Lybia, & Ethiopia: *Fama turbabit eum ab Oriente, & Aquilone*, audiens nimirum ex illis partibus ingentes copias adventare, timenſque, ne adverſus ſe ſint pugnaturæ, *veniet in multitudine magna, ut conterat, & interficiat plurimos.* His igitur ſeptem orbis Regibus ſuo imperio, vel ſubactis, vel ejus potentiæ terrore devinctis, monarcha totius orbis fiet Antichriſtus, & ſedem ſuam Jeroſolymam transferet, ibique figet, ut etiam hoc titulo ſe verum Meſſiam Judæis ementiatur. Sed de hoc infra.

Hanc Antichriſti Monarchiam legimus, Apoc. 17. v. 12. ubi Angelus Joanni dicit: *Et decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt ... Hi unum conſilium habent, & virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.* Et confirmat Hieronymus in cap. 11. Daniel. v. 24. in illud: *Et faciet, quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus &c.* dicens: *Nullus Judæorum abſque Antichriſto in toto unquam orbe regnavit*, & Cyrillus Jeroſolym. *Catecheſi* 15. dicit, Antichriſtum monarchiam adepturum, quæ antea fuerat Romanorum. Idem Chryſoſt. *in* 2. *Theſſal.* 2.

III. Nunc modernos Hæreticos voco, ut dicant mihi, an præfata Romano Pontifici, quem Antichriſtum eſſe contendunt, aptari poſſint? Antichriſtus erit ab exordio ſui ortus homo obſcuriſſimus. Dicent ne hoc de Romano Pontifice primis ſexcentis annis, & proinde tunc repente per fraudes locum excelſum occupaſſe? Negabit hoc inter cæteros Auguſt. *Epiſt.* 162. modo 43. dicens: *Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ Principatus.* Antichriſtus tres Reges, Ægypti nempe, Lybiæ, & Ethiopiæ interficiet, & eorum regna ſubjugabit. At quandonam Romanus Pontifex occidit Reges Ægypti, Lybiæ, & Ethiopiæ eorumque regna ſubjecit? Antichriſtus tandem omnibus Regibus deletis a terra, ſolus monarcha toti orbi imperabit. At quandonam Romanus Pontifex Reges terræ delevit, Romanum Imperium deſtruxit, ut ipſe ſolus monarcha orbis fieret? Nonne hæc omnia deliria ſunt veſana mente concepta?

§. II.

Sedes Regni Antichriſti.

IV. ADhuc non quieſcunt Recentiores Acatholici, Ut enim firment, Papam eſſe Antichriſtum, volunt præcipuam hujus ſedem eſſe Romam, ſeu Cathedram Apoſtolicam Romæ fundatam, in qua Papa ſedens ſe totius orbis principatum monarchicum totius orbis tenere vendicat. Et probare nituntur primo. Quia, *Apoc.* 17. *verſ.* 9. Joannes de ſede Antichriſti loquens dicit, eſſe urbem magnam, quæ ſedet ſuper ſeptem colles, & habet regnum ſuper Reges terræ.

Secundo. Paulus, 2. *Theſſal.* 2. *v.* 4. dicit, quod Antichriſtus ſedebit *in Templo Dei.* Templum autem Dei abſolute prolatum, & verum non eſt niſi Eccleſia. Nam Templa Gentilium ſunt Templa, ſed Dæmonum, non Dei. Templum Judæorum erat quidem Dei, ſed jam deſierat eſſe Templum, cum deſiiſſet ſacrificium, & ſacerdotium Judaicum. Et præterea Templum illud erat deſtruendum, uti paulo poſt fuit deſtructum, & numquam in æternum reædificandum, dicente Daniele, cap. 9. v. 27. *Et uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.*

Tertio. Gregorius, *l.* 4. *Ep.* 38. ad Joann. Canſtantinop. *Rex* (inquit) *ſuperbiæ prope eſt, & quod dici quoque nefas eſt, Sacerdotum ei præparatur exercitus.* Ex quibus arguunt primo. Ex Gregorio Joannes Conſtantinopolitanus præcurrere dicitur Antichriſtum, quia vult appellari Epiſcopum univerſalem, ergo Antichriſtus ille erit, qui re ipſa ſe facit Epiſcopum univerſalem, & Eccleſiæ univerſalis caput, qualem ſe modo facit Romanus Pontifex. Secundo, exercitus Antichriſti erunt Sacerdotes, igitur Antichriſtus erit Princeps Sacerdotum. Quis autem talem ſe jactat niſi Papa? His tamen non obſtantibus.

V. Dico, ſedem Antichriſti futuram, non Romam, ſed in exordio regni ſui Babylonem Chaldaicam, & tandem Jeroſolymam. Quod Antichriſtus exordia regni ſui in Babylonem ſit auſpicaturus, cohæret cum iis, quæ diximus, nempe, quod in ea Civitate habiturus ſit natalia, & parentes, in ea educandus, & in ea pueritiam, & adoleſcentiam traducturus. Accedit, quod Judæi in Babylone magno ſtudio conſervant progeniem ex familia David, ex qua Regem ſuum Meſſiam, quem expectant, credunt proditurum. S. Hieronymus, *in cap.* 11. *Danielis*, ad verba illa: *Et concitabitur fortitudo ejus &c.* exponens ſuam, & Eccleſiæ Patrum ſententiam, ait: *Noſtri autem ſecundum ſuperiorem ſenſum interpretantur omnia de Antichriſto, qui naſciturus eſt de populo Judæorum, & de Babylone venturus primum ſuperaturus eſt Regem Ægypti &c.* Idem ſentiunt Lactantius, *lib.* 7. *cap.* 17. Aretas Cæſarienſis, eſtque communior Theologorum opinio.

VI. Colligitur quoque ex Zacharia 5. v. 9. *Et levaverunt amphoram inter terram, & Cælum. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me; Quo iſtæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar: & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.* Ubi ſeptuaginta Interpretes loco: *In terra Sennaar*, legunt: *In terra Babylonis:* quia ut ait Hieronymus *Sennaar* eſt campus Chaldæorum, in quo ædificata eſt Babylon, *Geneſ.* 11. In eo autem textu per *amphoram* ſignificatur menſura peccatorum populi Judaici, propter quæ durabit divinum ſupplicium diſperſionis per orbem uſque ad adventum Antichriſti, quo tempore ædificabitur Judæis domus Babylone, eo quod incipiet regnare ibi Antichriſtus, & ab illis ibidem ex toto orbe congregatis, tamquam Meſſias recipietur. Hunc textum fuſe expendit Malvenda, *lib.* 5. *de Antich. cap.* 4.

VII. Nec deſunt probabiles conjecturæ. Si enim rem attente conſideremus, inveniemus, immaniores apoſtatas, ac Dei contemptores a Babylone erupiſſe, & in ea ſediſſe. Eam condidit Nembrod, & ſedem ſui Regni conſtituit, qui primus homo apoſtaticus, ſe authorem impiis, & atheis præbuit, typumque Antichriſti primum geſſit. Nabuchodonoſor, atque Antiochus Epiphanes, qui præ cæteris Antichriſti imagines extitere, quique Eccleſiam veterem acerbioribus calamitatibus afflixere, Reges Babylonis fuere: ergo par eſſe videtur, ut omnium truculentiſſimus, & poſtremus Eccleſiæ hoſtis, Regnum e Babylone incipiat, & ubi primo habuit ortum, ibi tandem conſummetur iniquitas.

VIII. Quod autem Jeroſolymis ſedem ſuam fixurus ſit Antichriſtus, communis eſt Patrum, & Theologorum ſententia. Ea indicavit Lactantius, *l.* 6. *c.* 15. & *l.* 7. *c.* 17. dum ait, Antichriſtum regnaturum in Oriente, & in Syria. Eam expreſſe docent Patres omnes, qui ex Paulo aſſerunt, Antichriſtum in Templo Jeroſolymitano ſeſſurum, ibi oſtenſurum, ac prædicaturum ſe Deum eſſe. Sulpitius Severus ex ore S. Martini, *Dialog.* 2. refert: *Ab Antichriſto orientale imperium eſſe capiendum, qui quidem ſedem, & caput Regni Jeroſolymam eſſet habiturus, ab illo urbem, & Templum eſſe reparandum.* S. Irenæus, l. 5. *Cum Antichriſtus* (inquit) *ſederit in Templo Jeroſolymis, tunc veniet Dominus &c.* Hypolitus Martyr, Orat. de conſumm. Mundi: *Templum conſtruet Jeroſolymis*, Cyrillus Jeroſolym. cap. 15. *Quale Templum dicit Apoſtolus. In templo, quod reliquum eſt Judæorum. Abſit enim ut in hoc id fiat, in quo ſumus.* Andreas Cæſarienſis in cap. 11. Apoc. ait: *in Jeruſalem namque Civitate, ad imitationem Davidis, regni ſedem, ut probabile ſit, conſtituet Antichriſtus.*

IX. Hoc etiam indicant Scripturæ. Daniel, *cap.* 11. *v.* 41. ubi exponens, quid acturus ſit Antichriſtus debellatis tribus Regibus, & in regno firmatus, dicit: *Et introibit in terram glorioſam.* Hoc autem nomine Judæam, & Jeruſalem intelligi denotant verba quæ ſequuntur, v. 45. *Et figet tabernaculum ſuum Apadne inter duo Maria ſuper montem inclytum, & ſanctum.* Super quæ S. Hieronymus referens ſententiam Catholicorum: *Noſtri autem* (inquit) *extremum viſionis hujus Danielis capitulum ſuper Antichriſto ſic exponunt, quod pugnans contra Ægyptios, Lybioſque, & Æthiopes, & tria cornua de decem cornibus conterens, auditurus ſit de Aquilonis, & Orientis partibus adverſum ſe bella conſurgere, quod veniens cum magna multitudine, ut conterat, & interficiat plurimos, figat tabernaculum ſuum in Apadne juxta Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur, ubi incipiunt Judææ Provinciæ montana conſurgere. Denique inde ſe erigens uſque ad Montem Oliveti, quo Jeroſolymorum regio aſcenditur: hoc eſſe quod nunc Scriptura dicit. Et cum fixerit tabernaculum ſuum in montana Provinciæ radicibus inter duo Maria, mare videlicet, quod nunc appellatur* mortuum, *ab Oriente, & mare* magnum, *in cujus littore Cæſareæ, Joppe, Aſcalon, & Gazæ ſitæ ſunt: Tunc veniet uſque ad ſummitatem montis ejus, hoc eſt, montanæ Provinciæ, ideſt, verticem Montis Oliveti, qui* inclytus *vocatur, quia ex eo Dominus, atque Salvator aſcendit ad Patrem.* Hæc S. Hieron. quæ bene notanda ſunt. Eum ſequitur Theodoretus, omneſque poſteriores Interpretes ſummo conſenſu hanc Hieronymi interpretationem amplexi ſunt.

X. Accedit Joannes, qui, *Apoc.* 11. ubi de duobus Prophetis (qui ut dicemus erunt Henoch, & Elias, ait, quod Antichriſtus *occidet eos* (verſ. 8.) *& corpora eorum jacebunt in plateis Civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.* In quem locum Aretas, *Corpora* (inquit) *ipſorum inſepulta projiciet in plateis Jeruſalem. In ea enim regnabit tamquam rex Judæorum.* Et ſimiliter omnes alii expoſitores. Quæ enim eſt Civitas, ubi Dominus crucifixus eſt, niſi Jeruſalem? Sed cur Joannes vocat eam Sodomam, & Ægyptum, cum Jeruſalem ſemper vocetur Civitas Sancta? —— Reſpondeo, terrenam Jeruſalem, licet ob myſteria, quæ ibi operatus eſt Chriſtus, dicatur Civitas Sancta, propter tamen flagitia, & libidines Judæorum, quibus maxime tempore Antichriſti plena erit, recte ſpiritualiter, dici, *Sodomam*, ſicut eam hoc nomine vocavit Iſaias, c. 1. Qui cum præmiſiſſet titulum: *Viſio Iſaiæ filii Amos, quam vidit ſuper Judam, & Jeruſalem*, increpans poſtea ejus ſcelera, verſ. 10. *Audite* (in-

(inquit) *verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Sodomorum.*

XI. Paulus item, 2. *Theſſal. 2. verſ.* 4. de Antichriſto dicit fore adeo ſuperbum *ut in Templo Dei ſedeat oſtendens ſe, tamquam ſit Deus.* Nomine autem *Templi Dei* Templum Jeroſolymæ intelligunt Patres Irenæus, *lib. 5. Cum Antichriſtus ſederit in templo Jeroſolymis, tunc veniet Dominus &c.* Hyppolitus Martyr, Orat. de conſummat. Mundi: *Templum* (inquit) *conſtruet Jeroſolymis.* Idem ſentiunt Sulpitius Severus, & Cyrillus Jeroſolymitanus ſupra laudati. Ad ea quæ protulimus ex Acatholicis reſpondebitur ſtatim.

XII. Interim advertat Lector, quod cum ex dictis Antichriſtus ſit futurus Judæus, Judæorum Rex, & Meſſias, abſque dubio ſedem ſuam Jeroſolymis figet. Et Templum Salomonis reſtituere aggredietur. Nihil enim aliud ſomniant Judæi, quam Jeruſalem, & Templum, neque videntur unquam accepturi pro Meſſia ullum, qui Jeroſolymis non ſedeat, & Templum, victimas, & ſacrificia aliquomodo non reſtituat. De hoc fuſe Malvenda, *lib.* 11. *de Ant. cap. 6. &c.*

XIII. Nunc ad momenta hæreticorum ſupra relata reſpondendum eſt. Ad primum. Dico, abſtruſiſſimum illud oraculum in muliere fornicaria, deſignare quidem urbem Romam, ſed Ethnicam, qualis erat tempore Joannis, quæ ſedebat ſuper beſtia, ideſt, ſuper Antichriſto, cujus in perſecutionibus, quibus fideles torquebat, prænuntia erat. Septem autem Reges fuerunt Nero, & ſubſequentes Imperatores Chriſtiani nominis hoſtes, quod ex eo colligo, quia Joannes dicit ſe loqui de illa Roma quæ ebria erat de ſanguine Martyrum Jeſu, & tenebat imperium ſuper Reges terræ. Quæ certe non habent locum niſi in ea Roma, quæ regnantibus Nerone, & ſucceſſoribus imperium tenebat. Quod ſi adhuc velint hæretici, Joannem loqui de Roma Chriſtiana, vel loqui volunt de Roma Chriſtiana ſui temporis. Et ſic tenebuntur concedere, quod jam tunc Romana Eccleſia a Chriſto apoſtataverat, & jam tunc regnabat Antichriſtus, quod eſt contra ipſos, & contra Paulum in *Epiſt. ad Rom. cap. 1. v.* 8. qui gratulatur Romanis, quod eorum fides *annuntiatur in univerſo Mundo.* Vel Joannem loqui de Roma Chriſtiana, quæ poſt aliqua, ut ajunt, ſæcula erat ad Antichriſtum defectura. Et ſic nec habebunt intentum, eam futuram Antichriſti ſedem. Nam Joannes ibi, *v. 16.* dicit, Deum Reges, qui ſibi divident Romanum Imperium, & quibus regnantibus veniet Antichriſtus, odio habituros purpuratam meretricem, Romam nempe, eamque deſolatam facturos, & igni crematuros. Non erit ergo ſedes Antichriſti, quæ Antichriſti temporibus evertenda eſt, & comburenda.

XIV. Ad ſecundum ex Paulo. Primo, contra hæreticos ſic arguo. Si Paulus per templum, in quo ſeſſurus eſt Antichriſtus, intellexit Eccleſiam Romanam, certe non Apoſtaticam; alias eam non vocaſſet *Templum Dei, ſed templum diaboli*: ergo intellexit Eccleſiam Chriſti veram; ergo Eccleſia, in qua Romanus Pontifex (qui juxta ipſos eſt Antichriſtus) ſedet, & cujus eſt caput, eſt Eccleſia Chriſti vera; ergo cum Eccleſia una tantum ſit, ſicut unus eſt Chriſtus, Lutherani, Calviniſtæ &c. qui ab Eccleſia, quæ ſub Papa eſt alieni ſunt, extra veram Chriſti Eccleſiam ſunt. —— Nec dicas cum Calvino, *lib. 4. Inſt. cap. 2. §. 11.* ſub Papa eſſe non tam Eccleſiam, quam ruinas Eccleſiæ. —— Nam primo. Si ruit Chriſti Eccleſia: ergo mentita eſt veritas, quæ, *Matth. 16. v.* 18. dixit: *Et porta inferi non prævalebunt adverſus eam.* —— Secundo. Si ruinæ Eccleſiæ ſub Papa ſunt, ſub eo erit fundamentum, & ædificium licet ſemirutum Eccleſiæ Chriſti. Quæro igitur. Eccleſia Lutherana, Calviniſtica, quænam Eccleſia erit? Non ruinæ, aut ædificium ſemirutum Eccleſiæ Chriſti: nam hæc ſub Papa ſunt. Ergo erit novum ædificium ſub alio fundamento, quam Chriſti erectum; ergo non erit Chriſti Eccleſia, quia non ædificata ſuper fundamentum Chriſti contra monitum, Pauli 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

XV. Secundo. Reſpondeo, Paulum ibi loqui de Templo Salomonis, quod ſolum eo tempore Templum Dei vocabatur. Ita ut diximus, Patres omnes, Cyrillus Jeroſolymit. *Catech. 5.* Sanctus Illarius, *in cap. 24. Matth.* Ambroſius, *in cap. 21. Lucæ*, Damaſcenus, *lib. 4. Fidei, c. 27. In templo* (inquit) *non noſtro, ſed Judaico veteri.* Et ſane nuſquam in novo Teſtamento Eccleſias chriſtianorum vocatas legimus *Templa*, ſicut nec apud primævos Patres, ſive quia primis illis ſæculis non licebat Chriſtianis publicas Templorum moles erigere, ſicut nec modo, in aliquibus infidelium, & etiam hæreticorum partibus, ſed in locis abditis ſacra peragebant, ſive ne, vel in nomine Templi cum fanis Ethnicorum, vel etiam cum Judæis convenirent. —— Nec obeſt, quod Pauli temporibus Templum Jeroſolymitanum deſiiſſet eſſe templum Dei, & ceſſaſſent in eo ſacrificia, adhuc tamen materialiter perſeverabat, quod olim fuerat templum Dei eſto falſo cultu prophanatum, & prophanandum ab Antichriſto, & in hoc ſenſu dicit Paulus Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei illud prophanando, ſibique Dei nomen tribuendo, ſicut de uſurpatore Regni diceretur, quod eo devenit, ut ſedeat in ſede Regis, oſtendens ſe tamquam Regem. —— Erat quidem templum illud deſtruendum, & non rædificandum uſque ad conſummationem ſæculi, ideſt, tempore eam præcedente quovis conatu denuo non eſſe erigendum, ſed non repugnat, ut dictum eſt, quod Antichriſtus circa finem mundi juvantibus Judæis, illud aliquomodo in formam templi erigat, ut in ipſo ſedere poſſit tamquam Deus.

XVI. Ad id quod ex S. Gregorio dicunt reſpondeo, ejus verba percutere quidem Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui titulum Epiſcopi univerſalis ſibi arrogavit. Non vero Epiſcopum Romanum, qui illud ſemper recuſavit, ut diximus, & proinde Sacerdotum exercitum Antichriſto præparari, non a Romano Pontifice, ſed a Joanne Conſtantinopolitano, qui ſuperbe talem titulum ambiebat, & a Sacerdotibus ei in hoc adulatione peſtifera obſequentibus.

§. III.

Perſecutio Antichriſti.

XVII. PErſecutio Antichriſti erit maxima omnium, quas unquam orbis, & præſertim Eccleſia paſſa fuerit. Ita prædixit Chriſtus, Matth. 24. v. 21. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet. Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro, ſed propter electos breviabuntur dies illi.* Etenim perſecutio illa erit non ſolum temporalis, ſed ſpiritualis. Quia Antichriſti animus erit non ſolum occupandi totius orbis regna, & omnium bona, ſed magis omnes homines a vera fide avertere, ac religione, eoſque ad ſui cultum adigere, ſic, ut ubi ipſe perſonaliter non aderit, erigenda ſit ejus ſtatua, vel imago, quam omnes adorare cogantur. Hoc deſcribit Jo: *Apoc.* 13. qui dicit, omnes, non ſolum infideles, ſed etiam fideles majore ex parte confluxuros ad adorandam imaginem beſtiæ, *quæ habet plagam gladii, & vixit.* Tum propter ſigna, & prodigia, quæ in ea diabolus operabitur, ut faciat ignem *de Cælo deſcendere in terram, & det ſpiritum imagini beſtiæ* ita *ut loquatur.* Tum ob exquiſitiſſima tormenta, quibus repugnantes uſque ad mortem torquebuntur, *ut quicumque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur.*

XVIII. Non omnes tamen fideles Antichriſtum, ſeu imaginem ejus adorabunt, nam electos ab hac impietate Dei gratia præſervandos, dicit Jo: ibi, v. 8. *Et adoraverunt eam* (Beſtiam) *omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Eccleſia autem illa electorum, ut preſervetur ab errore, in locis abditis eo tempore colligetur, ideoque nulla tunc futura erunt publica Chriſtianorum Templa, nulla ſacrificia, nullæ res ſacræ; ſed in locis ſecretis ſemper Deum verum colet, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, & alia peraget veræ fidei exercitia, in quo maxime apparebit providentia Dei circa ſuæ Eccleſiæ conſervationem. Cui præluſit Jo: *Apoc.* 12. *v.* 6. dum ait: *Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi paſcat tam diebus mille ducentis ſexaginta*, in qua muliere figuratur Eccleſia, quæ tempore Antichriſti latitabit. Et in hoc ſenſu intelligendum eſt illud Danielis 12. v. 11. *Et a tempore, quo ablatum fuerit juge ſacrificium* (non totaliter: ſed publice) *& poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.*

XIX. Antichriſtus, ut ſummum monarcham decet, ſuos exercitus militares dividet in variis regionibus, qui ejus tyrannico imperio obtemperabunt. Præcipui erunt, qui *Apoc. 20. v. 7.* ſub nomine *Gog*, & *Magog* recenſentur. De quibus mentio fit etiam, *Ezechiel. 38. & 39.* Hæc tamen duo nomina in diverſas ſententias traxerunt antiquos, & Recentiores interpretes. Mihi placet ea, quam ſequuntur Malvenda, *lib. 5. de Ant. cap. 16.* Cornelius a Lap. *in 2. ad Theſſ. 2.* & Ezechiel. *cap. 38.* & alii, nempe Gog ſignificare perſonam, Magog vero regionem ſeu Provinciam; ita ut Gog ſit Rex ipſe regionis, ſeu Provinciæ Magog, qui erit magnus Dux, & caput exercitus Antichriſti: *Gog* eſſe perſonam colligitur ex Ezechiele, cap. 38. v. 3. *Ecce ego ad te Gog principem capitis Moſoch, & Thubal*, quaſi ducem, & regem gentium Moſoch, & Thubal, & *cap. 39. v. 11.* Gog tamquam princeps deſcribitur e regione ſui exercitus, dum dicitur: *Et ſepelient ibi Gog, & omnem multitudinem ejus, & vocabitur Vallis multitudinis Gog.* Quod confirmatur ex cap. 38. *v.* 15. ubi dicitur ad Gog: *Et venies de loco tuo a lateribus Aquilonis, tu, & populi multi tecum.*

Non latet, aliquos exiſtimaſſe Gog eſſe ipſum Antichriſtum. Sed his aſſentiri non poſſum. Tum quia Gog ſepeliendus dicitur in ſepulchro ſupra nominato, *Ezechiel. 39. v. 11.* Antichriſtus autem, ut infra dicetur, ab hominibus ſepeliendus non erit, ſed ad inferos vivus dejiciendus. Tum etiam quia Antichriſtus erit totius orbis Monarcha, non ſolius Magog Princeps.

XX. Dixi *Magog* eſſe nomen gentis, cujus Gog princeps erit, ac præcipuus Antichriſti exercituum Dux. Nomen *Magog* inditum, & translatum fuiſſe in regionem illam, quam poſt diluvium incoluit *Magog* unus ex filiis Japhet, ut habetur, *Geneſ.* 10. *verſ.* 2. Quam vero regionem *Magog* primum incoluerit, & ſuo nomine nuncupaverit, declarat Joſephus, *lib. 1. Antiq. cap. 6.* his verbis: *Magoges vero Magogarum a ſe dominatorum fuit Author, qui ab ipſis Gra-*

Græcis vocantur Scythæ. Josepho assentiuntur S. Hieron. *in Quæst. Hebr. in Genes.* Theodoretus, *in cap.* 38. *Ezech.* aliique Recentiores interpretes apud Malvendam, *lib.* 5. *de Ant. cap.* 16. Cumque Scythia majori ex parte nunc occupetur a Tartaris, & quæ olim Scythia, nunc Tartaria dicatur, sequitur, ut Magog Scythiam, modo Tartariam significet, & Gog magnum Cham, seu Principem Tartarorum, quem & ipsi hodie Gog appellant, ut videre est apud Serarium, *in cap.* 14. *Tobiæ, qu.* 4. Teneamus ergo, in oraculis Ezechielis, & Joannis, Gog esse ducem, vel Imperatorem Tartarorum, qui in exercitibus Antichristi principatum obtinebit, Magog vero esse ipsum exercitum ex Tartaris, aliisque barbaris gentibus collectum, quo totus orbis Antichristi imperio subjugabitur.

XXI. Teterrima tamen erit persecutio Antichristi, qua spiritualiter aggredietur Ecclesiam, & regnum Deo, & Christo eripere conabitur, falsas doctrinas, & errores contra Deum, & Christum per se, suosque ministros ubique terrarum disseminabit, & signorum apparentia confirmabit, honores, opes, & omnes genus deliciarum promittens iis, qui eos amplectentur, & e contra omni genere sævitiarum exterminans, si qui ausi fuerint contradicere. Hisce excitata impiorum luxuria, & ambitio, plerosque ad Antichristi partes transferet, bonique imminentibus sibi mali territi, in errores incidendi periculum grave subibunt, maxime Antichristi ministris, ubique circumcursantibus. Prænuntiavit hoc, & præmonuit Dominus, Matth. 24. v. 23. *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Loqui autem Dominum de extremis sub Antichristo temporibus consentiunt omnes fere Patres, Origenes, *in cap.* 24. *Matth.* Hyppolitus Martyr, *Orat. de consumm. Mundi*, Ephrem Syrus, *Serm. de Ant.* Cyrillus Jerosol. *Cat.* 15. Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus &c. Pseudochristos autem, & pseudoprophetas intellexit Antichristum, ejusque ministros.

Illa vero ultima verba: *Ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi* exprimunt conditionatam hyperbolem, nimirum, tantam fore illorum signorum, & suasionum efficaciam, ut per illam etiam electi ipsi seducerentur, si fieri posset: At istud non est possibile propter immobile Dei eligentis decretum, & invictum divinæ gratiæ patrocinium. Vel illa verba indicant finem Antichristi, & aliorum ei servientium, quasi dixerit Christus, edent signa magna eo animo, ut decipiant non solum mundanos, & communes homines Christianos, sed etiam piissimos, & præstantissimos, si ut sperant, consequi possint; Quem sensum juvare videntur eadem verba Domini apud Marcum, cap. 13. v. 22. *Et dabunt signa, & portenta ad seducendos (si fieri potest) etiam electos.*

XXII. Porro inter Antichristi ministros ad seducendum unus erit præcipuus impostor, ac viam parans. Hoc indicavit Joann. Apoc. tum, *cap.* 23. *vers.* 12. ubi ait: *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco. . . Et fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis*, idest, Antichristum. Tum, cap. 19. vers. 20. *Et apprehensa est bestia* (Antichristus) *& cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Et *cap.* 20. *vers.* 10. dicit, quod ibi, *& bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.* Quibus credibile fit Antichristum habiturum suum præcursorem, sicut Christus Dominus habuit Joannem Baptistam.

XXIII. Qualis autem, cujusve conditionis futurus sit iste pseudopropheta præcursor Antichristi, determinari non potest. A Costa, *lib.* 2. *capitul.* 17. ait: *Non regem, aut militem, sed virum in Ecclesia insignem accipere possumus, quod duo agni cornua Episcopalis dignitatis insignia sint. Erit fortassis apostata quispiam, atque hæreticus simulator Religionis, Ecclesiastici honoris proditor, qui draconis venenum suis sermonibus instillet auditoribus aut propinet.* Accedit Ferrarius in citatum Apoc. locum, qui exponens, cur prima bestia, scilicet Antichristus, dicatur ascendere de mari, secunda vero nempe pseudopropheta, de terra, ait. Quod cum in Apocalipsi per terram accipiantur ea, quæ spectant ad Ecclesiam, & Ecclesiasticos: per mare vero ea quæ ad sæculum, & sæculares pertinent, ideo prima bestia Antichristus ascendet de mari, quia de sæculo ex milite fiet Imperator, & Monarcha. Secunda bestia ascendet de terra, quia erit ex filiis Ecclesiæ, vel insignis clericus, vel magnæ auctoritatis religiosus, vel etiam Episcopus, qui doctrina, & prædicatione valde conspicuus, trahet ad se innumeros populos etiam sub pietatis specie. Nam & habet duo cornua, non agni, sed similia agni, quia speciem sanctitatis præferens, erit revera lupus. Sed hæc piis lectoribus expendenda relinquimus, de quibus agit Malvenda, *lib.* 8. *de Antichr. cap. &c.*

DUBIUM VI.

De Adventu Henoch, & Eliæ.

§. I.

Henoch, & Eliam adhuc vivere.

I. HEnoch, & Eliam nondum mortuos esse, sed adhuc vivere, & a Deo conservari, vel in terrestri paradiso, vel in alio loco sibi soli noto, concors Catholicorum sententia est contra Sectarios. Id enim clare dicit Scriptura. De Henoch Quidem *Genes. 5. vers.* 24. dicitur: *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus:* vel ut septuaginta legunt: *Quia transtulit illum Deus*, id-est, in locum hominibus incognitum. Et sane cum Moyses ibi de unoquoque Patriarcharum dicat: *Et mortuus est*: de Henoch hoc non dicit, sed *tulit*, seu *transtulit illum Deus.*

Idem Ecclesiastici 44. v. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Quod confirmavit Paulus, Hebr. 11. v. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem; & non inveniebatur, quia transtulit eum Dominus: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo.* Ex his Patres concorditer inferunt Henoch adhuc vivere, ut infra ostendam.

II. De Elia, 4. *Reg.* 2. *v.* 11. sic habetur: *Cumque pergerent* (Elias, & Elisæus) *& incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque: & ascendit Elias per turbinem in Cælum*, Et antea vers. 1. præmiserat: *Cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in Cælum.* Neque audiendi sunt Hebræorum aliqui auctore Kimchio, qui existimarunt, Eliam, quando in curru igneo, & equis igneis raptus fuit, assumptum fuisse ad sphæram ignis, ibique luzatum corpore, & in sua solutum elementa.

III. Oppositum enim semper tenuit Christianorum traditio de Henoch, & Elia, cujus testes sunt S. Irenæus, *lib.* 4. *cap.* 30. dicens: *Sed & Henoch sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur, & translatus est, & conservatur usque nunc testis justi judicii Dei* Et, *l.* 5. *cap.* 5. postquam idem dixit de Elia, subdit: *Si autem quis impossibile existimet tantis temporibus permanere homines, & Eliam in carne assumptum, consumptam autem carnem ejus in igneo curru, intendat quoniam Jonas quidem in profundum projectus est &c.* Ostendens, quod sicut Jonas in mare projectus, & a cete deglutitus, mansit in ventre ceti vivus tribus diebus, & tribus noctibus, sic Elias, & Henoch translati possunt a Deo vivi conservari. Tertullianus, lib. contra Judæos, cap. 2. *Henoch* (inquit) *justissimum non circumcisum, nec sabbatizantem de hoc mundo transtulit, qui nec dum mortem gustavit &c.* Lib. de Anima, cap. 50. *Translatus est Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant.* Lib. de resurrect. carnis cap. 35. *Elias non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus:* Et cap. 58. *Quod hodie Henoch, & Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, quo tamen de orbe translati, & hoc ipso jam æternitatis candidati . . . cuinam fidei testimonium signant, nisi quia credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta?* Cyprianus etiam, *Tract. de Mont. Sina, & Sion*, sic loquitur: *Henoch, qui ante diluvium Deo justus complacuit: ideo de isto mundo in carnis suæ nativitatem vivus translatus est in loco, ubi Deus scit: ex quo loco consummationem mundi innovare habet in hoc mundo: unde etiam translatus est ad confundendum, & revincendum Antichristum.*

Hoc idem Epiphanius, *lib.* 1. *&* 2. *Panarii*, Athanasius de recipienda Synodo Nicæna, Basilius, *Homil.* 11. *in Hexameron.* S. August. *lib.* 2. *de pecc. Orig. cap.* 23. & *lib.* 9. *de Genes. ad Litteram, cap.* 6. & alii apud Malvendam, *lib.* 9. *de Ant. cap.* 3.

IV. Quo in loco Henoch, & Elias modo vivi conserventur, non modica controversia est. In Paradiso terrestri eos vivere opinantur non pauci, moti ex illo Ecclesiastici 14. v. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* In quem locum quoque Eliam raptum per turbinem in Cælum opinantur. His consentire videtur S. Thom. 3. *p. qu.* 49. *art.* 5. *ad* 2. his verbis: *Elias sublevatus est in Cælum aereum, non autem in Cælum empireum, qui est locus sanctorum. Et similiter etiam Henoch raptus est ad paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi*, & 1. *p. q.* 102. *art.* 2. *ad* 3. ait: *Quamvis, ut dicitur, Henoch, & Elias in illo paradiso* (terrestri) *habitent.*

V. Verum quia paradisi nomen determinate non stat pro paradiso terrestri, unde cum Christus ait Latroni, Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*, nemo de terrestri paradiso intellexit. Et rursus quia inter Recentiores magna contentio agitatur, an terrestris paradisus adhuc supersit maxime post universale diluvium de quo egi, *Tom.* 6. *in* 1. *part. quæst.* 2. *Dub.* 4. Ideo tutius videtur dicere, certum quidem esse Henoch, & Eliam adhuc vivere; quo autem in loco vivant, nobis esse ignotum, sed Deo soli notum. Ita S. Cyprianus supra laudatus. S. Chrysost. *Homil.* 21. *in Genes.*

Geneſ. & *Hom.* 22. *ad Hebræos*, ubi dicit de Elia, & Henoch: *Quod vero translatus ſit iſte, & aſſumptus ille, Scriptura dixerunt, ubi autem ſit, & quomodo non addiderunt.* S. Auguſt. *lib.* 2. *de pecc. Orig. cap.* 23. ponit hoc inter quæſtiones, in quibus ſalva fide poſſumus ſententiam ſuſpendere, aut aliter quam eſt conjicere. Theodoretus, *qu.* 45. *in Gen.* quærit: *Quem in locum Deus omnium tranſtulit Henoch? Non inquirenda ſunt, quæ ſilentio ſunt tradita, ſed veneranda, quæ ſcripta ſunt*, & Theophilatus in cap. 11. ad Hebr. *Proinde* (inquit) *quod vivens translatus ſit Henoch, & quod vivat, ſcimus: ubi autem, & quomodo, incertum, Scriptura hoc non patefaciente.* Tandem Rupertus Abbas, libr. 3. de Trinit. & ejus operibus, cap. 33. *Nunquam* (inquit) *Scriptura dat intelligi, quod Henoch, & Eliam Deus tranſtulerit in ipſum paradiſum, ubi comederent de ligno vitæ, & viverent in æternum: ſed ita ſublati ſunt, ut in ſecretam quamdam regionem terræ ducerentur, ubi magna carnis, & ſpiritus quiete viverent, quouſque ad finem mundi redeant, & mortis debitum ſolvant.*

§. II.

Henoch, & Eliæ adventus Antichriſti tempore.

VI. HEnoch & Eliam adhuc vivos a Deo ſervari, ut ſint ſecundi adventus Chriſti præcurſores, & Antichriſto ſe opponant, conſtans adeo Catholicorum eſt ſententia, ut oppoſitum ſentire ad minus parum tutum in fide ſit. De Elia enim apertum eſt vaticinium. Malachiæ, cap. 4. verſ. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.*

VII. Volunt aliqui, ex his colligi venturum quidem Eliam in ſpiritu, ſed non in perſona, nimirum viros apoſtolicos Eliæ zelum habentes, inter quos eminuit Joannes Baptiſta, de quo dicit Angelus, Lucæ 1. v. 17. *Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios.* Quibus Angelus Malachiæ verba applicat Joanni. Immo Chriſtus ipſe, tum, *Matth.* 11. *v.* 14. ait: *Et ſi vultis recipere, ipſe* (Joannes) *eſt Elias, qui venturus eſt.* Tum Matth. 17. v. 12. *Elias jam venit, & non cognoverunt eum.* Ex quo inferunt, Malachiæ vaticinium referendum eſſe ad primum Chriſti adventum, non ad ſecundum.

Sed contra eſt. Nam ſenſus verborum Angeli, & Domini eſt, quod Joannes ſit Elias, quem venturum Malachias prædixit, non ad litteram, & in perſona, ſed ſecundum allegoriam, & in ſimilitudine, ſeu ſpiritu; unde angelus dixit: *præcedet illum in ſpiritu, & in virtute Eliæ*, & in proportione. In ſimilitudine, inquam, & ſpiritu, nempe, in aſperitate vitæ, & libertate arguendi vitia hominum, etiam Potentum. In proportione autem, quia ſicut Elias Thesbites præcedet ſecundum Domini adventum, ſic Joannes præceſſit primum. Unde ad ſignificandum, ſe in ſenſu allegorico locutum, poſtquam, *Matth.* 11. *v.* 14. de Joanne dixit: *Ipſe eſt Elias*, ſubjungit: *Qui habet aures audiendi audiat.* Qua phraſi Dominus uti conſuevit, dum in parabolis, aut metaphoris loqueretur, ut *Matth.* 13. *v.* 43. *Matth.* 19. *v.* 12. & alibi.

Ex his apparet, illud Matth. 17. *Elias jam venit, & non cognoverunt eum*, poſſe etiam intelligi de Elia ſecundum ſimilitudinem, ac de illo qui venit *in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Nam de Elia Thesbite præmiſerat Chriſtus *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*, quæ Joanni Baptiſtæ aptari nequeunt, qui jam venerat. Et inſuper Elias venturus *reſtituet omnia*, veniet *in die horribili*, quo percutienda erit terra anathemate, quæ in Joannis tempora non cadunt. Tribuunt ergo Chriſtus, & Angelus Eliæ nomen Joanni, quia iſte fecit in primo adventu, quod ille facturus eſt in ſecundo.

Hoc totum concludit S. Gregorius, *Homil.* 7. *in Evang.* ubi obſervans Chriſtum de Joanne, dicere: *Ipſe eſt Elias:* Joannem autem interrogatum, Joann. 1. verſ. 21. *Elias es tu?* Reſpondiſſe: *Non ſum*, ait: *Quid eſt hoc, fratres chariſſimi, quia quod veritas affirmat, hoc propheta veritatis negat? Valde namque inter ſe diverſa ſunt:* Ipſe eſt, & non ſum. *Quomodo ergo propheta veritatis eſt, ſi ejuſdem veritatis ſermonibus concors non eſt? Sed ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, hoc, quod inter ſe contrarium ſonat, quomodo contrarium non ſit, invenitur. Ad Zachariam namque de Joanne Angelus dicit:* ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ: *Qui idcirco venturus in ſpiritu, & virtute Eliæ dicitur: Quia ſicut Elias ſecundum Domini adventum præveniet: ita Joannes prævenit primum: ſicut ille Præcurſor venturus eſt Judicis: Ita iſte Præcurſor factus eſt Redemptoris. Joannes igitur in ſpiritu Elias erat, in perſona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Joannes denegat de perſona.* Ita hoc dubium abſolvit S. Gregorius.

VIII. De adventu Eliæ alterum teſtimonium profert Eccleſiaſticus, *cap.* 48. ubi poſtquam de perſona Eliæ multa honorifica dixit, *v.* 10. addit: *Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iſrael.* De illo ergo Elia dicit eſſe ſcriptum, ut veniat in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, & reſtituere tribus Iſrael, de quo prius dixerat, quod ter ignem de Cælo dejecit, qui Cælum verbo continuit, ne plueret, qui mortuum ſuſcitavit, qui Eliſæum fecit ſui ſucceſſorem, qui in curru igneo ſubvectus eſt in Cælum &c. Sed hæc de perſona ipſa Eliæ dicit, ut patet; ergo & de perſona ejuſdem dicit, quod veniet &c.

De Henoch adventu, idem Eccleſiaſticus, *cap.* 44. *v.* 16. dicit: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Quibus indicatur, Henoch translatum eſſe, ut in fine mundi prædicet pœnitentiam gentibus; nam ut hoc faceret ſua ætate, non debuiſſet transferri, ſed ſuperſtes aliis convivere.

IX. De utriuſque adventu loquitur Joann. in Apocal. cap. 11. verſ. 3. *Dabo duo ut teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta &c.* Hi autem duo teſtes ſecundum Patres erunt Henoch, & Elias: Hos enim duos legimus a Deo translatos, & vivos ſervari: ad quem autem finem, niſi ut extremis temporibus adveniant teſtes veritatis? Hi duo enim fuerunt zelo Dei ſingulares. De Elia conſtat. De Henoch habetur in Epiſt. Judæ, verſ. 14. *Prophetavit autem, & de his ſeptimus ab Adam Henoch, dicens: ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes &c.* Congruum ergo erit, ut qui quaſi ex proprio munere in primis mundi temporibus, cœpit jam judicium annuntiare, reſervaretur, ut illud complere poſſet in noviſſimo tempore.

Demum congruum fuit, ut iſti duo teſtes Henoch, & Elias futuri ſint. Cum enim in noviſſimo tempore mittendi ſint ad mundum ex gentibus, & Judæis congregatum, æquum fuit, ut alter, nempe Elias mittatur ex circumciſione, ei enim ſpecialiter tribuitur Judæorum converſio, Eccl. 48. v. 10. *Et reſtituere tribus Jacob.* Alter, nempe, Henoch ex præputio, cui, *Eccleſiaſtici* 44. *v.* 16. ſpecialiter committitur converſio gentium: *Ut det Gentibus pœnitentiam.* Et etiam ut uterque ſtatus Patriarcharum, & Prophetarum, Legis naturæ, & Moſaicæ Jeſu Chriſto Judici teſtimonium perhibeant.

§. III.

An alii præter Henoch, & Eliam venturi ſint.

X. DUbitari poteſt de Moyſe, Jeremia, & Joanne Evangeliſta. De Moyſe quidem primo, quia ſi in primo adventu Moyſes, & Elias fuerunt teſtes gloriæ Chriſti in transfiguratione, pari ratione videntur futuri teſtes majeſtatis ejus in ſecundo adventu. Secundo, quia, *Apoc.* 11. de duobus teſtibus, *verſ.* 6. hæc habentur: *Hi habent poteſtatem claudendi Cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.* Ubi prioribus verbis deſignantur ea quæ fecit Elias, poſterioribus vero, quæ fecit Moyſes in Ægypto; ergo hi duo erunt teſtes, de quibus Joannes loquitur in citato Apocalypſis loco,

XI. De Jeremia item. Nam, *Jeremiæ* 1. *v.* 5. ipſum verbum Dei quod ad ipſum factum eſt, hoc teſtatur, dicens: *Priuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.* In gentibus autem Propheta non fuit: ergo cum Verbum Dei debeat verificari, prophetabit in gentibus in fine mundi; eo magis, quod non legitur ejus mors.

XII. De S. Joanne Evangeliſta fortior videtur ratio. Primo. Ex dicto Chriſti, qui, *Joann.* 21. *v.* 22. de Joanne dixit: *Sic eum volo manere donec veniam*, & Matth. 16. verſ. 28. *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo;* quæ non de alio quam de Joanne intelligi poſſunt. Secundo. Quia, *Matth.* 20. *verſ.* 23. prædixit Chriſtus, eum cum Jacobo fratre ſuo calicem paſſionis bibiturum, *Calicem quidem meum bibetis.* Cum autem hunc Joannes nondum biberit, illum bibet in fine mundi. Tertio. Quia, *Apocal.* 10. *verſ.* 11. ei dicitur: *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.* Hoc autem nondum eſt impletum. Quarto. Si contra Antichriſtum veniet unus ex illis, qui fuerunt ante legem, nempe Henoch, & alter ex iis qui fuerunt tempore legis, ideſt Elias: quare non veniet unus ex iis qui fuerunt poſt legem tempore gratiæ?

XIII. His tamen non obſtantibus communi ſententiæ ſtandum eſt, nempe duos ſolos, & hos Eliam, & Henoch contra Antichriſtum venturos, & hos eſſe duos teſtes, quos Joannes, *in Apoc. cap.* 11. *verſ.* 3. prædixit duos, quam non tres, aut quatuor. Et ratio eſt quia de his ſolis duobus Scriptura dicit fuiſſe vivos translatos, & adhuc vivos ſervari, Cæteri autem certo certius mortui ſunt. Nam Moyſis mors deſcribitur, Deuteron. 34. v. 5. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino, & ſepelivit eum*, quamvis ignotum voluerit eſſe ejus ſepulchrum. Jeremiæ vero mortem quamvis Scriptura non exprimat, ſicut nec multorum Prophetarum, attamen mortuus ille credendus eſt, ſicut & iſti. Tertullianus tamen *in Scorpiaco, cap.* 8. Jeremiam fuiſſe lapidatum, & interfectum a populo ſcribit. Idem S. Hieronymus, *in c.* 14 & 23. *Jeremiæ*, & S. Epiphanius in lib. de vita, & interitu Prophetarum: *Jeremias* (inquit) *Propheta Anathoritides*

rides apud Taphanas in Ægypto a plebe lapidibus obrutus occubuit &c. Et in Martyrologio Romano ejus mors consignatur ad diem primam Maji.

De S. Jo: Evangelista putarunt aliqui, eum adhuc vivere propter allata Christi verba. Sed & ipsum mortuum fuisse testatur Polycrates Ephesiorum Episcopus ad S. Victorem Episc. apud Eusebium, *lib. 3. Hist. c. 1. & l. 5. c. 2.* ubi recensens viros Apostolicos Ephesi defunctos, ait: *His accedit Joannes, qui supra pectus Domini recubuit .... qui Sacerdos, Martyr & Doctor fuit, & Ephesi etiam obdormivit.* Tertullianus etiam Polycrati coævus, *l. de Anima, cap. 50.* discipulorum opinionem quod Joannes non esset moriturus, ita arguit: *Translatus est Henoch, & Elias, nec eorum mors reperta est, dilata scilicet, caterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant. Obiit, & Joannes, quem in adventum Domini remansurum frustra fuerat spes.* Origenes etiam, lib. 3. in Gen. apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 1. *Joannes* (inquit) *Asiam abiit, ubi reliquum etiam vitæ suæ cursum conficiens Ephesi morte occubuit.* Hos veteres sequuntur Recentiores Patres Ambrosius, *in Psalm. 45.* Chrysostom. *Homil. in duodecim Apost.* Hieronymus, *de Script. Eccl. in Joann.* dicens: *Totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias, & confectus senio sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem sepultus est.* Idem sentit S. August. *Tract. 124. in Joann.* ubi de hoc fuse agit, & alii omnes.

XIV. Ex his ergo sic dico. Ut jam ostensum est, Moyses, Jeremias, & ipse Evangelista Joannes vere mortui sunt. Dicere autem illos surrecturos, & tunc iterum interficiendos ab Antichristo, nemini in mentem adhuc venit, & si veniret, quo fundamento in Scriptura, & traditione diceretur? Dicere, quod jam resurrexerint, & ex gloria, qua nunc in corpore, & anima perfruuntur sint deducendi ad pugnandum contra Antichristum, & iterum moriendum, non est dogma ferendum. Quod autem jam excitati ad vitam, sed extra gloriam cum Henoch, & Elia conserventur, ridiculum est. Quorsum enim oportuit, eos mori, ac resurgere, & non potius transferri, ut illi? Cum ergo S. Joannes ipse duos tantum testes asserat contra Antichristum venturos, & hos fore Henoch, & Eliam ostensum sit, alii adjiciendi non sunt. Nunc ad contraria supra posita motiva respondendum est.

XV. Quoad Moysen. Dico ad primum non esse bonam consequentiam: Moyses testis fuit in transfiguratione una cum Elia, ergo erit etiam cum illo tempore Antichristi. Nam Deus ob fines sibi notos voluit tunc, & non alias Moysen cum Elia venire occidendum. Nam Eliam vivum adhuc conservat, non Moysen — Ad secundum, neg. cons. Non enim dicit Joannes, quod venturi sint illi, qui aliquando converterunt aquas in sanguinem, sed quod illi, qui venturi sunt, potestatem habebunt id faciendi.

XVI. Quoad Jeremiam. Dico, Jeremiam gentibus quoque prophetasse. Nam Jeremias non solum prædicit mala eventura populo Israelis, sed etiam gentibus maxime a cap. 46. ut Lector Studiosus observare poterit, nimirum, Pharaoni, & Ægypto, Tyro, Sydoni, Gazæ Ascaloni, Moab, Babyloni &c. Jeremiam autem vere mortuum fuisse, jam dictum est.

XVII. Quoad Sanct. Joannem Evangelistam. Dico ad primum, illa verba: *Sic eum volo manere, donec veniam*, varie exponi. Quidam sentiunt Christum verbis illis voluisse indicare, quod persecutor non esset ablaturus animam Joanni, sicut dixerat de Petro, sed quod Joannes mansurus esset in hac vita, donec Dominus ad eum veniens per placidam mortem illum ad se assumeret. — Alii, sensum verborum *volo manere donec veniam* esse Joannem in vita mansurum, donec Christus veniat, non ad judicandum orbem, sed ad ultionem sumendam de Judæis delendo Jerosolymam, & populum per Titum, & Vespasianum, quod vero contigit: Tunc enim Joannes adhuc in vivis erat. Qui vero ly *donec veniam* exponunt de judicio dicunt sermonem Christi esse conditionalem non assertivum quasi dicat: *Sic* (sub audi *si*, seu *esto*) volo eum manere donec veniam, quid ad te? in hoc sensu si sic volo eum manere: vel esto velim eum manere donec veniam, quid ad te Petre? quid tua refert? qui sensus in græco manifestior est, ubi loco *sic* ponitur *si*, ostendens, quod *si*, vel *esto* vellet eum manere, hoc scire non pertineat ad Petrum. Ita Chrysost. *Hom. 87. in Joann.* Cui expositioni favere videntur verba sequentia cum enim exiisset *Sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur*, subjungitur, v. 23. *Et non dixit ei Jesus, non moritur, sed, sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Unde Aug. *Tract. 124. in Joann.* ait: *Sed hunc opinionem Joannes ipse abstulit, non hoc dixisse Dominum aperta contradictione declarans. Cur enim subjungeret*, non dixit Jesus, non moritur, *nisi ne hominum cordibus quod falsum fuerat inhæreret?* Quod additur ex Matth. 18. *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant &c.* Juxta

Expositores non est sumendum de adventu ad judicium, sed de gloriosa manifestatione filii hominis in transfiguratione quam immediate post narrant Evangelistæ, & quam aliqui ex adstantibus visuri erant, & de facto viderunt. Alioquin non unus Joannes, sed aliqui etiam alii de adstantibus vivi permansuri fuissent usque ad Judicii diem.

Ad secundum dico. Quod enim Joannes, quamvis violenta morte de facto non interemptus, calicem passionis bibit. Tum quando, *Act. 5. v. 4.* cum aliis Apostolis flagellatus fuit. Tum quando in vas ferventis olei immissus fuit: tunc enim mortuus fuisset, nisi Deus illum miraculose vivum præservasset. Tum quando in insulam Pathmos fuit relegatus. Calix enim Domini bibitur, non solum per tolerantiam mortis, sed etiam per alias passiones.

Ad tertium. Dico, sensum verborum: *Oportet te iterum prophetare &c.* duplicem esse posse. Vel quod Joannes ex insula Pathmos, ubi tunc erat, in Asiam reversus, ibi & per se ipsum, & per Evangelium suum multis gentibus, populis, & Regibus esset prædicaturus. Vel quod in illo ipso libro multa alia de variis nationibus, & regnis restarent ei prophetanda.

Ad quartum, dico. Non fore Antichristi tempore opus teste, qui vixerit tempore gratiæ: Quia status novi testamenti adhuc durabit, & prædicatores illius status erunt præsentes, nec deerunt, qui Henoch, & Eliæ sese adjungant.

§. IV.

Acta Henoch, & Eliæ tempore Antichristi.

XVIII. PRimum, quod hic examinandum occurrit, est tempus, quo Henoch, & Elias erunt apparituri. An ante, an post Antichristi persecutionem, an simul.

Respondeo, probabilius esse, & communius, eos apparituros initio Regni, & persecutionis Antichristi. Id enim conforme est vaticinio Joannis, Apoc. 11. v. 3. *Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, qui conficiunt tres annos fere cum dimidio, cum autem persecutio Antichristi per tres annos cum dimidio duratura sit, & Antichristus post necem Henoch, & Eliæ aliquot diebus superstes futurus sit, patet eos initio Regni, & persecutionis Antichristi esse apparituros.

XIX. Secundo est quomodo sint apparituri.

Respondeo hoc esse incertum, nimirum, an e loco, in quo reservantur, sint visibiliter per aera transferendi in curru igneo, vel in nube, vel alio simili modo: an invisibiliter, hoc est, nulli hominum eorum translatione demonstra Jerosolymis, aut alibi conspiciendi sint. Cum enim hoc non inveniamus in Scriptura, aut traditione, non est a nobis inquirendum, sed soli Deo reservandum. Ita Suarez, Corn. a Lap. *in cap. 21. Apoc.* & alii.

XX. Tertium est, quo habitu venturi sint.

Respondeo ex *Apoc. 11. v. 3.* quod venient *amicti saccis* asperitatem, paupertatem, & humilitatem Sanctorum virorum contra fastum, & superbiam Antichristi, & ejus Sectatorum indicantibus. *Saccus* enim secundum aliquos significat vestem duriorem, & asperiorem ex crassa materia compactam. Secundum alios ex asperrimis contextam setis aut pilis hircorum, seu camelorum, quo ad carnem edomandam solebant uti Sancti viri, & Prophetæ loco interulæ, aut exterius etiam. Talis erat vestis Eliæ, dum inter suos vivebat: erat enim 4. Reg. 1. vers. 8. *Vir pilosus, & Zona pellicea accintus renibus.* Et similis erat vestis Joannis Baptistæ, qui Matth. 3. v. 4. *Habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos.*

XXI. Quartum est. Quibus spiritualibus armis pugnabunt contra Antichristum, & ejus sequaces.

Respondeo quod dabit illis Deus gratiam prædicationis, eamque confirmabit donis Prophetiæ, & omnis generis miraculorum. Ita Apoc. 11. v. 3. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt*, idest, ut prophetent. Verbum autem *prophetare* in sacris litteris non solum est vaticinari, & futura prædicere, sed etiam voluntatem Dei declarare, interpretari, prædicare, seu aliis annuntiare. Hæc autem egregie præstabunt Henoch, & Elias, præcipue imminens mundi exitium, & judicium extremum annuntiando. Gratiam autem miraculorum exponit Joannes, eodem, *c. v. 5. & 6.* Nam primo. Si quis voluerit eis nocere, *ignis exiet de ore eorum*, qui ad eorum orationem, & imperium volentes eos lædere devorabit, & occidet. Secundo. Habebunt *potestatem claudendi Cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum.* Inducendo siccitatem, sterilitatem. Tertio: *Et potestatem habebunt super aquas convertendi eas in sanguinem*, ne contumaces eis uti possint ad potum, aliosque humanos usus. Prioribus plagis afflixit Elias Judæos ut habetur, *in 4. Regum* hac posteriori Moyses Ægyptios percussit, ut legitur in Exodo. Sed & alia quæcumque voluerint signa facient. Sequitur enim: *Et percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint.*

XXII. Quintum est. Quanto tempore durabit Henoch, & Eliæ prædicatio.

Respondeo. Ex jam dictis, ex *Apoc. 11. v. 3.* quod *prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, qui ut dictum est efficiunt tres ferme annos cum dimidio. Unde cum, ut supra diximus, prædicationem suam sint exorsuri initio Regni Antichristi, & Antichristus sit regnaturus diebus mille ducentis nonaginta, ut ex Daniele *cap. 12. vers. 11.* colligunt Auctores, de quo infra, sequitur prædicationem Henoch, & Eliæ fore triginta circiter diebus Regno Antichristi breviorem.

Sed hic oritur duplex dubium. Primum. Si Antichristo regnante quotquot ei contradicere audebunt statim occidentur, quomodo Henoch, & Elias per dies mille ducentos se-

tos ſexaginta contra ipſum publice prædicare, & ab ejus ſævitia immunes eſſe poterunt?

Secundum dies mille ducenti ſexaginta pauci erunt ad prædicandum per univerſum orbem.

Ad primum dubium dico. Quod etſi attenta Antichriſti rabie, qui ipſos ubique, & omnibus modis perſequetur, hoc difficile videatur: non tamen attenta Dei potentia, qua ad tempus ab eo præfinitum præſervabuntur. Unde, *Apoc. 11. verſ. 5.* dicitur: *Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos ladere, ſic oportet, eum occidi.*

Ad ſecundum dubium dico. Tantam fore famam prædicationis eorum, & ſignorum, quibus doctrinam ſuam confirmabunt, ut ea totus mundus ſtatim implendus ſit: qua excitati plures viri Apoſtolici, vel divino impulſu, vel ab eis miſſi orbem ab erroribus illuminare poterunt, & purgare. Addo mihi inveriſimile non videri, ut Deus, qui illos ex loco in quo ſervabantur, viſibiliter eos Jeroſolymis, vel alibi apparere fecit, ſic viſibiles eos ſucceſſive facturus ſit, ſive conjunctim, ſive ſeparatim aliis mundi partibus, ut coram eis prophetent, & ſigna faciant.

XXIII. Sextum eſt. Quem fructum prædicatione ſua Henoch, & Elias reportabunt?

Reſpondeo, fructum prædicationis eorum fore, non ſolum fideles confirmare, ſed infideles, & Judæos ad veram fidem trahere. Quoad Judæos dubitatur, an omnes prorſus ejurato falſo eorum meſſia Antichriſto ad Chriſtum convertendi ſint, hoc enim ſentire viſi ſunt Chryſoſtomus, *Hom. 19. in Epiſt. ad Rom.* Theophylactus, *in Marci 9.* Rabbanus, *Opuſc. de Antich.* qui, *Duo*, (inquit) *Prophetæ mittentur in mundum: Henoch ſcilicet, & Elias contra ipſum Antichriſtum. Filios autem Iſrael quicumque eo tempore fuerint inventi, ii duo maximi Prophetæ, & Doctores ad fidei gratiam convertent, & a preſſura tanti turbinis in parte electorum inſeparabiles reddent. Tunc implebitur quod Scriptura dicit, Si fuerit numerus filiorum Iſrael quaſi arena maris, reliqui ſalvi fient.* His ſuffragari videtur Scriptura tum Oſeæ 3. v. 5. *Et poſt hæc revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in noviſſimo dierum.* Quæ S. Auguſtinus expendens, *lib. 18. de Civit. Dei, cap. 28.* ait: *Nihil eſſe manifeſtius ad oſtendendum, carnales Iſraelitas, qui nunc in Chriſtum credere nolunt, poſtea credituros,* & Paulus, *ad Rom. 11. v. 26.* ait quod cum venerit ex Sion qui eripiat, *ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.*

Non omnes tamen Judæos, quamvis maximam eorum partem, fore illo noviſſimo tempore convertendos communior ſententia eſt. Nam Scriptura interdum per ly *omne* vel *univerſum* ſignificare ſolet, non omnes ſimpliciter nullo excepto, ſed ingentem duntaxat aliquam multitudinem, ac plerumque particulam eſſe hyperbolicam ſic illud 2. Reg. 16. verſ. 22. *Ingreſſuſque* (Abſalom) *ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſrael:* & ibidem, cap. 17. v. 11. *Congregetur ad te univerſus Iſrael a Dan uſque Berſabet, quaſi arena maris innumerabilis.* Sic illud, Jo: 12. verſ. 19. *Ecce mundus totus poſt ipſum abit.* Adde quod vocula *omnis* non ſemper pro ſingulis generum, ſed ſæpe pro generibus ſingulorum uſurpatur, ut in illo Iſaiæ 2. v. 2. *Fluent ad eum omnes gentes*, ideſt, ex omnibus nationibus aliqui, vel etiam multi. Ita igitur exponi poteſt dictum Pauli *omnis Iſrael*, hoc eſt ex omni Iſraele multi, ſeu ex omnibus Tribubus Iſrael multi, ſalvi fient. Quod roboratur ex eo quod S. Jo: *in Apoc. cap. 7. v. 4.* ubi de numero eorum, qui ſignandi in frontibus ſigno Dei vivi in extrema die (ut communius interpretes) ait: *Et audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Juda duodecim millia ſignati. Ex tribu Rubem duodecim millia ſignati*, & ſic de reliquis tribubus unica excepta tribu Dan, non quod ex ea multi non ſint ſalvandi, ſed in deteſtationem Antichriſti ex ea naſcituri, ubi ponens numerum certum pro incerto, exprimit multitudinem Judæorum, qui ex qualibet tribu tunc ſignandi erunt religione, & ſigno crucis in baptiſmo, & confirmatione, tam propter Henoch, & Eliæ prædicationem, & eorum glorioſam reſurrectionem, quam ob infelicem exitum Antichriſti, cui adhæſerunt.

XXIV. Poſtremum eſt. Qualis futurus ſit Henoch, & Eliæ finis?

Reſpondeo, quod completo tempore pro eorum miſſione definito, permittet Deus, Henoch, & Eliam ſævitiæ Antichriſti, qui occidet eos, & eorum corpora jacebunt per tres dies cum dimidio in platea Civitatis Jeruſalem, quibus elapſis, ad vitam revocati videntibus etiam inimicis eorum aſſumentur in nube ad Cælum. Poſt quæ terræmotu magno concuſſa decima pars Civitatis cadet, & ſeptem millia hominum interibunt: totum hoc prænuntiavit Joannes, *in Apoc. cap. 11.* Cujus verba referemus.

Et primo mortem Henoch, & Eliæ ita prænuntiat, v. 7. *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Modus autem occiſionis relinquitur incertus, etſi aliqui putent veriſimile, eos cruci affigendos, tum in odium Chriſti, quem prædicabunt, tum quia in ea Civitate occidentur, in qua Dominus crucifixus eſt, & crucifigendos in eodem Calvariæ Monte. Tempus occiſionis deſignat Joannes illis verbis: *Et cum finierint teſtimonium ſuum*, ideſt, completis diebus mille ducentis ſexaginta eorum prædicationi ſtatutis, ut ſupra dictum eſt.

Secundum. Quod eorum corpora jacebunt tribus diebus cum dimidio in platea magna ſic, *verſ. 8.* recenſet: *Et corpora eorum jacebunt in platea Civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus crucifixus eſt. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.* Ubi nomine civitatis magnæ ſpiritualiter dictæ *Sodoma*, & *Ægyptus*, non alia quam Jeroſolyma intelligitur, in qua Dominus crucifixus eſt, quæ tunc ob Antichriſtum, & ſuos pejor erit, quam Sodoma, & Ægyptus. Eorum mors gaudio erit Antichriſto, & ſuis. Nam ſequitur, v. 10. *Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant ſuper terram.*

Tertium. Quod poſt tres dies cum dimidio reſurgent, deſcribit, v. 11. *Et poſt tres dies, & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.* Ecce quam breve fuit impiorum gaudium. Deinde, v. 12. eorum aſſumptio in Cælum narratur ſic: *Et audierunt vocem magnam de Cælo dicentem eis, aſcendite huc. Et aſcenderunt in Cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum.* Hinc ſentiunt aliqui, eos in Cælum etiam cum corpore aſſumendos, quemadmodum de B. Virgine credimus, & de Sanctis Patribus, qui Chriſtum aſcendentem comitati ſunt putant alii.

Quartum. Quod poſt hæc terræmotus magnus futurus ſic exponit, v. 13. *Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus, & decima pars civitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia, & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo Cæli.* Hic erit Henoch, & Æliæ exitus glorioſus, qualem Joannes hiſtorice potius quam prophetice narraſſe viſus eſt: ideoque nihil addendum puto.

DUBIUM VII.

De Antichriſti exitu, ejuſque a fine Mundi diſtantia.

§. I.

Duratio Regni illius.

I. ANtichriſti Regnum, ejuſque in Eccleſiam ſævitiem ſolum per tres annos cum dimidio duraturam concors eſt veterum, ac Recentiorum ſententia. Et merito, nam id quoque Scriptura ipſa comprobat. Nam, *Daniel, cap. 7. v. 25.* de perſecutione, qua Antichriſtus affliget Sanctos: *Tradentur* (inquit) *in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et Joannes de Eccleſia tempore Antichriſti profuga, & in deſertis locis abſcondita, Apoc. 12. v. 14. ait: *Ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis a facie ſerpentis:* Quibus per *tempus* unus annus, per *tempora* duo anni, per *dimidium temporis* medius annus ſignificantur.

II. Scio, Novatores velle, præfatis verbis deſignari tempus indefinitum, & incertum, quo Regnum Antichriſti ſit duraturum, & ridiculum eſſe, Regnum Antichriſti, qui totum orbem occupaturus eſt, ſpatio trium annorum, & ſemis velle definire. Deſignatur ergo, inquiunt, per tempus, & tempora, & dimidium temporis tempus indefinitum, ſive longum, ſive breve. Et hoc ſe colligere autumant ex eodem Daniele, *cap. 7. v. 12.* de aliarum monarchiarum duratione, dicit: *Aliarum quoque beſtiarum ablata eſſet poteſtas, & tempora vitæ conſtituta eſſent eis uſque ad tempus, & tempus.* Ubi tamen nemo ſanus duobus annos intelligit, ſed tempora dumtaxat incerta.

III. Sed hi loquuntur contra Patres omnes, & orthodoxos, qui per tempus, & tempora, & dimidium temporis apud Danielem, & Joannem tempus certum, nempe, tres annos cum dimidio ſemper intellexerunt, ut Irenæus, *lib. 5. cap. 30.* S. Hippolytus Martyr, *Orat. de conſumm. Mundi*, Lactantius, *lib. 7. cap. 17.* Cyrillus Jeroſol. *Catech. 15.* S. Hieronymus, *in c. 7. & 12. Danielis* quorum verba refert Malvenda, *lib. 10. cap. 16.* Unius Auguſtini verba proferam, qui lib. 20. de Civ. Dei, cap. 23. *Antichriſti* (inquit) *adverſus Eccleſiam ſaviſſimum Regnum, licet exiguo ſpatio temporis ſuſtinendum: qui vel dormitans hæc legit, dubitare non ſinitur. Tempus quippe, & tempora, & dimidium temporis annum unum eſſe, & duos, & dimidium, ac per hos tres annos, & ſemiſſem, etiam numero dierum poſterius poſito diluceſcit, aliquando in Scripturis, & menſium numero declarari. Videntur enim tempora indefinite hic dicta lingua Latina, ſed per dualem numerum dicta ſunt, quem Latini non habent. Sicut autem Græci, ita hunc dicuntur habere, & Hebræi. Sic ergo dicta ſunt tempora, tamquam dicerentur duo tempora.* Hæc S. Aug. Super quæ ultima verba, quibus ſimilia habet Hieronymus, *in cap. 7. Danielis*, advertat Lector, Hebræos plurali numero non ſemper dualem exprimere, ſed ſolum cum loquuntur de rebus natura, vel arte binis, ut de manibus, pedibus, oculis, auribus &c. Unde fit quod cum Hebræi, qui in quibuſdam rebus uti ſolent duali numero, hic non exprimant, per ly *tempora* indicare voluiſſe duo tantum tempora, ſeu duos annos.

annos. Nam per *tempora* annos exprimere solitos esse habetur ex eodem Daniele, *cap.* 4. ubi de Nabucodonosore, qui justo Dei judicio tamquam bestia abigendus erat a consortio hominum, dicitur, v. 13. *Et septem tempora mutentur super eum*. Quod repetitur, v. 20. & 29. *Et septem tempora mutabuntur super te*. Per septem autem tempora septem annos intelligit S. Hieronymus, ac cæteri omnes Interpretes consentiunt. Ubi noto quod quia hic anni futuri erant plures, quam duo, ponitur numerus, nempe, *septem tempora*; ergo cum ponitur sine numero, & tantum dicitur *tempora*, duo tantum tempora, seu anni more hebraico exprimuntur.

IV. Verum revertendo ad Regni Antichristi durationem; per tempus, tempora, & dimidium temporis, tres annos cum dimidio significari ex ipsi Daniele, & Joanne aperte colligitur. Ex Daniele quidem, nam, *cap.* 12. *v.* 11. dicit: *Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*. Qui conficiunt tres annos solares cum dimidio. Ex Joanne etiam nam, *Apoc.* 11. *vers.* 2. de Regno Antichristi, ait: *Et Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*. Cap. 13. v. 5. *Et data est ei* (Bestiæ Antichristum signanti) *potestas facere menses quadraginta duos*. Et *c.* 12. *v.* 6. de muliere, idest, Ecclesia, quam sæviente Antichristo volaturam in desertum in abscondito futuram, ibique alendam *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, v. 14. dicturus erat, ait: *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*, quo tempore futuram quoque Henoch, & die prædicationem dixerat, cap. 11. v. 3. *Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*.

Dicere autem hic accipi dies pro annis, & intelligi annos mille ducentos sexaginta, vel nonaginta, delirium est Novatorum, qui Antichristi Regnum ad tantum tempus producere conantur, ut aliud delirium firment, nempe, Antichristum esse Romanum Pontificem. Sed eorum delirium dissipat Joannes, qui hos dies per menses distribuens, dicit eos constituere menses quadraginta duos, ut diximus ex *cap.* 11. *&* 13. *Apoc.*

V. Superest solvere quod Novatores ex *cap.* 7. *Danielis*, de aliarum monarchiarum duratione objiciunt. Nam dico, ad rem non esse, non enim hic designat Daniel singularem, & determinatam temporum partitionem in tempus, & tempora, & dimidium temporis, neque eam distribuit per dies, ut de duratione Regni Antichristi facit, aut per menses, ut Joannes, sed unice dicit *usque ad tempus, & tempus*, quod sane durationem indefinitam significat.

VI. Statuto igitur, Regnum Antichristi tribus solis annis cum dimidio esse duraturum, remanet statuendum, unde auspicandi sint hi tres anni, & sex menses: An ab eo tempore, quo Babylone utcumque Regnum invadet, an ab eo, quo devictis, ac receptis Provinciis Ægypti, Libyæ, & Ethiopiæ, & Terra Sancta potitus, fultusque exercitibus Gog, & Magog monarcham se pronuntiabit totius mundi, & simul atrocissimam persecutionem in Ecclesiam concitabit. In hanc secundam partem venio, quia & probabiliorem, & communiorem. Primo. Quia oracula prophetica tamquam duo indivisa conjungunt monarchiam Antichristi, ejusque in Ecclesiam persecutionem, ergo ab eo exordium durationis ejus monarchiæ sumi debet, a quo sumitur exordium persecutionis, sed hoc sumitur ab eo tempore quo devictis regibus ac subactis Provinciis, se generalem totius orbis monarcham Jerosolymis constituet, ut enim dictum est ex *Apoc.* 11. *v.* 2. Et Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, & totidem mensibus Ecclesia manebit in solitudine, *Apoc.* 12. *v.* 6. ergo initium regni triennalis cum semisse Antichristi ab initio persecutionis generalis ejus sumendum est. Quamvis enim eo parvo tempore, quo in Babylone regnavit, cœperit etiam Christianos persequi: non tamen tanta, ac generali strage, quanta postea Jerosolymis monarchiam orbis adeptus.

Secundo. Quia ita sentiunt Patres, inter quos S. Hieronymus in c. 12. Daniel, *Antichristus* (inquit) *tribus & semis annis, hoc est mille ducentis nonaginta diebus sanctos persecuturus est, & postea corruiturus in monte inclyto, & sancto*. S. Aug. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 8. *Tribus annis, & sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus sævisturus Antichristus*. Idem Lactantius, Rabbanus, Andreas Cæsariensis, *in* 13. *Apoc.* Primasius in idem caput, & alii.

§. II.

Antichristi Exitus.

VII. ANtichristi exitus infelix pro meritis futurus est. Quomodo autem id continget, dubitatur. Verisimile videtur, quod Henoch, & Elia ab ipso interfectis, visisque signis quæ post eorum mortem, ut diximus, contingent, Antichristi potentia in deterius statim ruitura sit, & quod Principes, ac populi, qui timore adacti tyrannidem ejus antea tolerabant, postea timore excusso, comparatis exercitibus, & conjunctis viribus sine mora adversus eum conspirarint, quibus ipse fractus, nec inveniens, qui sibi auxilium ferat, tandem severam, sed justissimam Dei ultionem sit experturus.

VIII. Antichristus ergo extremam cladem Christo, ejusque fidelibus (sed verius sibi ultimam perniciem) paraturus, congregabit suos exercitus Gog, & Magog, sed commisso prælio ipse cum suis victus cadet, & tandem miserrime interibit. Hoc prælium, & ruinam, apparatum, & infelicem hujus prælii eventum indicavit Joannes, *Apoc.* 11. *v.* 19. his verbis: *Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus. Et apprehensa est bestia, & cum eo pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum &c.* Et c. 20. v. 7. *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog .... Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra Sanctorum, & Civitatem dilectam. Et ascendit ignis a Deo de Cælo, & devoravit eos: & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Quæ omnia de Antichristi, & suorum extremo exitio prænuntiata fuisse, nemo ut puto negabit.

IX. Porro quia S. Joannes describens stragem exercituum Antichristi, nempe Gog, & Magog, simul quoque narrat interitum Antichristi cum suo ministro, arbitrati sunt aliqui, eum in acie cum aliis interiturum, & proinde non in Monte Oliveti in suo tabernaculo interficiendum. Verum non est, cur propter hoc deseramus Patres, qui, ut videbimus, sentiunt, eum postea in Monte Oliveti interficiendum: non enim omnia, quæ a prophetis simul conjunguntur, simul sunt eventura, quamvis parvo tempore post.

Sentio igitur cum Malvenda, *l.* 10. *de Ant. c.* 15. omnia cohærere posse, si dicatur, Antichristum visa tanta suorum strage, fuga e castris cum suo armigero evasurum, & Jerosolymis in abditiora, & secretiora regiæ suæ loca, quæ forte erunt in Monte Oliveti se abditurum, vel forsitan in castra, quæ in Monte Oliveti habebit se recepturum, ubi auxilium suis desperatis rebus frustra expectans, paucissimis post diebus destitutus omni suorum, ac dæmonum præsidio, a Christo per Michaelem Archangelum interficietur. Hoc maxime cohæret cum iis, quæ dixerat Daniel, *cap.* 11. *v.* 45. ubi descripto apparatu quo veniet Antichristus *in multitudine magna, ut conterat, & interficiat plurimos*, subjungit: *Et figet tabernaculum suum Apadno inter duo maria super montem inclytum, & sanctum, & veniet usque ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei*, deinde describit adventum Michaelis Archangeli.

X. Neque hoc ex nostro penu depromimus, sed ex mente Patrum, qui hunc Danielis locum ita exposuerunt. S. Hieronimus, c. 11. Dan. *Tunc veniet* (inquit) *Antichristus usque ad summitatem montis ejus, hoc est montana Provinciæ, idest, verticem montis Oliveti, qui inclytus vocatur, quia ex eo Dominus, atque Salvator ascendit ad Patrem, & nullus Antichristo poterit auxiliari contra se Domino sæviente, & asserunt, ibi Antichristum esse perituram, unde Dominus ascendit ad Cælos*, Theodoretus, *Orat.* 10. *in Danielem*, ait *Apadnum vocat locum quemdam ita nominatum, nec procul a Jerosolymis positum, ubi Antichristus exitio perdetur*. Et in 2. Thessal. 2. *Cum enim* (inquit) *de Cælo apparuerit Dominus, loquetur tantum, & scelerato isti omnino afferet interitum*. S. Joann. Damascenus, *lib.* 4. *de fide Orth. c.* 26. ita scribit: *At cum Dominus, quemadmodum Sancti Apostoli in Cælum euntem viderunt, hoc est Deus perfectus, & homo, perfectus cum gloria, & potentia veniet, peccati hominem, perditionisque filium oris sui spiritu interficiet*. Haimo in 11. Isaiæ, *Antichristum* (inquit) *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, hoc est potentia jussionis suæ: nam licet a Michaele, ut quidam asserunt, interficiatur, Domini tamen nutu totum hoc implebitur. Occidetur autem, sicut Doctores tradunt, in Monte Oliveti in papilione, ac solio suo, illo in loco circa quem Dominus Cælos ascendit*. Hæc Haimo. Eadem ferme scribunt Strabus, *in* 11. *Isaiæ*, & 2. *Thessal.* 2. S. Bruno Carthusiensium parens in illum locum Pauli: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*. S. Anselmus, *in* 2. *Thess.* 2. S. Thom. in eundem Pauli locum, & alii Recentiores.

XI. Petrus vero Comestor in Hist. Scholast. *in* 2. *Thess.* 2. mortem Antichristi ita futuram describit: Asserit enim, *Antichristum spectante infinita hominum turba ascensurum in verticem montis Oliveti, unde Dominus assumptus est in Cælum, & simulaturum se in Cælum redire velle, unde ad homines descenderat, atque ipsum extollentibus specie Angelorum dæmonibus, per aera evehendum in Cælum: cunctis admirantibus, & divinitati ejus acclamantibus. Sed eo ipso temporis puncto, ascendente per aera Antichristo, audietur, inquit, vox Christi de Cælo missa*. Morere: *& confestim fulmine percussus interibit*. Hæc Comestor, quæ aliquibus non displicent.

XII. His conciliantur dicta Danielis, Joannis, & Pauli, nimirum si dicatur, Antichristum desperatis rebus post prælium se in tabernaculo suo cum suo ministro recepturum, ubi omni suorum ac dæmonum auxilio destitutus, cogitans quomodo rem suam restituere possit, & forte tentans (ut vult Comestor) inopinato interficietur a Christo. Nimirum descensurum Christum in aera specie visibili luce splendidissima circumdatum, & Angelorum agminibus cinctum,

& ibi

& ibi ſimplici verbo Archangelo Michaeli imperaturum, ut Antichriſtum extinguat. Tunc horribili tonitru, ac fragore, fulmine acerrimo comitante totum illud tabernaculum Apadno in cineres, & favillas redigetur, & Antichriſtus cum ſuo Pſeudopropheta dehiſcente terra, & monte Oliveti aperto, cernentibus cunctis Chriſtianis, Judæis, & gentibus, qui tunc Jeroſolymis erunt, vivus deglutietur, ac devorabitur, donec uterque igne ſulphureo inde exeunte conſumptus, in infernum, æternumque carcerem detrudatur. Ita veroſimiliter nec aſſerendo, ſed opinando, cum hac in re quid futurum ſit, ſolus Deus certo noverit.

§. III.

Tempus ab Antichriſti morte ad finem Mundi.

XIII. SUblato, & in infernum demerſo Antichriſto, nemo prudens dubitare poterit, quin ejus fautoribus undequaque fuga elapſis, ac diſperſis, Eccleſia per univerſas mundi regiones ſereniſſima pace ſit fruitura; & propterea in publicum rediturum ejus exercitium, & gratiarum actionibus Deo totus orbis perſonabit. Hoc videtur colligi ex Danielis *cap.* 12. *v.* 1. ubi poſtquam dixerat, quod Antichriſto in fine nemo auxiliabitur, ſubdit: *In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro.*

XIV. Æque tamen incertum eſt, quantum temporis ſit effluxurum a morte Antichriſti ad finem mundi, & diem univerſalis judicii, de quo diverſi diverſa loquuntur. Daniel enim cum, *cap.* 12. *v.* 12. dixiſſet: *Et a tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta*, ſubjungit: *Beatus qui expectat, & pervenit uſque ad dies mille trecentos triginta quinque*. Quibus priori ſummæ a ſe poſitæ, nempe, diebus 1290. videtur addere alios dies quadraginta quinque. Propterea S. Hieronymus *in c.* 12. *Daniel.* interpretatur, quadraginta quinque dies interlapſuros a nece Antichriſti ad finem mundi: ait namque: *Beatus, qui interfecto Antichriſto dies ſupra numerum præfinitum* (nimirum 1290.) *quadraginta quinque præſtolatur, quibus eſt Dominus atque Salvator in ſua majeſtate venturus.* Eundem ſenſum præfato oraculo tribuit Theodoretus, *Orat.* 10. *in Daniel* hoc tamen addito, quod Antichriſto divina plaga percuſſo, manebit Elias illis quadraginta diebus prædicans. Patet tamen ex ſupra dictis quam perperam hoc dicatur, quia Elias ſupponitur ab Antichriſto occiſus, & quamvis poſt tres dies cum dimidio excitatus fuerit, habemus tamen, quod per nubem raptus fuerit in Cælum: nec ullum adeſt fundamentum dicendi, quod poſt mortem Antichriſti ſit in terras deſcenſurus ad prædicandum. Hanc opinionem ſequuntur Beda, *in* 8. *Apoc.* S. Anſelmus, *in* 2. *Theſſ.* 2. Bellarminus, *l.* 3. *de Rom. Pont. c.* 9. & 17. aliique ex Recentioribus. Et ſane ei favere videntur verba Danielis, quæ ſequuntur, *v.* 13. nimirum: *Tu autem vade ad præfinitum, & requieſces, & ſtabis in ſorte tua in finem dierum.*

XV. Alii, inter quos S. Antoninus, dicunt, illos quadraginta quinque dies a morte Antichriſti concedi ad tranquilitatem bonorum, & requiem a laboribus, quos ſub Antichriſto paſſi ſunt, & ad locum pœnitentiæ perfidis, & obduratis concedendum; ita ut ſenſus ſit, interfecto Antichriſto non ſtatim veniet Dominus ad judicium, ſed concedentur quadraginta quinque dies ad refrigerium Sanctorum, & ad converſionem, ac pœnitentiam ſubverſorum. Quantum autem ſpatium ſit inter illos quadraginta quinque dies, & finem mundi, nemo ſcit.

XVI. Alii moti ex verbis Ezechielis, *c.* 3. *v.* 12. ubi agens de clade, ac ſepultura exercituum Gog, & Magog dicit, quod *ſepelient eos, ut mundent terram ſeptem menſibus.* Et *v.* 9. quod clypei, haſtæ, arcus, & ſagittæ, & cætera arma ab occiſis relicta: *Succedent ea igni ſeptem annis. Et non portabunt ligna de regionibus, neque ſuccident de ſaltibus, quoniam arma ſuccedent igni*; putant, quod a clade exercituum Gog, & Magog, quæ a morte Antichriſti parum diſtat ad finem mundi, ſeptem ſaltem anni interfluxuri ſint. Verum ex iſto modo loquendi Ezechielis non videtur poſſe colligi, vel ſeptem, vel plures annos effluxuros a clade Gog, & Magog. Nam poteſt ſic exponi, nimirum, cladem Gog, & Magog futuram tantam, ut ſi ſepelienda forent cadavera in eis ſepeliendis, inſumerentur ſeptem menſes, & tot arma relinquenda, ut ſeptem, aut plurimis annis ad ignem ſufficere poſſent; nam hebraice loquendi modo numerus ſeptenarius ſæpe ponitur pro plurali indefinito. Et juxta hanc expoſitionem modus loquendi Ezechielis figuratus eſt, & emphaticus. Ita notant Bellarminus, *l.* 3. *de Roman. Pontif. cap.* 17. Ribera, *in* 20. *Apoc. n.* 71. Suarez, *Tom.* 2. *diſp.* 54. *ſect.* 2. & alii.

XVII. Prætereunda mihi non eſt ſingularis Malvendæ meditatio, *l.* 1. *de Ant. cap.* 19. Putat enim, Danielem, præter ſummam dierum 1290. quibus tempore Antichriſti ceſſaturum eſt Miſſæ ſacrificium, aliam novam, & integram 1335. dierum adjeciſſe, qui reſtituto ab Antichriſti morte Miſſæ ſacrificio poſt dies 1290. integri ſupererunt uſque ad finem mundi. Itaque ſenſus Danielis erit iſte. Beatus, qui poſt elapſos 1290. dies tyrannidis Antichriſti, ſub qua ceſſabit juge ſacrificium, ſupervixerit alios 1335. dies, hoc eſt tres annos ſeptem menſes, & ſemis. Nam videbit Dominum in majeſtate venturum. Unde ab Antichriſti morte ad Chriſti Judicis adventum 1335. dies ſeu tres annos, & ſeptem menſes cum dimidio interfluxuros exiſtimat Malvenda. Non abſona quidem meditatio,

XVIII. Ex omnibus præfatis opinionibus, prior, quæ aſſerit ſolos quadraginta dies a nece Antichriſti ad finem mundi effluxuros, mihi placeret. Tum quia auctoritate Patrum, & Doctorum magis munita, Tum quia ad ſenſum Danielis videtur magis litteraliter accedere. —— Nec me terreret, quod dies extrema non poſſit certo ſciri, dicente Chriſto, Marci 13. v. 32. *De die autem illa nemo ſcit &c.* Nam reſponderi poſſet, hoc verum eſſe toto tempore præcedente Antichriſti necem: quia ſicut incertum eſt tempus Antichriſti, ita incerta eſt dies extrema; verum jam manifeſtato Antichriſti adventu, non videtur abſonum manifeſtari etiam diem extremam cum illo connexam. —— Neque obeſt, quod dies Domini proponatur venturus inopinate, ut, *Matth.* 24. *v.* 37. *Luc.* 17. *v.* 28. de die diluvii, & everſionis Sodomæ, & S. Paulus, 1. *Theſſ.* 5. *v.* 1. dicat: *Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet.*

Nam dici poteſt diem Domini inopinate quidem ſuperventurum reprobis, qui licet audituri ſint poſt quadraginta quinque dies, diem Domini adfuturum, non credent, ſicut inopinate ſupervenit diluvium improbis, quamvis ante præmonitis, tum Geneſ. 6. v. 3. *Eruntque dies illius centum, & viginti annorum*, tum Gen. 7. v. 4. *Adhuc enim, & poſt dies ſeptem, ego pluam ſuper terram &c.* Quod & de Sodomitis legitur, *Geneſ.* 19. *v.* 14. Inopinatus tamen non erit electis. Unde S. Anſelmus, *in* 2. *Theſſ.* 2. hæc habet: *Poſt mortem Antichriſti quadraginta quinque dies conceduntur ad emendationem iis, qui ad vitam prædeſtinati ſunt, & in Antichriſti perſecutione offenderunt. Sed qui ad vitam præordinati non ſunt, nec morte principis ſui corrigentur: ſed toto corde mundanis inhærentes, gaudebunt, uxores ducent, convivia facient, & domos ædificabunt, dicentes: Pax eſt nobis, & ſecuritas, licet princeps noſter ſit mortuus: & dum ita paratos, ac ſecuros ſe eſſe putaverint, ſubito Judex apparebit, omneſque tales condemnabit.* Ita S. Anſelmus. Notitia ergo diei extremæ nihil reprobis proderit, ſed ſolis electis. Et hoc indicavit Daniel cap. 12. v. 12. *Beatus qui expectat, & pervenit uſque ad dies mille triginta quinque. Tu autem vade ad præfinitum, & requieſces, & ſtabis in ſorte tua ad finem dierum.*

XIX. His tamen nihil certi ſtatuere intendimus, nec recedere a tutiori opinione, & certiori, nimirum ab Antichriſto deleto ad finem mundi non longum futurum tempus, cum conſtans verbi Dei, & totius catholici orbis ſit aſſertio, Antichriſtum prope interitum mundi eſſe venturum. Quapropter Eccleſia Chriſti, quam eo tempore per Henoch, & Eliam, ac per prodigia, quæ in eorum morte, & Antichriſti interitu contingent, non ſolum reſtitutam, & auctam, ſed ex gentibus etiam, & Judæis toto orbe mirifice propagatam non dubitamus, cum timore, & tremore adventum Judicis Domini præſtolabitur, ſat ſciens non procul abeſſe. Quibus toti de Antichriſto quæſtioni finem imponimus: ſatis enim Lectorem in ea detinuimus.

QUÆSTIO II.

De Signis, qua univerſalem Reſurrectionem præcurrent.

EXtincto Antichriſto, & fine Mundi appropinquante, aliqua ſigna, tum in Cælo, tum in Terra præcedent, antequam homines Angeli tuba ad Judicium extremum vocentur, & e ſepulchris reſurgant, de quibus in præſenti quæſtione ſermo erit.

DUBIUM I.

De Signis Præceſſuris in Cælo.

§. I.

Aliqua Signa eſſe præceſſura.

I. QUindecim ſigna judicium univerſale præceſſura, tamquam ex S. Hieronymo deprompta referunt B. Petrus Damiani, *Opuſc.* 59. *cap.* 4. Lyranus in Gloſſa ſuper *Luc.* 21. & S. Thom. *in Supplem.* 3. *part. quæſt.* 73. *art.* 1. *in argum.* ſed contra: *Primo die maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis ſuper montes. Secundo die omnia aquora proſternentur in profundum, ita ut vix videri poterunt. Tertio die redigentur in ſtatum antiquum. Quarto die bellua omnes, & alia, qua moventur in aquis congregabuntur, & levabunt capita ſuper pelagum more contentionis invicem mugientes. Quinto die omnes volucres cæli congregabuntur in campis invicem plorantes, non guſtantes aliquid, nec bibentes. Sexto die flumina ignea ſurgent contra firmamentum ab occaſu Solis uſque ad ortum corruentia. Septimo die omnia ſydera exantiæ, & fixa ex ſe ſpargent igneas comas, ſicut cometæ.*

Octavo

Octavo die erit magnus terræmotus, ut omnia animalia proſternantur. Nono die omnes plantæ ſanguineum dabunt rorem. Decimo die omnes lapides parvi, & magni dividentur in quatuor partes unaquaque aliam collidente. Undecimo die omnes colles, & montes, & ædificia in pulverem redigentur. Duodecimo die omnia animalia venient ad campos de Sylvis, & montibus rugientia, & nihil guſtantia. Decimotertio die omnia ſepulchra ab ortu ſolis uſque ad occaſum patebunt cadaveribus ad reſurgendum. Decimoquarto die omnes homines de habitaculis recedent, non intelligentes, neque loquentes, neque diſcernentes. Decimoquinto die omnes morientur, & reſurgent cum mortuis longe ante defunctis. Hæc ex S. Hieronymo S. Th. qui tamen *in corp. illius art.* dicit: *Signa vero, quæ Hieronymus ponit, non aſſerit, ſed in Annalibus Hebræorum ſe ea ſcripta reperiſſe dicit, quæ etiam valde parum veriſimilitudinis habent.* Hoc de eis judicium dat Petrus Damiani citatus addens. *Quibus profecto verbis, ſicut nec auctoritatis robur adſcribimus, ita nec fidem penitus denegamus.* Et Euſebius Emiſſenus in 2. Dom. Adventus. *Nos tamen* (inquit) *iis quidem auctoritatem non damus: ideo vero ſcripſimus, quia Evangelii verbis convenire videntur.* Suarez tamen *diſp. 56.* Judicat, ea eſſe nullius auctoritatis: & eo magis quia in Hieronymi ſcriptis non reperiuntur. Unde Abulenſis, *in Matth. 25. q. 312. ea 18.* argumentis confutat.

II. Aliqua tamen ſigna adventum Chriſti Judicis eſſe præceſſura, docet S. Thom. citato *art. 1.* Quia *Chriſtus ad judicandum veniens, in forma glorioſa apparebit, propter auctoritatem, quæ judicii debetur. Ad dignitatem autem judiciariæ poteſtatis pertinet habere aliqua indicia, quæ ad reverentiam, & ſubjectionem inducant.* Ergo, *adventum Chriſti ad judicium venientis multa ſigna præcedent, ut corda hominum in ſubjectionem venturi judicis adducantur, & ad judicium præparentur hujuſmodi ſignis præmoniti.* Ex quo ut inquit ibid. ad 3. patet differentia inter primum adventum, & ſecundum: *Quod in primo adventu Chriſtus venit occultus, quamvis determinatum tempus eſſet prius cognitum a Prophetis. Et ideo non oportebat hujuſmodi ſigna in primo adventu apparere, ſicut apparebunt in ſecundo adventu, in quo manifeſtius veniet, quamvis determinatum tempus ſit occultum.*

III. *Quæ autem ſint iſta ſigna* (inquit S. Th. ibi in C.) *de facili ſciri non poteſt. Signa enim quæ in Evangelio leguntur, ut Auguſtinus dicit ad Heſichium de fine Mundi* (Ep. 80. modo 199.) *Non ſolum pertinent ad adventum Chriſti ad judicium, ſed etiam ad tempus deſtructionis Jeruſalem, & ad adventum, quo Chriſtus continue Eccleſiam ſuam viſitat; ita quod forte ſi diligenter advertatur, nullum eorum inveniatur ad futurum adventum pertinere, ut ipſe dicit: quia illa ſigna, quæ in Evangelio tanguntur, ſicut pugnæ, & terrores, & hujuſmodi a principio humani generis fuerunt: Niſi forte dicatur, quod tunc temporis magis invaleſcent: ſed ſecundum quam menſuram creſcentia vicinum adventum denuntient, incertum eſt.*

IV. Verum cum ſigna illa poſſint ſumi, vel diviſim, ut unum, vel alterum, vel conjunctim, ideſt, omnia ſimul. In primo ſenſu ſunt ſigna valde remota, nec diem judicii propinquum eſſe demonſtrant, cum aliqua ex illis ab initio mundi apparuerint, nec tamen finis mundi, & judicium adhuc advenerit. Et in hoc ſenſu puto, locutos fuiſſe SS. Auguſtinum, & Thomam. In poſteriori autem ſenſu ſunt ſigna proxima adventum Chriſti Judicis vicinum certo ſaltem electis demonſtrantia. Illa enim congeries ſucceſſiva ſignorum, nempe, Romani Imperii totalis deſolatio, Antichriſti ſigna, & prodigia facientis adventus, generalis ejus perſecutio in Eccleſiam, Henoch, & Eliæ apparitio, & prædicatio, eorum glorioſa mors, & viſibilis reſurrectio, & in Cælum aſſumptio, horribilis Antichriſti mors, generalis Eccleſiæ pax, ac deinde Solis, & Lunæ obſcuratio &c. adeo certam ex revelatis in Scripturis vicini, ac imminentis mundi interitus ingerent æſtimationem, ut nemo niſi prorſus incredulitate excæcatus, hoc in dubium revocaturus ſit.

Hanc eſſe mentem Sanct. Thom. colligo ex laudato art. *ad 1.* ubi dicit: *Quod omnia illa ſigna, quæ circa judicium erunt, infra tempus judicii computantur, ut ſic dies judicii omnia illa contineat.* Impii tamen non videntes poſt illa ſigna adhuc mundum conſummari, in pace, & ſecuritate vivent: unde eis repentinus ſuperveniet interitus, quod ex cæcitate eorum continget, ſicut in eo qui in meridie oculum avertit a ſole. Hoc repetit ad ſecundum, ubi poſtquam dixit, quod dies Domini tamquam fur in nocte veniet, quia *ignoratur determinatum tempus, quod per ſigna illa cognoſci non poterit*, ſubjungit: *Quamvis etiam ſub die judicii comprehendi poſſint omnia illa manifeſtiſſima ſigna, quæ immediate judicium præcedent.* Et ſic dies judicii dicitur repentinus, non præciſe quoad diem, ſed ſimul cum ſignis ipſum præcurrentibus, quæ ſubito apparebunt, eruntque hominibus improviſa.

§. II.

Obſcuratio Solis, & Lunæ &c.

V. CHriſtus Dominus, *Matth. 24.* prænarrata tribulatione, quæ ſub Antichriſti, & Pſeudoprophetis ejus Eccleſiam affliget, *v. 29.* quatuor ſigna præcipue in Cælo imminentem ſuum adventum ad judicium præceſſura prædixit, his verbis: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & virtutes cælorum commovebuntur.* Nunc videndum eſt, quomodo iſta fient. Et ſuppono cum S. Th. *qu. 72. Suppl. art. 2.* quod hæc non fient in ipſo momento adventus Chriſti, quia Chriſto veniente, & Sanctis reſurgentibus totus mundus innovabitur, ſed fient tempore propinquo ante Chriſti adventum, vel ſimul, vel diverſis temporibus, hoc divina virtute faciente ad hominum errorem.

VI. Hinc circa modum, quo Sol, & Luna, & Stellæ obſcurabuntur, licet Hieronymus, Chryſoſtomus, Euthymius, & alii cenſeant, ea eſſe obſcuranda non diminutione, vel ſubtractione luminis; ſed quia ab immenſo Chriſti ad judicium venientis ſplendore omne cæleſtium ſyderum lumen ſuperabitur, & quodammodo obſcurabitur, ut naturaliter videmus, adveniente majori lumine minus offuſcari, ſicut lumen candelæ adveniente lumine ſolis. Hæc tamen poſitio non videtur ſubſiſtere; ſupponit enim, hanc ſolis, & lunæ obſcuritatem futuram in ipſo adventu Judicis, cum tamen tamquam præceſſura adventum, & ut terribile quoddam ſignum animos omnium terrore concutiens *præ timore, & expectatione eorum, quæ ſupervenient univerſo orbi*, proponatur a Luca, *c. 21. v. 26.* & Joel *c. 2. v. 31.* dicat: *Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Dominus magnus, & horribilis.* Rurſus ergo communiter cum S. Th. exiſtimatur, hoc futurum per privationem ſeu ſuſpenſionem ſui luminis, quemadmodum de ſole, moriente Domino, factum eſt. Dicere enim hoc futurum per ecclypſim, reprobatur a S. Th. *art. 2.* citato in arg. ſed contra: Nam *ſecundum Aſtrologos Sol, & Luna ſimul ecclypſim pati non poſſunt: ſed illa obſcuratio ſolis, & lunæ ſimul eſſe dicitur, Domino ad judicium veniente; ergo non erit obſcuratio ſecundum rei veritatem per modum ecclypſis naturalis.* Adde, quod cum homines videndis ecclypſibus ſint aſſueti, ex illa obſcuratione non tantum terrorem conciperent, qualem dicit Scriptura.

VII. Quantum vero temporis duratura ſit illa obſcuratio, incertum eſt. Quidam opinantur, eam duraturam per tres, aut quatuor horas, ut in morte Domini. Non multo plus, ne omnia viventia pereant, nec multo minus, alias non videretur in omni terræ Emiſphærio. Alii, eam duraturam per plures horas, immo, & dies, ſicut in Ægypto per tres dies durarunt tenebræ *Exod. 10.* nec tamen viventia ibi perierunt.

VIII. Circa vero illud, *& Stellæ cadent de Cælo* varie opinati ſunt expoſitores. Quidam, ut Chryſoſtomus, Euthymius, & alii, ſtellas ipſas in fine mundi ſecundum rei veritatem de Cælo caſuras exiſtimant. Et moventur tum ex *Iſaiæ 34. v. 4.* ubi dicitur, quod militia cælorum (ſtellæ) *defluet ſicut defluit folium de vinea, & de ficu.* Tum ex, *Apoc. 6. v. 13.* ubi dicitur: *Et ſtellæ de Cælo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cum a vento magno movetur.* Communius tamen, & verius caſus ille ſtellarum in fine mundi figurate dictus accipitur, quia nimirum ſtellæ lumen ſuum retrahent, atque ita videbuntur cecidiſſe de Cælo, ideſt, in Cælo amplius non eſſe, & in hoc ſenſu loquitur Iſaias, & Joannes in Apoc. qui proinde v. 14. ſubdit: *Et Cælum receſſit ſicut liber involutus*, quia ſicut liber in quo litteræ conſpici, ac legi nequeant, ac ſi in eo non eſſent, & veluti deletæ, ſive abraſæ.

Dici etiam poſſet, cum Auguſt. *lib. 20. de Civ. Dei, c. 24.* ſtellas de Cælo caſuras non fore veras ſtellas, nec caſuras de firmamento, ſed igneas impreſſiones, quæ cadent de Cælo aereo, quæ ſæpe apparent de Cælo cadere, & nomine ſtellarum vocantur. Et hoc maxime continget in fine mundi. Nam ſublato ſplendore ſolis, lunæ, & ſtellarum, ſolæ illæ impreſſiones ignitæ in Cælo ad inſtar ſtellarum fulgebunt, quæ in igneis fulmineis globis præter naturalem modum in terras cadentes, inducant homines terrore concuſſos ad putandum ſtellas ipſas de Cælo cadere.

IX. Illud autem: *Et virtutes cælorum commovebuntur* duplicem excitat quæſtionem. Primam. Quid per *Virtutes cælorum* intelligi debeat. Secundam quid ſignificet ly *commovebuntur*.

Ad primam. Aliqui volunt per *Virtutes cælorum* intelligi aſtra, quæ commovebuntur, quia eorum lux, & influentiæ ceſſabunt. Communius tamen, & verius cum S. Th. *q. 73. Suppl. art. 3.* intelliguntur Angeli, ſive ſumpti pro omnibus ſpiritibus, qui dicentur moveri propter admirationem novitatis, quæ in mundo erit, & ſic ſolvitur etiam ſecunda quæſtio. Vel ſi ſumantur Angeli pro ſpeciali ordine ſpirituum, quorum officium eſt motui cælorum præſidere, ideoque *virtutes Cælorum* dicuntur, tunc commovebuntur, videntes inopinate ab officio ſuo ceſſare ulterius corpora cæleſtia non moventes, ſicut nec Angeli qui ſunt ad cuſtodiam hominum deputati ulterius hominum cuſtodiæ vacabunt.

Commovebuntur, ergo, hoc eſt admirabuntur. Nam ut ait S. Thom. citatus ad 2. *Admiratio ſolet eſſe de his, quæ noſtram cognitionem excedunt, vel facultatem. Et ſecundum hoc virtutes cælorum admirabuntur divinam virtutem talia facientem, in quantum ab ejus imitatione, & comprehenſione deficiunt..... Et ſic non ponitur in Angelo ignorantia, ſed tollitur Dei comprehenſio.*

X. Non ſolum autem ſub finem mundi erunt ſigna in cæleſtibus, ſed etiam in ſublunaribus corporibus elementis, nempe, & mixtis, areſcentibus hominibus præ timore. Erunt itaque in mari horribiles tempeſtate, ut ex verbis Domini, Lucæ 21. v. 25. *In terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore &c.* In aere præter tenebras, erunt tonitrua, fulgura, & horribilia ſpectra. In terra ingentes tremores, taleſque motus, quales nunquam fuerunt. Ignis quoque e ſubterraneis cavernis erumpet, cum maxima hominum, & animalium ſtrage.

DUBIUM II.

An Mundi conflagratio ſit futura per Ignem, & an ante Judicium.

§. I.

Reſolutio Primæ Partis.

I. UNiverſalem Mundi conflagrationem in fine ſæculorum futuram docent Scripturæ, ut omnes fatentur. De hac agit S. Thom. *q. 74. Suppl. art. 1. & ſeq.* & eſt doctrina Eccleſiæ apoſtolica traditione firmata. Illam ſpecialiter indicat S. Petrus, *Epiſt. 2. cap. 3. a v. 7.* dicens quod ſicut Verbo Dei mundus olim aqua inundatus periit, ſic & in noviſſimo die igne ardebit, his verbis: *Cæli autem, qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti ſunt igni reſervati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*, v. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo Cæli magno impetu tranſient, elementa vero calor ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Et v. 12. *Expectantes, & properantes in adventum diei Domini, per quem Cæli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent. Novos vero Cælos, & novam terram ſecundum promiſſa ipſius expectantes, in quibus juſtitia inhabitat.* Hæc S. Petrus. Alii Scripturarum textus de hac conflagratione loquuntur, ut *Pſ. 49. v. 2. Pſ. 96. v. 3. Joel. 2. v. 3. 2. Theſſal. v. 8.* de quibus infra. Concordat traditio Patrum præfata ſcrip. loca exponentium.

II. Nec minus ex præfatis ſcripturarum locis apparet, per iſtam conflagrationem mundum eſſe purgandum, ac renovandum: hoc enim Petrus ſupra indicavit, dum dixit: *Novos vero Cælos, & novam terram ſecundum promiſſa ipſius expectantes;* promiſſio autem eſt Iſaiæ *65. v. 17. Ecce enim ego creo cælos novos, & terram novam.* Et cap. *66. v. 22. Quia ſicut cæli novi, & terra nova, quæ ego facio ſtare coram me..... Sic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum.* Quod & Joannes, *Apoc. 21. v. 1.* ſe in ſpiritu vidiſſe teſtatur: *Et vidi cælum novum, & terram novam. Primum enim Cælum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.*

III. Hujus autem purgationis, & innovationis cauſam aſſignat S. Thom. *q. 74. Suppl.* citata, *art. 1.* his verbis: *Quia mundus propter hominem aliquo modo factus eſt, oportet quod quando homo ſecundum corpus glorificabitur, etiam alia mundi corpora ad meliorem ſtatum mutentur, ut ſit & locus convenientior, & aſpectus delectabilior. Ad hoc autem quod homo gloriam corporis conſequatur, oportet prius removeri ea, quæ gloriæ opponuntur, quæ ſunt duo, ſcilicet corruptio, & infectio culpæ: quia ut dicitur 1. Cor. 15.* Corruptio incorruptelam non poſſidebit, & a Civitate gloriæ omnes immundi foris erunt, Apoc. ult. *Et ſimiliter etiam oportet elementa purgari a contrariis diſpoſitionibus, antequam in novitatem gloriæ adducantur, proportionaliter ei quod de homine dictum eſt. Quamvis autem res corporalis ſubjectum infectionis culpæ proprie eſſe non poſſit, tamen ex culpa quædam incongruitas in rebus corporalibus relinquitur, ad hoc quod ſpiritualibus dedicentur. Et idem videmus, quod loca in quibus aliqua crimina ſunt commiſſa, non reputantur idonea ad aliqua ſacra exercenda in eis, niſi purgatione quadam præmiſſa. Et ſecundum hoc quandam idoneitatem ad gloriæ ſuſceptionem pars mundi recipit, quæ in uſum noſtrum cedit. Unde quantum ad hoc mundatione indiget. Similiter etiam circa medium locum, propter elementorum contactum multæ ſunt corruptiones, & generationes, & alterationes elementorum, quæ puritati eorum derogant. Et ideo ab his oportet elementa purgari, ad hoc quod decenter ſuſcipiant novitatem gloriæ.* Ita S. Thom. & hoc indicaſſe videtur Paulus, Rom. 8. ubi poſtquam dixit: *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens &c.* ſubjungit, v. 21. *Et ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei &c.* ideſt purgabitur, ut quæ non volens ſervivit corruptioni, ſerviat gloriæ electorum. Nam ut ait idem S. Th. ad 2. *Quamvis elementa corporea ſubjectum culpæ eſſe non poſſint; tamen ex culpa commiſſa in eis, aliquam ineptitudinem conſequuntur ad perfectionem gloriæ ſuſcipiendam.*

IV. Quod vero dicitur, quod omnis creatura Dei munda eſt. *Hoc eſt intelligendum* (inquit S. Thom. citatus ad 1.) *quia non habet in ſubſtantia ſua alicujus malitiæ commixtionem, ſicut ponebant Manichæi dicentes, malum, & bonum eſſe duas ſubſtantias alicubi diviſas, alicubi commixtas. Non autem removetur, quin aliqua creatura habeat permixtionem naturæ extraneæ, quæ etiam in ſe bona eſt, ſed perfectioni hujuſmodi creaturæ repugnat. Similiter non removetur ex hoc, quin malum alicui creaturæ accidat, quamvis non ſit permixtum ei, quaſi pars ſubſtantiæ ejus.*

Supereſſet quærendum quales effectus habitura ſit hujuſmodi conflagratio in corporibus, tum cæleſtibus, tum inferioribus. Sed hoc ad Dubium ſequens reſervamus.

V. Modo quæritur primo an hujuſmodi purgatio ſit facienda per ignem —— Cui reſpondeo affirmative. Tum propter textus ſcripturarum allatos. Tum ratione S. Thomæ citato loco, *art. 2.* Quia cum hæc purgatio futura ſit ad removendam infectionem ex culpa relictam, & impuritatem commixtionis, & ut creaturam diſponat ad gloriæ ſuſceptionem, ad hæc convenientiſſimus erit ignis. Primo. *Quia ignis cum ſit nobiliſſimum elementorum, habet naturales proprietates ſimiliores proprietatibus gloriæ, ut maxime patet de Luce.* Secundo. *Quia ignis non ita recipit commixtionem extranei propter efficaciam ſuæ virtutis activæ, ſicut alia elementa.* Tertio. *Quia ſphæra ignis eſt remota a noſtra habitatione, nec ita communis eſt nobis uſus ignis, ſicut terræ, aquæ, & aeris unde non ita inficitur. Et propter hoc habet maximam efficaciam ad purgandum, & ad dividendum ſubtilizando.*

VI. Nec dicas, quod ſicut prima mundi purgatio facta fuit per aquam diluvii, ita videtur conveniente facienda ſecunda purgatio. Eo magis quod aliqua purgabilia ſunt per aquam non per ignem, ut Lex vetus diſtinguit.

Nam reſpondet S. Thom. art. 2. citato ad 2. *Quod prima purgatio mundi, quæ facta eſt per diluvium non reſpiciebat niſi infectionem peccati. Præcipue autem tunc regnabat peccatum concupiſcentiæ: Et ideo convenienter per contrarium purgatio facta fuit, ſcilicet per aquam. Sed ſecunda purgatio reſpicit, & infectionem culpæ, & commixtionis impuritatem. Et quantum ad utrumque convenit magis, quod fiat per ignem, quam per aquam. Aqua enim non habet vim diſgregandi, ſed magis congregandi. Unde per aquam naturalis impuritas elementorum tolli non poſſet, ſicut per ignem. Similiter etiam circa finem mundi regnabit vitium tepiditatis, quaſi mundo jam ſeneſcente, quia ut dicitur Matth. 24.* Tunc refrigeſcet charitas multorum. *Unde tunc convenienter purgatio per ignem fiet. Nec eſt aliquid, quod igne purgari non poſſit aliquo modo. Sed quædam ſunt, quæ ſine ſui corruptione per ignem non poſſunt purgari, ſicut panni, & vaſa lignea, & hujuſmodi. Et talia Lex præcipit purgari per aquam. Quæ tamen finaliter omnia corrumpentur per ignem.*

VII. Quæritur ſecundo: An ignis ille futurus ſit ejuſdem ſpeciei cum elementari?

Reſpondeo affirmative cum S. Th. laudato loco, *art. 3.* Nam ſicut purgatio futura erit per ignem, ita præcedens fuit per aquam, & utraque ad invicem comparatur, *2. Petri 3.* ſed in prima purgatione fuit aqua ejuſdem ſpeciei cum elementari; ergo ſimiliter erit in ſecunda purgatio ignis ejuſdem ſpeciei cum igne elementari. Quare S. Auguſt. l. 20. de Civ. Dei, c. 16. *Sicut* (inquit) *mundanarum aquarum inundatione factum eſt diluvium; ita mundanorum ignium conflagratione figura hujus mundi peribit.* Congregabuntur ergo omnes cauſæ ſuperiores, & inferiores, quæ habent ex natura ſua virtutem igniendi, quæ congregatio non naturali curſu rerum, ſed virtute divina fiet. Et ex omnibus iſtis cauſis ſic congregatis generabitur ignis, qui faciem hujus mundi exuret, magis ut inſtrumentum divinæ virtutis, quam virtute propria. Et eadem ratione dicit S. Thom. *ad 3.* quod quamvis ignis ex ſua natura feratur ſurſum, tamen ſicut ſequitur materiæ combuſtibilis ſitum, & agit infra propria ſphæram: ita ut inſtrumentum divinæ virtutis movebitur, vel in circuitu, vel deorſum, pro ut Deus juſſerit. Qua ratione etiam ignis in inferno licet verus, & ejuſdem ſpeciei cum elementari, perpetuo ibi ardet abſque ulla materia, & agit in ſpiritus.

VIII. Mitto opinionem quorumdam, qui ignem conflagrationis putant fore ignem non verum, ſed metaphoricum. Nam cum Scripturæ præallatæ loquantur abſolute fore ignem, nec ex quo in ſenſu litterali intelligatur, ullum ſequatur inconveniens, ſecundum regulam S. Auguſtini, ad metaphoram recurrendum non eſt, ſicut nec recurritur dum de igne inferni ſermo eſt. Addo quod S. Petrus, *Epiſt. 2. cap. 3.* ut ſupra ignem conflagrationis comparat cum aqua diluvii, quæ vera, & elementaris aqua fuit. Et ideo ſicut tunc univerſalis inundatio facta eſt ex aquis tum ſuperioribus, quas *Cataractæ Cæli aperta* miſerunt, tum inferioribus, quas *rupti omnes fontes abyſſi* emiſerunt ut legitur, *Gen. 7. v. 11.* ita credendum eſt, vel ex montibus, ut modo ex Ætna, & Veſuvio, vel ex terræ voraginibus apertis, vel etiam igneis exhalationibus in aere formatis, juvante maxime opera Angelorum, univerſalis mundi conflagratio conſurget.

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

IX. CIrca quæſtionem, an mundi conflagratio ſit præceſſura, an ſubſecutura univerſale judicium, non fuit apud veteres unanimis conſenſio. Nam S. Auguſtin. *l.* 20. *de Civ. Dei, cap. ultimo*, mundi conflagrationem, ejuſque innovationem ultimo loco ponit, ait enim: *In illo itaque judicio, vel circa illud judicium has res didicimus eſſe venturas: Eliam Thesbytem, fidem Judæorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum judicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem, ejuſdemque renovationem. Quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt, ſed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet conſequi ad perfectum, hominum intelligentia. Exiſtimo tamen eo, quo a me commemorata ſunt, ordine eſſe ventura.* In hanc ſententiam ſcribit etiam, *cap.* 16. *&* 18. ejuſdem libri, & *Epiſt.* 80. modo 199. *ad Heſychium*. Quid autem de hoc alii veteres ſenſerint non adeo liquet.

X. Communis tamen modo ſententia eſt, paulo ante judicium præceſſuram mundi conflagrationem, & univerſalem innovationem. Hoc enim indicare videntur Scripturæ, tum Pſalm. 49. v. 3. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet.* Tum Pſalm. 96. v. 3. *Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus, illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini: a facie Domini omnis terra.* Ubi primo ponitur ignis exurgens, deinde dicitur montes ſicut ceram fluxuros a facie Domini, omnem terram commovendam, deinde ponitur adventus Judicis. Tum Joel. 2. v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans.* Quibus ſe ſubſcribit S. Gregorius, *Homil.* 26. *in Evangelia*, dicens: Chriſtum *in judicium appariturum Cœlis, & terris ardentibus*, quod idem eſt, ac conflagrationem jam futuram in ipſo judicis adventu. Ut tamen utramque opinionem conciliem,

XI. Dico. Iſta mundi conflagratio quoad purgationem mundi, ejuſque innovationem Judicis adventum præcedet, ſed quoad aliquem actum, qui ſcilicet erit involvere malos, judicium ſequetur. Ita S. Thom. *q.* 74. *Suppl. art.* 7. Talis ergo videtur futurus ordo. Paulo ante quam Chriſtus appareat, accendetur ignis, quo mundus purgetur, & homines, ut dicetur, interimantur: Deinde Dominus præcedente illum ſigno Crucis ad judicium veniet, reſurgent ſtatim mortui, & judicabuntur: Prolata vero Judicis ſententia, dum electi cum Chriſto ad Cælum aſcendent, in ea quæ depaſcenda reſtabunt ignis deſæviet, ac reprobos involvens in infernum detrudet.

XII. Prima pars, quod conflagratio quoad purgationem, & innovationem mundi ſit præceſſura judicium prob. ex S. Thom. cit. in arg. ſed contra, *& in corp.* Nam reſurrectio præcedet judicium, ut patet, 1. *Theſſal.* 5. *v.* 15. ubi dicitur, qui mortui ſunt in Chriſto *reſurgent primi, & nos qui vivimus, rapiemur cum illis obviam Chriſti*, nos inquam prius mortui, deinde cum illis reſurgentes: ſed mundi conflagratio, & innovatio reſurrectionem univerſalem præcedet, quia corpora Sanctorum reſurgent impaſſibilia, & glorioſa, ideoque non poterunt purgari per ignem, cum tamen ex dicendis cum Auguſt. *lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 18. *&* 19. per illum ignem purgabitur, ſi quid in aliquibus ſit purgandum; ergo ille ignis judicium præcedet. Quia vero cum corpora Sanctorum glorioſa reſurgent, ſimul etiam tota creatura erit ſuo modo innovata juxta dicta ex Paulo Rom. 8. v. 21. *Ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei:* & conflagratio mundi ſit diſpoſitio ad renovationem prædictam ut §. præced. dictum eſt, oportebit ut mundi conflagratio, & innovatio reſurrectionem præcedat, & proinde judicium.

XIII. Confirmantur dicta. Conflagratio ideo fiet, ut omnis creatura antequam coram Judice ſiſtatur, purgata ſit ab omni infectione, & vitio, ſive culpæ, ſive corruptionis, ac proinde ad eum ſtatum revocata, in quo ab ipſo condita fuit. Unde (ut ex S. Thom. art. 1. diximus) *videmus quod loca, in quibus aliqua crimina ſunt commiſſa, non reputantur idonea ad aliqua ſacra exercenda in eis, niſi purgatione quadam præmiſſa.* Et ut dicit S. Vincentius Ferrerius, Serm. 1. & 3. in Domin. 2. Adventus: *Si Rex deberet hic tenere curias in domo, in qua habitaverunt porci, & jumenta, illa domus mundaretur, & purificaretur: idem de domo hujus mundi, in qua habitaverunt jumenta (qui vivunt ibi ſecundum rationem, ſunt homines, qui vivunt ſecundum ſenſualitatem ſunt beſtiæ &c.) propter quod domus hujus mundi eſt immunda, corrupta, & infecta.* Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo (Joel. v. 17.) *Neceſſarium eſt ergo, ut mundetur, & purificetur, qua purificatio fiet per ignem, qui accendetur, & inflammabitur ad quatuor partes mundi, in Oriente, & Occidente &c. & comburet totum mundum.* Hæc S. Vincentius. Cui adhæret S. Antoninus, 5. *p. ſumma tit.* 14. *c.* 11. §. 3. & S. Bernardinus Senenſis, S. Thomas a Villanova & alii.

XIV. Secunda vero pars, nempe, quod ignis quoad actum involvendi reprobos judicium ſequetur. Probatur primo. Quia Dominus dicitur judicaturus orbem per ignem, ergo executio ſententiæ ejus erit facienda per ignem, non per ignem, quo mundus innovabitur, ut dictum eſt: ergo per ignem quatenus involvet malos. Ita S. Thom. *art.* 7. citato *ad* 4.

XV. Secundo probatur ex eodem dicta *q.* 74. *art.* 9. Ultimus actus purgationis, & innovationis humanis generis eſt, quod mali ſegregentur a bonis. Unde dicitur Luc. 3 v. 17. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum* (ideſt electos) *in horreum ſuum; paleas autem* (ideſt reprobos) *comburet igni inextinguibili.* Hæc autem ſeparatio electorum a reprobis, & congregatio illorum, ac combuſtio iſtorum fiet poſt judicium, & ſententiam, Matth. 15. v. 34. *Venite benedicti &c.* & v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, &c.* Ergo involutio reproborum ab igne ſequitur judicium.

XVI. Si dicas non fore eumdem ignem, qui purgabit mundum, & involvet reprobos —— Reſpondetur cum S. Thom. dicta q. 74. art. 9. ad 1. *Quod ignis, qui purgabit electos ante judicium, erit idem cum igne conflagrationis mundi, quamvis quidam contrarium dicant. Convenit enim, ut cum homo ſit pars mundi, eodem igne purgetur homo, & mundus. Dicuntur autem duo ignes, qui purgabunt bonos, & cruciabit malos, & quantum ad officium, & quantum ad ſubſtantiam: quia non tota ſubſtantia ignis purgantis in infernum detrudetur, ut dictum eſt* (in corp. art.) nimirum. *Quia quoad calidum uſtivum, & quantum ad id, quod in igne groſſum reperietur, deſcendet ad inferos ad pœnam damnatorum, quod vero eſt ibi ſubtile, & lucidum remanebit ſuperius ad gloriam electorum.* Et hoc eſt quod dicitur in Pſalm. 28. v. 7. (ut exponit Baſilius, Hom. 21.) *Vox Domini intercedentis flammam ignis.* De hoc aliqua videbis, *Dubium ſeq.* §. 3. *n. ult.*

XVII. Nunc reſpondendum eſt ad ea, quæ contra primam partem opponuntur. Et primo. Ad id, quod ex S. Aug. ab initio oppoſuimus, reſpondet S. Thom. *art.* 7. hujus q. 74. *ad* 1. Quod *Auguſt. non loquitur determinando, ſed opinando*, quod conſideranti verbo ejus ſupra relata patebit. Addo nec favere poſſe adverſarii. Tum quia ponit primo Eliæ adventum, & Judæorum converſionem, & poſtea Antichriſtum, ejuſque perſecutionem, cum tamen primo venturus ſit Antichriſtus, cui Judæi adhærebunt, poſtea venturus Elias, qui eos ad fidem convertet, ut diximus cum communi ſententia Patrum. Tum quia prius ponit adventum Domini ad judicandum, poſtea mortuorum reſurrectionem, cum tamen hominibus jam reſuſcitatis Chriſtus ſit appariturus. Communiorem tamen ſententiam Auguſt. ſequitur, *l.* 1. *q.* 1. *Evangelic. q.* 20. ubi aperte dicit, quod *Dominus igne præcedente venturus eſt.*

XVIII. Objiciunt ſecundo aliqui mundi innovationem, quæ erit effectus conflagrationis, non futuram ante judicium. Tum quia ante judicium erunt adhuc reprobi viventes, qui blaſphemiis mundum contaminabunt. Tum quia Chriſtus ad judicium venturus eſt in nube, *Matth.* 24. *v.* 30. & Sancti rapientur in nubibus obviam Chriſto, 1. *Theſſ.* 4. *v.* 16, ergo mundus non erit tunc renovatus, quia in ſtatu renovationis nec nubes, nec alia metheora erunt.

XIX. Reſp. nego ant. Ad primam probationem dico conflagratione illa omnes homines fore abſumendos, & viventes morituros, unde nemo remanebit, qui mundum contaminet. Quod ſi poſt reſurrectionem impii adhuc ſuis blaſphemiis mundum inficient, ignis ipſe, qui eos involvet, & in tartara detrudet, repurgabit terram; quam pedibus calcarunt, & aerem quem ſuo halitu in ipſo judicii tempore, vel momento infecerunt: unde ſolum ſequitur, tunc fore innovationem mundi conſummatam, & perfectam.

Ad ſecundum dici poteſt, vel quod nubes illa, in qua Chriſtus veniet, & qua Sancti rapientur, non erit vera nubes ex vaporibus facta, ſed miraculoſe ex luce ad tempus formata, ut Chriſto ſerviat & Sanctis ejus. Vel ſi erit vera nubes, mundus non adhuc plene purgatus erit, ſed ſolum plene purgabitur peracto judicio, quod non negamus, ſed cum S. Thom. *art.* 9. ſupra admiſimus. Ac proinde igne in aliis mundi partibus exurente, nubes poterunt eſſe in loco, ubi Chriſto conſiſtet. Neque enim ignis, qui præcedet faciem advenientis Judicis, ideo neceſſe eſt, ut ſtatim omnia depaſcat, ſed terram, & quæ in ea ſunt exuret, homines vivos extinguet, puniet, aut purgabit: Locum autem judicii præſentibus ibi judicandis cum Judice non attinget, donec prolata in reprobos ſententia, in eos deſæviat, omniaque comburat, purget, ac innovet.

DUBIUM III.

De Effectibus ignea Conflagrationis.

§. I.

Quid agit circa Cælos.

I. DE Cælo Empyreo certum eſt, ignea conflagratione non eſſe purgandum. Tum quia ignis conflagrationis non pertinget uſque ad illud, ſicut nec ad alios cælos inferiores, ut dicemus. Tum quia nullas affectiones, ac ſordes unquam contraxit, aut contrahet ex corporibus inferioribus, aut eis, qui illud inhabitant, nempe Angelis, aut animabus beatis. Nihil enim coinquinatum intrabit in illud: ergo ſicut qui illud inhabitant, non indigent pur-

purgatione: ita nec Cælum Empyreum: quod eſt locus eorum ſpirituali beatitudini ab origine mundi præparatus.

II. Neque dicas, ab origine mundi fuiſſe deturpatum peccato Luciferi, & Angelorum ejus ſequacium —— Nam reſpondet S. Thom. *q.* 74. *Suppl. art.* 4. *ad* 3. dicens: *Ex culpa etiam Dæmonum Cælum empyreum infectionem non contraxit, quia peccando ſtatim a Cælo expulſi ſunt.* Quæ expulſio ſpecies quædam purgationis ſpiritualis fuit, quia ut ait Gregorius, lib. 34. Moral. cap. 7. *Lucifero cum reprobis legionibus exeunte ſoli in cæleſtibus ſedibus, qui beate in æternum viverent, remanſerunt.* Quomodo ejectis anathemate contumacibus, & hæreticis, purgatur Eccleſia. Nunc de Cælis inferioribus.

III. Dico. Nec Cælum ſydereum, aut alii Cæli inferiores ignea conflagratione purgabuntur. Ita S. Thom. citata *q.* 74. *art.* 4. cujus ratio eſt. Quia purgatio mundi per ignem ad hoc erit, ut removeatur a corporibus diſpoſitio contraria perfectioni gloriæ: ſed nulla diſpoſitio contraria perfectioni gloriæ in corporibus cæleſtibus inveniri poteſt, quia ſubſtantia eorum puriſſima eſt, nec ei per commixtionem poteſt aliquid addi, quo, ſicut accidit in corporibus inferioribus, decidant a propria puritate; cum enim natura ſua ſint incorruptibiles, & inalterabiles, non ſunt receptivi peregrinæ impreſſionis; ergo &c.

Addit tamen S. Thom. corporibus cæleſtibus accedere poſſe aliquid, quod non variet eorum ſubſtantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, ſed ſolum locum, qui eſt extra rem, & hic eſt motus localis: *Et ideo a ſubſtantia Cæli ſuperiorīs non oportet, quod aliquid removeatur, ſed oportet, quod motus ejus quietetur. Quietatio autem motus localis non fit per actionem alicujus contrarii agentis, ſed per hoc quod Motor deſiſtit a movendo. Et ideo cæleſtia corpora nec per ignem, nec per alicujus creaturæ actionem purgabuntur: ſed ipſa eorum quietatio ſola voluntate divina accidens, eis loco purgationis erit.* Ita S. Thomas.

IV. Sed dices primo 2. *Petri* 3. *v.* 7. habetur: *Cæli autem, qui nunc ſunt, & terra eodem Verbo repoſiti ſunt igni reſervati in diem judicii, & perditionis impiorum* hominum; ergo ab igne purgationis paſſuri ſunt Cæli.

Reſpondet S. Thom. art. 4. citato ad 2. *Quod Petrus ſe exponit, de quibus Cælis intelligat: præmiſerat enim ante verba inducta quod* Cæli prius, & terra per aquam perierant, qui nunc eodem verbo repoſiti ſunt igni reſervati in diem judicii: *Ergo illi cæli per ignem purgabuntur, qui prius per aquam diluvii ſunt purgati ſcilicet cæli aerei.*

V. Replicabis, primo. S. Petrus loquitur de cælis in plurali; ergo non ſolum de aereo cælo, ſed & de ſydereo. Secundo, ibi v. 10. diſtinguit cælos ab elementis: *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur.* Et v. 12. *Per quem cæli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent.* Tertio, v. 13. *Novos vero cælos, & novam terram ſecundum promiſſa ipſius expectantes, in quibus juſtitia habitat.* Juſtitia autem habitat in cælis non aereis, ſed ſuperioribus.

VI. Reſpondeo tamen hæc non infringere ſolutionem datam. Non quidem primum. Nam eos cælos dicit hic igni reſervari, de quibus ſupra dixerat aqua diluvii periiſſe. Hi autem fuerunt aerei, non ſyderei. Loquitur autem de cælis in plurali, ſive ut ſignificet diverſas aeris regiones: ſive ponens plurale pro ſingulari, ſervans ſtilum hebraicum qui ſingulari caret, ut advertit Eſtius in hunc locum. —— Non ſecundum. Nam nomine *elementorum* ſolum aquam, & terram intelligit, & hæc duo diſtinguit a cælis, ideſt, a ſuperiori regione aeris, quæ & ipſa igne ſolvetur, ideſt, a commixtione extraneæ ſubſtantiæ purgabitur. Non tertium. Nam S. Petrus proſequitur loqui de eiſdem cælis, de quibus ſupra, nempe, de aereis. Nec per hoc quod dicat, *in quibus juſtitia habitat*, argui debet, eum loqui de cælis ſuperioribus. Nam ſub hoc nomine maxime comprehendi deberet etiam Cælum empyreum, in quo juſtitia, ſeu juſti, vel juſta retributio juſtitiæ habitat. Cum ergo æque dicat de terra, ac de cælis, *in quibus juſtitia habitat*, eodem modo exponendum erit, quod juſtitia habitet in cælis, ac in terra, ideſt, quod cælum aereum, & terra ſit habitaculum juſtitiæ: & ſicut modo habitat injuſtitiam per ſcelera; poſtea mundo innovato, & impiis in infernum relegatis, non amplius habitabit injuſtitia, ſed juſtitia Dei, & Sanctorum.

VII. Dices ſecundo, *Pſal.* 101. *v.* 27. de cælis dicitur: *Ipſi peribunt: tu autem permanes.* Iſaiæ 65. v. 17. *Ego creo cælos novos, & terram novam.* Et c. 66. v. 22. *Cæli novi, & terra nova, quæ ego facio ſtare coram me.* Jo: Apoc. 21. verſ. 1. *Et vidi* (inquit) *cælum novum & terram novam. Primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.*

VIII. His autem non obſtantibus ſtandum eſt in data reſponſione, nimirum, allatos textus intelligendos eſſe de cælis aereis. Vel ſi de ſuperioribus cælis, de ſola innovatione quoad motum localem. Ita reſpondet S. Th. dicto art. 4. ad 1. *Quod ſicut Auguſtinus dicit* 20. *de Civit. Dei* (cap. 20.) *Verba illa Pſalmi ſunt intelligenda de cælis aereis, qui purgabuntur per ignem ultimæ conflagrationis. Vel dicendum quod ſi etiam de ſuperioribus cælis intelligantur, tunc dicuntur perire quantum ad motum, quo nunc continue moventur.*

De facto enim, ut notat Eſtius, *in* 4. *diſt.* 47. §. 14. S. Auguſt. *l.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 18. Petri locum tractans oſtendit per cælos ſolum aereos intelligi, quorum etiam locum, ac ſpatium aquæ diluvii creſcendo ſuperaverant. Similiter Hieronymus *ſupra Iſaiæ* 65. Quod & probat teſtimonio *Pſalmi* 101. *& Iſaiæ* 30. & rurſus ex eo quod Petrus non dixit alios cælos, & aliam terram, ſed *novos*, ideſt, eoſdem qui prius erant ſuo modo invocandos. Similiter cum Joannes dicit: *Primum cælum, & prima terra abiit*, & ut dicitur, Matth. 24. *Cæli, & terra tranſibunt*, accipiendum, quod abierint, & tranſierint ſuo modo quoad vetuſtatem, nempe, cæli quoad motum localem, & terra quoad infectionem extraneæ ſubſtantiæ. Unde Innocentius III. ſuper illud Pſalmi *ipſi peribunt* multis Scripturæ locis collatis oſtendit, quod cæli ſecundum qualitates intrinſecas, & ſtatum præſentem permanebunt. Quod vero, dicit; *Et mare jam non eſt*, intelligi poteſt ſimpliciter, quia aquæ maris a ſalſedine, & aliis mixturis purgatæ mare amplius non erunt, ſed congregationes aquarum. Sed de hoc infra.

§. III.

Quid aget circa Elementa.

IX. CIrca hoc ait S. Thom. *citata qu.* 74. *Supplem. art.* 5. Quidam dixerunt, omnia elementa manſura quidem quoad materiam, ſed duo ſola manſura etiam quoad ſpeciem, & formam ſubſtantialem, nimirum, aerem, & terram: duo autem alia, nempe, ignem, & aquam non retentura formam propriam ſubſtantialem, ſed eorum materiam tranſituram ad formam cæli. Unde ſicut modo aer dicitur etiam *Cælum* retinens propriam aeris formam, ſic tunc etiam ignis, & aqua dicentur cælum. Et propterea, Apoc. 21. non fit mentio, niſi cæli, & terræ. *Vidi cælum novum, & terram novam*, & additur: *Et mare jam non eſt*, ideſt, aqua non amplius eſt. —— Sed hoc inquit S. Thom. repugnat Philoſophiæ, *Secundum quam poni non poteſt, quod corpora inferiora ſint in potentia ad formam cæli; cum nec materiam habeant communem, nec contrarietatem ad invicem.* Repugnat etiam Theologiæ: *Quia ſecundum hanc poſitionem non ſalvabitur perfectio Univerſi cum integritate ſuarum partium, duobus elementis ſublatis. Unde per hoc quod dicitur* cælum, *intelligitur quintum corpus: omnia vero elementa intelliguntur per* terram. *Sicut in Pſ.* 148. Laudate Dominum de terra: *& ſequitur*, ignis, grando, nix, glacies &c.

X. Et ideo alii dixerunt, omnia elementa manſura quidem quoad proprias ſubſtantias, ſed qualitates activas, & paſſivas ab eis fore removendas —— Sed hoc ait S. Th. non videtur probabile. Tum quia: *Cum qualitates propriæ elementorum ſint effectus formarum ſubſtantialium, non videtur, quod formis ſubſtantialibus manentibus, qualitates prædictæ poſſunt mutari, niſi per actionem violentam ad tempus. Sicut in aqua calefacta videmus, quod ex vi ſuæ ſpeciei frigiditatem recuperat, quam per actionem ignis amiſit, dummodo ſpecies aquæ remaneat.* Tum quia *ipſæ qualitates elementares ſunt de perfectione ſecundæ elementorum, ſicut propriæ paſſiones eorum: nec eſt probabile, quod in illa finali conſummatione aliquid perfectionis naturalis ab elementis tollatur.* Igitur cum eodem S. Thoma.

XI. Dico. Quod manebunt elementa quantum ad ſubſtantiam, & qualitates eorum proprias, ſed purgabuntur ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxerunt, & ab impietate, quæ per actionem, & paſſionem mutuam in eis accidit. Ita S. Doctor. Sic enim ſalvabitur perfectio univerſi, & natura elementorum integra, etiam quoad ſuas proprietates, conſervabitur, & ſolum ab ea removebitur id quod ei ab extraneo accidebat, eamque ad corruptionem diſponebat: *Quia*, inquit S. Thomas, *jam ceſſante motu primi mobilis, in inferioribus elementis mutua actio, & paſſio eſſe non poterit. Et hoc Auguſt.* lib. 20. de Civ. Dei, cap. 16. *appellat*, qualitates corruptibilium elementorum: *ſcilicet innaturales diſpoſitiones eorum, ſecundum quas corruptioni appropinquant.*

XII. Nec obſtat, quod elementa ſint corporalia, & de facto corrumpantur in generatione mixtorum —— Nam licet partes eorum generentur, & corrumpantur, ipſa tamen ſecundum ſe tota nunquam corrumpuntur, ut aliquando deſinat eſſe in mixto totum elementum, vel ignis, vel aeris, vel aquæ, vel terræ.

XIII. Neque etiam obſtat, quod ignis non agat, nec purget, niſi convertendo materiam, in quam agit, in ſubſtantiam ſuam: ideoque agendo in elementa ea purgando, ea in ignem convertat, & corrumpat. —— Nam reſpondet S. Thomas, art. 5. citato ad 3. *Quod ignis ille non aget, niſi ut inſtrumentum providentiæ, & virtutis divinæ. Unde non aget in alia elementa uſque ad eorum conſummationem, ſed ſolum uſque ad purgationem. Nec oportet quod illud quod efficitur materia ignis, totaliter a ſpecie propria corrumpatur; ſicut patet in ferro ignito, quod a loco ignitionis remotum, ex virtute ſpeciei remanentis ad proprium ſtatum, & priſtinum redit. Et ita etiam erit de elementis per ignem purgatis.*

XIV. Quod vero dicitur, Apoc. 21. v. 1. *primum cælum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt*, non probat primum cælum (nempe aereum) & primam terram

quoad

quoad ſubſtantiam deſiiſſe, ſed ſolum abiiſſe, nimirum, quoad qualitas præſenti noſtræ mortalitati convenientes. Quod vero additur, *& mare jam non eſt*, dicit S. Thom. citatus ad 2. *Quod ſicut Auguſtinus, dicit, l. 20. de Civit. Dei cap. 16.* Cum dicitur, & mare jam non eſt, per mare poteſt intelligi præſens ſæculum, de quo antea dixerat: mare dedit mortuos, qui in eo erant: *Si tamen ad mare ad litteram referamus, tunc eſt dicendum, quod in mare duo intelliguntur, ſcilicet ſubſtantia aquarum, & earum diſpoſitio quantum ad ſalſedinem, & commotiones fluctuum. Et quantum ad hoc ſecundum, mare non remanebit, remanebit autem quantum ad primum.* Erit ergo aqua, non erit mare, ſicut ab initio erant aquæ, unde Gen. 1. v. 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Cæperunt autem eſſe mare, cum congregatæ fuerunt in locum unum. Unde, *v.* 10. dicitur: *Congregationeſque aquarum appellavit maria.* Videatur S. Th. *q. 5. de potentia art. 7.*

XV. Quouſque autem aſcenſurus ſit ignis conflagrationis, dicit S. Thom. *art. 6.* Quod aſcendet, & purgabit uſque ad medium aeris interſtitium, eo uſque enim impuritates purgandæ pervenient. Ut enim ex D. Petro. *Ep. 8. c. 3.* diximus, ignis purgabit uſque ad eum locum, ad quem pervenerunt aquæ diluvii. Conſtat autem aquas diluvii ſolum perveniſſe ad medium aeris interſtitium ex altitudine montium, quos illæ quindecim cubitis ſuperarunt. Ignis ergo conflagrationis purgabit terram, aquam, aerem, immo & ignem illum, qui eſt in his inferioribus impurus, & alienæ materiæ permixtus, non vero ignem illum, qui eſt in ſua ſphæra purus, ſicut nec aerem in ſui ſummitate purum, quia illuc non aſcendet.

§. III.

Quid aget circa alia, & præſertim circa Homines.

XVI. EST certum apud Theologos, ignem ultimæ conflagrationis omnia, quæ in his inferioribus ſunt mixta combuſturum eorumque ſubſtantias deſtructurum, & redacturum in cineres; omnia, inquam, tam naturalia, quam artificialia, ut ait D. Petrus, Ep. 2. cap. 3. v. 10. *Terra autem, & quæ in ea ſunt opera exurentur.* Quare ignis ille exuret animantia terræ, volucres cælis, piſces maris, arbores, herbas, flores, mineralia, metalla, ædificia, oppida, civitates, uno verbo omnia, quæ in hoc mundo inferiori ſunt, exuret, & conſumet.

Difficultas eſt, quomodo ignis ille pertinget ad metalla, aliaque mixta in imis terræ, ac montium viſceribus recondita, & ad piſces, & alia quæcumque in profundo maris contenta —— Cui tamen duplici via occurri poteſt. Vel dicendo, quod ignis ille, utpote inſtrumentum virtutis divinæ profundiſſime penetrabit terram, ac mare, ſicque & metalla, ac mineralia etiam in viſceribus terræ, nec non piſces, & alia in fundo maris poſita exuret. Quod videtur colligi ex Deuter. 32. v. 22. *Ignis accenſus in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima, devorabitque terram cum germine ſuo; & montium fundamenta comburet.* —— Vel quod tanta commotio fluctuum facienda ſit, & terra tantis quatienda motibus, ut & mare, & terra, & quidquid in eis erit voracitati ignis conſumendum, expoſitura ſint. Verum quia difficile videtur, quod ejuſmodi projectio ſit ita univerſalis, & nihil remaneat in viſceribus terræ, aut fundo maris, quod ab igne non attingatur. —— Ideo priori reſponſionis ſtandum videtur, cui favet Scriptura, tum allata; Tum Pſalm. 96 v. 5. *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini: a facie Domini omni terra.* Et ſicut ignis ille totam terram, & totam aquam maris ab omni mixtione purgabit: ita omnia, quæ in profundo ſunt vi ſua penetrabit, & exuret. Nunc circa homines.

XVII. Dico. Ex S. Thoma dicta *q. 74. art. 8.* Homines tunc viventes, ſive bonos, ſive malos, igne conflagrationis fore interimendo, & conſumandos. Aliter tamen, & aliter. *Nam ignis ille finalis conflagrationis quantum ad hoc, quod judicium præcedet, aget ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ, & iterum per virtutem naturalem ignis. Quantum ergo pertinet ad virtutem naturalem ipſius, ſimiliter aget in malos, & bonos, qui vivi reperientur utrorumque corpora in cinerem reſolvendo. In quantum vero aget, ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ diverſimode aget in diverſos, quantum ad ſenſum pœnæ. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur: boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne ſentient; ſicut nec pueri ſenſerunt in camino ignis, Dan. 3. Quamvis eorum corpora non ſervabuntur integra, ſicut puerorum ſervata fuerunt. Et hoc divina virtute fieri poterit, ut ſine doloris cruciatus reſolutionem corporum patiantur. Boni vero, in quibus aliquid purgandum reperietur, ſentient cruciatum doloris ex illo igne, plus, vel minus pro meritorum diverſitate. Sed quantum ad actum, quem poſt judicium ille ignis habebit, id damnatos tantum aget: quia boni omnes habebunt corpora impaſſibilia.* Hactenus S. Thomas.

XVIII. Quibus patet primo. Quod ignis ille ſua naturali virtute agens nemini parcet, ſed quotquot vivos tunc repererit homines invadet, exuret, incinerabit tam bonos, quam malos.

Secundo. Malos cum cruciatu conſumet. Bonos vero, ſi nihil in eis purgandum repererit, conſumet quidem quoad corpus, ſed ſine ullo dolore. Si vero aliquid purgatione indigens in eis repererit, purgabit cum dolore majori, vel minori intenſione pro ut major, vel minor fuerit purgabilitas, ut prorſus mundi coram Judice apparere poſſint, nec egeant purgatorii pœnis poſt mortem mundari.

XIX. Circa hoc ſecundum, duplex exurgere poteſt dubium. Primum. Quomodo corpora bonorum, in quibus nihil invenietur purgandum poſſint igne abſumi, quin ullum ſentiant dolorem —— Secundum. Quomodo illa purgatio, quæ quaſi in momento perficietur, ſufficere poſſit ad purgationem, maxime cum multis tunc reperientur vivi, in quibus probabiliter erunt multa purgabilia.

XX. Ad primum tamen dico cum eodem S. Thom. *ad 2. & 3.* hoc poſſe fieri per divinam virtutem, ſicut factum fuit ne pueri in fornace Babylonica exiſtentes ullum ab igne ſentirent dolorem. —— Cæterum ſi quis velit bonos tunc viventes adhuc poſſibiles, quamvis purgatione non indigentes, adhuc in conſumatione ſui corporis dolorem ſenſuros, ſicut illum ſenſerunt Martyres, quamvis innocentes, dici poterit, quod ille dolor, quia voluntarie, & patientiſſime toleratus, erit eis ad augmentum meriti, & præmii, ſicut fuit Martyribus.

XXI. Ad ſecundum vero dico cum S. Thoma ad 3. *Quod tres ſunt cauſæ, quare ſubito illi, qui vivi reperientur, purgari poterunt. Una eſt, quia in eis peccata purganda invenientur, cum terroribus, & perſecutionibus præcedentibus fuerint purgati. Secunda cauſa eſt, quia a vivi & voluntarii pœnam ſuſtinebunt: pœna autem in hac vita voluntarie ſuſcepta multo plus purgat, quam pœna poſt mortem inflicta: ſicut patet in Martyribus: quia* ſi purgandum quid in eis invenitur paſſionis falce tollitur, *ut Auguſtinus dicit* (lib. de unic. Bapt. contra Petil. cap. 23.) *Cum tamen pœna martyrii ſit brevis in comparatione ad pœnam, quæ in purgatorio ſuſtinetur. Tertia eſt. Quia calor ille recuperabit in intenſione, quantum amittit in temporis brevitate.*

XXII. Tertio. Ex verbis S. Thomæ patet, ignem illum habiturum etiam poſt judicium actum aliquem circa reprobos, eos involvendo, & ad inferos detrudendo: ajunt enim communiter Doctores, peracto judicio portionem ignis aggreſſuram impios in corporibus reſuſcitatos, atque eo involutos cum Diabolo, & Angelis ejus detrudendos eſſe in inferni abyſſum. De quo egimus. *Dub. præcedente*, §. 2. Et confirmatur verbis Chriſti, Matth. 13. v. 45. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, mittent eos in caminum ignis.* Loqui autem eum de fine mundi conſtat, quia immediate dixerat: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur; ſic erit in conſummatione ſæculi.* Et verbis Pauli, 2. *Theſſal.* 1. *v.* 8. ubi loquens de Domino Jeſu cum venerit glorificari in Sanctis ſuis, & dabit illius requiem in regno ſubjungit: *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Sed hæc de ultima conflagratione ſatis.

QUÆSTIO III.

De Generali Reſurrectione.

POſtremum imminentis judicii ſignum poſt Mundi hujus, & omnium in ipſo degentium conflagrationem, erit generalis mortuorum hominum reſurrectio, de qua in præſenti quæſtione examinabitur. Primo, an futura ſit. Secundo, an omnium. Tertio, an naturalis. Quarto, quibus cauſis fiet &c.

DUBIUM I.

An Corporum Reſurrectio ſit futura.

§. I.

Quinam circa hoc errarint.

I. COrporum reſurrectio eſt hominis, qui prius fuerat mortuus, iterata ad vitam ſurrectio, & animæ ad idem corpus reunitio, ſic, ut idem homo, qui mortuus fuerat, fiat vivus. Hanc negabant, & impoſſibilem judicabant Philoſophi Gentiles. Nam, ut habetur, Act. 17. v. 32. Athenienſe: *Cum audiſſent* (a Paulo) *reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.*

II. Inter Judæos quoque hæreſis Sadducæorum pro errore præcipue habebat reſurrectionem negare. Unde, Matth. 22. v. 23. dicitur: *In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem.* Act. 4. v. 2. acceſſerunt Sadducæi ad Apoſtolos: *Dolentes, quod docerent populum, & annuntiarent in Jeſu reſurrectionem ex mortuis.* Et cap. 23. v. 8. narratur diſſenſio inter Phariſæos, & Sadducæos: *Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* Et proinde putabant, etiam animam eſſe corpoream, & mortalem, ex quo reſurrectionem negabant.

III. Errorem hunc non parum graſſatum fuiſſe in Eccleſiæ exor-

exordio colligitur ex Paulo 1. Cor. 15. v. 12. ubi sic arguit: *Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Et 2. ad Tim. 2. v. 18. Eum monet, ut caveat ab Hymeneo, & Phileto: *Qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam.* Contra resurrectionem mortuorum pugnarunt Simon Magus, Gnostici, Marcionitæ, aliique primorum præsertim sæculorum hæretici.

IV. Aliorum errores recitat, & refutat S. Thom. q. 75. Suppl. art. 1. ubi dicit: *Quod secundum diversas sententias de ultimo fine hominis, diversificata sunt sententiæ ponentium, vel negantium resurrectionem. Ultimus enim finis hominis quem naturaliter omnes homines desiderant, est beatitudo: Ad quam hominem posse pertingere in hac vita quidam posuerunt. Unde non cogebantur ponere aliam vitam post istam, in qua homo ultimam suam perfectionem consequeretur. Et sic resurrectionem negabant —— Sed hanc opinionem satis probabiliter excludit varietas fortunæ, & infirmitas humani corporis, scientiæ, & virtutis imperfectio, & instabilitas, quibus omnibus beatitudinis perfectio impeditur ut Augustinus prosequitur in fine de Civ. Dei.* (Et l. 19. cap. 3.)

V. *Et ideo alii posuerunt, aliam vitam esse post hanc, in qua homo tantum secundum animam vivebat post mortem. Et hanc vitam ponebant, sufficere, ad naturale desiderium implendum beatitudinis consequendæ. Unde Porphirius dicebat, ut Augustinum dicit in lib. ult. de Civ. Dei* (c. 26.) Ut beata sit anima, omne corpus fugiendum est. *Unde tales resurrectionem non ponebant. Hujus autem opinionis apud diversos diversa erant falsa fundamenta. Quidam enim hæretici posuerunt, omnia corporalia esse a malo principio, spiritualia vero a bono. Et secundum hoc oportebat, quod anima summe perfecta non esset, nisi a corpore separata, per quod a suo principio distrahitur, cujus participatio ipsam beatam facit. Et ideo omnes hæreticorum sectæ, quæ ponunt a diabolo corporalia esse creata, vel formata, negant corporum resurrectionem* (ut Manichæi, Albigenses &c.) *Hujus autem fundamenti falsitas in principio 2. libri* (dist. 1. q. 1. art. 3.) *ostensa est. Quidam vero posuerunt, totam hominis naturam in anima constare: ita ut anima corpore uteretur, sicut instrumento, aut sicut nauta navi. Unde secundum opinionem hanc sequitur, quod sola anima beatificata, homo naturali desiderio beatitudinis non frustraretur, & sic non oportet ponere resurrectionem. Sed hoc fundamentum sufficienter Philosophus in 2. de anima destruit, ostendens, & animam corpori, sicut formam materiæ uniri. Et sic patet, quod si in hac vita homo non potest esse beatus, est necesse resurrectionem ponere.* Hactenus S. Thomas.

§. II.

Veritas Catholica.

VI. Dico. Resurrectionem carnis esse futuram est articulus fidei, quem Ecclesia profitetur in Symbolo, dicens: *Credo carnis resurrectionem.* Dicit autem *carnis*, seu *corporis* resurrectionem. Quia cum homines non moriantur, nisi secundum corpus, quod per Synecdochen etiam *caro* dicitur, resurgere non possunt, nisi secundum illud: nam resurrectio ut dictum est, nil aliud est quam *secunda ejus, quod cecidit, surrectio* (inquit Damascenus, lib. 4. cap. ult.) Sive *est humani corporis ad vitam, quam morte amiserat, revocatio.* Recte tamen dicitur totus homo resurgere, quia corpori resurgenti sic eadem numero anima copulatur, ut homo qui per mortem esse desierat, idem numero reviviscat: unde terminus resurrectionis est homo. Vocatur etiam *regeneratio* a Christo, Matth. 19. v. 28. *In regeneratione cum sederit filius hominis &c.* Quia qui per generationem acceperat esse, & per mortem illud amiserat, per resurrectionem tamquam per alteram generationem, sed supernaturalem, illud recipit.

VII. Asseritur veritas hæc ita explicata a Scriptura primo, ex veteri Testamento. Job 19. v. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Tobiæ 2. v. 18. *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Danielis 12. v. 2. *Et multi de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.* Secundi Machabæorum 7. v. 9. Unus ex septem fratribus dum ab Antiocho torqueretur, dixit: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit.* Et cap. 12. Judas memoratur, *bene, & religiose de resurrectione cogitans*, quia speravit, eos, qui ceciderant in prælio resurrecturos.

VIII. Ex novo etiam Testamento habetur, Matth. 19. v. 28. *in regeneratione . . . sedebitis, & vos &c.* Joann. 5. v. 28. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Et cap. 11. v. 24. de Lazaro: *Scio* (inquit Martha) *quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Paulus etiam 1. Cor. 15. v. 16. *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit &c.* Et 1. Thessal. 4. v. 15. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.*

IX. Nec desunt rationes, seu congruentiæ. Prima est. Anima naturaliter unitur corpori: est ergo contra naturalem inclinationem animæ esse extra corpus; nihil autem quod est contra naturalem inclinationem, debet esse perpetuum; ergo cum anima perpetuo maneat; quia immortalis, oportet, eam iterum suo corpori conjungi, & hoc est resurgere.

X. Secunda, ultimus finis hominis est beatitudo: sed hanc consequi non possunt in hoc sæculo, immo nec saltem plene in futuro, nisi anima iterum conjungatur corpori; ergo, Minor pro prima parte clara est ex miseriis, & instabilitatibus vitæ præsentis, ut ex S. Thom. supra dictum est, & *Tom. 1. in 1. 2.* ostendi. Pro secunda etiam prob. Cuicumque deest aliqua perfectio, ad quam naturaliter inclinatur, deest illi aliquid ad perfectionem, & integritatem suæ beatitudinis, quia ejus desiderium non est integre satiatum: sed animæ extra corpus positæ deest aliquid ad integritatem suæ perfectionis, & complementum sui desiderii: cum enim naturaliter sit pars humanæ naturæ, quæ ex anima conjuncta corpori consurgit, anima extra corpus erit pars extra totum, & proinde non integre perfecta.

XI. Tertia. Homo ex anima, & corpore constans peccat, vel recte agit; ergo ei debetur, & secundum animam, & secundum corpus pœna, vel præmium: Cum autem hoc in hac vita non consequatur, cum sæpe boni affligantur, & mali prosperentur, oportebit, ut anima, & corpus iterum conjungantur, quo utrumque plenam pro meritis retributionem consequatur. Hanc rationem expendit S. Thom. 4. *Contra Gentes, cap. 79.*

XII. Quarta. Donum Christi potentius est peccato Adæ: sed ex peccato Adæ inducta est mors corporis, ergo per donum Christi est reparanda, quod in resurrectione fiet. Et hic erat discursus Pauli, 1. *Cor.* 15. ubi cum *v.* 16. dixisset, si Christus non resurrexit, neque mortui resurgunt, inanis est fides nostra, subinfert, v. 18. *Ergo, & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitia dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

Ex quo sequitur alia ratio. Nam membra debent conformari capiti: sed Christus caput nostrum resurrexit, & semper vivit in anima, & corpore, ergo & homines qui sunt ejus membra, resurgent, ac semper vivent. Quo spectant verba S. Leonis, Serm. 1. de Ascensione Domini: *Quo præcessit gloria Capitis: eo spes vocatur, & corporis.*

§. III.

Fundamenta Contraria.

XIII. Argumenta, quibus olim Philosophi Gentiles, & quidam Hæretici resurrectionis fidem oppugnarunt, omnia fere ex naturali ratione deprompta fuerunt, velut qui nihil quod naturæ facultatem excederet, possibile existimarent, Dei potentiam, aut ignorantes penitus, aut naturæ terminis æstimantes. Unde Christus, Matth. 22. v. 29. bene respondit: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Quocirca Christianus vera fide omnipotentiæ Dei imbutus, & quod non sit impossibile apud Deum omne verbum, *Luc. 1. v. 37.* facile omnia apparenter contraria dissipabit. Qui tamen eorum solutionem optabit eam petat a Tertulliano, *l. de Resurrect. Carnis contra Marcionitas*, & ab Augustino, *l. 22. de Civ. Dei.*

XIV. Quæ vero in Scripturis ab hac fide dissonantia cuipiam videri possent, breviter proponemus, & diluemus.

Primo, Psalm. 77. v. 39. anima hominis vocatur *Spiritus vadens, & non rediens.* Sap. 16. v. 14. *Cum exierit spiritus non revertetur*, Psalm. 38. v. 14. *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.* Et Job 7. v. 9. *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.*

XV. Respondeo ex omnibus allatis textibus evinci solum, quod anima hominis vi naturali non possit redire, nec reditura sit, aut reversura ad corpus suum quod reliquit mortale; & homo qui fuit, non amplius naturaliter erit, & qui semel vel inferos descendit, non amplius ascendet ad statum præsentis vitæ mortalis, quod indicabat Job verbis sequentibus: *Nec revertetur ultra in domum suam.* Cæterum quod Dei suprema potentia possit spiritus cum exierit, reverti, exprimitur in loco Sapientiæ allato, ubi v. 13. sic dicitur: *Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Deinde subditur: *Homo autem occidit quidem per malitiam, & cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est. Sed tuam manum effugere impossibile est.* Quid ergo clarius?

XVI. Replicabis, Job 14. v. 12. *Homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur Cælum, non evigilabit nec consurget de somno suo.* Sed Cælum, utpote incorruptibile, nunquam atteretur; ergo homo cum mortuus fuerit, nunquam resurget ad vitam: ideoque subjungitur, v. 14. *Putas ne mortuus homo rursum vivat?*

XVII. Respondeo ad minorem cum S. Thom. q. 75. Supplem. art. 1. ad 1. *Quod Cælum nunquam atteretur quantum*

tum ad ſubſtantiam ; ſed quantum ad effectum virtutis , per quam movet ad generationem , & corruptionem inferiorem , ratione cujus dicit Apoſtolus , 1. Cor. 7. Præterit figura hujus mundi. Senſus igitur verborum Job non eſt quod homo nunquam reſurget , cujus oppoſitum ex ipſo §. præcedente oſtenſum eſt . Sed quod homo non reſurget , donec durat hoc ſæculum , ſeu donec non veniat conſummatio ſæculi , quando Cæli atterentur , id eſt, ceſſabunt a motu , & influxu in hæc inferiora : quod tempus indicavit Job v. 14. cum dixit : *Expecto donec veniat immutatio mea.* Cæterum hominem aliquando a morte ſurrecturum indicant illæ voces , *dormire , evigilare , ſomnus* , quibus utitur Job. Et ſæpe utitur Scriptura , ut commendet nobis fidem , & ſpem reſurrectionis.

XVIII. Secundo , objici poteſt . Paulus , 1. *Corinth. 15. verſ.* 8. ſupra citatus videtur probare reſurrectionem ex remuneratione laborum , quos in hac vita ſuſtinent Sancti , qui ſi in hac vita tantum confidentes eſſent , miſerabiliores eſſent omnibus hominibus : ſed ſufficiens remuneratio laborum omnium hominis poteſt eſſe in anima tantum. Non enim oportet quod inſtrumentum ſimul cum operante remuneretur : corpus autem inſtrumentum animæ eſt.

Et confirmatur. Nam in Purgatorio , ubi animæ puniuntur pro his quæ geſſerunt in corpore , anima ſine corpore punitur ; non ergo oportet ponere reſurrectionem corporum , ſed ſufficit ponere reſurrectionem animarum , quæ eſt dum transferuntur de morte culpæ , & miſeriæ in vitam gratiæ , & gloriæ.

XIX. Huic objectioni quam ſibi proponit S. Th. art. 1. citato reſpondet ipſe ad 3. nego min. Nam *Anima non comparatur ad corpus ſolum ut operans ad inſtrumentum , ſed etiam ut forma ad materiam. Unde operatio eſt conjuncti , & non tantum animæ , ut patet per Philoſophum in 1. de anima* (text. 64. *& 66.*) *Et quia operanti debetur operis merces , oportet , quod ipſe homo compoſitus ex anima , & corpore operis ſui mercedem accipiat.*

XX. Ad confirmat. Reſpondet idem S. Doctor ibidem : Quod *venialia ſicut dicuntur peccata , quaſi diſpoſitione ad peccandum , non quod ſimpliciter habeant , & perfecte rationem peccati : ita pœna , quæ eis redditur in Purgatorio , non eſt ſimpliciter retributio , ſed magis purgatio quædam , qua ſeorſum fit in corpore per mortem , & incinerationem , & in anima per purgatorii ignem.*

XXI. Tertio , objici poteſt. Ultimum rei eſt perfectiſſimum in re : ſed perfectiſſimus ſtatus animæ eſt quod ſit ſeparata a corpore , quia in hoc ſtatu conformior eſt Deo , & Angelis , & magis pura , quaſi ſeparata ab omni extranea natura ; ergo ſeparatio a corpore eſt ultimus ſtatus ejus. Et ita ex hoc ſtatu non redit ad corpus , ſicut nec ex viro fit puer.

XXII. Huic argumento , reſpondet Sanct. Thom. ibidem ad 4. *Quod cæteris paribus perfectior eſt ſtatus animæ in Corpore , quam extra corpus : quia eſt pars totius compoſiti , & omnis pars integralis materialis eſt reſpectu totius. Et quamvis ſit Deo conformior ſecundum quid , non tamen ſimpliciter. Tunc enim ſimpliciter loquendo eſt aliquid maxime Deo conforme , quando habet quidquid condizio ſuæ naturæ requirit ; quia perfectionem divinam tunc maxime imitatur. Unde cor animalis eſt maxime Deo conforme in mobili quando movetur , quam quando quieſcit ; quia perfectio cordis eſt in moveri , & ejus quies eſt ejus deſtructio.*

XXIII. Quarto , objici poteſt . Dominus , *Matth. 22. v.* 31. probat reſurrectionem , ex illis verbis : *Ego ſum Deus Abraham , & Deus Iſaac , & Deus Jacob ; quia Deus non eſt Deus mortuorum , ſed viventium* : Sed quando ea verba dixit , Abraham , Iſaac , & Jacob non vivebant corpore , ſed ſolum anima ; ergo vel reſurrectio erit ſolum animarum , vel Chriſtus corporum reſurrectionem contra Sadducæos efficaciter non probat.

XXIV. Reſpondeo primo . Quod Sadducæi ideo negabant reſurrectionem , quia credebant humanas animas eſſe mortales : & ideo probata contra eos animæ immortalitate , probata erat corporum reſurrectio. Reſpondeo ſecundo , ex S. Thom. citato art. 1. ad 2. *Quod Anima Abraham non eſt proprie loquendo ipſe Abraham , ſed eſt pars ejus , & ſic de aliis. Unde vita animæ Abrahæ non ſufficeret ad hoc , quod Abraham ſit vivens , vel quod Deus Abraham ſit Deus viventium , ſed exigitur vita totius conjuncti , ſcilicet animæ , & corporis : Quæ quidem vita quamvis non eſt actu , quando verba proponebantur , erat tamen in ordine utriuſque partis ad reſurrectionem. Unde Dominus per illa verba ſubtiliſſime , & efficaciter reſurrectionem probat.* Quaſi diceret , Deum non eſſe Deum eorum , qui ſic mortui ſunt , ut nec in re , nec in certa expectatione vivant perfecta vita viventium. Ideo autem Dominus hoc teſtimonio ex Moyſe , *Exod. 3. v. 6.* uſus eſt , cum poſſet alia producere ; quia Sadducæi contra quos agebat , ſolos libros Moyſis recipiebant , ut teſtantur Origenes , Hieronymus , & alii in *cap. 22. Matthæi.*

XXV. Quinto , objici poteſt. Sicut per peccatum Adæ inducta eſt mors corporalis , ſic mors ſpiritualis animæ quæ eſt ſeparatio animæ a Deo , eſt inflicta homini pro peccato mortali ; ſed de morte ſpirituali nunquam redit homo ad vitam poſt ſententiam damnationis acceptam ; ergo nec de morte corporali ad vitam corporalem erit regreſſus.

Reſpondet S. Thom. ad 5. *Quod mors corporalis eſt introducta per peccatum Adæ , quod eſt morte Chriſti deletum. Unde pœna illa non manet in æternum. Sed peccatum mortale , quod mortem æternam per impœnitentiam inducit , ultra non expiabitur : Et ideo mors illa æterna erit.*

DUBIUM II.

Utrum Reſurrectio futura ſit omnium generaliter.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. PRocedit præſens Dubium attenta lege generali de reſurrectione in fine mundi ſecutura. Nam in aliquibus ex ſpeciali privilegio fuiſſe anticipatam , non diffitemur , qui proinde , ſi iterum mortui non ſint , in fine mundi cum aliis non reſurgent , quum corpore & anima jam viventes reperiantur.

Hoc in primis de S. Virgine Dei Matre pie credit Eccleſia , omniumque Theologorum firmat conſenſus , ut oppoſitum aſſerere ad minus temeritatis notam non effugeret. Primo. Quia decuit ut Dominus gloriæ , qui etiam poſt partum incorruptam ſervavit ejus virginitatem , ipſius poſtquam migravit , immaculatum corpus incorruptum ſervatum , translatione honoraret ante communem , & univerſalem reſurrectionem , ut ex Damaſceno recitat Eccleſia.

Secundo. Quia ſi tam glorioſæ Virginis corpus adhuc eſſet ſuper terram , non permiſiſſet Deus illud latere , & inhonoratum relinquere , ſed ſicut alia Sanctorum corpora debitæ venerationi exponi voluiſſet.

Tertio. Quia id a veteribus traditum eſt. A Juvenale Jeroſolym. Epiſcopo apud Nicephorum , *lib. 2. cap. 23.* & apud Damaſcenum , *Orat. 2. de Aſſumptione* , qui duo acceperunt ex *lib. 3. cap. 40. Hiſt. Euthimiacæ* , in qua inducitur Juvenalis præfatus hæc dicens Marciano Imperatori Chalcedone tunc agenti in Synodo cum reliquis Palæſtinæ Epiſcopis. Epiphanius etiam idem tradit , *Hæreſ. 78.* cum aliis , de quibus Baronius , *ad ann. Chriſti 48.*

II. S. Thom. infra , *qu. 77. in argum. 2.* hoc idem ſupponit , quod & probabile reputat de Joanne Evangeliſta (quod tamen non adeo certum eſt , quamvis hoc dicat Nicephorus , *lib. 2. cap. 40.*)

III. Eodem privilegio donatos fuiſſe SS. Patres , qui cum Chriſto reſurrexerunt (ſicut dicitur Matth. 27. v. 52. *Et monumenta aperta ſunt , & multa corpora Sanctorum , qui dormierant ſurrexerunt*) teſtatur idem S. Thom. ibid. ad 3. his verbis : *De illa reſurrectione Sanctorum cum Chriſto videtur dubitare Hieron. in ſerm. de Aſſumptione* (ſeu , Epiſt. 10. ad Paulam , & Euſtochium , quæ falſo Hieronymo adſcribitur) *utrum ſcilicet peracto reſurrectionis teſtimonio iterum mortui ſint , ut ſic eorum fuerit magis reſuſcitatio quædam (ſicut fuit Lazari , qui iterum mortuus eſt) quam vera reſurrectio , qualis erit in fine mundi ; an ad immortalem vitam vere reſurrexerint , ſemper in corpore victuri , in Cælum cum Chriſto aſcendentes corporaliter , ut Gloſſa dicit , Matth. 27. Et hoc videtur probabilius : quia ad hoc , quod verum teſtimonium de vera Chriſti reſurrectione proferrent , congruum fuit , ut vere reſurgerent , ſicut Hieronymus ibidem dicit. Nec eorum reſurrectio propter ipſos accelerata eſt , ſed propter reſurrectionem Chriſti teſtificandam. Quod quidem teſtimonium erat ad fundandam fidem novi teſtamenti. Unde decentius factum eſt per Patres veteri Teſtamenti , quam per eos , qui jam novo Teſtamento fundato deceſſerunt.*

Tamen ſciendum eſt , quod etſi de reſurrectione eorum in Evangelio mentio fiat ante reſurrectionem Chriſti , tamen , ut per textum patet , intelligendum eſt , per anticipationem eſſe dictum , quod frequenter hiſtoriographis accidit. Nulli enim vera reſurrectione ante Chriſtum reſurrexerunt : eo quod ipſe eſt , Primitiæ dormientium *ut dicitur 1. Cor. 15. Quamvis fuerint aliqui reſuſcitati ante Chriſti reſurrectionem , ut de Lazaro patet.* Hæc S. Thom. cohærenter ad ea , quæ dixerat *3. p. qu. 53. art. 3. & Lect. 3. in cap. 15. prima ad Cor.* Quæ a ſtudioſo in hac materia notanda ſunt.

IV. Idem privilegium habituros fore Henoch , & Eliam , de quibus ſupra , *Q. de Antich. Dub. 6. §. 4. n. 24.* diximus poſt triduum ſurrecturos , & per nubem in cælum aſſumendos eſſe , utique non amplius morituros. His prænotatis ,

§. II.

Veritas Catholica ſtabilitur.

V. DIco. Generali lege omnes omnino mortui , qui ante ex privilegio , ut dictum eſt , non reſurrexerint non amplius morituri , in fine mundi reſurgent. Primo. Quia id Chriſtus aperte pronuntiavit , Joann. 5. v. 28. his verbis : *Omnes , qui in monumentis ſunt , audient vocem filii Dei : & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt , in reſurrectionem judicii.* Quod ante prædixerat Daniel cap. 12. verſ. 2. *Multi de his qui dor-*

dormiunt in terra pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper —— Nec officit quod dicat: *Multi qui dormiunt* —— Nam ut dicit S. Thom. q. 75. Suppl. art. 2. ad 2. *Augustinus, lib. 20. de Civ. Dei, cap. 23. exponit* multa, *ideſt* omnes. *Et hic modus loquendi frequenter invenitur in ſacra Scriptura.* Sic, *Gen. 17. v. 5.* Abraham *Pater multarum gentium* conſtituitur: de quo tamen, *c. 22. v. 18.* dicitur: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Simili etiam modo Paulus, *ad Rom. 5.* modo multos, modo omnes dicit ex unius delicto conſtitui peccatores.

Addit S. Thom. ibi: *Vel particulatim poteſt intelligi quantum ad pueros damnatos in limbo: qui quamvis reſurgent, non proprie dicuntur evigilare: cum nec ſenſum pœnæ, & gloriæ habituri ſint. Vigilia enim eſt ſolutio ſenſus.*

VI. Secundo. S. Paulus, *Act. 4. v. 15.* exponens fidem ſuam coram Præſide, inter alia, dicit: *Spem habent in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram juſtorum, & iniquorum.* Quibus conſitetur, non ſolum bonos reſurrecturos, ſed etiam malos. Et hoc repetit, Rom. 14. v. 10. & 2. Cor. 5. verſ. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, pro ut geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

VII. Ratio quoque adeſt, ex S. Thom. hoc art. 2. *in arg.* Sed contra. Nam ad hoc futura eſt reſurrectio, ut omnes judicentur, & recipiat unuſquiſque pœnam, vel præmium, & quantum ad animam, & quantum ad corpus, ut dictum eſt Dub. præced. Sed omnibus ſine exceptione debetur, *vel pœna; ſive præmium, vel pro merito proprio, ſicut adultis, vel pro merito alieno, ſicut parvulis;* ergo omnium futura eſt reſurrectio.

VIII. Deinde ut dicit S. Thom. hoc art. 2. *Ea, quorum ratio ſumitur ex natura ſpeciei, oportet ſimiliter inveniri in omnibus, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei,* Sed ratio reſurrectionis eſt ex natura ſpeciei animæ: *Quæ in perfectione ultima ſpeciei humanæ eſſe non poteſt a corpore ſeparata* (ut Dub. præced. dictum eſt:) ergo *Nulla anima in perpetuum remanebit a corpore ſeparata; & ideo neceſſe eſt, ſicut unum, ita & omnes reſurgere.*

IX. Ex his conſequitur primo. A generali lege reſurrectionis non eſſe eximendos eos, qui ſub finem mundi erunt ſuperſtites. Nam ut Quæſt. præced. dictum eſt, hi omnes univerſali conflagratione erunt interituri, ac deinde cum aliis reſurrecturi.

X. Conſequitur ſecundo. Quoad reſurgendum nullam fore differentiam inter bonos, & malos: hoc enim conſtat ex Scripturis allatis, & ratione præfata: quia omnes, tum quoad animam, tum quoad corpus recipere debent, vel pœnam, vel præmium: Unde in Symbolo Athanaſii ſic profitemur: *Ad cujus adventum omnes reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.*

XI. Conſequitur tertio. Reſurrecturos fore non ſolum adultos, ſed & parvulos qualeſcumque fuerint, ſive baptizati, ſive non, & etiam qui non nati ex utero, ſed in eo ſuffocati interierunt. Ut & hi recipiant præmium, vel pœnam, non pro merito proprio, ſed pro merito alieno, ut infra in ſolutione argumentorum dicetur.

§. III.

Objectiones Solvuntur.

XII. QUidam Hebræorum opinati ſunt, non omnes mortuos ad vitam redituros, ſed tantum juſtos. Primo ex Iſaiæ, cap. 26. v. 14. *Morientes non vivant, gigantes non reſurgant.* Et v. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent.* Et, *cap. 43. v. 17.* de malis, qui populum Dei afflixerunt: *Simul* (inquit) *obdormierunt, nec reſurgent.*

Secundo. Pſalm. 1. v. 6. *Non reſurgent impii in judicio.* Et 2. *Machab. 7. v. 14.* Quartus ex ſeptem fratribus ſic ad Antiochum: *Potius eſt* (inquit) *ab hominibus morti datos ſpem expectare a Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.*

XIII. Reſpondeo ad textus primo loco allatos; Iſaiam non negare, impios ſurrecturos abſolute, ſed negare eos ſurrecturos, ut ſurgent juſti, nempe, ad vitam. Nam impii reſurgendo tranſibunt de morte ad mortem, nempe, de morte temporali ad æternam. Unde S. Joannes, *in Apoc. 20. v. 14.* dicit: *Et infernus, & mores miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.* Unde malorum reſurrectio, qui in ſtagnum ignis mittentur, erit illis ſecunda mors: & ideo non reſurgent, nempe ad vitam æternam.

XIV. Ad ſecundum ex *Pſalmo* 1. Reſpondeo primo cum S. Thom. dicto art. 2. ad 1. *Quod* Pſalmiſta *loquitur de ſpirituali reſurrectione, qua impii non reſurgent in judicio diſcuſſionis conſcientiæ, ut Gloſſa exponit. Vel loquitur de impiis, qui ſunt omnino infideles, qui non reſurgent, ut judicentur. Jam enim judicati ſunt.*

Reſpondeo ſecundo. Quod impii non reſurgent in judicio, ideſt non *ſtabunt* animo, neque *conſiſtent* cum juſtis, quia ſeparati a juſtis fracti animo, & omni ſpe deſtituti, cum tremore, ac deſperatione expectabunt contra ſe ſententiam Judicis. Unde non reſurgere in judicio, eſt in eo cauſam cedere, ſeu cauſam amittere. Quare ibi ſermo non eſt de reſurrectione corporum, ſed de animorum erectione, alacritate, & ſpe; hac enim impii non reſurgent, ideſt non erigentur. E contra: *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt &c.* Sap. 5. v. 1. quo Lectorem mitto. Ibi enim videbit fuſe deſcriptam, & Juſtorum alacritatem, & impiorum deſperationem.

Ad id quod additur ex 2. *Machab.* patet, quod Martyr ille Machabæus non dixit, impium tyrannum abſolute non reſurrecturum, ſed addidit *Ad vitam*, quaſi ſit quædam reſurrectio ad mortem impiorum propria, ut dicebamus.

XV. Contra idem objici poteſt ex novo Teſtamento, ubi ſolis juſtis videtur promiſſa reſurrectio. Nam, *Joan. 6. v. 39. & 40.* dixit Chriſtus: *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Et *Luc. 20.* ubi probat reſurrectionem contra Sadducæos, *v. 35. & 36.* de ſolis juſtis dicit, quod digni habebuntur *Reſurrectione*, & illi ſoli erunt *filii reſurrectionis.*

XVI. Reſpondeo primo, nego aſſumptum. Nam Chriſtus, *Joan. 3. v. 28.* ut ſupra oſtendimus, omnes, qui in monumentis ſunt, dicit eſſe ſurrecturos, *& qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii;* ergo ſentit, omnes omnino, ſive bonos, ſive malos fore reſurrecturos. Igitur.

Reſpondeo ſecundo. Ideo Chriſtum ſæpe uſum fuiſſe argumentis, quæ ſolam reſurrectionem juſtorum probare viderentur: quia quæſtio potiſſimum agebatur de beata reſurrectione, in qua juſti expectabant ſuorum laborum mercedem, & participationem Regni in Chriſto, quam ipſe annuntiabat, & quam Prophetæ, aliique Sancti, veteris etiam Teſtamenti ſibi ſperabant, & aliis fidelibus promittebant.

Eadem ratione Paulus, 1. *Theſſalon. 4.* & 1. *ad Cor. 15.* non videtur aliam reſurrectionem agnoſcere, quam juſtorum, quia, nempe, ſpe beatæ reſurrectionis eos ad quos ſcribebat, ad Chriſti fidem tenendam volebat accendere.

XVII. Sed dices, *Rom. 6. v. 5.* dicere: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus.* Et, 1. *Cor. 15.* ex quo Chriſtus reſurrexit, arguit, quod & nos reſurgemus; ergo ſentit illos ſolos reſurrecturos, qui conformes ſunt morti, & reſurrectioni Chriſti. Hi autem erunt ſoli boni.

XVIII. Reſpondeo cum S. Thom. art. 2. citato ad 2. *Quod omnes tam boni, quam mali conformantur Chriſto vivendo in iſta vita in his, quæ ad naturam ſpeciei pertinent, non autem in his, quæ pertinent ad gratiam. Et ideo omnes ei conformabuntur in reparatione vitæ naturalis, non autem in ſimilitudine gloriæ, ſed ſoli boni.*

XIX. Objicies tertio. Contra idem, Pœna non dimittitur, niſi ablata culpa: ſed mors corporalis eſt pœna peccati originalis; ergo cum non omnibus ſit dimiſſum peccatum originale, non omnes reſurgent.

XX. Reſpondet S. Thom. art. 2. ſæpe allato, ad 4. *Quod mortem, quæ eſt pœna originalis peccati, qui in originali deceſſerunt, exſolverunt moriendo. Unde non obſtante originali culpa poſſunt a morte reſurgere. Pœna enim originalis peccatis magis eſt mori, quam morte detineri.* —— Addo quod ſicut qui e carcere ducitur ad mortem, non dicitur liberari a carcere, quia liberatio ſonat beneficium: ita qui a morte ſuſcitatur ad vitam, ut ſic in corpore, & anima puniatur, non cenſetur a morte liberari, ſed de morte tranſit in mortem, eamque priori morte deteriorem, ut ſupra dictum eſt.

XXI. Objicies quarto. Saltem pueri, qui in materno utero deceſſerunt, non reſurgent: hi enim cum nondum nati fuerint, nec nativitate gratiæ, nec naturali non poſſunt renaſci, aut regenerari, Reſurrectio autem regeneratio vocatur a Chriſto, *Matth. 19. v. 28.*

XXII. Reſpondet S. Thom. cit. loco ad 5. *Quod renaſcimur per gratiam Chriſti nobis datam: ſed reſurgimus per gratiam Chriſti, qua factum eſt, ut naturam noſtram ſuſciperet, quia ex hoc ei in naturalibus conformamur. Unde illi qui in maternis uteris decedunt, quamvis renati non fuerunt per ſuſceptionem gratiæ; tamen reſurgent propter conformitatem naturæ ad ipſum, quam conſecuti ſunt ad perfectionem humanæ naturæ pertingentes.* Hæc S. Thom. Addi poteſt, quod duplex eſt nativitas, in utero ſcilicet, & ex utero. De prima dictum eſt, Matth. 1. v. 20. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* De ſecunda, Lucæ 1. verſ. 35. *Quod naſcetur ex te ſanctum.* Pueri ergo in maternis uteris decedentes nati ſunt in utero, eſto non ex utero, & per veram generationem acceperunt eſſe humanum, unde eis competere poteſt reſurrectio, ſeu regeneratio ad vitam naturalem, non tamen ad vitam æternam, de qua forte ibi loquitur Chriſtus.

DUBIUM III.

An Reſurrectio ſit naturalis.

§. I.

Quibuſdam præmiſſis reſolvitur dubium?

I. NOtat S. Thom. hac *quæſt. 75. art. 3.* Quod actio aliqua poteſt ſe habere ad naturam tripliciter. Primo. Ita ut natura nec ſit principium talis actionis, nec terminus. Et talis actio vel eſt a principio ſupra naturam, ut glorificatio corporis, vel a principio alio quocumque, ut motus violentus lapidis ſurſum, qui pro termino habet quietem violentam. Secundo. Ita ut principium, & terminus motus ſit natura, ut in motu lapidis deorſum. Tertio. Ita ut terminus motus, vel actionis ſit natura, ſed non principium: ut illuminatio cæci, quia viſus naturalis eſt, ſed illuminationis principium eſt ſupra naturam: Quandoque autem aliquid aliud, ut acceleratio florum vel fructuum per artificium facta. Quod autem principium ſit natura, & non terminus, eſſe non poteſt: quia principia naturalia ſunt ad determinatos effectus definita, ultra quos ſe extendere non poſſunt.

Operatio ergo, vel motus primo modo ſe habens ad naturam nullo modo poteſt eſſe naturalis, ſed vel eſt miraculoſa, ſi ſit a principio ſupra naturam, vel violenta ſi ſit a quocumque alio principio. Operatio autem vel motus ſecundo modo ſe habens ad naturam eſt ſimpliciter naturalis. Sed operatio, quæ tertio modo ſe habet ad naturam, non poteſt dici ſimpliciter naturalis, ſed ſecundum quid, in quantum ſcilicet perducit ad id, quod ſecundum naturam eſt, ſed vel dicitur miraculoſa, vel artificialis, aut violenta; Naturale autem proprie dicitur, quod ſecundum naturam eſt: ſecundum naturam autem eſſe dicitur habens naturam, & quæ conſequuntur naturam, ut patet in 2. Phyſic. Unde motus ſimpliciter loquendo non poteſt dici naturalis, niſi ejus principium ſit natura. His a Sancto Thoma pro clara explicatione præmiſſis.

II. Dico cum eodem: Reſurrectio ſimpliciter loquendo eſt miraculoſa, non naturalis, niſi ſecundum quid. Id probat hoc diſcurſu pro prima parte. Ut aliquid ſit ſimpliciter naturale, ſeu ſecundum naturam, debet habere in natura aliquod principium ſui: ſed reſurrectio corporum nullum habet in natura principium ſui: ergo &c. Minor. prob. Principium, vel poteſt eſſe activum, ut in lapide principium motus deorſum, & in alternationibus naturalibus animalium, vel paſſivum, nimirum potentia paſſiva naturalis ad recipiendum effectum: ſed in natura nulla eſt potentia activa ad reſurrectionem operandam, neque ad ponendum diſpoſitionem ad illam, quibus anima rationalis iterum ſuo corpori uniatur, neque potentia paſſiva, nam potentia paſſiva naturalis ſemper habet aliquam potentiam activam in natura ſibi correſpondentem, quæ, ut probatum eſt, ad reſurrectionem in natura non eſt: ergo, &c.

III. Confirmatur. Ut naturaliter contingere poſſet reſurrectio, deberet in natura adeſſe principium activum ad ponendam ultimam perfectionem, ſcilicet formam, vel ſaltem ad ponendam ultimam diſpoſitionem in materia, qua poſita naturaliter, ac neceſſario forma ei uniatur: ut patet in generatione hominis, in qua ſecundum fidem generans naturale non producit formam, ſed ſolum ultimam diſpoſitionem ad ejus unionem: ſed principium activum naturale nec poteſt ponere formam, nec ultimam diſpoſitionem ad illam, materiam ſcilicet organizando, & applicando ad ejuſdem formæ introductionem: ſive quia contingit, eam materiam diſſipari, commiſceri, & ſub aliis formis diviſam reperiri. Sive quia cauſarum univerſalium, a quibus tale agens pendet in agendo, diverſus eſt influxus, diverſum tempus, diverſæ circumſtantiæ limitantes operationem cauſæ ſecundæ ad hunc ſingularem effectum potius, quam ad alium: ſive quia ipſi animæ, poſtquam eſt ſeparata, nulli naturalis corporis diſpoſitio accidere poteſt: propter quam reuniri debeat, vel poſſit ſuæ materiæ: ergo &c.

IV. Hinc Philoſophus, lib. 2. de Generat. text. 70. *Ea* (inquit) *quorum ſubſtantia eſt corruptibilis, redire eadem ſpecie, non numero.* Et vulgatum eſt illud ejuſdem axioma, *in cap. de Oppoſitis:* Non dari regreſſum a privatione ad habitum. Idem ſentiunt Dionyſius, *cap. 6. de divinis Nominibus.* Chryſoſt. *Hom. 65. in Joann.* Ambroſius, *lib. 4. in cap. 4. Lucæ.* Auguſt. *lib. 22. de Civ. Dei, cap. 4.* Gregorius, *Hom. 20. in Ezech.* Et Angelicus Doctor, tum hic, tum *lib. 4. Contra Gentes, cap. 81.* & *Quolibeto 4. art. 5.* & omnes communiter.

V. Secunda vero pars ex eo colligitur, quia terminus reſurrectionis eſt vita naturalis ejuſdem hominis: & in materia poteſt inveniri aliqua proportio ad animam, ſicut & in anima, utpote naturaliter parte, aliqua inclinatio ad ſuum totum. Verum quia natura nullum eſt principium, quod poſſit talem reunionem operari, vel ad eam diſponere: ideo eſto poſſit dici reſurrectio naturalis ſecundum quid, abſolute tamen, & ſimpliciter ſupernaturalis eſt, ac miraculoſa, non ſolum ſecundum modum quo fiet, ſed etiam quatenus eſt reparatio unius, & ejuſdem qui fuit mortuus. Unde (concludit Sanct. Thom. hoc artic. 3. in Cap.) *Etſi ponatur eſſe aliqua potentia paſſiva ex parte corporis, ſeu etiam inclinatio quæcumque ad animæ conjunctionem, non eſt talis, quod ſufficiat ad rationem motus naturalis.*

VI. Sed dices. Ut dicit Damaſcen. l. 3. Fidei, cap. 14. *Quod communiter in omnibus conſpicitur, illud naturam charakterizat in his, quæ ſub ipſa ſunt, individuis.* Sed ex dictis reſurrectio erit omnium; ergo eſt naturalis.

Reſpondet S. Thom. hoc art. 3. ad 1. *Quod Damaſcenus loquitur de illis, quæ inveniuntur in omnibus individuis ex principiis naturæ cauſata. Non enim ſi divina operatione omnes homines dealbarentur, vel in uno loco congregarentur, ſicut tempus diluvii factum eſt, propter hoc albedo eſſet proprietas naturalis, hominis, vel eſſe in tali loco.*

VII. Dices ſecundo. Illud, ad quod tota naturæ expectatio intendit, maxime videtur eſſe naturale: ſed reſurrectio, & glorificatio Sanctorum eſt hujuſmodi, unde *Rom. 8. v. 19.* dicitur: *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat;* ergo reſurrectio erit naturalis.

Reſpondet S. Thom. hoc art. 3. ad 4. *Quod tota operatio naturæ eſt ſub operatione divina, ſicut operatio inferioris artis ſub operatione ſuperioris. Unde ſicut omnis operatio inferioris artis expectat aliquem finem, ad quem non pervenitur, niſi operatione artis ſuperioris inducentis formam, vel utentis artificio facto: ita ad ultimum finem, ad quem tota expectatio naturæ intendit, non poteſt perveniri operatione naturæ: & propter hoc conſecutio ejus non eſt naturalis.*

§. II.

An reſurrectio naturali ratione cognoſci queat?

VIII. QUia ſuperius, *Dub. 1.* ex S. Thom. hac *quæſt. 71. art. 1.* aliquibus rationibus probavimus futuram reſurrectionem. Et inſuper hoc *art. 3. in 2. argum.* proponit auctoritatem Gregorii, *lib. 14. Moral. cap. 28.* dicentis: *Qui reſurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc ex ratione tenere debuerant. Quid enim quotidie mundus in elementis ſuis, niſi reſurrectionem noſtram imitatur?* Et ponit exemplum de luce, *quæ quaſi moriendo oculis ſubtrahitur, & rurſus quaſi reſurgendo revocatur.* Et de arbuſtis, *quæ viriditatem amittunt, & quaſi reſurgentia reparantur.* Et de ſeminibus, *quæ putreſcentia moriuntur, & rurſus germinando quodammodo reſurgunt.* Quod etiam exemplum Apoſtolus ponit, *1. Cor. 15. v. 36. & 37.* Propterea datur locus quæſito, an ratione naturali reſurrectio probari poſſit. Cui

IX. Reſpondeo. Quod etſi probabili aliqua ratione cognoſci, & perſuaderi poſſit reſurrectio, abſque fide tamen nulla ratio demonſtrare poteſt, eam eſſe futuram, vel poſſibilem. Ita S. Thom. exponens ſupra allata Gregorii exempla. Hoc *art. 3. ad 2.* his verbis: *Ex rebus naturalibus non cognoſcitur aliquid non naturale ratione demonſtrante: Sed ratione perſuadente poteſt cognoſci aliquid ſupra naturam: quia eorum, quæ ſupra naturam ſunt, ea quæ ſunt in natura aliquam ſimilitudinem repræſentant: Sicut unio animæ, & corporis repræſentat animæ unionem ad Deum per gloriam fruitionis, ut Magiſter dicit* (2. diſt. 1.) *Et ſimili modo exempla, quæ Apoſtolus, & Gregorius inducunt, fidei reſurrectionis perſuaſive aaminiculantur.* Et de facto lux, arbuſta, & ſemina, licet aliquomodo videantur reſurgere, non tamen eadem numero, quæ prius, ut in reſurrectione idem numero homo qui prius erat reſurget.

X. Quapropter Philoſophi gentiles quamvis rerum naturalium peritiſſimi, plerique ſaltem reſurrectionem negarunt. Immo Tertullianus, *lib. de Præſcript. cap. 7.* ait: *Ut reſurrectio negetur, de omnium Philoſophorum ſchola ſumitur.* Semperque fuit habita res creditu difficillima: Et cum Apoſtolus eam prædicaret Athenis celebri Philoſophorum Schola: Alii, *Actor. 17. verſ. 18.* dicebant: *Novorum Damoniorum videtur annuntiator eſſe:* Et verſ. 32. *Quidam quidem irridebant. Quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* Et cum, *Actor. 26.* de ea pariter fuiſſet locutus, verſ. 24. *Feſtus magna voce dixit: Inſanis, Paule.*

XI. Ad rationes autem ſuperius adductas Philoſophus Ethnicus reſponderet, vel animam eſſe mortalem, vel ſi immortalis ſit, manſuram ſine corpore: ſive quia nullum eſt agens, quod poſſit materiam recolligere, diſponere, & organizare: ſive quia ſi anima reſumeret ſuum corpus, impediretur a conſecutione beatitudinis: nam corpus retardaret eam a contemplatione tali, qualis ad beatitudinem ſola ſcientia naturali cognitam poteſt ſufficere. Fortaſſe etiam negaret, eſſe contra naturam animæ manere extra corpus, eo quod naturale ſit animæ deſiderare beatitudinem, quam judicio Philoſophi Ethnici conſequi non poteſt, niſi anima ſine corpore exiſtat: ſecundum hoc enim poteſt homo beatitudinem adipiſci, ſecundum quod eſt natus ſemper vivere, ideſt, ſecundum animam: Nam quod ſecundum corpus immortalitatis dote præditum, poſſit ſemper vivere, Philoſophus Ethnicus cognoſcere non valet.

Deſiderium inſuper quod anima habet ad corpus, diceret, poſſe ſatiari per Dei, & ſubſtantiarum ſeparatarum con-

contemplationem, in qua poneret ejus felicitatem. Et insuper punitionem, vel præmiationem sufficienter fieri in ea hominis parte, quæ est præcipuum operationis principium, etsi non in corpore, quod est merum instrumentum, & hoc maxime si Philosophus ille poneret animam non esse corporis formam, sed pure motricem, sicut nauta movet navem, & manus baculum.

XII. Præsupposita autem fide, & cognitione omnipotentiæ Dei supra naturam operantis, facile demonstrari potest, quod resurrectio sit possibilis, & quod sit futura. Quod sit possibilis. Quia manent materia, & forma, & causa efficiens Deus, qui potest eas unire: ac insuper: quia potentia Dei cum sit infinita, posset corpus, & animam, etsi omnino periissent, reproducere ad eumdem hominem constituendum, sicut utraque de nihilo ante creavit —— Quod vero sit futura, argumenta, *Dub.* 1. allata satis evincunt, quia fides præter animæ immortalitatem agnoscit infinitam Dei potentiam, ac beatitudinem supernaturalem, nec non præmiationem, ac punitionem totius hominis æternam.

XIII. Sed quæres. An saltem Angeli possint naturaliter certo cognoscere hominum resurrectionem?

Respondeo, nec bonos, nec malos Angelos posse naturaliter cognoscere, futuram aliquando generalem omnium resurrectionem, immo nec aliquam alicujus resurrectionem esse futuram, aut etiam possibilem priusquam viderint, eum resurrexisse: Quia principium resurrectionem causans, moduque illam causandi superat omnes naturæ vires, ideoque omnem naturæ cognitionem —— Postquam vero aliquis resurrexerit, Angeli videntes eum qui ante mortuus erat, nunc iterum vivere, cognoscunt eum resurrexisse, & consequenter resurrectionem esse possibilem, quia cum resurrectio sit ad vitam naturalem, terminus resurrectionis est naturaliter cognoscibilis. Sed quia in toto naturalium rerum ordine nullam causam vident, quæ potuerit hoc facere, superest, ut sciant factum esse divina virtute supra naturam agente.

DUBIUM IV.

An Resurrectio Christi sit Causa Resurrectionis nostræ.

§. I.

Resolvitur Dubium.

I. Dico cum S. Thom. *Suppl. 3. p. qu. 76. art. 1.* Resurrectionem Christi esse causam nostræ resurrectionis. Nam *Christus ratione humanæ naturæ dicitur Dei, & hominum mediator: Unde divina dona a Deo in homines mediante Christi humanitate proveniunt. Sicut autem a morte spirituali liberari non possumus nisi per donum gratiæ divinitus datum: ita nec a morte corporali, nisi per resurrectionem divina virtute factam. Et ideo sicut Christus secundum humanam naturam primitias gratiæ suscepit divinitus, & ejus gratia est causa nostræ gratiæ; quia* de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. *Joannis* 1. *Ita in Christo inchoata est resurrectio, & ejus resurrectio causa est nostræ resurrectionis.* Hæc S. Thom.

II. Hoc etiam probat, *in argum.* Sed contra. Primo. Nam illud, quod est primum in quolibet genere, est causa eorum, quæ sunt post, *ut patet in 2. Metaph.* (textu 4.) *Sed Christus ratione suæ resurrectionis corporalis dicitur:* Primitiæ dormientium, 1. *Corinth.* 15. & Primogenitus mortuorum, *Apocal.* 1. *ergo ejus resurrectio est causa resurrectionis aliorum.* —— Secundo. *Resurrectio Christi magis conveniet cum nostra resurrectione corporali, quam cum spirituali, quæ est per justificationem: sed resurrectio Christi est causa justificationis nostræ: ut patet Roman.* 4. *ubi dicitur, quod* resurrexit propter justificationem nostram; *ergo resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis corporalis.*

Quia vero ad resurrectionem plures causæ concurrunt, nempe finalis, efficiens principalis, efficiens instrumentalis, meritoria, & exemplaris, de singulis agendo.

III. Dico. Causa finalis præcipua est gloria Dei. *Universa enim propter semetipsum operatus est Dominus* (Proverb. 16. vers. 4.) Deinde gloria Christi, quem Deus dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius (*ad Ephes.* 1. *vers.* 22.) Tertio, finis proximus est præmiatio justorum, & punitio impiorum. Quarto, mundi perfectio, & ipsius animæ rationalis, quæ cum sit forma corporis, non decuit, ut in æternum maneret separata a corpore.

Causa efficiens principalis est Deus: *Et sic* (ait S. Th. in Cap.) *Christus in quantum est Deus, est prima causa nostræ resurrectionis, quasi æquivoca* (quia resuscitando homines non producit effectum sibi similem in specie) *sed in quantum est Deus, & homo resurgens, est causa proxima, & quasi univoca nostræ resurrectionis. Causa autem univoca agens producit effectum in similitudinem formæ suæ. Unde non solum est causa efficiens, sed exemplaris respectu istius effectus,* & ideo resurrectio Christi hominis est causa etiam exemplaris resurrectionis nostræ.

IV. Hoc indicavit Paulus ad Philipp. 3. vers. 21. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Quo spectat illud etiam ad Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit, ac prædestinavit conformes fieri imagini filii sui;* quæ non solum de animæ, sed etiam de gloria corporis, ac proinde de resurrectione electorum videntur dicta, ac præterea. Quia ut dictum est, Christus ut homo, est *Primitiæ dormientium, & Primogenitus ex mortuis:* Ex quibus colligitur resurrectionem Christi esse causam exemplarem resurrectionis saltem electorum. An vero sit causa resurrectionis etiam reproborum, dicetur infra.

V. Verum quia Christi resurrectio est causa resurrectionis nostræ non primo, & per se ratione sui, sed ratione virtutis divinitatis adjunctæ: sicut albedo, quæ est in generante non ratione sui, sed ratione principiorum, quæ in generante sunt, producit albedinem in genito: Ita virtus quidem divinitatis ipsius Christi, quæ sibi, & Patri communis est, & quæ fecit resurrectionem Christi, quæ est causa efficiens univoca nostræ resurrectionis, ad nostram resurrectionem principaliter agit juxta illud. Rom. 8. v. 11. *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra,* Sed ipsa resurrectio Christi virtute divinitatis adjunctæ est causa quasi instrumentalis resurrectionis nostræ *Operationes etenim divinæ agebantur mediante carne Christi, quasi quodam organo: sicut ponit exemplum Damascenus* (lib. 3. Orthod. fid. cap. 15.) *de tactu corporali, quo mundavit leprosum, Matth. 8. v. 3.* Ita discurrit S. Thom. cit. l. *in Corpore.*

VI. An vero resurrectio Christi sit causa instrumentalis nostræ resurrectionis physica, an solum moralis. Licet aliqui velint, eam esse causam solum moralem, quia cum resurrectio jam transierit, nec amplius existat, non potest esse causa physice agens, esto instrumentaliter. Verum licet resurrectio, aliæque Christi operationes præteritæ, cum jam physice non existant, non possint habere rationem instrumenti physici: Humanitas tamen ipsa ut determinata per ipsas, seu quæ resurrexit, & tales actiones operata est, vel passa, cum physice existat, est organum divinitatis instrumentaliter physice agens ad resurrectionem nostram, aliosque gratiæ effectus. Ita S. Thom. 3. *p. q. 56. art. 1. ad 3.* dicit resurrectionem Christi esse causam efficientem nostræ resurrectionis: *In quantum humanitas Christi secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis, & operatur in virtute ejus.* Item eadem, 3. *p. qu. 49. art.* 1. dicit Passionem Christi esse causam remissionis peccatorum *per modum efficientiæ, in quantum caro, secundum quam Christus est passus, est instrumentum divinitatis.* Et *qu.* 50. *art.* 6. dicit quod Christi mors etiam in facto esse operata est salutem nostram per modum efficientiæ, *in quantum scilicet nec per mortem divinitas separata fuit a Christi carne, & ideo quidquid contingit circa carnem Christi, etiam anima separata, fuit nobis salutiferum virtute divinitatis unitæ;* ergo etiam resurrectio Christi in facto esse causare poterit per modum efficientiæ resurrectionem nostram, in quantum ejus humanitas, quæ resurrexit, operatur in instrumentum divinitatis, cui manet unita.

Resurrectio tamen Christi non est causa meritoria nostræ resurrectionis (quia meritum ejus morte fuit consummatum) sed causa meritoria sunt opera ejus antecedentia. Unde Sanct. Thom. 2. part. quæst. 56. artic. 1 ad 3. *Resurrectio* (inquit) *Christi non est proprie loquend causa meritoria nostræ resurrectionis: sed est causa efficiens & exemplaris.*

§. II.

Solvuntur ea quæ obstare videntur.

VII. Primo objici potest. Posita causa sufficienti ponitur effectus: sed posita resurrectione Christi non est secuta statim resurrectio aliorum mortuorum: ergo resurrectio ejus non est causa nostræ resurrectionis.

VIII. Respondeo primo, minorem non esse omnino veram; Christo enim resurgente, *Multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt,* ut habetur, *Matth. 27. v. 52.* ergo Christi resurrectio posita statim habuit suum effectum. Quare autem non omnia mortuorum corpora statim surrexerint,

IX. Respondeo secundo, ex S. Thom. q. 76. Supplem: art. 1. ad 1. *Quod causa sufficiens statim producit effectum suum, ad quem immediate ordinatur, non autem effectum, ad quem ordinatur mediante alio, quantumcumque sit sufficiens: sicut calor quantumcumque sit intensus, non statim in primo instanti causat calorem, sed statim incipit movere ad calorem, quia calor est effectus ejus mediante motu. Resurrectio autem Christi dicitur causa nostræ resurrectionis, non quia ipsa agat immediate in resurrectionem nostram, sed mediante principio suo, scilicet divina virtute, qua nostram resurrectionem faciet ad similitudinem resurrectionis Christi. Virtus autem divina operatur mediante voluntate, quæ est propinquissima effectui. Unde non oportuit, quod statim resurrectione Christi facta, nostra resurrectio sit secuta, sed tunc sequatur, quando voluntas Dei ordinavit.* Eodem modo respondet, 3. *p. q. 56. art. 1. ad 1.*

X. Secundo objici potest. Causa resurrectionis mortuorum est divina justitia, ut scilicet corpora simul præmientur,

tur, vel puniantur cum animabus ſed juſtitia Dei neceſſe eſſet impleri, etiamſi Chriſtus non eſſet, vel non ſurrexiſſet; ergo etiam Chriſto non reſurgente mortui reſurgerent: & ſic reſurrectio Chriſti non eſt cauſa reſurrectionis &c.

XI. Reſpondeo cum S. Thom. 3. p. qu. 56. art. 1. ad 2. *Quod juſtitia Dei eſt cauſa prima reſurrectionis noſtræ: reſurrectio autem Chriſti ad cauſa ſecundaria, & quaſi inſtrumentalis. Licet autem virtus principalis agentis non determinetur ad hoc inſtrumentum determinate, tamen ex quo per hoc inſtrumentum operatur, inſtrumentum illud eſt cauſa efficiens. Sic ergo divina juſtitia quantum eſt de ſe non eſt obligata ad reſurrectionem noſtram cauſandam per reſurrectionem Chriſti: potuit enim alio modo nos Deus liberare, quam per Chriſti paſſionem, & reſurrectionem. Ex quo tamen decrevit hoc modo nos liberare, manifeſtum eſt, quod reſurrectio Chriſti eſt cauſa noſtræ reſurrectionis.* Vide eumdem S. Doctorem, *qu. 76. Supplem. art. 1. ad 2.*

XII. Tertio objici poteſt. Reſurrectio Chriſti ſaltem non erit cauſa reſurrectionis malorum, quia horum reſurrectio nihil habebit ſimile reſurrectioni Chriſti, qui reſurrexit ad gloriam: mali autem reſurgent ad ignominiam.

XIII. Reſpondeo primo cum S. Thom. qu. 56. Supplem. artic. 1. ad 4. *Quod reſurrectio omnium hominum habebit aliquid de ſimilitudine reſurrectionis Chriſti, ſcilicet, quantum ad illud, quod pertinet ad vitam naturæ, ſecundum quam omnes Chriſto fuerunt conformes: & ideo omnes reſurgent ad vitam immortalem: ſed in Sanctis, qui fuerunt Chriſto conformes per gratiam, erit conformitas quantum ad ea quæ ſunt gloriæ.*

Reſpondeo ſecundo ex iis quæ idem S. Doctor, 3. *part. qu. 56. art. 1.* dicit *ad 3.* Quod *licet efficientia reſurrectionis Chriſti ſe extendat ad reſurrectionem tam bonorum, quam malorum.* Quia enim, ut ſupra dixerat, *primordialis cauſa reſurrectionis humanæ eſt divina juſtitia, ex qua Chriſtus habet poteſtatem judicium facere, in quantum filius hominis eſt; virtus effectiva reſurrectionis ejus ſe extendit non ſolum ad bonos, ſed etiam ad malos, qui ſunt ejus judicio ſubjecti .... Exemplaritas tamen ejus ſe extendit proprie ſolum ad bonos, qui ſunt facti conformes filiationis ipſius ut dicitur Rom. 8.* Nam reſurrectio Chriſti ut cauſa exemplaris proprie talis petit, ut exemplatum ei conformetur, non ſolum corpore, ſed etiam animo. Unde Paulus, Rom. 6. verſ. 4. *Quomodo* (inquit) *Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Sicut autem Chriſti mors non eſt cauſa exemplaris mortis malorum, ita nec erit cauſa exemplaris reſurrectionis malorum, qui non reſurgent ad vitam animæ ſed ad mortem, & quidem æternam. Unde Sanct. Thom. Lect. 5. in cap. 5. Joannis: *Vita* (inquit) *eorum, qui vadunt in condemnationem, non eſt dicenda vita, ſed potius mors æterna.*

XIV. Sed dices: Chriſtus meruit reſurrectionem etiam malis, ſicut & eis meruit fidem, quamvis eis non eſſet profutura, ſed potius ad cumulum damnationis ceſſura; ergo ſimiliter potuit eis mereri, & eſſe cauſa exemplaris reſurrectionis eorum, quamvis eis potius ad mortem eſſet futura.

Reſpondeo tamen negando antec. Chriſtus enim meruit fidem etiam malis, & damnatis, quia quamvis eis modo non profit quod fidem habuerint, profuit tamen eis aliquando per fidem illuminatis, ideoque beneficium eis fuit, quo tamen frui culpa propria noluerunt. At reſurrectio corporum nunquam profuit, nec proderit damnatis, ideoque nullum eis fuit, aut aliquando erit beneficium. Unde Dionyſ. Carthuſian. in illud 1. Corinth. cap. 15. *Quod impii reſurgent* (inquit) *non erit merito Chriſti, ſed divina ejus virtute:* ideſt, erit quidem cauſa effectiva Chriſtus ut Deus, reſurrectionis malorum, eam tamen eis merito ſuo non comparabit.

DUBIUM V.

De aliis ad Reſurrectionem Concurrentibus.

§. I.

De voce tuba.

DUÆ aliæ cauſæ reſurrectionem generalem promovebunt, & excitabunt, de quibus agit S. Thom. *q. 76. Supplem. art. 2. & 3.* Una erit vox tubæ, altera erunt Angeli. Nunc de prima.

I. Voce, & tuba excitandos fore ad reſurrectionem, & judicium mortuos, quaſi ad Tribunal Judicis citatos, prænuntiavit primo Chriſtus, *Matth. 24. v. 31.* ubi de apparatu judicii loquens: *Mittet* (inquit) *Angelos ſuos cum tuba, & voce magna.* Secundo. Paulus 1. ad Theſſ. 4. v. 15. *Dominus in juſſu, & voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cælo.* Et 1. Cor. 15. v. 52. *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba; canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti.* Tubæ etiam meminit Joannes, *in Apoc. 10. v. 7.* Chriſtus tamen, Joann. 5. v. 28. ſolius vocis meminit, dicens: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei.* Ex his

II. Dubitatur primo: an vox iſta Filii Dei, ſeu clangor tubæ, futura ſit ſenſibilis.

Reſpondet S. Thom. citato loco, *art. 2.* affirmative: Quia *cauſam, & effectum oportet aliquo modo conjungi, quia movens, & motum, faciens, & factum ſunt ſimul, ut patet in 8. Phyſic.* (textu 10.) *Chriſtus autem reſurgens eſt cauſa univoca noſtræ reſurrectionis. Unde oportet quod in reſurrectione corporum communi ſigno corporali dato, Chriſtus reſurrectionem operetur.* Et hoc colligitur ex allatis Scripturæ textibus, quos in ſenſu litterali interpretari nullum incommodum eſt. Immo ſicut Domini adventus, & judicium fiet modo ſenſibili, ita congruum erit, ut excitatio, & convocatio ad illud, ſenſibili modo fiat. Et hoc ut hominum naturæ ſenſibus utenti omnia coaptentur. Cum enim in promulgatione legis veteris Deum flammam, & tubam adhibuiſſe legamus, *Exod. 19. v. 18. & Deut. 4. v. 11.* Cum etiam ſciamus legis novæ promulgationem per adventum Spiritus ſancti ſenſibilibus ſignis, nempe, tonitru, & igneis flammis factam eſſe, *Act. 2. v. 2. & 3.* Cur ſimiliter non exiſtimabimus, ultimum, ac terribilem Domini judicantis adventum, qui voce, & tubæ ſono præeunte deſcribitur futurus, non eſſe accipiendum de vera, ac ſenſibili voce, ac tubæ ſonitu?

III. Sed dices primo. Vox Chriſti, & tubæ per univerſum mundum audietur. Sed vox materialis, & ſenſibilis non poſſet per totum mundum audiri; ergo non erit vox ſenſibilis, ſed intelligibilis, nempe, Dei imperium.

Secundo. Mortui nequeunt audire vocem materialem, & ſenſibilem: vocem autem, & ſonum tubæ mortui audient.

Tertio. Tuba ibi non ſumitur proprie pro inſtrumento ex ære fabricato: Angelis enim ſpiritualibus tali inſtrumento uti non convenit, ergo nec vox, nec ſonus ſumitur pro voce, ac ſono ſenſibili.

IV. Reſpondetur tamen ad primum. Omiſſa ſolutione aliquorum volentium plures Angelos cum pluribus tubis mittendos eſſe ad diverſas mundi partes, ut ab omnibus ſimul audiri poſſint: dicendum, unam fore vocem, & tubæ ſonum cum Scriptura ſemper in ſingulari loquatur; audietur tamen per univerſum mundum, quia inſtrumentum erit divinæ virtutis.

V. Ad ſecundum reſpondeo cum S. Thom. loco citato ad 2. *Quod ſicut forma ſacramentorum habent virtutem ſanctificandi, non ex hoc quod audiuntur, ſed ex hoc quod proferuntur: ita illa vox, quidquid ſit, habebit efficaciam inſtrumentalem ad reſuſcitandum, non ex hoc, quod ſentitur, ſed ex hoc quod profertur: ſicut etiam vox ex ipſa impulſione aeris excitat dormientem, ſolvendo organum ſentiendi, non ex hoc quod cognoſcatur, quia judicium de voce venienti ad aures ſequitur excitationem, & non eſt cauſa ejus.* Hæc S. Thom. Dici etiam poteſt, vocem illam audiendam eſſe, quia excitatis mortuis vox illa non deſinet: & ita ab omnibus reſuſcitatis hominibus audietur.

VI. Ad tertium reſpondeo, quod dato, quod Angeli non utentur propria, & ſenſibili tuba, tamen vere in aere per corporum colliſionem formabunt talem ſonum, & clangorem, qualem ſolet edere tuba inflata. Sicut, *Exod. 19. v. 16.* dicitur, quod in Monte Sina *clangor buccinæ vehementius obſtrepebat, & timuit populus, qui in caſtris erat:* qui clangor ſenſibilis erat, eo modo quo clangor buccinæ, cum tamen non eſſet buccina materialis.

VII. Cæterum quia in textibus Scripturæ ſupra allatis ſignum hoc ſenſibile, quo mortui excitabuntur, modo dicitur *vox*, modo *tuba*, modo *vox* & ſimul *tuba*, adhuc dubitatur, an futura ſit vox tantum, an tuba tantum, an vero vox, & ſonus etiam tubæ.

S. Thom. *art. 2.* laudato *in Corpor.* poſtquam ſtatuit ſigno ſenſibili mortuos excitandos ad judicium, ſic proſequitur: *Quod quidem ſignum, ut quidam dicunt, erit ad litteram vox Chriſti reſurrectionem imperantis; ſicut imperavit mari, & ceſſavit tempeſtas, Matth. 8. Quidam vero dicunt, quod hoc ſignum nihil aliud erit, quam ipſa repræſentatio evidens Filii Dei in mundo, de qua dicitur Matth. 24.* Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem, ita erit & adventus filii hominis: *Et innituntur auctoritate Gregorii dicentis, quod* tubam ſonare, nihil aliud eſt, quam huic mundo, ut judicem, Filium demonſtrare: *Et ſecundum hoc ipſa apparitio Filii Dei vox ejus dicitur, quia ei apparenti obediet tota natura ad corporum humanorum reparationem ſicut imperanti. Unde:* In juſſu *venire dicitur, 1. Theſſal. 4. Et ſic ejus apparitio, in quantum habet vim cujuſdam imperii,* Vox *jus dicitur. Et hæc vox quæcumque ſit, quandoque dicitur* Clamor, *quaſi præconio ad judicium citantis. Quandoque dicitur* Sonus tubæ, *vel propter evidentiam . . . vel propter convenientiam ad uſum tubæ, qui erat in Veteri Teſtamento. Tuba enim congregabantur ad Concilium, commovebantur ad prælium, & vocabantur ad feſtum, Reſurgentes autem congregabuntur ad Concilium judicii, & ad prælium, quo* Orbis terrarum pugnabit contra inſenſatos (Sap. 5.) *& ad feſtum æternæ ſolemnitatis.* Quibus S. Thomas videtur, ſe nolle determinare, quodnam ſit futurum ſignum excitans ad reſurrectionem: an ſcilicet vera vox, an ſonus tubæ, an præſentia ipſa Judicis, ſed problematice utrumque tenere. Quamvis ibi, *ad 2.* ut ſupra verum vocem articulatam admittat, quam forte ſonitus tubæ ſimilis vel præcedet, vel

vel comitabitur, vel ſubſequetur, cui ſententiæ libentius ſubſcribimus.

VIII. Quia vero S. Paulus dicit, 1. *Theſſ.* 4. *v.* 15. quod *Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli . . . deſcendet de Cælo.* Quæritur: An hæc vox Archangeli erit eadem, ac vox Filii Dei, an vero diſtincta: & rurſus qui erit iſte Archangelus.

Ad primum quæſitum dico, vocem Archangeli fore vocem ipſius Chriſti eam imperantis, & Archangeli eam proferentis, unde Paulus dicit *In juſſu, & in voce Archangeli*, ideſt Dei jubentis, & Archangeli eam proferendo exequentis. Sicut in veteri Teſtamento Deus dicitur: *Locutus*, quod tamen miniſterio Angelorum perficiebat. Qualis autem futura ſit illa vox, probabiliter creditur futura vox imperans reſurrectionem, & acceſſum ad judicem, ut iſta, quæ Hieronymo tribuitur, & quam ſequitur Sanct. Thom. Lect. 2. in cap. 4. 1. ad Theſſalon. *Surgite mortui, venite ad Judicium.* Vel ut Chryſoſtomus, Homil. 8. in 1. ad Theſſalon. 4. *Reſurgant morti.* Vel ut Theophylactus ibidem: *Apparate vos omnes: Judex enim præſto eſt.*

Ad ſecundum quæſitum, quis futurus ſit iſte Archangelus. Communius dicitur futurus Michael dictus Antonomaſtice *Archangelus* quia Princeps militiæ Cæleſtis: & ſicut Gabriel delegatus fuit ad primum Dei adventum, qui opus miſericordiæ fuit: ita ad ſecundum, qui erit opus ſummæ juſtitiæ, & poteſtatis, congruum erit, ut delegetur Michael, qui eſt fortitudo Dei, & qui ut Princeps imperare poterit, ac diſpenſare Angelis inferioribus miniſteria, quæ univerſali reſurrectioni præſtare debebunt, ut ſtatim dicam.

§. II.

Quid agent Angeli in Reſurrectione.

IX. SAnctus Thomas, *quæſt.* 76. *Supplem. art.* 3. ita de hoc ſcribit: *Sicut Auguſtinus dicit in* 3. *de Trinit. cap.* 4. ſicut corpora craſſiora, & inferiora per ſuperiora, & potentiora ordine quodam reguntur; ita omnia corpora reguntur a Deo per ſpiritum vitæ rationalem: *Et hoc etiam Gregorius IV. Dialogorum* (cap. 5.) *tangit. Unde in omnibus, quæ corporaliter a Deo fiunt, utitur Deus miniſterio Angelorum. In reſurrectione autem eſt aliquid ad tranſmutationem corporum pertinens, ſcilicet collectio cinerum, & eorum præparatio ad reparationem humani corporis. Unde quantum ad hoc in reſurrectione utetur Deus miniſterio Angelorum. Sed anima ſicut immediate a Deo creata eſt, ita immediate a Deo corpori iterato unietur ſine aliqua operatione Angelorum. Similiter etiam gloriam corporis ipſe faciet abſque miniſterio Angelorum: ſicut & animam immediate glorificat. Et iſtud Angelorum miniſterium dicitur vox &c.*

X. Ex hac Sanct. Thom. doctrina colligitur, quod cum quatuor poſſint in reſurrectione conſiderari, nempe, cinerum collectio, & eorumdem præparatio ad reparationem humani corporis, ut ex eis formentur membra, ipſumque corpus, primum, & ſecundum fiet per Angelos partim naturali virtute, partim ſupernaturali. Nam dato, quod propria, ac naturali virtute poſſint cineres fere per totum orbem diſperſos quaſi in momento colligere, maxime ad hoc operante fere infinita eorum multitudine; illos tamen cineres præparare, ac in formam, & organizationem humani corporis adhuc remote diſponere, & organizare, ſola divina: & ſupernaturali virtute poterunt. Quia cum cineres illi nullam retineant naturalem inclinationem ad animam ſemel amiſſam recuperandam, ut docet Sanctus Thomas *quæſt.* 78. *Supplem. art.* 3. non poſſunt ad eam iterum ſuſcipiendam virtute mere naturali formari, ac diſponi.

XI. Tertium vero, nempe, reunio animæ ad corpus, non fiet Angelorum miniſterio, ſed immediate a ſolo Deo, qui ſicut immediate ſe ſolo eam creavit: ita immediate ſe ſolo eam reuniet, immo & ultimam diſpoſitionem ſolus ponet. Alias ſicut parentes per hoc quod ponunt ultimam diſpoſitionem ad unionem animæ rationalis cum corpore dicuntur generare hominem, ita Angeli, ſi eam ponerent, dicerentur mortuos ſuſcitare: ſolus autem Deus eſt, qui poteſt mortuos ſuſcitare, non vero Angelus, niſi forte pure inſtrumentaliter. Nam licet non poſſit dari cauſa inſtrumentaliter operans ad creationem, quæ eſt ex omnino nihilo: poteſt tamen dari ad reſuſcitationem, quæ fit ex præſuppoſito ſubjecto. Quamvis ad formalem corporum ſuſcitationem ſolam Chriſti humanitatem inſtrumentum fore verius exiſtimem, Angelos vero ſolum ad præparandam materiam.

XII. Quartum demum, nempe corporis gloriam a ſolo Deo operandam, non Angelorum miniſterio, certum eſt. Sed hoc a Deo erit, ut a cauſa principali, utente tamen humanitate Chriſti ut inſtrumento, ut dictum eſt.

XIII. Mortui autem jam ſuſcitati eorumdem Angelorum miniſterio congregabuntur ante tribunal Chriſti, & ibidem boni a malis per eos ſeparabuntur, juxta illud, Matth. 13. v. 49. *Sic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum,*

XIV. Sed dices. Quomodo tot Angelos dicimus ad reſurrectionem corporum eſſe operaturos, cum dicat Paulus, 1. *Theſſ.* 4. *v.* 15. quod in Dei juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei mortui reſurgent?

Reſpondet S. Thom. dicta qu. 76. Suppl. art. 3. ad 2. *Quod miniſterium iſtud erit principaliter unius Archangeli, ſcilicet Michaelis, qui eſt princeps Eccleſiæ, ſicut fuit Synagogæ, ut dicitur Daniel.* 10. *Qui tamen aget ex influentia virtutum, & aliorum ſuperiorum ordinum. Unde quod ipſe faciet, ſuperiores ordines quodammodo facient. Similiter inferiores Angeli cooperabuntur ei circa reſurrectionem ſingulorum, quorum cuſtodiæ deputati fuerint. Et ſic vox illa poterit dici unius, & plurium Angelorum.* Ex his poſterioribus verbis colligo, mentem Sancti Thomæ eſſe, quod ſinguli Angeli Cuſtodes cooperabuntur ad reſurrectionem ſingulorum, quorum cuſtodiæ dum viverent, fuerant deputati.

XV. Sed dubium ſupereſt: An Sancti Angeli cooperaturi ſint ad reſurrectionem non ſolum electorum, ſed etiam reproborum.

Reſpondet aliqui, reproborum cineres colligendos, & alia ad eorum reſurrectionem facienda fore a ſolis Dæmonibus, & ab iſtis in vallem Joſaphat deportandos, moti ex illo: Matth. cap. 24. v. 31. *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis a ſummis calorum, uſque ad terminos eorum:* Ubi Angeli Dei dicuntur mittendi ad congregandos electos, nulla reproborum facta mentione.

Probabilius tamen videtur, Angelos Cuſtodes cooperaturos ad reſurrectionem ſuorum clientum, non ſolum electorum, ſed etiam reproborum, ut ſicut fuerunt illis dum viverent miniſtri divinæ miſericordiæ, ita ſint eis miniſtri divini Judicii, & juſtitiæ, tradendo eos Dæmonibus in æternum puniendos. Ita Chriſtus, Matth. 13. verſ. 41. *Mittet* (inquit) *filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Et verſ. 49. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent illos in caminum ignis.* Ideo autem loco citato ex, *Matth.* 24. de ſolis electis mentio fit, quia ſolum loquitur de congregatione glorioſa, non de generali omnium tam bonorum, quam malorum. Cum enim reſurrectio tam reproborum, quam electorum ſit effectus reſurrectionis Chriſti, non eſt cur ab ea generaliter promovenda Angeli ſancti excludantur.

QUÆSTIO IV.

De tempore, modo, loco, & termino Reſurrectionis.

TEmpus, modus, & locus in quo fiet reſurrectio, & rurſus a quo termino fiet, erunt præſentis quæſtionis argumentum ex S. Thom. *in Supplem. qu.* 77. *&* 78.

DUBIUM I.

De tempore, quo fiet Reſurrectio.

§. I.

An futura ſit in fine Mundi.

I. DE hoc multa diximus, *q. præced. Dub.* 2. ubi oſtendimus, omnes generaliter ſurrecturos in fine mundi ſive bonos, ſive malos, ſive adultos, ſive pueros, exceptis tantum aliquibus, qui ex ſpeciali privilegio ad vitam immortalem jam ſurrexerunt: quæ hunc revocanda ſunt. Modo quæremus cum Sancto Thom. hac *quæſt.* 77. *Supplem. art.* 1. ſpecialiter an revera ſit ad finem mundi differenda, & quare.

II. Dico ergo. Reſurrectio generalis mortuorum eſt ad finem mundi differenda. Hac veritate nihil clarius in Scripturis. Nam *Job* 14. *v.* 12. dicitur: *Homo cum dormierit, non reſurget, donec atteratur Cælum, non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo.* Quomodo atterendum ſit Cælum in noviſſimo die ſupra explicavimus. Item cap. 19. v. 25. *Scio*, inquit Job, *Quod in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*, Joann. 6. verſ. 40. de eo qui videt filium, & credit in eum dicit Chriſtus: *Et ego reſuſcitabo illum in noviſſimo die.* Et *Joann.* 11. *v.* 24. Martha de Lazaro fratre ſuo defuncto, ait: *Scio, quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.*

III. Confirmatur. Reſurrectio univerſalis non fiet, niſi quando erit meſſis omnium operum, quæ hic ſeminantur, quia nomine meſſis intelligitur tempus generalis retributionis, quando unuſquiſque metet, quod ſeminavit: *Meſſis vero conſummatio ſæculi eſt; Meſſores autem Angeli ſunt*, Matth. 13. v. 39. ergo &c. —— Accedit, quod generalis reſurrectio ad hoc eſt futura, ut omnes Chriſto Judici præſententur, ab eoque recipiant plenam in corpore, & anima retributionem: ſed adventus Chriſti ad judicium futurus eſt in fine ſæculi, *Matth.* 24. *&* 25. 1. *ad Cor.* 15. 1. *ad Theſſ.* 4. *&* 2. *ad Theſſ.* 2. ergo &c.

IV. Rationem autem congruentiæ dat S. Thom. *art.* 1. citato

citato his verbis: *Sicut Auguſtinus dicit in* 3. *de Trinit. cap.* 4. Divina providentia ſtatuit, ut corpora craſſiora, & inferiora, per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine regantur: *Et ideo tota materia corporum inferiorum ſubjacet variationi ſecundum motum cæleſtium corporum. Ergo eſſet contra ordinem, quem divina providentia ſtatuit in rebus, ſi materia inferiorum corporum ad ſtatum incorruptionis perduceretur, manente motu ſuperiorum corporum. Et quia ſecundum poſitionem fidei reſurrectio erit in vitam immortalem conformiter Chriſto, qui* Reſurgens ex mortuis jam non moritur, *ut dicitur Rom.* 6. *Ideo humanorum corporum reſurrectio, uſque ad finem mundi differetur, in quo motus cæli ceſſabit.* Deinde ſubjungit: *Et propter hoc etiam quidam Philoſophi, qui poſuerunt, motum cæli nunquam ceſſare, poſuerunt reditum humanarum animarum ad corpora mortalia, qualia nunc habemus, ſive ponerent reditum animæ ad idem corpus in fine magni anni, ut Empedocles, ſive ad aliud, ut Pythagoras, qui poſuit,* quamlibet animam quodlibet corpus ingredi, *ut dicitur* 1. *de Anima* (text. 53.)

V. Sed primo obſtare videtur, quod Chriſtus, qui eſt caput noſtrum, non diſtulit reſurrectionem ſuam uſque ad finem mundi, ſed ſtatim triduo poſt mortem reſurrexit; ergo noſtra reſurrectio deberet poſt mortem triduo fieri, non autem ad finem mundi differri, ut omnes ſimul reſurgeremus: & ſic eſſet convenientia membrorum cum capite, quæ major eſſe debet, quam membrorum ad invicem.

VI. Reſpondeo cum Sanct. Thom. *art.* 1. præfato, nego conſeq. Convenientia enim inter caput, & membra ſtat in hoc, quod membra recipiant influentiam a capite, non autem ad invicem: *Unde reſurrectio Chriſti eſt exemplar noſtræ reſurrectionis, ex cujus fide ſpes nobis de noſtra reſurrectione conſurgit: Non autem reſurrectio alicujus membri Chriſti eſt cauſa reſurrectionis cæterorum membrorum, Et ideo Chriſti reſurrectio debuit præcedere reſurrectionem aliorum, qui omnes ſimul reſurgere debuerunt in conſummatione ſæculorum.*

Ex quo infert ibi *ad* 2. quod licet aliqua membra ſint gratia, & ſanctitate propinquiora Chriſto capiti, non inde ſequitur, quod debeant prius reſurgere, quam alia membra minus propinqua, quia nullum eorum pertingit ad rationem capitis, ut poſſit influere in reſurrectionem aliorum. Quod ſi aliquibus, ut ſupra diximus, conceſſum eſt, ut prius quam alii reſurgerent, hoc ex ſpeciali gratiæ privilegio fuit, non ex debito conformitatis ad Chriſtum. —— Qua ratione etiam dicit *ad* 3. acceleratam fuiſſe reſurrectionem veterum Patrum, non propter ipſos, ſed propter reſurrectionem Chriſti teſtificandam, ad fundandam finem novi Teſtamenti etiam ex Veteri. Conferantur dicta ſupra.

VII. Secundo obſtare videtur. Quia poſt fidem mundi nullus erit annorum numerus: at poſt reſurrectionem mortuorum adhuc computantur multi anni, uſque ad reſurrectionem aliorum; ergo reſurrectio generalis non erit in fine mundi. Min. prob. *Apoc.* 20. *v.* 4. dicitur *Et vidi ... animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter Verbum Dei ... & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.* Ergo non omnes ſimul in fine mundi reſurgent.

VIII. Propter hunc Apocal. textum, ut notat S. Thom. hic *ad* 4. ex Aug. *l.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 7. fuerunt quidam hæretici, inter quos Cherinthus, *qui poſuerunt primam reſurrectionem futuram eſſe mortuorum, ut cum Chriſto mille annis in terra regnarent: unde vocati ſunt* Chiliaſtæ, *quaſi Millenarii.* In hanc ſententiam multi etiam primorum Eccleſiæ Patrum propenderunt. Sed cum hanc quæſtionem fuſe tractaverimus, *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 2. *de Viſione Dei, dub.* 2. ubi etiam oſtendimus, quantum ab hæreſi Cherinthi, & aliorum, opinio Veterum Patrum diſtaret; ideo meo Lectore illuc amandato, in reſponſione ad præſentem objectionem cum S. Thoma me contineo.

IX. Reſpondeo ergo, neg. min. Nam mille anni, de quibus, *Apoc.* 20. Diabolus dicitur ligatus, ſignificant totum tempus, quod eſt a Chriſti morte uſque ad tempus Antichriſti. Quo tempore propterea dicitur eſſe ligatus Diabolus: *Quia Chriſtus ejus poteſtatem a ſeducendis, ac poſſidendis eis, qui fuerant liberandi, frænavit, atque cohibuit.* Ut loquitur Auguſtinus, lib. 20. de Civit. Dei c. 7. *Millenarius autem numerus* (inquit S. Thom.) *non ſignificat aliquem certum numerum, ſed deſignat totum tempus, quod nunc agitur, in quo nunc Sancti cum Chriſto regnant, quia numerus millenarius deſignat univerſitatem magis, quam centenarius ..... quia* decies decem *centum ſunt, &* centum decies, *mille ſunt. Et ſimiliter in Pſalm.* 104. *dicitur:* Verbi quod mandavit in mille generationes, *ideſt in omnes.*

Interea vero animæ decollatorum propter Chriſtum (ideſt omnes electi, ut a parte totum intelligatur) dicuntur vivere, *vita ſcilicet beata, & regnare cum Chriſto mille annis,* toto ſcilicet illo tempore, quod eſt ab illorum decollatione, ſeu morte uſque dum reſumant ſua corpora: *Et hæc eſt reſurrectio prima,* quia ſcilicet animæ, quæ ſimul cum corporibus mortuæ putabantur ab infidelibus, beatificantur, & ad meliorem ſtatum reſtituuntur. In qua reſurrectione, *qui habet partem, beatus eſt, nec ſecunda mors,* quæ eſt damnatio æterna, *habebit poteſtatem in illo, ſed erit Sacerdos Dei, & Chriſti,* ſe ipſum ſemper illi offerens, laudeſque decantans, *& regnabit cum illo mille annis,* hoc eſt toto illo tempore, quod intercedit a beata ejus morte, uſque dum palam omnibus apparet, quod ſit in corpore, & anima æternaliter victurus, quod erit in generali reſurrectione in fine ſæculorum futura.

§. II.

An tempus Reſurrectionis ſit occultum?

X. TEmpus, quo generalis mortuorum reſurrectio fiet, dicit S. Thom. hac *q.* 77. *art.* 2. eſſe occultum eadem ratione, qua infra, *qu.* 88. *art.* 3. dicit occultum eſſe tempus Univerſalis Judicii. Et probat primo ex Auguſtino, *lib.* 83. *Quæſtionum, quæſt.* 58. dicente: *Ætas ultima humani generis, qua incipit ab adventu Domini uſque ad finem ſæculi, quibus generationibus computetur, incertum eſt, ſicut etiam ſenectus, qua eſt ultima ætas hominis, non determinatum habet tempus ſecundum menſuram aliarum, eum quandoque ſola tantum teneat temporis, quantum omnes alia ætates.*

XI. Probat ſecundo ſic: Reſurrectionis tempus cognoſci non poteſt, nec ratione naturali, nec revelatione. Non ratione naturali: Quia cum reſurrectio non ſit futura, niſi quando motus Cæli ceſſabit, oporteret ſcire, ac numerare tempus, quo motus Cæli ceſſabit: Sed hoc naturali ratione ſciri non poteſt: cum enim motus Cæli ſit circularis, ex natura talis motus, potius arguitur, quod finem non ſit habiturus, ſed in perpetuum duraturus; ergo ratione naturali &c. —— Addo quod tam reſurrectionis, quam Judicii tempus non erit ex cauſis naturalibus, ſed ex voluntatis Dei beneplacito: ad hoc autem beneplacitum cognoſcendum naturalis ratio pertingere nequit.

XII. *Similiter per revelationem haberi non poteſt* (inquit S. Thom.) *ideo ut omnes ſint ſolliciti, & parati ad Chriſto occurrendum. Et propter hoc etiam Apoſtolis de hoc quærentibus reſpondit Chriſtus, Actor.* 1. Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *In quo, ut Auguſtin. dicit* 18. *de Civit. Dei cap.* 53. Omnium de hac re calculantium digitos reſolvit, & quieſcere jubet: *Quod enim Apoſtolis quærentibus noluit indicare, nec aliis revelabit.* Et quod amplius eſt, *Matth.* 13. *verſ.* 32. ait ſe de die illo, vel hora neſcire: *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi Pater.* Non quod Chriſtus etiam ut homo (ut impie blaſphemat Calvinus) hoc ignoret, ſed quia illius diei, vel horæ notitiam non ſic habet, ut illam communicaret homini (de quo alibi dictum eſt) Uſus autem eſt Chriſtus tali modo loquendi, ut ab hujus Myſterii inquiſitione tum diſcipulos ſuos, tum omnes alios fideles longiſſime arceret tamquam a re, cujus ſcientiam Deus ſibi ſoli reſervavit.

XIII. Neque propterea quis imaginetur, ex Chriſti verbis, diem quidem, & horam reſurrectionis eſſe incertum, ſed tempus, ut annum, luſtrum, ſæculum poſt quod futura ſit, poſſe a nobis cognoſci. Nam *dies*, & *hora*, phraſi in ſcriptura familiari, pro tempore generaliter ſumitur. Et quamvis videatur nunc major eſſe ratio ſuſpicandi, quod tempus illud in propinquo ſit, quia ſcilicet multa evenerint, quæ prædicta ſunt eventura ante illud tempus, neſcimus tamen, an omnia ſint impleta, & eo modo, quo implenda erunt, & an illis impletis dies extrema poſt centum, ducentos, aut mille annos futura ſit. Unde qui ex illis ſignis diem extremam parum abeſſe opinati ſunt, ut Ambroſius initio, *lib.* 10. *ſuper Lucam. Leo, Serm.* 8. *de Jejunio decimi menſis.* Gregorius, *hom.* 1. *& 15. ſuper Evangel. & lib.* 9. *Epiſt.* 60. *ad regem Anglorum,* ut patet, falſo ſuſpicati ſunt. *Unde* (concludit S. Thom.) *omnes illi, qui tempus prædictum numerare voluerunt, hactenus falſiloqui ſunt inventi. Quidam enim ut Aug. dicit ibidem* (lib. 18. de Civit. Dei, cap. 53.) *dixerunt, ab Aſcenſione Domini uſque ad ultimum ejus adventum quadringentos annos poſſe compleri, alii quingentos, alii mille, quorum falſitas patet, & patebit ſimiliter eorum, qui adhuc computare non ceſſant.*

XIV. Hinc rejicienda eſt opinio, quam ſecuti fuerunt Juſtinus Martyr, *quæſt.* 71. Irenæus, *lib.* 5. *adv. hæreſ. cap. ultimo,* Lactantius, *lib.* 7. *Inſt. cap.* 14. Hilarius, *in c.* 17. *Matth.* Hieronymus, *in Michea cap.* 4. & quam ſibi olim non diſplicuiſſe dicit Sanctus Auguſtinus, *lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 7. qui advertentes, ſex diebus fuiſſe creationem mundi conſummatam; & advertentes, quod mille anni ſunt coram Deo unus dies juxta Pſalm. 89. verſ. 4. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies heſterna, quæ præteriit,* & 2. Petri 3. verſ. 8. *Unus dies apud Dominum, ſicut mille anni, & mille anni, ſicut dies unus,* intulerunt, mundi durationem ſex annorum millibus eſſe complendam; ita ut, ſicut diei ſexto ſucceſſit dies Sabbati, in quo Deus ab opere conditionis mundi quievit: ita ſexto millenario expleto, ſuccedet dies magni Sabbati, in quo Deus a mundi conſervatione requieſcet. Quod præ cæteris explicat Lactantius loco relato.

XV. Rejicienda, inquam, venit propter Scripturæ textus

tus ſupra allatos nimis aperte pronuntiantes diem noviſſimam mundi eſſe prorſus ignotam. Neque ullum fundamentum eſt aſſerendi, ſex millibus annorum, nec plus, nec minus duraturam conſervationem mundi, quia ſex diebus mundi creatio conſummata fuit. Neque enim ad dies creationis mundi reſpexerunt Pſalmiſta, & Sanct. Petrus; ſed potius, ut obſervat S. Auguſtinus citato, lib. 20. de Civit. Dei, *per mille annos* voluerunt ſignificare vel *a parte totum*, vel *omnes annos*, ſeu temporum univerſitatem, ac plenitudinem ut ſupra, §. *præcedente*, *num.* 9. cum Sanct. Thom. obſervatum eſt. Ita ut ſenſus utriuſque ſit, quod in oculis, & æſtimatione Dei unus dies, & mille anni, ſeu omnia tempora non differant, quia utrumque reſpectu æternitatis, eſt ſicut punctum reſpectu temporis. Immo Sanctus Petrus citato loco tacite oſtendit, ſe ignorare, quando ultima dies ſit futura. Nam dicentibus: *Ubi eſt promiſſio, & adventus ejus?* Reſpondet, *quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus.* Deinde, *verſ.* 10. Subdit: *Advenit autem dies Domini ut fur.* Quod dicit etiam Paulus 1. Theſſal. 5. verſ. 1. *De temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Non dixiſſent autem hoc, ſi vel ſuſpicari potuiſſent, diem Domini venturum ſexto millenario completo, ſicut ſexta die completa fuit formatio mundi.

XVI. Nec etiam audiendi ſunt, qui cum Greg. *Hom.* 19. *in Evangelia*, mundo aſſignantes ætates, ſeu horas, nimirum, mane ab Adam uſque ad Noe, horam tertiam a Noe uſque ad Abraham, ſextam ad Abraham uſque ad Moyſen: nonam a Moyſe uſque ad adventum Domini, & undecimam ab adventu Domini uſque ad finem mundi, dicunt: Scimus determinate tempus, quo priores mundi ætates, ſeu horæ in veteri Teſtamento, quod fuit figura novi, durarunt; ergo pariter ſciri poteſt tempus, quo novum Teſtamentum, quod eſt ultima ætas, ſeu hora mundi, duraturum erit, ſed novum Teſtamentum habebit terminum in fine mundi. Unde dicitur, Matth. ult. v. 20. *Ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Sciri ergo poteſt determinate finis mundi, & reſurrectionis tempus.

XVII. His enim reſpondet S. Thom. *quæſt.* 77. *Supplem. art.* 1. *ad* 3. neg. conſeq. Nam *quamvis ſtatus novi Teſtamenti ſit præfiguratus per ſtatum veteris Teſtamenti, non tamen oportet, quod ſingula reſpondeant ſingulis; præcipue cum in Chriſto omnes figuræ veteris Teſtamenti fuerint completæ. Et ideo Auguſtinus* 18. *de Civ. Dei*, *c.* 22. *reſpondet quibuſdam qui volebant accipere numerum perſecutionum, quas Eccleſia paſſa eſt, & paſſura ſecundum numerum plagarum Ægypti, dicens*: Ego illa re geſta in Ægypto iſtas perſecutiones prophetice ſignificatas eſſe non arbitror; quamvis ab eis, qui hoc putant, exquiſite, & ingenioſe illa ſingula his ſingulis comparata videantur, non prophetico ſpiritu, ſed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur: *Et ſimiliter videtur eſſe de dictis Abbatis Joachim, qui per tales conjecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit.* Hæc S. Thomas.

XVIII. Similiter, nec ex quo ſciamus determinate tempus, quo incœpit mundus, poſſumus determinare ſcire tempus, quo mundus deſinet eſſe —— Nam ut bene dicit S. Thom. loco allato, *ad* 1. Tempus durationis mundi pendet a menſura durationis motus Cæli: *Sed menſura durationis motus Cæli eſt ſola divina diſpoſitio, quæ eſt nobis occulta. Et ideo quantumcumque ſciamus principium ejus, finem ſcire non poſſumus.*

XIX. Dicunt alii, poſſe colligi finem mundi ex *Apoc.* 12. ubi dicitur, quod *Mulier*, per quam Eccleſia ſignificatur, habet *locum paratum a Deo*, ubi *paſcatur diebus mille ducentis ſexaginta*. Per dies autem, annos ſignificari colligitur ex cap. 12. Dan. & Ezech. cap. 4. v. 6. *Diem pro anno, diem inquam, pro anno dedit tibi.*

XX. Si hoc robur haberet, nempe, ſtatum Eccleſiæ duraturum ſolis mille ducentis ſexaginta diebus ſumendo dies pro annis, cum jam iſti anni elapſi ſint, Eccleſia jam defeciſſet, & finis mundi jam a quadringentis, & ultra annis adveniſſet: cum tamen mundus adhuc, & Eccleſia durent.

Reſpondeo cum S. Thom. citato, art. 2. ad 2. *Quod per mille ducentos ſexaginta dies, de quibus fit mentio in Apoc.* 12. *ſignificatur omne tempus, in quo Eccleſia durat, & non determinatur aliquis numerus annorum: & hoc ideo quia prædicatio Chriſti ſuper quam fundatur Eccleſia, duravit tribus annis cum dimidio, quod tempus fere continet æqualem numerum dierum numero prædicto. Et ſimiliter etiam numerus eorum, qui in Daniele ponitur, non eſt referendus ad numerum aliquem annorum, qui ſint uſque ad finem mundi, vel uſque ad prædicationem Antichriſti; ſed debet referri ad tempus, quo prædicabit Antichriſtus, & quo perſecutio ejus durabit* (de quo ſupra.)

XXI. Concludam igitur cum S. Auguſtino, *lib.* 18. *de Civ. Dei*, *cap.* 53. ſic dicente: *Illam noviſſimam perſecutionem, quæ ab Antichriſto futura eſt, præſentia ſua ipſe extinguet Jeſus. Sic enim ſcriptum eſt* (2. Theſſ. 2. v. 8.) *quod* eum interficiet ſpiritu oris ſui, & evacuabit illuminatione præſentiæ ſuæ: *Hic quæri ſolet, Quando iſtud erit? Importune omnino. Si enim hoc nobis noſſe prodeſſet, a quo melius, quam ab ipſo Deo magiſtro interrogantibus diſcipulis diceretur? Non enim ſiluerunt inde apud eum; ſed a præſente quæſierunt dicentes* (Actor. 1. verſ. 6.) Domine, ſi hoc tempore præſentaberis, & quando Regnum Iſrael? *At ille:* Non eſt (*inquit*) veſtrum ſcire tempora, quæ Pater in ſua poſuit poteſtate: *Non utique illi de hora, vel die, vel anno, ſed de tempore interrogaverunt, quando iſtud accepere reſponſum. Fruſtra igitur annos, qui huic ſæculo remanent, computare, ac definire conamur, cum hoc ſcire non eſſe noſtrum ex ore veritatis audiamus.*

XXII. Sed quæres: Sciri ne ſaltem poteſt, qua hora reſurrectio futura ſit, diurna nimirum, an nocturna?

Reſpondet S. Thom. dicta quæſt. 77. art. 3. *Quod determinata hora temporis, qua fiet reſurrectio, ſciri pro certo non poteſt. Tamen ſatis probabilior a quibuſdam dicitur, quod reſurrectio erit quaſi in crepuſculo, Sole exiſtente in Oriente, & Luna in Occidente. Quia in tali diſpoſitione Sol, & Luna creduntur eſſe creata, ut ſic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum. Unde de Chriſto dicitur, quod tali hora reſurrexit.*

XXIII. Nec obſtat: *Quod quando reſurrectio erit, non erit tempus, ſed finis temporis, quia in eodem inſtanti, in quo ceſſabit motus Cæli, erit reſurrectio mortuorum.* Quia *tamen erit ſitus ſyderum ſecundum diſpoſitionem, qua ſe habent nunc in aliqua determinata hora; ſecundum hoc dicitur reſurrectio futura tali, vel tali hora.* Ita S. Thom. ibidem *ad* 1.

XXIV. Cæterum quia iſtæ conjecturæ non convincunt: ideo *in cap.* 5. 1. *ad Theſſ. Lect.* 2. merito dicit: *Incertum enim eſt, qua hora erit*, ideſt, an die an nocte, & qua hora diei, vel noctis: *Qua neſciti hora, filius hominis venturus eſt.* Ait Chriſtus, Matth. 24. v. 44. & Marci 13. v. 35. *Neſcitis, quando Dominus domus veniat, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane.*

Sed cum Scripturæ tempus Judicii modo vocent diem, modo noctem, admonent nos non temporis, ſed Myſterii. Unde S. Thom. *in* 1. *ad Theſſ. cap.* 5. *Lect.* 1. laudata: *Quomodo autem* (inquit) *dies dicitur venire in nocte? ſed ſciendum, quod utrumque eſt. Quia in die venit propter manifeſtationem cordium*, 1. *Cor.* 4. *v.* 5. Quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit aſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: *Sed in nocte propter incertitudinem, Matth.* 25. *v.* 6. Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit.

Quare non recte ex iis Scripturæ locis, quæ diem Domini *noctem* vocant, colligit Lactantius, *lib.* 7. *Divin. Inſt. cap.* 19. Chriſtum media nocte venturum ad judicium. Quamvis & Chryſoſtomus, *Homil.* 79. *in Matth.* aſſentiri videatur, ſed nox dicitur, quia inopinate veniet, ſicut fur venit in nocte. Unde 1. Theſſal. 5. verſ. 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet: Cum enim dixerint, pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* De hac aliqua addentur infra *Tract. de Judicio, Qu.* 1. *Dub.* 2. §. 1.

Dubium II.

De modo, & loco Reſurrectionis.

§. I.

An Reſurrectio futura ſit in inſtanti?

I. Dico cum S. Thom. qu. 77. Suppl. art. 4. *Quod in reſurrectione aliquid fiet miniſterio Angelorum, & aliquid virtute divina immediate. Illud ergo quod fiet miniſterio Angelorum* (ut congregatio cinerum, quæ fieri nequit ſine motu locali) *non erit in inſtanti, ſi inſtans dicatur indiviſibile temporis: erit tamen in inſtanti, ſi inſtans accipiatur pro tempore imperceptibili. Illud autem, quod fiet virtute divina immediate, fiet ſubito, ſcilicet in termino temporis, quo Angelorum opus complebitur: Quia virtus ſuperior inferiorem ad perfectionem adducit.*

II. Idem docet, *Lect.* 8. *in cap.* 15. *prima ad Cor.* ubi ad illa verba: *In momento, in ictu oculi*, hæc dicit: *Sciendum eſt autem, quod* momentum *poteſt accipi, vel pro ipſo inſtanti temporis, quod dicitur* nunc: *vel pro aliquo tempore imperceptibili. Tamen utroque modo poteſt accipi hoc, referendo illud ad diverſa. Quia ſi nos referamus hoc ad collectionem pulverum, quæ fiet miniſterio Angelorum, tunc momentum accipitur pro tempore imperceptibili: Cum enim in collectione illorum pulverum, ſit mutatio de loco ad locum, oportet, quod ſit ibi tempus aliquod. Si autem referamus ad reunitionem corporum, & pro unione animæ, quæ omnia fient a Deo, tunc momentum accipitur pro inſtanti temporis: quia Deus in inſtanti unit animam corpori, & vivificat corpus. Poteſt etiam hoc quod dicit:* In ictu oculi, *ad utrumque referri. Quia ſi* in ictu oculi: *intelligitur tantum apertio palpebrarum, quæ fit in tempore imperceptibili, tunc refertur ad collectionem pulverum. Si vero* in ictu oculi *intelligitur ipſe ſubitus contuitus oculi, qui fit in inſtanti, tunc refertur ad unionem animæ ad corpus.* Hæc S. Thom. bene notanda. De quo videndus eſt Sanct. Auguſtin. *Sermon.* 362. (alias de diverſis 121.) qui eſt de Reſurrectione mortuorum, *cap.* 17.

III. Sed

III. Sed resurrectionem non fore subito, sed successive videtur colligi ex illis verbis, Ezech. 37. v. 7. *Accesserunt ossa ad ossa: & vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant*, quæ indicant reparationem corporum præcessisse temporum conjunctionem animarum, ergo similiter erit in generali resurrectione.

Respondet S. Thom. dicta qu. 77. art. 4. ad 1. *Quod Ezechiel loquebatur populo rudi, sicut & Moyses. Unde sicut Moyses distinxit opera sex dierum per dies, ut rudis populus capere posset, quamvis omnia simul sint facta, secundum Augustin.* (lib. 4. super Genes. ad litt. cap. 34.) *ita Ezechiel. diversa, quæ in resurrectione futura sunt, expressit, quamvis omnia futura sint in instanti.* Qua responsione S. Thom. loquitur in sententia S. Augustini probabiliter existimantis, mundi creationem uno momento fuisse a Deo revera consummatam; per sex dies tamen distinctam, non naturales, sed intelligibiles, quia nimirum cognitio Angelorum sexies rebus a Deo simul creatis applicata fuit, quod per sex dies Moyses expressit, ut populo rudi se accomodaret. Hanc Augustini opinionem in venerationem tanti Doctoris problematice proponit S. Thomas, 1. *p. q.* 74. *art.* 2. De hoc egimus, & nos, *Tom.* 1. *in* 1. *p. Qu.* 3. *de Opere sex dierum, Dub.* 1. quo lectorem remitto. Ubi salva reverentia S. Augustino debita in communiorem Patrum, & Doctorum, nec non litteræ Sacræ Scripturæ conformiorem sententiam propendimus creationem mundi sex diebus veris, & naturalibus, & consequenter successive fuisse peractam.

IV. Quare autem mundi creatio dierum, ac temporis successione peracta fuerit, non sic autem sit peragenda resurrectio, & mundi desitio: non aliunde petere possumus discrimen, nisi ex voluntate, & beneplacito Dei nobis in Scripturis manifestato. Sicut enim quamvis ipse potuisset unico momento omnia creare, & perficere, credimus tamen, de facto hoc noluisse facere, quia in Scriptura nobis manifestavit, spatio sex dierum, & consequenter successive opus creationis absolvisse: ita ab opposito, quamvis sciamus, hunc ordinem tenere posse in mundi desitione, credimus tamen, de facto non sic futurum, quia in Scripturis nobis patefacit, extremam diem, & mundi exitum tamquam furem inopinate, in momento, & in ictu oculi, & non successione saltem perceptibili, esse eventurum, sed in instanti terminativo sonitus tubæ, quomodocumque iste sonitus accipiatur, futuram esse omnium mortuorum resurrectionem modo tamen supra ex S. Thom. explicato.

§. II.

De loco Generalis Resurrectionis.

V. SEnsus præsentis quæsiti est, an singuli surrecturi sint in eo ipso loco, in quo eorum corpora quoad majorem sui partem jacebunt, cum dies ille advenerit; An vero omnium hominum cineres undique per Angelos collectos in vallem Josaphat esse deportandos, ibique omnes homines esse surrecturos. De hoc cum nihil habeamus in Scripturis, solum opinando discurremus.

VI. Dico primo. Probabile videri, unumquemque surrecturum in eo loco, in quo corpus ejus, vel ejus maxima pars tunc jacebat. Videtur indicari Ezechiel. 37. vers. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israel: cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, populo meus, & dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis &c.* ubi dicit *educam vos* non cineres, aut ossa vestra, sed vos jam viventes. Unde Sanctus Hieronymus, *in dictum locum* movens dubium, quomodo debeat intelligi de resurrectione generali, cum dicatur: *Inducam vos in terram Israel*, ait: *Si sicut non nulli arbitrantur, de generali resurrectione dicit sermo divinus, quid necesse fuit specialiter dici:* Et inducam vos in terram Israel, *cum in omni orbe terrarum resurgere debeant mortui ex his locis, in quibus sepulti sunt?* Non dicit Hieronymus mortuos ex sola valle Josaphat surrecturos, sed ex locis in quibus sepulti sunt. Hoc idem sentit Chrysostomus, *Homil. 32. in Epistol. ad Roman.* dicens: *Cogitate, & exhorrescite, quod spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex illa theca cum Petro resurgentem, & sublatum in occursum Domini.* Prius ergo Petrus, & Paulus Romæ e sepulchro resurgent, inde rapientur in occursum Domini. Quæ valde consonant cum verbis ejusdem Pauli 1. Thessal. 4. vers. 15. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera:* ubi ut notat S. Thom. *Lect.* 2. non ponitur ordo resurrectionis ad resurrectionem, quasi prius mortui resurgant, deinde qui eo tempore fuerant vivi; sed ordo resurrectionis ad raptum; statim enim qui vivi erant, una cum jam mortuis resurgentes, simul cum illis rapientur obviam Christo.

VII. Huic opinioni favere videtur etiam illud Joann. 5. v. 28. *Omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, & procedent &c.* Scilicet e monumentis jam suscitati. Illud quoque, Matth. 24. vers. 31. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus a quatuor ventis.* Non ergo congregabunt cineres, & portabunt in vallem Josaphat, sed electos jam suscitatos. Angeli ergo cineres undequaque dispersos ad cujusque sepulchrum, vel ad locum ubi cinerum major pars erit, deportabunt, ac inde statim animati resurgent.

VIII. Dico secundo. Non est improbabile, cineres ministerio Angelorum e monumentis, vel aliis ex locis collectos in vallem Josaphat esse deportandos, ac ibi ad vitam surrecturos, alias sequerentur multa incommoda. Primo. Multa enim monumenta disperierunt, nam terra quotidie illuvionibus corroditur, quare ubi erat terra, modo erit aer, vel aqua. Secundo. Contingere potest, quod magna corporis alicujus pars sit in loco distantissimo a loco judicii, & pars exigua in loco propinquo. Oportet ergo partem hanc exiguam prius deferre ad locum distantissimum, ut ibi fiat resurrectio, deinde statim afferri ad locum judicii: & sic multiplicare cursus, & recursus absque necessitate. Tertio. Si æquales corporis partes sint in diversis locis, non est major ratio, cur resurrectio fiat in uno loco prius, quam in alio; in nullo ergo illorum congruenter fiet, sed potius in loco generaliter omnibus destinato. Quarto. Si contingat aliqua corpora in aerem esse conversa, quis non videat incongruum esse in media aeris regione suscitari? Quinto. Si corpora etiam Sanctorum jacuerint in profundo mari, aut in locis immundissimis, non deceret eas ibi suscitari. Ergo videtur suscitatio simul facienda in uno loco, & modo solemniori, ut efficacitas virtutis Christi magis appareat.

Ad testimonia vero supra allata dici posset, ea loqui de monumentis ac sepulchris ad modum communem intelligendi accommodate: præsertim cum in monumentis creberrimi tunc erunt cineres, ex quibus tunc extrahentur. Et ideo cum plures sint pulveres ex illis tunc extrahendi, merito dici potest, quod ex monumentis resurgent, quia inde extrahentur ad resurrectionem. Utramque opinionem problematice proposui. Quia cum pro neutra fundamenta me moventia reperiam, satius duxi quæstionem in medio relinquere.

DUBIUM III.

An terminus a quo Resurrectionis sit Mors?

§. I.

An omnes omnino homines sint morituri?

I. MOrtem esse terminum a quo resurrectionis, idem est, ac resurrectionem esse a privatione vitæ per mortem ad resumptionem vitæ; seu resurrectionem supponere in eo, qui resurgit, privationem vitæ. Licet ex dictis supra non videatur amplius de hoc dubitationi locus; maxime cum statuerimus generali totius mundi conflagratione omnes homines tunc viventes fore absumendo, & inde statim resurrecturos: Et etiam cum statuerimus generali lege omnes homines resurrecturos ad vitam in fine mundi, nemo autem resurgit, nisi qui prius cecidit. Quia tamen quæstionem hanc S. Thom. *qu.* 78. *Supplem. art.* 1. specialiter tractat, ideo cum illo

II. Dico. Omnes homines, qui resurgent prius erunt morituri: ideoque terminus *a quo* resurrectionis erit mors. Id probo ex Scriptura. Tum Psalm. 88. v. 49. *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* Tum Job 30. v. 32. *Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.* Heb. 9. v. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Tum Rom. 5. v. 12. *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

III. Id etiam inductione probatur. Nam quotquot homines, qui a mundi initio fuerunt, mortui sunt, quamvis sanctissimi, & a morte vel jam surrexerunt, vel demum resurgent. Christus ipse, qui ad delendum peccatum homo factus est, mortem subiit, & a morte resurrexit. B. Virgo ejus mater mortua est, & post mortem, ut credit Ecclesia, resurrexit. Elias, & Henoch, qui nondum mortui sunt, sub Antichristo morientur, ut diximus, deinde a morte resurgent.

IV. Quapropter S. Thom. *art.* 1. *citato*, ait: *Securior est hæc & communior opinio, quod omnes morientur, & a morte resurgent. Et hoc propter tria. Primo. Quia magis concordat divinæ justitiæ, quæ humanam naturam pro peccato primi parentis damnavit, ut omnes, qui per actum naturæ ab eo originem ducerent, infectionem originalis peccati contraherent, & per consequens mortis debitores essent. Secundo. Quia magis concordat divinæ Scripturæ, quæ omnium futuram resurrectionem prædicit. Resurrectio autem proprie non est, nisi ejus, quod recidit, & dissolutum est, ut Damascenus dicit* (lib. 4. fid. Orth. cap. ultimo.) *Tertio. Quia magis concordat ordini naturæ, in quo invenimus, quod id, quod corruptum, & vitiatum est, in suam novitatem non reducitur, nisi corruptione mediante; sicut acetum non fit vinum, nisi aceto corrupto, & in humorem vitis transeunte. Unde cum natura humana in defectum necessitatis moriendi devenerit, non erit reditus ad immortalitatem, nisi mediante morte. Convenit etiam ordini naturæ propter*

aliam

aliam rationem: quia ut in 8. Phyſic. (text. 1.) *dicitur, motus Cæli eſt*, ut vita quædam natura omnibus exiſtentibus : ſicut etiam motus cordis totius corporis vita quædam eſt : *Unde ſicut ceſſante motu cordis, omnia membra mortificantur : ita ceſſante motu cæli non poteſt aliquid vivum remanere illa vita, qua ex influentia illius motus conſervabatur. Talis autem vita eſt, quam nunc degimus. Unde oportet, quod ex hac vita diſcedant, qui poſt motum cæli quieſcentem victuri ſunt.* Ita Sanctus Thomas, qui idem ſentit, 1. 2. *quæſt.* 81. *art.* 3. *ad* 1. & *quæſt.* 4. *de malo, art.* 6. *ad* 1. In eadem ſententiam propendit Auguſtinus, *lib.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 20. ubi hanc fuſe pertractat, ut infra dicetur.

§. II.

Rationes pro contraria opinione.

V. AN morituri ſint illi, qui vivi reperientur in adventu Judicis quæſtio eſt, quæ veterum torſit ingenia. Huic occaſionem dedit Paulus. Tum 1. *ad Cor.* 15. *v.* 51. ubi cum vulgata noſtra legat: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, Greci codices habent: *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* Ubi cum loquatur in prima perſona : *Non omnes dormiemus*, de ſolis juſtis loqui videtur, qui nimirum, etſi non dormient per mortem, immutabuntur tamen per gloriam in adventu Judicis. Unde. v. 52. *Mortui* (inquit) *reſurgent incorrupti, & nos immutabimur;* ergo quidam immutabuntur, qui non reſurgent.

Tum 1. *ad Theſſal.* 4. *verſ.* 15. ubi cum dixiſſet, quod ad vocem Archangeli, & ſonum tubæ *mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent primi*, adjecit, *deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis obviam Chriſto in aera :* quibus videtur affirmare, quod mortui qui in Chriſto dormierunt primum reſurgent, ac proinde quod juſti, qui reperientur vivi, in quorum perſona loquitur, ſimul cum illis jam a morte excitatis, immediate rapientur adhuc viventes ad glorioſam ſocietatem, & regnum Chriſti.

VI. Reſpondeo ad locum Pauli ex 1. *ad Cor.* 15. concedendo quidem, in aliquibus codicibus Græcis legi, *non omnes dormiemus :* ſed non in omnibus (ut teſtatur Sanctus Hieronymus, *Epiſt.* (olim 152.) *ad Minervium, & Alexandrum*) ſed in nonnullis tantum, quibus cum etiam contraria ſit lectio vulgatæ, cui ſtandum eſt ex decreto Tridentini: *Quamobrem* (inquit ex Didymo Hieronymus) *ita legendum eſt: omnes* quidem reſurgemus (ſeu dormiemus, ut ipſe ait) non autem omnes immutabimur: *Si enim in Adam omnes moriuntur, & in morte dormitio eſt; omnes ergo dormiemus, ſive moriemur. Dormit autem juxta idioma ſcripturarum, qui mortuus eſt ſpe reſurrectionis futuræ. Omniſque qui dormit, utique expergiſcitur : ſi tamen non ſubita vis mortis eum oppreſſerit, & mors ſomno fuerit copulata. Cumque omnes ita dormierint lege naturæ, ſoli Sancti, & corpore, & anima in melius mutabuntur: ita ut incorruptio omnium reſurgentium ſit : Gloria autem atque mutatio proprie Sanctorum.*

VII. Neque per hoc quod loquatur in prima perſona, ſequitur, Paulum loqui de ſola reſurrectione bonorum, nam etiam in prima perſona loquitur, 2. *ad Corinth.* 5. *verſ.* 10. dum ait: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti &c.* Et ad Roman. 14. verſ. 10. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Et tamen hic bonos, & malos comprehendit.

Quamquam ſi velimus Paulum loqui de ſola reſurrectione bonorum, poſſumus eum exponere hoc modo, quod omnes electi, qui prius dormierant excitabuntur a ſomno mortis: non omnes tamen immutabuntur, ſed ſoli illi qui invenientur vivi, quia hi duas immutationes habebunt, unam a vita ad mortem corporalem, & a ſubita, ac breviſſima morte ad vitam iterum per reſurrectionem glorioſam.

VIII. Hinc admiſſa etiam quorumdam Græcorum lectione non omnes dormiemus &c. dici poterit, quod in ea ſententia *dormire* ſignificat amplius, quam *mori*. Sicut enim dormire ſomno naturali ſignificat continuationem quietis, & ſomni per aliquod tempus : unde qui ad momentum clauderet oculos, & ſtatim evigilaret, iſte non diceretur corporaliter dormire: ita qui tunc vivi morientur, & ſtatim reſurgent, non dicentur dormire ſomno mortis. Unde dicitur: *Non omnes dormiemus* : non autem *non omnes moriemur.*

IX. Ad ſecundum Pauli locum, reſpondeo cum S. Auguſtino, *lib.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 20. Etiam illos, qui vivi reperientur, qui ab Apoſtolo dicuntur rapiendi obviam Chriſto, eſſe morituros. Morientur autem, vel in ipſo raptu, ut vult Auguſtinus, vel immediate ante raptum per univerſalem mundi conflagrationem, de qua ſupra. Alias ut obſervat Sanctus Hieronymus, *Epiſt.* citata *ad Minervium*, erraſſet Paulus ſi proferendo illa verba : *Et nos qui vivimus*, exiſtimaſſet, ſe in fine mundi fore vivum nec moriturum. Sicut ergo Paulus ſciebat ſe moriturum, ita & alios omnes morituros fore credebat. Unde concludit Auguſtinus: *Si ergo Sanctos, qui reperientur Chriſto veniente viventes, eique obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros, nullam in verbis Apoſtoli patiemur anguſtiam . . . . . quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, niſi quamlibet paululum tamen ante moriantur: ac per hoc, & a reſurrectione non erunt alieni, quam dormitio præcedit, quamvis breviſſima, non tamen nulla.*

X. Sed objicies, eumdem S. Doctorem, *lib.* 2. *de peccatorum meritis, cap.* 31. oppoſitum ſentire, ait enim: *Hoc quibuſdam in fine largietur, ut mortem iſtam repentina commutatione non ſentiant, ſed ſimul cum reſurgentibus rapiantur in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino vivant.*

At ſe ibi opinative tantum, non aſſertive fuiſſe locutum, teſtatur idem Sanctus Doctor, *lib.* 2. *Retract. capit.* 33. his verbis: *In ſecundo libro* (de peccat. meritis) *quodam loco*, hoc quibuſdam, *inquam*, in fine largietur ut mortem repentina commutatione non ſentiant : *Servans locum diligentiori de hac re inquiſitioni: Aut enim non morientur, aut de vita iſta in mortem, & de morte in æternam vitam celerrima commutatione tamquam in ictu oculi tranſeundo, mortem non ſentient.* Epiſtol. quoque 193. ad Mercatorem, cap. 4. indicat, ſe in quæſtione hac, an qui vivi juſti invenientur in fine mundi morituri ſint, adhuc fluctuare pro utraque parte. Quibus patet, quod Auguſtini tempore quæſtio hæc erat in utramque partem diſputabilis, quod fatetur etiam Sanctus Thomas, 1. 2. *quæſt.* 81. *artic.* 3. *ad* 1. *quæſt.* 4. *de malo, art.* 6. *ad* 1.

XI. Communiorem tamen eſſe Eccleſiæ ſententiam, quod omnes ſint morituri aſſerit, tum, *Lect.* 8. *in cap.* 15. 1. *ad Corinth.* dicens : *Licet hæc littera*, ſcilicet, non omnes moriemur, &c. *non ſit contra fidem : tamen Eccleſia magis acceptat primam*, ſcilicet, *quod omnes moriemur, ſive reſurgemus.* Et *Lect.* 2. *in cap.* 4. 1. *ad Theſſalon.* ubi ſuam ſententiam explicans: *Dicendum* (inquit) *quod aliqui invenientur vivi in tempore illo, quo Chriſtus veniet ad judicium, ſed in illo momento temporis morientur, & ſtatim reſurgent. Et ideo propter modicam interpolationem reputantur viventes.* Sed quia aliqui volebant, prius reſurrecturos, qui jam erant mortui, deinde cum vivis rapiendos, & hos in raptu morituros (quod Auguſtinus, *lib.* 20. *de Civitat. Dei, cap.* 20. citato aſſeruiſſe viſus eſt) Reſpondet Sanct. Thom. *Et ideo aliter videtur dicendum, quod omnes morientur, & omnes reſurgent, & quod ſimul : nec Apoſtolus dicit hic, quod illi prius reſurgent, quam iſti, ſed quod illi prius reſurgent, quam iſti occurrant : Apoſtolus enim non ponit ordinem reſurrectionis ad reſurrectionem, ſed ordinem ad raptum, vel ad occurrentiam. Nam primo veniente Domino morientur, qui invenientur vivi : & tunc ſtatim cum illis qui prius mortui fuerant reſurgentes rapientur in nubibus &c. Ut Apoſtolus hic dicit. Eſt autem hæc inter bonos, & malos differentia, quia mali remanebunt in terra, quam dilexerunt, boni rapientur ad Chriſtum, quem quæſierunt.* Hæc Sanct. Thom. Quibus Sancti Pauli mentem mire exponit. Sed hæc ſatis.

XII. Objicitur ſecundo. Ex Scriptura, & Symbolo habemus, quod Chriſtus venturus ſit *judicare vivos, & mortuos;* ergo aliqui ex judicandis erunt vivi.

Reſpondet S. Thom. hac quæſt. 78. art. 1. ad 1. *Quod diſtinctio illa mortuorum, & vivorum non eſt referenda ad ipſum judicii tempus, neque ad totum tempus præteritum; quia omnes judicandi aliquo tempore fuerunt vivi, & aliquo tempore mortui: ſed ad illud tempus determinatum quod immediate judicium præcedet : quando ſcilicet judicii ſigna incipient apparere.* Sic, ut ait quæſt. 74. art. 7. ad 3. *Illi dicantur vivi reperiri, qui uſque ad tempus conflagrationis vivent in corpore.* Totum enim tempus generalis conflagrationis, & ſubſequentium ſignorum ſub die Domini comprehenditur.

XIII. Objicitur tertio. *Henoch translatus eſt, ne videret mortem*, Hebr. 11. verſ. 5. quem ſine morte eſſe glorificatum tradit Hieronymus, *Epiſtol.* 152 *ad Minervium*, ubi ſcribit, Henoch, & Eliam *mortis neceſſitate ſuperata; ita, ut erant in corporibus, ad cæleſtia regna eſſe translatos, & mutatis, glorificatiſque corporibus eſſe cum Chriſto.*

Rurſus. De Beſtia, & Pſeudopropheta, ideſt de Antichriſto, & ejus miniſtro dicitur, *Apoc.* 19. *verſ.* 20. Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis, & *Numer.* 16. *verſ.* 33. Dathan, & Abiron : *Deſcenderunt vivi in Infernum.*

XIV. Reſpondeo ad primum. Jam oſtenſum a nobis fuiſſe ex *Apocal.* 11. Henoch, & Eliam occidendos fore ab Antichriſto, & poſt triduum ſurrecturos, & aſcenſuros in Cælum in nube. Nec contrarium ſentit Hieronymus. Nam verba relata non ſunt Hieronymi, ſed Theodori Heracleotæ, & Apollinarii, qui ambo dicebant, quoſdam non eſſe morituros. Quænam vero fuerit Hieronymi mens ſatis apparet ex ſupra dictis in reſponſione ad primam objectionem.

Ad ſecundum. Jam diximus ſupra Antichriſtum eſſe occidendum a Chriſto *Spiritu oris ſui*, ut dicit Paulus, 2. *ad Theſſal.* 2. *verſ.* 8. Juſſu ergo Chriſti vivus abſorbebi-

bebitur a terra, ſed ea ſe iterum occludente, vel flamma ignis inde erumpente occidetur, antequam perveniat ad infernum; quo modo Dathan, & Abyron vivi deſcenderunt, ſed non pervenerunt vivi ad infernum. Quis enim a communi mortis lege eximat impios, a qua nemo ſanctiſſimus exemptus fuit, nec Chriſtus ipſe eximi voluit?

§. III.

An omnium Reſurrectio futura ſit ex Cineribus.

XV. REſpondeo affirmative cum Sancto Thoma dicta *q.* 78. *art.* 2. Primo. Quia ex ſupradictis ante univerſalem reſurrectionem erit totius mundi conflagratio, quæ omnia, etiam homines tunc viventes comburet, & in cineres reſolvet. —— Secundo. Quia ut dicit S. Th. loco allato: *Eiſdem rationibus, quibus oſtenſum eſt, omnes a morte reſurgere, eſt etiam oſtendendum, quod omnes reſurgent a cineribus in communi reſurrectione, niſi aliquibus ex ſpeciali privilegio gratiæ ſit indultum contrarium, ſicut & reſurrectionis acceleratio. Scriptura enim Sacra ſicut reſurrectionem pranuntiat, ita, & corporum reformationem, Philipp.* 3. *Et ideo oportet quod ſicut omnes moriuntur, ad hoc ut reſurgere poſſint: ita omnium corpora diſſolvantur, ad hoc, quod omnium corpora reformari poſſint. Sicut enim in pœnam hominis mors a divina juſtitia eſt inflicta: ita & corporis reſolutio, ut patet Geneſ.* 3. Terra es, & in Terram ibis. *Similiter etiam ordo naturæ exigit, ut non ſolum animæ, & corporis conjunctio ſolvatur, ſed etiam elementorum commixtio: ſicut etiam acetum non poteſt in vini qualitatem reduci, niſi prius facta reſolutione in materiam prajacentem. Ipſa enim elementorum commixtio ex motu Cali cauſatur, & conſervatur, quo ceſſante omnia mixta in pura elementa reſolventur.*

XVI. Notat autem S. Doctor ibi ad 2. *Quod per cineres intelliguntur omnes reliquiæ, quæ remanent humano corpore reſoluto, duplici ratione. Primo. Quia communis mos erat apud antiquos corpora mortuorum comburere, & cineres reſervare* unde ſepulchra, ſeu cinerum loca vocabantur buſta, *Unde inolevit modus loquendi, ut eas, in quæ corpus humanum reſolvitur, cineres dicantur. Secundo propter cauſam reſolutionis, quæ eſt incendium fomitis, quo corpus humanum radicitus eſt infectum. Unde ad purgationem hujuſmodi infectionis, oportet uſque ad prima componentia corpus humanum reſolvi: quod autem per incendium reſolvitur, dicitur in cineres reſolvi.*

Addi poteſt, quod homo ex terra, & pulvere eſt formatus, mortiſque ſententiam accepit, quod in pulverem rediret: cineribus autem, & pulveribus magna affinitas eſt. Ideo cinerum nomen pro pulvere, & terra, in quæ humanum corpus reſolvitur, uſurpatur: ſed maxime in cineres reſoluta erunt corpora ante reſurrectionem ob generalem conflagrationem.

XVII. Neque obſtat, quod reſurrectio Chriſti ſit exemplar reſurrectionis noſtræ: quæ tamen non fuit ex cineribus. —— Nam reſpondet S. Th. ibi ad 1. *Quod reſurrectio Chriſti eſt exemplar noſtræ reſurrectionis quoad terminum* ad quem, *non autem quoad terminum* a quo.

XVIII. Quærit S. Th. ibidem, *art.* 3. An pulveres illi, ex quibus humanum corpus reparabitur aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam, quæ eis conjungetur.

Reſpondet, quod in cineribus illis nulla eſt inclinatio naturalis ad reſurrectionem, ſed ſolum ex ordine divinæ providentiæ, quæ ſtatuit, illos cineres iterum animæ conjungi: cum enim partes illæ, quæ corpus humanum olim componebant reſolutæ ſint, vel in elementa, vel in partes animalium, aut in quodcumque aliud, nulla manet inclinatio naturalis in eis ad animam rationalem. —— Neque eſt ſimile de anima ſeparata a corpore (ut ait ibi *ad* 2.) Nam hæc manet in eadem natura, quam habebat cum corpori eſſet unita, quod corpori non contingit.

QUÆSTIO V.

De Conditionibus Reſurgentium.

STatutis iis, quæ de reſurrectione tractari ſolent, tranſeamus ad homines, qui reſurgent, nimirum quærentes, an ſinguli iidem numero reſurgent, qui prius cum iiſdem partibus, an cum integritate &c. cum S. Thom. *quæſt.* 79. & 80. *Suppl.*

DUBIUM I.

Utrum Anima idem numero Corpus reſumet in Reſurrectione.

§. I.

Referuntur Errores.

I. SAnctus Thomas, *q.* 79. *artic.* 1. dicit in hoc erraſſe quoſdam Philoſophos, & etiam hæreticos. Philoſophos quidem. Nam ex iis, qui ponebant, animam iterato corpori conjungi, quidam errabant quantum ad modum conjunctionis: Nam ponebant: *Corpori iterum conjungi naturaliter animam ſeparatam per vim generationis.* Quidam vero errabant quantum ad corpus, cui conjungebatur. *Quia ponebant, quod ſecunda conjunctio non erat ad idem corpus numero, quod per mortem depoſitum eſt, ſed ad aliud, quandoque idem ſpecie, quandoque autem diverſum. Ad diverſum quidem, quando anima in corpore exiſtens præter rationis ordinem vitam duxerat: unde tranſibat poſt mortem de corpore hominis in corpus alterius animalis, cujus moribus vivendo ſe conformavit; ſicut in corpus Canis propter luxuriam, in corpus Leonis propter rapinam, & violentiam, & ſic de aliis. Sed in corpus ejuſdem ſpeciei, quando anima bene in corpore vivens, poſt mortem aliqua felicitate perfuncta, poſt aliqua ſæcula incipiebat ad corpus velle redire: & ſic iterum corpori conjungebatur humano.* Hunc errorem, qui olim Pythagoricorum fuit, renovarunt Albanenſes, & Albigenſes hæretici teſte Prateolo.

Sed hæc opinio (proſequitur S. Th.) *ex duabus radicibus falſis venit. Quarum prima eſt quia dicebant, quod anima non conjungitur corpori eſſentialiter, ſicut forma materiæ, ſed ſolum accidentaliter, ſicut motor mobili, aut ſicut homo veſtimento: & ideo ponere poterant, quod anima præexiſtebat antequam corpori generato infunderetur in generatione naturali, & iterum quod diverſis corporibus uniretur. Secunda eſt, quia ponebant, intellectum non differre a ſenſu, niſi accidentaliter, ut ſcilicet homo diceretur intellectum habere pra aliis animalibus, quia in eo propter optimam corporis complexionem vis ſenſitiva amplius viget. Unde poterant ponere, quod anima hominis in corpus animalis bruti tranſiret; præcipue facta immutatione animæ humanæ ob brutales effectus. Sed illæ duæ prædictæ radices deſtruuntur a Philoſopho in Lib.* 2. *de Anima, text.* 4. *Quibus deſtructis patet falſitas prædictæ poſitionis. Et ſimili modo deſtruuntur errores quorumdam hæreticorum* (Albanenſium, & Albigenſium ut ſupra) *quorum quidam in prædictas opiniones inciderunt.*

Quidam autem poſuerunt, animas iterato conjugi corporibus cæleſtibus, vel etiam corporalibus in modum venti ſubtilibus, ut Gregorius (l. 14. Moral. c. 29. modo 56.) *de quodam Epiſcopo Conſtantinopolitano* (Eutychio nomine) *narrat exponens illud Job* 19. Et in carne mea videbo Deum &c.

Veritas tamen catholica eſt, ac ſemper fuit, animam in reſurrectione idem numero corpus, quod prius, reſumpturam,

§. II.

Catholica Veritas.

II. DIco. Anima in reſurrectione idem numero corpus reſumet conſtans iiſdem carne, pelle, oſſibus, & nervis. Probo primo ratione S. Thomæ. Nam contrarium aſſerere eſt veritatem reſurrectionis negare. *Non enim reſurrectio dici poteſt, niſi anima ad idem corpus redeat, quia reſurrectio eſt iterata ſurrectio. Ejuſdem autem eſt ſurgere, & cadere. Unde reſurrectio magis reſpicit corpus, quod poſt mortem cadit, quam animam, quæ poſt mortem vivit; ergo ſi non eſt idem corpus quod anima reſumit, nec dicetur reſurrectio, ſed magis novi corporis aſſumptio.*

Et S. Gregorius citato loco contra Eutychium: *Si enim* (inquit) *poſt reſurrectionem corpus palpabile non erit, profecto alius ſurgit, quam moritur, quod dictu nefas eſt credere, quia ego morior, & alius reſurgat. Unde, quæſo te, beate Job: Subjunge quæ ſentis, & hujus nobis quæſtionis ſcrupulum tolle.... Si enim, ſicut quidam errorum ſequaces arbitrantur, poſt reſurrectionem corpus palpabile non erit, ſed in* divisibilis *corporis ſubtilitas caro vocabitur, quamvis ſubſtantia carnis non ſit, profecto alius eſt, qui moritur, & alius eſt, qui reſurgit. Sed Beatus Job hanc eis ſententiam veridica voce deſtruit, qui ait:* Et in carne mea videbo Deum.... Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.

III. Hoc idem teſtatur Paulus, 1. *Cor.* 15. *v.* 53. dicens: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Si autem idem numero corpus non reſumeretur ab anima, non eſſet hoc corruptibile, quod indueret incorruptionem, ſed aliud. Deinde ſubjungit Paulus: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria: Ubi eſt mors victoria tua?* Si autem corpus immortale eſſet aliud ab eo, quod ipſa occidit, adhuc poſſet mors decantare victoriam ſuam, quia corpus mortale, quod ipſa occiderat, nunquam reſurgeret.

IV. Hoc idem resurrectio Christi, quæ est exemplar nostræ, testatur. In eas enim, Christi anima idem corpus quod fuerat crucifixum palpabile, carnem, & ossa habens resumpsit. Constat hoc ex *Luca 24. vers. 39.* ubi cum apparuisset discipulis, & eis existimantibus, se *spiritum videre*, id est corpus aereum, dixit eis: *videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et Jo. 20. v. 27. in testimonium se habere idem corpus quod antea, dixit Thomæ: *Infer digitum huc, & vide manus meas, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis.* Lucæ etiam 24. v. 4. *Ostendit eis manus, & pedes,* & adhuc discipulis non credentibus, coram ipsis manducavit. Vel ergo Christus decepit discipulos dum persuadebat eis, se illud corpus habere, quod fuerat cruci affixum, si vere illud non habebat, quod credere nefas est, vel illud revera habuit.

V. Hoc argumento S. Gregorius loco citato Eutychium perstringebat dicens: *Si enim non hoc habuisse astruitur, quod ostendit: unde fides discipulis ejus confirmata est, inde nostra destruitur.* Sed quia reponebat Eutychius. *Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium omne illud in Domino, quod palpari potuit, in subtilitatem aliquam est redactum.* Respondebat S. Gregorius. *Scriptum est:* Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: *Si quid ergo in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem Domini rediit in mortem.* Non enim corpus illud de palpabili, & carneo in subtile, & aereum redigi poterat absque ejus corruptione, quæ in corpore humano mors dicitur.

VI. Concludit igitur inferius ibi, *cap. 30.* modo 57. S. Gregorius: *Nos igitur beati Job fidem sequentes, & Redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur, carnem nostram post resurrectionem futuram, & eamdem, & diversam: eamdem per naturam, diversam per gloriam: eamdem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque subtilis, quia & incorruptibilis. Erit palpabilis, quia non amittet essentiam veracis naturæ.* Hæc S. Gregorius.

VII. Hanc veritatem antea propugnaverat S. Hieronymus, *Epist. 61.* modo 38. *ad Pammachium* contra errores Joannis Hierosolymitani: ex cujus Doctrina hoc formo ratiocinium: Resurrectio ad hoc erit, ut quisque retributionem accipiat, etiam in corpore, secundum ea quæ in corpore gessit, sive bene, sive male, sed si non resurgeret cum corpore eodem, quod in hac vita habuit, secundum unum corpus bene, vel male egisset, & aliud esset corpus, quod præmiaretur, vel puniretur; ergo &c. *Neque enim fas est* (inquit Hieron.) *ut in aliis corporibus anima peccaverint, in aliis torqueantur; nec justi judicis alia corpora pro Christo sanguinem fundere, & alia coronari.* Quod nec Origenes, nec Joannes Jerosol. quos impugnabat, negabant.

VIII. Quia tamen fatebantur quidem, idem corpus surrecturum, sed carnem reticebant, volentes, corpus post resurrectionem, non fore amplius carneum, sed aereum, sic Joannem redarguit S. Hieron. *Quare non carnem potius nominas, ut corpus significet, & indifferenter nunc carnem, nunc corpus, ut corpus in carne, & caro in corpore demonstretur? Sed mihi crede, non est simplex silentium tuum. Alia enim carnis, alia corporis definitio est: omnis caro est corpus, non omne corpus est caro. Caro est proprie, qua sanguine, venis, ossibus, nervisque constringitur.* Et post multa: *Hæc est vera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem. Quod vero dicit Apostolus,* Corruptibile hoc, & mortale, *hoc ipsum corpus, idest carnem, quæ tunc videbatur, ostendit. Quod autem copulat,* inducere incorruptionem, & immortalitatem, *illud indumentum, idest, vestimentum, non dicit corpus abolere, quod ornat in gloria: sed quod ante inglorium fuit, efficere gloriosum, ut mortalitatis, & infirmitatis viliore veste deposita, immortalitatis auro, & ut ita dicam firmitatis, atque virtutis beatitudine induamur, volentes, non spoliari carne, sed supervestiri in gloria, & domicilium nostrum quod de Cælo est, superindui desiderantes, ut devoretur mortale a vita. Certe nemo superinduitur, nisi qui ante vestitus est. Sic & dominus noster transfiguratus est in gloria, non ut manus, ac pedes, cæteraque membra penderet, & subito in rotunditate, vel Solis, vel sphæra volveretur; sed eadem membra Solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos perstringerent &c.* Hæc & alia erudite Hieronymus. Eadem sentit Augustinus infra referendus, & post ipsum omnes Patres, & Doctores idem confirmant.

§. III.

Contraria Solvuntur.

IX. OBjiciebat primo Eutychius pro suo errore tuendo illud Pauli, 1. Cor. 15. v. 50. *Caro, & sanguis Regnum Dei possidere non possunt.*

Item, v. 37. *Et quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum.* Et v. 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.... secundus homo de Cælo cælestis.... & qualis cælestis, tales & cælestes.*

X. Respondet ad primum textum S. Gregorius *lib. 14. Moral. cap. 19.* modo 56. Quod Apostolus ibi *Carnem vult secundum culpam intelligi, non carnem secundum materiam. Unde & mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens:* Neque corruptio in corruptelam possidebit. *In illa ergo cælestis Regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionum desideria non erit.* Eodem modo Paulum exponit S. Th. 3. *p. q. 5. art. 2. ad 2.* dicens: *Caro, & sanguis non accipiuntur ibi pro substantia carnis, & sanguinis, sed pro corruptione carnis, & sanguinis.*

Ad secundum textum respondet S. Gregorius *ibi*; Quod *Apostolus dicens*: Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, *hoc insinuat, quod videmus: quia granum cum culmo, & foliis nascitur, quod sine culmo, & foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis, non dixit, grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat. Iste autem dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse, quod deerat, sed deesse, quod erat.*

Sed quia potest quis instare. Granum, quod seminatur non est idem numero cum grano, quod nascitur; ergo neque corpus, quod moritur erit idem numero cum corpore, quod resurget. —— Respondet S. Thom. q. 79. Suppl. art. 1. ad 1. *Quod similitudo non currit per omnia, sed quantum ad aliquid. In seminatione enim grani granum seminatum, & natum non est idem numero, nec eodem modo habens; cum primo seminatum fuerit absque folliculis, cum quibus tamen nascitur. Corpus autem resurgens erit idem numero, sed alio modo se habens; quia fuit mortale, & surget in immortalitate.*

Ad tertium textum dico, seminari corpus *animale*, quia ad sui conservationem eget alimentis, & aliis, quibus cætera animalia egent, & sustentatur actionibus animæ, quæ ipsum vegetant: Surget autem corpus *Spirituale*; quia solus spiritus ei sufficiet ad felicem, ac perpetuam vitam, & ad omnes actiones absque alimentis. —— Sic etiam dicimur futuri *Cælestes*, quia secundum gloriam, & immortalitatem, qua donati erimus, qualitates corporibus cælestibus congruas consequemur. Et hac ratione dicit Christus, *Luca 20. vers. 36.* quod erimus etiam *æquales Angelis*, non secundum naturam, sed secundum gloriam, non nubentes, nec nuptui tradentes, nec cibo, aut potu egentes.

Dici etiam potest (& forte proprius menti Apostoli) cum S. Thom. *Lect. 7. in cap. 15. 1. ad Cor.* Corpus dici *animale* secundum naturam, quam accepit ab Adam: dici autem *spirituale* secundum vitam spiritualem gratiæ, quam accipit a Christo: & sic quatenus ex Adam nascitur mortale &c. dicitur *animale*, quatenus vero ex Christo resurget immortale &c. erit *spirituale*. Unde, *vers. 45.* subdit, *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.*

XI. Objicitur secundo ex Patribus. Cyrillus Hierosol. Cath. 18. *Qui est justus* (inquit) *corpus accipiet cæleste, ut possit cum Angelis digne conversari.*

Hieronymus, *in cap. 5. ad Ephes.* dixit, quod corpora *redigentur in animas.*

S. Augustinus variis in locis affirmat, nos in resurrectione habituros Angelica, & Cælestia corpora, ut *lib. 83. quæst. 47. lib. de fide, & Symbolo, cap. 10. lib. de Agone Christiano, cap. 12.*

XII. Respondeo, Cyrillum vocare corpus cæleste, non secundum naturam, sed secundum qualitates, quia erit splendidum, & gloriosum.

S. Hieronymus, ut expresse apparet loco citato, non vult, corpora redigenda in animas quoad naturam, sed monet, ut qui in statu præsenti sumus, incipiamus vivere secundum animam, & secundum spiritum, & sic nos præparemus ad statum futurum, in quo similes Angelis erimus modo supra explicato. Sed qualis fuerit circa hoc Hieronymi mens supra vidimus.

S. Augustinus vero visus est quidem citatis locis duriuscule loqui: sed ea postea emollivit, & explicavit, *lib. 1. retract. cap. 17. & 26. & l. 2. cap. 3.* dicens ea intelligenda esse quoad similitudinem, non quoad naturam, & expresse provocat Lectorem ad ea, quæ scripserat, *l. 22. de Civ. Dei*, ubi *c. 20.* aperte docet, quod in resurrectione redditur homini caro quam habuit, etsi in alias substantias transierit, & quod *promissionis filii æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certe felicitate.* Et cap. 21. *Erit ergo* (inquit) *spiritui subdita caro spiritalis, sed tamen caro, non spiritus: sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus, non caro.* Eadem docet, *Serm. 55. cap. 4.* (alias 6. *de Diversis*) *de diebus Paschalibus 14. capite 3.* & alibi.

XIII. Objicitur tertio. Generatio, & resurrectio sunt diversæ actiones: ergo habere debent diversos terminos.

Respondeo primo negari posse ant. cum non pauci velint, generationem, & resurrectionem non esse actiones diversas saltem specie. Eo tamen dato, neg. cons. Cum enim auctor resurrectionis sit Deus supernaturaliter operans, qui non pendet ab actione, vel motu, potest utens sua absoluta potentia diversis actionibus eumdem numero effectum semel producere, & iterum reproducere, quæ actiones distinguuntur, non ex terminis, sed, vel ex principio, vel ex modo operandi.

XIV.

XIV. Objicitur quarto. Dum homo moritur, nihil de corpore ejus remanet, nisi materia, quæ indifferens est ad omnes corporeitatis formas, & mixta formæ destruuntur; ergo non est, cur anima in resurrectione eidem corpori possit reuniri.

Respondeo, post mortem hominis remanere materiam sub dimensionibus interminatis: *Secundum quas attendatur divisio materiæ, ut diversas formas in diversis partibus recipere possit. Unde & post separationem substantialis formæ a materia adhuc dimensiones illæ manent eædem. Et sic materia sub illis dimensionibus existens, quamcumque formam accipiat, habet majorem identitatem ad illud, quod ex ea generatum fuerat, quam aliqua pars aliæ materiæ sub quacumque forma existens: Et sic eadem materia ad corpus humanum reparandum reducetur, quæ prius materia ejus fuit.* Ita S. Thom. hac *q. 79. art. 1. ad 3. & 4. Contra Gent. cap. 81.* similia docet.

Forma vero corporeitatis, forma mixti, forma etiam vegetativa, & sensitiva, si pro forma substantiali sumantur, in homine nihil aliud sunt, quam ipsa anima rationalis, quæ remanet. Si vero sumantur pro qualitatibus accidentalibus, istæ quidem in morte pereunt, sed non faciunt diversitatem substantiæ in numero: *Unde idem corpus numero resurget, cum materia eadem numero resumatur.* Ita S. Th. *art. 1.* citato *ad 4. & 4. Contra Gent. cap. 81.*

XV. Major difficultas est de *Antropophagis*, idest, de gentibus, quæ carnibus humanis vescuntur. Super quo SS. Thomas, & Augustinus audiendi sunt. S. Thomas quidem, *in 4. Contra Gent. cap. 81.* citato. Ubi hæc habet: *Nec resurrectionis fidem impedire potest, etiamsi aliqui carnibus humanis vescantur . . . . non enim est necessarium . . . quod quidquid fuit in homine materialiter, resurgat in eo: & iterum si aliquid deest, suppleri potest per potentiam Dei. Caro igitur comesta resurget in eo, in quo fuit primo anima rationalis perfecta; in secundo vero, si non solis carnibus humanis est pastus, sed & aliis cibis, resurgere poterit tantum de alio, quod ei materialiter advenit, quod erit necessarium ad debitam quantitatem corporis restaurandam. Si vero solis humanis carnibus sit pastus, resurget in eo quod a generantibus traxit, & quod defuerit supplebitur omnipotentia creatoris. Quod etsi parentes ex solis humanis carnibus pasti fuerint, ut sic & eorum semen, quod est superfluum alimenti, ex carnibus alienis generatum sit, resurget quidem semen in eo, qui est natus ex semine, loco cujus ei, cujus carnes comestæ sunt, supplebitur aliunde. Hoc enim in resurrectione servabitur, quod si aliquid materialiter fuit in pluribus, resurget in eo, ad cujus perfectionem magis pertinebat. Unde si fuit in uno, ut radicale semen, ex quo est generatus, in alio vero, sicut superveniens nutrimentum, resurget in eo, qui est generatus ex hoc sicut ex semine. Si vero in uno fuit, ut pertinens ad perfectionem individui, in alio autem ut deputatum ad perfectionem speciei, resurget in eo, ad quem pertinebat ad perfectionem individui. Unde semen resurget in genito, & non in generante, & costa Adæ resurget in Eva, & non in Adam, in quo fuit, sicut in naturæ principio. Si autem secundum ejusdem perfectionis modum, fuit in utroque, resurget in eo, in quo primitus fuit.* Hactenus S. Th.

XVI. S. Augustinus autem, l. 22. de Civit. Dei, c. 20. *Quæstio* (inquit) *illa solvenda est, quæ difficilior videtur cæteris: ubi quæritur, cum caro mortui hominis, etiam alterius fit viventis caro, cui potius eorum in resurrectione reddatur. Si enim quispiam confectus fame, atque compulsus vescatur cadaveribus hominum, quod malum aliquoties accidisse, & vetus testatur historia, & nostrorum temporum infelicia experimenta docuerunt; num quisquam veridica ratione contendet, totum digestum fuisse per imos meatus, nihil inde in ejus carnem mutatum, atque conversum, cum ipsa macies, quæ fuit, & non est, satis indicet, quæ illis escis detrimenta suppleta sint? . . . . Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tamquam mutuo sumpta deputanda est; quæ sicut ex alienum, ei redhibenda est, unde sumpta est. Sua vero illi, quem fames exinanierat, ab eo, qui potest, etiam exhalata revocare, reddetur. Quamvis etsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materies in illis naturæ latebris remansisset, unde vellet, eam repararet omnipotens. Sed propter sententiam veritatis, qua dictum est,* capillus capitis vestri non peribit: *absurdum est, ut putemus, cum capillus hominis perire non possit, tantas carnes fame depastas perire potuisse.* Ita S. August.

XVII. Ex his ergo duobus Ecclesiæ luminibus habemus. Primo. Quod si quis carnes alterius hominis fame compulsus comederit, in resurrectione carnes illæ redibunt ad illum, in quo caro humana fuerunt: ei autem supplebitur de carnibus propriis ex aliis cibis generatis, quæ licet famæ consumptæ in auras abierint, omnipotentia tamen Dei ad eum cujus carnes fuerant revocabuntur: si aliis cibis, quam carnibus humanis vesci consuevit. Secundo. Si vero alios cibos, quam carnes humanas non comedisset, & parentes ejus idem fecissent, hæc regula tenenda erit, ut si secundum eumdem perfectionis gradum in utroque, vel in omnibus fuerint, resurgant in eo, in quo primitus caro humana fuerunt. Alioquin resurgere debebunt in eo ad cujus perfectionem magis pertinebunt, & magis si pertinebant ad perfectionem individui, quam quæ pertinebant ad perfectionem speciei: Unde semen resurgere debebit in genito, non in generante, sicut costa Adami in Eva, non in Adamo: quia semen in generante ad perfectionem speciei erat, sicut costa illa in Adamo; At semen pertinet ad perfectionem individualem in genito, sicut costa in Eva. Sed de hoc aliqua iterum, *Dub. 3. §. 1.* inferius.

Dubium II.

Utrum idem numero Homo resurget.

§. I.

Veritas Catholica.

I. Dico. In generali resurrectione idem numero homo, qui prius erat, resurget. Hæc veritas fide constat. Tum ex Scriptura, *Job cap. 19. vers. 25.* in hoc spem suæ resurrectionis reponens: *Scio enim* (inquit) *quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quibus nihil clarius. Insuper Paulus, *2. Corinth. 5. vers. 10.* ait: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, sive bonum, sive malum.* Nos ergo, non alii, unusquisque nostrum, qui bene, vel male operatus est, stabit post resurrectionem ante tribunal Christi, ut finem suum sive præmii, sive pœnæ referat. Nam (inquit S. Thom. hac quæst. 79. art. 2.) *Necessitas ponendi resurrectionem est ex hoc, ut homo finem ultimum, propter quem factus est, consequatur: quod in hac vita fieri non potest, nec in vita anima separatæ, ut supra dictum est: alias homo esset vane constitutus, si ad finem, ad quem factus est, pervenire non posset. Et quia oportet, quod illud idem numero ad finem perveniat, quod propter finem est factum, ne in vanum esse factum videatur, oportet, quod idem homo numero resurgat.* Videatur etiam, *4. Contra Gent. cap. 79.* in fine, & recolantur ea, quæ diximus supra, *Quæst. 3. Dub. 1.*

II. Accedit, quod resurrectio est ejusdem; quod cecidit, surrectio, ut sæpe dictum est. Ut August. lib. 8. de Trinitate, cap. 5. *Resurgere* (inquit) *nihil aliud est, quam revivisscere.* Nisi autem idem homo numero, qui cecidit, & vitam amisit moriendo, iterum surgeret, & ad vitam rediret, non esset amplius resurrectio. Unde S. Thom. *art. 2.* citato concludit: *Ponere, quod idem numero non sit, qui resurget, est hæreticum, derogans veritati Scripturæ, quæ resurrectionem prædicat.*

III. Probatur etiam hoc discursu. Quod idem numero homo resurgat, non est impossibile, neque ex parte corporis, quia idem numero corpus erit, *ut Dub. præcedenti* ostensum est, nec ex parte animæ rationalis, quæ eadem numero est in statu separationis, ac prius. Neque ex parte totius, nempe, humanitatis, quia ut docet S. Thom. hoc art. 2. ad 2. *Humanitas non est alia forma superveniens materiæ, & formæ,* seu corpori, & animæ simul unitis. Unde *in 4. Contra Gent. cap. 81.* hoc idem tractans ait: *De humanitate vere non est intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque.* Et rationem dat: *Quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, ut dicitur 2. de Anima: illa tertia forma consequens, non esset substantialis, sed accidentalis.*

IV. Neque identitas numerica hominis tolli potest per variationem unionis, quasi alia numero fit unio, qua corpus, & anima unietur in resurrectione ab ea, qua unitæ fuerant in generatione —— Nam ut dicit Sanctus Thom. citatus, *art. 2. ad 2.* Materia, & forma per suas entitates immediate formaliter uniuntur; nec aliud unio superaddit, quam actionem, & passionem, & relationem, quæ cum accidentalia sint, etsi varientur, non tamen variare possunt substantialiter humanitatem, seu compositum. Quod si ut aliqui volunt, materia, & forma uniantur aliqua unione, seu nexu realiter ab utraque distincto, dici poterit, quod vel hæc unio, seu nexus in constitutione compositi non importatur in recto, sed solum in obliquo, & tamquam pura conditio, non tamquam constituens compositum. Unde etsi varietur numero, non tamen variatur proinde numero compositum. Vel tandem quod in resurrectione eadem numero unio omnipotentia Dei reproducetur.

§. II.

Objectiones aliquæ solvuntur.

V. Objicies primo. Licet post mortem hominis remaneat anima rationalis, non remanent tamen anima sensitiva, & vegetativa, sicut nec forma corporeitatis, quia anima in illo statu nec sensum, nec vegetationem habebit, nec ullam actionem corporalem animalis propriam: Hoc autem supposito sic arguitur. Homo non resurget idem numero animal; ergo nec idem numero homo.

VI. Respondet S. Thom. *art.* 2. sæpe citato *ad* 3. argumentum hoc concludere contra illos, qui ponebant animam sensitivam, vegetativam, sicut, & formam corporis, esse diversas ab anima rationali, quia cum istæ sicut in aliis animalibus sint corruptibiles, in resurrectione non esset eadem anima sensitiva, nec vegetativa, nec forma corporis, & per consequens nec idem animal, nec idem vegetans, nec idem corpus: non autem contra nos, qui in homine unam tantum formam, nempe, animam rationalem ponimus, quæ dat non solum esse rationale, sed & sensitivum, vegetativum, immo & corporeum. *Post mortem ergo* (inquit S. Th.) *manet anima sensibilis* (sicut & vegetativa, & forma corporis) *sicut & anima rationalis quantum ad substantiam, sed potentia sensitiva &c. Secundum quosdam non manent: Quæ quidem potentiæ cum sint accidentales proprietates; earum varietates identitatem animalis totius auferre non possunt, nec etiam partium animalis. Nec dicuntur potentiæ perfectiones, vel actus organorum, nisi sicut principia agendi; ut calor in igne.* Ita S. Th.

VII. Non intendit tamen hac responsione S. Th. quod si anima sensitiva &c. in homine esset realiter a rationali distincta, & consequenter in morte hominis periret, non posset a Dei potentia eadem numero reproduci, nec idem numero homo resurgere. Nam licet hoc probabiliter sentiat, *Quodlib.* 4. *art.* 5. de entibus successivis, ut motu, & tempore, quia eorum esse consistit in continuo fluxu, & proinde continuatio durationis est de ratione essentiali identitatis numericæ eorum: de rebus tamen permanentibus, quæ in sui ratione non dicunt continuationem durationis nisi per accidens, in quantum sunt subjecta quoad esse motui, & tempori, quia ratione ad sui unitatem numericam continuationem temporis, dicit, quod *Quia naturale agens non potest ista producere sine motu, inde est, quod naturale agens non potest hujusmodi reparare eadem numero, si in nihilum redacta fuerint, vel si fuerint secundum substantiam corrupta. Sed Deus potest reparare hujusmodi, & sine motu; quia in ejus potestate est, quod producat effectus sine causis mediis, & ideo potest ea eadem numero reparare, etiamsi in nihilum elapsa fuerint.*

In data igitur responsione solum vult, quod in opinione illorum, qui in homine ponunt animam sensitivam distinctam a rationali, homo non resurgeret idem numero animal; posita resurrectione eo modo quo futura communiter creditur, nimirum, per hoc quod anima incorruptibilis, & ideo seorsim a corpore habens, eidem corpori reuniatur, absque alicujus formæ substantialis reproductione, vel creatione formæ novæ.

VIII. Objicies secundo. Iteratio etiam in re permanente opponitur identitati. Si enim aliquid iteratur, bis est; ergo habet duplicem durationem, & duplex esse; ergo sunt duæ res.

Respondent aliqui, dist. conf. Duplicem durationem, & duplex esse externum, conc. conf. Intrinsecum, nego conf. Una enim res per Dei potentiam potest bis esse, non quia habeat duas existentias, & duas durationes intrinsecas, sed unam, & eamdem. Dicitur autem bis esse, quia non duravit continuo, sed duratio ejus fuit interrupta, ideoque coextitit duabus mensuris discontinuis, extrinsecis tamen. —— Respondeo secundo ex his quæ docet S. Th. tum hoc *art.* 2. *ad* 1. tum 4. *Contra Gent. cap.* 81. In hominis morte non fieri interruptionem in esse substantiali, quia esse, quod erat compositi, manet in anima rationali etiam post separationem: unde in resurrectione communicabitur corpori idem esse, quod ante mortem participabat.

IX. Objicies tertio. Si statua ex eodem ære reficiatur, non erit eadem numero; ergo nec homo erit idem numero, si ex ejusdem pulveribus reficiatur.

Respondet S. Thom. hoc art. 2. ad 4. *Quod statua potest dupliciter considerari: vel secundum quod est substantia quædam; vel secundum quod est artificiale quoddam. Et quia in genere substantiæ ponitur ratione suæ materiæ: ideo si consideretur secundum quod est substantia quædam, est eadem numero statua, quæ ex eadem materia reparatur. Sed in genere artificialium ponitur, secundum quod est forma quædam accidentalis, quæ & transit, statua destructa, & sic non redit idem numero, nec statua eodem numero esse potest. Sed forma hominis, scilicet anima, manet post dissolutionem corporis. Et ideo non est similis ratio.*

§. III.

An in Resurrectione pulveres redire oporteat ad eamdem partem corporis, qua in eos dissoluta est?

X. Respondeo cum S. Thoma hac *quæst.* 79. *artic.* 3. Aliud esse quid fieri possit absque identitatis præjudicio, aliud quod fiet, ut congruentia servetur. Circa primum sciendum, quod partes aliæ sunt homogeneæ, seu ejusdem speciei, sicut partes ossis, aliæ sunt heterogeneæ, seu diversæ speciei, sicut os, & caro. *Si ergo dicatur* (inquit S. D.) *quod pars materiæ redibit ad aliam partem speciei ejusdem* (puta pars ossis ad aliam partem ossis) *hoc non faciet varietatem, nisi in situ partium: situs autem partium variatus non variat speciem in totis homogeneis. Et sic si materia unius partis redeat ad aliam, nullum præjudicium generabitur identitati totius ..... Si autem dicatur, quod materia unius partis redibit ad aliam partem alterius speciei, sic de necessitate variatur, non solum situs partium, sed etiam identitas earum: ita tamen quod tota materia, aut aliquid, quod erat de veritate humanæ naturæ in una, in aliam transferatur, non autem si aliquid quod erat in una parte superfluum transferatur in aliam. Ablata autem identitate partium aufertur identitas totius, si loquamur de partibus essentialibus, non autem si loquamur de partibus accidentalibus, sicut sunt capilli, & ungues, de quibus videtur loqui Augustinus.* (lib. 22. de Civ. Dei, cap. 19.) *Et sic patet, qualiter translatio materiæ de parte in partem tollit identitatem totius, & qualiter non.*

Sed loquendo secundum congruentiam, magis probabile est, quod etiam situs partium idem servabitur in resurrectione, præcipue quoad partes essentiales, & organicas, quamvis forte non quantum ad accidentales, sicut sunt ungues, & capilli.

XI. Igitur secundum hoc ultimum non solum ipsi corpori, sed etiam singulis ejus membris sua propria materia est restituenda, sicut quæ fuit materia oculi reddetur oculo, quæ manuum, manibus, & sic de aliis, servato etiam situ partium. Hoc enim divinæ potentiæ facile est. Hoc etiam facit ad perfectam corporum identitatem, qua credimus, eadem surrectura; & facit etiam ad majorem congruitatem, ut homo scilicet præmium, vel pœnam accipiat in ea parte, quæ fuit organum virtutis, aut vitii; Sicut enim, ut probat S. Thom. *in* 4. *Contra Gent. cap.* 79. & cum eo omnes, Datur resurrectio, quia æquum est, ut corpus quod fuit instrumentum animæ ad opus virtutis, sit particeps beatitudinis: ita congruum est, quod pars corporis, puta oculus, per quem effusæ sunt lacrymæ compunctionis, redeat, ut sanctus per eum feliciter Christum videat. Ideoque Scripturæ non solum tradunt nos in resurrectione recepturos eadem corpora, sed etiam eadem membra. De iisdem *pelle, carne, & oculis.* Loquitur, *Job* 19. *de lingua, & manibus* 2. Machab. 7. de intestinis, *ejusdem lib. cap.* 14. Unde Dominus, *Luc.* 24. & *Joann.* 20. ostendit *manus, pedes, & latus*, eadem, quæ ante habuerat. Ad identitatem autem membrorum non sufficit identitas formæ, & accidentium, sed requiritur etiam identitas materiæ; ut si manui non restitueretur eadem materia, non magis esset eadem manus, quam si alicui pro manu combusta miraculose redderetur alia ex nihilo, vel ex alia qualibet materia, etsi eamdem numero formam habitura. Sed de his infra.

Dubium III.

An totum quod in aliquo fuit de Veritate Humanæ Naturæ resurget in illo?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Totum, quod in corpore fuit de veritate humanæ naturæ in aliquo, resurgere in ipso. Ita S. Thom. *quæst.* 80. *Suppl. art.* 4. Ubi varias opiniones recenset. Ex quibus ea omnino tenenda est, quæ tradit, aliquid de alimento converti in substantiam aliti, ejusque forma informari. Alioquin tolleretur nutritio, & restauratio ejus, quod per actionem caloris naturalis continuo deperditur.

Licet autem S. Thom. hic nihil statuere videatur, sed problematice loqui: hanc esse tamen suam sententiam indicat hic, & apertius ostendit tum *quolibet* 8. *art.* 5. Tum & maxime 1. *part. quæst.* 119. *art.* 1. ubi rejectis opinionibus contrariis statuit quod *Alimentum vere convertitur in veritatem humanæ naturæ, in quantum vere accipit speciem carnis, & ossis, & hujusmodi partium.* Unde sequitur non solum illud, quod fuit ex semine genitum, vel humido radicali, esse, vel fuisse de veritate humanæ naturæ, sed quidquid postea per nutritionem accessit.

II. Resurget autem in unoquoque id quod ad naturæ suæ veritatem, & integritatem pertinebit secundum statum resurrectionis. Ac proinde quibus ad perfectam quantitatem perductis pro ætate illa nihil materiæ defuit, neque superabundavit; illa præcise materia corporis restituetur, quam pro illo tempore habuerunt. Nam particulæ, quæ interim defluxerunt, vel accesserunt, ut superfluæ reputabuntur, & proinde non resumentur. —— Qui vero eodem, vel diverso tempore habuerunt plus materiæ, quam ad decentem staturam oporteat, ut obæsi, non totam eam resument, sed quantum ad convenientem quantitatem eis sufficiet. —— Quibus autem aliquid defuerit, sive per ætatem, sive per morbum, sive alia de causa, tota quam habuerunt materia reddetur, reliquum divina virtute supplebitur. Quomodo autem hoc unitatem non impediat, statim dicetur.

III. Quid vero de Antropophagis, idest, qui carnibus humanis vescuntur dicendum sit, superius, *Dub.* 1. §. *a num.* 15. ex S. Thom. 4. *Contra Gent. cap.* 81. & S. Aug. *lib.* 22. *de Civ. Dei, cap.* 20. abunde declaratum est. Modo aliqua repeto cum S. Thom. hoc *art.* 4. *ad* 3. Primo. *Unumquodque in illo resurget, in quo magis accessit ad perfectam parti-*

participationem virtutis ſpeciei, ſive in quo magis pertinuit ad veritatem humanæ naturæ in illo. Secundo. *Si æqualiter in duobus, vel pluribus acceſſerit, reſurget in illo, in quo primo habuit ordinem ad reſurrectionem ex conjunctione ad animam rationalem illius hominis*: ideſt, in quo primo caro humana fuit, ut ſupra diximus.

Caro ergo hominis ab homine comeſta, reſurget in eo, qui fuit comeſtus, comedenti autem ſupplebitur, aut de eo quod in ipſo fuit de aliis cibis materialiter, aut aliunde. Quod ſi ponatur ſolis carnibus humanis paſtus, totum id in ipſo reſurget, quod a parentibus naſcendo traxit: quod autem defuerit ſupplebitur omnipotentia Creatoris, ſicut in illis, qui ſtatim ac nati, vel concepti, ac animati ſunt, moriuntur. Si vero, & parentes ſolis humanis carnibus paſti fuerint, ut ſic & eorum ſemen (quod eſt ſuperfluum alimenti) ex aliorum hominum carnibus ſit generatum, materia iſta ſeminalis reſurget in eo qui ex ſemine illo natus fuerat, ei vero, qui generavit aliunde ſupplebitur, ſicut & illi, ex cujus carnibus comeſtis erat illud ſemen.

IV. Neque additiones jam dictæ impedient corporis reſurgentis identitatem, vere enim reſurget totum quod ceciderat, quamvis defectus aliunde ſuppleantur. Sicut puero ſupra id quod habuit ex nativitate, additur aliunde, ut ad perfectam quantitatem perveniat: neque tamen talis additio facit alium numero hominem, ſed idem numero, qui antea erat puer, poſtea fit vir.

V. At dices: Si parvæ nolæ adderetur magna quantitas æris, & ex ea ſimul cum ære præcedente fieret magna campana, nemo diceret, iſtam magnam campanam eſſe eamdem numero cum parva nola; ergo pariter ſi puero ſuppleatur multum materiæ, ut in ætate virili reſurgat, non erit idem numero.

Reſpondeo, neg. conſ. Quia non manet eadem numero forma nolæ, & magnæ campanæ, a qua artificiata ſuam unitatem ſumunt: manet tamen eadem numero forma, nempe, anima in puero reſurgente cum majori quantitate, ut ſupra *Dub. præced.* §. 2. *n.* 9. de ſtatua dixi ex S. Th. *q.* 79. *Suppl. art.* 2. *ad* 4. & *Quodlib.* 11. *art.* 6. *ad* 3.

VI. Noto tamen naturaliter fieri non poſſe, ut quis tota vita ſolis humanis carnibus paſcatur. Primo. Quia infantia requirit cibos diverſos, ac teneriores quam ſint carnes. Secundo. Quia carnes non poſſunt ſemper comedi ſine pane, vel alio tenente locum panis. Tertio. Quia præter cibum neceſſarius eſt potus, qui etiam tranſit in ſubſtantiam aliti.

VII. Ex dictis facile reſolvitur Dubium quod hac *q.* 80. *art.* 5. proponit S. Th. An ſcilicet quidquid fuit materialiter in homine ſit reſurrecturum. Pro quo noto in homine eſſe partes, quas phyſici vocant *Materiales*, & alias quas vocant *Formales*. Materiales vocantur parvæ partes materiæ, quæ quotidie fluunt, & accedunt per deperditionem, & nutritionem. Formales vero ſunt partes integrales majoris quantitatis, retinentes ſemper communem ſpeciem, ut oſſa, caro, nervi &c. hoc præmiſſo.

VIII. Dico. Partes omnes formales reſurgent, quia erunt eadem numero oſſa, eædem carnes, iidem nervi, eadem brachia, eædem manus, iidem pedes &c. Non reſurgent tamen omnes partes materiales, quia hæ licet ſingulæ pertinuerint ad veritatem humanæ naturæ quatenus habuerunt illius ſpeciem, tota tamen collectio illius materiæ, ſeu illarum partium, quæ ab initio vitæ, uſque ad finem fuit in homine non eſt ad illius perfectionem, & integritatem neceſſaria, immo excederet quantitatem debitam ſpeciei, ut ait S. Thom.

IX. Neque hoc impedit identitatem hominis reſurgentis. Sicut enim in corpore hominis quamdiu vivit, non ſemper ſunt eædem partes ſecundum materiam, cum materia partium, & reſolvatur per actionem coloris naturalis, & de novo adgeneretur per alimentum, qua ratione partes illæ dicuntur fluere, & refluere: nec propter hoc impeditur, quin homo ſit numero idem a principio uſque ad finem vitæ, quia eadem anima ſingulæ per totam vitam actuantur: ita ſimiliter ut reſurgat idem numero homo, non oportet, quod quidquid fuit materialiter in eo, reſurgat, ſed quantum ſufficit ad complementum debitæ quantitatis.

X. Unde S. Thom. *in* 4. *Contra Gent. cap.* 81. ſic ait: *Quod enim non impedit unitatem ſecundum numerum in homine dum continue vivit, manifeſtum eſt, quod non poteſt impedire unitatem reſurgentis. In corpore autem hominis quamdiu vivit, non ſemper ſunt eadem partes ſecundum materiam, ſed ſolum ſecundum ſpeciem: ſecundum vero materiam partes fluunt, & refluunt. Nec propter hoc impeditur quod homo ſit unus numero a principio vitæ uſque in finem. Cujus exemplum accipi poteſt ex igne, qui cum continue ardet, unus numero dicitur, propter hoc quod ſpecies ejus manet, licet ligna conſumantur, & de novo apponantur. Sic etiam eſt in corpore humano, nam forma, & ſpecies ſingularum partium ejus continue manet per totam vitam, ſed materia partium, & reſolvitur per actionem caloris naturalis, & de novo adgeneratur per alimentum. Non eſt autem alius numero homo ſecundum diverſas partes, & ætates, quamvis non quidquid materialiter eſt in homine, ſecundum unum ſtatum, ſit in eo ſecundum alium. Sic igitur non requiritur ad hoc, quod reſurgat homo idem numero, quod quidquid fuit materialiter in eo ſecundum totum tempus vitæ ſuæ reſumatur; ſed tantum ex eo quantum ſufficit ad complementum debitæ quantitatis. Et præcipue illud reſumendum videtur, quod perfectius fuit ſub forma, & ſpecie humanitatis conſiſtens.* Ita mira perſpicuitate Angelicus noſter.

§. II.

An Membra humani Corporis, Capilli, Ungues, & Humores Reſurgent.

XI. Quoad primum. Dico quod omnia membra humani corporis reſurgent. Ita S. Th. hæc *q.* 80. *art.* 1. & probat. Nam corpus hominis debet reſurgere cum debita proportione ad animam, ſed anima exigit in corpore omnia membra ad operationes vitæ ſervientia; ergo cum illis reſurget: Maj. prob. Corpus hominis reſurgere debet perfectum in eſſe naturali, quia reſurgere debet ad ſtatum ſuæ ultimæ perfectionis: non poteſt tamen in eſſe naturali perfecto reſurgere, niſi debitam proportionem habeat ad animam, ſicut nec artefactum poteſt conſurgere in eſſe artificiali perfectum, niſi habeat debitam proportionem ad artem; ergo &c.

XII. Hæc ratio generalis eſt tam de electis, quam de reprobis. Quia tamen de reprobis infra, *q.* 86. *art.* 1. ſpecialiter aget; ideo modo ſpecialiter quoad electos. De his enim dubitandum non eſt, quin eorum corpora ſurrectura ſint integra, & perfecta, non ſolum habentia eadem membra, cum quibus mortui ſunt, ſed illa quoque quibus caruerant, vel a nativitate, vel aliquo caſu; immo ſi qua habuerunt ſuperflua, vel deformia aut decorem non habentia, ea illis cum tali defectu non reſtituentur.

Ratio autem eſt primo. Nam hoc poſtulat ſtatus beatæ reſurrectionis. Secundo. Quia appetitui naturali, quo anima inclinatur in corpus non perfecte fieret ſatis, niſi univerſa membra, & quidem perfecta, ſui corporis reciperet. Tertio. Quia reſurrectio eſt peculiare opus Dei, opera autem Dei ſunt perfecta. Et tandem. Quia reſurrectionis electorum cauſa exemplaris eſt reſurrectio Chriſti, qui (Philipp. 3. verſ. 21.) *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*: Chriſtus autem integer abſque ullo defectu in corpore ſurrexit.

XIII. Dices. Quorumdam membrorum poſt reſurrectionem non erit amplius uſus, ut genitalium, quia tunc *neque nubent, neque nubentur*, ſed erunt ſicut Angeli in Cælo (*Matth.* 22. *v.* 30.) Et etiam inteſtinorum: Tum quia non amplius cibi, & potus futurus eſt uſus: Tum quia nec plena decet ea reſurgere, quia continent immunditias, nec vacua, quia nihil vacuum eſt in natura, & tunc maxime, quando omnia erunt perfecta.

XIV. Reſpondeo. Quod ſi hæc inſtantia valeret, nec deberet eſſe diverſitas ſexuum poſt reſurrectionem, quia generationis uſus ceſſabit. Dicendum eſt ex S. Th. *q.* 80. *artic.* 1. *ad* 1. ea membra non fore ſuperflua; ſervient enim perfectioni ſpeciei humanæ, & humani corporis integritati, & quamvis proprium actum non ſint habitura, adhuc tamen ſervient oſtenſioni virtutis agentis, nempe, animæ: *Quia inſtrumentum non ſolum ſervit ad exequendam operationem agentis, ſed etiam ad oſtendendam virtutem ipſius.*

Inteſtina vero *reſurgent in corpore* (inquit S. Thom. ibid. ad 2.) *ſicut & alia membra: & plena erunt non quidem turpibus ſuperfluitatibus, ſed nobilibus humoribus* (loquendo tamen de electis.)

XV. Dices adhuc. Ad hoc corpus reſurget, ut præmietur de opere, quod anima per ipſum geſſit. Sed membrum amputatum furi, qui poſtea pœnitentiam egit, & ſalvatur, non poteſt in reſurrectione remunerari, nec de bono, quia ad hoc cooperatum non eſt: nec de malo; quia pœna membri in malum hominis redundaret: iſtud ergo non reſurget, & ſic non omnia membra reſurgent.

XVI. Reſpondet S. Thom. artic. 1. citato ad 3. *Quod actus, quibus moremur, non ſunt proprie loquendo manus, vel pedis, ſed totius hominis: ſicut & operatio artis non attribuitur inſtrumento, ſed artifici. Quamvis ergo membrum, quod ante pœnitentiam eſt mutilatum, non ſit cooperatum homini in ſtatu illo, quo gloriam promeretur; tamen ipſe homo meretur, ut totus præmietur, qui ex toto quod habet, Deo ſervit.*

XVII. Quoad ſecundum. Suppono cum S. Thom. citato loco, *art.* 2. Quod anima ſe habet ad partes corporis ſicut ars ad inſtrumenta. Ars autem utitur inſtrumentis quibuſdam ad operis intenti executionem, ſicut ars militaris utitur gladio ad bellum: & hæc ſunt de prima intentione artis. Aliis autem utitur ad conſervationem principalium inſtrumentorum, ſicut ars militaris utitur vagina ad conſervationem gladii, & hæc ſunt de ſecunda intentione artis: *Et ita in partibus corporis animati quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, ſicut cor, hepar, manus, & pes: quædam autem ad conſervationem aliarum partium, ſicut folia ſunt ad cooperturam fructuum: Ita etiam capilli, & ungues ſunt in homine ad cuſtodiam aliarum partium: Unde ſunt de ſecunda perfectione corporis humani, quamvis non de prima.* Hoc poſito.

XVIII. Dico cum eodem S. Thoma. Capilli, & ungues

in homine resurgent. Probat. Homo resurget in omni perfectione suæ naturæ: sed capilli, & ungues pertinent ad perfectionem saltem secundam humani corporis, ut dictum est; ergo &c.

XIX. Neque dicas. Si capilli, & ungues toties detonsi resurgent omnes deformitas potius, quam ornatus in humano corpore apparebit. —— Nam respondet S. August. *lib. 22. de Civ. Dei, cap. 19.* Quod *si capilli toties tonsi, ungueſve dejecti ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt.* Et post pauca subdit: *Quamvis quod ait Dominus*, capillus capitis vestri non peribit, *non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptius possit intelligi. Unde, & alibi dicit*, Lucæ 12. v. 7. Capilli capitis vestri numerati sunt omnes. Videri etiam potest *in Enchiridio c. 89.* Resurget ergo numerus capillorum, & quantitas unguium omnis illa, quæ ad hominis ornatum pertinet, non quæ erit superflua.

XX. Neque eadem est ratio de sudore, urina, aliisque fœcibus, sicut & de humano semine, quæ quia ex superfluo generantur, non resurgent. —— Nam respondet S. Thom. art. 2. laudato ad 1. *Quod illæ superfluitates* (urina, sudor, & fæces) *expelluntur a natura, quasi ad nihilum utiles. Unde non pertinent ad perfectionem humani corporis. Secus autem est de illis superfluitatibus, quas contra sibi retinet ad generationem capillorum, & unghium, quibus indiget ad membrorum conservationem*, puta capillis ad capitis, unguibus ad digitorum, & pedum conservationem. —— *Semine* autem (inquit ad 2.) *non indigetur ad perfectionem individui, sicut capillis, & unguibus; sed solum ad perfectionem speciei*, nempe, ad speciem per generationem propagandam, quæ necessitas in resurrectione cessabit; & homo non resurget cum semine, sicut nec femina cum lacte nutritioni infantium serviente.

XXI. Neque dicatur. Quomodo capilli, & ungues pertinere possunt ad humanum corpus, si anima, qua corpus humanum vivit, non informatur? Nam respondet S. Th. ad 3. *Quod capilli, & unges nutriuntur, & augentur: & sic patet, quod aliquam operationem* (vitæ) *participent: quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectæ. Et quia in homine non est, nisi una anima, scilicet anima rationalis, constat, quod ab anima rationali perfectæ sunt; quamvis non usque ad hoc, quod operationem sensus participent; sicut nec ossa, de quibus constat, quod resurgent, & sunt de integritate individui.*

XXII. Quoad tertium. Dico cum eodem S. Th. *art. 3.* Quod quatuor humores, qui sunt sanguis, atra, & flavabilis, & phlegma restituenda erunt resurgentibus. Quia etsi non sint partes perfectæ, pertinent tamen ad constitutionem, & integritatem humani corporis. Reddentur electis in tanta quantitate, quanta requiritur ad optimam constitutionem: reprobis autem, pro ut Deus novit.

Erunt autem in resurgente humores, non ad restaurationem deperditi, sicut nunc, sed ad integritatem humanæ naturæ reparandam, & ad virtutis naturalis ostensionem, sicut membra servientia generationi in resurrectione erunt ad integritatem humanæ naturæ, non ad operationem, ut ex D. Th. ibi *ad 2.* Nec obstat quod ad perfectionem aliarum partium non perveniant. Nam ut docet idem S. Th. ad 3. *Sicut partes omnes universi a Deo perfectionem consequuntur, non æqualiter, sed unaquæque secundum suum modum: ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo, sicut partes perfectiores.*

XXIII. De sanguine autem specialiter probat S. Thom. *art. 3. in arg.* Sed contra sic: *Resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi: sed in Christo resurrexit sanguis: alias nunc vinum non transubstantiaretur in sanguinem ejus in sacramento altaris; ergo & in nobis resurget sanguis, & eadem ratione alii humores.*

QUÆSTIO VI.

De qualitate Resurgentium.

QUalitatem corporum resurgentium intelligimus, ætatem, staturam, sexum, vitam animalem, & dotes, quibus ornabuntur corpora beatorum. Verum quia de hisce dotibus egimus, *Tom. 1. in 1. 2. Qu. 2. de Beatitudine, Dub. 9.* Ideo de iis quæ ibi dicta sunt lectorem amandabimus.

DUBIUM I.

De Ætate, & Statura.

§. I.

An resurgent omnes in ætate juvenili?

DE corporibus resurgentium tam beatorum quam damnatorum sermo erit.

I. Dico ergo primo. Corpora Beatorum resurgent in illa perfectione, quam natura habet in ætate juvenili: Ita S. Thom. *quæst. 81. Suppl. art. 1.* his verbis: *Homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ: quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit: ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter. Uno modo, quia nondum perfectionem ultimam est consecuta; Alio modo, quia jam ab ultima perfectione recessit. Et primo modo deficit in pueris, secundo modo deficit in senibus. Et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti, & a qua incipit motus decrementi.*

Quibus ut ait ibi ad 2. *Non loquitur de ætate quantum ad numerum annorum, sed quantum ad statum, qui in corpore humano ex annis relinquitur: Unde Adam dicitur in ætate juvenili formatus, propter talem corporis conditionem, quam primo die formationis suæ habuit.* Resurgent ergo omnes in ea magnitudine, in eo robore, & in ea totius corporis compositione, quæ convenit ætati hominis perfectissimæ, qualis solet esse circa annum trigesimum tertium, trigesimum quartum, & trigesimum quintum: hoc enim tempus est in juvenili ætate medium.

II. Huic veritati favent Pauli verba ad Ephes. 4. v. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Super quæ S. August. lib. 22. de Civ. Dei c. 15. ait: *Si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ejus ætate, & robore, usque ad quam Christum hic perveniſſe cognovimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse, etiam sæculi hujus doctissimi homines, juventutem: quæ cum fuerit spatio proprio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris, ac senilis ætatis. Et ideo non esse dictum in mensuram corporis, vel in mensuram staturæ*, sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Idem dicit, *in Enchirid. c. 90. & 91.* Cui alii Patres adhærent, unde hæc assertio certa est. Nunc quoad corpora damnatorum.

III. Dico secundo. Etsi non æque certum, probabilius tamen videtur, etiam corpora damnatorum surrectura in ætate perfecta absque omni vitio, ac defectu naturali. Ita tenet S. Thom. *quæst. 86. Supplem. art. 1.* ubi relatis quorumdam opinionibus resolvit: *Et ideo alii rationabilius dicunt, quod Auctor, qui naturam condidit, in resurrectione naturam corporis integre reparabit. Unde quidquid defectus, vel turpitudinis ex corruptione, vel debilitate naturæ, sive principiorum naturalium in corpore fuit, totum in resurrectione removebitur, sicut febris, lippitudo, & similia. Defectus autem, qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur, (sicut ponderositas, passibilitas, & similia) in corporibus damnatorum erunt: quos defectus ab electorum corporibus gloria resurrectionis excludet.* Quibus docet, omnes reprobos surrecturos absque deformitatibus, & defectibus illis, qui non consequuntur naturaliter ex principiis naturalibus in humano genere, ut cæcitas, aut lippitudo; gibbositas, claudicatio &c. quæ vero sic consequuntur, ut ponderositas, passibilitas, & similia, quæ a beatis per gloriam auferuntur, & sunt dotes corporum beatorum, a corporibus damnatorum, ut infra dicetur, non auferentur.

IV. Favet huic sententiæ S. Augustinus: qui licet in Enchiridio, *cap. 92.* nihil de hoc determinare velit, *in Epistola* tamen 146. modo 205. *ad Consentium, cap. 2.* de reprobis dicit: *Incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum.* Neque hoc fiet in beneficium reproborum, quibus omnium membrorum integritas ad majorem, & extensiorem cedet pœnam, sed in beneficium naturæ, ut a Deo est. Quia resurrectio est naturæ humanæ reparatio habens Deum auctorem: sicut autem eam Deus integram condidit: integram quoque in esse naturæ sine respectu ad culpam reparabit, in electis ad æternum præmium, in reprobis ad æternum supplicium.

Neque obest, quod in hac sententia mulier corrupta, & ob hoc damnata, resurgeret incorrupta, & virgo. —— Nam nihil absurdi est, quod natura integre reparetur etiam in mulieribus illis reprobis, quæ corruptæ fuerint. Quia integritas corporis materialis nihil magnum est, si desit integritas mentis, neque illa mulier dicenda erit formaliter, & integre virgo.

V. Ratio autem est. Quia Deus in reparanda natura per resurrectionem non attendit ad merita, vel demerita resurgentium, sed ad naturalem ipsam naturæ constitutionem: atque ita unusquisque resurget ea facie, & pulchritudine, quam habuit, vel habiturus fuisset in ætate juvenili, sublato omni defectu, vel errore naturæ. Facies tamen eorum licet pulchræ, ac sine ullo defectu naturali, tristissimæ tamen, ac deformes apparebunt eas conspicientibus: quia reprobi vi tormentorum acti mœrentes, squallidi in gestibus, & motibus erunt, quales solent esse vehementer dolentium, amare plorantium, ac prorsus desperatorum in tormentis positorum.

§. II.

§. II.

An omnes in eadem ſtatura reſurgent.

VI. DIco cum S. Th. *q.* 81. *Suppl. art.* 2. Quod *non reſurgent in eadem quantitate*, ſeu ſtatura: *ſed quilibet reſurget in illa quantitate*, & ſtatura, *in qua fuiſſet in termino augmenti, ſi natura non erraſſet, vel defeciſſet: Quod autem ſupereſt, vel deficit in homine, reſecabit, vel ſupplebit divina potentia.* Ideoque ſequitur Gigantes non reſumpturos corpora immoderatæ magnitudinis, neque nanos immoderatæ parvitatis; ſed ſtaturam viri ſecluſa monſtruoſitate convenientem: quia illi vitio naturæ ſuperabundantis ad tantam magnitudinem pervenerunt: iſti vero ex naturæ defectu quantitatem ſufficientem non attigerunt. Idem dico de Pygmæis (ſi tamen verum eſt, aliquam gentem dari, in qua homines Pygmæi ſint, de quo dubitat S. Auguſtin. *l.* 16. *de Civit. Dei, cap.* 8.) Quamvis enim Pygmæus in ſua gente non ſit monſtruoſus, ut nec claudus inter claudos, gibboſus inter gibboſos, comparate tamen ad genus humanum eſt ſimpliciter monſtruoſus, quia illi ætatem juvenilem aſſecuto, ſi naturæ humanæ conditio ſpectetur, convenit major ſtatura.

VII. Quare autem non omnes in eadem, & æquali ſtatura reſurgent, rationem dat S. Th. *art.* 2. *citat.* Quia in reparanda per reſurrectionem humana natura, non ſolum attendetur perfectio ſpeciei, ſed perfectio individui; eſto autem ſpecies humanæ naturæ habeat determinatam aliquam quantitatem, quam nec excedit, nec ab ea deficit abſque errore: Cum tamen iſta quantitas gradus latitudinis habeat, unumquodque naturæ humanæ individuum ex ſua individuali conditione intra terminos illius latitudinis aliquem gradum quantitatis aſſequitur, quæ competit naturæ individui, & ad quam perducitur in termino augmenti, ſi tamen ex errore aliquid præfatæ debitæ quantitati non fuerit additum, vel ſubtractum. Hæc autem quantitas cuique individuo debita ſumitur ex proportione caloris, & humidi radicalis, quæ non in omnibus eſt eadem.

Unde S. Auguſtin. lib. 22. de Civit. Dei, cap. 15. *Reſtat ergo* (inquit) *ut ſuam recipiat quiſque menſuram, quam vel habuit in juventute, etiamſi ſenex eſt mortuus, vel fuerat habiturus, ſi ante eſt defunctus.* Neque approbat opinionem eorum volentium, omnes ſurrecturos in menſura quantitatis corporis Chriſti, ſubjungit enim: *Et ideo non eſſe dictum* (Epheſ. 4. v. 13.) *in menſuram corporis, vel in menſuram ſtaturæ, ſed* in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

Vult ergo S. Auguſtinus, unumquemque ſurrecturum in ea quantitate ſtaturæ, quam habuit in ætate juvenili, vel habiturus eſſet, ſi ad eam perveniſſet, ut his qui in ſenectute ſunt, ſuppleatur id quod ſenio defecit, & his qui in pueritia, vel infantia defuit, item divina potentia ſuppleatur. Ita de iſtis loquitur citato lib. de Civit. Dei, c. 14. *Quid ergo de infantibus dicturi ſumus, niſi quia non in ea reſurrecturi ſunt corporis exiguitate, qua mortui, ſed quod eis tardius acceſſurum erat, tempore hoc ſunt illo Dei opere miro, atque celerimo recepturi? In ſententia quippe Domini, ubi ait*, capillus capitis veſtri non peribit, *dictum eſt, non defuturum eſſe, quod fuit, non autem negatum eſt affuturum eſſe quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas ſui corporis: perfecto quippe infanti deeſt utique perfectio magnitudinis corporalis, qua cum acceſſerit, jam ſtatura longior eſſe non poſſit &c.* Et concludit, in reſurrectione nil defuturum quantitatis quam habuit, vel habiturus fuiſſet, & ad quam in ſemine diſponebatur, ut haberet, ſi ad ætatem juvenilem perveniſſet.

DUBIUM II.

An quiſque reſurget in ſuo ſexu, & an in vita Animali?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. NOnnulli (inquit S. Auguſtin. l. 22. de Civitate Dei cap. 17.) *Propter hoc quod dictum eſt* (Epheſ. 4. v. 13.) Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & conformes imaginis filii Dei, *nec in ſexu femineo reſurrecturas feminas credunt, ſed in virili omnes, ajunt, quoniam Deus ſolum virum fecit ex limo, feminam ex viro.*

In hoc errore fuerunt Armeni volentes, omnes reſurrecturos in ſexu virili, nullumque poſt reſurrectionem futurum femineum ſexum, moti, nedum rationibus ex S. Auguſtino allatis: ſed etiam Primo. Quia in reſurrectione ceſſabit imperfectio: unde ſupra diximus, nullam futuram ætatem, aut ſtaturam puerilem: ſexus autem femineus imperfectus eſt. Secundo. Id videtur neceſſarium, ne ſexuum diverſitas oculis objecta, ſtatum illum pudore dehoneſtet. Tertio. Quia Athanaſius, *in lib. de Virginit.* In regno, inquit cælorum non eſt mas, & femina, ſed omnes feminæ quæcumque placuerunt Deo, virorum ordinem accipiunt. His tamen non obſtantibus.

II. Dico. Non omnes in ſexu virili ſurrecturos, ſed unumquemque in ſuo ſexu. Et hoc ad finem pertinet. Ita S. Auguſtinus citatus: *Sed mihi* (inquit) *melius ſapere videntur, qui utrumque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant.* Cui ſubſcribit S. Thom. hic *quæſt.* 81. *art.* 3. his verbis: *Sicut conſiderata natura individui debetur diverſa quantitas diverſis hominibus: ita conſiderata natura individui debetur diverſus ſexus diverſis hominibus: Et hæc etiam diverſitas competit perfectioni ſpeciei, cujus diverſi gradus implentur per dictam diverſitatem ſexus, vel quantitatis: Et ideo ſicut reſurgent homines in diverſis ſexibus.*

III. Deinde probat S. Auguſtinus citato loco ſic. *Ipſe Jeſus interrogatus a Sadducæis, qui negabant reſurrectionem, cujus ſeptem fratrum erit uxor, quam ſinguli habuerunt, dum quiſque eorum vellet defuncti ſemen, ſicut lex præceperat, excitare.* Erratis (inquit) neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei: *Et cum locus eſſet, ut diceret; de qua me interrogatis, vir erit etiam ipſa, non mulier, non hoc dixit: Sed dixit*: In reſurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in Cælo: *Æquales utique Angelis immortalitate, ac felicitate, non carne, ſicut nec reſurrectione, qua non indiguerunt Angeli; quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus negavit futuras eſſe in reſurrectione, non feminas: & ibi negavit, ubi talis quæſtio vertebatur, ut eam negato ſexu muliebri celeriori facilitate diſſolveret, ſi eum ibi pranoſceret non futurum. Immo, etiam futurum eſſe firmavit dicendo*, non nubent, *quod ad feminas pertinet*; neque uxores ducent, *quod ad viros. Erunt ergo, qua vel nubere hic ſolent, vel ducere uxores; ſed ibi hoc non facient.* Hæc Auguſt.

IV. Diſcurſus ergo S. Auguſt. eſt talis. Si Chriſtus exiſtimaſſet, poſt reſurrectionem ſexum femineum non futurum, celeriore, ac faciliore via Sadducæis interrogantibus, cujus futura tunc eſſet mulier illa ſeptemvira, reſpondere potuiſſet, erratis neſcientes Scripturas. Nam in futuro nec feminæ, nec ſexus femineus erunt. Cum ergo ſolum dixerit, quod ibi nec nubent, nec uxores ducent, negavit quidem ibi futuras nuptias, ſed feminas ibi futuras admiſit. Unde & Hieronymus, *Ep.* 27. modo 86. *ad Euſtochium*, ait: *Ubi dicitur*, non nubent, neque nubentur. *Sexuum diverſitas demonſtratur. Nemo enim de lapide, & ligno dicit, non nubent, neque nubentur, qua naturam nubendi non habent: Sed de his, qui poſſunt nubere, & gratia Chriſti, ac virtute non nubant.*

V. Secundo prob. Deus in reſurrectione reſtituet, quod in prima conditione fecit in homine: ſed in prima conditione fecit utrumque ſexum; ergo utrumque reſtituet. Quare S. Auguſt. loco citato. *Qui ergo* (inquit) *utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituet.*

VI. Neque dicas, mulierem non fuiſſe a Deo immediate formatam, ſed ex viro. —— Nam reſpondet S. Auguſtinus citatus hoc fuiſſe myſterium: *Ut enim* (inquit) *in exordio generis humani de latere viri dormientis coſta detracta femina fieret*, Chriſtum, & *Eccleſiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe illius viri mors erat Chriſti, cujus exanimis in Cruce pendentis latus lancea perforatum eſt, atque inde ſanguis, & aqua profluxit, qua ſacramenta eſſe novimus, quibus ædificatur Eccleſia. Nam hoc etiam verbo Scriptura uſa eſt, ubi non legitur* Formavit, *aut* finxit, *ſed* ædificavit eam in mulierem: *unde & Apoſtolus* (Epheſ. 4. v. 12.) *ædificationem dicit Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Creatura eſt ergo Dei femina, ſicut vir: ſed ut de viro fieret, unitas commendata; ut autem illo modo fieret, Chriſtus, ut dictum eſt, & Eccleſia figurata eſt.*

VII. Ad id quod ex Apoſtolo dicitur: *Donec occurramus &c.* reſpondet S. Th. dicto artic. 3. ad 1. *Quod cum dicitur*: Omnes Chriſto occurremus in virum perfectum, *non dicitur propter ſexum virilem; ſed propter virtutem animi, qua erit in omnibus, & viris, & mulieribus*, quod repetit 4. *Contra Gentes, c.* 88. & in hoc ſenſu dicit Hieronymus: *in cap.* 4. *ad Epheſ.* quod uxores redigentur in viros, quoad ſpiritum, quia uxorius actus non amplius erit. Quamvis Hieronymus loquatur non de futuro, ſed de præſenti ſæculo, monens, ut qui futuri ſunt aliquando ſimiles Angelis, refrænata concupiſcentia fiant ſpirituales.

VIII. Nunc ad fundamenta Armenorum. Ad primum dico, ſexum femineum non eſſe quidem ita perfectum, ut virilem: ideoque comparate ad iſtum dici imperfectum, non tamen comparate ad naturam, cujus pars eſt. Unde S. Thom. 4. *Contra gent. cap.* 88. ait: *Nec infirmitas feminei ſexus perfectioni reſurgentium obviat. Non enim eſt infirmitas per receſſum a natura, ſed a natura intenta: & ipſa etiam natura diſtinctio in omnibus perfectionem naturæ demonſtrabit: & divinam ſapientiam omnia cum quodam ordine diſponentem demonſtrabit.* Et hic *art.* 3. *ad* 3. dicit: *Quod quamvis femina generatio ſit præter intentionem naturæ particularis, eſt tamen de intentione naturæ univerſalis, quæ ad perfectionem humanæ ſpeciei utrumque ſexum requirit.* Quare non eſt ſimile de ætate, vel ſtatu puerili: nam ætas, vel ſtatus puerilis non eſt a natura intentus per ſe, ſed ut ordinatus ad ſtatum juvenilem, ac perfectum, aliquando aſſequendum: ſexus autem femineus non eſt ordinatus ad virilem, ſic ut aliquando femina fiat vir.

IX. Neque dicas. Sexus femineus in futuro ſæculo erit ſuperfluus: non enim nubent, neque nubentur.

Respondet enim S. Th. 4. *Contra gen. cap.* 88. sic: *Neque tamen huic obviat, quod usus horum membrorum non erit . . . . Quia si propter hoc membra in resurgentibus non erunt, pari ratione nec omnia membra, qua nutrimento deserviunt, in resurgentibus essent, quia nec ciborum usus post resurrectionem erit: sic igitur magna pars membrarum corpori resurgentium deesset. Erunt igitur omnia membra hujusmodi, quamvis eorum usus non sit, ad integritatem naturalis corporis restituendam, unde frustra non erunt.* Addo, quod alias nec in viro virilia membra esse deberent, quia eorum usus non erit.

X. Ad secundum dico, quod sicut in statu innocentiæ, *Genes. 2. v. 25.* dicitur: *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet, & uxor ejus, & non erubescebant;* ita multo magis pudor excludetur a statu illo. Unde S. Th. dicto *art. 3.* in corpore: *Et quamvis* (inquit) *sit differentia sexuum; deerit tamen confusio mutua visionis: quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur.* Et Aug. *lib. 22. de Civit. Dei, c. 17.* citato, ait: *Non enim libido ibi erit, qua confusionis est causa. Nam priusquam peccassent nudi erant, & non confundebantur vir, & femina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium sexus femineus; sed natura, qua tunc quidem, & a concubitu, & a partu immunis erit: erunt tamen membra feminea non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, qua nulla erit. Sed Dei laudetur sapientia, atque clementia, qui & quod non erat fecit, & liberavit a corruptione, quod fecit.*

XI. Si dixeris, hoc non deberi damnatis. Respondeo, nec in illis futuros motus libidinis: partim quia habebunt corpora, quæ a nullo intrinseco possint alterari, sed solum ab igne, & aliis externis agentibus: partim quia tristitia, & dolore velut absorbebuntur, ut etiamsi complacentia præteritarum libidinum, ob quas sunt damnati, maneat in voluntate, ab ea tamen non moveantur. Quod si invicem se videntes pudore confundentur, hoc erit eis in pœnam.

XII. Ad tertium dico, quod Athanasius significat solum, feminas futuras spiritu viros, non sexu. En ejus verba: *Abjice muliebrem sensum, ac fiduciam, virileque robur assume. Nam in Regno Cælorum non est masculus, neque femina; sed quæcumque mulieres Domino placuerunt, virorum ordinem accipiunt;* non dicit sexum, sed *ordinem*, quia feminæ pares erunt in donis gloriæ cum viris.

§. II.

Resolvitur Secunda Pars.

XIII. Dico. Nemo resurget in vita animali. Ita S. Th. dicta *q. 91. Suppl. art. 4.* & est de fide. Quia ex dictis, Matth. 22. vers. 3. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Quod repetitur Lucæ 20. vers. 35. Paulus item, Rom. 14. v. 17. *Non est enim* (inquit) *Regnum Dei esca, & potus,* & 1. ad Cor. 15. v. 44. *Seminatur corpus animale, surget spirituale.*

XIV. Probat etiam S. Th. in arg. sed contra hoc discursu: *Generatio ordinatur ad subveniendum defectui qui per mortem accidit, & ad multiplicationem humani generis: & comestio ad restaurationem deperditi, & ad augmentum quantitatis: sed in statu resurrectionis jam humanum genus habebit totam multitudinem individuorum a Deo præfinitam, quia usque ad hoc generatio differetur: similiter etiam quilibet homo resurget in debita quantitate, nec erit ultra mors, aut aliqua deperditio fiet a partibus hominis; ergo frustra esset actus generativæ, & nutritivæ virtutis.*

XV. Quod sic explicat *in Corp. art.* Necessitas resurrectionis non est ad consequendam perfectionem eorum, quæ ad integritatem naturæ pertinent, hanc enim consequi potest per actiones præsentis vitæ: sed necessitas resurrectionis est ad consequendam ultimam perfectionem, quæ consistit in perventione ad ultimum finem; ergo operationes illæ naturales, quæ ordinantur ad primam perfectionem humanæ naturæ, vel causandam, vel conservandam non erunt in resurrectione: tales autem sunt actiones animalis in homine, ut comedere, bibere, dormire, & generare; ergo istæ in resurrectione non erunt.

XVI. Sed dices: Resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi: sed Christus dicitur post resurrectionem comedisse, *Luc. ultimo v. 30. & 43.* & *Joan. ultimo a v. 13.* ergo homines post resurrectionem comedent, & eadem ratione generabunt.

XVII. Respondet S. Thom. dicto art. 4. ad 1. *Quod illa comestio, qua Christus comedit, non fuit necessitatis quasi cibis indigeret humana natura post resurrectionem, sed fuit potestatis, ut ostenderet, se veram naturam humanam resumpsisse, quam prius habuerat in statu illo, quando cum Discipulis comederat, & biberat. Hæc autem ostensio non erit necessaria in resurrectione communi, quia omnibus notum erit. Et ideo dicitur dispensative Christus manducasse, eo modo loquendi, quo Juristæ dicunt, quod* dispensatio est communis Juris relaxatio; *quia Christus intermisit hoc quod est commune resurgentium, scilicet non uti cibis propter causam prædictam. Et propter hoc ratio non sequitur.*

Quod si quæras: Quid factum fuerit de illo cibo, quem Christus post resurrectionem comedit, respondet S. Thom. 4. *Contra Gentes, cap. 83.* Quod *Cibus ille non fuit conversus in carnem, sed resolutus in præjacentem materiam.*

XVIII. Dices secundo, Adam ante peccatum vitam habuit immortalem: & tamen cibis, & venereis uti poterat in illo statu, cum ante peccatum illi sit dictum: *Crescite, & multiplicamini*: & iterum, *de omni ligno, quod est in paradiso comede.*

XIX. Respondet S. Thomas dicto *cap. 83. 4. Contra Gent.* Quod *Adam perfectionem quamdam habuit personalem: nondum tamen erat natura humana totaliter perfecta, nondum multiplicato humano genere. Institutus ergo fuit Adam in tali perfectione, qua competebat principio totius humani generis: & ideo oportuit, quod generaret ad multiplicationem humani generis, & per consequens quod herbis uteretur. Sed perfectio resurgentium erit natura humana totaliter ad suam perfectionem perveniente, numero electorum jam completo: & ideo generatio locum non habebit, nec alimenti usus: propter quod & alia erit immortalitas, & incorruptio resurgentium, & alia, qua fuit in Adam. Resurgentes enim sic immortales erunt, & incorruptibiles, ut mori non possint, nec ex eorum corporibus aliquid resolvi. Adam autem sic fuit immortalis, ut posset non mori si non peccaret, & posset mori si peccaret; & ejus immortalitas sic conservari poterat, non quod nihil resolveretur ab ejus corpore, sed ut contra resolutionem humidi naturalis ei subveniri posset per ciborum assumptionem, ne ad corruptionem corpus ejus perveniret.*

XX. Dices tertio. Post resurrectionem omnes electi beatificabuntur, & secundum animam, & secundum corpus: beatitudo autem in operatione consistit; ergo oportet, ut omnia membra, omnesque potentiæ suis actibus perfruantur. —— Et eo magis quia in eis debet esse perfecta jucunditas, quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: perfectum autem est, cui nihil deest. Cum ergo in actibus virtutis generativæ, & nutritivæ sit magna delectatio, non debent hi deesse beatis post resurrectionem.

XXI. Respondeo cum S. Thom. hoc *art. 4. ad 3.* neg. cons. Totus quidem homo beatificabitur, & secundum animam, & secundum corpus: At secundum quod homo, & secundum quod corpus humanum est. Homini autem, ut homo est, & corpori humano, ut humanum est præfatæ operationes non conveniunt; Unde secundum corpus homo aliunde beatificabitur, in quantum habebit corpus sibi perfecte subditum, & dotibus glorioſis ornatum. Addo quod ut D. Th. *ad 4.* præfatæ operationes animalis, necessariæ sunt corpori supposito defectu, qui post resurrectionem in corpore humano non erit.

XXII. Quod autem additur procedit ex falso supposito, quod in delectationibus corporalibus hominis beatitudo consistere possit, quod falsum esse ostendi, *Tom. 1. in 1. 2. q. 2. Beatitud. dub. 1.* & ostendit S. Thom. *in 4. Contra Gentes cap. 83.* Nam si delectationes ciborum, & venereorum aliquomodo ad beatitudinem pertinerent, sequeretur, virtutem temperantiæ indebite excludere tales delectationes ab intentione virtuose agentium. Est enim contra rationem virtutis excludere a virtuoso delectationem, quæ erit pars beatitudinis, vel eam modo prohibere, ut ea postmodum frui magis possit. —— *Præterea* (addit S. Th.) *ridiculum videtur delectationes quærere corporales (in quibus nobiscum animalia bruta communicant) ubi expectantur delectationes altissimæ, in quibus cum Angelis communicamus, quæ erunt in Dei visione, quæ nobis & Angelis erit communis. . . . nisi forte quis dicere velit, beatitudinem Angelorum esse imperfectam, quia desunt eis delectationes brutorum, quod est omnino absurdum. Hinc est, quod Dominus dicit, Matth. 22.* quod in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.

XXIII. Quare concludit S. Doct. *Per hoc autem excluditur error Judæorum, & Sarracenorum, qui ponunt, quod in resurrectione homines cibis, & venereis utentur, sicut & nunc. Quos etiam quidam Christiani hæretici sunt secuti, qui ponentes regnum Christi futurum in terris terrenum per mille annos, in ipso spatio temporis dicunt, eos, qui tunc resurrexerint, immoderatissime carnalibus epulis vacaturos, in quibus sit cibus tantus, aut potus, ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius credulitatis excedant. Nullo autem modo ista possunt, nisi a carnalibus credi. Hi autem qui spirituale sunt, istos ista credentes* Chiliastas *appellant Græco vocabulo, quod verbum e verbo exprimentes nos possumus* Millenarios *nuncupare, ut Augustinus dicit, 20. de Civ. Dei, c. 7. 8. & 9. &c.* Hoc etiam indicat hoc *art. 4. ad 4.* quem errorem confutavimus, *Tom. 1. in 1. p. q. 2. de Visione Dei, dub. 2.*

§. III.

An post Resurrectionem futuri sint actus sensuum?

XXIV. Negatis post resurrectionem actibus nutritivæ, & generativæ partis, occurrit quærendum, an futuri sint actus sensuum, seu partis sensitivæ, de quo S. Thom. *3. p. Suppl. q. 82. art. 4.* ubi refert opinionem quorumdam, qui ponebant *Quod in corporibus glorioſis erunt omnes potentiæ sensuum, non tamen erunt in actu, nisi duo sensus,*

sensus, scilicet tactus, & visus. Nec hoc erit ex defectu sensuum, sed ex defectu medii, & objecti.

XXV. Nihilominus dico cum eodem S. Thom. Quod in Beatis præter tactum, & visum, etiam auditus, & odoratus aliquam operationem habebunt; *Sed gustus non erit in actu ita quod immutetur ab aliquo cibo, vel potu sumpto*, quia ibi nullus erit: nisi forte dicatur, quod erit ibi gustus in actu per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adjuncta. Ita S. Thom. Et probat, *in arg.* sed contra sic: *Vicinius se habent ad animam potentiæ sensitivæ, quam corpus: sed corpus præmiabitur, vel punietur propter merita, vel demerita animæ; ergo & omnes sensus præmiabuntur in beatis, & punientur in malis, secundum delectationem, & dolorem, vel tristitiam, quæ in operatione sensus consistunt.* Quæ ratio probat futuros sensus in actu non solum in beatis, sed etiam in damnatis.

XXVI. Futuram in Beatis post resurrectionem visionem corporalem, tum gloriosæ humanitatis Christi, tum corporum beatorum, tum cælestium orbium, tum mundi hujus innovati, nemo dubitare potest.

Et quia inter Sanctos erit laus Dei vocalis juxta illud, Psalm. 149. v. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum*. Et *Apoc.* 19. ubi omnes Sancti dicuntur dicere Alleluja, & laudes Deo, quod confirmat S. Thom. hic *in Corp. & ad* 4. & 2. 2. *q.* 13. *art.* 4. Etiam erit corporalis auditio, quæ fiet per hoc, quod species soni deferentur secundum esse spirituale tantum absque motu, & incisione corporis medii, & sola immutatione spirituali organum auditus immutabunt, ut hic docet *ad* 4.

Odoratus etiam suavissimis, qui ibi erunt odoribus, afficietur. Si enim corpora Sanctorum miro odore fragrant in terris, multo magis glorioſa gratissimum spirabunt odorem, spirituali tamen immutatione sine aliqua evaporatione pertingente ad organum, ut explicat S. Th. *ad* 3.

De tactu minor videtur esse difficultas; nam corpora sanctorum post resurrectionem erunt palpabilia, ut in corpore Christi apparet, quod fuit tangibile *Luc. ult. v.* 39. & *Joann. v.* 27. Qualitates tamen tangibiles non immutabunt tactum corporis glorioſi, utpote impassibilis, immutatione naturali, seu alterativa, sed spirituali tantum. *Sicut etiam* (inquit S. Th. ad 1.) *in corpore Adæ fuit, quod nec ignis urere, nec gladius scindere potuisset, & tamen horum sensum habuisset.*

De gustu major est dubitatio, ut enim ex S. Th. supra dictum est, quod repetit 2. *Gustus secundum quod est sensus alimenti non erit in actu, sed secundum quod est judicativus saporum esse poterit forte per modum prædictum* (nimirum) per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adjuncta suavissimi saporis ex optimo qualitatis corporis humani temperamento.

XXVII. Corpora etiam damnatorum habebunt operationes sensuum, & quia, ut dicemus, ab externis agentibus passibilia, immutari poterunt immutatione etiam naturali ad dolorem, & tristitiam, stantes enim reprobi post resurrectionem coram Christo Judice videbunt corporalibus oculis humanitatem Christi glorioſam, signum Crucis eam præcedens, corpora etiam glorioſa electorum: & summo dolore tabescent, ut dicetur infra. Detrusi in infernum mutuo se videbunt. Ibi audient voces aliorum voces blasphemantium Deum, ut credibile reputat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 4. Tactus eorum igne cruciabitur, fœtidis odoribus odoratus, & amaritudinibus etiam lingua, & gustus torquebuntur, ut sensus omnes, qui animæ servierunt ad peccandum, una cum anima singuli sentiant pœnam.

Dubium III.

De qualitatibus Corporum post Resurrectionem.

§. I.

De qualitatibus Corporum Beatorum.

I. QUia, ut initio hujus quæstionis præmonuimus de corporum beatorum qualitatibus, quæ vocantur *Dotes*, *egi tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 2. *de Beatitudine toto dub.* 9. de illis iterum hic agere supervacaneum videtur, cæterum pro majori facilitate aliqua hic dicam, quoad cætera Lectorem ad ibi dicta remittens.

II. Quatuor, ergo qualitatibus, seu Dotibus, beatorum corpora in resurrectione ornabuntur. Prima erit impassibilitas, qua non solum a morte, & corruptione, & a quacumque læsione erunt exempta, ita ut si in medio flammarum inferni ponerentur, nullam nec ab igne, nec a Dæmonibus læsionem, sed nec ullum dolorem, aut passionem læsivam pati possent. Rationem hujus dat S. Thom. *q.* 82. *Suppl. art.* 1. Quia omnis passio fit per victoriam agentis supra patiens debilitantis dominium formæ ejus supra materiam, loquendo de passione illata ab agente contra naturam, de qua modo: ergo ubi dominium formæ supra materiam suam ab agente debilitari non potest, nulla est possibilis passio læsiva: sed post resurrectionem humanum corpus erit perfecte subjectum animæ, sicut anima erit perfecte subjecta Deo: ita ut sicut nulla vis poterit debilitare subjectionem animæ ad Deum, sic nulla vis poterit debilitare subjectionem corporis ad animam; ergo nulla vis poterit inducere in corpus glorioſum passionem, quæ sit læsiva. Dixi passionem, quæ sit læsiva; nam passionem quæ sit pure perfectiva, qualis est ea qua perficiuntur sensus ad suas operationes admissimus loco citato; & *Dub. præced.* §. 3.

Erit autem hæc impassibilitas probabiliter qualitas immanens: Nam S. Thom. 3. *p. quæst.* 45. *art.* 2. generaliter dicit quod *Dos nominat qualitatem immanentem corpori glorioso*. Nempe bonam quamdam corporis dispositionem, qua corpus perfecte, & permanenter subjicietur animæ beatæ. Quæ dispositio si attendatur secundum se, & ut dicit solam negationem, vel privationem potentiæ patiendi læsionem, erit in omnibus æqualis. Si tamen consideretur secundum causam, admittere poterit magis, & minus: *Causa autem ejus est Dominium animæ super corpus, quod quidem dominium causatur ex hoc, quod ipsa anima fruitur Deo immobiliter. Unde in illo, qui perfectius fruitur Deo, est major impassibilitas causa.* Ita S. Thom. q. 82. Supplem. art. 2. Ideoque erit magis intensa, non *per recessum a contrario, sed per accessum ad terminum, sicut lux intenditur. Et propterea etiam impassibilitas est major in uno, quam in alio, quamvis in nullo aliquid passibilitatis remaneat.* Ita ibid. ad 3.

III. Altera corporis glorioſi dos erit *Subtilitas*, de qua loco citato ex 1. §. 3. ubi dixi, eam esse quamdam corporis glorioſi defæcationem ab omni crassitie, ut anima ipsum sit gubernatura ad modum spiritus, non quod sit mutandum in spiritum, vel corpus aereum, quod etiam supra cum S. Gregorio adversus Eutychium reprobatum est, sed quia spiritui, idest animæ erit omnino obediens. Licet autem divina virtute possit cum alio corpore penetrari, vi tamen dotis subtilitatis hoc non habebit, ut simul cum alio corpore sive glorioso, sive non glorioso, in eodem loco esse possit. De quo videantur dicta loco citato. Eadem ratione ut docet S. Thom. hic *q.* 83. *art.* 5. non poterit esse modo in æquali, modo in inæquali loco, quia neque de quantitate sua aliquid nunquam amittet, neque fiet modo rarius, modo spissius, neque ipsa quantitas efficietur minor se ipsa per variationem situs: ita ut partes corporis subintrent se invicem. Poterit quidem quando vult, videri, & quando non vult, non videri; Quia ut ait S. Thom. hoc art. 5. ad 3. *Corpus videtur ex hoc, quod agit in visum: quod autem agat in visum, vel non agat, nihil variat in ipso corpore: & ideo non est inconveniens, si possit, quando vult, videri, & quando vult, non videri* (diffundendo species proprias suæ voluntatis arbitrio) *sed esse in loco non est actio aliqua procedens ab eo ratione suæ quantitatis, sicut videri ratione sui coloris.* Subtilitas non reddit corpus glorioſum impalpabile: quia ut docet S. Th. *art.* 6. non erit corpus aereum, sed solidum resistens cuilibet alteri corpori: ideoque palpabile, sicut de corpore glorioso Christi dictum est. Quamvis enim divina virtute reddi possit impalpabile, hoc tamen vi subtilitatis non habet.

IV. Tertia corporis glorioſi dos est Agilitas, qua sic poterit ab anima moveri, ut feratur sine difficultate quocumque, & quomodocumque ipsa voluerit motu quidem celerrimo, & quasi imperceptibili, non tamen in instanti. Videantur dicta sæpe citato loco, §. 4.

V. Quarta dos corporis glorioſi est Claritas, seu luciditas, qua undequaque lucem, ac splendorem emittet. An vero hæc claritas futura sit solum secundum superficiem, an vero etiam secundum profunditatem, affirmative respondimus sæpe allato loco, §. 5. quo Lectorem remitto, ubi etiam videbit, eam Lucem esse ejusdem speciei cum nostra, ac proinde etiam ab oculo non glorificato videri naturaliter posse. Unde claritas Corporis Christi visa fuit ab Apostolis in transfiguratione, & impii etiam justorum gloriam videbunt in die Judicii juxta illud, Sap. 5. vers. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili &c.* Neque lux illa, quamvis intensissima offendet oculum non glorificatum. —— Nam ut ait S. Thom. q. 85. Supplem. art. 2. ad 2. *Claritas intensa non offendit visum in quantum agit actione animæ, sed secundum hoc magis delectat: offendit autem in quantum agit actione naturæ calefaciendo, & dissolvendo organum visus, & disgregando spiritus. Et ideo claritas corporis glorioſi, quamvis excedat claritatem Solis, tamen de sui natura non offendit visum, sed demulcet: Propter quod claritas illa comparatur claritati jaspidis, Apoc.* 21. —— Non tamen claritas illa necessario videbitur ab oculo, sive glorificato, sive non glorificato: erit enim in potestate animæ glorificatæ, quod corpus suum videatur, vel non videatur: *Sicut & qualibet alia actio corporis in animæ potestate erit; alias non esset corpus glorioſum instrumentum summo obediens principali agenti.* Ita S. Thom. dicta *q.* 85. *art.* 3.

§. II.

An Corpora Damnatorum futura sint Incorruptibilia.

VI. CORpora etiam Damnatorum resurrectura integra integritate naturæ, & absque omni defectu, si quem, dum in hac mortali vita degerent, habuerunt, ostensum est supra, *dub.* 1. §. 1. quo Lectorem remitto.

Modo.

Modo examinandum eſt, an corpora Damnatorum reſurgent incorruptibilia, & impaſſibilia. Unde

VII. Dico primo. Corpora damnatorum reſurgent incorruptibilia. Eſt de fide. Nam, *Matth. 25. verſ. 46.* ſicut Beati cum ſuis corporibus ibunt in vitam æternam, ſic reprobi cum ſuis corporibus mittentur in ignem æternum. Advertit tamen S. Thom. *quæſt. 86. Supplem. art. 2.* quod dupliciter poteſt ab aliquo removeri motus corruptionis, & alterationis. Uno modo, quia deeſt principium motus, & corruptionis. Alio modo per hoc quod tale principium impeditur. Principium autem totius alterationis, & corruptionis eſt motus Cæli: unde eo ceſſante nullum erit agens, quod poſſit corpus tranſmutare a ſua naturali proprietate, ac proinde alterare, & corrumpere, ſicut & generare.

VIII. Quia autem poſt reſurrectionem ceſſabit motus Cæli, nullum erit agens, quod poſſit corpus aliquod a ſua naturali proprietate tranſmutare, alterare, & corrumpere, quia corruptio eſt terminus alterationis. Et in hoc ſenſu (inquit S. Th.) *Corpora damnatorum corrumpi non poterunt: Et hoc deſervit divinæ juſtitiæ, ut perpetuo viventes perpetuo puniantur, quod divina juſtitia requirit. Sicut & nunc corruptibilitas corporum deſervit divinæ providentiæ, per quam ex aliquibus corruptis alia generantur.*

Alio modo contingit ex hoc quod principium corruptionis impeditur: Et hoc modo corpus Adæ incorruptibile fuit; quia contrariæ qualitates in hominis corpore exiſtentes continebantur per gratiam innocentiæ, ne ad diſſolutionem corporis agere poſſent: Et multo plus continebuntur in corporibus gloriofis, quæ erunt omnino ſubjecta ſpiritui. Et ſic in corporibus Beatorum poſt reſurrectionem communem conjungentur duo modi prædicti incorruptibilitatis. Hæc S. Th. Quibus docet corpora Damnatorum fore incorruptibilia ſolum, quia ceſſabit principium corruptionis, nempe, motus Cæli.

IX. Ex his infertur, quod ratio allata partim eſt naturalis, partim ſupernaturalis: naturalis quidem, quia licet ceſſatio motus Cæli non ſit naturalis, ceſſante tamen illo motu naturali, conſecutione corruptiones, & generationes ceſſabunt. Sed erit etiam alia cauſa ſupernaturalis, nempe, perfecta animæ informatio, per quam anima corpori dabit eſſe incorruptibile: ut enim docet S. Thomas in 4. Contra Gen. cap. 89. *Corpus humanum poſt reſurrectionem non erit tranſmutabile de forma in formam, neque in bonis, neque in malis, quia in utriſque totaliter perficietur ab anima quantum ad eſſe naturæ: ita ut non ſit poſſibile, hanc formam a tali corpore removeri, nec aliam introduci divina virtute totaliter corpus animæ ſubjiciente: Unde & potentia, quæ eſt in prima materia ad omnem formam, in corpore humano remanebit quodammodo ligata per virtutem animæ, ne poſſit in actum alterius formæ reduci.*

X. Hinc ſi quæras: An poſt reſurrectionem humana corpora futura ſint incorruptibilia naturaliter, an ex virtute divina ſupra naturam operante. — Dicendum cenſeo fore incorruptibilia potius per virtutem divinam, quam per naturam. Nam quod prima materia natura ſua tranſmutabilis ligata maneat ad unam formam, divinæ virtutis opus eſt. Et dato etiam, quod ceſſante motu Cæli ceſſare debeat corruptio: quod tamen motus Cæli natura ſua perpetuus ceſſet, naturæ opus non eſt, ſed divinæ virtutis; & inſuper, quia cum ceſſante motu Cæli, omnia, mixta deberent corrumpi, ſi aliqua corpora mixta conſerventur, divinæ virtutis erit, non naturæ. Ita ſe explicat S. Thom. *Opuſc. 10. art. 25.* & *Opuſc. 11. art. 19.* ubi ad dubium, an poſt diem Judicii corpora Sanctorum erunt incorruptibilia tribus modis, ſcilicet per divinam juſtitiam, per gloriam, & per naturam, reſpondet, de duobus primis non eſſe dubium. Tertium autem poſſe habere calumniam: *Si intelligatur, quod ad incorruptionem humani corporis ſola natura ſufficiat, quaſi incorruptio humani corporis ex natura cauſetur, ſicut ab agente. Non enim ad hoc ſe extendit virtus alicujus naturæ creatæ, ut rebus corruptibilibus incorruptionem poſſit conferre. Dictum eſt etiam ſupra, quod ſecundum ordinem naturæ corpora humana, & omnia corpora mixta ceſſante motu Cæli diſſoluta corrumpentur. Immortalitas ergo humanorum corporum poſt reſurrectionem non erit ex virtute naturæ, ſed ex virtute divina, per quam corpora humana conſervabuntur in eſſe. Sed verum eſt, quod naturalis cauſa corruptionis quæ eſt motus Cæli, ſubtracta erit. Motus enim Cæli ſicut eſt cauſa generationis, & conſervationis mixtorum corporum: ita etiam eſt cauſa corruptionis eorum. Suppoſita ergo conſervatione humanorum corporum per virtutem divinam, non erit aliqua cauſa agens ad corruptionem. Et ſecundum hoc aliquo modo poſſet ſuſtineri, quod illa incorruptio eſſet per naturam, quia ſcilicet cauſa naturalis corruptionis ſubtracta erit, eo modo loquendi, quo dici poſſet, quod ſubmerſio navis eſt per gubernatorem, quia per ejus abſentiam navis periclitatur.* Ita S. Th. & in hoc ſenſu exponendum eſt quod dicit hoc *art. 2. ad 2.* quod *Incorruptibilitas illa erit per naturam.* Quod intelligendum eſt, tum de incorruptibilitate corporum damnatorum, tum Beatorum. Cum hac tamen differentia, quod in Beatis erit dos derivata ex beatitudine, ac felicitate animæ: In damnatis vero erit pœna, & effectus divinæ juſtitiæ, ut ultio malorum ſit perpetua.

XI. Sed dices primo. Omne compoſitum ex contrariis eſt corruptibile: ſed corpora damnatorum erunt compoſita ex contrariis; ergo erunt corruptibilia.

Reſpondeo cum S. Th. hoc art. 2. ad 1. *Quod contraria, ex quibus corpora componuntur, ſunt ſecunda principia ad corruptionem agentia, primum enim agens eſt motus Cæleſtis.* Unde *motu Cæli remoto, contraria, ex quibus corpus componitur, non ſufficiunt ad corruptionem faciendam, etiam ſecundum naturam.* Præterquam quod ut ex eodem S. Th. 4. *Contra Gen.* dictum eſt, Anima in corpus dominabitur dans illi eſſe perpetuum.

XII. Dices ſecundo. Mors eſt miſeriarum ſumma; quia vita eſt omnium bonorum naturalium fundamentum; ſed damnati ſunt in ſumma miſeria; ergo mors non eſt illis ſubtrahenda.

XIII. Reſpondetur cum eodem Sancto Thoma ad 3. *Quod quamvis mors ſit ſimpliciter maxima pœnarum, ſecundum quid tamen nihil probet mortem eſſe in pœnarum remedium, & per conſequens ablationem mortis in pœnarum augmentum.* Quando ſcilicet mors negatur, ne pœnæ accipiant finem. Et ſic mors denegatur damnatis. Unde, *Apoc. 9. v. 6.* dicitur: *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Quamquam etſi mori non poſſint, ſumpta morte pro fine, ſumpta tamen pro ſenſu doloris quo morientes torquentur, in perpetua morte eſſe dicuntur, unde, *Pſalm. 48. v. 15.* dicitur: *Mors depaſcet eos.* Ita ex S. Thom. ad 3. citato.

§. III.

An Corpora Damnatorum futura ſint Impaſſibilia?

XIV. Dico ſecundo. Corpora damnatorum erunt impaſſibilia paſſione naturæ; erunt tamen paſſibilia paſſione animæ. Ita S. Thomas, *q. 86. Supplem. art. 3.* ubi diſtinguit duplicem modum patiendi: Unum recipiendo aliquam formam ſecundum eſſe naturale materiale, ſicut calor ab igne recipitur in aere, vel in alio corpore mixto ipſum alterando naturali alteratione, & hanc vocat paſſionem naturæ. Alterum recipiendo aliquam formam quaſi ſpiritualiter, & per modum intentionis cujuſdam, ad modum quo ſimilitudo albedinis recipitur in pupilla cauſando in ea ſenſationem. Et hanc vocat paſſionem animæ. His notatis

XV. Prob. prima pars. Si damnatorum corpora eſſent paſſibilia paſſione naturali recipiendo formas ſecundum eſſe naturale, eſſent alterabilia, & conſequenter corruptibilia: nam receptio caloris, aut frigoris ſecundum eſſe naturale alterationem cauſat, & corruptionem molitur, & conſequenter generationem alterius: ſed, ut dictum eſt, §. *præcedente*, corpora etiam damnatorum inalterabilia ſunt alteratione naturæ, & proinde incorruptibilia, tum ex ceſſatione motus Cæli, qui omnis alterationis, & corruptionis primum principium eſt. Tum ex perfecta animæ informatione, & dominio ſupra corpus quaſi ipſum ligando ad eſſe quod habet; ergo ipſum reddit impaſſibile paſſione naturæ.

XVI. Secundo probatur. Supplicium illud non ad combuſtionem, & corruptionem inſtitutum eſt, ſed ad afflictionem: at poteſt ignis virtute divina abſque ulla materialis accidentis impreſſione per ſenſus homines torquere, ſicut torquet ſpiritus, quamvis eos non comburat, nec aliquam naturalem impreſſionem in eis cauſet.

XVII. Secunda vero pars explicatur. Ignis ille ingerit per ſenſoria organa tactus ſpecies ſenſibiles caloris uſque ad venas, nervos, medullas, junctūras, & ipſa viſcera, ut inde fiat vehementior doloris ſenſus, non tamen ſecundum æqualem conatum, & furorem, ſed quantum cujuſque culpa promeruit, quo fiet, ut corpora illa non erunt quidem paſſibilia paſſione materiali corruptiva, erunt tamen paſſione animali ſenſitiva, recipiendo nempe 11. per modum afflictivi, & læſivi. Unde S. Thom. Opuſc. artic. 21. *Quod autem* (inquit) *ſpeciem ignis per modum afflictivi in ſe recipiant, hoc negari non poteſt, niſi ab eo, qui negat hujuſmodi corpora ignem inferni ſentire: neceſſe eſt enim, ſpeciem ſenſibilis fieri in ſenſu, ad hoc, quod ſequatur afflictio.*

XVIII. Præterire non poſſum S. Auguſtinum, qui, *lib. 21. de Civit. Dei cap. 3.* contra quoſdam, qui capere non poterant quomodo damnatorum corpora torquenda ſint ab igne, & dolore afficienda, nec mori poſſint, poſt multa ita diſcurrit: *Attendunt autem iſti contradictores, nullam eſſe nunc carnem, quæ dolorem pati poſſit, mortemque non poſſit: & non attendunt eſſe tamen aliquid tale, quod corpore majus ſit. Ipſe quippe animus, cujus præſentia corpus vivit, & regitur, & dolorem pati poteſt, & mori non poteſt . . . . Hoc igitur erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc eſſe ſcimus in animis omnium. Si autem conſideremus diligentius, dolor qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet. Anima enim eſt dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi cauſa exiſtit a corpore, cum in eo loco dolet, ubi laditur corpus. Sicut ergo dicimus corpora ſentientia, & corpora viventia, cum ab anima ſit corpori ſenſus, & vita: ita & corpora dicimus dolentia, cum dolor corpori niſi ab anima eſſe non poſſit. Dolet itaque anima cum corpore in eo loco ejus, ubi anima contingit, ut doleat. Dolet & ſola, quamvis ſit in corpore, cum aliqua cauſa etiam inviſibili triſtis eſt ipſa,*

corpo-

corpore incolumi. Dolet etiam non in corpore conſtituta: Nam utique dolebat dives ille apud inferos, quando dicebat: Crucior in hac flamma. *Corpus autem nec examine dolet, nec animatum ſine anima dolet &c.*

XIX. Ex hac S. Auguſtini doctrina apparet, quomodo corpus aliquid poſſit eſſe paſſibile, & capax doloris, quamvis mori non poſſit, & hoc ideo, quia proprie loquendo anima eſt, quæ dolet in corpore, non corpus. Ex hoc infero, quod ut aliquod læſivum excitet dolorem non requiritur, ut producat qualitatem deſtructivam vitæ in corpore, ſed ut talem ſenſationem in ſenſu excitet, quæ dolorem in anima pariat. Ad hoc autem ſat eſt ut læſivum contrarium vehementem ſpeciem ſui imprimat in ſenſu. Et hoc intendit etiam S. Thom. 4. *Contra Gen. c.* 89. dum ait: *Sed quia damnatorum corpora quantum ad aliquas conditiones non erunt animæ totaliter ſubjecta, affligentur ſecundum ſenſum a contrarietate ſenſibilium: affligentur etiam ab igne corporeo, in quantum qualitas ignis propter ſui excellentiam contrariatur æqualitati complexionis, & harmoniæ, quæ eſt ſenſui connaturalis; licet eam ſolvere non poſſit: Non tamen talis afflictio animam a corpore poterit ſeparare: Cum corpus ſemper ſub eadem forma neceſſe ſit remanere.*

XX. Sed quia aliqui non improbabiliter contendunt, quod corpora damnatorum patientur ab igne per veram, & naturalem alterationem calefactionis, ac nihilominus non corrumpentur divina virtute faciente, ut ad eam corruptio non ſequatur: Propterea eorum fundamenta ſubjicere placet.

XXI. Dicunt ergo primo. Fundamentum, cui S. Thom. innititur, quod nimirum ceſſante motu Cæli ceſſabit in his inferioribus omnis naturalis alteratio, videtur parum firmum. Primo quia alias ſequeretur, quod ceſſante motu Cæli lapis in aere poſitus non deſcenderet deorſum, ſed quamvis gravis ſemper maneret ſuſpenſus: Item quod ſtuppa quamvis facile combuſtibilis, aut pulvis ſulphureus applicatus igni, non combureretur, quod unus eſt ex articulis a pariſienſi Academia damnatis nimirum: *Dicere quod motu Cæli ceſſante ignis non incenderet ſtuppam ſibi applicatam, error eſt.*

Secundo. Quia tempore Joſuæ non ſolum ſteterunt Sol, & Luna, ſed etiam omnes Stellæ, ut communiter tenent Interpretes: Tunc autem motus omnes ſublunares non ceſſarunt: immo occaſione prælii fuerunt tunc motus fugientium, & inſectantium, tum occiſorum, tum occidentium.

Tertio. Quia ſi daretur vacuum inter Cælum, & Terram, & in medio poneretur lapis, iſte propria gravitate ad centrum deſcenderet: tunc autem Cælum non influeret in illum.

Quarto. Motus Cæli non influit in ſublunaria, nec immediate immediatione ſuppoſiti, nec virtutis nec enim in hiſce ſublunaribus aliquid imprimit.

Quinto. Juxta S. Thom. poſt diem Judicii ignis producet in corporibus damnatis ſpecies intentionales caloris; ergo etiam producere poterit qualitatem caloris naturaliter, cum utrumque pendeat a motu Cæli.

Sexto. Quia ſaltem nunc aliquorum damnatorum corpora, quæ ſunt in inferno, poterunt ab igne incendi, cum modo non deſit motus Cælorum.

Septimo. Quia Patres ſentiunt, non obſtante ceſſatione motus Cæli corpora damnatorum fore combuſtibilia, quod ipſa Scriptura confirmat, *Matth. 13. v. 3. Joan. 15. v. 6.* & alibi.

XXII. Reſpondeo tamen, hæc opinioni S. Thomæ ſuam probabilitatem non auferre, quam docet non ſolum hic, ſed *& Opuſc. 11. art. 10. & q. 3. de Potentia, art. 8.* ubi dicit quod Deus ita videtur inſtituiſſe corporalia, ut inferiora dependeant a ſuperioribus, & ſuperiora a ſpiritualibus: *Unde ceſſante actione ſubſtantiæ ſeparatæ, oportet, quod ceſſet actio corporis cæleſtis, & ea ceſſante, oportet quod ceſſet actio corporis elementaris*, ea nimirum qua agit per motum, & ad tranſmutationem materiæ.

XXIII. Hinc ad primum, nego ſequelam. Nam motus lapidis deorſum eſt quaſi proprietas ſequens naturam lapidis, unde ſi ceſſante motu Cæli conſervaretur natura lapidis, conſervaretur in ipſo talis motus: ſicut *Opuſc. 11. art. 10.* citato dicit, quod ceſſante motu Cæli, & conſervata natura aeris, ſecundum quam eſt *facile diviſibilis ratione humiditatis, & ſubtilitatis*, inſtrumentum etiam vocalis laudis eſſe poſſet.

Id vero quod additur de ſtuppa, aut pulvere ſulphureo non eſt ad rem, primo. Quia cum in perpetuum ceſſabit motus Cæli, nec ſtuppa, nec pulvis ſulphureus amplius erunt. Secundo. Dato quod per miraculum ceſſaret motus Cæli, ſtuppa, & pulvis adhuc eſſent corruptibiles, & combuſtibiles; ideoque ignis agere poſſet in eos actione naturæ, eoſque comburere. Sed corpora damnatorum erunt incorruptibilia, ideoque ſicut ignis ea comburere nequit, ita nequit ea actione naturæ alterare. Quare hæc inſtantia nimis probaret. Sanctus Thomas autem ex duplici capite, ut diximus, probat, ignem, aut quodlibet aliud agens non poſſe agere in corpora damnatorum actione naturæ ea alterando ad corruptionem. Unde, quia deeſt motus Cæli, quod eſt primum alterationis principium. Alterum quia divina virtute non poteſt ab eis anima ſeparari.

XXIV. Ad ſecundum dico. Quod Deus eadem virtute, qua fecit ſolem, & alios Cæleſtes orbes ſtare, fecit etiam, ut eo brevi tempore generationum, & aliarum actionum naturalium Ordo ſervaretur.

XXV. Ad tertium dico. Quod dato vacuo in ſpatio inter Cælum, & terram, lapis in medio poſitus adhuc moveretur deorſum, quia ut dictum eſt motus ille eſt proprietas naturæ lapidis.

XXVI. Ad quartum dico. Cælos influere in hæc inferiora immediate immediatione virtutis. Dicere autem, quod motus Cæli in hiſce ſublunaribus nihil imprimat, novum eſt, & contra quotidianam experientiam. De hoc videri poteſt S. Th. 1. *p. q. 115. art. 3.*

XXVII. Ad quintum, nego conſ. Actio enim, quæ non eſt alterativa, & tranſmutativa materiæ, ſed mere intentionalis, & diffuſiva lucis, & ſimilitudinis non dependet a motu Cæli. Ita S. Th. *quæſt. 3. de Pœnitentia, art. 8.* ubi in his corporibus inferioribus duplicem diſtinguit actionem, unam ſecundum proprietatem corporis, ut agat per motum, hoc enim proprium eſt corporis, ut motum moveat, & agat. Aliam, qua quodammodo aſſimilatur, & participat de ſuperioribus ſubſtantiis: *Et hæc eſt actio corporis, quæ non eſt ad tranſmutationem materiæ; ſed ad quamdam diffuſionem ſimilitudinis formæ in medio ſecundum ſimilitudinem ſpiritualis intentionis, quæ recipitur de re in ſenſu, vel intellectu. Et hoc modo Sol illuminat aerem, & color ſpeciem ſuam multiplicat in medio. Uterque autem modus actionis in his inferioribus cauſatur ex corporibus Cæleſtibus. Nam, & ignis ſuo calore tranſmutat materiam ex virtute corporis Cæleſtis, & corpora viſibilia multiplicant ſuas ſpecies in medio virtute luminis, cujus fons eſt in Cæleſti corpore. Unde ſi actio utraque corporis Cæleſtis ceſſaret, nulla actio in iſtis inferioribus remaneret. Sed ceſſante motu Cæli, ceſſabit prima actio, non ſecunda. Et ideo ceſſante motu Cæli erit quidem actio in iſtis inferioribus illuminationis, & immutationis medii a ſenſibilibus; non autem erit actio, per quam tranſmutatur materia, quam ſequitur generatio, & corruptio.* Ita S. Thom. unde concedit, quod in mundi conſummatione Sol, & Luna illuminabunt corpora inferiora, & Sancti videbunt viſu corporeo res hujus mundi. Nam iſtæ non ſunt actiones, quibus materia tranſmutatur; ſed quibus ſpecies per modum intentionis ſpiritualis multiplicatur.

XXVIII. Ad ſextum. Dato, aliqua corpora modo in inferno cruciari, quod incertum eſt, dico, illa corpora facta eſſe incorruptibilia, unde licet maneant paſſibilia, erunt tamen paſſibilia ſola paſſione intentionali, non naturali. Nam licet motus Cæli adhuc duret: non poteſt influere in illa actione naturæ ea diſſolvendo, quia indiſſolubilia divina juſtitia facta ſunt. Alias ſi poneremus, ignem Inferni per realem actionem agere illa calefaciendo, & accendendo, non poſſet ſine ingenti miraculo illa non corrumpere, & in cineres redigere, quod abſque gravi cauſa admitti non debet.

XXIX. Ad ſeptimum reſpondeo. Quod licet Scriptura, & Patres dicant, reprobos in ignem mittendos, & igne cruciandos, non dicunt tamen, eos eſſe igne cruciandos, & comburendos actione naturali, cum indifferenter loquantur de corporibus, ac de ſpiritibus damnatorum, & Dæmonibus, in quos certe ignis actione naturali agere nequit. Hæc probabiliter dicta ſint. Quid futurum revera ſit, Deus novit. Solum rogandus eſt, ne id per experientiam noſſe, pro miſericordi ſua clementia nobis non permittat.

TRA-

TRACTATUS XVI.

DE JUDICIO UNIVERSALI,

ET CONSEQUENTIBUS IPSUM.



Ecuta Generali Reſurrectione, immediate ſiſtemur omnes coram Chriſto Judice, ut judicio facto, unuſquiſque finalem ſuam ſententiam referet, pro ut quiſque geſſit in corpore, ſive æternæ felicitatis, ſive æternæ miſeriæ. In hoc igitur præſenti Tractatu verſabimur agentes de Judicio, de judicandis, de Judicis adventu, & apparatu, de forma, & materia Judicii, de ſententia, ac de iis, quæ poſtea conſequentur; ſequentes S. Thom. *in Supplem. 3. p. q.* 87. & ſequentibus. De particulari Judicio etiam aliqua ſubjiciemus.

QUÆSTIO I.

De Judicio Univerſali.

IN hac Quæſtione de Judicio univerſali ſermo nobis erit, & quæremus, an futurum ſit, quo tempore, & quo loco.

DUBIUM I.

An Judicium Univerſale ſit Futurum?

§. I.

Catholica Veritas.

I. SAdducæi, & Samaritani, qui reſurrectionem carnis negabant, conſequenter nullum poſt hanc vitam futurum Judicium ſperabant. Aperte etiam illud negarunt Symmachiani, Gnoſtici, Hermianitæ, Doſitheani, Manichæi, alliſque Veteres. Hi enim cum vitiis, & concupiſcentiis omnem, atque effrænem licentiam concederent, ut ſui eiſdem liberius vacare poſſent, ne timore extremi Judicii coercerentur, ſuadente Diabolo, illud e medio tollere cogitarunt. Ex recentioribus autem David Georgius Gandavenſis profeſſione Vitriarius, anno 1501. temporibus Caroli V. & Clementis VII. hoc errore, præter cæteros, in Hollandia, & Frigia non paucos ſeduxit. Quamvis poſtea ejus cadavere a Baſileenſibus combuſto, credibile ſit, eos deceptionem agnoviſſe, & errorem retractaſſe. Hiſce tamen abjectis.

II. Dico. De fide eſt, Judicium generale futurum. De hoc S. Th. *q.* 88. *Suppl. art.* 1. Hanc veritatem inter cæteros Patres fuſe demonſtrat ex Scripturis, tum Novi, tum Veteris Teſtamenti S. Auguſtinus, *lib.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 5. *& ſeq.* ex quo aliqua decerpemus. Primo ergo probat ex illo, *Matth.* 11. *v.* 22. ubi Salvator cum objurgaret Civitates, in quibus virtutes magnas fecerat, neque crediderant, & eis alienigenas anteponeret, dixit Corozaim, & Bethſaidæ: *Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sydoni remiſſius erit in die Judicii, quam in vobis.* Et *v.* 24. Capharnaum idem minatur dicens: *Verumtamen dico vobis; quia terra Sodomorum remiſſius erit in die Judicii, quam tibi.* Et Matth. 12. v. 41. & 42. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.... Regina Auſtri ſurget in Judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam &c.* Hoc idem oſtendit ex *Matth.* 13. *v.* 37. *Matth.* 19. *v.* 28. ubi promittit diſcipulis ſuis, eos cum ipſo feſſuros judicantes. Et *Matth.* 25. *v.* 31. *&c.* ubi judicium, & ſeparationem bonorum a malis deſcribit. Hoc idem probat, *cap.* 18. *ex Epiſt.* 2. *Petri* 3. *v.* 3. *&c.* & *cap.* 19. *ex Epiſt.* 2. *Pauli ad Theſſal.* 2. *v.* 1. *&c.* deinde, *cap.* 21. probat idem ex Veteri Teſtam. *ex Iſaia, cap.* 26. *v.* 19. *ex Daniele* 7. *v.* 15. & 12. *v.* 1. & *tandem cap.* 25. *ex Malachia* 3. *v.* 1. *&c.* quæ omnia apud eumdem S. Auguſtinum citatis locis Studioſus percurrere poterit.

III. Attamen pro faciliori notitia alia breviter complectar. Eſt ergo teſtimonium Chriſti, Joan. 12. v. 48. *Sermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.* Quæ protulit, poſtquam dixerat, in primo adventu ſe non veniſſe, ut judicet mundum, ſed ut ſalvificet mundum. Quod etiam dixerat, Joan. 3. v. 17. Non *enim Deus miſit Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Quibus duos ſuos adventus ſubindicat. Primum ad ſalvandum per miſericordiam mundum: & ſecundum ad judicandum ipſum ſecundum rigorem juſtitiæ. Unde, v. 19. ſubjungit: *Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.* Quaſi illa futura ſit materia Judicii, nempe, quomodo homines fidem ſuſceperint, & eam coluerint. Et ideo, *Joan.* 5. poſtquam *v.* 27. dixit: *Et poteſtatem dedit ei Judicium facere*, ſubdit, v. 29. *Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Hoc teſtatur Paulus, 1. ad Cor. 4. v. 5. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, & 2. ad Corinth. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Eſt igitur hæc veritas Oraculis Scripturarum adeo ſtabilita, ut S. Auguſt. iis recenſitis (ut ſupra) *lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 30. concludat: *Nullus igitur vel negat, vel dubitat per Jeſum Chriſtum tale, quale iſtis ſacris litteris prænuntiatur, futurum eſſe noviſſimum judicium, niſi qui eiſdem litteris, incredibili animoſitate, ſeu cæcitate non credit.* Quare Eccleſia in omnibus ſuis Symbolis, Apoſtolico, Nicæno I. Conſtantinopolitano, inter fidei articulos, hunc profeſſa ſemper eſt. *Qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos.*

§. II.

Eadem Veritas Rationibus Stabilitur.

IV. PRima ratio ita concipitur. Finis rei debet congruere ſuo principio: In hac autem Mundi machina conſideratur non ſolum uniuſcujuſque hominis productio, & ſpecialis de illo providentia; ſed etiam totius mundi creatio, & generalis omnium providentia, & gubernatio; ergo in fine non ſolum debet provideri ſingulis in particulari per particulare, & quaſi ſecretum judicium, ſed ulterius debet omnibus ſimul provideri generali, & univerſali judicio, ut ſic ultima mundi completio correſpondeat primæ ejus productioni. Hunc diſcurſum inſinuat S. Thom. *q.* 88. *Suppl. art.* 1.

V. Secunda ratio cur præter judicium particulare dari debeat judicium univerſale, quam indicat S. Thom. citato loco, eſt, ut divina juſtitia omnibus manifeſte appareat, quæ modo ſæpe occultatur, dum *interdum de uno diſponitur ad utilitatem aliorum, aliter quam manifeſta opera exigere videantur*; mali etiam proſperantur, boni affliguntur, & ſæpe mali permixti bonis, & e converſo non dignoſcuntur: Quamvis autem cuique poſt mortem reddatur præmium, vel pœna, ac fiat bonorum a malis ſeparatio; hæc tamen nota mundo non ſunt; ergo ut divina juſtitia plenius innoteſcat, æquum eſt, ut totum hoc coram omnibus in fine mundi fiat: *Unde etiam* (concludit S. Thom.) *& tunc erit univerſalis ſeparatio bonorum a malis; quia ulterius non erit locus ut mali per bonos, vel boni pro malos proficiant, propter quem profectum interim commixti inveniuntur boni malis, quoadusque ſtatus hujus vitæ per divinam providentiam gubernatur.*

VI. Hoc magis explicatur ex iis, quæ idem S. Doctor habet, 3. *p. q.* 59. *art.* 5. ſic. Perfectum, & integrum judicium de aliqua re mutabili non habetur antequam ſit perfecte conſummata, tam in ſe, quam in ſuis effectibus; quia multæ actiones videntur eſſe utiles, quæ ex effectibus apparent nocivæ, & e converſo. Licet autem vita hominis in ſe conſummetur per mortem; vivit tamen adhuc in memoriis hominum, in quibus quandoque contra veritatem bonam, vel malam famam poſſidet. Vivit etiam in filiis, qui interdum licet ex bono patre nati, ſunt mali, & licet ex malo, ſunt boni; vivit quantum ad effectum ſuorum operum. Sic ex deceptione Arii, Lutheri, Calvini, & aliorum ſeductorum vivit, & forte vivet infidelitas, & error uſque ad finem mundi; ſicut ex prædicatione Apoſtolorum proficit uſque nunc, & proficiet fides. Quantum etiam ad corpus, aliquorum corpora ſunt honorifice ſepulta, aliquorum jacent inſepulta, aut neglecta. Vivit etiam homo in rebus, in quibus fixit ſuum affectum. Ex his omnibus contraria, & ſaltem diverſa de his, qui deceſſerunt a viventibus formantur judicia: aliquibus de eis bene, & ut de probis viris ſentientibus, aliis male, ut tamquam de perditis viris opinantibus. Cum de his omnibus non poſſit haberi perfectum, & manifeſtum judicium, quamdiu hujus temporis curſus durat: Oportebit fieri finale judicium a Deo, in quo perfecte id quod ad unumquemque hominem pertinet quocumque modo, perfecte, & manifeſte judicetur.

VII. His accedit: Quod legimus operum valor, & pretium æſtimatur ex intentione, quæ intus in corde latet, ex quo ut ait Chriſtus, *Matth.* 15. *v.* 19. exeunt cogita-

gitationes, ſive bonæ, ſive malæ. Quo fit, ut quamplurimum *Homo*, qui ut habetur, 1. Reg. 16. v. 7. *Videt ea, quæ parent*, ſubſit fallaciæ in judicandis hominibus ab externa facie, & operibus. Sunt enim aliqui, qui, ut ait Chriſtus, Matth. 7. v. 15. *Veniunt in Veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*; & viceverſa ſunt alii, qui cordis ſanctimoniam exterius diſſimulant facientes opera bona, ne videantur ab hominibus; ergo conſentaneum eſt maxime, ut in generali hominum, & Angelorum conventu abdita cordium propalentur, & legitimum perſonarum judicium notum fiat univerſis, atque adeo hypocritæ ſummo confundantur opprobrio, & filii Dei publicis honoribus decorentur. Unde Paulus, 1. Cor. 4. v. 5. *Nolite* (inquit) *ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.*

VIII. Tertia ratio eſt. Ut Chriſtus Dominus, qui olim tamquam reus injuſte eſt judicatus palam clarificetur cum majeſtate veniens, ut & eos, qui ipſum judicaverunt, & alios omnes judicet.

IX. Quarta eſt. Ut notus homo judicetur. Cum enim ad opera bona, & mala corpus fuerit inſtrumentum animæ, ad ipſum etiam pertinere debet ſententia punitionis, vel præmii.

X. Quinta tandem. Ex ſimilitudine ſementis, & meſſis. Tempus enim præſentis ſæculi tempus ſementis eſt, ubi grana cum paleis mixta concreſcunt, & zizania cum tritico. Convenit enim, ut ait Auguſt. *in Pſal.* 54. & S. Th. ſupra citatus, probos in hoc ſæculo cum reprobis commixtim vivere, ut mali conſiliis, exempliſque bonorum in viam redeant, & boni perverſa iniquorum opera caveant. Eſt ergo conveniens, ut Dominus meſſis, quemadmodum ait Baptiſta, *Matth.* 13. *v.* 12. ventilabro ſuo, hoc eſt judicio diſcretionis permundet aream ſuam, triticumque in horreum ſuum congreget, & paleas igne inextinguibili exurat. Tempus autem meſſis erit in fine ſæculi, juxta dictum Chriſti, Matth. 13. v. 39. *Meſſis vero conſummatio ſæculi.*

§. III.

Solvuntur Argumenta.

XI. OBjicies primo. *Nahum* 1. *v.* 9. dicitur: *Non conſurget duplex tribulatio*. Quod lxx. Interpretes vertunt: *Non judicabit Deus bis in idipſum*. Sed nunc Deus judicat de ſingulis hominum operibus poſt mortem; ergo non ſupereſt aliud judicium.

XII. Confirmatur. Deus ſtatim poſt cujuſque mortem retribuit ei præmium, vel pœnam. Non autem hoc differt ad tempus poſt reſurrectionem, ut fuſe oſtendimus, *tom.* 1. *in* 1. *p. quæſt.* 2. *de Viſione, dub.* 3. contra eos, qui opinabantur, quod animæ Sanctorum non præmientur in Cælo, nec animæ damnatorum puniantur in inferno uſque ad diem Judicii: ſed poſt retributionem præmiorum, & pœnarum fruſtra adhibetur judicium; ergo &c.

XIII. Reſpondeo cum S. Thom. *q.* 88. *Suppl. art.* 1. *ad* 1. diſt. min. De ſingulis &c. ut perſonæ particulares ſunt, conc. min. Ut ſunt partes communitatis hominum, neg. min. legitur *Quilibet homo, & eſt ſingularis quædam perſona, & eſt pars totius generis humani. Unde & duplex ei judicium debetur. Unum ſingulare, quod de eo fiet poſt mortem, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, ſed quoad animam tantum. Aliud judicium debet eſſe de eo ſecundum quod eſt pars totius humani generis: ſicut aliquis judicari dicitur ſecundum humanam juſtitiam, etiam quando judicium datur de communitate, cujus ipſe eſt pars. Unde & tunc quando fiet univerſale judicium totius humani generis per univerſalem ſeparationem bonorum a malis, etiam quilibet per conſequens judicabitur. Nec tamen Deus judicabit* bis in idipſum; *quia non duas pœnas pro uno peccato inferet: ſed pœna, qua ante judicium complete inflicta non fuerat, in ultimo judicio complebitur, poſtquam impii cruciabuntur quoad corpus, & animam ſimul.*

XIV. Ex his ad confirmationem patere poteſt reſponſio. Nam ſtatim poſt mortem cuique retribuitur quidem præmium, vel pœna, ſed non complete, quia ſolum quantum ad animam. Unde reſtat locus, ut in univerſali Judicio poſt reſurrectionem idem præmium, & pœna compleatur, & extendatur etiam ad corpus. —— Dici etiam poteſt cum S. Thom. 3. p. q. 59. artic. 5. ad 1. *Quod poſt mortem quantum ad ea quæ ſunt animæ homo ſortitur quemdam immutabilem ſtatum; & ideo quantum ad præmium animæ non oportet ulterius differri judicium. Sed quia quædam alia ſunt ad hominem pertinentia, quæ toto temporis curſu aguntur, quæ non ſunt aliena a divino judicio, oportet iterum in fine temporis omnia hæc in judicium adduci. Licet enim homo ſecundum hæc non mereatur, neque demereatur, tamen pertinent ad aliquod ejus præmium, vel pœnam. Unde oportet, hæc omnia æſtimari in finali judicio.* Nimirum, ut deinceps boni aliis accidentariis præmiis augeantur, tum in corporibus, tum in Sanctorum pleniori conſortio. Et ut e contra damnati eiſdem rationibus truculentius torqueantur.

XV. Objicies ſecundo. In nullo judicio executio ſententiæ præcedit judicium: ſed ſententia divini Judicii quoad homines eſt de adoptione Regni, vel excluſione a Regno, ut patet, *Matt.* 25. ergo cum ex dictis, modo aliqui adipiſcantur Regnum, aliqui a Regno excludantur, videtur aliud judicium non eſſe futurum. —— Eo vel maxime quod. Propterea aliqua in judicium dicuntur adduci, quia dubium eſt, quid de eis definiendum ſit. Sed ante finem mundi jam definita inappellabiliter eſt cuique ſua damnatio, & cuique Sanctorum ſua beatitudo; ergo &c.

XVI. Reſpondet S. Thom. dicta q. 28. Suppl. art. 1. ad 2. *Quod propria ſententia illius generalis judicii eſt univerſalis ſeparatio bonorum a malis, qua illud judicium non præcedet. Sed etiam nunc quoad particularem ſententiam uniuſcujuſque non plene præceſſit judicii effectus: quia etiam boni amplius poſt judicium præmiabuntur, tum ex gloria corporis adjuncta, tum ex numero Sanctorum completo: & mali etiam plus torquebuntur ex adjuncta pœna corpori, & impleto in pœnis numero damnatorum; quia quanto cum pluribus ardebunt, tanto magis ardebunt.*

Ad id quod additur, dicit idem S. Th. ibi ad 3. *Quod univerſale judicium magis directe reſpicit univerſalitatem hominum, quam ſingulos judicandorum, ut dictum eſt. Quamvis ergo cuilibet homini ante judicium erit certa notitia de ſua damnatione, vel præmio; non tamen omnibus omnium damnatio, vel præmium innoteſcet. Unde judicium neceſſarium erit.*

XVII. Objictes tertio. Si neceſſarium eſſet univerſale judicium, maxime propter corpora, quæ tunc reſurgent: ad corpora vero non pertinet meritum, vel demeritum: ergo cum judicium futurum ſit, ut ob merita, vel demerita præmium reddatur, aut pœna, non eſt cur judicium, uſque ad corporum reſurrectionem differatur. Maxime quia Chriſtus, *Joan.* 12. *v.* 31. dicit: *Nunc judicium eſt mundi.*

XVIII. Reſpondeo. —— Quod corpus non eſt ut inſtrumentum animæ ſeparatum, ſed conjunctum tamquam pars ſuppoſiti, & ideo ſicut fuit particeps laboris, & voluptatis, debet eſſe & præmii, & ſupplicii. Quare licet anima, quæ per ſe ſubſiſtit, in ipſo ſtatim exitu a corpore recipiat retributionem; corpus tamen quia manet adhuc mutabilitati obnoxium, in fine mundi eſt illam recepturum; tunc enim etiam ipſum immutabilitatem recipiet. Ita S. Th. 3. *p. q.* 59. *art.* 5. *ad* 3. Verbum autem illud Chriſti *Joann.* 12. non loquitur, ait S. Auguſtinus, *Tract.* 52. *in Joann.* de illo Judicio, quo in fine vivi, & mortui judicandi erunt, ſed de Judicio quod ipſe ſua morte, ac reſurrectione contra Diabolum facturus erat, mundum ab ejus tyrannide liberando. Unde ſubdit: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

DUBIUM II.

De Tempore, & Loco Univerſalis Judicii.

§. I.

De Tempore.

I. CErtum eſt, univerſale judicium futurum in fine mundi, & immediate poſt generalem reſurrectionem: ſed cum prorſus incertum, & ignotum ſit tempus, quo mundi finis adveniet, & generalis reſurrectio fiet ut *Tract. præcedente, quæſt.* 4. *dub.* 1. §. 2. oſtenſum eſt; ideo incertum, & eadem ratione ignotum eſt tempus, quo univerſale judicium inſtituetur. Ad ea igitur quæ de incertitudine temporis reſurrectionis citato loco diximus, ne inutiliter repetantur, Studioſum remitto. Pro majori tamen facilitate, & ſui notitia aliqua ex ibi dictis ſtrictim colligam, & aliqua addam.

II. Aliqui ergo etiam ex Patribus ibi relatis cenſuerunt, quod ſicut ſex diebus mundus fuit creatus, & ſeptima die Deus requievit, cum apud Deum mille anni computentur tamquam unus dies, mundus ſex millibus annorum eſſet duraturus, quibus completis, ſuccedet dies magni Sabbati, qua Deus a mundi conſervatione requieſcet. Qua opinione ſtatuta, & poſito, quod Chriſtus dicatur natus anno 4000. ab Orbe condito, vel circiter, cum modo excurrat annus Chriſti 1733. futurum eſſet Judicium poſt annos 267.

III. Hanc tamen opinionem, ſalva Patrum auctoritate, non admiſimus ob rationes ibi allatas. Neque addas primo. Hanc eſſe traditionem Judæorum ex quodam oraculo Eliæ, prout refertur in eorum Thalmud. Secundo. Quia primus verſus Geneſis, qui continet ſummam totius mundi fabricæ ſexies litteram *Aleph* continet, quæ in nobis numerum *mille* ſignificat. Tertio. Quia ſex primi humani generis parentes, quos Scriptura commemorat, nempe, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, mortui ſunt, ſeptimus vero, nempe, Henoch, vivit adhuc: ergo poſt ſex mille annos mortalitatis ſuccedet ſeptimus millenarius vitæ, & felicitatis in Cælo. Quarto. Quia præceſſerunt bis mille anni legis naturæ, item bis mille legis Moſaicæ: Congruum ergo eſt, ut ſequantur alii bis mille legis gratiæ duraturæ uſque ad finem mundi.

IV. Nam debilia ſunt. Primum quidem; nam traditio Judæorum fundatur in Thalmud, quod eſt opus mendaciis,

ciis, & blaſphemiis plenum. Oraculum autem illud, in quo fundatur, non eſt Eliæ Prophetæ, ſed eſt commentum cujuſdam Eliæ Rabbini Caldaici, & Rabbinici, ac proinde nullius fidei.

Secundum etiam, & tertium. Nam unde vel apparenter probatur, vel litteram *Aleph* ſexies in principio Geneſis repetitam ſignificari ſex mille annos durationis mundi? Unde per ſex primos humani generis parentes ſex mille anni, & non potius ſex milliones annorum probantur?

Quartum ſimiliter. Unde enim probatur, bis mille tantum annos legem naturæ, & alios bis mille tantum legem Moſaicam duraſſe? Patres pro hac opinione citati juxta verſionem lxx. Interpretum, ut advertit Suarez, ſenſerunt, Chriſtum natum currente jam ſexto millenario, quare ſi vera eſſet hæc meditatio, vel mundus durabit plus quam ſex mille annos, vel cum jam ſextus millenarius expletus ſit, Mundus amplius non eſſet.

Opinionem etiam Mundum ſex ætatibus duraturum citato loco rejecimus, nec aliquid reddendum ibi dictis exiſtimamus: neque aliis meditationibus, ibi rejectis quæ lector adire poterit.

V. Unicam proferam quorumdam dicentium, quod cum Chriſtus in primo adventu venerit in medio annorum juxta illud Abacuc 3. v. 2. *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud*, conſequens ſit, ut quot anni fluxerunt a conditione, & exordio mundi ad Chriſtum, totidem fluxuri ſint a Chriſto uſque ad mundi conſummationem.

VI. Verum etſi hæc meditatio admitteretur, nihil certi pro anno, & tempore conſummationis mundi haberemus, propter incertitudinem annorum a mundo condito ad Chriſtum natum. Nam licet probabiliter diceretur, Chriſtum natum fuiſſe quatuor mille annis a conditione mundi, & proinde Mundum octo mille annos duraturum, quo fieret, ut ab hoc anno 1733. ad finem Mundi, & Judicium ſupereſſent adhuc anni bis mille ducenti ſexaginta ſeptem: Nihilominus quia de annis, qui a conditione mundi ad Chriſtum natum, nil certi eſt apud Patres, & Chronologos, ex hac meditatione nil certi pro tempore univerſalis Judicii figere poſſumus.

Quamquam non video, quo adhuc probabili fundamento dicatur Chriſtus natus in medio temporum, quaſi mathematico, ita ut inferri poſſit, tantum temporis fluxurum ab eo nato ad finem mundi, quantum ab exordio mundi ad ipſum natum. Nam verba Abacuc *In medio annorum* ſecundum lxx. Interpretes idem ſunt, ac *Cum appropinquaverint anni*; ideſt, ut exponit ibi S. Hieronymus. *Cum venerit, inquit, tempus, & opere promiſſa compleveris, monſtrabis vera eſſe, qua pollicitus es. Sive cum appropinquaverit conſummatio, & in extrema hora ad deſtruenda peccata venerit filius tuus, manifeſtius cognoſceris.* —— Addo quod ex phraſi S. Scripturæ ly *in medio annorum*, idem eſt, ac *intra annos*, ut Pſal. 100. v. 7. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam*; ideſt intra domum meam 4. Reg. v. 13. *In medio populi mei habito* Jerem. 50. v. 8. *Recedite de medio Babylonis*. Nihil ergo certi pro tempore Judicii erui poteſt.

VII. Sed neque quidquam certi colligi poteſt de menſe, die, vel hora, qua futurum erit Judicium ſuperius citato loco *num.* 22. oſtendimus. Incertus quidem menſis. Nam quod aliqui autumant, illud futurum menſe Martio, quod eo menſe mundus credatur conditus, & eo etiam Redemptor noſter judicatus, & mortuus, pia quidem, ſed levis conjectura eſt. Levior etiam eſt ea, quæ Judicium menſi Aprilis conſignat, quaſi eo menſe quo ea quæ hyeme mortua quaſi fuerant, reviviſcunt, eodem homines mortui ad vitam ſint redituri.

Incertus etiam dies menſis. Licet enim dies Dominicus congruus videatur, quia eo Chriſtus reſurrexit, ut ſic reſurrectio membrorum reſurrectioni capitis conformetur, & propterea etiam Dominica Paſchatis; levis tamen utraque eſt conjectura, cum neceſſe non ſit, ut reſurrectio membrorum reſurrectioni capitis in omnibus conformetur.

Tandem incertam etiam eſſe horam, qua fiet judicium, & reſurrectio allato loco demonſtravimus. Quare licet probabiliter cum S. Thoma dixerimus, reſurrectionem potius in crepuſculo diei futuram, quam media nocte. Sicut & aliqui dicunt judicium eſſe peragendum de die hora correſpondente tertiæ uſque ad nonam, quia hiſce tribus horis Chriſtus in cruce pependit; conſultius tamen, & tutius eſt noſtram de hoc ignorantiam confiteri, juxta monitum Chriſti, Marci 13. v. 35. *Neſcitis enim quando Dominus veniat, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane.*

VIII. Merito igitur Leo X. in Conc. Later. V. *Seſſ.* 11. vetuit, ne quiſquam de his rebus auderet aliquid pro certo aſſerere, his verbis: *Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichriſti adventum, aut certum diem judicii prædicare vel aſſerere, nequaquam præſumant. Cum veritas dicat, non eſſe noſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: ipſoſque, qui hactenus ſimilia aſſerere auſi ſunt, mentitos, ac eorum cauſa reliquorum etiam recte prædicantium auctoritati non modicum detractum fuiſſe conſtet.*

§. II.

De Loco Judicii.

IX. Dico. Judicium univerſale in Valle Joſaphat inſtituetur. Hæc autem Vallis jacet inter Mœnia Jeroſolymæ, & Montem Oliveti, & a torrente Cedron interluitur, ut ajunt Beda de locis, Brochardus, Adricomius, & alii communius. Quæ aſſertio ſolis conjecturis nixa facta eſt communis apud Theologos. Eam enim docet S. Thom. *q.* 88. *Supplem. art.* 4. his verbis: *Qualiter illud judicium ſit futurum, & quomodo homines ad judicium convenient, non poteſt multum per certitudinem ſciri. Tamen probabiliter poteſt colligi ex Scripturis, quod circa locum Montis Oliveti deſcendet, ſicut & inde aſcendit, ut idem eſſe oſtendatur qui deſcendit, & qui aſcendit.*

X. Scripturæ autem, ex quibus colligitur, ſunt primo. Verba Joelis 3. verſ. 1. *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda, & Jeruſalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Et verſ. 12. *Conſurgant, & aſcendant gentes in Vallem Joſaphat, quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Loqui autem ibi Prophetam de Judicio univerſali, & extremo, præter conſenſum S. Hieronymi in dictum locum, & aliorum, tum veterum, tum recentiorum interpretum, ex verbis ipſius Joelis colligitur primo. Quia, *cap.* 2. *verſ.* 31. dixerat: *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Et cap. 3. verſ. 14. *Populi, populi in valle conciſionis, quia juxta eſt dies Domini in Valle conciſionis. Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum, & Dominus de Sion veniet &c.* Hæc autem ſunt ſigna, quæ, ut diximus, præcedent adventum Chriſti Judicis, ideoque diem illum vocat *diem Domini magnum, & horribilem* —— Secundo. Quia præfatis verbis loquitur de judicio, ad quod congregabuntur omnes gentes, & quod inſtituet poſtquam converterit captivitatem Juda, & Jeruſalem. Hoc autem non poteſt eſſe niſi judicium quod faciet in fine mundi, quod denotant hæc verba, verſ. 1. *In diebus illis, & in tempore illo*, & ad quod omnes gentes congregabit, & quod fiet Judæis jam converſis ad fidem, quod paulo ante finem mundi futurum ſupra oſtendimus.

XI. Sed dicunt aliqui, ſe quidem admittere, Joelem ibi loqui de judicio univerſali; ſed nomine Vallis Joſaphat non intelligere aliquem particularem locum, ſed quemcumque, dicere autem potius Vallem Joſaphat, quia Joſaphat interpretatur *Judicium Domini*. Quare Chaldæus non vertit *in Vallem Joſaphat*, ſed in vallem diviſionis Judicii. Unde Magiſter Sentent. *in* 4. *diſt.* 48. ex quadam Gloſſa ſuper dictum locum Joelis dicit, non eſſe intelligendum litteraliter de illa Valle, ſed ſecundum nominis etymologiam interpretatur *Domus Judicii:* & ideo ſenſus eſt, deducam vos in Vallem Joſaphat, ideſt, in Domum Judicii, quicumque fuerit ille locus.

XII. Nihilominus cum verba Scripturæ in ſenſu proprio, & litterali accipienda ſint, ſi nihil obſtet, & Vallis Joſaphat ſit revera quædam vallis hoc nomen præferens, de hac locutus Joel dicendus eſt, eo vel magis, quia ſemel, atque iterum Vallem Joſaphat appellat, & pluries judicii locum *Vallem* appellat. Alioquin quia Bethleem interpretatur *Domus panis*, potuiſſet quis dicere, Chriſtum non naſciturum in Bethleem, ſed ubilibet, quia Chriſtus eſt Panis vivus, qui de Cælo deſcendit, & ad ſenſum allegoricum detorquere verba, *Michæ cap. 5. verſ.* 2. quod nec Judæi ab Herode conſulti dicere auſi fuerunt, ſimiliter etiam ad ſenſum allegoricum trahi poſſunt verba illa Oſeæ 11. verſ. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, non pro determinata regione, ſed pro quocumque loco tribulationis, & anguſtiæ.

Nec obeſt, quod Chaldæus vertat *in Vallem Judicii*. Nam & Syrus, & uterque Arabicus, & Græca lxx. Interpretum, & Latina verſio retinent nomen hebræum *Joſaphat*, quaſi proprium. His autem major fides adhibenda eſt, quam Chaldaicæ. Addo, Joelem ex modo loquendi ſatis indicare determinatam Vallem Joſaphat ſitam prope Jeruſalem dum ait eodem cap. 3. v. 16. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam*, quibus indicat judicium illud terribile exercendum prope Sion, & Jeruſalem, quibus contigua eſt Vallis Joſaphat.

Nec obeſt etiam quod Magiſter ſentent. illi Gloſſæ innixus contrarium ſentiat. Nam debilis eſt ratio, qua movetur, nimirum, quia Dominus non in terra, ſed in aeris ſpatio ad judicium ſedebit. Quia etſi Chriſtus ſit appariturus in aere, damnati utpote corpora gravia, ſicut modo, ſtabunt in terra. Deinde quamvis concederetur, omnes elevandos in aera, nihilominus ſuper aliquo terræ loco elevabuntur, quare dicentur eſſe in Valle eo modo, quo dicuntur aves per vallem volare. Quod ſi mag. ſent. non aliud intendit, quam quod Chriſtus non ſit uſque ad terram deſcenſurus, ſed manſurus ſublimis in aere contra Montem Oliveti (ut videtur dicere,) non opponitur noſtræ, & communi ſententiæ.

XIII. Secundo. Colligitur ex illo, *Act.* 1. *verſ.* 11. ubi aſcendente Chriſto in Cælum Angeli dixerunt: *Hic Jeſus,*

ſus, qui aſſumptus eſt a vobis in Cælum ſic veniet: quemadmodum vidiſtis eum autem in Cælum: ſed ipſe (inquit S. Thom. citato loco in arg. ſed contrà) *aſcendit in Cælum de Monte Oliveti, qui præminet Valli Joſaphat, ergo & circa loca illa ad judicandum veniet*, ut idem eſſe oſtendatur qui deſcendit, & qui aſcendit. Et ſane valde congruit, ut Dominus Jeſus illuc deſcendat extremum opus completurus, ubi opus redemptionis conſummavit, ubi vitam degit, ubi cruci affixus ignominioſam mortem pertulit, & unde ad Patrem aſcendit. Et quamvis Mons Oliveti, & Vallis Joſaphat non ſint idem locus; cum tamen Vallis ad pedem Montis extendatur, conjicitur, quod Chriſtus in latere, vel cacumine Montis Oliveti ſedebit in aere, & circa ipſum pariter in aere electi omnes, & in valle ſubtus erunt damnati in terra.

XIV. Sed dices. Vallis Joſaphat ſita inter Jeruſalem, & Montem Oliveti minor eſt, quam quæ tot myriades hominum judicandorum capere poſſit; ergo non eſt veriſimile, quod in ea exercendum ſit a Domino univerſale Judicium.

XV. Reſpondeo, hanc inſtantiam vim habituram eſſe, ſi diceremus, omnes omnino judicandos intra terminos illius vallis fore concludendos; hoc autem non dicimus, ſed ſolum quod Judicium fiet in Valle Joſaphat, quia ſuper illam Chriſtus Judex e Monte Oliveti in aere ſedebit, electis circa ipſum undique in aere circumſtantibus, reprobis vero in valle, aliiſque circumjacentibus locis conſiſtentibus, quod indicavit Joel, *c. 3. v. 12.* prælaudatis verbis: *Conſurgant, & aſcendant gentes in Vallem Joſaphat, quia illi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* In Valle ergo, ſeu ſupra vallem ſedebit Chriſtus Judex, judicandi autem ſtabunt in circumvicinis locis. Qui tamen omnes, etſi in magna diſtantia, humanitatem Chriſti videbunt, ſupernaturali ſplendore ex ea rutilante. Ita tamen ut electi Chriſti dexteram teneant, reprobi autem ſiniſtram. Favet huic reſponſioni S. Th. *citata q. 88. art. 4. ad 1.* ubi ait: *Sufficit autem ponere quantumcumque ſpatium circa locum illum ad capiendum multitudinem judicandorum, dummodo ab illo ſpatio Chriſtum videre poſſint, qui in aere præminens, & maxima claritate refulgens a longinquo inſpici poterit.*

XVI. Sed inquies. Cur potius pro ſede Judicis nominatur Vallis Joſaphat, quam Mons Oliveti, ſupra quem ſeſſurus dicitur? Deinde cur non potius nominatur Jeruſalem, vel Prætorium Pilati, in quo injuſte judicandus fuit, vel Golgotha, in quo mortem ſuſcepit, ex quibus judiciariam poteſtatem accepit?

XVII. Reſpondeo ad primum quæſitum, ſub nomine Vallis Joſaphat comprehendi Montem Oliveti, & Jeruſalem. Quia Chriſtus in aere præeminens ſub ſe comprehendet, & Montem Oliveti, & Jeruſalem, & alia circumjacentia loca, quibus comprehendi poſſit tanta judicandorum hominum multitudo. Nam qui in aere ſublimis conſiſtit ſecundum vulgarem loquendi modum ſupra plura in circuitu poſita dicitur eſſe. Ideo autem magis exprimitur Vallis Joſaphat, quam Mons Oliveti, partim quia eſt media inter Montem illum, & Jeruſalem: quia Mons *Oliveti* ob myſticam olei ſignificationem importat miſericordiam; *Joſaphat* vero judicium ut dictum eſt. Et tandem quia vallis, utpote locus humilis, magis apta eſt exprimendo loco damnatorum, qui in ea ſtabunt, quam locus eminens.

Ad ſecundum. Reſpondet S. Thom. dicto art. 4. ad 2. *Quod quamvis Chriſtus per hoc quod judicatus eſt injuſte, judiciariam poteſtatem meruerit, non tamen judicabit in forma infirmitatis, in qua injuſte judicatus eſt, ſed in forma glorioſa, in qua ad Patrem aſcendit. Unde locus aſcenſionis magis competit judicio, quam locus, ubi condemnatus eſt.*

QUÆSTIO II.

De Judice, & Forma Judicii.

IN hac Quæſtione ſermo erit de iis, quæ ſpectant Judicem, & quæremus, an Chriſtus ſolus, an alii cum ipſo judicantes ſedebunt, ac inſuper quænam forma in judicando ſervabitur.

DUBIUM I.

De Chriſti Judicis Apparatu, & Adventu.

§. I.

De Chriſti Judicis Apparatu, & maxime de Crucis Signo.

I. CHriſtus, *Matth.* 24. prænuntiatis variis ſignis adventum ſuum ad judicium præcurrentibus, & præſertim cæleſtium luminarium obſcuratione, ſubjungit, v. 30. *Tunc parebit ſignum filii hominis in Cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cæli cum poteſtate magna, & majeſtate.* Quid autem ſigno filii hominis intelligendum ſit, Auctor Operis Imperf. *in Matth.* (olim exiſtimatus Chryſoſtomus, ſed falſo) *Homil. 49.* putat, ſignum filii hominis nil aliud fore niſi ipſam Chriſti humanitatem cum cicatricibus vulnerum apparentem: *Quidam* (inquit) *putant, Crucem Chriſti oſtendendum eſſe in Cælo: verius autem eſt, ipſum Chriſtum in corpore ſuo habentem teſtimonia paſſionis: ideſt vulnera lanceæ, & clavorum, ut impleatur illud, quod dictum eſt*: & videbunt, in quem pupugerunt. *Denique in quo loco præſens Evangeliſta ponit dicens*: Apparebit ſignum filii hominis, *alii Evangeliſtæ hoc ſolum dixerunt*: Et videbunt filium hominis venientem, *videlicet oſtendentes, ſignum Chriſti eſſe Corpus Chriſti, qui in ſigno corporis ſui cognoſcendus eſt, a quibus crucifixus eſt.* Huic interpretationi libenter ſubſcribunt Calvinus in hunc locum, & alii gloriæ Crucis inimici contra quos egimus ſupra, *q. 7. de Cultu SS. Dub. 3.*

II. Cæterum frigidam eſſe hujuſmodi interpretationem oſtendo primo. Quia Chriſtus relatis verbis diſtincte loquitur de ſigno; nam primo dicit, quod apparebit ſignum filii hominis in Cælo; deinde vero de filio hominis veniente in nubibus Cæli; aliud ergo erit ſignum filii hominis præcedens in Cælo: aliud ipſe filius hominis per ipſum ſignatus in perſona propria veniens in nubibus. Aliud enim eſt in Cælo apparere, aliud in nube venire cum virtute multa, & majeſtate. Secundo. Ex communi conceptione ſignum eſt quid diſtinctum a re ſignata, ſicut vexillum Regis a perſona Regis; ergo ſignum filii hominis erit quid diſtinctum ab ipſo filio hominis. Quemadmodum ergo Triumphatores præcedere faciunt ſigna, quibus de hoſtibus triumpharunt, ita Chriſtus præcedere faciet in ſuo ſecundo glorioſo adventu ſignum, nempe, Crucem, in qua de Diabolo triumphavit. Nec refert, quod alii Evangeliſtæ de hoc ſigno non ſint locuti; ſolum adventum Chriſti deſcribentes: nam quod alii omiſerunt, Matthæus ſupplevit deſcribens non ſolum adventum Chriſti, ſed etiam apparatum, quo venturus eſt.

III. Ita exponunt Patres, tum Græci, tum Latini. Ex Græcis S. Cyrillus Jeroſolym. *Catech. 15.* exponens prælaudata Matth. verba: *Tunc apparebit ſignum filii hominis*, ait: *Signum autem verum, & Chriſti proprium Crux eſt. Lucida Crucis ſignum Regem præcedit, demonſtrans eum, qui prius crucifixus fuit: ut videntes qui eum ante pupugerunt &c. deplorent &c.* Item verus Chryſoſtomus, *Homil. 76.* alias *77. in Matth.* ad eadem verba; *Tunc apparebit ſignum. Ideſt* (inquit) *Crux Sole ſplendidior: ſi quidem Sol obtenebratur, & abſconditur, Crux autem apparet; neque appareret, niſi ſolaribus longe radiis ſplendidior eſſet.* Ex Latinis Hilarius, & Hieronymus in hunc locum; uno verbo quot ex Latinis, & Græcis Patres dicta verba expoſuere, ſignum illud de ſigno Crucis intellexerunt. Quibus auctoritatem ſuam jungit Eccleſia, dum in feſto exaltationis S. Crucis canit. *Hoc ſignum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad judicandum venerit.*

IV. Circa tempus, quo ſignum Crucis apparebit, communior ſententia eſt, eam tunc appariturum, quando poſt ſigna in Sole, & Luna conſummato per conflagrationem Orbe, homines reſurgent, & in Valle Joſaphat comparebunt, tunc enim veniente Domino omnes ſignum Crucis ipſum præcedens videbunt. Neque officit, quod apparitio Crucis a Matthæo ponatur immediate poſt obſcurationem Solis, & Lunæ, & antequam mittatur Angeli ad congregandos homines. Nam Scriptura ea quæ eodem tempore contingunt, non ſemper refert eo ordine quo fiunt. Cum enim ſignum ſit præceſſurum adventum Chriſti tamquam vexillum, debebit ipſum immediate præcedere. Et hoc ipſamet Chriſti verba indicant, ait enim: *Tunc apparebit ſignum filiis hominis in Cælo*, & ſubdit: *Et tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem*, quæ indicant, ſignum Crucis appariturum congregatis jam hominibus ad Judicium, & Judice jam veniente.

V. Quæſtio tamen non modica eſt, an Crux in noviſſimo die apparitura futura ſit eadem illa, cui Dominus affixus fuit, an vero ſignum Crucis ex aere, vel ſplendidiſſima nube formandum. Futuram eamdem Crucem, cui Chriſtus fuit affixus, probabiliter multi ex recentioribus ſentiunt, citantes etiam teſtimonia veterum, ut Cyrilli Hieroſol. *Catechef. 13. & 15.* S. Ephrem, *lib. de vera Pœnitentia, cap. 3. & 4.* Chryſoſtomi, *Homil. 77. in Matth.* S. Paulini, *Carmine 26.* & aliorum quos citat, & ſequitur Siuri, *in ſuo Libro de Noviſſimis, Tract. 15. c. 1.* Pro quo aliquæ congruentiæ afferuntur. Prima. Quia Crux apparitura eſt in die illa ad electorum ſolatium, & reproborum confuſionem: ad hos autem duos fines multo aptior erit Crux illa, cui Chriſtus affixus eſt, quam ejus effigies, vel figura. Secundo. Multo glorioſior erit Chriſti triumphus, & majori lætitia perfundentur electi, & mœſtitia reprobi, videntes illam eamdem Crucem, in qua Dominus omnium ſalutem operatus eſt. Hæc probabiliter dicuntur.

VI. Magis tamen placet opinio aſſerens, ſignum Crucis quod apparebit, futuram effigiem Crucis in aere formatam, ac ſplendidiſſimis radiis circumdatam. Cui videtur adhærere Eccleſia, dum ait: *Hoc ſignum Crucis erit in Cælo.* Signum autem Crucis non eſt ipſa Crux, ſicut ſupra dicebamus, ſignum filii hominis non eſt ipſe filius hominis. Ita ſentit S. Th. *Opuſc. 2. p. 1. c. 244.* dicens: *Inde etiam*

etiam est, quod veniente Domino ad Judicium signum Crucis, & alia passionis indicia demonstrabuntur secundum illud Matth. 24. Et tunc apparebit signum filii hominis in Cælo, *ut impii videntes, in quem confixerunt, doleant, & crucientur, & ii qui redempti sunt, gaudeant de gloria Redemptoris.* Ita S. Jo: Chrysostomus, *Homil.* 1. *de Cruce, & Latrone*, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, *in Commentariis super Matth.* Nec oppositum certo colligitur ex Patribus ab oppositæ sententiæ Patronis citatis. Nam vel dicunt, signum Crucis appariturum, signum autem Crucis non est ipsa Crux, cui Dominus affixus fuit, vel si dicunt Crucem, nemo tamen dicit, futuram illam eamdem. Immo Cyrillus Jerosol. *Catech.* 13. loquitur de Cruce, qua adhibita morbi curantur, nempe, de Crucis signo. Immo, *Epist. ad Constantium, n.* 6. signum Crucis appariturum in die Judicii dicit ex parte impletum in apparitione lucidæ Crucis, quæ Paschalis tempore Jerosolymis visa est, quod plenius in die Judicii complebitur. Crux autem quæ Jerosolymis apparuit, fuit Crucis signum, & effigies, non ipsa Christi Crux. Quod si aliqui ex Patribus citatis, ut Prudentius, & Ephrem videntur sentire, ipsam Christi Crucem in Judicio appariturum, reddunt hanc opinionem probabilem, quod non nego, non tamen certam.

VII. Monet etiam me ad tenendum ut probabilius oppositum. Quia essent multiplicandi miracula, ut ipsa Christi Crux in Judicio posset apparere. Nam particulæ Ligni Crucis per Orbem divisæ in universali Mundi conflagratione, vel præservari deberent, vel combustæ ad speciem ligni ex cineribus revocari, & rursus simul colligi, ut integrum Crucis lignum componerent. Quæ sine pluribus miraculis fieri non possunt, quibus asserendis nullum fundamentum nobis exhibet Scriptura. Nam habemus quidem hominum cineres colligendos ab Angelis, ut eorum corpora reparata, eadem quæ prius resurgant: sed colligendas esse particulas, vel cineres Crucis Christi, & ex illis unitis Crucem Christi iterum componendam, unde quæso habemus? —— Rursus: De Cruce sic restituta, postquam in judicio apparuerit, judicio completo, quid fiet? An destruetur? Non. Cur enim tot miraculis reparanda in integrum erit Crux illico destruenda? An remanebit in terris? Nequaquam. Nam Orbe immutato nihil mixtum perseverabit, sed pura elementa manebunt. Dicunt ergo Crucem Christi peracto Judicio transferendam esse in Cælum Empyreum, ibique perpetuo mansuram in Beatorum solatium. Optime quidem. Sed quo vel levi fundamento in Scripturis hoc dicitur? Afferunt S. Paulinum, *Carm.* 27. dicentem:

Vexillumque Crucis super omnia Sydera fixit
Corporeum statuit Cælesti in Sede trophæum.

Sed cum S. Paulinus hisce verbis videatur supponere Crucem Domini ab ejus ascensione esse in Cælo, & non solum futuram post Judicium, sequitur quod cum etiam sit in terris divisa in particulas, Crux modo sit in Cælo, & simul in terris, ac proinde miraculose se replicata. Ponderet hæc Studiosus Lector; ergo enim hac in re nihil statuo.

VIII. Crucem Angelis stipatam appariturum pium est credere. Quod vero a S. Michaele sit deportanda, sentiunt præcipue illi, qui autumant, futuram, non effigiem Crucis, sed veram Crucem Christi, eo quod Michael sit Princeps Militiæ Cælestis, dictus propterea *Signifer*, seu *Vexillifer*. Sed cum in Scriptura, 1. *Thessal.* 4. *v.* 15. legam quidem: quod *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli* (quem Michaelem supra interpretati sumus) *& in tuba Dei descendet de Cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi*, non legam tamen ullibi præfatum Archangelum bajulaturum Crucem, nil certi de hoc audeo statuere.

§. II.

De Christi Judicis Adventu.

IX. PRæeunte igitur Crucis signo, subsequetur, ac veniet Dominus Jesus, & descendet de Cælo in locum aeris inferioris Valli Josaphat propinquum: sic enim fiet (ut diximus) ut unde visus est in Cælum ascendere, inde videatur de Cælo in terram descendere, juxta illud, Act. 1. v. 11. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum.*

Quæri hic solet primo: An venturus sit, & judicaturus in forma hominis? Secundo: An in forma glorioſa? Tertio: an ab omnibus etiam reprobis videndus sit?

X. Circa primum dico, quod Christus in forma humanitatis veniet, ac judicabit. Ita S. Th. *q.* 90. *Suppl. art.* 1. Hoc enim aperte pronuntiant Scripturæ, quæ loquentes de ejus adventu ad Judicium, eum vocant filium hominis: *Videbut* (inquit Matthæus, cap. 24. v. 30.) *filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute multa & majestate.* Idem dicit, cap. 25. v. 31. & cap. 26. v. 64. & Jo: 5. v. 27. *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Ratio S. Th. ista est. Judicium aliquod dominium in judicante requirit. Unde Rom. 14. vers. 4. *Tu qui es, qui judicas alienum servum?* Ergo secundum hoc Christo competit judicare secundum quod dominium super homines habet, de quibus principaliter erit finale Judicium. Atqui Christus est noster Dominus, non solum ratione creationis: Quia *Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ps. 99. v. 3. sed etiam ratione redemptionis, quod ei competit secundum humanam naturam. Unde, Rom. 14. v. 9. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur.*

Ad præmium autem vitæ æternæ consequendum nobis creationis bona non sufficerent, nisi redemptionis beneficium adderetur propter impedimentum, quod naturæ supervenit ex peccato primi Parentis; ergo cum finale judicium ad hoc ordinetur, ut aliqui admittantur ad Regnum, & aliqui excludantur a Regno, conveniens est, ut ipse Christus secundum humanam naturam, cujus redemptionis beneficio homo ad Regnum admittitur illi judicio præsideat, & hoc est quod dicit Petrus, *Act.* 10. v. 42. quod ipse (cum quo manducavimus, & bibimus post resurrectionem, & consequenter ut homo) est, qui constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum. Ita eisdem fere verbis discurrit S. Th.

XI. His adjungi potest: Quod Christus in ea forma veniet ad judicandum, in qua ascendit in Cælum, unde dicitur, Actor. 1. v. 11. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Cælum, si veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum.* Cum ergo in forma humana oculis corporeis visibilis ascenderit in Cælum, in eadem forma visibili veniet. Unde, *Zacharia* 12. *v.* 10. & *Joan.* 19. *v.* 37. dicitur: *Videbunt in quem transfixerunt*, oculo utique corporali: non enim aliter impii eum videbunt.

XII. Neque ex allata ratione Sancti Thomæ sequitur, quod non judicabit omnes, sed eos solos, qui beneficii redemptionis participes fuerunt. Nam quamvis beneficium illud non pervenerit ad omnes: ipse tamen omnes redemit; quia pro omnibus sufficiens pretium dedit, & ex voluntate redimendi omnes, ut suo loco ostensum est. Atque ita in omnes homines dominium, & jus exercendi Judicii accepit.

XIII. Judicabit Christus in humana natura, sed virtute divinitatis sibi conjunctæ, ait S. Th. citato, *art.* 1. *ad* 2. Nam ut dicit August. lib. 1. de Trinit. cap. 13. *Filius hominis judicaturus est, non ex humana potestate, sed ea, qua filius Dei est.* Quia nempe solius naturæ, ac potestatis divinæ est in æternum, & simpliciter beatos facere, vel miseros, ut S. Th. docet 3. *p. q.* 52. *art.* 2. *ad* 2. & S. August. *lib.* 1. *de Trinit. c.* 13. ait: *Nam ecce dicimus, quia secundum id quod Deus est, glorificat suos, secundum hoc utique quod Dominus gloria est. Et tamen Dominus gloria crucifixus est, quia recte dicitur & Deus crucifixus, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis: sicut dicimus, quia secundum id quod quod Deus est judicat, hoc est ex potestate divina, non ex humana; & tamen ipse homo judicaturus est; sicut Dominus gloria crucifixus est.*

XIV. Circa secundum dico, Christus descendet ad Judicium in forma humanitatis glorioſa. Hoc testantur Scripturæ supra allatæ, quæ adventum ejus ad Judicium prænuntiant fore *in Virtute, in Majestate, & in Gloria.* Et merito, inquit S. Thom. *q.* 90. *Suppl. art.* 2. Christus enim est *Dei, & hominum mediator* (1. Tim. 2.) *in quantum pro hominibus satisfacit, & interpellat apud Patrem; & ea quæ sunt Patris, hominibus communicat, secundum quod dicitur, Joann.* 17. Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ergo convenit Christo, ut cum utroque extremorum communicet, ac vices hominum gerat apud Patrem, & vices Patris gerat, dona Patris transmittens ad homines: *Quia ergo in primo adventu ad hoc venit, ut pro nobis satisfaceret apud Patrem, in forma nostræ infirmitatis apparuit. Quia vero in secundo adventu ad hoc veniet, ut justitiam Patris in homines exequatur, demonstrare gloriam debebit, qua ineſt ei ex communicatione ad Patrem. Et ideo in forma glorioſa apparebit.* Ita S. Thom.

XV. Veniet ergo in eadem carne, qua prius, sed non similiter se habente: quæ enim fuerat infirma, & passibilis, erit immortalis, & impassibilis. Signum quidem Crucis in Judicio apparebit: *Non* (inquit S. Th. ibid. ad 2.) *ad indicium tunc existentis infirmitatis sed præteritæ; ut per hoc justior condemnatio eorum appareat, qui tantam misericordiam neglexerunt; & eorum præcipue, qui Christum injuste persecuti sunt. Cicatrices autem quæ in ejus corpore apparebunt, non pertinebunt ad aliquam infirmitatem; sed erunt indicia maximæ virtutis, qua Christus per passionem, & infirmitatem de hostibus triumphavit. Exprobratissimam etiam mortem ostendet, non sensibiliter eam oculis ingerens, ac si tunc eam pateretur; sed ex his, quæ apparebunt, scilicet indiciis præteritæ passionis, homines in recogitationem præteritæ mortis adducet.* Quibus indicat, non solum Crucem, ac cicatrices in Christi corpore, sed etiam alia passionis indicia, ut flagella, clavos, coronam spineam, lanceam &c. in forma glorioſa esse apparitura.

XVI. Veniet in nube quasi in Sede, seu Throno majestatis. Quemadmodum enim in nube lucidissima ad Cælum ascendere visus fuit: ita in nube descendentem omnes videbunt. An vero ista, vel istæ nubes veræ nubes futuræ sint, dubitatur: Cum enim igne conflagrationis consumpti fuerint omnes vapores, & ad pura elementa resoluti, non videtur nubes illas fore veras nubes, quæ ex vaporibus in aera elevatis formari solent, sed aliquid lucidum, ac luminosum nubis effigiem referens in aere for-

formatum. Alii tamen putant, nubes ſive in quibus Chriſtus venient, ſive in quibus electi Chriſto occurrent, 1. *ad Theſſal.* 4. *verſ.* 16. fore veras nubes ex vaporibus Angelorum miniſterio elevatis formatas, qui peracto judicio iterum in aerem, & aquam reſolventur. De hoc ſentiat quiſque ut voluerit.

XVII. Corpus Chriſti glorioſum tanta luce fulgebit, ut ſolis ſplendorem longe ſit ſuperaturus. Si enim in Transfiguratione, Matth. 17. verſ. 2. *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*; quod repetitur *Marci 9. verſ.* 2. Quantam putamus futuram claritatem corporis illius tunc, qui veniet, ut oſtendat potentiam Dei, qui Solem, & Lunam creavit, eiſque lucem quam habent, tribuit? Tanta tamen lux non impediet, quin ab omnibus videri poſſit; quia ut ſupra diximus, & docet S. Thom. hoc art. 2. ad 3. *Corpus glorioſum habet in poteſtate ſua, ut ſe demonſtret, vel non demonſtret oculo non glorioſo . . . . Et ideo in forma glorioſa Chriſtus ab omnibus videri poterit.*

XVIII. Veniet tandem magna Angelorum frequentia ſtipatus. Hoc enim habetur Matth. 25. v. 31. *Cum autem venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo; tunc ſedebit in Sede majeſtatis ſuæ.* Et dixerat, *Dan. c.* 7. ubi enim, *v.* 9. dixit Thronos fuiſſe poſitos ad Judicium, ſubjungit, v. 10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: Judicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Hanc Angelorum immenſam multitudinem in corporibus lucidiſſimis apparituram, longe lateque aerem occupantem, ad Chriſti maximam gloriam, ad electorum ſummum gaudium, & reproborum ſummum terrorem recentiores Interpretes non pauci ſentiunt. Animæ tamen beatæ cum Chriſto e Cælo non deſcendent, ſed priuſquam Chriſtus deſcendat, e Cælo lapſæ ſua corpora reſument, ac deinde reſumptis corporibus *Rapientur obviam Chriſto in aera*, ut dicit Paulus, 1. *Theſſ.* 4. *v.* 16. ideoque Beati jam reſuſcitati Chriſto jam venienti occurrent. Probabile tamen creditur, quod Sancti, qui anticipata reſurrectione in Cælis corpore, & anima beati erunt, ut B. Virgo, Elias, & Henoch, de quibus ſupra & omnes qui Chriſto reſurgente reſurrexerunt, qui non iterum mortui, ſed in corporibus ſuis cum Chriſto in Cælum aſcendiſſe probabiliter creduntur, una cum Chriſto e Cælo, & cum Angelis deſcendent.

XIX. Circa tertium dico. Omnes qui in Judicio comparebunt ſive electi, ſive reprobi, videbunt gloriam humanitatis Chriſti, & viſibilis apparatus: ſoli tamen electi gloriam divinitatis ejus videbunt. Utrumque docet S. Auguſtinus, *lib.* 1. *Trin. cap.* 13. his verbis: *Et Judæi quippe* (congregabuntur ante Judicem) *qui in malitia perſeverantes, in illo judicio puniendi ſunt, ſicuti alibi ſcriptum eſt*, videbunt, in quem pupugerunt. *Cum enim & boni, & mali viſuri ſint judicem vivorum, & mortuorum, procul dubio eum videre mali non poterunt, niſi ſecundum formam, qua filius hominis eſt; ſed tamen in claritate qua judicabit, non in humilitate in qua judicatus eſt. Cæterum illam Dei formam, in qua æqualis eſt Patri, procul dubio impii non videbunt. Non enim ſunt mundi corde*: Beati enim mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt . . . *Alioquin ſi Filius Dei Judex in forma, qua æqualis eſt Patri, etiam impiis cum judicaturus eſt apparebit, quid eſt quod pro magno dilectori ſuo pollicetur dicens*: Et ego diligam eum, & oſtendam me ipſum illi? *Quapropter filius hominis judicaturus eſt, nec tamen ex humana poteſtate, ſed ex ea qua filius Dei eſt: & rurſus filius Dei judicaturus eſt, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus eſt æqualis Patri, ſed in ea in qua filius hominis eſt.* Ita S. Auguſt. ſimilia habet, *Tract.* 4. *in Epiſt. Joann.*

XX. Ex his, & ex ſuperius dictis patet prima pars, nempe, quod etiam reprobi Chriſtum Judicem ſecundum formam hominis glorioſam videbunt, ex qua viſione ſicut electi ſummo gaudio perfundentur: ita reprobi ſummo terrore, ac deſperatione tabeſcent juxta illud Iſ. 26. v. 11. *Videant & confundantur . . . . & ignis hoſtes tuos devoret.* Et illud Pſalmi 111. v. 10. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.* Neque claritas corporis glorioſi Chriſti obſtabit, quin etiam impii illud videant. Nam ut ſupra dictum eſt, habens corpus glorioſum in ſua poteſtate habet illud oculis etiam non glorioſis cum voluerit videndum ſubjicere, & cum voluerit ſubducere. Quemadmodum de Chriſto poſt reſurrectionem legimus.

XXI. Secunda pars præter ea, quæ diximus ex Auguſtino, nempe, quod viſio divinitatis ſolis mundis corde conceditur: & eſt ſummum præmium, quod Deus diligentibus ſe pollicetur. Probatur a S. Thom. *q.* 90. *Suppl. a.* 3. Quia forma divinitatis cum ſit undequaque bona, non poteſt in ſe videri, quin cauſet in vidente ſummum gaudium, & eum reddat beatum: ergo ſi reprobi formam divinitatis in Chriſto Judice viderent, non poſſent non affici ſummo gaudio, & in illa viſione ſaltem pro illo brevi tempore non beatificari, quod tamen dicendum non eſt. Prob. Id enim quod per ſe ipſum eſt ſumme, & undequaque bonum, ac delectabile, immo eſt ipſa ratio bonitatis, & delectationis, nequit abſque delectatione poſſideri, ſicut lux non poteſt eſſe ſine lumine, nec ignis ſine calore. At divinitas adeo eſt per ſe vera, & per ſe bona, ut ſit ratio ipſa bonitatis, & veritatis, cujus participatione cætera vera, & bona ſunt; ergo nequit ſine gaudio, & delectatione videri.

XXII. Hinc non valet dicere, quod ſicut videre gloriam humanitatis Chriſti cedet reprobis in triſtitiam, & pœnam: ita etiam cedet eis in triſtitiam, & pœnam, ſi videant gloriam divinitatis, a qua in æternum ſeparandi erunt.

Nam reſpondet S. Thom. art. 3. cit. ad 2. *Quod divinitatem, ſecundum quod eſt in ſe, nullus poteſt odio habere, ſicut nec aliquis odio habere poteſt ipſam bonitatem. Sed quantum ad aliquos divinitatis effectus dicitur ab aliquibus odio haberi, in quantum ſcilicet aliquid agit, vel præcipit, quod eſt contrarium voluntati. Et ideo viſio divinitatis nulli poteſt eſſe non delectabilis.*

XXIII. Dices. Quamvis divinitas ſit in ſe delectabiliſſima, viſa tamen a reprobis, qui ſunt a triſtitia abſorpti, non delectabit, ſed magis contriſtabit. Nam *unumquodque recipitur ad modum recipientis.* Et *palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis*, ut ait Auguſtin. *Com.* 8. *in Pſalm.* 118. ſed intellectus, & animus reprobi eſt indiſpoſitus ad gaudium, ergo viſio divinitatis eum potius mœrore afficiet, quam gaudio.

XXIV. Reſpondeo nego major. ad primum axioma dico cum S. Thom. citato *ad* 4. non eſſe ad rem. Nam *triſtitia non nominat diſpoſitionem, ſed magis paſſionem: Omnis autem paſſio a contraria cauſa fortiori ſuperveniente tollitur, non eam tollit: Et illa triſtitia damnatorum tolleretur, ſi Deum per eſſentiam viderent.* —— Nec ſecundum axioma eſt ad rem. Nam ut ait idem Sanct. Thom. ibidem ad 5. *Per indiſpoſitionem organi tollitur proportio naturalis ipſius organi ad objectum, quod natum eſt delectare: & propter hoc delectatio impeditur. Sed indiſpoſitio, qua eſt in damnatis, non tollit naturalem proportionem, qua ſunt ordinati ad divinam bonitatem, cum imago ſemper in eis maneat. Et ideo non eſt ſimile.*

Si urgeas. Poterit ſaltem Deus ſuſpendere ſuum concurſum, ne viſio divinitatis in vidente ullum pariat gaudium —— Dicam, quod hoc negabo. Eſſet tamen hoc ſupernaturale miraculum potentiæ Dei abſolutæ, quod in damnatis non eſt affirmandum. Cum ergo viſio Dei in ſe ſecundum curſum naturalem pariat in vidente ſummum gaudium, eo perfunderentur damnati ſi Deum in ſe viderent.

XXV. Hoc tamen non tollit, quin damnati certo cognoſcant Chriſtum Judicem eſſe verum Deum. Ut enim ait Sanct. Thom. hic ad 1. *Impii manifeſte cognoſcent Chriſtum eſſe Deum; non per hoc quod divinitatem ejus videant; ſed propter manifeſtiſſima divinitatis indicia.* Videbunt enim majeſtatem imperandi, promptitudinem Angelorum, & Sanctorum ei obſequentium, apparatum, ac terrifica ſigna, quibus convicti, eum eſſe Deum negare non valebunt. Quibus convicti, *Et Dæmones credunt, & contremiſcunt* (Jacobi 2. v. 19.)

Dubium II.

An alii Chriſto Judicanti ſint aſſeſſuri?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. CHriſtum Dominum, etiam quatenus homo eſt, & Redemptor generis humani, conſtitutum eſſe a Deo Judicem vivorum, & mortuorum, dicit Petrus, *Actor.* 10. *verſ.* 42. Hanc autem Judicis univerſalis prærogativam eum acquiſiviſſe merito redemptionis oſtenſum eſt, *Dub. præced.* §. 2. Quatenus enim nos pretioſo ſuo ſanguine redemit, jus ſuis meritis acquiſivit, ut eſſet caput noſtrum, & ſubinde Judex. Nimirum, ut qui pro Dei juſtitia pugnavit, & vicit, & injuſte judicatus eſt, ſecundum Dei juſtitiam Judex eſſet. Unde Job *cap.* 36. *verſ.* 17. dicitur: *Cauſa tua quaſi impii judicata eſt, cauſam, judiciumque recipies.* Et Sanct. Auguſtin. Serm. 64. de Verbis Domini modo Serm. 127. cap. 7. *judex* (inquit) *hic erit filius hominis: forma illa hic judicabit, qua judicata eſt . . . . Sedebit Judex, qui ſtetit ſub Judice, damnavit veros reos, qui factus eſt falſus reus.* Hac ergo veritate ſuppoſita, de qua Sanct. Thom. 3. *part. quæſt.* 59. *art.* 2. occurrit quærendum an in Judicio univerſali ſolus Chriſtus judicis partes ſit acturus, an vero alii cum ipſo ad judicandum ſint aſſeſſuri. Pro quo.

II. Noto cum S. Thom. *quæſt.* 99. *Supplem. art.* 1. Et *in cap.* 6. *ad Cor. Lect.* 1. quadrupliciter contingere poſſe unum de altero judicare. Primo per comparationem, oſtendendo ſcilicet, hos vel illos comparatione aliorum eſſe merito judicandos, & plectendos majori pœna, vel majori præmio donandos: & hoc modo non ſolum ſancti judicabunt malos, & boni mundanos, ſed etiam boni judicabuntur a melioribus, & mali judicabunt pejores. Et hoc modo Ninivitæ, & Regina Auſtri Judæos incredulos judicabunt, Matth. 12. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ . . . . . Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit*

eam : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: ideſt majori pœna plectendos judicabunt Judæos, qui noluerunt audire Chriſtum, qui eſt plus quam Jonas, & Salomon, quos tamen ipſi audierunt. Et hoc habetur ex Auguſtino *lib.* 20. *de Civ. Dei c.* 6.

Secundo approbando ſententiam Judicis, hoc eſt, Chriſti, eamque, ut juſtam venerando: & hoc eſt judicare quaſi interpretative, interpretamur enim aliquem facere, qui facienti conſentit. Unde illi qui conſentient Chriſto Judici, ejus ſententiam approbando, judicare dicentur. Et ſic judicare erit omnium electorum. Unde dicitur Sap. 3. v. 8. *Judicabunt Sancti nationes*. Pſalm. 57. v. 11. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam*. Et ſpectat illud, Apoc. 19. v. 1. & 2. *Audivi votem turbarum multarum in Cælo dicentium, Alleluja; Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt; Quia vera, & juſta judicia ſunt ejus*.

Tertio. Dicitur aliquis judicare, quaſi aſſeſſorie, quia ſimilitudinem judicis habet, in quantum ſedet in loco eminenti, ſicut Judex, Juxta illud, Dan. 7. v. 10. *Judicium ſedit*, ideſt, Judices ſederunt, quomodo dicimus Senatum, ideſt, Senatores, conſediſſe. Quia tamen judicium videtur puræ confeſſioni aliquid ſuperaddere. Ideo

Quarto. Judicare dicitur, qui non ſolum aſſidet judici, ſed actione aliqua, ſive propria, ſive alterius auctoritate ſententiam in alium fert, ac pronuntiat. His præmiſſis quæremus, an aliqui cum Chriſto judicabunt, quaſi cum eo ſedentes, & an omnes eodem modo.

§. II.

Reſolutiones Dubii.

III. DIco primo, Omnes electi cum Chriſto aliquomodo judicabunt. Colligitur ex Iſaiæ 3. v. 14. *Dominus ad judicium veniet cum ſenioribus populi ſui, & principibus ejus*. Et Apoc. 3. v. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in Throno meo*. Conſentit etiam S. Auguſtinus *lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 5. & in *Pſ.* 49. ubi exponens promiſſum Chriſti factum Apoſtolis, Matth. 29. v. 28. *Sedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim judicantes*: dicit: *Alii ergo erunt judicantes cum Domino, alii vero judicandi*. Et ne videatur hanc prærogativam ad ſolos Apoſtolos reſtringere, dicit, duodenario numero ſedium univerſitatem judicantium cum Chriſto deſignari, ſicut duodenario numero tribuum univerſitatem judicandorum, concludens, *ſicut enim judicaturi ex toto mundo: ſic & judicandi ex toto Mundo*. Probabile enim eſt, quod ſicut Chriſtus in nube materiali viſibili ſedebit virtutis & majeſtatis ſplendorem exterius diffundens: Ita etiam Sancti quidam præcipui Chriſto ſint aſſeſſuri ſedentes in nubibus ex aere formatis. Unde Dan. 7. v. 9. dicitur: *Throni poſiti ſunt*, ut intelligatur fore aliquos Chriſto Judici aſſeſſuros, unde *Matth.* 19. dicuntur Apoſtoli *ſuper ſedes* in judicio ſeſſuri.

IV. Neque obſtat illud, Rom. 14. v. 10. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti* —— Nam ſenſus eſt, quod omnes ante judicem Chriſtum præſentes ſiſtemus: hoc enim verbum græcum ſignificat, & 2. *Cor.* 5. *v.* 10. idem Paulus, dicit: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*: Dicit tamen S. Thom. lect. 2. in c. 14. ad Rom. *Sed quantum ad diſcuſſionem non omnes ſtabunt, ut judicandi, ſed quidam concedebunt ut Judices, Matth.* 19. ſedebitis ſuper ſedes &c.

V. Dico ſecundo. Peculiari modo ſedebunt in Judicio, & judicabunt Apoſtoli, & viri apoſtolici, nimirum non ſolum Chriſti judicis ſententiam approbando, ſed etiam eam aliis miniſterialiter intimando, quo privilegio fruentur omnes qui voluntariam paupertatem profeſſi, Apoſtolos imitati ſunt. Colligitur ex eodem Evangelico loco, *Matth.* 19. ubi præmiſſa narratione illius adoleſcentis, cui ſiſcitanti, quid agere deberet, ut vitam æternam poſſideret, & affirmanti, ſe mandata ſervaſſe, reſpondit Dominus, quod ſi vellet perfectus eſſe, cuncta, quæ haberet, relinqueret, & ſequeretur ipſum. Mirantibus vero diſcipulis, & dicentibus: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Reſpondens Petrus, dixit v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Jeſus autem dixit illis. Amen dico vobis: Quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſael*. Quamvis autem in Evangelio legatur ſolum *vos qui ſecuti eſtis me . . . . ſedebitis &c.* alterum tamen, nempe, *vos qui reliquiſtis omnia*, ex præcedentibus manifeſte colligitur, quoniam Petrus utrumque dixerat: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Et Chriſtus ipſe, ut rem explicatius doceret, ſubjunxit dicens, v. 29. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores . . . aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*.

VI. Hinc S. Gregorius, *l.* 26. *Moral. cap.* olim 25. Modo 27. referens præfatum Domini promiſſum utrumque conjungit dicens: *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me ſedebitis & vos . . . . judicantes &c.* & ſubjungit. *Hi itaque in extremo judicio non judicantur, & regnant, quia cum auctore ſuo etiam judices veniunt*. Et poſt multa *Dicatur igitur recte* Judicium pauperibus tribui (Job 36. v. 6.) *quia quanto huic mundo magna humilitate deſpecti ſunt, tanto tunc acceptis ſedibus majore culmine poteſtatis excreſcunt*. Rationem autem hanc reddit. Quia illi merentur ſpeciali honore in judicio eminere, qui ſpecialius Deo ſe dicaverunt, nimirum, non ſolum generalia præcepta omnibus neceſſaria implendo, ſed etiam, id quod ſolis perfectioribus imperatur; tales autem ſunt, qui cum Apoſtolis ſecuti ſunt Chriſtum, non ſolum ejus legem obſervando, ſed ulterius omnia terrena propter Chriſtum relinquendo; ergo &c.

VII. Abdicationem omnium temporalium eſſe gradum ad obtinendam ſedem judicantis in judicio, tradit Sanct. Thom. *quæſt.* 89. *Supplement. artic.* 2. & probat primo. Ratione congruitatis. Quia cum voluntaria paupertas conſiſtat in contemptu omnium, quæ ſunt mundi, ut ſoli inhæreatur Chriſto, qui eam profitentur, maxime idonei redduntur ad judicandum, utpote qui nihil temporalium præ oculis habentes, veritatem juſtitiæ præ omnibus diligant.

Secundo ratione meriti. Quia qui ſe humiliant, decet, ut exaltentur. Inter omnia autem, quæ hominem in hoc mundo humilem, ac deſpectum faciunt, eſt paupertas; ergo qui illam propter Chriſtum ſponte amplexi ſunt, exaltari merentur.

Tertio. Quia paupertas diſponit ad prædictum modum judicandi; Mens enim terrenis vacua aptior eſt, & magis edocta ad cognoſcenda divina, eaque alii manifeſtanda. Et ideo prima præparatio ad ſtatum perfectionis, & contemplationis divinorum eſt paupertas, & propterea a Chriſto in capite beatitudinum collocata, dum ait Matth. 5. verſ. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*: Quia nimirum non ſolum implent præcepta, ſed etiam conſilia. Unde ibidem, *verſ.* 19. narratis iis, qui de conſilio ſunt, vocans ea præcepta minima ſubdit: *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum: Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*. Conſilia autem etſi quantum ad neceſſitatem ſint minima, præceptis tamen adjecta ſiunt maxima, quia dicunt non ſolum id quod eſt neceſſitatis, ſed etiam id quod eſt perfectionis. Ideoque, qui mandata abſque illis ſervaverit, erit quidem in Regno Cælorum, ſed minimus ratione ſtatus, niſi tamen in eo charitas abundaverit. Qui vero mandata ſimul, & conſilia ſervaverit, erit magnus in Regno Cælorum, ideſt, ex magnantibus, & proceribus apud Deum, atque adeo ex aſſeſſoribus, & judicibus.

VIII. Adverte tamen cum S. Thom. *ibid. in fine Corp.* Quod non omnes, qui paupertatem profitentur, & ad beatitudinem perveniunt judicaturi erunt cum Apoſtolis; quia hic honor non eſt promiſſus ſtatui, vel profeſſioni, ſed exactæ illius ſtatus obſervationi: unde concludit: *Et hinc eſt, quod non quibuſcumque pauperibus etiam voluntarie repromittitur poteſtas prædicta, ſed illis, qui reliquentes omnia, ſequuntur Chriſtum ſecundum perfectionem vitæ*. Quoad illos vero, qui ſtatu, ac neceſſitate ſunt pauperes, quos communiter egenos vocamus, ſi ſua paupertate contenti, deſideria habendi relinquant, & Chriſtum ſequantur, crederem, & iſtos aſſeſſores Chriſti in Judicio futuros. Nam & plerique Apoſtolorum hoc modo pauperes erant, & tamen Petrus omnium nomine confidenter dixit: Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*. Ut enim ait S. Greg. Hom. 5. in Evangelia: *Multum Petrus, & Andreas dimiſit, quando uterque etiam deſideria habendi dereliquit. Multum dimiſit, qui cum re poſſeſſa, etiam concupiſcentiis renuntiavit*.

IX. Per hoc tamen, quod dixerimus, voluntariæ paupertati correſpondere judiciaria poteſtatem, non excludimus ab hoc privilegio Virgines, & Martyres, celebres Eccleſiæ Antiſtites, qui licet divitias habuerint, affectu tamen pauperes fuerint, aliiſque mediis ad ſummam vitæ perfectionem pervenerunt. Nam Chriſtus inter ea, quibus renuntiandum ad perfectam ſui ſequelam propoſuit, enumeravit etiam uxorem, ac filios, quibus renuntiant qui caſtitatem profitentur. Et *Matth.* 16. *v.* 24. adjungit etiam *animam ſuam*, & repetit, *Luc.* 14. *v.* 26. quod Martyres faciunt, qui propter Chriſtum animam ponunt. Dicendum ergo cum S. Thom. *ibid. ad* 2. Quod paupertas non ſola ſufficit ad meritum judiciariæ poteſtatis, ſed eſt prima pars perfectionis, cui reſpondet judiciaria poteſtas. Unde inter ea, quæ ſequuntur *ad paupertatem ad perfectionem ſpectantia poſſunt computari, & Virginitas, & Martyrium, & omnia perfectionis opera. Non tamen ſunt ita principalia ſicut paupertas, quia principium rei eſt maxima pars ejus*.

S. Auguſtinus, *in Pſalm.* 49. judiciariam poteſtatem videtur extendere ad omnes perfectos. In qua ſententia cum Chriſto judicabunt Apoſtoli, fideles utriuſque ſexus, perfecte Religioſi, Epiſcopi, quorum vita ſtatui Epiſcopali reſponderit, Martyres, Doctores, & omnes illi qui in perfectione vitæ ſpiritualis deceſſerint. Potius tamen poteſtas judiciaria reſpondet paupertati, quia paupertas voluntaria, ut dictum eſt ex S. Thom. eſt prima, & principium illius perfectionis, cui tale privilegium reſpondet. Ut enim probabile admittit S. Thom. citatus *ad* 3. Tria requiruntur ad poteſtatem judiciariam. Primo, abdicatio temporalium

lium curarum, ne impediatur animus a ſapientiæ perceptione. Secundo, requiritur habitus continens divinam juſtitiam ſcitam, & obſervatam. Tertio, quod illam juſtitiam alios qui docuerit. Et ſic doctrina erit perfectio complens meritum judiciariæ poteſtatis. Ita probabiliter diſcurrimus. Sed quid futurum ſit, ſolus ille novit, qui hoc tribuet.

§. III.

Quomodo Judicabunt, & an ſolis Homines.

X. CUm ex dictis, §. 1. judicare dici poſſit, vel approbando ſententiam Judicis, vel cum Judice ſedendo, & nihil agendo, vel cum Judice ſedendo, & ſimul actione aliqua propria ſententiam Judicis miniſterialiter in alios transferendo. Certum eſt, Sanctos, qui Chriſto Judici aſſidebunt non fore Judices mere approbantes, & conſentientes ſententiæ Chriſti Judicis tamquam Juſtæ. Nam hoc facient omnes electi, qui ſententiam Chriſti approbabunt, & venerabuntur.

XI. Dico ergo. Sancti, qui cum Chriſto Judice ſedebunt, actione aliqua ſententiam Chriſti in alios transferent. Nam Chriſtus, *Matth.* 19. non tantum promiſit Apoſtolis, quod ſedebunt, ſed quod *Sedebunt judicantes*. Sedere autem *judicantes* importat actionem in alium procedentem, qua aliquis loquendo in alium ſententiam ferat. Unde futura videtur aliqua virorum Apoſtolicorum actio, propter quam, non tantum dicantur ſedere, ſed judicare. Hæc autem actio erit ſententiam Chriſti Judicis in judicatorum notitiam deducere, vel proferre, ut S. Thomas ſequens Richardum a S. Victore hoc *quæſt.* 89. *art.* 1. docet.

Si dicas, Chriſtum hoc per ſe facturum. — Reſpondetur Chriſtus per ſe quidem pronuntiaturus communes illas ſententias: *Venite benedicti: Ite maledicti*: particulares tamen ſingulorum ſententias cum illæ non ſint vocaliter efferendæ, non eas ſolus pronuntiabit, ſed per Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, qui in judicatorum mentes eas deferent. Quare addit Richardus (in tract. de judiciaria poteſtate) *Hoc erit Apoſtolicos viros judicandorum quemlibet judicare, dando ſententiæ rationem oculis eorum ingerere . . . Nam ex illo divini ſplendoris lumine quod immediate ſuſcipiunt, ad inferiora refundendo, judicandorum quibuſlibet, tam meritorum, quam retributionum qualitatem haud dubia viſione oſtendunt:* idque, vel per modum illuminationis, vel per modum locutionis, ut dicit S. Thom. *in cap. 6. 1. ad Cor. lect. 1.* his verbis: *Intelligitur autem iſta prolatio ſententiæ, non vocalis, ſed ſpiritualis, in quantum per ſuperiores Sanctos inferiores, vel etiam peccatores, ſpirituali quadam illuminatione illuminabuntur, quales pœnæ, & qualia præmia eis debeantur: ſicut etiam nunc homines illuminantur ab Angelis, vel etiam inferiores Angeli a ſuperioribus.* Et hæc revelatio judicium miniſteriale poteſt appellari.

XII. Attamen S. Joann. Chryſoſtom. *Hom.* 64. alias 65. *in Matth.* non aliud judicium promiſſam putat Apoſtolis, quam comparationis, & condemnationis ſicut Ninivitis, & Reginæ Auſtri; ait enim: *Quid ſibi vult illud*: Judicantes duodecim tribus Iſrael? *ideſt condemnantes. Neque enim ut Judices ſedebunt: ſed ſicut Reginam Auſtri condemnaturam gentem illam dicebat, & Ninivitas quoque condemnaturos eſſe, ſic & Apoſtolis condemnabunt: ideoque non dixit gentes, & Orbem, ſed Tribus Iſrael.* Quia vero ſibi objici poterat; ergo hic nihil plus conceſſit Apoſtolis in Judicio, quam Reginæ Auſtri, & Ninivitis. Reſpondet primo concedendo; deinde negando illatum. Nam *Hic quoque aliquid majus ſubindicatur. Nam de illis ſimpliciter dixit*: Viri Ninivitæ ſurgent, & condemnabunt generationem iſtam, & Regina Auſtri condemnabit: *De his vero non ſimpliciter: ſed quomodo?* Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, tunc ſedebitis, & vos ſuper duodecim thronos, *Oſtendens, ipſos & conregnaturos, & gloriæ conſortes futuros . . . . Neque enim throni ſedem ſignificant, ſolus quippe ipſe ſeſſurus, & judicaturus eſt. Sed per thronos illos bonorum, & gloriam ineffabilem ſignificavit.* Hæc Chryſoſtom. idem videtur ſentire S. Hieronymus, *in cap. 19. Matth.* dicens: *Sedebitis & vos in ſoliis judicantium condemnantes duodecim tribus Iſrael, quia vobis credentibus, illi credere noluerunt.*

XIII. Verum S. Auguſt. tum, *lib. 20. de Civ. Dei, c. 5.* tum *in Pſalm. 49.* aperte dicit: *Alii erunt judicantes cum Domino, alii vero judicandi, ſed ad dexteram ponendi*, additque, duodecim ſedes, & duodecim tribus ſignificare non ſolos duodecim Apoſtolos, nec ſolas duodecim tribus, ſed univerſitatem omnium judicandorum, & judicantium: *Sicut enim judicaturi ex toto Mundo, ſic & judicandi ex toto Mundo.* Et in Pſalm. 90. Serm. 1. *Qui ergo* (inquit) *judicabunt cum Chriſto Principes Eccleſiæ ſunt. Talibus dixit, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, & da pauperibus. Quid eſt, vis eſſe perfectus? Vis mecum judicare, & non judicari. Ille contriſtatus abſceſſit. Sed multi hoc fecerunt, & multi hoc faciunt; ergo iſti cum illo judicabunt.* Quibus oſtendit Auguſtinus, multos judicaturos cum Chriſto ſpeciali prærogativa, & hos fore perfectos, qui ſcilicet pro ipſo terrena contemnentes omnia in pauperes erogarunt.

XIV. Quærendum ſupereſt pro complemento, an etiam Angeli in numero judicantium cum Chriſto ponendi ſint.

Reſpondet S. Thom. hac *q.* 89. *art.* 3. negative. Et probat ex illo, Joann. 5. v. 27. *Poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Ex quo ita diſcurrit: *Aſſeſſores Judicis debent Judici eſſe conformes. Judicium autem filio hominis attribuitur, quia ſecundum humanam naturam omnibus apparebit tam bonis, quam malis, quamvis tota Trinitas judicet per auctoritatem;* ergo *etiam oportet, ut aſſeſſores Judicis eamdem naturam habeant, in qua poſſint a bonis, & malis videri. Et ſic Angelis non competit judicare. Quamvis Angeli etiam aliquo modo poſſent dici judicare, ſcilicet per ſententiæ approbationem.*

XV. Dices primo. *Matth. v.* 31. dicitur: *Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua, & Omnes Angeli ejus cum eo.* Sed loquitur de adventu ad Judicium; ergo Angeli cum eo judicabunt.

Reſpondet Sanct. Thom. ibid. *ad* 1. Quod *Angeli cum Chriſto venient, non ut judices, ſed ut ſint teſtes humanorum actuum, ſub quorum cuſtodia homines bene, vel male egerunt.* Et S. Chryſoſt. *Homil.* 70. alias 80. *in Matth.* ait: *Omnes quippe Angeli cum ipſo erunt, & ipſi teſtificantes, quantum miniſtraverint miſſi a Domino ad hominum ſalutem.*

XVI. Dices ſecundo. Angelorum ordines ex officio nomina ſortiuntur: ſed quidam ordo Angelorum ex *Thronorum*, quod videtur deſignare judiciariam poteſtatem quia Thronus eſt *Sedes Judicis, Solium Regis, Cathedra Doctoris*; ergo aliqui Angeli judicabunt.

Reſpondet S. Thom. ad 2. *Quod nomen Throni attribuitur Angelis ratione illius judicii, quod Deus ſemper exercet juſtiſſime omnia gubernando, cujus judicii Angeli ſunt quodammodo executores, & promulgatores: ſed judicium, quod de hominibus per hominem Chriſtum fiet, etiam requirit homines aſſeſſores.* De Angelis *Thronis* dictis, ait Gregor. Homil. 34. in Evangel. *Quia enim Thronos latinos eloquio ſedes dicimus, Throni Dei dicti ſunt hi, qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus ſedeat, & per eos ſua judicia decernat.*

XVII. Dices tertio. Sanctis poſt hanc vitam promittitur Angelorum æqualitas, *Matth.* 22. ergo ſi homines habebunt poteſtatem, ut judicent, multo fortius eam habebunt Angeli.

Reſpondet Sanct. Thom. ad 3. *Quod hominibus promittitur Angelorum æqualitas quantum ad præmium eſſentiale: nihil tamen prohibet, aliquod præmium accidentale exhiberi hominibus, quod Angelis non dabitur, ut patet de aureola Virginum, aut martyrum: Et ſimiliter poteſt dici de judiciaria poteſtate.* Quia ſicut Angeli non ſunt capaces virginitatis, aut martyrii, quia puri ſpiritus: ita nec ſunt capaces voluntariæ paupertatis, cui judiciaria poteſtas a Chriſto annexa eſt.

XVIII. Non deſunt, qui velint, Angelos quoque in judicio univerſali Chriſto aſſeſſuros tamquam Judices, tunc enim apparebunt viſibiles, & in corporibus aſſumptis. Sed S. Thom. ſententia tenenda eſt. Tum quia judiciariam poteſtatem in noviſſimo die promiſit Chriſtus, *Matth.* 19. hominibus, *Vos qui ſecuti eſtis me*, non Angelis. Tum quia Chriſto data eſt facultas judicandi *Quia filius hominis eſt*; Angeli autem etſi in corporibus aſſumptis ſint apparituri, nec homines, nec filii hominis erunt: Tum quia ut dicebam, Judiciaria poteſtas promiſſa eſt abdicantibus temporalia propter Chriſtum, quod Angelis non convenit. An vero Angeli Sancti judicaturi ſint Angelos malos; probabiliter affirmari poteſt.

DUBIUM III.

Utrum Judicium faciendum ſit per Vocalem Locutionem.

§. I.

De Judicio Diſcuſſionis.

I. DIximus ſupra, *Quæſt.* 3. *de Generali Reſurrectione, Dub.* 5. §. 1. ſenſibili Chriſti voce, & ſono tubæ mortuos ad Judicium fore excitandos. Modo quærimus, an ſimiliter vocali, ac ſenſibili locutione judicium ipſum ſit peragendum. In Judicio autem duo ſolent diſtingui. Unum diſcuſſio, & examen operum, & accuſatio, aut excuſatio, quæ ad convincendum reum, aut abſolvendum, & præmiandum innocentem ſententiam Judicis antecedit. Alterum ipſius ſententiæ a Judice prolatio. Modo de primo loquemur. Circa quod

II. Suppono, in divino Judicio non eſſe cogitandam diſcuſſionem, qualem in judicio humano fieri videmus: Hæc enim ſunt cauſæ examen per teſtes, & varias probationes, quæ in cauſæ cognitionem ducunt Judices, ut ſecundum allata, & probata ſententiam ferant, ſed in divino judicio non producentur teſtes, non expectabuntur accuſatores, non allegabuntur leges, aut conjecturæ, aut probationes afferentur; nam Chriſtus judex habet claram, & evidentem notitiam omnium noſtrorum,

verborum, operum, & cogitationum, & in ictu oculi talem evidentiam causabit, non solum in unoquoque homine judicando, sed in cæteris omnibus Angelis, & hominibus, ut nullus eis restet dubitandi locus. Quare divisio Judicii in discussionem, & sententiam a quibusdam Patribus divino judicio applicata, nonnisi secundum nostrum modum intelligendi, & quasi æquivoce accipienda est. His stantibus, ad rem præsentem.

III. Dico. Judicium discussionis qualecumque erit in divino judicio, non voce, sed mentaliter tantum perficietur. Probo. Non oportebit, ut vocaliter fiat, ut Judex voce testium accusantium, & crimina allegantium causæ cognitionem acquirat. Nam, ut dicebamus, Christus Judex omnium, ac singulorum causam, & merita evidenter cognita habebit, neque etiam oportebit, ut vocaliter fiat, ad judicandorum notitiam, hanc enim Judex accusantibus, vel excusantibus eorum conscientiis statim eis ingeret. Unde Augustinus, *libr. 20. de Civit. Dei, cap. 26.* in illud Malachiæ 3. vers. 5. *Et accedam ad vos in judicium, & ero testis velox super maleficos, & super adulteros*, ait: *Testem vero se dicit futurum, quia in judicio suo non indiget testibus: eumque velocem, sive quia repente venturus est, eritque judicium inopinato ejus adventu celerrimum, quod tardissimum videbatur: sive quia ipsas convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias.* In cogitationibus enim, *sicut scriptum est* (Sapient. 1. vers. 9.) impii interrogatio erit. *Et Apostolus, Roman. 2. vers. 15. & 16.* Cogitationibus (*inquit*) accusantibus, vel etiam excusantibus in die qua judicabit Dominus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum: *Etiam sic ergo Dominus futurus testis intelligendus est velox, cum sine mora revocaturus est in memoriam, unde convincat, puniatque conscientiam.*

IV. Deinde. Si voce seriatim accusatio, & examen, & singulorum operum narratio, quæ singuli homines ab initio usque ad finem mundi patrarunt, perficienda esset, immensum temporis spatium requireretur. — Nec obstat quod *Danielis 7. vers. 10.* dicatur: *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Et Apocal. 20. vers. 12. dicit Joannes: *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu Throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, qua scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Quibus videtur in Judicio producendus liber vitæ uniuscujusque, & conferendus cum libris Legis, & secundum quod conformiter, vel difformiter ad legem vixerunt, singuli judicandi, quod indicat futuram ibi lectionem, & vocalem discussionem.

V. Non inquam. Nam collatio illa sensibiliter, aut voce non fiet, sed interne cuique revocando in memoriam opera sua quæ fecit, sive contra, sive juxta legem. Audiendus est S. Augustinus, *lib. 20. de Civit. Dei, cap. 14.* ubi ad relata verba Apocal. ait: *Libros dixit esse apertos, & librum: sed librum cujusmodi non tacuit:* Qui est (*inquit*) vitæ uniuscujusque. *Ergo illi libri, quos priore loco posuit, intelligendi sunt Sancti, & veteres, & novi, ut in illis ostenderetur, qua Deus fieri sua mandato jussisset, in illo autem, qui est vita uniuscujusque, quid horum quisque non fecisset, aut fecisset. Qui liber si carnaliter cogitetur, quis ejus magnitudinem, aut longitudinem valeat æstimare? Aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scripta sunt universa vita universorum: An tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, & vitam suam quisque ab Angelo sibi adhibito audiet recitari? Non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero ista unum volens intelligi:* Et alius (*inquit*) liber apertus est. *Quadam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur; ut accuset, vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul, & omnes singuli judicentur. Qua nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodam modo legitur, quidquid ea faciente recolitur.* Ita, & quidem pulchre, Augustinus.

§. II.

De Sententiæ Prolatione.

VI. SEntentiam in Judicio universali a se ferendam prædixit Dominus, *Matth. 25. v. 34.* his verbis: *Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum &c.* Et vers. 14. *Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum &c.* Quæ duæ sententiæ generales erunt, prima quidem de Electis, secunda de Reprobis in generali. Sed quia hæ duæ sententiæ pronunciandæ dicuntur supra adultos, & supra eos, qui libero rationis usu pollentes bona, vel mala fecerunt, quod innuunt illa verba, v. 35. *Esurivi enim, & dedisti mihi manducare &c.* Et v. 42. *Esurivi enim & non dedisti mihi manducare &c.* & in judicio stabunt judicandi etiam parvuli, & perpetuo amentes, qui cum solo peccato originali decesserunt, & qui nihil mali propria voluntate egerunt, qui tamen a Regno Cœlorum excludendi erunt: Ideo aliqui tres sententias generales futuras meditantur; Unam admissionis ad Regnum, aliam damnationis ad ignem æternum, & tertiam quasi mediam simplicis nimirum exclusionis a regno.

VII. Præter istas tamen generales sententias erunt aliæ plures, & fere innumeræ particulares, tam de singulis justis salvandis, quam de impiis damnandis: quia nec omnes electi remunerandi sunt eodem gradu gloriæ, & præmii, nec omnes reprobi pari gradu pœnæ, sed unusquisque mensuram præmii, vel pœnæ recipiet secundum mensuram, & qualitatem meritorum, vel demeritorum. Quare necesse est admittere fere innumeras sententias particulares, quibus cuique statuatur mensura pœnæ, vel præmii, juxta dictum Apostoli, 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* His positis.

VIII. Dico primo, Sententiæ particulares de qualitate, & mensura præmii, vel pœnæ vocaliter a Christo Judice non exprimentur. Hæc probabilius reputat S. Thom. *q. 88. Suppl. art. 2.* Nam cum involvant uniuscujusque judicandi operum discussionem, & examen, & unicuique intimationem præmii, vel pœnæ secundum mensuram operæ, si hæc vocaliter narrarentur, inæstimabilis magnitudo temporis exigeretur, ut §. *præcedente* ex Augustino, *lib. 20. de Civ. Dei cap. 14.* diximus. Non enim minus temporis insumendum esset, si sententiæ, & causæ singulorum oretenus narrarentur, quam si in libro materiali scriptæ legerentur.

Neque contrarium sentit S. Augustinus *lib. 20. de Civit. Dei, cap. 1.* cum dicit: *Per quot dies hoc judicium tendatur, incertum est: Sed Scripturarum more Sanctarum diem poni solere pro tempore, nemo, qui illas litteras quamlibet negligenter legerit, novit* — Nam Respondet S. Thom. hoc art. 2. ad 1. *Quod pro tanto dicit Augustinus: Quod* incertum est, quot dies hoc judicium tendatur; *quia non est determinatum, utrum mentaliter, vel vocaliter perficiatur. Si enim vocaliter perficeretur, prolixum tempus ad hoc exigeretur, si autem mentaliter, in momento fieri poterit.*

IX. Quamvis autem sententiæ particulares mentaliter solum proferantur, unicuique tamen sua sibi propria, & quantitas præmii, vel pœnæ sibi statutæ, nota fiet, hoc faciente divina virtute, sive immediate unicuique suam sortem interius manifestando, sive, ut superius dicebamus, unicuique testimonium reddente conscientia propria, sive mediantibus viri Sanctis Christo assidentibus, & judicantibus, qui ut supra dictum est sententiam Christi ad unumquemque deferent. Non solum autem erit unicuique nota sua pœna, vel præmium: sed sicut cunctis manifesta fient cunctorum opera: ita virtute divina cunctis nota erit sententia, quam Dominus de unoquoque feret, sicut & quantitas præmii, vel pœnæ, quam unusquisque recipiet. Et hoc ut divinæ justitiæ rectitudo cunctis appareat. *Iste quippe* (inquit Aug. l. 20. de Civ. Dei, c. 1.) *dies judicii proprie jam vocatur, quod nullus ibi erit imperita querela locus, cur injustus ille sit felix, & cur justus ille infelix. Omnium namque tunc nisi bonorum vera, & plena felicitas, & omnium non nisi malorum digna, & summa infelicitas apparebit.*

X. Dico secundo, Probabiliter existimari potest quod Christus Judex voce sit prolaturus saltem illas generales sententias; primam: *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi*, quam conversus ad electos a dextris stantes proferet: alteram: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, quam in reprobos stantes a sinistris pronunciabit. Hoc esto S. Thom. expresse non asserat, tacite tamen admittere censeo. Nam tota ratio, quare negat sententiam Christi voce sensibili fore proferendam, est, quia multum temporis insumeretur; hoc autem verum quidem est, si sententiæ particulares singulorum vocaliter proferrentur, non tamen si solum præfatæ generales sententiæ vocaliter proferantur, ut omnibus patet; ergo &c.

XI. Probo autem primo. Nam verba Evangelii secundum litteram accipienda sunt, quando nullum inconveniens inde sequatur. Cum ergo Evangelium de Christo in forma hominis judicante, & sententiam proferente, ita loquatur: *Tunc dicet his qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti &c. Tunc dicet his, qui a sinistris ejus erunt: Discedite a me maledicti.* Verbum autem *dicet* in eo, qui se gerit ut hominem litteraliter significat locutionem vocalem; neque ex hoc ullum sequitur inconveniens; cum ille sententiæ brevissimo tempore proferantur; ergo eas vocaliter, non pure mentaliter, proferet Christus.

XII. Secundo probo. Totum Judicium sensibili apparatu peragetur. Christus in forma humana sedebit; Assistentes, & judicandi in forma humana ante Judicem stabunt; ergo sententia saltem generalis, quæ est complementum judicii, & paucis concluditur verbis, voce sensibili pronuntiabitur. Hunc discursum licet S. Thomas videatur non admittere, sed potius rejicere: illum tamen rejicit quatenus prolatio sententiæ importaret immensam temporis longitudinem, ut si voce proferrentur sententiæ singulorum, non tamen illud rejicit de sententiis generalibus, quæ paucis verbis concluduntur;

Hoc

Hoc patet ex ejus verbis, *ad 3.* sic enim ait: *Christus corporaliter apparebit, ut ab omnibus corporaliter judex cognoscatur, quod quidem subito fieri poterit. Sed locutio, quæ tempore mensuratur, requireret immensam temporis longitudinem, si vocali locutione judicium perageretur.* Quibus apparet S. Doctorem solum excludere locutionem vocalem in discussione, & examine, ac sententiis singulorum, quæ certe immensam temporis longitudinem requireret.

XIII. Tertio probo. Quia prolatio vocalis generalis sententiæ super electos, ac reprobos augebit solemnitatem judicii, gaudium electis, & confusionem reprobis. Unde August. lib. 20. de Civit. Dei, c. 24. *Vece* (inquit) *judicis evidens apparebit, qui prius cum venisset occultus, ante judicem siluit.*

XIV. Non tamen vocali locutione proferet causam sententiæ, tam super electos, quam super reprobos. Nimirum: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* sicut nec responsiones: *Domine, quando te vidimus &c.* Tum quia multa sunt opera præstantiora operibus corporalibus misericordiæ erga pauperes, ut misericordiæ spiritualis opera, martyrium, tolerantia gravissimorum laborum, & alia, ob quæ justi salvabuntur. Et similiter graviora alia peccata erunt, ob quæ impii damnabuntur, ut adulteria, homicida, hæreses &c. Neque est verisimile, in sententia justorum voce proferri minus laudabilia, præstantioribus silentio prætermissis; & in sententia impiorum voce proferri minus gravia delicta, omissis gravioribus. Dicere autem omnia esse voce proferenda, esset incidere in inconveniens longissimæ durationis in judicio peragendo, quod evitare intendimus. —— Tum etiam quia multi sunt, qui ad opera misericordiæ corporalia non tenentur, ut infantes, pauperes, Religiosi, qui tamen salvabuntur. Igitur tam istæ, quam aliæ causæ salvationis, vel damnationis intellectualiter solum manifestabuntur.

Eadem est ratio de responsionibus, quas sigillatim daturi sunt, sive electi, sive reprobi: neque enim pii, neque impii voce talia respondebunt. Nam si simul respondebunt, esse in judicio maxima confusio: si vero sigillatim, longissima Judicii duratio. Addo neque mentaliter talia responsuros pios, & impios: Sicut enim, opera misericordiæ erogata, vel negata, esse erogata, vel negata Christo, qui in personis pauperum ea recipit, cum hoc in Evangelio, *Matth. 25. v. 40. & 45.* aperte dixerit. Hæ sunt conjecturæ, quibus movemur. Quidem autem futurum sit, omnes videbimus, atque utinam feliciter.

QUÆSTIO III.

De Judicandis.

Hic examinandum occurrit, an omnes homines in Judicio comparebunt, an boni, & mali, & Angeli judicabuntur: Et an quisque cognoscet opera sua, & alterius, & quomodo.

DUBIUM I.

An omnes Homines in Judicio Comparebunt.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Omnes omnino homines qui fuerunt ab initio, & erunt usque ad finem mundi, sive boni, sive mali, sive parvuli, sive adulti, sive fideles, sive infideles in judicio coram Christo comparebunt. Ita cum S. Thom. *q. 89. Suppl. art. 5.* sentiunt omnes Catholici. Ita enim nobis proponunt Scripturæ, Matth. 25. v. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Rom. 14. v. 10. *Omnes enim stabimus ante Tribunal Christi: Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo: Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Item 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, sive bonum, sive malum.*

II. Hæc Pauli verba exponens S. Thom. *Lect. 2. in c. 5. 2. ad Cor.* ait: *Primo enim ponit ejus universalitatem; quia nullus excipietur ab illo judicio. Et ideo dicit* Omnes nos, *idest omnes homines, bonos, & malos, magnos, & parvos.* Et confirmat ex textu allato, *cap. 14. ad Romanos*, & addit ex Apoc. 20. vers. 12. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt.* Cui addi potest aliud ex Apoc. c. 1. v. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omni oculus.* His jungi potest illud, *Act. 10. v. 42.* ubi Petrus dicit Christum sibi præcepisse: *Prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum.*

III. Ratio autem, quam tradit S. Thom. hoc *art. 5.* est: Quia *Potestas judiciaria Christo homini collata est in præmium humilitatis quam in passione exhibuit* (juxta illud Pauli ad Philipp. 2. v. 8. &c. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur &c.*) Sed *Christus in sua passione sanguinem pro omnibus fudit, licet non in omnibus effectum habuerit propter impedimentum in aliquibus inventum;* ergo *congruum est, ut omnes homines in judicio congregentur ad videndum ejus exaltationem in humana natura, secundum quam constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum.* Ita S. Thomas.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

IV. Quod primo obstare videtur, est de parvulis, videtur enim istos non esse sistendos ante tribunal Christi. Si enim dicit Paulus, *2. Corinth. 5. vers. 10.* Quod *Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum,* quid referre poterunt parvuli ante usum rationis mortuis, qui in corpore nihil boni, aut mali gesserunt?

V. Respondet S. Thom. primo hoc art. 2. ad 3. *Quod etiam pueri ante perfectam ætatem decedentes in judicio comparebunt non ut judicentur* (judicio nimirum discussionis) *sed ut videant gloriam Judicis.*

Resp. secundo. Quod licet cum essent in corpore infantes nihil gesserint actione, & voluntate propria, habuerunt tamen actione, & voluntate aliena aliquid, quo digni fierent, ut in judicio, vel vocarentur ad dexteram, vel rejicerentur ad sinistram. Nec illud verbum *Gessit* adeo stricte usurpandum est, ut semper pro opere, & quidem proprio debeat intelligi. Nam sicut ly *Gessit* extenditur etiam ad cogitationes, & omissiones: ita & extendi potest ad bonos, vel malos habitus, ex propria, vel aliena actione relictos. Sic militibus, misericordibus, mundis corde, pacificis, *Matth. 5.* Regnum Cælorum promittitur. Et e contra avari, immundi, ebriosi a Regno Cælorum excluduntur, *1. ad Cor. 6. & ad Ephes. 5.* cum ergo pueri e corpore decesserint, vel in gratia baptismali, vel ea privati, & proinde in peccato originali habebunt aliquid, quo in judicio vel vita, vel pœna æterna judicentur.

VI. Hæc est doctrina S. Thom. *Lect. 1. in c. 5. 2. ad Cor.* ubi proposito sibi hoc argumento, videlicet: *Sed de pueris non videtur, quia dicitur,* ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit: *Sed pueri nihil gesserunt in corpore; ergo &c.* Cui respondet: *Sed dicit Glossa quia non judicabantur pro his, quæ ipsi gesserunt per se, sed de his, quæ gesserunt per alios: dum per eos crediderunt, vel non crediderunt, & baptizati, vel non baptizati fuerunt: vel damnabuntur pro peccato primi Parentis.*

VII. Hæc doctrina ex Augustino sumpta est, *Epist. 107.* modo 217. *ad Vitalem, cap. 8.* ubi hæc habet: *Scimus etiam, parvulos secundum ea, quæ per corpus gesserunt, recepturos, vel bonum, vel malum. Gesserunt autem, non per seipsos, sed per eos, quibus pro illis respondentibus, & renuntiare Diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero fidelium computabantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis:* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: *Propter quod & illis qui hoc sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur:* Qui autem non crediderit, condemnabitur. *Unde & ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea quæ per corpus gesserunt, idest, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda, & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati sunt —— secundo hac ergo quæ per corpus gesserunt, non secundum ea, quæ si diu hic viverent, gesturi fuerant* (ut falso Pelagiani asserebant) *judicantur.*

Eadem docet, *lib. 6. contra Julian. cap. 10.* ubi quærens a Juliano, an parvuli, qui in corpore nihil gesserunt manifestabuntur ante tribunal Christi, vel non. Et respondens, quod manifestabuntur, & reportabunt quod in corpore gesserunt, non per se, sed per alios sive bonum, sive malum, subjungit: *Vide ergo quam importune nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei Regnum. Alienum quippe opus est cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.* Quibus Julianus Pelagianum redarguit, qui ex una parte admittebat parvulos alieno facto bono admitti per baptismum ad regnum, & reportare bonum; & ex alia negabat alieno peccato, nempe, originali reportare malum, & excludi a regno.

Obstare secundo videtur, aliquos maxime impios, ac infideles in judicium cum aliis non comparituros, cum jam judicati sint. Sed de hoc statim dicam.

DUBIUM II.

An omnes homines, & Angeli, sive boni, sive mali judicandi sint?

§. I.

De hominibus bonis.

I. OBservo cum S. Thom. tum *Quæst. 89. Suppl. art. 6.* tum *Opusc. 2. c. 243.* quod ad judicium tria concurrere videntur. Primo quidem, quod aliquis Judici præsentetur. Secundo. Quod merita ejus discutiantur. Tertio. Quod sententiam accipiat. Simile quid considerari potest in Judicio divino. Et quidem quoad primum: Jam ostensum est, quod omnes boni, & mali homines a primo homine usque ad ultimum coram Christo judice sistentur, ut dicitur, 2. Cor. 5. vers. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, a qua generalitate, nec etiam ipsi parvuli, qui vel sine baptismo, vel cum baptismo decesserunt, excluduntur, ut supra dictum est. Quæritur hic de discussione meritorum, & sententia Judicis.

II. Dico. Omnes homines boni, & mali judicabuntur judicio, & sententia retributionis, non tamen omnes judicio discussionis proprie dictæ. Ita S. Thom. dicta, *q. 89. art. 6.* ubi de bonis hæc habet: *Ad judicium duo pertinent, scilicet discussio meritorum, & retributio præmiorum. Quantum ergo ad retributionem præmiorum, omnes judicabuntur, etiam boni, in eo quod unusquisque recipiet ex divina sententia præmium merito respondens. Sed discussio meritorum non fit, nisi ubi est quædam meritorum commixtio bonorum cum malis. Qui autem ædificant supra fundamentum fidei* aurum, & argentum, & lapides pretiosus (1. Cor. 3.) *divinis servitiis totaliter insistentes, qui nullam admixtione notabilem alicujus mali meriti habent, in eis discussio meritorum locum non habet: sicut illi qui rebus mundi penitus abjecti sollicite cogitant solum quæ Dei sunt: & ideo salvabuntur, sed non judicabuntur. Ille vero qui ædificant super fidei fundamentum* ligna, fœnum, stipulam, *qui adhuc scilicet amant sæcularia, & terrenis negotiis implicantur, ita tamen, quod nihil Christo præponunt, sed student peccata eleemosynis redimere, habent quamdam commixtionem bonorum meritorum cum malis. Et ideo discussio meritorum in eis locum habet. Unde tales quantum ad hoc judicabuntur, & tamen salvabuntur.* Hoc idem docet, *Opusc. 2. cap. 243.*

III. Sed dices primo. Jo: 3. v. 18. *Qui credit in eum non judicatur*: sed omnes boni crediderunt in eum; ergo boni non judicantur. —— Respondet S. Thom. *art. 6.* citato *ad 1.* exponendo textum *Non judicatur* judicio punitionis, concedo: præmiationis, nego. Igitur: *Quia punitio est effectus justitiæ præmiatio autem misericordiæ: ideo magis judicio, quod est actus justitiæ, antonomastice punitio attribuitur; ut interdum judicium pro ipsa condemnatione accipiatur. Et sic intelligitur auctoritas inducta, ut per Glossam* (ordin. super illud, ut judicet mundum) *ibidem.* Quare verbum illud *non judicatur*, idem est, ac judicio non condemnatur.

IV. Dices secundo. Sancti sunt certi de sua beatitudine, quia jam beati: sed quod certum est non vocatur in Judicium; ergo Sancti non vocabuntur in judicium. —— Præterea timor opponitur beatitudini: judicium autem extremum, quia tremendum, fieri non poterit absque timore eorum, qui erunt judicandi.

Respondet S. Thom. citato loco ad 2. *Quod discussio meritorum in electis non erit ad tollendam certitudinem beatitudinis a cordibus ipsorum judicandorum, sed ut præeminentia bonorum meritorum ad mala ostendatur omnibus manifeste, & sic Dei justitia comprobetur.* Ad id quod additur eodem modo dico cum S. Thom. *ad 3.* Quod judicii terror refertur ad tempus vitæ præsentis, in qua certe ab omnibus etiam justis cum terrore apprehenditur. At tunc erit quidem maxime tremendum malis, non autem bonis, quibus nulla erit mali suspicio.

V. Dices Tertio. In judicio nemo erit, qui non habuerit bona opera aliquibus malis permixta, quia ut dicitur, 1. *Joann. 1. v. 8.* Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: ergo omnes etiam maxime boni judicabuntur judicio discussionis.

Resp. S. Thom. *Opusc. 2. c. 243.* Quod in aliquibus nulla futura sit commixtio boni, & mali, non quia absque peccato vixerint; sed quia in eis fuerunt levia quædam peccata, quæ per fervorem charitatis quodammodo dum viverent consumpserunt, ita ut nihil esse judicentur.

VI. Quia tamen discussio in judicio generali non fiet humano modo, seu vocaliter, ut cum S. Thom. q. 88. *Suppl. art. 2.* supra diximus, sed pure mentaliter, Deo nimirum judicandorum conscientias non solum cognoscente, sed etiam singulis mundi hominibus distincte, & clare manifestante: ideo censet Sylvius, *in art. 1.* hujus *quæst. 89.* in hoc sensu omne sive bonos, sive malos esse judicio discussionis judicandos, quia omnium, sive bonorum, sive malorum, & infidelium, immo & puerorum arcana omnibus patebunt, nec in hoc sensu negari a S. Th. Quod probabile judicio.

Nam S. Thom. hic *ad 2.* supra dixi ponit discussionem meritorum, *ut præeminentia bonorum ad mala ostendatur omnibus manifeste, & sic Dei justitia comprobetur*; ergo cum nec omnes infideles æqualiter peccaverint, nec omnes perfecti æqualiter a peccato recesserint, ut appareat justitia Dei, cur aliqui magis, alii minus, vel puniantur, vel præmientur, singulorum opera fient singulis ac omnibus manifesta, & sic in hoc sensu omnes judicabuntur judicio discussionis, & etiam ipsi parvuli sine baptismo decedentes, dum videbunt causam, quare ipsi excludantur a Regno, & alii ad Regnum admittantur.

§. II.

De hominibus malis.

VII. DIco. Mali omnes sunt judicandi judicio retributionis, sed non omnes judicio discussionis saltem stricte sumpto. Ita S. Thom. dicta *quæst. 89. art. 7.* his verbis: *Judicium, quod est pœnarum retributio pro peccatis, omnibus malis competit: judicium autem quod est discussio meritorum, solum fidelibus. Quia in infidelibus non est fidei fundamentum; quo sublato, omnia opera sequentia perfecta rectitudine intentionis carent: unde non est in eis aliqua permixtio bonorum operum, vel meritorum ad mala, quæ discussionem requirat. Sed fideles, in quibus manet fidei fundamentum, ad minus fidei actum laudabilem habent: qui quamvis non sit meritorius sine charitate, tamen quantum est de se, est ordinatus ad meritum. Et ideo in eis judicium discussionis locus habet. Unde ipsi fideles, qui fuerunt saltem numero cives Civitatis Dei judicabuntur ut cives in quos sine discussione meritorum sententia mortis non feretur. Sed infideles condemnabuntur ut hostes, qui consueverunt apud homines absque meritorum discussione exterminari.* Ita S. Thom. quibus intendere videtur infideles a judicio discussionis eo modo, quo fit apud homines, non tamen a judicio discussionis per puram manifestationem publicam majoris, vel minoris gravitatis delictorum in aliquibus quam in aliis. Unde in judicio gravior apparebit infidelitas Judæorum, qui noluerunt credere Christo, quam Reginæ Austri, & Ninivitarum, ut dicitur, *Matth. 12. v. 41. & 42.* Unde licet non sit futura discussio inter bona, & mala opera infidelis, qui judicatur, quia in eo nulla erit permixtio bonorum, cum malis, fiet tamen discussio, seu comparatio per manifestationem malorum operum illius comparate ad bona opera fidelium, & aliorum infidelium peccata magis, vel minus gravia. Et in hoc sensu intelligi potest Sanctus Thomas.

VIII. Dices primo, Joann. 3. v. 16. *Qui non credit, jam judicatus est*, ergo infideles & mali jam damnati non judicabuntur. —— Respondeo cum S. Thom. hoc *art. 7. ad 1.* Quod infideles, & etiam mali jam judicati sunt, quia jam damnati, adhuc tamen judicabuntur. Fideles quidem mali *ad manifestationem divinæ justitiæ, per quam ostendatur, eos juste a Sanctorum Civitate excludi cujus esse cives numero exterius videbantur.* Infideles etiam ut ostendatur, juste eos damnari qui Civitatis Sanctæ cives esse noluerunt.

IX. Dices secundo, *Psalm. 1. v. 6.* legitur *non resurgent impii in judicio*: ergo mali non judicabuntur —— Respondetur, quod impii dicuntur non resurrecturi in judicio, non quia judicandi non sint: sed quia in judicio non consistent tamquam victores, sicut justi, sed causa cadent, & condemnabuntur. Unde subditur: *Neque peccatores in concilio justorum.*

§. III.

De bonis, & malis Angelis.

X. DIco. Angeli sive boni, sive mali in judicio universali per se non judicabuntur, quantum ad præmium, vel supplicium essentiale, sed consecutive quantum ad præmium, vel pœnam accidentale. Ita S. Thom. *q. 89. Suppl. art. 8.* ubi ait: *Judicium discussionis nullo modo habet locum neque in bonis Angelis, neque in malis. Quia neque in bonis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni ad judicium pertinens. Sed si loquamur de judicio retributionis, sic est distinguenda duplex retributio. Una respondens propriis meritis Angelorum: Et hæc a principio fuit utriusque facta, dum quidam in beatitudine sublimati sunt: quidam vero in miseria demersi. Alia retributio est, quæ respondet meritis bonis, vel malis per Angelos procuratis: & hæc retributio in futuro judicio fiet: quia boni Angeli amplius gaudio habebunt de salute eorum, quos ad meritum induxerunt, & mali amplius torquebuntur, multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala sunt incitati. Unde directe loquendo judicium neque ex parte judicantium, neque ex parte judicandorum, erit Angelorum, seu hominum: sed indirecte quodammodo respiciet Angelos, in quantum actibus hominum fuerunt commixti.*

XI. Probatur etiam eadem prima pars. Christus eorum tantum per se, & directe erit judex, quorum est Redemptor,

ptor, cum judiciaria poteſtas conveniat Chriſto merito redemptionis, ut ſupra diximus, *Qu.* 2. *Dub.* 1. §. 2. Sed Chriſtus non eſt Redemptor Angelorum. Unde dicit Paulus, Hebr. 2. v. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Et propterea, *Tom.* 1. *in* 3. *p. Tract. de Gratia Chriſti Qu.* 3. *Dub.* 4. §. 2. oſtendimus, Angelos non accepiſſe gratiam, & gloriam eſſentialem ex meritis Chriſti. Prædeſtinatio enim bonorum, & reprobatio malorum Angelorum, ſicut præceſſit decretum conditionis Adami, ita præceſſit decretum de Chriſto Redemptore, qui ſecundum ſententiam S. Thomæ ſi Adam non peccaſſet non veniſſet.

XII. Neque obſtat. Quod Paulus dicat. 1. Cor. 6. v. 3. *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus?* Quid cum non poſſit referri ad ſtatum præſentis temporis, referri debet ad futurum judicium —— Nam ut ait S. Thom. hoc art. 8. ad 1. *Verbum Apoſtoli eſt intelligendum de judicio comparationis: quia quidam homines quibuſdam Angelis ſuperiores invenientur.* Et *Lect.* 1. *c.* 6. 1. *ad Cor.* poſtquam dixit, poſſe intelligi de malis Angelis, qui condemnabuntur a Sanctis, quorum virtute victi, & fugati ſunt, ſubjungit: *Poteſt etiam hoc intelligi de bonis Angelis, quorum plurimi in comparatione quadam invenientur Paulo, & ſimilibus ejus inferiores. Unde ſignanter non dicit*, judicabitis, *ſed* judicabimus: *Quamvis etiam dici poſſit, quod ex conſequenti ſi Sancti judicabunt homines bonos, & malos, erit judicium de bonis Angelis, quorum accidentale præmium augetur ex præmio Sanctorum per Angelos illuminatorum, & etiam de malis Angelis, quorum pœna augetur ex pœna hominum per eos ſeductorum.*

XIII. Ex his poſtremis S. Thomæ verbis apparet ſecunda pars aſſerti, nempe, quomodo Angeli boni, & mali indirecte, & ex conſequenti ſint in judicio, quod de hominibus fiet, & ipſi judicandi, & retributionem accidentalem a Chriſto etiam ut homine accepturi. Boni quidem, quia ſi ut dicit Chriſtus Lucæ 35. v. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*: Quanto amplius erit eorum gaudium, cum viderint homines cuſtodiæ ſuæ commiſſos conſiliis eorum bene uſos, ſibique in gloria conſortes factos? Mali vero quia videntes multiplicatam ruinam eorum, quos pravis ſuaſionibus perdiderunt, & alia quæ ſtatim ſubjiciam, atrocius torquebuntur. Propterea 2. Petri 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari.* Quia ut ait S. Thom. dicto art. 8. ad 2. *Ipſi Dæmones cunctis videntibus tunc præcipitabuntur, quia in perpetuum in inferni carcerem detrudentur, ut jam non ſit eis liberum egredi extra; quia hoc eis non concedebatur, niſi ſecundum quod ordinabantur ex divina providentia ad hominum vitam exercendam.* Et hoc intendebant Dæmones, cum de Chriſto eos ab obſeſſis ejiciente conquerebantur dicentes, Matth. 8. v. 29. *Quid nobis & tibi Jeſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Quaſi nondum adveniente judicii extremi tempore vellet eos in inferno recludere, nec amplius eis permittere, ut inde ad homines exercendos egrederentur.

XIV. Judicabuntur ergo Dæmones a Chriſto judice: partim quia ſic recludentur in inferno, ut egredi amplius non poſſint: partim quia auferetur ab eis omnis poteſtas nocendi electis: partim quia non poterunt amplius procurare, ſibi exhiberi honore divinos: partim denique, quia ipſorum malitia toti mundo manifeſtabitur cum eorum ignominia. Tunc enim perfecte fiet id quod *ad Col.* 2. *verſ.* 15. factum refertur: *Et expolians principatus, & poteſtates, traduxit illos confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Quia Chriſtus expoliabit dæmones omni poteſtate, plene de illis triumphabit, palam eos oſtentans, omnibuſque, ut ſeductores, ac rebelles exhibens, eo modo quo Reges, & Imperatores parta victoria ſolent in triumpho præcipuos ac potentiores hoſtes captivos cum oſtentatione ducere. Juſti vero etiam dæmones judicabunt, partim approbando Chriſti judicium, partim ipſis tamquam vilibus, & contemptibilibus coram toto mundo inſultando cum gloriatione in Deo. Quæ omnia augebunt ſuperbiſſimis ſpiritibus dolorem, ac pœnam.

XV. Hoc igitur modo fiet a Chriſto etiam ſuper Angelos, ſive bonos, ſive malos. Unde S. Thom. 3. *p. q.* 59. *a.* 6. videtur abſolute aſſerere, etiam Angelos a Chriſto homine eſſe judicandos, non quidem quantum ad præmium, vel pœnam eſſentialem. Nam hoc factum eſt per Chriſtum in quantum eſt verbum Dei a principio mundi, ſed quantum ad alia accidentalia, in quibus Chriſto homini ſubditi ſunt, eique parent. Primo. Quia humanitas Chriſti ex majori propinquitate ad Deum plus de divina virtute participat, ideoque etiam Angelos illuminare poteſt. Secundo. Quia Chriſtus ob humilitatem paſſionis meruit exaltari etiam ſuper Angelos. Tertio. Quoad ea, quæ circa homines geruntur, quorum Chriſtum eſt Caput ſpeciali modo. Unde quoad hoc ſubſunt Chriſti judicio, ideoque ei ut homini miniſtrabant, & dæmones ab eo petebant, ne ab obſeſſis eos ejiceret. Et tandem quia a Chriſto judicante pendet eorum accidentalis gloria, vel pœna ut dictum eſt. Videatur S. Thom. loco citato.

DUBIUM III.

An in judicio quilibet cognoſcet opera ſua, & aliena, & quomodo?

§. I.

Reſolutio Primæ Partis.

QUamvis hæc quæſtio reſolvi poſſit ex iis, quæ diximus ſupra, præſertim, *Quæſt. præcedent. Dub.* 3. §. 1. ex Sancto Auguſtino. Tamen quia de hoc agit S. Thom. *quæſt.* 87. *Supplement.* ideo eam breviter tractare exiſtimo.

I. Dico ergo: In Judicio univerſali ſua cuique bona, vel mala opera, quæ dum hic viveret, fecit, manifeſta erunt. Ita S. Thom. *quæſt.* 87. citata, *art.* 1. Nam *Sicut dicitur, Rom.* 2. *In die illa, quia judicabit Dominus, teſtimonium unicuique ſua conſcientia reddet, & cogitationes erunt accuſantes, & defendentes. Et quia oportet, quod teſtis, accuſator, & defenſor in quolibet judicio habeat eorum notitiam, quæ in judicio verſantur: in illo autem communi judicio omnia opera hominum in judicium venient; oportet, quod omnium operum ſuorum quiſque tunc notitiam habeat. Unde conſcientiæ ſingulorum erunt quaſi quidam libri continentes res geſtas, ex quibus judicium procedet, ſicut etiam in judicio humano regiſtris utimur. Et iſti ſunt libri, de quibus Apoc.* 20. *dicitur*: Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum: *Ut per libros qui dicuntur ſic aperti, ut Auguſtinus exponit* 20. *de Civ. Dei* (cap. 14.) ſignificentur Sancti novi, & veteris Teſtamenti in quibus Deus oſtendit, quæ mandata fieri juſſiſſet. *Unde Richardus de S. Victore* (in Tract. de judiciar. poteſt.) *dicit:* Erunt corda eorum, quaſi quædam Canonum decreta: *Sed per librum vitæ, de quo ſubjungitur, intelliguntur conſcientiæ ſingulorum, quæ dicuntur ſingulariter liber unus, quia virtute divina fiet, ut cunctis ad memoriam ſua facta revocentur: Et hæc vis in quantum ad memoriam homini reducet ſua facta, liber vitæ dicitur. Vel per primos libros conſcientiæ intelliguntur, per ſecundum ſententia Judicis in ejus providentia deſcripta.* Ita S. Thom.

II. Hæc autem, ſecunda S. Thomæ expoſitio, quod per *Libros* intelligantur conſcientiæ ſingulorum, & per *Librum* vitæ, librum in quo Judex ſententiam prædeſtinationis electorum leget, videtur aptior, & conformior textui Apocalypſis. Quare Joannes illic non dicit, in libro vitæ ſcripta eſſe *Opera* cujuſque, ſed *Nomina*, & ideo ſubdit, verſ. 15. *Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Non ergo dicitur liber vitæ, quia in eo ſcripta ſint acta, & geſta vitæ, ſed quia in eo ſcripti ſunt omnes prædeſtinati ad vitam. Libri ergo aperientur, ideſt ſingulorum memoriæ præſentabitur quidquid faciendum illis erat pro ſuo ſtatu, & officio, & quidquid fecerint, & teſtimonio conſcientiæ facta cum lege conferente, & accuſante, vel excuſante, videbit quiſque, qua retributione dignus ſit. Deinde expandetur in mente Judicis liber alius, qui eſt liber vitæ, in quo ſoli prædeſtinati conſcripti ſunt, in quo quiſque videbit quomodo per Dei gratiam, quæ prædeſtinationis effectus eſt, prædeſtinationem compleverit, & ſuam vocationem certam fecerit, & quomodo reprobi in illo libro nunquam ſcripti, ſupplicia fuerint promeriti.

III. At quomodo, inquies, cuique ſtatim occurrere poterunt omnia, & ſingula totius vitæ etiam minuta peccata?

Reſpondet S. Thom. dicto art. 1. ad 1. *Quod quamvis multa merita, & demerita, a memoria exciderint; tamen nullum eorum erit, quod non aliquo modo manet in ſuo effectu. Quia merita, quæ non ſunt mortificata, manebunt in præmio, quod eis redditur: quæ autem mortificata ſunt, manent in reatu ingratitudinis, quæ augetur ex hoc, quod homo poſt gratiam ſuſceptam peccavit. Similiter etiam demerita, quæ non ſunt per pœnitentiam deleta, manent in reatu pœnæ, quæ eis debetur; quæ autem pœnitentia delevit, manent in ipſa pœnitentia memoria, quam ſimul cum aliis meritis in notitia habebunt. Unde in quolibet homine erit aliquid, ex quo poſſit ad memoriam ſua opera revocare. Et tamen ut Auguſt. dicit* (20. de Civit. Dei cap. 14.) *principaliter ad hoc divina vis operabitur*; ait enim: *Quædam divina vis aderit, qua fiet, ut cuncta peccata ad memoriam revocentur.*

IV. Inquies tamen iterum. Juſti, qui in charitate ſunt, dum ſuorum peccatorum recordantur, de eis dolent; ergo ſi tunc electis omnia ſua peccata, quæ in aliquibus fuere graviſſima, ad memoriam revocarentur, maximus in eis excitaretur dolor, quod tamen eſſe non poteſt, quia ut habetur, *Apoc.* 21. *v.* 4. in eis *dolor non erit ultra.*

V. Sed reſpondeo ex doctrina S. Thom. citato loco ad 3. Quod licet tale ſit charitatis ingenium in hac vita, de peccatis dolere: tamen in patria lætitia erit potentior, ut omni dolori obſiſtat, ne occupare animum poſſit beatis: immo potius de divina clementia gaudebunt, per quam ab illis malis liberati ſunt. Sicut ſolent poſt

prælium milites lætari de illis, quæ evaserunt periculis, atque illi, qui de graviſſimis morbis convaluerunt. At e contrario damnati bonorum quæ fecerunt memores, nullum inde oblectamentum percipient: immo plus eis augebitur mœſtitia, juxta illud Boætii, 2. de conſolatione: *Summum infortunii genus eſt, fuiſſe felicem.*

§. II.

Reſolutio Secundæ Partis.

VI. DIco. Non ſolum unuſquiſque videbit opera ſua in conſcientia propria, ſed etiam opera aliena leget in conſcientia alterius, adeo ut omnia, ſive bona, ſive mala, quæ quiſque geſſit in vita, omnibus ſint appariturа. Ita S. Thom. *q.* 87. citata *art.* 2. & probat hoc diſcurſu: *In ultimo, & in communi judicio oportet, quod divina juſtitia omnibus evidenter appareat, qua nunc in pleriſque latet. Sententia autem condemnantis, vel præmiantis juſta eſſe non poteſt, niſi ſecundum merita, vel demerita proferatur. Et ideo ſicut oportet, quod Judex, & aſſeſſor Judicis merita cauſæ cognoſcant ad hoc quod juſtam ſententiam proferant; Ita oportet, ad hoc quod juſta ſententia appareat, quod omnibus ſententiam cognoſcentibus merita innoteſcant. Unde quia ſicut cuilibet nota erit ſua præmiatio, & ſua damnatio, ita & omnibus aliis innoteſcet, oportet, quod ſicut quilibet ſua merita, vel demerita reducet in memoriam, ita etiam & aliena ſua cognitioni ſubjaceant.*

VII. Igitur. Quia judicium illud erit rectiſſimum, & ad rectitudinem judicii ſpectat, ut non niſi convicto reo ſententiam proferatur: convinci autem nequit niſi univerſa, de quibus accuſatur, ei ob oculos proponantur, ut merita ſuæ cauſæ cognoſcat, ne dicat, quod ex odio, vel alio extra cauſam affectu cum judicaverit, omnia cujuſque reprobi erunt ei pervia, & non ſolum graviora crimina, ſed leviora, etiam venialia, nec ſola opera, aut verba, verum etiam cogitationes internæ. Et ratio eſt: Quoniam licet judicium humanum, quod idcirco imperfectum eſt, non fiat niſi de externis, quæ ſenſibus patent, illud tamen perfectiſſimum etiam abditiſſima in corde recondita extrahet, ac inveſtigabit. Quod ſi inter mala opera, aliqua bona ex gratia facta reperta fuerint, ut apud Chriſtianos; ita etiam eum accuſabunt tamquam reum ingratitudinis, qua Deo terga vertit: immo & ipſæ naturæ dotes illi clamabunt, quod pro illi Deo gratias non egerit, ſed iis ad peccandum abuſus fuerit. At vero quia illud judicium non privatim inter judicem tantum, & reum fiet, ſed publice in conſpectu totius humani generis, non ſat erit, ut rei ſeipſos agnoſcant, ſed oportebit ut eorum conſcientiæ univerſis ſint compertæ, ut univerſis, quam juſta ſit judicis ſententia, innoteſcat.

Conſideret ergo cordatiſſimus Lector, quanto pudore, & opprobrio ſuffundentur in conſpectu Dei, Angelorum, & Hominum hypocritæ, qui mortalium oculos tamquam dealbata ſepulchra fefellerunt, nempe, quia putrida, pudendaque corde intus geſtantes, ea fucata externæ pietatis ſpecie contexerunt. Certe quando nos nullus alius infernus expectaret, hæc meditatio ſatis eſſet, ut tales eſſe contenderemus, quales Deo, & hominibus tunc apparere cupiemus.

VIII. Eadem ratione, ut ſcilicet appareat juſtitia Dei in judicio, in conſcientiis juſtorum omnes legent, & omnibus manifeſta fient omnia bona, quæ fecerunt, ſive opere, ſive verbo, ſive cogitatione. Quia omnia hæc eſto ex Dei miſericordia, & gratia ortum duxerint, hac tamen ſuppoſita vere facta ſunt merita, & retributio propter illa erit actus juſtitiæ, juxta illud Pauli, qui ex parte, 1. *Cor.* 15. *v.* 10. dicit: *Gratia autem ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Ex alia tamen, 2. *ad Tim.* 4. v. dicit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Cum autem honorificentius ſit accipere gloriam per merita, & ex juſtitia, quam ex pura gratia, hinc plurimum honoris accidet juſtis adultis ex oſtenſione publica meritorum, quibus ad tantum gloriæ gradum aſcenderunt. Inter homines præſtantius eſt meruiſſe quod non habes, quam non meruiſſe quod habes. Sic erit apud Deum teſte Chriſto Joann. 12. v. 26. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus*, videlicet oſtendendo publice univerſi, quemadmodum mihi miniſtraverit, & Lucæ 12. v. 8. *Quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*, ideſt in Judicio oſtendet, quid pro ſe fecerit.

XI. Quod hic ingerit difficultatem eſt, an electorum peccata per pœnitentiam deleta ſint in judicium ad memoriam revocanda, & cunctis manifeſtanda. Magiſter enim Sentent. *in* 4. *diſt.* 43. ut refert S. Thom. hoc *art.* 2. dicit: *Quod peccata, quæ ſunt per pœnitentiam deleta, in judicio aliis non patefient.* Sed S. Thom. ibi (& cum eo alii communiter) contrarium ſentit, dicens: *Sed ex hoc ſequeretur, quod nec etiam pœnitentia de peccatis illis perfecte cognoſcatur: in quo multum detraheretur Sanctorum gloriæ, & laudi divinæ, quæ tam miſericorditer Sanctos liberavit.*

X. Ex hoc formatur ratio, Judicium illud ad hoc potiſſimum celebrabitur, ut gratiæ, & virtutes, quæ nobis divina ope proveniunt, cunctis innoteſcant: inter quas cum egregium locum obtineat pœnitentia, oportet, ut ejus vis, & efficacia fiat ibi omnibus manifeſta. Atqui non poſſet ſatis cum ſua laude cognoſci, niſi cuncta electorum delecta quantumvis gravia, & turpia, quæ fuerunt pœnitentiæ virtute deleta, omnibus fierent comperta; quo enim graviora erunt, eo pœnitentiæ poteſtas divino favore ſuffulta majori ſplendore apparebit.

Inſuper derogaretur gloriæ Sanctorum, niſi appareret, quam gravia fuerint peccata, a quibus per pœnitentiam ſe liberarunt, & ſurrexerunt, quanto enim major eſt lapſus, tanto major eſt conatus ejus, qui ab ipſo reſurgit, & quanto robuſtior eſt hoſtis, tanto major eſt gloria ejus, qui eum profligavit: ſic ex fortitudine Goliæ apparuit robur Davidis, qui eum proſtravit. Ut ergo magis eluceat electorum conatus, qui gratia Dei adjuti per pœnitentiam ea deteſtando vicerunt, eorum gravitas eſt manifeſtanda. Nam cæteris paribus licet copioſior laus erit innocentibus quam pœnitentibus, non minor tamen erit iſtis, ſi pœnitentia excellentiſſima fuerit, ut in Magdalena.

XI. Hoc idem colligitur ex Sacris litteris, Eccleſiaſtæ 12. v. 14. *Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit.* Matth. 10. verſ. 26. *Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur.* Matth. 12. v. 36. *Omne verbum otioſum, quod locuti ſunt homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Idem dicit Paulus, 1. Cor. 4. v. 5. *Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Cum ergo concors Scripturarum aſſertio indefinita ſit, & ſine ulla exceptione, æquivalet univerſali, facitque ſenſum, quod illud judicium ſicut erit univerſale, non ſolum univerſorum hominum, nullo excepto, ſic erit univerſorum operum nullo excepto.

Hoc idem ex Daniele colligitur, *c.* 17. *v.* 10. & *Apoc.* 20. *cap.* 12. ubi in Judicio libri dicuntur aperti, nec ſolum ut quiſque opera propria in eis legat, ſed, ut etiam cujuſque opera ab omnibus legantur. Unde libri illi comparantur regiſtris, quæ in judicio aperiuntur, & ex quibus acta judicandorum clare leguntur in auribus omnium, qui judicio interſunt, vel libris reddendarum rationum. Sicut ergo in his non ſolum ſcripta leguntur, & in judicio manifeſtantur debita non ſoluta, ſed etiam ea, pro quibus ſolvit, & eorum ſolutio, ut appareat, in quibus poſita ſit æqualitas juſtitiæ, in quibus autem non: ita in judicio univerſali non ſolum legentur peccatorum debita, pro quibus per pœnitentiam ſatisfecit, ut ſic juſtitiæ æqualitas coram omnibus appareat.

§. III.

Objectiones contra hanc Secundam Partem.

XII. OBjicies primo; Fieri non poſſe, ut quiſque legat, quæ ſunt in conſcientia alterius, primo. Non enim cognitio reſurgentium erit major, quam ſit cognitio Angelorum, ſed Angeli non poſſunt invicem in ſuis cordibus videre ea, quæ ſubſunt libero arbitrio, unde egent locutione ad ea invicem manifeſtanda, ergo, &c. — Secundo. Merita, vel demerita, quæ in conſcientia alterius continentur, cognoſci ab alio non poterunt, nec *in ſeipſis*, quia ſic ſolus Deus, qui cordi illabitur, & ſecreta ejus intuetur, ea cognoſcere poteſt. Nec *in ſua cauſa*: quia non omnes videbunt Deum, qui ſolus poteſt imprimere in affectum, ex quo procedunt merita, vel demerita. Nec *in effectu*, quia multa demerita erunt, quorum nullus effectus remanebit, eis totaliter per pœnitentiam abolitis; ergo &c.

XIII. Reſpondeo ad primum ex S. Thom. hoc *art.* 2. *ad* 1. neg. min. Nam tunc etiam Angeli cognoſcent ea, quæ cognoſcent reſurgentes: *Omnia enim merita præcedentia, vel demerita facient aliquam quantitatem in gloria, vel miſeria hominis reſurgentis. Et ideo exterioribus viſis poterunt cuncta in conſcientiis videri, & præcipue divina virtute ad hoc operante, ut ne ſententia Judicis juſta omnibus appareat.* Unde cognitio iſta non erit naturalis, ſed quoad modum ſaltem ſupernaturalis, ut electis ſit in ſolatium, reprobis autem in pœnæ augmentum.

Ad ſecundum reſpondit S. Thom. citatus ad 2. *Quod merita, vel demerita poterunt aliis oſtendi in ſuis effectibus, vel etiam in ſeipſis per divinam virtutem, quamvis ad hoc virtutis intellectus creati non ſufficiat.* Itaque in judicio omnes omnium opera cognoſcent; tum in effectu, ſecundum quem licet præterierint manent apud Deum, nempe, bona non mortificata in divina acceptatione, mortificata, in ingratitudine. Mala autem deleta in virtute pœnitentiæ, non deleta, in reatu pœnæ: tum & præcipue per divinam virtutem mirabiliter facientem, ut omnibus illa notitia adveniat, etiam clara, & certa.

XIV. Objicies ſecundo. Quod reprobi non ſint viſuri

peccata aliorum, ſic. Solatium eſt alicui, ſi ſcit ſe habere multos ſocios in peccato, & inde minus verecundatur. Si ergo quilibet reprobus peccata alterius cognoſceret, cujuslibet erubeſcentia multum minueretur, quod non convenit; ergo &c.

Reſpondet S. Thom. *art.* 2. citato *ad* 4. neg. conſ. Nam *Ex hoc quod peccator aliorum peccata inſpiciet, in nullo ſua confuſio minuetur, ſed magis augebitur, in alieno vituperio ſuum vituperium magis agnoſcens. Quod enim ex tali cauſa confuſio minuatur, contingit, ex hoc quod verecundia reſpicit æſtimationem hominum, qua ex conſuetudine redditur levior. Sed tunc confuſio reſpiciet æſtimationem Dei, qua eſt ſecundum veritatem de quolibet peccato, ſive ſit unius tantum, ſive multorum.*

XV. Objicies tertio in favorem Magiſtri Sentent. qui, *in* 4. *diſt.* 43. ut diximus, admittit quidem peccata propria revocanda eſſe electis in memoriam, quin ullo ex hoc mœrore, aut triſtitia afficiantur, negat tamen, eorum peccata hic per pœnitentiam tecta, immo deleta, eſſe tunc aliis propalanda. Primo ſic: Vix percipi poteſt, ut crimina, flagitia, & ſcelera, quæ nonnunquam nefanda, & pudenda eſſe contigit, & quæ hic fuerunt occulta, illic in notitiam purgatiſſimarum mentium, immo & damnatorum prodeant, quin maximo pudore, & opprobrio afficiatur, qui ea commiſit, maxime ſi hic ſemper fuerit ut juſtus, & caſtus æſtimatus. Cum ergo beatitudini omnis pudor, & verecundia repugnent, conſequens eſt, ut electorum delicta non ſint tunc publice manifeſtanda.

Secundo. Peccata, quæ Deus per pœnitentiam texit, immo quorum Deus non amplius recordatur, non eſt conveniens, ut coram omnibus detegantur, & quaſi reviviſcant. Sed electorum peccata a Deo fuerunt tecta Pſ. 31. verſ. 1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Nec eorum amplius Deus recordatur, Ezech. 18. verſ. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, qua operatus eſt . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Idem legitur, *Iſaiæ 65. v. 16.*

Tertio. Publicatio peccatorum in judicio pœna eſt negligentiæ, qua homo confiteri ea prætermiſit. Ita Chryſoſtomus, Homil. 31. in Epiſt. ad Hebr. *Si vere recorderis peccatorum tuorum, & frequenter ea in conſpectu Dei pronunties, & pro eis deprecaris, citius illa delebis: Si vero oblivi ſcaris, tunc eorum recordaberis, & nolens, quando publicabuntur, & in conſpectu omnium amicorum, & inimicorum, Sanctorumque Angelorum proferentur.* Cum ergo electi peccata ſua coram Deo confeſſi ſint, ac deteſtati, in judicio non publicabuntur.

XVI. Reſpondetur tamen. Ad primum, neg. ant. Nam cum delicta juſtorum non ſint tunc manifeſtanda ad vindictam, ſed ad gloriam, & laudem pœnitentiæ, nullam in oculis juſtorum ingerent pudoris, aut opprobrii cauſam, ſed laudum, quibus & ipſi, & omnes alii Deum extollant, qui tantam virtutem dedit Fidei, Spei, & Charitati, quibus pœnitentia nititur, ut peccata per eam delecta nullo ſint amplius vituperio, aut exprobratione digna. Sic: Quamvis grave fuit peccatum Adæ, vel perſecutio Pauli, vel adulterium Davidis, aut turpitudo Magdalenæ, quia talium eos pœnituit, non erunt eis pudori, ſed laudi, qualis etiam foret proditio Judæ, & peccatum crucifigentium Chriſtum, ſi eos facti pœnituiſſet.

XVII. Ad ſecundum dico, quod peccatorum, quæ texit, aut quæ oblivioni tradidit, non amplius Deus recordatur ad ultionem: nec ſic ea deteget in judicio; ſed potius ad pœnitentiæ commendationem, & laudem: & hoc indicant allata Pſalmi verba; *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates &c.*

XVIII. Ad tertium dico, quod publicatio peccatorum ex negligentia pœnitentiæ in hac vita, erit quidem in confuſionem, non autem publicatio peccatorum per pœnitentiam deletorum. Ita Sanct. Thom. hoc art. 2. ad 3. *Publicatio* (inquit) *peccatorum ad ignominiam peccantis eſt effectus negligentiæ, qua committitur in omiſſione confeſſionis. Sed quod peccata Sanctorum revelentur, non poterit eis eſſe in erubeſcentiam, vel verecundiam: ſicut nec Maria Magdalena eſt in confuſionem, quod peccata ſua publice in Eccleſia recitantur, quia verecundia eſt* Timor ingloriationis, *ut Damaſcenus dicit* (lib. 2. Orth. fid. cap. 15.) *qua in Beatis eſſe non poterit: ſed talis publicatio erit eis ad magnam gloriam propter pœnitentiam, quam fecerunt: ſicut & Confeſſor approbat eum, qui magna ſcelera fortiter confitetur. Dicuntur autem peccata eſſe deleta, quia Deus non videt ea ad puniendum.*

§. IV.

Reſolutio Tertiæ Partis.

QUærendum ſupereſt, an ſtante quod eſt dictis in judicio quilibet viſurus ſit merita, & demerita tam propria, quam aliena, ea unico intuitu ſit viſurus.

XIX. Dico. In judicio quilibet tam propria, quam aliena merita, & demerita videbit, non uno intuitu, & inſtanti, ſed ſucceſſive, in tempore tamen breviſſimo. Ita S. Thom. *qu.* 87. *Suppl. art.* 3. ubi ait: *Circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod omnia merita, & demerita ſimul aliquis videbit ſua, & aliena in inſtanti. Quod quidem de Beatis facile credi poteſt, quia omnia in Verbo videbunt; & ſic non eſt inconveniens, quod ſimul plura videant. Sed de damnatis, quorum intellectus non eſt elevatus, ut poſſint Deum videre, & in eo omnia alia, eſt magis difficile.*

Et ideo alii dicunt, quod mali ſimul omnia videbunt in genere peccata ſua, & aliena, & hoc ſufficit ad accuſationem illam, qua debet eſſe in judicio, vel ad abſolutionem. Non autem videbunt omnia ſimul, deſcendendo ad ſingula. Sed hoc etiam non videtur conſonum dictis Auguſtini 20. *de Civit. Dei* (cap. 14.) *qui dicit, quod omnia mentis intuitu enumerabunt: quod autem in genere cognoſcitur, non enumeratur.*

XX. *Unde poteſt eligi media via, quod ſingula conſiderabunt, non tamen in inſtanti, ſed in tempore breviſſimo, divina virtute ad hoc adjuvante. Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus ibidem, quod* mira celeritate cernentur: *Nec hoc eſt impoſſibile, quia in quolibet parvo tempore ſunt infinita inſtantia in potentia.* Hoc quiſque facile concipiet, ſi attenderit, quæ ſupra diximus, nimirum, omnium merita, & demerita in judicio non eſſe vocaliter recitanda, ſed ut in quodam libro, ſeu magno folio deſcripta, ſeu picta, antea omnium mentes expanſo præſentanda. Unde ſicut quis oculo corporali fere ſtatim videt omnia, quæ in folio, ſeu tabula picta ſibi præſentantur; ita multo citius adjuvante divina virtute quiſquis etiam reprobus videre poterit mentis intuitu omnia ſingulorum merita, & demerita ſibi in eo libro præſentata. Unde S. Auguſt. *l.* 20. *de Civ. Dei cap.* 14. ſic concludit: *Quædam igitur vis eſt intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera ſua, vel bona, vel mala, cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuita mira celeritate cernantur, ut accuſet, vel excuſet ſcientia conſcientiam, atque ita ſimul, & omnes ſinguli judicentur. Qua nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur, quidquid ea faciente recolitur.* Quæ hic Auguſtinus dicit de cognitione, quam quiſque habebit de meritis, & demeritis propriis, applicari poſſunt cognitioni, quam habebit etiam de alienis.

QUÆSTIO IV.

De Judicio Particulari.

QUia præter Judicium univerſale, & publicum quod fiet omnibus hominibus, & Angelis ſpectantibus in fine mundi, fides catholica docet, futurum Judicium particulare, quo cuique in fine vitæ ſuæ cuique finalis retributio ſtatuetur, ideo ne quidquam in hac materia omittamus, in hac Quæſtione de Judicio particulari aliqua dicere operæ pretium duximus, præter ea, quæ in præſenti Tract. *Quæſt.* 1. *Dub.* 1. §. 3. inſinuavimus.

DUBIUM I.

An exerceatur particulare Judicium.

§. I.

Quid aliqui de hoc ſenſerint.

I. DIxerunt quidam, omnium hominum animas a corpore ſeparatas manere incertas, & ambiguas de ſtatu ſuo, uſque in diem Judicii univerſalis, in quo erunt a Chriſto judicandæ, & una cum corpore recepturæ pœnam, vel præmium. Hic fuit antiquus Millenariorum error, quem, *Tom.* 1. *in* 1. *p. Quæſt.* 2. *de Viſione Dei, Dub.* 2. refutavimus, & eorum etiam, qui, ut ibidem, *Dub.* 3. oſtendimus, volebant, claram Dei viſionem uſque ad extremum reſurrectionis, & judicii diem eſſe differendam. Huic errori faverunt multi veteres etiam Patres ibidem citati, qui tamen ſunt excuſandi, quia de hoc Eccleſia ſuum judicium nondum protulerat.

Immo S. Irenæus, *lib.* 5. *contra Hæreſ. cap.* 31. velut hæreticos traducit eos ex Catholicis, qui ævo ſuo credebant, animas a corpore ſolutas ſtatim retributionem recipere, quaſi e medio tollentes reſurrectionem. Sentiebat enim, quod ſicut Chriſtus nonniſi poſt reſurrectionem aſſumptus in Cælum fuit, ſic poſt mortem animæ abibunt in inviſibilem locum definitum eis a Deo, & ibi uſque ad reſurrectionem commorabuntur. Unde concludit: *Quomodo ergo Magiſter noſter non ſtatim evolans abiit, ſed ſuſtinens definitum a Patre reſurrectionis ſuæ tempus (quod per Jonam manifeſtatum eſt) poſt triduum reſurgens aſſumptus eſt, ſic & nos ſuſtinere debemus definitum a Deo reſurrectionis noſtræ tempus prænuntiatum a Prophetis, & ſic reſurgentes aſſumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.*

II. Apertius hoc idem ſenſit Lactantius Firmianus, *lib.* 7. *Divin. Inſt. cap.* 21. his verbis: *Nec tamen quiſquam patet, animas poſt mortem protinus judicari. Omnes in una communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Tunc quorum fuerit probata juſtitia, ii præmium immortalitatis accipient;*

pient; quorum autem peccata, & scelera detecta, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur ad certa supplicia destinati. —— Idem visus est sensisse S. Ambrosius, *libr. 2. de Cain, & Abel, cap. 2.* ubi: *Solvitur* (inquit) *corpore anima, & post finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri judicii ambiguo suspenditur.* Et, *libr. de Bono mortis, cap. 10.* Postquam ex *libr. 4. Esdræ, cap. 5. 6. & 7.* conatus fuit ostendere, dari post mortem receptacula, & promptuaria animarum, ubi expectant longo tempore remunerationem, & diem coronæ, ait: *Corona enim dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem, & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriæ.* Et infra: *Ergo dum expectatur plenitudo temporis expectant anima remunerationem debitam. Alias manet pœna, alias gloria: & tamen nec illa interim sine injuria, nec ista sine fructu sunt &c.*

III. Hunc tamen errorem in Concilio Florentino damnatum excitavit Calvinus, qui lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6. *Præterea* (inquit) *cum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eousque differat, contenti simus his finibus divinitus nobis præscriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant, atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat Redemptor. Reprobis vero eamdem esse sortem dubium non est, quam Judas Diabolis assignat, vinctos catenis teneri, donec ad supplicium, cui addicti sunt, trahantur.* Catholica tamen veritas est, animas statim post separationem a corpore singulas judicari, & finali sententia gloriæ, vel inferno destinari.

§. II.

Statuitur Catholica Veritas.

IV. Dico. Datur Judicium particulare, quo anima in egressu a corpore judicatur, sive ad præmium, sive ad pœnam. Probant aliqui ex illo Pauli, ad Hebr. 9. vers. 27. *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium.* Quod intelligunt de judicio particulari, quod statim post mortem fit, non de universali, quod fiet in fine temporum. Sed communius Interpretes, inter quos Sanctus Thomas, *Lect. 5.* exponunt de judicio extremo, in quo omnes homines jam mortui simul resurgent, ac judicabuntur. Propterea aptius existimatur illud, Ecclesiastici 11. vers. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas . . . . . & in fine hominis denudatio operum illius.* Quibus verbis, & judicium, & retributio in morte uniuscujusque clare indicantur.

Nec obstat, quod ibi non dicatur, Deum *Actu* retribuere unicuique post mortem, sed tantum *Facile esse* retribuere. Nam vox *Facile esse*, non indicat solum possibile esse, sed Deum facili negotio, & sine labore in die obitus retribuere: Unde sapiens ibi exhortatur nos ad bona opera, quia facile est Deo in die obitus retribuere, quibus supponit, Deum retribuere in die obitus de facto: si enim solum posset retribuere, sed de facto non retribueret, inefficax esset illa adhortatio, quia ex sola possibilitate præmii non sumitur incentivum laboris. —— Quamvis autem pro tempore, quo scribebat Ecclesiasticus nemo ad visionem claram Dei admitteretur; adhuc tamen unicuique in morte statuebatur, quod suo tempore futurum esset præmii: ideoque in limbo Patres certi erant de beatitudine suo tempore consequenda, sicut & animæ in Purgatorio existentes, ut supra, *Tract. de statu animæ post hanc vitam, Quæst. 3. de Purgatorio, Dub. 3.* ostensum est.

V. Confirmatur. De fide certum est, impios post mortem descendere ad æterna supplicia, ut Lucæ 16. vers. 22. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno, ... cum esset in tormentis &c.* Justos autem ad requiem in sinu Abrahæ, ut ibi de mendico Lazaro dicitur, & statim in Paradisi gloriam post Christum, ut Lucæ 23. vers. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ex quibus sic discurro. Animabus in exitu a corpore statuitur justa sententia secundum vias suas, vel præmii, vel pœnæ: sed justa sententia ferri non potest absque examine, & judicio operum; ergo in fine vitæ exeunte anima a corpore judicium fiet.

VI. Probat Sanct. Thom. primo in 4. dist. 47. quæst. 1. artic. 1. quæstiunc. 1. ad 1. *Quod quilibet homo est singularis quædam persona, & est pars totius humani generis. Unde duplex ei judicium debetur. Unum singulare, quod de eo fiet post mortem. Quando recipiet juxta ea, quæ in corpore gessit quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius humani generis &c.* Quod repetit etiam *Quolib. 10. art. 2.* his verbis: *Judicium ordinatur ad retributionem præmiorum: unde secundum duplex præmium scilicet animæ, & corporis est duplex judicium Dei. Unum, quo beatificat, vel damnat homines quoad animam, & hoc judicium per totum hoc tempus agitur. Aliud est judicium, quo præmiabuntur homines quantum ad corpora. Et hoc judicium fiet post resurrectionem in fine temporis.*

Aliam rationem dat, *in 4.* citato loco *Quæstiunc. 1. in Corp.* sic: In Deo est duplex operatio. Una qua omnia produxit in esse. Alia qua operatur in gubernatione creaturarum. Primam exercuit ab initio mundi, & ea completa quievit. Secundam continuo, & adhuc exercet; ergo cum ad ipsum etiam spectet creaturas perducere ad suum finem præsertim rationales secundum meritum, vel demeritum, quod sine judicio fieri non potest, duplex judicium distingui debet. Unum correspondens gubernationi, quam per tempora exercet: & hoc est judicium particulare, quod in cujusque morte fit. Aliud correspondens primæ rerum omnium productioni, quo omnibus suus finis complete statuetur in fine temporum.

VII. Hoc idem docent Patres. Cyprianus, libr. de Mortalitate, *Gratulari* (inquit) *magis oportet, & temporis munus amplecti, quod dum nostram fidem firmiter promimus, & labore tolerato, ad Christum per angustam Christi viam pergimus, præmium vitæ ejus, fidei, ipso judicante capiamus.* Chrysostomus, Homil. 12. in Matthæum. *Hæc igitur omnia cogitantes, & in animis nostris certa statuentes, nempe, post decessum ex hac vita nos horrendo tribunali sistendos esse, rationem reddituros de gestis omnibus, pœnas daturos, ultionem experturos, si in peccatis maneamus; contra vero coronis, & ineffabilibus bonis donandos, si parvo tempore nobis ipsis attendere voluerimus, eorum qui his contraria dicere audent, ora obstruamus &c.* Et Hom. 36. alias 37. *Nam præsens vita bene agendi tempus est, post mortem vero aderit judicium, & supplicium. Nam ait:* In inferno quis confitebitur tibi?

Loqui autem Chrysostomum de judicio statim secuturo post mortem, patet, quia ibi refellit errorem quorumdam, qui putabant, Christum post mortem prædicaturum, & ad pœnitentiam defunctos adducturum, & utitur hoc argumento. Post mortem sequitur judicium, & post judicium pœna inferni: sed in inferno nemo potest confiteri Domino; ergo post mortem non est locus pœnitentiæ; Quod si Chrysostomus non intenderet, animam statim post mortem judicari, sed judicium differri ad finem mundi, nihil ejus argumentum concluderet. Responderetur enim, hoc medio tempore inter mortem, & judicium extremum Christum mortuis prædicaturum, eosque adducturum ad pœnitentiam. Et Hom. 14. in Matth. *Quemadmodum* (inquit) *illi, qui ex carceribus his ad tribunal catenis vincti adducuntur; sic & animæ omnes, cum hinc abierint, variis peccatorum suorum constrictæ catenis, ad terribile illud tribunal adducentur.*

VIII. Sanctus etiam Augustinus, *lib. 2. de Anima, & ejus origine, cap. 4.* id apertissime tradit, dicens: *Illud quod rectissime, & valde salubriter credit, judicari animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari, atque in ipsa, in qua hic vixerunt, carne torqueri, sive gloriari, hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurdit, ut in illo paupere, quæ post mortem ablatus est in sinum Abrahæ, & in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat?*

IX. Item S. Gregorius, *Homil. 13. in Evang.* super illa verba; *Cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei,* ait: *Venit quippe Dominus, cum ad judicium properat: pulsat vero cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum, quem contempsisse meminit, judicem formidat.* Hoc idem testantur exempla, quæ ex particularibus revelationibus depromuntur, quæ legere est apud S. Augustin. *lib. de cura pro mort. cap. 12.* de quodam Curma. S. Gregor. *lib. 4. Dialog. cap. 36. & 38.* Bedam, *lib. 5. Hist. cap. 14. & 15.* Joannem Climacum *in sua Scala, gradu 7.* De quibus infra.

X. Quod si objeceris, posito Judicio particulari superfluum fore Judicium universale. Ad hoc responsum est supra, *Quæst. 1. Dub. 1. §. 3.* Præcipue autem fiet Judicium universale, & publicum, quia cum judicia particularia, sive in vita, sive post mortem sint occulta, debet tandem institui Judicium publicum, ut rectitudo divinæ justitiæ omnibus fiat manifesta: *Nescimus enim* (inquit S. August. l. 20. de Civit. Dei, cap. 2.) *quo judicio Dei bonus ille sit pauper; malus ille sit dives: iste gaudeat, quem pro suis perditis moribus cruciari debuisse mœroribus arbitramur; contristetur ille, quem vita laudabilis gaudere debuisse persuadet: exeat de judicio non solum inultus, verum etiam damnatus innocens, aut iniquitate judicis pressus, aut falsis obrutus testimoniis; e contrario sceleste adversarius ejus, non solum impunitus, verum etiam vindicatus insultet: impius optime valeat, pius languore tabescat &c.* Quæ nescimus, quo justo judicio Deus faciat, vel fieri sinat: inde subjungit: *Cum vero ad illud Dei judicium venerimus, cujus tempus jam proprie dies judicii, & aliquando dies Domini nuncupatur, non solum quæcumque tunc judicabuntur, verum etiam quæcumque ab initio judicata, & quæcumque usque ad illud tempus judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo judicio Dei fiat, ut nunc tam multa, & pene omnia justa judicia Dei sensus, mentesque mortalium lateant.*

Cum

Cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, juſtum eſſe quod latet. Hactenus Auguſtinus.

DUBIUM II.

Quando fiat Judicium particulare, & qua in Loco.

§. I.

An fiat in inſtanti.

I. DIco. Judicium particulare fit in momento temporis, ſeu in inſtanti, vel ſaltem breviſſima temporis mora. Ita cohærenter ad ea, quæ de judicio univerſalis dicta ſunt. Quamvis enim facta, dicta, & cogitata, vel non facta ſingula animæ judicandæ objiciantur, & plerumque ſint quaſi innumera, tamen facile eſt Deo, ita ea omnia menti præſentare, ut omnia ea, de quibus diſcurſio facienda eſt ad præmium, vel ſupplicium in momento, vel ut dicebamus cum S. Auguſt. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 14. *Mira celeritate cernantur.*

II. Sed dices, Judicium particulare a Patribus, & viris piis tali forma, & ordine deſcribitur, ut unico momento, ſive phyſico, ſive etiam mortali terminari non poſſit: ajunt enim, quod cum anima divino judici ſiſtitur, aſſiſtit ibi Angelus cuſtos partes gerens pii, ac ſolliciti advocati pro ſalute illius, contra vero Diabolus crudelis accuſatoris partes implet, unde inter accuſationes, & excuſationes anima tremens expectat ſententiam judicis.

III. Reſpondetur tamen, hæc omnia repræſentari, non quia ita revera fiat, ſed ut fideles judicium ſibi humano more propoſitum magis expaveſcant, ejuſque rigorem bene vivendo declinent. Cæterum, ut in Judicio univerſali, ita in particulari accuſator, & excuſator erit uniuſcujuſque conſcientia, quæ divinitus illuſtrata ſtatim cognoſcet omnia ſua facta, dicta, & cogitata, propter quæ digna ſit pœna, vel præmio. Iſta erit liber in quo quiſque uno intuitu leget omnia, quæ geſſit in corpore, ut dicebamus ſupra ex Auguſtin. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 14. *Quadam igitur vis eſt intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera ſua, vel bona, vel mala, cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuſet, vel excuſet ſcientia conſcientiam, atque ita ſimul omnes & ſinguli judicentur. Qua nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodam modo legitur quidquid ea faciente recolitur.*

§. II.

In quo inſtanti fiat.

IV. DIco: cum communi Theologorum judicium particulare fieri in inſtanti mortis, nimirum, in inſtanti in quo primo verum eſt dicere nunc non eſt homo, immediate ante erat, ſeu nunc anima non eſt unita corpori, immediate ante erat unita. Probatur, Judicium particulare non fiet ante inſtans mortis, neque poſt inſtans mortis. Non ante. Quia judicium non fit, nec ſententia datur, niſi finito tempore merendi, & demerendi; at inſtans ante mortem adhuc eſt tempus merendi, & demerendi. Nam adhuc anima eſt corpori unita, & dum unio exiſtit eſt homo in ſtatu viæ capax meriti, & demeriti, ut omnes ſentiunt; ergo in inſtanti ante mortem non fit judicium — Nec in inſtanti poſt mortem. Nulla eſt enim ratio illud differendi. Neque ex parte hominis, quia jam exiſtit anima extra ſtatum viæ, & extra ſtatum merendi, vel demerendi; ergo jam eſt capax, ut de operibus ejus judicium inſtituatur, & de eis feratur ſententia, vel præmii, vel pœnæ. Neque eſt ratio differendi ex parte Dei. Nam Deus, ut hominem judicet, non indiget ſtudioſa diſquiſitione, aut examine, cum enim omnia nuda, & aperta ſint oculis ejus, poteſt animæ manifeſtare ſuum ſtatum, & in eam pro vitæ qualitate ſententiam ferre.

V. Quod ſi dixeris, Paulum, *Hebr. 9. verſ. 27.* aſſerere judicium hoc fieri poſt mortem, his verbis: *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium* — Jam reſpondi ſupra, Paulum probabilius non loqui de judicio particulari, ſed de univerſali — Dato tamen, eum loqui de judicio particulari, dicam, quod vel ibi ſumi mortem in fieri, non in facto eſſe, vel per ly *Poſt* non indicat ordinem temporis, ſed conſequentiæ, & cauſalitatis, quia enim exiſtit mors, ideo fit judicium, ſeu prior natura eſt mors, quam judicium ſicut prior eſt cognitio boni, quam amor boni. Cum tamen utrumque in eodem inſtanti ſit. Niſi forte dicatur, judicium fieri in eodem inſtanti mortis, non phyſico, ſed morali; in quo, ut ſupra, nullum video inconveniens.

VI. Sed inſtabis, legi in vita Sancti Brunonis de quodam Pariſienſi Doctore, qui in ipſa Eccleſia, dum eidem jam mortuo exequiæ fierent, ſublato e feretro capite exclamavit: *Juſto Dei judicio accuſatus ſum.* Et ſequenti die iterum clamavit: *Juſto Dei judicio judicatus ſum.* Tertio tandem, *Juſto Dei judicio damnatus ſum.* Igitur judicium poſt mortem differtur.

Data tamen illius hiſtoriæ veritate, de qua aliqui dubitant, reſpondeo, judicium de illius Doctoris anima revera in inſtanti mortis fuiſſe a Deo peractum: Voluit tamen Deus, ea ſucceſſione, & intervallo temporis manifeſtari, ut major de divino judicio hominibus timor incuteretur, & inde occaſionem ſumeret S. Bruno vitam anachoreticam inſtaurandi.

VII. Objicies ulterius. Judicium particulare fieri ante mortem variis exemplis. Scribit Sanctus Gregorius, *lib. 4. Dialog. cap. 36.* de quodam Stephano, qui cum eſſet mortuus, & judici oblatus, audivit judicem dicentem, non hunc, ſed Stephanus ferrarium vocari juſſit: atque ille ita revixit, & ſimul Stephanus ferrarius, qui in vicinia morabatur, obiit. Cui ſimile narrat S. Auguſtinus, *lib. de Cura pro mortuis, cap. 12.* de quodam Curma nomine. Addit tamen S. Gregorius, hæc non fieri vero errore, ſed ut per iſtum, quaſi errorem, qui mortuus fuerat, reviviſceret, & narraret tormenta, & judicium, quod manet in impios poſt hanc vitam.

Idem Gregorius loco citato, *cap. 38.* narrat de quodam Chriſorio, qui in articulo mortis poſitus adhuc vivens vidit ſententiam ſuæ damnationis. Duo ſimilia refert Beda. *lib. 5. Hiſtor. cap. 14. & 15.* de duobus, qui deſperantes mortui ſunt, quia jam viderant judicium ſuum peractum, & ſententiam latam, & Joann. Climacus *in ſua ſcala grad. 7.* refert de quodam Heremita, qui in articulo mortis audiebatur, quaſi in judicio poſitus reſpondere accuſationibus, & interdum dicere, *falſum eſt non feci:* Interdum *Feci, ſed pœnitentiam egi*, interdum, *verum dicitis, nec habeo quid reſpondeam*; ergo &c.

VIII. Reſpondeo. Ad ea quæ narrat Gregorius, ex ſpeciali Dei providentia contigiſſe, nempe ut illi ad vitam revocati, hominibus enarrarent terrifica, quæ poſt mortem viderant, ut idem S. Gregorius dicit. Ubi noto, tales, vel ſimiles, qui a morte ad vitam revocantur, non fuiſſe in morte judicatos, ſed judicandos remanere in ſecunda morte, in qua vere finietur ſtatus vitæ ipſorum. Et ratio. Quia qui ad vitam eſt revocatus (ut Lazarus) adhuc habet libertatem ad meritum, & demeritum, quia nondum finivit viam. Credere quidem par eſt, Juſtum in gratia mortuum, & in vitam revocatum certum fore de ſua perſeverantia, & ſalute: adhuc tamen eſt ratio, cur non ſit judicatus, & ſententia in eum lata fuerit: immo cum juſti ad vitam revocati habituri ſint plura, & excellentiora merita, quibus digni fiant majori gloria, & rurſus impii vita redonati poſſint pœnitentiam agere de peccatis ante primam mortem commiſſis, ſi tunc judicati fuiſſent, deberet in ſecunda morte judicium primum retractari, quod eſſet abſonum, igitur omnes judicantur in ea morte, a qua non ſunt ad vitam revocandi. Nam ſi revocandi ſunt, prima mors quaſi non mors reputatur, ſed potius vitæ ſuſpenſio, ſeu ſomnus. Unde Chriſtus, Matth. 9. v. 24. *Non eſt* (inquit) *mortua puella, ſed dormit.* Et Joann. 11. v. 11. *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut a ſomno excitem eum.*

Ad exemplum de Chriſorio, & alia duo allata ex Beda, dico, judicium ante mortem non fuiſſe peractum ſed præoſtenſum. Sive a Dæmone phantaſiam excitante confictum. Cum enim illi duo de quibus Beda eſſent maximi peccatores, permiſit Deus; eas judicii repræſentationes a Dæmone cauſari, quibus illi ſe damnatos crederent, ac de ſalute deſperarent. In viſione autem alia, quam refert Climacus ſolum repræſentatur, quid in judicio futurum eſſet, ex quo apparet, quanta ſollicitudine Dæmon tunc peccata in memoriam revocet, ut hominem ſi fieri poteſt in deſperationem inducat.

Quid autem mirum, ſi miſer homo mortis anguſtiis preſſus predictis repræſentationibus judicii turbetur, quando etiam aliqui ſanitatis compotes tentationibus circa propriam prædeſtinationem adeo agitentur, ut ſibi perſuadeant, ſe a Deo eſſe jam judicatos, & ſententia irrevocabili ad gehennam damnatos? Hoc obſervavit S. Laurentius Juſtinianus de diſciplina, & perfectione monaſticæ converſationis, *cap. 12.* dicens: *Nonnullos etiam ipſi callidi ſeductores de prædeſtinatione tentare conſuevere, quibus perſuadere nituntur, judicium jam factum eſſe, & contra eos divinam promulgatam ſententiam, cunctamque propriæ ſalutis ſpem ex ipſorum cordibus conantur extinguere. Huic autem irrationabili ſuggeſtioni facile reſpondetur: ſicut enim ratione caret, ita leviter ſuperatur. Cunctis namque ſanæ mentis patet, quod Deus nullum judicat antequam de corpore exeat. Donec enim in carne vivit homo, aut damnari, aut ſalvari poteſt. Solum poſt reſolutionem corporis adverſus ſingulos, vel condemnationis, vel abſolutionis profertur ſententia. Qualis uniuſcujuſque fuerit vita, talis erit & ſententia. Cauſa namque hominis tota ab eo pendet, nec aliter judicat Deus, quam ſecundum quod quiſque vixerit &c.*

§. III.

Quo in loco fiat.

IX. LOcus, in quo anima in egressu a corpore judicanda sit, an nempe in loco corporis, an deferenda sit ad Judicem, ut ab eo judicetur, incertum est.

Communius tamen creditur, quod cum judicium ex dictis fiat in eo instanti, in quo anima primo est extra corpus, fiat judicium in loco corporis, nec alio transferatur, ubi judicetur. Requireretur enim mora temporis, si per motum localem deberet alio transire; ut judicium subeat, quia motus localis in instanti non fit.

X. Dices. In omni judicio reus adducitur ad Judicem, non judex ad reum, unde in Judicio universali omnes adducentur ad Christum Judicem, ut supra diximus: atqui si anima esset judicanda in loco corporis, Judex Christus deberet accedere ad animam judicandam; ergo &c.

XI. Respondeo maj. Veram esse de judicio, quod humano, & visibili modo fit, non autem de judicio, quod invisibiliter fit, quale est judicium particulare, quia si animæ judicandæ essent adducendæ ad Judicem deberent transferri in Cælum, ubi Judex est, quod est præmium quod reportare possunt, quæ eo dignæ sunt, & sic reciperent præmium ante sententiam, & judicium. Ita respondet S. Thom. *quolib.* 10. *art.* 2. *ad* 2. his verbis: *Accessus ad locum judicis, ideſt, ascensus in Cælum, est præmium, quod ex judicio reportatur, unde debet judicium sequi, non præcedere: non autem ita se habet ad judicium humanum accessus ad locum judicii. Et ideo non est simile.* Immo si animæ judicandæ deberent ascendere ad judicem, ascenderent in Cælum etiam animæ reprobæ, quod esset inconveniens. Ideoque etiam in Judicio universali omnes quidem accedent ad Judicem Christum, non sedentem in Cælis, sed descendentem in aera juxta illud Pauli 1. Thessal. 4. vers. 19. *Simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera.*

XII. Eadem ratione non probatur opinio illorum, qui volunt, animas esse judicandas in loco sortis suæ, scilicet vel in Cælo, vel in Purgatorio, vel in Inferno. Tum quia in hac sententia non statim in morte judicium fieret, sed prius anima deducenda esset ad locum suæ sortis, ut ibi judicetur. Tum quia executio sententiæ non debet præcedere, sed subsequi judicium, & sententiam: & animam locari in loco sortis suæ, nempe, vel in Cælo, vel in Purgatorio, vel in Inferno ad sententiæ executionem pertinent; locatio illa post judicium, non ante facienda est.

DUBIUM III.

Ad quo Judicium particulare fiat.

§. I.

An a Christo ut Homine.

I. IN hac re conveniunt omnes Doctores quod ante Jesu Christi adventum per Incarnationem Judicia particularia hominum fierent a tota Trinitate, cui judiciaria potestas; sicut & omnia absoluta, est prædicatum communes, specialiter tamen per approbationem dici potest facta fuisse per Verbum Divinum, seu Christum ut Deum, in cujus meritis ut mediatoris, quotquot salvati sunt, salutem sunt consecuti. Quia vero nondum per humiliationem passioni judiciariam potestatem ut homo adeptus fuerat, ideo super homines judicia nondum, ut homo exercebat, sed ut Deus. Ita colligo ex S. Thom. *3. part. q. 59. art.* 4. *ad* 3. dicente: *Ante Incarnationem hujusmodi judicia exercebantur per Christum, in quantum Dei Verbum est, cujus potestatis facta est particeps per Incarnationem anima ei personaliter unita.*

II. Controversia est, an post Incarnationem Judicium particulare fiat per Christum hominem sententiam proferentem, an solum divina virtute, quæ ubique præsens est, seu a Christo, ut Verbum est, eo modo quo ante Incarnationem. In qua dirimenda perplexos video Doctores. Quod enim judiciaria potestas conveniat Christo, ut est Verbum Patris probat S. Thom. 3. part. quæst. 59. art. 1. *Quia* enim *ipsa ratio Judicis est lex sapientiæ, vel veritatis, secundum quam judicatur: Et quia Filius est sapientia genita, & veritas a Patre procedens, & ipsum perfecte repræsentans, ideo proprie judiciaria potestas attribuitur Filio Dei. Unde Augustinus dicit in libr. de vera Religione* (cap. 31.) Hæc est incommunicabilis illa veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis artificis. Ut autem nos, & omnes animæ rationales secundum veritatem de inferioribus recte judicamus: sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas judicat, de ipsa vero nec Pater: non enim minor est, quam ipse. Et ideo quæ Pater judicat, per ipsum judicat. *Et postea concludit.* Pater ergo non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio.

Et ibidem *ad* 2. ait S. Thom. *Sic igitur auctoritas judicandi attribuitur Patri in quantum est principium Filii: sed ipsa ratio judicii attribuitur Filio, qui est ars, & sapientia Patris: ut scilicet sicut Pater facit omnia per Filium, in quantum est ars ejus, ita etiam judicet omnia per Filium, in quantum est sapientia, & veritas ejus. Et hoc significatur in Daniele, ubi primo dicitur quod* antiquus dierum sedit, *& postea subditur quod* Filius hominis pervenit usque ad antiquum dierum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, *per quod datur intelligi, quod auctoritas judicandi est apud Patrem, a quo Filius accepit potestatem judicandi.* Hæc apud omnes certa sunt.

III. Certum etiam est, Christum ut hominem futurum Judicem in Judicio universali. Nam præter ea quæ diximus supra, *Quæst.* 2. *Dub.* 1. §. 2. *num.* 10. hoc ostendit S. Thom. *3. part. qu. 59. art.* 2. ubi dicit, quod etsi primæva auctoritas judicandi sit in Deo, tamen a Deo committitur hominibus judiciaria potestas respectu eorum, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur. Unde cum Christus etiam in natura humana sit caput totius Ecclesiæ, & omnia sub pedibus ejus subjecerit, consequens est, ut ad eum pertineat etiam secundum naturam humanam habere judiciariam potestatem. Sed hic aperte loquitur S. Thom. de judiciaria potestate quoad Judicium universale, ut legenti constabit. Unde dubium remanet, an ut in humana natura sit etiam Judex in judicio particulari.

IV. Dico ergo. Quod Christus in humana natura sit etiam Judex animarum in Judicio particulari problema est quoad utramque partem probabile. Hanc viam eligo, cum utrinque rationes probabiles inveniam, nec de mente S. Thomæ satis mihi constet.

Pro parte enim negativa videtur stare, *quolib.* 10. *art.* 2. *in Corp.* ubi postquam dixit, quod duplex est judicium Dei unum quo beatificat, vel damnat homines quoad animam, & hoc judicium per totum tempus agitur. Aliud quo præmiabuntur, vel punientur homines quoad corpora, & hoc judicium in fine temporis fiet, subjungit: *Primum autem judicium convenit Christo ratione divinitatis; sed secundum ratione humanitatis, quia ut dicit Augustinus super Joann. Tract.* 23. Verbum Dei vivificat animas, sed Verbum caro factum vivificat corpora, *unde etiam Joann.* 5. *dicitur.* Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius homini est.

Et ibidem *ad* 1. respondens Glossæ dicenti: Quod *Deus in Cælo sedens de bonis, & malis judicat,* ait, *quod Glossa illa loquitur de primo judicio, quod competit Christo ratione divinitatis, rationi cujus etiam Cælum ei pro loco assignatur: non quia divinitas loco claudatur, sed quia in Cælo præcipue inter cæteras incorporeas creaturas apparent judicia majestatis divinæ.*

Accedit, quod eodem modo videtur post Incarnationem exerceri judicium particulare, quo exercebatur ante Incarnationem, sed ut fatentur contrariæ opinionis defensores, ante Incarnationem exercebatur a Christo, ut Verbum est Patris, non ut homo, ergo hoc modo exercetur etiam post. Immo cum modo, sicut ante exerceatur in forma invisibili, credere par est, quod exerceatur a Christo ratione divinitatis. Nam in tantum Judicium universale visibiliter exercebitur, quia in illo judicabit Christus secundum humanam naturam visibilem, & non solum judicabit animas, ut in judicio particulari, sed etiam corpora. Et ideo Sanct. Thom. *3. part. quæst.* 59. *art.* 2. inter rationes, quibus probat Christum secundum humanam naturam tunc judicaturum, hanc ponit: *Quia in finali judicio, ut August. dicit super Joann.* Tract. 23. *erit resurrectio corporum mortuorum, quæ suscitabit Deus per filium hominis, sicut per eumdem Christum suscitat animas, in quantum est Filius Dei.*

V. Pro parte vero affirmativa videtur posse adduci S. Thom. qui *3. p. q. 59. art. 3.* generaliter dicit judiciariam potestatem debitam esse Christo, & propter dignitatem Personæ, & propter capitis dignitatem, & propter plenitudinem gratiæ habitualis, & etiam ex merito humiliationis in passione, non distinguens inter Judicium universale, & particulare.

Accedunt congruentiæ. Non enim minus honorificum est Christum Judicem agere in particulari, quam in universali Judicio, & eo magis, quia universale Judicium non est nisi confirmatio, & promulgatio sententiæ latæ in particulari judicio: ita ut nostræ salutis negotium potius pendeat a particulari judicio; ergo ad majorem Christi honorem spectat, eum esse judicem etiam in particularibus judiciis. Unde *Joann.* 5. *vers.* 22. & 23. dicitur: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.*

Adducuntur etiam auctoritates Patrum Cypriani, *lib. de Mortalitate,* Chrysostomi, *Hom.* 14. *in Matth.* Gregorii, *Hom.* 13. *in Evang.* quas supra retulimus, & alias, quibus asseritur homines in morte ante Christum Judicem statuendos.

VI. Verum hic non videtur esse controversiæ status. Nam etiam opposita opinio confitetur, Christum esse Judicem a quo animæ judicio particulari judicantur. Sed stat quæstio in hoc an in judicio particulari Christus sit Judex, ut Filius hominis, seu ratione humanæ naturæ, an ut Filius Dei, & ratione divinæ naturæ, quam in generatione

tione accepit a Patre, in quo licet sit auctoritas primordialis judicandi, tamen Pater non judicat nisi per Filium, qui ejus sapientia, & veritas est, ut supra dicebamus. Et in hoc sensu dicit Joannes, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Quod cum auctoritates allatæ non determinent, ideo totius existimo suspendere judicium.

§. II.

Aliqua circa hoc examinantur.

VII. QUæres primo: An Jesus videatur ab animabus judicandis, an vero omnino invisibiliter judicium particulare peragatur.

Quæsitum hoc procedit supposita opinione, de qua §. *præcedente* actum est, nimirum, quod judicium particulare a Christo ratione naturæ humanæ peragatur. Supponit etiam, Christum judicem non videri visione oculari, vel imaginaria; quia utraque hæc visio utpote materialis, & sensitiva dependet ab organo corporeo, in quo fiat, cujus anima dum judicatur, utpote a corpore separata, expers est.

Supponit etiam, ante adventum, & mortem Domini Jesu judicem a judicandis non fuisse intuitive visum, quia tunc animæ, etiam justorum, non admittebantur ad visionem claram Dei, sed detinebantur in limbo. Cum autem judicium pro eo tempore ageretur a filio Dei ratione divinitatis, si Judicem intuitive vidissent, intuitive vidissent Deum, & fuissent beatæ. Multo minus autem tunc judicem videbant animæ, quæ peccato lethali infectæ a corpore solvebantur, & ad infernum detrudebantur.

Supponit tandem ut certum, post Domini adventum & mortem animæ, quæ in gratia nihil purgandum habentes corpore solvuntur, intuitive videre Christum Judicem, non solum ratione humanitatis, sed etiam secundum divinitatem, & consequenter videre Deum unum, & trinum, quia tales animæ statim, ac judicatæ sunt, sunt beatæ. Unde quæsitum reducitur ad animas, quæ in exitu a corpore destinantur, vel ad temporales Purgatorii, vel ad æternas Inferni pœnas, an istæ intuitive visione intellectuali videant Christum hominem Judicem.

VIII. Respondeo, admisso etiam, judicium particulare fieri a Christo homine, incertum est, an animæ tales destinatæ, vel ad purgatorium, vel ad infernum, Christum Judicem intuitive videant. Quidam absolute negant, volentes intuitivam humanitatis Christi visionem omnibus reservari ad judicium extremum, cum animæ simul cum corpore judicabuntur, judicium autem particulare modo prorsus invisibili fieri, & animas judicatas, quæ ad gloriam non statim adducuntur, suam sortem, vel ab Angelis, aut alio modo discedere, vel ex propria conscientia, vel demum ex loco, in quo statim collocabuntur.

IX. Alii affirmant, moti, tum ex quibusdam privatis revelationibus. Tum quia Patres dicunt, animas in judicio particulari apparere, & sisti coram Judice. Tum quia, quod animæ purgandæ, aut damnandæ videant Jesum Judicem nullum affert inconveniens, quia visio humanitatis Christi non facit eas beatas, sicut eas non faciet dum in judicio universali videbitur, immo ad majorem damnatorum confusionem conducet videre Judicem, quem contempserunt, & ad solatium aliquale animarum, quæ purgatorio addicuntur. Ita discurrunt.

X. Qua autem forma, vel specie Christus ab animabus in judicio particulari videatur, Innocentius III. *Lib. 2. de contemptu Mundi, cap. 43.* sentit Christum videri sub specie Crucifixi: *Videt etiam* (inquit) *tam bonus, quam malus, antequam egrediatur anima a Corpore Christum in Cruce positum.* Verum hæc meditatio nullum fundamentum habet, sive in Scriptura, sive in Patribus. Quod enim Zachariæ 12. vers. 10. *Et adspicient ad me, quem confixerunt*, communiter de judicio universali exponitur. Noto tamen Innocentium non dicere, quod anima egressa a corpore, quo instanti judicatur, videat Christum in Cruce positum, sed *Antequam egrediatur anima a corpore.* Pie enim existimavit, quod instante egressu animæ a corpore objiciatur imaginationi Christus in Cruce positus, redigens in memoriam morientis hominis acerbissimam sui crucifixionem, in justorum consolationem, & impiorum dolorem, & confusionem. Unde ait: *Malus videt sibi ad confusionem, ut erubescat, se non esse redemptum sanguinem Christi, sua culpa exigente.*

XI. Quæres secundo: Quomodo in Judicio particulari proferetur a Christo Jesu sententia.

Respondent communiter (etiam illi, qui volunt Christum in forma humana, seu ut hominem esse judicem in Judicio particulari) quod sententia proferetur, non vocaliter, sed spiritualiter, & cuique manifestabitur, vel per Angelos, vel per infusionem speciei. Cum enim sententia intimanda sit animabus jam corpore exutis, convenientius videtur quod eis, utpote spiritualibus, spirituali modo manifestetur, eo modo quo inter creaturas spirituales, puta Angelos, datur locutio, seu mutua manifestatio.

II. Hinc inferunt, quod licet judicium particulare exerceatur a Christo homine, ad illud tamen exercendum, nec ipse e Cælo descendet, aut ad animam judicandam præsentialiter accedet, nec anima judicanda ascendet in Cælum ad thronum Christi. Ratio prima est, quia si Christus judicaturus descenderet, perpetuo esset extra Cælos, & in continuo motu, immo in diversis, & contrariis motibus, ut ad tam multos, & in contrariis locis existentes ac continuo morientes, accederet, eorumque animas judicaret. Quare cum Scriptura, & Patres dicunt, Christum venire ad judicium in obitu, non debent intelligi de adventu locali, sed intellectuali, quia ita ab anima quæ judicatur, videtur, ut si ei esset localiter præsens. Ratio secundi est. Quia non decet sanctitatem cælestis Jerusalem, eam ingredi animas peccato coinquinatas, quales sunt, quæ in lethali, aut etiam veniali a corpore solvuntur, immo quamvis anima a corpore egrediatur pura, non debet ad locum gloriæ, & præmii admitti nisi post latam sententiam. Quare Patres dum dicunt, deduci animas ad thronum Dei judicandas, non intendunt, eas ascendere ad Empyreum, sed loquuntur accommodate ad captum nostrum, & humano modo rem explicando, ita ut non aliud significent, quam intellectualem præsentationem, & elevationem ad thronum Dei. Ita discurrunt, qui volunt Christum hominem esse judicem in judicio particulari non minus, quam in universali.

XIII. Verum eorum pace dixerim. Si unum ex præcipuis fundamentis ad asserendum Christum ut hominem esse Judicem etiam in judicio particulari, est, quia Scriptura, & Patres dicunt, Christum venturum, & animas coram ipso sistendas: cur modo dicunt, Christum localiter non descensurum, nec animas localiter coram ipso præsentandas, sed totum intellectualiter peragendum? Quia enim Christus ut homo erit Judex in Judicio universali, vere localiter descendet e Cælo, & homines judicandi vere localiter coram eo præsentabuntur. At hoc inquient, plura inconvenientia in judicio particulari involveret, si descensus Christi, & ascensus animarum per mortem fieret. Fateor. Veriorem ergo crederem opinionem, in quam ut dixi S. Thom. magis propendet. Quod sicut ante Incarnationem judicium particulare exercebatur a Christo ut Verbum Dei est, ita & modo. Sic enim Christus ratione divinitatis omnibus semper adest, & animæ judicandæ illi præsentes sunt, & omnia spirituali modo peraguntur. Nihilominus, quomodo de facto contingat, non nisi divinando assequi possumus.

QUÆSTIO V.

De Qualitate Mundi post Universale Judicium.

MUlta, quæ in hac quæstione essent tractanda, sive de gloria Beatorum, sive de damnatorum pœnis in hoc Theologico cursu resoluta sunt. De statu enim Beatorum actum fuit, *Tom. 1. in 1. part. de Visione Dei*, & *in 1. 2. dum ageretur de Beatitudine.* De pœnis damnatorum tractatum fuit, *Tom. citato in 1. part.* dum de pœna Dæmonum sermo fuit. Unde hæc vel omittemus, vel strictim percurremus. De hoc visibili Mundo in præsenti inquiremus, qualis futurus sit ejus status post Judicium universale.

DUBIUM I.

De statu Corporum Cælestium post Judicium.

§. I.

De Mundi invocatione.

I. POst divini Judicis sententiam de toto humano genere pronuntiatam, primum quod immediate sequetur erit assumptio omnium justorum una cum Christo, & Sanctis Angelis in Cælum Empyreum, ut ibi æterna felicitate fruantur, ac eodem tempore dehiscens terra impios omnes, & simul Dæmones absorbebit ignibus involutos, ut in ejusdem visceribus, nimirum in inferno æternaliter crucientur. Unde quæstioni locus aperitur, quid nempe fiet de hoc visibili mundo omnibus habitatoribus vacuo.

II. Mundo hunc post universale Judicium esse innovandum conformes affirmant Patres, & Theologi moti auctoritate Scripturæ, tum Isaiæ 65. vers. 17. *Ecce enim ego creo Cælos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis, & exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo.* Et cap. 66. vers. 22. *Quia sicut Cæli novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.* Tum 2. Petri 3. vers. 12. *Novo vero Cælos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Tum Apocal. 21. vers. 1. *Vidi Cælum novum, & terram novam: primum enim Cælum, & prima terra abiit, & mare jam non est.* Nam quia novi Cæli, & nova terra, quoad substantiam sint, sed quoad accidentia, *in Tract. de fine Mundi qu. 1. Dub. 3. §. 1.* diximus.

III. Causam hujus innovationis assignat S. Augustin. l. 20. de

de Civ. Dei, cap. 16. *Ut scilicet mundus in melius innovatus, apte accomodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.* Mundus enim est propter homines, præsertim propter electos, juxta illud Pauli 1. Cor. 3. vers. 22. *Omnia enim vestra sunt . . . . sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura; omnia enim nostra sunt.* Cum ergo post judicium status electorum sit innovandus, & perficiendus, decet, ut mundus totus innovetur, & perficiatur modo congruo statui electorum.

Hoc exponit S. Thom. *qu. 91. Suppl. art. 1.* his verbis: *Omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur: Unde & omnia dicuntur ei subjecta. Serviunt autem homini dupliciter. Uno modo ad sustentationem corporalis vitæ: Alio modo ad profectum cognitionis divinæ, in quantum homo per ea quæ sunt facta invisibilia Dei conspicit ut dicitur Rom. 1. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit; cum ejus corpus sit futurum omnino incorruptibile, divina virtute id faciente per animam, quam immediate glorificat. Secundo etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem intellectivam: Quia tali cognitione Deum Sancti videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc visionem essentiæ oculus carnis attingere non poterit. Et ideo ut ei etiam solatium sibi congruens de visione divinitatis præbeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinæ majestatis apparebunt, & præcipue in carne Christi, & post hoc in corporibus beatorum, & deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit, ut etiam alia corpora majorem influentiam a divina bonitate suscipiant, quam nunc, non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriæ perfectionem. Et hæc erit mundi innovatio. Unde simul mundus innovabitur, & homo glorificabitur.* Hæc angelica claritate Sanctus Thomas.

IV. Hunc discursum confirmat Estius, *in 4. dist. 48. §. 6.* Cum mundus corporeus propter hominem conditus sit, congruit divinæ sapientiæ, ut homine per resurrectionem glorificando, mundus etiam modo quodam suo glorificetur; sicut & homine peccante mundus fuit in deterius mutatus *Terra enim maledicta in opere* hominis, *Gen. 3.* Nec dubium, quin & cætera elementa, & quæcumque hominum usibus subserviunt, similem maledictionem subjerint, quemadmodum docent Basilius, & Ambrosius *in Hexameron*, & Prudentius *in Hamartigenia*, ideſt, *Origine peccati*. Quo spectant Pauli verba Rom. 8. v. 20. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens.* Unde & de ejus futura cum homine, & propter hominem innovatione subjicit, vers. 21. *Quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, videlicet, adspirans, & anhelans quodammodo ad renovationem futuram, tamquam ad suum, & hominis, propter quem facta est, bonum. Quamvis enim ut dictum est, nulla tunc futura sit hominis indigentia, cui mundus iste subserviat; tamen sicut oculus interior mentis in Dei contemplatione delectabitur, ita oculus exterior corporis non sine magna, & sancta delectatione versabitur in pulcherrimis Dei operibus contemplandis juxta illud Psalm. 91. *v. 5. Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*

V. Neque hoc est incidere in opinionem erroneam Empedoclis, cui adhæsit Origenes, *lib. 2. Patriarch. cap. 3.* ponentis post hunc mundum futurum alium —— Nam non dicimus nos, mundum innovandum in substantia, quasi vetere destructo, alium mundum nova creatione Deus sit facturus, ut Empedocles, & Origenes asserebant. Sed dicimus, mundum istum fore innovandum nova, & majori accidentali perfectione, non quidem sibi naturali, & debita, sed supernaturali, & ex Dei gratia, quam *licet corpora illa insensibilia non meruerint, homo tamen meruit, ut illa gloria toti universo conferretur, in quantum hoc cedit in augmentum gloriæ hominis: sicut aliquis homo meretur, ut ornatioribus vestibus induatur, quem tamen ornatum ipsa vestis nullo modo meretur.* Ita S. Thom. dicto art. 1. ad 4. & 5.

§. II.

An motus Corporum Cælestium cessabit.

VI. Dico. In mundi innovatione cælestium corporum motus cessabit. Ita S. Thom. *qu. 91. Suppl. art. 2.* Ubi dicit circa hoc triplicem esse opinionem. Prima est Philosophorum, qui dicunt, quod motus Cæli semper durabit. Sed hoc rejicit S. Doctor, quia *non consonum fidei nostræ, quæ ponit certum numerum electorum præfinitum a Deo. Et sic oportet, quod generatio hominum non in perpetuum duret, & eadem ratione nec alia, quæ ad generationem hominum ordinantur, sicut est motus Cæli & variationis elementorum.* Alia vero est. Quod motus Cæli cessabit secundum naturam. Sed hanc etiam rejicit S. Thom. *quia omne corpus, quod naturaliter quiescit, & naturaliter movetur, habet locum, in quo naturaliter quiescit, ad quem naturaliter movetur, & a quo non recedit, nisi per violentiam. Nullus autem talis locus potest assignari corpori cælesti: quia non est magis naturalis Soli accessus ad punctum Orientis, quam recessus ab eo.* Unde &c.

VII. Tertia autem opinio, quam amplectitur S. Tſom. est, quod *motus Cæli cessabit in illa mundi innovatione, non quidem ex aliqua naturali causa, sed divina voluntate faciente.* Et probat, quia corpus cæleste, sicut & alia in ministerium hominis facta sunt, & ad hoc moventur, ut ei inserviant ad sustentationem vitæ, *in quantum per motum Cæli multiplicatur genus humanum, & generantur plantæ, & animalia, quæ usui hominum sunt necessaria, & etiam temperies in aere efficitur conservans sanitatem. Unde homine glorificato motus Cæli cessabit.*

VIII. Alia ratio est. Motus Solis, & aliorum orbium cælestium institutus a Deo fuit, Gen. 1. v. 14. ut *dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Sed homine glorificato, ut dicitur Apoc. 10. v. 6. *Tempus non erit amplius*, nec divisio in diem, ac noctem, in menses, & annos: Unde Isaiæ 60. v. 20. *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam;* ergo &c.

IX. Tertia est. Quies simpliciter perfectior est motu. Tum quia est terminus motus. Tum quia quies magis assimilat Deo, qui est maxime immobilis: sed homines in fine mundi glorificato corpora cælestia in summa perfectione erunt; ergo &c.

X. Contra primam rationem S. Thom. nempe, quod motus cælorum cessabit in fine mundi, quia cessabit generatio, & quicumque alius motus naturalis in inferioribus exurgit dubium, an cessatio motus Cæli sit causa sufficiens cessationis generationum, & motuum naturalium. Quibusdam enim videtur, quod non. Partim quia Cælum non tantum agit per motum, sed per lucem, & occultas influentias. Unde in sistemate Copernici Cælum neque modo movetur, sed potius terra circa Cælum: & tamen sunt generationes, & motus in his inferioribus —— Partim. Quia (Josue 10. v. 13.) *Stetit Sol in medio Cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei:* & consequenter omnes alii orbes cælestes cursus suos retinuerunt, cum tamen generationes, aliique motus in his inferioribus pro eo tempore non cessaverint.

XI. Tenenda tamen est sententia S. Thomæ, quam docet non solum hoc *art. 2.* sed etiam *quæst. 5. de potentia, art. 8.* ubi docet: Quod Deus ita videtur instituisse corporalia, ut inferiora a superioribus, & superiora a spiritualibus pendeant: *Unde cessante actione substantiæ separatæ, oportet, quod cesset actio corporis cælestis, & ea cessante, oportet, quod cesset actio corporis elementaris,* ea scilicet, quæ est secundum proprietatem corporis, quæ est agere per motum. Quia cum in corpore cælesti duplex sit actio: una, quæ est ad transmutationem materiæ, alia ad quamdam diffusionem similitudinis formæ in medio ad modum spiritualis intentionis, *& hoc modo Sol illuminat aerem, & color speciem suam multiplicat in medio: uterque autem modus actionis in his inferioribus causatur ex corporibus cælestibus . . . . . Ideo cessante motu Cæli, erit quidem actio in his inferioribus illuminationis, & immutationis medii a sensibilibus, non autem erit actio per quam transmutatur materia, quam sequitur generatio, & corruptio.* Ita Sanct. Thom.

XII. Ad ea, quæ opponuntur. Dico. Ad primum. Quod Cælum agit quidem in hæc inferiora transmutanda per lumen, & influentias: sed lumen, & influentiæ non applicantur eis in ordinario rerum statu nisi per motum. Et ideo hoc cessante cessabunt dictæ actiones transmutativæ inferiorum corporum, immo & ipsa corpora cessabunt, ut infra. Quod vero corpora cælestia non moveantur, sed terra circa Cælum, ut fert sistema Copernici, falsum puto quia contrarium Verbo Dei, ut statim dicam. Neque hic examinare opere pretium est.

Ad secundum. Respondeo, quod Deus ea virtute, qua ad vocem Josue fecit stare Solem, fecit etiam ut generationum, & actionum naturalium ordo in his inferioribus, servaretur. Sicut dicit Sanct. Thom. *Opusc. 10. art. 8. & Opusc. 11. art. 10.* quod licet cessante motu Cæli cessaret in fabro motus mallei, immo cessaret corpus mallei, & ipsum corpus fabri vitam amitteret: si tamen supernaturali virtute, & fabri, & mallei remanerent, oportet dicere quod fabrorum corpora eamdem haberent vim ad movendum maleum, quam modo habent.

XIII. Sed dices primo. Substantia corporum cælestium semper erit: ergo semper erit id propter quod facta est, alias esset frustra, sed cælestia corpora facta sunt ad hoc ut *dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos*, Gen. 1. v. 14. Quod non possunt facere nisi per motum; ergo motus Cæli semper durabit.

XIV. Respondeo dist. conſ. semper erit id propter quod ultimo facta est, conc. conſ. propter quod proxime facta est, neg. conſ. Ita S. Thom. hoc, *art. 2. ad 3.* his verbis: *Finis qui ibi* (in Genesi) *assignatur corporibus cælestibus est finis proximus, quia est proprius eorum actus. Sed iste actus ulterius ordinatur ad alium finem, scilicet ad ministerium humanum, ut patet per id quod habetur Deuter. 4.* Ne forte oculis elevatis ad Cælum videas Solem, & Lunam, & omnia astra Cæli, & errore deceptus adores ea, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cælo sunt: *Et ideo magis debet sumi judicium de corporibus cælestibus secundum ministerium hominum, quam secundum finem in Genesi assignatum. Corpora autem cælestia per modum alium in ministerium hominis glorificati cedent,*

dent, ut ſupra dictum eſt (nimirum Beatorum gloriæ) *ideo non ſequitur, quod fruſtra remaneat*, quamvis careant motu.

XV. Replicabis. Nihil eſt propter id, quod eſt vilius ſe, ſed generabilia, & corruptibilia, inter quæ ſunt homines, viliora ſunt Cælis, qui incorruptibiles ſunt; ergo &c.

Reſpondet Sanct. Thom. quæſt. 5. de potentia, art. 5. ad 5. Quod *licet generabilia, & corruptibilia ſint viliora Cælo; tamen animæ rationales ſunt corpore Cæli nobiliores: quæ tamen a Deo producuntur ad eſſe in materia diſpoſita per motum Cæli*, qui ad hoc ſervit, ut per continuas generationes, & corruptiones compleatur numerus electorum, quo completo ceſſabit finis *principalis* motus Cæli, non tamen *ultimus* qui eſt bonitas divina, *in quantum creatura quoquomodo ad eam pertingunt, vel per ſimilitudinem, vel per debitum famulatum*, ut docet idem S. Thom. ibidem *ad 6.*

XVI. Dices ſecundo. Motus circularis eſt naturalis cæleſtibus corporibus, ſicut naturalis eſt gravi motus deorſum, & levi motus ſurſum, cum hac differentia, quod gravia, & levia naturaliter non moventur, niſi cum ſunt extra ſuum *ubi*: Cælum autem movetur etiam dum eſt in ſuo *ubi*; Sed gravia, & levia detineri non poſſunt a motu ſine violentia, ergo neque Cælum. Cum enim nihil violentum poſſit eſſe perpetuum, ſequeretur, quod illa quies in Cælo non eſſet perpetua, ſed quod aliquando Cælum iterum moveri inciperet, quod eſt fabuloſum.

XVII. Reſpondeo neg. maj. Motus enim Cæli (ut docet S. Thom. *q. 9. de pot. art. 5. citato*) non eodem modo eſt naturalis Cælo, ſicut motus elementorum eſt naturalis elementi. Nam in his non ſolum habet principium materiale, & receptivum, ſed etiam formale, & activum; formam enim elementaris corporis ſequitur talis motus, ſicut ceteræ proprietates. In Cælo autem motus circularis eſt quidem naturalis ratione principii paſſivi, quia Cælum naturaliter capax eſt talis motus, non tamen ratione principii activi; quia ejus forma non habet inclinationem ad talem motum, unde quies ei non eſt violenta. Neque etiam Cælum movetur ad aliquam perfectionem ſibi acquirendam, ſed ut ſerviat numero electorum complendo; hic eſt enim finis motus cælorum. Unde numero electorum completo, Cælum deſiſtit a motu, abſque eo quod deficiat illi aliqua perfectio ſuæ naturæ conveniens, immo perfectio ejus augebitur, ut infra.

XVIII. Dices tertio. Si Sol a motu ceſſaret, non eſſet aſſignabile, in qua mundi plaga perſiſteret, cum ſit indifferens ad quamcumque. Addo quod ſi in Oriente perſiſteret, alia pars Occidentalis oppoſita eſſet in perpetuis tenebris, quod illi felici ſtatui orbis non congrueret.

XIX. Reſpondeo cum S. Thom. qu. 91. Supplem. art. 2. ad 8. *Quod quamvis corpus Cæleſte ſecundum ſuam naturam æqualiter ſe habeat ad omnem ſitum, qui eſt ei poſſibilis; tamen ſi comparetur ad ea, quæ ſunt extra ipſum, non æqualiter ſe habet ad omnes ſitus, ſed ſecundum unum ſitum nobilius diſponitur reſpectu quorumdam, quam ſecundum alium, ſicut quoad nos nobilius diſponitur Sol in die, quam in nocte. Et ideo probabile eſt, cum tota innovatio mundi ad hominum ordinetur, quod Cælum habeat in illa novitate nobiliſſimum ſitum, qui eſt poſſibilis in reſpectu ad noſtram habitationem.*

XX. Propterea cum ſecundum Ariſtotelem nobiliſſimus cæli ſitus ſit Orien, in quo etiam creatus cenſetur Sol, ſicut Luna in Occidente, valde veriſimile creditur, Solem ſiſtendum fore in Oriente, & Lunam in Occidente, non quia completa ſit revolutio Cæli, quæ niſi triginta ſex millibus annorum complebitur, (alias ut bene advertit Sanct. Thom. citatus *ad 8.* ſequeretur, quod mundus deberet tamdiu durare, & præterea ſciri poſſet, quando mundus finiri deberet) ſed divina voluntate ita ſtatuente. Veriſimile enim eſt. Deum collocaturum Solem, & Lunam, in eo puncto ſeu loco, in quo quarto die utrumque luminare condidit; luminare autem majus, nempe, Solem creditur condidiſſe in Oriente, & in noſtro Hemiſpherio, & in eo primo eluxiſſe, Lunam autem in oppoſito, & ad occidentem, quia illam in plenilunio, & Soli oppoſitam poſuit, ut ſtatutum fuit in quadam Synodo Palæſtina apud Bedam da ratione temporum, & tradit Damaſcenus. *lib. 2. fidei, Orthodox. cap. 7.* Sic enim Luna oppoſita Soli plenius a Sole illuminabitur.

Creditur etiam, Solem permanſurum in Oriente, & in noſtro Hemiſpherio, quia in eo olim fuit Synagoga, & Eccleſiæ Chriſti initium, & Chriſtus redemptionis noſtræ myſterium ibi operatus eſt, & illuc etiam deſcendet ad univerſale Judicium, ut ſupra dictum eſt. Eadem ratione creditur, Stellas omnes collocandas in æternum permanſuras in eo loco, in quo conditæ fuerunt. Ita probabiliter diſcurritur.

XXI. Nihilominus nihil certi poſſumus ſtatuere, quia ab eo quod factum eſt in conditione rerum, non valet arguere ad ea, quæ in rerum fine contingent. Nam ut ait Sanct. Thom. quæſt. 5. de potentia, artic. 5. ad 16. *In mundi principio natura inſtituebatur. Et ideo in his, quæ ad principium ſpectant, non oportet naturæ proprietatem prætermittere. In mundi autem fine naturæ operatio conſequitur finem a Deo ſibi inſtitutum. Unde oportet ibi recurrere ad voluntatem Dei, qua talem finem inſtituit.* Nec etiam movere nos debet, ſi Sol in una parte terræ ſemper conſiſtet. Nam, ut ait idem Sanct. Thom. ibi ad 17. *Licet Cælo quieſcente ſemper ſit futurus Sol ex una parte terræ, non tamen ex alia parte terræ erunt omnino tenebræ, & obſcuritas propter claritatem, quæ a Deo elementis tradetur. Unde habetur Apocal. 20. Quod* Civitas non eget Sole, neque Luna; nam claritas Dei illuminabit eam. *Si tamen ſit amplior claritas ex illa parte terræ quæ fuit inhabitata a Sanctis nullum inconveniens ſequitur.* Uno verbo (inquit Sanctus Thomas ibi ad 18.) *Quamvis Cælum æqualiter ſe habeat ad quemlibet ſitum ſibi poſſibilem; non tamen motus eſt propter acquiſitionem ſitus, ſed propter aliquod aliud: Unde in quocumque ſitu remaneat completo eo ad quod erat* (nempe numero electorum) *nihil differt.* Ita Sanctus Thomas & quidem tutius. Nam aliter niſi divinando poſſumus loqui.

§. III.

An corporibus cæleſtibus in illa innovatione claritas ſit augenda.

XXII. Dico. In illa innovatione corporum cæleſtium claritas augebitur. Quantitas tamen, & modus hujus augmenti illi ſoli notus eſt, qui erit illius auctor. Ita Sanct. Thom. *quæſt. 91. Supplem. art. 3.* Primam partem ſic probat: *Ad hoc innovatio mundi ordinatur, ut etiam mundo innovato, manifeſtis indiciis quaſi ſenſibiliter Deus ab homine videatur; Sed creatura præcipue in Dei cognitionem ducit ſua ſpecie, & decore, quæ manifeſtant ſapientiam facientis, & gubernantis: Unde dicitur Sapient. 13.* A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri: *Pulchritudo autem cæleſtium corporum præcipue conſiſtit in luce. Unde Eccleſiaſtici 43. dicitur* ſpecies Cæli gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus; ergo *præcipue quantum ad claritatem corpora cæleſtia meliorabuntur.*

XXIII. Secunda pars probatur. Rejiciendo varios dicendi modos. Non enim primo dici poteſt, innovationem eſſe faciendam per hoc quod luminaria, quæ modo nos illuminant, ſint deſtruenda, & alia nobiliora a Deo creanda juxta illud, Iſaiæ *66.* verſ. 22. & Apocal. 21. verſ. 1. *Et vidi Cælum novum, & terram novam. Primum enim Cælum, & prima terra abiit.* —— Non inquam, quia jam non eſſet mundi innovatio, ſed veteris deſtructio, & novi mundi productio. Sicut ergo homines glorificatione non deſtruentur, ſed qui prius erant dotibus glorioſi augebuntur accidentaliter: ita etiam Cæli, & terra, glorificato homine, ſuo modo majoris lucis acceſſione glorificabuntur, ut ſerviant homini in gloria, quæ in hac mortali vita ei ſervierunt. Quamvis autem Cæli non ſint natura mutabiles, ſunt tamen omnipotentiæ Dei obedientes, ut recipiant effectus, quos in eis producere voluerit, non ad correctionem alicujus defectus, ſed ad perfectionis eorum augmentum.

Hinc nec ſecundo dici poteſt, Cælos per Adæ peccatum fuiſſe in luce deterioratos, ideoque innovationem eorum futuram eſſe lucis primigeniæ, & naturæ ſuæ convenientis reſtitutionem —— Etenim, ut advertit S. Thom. minoratio illa luminis in corporibus cæleſtibus poſt peccatum Adæ non intelligitur facta *ſecundum realem luminis defectum, ſed quoad uſum hominis, qui non tantum beneficium ex lumine corporum cæleſtium poſt peccatum ſecutus eſt, quantum ante fuiſſet: per quem etiam modum dicitur Geneſ. 3.* Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi: *Quæ tamen etiam ante ſpinas, & tribulos germinaſſet, ſed non in hominis pœnam. Nec tamen ſequitur, ſi lux cæleſtium corporum per eſſentiam minorata non eſt homine peccante, quod realiter non ſit augenda in ejus glorificatione, quia peccatum hominis non immutavit ſtatum univerſi, cum etiam homo prius, ſicut & poſt, animalem vitam habuerit, quæ motu, & generatione corporalis creaturæ indiget. Sed glorificatio hominis ſtatum totius corporalis creaturæ immutabit.*

XXIV. Hinc etiam ſequitur, homine non peccante, futuram diviſionem diei, & noctis, licet hæc homine glorificato futura amplius non ſit, quia Luna tantam lucem habebit, quantam modo habet Sol, ut dicitur Iſaiæ 30. verſ. 26. *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis; & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Quia ut habetur *Geneſ. 1. verſ. 16.* Sol, & Luna ad hoc facta ſunt, ut dividant diem, ac noctem; & ideo nox non ex peccato hominis, ſed ex creatione inducta eſt. *Unde* (inquit S. Th. citatus ad 4.) *non ſequitur quod* (homine non peccante) *Luna exiſtens ſuper terram diem feciſſet, ſed quod tantum commodum ex lumine Lunæ homo tunc habuiſſet, ſicut nunc habet ex lumine Solis. Sed poſt reſurrectionem quando lux Lunæ augebitur ſecundum rei veritatem, non erit alicubi nox ſuper terram, ſed ſolum in centro terræ, ubi erit infernus, quia tunc, ut dicitur Luna lucebit, quantum lucet nunc Sol, Sol autem in ſeptulum plus quam nunc: Corpora autem Beatorum ſepties magis Sole; Quamvis hoc non ſit aliqua auctoritate, vel ratione probatum.*

XXV. In qua vero quantitate augenda ſit lux cæleſtium corporum Deus ſolus, ut dicit S. Thom. novit. Eſto enim

loco

loco ex Isaia citato dicatur, quod septempliciter augebitur; in phrasi tamen Scripturæ numerus septenarius non semper designat numerum determinatum, sed interdum excessum indefinite.

XXVI. Sed dices. Si augmentum illud lucis non erit secundum naturam, sed supra naturam corporum cælestium: ergo erit ingens miraculum continuandum per totam æternitatem, qua durabunt corpora cælestia, quod sine gravi fundamento asseri nequit.

XXVII. Respondeo, neg. absolute conseq. Nam esset quidem ingens miraculum, si in statu præsenti durationis temporum corporum cælestium lux augeretur: sed quod homine corpore, & anima glorificato, & mundo innovato corporum cælestium lux augeatur, erit conveniens illi pro eo statu; nam cum creata sint propter hominem, isto glorificato, & ad alium statum translato, conveniens est, ut & illa suo modo glorificentur, & ad alium statum transferantur. Quemadmodum ergo corpora electorum in resurrectione dotibus glorioſis supernaturaliter per totam æternitatem ornabuntur, sic & cælestia luminaria ut illis proportionate ad illum statum deserviant, majori luce donabuntur.

Dubium II.

De Innovatione Elementorum.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. In generali Mundi innovatione omnia elementa claritate quadam vestientur; non tamen æqualiter, sed secundum suum modum. Ita S. Thom. *Quæst. 91. Suppl. art. 4.* Suppono, ante Judicium elementa, terram, aquam, & aerem, igne ultimæ conflagrationis de qua supra & quæ judicium præcedet, fuisse purgata ab omni fæce, & sorde, nec non ab omni cujusque extranei commixtione, & ideo pura, & munda effecta. Unde modo addo, esse ulterius claritate quadam proportionaliter ad uniuscujusque naturam vestienda.

II. Probat Sanct. Thom. citatus his verbis: *Sicut est ordo cælestium spirituum ad terrenos spiritus, scilicet humanos, ita est ordo cælestium corporum ad corpora terrestria. Cum ergo creatura corporalis sit propter spiritualem, & per eam regatur, oportet similiter disponi corporalia, sicut & spiritualia disponuntur. In illa autem ultima rerum consummatione spiritus inferiores accipient proprietates superiorum spirituum, quia homines* erunt sicut Angeli in Cælo, *sicut dicitur Matth. 22. Et hoc erit in quantum ad maximam perfectionem perveniet id, secundum quod humanus spiritus cum Angelis convenit. Unde etiam similiter cum corpora inferiora cum cælestibus non communicent, nisi in natura lucis, & diaphani, ut dicitur in 2. de Anima, text. 68. oportet, corpora inferiora maxime perfici secundum claritatem. Unde omnia elementa claritate quadam vestientur, non tamen æqualiter, secundum suum modum: dicitur enim, quod terra erit in superficie exteriori pervia, sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aer ut Cælum, ignis ut luminaria Cæli.*

III. Hoc idem probat in argument. sed contra primo ex illo Apocal. 21. *Vidi Cælum novum, & terram novam*, quod dicitur etiam *Isaiæ 66.* & *2. Petri 3.* ubi nomine terræ elementa intelliguntur. Sed Cælum innovabitur per majorem claritatem; ergo & terra, & alia elementa similiter.

IV. Secundo. Corpora inferiora sunt in usum hominum, sicut superiora, sed homine innovato, corpora superiora innovabuntur majori luce, ut dictum est: ergo similiter & inferiora. Cum enim in hac mortali vita sua obsequia hominibus exhibuerint, a qua servitute, ut ait Paulus. *Roman. 8. vers. 21.* in illa revelatione filiorum Dei liberabuntur, congruum est, ut aliquo quasi præmio donentur, quo sicut mortalium corporum statui servierunt, ita & glorificatorum referant gloriam. —— Tertio. Cum corpus hominis partibus elementaribus constet, quæ homine glorificato glorificabuntur per receptionem claritatis, & eadem esse debeat dispositio totius & partium, congruum erit, ut etiam ipsa elementa claritate glorificentur.

§. II.

Explicantur dicta, & objectiones solvuntur.

V. CUM dicat S. Thomas, unumquodque elementum esse claritate donandum, secundum modum, exponendus est modus iste.

Quoad ignem ergo dico, eum, utpote materia rarissima secundum suæ naturæ conditionem constantem, sive per additionem majoris lucis, sive per talem dispositionem, qua fiat majoris lucis susceptivus, splendorem daturum: sicut luminaria Cæli, nempe, sicut Lunam, vel sicut in aurora luminaria Cæli rutilant.

Quoad aerem dico, quod aer omni spissitudine sublata erit purissimus, & consequenter magis splendens, & clarus, non tamen (inquit S. Thom. hic ad 2.) *Sicut radios projiciens, sed sicut Diaphanum illuminatum*, ita ut a Sole magis illuminetur: & ideo bene dicitur, quod lucebit sicut Cælum: nam Cælum sydereum non est ex se lucis diffusivum, sed lucem a Sole, & astris suscipit.

Quoad aquam dico, quod aqua tunc erit sicut crystallus, non quidem in soliditate, densitate, & duritie, nam semper erit liquida, fluida, ac permeabilis, aliter amitteret naturam aquæ, & crystalli naturam indueret: erit ergo crystallo similis, quia in omnibus suis partibus lucida, transparens, & luce permeabilis sicut crystallus, quia omni fæce, ac mixtura extranei corporis defæcata.

Terra vero remanebit quidem densa, & opaca, quia hæc est ejus proprietas, ut a cæteris elementis distincta, nec a luce Solis, aut astrorum intrinsecus permeabitur, sicut aqua, in superficie tamen erit pellucida sicut vitrum. Unde S. Thom. citatus ad 2. *Terra vero* (inquit) *quamvis ex natura sua opacitatem habeat propter defectum lucis, tamen ex divina virtute in sui superficie gloria claritatis vestietur sine præjudicio densitatis ipsius.* Non improbabile tamen reputat, terram claritate etiam intrinsecus perfundendam. Nam ibidem *ad 3.* supponere videtur, totam terram fore claritate donandam præter partem illam, quæ est locus inferni, vel quod *Etiamsi tota terra sit glorificata, nihilominus reprobi in tenebris exterioribus erunt: quia etiam ignis inferni, qui quantum ad aliquid eis lucebit, quantum ad aliud eis lucere non poterit.*

Terram quoque fore æqualem, & planam, ita ut nec montes, nec colles sint permansuri, sentiunt non pauci. Itaque secundum istos terra redigetur ad figuram naturalem, quam habuit cum in principio creata fuit, nempe, omnino sphæricam, & rotundam, nam ut tetigi, *Tom. 1. in 1. part. quæst. 3. de Opere sex dierum, Dub. 4. §. 1.* Montes, valles, aliasque terræ cavitates in varios hominum usus fecit Deus die tertio creationis mundi, cum *Genes. 1. vers. 9.* dixit: *Congregentur aqua in locum unum, & appareat arida.* Quare post diem Judicii, cum terra amplius non deserviat usibus hominum, & animalium, terra erit absque montibus, & vallibus, aliisque cavitatibus. Quod etiam indicatur in Apocal. cap. 6. vers. 14. *Cælum recessit sicut liber involutus, & omnis mons, & insula de locis suis mota sunt.* Et cap. 16. vers. 20. *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi.* Sive hoc contingat per terræmotus, qui præcedent judicium, sive per ignem ultimæ conflagrationis, quare post judicium nulli remanebunt montes, sed terra in primævam sui figuram redigetur.

VI. Oppones tamen contra superius dicta primo. Sicut claritas est cælorum propria, ita & calidum, frigidum, & humidum, & siccum sunt elementorum qualitates; ergo sicut cæli per claritatis, ita elementa per suarum qualitatum augmentum sunt innovanda.

Secundo. Multiplicatio claritatis in elementis multiplicat calorem. Si igitur in illa innovatione erit major claritas elementorum, quam nunc sit, erit major caliditas, quæ illa a sua naturali qualitate transmutabit, & tactum lædet potius, quam delectabit.

VII. Respondetur ad primum cum S. Thom. dicto *art. 4. ad 1.* neg. conf. Quia *Sicut dictum est, innovatio mundi ordinatur ad hoc, quod homo etiam sensu in corporibus quodammodo per manifesta indicia divinitatem videat. Inter sensus autem nostros spiritualior est visus, & subtilior: & ideo quantum ad qualitates visivas, quarum principium est lux, oportet, omnia corpora inferiora maxime meliorari. Qualitates autem elementares pertinent ad tactum, qui est maxime materialis, & earum excessus contrarietatis magis est contristativus, quam delectativus. Excessus autem lucis erit delectabilis, cum contrarietatem non habeat, nisi propter organi debilitatem, qua tunc non erit.* Accedit quod qualitates propriæ elementorum, quæ sunt activæ, & passivæ, non serviunt nisi generationibus, & fomento, aut recreationi sensus tactus. Generationes autem tunc cessabunt. Sensus autem tactus non habebit usum circa elementa, & si haberet, essent ei potius molestæ. —— Ad secundum. Respondeo cum S. Thom. *art. 4.* citato *ad 4.* neg. conf. Nam *claritas illa erit in istis corporibus, sicut est in corporibus cælestibus, in quibus caliditatem non causat; quia corpora ista tunc inalterabilia erunt, sicut sunt modo cælestia.*

Dubium III.

An Plantæ, & Animalia in illa innovatione remanebunt?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Plantæ, Animalia, & cætera mixta in illa innovatione non manebunt. Ita S. Th. *qu. 91. Suppl. art. 5.* Cujus rationibus probatur. Et quidem in arg. sed contra. Nam si animalia, & plantæ deberent permanere, cum sit eadem omnium ratio, deberent & illa, quæ corrupta sunt resurgere, quod est absonum: cum enim anima bruti dum moritur, abeat in nihilum, non posset animal illud resurgere, nisi ejus anima crearetur. —— Quod si dicas, illa saltem permansura, quæ tunc reperiuntur viva,

nego

nego ſuppoſitum : Nam igne conflagrationis omnia erunt combuſta, unde nullum animal tunc erit vivum . Deinde cum tunc cælorum motus ceſſare debeat, protinus illa interirent , nec conſervari poſſent . Tandem ceſſante fine, debet ceſſare id , quod eſt ad finem ; ſed animalia , & plantæ factæ ſunt ad animalem vitam hominis ſuſtentandam , Geneſ. 9. *Sicut olera virentia dedi vobis omnem carnem*; ergo ceſſante vita hominis animali , debent ceſſare animalia , & plantæ . Cumque in illa innovatione animalem vitam homo non ſit amplius acturus, ideo nec plantæ, nec animalia remanere debent.

II. In corpore autem art. probat S. Th. hoc diſcurſu: *Cum innovatio mundi propter hominem fiat , oportet , quod innovationi hominis conformetur. Homo autem innovatus de ſtatu corruptionis in incorruptionem tranſibit , & ſtatum perpetuæ quietis . Unde dicitur* 1. *ad Cor.* 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem , & mortale hoc induere immortalitatem. *Et ideo mundus hoc modo innovabitur , ut abjecta omni corruptione , perpetuo maneat in quiete . Unde ad illam innovationem nihil ordinari poterit , niſi quod habet ordinem ad incorruptionem . Hujuſmodi autem ſunt corpora cæleſtia , elementa , & homines . Corpora enim cæleſtia ſecundum ſui naturam incorruptibilia ſunt , & ſecundum totum , & ſecundum partes. Elementa vero ſunt quidem corruptibilia ſecundum partes , ſed incorruptibilia ſecundum totum . Homines vero corrumpuntur , & ſecundum totum , & ſecundum partes : ſed hoc eſt ex parte materiæ , non ex parte formæ , ſcilicet anima rationalis , quæ poſt corruptionem hominis remanet incorrupta . Animalia vero , & planta , & mineralia , & omnia corpora mixta corrumpuntur , & ſecundum totum , & ſecundum partem , & ex parte materiæ , quæ formam amittit , & ex parte formæ , quæ actu non manet : & ſic nullo modo habet ordinem ad incorruptionem. Unde in illa innovatione non manebunt , ſed ſola ea , quæ dicta ſunt*. Ita S. Thom. quibus nihil addo, quia clara ſunt.

III. Dices tamen primo : Elementis non debet aliquid ſubtrahi, quod ad ornatum eorum pertinet, ſed animalia, & plantæ pertinent ad ornatum elementorum : Immo ad ornatum, & perfectionem univerſi; ergo cum illa innovatione nihil imperfectum ſit remanſurum , credendum eſt, quod animalia, plantæ, mineralia remanebunt.

Secundo. Sicut elementa homini ſervierunt , ita etiam animalia, plantæ, mineralia, & mixta : ſed elementa ob prædictum miniſterium glorificabuntur; ergo & animalia , plantæ, & corporalia, & mixta.

IV. Ad primum . Reſpondet S. Th. dicto *art. 5. ad* 1. quod plantæ, & animalia, & mixta *ſunt ad ornatum elementorum in ſtatu actionis , & paſſionis . Sed hic ſtatus in elementis non remanebit . Unde nec animalia , nec plantas remanere oportet* —— Similiter ibi ad 3. dicit. Quod ſicut perfectio hominis alia eſt naturæ conditæ, alia naturæ glorificatæ: *Ita etiam perfectio univerſi eſt duplex: una ſecundum ſtatum hujuſmodi mutabilitatis : altera ſecundum ſtatum futuræ novitatis . Planta autem, & animalia ſunt de perfectione ejus ſecundum ſtatum iſtum, non autem ſecundum ſtatum novitatis illius , cum ordinem ad eam non habeant.* Vide S. Th. *q. 5. de potentia art. 9.*

V. Ad ſecundum . Reſpondet idem S. Th. ibid. *ad* 2. neg. conſ. Nam *nec animalia, nec plantæ , nec aliqua alia corpora in miniſtrando homini aliquid meruerunt , cum libertate arbitrii careant: ſed pro tanto dicuntur quædam corpora remunerari , quia homo hoc meruit , ut illa innovarentur, quæ ad innovationem ordinem habent. Planta autem, & animalia non habent ordinem ad innovationem incorruptionis , ut prædictum eſt: unde ex hoc homo non meruit , ut innovarentur ; quia nullus poteſt alteri mereri , niſi id , cujus eſt capax , nec etiam ipſe ſibi ipſi . Unde etiam dato , quod animalia bruta mererentur in miniſterio hominis , non tamen eſſent innovanda.*

§. II.

An Mundus innovatus habebit habitatores?

VI. QUæſito huic viam aperit opinio non paucorum , quæ etiam familiaris eſt apud vulgares perſonas , nimirum , mundum hunc innovatum poſt judicium fore habitandum a pueris, qui ſine baptiſmo deceſſerunt , qui tunc egredientur e limbo, & hujus mundi perpetui incolæ erunt , ſuper faciem terræ ſpatiabuntur , & adſpectu Cæli, & claritatis ejus fruentur. Alioquin ſupervacua tunc videbuntur elementa permanſura, niſi aliqua creatura, ceu domicilio, mundo utatur. Hanc tamen opinionem minus probabilem exiſtimavi, *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 10. *de effectibus peccat. Origin. Dub.* 3. §. 6. unde ibi dicta huc ſunt revocanda . Verum quia inter cæteros Siuri in ſua Theologia de Noviſſimis , *Tr.* 4. *de Limbo puerorum , cap.* 1. *a n.* 7. opinioni affirmativæ ſubſcribit , plures Doctores pro ea referens ; Aliqua hic addere exiſtimo in opinionis negativæ confirmationem, cui ut ſupra adhæſi, & adhuc adhæreo. In illa tenenda adhuc me movent.

VII. Primo. Auctoritas S. Auguſtini , qui ut ibi dixi , duo tantum loca perpetua contra Pelagium admittit , & rejicit locum tertium, qui tamen admittendus erit , ſi dicatur, hunc mundum fore poſt judicium perpetuam ſedem puerorum, qui ſine baptiſmo deceſſerunt. Unde, *l. de peccato origin. cap.* 21. improbans Pelagii dictum : *Sine baptiſmo parvuli morientes , quo non eant , ſcio , quo eant neſcio*, ait, *ideſt , non ire in Regnum Cælorum , ſcio , quo vero eant , ideo ſe neſcire dicebat , aut dicit , quia dicere non audebat , in mortem illos ire perpetuam , ſed in locum medium .* Et l. oper. imperf. contra Julianum, c. 50. eum ſic arguit. *Lege nobis præter regnum bonis , & ſupplicium malis , quem tertium locum præparaverit , & promiſerit non regeneratis innocentibus tuis* ? Ad hoc autem non provocaſſet Julianum , ſi credidiſſet, huc tertium locum dari , & hunc finaliter fore mundum iſtum innovatum . Quod confirmat Gelaſius I. *Epiſt.* 3. his verbis : *Nec auſus eſt aliquis dicere , parvulum ſine hoc ſacramento ſalutari ad æternam vitam poſſe perduci . Sine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium eſt .*

VIII. Deinde innovatio mundi poſt judicium in gratiam electorum fiet (ut omnes fatentur) nimirum , ut in illa claritate videant manifeſta divinitatis indicia, & ſenſus viſus eorum etiam in hac parte fruatur , ac delectetur, & eorum beatitudo augeatur . Non ergo hæc innovatio claritatis erit præparata , ut ſit perpetua habitatio puerorum perpetuæ damnationi addictorum, ac proinde incapaces cujuſcumque beatitudinis ac donorum, quæ Deus electis amicis ſuis præparavit. Unde multo minus aſſentior illis, qui volunt tales pueros ſcientia naturali infuſa donandos. Quo enim fundamento aſſeri poteſt , Deum tali gratia ornaturum, quos tamquam reos voluit exulare in perpetuum a regno ſuo.

IX. Accedit, quod cum etiam in ſententia adverſariorum, ut dictum eſt, terra futura ſit ſine montibus, & collibus in omni ſui parte, ac proinde aquis cooperta, ut ab initio fuit, quomodo in ea habitare poſſent corpora puerorum gravia, & omni dote agilitatis carentia, niſi dicatur fore ſicut piſces perpetuo natantes ? —— Neque valet dicere, quod terra manebit ſicut modo multis in locis habitationi puerorum idonea —— Nam quomodo hoc fiet , ſi ut ipſi fatentur , non erunt amplius montes, ſed terra in ſui parte plana , & aquis circumdata ? An Deus faciet ſtare aquas ingenti, ac perpetuo miraculo, ut olim fecit ſtare aquas maris , ut tranſitum præberent populo Iſraelitico? Aquis ergo poſt judicium non erit terminus, ſed undequaque ſupra terram circumvolventur dicente Job cap. 26. v. 10. *Terminum circumdedit aquis , donec finiantur lux , & tenebræ .*

X. Neque movere debet, aut ſcrupulum facere, quomodo tot milliones corporum puerorum in loco limbi concludi perpetuo poſſint . Nam quis unquam mentitus fuit vaſtitatem illius loci? Præterea multo major erit numerus corporum damnatorum, quæ tamen omnia in carcere inferni perpetuo recluſa manebunt.

XI. Neque ſcrupulum facere poteſt , quod pueri illi in perpetuis tenebris ſint futuri. —— Nam primo hoc ſcrupulo non tenetur S. Auguſtin. qui *l.* 1. *de pecc. meritis , cap.* 27. dicit : *Ab hac ergo ſalute , & lumine alieni ſunt parvuli , & in perditione , ac tenebris remanebunt , niſi per adoptionem populo Dei fuerint ſociati* —— Deinde cum non ſit improbabile , ut ſupra dixi ex S. Thom. *art.* 4. *ad* 3. *q.* 91. *Supplem.* totam terram fore in viſceribus etiam glorificatam per claritatem, poterit etiam lux penetrare , & locum limbi aliqualiter illuminare. Hoc probabilius reputo , quia ex Scriptura , & Patribus nihil colligo, quod me moveat ad aſſerendum contrarium. Quid autem futurum ſit, Deus tunc manifeſtabit.

QUÆSTIO VI.

De Statu Beatorum poſt Judicium.

PLura de hoc diſputanda occurrerent . Nimirum de eſſentia beatitudinis, de ejus objecto, de dotibus corporum Beatorum, & aliis . Sed quia de his actum eſt , *Tom.* 1. *in* 1. *p. Tract. de Viſione Dei , & in* 1. 2. *Tract. de Beatitudine* , ideo ad ibi dicta Lectorem remitto , aliqua pro complemento adjungens.

DUBIUM I.

An Locus Beatorum ſit Cælum Empyreum?

§. I.

Varia Erronea Opiniones.

I. ALmaricus natione Gallus *ſæculo* 13. ineunte , inter alias hæreſes, hanc ſpargere cœpit, nullum eſſe determinatum locum, in quo, vel beati felicitate fruantur , vel damnati, & impii pœnis crucientur . Sed eos qui in ſe Dei cognitionem habent , habere quoque in ſe paradiſum: eos vero, qui lethali peccato infecti ſunt, in ſe habere infernum, tamquam dentem putridum in ore. Ita ex Prateolo verbo *Almaricus*.

II. Gentiles Philoſophi , & Poetæ locum corporeum beatis poſt hanc vitam deſignabant ; ſed hunc terreſtrem,

non cæleſtem. Fingebant enim quoſdam campos, quos *Elyſios* vocabant, in quibus cum omni deliciarum affluentia homines poſt mortem beatam vitam ducerent. Et hæc erat communis eorum opinio. Unde Tertullianus in *Apolog. cap.* 47. ait, *Elyſii campi fidem occupaverunt*. Hos Virgilius, *lib.* 6. Æneidos apud inferos collocabat. Homerus vero in ea extrema Hiſpaniæ regione, ubi Zephyri continuo ſpirant. Quidam tamen exiſtimabant, homines ad Elyſios ſemel deductos ad mortalem vitam iterum reverti, quos arguit S. Auguſt. *lib.* 10. *de Civ. Dei cap.* 30. Nam vita beata non eſt quæ poteſt adhuc eſſe miſera: *Non enim* (inquit) *beata erit, niſi ſecura. Ut autem ſecura ſit, falſo putabit ſemper ſe beatam fore, quando aliquando erit & miſera.*

III. Mahometes vero in ſuo Alcorano fingit ſuos ſectatores poſt hanc vitam transferendos eſſe in paradiſum quemdam, ubi omni voluptate læti, ac beati vivant, voluptates vero, ut homines animales, & carnales facilius alliciat, carnales futuras eſſe dicit, nimirum, pulcherrimas mulieres, fructus ſuaviſſimos, aquas limpidiſſimas, lectos ſericos, veſtes pretioſiſſimas, aliaque ad ſenſuum oblectamenta conducentia. Hunc tamen paradiſum velut indignum creatura rationali, vel Mahometanorum aliqui agnovere: Inter quos Averroes, quamvis ſecta Mahometanus ingenue fatetur, melius de beatitudine ſenſiſſe Ariſtotelem, qui hominis felicitatem poſuit in excellentiſſima operatione, nempe, in contemplatione Dei. Unde de paradiſo Mahometis loquens Guillelmus Pariſienſis, lib. de legibus, cap. 19. *Quid eſt* (inquit) *paradiſus iſte, niſi taberna indefeſſæ ingurgitationis, & perpetuæ turpitudinis proſtibulum? ... Manifeſtum eſt, quod paradiſus iſte, niſi volutabrum porcorum, & quod vociferatio ipſius, pecudum eſt, non hominum.*

IV. Conſtans tamen, & certa Chriſtianorum ſententia eſt, locum, in quo beati perpetua felicitate fruentur, fore cæleſtem. Ita enim promiſit Chriſtus, Matth. 5. v. 12. *Merces veſtra copioſa eſt in Cælis*, Matth. 6. v. 20. *Theſaurizate vobis Theſauros in Cælo*, & paſſim eum vocat *Regnum Cælorum*, ut ſciamus eum eſſe Regnum Cæleſte, non terrenum, in Cælis fundatum, non in terris. Sed cum plures diſtinguantur Cæli, ideo dubitatum apud aliquos fuit, quodnam ex iſtis futurum ſit beatorum locus, & ſedes, an Cælum ethæreum, an aereum, an lunarem globum, an vero ſupremum Cælum dictum Empyreum.

§. II.

Reſolvitur Dubium.

V. DIco. Locus proprius Beatorum eſt ſupremum Cælum, quod vocatur Empyreum a voce græca *poſt* ideſt *ignis*: Unde *Cælum Empyreum* idem eſt, ac *Cælum ignitum* non ab ardore, ſed a ſummo ſplendore. Hujus Cæli exiſtentia, ut dicit S. Th. 1. *p. q.* 66. *art.* 3. antiquis videtur fuiſſe ignota, & per auctoritatem Baſilii, Bedæ, & Strabi ſolum inducta, qui in hoc quod ſit locus Beatorum conveniunt, in modo tamen eum ponendi, & explicandi differunt. Immo Auguſtinus, *l.* 10. *de Civ. Dei cap.* 9. & 27. licet Cælum Empyreum, admiſerit, non tamen admiſit, quale modo admittitur, maxime quod ſit prorſus immobile,

VI. Cælum Empyreum fuiſſe ab initio mundi a Deo creatum probat S. Thom. loco citato ex conditione gloriæ, ſic: *Expectatur enim in futura remuneratione duplex gloria ſcilicet ſpiritualis, & corporalis, non ſolum in corporibus humanis glorificandis, ſed etiam in toto mundo innovando. Inchoata eſt autem ſpiritualis gloria ab ipſo mundi principio in beatitudine Angelorum, quorum æqualitas ſanctis promittitur. Unde conveniens fuit, ut etiam a principio corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam a principio fuerit abſque ſervitute corruptionis, & mutabilitatis, totaliter lucidum: ſicut tota creatura corporalis expectatur per reſurrectionem futura. Et ideo illud Cælum dicitur Empyreum, ideſt, igneum non ab ardore, ſed a ſplendore.*

VII. Hoc autem Cælum eſſe corporeum oſtendit idem S. Th. *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 1. his verbis: *Cælum Empyreum ratione inveſtigari non poteſt, quia quidquid de Cælis cognoſcimus, hoc eſt, aut per viſum, aut per motum: Cælum autem Empyreum nec motui ſubjacet, nec viſui, ut in littera dicitur, ſed per auctoritatem eſt habitum, & eſt corpus, quod principaliter ordinatum eſt, ut ſit habitatio Beatorum, & hoc magis propter homines, quorum etiam corpora glorificabuntur, quibus locus debetur, quam propter Angelos, qui loco non indigent. Et quia illa gloria excedit inveſtigationem humanam, ideo etiam, & Cælum Empyreum.*

VIII. Cælum Empyreum videtur indicatum in Scripturis, *Pſ.* 148. *v.* 4. ſub nomine *Cæli Cælorum*, quo exprimitur Cælum ſupremum, & excellentiſſimum, ſicut cum dicitur *Canticum Canticorum*, *Rex Regum &c.* Similiter cum Paulus *ad Eph.* 4. *v.* 10. de Chriſto dicit. *Qui aſcendit ſuper omnes Cælos*, & ad Hebr. 7. v. 26. *Excelſior Cælis factus* ſignificatur, Chriſtum aſcendiſſe ad Cælum aliis Cælis excelſius. Recte etiam dici poteſt, quod illum tertium Cælum, ad quod raptus fuit Paulus, ſit Empyreum: Ita ut primum Cælum ſit aereum (nam aves, quæ per aerem volitant ſæpe in Scripturis *volucres Cæli* dicuntur) ſecundum ſydereum undecim orbibus conſtans, & tertium Empyreum. Hinc S. Th. 2. 2. *q.* 175. *art.* 3. *ad* 4. ait: *Tertium Cælum dicitur Cælum Empyreum, quod dicitur tertium reſpectu Cæli aerei, & Cæli ſyderei, vel potius reſpectu Cæli ſyderei, & reſpectu Cæli aquei ſeu chryſtallini.* Hinc licet in Scripturis non legatur hæc vox *Cælum Empyreum* legitur tamen res ſignificata per illam.

IX. Quia vero diximus, Cælum dici Empyreum, ideſt igneum, ſeu ignitum, non ab ardore, ſed a ſplendore, oportet dicere etiam, quod ſit maxime lucidum. Quod probat S. Th. in 2. diſt. 2. q. 1. 2. 2. *Quia cum omnes res determinentur a fine, oportet conditiones Cæli Empyrei accipere ſecundum quod convenit ſtatui bonorum, propter quos factum eſt, & quia illi ſunt in plena participatione æternæ lucis, & quietis, & æternitatis, ideo decet Cælum Empyreum, eſſe lucidum, immobile, & incorruptibile.*

X. Sed hic occurrit difficultas. Nam ſi Cælum Empyreum eſſet lucidum, immo lucidiſſimum, fieret primo illud debuiſſe illuminare abyſſum in mundi creatione, contra illud Gen. 1. v. 2. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Secundo. Si Cælum Empyreum eſſet maxime lucidum, deberet videri a nobis, ſicut videmus, Solem, Lunam &c. quod tamen eſt contra experientiam.

XI. Huic difficultati varie reſpondetur. S. Th. 1. *p. q.* 66. *art.* 3. *ad* 4. dicit lucem Empyrei ideo hæc inferiora non illuminare, nec a nobis videri: Quia *habet lucem Cælum Empyreum non condenſatam, ut radios emittat, ſicut corpus ſolis, ſed magis ſubtilem, vel habet claritatem gloriæ, quæ non eſt conformis cum claritate naturali.* Alii tamen facilius reſpondent, quod cum Cælum Empyreum non ſit factum propter hæc inferiora, ſed ut unice ſit ſedes Beatorum; ideo ſicut interior tabernaculi pars, quæ erat Sancta Sanctorum velo quodam dividebatur, & occultabatur, ne a populo videri poſſet: Ita Empyreum ea ſuperficie, qua reſpicit firmamentum, quadam quaſi cortina tegi, & occultari, ne ab hominibus mortalibus videri poſſit, & hac ratione neque a Cælo Empyreo illuminata fuit abyſſus in principio mundi.

§. III.

An Cælum Empyreum moveatur, & influat.

XII. CÆlum Empyreum eſſe immobile, & perpetua quiete manere, conſentiunt omnes. Tum quia ſpecialiter dicitur ſedes Dei, Pſal. 10. v. 5. *Dominus in Cælo ſedes ejus.* Et Act. 7. v. 49. *Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Sedes autem Dei, qui totius mutabilitatis expers eſt, debet eſſe immobilis. Tum quia ſedes eſt Beatorum, qui in ſtatu perpetuæ quietis manſuri ſunt. —— Præterea Deus creavit Cælum Empyreum, ut eſſet Beatorum domus, & Civitas: Civitati autem, & domui congruit non moveri, ſed ſtare fixas. Unde, *Apoc.* 21. *v.* 16. dicitur; *Civitas in quadro poſita*: corpus autem quadratum fixum manet. —— Rurſus ſi moveretur Empyreum, vel deberent quoque ad ejus motum moveri, & circumferri Beati, vel deberent immoti ad inſtar avium in aere pendentes manere: neutrum autem congruit. —— Addo quod in tantum Cælum modo movetur, quia hoc congruit hominum in hac mortali vita degentium conſervationi; cæterum hominibus jam glorificatis, motus Cælorum prorſus ceſſabit, ut diximus. Sed Cælum Empyreum ad hoc præciſe factum eſt, ut ſit hominis jam glorificati habitatio; ergo non movetur. Bene igitur concludit Cauſinus, l. 4. de modo Dei, cap. 3. *Nihil enim opus habet domus immortalium mutare ſitum, neque propter ſe, qua inconcuſſo tenore ſtat; neque propter reliquos mundi orbes, cum quibus nihil habet commune. Denique ſi hæc Civitas non eget Sole, neque Luna, quomodo indigebit motu? Et ſi tota ad quietem condita eſt, quis credat velociſſima omnium rapiditate per æternitatem currere.*

XIII. Neque dicas, Quod cum Cælum Empyreum, & primum mobile ſint contigua penes ſuperficiem convexam illius, & convexam iſtius, primum mobile movebit, & ſero motu ſecum rapiet Empyreum, ſicut & alios Cælos inferiores, ſicut rota, quæ in gyrum acta non ſolum movet corpora inferiora, ſed & ſuperiora —— Nam neganda eſt ſequela. Dato quippe primo mobili, ſuo quamvis velociſſimo motu nec rapit inferiores orbes, nec Cælum Empyreum ſuperius. Quia tunc ſolum unum corpus ſuo motu rapit aliud ſibi contiguum, quando ſupra illud gravitat, vel conatur e loco exturbare, ut patet in exemplo rotæ. Cum ergo nec Empyreum graviter ſupra primum mobile, nec ſuo pondere deorſum feratur ad occupandum locum illius, nec mobile primum levitet, nec levitate ſua ſurſum feratur ad occupandum locum Empyrei, non eſt ratio, ut primum mobile quantumvis contiguum Empyreo, valeat illud ſuo motu rapere, aut circumducere.

XIV. An vero Cælum Empyreum ſua activitate aliquid influat in hæc inferiora, & ſublunaria hujus mundi corpora, dubium eſt. Et ipſe S. Thom. in hoc anceps initio fuit, Nam *in* 2. *diſt.* 2. *qu.* 1. *art.* 3. aperte negativam partem tenet. Quia inquit nullum corpus habere poteſt influentiam in aliud, niſi per motum naturaliter loquen-

loquendo, Cælum autem Empyreum, ut diximus, est prorsus immobile. Eamdem opinionem indicat, 1. *part. q. 66. art. 3. ad 2.* quamvis oppositam affirmativam reputet probabiliorem, ait enim: *Ad secundum dicendum, quod satis probabile est, quod Cælum Empyreum secundum quosdam, cum sit ordinatum ad statum gloriæ, non habet influentiam in inferiora corpora, quæ sunt sub alio ordine: utpote ordinata ad naturalem rerum decursum* —— *Probabilius tamen videtur dicendum, quod sicut supremi Angeli, qui assistunt, habent influentiam super medios, & ultimos, qui mittuntur, quamvis ipsi non mittantur secundum Dionysium* (c. 8. Cæleſt. Hierar.) *Ita Cælum Empyreum habet influentiam super corpora, quæ moventur, quamvis ipsum non moveatur. Et propter hoc potest dici, quod influit in primum Cælum quod movetur, non aliquid transiens, & adveniens per motum, sed aliquid fixum, & stabile, puta, virtutem continendi, & causandi, vel aliquid hujusmodi ad dignitatem pertinens.*

XV. Et huic opinioni se tandem adhæsisse ostendit *quolib. 6. art. 19.* ubi hanc quæstionem agitans: *Quidam* (inquit) *ponunt, Cælum Empyreum non habere influentiam in reliqua corpora, quia non est institutum ad effectus naturales, sed ad hoc quod sit locus Beatorum. Et hoc quidem mihi aliquando visum est: sed diligentius consideranti magis videtur dicendum, quod influat in corpora inferiorum.* Et rationem dat: *Quia totum universum est unum unitate ordinis, ut patet per Philosophum 12. Metaph.* (cap. 52.) *Hæc autem unitas ordinis attenditur, secundum quod quodam ordine reguntur corporalia per spiritualia; & inferiora corpora per superiora, ut Augustinus dicit in 3. de Trinit. Unde si Cælum Empyreum non influeret in corpora inferiora, Cælum Empyreum non contineretur sub unitate universi, quod est inconveniens. Videtur autem proprius effectus ejus esse perpetuitas, & permansio in inferioribus corporibus.*

Hanc ergo opinionem, quæ asserit Cælum Empyreum influere in hæc inferiora soliditatem, ac permanentiam sine motu tamen, & præcipue in Cælos inferiores propter rationes a S. Thomas allatas ceu veriorem amplector. Plura alia de Cælo Empyreo disputant aliqui, a quibus abstineo, quia nihil certi statui potest ab homine in terris degente.

Dubium II.

De modo, quo Beati se habebunt erga Damnatos.

§. I.

An videbunt eorum pœnas.

AFfirmative respondet S. Thom. q. 94. Supplem. art. 1. Quia *a Beatis nihil subtrahi debet, quod ad perfectionem beatitudinis eorum pertineat. Unumquodque autem ex comparatione contrarii magis cognoscitur: quia contraria juxta se posita magis eluescunt. Et ideo ut beatitudo Sanctorum eis magis complaceat, & de ea uberiores gratias Deo agant, datur eis, ut pœnas impiorum perfecte videant.*

Hoc idem docent Patres in illa verba Isaiæ 66. v. 24. *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me.* Ubi Hieronymus ait: *Egrediantur autem non loco, sed intelligentia.* S. Augustinus, l. 20. de Civ. Dei, cap. 22. *Sed quomodo* (inquit) *egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Numquid corporis motu beatas illas relicturi sunt sedes; & ad loca pœnalia perrecturi, ut malorum tormenta conspiciant præsentia corporali? Absit. Sed egredientur per scientiam. Hoc enim verbo significatum est, eos, qui cruciabuntur, extra futuros. Propter quod & Dominus ea loca tenebras exteriores vocat . . . ne illuc mali putentur ingredi, ut sciantur, sed ad illos potius velut egredi scientia, qua illos cogniturі sunt, boni; quia id, quod extra est, cogniturі sunt.*

II. S. Gregorius autem, *Hom. 40. in Evang.* postquam dixit nec beatos transire posse ad damnatos, nec damnatos ad beatos subjungit: *Justi vero in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer evaserunt: tantoque majores ereptori suo gratias referant, quanto vident in aliis, quod ipsi perpeti, si essent relicti, potuerunt. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud justorum animum fuscat spectata pœna reproborum, quia ubi jam compassio miseriæ non erit, minuere procul dubio beatorum lætitiam non valebit. Quid autem mirum, si dum justi injustorum tormenta conspiciunt, hoc eis veniat in obsequium gaudiorum, quando & in pictura niger color substernitur, ut albus, vel rubeus clarius videatur?* Et hoc est quod supra dicebat S. Thom. quod *unumquodque ex comparatione contrarii magis cognoscitur.*

III. Ex hoc igitur Gregorii discursu colligitur, quod ex visione pœnarum, quas damnati patiuntur, beatorum gloria non offuscabitur, nec beatitudo minuetur immo gaudium augebitur, & Deo majores gratias referent, quod tanta mala misericorditer evaserint, cum ex comparatione mali crescat cognitio boni, sicut ex comparatione nigri crescit visio albi.

Neque dicas, quod sicut pulchritudo visibilis perficit visum: ita visibilis turpitudo imperficit visionem: in Beatis autem nulla imperfectio esse potest. —— Nam respondet S. Thom. citato art. 1. ad 2. *Quamvis pulchritudo visibilis ad perfectionem faciat visionis, visibilis tamen turpitudo sine visionis perfectione esse potest. Species enim rerum in anima, per quas contraria cognoscuntur, non sunt contraria. Unde etiam Deus, qui perfectissimam cognitionem habet, omnia pulchra, & turpia videt.*

IV. An vero Beati post resurrectionem videre poterint, pœnas damnatorum, etiam oculo corporali, probabilis est sententia affirmativa. Cui favet, quod propter acumen visus, & propter auctam corporibus tum cælestibus, tum elementaribus claritatem beati videre poterunt a remotis. Ut enim docet S. Thom. quæst. 82. Supplem. art. 4. ad 6. *Quanto sensus est perfectior, tanto ex minori immutatione facta potest objectum suum percipere. Quanto autem sub minori angulo visus a visibili immutatur, tanto minor immutatio est. Et inde est, quod visus fortior magis a remotis aliquid videre potest, quam visus debilior, quia quanto a remotiori videtur, sub minori angulo videtur. Et quia visus corporis glorioſi erit perfectissimus, ex parvissima immutatione poterit videre, unde sub angulo multo minori videre poterit, quam modo possit, & per consequens multo magis a remotis.*

Existimo tamen, quod Beati videre poterint etiam oculo corporali pœnas damnatorum in inferno existentium, supposita opinione, quam probabilem admittit S. Thom. *q. 91. Suppl. art. 4. ad 3.* nempe, quod in mundi innovatione glorificanda sit terra per claritatem etiam usque ad locum inferni. Verum supposita alia opinione, quæ forte probabilior est, terræ claritatem ad locum inferni non esse extendendam, non video, quo modo oculus corporalis etiam beatorum possit corpora damnatorum, eorumque pœnas intueri hoc impediente opacitate terræ.

§. II.

An compatiantur Damnatorum pœnis.

V. REspondet S. Thom. *q. 94. Suppl. art. 2.* negative. Quia compassio, seu misericordia secundum electionem rationis, quæ sola in beatis esse potest, nascitur ex eo quod aliquis vult malum alterius repelli, unde in illis, quæ secundum rationem repelli non volumus, compassionem non habemus: sed beati non possunt secundum rationem velle translationem damnatorum, & liberationem a pœnis, & statu miseriæ, cum sciant, eos a divina justitia esse æternaliter pœnis, ac miseriis addictos; alias aliquid vellent contra ordinem divinæ justitiæ, ac proinde non secundum electionem rectam; ergo &c.

Quia autem peccatores, quamdiu sunt in hoc mundo, in tali statu sunt, quod sine præjudicio divinæ justitiæ possunt in beatitudinem transferri de statu miseriæ, & peccati, ideo compassio ad eos secundum electionem rectam locum habet. Et hoc modo Deus, Angeli, & Beati eis compati dicuntur eorum salutem volendo. Si tamen compassio sumatur, ut dicit dolorem, vel tristitiam de malo alterius, quo pacto compassio proprie dicitur, hæc neque circa peccatores qui in mundo sunt adest in Deo, aut Beatis, quia ex peccatis, quæ hic committuntur, nullum dolorem, aut tristitiam sentiunt, aut aliquod propriæ felicitatis detrimentum, ut male sensit Origenes, *l. 7. in Levit.* Unde Deo, Beatis, & etiam Christo in Cælo regnanti nonnisi impropria compassio erga nos attribuitur: *Deus* ergo *dicitur esse misericors* (inquit S. Thomas citatus ad 2.) *in quantum subvenit illis, quos secundum ordinem sapientiæ, & justitiæ suæ convenit a miseria liberari.*

VI. Beatos non compati damnatorum pœnis eadem ratione ostendit S. Gregorius, *Hom. 40. in Evan.* nimirum: *Quia justorum anima quamvis in sua natura bonitate misericordiam habeant, jam tunc auctoris sui justitia conjuncta tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur. Ipsi quippe judici concordant, cui inhærent, & eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt, quia tantum illos tunc a se videbunt extraneos, quantum ab eo quem diligunt, auctore suo, conspiciunt esse repulsos.*

VII. Sed dices. Compassio ex charitate procedit: Sed in Beatis est perfectissima charitas; ergo maxime miseriis damnatorum compatiuntur. —— Respondet S. Thom. ibid. ad 1. *Quod charitas tunc est compassionis principium, quando possumus ex charitate velle remotionem miseriæ alicujus: sed Sancti ex charitate hoc velle non possunt de damnatis, cum divinæ justitiæ repugnet.*

VIII. Quæres, an Beati gaudeant de pœnis Damnatorum.

Respondet S. Thom. citata, *q. 94. art. 3.* Non quidem per se, quatenus pœnæ illæ sunt afflictivæ, & malum damnatorum; sed per accidens, & ratione alicujus adjuncti, *considerando* scilicet *in eis divinæ justitiæ ordinem, & suam liberationem, de qua gaudebunt.* Et *sic divina justitia, & sua liberatio erunt per se causa gaudii Beatorum, sed pœna damnatorum, per accidens.*

IX. In hoc sensu iis, qui a pœna peccati originalis sunt libe-

liberati (*in Ps.* 57.) Augustinus ait: *Agnoscite ergo istam pœnam, & gaudete vos non esse in hac pœna omnes qui proficitis, & amatis veritatem . . . Omnes tales, qui estis, videte pœnas eorum qui tales non sunt, & gaudete . . . Ergo istam pœnam quando videtis, gaudete, quia in illa non estis. Propterea dicit Scriptura,* Lætabitur justus cum viderit vindictam.

Quapropter, ut dicit S. Thom. hoc *art. ad* 1. tale gaudium non pertinet ad odium. Nam *lætari* quidem *de malo alterius, in quantum hujusmodi, pertinet ad odium, non autem lætari de malo alterius ratione alicujus adjuncti. Sic autem aliquis de malo proprio quandoque lætatur: Sicut cum quis gaudet de propriis afflictionibus, secundum quod prosunt ei ad meritum vitæ: Jacobi* 1. Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.

Et hoc modo ut supra ex Augustino dicebamus potest etiam homo viator lætari de malo, & pœna alterius, vel quia eam ipse non habet, vel propter bonum quod ex tali pœna consequitur. Advertit tamen S. Thom. citato loco *ad* 3. Quod *alia ratio est de viatore, & comprehensore. Quia in viatore passiones frequenter insurgunt sine judicio rationis: & tamen tales passiones interdum sunt laudabiles, secundum quod bonam dispositionem mentis indicant, sicut patet de verecundia, & misericordia, & pœnitentia de malo. Sed in comprehensoribus non potest esse passio, nisi judicium rationis consequens.*

Tractat S. Thom. *q. 95. Suppl. de Dotibus Beatorum*, & *q. 96. de Aureolis*. Sed quia de his egimus, *Tom. 1. in* 1. 2. *Q. 2. de Beatitudine, Dub. 9. &* 10. ideo illuc studiosum remitto.

QUÆSTIO VII.

De Loco, & Statu Damnatorum.

A Statu summæ felicitatis ad statum summæ miseriæ qualis erit status Damnatorum, gradum facimus: hic ante oculos ponemus primo horrorem Loci, deinde pœnarum acerbitatem, ut quisque eorum formidine perculsus, sic vitam suam instituat, ut miserante Deo ea finaliter evadat. Non agemus de æternitate pœnarum inferni, cum de hac actum sit, *Tom. 1. in 1. p. Tract. de Angelis q. 9. de pœna peccati Angelorum, Dub. 5.* Nihilominus aliqua secundum quod ibi promisimus, etiam de hoc subjiciemus.

DUBIUM I.

An sit Infernus, ubi sit, & quando conditus.

§. I.

Errores circa existentiam Inferni.

1. INfernum esse merum commentum excogitatum ad deterrendos a facinoribus homines flagitiosos, censerunt aliqui Gentiles; ut meminit Cicero, *lib. 1. de natura Deorum*, cui subscribit Seneca, *Tragad. 6. metro 5.* Plinius, *lib. 2. Hist. 65.* Quem errorem mundo plane coævum facit Paraphrastes Chaldæus Jerosolymitanus, *ad c. 4. Gen. n. 8.* ubi inducit Cainum invidia in fratrem suum Abel accensum, ita loquentem: *Non est judicium, nec Judex, nec seculum aliud: nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis, nec Dei misericordia creatus est mundus, neque ejus miseratione mundus gubernatur, eo quod recepta sit oblatio tua cum beneplacito.* In hunc errorem iverunt Athei, Libertini, & Albigenses, qui putantes animas cum corpore simul interire, nec unquam redire, irrident, nedum purgatorium, sed infernum esse post hanc vitam.

Seleuciani, & Hermiani anno 380. Valentis Imperatoris, & Damasi Rom. Pont. temporibus asserebant, mundum istum infernum esse, & nullum aliud superesse. De his locutum fuisse censeo S. Augustinum, *l. 12. de Genes. ad litt. cap. 32.* cum ait: *Nec audiendi sunt, qui affirmant, inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem. Viderint enim quemadmodum poetica figmenta interpretentur; nos ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus. Quamquam possimus ostendere, illorum quoque sapientes de inferorum substantia minime dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum.* Hunc errorem ex recentioribus Hæreticis excitarunt Almaricus, qui posuit unumquemque habere in se, vel paradisum si habeat cognitionem Dei, vel infernum si habeat conscientiam peccati lethalis. Idem sensit Hærmannus Rissuich Batavus, qui nullum post hanc vitam esse infernum dicebat, ac proinde nostro irridebat, qui illum esse existimarunt, sed iste damnatus, ac vivus exustus, Inferni primitias in recessu ab hac vita expertus est, & in infernum æternum transivit.

§. II.

Catholica Veritas.

II. DIco. Catholica fides est, dari infernum, in quo impii post hanc vitam acerbissimis suppliciis puniuntur. Hoc enim utriusque Testamenti Scriptura docet. Veteris quidem. Nam, *Num. 16. vers. 33.* de Dathan, & Abiron dicitur: *Descenderuntque vivi in infernum.* Job 21. v. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Psalm. 48. vers. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Psalm. 93. vers. 17. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* —— Novi autem fœderis clariora sunt testimonia, Matth. 25. vers. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Lucæ 16. v. 22. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Matth. 18. vers. 9. *Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* 2. Petri 2. vers. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos &c.* Et Ep. Judæ vers. 6. *Angelos vero qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Quod de Angelis peccantibus dicitur, justitia exigit, ut de hominibus in peccato morientibus etiam dicatur.

III. Hanc veritatem vel ipsi Gentilium sapientes confessi sunt: Unde S. August. supra citatus, lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 33. *Nos* (inquit) *ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus. Quamquam possimus ostendere, illorum quoque sapientes de inferorum substantia minime dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum.* Forte enim hoc a Moyse, vel aliis de populo Judaico acceperunt, quamvis aliquibus fabulis veritatem de more involverint. Pythagoras enim censuit, centrum mundi esse locum inferorum, ibique esse carcerem Jovis, quo animæ suorum scelerum pœnas luant. Plato in Phædone, & alibi docuit, esse subtus terram tartarum ad animas puniendas, ibique ponebat quatuor flumina nempe Acherontem, Phlægetontem, Stygium, Cocytum, ad quæ animæ deferuntur, ibique secundum criminum diversitatem, & gravitatem varie puniuntur. Ita fabulantur etiam veteres Poetæ Virgilius, Homerus, Statius, Claudianus.

IV. Pro eadem veritate stat congruentia. Nam ad sapientissimam Dei providentiam, rectissimamque justitiam pertinet, non solum præmia statuere pro meritis, sed & pœnas pro demeritis; Ergo sicut præparavit Cælum Empyreum, ut ibi justi post hanc vitam præmium recipiant: ita præparavit infernum, ut impii suorum scelerum pœnas luant. Ita Guillelmus Parisiensis p. 1. de Universo, c. 55. *Nulla* (inquit) *est Civitas ordinata, cui bonus Rex præsideat, & bono magistratu regatur, qua non habeat locum exercenda justitia. Cum igitur certum sit, & omnium Philosophorum consensione firmatum, Universum, seu mundum Civitatem esse Dei altissimi, in qua Cives sunt homines, & Angeli, hoc est, omnes, & universa substantia spirituales abstracta (exceptis dæmonibus malis, qui secundum statum malitiæ suæ, etiam locum, quem nunc habent, & quem habituri sunt, juxta fidem, & doctrinam Christianam, non Cives, sed exules reputandi sunt) Quare necesse est, hanc Civitatem, quæ Deo altissimo Rectore, ac Rege regitur, & magistratu ab eo instituto, locum habere universalem, communem, & appropriatum exercendæ divinæ justitiæ.* Et S. Greg. *l. 4. Dial. c. 28.* ait: *Si esse Sanctorum animas in Cælo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet, ut per omnia esse credas, & iniquorum animas in inferno; quia ex retributione æterna justitia, ex qua justi jam gloriantur, necesse est, per omnia, ut injusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.* Sed hæc veritas nimis aperta est: unde superfluum est in ea statuenda amplius immorari.

§. III.

Ut sit Infernus.

V. INferni nomine non designari locum aliquem, sed impium habere infernum in se sensit Almaricus, de quo supra. Esse nomen confusionis, vel perditionis videtur sentire Calvinus. Et expressis Thomas Hobbes *de Civit. Christiana, cap. 38.* dicens: *Manifestum ergo videtur, locum reproborum non esse certum aliquem locum, in quo torquentur impii, sed nomen cujuscumque perditionis appellativum.* Sed quidquid hi Sectarii autument, inferni nomine, sicut & Empyrei locum designari omnes Catholici sentiunt. In eo tamen determinando discordes olim fuerunt.

VI. Quidam enim inferni carcerem situm esse extra mundum existimarunt. Ita Chrysost. *Homil. 31. in Ep. ad Rom.* ubi de gehenna ait: *Sed quonam in loco, inquies, erit? Extra mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim regum carceres, & metalla procul posita sunt, ita extra mundum hunc erit gehenna.* Qui tamen si solum velit gehennam esse extra mundum istum, quem habitamus, verum

verum dicit. At ſi velit, eam eſſe extra totum mundum a Deo conditum, ſuſtineri non poteſt. Tum quia extra totam mundi ſphæram loca corporea non ſunt, ſed pura ſpatia imaginaria, infernus autem locus corporeus eſt. Tum quia Angeli, & homines partes hujus Mundi ſunt; ergo congruum eſt, ut ſicut boni infra hunc mundum locum habent, in quo recipiant præmium: ita mali intra mundum locum habeant, in quo pœnas luant.

VII. Alii tenent, infernum eſſe in noſtra ſuperficie terræ: fingunt enim ſibi quamdam regionem per modum magnæ inſulæ intemperantiſſimam, moleſtiſſimam, horribiliſſimam, & deformiſſimam, quæ dicatur infernus, cui imaginationi conſonare videtur id quod de extremis ſeptemtrionis partibus, puta Norvegia dicunt aliqui, nempe ibi audiri multa dæmonia, & clamores, tumultus ab inhabitantibus inſulas vicinas. Sed hos refellit ipſum *inferni* nomen, quod ſecundum Scripturam, & Patres deſignat locum inferum ſub terra, vel intra terram ſitum.

VIII. Alii propterea dicunt, infernum eſſe quidem ſubtus terram, non tamen in centro, ſed prope ſuperficiem terræ, quam habitamus, quibus favere videtur, quod ex aliquibus terræ montibus, ut Æthna, ac Veſuvio, & aliis, ignis ſulphureus frequenter erumpat. Sed vel ignis ille non eſt inferni, vel ſi eſſet, poſſet etiam e centro terræ proſilire. Addo; quod ſi hoc eſſet, deberet ex omnibus montibus, ac ſubterraneis, profundiſque ſpecubus ignis erumpere, quod tamen eſt falſum. Fateor tamen in hanc opinionem aliis tamen rationibus propendiſſe S. Th. *Opuſc.* 11. *art.* 24. de quo infra.

IX. Alii demum opinati ſunt, impiorum carcerem in hoc aere caliginoſo ſitum eſſe, quibus adhærere videtur Gregorius Nyſſenus *in diſp. de Anima, & Reſurrect.* Quæ opinio fundamentum ſumere videtur ex Paulo *ad Epheſ. 6. v.* 12. dicente: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem; ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in Cæleſtibus*: ubi cum loquatur de Dæmonibus, eoſque dicat habitare in aere, conſequens fit, ut locus pœnæ, & infernus eorum ſit in aere, cumque idem locus paratus pro pœna Dæmonum, ſit etiam locus pœnæ omnium hominum damnatorum, *Matth. 25. verſ.* 41. fit, ut locus inferni ſit in aere. —— Sed hoc non evincit. Nam licet ex divina diſpenſatione Dæmones in hoc aere verſentur ad exercitium hominum, ut oſtendi *Tom.* 1. *in* 1. *quæſt.* 3. *de loco Angelorum*, *Dub.* 1. §. 2. iſte tamen non eſt locus permanenter pro eorum pœna deſtinatus.

X. Communis ergo hiſce temporibus opinio eſt, carcerem inferni eſſe ſitum in viſceribus, ſeu in medio ac centro terræ. Colligitur, *ex* 4. *ad Epheſios*, *v.* 9. ubi Chriſtus dicitur deſcendiſſe *ad inferiores partes terræ*. Si ergo Limbus, & Purgatorium, ad quæ Chriſtus deſcendit, ſunt inferiores partes terræ, infernus, qui profundior reputatur, erit infimus, & proinde in centro terræ. Unde, *Pſalm.* 85. *v.* 13. vocatur *Infernus inferior*. Et Prover. 15. *v.* 24. *Infernus noviſſimus*, ideſt imus, & ultimus. Hujus convenientiam aſſignat S. Thom. in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. Quod *ſicut eſt gravitas in corporibus, ita triſtitia in ſpiritibus; & lætitia, ſicut levitas. Unde ſicut ſecundum corpus, ſi ponderis ſui ordinem teneant, inferiora ſunt omnia graviora: ita ſecundum ſpiritum inferiora ſunt omnia triſtiora. Et ſicut conveniens locus gaudio electorum eſt Cælum Empyreum: ita conveniens locus triſtitiæ damnatorum eſt infimum terræ*. Ex quibus formo hunc diſcurſum. Idem eſt in ſpiritibus gaudium, & triſtitia, quod in corporibus levitas, & gravitas: ſed corporibus ratione levitatis debetur locus ſuperior; & ratione gravitatis locus inferior ad menſuram gravitatis eorum; ergo ſpiritibus qui in gaudio ſunt debetur locus ſupremus, & ſic electorum qui in ſummo gaudio ſunt, locus eſt Cælum Empyreum; ſpiritibus autem, qui in triſtitia ſunt, debetur locus inferior, & ſic damnatorum qui in ſumma triſtitia ſunt, locus proprius erit infimus, nimirum, terræ centrum. Unde, *& in* 2. *diſt.* 48. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 4. dicit quod poſt reſurrectionem *non erit alicubi nox ſuper terram, ſed ſolum in centro terræ, ubi erit infernus*. Et *diſt.* 50. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4. dicit quod locus inferni *Simpliciter loquendo eſt tenebroſus: ſed tamen ex divina diſpoſitione eſt ibi aliquid luminis, quantum ſufficit ad videndum illa, quæ animam torquere poſſunt: & ad hoc ſatisfacit naturalis ſitus loci, quia in terræ medio, ubi infernus ponitur, non poteſt eſſe ignis, niſi faculentus, & turbidus, & quaſi fumoſus*. Quibus S. Th. aperte aſſerit inferni locum eſſe centrum, ſeu medium terræ.

XI. Quia tamen hoc non eſt adeo certum, quin merito dubitari poſſit; cum nec a Scriptura expreſſe habeatur, nec Patres ſint concordes, ut ſupra vidimus, & maxime quod in centro terræ ponendus ſit; idcirco Sanctus Doctor alibi opinando aliter loqui viſus eſt, & præcipue, *Opuſc.* 11. *art.* 24. ubi propter quaſdam rationes philoſophicas, videtur opinari infernum non eſſe in centro terræ ponendum. Hoc tamen dubitanter ſe dicere non aſſertive ibidem teſtatur, & apertius, *Opuſc.* 10. *art.* 31. ubi quærens *an locus inferni ſit in centro, vel circa centrum terræ*, reſpondet. *Ad hoc dicendum videtur, quod locus inferni ſit infra terram, unde Auguſtinus in lib. retract. dicit*: De inferis magis dicere debuiſſem, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe dicantur: *Ubi tamen ſit infernus, an circa centrum terræ, vel circa ſuperficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere, & ſuperfluum eſt de talibus ſollicitari aſſerendo, vel improbando*.

XII. Ex dictis S. Thomæ verbis colligo, nec S. Auguſtinum voluiſſe eſſe ſollicitum de loco inferni curioſius inquirendo, ſed hoc ſolum contentum fuiſſe quod ſit ſubtus terram, cum enim, *l.* 12. *de Geneſ. ad litt. cap.* 33. dixiſſet: *Unde autem ſub terris eſſe dicantur inferi, ſi corporalia loca ſunt, aut unde inferi appellentur, ſi ſub terris non ſunt, merito quæritur*: lib. 2. retract. c. 24. quaſi ſe corrigens, dicit: *In duodecimo* (libro) *de inferis, magis mihi videor dicere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi non ita ſit*. Infernum tamen in inferiori parte terræ ſitum eſſe indicat, *lib.* 4. *in Numeros*, *q.* 39. ubi ad illa verba, c. 16. v. 33. *Deſcenderuntque vivi in infernum*, dicit: *Notandum ſecundum locum terrenum dictos eſſe inferos, hoc eſt in inferioribus terræ partibus*. Et infra: *Manifeſtum eſt, ut dixi, inferiores partes terræ inferiorem vocabulo nuncupatos in comparatione hujus ſuperioris terræ, in cujus facie vivitur, ſicut in comparatione Cæli ſuperioris, ubi Sanctorum demoratio eſt Angelorum, peccantes Angelos in hujus aeris detruſos caliginem Scriptura dicit tamquam carceribus inferi puniendos reſervari*.

XIII. Quærunt hic aliqui de inferni diſtantia a ſuperficie terræ, ac de ejus amplitudine. De quo nihil certi affirmari poteſt. Et ideo ab hoc examinando, ne inutiliter tempus teram, abſtineo. Quoad diſtantiam enim a ſuperficie terræ ait S. Th. Opuſc. 11. cap. 25. *An poſſit ſciri diſtantia a ſuperficie terræ uſque ad infernum, ſuppoſito, infernum eſſe in centro, vel circa centrum terræ, puto ſciri poſſe diſtantiam a ſuperficie terræ ad centrum, non tamen uſque in infernum, quia non credo ab homine ſciri poſſe ubi ſit infernus*. Neque quoad amplitudinem, quia modus, quo ibi manſuri ſint damnati poſt reſurrectionem, an in aliqua diſtantia unius ab altero, an per quamdam commaſſationem unius corporis cum altero, incertus eſt, ut ex D. Th. *in* 4. *diſt.* 50. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4.

§. IV.

Quando conditus ſit Infernus.

XIV. Circa tempus, quo conditus fuit, & præparatus a Deo carcer iſte impiorum, certum eſt in creatione mundi fuiſſe conditum, & præparatum. Dubitatur ſolum, qua die ex illi ſex, quibus abſoluta fuit rerum creatio, conditus fuerit. Nam primo Hebræi apud Hugonem Cardinalem, *in c.* 30. *Iſaiæ v.* 33. volunt fuiſſe conditum ſecunda die creationis, quia loco citato Iſaiæ, dicitur, *præparatus eſt ab heri Tophet*, ideſt gehenna, vel carcer æternus impiorum, ideſt, ajunt, ab illa die, quæ primo habuit *heri*, ideſt, diem præcedentem —— Sed hoc non ſubſiſtit primo. Quia *ab heri* idem eſt ac *ab initio*, ut exponit Gloſſa interlinealis, & S. Th. *in* 4. *diſt.* 47. *q.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3. Vel ut exponit S. Hieron. in dictum locum: *Ab heri quippe, & a præterito tempore præparata eſt a Rege domino* Tophet, *ideſt*, lata & ſpatioſa gehenna, *quæ eos æternis urat ardoribus*. —— Secundo. Quia ſecunda die facta fuit diſtinctio Cæli ſyderei ab aquis ſuperioribus, & inferioribus, ubi non eſt infernus, qui eſt in centro terræ, ut dictum eſt, vel ſaltem ſubtus terram —— Tertio. Quia ly *ab heri* dictum in ſecundo die indicat potius infernum præparatum fuiſſe die prima præcedente, ſicut ſi hodie dicam, ab heri hoc factum eſt, ſignifico, die heſterna præcedente factum eſſe.

XV. Alii propterea, inter quos Molina *de Opuſc. ſex dierum diſp.* 11. & alii, volunt, infernum fuiſſe conditum tertia creationis die; ea enim Deus ad congregandas aquas in locum unum, & erigendos montes aperuit magnas ſub terra cavitates, & inſuper creavit metalla, & cætera foſſilia, ac proinde ſulphur, ac bitumen, quibus ignis inferni paſcitur. —— Sed neque hanc opinionem probo. Quia dato etiam, quod tertia die factæ fuerint cavitates terræ ad montes erigendos, & aquas recipiendas, adhuc tamen non evincitur, quod magna inferni cavitas ad recipiendos impios, & torquendos non fuerit prius facta: ſicut etiam quod mineralia, & foſſilia non fuerint una cum terra prima die producta, quia etiam productus fuit ignis, & proinde credere par eſt productum eſſe pabulum ejus in viſceribus terræ?

XVI. Communior, & verior ſententia eſt, infernum ipſa prima die creationis conditum, ac præparatum fuiſſe. Ita Hugo a S. Victore, lib. 1. de Sacram. p. 1. c. 10. *Quod agebatur* (inquit) *in mundo ſenſibili imago erat eorum, quæ in intelligibili agebantur: nam ſicut primo die Deus diviſit lucem a tenebris, ita tunc ſimul Angelos a Dæmonibus, gratiam a peccato, gloriam a pœna, Cælum ab inferis diſpeſcuit*. Idem ſenſerat S. Gregorius, *l.* 15. *moral. cap.* 17. (modo 29.) his verbis: *Omnipotentis juſtitia futurorum præſcia ab ipſa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum eſſe ſemel inciperet*. Ergo ante peccatum Angelorum, & hominum in ipſa prima mundi origine

præparavit Deus gehennam. Accedit Rupertus, *l. 9. de Spiritu Sancto, c. 21.* dicens: *Antequam conſtitueretur hic mundus, vel diſtingueretur partibus ſuis, creatus eſt ignis. Cum enim dicitur.* In principio creavit Deus Cælum, & terram, *cum adhuc terra, ſive arida lateret, jam ibi erat ignis in cavernis terræ, vel ſilicum reconditus venis.*

XVII. Probatur etiam. Nam ſicut Deus ſtatim ab initio præparavit Cælum empyreum, in quo remunerarentur merita juſtorum: ita decuit ut præpararet carcerem inferni, in quo punirentur delicta impiorum. Eo vel maxime quod, ut docet cum S. Th. communis Theologorum ſchola, peccatum Luciferi, & ſociorum contigit ipſa prima mundi die paucis inſtantibus poſt eorum creationem. Cumque ſicut Angeli, qui ſteterunt, ſtatim in Cælo empyreo gloria donati ſunt, ita qui ceciderunt, eadem die ſtatim damnati projecti ſint in abyſſum æternis pœnis ibi cruciandi, conſequens, ut ſicut Empyreum jam præparatum erat, ita & infernus.

XVIII. Neque dicatur, quod cum Deus pronior ſit ad miſerendum, quam ad puniendum, ſtat bene, quod ante meritum præparaverit locum præmii, & quod locum pœnæ non præparaverit, niſi poſt peccatum.

Nam etiamſi hoc daretur, non ſequeretur intentum arguentis: Quia cum Angeli deſertores prima die creationis mundi, & ſuæ, peccaverint, & ſtatim ad infernum damnati ſint, eſto poſt eorum peccatum conditus eſſet infernus, adhuc conditus eſſet prima die. —— Verum hoc non concedo. Nam ſicut Deus eſt miſericors, ita eſt juſtus: ad juſtitiam autem pertinet, tam præparare locum pœnæ pro iniquis, quam locum præmii pro juſtis, maxime cum Deus utrumque præſciverit, & meritum bonorum ſive Angelorum, ſive hominum, & peccata amborum. Unde S. Th. *in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. q. 2. ad 1.* dicit: quod *Sacramentum etiam pœnitentiæ præparatum erit in Dei previſione ante peccatum, ſed non inſtitutione: Sicut & pœna inferni non erat ordinata ad hominis pœnam ante peccatum, ſed in Dei previſione: Sed ad pœnam dæmonis, qui jam peccaverat, erat etiam actu ordinata.*

XIX. Sed inſtabis. Dominus, *Matth. 25. v. 34.* Electis dicit: *Poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione Mundi*, reprobis vero *v. 41.* dicit: *Diſcedite.... in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus:* ubi cum non addat, quod ſit paratus *a conſtitutione Mundi*, indicat, a conſtitutione Mundi fuiſſe quidem paratum regnum pro electis; non tamen gehennam pro reprobis.

Reſpondeo tamen ex dictis, eamdem eſſe rationem de præparatione regni a conſtitutione mundi, ac de præparatione gehennæ, quod etſi Chriſtus non expreſſerit, indicavit tamen, dum ait, *qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Cum enim Diabolus, & Angeli ejus ab initio mundi peccaverint, debuit ab initio mundi paratus eſſe locus pœnarum pro ipſis, & conſequenter pro hominibus, qui cum ipſis ibi puniendi dicuntur.

XX. Sed adhuc dices herbæ venenatæ non fuerunt creatæ niſi poſt peccatum, teſte S. Auguſtin. *lib. 1. de Geneſi contra Manichæos, cap. 13.* ergo nec Deus infernum fecit, niſi poſt peccatum. —— Rurſus Sapientiæ 1. v. 14. *Sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non eſt in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra;* ergo ab initio nec erat medicamentum exterminans, ſeu mortiferum, nec inferorum regnum ante peccatum.

XXI. Reſpondetur ad 1. neg. ant. Quamvis autem S. Auguſtinus citato loco hoc dixerit, *lib.* tamen *3. de Gen. ad litt. c. 18.* mutavit ſententiam, dicit enim illa verba, Gen. 3. v. 18. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*, ita intelligi poſſe, *ut hæc etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem, ſed cujuſmodi animalibus convenientem cibum.... Prius tamen non homini, poſt autem homini, ut hoc ſignificetur quod dictum eſt;* Tum: *quia non eſt* dictum ſpinas, & *tribulos pariet, ſed* pariet tibi: *ideſt, ut tibi jam iſta naſci incipiant ad laborem, quæ ad paſtum tantummodo aliis animalibus antea naſcebantur.* Quod igitur Auguſtinus dicit de ſpinis, & tribulis, dici poteſt de herbis venenoſis, ſicut & de animalibus noxiis, Serpentibus, Urſis, Lupis, Leonibus &c. omnia enim iſta producta fuerunt ante peccatum; ſed ſicut ſpinæ, ſi homo non peccaſſet, non fuiſſent illi ad laborem: ita nec herbæ venenoſæ, & feræ fuiſſent ei in nocumentum.

Ita reſpondeo ad textum ex lib. Sapientiæ illatum: ſolum enim negat, ante peccatum fuiſſe quidquam exterminans, & in actu ſecundo nocens, quia ex ſingulari Dei protectione homo ante peccatum tutus erat ab omni quod ei nocere, vel ipſum affligere poſſet. At poſt peccatum omnia libera, & expedita relicta ſunt, ut in eum poſſent inſurgere. Similiter intelligendum eſt quod ſubditur: *Nec inferorum regnum in terra*, quatenus ante peccatum inferorum regnum, & dæmonum poteſtas homini non dominabatur, ſed homo ultro Dæmonis tentationi conſentiens, ejus poteſtati ſeſe ſubjecit.

DUBIUM II.

De Pœnis Damnatorum.

§. I.

De Pœnis Ignis.

I. DE hoc egimus, *Tom. 1. in 1. part. q. 9. de pœna Dæmonum Dub. 3.* ubi oſtendimus Dæmones, & homines damnatos in inferno vero, & corporeo igne cruciari, quæ huc revocanda ſunt, nec inutiliter repetenda. Aliqua tamen hic ſubjiciemus præcipue de pœna damnatorum poſt reſurrectionem quando ſcilicet anima ſimul cum corpore in tormentis erit.

II. Talem ergo ignem fore corporeum oſtendit S. Th. *q. 97. Suppl. art. 5.* ubi relata opinione quorumdam Philoſophorum, qui volebant, quod *ſicut bonarum animarum delectatio, & jucunditas non erit in aliqua re corporali, ſed in ſpirituali tantum, ſcilicet in conſecutione ſui finis: ita afflictio malorum ſpiritualis erit tantum, in hoc ſcilicet quod triſtabuntur de hoc, quod ſeparabuntur a fine, cujus ineſt eis naturale deſiderium.* Quam tamen opinionem rejicit ſic. *Sed quia in pœna damnatorum non ſolum erit pœna damni, quæ reſpondet averſioni, quæ fuit in culpa; ſed etiam pœna ſenſus, quæ reſpondet converſioni, & ideo non ſufficit prædictum modum punitionis ponere.*

Relata etiam opinione Avicennæ volentis, damnatorum animas, non per corpora, ſed per corporum ſimilitudines puniri: *Sicut in ſomnis propter ſimilitudines prædictas in imaginatione exiſtentes videtur homini, quod torqueatur pœnis diverſis.* Quam opinionem refellit *Nam imaginatio potentia quædam eſt utens organo corporali: unde non poteſt eſſe quod viſiones hujuſmodi imaginariæ fiant in anima ſeparata a corpore, ſicut in anima ſomniantis.* Sed his relictis.

III. Concludit S. Doctor. *Quidquid autem dicatur de igne, qui animas ſeparatas cruciat: de igne tamen quæ cruciabuntur corpora damnatorum poſt reſurrectionem, oportet dicere, quod ſit corporeus; quia corpori non poteſt convenienter adaptari pœna, niſi ſit corporea. Unde Gregorius l. 4. Dialog. c. 29. ex hoc ipſo probat, ignem inferni eſſe corporeum, quod reprobi poſt reſurrectionem in eum detrudentur. Auguſtinus etiam l. 21. de Civ. Dei cap. 10..... manifeſte confitetur, ignem illum, quo cruciabuntur corpora, eſſe corporeum. Et de hoc ad præſens eſt quæſtio.* An vero ignis iſte aget in corpora damnatorum actione naturæ, & alterativa, an vero actione intentionali diximus ſupra *qu. 6. de Qualitate reſurgentium Dub. 3. §. 3.* ex S. Th. *qu. 86. Suppl. art. 3.* De modo autem, quo ignis corporeus aget in animas, & Dæmones, locuti ſumus *Tom. 1. in 1. part. q. 9. de pœna peccati Angelorum, Dub. 4.*

IV. Quod ſi quæras, quomodo ille cruciabit corpora damnatorum magis, vel minus ſecundum quantitatem culpæ, cum ignis plus vel minus agere ſoleat ſecundum quantitatem ſicci, vel humidi, ſive qui cruciatur juſtus ſit, ſive impius. Reſpondeo cum S. Thom. dicta qu. 97. Suppl. art. 3. ad 3. *Quod ignis ille erit inſtrumentum divinæ juſtitiæ punientis. Inſtrumentum autem non ſolum agit virtute propria, & per proprium modum, ſed etiam in virtute principalis agentis, & ſecundum quod eſt regulatum ab eo. Unde quamvis ignis ſecundum propriam virtutem non habeat, quod aliquos cruciet ſecundum magis, vel minus, ſecundum modum peccati, habet tamen hoc, ſecundum quod ejus actio modificatur ex ordine divinæ juſtitiæ. Sicut etiam ignis fornacis modificatur ex induſtria fabri in ſua actione, ſecundum quod competit ad effectum artis.*

V. Quæri ſolet: an damnati ſola pœna ignis affligantur? Reſpondeo ex S. Th. *dicta q. 97. art. 1.* negative. Quia *ſecundum Baſilium conc. 14. de futuro judicio, & homil. 1. in Pſalm. 28.* In ultima mundi purgatione fiet ſeparatio in elementis, ut quidquid eſt purum, & nobile, remaneat ſuperius ad gloriam beatorum; quidquid vero eſt ignobile, & fæculentum in infernum projiciatur ad pœnam damnatorum, *ut ſicut omnis creatura erit beatis materia gaudii: ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accreſcat ſecundum illud Sap. 5.* Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. *Hoc etiam divinæ juſtitiæ competit, ut ſicut ab uno recedentes, per peccatum in rebus materialibus, quæ ſunt multa, & varia, finem ſuum conſtituerunt, ita etiam multipliciter, & ex multis affligantur.* —— Subdit tamen ibidem ad 1. *Quod quia ignis eſt maxime afflictivus, propter hoc, quod abundat in virtute activa, ideo nomine ignis omnis afflictio deſignatur, ſi ſit vehemens.*

VI. Neque eſt ſimile de Purgatorio, in quo ſola pœna ignis erit. Nam ut ait ibi ad 2. *Pœna Purgatorii non eſt principaliter ad affligendum, ſed ad purgandum: unde per ſolum ignem fieri debet, qui maxime habet vim purgativam. Sed damnatorum pœna non ordinatur ad purgandum.*

Quamvis autem, ut dicitur *Job 24. v. 19.* de damnatis *ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium;* ait tamen S. Thomas citato loco *ad 3.* Quod *damnati tranſibunt ex vehementiſſimo calore ad vehementiſſimum frigus ſine hoc, quod in eis ſit aliquod refrigerium: quia paſſio ab exterioribus non erit per traſmutationem corporis a ſua priſtina naturali*

turali diſpoſitione, ut contraria paſſio ad æqualitatem, vel temperiem reducendo refrigerium cauſet, ſicut nunc accidit: Sed erit per actionem ſpiritualem, ſecundum quod ſenſibilia agunt in ſenſum, pro ut ſentiuntur imprimendo formas illas ſecundum eſſe ſpirituale in organum, & non ſecundum eſſe materiale. Ita S. Th. Quidam tamen volunt, damnatos a calore ad frigus non tranſituros, ſed perpetuo ardore ignis cruciandos. Illud autem Job litteraliter volunt intelligi de impio, qui dum in hac vita de uno genere peccati tranſit ad aliud, nec pœnitentiam agit uſque dum ad inferos ducitur ibi æternaliter puniendus.

§. II.

An in Damnatis erit vermis, & fletus?

VII. QUoad primam partem dubium eſt. Nam cum Scriptura inter pœnas, quibus damnati torquebuntur, ponat vermes, Judith 16. v. 12. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum.* Eccleſiaſtici 7. v. 19. *Vindicta carnis impii ignis, & vermis,* & Iſaiæ 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* nec caro poſſit affligi, niſi per vermem corporalem, videtur vermis iſte fore corporalis. Unde Auguſt. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 9. & lib. 20. cap. 22. *Utrumque* (inquit) *ideſt ignis, & vermis, pœna erunt carnis.*

VIII. Attamen S. Th. dicta *q. 97. Suppl. art. 2.* ſentit, vermem iſtum fore ſpiritualem, nempe conſcientiæ perpetuum remorſum, ait enim: *Quod poſt diem judicii in mundo innovato non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mixtum,, niſi corpus hominis tantum; eo quod non habent aliquem ordinem ad incorruptionem, nec poſt illud tempus ſit futura generatio, & corruptio. Unde vermis qui in damnatis ponitur, non debet intelligi eſſe corporalis, ſed ſpiritualis, qui eſt conſcientiæ remorſus, qui dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, & animam affligit, ſicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo.*

Ita quoque ſentiunt Hieronymus, *in cap. 66. Iſaiæ.* Ambroſius, *lib. 7. in cap. 15. Lucæ* dicens: *Vermis eſt, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, ſenſumque compungunt, & quædam exedunt viſcera conſcientiæ, qua tamquam vermis ex unoquoque naſcuntur tamquam ex corpore peccatoris.* S. Auguſtinus autem quamvis, *lib. 21. de Civit. Dei, cap. 9.* utrumque probabile admittat, nempe quod ignis torqueat corpus, & vermis animum, vel quod utrumque torqueat corpus, *Lib.* tamen 20. *de Civ. Dei, cap. 22.* probabilius cenſet, vermem ad animum pertinere; ait enim: *In pœnis autem malorum inextinguibilis ignis, & vivaciſſimus vermis ab aliis, atque aliis aliter, atque aliter eſt expoſitus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animum retulerunt, alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animum vermem, quod credibilius eſſe videtur.*

IX. Ea autem, quæ hoc credibile faciunt, præter dicta a S. Thom. ſunt primo. Quia morſus vermis corporalis parvi momenti eſt. Potius enim ad homines cruciandos ponendi eſſent ſerpentes, & dracones. Secundo, quia animalia, & vermes nequeunt ſine miraculo in igne vivere, & maxime in æternum. Tertio, quia cum vermis ille in oppoſita ſententia ageret in corpora damnatorum, non actione pure intentionali, ſed naturali ea mordendo, & carnes minuendo, tandem ea conſummeret, maxime cum perpetuus ſit, & immortalis.

X. Sed dices. Iſaias loco citato eodem modo loquitur de verme, ac de igne: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: Sed damnati igne vero, & corporali cruciabuntur; ergo etiam verme vero, & corporali. Quod repetitur *Marci 9. v. 43.* ubi Dominus dicit ter: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

XI. Reſp. neg. conſ. ex S. Thom. 4. *Contra Gentes, cap. 90.* Quod ſicut cum Scriptura loquitur de præmio Beatorum, quædam ſunt proprie accipienda, quædam vero ſolum ſpiritualiter, & tropice, ſicut cum eis promittitur cibus, & potus; ita cum de pœnis damnatorum ſermo eſt, quædam proprie accipienda ſunt: & hoc modo accipitur ignis; quædam vero ſolum ſpiritualiter, & tropice, & hoc modo accipitur illud Iſaiæ vermis eorum non morietur; *Poteſt enim per vermem intelligi conſcientiæ remorſus, quo etiam impii torquebuntur. Non enim eſt poſſibile, quod corporeus vermis ſpiritualem corrodat ſubſtantiam: neque etiam corpora damnatorum, quæ incorruptibilia erunt.* E contra autem per vermem ſpiritualem torquebitur etiam caro, *ſecundum quod paſſiones animæ redundant in corpus, & hic, & in futurum*, ita hoc art. 2. ad 2.

XII. Quoad ſecundam vero partem de fletu, an erit in damnatis, cum dicatur de gehenna, Matth. 13. v. 42. & 50. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

Reſpondet S. Th. dicta q. 97. Suppl. art. 3. *Quod in fletu corporali duo inveniuntur. Unum eſt lacrymarum reſolutio: Et quantum ad hoc fletus corporalis in damnatis eſſe non poteſt: quia poſt diem judicii quieſcente motu primi mobilis non erit aliqua generatio, vel corruptio, vel corporalis alteratio: In lacrymarum autem reſolutione, oportet eſſe illius humoris generationem, qui per lacrymas diſtillat. Unde quantum ad hoc corporalis fletus in damnatis eſſe non poterit. Aliud quod invenitur in corporali fletu, eſt quædam commotio, & turbatio capitis, & oculorum: Et quantum ad hoc fletus in damnatis eſſe poterit poſt reſurrectionem. Corpora enim damnatorum non ſolum ab exteriori affligentur, ſed etiam ab interiori, ſecundum quod corpus immutatur ad paſſionem animæ in bonum, vel malum. Et quantum ad hoc fletus carnis reſurrectionem indicat, & reſpondet delectationi culpæ, quæ fuit in anima.* Hoc idem docet, 4. *Contra Gent. cap. 90.* his verbis: *Fletus etiam, & ſtridor dentium in ſpiritualibus ſubſtantiis nonniſi metaphorice intelligi poſſunt: quamvis in corporibus damnatorum poſt reſurrectionem nihil prohibeat, corporaliter ea intelligi; ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio: quia ab illis corporibus nulla reſolutio fieri poteſt, ſed ſolum dolor cordis, conturbatio oculorum, & capitis, pro ut in fletibus eſſe ſolet.*

XIII. Dubitari tamen poteſt, quomodo iſta conturbatio oculorum, & capitis ex dolore cordis cauſata poſſit eſſe abſque alteratione, & tranſmutatione corporis a ſua naturali diſpoſitione, quem S. Th. in corporibus damnatis negat.

Cui reſponderi poteſt, quod talis conturbatio oculorum, & capitis ex dolore proveniens, poteſt intelligi, aut ſecundum motum localem tantum ſpirituum, aut aliquorum humorum, ex quorum motu remanet quædam confuſio in capite, & in oculis: aut etiam ſecundum quamdam ſpiritualem, ſeu intentionalem ab hujuſmodi ſpiritibus, vel humoribus abſque conveniente ordine motis excitatam. Et hæc videtur eſſe mens S. Thom. dum dicit, quod corpora damnatorum ab interiori affligentur, ſicut & ab exteriori. Conſtat autem ex dictis, mentem ejus eſſe, quod ab exteriori affligentur immutatione, non alterativa, ſed intentionali, & quaſi ſpirituali.

XIV. Concludo cum S. Th. quodlib. 7. art. 13. ad 2. *Quod fletus corporalis modo prædicto ſine lacrymarum emiſſione ſufficit ad veritatem reſurrectionis inſinuandam. Si tamen ſuſtineretur, quod vermis, & fletus eſſent corporales, poſſet dici, quod divina virtute & vermis ille ſuſtentaretur, & lacrymarum deperditio reſtauraretur.*

§. III.

An Damnati ſint in Tenebris Corporalibus?

XV. REſpondet S. Th. q. 97. Suppl. art. 4. *Quod diſpoſitio inferni erit talis, quod maxime miſeriæ damnatorum competet. Unde ſecundum hoc ſunt ibi lux, & tenebræ, pro ut maxime ſpectat ad miſeriam damnatorum. Ipſa autem viſio ſecundum ſe delectabilis eſt. Ut enim dicitur in principio Metaph.* Senſus oculorum eſt maxime diligibilis, eo quod per ipſum plura cognoſcimus. *Sed per accidens contingit, viſionem eſſe afflictivam, quatenus videmus aliqua nobis nociva, vel noſtræ voluntati repugnantia. Et ideo in inferno hoc modo debet locus eſſe diſpoſitus ad videndum ſecundum lucem, & tenebras, ut nihil ibi perſpicue videatur: ſed ſolummodo ſub quadam umbroſitate videantur ea quæ afflictionem cordi ingerere poſſunt. Unde ſimpliciter loquendo, locus eſt tenebroſus: Sed tamen ex divina diſpoſitione eſt ibi aliquid luminis, quantum ſufficit ad videndum illa, quæ animam torquere poſſunt. Et ad hoc ſatisfacit naturalis ſitus loci: quia in terræ medio, ubi infernus ponitur, non poteſt eſſe ignis, niſi faculentus, & turbidus, & quaſi fumoſus. Quidam autem tenebrarum harum cauſam aſſignant ex commaſſatione corporum damnatorum, quæ præ multitudine ita replebunt locum inferni, quod ibi nihil de aere remanebit, & ſic non erit ibi aliquid de diaphano, quod poſſit eſſe ſubjectum lucis, & tenebræ, niſi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati.*

XVI. Si dicas, damnatos futuros in igne; ignem autem naturaliter ſplendere. — Reſpondeo ex iis, quæ inferius *art. 6. ad 4.* docet S. Th. ignem non lucere, quando eſt, vel in materia opaca terreſtri, ut in ſulphure: vel quando aliquo groſſo fumo offuſcatur. Aliquid tamen obſcuri luminis eſſe in inferno dicit S. Th. ut ſupra, quantum ſufficit ad videndum illa, quæ torquere poſſunt, ut proinde non ſint ibi tenebræ per omnimodam lucis carentiam, ſed per carentiam lucis, prout viſio ejus eſt delectabilis. Nihil enim ibi perſpicue videbitur, ſed ſolum ſub tenebroſitate quadam videbunt ſinguli ea quæ afflictionem poſſunt ingerere, & maxime pœnas ſuas, & eos, quos exemplo ſuo perdiderunt. Unde S. Gregorius *lib. 9. Moral. cap. 66.* (alias 49.) ait: *Ignis itaque, qui in obſcuritate cruciat, credendum eſt, quia lumen ad tormentum ſervat.* Et infra *ſicut ergo electis ignis ardere novit ad ſolatium, & tamen ardere ad ſupplicium neſcit* (ut in tribus pueris in fornacem Babylonicam projecti) *ita e diverſo gehennæ flamma reprobis, & nequaquam lucet ad conſolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam; ut damnatorum oculis ignis ſupplicii, & nulla claritate candeat, & delicta qualiter crucientur oſtendat.* Et S. Baſilius in Pſ. 28. ad alia verba: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, hæc habet: *ignem autem, qui Diabolo, & Angelis ejus in judicium paratus eſt, voce Domini intercidi reor: ut cum duæ ſint in igne facultates, quarum una comburit, altera illuſtrat, ignis quidem aſperitas, ac torquendi proprietas, iis, qui aduſtione digni ſunt, ſervetur: illius vero ſplendor, & claritas ad hilaritatem eorum, qui lætam, ac beatam vitam acturi ſunt, deſtinetur. Vox igitur Domini intercidentis, ac dividentis flammam ignis, adeo ut ſupplicii quidem ignis obſcurus ſit, lux vero requietis, vi careat comburendi.*

DUBIUM III.

De Voluntate Damnatorum.

§. I.

An omnis Voluntas Damnatorum sit mala?

I. QUamvis de hoc aliqua dixerimus, *Tom. I. in 1. p. quæst. 9. de pœnis Dæmonum, Dub. 1. & 2.* Sequentes tamen S. Thom. *quæst. 98. Supplem.* aliqua breviter subjiciemus.

Distinguit ergo S. Thomas, *citata q. art. 1.* in damnatis duplicem voluntatem, unam *naturalem*, *aliam deliberativam*, & dicit, quod *Voluntas quidem naturalis non est in eis ex se ipsis, sed ex auctore naturæ, qui in natura hanc inclinationem posuit. Unde cum natura in eis remaneat, secundum hoc bona poterit in eis esse voluntas naturalis. Sed tamen* (inquit ad 1.) *ista naturalis inclinatio per eorum malitiam corrumpitur, in quantum hoc bonum, quod naturaliter desiderant, sub quibusdam malis circumstantiis appetunt.*

II. *Sed voluntas deliberativa est eis ex se ipsis, secundum quod est in potestate eorum inclinare per affectum ad hoc, vel illud. Et talis voluntas est in eis solum mala. Et hoc ideo, quia sunt perfecte aversi a fine ultimo rectæ voluntatis, nec aliqua voluntas potest esse bona, nisi per ordinem ad finem prædictum. Unde etiam etsi aliquod bonum velint, non tamen bene volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit.*

III. Confirmat hoc S. Thom. *in arg. sed contra* primo. Quia voluntas obstinata finaliter in malo nunquam potest flecti nisi in malum, sed damnati homines erunt finaliter obstinati in malo, sicut & Dæmones: ergo voluntas eorum nunquam poterit esse bona. Dixi, *finaliter obstinata*. Nam ut docet S. Thom. 4. *Contra Gentes cap. 95.* stante dispositione, qua aliquis afficitur erga aliquem ultimum finem, non potest ab eo talis affectus removeri, nisi ab eo removeatur dispositio eum ad talem finem inclinans. In tantum enim voluntas nostra in hac via mutabilis est ab amore unius finis, in quantum ab ea removeri potest dispositio eam ad talem finem inclinans. Quia hæc, vel est passio, & ista cum cito transeat, facile removetur, vel est habitus, & hic, esto difficilius, per contrarios tamen actus frequentatos absolute removeri potest. At post hanc vitam non erit voluntas amplius mutabilis a dispositione erga ultimum finem, in cujus amore deceffit, quia non amplius erit in motu, & in via, sed in statu quietis, & termini. Ideoque non erit mutabilis de malo in bonum, vel e contra respectu ultimi finis, sed solum mutabilis de uno ad aliud volitum, servato tamen ordine ad eumdem ultimum finem. Et in hoc manebit liberum arbitrium, cujus actus est eligere: electio autem est eorum, quæ sunt ad finem, non vero ultimi finis. *Non est autem æstimandum* (concludit S. Th.) *quod anima postquam resument corpora in resurrectione immutabilitatem voluntatis amittant; sed in ea perseverent. Quia corpora in resurrectione disponentur secundum existentiam animæ, non autem animæ immutabuntur per corpora, sed immutabiliter perseverabunt.* Corpora enim sequentur conditionem animæ, ut ostendit 4. *Contra Gen. cap. 86.* Hinc

IV. Confirmat secundo. Sicut, se habet voluntas damnatorum ad malum: ita voluntas Beatorum ad bonum: Sed Beati nunquam habent, aut habebunt voluntatem malam, quia immobiliter adhærebunt ultimo fini bono, ergo nec damnati habent, aut habebunt aliquam voluntatem bonam, quia immobiliter affixi ultimo fini malo; eo vel maxime quod Deus, qui solus posset eos a malo in bonum vertere, justo judicio statuit eos relinquere in malo, in quo finaliter decesserunt.

V. Sed dices. Possunt damnati eis, qui in hoc mundo superstites sunt, desiderare salutem, ut legitur de divite damnato, *Luc. 16.* hæc autem voluntas est bona; ergo &c.

VI. Hæc instantia excitat quæstionem, an damnati vellent damnari alios, qui non sunt damnati. Cui respondet S. Th. infra *q. 98. Suppl. art. 4.* affirmative. Quia *sicut in Beatis in patria erit perfectissima charitas: ita in damnatis perfectissimum odium. Unde sicut Sancti gaudebunt de omnibus bonis: ita & impii de omnibus bonis dolebunt. Unde & felicitas Sanctorum ab eis considerata maxime eos afflliget.* Et sic vellent omnes bonos esse damnatos. Et *quamvis ex multitudine damnatorum pœna singulorum augeatur; tamen tantum superexcrescit odium, & invidia, quod magis eligent torqueri magis cum multis, quam minus soli.* Ita S. Thom. dicto, *art. 4. ad 3.* Nec refert, quod aliquos hic inordinate dilexerint. Nam ut ait ad 2. *Dilectio, quæ non fundatur super honestum, facile rescinditur, & præcipue in malis hominibus, ut Philosoph. dicit in 9. Ethic. cap. 4. Unde damnati non servabunt amicitiam ad eos, quos inordinate dilexerunt. Sed in hoc voluntas eorum remanebit perversa, quod causam inordinatæ dilectionis adhuc diligent.*

VII. Ad istantiam ergo respondet S. Th. citato art. 4. ad 1. *Quod tanta erit invidia in damnatis, quod etiam propinquorum gloriæ invidebunt, cum ipsi sint in summa miseria, cum etiam in hac vita hoc accidat crescente invidia. Sed tamen minus invidebunt propinquis, quam aliis, & major esset eorum pœna, si omnes propinqui damnarentur, & alii salvarentur, quam si aliqui de suis propinquis salvarentur. Et exinde fuit, quod dives petiit fratres suos a damnatione eripi, sciebat enim, quod aliqui eriperentur. Maluisset tamen fratres suos cum omnibus aliis damnari.* Ita etiam docet, *quolib. 8. art. 17.* his verbis: *Multo amplius damnati invidia stimulante vellent suos propinquos cum omnibus aliis esse damnatos, & dolebunt, si sciant aliquos esse salvos. Sed tamen si non omnes debent damnari, sed aliqui salvari, magis vellent suos propinquos, quam alios a damnatione liberari: quia in hoc etiam invidia torquebuntur, si videant salvari alios, & suos damnari. Et per hunc modum dives nolebat suorum damnationem.* Dici etiam potest quod propterea rogabat, ne fratres cum eo damnarentur, quia timebat, ex fratrum in condemnatione consortio pœnam suam augendam quia per malæ vitæ exempla occasionem peccandi eis reliquerat.

VIII. Ex dictis sequitur, damnatos vere non pœnitere de malo, quod fecerunt. Quia tamen, ut observat S. Th. dicta q. 98. art. 2. *Pœnitere de peccatis contingit dupliciter. Uno modo per se; alio modo per accidens. Per se quidem de peccato pœnitet, qui peccatum in quantum est peccatum abominatur. Per accidens vero, qui illud edit ratione alicujus adjuncti; utpote pœnæ, vel alicujus hujusmodi. Mali igitur non pœnitebunt per se loquendo de peccatis, quia voluntas malitia peccati in eis remanet: pœnitebunt autem per accidens, in quantum afflligentur de pœna, quam pro peccato sustinent.* Ut enim ait ad 1. Damnati iniquitatem volunt, sed pœnam refugiunt. Neque (ut ait *ad 3.*) hoc refugient in peccatis, quod prius appetiverunt, sed aliquid aliud, scilicet pœnam.

§. II.

An Damnati demereantur, & an peccent?

IX. CUm ex dictis damnatorum voluntas semper sit mala, & semper iniquitatem velint, nec in peccato, quod appetiverunt, refugiant, merito dubitatur, an sicut qui continuo inter nos maneret in voluntate peccandi, continuo demereretur: ita & damnati continuo demereantur?

X. S. Th. *q. 98. Suppl. art. 6.* dicit, quod de damnatis loqui possumus, sive ante diem judicii, sive post. Si loquamur post diem judicii, certum est, apud omnes, quod non erit meritum, vel demeritum: quia meritum, vel demeritum ordinatur ad aliquod bonum, vel malum ulterius consequendum. Post diem autem universalis judicii erit ultima consummatio bonorum, & malorum, ita ut nihil sit eis addendum de bono, vel de malo. Quare nec boni merebuntur, nec mali demerebuntur: Sed sicut in Beatis bona voluntas erit præmium: ita in damnatis mala voluntas erit pœna vel supplicium.

Ante diem judicii, quidam dicunt, & Beatos mereri, & damnatos demereri, non quidem quantum ad præmium essentiale, vel pœnam principalem, cum utrique quantum ad hoc ad terminum pervenerint, sed quantum ad præmium accidentale, & pœnam secundariam, quæ possunt augeri usque ad diem judicii; & hoc præcipue in Dæmonibus, vel Angelis bonis, quorum officio aliqui trahuntur ad salutem ex quo Beatorum Angelorum gaudium crescit: vel ad damnationem, ex quo crescit pœna dæmonum.

XI. Verum quamvis hanc secundam partem ut probabilem hoc citato loco admittat: Postea tamen id quod verius est docuit, nempe neque Beatos, neque damnatos quidpiam mereri posse post mortem. Et ideo 1. p. q. 62. art. 9. ad 3. *Potest tamen* (inquit) *augeri Angelorum gaudium de salute eorum, qui per ipsorum ministerium salvantur, secundum illud Luc. 15.* Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Sed hoc gaudium ad præmium accidentale pertinet quod quidem augeri potest usque ad diem judicii. Unde quidam dicunt, quod quantum ad præmium accidentale etiam mereri possunt.*

Sed melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis Beatus mereri potest, nisi sit simul viator, & comprehensor, ut Christus, qui solus fuit viator, & comprehensor. Prædictum enim gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quam illud mereantur. Et eodem modo in damnatis vi damnationis augetur pœna secundaria, non ex eorum demerito.

Idem asserit, 2. 2. *q. 13. art. 4. ad 2.* dicens: *Mereri, & demereri pertinent ad statum viæ. Unde bona in viatoribus sunt meritoria, mala vero demeritoria. In beatis autem bona non sunt meritoria, sed pertinent ad eorum beatitudinis præmium: Et similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinent ad damnationis pœnam.*

XII. Quoad secundam partem est difficultas. Quia si damnati non demerentur, & omne peccatum meretur pœnam, videtur quod damnati non peccent, nec peccare possint.

XIII. Dicendum tamen est, Damnatos, sive Dæmones, sive Homines non solum non esse impeccabiles, sed de facto continuo peccare, habentes continuo confirmatam in malo

malo voluntatem, & affectum ad peccatum. Unde S. Thom. 1. p. q. 64. art. 2. ad 3. *Adhuc* (inquit) *manet in diabolo peccatum quo primo peccavit quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc quod credat se posse obtinere. Sicut si aliquis credat se posse facere homicidium, & velit facere, & postea adimatur ei potestas, nihilominus voluntas homicidii in eo manere potest, ut velit fecisse, vel velit facere si posset.* Et 2. 2. q. 13. art. 4. de omnibus damnatis dicens, quod blasphemant Deum, *Illi autem* (inquit) *qui sunt in inferno retinebunt perversam voluntatem aversam a Dei justitia, in hoc quod diligunt ea, pro quibus puniuntur, & vellent eis uti si possent, & odiunt pœnas, quæ pro hujusmodi peccatis infliguntur: dolent etiam de peccatis, quæ commiserunt, non quia ipsa odiant sed quia pro eis puniuntur.* Eadem docet *Opusc.* 2. *cap.* 175. Cum ergo voluntas peccandi, quæ in damnatis manet, sit voluntas faciendi ea, quæ divina lege sunt prohibita, tali voluntate continuo peccant.

XIV. Neque facit difficultatem, quod damnati dum peccant, non demereantur: Quia, ut dictum est, demeritum est annexum peccato pro statu viæ, in qua cum sit tempus progrediendi, & proficiendi, locus est merito, & demerito. Et in hoc sensu exponendus est Ambrosius cum, *l. 2. de Abel, & Cain, cap. 8.* ait, quod mors peccatoris finem affert peccandi: Loquitur enim de fine peccandi quatenus peccatum meretur pœnam, vel pœnæ augmentum.

XV. Neque dicas, quod damnati necessario sunt a Deo aversi, & ad malum conversi; ergo non peccant, quia peccatum debet esse libera voluntate commissum.

XVI. Respondeo enim nego conf. Nam sicut beati licet sint necessario conjuncti cum Deo ultimo fine, adhuc per electionem operantur hoc vel illud bonum, & libere. Unde Sanct. Thom. *3. part. quæst. 18. artic. 4. ad 3.* ait quod *Voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bonum sicut ad Beatos*: ita damnati licet sint necessario aversi a Deo, & in malo confirmati, libere tamen eligere possunt hoc vel illud malum. Quare Sanct. Thom. *quæst. 2. de malo, art. 11. ad 11.* ait: *quod liberum arbitrium non patitur detrimentum in damnatis quantum ad libertatem, qua non intenditur, aut remittitur; sed patitur detrimentum quantum ad libertatem, qua est a culpa, & miseria.*

Addo quod licet damnati necessario sint aversi a Deo, hanc tamen necessitatem sibi ipsis voluntarie, ac libere fecerunt, dum in tali aversione mori voluerunt. Unde cum post mortem anima non sit transmutabilis de uno fine in alium, sit ut tali aversione necessario in perpetuum maneat. *Anima igitur* (inquit S. Thom. Opusc. 2. cap. 174.) *quemcumque finem sibi ultimum præstituisse invenitur in statu mortis, in eo fine perpetuo permanebit appetens illud, ut optimum, sive sit bonum, sive malum, secundum illud Ecclesiastes 11. v. 3.* Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. *Sic igitur post hanc vitam, qui boni in morte inveniuntur, habebunt perpetuo voluntatem firmatam in bono, qui autem mali tunc invenientur, erunt perpetuo obstinati in malo.*

§. III.

An Damnati vellent non esse, & an odio habeant Deum.

XVII. QUantum ad primam partem S. Thom. *quæst. 98. Suppl. art. 3.* dicit: *Quod non esse potest dupliciter considerari. Uno modo secundum se: Et sic nullo modo est appetibile, cum non habeat aliquam rationem boni, sed sit boni pura privatio. Alio modo potest considerari in quantum est ablativum pœnalis vitæ, seu alicujus miseriæ: Et sic non esse accipit rationem boni:* Carere enim malo est quoddam bonum, *ut dicit Philosophus 5. Ethic. cap. 1. Et per hunc modum melius est damnatis non esse, quam miseros esse, unde Matth. 26. dicitur*: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. *Et Hieremiæ 20. v. 14. super illud* Maledicta dies, in qua natus sum &c. *dicit glossa Hieronymi*, melius est, non esse, quam male esse. *Et secundum hoc damnati possunt præeligere non esse secundum deliberativam rationem.* Ita S. Thom. Huc etiam spectat illud Apoc. 9. v. 6. *In diebus illis desiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis.*

XVIII. Desiderabunt ergo damnati non esse, seu mortem, ut remedium liberativum a pœnis, quibus cruciantur, & se in perpetuum cruciandos sciunt. Si enim ad vitandam miseriam hujus mundi, quæ tamen temporanea est, appetibile est ab aliquibus mori. Unde Ecclesiast. 41. vers. 3. *O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdidit patientiam.* Quanto magis appetibile erit non esse a damnatis, ad vitandas miserias æternas gehennæ. In hoc tamen desiderio etiam peccabunt, quia in eis procedet ex obstinata adhæsione malo, & odio contra justitiam Dei.

XIX. An autem ista voluntas futura sit in omnibus damnatis, non liquet. Sanctus Augustinus, *lib. 5. contra Julian. cap. 11.* non audet dicere, quod pueris sine baptismo decedentibus melius fuisset non esse natos. *Ego autem* (inquit) *non dico, parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret; cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de sceleratissimis, & impiissimis dixerit.* Quod si Augustinus de talibus parvulis damnatis hoc ausus non fuit dicere, qui tamen eos pœna etiam ignis torquendos existimabat, multo minus dicemus nos, qui solam pœnam damni eos passuros cum communiori sententia, dicimus?

XX. Quoad secundam partem, an damnati odio habeant Deum S. Thom. dicta *quæst. 98. art. 5.* dicit, quod cum affectus non moveatur nisi ex bono, vel malo apprehenso, & Deus dupliciter apprehendatur, sive *in se* ut apprehenditur a Beatis, qui eum per essentiam vident: sive *per effectus*, sicut a nobis, & damnatis, certum est, quod in se ipso apprehensus, cum sit per essentiam bonitas, non potest alicui voluntati displicere. Unde quicumque eum per essentiam videt, eum odio habere non potest. Sed effectuum ejus aliqui sunt voluntati repugnantes, in quantum contrariantur alicui quod amat. Et secundum hoc nempe ratione effectuum aliquis Deum odio habere potest. *Damnati ergo Deum percipientes in effectu justitiæ, qui est pœna, eum odio habent sicut & pœnas quas sustinent.* Et hoc etiam dixerat supra quæst. 90. art. 3. ad 2. Quod Deus *quantum ad aliquos divinitatis effectus dicitur ab aliquibus odio haberi, in quantum scilicet aliquid agit, vel præcipit, quod est contrarium voluntati.*

XXI. Huic doctrinæ conforme est, quod tradit idem S. Doctor 2. 2. quæst. 13. art. 4. quod damnati cum retineant voluntatem a Dei justitia aversam, odio habent pœnas, quæ illis a Deo infliguntur, & detestantur divinam justitiam. *Et talis detestatio divinæ justitiæ est in eis interior cordis blasphemia. Et credibile est, quod post resurrectionem erit in eis etiam blasphemia, sicut in sanctis vocalis laus Dei.* Ut enim docet ibid. ad primum *Homines deterrentur in præsenti a blasphemia propter timorem pœnarum, quas se putant evadere: Sed damnati in inferno non sperant se posse evadere. Et ideo tamquam desperati feruntur ad omne, quod eis perversa voluntas suggerit.* —— Nec refert, quod multi damnabuntur, qui in hac vita non fuerunt blasphemi. —— Nam ut ait S. Thom. ad 3. *Quilibet in peccato mortali decedens fert secum voluntatem detestandi divinam justitiam quantum ad aliquid: & secundum hoc poterit eis inesse blasphemia:* Saltem cordis, quidquid sit, an in omnibus post resurrectionem erit blasphemia etiam vocis.

DUBIUM IV.

De intellectu Damnatorum.

§. I.

An in Eis sit Fides?

I. FIdem virtutem Theologicam, ac supernaturale donum Dei, nec quoad actum, nec quoad habitum manere in Dæmonibus, nec in damnatis hominibus, etiamsi dum viverent, eam per infidelitatem non amiserint, ostendi, *tom. 1. in 2. 2. q. 3. de subjecto Fidei dub. 1. §. 1.* quo Lectorem remitto.

II. Interea recolat ex S. Thom. *2. 2. q. 5. art. 2.* Quod cum qui credit, non assentiatur rei creditæ, quia ipsam in se videat sive in se, sive per resolutionem ad sua principia, solum moveri potest ad credendum vel ex pia affectione voluntatis erga auctoritatem revelantis, cui se voluntarie subjicit, vel quasi coactus ab evidentia signorum, quibus intellectus videntis manifeste convincitur, illud, quod sibi dicitur, esse dictum a Deo, qui nec falli potest, nec fallere. Qui ergo priori modo credit, fide Theologica, & supernaturali credit, quia movetur ad credendum ex auctoritate Dei dicentis, cui se subjicit, & quæ est ratio formalis fidei Theologicæ. Qui vero solum posteriori modo credit, non credit fide supernaturali, quia non ex auctoritate dicentis, & voluntarie credit, sed quasi coacte ex evidentia signorum convictus.

III. Priori igitur modo, nec Dæmones, nec damnati fidem habent; nam immobilitati in malo, & scientes, se bonorum per fidem promissorum incapaces esse, potius moventur ex aversione a Deo, & rebus revelatis, quæ nollent vera esse: quod si ea credere coguntur; hoc est ex evidentia signorum eis, vel nolentibus, vera esse demonstrantium, ut contradicere nequeant, adeoque cum rabie, & tremore, ac fide non infusa credunt. Et ideo, *Jac. 2. vers. 19.* dicitur: *Et Dæmones credunt, & contremiscunt.*

IV. Neque dicas, S. Jacobum citato loco comparare fidem Dæmonum cum fide, quam habet peccator in via sine operibus, quam vocat fidem inanem, & vacuam, ideo informem: Sed fides sine operibus licet informis, est tamen fides quoad substantiam Theologica; & supernaturalis; ergo.

V. Nam

V. Nam comparatio, quam facit Apostolus, non consistit in eo. Quod fides, quam habet peccator sit similis fidei Dæmonum, vel in principio, a quo provenit, vel in modo assentiendi coacte: Sed in eo, quod sicut Dæmones rebus fidei firmiter, ac certo assentiuntur, neque tamen hoc eis prodest ad salutem: ita Christiano male viventi fides, quam a Deo habet, nihil proficiet ad salutem, nisi cum fide bona opera conjungat. Cæterum esse discrimen inter fidem hominum etiam informem, & fidem Dæmonum, non obscure indicat idem Apostolus. Dum homini fidem sine operibus habenti, dicit: *Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis.* Addens autem, *& Dæmones credunt*, non repetit *Bene faciunt*, sed *contremiscunt*, quia qui fide licet informi credit, ex pia affectione, & volens adhuc credit: Sed Dæmon invitus credit: nemo autem quod invite facit, bene facit: immo Dæmon, & damnatus nihil bene facit, ut supra dictum est.

VI. Sed dices primo. Quomodo damnati ex fidelibus distinguentur ab aliis; qui nunquam crediderunt, si in illis non manet fides? — Si respondeatur distingui, vel ex charactere baptismi qui in illis erit, & non in istis. Vel ex diversitate demeritorum, ac suppliciorum.

VII. Instabis, si in damnatis manet character, cur non etiam fides? — Respondeo. Quod fides secundum se ordinatur ad actum, sicut initium salutis, non autem character. Unde cum in damnato nullum sit salutis initium, nulla etiam est fides. Cætera videantur, *tom. 1. in 2. loco supra citato*, ne inutiliter repetantur.

§. II.

De quibus Damnati notitiam habebunt.

VIII. DUbitari potest primo. An damnati uti possint notitia, quam in hoc mundo habuerunt.

De duplici notitia loqui possumus, vel supernaturali, puta de actibus supernaturalibus, quos hic exercuerunt, & cognitionibus supernaturalium, seu illustrationibus, quas hic habuerunt, vel de notitia rerum naturalium, quam dum viverent, habuerunt. Quantum ad primam sentiunt multi, quod licet ex natura rei non repugnet, quod in damnatis remaneant species, & habitus circa supernaturalia, Deus tamen justissime omni supernaturali præterita notitia eos spoliabit. Censerem tamen, quod sicut ut dicemus Deus in damnatis relinquit species, ac notitiam rerum naturalium in pœnam, ac tristitiam: ita in pœnam permittet, eos recordari bonorum supernaturalium, quæ contempserunt, & præcipue illustrationum, & vocationum, quibus Deus eos vocavit ad pœnitentiam, & ipsi renuerunt, ut ex his Dei donis contemptis, maxime affligantur.

IX. De notitia vero naturali hic habita, hac damnatos uti posse affirmat S. Thom. *quæst. 89. Supplement. art. 7.* Tum ex illo, *Luca 16.* ubi diviti damnato dicitur vers. 25. *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Quibus ostenditur, damnatos uti posse notitia eorum, quam hic habuerunt. Tum etiam, quia in anima post mortem remanent species intelligibiles hic acquisitæ: ut ostendit S. Thom. *1. part. quæst. 89. art. 5. & 6.* frustra autem remanerent, si eis non posset uti.

X. Resolvit ergo Sanctus Doctor: *Quod sicut propter perfectam Sanctorum beatitudinem nihil erit in eis quod non sit gaudii materia: ita nihil erit in damnatis, quod non sit eis materia, & causa tristitiæ, nec aliquid quod ad tristitiam possit pertinere, deerit, ut sit eorum miseria consummata. Consideratio autem aliquorum notorum quantum ad aliquid inducit gaudium, vel ex parte cognoscibilium, in quantum diliguntur, vel ex parte ipsius cognitionis, in quantum est conveniens & perfecta. Potest etiam tristitiæ esse ratio, vel ex parte cognoscibilium, quæ nata sunt contristare, vel ex parte ipsius cognitionis, prout ejus imperfectio consideratur: utpote cum aliquis considerat, se deficere in cognitione alicujus rei, cujus perfectam cognitionem appeteret. Sic ergo in damnatis erit actualis consideratio eorum, quæ prius sciverunt, ut materia tristitiæ, non autem ut delectationis causa. Considerabunt enim, & mala quæ gesserunt, & bona delectabilia, quæ amiserunt, & ex utroque torquebuntur. Similiter etiam torquebuntur de hoc quod considerabunt, notitiam, quam de rebus speculabilibus habuerunt, imperfectam esse, se amisisse summam ejus perfectionem, quam poterant adipisci.* Hæc Sanctus Thomas.

XI. Quamvis in gravissimis tormentis sint constituti, ab horum tamen consideratione non distrahentur, ut hic contingit. Nam ut dicit ad 2. *In hoc mundo anima conjungitur corruptibili corpori: unde per hoc quod corpus affligitur, consideratio animæ impeditur. Sed in futuro anima non ita trahetur a corpore; sed quantumcumque corpus affligetur, tamen anima considerabit luculentissime illa, quæ ei poterunt esse causa mœroris.*

XII. Neque etiam pati poterit oblivionem ex quacumque diuturnitate. Nam causa oblivionis est tempus in quantum motus, cujus est mensura, est causa transmutationis. Sed post diem judicii non erit motus Cæli: Unde nec oblivio esse poterit ex quacumque diuturnitate. Ita ex S. Th. cit. ad 3.

XIII. Dubitari potest secundo. An damnati aliquando de Deo cogitabunt.

Respondet S. Th. *q. 98.* citata *art. 8.* Quod *Deus considerari potest dupliciter uno modo secundum se, & secundum id, quod est ei proprium scilicet esse totius bonitatis principium. Et sic nullo modo cogitari potest sine delectatione. Unde sic nullo modo a damnatis cogitabitur. Alio modo secundum aliquid, quod est ei quasi accidentale in effectibus, utpote punire, vel aliquid hujusmodi. Et secundum hoc consideratio de Deo potest tristitiam inducere.* Et *hoc modo damnati de Deo cogitabunt.* Considerabunt ergo Deum solum ut punitorem, & prohibitorem, & ex hoc eorum prava voluntas in odium ipsius; ut ultoris, & vindicis prorumpet, ut supra dictum est.

XIV. Dubitari potest tertio. An damnati gloriam Beatorum videant.

S. Th. *q. 98. citata art. 9.* distinguit inter tempus ante diem judicii, & post Judicium universale, & dicit, quod *Damnati ante diem Judicii videbunt beatos in gloria; non hoc modo, quod gloriam eorum, qualis sit, cognoscant, sed cognoscent, eos esse in gloria quadam inæstimabili. Et ex hoc turbabuntur, tum propter invidiam, dolentes de felicitate eorum: tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt. Unde dicitur Sap. 5. de impiis.* Videntes turbabuntur timore horribili. *Sed post diem judicii omnino beatorum visione privabuntur. Nec tamen ex hoc eorum pœna minuetur, quia memoriam habebunt gloriæ beatorum quam in judicio viderunt, vel ante judicium, & hoc erit eis in tormentum: sed ulterius affligentur in hoc, quod videbunt, se indignos reputari etiam videre gloriam, quam Sancti merentur habere.*

XV. Quibus S. Thom. dum ait, quod damnati *videbunt beatos in gloria*, non intendit, eos visuros visione proprie dicta, sed cognitione quadam in confuso, considerantes statum felicissimum beatorum, a quo ipsi sunt excluſi. Unde Aug. *lib. 22. qq. Evang. q. 38.* de divite damnato vidente e longinquo Lazarum, dicit damnatos *videre de longinquo, atque sentire beatorum requiem, quo sane transire non possunt.*

Neque obest quod S. Greg. *Hom. 40. in Evang.* dicat: *Credendum vero est, quod ante retributionem extremi judicii injusti in requie quosdam justos conspiciant, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur.* Nam vel loquitur de generali, & confuso modo cognitionis, vel potius de peculiari quidem, ac distincta notitia, sed ex dispensatione Dei extraordinaria ad augendam eorum pœnam, quomodo illud de divite, & Lazaro, *Luca 16.* (quod ibi Greg. tractat) recte accipitur. Quamvis nec ex hoc inferatur, quod damnati notitia intuitiva videant beatos in gloria: nam nec Abraham, nec Lazarus gloria donati erant, cum adhuc detinerentur in Limbo.

XVI. In ipso quidem extremo judicio impii oculis etiam corporeis videbunt gloriam corporum beatorum, quo spectat illud Sap. 5. v. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperata salutis.* Neque obest quod v. 8. subjungatur: *Talia dixerunt in inferno qui peccaverunt.* Nam sapiens ibi, vel non loquitur de impiis in inferno jam existentibus, sed de illis inferno jam destinatis, & in conspectu justorum coram judice positis. Vel primo loquitur de modo, quo impii se habebunt in judicio: ac deinde exprimit quid memores gloriæ Sanctorum, quam in judicio viderunt, in inferno dicturi sint, quando non amplius eos videbunt. Tunc enim, ut ex S. Thom. dictum est, neque corporeo aspectu gloriam Sanctorum intuebuntur; nec divina permissione notitiam aliquam de certis quibusdam, quanta in felicitate versentur, habebunt: Et hoc ad eorum majus tormentum, ut dicit S. Thom. *Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini nescient: qui vero erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus scient.* (inquit S. August.) *lib. 20. de Civ. Dei, cap. 22.*

QUÆSTIO VIII.

De Justitia, & Misericordia Dei erga Damnatos.

PRæsens quæstio claudet hunc Tractatum, immo & totum nostrum Theologicum cursum. In ea agemus de justitia Dei erga damnatos, an tanta futura sit, ut nullum unquam finem sit habitura, tam respectu Dæmonum, quam hominum etiam Christianorum neque unquam mitigandam. Licet autem æternitatem pœnarum statuerimus, *tom. 1. in 1. part. quæst. 9. dub. 5.* agentes de pœna Dæmonum. Quia tamen de hoc iterum hic nos acturos promisimus, ideo, ut promissis stemus, aliqua subjiciemus ex S. Th. *quæst. 99. Supplem.*

Dubium I.

An ex Divina Justitia inferatur peccatoribus pœna æterna.

§. I.

Veritas Catholica.

SEnsus hujus Dubii est, an divina justitia petat, ut peccatores, qui in peccato mortali decedunt puniantur pœna æterna.

I. Dico ex divina justitia est, quod peccator in lethali culpa decedens puniatur pœna æterna. Ita S. Thom. dicta *q. 99. art.* 1. Et probat primo. Nam *sicut se habet præmium ad meritum: ita pœna ad culpam: Sed secundum divinam justitiam merito temporali debetur præmium æternum, Joann. 6. vers.* 40. Omnis qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam; *Ergo & culpa temporali secundum divinam justitiam debetur pœna æterna.*

Secundo probat. *Secundum Philosophum in 5. Ethic. c. 5. pœna taxatur secundum dignitatem ejus, in quem peccatur: unde majori pœna punitur, qui percutit alapa Principem, quam alium quemcumque. Sed quicumque peccat mortaliter, peccat contra Deum, cujus præcepta transgreditur, & cujus honorem alii impartitur, dum in alio finem constituit: Majestas autem Dei est infinita; ergo quicumque peccat mortaliter, dignus est infinita pœna. Et ita videtur, quod juste pro peccato mortali quis perpetuo puniatur.* Ita S. Thom. *in argum.* Sed contra.

II. In corp. autem art. varias rationes affert. Prima est. Nam cum pœna duplicem habeat quantitatem, scilicet secundum intentionis acerbitatem, & secundum durationem temporis, quantitas pœnæ respondet quidem quantitati culpæ secundum intensionem acerbitatis, ut secundum quod gravius quis peccavit, secundum hoc gravior pœna ei infligatur. Unde Apost. 18. v. 7. *Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.* Non autem respondet duratio pœnæ durationi culpæ, ut docet Aug. *l.* 21. *de Civ. Dei, cap.* 11. Non enim osculum feminæ, vel adulterium quod in momento temporis perpetratur, momentanea pœna punitur, etiam secundum leges humanas. Sed duratio pœnæ respicit dispositionem peccantis. Quod exemplo declarat. Quandoque enim ille qui peccat in aliqua Civitate, ex ipso peccato efficitur dignus, ut totaliter a civium consortio repellatur, vel per exilium perpetuum, vel per mortem; Quandoque vero non redditur dignus, ut totaliter a societate civium excludatur, & ideo ut possit esse conveniens membrum civitatis, pœna ei prolungatur, vel breviatur, secundum quod expedit ejus curationi, & ut in civitate convenienter, & pacifice vivere possit. Et ita etiam secundum divinam justitiam aliquis ex peccato redditur dignus, ut penitus a civitatis Dei consortio separetur, quod fit per omne peccatum, quo contra charitatem peccat, quæ est vinculum civitatem prædictam uniens. Et ideo pro peccato mortali, quod est contrarium charitati, aliquis in æternum a societate Sanctorum excluditur, ac pœnæ æternæ addicitur. Quia ut August. citato loco, dicit: *Quod est de civitate ista mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de civitate illa immortali homines supplicio secundæ mortis auferre: sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quisque revocetur occisus, sic nec illius, ut in vitam revocetur æternam, secunda morte damnatus.* Quod autem pœna, quam civitas mundana infliget, perpetua non reputetur, hoc est per accidens, vel in quantum perpetuo homo non manet, vel in quantum etiam ipsa civitas deficit. Unde si homo in perpetuum viveret, pœna exilii, vel servitutis, quæ per legem humanam infertur, in eo perpetuo maneret. Qui vero hoc modo peccant, ut tamen inde non reddantur digni totaliter separari a sanctæ civitatis consortio, sicut peccantes venialiter, tanto eorum pœna erit brevior, vel diuturnior, quanto magis, vel minus purgabiles erunt, secundum quod eis peccata plus, vel minus inhæserunt: quod in pœnis hujus mundi secundum divinam justitiam servatur. Ita eisdem fere verbis S. Th. Sicut ergo qui per justitiam humanam totaliter, & ad semper a civitate terrena excluditur, si perpetuo viveret, tali pœnæ maneret perpetuo addictus: ita qui totaliter, & perpetuo a Civitate cælesti excluditur, cum perpetuo vivat, perpetuo illa pœnam subire debet.

III. Quod magis confirmatur ex alia ratione, quam ibi subjicit S. Th. nimirum. Quod cum quamdiu durat culpa debeat durare & pœna, & culpa cum non possit deleri post mortem, maneat in æternum, pœna etiam debet in æternum durare. *Culpa* (inquit) *manet in æternum, cum culpa non possit remitti sine gratia, quam homo non potest post mortem acquirere, nec debet pœna cessare, quamdiu culpa manet.* Alias rationes hic affert S. Th. Sed quia eas protulimus, *Tom.* 1. *in* 1. *p. q. 9. de pœna Dæmonum, Dub.* 2. §. 2. ideo illuc Lectorem remitto. Ubi etiam inveniet varios Scripturæ textus, & Patrum dicta hanc veritatem testantium.

§. II.

Contraria Solvuntur.

IV. OBjicies primo. Pœna non debet excedere culpam: Deut. 25. *Secundum mensuram delicti erit, & plagarum modus:* Sed culpa est temporalis; ergo pœna non debet esse æterna.

V. Respondet S. Thom. dicto artic. 1. ad 1. *Quod pœna non debet æquari culpæ secundum quantitatem durationis, ut videtur etiam per leges humanas accidere.* Hoc idem videbatur durum aliquibus Sancti Augustini temporibus. Unde, *l.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 11. dicit: *Sic autem quidam eorum, contra quos defendimus Civitatem Dei, injustum putant, ut pro peccatis quantumlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur æterna.* Quibus respondet eos ad leges humanas vocando, his verbis: *Porro si aliena femina osculum infixum rationis sit verbere vindicare, nonne qui illud in puncto temporis fecerit, incomparabili horarum spatio verberatur, & suavitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur? Quid in vinculis numquid tamdiu quisque judicandus est esse debere, quamdiu fecit, unde meruit alligari; cum justissime servus annosas pœnas in compedibus pendat, qui verbo, aut ictu celerrime transeunte, vel lacessivit dominum, vel plagavit?* &c.

VI. Respondeo secundo. Quod esto culpa quoad actum transeat, manet tamen quoad reatum, & perpetuo manebit, quousque non deleatur per gratiam; cumque post mortem hoc fieri nequeat, ideo culpa, & adhæsio pravo fini in qua quis moritur, in æternum durabit, & proinde in æternum durabit etiam pœna.

VII. Objicies secundo. Inter peccata mortalia unum est altero gravius; ergo secundum justitiam gravius debet puniri. Sed si utrumque puniretur pœna æterna, & infinita, unum non puniretur gravius altero, quia pœna infinita, & æterna nulla est gravior; ergo &c.

VIII. Respondeo dist. conf. Gravius intensive, conc. conf. extensive, & in duratione, neg. conf. Ut enim dicit Sanct. Thom. ad 2. *Quantitati peccati respondet quantitas pœnæ secundum intensionem. Et ideo peccatorum mortalium inæqualium erunt pœnæ inæquales in intensione, non autem in duratione.* Quia cum in æternum utriusque duratura sit culpa, in æternum durare debet & pœna.

IX. Objicies tertio. A justo judice non infertur pœna, nisi ad correctionem, vel rei, vel aliorum. Unde 2. Ethic. dicitur c. 3. *Pœnæ sunt quædam medicinæ:* Sed quod impii in æternum puniantur, neque est ad correctionem eorum, neque aliorum, quia nulli tunc sunt futuri; ergo &c.

X. Respondet S. Thom. ad 3. *Quod pœnæ quæ infliguntur his, qui a Civitatis societate non pœnitus ejiciuntur, sunt ad correctionem eorum ordinatæ. Sed illæ pœnæ per quas aliqui totaliter a Civitatis societate exterminantur, non sunt ad correctionem eorum. Possunt tamen esse ad correctionem, & tranquillitatem aliorum, qui in Civitate remanent. Et ita damnatio æterna impiorum est ad correctionem eorum, qui nunc sunt in Ecclesia. Non enim pœnæ sunt ad correctionem solum quando infliguntur, sed etiam quando determinantur.*

XI. Objicies Quarto. Pœnam non vult justus judex per se ipsam, sed propter aliquam utilitatem: sed ex pœna impiorum æterna nulla potest concipi utilitas; ergo &c.

Confirm. nihil quod est per accidens, est perpetuum ut ex 1. *de Cælo text.* 15. *&* 1. 2. *text.* 18. Sed pœnæ sunt per accidens, quia sunt contra naturam; ergo &c.

XII. Respondeo neg. min. Sunt enim utiles ex dictis, ut qui modo in mundo sunt, a peccando deterreantur. Deinde ut dicit Sanct. Thom. *ad* 4. sunt utiles *ad hoc ut in eis divina justitia conservetur, quæ est Deo accepta propter se ipsam. Unde Gregorius lib.* 4. *Dialog. cap.* 44. Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. *Secundo ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, dum in his Dei justitiam contemplantur, & dum se evasisse eas cognoscunt.* Unde *Psalm.* 57. Lætabitur justus cum viderit vindictam.... *Et hoc est quod Gregorius dicit* 4. *Dialog.* (loco citato) .... Ut Justi omnes & in Deo vident gaudia, quæ perceperunt, & in illis perspiciant supplicia, quæ evaserunt, quatenus tanto magis in æternum divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt. Hæc Gregorius.

XIII. Ad confirm. Dico cum S. Th. ad 5. *Quod quamvis pœna per accidens respondeat animæ: attamen per se respondet animæ culpa infectæ: Et quia culpa in perpetuum in ea manebit, ideo & pœna perpetua erit.*

XIV. Tandem. Quamvis peccatum, utpote contra Deum auctorem ipsius esse, mereatur, ut peccator redigatur in nihilum, hæc tamen non est debita peccati pœna. Quia ut docet S. Thom. ibidem, *ad* 6. Pœna respondet culpæ secundum inordinationem actus; quæ in

ipsa

ipsa invenitur, non autem secundum dignitatem personæ, in quam peccatur, alias cuilibet peccato responderet pœna infinita. Licet autem peccator mereatur amittere esse, considerata tamen ipsius actus inordinatione, cum per ipsam nec tollatur, nec corrumpatur esse quod ad eam supponitur, non debetur ei amissio esse, sed potius, quod durante esse perpetuo puniatur, sicut perpetuo durabit inordinatio. Quod vero humana justitia gravium criminum reos morte puniendos privet esse, hoc est, quia aliter a consortio Civitatis eos totaliter separare non potest. Deus autem impios potest conservare in esse, & eos a consortio Civitatis Cælestis separatos in æternum punire.

DUBIUM III.

An ex Divina Misericordia aliquorum Damnatorum Pœnæ finem sint habituræ?

§. I.

De Pœna Dæmonum.

I. STatuto, pœnas damnatorum secundum ordinem divinæ justitiæ debere esse æternas, superest examinandum, an ex divina misericordia cum aliquibus in æternitate pœnarum dispensetur, ut ab illis tandem eruantur, & quæstio procedere potest de Dæmonibus, de hominibus, de hominibus Christianis, ac demum de illis, qui opera misericordiæ fecerunt dum viverent.

II. Error Origenis fuit, pœnam Dæmonum post multas sæculorum revolutiones finem ex Dei misericordia habituram. De hoc egi *Tom. 1. in 1. p. q. 9. de pœna Dæmonum, Dub. 5.* & agit Sanct. Thom. *quæst. 99. Supplement. art. 2.* eumque reprobat his verbis: *Error Origenis fuit, ut Augustinus dicit l. 21. de Civit. Dei* (cap. 17. & 23.) *quod Dæmones quandoque per Dei misericordiam liberandi sunt a pœnis. Sed iste error est ab Ecclesia reprobatus propter duo. Primo quia manifeste auctoritati Sacræ Scripturæ repugnat, quæ habetur Apoc. 20.* Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestiæ, & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum, *per quod in Scriptura significari æternitas consuevit. Secundo quia ex una parte nimis Dei misericordiam extendebat, & ex alia parte nimis eam coarctabat. Ejusdem enim rationis esse videtur, bonos Angelos in æterna beatitudine permanere, & malos Angelos in æternum puniri. Unde sicut ponebat, Dæmones, & animas damnatorum quandoque a pœna liberandas: ita ponebat, Angelos, & animas beatorum quandoque a beatitudine in hujus vitæ miseriis devolvendas.*

III. Præstat audire Sanctum Augustinum, *lib. 21. de Civitat. Dei cap. 17.* a S. Thoma supra citatum, qui rejiciens Origenem, ait: *Sed illum, & propter hoc, & propter alia nonnulla, & maxime propter alternantes sine cessatione beatitudines, & miserias, & statutis sæculorum intervallis ab istis ad illas, atque ab illis ad istas itus, & reditus interminabiles, non immerito reprobavit Ecclesia: quia & hoc quod misericors videbatur amisit faciendo sanctis veras miserias, quibus pœnas luerent, & falsas beatitudines, in quibus verum, ac securum, hoc est sine timore certum sempiterni boni gaudium non haberent.* Ponebat enim Origenes, & Dæmones a pœna aliquando liberandos, & S. Angelos ad miserias vitæ præsentis iterum devolvendos.

IV. Sed dices primo. *Sap. 11. v. 24.* dicitur: *Misereris omnium* (Domine) *quia omnia potes.* Sed inter omnia etiam Dæmones continentur, qui sunt creaturæ Dei; ergo & ipsorum pœna finietur.

Secundo, Rom. 11. v. 23. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*: cur ergo non etiam Dæmonum?

Tertio. *Non est justum* (inquit Anselmus, l. 2. cur Deus homo, capit. 4.) *ut Deus creaturam, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat.* Cum ergo Angelos fecerit ad beatitudinem, eos omnino perire non permittit.

V. Sed hæc non evincunt. Non primum. Nam ut ait Sanct. Thom. art. 2. citato ad 1. *Deus quantum in se est miseretur omnibus. Sed quia ejus misericordia sapientiæ ordine regulatur, inde est, quod ad quosdam non se extendit, qui se misericordiæ fecerunt indignos, sicut Dæmones, & damnati, qui sunt in malitia obstinati. Tamen potest dici, quod etiam in eis misericordia locum habet, in quantum citra condignum puniuntur, non quod a pœna totaliter absolvantur.*

VI. Non secundum. *Quia ibi intelligenda est distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum; ut intelligatur auctoritas de hominibus secundum statum viæ; quia scilicet, & Judæorum, & Gentilium misertus est; Sed non omnium Gentilium, vel omnium Judæorum.* Ita S. Th. ibidem *ad 2.*

VII. Neque tertium. Nam *Anselmus intelligit, non esse justum quantum ad decentiam divinæ bonitatis, & loquitur de creatura secundum genus suum. Non enim est conveniens divinæ bonitati, ut totum unum genus creaturæ deficiat a fine, propter quem est factum. Unde nec omnes homines, nec omnes Angelos damnari convenit. Sed nihil prohibet, quin aliqui vel ex hominibus, vel ex Angelis in æternum pereant: quia divina voluntatis intentio impletur in aliis, qui salvantur.* Ita idem S. Th. *ad 3.*

§. II.

De Pœna Hominum Damnatorum.

VIII. QUidam errorem Origenis emollire volentes, dixerunt, pœnas quidem Dæmonum æternas fore, sed omnes homines aliquando esse a pœnis liberandos. Hos minus misericordes, quam Origenem putat S. August. *l. 21. de Civ. Dei, c. 17.* Is enim pœnas, tum damnatorum hominum, tum Dæmonum aliquando fore solvendas dixit, cum illi solis hominibus, Dæmonibus in æternis pœnis relictis, hanc impertiantur misericordiam. *Extenditur ergo* (inquit) *ac profundatur fons hujus misericordiæ usque ad damnatos angelos, saltem post multa, atque prolixa quantumlibet sæcula liberandos. Cur usque ad universam naturam manat humanam, & cum ad angelicam ventum fuerit, mox aresçit?*

IX. Alii referente eodem S. Aug. citato loco, *cap. 18.* dixerunt, omnes quidem homines malos dignos esse æterna pœna, sed in novissimo judicio intercessionibus Sanctorum esse liberandos: *Dicunt enim* (inquit) *de malis, & infidelibus hominibus divinitus quidem verum prædictum esse, quod digni sunt pœna: sed cum ad judicium ventum fuerit, misericordiam esse superaturam. Donabit enim nos, inquiunt, misericors Deus precibus, & intercessionibus Sanctorum suorum. Si enim orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos, quanto magis quando videbunt humiles, suppliceisque prostratos?*

X. Sed utraque opinio falsa est, & fidei Catholicæ repugnans. Prima quidem. Nam ut ait S. Thom. hac *q. 99. art. 3. Matth. 25.* electis, & reprobis simul dicitur: *Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.* Sed inconveniens est dicere, quod justorum hominum vita quandoque finietur; ergo inconveniens est ponere, quod reproborum supplicium quandoque terminetur. Tum etiam quia sicut Dæmones sunt in malitia obstinati, & ita perpetuo puniendi: ita & hominum animæ, qui sine charitate decedunt, cum *hoc hominibus sit mors, quod est angelis casus*, ut dicit Damascenus, *l. 2. fidei Orthod. cap. 4.*

XI. Eadem ratione secunda opinio, seu verius error refellitur. Tum quia illa verba, Matth. 25. vers. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum*, & ista vers. 41. *discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, proferentur a Christo in Judicio universali: unde sequitur, in illo judicio proferendam, seu confirmandam potius in homines damnatos sententiam condemnationis, quam pronunciandam sententiam absolutionis: & si in eumdem ignem mittendi erunt, qui diabolo, & angelis ejus paratus est, cum pro istis paratus sit in æternum, sequitur, quod paratus sit in æternum etiam pro hominibus damnatis: Tum quia sicut Sanctorum beatitudo erit æterna, cum dicatur a Christo Judice, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum.* Ita cum e contra dicatur *Discedite a me maledicti in ignem æternum, &c. Ibunt hi in supplicium æternum*, ait Sanctus Augustinus lib. 21. de Civitat. Dei, cap. 24. *Nimiæ præsumptionis est dicere, cuiquam eorum, æternum supplicium non futurum, quos Deus ituros in supplicium dixit æternum.*

XII. Neque valet dicere, Sanctos tunc pro damnatis hominibus oraturos, & eorum intercessionibus fore aliquos liberandos. Nam, ut ait idem August. citato loco: *Cur ergo eadem perfectissima sanctitate, & cuncta impetrare valentibus mundissimis, & misericordissimis precibus, etiam pro angelis non orabunt quibus paratus est ignis æternus, ut Deus sententiam suam mitiget, & reflectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos?* Et infra: *Hæc igitur causa, qua fit, ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet, ut illo tunc judicio, etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maxime pro eis orat, nisi* ut det illis Deus, *sicut dicit Apostolus*, pœnitentiam, & resipiscant de diaboli laqueis?.... *Denique si de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur.... Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, id est pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia?* Ita S. Augustinus.

Subscribit fidelis ejus discipulus S. Thomas, *quæst. 99. Supplement. artic. 3. ad 2.* Ex eodem, & ex Sanct. Gregor. *lib. 34. Moral. cap. 16. & 4. Dialog. capit. 44.* dicens:

cens: *Sancti in hac vita ideo pro inimicis exorant, ut convertantur ad Deum, cum adhuc converti poſſunt. Si enim eſſet nobis notum, quod eſſent præſciti ad mortem, non magis pro eis, quam pro dæmonibus oraremus. Et quia poſt hanc vitam decedentibus ſine gratia tempus converſionis non erit, nulla pro eis fiet oratio nec ab Eccleſia militante, nec a triumphante.*

XIII. Nec dicant, *Pſalm. 76. verſ.* 10. haberi: *Numquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* —— Nam hæc verba reſpondet Sanct. Auguſtin. dicto cap. 24. referuntur ad ſtatum præſentis vitæ, in qua homo capax eſt miſericordiæ quæ capax eſt mutari de malo in bonum, unde ſubdit Propheta. *Et dixi: nunc capi; hæc eſt mutatio dextera excelſi.* Subdit tamen Sanctus Doctor. *Sed quibus placet iſtam ſententiam uſque ad illa impiorum tormenta protendere, ſaltem ſic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quæ in æterno eſt prænunciata ſupplicio, non contineat Deus in hoc ira ſua miſerationes ſuas, & faciat eos non tanta quanta digni ſunt, pœnarum atrocitate cruciari, non ut eas pœnas vel nunquam ſubeant, vel aliquando finiant, ſed ut eas mitiores, quam merita ſunt eorum, levioreſque patiantur. Sic enim & ira Dei manebit, & in ipſa ira ſua miſerationes ſuas non continebit. Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non reſiſto.* Non tanta ergo quanta digni ſunt, damnatos puniri Auguſtinus non negat, ſed non aſſerit.

XIV. Quia vero etiam aliqui putabant, verba illa: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*, & iſta: *Ibunt hi in ſupplicium æternum* minaciter potius, quam veraciter dicta, ſicut Ninivitis minaciter dictum fuit Jonæ 3. verſ. 4. *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.* Cum tamen Ninive non ſit ſubverſa, propter quod Jonas turbatus fuit —— Reſpondet ex eodem Sancto Auguſtino citato Sanct. Thom. dicto art. 3. ad 3. *Quod prophetia comminatoria pœnæ, tunc ſolum immutatur, quando variantur merita ejus, in quem comminatio facta eſt. Unde Hierem.* 18. *dicitur verſ.* 7. Repente loquar adverſus gentem, & adverſus regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi ut facerem ei. *Unde cum damnatorum merita mutari non poſſint, comminatio pœnæ ſemper in eis implebitur.*

Nihilominus tamen prophetia comminationis ſemper quantum ad aliquem intellectum impletur: quia ut dicit Auguſt. in prædicto libro (21. de Civit. Dei, cap. 24.) Everſa eſt Ninive, quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat, ſtantibus enim mœnibus, atque domibus everſa eſt Civitas in perditis moribus.

Quod de anima Trajani ab inferno precibus Sancti Gregorii liberata dicitur, reſolvimus, *ſupra in tractatu de Sacrific. Miſſ. quæſt.* 2. *Dub.* 3. §. 1. *a num.* 8. Videantur etiam alia ibi dicta.

§. III.

De Pœna Damnatorum Chriſtianorum.

XV. SEnferunt aliqui, etſi non omnium hominum, ſaltem tamen Chriſtianorum, qui in peccato mortali mortui ſunt, ſupplicia non fore æterna. Hi tamen diviſi ſunt. Nam alii dixerunt, omnes baptizatos, qui ſacramenta fidei perceperunt, fore ab æterna pœna immunes. Alii ſolum illos, qui ſacramenta fidei percepevunt, & fidem catholicam tenuerunt. Alii tandem ab æterna pœna immunes fore cenſuerunt eos ſolos, qui in fide catholica finaliter perſeverarunt, quantumcumque aliis criminibus implicatos.

XVI. Sed iſtos refellunt S. Auguſt. *leg.* 21. *de Civ. Dei, cap.* 25. & S. Thom. *qu.* 99. *art.* 4. ubi primos refutat ſic: *Sed hoc eſt contrarium veritati: quia quidam ſacramenta fidei recipiunt, & fidem non habent, ſine qua* impoſſibile eſt placere Deo, *Hebr.* 11.

Secundos ita refellit: Quia *aliquando aliqui catholicam fidem tenent, & poſtea ab ea recedunt, qui non minori pœna ſunt digni, ſed majori, quia* 2. *Petri* 2. Melius erat eis viam juſtitiæ non cognoſcere, quam poſt agnitionem retroire. *Planum eſt etiam, peccare plus hæreſiarchas, qui a fide catholica recedentes novas hæreſes fingunt, quam illos, qui a principio aliquem hæreſim ſunt ſecuti.* Unde Auguſtinus citato loco inconveniens maximum reputat, quod *qui hæreſes impias condiderunt exeuntes de Catholica Eccleſia, & facti ſunt hæreſiarchæ, meliores habeant cauſas, quam hi qui nunquam fuerunt catholici, cum in eorum laqueos incidiſſent; ſi illos hæreſiarchas hoc facit liberari a ſupplicio ſempiterno, quod in catholica Eccleſia baptizati ſunt, & ſacramentum corporis Chriſti in vero Chriſti corpore primitus acceperunt: cum pejor utique ſit deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator ejus effectus, quam ille, qui non deſeruit, quam nunquam tenuit.*

Tertios impugnat Sanct. Thom. Nam *hoc manifeſte contrariatur Scripturæ. Quia Jacobi* 2. *dicitur:* Fides ſine operibus mortua eſt. Et *Matth.* 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei: *Et in multis aliis locis Scriptura peccantibus æternas pœnas comminatur. Unde non omnes finaliter in fide perſiſtentes a pœna æterna erunt immunes, niſi & ab aliis criminibus inveniantur finaliter abſoluti.* Ita S. Thomas.

XVII. Omnes autem præfatos errores ſimul confutavit Paulus Galat. 5. verſ. 19. &c. *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.* Ubi per idolorum ſervitutem, intelligit infidelitatem non baptizatorum, per ſectas hæreſes, & per alia peccata mortalia, ſive ex genere, ſive ex circumſtantiis talia. Unde Sanctus Auguſtinus, *cap.* 25. citato: *Hæc profecto* (inquit) *Apoſtolica falſa eſt ſententia, ſi tales poſt quantalibet tempora liberati Regnum Dei poſſidebunt. Sed quoniam falſa non eſt, profecto Regnum Dei non poſſidebunt. Et ſi in Regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur, quoniam non eſt locus medius, ubi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in Regno.*

XVIII. Dicebant tamen primo, *Joann. 6. verſ.* 50. dicit Chriſtus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Sed omnes baptizati etiam hæretici manducant carnem Chriſti, & bibunt ejus ſanguinem; ergo omnes habent vitam æternam.

XIX. Reſpondeo, quoad hæreticos, ex Sancto Auguſtino citatos, *capit.* 25. Non poſſe utiliter manducare Corpus Chriſti eum, qui non eſt in corpore Chriſti, ideſt, in Eccleſia, quæ eſt compago membrorum Chriſti: *Ac per hoc Hæretici, & Schiſmatici ab hujus unitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere ſacramentum, ſed non ſibi utile, immo vero etiam noxium, qui judicentur gravius, quam vel tardius liberentur. Non ſunt quippe in eo vinculo pacis, quod illo exprimitur ſacramento.*

Quoad Catholicos vero, ſed in peccato exiſtentes, reſpondet Sanct. Thom. dicto art. 4. ad 2. *Quod verbum Domini intelligitur non de illis, qui tantum ſacramentaliter edunt, qui indigne quandoque ſumentes* judicium ſibi manducant, & bibunt, *ut dicitur* 1. *Corinth.* 11. *Sed loquitur de manducantibus ſpiritualiter, qui per charitatem ei incorporantur, quam incorporationem facit ſacramentalis commeſtio, ſi quis digne accedat. Unde quantum eſt ex virtute ſacramenti, ad vitam æternam perducit; quamvis aliquis poſſit tali fructu privari per peccatum, etiam poſtquam digne ſumpſerit.*

XX. Dicebant ſecundo, *Marci ult.* dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* Sed omnes catholici credunt, & baptizati ſunt; ergo &c.

Confirmatur 1. *Corinth.* 3. dicit Paulus de illis in quibus Chriſtus per fidem eſt fundamentum: *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem;* ergo omnes qui fidem habent, finaliter poſt pœnas ignis ſalvabuntur.

XXI. Reſpondeo cum S. Thom. ibid. ad 1. *Quod Dominus ibi loquitur de fide firmata, qua* per dilectionem operatur, *in qua quicumque deceſſerit, ſalvus erit. Sed huic non ſolum opponitur infidelitatis error, ſed quodlibet peccatum mortale.* Et propterea, *Jacobi* 2. *v.* 14. dicitur: *Si quis dicat ſe fidem habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſalvare eum?*

XXII. Ad confirm. Reſpondet idem Sanct. Thom. citatus ad 3. *Quod* fundamentum *in Verbis Apoſtoli intelligitur fides formata, ſuper quam qui peccata venialia ædificaverit,* detrimentum patietur; *quia pro eis punietur a Deo, ipſe tamen* ſalvus erit *finaliter* quaſi per ignem, *vel temporalis tribulationis, vel pœna purgatoria, qua poſt mortem erit.* Addit Sanct. Auguſtin. *l.* 21. *de Civit. Dei, cap.* 26. quod qui in peccato mortali eſt, proprie non habet pro fundamento Chriſtum: etenim *nihil in ædificio præponitur fundamento, quiſquis itaque ſic habet in corde Chriſtum, ut ei terrena, & temporalia, nec ea qua licita ſunt, atque conceſſa, præponat, fundamentum habet Chriſtum. Si autem præponit, etſi videatur habere fidem Chriſti, non eſt tamen in eo fundamentum Chriſtus, cui talia præponuntur: quanto magis ſi ſalutaria præcepta contemnens committat illicita, non præpoſuiſſe Chriſtum, ſed poſtpoſuiſſe convincitur?* &c.

§. IV.

De Damnatis, qui Opera Miſericordiæ fecerunt.

XXIII. SAncti Auguſtini temporibus, ut refert ipſe, *lib.* 21. *de Civ. Dei, cap.* 27. erant, qui dicerent, æterno igne illos tantummodo arſuros, qui pro peccatis ſuis facere dignas eleemoſynas negligunt, propter illud, quod ait Apoſtolus Jacobus: *Judicium autem ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Qui ergo fecit, quamvis non correxerit perditos mores, ſed nefarie,

ac nequiter inter ipsas suas eleemosynas dixerit, cum misericordia illi futurum est judicium, ut aut non damnetur omnino, aut post aliquod tempus a damnatione noviſſima liberetur. Ita refert S. Auguſt. & ex eo S. Thom. *qu. 99. Suppl. art. 5.*

XXIV. Falsam tamen hanc existimationem uterque Sanctus Doctor ostendit. *Quia*, (inquit Sanct. Thom.) *sine charitate non potest aliquid esse Deo acceptum, nec sine ea prodest aliquid ad vitam æternam, Contingit autem, aliquos operibus misericordiæ insistere, qui charitatem non habent. Unde his nihil prodest ad vitam æternam promerendam, vel ad immunitatem æternæ pœnæ.* Ut patet ex Apostolo 1. Corinth. 13. vers. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas . . . . Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et Sanct. Auguſtin. citatus: *Sic enim cogerentur fateri, fieri posse, ut opulentissimus homo decem nummulis diurnis in eleemosynas impensis, homicidia, & adulteria, & nefaria quæque facta redimeret.* Quod ridiculum est; Fieri enim etiam posset, quod in auferendis rebus alienis longe plura diriperent, ex quibus pauca pauperibus elargiendo, Christum se ad hoc pascere existimarent, ut licentiam malefactorum, vel quotidie potius emere credentes, securi damnabilia tanta committerent. Ita discurrit Sanct. Auguſtin. cui subscribens S. Thom. ait: *Et hoc præcipue apparet absurdum in raptoribus, qui multa rapiunt, & tamen misericorditer aliqua largiuntur.*

XXV. Movebantur autem primo. Quia *Matth. 25.* discrimen quod in extremo Judicio faciet Christus electorum a reprobis, ex suis operibus misericordiæ fiet, *esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.*

XXVI. Respondeo, quod in judicio electi separabuntur a reprobis, non præcise quia eleemosynas fecerunt, sed quia adhærentes Christo per charitatem illas in pauperibus ei obtulerunt. Vel ut ostendatur *quantum valeant eleemosyna ad priora delenda, non ad perpetua impune committenda peccata.* Ita S. Auguſtin. citato loco. Et infra: *Si enim Christiano esurienti panem tamquam Christiano darent, profecto sibi panem justitiæ, quod ipse Christus est, non negarent: quoniam Deus, non cui detur, sed quo animo detur, attendit. Qui ergo Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit eleemosynam, quo accedit ad Christum, non quo vult recedere impunitus a Christo. Tanto enim magis quisque deserit Christum quanto magis diligit quod improbat Christus.*

XXVII. Respondeo secundo, ex S. Thom. dict. art. 5. ad 2. *Quod non propter hoc ponitur disceptatio de operibus misericordiæ solum, quia pro eorum negligentia tantummodo aliqui puniantur æternaliter; sed quia illi ab æterna pœna liberabuntur post peccata, qui per opera misericordiæ sibi veniam impetraverunt* facientes amicos sibi de mammona iniquitatis, *Luca 9.* —— Dici etiam potest, Christum posuisse exemplum de examine in Judicio faciendo de operibus misericordiæ, ut ex eo colligamus quale examen futurum sit de rebus gravioribus. Si enim qui res suas non communicaverunt egenis, damnandi sunt, multo magis, quia aliena rapuerunt: & si salvandi sunt qui panem esurienti dederunt, multo magis qui omnia pro Christo reliquerunt.

XXVIII. Movebantur secundo. Quia, *Matth. 5. vers. 8.* dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* ad cordis autem munditiem sufficere eleemosynam dicitur, Lucæ 11. vers. 41. *Quod superest date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.*

XXIX. Putat Sylvius in hunc artic. Christum ibi fugillare Pharisæos, quasi diceret: Vos cum sitis pleni rapina, & iniquitate, existimatis, propter eleemosynas vestras esse mundos, cum illas non detis ex affectu charitatis, sed ex appetitu laudis. Verius tamen cum eodem dicendum est, sermonem Christi serium esse, ac hortatorium hoc sensu, ea quæ restitutis injuste ablatis, de justis facultatibus supersunt convertite in eleemosynam ex charitatis affectu, *& ecce omnia munda sunt vobis.* Nimirum (ait Basilius in regulis brevioribus ad interrogat. 271.) *Omnia, quæ per rapinam, & defraudationem peccata committuntur;* proprium enim remedium, quo ad expianda peccata rapinæ disponimur, est facta alienorum restitutione distribuere in eleemosynas etiam de propriis, ut fecit Zachæus. Non tamen quasi sola eleemosyna sufficiat, sed conjunctis aliis quæ ad salutem sunt necessaria.

XXX. Movebantur tertio. Quia Tobiæ 4. vers. 11. *Eleemosyna ab omni peccato; & a morte liberat, & non patietur, animam ire in tenebras.* Et Ecclesiastici 3. vers. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.*

XXXI. Respondeo, eleemosynam liberare a morte, & resistere peccatis. Primo. Si supponat cætera non omitti, nempe, fidem, pœnitentiam, & charitatem, & in hoc sensu, *Daniel, cap. 4. vers. 24.* dixit Regi, *Peccata tua eleemosynis redime.* Secundo. Quia si eleemosyna fiat sicut facienda est, ex Dei amore, disponit hominem ad remissionem peccatorum etiam mortalium. Tertio. Quia cum sit satisfactoria liberat a pœnis. Quarto. Quia custodit a peccatis futuris, in quantum Dei gratiam, & auxilium promeretur. Quinto. Quia per preces pauperum, quibus fit eleemosyna, obtinetur interdum vera conversio, & salus.

XXXII. Movebantur quarto. Quia *Jacobi 2. vers. 13.* dicitur: *Judicium sine misericordia* fiet illi *qui non fecit misericordiam.* E contrario autem, Matth. 5. vers. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

XXXIII. Respondet Sanct. Thom. dicto *artic. 5. ad 1.* Quod *illi misericordiam consequentur, qui misericordiam ordinate impendunt: Non autem misericordiam ordinate impendunt, qui se ipsos in miserendo negligunt, sed magis se impugnant male agendo.* Et *ideo tales misericordiam penitus absolventem non consequentur: etsi consequentur misericordiam de pœnis debitis aliquid relaxantem.*

XXXIV. Adverto demum, quod cum Sanctus Jacobus dicit, loco citato: *Superexaltat autem misericordia judicium*, facit sensum, quod qui ordinate misericordiam fecit, superior, & gloriosus erit in Judicio —— Similiter cum Christus, *Matth. 6. vers. 15.* dicit: *Si enim dimiseritis, dimittet & vobis Pater vester.* Vel ut ait Sanct. Thom. *loquitur de illis, qui petunt sibi debitum relaxari, non autem de illis, qui in peccato persistunt.* Vel non declaravit, quid ad remissionem peccati sufficiat: sed quid requiratur: nisi enim remiserimus fratri in nos peccanti, non consequemur a Deo nostrorum peccatorum remissionem.

DUBIUM III.

An in Inferno sit aliqua Pœnarum mitigatio, & an damnatio puniatur infra Condignum?

§. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. DIco. In pœnis damnatorum nulla requies, aut intermissio, sive mitigatio erit. Est contra aliquos antiquos Theologos, certa tamen assertio, adeo ut censeatur fidei proxima. Colligitur enim ex Apocal. 14. vers. 11. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam.* Et aperte ex illo, Lucæ 16. vers. 24. ubi cum dives damnatus rogasset: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Repulsam passus fuit his verbis, *recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Cumque rogasset etiam, ut eum mitteret in domum Patris sui, & moneret fratres suos, ne in eum locum tormentorum venirent, neque hoc qualecumque refrigerium valuit obtinere.

II. Probatur etiam primo. Quia pœna damni, quæ est potissima pœnarum inferni, nunquam vel intermittetur, vel minuetur. Secundo. Quia in damnatis nihil dimittetur de culpa: ergo nihil etiam dimittetur de pœna: Deus enim nihil relinquit inordinatum, culpa autem non potest ordinari nisi per pœnam ei correspondentem.

III. Hinc sequitur, damnatos vivorum, aut Ecclesiæ precibus non posse vel in minimo juvari, immo nec vivos, nec Ecclesiam debere orare, ut eorum pœnæ mitigentur eadem ratione, qua *Dub. præced.* ostendimus §. 2. *num. 12.* nec debere orare pro eorum liberatione a pœnis, & ratio est. Quia suffragia vivorum in tantum possunt mortuis prodesse, in quantum sunt membra ejusdem corporis Christi mystici, & proinde capacia percipiendi misericordiam per Christi merita, & fructum passionis ejus: Sed damnati sunt prorsus extra corpus mysticum Christi; & incapaces percipiendi fructum passionis ejus, qua sola possent juvari; ergo &c.

IV. Sed dices primo. Peccata venialia damnatorum non punientur in æternum, ergo saltem quoad ista pœna damnatorum minuetur, cum desinent pro istis puniri. Idem videtur dicendum de pœna pro mortalibus in hac vita quoad culpam remissis.

V. Utrique parti hujus objectionis satisfecimus, *Tom. 2. in 1. 2. Quæst. 7. de effectibus peccati actualis. Dub. 4. ubi* §. 1. diximus, quod peccatum veniale non remissum quoad culpam in hac vita, & conjunctum cum mortali per accidens punietur in Inferno pœna æterna, quamvis ex se pœna tantum temporali puniendum esset. Unde ad præfatæ instantiæ primam partem negandum est antec. §. *autem* 2. diximus, valde probabile esse, quod peccatum sive mortale, sive veniale remissum quoad culpam in hac vita non punietur in inferno pœna æterna, sed temporali tantum. Unde ad hanc secundam objectionis partem concedendum est antec. nec sequitur damnatorum pœnam aliquando minui, vel mitigari. Nam, ut docet Sanct. Thom. in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 1. ad 5. *pœna quæ solvitur, non redimitur*, nec dicitur mitigari, quia pœna dum est soluta, suapte natura cessat, nec est amplius debita. Videantur dicta citato loco pro utraque parte, & responsiones ad contraria fundamenta.

VI. Di-

VI. Dices ſecundo. Prudentius in Hymno ad incenſum cæcinit.

Sunt ex ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feria
Illa nocte (ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſupernos ex Acheronticis) &c.

Videntur ergo damnati ferias a pœnis, ſeu pœnarum mitigationem obtinuiſſe ſaltem quando Chriſtus deſcendit ad inferos, vel etiam poſt.

Rurſus S. Auguſtinus *in Enchirid. cap.* 110. dicit, ſuffragia quibuſdam prodeſſe, *ut eis tolerabilior fiat ipſa damnatio*.

VII. Reſpondetur, Prudentium ibi, vel intellexiſſe de damnatis Purgatorii pœnis, quod in Chriſti deſcenſu ad inferos aliquod levamen ſenſiſſe non diffitemur: non autem de damnatis inferni pœnis, ad quos Chriſtum perſonaliter non deſcendiſſe ſupra oſtendi. Eos autem vocare, *Nocentes*, quia ibi detinentur propter noxas, quas in hac vita admiſerunt. Locum autem vocare *ſtygem* lato modo quia locum inferum. Vel ſi de damnatis in inferno locutus fuit, dicendum eſt, eum poetice locutum, & in hoc exceſſiſſe.

S. Auguſtinus autem ibi non loquitur de damnatione æterna, ſed de damnatione large ſumpta, etiam pro punitione temporali in Purgatorio. De quo locuti ſumus, *ſupra in tract. de ſacrificio Miſſæ q. 2. Dub. 3. §. 1. a n. 3.* quo Studioſum remitto.

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

VIII. Dico. Probabilius videtur Damnatos non puniri infra condignum. Ad ita ſentiendum moveor primo. Quia *Apocal. 18. v. 7.* dicitur: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum:* Non daretur autem tantum, quantum meruit, ſi daretur minus, hoc eſt, infra condignum. Secundo. Qui a judice mittitur in carcerem, aſſeritur, *Matth. 5. v. 26.* non exiturus inde, *donec reddat noviſſimum quadrantem*: ideſt donec pœnas debitas exactiſſime luat, ideſt æternas: *Quia* (inquit Auguſtin. l. 1. de ſermon. Domini in monte, cap. 11.) *ſemper ſolvit noviſſimum quadrantem, dum ſempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit.* Tertio. Quia *Rom. 2. v. 6.* Deus *reddet unicuique ſecundum opera ſua*, vel vitam æternam, vel iram, & indignationem: non redderet autem ſecundum opera ſua, ſi puniret infra condignum, ſicut nec ſi præmiaret infra meritum. Quarto. Jacobi 2. v. 13. *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Quibus inſinuatur, par pro pari reddendum, ut nullam experturus ſit miſericordiam, qui nullam fecit miſericordiam.

IX. Ratio autem accedit. Tum quia nihil pœnæ remittitur, niſi aliquid tollatur de culpa: in damnatis autem nihil de culpa tollitur. Tum quia remiſſio ſeu mitigatio pœnæ fit per meritum Chriſti, hujus autem tam Dæmones, quam damnati incapaces ſunt.

X. Favent Hieronymus, & Auguſtinus. S. Hieronymus in fine libri 2. ſuper Ezechielem. *Peccatoribus* (inquit) *reddit Deus juxta vias ſuas, ut teneat judicis veritatem. Cæterum in ſanctis excedit modum clementia.* S. Auguſtin. *in Pſalm.* 105. ubi referens oppoſitam opinionem, ait: *Niſi forte quis audeat dicere, etiam his qui damnantur cum Diabolo, & Angelis ejus, aliquam miſericordiam Dei minime defuturam, non qua ex illa damnatione liberentur, ſed ut eis aliquatenus mitigetur: atque ita æternam poſſe intelligi Dei miſericordiam ſuper illorum æternam miſeriam.* Quibus proponit eam opinionem tamquam non ſuam, dum ait: *Niſi forte quis audeat dicere.* Et *lib. 21. de Civitate Dei, cap. 24.* eamdem referens opinionem, ut *Dub. præc. §. 2. num. 13.* videre quis poterit, concludit: *Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non reſiſto.* Probabilius ergo judicavit Auguſtinus, damnatos pœna meritis condigna abſque miſericordia eſſe puniendos.

XI. Nec contrarius eſt Sanctus Thomas. Nam quamvis 1. *part. quæſt. 21. artic. 4. ad 1.* videatur aſſerere, damnatos puniri citra condignum. Tamen dubitanter ſe loqui indicat tum *quæſt. 99. Supplem. artic. 2. ad 1.* dum ait: *Tamen poteſt dici quod etiam in eis* (damnatis) *miſericordia locum habet, in quantum citra condignum puniuntur.* Et quæſt. 94. Supplem. art. 2. ad 2. *Non quod damnatorum miſereatur, niſi forte puniendo citra condignum.* Illa autem verba *Poteſt dici, & niſi forte*, aperte oſtendunt, Sanct. Thomam ſecutum S. Auguſtinum, eam opinionem non rejeciſſe quidem, ſed neque ei fortiter ut probabiliori adhæſiſſe.

XII. Contrariæ opinionis Patroni Scripturæ teſtimoniis ſe munire conantur Primo. Quia in omnibus operibus Dei invenitur miſericordia, & juſtitia. Juxta illud Pſalm. 24. verſ. 10. *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Unde S. Leo, *Sermon. 1. de jejunio decimi menſis* dicit, quod in ejus operibus atque judiciis nihil vacat a veritate juſtitiæ, nihil a miſeratione clementiæ.

Secundo. *Pſalm. 76. v. 10.* Deus *non continebit in ira ſua miſericordias ſuas.* Et Pſal. 144. v. 9. *Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, & Sap. 11. v. 14. *Deus omnium miſeretur.*

Tertio. Sap. 6. v. 7. *Exiguis conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.*

XIII. Ad primum ergo reſponderi poteſt, in omnibus Dei operibus inveniri Juſtitiam, & etiam miſericordiam, quatenus (ut docet S. Thom. 1. part. quæſt. 21. artic. 4.) *miſericordia pro remotione cujuſcumque defectus accipitur.* Et in hoc apparet miſericordia etiam erga damnatos: Nam hoc ipſum quod eos non finit cadere in nihilum, ſed conſervat in eſſe pertinet ad miſericordiam generaliter ſumptam, & dici poteſt, eos punire citra condignum. —— Id autem quod dicitur ex *Pſalmo* 24. apparet referri ad ſolos pios, & electos: ſequitur enim *requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus.* Quaſi diceret, omnes operationes Dei ſunt plenæ miſericordia, & veritate erga pios legem ejus requirentes, & cum illis agit Deus miſericorditer, & fideliter. Et de his loquitur etiam S. Leo, quos hic afflictionibus corrigit, & probat.

XIV. Ad ſecundum, dico, verſum *Pſalm. 26.* loqui de hominibus in hoc mundo exiſtentibus, quos dum iratus punit, miſericordiæ recordatur, quia punit eos ad pœnitentiam. —— Idem dico ad verſum *Pſalmi* 144. ſuper quæ verba Auguſtinus. *Quare ergo damnat, quare flagellat? An quos damnat, quos flagellat non ſunt opera ejus? Plane operis ejus. Et vis noſſe, quia.* Super omnia opera ejus miſerationes ejus? *Inde eſt illa longanimitas, qua facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Nonne* miſerationes ejus in omnia opera ejus, *qui pluit ſuper juſtos, & injuſtos? Nonne* miſerationes ejus, ſuper omnia opera ejus? *Longanimis expectat peccatorem dicens, convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Nonne* miſerationes ejus, ſuper omnia opera ejus.

Et cum dicit: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus: *Hic non miſeratio ejus. Sed ſeveritas ejus. Miſeratio ejus reddita eſt operibus ejus: Severitas ejus eſt, non in opera ſua, ſed in opera tua. Denique ſi tollas opera tua mala, & non in te remaneat niſi opus ejus, non te dimittet miſeratio ejus: Si autem tu non dimittis opera tua, erit ſeveritas ejus in opera tua, non in opera ſua.* Quam acute, & ad rem S. Auguſtinus!

Ad verſum ex *Sap.* 11. Reſpondeo cum S. Thom. *in cap. 11. ad Rom. Lect.* 4. Quod hoc non eſt extendendum ad Dæmones, nec *ad omnes homines ſigillatim, ſed ad omnia genera hominum: Fit enim hic diſtributio pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum.*

XV. Ad tertium ex *Sap. 6.* dico quod *Miſericordia* ibi ſumitur pro pœna leviori, quæ licet adæquate reſpondeat peccato ejus, qui punitur, eſt tamen minor ea, quam patiuntur potentes.

XVI. Arguunt inſuper. Primo. Videtur fieri non poſſe, ut Deus puniat peccatum ad condignum, quia malum pœnæ nunquam adæquatur malo culpæ ſumpto ſive in ratione malitiæ, ſive in ratione offenſæ, in qua eſt infinitum.

Secundo. Deus remunerat ſanctos ultra condignum; ergo punit damnatos infra condignum.

XVII. Reſpondeo ad primum neg. ant. Alioquin Deus ſuæ juſtitiæ non poſſet perfecte ſatisfacere. Ut ergo pœna adæquetur culpæ, & eam exacte puniat, ſatis eſt ut peccatum puniat quantum meruit. Meruit autem ratione averſionis a Deo, ut privaretur Deo bono infinito, & hoc impletur per pœnam damni. Meruit vero ratione converſionis ad creaturam, ut poſitive torqueretur, & hoc ad menſuram culpæ explet pœna ſenſus juxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

XVIII. Ad ſecundum, nego conſ. Nam ut electi poſſint remunerari ſupra condignum eſt ex virtute paſſionis Chriſti, quæ ad eos extenditur: non extenditur autem ad damnatos, ut accipiant beneficium minoris punitionis, quam ſint promeriti. Cæterum Beatos remunerari ſupra condignum indicat illud Domini Lucæ 6. verſ. 38. *Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Indicat & Chryſoſtomus, *Homil. 1. ad Pop. Antioch.* ubi fuſe oſtendens quantum tribulationes mundi hujus ad ampliorem gloriam conferant. *Quantum enim* (inquit) *tribulationes intenduntur, tantum, & retributiones ampliantur, immo vero, & multo plus*, non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Clare autem tradit Sanct. Hieron. *loco & verbis ſupra relatis ex commentar. ſuper Ezech.* Quibus robur addit Sanctus Pius Quintus qui inter articulos Baji hunc *ordine* 14. condemnavit: *Opera bona juſtorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio meærentur accipere.* Quibus viſus eſt ſtatuere Beatos in gloria cæleſti recipere mercedem ſupra condignum. Cæterum damnatos puniri citra condignum, etſi non aſſeram, tamen ſequens SS. Auguſtinum, & Thomam, non nego, ſed cuique liberum relinquo.

Hic

Hic præsentis tractatus, & totius Theologiæ Scholastico Dogmaticæ finis. Concludam igitur iisdem verbis, quibus Lactantius suos clausit divinarum institutionum libros. *Deseratur (si fieri potest) via perditionis, & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperata celatur. Et quanto quisque annis in senectutem vergentibus appropinquare cernit illum diem, quo sit ei ex hac vita migrandum, cogitet, quam purus abscedat, quam innocens ad judicium veniat .... Qua ex voragine liberet se quisque dum licet, dum facultas adest, seque ad Deum tota mente convertat, ut illum diem securus expectet, quo Præses, Dominusque mundi Deus de singulorum factis, cogitationibusque judicabit; quæcumque hic expetuntur, non tantum negligat, sed, & fugiat, potioremque animam suam judicet, quam bona ista fallacia, quorum incerta, & caduca possessio est .... Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene atque innocenter actam. Ille ad Deum copiosus atque opulentus adveniet, cui adstabunt Continentia, Misericordia, Patientia, Charitas, Fides. Hæc est hæreditas nostra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alium potest &c.* Hoc monitum mihi, Lectoribusque meis relinquo. Cedant hi mei labores ad majorem Dei gloriam, cujus gratia, licet tot curis distractus, opus hoc perficere potui. Cedat in Angelici Præceptoris doctrinæ incrementum, & Discipulorum ejus utilitatem, ac profectum.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM

Quæ in hoc Tertio Tomo continentur.

A

A Bates nequeunt de poteſtate ordinaria indulgentias concedere, 403
Abbates quidam poſſunt conferre ſubditis ſuis minores. 432. 433
Abſolutio Sacramentalis a peccatis in quibus verbis eſſentialiter conſiſtat. 377. Quando, & quomodo poſſit dari conditionate. *ibid.* Vide *Forma*.
Abſolutio in ſcriptis data eſt nulla. 379. Nequit dari abſenti. *ibid.*
Abſolutio a cenſuris a quo debeat, & poſſit fieri. 392. 393
Accidentia vera, & realia phyſica panis, & vini remanent in Euchariſtia, facta conſecratione. 296. Omnia ſcilicet quæ afficiebant ſubſtantiam panis, & vini. 297. Manent ſine ſubjecto ſubſtantiali. *ibid.* Sunt in quantitate ſicut in ſubjecto. *ibidem*. Accidentia Euchariſtica poſſunt corrumpi; & ex ipſis aliquid generari. 298. Vere nutriunt. *ibid.*
Acolythus quid ſignificet. 467. Acolythi officia quænam. *ibid.*
Actio vitalis eſſentialiter pendet a principio vitali cujus, & a quo eſt. 83
Actiones Chriſti Teandricæ quæ dicuntur. 28. 29.
Adam cognovit Incarnationem, non vero proximum ejus motivum. 35. Ante peccatum non habuit gratiam ex meritis Chriſti. *ibidem*. In ſui conditione fuerunt ipſi infuſæ omnes ſcientiæ naturales. 89. Innocens non habuit fidem ex meritis Chriſti. 373
Admiratio, quæ fuerit in Chriſto. 53. Contigit quatuor modis. *ibid.*
Adoratio latriæ debetur Euchariſtiæ. 300
Adulti habentes, vel qui habuerunt uſum rationis, debent in ſuſcipiendo ſacramento habere aliquam intentionem illud ſuſcipiendi. 181. 182. Non ſufficit ad valide recipienda Sacramenta, ut mere negative, & indifferenter ſe habeant. 183. Indigent Baptiſmo ſive in re, ſive in voto, ut ſalventur. 223. Tenentur Baptiſmum ſuſcipere ſtatim, ac poſſunt commode, licet ex rationabili cauſa poſſint illum differre. 224
Aerius inter hæreticos deputatus, quod orationes negavit pro defunctis. 541. 542
Æthiopes cur adhuc ſervent Circumciſionem. 142
Affinitas. Vide *Impedimenta matrimonii*.
Agapæ quid eſſent apud veteres. 310
Alteritas requiſita ad ſatisfactionem, quænam ſit. 27
Amentes qui, & quando ſint baptizandi. 231. Confirmandi. 255.
Amentes quando poſſint communicare. 307
Amor Dei ſuper omnia, & charitatis jungi non poteſt, ſive remiſſus, ſive intenſus, cum peccato mortali. 430
Angeli boni per revelationem cognoverunt Incarnationis Myſterium jam peractum, etiam ante Chriſti mortem. 15. 16. Non fuerunt juſtificati ex fide in Chriſtum, nec gloriam conſecuti ex meritis ejus. 123
Angeli facultate extraordinaria accepta a Chriſto fieri poſſunt Miniſtri Sacramentorum. 167
Angeli quid agent in generali reſurrectione. 620. Cineres colligent naturali virtute, non ſic autem cineres diſponent in organizationem humani corporis, ſed hoc efficient ſupernaturali virtute. *ibid.* Ad reunionem animæ corpori, ſicut nec ad glorificationem corporis neque miniſterialiter concurrent. *ibidem*. Mortuos jam ſuſcitatos congregabunt ante tribunal Chriſti, non ſolum electos, ſed etiam reprobos. *ibidem*.
Angelus nequit naturaliter cognoſcere poſſibilitatem Incarnationis. 4. 5. Neque ullus eorum naturaliter cognovit Incarnationis exiſtentiam. 14. 15
Anima Chriſti non potuit intelligere, & ſcire intellectione, & ſcientia increata. 83. Eo tempore, quo unita fuit corpori mortali, videbat Deum intuitive. 84. Etiam initio conceptionis Chriſti. *ibidem*. In eodem initio ipſi fuerunt infuſæ virtutes morales, ex ſuo genere acquiſibiles. 90. Acquiſivit ſibi ſcientiam non ſtudio, & diſciplina, ſed per inventionem. *ibidem*. Anima Chriſti nec comprehendit, nec potuit comprehendere divinam eſſentiam per ſcientiam beatam. *ibidem*. Cognovit per eamdem ſcientiam omnia divina decreta circa res, quæ ſunt, fuerunt, & erunt. 92. Res etiam ipſas, per talia decreta diſpoſitas, plene ac ſimul cognovit. *ibidem*. Vide *Scientia*
Anima Chriſti uti poterat ſcientia infuſa ſine vel cum converſione ad phantaſmata. 89. Vide *Gratia*.
Anima Chriſti fuit ſancta ſanctitate ſubſtantiali, & accidentali. 101. Fuit ſanctificata per unionem hypoſtaticam cum Verbo, formaliter etiam, & intrinſece. 103. Cur per omnipotentiam, æternitatem non conſtituatur formaliter omnipotens, æterna. 103. 104. Anima Chriſti ſanctificatur formaliter natura divina, ut a forma, a Verbo ut communicante ſanctitatem. 105
Anima Chriſti non fuit in loco Inferni damnatorum per operationem. 533
Animabus purgantibus procedente tempore, pœnas paulatim minui incertum eſt. 546
Animæ Purgatorii quibus modis a vivis juvari poſſint. 332. 333. Iiſdem proſunt indulgentiæ. 405. Non per modum abſolutionis, ſed ſuffragii. 405. 406
Animæ corporibus exutæ ad aliquem locum adducuntur. 529.
Animæ in Purgatorio detentæ nec a malis, nec a bonis ſpiritibus torquebuntur. 545. Aliquorum animæ multis annis in Purgatorio detinentur. 546
Animæ in Purgatorio detentæ certæ ſunt, & ſecuræ de ſua ſalute. 547
Animæ mortuorum ſine revelatione non acquirunt novam cognitionem rerum ad hanc vitam pertinentium. 548. In animabus Purgatorii ſalvatur ſpes cum certitudine ſalutis. *ib.* Animæ in Purgatorio non invite patiuntur, ſed voluntarie. 549. Probabile eſt ſeipſas juvare per modum impetrationis Deum orando. 550. Item probabile eas orare pro viventibus. *ibid.*
Animas omnes, neque ex ſpeciali privilegio, fuiſſe a Purgatorio per deſcenſum Chriſti eductas, probabilius eſt; oppoſitum tamen non eſt improbabile. 537
Antichriſtus. Nomen hoc non ſignificat Chriſti Vicarium ut volunt hæretici, ſed Chriſti æmulum; & hoſtem. 591. Certus quidam Homo erit, non autem regnum tyrannicum aut monarchia apoſtatica, hocque probatur ex Scriptura, & patribus. 592. De tempore adventus ejus ſententiæ, & errores etiam Catholicorum. 593. Veritas Catholica de tempore adventus ejus, & ſigna ipſum præcedentia, concomitantia, & ſequentia. 594. Hæreticorum mendacia contra hanc veritatem deteguntur. *ibid.* Quomodo Antichriſti nomen numerum 666. contineat pag. 590. Quid, erroneum quid probabile, quidve certum tenendum ſit circa Antichriſti ortum. 508. Antichriſti patria an & cur Babylon Chaldaica. 597. Ejuſdem educatio, ingenium, mores. 598. Ejus doctrina & apparentia miracula. 600. Angeli cuſtodia non privabitur, nec ab eo ob impietatem erit penitus deſerendus. *ibidem*. Antichriſti aſcenſus ad Regnum, ejus ſedes ab initio in Babylone Chaldaica, & tandem Jeroſolymis, non Romæ. 600. 601. Antichriſti perſecutio omnium maxima. 602. Non tamen omnes fideles a fide avertet. *ib.* Eccleſia tunc in ſecretis locis verum Deum colet eique Miſſæ Sacrificium offeret, aliaque fidei exercitia peraget. *ibid.* Antichriſti miniſter præcipuus erit, Gog, Princeps Provinciæ, ſeu regni Magog. *ibid.* Ejus perſecutionis tempore, & Henoch, & Elias, qui adhuc vivunt, advenient, & Antichriſto ſe opponent. 603. Præter Henoc, & Eliam nullus alius præcedet Chriſti ſecundum adventum, non Moyſes, neque Joannes Evangeliſta. 604. Henoc, & Eliæ apparitio, modus, habitus, arma, tempus prædicationis eorum, prædicationis fructus, mors, reſurrectio. 606. Antichriſti *Regnum* tribus annis, & menſibus ſex duraturum, & unde auſpicandum hoc tempus. *ibidem*. Ejus mors, juxta Danielem, Apocalypſim, & Paulum, & quomodo hi tres concilientur. 607. 608. Circa Antichriſti mortem ſententia Comeſtoris. *ibidem*. Antichriſti morte ad finem mundi quodnam tempus ſupererit. 608. 609
Antiqui Patres non meruerunt de condigno Incarnationem. 33. Nec de congruo, quoad ejus ſubſtantiam. *ibidem*. Meruerunt de congruo aliquas circumſtantias Incarnationis. *ib.*
Apoſtoli ante Chriſti mortem baptizabant Baptiſmo Chriſti. 207. 208. Fuerunt baptizati eodem Baptiſmo. 208. Quovis in loco baptizabant. 236. Per manus impoſitionem dabant Spiritum Sanctum. 241. 242.
Approbatio Epiſcopi eſt neceſſaria ad hoc, ut Sacerdos habeat poteſtatem juriſdictionis. 375
Aqua quælibet naturalis, etſi aliquomodo alterata, ſive natura, ſive arte, alteratione non ſolvente ſpeciem aquæ, eſt apta materia Baptiſmi. 193. 194
Aqua miſceri debet vino conſecrando. 272. Et quidem naturalis. 273. Et permodica. *ibidem*. Non ex neceſſitate ſacramenti. *ibidem*. Non ex præcepto Divino, ſed Eccleſiaſtico. 274. Aqua mixta vino, per conſecrationem, convertitur in Sanguinem Chriſti. *ibidem*. Et probabilius non immediate, ſed mediate. *ibidem*.
Aſiatici, uſque ad Victorem Papam, cur obſervarunt ritum Judaicum in Paſchate celebrando. 142. 143
S. Athanaſius puer valide alios pueros baptizavit. 170
Attributa divinitatis, vi unionis hypoſtaticæ, communicant humanitati Chriſti in concreto, non in abſtracto, ſumptæ. 76. 77
Attritio ex metu gehennæ concepta eſt actus bonus, & laudabilis. 354. Attritio alia naturalis, alia ſupernaturalis. 355. Alia ex timore concepta ſerviliter operante, alia non ſerviliter operante. *ibidem*. Attritio, quæ requiritur ad percipiendum fructum Sacramenti Pœnitentiæ, non debet eſſe mere ſervilis. *ibidem*. Sed debet reſpicere ex parte objecti, finis, & termini amorem Dei. *ibidem*. Non tamen exigit, ut ex parte ſubjecti, & principii importet amorem Dei adhuc naſcentem, & imperfectum. *ibidem*.
Attritus quomodo magis deteſtetur pœnam, quam culpam. 359. Magis diligat Deum, quam ſe. *ibidem*.
Auctor cenſuræ quis. 389. 390
Audientes qui dicerentur ex Cathecumenis. 225
S. Auguſtinus docet, potuiſſe Deum uniri in unitate perſonæ humanæ naturæ. 1. Probat divinitatem Chriſti ex Lazari reſurrectione. 5. 6. Cur gens Judaica non fuerit, ob Deicidium, penitus deleta. 6. In Chriſti adventu defeciſſe a Judæorum Gente Regnum, ſceptrumque ablatum. 9. Exponit de Chriſto Va-

ſto Vaticinum primum Danielis, 10. Oſtendit, non decuiſſe, Deum incarnari ſtatim poſt Adæ peccatum. 13. 14. Omnes, qui ſalvati ſunt, etiam ab exordiis Mundi, id obtinuiſſe per Chriſtum, Diabolum a Chriſto juſtitia fuiſſe victum. 17. Incarnationem fuiſſe medium convientiſſimum ad hominem redimendum. 18. Beatiſſimam Virginem meruiſſe de congruo Dei maternitatem. 32. 33. Chriſtum non aliam ob cauſam veniſſe niſi ob hominum ſalutem. 34. Rejicit errorem Manichæi de carne Chriſti 38. 39. Aſſerit, Deum per Angelos ſolum apparuiſſe antiquis Patriarchis. 40. Chriſtum habuiſſe corpus corruptibile. 41. Impeccabilitatem, ratione unionis hypoſtaticæ. 57. Fuiſſe mediatorem, ratione humanæ naturæ. 58. Verum Filium naturalem Dei. 58. Chriſtum formaliter tantum eſſe terminum totalem productum per Incarnationem. 66. Chriſtum non eſſe ubique ſecundum humanitatem. 76. 77. Chriſti perſonam eſſe compoſitam. 78. 79. Non factam fuiſſe mixtionem naturarum in Chriſto. 80. Chriſtum habuiſſe gratiam habitualem. 100. Non fuiſſe Filium adoptivum Dei. 101. 102. Eccleſiam ſine ruga eſſe Triumphantem, non Militantem. 122. 123. Non eſſe diſtinguendam duplicem Eccleſiam, viſibilem, & inviſibilem, in qua ſint ſoli Electi. 123. Aſſerit, Chriſtum eſſe Mediatorem Dei, & hominum. 127. Ut homo eſt. *ibidem*. Non eſſe Mediatorem, ut Deum præciſum ab humanitate. 128. Omnes, qui quovis tempore ſalvantur, id conſequi per fidem in Chriſtum Mediatorem. 130

S. Auguſtinus docet, quid ſit Sacramentum. 135. Sacramenta diſcernere Chriſtianos a non Chriſtianis. 136. Non eſſe ſigna confirmativa divinarum promiſſionem, & atteſtativa noſtræ pietatis. *ibidem*. Tradit definitionem, & diviſionem ſigni. *ibidem*. 137. Differentiam ſacramentorum novæ, & veteris Legis. 137. Religionem Chriſtianam incœpiſſe ab initio mundi. 140. Parvulos mundatos fuiſſe in Lege naturæ ab originali per aliquod Sacramentum. *ibidem*. In Lege nova eſſe ſacramenta veteribus perfectiora. 141. 142. Aſſerit Sacramentum conſtare elemento, & verbo. 143. 144. Verbum ſacramentale eſſe conſecratorium. 146. Sacramenta noſtra cauſare gratiam. 153. Ex opere operato. *ibidem*. Secus Sacramenta vetera. 159. Circumciſionem figuraſſe renovationem faciendam per Baptiſmum. 160. Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem. 162. Characterem ineſſe animæ indelebiliter. 165. Chriſtum potuiſſe conferre Eccleſiæ poteſtatem inſtituendi ſacramenta, ſed non contulit. 166. Baptiſmum collatum ab ebrioſo valere. 169. Non requiri fidem in Miniſtro ad valorem ſacramenti. 171. 174. 175. Non requiri probitatem. 176. 177. Pravos miniſtros profanare ſacramenta ſolum ex parte ſua, non ex parte ſacramenti. 178. Licere ſacramenta recipere a malo Miniſtro in caſu neceſſitatis. 180. 181. Fidem non requiri ad valide ſuſcipiendum ſacramentum. 184. Eccleſiam potuiſſe pie, & juſte præſcribere ritus, & cæremonias in ſolemni adminiſtratione ſacramentorum. 185. Oſtendit, baptizatos a Joanne debuiſſe baptizari Baptiſmo Chriſti. 190. In Baptiſmo Deum, non hominem peccata dimittere. 196. Baptiſmum non valere ſine expreſſa invocatione Trinitatis. 197. 198. Docet Baptiſmum flaminis ſupplere vices Baptiſmi aquæ. 201. Martyrium ſupplere Baptiſmum. 203. Hæreticos, & Schiſmaticos, etſi moriantur pro dogmate, & articulo fidei, non eſſe Martyres. 197. Non eſſe orandum pro Martyre. 205. Chriſtum non baptizaſſe manibus ſuis. 208. Alium fuiſſe Baptiſmum Chriſti ab illo Joannis. *ibidem*. Apoſtolos fuiſſe baptizatos Baptiſmo Chriſti. 208. 209. Cenſet. Agrippinum primo induxiſſe rebaptizationem baptizatorum ab hæreticis. 214. Dubitavit, num Cyprianus ante mortem depoſuerunt errorem de rebaptizatione. 215. Cenſuit, rebaptizationem illam ad diſciplinam ſpectaſſe. 216. Ejus cauſam finitam fuiſſe in Concilio plenario. 217. Baptiſmum ab hæreticis datum, ſemper ab Eccleſia approbatum fuiſſe. *ibid.* Docet, Baptiſmum neceſſarium eſſe ad ſalutem parvulorum, neceſſitate medii. 221. 222. Adultos debere baptizari ſtatim, ac commode fieri poteſt. 223. 224. Peccatum originale dici alienum, & proprium uniuſcujuſque. 228. 229. Baptiſmum imprimere characterem. 231. Remittere vere omne peccatum. 236. Reviviſcere, recedente fictione, & remittere peccato, & gratiam producere. *ibid.* Admittit Confirmationem ut ſacramentum novæ Legis. 241. Chriſtum ut ejuſdem auctorem. 248. Validam eſſe collatam ab hæretico. 253. Confirmationem olim dari infantibus. 257. Conferre gratiam ſanctificantem. *ibid.*

S. Auguſtinus. Docet, aquam calicis per conſecrationem converti in Sanguinem Chriſti. 274. Euchariſtiam ſumendam eſſe a jejunis. 308. Sacrificium vocari omne opus bonum. 318. In ſacrificio Melchiſedech figuratum ſacrificium Euchariſtiæ. 319. Chriſtum in Caſtello Emaus conſecraſſe ſolum panem. 324. Sacrificium exterius ſignum eſſe interioris. 325. Eccleſiam conſueviſſe memoriam Martyrum facere in Miſſa. 329. Sed ſoli Deo ſacrificium offerre, & altaria erigere. 330. Orari poſſe ad altare pro infidelibus. 330. Miſſam non poſſe offerri pro damnatis. 331. Non eſſe orandum pro Sanctis, & Martyribus. 331. Sacrificiis, eleemoſynis, & rationibus mortuos adjuvari. 333. Sacrificium Miſſæ, antiquitus tertio die poſt obitum fuiſſe pro mortuis frequentatum. 334. Qua ratione Chriſtiani omnes dicantur Sacerdotes. 335. Sacerdotes malos valide conſecrare. 337. Docet, Eccleſiam habere poteſtatem remittendis omnia peccata. 341. 342. Admittit Sacramentum Pœnitentiæ diſtinctum a Baptiſmo. 344. Approbat tamquam laudabilem attritionem conceptam ex metu gehennæ. 354. 355. 356. Amorem Dei ſuper omnia, & charitatis non poſſe ſtare cum peccato mortali. 359. Cathecumenos in extremis conſtitutos, etiamſi petere non poſſint, vel reſpondere, eſſe baptizandos, 371. Pœnitentiæ ritum ſervandum a Cathecumeni, antequam baptizentur deſcribit. 382. Aſſerit, ſolum confeſſos, & convictos peccatores adjici poſſe pœnitentiæ publicæ. 383. Qui non ſint cogendi ad pœnitentiam publicam. *ib.* 384. Sola peccata publica ſubjici pœnitentiæ publicæ. 385. Quando abſtinendum ſit prudenter a ferenda cenſura. 389

S. Auguſtinus. Præſertim quatuor Sacramenta prædicat novæ legis. 410. Sacrum Ordinem eſſe Sacramentum æque ac Baptiſmum. 426. 427. Approbat decretum de non reordinandis iis, qui ab hæreticis ordinati ſunt. 429. Docet, Matrimonium, & nuptias de ſe eſſe bona. 469. 470. Matrimonium quando fuerit in præcepto, pro omnibus, quando non. 471. 472. Inter fideles eſſe Sacramentum. 473. Ideo Sacramentum quia nullum divortium. 477. Omne Nuptiarum bonum impletum eſſe in parentibus Chriſti. 479. Inculpabilem conſuetudinem fuiſſe habendi plures uxores. 493. Deſcendit Abraham in hoc? item & Jacob. *ibid.* Docet alia eſſe peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. *ibid.* Cur præceptum fuerit dari libellum repudii. 498. Quando expediat conjugem ad fidem converſum, ab infideli conjuge diſcedere. 501. 502. Docet omnes mœchari, qui uxore dimiſſa, alteram dicunt. 503. Minorem tamen eſſe Mœchationem eorum, qui propter fornicationem, priorem dimittunt, & aliam ducunt, quam eorum, qui non propter fornicationem. *ib.* Mulierem nullius poſterioris viri eſſe uxorem, niſi mortuo priori. 503. 504. Mulierem poſſe a viro fornicante diſcedere, non tamen alteri nubere. 504. Maritum debere ignoſcere uxori adulterii crimen, ſi eam pœnituiſſe cognoſcat. 505. Si eam adulterii non pœniteat debet dimittere. *ibid.* Docet votum impedire nuptias. 515. Item lapſus a caſtitate promiſſa, adulteriis eſſe pejores. 516. Conſobrinorum conjugia ante fuiſſe licita, deinde honeſtius ſuo tempore prohibita. 519. Fidelium cum infidelibus conjugia ambiguum eſſe an ſint licita. 522

D. Auguſtinus docet quod Abraham eſt primus credentium; Et ideo requies hominum poſt mortem ſinus Abrahæ dicitur. 529. Item, antiquos Sanctos qui fidem Chriſti venturi tenuerunt, apud inferos fuiſſe, non tamen in tormentis. *ib.* Nullum niſi infidelem negare poſſe, fuiſſe Chriſtum apud inferos. 531. 532. Chriſtum apud inferos fuiſſe ſecundum animam. 532. Chriſtum ad inferna deſcendiſſe propter quorundam ſolvenda vincula peccatorum. 537. A veſpera ſepulturæ Chriſti ad ejus reſurrectionem triginta ſex horas fuiſſe. 537. 538. Temporarias pœnas aliquos poſt mortem pati. 539. 540. De Purgatorio non dubitavit, neque illud negavit, 541. 542. *ib.* Temporarias pœnas dimiſſas culpa in hac vita adhuc infligi in utilitatem. 543. Corporali igne poſſe ſpiritus affligi. 545. Quare punitio hujus ſæculi a Davide vocatur Ira. *ibid.* Quomodo intelligendus ſit quando videtur ſentire defunctos aliquos dubios manere de ſua ſalute. 547. 548. Beatis vivorum orationes non prodeſſe, & quare. 550. Corpora mortuorum non eſſe contemnenda. 554. 555. Animas piorum mortuorum ab Eccleſia non ſeparari. 562. Sancti quomodo invocandi. *ib.* Terram Sanctam de Chriſti ſepulchro ſibi datam a quodam, ibi infodit, ubi orationis locus factus eſt, & ſtatim miraculum patratum. 579. Signum Crucis a fidelibus formatum laudibus extollit. 580. Etiam a malis Chriſtianis, & infidelibus uſurpatum virtutem habere. *ibid.* Sacrarum Reliquiarum virtutem oſtendit. 581. Quomodo intelligenda ſint verba Chriſti tunc veniet conſummatio. 591. Poſſibile docet Hominem oriri ex femina, & diabolo incubo miniſtrante ſemen a viro acceptum in vas feminæ. 596. Ubi vivant Henoch, & Elias, ponit inter quæſtiones, in quibus, ſalva fide, ſententiam ſuſpendere poſſumus. 604. Tempus aſſignat, quo Antichriſti regnum eſt duraturum. 607. Conflagratione ignis Mundum periturum. 410. Opinari videtur Mundi conflagrationem ſubſecuturam eſſe finale Judicium. *ib.* Sed præceſſuram docet. 611. Incertitudinem docet ultimæ ætatis humani generis. 621. Conjecturam mentis humanæ ad verum pervenire aliquando, aliquando falli. 622. Quando erit noviſſima Antichriſti perſecutio, importune omnino quæri, *ibid.* Omnes, qui vivi reperientur in adventu Judicis, prius morituros, & quamvis alibi oppoſitum docuerit, retractavit. 624. Identitatem docet corporis reſumendi in reſurrectione, licet alibi duriuſcule locutus fuiſſe videatur. 626. 627. Difficultatem reſolvit de comedentibus humanas carnes. 627. Capilli, & ungues quomodo redibunt in reſurrectione. 629. Nec ultra, nec infra juvenilem formam corpora reſurrectura. 542. Idem de reprobis affirmat. *ib.* Qua ſtatura reſurgent ſenes, & infantes. 631. Docet, & probat unumquemque in ſua reſurrecturum. *ib.* Explicat quomodo damnati dolorem pati poſſint, mori non poſſint. 624. 625. Docet Filium hominis judicaturus eſſe non ex humana, ſed ex divina poteſtate. 640. Bonos & malos viſuros eſſe Judicem, diverſimode tamen. *ib.* Chriſtum Judicem futurum eſſe teſtem velocem, & quomodo. 644. Quinam ſint libri aperiendi in Judicio. *ib.* Tempus per quod extendendum ſit Judicium. *ib.* Quare dies ille proprie vocetur dies Judicii. *ib.* parvulos etiam coram Judice ſiſtendos, & recepturos bonum, vel malum, prout geſſerunt per alios. 645. Quid per libros, qui in Apocalypſi dicuntur aperti, intelligatur. 646. 647. Quare Mundus poſt univerſale Judicium ſit innovandus. 653. Improbat Pelagium aſſerentem ſe ſcire quo non eant parvuli ſine Baptiſmo morientes, & neſcire quo eant. 656. 657. Tales a ſalute, & lumine eſſe alienos, & in perditiones, & tenebris remanſuros. 658. Juſtos gaudere de impiorum pœnis. 659. 660. Inferni exiſtentiam ſtatuit. *ib.* Ejus locum in inferioribus terræ partibus. 662. Quomodo intelligenda verba Geneſ. 3. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. *ib.* Credibilius eſſe vermem damnatorum tropicem ad animum referri. 663. Juſtum eſſe defendit impios æterna pœna puniri, exemplo humanarum legum. 667. 668. Æternitatem pœnarum docet reſpectu Angelorum, & hominum. *ib.*

B

Baptismus imprimit characterem. 162. Baptismi Christi figuræ. 189. Baptismus Joannis in multis essentialiter diversus erat a Baptismo Christi. *ibidem*. Baptismi materia remota, & necessaria quænam sit. 191. Proxima. 193. Baptismus validus est sive collatus per unam, vel trinam immersionem; sive per effusionem, sive per aspersionem. 194. Valet collatus in aqua marina. *ibidem*. In aqua cui admixtum sit Chrisma. *ibid.* In lixivio, & aquis balneorum. *ib.* In aqua pluviali. *ibid.* Non autem valet, in aqua rosacea. *ibidem*. Baptismus valet collatus forma a Græcis adhibita. 196. Requirit necessario ad sui validitatem expressam trium divinarum Personarum invocationem. 197. 198.

Baptismus, probabile est quod aliquando fuerit collatus in solo nomine Christi. 199. Probabile etiam est, quod nunquam fuerit sic collatus. 200. Baptismus non valet collatus in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati. *ibidem*. Nec collatus in nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti. *ibidem*. Nec dicendo: In nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti. *ibid.* Baptismus semel licite, & valide collatus non potest iterari. 201. Absque gravi peccato tum baptizati, tum baptizantis scienter tamen. *ibid.* 202

Baptismus dividitur in Baptismum Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. *ibid.* Baptismus Flaminis supplet Baptismum Fluminis. *ibid.* Baptismus non fuit institutus priusquam Christus a Joanne baptizaretur. 208. Bene vero ante Christi mortem. *ibidem*. Quando nempe Christus baptizatus fuit. 209. Baptismus eo tempore, quo institutus, obligavit. *ibid.* Non cœpit obligare ante Passionem, & Resurrectionem. *ibidem*. Probabilius cœpit obligare post statim Resurrectionem. 210. Baptismi Minister ordinarius, & Solemnitatis primo est Episcopus. 211. Est etiam presbyter. *ibidem*. Secus Diaconus. 212. Baptismus potest in casu necessitatis valide, & licite ministrari a laico, tum masculo tum femina. *ibid.* Baptismus ab hæreticis, verbis tamen Evangelicis datus semper ab Ecclesia universali validus, & ratus habitus est. 218. Baptismum a nullo potest sibi ipsi conferri. 219. Ab uno potest simul pluribus dari in casu necessitatis. *ibid.* A pluribus simul datus uni, quando valeat, & quando non. *ib.* & 220. Baptismum solemnis requirit Patrinum. 220. Baptismum est necessarius pueris, necessitate medii ad salutem. 221. Baptismi votum conceptum a parentibus, sive ab aliis, cum aliquo signo externo non sufficit ad salutem parvulorum. 222. 223. Baptismum confert parvulis gratiam, & remissionem originalis. 225. Baptismus imprimit characterem. 231. 232. Vere delet omnia peccata, tum originalia, tum actualia. 232. Aufert omnem reatum pœnæ etiam temporalis. *ibid.* Confert gratiam habitualem, & cæteras virtutes ei annexas. *ibid.* Recedente fictione producit gratiam, & remissionem peccatorum. 235. Remittit omnia peccata ante ipsum commissa quoad culpam, & omnem pœnam. 236. Peccata item commissa in instanti initiativo Baptismi. *ibid.* Secus commissa in instanti terminativo. *ibidem*. Non delet peccata commissa, vel perseverantia in affectu post seipsum ficte susceptum, etiam recedente fictione. *ibid.* Baptismus ab Apostolis in omni loco conferebatur. *ibid.* 237. Baptismus solemnis quo tempore conferebatur olim. 237

Baptisteria quando, & quibus in locis erecta fuerint. 236. 237

Basilides Vide *Hæresis*.

Beata Virgo Maria meruit de condigno illum puritati gradum; ut congrue posset esse Mater Dei. 31. Non meruit, nec potuit mereri de condigno Dei Maternitatem. *ib.* Meruit tamen hanc merito de congruo. 32. Non potuit principaliter concurrere ad Incarnationem faciendam. *ibid.* Nec de facto concursum habuit instrumentalem physice ad unionem humanitatis cum Verbo. *ibidem*. Habuit concursum illom activum physicum, quo sufficiebat, ut diceretur vere Mater Dei. 32. 33. Mansit virgo in partu. 43. Post partum. 44. 45. Quomodo conceperit Christum. 65. 66. Fuit proprie, & vere Mater Dei. 68

Beata Virgo Maria non fuit capax Sacramenti Pœnitentiæ. 367. Cur Baptismum susceperit, non autem confiteri sacramentaliter potuerit. *ibid.*

Beatæ retributionis locus unus est, pœnarum vero multiplex. 529.

Beati damnatorum pœnas vident. 659. Nec tamen ei compatiuntur. *ibidem*. De eorum pœnis gaudent, non per se sed per accidens. *ibid.*

Beatorum status post Judicium. 657. Variæ erroneæ opinione circa locum, in quo beati manebunt. *ibid.* Proprius eorum locus est Cælum Empyreum. *ibidem*. Hoc Cælum datur. atque corporeum & indicatur in Scripturis. 658. Est lucidum. *ibid.* Est immobile. *ibid.* Probabilius videtur empyreum influere in inferiora corpora soliditatem & permanentiam, influere tamen sine motu. *ibidem*.

Benedictio Abbatissæ est mera cæremonia. 435. 436

Benedictio Parochi non est Forma Matrimonii. 480

Bigamia triplex est. 400. Per eam incurritur irregularitas *ibid.* & 496. Cum bigamo licet dispensare. 497

Bonum animæ uno modo contingit, malum autem multifarie.

Brachemani non habuerunt cultum Veri Dei. 134

C

Calicis usus non est concedendus hæreticis modernis. 315

Canonizatio superstitiosa apud Gentiles. 567. Sacræ Canonizationis quædam initia in lege veteri. *ibid.* Celebrior usus Sacræ Canonizationis in lege nova. *ibid.* Canonizatio quid sit, & in quo differat a beatificatione. 568. Solius Pa-

pæ est Sanctos Canonizare. 569. Quomodo possent Episcopi olim aliquem ut Sanctum declarare. *ibid.* Quare Episcopis ablatum sit hoc exercitium. *ibid.* Sanctos Canonizare non est Concilii Provincialis, sed generalia Concilia id possunt. *ibid.* Supremum Papæ Judicium in canonizando non excludit inquisitionem de vita, & moribus canonizandorum per Episcopos factam. *ibid.* Canonizationem præcedit Concilium Cardinalium, non tamen de necessitate, & quomodo se habeat eorum votum. *ibid.* In Canonizatione Sanctorum Papa absolute errare non potest. 568. 569. Ecclesia Canonizando non unice fidit testimonio hominum, sed etiam miracula requirit. 570. Pontifex dum ad alicujus Canonizationem procedit, de ejus charitate certificari potest, & quare. 571. Non est immediate de fide hunc hominem Canonizatum esse vere Sanctum. *ibid.* Asserere Sanctum canonizatum non esse vere Sanctum est impium, scandalosum, temerarium, hæresi proximum. 572. 573

Capitula S. Cyrilli nullum continebant errorem. 70. Fuerunt approbata a Cælestino I. Papa, a concilio Ephesino, & Chalcedonensi. 71. A quinta Synodo, scilicet, Constantinopolitana II. *ibid.* Quæ contra illa opponerent Orientales, soluta 72

Carentia virtutum moralium per se acquisibilium, pro aliquo tempore, in Christo non dicit imperfectionem moralem. 115

Caro humana non est indigna, ut assumatur a Deo. 39. 40

Carnalis Commixtio non est de integritate essentiali Matrimonii. 479

Casus, in quibus licet Eucharistia sumi a non jejunis. 309 Casus in quibus censura injusta, & nulla esse potest. 391

Cathecumenatus unde ortus. 224. Triplex gradus. 225

Cathecumeni, priusquam baptizentur, si habeant fidem, & charitatem sunt actu membra Christi. 122. 123

Cathecumenorum triplex ordo. 225

Censura datur in Ecclesia. 387. Ob quos fines. *ibidem*. Quid sit. *ibid.* Est triplex scilicet, Excommunicatio, suspensio, Interdictum. 388. Alia a Jure, alia ab Homine: alia Latæ sententiæ, alia Ferendæ. *ibid.* Vide *Materia*. *Forma*. *Auctor*. *Peccatum*. *Potestas*. *Subjectum*. Censura injuncta quando sit timenda, & tenenda. 390. 391. Quando sit nulla. *ib.* Vide. *Casus*. *Ignorantia*. *Absolutio*.

Cerdo. Vide *Hæresis*.

Cerinthus. Vide *Hæresis*.

Character Sacramentalis imprimitur ab aliquibus Sacramentis novæ Legis. 162. Quid sit. 163. Non est proprie in genere, sed reductive. 163. Non reducitur ad relationem, sed ad secundam speciem qualitatis. *ibid.* Est potentia physica, non pure moralis. *ibid.* Est indelebilis, & quomodo. 164. Remanet post hanc vitam in Beatis, & damnatis. 165. Confert subjecto quamdam idoneitatem ad ea quæ sunt divini cultus. *ibidem*. Characteris subjectum est sola creatura. *ibidem* Subjectum ejus proximum, & immediatum non est essentia animæ. *ibidem*. Sed ejus potentia, ideest, intellectus. *ibidem*, & 166.

Chorepiscopatus non habuit auctorem Christum. 453. Unde initium sumpseris. *ibid.* Ejus munia. *ibidem*.

Chorepiscopi quinam dicerentur. 434. Non fuerunt veri Episcopi, sed Presbyteri simplices in villis, & pagis vices Episcoporum in aliquibus agentes. 453

Chrisma quid sit. 243. Ex quibus componatur. *ibidem*. Chrismatis benedictio antiqua est. 244. A solo Episcopo consecrari potest. 245

Christi persona quomodo dicatur composita. 77. In Christo sunt duæ naturæ, etiam post unitionem, distinctæ. 79. Fuit scientia creata. 82. Christus, ut homo, nequit intelligere formaliter intellectione increata. 83. Habuit scientiam beatam initio suæ conceptionis. 84. Cur diceretur proficere sapientia. *ibid.* 85. Fuit simul viator, & Comprehensor. *ibidem*. Quomodo diceretur beatus secundum animam, & non beatus. *ibid.* Simul habens summum delectationem, & summam institutam. *ibid.* & 86. In Christo non fuit contrarietas voluntatum. *ibid.* Cur in ipso non esset necessaria abstractio a sensibus, ut videret Deum. *ibid.* Fuit scientia per se infusa. 87. Fuit habitus scientiæ acquisitæ seu experimentalis. 87. Christo in sua conceptione fuerunt infusæ omnes virtutes morales, ex suo genere acquisibiles. 89. Christi anima scientiam acquisivit, non per disciplinam, sed per inventionem. 90. Qua ratione dicatur nescire diem universalis Judicii. 92. 93. Vide *Anima Christi Scientia*.

Christi humanitas adoranda est adoratione Latriæ. 575. Christum adorare Duplici adoratione, est consentire hæresi Nestorii. 576

Christus de facto venit, ut Redemptor, & non solum, ut Doctor. 19. Dedit se Fidejussorem Patri pro nobis. 23. 24. Et quidem sponte, & libere. *ibidem* Satisfecit pro nostra offensa irrogata Deo ad æqualitatem ex stricta justitia. *ibid.* Compensavit beneficium Incarnationis. 26. Quomodo satisfecerit pro peccato se crucifigentium. 27. Satisfecit ex bonis propriis. *ibidem*. Ex indebitis. 28. Satisfecit ex justitia commutativa. *ibidem* Christi humanitas non meruit Incarnationem. 30. 31. Christus non fuit Caput Adami innocentis. 35. Non fuit volitus a Deo ante Adami futuritionem. *ibid.* Assumpsit veram carnem, & veram humanitatem, non phantasticam. 38. Corpus terrenum ex Maria Virgine, non cæleste. 40. Corruptibile. 41. Christus assumpsit carnem immaculatam. 42. Natus est ex Matre manente virgine. 43. Habuit veram voluntatem humanam. 47. Christus habuit defectus corporales communes toti speciei humanæ. 51. Non vero qui reperiuntur in individuis, ex causis accidentalibus. *ibidem*. Fuit facie proportionata, nec nimis pulchra, nec deformi. 51. 52. Christus habuit passiones animæ, sed aliter, ac nos. 52. Dolorem sensibilem. *ib.* & 53. Tristitiam & quomodo. *ibid.* Timorem, & qualiter. *ibid.* Admirationem secundum scientiam experimentalem. *ibid.*

Iram per Zelum, non per vitium. *ibidem*. Chriſtus non habuit ignorantiam. *ibidem*. Non defectum peccati. 54. Nec fomitem peccati. *ibidem*. Quare non potuerit peccare. *ibid.* Chriſtus eſt verus Deus, Filiuſque naturalis Dei. 56. 57. Fuit ante Mariam. 57. Qua ratione in Scripturis dicatur factus Mediator. *ibid.* Chriſtus quomodo conceptus in utero Beatæ Virginis. 65. 76. Non poteſt dici homo Dominicus. 77. Nequit abſolute dici creatura. *ibid.* Vide *Prædicationes*.

Chriſtus, nec ut homo, eſt Filius adoptivus Dei. 100. 101. Qua gratia indigeret, ut ejus opera eſſent meritoria apud Deum. 105. Chriſtus habuit omnes virtutes morales, per ſe infuſas, quæ aliunde non repugnabant unioni hypoſtaticæ. 112. Chriſtus non habuit fidem theologicam. *ibid.* 113. Nec ſpem theologicam. *ibid.* In Chriſto non fuit virtus pœnitentiæ. *ibid.* Fuerunt omnia dona Spiritus Sancti. 120. Omnes gratiæ gratis datæ. 113. Omnes virtutes morales, per ſe acquiſibiles. 115. Et probabiliter, propriis actibus acquiſitæ. *ibidem*. Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ. 116. Talis dici poteſt ſecundum divinam, & humanam naturam. *ibid.* Eſt Caput Eccleſiæ formaliter, ratione gratiæ habitualis. *ib.* Ut radicatæ tamen in gratia unionis. 118. In Chriſto fuit plenitudo gratiæ. 116. Chriſtus eſt caput omnium hominum ſumptorum ſecundum animam, & corpus. 121. Non eſt Caput omnium creaturarum, ſi conſiderentur ſolum in ordine naturali. *ib.* Eſt Caput totius Corporis, quod eſt Eccleſia. *ibid.* Chriſtus generali quadam ratione eſt Caput omnium hominum, ſecundum omne tempus mundi. 122. Eſt actu Caput omnium hominum, qui ſibi uniuntur per fidem, & charitatem, & alia dona ſupernaturalia has conſequentia. *ibidem*. Non eſt Caput omnium viatorum non habentium fidem, ſed ſolum in potentia. *ibidem*. 123. Chriſtus, ut Deus, eſt Caput Angelorum, imo & ut homo. 123. Probabilius non influxit in Angelos gratiam juſtificantem, & gloriam eſſentialem. *ibidem*. Chriſtus non eſt Mediator, prout homo a perſona Verbi præciſus. 128. Sed, prout homo unitus Deo in perſona. 129

Chriſtus determinavit materiam, & formam omnium Sacramentorum novæ Legis. 144. Quorumdam in ſpecie, quorumdam ſolum in genere determinavit. *ibidem*. 145. Chriſtus eſt cauſa Sacramentorum, ut Deus, & ut Homo, aliter tamen & aliter. 166. Ut Homo habet in ſacramentis poteſtatem excellentiæ. *ibidem*. Hanc poteſtatem non communicavit Eccleſiæ, licet potuiſſet. *ibidem*. Chriſtus inſtituit immediate omnia Sacramenta novæ Legis. *ibid.* Non inſtituit Baptiſmum, priuſquam ipſe a Joanne baptizaretur. 208. Illum inſtituit ante ſuam mortem. *ibid.* 209. Quando ſcilicet in Jordane fuit baptizatus. 248. Inſtituit Sacramentum Confirmationis. 209

Chriſtus anno, quo paſſus eſt, celebravit Paſcha judaicum. 266. Luna quartadecima deſinente, & quintadecima inchoante; ſicque inſtituit Euchariſtiam in Azimo. 267. Chriſtus conſecravit verbis iiſdem, & ſemel tantum prolatis, quibus modo Sacerdotes in Eccleſia conſecrant. 277. Vide *Præſentia*, Chriſtus non eſt in Euchariſtia per impanationem. 289. Sed per tranſubſtantiationem. *ibidem*. Chriſtus totus eſt in hoc Sacramento. 293. Eſt totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ. 294. In Cœna verum fecit ſui corporis, & ſanguinis ſacrificium. 321. 322. In Cœna vere ſumpſit corpus, & ſanguinem ſuum. 326. Chriſtus inſtituit ſacramentum Pœnitentiæ. 344. Non tamen determinavit tempus, quo regulariter fieri debeat. 366

Chriſtus inſtituit Sacerdotium, & quando. 458. Ejus materiam ſolum in genere inſtituit. *ibid.* 459

Chriſtus non fuit apud inferos, ut pœnas lueret damnatorum. 531. Chriſtus ad inferos deſcendit, ut Juſtos ibi detentos liberaret. *ibidem*. Chriſtus non deſcendit in inferos eo ſenſu, quod ejus mors ſit inferis manifeſtata. 532. Chriſtus deſcenſu ſuo ad inferos neminem damnatorum liberavit. 533. Chriſti Bonitati, Juſtitiæ, Sapientiæ, Potentiæ nihil detrahitur, etiamſi neminem ab inferno liberaverit. 534. Chriſtus deſcendens ad inferos omnes Sanctos Patres ibi detentos liberavit. 536. Chriſtus non liberavit antiquos Patres a limbo, ut aliis qui ſuccederent locum pararet, ſed ut deinceps Sancti illum non adirent. *ibidem*. Chriſtus deſcenſu ſuo ad inferos liberavit animas Purgatorii, quas invenit plene purgatas. *ibidem*. Chriſtus non feria quinta, ſed ſexta mortuus eſt. 538. Chriſtus in Evangelio non excludit invocationem Sanctorum. 328. 329.

Circumciſio in aliquo ſenſu fuit ſacramentum Moſaicum. 160. Secundo aliquos non fuit primario inſtituta ad delendum originale. 160. 161. Melius, ſecundum alios, data fuit etiam principaliter ad delendum originale. 161. In Circumciſione conferebatur gratia quoad omnes ſuos formales effectus. *ibidem*. Circumciſio non juſtificabat ex opere operato ex vi ſua. *ibid.* Fuit per ſe neceſſaria ad juſtificandos parvulos maſculos Hebræorum. *ibid.* 162. Circumciſio cur prætermiſſa a populo in deſerto. 162

Circumgeſtatio ſolemnis Euchariſtiæ in proceſſionibus pia, & religioſa. 301. Quando cœperit in uſu haberi. *ibid.*

Circumſtantiæ peccatorum ſunt in triplici genere. 371. Notabiliter aggravantes intra eamdem ſpeciem ſunt neceſſario confitendæ. *ibid.*

Clerici antiquitus non poterant licite ordinari a quolibet Epiſcopo, inconſulto proprio. 431. Sacris Ordinibus initiati obligantur ad continentiam, probabilius, vi ſolius legis Eccleſiaſticæ. 443

Cognatio triplex, Carnalis, Spiritualis, & Legalis. 518. Cognatio carnalis, ſeu conſanguinitas. *ibidem*. Ejus lineæ, & gradus. *ibid.* Regulæ ad dignoſcendam diſtinctionem graduum. *ibid.* Leges civiles aliter computant gradus, ac Leges canonicæ. *ibid.*

Cognatio Legalis; quid ſit, quotuplex, & quænam inducat impedimentum dirimens. 521. Quouſque impedimentum hoc perſeveret, vel ceſſet. *ibid.*

Communicatio idiomatum in Chriſto quid ſit. 74. Quomodo eam ponebant Eutichiani. *ibidem*. Manichæi, Photiniani, Neſtoriani. 74. Vera, & realis debet admitti, ſecundum quod Catholici docent. *ibid.*

Communio ſub utraque ſpecie aliquando Communis fuit etiam laicis. 311. Non tamen quia hæc eſſet ipſis neceſſaria jure divino. *ibid.* Communio ſub ſpeciebus panis tantum potuit ab Eccleſia præſcribi laicis. 314. Idque juſtis ex cauſis. *ibid.* Communio laica quæ fuerit. 315. Peregrina, & præſanctificatorum quæ. 315. 316. Communio in Eccleſiæ exordiis quotidiana erat. 299. Ab adultis aliquando ſumenda eſt ex præcepto divino. 227. 228

Compenſatio ex gratitudine plus expoſcit, quam ex juſtitia. 25. 26.

Compoſitio quæ dicitur de perſona Chriſti, quænam ſit. 78.

Complicis manifeſtatio quando poſſit contingere in confeſſione ſacramentali, quando non. 372

Comprehenſio quid ſit, & quot modis dicatur. 90

Conceptio Chriſti quomodo facta. 65. Cur approprietur Spiritui Sancto. 66

Concilia nonnulla ſtatuentia continentiæ obligationem iis, qui ſunt ordinibus majoribus initiati. 440. 441

Concilium Epheſinum contra Neſtorium celebratum, fuit Œcumenicum. 73

Concilium Conſtantinopolitanum II. damnat ſcripta Theodori Mopſueſteni, Theodoreti quoque contra Cyrillum, & Ibæ Epiſtolam ad Marin Perſan. 74. 75. Francofordienſe damnat errorem Elipandi, & Felicis. 101

Concilium Florentinum, & Tridentinum in quo diſtinguant Sacramenta vetera a noſtris. 136. 137. Florentinum ſtatuit, Sacramenta conſtare materia, & forma 144. Tridentinum ſanxit, Eccleſiam poſſe mutare ritus, non ſubſtantiam ſacramentorum. 145. 146. Definit numerum ſeptenarium Sacramentorum novæ Legis. 150. Non eſſe omnia paris dignitatis. 151. Florentinum, & Tridentinum requirunt intentionem ſeriam in Miniſtro ad valorem ſacramenti. 169. Tridentinum ſtatuit, nullum eſſe caſum reſervatum in articulo mortis. 181. Explicat, quomodo dicatur homo juſtificari per fidem. 184. Concilium plenarium, in quo ſecundum S. Auguſtinum, finita fuit cauſa rebaptizantium, probabilius cenſetur fuiſſe Nicænum I. 217. 218. Concilium Tridentinum ſtatuit parvulorum Baptiſma. 226. Remitti in Baptiſmo originale. 232. Concupiſcentiam in renatis non eſſe proprie, & vere peccatum. *ibid.* Deſcribit cauſas juſtificationis. 234

Concilium Tridentinum vocat Euchariſtiam excellens inter alia Sacramentum. 253. Florentinum, Charthaginenſe III. Tridentinum, ſtatuunt, aquam miſcendam vino in conficienda Euchariſtia. 272. Concilia coacta contra Berengarium. 289. Tridentinum ſanxit tranſubſtantiationem. 290. Quæ, & quomodo ſint ſub hoc Sacramento. 293. Totum Chriſtum eſſe ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus. 294. Euchariſtiam eſſe adorandam adoratione latriæ. 299. 300. Sacerdotes eſſe miniſtros ordinarios Euchariſtiæ conficiendæ, & miniſtrandæ. 302. Statum gratiæ requiri ad Euchariſtiam cum fructu percipiendam. 308. Præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem ab eo, qui in peccato mortali reperitur, ſi adſit copia Confeſſarii. *ibidem*. Damnat, volentes communionem ſub utraque ſpecie eſſe neceſſariam ad ſalutem ſingulorum. 313. Eccleſiam potuiſſe privare laicos uſu calicis. 314. Idque feciſſe juſtis de cauſis. *ibid.* Præcipit ſub anathemate obſervantiam præcepti de communione Paſchali. 317. Toletanum XII. ſentit Sacerdotem celebrantem debere ſumere corpus, & ſanguinem. 325. Tridentinum aſſerit, Miſſas quidem in memoriam Sanctorum celebrari, & illis ſacrificium ſoli Deo offerri. 329. Statuit, non omnes Chriſtianos habere poteſtatem adminiſtrandi omnia Sacramenta. 335. Lateranenſe, ſolos Sacerdotes potuiſſe conficere Euchariſtiam. *ibid.* Tridentinum definit, Miſſas privatas licite celebrari. 338. 339. Sacramentum Pœnitentiæ a Chriſto inſtitutum. 342. Eſſe a Baptiſmo diſtinctum. *ibid.* Actus pœnitentis eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ. 344. 345. Formam eſſe verba: *Ego te abſolvo &c. ibid.* Definit contritionem. 345. Hancque eſſe ex Spiritu Sancto præveniente, & adjuvante. 346. Non ſemper tollere omnem reatum pœnæ temporalis. 347. Reconciliatione peccatorum non adſcribi contritioni ſine ſacramenti voto. 354. Statuit, attritionem conceptam ex metu gehennæ eſſe bonum actum & laudabilem. *ibid.* Confeſſionem ſacramentalem fuiſſe inſtitutam a Chriſto. 362. Cenſet, excommunicatione utendum cum magna circumſpectione. 389. Eccleſiam habere poteſtatem a Chriſto ferendi indulgentias. 401. Eſſeque in illa theſaurum ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum. 402. Concilium generale, ſecluſo Papa, non poteſt concedere indulgentiam plenariam. 408

Concilium Tridentinum definit extremam Unctionem vere eſſe Sacramentum. 410. Florentinum quoque. *ibid.* Tridentinum ſtatuit formam extremæ Unctionis. 422. Recenſet effectus hujus Sacramenti. 416. Miniſtros ejus ſolum eſſe Epiſcopum, aut Sacerdotem. 417. Adhibendum eſſe infirmis. 419. 420. Determinat de fide, eſſe in Eccleſia Sacerdotium viſibile, & externum, eſſeque ordinem Clericorum ab ordine Laicorum diſtinctum. 424. Hunc ordinem deſcribit. 426. Illum ſtatuit eſſe Sacramentum vere, & proprie legis novæ. *ib.* Conſtare verbis, & ſignis exterioribus. 427. Vult quemlibet ordinari a proprio Epiſcopo. 431. 432. Non licere Capitulo, Sede vacante, infra annum a die vacationis, dare Dimiſſorias litteras. 432, 433. Definit in Eccleſia alios eſſe ordines majores, alios minores. 437

Concilium Tridentinum definit Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores. 428. & 440. Præter Sacerdotium eſſe alios ordines majores,

majores, & minores . 465. Matrimonium esse verum novæ legis Sacramentum . 473. Proscribit polygamiam . 494. Statuit indissolubilitatem . 497. Matrimonium ratum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum dirimi . 500. Damnat asserentes Ecclesiam errare cum docet indissolubilitatem matrimonii Christianorum . 502. 503. Concilium Florentinum, Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum esse . 503. 504. Tridentinum docet divortium inter conjuges fieri posse . 505. Damnat negantes Ecclesiæ auctoritatem constituendi matrimonii impedimenta dirimentia . 508. 509. Item asserentes posse, & valide matrimonium contrahere in sacris constitutos, vel regulares professos . 516. 517. Tempus præscribit, quo prohibentur nuptiæ solemnes . 514. Statuit suscipientes de baptismo debere esse unum sive unam, vel ad summum unum, & unam, & assignat, inter quos spiritualis cognatio contrahatur . 522. Quomodo puniendi sint, qui scienter vel ignoranter matrimonium contrahere audent intra gradus prohibitos . 526. Legem statuit circa matrimonium inter raptorem, & raptam . 527

Concilium Lateranense IV. docet, quod Christus descendit ad inferos in anima, resurrexit in carne, ascendit ad Cælum in utraque . 531. Eliberitanum quomodo intelligendum sit cum vetuit ne cerei de die in Cœmeteriis accenderentur . 555. 556. Carthaginense III. non vetuit invocationem Sanctorum . 564. 565. Tridentini mens circa invocationem Sanctorum . 563. 564. Concilium Grangrense anathemate pertulit inficiantes cultum Sanctorum . 572. Ephesinum, & Constantinopolitanum II. damnat adorantes Christum duplici adoratione . 576. Tridentinum statuit venerationem Sacris Reliquiis exhibendam . 581. 582. Quomodo docendus populus circa figuras, & imagines . 586. Nicænum II. quo sensu negat Deum posse pingi . *ibid.* Œcumenicum VII. definit Imagines Jesu Christi, Deiparæ, & Angelorum, & Sanctorum in templis collocanda . 587. Eliberitanum quo sensu vetuit picturas in Ecclesia . *ibid.* Tridentinum monet Episcopos, ut populum doceant fructum qui ex sacris imaginibus percipi potest, & debet . 587. 588. Cultum proponit eis præbendum . *ibid.* Francofordiense non reprobasse Nicænum II. & quomodo intelligenda sit ejus reprobatio, circa cultum imaginum facta . 584. Lateranense V. vetat statuere Judicii tempus . 637. 638. Florentinum damnavit negantes particulare Judicium . 649. 650

Concretum substantivum in quo differat ab adjectivo . 62. 63

Conditiones requisitæ ad satisfactionem pro peccato . 380

Conditiones ut Matrimonium per Procuratorem initum sit validum . 438

Confessarius triplici præcepto obligatur ad confessionis sigillum . 376. In nullo casu potest sigillum violare . *ibidem*. Quomodo se gerere debet, interrogatus a Judice de crimine solum in confessione audito . 465. 466. Ex pœnitentis licentia quando possit audita in confessione aperire . 466. Regulariter, & per se tenetur audita confessione, pœnitentiam imponere . 380

Confessio sacramentalis ex præcepto præmitti debet ante Communionem ab eo, qui est in peccato lethali, data copia Confessarii . 307. Fuit instituta a Christo . 308. Confessionis usus obtinuit etiam ante hæresim Novatianum . 363 Confessio a Nectario abrogata quænam fuerit . 365. Confessio ex se nullum infert abusum . 366. Confessionis tempus pro adimplendo ejus præcepto . *ibid.* Vide *Præceptum*. Confessio dupliciter potest esse informis . 368. Confessio potest esse valida, sed informis . *ibidem*. In duobus casibus . *ibidem* . Confessio, ut sit valida debet semper esse formaliter integra . 370. Confessio partim uni, partim alteri Confessario facta nulla est . *ibidem* . 371. Confessio quibus in casibus possit dividi . 371. Vide . *Circumstantiæ* . *Complicis* . *Sacerdos* . *Minister* . *Potestas* . Confessio facta cuilibet Sacerdoti approbato, etiam sine licentia Parochi est satisfactoria præcepti . 375. 376. Confessio nequit fieri Sacerdoti absenti per literas, vel nuncium . 379

Confirmatio est verum sacramentum novæ Legis . 240. Ejus definitio . 241. Ejus materia adæquata . 242. Ejus forma essentialis apud Græcos . 246. Apud Latinos . 247. Fuit a Christo instituta . 248. 249. Confirmationis Minister ordinarius est solus Episcopus . 249. Extraordinarius potest esse Sacerdos ex dispensatione Papæ . 251. Confirmatio data ab hæretico sub forma, & materia debita, est valida . 253. Confirmationis solus homo baptizatus est capax . 254. Confirmatio convenienter differtur danda usque ad usum rationis infantibus . 255. Potest dari, & accipi a non jejunis . *ibidem* . Imprimit characterem . 256. Confirmatio non potest iterari . 256. 257. Confert gratiam specialiter sanctificantem . 257. Non primam, sed secundam, prohabitam justitiam roborantem . *ibidem* . Confirmatio non est necessaria absolute necessitate medii . 258. 259. Omnibus tamen proponitur . *ibid.* Confirmationis ritus apud Græcos . 259. 260. Apud Latinos . 260

Conjugia inter fideles consanguineos in lege naturæ . 419. In lege Mosaica . *ibid.* Circa hoc Ecclesiæ disciplina primis sæculis . *ibidem* . Consobrinorum conjugia primus vetuit Theodosius Senior . *ibidem* . Labente sexto sæculo matrimonia inter septimum gradum non fiebant . *ibidem* . Ineunte sæculo decimo tertio prohibitio ad quartum gradum restricta est . *ibidem* . Quo jure, & respectu quarum personarum consanguinitas matrimonium dirimat . 520. Cognatio spiritualis, quid sit per quæ Sacramenta contrahatur, quomodo impediat matrimonium contrahendum, vel petitionem debiti in jam contracto . *ibid.* & 521. Confessarius cognationem hanc non contrahit cum pœnitente . *ibidem* . Nec qui procuratorio nomine aliquem suscipit a sacro fonte, vel in confirmatione . *ibid.*

Consecratio sive in azymo, sive in fermentato est valida . 270. Solum in fermentato modo est licita Græcis, & Latinis solum in azymo . 270

Consensus ad matrimonium requiritur . 482. Debet esse per verba aut signa exterius expressus . 482. Non oportet, imo non decet verba consensus utrinque simul proferri . *ibidem* . Debet exprimi per verba de præsenti . *ibidem* . Simulatus non facit matrimonium . 483. Ad quid teneatur qui simulate consensum dedit . 484. Clandestinum matrimonium aliquando fuit validum, nunquam licitum . *ibid.* Post Concilium Tridentinum non solum illicitum, sed irritum & nullum . 485. Causæ vetandi clandestina matrimonia . *ibidem* . Consensus coactus duplex . 486. Qualis irritet matrimonium . *ibidem* . Contractus conditionatus quando invalidet matrimonium, & quando non . 487. 488. Consensus matrimonialis objectum . 490. Non requiritur expressus consensus in carnalem copulam, sed solum implicitus . *ibidem* . Clandestinitas prout impedimentum matrimonii . 528. Quid de contrahentibus coram Parocho, & duobus testibus, sed omissis proclamationibus sine licentia . *ibidem* . Quid si in loco ubi Tridentinum publicatum est, sed clandestine ex ignorantia inculpabili . *ibidem* . Quid de incola loci, in quo Tridentinum receptum est, si clandestine contrahat ubi non est receptum . *ibidem* . Si morti proximus ducere velit Concubinam ad legitimandam prolem nec haberi possit Parochus . *ibidem* . Quid de Catholicis in Hollanda contrahentibus . *ibid.*

Consumptio specierum non est de essentia sacrificii Missæ . 322.

Continentia annexa est ordinibus majoribus, Presbyteratus, & Diaconatus . 529. Etiam Subdiaconatus . *ibidem* . Inchoative ex lege naturæ, completive ex jure positivo Ecclesiæ . 530.

Contritio quid sit, & quotuplex . 352. Differt essentialiter ab attritione . 353. Ejus differentia ab attritione . *ibid.* Hominem Deo reconciliat, ut est pars Sacramenti in genere causæ instrumentalis ; ut autem est actus virtutis, in genere causæ materialis . *ibid.* 354. Contritio charitate formata cur sit incompossibili cum statu peccati mortalis . 302. 303 Vide *Præceptum* .

Conversio ad Deum triplex . 357. 358

Corpus Christi non est Sacramento Eucharistiæ sicut in loco . 295. Est ibi per se immobiliter & solum per accidens mobiliter . *ibid.* Corpus Christi, ut est in hoc Sacramento nequit videri ab oculo corporeo . 295. Nec percipi ab intellectu creato, nisi lumine supernaturali perfundatur . *ibid.*

Corpora resurgentium . Vide *Resurrectio* .

Creatura pura non potest, de potentia ordinaria, satisfacere de condigno Deo, pro peccato mortali, tum originali, rum personali . 20. Nec de potentia extraordinaria . *ibid.*

Crimen quod ad impedimentum matrimonii pertinet, duo complectitur homicidium nempe, & adulterium . 521. Casus exponitur, in quibus crimen est impedimentum dirimens . 522

Crucis Christi hostes recensentur . 578. Crux, in qua Christus passus est, adoratur latria, ratione contactus & repræsentationis : Imago vero Crucis lignea vel argentea &c. adoratur latria ratione solius repræsentationis . 578. Sanctorum Patrum testimonia critice referuntur circa inventionem, ac venerationem Sanctæ Crucis . 579. Discrimen inter Crucem, aliaque instrumenta Passionis ex una parte, & inter labia Judæ, & manus Judæorum ex altera . *ibid.* Circa Crucis imaginem eruditiones aliquæ . *ibid.* Cur omnes Crucis imagines adorentur, non autem omnes columnæ, Lanceæ, spongiæ, flagella &c. *ibid.* Crucis signum a Sanctis Patribus encomiis exaltatum . 580. Non est superstitiosum, & unde vim habeat fugandi dæmonia . *ibid.*

Culpa originalis puniri potest dupliciter . 529

Cultus disparitas . 522. De matrimoniis Judæorum cum Gentilibus . *ibid.* Hæc illicita erant, non tamen invalida . *ibid.* De Matrimoniis Christianorum cum infidelibus non baptizatis . 522. 523. Hæc semper fuere illicita, non tamen ab omnibus sic habita . *ibid.* Modo irrita sunt, non lege naturæ aut Divina, nec cerra lege Ecclesiastica, sed generali consuetudine . *ibid.* De Matrimoniis Catholicorum cum hæreticis . *ibidem* . Hæc valida sunt . *ibid.* Rationes, ob quas Ecclesia ea non irritavit . 522. Sunt tamen illicita . *ibid.* In his potest Pontifex dispensare . 523. 524

Cultus Aliquis debetur Angelis, & Sanctis . 483. 484. Cultus quid sit . 573. Cultus triplex, nempe Latria, Dulia, Hyperdulia . *ibidem* Angelis, & hominibus Sanctis debetur cultus, qui minor sit Divino sed major civili, & mere humano . 574

S. Cyprianus num ante mortem deposuerit errorem de hæreticis iterato baptizandis .

D

Dæmones ante Christi mortem non cognoverunt certo, Christum esse Filium Dei . 15. 16

Damnati . Eorum pœnæ . 662. Ab igne corporeo . *ibid.* Cruciabuntur magis vel minus secundum culpæ quantitatem . *ibid.* Non sola pœna ignis affligentur, sed aliis . *ibid.* & 663. Ad differentiam Purgatorii . *ib.* Transitus a vehementissimo calore ad vehementissimum frigus non erit in refrigerium . 663. Affligentur verme non corporali, sed spirituali, conscientiæ nempe remorsu . *ibid.* Fletus erit in eis non per lachrymarum deductionem, sed per commotionem capitis & oculorum . *ibidem* . Sunt in tenebris, & quomodo . *ibid.*

ibid. Eorum voluntas duplex naturalis, & deliberativa, prima eſt bona, ſecunda mala. 664. Damnati continuo peccant, ſed non demerentur. *ibidem*. 665. Vellet non eſſe prout eſt ablativum pœnalis vitæ. *ibid.* Odio habent Deum non in ſe, ſed in ejus effectu. *ibidem*. In eis non erit fides prout virtus Theologica, bene tamen baptiſmali character. 665. Ratio diſcriminis. *ibidem*. Quænam in eis manebit notitia. *ibid.* Cogitabunt de Deo, & quomodo. 666. 667. Quomodo gloriam beatorum videant. *ibid.* Ex Divina Juſtitia eſt quod pœna æterna puniantur. *ib.* Neque ex Divina Miſericordia finem habebit pœna damnatorum, nec angelorum, nec hominum, nec Chriſtianorum, nec eorum, qui opera miſericordiæ fecerunt. 668. In damnatorum pœnis nulla unquam requies, nulla intermiſſio nulla mitigatio. 669. Non ponitur infra ſed juxta condignum. 670

Danielis Oracula de eventu Chriſti proponuntur, & expenduntur. 10

Defectus peccati nullo modo fuit in Chriſto. 54

Defectus parientes irregularitatem quinam ſint, 398. 399

Defectus impedientes ſuſceptionem ordinum. 437

Delatio Euchariſtiæ ad abſentes, præſertim ægrotos, pia eſt. 300.

Delicta inducentia irregularitatem quænam ſint. 401

Depoſitio quid ſit. 398. In quibus differat a degradatione. *ibidem*. A quibus ferri poſſit ejus ſententia. *ibidem*.

Deſcenſus Chriſti ad inferos eſt articulus Fidei. 494. Deſcendit Chriſtus non ſecundum Corpus, ſed ſecundum Animam, totus tamen deſcendiſſe dicendus eſt. 495. 496

Deus in Incarnatione non eſt mutatus. 2. Cur poſſit uniri humanæ naturæ. *ibid.* Aſſumere Corpus, & non malitiam. *ib.* Quando fuit conveniens ut incarnaretur. 13. 14. Deo conveniens fuit Incarnatio. 16. Ob manifeſtationem Omnipotentiæ. *ibid.* Sapientiæ. *ibid.* Bonitatis, & juſtitiæ. 17. Miſericordiæ. 18. Deus convenientius ſumpſit naturam humanam, quam aſſumpſiſſet quamcumque aliam. *ibid.* Deo plus diſplicet peccatum mortale, quam placeat actus charitatis puri hominis. 20. 21. Plus placet ſatisfactio Chriſti, quam diſpliceat peccatum. 25. 26. Deus non potuit non acceptare ſatisfactionem Chriſti. 26. Quem ordinem tenuit in negotium hominum ſalutis. 37

Deus ſolus eſt cauſa principalis Sacramentorum. 166

Diaconatus definitio. 461. Eſt vere, & proprie dictum Sacramentum. *ibidem*. Diaconatus materia eſſentialis adæquata coaleſcit ex impoſitione manus, & traditione libri Evangeliorum. *ibidem*. Forma Diaconatus eſſentialis adæquata ex quibus verbis coaleſcat. 463

Diaconi officia plura, & quæ. *ibidem*.

Diaconiſſæ quænam eſſent olim in Eccleſia. 434. 435. Officia earum. *ibidem*.

Diaconiſſæ olim quæ dicerentur. 464. Originem ab Apoſtolis traxerunt. *ibidem*. Quando abrogatæ fuerunt. *ibidem*.

Diaconus ſolemniter, & ex officio cantans Evangelium in peccato mortali, peccat mortaliter. 180. Non eſt Miniſter ordinarius, & ſolemnitatis Baptiſmis. 212

Diaconus quondam, ut extraordinarius miniſter, diſpenſabat Euchariſtiam. 302. 303

Dies tres differentes apud Judæos, ſcilicet, Legales, Naturales, Artificiales. 266

Dignitas perſonæ qualiter ſe habeat ad dignificanda opera, quæ elicit. 29. 30

Dinocrites precibus ſororis ejus Perpetuæ, non ab inferis, ſed a pœnis Purgatorii liberatus fuit. 535

Diſpenſare in impedimentis matrimonii dirimentibus, vel impedientibus, cujus ſit. 510. 511. Diſpenſatio obtenta poteſt eſſe irrita, & quando ſit. 512

Diſpenſatio Euchariſtiæ fidelibus quomodo olim fieret. 302. 303

Diſpenſatio ſumendi plures uxores data fuit non ante, ſed poſt diluvium. 493. Nec ſolis Judæis, ſed etiam Gentilibus. *ibid.*

Diſpoſitiones, ad martyrium in adultis quot, & quæ ſint. 203. Diſpoſitiones in ſuſcipiente Confirmationem quænam ſint. 255

Diſpoſitiones requiſitæ ad Euchariſtiam ſumendam cum fructu quæ ſint. 303

Diſpoſitione requiſitæ ad fructuoſe recipiendam ab infirmo Extremam Unctionem. 422

Divortium inter conjuges fideles poteſt licite fieri. 505. Divortii cauſæ legitimæ. *ibidem*. Differentia inter virum & mulierem quoad obligationem dimittendi, vel non dimittendi conjugem adulterum. *ibid.*

Dolor ſenſibilis fuit in Chriſto. 52

Dona Spiritu Sancti quot, & quæ ſint. 111. 112. Fuerunt in Chriſto. 112

Donum Timoris unde differat a virtutibus theologicis. 112

Dormientes quando poſſint baptizari. 230. 231

Dos cur licita in Matrimonio. 475

Dubitans de valore ſui Matrimonii quid facere debeat. 484.

Dulia. Vide. *Cultus*.

E

Ebion. Vide *Hæreſis*.

Eccleſia poteſt defunctos excommunicatos declarare, qui dum viverent, propter hæreſim &c. meruerunt ab Eccleſia ſegregari. 74. Id præſtitit in Concilio Conſtantinopolitano contra perſonam Theodori Mopſueſtheni jam defuncti. *ibidem*. Eccleſia eſt Corpus Chriſti myſticum. 121. Non eſt duplex viſibilis ſcilicet, & inviſibilis, ut contendit Calvinus. 122. 123

Eccleſia juſte præſcribit ritus, & cæremonias in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione. 185. Sapientiſſime inſtituit, ut in Eccleſia Latina latino idiomate adminiſtrarentur ſolemniter. 186

Eccleſia Latina cur mutaverit ritum Baptiſmi per immerſionem. 192. 193

Eccleſia potuit laicos, imo & Sacerdotes actu non celebrantes, uſu calicis privare. 314. Idque juſtis mota ex cauſis præſtitit. *ibid.* & 315. Poteſt item uſum calicis concedere laicis, & de facto ex particulari privilegio quibuſdam conceſſit. 316. In Eccleſia adeſt poteſtas a Chriſto remittendi omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa. 341. 342. Determinat tempus pro adimplendo præcepto Confeſſionis Sacramentalis. 278. Eccleſia habet poteſtatem ferendi indulgentias. 401. In Eccleſia eſt theſaurus conſtans meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum. 402

Eccleſia Græca ſemper agnovit extremam Unctionem pro vero Sacramento. 411. Quomodo eam conferat. 419. Eam dat non ſolum extremo morbo laborantibus, ſed etiam aliis infirmis, imo & omnibus pœnitentibus ſive ſanis, ſive infirmis. 419. 420. Eccleſia Latina ſolum extremam Unctionem confert ægrotantibus. *ibidem*. Eccleſiæ Græcæ praxis in hoc, qua ratione approbari poſſit, vel non. *ibidem*.

Eccleſia non poteſt, verius debitum continendi auferre in totum ab Ordinibus Sacris. 444. Aliquando ex rationabili cauſa poteſt diſpenſare, ut quis ſacris Ordinibus initiatus uxorem ducat. *ibidem*.

Eccleſia varia mutavit circa ſubſtantiam matrimonii in ratione contractus ſolum. 474

Eccleſiæ auctoritas ſtatuendi impedimenta matrimonium dirimentia. 509. Oſtenditur ex praxi priorum Sæculorum. *ibid.* 510. Quid de auctoritate Principum Sæcularium circa hoc. *ibid.*

Eccleſia, aut Summus Pontifex videtur non poſſe diſpenſare in impedimentis jure naturali matrimonium dirimentibus. 511. Bene vero in aliis. *ibidem*. Epiſcopi ordinario jure non poſſunt diſpenſare in impedimentis lege Eccleſiaſtica matrimonium dirimentibus. *ibidem*. In aliquibus tamen caſibus poſſunt. 459. 460. Sicut, & impedimentis pure impedientibus. 460. Exceptis tamen votis perpetuæ Caſtitatis, & Religionis. *ibid.*

Eccleſiæ traditio circa exiſtentiam Purgatorii. 540. 541. Eccleſia Græca ſive ante, ſive poſt ſchiſma Photianum oratione pro defunctis habuit in uſu. 541. Eccleſiæ orationes poſtulantes liberationem, ad quod tempus referantur. 547. Eccleſia quandoque ea poſtulat, de quibus certiſſima eſt. 548

Effectus extremæ unctionis quinam ſint, 415

Empyreum. Vide *Beatorum ſtatus*.

Energumeni olim perpetuo fuerant irregulares, 398

Epileptici quando cenſeantur irregulares. 399

Epiſcopatus non poteſt valide conferri non habenti presbyteratum. 437. Eſt vere & proprie Sacramentum. 448. Veruſque Ordo. *ibid.* Solum inadæquate ad ordine presbyteratus diſtinctus. *ibid.* Imprimit characterem. *ibidem*.

Epiſcopi poſſunt indulgentias concedere pro ſua diœceſi. 407. Quo jure. *ibid.*

Epiſcopi univerſalis titulus, quomodo a S. Gregorio reprobatus, quomodove S. Leonis I. oblatus, & quomodo Romano Epiſcopo conveniens. 597

Epiſcopus Solus poteſt conſecrare Chriſma Confirmationis. 248. Eſt Miniſter ordinarius Confirmationis. 249

Epiſcopus ſolus eſt Miniſter ordinarius Sacramenti Ordinis jure divino. 428. Epiſcopus hæreticus, Schiſmaticus, valide ordinat. 429. 430. Epiſcopus proprius ordinandis quis dicatur. 431. 432. Proprius Regularium. *ibidem*. Epiſcopus eſt Presbyteris ſuperior. 356. 357. Jure non ſolum humano, ſed divino. *ibidem*. Et quidem etiam juriſdictione. 446

Epiſcopus jure Eccleſiaſtico conſecrari debet a tribus Epiſcopis. 450. 451. Hoc tamen non requiritur ad ſubſtantiam hujuſmodi conſecrationis. 452. Epiſcopi electio de jure divino non competit populo, nec ſæculari poteſtati. 455.

Error Elipandi, & Felicis circa filiationem Chriſti. 101

Error Rebaptizantium a quo, & quando cœperit. 214. 215.

Errores circa mortuorum reſurrectionem. 612. 613

Ethnici quid ſenſerint inſpiciendo Chriſtianos cultores Martyrum. 572

Euchariſtia variis nominibus inſignitur. 261. Eſt vere Sacramentum novæ legis. *ibidem*. Et quidem inter cætera præſtantiſſimum. *ibidem*. Ejus excellentia in lege veteri fuit præfigurata. 262. Eſt unum ſpecie Sacramentum. *ibidem*. Euchariſtiæ materia duplex, una tranſiens, alia permanens, & proxima. *ibidem*. Materia ejus neceſſaria eſt panis, & vinum. 263. Euchariſtia cur poſt conſecrationem dicatur panis, & vinum. 291

Euchariſtia adoranda eſt adoratione latriæ. 298. Peracta conſecratione, & uſu, vere, ac pie reſervari poteſt, & reſervatur. 299. Pie defertur ad abſentes, præſertim ægrotos. 300. 301. Similiter etiam ſolemniter in proceſſionibus circumgeſtatur. 301. Item religioſe & pie publice exponitur adoranda. 302. Euchariſtiæ Miniſter alter Confectionis, Alter Diſpenſationis. *ibidem*. Vide *Miniſter*, *Diaconus*.

Euchariſtia quomodo olim fidelibus traderetur. 302. 303. Olim quandoque miniſtrata a Clericis minoribus, imo & laicis. 303. 304. Euchariſtia olim infantibus fuit miniſtrata. 304. In quo Veteres Latinorum non ſunt damnati. *ibidem*. Sicut nec recentiores quod amplius non id agant. *ibidem*. Amentibus in extremo vitæ periodo, quondam miniſtrabatur, ſi abeſſet irreverentiæ periculum. 305. Modo quando

do id licèat & quando non . *ibidem* . Item quando olim daretur Energumenis, & quando non. *ibidem*. Reis ultimo ſupplicio damnatis denegatur apud Gallos, & Hiſpanos. *ib.* Secus apud Germanos, & Italos. *ibid.*
Euchariſtia peccatoribus manifeſtis, etiam petentibus, non debet dari . 306. Occultis publice petentibus non eſt deneganda. *ibid.* Secus ſi in occulto petant. 307. Cum fructu ſuſcipienda expoſcit per ſe ſtatum gratiæ in ſuſcipiente. *ibid.* Debet ſumi a jejunis jejunio naturali . 308. A non jejunis poteſt ſumi tum ob neceſſitatem ſumentis, tum ob reverentiam Sacramenti. 309. 310. Euchariſtia ſumpta ſub utraque ſpecie non confert, per ſe, ſumenti majorem gratiam, quam ſumpta tantum ſub una. 314. 315
Euchariſtia, ut Sacrificium, variis nominibus appellatur. 318. Euchariſtia eſt vere, & proprie dictum Sacrificium novæ legis. 319. Figuratum in oblatione Melchiſedech. 321
Eutiches. Vide *Hæreſis*.
Excellentia triplex. 573
Excommunicationis uſus antiquus eſt . 393. Excommunicatio variis nominibus appellata. *ibid.* & 394. Msjor, & Minor eſt. *ibid.* Minor quid ſit. *ibid.* Major quibus privet bonis. *ibid.*
Excommunicatio minor quando incurratur. 306. Quibus privet bonis. 397. 398
Excommunicatio contra cogentes ad Matrimonium . 486, 487. Contra aſſerentes matrimonia filiorum ſine conſenſu parentum contracta eſſe irrita. 489
Excommunicato quis poteſt in quinque caſibus communicare civiliter. 395. Excommunicato vitando participare, quando ſit peccatum mortale. *ibid.*
Exorciſta olim duplex. 409. Officia eorumdem. 410
Extrema Unctio variis nominibus appellatur . 409. Oſtenditur Sacramentum eſſe vere, & proprie ex Scriptura. 410. Ex traditione. *ibidem*. Quando fuerit inſtituta. 411. Eſt unum Sacramentum. 501. Vide *Materia*. *Oleum*. *Forma*. Extremæ Unctionis effectus primarius non eſt remiſſio peccatorum etiam venialium, quoad culpam. 415. Sed gratia roborans animam in articulo mortis contra peccatorum reliquias. 416. Effectus etiam ejus, ſecundarius tamen, eſt ſanitas corporalis, ſi animæ ſaluti expedierit. *ibid.*
Extrema Unctio iterato eidem homini conferri poteſt . 416 Non iteratur in eadem infirmitate, niſi diverſus ſaltem ſit gradus infirmitatis. *ibidem*. Extremæ Unctionis miniſter non poteſt eſſe laicus. 417. Neque Diaconus. 418. Sed ſolum Epiſcopus, vel Sacerdos. *ibid.*
Extrema Unctio valet, licet ab uno tantum Presbytero conferatur. 419. Nullum eſt præceptum divinum de neceſſitate plurium Sacerdotum in illa conferenda. *ibidem*. Vide *Sacerdos*. Extremæ Unctionis ſubjectum quodnam ſit apud Græcos. *ibidem*. Apud Latinos. *ibid.* Extrema Unctio collata ſanis probabiliter creditur valida. *ibid.* Sed probabilius, & tutius invalida. *ibidem*.
Extrema Unctio quibus amentibus, & furioſis dari poſſit, vel non . 421. Non eſt conferenda pueris uſu rationis carentibus. *ibidem*. Bene vero decrepitis ſenibus. *ibid.* Peſte item laborantibus. *ibidem*.
Extrema Unctio non eſt neceſſaria per ſe neceſſitate præcepti ſive Divini, ſive Eccleſiaſtici 422. Per accidens tamen poteſt eſſe in præcepto. *ibidem*. Quaſnam diſpoſitione in ſubjecto requirat. *ibid.* & 423

F

Facies Chriſti non fuit nec deformis, nec nimis pulchra, ſed proportionata. 51. 52
Femina inquit Sacerdoti ſacrificanti miniſtrare. 340
Feſtivitas Corporis Chriſti piæ, ac religioſe inſtituta eſt. 301.
Fictio quid ſit . 235. Quæ impediat Baptiſmi Sacramentum, & quæ ſolum ejus effectum . *ibidem* . Fictione ſublata Baptiſmus producit gratiam, & remiſſionem peccatorum. *ibidem*. Ante ipſum commiſſorum, quoad culpam, & omnem pœnam. 236 Commiſſorum etiam in inſtanti initiativo ejuſdem Baptiſmi, ſecus commiſſorum in inſtanti terminativo. *ibid.*
Fideles adulti obligantur præcepto divino ad ſumendam Euchariſtiam in articulo mortis, & aliquoties in vita . 317. Præcepto Eccleſiaſtico ad ſumendam ſemel in anno, ideſt, in Paſchate. *ibidem*.
Fidelis quilibet, etſi in peccato mortali, eſt actu membrum Chriſti. 122
Fides theologica non fuit in Chriſto . 112. Fides Adam Innocentis non fuit ex meritis Chriſti. 126. Fides in Chriſtum quovis tempore fuit neceſſaria ad ſalutem, neceſſitate medii . 130. Fides in Deum, ut præciſe Remuneratorem aut, Proviſorem, nullo unquam tempore, poſt Adæ peccatum, fuit ſufficiens ad ſalutem . 131. Fides explicita in futurum aliquem Redemptorem, quovis tempore, neceſſaria fuit ad ſalutem. *ibid.*
Fides mere interna non juſtificabat in Lege naturæ . 140. Fides non requiritur, ut valide Sacramentum perficiatur . 166. Nec ut valide ſuſcipiatur . 184. Fides requiritur in adultis ad percipiendum fructum, ſeu rem Sacramenti, 184.
Filiatio adoptiva Dei non fuit in Chriſto, etiam ut homine. 102.
Filii infidelium, etiam invitis parentibus, valide baptizantur. 229. Filii infidelium, directe ſubditorum poteſtati Eccleſiæ poſſunt invitis parentibus baptizari. *ibidem*. Filii item eorum infidelium, qui ſunt mancipia Chriſtianorum. *ibidem*. Filii infidelium civiliter ſolum Principibus Chriſtianis ſubditorum nequeunt, invitis parentibus, baptizari, ante uſum rationis. *ibidem*.
Filius Dei, ante Incarnationem, nullum Mediatoris officium exterius exercuit. 128
Fomes peccati non fuit in Chriſto. 54
Forma Sacramenti quæ . 140. Tribus modis poteſt determinari . 144. determinata a Chriſto . *ibidem* . Non tamen in individuo . 145. Forma Baptiſmi, & Euchariſtiæ fuit determinata a Chriſto in ſpecie . *ibidem*, Aliquorum autem Sacramentorum non fuit a Chriſto determinata in ſpecie atoma, ſed ſubalterna, ſeu in genere . 144. 145. Forma Sacramentorum non eſt verbum promiſſorium, nec concionatorum, ſed conſecratorium . 146. Forma dubia quando poſſit adhiberi vel non . 148. Forma conditionalis non fuit in uſu ſeptem prioribus Eccleſiæ ſæculis. *ibidem*. Circa octavum ſæculum a quibuſdam adhiberi cœpit . *ibidem* . Apud omnes Latinorum Eccleſias ſaltem a ſæculo XIII. adhiberi cœpit. *ibid.*
Forma conditionalis uſque ad Tridentini Concilii ſæculum adhibita fuit ſolum in Sacramentis imprimentibus characterem. 149. A Tridentini ſæculo obtinuit uſus formæ conditionalis etiam in Sacramentis, quæ iterari poſſunt. *ibid.*
Forma Baptiſmi apud Græcos, antiquiſſima. 196. Valida eſt, *ibidem*, Forma apud Latinos quæ. *ibid.* Antiquiſſima eſt. *ibidem*. Neceſſario requirit expreſſionem actus externi, ſcilicet, ablutionis. *ibid.* & 197. Item requirit expreſſionem ſuſcipientis Baptiſmum. *ibidem*, Pariter expreſſam trium Perſonarum invocationem. 198. Per nomina, quibus in qualibet lingua uſitatius exprimitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. 199. 200
Forma Sacramenti Confirmationis quænam ſit apud Græcos, 246. Apud Latinos. 247
Forma Euchariſtiæ quomodo differat a formis aliorum Sacramentorum. 276. Vide *Verba*.
Forma Sacramenti Pœnitentiæ quænam ſit . 344. In quibus verbis eſſentialiter conſiſtat. 376. Verbis deprecativis exprimitur ab Eccleſia Græca. 379. Et quandoque etiam præſtitum fuit in Eccleſia Latina. *ibid.* Formula abſolutionis verbis deprecatoriis concepta valet nunc etiam, apud Græcos; non vero apud Latinos. *ibid.*
Forma cenſuræ quæ. 389
Forma Extremæ unctionis quæ. 414. Debet proferri modo deprecatorio. *ibid.* Forma abſoluta, probabile eſt valide confici hoc Sacramentum. 415. Non licet tamen. *ibid.*
Forma eſſentialis Epiſcopatus quænam ſit. 450
Forma eſſentialis adæquata Diaconatus quæ. 463
Forma Sacramenti Matrimonii quæ. 475
Fractio ſpecierum non eſt de eſſentia Sacrificii Miſſæ. 322
Fratres Chriſti qui dicantur in Evangelio. 45
Fructus Sacrificii Miſſæ. Vide *Valor*.
Furioſi quando poſſint baptizari, nec ne. 231

G

Gens nulla, extra Abrahami poſteros, ante Chriſtum, veram fidem, aut religionem eſt profeſſa. 132
Gloria Animæ Chriſti, cur non redundaret in corpus ejus mortale. 84. 85
Gloria eſſentialis non fuit primo collata Angelis ex meritis Chriſti. 123
Gog eſt nomen perſonæ, Magog vero Provinciæ . 603. 604 Non eſt tamen nomen Antichriſti, ſed miniſtri ejus . *ibid.*
Gratia collata Adamo innocenti non fuit ex meritis Chriſti . 35. 36. Item gratia, qua Angeli juſtificati ſunt . 123 124.
Gratia habitualis fuit in Chriſto . 100. Non fecit illum Filium adoptivum Dei. 102. 103. Fuit Chriſto neceſſaria, ut eliceret actus ſupernaturales connaturaliter . 107. Item ad completam, & conſummatam ejus Sanctitatem. *ibid.* Qua rationem dicatur in Chriſto gratia capitalis . 116. Gratiæ plenitudo fuit in Chriſto. 117. Gratia Chriſti, in ratione gratiæ, poteſt quodammodo dici infinita; non tamen abſolute ſimpliciter, & intrinſece . 118. 119. Potuit augeri intenſive, attenta Dei abſoluta potentia, licet non extenſive. 119. Gratia Chriſti habitualis poteſt dici, in eſſe gratiæ, infinita ſimpliciter infinitate morali . 120. Gratia Chriſti Capitis eſt gratia proprie Mediatoris. 127
Gratia gratis data quid, & quotuplex ſit . 113. Fuit in Chriſto ſecundum omnia ſui genera. *ibid.*
Gratia cauſatur a Sacramentis novæ Legis inſtrumentaliter . 152. Ex opere operato . 154. Qualis ſit hæc gratia . *ibid.* Gratia, quæ confertur in Baptiſmo qualis . 233. 234. Quæ confertur in Confirmatione. 257
Gratia confertur in Sacramento Matrimonii . 474. Ad quid valeat. *ibid.*
S. Gregorium oraſſe pro Trajano in infidelitate mortuo, non eſt probabile. 535. Docet non eſſe pro damnatis orandum . *ibid.* De levibus quibuſdam culpis eſſe purgatorium ante Judicium. 539. 540. Quomodo intelligendus cum refert cujuſdam Stephani mortui adhuc pendere ſententiam. 548. 549

H

Hæreſis, circa Carnem Chriſti . 39. 40. 41. 42. Circa Virginitatem Beatæ Mariæ. 43. 44. Circa Animam, & mentem Chriſti. 45. Hæreſis Apollinariſtarum quando fuerit proſcripta. 47. Monothelitarum. 48. Hæreſis Cerinthi, Ebioni, Samoſateni, Photini, Socinianorum de Chriſti divinitate. 56. Neſtorii. 66. Eutichetis. 79

Hæretici moderni Sacramenti nomen rejicientes . 134. Eſſentiam, & naturam Sacramenti quomodo explicent . 135. Formam Sacramenti contendunt eſſe verbum promiſſorium , vel concionatorium . 145. 146. Hæretici quoad numerum Sacramentorum novæ Legis . 149. 150. Quoad efficaciam Sacramentorum reſpectu gratiæ . 152. Quoad Characterem . 162. Quoad Miniſtrum . 169. Quoad intentionem Miniſtri . 170. Quoad fidem . 175. Quoad probitatem . 176. Circa ritus Sacramentorum . 184. 185. Quoad Baptiſmum . 189. Circa Baptiſmi materiam . 191. Quoad Baptiſmi formam . 197. Quoad iterationem Baptiſmi . 202. Circa neceſſitatem Baptiſmi . 221. Quoad Baptiſma parvulorum . 225. Quoad effectum Baptiſmi . 232. Hæretici quoad Sacramentum Confirmationis . 239. Quantum ad hujus materiam . 242. Quantum ad formam . 246. Quoad Miniſtrum . 248. Quantum ad effectus . 256

Hæretici circa Sacramentum Euchariſtiæ . 172. Quoad ejus materia . 262. 271. 272. Circa formam . 277. Quoad Præſentiam Chriſti in Euchariſtia . 282. 289. Quoad adorationem . 298. Quoad reſervationem . 299. Quoad diſpoſitiones ad Euchariſtiam ſuſcipiendam . 307. Quoad ſumptionem ſub utraque ſpecie . 311. 312. Hæreticis modernis non expedit concedere uſum calicis . 315. Hæretici circa Miſſæ Sacrificium . 318. Quoad Miniſtrum Sacrificii Miſſæ . 335

Hæretici quoad Sacramentum Pœnitentiæ . 341. Circa Contritionem . 353. Quoad Confeſſionem Sacramentale . 362. 363. Circa excommunicationem . 395. Quoad indulgentias . 401.

Hæretici circa Extremam Unctionem . 409. Quoad hujus praxim Eccleſiæ latinæ eorum calumniæ . 420. 421

Hæretici quoad Sacramentum Ordinis . 424. 425. Quoad Miniſtrum ejuſdem . 428. Circa ſubjectum . 434

Hæretici quoad Sacramentum Matrimonii . 469. Quoad pluralitatem uxorum ſimultaneam . 493. Quoad ſucceſſivam . 494. 495. Quoad indiſſolubilitatem matrimonii . 497. Hæreticorum errores , & aliquorum opiniones circa ſolubilitatem Matrimonii conſummati Chriſtianorum . 449. 450. Hæretici negant Eccleſiæ auctoritate introducendi nova Matrimonii impedimenta . 597

Hæretici negantes purgatorium recenſentur . 538. Lutheri error , quod negarit in animabus purgatorii ſecuritatem ſalutis . 547. Hæretici quid reprehendant in ſepulturis Catholicorum . 554. 555. Quid ſenſerit Calvinus circa invocationem Sanctorum . 562. Hæretici inficiantes cultum Sanctorum . 572

Hæretici Sadducæi , Manichæi , Albigenſes , aliique negantes mortuorum reſurrectionem . 613. Calvinum quid ſenſerit de Judicio particulari . 649. 650

Hæreticorum Errores circa Chriſti ad inferos deſcenſum . 531

Hebdomadæ Danielis ſumendæ ſunt pro hebdomadibus annorum . 10. Earum initium ſumendum eſt , probabilius , ab Edicto Artaxerſis Longimani , anno ejus vigeſimo . 11

Henoch , & Elias adhuc vivunt , ſed ubi , ignoratur . 602

Hiſtoria Paphnutii ex Socrate , rejicitur , ut commentitia , 443. Similiter quæ refertur ex S. Ulderici Epiſtola . *ibid.*

Homicidium voluntarium parit irregularitatem . 400

Homicidium impedit a Suſceptione Ordinis . 437

Homines qui vixerunt ante Noemum , unum , ac verum Deum coluerunt . 132

Homo purus quomodo poſſit alteri mereri , vel non , primam gratiam . 21. 22

Homo convenientius ſalutem conſequitur per Sacramenta . 137. In ſtatu innocentiæ non indiguit Sacramentis . 138. Nec indiguiſſet , ſi duraſſet in illo ſtatu , probabilius eſt . *ibidem* . Homini , ſtatim poſt Adami peccatum , proviſum fuit de aliquo remedio , quo repararetur . 139. 140

Homo ſolus lege ordinaria poteſt eſſe Miniſter Sacramentorum . 167. Homo comprehenſor poteſt eſſe Miniſter extraordinarius Sacramenti . 168. Homo quilibet , etiam baptizatus , non eſt verus Miniſter Sacramentorum (excepto Baptiſmo , & Matrimonio) ſed is ſolum , qui in Eccleſia rite ordinatus eſt . *ibidem* .

Honorius I. quo ſenſu aſſeruit in Chriſto unam voluntatem . 49. 50. Cur juſte damnatus dicatur a Synodo ſexta . *ibid.*

Humanitas Chriſti non meruit , nec de condigno , nec de congruo Incarnationem . 30. 31. Nec meritis præviſis ab ipſa habendis poſt incarnationem . 31. Non poterat peccare peccato conjungendo communione ad Verbum . 54. 55. Nec peccato dividente ipſam a Verbo . 55. Non potuit adoptari in filium Dei . 101. 102

Hyperdulia . Vide *Cultus* . Quid ſenſerint Collyridiani , & Antimariani circa cultum Beatæ Virgins Mariæ . 576

I

Jacobi Oraculum pro Incarnationis exiſtentia evincenda . Vide *Vaticinio* , *Incarnatio* .

Jejunium naturale quid ſit . 308. Requiritur in ſuſcipiente Euchariſtiam . *ibidem* . Quibus caſibus non ſit neceſſarium . 309. 310.

Jeſus Nazarenus fuit Meſſias , qui venit . 12

Ignorantia non fuit in Chriſto . 53

Ignorantia invincibilis juris excuſat ab incurrenda cenſura . 392. 393. Item facti . 393. Secus ignorantia craſſa & concomitans . *ibidem* .

Illegitime nati ſunt irregulares . 400. Quomodo tolli poſſit hujuſmodi impedimentum . *ibidem* .

Illiterati ſunt irregulares . 399. 400

Imaginum ſacrarum hoſtes reſenſentur . 586. Imagines formare , & retinere licitum eſt . *ibidem* . Licet pingere , vel ſculpere Imagines in quibus repræſentetur Deus , & quid eis per ſe primo repræſentetur . 585. 586. Imagines Dei Angelorum , & Sanctorum licet in Templis Chriſtianorum exponere , idque fuſe probatur . 586. 587. Eas honorari , & venerari debere . 588. Miracula a Deo patrata pro honore Imaginum . *ibidem* . Patres Græci & Latini eumdem honorem propugnantes . *ibidem* . Imaginum cultus non eſt abſolutus , ſed relativus , ejuſdemque rationis eſſe debet cum eo , quod veneramur in actus exercito Prototypum . 588. Quæ ex Patribus obſtare videntur Imaginum cultui ſolvuntur . 589. Quare una Imago magis frequentetur quam altera ejuſdem rei . 590

Imago Crucis . Vide *Crux* . Imago & Idolum in quo differant . 584

Impanatio qui ſit , ejus auctor . 289

Impedimenta Matrimonii . 507. Quare pro Matrimonio ſpecialiter aſſignentur . 508. Alia ſunt lege naturæ ſtatuta , alia lege poſitiva Divina , alia lege humana Eccleſiaſtica , & Civili . *ibidem* . Quomodo ſe habeat poteſtas ſæcularis in his ſtatuendis . 510. 511. Quis diſpenſare poſſit in impedimentis Matrimonii . 512. Impedimenta in ſpecie quæ , & quot ſint . 513. Præciſe impedimenta aſſignantur . *ibidem* . Dirimentia proponuntur , & in primis error . 514. Conditio . 515. Servi contradicente Domino licite , & valide poſſunt inire conjugia . *ibidem* . Votum ſolemne . 517. Hocque non ſolum jure Eccleſiaſtico , ſed etiam Naturali , & Divino . 517. Cognationis impedimentum . Vide *Cognatio* . Criminum impedimentum . Vide *Crimen* . Cultus diſparitatis impedimentum . Vide *Cultus diſparitas* . Impedimentum quod dicitur vis , quando Matrimonium dirimat . 524. Impedimentum Ordinis ſemper fuit impediens matrimonium contrahendum . 525. Quod autem dirimat jam contractum , probabiliter utraque pars ſuſtineri poteſt , *ibidem* . Impedimentum ligaminis , quid ſit , quidve requiratur ad eum tollendum . *ib.* Impedimentum publicæ honeſtatis , unde oriatur , & intra quem gradum matrimonium dirimat . *ibidem* . Ortum ex invalidis ſponſalibus omnino tollitur a Tridentino , ex validis vero reſtringitur ad ſolum primum gradum . *ibidem* . Ex conditionatis ſub conditione de futuro contingente , non oritur impedimentum . *ibidem* . Impedimentum affinitatis , unde oriatur , intra quot gradus lineæ ſive rectæ , ſive collateralis extendatur . *ibid.* 526. Exempla conjugiorum tum in lege Naturæ , tum in lege ſcripta . *ibid.* Quo jure affinitas ex conjugali copula matrimonium dirimat . *ibid.* Superveniens Matrimonio illud non diſſolvit . *ibidem* . Qua pœna puniantur qui matrimonia contrahunt in gradu prohibito ſive conſanguinitatis , ſive affinitatis . *ibid.* Quomodo infideles affinitatem contrahunt : Et ſi ſit in gradu prohibito jure tantum canonico num impediat eorum Matrimonium . *ibidem* . Impedimentum impotentiæ , quid ſit , ex quot cauſis oriri poſſit . *ibidem* . Si impotentia ſit perpetua dirimit matrimonium . *ibidem* . Quo jure matrimonium dirimat . *ibidem* . Quomodo dignoſci poſſit , an impotentia ſit perpetua . 527. Quale tempus indulgeat Eccleſia ad probandam impotentiam . *ibidem* . Impedimentum raptus , quid ſit . *ibid.* Jure Civili & Eccleſiaſtico antiquo , fuit dirimens abſolute . *ibidem* . Jure autem Decretalium , & Concilii Tridentini ſtatuto , juri antiquo moderatio imponitur . *ibidem* . Quibus caſibus raptus matrimonium dirimat , quibus non . 528. Impedimentum clandeſtinatis . Vide *Conſenſus* .

Impoſitio manuum ſola , probabilius , eſt materia eſſentialis totalis Epiſcopatus . 448. 449

Impoſitio poſtrema manuum , probabiliter , eſt materia ordinationis Sacerdotalis ut dantis facultatem abſolvendi . 460

Impotentia faciendi quod præcipitur , excuſat ab incurrenda cenſura . 392. 393

Incarnatio Dei cur a carne dicta . 1. Tripliciter oſtenditur contra Gentiles , non eſſe impoſſibilem . 1. 2. Idem oſtenditur contra Judæos . 3. Incarnationis poſſibilitas ſecluſa divina revelatione , non poteſt ullatenus cognoſci . 4. Nec ſuppoſita revelatione divina poteſt ratione naturali demonſtrari , ſed ſolum ſuaderi . *ibidem* . Incarnationis exiſtentia probatur , adverſus Gentiles , ex miraculis . 5. 6. Ex pœna Judæorum . 6. Ex mundi converſione . *ibidem* . Ex permanentia Eccleſiæ . *ibidem* . Ex teſtimonio Martyrum . *ibid.* Ex Oraculo Jacob : *Non auferetur &c.* *ibidem* . Ex Oraculis duobus Danielis , 10. Incarnatio non fuiſſet conveniens initio mundi , antequam Adam peccaret . 13. 14. Non fuit conveniens ſtatim poſt Adæ peccatum . 14. Non fuiſſet conveniens , ut differretur uſque ad finem mundi . *ibidem* . Congruenter facta eſt in medio temporum . 15. Contra hæc objecta ſoluta . *ibid.*

Incarnatio peracta non potuit naturaliter ab Angelis cognoſci . 15. Per revelationem agnita fuit ab Angelis Sanctis . 15. Non autem a malis . *ibidem* . Incarnatio Deo conveniens fuit , ad manifeſtationem ſuorum Attributorum . 17. Fuit medium convenientiſſimum ad hominem redimendum . *ibidem* . Convenientius fuit facta in perſona Verbi , quam aliarum divinarum perſonarum . 18. Incarnatio neceſſaria fuit ad ſatisfaciendum de condigno Deo pro peccato , tum originali , tum mortali perſonali , de potentia ordinaria loquendo . 20 Etiam de potentia extraordinaria . *ibid.* Incarnatio Verbi de facto facta eſt , ad liberandum hominem a peccato . 34. Incarnatio ex vi præſentis decreti , peccato non exiſtente hominis , facta non fuiſſet . *ibidem* . Non eſt per ſe dependens , & occaſionata a peccato . 36. 37. Principalius eſt facta ad tollendum originale , quam actuale peccatum . 14. 15. Fuiſſet , ex vi præſentis decreti , ſolo exiſtente originali : ſecus (probabilius) ſolis actualibus peccatis exiſtentibus . 37. 38

Indiſſolubilitas Matrimonii . 497

Indiſſolubilitas Matrimonii rati & conſummati Chriſtianorum ex Scriptura . 503. 504. Ex traditione . 502

Indulgentiæ ferri poſſunt ab Eccleſia. 401. Earum antiquiſſimus uſus. *ibidem*. Nituntur theſauro meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum. 402. Indulgentia, quæ conceditur pro vivis, eſt abſolutio ſolutione conjuncta, 403. Dividitur in totalem ſeu plenariam, & partialem, ſive reſtrictam. *ibidem*. Indulgentia Quadrageſimæ quid ſit. *ibidem*. Indulgentia non valet ad remittendam culpam, ſed ſolum ad remittendam pœnam temporalem. 404. Valet ad remmittendam pœnam etiam injungendam. *ibidem*. Indulgentiæ, ut valeant quantum ſonant, quid requiratur. *ib.* Non poſſunt prodeſſe exiſtentibus in inferno, nec pueri in originali mortuis, nec Sanctis in Paradiſo. 405. 406. Indulgentiæ quando proſint animabus Purgatorii. *ibid.* Pro iis tamen non valent pro modum abſolutionis. *ibidem*. Sed per modum ſuffragii. 406. 407. Indulgentiæ a quibus concedi poſſint. 407

Infantes olim tum apud Latinos, tum apud Græcos communicabant. 304. Id ab Eccleſia Latina rationabiliter abrogatum eſt. *ibid.*

Inferni nomine, ad quem Chriſtus deſcendiſſe dicitur, non poteſt intelligi ejus Sepulchrum. 532. In inferno SS. Patres dolore afficiebantur ob dilationem gloriæ. 533

Infernus. Errores Gentilium, & hæreticorum circa infernum. 660. De fide eſt dari, ut eruitur ex veteri & novi Teſtamenti textibus. *ibid.* Hanc veritatem aliqui Gentilium ſapientes confeſſi ſunt. *ibid.* Congruentia fulcitur. *ibid.* Inferni locus ubinam ſit: Variæ opiniones referuntur. *ibid.* & 661. Communior eſt ſitum eſſe in centro tertæ. *ibid.* Quando conditus ſit infernum. *ibid.* Aliquæ referuntur opiniones. *ibid.* Communior, & verior aſſerens conditum fuiſſe prima die creationis. *ibid.*

Infidelis non baptizatus poteſt valide baptizare, ſi utatur debita forma, ac materia, intendatque facere quod facit Eccleſia. 214

Ingratitudo. Vide *Peccatum*.

Innocentes ab Herode occiſi, cur martyres dicantur. 203

Inſtrumentum phyſicum quomodo debeat contangere paſſum. 104. Debet habere actionem ſibi propriam. *ibid.*

Intellectio increata. Vide *Anima Chriſti*. *Chriſtus*.

Intellectus creatus, niſi lumine ſupernaturali perfundatur nequit Corpus Chriſti, ut in Euchariſtia eſt, percipere, 295.

Intentio quid, & quotuplex ſit. 170. Aliqua requiritur in Miniſtro ſeria, & ſincera ad valorem Sacramenti. *ibid.* Habitualis non ſufficit. 169. Bene vero virtualis. 171. Intentio conferendi effectum Sacramenti non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti. *ibid.* Intentio ad validitatem Sacramenti requiſita, eſt, faciendi quod facit Eccleſia, ideſt conferendi Sacramentum. *ibid.* Vide *Miniſter*. Intentio aliqua ſuſcipiendi ſacramentum requiritur in ſucipiente adulto habente, vel qui habuit uſum rationis. 182. Debet ſaltem eſſe habitualis, & interpretativa. 183. 184

Interdictum quid, & quotuplex ſit. 398. Interdicto lato in populum, non cenſentur Clerici interdicti. *ibid.* 399. Interdictum totius civitatis omnes afficit ad eamdem pertinentes. *ibid.* Interdictum generale, & locale infligi poteſt ob gravius, & commune delictum. *ibid.* A quibus ferri poſſit. *ibid.* Interdicti ſententia omnino ſervanda eſt. *ibid.* Non ſervantes, quæ incurrant. *ibid.*

Invocatio expreſſa trium Perſonarum neceſſaria eſt ad validitatem Baptiſmi. 197. 198

Invocatio Sanctorum. Vide *Sancti*.

Joannes Antiochenus favit quidem perſonæ Neſtorii, non autem ejuſdem errori. 74

Joannes Diaconus modica dignus eſt fide, ubi de S. Gregorio ſermonem habet. 534. 535

Joannes Damaſcenus narrans in oratione pro defunctis, Trajanum ab inferis precibus S. Gregorii liberatum, forte erravit, vel oratio illa non eſt genuinum ejus opus. 535

Joannem Damaſcenus docet, Chriſtus, non excluſa ejus carne, eadem cum Patre, & Spiritus Sancto adoratione adorari. 576

Jobus veram habuit fidem in Deum, & Chriſtum. 131. 132

Irregularitas quid ſit. 398. 399. Alia ex defectu, alia ex delicto. 399. Quibus defectibus incurratur. *ib.* Quibus delictis. 400. Ex delicto a quibus poſſit tolli. *ib.* Irregularis ex defectu quinam cenſeatur. 399

Jubilæum unde dictum, & in quo differat ab indulgentia plenaria. 403. 404

Judæi quomodo eludere conentur Oraculum Jacob: *Non auferetur &c.* 8. Judæorum cæcitatis cauſæ aſſignantur. *ibid.*

Judæi quanam die ſuum Paſcha, ſecundum legem, celebrare tenerentur. 265. 266. Eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, non diſtulerunt Paſcha ſuum ad diem quintamdecimam primi menſis, ideſt ad veſperam feriæ ſextæ. 267

Judæi tempore Chriſti pro mortuis orabant. 538

Judicium univerſale. 636. Illud negantes referuntur. *ibidem*. Stabilitur de fide: & probatur ex Scripturis. *ibidem*. Rationibus firmatur. *ibidem*, & 637. Ejus tempus incertum, & opiniones circa illud refelluntur. *ibid.* Judicii locus erit Vallis Joſaphat. 638. Judicis apparatus. *ibidem*. Eum præcedet Crucis ſignum, & an hoc futura ſit Crux ipſa. 639. Chriſtus in forma humanitatis judicabit. *ibidem*. Virtute tamen Divinitatis. 640. Deſcendet ad Judicium in forma humanitatis glorioſa. *ibidem*. Veniet in nube ſive nubis effigie. *ibidem*. Angelis ſtipatus, & Sanctis, quorum corpora jam ſunt in Cælo, non autem cæteris animabus beatis, quæ potius ei occurrent poſtquam ſua corpora reſumpſerint. *ibidem*. Omnes tam electi, quam reprobi videbunt gloriam humanitatis Chriſti, Divinitatem tamen ejus reprobi non videbunt. *ibidem*, & 641. Omnes electi cum Chriſto judicabunt. *ibidem*. Quomodo. 443. Non autem Angeli judicabunt. *ibidem*. Niſi forte Angelos malos. *ibidem*. Judicium diſcuſſionis fiet non voce, ſed mentaliter. *ibidem*, & 644. Sententiæ prolatio de menſura præmii vel pœnæ unicuique debitæ non exprimetur vocaliter: Probabiliter tamen exprimentur vocaliter ſententiæ generale ſuper electos, & contra reprobos. *ibidem*. Omnes omnino homines in Judicio coram Chriſto comparebunt. 646. Etiam parvuli, qui ſine baptiſmo deceſſerunt. *ibidem*. Omnes boni judicabuntur judicio retributionis, non tamen omnes Judicio diſcuſſionis proprie dictæ. *ibidem*. Idem de malis. *ibidem*. Angeli ſive boni, ſive mali judicabuntur, non quantum ad præmium vel ſupplicium eſſentiale, ſed accidentale. *ibid.* In judicio quiſque omnia ſua opera ſive bona, ſive mala videbit. *ibidem*. Etiam aliena, & quomodo. 648. Etiam Electorum peccata per pœnitentiam deleta cunctis patefient. *ibidem*. Aliorum peccata inſpicere non minuet confuſionem peccatoris, & quare. 649. Quilibet propria, & aliena merita, & demerita videbit, non unico intuitu, & in inſtanti, ſed ſucceſſive in tempore breviſſimo. *ibid.*

Judicium particulare. Hoc dari in egreſſu animæ a corpore eſt veritas Catholica. 649. Rationibus, & SS. Patrum auctoritate probatur. 650. Tale judicium non fit ante, nec poſt mortem, ſed in inſtanti mortis. 652. Fit in loco corporis. *ibidem*. Neque anima aſcendit ad Judicem, neque judicatur in loco ſortis ſuæ. 652. Quod Chriſtus in humana natura ſit Judex animarum in Judicio particulari, problematice ſtatuitur. *ibid.* Probabilius eſt judicium hoc inviſibiliter peragi, ſententiamque proferri non vocaliter, ſed ſpiritualiter, & per Angelos ſive per infuſionem ſpeciei manifeſtari. 653

Juſtificatio qua ratione dicatur majus opus creatione. 166

L

Laici quondam aliis, & ſibi Euchariſtiam miniſtrarunt, 303. 304. Modo, etiam urgente mortis periculo, id non poſſunt, niſi accedat Pontificis diſpenſatio. 304. Laici non poſſunt Euchariſtiæ ſacrificium offerre. 335. 336

Laici in antiqua Eccleſia a quolibet Epiſcopo catholico licite ordinari poterant, etiam inconſulto proprio Epiſcopo. 431. Secus ſecundum præſentem diſciplinam. *ibid.*

Laicus in caſu neceſſitatis poteſt valide, & licite miniſtrare baptiſmum. 212

Latria. Vide *Cultus*.

Lectoratus officium quodnam ſit. 468

Lex Naturæ habuit aliquod verum ſacramentum pro parvulorum Juſtificatione. 140. Similiter pro adultorum ſalute. 141. Lex Moſaica cur, & quando data. *ibid.* Quos obligaret ad ſui obſervantiam *ibid.* Utraque lex quandiu duravit. *ibid.* Moſaica habuit vera Sacramenta. 142

Lex nova convenientiſſime habet Sacramenta. 142

Lignus Crucis. Vide *Crux*.

Limbus inferni, & ſinus Abrahæ olim fuerunt idem locus, poſt Paſſionem Chriſti ſunt duo realiter diſtincta loca. 530 Limbus Patrum, & infernus damnatorum, quantum ad qualitatem ſunt loca diverſa, non quantum ad ſitum. *ibid.* Limbus Patrum, & Limbus puerorum ſine baptiſmo decedentium eſt idem locus quantum ad ſitum, diverſus quantum ad qualitatem pœnæ. *ibid.*

Litteræ dimiſſoriæ quænam dicantur. 432. a quibus concedi poſſint. *ibid.*

Loca, ad quæ animæ corporis exutæ ducuntur, quinque aſſignantur juxta totidem earum ſtatus. 529. Loca inferorum quatuor, eorumque ſitus, ſeu diſpoſitio. 530

Lutherani impudentia, deſcripta & probata. 595. 596

M

Machabæorum liber ſecundus innuit exiſtentiam purgatorii. 538. Machabæorum libros eſſe Canonicos impie negatur ab hæreticis.

Manes. Vide *Hæreſis*.

Manus impoſitio eſt pars eſſentialis Confirmationis. 242. Eſt duplex. *ibid.* 243

Mariæ Virgini SS. debetur cultus Hyperduliæ. 576. Ejus encomia ex liturgiis, & orationibus SS. PP. 577. In quo bono ſenſu dici poſſit Redemptrix, & Mediatrix. *ibid.*

Mariæ Virginis Dei Matrix anticipata reſurrectio. 615

Martyrium quas conditiones requirat. 202. 203. Supplet vices Baptiſmo in adultis, & in parvulis. 203. Quas diſpoſitione requirat in adultis. *ibid.* Martyrium remittit omnia peccata quoad culpam, & pœnam. 205. Et quidem ex opere operato tum in parvulis, tum in adultis. *ibid.* Idque non quatenus eſt actus virtutis fortitudinis; ſed quatenus eſt realis imitatio Paſſionis Chriſti. *ibidem*. 207 Non eſt Sacramentum. 207. Martyrium quomodo debeat importare charitatem. *ibidem*. Quando conferat gratiam, & remiſſionem peccatorum. 206. 207. Cauſat gratiam ſupra meritum patientis. 207. 208. Majorem, quam Baptiſmus aquæ. 208

Materia Sacramenti quæ ſit. 142. 143. In omnibus Sacramentis novæ legis reperitur. 144. Tribus modis poteſt determinari. *ibid.* Fuit determinata a Chriſto. *ibid.* In ſpecie pro Sacramento Baptiſmi, & Euchariſtiæ. *ibidem*. Pro aliquibus autem Sacramentis fuit a Chriſto ſolum determinata in genere. *ibid.* 146. Materia dubia quando poſſit adhiberi; vel non. 148

Materia Baptiſmi remota eſt ſola aqua naturalis. 191. Materia proxima eſt ablutio corporis baptizandi. 193

Materia adæquata Confirmationis conſtituitur ex impoſitione manuum, & Chriſmatione. 342

Materia Eucharistiæ duplex. 173. Necessaria est panis, & vinum. 263. Debet esse sensibiliter præsens, ut possit consecrari. 264. Materia, quæ consecratur debet esse certa, & determinata per intentionem consecrantis, *ibidem*. Vide *Panis*. Materia permanens Eucharistiæ quænam sit. 276
Materia Sacramenti Pœnitentiæ remota, & proxima, quædam sit. 343. 344. Materia censuræ quæ. 388. 389
Materia remota extremæ Unctionis est oleum olivarum. 412 Consecratum ab Episcopo. 413. Consecratum a Presbytero est materia sufficiens. 413. Materia proxima est unctio. *ibid.*
Materia essentialis ordinationis Episcopalis quænam sit. 448
Materia adæquata presbyteratus quænam sit. 666. 667
Materia Subdiaconatus quæ. 467. Materia Acolythatus. *ibid.* Exorcistatus. *ibid.* Lectoratus. *ibid.* Ostiariatus. 460
Matrimonium inter Adam & Evam non fuit verum Sacramentum. 139
Matrimonium de se bonum, & licitum est. 469. Etiam in statu naturæ corruptæ. *ibidem*. Matrimonium, sive conjunctio maris, & feminæ ad prolem Procreandam &c. ex inclinatione naturæ in homine ortum habet. 479. 480. Fuit institutum a Deo ante Adæ peccatum. *ibidem*. Fuit a Deo confirmatum in lege Mosaica. 471. Et a Christo in Evangelium probatum. *ibidem*. Matrimonium quomodo cadat sub præcepto. *ibidem*. Quomodo non sit in præcepto. *ibid.*
Matrimonium inter fideles est verum Sacramentum novæ legis. 473. Confert gratiam non ponentibus obicem, ex opere operato. *ibid.* Materia remota matrimonii quæ. 475. Proxima. *ibid.* Matrimonii materia, & forma. *ibid.*
Matrimonium institutum inter Adam, & Evam non fuit Sacramentum. 476. Nec in lege naturæ, aut mosaica. *ibid.* Matrimonium solius legis Evangelicæ veram Sacramenti rationem a Christo obtinuit. *ibid.*
Matrimonium infidelium non baptizatorum non est Sacramentum actu. 477. Contractum in indelitate, accedente Fide probabilius est evadere Sacramentum. *ibidem*. 478. inter absentes, conditiones ut sit validum. 478. Ministri matrimonii sunt contrahentes, non Sacerdos, nec Deus. 480. Metus gravis injuste illatus ad extorquendum consensum irritat matrimonium. 485. 486. Nec sic metus levis, vel si gravis juste illatus, & non ad extorquendum consensum. 486. Item a causa naturali incussus, *ibidem*. Matrimonia valida ex metu naturali contracta. 487. Invalida, *ibidem*. Quomodo convalescere possit matrimonium ex metu irritum. *ibidem*. Metus reverentialis non invalidat matrimonium. *ibidem*. Matrimonia conditionata. *ibid.* 488. Matrimonia parentibus non consentientibus, imo invitis, an sint invalida. 489. Quid circa hoc sentiant Galli Scriptores. *ibid.* Differentia inter hos, & hæreticos. *ibidem*. Matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus simul post Christi adventum est illicitum, & etiam irritum. 494. 495. Valentiniani, & Lotharii Imperatorum exempla quorum unum falsum est, aliud reprobatum, 495. Matrimonii indissolubilitas. 497. Potest tamen in ea dispensari. 498. Uxoris dimissionem in lege Moysi fuisse permissam, non tamen licitam. *ibidem*. Uxori repudiatæ non licebat alteri viro nubere. 499. Matrimonium ratum non consummatum dirimi potest per ingressum alterius conjugum in approbata Religione. 500. Alter conjugum in sæculo remanens potest cui vult nubere, professione tamen alterius emissa. 501. An solvatur conjugale vinculum, si ante consummationem uterque conjux pari consensu Religionem profiteatur, problematice exponitur. *ibid.* Quid de Matrimonio rato, & consummato. *ib.* Matrimonii vinculum in infidelitate contractum quando solvatur, uno conjugum ad fidem converso. *ibidem*. Matrimonia infidelium quamvis legitima & vera, ex triplici capite dicuntur non rata. 502. Matrimonium Christianorum non solvitur quoad vinculum per subsequens adulterium. *ibid.* Licet tamen, ex causa fornicationi, thori & cohabitationis separationem facere. 503. 504. Matrimonii impedimenta. 508. 509. Vide *Impedimenta*.
Melchisedech fuit verus homo. 133. 134. Non fuit Sem filius Noe. 134. Fuit veri Dei cultor, & Sacerdos. *ibidem*.
Mentiri in confessione sacramentali, peccatum mortale est. 370. 371. Quandoque solum veniale. 371
Meritum de congruo dicitur dupliciter. 33
Messias, qui venit, fuit Jesus Nazarenus. 13. 14
Milites contra Infideles pugnantes, & occisi in bello, cur non sint Martyres. 204. 205
Minister Sacramentorum, quando uti possit forma conditionali. 149. Quis sit. Vide *Sacramenta*. *Homo Angelus*. *Insensio*.
Minister quale instrumentum sit in conferendis Sacramentis. Vide *Fides*. *Probitas*.
Minister, per se loquendo, tenetur non ministrare sacramenta indignis: unde si sciens id faciat, peccat mortaliter. 190. Per accidens, ad vitandum scandalum, & injustam proximi infamationem, potest ministrare etiam indigno. 191
Minister ordinarius, & solemnitatis Baptismi primo est Episcopus. 211. Est enim Prebyter. 212. Neque est Diaconus. *ibid.*
Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. 248. Extraordinarius, ex dispensatione Pontificis, potest esse Sacerdos. 250. 251
Minister ordinarius Eucharistiæ dispensandæ est solus Episcopus, & Sacerdos. 302. Extraordinarius quondam fuit Diaconus. *Ibidem*. Minister sacrificii nequit esse femina. 340
Minister Sacramenti Pœnitentiæ est solum Sacerdos. 373. Minister, ut valide absolvat, debet habere potestatem jurisdictionis. 389
Minister censuratum quis esse possit. *ibid.*
Minister Extremæ Unctionis, non potest esse laicus. 417. Nec Diaconus, sed Episcopus, & Sacerdos. 418
Minister Sacramenti Ordinis ordinarius jure divino est solus Episcopus. 428
Minister Consecrationis Episcopi quis sit. 450. 451
Miracula a Christo facta testificantur credibilitatem Incarnationis. 5. 6
Missa non facit injuriam sacrificio Crucis. 242. Quomodo sit commemoratio sacrificii Crucis. *ibid.* In Missa adest hostiæ immutatio mystica. *ibid.* Missa est sacrificium simul Lautreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium. 322. In ratione Sacrificii consistit essentialiter in sola consecratione juncta incruentæ oblationi. *ib.* 323. Vide *Valor*. Missa non prodest æque oblata pro pluribus, ac pro uno. 328. 329. Vide. *Valor*. *Sacrificium*. Quænam Missa magis prosit defunctis. 334. Missa solemnis majoris fructus est pro defunctis, quam privata. 335. Vide *Sacerdos*. Missa solemnis, & privata quæ. 338. 339. Privata licite, ac legitime celebratur a Sacerdote. 339
Monstrum quando debeat baptizari, & quando non. 331
Motus quo anima Christi ad inferos descendit. 230. 231
Mulier potest valide, & licite ministrare Batismum in casu necessitatis. 209
Mulier incapax est jure divino, positivo, & naturali sacræ ordinationis, quæ Sacramentum sit. 434
Mundi finis, & signa eum præcedentia. 590. 591. Mundi conflagratio; ejus causa: an sit facienda per ignem: huncque ejusdem speciei cum elementari. 610. 611. Præcessura finale Judicium. *ibidem*. Sed quoad aliquem actum subsecutura. *ibidem*. Conflagrationis effectus. 612. Conflagratio non purgabit Empyreum. *ibidem*. Nec Sydereum, sicut nec alios inferiores Cælos. *ibid.* Bene tamen aereos. *ibidem*. Et elementa, & quomodo. *ibid.* Ignis conflagrationis omnia comburet, terramque & mare penetrabit. 613. Homines tunc viventes sive bonos, sive malos consumpturus est diversimode tamen. *ibidem*. Illa combustio nullum bonis afferet dolorem; indigentibus autem purgatione hanc tribuet, & quomodo tam brevi tempore hæc perficietur. *ibid.*
Mundus post universale Judicium qualis erit. 653. Innovabitur, & accidentaliter perficietur ad hominis glorificati delectationem. *ibidem*. Cælorum motus cessabit. *ibidem*. Cælestium corporum claritas augebitur. 655. Elementa innovabuntur. 656. Unumquodque secundum modum proprium ejus naturæ convenientem. *ibidem*. Planæ Animalia, & mixta non manebunt. *ibidem*. Mundus innovatus non habitabitur a pueris, qui sine baptismo decesserunt. *ibidem*.
Mutatio in materia, & forma Sacramenti est substantialis, & accidentalis. 146. Substantialis reddit Sacramentum invalidum. *ibidem*. Quot modis induci possit. *ibid.* Mutatio quando sit peccatum lethale. 148

N

Natura Humana convenientius assumpta fuit a Deo, quam Angelica, & quælibet alia. 18. Et a Verbo, quam a Patre, & Spiritu Sancto. 19. Terminata est a Verbo immediate per solam subsistentiam relativam, non absolutam. 59. Nec per naturam communem. *ibid.* 60. Cur non dicatur Dei filia. 60. Potest eadem numero assumi a qualibet ex divinis personis divisim. 61. Ab omnibus tribus etiam simul. *ibidem*. 62. Cur terminata propria subsistentia non possit terminari aliena. 63. Unita hypostatice Verbo cur dicatur. 69. 70. Distincta a Divina, adhuc post unitionem, mansit in Christo. 79
Natura Angelica, ut assumeretur a Deo non erat congruum. 18.
Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus quamnam confessionem abrogarit. 364. 365
Neophyti quales dicerentur irregulares. 399
Nestorius. Vide *Hæresis*. De facto negavit unionem substantialem humanitatis cum Verbo. 69. Perperam a quibusdam defenditur.
Numerus septenarius Sacramentorum novæ Legis statuitur ex consensu Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ. 150. Ex Scriptura, & congruentia. *ibid.*

O

Obedientia filiorum erga parentes quando eos obliget, vel non, ad contrahendum matrimonium. 462
Objectum consensus matrimonialis quodnam sit. 490
Oblatio vocalis sive quæ procedit, sive quæ subsequitur consecrationem, non est de essentia Sacrificii Missæ. 323
Oculus corporeus nec glorificatus potest videre Corpus Christi, ut est in Eucharistia. 295. 296
Oleum olivarum etsi consecratum solum a simplici Presbytero, est materia sufficiens Extremæ Unctionis. 413. 414
Opera Christi fuerunt valoris simpliciter infiniti. 28. Quotuplicis generis sint. 50. Quænam dicantur Theandrica. *ibid.* Opera Christi non fuerunt meritoria apud Deum, per solam gratiam unionis. 106
Opera, ut sint meritoria apud Deum, quas conditiones præcipue requirant. *ibid.*
Opera bona viva, per subsequens peccatum mortificantur. 348. 349. Bona vero ex genere suo, sed facta ad homine

fine

sine gtatia, nunquam per pœnitentiam reviviſcunt. *ibidem*. Mortificata, per pœnitentiam reviviſcunt. 351

Opiniones variæ de die, quo Chriſtus ultimum ſuum Paſcha celebravit. 266

Oratio quæ, & a quibus fieri poſſit pro Excommunicatis. 396

Ordinati ab hæreticis, ad Eccleſiam venientes, quomodo in ea reciperentur. 420. Ab exercitio ordinis ſunt ſuſpenſi. 431. Ordinati ante uſum rationis an teneantur ad cælibatum, aliaſque leges Eccleſiaſticas. 437. Ordinatus in ſacris, dum eſt infans non tenetur poſtea ſtatum Eccleſiaſticum eligere. 444. Ordinatus in Sacris cum ignorantia vincibili obligationis continentiæ annexæ, tenetur continere. *ibid.*

Ordinationes factæ ab hæreticis, ſchiſmaticis, ſuſpenſis, excommunicatis, degradatis prorſus illicitæ ſunt. 431

Ordines minores ſunt verum Sacramentum. 465. 466

Ordo, qui eſt Sacramentum imprimit characterem. 162

Ordo publice pœnitentium quadruplex, ſcilicet, Flentium, Audientium, Subſtratorum, & conſiſtentium. 383

Ordo ponendus eſt in Eccleſia. 423. Et quidem diſtinctus ab ordine laicorum. *ibidem*. Definitur. 425. 426. Verum eſt novæ legis Sacramentum. 426. Ordo conſtat aliqua re ſenſibili, tamquam materia, & verbis, tamquam forma. 427. Vide *Miniſter*. Ordo ſuperior (excepto Epiſcopatu) poteſt valide conferri non habenti inferiorem. 357

Ordo imprimit characterem. 438. Ordinum numerus. 412. Eſt ſeptenarius. *ibid.*

Ordo major habet annexam obligationem continentiæ. 440

Oſtiariatus Munera quænam ſint. 468

P

Panis eſt materia neceſſaria Euchariſtiæ. 262. Qui conſecratus ſupererat communioni fidelium, apud Veteres tradebatur parvulis jejunis. 263. Solus panis triticeus eſt materia idonea Euchariſtiæ. 264. Vide *Ritus*. Panis ſubſtantia tota, per conſecrationem, convertitur in corpus Chriſti. 290

Papa non poteſt diſpenſare, ut Sacerdos in una tantum ſpecie conſecret. 324. Quomodo dicatur diſpenſare in iis quæ ſunt de jure divino. 325. Habet poteſtatem plene faciendi indulgentias pro tota Eccleſia. 407

Papa eſt ſuperior Epiſcopis. 451. Jure divino poteſtatem habet inſtituendi, & ordinandi Epiſcopos in toto orbe Chriſtiano, *ibid.*

Parentes non poſſunt, cogere filios ad matrimonium, nec definite, nec indefinite. 462

Parochus nequit deputare ad audiendas confeſſiones ſuorum parochianorum Sacerdotem non approbatum. 375. Nec ſibi poteſt eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum, *ibidem*. Dimittens parochiale beneficium nequit confeſſiones audire abſque nova Epiſcopi approbatione. *ibid.*

Partes Sacramenti quot, & quæ, & quibus nominibus, pro varietate temporum, ſint appellatæ. 143. 144

Partes corporis ungendæ in Extrema Unctione quænam ſint. 413.

Parvulis in Lege naturæ mundabantur ab originali per aliquod verum ſacramentum. 140. In Lege gratiæ indigent Baptiſmo, ut medio neceſſario ad ſalutem. 221. 222. Sunt capaces Baptiſmi. 226. Parvulis in Baptiſmo non conceditur uſus rationis. 226. 227. Parvuli in materno utero adhuc exiſtentes nequeunt baptizari. 227. Decedentes ſine Baptiſmo mittuntur in limbum puerorum. 227. 244

Paſqua Judæorum quando incipiebat. 353. 354

Paſta non eſt materia idonea Euchariſtiæ. 264

Paſſiones animæ fuerunt in Chriſto, aliter tamen, ac in nobis. 52

SS. Patres aſſerunt, unicam cauſam Incarnationis fuiſſe hominum ſalutem. 34. Quo ſenſu dicant, Verbum inhabitaſſe humanitatem. 68. 69. Uſi ſunt nomine mixtionis in explicanda unione duarum naturarum in Chriſto.

Patres qui erant in Limbo, fuerunt actu membra Chriſti. 122. 123.

Patres quo ſenſu appellent Sacramenta ſigilla, & ſigna gratiæ. 136. 137. Patres Affricani, & Orientales probabiliter non peccarunt ex eo præciſe, quod faverint rebaptizationi baptizatorum ab hæreticis. 215. Vix a peccato excuſari poſſunt, ſpectato modo, quo eam tuiti ſunt. *ibid.*

SS. Patres licet per deſcenſum Chriſti facti fuerint eſſentialiter beati, in Cælum tamen admiſſi non ſunt, antequam Chriſtus illuc aſcenderet. 536

SS. Patres veteris legis plura opera fecerunt pro mortuis. 538. 539.

Patres innuentes Sacrificia pro Sanctis offerri quomodo intelligendi. 550. Quando videntur aſſerere ſuffragia non prodeſſe pro defunctis. 113. Docent Sanctos viventium vota non ignorare. 557. Item Sanctos eſſe invocandos. 563. 564.

Patres innuentes cultum Sanctorum. 572. 573

Patres Judicium particulare non agnoſcentes, ideoque animas expectare extraneum Judicii univerſalis diem, in quo pœnas vel præmia recipiant. 331

Patrinus in Baptiſmo ſolemni requiritur. 220. Ejus obligatio. *ibid.* & 221. Quis poſſit eſſe. 221

Patrum monumenta, & traditiones, pro purgatorii exiſtentia. 540. 541. Omnes plene purgati erunt ante ſententiam Chriſti judicantis. 543

S. Pauli verba 1. Corinth. 3. *Si quis autem ſuperædificat &c.* tripliciter explicantur. 539. 540

Paulus Samoſatenus. Vide *Hæreſis*.

S. Paulus non negat invocationem Sanctorum. 564. Bene vero cultum idololatricum Angelorum. 565

Peccata noſtra qua ratione moraliter facta fuerint Chriſti. 23. 24.

Peccata ante Baptiſmum commiſſa, recedente fictione, remittuntur per Baptiſmum quoad culpam, & omnem pœnam. 236. Vide *Fictio*. *Baptiſmum*. *Pœnitentia*.

Peccata lethalia ignorata quando obicem ponant fructui Euchariſtiæ in ſuſcipiente. 30. 31. Peccata mortalia actualia omnia, quoad reatum culpæ remittuntur per pœnitentiam. 346. Venialia non remittuntur ſine pœnitentia ſaltem virtuali. 348. Peccata per pœnitentiam dimiſſa, ſimpliciter non redeunt per ſequens peccatum. 349. Sequentia tamen peccata aggravantur ratione ingratitudinis. 352. 353. Peccatorum tria genera ſolum per publicam pœnitentiam regulariter puniebantur. 383. Peccatum grave exterius actu commiſſum eſt materia cenſuræ. 388

Peccata, quæ infideles ignorantes Deum perpetrarunt, præcepta Legis naturæ violantes, digna ſunt pœna æterna, 534. 535.

Peccata dimiſſa quomodo non noceant, & quomodo eorum non recordetur Deus. 541

Peccatores fideles actu membra ſunt Diaboli; non deſinunt tamen eſſe membra Chriſti in potentia. 122

Peccatum mortale, in genere offenſæ, eſt gravitatis mortaliter ſimpliciter infinitæ. 20. Unum non eſt gravius alio, in ratione formali offenſæ Dei. 22. Originale qua ratione ſit majus peccato actuali. 37. 38

Peccatum cum originale, tum actuale vere deletur, & remittitur per Baptiſmum. 232

Perſona divina Filii ſola eſt incarnata. 58. Patris, & Spiritus Sancti nec mediate eſt incarnata. 59. Perſona quælibet divina diviſim ab alia poteſt naturam humanam, vel aliam creatam aſſumere. 61. Tres perſonæ divinæ poſſunt ſimul aſſumere eamdem numero naturam. 62. In caſu eſſent unus homo. 63. Una perſona divina poteſt aſſumere plures humanitates. 64. In quo caſu eſſet unus homo. *ib.* Perſona Chriſti poteſt dici compoſita. 78. Secus perſona Verbi. 78. 79. Perſona Verbi quomodo ſanctificet Chriſti humanitatem. 105

S. Petrus Romæ commoratus eſt. 451

Photius. Vide *Hæreſis*.

Pœna qua puniuntur pueri ſine Baptiſmo decedentes an ſit ſola damni, an etiam ſenſus. 236

Pœna temporalis, dimiſſa culpa mortali, luenda plerumque ſupereſt, ſive in hac, ſive in alia vita: Plura de hac re exempla. 455

Pœna Purgatorii qualis, & quanta. 545. Pœna damni, & ſenſus, *ibid.* Minima Purgatorii pœna ſive damni, ſive ſenſus excedit maximam pœnam hujus vitæ. *ibid.*

Pœna Damnatorum. Vide *Damnati*.

Pœnitentia non remittit peccata ante Baptiſmum cum fictione ſuſceptum commiſſa. 236. Nempe commiſſa in inſtanti initiativo Baptiſmi, bene vero in terminativo. *ib.* Delet peccata commiſſa poſt Baptiſmum ficte ſuſceptum, recedente fictione, *ibid.*

Pœnitentia unde dicatur. 341. Eſt novæ legis verum Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum. 341. 342. Inſtitutum a Chriſto. 344. Pœnitentia interior quid ſit. 345. Eſt vera virtus. *ib.* Et quidem ſpecialis, *ibid.* Pariter ad juſtitiam commutativam, ut pars potentialis tantum. *ibidem*. Eſt virtus infuſa. *ib.* Non tamen Theologica. 346. Objectum ejus quodnam ſit. *ibid.* Pœnitentia interna inducit remiſſionem omnium peccatorum, quoad culpam. *ibid.* Extra Sacramentum charitate perfecta remittit peccata diſpoſitive. 347. Intra Sacramentum conjuncta abſolutioni remittit efficienter inſtrumentaliter. *ibid.* Pœnitentia non meretur de condigno remiſſionem peccatorum. *ib.* Pœnitentia tollit reatum pœnæ æternæ; non tamen ſemper omnem reatum temporalis. *ibid.* Pœnitentia omnes virtutes homini reſtituuntur, non ſemper tamen in æquali gradu. 349. 350. Vide *Opera*. Pœnitentia non facit hominem ſemper reſurgere ad totum phyſicum gratiæ, & meritorum gradum, quo ante lapſum eminebat. 350. Pœnitentia publica alia erat imperata ab Eccleſia, alia voluntarie a pœnitentibus petita. 383. Pro quibus generibus peccatorum infligeretur. 384. Pro ſolis peccatis publicis infligebatur, *ib.* Pœnitentia publica diſtinguitur a ſecreta, ſeu ſacramentali. 388

Pœnitentiæ virtus non fuit in Chriſto. 114. Quoad habitum eſt in Beatis. *ibid.*

Polygamia ſimultanea eſt contra legem Naturæ. 491. Primi qui eam in orbem invexerunt fuerunt Lamech, & ex fidelibus Abraham. 492. Tempore legis Naturæ, & Patriarcharum fuit licita. *ib.* Per legem Evangelicam omnino ſublata eſt. 494

Polygamia ſucceſſiva licita. 495. Patres Latini eam admittentes. *ib.* Græci quid ſentiant. 495. 496.

Populus concurrere poteſt ad electionem Epiſcopi. 454

Poteſtas juriſdictionis neceſſaria eſt Sacerdoti ad valide abſolvendum. 373. Poteſtas Ordinis realiter diſtinguitur ab illa juriſdictionis, *ib.* Juriſdictionis quid ſit, & quomodo differat ab illa Ordinis. *ib.* Poteſtas ferendi cenſuras quibus competat. 389. 390

Poteſtas nulla inferior divina ſupplere poteſt conſenſum ad matrimonium requiſitum. 491

Poteſtas Eccleſiæ irritandi clandeſtina matrimonia. 485. Hanc negare hæreticum eſt. *ibid.*

Poteſtas ſæcularis quomodo ſe habeat in ſtatuendis matrimonii impedimentis. 510. 511

Præceptum de pueris baptizandis quale ſit. 227

Præceptum de præmittenda confeſſione ſacramentali ei, qui eſt in peccato mortali, ut digne ſumat Euchariſtiam, antiquum eſt. 308. Præceptum divinum de communione aliquan-

quando ſumenda ab adultis. 316. 317. Præceptum Eccleſiaſticum de ſumenda communione, ſaltem ſemel in anno, id-eſt, in Paſchate a Fidelibus adultis. 317. Non impletur per communionem ſacrilegam. *ib.* Præceptum contritionis non obligat ſtatim poſt peccatum mortale. 361. Obligatione intrinſeca obligat per ſe, in articulo mortis vero, vel præſumpto. 362. Probabilius eſt, per ſe obligare etiam aliquoties in vita. *ibid.* Quando obligat per accidens. *ibidem*. Præceptum confeſſionis ſacramentalis quo tempore ſit adimplendum. 366. Satis fit præcepto per confeſſionem factam per nutus vel ſcripto Sacerdoti præſenti. 367. Non impletur per confeſſionem ſacrilegam, bene vero per validam, ſed informem. *ibid.* Tale præceptum non obligat infideles. *ibid.* Obligat de jure divino omnes fideles, lapſos in mortali poſt Baptiſmum. *ibid.* Secus fideles confirmatos in gratia. *ibid.* Quibus aliis in caſibus obliget. 368

Præceptum Matrimonii, cujus juris ſit. 472. Quomodo obliget, & quando. *ibid.*

Prædicationes variæ de Chriſto quænam veræ, & quænam falſæ ſint. 76, 77

Præſentia vera, & realis Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia demonſtratur ex verbis Chriſti. Joann. 6. *Ego ſum panis &c.* 283. Ex verbis inſtitutionis Euchariſtiæ. 284. Ex Patribus, & præſcriptione, ac Eccleſiarum omnium conſenſu. 286. Præſentia hujuſmodi non poteſt argumentis philoſophicis expugnari. 287. 288

Praxis Eccleſiæ Græcæ, in conferenda Extremæ Unctione. Vide *Eccleſia*. Latinæ cura & legitima praxis eſt conferendi hoc ſacramentum iis infirmis, de quorum vicina morte timetur, non autem ultimam vitæ periodum expectare. 420. 421

Presbyteratus multiplex ſignificatio. 457. Eſt verus Ordo, & Sacramentum novæ legis: *ibidem*, & 458. Ejus materia adæquata eſt impoſitio manuum, & traditio inſtrumentorum &c. *ibid.*

Presbyteri quonam ſenſu quandoque appellentur Epiſcopi, & ab ipſis non diſtinguantur. 406. Presbyterorum officia quæ. 461

Probitas non requiritur in Miniſtro, ut valide perficiat Sacramentum. 176. Requiritur in Miniſtro ſolemnitatis, ut licite adminiſtret Sacramentum. 258. 259. Secus in Miniſtro neceſſitatis, & non conſecrato. 180

Productio Chriſti explicatur. 65. In quo inſtanti facta ſit. 66

Proles ex matrimonio ficte contracto ſuſcepta. 484

Prophetiæ de Meſſia, tum in verbis, tum in factis conſiſtentes, in Jeſu Nazareno adimpletæ oſtenduntur. 12. Prophetiæ gratia fuit in Chriſto. 114. Prophetia quid exigat. *ibid.*

Propoſitio: Chriſtus quatenus homo, eſt Filius Dei adoptivus, qua cenſura notanda ſit. 102. 103

Propoſitiones quædam damnatæ. 359. 362. 371. 372. 375. 379. 380.

Proprietates characteris ſacramentalis quæ, & quot ſint. 154

Pueri in limbo detenti, nullo modo ſunt membra Chriſti. 122. Pueri in utero matris ſtatim ac vivere incipiunt, poſſunt dici membra Chriſti in potentia. *ibid.*

Pueri baptizati, ante uſum rationis valide, ſed non licite ordinari poſſunt. 436

Purgatorium dari de fide eſt. 538. 539

Puritas carnis præmittenda eſt Sacræ Communioni. 310

Q

Quantitas valoris Sacrificii Miſſæ unde penſetur. 327. 328. Vide *Valor*.

Quantitas fructus indulgentiæ unde ſumatur. 404. 405

R

Rabbi Samuel fatetur, vaticinium Danielis ſecundum adimpletum eſſe in Jeſu Nazareno. 12

Raptus prout impedimentum Matrimonii. Vide *Impedimentum*.

Reatus omnis pœnæ, etiam temporalis, aufertur per Baptiſmum. 238

Reatus. V. *Pœnitentia*.

Rebaptizatio baptizatorum ab hæreticis, a quo, & quando incœperit. 214. 215. Ad meram diſciplinam ſpectare putabant eam Patres, qui tuebantur. 215. Primo proſcripta fuit in Concilio Arelatenſi Primo. 217. 218

Regulæ quædam circa vinum conſecrandum. 371. 372. Circa verba conſecrationis, quoad praxim. 279. Circa celebrantem, quibuſdam in caſibus. 325. 326. Circa eleemoſynam Miſſæ. 328. 329

Reliquiæ Sacræ: Qui circa earum cultum erraverint. 581. Venerandas eſſe ſtatuit Eccleſia, & docent SS. Patres. *ibid.* Calvini aliorumque hæreticorum ſophiſmata Reliquiarum cultum impugnantia ex SS. Patribus ſoluta. 582

Remedium pro reparatione humani generis inſtitutum, Deus ſtatim revelavit poſt Adami peccatum. 139. 140. Non fuit pro parvulis in Lege naturæ fides mere interna, ſed ſigno ſenſibili manifeſtata, adeoque verum Sacramentum. 140

Reſurrectio generalis. 613. Errores Gentilium, Sadducæorum Manichæorum, Albigenſium, Porphirii circa ipſam. *ibid.* Aſſeritur tamquam Catholica veritas, & probatur ex Scripturis, & congruentiis. 614. Quæ ex Scripturis obſtare videntur ſolvuntur. *ibid.* 615. Reſurrectio ex privilegio anticipata aliquorum. 615. Stabilitur generalis omnium reſurrectio, his exceptis, quibus fuit anticipata. *ibid.* Et probatur ex Scripturis. *ibid.* Contra generalem omnium reſurrectionem objecta diluuntur. 617. 618

Reſurrectio eſt ſimpliciter miraculoſa, & ſolum ſecundum quid naturalis, & probatur. 617. Non eſt naturali ratione cognoſcibilis nec ab Homine. *ib.* 618. Nec ab Angelo tamquam futura. *ibid.*

Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis noſtræ, & in quo genere. 618. Quæ obſtant diluuntur. *ibidem*. Angelorum actio circa Reſurrectionem noſtram. Vide *Angeli*, Tempus Reſurrectionis generalis erit in fine Mundi. 619. Apocalypſis textus, in quo erraverunt hæretici, & aliqui veteres Patres diverſimode tamen ab hæreticis ſentientes. *ibidem*. Reſurrectionis tempus eſt occultum. 621. Nec naturali ratione, nec revelatione cognoſci poteſt. *ibidem*. Neque ignoratur ſolum hora, vel dies, ſed annus quoque, luſtrum, & ſæculum. *ibidem*. Rejicitur opinio ſuſtinentium Mundi durationem ſex annorum millibus eſſe complendam. *ibid.* Eorum pariter, qui cum Gregorio, aſſignant Mundo ætates juxta horas cultorum Vineæ Evangelicæ. *ibid.* Eorum quoque, qui ex aliis Capitibus Mundi finem determinare conantur. *ibid.* & 622. Reſurrectio quod ad id quod miniſterio Angelorum peragetur, non erit in Inſtanti indiviſibili, bene tamen quoad id, quoad immediate Divina virtute fiet, *ibid.* Reſurrectionis locus quinam ſit futurus, an iſte in quo corpora quoad majorem ſui partem jacebunt, an Vallis Joſaphat Problematice utraque pars ſuſtinetur. 623. Reſurrectionis terminus a quo eſt Mors; ideoque omnes omnino qui reſurgent, prius erunt morituri. *ibid.* Etiam hi morituri ſunt, qui vivi reperientur in adventu Judicis. 624. explicantur duo textus D. Pauli, qui videntur oppoſiti. *ibid.* Mens quoque D. Auguſtini aperitur. *ibid.* Henoch, & Elias, Antichriſtus, ejuſque miniſter, morituri ſunt. 625. Datham & Abiron mortui ſunt, *ibid.* Reſurrectio erit ex cineribus, quidve per cineres intelligendum. *ibid.* In cineribus nulla eſt inclinatio naturalis ad reſurrectionem, bene vero in anima ſeparata ad ſuum corpus, & quare. *ibid.* Reſurrectio erit animæ ad idem numero Corpus conſtans iiſdem carne, pelle, oſſibus, & nervis &c. *ibid.* Philoſophorum, & Hæreticorum errores circa hoc. 625. Identitas Corporis reſumendi ab Anima probatur ex DD. Gregorio, Hieronymo, & Thoma. *ibidem*. Quomodo ſalvetur identitas corporis reſurgentis in Antropophagis humanas carnes comedentibus. *ibid.* 627. Reſurget idem numero Homo qui prius erat. 627. Ad identitatem corporis ſervandam quid ſit neceſſe, quidve congruentius fiet. 628. Partes omnes formales reſurgent, non autem materiales; ibique clarificatur doctrina ſupra data de Antropophagis. *ibid.* Membra omnia humani corporis reſurgent. 629. Item capilli, & ungues. *ibidem*. Similiter, & quatuor humores. 630. Non autem urina, ſudor, fæces. *ibidem*. Reſurgentium corpora erunt ſicut in juvenili ætate. *ib.* Etiam damnatorum. *ibid.* Non tamen in eadem, nec æquali ſtatura, ſed qua. 631. Etiam infantium. *ib.* Nego reſurget in vita animali. 632. Erunt in Homine poſt reſurrectionem actus ſenſuum, & quomodo. 633. Corporum beatorum qualitates, ſeu dotes explicantur. *ibid.* Etiam corpora damnatorum reſurgent incorruptibilia. 634. Impaſſibilia erunt paſſione naturæ, paſſibilia paſſione animæ. *ibid.*

Ritus in Sacramentis adhibendis ab Eccleſia præſcripti, nequeunt a quoquam licite immutari. 186

Ritus Baptiſmi quinam ſint. 237. Defenduntur contra hæreticos. 238

Ritus Confirmationis apud Græcos. 259. Apud Latinos. *ib.*

Ritus veteres circa panes conſecrandos. 226. Conſecrandi in fermentato apud Eccleſiam Orientalem eſt rationabilis. 270. 271. Sed conſecrandi in azymo, ſicut apud Occidentalem, eſt convenientior, & rationabilior. 271. Ritus offerendi ſacrificium pro defunctis apud Antiquos. 334

Roma quomodo Babylon in Apocalypſi, & a Div. Hieronymo dicta. 560

S

Sacerdos celebrans in mortali, duplex committit peccatum lethale. 216. Miniſtrans Sacramentum Pœnitentiæ etiam moribundo in peccato mortali, peccat mortaliter. *ibid.* Miniſtrans Euchariſtiam in mortali, probabilius, mortaliter peccat. 180. Vide *Miniſter*.

Sacerdos poteſt valide conſecrare quamcumque maximam quantitatem panis, & vini. 262. 263. Quantam teneatur licite conſecrare. 263. Debet determinare materiam, quæ conſecranda eſt, *ibidem*. Eſt miniſter ordinarius Euchariſtiæ conficiendæ, & diſpenſandæ. 301. 302. Quando licite poſſit non jejunus ſumere Euchariſtiam. 309. 310. Sacerdos celebrans, jure divino tenetur utramque ſpeciem conſecrare. 323. Utramque etiam ſumere. 326. Apparens poſt conſecrationem miraculoſe Corpus Chriſti ſub ſpecie carnis, quomodo Sacerdos ſe gerere debeat. *ibidem*. Item qualiter gerere debeat in quibuſdam caſibus. *ibidem*. & 327. Sacerdotes ſibi ſunt Euchariſtiæ conſecrandæ validi miniſtri. 654. Plures poſſunt ſimul eandem hoſtiam conſecrare. 337. Sacerdos malus, ideſt in peccato mortali exiſtens, valide conſecrat. 338. Sacerdos hæreticus ſchiſmaticus, excommunicatus, ſuſpenſus, rite tamen ordinatus, valide conſecrat ſed indigne. 337. 338. Degradatus quoque poteſt perficere Euchariſtiam. 338. A Sacerdote hæretico non licet ſuſcipere Communionem, aut Miſſam audire. *ibidem*. Item nec a Sacerdote publice fornicario. *ibidem*. Sacerdos, Miſſam privatam, in qua ſolus communicat, legitime, & licite operatur. *Ibidem*. Nequit ſatisfacere abſque aliquo reſpondente, & miniſtrante. 340. Et quidem viro. *ib.* Sacerdos quomodo ſe gerere

debeat in administrando Sacramento Pœnitentiæ moribundo. 370. 371. Solus est minister Sacramenti Pœnitentiæ. 373. Sacerdos, ut valide absolvat, debet esse approbatus ab Episcopo. 375. Ut excipiat confessiones Monialium debet specialiter ad illas, ab Episcopo approbari. *ibid.* Approbatus in una diœcesi non potest confessiones in alia audire, si in illa non approbetur. *ibidem*. Sacerdos vere absolvit pœnitentem a peccatis. 376. 377. Vide *Absolutio. Forma*.

Sacerdos est minister extremæ Unctionis. 418. Qui tamen habeat jurisdictionem in infirmum. *ibidem*. Quilibet Sacerdos urgente mortis periculo, & absente Parocho, vel quovis habente potestatem, potest licite eam administrare, etiam Regularis. 418. Unus tantum Sacerdos valide hoc Sacramentum confert. *ibidem*. Sacerdotes plures ad hoc non sunt necessarii ex aliquo præcepto divino. *ibid.* Sacerdotes septem advocantur apud Græcos ex mandato Ecclesiæ, ad hoc Sacramentum conferendum. *ibidem*. Plures etiam olim advocabantur in Ecclesia Latina. *ibidem*. Modo unus etiam extra casum necessitatis, in Latina adhibetur. *ibidem*. Plures illi Sacerdotes quid olim agerent in ministerio ungendi infirmum. *ibid.*

Sacerdos non potest hominem ad munus consecrandi ordinare, nec Diaconum consecrare. 429. Simplex Sacerdos ex dispensatione Romani Pontificis potest esse minister extraordinarius Ordinum minorum usque ad Subdiaconatum. 432. Non vero Diaconatus, & Presbyteratus. 433. 434

Sacræ Scripturæ cur non sit Sacramentum. 136. 137

Sacra Scriptura testimonia pro descensu Christi ad inferos ut justos ibi detentos inde liberaret. 532

Sacræ Scripturæ loca, præsertim novi Testamenti, innuentia Purgatorium. 539. Sacræ Scripturæ testimonia quæ videntur Purgatorium negare quomodo intelligenda. 541. 542

Sacramenta necessaria sunt, necessitate convenientiæ, ad hominum salutem. 138. Sacramenta non fuerunt instituta pro statu Innocentiæ, qui de facto fuit. *ibidem*. Nec fuissent, verosimilius est, in eodem statu, si perseveraſſet. 139. Sacramenta aliqua fuerunt in Lege naturæ, tum pro parvulis, tum pro adultis. 141. 142. Sacramenta vera fuerunt in Lege Moysis. 142. Quænam, & quot fuerint. *ibid.* Sacramenta Mosaica fuerunt omnibus necessaria, sola necessitate præcepti. *ibid.* Quandonam cessarunt. *ibid.* Solum a sufficienti Evangelii promulgatione cœperunt esse mortifera. *ibid.* & 143. Sacramenta convenientissime sunt instituta in Lege nova. *ibid.*

Sacramenta novæ Legis nec plura, nec pauciora sunt, quam septem. 141. Inter ea potissimum est illud Eucharistiæ, ordine dignitatis. 151. 152. Baptismi via necessitatis. *ibid.*

Sacramenta novæ Legis causant immediate gratiam in suscipiente. 153. Ex opere operato. *ib.* Sunt instituta ad causandam gratiam habitualem, & sanctificantem. 154. Sacramenta aliqua per se conferunt primam gratiam; alia vero per se solum secundam. *ibidem*. Quodlibet illorum producit gratiam specialem sibi propriam. *ibid.* & 155. Sacramenta vivorum aliquando possunt per accidens conferre primam gratiam. *ibid.* Id specialiter tribuitur Eucharistiæ, Confirmationi, Extremæ Unctioni. 156. Sacramenta novæ Legis sunt instrumenta divinæ virtutis non solum moralia, sed & physica, ad causandam gratiam. *ibid.* Sacramenta, recedente fictione causant gratiam solum moraliter. 157. Elevantur a Deo vi, & motione spirituali ad physice causandam gratiam. 158. Sacramenta vetera conferebant gratiam solum ex opere operantis, non vero ex opere operato. 159. 160. Sacramenta novæ Legis quædam imprimunt characterem. 162. Quædam non. 163. Omnia fuerunt immediate a Christo instituta. 166. Vide *Minister. Fides. Intentio. Probitas*.

Sacramenti partes quot, & quæ, & quibus nominibus appellatæ fuerint. 142. 143. Sacramenta omnia novæ Legis constant aliquo, tamquam materia, & aliquo tamquam forma. 143. 144

Sacramentum sumitur pro pignore. 135. Pro instrumento. *ibidem*. Pro secreto. *ibidem*. Sacramentum in Scripturis Sacris quid sonet. *ibidem*. Apud Theologos ejus acceptio. *ibidem*. Apud hæreticos. *ibid.* Sacramenti definitio Lutheranorum rejicitur. 136. Zuinglianorum, Phanaticorum, Anabaptistarum, & Calvini explicationes Sacramenti explodunter. *ibid.* Sacramenti in genere definitio. 137. Sacramentum est in genere signi. *ibid.* Est signum sensibile. *ib.* Sacramentum abstrahens a Sacramentis veteris, & Legis novæ abstrahit a ratione signi practici, vel speculativi. *ibid.* Veteris Legis est signum speculativum. *ibid.* Novæ Legis est signum practicum. *ibidem*. Sacramentum veteris Legis verum est sacramentum. 138. Sacramentum vere tale quid requirat. *ibid.*

Sacramentum initerabile quando possit sub conditione iterari. 149.

Sacramentum licite a quocumque peti potest, etiam extra casum necessitatis, a proprio Parocho; imo a quolibet Sacerdote parato ad ministrandum, etsi prudenter credatur uterque esse in peccato mortali, dummodo alius non adsit Minister. 180. Licite peti non potest, nec recipi a Ministro malo non tolerato ab Ecclesia, nisi in casu necessitatis, seclusa scandalo. 181

Sacrificia cur fuissent in statu innocentiæ, si perduraſſet. 138. 139.

Sacrificia pro mortuis in lege Mosaica, sub Sacrificiis pro peccatis comprehendebantur. 539

Sacrificium quid sit. 318. Quotuplex. *ib.* Vide *Eucharistia*. Sacrificium Crucis quomodo consummavit sanctificationem nostram. Vide *Missa. Valor. Regulæ*.

Sacrificium Soli Deo offertur. 329. Offerri potest pro omnibus hominibus mortalem vitam agentibus. 330. Non potest sine impietate offerri pro damnatis in Inferno. *ib.* Non offertur pro Beatis in remissionem culpæ, vel pœnæ, sive ad gratiam, & gloriam eis essentialem impetrandam vel augmentum ejus. 332. Sed in gratiarum actionem. *ib.* Valde prodest defunctis in Purgatorio existentibus. 333

Sancti in cælo beati orant pro Animabus Purgatorii. 553

Sancti cum Christo regnantes preces cognoscunt, quæ ad eos a viventibus diriguntur. 557. Opiniones variæ circa modum quo cognoscunt. 558. Orant pro viventibus in genere, & etiam in particulari: Scripturæ testimonia in hac parte, & quare obscura sint. 559. Merita, quæ sibi in hac vita Sancti compararunt, possunt prodesse viventibus: Loca Scripturæ pro hac re. 561. Orationes Sanctorum expresse semper exaudiuntur. *ib.* Sanctos invocare non licet ut auctores gratiæ. 562. Neque ut immediatos intercessores apud Deum. *ib.* Quomodo sint invocandi. 563. Mandatum, Exemplum, Promissio de invocatione Sanctorum ex Scriptura. 565. Invocatio Sanctorum non est superstitio. 566. Loca Scripturæ pro cultu Angelorum, & Sanctorum. 572

Sanctitas. Vide *Anima Christi*. Sanctitatis effectus formales qui. 103. 104

Satisfactio ad æqualitatem, pro offensa mortali irrogata Deo, nequit reddi a puro homine. 20. Vide *Creatura*.

Satisfactio Christi pro nobis data Deo, fuit æqualis offensæ, æqualitate strictæ justitiæ, imo superabundans. 24. Satisfactio ex stricta justitia quas requirat conditiones. 26. Satisfactio Christi non potuit non acceptari a Deo. *ibidem*. Fuit ad alterum. 27. Fuit ex bonis propriis, & sub ejus dominio positis. 27. Fuit ex indenitis. 28. Fuit valoris simpliciter infiniti. *ibid.* Habuit honestatem aliarum virtutum. *ibid.*

Satisfactio pro peccatis quid sit. 380. Alia est sacramentalis, alia non. *ib.* Satisfactio hominis pro pœna temporali peccato debita potest esse de condigno. *ib.* Non autem de toto rigore justitiæ. *ib.* Satisfactionis conditiones. *ib.* Satisfactio, ut ordinata ad medicinam, non potest ab uno fieri pro alio homine. *ib.* Secus ordinata ad solutionem debiti. *ib.* Etiamsi sit satisfactio sacramentalis. 430. Satisfactio est pars vera Sacramenti pœnitentiæ. *ib.* Non essentialis, sed integralis. *ib.* Satisfactionis sacramentalis triplex effectus ex opere operato. *ib.* Acceptari, & impleri debet a pœnitente. 380. Data ab uno Sacerdote quando, & quomodo possit ab altero commutari. *ibid.*

Schisma Donatistarum unde ortum habuerit. 176

Scientia creata fuit in Christo. 82. Increata non potuit esse in Anima Christi. 83. Beata, qua intuitive videtur Deus, fuit in Anima Christi corpori mortali unita. 84. In instanti conceptionis Christi. *ibid.*

Scientia infusa quæ, & quotuplex. 86. 87. Per se infusa, fuit in Christo. 538. 539

Scientia acquisita quæ sit. 88. Fuit in Christo. *ibid.* Scientia beata Animæ Christi, quot, & quæ cognoscat, ac quomodo in Verbo. 92. Cognoscit omnia, quæ continentur in potentia creaturæ. 93. 94

Scientia infusa Christi cognovit omnia entia, etiam secundum eorum individuationes. 94. 95. Cognovit secreta cordium, & futura contingentia. 95. Cognovit clare, & distincte effectus supernaturales, lumen gloriæ, visionem beatam, imo, probabiliter, comprehensive. 96. 97. Cognovit Deum ut Trinum. 98. Scientia infusa Animæ Christi, quantum ad sui acquisitionem, non potuit esse collativa, aut discursiva. *ibid.* Quoad aliquid fuit magis, & minus perfecta illa Angelorum. *ibid.* Fuit in Christo non solum per modum habitus. 99. quidem multiplicis. *ibid.*

Sectæ variæ ortæ hæresi Eutichiana. 79

Sensus non falluntur circa Eucharistiam. 292

Sepultura pia, & bona est, eam commendat Scriptura, & quare. 554. Sepulturæ ordinatus, & pompa animæ per se non prodest, sed per accidens. 555

Serpens Æneus cur non fuerit verum Sacramentum. 137

Servi, domino non consentiente, valide quidem ordinantur, sed non licite. 437

Sigillum Confessionis Sacramentalis quid sit. 375. Nequit in ullo, quamvis gravissimo casu a Confessario violari. *ibid.* Vide *Confessarius*.

Signa finem Mundi præcessura. 608. 609. Solis, & Lunæ obscuratio. 609. Non adventu Judicis; sed ante, nec per naturalem Eclypsim. 609. Tempus talis obscurationis. *ibidem*. Casus stellarum. *ibid.* Cælestium virtutum commotio. *ibid.*

Signum quid sit, & quotuplex. 136. Quod est Sacramentum, quale sit. 137

Signum Crucis. Vide *Crux*.

Signarum Populus non conservavit unius veri Dei fidem per duo circiter annorum millia, ante Christum natum. 131. 132.

Sociniani. Vide *Hæresis*.

Spes theologica non fuit in Christo. 112. 113

Sponsalia, unde dicta, variæ hujus nominis significationes, & quid sint. 506. Debent esse facta a contrahentibus. *ibid.* Debent esse vera, deliberata, signis exterioribus expressa, libera, mutua. *ibid.* Cur sponsalia matrimonio præmittantur. *ibidem*. Sponsalium ritus antiquitas. *ibidem*. Non necessaria ad validitatem Matrimonii. *ibidem*. Locus, & coram quo celebrari debeant. *ibidem*. Absolute contracta obligant ad Matrimonium. 507. Ætas requisita ad sponsalia contrahenda. *ibid.* Invalide contrahuntur ab his qui prohibentur matrimonium contrahere ob impedimentum dirimens, vel etiam prohibens. *ibid.* Sponsalia dirimi possunt. *ibid.* Varii casus quibus dirimuntur. 408. Sponsalia dirimuntur per votum simplex castitatis, sive antecedens, sive consequens sit. *ibid.*

Status innocentiæ habuit Sacrificia, sed non Sacramenta. 138 139. Quæ

139. Quæ nec habuiſſet ſi perduraſſet. *ibidem*. Status Legis naturæ habuit remedium pro peccato. 140. Habuit pro delendo in parvulis originale verum Sacramentum. *ibid.*
Subdiaconatus eſt Ordo. 464. Qualiter dicatur inſtitutus a Chriſto. 466. Probabilius eſt, eſſe vere Sacramentum. *ib.* Ejus materia, & forma. 466. 467
Subdiaconus ex officio, & ſolemniter cantans Epiſtolam in peccato mortali lethaliter peccat. 180
Subjectum characteris Sacramentalis quodnam ſit. 165
Subjectum Confirmationis eſt ſolus homo baptizatus, 254. Et quidem convenientius habens uſum rationis. 255
Subjectum cenſuræ quodnam ſit. 390. 391. Quaſnam conditiones requirat. *ibid.*
Subjectum Sacramenti Ordinis nequit eſſe mulier. 434. Debet eſſe maſculus, & quidem baptizatus. 436
Subjectum Extremæ Unctionis apud Græcos quis ſit. 419. Apud Latinos. *ibid.*
Suffragia quæ pro uno fiunt quomodo valeant pro aliis. 334. 335. Simpliciter magis valent pro eo, pro quo fiunt. *ibid.*
Suffragia & orationes vivorum nec animabus in Limbo prodeſſe, nec Damnatis, nec Beatis. 539. Opiniones aliquorum ponentium ſuffragia vivorum prodeſſe damnatis, *ibidem*. Suffragia proſunt Animabus Purgatorii. 551. Explicantur quædam Scripturæ loca, quæ videntur contrarium innuere. 552
Suſpenſio quid ſit, & quotuplex. 397
Suſpenſus ab Ordine ſuperiore non intelligitur ſuſpenſus ab inferiore, *ibid.*

T

Tempus obligationis Baptiſmi quando cœperit. 210. Conferendi Baptiſmum ſolemnem. 237
Tempus paſchale, pro adimplendo præcepto de ſacra Communione, quodnam ſit. 317
Terminus totalis per Incarnationem, ut actio eſt, productus, & formalis quinam ſit. 65
S. Thomas comparat Incarnationem infertioni. 2. Docet, Deum non mutari, & quare, in Incarnatione. *ibid.* Dari proportionem inter Deum, & naturam humanam, ut poſſint uniri. *ibidem*. Cur non poſſit Deus aſſumere. 2. 3. Quomodo dicatur Deus unitus ſubſtantialiter humanitati. 3. Quid ſit miraculum. 5. Oſtendit cur non debuerit Deus incarnari ſtatim poſt Adæ peccatum. 13. 14. Diabolum impeditum fuiſſe, ne cognoſceret Chriſtum conceptum, & natum ex Matre Virgine. 15. Solum conjecturaliter cognoviſſe Jeſum eſſe Filium Dei. *ibid.* Docet, multis Gentilium factam fuiſſe revelationem de Chriſto. 16. 17. In Incarnatione apparere Dei juſtitiam, & bonitatem. 17. 18. Deum aliter tradidiſſe Chriſtum, ac tradiderint Judas, Pilatus, Judæi. 18. Deum non eſſe crudelem, exigentem ab homine ſatisfactionem debitam pro offenſa. *ibid.* Hominis redemptionem convenientius factam fuiſſe per Verbum, quam per aliam divinam perſonam. 19. Satisfactionem condignam pro peccato mortali non poſſe dari Deo, niſi a Deo homine. 20. Merito de condigno purum hominem non poſſe mereri alteri primam gratiam. 21. 22. Charitatem hominis viatoris non poſſe pertingere ad charitatem quam habet homo in Patria. 23. Charitatem Chriſti majorem fuiſſe malitia crucifigentium. 26. Chriſti Paſſionem fuiſſe ſuperabundantem ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris. *ibidem*. Carnem Chriſti habuiſſe dignitatem infinitam. *ibid.* Compenſationem ex gratitudine plus impendere debere, quam ſit acceptam. 26. 27. Beatiſſimam Virginem meruiſſe de congruo Dei maternitatem. 32. In Conceptione Chriſti ſolum materiam miniſtraſſe. *ibidem*. Vere dici mater Dei. *ibid.* Aſſerit, in Scriptura ubique aſſignari ex peccato Adæ rationem Incarnationis. 34. Docet, Chriſtum fuiſſe Caput Eccleſiæ, ſolum ſecundum naturam divinam, ante peccatum. 36. Chriſtum veniſſe, ob delendum non ſolum peccatum originale, ſed etiam actuale. 37. Peccatum originale eſſe majus extenſive actuali. 38. Peccato originali non deberi in futura retributione pœnam ſenſus. *ibidem*. Chriſtum habuiſſe verum, & terrenum corpus, non cæleſte. 40. Cur Verbum debuerit naſci ex matre Virgine manente. 44. 45. S. Joſeph quomodo dicatur Pater Jeſu. 45. 46. Docet, Verbum aſſumpſiſſe animam humanam, *ibid.* Mentem præditam. 47. Refert quid ſenſerint Monothelitæ. 49. 50. Et impugnat. *ibidem*. Videtur ſentire, omnes in Chriſto operationes fuiſſe Theandricas. 50. Oſtendit, Chriſtum habuiſſe defectus corporales, communes toti ſpeciei humanæ naturæ. 51. Secus defectus provenientes in aliquibus ex cauſis particularibus. *ibidem*. Chriſtum habuiſſe faciem non deformem, nec nimis pulchram, ſed proportionatam. 52. Oſtendit, in Chriſto fuiſſe paſſiones animæ. *ibidem*. Non fuiſſe defectum peccati. 54. Perſonam eſſe principium, & terminum in aſſumptione naturæ humanæ. 58. De perſona poſſe plura prædicari. *ibidem*. Perſona divina qualiter dicatur conſtitui per naturam humanam. *ibidem*. Aſſumptio quomodo conveniat toti Trinitati, 59. Docet, quamlibet ex divinis perſonis ſeorſim poſſe aſſumere humanam naturam. 61. Omnes tres divinas perſonas poſſe ſimul eamdem numero aſſumere naturam humanam. *ibidem*. 62. Et tunc ceſſet unus homo. 63. Unam divinam perſonam poſſe plures aſſumere humanitates. *ibidem*. Unionem hypoſtaticam non eſſe modum abſolutum, realiter diſtinctum ab humanitate, & Verbo. 64. Differentiam aſſumptionis, unionis, & Incarnationis. *ibidem*. Non poſſe dici; *Chriſtus incipit eſſe*. *ibid.* Concipi, & naſci perſonæ attribui. *ibid.* Quando poſſet negari, B. V. eſſe matrem Dei. *ibidem*. Corpus fuiſſe a Verbo aſſumptum in eodem inſtanti quo fuit formatum, & animatum. 65. 66. Unionem Verbi factam eſſe in hypoſtaſi. 68. 69. Naturam humanam Chriſti non habere propriam perſonalitatem. *ibid.* Vere, & proprie dici: Deus eſt homo, homo eſt Deus. 75. Cur divinæ perſonæ non prædicantur invicem. *ibidem*. De Chriſto non poſſe dici; Homo Dominicus. 76. Poſſe dici: Deus factus eſt homo. *ibid.* Quomodo poſſit dici: Homo factus eſt Deus. *ibid.* Non eſſe abſolute dicendum: Chriſtus eſt creatura. 77. 78. Quomodo poſſit dici, Chriſtus ſecundum quod homo eſt Creatura. *ib.* Et ſecundum quod homo, eſt Deus, eſt hypoſtaſis, vel perſona. *ib.* Oſtendit qua ratione perſona Chriſti dicatur compoſita. 71. 72. Non eſſe factam converſionem naturarum in Chriſto. 81. In Chriſto fuiſſe ſcientiam creatam. 82. Chriſtum in ſua conceptione non accepiſſe gratiam ad menſuram. 84. 85. Non meruiſſe gratiam, ſcientiam, beatitudinem, divinitatem. *ibidem*. Fuiſſe ſimul viatorem, & comprehenſorem: *ibid.* Non indiguiſſe abſtractione a ſenſibus, ut videret Deum, ſicut indigent alii homines. 85. 86. In Chriſto fuiſſe ſcientiam infuſam. 87. Scientiam acquiſitam. 88. Hanc non didiciſſe nec ab hominibus, nec ab Angelis, ſed habuiſſe per inventionem. 90. Docet, animam Chriſti non comprehendere poſſe eſſentiam divinam. *ib.* 91. Per ſcientiam beatam cognoſcere in Verbo omnia, quæ ſunt, fuerunt, erunt. 92. Omnia etiam, quæ ſunt in potentia creaturæ. 93. 94. Clarius qualibet creatura vidiſſe eſſentiam divinam. 94. Cognoviſſe, per ſcientiam infuſam, omnia entia naturalia diſtincte, & quoad eorum individuationem. *ibid.* Cognoviſſe cogitationes cordium, & futura contingentia. 95. 96. Scientiam infuſam Animæ Chriſti fuiſſe ſecundum aliquid magis, & minus perfectam ſcientia Angelorum. 98. Fuiſſe diſtinctam per diverſos habitus. 99. A gratia habituali opera Chriſti dici meritoria. 105. Chriſtum habuiſſe liberalitatem, & magnificentiam. 111. Habuiſſe temperantiam. *ib.* Spem in Chriſto non fuiſſe. 113. 114. Habitum Pœnitentiæ remanere in beatis. 114. Chriſtum potuiſſe ſatisfacere, non autem pœnitere pro peccatis aliorum. 115. Potuiſſe timere, & trepidare. 112. Docet cur ponatur gratia ſanitatum diſtincta a gratia miraculorum. 113. In Chriſto fuiſſe omnes gratias gratis datas. *ibidem*. & 114. Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ. 115. In Chriſto fuiſſe plenitudinem gratiæ. 117. 118. Gratiam Chriſti habitualem poſſe dici quodammodo infinitam. 119. Poſſe augeri intenſive de potentia Dei abſoluta. 120. Chriſtum eſſe Caput cæterorum hominum quoad animam, & corpus. 121. Non omnia membra corporis myſtici eodem modo uniri Capiti Chriſto. 122. Chriſtum eſſe actu caput hominum omnium, qui ſibi per fidem, & charitatem uniuntur. *ibid.* Patres antiquos pertinuiſſe ad idem corpus Eccleſiæ, ac nos. *ibidem*. Infideles ſolum eſſe membra Chriſti in potentia. 123. Chriſtum dici poſſe Caput Angelorum. 123. 124. Non influxiſſe in Angelos gratiam juſtificantem, & gloriam eſſentialem. *ibid.* 125. Sed ſolum gratiam, & gloriam accidentalem. 126. Chriſtum eſſe Mediatorem proprie. 127. 129. Alios poſſe dici Mediatores inter Deum, & homines, ſecundum quid. 129. Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundum humanam naturam. *ibidem*. Fidem mediatoris quovis tempore fuiſſe neceſſariam ad ſalutem. 308. 309. Mediatorem ſecundum humanam naturam. *ibid.* Fidem Mediatoris quovis tempore fuiſſe neceſſariam ad ſalutem. *ibid.*
S. Thomas Definit Sacramentum. 136. Oſtendit cur creaturæ omnes ſenſibiles non ſint Sacramentum. *ibid.* Quænam in Lege veteri ſanctitatem ſignificantia, eſſent, vel non eſſent Sacramenta. *ibidem*. Cur Sacramenta ſint ſigna rememorativa, demonſtrativa, & prognoſtica. 137. Eſſe neceſſaria, neceſſitate convenientiæ, ad hominum ſalutem. *ibidem*. Per quid parvuli in lege naturæ juſtificarentur. 140. In Lege naturæ fuiſſe vera Sacramenta pro adultis. 141. Baptiſma cur omnibus propoſitum ſit, non autem Circumciſio. *ibid.* Paſſionem Chriſti eſſe cauſam finalem veterum Sacramentorum, quæ ideo ante illam fuerunt. 142. Deum non eſſe mutatum in inſtitutione Sacramentorum novæ Legis. 143. Docet, omnia Sacramenta novæ Legis conſtare materia, & forma. *ibid.* Haſque a Deo fuiſſe determinatas. 144. 145. Mutatio in forma Sacramenti quando ſit ſubſtantialis, vel non. 146. Diviſionem Sacramentorum in majora, & minora eſſe totius poteſtativi. 151. Cur aqua benedicta, & aliæ conſecrationes non dicuntur Sacramenta. *ibidem*. Præcedentiam eſſe inter Sacramenta novæ Legis. *ibid.* Via dignitatis Euchariſtiam eſſe Sacramentum potiſſimum. *ibidem*. Via neceſſitatis eſſe Baptiſmum. *ibidem*. Docet, Sacramenta noſtra cauſare gratiam. *ibidem*. Euchariſtiam poſſe per accidens cauſare primam gratiam. 156. Item Confirmationem, & Extremam Unctionem. 156. Sacramenta noſtra cauſare inſtrumentaliter phyſice gratiam. *ibid.* Elevari ad id per virtutem ſpiritualem. 157. 158. Hancque totaliter eſſe in materia, & forma ſimul. *ibidem*. Sacramenta vetera non habuiſſe in ſe virtutem ad juſtificandum. 159. In Circumciſione conferri gratiam quoad omnes ſuos effectus formales. 160. 161. Circumciſionem non juſtificaſſe ex vi ſua. 161. & 162. Fuiſſe per ſe neceſſariam ad juſtificandos maſculos Hebræorum. 162. Sacramenta vetera non imprimiſſe characterem. 163. Non omnia Sacramenta nova impreſſiſſe characterem. *ib.* Explicat naturam characteris. 164. Quem reducit ad genus qualitatis. *ibidem*. Docet, characterem eſſe indelebiliter in anima. 164. Remanere in Beatis, & Damnatis. 165. Non ſubjectari immediate in anima, ſed ejus potentia. *ibidem*. Chriſtum, ut Deum, & ut hominem, aliter tamen, & aliter, eſſe cauſam Sacramentorum. 166. Potuiſſe communicare creaturæ poteſtatem excellentiæ, non tamen communicaſſe. *ibidem*. Angelos bonos poſſe eſſe Miniſtros extraordinarios Sacramenti. *ibidem*. Docet, ſufficere intentionem virtualem in Mini-

Miniſtro, ad valorem Sacramenti. 170. 171. Requiri in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. 172. 173. Fidem non requiri. 176. Nec probitatem. 177. *ibid.* Miniſtrum ſolemnitatis Miniſtrantem Sacramenta in peccato mortali, peccare lethaliter. 178. Miniſtrare Euchariſtiam in peccato mortali, eſſe peccatum mortale. 179. 180. Miniſtrum neceſſitatis, non conſecratum, Sacramentum in mortali miniſtrantem, non peccare mortaliter. *ibid.* Licere mutuum accipere ſub uſura a parato ſic mutuare. 181. Docet, quando poſſint, vel non, ſuſcipi Sacramenta a malo Miniſtro. *ibidem.* Sacerdotem non poſſe tribuere hoſtiam non conſecratam occulto peccatori illam petenti, ne fiat reus indigne ſumptionis. 181. 182. In adulto habente uſum rationis requiri aliquam intentionem ſuſcipiendi Sacramentum. *ibid.* Sufficere voluntatem conditionatam. *ibid.* Non ſufficere adulto, ut valide ſuſcipiat Sacramentum, meram indifferentiam. *ibidem.* Fidem non requiri ad valide ſuſcipiendum Sacramentum; bene vero ad rem Sacramenti percipiendum. 184. Docet Baptiſmum Joannis non fuiſſe proprie Sacramentum. 189. Baptizatos a Joanne debuiſſe Chriſti baptiſmo iterum baptizari. 190. Baptiſmum Joannis gratiam non contuliſſe. 191. Cur Baptiſmus potius conſecratur in aquæ, quam alia materia. 200. 201. Baptiſmum valere ſive per unam, ſive per trinam immerſionem conferatur. 193. Sive per aſperſionem, vel effuſionem. *ibid.* Trinam immerſionem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi. 194. Poſſe baptizari in qualibet aqua naturali tranſmutata, manente ſpecie aquæ. *ibidem.* 195. Baptiſmum datum in capite puero egredienti ex utero matris, imminente periculo mortis, validum eſſe; dubium vero, datum in alia parte. *ibidem.* Docet, cur Græci non attribuant actum Baptiſmi Miniſtris. 196. Neceſſariam eſſe ad valorem Baptiſmi expreſſionem ablutionis externæ. 197. In Baptiſmo neceſſariam eſſe expreſſam Perſonarum divinarum invocationem. *ibid.* Probabile cenſet, aliquando Apoſtolos in ſolo nomine Chriſti baptizaſſe. 198. 199. Cur Baptiſmus non poſſit iterari. 200. Docet, Baptiſmum Flaminis, & Sanguinis convenire cum Baptiſmo aquæ quantum ad effectum Baptiſmi. 201. Baptiſmum Sanguinis ſimpliciter aliis præeminere. *ibidem.* Innocentes ab Herode occiſi cur dicatur martyres. 203. Martyres quinam dicantur. 204. Martyrium remittere culpam, & pœnam ex opere operato. 205. Docet, cur Confirmatio debuerit inſtitui poſt Chriſti reſurrectionem. 208. 209. Baptiſmum Chriſti etiam ante Paſſionem habuiſſe efficaciam a Chriſti Paſſione. *ibid.* Cur Baptiſmus non cœperit obligare ante Paſſionem, etſi inſtitutus ante illam. *ib.* Baptiſmi fuiſſe multiplicem inſtitutionem. 209. Cur Apoſtoli vetuerint Legalia. 211. Sacerdotes eſſe Miniſtros ordinarios Baptiſmi. *ibidem.* Non vero Diaconum, vel Miniſtrum Sacerdotem inferiorem. 212. Baptiſmum in caſu neceſſitatis poſſe valide, & licite miniſtrari a laico. 213. Etiam a muliere. 214. Ab infideli etiam non baptizato. *ibidem.* Neminem poſſe baptizare ſeipſum. 219. Plures poſſe ſimul ab uno baptizari in neceſſitatis caſu. *ibidem.* Plures ſimul unum baptizantes dicendo; *Nos te baptizamus &c.* nullum reddere Baptiſma. *ibid.* Item ſi unus abluat, alter vero verba proferat. *ibid.* Patrinum requiri in Baptiſmo ſolemni. 220. Ejus obligationes. *ibidem.* Baptiſmum in voto aliquando ſufficere adultis ad ſalutem. 223. 224. Adultos debere ſuſcipere Baptiſmum ſtatim, ac commode poſſunt. 224. 225. Baptiſmum poſſe exhiberi parvulis. 226. Parvulos adhuc in utero matris exiſtentes baptizari non poſſe. 227. Pueros infidelium, uſus rationis compotes, poſſe invitis pauperibus baptizari. 228. 229. Ante uſum rationis non poſſe invitis parentibus baptizari. 230. 231. Docet, quando amentes, furioſi, dormientes poſſint baptizari, vel non. 231. Cur Baptiſmus non poſſit iterari. 232. Baptiſmum tollere reatum omnem pœnæ. 223. Non auferre pœnalitates præſentis vitæ, quæ ſolum ejus virtute auferentur in Reſurrectione *ibid.* Baptiſmum conferre gratiam habitualem, cæteraſque virtutes ei annexas, etiam pueris. 234. Recedente fictione remittere peccata ante ipſum commiſſa. 235. Secus poſt ipſum ficte ſuſceptum patrata. *ibidem.* Aſſerit, Apoſtolos uſos fuiſſe Chriſmate in Confirmatione. 242. Cur Chriſma conficiatur ex oleo. 244. Dat formam confirmationis. 247. Docet cur Scriptura non exprimat materiam, & formam confirmationis. 248. 249. Quare ſoli Epiſcopi ſint Miniſtri confirmationis. 249. 250. Presbyteros poſſe ex diſpenſatione Pontificis confirmare. 251. 252. Pueros eſſe capaces confirmationis. 254. Item ſolos baptizatos. *ibidem.* Poſſe dari, & recipi a non jejunis. *ibidem.* Imprimere characterem. 256. Dare ſecundam gratiam, non primam, roborantem. 257. Per accidens dare etiam primam aliquando. 257. 258

S. Thomas docet, aliter Euchariſtiam augere, & perficere animam, ac faciat Confirmatio. 261. Quid ſit in Euchariſtia Sacramentum tantum, res, & Sacramentum, & res Sacramenti. 262. Euchariſtiam eſſe unum Sacramentum ſpecie. *ibid.* Chriſtum congruentiſſime Euchariſtiam in pane, & vino inſtituiſſe. 26. Sacerdotem valide poſſe conſecrare quamlibet maximam panis, & vini quantitatem. *ibid.* Materiam debere eſſe ſenſibiliter præſentem. 263. 264. Solum panem triticeum eſſe materiam idoneam Euchariſtiæ. 266. Judæos non diſtuliſſe Paſchatis celebrationem anno, quo Chriſtus obiit. 267. Docet, non eſſe de neceſſitate Euchariſtiæ conficiendæ quod panis ſit azymus, vel fermentatus. 270. Conſecrantes in azymo non judaizare. *ibidem.* 271. Unumquemque in conſecrando debere ſuæ Eccleſiæ ritum obſervare. *ibidem.* Vinum, quod eſt materia Euchariſtiæ, debere eſſe de vite. 271. Quænam obſervanda circa vinum conſecrandum. 272. 273. Multiplici ratione aquam miſceri vino conſecrando. 273. Probabilius aquam prius converti in vinum. 274. Euchariſtiam differre in duobus ab aliis Sacramentis. 276. Chriſtum verbis conſecraſſe. 277. Verba *Qui pridie &c.* non eſſe de eſſentia conſecrationis panis. 277. 278. Cur forma conſecrationis non fiat verbis imperativi, ſed indicativi modi. 278. 279. Quid ſignificet pronomen *Hoc* in conſecratione. 279. 280. Formam ſubſtantialem panis non remanere poſt conſecrationem. 291. Converſionem panis in Corpus Chriſti non eſſe formalem, ſed ſubſtantialem. 293. Oſtendit ſub qualibet ſpecie hujus Sacramenti eſſe totum Chriſtum. *ibid.* Totum Chriſtum eſſe etiam ſub qualibet parte hoſtiæ. 293. 294. Non eſſe ibi infinities. 395. Corpus Chriſti non eſſe in Sacramento nec definitive, nec circumſcriptive. *ibid.* Accidentia Corporis Chriſti eſſe concomitanter in Sacramento. *ibidem.* Corpus Chriſti remanere in hoc Sacramento, quouſque remanent ſpecies ſacramentales. *ibid.* Corpus Chriſti, ut in hoc Sacramento, non poſſe videri ab oculo corporeo. *ibid.* Nec percipi ab intellectu naturali lumine. *ibidem.* Tradit accidentia in Euchariſtia manere ſine ſubjecto. 297. Ex ipſis poſſe aliquid generari. 289. Sacerdotem eſſe Miniſtrum ordinarium Euchariſtiæ diſpenſandæ. 301 302. Diaconis commiſſam fuiſſe Sanguinis diſpenſationem. 311. Quando ſuſpicio criminis ſufficiat, ut alicui denegetur Euchariſtia, & quando non. 306. Peccatori occulto publicæ petenti Euchariſtiam non eſſe denegandam. *ibidem.* Nullo modo dandam eſſe hoſtiam non conſecratam pro conſecrata. 307. Cur poſſent peccatores ad Chriſtum in propria ſpecie, dum degeret in terris, accedere, ſecus ad ipſum ſumendum in Euchariſtia. 308. Cur peccator non peccet videndo Euchariſtiam. *ibidem.* Docet quando peccat lethalia ignorata obicem ponant fructu Euchariſtiæ. *ibidem.* Jejunium præmittendum eſſe Euchariſtiæ ſumptioni. 309. 310. Exceptis quibuſdam caſibus. *ibidem.* Pollutionem in ſomniis retrahere a ſumptione Euchariſtiæ. *ibidem.* Perfectionem Euchariſtiæ, conſiſtere in conſecratione materiæ, non in uſu fidelium. 314. 315. Populum ſumentem unam tantum ſpeciem nullum pati detrimentum. 315. Oſtendit, quando expediat uſus quotidianus, vel frequens Euchariſtiæ. 316. Dari præceptum divinum pro adultis de Communione ſumenda. 317. Fractionem ſpecierum non eſſe de eſſentia ſacrificii Miſſæ. 323. Nullum poſſe diſpenſare in iis, quæ ſunt de jure divino, niſi Deum, vel qui a Deo commiſſionem habeat. 324. Chriſtum in cœna ſumpſiſſe ſuum corpus, & ſanguinem. 325. 326. Docet, quomodo Sacerdos ſe gerere debeat in quibuſdam caſibus. 326. 327. Miſſam, quantum ad Sacramentum, æque valere celebratam a malo, ac a bono Sacerdote: item quoad orationes, in ipſa prolatas in perſona totius Eccleſiæ. 327. Cur per unum ſacrificium tota pœna eorum, qui in Purgatorio ſunt, non expietur. 328. Suffragia pro uno facta, etiam aliis prodeſſe virtute charitatis. 329. Orationem orantis non eſſe ita ſatisfactoriam pro multis, ac pro uno. *ibidem.* Orari poſſe pro infidelibus. 330. Cur Judas Machabæus potuerit pro ſuis militibus in bello occiſis offerre ſacrificia. 331. Trajanum non fuiſſe in inferno finaliter damnatum. *ibid.* Gloriam Sanctorum, quoad præmium eſſentiale, augeri non poſſe, bene vero quantum ad accidentale. 332. Quibus modis animæ Purgatorii juvari poſſint. 333. Miſſa de defunctis qua ratione magis profit mortuis. 334. Suffragia ſpecialiter juvare eum pro quo fiunt, ſi indigeat. 335. Euchariſtiam ſolum confici in perſona Chriſti. *ibid.* Laicum juſtum non eſſe Chriſto unitum per Sacramentalem poteſtatem. 337. Plures Sacerdotes poſſe ſimul eamdem hoſtiam conſecrare. *ibid.* Malos Sacerdotes valide conſecrare. *ibid.* Illicite tamen. *ibid.* Item Sacerdotes hæreticos, ſchiſmaticos, excommunicatos, rite tamen ordinatos, valide, licet indigne, conſecrare. 338. Degradatos quoque. 312. Non licere communionem recipere, aut Miſſam audire a Sacerdote hæretico. *ibidem.* Nec a notorie fornicario. *ibid.* Plus habere poteſtatis Sacerdotes novæ Legis, quam veteris. 343. 344. Docet, Pœnitentiam quodammodo verſari circa omne peccatorum genus, non eodem modo. 344. Actus ſenſibiles pœnitentis eſſe materiam pœnitentiæ. *ibidem.* Pœnitentiam eſſe virtutem ſpecialem. 345. Non pertinere proprie ad juſtitiam vindicativam. 346. Actum ejus non eſſe a charitate elicitum. *ibidem.* Explicat quid ſit verbum contra Spiritum Sanctum. 170. Quid ſit peccatum ad mortem. *ibidem.* Pœnitentiam non ſemper remittere omnem reatum pœnæ corporalis. 348. Pœnitentiam virtualem ſufficere ad deletionem peccati venialis. 349. Quomodo remittantur venialia poſt hanc vitam. *ibid.* Peccata remiſſa non redire. *ibidem.* Remiſſionem culpæ majus eſſe beneficium relate ad ſubjectum ipſa innocentia. 350. Pœnitentiam reſtituere homini virtutes, non ſemper tamen in æquali gradu. *ibidem.* Opera ſecundum ſe bona, ſed mortua, nunquam vivificari per pœnitentiam. 351. Mortificata vero, reviviſcere. *ibidem.* Hominem non ſemper per pœnitentiam reſurgere ad eumdem gradum phyſicum gratiæ & meritorum, quo ante lapſum eminebat. 352. Explicat contritionem. *ibidem.* Docet, attritionem non poſſe fieri contritionem. 353. Contritionem delere peccatum. *ibidem.* Attritionem ſufficere ad ſe præparandum ad gratiam in Baptiſmo. 357. Amorem Dei ſuper omnia, & charitatis non poſſe jungi cum peccato mortali. 358. Non habentem peccata mortalia non teneri ad confeſſionem venialium. 366. Nos dupliciter obligari ad confeſſionem, ex jure ſcilicet divino, & ex præcepto juris poſitivi. *ibidem.* Satisfieri præcepto per confeſſionem factam per nutus, aut ſcripto. *ib.* Neminem poſſe a Papa diſpenſari, ut non teneatur confiteri. 367. Beatiſſimam Virginem, etſi non teneretur, impleviſſe legis obſervantias. *ibid.* Poſitos in articulo mortis teneri ad confeſſionem. *ibidem.* Dari confeſſionem validam, ſed informem. 368. Confeſſionem ſemper debere neceſſario eſſe formaliter integram. 370. Confeſſionem non eſſe dividendam. *ibidem.* Peccata dubia eſſe confitenda. 371.

Docet,

Docet, ad rite absolvendum esse necessariam jurisdictionem in Sacerdote. 374. Episcopos jus habere sibi reservandi quorumdam criminum absolutionem. 375. Confessarium teneri necessario ad sigillum. 376. 377. Posse de licentia pœnitentis aperire quæ audivit in confessione. 377. Formam absolutionis consistere in verbis: *Ego te absolvo*. 378. Quomodo possit unus satisfacere pro alio. 380. 381. Pœnitentia publica cur statueretur. 385. 386. Pœnitentiam solemnem, & publicam distingui. *ibid.* Docet quando excommunicatio sit ferenda. 389. Ad quos pertineat excommunicare. 390. 391. Communitatem totam non posse excommunicari. 391. Quando censura injusta sit timenda, & tenenda. *ibidem*. Posse absentem imo invitum absolvi a censuris. 393. Definit excommunicationem. 394. Docet, excommunicationem majorem posse in aliquem ferri dupliciter. 396. Participare excommunicato non esse mortale, exceptis tribus casibus. *ibidem*. Suspensum ab ordine tantum posse ea quæ sunt jurisdictionis, & e contra. 397. 398. Homicidium parere irregularitatem, & quare. 399. Item natalia illegitima. 401. Docet Indulgentias valere & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei. 406. Indulgentiam non esse nudam absolutionem. 404. Non valere existenti in mortali peccato. *ibidem*. Valere indulgentias quantum sonant, dummodo adsit auctoritas in dante, charitas in recipiente, & justa causa. *ibidem*. Suffragia, sive indulgentias valere non posse pro Sanctis. 405. Prodesse animabus Purgatorii. *ibid.* Potestatem faciendi indulgentias plene residere in Papa. 407

S. Thomas congruentiam assignat, cur Extrema Unctio sit verum Sacramentum. 410. A Christo institutum. 411. Docet, cur Oleum Cathecumenorum non sit Sacramentum. *ibidem*. Cur non fuerit præfigurata Extrema Unctio ab aliquo Sacramento veteris Legis. *ibidem*. Esse unum Sacramentum. *ibid.* Oleum olivarum esse materiam remotam hujus Sacramenti. 412. 413. Et quidem simplex non balsamo mixtum. 413. Consecratum, & quidem ab Episcopo. *ibidem*. Quænam partes corporis sint inungendæ hoc Sacramento, & quare. 414. Mutilatos debere inungi. 415. Ostendit aliquam formam huic Sacramento convenire. *ibid.* Debere esse deprecatoriam. *ibid.* Quinam sint effectus hujus Sacramenti. 415. Extremam Unctionem posse eidem homini iterari. 416. Non tamen in eadem infirmitate reperti, nisi diversus sit gradus infirmitatis. 417. Extremam Unctionem non posse conferri a laico. *ibid.* Nec a Diacono. 418. Sed ab Episcopo, vel Presbytero. *ibid.* Non esse conferendam sanis, sed solis ægrotis. 419. 420. Nec statim omnibus infirmis. 421. Non esse conferendam amentibus, & furiosis a nativitate, nec pueris usu rationis carentibus. *ibidem*. Non esse necessariam necessitate præcepti. 423. Ostendit, in Ecclesia debere esse ordinem clericorum distinctum ab illo laicorum. 424. Ordinem definit. 425. 426. Non omnem benedictionem, quæ homini adhibetur, vel consecrationem esse Sacramentum. 426. In Sacramento Ordinis conferri gratiam gratum facientem. 427. Episcopum esse solum ministrum Sacramenti Ordinis. 428. Sacerdotem non posse Diaconum consecrare. 429. Sacerdotes hæreticos valide ordinare. *ibidem*. Ordinatos ab ipsis, suspendi ab exercitio ordinis. *ibid.* Simplicem Sacerdotem posse ex dispensatione Papæ, esse ministrum extraordinarium ordinum minorum, & Subdiaconatus, secus Diaconatus, & Presbyteratus. 432. 433. Solum baptizatum esse capacem Sacramenti Ordinis. 436. Debere esse, & confirmatum ex necessitate præcepti, non Sacramenti. *ibid.* Quempiam ante usum rationis valide ordinari. 436. Non tamen licite. *ibid.* Servum, inscio Domino valide, sed non licite ordinari. 437. Homicidium inducere irregularitatem. *ibid.* Illegitime natos impediri a susceptione ordinum. *ibidem*. Ordinem superiorem valide conferri posse non habenti inferiorem. *ibid.* Docet, ordinem imprimere characterem. 438. Ordines esse septem. *ibid.* Castitatem ex statuto Ecclesiæ esse annexam Ordinibus Sacris. 444. Episcopos superiores esse Presbyteris. 445. 448. Episcopatum vere esse Ordinem *ibid.* Omnes Episcopos esse æquales quoad ea, quæ sunt ordinis Episcopalis. *ibidem*. Docet, in Ecclesia debere esse potestatem regitivam respectu totius Ecclesiæ. 451. Cur possit unus Episcopus alium ordinare. 451. Cur omnes ordines unum Sacramentum constituant. 453. Cur impositio manuum requiratur in Sacramento Confirmationis, & Ordinis, secus in Pœnitentia, & Baptismo: In libri Evangeliorum traditione imprimi characterem Diaconatus. 462. Quemlibet Ordinem esse Sacramentum quoddam. 465. 466. In traditione urceoli characterem imprimit Acolythatus. 467. Cur Diacono Evangelium, subdiacono vero Epistola committatur legendam. 468. Quid ex officio agat Ostiarius. *ibidem*. Docet fornicationem esse naturali jure malam. 469. Matrimonium de se bonum esse. 470. Esse naturale homini. 471. Cur dicatur magnum Sacramentum. 473. Conferre gratiam ut Sacramentum. *ibid.* Pecuniam licite dari pro Matrimonio, ut est in officium naturæ. 475. Materiam proximam Sacramenti Matrimonii est actus sensibiles contrahentium. *ibid.* Formam esse verba exprimentia consensum. 476. Matrimonium in lege naturæ, & mosaica non fuisse Sacramentum. 476. Inter infideles non baptizatos non esse Sacramentum actualiter. 478. Esse unus ad unam indivisibiliter habendum. *ibid.* Matrimonium infidelium esse habitualiter Sacramentum. 479. Carnalem commixtionem esse de secunda perfectione matrimonii. *ibid.* Benedictionem Sacerdotis non esse formam Matrimonii. 480. Differentiam inter actus pœnitentis, & actus contrahentium matrimonium, respectu utriusque Sacramenti. 482. Consensum matrimonialem debere verbis exprimi. 483. Vel nutibus. *ibidem*. Vel verbis parentum si contrahens non contradicat. *ibidem*. Consensum per verba de futuro non facere matrimonium. *ibid.* Simulatum consensum, matrimonium non facere. *ibidem*. Quid facere debeat qui simulatum consensum dedit si compellatur ab Ecclesia ad standum cum prima uxore. 484. Ignorantia fictionis excusat a peccato, & facit quod filii non sint illegitimi. *ibidem*. Matrimonia clandestina tempore Sancti Thomæ fuisse rata, & vera, sed illicita. *ibidem*. Rationes, quibus prohibebantur. 487. Coactionem ex metu cadente in virum constantem, tollere matrimonium. *ibidem*. Consensum esse causam efficientem in Matrimonio. *ibidem*. Matrimonium non convalescere per posteriorem consensum illius, qui ex metu consenserat, nisi perseverante consensu alterius qui libere consenserat. *ibid.* Conditiones appositas contractui matrimoniali, quasdam invalidare matrimonium, quasdam non, *ibid.* Matrimonialem consensum Beatissimæ Virginis, & S. Joseph non fuisse conditionatum. 487. 488. Non teneri Filios Parentibus obedire, nec servos Dominis, de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda. 489. Potentiam ad carnalem copulam non contrariari virginitati. 490. Cur polygamia simultanea sit contra legem naturæ. 491. Differentiam assignat inter actiones, quæ prohibentur primis, & secundis præceptis Naturæ. *ibid.* Docet polygamiam simultaneam adversari secundis naturæ præceptis. *ibidem*. Actus humanos cadentes sub his secundis præceptis, variari secundum diversas circumstantiarum conditiones. 492. Uxores veterum Patrum quare aliquando dicantur in Scriptura Concubinæ. 493. Dispensationem habendi plures uxores non contrariari naturæ. 494. Et datam esse per internam inspirationem. *ibid.* Quomodo salvabantur Fides, & significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia illis, qui plures ducebant uxores. *ibidem*. Post Christi adventum non fuisse amplius rationem dictæ dispensationis. 495. Quando secundæ nuptiæ benedicuntur, quando vero non. 496. Disparitatem assignat inter fornicationem, & polygamiam successivam. *ibidem*. Rationem dat quare bigamia inducat irregularitatem. *ibid.* Aliquos resolvit casus circa bigamos. *ibid.* Matrimonium jure naturæ esse indissolubile. 497. Item ex æquitate. *ibid.* Dimissionem uxoris non esse contra prima, sed contra secunda naturæ præcepta, & ideo cadere posse sub dispensatione. *ibidem*. Quatuor permissionis modos assignat. 498. Docet libellum repudii fuisse permissum non tamen justum. *ibidem*. Quare Moyses illud non prohibuerit. 499. Affert duplicem opinionem circa uxorem repudiatam. *ibid.* Dat rationem, cur vir repudians uxorem poterat aliam ducere, non autem repudiata, alium virum ducere. *ibidem*. Causas repudii non fuisse descriptas in libello nisi in generali. 500. Matrimonium ratum non consummatum per ingressum Religionis alterius conjugum dirimi. *ibid.* Ante carnalem copulam non habere integram significationem conjunctionis Christi ad Ecclesiam. *ibidem*. Mulierem, cujus vir ante consummatum matrimonium religionem ingressus est; & professionem emisit, posse alteri, cui voluerit, nubere. 501. Quando fideli ab infideli conjuge discedere liceat, & alteri nubere, quando non. 502. Quando solvatur matrimonium per crimen uxoris nolentis cohabitare cum viro ad fidem conversio. *ibid.* Quomodo opponatur matrimonio diversimode considerato adulterium, & infidelitas. 504. Divortium licite fieri posse, & quas ob causas. 505. Excipit septem casibus, in quibus non licet viro dimittere uxorem fornicantem. *ibid.* Fornicationem uxoris corrigi posse non tantum dimissione, sed etiam verbis, & verbere. *ibid.* Virum teneri uxorem adulteram non pœnitentem dimittere. *ibidem*. Uxorem fornicantem peccare non tantum in virum, sed & in seipsam, & in Deum. *ibidem*. Dimissionem uxoris, quæ fieri potest a viro duplicem esse, nempe quoad thorum, & cohabitationem etiam: Primam docet fieri posse proprio arbitrio, secundam vero tantum judicio Ecclesiæ. *ibid.* Duos assignat modos, quibus conjux innocens probare potest delictum uxoris adulteræ. *ibidem*. Sponsalia unde dicta, & quid sint. 506. Docet obligare ad matrimonium. 507. Triplicem assignat ex Philosopho gradum usus rationis, & quinam requiratur, & sufficit ad Sponsalia contrahenda. *ibid.* Contractum sponsalium per alios factum ante septennium contrahentium, invalidum esse. *ibid.* Cur magis matrimonio quam aliis Sacramentis impedimenta assignentur. 509. Cujus potestatis sit ea apponere. 510. 511. Quomodo aliqua impediant sed non dirimant matrimonium. 514. Quinam error matrimonium dirimat. *ibid.* 515. Servos valide contrahere posse matrimonium. 515. 516. Definit, & explicat consanguinitatem. 518. Congruentiam assignat, cur Ecclesiam prohibitionem matrimonii restrinxerit ad quartum gradum. 520. Rationem dat inordinationis matrimonii, quod in primo gradu contraheretur. *ib.* Explicat cognationem spiritualem ad similitudinem carnis. *ibid.* 521. Quando impediat, vel dirimat matrimonium, ante ejus actum. *ibid.* Quomodo ex Baptismi, & Confirmationis susceptione contrahatur. *ib.* Comparat paternitatem spiritualem cum carnali & docet ex illa non oriri cognationem. *ib.* Cognationem legalem definit. *ibidem*. Item adoptionem. *ib.* Et docet matrimonium impedire. *ib.* Docet non licere viro uxorem occidere in actu adulterii deprehensam; & circa hoc differentiam assignat inter legem Civilem, & Ecclesiasticam. *ibid.* Cultus disparitatem impedire, & dirimere matrimonium si sit præcedens. 522. Explicat quid intelligatur nomine disparitatis cultus. *ibidem*. Docet in nova Lege rationem esse prohibendi conjugia cum omnibus infidelibus. 523. Gradus affinitatis sumi juxta gradus consanguinitatis, affinitatem tamen esse minus vinculum, quam sit consanguinitas, ideoque facilius in illa dispensari, quam in ista. 525. Multa affert scitu digna circa impedimentum impotentiæ. 526

S. Thomas assignat, & probat, quinque esse loca seu receptacula animarum corporibus exutarum. 529. Docet quod nec

nec aer caliginosus, nec terra nostra sunt loca propria pœnarum pro dæmonibus, & Animabus. *ibid.* & 530. Quod Paradisus terrestris inter receptacula non computatur. *ibid.* Reputat impossibile quod aliquis decedat in peccato Originali cum solo Veniali; Si hoc tamen esset possibile, talis in inferno æternaliter puniretur. *ibid.* Docet quod beatificandi debent esse ab omni malo purgati, non sic damnandi immunes erunt ab omni bono. *ibid.* Quod carentia gloriæ animæ diversificat statum, non autem carentia gloriæ corporis. *ibidem.* Quod animæ statim soluto vinculo carnis præmium consequuntur, nisi aliquid impediat. *ibid.* Quod Limbus inferni, & sinus Abrahæ ante Christum fuerunt unus per accidens locus, modo sunt duo diversa loca. *ibidem.* Quod requies Sanctorum ante Christi adventum dicebatur sinus Abrahæ, & erat locus infernus, non sic modo. *ibidem.* Assignat duplicem rationem, cur Limbus Patrum, & infernus damnatorum sint loca diversa. *ibidem.* Distinguit loca damnatorum juxta gravitatem demeriti, & docet, SS. Patres habuisse locum supremum, & minus tenebrosum. 531. Quomodo verificetur, quod Christus suo descensu, infernum momorderit, non absorbuerit. *ibidem.* Quomodo se habuerint olim Patres, & nunc Pueri sine Baptismo se habeant ad culpam originalem. *ibidem.* Docet quod totus Christus fuit in sepulchro, & totus pariter ab inferos descendit, & quomodo hoc verificetur. *ibid.* Ostendit, conveniens fuisse, Christum ad infernum descendere. 532. Docet, SS. Patres veteris legis meruisse introitum Regni Cælestis per fidem Passionem Christi; neminem tamen ante Christi passionem potuisse illuc introire. *ibid.* Christum descendisse ad infernum solum secundum effectum ut eas nempe de sua incredulitate, & malitia confutaret, Per suam essentiam vero solum descendisse ad locum inferni, in quo justi detinebantur. 533. Docet, Trajanum (si historia illa digna sit fide) ab inferno precibus Sancti Gregorii ereptum esse; quia non erat in infernum finaliter damnatus. 535. Docet, Christum descensu suo non liberasse pueros, qui sine Baptismo decesserant. *ibidem.* Docet, SS. Patres, dum viverent, non fuisse liberatos a reatu pœnæ originalis peccati. 536. Docet, descensum Christi ad inferos non fuisse satisfactionem. *ibidem.* Docet, animas Purgatorii fuisse per Christum liberatas ab exclusione a gloria, sed non a reatu pœnæ Purgatorii, qui pertinet ad proprium defectum. *ibidem.* Docet, SS. Patres ante Christi adventum liberatos fuisse a propriis defectibus, sed non a defectu communi. *ibidem.* Animam Christi apud inferos mansisse a morte usque ad resurrectionem. 537. Latronem, cui Christus mox moriturus dixit: *Hodie mecum eris &c.* fuisse in Paradiso, non quidem loco, sed præmio. *ibidem.* Corpus Christi mansisse in sepulchro una die integra, & duabus noctibus, idque ostendit. 537. 538. Rationem dat existentiæ Purgatorii. 541. Tres assignat causas plenæ purgationis eorum, qui vivi reperientur paulo ante judicium. 543. Peccatum veniale remitti quoad pœnam in Purgatorio, & etiam quoad culpam. *ibidem.* Quid facere possint Dæmones circa animas Purgatorii. 545. In hoc sæculo puniri Homines, & a malis, & a bonis spiritibus, *ibidem.* Graviorem esse ignem Purgatorii, quam quidquid possit Homo pati in hac vita, *ibidem.* Acerbitatem pœnæ Purgatorii pati etiam ex dispositione puniti. 537. Tempus purgationis durare ad mensuram gravitatis peccatorum. *ibidem.* Animas Purgatorii suffragia petere, quia sciunt se liberandas. 547. Judicium universale necessarium, ut omnibus omnium damnatio innotescat, & præmium. *ibidem.* Quomodo actus boni, alteri prodesse possint ad salutem. *ibidem.* 548. Pro peccatis unius, alterum puniri. *ibidem.* 549. Suffragia vivorum nec damnatis, nec beatis prodesse, & quare. 540. Quare pro mortuo magis quam pro vivo suffragium profit. *ibidem.* Suffragia defunctis quare, & quomodo prosint. 552. Sanctos in Cælo esse in statu merendi aliis, aliosque juvandi. 554. Sepultura quare sit adinventa. *ibidem.* Quomodo prosit viventibus, & defunctis. *ibidem.* Suffragiorum valorem ex duobus pensari posse. 556. Suffragia præcipue valere ei, pro quo fiunt. *ibidem.* Et quare per unum altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in Purgatorio non expietur. *ibidem.* Suffragia pro uno facta aliquando prodesse aliis. *ibidem.* Quomodo ea, quæ per malos fiunt prosint defunctis. *ibid.* Suffragia quæ pro mortuis fiunt prodesse facientibus in ratione meriti. *ibidem.* Opus suffragii posse considerari dupliciter, & ut expiativum pœnæ, & ut meritorium vitæ æternæ. *ibidem.* Tres esse causas, cur illi qui ante Judicium vivi reperientur, subito purgabuntur. 557. Sanctos in Verbo cognoscere orationes viventium. *ibidem.* Non afflici dolore, cognitis adversitatibus eorum, quos in hoc sæculo dilexerant. 558. In Verbo orationes cognoscere, & quomodo. *ibidem.* Etiam Sanctos inferiores esse implorandos. 560. Sanctos orare pro nobis oratione expressa, & interpretativa. 561. Orationem ex alio mereri, ex alio impetrare. 562. Rationem reddit, quare a nobis invocandi sint Sancti. 564. Quam adorationem prohibuerit Angelus Div. Joanni. 565. Tria actionum genera a Romano Pontifice præstari, & quodnam præstet in canonizatione Sanctorum. 570. Pontificem certificari posse de statu alicujus. *ibidem.* Cultum, qui Sanctis exhibetur esse quamdam fidei professionem. 570. Canonizationem esse mediam inter definitionem de fide, & sententiam de particularibus. 571. Quantum ad explicationem, crevisse numerum articulorum fidei. *ibidem.* Inter actus exteriores cultus, sacrificium soli Deo exhiberi. 573. Honorem, seu adorationem proprie exhiberi toti Rei subsistenti. 575. Adorationem Humanitatis Christi posse intelligi dupliciter. 576. Duas operationes in Christo inferre duas causas adorationis. *ibidem.* Beatæ Virgini non convenire cultum Latriæ, bene vero Hyperduliæ, & quare. 577. Mariæ exaltationem non esse usque ad æqualitatem Dei. *ibid.* S. Doctoris mens circa Crucis adorationem. 578. Crucem Christi ab infidelibus considerari ut opprobrium, a fidelibus ut virtus Divina. 579. Cætera Passionis instrumenta non ita repræsentare imaginem Christi sicut Crux. *ibidem.* Honorem statuit Sanctis Reliquiis exhibendum; Duplexque adnotatio super ejus verba. 582. Duplicem esse motum in Imaginem; ubi annotatur, doctrinam *S. Thomæ* non adversari Doctrinæ Synodi Nicænæ, 11. 589. Quid prohibeatur illo Exodi præcepto: *Non facies sculptile.* *ibidem.* Quare in veteri tabernaculo, & nunc in Ecclesia Imagines instituantur. *ibidem.* In quo sensu Apostolus Ephes. 5. prohibeat, operibus Gentilium communicare. 590. Antichristum Angeli Custodia non esse privandum. 591. Custodem Angelum nunquam totaliter Hominem dimittere. *ibidem.* Signa Mundi finem præcessura assignat. 600. Solem, & Lunam simul pati Ecclypsim naturaliter non posse, docet. *ibid.* Causam assignat conflagrationis Mundi. 610. 611. Faciendam esse docet per ignem, & quare. 611. Præcessuram finalem Judicium. *ibid.* Ignem qui purgabit electos eumdem fore cum illo conflagrationis & quomodo duo ignes dici possint. *ibidem.* Cælos a conflagratione non purgandos, sed loco purgationis eorum quietationem futuram esse. *ibidem.* Ignem conflagrationis quantum ad naturalem virtutem similiter acturum esse in malos, & bonos: ut instrumentum vero Divinæ Justitiæ diversimode in diversos. 614. Causas adducit cur illi, qui in ultima Mundi conflagratione vivi reperientur, tam cito per illam purgari potuerunt. *ibidem.* Refert negantes resurrectionem mortuorum. 613. 614. Docet, animam non computari ad corpus ut operans ad instrumentum solum. 615. Quomodo venialibus reddatur pœna in Purgatorio, hæcque potius dicenda sit purgatio, quam retributio. *ibid.* Perfectiorem ponit esse statum animæ in corpore, quam extra illud, & quare. *ibid.* Animam Abrahæ non esse ipsum Abraham, sed ejus partem, & quid inde sequatur. *ibid.* Quare mors spiritualis æterna sit, non vero corporalis. *ibidem.* Sanctos cum Christo resurgentes, vere resurrexisse, & cum eo corporaliter etiam victuros in Cælum ascendisse. *ibid.* Pueros in Limbo damnatos docet surrecturos, eorum tamen resurrectionem proprie dici non posse evigilationem. 616 Nullam animam in perpetuum remansuram a Corpore separatam, & quare. *ibid.* Explicat textum Psalm. 1. *Non resurgent impii in judicio.* *ibid.* Quomodo omnes tam boni, quam mali Christo conformentur in aliquo, ideoque omnes resurgent. 617. Pœnam originalis peccati esse moti, ne morte detineri. *ibid.* In materno utero morientes etiam resurrecturos. *ibid.* Quæ divina operatione fiunt, & ex principiis naturæ causata non sunt etsi in omnibus inveniantur, naturalia non esse. 617. Quomodo ex ratione naturali persuadente non demonstrante cognosci possit resurrectio. 618. Probat resurrectionem Christi esse causam resurrectionis nostræ. *ibidem.* Christum ut Deum esse causam efficientem æquivocam, & ut Deum Hominem esse causam proximam & quasi univocam efficientem, & etiam exemplarem. *ibid.* Efficientiam resurrectionis Christi se extendere ad resurrectionem bonorum, & malorum: exemplaritatem autem solum ad bonos. *ibid.* Vocem seu signum, quo in resurrectione mortui excitabuntur futurum esse corporale, & sensibile. 619. 620. Ex quo illa vox virtutem habitura sit excitandi. 120. An futura sit vera vox, an sonus tubæ, an præsentia ipsa Judicis, problematice tenet. *ibidem.* Angelorum ministerium in generali resurrectione. *ibidem.* Tale ministerium principaliter futurum esse Archangeli Michaelis, ex influentia tamen superiorum & cooperatione inferiorum maxime custodum. 621. Per revelationem haberi non posse tempus secundi adventus Christi. *ib.* Omnesque illos, qui eum numerare voluerunt, falsiloquos esse inventos. *ibid.* Licet status novi testamenti præfiguratus sit per statum veteris, non tamen singula respondere singulis. 622. Horam temporis qua fiet resurrectio certo sciri non posse, probabiliter tamen dici futuram in crepusculo. *ib.* Resurrectionem futuram esse in instanti quoad id quod fiet Divina virtute immediate, quoad id vero quod ministerio Angelorum fiet, tempore brevissimo perficiendam. *ibid.* Omnes mortuos esse ante generalem resurrectionem, ibique egregie explicat quemdam D. Pauli textum. 624. Quomodo intelligi debeat quod *Christus venturus est judicare vivos & mortuos.* *ibidem.* Probat resurrectionem futuram ex cineribus. 624. Item resurrectionem Christi esse exemplar nostræ quoad terminum *ad quem*, non a *quo*. *ibid.* Refert, & impugnat Philosophorum, & Hæreticorum errores circa identitatem corporis in resurrectione resumendi ab anima. 625. Quid remaneat in materia corporis humani, quod in resurrectione resumptum salvet identitatem. 626. 627. Difficultatem enodat de Antropophagis humanas carnes comedentibus. *ib.* Rationem dat, cur idem numero Homo resurget. *ibidem.* Quid sit necesse ad identitatem totius homogenei, quidve congruentius in resurrectione fiet. 628. 629. Partes secundum materiam quæ fluunt & refluunt, etsi varientur, non impedire identitatem hominis viventis, ideoque nec resurgentis. 629. Instrumentum ad duo servire. *ibidem.* Actus quibus merentur cujus sint. *ibid.* In partibus corporis animati quasdam ordinari ad operationes animæ, quasdam ad conversationem aliarum. *ibidem.* Superfluitates (ut uror, sudor, & fæces) non pertinere ad perfectionem humani corporis, bene vero capillos, ungues, & quatuor humores. 629. Qua ætate, statura, & sexus homo resurget. 630. Non resurget in vita animali. 631. 632. Erunt tamen in eo actus sensuum, & quomodo. 632. Impassibilitas corporis beati unde proveniat. *ibid.* Corpus beati videri ab aliis quando beatus vult, non videri quando non vult; non sic autem dicendum de esse in loco. 634. Charitatem corporis beati, etsi intensam non offendere visum, & quare. *ibidem.* Corpora quoque damnatorum corrumpi non posse, & quare. *ibidem.*

ibidem. Ex quo habeatur corruptio humani corporis poſt reſurrectionem. 635. Quomodo damnatorum corpora ſpeciem ignis in ſe recipiant. *ibidem*. Affligentia eſſe a contrarietate ſenſibilium, & ab igne. *ibid.* De duplici actione, quam aſſignat in corporibus inferioribus, quænam ceſſabit ceſſante motu cæli. *ibid.* In univerſali Judicio docet faciendam univerſalem ſeparationem bonorum a malis, & quare. 636. Homini, ut ſingularis perſona eſt, & ut pars totius humani generis deberi duplex Judicium. 637. Aliaque docet neceſſitatem univerſalis Judicii probantia. *ib.* Locum Judicii probabiliter ſtatuit, & defendit. *ib.* 638. Signum Crucis, & alia Paſſionis indicia demonſtranda veniente Domino ad Judicium. 639. 640. Quod triſtitia damnatorum tolleretur ſi Deum per eſſentiam viderent. 641. Quod Judicium prolixum tempus exigeret ſi vocaliter perficeretur. 644. Rationem dat, cur omnes omnino homines in judicio coram Chriſto adparebunt. 645. Etiam parvuli. *ibid.* De quibus fiet judicium diſcuſſionis meritorum. 646. Quare Judicio antonomaſtice attribuatur punitio. *ibidem*. Quomodo Angeli ſive boni, ſive mali ſint judicandi. 646. Quomodo intelligendum ſit Apoſtoli dictum: *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? ibid.* Omnium operum ſuorum quemque notitiam habiturum in conſcientia propria. *ibid.* Quinam ſint libri in Apocalypſi indicati, & quinam ſit liber vitæ. *ibidem*. Quomodo merita, & demerita, quæ e memoria exciderunt, cognoſcentur. 648. Etiam aliena in eorum conſcientiis eſſe videnda. *ibid.* Etiam electorum peccata per pœnitentiam deleta. *ibid.* Non in iſtanti, ſed in tempore breviſſimo. *ibid.* 649. Probat duplex homini deberi Judicium, adeoque etiam particulare ultra univerſale. 650. Non per acceſſum ad locum Judicis. 652. Ante Incarnationem exercebatur a Verbo Dei. *ibid.* Poſt Incarnationem convenire Chriſto ratione Divinitatis. *ibid.* De Mundi innovatione, de ceſſatione motus corporum cæleſtium, de eorumdem agenda claritate, de innovatione elementorum plura docet. 653. In Mundo innovato non manebunt niſi corpora cæleſtia, elementa, & homines & quare iſta, & non alia. 657. Cælum dici Empyreum, ideſt igneum, non ab ardore, ſed a ſplendore. *ibid.* 658. Eſſe inveſtigabile quia nec motui ſubjacet, nec viſui. *ib.* Reſpectu quorum dicatur tertium Cælum. 659. Eſſe lucidum, immobile, & incorruptibile, & quare. *ibid.* Non habere lucem condenſatam, ſed ſubtilem. *ibidem*. Probabilius reputat Empyreum habere influentiam ſed ſine motu. *ibid.* Beatos viſuros docet damnatorum pœnas. *ibid.* 160. Turpitudinem non imperficere viſionem. *ib.* Quando charitas ſit compaſſionis principium. *ib.* Lætari de malo alterius non ſemper pertinere ad odium. *ibidem*. In Beatis paſſionem eſſe non poſſe niſi judicium rationis conſequentem. *ibidem*. Inferni locum eſſe in centro terræ. *ibidem*. Quia ſicut gravitas in corporibus, ita triſtitia in Spiritibus. *ib.* 661. Diſtantiam a ſuperficie terræ ad infernum ſciri non poſſe. *ibid.* Inferni pœna non erat ordinata ad hominis pœnam ante peccatum, ſed in Dei præviſione. 662. Pœnam damnatorum futuram eſſe non ſolum damni, ſed etiam ſenſus. *ibid.* Non in ſola imaginatione, ſed in re. *ibid.* Damnatos torquendos eſſe igne vere corporeo. *ibid.* Ex quo habeat ignis ille quod puniat ſecundum culpæ quantitatem. *ibidem*. Aliis etiam pœnis affligendos eſſe. 663. Damnatorum pœnas non ordinari ad purgandum, ſed ad affligendum. *ibidem*. Quare tranſitus a vehementiſſimo calore ad vehementiſſimum frigus non erit damnatis in refrigerium. *ibid.* Vermem, qui in damnatis ponitur, eſſe ſpiritualem. *ibid.* Quomodo in eis erit fletus. *ibid.* Dupliciter in damnatis voluntatem diſtinguit, naturalem ſcilicet, & deliberativam, & hanc eſſe in eis malam. 664. Animas reſumendo corpora in reſurrectione immobilitatem voluntatis non eſſe amiſſuras. *ibid.* De invidia, & dolore damnatorum propter alienam felicitatem. *ibidem*. Quomodo damnatos pœnitebit de malo, quod fecerunt. *ibidem*. Damnatos velle non eſſe, & odio habere Deum, & quomodo. 665. Notitiam, quæ in eis remanebit, fore eis in ſupplicium. *ibidem*. 666. Ante Judicii diem damnatos videre Beatorum gloriam in confuſo, poſt vero nullo modo. *ibidem*. Quomodo de Deo cogitabunt. *ibidem*. Juſte pro peccato mortali damnatos perpetuo puniri. *ibid.* Variæ S. Doctoris doctrinæ circa æternitatem pœnarum reſpectu Angelorum, Hominum, & Chriſtianorum. *ibid.* 667. & 670.

Timor qualiter in Chriſto fuerit. 53

Tonſura Clericalis quare non ſit Sacramentum. 136. 137

Traditio calicis cum vino, patenæ cum hoſtia, probabiliter eſt unica, & adæquata materia ordinationis, ut Sacerdotalis. 141. 142

Trajani liberatio ab Inferno fabuloſa oſtenditur. 331. Quomodo poſſet admitti. *ibid.*

Tranſitus maris rubri cur non fuerit verum Sacramentum. 133.

Tranſubſtantiatio quid ſit. 289. Difficultates contra ipſam enodantur. 292

Triſtitia quomodo fuit in Chriſto. 53

V

Valentinus. Vide *Hæreſis*.

Valor ſatisfactionis operum Chriſti adæquat per ſe gravitatem offenſæ totius generis humani. 25. Eſt ſimpliciter infinitus. 28

Valor Sacrificii Miſſæ eſt triplex. 326. 327. Item alius ex opere operato, alius ex opere operantis. 327. & 328. Valor Sacrificii Miſſæ quoad virtutem, & ſufficientiam infinitus eſt. 328. Quod efficaciam, & effectum in actu ſecundo finitus, & limitatus. *ibid.*

Vaticinium Jacob: *Non auferetur &c.* adimpletum fuit in Chriſto. 6. 7. Ejus variæ expoſitiones tum Hebræorum tum Chriſtianorum. 7. Vaticinium primum Danielis de Meſſia proponitur. 10. Adimpletum oſtenditur in Chriſto Jeſu. *ibid.* Vaticinium ſecundum Danielis proponitur. 11. 12. Oſtenditur impletum in Chriſto. 11. Vaticinium Iſaiæ: *Ecce Virgo &c.* quomodo intelligendum. 43

Verba conſecrationis panis quæ. 277. 278. Quænam ſint eſſentialia ad conſecrationem calicis. 280. 281

Verbum Divinum cur convenientius incarnatum fuerit, quam Pater, & Spiritus Sanctus. 19. Non fuiſſe incarnatum, ex vi præſentis decreti, Adamo non peccante. 34. Fuit incarnatum principalius ad tollendum peccatum originale, quam actuale. 36. 37. Incarnatum fuiſſe, ſolo exiſtente originali. 38. Secus (probabilius) ſolis exiſtentibus actualibus peccatis. *ibid.* Verbum carne indutum probabilius, non apparuit antiquis Patriarchis. 40. Aſſumpſit animam humanam. 45. Mente præditam. 46. 47. Aſſumpſit humanam voluntatem. 47. Defectus corporales communes toti humanæ ſpeciei. 51. Non vero defectus provenientes in aliquibus individuis ex cauſis accidentalibus. *ibidem*. 52. Verbum quomodo reddat humanitatem Chriſti impeccabilem. 55. 56. Unitum eſt humanitati illam immediate terminando ſola ſubſiſtentia relativa. 59. Non vero unitum eſt immediate ſecundum naturam communem. *ibidem*. 60. Unitum eſt humanitati unione ſubſtantiali. 65

Veſpaſiano quædam falſo miracula attribuuntur. 7

Veſtes peculiares quando cœptæ ſint adhiberi in Sacrificio Miſſæ. 340. Quænam ſint. *ibidem*. Prætermitti nequeunt a celebrante ſine gravi culpa. 341

Vinculum matrimoniale poteſt Deus inducere abſque prævio conſenſu maris & feminæ. 482

Vinum eſt neceſſario adhibendum in Euchariſtia conficienda. 271. Et quidem de vite. 272

Virtutes morales ex genere ſuo acquiſibiles infuſæ fuerunt animæ Chriſti, in ſui conceptione. 90. Item omnes virtutes Morales, per ſe infuſæ, quæ aliunde unioni hypoſtaticæ non repugnabant, fuerunt in Chriſto. 111. 112. Virtutes morales per ſe acquiſibiles omnes fuerunt in Chriſto. 115. Et quidem probabiliter, propriis actibus ab ipſo acquiſitæ. *ibid.* Virtutes naturales haberi per acquiſitionem quomodo perfectius ſit, quam haberi per infuſionem. *ibid.* 116

Unctio Chriſmatis eſt pars eſſentialis Confirmationis. 242

Unctio Extremæ Unctionis, quibus in partibus ſit facienda. 413. Etiam in una ſola parte ſufficit ad ſubſtantiam Sacramenti. *ib.*

Unio hypoſtatica erat ratio intrinſeca impeccabilitatis in Chriſto. 55. Poteſt conſiderari active, & paſſive. 64. 65. Paſſive formaliter ſumpta non eſt modus abſolutus, realiter diſtinctus ab humanitate, & Verbo ſimul ſumptis. 65. Unio Verbi cum humanitate fuit ſubſtantialis, & in perſona. 67

Votum Baptiſmi conceptum a parentibus cum aliquo ſigno externo non ſufficit ad ſalutem parvulorum. 222. 223. Quale debeat eſſe hujuſmodi votum. 223

Vox tubæ ad Judicium vocantis erit vox ſenſibilis. 620. Vox iſta erit Filii Dei jubentis, & Archangeli Michaelis proferentis. *ibid.*

FINIS.





Signt.ª Top.ª
Est. 96
Tab. 3
Núm. 6

GOTTI

THEOLOG

3.

4731